37
13 F
6

- MAG 4173

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CORPUS

OMNIUM VETERUM

POETARUM LATINORUM,

TAM

PROPHANORUM

QUAM

ECCLESIASTICORUM;

CUM EORUM, QUOTQUOT REPERIUNTUR, FRAGMENTIS.

TOMUS II.

LONDINI,

Proſtant verò

HAGÆ COMITUM,

Apud ISAACUM VAILLANT.

M. D. C. C. XXI.

Digitized by Google

37.13-F.6

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ TRAGOEDIÆ.

L. ANNÆI SENECÆ VITA,

A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

LUCIUS Annæus Seneca natione Hiſpanus, patriâ Cordubenſis fuit. Inter poetas refertur qui tragœdias ſcripſerunt, ut Pacuvius, Accius, Attilius & Pomponius Secundus, qui eâdem ætate claruit, & cum ipſo Senecâ paribus ſtadiis verſatus eſt in faciendis tragœdiis. In magno pretio habitus eſt, & ob elegantiam ingenii plurimùm commendatus. Scripſit Tragœdias X. in quibus propter ſubtilitatem carminis gravitatémque ſententiarum non vulgarem laudem conſecutus eſt, etſi tempora illa, in quæ incidit, magnâ ex parte adverſa extiterunt melioribus diſciplinis. In ſuis fabulis Euripidem atque Aeſchylum traditur imitatus. Quæ res facilè intelligetur ab his, qui paulò diligentius eas obſervabunt. Qui ſcribunt Poetam hunc filium fuiſſe Annæi Senecæ, qui in Stoicorum diſciplinis magnopere claruit, conjecturis tantùm nituntur: neque hanc rem, ut ego exiſtimo, ullis autoribus aſſerunt. Minimè autem dubium eſt, duos fuiſſe Senecas, quorum alter in Philoſophiæ ſtudiis præclarus atque excellens habitus eſt, eúmque divus Hieronymus propter egregiam illius probitatem ſingularémque vitæ conſtantiam, ut puto, inter authores Chriſtianos collocavit. Quæ res optimis rationibus & antiquis ſcriptoribus probatur. Val. Martialis duos celebrat Senecas, & unicum Lucanum ex eâdem Cordubâ.

Ex his manifeſtè colligitur, quid exiſtimari debeat de utroque Senecâ: præcipuè hoc, quod elici poteſt ex viii. ejuſdem Tragœdiâ, in quâ Neronis ſcelera & crudeliſſima flagitia copioſè enumerantur. Grammatici veteres videntur maximi feciſſe, præter cæteros omnes, Pacuvium & Accium in ſcribendis Tragœdiis, ut alibi diximus. Non me præterit, quàm multa ſcripta ſint de hôc Senecâ à Xicone Poletano: ſed hic mihi videtur abuti ſuâ diligentiâ, & aliorum judicium contemnere, qui tam anxiè defatigatur in re minimè dubiâ explicandâ.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ,

MEDEA.

PERSONÆ.

MEDEA. NUTRIX.
JASON. CHORUS.
CREON. NUNCIUS.

ACTUS PRIMUS.

MEDEA.

DII conjugales; túque genialis tori
Lucina cuſtos; quæque domitorem freti
Typhin novam frænare docuiſti ratem;
Et tu profundi ſæve dominator maris;
Clarúmque Titan dividens orbi diem;
Tacitiſque præbens conſcium ſacris jubar,
Hecate triformis; quóſque juravit mihi
Deos Iaſon; quóſque Medeæ magis
Fas eſt precari; noctis æternæ chaos
Adverſa ſuperis regna, manéſque impios,
Dominúmque regni triſtis, & dominam fide
Meliore raptam, voce non fauſtâ precor:
Adeſte, adeſte ſceleris ultrices deæ,
Crinem ſolutis ſqualidæ ſerpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem,
Adeſte: thalamis horridæ quondam meis
Quales ſtetiſtis: conjugi letum novæ,
Letúmque ſocero & regiæ ſtirpi date.
Mihi pejus aliquid, quod precer ſponſo malum;
Vivat; per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, inviſus, incerti laris:
Me conjugem optet; limen alienum expetat,
Jam notus hoſpes: quóque non aliud queam
Pejus precari, liberos ſimiles patri,
Similéſque matri. parta, jam parta ultio eſt,
Peperi. querelas, verbáque incaſſum fero.
Non ibo in hoſtes? manibus excutiam faces,
Cœlóque lucem. ſpectat hoc noſtri ſator
Sol generis? & ſpectatur, & curru inſidens
Per ſolita puri ſpatia decurrit poli?
Non redit in ortus, & remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi.
Committe habenas, genitor, & flagrantibus
Igniſera loris tribue moderari juga.
Gemino Corinthus littori opponens moras,
Cremata flammis maria committat duo.
Hoc reſtat unum: pronubam thalamo feram
Ut ipſa pinum; póſtque ſacrificas preces
Cædam dicatis victimas altaribus.
Per viſcera ipſa quære ſupplicio viam.
Si vivis, anime: ſi quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle femineos metus,
Et inhóſpitalem Caucaſum mente indue.
Quodcunque vidit Phaſis aut Pontus nefas,
Videbit Iſthmos. effera, ignota, horrida,
Tremenda cœlo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat, vulnera, & cædem, & vagum
Funus per artus. levia memoravi nimis:
Hæc virgo feci. gravior exſurgat dólor.
Majora jam me ſcelera poſt partus decent.
Accingere ira, téque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. quo virum linquis modo?
Hoc quo ſecuta es, rumpe jam ſegnes moras:
" Quæ ſcelere pacta eſt, ſcelere rumpetur fides.

CHORUS.

AD regum thalamos numine proſpero,
Qui cœlum, ſuperi, quſque regunt fretum,
Adſint, cum populis rite faventibus.
Primus ſceptriferis colla Tonantibus
Taurus celſa ferat tergore candido.
Lucinam nivei ſemina corporis
Intentata jugo placet: &, aſperi
Martis ſanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenerâ mitior hoſtiâ.
Et tu qui facibus legitimis ades,
Noctem diſcutiens auſpice dexterâ,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roſeo tempora vinculo.
Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tardè ſtella redis ſemper amantibus:
Te matres avidæ, te cupiunt nurus,
Quàm primùm radios ſpargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longè Cecropias nurus:
Et quas Taygeti jugis,
Muris quod caret oppidum,
Exercet juvenum modo,
Et quas Aonius latex,
Alpheúſque ſacer lavat.
Cedent Æſonio duci,
Si formâ velit aſpici,
Proles fulminis improbi,
Aptat qui juga tigribus:
Nec non qui tripodas movet,
Frater virginis aſperæ.
Cedet Caſtore cum ſuo
Pollux cæſtibus aptior.
Sic, ſic, Cœlicolæ, precor,
Vincat femina conjuges,
Vir longè ſuperet viros.
Hæc cùm virgineo conſtitit in choro,
Unius facies pœnitet omnibus.
Sic cum ſole perit ſideribus decor;
Et denſi latitant Pleïadum greges;
Cùm Phœbe ſolitum lumine non ſuo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Oſtro ſic niveus phœniceo color
Perfuſus rubuit: ſic nitidum jubar
Paſtor luce novâ roſcidus aſpicit.
Ereptus thalamis Phaſidos horridis,
Effrenæ ſolitus pectora conjugis
Invitâ trepidus prendere dexterâ,
Felix Aoniam prendito virginem
Nunc primùm ſoceris, ſponſe, volentibus:
Conceſſo, juvenes, ludite jurgio,
Hinc illinc, juvenes, mittite carmina:
„ Rara eſt in dominos juſta licentia.
Candida thyrſigeri proles generoſa Lyæi,

Multifidam

Multifidam jam tempus erat succendere pinum:
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus.
Solvat turba jocos. tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitiva marito.

ACTUS SECUNDUS.

MEDEA, NUTRIX.

MEDEA.

OCCIDIMUS. autes pepulit Hymenæus meas.
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Hæc facere Iason potuit? erepto patre,
Patriâ atque regno, sedibus solam exteris
Deserere durus merita contemptit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci & mare?
Adeone credit omne consumptum nefas?
Incerta, vecors, mente non sanâ feror
Partes in omnes, unde me ulciscî queam.
Utinam esset illi frater! est conjux; in hanc
Ferrum exigatur: hoc meis satis est malis.
Si quod Pelasgæ, si quod urbes barbaræ
Novere facinus, quod tuæ ignorant manus,
Nunc est parandum. scelera te hortentur tua;
Et cuncta redeant; inclytum regni decus
Raptum; & nefandæ virginis parvus comes
Divisus ense, funus incertum patri;
Spargúmque ponto corpus; & Peliæ senis
Decocta aheno membra. funestum impiè
Quàm sæpe fudi sanguinem! at nullum scelus
Irata feci. sævit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit alieni arbitrii,
Jussúque factus? debuit ferro obvium
Offerre pectus. melius, ah melius dolor
Furiose, loquere. si potest, vivat meus,
Ut fuit, Iason; sin minùs, vivat tamen,
Memórque nostri, muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Conjugia solvit; quisque genitricem abstrahit
Natis; & arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit: petatur solus hic, pœnas luat
Quas debet. alto cinere cumulabo domum,
Videbit atrum verticem flammis agi
Malea, longas navibus flectens moras.
NU. Sile obsecro, quæstúsque secreto abditos
Manda dolori. „ gravia quisquis vulnera
" Patiente & æquo immotus animo pertulit,
" Referre potuit. ira, quæ tegitur, nocet.
" Professa produnt odia vindictæ locum.
ME. " Levis est dolor, qui capere consilium potest.
" Et celepere sese; magna non latitant mala.
Libet ire contrà. *NU.* tile furialem impetum
Alumna: vix te tacita defendit quies.
ME. " Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
NU. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
ME. " Nunquam potest non esse virtuti locus.
NU. " Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.
ME. " Qui nil potest sperare, desperet nihil.
NU. Abiere Colchi; conjugis nulla est fides;
Nihilque superest opibus è tantis tibi.
ME. Medea supererit: hic mare & terras vides,
Ferrúmque & ignes, & deos, & fulmina.
NU. Rex est timendus. *ME.* rex meus fuerat pater.
NU. Non metuis arma? *ME.* sint licèt terrâ edita.
N. Moriere. *M.* cupio. *N.* profuge. *M.* pœnituit fugæ.
Medea fugiam? *NU.* mater es. *ME.* cui fim, vides.
NU. Profugere dubitas? *ME.* fugiam: at ulciscar prius.
NU. Vindex sequetur. *ME.* fortan Inveniam moras.
NU. Compesce verba; parce jam demens minis,
Animósque minue. " tempori aptari decet.
ME. " Fortuna opes auferre, non animum, potest.
Sed cujus ictu regius cardo strepit?
Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creon.

CREON. MEDEA.

CREON.

MEDEA, Colchi noxium Æetæ genus,
Nondum meis exportat è regnis pedem?
Molitur aliquid, nota fraus; nota est manus.
Cui parcit illa? quémve securum sinit?
Abolere propere pestinum ferro luem

Equidem parabam, precibus evicit gener.
Concessa vita est: liberet fines metu;
Abeátque tuta. fert gradum contrà ferox,
Minásque nostros propiùs affatus petit.
Arcete, famuli, tactu & accessu procul,
Jubete fileat. regium imperium pati
Aliquando discat. vade veloci viâ,
Monstrúmque sævum, horribile, jam dudum avehe.
ME. Quod crimen aut quæ culpa multatur fugâ?
CR. Quæ causa pellat, innocens mulier rogat?
ME. " Si judicas, cognosce: si regnas, jube.
CR. Æquum atque iniquum regis imperium feras.
ME. " Iniqua nunquam regna perpetuò manent.
CR. I, quærere Colchis. *ME.* redeo: qui advexit, ferat.
CR. Vox constituto sera decreto venit.
ME. " Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,
" Æquum licèt statuerit, haud æquus fuit.
CR. Auditus à te Pelia supplicium tulit.
Sed fare: causæ detur egregiæ locus.
ME. Difficile quàm sit animum ab ira flectere
Jam concitatum; quámque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Quà cepit, ire; regiâ didici meâ.
Quamvis enim sim clade miseranda obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique
Afflicta; quondam nobili fulti patre,
Avóque clarum Sole deduxi genus:
Quodcumque placidis flexibus Phasis rigat;
Pontúsque quidquid Scythicus à tergo videt;
Palustribus quà maria dulcescunt aquis;
Armata peltis quidquid exercet cohors
Inclusa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens
Fulsi, petebant tunc meos thalamos viri,
Qui nunc petuntur. rapida Fortuna ac levis,
Præcépsque regno eripuit, exilio dedit.
" Confide regnis, cùm levis magnas opes
" Huc ferat & illuc casus, hoc reges habent
" Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies;
" Prodesse miseris, supplices fido lare
" Protegere: solum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Græciæ florem inclytum,
Præsidia Achivæ gentis, & prolem deûm
Servâsse memet: munus est Orpheus meum,
Qui saxa cantu mulcet, & sylvas trahit;
Geminúmque munus Castor & Pollux, meum est;
Satisque Boreâ; quisque trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;
Omnésque Minyæ: nam ducum taceo ducem:
Pro quo nihil debetur, hunc nulli imputo.
Vobis revexi cæteros; unum mihi.
Incesse nunc, & cuncta flagitia ingere;
Fatebor: obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. virgini placeat pudor,
Patérque placeat; tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus: hic tuus primus gener
Tauri ferocis ore flagranti occidit.
Fortuna causam, quâ volet, nostram premat:
Non pœnitet servâsse tot regum decus.
Quodcunque culpâ præmium ex omni tuli,
Hoc est penès te. si placet, damna ream:
Sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creo;
Talem sciebas esse, cùm genua attigi,
Fidémque supplex præsidiis dextræ petii.
Terrâ hâc miseriis angulum & sedem rogo,
Latebrásque viles. urbe si pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,
Testatus equidem videor haud clarè parum,
Generum exulem legendo, & afflictum, & gravi
Terrore pavidum. quippe te pœnæ expetit
Letóque Acastus, regna Thessalica obtinens:
Senio trementem debili atque ævo gravem,
Patrem peremptum queritur, & cæsi senis
Discissa membra; cùm dolo captæ tuo
Piæ sorores impium auderent nefas.
Potest Iason, si tuam causam amoves,
Suam tueri: nullius innocuum cruor
Contaminavit: abfuit ferro manus,
Procúlque vestro purus à cœtu stetit.
Sed tu malorum machinatrix facinorum,
" Cui feminea nequitia ad audendum omnia,

" Virile robur, nulla famæ memoria eſt,
Egredere, purga regna; letales ſimul
Tecum aufer herbas, libera cives metu.
Alià ſedens tellure ſolicita Deos.
ME. Profugere cogis? redde fugienti ratem,
Vel redde comitem. fugere cur ſolam jubes?
Non ſola veni, bella ſi metuis pati,
Utrumque regno pelle. cur fontes duos
Diſtinguis? illi Pelia, non nobis jacet.
Fugam, rapinaſque adice; deſertum patrem,
Lacerúmque fratrem: quidquid etiamnum novas
Docet maritus conjuges, non eſt meum.
Toties nocens ſum facta, ſed nunquam mihi.
CR. Jam exiſſe decuit. quid ſeris fando moras?
ME. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris inſontes trahat.
CR. Vade hos paterno, ut genitor, excipiam ſinu.
ME. Per ego auſpicatos regii thalami thoros,
Per ſpes futuras, pérque regnorum ſtatus,
Fortuna variâ dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram;
Dum extrema gnatis mater infigo oſcula,
Fortaſſe moriens. *CR.* fraudibus tempus petis.
ME. Quæ fraus timeri tempore exiguo poteſt?
CR. " Nullum ad nocendum tempus anguſtum eſt malis.
ME. Parúmne miſeræ temporis lacrymis negas?
CR. Etſi repugnat precibus infelix timor,
Unus parando dabitur exilio dies.
ME. Nimis eſt; & ex hôc aliquid abſcindas licet;
Et ipſa propero. *CR.* capite ſupplicium lues;
Clarus priuſquam Phœbus attollat diem;
Niſi cedis Iſthmo. ſacra me thalami vocant,
Vocat precari feſtus Hymenæo dies.

CHORUS.

AUDAX nimiùm, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terráſque ſuas poſt terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubióque ſecans æquora curſu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortiſque viæ
Nimiùm gracili limite ducto.
Nondum quiſquam ſidera nôrat;
Stelliſque, quibus pingitur æther,
Non erat uſus: nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates;
Non Oleniæ ſidera capræ:
Non quæ ſequitur flectítque ſenex
Arctica tardus plauſtra Bootes:
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Auſus Typhis pandere vaſto
Carbaſa ponto, legéſque novas
Scribere ventis. nunc lina ſinu
Tendere toto: nunc prolato
Pede tranſverſos captare notos:
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo: nunc in ſummo
Religare loco, cùm jam totos
Avidus nimiùm navita flatus
Optat, & alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida noſtri ſæcula patres
Videre, procul fraude remotâ;
Sua quiſque piger litora tangens,
Patrióque ſenex factus in arvo,
Parvo dives, niſi quas tulerat
Natale ſolum, non nôrat opes.
Bene diſſepti fœdera mundi
Traxit in unum Theſſala pinus,
Juſſítque pati verbera pontum;
Partémque metûs fieri noſtri
Mare ſepoſitum. dedit illa graves
Improba pœnas, per tam longos
Ducta timores: cùm duo montes,
Clauſtra profundi, hinc atque illinc
Subito impulſu, velut ætherio
Gemerent ſonitu; ſpargeret aſtra
Nubéſque ipſas mare deprenſum.
alluit audax Tiphys, & omnes
Labente manu miſit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyrâ;
Ipſáque vocem perdidit Argo.
Quid! cùm Siculi virgo Pelori,
Rabidos utero ſuccincta canes,
Omnes pariter ſolvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid! cùm Auſonium diræ peſtes
Voce canorâ mare mulcerent,
Cùm Pieriâ reſonans citharâ
Thracius Orpheus, ſolitam canto
Retinere rates, penè coëgit
Sirena ſequi? " quod fuit hujus
" Precium curſûs? aurea pellis;
" Majúſque mari Medea malum,
" Merces primâ digna carinâ.
Nunc jam ceſſit pontus, & omnes
Patitur leges: non Palladiâ
Compacta manu regum referens
Inclyta remos quæritur Argo.
Quælibet altum cymba pererrat:
Terminus omnis motus: & urbes
Muros terrâ poſuere novos.
Nil, quâ fuerat ſede, reliquit
Pervius orbis. Indus gelidum
Potat Araxem: Albim Perſæ,
Rhenúmque bibunt: venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphyſque novos
Detegat orbes; nec ſit terris
Ultima Thule.

ACTUS TERTIUS.

NUTRIX, MEDEA.

NUTRIX.

ALUMNA, celerem quò rapis tectis pedem?
Reſiſte, & iras comprime, ac retine impetum.
Incerta qualis entheos curſus tulit,
Cùm jam recepto Mænas inſanit Deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nyſæ jugis:
Talis recurſat huc & motu effero,
Furoris ore ſigna lymphati gerens.
Flammata facies ſpiritum ex alto citat.
Proclamat: oculos uberi fletu rigat;
Renidet, omnis ſpecimen affectus capit;
Hæret, minatur, æſtuat, queritur, gemit.
Quò pondus iſtud verget? ubi ponet minas?
Ubi ſe iſte fluctus franget? exundat furor.
Non facile ſecum verſat aut medium ſcelus.
Se vincet: iræ novimus veteres notas.
Magnum aliquid inſtat, efferum, impium.
Vultum furoris cerno. Dii fallant metum!
ME. Si quæris odio, miſera, quem ſtatuas modum,
Imitare amorem. regias egón' ut faces
Inulta patiar? ſegnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra cœlum media libratum feret,
Nitidúſque certas mundus evolvet vices,
Numeráſque arenis deerit; & ſolem dies,
Noctem ſequentur aſtra; dum ſiccas polus
Verſabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus ceſſabit in pœnas furor,
Creſcétque ſemper, quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis Ionium mare
Siculúmque ſorbens, quæque anhelantem premens
Titana, tantis Ætna fervebit minis?
Non rapidus amnis, non procelloſum mare,
Pontúſque Coro ſævus, aut vis ignium
Adjuta flatu, poſſit inhibere impetum
Iráſque noſtras. ſternam & evertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Theſſalici ducis:
" Amor timere neminem verus poteſt.
Sed ceſſerit convictus & dederit manus;
Adire certè, & conjugem extremo alloqui
Sermone potuit: hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certè tempus immitis fugæ
Genero licebat. liberis unus dies
Datus duobus. non queror tempus breve:
Multum patebit. faciet, hic faciet dies,
Quod nullus unquam taceat. invadam deos,
Et cuncta quatiam. *NU.* recipe turbatum malis,

Hera,

Hera, pectus; animum mitiga. *ME.* Sola eſt quies,
Mecum ruinâ cuncta ſi video obruta,
Mecum omnia abeant. trahere, cùm pereas, libet.
NU. Quàm multa ſint timenda, ſi peritas, vide.
" Nemo potentes aggredi tutus poteſt.

JASON, MEDEA.

JASON.

O Dura fata ſemper, & ſortem aſperam,
Cùm ſævit & cùm parcit, ex æquo malam!
Remedia toties invenit nobis Deus
Periculis pejora. ſi vellem fidem
Præſtare meritis conjugis, leto fuit
Caput offerendum: ſi mori nolim, fide
Miſero carendum eſt. non timor vincit virum,
Sed trepida pietas: quippe ſequeretur necem
Proles parentum. ô ſancta, ſi cœlum incolis,
Juſtitia, numen invoco ac teſtor tuum;
Nati patrem vicere. quin ipſam quoque,
Etſi ferox eſt corde, nec patiens jugi,
Conſulere natis malle, quàm thalamis, reor.
Conſtituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viſo memet, exiluit, furit,
Fert odia præ ſe, totus in vultu eſt dolor.
ME. Fugimus Jaſon, fugimus, hoc non eſt novum,
Mutare ſedes: cauſa fugiendi nova eſt.
Pro te ſolebam fugere. diſcedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phaſin & Colchos petam,
Patriúmque regnum; quæque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras jubes?
Quæ maria monſtras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum ſecuta per Symplegadas?
Parvámne Iolcon, Theſſala an Tempe petam?
Quaſcunque aperui tibi vias, cluſi mihi.
Quò me remittis? exuli exilium imperas,
Nec das. catur: regius juſſit gener;
Nihil recuſo: dira ſupplicia ingere;
Merui. cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira. vinculis oneret manus,
Cluſámque ſaxo noctis æternæ obruat;
Minora meritis patiar. ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Intérque ſævos gentis indomitæ metus,
Armifero in arvo flammeum Æëtæ pecus,
Hoſtiſque ſubiti tela: cum juſſu meo
Terrigena miles mutuâ cæde occidit.
Adice expetita ſpolia Phrixei arietis,
Somnóque juſſum lumina ignoto dare
Inſomne monſtrum: traditum fratrem neci;
Et ſcelere in uno non ſemel factum ſcelus;
Juſſáſque natas fraude deceptas meâ
Secare membra non revicturi ſenis.
Aliena ſequens regna, deſerui mea.
Per ſpes tuorum liberûm, & certum larem,
Per victa monſtra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, pérque præteritos metus;
Per cœlum, & undas, conjugii teſtes mei,
Miſerere: redde ſupplici felix vicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Uſque à peruſtis Indiæ populis petunt,
Referta quáſque vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exul tuli
Niſi fratris artus. hoc quoque impendi tibi.
Tibi patria ceſſit, tibi pater, frater, pudor,
Hâc dote nupſi; redde fugienti ſua.
JA. Perimere cùm te vellet infeſtus Creo,
Lacrymis meis evictus, exilium dedit.
ME. Pœnam putabam, munus, ut video, eſt fuga.
JA. Dum licet abire, profuge, téque hinc eripe:
" Gravis ira regum eſt ſemper. *ME.* hoc ſuades mihi,
Præſtas Creüſæ; pellicem inviſam amoves.
JA. Medea amores obicit? *ME.* & cædem, & dolos.
JA. Objicere crimen quod potes tandem mihi?
ME. Quodcunque feci. *JA.* reſtat hoc unum inſuper;
Tuis ut etiam ſceleribus fiam nocens.
ME. Tua illa, tua ſunt illa. cui prodeſt ſcelus,
Is fecit. omnes conjugem infamem arguant;
Solus tuere, ſolus inſontem voca.
Tibi innocens ſit, quiſquis eſt pro te nocens.
" *JA.* Ingrata vita eſt, cujus acceptæ pudet.
" *ME.* Retinenda non eſt, cujus acceptæ pudet.
JA. Quin potiùs irâ concitum pectus doma:
Placare natis. *ME.* abdico, ejuro, abnuo.
Meis Creüſa liberis fratres dabit?
JA. Regina gnatis exulum, afflictis potens.
ME. Non veniat unquam tam malus miſeris dies,
Qui prole fœdâ miſceat prolem inclytam;
Phœbi nepotes Siſyphi nepotibus.
JA. Quid miſera méque téque in exitium trahis?
Abſcede quæſo. *ME.* ſupplicem audivit Creo.
JA. Quid facere poſſim eloquere. *ME.* pro me? vel ſcelus.
JA. Hinc rex, & illinc. *ME.* eſt & his major metus,
Medea. nos confligere, certemus, fine,
Sit precium Jaſon. *JA.* cedo defeſſus malis.
Et ipſa caſus ſæpe jam expertos time.
ME. Fortuna ſemper omnis intrà me ſtetit.
JA. Acaſtus inſtat, propior eſt hoſtis Creo.
ME. Utrumque profuge. nolo ut in ſocerum manus
Armes; nec ut te cæde cognatâ inquines.
Medea cogit: innocens mecum fuge.
JA. Et quis reſiſtet, gemina ſi bella ingruant?
Creo atque Acaſtus arma ſi jungant ſua?
ME. His adice Colchos, adjice Æëtem ducem,
Scythas Pelaſgis junge; demerſos dabo.
JA. Alta extimeſco ſceptra. *ME.* ne cupias, vide.
JA. Suſpecta ne ſint, longa colloquia amputa.
ME. Nunc ſumme toro Jupiter cœlo tona,
Intende dextram, vindices flammas para,
Omnémque ruptis nubibus mundum quate;
Nec diligenti tela librentur manu;
In me, vel iſtum: quiſquis è nobis cadet,
Nocens peribit. non poteſt in nos tuum
Errare fulmen. *JA.* ſana meditari incipe,
Et placida fare. ſi quid ex ſoceri domo
Poteſt fugam levare, ſolamen pete.
ME. Contemnere animus regias, ut ſcis, opes
Poteſt, ſolétque: liberos tantùm fugæ
Habere comites liceat, in quorum ſinu
Lacrymas profundam. te novi gnati manent.
JA. Parere precibus cupere me fateor tuis;
Pietas vetat. namque iſtud haud poſſim pati;
Non ſi ipſe memet cogat & rex, & ſocer.
Hæc cauſa vitæ eſt, hoc peruſti pectoris
Curis levamen. ſpiritu citiùs queam
Carere, membris, luce. *ME.* ſic gnatos amat?
Bene eſt; tenetur: vulneri patuit locus.
Suprema certè liceat abeuntem loqui
Mandata. liceat ultimum amplexum dare.
Gratum eſt? & illud voce jam extremâ peto,
Ne ſi qua noſter dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba; ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat: hæc iræ data
Obliterentur. *JA.* omnia ex animo expuli.
Precórque & ipſa fervidam ut mentem regas,
Placidéque tractes. " miſerias lenit quies.
ME. Diſceſſit. itán' eſt? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. hoc age, omnes advoca
Vires & artes, fructus eſt ſcelerum tibi,
Nullum ſcelus putare. vix fraudi eſt locus:
Timemur, hâc aggredere, quâ nemo poteſt
Quicquam timere: perge, nunc aude, incipe,
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.
Tu fida nutrix, ſocia mœroris mei,
Variſque caſûs, miſera conſilia adjuva.
Eſt palla nobis, munus ætheriæ domûs,
Decúſque regni, pignus Æetæ datum
A Sole, gemmis eſt & auro textili
Monile fulgens; quódque gemmarum nitor
Diſtinguit aurum, quo ſolent cingi comæ.
Hæc noſtra nati dona nubenti ferant,
Sed antè diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate, ſacra luctifica appara,
Struantur aræ, flamma jam tectis ſonet.

CHORUS.

NULLA vis flammæ, tumidſque venti
Tanta, nec teli metuenda torti:
Quanta cùm conjux viduata tædis
Ardet & odit.
Non ubi hybernos nebuloſus imbres
Auſter advexit; properátque torrens
Iſter & junctos vetat eſſe pontes,
Ac vagus errat.
Non ubi impellit Rhodanus profundum;

Aut

Aut ubi in rivos nivibus ſolutis
Sole jam forti, medióque vere
Tabuit Hæmus.
Cæcus eſt ignis ſtimulatus irâ,
Nec regi curat, patitúrve frænos:
Haud timet mortem; cupit ire in ipſos
Obvius enſes.
Parcite ô divi; veniam precamur,
Vivat ut tutus mare qui ſubegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna ſecunda.
Auſus æternos agitare currus
Immemor metæ juvenis paternæ,
Quos polo ſparſit furioſus ignes
Ipſe recepit.
Conſtitit nulli via nota magno,
Vade, quà tutum populo priori:
Rumpe nec ſancti, violente, mundi
Fœdera ſancta.
Quiſquis audacis tetigit carinæ
Nobiles ramos, nemoriſque ſacri
Pelion denſâ ſpoliavit umbrâ:
Quiſquis intravit ſcopulos vagantes,
Et tot emenſus pelagi labores,
Barbarâ funem religavit orâ,
Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata ponti
Jura piavit.
Exigit pœnas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi,
Liquit indocto regimen magiſtro;
Littore externo procul à paternis
Occidens regnis, tumulóque vili
Tectus, ignotas jacet inter umbras.
Aulis amiſſi memor indè regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.
Ille vocali genitus Camœnâ,
Cujus ad chordas modulante plectro
Reſtitit torrens, ſiluere venti,
Cui ſuo cantu volucris relicto
Adſuit totâ comitante ſylvâ;
Thracios ſparſus jacuit per agros:
Ad caput tractus fluvialis Hebri,
Contigit notam Styga, Tartarúmque
Non rediturus.
Stravit Alcides Aquilone natos,
Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras ſolitum figuras.
Ipſe poſt terræ pelagíque pacem,
Poſt feri Ditis pateſacta regna,
Vivus ardenti recubans in Oetâ,
Præbuit ſævis ſua membra flammis,
Tabe conſumptus gemini cruoris
Munere nuptæ.
Stravit Ancæum violentus ictu
Setiger. fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; moreríſque dextrâ
Matris iratæ. meruere cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus?
Raptus eſt tutas puer inter undas.
Ite nunc fortes; perarate pontum
Sorte timendâ.
Idmonem, quamvis bene fata nôſſet,
Condidit ſerpens Libycis arenis.
Omnibus verax, ſibi falſus uni
Concidit Mopſus, caruítque Thebis,
Ille qui verè cecinit futura.
Exul erravit Thetidis maritus,
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplius præceps cadit in profundum.
Crimini pœnas patrio pependit,
Fulmine & ponto moriens Oileus.
Conjugis fatum redimens Pheræi
Uxor impendit animam marito.
Ipſe, qui prædam ſpoliúmque juſſit
Aureum primâ revehi carinâ,
Uſtus accenſo Pelias aheno
Arſit anguſtas vagus inter undas.
Jam ſatis, divi, mare vindicâſtis:
Parcite juſſo.

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX.

PAVET animus, horret; magna pernicies adeſt.
Immane quantum augeſcit, & ſemet dolor
Accendit ipſe, vímque præteritam integrat.
Vidi furentem ſæpe & aggreſſam Deos
Cœlum trahentem: majus his, majus parat
Medea monſtrum. namque ut attonito gradu
Evaſit, & penetrale funeſtum attigit;
Totas opes effudit, & quidquid diu
Etiam ipſa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum; arcana, ſecreta, abdita.
Et triſte lævâ complicans ſacrum manu,
Peſtes vocat, quaſcunque ferventis creat
Arena Libyæ, quáſque perpetuâ nive
Taurus coërcet frigore Arctoo rigens;
Et omne monſtrum. tracta magicis cantibus
Squamnea latebris turba deſertis adeſt.
Hic fera ſerpens corpus immenſum trahit,
Trifidámque linguam exertat, & quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito ſtupet,
Tumidúmque nodis corpus aggeſtis plicat,
Cogítque in orbes. parva ſunt, inquit, mala,
Et vile telum eſt, ima quod tellus creat:
Cœlo petam venena. jam nunc tempus eſt
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille vaſti more torrentis jacens
Deſcendat anguis, cujus immenſos duæ
Major minórque ſentiunt nodos feræ;
Major Pelaſgis, apta Sidoniis minor.
Preſſáſque tandem ſolvat Ophiuchus manus,
Virúſque fundat. adſit ad cantus meos
Laceſſere auſus gemina Python numina.
Et Hydra, & omnis redeat Herculeâ manu
Succiſa ſerpens, cæde ſe reparans ſuâ.
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primùm cantibus ſerpens meis.
Poſtquam evocavit omne ſerpentum genus,
Congerit in unum frugis infauſtæ mala;
Quæcunque generat invius ſaxis Eryx;
Quæ fert opertis hyeme perpetuâ jugis
Sparſus cruore Caucaſus Promethei;
Pharetráque pugnax Medus, aut Parthus levis;
Et queis ſagittas divites Arabes linunt;
Aut quos ſub axe frigido ſuccos legunt
Lucis Suevi nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus vere nidifico creat;
Aut rigida cùm jam bruma diſcuſſit decus
Nemorum & nivali cuncta conſtrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirſíve tortis ſuccus in radicibus
Cauſas nocendi gignit, attrectat manu.
Æmonius illas contulit peſtes Athos;
Has Pindus ingens; illa Pangei jugis
Teneram cruentâ falce depoſuit comam:
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;
Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaſpes gemmifer currens aquis,
Noménque terris qui dedit Bætis ſuis,
Heſperia pulſans maria languenti vado;
Hæc paſſa ferrum eſt, dum parat Phœbus diem;
Illius altâ nocte ſuccíſus frutex:
At hujus ungue ſecta cantato ſeges.
Mortifera carpit gramina, ac ſerpentium
Saniem exprimit; miſcétque & obſcœnas aves,
Mœſtíque cor bubonis; & rancæ ſtrigis
Exſecta vivæ viſcera. hæc ſceleruin artifex
Diſcreta ponit: his rapax vis ignium;
His gelida pigri frigoris glacies ineſt.
Addit venenis verba, non iſtis minùs
Metuenda. ſonuit ecce veſano gradu,
Canítque, mundus vocibus primis tremit.

MEDEA.

VOS precor vulgus ſilentum, vóſque ferales deos,
Et Chaos cæcum, atq; opacam Ditis umbroſi domum,
Tartari ripis ligatos ſqualliduæ mortis ſpecus,
Suppliciis animæ remiſſis currite ad thalamos novos.
Rota reſiſtat membra torquens; tangat Ixion humum.

Tan-

Tantalus ſecurus undas hauriat Pirenidas.
Gravior pœna ſedeat conjugis ſocero mei:
Lubricus per ſaxa retro Siſyphum volvat lapis.
Vos quoque urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaïdes, coite; veſtras hic dies quærit manus.
Nunc meis vocata ſacris noctium ſidus veni,
Peſſimos induta vultus; fronte non unâ minax.
Tibi more gentis vinculo ſolvens comam,
Secreta nudo nemora luſtravi pede.
Et evocavi nubibus ficcis aquas;
Egiſque ad imum maria, & Oceanus graves
Interius undas æſtibus victis dedit.
Paritérque mundus lege confusâ ætheris
Et ſolem & aſtra vidit; & vetitum mare
Tetigiſtis Urſæ. temporum flexi vices;
Æſtiva tellus floruit cantu meo,
Meſſem coacta vidit hybernam Ceres.
Violenta Phaſis vertit in fontem vada;
Et liber in tot ora diviſus, truces
Compreſſit undas, omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit inſanum mare
Tacente vento. nemoris antiqui domus
Amiſit umbram vocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio ſtetit.
Hyadéſque noſtris cantibus motæ labant.
Adeſſe ſacris tempus eſt, Phœbe, tuis.
Tibi hæc cruenta ſerta texuntur manu,
Novena quæ ſerpens ligat:
Tibi hæc Typhoeus, membra qui diſcors tulit,
Qui regna concuſſit Jovis.
Vectoris iſtic perfidi ſanguis inest,
Quem Neſſus expirans dedit.
Oetæus iſto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piæ ſororis, impiæ matris facem,
Ultricis Althææ vides.
Reliquit iſtas invio plumas ſpecu
Harpya, dum Zetem fugit.
His adice pinnas ſauciæ Stymphalidos,
Lernæa paſſæ ſpicula.
Sonuiſtis aræ. tripodas agnoſco meos,
Favente commotos Deâ.
Video Triviæ currus agiles;
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat; ſed quos facie
Lurida mœſtâ, cum Theſſalicis
Vexata minis, cœlum freno
Propiore legit. ſic face triſtem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium Dictynna, tuum
Precioſa tonent æra Corinthi.
Tibi ſanguineo ceſpite ſacrum
Soleune damus. tibi de medio
Rapta ſepulchro fax nocturnos
Suſtulit ignes. tibi mota caput
Flexâ voces cervice dedi:
Tibi funereo de more jacens
Paſſos vincit vitta capillos.
Tibi jactatur triſtis Stygiâ
Ramus ab undâ. tibi nudato
Pectore Mænas ſacro feriam
Brachia cultro.
Manet noſter ſanguis ad aras.
Aſſueſce, manus, ſtringere ferrum,
Carótique pati poſſe cruores.
Sacrum laticem percuſſa dedi.
Quòd ſi nimiùm ſæpe vocari
Quereris, votis ignoſce, precor.
Cauſa vocandi, Perſei, tuos
Sæpius arcus, una atque eadem
Semper, Iaſon. tu nunc veſtes
Tingue Creüſæ, quas cùm primùm
Sumpſerit, imas urat ſerpens
Flamma medullas. ignis ſulvo
Cluſus in auro latet obſcurus;
Quem mihi, cœli qui furta luit
Viſcere fœto, dedit, & docuit
Condere vires arte Prometheus.
Dedit & tenui ſulphure tectos
Mulciber ignes. & vivacis
Fulgura flammæ de cognato
Phaëthontertuli. habeo mediæ
Dota Chimæræ. habeo flammas
Uſto tauri gutture raptas;
Quas permiſto felle Meduſæ,
Tacitum juſſi ſervare malum.
Adde venenis ſtimulos, Hecate,
Doniſque meis ſemina flammæ
Condita ſerva, fallant viſus,
Tactúſque ferant, meet in pectus
Venáſque calor. ſtillent artus,
Oſſáque fument, vincátque ſuas
Flagrante comâ nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, & ſacros
Edidit ignes face luctiferâ.
Peracta vis eſt omnis. huc gnatos voca,
Pretioſa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infauſtæ genus,
Placate vobis munere & multâ prece
Dominam & novercam. vadite, & celeres domum
Referte greſſus, ultimo amplexu ut fruar.

CHORUS.

QUónam cruenta Mœnas
Præceps amore ſævo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus irâ
Riger; & caput feroci
Quatiens ſuperba motu
Regi minatur ultro.
Quis credat exulantem?
Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum vagante forma
Servat diu colorem.
Huc fert pedes, & illuc,
Ut tigris orba gnatis,
Curſu furente luſtrat
Gangeticum nemus: ſic
Frenare neſcit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amórquê cauſam
Junxere, quid ſequetur?
Quando efferet Pelaſgis
Nefanda Colchis arvis
Greſſum, metúque ſolvet
Regnum, ſimúlque reges?
Nunc, Phœbe, mitte currus
Nullo morante loro;
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis Heſperugo.

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS, CHORUS, NUTRIX, MEDEA, JASON.

NUTRIX.

PERIERE cuncta. concidit regni ſtatus.
Gnata atque genitor cinere permiſto jacent. ſcapi;
" *CH.* Quâ fraude capti? *NU.* quâ ſolent reges
Donis. *CH.* in illis eſſe quis potuit dolus?
NUN. Et ipſe miror; vixque jam facto malo
Potuiſſe fieri credo. *CH.* quis cladis modus?
NUN. Avidus per omnem regiæ partem furit,
Ut juſſus, ignis: jam domus tota occidit;
Urbi timetur. *CH.* unda flammas opprimat.
NUN. Et hoc in iſta clade mirandum accidit;
" Alit unda flammas, quóque prohibetur magis,
" Magis ardet ignis: ipſa præſidia occupat.
NUT. Effer citatum ſede Pelopeiâ gradum,
Medea. præceps quaſlibet terras pete.
ME. Egón' ut recedam? ſi profugiſſem priùs,
Ad hoc redirem, nuptias ſpecto novas.
Quid, anime, ceſſas? ſequere felicem impetum.
Pars ultionis iſta, quâ gaudes, quota eſt?
Amas adhuc furioſa? ſic fatis eſt tibi
Cœlebs Jaſon? quære pœnarum genus
Haud uſitatum: jámque ſic temet para.
Fas omne cedat, abeat expulſus pudor.
" Vindicta levis eſt, quam ferunt parvæ manus.
Incumbe in iras, téque languentem excita,

Penitúſque veteres pectore ex imo impetus,
Violentiùs hauri. quidquid admiſſum eſt adhuc,
Pietas vocetur. hoc age: & ſaxo, ſciant
Quàm levia fuerint quámque vulgaris notæ,
Quæ commodavi ſcelera. proluſit dolor
Per illa noſter. quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc ſum; crevit ingenium malis.
Juvat, juvat rapuiſſe fraternum caput;
Artus juvat ſecuiſſe, & arcano patrem
Spoliáſſe ſacro. juvat in exitium ſenis
Armáſſe natas, quære materiam, dolor,
Ad omne facinus non rudem dextram afferens.
Quò te, igitur, ira mittis? aut quæ perfido
Intendis hoſti tela? neſcio quid ferox
Decrevit animus intus, & nondum ſibi
Audet fateri. ſtulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hoſtis meus
Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum eſt,
Creüſa peperit. placuit hoc pœnæ genus,
Meritóque placuit. ultimum magno ſcelus
Animo parandum eſt. liberi quondam mei,
Vos pro paternis ſceleribus pœnas date.
Cor pepulit horror, membra torpeſcunt gelu,
Pectúſque tremuit; ira diſceſſit loco,
Matérque tota conjuge expulsâ redit.
Egón' ut meorum liberûm ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius, ah demens furor.
Incognitum iſtud facinus, ac dirum nefas
A me quoque abſit. quod ſcelus miſeri luent?
Scelus eſt Jaſon genitor, & majus ſcelus
Medea mater. occidant: non ſunt mei.
Pereant. mei ſunt. crimine & culpâ carent,
Sunt innocentes. fateor: & frater fuit.
Quid, anime, titubas? ora quid lacrymæ rigant?
Variámque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps æſtus incertam rapit.
Ut læva rapidi bella cùm venti gerunt,
Utrinque fluctus maria diſcordes agunt;
Dubiúmque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur. " ira pietatem fugat,
" Irámque pietas. cede pietati dolor.
Huc cara proles, unicum afflictæ domûs
Solamen, huc vos ferte, & infuſos mihi
Conjungite artus. habeat incolumes pater,
Dum & mater habeat. urget exilium, ac fuga.
Jam jam meo rapientur avulſi ſinu,
Flentes, gementes. oſculis pereant patris;
Periere matris. rurſus increſcit dolor,
Et fervet odium. repetit inviſam manum
Antiqua mentis ira. quà ducis, ſequor.
Utinam ſuperbæ turba Tantalidos meo
Exſtillet utero, biſque ſeptenos parens
Natos tuliſſem! ſterilis in pœnas ſui,
Fratri patríque quod ſat eſt, peperi duos.
Quónam iſta tendit turba Furiarum impotens?
Quem quærit? aut quò flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excuſſo ſonat
Tortus flagello. quem trabe infeſtâ petit
Megæra? cujus umbra diſperſis venit
Incerta membris? frater eſt, pœnas petit.
Dabimus. ſed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure. pectus en furiis patet.
Diſcedere à me, frater, ultrices Deas,
Manéſque ad imos ire ſecuras jube:
Mihi me relinque, & utere hâc, frater, manu,
Quæ ſtrinxit enſem: victimâ manes tuos
Placamus iſtâ. quid repens affert ſonus?
Parantur arma, méque in exitium petunt.
Excelſa noſtræ tecta conſcendam domûs
Cæde inchoatâ. perge tu mecum comes.
Tuum quoque ipſa corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age anime: non in occulto tibi eſt
Perdenda virtus, approba populo manum.
J A. Quicunque regum eſt cladibus fidus, dolens,
Concurre, ut ipſam ſceleris auctorem horridi
Capiamus: huc, huc, fortis armigeri cohors
Conferte tela; vertite ex imo domum.
M E. Jamjam recepi ſceptra, germanum, patrem
Spoliúmque Colchi pecudis auratæ tenent.
Rediere regna; rapta virginitas redit.
O placida tandem numina! O feſtum diem!
O nuptialem! vade. perfectum eſt ſcelus;
Vindicta nondum: perage, dum faciunt manu.
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.
Jam cecidit ira: pœnitet, facti pudet.
Quid, miſera, feci? miſera, pœniteat, licet;
Feci. voluptas magna me invitam ſubit:
Et ecce creſcit. deerat hoc unum mihi,
Spectator ipſe. nil adhuc factum reor.
Quidquid ſinè iſto fecimus ſceleris, periit.
J A. En ipſa tecti parte præcipiti imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis peruſta. *M E.* congere extremum tuis
Natis, Jaſon, funus, ac tumulum ſtrue.
Conjux ſocérque juſta jam funeris habent
A me ſepulti: natus hic fatum tulit.
Hic te vidente dabitur exitio pari.
J A. Per numen omne, pérque communes fugas
Torósque, quos non noſtra violavit fides,
Jam parce nato: ſi quod eſt crimen, meum eſt:
Me dede morti; noxium macta caput.
M E. Hàc, quà recuſas, quà doles, ferrum exigam.
I nunc ſuperbe, virginum thalamos pete;
Relinque matres. *J A.* unus eſt pœnæ ſatis.
M E. Si poſſet unâ cæde ſatiari manus,
Nullam petiſſet, ut duos perimam tamen,
Nimiùm eſt dolori numerus anguſtus meo.
In matre ſi quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor enſe viſcera, & ferro extraham.
J A. Jam perage cœptum facinus, haud ultra precor,
Morámque ſaltem ſuppliciis dona meis.
M E. Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor.
Meus dies eſt: tempore accepto utimur.
J A. Infeſta memet perime. *M E.* miſereri jubes.
Bene eſt, peractum eſt. plura non habui, dolor,
Quæ tibi litarem. lumina huc tumida alleva
Ingrate Jaſon. conjugem agnoſcis tuam?
Sic fugere ſoleo. patuit in cœlum via,
Squammoſa gemini colla ſerpentes jugo
Summiſſa præbent. recipe jam natos parens,
Ego inter auras aliti curru vehar.
J A. Per alta vade ſpacia ſublimi æthere:
Teſtare nullos eſſe, quà veheris, deos.

HIPPO-

Digitized by Google

HIPPOLYTUS.

PERSONÆ.

HIPPOLYTUS. CHORUS.
PHÆDRA. THESEUS.
NUNCIUS. NUTRIX.

ACTUS PRIMUS.

HIPPOLYTUS.

ITE, umbroſas cingite ſylvas,
Summáque montis juga Cecropii,
Celeri plantâ luſtrate vagi
Quæ ſaxoſa loca Parnethi
Subjecta jacent; & quæ Thriaſis
Vallibus amnis rapidâ currens
Verberat undâ: ſcandite colles
Semper canos nive Riphæâ.
Hàc hàc alii, quà nemus altâ
Texitur alno; quà prata jacent,
Quà roriferâ mulcens aurâ
Zephyrus vernas evocat herbas;
Ubi per glacies lenis lliſſus,
Ubi Mæander ſuper æquales
Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, quà Marathon tramite lævo
Saltus aperit, quà comitatæ
Gregibus parvis nocturna petunt
Pabula fœtæ. vos, quà tepidis
Subditus auſtris, frigora mollit
Durus Acharnan, alius rupem
Dulcis Hymetti: parvas alius
Calcet Aphidnas. pars illa diu
Vacat immunis, quà curvati
Litora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria ſylvæ,
Vocat hunc Philipis. hìc verſatur
Metus agricolis, vulnere multo
Jam notus aper. at vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas;
Teneant aeres lora Moloſſos.
Et pugnaces tendant Creſſæ
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus eſt audax
Avidúmque feræ) nodo cautus
Propiore liga. veniet tempus,
Cùm latratu cava ſaxa ſonent:
Nunc demiſſi nare ſagaci
Captent auras, luſtráque preſſo
Quærant roſtro; dum lux dubia eſt;
Dum ſigna pedum roſcida tellus
Impreſſa tenet; alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqu
Picta rubenti linea pinnâ
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur miſſile telum.
Tu grave, dextrâ lævâque ſimul,
Robur lato dirige ferro.
Tu præcipites clamore feras
Subleſſor ages: tu jam victor
Curvo ſolves viſcera cultro.
Ades en cornſiti Diva virago,
Cujus regno pars terrarum
Secreta vacat: cujus certis
Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxen, & quæ ſtanti
Ludit in lltro: tua Getulos
Dextra leones, tua Cretæas
Sequitur cervas: nunc veloces
Figis damas leviore manu.
Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villoſi terga biſontes,
Latiſque feri cornibus uri.
Quidquid ſolis paſcitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,
Sive illud Arabs divite ſylvâ,
Sive ferocis juga Pyrenes,
Sive Hyrcani celant ſaltus,
Vacuiſque vagus Sarmata campis,
Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua ſi gratus numina cultor
Tulit in ſaltus; retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plauſtro
Præda gementi. tum roſtra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt:
Repetiſque caſas ruſtica longo
Turba triumpho. en Diva fave.
Signum arguti miſere canes.
Vocor in ſylvas. hàc, hàc, pergam,
Quà via longum compenſat iter.

PHÆDRA, NUTRIX.

PHÆDRA.

O Magna vaſti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum, quidquid Aſſyriâ tenus
Tellure Nereus pervium roſtris ſecat;
Cur me in penates obſidem inviſos datàm,
Hoſtique nuptam, degere ætatem in malis
Lacrymiſque cogis? profugus en conjux abeſt,
Præſtátque nuptæ, quam ſolet, Theſeus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras miles audacis proci;
Solio ut revulſam regis inferni abſtrahat,
Pergit furoris ſocius. haud illum timor,
Pudórque tenuit. ſtupra & illicitos toros
Acheronte in imo quærit Hippolyti pater.
Sed major alius incubat mœſtæ dolor.
Non me quies nocturna, non altus ſopor
Solvere curis: alitur & creſcit malum,
Et ardet intus; qualis Ætnæo vapor
Exundat antro. Palladis telæ vacant,
Et inter ipſas penſa labuntur manus.
Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Attbidum miſtam choris,
Jactare tacitis conſcias ſacris faces;
Nec adire caſtis precibus aut ritu pio
Adjudicatæ præſidem terræ deam.
Juvat excitatas conſequi curſu feras,
Et rigida molli gæſa jaculari manu.
Quò tendis, anime? quid furens ſaltus amas?

Digitized by Google

Fatale miſeræ matris agnoſco malum.
Peccare noſter novit in ſylvis amor.
Genetrix, tui me miſeret. infando malo
Correpta, pecoris efferi ſævum ducem
Audax amâſti. torvus, impatiens jugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid: quis meas miſeræ deus,
Aut quis juvare Dædalus flammas queat?
Non, ſi ille remeet arte Mopſopiâ potens,
Qui noſtra cæcâ monſtra concluſit domo,
Promittat ullam cæſibus noſtris opem.
Stirpem perosa Solis inviſi Venus,
Per nos catenas vindicat Martis ſui,
Suáſque. probris omne Phœbeum genus
Onerat nefandis. nulla Minois levi
Defuncta amore eſt. jungitur ſemper nefas.
NU. Theſeia conjux, clara progenies Jovis,
Nefanda caſto pectore exturba ocyus:
Extingue flammas; néve te diræ ſpei
Præbe obſequentem; " quiſquis in primo obſtitit
" Repulſtque amorem, tutus ac victor fuit.
" Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
" Serò recuſat ferre, quod ſubiit, jugum.
Nec me fugit, quàm durus, & veri inſolens,
Ad recta flecti regius nolit tumor.
PH. Quemcunque dederit exitum caſus, feram:
" Fortem facit vicina libertas ſenem.
NU. " Obſtare primum eſt velle, nec labi viâ:
" Pudor eſt ſecundus, nôſſe peccandi modum.
Quò miſera pergis? quid domum infamem gravas,
Superáſque matrem? majus eſt monſtro nefas.
Nam " monſtra fato, moribus ſcelera imputes.
Si, quòd maritus ſupera non cernit loca,
Tutum eſſe facinus credis, & vacuum metu;
Erras. teneri crede Lethæo abditum
Theſea profundo; ferre perpetuam Stygem.
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populíſque reddit jura centenis pater,
Latere tantum facinus occultum ſinet?
" Sagax parentum eſt cura. credamus tamen
Aſtu doloque tegere nos tantum nefas,
Quid ille rebus lumen infundens ſuum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans coruſcâ fulmen Ætnæum manu
Sator deorum! credis hoc poſſe effici
Inter videntes omnia ut lateas avos?
Sed, ut ſecundus numinum abſcondat favor
Coitus nefandos, útque contingat ſtupro
Negata magnis ſceleribus ſemper fides:
" Quid pœna præſens, conſciæ mentis pavor;
" Animúſque culpâ plenus, & ſemet timens?
" Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.
Compeſce amoris impii flammas precor,
Nefáſque, quod non ulla tellus barbara
Commiſit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhoſpitalis Taurùs, aut ſparſus Scythes,
Expelle facinus mente caſtificâ horridum;
Memórque matris, metue concubitus novos.
Miſcere thalamos patris & gnati apparas,
Uteróque prolem capere confuſam impio?
Perge, & nefandis verte naturam ignibus.
Cur monſtra ceſſant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis inſueta audiet,
Natura toties legibus cedet ſuis,
Quoties amabit Creſſa? *PH.* quæ memoras, ſcio
Vera eſſe, nutrix: ſed " furor cogit ſequi
" Pejora. vadit animus in præceps ſciens,
" Remeátque, fruſtra ſana conſilia appetens.
Sic cùm gravatam navita adverſâ ratem
Propellit undâ, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
" Quod ratio poſcit, vincit ac regnat furor,
Poténtſque totâ mente dominatur Deus.
Hic volucer omni regnat in terrâ potens,
Ipſúmque flammis torret indomitis Jovem.
Gradivus iſtas belliger ſenſit faces;
Opifex triſulci fulminis ſentit Deus;
Et qui ſurentes ſemper Ætnæis jugis
Verſat caminos, igne tam parvo calet.
Ipſúmque Phœbum, tela qui nervo regit,
Figit ſagittâ certior miſsâ puer:
Volitátque cœlo pariter & terræ gravis.
NUT. Deam eſſe amorem, turpiter vitio favens
Finxit libido: quóque liberior foret,
Titulum furori numinis falſi addidit.
Natum per omnes ſcilicet terras vagum
Erycina mittit. ille per cœlum volans
Proterva teneræ tela molitur manu;
Regnúmque tantum minimus in ſuperis habet.
Vana iſta demens animus aſcivit ſibi,
Veneríſque numen finxit, atque arcus Dei.
" Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
" Fluítque luxu, ſemper inſolita appetens;
" Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
" Subit libido: non placent ſuetæ dapes,
" Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.
" Cur in penates rarius tenues ſubit
" Hæc delicatas eligens peſtis domos?
" Cur ſancta parvis habitat in tectis Venus,
" Mediúmque ſanos vulgus affectus tenet,
" Et ſe coërcent modica? contrà divites,
" Regnóque ſulti, plura, quàm fas eſt, petunt?
" Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.
Quid deceat alto præditam ſolio, vides.
Metue ac verere ſceptra remeantis viri.
PH. Amoris in me maximum regnum fero,
Reditúſque nullos metuo. non unquam amplius
Convexa tetigit ſupera, qui merſus ſemel
Adiit ſilentem nocte perpetuâ domum.
NU. Ne crede. Ditis cluſerit regnum licèt,
Canísque diras Stygius obſervet fores:
Solus negatas invenit Theſeus vias.
PH. Veniam ille amori fortitan noſtro dabit.
NU. Immitis etiam conjugi caſtæ fuit:
Experta ſævam eſt barbara Antiope manum.
Sed poſſe flecti conjugem iratum puta:
Quis hujus animum flectet intractabilem?
Exoſus omne feminæ nomen fugit;
Immitis annos cœlibi vitæ dicat;
Connubia vitat; genus Amazonium ſcias.
PH. Hunc in nivoſi collis hærentem jugis,
Et aſpera agili ſaxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes, placet.
NU. Reſiſtet ille, ſéque mulcendum dabit,
Caſtóſque ritus Venere non caſtâ exuet?
Tibi ponet odium, cujus odio fortitan
Perſequitur omnes. *PH.* precibus haud vinci poteſt?
NU. Ferus eſt. *PH.* " amore didicimus vinci feros.
NU. Fugiet. *PH.* per ipſa maria, ſi fugiat, ſequar.
NU. Patris memento. *PH.* meminimus matris ſimul.
NU. Genus omne profugit. *PH.* pellicis careo metu.
NU. Aderit maritus. *PH.* nempe Pirithoi comes.
NU. Aderſtque genitor. *PH.* mitis Ariadnæ pater.
NU. Per has ſenectæ ſplendidas ſupplex comas,
Feſtúmque curis pectus, & cara ubera,
Precor, furorem ſiſte, téque ipſam adjuva,
" Pars ſanitatis, velle ſanari, ſuit.
PH. Non omnis animo ceſſit ingenuo pudor.
Paremus, altrix: qui regi non vult, amor
Vincatur. haud te, fama, maculari ſinam.
Hæc ſola ratio eſt, unicum effugium mali:
Virum ſequamur. morte prævertam nefas.
NU. Moderare, alumna, mentis effrenæ impetus;
Animos coërce. dignam ob hoc vitâ reor,
Quod eſſe temet autumas dignam nece.
PH. Decreta mors eſt: quæritur fati genus:
Laqueóne vitam finiam, an ferro incubem:
An miſſa præceps arce Palladiâ cadam.
Prò, caſtitatis vindicem armemus manum.
NU. Sic te ſenectus noſtra præcipiti ſinat
Perire leto? ſiſte furibundum impetum.
PH. Haud facilè quiſquam ad vitam revocari poteſt.
" Prohibere ratio nulla periturum poteſt,
" Ubi quis mori conſtituit, & debet mori.
NU. Solamen annis unicum ſeſſis, hera,
Si tam protervus inculpat menti furor,
Contemne famam. fama vix vero favet.
Pejus merenti melior, & pejor bono.
Tentemus animum triſtem & intractabilem.
Meus iſte labor eſt, aggredi juvenem ferum,
Mentéinque ſævam flectere immitis viri.

CHORUS.

DIVA non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido;
Impotens flammis ſimul & ſagittis,
Iſte laſcivus puer ac renidens
Tela quàm certo moderatur arcu!

Labitur

Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas,
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti puero, per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
Quæque nascentem videt ora solem,
Quæque ad occasus jacet ora feros,
Si qua ferventi subjecta Cancro est,
Si qua majoris glacialis Ursæ
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos æstus; juvenum feroces
Concitat flammas: senibúsque sessis
Rursus extinctos revocat calores.
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et jubet cœlo superos relicto
Vultibus fallis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, politóque plectro
Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores,
Ipse qui cœlum nebulásque ducit?
Candidas ales modò movit alas,
Dulcior vocem moriente cygno.
Fronte nunc torvâ petulans juvencus
Virginum stravit sua terga ludo,
Pérque fraternos nova regna fluctus,
Ungulâ lentos imitante remos,
Pectore adverso domuit profundum;
Pro suâ vector timidus rapinâ.
Arsit obscuri dea clara mundi
Nocte desertâ, nitidósque fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, & gyro breviore flecti:
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmenâ posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clavam modò quâ gerebat,
Fila deduxit properante fuso.
Vidit Perses, ditísque ferat
Lydia regni, dejecta feri
Terga leonis; humerísque, quibus
Sederat alti regia cœli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis, (credite lætis)
Nimiúmque potens. quà terra salo
Cingitur alto, quáque ætherio
Candida mundo sidera currunt;
Hæc regna tenet puer immitis:
Spicula cujus sentit in imis
Cærulus undis grex Nereïdum,
Flammámque nequit relevare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quàm magna gerunt
Grege pro toto bella juvenci!
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi prœlia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cùm movit amor; tum sylva gemit
Murmure sævo. amat insani
Bellua Ponti, Lucæque boves.
Vindicat omnes Natura tibi.
Nihil immune est; odiúmque perit,
Cùm jussit amor: veteres cedunt
Ignibus iræ. quid plura canam?
Vicit sævas cura novercas.
Altrix profare, quid feras?
Quonam in loco est?

ACTUS SECUNDUS.

NUTRIX, PHÆDRA.

NUTRIX.

SPES nulla tantum posse leniri malum;
Finísque flammis nullus insanis erit:
Torretur æstu tacito, & incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis, & lapsæ genæ
Lucem recusant. nil idem dubiæ placet;
Artúsque variè jactat incertus dolor.
Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput:
Nunc se quieti reddit; & somni immemor
Noctem querelis ducit; attolli jubet,
Iterúmque poni corpus; & solvi comas;
Rursúsque fingi. semper impatiens sui
Mutatur habitus. nulla jam Cereris subit
Cura, aut salutis. vadit incerto pede,
Jam viribus defecta. non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor.
"Populatur artus cura: jam gressus tremunt;
Tenérque nitidi corporis cecidit decor.
Et, qui tenebant signa Phœbeæ facis,
Oculi, nihil gentile nec patrium micant.
Lacrymæ cadunt per ora, & assiduo genæ
Rore irrigantur: qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre perfusæ nives.
Sed, en, patescunt regiæ fastigia.
Reclinis ipsa sedis auratæ toro,
Solitos amictus mente non sanâ abnuit.
PH. Removete, famulæ, purpurâ atque auro illitas
Vestes; procul sit muricis Tyrii rubor,
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.
Brevis expeditos zona constringat sinus,
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris,
Odore crinis sparsus Assyrio vacet.
Sic temere jactæ colla perfundant comæ
Humerósque summos; cursibus motæ citis
Ventos sequantur: læva se pharetræ dabit;
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Aut Tanais, aut Mœotis, & nodo comas
Coëgit emisstque, lunatâ latus
Protecta peltâ; talis in sylvas ferat.
NU. Sepone questus: "non levat miseros dolor,
Regina. sævis ecquis est flammis modus?
Agreste placa virginis numen deæ.
Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et una solis montibus coleris Dea,
Converte tristes ominum in melius minas,
O magna sylvas inter & lucos Dea,
Clarúmque cœli sidus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alternâ face,
Hecate triformis; en ades cœptis favens,
Animum rigentem tristis Hippolyti doma.
Amare discat, mutuos ignes ferat,
Det facilis aures, mitiga pectus ferum;
Innecte mentem: torvus, aversus, ferox,
In jura Veneris redeat: huc vires tuas
Intende. sic te lucidi vultus ferant,
Et nube ruptâ cornibus puris eas:
Sic te regentem frena nocturni ætheris
Detrahere nunquam Thessali cantus queant;
Nullúsque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata. Jam favet votis dea.
Ipsum intuor solenne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. quid dubitas? dedit
Tempus locúmque casus: utendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere: verùm justa, qui reges timet,
Deponat; omne pellat ex animo decus.
"Malus est minister regii imperii pudor.

HIPPOLYTUS, NUTRIX.

HIPPOLYTUS.

QUID hoc feniles feſſa moliris gradus,
O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœſta vultus? ſoſpes eſt certè parens,
Soſpéſque Phœdra, ſtirpis & geminæ jugum.
NU. Metus remitte: proſpero regnum in ſtatu eſt.
Domúſque florens ſorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura ſollicitat tui;
Quòd te ipſe pœnis gravibus infeſtus gravas.
" Quem fata cogunt, ille cum venià eſt miſer:
" At ſi quis ultro ſe malis offert volens,
" Séque ipſe torquet, perdere eſt dignus bona,
" Queis neſcit uti. potiùs annorum memor,
Mentem relaxa; moribus feſtis facem
Attolle; curas Bacchus exoneret graves.
" Ætate fruere: mobili curſu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus,
Exultet animus. cur toro viduo jaces?
Triſtem juventam ſolve: nunc luxus rape;
Effunde habenas; optimos vitæ dies
Effluere prohibe. propria deſcripſit Deus
Officia, & ævum per ſuos ducit gradus.
" Lætitia juvenem, frons decet triſtis ſenem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcunque lætis tenera luxuriat ſatis:
Arbórque celſo vertice evincit nemus,
Quam non maligna cædit aut reſecat manus.
" Ingenia meliùs recta ſe in laudes ferunt,
" Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, & ſylveſter, & vitæ malicius,
Triſtem juventam Veneris delertâ colis.
Hoc eſſe munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent? curſibus domitent equos,
Et ſæva bella Marte ſanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi parens,
Cùm tam rapaces cerneret fati minas;
Ut damna ſemper ſobole reparares novâ.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus;
Orbis jacebit ſqualido turpis ſitu;
Vacuum ſinè ullis claſſibus ſtabit mare;
Aléſque cœlo deerit, & ſylvis fera;
Solis & aër pervius ventis erit.
Quàm varia leti genera mortalem trahunt,
Carpúntque turbam; pontus & ferrum, & doli!
Sed fata credas deeſſe; ſic aram ſtyga
Jam petimus ultro. cœlibem vitam probet
Sterilis juventus: hoc erit, quidquid vides,
Unius ævi turba, & in ſemet ruet.
Proinde vitæ ſequere naturam ducem.
Urbem frequenta, civium cœtus cole.
HIP. Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Ritúſque meliùs vita quæ priſcos colas,
Quàm quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium infontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno ſervit; aut regno imminens,
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes;
Spei metúſque liber. haud illum nigen,
Edáxque livor dente degeneri petit.
Nec ſcelera populos inter atque urbes ſita
Novit; nec omnes conſcius ſtrepitus pavet.
Haud verba fingit. mille non quæris tegi
Dives columnis; nec trabes multo intuſtens
Suffigit auro. non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec ſparſi ſacrâ
Centena nivei colla ſubmittunt boves:
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat, callidas tantum feris
Struxiſſe fraudes novit; & teſſus gravi
Labore, niveo corpus libello fovet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
Nunc nemoris alti denſa, metatus loca,
Ubi Lerna puro gelida pellucet vado;
Sedémque mutat hìc aves querulæ fremunt,
Ramíque ventis lenè percuſſi tremunt,
Veteréſque fagi. juvit aut amnis vagi
Preſſiſſe ripas, ceſpite aut nudo leves
Duxiſſe ſomnos; ſive fons largus citas
Diffundit undas, ſive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo ſonus.
Excuſſa ſylvis poma compeſcunt famem,
Et fraga parvis vulſa dumetis cibos
Faciles miniſtrant. regios luxus procul
Eſt impetus fugiſſe. ſollicito bibant
Auro ſuperbi. quàm juvat nudâ manu
Captâſſe fontem! certior ſomnus premit
Secura duro membra verſantem toro.
Non in receſſu furta & obſcuro improbus
Quærit cubili, ſéque multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et " teſte cœlo vivit. hoc equidem reor
Vixiſſe ritu prima quos miſtos deis
Profudit ætas. nullus his auri fuit
Cæcus cupido; nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.
Nondum ſecabant credulæ pontum rates:
Sua quiſque nôrat maria, non vaſto aggere
Crebráque turre cinxerant urbes latus,
Non arma ſævâ miles aptabat manu,
Nec torta cluſas fregerat ſaxo gravi
Baliſta portas, juſſa nec dominum pati
Junćto ferebat terra ſervitium bove.
Sed arva per ſe fœta poſcentes nihil
Pavere gentes. ſylva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos.
Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps: quæque ſuccenſas agit
Libido mentes. venit imperii ſitis
Cruenta: factus præda majori minor;
Pro jure vires eſſe. tum primùm manu
Bellare nudâ: ſaxáque & ramos rudes
Vertere in arma. non erat gracili levis
Armata ferro cornus; aut longo latus
Mucrone cingens enſis; aut criſtâ caput
Galeæ comantes. tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis. hinc terras cruor
Infecit omnes fuſus, & rubuit mare.
Tum ſcelera, dempto fine, per cunctas domos
Iêre · " nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dexterâ nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimúntque fœtus impiæ matres ſuos.
Taceo novercas. mitius nil eſt feris.
" Sed dux malorum fœmina ad ſcelerum artifex
Obſedit animos, cujus inceſtæ ſtupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et verſa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ: ſola conjux Ægei
Medea reddit fœminas dirum genus.
NU. Cur omnium ſit culpa, paucarum ſcelus?
HIP. Deteſtor omnes, horreo, fugio, exeeror.
Sit ratio, ſit natura, ſit dirus furor:
Odiſſe placuit, ignibus junges aquas;
Et amica ratibus antè promittet vada
Incerta Syrtis; antè ab extremo ſinu
Heſperia Tethys lucidum attoſſet diem;
Et ora damis blanda præbebunt lupi;
Quàm victus animum fœminæ mitem geram.
NU. Sæpe obſtinatis induit frenos amor,
Et odia mutat. regna materna aſpice,
Illæ feroces ſentiunt Veneris jugum.
Teſtaris iſtud unicus genitus puer.
HIP. Solamen unum matris amiſſæ fero,
Odiſſe quod jam fœminas omnes licet.
NU. Ut dura cautes undique intractabilis
Reſiſtit undis, & laceſſentes aquas
Longè remittit; verba ſic ſpernit mea.
Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.
Quò ſe dabit fortuna? quò verget furor?
Repentè terræ corpus exanimum cadit;
Et ora morti ſimilis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras;
Tuus en, alumna, tenet Hippolytus tenet.

PHÆDRA, HIPPOLYTUS, NUTRIX.

PHÆDRA.

QUIS me dolori reddit, atque æſtus graves
Reponit animo? quàm bene excideram mihi?
Cur dulce munus redditæ lucis fugis?
Aude anime; tentas perage mandatum tuum.

Intrepida

Intrepida constent verba. " qui timidè rogat,
" Docet negare. magna pars sceleris mei
Olim peracta est; serus est nobis pudor.
Amavimus nefanda. si cœpta exequor,
Forsan jugali crimen abscondam face.
" Honesta quædam scelera successus facit.
Age, incipe anime: commodes paulùm, precor,
Secretus aures: si quis est, abeat, comes.
HIP. En, locus ab omni liber arbitrio vacat.
PH. Sed ora cœptis transitum verbis negant.
" Vis magna vocem emittit, at major tenet.
Vos teilor omnes cœlites, hoc, quod volo,
Me nolle.
HIP. Animúsne cupiens aliquid, effari nequit?
PH. " Cura leves loquuntur, ingentes stupent.
HIP. Committe curas auribus, mater, meis.
PH. Matris superbum est nomen, & nimiùm potens:
Nostros humilius nomen affectus decet.
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca:
Famulámque potiùs. omne servitium feram.
Non me, per altas ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis:
Non ti per ignes ire & infesta agmina,
Cunctèr paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra; me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet jussa exequi.
Muliebre non est regna tutari patris.
Tu, qui juventæ flore primævo viges,
Cives paterno fortis imperio tege,
Sinu receptam, supplicem, ac fervam tege.
Miserere viduæ. *HI.* summus hoc omen Deus
Avertat: aderit sospes actutum parens.
PH. Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis,
Nullam relictos fecit ad superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui?
Nisi fortè amori placidus & Pluto sedet.
HI. Illum quidem æqui cœlites reducem dabunt.
Sed, dum tenebit vota in incerto deus,
Pietate caros debitâ fratres colam.
Et te tuebor. esse ne viduam putes:
Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
PH. O spes amantum credula! ô fallax amor!
Satisne dixit? precibus admotis agam.
Miserere; tacitæ mentis exaudi preces.
Liber loqui, pigétque. *HIP.* quodnam istud malum est?
PH. Quod in novercam cadere vix credas malum.
HIP. Ambiguâ voce verba perplexa jacis;
Effare aperté. *PH.* pectus insanum vapor
Amórque torret. intimas sævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus & venis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.
HIP. Amore nempe Thesei casto furis.
PH. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer;
Cùm prima puras barba signaret genas,
Monstríque cæcam Gnossii vidit domum,
Et longa curvâ fila collegit viâ.
Quis tum ille fulsit? prælerant vittæ comam,
Et ora flavus tenera tingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei;
Tuúsque potiùs: talis, en, talis fuit,
Cùm placuit hosti; sic tulit celsum caput.
In te magis refulget incomptus decor;
Et genitor in te totus; & torvæ tamen
Pars aliqua matris miscet ex æquo decus;
In ore Graio Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intrâsses fretum,
Tibi fila potiùs nostra neviſſet soror.
Te, te, soror, quacunque sidérei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas;
Te genitor, at me natus. en, supplex jacet
Allapsa genubus regia proles domûs.
Respersa labe nullâ, & intacta, innocens;
Tibi mutor uni; certa descendi ad preces:
Finem hic dolori faciet, aut vitæ, dies.
Miserere amantis. *HIP.* magne regnator Deûm,
Tam-lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando sævâ fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? omnis impulsus ruat
Æther, & atris nubibus condat diem;
Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus. túque siderum caput,
Radiate Titan, tu nefas stirpis tuæ
Speculare? lucem merge, & in tenebras fuge.
Cur dextra, Divûm rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulcâ mundus ardescit face?
In me tona; me fige; me velox cremet
Transactus ignis. sum nocens; merui mori;
Placui novercæ. dignus an stupris ego?
Scelerisque tanto visus ego solus tibi
Materia facilis; hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne fœmineum genus!
O majus ausa matre monstriferâ malum,
Genitrice pejor! illa se tantùm stupro
Contaminavit, & tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit notâ,
Scelúsque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans. ille te venter tulit.
O ter quatérque prospero fato dati,
Quos hausit, & peremit, & leto dedit
Odium, dolúsque! genitor, invideo tibi.
Colchide novercâ majus hoc, majus malum est.
PH. Et ipsa nostræ fata cognosco domûs:
" Fugienda petimus, sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupésque, & amnes, unda quos torrens rapit.
Quácumque gressus tuleris, hàc amens ferar.
Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
HIP. Procul impudicos corpore à casto amove
Tactus, quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis, merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Lævâ reflexi. justior nunquam focis
Datus tuis est sanguis; arcitenens Dea.
PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis:
Sanas furentem; majus hoc voto meo est,
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
HIP. Abscede, vive; ne quid exores. & hic
Contactus ensis deserat cultum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiárit sceleris. ô sylvæ! ô feræ!
NU. Deprensa culpa est. anime, quid segnis stupes?
Regeramus ipsæ crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus. " scelere velandum est scelus.
" Tutissimum est inferre, cùm timeas, gradum:
Ausæ priores simus an pallæ nefas,
Secreta cùm sit culpa, quis tellis sciet?
Adeste Athenæ: fida famulorum manus
Fer opem: nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premítque; mortis intentans metum.
Ferro pudicam terret. en, præceps abiit,
Enſémque trepidâ liquit attonitus fugâ,
Pignus tenemus sceleris. hanc mœstam prius
Recreate: crinis tractus, & laceræ comæ,
Ut sunt, remaneant. facinoris tanti notas
Referte in urbem. Recipe jam sensus, hera.
Quid te ipsa lacerans omnium adspectum fugis?
" Mens impudicam facere, non casus, solet.

CHORUS.

FUGIT insanæ similis procellæ,
Ocyor nubes glomerante Coro,
Ocyor cursum rapiente flammâ,
Stella cùm ventis agitata longos
Corripit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama miratrix senioris ævi:
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cùm suos ignes coëunte cornu
Junxit, & curru properante pernox
Exerit vultus rubicunda Phœbe;
Nec tenent stellæ faciem minores:
Qualis est primas referens tenebras
Nuncius noctis, modò lotus undis
Hesperus, pullis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrsigerâ Liber ab Indiâ,
Intonsâ juvenis perpetuùm comâ,
Tigres pampineâ cuspide territans,
Ac mitrâ cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas.
Nec vultus nimiùm suspicias tuos.

Om-

Digitized by Google

Omnes per populos fabula diſtulit,
Phædræ quem Bromio prætulerit ſoror.
" Anceps, forma, bonum mortalibus,
" Exigui donum breve temporis,
" Ut velox celeri pede laberis!
Non ſic prata novo vere decentia
Æſtatis calidæ diſpoliat vapor;
Sævit ſolſtitio cùm mediùs dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis;
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ:
" Ut fulgor teneris qui radiat genis
" Momento rapitur; nulláque non dies
" Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
" Res eſt forma fugax. quis ſapiens bono
" Confidat fragili? dum licet, utere,
" Tempus ſed tacitum ſubruit, horáque
" Semper præteritâ deterior ſubit.
Quid deſerta petis? tutior aviis
Non eſt forma locis. te nemore abditum,
Cùm Titan medium conſtituit diem,
Cinget turba licens, Najades improbæ,
Formoſos ſolitæ claudere fontibus:
Et ſomnis facient invidias tuis
Laſcivæ nemorum Deæ,
Montivagíque Panes.
Aut te ſtellifero deſpiciens polo
Sidus, poſt veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit; nulláque lucidis
Nubes ſordidior vultibus obſtitit.
At nos ſolliciti lumine turbido,
Tractam Theſſalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus; tu fueras labor,
Et tu cauſa moræ. te dea noctium
Dum ſpectat, celeres ſuſtinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parciùs,
Hæc ſolem facies rariùs appetat,
Lucebit Pario marmore clariùs.
Quàm grata eſt facies torva viriliter,
Et pondus veteris triſte ſupercili?
Phœbo colla licèt ſplendida compares:
Illum cæſaries neſcia colligi,
Perfundens humeros, ornat & integit:
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nullâ lege jacens. tu licet aſperos
Pugnacéſque Deos viribus arceas,
Et vaſti ſpacio vincere corporis:
Æquas Herculeos jam juvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorſo libeat cornipedis vehi;
Frenis Caſtoreâ mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis jaculum dirige viribus;
Tam longè, dociles ſpicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut ſi tela modò ſpargere Parthico
In cœlum placeat; nulla ſinè alite
Deſcendent, tepido viſcere condita,
Prædam de mediis nubibus afferes.
" Raris forma viris (ſæcula proſpice)
" Impunita fuit. te melior deus
Tutum prætereat, formáque nobilis
Deformis ſenii limina tranſeat.
Quid ſinat inauſum fœminæ præceps furor?
Nefanda juveni crimina inſonti parat;
In ſcelere quærit crine lacerato fidem,
Decus omne turbat capitis; humectat genas.
Inſtruitur omnis arte fœmineâ dolus.
Sed iſte quiſnam eſt, regium vultu decus
Gerens, & alto vertice attollens caput?
Ut ora juveni paria Pirithoo gerit!
Ni languido candore pallerent genæ,
Staréque rectâ ſqualor incultus comâ.
En, ipſe Theſeus redditus terris adeſt.

ACTUS TERTIUS.

THESEUS, NUTRIX.

THESEUS.

TANDEM profugi noctis æternæ plagam,
Vaſtóque manes carcere umbrantem polum.
Ut vix cupitum ſufferunt oculi diem!
Jam quarta Eleuſis dona Triptolemi ſecat,
Parémque toties Libra compoſuit diem;
Ambiguus ut me ſortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis & vitæ mala.
Pars una vitæ manſit extincto mihi
Senſus. malorum finis Alcides fuit,
Qui cùm revulſum Tartaro extraheret canem,
Me quoque ſupernas pariter ad ſedes tulit.
Sed fella virtus robore antiquo caret,
Trepidántque greſſus. heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Paritérque mortem fugere, & Alcidem ſequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis. luctus, & lacrymæ, & dolor,
Et limine in ipſo miſta lamentatio;
Hoſpitia digna prorſus inferno hoſpite.
NU. Tenet obſtinatum Phædra conſilium necis,
Fletúſque noſtros ſpernit, ac morti imminet.
TH. Quæ cauſa leti? reduce cur moritur viro?
NU. Hæc ipſa letum cauſa maturum attulit.
TH. Perplexa magnum verba neſcio quid tegunt.
Effare apertè, quis gravet mentem dolor.
NU. Haud pandit ulli, mœſta ſecretum occulit,
Statuítque ſecum ferre, quo moritur, malum.
Jam perge quæſo, perge: properato eſt opus.
TH. Referate cluſos regii poſtes laris.

THESEUS, PHÆDRA.

THESEUS,

O Socia thalami, ſiccine adventum viri,
Et expetiti conjugis vultum excipis?
Quin enſe viduas dexteram? atque animum mihi
Reſtituis? & te quidquid è vitâ fugat
Expromis? *PH.* eheu, per tui ſceptrum imperî,
Magnanime Theſeu, pérque natorum indolem,
Tuóſque reditus, pérque jam cineres meos,
Permitte mortem. *TH.* cauſa quæ cogit mori?
PH. Si cauſa leti dicitur, fructus perit.
TH. Nemo iſtud alius, me quidem excepto, audiet.
Aures pudicas conjugis ſolas times?
Effare; fido pectore arcana occulam.
PH. " Alium filere quod voles, primus file.
TH. Leti facultas nulla continget tibi.
PH. " Mori volenti deeſſe nunquam mors poteſt.
TH. Quod fit luendum morte delictum, indica.
PH. Quòd vivo. *TH.* lacrymæ nónne te noſtræ movent?
PH. Mors optima eſt perire, dum lacrymant ſui.
TH. Silere pergit. verbere ac vinclis anus
Altríxque prodet, quidquid hæc fari abnuit.
Vincite ferro; verberum vis extrahat
Secreta mentis. *PH.* ipſa jam fabor, mane.
TH. Quidnam ora mœſta avertis, & lacrymas genis
Subitò coortas veſte prætentâ obtegis?
PH. Te, te, creator cælitum, teſtem invoco,
Et te coruſcum lucis ætheræ jubar,
Ex cujus ortu noſtra dependet domus;
Tentata precibus reſtiti: ferro ac minis
Non ceſſit animus; vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noſter cruor.
TH. Quis, ede, noſtri decoris everſor fuit?
PH. Quem rere minimé. *TH.* quis ſit, audire expeto.
PH. Hic dicet enſis, quem tumultu territus
Liquit ſtuprator, civium accurſum timens.
TH. Quod facinus, heu me, cerno? quod monſtrum intuor?
Regale parvis aſperum ſignis ebur,
Capulo refulget gentis Actææ decus.
Sed ipſe quónam evaſit? *PH.* hi trepidum fugâ
Videre famuli concitum celeri pede.

THE-

Digitized by Google

THESEUS.

Pò ſancta pietas! prò gubernator poli,
Et qui ſecundum in fluctibus regnum tenes,
Unde iſta venit generis infandi lues!
Hunc Graja tellus aluit, an taurus Scythes,
Colchúſve Phaſis? redit ad auctores genus;
Stirpémque primam degener ſanguis refert.
Eſt prorſus iſte gentis armigeræ furor,
Oditſe Veneris fœdera, & caſtum diu
Vulgare populis corpus. ò tetrum genus,
Nulláque victum lege melioris ſoli!
Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generiſque leges inſcius ſervat pudor.
Ubi vultus ille, & ficta majeſtas viri,
Atque habitus horrens, priſca & antiqua appetens,
Morúmque ſenium triſte, & aſpectu grave?
" O vita fallax! abditos ſenſus geris,
" Animíſque pulchram turpibus faciem induis.
" Pudor impudentem celat, audacem quies,
" Pietas nefandum. vera fallaces probant,
" Simulántque molles dura. ſylvarum incola
Ille efferatus, caſtus, intactus, rudis,
Mihi te reſervas? à meo primùm toro
Et ſcelere tanto placuit oriri virum?
Jamjam ſuperno numini grates ago,
Quòd icta noſtrâ cecidit Antiope manu:
Quòd non ad antra Stygia deſcendens tibi
Matrem reliqui. profugus ignotas procul
Percurre gentes; te licèt terra ultimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis;
Orbémque noſtris pedibus obverſum colas:
Licèt in receſſu penitus extremo abditus
Horrifera celſi regna tranſieris poli;
Hyeméſque ſupra poſitus & canas nives,
Gelidi fremientes liqueris Boreæ minas
Poſt te furentes; ſceleribus pœnas dabis.
Profugum per omnes pertinax latebras premam:
Longinqua, clauſa, abſtruſa, diverſa, invia
Emetiemur; nullus obſtabit locus.
Huc vota mittam, tela quò mitti haud queunt.
Scis unde redeam? genitor æquoreus dedit,
Ut vota prono trina concipiam Deo,
Et invocatâ munus hoc ſanxit Styge.
En perage donum triſte, regnator freti.
Non cernat ultrà lucidum Hippolytus diem,
Adcáſque Manes juvenis irato patre.
Fer abominandam nunc opem nato parens.
Nunquam ſupremum numinis munus tui
Conſumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, & Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci, redde nunc pactam fidem,
Genitor. moraris? cur adhuc undæ ſilent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; ſidera & cœlum eripe.
Effunde pontum. vulgus æquoreum cie,
Fluctúſque ab ipſo tumidus Oceano voca.

CHORUS.

O Magna parens natura deûm,
Túque igniferi rector Olympi,
Qui ſparſa cito ſidera mundo
Curſúſque vagos rapis aſtrorum,
Celeríque polos cardine verſas;
Cur tibi tanta eſt cura prennes
Agitare vias ætheris alti?
Ut nunc canæ frigora brumæ
Nudent ſilvas; nunc arbuſtis
Redeant umbræ; nunc æſtivi
Colla Leonis Cererem magno
Fervore coquant; viréſque ſuas
Temperet annus? ſed cur idem,
Qui tanta regis, ſub quo vaſti
Pondera mundi librata ſuos
Ducunt orbes, hominum nimiùm
Securus ades; non ſollicitus
Prodeſſe bonis, nocuiſſe malis?
" Res humanas ordine nullo
" Fortuna regit, ſpargíque manu
" Munera cœcâ, pejora fovens.
" Vincit ſanctos dira libido.
" Fraus ſublimi regnat in aulâ.
" Tradere turpi falces populus
" Gaudet; eoſdem colit, atque odit.
" Triſtis virtus perverſa tulit
" Præmia recti. caſtos ſequitur
" Mala paupertas: vitióque potens
" Regnat adulter.
O vane pudor, falſúmque decus!
Sed quid citato nuncius portat gradu,
Reſtátque mœſtus lugubrem vultum gerens?

ACTUS QUARTUS.

NUNCIUS, THESEUS.

THESEUS.

O Sors acerbà & dura famulatûs gravis,
Cur me ad nefandos nuncium caſus vocas?
TH. Ne metue clades fortiter fari aſperas;
Non imparatum pectus ærumnis gero.
NUN. Vocem dolori lingua luctifico negat.
TH. Proloquere, quæ ſors aggravet quaſſam domum.
NUN. Hippolytus (heu me, flebili leto occubat.
TH. Gnatum parens obiiſſe jam pridem ſcio:
Nunc raptor obiit. mortis effare ordinem.
NUN. Ut profugus urbem liquit infeſto gradu,
Celerem citatis paſſibus curſum explicans,
Celſos ſonipedes ocyùs ſubigit jugo,
Et ora frenis domita ſubſtrictis ligat.
Tum multa ſecum effatus, & patrium ſolum
Abominatus, ſæpe genitorem ciet,
Acérque habenis lora permiſſis quatit;
Cùm ſubitò vaſtum tumuit ex alto mare,
Creviſque in aſtra; nullus inſpirat ſalo
Ventus; quieti nulla pars cœli ſtrepit,
Placidúmque pelagus propria tempeſtas agit.
Non tantus auſter Sicula diſturbat freta,
Nec tam furenti pontus exurgit ſinu
Regnante Coro, ſaxa cùm fluctu tremunt,
Et cana ſummum ſpuma Leucatem ferit.
Conſurgit ingens pontus in vaſtum aggerem,
Tumidúmque monſtro pelagus in terram ruit.
Nec iſta ratibus tanta conſtruitur lues;
Terris minatur. fluctus haud curſu levi
Provolvitur; neſcio quid onerato ſinu
Gravis unda portat; quæ novum tellus caput
Oſtendit aſtris. Cyclas exoritur nova.
Latuere nube numen Epidauri Dei,
Et ſcelere petræ nobiles Scironides,
Et quæ duobus terra comprimitur freti.
Hæc dum ſtupentes querimur, en totum mare
Immugit; omnes undique ſcopuli adſtrepunt:
Summum cacumen rorat expulſo ſalo.
Spumat, vomíſque vicibus alternis aquas.
Qualis per alta vehitur Oceani freta
Fluctus refundens ore Phyſeter capax.
Inhorruit concuſſus undarum globus,
Solvíſque ſeſe, & litori invexit malum
Majus timore. pontus in terras ruit,
Suúmque monſtrum ſequitur. os quaſſat tremor.
TH. Quis habitus ille corporis vaſti fuit?
NUN. Cœrulea taurus colla ſublimis gerens
Erexit altam fronte viridanti jubam:
Stant hiſpidæ aures: cornibus varius color:
Et quem feri dominator habuiſſet gregis,
Et quem ſub undis natus: hinc flammam vomit;
Oculi hinc relucent: cœrulâ inſignis notâ
Opima cervix arduos tollit toros:
Narésque hiulcis hauſtibus patulæ fremunt:
Muſco tenaci pectus ac palear viret;
Longum rubenti ſpargitur ſucco latus.
Tum ponè tergus, ultima in monſtrum coit
Facies, & ingens bellua immenſam trahit
Squammoſa partem. talis extremo mari
Piſtrix citatas ſorbet aut reddit rates.
Tremuere terræ: fugit attonitum pecus
Paſſim per agros; nec ſuos paſtor ſequi
Meminit juvencos: omnis è ſaltu fera
Diffugit; omnis frigido exanguis metu
Venator horret. ſolus imminuis metu
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidóſque notæ vocis hortatu ciet.
Eſt alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens ſpatia ſuppoſiti maris:

Hic

Hic se illa moles acuit, atque iras parat.
Ut cepit animos, séque prætentans satis
Prolubit ira; præpeti curtù evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torva currus ante trepidantes ſtetit.
Contrà feroci gnatus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, & magnum intonat;
Haud frangit animum vanus hic terror meum;
Nam mihi paternus vincere est tauros labor.
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum; jámque decrantes viâ,
Quâcunque pavidos rapidus evéxit furor,
Hâc ire pergunt, séque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit; haud aliter citos
Currus gubernat: ora nunc pressis trahit
Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coërcet. sequitur assiduus comes
Nunc æqua carpens spatia, nunc contrà obvius
Oberrat, omni parte terrorem movens.
Non licuit ultrà fugere: nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum vero pavidâ sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, séque luctantur jugo
Eripere, rectíque in pedes jactant onus.
Præceps in ora gnatus, implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus: & quanto magis
Pugnat; sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, & curru levi,
Dominante nullo, quà timor jussit, ruûnt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solísque fallo creditum indignans diem,
Phaëthonta currus devio excussit polo.
Latè cruentat arva, & illisum caput
Scopulis resultat. auferunt dumi comas:
Et ora durus pulchra populatur lapis:
Perítque multo vulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra provolvunt rotæ.
Tandémque raptum truncus ambustâ sude
Medium per inguen ilipite ejecto tenet;
Paulúmque domino currus affixo stetit.
Hæsere bijuges vulnere, & pariter moram
Dominúmque rumpunt. unde semianimem secant
Virgulta: acutis asperi vepres rubis,
Omnísque truncus corporis partem tulit.
Errant per agros funebris famuli manus,
Per illa, quà distractus Hippolytus, loca
Longum cruentâ tramitem signat notâ:
Mœstæque domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. hoccine est formæ decus?
Qui medò paterni clarus imperii comes
Et certus hæres, sidérum fulsit modo;
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri contertur. *TH.* " ô nimiùm potens,
" Quanto parentes sanguinis vinculo tenes
" Natura! quàm te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium; amissum fleo. [potest.
NUN. " Haud quisquam honestè flere, quod voluit,
TH. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,
Si abominanda casus optata efficit.
NUN. Et si odia servas, cur madent fletu genæ?
TH. Quòd interemi, non quòd amisi, fleo.

CHORUS.

" QUANTI casus humana rotant!
" Minùs in parvis Fortuna furit,
" Leviúsque ferit leviora Deus.
" Servat placidos obscura quies;
" Præbet somnos casa securos.
Admota ætheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferúmque Corum.
Humida valtis raros patitur
Fulminis ictus: tremuit telo
Jovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiúmque nemus matris Cybeles.
Metuens cœlo Jupiter alto
Vicina petit. " non capit unquam
" Magnos motus humilis tecti
" Plebeia domus.
" Circa regna tonat.
" Volat ambiguis
" Mobilis alis hora, nec ulli
" Præstat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidúmque diem nocte relictâ,
Luget mœstos tristis reditus;
Iplóque magis flebile Averno
Sedis patriæ videt hospitium.
Pallas Actææ veneranda genti,
Quòd tuus cœlum superósque Theseus
Spectat, & fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quæ vox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictóque vecors Phædra quid ferro parat?

ACTUS QUINTUS.

THESEUS, PHÆDRA, CHORUS.

THESEUS.

QUIS te dolore percitam instigat furor?
Quid ensis ille? quídve vociferatio?
Planctúsque supra corpus invisum volunt?
PH. Me, me profundi sæve dominator freti
Invade, & in me monstra cœrulei maris
Emitte: quidquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit.
O dire Theseu semper, ô nunquam ad tuos
Tutò reverse! gnatus & genitor nece
Reditus tuos luere: pervertis domum,
Amore semper conjugum aut odio nocens.
Hippolyte tales intuor vultus tuos?
Talésque feci? membra quis sævus Scinis,
Aut quis Procrustes spartit? aut quis Cressius
Dædalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox
Divulsit? heu me! quò tuus fugit decor,
Oculísque, nostrum sidus? exanimis jaces?
Ades parumper, verbáque exaudi mea.
Nil turpe loquimur. hâc manu pœnas tibi
Solvam, & nefando pectori ferrum inferam,
Animâque Phædram pariter ac scelere exuam;
Et te per undas, pérque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.
Placemus umbras. capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos jungere; at certè licet
Junxisse fata. morere, si casta es, viro;
Si incesta, amori. conjugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Ut vindicato sancta fruereris toro?
O mors amoris una sedamen mali;
O mors pudoris maximum læsi decus;
Confugimus ad te: pande placatos sinus.
Audite Athenæ, túque funestâ pater
Pejor noverca. falsa memoravi, & nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,
Mentita finxi: falsa punisti pater;
Juvenísque castus crimine incestæ jacet,
Pudicus, insons. recipe jam mores tuos,
Mucrone pectus impium justo patet,
Cruórque sancto solvet inferias viro.
Quid facere rapto debeas nato parens;
Disce ex noverca: condere Acherontis plagis.
TH. Pallidi fauces Averni, vosque Tænarei specus,
Unda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus,
Impium capite, atque merlum premite perpetuis malis.
Nunc adesse sæva ponti monstra, nunc vastum mare,
Ultimo quodcunque Proteus æquorum abscondit sinu,
Méque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
Túque semper, genitor, iræ facilis assensor meæ,
Morte dignum facinus ausus, qui novâ natum nece
Segregem sparsi per agros: quique dum falsum nefas
Exequor vindex, sceleslus incidi in verum nefas.
Sidera & manes, & undas scelere complevi meo.
Ampliùs fors nulla restat; regna me nôrunt tria.
In hoc redimus? patuit ad cœlum via,
Ista ut viderem funera, & geminam necem?
Cœlebs & orbus, funebres unâ face
Ut concremarem prolis ac thalami rogos?

Donator

Donator atræ lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus, ereptos mihi
Reſtitue manes. impius fruſtra invoco
Mortem relictam, crudus, & leti artifex,
Exitia machinatus inſolita, effera,
Nunc tibimet ipſe juſta ſupplicia irroga.
Pinus coacto vertice attingens humum
Cœlo remiſſum findat in geminas trabes,
Mittátque præceps ſaxa per Scironia.
Graviora vidi, quæ pati cluſos jubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado.
Quæ pœna maneat meinet & ſedes, ſcio.
Umbræ nocentes cedite; cervicibus
His his repoſitum degravet feſſas manus
Saxùm ſenis perennis Æolii labor:
Me ludat amnis ora vicina alluens.
Vultur relicto tranſvolet Tityo ferus,
Meúmque pœnæ ſemper accreſcat jecur.
Et tu mei requieſce Pirithoi pater:
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Nunquam reſiſtens orbe revoluto rota.
Dehiſce tellus; recipe me dirum chaos,
Recipe: hæc ad umbras juſtior nobis via eſt.
Gnatum ſequor: ne metue, qui manes regis;
Caſti venimus. recipe me æternâ domo
Non exiturum. non movent Divos preces:
At ſi rogarem ſcelera, quàm proni forent!
CH. Theſeu, querelis tempus æternum manet.
Nunc juſta gnato ſolve, & abſconde oculis
Diſperſa fœdè membra laniatu effero.
TH. Huc, huc reliquias vehite cari corporis,
Pondúſque, & artus temere congeſtos date.

Hippolytus hic eſt? facinus agnoſco meum.
Ego te peremi, neu nocens tantùm ſemel
Solúſve fierem, facinus auſurus parens;
Patrem advocavi munere en patrio fruor.
O triſte fractis orbitas annis malum,
Complectere artus, quódque de gnato eſt ſuper
Miſerande mœſto pectore incumbens fove.
Diſjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem diſpone, & erraute loco
Reſtitue partes. ſortis hìc dextræ locus;
Hic læva frenis docta moderandis manus
Ponenda. lævi lateris agnoſco notas.
Quàm magna lacrymis pars adhuc noſtris abeſt?
Durate trepidæ lugubri officio manus,
Fletúſque largos fiſtite arentes genæ,
Dum membra gnato genitor annumerat ſuo,
Corpúſque fingit. hoc quidem eſt formâ carens,
Et turpe multo vulnere ambeſum undique,
Quæ pars tui ſit dubito, ſed pars eſt tui.
Hic hìc repone; non ſuo, at vacuo loco.
Hæc illa facies igne fidereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata numinum! O ſævus furor!
Sic ad parentem gnatus ex voto redit?
En hæc ſuprema dona genitoris cape,
Sæpe efferendus. interim hæc ignes ferant.
Patefacite acerbâ cæde functam domum,
Mopſopia claris tota lamentis ſonet.
Vos apparate regii flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. illam terra defoſſam premat,
Graviſque tellus impio capiti incubet.

OE D. I P U S.

P E R S O N Æ.

OEDIPUS. JOCASTA.
CHORUS. CREON.
TIRESIAS. MANTO.
SENEX. PHORBAS.
NUNCIUS.

ACTUS PRIMUS.

OE D I P U S, J O C A S T A.

OE D I P U S.

JAM nocte pulsâ dubius effulſit dies,
Et nube mœſtum ſqualidâ exoritur jubar,
Luméque flammâ triſte luctiferâ gerens
Proſpiciet avidâ peſte ſolatas domos;
Stragémque, quam nox fecit, oſtendit dies.
" Quiſquámne regno gaudet? ô fallax bonum!
" Quantum malorum fronte quàm blandâ tegis!
" Ut alta ventos ſemper excipiunt juga;
" Rupémque ſaxis vaſta dirimentem freta,
" Quamvis quieti, verberant fluctus maris!
" Imperia ſic excelſa fortunæ objacent.
Quàm bene parentis ſceptra Polybi fugeram,
Curis ſolutus, exul, intrepidus, vagans!
Cœlum Deóſque teſtor, in regnum incidi.
Infanda timeo; ne meâ genitor manu
Perimatur. hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliúdque nobis indicant majus ſcelus.
Eſt majus aliud patre mactato nefas?
Pió, miſera pietas! eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phœbus, & diros toros
Gnato minatur, impiâ inceſtos face.
Hic me paternis expulit regnis timor:
Non ego penates profugus exceſſi meos.
Parum ipſe fidens mihimet, in tuto tua,
Natura, poſui jura. " cùm magna horreas,
" Quæ poſſe fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expaveſco, méque non credo mihi.
Jamjam aliquid in nos fata moliri parant.
Nam quid rear, quòd iſta Cadmeæ lues
Infeſta genti, ſtrage tam latè editâ
Mihi parcit uni? cui reſervamur malo?
Inter ruinas urbis, & ſemper novis
Deflenda lacrymis funera, ac populi ſtruem,
Incolumis adſto. ſcilicet Phœbi reus,
Sperare poteras ſceleribus tantis dari
Regnum ſalubre? fecimus cœlum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet
Anhela flammis corda: non Zephyri leves
Spirant; ſed ignes augot æſtiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemeæi premens.
Deſeruit amnes humor, atque herbas color,
Arétque Dirce. tenuis Iſmenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix unda vada:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Obſcura cœlo labitur Phœbi ſoror;
Triſtiſque mundus nubilo pallet novo.
Nullum ſerenis noctibus ſidus micat:
Sed gravis & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cœlitum ac ſummas domos
Inferna facies. denegat fructum Ceres;
Adulta & altis flava cum ſpicis cremat:
Arente culmo ſterilis emoritur ſeges.
Nec ulla pars immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter & ſexus ruit;
Juvenéſque ſenibus jungit, & gnatis patres
Funeſta peſtis. una tax thalamos cremat:
Fletúque acerbo funera & queſtu carent.
Quin ipſa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos: quódque in extremis ſolet,
Periere lacrymæ. portat hunc æger parens
Supremum ad ignem; mater hunc amens gerit;
Properátque, ut alium regerat in eundem rogum.
Quin luctu in ipſo luctus exoritur novus,
Suæque circa funus exequiæ cadunt:
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis. nullus eſt miſeris pudor.
Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt.
Artiſſe ſatis eſt. pars quota in cineres abit?
Deeſt terra tumulis: jam rogos ſylvæ negant.
Non vota, non ars ulla correptos levant.
Cadunt medentes. morbus auxilium trahit.
Affuſus aris ſupplices tendo manus,
Matura poſcens fata, præcurram ut prior
Patriam ruentem; néve poſt omnes cadam;
Fiámque regni funus extremum mei.
O fæva nimiùm numina! ó fatum grave!
Negatur uni nempe hoc in populo mihi
Mors tam parata? ſperne letali manu
Contacta regna. linque lacrymas, funera,
Tabifica cœli vitia; quæ tecum invehis
Infauſtus hoſpes: profuge jamdudum ocyùs,
Vel ad parentes. *JO.* quid juvat, conjux, mala
Gravare queſtu? regium hoc ipſum reor,
Adverſa capere: quóque ſit dubius magis
Status, & cadentis imperii moles labat;
Hôc ſtare certo preſſius fortem gradu.
" Haud eſt virile, terga Fortunæ dare.
OE D. Abeſt pavoris crimen ac probrum procul,
Virtúſque noſtra neſcit ignavos metus.
Si tela contrà ſtricta, ſi vis horrida
Mavortis in me rueret; adversùs feros
Audax gigantes obvias ferrem manus,
Nec Sphinga cæcis verba nectentem modis
Fugi. cruentos vatis infandæ tuli
Rictus, & albens oſſibus ſpartis ſolum.
Cùmque è ſuperbâ rupe, jam prædæ imminens,
Aptaret alas, verbera & caudam movens,
Sævi leonis more, concuteret minas;
Carmen popoſci: ſonuit horrendum; inſuper
Crepuere malæ: ſaxáque impatiens moræ
Revulſit unguis, viſcera exſpectans mea.
Nodoſa ſortis verba, & implexos dolos,
Ac triſte carmen alitis ſolvi feræ.
JO. Quid fera mortis vota nunc demens facis?
Licuit perire. laudis hoc pretium tibi
Sceptrum, & peremptæ Sphingis hæc merces datur.
OE D. Ille ille dirus callidi monſtri cinis
In nos rebellat. illa nunc Thebas luces
Perempta perdit. una jam ſupereſt ſalus,
Si quam ſalutis Phœbus oſtendit viam.

CHORUS.

OCcidis Cadmi generoſa proles
Urbe cum totâ. viduas colonis
Reſpicis terras, miſeranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille, Bacche,
Miles, extremos comes uſque ad Indos,
Auſus Eois equitare campis,
Figere & mundo tua ſigna primo.
Clamantis ſylvas Arabum beatas
Vidit, & verſas equitis ſagittas,
Terga fallacis metuenda Parthi.
Littus intravit pelagi rubentis.
Promit hic ortus, aperítque lucem
Phœbus, & flammâ propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictæ genus interimus.
Labimur ſævo rapiente fato.
Ducitur ſemper nova pompa morti.
Longus ad manes properatur ordo
Agminis mœſti. feriéſque triſtis
Hæret; & turbæ tumulos petenti
Non ſatis ſeptem patuere portæ.
Stat gravis ſtrages, premitúrque junctо
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes;
Laniger pingues malè carpſit herbas.
Colla tacturus ſteterat ſacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur ſegnis: patuit ſub ictu
Ponderis vaſti reſoluta cervix.
Nec cruor ferrum maculavit. atrâ
Turpis è plagâ ſanies profuſa eſt.
Segnior curſu ſonipes in ipſo
Concidit gyro, dominúmque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ:
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit paſtor grege diminuto,
Tabidos inter morientes juvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces.
Ceſſat irati fremitus leonis;
Nulla villoſis feritas in urſis.
Perbibit peſtem latebroſa ſerpens;
Aret, & ſicco moritur veneno.
Non ſylva ſuâ decorata comâ,
Fundit opacis montibus umbras.
Non rura virent ubere glebæ.
Non plena ſuo vitis laccho
Brachia curvat.
Omnia noſtrum ſenſere malum.
Rupere erebi clauſtra profundi
Turba ſororum face Tartareâ:
Phlegethónque ſuâ motam ripâ
Miſcuit undis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit, & omnes explicat alas:
Quſque capaci turbida cymbâ
Flumina ſervat durus ſenior,
Navita crudus, vix aſſiduo
Brachia conto laſſata refert,
Feſſus turbam vectare novam.
Quin Tænarii vincula ferri
Rupiſſe canem fama, & noſtris
Errâſſe locis; mugiſſe ſolum;
Vaga per lucos ſimulacra virûm
Majora viris: bis Cadmeum
Nive diſcuſsâ tremuiſſe nemus,
Bis turbatam ſanguine Dircen:
Nocte ſilenti Amphionios
Ululâſſe canes.
O dira novi facies leti,
Gravior leto! piget ignavos
Allegat artus languor; & ægro
Rubor in vultu; maculæque caput
Sparſere leves: tum vapor ipſam
Corporis arcem flammeus urit;
Multóque genas ſanguine tendit.
Oculíque rigent, & ſacer ignis
Paſcitur artus. reſonant aures,
Stillátque niger naris aduncæ
Cruor, & venas rumpit hiantes.
Intima creber viſcera quaſſat
Gemitus ſtridens, tunc amplexu
Frigida preſſo ſaxa fatigant:
Quos liberior domus elato
Cuſtode ſinit, petit is fontes.
Alitúrque ſitis latice ingeſto.
Proſtrata jacet turba per aras,
Orátque mori. ſolum hoc faciles
Tribuere Dei. delubra petunt,
Haud ut voto numina placent,
Sed juvat ipſos ſatiare Deos.
Quiſnam ille propero regiam greſſu petit?
Adéſtne clarus ſanguine ac factis Creo?
An æger animus falſa pro veris videt?
Adeſt petitus omnibus votis Creo.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS.

OEDIPUS, CREON.

OE D I P U S.

HORRORE quatior, fata quò vergant timens,
Trepidúmque gemino pectus eventu labat.
" Ubi læta duris mista in ambiguo jacent,
" Incertus animus scire cùm cupiat, timet.
Germane nostræ conjugis, fessis opem
Si quam reportas, voce properatâ edoce.
CR. Responsa dubia sorte perplexâ latent.
OE D. "Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.
CR. Ambage nexa Delphico mos est Deo
Arcana tegere. *OE D.* fare; sit dubium licet:
Ambigua soli noscere Oedipodæ datur.
C R. Cædem expiari regium exilio Deus,
Et interemptum Laïum ulcisci jubet.
Non antè cœlo lucidus curret dies,
Hausturique tutos ætheris puri dabit.
OE D. Ecquis peremptor inclyti regis fuit?
Quem memoret, ede, Phœbus; ut pœnas luat.
C R. Sit, precor, dixisse tutum; visu & auditu horridum.
Torpor infedit per artus, frigidus sanguis coit.
Ut sacra templa Phœbi supplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite summisi manus:
Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit,
Imminens Phœbea laurus tremuit & movit domum,
Ac repentè sancta fontis lympha Castalii stetit.
Incipit Lethea vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum. contigit nondum specum,
Emicat vasto fragore major humano sonus:
Mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
Regis cæde nocens, Phœbo jam notus & infans.
Nec tibi longa manent sceleratæ gaudia cædis:
Tecum bella geres; gnatis quoque bella relinques;
Turpis maternos iterum revolutus in ortus.
OE D. Quod facere monitu cœlitum jussus paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
" Regi tuenda maximè regum est salus.
" Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.
C R. Curam perempti major excussit timor.
OE D. Pium prohibuit ullus officium metus?
C R. Prohibent nefandi carminis tristes minæ.
OE D. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis Deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penès quem jura præcipitis poli;
Túque, ó sereni maximum mundi decus,
Bis lena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri sæcula evolvis rotâ;
Sorórque fratri semper occurrens tuo,
Noctivaga Phœbe; quíque ventorum potens
Æquor per altum cærulos currus agis;
Et qui carentes luce disponis domos,
Adeste. Cujus Laïus dextrâ occidit,
Hunc non quietum tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exulem tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat & prole impiâ.
Hic & parentem dexterâ perimat suâ;
Faciátque (num quid gravius optari potest?)
Quidquid ego fugi, non erit veniæ locus.
Per regna juro, quæque nunc hospes rego,
Et quæ reliqui; pérque penetrales Deos:
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
Utrimque nostro geminus alludis solo:
Et ipse nostris vocibus testis veni
Fatidica vatis ora Cirrheæ movens:
Ita molle senium ducat, & summam diem
Securus alto degat in sólio parens,
Solásque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla sontem gratia eripiet mihi.
Sed quo nefastum facinus admissum loco est,
Memorato, aperto Marte, an insidiis jacet?
CR. Frondifera sanctæ nemora Castaliæ petens
Calcavit altis obtitum dumis iter;
Trigemina quà se spargit in campos via.
Secat una gratum Phocidos Baccho solum,
Unde altus ima deterit, cœlum petens
Clementer arcto colle, Parnassus biceps.
At una bimares Sisyphi terras adit,
Olenia in arva: tertius trames cavâ
Convalle serpens, tangit errantes aquas,
Gelidúmque dirimit amnis Elei vadum:
Hìc pace fretum, subita prædonum manus
Aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso sorte Phœbeâ excitus,
Tiresia tremulo tardus accelerat gradu,
Comésque Manto luce viduatum trahens.

OEDIPUS, TIRESIAS, MANTO.

OE D I P U S.

SACRATE divis, proximum Phœbo caput,
Responsa solve; fare quem pœnæ petant.
TIR. Quòd tardo fatum, lingua quòd quærit moras,
Haud te quidem magnanime, mirari addecet:
" Visu carentem magna pars veri latet.
Sed quò vocat me patria, quò Phœbus, sequar.
Fata eruantur. si foret viridis mihi
Calidúsque sanguis, pectore excuterem Deum.
Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvóque nunquam colla depressum jugo.
Tu lucis inopem, gnata, genitorem regens,
Manifesta sacri signa fatidici refer.
MAN. Opima sanctas victima ante aras stetit.
TIR. In vota superos voce solenni voca,
Aráque dono thuris Eoi extrue.
MAN. Jam thura sacris cœlitum ingessi focis.
TIR. Quid flamma? largas jámne comprendit dapes?
MAN. Subitò refulsit lumen, & subitò occidit.
TIR. Utrúmne clarus ignis, & nitidus stetit,
Rectúsque purum verticem cœlo tulit,
Et fumidam in auras fusus explicuit comam;
An latera circa serpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. Non una facies mobilis flammæ fuit:
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magnâ poli
Curvata picto nunciat nimbos sinu:
Quis desit illi, quisve sit dubites color:
Cærulea fulvis mista oberravit notis;
Sanguinea rursus, ultimùm in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, & se scindit unius sacri
Discors favilla. genitor, horresco intuens;
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambítque densus regium fumus caput,
Ipsósque circa spissior vultus sedet,
Et nube densâ sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare. *TI.* quid furi queam
Inter tumultus mentis attonitæ vagos?
Quidnam loquar? sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterúmque nolunt, & truces iras tegunt?
Pudet Deos nescio quid. huc propere admove,
Et sparge salsâ colla taurorum molâ:
Placidóne vultu sacra & admotas manus
Patiuntur? *MAN.* altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus, expavit diem;
Trepidúsque vultum solis & radios fugit.
TIR. Unóne terram vulnere afflicti petunt?
MAN. Juvenca ferro semet oppolito induit,
Et vulnere uno cecidit. at taurus, duos
Perpessus ictus, huc & huc dubius ruit,
Animámque fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. Utrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MA. Hujus per ipsam, quâ patet pectus, viam
Effusus amnis: hujus exiguo graves
Maculantur ictus imbre: sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas viscerum nobis notas.
MA. Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta; sed totas manus
Quatiunt; novísque prosilit venis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet;
Livéntque venæ; magna pars fibris abest;
Et felle nigro tabidum spumat jecur.
Ac, semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris;
Sed utrumque cæsum tennis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.

Hostile

Digitized by Google

Hoſtile valido robore inſurgit latus,
Septémque venas tenèit. has omnes retro
Prohibens reverti limes obliquus ſecat.
Mutatus ordo eſt. ſede nil propriâ jacet;
Sed acta retro cuncta. Non animæ capax
In parte dextrâ pulmo ſanguineus jacet.
Non læva cordis regio; non molli ambitu
Omenta pingues viſceri obtendunt ſinus.
Natura verſa eſt. nulla lex utero manet.
Scrutemur, unde tantus hic exis rigor.
Quod hoc nefas? conceptus innuptæ bovis,
Nec more ſolito poſitus, alieno in loco
Implet parentem. membra cum gemitu movet.
Tremulo rigore debiles artus micant.
Inſecit arctas lividus fibras cruor;
Tentántque turpes mobilem trunci gradum:
Et inane ſurgit corpus, ac ſacros petit
Cornu miniſtros: viſcera effugiunt manum.
Neque ipſa, quæ te pepulit, armenti gravis
Vox eſt, nec uſquam territi reſonant greges.
Immugit ara ſegnis, & trepidant foci.
OED. Quid illa ſaeri ſigna terrifici ferant,
Exprome: voces aure non timidâ hauriam.
" Solent ſuprema facere ſecuros mala.
TIR. His invidebis, quibus opem quæris, malis.
OED. Memora, quod unum ſcire cœlicolæ volunt,
Contaminârit rege quis cæſo manus.
TIR. Nec alta cœli penna quæ levis ſecat,
Nec fibra vivis rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen. alia tentanda eſt via.
Ipſe evocandus noctis æternæ plagis
Emiſſus Erebo, ut cædis auctorem indicet.
Referanda tellus. Ditis implacabile
Numen precandum. populus infernæ Stygis
Huc extrahendus. ede, cui mandes ſacrum.
Nam te, penès quem ſumma regnorum eſt, nefas
Inviſere umbras. *OED.* Te, Creo, hic poſcit labor,
Ad quem ſecundum regna reſpiciunt mea.
TIR. Dum nos profundæ claustra laxamus Stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen ſonet.

CHORUS.

EFFUSAM redimite comam nutante Corymbo,
Lucidum cœli decus, huc ades votis,
Mollia Nyſæis armatæ brachia thyrſis
Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ
Palmis ſupplicibus ferunt.
Huc adverte favens virgineum caput,
Vultu ſidereo diſcute nubila,
Et triſtes Erebi minas,
Avidúmque fatum.
Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyriâ cohibere mitrâ;
Hederâve mollem baccifera
Religare frontem.
Spargere effuſos ſine lege crines,
Rurſus adducto revocare nodo.
Qualis iratam metuens novercam
Creveras falſos imitatus artus,
Crine flaventi dimulata virgo,
Luteam vellem retinente zonâ.
Unde tam molles placuere cultus,
Et ſinus laxi, fluidúmque tyrma?
Vidit aurato reſidere curru,
Velle cùm longâ tegeres leones,
Omnis Eoæ plaga valla terræ;
Qui bibit Gangem, niveúmque quiſquis
Frangit Araxem.
Te ſenior turpi ſequitur Silenus aſello,
Turgida pampineis recinctus tempora ſertis.
Condita laſcivi deducunt orgia myſtæ.
Te Bassaridum comitata cohors,
Nunc Edonii pede pulſavit
Sola Pangæi; nunc Threïcio
Vertice Pindi; nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Euoho,
Nebride ſacrâ præcincta latus.
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam: thyrſúmque levem
Vibrante manu, jam poſt laceros
Penthes artus Thyades cruento
Membra renitîæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumque choris Cadmeïa cingitur Ino.
Jus habet in fluctus magni puer advena ponti
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palæmon.
Te Tyrrhena puer rapuit manus,
Et tumidum Nereus poſuit mare,
Cærula cum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phœbo laurus carum nemus:
Garrula per ramos avis obſtrepit.
Vivaces hederas ramus tenet.
Summa ligat vitis carcheſia.
Idæus prorâ fremuit leo.
Tigris puppe ſedet Gangetica.
Tum pirata freto pavidus natat;
Et nova demerſos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus,
Illiſúmque utero pectus coit,
Parvula dependet lateri manus,
Et dorſo fluctum curvo ſubit,
Lunatâ ſcindit caudâ mare,
Et ſequitur curvus fugientia carbaſa delphin.
Divite Pactolus vexit te Lydius undâ,
Aurea torrenti deducens flumina ripâ.
Laxavit victos arcus Geticáſque ſagittas
Lactea Maſſagetes qui pocula ſanguine miſcet.
Regna ſecurigeri Bacchum ſenſere Lycurgi.
Senſere terræ te Dacûm feroces:
Et quos vicinus Boreas ferit
Arva mutantes: quátque Mæotis
Alluit gentes frigida fluctu:
Quáſque deſpectat vertice ſummo
Sidus Arcadium, geminúmque plauſtrum.
Ille diſperſos domuit Gelonos:
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore dejecto petiere terram
Thermodontiacæ graves catervæ,
Poſitis tandem levibus ſagittis,
Mites factæ. ſacer & Cithæron
Sanguine inundavit,
Ophioniáque cæde.
Prætides ſylvas petiere & agros.
Præſidem Bacchum coluit noverca.
Naxos Ægeo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore penſans damna marito.
Pumice ſicco
Fluxit Nyctileus latex.
Garruli gremen rivi,
Combibit dulces humus alta ſuccos,
Niveſque lactis candida fontes
Et miſta odoro Lesbia cum thymo.
Ducitur magno nova nupta cœlo.
Solenne Phœbus carmen
Edit infuſis humero capillis.
Concutit tædas geminus Cupido.
Telum depoſuit Jupiter igneum,
Odítque Baccho veniente fulmen.
Lucida dum current annoſi ſidera mundi;
Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem;
Lunáque dimiſſos dum plena recolliget ignes;
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus;
Altáque cæruleum dum Nerea neſciet Arctos;
Candida formoſi venerabimur ora Lyæi.

ACTUS TERTIUS.

OEDIPUS, CREON.

OEDIPUS.

ETSI ipſe vultus flebiles præfert notas,
Expone cujus capite placemus deos.
CR. Fari jubes, tacere quæ ſuadet metus.
OED. Si te ruentes non ſatis Thebæ movent,
At ſceptra moveant ipſa cognatæ domûs.
CR. Neſciſſe cupies, nôſſe quæ nimium expetis.
OED. " Ineris malorum remedium ignorantia eſt.
Itáne & ſalutis publicæ indicium obrues?
CR. " Ubi turpis eſt medicina, ſanari piget.
OED. Audita fare; vel malo domitus gravi,
Quid arma poſſint regis irati ſcies.
CR. "Ode-

Digitized by Google

C R. "Odere reges dicta, quæ dici jubent.
OE D. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,
Arcana sacri voce ni retegis tuâ.
C R. Tacere liceat: nulla libertas minor
A rege petitur. *OE D.* Sæpe vel linguâ magis
Regi atque regno muta libertas obest.
C R. Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
OE D. "Imperia solvit, qui tacet jussus loqui.
C R. Coacta verba placidus accipias precor.
OE D. Ultime pœna vocis expressæ fuit?
C R. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger,
Dircea circa vallis irriguæ loca.
Cupressus altis exerens sylvis caput
Virente semper alligat trunco nemus:
Curvósque tendit quercus & putres situ
Annosa ramos. hujus abrupit latus
Edax vetustas: illa jam fessâ cadens
Radice, fulta pendet aliena trabe.
Amara baccis laurus; & tiliæ leves;
Et Paphia myrtus; & per immensum mare
Motura remos altus; & Phœbo obvia
Enode Zephyris pinus opponens latus:
Medio stat ingens arbor, atque umbrâ gravi
Sylvas minores urget; & magno ambitu
Diffusa ramis, una defendit nemus.
Tristis sub illâ, lucis & Phœni insciis,
Restagnat humor, frigore æterno rigens:
Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus. præstitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Jaciuntur ignes. ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frondem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.
Squalente cultu mœstus ingreditur senex.
Mortifera canam taxus altringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atræ boves
Retro trahuntur. flamma prædatur dapes,
Utrumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat indè Manes; téque qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacûs:
Carménque magicum volvit, & rapido minax
Decantat ore, quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. irrigat sanguis focos,
Solidásque pecudes urit, & multo specum
Saturat cruore. libat & niveum insuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Lævâ. canitque rursus; & terram intuens,
Graviore Manes voce & attonitâ ciet.
Latravit Hecates turba. ter valles cavæ
Sonuere mœstum. tota succussio solo
Pulsata tellus. audior; vates ait;
Rata verba fudi. rumpitur cæcum Chaos,
Itérque populo Ditis ad superos datur.
Subsedit omnis sylva, & erexit comam;
Duxere rimas robora; & totum nemus
Concussit horror. terra se retro dedit.
Gemuitque penitus. sive tentari abditum
Acheron profundum mente non æquâ tulit:
Sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
Compage ruptâ sonuit: aut ira furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.
Subitò dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes deos
Vidi inter umbras. ipse torpentes lacus
Noctémque veram. gelidus in venis stetit
Hæsitque sanguis. sæva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, catervæ dente Dircæo satæ,
Avidúmque populi pestis Ogygii malum.
Tum torva Erinnys sonuit, & cæcus Furor
Horrórque, & unà quidquid æternæ creant
Celántque tenebræ; Luctus evellens comam,
Ægréque lassum sustinens Morbus caput,
Gravis Senectus sibimet, & pendens Metus.
Nos liquit animus. ipsa, quæ ritus senis
Artésque nôrat, stupuit. intrepidus parens,
Audáxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus: illico ut nebulæ leves
Volitant, & auras libero cœlo trahunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx;
Nec vere flores Hybla tot médio creat;
Cùm examen alto nectitur densum globo;
Fluctúsque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hyemes ales, & cœlum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidè latebras nemoris umbrosi petunt
Animæ trementes. primus emergit solo
Dextrâ ferocem cornibus taurum premens
Zethus; manúque sustinet lævâ chelym,
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.
Intérque natos Tantalis tandem suos
Tutò superba, fert caput fastu gravi,
Et numerat umbras. pejor hâc genitrix adest
Furibunda Agave; tota quam sequitur manus
Partita regem. sequitur & Bacchas lacer
Pentheus, tenétque sævus etiam nunc minas.
Tandem, vocatus sæpe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni defidet turbâ procul,
Celárque semet. instat, & Stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laius. fari horreo.
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtectus comam,
Et ore rabido fatur: O Cadmi effera,
Gnoore semper læta cognato domus,
Vibrate thyrsos, entheâ gnatos manu
Lacerate potiùs. maximum Thebis scelus
Maternus amor est. patria, non irâ Deûm
Sed scelere raperis. non gravi flatu tibi
Luctificus Auster, nec parum pluvio æthere
Satiata tellus halitu sicco nocet:
Sed rex cruentus; præmia qui sævæ necis
Sceptra, & nefandos occupat thalamos patris,
Invisa proles. sed tamen pejor parens
Quàm gnatus: utero rursus infausto gravis,
Egit qui in ortus semet; & matri impios
Fœtus regessit; quisque nec mos est feris,
Fratres sibi ipse genuit; implicitum malum;
Magnique monstrum sphinge perplexum suâ.
Te, te, cruentâ sceptra qui dextra geris,
Te pater inultus urbe cum totâ petam,
Et mecum Erinnys pronubas thalami traham,
Traham sonantes verbera; incestam domum
Vertam, & Penates impio Marte obteram.
Proinde pulsum finibus regem ocyus
Agite exulem. quodcunque funesto gradu
Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas. spiritus puros dabit
Vitalis aura; veniet & sylvis decor.
Letum, luésque, mors, labor, tabes, dolor,
Comitatus illo dignus, excedent simul.
Et ipse rapidis gressibus sedes volet
Effugere nostras: sed graves pedibus moras
Addam, & tenebo. repet incertus viæ,
Baculo senili triste prætentans iter.
Præcidite terras, auferam cœlum pater.
OE D. Et ossa & artus gelidus invasit tremor.
Quidquid timebam facere, feciisse arguor.
Tori jugalis abnuit Merope nefas
Sociata Polybo. sospes absolvit manus
Polybus meas. uterque defendit parens
Cædem, utcumque. quis locus culpæ est superi?
Multo antè Thebæ Lajum amissum gemunt,
Bœota gressu quàm meo tetigi loca.
Fallúsne senior, an Deus Thebis gravis?
Jam, jam tenemus callidi socios doli.
Mentitur illa præferens fraudi deos
Vates, tibíque sceptra despondet mea.
C R. Egón', ut sororem regiâ expelli velim?
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu;
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita semper. liceat hoc tuto tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Jam te minore tutior pones loco.
OE D. Hortaris etiam, sponte deponam ut meâ
Tam gravia regna? *C R.* suadeam hoc illis ego,
In utrumque queis est liber etiam nunc status.
Tibi jam necesse est ferre fortunam tuam.
OE D. "Certissima est regnare cupienti via,
"Laudare modica, & ocium ac somnum sequi.
"Ab inquieto sæpe simulatur quies.
C R. Parúmne me tam longa defendit dies?
OE D. Aditum nocendi perfido præstat dies.
C R. Solutus onere regio, regni bonis

Fruor,

Digitized by Google

Fruor, domúſque civium cœtu viget;
Nec ulla vicibus ſurgit alternis dies,
Quâ non propinqui munera ad noſtros lares
Sceptri redundent; cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratiâ noſtrâ ſalus,
Quid tam beatæ deeſſe fortunæ rear?
OE D. Quòd "res ſecundæ non habent unquam modum.
CR. Incognitâ igitur ut nocens causâ cadam?
OE D. Num ratio vobis reddita eſt vitæ meæ?
Num audita cauſa eſt noſtra Tireſiæ? tamen
Sontes videmur. facitis exemplum; ſequor. [lent
CR. Quid ſi innocens ſum? *OE D.* "dubia pro certis ſo-
"Timere reges. *CR.* qui pavet vanos metus,
"Veros fatetur. *OE D.* quiſquis in culpâ fuit,
"Dimiſſus odit omne, quod dubium putat.
CR. Sic odia fiunt. *OE D.* "Odia qui nimiùm timet,
"Regnare neſcit. regna cuſtodit metus.
"*CR.* Qui ſceptra duro ſævus imperio regit,
"Timet timentes: metus in auctorem redit.
OE D. Servate fontem ſaxeo incluſum ſpecu:
Ipſe ad penates regios referam gradum.

CHORUS.

NOn tu tantis cauſa periclis,
Non hæc Labdacidas premunt
Fata: ſed veteres deûm
Iræ ſequuntur. Caſtalium nemus
Umbram Sidonio præbuit hoſpiti,
Lavſique Dircæ Tyrios colonos:
Ut primùm magni natus Agenoris,
Feſſus per orbem furta ſequi Jovis,
Sub noſtræ ramis conſtitit arboris,
Prædonem numerans ſuum;
Monitúque Phœbi, juſſus erranti
Comes ire vaccæ, quam non flexerat
Vomer, aut tardi juga curva plauſtri,
Deſeruit fugas, noménque genti
Inauſpicatâ de bove tradidit.
Tempore ex illo nova monſtra ſemper
Protulit tellus. aut anguis imis
Vallibus editus, annoſa ſupra
Robora fibilat, ſupráque pinus,
Supra Chaonias celſior arbores
Cæruleum crexit caput,
Cum majore ſui parte recumberet,
Aut fœta tellus, impio partu,
Effudit arma.
Sonuit reflexo claſſicum cornu,
Lituúſque adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære. antè, non linguas
Alias, & arma vocis ignotæ
Clamore primùm hoſtico experti,
Agmina campos cognata tenent.
Dignáque jacto ſemine proles
Uno ætatem permenſa die,
Poſt Luciferi nata meatus,
Ante Heſperios occidit ortus.
Horret tantis advena monſtris,
Populſque timet bella recentis:
Donec cecidit ſæva juventus;
Genitrſxque ſuo reddi gremio
Modò productos vidit alumnos.
Hàc tranſierit civile nefas.
Illa Herculeæ nôrint Thebæ
Prælia fratrum.
Quid Cadmei fata nepotis,
Cùm vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominúmque canes egere ſuum?
Præceps ſylvas montéſque fugit
Citus Actæon, agiliſque magis
Pede per ſaltus & ſaxa vagus
Metuit motas zephyris plumas,
Et, quæ poſuit, retia vitat:
Donec placidi fontis in undâ
Cornua vidit vultúſque feros,
Ubi virgineos foverat artus
Nimiùm ſævi Diva pudoris.

ACTUS QUARTUS.

OEDIPUS, JOCASTA.

OE DIPUS.

CURAS revolvit animus, & repetit metus.
Obiiſſe noſtro Laium ſcelere autumant
Superi interſque. ſed animus contrà innocens,
Sibſque meliùs quàm deis notus, negat.
Redit memoria tenue per veſtigium,
Cecidiſſe noſtri ſtipitis pulſu obvium
Datúmque Diti, cùm prior juvenem ſenex
Curru ſuperbus pelleret, Thebis procul,
Phocea trifidas regio quà ſcindit vias.
Unanima conjux, explica errorem precor,
Quæ ſpatia moriens Laius vitæ tulit.
Primóne in ævo viridis, an fracto occidit?
JO. Inter ſenem juvenémque; ſed propior ſeni.
OE D. Frequénſne turba regium cinxit latus?
JO. Plures fefellit error ancipitis viæ;
Paucos fidelis curribus junxit labor.
OE D. Aliquiſne cecidit regio fato comes?
JO. Unum fides virtúſque conſortem addidit.
OE. Teneo nocentem; convenit numerus, locus.
Sed tempus adde. *JO.* decima jam metitur ſeges.

SENEX, OEDIPUS.

SENEX.

CORINTHIUS te populus in regnum vocat
Patrium. quietem Polybus æternam obtinet.
OE D. Ut undique in me ſæva fortuna irruit?
Ediſſere agedum, quo cadat fato parens.
SE. Animam ſenilem mollis exſolvit ſopor.
OE D. Genitor ſinè ullâ cæde defunctus jacet.
Teſtor, licet jam tollere ad cœlum piè
Puras nec ulla ſcelera metuentes manus.
Sed pars magìs metuenda fatorum manet.
SE. Omnem paterna regna diſcutiunt metum.
OE D. Repetam paterna regna, ſed matrem horreo.
SE. Metuis parentem, quæ tuum reditum expetens
Sollicita pendet? *OE D.* ipſa me pietas fugat.
SE. Viduam relinques? *OE D.* tangis, en, ipſos metus.
SE. Efſare, merſus qui premat mentem timor:
Præſtare tacitam regibus ſoleo fidem.
OE D. Connubia matris Delphico monitu tremo.
SE. Timere vana deſine, & turpes metus
Depone. Merope vera non fuerat parens.
OE D. Quod ſuboditivi præmium gnati petit?
SE. Regnum ſuperbum; liberi adſtringunt fidem.
OE D. Secreta thalami, fare, quo excipias modo.
SE. Hæ te parenti parvulum tradunt manus.
OE D. Tu me parenti tradis? at quis me tibi?
SE. Paſtor nivoſo ſub Cythæronis jugo.
OE D. In illa temet nemora quis caſus tulit?
SE. Illo ſequebar monte cornigeros greges.
OE D. Nunc adice certas corporis noſtri notas.
SE. Forata ferro geſſeras veſtigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
OE D. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. *SE.* regios pavit greges,
Minor ſub illo turba paſtorum fuit.
OE D. Eloquere nomen. *SE.* "prima langueſcit ſenum
"Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu.
OE D. Potéſne facie noſcere ac vultu virum?
SE. Fortaſſe noſcam. ſæpe jam ſpatio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.
OE D. Ad ſacra & aras omne compulſum pecus
Duces ſequantur. ite propere, accerſite
Famuli, penès quos ſumma conſiſtit gregum.
SE. "Sive iſta ratio, ſive fortuna occulit,
"Latere ſemper patere, quod latuit diu.
"Sæpe eruentis veritas patuit malo.
OE D. Malum timeri majus his aliquid poteſt?
SE. Magnum eſſe, magnâ mole quod petitur, ſcias.
Concurrit illinc publica, hinc regis ſalus,
Utrimque patria. contine mecias manus,
Ut nil laceſſas, "ipſa ſe fata explicant.
"Non expedit concutere felicem ſtatum.
OE D. "Tutò movetur, quidquid extremo in loco eſt.
SE. Nobilius aliquid genere regali appetis?

Ne

Ne te parentis pigeat inventi, vide.
OED. Nec pœnitendi ſanguinis quæram fidem:
Sed nôſſe certum eſt. ecce grandævus ſenex,
Arbitria ſub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. reſérſne nomen aut vultum ſenis?
SE. Arridet animo forma. nec notus ſatis,
Nec rurſus iſte vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laio famulus greges
Agitâſti opimos ſub Cithæronis plagâ?

PHORBAS, SENEX, OEDIPUS.

PHORBAS.

LÆTUS Citheron pabulo ſemper novo
Æſtiva noſtro prata ſummittit gregi.
SE. Noſcitne memet? *PH.* dubitat anceps memoria.
OED. Huic aliquis à te traditur quondam puer?
Effare. dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? "veritas odit moras.
PH. Obducta longo temporum tractu moves.
OED. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.
PH. Inutile illi munus infantem dedi.
Non potuit ille luce, non cœlo frui.
SE. Procul ſit omen: vivit, & vivat precor.
OED. Superesſe quare traditum infantem negas?
PH. Ferrum per ambos tenue tranſactum pedes
Ligabat artus: vulneri imatus tumor
Puerile fœdâ corpus urebat lue.
SE. Quid quæris ultrà? fata jam accedunt propé.
OED. Quis fuerit infans, edoce. *PH.* prohibet fides.
OED. Huc aliquis ignem. flamma jam excutiet fidem.
Per tam cruentas vera quærenti vias,
Ignoſce quæſo, ſi ferus videor tibi,
Et impotens. *PH.* jam parta vindicta in manu eſt.
OED. Dic vera. quiſnam, quóve generatus patre,
Quâ matre genitus? *PH.* conjuge eſt genitus tuâ.
OED. Dehiſce tellus. túque tenebrarum potens,
In tartara ima, rector umbrarum, rape
Retro reverſas generis ac ſtirpis vices.
Congerite, cives, ſaxa in infeſtum caput;
Macture telis. me petat ferro parens;
Me natus. in me conjuges armentur manus,
Fratréſque; & æger populus ereptos rogis
Jaculetur ignes. ſæculi crimen vagor,
Odium Deorum, juris exitium ſacri;
Quâ luce primùm ſpiritus hauſi rudes,
Jam morte dignus. redde nunc animos, parens.
Nunc aliquid aude ſceleribus dignum tuis.
I, perge. propero regiam curſu pete,
Gratare matri, liberis auctâ domo.

CHORUS.

FATA ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem zephyro levi
Vela, ne preſſæ gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lenis ac modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.
Cuſſium regem timens,
Alta dum demens petit,
Artibus fidens novis,
Certat & veras aves
Vincere, ac falſis nimis
Imperat pennis puer,
Abſtulit nomen freto.
Callidus medium ſenex
Dædalus librans iter
Nube ſub mediâ ſtetit,
Alitem exſpectans ſuum.
Qualis accipitris minas
Fugit, & ſparſos metu
Colligit fœtus avis:
Donec in ponto manus
Movit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
"Quicquid exceſſit modum
"Pendet inſtabili loco.
Sed quid hoc? poſtes ſonant,
Mœſtus & famulus manu
Regius quaſſat caput.
Ede quid portes novi.

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS.

PRÆDICTA poſtquam fata, & infandum ſcelus
Deprendit, ac ſe ſcelere convictum Oedipus
Damnavit ipſe; regiam infeſtus petens
Inviſa propero tecta penetravit gradu;
Qualis per arva Libycus inſanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens jubam:
Vultus furore torvus, atque oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus. ſpumat, & volvit minas,
Ac merſus altè magnus exundat dolor.
Secum ipſe ſævus grande neſcio quid parat,
Suſque fatis ſimile. Quid pœnas moror?
Ut hoc ſceleſtum pectus aut ferro petat,
Aut fervido aliquis igne vel ſaxo domet?
Quæ tigris, aut quæ ſæva viſceribus meis
Incurret ales? ipſe tu ſcelerum capax
Sacer Citheron, vel feras in me tuis
Emitte ſylvis, mitte vel rabidos canes.
Nunc redde Agaven, anime, quid mortem times?
"Mors innocentem ſola fortunæ eripit.
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Enſémque ducit. Itáne tam magnis breves
Pœnas ſceleribus ſolvis? atque uno omnia
Penſabis ictu? moreris? hoc patri ſat eſt.
Quid deinde matri? quid malè in lucem editis
Gnatis? quid ipſi, quæ tuum magnâ luit
Scelus ruinâ, flebili patriæ dabis?
Solvenda non eſt illa quæ leges ratas
Naturâ in uno vertit Oedipode, novos
Commenta partus. ſuppliciis cadera meis
Novetur. iterum vivere, atque iterum mori
Liceat; renaſci ſemper: ut toties nova
Supplicia pendas. utere ingenio miſer.
"Quod ſæpe fieri non poteſt, fiat diu.
Mors eligatur longa. quæratur via,
Quâ nec ſepultis miſtus, & vivis tamen
Exemptus erres. morere, ſed citra patrem.
Cunctaris, anime? ſubitus an vultus gravat
Profuſus imber, ac rigat fletu genas?
Et flere ſatis eſt? hactenus fundent levem
Oculi liquorem. ſedibus pulſi ſuis
Lacrymas ſequantur. hi maritales ſtatim
Fodiantur oculi. dixit, atque irâ furit.
Ardent minaces igne truculento genæ;
Oculíque vix ſe ſedibus retinent ſuis.
Violentus, audax, mutus, iratus, ferox;
Tantùm cruentus gemuit; & dirùm fremens
Manus in ora torſit. at contrà truces
Oculi ſteterunt, & ſuam intenti manum
Ultro inſequuntur. vulneri occurrunt ſuo.
Scrutatur avidus manibus uncis lumina.
Radice ab imâ funditus vulſos ſimul
Evolvit orbes. hæret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Altè receſſus luminum, & inanes ſinus.
Sævítque fruſtra, plúſque quam ſat eſt furit;
Tantum eſt periclum lucis, attollit caput,
Cavíſque luſtrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur. quicquid effoſſis malè
Dependet oculis, rumpit; & victor deos
Conclamat omnes; Parcite, en, patriæ, precor:
Jam juſſa feci. debitas pœnas tuli.
Inventa thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora fœtus imber, & lacerum caput
Largum revulſis ſanguinem venis vomit.

CHORUS.

"FATIS agimur: cedite fatis.
"Non ſollicitæ poſſunt curæ
"Mutare rati ſtamina fuſi.
"Quidquid patimur mortale genus,
"Quidquid facimus, venit ex alto:
"Servátque ſuæ decreta colûs
"Lachelis. dura revoluta manu

"Omnia

" Omnia certo tramite vadunt;
" Primúsque dies dedit extremum.
" Non illa Deo vertisse licet,
" Quæ nexa suis currunt caulis.
" It cuique ratus, prece non ullâ
" Mobilis, ordo. multis ipsùm
Timuisse nocet. " multi ad fatum
" Venere suum, dum fata timent.
Sonuere fores, atque ipse suum
Duce non ullo molitur iter
Luminis orbus.

OEDIPUS, CHORUS, JOCASTA.

OEDIPUS.

BENE habet, peractum est. justa persolvi patri.
Juvant tenebræ. quis Deus tandem mihi
Placatus atrâ nube perfundit caput?
Quis scelera donat? conscium evali diem.
Nil, parricida, dexteræ debes tuæ.
Lux te refugit. vultus Oedipodem hic decet.
CH. En ecce, rapido sæva prosiluit gradu
Jocasta vecors: qualis attonita & furens
Cadmea mater abstulit gnato caput,
Sensitve raptum. dubitat. afflictum alloqui
Cupit, pavétque. jam malis cessit pudor.
JO. Cupiunt, & horrent ora, nam quid te vocem?
Gnatúmne? dubitas? gnatus es: gnatum pudet?
Immitis, oro, gnate, quò avertis caput,
Vacuósque vultus? *OED.* quis frui & tenebris vetat?
Quis reddit oculos? matris en, matris sonus.
Perdidimus operam. congredi fas amplius
Haud est. nefandos dividat vastum mare,
Dirimátque tellus abdita: & quisquis sub hôc
In alia versus sidera, ac solem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
JO. Fati ista culpa est: nemo fit fato nocens.
OED. Jam parce verbis mater, & parce auribus,
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas & nefas.
JO. Quid, anime, torpes? socia cur scelerum dare
Pœnas recusas? omne confusum perit,
Incesta, per te juris humani decus.
Morere, ac nefastum spiritum ferro exige.
Non si ipse mundum concitans divum sator
Coruscа lævâ tela jaculetur manu,
Unquam rependam sceleribus pœnas pares
Mater nefanda. mors placet: mortis via
Quæratur. agedum, commoda matri manum,
Si parricida es. restat hoc operi ultimum.
Rapiatur ensis. hôc jacet ferro meus
Conjux. quid illum nomine haud vero vocas?
Socer est. utrumque pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum jugulo imprimam?
Eligere nescis vulnus. hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum & gnatum tulit.
CH. Jacet perempta. vulneri immoritur manus;
Ferrúmque secum nimius ejecit cruor.
OED. Te fatidice, te prætidem veri Deum
Compello. solum debui fatis patrem.
Bis parricida, plúsque quàm timui nocens.
Matrem peremi; scelere confecta est meo.
O Phœbe mendax, fata superavi impia.
Pavitante gressus sequere fallaces vias,
Suspensa plantis efferens vestigia.
Cæcam tremente dexterâ noctem rege.
I, gradere præceps lubricos ponens gradus.
I, profuge, vade. siste, ne in matrem incidas.
Quicumque fessi corpore & morbo graves
Semianima trahitis corpora; en fugio, exeo.
Relevate colla. mitior cœli status
Post terga sequitur. quisquis exilem jacens
Animam retentat, vividos haustus levis
Concipiat. ite, ferte depositis opem.
Mortifera mecum vitia terris extraho,
Violenta fata, & horridus mortis tremor,
Maciésque & atra pestis, & rabidus dolor
Mecum ite, mecum. ducibus his uti libet.

TROAS.

PERSONÆ

HECUBA.
CHORUS MULIERUM.
TALTHYBIUS.
AGAMEMNON.
CALCHAS.
HELENA.
PYRRHUS.
ANDROMACHA.
SENEX.
ULYSSES.
ASTYANAX.
NUNCIUS.

ACTUS PRIMUS.

HECUBA.

QUICUNQUE regno fidit, & magnâ potens
Dominatur aulâ, nec leves metuit deos,
Animúmque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te, Troja. non unquam tulit
Documenta Fors majora, quàm fragili loco
Starent superbi: columen eversum occidit
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor:
Ad cujus arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum pronus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;
Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit;
Excisa ferro est. Pergamum incubuit sibi.
En alta muri decora congesti jacent
Tecta adultis. regiam flamma ambiunt;
Omnisque latè fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troja. nec cœlum patet
Undante fumo. nube ceu densâ oblitus,
Ater favillâ squallet Iliacâ dies.
Stat avidus vector, & lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis. horret afflictam quoque;
Victámque quamvis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci. spolia populator rapit
Dardania. prædam mille non capiunt rates.
Tellor deorum numen adversum mihi;
Patriæque cineres; téque rectorem Phrygum,
Quem Troja toto conditum regno tegit,
Tuósque Manes, quo fletit flante Ilion;
Et vos meorum liberûm magni greges,
Umbræ minores; quidquid adversi accidit,
Quæcumque Phœbas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala,

Digitized by Google

Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui meus,
Et vana vates ante Caſſandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes,
Nocturnus in vos ſparſit, aut fallax Sinon:
Meus ignis iſte eſt; facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis everſæ gemis,
Vivax ſenectus? reſpice infelix ad hos
Luctus recentes. Troja jam vetus eſt malum.
Vidi execrandum regiæ cædis nefas,
Ipſâſque ad aras majus admiſſum ſcelus
Æacidis armis: cùm ferox ſævâ manu
Comâ reflectens regium tortâ caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum cùm recepiſſet libens,
Enſis ſenili tinctus è jugulo rediit.
Placare quem non potuit à cæde efferâ,
Mortalis ævi cardinem extremum premens;
Superſque teſtes ſceleris; & quondam ſacrum
Regni jacentis? ille tot regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flammâ indiget,
Ardente Trojâ. non tamen ſuperis ſat eſt:
Dominum, ecce, Priami nuribus & natis legens
Sortitur urna. præda quem vilis ſequar?
Hic Hectoris conjugia deſpondet tibi;
Hic optat Heleni conjugem; hic Antenoris;
Nec deeſt tuos Caſſandra qui thalamos petat.
Mea ſors timetur. ſola ſum Danais metus.
Lamenta ceſſant? turba, captivæ, mea;
Ferite palmis pectora, & planctus date,
Et juſta Trojæ facite. jamdudum ſonet
Fatalis Idæ judicis diri domus.

CHORUS MULIERUM, HECUBA.

CHORUS.

NON rude vulgus, lacrymiſque novum
Lugere jubes: hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit
Phrygius Grajas hoſpes Amyclas,
Secuitque tretum pinus mauri
Sacra Cybeliæ.
Decies nivibus canuit Ide,
Ide noſtris nudata rogis;
Et Sigeis trepidus campis
Decies ſecuit meſſor ariſtas;
Ut nulla dies mœrore caret,
Sed nova fletus cauſa miniſtrat.
Ite ad planctus;
Miſerámque leva, regina, manum,
Vulgus dominam vile ſequemur.
Non indociles lugere ſumus.
HE. Fidæ casûs noſtri comites,
Solvite crinem: per colla fluant
Mœſta capilli, tepido Trojæ
Pulvere turpes. paret exertos
Turba lacertos. veſte remiſſâ
Subſtringe ſinus, uteróque tenus
Pateant artus. cui conjugio
Pectora velas captive pudor?
Cingat tunicas palla ſolutas.
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. placet hic habitus,
Placet. agnoſco Troada turbam.
Iterum luctus redeant veteres;
Solitum flendi vincite morem.
Hectora flemus.
CH. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem;
Coma demiſſa eſt libera nodo;
Sparſitque cinis fervidus ora.
HE. Complete manus. hoc ex Trojâ
Sumpſiſſe licet, cadat ex humeris
Veſtis apertis: utrumque tegat
Suffulta latus. jam nuda vocant
Pectora dextras. nunc nunc vires
Exprome dolor tuas.
Rhœtea ſonent litora planctu;
Habitánſque cavis montibus Echo
Non, ut ſolita eſt, extrema brevis
Verba remittat; totos reddat
Trojæ gemitus. audiat omnis
Pontus, & æther: ſævite manus,
Pectus vaſto tundite pectus.
Non ſum ſolito contenta ſono.
Hectora flemus.
CH. Tibi noſtra ferit dextra lacertos,
Humeróſque ferit tibi ſanguineos.
Tibi noſtra caput dextera pulſat.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent. fluit, & multo
Sanguine manat, quumcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.
Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præſidium Phrygibus fatis,
Tu murus eras; humeriſque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit. ſummúſque dies
Hectoris idem patriæque fuit.
HE. Vertite planctus: Priamo veſtros
Fundite fletus: ſatis Hector habet.
CH. Accipe fletus bis capte ſenex:
Nil Troja ſemel te rege tulit.
Bis pulſata Dardana Grajo
Mœnia ferro; biſque pharetras
Paſſa Herculeas. poſt elatos
Hecubæ partus, regúmque rogos,
Poſtrema patet funera cladis;
Magnóque Jovi victima cæſus
Sigea premis litora truncus.
HE. Aliò lacrymas flectite veſtras:
Non eſt Priami miſeranda mei
Mors, Iliades. "Felix Priamus,
Dicite cunctæ. liber Manes
Vadit ad imos: nec feret unquam
Victâ Grajum cervice jugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Ulyſſem.
Non Argolici præda triumphi
Subjecta feret colla trophæis.
Non aſſuetas ad ſceptra manus
Poſt terga dabit; currúſque ſequens
Agamemnonios, aurea dextrâ
Vincula geſtans, lætis fiet
Pompa Mycenis. *CH.* "Felix Priamus,
Dicimus omnes: ſecum excedens
Sua regna tulit: nunc Elyſii
Nemoris tutis errat in umbris,
Intérque pias felix animas
Hectora quærit. "Felix Priamus!
" Felix, quiſquis bello morieus
" Omnia ſecum conſumpta videt!

ACTUS SECUNDUS.

TALTHYBIUS, CHORUS.

TALTHYBIUS.

QUAM longa Danais ſemper in portu mora,
Seu petere bellum, petere ſeu patriam volunt!
CH. Quæ cauſa ratibus faciat & Danais moram,
Effare; reduces quis deus cludat vias.
TA. Pavet animus; artus horridus quaſſat tremor.
" Majora veris monſtra vix capiunt fidem.
Vidi ipſe, vidi. ſumma jam Titan juga
Stringebat; ortus vicerat noctem dies:
Cùm ſubitò caco terra mugitu fremens
Concuſſa, cæcos traxit ex imo ſonos.
Movere ſylvæ capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucus ſacer;
Idæa ruptis ſaxa ceciderunt jugis.
Nec ſola tellus tremuit: & pontus ſuum
Adeſſe Achillem ſenſit, ac ſtravit vada.
Tunc ſciſſa tellus aperit immenſos ſpecus,
Et hiatus Erebi pervium ad ſuperos iter
Tellure fractâ præbet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Theſſalici ducis;
Threïcia qualis arma præludens tuis
Jam, Troja, ſatis ſtravit: aut Neptunium
Canâ nitentem perculit juvenem comâ:
Aut cùm inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clauſit; & quærens iter
Tardus cruento Xanthus erravit vado:
Aut cùm ſuperbo victor in curru ſteit,
Egéque habenas, Hectorem & Trojam trahens.
Implevit omne litus irati ſonus:
Ite, ite inertes: debitos manibus meis
Auferte honores; ſolvite ingratas rates

Per noſtra ituri maria. non parvo luit
Iras Achillis Græcia: at magno luet.
Deſponſa noſtris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.
Hæc fatus; altâ nocte diviſit diem,
Repeténſque Ditem, merſus ingentem ſpecum
Coëunte terrâ junxit. immoti jacent
Tranquilla pelagi; ventus abjecit minas,
Placidúmque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenæum chorus.

PYRRHUS, AGAMEMNON, CALCHAS.

PYRRHUS.

CUM læta pelago vela rediturus dares,
Excidit Achilles: cujus unius manu
Impulſa Troja corruit tandem ſolo,
Brevi repenſans, quidquid adjecit mora
Scyros, fretúmque Lesbos Ægeum ſecans.
Illo remoto, dubia quo caderet, ſtetit.
Velis licèt, quod petitur, ac properes dare,
Serò es daturus. jam ſuum cuncti duces
Tulere precium. quæ minor merces poteſt
Tantæ dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum juſſus, & longâ ſedens
Ævum ſenectâ degere, ac Pylii ſenis
Tranſcendere annos, exuens matris dolos,
Falſáſque veſtes, faſſus eſt armis virum?
Inhoſpitali Telephus regno impotens
Dum Myſiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortémque eandem ſentit & mitem manum.
Cecidere Thebæ; vidit Eetion capi
Sua regna victus. clade ſubverſa eſt pari
Impoſita celſo parva Lyrneſſos jugo;
Ceptâque tellus nobilis Briſeide.
Et, cauſa litis regibus, Chryſe jacet;
Et nota famâ Tenedos; & quæ paſcuo
Fœcunda pingui Thracios nutrit greges;
Et ſacra Phœbo Cilla. quid! quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Hæc tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparſæ tot urbes, turbinis vaſti modo,
Alterius eſſet gloria ac ſummum decus:
Iter eſt Achillis. ſic meus venit pater;
Et tanta geſſit bella, dum bellum parat.
Ut alia ſileam merita; non unus ſatis
Hector fuiſſet? Ilium vicit pater;
Vos diruiſtis. inclytas laudes juvat,
Et clara magni facta genitoris ſequi.
Jacuit peremptus Hector ante oculos patris,
Patruſque Memnon, cujus ob luctum parens
Patiente mœſtum protulit vultu diem,
Suſque victor operis exemplum horruit,
Didicítque Achilles, & Deis natos mori.
Tum verſa Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita ſi dignè æſtimas,
Etſi Mycenis virginem atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nec ſubitò probas?
Priamíque natam Pelei nato ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenæ immolâſti, ſolita jam & facta expeto.
AG. "Juvenile vitium eſt, regere non poſſe impetum.
Ætatis alios fervor hic primæ rapit,
Pyrrhum paternus: ſpiritus quondam truces
Minaſque tumidi lentus Æacidæ tuli.
" Quò plura poſſis, plura patienter feras.
Quid cæde dirâ nobilem clari ducis
Aſpergis umbram? noſcere hoc primum decet;
Quid facere victor debeat, victus pati.
" Violenta nemo imperia continuit diu:
" Moderata durant. quóque fortuna altiùs
" Evexit ac levavit humanas opes,
" Hôc ſe magis ſupprimere felicem decet,
" Variósque caſus tremere, metuentem deos
" Nimiùm faventes. magna momento obrui
" Vincendo didici. Troja nos tumidos facit
Nimiùm ac feroces. " ſtamus hôc Danai loco,
" Unde illa cecidit. fateor, aliquando impotens
Regno ac ſuperbus, altiùs memet tuli:
Sed fregit illos ſpiritus hæc, quæ dare
Potuiſſet alii, cauſa, fortunæ favor.
Tu me ſuperbum, Priame, tu timidum facis.
Ego eſſe quicquam ſceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen, & falſo comam
Vinclo decentem? caſus hæc rapiet brevis;
Nec mille forſan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixiſſe hoc tuâ
Argiva tellus liceat) affligi Phrygas
Vinciſque volui: ruere & æquari ſolo,
Etiam arcuiſſem. ſed " regi trenis nequit
" Et ira, & ardens hoſtis, & victoria
" Commiſſa nocti. quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræque, per quas ipſe ſe irritat furor,
Gladiúſque felix, cujus infecti ſemel
Vecors libido eſt. quidquid everſæ poteſt
Superesſe Trojæ, maneat. exactum ſatis
Pœnarum, & ultrà eſt. regia ut virgo occidat,
Tumulóque donum detur, & cineres riget,
Et facinus atrox cædis ut thalamos vocem,
Non patiar. in me culpa cunctorum redit.
" Qui non vetat peccare, cùm poſſit, jubet.
PY. Nullúmne Achillis præmium manes ferent?
AG. Ferent; & illum laudibus cuncti canent;
Magnúmque terræ nomen ignotæ audient.
Quòd ſi levatur ſanguine inſuſo cinis,
Opima Phrygii colla cædantur gregis,
Fluátque nulli flebilis matri cruor.
Quis ille mos eſt, quando in inferias homo eſt
Impenſus homini? detrahe invidiam tuo
Odiúmque patri, quem coli pœnâ jubes.
PY. O tumide, rerum dum ſecundarum ſtatus
Extollit animos; timide, cùm increpuit metus:
Regum tyranne, jámne flammatum geris
Amore ſubito pectus, ac Veneris novæ?
Solúſne toties ſpolia de nobis feres?
Hâc dextrâ Achilli victimam reddam ſuam:
Quam ſi negas retinétque, majorem dabo,
Dignámque, quam det Pyrrhus. & nimiùm diu
A cæde noſtra regiâ ceſſat manus,
Parémque poſcit Priamus. *AG.* haud equidem nego
Hoc eſſe Pyrrhi maximum in bello decus,
Sævo peremptus enſe quòd Priamus jacet,
Supplex paternus. *PY.* ſupplices noſtri patris,
Hoſtéſque eoſdem novimus. Priamus tamen
Præſens rogavit: tu gravi pavidus metu
Nec ad rogandum fortis, Ajaci preces
Ithacóque mandas, cluſus, atque hoſtem tremens.
AG. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
Intérque cædes Græciæ, atque uſtas rates,
Segnis jacebat, belli & armorum immemor,
Levi canoram verberans plectro chelyn.
PY. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
Cantus Achillis timuit: & tanto in metu
Navalibus pax alta Theſſalicis fuit.
AG. Nempe iisdem in iſtis Theſſalicis navalibus,
Pax alta rurſus Hectoris patri fuit.
PY. Eſt regis, alii ſpiritum regi dare.
AG. Cur dextra regi ſpiritum eripuit tua?
PY. "Mortem mitericors ſæpe pro vitâ dabit.
AG. At nunc mitericors virgines buſto petis.
PY. Jámne immolari virgines credis nefas?
AG. "Præferre patriam liberis regem decet.
PY. Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.
AG. "Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
PY. "Quodcunque libuit facere victori, licet.
AG. "Minimum decet libere, cui multum licet.
PY. His iſta jactas, quos decem annorum gravi
Regno ſubactos Pyrrhus exſolvit jugo?
AG. Hos Scyros animos? *PY.* ſcelere quæ fratrum caret.
AG. Incluſa fluctu. *PY.* nempe cognati maris.
Atrei & Thyeſtæ nobilem novi domum.
AG. Ex virginis concepte furtivo ſtupro,
Et ex Achille nate, ſed nondum viro.
PY. Illo ex Achille, genere qui mundum ſuo
Sparſus per omnem, cœlitum regnum tenet,
Thetide æquor, umbras Æaco, cœlum Jove.
AG. Illo ex Achille, qui manu Paridis jacet.
PY. Quem nec deorum cominus quiſquam petiit.
AG. Compeſcere equidem verba, & audacem malo
Poteram domare: ſed meus captis quoque
Scit parcere enſis. potiùs interpres deûm
Calchas vocetur. fata ſi poſcunt, dabo.
Tu qui Pelaſgæ vincla ſolviſti rati,
Moráſque bellis; arte qui reſeras polum,
Cui viſcerum ſecreta, cui mundi fragor,

¶ Et

Digitized by Google

Et ſtella longâ ſemitam flammâ trahens
Dant ſigna fati; cujus ingenti mihi
Mercede conſtant ora, quid jubeat Deus
Effare, Calcha, nóſque conſilio rege.
CA. Dant fata Danais, quo ſolent precio, viam.
Mactanda virgo eſt Theſſali bullo ducis;
Sed quo jugari Theſſalæ cultu ſolent,
Ionidève, vel Mycenææ nurus.
Pyrrhus parenti conjugem tradat ſuo,
Sic rite dabitur. non tamen noſtras tenet
Hæc una puppes cauſa. nobilior tuo,
Polyxena, cruore debetur cruor,
Quem fata quærunt: turre de ſummâ cadat
Priami nepos Hectoreus, & letum oppetat.
Tum mille velis impleat claſſis freta.

CHORUS.

VERUM eſt? an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?
Cùm conjux oculis impoſuit manum,
Supremúſque dies ſolibus obſtitit,
Et triſtes cineres urna coercuit;
Non prodeſt animam tradere funeri,
Sed reſtat miſeris vivere longiùs?
An toti morimur? nulláque pars manet
Noſtrî; cùm profugo ſpiritus halitu
Immiſtus nebulis ceſſit in aëra,
Et nudum tetigit ſubdita fax latus?
" Quidquid ſol oriens, quidquid & occidens
" Novit: cæruleis Oceanus fretis
" Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
" Ætas Pegaſeo corripit gradu.
Quo bis ſena volant ſidera turbine,
Quo curſu properat ſecula volvere
Altorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus;
Hôc omnes petimus fata: nec ampliùs,
Juratos ſuperis qui tetigit lacus,
Uſquam eſt. ut calidis fumus ab ignibus
Vaneſcit ſpatium per breve ſordidus;
Ut nubes gravidas, quas modò vidimus,
Arctoi Boreæ diſſipat impetus;
Sic hic, quo regimur, ſpiritus effluet.
" Poſt mortem nihil eſt, ipſáque mors nihil,
" Velocis ſpacii meta noviſſima.
Spem ponant avidi; ſoliciti metum.
Quæris quo jaceas poſt obitum loco?
Quo non nata jacent.
" Tempus nos avidum devorat, & chaos.
" Mors individua eſt noxia corpori,
" Nec parcens animæ. Tænara, & aſpero
" Regnum ſub domino, limen & obſidens
" Cuſtos non facili Cerberus oſtio,
" Rumores vacui, verbáque inania,
" Et par ſolicito fabula ſomnio.

ACTUS TERTIUS.

ANDROMACHA, SENEX, ULYSSES.

ANDROMACHA.

QUID mœſta Phrygiæ turba lacceratis comas,
Miſerúmque tunſæ pectus effuſo genas
Fletu rigatis? levia perpeſſæ ſumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modò,
Mihi cecidit olim, cùm ferus curru incito
Mea membra raperet, & gravi gemeret ſono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens,
Tunc obruta atque verſa Troia concidit.
Torpens malis rigénſque ſinè ſenſu feror.
Jam erepta Danais conjugem ſequerer meum,
Niſi hic teneret. hic meos animos domat,
Morſque prohibet. cogit hic aliquid Deos
Adhuc rogare. tempus arumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abſtulit,
Nihil timere. proſperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, quà veniant, habent.
" Miſerrimum eſt timere, cùm ſperes nihil.
SE. Quis te repens commovit afflictam metus?
AN. Exoritur aliquod majus è magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum ſtetit.
SE. Et quas reperiet, ut velit, clades Deus?

AN. Stygii profundi clauſtra, & obſcuri ſpecus
Laxantur: &, ne deſit everſis metus,
Hoſtes ab imo conditi tumulo exeunt.
Soliſne retro pervium eſt Danais iter?
Certè æqua mors eſt. turbat atque agitat Phrygas
Communis iſte terror. hic propriè meum
Exterret animum noctis horrendæ ſopor.
SE. Quæ viſa portent, effer in medium, metus.
AN. Partes ferè nox alma tranſierat duas,
Clarúmque ſeptem verterant ſtellæ jugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Breviſque feſſis ſomnus obrepſit genis;
(Si ſomnus ille eſt mentis attonitæ ſtupor)
Cùm ſubitò noſtros Hector ante oculos ſtetit:
Non qualis ultro bella in Argivos ferens,
Grajas petebat facibus Idæis rates;
Nec cæde vaſtâ, qualis in Danaos furens
Vera ex Achille ſpolia ſimulato tulit.
Non ille vultus flammeum intendens jubar,
Sed feſſus ac dejectus, & fletu gravis,
Similiſque noſtro, ſqualidâ obtectus comâ.
Juvat tamen vidiſſe. tum quaſſans caput,
Depelle ſomnos, inquit, & natum eripe,
O fida conjux. lateat. hæc una eſt ſalus.
Omitte fletus. Troja quòd cecidit, gemis?
Utinam jaceret tota! feſtina. amove
Quocunque noſtræ parvulam ſtirpem domûs.
Mihi gelidus horror ac tremor ſomnum excutit,
Oculóſque nunc huc pavida nunc illuc ferens,
Oblita nati, miſera quæſivi Hectorem.
Fallax per ipſos umbra complexus abit.
O gnate, magni certa progenies patris,
Spes una Phrygibus; ûnica afflictæ domûs,
Veteriſque ſoboles ſanguinis nimiùm inclyti,
Nimiúmque patri ſimilis: hos vultus meus
Habebat Hector; talis inceſſu fuit,
Habitúque talis. ſic tulit fortes manus;
Sic celſus humeris, fronte ſic torvâ minax,
Cervice fuſam diſſipans latâ comam.
O nate, ſerò Phrygibus, at matri citò,
Eriſne tempus illud, ac felix dies,
Quo Troici defenſor & vindex ſoli
Recidiva ponas Pergama, & ſparſos fugâ
Cives reducas? nomen & patriæ ſuum,
Phrygibúſque reddas? Sed mei fati immemor,
Tam magna timeo vota. quod captis ſat eſt,
Vivamus. heu me, quis locus fidus meo
Erit timori? quâve te ſede occulam?
Arx illa pollens opibus & muris deûm,
Gentes per omnes clara, & invidiæ capax,
Nunc pulvis altus, ſtrata ſunt flammâ omnia,
Superéſtque vaſtâ ex urbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans, quem locum fraudi legam?
Eſt tumulus ingens conjugi caro ſacer,
Verendus hoſti; mole quem immenſâ parens
Opibúſque magnis ſtruxit; in luctus ſuos
Rex non avarus. optimè credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremiſco miſera feralis loci.
SE. Hæc cauſa multos una ab interitu arcuit;
Credi periiſſe. vix ſpei quidquam eſt ſuperè;
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
AN. Ne prodat aliquis. *SE.* amove teſtes doli.
AN. Si quæret hoſtis? *SE.* urbe in everſâ perit.
AN. Quid proderit latuiſſe rediturо in manus?
SE. Victor feroces impetus primos habet.
AN. Quid? quòd latere ſinè metu magno nequit?
SE. Miſer occupet præſidia, ſecurus legat.
AN. Quis te locus, quæ regio ſeducta, invia
Tutò reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui ſemper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; conjugis furtum piæ
Serva, & fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate. quid retro fugis,
Turpéſque latebras ſpernis? agnoſco indolem.
Pudet timere. ſpiritus magnos fuge,
Animóſque veteres. ſume quos caſus dedit.
En intuere, turba quæ ſimus ſuper,
Tumulus, puer, captiva. cedendum eſt malis:
Sanctas parentis conditi ſedes, age,
Aude ſubire. fata ſi miſeros juvant,
Habes ſalutem. fata ſi vitam negant,
Habes ſepulchrum. *SE.* clauſtra commiſſum tegant.
Quem ne tuus producat in medium timor,

Procul hinc recede, téque diverſam amove.
AN. "Leviùs ſolet timere, qui propius timet.
Sed, ſi placet, referamus hinc aliò pedem.
SE. cohibe parumper ora, queſtúſque opprime.
Greſſus nefandos dux Cephalenum admovet.
AN. Dehiſce tellus, túque conjux ultimo
Specu revulſam ſcinde tellurem Stygis.
Sinu profundo conde depoſitum meum.
Adeſt Ulyſſes; & quidem dubio gradu
Vultúque; nectit pectore aſtus callidos.
UL. Duræ miniſter ſortis, hoc primum peto,
Ut ore quamvis verba dicantur meo,
Non eſſe credas noſtra. Grajorum omnium
Procerúmque vox eſt, petere quos feras domos
Hectorea ſoboles prohibet. hunc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, ſemper à tergo timor
Reſpicere coget; arma nec poni ſinet,
Dum Phrygibus animos natus everſis dabit,
Andromacha. *AN.* veſter augur hoc Calchas canit?
UL. Et ſi taceret augur hæc Calchas, tamen
Dicebat Hector, cujus & ſtirpem horreo.
"Generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primiſque nondum cornibus findens cutem,
Cervice ſubitò celſus, & fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæſo virga de trunco ſtetit,
Par ipſa matri tempore exiguo ſubit,
Umbráſque terris reddit, & cœlo nemus.
Sic malè relictus igne de magno cinis
Vires reſumit. "eſt quidem injuſtus dolor
"Rerum æſtimator: ſi tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quòd bella poſt hyemes decem,
Totidémque meſſes jam ſenex miles timet,
Aliáſque clades rurſus, ac nunquam bene
Trojam jacentem. magna res Danaos movet,
Futurus Hector. libera nos hôc metu.
Hæc una naves cauſa deductas tenet;
Hic claſſis hæret. néve crudelem putes,
Quòd ſorte juſſus Hectoris natum petam;
Petiſſem Oreſtem. patere, quod victor tulit.
AN. Utinam quidem eſſes, nate, maternâ in manu;
Nôſſémque quis te caſus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio. non hoſtilibus
Confoſſa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus præſtricta; non acri latus
Utrumque flamma cincta, maternam fidem
Unquam exuiſſem. nate, quis te nunc locus,
Fortuna quæ poſſedit? errore avio
Vagus arva luſtras? vaſtus an patriæ vapor
Corripuit artus? ſævus an victor tuo
Luſit cruore? nunquid immanis feræ
Morſu peremptus paſcis Idæas aves?
UL. Simulata remove verba. non facile eſt tibi
Decipere Ulyſſem. vicimus matrum dolos,
Etiam Dearum: caſſa conſilia amove.
Ubi natus eſt? *AN.* ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? unum quæris, ego quæro omnia.
UL. Coacta dices, ſponte quod fari abnuis.
AN. "Tuta eſt, perire quæ poteſt, debet, cupit.
UL. "Magnifica verba mors propè admota excutit.
AN. Si vis, Ulyſſe, cogere Andromachen metu,
Vitam minare. nam mori votum eſt mihi.
UL. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
"Neceſſitas plus poſſe, quàm pietas, ſolet.
"Stulta eſt fides, celare quod prodas ſtatim.
AN. Propone flammas, vulnera, & diras mali
Doloris artes, & famem & ſævam ſitim,
Variáſque peſtes undique & ferrum inditum
Viſceribus uſtis, carceris cæci luem,
Et quidquid audet victor iratus tumens.
UL. Animoſa nullos mater admittis metus.
Hic ipſe, quo nunc contumax perſtas, amor,
Conſulere parvis liberis Danaos monet.
Poſt arma tam longinqua, poſt annos decem;
Minùs timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem. bella Telemacho paras.
AN. Invita Ulyſſi gaudium ac Danais dabo?
Dandum eſt. fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete Atridæ; túque lætifica, ut ſoles,
Refer Pelaſgis. Hectoris proles obiit.

UL. Et eſſe verum hoc quâ probas Danais fide?
AN. Ita quod minari maximum victor poteſt,
Contingat, & me fata maturo exitu
Facilíque ſolvant, ac meo condant ſolo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;
Ut luce caret, ut inter extinctos jacet,
Datúque tumulo debita exanimis tulit.
UL. Expleta fata ſtirpe ſublatâ Hectoris,
Solidámque pacem lætus ad Danaos feram.
Quid agis Ulyſſe? Danaidæ credent tibi?
Tu cui? parenti. fingit an quidnam parens,
Nec abominandæ mortis auſpicium pavet?
Auſpicia metuunt, qui nihil majus timent.
Fidem alligavit jurejurando ſuam.
Si pejerat, timere quid gravius poteſt?
Nunc advoca aſtus, anime; nunc fraudes, dolos,
Et totum Ulyſſem. "veritas nunquam latet.
Scrutare matrem. mœret, illacrymat, gemit,
Et huc & illuc anxios greſſus refert,
Miſſáſque voces aure ſolicitâ excipit.
Magis hæc timet, quàm mœret. ingenio eſt opus:
"Alios parentes, alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum eſt, miſera, quòd nato cares,
Quem mors manebat ſæva, præcipitem datum
E turre, lapſis ſola quæ muris manet.
AN. Reliquit animus, membra quatiuntur, labant,
Torpétque vinctus frigido ſanguis gelu.
UL. En tremuit. hâc, hâc parte quærenda eſt mihi.
Matrem timor deſerit. iterabo metum.
Ite, ite celeres, fraude maternâ abditum
Hoſtem Pelaſgi nominis, peſtem ultimam,
Ubicunque latitat, erutam in medium date.
Bene eſt. tenetur. perge, feſtina, attrahe.
Quid reſpicis, trepidáſque? jam certè perit.
AN. Utinam timerem, ſolitus ex longo eſt metus.
"Dediſcit animus ſerò, quod diſcit diu.
UL. Luſtrale quoniam debitum muris puer
Sacrum anteceſſit; nec poteſt vatem ſequi
Meliore fato raptus: hôc Calchas ait
Modo piari poſſe redituras rates,
Si placet undas Hectoris ſparſi cinis,
Ac tumulus imo totus æquetur ſolo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda ſedibus ſacris manus.
AN. Quid agimus? animum diſtrahit geminus timor:
Hinc gnatus, illinc conjugis chari cinis.
Pars utra vincet? teſtor immites deos,
Deóſque veros, conjugis manes mei,
Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quàm te. vivat, ut poſſit tuos
Referre vultus. Prorutus tumulo cinis
Mergetur? oſſa fluctibus ſpargi ſinam
Diſjecta vaſtis? potiùs hic mortem oppetat:
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celſa per faſtigia
Miſſum rotari? potero; perpetiar; feram,
Dum non meus poſt fata victoris manu
Jactetur Hector. hic ſuam pœnam poteſt
Sentire; at illum fata jam in tuto locant.
Quid fluctuaris? ſtatue, quem pœnæ extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector eſt illic tuus.
Erras, utrinque eſt Hector: hic ſenſu potens,
Forſan futurus ultor extincti patris.
Utrique parci non poteſt. quidnam facis?
Serva è duobus, anime, quem Danai timent.
UL. Reſponſa peragam, funditus buſta eruam. [gere
AN. Quæ vendidiſtis? *UL.* pergam, & è ſummo ag-
Trahem ſepulchra. *AN.* cœlitum appello fidem,
Fidémque Achillis; Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. *UL.* tumulus hic campo ſtatim
Toto jacebit. *AN.* fuerat hoc prorſus nefas
Danais inauſum. templa violâſtis, Deos
Etiam faventes. buſta tranſierat furor.
Reſiſtam, inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires. qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon ſtravit; aut qualis Deo
Percuſſa Mænas, entheo ſylvas gradu
Armata thyrſo terret, atque expers ſui
Vulnus dedit, nec ſenſit; in medios ruam,
Tumulóque cineris ſocia defenſo cadam.
UL. Ceſſatis? & vos flebilis clamor movet,
Furórque caſſus fœminæ? juſſa ocyùs
Peragite. *AN.* me, me ſternite hìc ferro priùs.
Repelle Averſum. rumpe fatorum moras.

Mo-

Molire terras Hector, ut Ulyſſem domes.
Vel umbra ſatis eſt. arma concuſſit manu:
Jaculatur ignes. cernitis Danai Hectorem?
An ſola video? *UL.* ſunditus cuncta erue.
AN. Quid agis? ruinâ mater & gnatum & virum
Proſternis unâ. forſitan Danaos prece
Placare poteris. conditum elidet ſtatim
Immane buſti pondus. intereat miſer,
Ubicunque potiùs, ne pater gnatum obruat,
Premátque patrem gnatus. ad genua accido
Supplex, Ulyſſe, quámque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.
Miſerere matris, & preces placidus pias
Patiénſque recipe; quóque te celſum altiùs
Superi levárunt, mitiùs lapſos preme.
" Miſero datur quodcunque, fortunæ datur.
Sic te reviſat conjugis ſanctæ torus,
Annóſque, dum te recipit extendat ſuos,
Laërta! ſic te juvenis excipiat tuus,
Et vota vincens veſtra felici indole,
Ætate avum tranſcendat, ingenio patrem!
Miſerere matris. unicum afflictæ mihi
Solamen hic eſt. *UL.* exhibe gnatum, & roga.

ANDROMACHA.

HUC è latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miſera.
Hic puer, hic eſt terror, Ulyſſe,
Mille cariuis. Submitte manus,
Dominſque pedes ſupplice dextrâ
Stratus adora: nec turpe puta,
Quidquid miſeros fortuna jubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnſque ſenis jura per omnes
Inclyta terras: excidæ Hector.
Gere captivum; poſitóque genu,
Si tua nondum funera ſentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lacrymas
Et Troja prior, parvúſque minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cujus valtis
Viribus omnes ceſſere feræ:
Qui perfracto limine Ditis
Cæcum retro patefecit iter,
Hoſtis parvi victus lacrymis,
Suſcipe, dixit, rector habenas,
Patrióque ſede celſus ſolio,
Sed ſceptra fide meliore tene.
Profuit illo victore capi.
Diſcite mites Herculis iras;
An ſola placent Herculis arma?
Jacet ante pedes non minor illo
Supplice ſupplex, vitámque petit.
Regnum Trojæ, quocumque volet,
Fortuna ferat.

ULYSSES, ANDROMACHA, ASTYANAX.

ULYSSES.

MATRIS quidem me mœror attonitæ movet;
Magis Pelaſgæ me tamen matres movent,
Quarum ille magnos creſcit in luctus puer.
AN. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hæ manus Trojam erigent?
Nullas habet ſpes Troja, ſi tales habet.
Non ſic jacemus Troës, ut cuiquam metus
Poſſimus eſſe. ſpiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. ipſe poſt Trojam pater
Poſuiſſet animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur, quæ peti gravior poteſt?
Famulare collo nobili ſubeat jugum:
Servire liceat. aliquis hoc regi negat?
UL. Non hoc Ulyſſes: ſed negat Calchas tibi.
AN. O machinator fraudis, o ſcelerum artifex;
Virtute cujus bellicâ nemo occidit,
Dolis & alto maleficæ mentis jacent
Etiam Pelaſgi; vatem & infontes deos
Prætendis? hoc eſt pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Jam ſolus audes aliquid, & claro die.
UL. Virtus Ulyſſis nota Danais eſt ſatis,
Nimíſque Phrygibus. non vacat vanis diem
Conterere verbis: anchoras claſſis legit.
AN. Brevem moram largire, dum officium parens
Gnato ſupremum reddo, & amplexu ultimo
Avidos dolores ſatio. *UL.* miſereri tui
Utinam liceret! quod tamen ſolum licet,
Tempus morámque dabimus. arbitrio tuo
Implere lacrymis: " fletus ærumnas levat.
AN. O dulce pignus! O decus lapſæ domûs!
Summúmque Trojæ funus! O Danaûm timor!
Genetricis o ſpes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar: vota deſtituit deus.
Iliaca non tu ſceptra regali potens
Geſtabis aulâ; jura nec populis dabis,
Victáſque gentes ſub tuum mittes jugum;
Non Graja cædes terga, non Pyrrhum trabes;
Non arma tenerâ parva tractabis manu;
Sparſáſque paſſim ſaltibus latis feras
Audax ſequeris; nec ſtato luſtri die
Solenne referens Troici luſtri ſacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica priſco templa ſaltatu coles.
O morte dirâ triſtius leti genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri videbunt. *UL.* rumpe jam fletus parens.
" Magnus tibi ipſe non facit finem dolôr.
AN. Lacrymis, Ulyſſe, parva, quam petimus, mora eſt.
Concede, parvos ut meâ condam manu
Viventis oculos. occidis parvus quidem,
Sed jam timendus. Troja te expectat tua:
I, vade liber, liberos Troas vide.
AS. Miſerere mater. *AN.* quid meos retines ſinus,
Manúſque matris? caſſa præſidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum juvencus applicat matri latus;
At ille ſævus matre ſummotâ leo
Prædam minorem morſibus vaſtis premens
Frangit, vehítque: talis è noſtro ſinu
Te rapiet hoſtis. oſcula, & fletus, puer,
Laceróſque crines excipe, & plenus mei
Occurre patri; pauca maternæ tamen
Perfer querelæ verba: Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor;
Servire Grajo pateris Andromachen jugo
Crudelis Hector, lentus & ſegnis jaces?
Rediit Achilles. ſume nunc iterum coſtas,
Et ſume lacrymas; quidquid è miſero viri
Funere relictum eſt; ſume quæ reddas tuo
Oſcula parenti: matris hanc ſolatio
Relinque veſtem. tumulus hanc tetigit meus,
Manéſque chari. quidquid hic cineris latet,
Scrutabor ore. *UL.* nullus eſt flendi modus,
Abripite propere claſſis Argolicæ moram.

CHORUS.

QUÆ vocat ſedes habitanda captas?
Theſſali montes, & opaca Tempe?
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie? meliórque fœtu
Fortis armenti lapidoſa Trachyn?
An maris vaſti domitrix Iolcos?
Urbibus centum ſpacioſa Crete?
Parva Gortyne, ſterilíſque Tricce?
An frequens ruſcis levibus Methone,
Quæ ſub Oetæis latebroſa ſylvis
Miſit infeſtos Troïæ ruinis
Non ſemel arcus?
Olenos tectis habitata raris?
Virginis Pleuron inimica Divæ?
An maris lati ſinuoſa Trœzen?
Pelion regnum Prothoi ſuperbum,
Tertius cœlo gradus? hic recumbens
Montis exeſi ſpacioſus antro
Jam trucis Chiron pueri magiſter,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.
An ferax varii lapidis Caryſtos?
An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Echinus?
An carens nunquam Gonoeſſa vento?
Quæque formidant Boream Eniſpe?

Attica

Digitized by Google

Attică pendens Peparethos ora?
An ſacris gaudens tacitis Eleuſis?
Numquid Ajacis Salamina veram?
Aut ferâ notam Calydona ſævâ?
Quáſque perfundit ſubiturus æquor
Segnibus terras Titareſſos undis,
Beliſan & Scarphen? Pylon an ſenilem?
Pharin? an Piſam, Jovis & coronis
Elida claram?
Quolibet triſtis miſeras procella
Mittat, & donet cuicunque terræ:
Dum luem tantam Troïæ atque Achivis
Quæ tulit, Sparte procul ablit: abſit
Argos, & ſævi Pelopis Mycenæ;
Neritos parvâ brevior Zacyntho,
Et nocens ſaxis Ithace doloſis.
Quod manet fatum, dominúſque quis te,
Aut quibus terris Hecube videndam
Ducet? in cujus moriere regno?

ACTUS QUARTUS.

HELENA, ANDROMACHA, HECUBA, POLYXENA mutæ perſonæ.

HELENA.

QUICUNQUE hymen funeſtus, illætabilis,
Lamenta, cædes, ſanguinem, gemitus habet,
Eſt auſpice Helenâ dignus. everſis quoque
Nocere cogor Phrygibus; ego Pyrrhi thoros
Narrare falſos jubeor; ego cultus dare,
Habitúſque Grajos. arte capietur meâ,
Meâque fraude concidet Paridis ſoror.
Fraudetur. ipſi levius hoc equidem reor.
" Optanda mors eſt, ſinè metu mortis mŏri.
Quid juſſa ceſſas agere? "ad auctores redit
" Sceleris coacti culpa. Dardaniæ domûs
Generoſa virgo, melior afflictos Deus
Reſpicere cœpit; téque felici parat
Dotare thalamo. tale conjugium tibi
Non ipſa ſoſpes Troja, non Priamus daret.
Nam te Pelaſgæ maximum gentis decus
Ad ſancta lecti jûra legitimi petit,
Cui regna campi lata Theſſalici jacent:
Te magna Tethys, téque tot pelagi deæ,
Placidúmque numen æquoris tumidi Thetis
Suam vocabunt: te datam Pyrrho ſocer
Peleus nurum vocabit, & Nereus nurum.
Depone cultus ſquallidos, feſtos cape.
Dediſce captam: deprime horrentes comas,
Crinémque doctâ patere diſtingui manu.
Hic forſitan te caſus excelſo magis
Solio reponet. " profuit multis capi.
AN. Hoc deerat unum Phrygibus everſis malum,
Gaudere? flagrant ſtrata paſſim Pergama.
O conjugale tempus! an quiſquam audeat
Negare? quiſquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena ſuadet? peſtis, exitium, lues
Utriuſque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda toris oſſa quæ paſſim jacent
Inhumata campis? hæc hymen ſparſit tuus.
Tibi fluxit Aſiæ, fluxit Europæ cruor;
Cum dimicantes lenta protpiceres viros,
Incerta voti. perge, thalamos appara.
Tedis quid opus eſt? quiſdve ſolenni face?
Quid igne? thalamis Troja prælucet novis.
Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digné. planctus & gemitus ſonent.
HEL. Ratione quamvis careat, & flecti neget
Magnus dolor, ſocioſque nonnunquam ſui
Mœroris ipſos oderit; cauſam tamen
Poſſum tueri judice infeſto meam;
Graviora paſſa. luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum: ſolus occultè Paris
Lugendus Helenæ eſt. "durum & invitum & grave eſt,
" Servitia ferre. patior hoc olim jugum
Annis decem captiva. proſtratum Ilium eſt,
Verſi penates. perdere eſt patriam grave;
Gravius timere. vos levat tanti mali
Comitatus. in me victus & victor furit.
Quam quiſque famulam traheret, incerto diu
Caſu pependit: me meus traxit ſtatim
Sinè ſorte dominus. cauſa bellorum fui,
Tantæque Teucris cladis. hoc verum puta,
Spartana puppis veſtra ſi ſecuit freta:
Sin rapta Phrygiis præda remigibus fui,
Deditque donum judici victrix Dea:
Ignoſce Paridi. judicem iratum mea
Habitura cauſa eſt: iſta Menelaum manent
Arbitria. nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omiſſis flecte. vix lacrymas queo [lum!
Retinere. *AN.* quantum eſt, Helena quod lacrymat, ma-
Cur lacrymat autem? fare, quos Ithacus dolos,
Quæ ſcelera nectat. utrum ab Idæis jugis
Jactanda virgo eſt? arcis an celſæ edito
Mittenda ſaxo? num per has vaſtum in mare
Volvenda rupes, latere quas ſciſſo levat
Altum vadoſos Sigeon ſpectans ſinus?
Dic, fare quidquid ſubdolo vultu tegis.
Leviora mala ſunt cuncta, quàm Priami gener
Hecubæque Pyrrhus. fare, quam pœnam pares.
Exprome, & unum hoc deme noſtris cladibus,
Falli. paratas perpeti mortem vides.
HEL. Utinam juberet me quoque interpres deûm
Abrumpere enſe lucis inviſæ moras,
Vel Achillis ante buſta, furibundâ manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua
Polyxene miſeranda; quam tradi ſibi,
Cinerémque Achilles ante mactari ſuum,
Campo maritus ut ſit Elyſio, jubet.
AND. Vide, ut animus ingens lætus audierit necem.
Cultus decoros regiæ veſtis petit,
Et admoveri crinibus paritur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At miſera luctu mater audito ſtupet.
Labefacta mens ſuccubuit. aſſurge, alleva
Animum, & cedentem miſera firma ſpiritum.
Quàm tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum eſt, quod Hecubam facere felicem poteſt.
Spirat; revixit: prima "mors miſeros fugit.
HEC. Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?
Adhuc rebellat? o manum Paridis levem!
Cinis ipſe noſtrum ſanguinem ac tumulus ſitit.
Modò turba felix latera cingebat mea:
Laſſabar in tot oſcula, in totum gregem
Dividere matrem. ſola nunc hæc eſt ſupèr,
Votum, comes, levamen, afflictæ quies.
Hæc totus Hecubæ fœtus. hâc ſolâ vocor
Jam voce mater. dura & infelix, age,
Elabere anima. denique hoc unum mihi
Remitte funus: irrigat fletus genas,
Imbérque victo ſubitus è vultu cadit.
Lætare, gaude, gnata. quàm vellet tuos
Caſſandra thalamos, vellet Andromache tuos.
AN. Nos Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendæ ſumus,
Quas mota claſſis huc & huc ſparſas ferat.
Hanc chara tellus ſedibus patriis teget.
HEL. Magis invidebis, ſi tuam ſortem ſcias.
AN. An aliqua pœnæ pars meæ ignota eſt mihi?
HEL. Verſata dominos urna captivis dedit.
AN. Cui famula tradar, ede: quem dominum voco?
HEL. Te ſorte primâ Scyrius juvenis tulit.
AN. Caſſandra felix! quam furor ſorte eximit,
Phœbúſque. *HEL.* regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Eſtne aliquis Hecubam qui ſuam dici velit?
HEL. Ithaco obtigiſti præda nolenti brevis.
HEC. Quis tam impotens ac dirus, & iniquæ ferus
Sortitor urnæ, regibus reges dedit?
Quis tam ſiniſter dividit captas deus?
Quis arbiter crudelis, & miſeris gravis,
Eligere dominos neſcit? & ſævâ manu
Dat iniqua miſeris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miſcet? ad Ulyſſem vocor.
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obſeſſa videor cladibus. domini pudet,
Non ſervitutis. Hectoris ſpolium ferat,
Qui tulit Achillis? ſterilis, & ſævis fretis
Incluſa tellus, num capit tumulos meos?
Duc, duc, Ulyſſe. nil moror; dominum ſequor:
[Me mea ſequantur fata. non pelago quies
Tranquilla veniat, ſæviat ventis mare,
Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala.
Dúmque iſta venient, interim hæc pœna in loco eſt:
Sortem occupavi, præmium eripuit mihi.]
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultúque torvo. Pyrrhe, quid ceſſas? age
Reclude

Reclude ferro pectus, & Achillis tui
Conjunge ſoceros. perge mactator ſenum;
Et hic decet te ſanguis: abreptam trahe.
Maculate ſuperos cæde funeſtâ deos.
Maculate manes. quid precer vobis? precor
His digna ſacris æquora, hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cùm vehar, quidquid rati.

CHORUS.

DULCE mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis reſonare gentes.
Leniùs luctus lacrymæque mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentat.
Semper, ah, ſemper dolor ipſe magnus
Gaudet in multos ſua fata mitti,
Séque non ſolum patuiſſe pœnæ.
" Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
" Nemo recuſat.
" Nemo ſe credit miſerum, licèt ſit.
Tolle felices, removeto multo
Divites auro, removeto, centum
Rura qui ſcindunt opulenta bubus;
Pauperi ſurgent animi jacentes.
" Eſt miſer nemo niſi comparatus.
Dulce in immenſis poſito ruinis
Neminem lætos habuiſſe vultus.
Ille deplorat, queritúrque fatum,
Qui ſecans fluctum rate ſingulari
Nudus in portus cecidit petitos.
Æquior caſum tulit & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulâque litus
Naufragâ ſpargi, mare cùm coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Quetlus eſt Hellen cecidiſſe Phryxus,
Cùm gregis ductor radiante villo
Aureo fratrem ſimul & ſororem
Sullulit tergo, medióque jactum
Fecit in ponto. tenuit querelas
Et vir, & Pyrrhe, mare cùm viderent,
Et nihil præter mare cùm viderent,
Unici terris homines relicti:
Solvet hunc cœtum, lacrymáſque noſtras
Sparget huc illuc agitata claſſis,
Et tubâ juſſi dare vela nautæ,
Cùm ſemel ventis properante remo
Prenderint altum, fugiétque litus.
Quis ſtatus mentis miſeris, ubi omnis
Terra decreſcet, pelagúſque creſcet?
Celſa cùm longè latitabit Ide;
Tum puer matri, genitríxque gnato,
Troja quâ jaceat regione monſtrans
Dicet, & longè digito notabit:
Ilium eſt illic, ubi fumus altè
Serpit in cœlum, nebulæque turpes.
Troes hôc ſigno patriam videbunt.

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS, ANDROMACHA, HECUBA.

NUNCIUS.

O Dira fata, ſæva, miſeranda, horrida,
Quod tam ferum, tam triſte bis quinis ſcelus
Mars vidit annis, quod prius referens gemam?
Tuóſne potiùs; an tuos luctus, anus?
HE. Quoſcunque luctus fleveris, flebis meos.
Sua quemque tantùm, me omnium clades premit.
Mihi cuncta percunt. quiſquis eſt, Hecubæ eſt, miſer.
NU. Mactata virgo eſt. miſſus è muris puer.
Sed uterque letum mente generoſâ tulit.
AN. Expone ſeriem cædis, & duplex nefas
Proſequere. gaudet animus ærumnas meus
Tractare totas; ede, & enarra omnia.
NU. Eſt una magna turris è Trojâ ſupèr,
Aſſueta Priamo; cujus è faſtigio
Summiſque pinnis arbiter belli ſedens
Regebat acies: turre in hâc blando ſinu
Fovens nepotem, cùm metu verſos gravi
Danaos fugaret Hector & ferro & face,
Paterna puero bella monſtrabat ſenex.
Hæc nota quondam turris, & muri decus,
Nunc ſæva cautes, undique affusâ ducum
Plebíſque turbâ cingitur. totum coit
Ratibus relictis vulgus. his collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cujus è cacumine
Erecta ſummos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo ſylva ſuſpenſo tremit.
Extrema montis ille prærupti petit,
Semiuſta at ille tecta, vel ſaxum imminens
Muri cadentis preſſit atque aliquis (nefas!)
Tumulo ferus ſpectator Hectoreo ſedet.
Per ſpatia latè plena ſublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextrâ trahens
Priami nepotem: nec gradu ſegni puer
Ad alta pergit mœnia. ut ſummâ ſteterit
Pro turre, vultus huc & huc acres tulit,
Intrepidus animo, qualis ingentis feræ
Parvus tenérque fœtus, & nondum potens
Sævire dente, jam tamen tollit minas,
Morſúſque inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextrâ prenſus hoſtili puer
Ferox, ſupernè moverat vulgum ac duces,
Ipſúmque Ulyſſem: non flet è turbâ omnium,
Qui fletur: ac dum verba fatidici & preces
Concipit Ulyſſes vatis, & ſævos ciet
Ad ſacra ſuperos, ſponte defiluit ſuâ
In media Priami regna.
AN. Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha
Commiſit? aut quæ Caſpium tangens mare
Gens juris expers auſa? non Buſiridis
Puerilis aras ſanguis aſperſit feri.
Nec parva gregibus membra Diomedes ſuis
Epulanda poſuit. quis tuos artus teget,
Tumulóque tradet? *NU.* quos enim præceps locus
Reliquit artus? oſſa disjecta & gravi
Eliſa caſu, ſigna clari corporis,
Et ora, & illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix; ſilicis impulſu caput
Ruptum, cerebro penitus expreſſo; jacet
Deforme corpus. *AN.* hìc quoque eſt ſimilis patri.
NU. Præceps ut altis cecidit è muris puer,
Flevíſque Achivûm turba, quod fecit, nefas;
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumultúmque Achillis. hujus extremum latus
Rhœtea leni verberant fluctu vada;
Adverſa cingit campus, & clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Creſcit theatri more. concurſus frequens
Implevit omne litus: hi claſſis moras
Hâc morte ſolvi rentur; hi ſtirpem hoſtium
Gaudent recidi: magna pars vulgi levis
Odit ſcelus, ſpectátque. nec Troës minùs
Suum frequentant funus, & pavidi metu
Partem ruentis ultimam Trojæ vident.
Cùm ſubitò thalami more præcedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris mœſtum caput
Demiſſa: tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur: ſic viro turpis ſuo
Reddatur Helene. terror attonitos movet
Utroſque populos. ipſa dejectos gerit
Vultus pudore; ſed tamen fulgent genæ,
Magíſque ſolito ſplendet extremus decor.
Ut eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet
Jam jam cadentis, aſtra cùm repetunt vices,
Premitúrque dubius nocte vicinâ dies.
Stupet omne vulgus; & ferè cuncti magis
Peritura laudant. hos movet formæ decus,
Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices.
Movet animus omnes fortis, & leto obvius.
Pyrrhum antecedit. omnium mentes tremunt;
Miſerentur, ac mirantur. ut primùm ardui
Sublime montis tetigit, atque altè edito
Juvenis paterni vertice in buſtî ſtetit,
Audax virago non tulit retro gradum;
Converſa ad ictum ſtat truci vultu feror.
Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Novúmque monſtrum eſt, Pyrrhus ad cædem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,
Subitus receptâ morte prorupit cruor
Per vulnus ingens. nec tamen moriens adhuc

Deponit

Deponit animos. cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram prona, & irato impetu.
Uterque flevit cœtus. at timidum Phryges
Misere gemitum. clariùs victor gemit.
Hic ordo sacri. non stetit fusus cruor,
Humóve summâ fluxit. obduxit statim,
Sævúsque totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. Ite, ite Danai; petite jam tuti domos,
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis. concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est. quò meas lacrymas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Gnatam, an nepotem; conjugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? "sola mors votum meum.
Infantibus violenta, virginibus venis,
Ubicunque properas, sæva: me solam times,
Vitásque gladios inter ac tela & faces.
Quæsita totâ nocte cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus: quàm propè à Priamo steti?
NUN. Repetite celeri maria, captivæ, gradu,
Jam vela puppis laxat, & classis movet.

AGAMEMNON.

PERSONÆ.

THYESTES.
CLYTÆMNESTRA.
NUTRIX.
ÆGISTHUS.
CHORUS Argivarum *sive* Mycenæarum.
ORESTES muta pers.
EURYBATES.
CASSANDRA.
AGAMEMNON.
ELECTRA.
STROPHIUS.
CHORUS Iliadum.
PYLADES muta pers.

ACTUS PRIMUS.

THYESTES.

O Paca linquens Ditis inferni loca,
Adsum profundo Tartari emissus specu.
Incertus utras oderim sedes magis.
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
En horret animus, & pavor membra excutit:
Video paternos, imò fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiæ limen domûs.
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis. hòc sedent alti toro,
Quibus superbâ sceptra gestantur manu.
Locus hic habendæ cutiæ: hic epulis locus.
Libet reverti, nónne vel tristes lacus
Incolere satius? nónne custodem Stygis
Tergemina nigris colla jactantem jubis?
Ubi ille celeri corpus evinctus rotæ
In se refertur; ubi per adversum irritus
Redeunte toties ludítur saxo labor;
Ubi tondet alès avida fecundum jecur;
Et inter undas fervidâ exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus cœlitum dapibus graves.
Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus
Quæsitor urnâ Crotius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.
A fratre vincar. liberis plenus tribus
In me sepultis, viscera exedi mea.
Nec hactenus fortuna macclavit patrem;
Sed majus aliud ausa commisso scelus;
Natæ nefandos petere concubitus jubet.
Non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
Ergo ut per omnes liberos iterum parens,
Coacta fatis nata fert uterum gravem,
Me patre dignum. versa naturâ est retro.
Avo parentem, (prò nefas!) patri virum,
Natis nepotes misceri, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
Post fata demum fortis incestæ fides.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cujus secutæ mille vexillum rates
Iliaca velis maria texerunt suis;
Post dena Phœbi lustra devicto Ilio
Adest, daturus conjugi jugulum suæ.
Jam jam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, divisum gravi
Ictu bipennis regium video caput.
Jam scelera propè sunt; jam dolus, cædes, cruor.
Parantur epulæ. causa natalis tui,
Ægisthe, venit. quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? respice ad matrem; decet.
Sed cur repentè noctis æstivæ vices
Hyberna longâ spatia producunt mora?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phœbum moramur. redde jam mundo diem.

CHORUS ARGIVARUM.

" O Regnorum magnis fallax
" Fortuna bonis, in præcipiti
" Dubióque nimis excelsa locas.
" Nunquam placidam sceptra quietem,
" Certúmve sui tenuere diem.
Alia ex aliâ cura fatigat,
Vexátque animos nova tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis unda, nivali
Vicina polo;
Ubi cæruleis immunis aquis
Lucida versat plaustra Bootes:
Ut præcipites regum casus
Fortuna rotat.
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma recessus
Præbet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora solvit.
Quas non arces scelus alterum
Dedit in præceps? impia quas non

Arma

Arma fatigant? " jura, pudórque
" Et conjugii ſacrata fides,
" Fugiunt aulas: ſequitur triſtis
Sanguinolentâ Bellona manu,
Quæque ſuperbos urit Erinnys,
Tumidas ſemper comitata domos;
Quas in planum quælibet hora
Tulit ex alto. licèt arma vacent,
Ceſſéntque doli;
" Sidunt ipſo pondere magna,
" Cedítque oneri Fortuna ſuo.
Vela ſecundis inflata notis,
Ventos nimiùm timuere ſuos.
Nubibus ipſis inferta caput
Turris pluvio vapulat Auſtro:
Denſáſque nemus ſpargens umbras
Annoſa videt robora frangi.
" Feriunt celſos fulmina colles.
" Corpora morbis majora patent:
Et cùm in pălus armenta vagos
Vilia currunt, placet in vulnus
" Maxima cervix. quidquid in altum
" Fortuna tulit, ruitura levat.
" Modicis rebus longius ævum eſt.
" Felix mediæ quiſquis turbæ
" Sorte quietus,
" Aurâ ſtringit littora tutâ;
" Timidúſque mari credere cymbam,
" Remo terras propiore legit.

ACTUS SECUNDUS.

CLYTÆMNESTRA, NÚTRIX.

CLYTÆMNESTRA.

QUID ſegnis anime, tuta conſilia expetis?
Quid fluctuaris? cluſa jam melior via eſt.
Licuit pudicos conjugis quondam toros,
Et ſceptra caſtâ vidua tutari fide.
Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et qui " redire, cùm perit, neſcit pudor.
Da frena, & omnem prona nequitiam incita.
" Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.
Tecum ipſa nunc evolve fœmineos dolos,
Quod ulla conjux perfida, atque impos ſui,
Amore cæco; quod novercales manus
Auſæ; quod ardens impiâ virgo face,
Phaliaca fugiens regna Theſſalicâ trabe;
Ferrum, venena. vel Mycenæâ domo,
Conjuncta ſocio, profuge furtivâ rate.
Quid timida loqueris furta, & exilium, & fugas?
Soror iſta fecit. te decet majus nefas.
NUT. Regina Danaûm, inclytum Ledæ genus,
Quid tacita verſas? quídve conſilii impotens
Tumido feroces impetus animo geris?
Licèt ipſa ſileas, totus in vultu eſt dolor.
" Proin quidquid eſt, da tempus ac ſpacium tibi.
" Quod ratio nequit, ſæpe ſanavit mora.
CL. Majora cruciant, quàm ut moras poſſim pati.
Flammæ medullas & cor exurunt meum.
Miſtus dolori ſubdidit ſtimulos timor.
Invidia pulſat pectus. hinc animum jugo
Premit Cupido turpis, & vinci vetat,
Et inter iſtas mentis obſeſſæ faces
Feſſus quidem, & dejectus, & peſſundatus
Pudor rebellat. fluctibus variis agor:
Ut cùm hinc profundum ventus, hinc æſtus rapit,
Incerta dubitat unda, cui cedat malo.
Proinde omiſi regimen è manibus meis.
Quócunque me ira, quò dolor, quò ſpes feret,
Huc ire pergam. fluctibus dedam ratem.
" Ubi animus errat; optimum eſt caſum ſequi.
NU. Cæca eſt temeritas, quæ petit caſum ducem.
CL. Cui ultima eſt fortuna, quid dubiam timet?
NU. Tuta eſt, latétque culpa, ſi pateris, tua.
CL. " Perlucet omne regiæ vitium domûs.
NU. Piget prioris, & novum crimen ſtruis?
CL. Res eſt profectò ſtulta, nequitiæ modus.
NU. " Quod metuit, auget, qui ſcelus ſcelere obruit.
CL. Et ferrum & ignis ſæpe medicinæ loco eſt.
NU. Extrema primo nemo tentavit loco.
CL. Capienda rebus in malis præceps via eſt.
NU. At te reflectat conjugii nomen ſacrum.
CL. Decem per annos vidua reſpiciam virum?
NU. Meminiſſe debes ſoboliſ ex illo tuæ.
CL. Equidem & jugales filiæ memini faces;
Et generum Achillem. præſtitit matri fidem.
NU. Redemit illa claſſis immotæ moras,
Et maria pigro fixa languore impulit.
CL. Pudet, pigétque! Tyndaris cœli genus
Luſtrale claſſi Doricæ peperit caput.
Revolvit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopiâ fecit domo,
Cùm flectit ad aras ore ſacrilego pater
Quaſi nuptiales. horruit Calchas ſuæ
Reſponſa vocis, & recedentes ſocos.
O ſcelera ſemper ſceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
NU. Sed vela pariter mille fecerunt rates.
CL. Non eſt ſoluta proſpero claſſis Deo:
Ejecit Aulis impias portu rates.
Sic auſpicatus bella, non melius gerit.
Amore captæ captus; immotus prece,
Sminthea tenuit ſpolia Phœbei ducis,
Ardore ſacræ virginis jam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille ſolus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non populus æger, & relucentes rogi.
Inter ruentis Græciæ ſtragem ultimam
Sinè hoſte victus marcet, ac Veneri vacat;
Reparátque amores: néve deſertus foret
A pellice unquam barbarâ cœlebs torus,
Ablatam Achilli diligit Briſeida:
Nec rapere puduit è ſinu avulſam viri.
En Paridis hoſtem! nunc novum vulnus gerens,
Amore Phrygiæ vatis incenſus furit:
Et poſt trophæa Troica, ac verſum Ilium,
Captæ maritus remeat, & Priami gener.
Accingere, anime; bella non levia apparas:
Scelus occupandum eſt. pigra, quem exſpectas diem?
Pelopia Phrygiæ ſceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduæ domi;
Patríque Oreſtes ſimilis? horum te mala
Ventura moveant, turbo queis rerum imminet.
Quid miſera ceſſas? en adeſt natis tuis
Furens noverca. per tuum, ſi aliud nequit,
Latus exigatur enſis, & perimat duos.
Miſce cruorem. perde pereundo virum.
Mors miſera non eſt, commori cum quo velis.
NU. Regina, frena temet & ſiſte impetum;
Et quanta tentes, cogita. victor venit
Aſiæ ferocis, ultor Europæ, trahens
Captiva Pergama, & diu victos Phrygas.
Hunc fraude nunc conaris & furto aggredi?
Quem non Achilles enſe violavit fero,
Quamvis procacem torvus armâſſet manum;
Non melior Ajax, morte decretâ furens?
Non ſola Danais Hector & bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immiſtis gerens;
Fluctúſque Simois cæde purpureos agens,
Non nivea proles Cycnus æquorei Dei;
Non bellicoſo Threſſa cum Rheſo phalanx;
Non picta pharetras, & ſecurigerâ manu
Peltata Amazon; hunc domi reducem paras
Mactare, & aras cæde maculare impiâ?
Ultrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos & arma, claſſiouſque horrens fretum
Propone, & alto ſanguine exundans ſolum,
Et tota captæ fata Dardaniæ domûs
Regeſta Danais. comprime affectus truces,
Mentémque tibimet ipſa pacifica tuam.

ÆGISTHUS, CLYTÆMNESTRA.

ÆGISTHUS.

QUOD tempus animo ſemper ac mente horrui,
Adeſt profectò rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira ſævos fata moliri deos.
Oppone cunctis vile ſupplicis caput,
Ferrúmque & ignes pectore adverſo excipe.
CL. Ægiſthe, non eſt pœna tic nato mori.

Æ G. Tu nos pericli ſocia, tu Ledâ ſata
Comitare tantùm: ſanguinem reddet tibi
Ignavus iſte ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Jacéntſque vultus languido obtutu ſtupet?
C L. Amor jugalis vincit, ac flectit retro.
Remeemus illuc unde non decuit prius
Abire: ſic nunc caſta repetatur fides.
Nam " ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
" Quem pœnitet peccâſſe, penè eſt innocens.
Æ G. Quò raperis amens? credis aut ſperas tibi
Agamemnonis fidele conjugium? ut nihil
Subeſſet animo, quod graves faceret metus;
Tamen ſuperba & impotens flatu nimis
Fortuna magno ſpiritus tumidos daret.
Gravis ille ſociis ſtante adhuc Trojâ fuit:
Quid rere ad animum ſulpte naturâ trucem,
Trojam addidiſſe? rex Mycenarum fuit.
Veniet tyrannus. " proſpera animos efferunt.
Effuſa circà pellicum quanto venit
Turba apparatu! ſola ſed longè eminet,
Tenétque regnum famula veridici Dei.
Ferésne thalami victa conſortem tui?
At illa nolet, ultimum eſt nuptæ malum,
Palàm mariti poſſideus pellex domum.
" Nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt.
C L. Ægiſthe, quid me rurſus in præceps rapis,
Irámque flammis jam reſidentem excitas?
Permiſit aliquid victor in captas ſibi:
Non conjugem hoc reſpicere, non dominam decet.
Lex alia ſolio eſt, alia privato toro.
Quid quòd ſeveras ferre me leges viro
Non patitur animus, turpis admiſſi memor?
" Det ille veniam facilè, cui venià eſt opus.
Æ G. Ita eſt. paciſci mutuam veniam licet.
Ignota tibi ſunt jura regnorum haud nova.
" Nobis maligni judices, æqui ſibi,
" Id eſſe regni maximum pignus putant,
" Si quidquid aliis non licet, ſolis licet.
C L. Ignovit Helenæ: juncta Menelao redit,
Quæ Europam & Aſiam paribus afflixit malis.
Æ G. Sed nulla Atriden Venere furtivâ abſtulit,
Nec cepit animum conjugi obſtrictum ſuæ.
Jam crimen ille quærit, & cauſas parat.
Nil eſſe crede turpe commiſſum tibi:
Quid honeſta prodeſt vita flagitio carens,
Ubi dominus odit? fit nocens, non quæritur.
Spartámne repetes ſpreta, & à tanto viro,
Patriáſque ſedes profuga? non dant exitum
Repudia regum. ſpe metum falsâ levas.
C L. Delicta novit nemo, nili fidus, mea.
Æ G. " Non intrat unquam regium limen fides.
C L. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.
Æ G. " Pretio parata, vincitur pretio fides.
C L. Surgit reſiduus priſtinæ mentis pudor.
Quid obſtrepis? quid voce blandiloquâ mala
Conſilia dictas? ſcilicet nubet tibi
Regum relicto rege, generoſa exuli?
Æ G. Et cur Atridâ videor inferior tibi?
Natus Thyeſte? *C L.* ſi parum eſt, adde & nepos.
Æ G. Auctore Phœbo gignor, haud generis pudet.
C L. Phœbum nefandæ ſtirpis auctorem vocas?
Quem nocte ſubitâ frena revocantem ſua
Cœlo expuliſtis? quid deos probro advocas,
Surripere doctus fraude geniales toros,
Quem Venere tantum ſcimus illicitâ virum?
Secede propere: dedecus claræ domûs
Aſporta ab oculis. hæc vacat regi ac viro.
Æ G. Exilia mihi ſunt haud nova. aſſuevi malis.
Si tu imperas regina, non tantùm domo
Argíſve cedo: nil moror juſſu tuo
Aperire ferro pectus æruinnis grave.
C L. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri ſinam?
Quæ invita peccat, debet & culpæ fidem.
Secede mecum potiùs, ut rerum ſtatum
Dubium ac minacem juncta conſilia explicent.

CHORUS, ARGIVARUM.

CANITE ô pubes inclyta Phœbum.
Tibi feſta caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia. tu quoque noſtros
Thebana manus comitare choros,
Quæque Eraſini gelidos fontes,
Quæque Eurotam, quæque virenti
Tacitum ripâ bibis Iſmenon,
Quam fatorum præſcia Manto
Sata Tireſiâ Latonigenas
Monuit ſacris celebrare deos,
Arcus victor pace relatâ
Phœbe relaxa;
Humeróque graves levibus telis
Pone pharetras; reſonétque manu
Pulſa citatâ vocale chelys.
Nil acre velim,
Magnúmque modis intonet altis:
Sed quale ſoles leviore lyrâ
Flectere carmen ſimplex, luſus
Cùm docta tuos Muſa recenſet.
Licet & chordâ graviore ſones,
Quale canebas, cùm Titanas
Fulmine miſſo fregere dei.
Vel cùm montes montibus altis
Superimpoſiti ſtruxere gradus
Trucibus monſtris. ſtetit impoſitâ
Pelion Oſſâ. piuifer ambos
Preſſit Olympus.
Ades, ô magni Soror & conjux
Conſors ſceptri, Regia Juno:
Tua te colimus turba Mycenæ.
Tu ſollicitum ſuppléxque tui
Numinis Argos ſola tueris;
Tu bella manu pacémque regis;
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix.
Tibi multifora tibia buxo
Solenne canit. tibi fila movent
Docta puellæ carmine molli.
Tibi votivam matres Graiæ
Lampada jactant. ad tua conjux
Candida tauri delubra cadit,
Neſcia aratri, nullo collum
Signata jugo.
Túque ô magni nata Tonantis
Inclyta Pallas, quæ Dardanias
Sæpe petiſti cuſpide turres:
Te permiſto Matrona minor
Majórque choro colit, & referat
Veniente decà Templa ſacerdos:
Tibi nexilibus turba coronis
Redimita venit.
Tibi grandævi laſsſque ſenes,
Compote voto reddunt grates,
Libántque manu vina trementi.
Et te, Trivia, gratâ memores
Voce precamur: tu maternam
Siſtere Delon, Lucina, jubes,
Huc atque illuc priùs errantem
Cyclada ventis. nunc jam ſtabilis
Fixâ terras radice tenet;
Reſpuit auras, religátque rates
Aſſueta ſequi. tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.
Stat nunc Sipyli vertice ſummo
Flebile ſaxum;
Et adhuc lacrymas marmora fundunt
Antiqua novas.
Colit impensè fœmina vírque
Numen geminum. Túque ante omnes
Pater ac rector, fulmine pollens,
Cujus nutu ſimul extremi
Tremuere poli, generis noſtri
Jupiter auctor, cape dona libens;
Abavúſque tuam non degenerem
Reſpice prolem.
Sed, ecce, vaſto concitus miles gradu
Manifeſta properat ſigna lætitiæ gerens.
Namque haſta ſummo lauream ferro gerit:
Fidúſque regi ſemper Eurybates adeſt.

ACTUS TERTIUS.

EURYBATES, CLYTÆMNESTRA.

EURYBATES.

DELUBRA & aras cœlitum, & patrios Lares
Post longa fessus spacia, vix credens mihi,
Supplex adoro. vota superis solvite:
Telluris altum remeat Argolicæ decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
CLY. Felix ad aures nuncius venit meas.
Ubinam petitus per decem conjux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EU. Incolumis, auctus gloriâ, laude inclytus,
Reducem expetito litori impressit pedem.
CLY. Sacris colamus prósperum tandem diem.
Et si propitios, attamen lentos, deos.
Tu pande, vivat conjugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EU. Meliora votis posco, & obtestor deos.
Nam certa fari fors maris dubii vetat.
Ut sparsa tumidum classis excepit mare,
Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides æquore immenso vagus
Graviora pelago damna, quàm bello tulit;
Remeátque victo similis; exiguas trahens
Laceráque victor classe de tantâ rates.
CLY. Quis, fare, nostras hauserit casus rates.
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces.
EU. Acerba fatu poscis: infaustum jubes
Miscere lætо nuncium. refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorrescit malis.
CLY. Exprome: "clades scire qui refugit suas,
"Gravat timorem. dubia plùs torquent mala.
EU. Ut Pergamum omne Doricâ cecidit face,
Divisa præda est. maria properantes petunt.
Jámque ense fessum miles exonerat latus;
Neglecta summas scuta per puppes jacent;
Ad militares remus aptatur manus;
"Omnísque nimiùm longa properanti mora est.
Signum recursûs regiâ ut sustlit rate,
Et clara lentum remigem emovit tuba,
Aurata primas prora lignavit vias,
Apertsque cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapsa velis. unda vix tactu levis
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit;
Splendétque classe pelagus, & pariter latet.
Juvat videre nuda Trojæ litora,
Juvat relicti sola Sigei loca.
Properat juventus omnis adductos simul
Lentare ramos. adjuvat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant æquora, & latera increpant;
Dirimúntque canæ cærulum spumæ mare.
Ut aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas. credita est vento ratis:
Fusúsque transtris miles; aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat: Hectoris fortis minas,
Currúsque, & empto redditum corpus rogo:
Sparsum cruore regis Herceum Jovem.
Tum qui jacente reciprocus ludit salo,
Tumidúmque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
Agítque gyros, & comes lateri adnatat,
Anteire naves lætus, & rursus sequi.
Nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
Millesimam nunc ambit & lustrat ratem.
Jam litus omne tegitur, & campi latent,
Et dubia parent montis Idæi jugo.
Et jam, quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atrâ fumus apparet notâ.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo;
In astra jam lux prona, jam præceps dies.
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima cœlum sparserat stellis. jacent
Deserta vento vela. tum murmur grave
Majora minitans collibus summis cadit,
Tractúque longo litus ac petræ gemunt.
Agitata ventis unda venturis tumet:
Cùm luna subitò conditur, stellæ cadunt;
In astra pontus tollitur. cœlum perit.
Nec una nox est. densa tenebras obruit
Caligo, & omni luce subductâ fretum
Cœlúmque miscet. undique incumbunt simul,
Rapiúntque pelagus infimo eversum solo
Adversus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus.
Sua quisque mittunt tela, & infesti fretum
Emoliuntur. turbo convolvit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet nives;
Libycúsque arenas Auster ac Syrtes agit,
Nec manet in Austro; fit gravis nimbis Notus,
Imbre auget undas; Eurus Orientem movet,
Nabathæa quatiens regna, & Eoos sinus.
Quid rapidus ora Corus Oceano exerens?
Mundum revelli sedibus totum suis,
Ipsósque rupto crederes cœlo deos
Decidere, & atrum rebus induci Chaos.
Vento resistit æstus, & ventus retro
Æstum revolvit. non capit sese mare:
Undásque miscent imber & fluctus suas.
Nec hoc levamen denique ærumnis datum est,
Videre saltem, & nôsse, quo pereant malo.
Premunt tenebræ lumina. & diræ Stygis
Inferna nox est. excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisâ micat:
Miserísque lucis tanta dulcedo est malæ;
Hoc lumen optant. ipsa se classis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiscens pontus in præceps rapit,
Hauritque, & alto redditam revomit mare,
Hæc onere sidit. illa convulsum latus
Summittit undis. fluctus hanc decimus tegit,
Hæc lacera, & omni decore populato levis
Fluitat; nec illi vela, nec tonsæ manent;
Nec rectus altas malus antennas ferens;
Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio & usus audet: ars cessit malis.
Tenet horror artus, omnis officio stupet
Navita relicto. remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor,
Eadémque superos Troes & Danai rogant.
Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Ajaci Ulysses, Hectori Atrides minor.
Priamo Agamemnon. quisquis ad Trojam jacet,
Felix vocatur, cadere qui meruit manu,
Quem fama servat, victa quem tellus premit.
Nil nobile ausos pontus atque undæ ferent?
Ignava fortes fata consument viros?
Perdenda mors est, quisquis es nondum malis
Satiate tantis cælitum, tandem tuum
Numen serena. cladibus nostris daret
Vel Troja lacrymis. odia si durant tua,
Placétque mitti Doricum exitio genus;
Quid hos simul perire nobiscum juvat,
Quibus perimus? sistite infestum mare:
Vehit ista Danaos classis, & Troas vehit.
Nec plura possunt; occupat vocem mare.
Ecce alia clades. fulmine irati Jovis
Armata Pallas, quidquid aut hastâ minax,
Aut ægide, aut furore Gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat; & cælo novæ
Spirant procellæ. solus invictus malis
Luctatur Ajax. vela cogentem hunc sua
Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Vibratur aliud fulmen. hoc toto impetu
Tortum reductâ Pallas excussit manu,
Imitata patrem. transit Ajacem, & ratem,
Ratísque partem secum & Ajacem tulit.
Nil ille motus, ardua ut cautes salo
Ambustus exstat, dirimit insanum mare;
Fluctúsque rumpit pectore, & navem manu
Complexus in se traxit, & cæco mari
Collucet Ajax. omne resplendet fretum.
Tandem occupatâ rupe, furibundùm intonat,
Superâsse nunc se pelagus, atque ignes: juvat
Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare.
Non me fugavit bellici terror Dei.
Et Hectorem unà solus & Martem tuli.
Phœbea nec me tela pepulerunt gradu.
Cum Phrygibus istos vicimus. tandem horream,
Aliena inerti tela mitti dexterâ?
Quid si ipse mittat? plura cùm auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus,

Digitized by Google

Neptunus, imis exerens undis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit:
Terraque & igne victus & pelago jacet.
Nos alia major naufragos pestis vocat.
Fit humilis unda, scrupeis mendax vadis,
Ubi saxa rapidis clusa vorticibus tegit,
Hallax Caphareus. æstuat scopulis fretum,
Fervétque semper fluctus alternâ vice.
Arx imminet prærupta, quæ spectat mare
Utrinque geminum: Pelopis hinc oras tui,
Et Ithmon, arcto qui recurvatus solo
Ionia jungi maria Phrixeis vetat;
Hinc scelere Lemnon nobilem; hinc & Chalcida,
Tardámque ratibus Aulida. hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, & clarum manu
Lumen nefandâ vertice è summo efferens,
In saxa ducit perfidâ classem face.
Hærent acutis rupibus fixæ rates.
Has inopis undæ brevia comminuunt vada.
Pars venitur hujus prima, pars scopulo sedet.
Hanc alia retro spacia relegentem ferit,
Et fracta frangit. jam timent terram rates,
Volúntque maria. cedit in luctum furor.
Postquam litatum est, Phœbus in lucem redit,
Et damna noctis tristis ostendit dies.
CLY. Utrúmne doleam, læter an reducem virum?
Remeâsse lætor. vulnus at regni grave
Lugere cogor. redde jam Graiis, patet,
Altisona quatiens regna, placatos deos.
Nunc omne lætâ fronde veletur caput.
Sacrifica dulces tibia effundat modos:
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomptæ comas
Iliades adsunt: quas super celso gradu
Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

CHORUS TROADUM, CASSANDRA.

CHORUS.

HEU quàm dulce malum mortalibus additum,
Vitæ dirus amor: cùm pateat malis
Effugium, & miseros libera mors vocet,
Portus æternâ placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta. nullos civium cœtus
Timet, aut minaces victoris iras;
Non maria asperis insana Coris;
Non acies feras,
Pulvereámque nubem
Motam Barbaricis equitum catervis;
Non urbe cum totâ populos cadentes,
Hosticâ muros populante flammâ:
Indomitúmve bellum. pergumpet omne
Solus contemptor levium deorum.
Qui vultus Acherontis atri;
Qui Stygia tristem non tristis videt,
Audétque vitæ ponere finem,
Par ille regi, par superis erit.
" O quàm miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funestâ,
Cùm Dardana tecta Dorici raperetis ignes.
Non illa bello victa, nec armis,
Ut quondam Herculeâ cecidit pharetrâ:
Quam non Pelei Thetidísque natus,
Charúsque Pelidæ nimiùm feroci
Vicit, acceptis cùm fulsit armis,
Fudítque Troas falsus Achilles:
Aut cùm ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celerémque saltu
Troades summis timuere muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter vinci. restitit annis
Troja bis quinis,
Unius noctis peritura fato.
Vidimus simulata dona molis immensæ;
Danaûmque fatale munus duximus nostrâ
Creduli dextrâ: tremuítque sæpe
Limine in primo sonipes, cavernis
Conditos reges bellúmque gestans:
Et licuit versare dolos, ut ipsi
Fraude suâ capti caderent Pelasgi.
Sæpe commotæ sonuere parmæ,
Tacitúmque murmur percussit aures;
Et fremuit malè subdolo
Parens Pyrrhus Ulysse.
Secura metûs Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc æquævi gregis Astyanax;
Hinc Æmonio desponsa rogo,
Ducunt turmas: hæc fœmineas,
Ille viriles.
Festæ matres votiva ferunt
Munera divis. festi patres
Adeunt aras. unus totâ est
Vultus in urbe.
Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes, læta est Hecube.
Quid nunc primum, dolor infelix,
Quídve extremum deflere paras?
Mœnia divûm fabricata manû,
Diruta nostrâ?
An templa deos super usta suos?
Non vacat istis lacrymare malis.
Te, magne parens, flent Iliades.
Vidi, vidi, senis in jugulo,
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingui.
CA. Cohibete lacrymas, omne quas tempus petit,
Troades, & ipsæ vestra lamentabili
Lugete gemitu funera. ærumnæ meæ
Socium recusant. cladibus quæstus meis
Removete, nostris ipsa sufficiam malis.
CHO. " Lacrymas lacrymis miscere juvat.
Magìs exurunt, quos secretæ
Lacerant curæ. juvat in medium
Deflere suos. nec enim, quamvìs
Dura virago patiénsque mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non quæ verno nobile carmen
Ramo cantat tristis Aëdon,
Ityn in varios modulata sonos;
Non quæ tectis Bistonis ales
Residens summis impia diri
Furta mariti garrula deflet;
Lugere tuam poterit dignè
Conquesta domum: licèt ipse velit
Clarus niveos inter olores
Istrum cygnus Tanaímque colens
Extrema loqui: licèt Halcyones
Ceyca suum fluxu leviter
Plangente sonent, cùm tranquillo
Malè confisæ credunt iterum
Pelago audaces, fœtúsque suos
Nido pavidæ titubante fovent:
Non si molles imitata viros
Tristis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti
Pectora rauco concita buxo
Ferit, ut Phrygium lugeat Attyn:
Non est lacrymis, Cassandra, modus,
Quia quæ patimur vicere modum.
Sed cur sacratas diripis capiti infulas?
Miseris colendos maximè superos reor.
CAS. Vicere nostra jam metus omnes mala.
Equidem nec ullâ cœlites placo prece:
Nec, si velint sævire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumpsit suas.
Quæ patria restat? quis pater? quæ jam soror?
Bibere tumuli sanguinem atque aræ meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe: regiam miseri tenis
Vacuam relinqui, tótque per thalamos vident,
Præter Lacænam, cæteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, & regimen Phrygum
Fœcunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros.
Circa ruinas rabida latravit suas,
Trojæ superstes, Hectori, Priamo, sibi.
CHOR. Silet repentè Phœbas, & pallor genas
Crebérque totum possidet corpus tremor.
Stetere vittæ. mollis horrescit coma.
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina; & verti retro
Torquentur oculi. rursus immites rigent.
Nunc levat in auras altior solito caput,
Graditúrque celsa. nunc reluctantes parat

Referare

Reſerare fauces; verba nunc clauſo malè
Cuſtodit ore Mænas impatiens dei.
CAS. Quid me furoris incitam ſtimulis novi,
Quid metûs inopem ſacra Parnaſſi juga
Rapitis? recede, Phœbe: jam non ſum tua.
Extingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor veſana? cui bacchor furens?
Jam Troja cecidit. falſa quid vates ago?
Ubi ſum? fugit lux alma, & obſcurat genas
Nox alta, & æther abditus tenebris latet.
Sed ecce gemino ſole præfulget dies;
Geminúmque duplices Argos attollit domos.
Idæa cerno nemora. fatalis ſedet
Inter potentes arbiter paſtor deas.
Timete reges, moneo, furtivum genus.
Agreſtis ille alumnus evertet domum.
Quid ilta vecors tela fœmineâ manu
Diſtricta præfert? quem petit dextrâ virum
Lacæna cultu ferrum Amazonio gerens?
Quæ verſat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum colla vexatus jacet
Ignobili ſub dente Marmaricus leo,
Morſus cruentos paſſus audacis leæ.
Quid me vocatis ſoſpitem ſolam è meis,
Umbræ meorum? te ſequor, totâ pater
Trojâ ſepulte. frater, auxilium Phrygum,
Terrórque Danaûm, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exuſtis manus:
Sed lucera membra, & ſaucios vinclo gravi
Fortes lacertos. te ſequor nimiùm citò
Congreſſe Achilli Troile. incertos geris
Deiphobe vultus, conjugis munus novæ.
Juvat per ipſos ingredi Stygios lacus;
Juvat videre Tartari ſævum canem,
Avidſque regna Ditis. hæc hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victámque, victricémque. vos, umbræ, precor;
Jurata ſuperis unda, te pariter precor,
Reſerate paulùm terga nigrantis poli,
Lævis ut Mycenas turba proſpiciat Phrygum.
Spectate miſeri. fata ſe vertunt retro.
Inſtant ſorores ſquallidæ;
Sanguinea jactant verbera.
Fert læva ſemuſtas faces;
Ardéntque pallentes genæ,
Et veſtis atri funeris
Exeſa cingit ilia;
Strepúntque nocturni metus,
Et oſſa vaſti corporis
Corrupta longinquo ſitu
Palude limoſâ jacent.
Et ecce defeſſus ſenex
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus ſitis,
Mœſtus futuro funere.
Exultat, & ponit gradus
Pater decoros Dardanus.
CH. Jam pervagatus ipſe ſe fregit furor,
Cadítque; flexo qualis ante aras gradu
Cervice taurus vulnus inciſâ gerens.
Relevemus artus entheos. tandem ſuos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit;
Con úxque pariter obvios illi tulit
Greſſus: rediſque junctа concordi gradu.

AG. Credis videre te Ilium? *CA.* & Priamum ſimul.
AG. Hic Troja non eſt. *CA.* Ubi Helena eſt, Trojam puto.
AG. Ne metue dominam ſamula. *CA.* libertas adeſt.
AG. Secura vive. *CA.* mors mihi eſt ſecuritas.
AG. Nullum eſt periculum tibimet. *CA.* at magnum tibi
AG. Victor timere quid poteſt? *CA.* quod non timet.
AG. Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat Deum,
Retinete, nequid impotens peccet furor.
At te pater, qui ſæva torques fulmina
Pelliſque nubes, ſidera & terras regis,
Ad quem triumphi ſpolia victores ferunt;
Et te ſororem cuncta pollentis viri,
Argolica Juno, pecore votivo libens
Arabúmque donis, ſupplice & fibrâ colam.

CHORUS ARGIVARUM.

ARgos nobilibus nobile civibus,
Argos iratæ carum novercæ,
Semper ingentes educas alumnos;
Imparem æquâſti numerum deorum:
Tuus ille biſſeno meruit labore
Allegi cœlo magnus Alcides;
Cui lege mundi Jupiter ruptâ
Roſcidæ noctis geminavit horas,
Juſſítque Phœbum tardiùs celeres
Agitare currus, & tuas lentè
Remeare bigas candida Phœbe;
Retulítque pedem, alternis nomen
Stella quæ mutat, ſéque mirata eſt
Heſperum dici; Aurora movit
Ad ſolitas vices caput, & relabens
Impoſuit ſenis humero mariti.
Senſit Ortus, ſenſit Occaſus,
Herculem naſci. violentus ille
Nocte non unâ poterat creari,
Tibi concitatus ſubſilitit mundus,
O puer magnum ſubiture cœlum!
Te ſenſit Nemeæus arcto
Preſſus lacerto fulmineus leo.
Cerváque Parrhaſis.
Senſit Arcadii populator agri.
Gemuítque taurus, Dictæa linquens
Horridus arva.
Morte fœcundum domuit draconem,
Vetuítque collo pereunte naſci.
Geminóſque fratres pectore ab uno
Tria monſtra natos; ſtipite inculſo
Fregit inſultans; duxítque ad ortus
Heſperium pecus,
Geryonis ſpolium triformis.
Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonii gramine fluminis,
Hebríve ripis pavit tyrannus;
Hoſpitum dirus ſtabulis cruorem
Præbuit ſævis; tinxítque crudos
Ultimus rictus ſanguis aurigæ.
Vidit Hippolyte ferox,
Pectore è medio rapi ſpolium & ſagittas.
Nube percuſſa Stymphalis alto
Decidit cœlo.
Arbórque pomis fertilis aureis
Extimuit manus inſueta carpi,
Fugítque in auras leviore ramo:
Audivit ſonitum crepitante lamnâ
Frigidus cuſtos neſcius ſomni,
Linqueret cùm jam nemus omne fulvo
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad cœlum canis inferorum
Triplici catenâ, tacuit, nec ullo
Latravit ore; lucis ignotæ
Metuens colorem. te duce ſuccidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et ſenſit arcus iterum timendos:
Te duce concidit totidem diebus
Troja, quot annis

ACTUS QUARTUS.

AGAMEMNON, CASSANDRA.

AGAMEMNON.

TAndem revertor ſoſpes ad patrios lares.
O cara ſalve terra. tibi tot barbaræ
Dedere gentes ſpolia. tibi felix diu
Potentis Aſiæ Troja ſubmiſit manus.
Cur iſta vates corpus effuſa, ac tremens
Dubiâ labat cervice? famuli, attollite;
Refovete gelido latice. jam recipit diem
Marcente viſu. ſuſcita ſenſus tuos.
Optatus ille portus ærumnis adeſt.
Feſtus dies eſt. *CAS.* feſtus & Trojæ fuit.
AG. Veneremur aras. *CA.* cecidit ante aras pater.
AG. Jovem precemur pariter. *CA.* Hereeum Jovem?

ACTUS

ACTUS QUINTUS.

CASSANDRA.

RES agitur intus magna, par annis decem.
Heu quid hoc est? anime, consurge, & cape
Precium furoris. vicimus victi Phryges.
Bene est! resurgis Troja. traxisti jacens
Patres Mycenas. tergo dat victor tuus.
Tam clara nunquam providæ mentis furor
Ostendit oculis. video, & interfuit, & fruor.
Imago visus dubia non fallit meos.
Spectamus. epulæ regiâ instructæ domo,
Quales fuerunt ultimæ Phrygibus dapes,
Celebrantur. ostro lectus Iliaco nitet;
Merúmque in auro veteris Assaraci trahunt:
Et ipse piétà veste sublimis jacet
Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles jubet,
Induere potiùs conjugis fidæ manu
Textos amictus. horreo, atque animo tremo,
Regémne perimet exul & adulter virum?
Venere fata. sanguinem extremæ dapes
Domini videbunt, & cruor Baccho ineidet.
Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
Induta vestis. exitum manibus negat,
Capútque laxi & invii cludunt sinus,
Haurit trementi semivir dextrâ latus,
Nec penitus adigit: vulnere in medio stupet.
At ille, ut altis hispidus sylvis aper,
Cùm casse vinctus, tentat egressus tamen,
Arctátque motu vincla, & incassum furit:
Cupit fluentes undique & cæcos sinus
Disjicere; & hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens.
Qualisque ad aras colla taurorum priùs
Designat oculis, antequam ferro petat;
Sic huc & illuc impiam librat manum.
Habet. peractum est. pendet exiguâ malè
Caput amputatum parte, & hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu jacent.
Nondum recedunt. ille jam exanimem petit,
Lacerátque corpus. illa fodientem adjuvat.
Uterque tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyeste natus, hæc Helenæ soror.
Stat ecce Titan dubius emerito die,
Suâne currat an Thyestea viâ.

ELECTRA.

FUGE, ô paternæ mortis auxilium unicum,
Fuge, & scelestas hostium evita manus.
Eversa domus est funditus. regna occidunt.
Quis iste celeres concitus currus agit?
Germane, vultus veste furabor tuos.
Quos, anime demens, refugis? externos fugis?
Domus timenda est. pone jam trepidos metus,
Orestа. amici fida præsidia intuor.

STROPHIUS, ELECTRA. Orestes & Pylades, mutæ Personæ.

STROPHIUS.

PHOCIDE relictâ Strophius, Eleâ inclytus
Palmâ revertor, causa veniendi fuit,
Gratari amico, cujus impulsum manu
Cecidit decenni Marte concussum Ilium.
Quænam ista lacrymis lugubrem vultum rigat,
Pavétque mœsta? regium agnosco genus.
Electra, luctûs causa quæ lætâ in domo est?
EL. Pater peremptus scelere materno jacet.
Comes paternæ quæritur natus neci.
Ægisthus arces Venere quæsitas tenet.
ST. "O nulla longi temporis felicitas!
EL. Te per parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios deos.
Recipe hunc Orestem, ac pium furtum occule.
ST. Etsi timendum exsus Agamemnon docet,
Aggrediar, & te, Oresta, furabor libens.
"Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.
Cape hoc decorum ludicri certaminis
Insigne frontis. læva victricem tenens
Frondem, virenti protegat ramo caput.
Et ista donum palma Pisæi Jovis
Velamen eadem præstet atque omen tibi.
Túque ô, paternis affidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
Vos, Græciâ nunc teste, veloces equi
Infida cursu fugite præcipiti loca.
EL. Excessit, abiit. currus effreno impetu
Effugit aciem. tuta jam operiar meos
Hostes, & ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta conjugis victrix sui,
Et signa cædis veste maculatâ gerit,
Manus recenti sanguine etiamnum madent,
Vultúsque præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras. patere me vittis tuis,
Cassandra, jungi paria metuentem tibi.

CLYTÆMNESTRA, ELECTRA, ÆGISTHUS, CASSANDRA.

CLYTÆMNESTRA.

HOSTIS parentis, impium atque audax caput,
Quo more cœtus publicos, virgo, petis?
EL. Adulterorum virgo deserui domum.
CL. Quis esse credat virginem? *EL.* gnatam tuam.
CL. Modestiùs cum matre. *EL.* pietatem doces.
CL. Animos viriles corde tumefacto geris,
Sed agere domita fœminam disces malo.
EL. Ni fortè fallor, fœminas ferrum decet.
CL. Et esse, demens, te parem nobis putas?
EL. Nobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
Ut vidua loquere, vir caret vitâ tuus.
CL. Indomita post hæc virginis verba impiæ
Regina frangam. citiùs interea mihi
Edissere, ubi sit gnatus, ubi frater tuus.
EL. Exiit Mycenas. *CL.* redde nunc gnatum mihi.
EL. Et tu parentem redde. *CL.* quo latitat loco?
EL. Tuto; quietus, regna non metuens nova:
Justæ parenti satis, at iratæ parum.
CL. Morieris hodie. *EL.* dummodo hâc moriar manu.
Recedo ab aris. sive te jugulo juvat
Merstisse ferrum; præbeo jugulum volens.
Seu more pecudum colla resecari placet;
Intenta cervix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est: cæde respersam viri
Atque obsoletam sanguine hôc dextram abluc.
CL. Consors pericli pariter ac regni mei,
Ægisthe, gaudes? gnata genetricem impiè
Probris lacessit; abditum fratrem occulit.
ÆG. Furibunda virgo, vocis infandæ sonum,
Et aure verba indigna maternâ opprime.
EL. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
Per scelera nactus nomen ambiguum suis?
Idem sororis gnatus, & patris nepos?
CL. Ægisthe, cessas impium ferro caput
Demetere? fratrem reddat, aut animam statim.
ÆG. Abstrusa cæco carcere, & saxo exigat
Ævum, per omnes torta pœnarum modos.
Referre, quem nunc occulit, forsan volet
Inops, egens, inclusa, pædore obsita,
Vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus,
Æthere negato, serò succumbet malis.
EL. Concede mortem. *ÆG.* si recusares, darem.
"Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.
EL. Mortem aliquid ultra est? *ÆG.* vita, si cupias mori.
CL. Abripite, famuli, monstrum, & avectam procul
Ultra Mycenas ultimo in regni angulo
Vincite, septam nocte tenebrosi specûs,
Ut inquietam virginem carcer domet.
At ista pœnas capite persolvat suo,
Captiva conjux, regii pellex tori.
Trahite, ut sequatur conjugem ereptum mihi.
CAS. Ne trahite, vestros ipsa præcedam gradus:
Perferre prima nuncium Phrygibus meis
Propero; repletum ratibus eversis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troicis mierit malis,
Periisse dono fœminæ, stupro, dolo.
Nihil moramur. rapite. quin grates ago,
Jam jam juvat vixisse, post Troiam juvat.
CL. Furibunda morere. *CAS.* veniet & vobis furor.

HERCULES FURENS.

PERSONÆ.

JUNO.
LYCUS.
THESEUS.
HERCULES.
AMPHITRYON.
CHORUS Thebanorum.

ACTUS PRIMUS.

JUNO.

SOROR Tonantis (hoc enim ſolum mihi
Nomen relictum eſt) ſemper alienum Jovem,
Ac templa ſummi vidua deſerui ætheris;
Locúmque, cœlo pulſa, pellicibus dedi.
Tellus colenda eſt: pellices cœlum tenent.
Hinc, Arctos altâ parte glacialis poli
Sublime claſſes ſidus Argolicas agit;
Hinc, quà tepenti vere laxatur dies,
Tyriæ per undas vector Europæ nitet;
Illinc, timendum ratibus ac ponto gregem
Paſſim vagantes exerunt Atlantides.
Ferâ comâ hinc exterret Orion deos:
Suáſque Perſeus aureas ſtellas habet.
Hinc clara gemini ſigna Tyndaridæ micant:
Quibúſque natis mobilis tellus ſtetit.
Nec ipſe tantùm Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere ſuperos: ne qua pars probro vacet,
Mundus puellæ ſerta Gnoſſiacæ gerit.
Sed vetera querimur: una me dira ac fera
Thebana nuribus ſparſa tellus impiis,
Quoties novercam fecit? aſcendat licet,
Meúmque victrix teneat Alcmene locum;
Paritérque natus aſtra promiſſa occupet,
In cujus ortu mundus impediit diem,
Tardúſque Eöo Phœbus effulſit mari,
Retinere mertum juſſus Oceano jubar.
Non ſic abibunt odia. Vivaces aget
Violentus iras animus, & ſævus dolor
Æterna bella pace ſublatâ geret.
Quid bella? quidquid horridum tellus creat
Inimica; quicquid pontus aut aër tulit
Terribile, dirum, peſtilens, atrox, ferum;
Fractum atque domitum eſt. ſuperat & creſcit malis;
Irâque noſtrâ fruitur: in laudes ſuas
Mea vertit odia. dum nimis ſæva impero,
Patrem probavit. indè, quà lucem premit,
Aperſitque Tethys, quà ferens Titan diem
Binos propinquâ tingit Æthiopas face,
Indomita virtus colitur; & toto Deus
Narratur orbe. monſtra jam deſunt mihi,
Minórque labor eſt Herculi juſſa exequi,
Quàm mihi jubere. lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni juſſa violento queant
Nocere juveni? nempe pro telis gerit,
Quæ timuit, & quæ fudit: armatus venit
Leone & Hydrâ. nec ſatis terræ parent:
Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad ſuperos refert.
Parum eſt reverti: fœdus umbrarum perit.
Vidi ipſa, vidi nocte diſcuſſâ infarûm,
Et Dite domito, ſpolia jactantem patri
Fraterna. Cur non victum & oppreſſum trahit
Ipſum catenis paria ſortitum Jovi?
Erebóque capto potitur, & retegit Stygas?
Patefacta ab imis Manibus retro via eſt,
Et ſacra diræ Mortis in aperto jacent.
At ille rupto carcere Umbrarum ferox
De me triumphat, & ſuperbificâ manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.
Viſo labantem Cerbero vidi diem,
Pavidúmque ſolem: me quoque invaſit tremor:
Et tetra monſtri colla devicti intuens,
Timui imperâſſe. levia ſed nimiùm queror:
Cœlo timendum eſt; regna ne ſumma occupet,
Qui vicit ima, ſceptra præripiet patri.
Nec in aſtra lentâ veniet, ut Bacchus, viâ:
iter ruinâ quæret; & vacuo volet
Regnare mundo. Robore expenſo tumet,
Et poſſe cœlum viribus vinci ſuis
Didicit ferendo. ſubdidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immenſæ labor,
Mediúſque collo ſedit Herculeo polus.
Immota cervix ſidera & cœlum tulit,
Et me prementem. quærit ad ſuperos viam.
Perge, ira, perge, & magna meditantem opprime.
Congredere; manibus ipſa jam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia? diſcedant feræ:
Ipſe imperando feſſus Euryſtheus vacet.
Titanas auſos rumpere imperium Jovis
Emitte: Siculi verticis laxa ſpecum.
Tellus gigante Doris excuſſo tremens,
Suppoſita monſtri colla terrifici levet.
Sublimis alris Luna concipiat feras.
Sed vicit iſta. quæris Alcidæ parem?
Nemo eſt, niſi ipſe. bella jam ſecum gerat.
Adſint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides: ignem flammeæ ſpargant comæ;
Viperea ſævæ verbera incutiant manus.
I nunc, ſuperbe, cælitum ſedes pete;
Humana temne. jam Styga & manes, ferox,
Fugiſſe credis? hìc tibi oſtendam inferos.
Revocabo in altâ conditam caligine
Ultra nocentum exilia Diſcordem deam,
Quam munit ingens montis oppoſiti ſpecus.
Educam, & imo Ditis è regno extraham
Quidquid relictum eſt. veniat inviſum Scelus,
Suúmque lambens ſanguinem Impietas ferox,
Errórque, & in ſe ſemper armatus Furor.
Hôc hôc miniſtro noſter utatur dolor.
Incipite famulæ Ditis; ardentem incite
Concutite pinum: & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat; atque luctificâ manu
Vaſtam rogo flagrante corripiat trabem.
Hoc agite, pœnas petite violatæ Stygis:
Concutite pectus; acrior mentem exeoquat,
Quàm qui caminis ignis Ætneis furit.
Ut poſſit animo captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Inſaniendum eſt. Juno cur nondum furis?
Me me ſorores mente dejectam mea
Verſate primam, facere ſi quidquam apparo
Dignum novercâ. Jam odia mutentur mea.
Natos reverſus videat incolumes, precor,
Manúque fortis redeat. Inveni diem,
Invitâ quo nos Herculis virtus juvet:
Me pariter & ſe vincat; & cupiat mori

Digitized by Google

Ab inferis reverſus. hìc proſit mihi,
Jove ellè genitum. ſtabo, & ut certo exeant
Emiſſà nervo tela, librabo manum:
Regam furentis arma: pugnanti Herculi
Tandem favebo. ſcelere perfecto, licet
Admittat illas genitor in cœlum manus.
Movenda jam ſunt bella; clarescit dies,
Oritúque Titan lucidus croceo ſubit.

CHORUS THEBANORUM.

JAM rara micant ſidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes: luce renatâ
Cogit nitidum Phoſphoros agmen:
Signum celli glaciale poli
Septem ſtellis Arcades urſæ
Lucem verſo temone vocant:
Jam cœruleis vectus equis
Titan ſummum proſpicit Oetan:
Jam Cadmeis inclyta baccis
Aſperſa die dumeta rubent:
Phœbique fugit reditura ſoror.
Labor exoritur durus, & omneis
Agitat curas, aperſtque domos.
Paſtor gelidâ cana pruinâ
Grege dimiſſo pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum ruptâ fronte juvencus.
Vacuæ reparant ubera matres.
Errat curſu levis incerto
Molli petulans hœdus in herbâ.
Pendet ſummo ſtridula ramo,
Pennáſque novo tradere ſoli
Geſtit querulos inter nidos
Thracia pellex; turbáque circùm
Confuſa ſonat, murmure miſto
Teſtata diem. Carbaſa ventis
Credit dubius navita vitæ,
Laxos aurâ complente ſinus.
Hic exeſis pendens ſcopulis,
Aut deceptos inſtruit hamos;
Aut ſuſpenſus ſpectat preſſâ
Præmia dextrâ. ſentit tremulum
Linea piſcem.
Hæc, innocuæ quibus eſt vitæ
Tranquilla quies, & læta ſuo
Parvóque domus, ſpes & in agris.
Turbine magno ſpes ſollicitæ
Urbibus errant, trepidíque metus.
Ille ſuperbos aditus regum,
Duráſque fores, expers ſomni,
Colit: hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.
Illum populi favor attonitum;
Fluctúque magìs mobile vulgus
Aurâ tumidum tollit inani.
Hic clamoſi rabioſa fori
Jurgia vendens improbus iras
Et verba locat. " novit paucos
" Secura quies, qui velocis
" Memores ævi tempora nunquam
" Reditura tenent. dum fata ſinunt,
" Vivite læti, properat curſu
" Vita citato, volucríque die
" Rota præcipitis vertitur anni.
" Duræ peragunt penſa ſorores,
" Nec ſua retro fila revolvunt.
" At gens hominum fertur rapidis
" Obvia fatis, incerta ſui:
" Stygias ultro quærimus undas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas mœſtos vilere Manes.
" Certo veniunt ordine Parcæ,
" Nulli juſſo ceſſare licet,
" Nulli ſcriptum proferre diem.
" Recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per urbes
Garrula laudet, cœlóque parem
Tollat & aſtris: alius curru
Sublimis eat. me mea telius
Lare ſecreto tutóque tegat.
Venit ad pigros cana ſenectus;
Humiliſque loco, ſed certa ſedet
Sordida parvæ fortuna domûs:
" Altè virtus animoſa cadit.
Sed mœſta venit crine ſoluto
Megara, parvum comitata gregem:
Tardúſque ſenio graditur Alcidæ parens.

ACTUS SECUNDUS.

MEGARA.

O Magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Jam ſtatue tandem gravibus ærumnis modum,
Finémque ſladi. nulla lux unquam mihi
Secura fulſit. finis alterius mali
Gradus eſt futuri. protenus reduci novus
Paratur hoſtis, antè quàm lætam domum
Contingat, aliud juſſus ad bellum meat,
Nec ulla requies, tempus aut ullum datur,
Niſi dum jubetur: ſequitur à primo ſtatim
Infeſta Juno. nunquid immunis fuit
Infantis ætas? monſtra ſuperavit priùs,
Quàm nôſſe poſſet. gemina criſtati caput
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Repravit infans; ignéos ſerpentium
Oculos remiſſo pectore ac placido intuens,
Arctos ſerenis vultibus nodos tulit;
Et tumida tenerâ guttura elidens manu,
Prælusit Hydræ. Mœnali pernix fera,
Multo decorum præferens auro caput,
Deprenſa curſu eſt. maximus Nemeæ timor
Gemuit lacertis preſſus Herculeis leo.
Quid ſtabula memorem dira Biſtonii gregis,
Suſtíque regem pabulum armentis datum?
Solitúmque denſis hiſpidum Erymanthi jugis
Arcadica quatere nemora Mœnalium ſuem?
Taurúmque centum non levem populis metum?
Inter remotos gentis Heſperiæ greges
Paſtor triformis littoris Tarteſſii
Peremptus, acta eſt præda ab occaſu ultimo.
Notum Cythæron pavit Oceano pecus.
Penetrare juſſus ſolis æſtivi plagas,
Et aduſta medius regna quæ torret dies,
Utrinque monteis ſolvit abrupto obice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.
Poſt hæc, adortus nemoris opulenti domos
Aurifera vigilis ſpolia ſerpentis tulit.
Quid? ſæva Lernæ monſtra, numeroſum malum,
Non igne demum vicit, & docuit mori?
Solitáſque pinnis condere obductis diem
Petiit ab ipſis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum cœlibis ſemper tori
Regina gentis vidua Thermodontiæ,
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugavit turpis Augiæ labor.
Quid illa profùnt? orbe defenſo caret.
Senſere terræ pacis aurorem ſuæ
Abeſſe terris. " proſperum ac felix ſcelus,
" Virtus vocatur. fontibus parent boni.
" Jus eſt in armis, opprimit leges timor.
Ante ora vidi noſtra, truculentâ manu
Gnatos paterni cadere regni vindices;
Ipſámque Cadmi nobilis ſtirpem ultimam
Occidere. vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. quis fatìs Thebas fleat?
Ferax deorum terra quem dominum tremit?
E cujus arvis, éque fecundo ſinu
Strícto juventus orta cum ferro ſtetit;
Cujúſque muros natus Amphion Jove
Struxit canoro ſaxa modulatu trahens;
In cujus urbem non ſemel divûm parens
Cælo relicto venit; hæc quæ cælites
Recepit, & quæ fecit, & (fas ſit loqui)
Fortaſſe faciet, ſordido premitur jugo.
Cadmea proles civitáſque Amphionis
Quò decidiſtis? tremitis ignavum exulem
Suis carentem finibus, noſtris gravem?
Qui ſcelera terrâ, quíque perſequitur mari,
Ac ſæva juſtâ ſceptra contregit manu,
Nunc ſervit abſens, férique quæ terri vetat:

Tenét-

Digitized by Google

Tenétque Thebas exul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit. aderit & pœnas petet,
Subitúſque ad aſtra emerget: inveniet viam,
Aut faciet. Adſis ſoſpes, & remees tuis:
Tandémque venias victor ad victam domum.
Emerge conjux, atque depulſas manu
Abrumpe tenebras: ulla ſi vetita eſt via,
Iterque clauſum eſt, orbe diducto redi;
Et quidquid atrâ nocte poſſeſſum latet,
Emitte tecum. dirutis qualis jugis
Præceps ciuato flumine quærens iter,
Quondam dediſti; ſciſſa cùm vaſto impetu
Patuere Tempe, pectore impulſus tuo
Huc mons & illuc cecidit, & rupto aggere
Novâ cucurrit Theſſalus torrens viâ.
Talis parentes, liberos, patriam petens
Erumpe; rerum terminos tecum efferens:
Et quidquid avida tot per annorum gradus
Abſcondit ætas, redde; & oblitos ſui,
Luciſque pavidos ante te populos age.
Indigna te ſunt ſpolia, ſi tantùm refers,
Quantum imperatum eſt. magna ſi nimiùm loquor,
Ignara noſtræ ſortis, adde illum mihi,
Quo te tuámque dexteram amplectar, diem;
Reditúſque lentos nec mei memores querar.
Tibi, ô deorum ductor, indomiti ferent
Centena tauri colla: tibi frugum potens,
Secreta reddam ſacra: tibi multâ fide
Longas, Eleuſi, tacita jactabo faces.
Tum reſtitutas fratribus rebor meis
Animas, & ipſum regna moderantem ſua
Florere patrem. ſi qua te major tenet
Clauſum poteſtas; ſequimur. aut omnes tuos
Defende reditu ſoſpes, aut omnes trahe.
Trahes, nec ullus eriget fractos deus.

AMPHITRYON, MEGARA.

AMPHITRYON.

O Socia noſtri ſanguinis, caſtâ fide
Servans torum gnatóſque magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atque animum excita.
Aderit profectò, qualis ex omni ſolet
Labore major. *ME.* "Quod nimis miſeri volunt,
"Hoc facilè credunt. *AM.* Imò quod metuunt nimis
"Nunquam amoveri poſſe, nec tolli putant.
"Prona eſt timori ſemper in pejus fides.
ME. Demerſus, ac defoſſus, & toto inſuper
Oppreſſus orbe, quam viam ad ſuperos habet?
AM. Quam tunc habebat, cùm per arentem plagam
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas; biſque diſcedens fretum,
Et bis recurrens: cúmque deſertâ rate
Deprenſus hæſit Syrtium brevibus vadis,
Et puppe fixâ maria ſuperavit pedes?
ME. "Iniqua rarò maximis virtutibus
"Fortuna parcit: nemo ſe tutò diu
Periculis offerre tam crebris poteſt.
"Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.
Sed ecce ſævus, ac minas vultu gerens,
Et qualis animo eſt, talis inceſſu venit
Aliena dextrâ ſceptra concutiens Lycus,
Urbis regens opulenta Thebanæ loca,
Et omne quidquid uberi cingit ſolo
Obliqua Phocis, quidquid Ismenus rigat,
Quidquid Cytharon vertice excelſo videt,
Et bina findens Iſthmos exilis freta.

LYCUS, MEGARA, AMPHITRYON.

LYCUS.

NON vetera patriæ jura poſſideo domûs
Ignavus hæres: nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. "qui genus jactat ſuum,
"Aliena laudat. Rapta ſed trepidâ manu
Sceptra obtinentur: "omnis in ferro eſt ſalus.
Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis. "alieno in loco
"Haud ſtabile regnum eſt. una ſed noſtras poteſt
Fundare vires juncta regali face
Thalamíſque Megara. ducet è genere inclyto
Novitas colorem noſtra. Non equidem reor
Fore ut recuſet, ac meos ſpernat toros.
Quòd ſi impotenti pertinax animo abnuet,
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia factum ac ſermo popularis premet?
"Ars prima regni eſt, poſſe *ſe* invidiam pati.
Tentemus igitur: fors dedit nobis locum.
Namque ipſa triſti veſtis obtentu caput
Velata juxta præſides aſtat deos,
Lateríque adhæret verus Alcidæ ſator.
ME. Quidnam iſte, noſtri generis exitium ac lues,
Novi parat? quid tentat? *LY.* O clarum trahens
A ſtirpe nomen regiâ, facilis mea
Parumper aure verba patienti excipe.
Si æterna ſemper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma ſelix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tum vaſtis ager
Squallebit arvis, ſubditâ tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo neceſſe eſt. particeps regno veni:
Sociemus animos. pignus hoc fidei cape:
Continge dextram. quid truci vultu fides?
ME. Egóne ut parentis ſanguine aſperſam manum,
Fratrúmque geminâ cæde contingam? priùs
Extinguet ortus, referet occaſus diem,
Pax antè fida nivibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum junget Auſonio latus:
Priúſque multo vicibus alternis fugax
Euripus undâ ſtabit Euboicâ piger.
Patrem abſtuliſti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid ultrà eſt? una res ſupereſt mihi,
Fratre ac parente carior, regno, ac lare,
Odium tui: quod eſſe cum populo mihi
Commune doleo. pars quota ex iſto mea eſt?
Dominare tumidus, ſpiritus altos gere:
"Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.
Thebana novi regna. quid matres loquar
Paſſas & auſas ſcelera? quid geminum nefas,
Miſtúmque nomen conjugis, nati, patris?
Quid bina fratrum caſtra? quid totidem rogos?
Riget ſuperba Tantalis luctu parens:
Mœſtúſque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipſe torvum ſubrigens criſtâ caput
Illyrica Cadmus regna permenſus fugâ
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla. dominare ut lubet;
Dum ſolita regni fata te noſtri vocent.
LY. Agedum efferatas rabida voces amove:
Et diſce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamvis ſceptra victrici geram
Dextrâ, regámque cuncta ſinè legum metu,
Quas arma vincunt, pauca pro cauſâ loquar
Noſtrâ. cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? "arma non ſervant modum,
"Nec temperari facilè, nec reprimi poteſt
"Stricti enſis ira. bella delectat cruor.
Sed ille regno pro ſuo; nos improba
Cupidine acti: "quæritur belli exitus,
"Non cauſa. ſed nunc pereat omnis memoria,
Cùm victor arma poſuit, & victum decet
Deponere odia. non ut inflexo genu
Regnantem adores, petimus. hoc ipſum placet,
Animo ruinas quòd capis magno tuas.
Es rege conjux digna: ſociemus toros.
ME. Gelidus per artus vadit exangues tremor.
Quod facinus aures pepulit? haud equidem horrui,
Cùm pace ruptâ bellicus muros fragor
Circùm ſonaret. pertuli intrepidè omnia:
Thalamos tremiſco: capta nunc videor mihi.
Gravent catenæ corpus, & longâ fame
Mors protrahatur lenta: non vincet fidem
Vis ulla noſtram: moriar, Alcide, tua.
LY. Animóſne merſus inferis conjux facit?
ME. Inferna tetigit, poſſet ut ſupera aſſequi.
LY. Telluris illum pondus immenſæ premit.
ME. Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.
LY. Cogere. *ME.* "Cogi qui poteſt, neſcit mori.
LY. Effare, thalamis quod novis potiùs parem
Regale munus? *ME.* Aut tuam mortem, aut meam.
LY. Moriere demens? *ME.* Conjugi occurram meo.
LY. Sceptróne noſtro potior eſt famulus tibi?
ME. Quot iſte famulus tradidit reges neci!
LY. Cur ergo regi ſervit, & patitur jugum?
ME. Imperia dura tolle, quid virtus erit?

LY. Obici feris monſtriſque, virorem putas?
ME. " Virtutis eſt domare, quæ cuncti pavent.
LY. Tenebræ loquentem magna Tartareæ premunt.
ME. " Non eſt ad aſtra mollis è terris via.
LY. Quo patre genitus cœlitum penetret domos?
AM. Miſeranda conjux Herculis magni ſile:
Partes meæ hæ ſunt, reddere Alcidæ patrem,
Genúſque verum. poſt tot ingentis viri
Memoranda facta, póſtque pacatum mare
Quodcunque Titan ortus & labens videt,
Poſt monſtra tot perdomita, poſt Phlegram impio
Sparſam cruore, póſtque detenſos Deos;
Nondum liquet de patre? mentimur Jovem?
Junonis odio crede. *LY.* Quid violas Jovem?
Mortale cœlo non poteſt jungi genus.
AM. Communis illa pluribus cauſa eſt Deis.
LY. Famulíne fuerant antè quàm fierent Dei?
AM. Paſtor Pheræos Delius pavit greges.
LY. Sed non per omnes exul erravit plagas.
AM. Quem profuga terra miter erranti edidit.
LY. Non monſtra, ſævus Phœbus aut timuit feras.
AM. Primus ſagittas imbuit Phœbi draco.
Quàm gravia parvus tulerit, ignoras, mala
E matris utero fulmine ejectus puer?
Mox fulminanti proximus patri ſtetit.
Quid qui gubernat aſtra, qui nubes quatit,
Non latuit infans rupis exeſæ ſpecu?
Sollicita tanti precia natales habent,
Sempérque magno conſtitit, naſci Deum.
LY. " Quemcunque miſerum videris, hominem ſcias.
AM. " Quemcunque fortem videris, miſerum neges.
LY. Fortem vocemus, cujus ex humeris Leo
Donum puellæ factus, & clava excidit,
Fulſitque pictum veſte Sidoniâ latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit ſonum,
Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?
AM. Non erubeſcit Bacchus effuſos tener
Sparſiſſe crines, nec manu molli levem
Vibrâſſe thyrſum, cùm perum forti gradu
Auro decorum ſperna barbaricum trahit.
" Poſt multa virtus opera laxari ſolet.
LY. Hoc Euryti fatetur everſi domus,
Pecorúmque ritu virginum oppreſſi greges,
Hoc nulla Juno, nullus Euryſtheus jubet:
Ipſius hæc ſunt opera. *AM.* Non nôſti omnia.
Ipſius opus eſt, ceſtibus fractus ſuis
Eryx, & Eryci junctus Antæus Libys;
Et qui hoſpitali cæde manantes foci
Libere juſtum ſanguinem Buſiridis.
Ipſius opus eſt, vulneri & ferro obvius
Mortem coactus ante Geryonem pati:
Nec unus unâ Geryon victus manu.
Eris inter illos; qui tamen nullo ſtupro
Lædere thalamos. *LY.* Quod Jovi, hoc regi licet:
Jovi deditti conjugem, regi dabis.
Et te magiſtro non novum hoc diſcet nurus,
Etiam viro probante, meliorem ſequi.
Sin copulari pertinax tedis negas;
Vel ex coactâ nobilem partum feram.
ME. Umbræ creontis, & penates Labdaci,
Et nuptiales impii Oedipodæ faces,
Nunc ſolita noſtro fatu conjugio date.
Nunc, nunc cruentæ regis Ægypti nurus,
Adeſte, multo ſanguine infectæ manus;
Deeſt una numero Danais: explebo nefas.
LY. Conjugia quoniam pervicax noſtra abnuis,
Regémque terres; ſceptra quid poſſint, ſcies.
Complectere aras. nullus eripiet Deus
Te mihi: nec, orbe ſi remolito queat
Ad ſupera victor numina Alcides vehi.
Congerite ſylvas, templa ſuppliciibus ſuis
Injecta flagrent. conjugem & totum gregem
Conſumat unus igne ſubjecto rogus.
AM. Hoc munus à te, genitor Alcidæ peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam.
LY. Qui morte cunctos luere ſuppliciam jubet,
Neſcit tyrannus eſſe. diverſa irroga:
Miſerum vera perire; felicem jube.
Ego, dum cremandis trabibus accreſcit rogus,
Sacro regentem maria votivo rogem.
AM. Proh numinum vis ſumma, proh cœleſtium
Rector parénſque; cujus excuſſis tremunt
Humana telis; impiam regis feri
Compeſce dextram. Quid Deos fruſtra precor?
Ubicunque es, audi nate. Cur ſubito labant
Agitata motu templa? cur mugit ſolum?
Infernus imo ſonuit è fundo fragor.
Audimur: en, en ſonitus Herculei gradûs.

CHORUS THEBANORUM.

" O Fortuna viris invida fortibus,
" Quàm non æqua bonis præmia dividis!
Euryſtheus facili regnet in otio:
Alcmenâ genitus bella per omnia
Monſtris exagitet cœliferam manum:
Serpentis reſecet colla feracia;
Deceptis referat mala ſororibus,
Cùm ſomno dederit pervigiles genas
Pomis divitibus præpoſitus Draco.
Intravit Scythiæ multivagas domos,
Et gentes patriis ſedibus hoſpitas:
Calcavítque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum litoribus mare.
Illìc dura carent æquora fluctibus;
Et quâ plena rates carbaſa tenderant,
Iutonſis teritur ſemita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Navem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illìc quæ viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit ſpolium nobile corpori,
Et peltam, & nivei vincula pectoris,
Victorem poſito ſuſpiciens genu.
Quâ ſpe præcipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidiſti Siculæ regna Proſerpinæ?
Illìc nulla Noto, nulla Favonio
Conſurgunt tumidis fluctibus æquora:
Non illìc geminum Tyndaridæ genus
Succurrunt tumidis ſidera navibus:
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, cùm Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,
Uno tot populi remige tranſeunt.
Evincas utinam jura feræ Stygis,
Parcarúmque colos non revocabiles:
Hìc qui rex populis pluribus imperat
Bello cùm peteres Neſtoream Pylon,
Tecum conſeruit peſtiferas manus,
Telum tergeminâ cuſpide præferens:
Effugit tenui vulnere ſaucius,
Et mortis dominus pertimuit mori.
Fatum rumpe manu, triſtis & inferis
Proſpectus pateat lucis, & invius
Limes det faciles ad ſuperos vias.
Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos, & prece ſupplici
Orpheus, Eurydicen dum reperit ſuam.
Quæ ſylvas, & aves ſaxíque traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras;
Ad cujus ſonitum conſtiterant feræ;
Mulcet non ſolitis vocibus inferos,
Et ſurdis reſonat clariùs in locis.
Deflent Eurydicen Threicia nurus,
Deflent & lacrymis difficiles Dei;
Et qui fronte nimis crimina tetricâ
Quærunt, ac veteres excutiunt reos
Flentes Eurydicen Juridici ſedent.
Tandem mortis ait, vincimur, arbiter;
Evade ad ſuperos; lege tamen datâ:
Tu poſt terga tui perge viri comes;
Tu non antè tuam reſpice conjugem,
Quàm cùm clara deos obtulerit dies,
Spartanſque aderit janua Tænari.
" Odit verus amor, nec patitur moras.
Munus, dum properat ceruere, perdidit.
Quæ vinci potuit regia cantibus,
Hæc vinci poterit regia viribus.

ACTUS

ACTUS TERTIUS.

HERCULES.

O Lucis alme rector, & cœli decus,
Qui alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre lætis exeris terris caput;
Da Phœbe veniam, si quid illicitum tui
Videre vultus. jussus in lucem extuli
Secreta mundi. túque cœlestûm arbiter
Parénsque, visus fulmine appositò tege,
Et tu secundo maria qui sceptro regis,
Imas pete undas. quisquis ex alto aspicit
Terrena, facie pollui metuens novâ,
Aciem reflectat, oráque in cœlum erigat,
Portenta fugiens. hoc nefas cernant duo,
Qui advexit, & quæ jussit. In pœnas meas,
Atque in labores non satis terræ patent.
Junonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phœbo; quæque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Jovi.
Et si placerent tertiæ sortis loca,
Regnare potui: noctis æterna chaos,
Et nocte quiddam gravius, & tristes Deos,
Et fata vici, morte contemptâ redii.
Quid restat aliud? vidi & ostendi inferos.
Da, si quid ultra est. tam diu pateris manus
Cessare nostras, Juno? quid vinci jubes?
Sed templa quare miles infestus tenet?
Liménque sacrum terror armorum obsidet?

AMPHITRYON, HERCULES, THESEUS.

AMPHITRYON.

UTrumne visus vota decipiant meos?
An ille domitor orbis, & Graium decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum?
Estne ille natus? membra lætitiâ stupent.
O nate! certa & sera Thebarum salus!
Verúmne cerno corpus? an fallor tuâ
Deceptus umbrâ? túne es? agnosco toros,
Humerósque, & alto nobilem trunco manum.
HER. Unde iste, genitor, squallor, & lugubribus
Amicta conjux? unde tam fœdo obsiti
Pædore nati? quæ domum clades gravat?
AM. Socer est peremptus: regna possedit Lycus;
Natos, parentem, conjugem leto petit.
HER. Ingrata tellus, nemo ad Herculeæ domûs
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defensus orbis? cur diem questu tero?
Mactetur hostis. *TH.* Hanc ferat virtus notam,
Fiátque summus hostis Alcidæ Lycus?
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
HER. Thesèu, restiste: ne qua vis subita ingruat.
Me bella poscunt. differ amplexus parens,
Conjúxque differ: nunciet Diti Lycus
Me jam redisse. *TH.* Flebilem ex oculis fuga
Regina vultum: túque nato sospite
Lacrymas cadentes reprime: si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit:
Lentum est, dabit; dat: hoc quoque est lentum; dedit.
AM. Votum secundet, qui potest, nostrum Deus,
Rebúsque lapsis adsit. O magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem:
Quàm longa mœstos ducat ad Manes via;
Ut vincla tulerit dura Tartareus canis.
TH. Memorare cogis acta, securæ quoque
Horrenda menti: vix adhuc certa est fides
Vitalis auræ: torpet acies luminum,
Hebetésque visus vix diem insuetum ferunt:
AM. Pervince, Thesèu, quidquid alto pectore
Remanet pavoris; néve te fructu optimo
Fraudá laborum. " quæ fuit durum pati,
" Meminisse dulce est. fare casus horridos.
TH. Fas omne mundi, téque dominantem precor
Regno capaci; téque, quam totâ irrita
Quæsivit Ætnâ mater; ut jura abdita
Et operta terris liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi æquor Tænarus sylvis premit:
Hìc ora solvit Ditis invisi domus,
Hiátque rupes alta, & immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latúmque pandit omnibus populis iter.
Non cæca tenebris incipit primò via:
Tenuis relictæ lucis à tergo nitor,
Fulgórque dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem. nocte sic mixtâ solet
Præbere lumen primus aut serus dies.
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis;
In quæ omne mersum pereat humanum genus.
Nec ire labor est, ipsa deducit via;
Ut sæpe puppes æstus invitas rapit;
Sic pronus aër urget atque avidum chaos;
Gradúmque retro flectere haud unquam sinunt
Umbræ tenaces. intus immenso sinu
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demítque curas: néve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem. qualis incertâ vagus
Mæander undâ ludit, & cedit sibi,
Instátque; dubius, littus an fontem petat.
Palus inertis fœda Cocyti jacet;
Hìc vultur, illìc luctifer bubo gemit,
Oménque triste resonat infaustæ strigis:
Horrent opacâ fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente; quam tenet segnis Sopor,
Famésque mœsta tabido rictu jacens;
Pudórque ferus conscios vultus tegit:
Metus, Pavórque, Funus, & frendens Dolor,
Atérque Luctus sequitur, & Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adjuvat baculo gradum.
AM. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
TH. Non prata viridi læta facie germinant;
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
Non ulla ramos sylva pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squallet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ;
Rerúmque mœstus finis & mundi ultima:
Immotus aër hæret; & pigro sedet
Nox atra mundo. cuncta mœrore horrida,
Ipsâque morte pejor est Mortis locus.
AM. Quid, ille opaca qui regit sceptro loca,
Quâ sede positus temperat populos leves?
TH. Est in recessu Tartari obscuro locus,
Quem gravibus umbris spissa caligo alligat.
A fonte discors manat hinc uno latex:
Alter quieto similis (hunc jurant Dei,)
Tacente sacram devehens fluvio Styga:
At hìc tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu volvit Acheron invius
Renavigari. cingitur duplici vado
Adversa Ditis regia, atque ingens domus
Umbrante luco tegitur. hìc vasto specu
Pendent tyranni limina: hoc umbris iter;
Hæc porta regni. campus hanc circa jacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. dira majestas Deo,
Frons torva; fratrum quæ tamen speciem gerat,
Gentísque tantæ: vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis. " magna pars regni trucis
" Est ipse dominus; cujus aspectum timet,
Quidquid timetur. *AM.* Veráne est fama, inferis
Tam sera reddi jura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector, atque æqui arbiter?
THE. Non unus altâ sede quæsitor sedens
Judicia trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Cnossius Minos foro;
Rhadamantus illo; Thetidis hôc audit socer.
Quod quisque fecit, patitur: autorem scelus
Repetit, suóque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeiâ manu
Scindi tyranni. " Quisquis est placidè potens,
" Dominúsque vitæ, servat innocuas manus,
" Et incruentum mitis imperium regit,
" Animóque parcit; longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca,
Judex futurus. sanguine humano abstine,
Quicunque regnas. scelera taxantur modo
Majore vestra. *AM.* Certus inclusos tenet
Locus nocentes? útque fert fama, impios
Supplicia vinclis sæva perpetuis domant?
THE. Ra-

THE. Rapitur volucri tortus Ixion rotâ.
Cervice ſaxum grande Siſyphiâ ſedet.
In amne medio faucibus ſiccis ſenex
Sectatur undas, abluit mentum latex;
Fidémque cùm jam ſæpe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma deſtituunt famem.
Præbet Volucri Tityus æternas dapes.
Urnáſque fruſtra Danaïdes plenas ferunt.
Errant furentes impiæ Cadmeïdes:
Terrétque menſas avida Phineas avis.
AM. Nunc ede nati nobilem pugnam mei.
Patrui volentis munus, an ſpolium refert?
THE. Ferale tardis imminet ſaxum vadis,
Stupente ubi undâ ſegne torpeſcit fretum:
Hunc ſervat amnem cultu & aſpectu horridus,
Pavidóſque manes ſqualliduſ geſtat ſenex;
Impexa pendet barba, deformem ſinum
Nodus coërcet, concavæ lucent genæ,
Regit ipſe conto portitor longo ratem:
Hic onere vacuam litori puppim applicans
Repetebat umbras; poſcit Alcides viam,
Cedente turbâ: dirus exclamat Charon;
Quò pergis audax? ſiſte properantem gradum.
Non paſſus ullas natus Alcmenâ moras,
Ipſo coactum navitam conto domat,
Scandítque puppem. cymba populorum capax
Succubuit uni. ſedit, & gravior ratis
Utrinque Lethen latere titubanti bibit.
Tunc vaſta trepidant monſtra, Centauri truces,
Lapithæque multo ad bella ſuccenſi mero.
Stygiæ paludis ultimos quærens ſinus
Fœcunda mergit capita Lernæus labos.
Poſt hæc avari Ditis apparet domus:
Hic ſævus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vaſto capita concutiens ſono
Regnum tuetur: ſordidum tabo caput
Lambunt colubræ: viperis horrent jubæ:
Longúſque tortâ ſibilat cauda draco;
Par ira formæ. ſenſit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Miſſúmque captat aure ſubjectâ ſonum,
Sentire & umbras ſolitus. ut propior ſtetit
Jove natus, antro ſedit incertus canis,
Et uterque timuit. ecce, latratu gravi
Loca muta terret, ſibilat tortos minax
Serpens per armos: vocis horrendæ fragor
Per ora miſſus terna felices quoque
Exterret umbras. ſolvit à lævâ ferox
Tunc ipſe rictus, & Cleonæum caput
Opponit, ac ſe tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum dexterâ robur gerens,
Huc nunc & illuc verbere aſſiduo rotat,
Ingeminat ictus. domitus infregit minas,
Et cuncta laſſus capita ſubmiſit canis,
Antróque toto ceſſit. extimuit ſedens
Uterque ſolio dominus; & duci jubet:
Me quoque petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc gravia monſtri colla permulcens manu
Adamante texto vincit; oblitus ſui
Cuſtos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus; & patiens trahi,
Herúmque faſſus, ore ſubmiſſo obſequens
Utrumque caudâ pulſat anguiferâ latus.
Poſtquam eſt ad oras Tænari ventum, & nitor
Percuſſit oculos lucis ignotæ, novos
Reſumit animos vinctus, & vaſtas furens
Quaſſat catenas: penè victorem abſtulit.
Pronúmque retro vexit, & movit gradu,
Tunc & meas reſpexit Alcides manus:
Geminus uterque viribus tractum canem
Irâ furentem, & bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. vidit ut clarum æthera,
Et pura nitidi ſpatia conſpexit poli,
Oborta nox eſt, lumina in terram dedit,
Compreſſit oculos, & diem inviſum expulit,
Aciémque retro flexit, atque omni petiit
Cervice terram: tum ſub Herculeâ caput
Abſcondit umbrâ. Denſa ſed læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnique meritas Herculis laudes canit.

CHORUS THEBANORUM.

NAtus Euryſtheus properante partu,
Juſſerat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc ſolum numero laborum,
Tertiæ regem ſpoliare ſortis.
Auſus eſt cæcos aditus inire,
Ducit ad manes via quâ remotos
Triſtis, & ſylvâ metuenda nigrâ:
Sed frequens magnâ comitante turbâ.
Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri:
Quantus Eleum coit ad Tonantem,
Quinta cùm ſacrum revocavit æſtas:
Quanta, cùm longæ redit hora noctis,
Creſcere & ſomnos cupiens quietos
Libra, Phœbeos tenet æqua currus,
Turba ſecretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare myſtæ:
Tanta per campos agitur ſilentes
Turba: pars tardâ gradiens ſenectâ,
Triſtis, & longâ ſatiata vitâ:
Pars adhuc currit melioris ævi,
Virgines nondum thalamis jugatæ,
Et comis nondum poſitis ephebi,
Matris & nomen modò doctus infans:
His datum ſolis, minùs ut timerent,
Igne prælato relevare noctem.
Cæteri vadunt per opaca triſtes:
Qualis eſt nobis animus, remotâ
Luce, cùm mœſtus ſibi quiſque ſentit
Obrutum totâ caput eſſe terrâ.
Stat chaos denſum, tenebræque turpes,
Et color noctis malus, ac ſilentis
Otium mundi, vacuæque nubes.
Sera nos illò referat ſenectus.
" Nemo ad id ſerò venit, unde nunquam,
" Cùm ſemel venit, potuit reverti.
Quid juvat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad manes, faciétque inerti
Vela Cocyto. tibi creſcit omne,
Et quod occaſus videt, & quod Ortus:
Parce venturis; tibi, Mors, paramur:
Sis licet ſegnis, properamus ipſi.
Prima quæ vitam dedit hora, carpſit.
Thebis læta dies adeſt:
Aras tangite ſupplices,
Pingues cædite victimas:
Permiſtæ maribus nurus
Solemnes agitent choros.
Ceſſent depoſito jugo
Arvi fertilis incolæ.
Pax eſt Herculeâ manu
Auroram inter & Heſperum:
Et quâ ſol medium tenens
Umbras corporibus negat.
Quodcunque abluitur ſolum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidæ domuit labor.
Tranſvectus vada Tartari
Pacatis redit inferis.
Jam nullus ſupereſt timor:
Nil ultra jacet inferos,
Stantes ſacrificus comas
Dilectâ tege populo.

ACTUS QUARTUS.

HERCULES, THESEUS, AMPHITRYON, MEGARA.

HERCULES.

ULtrice dextrâ fuſus adverſo Lycus
Terram cecidit ore: tum quiſquis comes
Fuerat tyranni, jacuit & pœnæ comes.
Nunc ſacra patri victor & ſuperis feram,
Cæſíque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum ſocia & adjutrix precor,
Belligera Pallas; cujus in lævâ ciet

Ægis

Ægis feroces ore saxifico minas.
Adfit Lycurgi domitor & rubri maris,
Tectam virenti cuspidem thyrso gerens:
Geminúmque numen, Phœbus & Phœbi soror,
Soror sagittis aptior, Phœbus lyræ;
Fratérque quisquis incolit cœlum meus,
Non ex novercâ frater; huc appellite
Greges opimos. quidquid Indorum seges,
Arabésque odoris quidquid arboribus legunt,
Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas:
Te ramus oleæ fronde gentili tegat,
Theseu: Tonantem nostra adorabit manus.
THE. Dii conditores urbis, & sylvestria
Trucis antra Zethi, nobiles Dirces aquas,
Larémque regis advenæ Tyrium colens,
Date thura flammis. *AM.* Nate, manantes priùs
Manus cruentâ cæde & hostili expia.
HER. Utinam cruorem capitis invisi Deis
Libare possem, gratior nullus liquor
Tinxisset aras. victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Jovi,
Quàm rex iniquus. *AM.* Finiat genitor tuos
Opta labores: detur aliquando ocium,
Quiétque fessis. *HER.* Ipse concipiam preces,
Jove méque dignas. Stet suo cœlum loco,
Tellúsque & æther: astra inoffensos agant
Æterna cursus: alta pax gentes alat:
Ferrum omne teneat ruris innocui labor,
Ensésque lateant: nulla tempestas fretum
Violenta turbet: nullus irato Jove
Exsiliat ignis: nullus hybernâ nive
Nutritus agros amnis eversos trahat:
Venena cessent: nulla nocituro gravis
Succo tumescat herba: non sævi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet; & si quod parat
Monstrum, meum sit. Sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ: Phœbus obscuro meat
Sinè nube vultu. quis diem retro fugat,
Agstque in ortus? unde nox atrum caput
Ignota profert? unde tot stellæ polum
Implent diurnæ? primus en noster labor
Cœli refulget parte non minimâ Leo,
Iràque totus fervet, & morsus parat;
Jam rapiet aliquod sidus: ingenti minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutilat, jubam
Cervice jactat: quidquid autumnus gravis,
Hyémsque gelido frigida spatio refert,
Uno impetu transiliet: & verni petet
Frangétque Tauri colla. *AM.* Quod subitum hoc malum
Quò nate, vultus huc & huc acres refers;
Aciéque fallum turbidâ cœlum vides?
HER. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta,
Inferna nostros regna sensere impetus:
Immune cœlum est; dignus Alcidæ labor.
In alta mundi spatia sublimis ferar;
Petatur æther, astra promittit pater.
Quid si negaret? non capit terra Herculem,
Tandémque superis reddit. en ultro vocat
Omnis deorum cœtus, & laxat fores,
Unâ vetante. recipis, & reseras polum?
An contumacis januam mundi traho?
Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contráque patris impii regnum impotens
Avum resolvam. bella Titanes parent
Me duce furentes: saxa cum sylvis traham,
Rapiámque dextrâ plena Centauris juga.
Jam monte gemino limitem ad superos agam.
Videat sub Ossâ Pelion Chiron suum:
In cœlum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur. *AM.* Infandos procul
Averte sensus: pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
HER. Quid hoc? gigantes arma pelliferi movent:
Profugit umbras Tityus, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quàm propè à cœlo stetit?
Labat Cithæron, alta Pallene tremit.
Marcéntque Tempe. rapuit hic Pindi juga.
Hic rapuit Oeten. sævit horrendùm Minas.
Flammifera Erynnis verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propiùs ac propiùs sudes
In ora tendit. sæva Tisiphone caput
Serpentibus vallata, post raptum canem,
Portam vacantem claulit oppositâ face.
Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen. invisо patri
Hæc dextra jam vos reddet. excutiat leves
Nervus sagitras. tela sic mitti decet
Herculea. *AM.* Quò se cæcus invergit furor?
Vastum conctus flexit arcum cornibus,
Pharetrámque solvit. stridet emissa impetu
Arundo, medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. *HER.* Cæteram prolem eruam,
Omnésque latebras. quid moror? majus mihi
Bellum Mycenis restat: ut Cyclopea
Eversa manibus saxa nostris concidant.
Huc eat & illuc aula disjecto obice
Rumpátque postes. columen impulsum labet.
Procumbat omnis regia. hìc video abditum
Gnatum sceleсti patris. *AM.* En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miserandâ rogat.
Scelus nefandum, triste, & aspectu horridum,
Dextrâ precantem rapuit, & circà furens,
Bis ter rotatum misit; ast illi caput
Sonuit: cerebro tecta dispersо madent:
At misera parvum protegens natum sinu
Megara furenti similis è latebris fugit.
HER. Licèt Tonantis profuga condaris sinu,
Petet undecunque temet hæc dextra, & feret.
AM. Quò misera pergis? quam fugam, aut latebras
Nullus salutis Hercule infensо est locus: [petis?
Amplectere ipsum potiùs, & blandâ prece
Lenire tenta. *ME.* Parce jam conjux precor,
Agnosce Megaram; natus hic vultus tuos,
Habitúsque reddit: cernis, ut tendat manus?
HER. Teneo novercam: sequere, da pœnas mihi,
Jugóque pressum libera turpi Jovem.
Sed ante matrem parvulum hoc monstrum auferam.
ME. Quò tendis amens? sanguinem fundes tuum?
AM. Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus: spiritum rapuit timor.
In conjugem nunc clava libratur gravis.
Perfregit ossa: corpori trunco caput
Abest, nec usquam est. cernere hoc audes, nimis
Vivax senectus? si piget luctûs, habes
Mortem paratam. pectus in tela indue;
Vel stipitem istum cæde monstrorum illitum
Converte, falsum ac nomini turpem tuo
Remove parentem, ne tuæ laudi obstrepat.
THE. Quò te ipse, genitor, obvium morti ingeris?
Quò pergis amens? profuge, & obtectus late.
Unúmque manibus zufer Herculeis scelus.
HER. Bene habet: pudendi regis excisa est domus,
Tibi hunc dicatum, maximi conjux Jovis,
Gregem cecidi. vota persolvi libens
Te digna: & Argos victimas alias dabit.
AM. Nondum litâsti, nate: consumma sacrum.
Stat ecce ad aras hostia, exspectat manum
Cervice pronâ. præbeo, occurro, insequor.
Macta. Quid hoc est? errat acies luminum,
Visúsque mœror hebetat. an video Herculis
Manus trementes? vultus in somnum cadit,
Et fessa cervix capite summisso labat;
Flexo genu jam totus ad terram ruit:
Ut cæsa sylvis ornus, aut portus mari
Datura moles. vivis? an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est, reciprocos spiritus motus agit.
Detur quieti tempus, ut somno gravis
Vis victa, morbi pectus oppressum levet,
Removete famuli tela, ne repetat furens.

CHORUS THEBANORUM.

LUGEAT æther, magnúsque parens
Ætheris alti, tellúsque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.
Túque ante omnes, qui per terras
Tractúsque maris fundis radios,
Noctémque fugas ore decoro,
Fervide Titan. obitus pariter
Tecum Alcides vidit & ortus,
Novítque tuas utráque domos.
Solvite tantis animum monstris;
Solvite superi: rectam in melius
Flectite mentem. túque ô dòmitor
Somne

Somne laborum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Aſtrææ,
Frater duræ languide Mortis,
Veris miſcens falſa, futuri
Certus, & idem peſſimus autor:
Pater ô rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctiſque comes,
Qui par regi famulóque venis,
Placidus feſſum lenſque fovens:
Pavidum leti genus humanum
Cogis longam diſcere mortem:
Preme devictum torpore gravi:
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torva priùs pectora linquat,
Quàm mens repetat priſtina curſum;
En, fuſus humi ſæva feroci
Corde volutat ſomnia. nondum eſt
Tanti peſtis ſuperata mali:
Clavæque gravi laſſum ſolitus
Mandare caput, quærit vacuâ
Pondera dextrâ, motu jactans
Brachia vano: nec adhuc omnes
Expulit æſtus. ſed, ut ingenti
Vexata Noto ſervat longos
Unda tumultus, & jam vento
Ceſſante tumet. pelle inſanos
Fluctus animi. redeat pietas,
Virtúſque viro: vel ſit potiùs
Mens veſano concita motu;
Error cæcus, quà cœpit, eat.
Solus te jam præſtare poteſt
Furor inſontem. " Proxima puris
" Sors eſt manibus, neſcire neſas.
Nunc Herculeis percuſſa ſonent
Pectora palmis: mundum ſolitos
Ferre lacertos verbera pulſent
Victrice manu: gemitus vaſtos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli, vaſtiſque ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Reſonet mœſto clamore chaos,
Latéque patens unda profundi,
Et, qui meliùs tua tela tamen
Senſerat, æther.
Pectora tantis obſeſſa malis
Non ſunt ictu ferienda levi:
Urio planctu tria regna ſonent.
Et tu collo decus ac telum
Suſpenſa diu fortis arundo,
Pharetræque leves, date ſæva fero
Verbera tergo: cædunt humeros
Robora fortes, ſtipéſque potens
Duris oneret pectora nodis:
Plangant tantos arma dolores.
Non vos patriæ laudis comites,
Ulti ſævo vulnere reges.
Non Argivâ membra palæſtrâ,
Flectere docti, fortes cæſtu,
Fortéſque manu; jam tamen auſi
Telum Scythici leve coryti
Miſſum certâ librare manu,
Tutóſque fugâ figere cervos,
Nondúmque feræ terga jubatæ;
Ite ad Stygios umbræ portus,
Ite innocuæ, quas in primo
Limine vitæ ſcelus oppreſſit
Patriúſque furor: ite infauſtum
Genus, ô pueri, noti per iter
Triſte laboris: ite, iratos
Viſite reges.

Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod ſolum feſſo ſubeſt?
Certè rediimus. unde proſtratâ domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? poſt reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri. paveo: neſcio quod mihi,
Neſcio quod animus grande præſagit malum.
Ubi eſt parens? ubi illa natorum grege
Animoſa conjux? cur latus lævum vacat
Spolio leonis? quónam abiit tegimen meum,
Idémque ſomno mollis Herculeo thorus?
Ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? ſpolia quis tanta abſtulit?
Ipſúmque quis non Herculis ſomnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet.
Exurge victor, quem novum cœlo pater
Genuit relicto: cujus inceſtu ſtetit
Nox longior, quàm noſtra. quod cerno nefas?
Nati cruentâ cæde confecti jacent;
Perempta conjux. quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis ſcelera moliri auſus eſt,
Hercule reverſo? quiſquis Iſmeni loca,
Actæa quiſquis arva, qui gemino mari
Pulſata Pelopis regna Dardanii colis,
Succurre, ſævæ cladis autorem indica.
Ruat ira in hoſtes. " hoſtis eſt, quiſquis mihi
" Non monſtrat hoſtem. victor Alcidæ latet?
Præcede: ſeu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, ſive Geryonis pecus,
Libyæve dominos: nulla pugnandi mora eſt.
En nudus aſto, vel meis armis licet
Petas inermem. cur meos Theſeus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt ſua?
Differte fletus. quis meos dederit neci
Omnes ſimul, profare: quid genitor ſiles?
At tu ede Theſeu, ſed tuâ Theſeu fide.
Uterque tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtímque lacrymas fundit. in tantis malis
Quid eſt pudendum? nunquid Argivæ potens
Dominator urbis? nunquid inſeſtum Lyci
Pereuntis agmen clade nos tantâ obruit?
Per te meorum facinorum laudem precor,
Genitor, tuſque nominis ſemper mihi
Numen ſecundum; fare, quis fudit domum? 1185
Cui prædæ jacui? *AM.* Tacita ſic abeant mala.
HE. Ut inultus ego ſim? *AM.* Sæpe vindicta obfuit.
HER. Quiſquámne ſegnis tanta toleravit mala?
AM. Majora quiſquis timuit. *HE.* His etiam pater
Quidquam timeri majus aut gravius poteſt? 1190
AM. Cladis tuæ pars iſta, quam noſti, quota eſt?
HER. Miſerere, genitor: ſupplices tendo manus.
Quid hoc? manus refugit. hic errat ſcelus.
Unde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernæâ nece? 1195
Jam tela video noſtra, non quæro manum.
Quis potuit arcum flectere? aut quis dexterâ
Sinuare nervum vix recedentem mihi?
Ad vos revertor: genitor, hoc noſtrum ſcelus?
Tacuere, noſtrum eſt. *AM.* Luctus eſt iſtic tuus; 1200
Crimen novercæ caſus hic culpâ caret.
HER. Nunc parte ab omni genitor iratus tona,
Oblite noſtrî: vindica ferâ manu
Saltem nepotes: ſtelliger mundus ſonet,
Flammas & hic & ille jaculetur polus: 1205
Rupes ligatum Caſpiæ corpus trahant,
Atque ales avida. cur Promethei vacant
Scopuli? paretur vertice immenſo feras
Volucréſque paſcens Caucaſi abruptum latus,
Nudúmque ſylvis. illa, quæ Pontum Scythen 1210
Symplegas arctat, hinc & hinc victas manus
Diſtendat alto: cúmque revocatâ vice
In ſe coibunt ſaxa, quæ in cœlum exprimunt
Actis utrinque rupibus medium mare,
Ego inquieta montium jaceam mora. 1215
Quin ſtructum acervans nemore congeſto aggerem,
Cruore corpus impio ſparſum cremo?
Sic, ſic agendum eſt; inferis reddam Herculem.
AM. Nondum tumultu pectus attonitum caret,
Mutavit iras: quódque habet proprium furor; 1220
In ſe ipſe ſævit. *HER.* Dira furiarum lóca
Et inferorum carcer, & ſonti plaga
Decreta turbæ, & ſi quod exilium latet
Ulterius Erebo, Cerbero ignotum & mihi,

ACTUS QUINTUS.

HERCULES, AMPHITRYON, THESEUS.

HERCULES.

QUIS hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?
Ubi ſum? ſub ortu Solis, an ſub cardine
Glacialis Urſæ? nunquid Heſperii maris 1140

Digitized by Google

Huc me abde tellus: Tartari ad finem ultimum
Manſurus ibo. pectus ô nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, ſparſos domum
Deflere dignè poterit? hic durus malis
Lacrymare vultus neſcit. huc enſem date;
Date huc ſagittas; ſtipitem huc vaſtum date.
Tibi tela frangam noſtra; tibi noſtros puer
Rumpemus arcus, ac tuis ſtipes gravis
Ardebit umbris: ipſa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas: vos quoque infauſtas meis
Cremabo telis, ô novercales manus.
THE. Quis nomen unquam ſceleris errori dedit?
HER. Sæpe error ingens ſcæleris obtinuit locum.
THE. Nunc Hercule opus eſt. perfer hanc molem mali.
HER. Non ſic furore ceſſit extinctus pudor,
Populos ut omnes impio aſpectu fugem.
Arma, arma, Theſeu, flagito propere mihi
Subtracta reddi. ſana ſi mens eſt mihi,
Referte manibus tela: ſi remanet furor,
Pater recede. mortis inveniam viam.
AM. Per ſancta generis ſacra, per jus nominis
Utrumque noſtri, ſive me altorem vocas,
Seu tu parentem; pérque venerandos piis
Canos, ſenectæ parce deſertæ precor,
Anniſque feſſis: unicum lapſæ domûs
Firmamen, unum columen afflicto malis
Temet reſerva. nullus ex te contigit
Fructus laborum. ſemper aut dubium mare,
Aut monſtra timui. quiſquis in toto furit
Rex ſævus orbe, manibus, aut aris nocens,
A me timetur. ſemper abſentis patris
Fructum tui, tactúmque & aſpectum peto.
HER. Cur animam in iſtâ luce detineam ampliùs
Morérque, nihil eſt: cuncta jam amiſi bona.
Mentem, arma, famam, conjugem, natos, manus;
Etiam furorem. nemo polluto queat
Animo mederi: morte ſanandum eſt ſcelus.
THE. Perimes parentem? *HER.* Facere ne poſſim, occidam.
THE. Genitore coram? *HER.* Cernere hunc docui nefas.
AM. Memoranda potiùs omnibus facta intuens,
Unius à te criminis veniam pete.
HER. Veniam dabit tibi ipſe, qui nulli dedit?
Laudanda feci juſſus, hoc unum meum eſt.
Succurre genitor, ſive te pietas movet,
Seu triſte fatum, ſive violatæ decus
Virtutis: effer arma; vincatur meâ
Fortuna dextrâ. *THE.* Sunt quidem patriæ preces
Satis efficaces. ſed tamen noſtro quoque
Movere fletu. ſurge, & adverſa impetu
Perfringe ſolito: nunc tuum nulli imparem
Animum malo reſume. nunc magnâ tibi
Virtute agendum eſt; Herculem iraſci veta.
HER. Si vivo, feci ſcelera: ſi morior, tuli.
Purgare terras propero: jamdudum mihi
Monſtrum impium, ſævúmque, & immite, ac ferum
Oberrat: agedum dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore biſſeno amplius.
Ignave ceſſas? fortis in pueros modò,
Pavidáſque matres? arma niſi dentur mihi,
Aut omne Pindi Thracis exſcindam nemus,
Bacchíque lucos, & Citharonis juga
Mecum cremabo: tota cum domibus ſuis,
Dominíſque tecta, cum Deis templa omnibus
Thebana ſupra corpus excipiam meum,
Atque urbe versâ condar. &, ſi fortibus
Leve pondus humeris mœnia inverſa incident,
Septémque opertus non ſatis portis premar,
Onus omne mediâ parte quà mundus ſedet,
Dirimíque ſuperos, in meum vertam caput.
Redde arma. *AM.* vox eſt digna genitore Herculis,
Hôc en peremptus ſpiculo cecidit puer:
Hoc, Juno, telum manibus emiſit tuis:
Hôc nunc ego utar. *TH.* Ecce, jam (miſerum metu
Cor palpitat, corpúſque ſollicitum ferit.)
Aptata arundo eſt: ecce, jam facies ſcelus
Volens, ſciéníque. pande, quid fieri jubes?
HER. Nihil rogamus; nollet in tuto eſt dolor.
AM. Natum potes ſervare tu ſolus mihi.
TH. Sed ipſe nondum maximum evaſi metum.
HER. Miſerum haud potes me facere, felicem potes.
AM. Sic ſtatue quidquid ſtatuis, ut cauſam tuam
Famámque in arcto ſtare & ancipiti ſcias:
Aut vivis aut occidis. hanc animam levem,
Feſſámque ſenio, nec minùs quaſſam malis,
In ore primo teneo. tam tardè patri
Vitam dat aliquis? non feram ulteriùs moram,
Letale ferro pectus impreſſo induam:
Hìc, hìc jacebit Herculis ſani ſcelus.
HER. Jam parce, genitor, parce; jam revoca manum.
Succumbe virtus, prefer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor;
Vivamus. artus alleva afflictos ſolo
Theſeu, parentis: dextra contactus pios
Scelerata refugit. *AM.* Hanc manum amplector libens:
Hâc nixus ibo, pectori hanc ægro admovens
Pellam dolores. *HE.* Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam? quâve tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Perſicâ
Violentus undâ Tigris, aut Rhenus feror,
Tagúſve Iberâ turbidus gazâ fluens
Abluere dextram poterit? Arctoum licèt
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
Hærebit altum facinus. in quas impius
Terras recedes? Ortum, an Occaſum petes?
Ubique notus perdidi exilio locum.
Me refugit orbis, altra tranſverſos agunt
Obliqua curſus; ipſe Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. ô fidum caput
Theſeu, latebram quære longinquam, abditam.
Quicunque ſemper ſceleris alieni arbiter
Amas nocentes, gratiam meritis refer,
Vicémque noſtris: redde me infernis precor
Umbris reductum, néque ſubjectum tuis
Reſtitue vinclis. ille me abſcondet locus.
Sed & ille novit. *THE.* Noſtra te tellus manet.
Illìc ſolutam cade Gradivus manum,
Reſtituit armis. illa te, Alcide, vocat,
Facere innocentes terra quæ ſuperos ſolet.

THYE-

Digitized by Google

THYESTES.

PERSONÆ.

THYESTES, ATREUS, TANTALUS,
MEGÆRA, PLISTHENES THYESTIS F.
CHORUS SENUM MYCENÆORUM.
TANTALUS THYESTIS F. } Mutæ Perſonæ.
ALIUS THYESTIS F. }
SERVUS, NUNCIUS.

ACTUS PRIMUS.

TANTALI UMBRA, MEGÆRA.

TANTALI UMBRA.

QUIS me furor nunc ſede ab infauſtâ extrahit,
Avido fugaces ore captantem cibos?
Quis malè deorum Tantalo vivas domos
Oſtendit iterum? pejus inventum eſt ſiti
Arente in undis aliquid, & pejus fame
Hiante ſemper? Siſyphi numquid lapis
Geſtandus humeris lubricus noſtris venit?
Aut membra celeri differens curſu rota?
Aut pœna Tityi: qui ſpecu vaſto patens
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves;
Et nocte reparans quidquid amiſit die,
Plenum recenti pabulum monſtro jacet.
In quod malum tranſcribor? ô quiſquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Diſponis! adde, ſi quid ad pœnas potes,
Quod ipſe cuſtos carceris diri horreat,
Quod mœſtus Acheron paveat; ad cujus metum
Nos quoque tremamus. quære: jam noſtrâ ſubit
E ſtirpe turba, quâ ſuum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, & inauſa audeat.
Regione quidquid impiâ ceſſat loci,
Complebo. nunquam ſtante Pelopeiâ domo,
Minos vacabit. *ME.* Perge deteſtabilis
Umbra, & penates impios furiis age.
Certetur omni ſcelere, & alternâ vice
Stringantur enſes. ne ſit irarum modus
Pudórve. mentes cæcus inſtiget furor;
Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes. nec vacet cuiquam vetus
Odiſſe crimen, ſemper oriatur novum;
Nec unum in uno: dúmque punitur ſcelus,
Creſcat. ſuperbis fratribus regna excidant.
Repetátque profugos dubia violentæ domûs
Fortuna reges: inter incertos labet.
Miſer ex potente fiat, ex miſero potens;
Fluctúque regnum caſus aſſiduo ferat.
Ob ſcelera pulſi, cùm dabit patriam deus,
In ſcelera redeant: ſintque tam inviſi omnibus,
Quàm ſibi. nihil ſit, ira quod vetitum putet.
Fratrem expaveſcat frater, & natum pareus,
Natúſque patrem: liberi pereant malè;
Pejùs tamen naſcantur: immineat viro
Infeſta conjux. bella trans pontum vehant:
Effuſus omnes irriget terras cruor;
Supráque magnos gentium exultet duces
Libido victrix. impiâ ſtuprum in domo
Leviſſimum ſit. fratris & ſas, & fides,
Júſque omne pereat. non ſit à veſtris malis
Immune cœlum. cùm micant ſtellæ polo,
Flammæque ſervant debitum mundo decus;
Nox atra fiat, excidat cœlo dies.
Miſce penates: odia, cædes, funera
Arceſſe, & imple ſcelere Tantaleam domum,
Ornetur altum columen, & lauro fores
Lætæ vireſcant; dignus adventu tuo
Splendeſcat ignis. Thracium fiat nefas
Majore numero. dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyeſtes liberos deſiet ſuos?
Ecquando tollet ignibus jam ſubditis
Spumante aheno? membra per partes eant
Diſcerpta: patrios polluat ſanguis focos.
Epulæ inſtruantur. non novi ſceleris tibi
Conviva venies; liberum dedimus diem,
Tuámque ad iſtas ſolvimus menſas famem,
Jejunia exple. miſtus in Bacchum cruor
Spectante te potetur. inveni dapes,
Quas ipſe fugeres. Siſte; quò præceps ruis?
TAN. Ad ſtagna, & amnes, & recedentes aquas,
Labríſque ab ipſis arboris plenæ fugas,
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile: liceat, ſi parum videor miſer,
Mutare ripas: alveo medius tuo
Phlegethon relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque pœnas lege fatorum datas
Pati juberis: quiſquis exeſo jaces
Pavidus ſub antro, quiſque venturi times
Montis ruinam: quiſquis avidorum feros
Rictus leonum, & dira Furiarum agmina
Implicitus horres: quiſquis immiſſas faces
Semiuſtus abigis, Tantali vocem excipe
Properantis ad vos: credite experto mihi,
Amate pœnas. quando continget mihi
Effugere ſuperos? *ME.* antè perturba domum,
Inférque tecum prælia, & ferri malum
Regibus amorem: concute inſano ferum
Pectus tumultu. *TAN.* Me pati pœnas decet,
Non eſſe pœnam: mittor, ut dirus vapor
Tellure ruptâ, vel gravem populis luem
Sparſura peſtis. ducam in horrendum nefas
Avus nepotes. Magne divorum parens,
Noſtérque, quamvis pudeat; ingenti licèt
Taxata pœnâ lingua crucietur, loquar;
Nec hoc tacebo: moneo, ne ſacrâ manus
Violata cæde, néve furiali malo
Aſpergat aras. ſtabo, & arcebo ſcelus.
Quid ora terres verbere, & tortos ferox
Minaris angues? quid famem infixam intimis
Agitas medullis? flagrat incenſum ſiti
Cor, & peruſtis flamma viſceribus micat.
Sequor.
ME. Hunc, ô, furorem divide in totam domum.
Sic, ſic feratur, & ſuum infenſi invicem
Sitiant cruorem: ſenſit introitus tuos
Domus, & nefando tota contactu horruit.
Actum eſt abunde. gradere ad infernos ſpecus
Amnémque notum: jam tuo mœſtæ pede
Terræ gravantur. cernis, ut fontes liquor
Introrſus actus linquat; ut ripæ vacent;

Ventúſque

Ventúſque raras igneus nubes ferat?
Falletcit omnis arbor, ac nudus ſtetit
Fugiente pomo ramus; & qui fluctibus
Illinc propinquis Iſthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terrâ vada,
Longè remotos latus exaudit ſonos.
Jam Lerna retro ceſſit, & Phoronides
Latuere venæ: nec ſuas profert ſacras
Alpheus undas, & Citharonis juga
Stant parte nullâ cana depoſita nive,
Timéntque veterem nobiles Argi ſitim.
En ipſe Titan dubitat, an jubeat ſequi,
Cogátque habenis ire periturum diem.

CHORUS.

ARgos de ſuperis ſi quis Achaïcum,
Piſæáſque domos turribus inclytas:
Iſthmi ſi quis amat regna Corinthii,
Et portus geminos, & mare diſſidens:
Si quis Taygeti conſpicuas nives,
Quas, cùm Sarmaticus tempore frigido
In ſummis Boreas compoſuit jugis,
Æſtas veliferis ſolvit Eteſiis:
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheus ſtadio notus Olympico:
Advertat placidum numen, & arceat
Æternas ſcelerum, ne redeant, vices;
Neu ſuccedat avo deterior nepos;
Majorum & placeat culpa minoribus.
Tandem laſſa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum ſatis eſt. fas valuit nihil,
Aut commune nefas. proditus occidit
Deceptor dominæ Myrtilus, & fide
Vectus quâ tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. notior
Nulla eſt Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio
Dum currit patrium natus ad oſculum,
Immatura focis victima concidit:
Diviſúſque tuâ eſt, Tantale, dexterâ,
Menſas ut ſtrueres hoſpitibus deis:
Hos æterna fames proſequitur cibos,
Hos æterna ſitis: nec dapibus feris
Decerni potuit pœna decentior.
Stat luſus vacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio
Phineis avibus præda fugacior:
Hinc illinc gravidis frondibus incubat
Incurvata ſuis fœtibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus:
Nec, quamvis avidus, nec patiens mora,
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquátque oculos, oráque comprimit,
Incluſíſque famem dentibus alligat:
Sed tunc divitias omne nemus ſuas
Demittit propiùs, pomáque deſuper
Inſultant foliis mitia languidis,
Accendúntque famem; quæ jubet irritas
Exercere manus: has ubi protulit,
Et falli libuit; totus in arduum
Autumnus rapitur, ſylváque mobilis.
Inſtat deinde ſitis non levior fame;
Quâ cùm percaluit ſanguis, & igneis
Exarſit facibus, ſtat miſer obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, ſterili deficiens vado,
Conantémque ſequi deſerit. hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem.

ACTUS SECUNDUS.

ATREUS, SERVUS.

ATREUS.

IGnava, iners, enervis, & (quod maximum
Probrum tyranno rebus in ſummis reor)
Inulte, poſt tot ſcelera, poſt fratris dolos,
Fáſque omne raptum, queſtibus vanis agis
Iras? at Argos frenuere jam totum tuis
Debebat armis, omnis & geminum mare
Innare claſſis: jam tuis flammis agros
Lucere & urbes decuit; ac ſtrictum undique
Micare ferrum. tota ſub noſtro ſonet
Argolica tellus equite: non ſylvæ tegant
Hoſtem, nec altis montium ſtructæ jugis
Arces. relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis. quiſquis invitam capit
Tegit ac tuetur, clade funeſtâ occidat.
Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age anime, fac quod nulla poſteritas probet;
Sed nulla taceat. aliquod audendum eſt nefas
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum eſſe malit. ſcelera non ulciſceris,
Niſi vincis. & quid eſſe tam ſævum poteſt,
Quod ſuperet illum? numquid objectus jacet?
Numquid ſecundis paritur in rebus modum,
Feſſis quietem? novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non poteſt, frangi poteſt.
Proin antequam ſe firmet, aut vires paret,
Petatur ultro; ne quieſcentem petat.
Aut perdet, aut peribit. in medio eſt ſcelus
Poſitum occupanti. SER. fama te populi nihil
Adverſa terret? AT. "maximum hoc regni bonum eſt,
" Quod facta domini cogitur populus ſui
" Quàm ferre, tam laudare. SER. quos cogit metus
" Laudare, eoſdem reddit inimicos metus.
" At qui favoris gloriam veri petit,
" Animo magis quàm voce laudari volet.
AT. " Laus vera & humili ſæpe contingit viro:
Non niſi potenti falſa. quod nolunt, volunt.
SER. " Rex velit honeſta; nemo non eadem volet.
AT. " Ubicunque tantùm honeſta dominanti licent,
" Precariò regnatur. SER. Ubi non eſt pudor,
" Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides;
" Inſtabile regnum eſt. AT. Sanctitas, pietas, fides,
" Privata bona ſunt: quâ juvat, reges cant.
SER. Nefas nocere vel malo fratri puta.
ATR. Fas eſt in illo, quidquid in fratre eſt nefas.
Quod enim reliquit crimen intactum? aut ubi
Sceleri pepercit? conjugem ſtupro abſtulit,
Regnúmque furto: ſpecimen antiquum imperî
Fraude eſt adeptus; fraude turbavit domum.
Eſt Pelopis altis nobile in ſtabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis;
Hujus per omne corpus infuſo coma
Dependet auro, cujus è tergo novi
Aurata reges ſcepira Tantalici gerunt;
Poſſeſſor hujus regnat: hanc tantæ domûs
Fortuna ſequitur. tuta ſepoſitâ ſacer
In parte carpit prata, quæ claudit lapis
Fatale ſacro paſcuum muro tegens;
Hunc, facinus ingens auſus, aſſumptâ in ſcelus
Conſorte noſtri perfidus thalami avehit;
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum.
Per regna trepidus exul erravit mea:
Pars nulla noſtri tuta ab inſidiis vacat.
Corrupta conjux, imperii quaſſa eſt fides,
Domus ægra, dubius ſanguis: eſt certi nihil,
Niſi frater hoſtis. quid ſtupes? tandem incipe,
Animóſque ſume: Tantalum & Pelopem aſpice:
Ad hæc manus exempla poſcuntur meæ,
Profare, dirum quâ caput mactem viâ.
SER. Ferro peremptus ſpiritum inimicum exſpuat.
ATR. De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo.
Perimat tyrannus lenis. in regno meo
Mors impetratur? SER. nulla te pietas movet?
ATR. Excede pietas; (ſi modò noſtrâ in domo
Unquam fuiſti,) dira Furiarum cohors,
Diſcórſque Erinys veniat, & geminas faces
Megæra quatiens. non ſatis magno meum
Ardet furore pectus: impleri juvat
Majore monſtro. SER. Quid novi rabidus ſtruis?
ATR. Nil quod doloris capiat aſſueti modum.
Nullum relinquam facinus; & nullum eſt ſatis.
SER. Ferrum? ATR. parum eſt. SER. Quid ignis?
ATR. Etiamnum parum eſt.
SER. Quonam ergo telo tantus uterur dolor?
ATR. Ipſo Thyeſte. SER. majus eſt iræ hoc malum.
ATR. Fateor. tumultus pectora attonitus quatit,
Penitúſque volvit: rapior, & quò neſcio;
Sed rapior. imo mugit è fundo ſolum;
Tonat dies ſerenus; ac totis domus
Ut fracta tectis crepuit; & moti lares
Vertere vultum. fiat hoc, fiat nefas,

Quod Dii timetis. *SER.* Facere quid tandem paras?
ATR. Neſcio quid animus majus, & ſolito amplius,
Supráque fines moris humani timet,
Inſtátque pigris manibus: haud, quid ſit, ſcio:
Sed grande quiddam eſt. ita ſit; hoc, anime, incipe.
Dignum eſt Thyeſte facinus, & dignum Atreo.
Uterque faciat. vidit infandas domus
Odrylia menſas. fateor; immane eſt ſcelus,
Sed occupatum: majus hôc aliquid dolor
Inveniat. animum filio inſpira parens,
Sorórque. cauſa eſt ſimilis. aſſiſte, & manum
Impelle noſtram: liberos avidus parens,
Gaudénſque laceret, & ſuos artus edat.
Bene eſt. abunde eſt. hic placet pœnæ modus
Tantiſper. ubinam eſt? tam diu cur innocens
Verſatur Atreus? tota jam ante oculos meos
Imago cædis errat; ingeſta orbitas
In ora patris. anime, quid rurſus times?
Et ante rem ſubſidis? audendum eſt, age:
Quod eſt in iſto ſcelere præcipuum nefas,
Hoc ipſe faciet. *SER.* Sed quibus captus dolis
Noſtros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. *ATR.* Non poterat capi,
Niſi capere vellet. regna nunc ſperat mea:
Hâc ſpe minanti fulmen occurret Jovi;
Hâc ſpe ſubibit gurgitis tumidi minas;
Dubiúmque Libycæ Syrtis intrabit fretum;
Hâc ſpe, quod eſſe maximum retur malum,
Fratrem videbit. *SER.* Quis fidem pacis dabit?
Cui tanta credet? *AT.* " credula eſt ſpes improba.
Gnatis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus: relictis exul hoſpitiis, vagus,
Regno ut miſerias mutet, atque Argos regat
Ex parte dominus. ſi nimis durus preces
Spernet Thyeſtes; liberos ejus rudes,
Malíſque feſſos gravibus, & faciles capi,
Preces movebunt. hinc vetus regni furor,
Illinc egeſtas triſtis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis ſubigent virum.
SER. Jam tempus illi fecit ærumnas leves.
ATR. Erras: " malorum ſenſus accreſcit die.
" Leve eſt miſerias ferre, perferre eſt grave.
SER. Alios miniſtros conſiliis iſtis lege;
" Pejora juvenes facilè præcepta audiunt:
In patre facient, quidquid in patruo doces.
" Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.
AT. " Ut nemo doceat fraudis & ſceleris vias,
" Regnum docebit. ne mali fiant, times?
Naſcuntur. iſtud, quod vocas ſævum, aſperum,
Agíque dirè credis, & nimiùm impiè,
Fortaſſe & illìc agitur. *SER.* Hanc fraudem ſcient
Gnati parari: tacita tam rudibus fides
Non eſt in annis, detegent forſan dolos.
ATR. " Tacere multis diſcitur vitæ malis.
SER. Ipſóſne, per quos fallere alium cogitas,
Falles? *ATR.* At ipſi crimine & culpâ vacent.
Quid enim eſt neceſſe liberos ſceleri meo
Inſerere? per nos odia ſe noſtra explicent:
Malè agis, recedis anime: ſi parcis tuis,
Parces & illi: conſili Agamemnon mei
Sciens miniſter fiat & patris cliens
Menelaus adſit. prolis incertæ fides
Ex hôc paratur ſcelere. ſi bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia; ſi patruum vocant;
Pater eſt. catur. " multa ſed trepidus ſolet
" Detegere vultus; magna nolentem quoque
" Conſilia produnt: neſciant quantæ rei
Fiant miniſtri. noſtra tu cœpta occule.
SER. Haud ſum monendus. iſta noſtro in pectore
Fides, timórque; ſed magìs claudet fides.

CHORUS.

TANDEM regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum compoſuit minas.
Quis vos exagitat furor,
Alternis dare ſanguinem,
Et ſceptrum ſcelere aggredi?
Neſcitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.
" Regem non faciunt opes,
" Non veſtis Tyriæ color,
" Non frontis nota regiæ,
" Non auro nitidæ trabes.
" Rex eſt, qui poſuit metus,
" Et diri mala pectoris;
" Quem non ambitio impotens,
" Et nunquam ſtabilis favor
" Vulgi præcipitis movet.
Non quidquid fodit Occidens,
Aut undâ Tagus aureâ
Claro devehit alveo:
Non quidquid Libycis terit
Fervens area meſſibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis:
Non Eurus rapiens mare:
Aut ſævo rapidus freto
Ventoſi tumor Adriæ,
Quem non lancea militis,
Non ſtrictus domuit chalybs:
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia:
Occurríſque ſuo libens
Fato: nec queritur mori.
Reges conveniant licèt,
Qui ſparſos agitant Dacas;
Qui rubri vada litoris
Et gemmis mare lucidum
Latè ſanguineum tenent:
Aut qui Caſpia fortibus
Recludunt juga Sarmatis:
Certet Danubium licèt
Audet qui pedes ingredi:
Et quocunque loco jacent
Seres vellere nobiles;
" Mens regnum bona poſſidet.
Nil ullis opus eſt equis;
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cùm ſimulat fugas:
Admotis nihil eſt opus
Urbes ſternere machinis,
Longè ſaxa rotantibus.
" Rex eſt, qui metuit nihil.
" Rex eſt, quíque cupit nihil.
" Hoc regnum ſibi quiſque dat.
Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
" Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

ACTUS TERTIUS.

THYESTES, PLISTHENES.

Tantalus Junior & Frater tertius, *Mastæ Perſonæ.*

THYESTES.

OPTATA patriæ tecta, & Argolicas opes,
Miſerríſq; ſummum ac maximum exulibus bonum,
Tactum ſoli natalis, & patrios deos
(Si ſunt tamen dii) cerno; Cyclopum ſacras
Turres, labore majus humano decus,
Celebrata juveni ſtadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non ſemel curru tuli.
Occurret Argos, populus occurret frequens;
Sed nempe & Atreus. repete ſylveſtres fugas,
Saltúſque denſos potiùs, & mixtam feris
Similémque vitam. clarus hic regni nitor
Fulgore non eſt quod oculos falſo auferat.
Cùm quid datur ſpectabis, & dantem aſpice.
Modò inter illa, quæ putant cuncti aſpera,
Fortis fui, lætúſque: nunc contrà in metus
Revolvor. animus hæret, ac retro cupit
Corpus referre: moveo nolentem gradum.
PL. Pigro (quid hoc eſt?) genitor inceſſu ſuper,
Vultúmque vertat, ſéque in incerto tenet.

TH.

TH. Quid, anime, pendes? quidve consilium diu
Tam facile torques? rebus incertissimis,
Fratri atque regno credis? ac metuis mala
Jam victa, jam mansueta, & ærumnas fugis
Bene collocatas? esse jam miserum juvat.
Reflecte gressum, dum licet, téque eripe.
PL. Quæ causa cogit, genitor, à patriâ gradum
Referre visâ? cur bonis tantis sinum
Subducis? irâ frater abjectâ redit;
Partémque regni reddit; & laceræ domûs
Componit artus, téque restituit tibi.
TH. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video; sed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra sed genubus labant,
Alióque, quàm quò nitor, adductus feror.
Sic concitatam remige & velo ratem
Æstus, resistens remigi & vento, refert.
PL. Pervince quidquid obstat, & mentem impedit;
Reducémque quanta præmia exspectent, vide.
Pater, potes regnare. *TH.* cùm possim mori.
PL. Summa est potestas. *TH.* nulla, si cupias nihil.
PL. Gnatis relinques. *TH.* " non capit regnum duos.
PL. Miser esse mavult, esse qui felix potest?
TH. Mihi crede, falsis magna nominibus placent.
Frustra timentur dura. dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. " ô quantum bonum est,
" Obstare nulli! capere securas dapes
" Humi jacentem! scelera non intrant casas,
" Tutúsque mensâ capitur angustâ cibus.
" Venenum in auro bibitur. expertus loquor,
Malam bonæ præferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum,
Et eminentem civitas humilis tremit;
Nec fulget altis splendidum tectis ebur;
Somnósque non defendit excubitor meos:
Non classibus piscamur; & retro mare
Jactâ fugamus mole; non ventrem improbum
Alimus tributo gentium; nullus mihi
Ultra Getas metatur & Parthos ager:
Non thure colimur; nec mea, excluso Jove,
Ornantur aræ; nullo culminibus meis
Impolita nutat sylva, nec furnant manu
Succensa multâ flagra: nec somno dies,
Bacchóque nox ducenda pervigili datur.
Sed non timemus. " tuta sinè telo est domus:
" Rebúsque parvis alta præstatur quies.
" Immane regnum est, posse sinè regno pati.
PL. Nec abnuendum est, si dat imperium deus.
TH. Nec appetendum. *PL.* frater, ut regnes, rogat.
TH. Rogat? timendum est: errat hic aliquis dolus.
PL. Redire pietas, unde summota est, solet.
Reparátque vires justus amissas amor.
TH. Amat Thyestem frater? æthereas priùs
Perfundet Arctos pontus; & Siculi rapax
Consistet æstûs unda, & Ionio seges
Matura pelago surget; & lucem dabit
Nox atra terris; antè cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Fœdúsque jungent. *PL.* Quam tamen fraudem times?
TH. Omnem timori quem meo statuam modum?
Quantum potest, tantum odit. *PL.* In te quid potest?
TH. Pro me nihil jam metuo: vos facitis mihi
Atrea timendum. *PL.* decipi captus times?
" Serum est cavendi tempus in mediis malis.
TH. Esto: unum genitor hoc testor tamen;
Ego vos sequor, non duco. *PL.* Respiciat deus
Bene cogitata. perge non dubio gradu.

ATREUS, THYESTES.

Tantalus, F. Tertius frater. *Mutæ Personæ.*

ATREUS.

PLAGIS tenetur clausa dispositis fera.
Et ipsum, & unà generis invisi indolem
Junctam parenti cerno. jam tuto in loco
Vertantur odia: venit in nostras manus
Tandem Thyestes; & venit, totus quidem,
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic, cùm feras vestigat, & longo fagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore; dum procul lento fuem
Odore sentit, paret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cùm propior fuit;
Cervice totâ pugnat, & gestu vocat
Dominum morantem, téque retinenti eripit.
Cùm spirat ira sanguinem, nescit tegi;
Tamen tegatur. aspice, ut multo gravis
Squallore vultus obruat mœstus coma:
Quàm fœda jaceat barba. præstatur fides.
Fratrem juvat videre: complexus mihi
Redde expetitos: quidquid irarum fuit,
Transierit. ex hôc sanguis ac pietas die
Colantur: animis odia damnata excidant.
TH. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
Sed fateor, Atreu, fateor, admissi omnia
Quæ credidisti; pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit: est prorsus nocens,
Quicunque visus tam bono fratri est nocens.
Lacrymis agendum est: supplicem primus vides.
Hæ te precantur pedibus intactæ manus.
Ponatur omnis ira, & ex animo tumor
Erasus abeat: obsides fidei accipe
Hos innocentes. *ATR.* Frater, à genubus manus
Auser, meósque potiùs amplexus pete.
Vos quoque, senum præsidia, vos juvenes, meo
Pendete collo. squallidam vestem exue,
Oculísque nostris parce, & ornatus cape,
Pares meis, lætúsque fraterni imperii
Capesse partem. major hæc laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
" Habere regnum, casus est: virtus, dare.
TH. Dii paria, frater, pretia pro tantis tibi
Meritis rependant. regiam capitis notam
Squallor recusat noster; & sceptrum manus
Infausta refugit, liceat in medià mihi
Latere turbâ. *ATR.* Recipit hoc regnum duos.
TH. Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum.
ATR. Quis influentis dona Fortunæ abnuit?
TH. Expertus est quicunque, quàm facilè effluant.
ATR. Fratrem potiri gloriâ ingenti vetas?
TH. Tua jam peracta gloria est, restat mea.
Respuere certum est regna consilium mihi.
ATR. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
TH. Accipio. regni nomen impositi feram:
Sed jura & arma servient mecum tibi.
ATR. Impositæ capiti vincla venerando gere.
Ego destinatas victimas superis dabo.

CHORUS.

CREDAT hoc quisquam? ferus ille & acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus hæsit.
" Nulla vis major pietate verâ est.
" Jurgia externis inimica durant,
" Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cùm magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinítque bellum,
Cùm leves frenis sonuere turmæ,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem,
Opprimit ferrum, manibúsque junctis
Ducit ad pacem pietas vegantes.
Otium tanto subitum è tumultu
Quis deus fecit? modò per Mycenas
Arma civilis crepuere belli.
Pallidæ matres timuere natis;
Uxor armato timuit marito,
Cùm manum invitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietæ.
Ille labentes renovare muros;
Hic situ quassas stabilire turres;
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat; pavidúsque pinnis
Anxiæ nocti vigil incubabat.
" Pejor est bello timor ipse belli.
Jam minæ lævi cecidere ferri;
Jam silet murmur grave classicorum;
Jam tacet stridor litui strepentis;
Alta pax urbi revocata lætæ est.
Sic ubi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum;
Scylla pulsatis resonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautæ,
Quod rapax Auster revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis residens in Ætnæ,

Digitized by Google

Ne ſuperfuſis violetur undis
Ignis æternis reſonans caminis;
Et putat mergi ſua poſſe pauper
Regna Laertes, Ithacâ tremente;
Si ſuæ ventis cecidere vires,
Mitius ſtagno pelagus recumbit;
Alta quæ navis timuit ſecare
Hinc & hinc fulis ſpacioſa velis,
Strata ludenti patuere cymbæ:
Et vacat merſos numerare piſces;
Hìc ubi ingenti modò ſub procellâ
Cyclades pontum timuere motæ.
" Nulla ſors longa eſt. dolor ac voluptas
" Invicem cedunt. brevior voluptas.
" Ima permutat brevis hora ſummis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cujus ad nutum poſuere bella
Medus, & Phœbi propioris Indus,
Et Dacæ Parthis equitem minati;
Anxius ſceptrum tenet, & moventes
Cuncta divinat; metuſtque caſus
Mobiles rerum, dubiúmque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidóſque vultus:
Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis dominus minatur.
" Omne ſub regno graviore regnum eſt.
" Quem dies vidit veniens ſuperbum,
" Hunc dies vidit fugiens jacentem.
" Nemo confidat nimiùm ſecundis;
" Nemo deſperet meliora lapſis,
" Miſcet hæc illis, prohibétque Clotho
" Stare fortunam. rotat omne fatum.
" Nemo tam divos habuit faventes,
" Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.
" Res Deus noſtras celeri citatas
" Turbine verſat.

Fractíque currus; ſpolia Myrtoi maris;
Victæque falſis axibus pendent rotæ;
Et omne gentis facinus. hôc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis: hìc præda hoſtium;
Et de triumpho picta barbarico chlamys.
Fons ſtat ſub umbrâ triſtis, & nigrâ piger
Hæret palude. talis eſt diræ Stygis
Deformis unda, quæ facit cœlo fidem.
Hìc nocte totâ gemere ferales deos
Fama eſt: catenis lucus excuſſis ſonat,
Ululántque Manes. Quidquid audire eſt metus,
Illìc videtur. errat antiquis vetus
Emiſſa buſtis turba, & inſultant loco
Majora notis monſtra. Quin totâ ſolet
Micare flammâ ſylva, & excelſæ trabes
Ardent ſinè igni. ſæpe latratu nemus
Trino remugit: ſæpe ſimulacris domus
Attonita magnis. nec dies ſedat metum.
Nox propria luco eſt, & ſuperſtitio inferûm
In luce mediâ regnat. Hinc orantibus
Reſponſa dantur certa, cùm ingenti ſono
Laxantur adyto fata, & immugit ſpecus
Vocem Deo ſolvente. Quò poſtquam furens
Intravit Atreus liberos fratris trahens,
Ornantur aræ. quis queat dignè eloqui?
Poſt terga juvenum nobiles religat manus,
Et mœſta vittâ capita purpureâ ligat:
Non thura deſunt, non ſacer Bacchi liquor,
Tangénſve ſalsâ victimam culter molâ.
Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. *CHO.* Quis manum ferro admovet?
NUN. Ipſe eſt ſacerdos. ipſe funeſtâ prece
Letale carmen ore violento canit.
Stat ipſe ad aras. ipſe devotos neci
Contrectat, & componit, & ferro admovet:
Attendit ipſe, nulla pars ſacri perit.
Lucus tremiſcit. tota ſuccuſſo ſolo
Nutavit aula, dubia quò pondus daret,
Ac fluctuanti ſimilis. è lævo æthere
Atrum cucurrit limitem ſidus trahens.
Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho. regium capiti decus
Bis térque lapſum eſt. flevit in templis ebur.
Movere cunctos monſtra: ſed ſolus ſibi
Immotus Atreus conſtat, atque ultro deos
Terret minantes. jámque dimiſſâ morâ
Affiluit aris, torvùm & obliquùm intuens.
Jejuna ſylvis qualis in Gangeticis
Inter juvencos tigris erravit duos;
Utriuſque prædæ cupida, quò primos ferat
Incerta morſus, flectit huc rictus ſuos,
Illò reflectit, & famem dubiam tenet;
Sic dirus Atreus capita devota impiæ
Speculatur iræ. quem priùs mactet ſibi,
Dubitat; ſecundâ deinde quem cæde immolet.
Nec intereſt: ſed dubitat. & tantum ſcelus
Juvat ordinare. *CH.* Quem tamen ferro occupat?
NUN. Primus locus, (ne deceſſe pietatem putes,)
Avo dicatur; Tantalus prima hoſtia eſt.
CH. Quo juvenis animo, quo tulit vultu necem?
NUN. Stetit ſui ſecurus, & non eſt preces
Perire fruſtra paſſus: aſt illi ferus
In vulnere enſem abſcondit, & penitus premens
Jugulo manum commiſit. educto ſtetit
Ferro cadaver: cúmque dubitâſſet diu
Hâc parte an illâ caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Phlithenem ſævus trahit,
Adieſtque fratri: colla percuſſa amputat.
Cervice cæſâ truncus in pronum ruit:
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CH. Quid deinde geminâ cæde perfunctus facit?
Puerónne parcit? an ſcelus ſcelerî ingerit?
NUN. Sylvâ jubatus qualis Armeniâ leo,
In cæde multâ victor armento incubat,
Cruore rictus madidus, & pulsâ fame
Non ponit iras; hinc & hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente jam laſſo piger:
Non aliter Atreus ſævit, atque irâ tumet,
Ferrúmque geminâ cæde perfuſum tenens,
Oblitus in quem rueret; infeſtâ manu
Exegit ultra corpus. at pueri ſtatim
Pectori receptus enſis in tergo exſtitit.
Cadit ille, & aras ſanguine extinguens ſuo
Per utrumque vulnus moritur. *CH.* O ſævum ſcelus!

ACTUS QUARTUS.

NUNCIUS, CHORUS.

NUNCIUS.

QUIS me per auras turbo præcipitem vehit,
Atrâque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? ô domus Pelopi quoque
Et Tantalo pudenda! *CH.* Quid portas novi?
NU. Quænam iſta regia eſt, Argos & Sparte impios
Sortita fratres? & maris gemini premens
Fauces Corinthus? an feris Iſter fugam
Præbens Alanis? an ſub æternâ nive
Hyrcana tellus? an vagi paſſim Scythæ?
CH. Quis hic nefandi eſt conſcius monſtri locus?
Effare: & iſtud pande, quodcunque eſt malum.
NU. Si ſteterit animus, ſi metu corpus rigens
Remittet artus; hæret in vultu trucis
Imago facti. ferte me inſanæ procul
Illò procellæ, ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. *CH.* Animos graviùs incertos tenes.
Quid ſit, quod horres, effer; auctorem indica.
Non quæro quis ſit, ſed uter. effare ocyús.
NU. In arce ſummâ Pelopeæ pars eſt domus
Converſa ad Auſtros; cujus extremum latus
Æquale monti creſcit, atque urbem premit,
Et contumacem regibus populum ſuis
Habet ſed icto: fulget hic turbæ capax
Immane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.
Poſt iſta vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa dives ſpacia diſcedit domus.
Arcana in imo regio ſecetſu patet,
Altâ vetuſtum valle compeſcens nemus,
Penetrale regni. nulla quà lætos ſolet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli;
Sed taxus, & cupreſſus, & nigrâ ilice
Obſcura nutat ſylva; quam ſupra eminens
Deſpectat altè quercus, & vincit nemus.
Hinc auſpicari regna Tantalidæ ſolent,
Hinc petere lapſis rebus & dubiis opem.
Affixa inhærent dona; vocales tubæ;

NUN. Exhorruiſtis? hactenus non ſtat nefas.
Plus eſt. *CH.* An ultrà majus aut atrocius
Natura recipit? *NUN.* Sceleris hunc finem putas?
Gradus eſt. *CH.* Quid ultrà potuit? abjecit feris
Lanianda forſan corpora, atque igne arcuit.
NUN. Utinam arcuiſſet! ne tegat functos humus,
Ne ſolvat ignis, avibus epulandos licèt
Ferìſque triſte pabulum ſævis trahat;
Votum eſt ſub hôc, quod eſſe ſupplicium ſolet.
Pater inſepultos ſpectet. ô nullo ſcelus
Credibile in ævo, quódque poſteritas neget!
Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirántque venæ, córque adhuc pavidum ſalit.
At ille fibras tractat, ac fata inſpicit;
Et adhuc calentes viſcerum venas notat.
Poſtquam hoſtiæ placuere, ſecurus vacat
Jam fratris epulis. ipſe diviſim ſecat
In membra corpus; amputat trunco tenus
Humeros patentes, & lacertorum moras;
Denudat artus dirus, atque oſſa amputat:
Tantùm ora ſervat, & datas fidei manus.
Hæc verubus hærent viſcera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus later,
Quærente aheno, jactat: impoſitas dapes
Tranſiliit ignis, ſuque crepitantes focos
Bis ter regeſtus, & pati juſſus moram,
Invitus ardet. ſtridet in verubus jecur.
Nec facilè dicam, corpora an flammæ magis
Gemuere. piceus ignis in fumos abit:
Et ipſe fumus triſtis, ac nebulâ gravis,
Non rectus exit, ſéque in excelſum levans,
Ipſos penates nube deformi obtidet.
O Phœbe patiens, fugeris retro licèt,
Medióque ruptum merſeris cœlo diem,
Serò occidiſti. lancinat gnatos pater,
Artúſque mandit ore funeſto ſuos.
Nitet fluente madidus unguento comam,
Graviſque vino: ſæpe præcluſæ cibum
Tenuere fauces. in malis unum hoc tuis
Bonum eſt, Thyeſta, quòd mala ignoras tua.
Sed & hoc peribit. verterit currus licèt
Sibi ipſe Titan obviam ducens iter;
Tenebriſque ſacinus obruat tetrum novis,
Nox miſſa ab ortu tempore alieno gravis;
Tamen videndum eſt. tota patebunt mala.

CHORUS.

QUO terrarum ſuperûmque parens
Cujus ad ortus noctis opacæ
Decus omne fugit, quò vertis iter,
Medióque diem perdis Olympo?
Cur, Phœbe, tuos rapis aſpectus?
Nondum ſeræ nuncius horæ
Nocturna vocat lumina veſper:
Nondum Heſperiæ flexura rotæ
Jubet emeritos ſolvere currus:
Nondum in noctem vergente die
Tertia miſit buccina ſignum:
Stupet ad ſubitæ tempora cœnæ
Nondum feſſis bubus arator.
Quid te ætherio pepulit curſu?
Quæ cauſa tuo limite certo
Dejecit equos? numquid aperto
Carcere Ditis victi tentant
Bella gigantes? numquid Tityus
Pectore feſſo renovat veteres
Saucius iras? num rejecto
Latus explicuit monte Typhoëus?
Numquid ſtruitur via Phlegræos
Alta per hoſtes? & Theſſalicum
Threſſâ premitur Pelion Oſſâ?
Solitæ mundi periere vices:
Nihil occaſus, nihil Ortus erit.
Stupet Eoos aſſueta deo
Tradere frenos, genitrix prima
Roſcida lucis, peſverſa ſui
Lumina regni. neſcit feſſos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore jubas mergere ponto.
Ipſe inſueto novus hoſpitio
Sol auroram videt occiduus,
Tenebráſque jubet ſurgere, nondum
Nocte paratâ. non ſuccedunt
Aſtra, nec ullo micat igne polus.
Nec Luna graves digerit umbras.
Sed quidquid id eſt, utinam nox ſit.
Trepidant, trepidant pectora magno
Perculſa metu, ne fatali
Cuncta ruinâ quaſſata labent,
Iterúmque deos, hominéſque premat
Deforme chaos: iterum terras,
Et mare & ignes, & vaga picti
Sidera mundi Natura tegat.
Non æternæ facis exortu
Dux aſtrorum ſecula ducens
Dabit æſtatis brumæque notas.
Non Phœbeis obvia flammis
Demet nocti Luna timores,
Vincétque ſui fratris habenas,
Curvo breviùs limite currens.
Ibit in unum congeſta ſinum
Turba deorum.
Hic, qui ſacris pervius aſtris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapſa videbit ſidera labens.
Hic, qui nondum vere benigno
Reddit Zephyro vela tepenti,
Aries præceps ibit in undas,
Per quas pavidam vexerat Hellen.
Hic, qui nitido Taurus cornu
Præfert Hyadas, ſecum Geminos
Trahet, & curvi brachia Cancri.
Leo flammiferis æſtibus ardens
Iterum è cœlo cadet Herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas;
Juſtæque cadent pondera Libræ;
Secúmque trahent Scorpion acrem.
Et, qui nervo tenet Æmonio
Pennata ſenex ſpicula Chiron,
Rupto perdet ſpicula nervo.
Pigram referens hyemem gelidus
Cadet Ægoceros, frangétque tuam,
Quiſquis es, Urnam. tecum excedent
Ultima cœli ſidera Piſces.
Monſtráque nunquam perfuſa mari
Merget condens omnia Gurges.
Et qui medias dividit Urſas,
Fluminis inſtar, lubricus Anguis:
Magnóque minor juncta Draconi
Frigida duro Cynoſura gelu:
Cuſtóſque ſui tardus plauſtri
Jam non ſtabilis ruet Arctophylax.
Nos è tanto viſi populo
Digni, premeret quos everſo
Cardine mundus,
In nos ætas ultima venit.
O nos durâ ſorte creatos,
Seu perdidimus ſolem miſeri,
Sive expulimus! abeant queſtus.
Diſcede timor. " vitæ eſt avidus,
" Quiſquis non vult, mundo ſecum
" Pereunte, mori.

ACTUS QUINTUS.

ATREUS.

ÆQUALIS aſtris gradior, & cunctos ſuper
Altum ſuperbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc ſolium patris.
Dimitto ſuperos: ſumma votorum attigi.
Bene eſt; abunde eſt; jam ſat eſt etiam mihi.
Sed cur ſatis ſit? pergam, & implebo patrem
Funere ſuorum: ne quid obſtaret pudor,
Dies receſſit. perge, dum cœlum vocat.
Utinam quidem tenere fugientes deos
Poſſem, & coactos trahere, ut ultricem dapem
Omnes viderent! quod ſat eſt, videat pater.
Etiam die nolente diſcutiam tibi
Tenebras, miſeriæ ſub quibus latitant tuæ.
Nimis diu conviva ſecuro jaces
Hilarſque vultu. jam ſatis menſis datum eſt,
Satiſque Baccho. ſobrio tanta ad mala
Opus eſt Thyeſte. turba famularis fores
Templi relaxa; feſta pateſiat domus.
Libet videre, capita natorum intuens

Quos

Quos det colores, verba quæ primus dolor
Effundat, aut ut ſpiritu expulſo ſtupens
Corpus rigeſcat. fructus hic operis mei eſt.
Miſerum videre nolo, ſed dum ſit miſer.
Aperta multâ tecta collucent face.
Reſupinus ipſe purpurâ atque auro incubat,
Vino gravatum fulciens lævâ caput,
Eructat. ô me cœlitum excelſiſſimum,
Regúmque regem! vota tranſcendi mea.
Satur eſt. capaci ducit argento merum.
Ne parce potu, reſtat etiam nunc cruor
Tot hoſtiarum. veteris hunc Bacchi color
Abſcondet. hôc hæc menſâ claudatur ſcypho.
Miſtum ſuorum ſanguinem genitor bibat;
Meum bibiſſet. ecce jam cantus ciet,
Feſtáſque voces; nec ſatìs menti imperat.

THYESTES.

PECTORA longis hebetata malis,
Jam ſollicitas ponite curas.
Fugiat mœror, fugiátque pavor,
Fugiat trepidi comes exilii
Triſtis egeſtas, rebúſque gravis
Pudor afflictis. magis unde cadas,
Quàm quò, refert. magnum, ex alto
Culmine lapſum, ſtabilem in plano
Figere greſſum: magnum, ingenti
Strage malorum preſſum, fracti
Pondera regni non inflexâ
Cervice pati; nec degenerem
Victúmque malis, rectum impoſitas
Ferre ruinas. ſed jam ſævi
Nubila fati pelle, ac miſeri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad læta boni,
Veterem ex animo mitte Thyeſten.
" Proprium hoc miſeros ſequitur vitium,
" Nunquam rebus credere lætis.
" Redeat felix Fortuna licèt,
" Tamen afflictos gaudere piget.
Quid me revocas, feſtúmque vetas
Celebrare diem? quid flere jubes
Nullâ ſurgens dolor ex causâ?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere roſæ;
Pingui madidus crinis amomo
Inter ſubitos ſtetit horrores;
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus;
Mœror lacrymas amat aſſuetas.
Flendi miſeris dira cupido eſt.
Libet infauſtos mittere queſtus,
Libet & Tyrio ſaturas oltro
Rumpere veſtes. ululare libet.
Mittit luctûs ſigna futuri
Mens, antè ſui præſaga mali.
Inſtat nautis fera tempeſtas,
Cùm ſinè vento tranquilla tument.
Quos tibi vultus, quóſve tumultus
Fingis demens? credula præſta
Pectora fratri. jam quidquid id eſt,
Vel ſinè causâ, vel ſerò times.
Nolo infelix; ſed vagus intrò
Terror oberrat; ſubitos funduut
Oculi fletus, nec cauſa ſubeſt.
Dolor, an metus eſt? an habet lacrymas
Magna voluptas?

ATREUS, THYESTES.

ATREUS.

FESTUM diem, germane, conſenſu pari
Celebremus: hic eſt ſceptra qui firmet mea,
Solidámque pacis alligat certæ fidem.
TH. Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet.
Augere cumulus hic voluptatem poteſt,
Si cum meis gaudere felici datur.
ATR. Hic eſſe natos crede in amplexu patris.
Hic ſunt, crúntque; nulla pars prolis tuæ
Tibi ſubtrahetur: ora, quæ exoptas, dabo,
Totúmque turbâ jam tuâ implebo patrem.
Satiaberis, ne metue: nunc mihi meis,
Jucunda menſæ ſacra juvenilis colant.
Sed accientur. poculum infeſto cape
Gentile Baccho. *TH.* Capio fraternæ dapis
Donum. paternis vina libentur Deis,
Tunc hauriantur. Sed quid hoc? non vult manus
Parere; creſcit pondus, & dextram gravat.
Admotus ipſis Bacchus à labris fugit,
Circáque rictus ore decepto effluit.
En, ipſa trepido menſa ſubſilait ſolo.
Vix lucet ignis. ipſe quin æther gravis
Inter diem noctémque deſertus ſtupet.
Quid hoc? magis magiſque concuſſi labant
Convexa cœli. ipſſior denſis coit
Caligo tenebris, nóxque ſe in noctem abdidit.
Fugit omne ſidus. quidquid eſt, fratri, precor,
Gnatiſque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella. redde jam gnatos mihi.
ATR. Reddam, & tibi illos nullus eripiet dies.
TH. Quis hic tumultus viſcera exagitat mea;
Quid tremuit intus? ſentio impatiens onus,
Meúmque gemitu non meo pectus gemit.
Adeſte nati, genitor infelix vocat:
Adeſte; viſis fugiet hìc vobis dolor.
Unde obloquuntur? *ATR.* Expedi amplexus pater.
Venere. gnatos ecquid agnoſcis tuos?
TH. Agnoſco fratrem. tuſtines tantum nefas
Geſtare tellus? non ad infernam Styga
Te nóſque mergis? ruptâ & ingenti viâ
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta convellens ſolo
Vertis Mycenas? ſtare circa Tantalum,
Avóſque noſtros, ſi quis intra Tartara eſt,
Uterque jam debuimus. hinc compagibus
Et hinc revulſis huc tuam immani ſinu
Demitte vallem, nóſque defoſſos tege
Acheronte toto: noxiæ ſupra caput
Animæ vagentur noſtrum, & ardenti freto
Phlegethon arenas igneus tortas agens
Exitia ſupra noſtra violentus fluat.
Immota tellus pondus ignavum jaces?
ATR. Recipe hoſce citiùs; liberis tandem tuis
Diu expetitis, nulla per fratrem eſt mora,
Fruere: oſculare: divide amplexus tribus.
TH. Hoc fœdus? hæc eſt gratia? hæc fratris fides?
Sic odia ponis? non peto; incolumes pater
Gnatos ut habeam: fœdere quod ſalvo dari
Odióque poſſit, frater hoc fratrem rogo;
Sepelire liceat. redde, quod cernas ſtatim
Uri. nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. *ATR.* Quidquid è gnatis tuis
Supereſt, habebis: quódque non ſupereſt, habes.
TH. Utrúmne ſævis pabulum alitibus jacent?
An belluis ſervantur? an paſcunt feras?
ATR. Epulatus ipſe es impiâ gnatos dape.
TH Hoc eſt deos quod puduit! hoc egit diem
Averſum in ortus! quas miſer voces dabo,
Queſtúſque quos? quæ verba ſufficient mihi?
Abſciſſa cerno capita, & avulſas manus,
Et rupta fractis cruribus veſtigia.
Hoc eſt, quod avidus capere non potuit pater.
Volvuntur intus viſcera, & clauſum nefas
Sinè exitu luctatur, & quærit viam.
Da, frater, enſem. ſanguinis multum mei
Habet ille. ferro liberis demus viam.
Negatur enſis. pectora illiſo ſonent
Concuſſa planctu. ſuſtine, infelix, manum;
Parcamus umbris. tale quis vidit nefas?
Quis inhoſpitalis Caucaſi rupem aſperam
Haniochus habitans? quiſve Cecropiis metus
Terris Procrustes? geniscor en gnatos premo,
Premórque gnatis. ſceleris eſt aliquis modus?
ATR. " Sceleri modus debetur, ubi facias ſcelus,
" Non ubi reponas. hoc quoque exiguum eſt mihi,
Ex vulnere ipſo ſanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui; ut viventium
Biberes cruorem. verba tunc iræ data;
Dum propero, ferro vulnera impreſſo dedi.
Cecidi ad aras, cæde votivâ focos
Placavi: & artus, corpore exanimo ampleaus
In parva carpſi fruſta: & hæc ferventibus
Demerſi ahenis: illa lentis ignibus
Stillare juſſi. membra, nervóſque abſcidi
Viventibus: graciliſque trajectas veru
Mugire fibras vidi, & aggeſſi manu
Mea ipſe flammas. omnia hæc meliùs pater

Feciſſe

Digitized by Google

Feciſſe potuit. cecidit inceſſum dolor.
Scidit ore natos impio, ſed neſciens,
Sed neſcientes. *TH.* Cluſa litoribus vagis
Audite maria. vos dei audite hoc ſcelus,
Quócunque diffugiſtis. audite inferi.
Audite Terræ. Nóxque Tartareâ gravis
Et atra nube, vocibus noſtris vaca.
Tibi ſum relictus. ſola tu miſerum vides,
Tu quoque ſinè aſtris, vota non faciam improba,
Pro me nihil precabor. ecquid jam poteſt
Pro me eſſe? vobis vota proſpicient mea,
Tu ſumme cœli rector, ætheriæ potens
Dominatoraulæ, nubibus totum horridis
Convolve mundum, bella ventorum undique
Committe; & omni parte violentum intona:
Manúque, non quà tecta & immeritas domos
Telo petis minore; ſed quà montium
Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares Gigantes; hàc arma expedi,
Ignéſque torque. vindica amiſſum diem.
Jaculare flammas; lumen ereptum polo
Fulminibus exple. cauſa, ne dubites diu,
Utriuſque mala ſit: ſi minùs; mala ſit mea.
Me pete: triſulco flammeam telo facem
Per pectus hoc tranſmitte. ſi gnatos pater
Humare, & igni tradere extremo volo,
Ego ſum cremandus. ſi nihil ſuperos movet,
Nullúmque telis impios numen petii;
Æterna nox permaneat, & tenebris tegat
Immenſa longis ſcelera. nil Titan queror,
Si perſeveras. *ATR.* Nunc meas laudo manus,
Nunc parta vera eſt palma. perdideram ſcelus,
Niſi ſic doleres: liberos naſci mihi
Nunc credo; caſtis nunc fidem reddi toris.
TH. Quid liberi meruere? *ATR.* Quòd fuerant tui.
TH. Gnatos parenti? *ATR.* Fateor; & quòd me juvat,
Certos. *TH.* piorum præſides teſtor deos.
ATR. Quid conjugales? *TH* ſcelere quis penſat ſcelus?
ATR. Scio quid queraris. ſcelere prærepto doles:
Nec quòd nefandas hauſeris, tangit, dapes:
Quòd non parâris. fuerat hic animus tibi
Inſtruere ſimiles inſcio fratri cibos,
Et adjuvante liberos matre aggredi,
Similſque leto ſternere. hoc unum obſtitit,
Tuos putâſti. *TH.* vindices aderunt dei:
His puniendum vota te tradunt mea.
ATR. Te puniendum liberis trado tuis.

THEBAIS.

PERSONÆ.

OEDIPUS. ANTIGONE.
NUNCIUS. JOCASTA.
POLYNICES.

ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS, ANTIGONE.

OEDIPUS.

CÆCI parentis regimen, ac feſſi unicum
Patris levamen, gnata, quam tanti eſt mihi
Genuiſſe vel ſic; deſere infauſtum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi. meliùs inveniam viam
Quam quæro ſolus, quæ me ab hâc vitâ extrahat,
Et hôc nefandi capitis aſpectu levet
Cœlum atque terras. quantulum hâc egi manu?
Non video noxæ conſcium noſtræ diem:
Sed videor. hinc jam ſolve inhærentem manum,
Et patere cæcum, quà volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, quà prærupta protendit juga
Meus Cithæron; quà peragrato celer
Per ſaxa monte jacuit Actæon, ſuis
Nova præda canibus; quà per obſcurum nemus,
Sylvámque opacæ vallis inſtinctas deo
Egit ſorores mater, & gaudens malo,
Vibrante thyrſo prætulit fixum caput;
Vel quà cucurrit corpus invitum trahens
Zethi juventus, quà per horrentes rubos
Tauri ferocis ſanguis oſtentat fugas;
Vel quà alta maria vertice immenſo premit,
Inóque præceps quà ſcelus fugiens ſuum,
Novúmque faciens, mater inſiluit freto
Merſura gnatum, ſéque. felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Eſt alius iſtis noſter in ſylvis locus,
Qui me repoſcit; hunc petam curſu incito:
Non hæſitabit greſſus, huc omni duce
Spoliatus ibo quid moror ſedes meas?
Montem Cithæron redde, & hoſpitium mihi
Illud meum reſtitue, ut exſpirem ſenex,
Ubi debui infans. recipe ſupplicium vetus
Semper cruente, ſæve, crudelis, ferox,
Cùm occidis, & cùm parcis. olim jam tuum
Eſt hoc cadaver. perage mandatum patris,
Jam & matris. animus geſtit antiqua exequi
Supplicia. quid me, gnata, peſtifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, ſequor. jam parce. ſanguineum gerens
Inſigne regni Laius erepti furit.
Et ecce inanes manibus infeſtis petit
Foditque vultus. gnata, genitorem vides?
Ego video. tandem ſpiritum inimicum exue,
Deſertor animæ, fortis in partem tui,
Omitte pœnas languidas longæ moræ,
Mortémque totam recipe. quid ſegnis traho?
Quid vivo? nullum facere jam poſſum ſcelus.
Poſſum miſer. prædico, diſcede à patre;
Diſcede virgo. timeo poſt matrem omnia.
AN. Vis nulla, genitor, à tuo noſtram manum
Corpore reſolvet. nemo me comitem tibi
Eripiet unquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars ſumma patris optimi è regno, mea eſt
Pater ipſe. non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto ſceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens.
Non ſi revulſo Jupiter mundo tonet,
Mediúmque noſtros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet;
Regam abnuentem, dirigam invitum gradum.
In plana tendis? vado. prærupta experis?
Non obſto, ſed præcedo. quò vis utere
Duce me: duobus omnis eligitur via.
Perire ſinè me non potes; mecum potes.
Hìc alta rupes arduo ſurgit jugo,
Spectátque longè ſpatia ſubjecti maris.

Vis

Digitized by Google

Vis hanc petamus? nodus hîc pendet filex:
Hic fciſſa tellus faucibus raptis hiat.
Vis hanc petamus? hîc rapax torrens cadit,
Partéſque lapſi montis exeſas rotat.
In hunc ruamus: dum prior, quò vis, eo;
Non deprecor, non hortor. extingui cupis,
Votúmque, genitor, maximum mors eſt tibi?
Si moreris, antecedo: ſi vivis, ſequor.
Sed flecte mentem; pectus antiquum advoca;
Victáſque magno pectore arumnas doma.
Reſiſte. tantis in malis vinci malum eſt.
OE. Unde in nefandâ ſpecimen egregium domo?
Unde iſta generi virgo diſſimilis ſuo?
Fortuna, credis? aliquis eſt ex me plus?
Non eſſet unquam (fata bene novi mea)
Niſi ut noceret, ipſa ſe in leges novas
Natura vertet; regeret in fontem citus
Revolutus undas amnis; & noctem afferet
Phœbea lampas; Heſperus faciet diem.
Ut ad miſerias aliquid accedat meas;
Pii quoque erimus. unica Oedipoda eſt ſalus;
Non eſſe ſalvum. licuit ulciſci patrem
Adhuc inultum. dextra quid ceſſas iners
Exigere pœnas? quidquid exactum eſt adhuc,
Matri dediſti. mitte genitoris manum,
Animoſa virgo: funus extendis meum;
Longáſque vivi ducis exequias patris.
Aliquando terrâ corpus inviſum tege.
Peccas honeſtâ mente: pietatem vocas,
Patrem inſepultum trahere. qui cogit mori
Nolentem in æquo eſt, quiſque properantem impedit.
" Occidere eſt, vetare cupientem mori.
Nec tamen in æquo eſt. alterum gravius reor;
Malo imperari, quàm eripi mortem mihi.
Deſiſte cœpto, virgo. jus vitæ ac necis
Meæ penès me eſt. regna deſerui libens,
Regnum mei retineo. ſi fida es comes,
Enſem parenti trade; ſed notum nece
Enſem paternâ. tradis? an gnati tenent
Cum regno & illum? faciet, ubicunque eſt, ſcelus.
Ibi ſit. relinquo. gnatus hunc habeat meus,
Sed uterque. flammas potiùs, & vaſtum aggerem
Compone. in altos ipſe me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem adſcendam ſtruem,
Pectúſque ſolvam durum, & in cineres dabo
Hoc quidquid in me vivit. ubi ſævum eſt mare,
Duc; ubi ſit altis prærutum ſaxis jugum,
Ubi torta rapidus ducat Iſmenos vada;
Duc, ubi feræ ſint, ubi fretum, ubi præceps locus,
Si dux es. illuc ire morituro placet,
Ubi ſedet altâ rupe ſemiſero dolos
Sphinx ore nectens. dirige huc greſſus pedum,
Hîc ſiſte patrem. dira ne ſedes vacet.
Monſtrum repone majus. ſaxum inſidens
Obſcura noſtræ verba fortunæ loquar,
Quæ nemo ſolvat, quiſquis Aſſyrio loca
Poſſeſſa regi ſcindis, [& Cadmi nemus
Serpente notum, ſacra quo Dirce latet,
Supplex ad aras quiſquis Europen bibis;
Sparténque fratre nobilem gemino colis;
Quicumque Elim, Parnaſon,] & Bœotios
Colonus agros uberis tondes ſoli;
Adverte mentem: ſæva Thebarum lues
Luctifica cæcis verba committens modis,
Quid ſimile poſuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patriſque rivalis ſui:
Frater ſuorum liberûm, & fratrum parens;
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. monſtra quis tanta explicet?
Ego ipſe, victæ ſpolia qui Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres mei,
Quid perdis ultrà verba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? hoc animo ſedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, & tenebras petere. nam ſceleri hæc meo
Parum alta nox eſt. Tartaro condi juvet,
Et ſi quid ultra Tartarum eſt. tandem libet,
Quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapſo vias
Cludes? & arctis colla laqueis inferi
Prohibebis? herbas, quæ ferunt lethum, auferes?
Quid iſta tandem cura proficiet tua?
" Ubique mors eſt. optimè hoc cavit Deus.
" Eripere vitam nemo non homini poteſt;
" At nemo mortem. mille ad hanc aditus patent.
Nil quæro. dextrâ noſter & nudâ ſolet
Bene animus mi. dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni.
Non deſtino unum vulneri noſtro locum:
Totus nocens ſum. quâ voles, mortem exige.
Effringe corpus. córque tot ſcelerum cape ax
Evelle. totos viſcerum nuda ſinus.
Fractum incitatis ictibus guttur ſonet,
Laceræve fixis unguibus venæ fluant.
Aut dirige iras, quò ſoles. hæc vulnera
Reſciſſa multo ſanguine ac tabe irriga.
Hàc extrahe animam, duram, inexpugnabilem.
Et tu, parens, ubicunque pœnarum arbiter
Adſtas mearum (non ego hoc tantum ſcelus
Ullâ expiari credidi pœnâ ſatis
Unquam, nec illâ morte contentus fui,
Nec me redemi parte: membratim tibi
Volui perire) debitum tandem exige:
Nunc ſolvo pœnas; tunc tibi inferias dedi:
Ades, atque inertem dexteram introrſus preme,
Magiſque merge. timida tum parvo caput
Libavit hauſtu, viſque cupientes ſequi
Eduxit oculos. hæret etiam nunc mihi
Ille animus, hæret; cùm recuſantem manum
Preſſere vultus. audias verum, Oedipe:
Minùs eruiſti lumina audaciter tua,
Quàm pœnitiſti. nunc manum cerebro indue.
Hàc parte mortem perage, quâ cœpiſti mori.
AN. Pauca, ô parens magnanime, miſerandæ precor
Ut verba gnatæ mente placatâ audias.
Non te ut reducam veteris ad ſpecimen domûs,
Habitúmque regni flore pollentem inclyto,
Peto; aſt ut iras, tempore aut ipſâ morâ
Fractas, remiſſo pectore ac placido feras.
Ex hoc decebat roboris tanti virum,
Non eſſe ſub dolore: nec victum malis
Dare terga. " non eſt, ut putas, " virtus, pater,
" Timere vitam, ſed malis ingentibus
" Obſtare, nec ſe vertere, ac retro dare:
" Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
" Projecit, atque abcidit, & caſus ſuos
" Oneravit; ipſi, ceu deo, nullo eſt opus,
" Quare ipſe mortem cupiat, aut quare petat.
Utrumque timidi eſt velle. " contempſit mori,
" Qui non cupiſcit. cujus haud ultrà mala
" Exire poſſunt, in loco tuto eſt ſitus.
Quis jam Deorum (velle fac) quidquam poteſt
Malis tuis adjicere? jam nec tu potes,
Niſi hoc, ut eſſe te putes dignum nece.
Non es; nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hôc magis te, genitor, inſontem voca,
Quod innocens es, Diis quoque invitis. quid eſt
Quod te efferârit; quod novos ſuffixerit
Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? ut careas die?
Cares. ut altis nobilem muris domum,
Patriámque fugias? patria tibi vivo periit.
Gnatos fugis, matrémque? ab aſpectu omnium
Fortuna te ſummovit: & quidquid poteſt
Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abſtulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abſceſſit ante juſta. quem, genitor, fugis?
OE D. Me fugio; fugio conſcium ſcelerum omnium
Pectus, manúmque hanc fugio, & hoc cœlum, & deos;
Et dira fugio ſcelera, quæ feci. nocens
Ego hoc ſolum, frugifera quo ſurgit Ceres,
Premo? has ego auras ore peſtifero traho?
Ego laticis hauſtu fluor? aut ullo fruor
Almæ parentis munere? ego caſtam manum
Nefandus, inceſtificus, execrabilis
Attrecto? ego ullos aure concipio ſonos,
Per quos parentis nomen, aut gnati audiam?
Utinam quidem reſcindere has queirem vias,
Manibúſque adactis omne, quò voces meant,
Aditúſque verbis tramite anguſto paret,
Eruere poſſem, gnara: jam ſenſum tui,
Quæ pars meorum es criminum, infoelix pater
Fugiſſem, inhæret ac recrudeſcit nefas
Subinde; & aures ingerunt quidquid mihi
Negâſtis oculi. cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis æternas? quid hîc
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Miſtúſque ſuperis erro? quid reſtat mali?

Regnum,

Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenii ſolertis eximium decus
Periere. cuncta ſors mihi infeſta abſtulit.
Lacrymæ ſupererant. has quoque eripui mihi.
Abſiſte, nullas animus admittit preces,
Novámque pœnam ſceleribus quærit parem.
Et eſſe par quæ poterit? infanti quoque
Decreta mors eſt. fata quis tam triſtia
Sortitus unquam? videram nondum diem,
Uteríque nondum ſolveram cluſi moras;
Et jam timebar. protinus quoſdam editos
Nox occupavit, & novæ luci abſtulit.
Mors me anteceſſit. aliquis intrà viſcera
Materna lethum præcocis fati tulit:
Sed numquid & peccavit? abſtruſum, abditum,
Dubiúmque an eſſem, ſceleris infandi reum
Deus egit. illo teſte damnavit parens,
Calidóque teneros tranſtulit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum miſit feris,
Avibus & avidis, quas Cithæron noxius
Cruore ſæpe regio attractas alit.
Sed quem Deus damnavit, abjecit pater,
Mors quoque refugit. præſtiti Delphis fidem.
Genitorem adortus impiâ ſtravi nece.
Hoc alia pietas redimet? occidi patrem,
Sed matrem amavi. proloqui hymenæum pudet,
Tedáſque noſtras. has quoque invitum pati
Te coge pœnas. facinus ignotum, efferum,
Inuſitatum effare, quod populi horreant,
Quod eſſe factum nulla non ætas neget,
Quod patricidam pudeat. in patrios toros
Tuli paterno ſanguine aſperſas manus;
Sceleríſque precium majus accepi ſcelus.
Leve eſt paternum facinus. in thalamos meos
Deducta mater, ne parum ſcelerum foret,
Fecunda. nullum crimen hôc majus poteſt
Natura ferre. ſi quod etiamnum eſt tamen;
Qui facere poſſent, dedimus. abjeci necis
Pretium paternæ ſceptrum, & hoc iterum manus
Armavit alias. optimè regni mei
Fatum ipſe novi: nemo ſinè ſacro feret
Illud cruore. magna præſagit mala
Paternus animus. jacta jam ſunt ſemina
Cladis futuræ. ſpernitur pacti fides.
Hic occupato cedere imperio negat;
Jus ille, & ictí fœderis teſtes Deos
Invocat, & Argos exul atque urbes movet
Grajas in arma. non levis feſſis venit
Ruina Thebis. tela, flammæ, vulnera
Inſtant, & iſtis ſi quod eſt majus malum;
Ut eſſe genitos nemo non ex me ſciat.
AN. Si nulla, genitor, cauſa vivendi tibi eſt,
Hæc una abunde eſt, ut pater gnatos regas
Graviter furentes. tu impii belli minas
Avertere unus, túque vecordes potes
Juhibere juvenes, civibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læſo fidem.
Vitam tibi ipſe ſi negas, multis negas.
OE D. Illis parentis ullus aut æqui eſt amor,
Avidis cruoris, imperii, armorum, doli,
Diris, ſceleſtis; breviter ut dicam, meis?
Certant in omne facinus, & penſi nihil
Ducunt, ubi illos ira præcipites agat,
Nefáſque nullum, per nefas nati, putant.
Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria; regno pectus attonitum furit.
Scio, quò ferantur, quanta moliri parent:
Ideóque lethi quæro maturi viam,
Morſque propero, dum in domo nemo eſt meâ
Nocentior me. gnata, quid genubus meis
Fles advoluta? quid prece indomitum domas?
Unum hoc habet fortuna, quo poſſim capi,
Invictus aliis. ſola tu affectus potes
Mollire duros, ſola pietatem in domo
Docere noſtrâ. nil grave aut miſerum eſt mihi;
Quod te ſciam voluiſſe. tu tantùm impera.
Hic Oedipus Ægæa tranabit freta,
Jubente te; flammáſque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore; ſéque ſerpenti offeret,
Quæ ſæva furto nemoris Herculeo fuit;
Jubente te præbebit alitibus jecur;
Jubente vivet. ——.

ACTUS SECUNDUS.

NUNCIUS, OEDIPUS, ANTIGONE.

NUNCIUS.

—— Regiâ ſtirpe edite:
Thebæ paventes arma fraterna invocant,
Rogántque tectis arceas patriis faces.
Non ſunt minæ. jam propius acceſſit malum.
Nam regna repetens frater & pactas vices,
In bella cunctos Græciæ populos agit,
Septena muros caſtra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter & bellum & nefas.
OE D. Ego ille ſum, qui ſcelera committi vetem,
Et abſtineri ſanguine à caro manus
Docearn? magiſter juris & amoris pii
Ego ſum? meorum exempla facinorum appetunt.
Me nunc ſequuntur. laudo & agnoſco libens.
Exhortor, aliquid ut patre hôc dignum gerant.
Agite ô propago clara, generoſam indolem
Probate factis; gloriam ac laudes meas
Superate: & aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc juvet vixiſſe. facietis, ſcio.
Sic eſtis orti. ſcelere defungi haud levi,
Haud uſitato, tanta nobilitas poteſt.
Ferte arma. facibus petite penetrales deos,
Frugémque flammâ metite natalis ſoli.
Miſcete cuncta. rapite in exitium omnia.
Dejicite paſſim mœnia, in planum date.
Templis Deos obruite, maculatos lares
Conflate. ab imo tota confidat domus.
Urbs concremetur. primus à thalamis meis
Incipiat ignis. *AN.* Mitte violentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,
Auctórque placidæ liberis pacis veni.
OE D. Vides modeſtæ deditum menti ſenem?
Placidæque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus irâ, fervet immenſum dolor,
Majúſque, quàm quod caſus & juvenum furor
Conatur, aliquid cupio. non ſatis eſt adhuc
Civile bellum. frater in fratrem ruat.
Nec hoc ſat eſt. quod debet, ut fiat nefas
De more noſtro, quod meos deceat toros;
Date arma patri. nemo me ex his eruat
Sylvis: latebo rupis exeſæ cavo,
Aut ſepe denſâ corpus abſtruſum tegam.
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et ſæva fratrum bella, quod poſſum, audiam.

ACTUS TERTIUS.

JOCASTA, ANTIGONE, NUNCIUS.

JOCASTA.

FELIX Agave, facinus horrendum, manu
Quâ fecerat, geſtavit; & ſpolium tulit
Cruenta nati Mænas in partes dati.
Fecit ſcelus, ſed miſera non ultra ſuum
Scelus hoc cucurrit. hoc leve eſt, quòd ſum nocens;
Feci nocentes. hoc quoque etiam leve eſt;
Peperi nocentes. deerat ærumnis meis,
Ut & hoſtem amarem. Bruma ter poſuit nives,
Et tertiâ jam falce decubuit Ceres,
Ut exul errat gnatus, & patriâ caret,
Profugúſque regum auxilia Grajorum rogat.
Gener eſt Adraſti, cujus imperio mare,
Quod cingit Iſthmon, regitur. hic gentes ſuas,
Septémque ſecum regna ad auxilium trahit
Generi. quid optem, quídve decernam, haud ſcio.
Regnum repoſcit. cauſa repetentis bona eſt;
Mala, ſic petentis. vota quæ faciam parens?
Utrumque natum video. nil poſſum piè
Pietate ſalvâ facere. quodcunque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrumque quamvis diligam affectu pari;
Quò cauſa melior ſórſque deterior trahit,
Inclinat animus, ſemper infirmo favens.
Miſeros magis fortuna conciliat ſuis.
NU. Regina, dum tu flebiles queſtus cies,
Terſque tempus, tota nudatis ſtetit

Acies in armis. æra jam bellum cient,
Aquilâque pugnam ſignifer motâ vocat.
Septena reges bella diſpoſiti parant.
Animo pari Cadmea progenies ſubit.
Curſu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, ut atra nubes pulvere abſcondat diem,
Fumóque ſimiles campus in cœlum erigat
Nebulas, equeſtri fracta quas tellus pede
Submittit: &, ſi vera metuentes vident,
Infeſta fulgent ſigna; ſubrectis adeſt
Frons prima telis: aureâ clarum notâ
Nomen ducum vexilla præſcriptum ferunt.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus;
Et impia arma matris oppoſitu impedi.
AN. Perge, ô parens, & concita celerem gradum;
Compeſce tela, fratribus ferrum excute.
Nudum inter enſes pectus infeſtos tene.
Aut ſolve bellum, mater, aut prima excipe.
JO. Ibo, ibo, & armis obvium opponam caput.
Stabo inter arma. petere qui fratrem volet,
Petat antè matrem. tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre: qui non eſt pius,
Incipiat à me. fervidos juvenes anus
Tenebo. nullum teſte me fiet nefas.
Aut ſi quod me teſte committi poteſt,
Non fiet unum. *AN.* Signa collatis micant
Vicina ſignis: clamor hoſtilis fremit;
Scelus in propinquo eſt: occupa, mater, preces.
Et ecce motos fletibus credas meis;
Sic agmen armis ſegne compoſitis venit.
Procedit acies tarda, ſed properant duces.
JO. Quis me procellæ turbine inſanæ vehens
Volucer per auras ventus ætherias aget?
Quæ Sphinx, vel atrâ nube ſubtexens diem
Stymphalis, avidis præpetem pennis feret?
Aut quæ per altas æris rapiet vias
Harpyia, ſavi regis obſervans famem,
Et inter acies projiciet raptam duas?
NU. Vadit furenti ſimilis, aut etiam furit;
Sagitta qualis Parthicâ velox manu
Excuſſa fertur; qualis inſano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapſa cœlo ſtella, cùm ſtringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam;
Attonita curſu fugit, & binas ſtatim
Diduxit acies. victa maternâ prece
Hæſere bella, jámque in alternam necem
Illinc & hinc miſcere cupientes manum
Vibrata dextrâ tela ſuſpensâ tenent.
Paci favetur. omnium ferrum latet
Ceſſátque. telum vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater oſtendit comas;
Rogat abnuentes: irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, poteſt.

Tu, tot labores tótque perpeſſus mala,
Longo parentem feſſus exilio vides.
Accede propiùs. clude vaginâ impium
Enſem; & trementem jámque cupientem excuti
Haſtam ſolo defige. maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat.
Hunc quoque repone. vinculo frontem exue,
Tegiménque capitis triſte belligeri leva,
Et ora matri redde. quò vultus refers,
Aciéque pavidâ fratris obſervas manum?
Affuſa totum corpus amplexu tegam.
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius hæres? an times matris fidem?
FO. Timeo: nihil jam jura naturæ valent.
Poſt iſta fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda eſt. *JO.* Redde jam capulo manum,
Adſtringe galeam, læva ſe clypeo ingerat;
Dum frater exarmatur, armatus manè:
Tu pone ferrum, cauſa qui es ferri prior.
Si pacis odium eſt, furere ſi bello placet,
Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat ut reverſo poſt fugam nato oſcula,
Vel prima, vel ſuprema. dum pacem peto,
Audite inermes; ille te, tu illum times;
Ego utrumque, ſed pro utroque. quid ſtrictum abnuis
Recondere enſem? qualibet gaude morâ.
Id gerere bellum cupitis, in quo eſt optimum
Vinci. vereris fratris infeſti dolos?
Quoties neceſſe eſt fallere, aut falli à ſuis,
Patiare potiùs ipſe, quàm facias, ſcelus.
Sed ne verere: mater inſidias & hinc
Et rurſus illinc abiget. exoro, an patri
Invideo veſtro? veni, ut arcerem nefas,
An ut viderem propius? hic ferrum abdidit
Reclivis haſtæ, & arma defixa incubant.
Ad te preces nunc, nate, maternas feram,
Sed antè lacrymas. teneo longo tempore
Petita votis ora. te, profugum ſolo
Patrio, penates regis externi tegunt:
Te maria tot diverſa, tot caſus vagum
Egere; non te duxit in thalamos pareus
Comitata primos, nec ſuâ feſtas manu
Ornavit ædes. nec ſuâ lætas faces
Vittâ revinxit. dona non auri & graves
Gazas ſocer, non arva, non urbes dedit;
Dotale bellum eſt. hoſtium es factus gener,
Patriâ remotus, hoſpes alieni laris,
Externa conſecutus, expulſus tuis,
Sinè crimine exul. ne quid è fatis tibi
Deeſſet paternis, hoc quoque ex illis habes,
Erràſſe thalamis. nate poſt multos mihi
Remiſſe ſoles; nate, ſollicitæ metus
Et ſpes parentis; cujus aſpectum Deos
Semper rogavi; cùm tuus reditus mihi
Tantum eſſet erepturus adventu tuo,
Quantum daturus; quando pro te definam,
Dixi, timere? dixit irridens Deus,
Ipſum timebis. nempe, niſi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, ſi tu non fores,
Bello carerem. triſte conſpectus datur
Precium tui, durúmque: ſed matri placet.
Hinc modò recedant arma, dum nullum nefas
Mars ſævus audet. hoc quoque eſt magnum nefas;
Tam propè fuiſſe. ſtupeo, & exſanguis tremo,
Cùm ſtare fratres hinc & hinc video duos
Sceleris ſub ictu. membra quaſſantur metu.
Quàm penè mater majus adſpexi nefas,
Quàm quod miſer videre non potuit pater!
Licèt timore facinoris tanti vacem,
Videámque jam nil tale, fum infelix tamen,
Quòd penè vidi. per decem menſium graves
Uteri labores, pérque pietate inclytas
Precor ſorores, & per irati ſibi
Genas parentis; ſcelere quas nullo nocens,
Erroris à ſe dira ſupplicia exigens,
Hauſit; nefandas mœnibus patriis faces
Averte; ſigna bellici retro agminis
Flecte. ut recedas, magna pars ſceleris tamen
Veſtri peracta eſt. vidit hoſtili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, & excelſos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quæ petunt noſtras domos;

ACTUS QUARTUS.

JOCASTA, POLYNICES.

JOCASTA.

IN me arma & ignes vertite. in me omnis ruat
Unam juventus; quæque ab Inachio venit
Animoſa muro; quæque Thebanâ ferox
Deſcendit arce. civis atque hoſtis ſimul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Mea membra paſſim ſpargite, ac divellite:
Ego utrumque peperi. ponitis ferrum ocyùs
Ac dico, & ex æquo mihi dextras datis?
Date, dum piæ ſunt. error invitos adhuc
Fecit nocentes. omne Fortunæ fuit
Peccantis in nos crimen. hoc primum nefas
Inter ſcientes geritur. in veſtrâ manu eſt,
Utrum velitis. ſancta ſi pietas placet,
Donate matrem pace. ſi placuit ſcelus,
Majus paratum eſt; media ſe opponit parens.
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita cui nunc mater alternâ prece
Verba admovebo? miſera quem amplectar priùs?
In utramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit. ſed pacta ſi fratrum valent,
Nunc alter aberit. ergo jam nunquam duos,
Niſi ſic, videbo? junge complexus prior

Digitized by Goo

Fratréſque (facinus quod novum & Thebis fuit.)
In ſe ruentes. totus hoc exercitus,
Et populus omnis, & utraque hoc vidit ſoror,
Genitríxque vidit: nam pater debet ſibi,
Quòd iſta non ſpectavit. occurrat tibi
Nunc Oedipus: quo judice, exteris quoque
Pœnæ petuntur. me, precor, ferro eme
Patriam, ac penates; néve, quas regere expetis,
Everte Thebas. quis tenet mentem furor?
Petendo patriam perdis. ut fiat tua,
Vis eſſe nullam? quin tuæ cauſæ nocet
Ipſum hoc, quòd armis vertis infeſtis ſolum,
Segetéſque aduſtas ſternis, & totos fugam
Edis per agros. nemo ſic vaſtat ſua.
Quæ corripi igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis. rex ſit è vobis uter,
Manente regno, quæritis. hæc telis potes,
Flammíſque tecta? poteris has Amphionis
Quaſſare moles? nulla quas ſtruxit manus,
Stridente tardum machinâ ducens onus;
Sed convocatus vocis & citharæ ſono
Per ſe ipſe turres venit in ſummas lapis.
Hæc ſaxa franges victor? hinc ſpolia auferes,
Vinctóſque duces patris æquales tui?
Matres ab ipſo conjugum raptas ſinu
Sævus catenâ miles impoſitâ trahet?
Ut adulta virgo miſta captivo gregi
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An & ipſa palmas vincta poſt tergum datas
Mater triumphi præda fraterni vehar?
Potéſne cives lætus exitio datos
Videre paſſim? mœnibus caris potes
Hoſtem admovere? ſanguine & flammâ potes
Implere Thebas? tam ferum & durum geris
Sævúmque in iras pectus, & nondum imperas?
Quid ſceptra facient? pone veſanos, precor,
Animi tumores, téque pietati refer.
PO. Ut profugus errem ſemper? ut patriâ arcear,
Opéinque gentis hoſpes externæ ſequar?
Quid paterer aliud, ſi fefelliſſem fidem,
Si pejerâſſem? fraudis alienæ dabo
Pœnas; at ille præmium ſcelerum feret?
Jubes abire: matris imperio obſequor.
Da, quò revertar. regiâ frater meâ
Habitet ſuperbus: parva me abſcondat caſa?
Hanc da repulſo. liceat exiguo lare
Penſare regnum. conjugi donum datus
Arbitria thalami dura ſelicis feram,
Humiliſque ſocerum lixa dominantem ſequar?
" In ſervitutem cadere de regno, grave eſt.
JO. Si regna quæris, nec poteſt ſceptro manus
Placare ſævo; multa, quæ poſſunt peti
In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga,
Quà lata terris ſpacia frugiferis jacent,
Et quà trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura: nec lætis minùs
Mæandros arvis flectit errantes aquas,
Rapidúſque campos fertiles Hebrus ſecat:
Hinc grata Cereri Gargara, & dives ſolum
Quod Xanthus imbri nivibus Idæis tumens:
Hinc, quà relinquit nomen Ionii maris,
Fauces Abydi Scilos oppoſitæ premit:
Aut, quà latus jam propior Orienti dedit,
Tutámque crebris portubus Lycium videt:
Hæc regna ferro quære, in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret ſceptro tuo
Tradátque gentes. hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. mélius exilium eſt tibi,
Quàm reditus iſte. crimine alieno exulas,
Tuo redibis. meliùs uſus viribus,
Nova regna nullo ſcelere maculata appetes.
Quin ipſe frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. vade, & id bellum gere,
In quo pater matérque pugnanti tibi
Favere poſſint. regna cum ſcelere, omnibus
Sunt exiliis graviora. nunc belli mala
Propone; dubias Martis incerti vices.
Licèt omne tecum Græciæ robur trahas;
Licèt arma longè miles ac latè explicet;
" Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.
Quodcunque Mars decernit: exæquat duos,
Licèt impares ſint, gladius: & ſpes & metus
Sors cæca verſat. præmium incertum petis,
Certum ſcelus. Faviſſe fac votis Deos
Omnes tuis: ceſſere, & averſi fugam
Petiere. cives clade funeſtâ jacent.
Obtexit agros miles. Exultes licèt,
Victórque fratris ſpolia dejecti geras;
Frangenda palma eſt. Quale tu id bellum putas,
In quo exſecrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? hunc, quem vincere infelix cupis,
Cùm viceris, lugebis. infauſtas, age,
Dimitte pugnas. libera patriam metu,
Luctu parentes. *PO.* Sceleris & fraudis ſuæ
Pœnas nefandas frater ut nullas ferat?
JO. Ne metue; pœnas, & quidem ſolvet graves.
Regnabit. *PO.* Hæcne eſt pœna? *JO.* Si dubitas, vo
Patríque crede. Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmíque proles. ſceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quiſquam fide
Ruptâ tenebat illa. jam numeres, licet,
Fratrem inter iſtos. *PO.* Numero: & eſt tanti mihi
Cum regibus jacere. *JO.* Te turbæ exulum
Adſcribo. regna, dummodo inviſus tuis.
PO. Regnare non vult, eſſe qui inviſus timet.
Simul iſta mundi conditor poſuit Deus,
Odium, atque regnum. regis & magni reor
Odia iſta premere. " multa dominantem vetat
" Amor ſuorum. plus in iratos licet.
" Qui vult amari, languidâ regnet manu.
" Inviſa nunquam imperia retinentur diu.
JO. Præcepta meliùs imperii reges dabunt;
Exilia tu diſpone. *PO.* Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
" Imperia precio quolibet conſtant bene.

HERCULES OETÆUS.

PERSONÆ.

HERCULES.
HYLLUS.
ALCMENA.
CHORUS ÆTHLARUM Mulierum.
NUTRIX.
DEIANIRA.
IOLE.
PHILOCTETES.
CHORUS OECHALIARUM Virginum.
LICHAS, muta persona:
IOLE & CHORUS OECHALIDUM sunt πρωτατικὰ πρόσωπα.

ACTUS PRIMUS.

HERCULES.

SATOR Deorum, cujus excussum manu
Utræque Phœbi sentiunt fulmen domus,
Securè regna: protuli pacem tibi,
Quacúnque Nereus porrigi terras vetat.
Non est tonandum. perfidi reges jacent,
Sævi tyranni. fregimus, quidquid fuit
Tibi fulminandum. sed mihi cœlum, parens,
Adhuc negatur? parui certè Jove
Ubique dignus: téque testata est meum
Patrem noverca. quid tamen nectis moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem?
Quid astra, genitor, quid negas? mors me tibi
Certè remisit. omne concessit malum,
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.
Nullus per urbes errat Arcadicas leo.
Stymphalis icta est. Mænali nulla est fera.
Sparsit peremptus aureum serpens nemus.
Et Hydra vires posuit. & notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges:
Hostísque traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi regentem fata; nec tantùm redii,
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. nullus Antæus Libys
Animam resumit. cecidit ante aras suas
Busiris. unà est Geryon sparsus manu.
Taurúsque populis horridus centum pavor.
Quodcunque tellus genuit infestum, occidit,
Meâque fusum est dexterâ. iratis deis,
Non licuit esse. si negat mundus feras,
Animum noverca, redde nunc gnato patrem,
Vel astra forti. nec peto, ut monstres iter.
Permitte tantùm, genitor; inveniam viam.
Vel si times, ne terra concipiat feras;
Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet, vidétque. nam quis invadet mala?
Aut quis per urbes rursus Argolicas erit
Junonis odio dignus? in tutum meas
Laudes recepi. nulla me tellus filet.
Me sentit Ursæ frigidum Scythicæ genus,
Indúsque Phœbo subditus, Cancro Libys.
Te, clare Titan, testor; occurri tibi,
Quacunque fulges, nec meos lux prosequi
Potuit triumphos. Solis excessi vices.
Infráque nostras sublitit metas dies.
Natura cessit. terra defecit gradum.
Laxata per me nox, & extremum Chaos
In me cucurrit. indè ad hunc orbem redii,
Unde retro nemo. tulimus Oceani minas,
Nec ulla valuit quatere tempestas ratem,
Quacunque pressi. pars quota est, quam prosequor?
Jam vacuus æther non potest odio tuæ
Sufficere nuptæ; quásque devincam feras
Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Feræ negantur. Hercules monstri loco
Jam cœpit esse. quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus? quidquid immane obstitit,
Solæ manus stravere. nec juvenis feras
Timui, nec infans; quidquid est jussum, leve est.
Nec ulla nobis segnis illuxit dies.
O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi
Rex imperavit! institit virtus mihi
Junone pejor. sed quid impavidum genus
Feciſſe prodest? non habent pacem dei.
Purgata tellus omnis, in cœlo videt
Quodcunque timuit. transtulit Juno feras.
Ambit peremptus Cancer ardentem plagam,
Libyæque fidus fertur, & messes alit.
Annum fugatæ tradit Astrææ leo.
At ille jactans fervidam cœlo jubam
Austrum madentem siccat, & nimbos trahit.
Invasit omnis ecce jam cœlum fera,
Méque antecessit. victor è terris meos
Specto labores. astra portentis priùs
Fersque Juno tribuit, ut cœlum mihi
Faciat timendum. sparserit mundum licèt,
Cœlúmque terris pejus, ac pejus Stygе
Irata faciat; dabitur Alcidæ locus.
Si post feras, post bella, post Stygium canem
Nondum astra merui, Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus; una jam tellus erit:
Illinc fugabo maria, si jungi jubes.
Committat undas Isthmus, & juncto salo
Novâ ferantur Atticæ puppes viâ.
Mutetur orbis. vallibus currat novis
Ister, novásque Tanais accipiat vias,
Da, da tuendos, Jupiter, saltem deos.
Illâ licebit fulmen à parte auferas,
Ego quam tuebor: sive glacialem polum,
Seu me tueri fervidam partem jubes,
Hâc esse superos parte securos puta.
Cirrhæa Pæan templa, & ætheream domum
Serpente cæso meruit. at quoties jacet
Python in Hydrâ? Bacchus & Perseus deis
Jam se intulere, sed quota est mundi plaga
Orieus subactus? aut quota est Gorgon fera?
Quis astra gnatus laudibus meruit suis
Ex te & novercâ? quem tuli, mundum peto.
Sed tu comes laboris Herculei Licha,
Præfer triumphos, Euryti victos lares,
Stratúmque regnum: vos pecus rapite ocyùs,
Quà templa tollens ara Cenæi Jovis
Austro timendum spectat Euboicum mare.

CHO-

Digitized by Google

CHORUS OECHALIDUM Virginum,
IOLE.

" PAR ille eſt ſuperis, cui pariter dies
" Et fortuna fuit. mortis habet vices,
Lentè cùm trahitur vita gementibus.
Quiſquis ſub pedibus fata rapacia,
Et puppem poſuit liminis ultimi,
Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.
" Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori.
Illum ſi medio decipiat ratis
Ponto, cùm Boream expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cùm mare dividunt,
Non puppis laceræ fragmina colligit,
Ut litus medio ſperet in æquore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies & lacrymæ tenent,
Et crinis patrio pulvere ſordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit,
" Felices ſequeris Mors, miſeros fugis.
Stamus, nec patriæ mœnibus heu locus,
At ſylvis dabitur: lapſáque ſordidæ
Fient templa caſæ. jam gelidus Dolops
Hàc ducet pecudes, quà tepet obrutus,
Stratæ qui ſuper eſt Oechaliæ, cinis.
Illo Theſſalicus paſtor in oppido
Indoctâ referens carmina fiſtulâ,
Cantu noſtra canet tempora flebili.
Et dum pauca Deus ſecula contrahit,
Quæretur, patriæ quis fuerit locus.
Felix incolui non ſteriles locos,
Nec jejuna ſoli jugera Theſſali.
Ad Trachyna vocor, ſaxa rigentia,
Et dumeta jugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.
At ſi quas melior ſors famulas vocat,
Illas aut volucer transferet Inachus;
Aut Dircæa colent mœnia, quà fluit
Iſmenus tenui flumine languidus.
Hìc mater tumidi nupſerat Herculis.
Quæ cautes Scythiæ, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caſpia,
Quæ virgata tibi præbuit ubera?
Falſa eſt de geminis fabula noctibus,
Æther cùm tenuit ſidera longiùs,
Commiſitque vices Lucifer Heſpero,
Et ſoles vetuit Delia tardior.
Nullis vulneribus pervia monſtra ſunt.
Ferrum ſenſit hebes; lentior eſt chalybs.
In nudo gladius corpore frangitur,
Et ſaxum reſilit, fatáque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuſpides,
Non arcus Scythicâ tenſus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus:
Aut qui ſoliferæ ſuppoſitus plagæ
Vicino Nabathæ vulnera dirigit
Parthus Cnoſſiacis certior ictibus.
Muros Oechaliæ corpore propulit.
Nil obſtare valet: vincere quod parat,
Jam victum eſt. quota pars vulnere concidit?
Pro fato potuit vultus iniquior,
Et vidiſſe ſat eſt Herculeas minas.
Qui vaſtus Briareus, qui tumidus Gyges
Supra Theſſalicos conſtitit aggeres,
Ut cœlo inſereret vipereas manus,
Hôc vultu riguit. commoda cladibus
Magnis magna patent. nil ſupereſt mali.
Iratum miſeræ vidimus Herculem.
JO. At ego infelix, non templa ſuis
Collapſa deis, ſparſóſve focos,
Natis miſtos artiſſe patres,
Hominſque deos, templa ſepulchris;
Nullum querimur commune malum.
Aliò noſtras fortuna vocat
Lacrymas. alias fiere ruinas
Mea fata jubent. Quæ prima queram?
Quæ ſumma gemam? pariter cuncta
Deflere juvat. nec plura dedit
Pectora tellus, ut digna ſonent
Verbera planctu. me vel Sipyli
Flebile ſaxum figite, ſuperi,
Vel in Eridani ponite ripis.
Ubi mœſta ſonat Phaëtontiadum
Turba ſororum. me vel Siculis
Addite ſaxis, ubi fata gemit
Theſſala Siren: vel in Edonas
Tollite ſylvas: qualis natum
Daulias ales ſolet Iſmariâ
Flere ſub umbrâ. formam lacrymis
Aptate meis, reſonétque malis
Aſpera Trachin. Cyprias lacrymas
Myrrha tuetur: raptum conjux
Ceyca gemit. ſibi Tantalis eſt
Facta ſuperſtes. fugit vultus
Philomela ſuos, natúmque ſonat
Flebilis Itys. cur mea nondum
Capiunt volucres brachia plumas?
Felix, felix, cùm ſylva domus
Noſtra feretur, patrióque ſedens
Ales in agro referam querulo
Murmure queſtus; volucrémque Iolen
Turba loquetur. vidi, vidi
Miſeranda mei fata parentis,
Cùm lethifero ſtipite pulſus,
Totâ jacuit ſparſus in aulâ.
Prò, ſi tumulum fata dediſſent,
Quoties genitor quærendus eras!
Potuíne tuam ſpectare necem,
Nondum teneras veſtite genas,
Nec dum fortis ſanguine Toxeu?
Quid veſtra querar fata, parentes,
Quos in tutum mors æqua tulit?
Mea me lacrymas fortuna rogat.
Jam jam dominæ captiva colos
Fuſóſque legam: prò, ſæve decor,
Formáque mortem paritura mihi.
Tibi cuncta domus concidit uni,
Dum me genitor negat Alcidæ,
Atque Herculeus ſocer eſſe timet.
Sed jam dominæ tecta petantur.
CH. Quid regna tui clara parentis,
Proavóſque tuos reſpicis amens;
Fugiat vultus fortuna prior.
Patiens, quiſquis novit famulum
Regémque pati, vultúſque ſuos
Variare poteſt. " vires pepulit
" Ponduſque mali, caſus animo
" Qui tulit æquo.

ACTUS SECUNDUS.

NUTRIX, DEIANIRA,
Lichas *muta perſona.*

NUTRIX.

O QUAM cruentus fœminas ſtimulat dolor,
Cùm patuit una pellici & nuptæ domus!
Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta
Minùs eſt timenda, nulla non melior fera eſt.
Namque ut reluxit pellicis captæ decus,
Et fulſit Iole, qualis innubis dies,
Purúmve claris noctibus ſidus micat:
Stetit furenti ſimilis, ac torvùm intuens
Herculea conjux: fœta ut Armeniâ jacens
Sub rupe tigris, hoſte conſpecto exſilit:
Aut juſſa thyrſum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum, dubia quò greſſus agat,
Hæſit parumper: tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix ſatis eſt domus.
Incurrit, errat, ſiſtit. in vultus dolor
Proceſſit omnis: pectori penè intimo
Nihil eſt relictum. fletus inſequitur genas.
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta vultu. nunc inardeſcunt genæ:
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.
Sonuere poſtes: ecce præcipiti gradu
Secreta mentis ore confuſo exerit.
DE. Quamcunque partem ſedis æthereæ premis
Conjux Tonantis, mitte in Alcidem feram,

Quæ

Digitized by Google

Quæ mihi fatis fit: ſi qua fecundam caput
Palude totâ vaſtior ſerpens movet,
Ignara vinci: ſi quid exceſſit feras,
Immane, dirum, horribile, quo viſo Hercules
Avertat oculos; hoc ſinu immenſo excat.
Vel ſi feræ negantur, hanc animam precor
Converte in aliquid; quodlibet poſſum malum
Hîc mente fieri. commoda effigiem mihi
Parem dolori. non capit pectus minas:
Quid excutis telluris extremæ ſinus,
Orbémque verſas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in iſto pectore invenies feras,
Quas timeat. odiis accipe hoc telum tuis.
Ego ſum noverca: perdere Alcidem potes.
Profer manus quocunque. quid ceſſas, Dea?
Utere furente. quod jubes fieri petas?
Reperi. quid hæres? ipſa jam cæles licèt,
Hæc ira fatis eſt. *NU.* Pectoris ſani parum,
Alumna, queſtus comprime, & flammas doma,
Frena dolorem. conjugem oſtende Herculis.
DE. Iole meis captiva germanos dabit
Natis? Joviſque fiet è famulâ nurus?
Non. flamma curſus pariter & torrens ferent,
Et urſa pontum ſicca cæruleum bibet.
Non ibo inulta; geſſeris cœlum licèt,
Totúſque pacem debeat mundus tibi:
Eſt aliquid Hydrâ potius; iratæ dolor
Nuptæ. Quis ignis tantus in cœlum furit
Ardentis Ætnæ? quidquid eſt victum tibi,
Hic vincet animus. capta præripiet toros?
Adhuc timebam monſtra. jam nullum eſt malum:
Ceſſêre peſtes. in locum venit feræ
Invifa pellex. ſumme prò rector dêûm,
Et clare Titan, Herculis tantùm ſui
Conjux timentis. vota quæ ſupplex tuli,
Ceſſere captæ. pellici felix fui:
Illi meas audiſtis, ô ſuperi, preces:
Incolumis illi remeat. ô nullâ dolor
Contente pœnâ, quære ſupplicia horrida,
Incogitata, infanda. Junonem doce,
Quid odia valeant. neſcit iratici ſatis.
Pro me gerebas bella. propter me vagas
Achelous undas ſanguine inſecit ſuo,
Cùm lenta ſerpens fieret; in taurum trucem
Nunc flecteret ſerpente depoſitâ minas;
Et mille in hoſte vinceres uno feras.
Jam diſplicemus. capta prælata eſt mihi.
Non præferetur. qui dies thalami ultimus
Noſtri eſt futurus, hic erit vitæ tuæ.
Quid hoc? recedit animus, & ponit minas.
Jam ceſſit ira, quid miſer langues dolor?
Perdis furorem? conjugis ſanctæ fidem
Mihi reddis iterum. quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? hunc mihi ſerva impetum,
Pares eramus. non erit votis opus.
Aderit noverca, quæ manus noſtras regat,
Nec invocata. *NU.* Quod paras demens ſcelus?
Perimes maritum, cujus extremus dies
Primúſque laudes novit, & cœlo tenus
Erecta terras fama ſuppoſitas habet?
Rogos in illos terra conſurget parens,
Domúſque ſoceri prima, & Ætolum genus
Sternetur omne; faxa jamdudum & taces
In te feruntur. vindicem tellus ſuum
Defendet omnis. una quot pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus
Te poſſe; fulmen genitor Alcidæ gerit.
Jam jam minaces ire per cœlum faces
Specta, & tonantem fulmine excuſſo diem.
Mortem quoque ipſam, quam putas tutam, time.
Dominatur illîc patruus Alcidæ tui.
Quócunque perges, miſera, cognatos deos
Illîc videbis. *DE.* Maximum fieri ſcelus
Et ipſa fateor, ſed dolor fieri jubet.
NU. Moriere. *DE.* Moriar Herculis nempe inclyti
Conjux. nec ullus nocte diſcuſſâ dies
Viduam notabit, nec meos pellex thoros
Captiva capiet. antè ab Occaſu dies
Naſcetur Indis, antè glacialem polum
Scythâſve tepidâ Phœbus afficiet rotâ;
Quàm me relictam Theſſalæ aſpiciant nurus.
Meo jugales ſanguine extinguam faces.
Aut pereat, aut me perimat, eliſis feris
Et conjugem addat. inter Herculeos licet

Me quoque labores numeret. Alcidæ toros
Moritura certè corpore amplectar meo.
Ire, ire ad umbras Herculi junctam libet;
Sed non inultam. ſi quid è noſtro Hercule
Concepit Iole, manibus evellam meis
Antè, & per ipſas pellicem invadam faces.
Me nuptiali victimam feriat die
Infeſtus, Iolen dum ſupra examinem ſuam.
" Felix jacet, quicumque, quos odit, premit.
NU. Quid ipſa flammas paſcis? & vaſtum foves
Ultro dolorem miſera? quid caſſum times?
Dilexit Iolen; nempe dum ſtarent lares,
Regiſque natam peteret. in famulæ locum
Regina cecidit. perdidit vires amor,
Multúmque ab illo traxit infelix ſtatus:
" Illicita amantur: excidit quidquid licet.
DE. Fortuna amorem pejor inflammat magis.
Amat vel ipſum, quòd caret patrio lare,
Quòd nudus auro crinis & gemmâ jacet:
Ipſas miſericors forſan ærumnas amat.
NU. Hoc uſitatum eſt Herculi, captas amat.
Dilecta Priami nempe Dardanii ſoror
Conceſſa famulo eſt. adice, quot nuptas priùs,
Quot virgines dilexit. erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit Auge, vim ſtupri paſſa excidit,
Nullámque amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? méne Theſpiades vocant?
Breviſque in illas arſit Alcides face.
Hoſpes Timoli Lydiam fovit nurum,
Et amore captus, ad leves ſedit colos,
Udum feroci ſtamen intorquens manu.
Nempe illa cervix ſpolia depoſuit feræ,
Crinémque mitrâ preſſit, & famulus ſtetit,
Hirtam Sabæâ marcidus myrrhâ comam.
Ubique caluit, ſed levi caluit face.
Hærere amantes poſt vagos ignes ſolent.
Famulámne & hoſtis præferet gnatam tibi?
DE. Ut alta ſylvas torma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus inveſtit tepor;
At cum ſolutos expulit Boreas Notos,
Et ſæva totas Bruma decuſſit comas,
Deforme foliis aſpicis truncis nemus:
Sic noſtra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid ſemper, & fulget minùs:
Maiſſque minus eſt. quidquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit, & partu labat;
Matérque multum rapuit ex illo mihi.
Ætas citato ſenior eripuit gradu.
Vides ut aſtum famula non perdat decus?
Ceſſere vultus penitus, & pudor ſedet;
Tamen per ipſas fulget ærumnas decor,
Nihilque ab illâ caſus & fatum grave
Niſi regna traxit. hinc meum pectus timor,
Altrix, laceſſit; hinc rapit ſomnos pavor.
Præclara totis gentibus conjux eram;
Thalamóſque noſtros invido faro nurus
Optabat omnis: quo nimis quiſquis deos
Orabat ullos. nuribus Argolicis fui
Menſura voti. quem Jovi ſocerum parem,
Altrix, habebo? quis ſub hôc mundo mihi
Dabitur maritus? ipſe qui Alcidæ imperat,
Facibus ſuis me jungat Euryſtheus licèt,
Minus eſt. toro caruiſſe regnantis leve eſt.
Altè illa cecidit, quæ viro caret Hercule.
NU. Conciliat animos conjugum partus ſæpe.
DE. Sic ipſe forſan dividet partus toros,
NU. Famula illa trahitur interim donum tibi.
DE. Hic quem per urbes ire præclarum vides,
Et viva tergo ſpolia geſtantem fera,
Qui regna miſeris donat & ceſſis rapit,
Vaſtâ gravatus horridam clavâ manum,
Cujus triumphos ultimi Seres canunt,
Et quiſquis alius orbe conſepto jacet;
Levis eſt, nec illum gloriæ ſtimulat decor.
Errat per orbem, non ut æquetur Jovi,
Nec ut per urbes magnus Argolicas eat.
Quod amet, requirit. virginum thalamos petit:
Si qua eſt negata, rapitur. in populos furit;
Nuptas ruinis quærit: & vitium impotens,
Virtus vocatur. cecidit Oechalia inclyta,
Unúſque Titan vidit atque unus dies
Stantem & cadentem: cauſa bellandi eſt amor.
Toties timebit, Herculi quotiens parens,

Digitized by Google

Quoties negabit. hostis est, quoties socer
Fieri recusat. si gener non est, furit.
Post hæc quid istas innocens servo manus,
Donec furentem simulet, ac sævâ manu
Intendat arcus, méque natúmque opprimat?
Sic conjuges expellit Alcides suas:
Hæc sunt repudia! nec potest fieri nocens.
Terris videri sceleribus cautàm suis
Fecit novercam. quid stupes segnis furor?
Scelus occupandum est: perge, dum fervet manus.
NU. Perimes maritum? *DE.* Pellicis certè meæ.
NU. At Jove creatum. *DE.* Nempe & Alcmenâ satum.
NU. Ferróne? *DE.* ferro. *NU.* Si negnis? *DE.* perimam dolo. [cet.
NU. Quis iste furor est? *DE.* Quem meus conjux do-
NU. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
DE. "Cœlestis ira quos premit, miseros facit;
" Humana nullos. *NU.* Parce miseranda, & time.
DE. "Contemptit omnes ille, qui mortem prius.
Libet ire in enses. *NU.* Major admissio tuus,
Alumna, dolor est. culpa par odium exigit.
Cur sæva modicis statuis? ut passa es, dole.
DE. Leve esse credis pellicis nuptæ malum?
Quidquid dolorem parit, id nimium puta.
NU. Amórne clari fugit Alcidæ tibi?
DE. Non fugit, altrix. remanet, & penitus sedet
Fixus medullis, crede: sed magnus dolor,
Iratus amor est. *NU.* Artibus magicis ferè
Conjugia nuptæ precibus admissis ligant.
Vernare jussi frigore in medio nemus:
Micúmque fulmen stare. concussi fretum
Cessante vento, turbidum explicui mare:
Et ficca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum saxa, discussi fores.
Umbræ steterunt: & meâ jussi prece
Manes loquuntur. sonuit infernus canis.
Mare, terra, cœlum, & Tartarus servit mihi.
Nox media solem vidit, & noctem dies:
Nihilque leges ad meos cantus tenet.
Flectemus illum. "carmina invenient iter.
DE. Quas Pontus herbas generat, aut quas Thessalâ
Sub rupe Pindus? aut ubi inveniam malum,
Cui cedat ille? carmine in terras trago
Descendat astris luna desortis licèt,
Et bruma messes videat, & cantu fugax
Stet deprehensum fulmen, & versâ vice
Medius coactis fugerit stellis dies:
Non flectet unum. *NU.* "Vicit & superos amor.
DE. Vincetur uni forsan, & spolium dabit,
Amórque summus fiet Alcidæ labor.
Sed te per omne cœlitum numen precor,
Per hunc timorem; quidquid arcani apparo,
Penitus recondas, & fide tacità premas.
NU. Quid istud est, quod esse secretum jubes?
DE. Non tela sunt, non arma, non ignis minæ.
NU. Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat. interim scelus est fides.
DE. Circumspice, agedum, nequis arcana aucupet;
Pertémque in omnem vultus inquirens erat.
NU. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.
DE. Est in remoto regiæ sedis loco
Arcana tacitus nostra defendens specus.
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, cùm ferens Titan diem,
Lassam rubenti mergit Oceano rotam,
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix, fatebor, Nessus est auctor mali,
Quem gravida nubes Thessalo genuit duci,
Quà celsus astris inserit Pindus caput,
Ultráque nubes Othrys eductus riget.
Namque ut subactus Herculis clavâ horridi
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Unóque turpis subdidit cornu caput:
Me conjugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos. fortè per campos vagus
Evenus altum gurgitem in pontum ferens
Jam penè summis turbidus ripis erat.
Transire Nessus vorticem solitus vadis,
Pretium popposcit, méque jam dorso ferens,
Quà jungit hominem spina deficiens equo;
Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Jam totus undis Nessus exierat ferox,
Medióque adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem verticem scindens gradu.
Ast ille ut esse vidit Alcidem procul,
Tu præda nobis, inquit, & conjux eris.
Prohibetur undis, méque complexam ferens
Gressum citabat. non tenent undæ Herculem:
Infide vector, inquit, immisti licèt
Ganges & Ister vallibus junctis eant;
Vincemus ambos. consequar telo fugam.
Præcessit arcus verba. tum longum ferens
Arundo vulnus tenuit hærentem fugam;
Mortémque fixit. ille jam quærens diem
Tabem fluentis vulneris dextrâ excipit,
Tradítque nobis ungulæ insertam suæ,
Quam fortè sævâ sciderat avulsam manu.
Tum verba moriens addit: hôc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.
Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
Unam inter omnes Luna quam sequitur magam,
Astris relictis. illitas vestes dabis
Hâc, inquit, ipsâ tabe, si pellex tuos
Invisa thalamos tulerit, & conjux levis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux aspiciat. hoc tenebræ tegant
Tantùm remotæ: sic potens vires suas
Sanguis tenebit. verba deprendit quies,
Mortémque lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, ut nitentes virus in vestes fatum,
Mentem per artus adeat, & tactu intimas
Intret medullas. *NU.* Ocyùs jussa exequar,
Alumna. precibus tu Deum invictum advoca,
Qui certa tenerâ tela demittit manu.
DE. Te te precor, quem mundus & superi timent;
Et æquor, & qui fulmen Ætnæum quatit,
Timende matri teliger sævæ puer;
Intende certâ spiculum velox manu,
Non è sagittis levibus. è nervo, precor,
Graviore profer, quod tuæ nondum manus
Misere in aliquem. non levi telo est opus,
Ut amare possit Hercules. rigidas manus
Intende, & arcum cornibus junctis para.
Nunc nunc sagittam prome, quâ quondam horridus
Jovem petisti; fulmine abjecto Deus
Cùm fronte subità tumuit, & rapidum mare
Taurus puellæ vector Assyriæ scidit.
Immitte amorem. vincat exempla omnia.
Amare discat conjuges, si quas decor
Immisit soles pectori Herculeo faces,
Extingue totas. perbibat flammas mei.
Tu fulminantem sæpe domuisti Jovem,
Tu furva nigri sceptra gestantem poli,
Turbæ ducem majoris, & dominum Stygis.
Tu, qui novercâ es gravior irutâ Deus,
Cape hunc triumphum, solus evince Herculem.
NU. Prolata vis est, quæque Palladiâ colu
Lassavit omnem texta famularem manum.
Nunc congeratur virus, ut vestis bibat
Herculea pestem. precibus augebo malum.
In tempore ipso gnavus occurrit Lichas.
Celanda vis est, illa ne pateant mala.
DE. O, quod superbæ non habent unquam domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbem fertur, & victus moro
Tenet feroci Lydiam gremio nurum,
Nunc poscit solem. sed jecur fors horridum
Flectam emerendo. "merita vincunt & malos.
Non antè vestes induat conjux jube,
Quàm thure flammas spargat, & poscat deos,
Canâ rigentem populo vinctus comam.
Ipsa ad penates regios gressus feram,
Precibúsque Amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniæ, deflete lugendas vices.

CHORUS ÆTOLARUM *Virginum.*

FLEMUS casus, Oenei, tuos,
Comitum primos turba per annos,
Flemus dubios, miseranda, toros,
Nos Acheloi tecum solitæ
Pulsare vadum, cùm jam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque vado serperet æquo,
Nec præcipitem volveret amnem

Flavus rapido fonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros:
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum ſolitæ condita ciſtis,
Cùm jam pulſo ſidere Brumæ
Tertia ſoles evocat æſtas,
Et ſpiciferæ conceſſa deæ
Attica myſtas claudit Eleuſis.
Nunc quoque fatum quodcunque times,
Fidas comites accipe fatis.
" Nam rara fides, ubi jam melior
" Fortuna ruit.
Tu quicunque es, qui ſceptra tenes,
Licèt omne tuâ vulgus in aulâ
Centum pariter limina pulſet:
Cum tot populis ſtipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erinnys,
Et cùm magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautíque doli,
Ferrúmque latens. cúmque in populos
Prodire parant, comes invidia eſt.
Noctem quoties ſummovet Eos,
Regem toties credite natci.
" Pauci reges, non regna colunt:
" Plures fulgor convocat aulæ.
Cupit hic regi proximus ipſi
Clarus claras ire per urbes:
Urit miſerum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Iſtri; nec tota ſitim
Lydia vincit; nec quæ Zephyro
Subdita tellus ſtupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum:
Nec ſi totus ſerviat Hebrus;
Ruráque dives cingat Hydaſpes;
Intráque ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
" Avidis, avidis natura parum eſt.
Colit hic regem, regúmque lares,
Non ut preſſo vomere ſemper
Nunquam ceſſet curvus arator,
Vel mille ſecent arva coloni:
Solas optat, quas donet, opes.
Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdátque aliquos, nullúmque levet.
Tantùm ut noceat, cupit eſſe potens.
Quota pars moritur tempore fati!
" Quos felices Cynthia vidit,
" Vidit miſeros abitura dies.
" Rarum eſt, felix, idémque ſenex.
" Ceſpes Tyrio mollior oſtro,
" Solet impavidos ducere ſomnos.
" Aurea rumpunt tecta quietem,
" Vigiléſque trahit purpura noctes.
" O ſi pateant pectora ditum,
" Quantos intus ſublimis agit
" Fortuna metus! Brutia Coro
Pulſante fretum mitior unda eſt.
" Pectora pauper ſecura gerit.
Tenet è patulâ pocula fago,
Sed non trepidâ tenet ipſa manu.
Carpit faciles viléſque cibos,
Sed non ſtrictos reſpicit enſes.
" Aurea miſcet pocula ſanguis.
Conjux modico nupta marito
Non diſpoſito clara monili
Geſtat pelagi dona rubentis,
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoâ lectus in undâ;
Nec Sidonio mollis aneno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Mæoniâ diſtinguit acu,
Quæ Phœbeis ſubditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.
Quælibet herba tinxere colos,
Quas indoctæ nevere manus:
Sed non dubios fovet illa toros.
Sequitur dirâ lampade Erinnys
Quorum populi coluere diem.
Nec ſibi felix pauper habetur,
Nili felices cecidiſſe videt.

" Quiſquis medium defugit iter,
" Stabili nunquam tramite currit.
Dum petit unum præbere diem,
Patrióſque puer concitat axes,
Nec per ſolitum percurrit iter,
Sed Phœbeis ignota ſecat
Sidera flammis errante rotâ,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli dum ſulcat iter,
Tenuit Latias Dedalus oras,
Nulliſque dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriáſque puer
Deſpicit alas, Phœbóque volat
Proximus ipſi; dedit ignoto
Nomina ponto.
" Malè penſantur magna ruinis.
Felix alius, magnúſque volet;
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis littora puppis.
Nec magna meos aura phaſelos
Jubeat medium ſcindere pontum.
" Tranſit tutos Fortuna ſinus,
" Medióque rates quærit in alto,
" Quarum feriunt ſuppara nubes.
Sed quid pavido territa vultu,
Qualis Baccho ſaucia Thyas,
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rurſus fortuna rotat,
Miſeranda, refer. licèt ipſa neges,
" Vultus loquitur, quodcunque tegis.

ACTUS TERTIUS.

DEIANIRA, CHORUS.

DEIANIRA.

VAGUS per artus errat excuſſos tremor.
Erectus horret crinis. impulſis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,
Pavidúmque trepidis palpitat venis jecur.
Ut fractus Auſtro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quieſcat languidis ventis dies:
Ita mens adhuc vexatur excuſſo metu.
" Semel profectò premere felices deus
" Cùm cœpit, urget. hos habent magna exitus.
CH. Quis tam impotens, ô miſera, te caſus rotat?
DE. Ut miſſa palla eſt, tabe Neſſeâ illita,
Thalamíſque mœrens intuli greſſum meis,
Neſcio quid animus timuit, & fraudem ſtruit.
Libet experiri. ſolibus virus ferum
Flammíſque Neſſus ſanguinem oſtendi arcuit.
Hic ipſe fraudes eſſe præmonuit deus.
Et fortè nullâ nube reſperſus jubar
Laxabat ardens fervidum Titan diem.
(Vix ora ſolvi patitur etiam nunc timor)
Medios in ignes ſolis, & claram facem,
Quo tincta fuerat palla, veſtíſque illita,
Abjectus horret ſanguis, & Phœbi comâ
Tepefactus ardet. vix queo monſtrum eloqui.
Nives ut Eurus ſolvit aut tepidus Notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas;
Utque involutos frangit Ionio ſalo
Oppoſita fluctus Leucas, & laxus tumor
In littore ipſo ſpumat: aut cœleſtibus
Aſperſa tepidis thura laxantur focis:
Sic languet omne virus, & perdit comam.
Dúmque ipſa miror, cauſa mirandi perit.
Quin ipſa tellus ſpumeos motus agit,
Et quidquid illâ tabe contactum eſt, labat.
[Tuméntſque tacita ſequitur, & quaſſat caput.]
Natum paventem cerno & ardenti pede
Greſſus ferentem. prome, quid portes novi.

HYLLUS, DEIANIRA, NUTRIX.

HYLLUS.

I Profuge, quære ſi quid ulterius patet
Terris, freto, ſideribus, Oceano, inferis.
Ultra labores, mater, Alcidæ fuge.
DE. Neſcio quod animus grande præſagit malum.
HY. Regna, triumpha, templa Junonis pete:

Hæc

Digitized by Google

Hæc tibi patent. delubra præcluſa omnia.
DE. Effare, qui me caſus inſontem premat.
HY. Decus illud orbis atque prælidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Jovis,
O mater, abiit. membra, & Herculeos toros
Urit lues Neſſea. qui domuit feras,
Ille ille victor, vincitur, mœret, dolet.
Quid quæris ultra? *DE.* "Miſerias properant ſuas
" Audire miſeri. fare, quo poſita in ſtatu
Jam noſtra domus eſt. O lares, miſeri lares!
Nunc vidua, nunc expulſa, nunc feror obruta!
HY. Non ſola mœres. Hercules toto jacet
Mundo gemendus. fata ne, mater, tua
Privata credas. jam genus totum obſtrepit.
Hunc ejulatu, quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupâſti prima: non ſola Herculem
Miſeranda mœres. *DE.* Quàm propè à leto tamen,
Ede, ede, (quæſo) jaceat Alcides meus.
HY. Mors refugit illum, victa quæ in regno ſuo
Semel eſt. nec audent fata tam vaſtum nefas
Admittere. ipſa fortitan trepidâ colos
Clotho manu projecit, & fatum Herculis
Timet peragere. prò diem! infandum diem!
Hôcne illo ſummo magnus Alcides eat
Ad fata & umbras, atque pejorem polum!
DE. Præcedere tu illum dicis? an poſſum prior
Mortem occupare? fare, ſi nondum occidit.
HY. Euboica tellus vertice immenſo tumens
Pulſatur omni latere. Phryxeum mare
Scindit Caphareus. ſervit hoc Auſtro latus,
At quà nivoſi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit inſtabiles vagus,
Septémque curſus flectit, & totidem refert,
Dum laſſa Titan mergat Oceano juga.
Hìc rupe celsâ, nulla quam nubes ferit,
Annoſa fulgent templa Cenæi Jovis.
Ut ſtetit ad aras omne votivum pecus,
Totúmque tantis gemuit armentis nemus;
Spolium leonis ſordidum tabo exuit,
Poſuítque clavæ pondus, & pharetrâ graves
Laxavit humeros. veſte tunc fulgens tuâ,
Canâ revinctus populo horrentem comam,
Succendit aras. Accipe has, inquit, focis
Non falſe meſſes genitor, & largo ſacer
Splendeſcat ignis thure, quod Phœbum colens
Dives Sabæis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, & cœlum, & freta;
Feris ſubactis omnibus victor redii.
Depone fulmen. gemitus in medias preces,
Stupente & ipſo, cecidit. hic cœlum horrido
Clamore complet. qualis impreſsâ fugax
Taurus bipenni vulnus & telum ferens,
Delubra vaſto trepida mugitu replet,
Aut quale mundo fulmen emiſſum tonat;
Sic ille gemitus ſidera & pontum ferit:
Et vaſta Calpe ſonuit: & voces Cyclas
Excepit omnis. Hinc petræ Capharides;
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus. vulgus antiquam putat
Rabiem rediſſe. tunc fugam famuli petunt.
At ille vultus igneâ torquens face,
Unum inter omnes quærit, & ſequitur Licham.
Complexus aras ille tremebundâ manu,
Mortem metu conſumpſit, & parum ſui
Pœnæ reliquit, dúmque tremebundum manu
Tenuit cadaver, Hâc manu, inquit, hâc ferar
(O fata!) victus? Herculem perimit Lichas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Licham.
Fata inquinantur. fiet hic ſummus labor.
In aſtra miſſus fertur, & nubes vago
Spargit cruore. talis in cœlum exſilit
Arundo, Geticâ viſa dimitti manu,
Aut quam Cydon excuſſit; inferiùs tamen
Fugiet arundo. corpus in pontum cadit,
In ſaxa cervix. funus ambobus jacet.
Reſiſtite, inquit. non furor mentem abſtulit.
Furore gravius iſtud atque irâ malum eſt.
In me juvat ſævire. vix peſtem indicat,
Et ſævit. artus ipſe dilacerat ſuos,
Et membra vaſtâ carpit avellens manu.
Exuere amictus quærit. hoc ſolum Herculem
Non poſſe, vidi. trahere conatus tamen,
Et membra traxit. corporis palla horridi
Pars eſt, & ipſa veſtis immiſcet cutem.
Nec cauſa diræ cladis in medio patet:
Sed cauſa tamen eſt, vſque ſufficiens malo!
Nunc ore terram languidus prono ferit;
Nunc poſcit undas, unda non vincit malum.
Et nota quærit littora, & pontum occupat.
Famularis illum retinet errantem manus.
O ſortem acerbam! fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum littore Euboico refert,
Auſtérque lenis pondus Herculeum rapit.
DE. Deſtituit animus membra, nox oculos premit.
Quid, anime, ceſſas? quid ſtupes factum ſcelus?
Gnatum repoſcit Jupiter, Juno æmulum.
Reddendus orbi eſt. quod poteſt reddi, exhibe.
Eat per artus enſis exactus meos.
Sic, ſic agendum eſt. tam levis pœnas manus
Tantas repoſcit? tolle fulminibus, ſocer,
Nurum ſceleſtam, nec levi telo manus
Armetur. illud fulmen exſiliat polo,
Quo, ni fuiſſet genitus Alcides tibi,
Hydram cremâſſes; peſtem ut inſolitam feri,
Et ut novercâ pejus iratâ malum.
Emitte telum, quale in errantem priùs
Phaëthonta miſſum eſt. perdidi erepto Hercule
Et ipſa populos. quid rogas telum deos?
Jam parce ſocero. conjugem Alcidæ necem
Optare pudeat. hæc erit votum manus,
A me petatur. occupa ferrum ocyús.
Quin deme ferrum, quidquid in mortem trahit,
Telum eſt abunde. rupe ab ætheriâ ferar.
Hæc hæc renatum prima quæ poſcit diem,
Octa eligatur. corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes ſcindat, & partem mei
Ferat omne ſaxum. pendeant laceræ manus,
Totúmque rubeat aſperi montis latus.
Levis una mors eſt. levis, ut extendi poteſt.
Eligere neſcis, anime, cui telo incubes.
Utinam eſſet, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus enſis! huic decet ferro immori.
Unâ perire dexterâ nobis fat eſt?
Coite gentes. ſaxa & incenſas faces
Jaculetur orbis. nulla nunc ceſſet manus.
Corripite tela. vindicem veſtrum abſtuli.
Impune ſævi ſceptra jam reges gerent.
Impune jam naſcetur indomitum malum.
Reddentur aræ cernere aſſuetæ hoſtiam
Similem colenti. ſceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monſtris, feris,
Sævíſque rapto vindice oppoſui deis.
Ceſſas, Tonantis ſocia? non ſpargis facem,
Imitata fratrem, & mittis ereptam Jovi?
Méque ipſa perdis? laus tibi erepta inclyta eſt,
Ingens triumphus. æmuli, Juno, tui
Mortem occupavi. *NU.* Quid domum impulſam trahis?
Erroris iſtuc omne, quodcumque eſt, nefas.
" Haud eſt nocens, quicunque non ſponte eſt nocens.
DE. "Quicunque fato ignoſcit, & parcit ſibi,
" Errare meruit. morte damnari placet.
NU. "Nocens videri qui petit, mortem cupit.
DE. " Mors innocentes ſola deceptos facit.
NU. Titana fugies? *DE.* Ipſe me Titan fugit.
NU. Vitam relinques miſera? *DE.* At Alcidem ſequar.
NU. Supereſt, & auras ille cœleſtes trahit.
DE. Vinci Hercules cùm potuit, hinc cœpit mori.
NU. Natum relinques fatáque abrumpes tua?
DE. Quamcunque natus ſepelit, hæc vixit diu.
NU. Virum ſequeris? *DE.* Prægredi caſtæ ſolent.
NU. Si te ipſa damnas, miſera ſceleris te arguis.
DE. "Nemo nocens ſibi ipſe pœnas irrogat.
NU. "Multis remiſſa eſt vita, quorum error nocens
" Non dextra fuerat. fata quis damnat ſua?
DE. Quicumque fata iniqua ſortitus fugit.
NU. Hic ipſe Megaram nempe confixam ſuis
Stravit ſagittis, atque natorum indolem,
Lernæa figens tela furibundâ manu.
Ter parricida factus, ignovit tamen
Sibi. nam furoris fonte Cyniphio ſcelus
Sub axe Libyco terſit, & dextram abluit.
Quò miſera pergis? quid tuas damnas manus?
DE. Damnat meas devictus Alcides manus.
Fraudem placet punire. *NU.* Si novi Herculem,
Aderit cruenti fortitan victor mali,
Dolórque fractus cedet Alcidæ tuo.
DE. Exedit artus virus, ut fama eſt, Hydræ.

Immerſa peſtis conjugis membra abſtulit.
NU. Serpentis illi virus enectæ autumas
Haud poſſe vinci, qui malum & vivum tulit?
Eliſit Hydram, dente cùm infixo ſtetit
Medîâ palude victor, effuſo obrutus
Artus veneno. ſanguis hunc Neſſi opprimet,
Qui vicit ipſas horridas Neſſi manus?
DE. "Fruſtra tenetur ille, qui ſtatuit mori.
Proinde lucem fugere decretum eſt mihi.
Vixit ſatis, quicunque cum Alcide occidit.
NU. Per has aniles ecce te ſupplex comas,
Atque ubera iſta penè materna obſecro,
Depone tumidas pectoris læſi minas,
Mortiſque diræ expelle decretum horridum.
DE. Quicunque miſero fortè diſſuadet mori,
Crudelis ille eſt. interim pœna eſt mori.
Sed ſæpe donum in pluribus ſæniæ fuit.
NU. Defende ſaltem dexteram, infelix, tuam,
Fraudiſque facinus eſſe, non nuptæ, ſciat.
DE. Defendar illîc. inferi ſolvent ream.
A me ipſa damnor. purget has Pluto manus.
Stabo ante ripas immemor, Lethe, tuas,
Et umbra triſtis conjugem excipiam meum.
Sed tu nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem. ſcelera quæ quiſque auſus eſt;
Hic vicit error. Juno non auſa Herculem eſt
Eripere terris. horridam pœnam para.
Siſyphia cervix ceſſet, & noſtros lapis
Impellat humeros. me vagus fugiat latex,
Meámque fallax unda decipiat ſitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcunque regem Theſſalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc & hinc vultur fibras.
Vacat una Danais; has ego explebo vices.
Laxate manes. recipe me comitem tui
Phaſiaca conjux. pejor hæc, pejor tuo
Utroque dextra eſt ſcelere, ſeu mater nocens,
Seu dira ſoror es. adde me comitem tuis,
Threicia conjux, ſceleribus. gnatam tuam,
Althæa mater, recipe: nunc veram tuam
Agnoſce prolem. quid tamen tantum manus
Veſtræ abſtulerunt? claudite Elyſium mihi,
Quæcumque fidæ conjuges nemoris ſacri
Lucos tenetis, ſi qua reſperſit manus
Viri cruore, nec nemor caſtæ facis
Stricto cruenta Belias ferro ſtetit,
In me ſuas cognoſcat & laudet manus.
In hanc abire conjugum turbam libet.
Sed & illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte conjux, innocens animus mihi,
Sceleſta manus eſt. prò nimis mens credula,
Prò Neſſe fallax! namque femiferi dolis
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan; túque quæ blandâ tenes
In luce miſeros, vita: caritura Hercule
Lux vilis iſta eſt. exigam pœnas tibi,
Reddámque vitam. fatáne extendo mea?
Mortémque conjux in tuas ſervo manus?
Virtúſne ſupèr eſt aliqua, & armatæ manus
Intendere arcum tela miſſurum valent?
An arma ceſſant, téque languenti manu
Non audit arcus? ſi poteſt letum dare,
Animoſe conjux, dexteram exſpecto tuam.
Mors differatur. frange ut inſontem Licham;
Alias in urbes ſparge; & ignotum tibi
Emitte in orbem. perde, ut Arcadiæ nefas,
Et quidquid aliud reſtitit. ab illis tamen
Conjux rediſti. *HY.* Parce jam, mater, precor.
Ignoſce fatis. error à culpâ vacat.
DE. Si vera pietas, Hylle, quærenda eſt tibi,
Jam perime matrem. pavida quid tremuit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas ſcelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi.
Hæc hæc peremit dextra, cui debes patri
Avum tonantem. majus eripui decus,
Quàm in luce tribui. ſi tibi ignotum eſt nefas,
A matre diſce. ſeu tibi jugulo placet
Merſiſſe ferrum, ſive maternum libet
Invadere uterum; mater intrepidum tibi
Præbebit animum. non erit totum ſcelus
A te perfectum. dexterâ ſternar tuâ,
Sed mente noſtrâ. natus Alcide times?
Ita nulla peragas juſſa, nec frangens mala
Erres per orbem. ſi qua naſcetur fera,
Referas parentem. dexteram intrepidam paras.
Patet ecce plenum pectus ærumnis. feri.
Scelus remitto. dexteræ parcunt tuæ
Eumenides ipſæ. verberum crepuit ſonus.
Quænam iſta torquens angue viperco comam
Temporibus atras ſqualidis pinnas quatit?
Quid dira me flagrante perſequeris face,
Megæra? pœnas poſcit Alcides. dabo.
Jámne inferorum, Diva, ſedere arbitri?
Sed ecce, diras carceris video fores.
Quis iſte ſaxum immane detritis gerit
Jam ſenior humeris? ecce jam vectus lapis
Quærit relabi. membra quis præbet rotæ?
Hic ecce pallens dira Tiſiphone ſtetit,
Cauſam popoſcit. parce verberibus, precor,
Megæra, parce; ſuſtine Stygias faces.
Scelus eſt amoris. ſed quid hoc? tellus labat
Et aula tectis crepuit excuſſis. minax
Unde iſte cœtus? totus in vultus meos
Decurrit orbis, hinc & hinc populi fremunt.
Totúſque poſcit vindicem mundus ſuum.
Jam parcite, urbes. quò fugam præceps agam?
Mors ſola portus. dabitur ærumnis locus.
Teſtor nitentis flammeam Phœbi rotam,
Superóſque teſtor, Herculem terris adhuc
Moritura linquo. *HY.* Fugit attonita. hei mihi!
Peracta jam pars matris eſt. ſtatuit mori.
Nunc noſtra ſupereſt, mortis auferre impetum.
O miſera pietas! ſi mori matrem vetas,
Patri es ſceleſtus. ſi mori pateris tamen,
In matre peccas. ſurgit hinc illinc nefas,
Inhibenda tamen eſt. pergam, & eripiam ſcelus.

CHORUS.

VERUM eſt, quod cecinit ſacer
Threſſæ ſub Rhodopes jugis,
Tangens Threiciam chelyn,
Orpheus, Calliopæ genus:
"Æternum fieri nihil.
Illius ſtetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitúſque ſequi fugax
Amiſit liquor impetum:
Et dum fluminibus mora eſt,
Defeciſſe putant Geten
Hebrum Biſtones ultimi.
Advexit volucrem nemus,
Et ſylvâ reſidens venit;
Aut ſi quæ ærâ pervolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit ſcopulos Athos,
Centauris obitum ferens;
Et juxta Rhodopen ſtetit
Laxatâ nive cantibus.
Et quercum fugiens ſuam,
Ad vatem properat Dryas,
Ad cantus veniunt ſuis
Ipſæ cum latebris feræ.
Juxtáque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo,
Nec damæ trepidant lupos.
Et ſerpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Tænarias fores
Manes cùm tacitos adiit,
Mœrentem feriens chelym,
Cantu Tartara flebili
Et triſtes Erebi deos
Movit: nec timuit Stygis
Juratos ſuperis lacus.
Hæſit non ſtabilis rota
Victo languida turbine.
Increvit Tityi jecur,
Dum cantus volucres tenet.
Audito quoque navita
Inferni ratis æquoris
Nullo remigio venit.
Hunc primùm Phrygius ſenex
Undis ſtantibus immemor
Excuſſit rapidam ſitim,
Nec pomis adhibet manus.
Sed cùm linqueret inferos
Orpheus carmina fundens,

Et

Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.
Consumptas iterum deæ
Supplent Eurydices colos.
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditum
Orpheus Eurydicen sequi,
Cantûs præmia perdidit.
Quæ nata est iterum, perit.
Tunc solamina cantibus
Quærens, flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis:
" Leges in superos datas,
[Et qui tempora digerens
Quatuor præcipitis deus
Anni disposuit vices]
" Nulli non avidas colo
" Parcas flagmina nectere.
" Quod natum est, poterit mori.
Vati credere Thracio
Devictus jubet Hercules.
Jam jam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies;
Australis polus obruet,
Quidquid per Libyam jacet,
Et sparsus Garamas tenet.
Arctous polus obruet
Quidquid subjacet axibus,
Et siccus Boreas ferit.
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidet,
Certos atque obitus trahet.
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & chaos.
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet via tartari,
Stratis ut pateat polis?
An quod dividit æthera
A terris spacium, sat est
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fratrum? quis superis locus?
Pontum, sidera, tartara,
Regna unus capiet tria.
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est est Herculeus sonus.

Feret Ætnæos indè caminos,
Scindétque latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Jam te cœli signa sequentur.
HE. Ego, qui relictâ morte, contemptâ Styge,
Per media Lethes stagna cum spolio redii,
Cùm penè trepidis excidit Titan equis:
Ego, quem deorum regna senserunt tria,
Morior: nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis: haud meæ telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys, non truci vultu Gigas
Pudo cadaver obruit toto meum.
Sinè hoste vincor: quódque me torquet magis,
(O misera virtus!) summus Alcidæ dies
Nullum malum prosternit. impendo, hei mihi,
In nulla vitam facta. prò mundi arbiter,
Superque, quondam dexteræ telles meæ!
Prò cuncta tellus, Herculis vestri placet
Mortem perire? dirus ô nobis pudor,
O turpe fatum! fœmina Herculeæ necis
Auctor feretur: auctor Alcides quibus?
Invicta si me cadere fœminea manu
Voluere fata, pérque tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuissem, hei mihi,
Junonis odio: fœminæ caderem minis,
Sed cœlum habentis. si nimis superis fuit,
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon, fœminæ cujus manu
Junonis hostis vincor? hinc gravior tui,
Noverca, pudor est. quid diem hunc lætum vocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia fœmina excessit tua.
Adhuc furebas esse te Alcidæ imparem.
Victa es duobus. pudeat irarum deos.
Utinam meo cruore fatiâsset suos
Nemeæa victus pestis! aut centum anguibus
Vallatus Hydram tabe pavissem meâ!
Utinam fuissem præda Centauris datus!
Aut inter umbras vinctus, æterno miser
Saxo sederem, spolia cùm traxi ultima
Fato stupente. nunc ab infernâ Styge
Lucem recepi, Diris evici moras.
Ubique me mors fugit. ut leto inclyto
Fortis cererem. ô feræ victæ, ô feræ!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit, non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri;
Non gemina serpens. perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam. titulus extremus quis est?
CH. Vidén', ut laudis conscia virtus
Non Lethæos horreat amnes?
Pudet auctoris, non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vastâ pressus mole Gigantum,
Et montiferum Titana pati,
Rapidæque necem debere feræ.
Si tua causa est miseranda necis,
Quòd nulla fera est, nullúsque Gigas,
Jam quis dignus necis Herculeæ
Supereſt auctor, nisi dextra tui?
HE. Heu qualis intus Scorpius, quis fervidâ
Plagâ revulsus Cancer infixus meas
Urit medullas? sanguinis quondam capax
Tumidi jecur pulmonis arentes fibras
Distendit: ardet felle siccato jecur,
Totúmque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumplit, hinc aditus nefas
In membra fecit, abstulit costis latus,
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas. ossibus vacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
Discussa ruptis mole collapsâ fluunt.
Defecit ingens corpus, & pesti satis
Herculea non sunt membra. prò, quantum est malum,
Quod esse vastum fateor? ô dirum nefas!
En cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
Quid jam supersit. Herculem agnoscis, pater?
Hisne ego lacertis spolia Nemeæi mali
Elisa pressi? tensus hâc arcus manu
Astris ab ipsis depulit Stymphalidas?
His ego citatam gressibus vici feram,
Radiante clarum fronte gestantem caput?
His fracta Calpe manibus cliſit fretum?

ACTUS QUARTUS.

HERCULES, CHORUS.

HERCULES.

CONVERTE, Titan clare, anhelantes equos,
Emitte noctem. pereat hic mundo dies,
Quo moriar. atrâ nube inhorrescat polus.
Obsta novercæ. nunc, pater, cæcum chaos
Reddi decebat. hinc & hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc parte in omni, Jupiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica jaculetur juga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve.
Laxabit atri carceris jamjam fores
Pluton superbus: vincula excutiet patri,
Cœlúmque reddet. ille, qui, pro fulmine
Tussque facibus, natus in terris eram,
Ad Styga revertor. surget Enceladus ferox,
Mittétque, quo nunc premitur, in superos onus.
Regnum omne, genitor, ætheris dubium tibi
Mors nostra faciet. antequam spolium tui
Cœlum omne fiat, conde me totâ, pater,
Mundi ruinâ. frange, quem perdis, polum.
CH. Non vana times, nate Tonantis.
Jam Thessalica Pelion Ossa
Premet; & Pindo congestus Athos
Nemus ætheriis inferet astris.
Vincet scopulos inde Typhœus,
Et Tyrrhenam feret Inarimen.

His tot feræ, tot ſcelera, tot reges jacent?
His mundus humeris ſedit? hæc moles mei eſt?
Hæc ne illa cervix? has ego oppoſui manus
Cœlo ruenti? cujus, ô, cuſtos manu
Trahetur ultrà Stygius? ô vires priùs
In me ſepultæ! quid patrem appello Jovem?
Quid per Tonantem vindico cœlum mihi?
Jam jam meus credetur Amphitryo pater.
Quæcunque peſtis viſcere in noſtro lates,
Procede. quid me vulnere occulto petis?
Quis te ſub axe frigido pontus Scythes,
Quæ pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe litus? o dirum malum!
Utrúmne ſerpens ſqualidum criſtâ caput
Vibrans? an aliquod eſt mihi ignotum malum?
Numquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum, nullúmque. quis vultus tibi eſt!
Concede ſaltem ſcire, quo peream malo.
Quæcunque peſtis, ſæva quæcunque es fera,
Palàm timeres: quis tibi in medias locum
Fecit medullas? ecce, diruptâ cute
Viſcera manus detexit, ulterior tamen
Inventa latebra eſt. ô malum ſimile Herculi!
Unde iſte fletus? unde in has lacrymæ genas?
Invictus olim vultus & nunquam malis
Lacrymas ſuis præbere conſuetus (pudet!)
Jam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
Quæ terra vidit? ſiccus ærumnas tuli.
Tibi illa virtus, quæ tot eliſit mala,
Tibi ceſſit uni. primo, & ante omnes mihi
Fletum abſtuliſti. durior ſaxo horrido
Et chalybe vultus, & vagâ Symplegade,
Rictus meos infregit, & lacrymam extulit.
Flentem, gementem, ſummè prò rector poli,
Me terra vidit. quódque me torquet magis,
Noverca vidit. urit ecce iterum fibras,
Incaluit ardor. unde nunc fulmen mihi?
CH. Quid non poſſit ſuperare dolor?
Quondam Getico durior Æmo,
Nec Parrhaſio lentior axe,
Sævo ceſſit membra dolori;
Feſſúmque movens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
Fletum virtus ſæpe reſolvit.
Sic Arctoas laxare nives,
Quamvis tepido ſidere, Titan
Non tamen audet, viciſque faces
Solis adulti glaciale jubar.

HERCULES, ALCMENA.

HERCULES.

CONVERTE vultus ad meas clades, pater.
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus.
Non cùm per artus Hydra fœcundum meos
Caput explicaret. inter infernos lacus
Poſſeſſus atrâ nocte cum fato fleti;
Nec invocavi. tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In aſtra torſi. ſemper hæc nobis manus
Votum ſpopondit. nulla propter me ſacro
Micuere cœlo fulmina. hic aliquid dies
Optare juſſit. primus audierit preces,
Idémque ſummus. unicum fulmen peto.
Giganta crede. non minùs cœlum mihi
Aſſerere potui. dum patrem verum puto,
Cœlo peperci. ſive crudelis pater,
Sive es miſericors, commoda gnato manum.
Propera ante mortem, & occupa hanc laudem tibi.
Vel, ſi piget, manúſque detrectat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Oſſa; qui me monte projecto opprimant.
Abrumpe & Erebi claustra. me ſtricto petat
Bellona ferro. mitte Gradivum trucem;
Armetur in me dirus; & frater quidem,
Sed ex noverca. tu quoque Alcidæ ſoror
Tantùm ex parente, cuſpidem in fratrem tuum
Jaculare, Pallas. ſupplices tendo manus
Ad te, noverca. ſparge tu ſaltem, precor,
Telum. perire fœminæ poſſum manu,
Jam fracta, jam ſatiata, quid paſcis minas?
Quid quæris ultrà? ſupplicem Alcidem vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem. nunc mihi iratâ quidem
Opus eſt novercâ. nunc tuus ceſſat dolor.
Nunc odia ponis. parcis, ubi votum eſt mori?
O terræ & urbes! non facem quiſquam Herculi,
Non arma tradet? tela ſubtrahitis mihi?
Ita nulla ſævas terra concipiat feras
Poſt me ſepultum. nec meas unquam manus
Imploret orbis. ſi qua naſcetur fera,
Naſcatur alius. undique infelix caput
Mactate ſaxis, vincite ærumnas meas.
Ingrate ceſſas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferìſque ſuppoſitus fores,
Ni me tuliſſes, vindicem veſtrum malis
Eripite, populi. tempus hoc vobis datur.
Penſate merita. mors erit pretium omnium.
AL. Quas miſera terras mater Alcidæ petam?
Ubi natus, ubinam eſt? certa ſi viſus notat,
Reclinis ecce corde anhelanti æſtuat.
Gemit. peractum eſt. membra complecti ultima,
O nate, liceat. ſpiritus fugiens meo
Legatur ore. brachia in amplexus cape.
Ubi membra ſunt? ubi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? *HE.* Herculem ſpectas quidem,
Mater; ſed umbræ ſimile neſcio quid mei
Agnoſce, mater. ora quid flectis retro,
Vultúmque mœrens? Herculem dici tuum
Partum erubeſcis? *AL.* Quis feram mundus novam,
Quæ terra genuit? quódve tam dirum nefas
De te triumphat? victor Herculeus quis eſt?
HE. Nuptæ jacentem cernis Alciden dolis.
AL. Quis tantus eſt, qui vincat Alciden, dolus?
HE. Quicunque, mater, fœminæ iratæ ſat eſt.
AL. At unde in artus peſtis aut oſſa incidit?
HE. Aditum venenis palla fœmineis dedit.
AL. Ubinam ipſa palla eſt? membra nudata intuor.
HE. Conſumpta mecum eſt. *AL.* tantáne inventa eſt
HE. O mater, Hydram, & mille cum Lernâ feras [lues?
Errare mediis credo viſceribus meis.
Quæ tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in Zonâ diem?
In ipſa me jactate, prò comites, freta,
Medióſque in amnes. quis ſat eſt Iſter mihi?
Non ipſe terris major Oceanus meos
Frangit vapores. omnis in noſtris malis
Deficiet humor, omnis areſcet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Jovi?
Decuit tenere. redde me tenebris tuis.
Talem ſubactis Herculem oſtende inferis.
Nil indè ducam. quid times iterum Herculem?
Invade mors non trepida. jam poſſum mori.
AL. Compeſce lacrymas ſaltem, & ærumnas doma,
Malìſque tantis Herculem indomitum refer,
Mortémque vince. quod ſoles, vince inferos.
HE. Si me cantenis horridus vinctum ſuis
Præberet avidæ Caucaſus volucri dapem
Scythiâ gemente; flebilis gemitus mihi
Non extitiſſet. ſi vagæ Symplegades
Utràque premerent rupe; redeuntis minas
Ferrem ruinæ. Pindus incumbat mihi
Atque Æmus, & qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Joviſque fulmen excipiens Mimas.
Non ipſe ſi in me, mater, hic mundus ruat,
Supérque noſtros flagret incenſus rogos
Phœbeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret. mille decurrant feræ,
Paritérque lacerent; hinc feris clangoribus
Ætheria me Stymphalis; hinc taurus minax.
Cervice totâ pulſet, & quidquid furit.
Solum quoque ingens ſurgat, hinc illinc fremens,
Artúſque noſtros dirus imminuat dolor.
Sparſus ſilebo. non feræ excutient mihi,
Non arma gemitus. nil, quod impelli poteſt.
AL. Non virus artus, nate, fœmineum coquit;
Sed dura ſeries operis; & longus tibi
Favet cruentis forſitan morbis dolor.
HE. Ubi mors? ubi illa? teſtis eſt aliquis mali?
Intendat arcus. nuda ſufficiet manus.
In orbe mecum veniat: huc aliquis mihi
Procedat, agedum, huc. *AL.* Hei mihi, ſenſus quoque
Ex-

Excussit ille nimius impulsu dolor.
Removete, quæso, tela, & infestas, precor,
Rapite hinc sagittas. igne suffusæ genæ
Scelus minantur. quâ fugâ latebras petam?
Dolor ille furor est. Herculem solus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu.
Vel scelere pereat, antequam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. ecce, lassatus malis
Sopore fessas alliget venas dolor,
Gravisque anhelum pectus impulsu quatit.
Favete, superi. si mihi gnatum inclytum
Miseræ negatis; vindicem saltem precor
Servate terris. abeat excussus dolor,
Corpúsque vires reparet Herculeum suas.

HYLLUS, ALCMENA, HERCULES.

Philoctetes *manta persona.*

HYLLUS.

PRO lux acerba, prò capax scelerum dolor!
Nurus Tonantis occidit. natus jacet.
Nepos supersum. scelere materno hic periit;
Fraude illa capta est. quis per annorum vices,
Totóque in ævo poterit ærumnas senex
Referre tantas? unus eripiet dies
Parentem utrumque. cætera ut fileam mala,
Parcámque fatis, Herculem amitto patrem.
AL. Compesce voces inclytum Alcidæ genus,
Miseræque fato similis Alcmenæ nepos.
Longus dolorem fortitan vincet sopor:
Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Reddítque morbo corpus, & luctus mihi.
HE. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo,
Et inter astra positus evasi genus
Mortale tandem. quis mihi cœlum parat?
Te te, pater, jam video: placatam quoque
Specto novercam. qui sonus nostras ferit
Cœlestis aures? Juno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari ætheris,
Phœbíque tritam flammeâ zonam rotâ.
Cubile video noctis. hinc tenebras vocat.
Quid hoc? quis axem claudit, & ab ipsis, pater,
Deducor astris? ora Phœbeus modò
Afflabat axis. tam propè à cœlo fui.
Trachina video. quis mihi terras dedit?
Modò nempe me infra steterat, ac totus mihi
Suppositus orbis. etam bene excideras, dolor.
Cogis fateri. parce, & hanc vocem occupa.
Hæc, Hylle, dona matris; hoc munus parat.
Utinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa nivalis Caucasi domui latus.
O clara Megara, túne, cùm furerem, mihi
Conjux fuisti? stipitem atque arcus dare.
Dextra inquinetur. laudibus maculam imprimam.
Summus legatur fœmina Herculeus labor.
HY. Compesce diras, genitor, irarum minas.
Habet, peractum est. quas petis pœnas, dedit.
Suâ perempta dextrâ mater jacet.
HE. Cæci dolores. manibus irati Herculis
Occidere meruit. perdidit comitem Lichas.
Sævire in ipsum corpus exanime impetus
Atque ira cogit. cur minis nostris caret?
Ipsum cadaver pabulum accipiant feræ.
HY. Plùs misera læso doluit. huic aliquid quoque
Detrahere velles. occidit dextrâ suâ,
Tuo dolore. plura, quàm poscis, tulit.
Sed non cruentæ sceleribus nuptæ jaces:
Nec fraude matris. Nessus hos struxit dolos;
Ictus sagittis qui tuis vitam expulit.
Cruore tincta est palla semiferi, pater,
Nessúsque nunc has exigit pœnas sibi.
HE. Habet. peractum est. fata se nostra explicant.
Lux ista summa est. quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, & Parnassio
Cirrhea quatiens templa mugitu nemus:
" Dextrâ perempti, victor Alcide, viri
" Olim jacebis. hic tibi emensо freta,
" Terrásque & umbras, finis extremus datur.
Nil querimur ultrà. decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclyta,
Me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis sylva, & Oetæum nemus
Suscipiat ignis. Herculem accipiat rogus.
Sed ante mortem, Tu genus Pæantium,
Hoc triste nobis, juvenis, officium appara.
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.
Est clara, captas inter incultas, genus
Regnúmque referens, Euryto virgo edita,
Iole: tuis hanc facibus & flammis para.
Victor cruentus abstuli patriam, lares,
Nihilque miseræ præter Alcidem dedi;
Et iste rapitur. penset ærumnas suas:
Jovis nepotem foveat, & natum Herculis.
Tibi illa pariat, quidquid ex nobis habet.
Túque ipsa planctus pone funebres, precor,
O clara genitrix. vivet Alcides tuus.
Virtute nostrâ pellicem feci tuam
Credi novercam. sive nascente Hercule
Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est: licèt sit falsa progenies mihi;
Materna culpa cesset, & crimen Jovis:
Merui parentem, contuli cœlo decus.
Natura me concepit in laudes Jovis.
Quin ipse quanquam Jupiter credi meus
Pater esse gaudet. parce jam lacrymis, parens
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Juno peperit, æthereum gerens
Sceptrum, & Tonanti nupta? mortali tamen
Cœlum tenens invidit? Alciden suum
Dici esse voluit. perage nunc, Titan, vices
Solus relictus. ille, qui vester comes
Ubique fueram, Tartara & manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclytam,
Quòd nulla pestis vicit Alciden palàm,
Omnémque pestem vicit Alcides palám.

CHORUS.

O Decus mundi, radiate Titan,
Cujus ad primos Hecate vapores
Lassa nocturnæ levat ora bigæ,
Dic sub aurorâ positis Sabæis,
Dic sub occasu positis Iberis,
Quisque ferventem patiuntur axem,
Quisque sub plaustro patiuntur Ursæ;
Dic ad æternos properare Manes
Herculem, & regnum Canis inquieti,
Unde non unquam remeavit ullus.
Sume, quos nubes radios sequantur.
Pallidus mœstas speculare terras,
Et caput turpes nebulæ pererrent.
Quando, prò Titan, ubi, quóve, summe,
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus, orbis miser, invocabis,
Si qua sub terrâ numerosa pestis
Sparget intentam rabiem draconis?
Arcadum si quis, populi vetusti,
Fecerit sylvas aper inquietas?
Thraciâ si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices nivosæ
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati superi per urbes
Jusserint nasci? jacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immensas resonet per urbes,
Et comas nullo cohibente nodo,
Fœmina exertos feriat lacertos;
Soláque obductis foribus Deorum,
Templa securæ pateant novercæ.
Vadis ad Lethen Stygiúmque littus,
Unde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad manes miserandus, unde
Morte devictâ tuleras triumphum.
Umbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, trepidóque collo:
Téque non solum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter umbras;
Æacúmque inter, geminósque Cretas;
Fata discernes. fieri tyranni
Parcite, ô dites, inhibete dextras.
Laudis est, purum tenuisse ferrum:
Dúmque regnabas, minimum cruentis
In tuas urbes licuisse fatis.

Sed

Digitized by

Sed "locum virtus habet inter aſtra.
Sedis Arctoæ ſpatium tenebis?
An gravis Titan ubi promit æſtus?
An ſub Occaſu tepido nitebis,
Unde commiſſo relonare ponto
Audies Calpen? loca quæ ſereni
Deprimes cœli? quis erit recepto
Tutus Alcidæ locus inter aſtra?
Horrido tantùm procul à Leone
Det pater ſedes, calidóque Cancro;
Ne tuo vultu trepefacta leges
Aſtra conturbent, trepidétque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,
Et Comam ſylvis hyemes recident,
[Vel comam ſylvis revocabit æſtas;]
Pomáque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetuſtas.
Tu comes Phœbo, comes ibis aſtris.
Antè naſcetur ſeges in profundo,
Vel fretum dulci reſonabit undâ;
Antè deſcendet glacialis Urſæ
Sidus, & Ponto vetito fruetur,
Quàm tuas laudes populi quieſcant.
Te, pater rerum, miſeri precamur,
Nulla naſcatur fera, nulla pelis.
Non duces ſævos miſeranda tellus
Habeat: nec ullâ dominetur aulâ,
Qui putet ſolum decus eſſe regni,
Semper impenſum tenuiſſe ferrum.
Si quid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.
Hem, quid hoc? mundus tonat; ecce, mœret,
Mœret Alcidæ pater. an Deorum
Clamor, an vox eſt timidæ novercæ?
Hercule an viſo fugit aſtra Juno?
Laſſus an pondus titubavit Atlas?
An magìs diri tremuere Manes
Herculem! & viſum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: læto venit, ecce, vultu
Quem tulit Pæas, humeríſque tela
Geſtat, & notas populis pharetras,
Herculis hæres.

Et brevior ilex. ſylva contexit pyram,
Populea ſylva frondis Herculeæ nemus.
At ille, ut ingens nemore ſub Naſamonio
Æger reclini pectore admugit leo,
Fertur. quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis aſtra, non ignes, erant.
Ut preſſit Oeten, ac ſuis oculis rogum
Luſtravit, omnes fregit impoſitus trabes,
Arcúmque poſcit: Accipe hæc, inquit, ſate
Pæante, dona; munus Alcidæ cape.
Has Hydra ſentit: his jacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum.
Victure felix: has enim nunquam irritas
Mittes in hoſtes, ſive de medià voles
Auferre volucres nube, deſcendent aves,
Et certa prædam tela de cœlo ferent.
Nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam:
Librare telum didicit, & certam dare
Fugam ſagittis. ipſa non fallunt iter
Emiſſa nervo tela. tu tantùm, precor,
Accommoda ignes, & facem extremam mihi.
Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
Mecum per ignem flagret, hoc telum Herculem
Tantùm ſequatur. hoc quoque acciperes, ait,
Si ferre poſſes. adjuvet domini rogum.
Tum rigida ſecum ſpolia Nemeæi mali
Arſura poſcit. latuit in ſpolio rogus.
Ingemuit omnis turba: nec lacrymas dolor
Cuiquam remiſit. mater in luctum furens
Diduxit avidum pectus, atque utero tenus
Exerta, vaſtos ubera in planctus ferit;
Superóſque & ipſum vocibus pulſans Jovem
Implevit omnem voce fœminea locum.
Deforme letum mater Herculeum facis:
Compeſce lacrymas, inquit: introrſus dolor
Fœmineus abeat. Juno cur lætum diem
Te flente ducat? pellicis gaudet ſuæ
Spectare lacrymas. contine infirmum jecur
Mater: nefas eſt ubera atque uterum tibi
Laniare, qui me genuit. & dirum fremens
Qualis per urbes duxit Argolicas canem,
Cum victor Erebi Dite contempto rediit
Tremente fato; talis incubuit rogo.
Quis ſic triumphans lætus in curru ſtetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?
Hæſere lacrymæ. cecidit expulſus dolor
Nobis quoque ipſis. nemo morituro ingemit.
Jam flere pudor eſt. ipſa, quam ſexus jubet
Mœrere, ſiccis hæſit Alcmene genis;
Stetíſque nato penè jam ſimilis parens.
NU. Nullátine in aſtra miſit ad ſuperos preces
Arſurus, aut in vota reſpexit Jovem?
PH. Jacuit ſui ſecurus, & cœlum intuens,
Quæſivit oculis arce an ex aliquâ pater
Deſpiceret illum. tum manus tendens ait:
Quacunque parte proſpicis natum, pater,
Ille eſt pater, quem nocte commiſsâ dies
Quærivit unus. ſi meas laudes canit
Utrumque Phœbi littus, & Scythiæ genus,
Et omnis ardens ora, quam torret dies.
Si pace tellus plena, ſi nullæ gemunt
Urbes, nec aras impius quiſquam inquinat;
Si ſcelera deſunt, ſpiritum admitti hunc precor
In aſtra. nec me mortis infernæ locus,
Nec mœſta nigri regna conterrent Jovis:
Sed ire ad illos umbra, quos vici, Deos,
Pater, erubeſco. nube diſcuſsâ diem
Pande, ut Deorum vultus ardentem Herculem
Spectet: licèt tu ſidera & mundum neges
Ultro, pater, cogere. ſi voces dolor
Abſtuleris ullas, pande tum Stygios lacus,
Et redde Fatis. approba gnatum priùs.
Ut dignus aſtris videar, hic faciet dies.
Leve eſt, quod actum eſt. Herculem genitor priùs
Invenit, an damnavit? hoc póſtque addidit;
Noverca cernat, quo feram flammas modo.
Flammas popoſcit. hoc age Alcidæ comes;
Non ſegnis, inquit, corripe Oetæam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
Scelus refugit? redde jam pharetras mihi,
Ignave, iners, inermis. en noſtros manus
Quæ tendat arcus. quis ſedet pallor genis?
Animo faces invade, quo Alciden vides

ACTUS QUINTUS.

NUTRIX, PHILOCTETES.

NUTRIX.

EFFARE caſus, juvenis, Herculeos precor,
Vultúque quonam tulerit Alcides necem.
PH. Quo nemo vitam. *NU.* Lætus adeóne ultimos
Invaſit ignes? *PH.* Eſſe jam flammas nihil
Oſtendit ille, qui ſub occaſu Herculis
Virtute vinci docuit indomitâ omnia.
NU. Inter vapores quis fuit forti locus?
PH. Quod unum in orbe venerat nondum malum,
Et flamma victa eſt. hæc quoque acceſſit feris.
Inter labores ignis Herculeos abiit.
NU. Edíſſere agedum, flamma quo victa eſt modo?
PH. Ut omnis Oeten mœſta corripuit manus,
Hinc fagus umbras perdit, & toto jacet
Succiſa trunco: flexit hinc pinum ferox
Aſtris minantem, & nube de medià vocat;
Reitura cautes movit, & ſylvam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vaſta latè quercus, & Phœbum vetat,
Ultráque totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo vulnere impreſſo minax:
Frangítque cuneos. retilit excuſſus chalybs,
Vulnúſque ferrum patitur, & truncum fugit.
Commota tandem eſt. tunc cadens lentâ morâ
Duxit ruinam. protinus radios locus
Admilit omnes. ſedibus pulſæ tuis
Volucres pererrant nemore ſucciſo diem,
Quærúntque laſſis garrulæ pinnis nemus.
Jámque omnis arbor ſonuit, & ſacræ quoque
Senſere quercus horridam ferro manum,
Nulliſque priſcum profuit ligno nemus.
Aggeritur omnis ſylva, & alternæ trabes
In aſtra tollunt Herculi anguſtum rogum.
Rapit alta flammas pinus, & robur tenax,

Vultu

Vultu jacere: reſpice arſurum, miſer.
Vocat ecce jam me genitor, & pandit polos.
Venio, pater. vultúſque non idem fuit.
Tremente pinum dexterâ ardentem impuli.
Refugit ignis, & reluctantur faces,
Et membra vitant: ſed recedentem Hercules
Inſequitur ignem. Caucaſum, aut Pindum, aut Athon
Ardere credas. nullus erumpit ſonus.
Tantùm ingemiſcit ignis ad durum jecur.
Typhon in illo poſitus immanis rogo
Gemuiſſet ipſe, quíque convulſam ſolo
Impoſuit humeris Oſſan Enceladus ferox.
At ille medias inter exſurgens faces
Semiuſtus ac laniatus, intrepidus, rubens;
Nunc, ô parens Herculea, ſic ſtare ad rogum
Te mater, inquit, ſic decet fieri Herculem.
Inter vapores poſitus, & flammæ minas,
Immotus, inconcuſſus, in neutrum latus
Correpta flectens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum miniſtris. urere ardentem putes.
Stupet omne vulgus, vix habens flammæ fidem.
Tam placida frons eſt, tanta majeſtas viro.
Nec properat uri. cúmque jam forti datum
Leto ſatis penſavit, igniferas trabes
Hinc indè traxit, nimia quas flamma occupat;
Totáſque in ignem vertit: & quæ plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet. aſt illi graves
Luxere barbæ: cúmque jam vultum minax
Appeteret ignis, lamberent flammæ caput,
Non preſſit oculos. Sed quid hoc? mœſtam intuor
Sinu gerentem reliquias magni Herculis.
Crinémque jactans ſqualliduin Alcmene gemit.

ALCMENA, PHILOCTETES.

ALCMENA.

TIMETE ſuperi fata. tam parvus cinis
Herculeus eſt; hunc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, cepit Alciden ſinus.
Hic tumulus illi eſt. ecce vix totam Hercules
Complevit urnam. quàm leve eſt pondus mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leve!
Ad tartara olim regnáque, ô gnate, ultima
Rediturus ibas. quando ab infernâ Styge
Remeabis iterum? non utì ſpolium trahus,
Rurſúmque Theſeus debeat lucem tibi:
Sed quando ſolus? ignis impoſitus tuas
Compeſcet umbras, téque Tartareus canis
Inhibere poterit? quando Tænareas fores
Pulſabis? ah, quas mater ad fauces agar?
Quà mors aditur? vadis ad Manes iter
Habiturus unum. quid diem queſtu tero?
Quid miſera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rurſus Herculem poſſum Jovi?
Quis me parentem gnatus Alcmenam ſuam
Tantus vocabit? ô nimis felix, nimis,
Thebane conjux. Tartari intrâſti loca
Florente gnato; téque venientem inferi
Timuere forſan, quòd pater tantùm Herculis
Vel falſus aderas. quas petam terras anus,
Inviſa ſævis regibus? ſi quis tamen
Rex eſt relictus ſævus. hei miſeræ mihi.
Quicunque cæſos ingemunt gnati patres,
A me petent ſupplicia. me cuncti obruent.
Si quis minor Buſiris, aut ſi quis minor
Antæus urbes perfidæ terret plagæ,
Ego præda ducar. ſi quis Iſmarios greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
Mea membra diri. forſitan pœnas petet
Irata Juno. totus uretur dolor.
Secura victo tandem ab Alcide vacat.
Pellex ſuperſum, ſupplicia de quâ exigat.
Ne parere poſſem, fecit hic gnatus mihi
Uterum timendum. quæ petam Alcmene loca?
Quis me locus, quæ regio, quæ mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar?
Ubique certe nota. ſi patriam petam,
Laréſque miſeros, Argos Euryſtheus tenet.
Orbata Thebas, regnum & Iſmenum petam,
Thalamóſque noſtros, in quibus quondam Jovem
Dilecta vidi? prò nimis felix, nimis,
Si fulminantem & ipſa ſenſiſſem Jovem!
Utinam meis viſceribus Alcides foret
Exectus infans! nunc datum eſt miſeræ, datum,
Videre gnatum laude certantem Jovi:
Et hoc daretur ſcire, quod fatum mihi
Eripere poſſet! quis memor vivet tui,
O gnate, populus? omne jam ingratum eſt genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritíſque terram nobilem quæram tuis?
Hìc dira ſerpens cecidit; hìc ales fera;
Hìc rex cruentus; hìc tuâ fractus manu,
Qui te ſepulto poſſidet cœlum, leo.
Si grata terra eſt, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebríque populos? hæc quoque eſt meritis tuis
Defenſa tellus. ſtabula cum regno jacent.
Hìc pax cruento rege proſtrato data eſt.
Ubi enim negata eſt? quod tibi infelix anus
Quæram ſepulchrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis. reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis jam petet, quis poſcet Alcmenes onus?
Quæ tibi ſepulchra, gnate, quis tumulus ſat eſt?
Hìc totus orbis, fama erit tumulus tibi.
Quid anime trepidas? Herculis cineres tene.
Complectere oſſa. reliquiæ auxilium dabunt.
Erunt ſatis præſidia. terrebunt tuæ
Reges vel umbræ. *PH.* Debitos gnato quidem
Compeſce fletus, mater Alcidæ inclyti.
" Non eſt gemendus, nec gravi urgendus nece,
" Virtute quiſquis abſtulit fatis iter.
Æterna virtus Herculem fieri vetat.
" Fortes vetat mœrere, degeneres jubet.
AL. Sedabo queſtus? vindicem amiſi parens
Terræ atque pelagi, quíque purpureus dies
Utrumque clarâ ſpectat Oceanum rotâ.
Quot miſera in uno condidi gnatos pareus?
Regno carebam, regna ſed poteram dare.
Una inter omnes terra quas matres regit,
Votis peperci: nil ego à ſuperis petii
Incolume nato. quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis Deus quidquam mihi
Negare poterat? vota in hâc fuerant manu:
Quidquid negaret Jupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, & toto ſtetit
Succiſa fœtu, biſque ſeptenos greges
Deplanxit una; gregibus æquari meus
Quot ille poterat? matribus miſeris adhuc
Exemplar ingens deerat: Alcmene dabit.
Ceſſate matres, pertinax ſi quas dolor
Adhuc jubet lugere, quas luctus gravis
In ſaxa vertit. cedite his cunctæ malis.
Agedum, ſenile pectus, ô miſeræ manus,
Pulſate. & una funeri tanto ſat eſt
Grandæva anus defecta; quod totus brevi
Jam quæret orbis? expedi in planctus tamen
Defeſſa quanquàm brachia. invidiam ut Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

ALCMENA.

FLETE Alcmenen, magnſque Jovis
Plangite gnatum, cui concepto
Lux una periit, noctéſque duas
Contulit Eos: ipsà quiddam
Plus luce perit. totæ pariter
Plangite gentes, quarum ſævos
Ille tyrannos juſſit Stygias
Penetrare domos, populíſque madens
Ponere ferrum. fletum meritis
Reddite tantis. totus, totus
Perſonet orbis. fleat Alciden
Cærula Crete; magno tellus
Clara Tonante: centum populi
Brachia pulſent.
Nunc Curetes, nunc Corybantes,
Arma Idæa quaſſate manu:
Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum:
Jacet Alcides non minor ipſo,
Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phœbe naſcente genus.

Juga

Juga Parthenii Nemeæque ſonent;
Feriántque graves Mœnala planctus.
Poſcite magno Alciden gemitu:
Stratus veſtris ſetiger oris:
Aléſque ſequi juſſa ſagittas,
Totum pinnis velata diem.
Flete, Argolici; flete, Cleonæ;
Hìc terrentem mœnia quondam
Veſtra leonem fregit noſtri
Dextera nati. Date Sithoniæ
Verbera matres, gelidúſque ſonet
Planctibus Hebrus. flete Alciden,
Quòd non ſtabulis naſcitur infans,
Nec veſtra greges viſcera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryone.
Mecum miſeræ plangite gentes:
Audiat ictus utraque Tethys.
Vos quoque mundi turba citati,
Flete Herculeos, numina, caſus.
Veſtrum Alcides cervice meus
Mundum, ſuperi, cœlúmque tulit:
Cùm ſtelligeri vector Olympi,
Pondere liber ſpiravit Atlas.
Ubi nunc veſtræ, Jupiter, arces?
Ubi promiſſi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe ſepultus. quoties telis
Facibúſque tuis ille pepercit!
Quoties ignis ſpargendus erat?
In me ſaltem jaculare facem,
Semelémque puta. Jámne Elyſias,
O gnate, domus, jam littus habes,
Ad quod populos natura vocat.
An poſt raptum Styx atra canem
Præcluſit iter;
Téque in primo limine Ditis
Fata morantur? quis nunc Umbras,
Gnate, tumultus, Manéſque tenet?
Fugit abductâ navita cymbâ,
Et Centauris Theſſala motis
Ferit attonitos ungula Manes?
Anguéſque ſuos Hydra ſub undis
Territa merſit? téque labores,
O gnate, timent?
Fallor, fallor, veſana parens;
Nec te Manes umbræque timent.
Non Argolico rapta leoni
Fulvâ pellis contecta jubâ
Lævos operit dura lacertos;
Vallántque feri tempora dentes.
Donum pharetræ ceſſere tuæ.
Teláque mittet jam dextra minor.
Vadis inermis, gnate, per umbras,
Ad quas ſemper manſurus eris.

HERCULES, ALCMENA.

HERCULES.

QUID me tenentem regna ſiderei poli,
Cœlóque tandem reddítum, planctu jubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In aſtra, & ipſos fecit ad ſuperos iter.
AL. Unde ſonus trepidas aures ferit?
Unde meas inhibet lacrymas fragor?
Agnoſco, agnoſco, victum éſt chaos.
A Styge, gnate, redis iterum mihi:
Fractáque non ſemel eſt mors horrida.
Viciſti rurſus Noctis loca,
Puppis & infernæ vada triſtia.
Pervius eſt Acheron jam languidus,
Et remeare licet ſoli tibi,
Nec te Fata tenent poſt funera.
An tibi præcluſit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit ſibi?
Certè ego te vidi flagrantibus
Impoſitum ſylvis, cùm pluribus
In cœlum furerent flammæ minis.
Artiſti certè; verùm ultima
Non tenuere tuas umbras loca.
Quid timuere tui manes precor?
Umbra quoque eſt Diti nimis horrida.
HE. Non me rigentis ſtagna Cocyti tenent.
Non puppis umbras furva tranſvexit meas.
Jam parce, mater, queſtibus. Manes ſemel
Umbráſque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis injectus tulit.
Paterna cœlo pars data eſt; flammis tua.
Proinde planctus pone, quos gnato paret
Genitrix inerti. luctus in turpes eat.
" Virtus in aſtra tendit, in mortem timor.
Præſens ab aſtris, mater, Alcides cano;
Pœnas cruentus jam tibi Euryſtheus dabit.
Curru ſuperbum vecta tranſcendes caput.
Me jam decet ſubire cœleſtem plagam,
Inferna vinco rurſus Alcides loca.
AL. Mane parumper. ceſſit; ex oculis abiit;
In aſtra fertur. fallor, an vultus putat
Vidiſſe gnatum? "miſera mens incredula eſt.
Et numen, & te mundus æternus tenet.
Credo, triumphas; regna Thebarum petam,
Novúmque templis additum numen canam.

CHORUS.

" NUNQUAM Stygias fertur ad umbras
" Inclyta virtus. vivite fortes;
Nec Lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent: ſed cùm ſummas
Exiget horas conſumpta dies,
" Iter ad ſuperos gloria pandet.
Sed tu domitor magne ferarum,
Orbíſque ſimul pacator ades.
Nunc quoque noſtras reſpice terras:
Et ſi qua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange triſulcis.
Fortiùs ipſo genitore tuo
Fulmina mittes.

OCTA-

Digitized by Google

OCTAVIA.

PERSONÆ.

OCTAVIA.
NUTRIX OCTAVIÆ.
CHORUS Romanorum.
SENECA.
PRÆFECTUS.
POPPEA.
NUTRIX POPPEÆ.
AGRIPPINA.
NERO.
NUNCIUS.

ACTUS PRIMUS.

OCTAVIA.

JAM vaga cœlo ſidera fulgens
Aurora fugat: ſurgit Titan
Radiante comâ, mundóque diem
Reddit clarum.
Eia age, tantis onerata malis
Repete aſſuetos jam tibi queſtus,
Atque æquoreas vince Alcyonas;
Vince & volucres Pandionias:
Gravior namque bis fortuna tua eſt.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum cauſa malorum,
Triſtes queſtus
Natæ exaudi, ſi quis remanet
Senſus in umbris. utinam antè manu
Grandæva ſuâ mea rupiſſet
Stamina Clotho; tua quàm mœrens
Vulnera vidi,
Oráque fœdo ſparſa cruore!
O lux ſemper funeſta mihi!
Tempore ab illo lux eſt tenebris
Inviſa magis.
Tulimus ſævæ juſſa novercæ,
Hoſtilem animum, vultúſque truces.
Illa illa meis triſtis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes:
Téque extinxit, miſerande pater,
Modò cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum; cuſque Britanni
Terga dedere,
Ducibus noſtris antè ignoti,
Juriſque ſui.
Conjugis (heu me) pater inſidiis
Oppreſſe jaces; ſervítque domus
Cum prole tuâ capta tyranno!

NUTRIX OCTAVIÆ.

FULGORE primo captus, & facili bono
Fallacis aulæ, quiſquis attonitus ſtupet,
Subito latentis ecce Fortunæ impetu
Modo præpotentem cernat everſam domum,
Stirpémque Claudii, cujus imperio fuit
Subjectus orbis; paruit liber diu
Oceanus, & recepit invitus rates.
En qui Britannis primus impoſuit jugum,
Ignota tantis claſſibus texit freta,
Intérque gentes barbaras tutus fuit,
Et ſæva maria, conjugis ſcelere occidit;
Mox illa gnati, cujus extinctus jacet
Frater veneno, mœret infelix ſoror,
Eadémque conjux. nec graves luctus valet
Irâ coacta tegere. crudelis viri
Secreta refugit ſemper, atque odio pari
Ardens mariti, mutuâ flagrat face.
Animum dolentis noſtra ſolatur fides,
Pietáſque fruſtra. mutat immitis dolor
Conſilia noſtra. nec regi mentis poteſt
Generoſus ardor, ſed malis vires capit.
Heu quàm netandum proſpicit noſter timor
Scelus, quod utinam numen avertat Deûm!

OCTAVIA, NUTRIX.

OCTAVIA.

O MEA nullis æquanda malis
Fortuna! licet repetam luctus
Electra tuos: tibi mœrenti
Cæſum licuit flere parentem;
Scelus ulciſci vindice fratre,
Tua quem pietas hoſti rapuit,
Texſtque fides: me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor, fratriſque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes una mihi,
Tótque malorum breve ſolamen.
Nunc in luctus ſervata meos,
Magni reſto nominis umbra.
NU. Vox (heu) noſtras perculit aures
Triſtis alumnæ.
Ceſſas thalamis inferre gradus
Tarda ſenectus? *OC.* Excipe noſtras
Lacrymas, nutrix, teſtis noſtri
Fida doloris. *NU.* Quis te tantis
Solvet curis, miſeranda, dies?
OC. Qui me Stygias mittet ad umbras.
NU. Omina (quæſo) ſint iſta procul.
OC. Non vota meos tua nunc caſus,
Sed fata regunt. *NU.* Dabit afflictæ
Meliora Deus tempora mitis:
Tu modò blando vince obſequio
Placata virum. *OC.* Vincam ſævos
Antè leones, tigréſque truces,
Fera quàm ſævi corda tyranni.
Odit genitos ſanguine claro,
Spernit ſuperos hominéſque ſimul,
Nec fortunam capit ipſe ſuam,
Quam dedit illi per ſcelus ingens
Infanda parens. licèt ingratum
Diræ pudeat munere matris,
Hoc imperium cepiſſe; licèt
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum poſt fata tamen
Fœmina longo ſemper in ævo.
NU. Animi retine verba furentis.
Temere emiſſam comprime vocem.
OC. Toleranda quamvis patiar, haud unquam queant,
Niſi morte triſti, noſtra finiri mala.
Genitrice cæſâ, per ſcelus rapto patre,
Orbata fratre, miſeriis, luctu obruta,
Mœrore preſſa, conjugi inviſa, ac meæ

Digitized by Google

Subjecta famulæ, luce non gratâ fruor;
Trepidante ſemper corde, non mortis metu,
Sed ſceleris. abſit crimen à fatis meis:
Mori juvabit. pœna nam gravior nece eſt,
Videre tumidos & truces miſeræ mihi
Vultus tyranni, jungere atque hoſti oſcula,
Timere nutus; cujus obſequium meus
Haud ferre poſſet, fata poſt fratris, dolor,
Scelere interempti; cujus imperium tenet
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quàm ſæpe triſtis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cùm ſolvit quies,
Et ſetſa fletu lumina oppreſſit ſopor!
Modò facibus atris armat infirmas manus,
Oculóſque, & ora fratris infeſtus petit:
Modò trepidus idem refugit in thalamos meos.
Perſequitur hoſtis, atque inhærenti mihi,
Violentus enſem per latus noſtrum rapit.
Tunc tremor & ingens excutit ſomnos paver,
Renovátque luctus & metus miſeræ mihi.
Adice his ſuperbam pellicem, noſtræ domûs
Spoliis nitentem; cujus in munus ſuam
Stygiæ parentem natus impoſuit rati;
Quam dira poſt naufragia ſuperato mari
Ferro interemit, ſævior pelagi fretis.
Quæ ſpes ſalutis poſt nefas tantum mihi?
Inimica, victrix, imminet thalamis meis;
Odióque noſtri flagrat, & pretium ſtupri
Juſtæ maritum conjugis captat caput.
Emergere undis, & fer auxilium tuæ
Gnatæ invocanti, genitor; aut Stygios ſinus
Tellure ruptâ pande, quò præceps ferar.
NU. Fruſtra parentis invocas manes tui,
Miſeranda; fruſtra. nulla cui prolis ſuæ
Manet inter umbras cura: qui gnato ſuo
Præferre potuit ſanguine alieno fatum,
Genitámque fratris conjugem captus tibi
Toris nefandis flebili junxit face.
Hinc orta ſeries facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, ſanguinis diri ſitis:
Mactata ſoceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Prò facinus ingens! feminæ eſt munus datus
Sillanus, & cruore fœdavit ſuo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hoſtis (hei mihi) captam domum
Dolis novercæ, Principis factus gener,
Idémque gnatus, juvenis infandi ingenii
Capáxque ſcelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, & te junxit invitam metu.
Tantóque victrix facta ſucceſſu ferox,
Auſa imminere eſt orbis imperio ſacri.
Quis tot referre facinorum formas poteſt,
Et ſpes nefandas fœminæ, & blandos dolos
Regnum petentis per gradum ſcelerum omnium?
Tunc ſancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuámque Erinnys ſæva funeſto pede
Intravit aulam; polluit Stygiâ face
Sacros penates; jura Naturæ furens
Fáſque omne rupit; miſcuit conjux viro
Venena ſæva; cecidit atque eadem ſui
Mox ſcelere gnati. tu quoque extinctus jaces
Defende nobis ſemper, infelix puer,
Modò ſidus orbis, columen Auguſtæ domûs
Britannice, (heu me) nunc levis tantùm cinis,
Et triſtis umbra; ſæva cui lacrymas dedit
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membráque & vultus Deo
Similes volanti, flamma fervens abſtulit.
OC. Extinguat & me, ne manu noſtrâ cadat.
NU. Natura vires non dedit tantas tibi.
OC. Dolor, ira, mœror, miſeriæ, luctus dabunt.
NU. Vince obſequendo potiùs immitem virum.
OC. Ut fratrem ademptum ſcelere reſtituat mihi?
NU. Incolumis ut ſis ipſa, labentem ut domum
Genitoris olim ſobole reſtituas tuâ.
OC. Exſpectat aliam principis ſobolem domus:
Me dira miſeri fata germani trahunt.
NU. Confirmet animum civium tantus favor.
OC. Solatur iſte noſtra, non relevat, mala.
NU. "Vis magna populi eſt. *OC.* Principis major tamen.
NU. Reſpiciet ipſe conjugem. *OC.* Pellex vetat.
NU. Inviſa cunctis nempe. *OC.* Sed cara eſt viro.
NU. Nondum uxor eſt. *OC.* Jam fiet, & genitrix ſimul.

¶

NU. Juvenilis ardor impetu primo furit;
Langueſcit idem facilè, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapos.
Amor perennis conjugis caſtæ manet.
Violare prima quæ toros auſa eſt tuos,
Animúmque domini famula poſſedit diu,
Jam metuet eadem, nempe prælatam ſibi,
Subjecta & humilis: atque monumenta exſtruit,
Quibus timorem faſſa teſtatur ſuum.
Et hanc levis falláxque deſtituet deus
Volucer Cupido. ſit licèt formâ eminens,
Opibus ſuperba; gaudium capiet breve.
Paſſa eſt ſimiles ipſa dolores
Regina deûm, cùm ſe formas
Vertit in omnes dominus cœli,
Divûmque pater:
Et modò pennas ſumpſit oloris;
Modò Sidonii cornua tauri:
Aureus idem
Fluxit in imbri. fulgent cœlo
Sidera Ledæ: patrio reſidet
Bacchus Olympo. Deus Alcides
Poſſidet Heben, nec Junonis
Jam timet iras; cujus gener eſt,
Qui fuit hoſtis. vicit ſapiens
Tamen obſequium conjugis altæ,
Preſſúſque dolor. ſola Tonantem
Tenet æthereo ſecura toro
Maxima Juno; nec mortali
Captus formâ deſerit altam
Jupiter aulam. tu quoque terris
Altera Juno, ſoror Auguſti,
Conjúxque, graves vince dolores.
OC. Jungentur antè ſæva ſideribus freta,
Et ignis undæ, Tartaro triſti polus,
Lux alma tenebris, roſcidæ nocti dies:
Quàm cum ſceleſti conjugis mente impiâ
Mens noſtra; ſemper fratris extincti memor.
Utinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis Cœlitum rector paret,
Qui ſæpe terras fulmine infeſto quatit,
Mentéſque noſtras ignibus terret ſacris,
Noviſque monſtris! vidimus cœlo jubar
Ardens, cometam pandere infeſtam facem,
Quà plauſtra tardus noctis æternâ vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.
En ipſe diro ſpiritu ſævi ducis
Polluitur æther, gentibus clades novas
Minantur aſtra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Jove
Irata tellus edidit quondam parens.
Hæc gravior illo peſtis. hic hoſtis deûm
Hominúmque, templis expulit ſuperos ſuis:
Civéſque patriâ: ſpiritum fratri abſtulit;
Hauſit cruorem matris; & lucem videt,
Fruitúrque vitâ, noxiam atque animam trahit?
Prò ſumme genitor, tela cur fruſtra jacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur ceſſat tua?
Utinam ſuorum facinorum pœnas luat
Nero, ipſe Divo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo;
Morúmque vitiis nomen Auguſtum inquinat.
NU. Indignus ille (fateor) eſt thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunæ tuæ,
Alumna, quæſo; néve violenti move
Iram mariti. forſitan vindex deus
Exſiſtet aliquis; lætus & veniet dies.
OC. Gravi deorum noſtra jam pridem domus
Urgetur irâ: prima quam preſſit Venus,
Furore miſeræ dira genitricis meæ:
Quæ nupta demens nupſit inceſtâ face,
Oblita noſtri, conjugis, legum immemor;
Illo ſoluta crine, ſuccincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptáſque thalamis ſanguine extinxit faces:
Incendit irâ Principis pectus truci
Cædem in nefandam. cecidit infelix parens
(Heu) noſtra ferro, méque perpetuo obruit
Extincta luctu. conjugem traxit ſuum,
Natúmque ad umbras; prodidit lapſam domum.
NU. Renovare luctus parce cum fletu pios,
Manes parentis néve ſolicita tuæ,
Graves furoris quæ ſui pœnas dedit.

CHO-

Digitized by

CHORUS.

QUÆ fama modò venit ad aures,
Utinam falsò credita, perdat
Fruſtra toties jactata fidem!
Nec nova noſtri conjux thalamos
Principis intret. teneátque ſuos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Quâ tranquillus gaudeat orbis,
Servétque decus Roma æternum.
Fratris thalamos fortita tenet
Maxima Juno, ſoror Auguſti
Sociata toris, cur à patriâ
Pellitur aulâ? ſancte quid illi
Prodeſt pietas; Divúſque pater?
[Quid virginitas, caſtúſque pudor?]
Nos quoque noſtri ſumus immemores
Poſt fata ducis, cujus prodimus
Stirpem ſævo ſuadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verúmque genus
Martis in illis ſanguíſque viris.
Illi reges hâc expulerant
Urbe ſuperbos; ultíque tuos
Sunt bene manes, virgo, dextrâ
Cæſa parentis, ne ſervitium
Paterere grave, aut improba ferret
Præmia victrix dira libido.
Te quoque bellum triſte ſecutum eſt,
Mactata tuâ miſeranda manu
Nata Lucretii; ſtuprum ſævi
Paſſa tyranni. dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia conjux; quæ per cæſi
Membra parentis ſævos egit
Impia currus, laceróque ſeni
Violenta rogos nata negavit.
Hoc quoque noſtra videre nefas
Secula; magnum cùm Tyrrhenum
Rate ſerali Princeps captam
Fraude parentem miſit in æquor.
Properant placidos linquere portus
Juſſi nautæ;
Reſonant remis pulſata freta;
Fertur in altum provecta ratis.
Quæ reſoluto robore labens
Preſſa dehiſcit, ſorbéque mare.
Tollitur ingens
Clamor ad aſtra cum fœmineo
Miſtus planctu. mors ante oculos
Dira vagatur. quærit leti
Sibi quiſque fugam:
Alii laceræ puppis tabulis
Hærent nudi, fluctúſque ſecant:
Repetunt alii litora nantes:
Multos mergunt fata profundo:
Scindit veſtes Auguſta ſuas,
Lacerátque comas, rigat & mœſtis
Fletibus ora.
Poſtquam ſpes eſt nulla ſalutis,
Ardens irâ, jam victa malis;
Hæc, exclamat, mihi pro tanto
Munere reddis præmia, gnate?
Hâc ſum, fateor, digna carinâ,
Quæ te genui, quæ tibi lucem
Atque imperium noménque dedi
Cæſaris amens. exere vultus
Acheronte tuos, pœníſque meis
Paſcere conjux: ego cauſa tuæ,
Miſerande, necis; gnatóque tuo
Funeris auctor.
En, ut merui, feraſ ad manes
Inhumata tuos,
Obruta ſævis æquoris undis.
Feriunt fluctus ora loquentis.
Ruit in pelagus, rurſúmque ſalo
Preſſa reſurgit. pellit palmis
Cogente metu fata, & cedit
Feſſa labori. manſit tacitis
In pectoribus ſpreta triſti
Jam morte fides. multi dominæ
Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent. brachia quamvis
Lenta trahentem, voce hortantur;
Manibúſque levant. quid tibi ſævi
Fugiſſe maris profuit undas?
Ferro es gnati moritura tui:
Cujus facinus vix poſteritas,
Tardè ſemper credula, credet.
Furit, ereptam pelagóque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminátque nefas.
Ruit in miſeræ fata parentis,
Patitúrque moram ſceleris nullam.
Miſſus peragit juſſa ſatelles;
Referat dominæ pectora ferro:
Cædis moriens illa miniſtrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut enſem.
Hic eſt, hic eſt fodiendus, ait,
Ferro, monſtrum qui tale tulit.
Poſt hanc vocem cum ſupremo
Miſtam gemitu
Animam tandem per fera triſtem
Vulnera reddit.

ACTUS SECUNDUS.

SENECA.

QUID me potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, ſorte contentum meâ
Altè extulitti, gravius ut ruerem editâ
Receptus arce, tótque proſpicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus inter Corſici rupes maris:
Ubi liber animus, & ſui juris, mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.
O quàm juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit operis immenſi artifex)
Cœlum intueri, Solis & curſus ſacros,
Mundíque motus, Solis alternas vices,
Orbémque Phœbes, aſtra quem cingunt vaga,
Latéque fulgens ætheris magni decus!
Qui ſi ſeneſcit, tantus in cæcum chaos
Caſurus iterum, nunc adeſt mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruinâ; rurſus ut ſtirpem novam
Generet, renaſcens melior: ut quondam tulit
Juvenis tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni dea,
Juſtitia, cœlo miſſa cum ſanctâ Fide,
Terras regebat mitis. humanum genus
Non bella nôrat: non tubæ fremitus truces;
Non arma gentes; cingere aſſuerant ſuas
Muris nec urbes. pervium cunctis iter.
Communis uſus omnium rerum fuit.
Et ipſa tellus læta fœcundos ſinus
Pandebat ultro, tam piis felix parens,
Et tuta alumnis. alia ſed ſoboles minùs
Conſpecta mitis. tertium ſolers genus
Novas ad artes exſtitit; ſanctum tamen.
Mox inquietum, quod ſequi curſu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere piſces rete; vel calamo levi
Decipere volucres: premere ſubjectos jugo
Tauros feroces, vulnere immunem priùs
Sulcare terram, læſa quæ fruges ſuas
Interiùs altè condidit ſacro ſinu.
Sed in parentis viſcera intravit ſua
Deterior ætas; eruit ferrum grave,
Aurúmque; ſævas mox & armavit manus;
Partita fines regna conſtituit, novas
Exſtruxit urbes; tecta defendit ſuis
Aliena telis, aut petiit prædæ imminens.
Neglecta terras fugit, & mores feros,
Hominum cruentâ cæde pollutas manus,
Aſtræa virgo, ſiderum magnum decus.
Cupido belli crevit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum eſt malum,
Luxuria, peſtis blanda; cui vires dedit
Robúrque longum tempus, atque error gravis.
" Collecta vitia per tot ætates diu
" In nos redundant. ſeculo premimur gravi,
" Quo ſcelera regnant. ſævit impietas furens;

Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria victrix orbis immenſas opes
Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed ecce greſſu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. quid ferat, mente horreo.

NERO, PRÆFECTUS, SENECA.

NERO.

PERAGE imperata: mitte, qui Plauti mihi,
Sullæque cœli referat abſciſſum caput.
PR. Juſſa haud morabor, caſtra confeſtim petam.
SE. "Nihil in propinquos temere conſtitui decet.
NE. "Juſto eſſe facile eſt, cui vacat pectus metu.
SE. "Magnum timoris remedium clementia eſt.
NE. "Extinguere hoſtem, maxima eſt virtus ducis.
SE. "Servare cives major eſt patriæ patri.
NE. "Præcipere mitem convenit pueris ſenem.
SE. "Regenda magis eſt fervida adoleſcentia.
NE. Ætate in hâc ſatis eſſe conſilii reor.
SE. Ut facta ſuperi comprobent ſemper tua.
NE. "Stultè verebor, ipſe cùm faciam, deos.
SE. Hoc plus verere, quòd licet tantum tibi.
NE. Fortuna noſtra cuncta permittit mihi.
SE. Crede obſequenti parciùs: levis eſt dea.
NE. Inertis eſt, neſcire quid liceat ſibi.
SE. "Id facere laus eſt, quod decet, non quod licet.
NE. "Calcat jacentem vulgus. *SE.* inviſum opprimet.
NE. "Ferrum tuetur principem. *SE.* meliùs fides.
NE. "Decet timeri Cæſarem. *SE.* at plùs diligi.
NE. "Metuant neceſſe eſt. *SE.* quidquid exprimitur,
" grave eſt.
NE. Juſſiſque noſtris pareant. *SE.* juſta impera.
NE. Statuam ipſe. *SE.* quæ conſenſus efficiat rata.
NE. Deſpectus enſis faciet. *SE.* hoc abſit nefas.
NE. An patiar ultra, ſanguinem noſtrum peti
Invictus, & contemptus ut ſubitò opprimar?
Exilia non fregere ſummotos procul
Plautum atque Sullam; pertinax quorum furor
Armat miniſtros ſceleris in cædem meam.
Abſentium cùm maneat etiam ingens favor
In urbe noſtrâ, qui fovet ſpes exulum;
Tollantur hoſtes enſe ſuſpecti mihi.
Inviſa conjux pereat, & carum ſibi
Fratrem ſequatur. quidquid excelſum eſt, cadat.
SE. "Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros;
" Conſulere patriæ; parcere afflictis; ferâ
" Cæde abſtinere; tempus atque iræ dare;
" Orbi quietem; ſeculo pacem ſuo.
" Hæc ſumma virtus: petitur hâc cœlum viâ.
Sic ille patriæ primus Auguſtus parens
Complexus aſtra eſt, colitur & templis Deus.
Illum tamen Fortuna jactavit diu
Terrâ marique per graves belli vices;
Hoſtes parentis donec oppreſſit ſui.
Tibi numen incruenta ſummittit ſuum;
Et dedit habenas imperii facili manu,
Nutúque terras, maria ſubjecit tuo.
Invidia triſtis victa conſenſu pio
Ceſſit. ſenatus, equitis accenſus favor
Plebiſque votis, atque judicium patrum eſt.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus, orbem tu ſacrâ ſpecie regis
Patriæ parens: quod nomen, ut ſerves, petit,
Suóſque cives Roma commendat tibi.
NE. Munus Deorum eſt, ipſa quod ſervit mihi
Roma, & ſenatus; quódque ab invitis preces,
Humiléſque voces exprimit noſtri metus.
Servare cives principi & patriæ graves
Claro tumentes genere, quæ dementia eſt,
Cùm liceat unâ voce ſuſpectos tibi
Mori jubere? Brutus in cædem ducis,
A quo ſalutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Jovi
Æquatus altos ſæpe per honorum gradus,
Cæſar nefando civium ſcelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit ſui,
Lacerata toties! ille, qui meruit piâ
Virtute cœlum, Divus Auguſtus, viros
Quot interemit nobiles, juvenes, ſenes,
Sparſos per orbem, cùm ſuos mortis metu
Fugerent penates, & trium ferrum ducum
Tabulâ notante deditos triſti neci?
Expoſita roſtris capita cæſorum patres
Videre mœſti: flere nec licuit ſuos,
Non gemere, dirâ tabe polluto foro,
Stillante ſanie per putres vultus gravi.
Nec finis hic cruoris aut cædis ſtetit.
Pavere volucres & feras ſævas diu
Triſtes Philippi. hauſit & Siculum mare
Claſſes, viróſque ſæpe cedentes. ſuis
Concuſſus orbis viribus. Magnus ducum
Superatus acie puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipſe periturus brevi.
Hauſit cruorem incerta Romani ducis
Ægyptus iterum, nunc leves umbras tegit.
Illic ſepultum eſt impiè gentium diu
Civile bellum. condidit tandem ſuos
Jam ſeſſus enſes victor, hebetatos feris
Vulneribus, & continuit imperium metu.
Armis, fidéque militis tutus fuit.
Pietate gnati factus eximiâ Deus,
Poſt fata conſecratus, & templis datus.
Nos quoque manebunt aſtra, ſi ſævo prior
Enſe occupâro, quidquid infeſtum eſt mihi,
Dignâque noſtram ſobole fundâro domum.
SE. Implebit aulam ſtirpe cœleſti tuam
Generata Divo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris, more Junonis, toros.
NE. Inceſta genitrix detrahit generi fidem,
Animúſque nunquam conjugis junctus mihi.
SE. Teneris in annis haud ſatis clara eſt fides,
Pudore victus cùm tegit flammas amor.
NE. Hoc equidem & ipſe credidi fruſtra diu,
Manifeſta quamvis pectore inſociabili
Vultúque ſigna proderent odium mei.
Tandem quod ardens ſtatuit ulciſci dolor:
Dignámque thalamis conjugem inveni meis
Genere atque formâ, victa cui cedat Venus,
Joviſque conjux, ut ferox armis Dea.
SE. Probitas, fidéſque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito; ſola perpetuò manent
Subjecta nulli, mentis atque animi bona:
Florem decoris ſinguli carpunt dies.
NE. Omnes in unam contulit laudes Deus,
Talémque naſci fata voluerunt mihi.
SE. Recedat à te, temere ne credas, amor.
NE. Quem ſubmovere fulminis dominus nequit,
Cœli tyrannum, ſæva qui penetrat freta,
Ditiſque regna, detrahit ſuperos polo.
SE. Volucrem eſſe amorem fingit, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcúſque ſacros miſcuit ſævâ face;
Genitúmque credit Venere, Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor eſt; juventâ gignitur; luxu, otio
Nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fovere atque alere deſitlas, cadit,
Brevíque vires perdit extinctus ſuas.
NE. Hanc eſſe vitæ maximam cauſam reor,
Per quam voluptas oritur: interitu caret,
Cùm procreetur ſemper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi jugales præferat tedas Deus,
Jugétque noſtris igne Poppeam toris.
SE. Vix ſuſtinere poſſet hos thalamos dolor
Videre populi: ſancta nec pietas ſinat!
NE. Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?
SE. Majora populus ſemper à ſummo exigit.
NE. Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.
SE. Obſequere potiùs civibus placidus tuis.
NE. Malè imperatur, cùm regit vulgus duces.
SE. Nihil impetrare cùm valet, juſtè dolet.
NE. Exprimere jus eſt, ferre quod nequeunt preces.
SE. Negare durum eſt. *NE.* principem cogi nefas.
SE. Remittat ipſe. *NE.* fama ſed victum feret.
SE. Levis atque vana. *NE.* ſi licet, multos notat.
SE. Excelſa metuit. *NE.* Noa minus carpit tamen.
SE. Facilè opprimetur: merita te Divi patris,
Ætáſque frangat conjugis, probitas, pudor.
NE. Deſiſte tandem, jam gravis nimiùm mihi,
Inſtare. liceat facere quod Seneca improbat.
Et ipſe populi vota jampridem moror,
Cùm portet utero pignus, & partem mei.
Quin deſtinamus proximam thalamis diem?

ACTUS TERTIUS.

AGRIPPINA.

TELLURE ruptâ Tartaro greſſum extuli,
Stygiam cruentâ præterens dextrâ facem
Thalamis ſceleſtis: nubat his flammis meo
Poppea gnato juncta, quas vindex manus,
Dolórque matris vertet ad triſtes rogos.
Manet inter umbras impiæ cædis mihi
Semper memoria, manibus noſtris gravis.
Adhuc inultis, reddita & meritis meis
Funeſta merces puppis, & pretium imperii
Nox illa, quâ naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natíque crudelis neſas
Deflere votum fuerat: haud tempus datum eſt
Lacrymis, ſed ingens ſcelere geminavit neſas,
Perempta ferro, fœda vulneribus, ſacros
Intrà penates ſpiritum effudi gravem,
Erepta pelago, ſanguine extinxi meo
Nec odia gnati. ſævit in nomen ferus
Matris tyrannus. obrui meritum cupit:
Simulacra, titulos deſtruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit pœnam in meam
Puero regendum noſter infelix amor.
Extinctus umbras agitat infeſtus meas
Flammíſque vultus noxios conjux petit,
Inſtat, minatur, imputat fatum mihi
Tumulúmque gnati; poſcit auctorem necis.
Jam, parce, dabitur. tempus haud longum peto.
Ultrix Erinnys impio dignum parat
Lethum tyranno; verbera, & turpem fugam,
Pœnáſque queis & Tantali vincat ſitim,
Dirum laborem Siſyphi, Tityi alitem,
Ixioníque membra rapientem rotam.
Licèt exſtruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Servent cohortes, mittat immenſas opes
Exhauſtus orbis, ſupplices dextram petant
Parthi cruentam, regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempúſque, quo reddat ſuis
Animum nocentem ſceleribus, jugulum hoſtibus,
Deſertus, & deſtructus, & cunctis egens.
Heu quò labor, quò vota ceciderunt mea!
Quò te furor provexit attonitum tuus,
Et fata, gnate? cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo ſcelere occidit!
Utinam antequam te parvulum in lucem edidi,
Aluíque, ſævæ noſtra lacerâſſent feræ
Viſcera! ſinè ullo ſcelere, ſinè ſenſu innocens
Meus occidiſſes: junctus atque hærens mihi,
Semper quietam cerneres ſedem Inferûm,
Proavos, patrémque, ne minis magni viros.
Quos nunc pudor, luctúſque perpetuus manet,
Ex te nefande, méque, quæ talem tuli.
Quid tegere ceſſo Tartaro vultus meos,
Noverca, conjux, mater infelix meis?

OCTAVIA, CHORUS.

OCTAVIA.

PARCITE lacrymis urbis feſto
Lætóque die: ne tantus amor,
Noſtríque favor, principis acres
Suſcitet iras, vobíſque ego ſim
Cauſa malorum. non hoc primum
Pectora vulnus mea ſenſerunt:
Graviora tuli. dabit hic noſtris
Finem curis vel morte dies.
Non ego ſævi cernere cogar
Conjugis ora, non inviſos
Intrare mihi thalamos famulæ.
Soror Auguſti, non uxor, ero.
Abſint tantùm triſtes pœnæ,
Lethíque metus. ſocerum diri
Miſeranda viri potes hæc demens
Sperare memor? hos ad thalamos
Servata diu, victima tandem
Funeſta cades. ſed quid patrios
Sæpe penates reſpicis udis
Confuſa genis? propera tectis
Efferre gradus: linque cruentam
Principis aulam. CH. en illuxit
Suſpecta diu famâ toties
Jactata dies: ceſſit thalamis
Claudia diri pulſa Neronis,
Quos jam victrix Poppea tenet,
Ceſſat pietas dum noſtra, gravi
Compreſſa metu, ſegniſque dolor.
Ubi Romani vis eſt populi?
Fregit claros quæ ſæpe duces;
Dedit invictæ leges patriæ;
Faſces dignis civibus olim;
Juſſit bellum, pacémque; feras
Gentes domuit; captos reges
Carcere cluſit? gravis en oculis
Undique noſtris jam Poppeæ
Fulget imago juncta Neroni:
Affigat humo violenta manus
Similes nimiùm vultus dominæ:
Ipſámque thoris detrahat altis:
Petat infelix mox & flammis
Teſſque feri principis aulam.

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX, POPPEA.

NUTRIX.

QUÒ trepida greſſum conjugis thalamis tui
Effers alumna? quódve ſecretum petis
Turbata vultu? cur genæ fletu madent?
Certè petitus precibus & votis dies
Noſtris refulſit: Cæſari juncta es tuo
Tædâ jugali. quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecæ; tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta preſſiſti toros
Reſidens in aulâ! vidit attonitus tuam
Formam Senatus, thura cùm ſuperis dares,
Sacráſque grato ſpargeres aras mero,
Velata ſuminum flammeo tenui caput.
Et ipſe lateri junctus atque hærens tuo
Sublimis inter civium læta omina
Inceſſit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps ſuperbo. talis emerſam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Thetin.
Quorum toros celebrâſſe cœleſtes ferunt,
Pelagíque numen omne conſenſu pari.
Quæ ſubita vultus cauſa mutavit tuos?
Quid pallor ille, quid ferant lacrymæ, doce.
PO. Confuſa triſti proximæ noctis metu
Viſúque, nutrix, mente turbatâ feror,
Defecta ſenſu. læta nam poſtquam dies
Sideribus atris ceſſit, & nocti polus,
Inter Neronis juncta complexus mei
Somno reſolvor: nec diu placidâ frui
Quiete licuit. viſa thalamos meos
Celebrare turba eſt mœſta; reſolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant;
Inter tubarum ſæpe terribilem ſonum
Sparſam cruore conjugis genitrix mei
Vultu minaci ſæva quatiebat facem:
Quam dum ſequor coacta præſenti metu,
Diducta ſubito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu: lata quò præceps toros
Cerno jugales pariter & miror meos,
In queis reſedi feſſa. venientem intuor
Comitante turbâ conjugem quondam meum,
Gnatúmque; properat petere complexus meos
Criſpinus, intermiſſa libare oſcula;
Irrumpit intrà tecta cùm trepidus mea,
Enſémque jugulo condidit ſævum Nero.
Tandem quietem magnus excuſſit timor:
Quarit ora & artus horridus noſtros tremor,
Pulſátque pectus: continet vocem timor,
Quam nunc fides pietáſque produxit tua.
Heu quid minantur Inferûm manes mihi,
Aut quem cruorem conjugis vidi mei?
NU. Quæcumque mentis agitat infeſtus vigor,
Ea per quietem ſacer & arcanus refert
Velóxque ſenſus. conjugem, thalamos, rogos,
Vidiſſe te miraris, amplexu novi
Hærens mariti? ſed movent læto die

Pul-

Digitized by Google

Pulsata palmis pectora, & fusæ comæ.
Octaviæ discidia planxerunt sacros
Intrà penates fratris, & patrium larem.
Fax illa, quam secuta es, Augustæ manu
Prælata, clarum nomen invidiâ tibi
Partum ominatur. Inferûm sedes toros
Stabiles futuros spondet æternæ domûs.
Jugulo quòd ensem condidit princeps tuus;
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum, recipe lætitiam, precor:
Timore pulso, redde te thalamis tuis.
PO. Delubra & aras petere constitui sacras,
Cæsis litare victimis numen deûm,
Ut expientur noctis & somni minæ,
Terrórque in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe, & precibus piis
Superos adora, manet ut præsens metus.

CHORUS.

SI vera loquax fama tonantis
Furta & gratos narrat amores,
Quem modò Ledæ pressisse sinum
Tectum plumis pinnísque ferunt:
Modò per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portâsse trucem;
Quæ regit, & nunc deseret astra,
Petet amplexus Poppea tuos:
Quos & Ledæ præferre potest:
Et tibi quondam, cui miranti
Fulvo Danaë fluxit in auro.
Formam Sparte jactet alumnæ
Licèt, & Phrygius præmia pastor;
Vincet vultus hæc Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiæque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NUNCIUS, CHORUS.

NUNCIUS.

QUICUMQUE tectis miles exsultat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes ecce præfecti trahunt
Præsidia ad urbis; victa nec cedit metu
Concepta rabies temere; sed vires capit.
CH. Quis ille mentes agitat attonitus furor?
NU. Octaviæ furore perculsa agmina,
Et efferata per nefas ingens ruunt.
CH. Quid ausa facere, quóve consilio, dice.
NU. Reddere penates Claudiæ Divi parant,
Torósque fratris, debitam partem imperii.
CH. Quos jam tenet Poppea concordi fide?
NU. Hic urit animos pertinax nimiùm furor,
Et in furorem temere præcipites agit.
Quæcunque claro marmore effigies stetit;
Aut ære fulgens, ora Poppææ gerens
Afflicta vulgi manibus, & sævo jacet
Eversa ferro; membra per partes trahunt
Diducta laqueis; obruunt turpi diu
Calcata cœno. verba conveniunt feris
Immissa factis, quæ timor recipit meus.
Sepire flammis principis sedem parant,
Populi nisi iræ conjugem reddat novam,
Reddat penates Claudiæ victus suos.
Ut noscat ipse civium motus, meâ
Voce haud morabor jussa præfecti exsequi.
CH. Quid fera frustra bella movetis?
Invicta gerit tela Cupido.
Flammis vestros obruet ignes:
Qucis extinxit fulmina sæpe,
Captúmque Jovem cœlo traxit.
Læsi tristes dabitis pœnas
Sanguine vestro. non est patiens
Fervidus iræ facilísque regi.
Ille ferocem jussit Achillem
Pulsare lyram: fregit Danaos;
Fregit Atridem; regna evertit
Priami; claras diruit urbes,
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta Dei.

ACTUS QUINTUS.

NERO; PRÆFECTUS.

NERO.

O Lecta nimiùm militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea;
Quod non cruor civilis accensas faces
Extinguit in nos; cæde nec populi madet
Funerea Roma, quæ viros tales tulit!
Admissa sed jam morte puniri parum est,
Graviora merùit impium plebis scelus,
Et illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta conjux & soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo,
Irámque nostram sanguine extinguat suo.
Mox tecta flammis concidant urbis meis:
Ignes, ruinæ noxium populum premant,
Turpísque egestas, sæva cum luctu fames.
Exultat ingens seculi nostri bonis
Corrupta turba: nec capit clementiam
Ingrata nostram, ferre nec pacem potest,
Sed inquieta rapitur: hinc audaciâ,
Hinc temeritate fertur in præceps suâ.
Malis domanda est, & gravi semper jugo
Premenda, ne quid simile tentare audeat,
Contráque sanctos conjugis vultus meæ
Attollere oculos, fracta per pœnas metu
Parere discet principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidéque castris nota præposuit meis.
PR. Populi furorem cæde paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.
NE. Et hoc sat est? sic miles audîsti ducem?
Compescis? hæc vindicta debetur mihi?
PR. Cecidere motûs impii ferro duces.
NE. Quid? illa turba petere quæ flammis meos
Aula est penates, Principi legem dare,
Abstrahere nostris conjugem caram toris,
Violare, quantum licuit, incestâ manu
Et voce dirâ, debitâ pœnâ vacat?
PR. Pœnam dolor constituet in cives tuos?
NE. Constituet, ætas nulla quam famæ eximat.
PR. Quam temperet non ira, non nosset timor?
NE. Iram expiabit prima quæ meruit meam.
PR. Quam poscat ede, nostra ne parcat manus.
NE. Cædem fororis poscit, & dirum caput.
PR. Horrore victum trepidus adstrinxit rigor.
NE. Parere dubitas? *PR.* cur meam damnas fidem?
NE. Quòd parcis hosti. *PR.* fœmina hoc nomen capit?
NE. Si scelera cepit. *PR.* éstne qui sontem arguat?
NE. Populi furor. *PR.* quis regere dementes valet?
NE. Qui concitare potuit. *PR.* haud quemquam reor.
NE. Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis;
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor,
Vel pœna; quæ tam sera damnatam premit,
Diu nocentem. tolle consilium, ac preces;
Et imperata perage: devectam rate
Procul in remotum litus interimi jube,
Tandem ut resídat pectoris nostri tumor.

CHORUS, OCTAVIA.

CHORUS.

O Funestus multis populi
Dirúsque favor! qui cùm flatu
Vela secundo ratis implevit,
Vexítque procul; languidus idem
Deserit alto sævóque mari.
Flevit Gracchos miseranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor,
Nimiúsque favor, genere illustres,
Pietate, fide, linguâ claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, simili letho
Fortuna dedit; quem neque fasces
Texere sui, nec tecta domûs.
Plura referre prohibet præsens
Exempla dolor. modò cui patriam
Reddere cives aulam, & fratris

Vo-

Digitized by Google

Voluere toros; nunc ad pœnam
Lethúmque trahi, ſtentem, miſeram
Cernere poſſunt. Bene paupertas
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas ſæpe procellæ
Aut evertit fortuna domos.
OC. Quò me trahitis? quódve tyrannus
Aut exilium regina jubet;
Si mihi vitam fracta remittit
Tot jam noſtris evicta malis;
Si cæde meâ cumulare parat
Luctus noſtros; invidet etiam
Cur in patriâ mihi ſæva mori?
Sed jam ſpes eſt nulla ſalutis,
Fratris cerno miſeranda ratem.
Hæc eſt, cujus vecta carinâ
Quondam genitrix, nunc & thalamis
Expulſa ſoror miſeranda vehar:
Nullum pietas nunc numen habet,
Nec ſunt ſuperi: regnat mundo
Triſtis Erinnys.
Quis mea diguè deflere poteſt
Mala? quæ lacrymis noſtris queſtus
Reddet Aëdon? cujus pinnas
Utinam miſeræ mihi fata darent!
Fugerem luctus ablata meos
Pennâ volucri procul, & cœtus
Hominum triſtes, cædémque feram.
Sola in vacuo nemore, & tenui
Ramo pendens, querulo poſſem
Gutture mœſtum fundere murmur.
CH. Regitur fatis mortale genus,
Nec ſibi quidquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile. per quæ caſus
Volvit varios ſemper nobis
Metuenda dies. animum firment
Exempla tuum jam multa, domus
Quæ veſtra tulit. quid ſævior eſt
Fortuna tibi? tu mihi primùm
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Auguſti,
Cæſaris uxor, cujus nomen
Clarum toto fulſit in orbe;
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis; mox exilium,
Verbera, ſævas paſſa catenas,
Funera, luctus; tandem lethum.
Cruciata diu felix thalamis
Livia Druſi, natíſque ferum
Ruit in facinus; pœnámque ſuam
Julia matris fata ſecuta eſt:
Poſt longa tamen tempora ferro
Cæſa eſt, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quæ rexit principis aulam,
Cara marito, partíque potens?
Eadem famulo ſubjecta ſuo,
Cecidit diri militis enſe.
Quid cui licuit regnum in cœlum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non tunelâ violata manu
Remigis antè, mox & ferro
Lacerata diu ſævi jacuit
Victima nati?
OC. Me quoque triſtes mittet ad umbras
Ferus, & manes ecce tyrannus.
Quid jam fruſtra miſeranda moror?
Rapite ad lethum, queis jus in nos
Fortuna dedit. teſtor ſuperos.
Quid agis demens? parce precari,
Queis inviſa es, numina divum.
Tartara teſtor, Erebique deas
Scelerum ultrices, & te, genitor,
Dignum tali morte, & pœnâ.
Non inviſa eſt mors iſta mihi.
Armate ratem, date vela tretis,
Ventiſque petat puppis rector
Tandem Phariæ litora terræ.
CH. Leves auræ, Zephyríque leves,
Tectam quondam nube ætherià
Qui vexiſtis raptam ſævæ
Virginis aris Iphigeniam;
Hanc quoque triſti procul à pœna
Portate, precor, templa ad Triviæ;
Urbe eſt noſtrâ mitior Aulis,
Et Maurorum barbara tellus.
Hoſpitis illic cæde litatur
Numen ſuperûm; civis gaudet
Roma cruore,

AULI

Digitized by Google

AULI PERSII FLACCI
SATYRÆ SEX.

AULI PERSII FLACCI VITA.

AULUS PERSIUS FLACCUS, Olympiade 203. anno ab urbe conditâ 795. Imperatoris Tiberii 22. patre Flacco, matre verò Fulviâ (ut author eſt Euſebius, & P. Crinitus lib. 3. de Poëtis Latinis) Volaterras Hetruriæ oppidum patriam habuit, quod idem ipſe Satyrâ 6. videtur indicare, cùm ait:

---- *Mihi nunc Ligus ora*
Intepet, hybernátque meum mare, quà latus ingens
Dant ſcopuli, & multâ littus ſe valle receptat.

Floruit autem ſub Claudio principe. mortuus Neronis nono, cùm ageret triceſimum ætatis ſuæ annum. Romam literarum causâ profectus cùm moribus (ut Probus Grammaticus ſcribit) eſſet leniſſimis, ac virginali ferè verecundiâ, formâque modeſtâ & pulchrâ, ſumptâ virili togâ Rhemmio Palæmoni in Grammaticâ, Virginio Flavio in Rhetoricâ, tandem Cornuto Stoico in Philoſophiâ operam dedit: quem ut omni officio ac pietate potiùs coluit & obſervavit, ſic ſingulari benevolentiâ & vitæ conſuetudine in reliquum vitæ ſpatium ſibi conjunctum tenuit, ut ipſe teſtatur Satyrâ V.

Cùm primùm pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullâque ſuccinctis Laribus donata pependit,
Me tibi ſuppoſui; teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu. Et,

---- *Tibi nunc hortante camœnâ*
Excutienda damus præcordia, quantáque noſtræ
Pars tua ſit Cornute animæ, tibi dulcis amice
Oſtendiſſe juvat, pulſa, dignoſcere cautus, &c.

Et paulò poſt:

Tecum me longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis conſumere noctes,
Unum opus & requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecundâ laxamus ſeria menſâ.

Prætextatus amicos inprimis coluit Minucium Macrinum equeſtris ordinis principem, & Cæſium Baſſum poëtam lyricum. Librum ſcripſit, & paucos uxori Thraſeæ & in Arriam matrem verſus, quæ ſe ante virum occiderat: quos authore Cornuto magiſtro ſuo poſtea damnavit. Juvenis verò Satyras ſex, ingenii, ſolertiæ, acuminiſque ſui teſtes edidit: plures fortaſſe emiſſurus, niſi in ipſo ætatis flore, immaturâ morte oppreſſus interiiſſet: ſcilicet (ut ait Poëta)

Optima, prima, ferè manibus rapiuntur avaris,
Implentur numeris deteriora ſuis.

Neque tamen ſepultos poëtæ manes ſperata Satyricæ virtutis fefellit gloria, cujus poëma (ut ait Fabius) tantum laudis apud omnes veræque commendationis habuit, ut de eo paſſim illud vulgaretur, quod annis pòſt aliquot verſibus perſecutus eſt Martialis:

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm levis in totâ Marſus Amazonide.

EADEM, ALITER.

AULUS PERSIUS FLACCUS natus eſt Volaterris in Hetruriâ, Fab. Perſico, & L. Vitellio Coſſ. circa viceſimum Imperii Tiberii Cæſaris annum, à Chriſto paſſo ferè ſecundum, patre Flacco Equite Romano, quem ſexennis amiſit, matre Fulviâ Siſennià, in quam pietate fuit inſigni, quemadmodum & erga ſorores; illud initio Satyræ ſextæ fuſiùs declaratur, ad v. 6. verba hæc, *mihi nunc Ligus ora intepet.* Cùm annorum eſſet duodecim venit Romam, ubi Rhemmium Palæmonem Grammaticum audivit, Rhetorem verò Virginium Flavium, aliis Flaccum. Annos natus ſexdecim operam dedit Annæo Cornuto Stoïcæ Philoſophiæ anteſignano, quem etiam mirificè coluit ab ipſo pariter amatus, ut patet ex Satyrâ quintâ. Quin & ei legavit non mediocrem nummorum copiam, nimirum ſeſtertia centum, aut ſicut alii volunt, argenti facti pondo viginti, præter Bibliothecam ſuam, in quâ numerant aliqui Libros Chryſippi ſeptingentos. At Cornutus hos quidem accepit, pecuniam autem reliquit Perſii ſororibus, quas hæredes ille fecerat. Obiit ex ſtomachi vitio, in ipſo ætatis flore, anno ſcilicet vigeſimo octavo, aut non multò ſecùs, & Imperii Neronis circiter octavo, quicquid alii dicant, ipſéque Hieronym. quod egregiè, ut omnia, Caſaubonus obſervat. Fuiſſe revera Perſium, ut Probus refert, verecundiâ virginali, animo ſincero, impensè erudito, acri certè & vitiorum impatienti, & Lucilii & Horatii imitatorem aſſiduum, probant ſatìs ejus Satyræ doctrinâ refertæ & Stoam ſapientes. De his porrò id notandum, in antiquis membranis ſinè ullâ diſtinctione aliquando reperiri, quaſi liber eſſet unus & continuus, quod & agnoſcunt Priſcianus, Quintilianus, aliſque, dum non quidem Satyras Perſii, ſed librum appellant. In quibuſdam tamen, Satyræ duntaxat quinque numerantur, quartâ ad tertiam adjunctâ. Scripſerat juvenis, inquiunt, Prætextam fabulam, ὁδοιπορικὸν librum unum, & alia quæpiam, ut aiunt veteres Gloſſæ: ſed abolevit ea Fulvia mater, ex conſilio Cornuti Præceptoris, qui etiam Satyras, antequam ederentur, recenſuit.

Cæterùm quanquam videtur Perſius noluiſſe intelligi, atque adeò debere negligi, ut aiebat D. Ambroſius, at quod ait magnus Scaliger, jam à nobis intelligitur, neque proinde negligendus à quoquam. Eccur enim ita laudatus fuiſſet à ſummis Viris ille, ſi nec legi dignus eſſet? Teſtes ſint Euſeb. D. Hieron. S. Auguſt. Lactant. Quintilian. & alii propè innumeri: Ex Poëtis autem Lucanus, qui pariter, ut Perſius, Cornuti auditor fuit, ejus autem Poëmata, nunquam ſinè admiratione & præconiis recitari audiebat, ut affirmat Vetus Interpres, quin exclamaret, hæc vera eſſe Poëmata. Martialis autem poſteritati conſignavit Perſii memoriam his Verſibus:

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm levis in totâ Marſus Amazonide.

Digitized by Google

PROLOGUS.

NEC fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti ſomniâſſe Parnaſſo
Memini, ut repentè fic Poëta prodirem.
Heliconidáſque, pallidámque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces. Ipſe ſemipaganus
Ad ſacra Vatum carmen affero noſtrum.

Quis expedivit pſittaco ſuum XAΙΡΕ?
Picáſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenſque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quòd ſi dolofi ſpes refulſerit nummi,
Corvos Poëtas & Poëtridas picas
Cantare credas Pegaſeïum melos.

SATYRA PRIMA.

O Curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!
Quis leget hæc? Mîn'tu iſtud ais? Nemo hercule. Nemo?
Vel duo, vel nemo. Turpe, & miſerabile. Quare?
Ne mihi Polydamas, & Troïades Labeonem
Prætulerint. Nugæ. Non, ſiquid turbida Roma
Elevet, accedas: examénve improbum in illâ
Caſtiges trutinâ: nec te quæſiveris extrá.
Nam Romæ quis non? Ah ſi fas dicere! Sed fas,
Tunc cùm ad canitiem, & noſtrum iſtud vivere triſte
Aſpexi, & nucibus facimus quæcunque relictis:
Cùm ſapimus patruos, tunc tunc ignoſcite. Nolo.
Quid faciam? Sed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, perúſque togâque recenti,
Et natalitiâ tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celsâ, liquido cùm plaſmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas, neque voce ſerenâ
Ingentes trepidare Titos, cùm carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.
Tún', vetule, auriculis alienis colligis eſcas,
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe!
Quò didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit caprificus?
En pallor, ſeniúmque. O mores! Uſque adeóne
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?
At pulchrum eſt, digito monſtrari, & dicier: Hic eſt.
Tén' cirratorum centum dictata fuiſſe,
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.
Hìc aliquis, cui circùm humeros hyacinthina læna eſt,
Rancidulum quiddam balbâ de nare locutus;
Phyllidas, Hypſipilas, Vatum & plorabile ſi quid
Eliquat; & tenero ſupplantat verba palato:
Aſſenſere viri. nunc non cinis ille Poëtæ
Felix? Nunc levior cippus non imprimit oſſa?
Laudant convivæ: nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo fortunatâque favillâ
Naſcentur violæ? Rides (ait) & nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe: & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina nec thus?
Quiſquis es, ô modò quem ex adverſo dicere feci,
Non ego, cùm ſcribo, ſi fortè quid aptius exit,
Quando hæc rara avis eſt, ſi quid tamen aptiùs exit,
Laudari metuam. Neque enim mihi cornea fibra eſt.
Sed recti finémque extremúmque eſſe recuſo
Euge tuum, & bellé. Nam bellè hoc excute totum;
Quid non intus habet? Non hìc eſt Ilias Acti
Ebria veratro: non ſi qua Elegidia crudi
Dictárunt proceres; non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis. Calidum ſcis ponere ſumen.

Scis comitem horridulum trità donare lacernâ:
Et verum, inquis, amo; verum mihi dicite. De me
Quſ pote? Vis dicam? Nugaris, cum tibi, Calve,
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.
O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas;
Nec linguæ, quantum ſitiat canis Appula, tantum!
Vos, ô Patricius ſanguis, quos vivere fas eſt
Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.
Quis populi ſermo eſt? Quis enim, niſi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve ſeveros
Effundat junctura ungues. Scit tendere verſum
Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia Regum,
Dicere res grandes noſtro dat Muſa Poëtæ.
Ecce modò heroas ſenſus afferre videmus
Nugari ſolitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices; nec rus ſaturum laudare, ubi corbes,
Et focus, & porci, & fumoſa Palilia fœno:
Unde Remus, ſulcóque terens dentalia, Quinti,
Quem trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge, Poëta;
Eſt nunc, Briſei quem venoſus liber Accî:
Sunt, quos Pacuviúſque, & verrucoſa moretur
Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cùm videas, quærîſne unde hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas? unde iſtud dedecus, in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia lævis?
Nſine pudet capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: decenter?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina raſis
Librat in antithetis. Doctus poſuiſſe figuras;
Laudatur. Bellum hoc. Hoc bellum? An, Romule, ceves?
Mén' moveat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? Cantas, cùm fractâ te in trabe pictum
Ex humero portes. Verùm, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvâſſe querelâ.
Sed numeris decor eſt, & junctura addita crudis.
Claudere ſic verſum didicit; Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.
Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.
Arma virum, nónne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?
Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum.
Quidnam igitur tenerum, & laxâ cervice legendum?
Torva Mimalloneis implérunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion, ingeminat: reparabilis adſonat Echo.
Hæc fierent, ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis? Summâ delumbe ſalivâ
Hoc natat in labris; & in udo eſt Mænas, & Attys:
Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? Vide ſîs, ne majorum tibi fortè
Limina frigeſcant: ſonat hìc de nare canina

Litera. Per me equidem ſint omnia protinus alba.
Nil moror: Euge. Omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat: hìc, inquis, veto, quiſquam faxit oletum.
Pinge duos angues. Pueri, ſacer eſt locus: extrà
Meiite. Diſcedo. Secuit Lucilius urbem;
Te, Lupe; te, Muti; & genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admiſſus circùm præcordia, ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.
Mén' mutire nefas, nec clàm, nec cum ſcrobe? Nuſquam.
Hìc tamen infodiam: Vidi, vidi ipſe, libelle.
Auriculas aſini quis non habet? Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nullà tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles,
Aſpice & hæc, ſi fortè aliquid decoctius audis.
Indè vaporatà lector mihi ferveat aure:
Non hic qui in crepidas Graiorum ludere geſtit
Sordidus, & luſco qui poſcit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens; Italo quòd honore ſupinus,
Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer: multùm gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His manè edictum, poſt prandia Callirhoën do.

SATYRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poſcis emaci,
Quæ niſi ſeductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacità libabit acerrà.
Haud cuivis promptum eſt, murmúrque humiléſque ſu-
Tollere de templis; & aperto vivere voto. [ſurros
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hoſpes.
Illa ſibi introrſùm, & ſub linguà immurmurat: O-ſi
Ebullît patrui præclarum funus! Et ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillúmve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! Namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor.
Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis térque, & noctem flumine purgos.
Heus age, reſponde: minimum eſt quod ſcire laboro.
De Jove quid ſentis? Eſtne, ut præponere cures
Hunc cuiquam? Cuinam? Vis Staio? An ſcilicet hæres,
Quis potior judex, puerſíve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio. Proh Jupiter! O bone, clamet,
Jupiter! At ſeſe non clamet Jupiter ipſe?
Ignoviſſe putas, quia cùm tonat, ocyùs ilex
Sulfure diſcutitur ſacro, quàm túque domúſque?
An quia non fibris ovium, Ergennâque jubente,
Triſte jacet lucis, evitandúmque bidental,
Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? Aut quidnam eſt, quâ tu mercede Deorum
Emeris auriculas? Pulmone, & lactibus unctis?
Ecce avia aut metuens Divûm matertera, cunis
Exemit puerum, frontémque atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus antè ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina: puellæ
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic, roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota; negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albam rogârit.
Poſcis opem nervis, corpúſque fidele ſenectæ:
Eſto; age. Sed grandes patinæ, tucetáque craſſa
Annuere his Superos vetuere: Jovémque morantur.
Rem ſtruere exoptas, cæſo bove; Mercuriúmque
Arceſſis fibrâ. Da fortunare Penates,
Da perus, & gregibus fœtum. Quo, peſſime, pacto,
Tot tibi cùm in flammis junicum omenta liqueſcant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit. Jam creſcit ager, jam creſcit ovile:
Jam dabitur, jamjam; donec deceptus, & exſpes
Nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incuſáque pingui
Auro dona feram, ſudes; & pectore lævo
Excutias guttas: lætari prætrepidum cor:
Hinc illud ſubiit, auro ſacras quòd ovato
Perducis facies. Nam fratres inter ahenos,
Somnia pituità qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto: ſitque illis aurea barba.
Aurum vaſa Numæ, Saturniáque impulit æra,
Veſtaléſque urnas, & Tuſcum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Dîs ex hàc ſceleratâ ducere pulpâ?
Hæc ſibi corrupto caſiam diſſolvit olivo,
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.
Hæc baccam conchæ raſiſſe; & ſtringere venas
Ferventis maſſæ crudo de pulvere juſſit.
Peccat & hæc, peccat: vitio tamen utitur. At vos,
Dicite, Pontifices, in ſancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id Superis, de magnâ quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago:
Compoſitum jus, fáſque animi; ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto:
Hæc cedò, ut admoveam templis, & farre litabo.

SATYRA III.

Nempe hoc aſſiduè? Jam clarum manè feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod deſpumare Falernum
Sufficiat, quintâ dum linea tangitur umbrâ.
En quid agis? Siccas inſana Canicula meſſes
Jamdudum coquit: & patulâ pecus omne ſub ulmo eſt;
Unus ait comitum. Verúmne? Itáne? Ocyùs adſit
Huc aliquis: nemón'? Turgeſcit vitrea bilis:
Findor: ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Jam liber, & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſâque venit arundo.
Tum queritur craſſus calamo quòd pendeat humor:
Nigra quòd infuſâ vaneſcat ſepia lymphâ:
Dilutas queritur geminet quòd fiſtula guttas.
O miſer! ſnque dies ultrà miſer, huccine rerum
Venimus? At cur non potiùs teneróque columbo,
Et ſimilis Regum pueris, pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas?
An tali ſtudeam calamo? Cui verba? Quid iſtas
Succinis ámbages? Tibi luditur. Effluis amens;
Contemnere. Sonat vitium percuſſa, malignè
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus ſinè fine rotâ. Sed rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum & ſinè labe ſalinum.
Quid metuas? Cultríxque foci ſecura patella eſt.
Hoc ſatis? An deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quòd Thuſco ramum millefime ducis;
Cenſorémve tuum vel quòd trabeate ſalutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus & in cute novi.
Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?
Sed ſtupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue: caret culpâ: neſcit quid perdat, & alto
Demerſus ſummâ rurſum non bullit in undâ.
Magne pater Divûm, ſævos punire Tyrannos
Haud aliâ ratione velis, cùm dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabeſcántque relictâ.
Anne magìs Siculi gemuerunt æra juvenci:
Et magìs auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit; imus,
Imus præcipites, quàm ſi ſibi dicat; & intus
Palleat infelix quod proxima neſciat uxor?
Sæpe oculos (memini) tingebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere, ab inſano multùm laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure etenim id ſummum, quid dexter Genio ferret,
Scire erat in voto; damnoſa Canicula quantum
Raderet: anguſtæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens bracatis illita Medis
Porticus; inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat, ſiliquis & grandi paſta polentâ.
Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,

Sur-

Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxúmque caput compage solutâ
Oscitat hesternum, discussis undique malis.
Est aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testúque, luróque,
Securus quò pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, cùm jam cutis ægra tumescit,
Poscentes videas. Vedenti occurrite morbo.
Et quid opus Crateró magnos promittere montes?
Discite, ô miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus; aut metæ quam mollis flexus, & unde:
Quis modus argento: quid fas optare: quid asper
Utile nummus habet: patriæ, charíque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Jussit, & humanâ quâ parte locatus es in re.
Disce, nec invideas, quòd multa fidelia putet
In locupletis penu, defensis pinguibus Umbris;
Et piper & perna, Martis monumenta clientis;
Mænáque quòd primâ nondum defecerit orcâ.
Hic aliquis de gente hircosâ Centurionum
Dicat: quod sapio satis est mihi; non ego curo
Esse quod Arcesilas, æruminosque Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cùm secum & rabiosa silentia rodant,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? Cur quis non prandeat, hoc est?
His populus ridet: multúmque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exuperat gravis halitus: inspice sodes;
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositus vidit nox currere venas,
De majore domo, modicè sitiente lagenâ,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus, bone, tu palles. Nihil est. Videas tamen istud,
Quicquid id est: surgit tacitè tibi lutea pallis.
At tu deteriùs palles, ne sis mihi tristis:
Jampridem hunc sepeli: tu restas: perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lentè exhalante Mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidúmque trientem
Excutit è manibus: dentes crepuêre retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ, tandémque beatulus alto
Compositus lecto, crassóque tumentia naso
In portam rigidos calces extendit. At illum
Hesterni capite inducto fabiere Quirites.
Tange, miser, venas, & pone sub pectore dextram:
Nil calet hîc. Summóque pedes attinge, manúsque:
Non frigent. Visa est si forsè pecunia; sive
Candida vicini subrisit mollè puella,
Cor tibi rite salit? positum est algente catino
Durum olus, & populi cribro decussa farina:
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere hetæ.
Alges, cùm excussit membris timor albus aristas,
Nunc face suppositâ fervescit sanguis, & irâ
Scintillant oculi. Dictúsque factúsque quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus furet Orestes.

SATYRA IV.

REM populi tractas? (Barbatum hunc credo magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ:)
Quo fretus? Die hoc, magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, & rarum prudentiæ velox
Ante pilos venit. Dicendæ secundáque calles.
Ergo ubi commotâ fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ rectùm silentia turbæ
Majestate manûs. Quid deinde loquêre? Quirites,
Hoc, puto, non justum est; illud nollem, rectius istud.
Scis etenim justum geminâ suspendere lance
Ancipitis libræ. Rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cùm tollit pede regula varo;
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summâ nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis: Anticyras melior sorbere veratrum.

Quæ tibi fumosæ domi est? Unctâ vitiosa patella
Semper: & assiduo cùrata cruditas fole.
Expecta. Haud aliud respondeat hæc tibi. I nunc,
Dinomachen ego sum: sulfla, tua cruditas. Esto.
Dum te deterius sapiat pannucia Bapsei,
Cùm bene discincto cantaverit ocyma verum:
Ut nemo in sese tentet descendere; nemo
Sed præcedenti spectetur mentula tergo!
Quæsieris, nôstin' Vestidi prædia? Cujus?
Dives erat. Caribus quantum non mulcet obesis!
Hunc, ais? Hunc, Dis iratis, Genióque sinistro:
Qui quandóque jugum pernix ad compita figit,
Sertorii veteris fructus derodere limam,
Ingenii, hoc opus est scurræ cum sale morderi.
Cæpe, & farratam, pueris plaudentibus, altum
Pannosam facem argutæ sorbet pecti.
At ô unctus cesses, & figas in cute solem.
Est prope te ignotus cubito qui tangat, & ære
Despuat in mores; pereúntque arcúmque lumbi.
Runcantem, populo marcentes pandere vultus.
Tu cùm maxillis palmarum gaudia pectis,
Inguinibus quare detonsis gurgulio exstas?
Quinque palæstritæ licèt hæc plausoria velint,
Elixæque nates laberentur fortè supinæ,
Non tamen ista tibi ullo manuescet arcano.
Cædimus, inque vicem præbemus crura fugacia.
Vivitur hoc pacto. Sic puerimus. Sis licet acer
Cæcum vultus habes: fidet fato balteus auro:
Prætegit: at mavis, da verba, & decipe servos.
Si potes. Egregiam cùm me vicinia dicat,
Non credam? Visto si palles, improbe, mimo;
Si facis in penem quicquid tibi venit amanti,
Si puteal multâ cantus vibice flagellas,
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue quod non es, ratiâ sua munera cordi.
Tecum habita, & nôris quam sit tibi curta supellex.

SATYRA V.

VARIARE hic mos est cruciato sibi poscere voces,
Centum ora & linguas operoso in carmine centum;
Fabula seu mœsto ponatur hianda Tragœdo;
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? Aut quantas robustî carminis offas
Ingeris, ut pariat cerebro gutture titi?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto:
Si quibus ant Progne, aut si quibus ollis Thyestes
Fervebit; sæpè infausto cernenda Glyconi.
Tu neque anhelanti coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucis
Nescio quid tenuis grave conjectaris ihepte;
Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba tuæ pagæ sequeris, junctúrâ callidus astri,
Ore teres modico, pallentes radere mores:
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas: mutuâsque relinquas Mycenis
Cum capite & pedibus; plebeiúsque prandia nôris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. Tibi nunc, hostemne Camenæ,
Excutienda damus præcordia: quemque nostrum
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amicæ,
Ostendisse juvat. Pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.
His ego contentus auribus deposcere voces,
Ut, quantum mihi te dilecto in pectore sit,
Voce trahas pari; tortumque hoc verba relinquas,
Quod latet arcanè, non enarrabile, fibrâ.
Cùm primùm pavido castos mihi purpura cultus
Bullâque succinctis Laribus donata pependit;
Cùm blandi comites, totâque impune suburbe
Permisit spatiis oculos jam candidus umbo;
Cùmque ima ambiguum est, & vitæ nescius error
Dulcia translatis ramosa in compita mensis:
Me tibi supposuit, reperit ut suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere sollers
Apposità labentes extendit regula mores;
Et pretium recti, nisi quæ sibi, nulla laborat,
Artificémque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primo stellis dare pulsa noctem.

Unum opus, & requiem pariter disponimus ambo:
Atque verecundâ laxamus seria mensâ.
Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora librâ
Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum:
Saturnúmque gravem nostro Jove frangimus unâ.
Nescio quod certè est, quod me tibi temperat, astrum.
MILLE hominum species, & rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic fatur irriguo mavult turgescere somno:
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris: sed cùm lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum crassos tansisse dies, lucémque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim juvenum, purgatas inseris aures
Fruge Cleantheâ. Petite hinc, juvenésque senésque,
Finem animo certum, miserisque viatica canis.
Cras hoc fiet. Idem cras fiet. Quid? Quasi magnum,
Nempe diem donas? Sed cùm lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultrà.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cùm rota posterior curras, & in axe secundo.
Libertate opus est, non hâc ut quisque Velinâ
Publius emeruit, scabiosum tesserulâ far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est, non tressis agaso,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub Judice palles?
Marcus dixit, ita est: assigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas: hanc nobis pilea donant.
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit? Licet ut volo vivere: non sim
Liberior Bruto? Mendosè colligis, inquit
Stoïcus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hæc reliqua accipio; licet illud, &, ut volo, tolle.
Vindictâ postquam meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluntas,
Excepto si quid Masurî rubrica vetavit?
Disce; sed ira cadat naso, rugosáque sanna,
Cùm veteres avias tibi de pulmone revello.
Non Prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citiùs caloni aptaveris alto.
Stat contrà ratio, & secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturáque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos insciti debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen; vetat hoc natura medendi.
Navim si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis; exclamet Melicerta, perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? Et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro.
Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim;
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notâsti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis;
Jam nunc astringas; jam nunc granaria laxes;
Inque luto fixum possis transcendere nummum;
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Hæc mea sunt, teneo, cùm verè dixeris; Esto
Liberque ac sapiens, Prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, cùm fueris nostræ paulò antè farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;
Quæ dederam suprà, repeto, funémque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas.
Et quid tam parvum est? Sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas; nec cùm sis cætera fossor,
Tres tantùm ad numeros Satyri moveare Bathylli.
Liber ego. Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I, puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
Si increpuit: cessas, nugator? Servitium acre
Te nihil impellit, nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus & in jecore ægro
Nascuntur domini; quì tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica & metus egit herilis?
Manè, piger, stertis: surge, inquit avaritia; eia
Surge. Negas. Instat, Surge, inquit. Non queo. Surge.
Et quid agam? Rogitas? Saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper è sitiente camelo.
Verte aliquid; jura. Sed Jupiter audiet. Eheu
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctus & œnophorum aptas;
Ocyùs ad navem. Nihil obstat quin trabe vastâ
Ægæum rapias, nisi solers luxuria antè
Seductum moneat; quò deinde, insane, ruis? Quò?
Quid tibi vis? Calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tún' mare transilias? Tibi tortâ cannabe fulto
Cœna sit in transtro? Veientanúmque rubellum
Exhalet vapidâ læsum pice fictilis obba?
Quid petis? Ut nummi, quos hìc quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio: carpamus dulcia; nostrum est
Quòd vivis: cinis, & manes, & fabula fies.
Vive memor lethi: fugit hora. Hoc quod loquor, indè est.
En quid agis? Duplici in diversum scinderis hamo.
Hunccine, an hunc sequeris? Subeas alternus oportet,
Ancipiti obsequio dominos alternus oberres.
Nec tu cùm obstiteris semel, instantique negâris
Parere imperio, rupi jam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum arripit: attamen illi
Cùm fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, citò, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor. Crudum Chæretratus unguem
Abrodens ait hæc. An siccis dedecus obstem
Cognatis? An rem patriam, rumore sinistro,
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores, extinctâ cum face, canto?
Euge, puer, sapias: Dis depellentibus agnam
Percute. Sed censén' plorabit, Dave, relicta?
Nugaris. Solcâ, puer, objurgabere rubrâ;
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus & violens. At si vocet, haud mora, dicas:
Quidnam igitur faciam? Ne nunc, cùm accersat, & ultro
Supplicet, accedam? Si totus & integer illinc
Exieris, nec nunc. Hic hic, quem quærimus, hic est:
Non in festucâ, Lictor quem jactat ineptus.
Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila: & cicer ingere largè
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulcrius? At cùm
Herodis venere dies, unctâque fenestrâ
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrúmque amplexa catinum
Cauda natat thynni; tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitâque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovóque pericula rupto:
Hinc grandes Galli; & cum sistro lusca Sacerdos
Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter manè caput gustaveris allî.
Dixeris hæc inter varicosos Centuriones,
Continuò crassum ridet Vulsenius ingens,
Et centum Græcos curto centussé licetur.

SATYRA VI.

ADMOVIT jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jámne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernátque meum mare, quà latus ingens
Dant scopuli, & multâ littus se valle receptat.
Lunaï portum est operæ cognoscere, cives.
Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hìc ego securus vulgi; & quid præparet Auster
Infelix pecori; securus & angulus ille
Vicini nostro quia pinguior & si adeò omnes
Ditescant:

Diteſcant orti pejoribus: uſque recuſem
Curvus ob id minui ſenio, aut cœnare ſinè uncto,
Et ſignum in vapidâ naſo tetigiſſe lagenâ.
Diſcrepet his alius. Geminos, Horoſcope, varo
Producis genio. Solis natalibus eſt qui
Tingat olus ſiccum muriâ vafer in calice emptâ,
Ipſe ſacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar:
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem ſolers turdarum nôſſe ſalivam.
Meſſe tenus propriâ vive: & granaria, (fas eſt)
Emole. Quid metuas? Occa. Et ſeges altera in herbâ eſt.
Aſt vocat officium. Trabe ruptâ, Bruttia ſaxa
Prendit amicus inops: rémque omnem, ſurdáque vota
Condidit: Ionio jacet ipſe in littore, & unà
Ingentes de puppe Dei: jámque obvia mergis
Coſta ratis laceræ. Nunc & de ceſpite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cæruleâ in tabulâ. Sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quòd rem curtaveris: urnæ
Oſſa inodora dabit; ſeu ſpirent cinnama ſurdum,
Seu ceraſo peccent caliæ, neſcire paratus.
Túne bona incolumis minuas? Et Beſtius urget
Doctores Graios: ita fit, poſtquam ſapere urbi
Cum pipere & palmis venit noſtrum hoc maris expers,
Fœniſecæ craſſo vitiârunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterior metuas? At tu meus hæres
Quiſquis eris, paulùm à turbâ ſeductior, audi.
O bone, num ignoras? Miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas Regum, jam lutea gauſapa captis,
Effedâque, ingentéſque locat Cæſonia Rhenos.
Dîs igitur, Genióque Ducis centum paria, ob res
Egregiè geſtas, induco: quis vetat? Aude.
Væ, niſi connives. Oleum artocreáſque popello
Largior; an prohibes? Dic clarè. Non adeò, inquis:
Exoſſatus ager juxtà eſt. Age, ſi mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet: patrui ſterilis matertera vixit,
Déque aviâ nihilum ſupereſt: accedo Bovillas
Clivúmque ad Virbî. Præſtò eſt mihi Manius hæres.
Progenies Terræ? Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud promptè, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam: Terræ eſt jam filius: & mihi ritu
Manius hic generis propè major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?
Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur; an renuis? Vîn' tu gaudere relictis?
Deeſt aliquid ſummæ: minui mihi; ſed tibi totum eſt,
Quicquid id eſt. Ubi ſit fuge quærere, quod mihi quondam
Legârat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces; hinc exime ſumptus.
Quid reliquum eſt? Reliquum? Nunc nunc impenſiùs unge,
Unge, puer, caules. Mihi feſtâ luce coquatur
Urtica, & ſiſsâ fumoſum ſinciput aure,
Ut tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extis,
Cùm moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patritiæ immeiat vulvæ? Mihi trama figuræ
Sit reliqua: aſt illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro: mercare; atque excute ſolers
Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter
Cappadocas rigidâ pingues plauſiſſe catellâ.
Rem duplica. Feci; jam triplex, jam mihi quartò,
Jam decies redit in rugam. Depunge ubi ſiſtam
Inventus, Chryſippe, tui finitor acervi.

‡

M. ANNÆI

Digitized by Google

M. ANNÆI LUCANI PHARSALIA.

M. ANNÆI LUCANI VITA, *EX PETRO CRINITO DESUMPTA.*

MARCUS Annæus Lucanus, natione Hiſpanus, patriâ Cordubenſis fuit. Patrem habuit L. Annæum Melam, qui habitus eſt Senecæ & Gallionis frater, ut obſervatum eſt in Annalibus Euſebii. Natalis ejus traditur C. Cæſ. Germanico iterum, & L. Cæſiano coss. Delatus ad urbem, cùm in primâ adhuc infantiâ eſſet, quò faciliùs pro ætate in bonis diſciplinis cultum ingenii caperet. Adoleſcens factus illuſtres habuit præceptores: in Litteris, Rhemnium Palæmonem, qui principem locum inter omneis grammaticos tenuit: in Rhetoricis Flavium Virginium rhetorem illis temporibus nobiliſſimum. Tantúmque diligentiâ ſuâ, ac facilitate ingenii profecit, ut Græcè ac Latinè declamaret, non ſinè ſummâ admiratione audientium. Inter cæteros condiſcipulos, Saleium Baſſum & A. Perſium, qui Satyras ſcripſit, ſingulari benevolentiâ dilexit, mutuſſque officiis proſecutus eſt. Apud Cæſ. Neronem permultum gratiâ & benevolentiâ in primâ ætate potuit: adeò illi efficax fuit ingenium ad promerendos conciliandóſque ſibi animos hominum. Itaque non modò ad quæſturæ dignitatem provectus eſt, ſed in augurum quoque collegium adſcitus, compoſitis verſibus de laudibus Neronis. Non tamen permanſit in gratiâ apud eum principem, qui alienas laudes moleſtiſſimo animo ferret: quíque in repellendis, opprimendíſque aliorum virtutibus acerrimus, ac ſæviſſimus fuit. Uxorem habuit nomine Pollam Argentariam: de cujus ingenio, atque doctrinâ multa referuntur à Sidonio Apollinare, & Papinio: qui maximâ quâdam reverentiâ inquit ad natalem Lucani celebrandum ſe accedere, & eſſe hoc imputandum Pollæ Argentariæ, cujus eruditio, atque nobilitas ſumma fuit.

Val. quoque Martialis multis carminibus Natalem Lucani deſcribit; quale eſt illud contra Neronis impietatem. *Hæc eſt illa dies*, &c.

Enumerantur à Grammaticis noſtris præter opus de bello Cæſ. & Pompeii complura alia ab eodem Lucano compoſita: in quibus maximam laudem adeptus eſt ingenii & doctrinæ: Scripſit enim Saturnalia, Sylvarum libros x. Tragœdiam Medeam, quam non abſolvit: de incendio urbis, de incendio Trojæ cum Priami calamitate, Orpheum, Fabulas complureis, & Epiſtolas. Ex libris Pharſaliæ treis primos emendavit, cum uxore Argentariâ: reliquos imperfectos, atque inemendatos reliquit, propter intempeſtivum interitum. Fabius Quinctilianus auctor eſt, Lucanum ipſum magìs annumerandum eſſe oratoribus, quàm poëtis. Eſt, inquit, ardens, & concitatus, ſententiíſque clariſſimis excellens. In concionibus admirandus, atque excultus, adeò ut videatur ſatìs exprimere ſingularem illam elegantiam, & majeſtatem Virgilii. Sunt qui ſcribant eum periſſe florenti adhuc ætate, cùm nondum xxx. annum attigiſſet, ſed referendum id eſt verbis Cornelii Taciti: qui de hôc agit in geſtis Neronis. Attico Veſtino, & Silio Nervâ Coss. facta eſt conſpiratio contra Neronem Imperatorem, principe tam præclari facinoris C. Piſone. Lucanum propriæ cauſæ ad hoc accendebant, quòd famam carminum ejus Nero deprimebat prohibuerátque oſtentare vanus aſſimulatione. Patefactâ autem conjuratione, Lucani cædem imperavit Nero. Is brachium dedit medico, ad ſecandas venas, &, ubi profluente ſanguine pedes frigeſcere, manúſque, & paulatim ab extremis cedere ſpiritum, fervido adhuc, & compote mentis pectore intelligit, recordatus à ſe carmen compoſitum, quo vulneratum militem. per ejuſmodi mortis Imaginem obiiſſe tradiderat, verſus ipſos retulit, eáque illi ſuprema vox fuit. Viſitur adhuc Romæ in marmoreis monumentis id elogium de Lucano priſcis litteris. M. ANNÆO LUCANO CORDUBENSI POETÆ, BENEFICIO NERONIS CÆS. FAMA SERVATA.

EADEM

EADEM, EX ALIO.

MARCUM Annæum Lucanum Caia Acilia, Acilii Lucani oratoris filia ex Annæo Melâ Senecæ Stoici fratre equite Rom. peperit Cordubæ III. Non. Novemb. C. Cæsare Germanico iterum, & L. Cæsiano Coss. Octo mensium infans Romam à patre advectus est: ibique Palæmone Grammatico, Virginio Flavio rhetore, & Cornuto poëtâ ac philosopho præceptoribus usus est, unà cum Saleio Basso, & A. Persio, quos præcipuo amore dilexit. Cúmque Neroni, quem adolescentem patruus instituebat, esset non injucundus, ante annos Quæstor est factus: & munus gladiatorum edidit. Indè cunctis suffragiis inauguratus in sacerdotium ascitus est. Uxorem habuit Pollam Argentariam. In Neronis odium cupiditate ostentandi ingenii incidit. Nam cùm ille per Clivium Rutfum Nioben in Theatro Pompeii pronunciaturum se indixisset, Lucanus Orpheum ex tempore decantavit, coronámque à judicibus reportavit. Post illud famam carminum ejus premente Nerone, qui eum publicè recitare, & ostentare carmina prohibuerat, Pisonianæ conjurationi adhæsit, accusatúsque & tortus matrem indicavit, impunitate promissâ, ut Tacitus ait. Mox mori jussus, calidâ aquâ immersus venas medico præbuit. Profluente sanguine, ubi frigere pedes, manúsque, & paulatim ab extremis cedere spiritum sensit, fervido adhuc & compote mentis pectore, hos versus ex lib. 3. enunciavit:

Scinditur avulsus, nec sicut vulnere sanguis
Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis,
Discurſúque animæ diversa in membra meantis,
Interceptus aquis: nullius vita perempti
Est tantâ dimissa viâ.

Hæc illi summa vox fuit. Decessit autem Prid. Calend. Maii, Nervâ Syllano, & Vestinio Attico Coss. cùm Cos. designatus cum Plautio Laterano esset. Vitæ verò anno 27 sepultus est in hortis suis, quos pulcherrimos habuit. Hæc de eo Inscriptio vetus, & marmorea in D. Pauli templo Romæ conspicitur. M. ANNÆO LUCANO, CORDUBENSI POETÆ, BENEFICIO NERONIS CÆSARIS FAMA SERVATA.

Scripsit penè puer, ut Papinius docet, Certamen Hectoris, & Achillis: cum cadaveris Hectorei redemptione Fabulam Orphei inferos adeuntis: Incendium urbis: Lauream, & laudes uxoris. Declamavit etiam, & causas oravit. Postremo loco Pharsaliam ardenti animo est aggressus, sed non perfecit. Primos tres libros, adjuvante uxore correxit. Septem reliquos, si vixisset, emendaturus. In iis ordinem sequitur, quo res gestæ sunt. Mens ejus est, se commendare immortalitati, & civilia bella dissuadere. Pharsaliam autem inscripsit, à Pharsalo Thessaliæ oppido, in cujus campis Pompeius à Cæsare est superatus.

LIBER PRIMUS.

BELLA per Emathios plùs quàm civilia campos,
Júsque datum sceleri canimus, populúmque potentem
In sua victrici conversum viscera dextrâ:
Cognatáque acies: & rupto fœdere regni
Certatum totis concussi viribus orbis,
In commune nefas: infestísque obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.
Quis furor, ô cives? quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Cúmque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausonïus, umbràque erraret Crassus inultâ,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu, quantum potuit terræ pelagíque parari
Hôc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!
Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,
Quáque dies medius flagrantibus æstuat horis,
Et quà bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Astringit Scythicum glaciali frigore pontum:
Sub juga jam Seres, jam barbarus ïsset Araxes,
Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo.
Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges cùm miseris orbem,
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quòd mœnia tectis
Urbibus Italiæ, lapsíque ingentia muris
Saxa jacent; nullóque domus custode tenentur,
Rarus & antiquis habitator in urbibus errat:
Horrida quòd dumis, multósque inarata per annos
Hesperia est, defúntque manus poscentibus arvis;
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Pœnus erit: nulli penitus discindere ferro
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextræ.
Quòd si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnóque æterna parantur
Regna deis, cœlúmque suo servire Tonanti
Non nisi sævorum potuit post bella gigantum:
Jam nihil, ô Superi, querimur: scelera ipsa, nefásque
Hâc mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat: & Pœni saturentur sanguine manes:
Ultima funestâ concurrant prœlia Mundâ.
His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis: &, quas premit aspera, classes,
Leucas: & ardenti servilia bella sub Ætnâ.
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quòd tibi res acta est. Te, cùm statione peractâ
Astra petes serus, prælati regia cœli
Excipiet gaudente polo: seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,
Tellurémque nihil mutato sole timentem
Igne vago lustrare juvet: tibi numine ab omni
Cedetur: jurísque tui natura relinquet,
Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe:
Nec polus adverti calidus quà mergitur Austri,
Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
Ætheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. librati pondera cœli
Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullæque obstent à Cæsare nubes.
Tunc genus humanum positis tibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.
Sed mihi jam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem
Sollicitare deum Bacchúmque avertere Nysâ.
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.
Fert animus causas tantarum expromere rerum:
Immensúmque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summúsque negatum
Stare diu; nimióque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. sic, cùm compage solutâ
Sæcula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetent iterum chaos omnia; missis
Sidera sideribus concurrent: ignea pontum
Astra petent: tellus extendere litora nolet,
Excutiétque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi: totáque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.
In se magna ruunt. lætis hanc numina rebus
Crescendi posuere modum, nec gentibus ullis

Com-

Commodat in populum, terræ, pelagíque potentem,
Invidiam Fortuna ſuam. tu cauſa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam
In turbam miſſi feralia fœdera regni.
O malè concordes, nimiâque cupidine cæci,
Quid miſcere juvat vires, urbémque tenere
In medio? dum terra fretum, terrámque levabit
Aër, & longi volvent Titana labores,
Nóxque diem cœlo totidem per ſigna ſequetur;
Nulla fides regni ſociis, omníque poteſtas
Impatiens conſortis erit. nec gentibus ullis
Credite, nec longè ſatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.
Nec pretium tanti tellus pontúſque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commiſit aſylum.
Temporis angulti manſit concordia diſcors,
Páxque fuit non ſponte ducum. nam ſola futuri
Graſſus erat belli medius mora. Qualiter undas
Qui ſecat, & geminum gracilis mare ſeparat Iſthmos,
Nec patitur conferre fretum: ſi terra recedat,
Ionium Ægæo frangit mare; ſic, ubi ſæva
Arma ducum dirimens, miſerando funere Craſſus
Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras,
Parthica Romanos ſolverunt damna furores.
Plus illâ vobis acie, quàm creditis, actum eſt
Arſacidæ: bellum victis civile dediſtis.
Dividitur ferro regnum: populíque potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum poſſidet orbem,
Non cepit Fortuna duos. Nam pignora junctí
Sanguinis, & diro ferales omine tedas
Abſtulit ad manes, Parcarum, Julia, ſævâ
Intercepta manu. quòd ſi tibi fata dediſſent
Majores in luce moras, tu ſola furentem
Indè virum poteras, atque hinc retinere parentem,
Armatáſque manus excuſſo jungere ferro,
Ut generos ſoceris mediæ junxere Sabinæ.
Morte tuâ diſcuſſa fides, bellúmque movere
Permiſſum eſt ducibus: ſtimulos dedit æmula virtus.
Tu nova ne veteres obſcurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te jam ſeries, uſúſque laborum
Erigit, impatiénſque loci fortuna ſecundi.
Nec quenquam jam ferre poteſt, Cæſárve priorem,
Pompeiúſve parem. quis juſtiùs induit arma,
Scire nefas: magno ſe judice quiſque tuetur;
Victrix cauſa deis placuit, ſed victa Catoni.
Nec coïere pares: alter vergentibus annis
In ſenium, longóque togæ tranquillior uſu
Dedidicit jam pace ducem: famæque petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plauſúque ſui gaudere theatri:
Nec reparare novas vires; multúmque priori
Credere fortunæ. ſtat magni nominis umbra.
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro
Exuvias veteres populi, ſacratáque geſtans
Dona ducum: nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa ſuo eſt. nudóſque per ærra ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram:
At quamvis primo nutet caſura ſub Euro,
Tot circùm ſylvæ firmo ſe robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæſare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: ſed neſcia virtus
Stare loco: ſolúſque pudor non vincere bello.
Acer, & indomitus; quò ſpes, quóque ira vocâſſet,
Ferre manum, & nunquam temerando parcere ferro.
Succeſſus urgere ſuos: inſtare favori
Numinis; impellens quicquid ſibi ſumma petenti
Obſtaret: gaudénſque viam feciſſe ruinâ.
Qualiter expreſſum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulſi ſonitu, mundíque fragore
Emicuit, rupítque diem, populóſque paventes
Terruit, obliquâ præſtinguens lumina flammâ:
In ſua templa furit: nullâque exire vetante
Materiâ, magnámque cadens, magnámque revertens
Dat ſtragem latè, ſparſóſque recolligit ignes.
Hæ ducibus cauſæ ſuberant: ſed publica belli
Semina, quæ populos ſemper merſere potentes.
Namque ut opes nimias mundo Fortuna ſubacto
Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis,
Prædáque & hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ:
Non auro, teſtíſve modus: menſáſque priores
Aſpernata fames: cultus geſtare decoros
Vix nuribus, rapuere mares: fœcunda virorum
Paupertas fugitur, totóque arcellitur orbe,
Quo gens quæque perit: tunc longos jungere fines
Agrorum, & quondam duro ſulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum paſſa ligones,
Longa ſub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
Quem ſua libertas immotis paſceret armis.
Indè iræ faciles, &, quod ſuaſiſſet egeſtas,
Vile nefas: magnúmque decus, ferróque petendum,
Plus patriâ potuiſſe ſuâ: menſuráque juris
Vis erat: hinc leges, & plebiſcita coacta;
Et cum Conſulibus turbantes jura Tribuni:
Hinc rapti pretio faſces, ſectórque favoris
Ipſe ſui populus, lethaliſque ambitus urbi;
Annua venali referens certamina Campo:
Hinc uſura vorax, avidúmque in tempore fœnus;
Et concuſſa fides, & multis utile bellum.
Jam gelidas Cæſar curſu ſuperaverat Alpes,
Ingentéque animo motus, bellúmque futurum
Ceperat: ut ventum eſt parvi Rubiconis ad undas,
Ingens viſa duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obſcuram vultu mœſtiſſima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæſarie lacerâ, nudíſque adſtare lacertis,
Et gemitu permiſta loqui: Quò tenditis ultrà?
Quo fertis mea ſigna viri? ſi jure venitis,
Si cives: hucuſque licet. Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, greſſúmque coërcens
Languor in extremâ tenuit veſtigia ripâ.
Mox ait: O magnæ qui mœnia proſpicis urbis
Tarpeiâ de rupe tonans, Phrygíſque Penates
Gentis Iuleæ, & rapti ſecreta Quirini,
Et reſidens celsâ Latialis Jupiter Albâ,
Veſtaléſque foci, ſummíque ô numinis inſtar
Roma, fave cœptis: non te furialibus armis
Perſequor: en adſum victor terrâque, marique
Cæſar, ubique tuus, (liceat modò) nunc quoque miles.
Ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hoſtem.
Indè moras ſolvit belli, tumidúmque per amnem
Signa movet properé. ſic cùm ſqualentibus arvis
Æthiopes Libyes vilò Leo cominus hoſte
Subiedit dubius, totam dum colligit iram,
Mox ubi ſe ſævæ ſtimulavit verbere caudæ,
Erexítque jubam, & vaſto grave murmur hiatu
Infremuit: tum torta levis ſi lancea Mauri
Hæreat, aut latum ſubeant venabula pectus,
Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.
Fonte cadit modico, parvíſque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cùm fervida canduit æſtas:
Pérque imas ſerpit valles, & Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.
Tunc vires præbebat hyems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri reſolutæ flatibus Alpes.
Primus in obliquum ſonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas. molli tum cætera rumpit
Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.
Cæſar ut adverſam ſuperato gurgite ripam
Attigit, Heſperiæ vetitis & conſtitit arvis,
Hìc, ait, hìc, pacem, temeratáque jura relinquo;
Te, Fortuna, ſequor: procul hinc jam fœdera ſunto.
Credidimus fatis, utendum eſt judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, & torto Balearis verbere fundæ
Ocyor, & miſſâ Parthi poſt terga ſagittâ:
Vicinúmque minax intravit Ariminum, ut ignes
Solis lucifero fugiebant aſtra relicto.
Jámque dies primos belli viſura tumultus
Exoritur: ſeu ſponte deûm, ſeu turbidus Auſter
Impulerat, mœſtam tenuerunt nubila lucem.
Conſtitit ut capto juſſus deponere miles
Signa foro, ſtridor lituûm, clangórque tubarum
Non pia continuit cum rauco claſſica cornu.
Rupta quies populi, ſtratíſque excita juventus
Diripiunt ſacris affixa penatibus arma,
Quæ pax longa dabat, nudâ jam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvatáque cuſpide pila,
Et ſcabros nigræ morſu rubiginis enſes.
Ut notæ fulſere aquilæ, Romanáque ſigna,
Et celſus medio conſpectus in agmine Cæſar,
Diriguere metu, gelidos pavor alligat artus,
Et tacito mutos volvunt ſub pectore queſtus.
O malè vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O triſti damnata loco! pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,

Primá-

Primáque caſtra ſumus. meliùs Fortuna dediſſes
Orbe ſub Eoo ſedem, gelidâque ſub Arcto,
Errantéſque domos, Latii quàm clauſtra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrúmque ruentem
Vidimus, & Martem Libyes, curſúmque furoris
Teutonici. quoties Romam fortuna laceſſit,
Hàc iter eſt bellis. gemitu ſic quiſque latentes,
Non auſus timuiſſe palàm: vox nulla dolori
Credita: ſed quantùm, volucres cùm bruma coërcet,
Rura ſilent, mediúſque jacet ſinè murmure pontus;
Tanta quies. Noctis gelidas lux ſolverat umbras:
Ecce faces belli, dubiæque in prælia menti
Urgentes addunt ſtimulos, cunctáſque pudoris
Rumpunt fata moras: juſtos Fortuna laborat
Eſſe ducis motus, & cauſas invenit armis.
Expulit ancipiti diſcordes urbe Tribunos
Victo jure minax jactatis curia Gracchis.
Hos jam mota ducis, vicináque ſigna petentes
Audax venali comitatur Curio lingua;
Vox quondam populi, libertatémque tueri
Auſus, & armatos plebis miſcere potentes.
Utque ducem varias volventem pectore curas
Conſpexit: Dum voce tuâ potuere juvari
Cæſar, ait, partes, quamvis nolente Senatu,
Traximus imperium, tunc, cùm mihi Roſtra tenere
Jus erat, & dubios in te transferre Quirites.
Sed poſtquam leges bello ſiluere coactæ,
Pellimur è patriis laribus, patimúrque volentes
Exilium: tua nos faciat victoria cives.
Dum trepidant nullo firmatæ robore partes;
Tolle moras: ſemper nocuit differre paratis.
Par labor atque metus pretio majore petuntur.
Bellantem geminis tenuit te Gallia luſtris,
Pars quota terrarum? facili ſi prælia pauca
Geſſeris eventu, tibi Roma ſubegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut ſacras poſcunt Capitolia laurus:
Livor edax tibi cuncta negat: gentéſque ſubactas
Vix impune feres: ſocerum depellere regno
Decretum eſt genero. partiri non potes orbem:
Solùs habere potes. Sic poſtquam fatus, & ipſi
In bellum prono tantum tamen addidit iræ,
Accendítque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus ſonipes, quamvis jam carcere clauſo
Immineat foribus, pronúſque repagula laxet.
Convocat armatos extemplo ad ſigna maniplos:
Utque ſatis trepidum turbâ coëunte tumultum
Compoſuit vultu, dextràque ſilentia juſſit:
Bellorum ô ſocii, qui mille pericula Martis
Mecum (ait) experti, decimo jam vincitis anno;
Hoc cruor Arctois meruit diffuſus in arvis,
Vulneráque, & mortes, hyemésque ſub Alpibus actæ?
Non ſecus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam ſi Pœnus tranſcenderet Alpes
Annibal. implentur valido tirone cohortes:
In claſſem cadit omne nemus; terràque marſque
Juſſus Cæſar agi. quid? ſi mihi ſigna jacerent
Marte ſub adverſo, ruerémque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, cùm Fortuna ſecundis
Mecum rebus agat, Superſque ad ſumma vocantes,
Tentamur, veniat longâ dux pace ſolutus
Milite cum ſubito, partéſque in bella togatæ,
Marcellúſque loquax, & nomina vana Catones.
Scilicet extremi Pompejum, emptíque clientes
Continuo per tot ſatiabunt tempora regno?
Ille reget currus nondum patientibus annis?
Ille ſemel raptos nunquam dimittet honores?
Quid jam jura querar totum ſuppreſſa per orbem,
Ac juſſam ſervire famem? quis caſtra timenti
Neſcit miſta foro? gladii cùm triſte minantes
Judicium inſolitâ trepidum cinxere coronâ,
Atque auſo medias perrumpere milite leges
Pompejana reum clauſerunt ſigna Milonem?
Nunc quoque, ne laſſum teneat privata ſenectus,
Bella nefanda parat ſuetus civilibus armis,
Et docilis Syllam ſcelerum viciſſe magiſtrum.
Utque feræ tigres numquam poſuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum luſtra ſequuntur,
Altus cæſorum pavit cruor armentorum;
Sic & Syllanum ſolito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, ſitis: nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.
Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis ſcelerum modus eſt? ex hôc jam te, improbe, regno
Ille tuus ſaltem doceat diſcedere Sylla.
Poſt Ciliciſne vagos, & laſſi Pontica regis
Prælia, barbarico vix conſummata veneno,
Ultima Pompejo dabitur provincia, Cæſar:
Quòd non, victrices aquilas deponere juſſus,
Paruerim? mihi ſi merces erepta laborum eſt,
His ſaltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur: miles ſub quolibet ille triumphet,
Conferet exanguis quò ſe poſt bella ſenectus?
Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noſter veteranus aret? quæ mœnia feſſis?
An meliùs fient piratæ, Magne, coloni?
Tollite jampridem victricia, tollite ſigna:
Viribus utendum eſt, quas fecimus. arma tenenti
Omnia dat, qui juſta negat: nec numina deſunt.
Nam neque præda meis, neque regnum quæritur armis:
Detrahimus dominos urbi ſervire paratæ.
Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit: pietas patriſque penates
Quanquam cæde feras mentes animóſque tumentes
Frangunt; ſed diro ferri revocantur amore,
Ductorſſque metu. Summi tum munera pili
Lælius, emeritſque gerens inſignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum,
Si licet, exclamat, Romani maxime rector
Nominis, & fas eſt veras expromere voces,
Quòd tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur. decrátne tibi fiducia noſtrî?
Dum movet hic calidus ſpirantia corpora ſanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnúmque Senatûs?
Uſque adeò miſerum eſt civili vincere bello?
Duc age per Scythiæ populos, per inhoſpita Syrtis
Litora, per calidas Libyæ ſitientis arenas.
Hæc manus, ut victum poſt terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas remo compeſcuit undas:
Fregit & Arctoo ſpumantem vortice Rhenum,
Juſſa ſequi tam poſſe mihi, quàm velle neceſſe eſt.
Nec civis meus eſt, in quem tua claſſica Cæſar
Audiero. per ſigna decem felicia caſtris,
Pérque tuos juro quocumque ex hoſte triumphos;
Pectore ſi fratris gladium, jugulóque parentis
Condere me jubeas, plenæque in viſcera partu
Conjugis, invitâ peragam tamen omnia dextrâ.
Si ſpoliare deos, ignémque immittere templis,
Numina miſcebit caſtrenſis flamma Monetæ:
Caſtra ſuper Tuſci ſi ponere Tibridis undas,
Heſperios audax veniam metator in agros.
Tu quoſcunque voles in planum effundere muros,
His aries actus diſperget ſaxa lacertis;
Illa licèt penitus tolli quam juſſeris urbem,
Roma ſit. His cunctæ timul aſſenſere cohortes,
Elatáſque altè, quæcumque ad bella vocaret,
Promiſere manus. it tantus ad æthera clamor,
Quantus, piniferi Boreas cùm Thracius Oſſæ
Rupibus incubuit, curvato robore preſſæ
Fit ſonus, aut rurſus redeuntis in æthera ſylvæ.
Cæſar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fatáque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, ſparſas per Gallica rura cohortes
Evocat, & Romam motis petit undique ſignis.
Deſeruere cavo tentoria fixa Lemano,
Caſtráque quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.
Hi vada liquerunt Iſaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa ſuo famæ majoris in amnem
Lapſus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longâ ſtatione Rutheni:
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
Finis & Heſperiæ promoto limite Varus:
Quáque ſub Herculeo ſacratus nomine portus
Urget rupe cavâ pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: ſolus ſua littora turbat
Circius, & tutâ prohibet ſtatione Monœci.
Quáque jacet litus dubium, quod terra, fretúmque
Vendicat alternis vicibus, cùm funditur ingens
Oceanus, vel cùm refugis ſe fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus ſic axe volutet,
Deſtituátque ferens: an ſidere mota ſecundo
Tethyos unda vagæ lunaribus æſtuet horis:
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctúſque ad ſidera tollat,
Quærite, quos agitat mundi labor: at mihi ſemper
Tu, quæcumque moves tam crebros cauſa meatus,

Ut ſuperi volvere, late. Tunc rura Nemoſſi
Qui tenet, & ripas Auri, quà litore curvo
Molliter admiſſum claudit Tarbellicus æquor;
Signa movet, gaudétque amoto Santonus hoſte:
Et Biturix, longíſque leves Sueſſones in armis:
Optimus excuſſo Leucus Rhemúſque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis:
Et docilis rector roſtrati Belga covini:
Averníque auſi Latio ſe fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi, nimiúmque rebellis
Nervius, & cæſi pollutus ſanguine Cottæ:
Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
Vangiones: Batavíque truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ: quà Cinga pererrat
Gurgite: quà Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim: quà montibus ardua ſummis
Gens habitat canâ pendentes rupe Gebennas:
Pictones immunes ſubigunt ſua rura: nec ultrà
Inſtabiles Turonas circumſita caſtra coërcent.
In nebulis Meduana tuis marcere peroſus
Andus, jam placidâ Ligeris recreatur ab undâ.
Inclyta Cæſareis Genabos diſſolvitur alis.
Tu quoque lætatus converti prælia Trevir:
Et nunc tonſe Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate Comatæ:
Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrénſque feris altaribus Heſus;
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.
Vos quoque qui fortes animas, bellóque perennes
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.
Et vos barbaricos ritus, morémque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetîtis ab armis.
Solis nôſſe deos, & cœli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis. vobis auctoribus, umbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio; longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt. certè populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus. inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis: & ignavum redituræ parcere vitæ.
Et vos crinigeros bellis arcere Cayeos
Oppoſiti, petitis Romam, Rhenique feroces
Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.
Cæſar, ut immenſæ collecto robore vires
Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, vicináque mœnia complet.
Vana quoque ad veros acceſſit fama timores,
Irrupítque animos populi, cladémque futuram
Intulit, & velox properantis nuntia belli
Innumeras ſolvit falſa in præconia linguas.
Eſt qui, tauriferis ubi ſe Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Aſſerat, & quà Nar Tyberino illabitur amni,
Barbaricas ſævi diſcurrere Cæſaris alas:
Ipſum omnes aquilas, collatáque ſigna ferentem,
Agmine non uno, denſíſque incedere caſtris.
Nec, qualem meminere, vident: majórque, ferôſque
Mentibus occurrit, victóque immanior hoſte.
Hunc inter Rhenum populos Alpéſque jacentes,
Finibus Arctois, patriâque à ſede revulſos
Ponè ſequi, juſſámque feris à gentibus Urbem,
Romano ſpectante, rapi. ſic quiſque pavendo
Dat vires famæ: nullóque auctore malorum
Quæ finxere, timent. nec ſolum vulgus inani
Percuſſum terrore pavet: ſed curia, & ipſi
Sedibus exiliere Patres, inviſâque belli
Conſulibus fugiens mandat decreta Senatus.
Tum quæ tuta petant; & quæ metuenda relinquant,
Incerti, quò quemque fuga tulit impetus, urgent
Præcipitem populum, ſeriéque hærentia longâ
Agmina prorumpunt. credas aut tecta nefandas
Corripuiſſe faces, aut jam quatiente ruinâ
Nutantes pendere domos, ſic turba per urbem
Præcipiti lymphata gradu, velut unica rebus
Spes foret afflictis patrios excedere muros,
Inconſulta ruit: qualis cùm turbidus Auſter
Reppulit à Libycis immenſum Syrtibus æquor,
Fractáque veliferi ſonuerunt pondera mali,
Deſilit in fluctus deſertâ puppe magiſter,
Navitíque, & nondum ſparsâ compage carina,
Naufragium ſibi quiſque facit: ſic urbe relictâ
In bellum fugitur. nullum jam languidus ævo
Evaluit revocare parens, conjúxve maritum
Fletibus, aut patrii, dubiæ dum vota ſalutis
Conciperent, tenuere Lares: nec limine quiſquam
Hæſit, & extremo tunc forſitan urbis amatæ
Plenus abit viſu: ruit irrevocabile vulgus.
O faciles dare ſumma deos, eadémque tueri
Difficiles! urbem populis, victíſque frequentem
Gentibus, & generis, coëat ſi turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæſare prædam
Ignavæ liquere manus. cùm preſſus ab hoſte
Clauditur externis miles Romanus in oris,
Effugit exiguo nocturna pericula vallo;
Et ſubitus rapti munimine ceſpitis agger
Præbet ſecuros intrà tentoria ſomnos.
Tu tantùm audito bellorum murmure Roma
Deſereris; nox una tuis non credita muris.
Danda tamen venia eſt tantorum danda pavorum:
Pompeio fugiente timent. Tum ne qua futuri
Spes ſaltem trepidas mentes levet, addita fati
Pejoris manifeſta fides: Superſque minaces
Prodigiis terras implérunt, æthera, pontum.
Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes,
Ardentémque polum flammis, cœlóque volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra ſereno:
Et varias ignis denſo dedit ære formas.
Nunc jaculum longo, nunc ſparſo lumine lampas
Emicuit cœlo: tacitum ſinè nubibus ullis
Fulmen, & Arctois rapiens de partibus ignem,
Percuſſit Latiale caput: ſtellæque minores
Per vacuum ſolitæ noctis decurrere tempus,
In medium vénere diem: cornúque coacto
Jam Phœbe toto fratrem cùm redderet orbe,
Terrarum ſubitâ percuſſa expalluit umbrâ.
Ipſe caput medio Titan cùm ferret Olympo,
Condidit ardentes atrâ caligine currus;
Involvítque orbem tenebris, gentéſque coëgit
Deſperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole Thyeſtæ noctem duxere Mycenæ.
Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ;
Nec tulit in cœlum flammas, ſed vertice prono
Ignis in Heſperium cecidit latus. atra Charybdis
Sanguineum fundo torſit mare. flebile ſævi
Latravere canes. Veſtali raptus ab arâ
Ignis, & oſtendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminóque cacumine ſurgit,
Thebanos imitata rogos. tum cardine tellus
Subſedit, veterémque jugis nutantibus Alpes
Diſcuſſere nivem. Tethys majoribus undis
Heſperiam Calpen, ſummúmque implevit Atlanta.
Indigetes fleviſſe deos, Urbíſque laborem
Teſtatos ſudore Lares, delapſâque templis
Dona ſuis, diráſque diem fœdâſſe volucres
Accipimus; ſylvíſque feras ſub nocte relictis
Audaces mediâ poſuiſſe cubilia Româ.
Tum pecudum faciles humanâ ad murmura linguas,
Monſtroſique hominum partus numeróque modóque
Membrorum, matrémque ſuis conterruit infans:
Diráque per populum Cumanæ carmina vatis
Vulgantur. tum, quos ſectis Bellona lacertis
Sæva movet, cecinere deos: crinémque rotantes
Sanguinei populis ululârunt triſtia Galli.
Compoſitis plenæ gemuerunt oſſibus urnæ.
Tum fragor armorum, magnæque per aëra voces
Auditæ nemorum: & venientes cominus umbræ.
Quíque colunt junctos extremis mœnibus agros,
Diffugiunt: ingens Urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentéſque comas. Thebanum qualis Agaven
Impulit, aut ſævi contorſit tela Lycurgi
Eumenis: aut qualem juſſu Junonis iniquæ
Horruit Alcides, viſo jam Dite, Megæram.
Inſonuere tubæ, & quanto clamore cohortes
Miſcentur, tantum nox atra ſilentibus auris
Edidit: & medio viſi conſurgere Campo
Triſtia Syllani cecinere oracula manes:
Tollentémque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolæ fracto Marium fugere ſepulcro.
Hæc propter placuit Thuſcos de more vetuſto
Acciri vates, quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit deſerto mœnia Luna,

Fulminis

Fulminis edoctus motus, venásque calentes
Fibrarum, & monitus volitantis in aëre pennæ,
Monstra jubet primùm, quæ nullo fœmine dicors
Protulerat natura, rapi, sterilísque nefandos
Ex utero fœtus intactis urere flammis.
Mox jubet & totum pavidis à civibus Urbem
Ambiri: & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalémque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata deûm, secretáque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellem:
Et doctus volucres Augur servare sinistras;
Septemvírque epulis festis, Titísque sodales:
Et Salius læto portans ancilia collo:
Et tollens apicem genero'o vertice Flamen.
Dúmque illi effusam longis anfractibus urbem
Circumeunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terræ mœsto cum murmure condit,
Dátque locis nomen sacris; tunc admovet aris
Electâ cervice marem. jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquóque molas inducere cultro:
Impatiénsque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent cùm torva ministri,
Depolito victum præbebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns:
Atque iram Superûm raptis quærivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidóque infecta cruore
Plurimus asperlo variabat sanguine livor.
Cernit tabe jecur madidum: venásque minaces
Hostili de parte videt. pulmonis anheli
Fibra latet, parvúsque secat vitalia limes.
Cor jacet: & saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt: prodúntque tuas omenta latebras.
Quódque (nefas) nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis, pars ægra & marcida pendet:
Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum,
Exclamat: Vix fas superi quæcunque monetis
Prodere me populis: neque enim tibi summe litavi
Jupiter hoc sacrum: cæsque in viscera tauri
Inferni venere Dei, non fanda timemus:
Sed venient majora metu. Dii vita secundent,
Et fibris sit nulla fides sed conditor artis
Finxerit illa Tages. flexu sic omnia Tuscus
Involvens, multâque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura deos, secretáque cœli
Nôsse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret visu numerisque movendis astra,
Aut hic errat (ait) nullâ cum lege per ævum
Mundus, & incerto discurrunt sidera motu:
Aut, si fata movent, orbi, generisque paratur
Humano matura lues. terræne dehiscent?
Subsidéntque urbes? an tollet fervidus aër
Temperiem? segetes tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, ô Superi? quâ peste paratis
Sævitiam? extremi multorum tempus in unum
Convenere dies. summo si frigida cælo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes;
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totáque diffuso latuisset in æquore tellus.
Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensúsque suis flagrâsset curribus æther.
Hi cessant ignes. tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis caudâ, chelásque peruris,
Quid tantum Gradive paras? nam mitis in alto
Jupiter Occasu premitur, Veneríque salubre
Sidus hebet, motúque celer Cyllenius hæret,
Et cœlum Mars solus habet. cur signa meatus
Deseruere suos, mundóque obscura feruntur:
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Imminet armorum rabies: ferrísque potestas
Confundet jus omne manu: scelerísque nefando
Nomen erit virtus: multósque exibit in annos
Hic furor. & Superos quid prodest posscre finem?
Cum domino pax ista venit. duc Roma malorum
Continuam seriem: cladémque in tempora multa
Extrahe, civili tantùm jam libera bello.
Terruerant satis hæc pavidam præsagia plebem:
Sed majora premunt. nam qualis vertice Pindi
Edonis Oggio decurrit plena Lyæo:
Talis & attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phœbum.
Quò feror ô Pæan? quâ me super æthera raptam
Constituis terrâ? video Pangæa nivosis
Cana jugis, latósque Æmi sub rupe Philippos.
Quis furor hic, ô Phœbe, doce: quæ tela, manásque
Romanæ miscent acies, bellúmque sine hoste est?
Quà diversa feror? primos me ducis in ortus,
Quà mare Lagei mutatur gurgite Nili.
Hunc ego, flumineâ deformis truncus arenâ
Qui jacet, agnosco: dubiam super æquora Syrtim,
Arentémque feror Libyen, quò tristis Erinnys
Transtulit Emathias acies. nunc desuper Alpis
Nubiferæ colles, atque aëriam Pyrenen
Arripimur. patriæ sedes remeamus in urbis:
Impiáque in medio peraguntur bella senatu.
Consurgunt partes iterum, totúmque per orbem
Rursus eo. nova da mihi cernere litora ponti,
Telluremque novam: vidi jam, Phœbe, Philippos.
Hæc ait: & tristi jacuit defecta furore.

LIBER SECUNDUS.

JAMQUE iræ patuere deûm, manifestáque belli
Signa dedit mundus: legésque & fœdera rerum
Præscia monstrifero vertit natura tumultu,
Indixitque nefas. cur hanc tibi rector Olympi
Sollicitis visum mortalibus addere curam,
Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum cùm primùm informia regna,
Materiámque rudem flammâ cedente recepit,
Fixit in æternum causas, quâ cuncta coërcet,
Se quoque lege tenens, & sæcula causa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum:
Sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
Fértque, refértque vices, & habent mortalia casum:
Sit subitum, quodcunque paras; sit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat sperare timenti.
Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus Urbi
Constatura fides Superûm, ferale per urbem
Justitium: latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces:
Tum questus tenuere suos, magnúsque per omnes
Erravit sinè voce dolor. sic funere primo
Attonitæ tacuere domus, cùm corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famularum brachia planctus:
Sed cùm membra premit fugiente rigentia vitâ,
Vultúsque exanimes, oculósque in morte jacentes;
Necdum est ille dolor, sed jam metus: incubat amens,
Miratúrque malum. Cultus matrona priores
Deposuit: mœstæque tenent delubra catervæ.
Hæ lacrymis sparsere deos, hæ pectora duro
Afflixere solo: lacerásque in limine sacro
Attonitæ fudere comas: votísque vocari
Assuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis:
Divisere deos: & nullis defuit aris
Invidiam factura parens. quarum una madentes
Scissa genas, planctu lividentes atra lacertos,
Nunc, ait, ô miseræ contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, néve hunc differte dolorem,
Et summis servate malis; nunc flere potestas,
Dum pendet fortuna ducum: cùm vicerit alter,
Gaudendum est, his se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella, viri, diversáque castra petentes
Effundunt justas in numina sæva querelas.
O miseræ sortis, quod non in Punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque, juventus.
Non pacem petimus Superi: date gentibus iras:
Nunc urbes excite feras: conjuret in arma
Mundus: Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Ister,
Fundat ab extremo flavos Aquilone Sueves
Albis, & indomitum Rheni caput: omnibus hostes
Reddite nos populis: civile avertite bellum:
Hinc Dacus premat, indè Getes: occurrat Iberis
Alter:

Alter: ad Eoas hic vertat ſigna phareras.
Nulla vacet tibi Roma manus. vel perdere nomen
Si placet Heſperium Superi, collapſus in ignes
Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.
Sæve parens utraſque ſimul partéſque ducéſque,
Dum nondum meruere, feri. tantóne novorum
Proventu ſcelerum quærunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
Ut neuter. Tales pietas peritura querelas
Egerit: at miſeros angit ſua cura parentes,
Oderúntque gravis vivacia fata ſenectæ,
Servatóſque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis magno quærens exempla timori,
Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,
Cùm poſt Teutonicos victos, Libycóſque triumphos
Exul limosâ Marius caput abdidit ulvâ.
Stagna avidi texere ſoli, laxæque paludes
Depoſitum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedere ſenem, longúſque in carcere pædor.
Conſul, & eversâ felix moriturus in urbe
Pœnas antè dabat ſcelerum. mors ipſa refugit
Sæpe virum, fruſtráque hoſti eſt conceſſa poteſtas
Sanguinis inviſi. primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrúmque manu torpente remiſit;
Viderat immenſam tenebroſo in carcere lucem,
Terribiléſque deos ſcelerum: Mariúmque futurum:
Audierátque pavens: Non hæc contingere ſas eſt
Colla tibi: debet multas hic legibus ævi,
Ante ſuam, mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulciſci deletæ funera gentis,
Hunc Cimbri ſervate ſenem. non ille favore
Numinis, ingenti Superûm protectus ab irâ,
Vir ferus, & Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. idem pelago delatus iniquo
Hoſtilem in terram, vacuiſque mapalibus actus,
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos preſſit cineres, ſolatia fati
Carthago, Mariúſque tulit: pariterque jacentes
Ignovere deis. Libycas ibi colligit iras.
Ut primùm fortuna redit: ſervilia ſolvit
Agmina: conflato ſævas ergaſtula ferro
Exeruere manus: nulli geſtanda dabantur
Signa ducis, niſi qui ſcelerum jam fecerat uſum,
Attulerátque in caſtra nefas. prò fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
Corripuit? quantóque gradu mors ſæva cucurrit?
Nobilitas cum plebe perit: latéque vagatur
Enſis: & à nullo revocatum eſt pectore ferrum.
Stat cruor in templis: multâque rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent. nulli ſua profuit ætas.
Non ſenis extremum piguit vergentibus annis
Præcipitâſſe diem: nec primo in limine vitæ
Infantis miſeri naſcentia rumpere fata.
Crimine quo parvi cædem potuere mereri?
Sed ſatis eſt jam poſſe mori. trahit ipſe furoris
Impetus; &, viſum eſt lenti, quæſiſſe nocentem.
In numerum Pars magna perit: rapuitque cruentus
Victor ab ignotâ vultus cervice reciſos,
Dum vacuâ pudet ire manu. ſpes una ſalutis
Oſcula polluti fixiſſe trementia dextræ:
Mille licèt gladii mortis nova ſigna ſequantur,
Degener ô populus, vix ſæcula longa decorum
Sic meruiſſe viris, nedum breve dedecus ævi,
Et vitam, dum Sylla redit. Cui funera vulgi
Flere vacet? vix te ſpartum per viſcera Bæbi
Innumeras inter carpentis membra coronæ
Diſceſſiſſe manus: aut te præſage malorum
Antoni, cujus laceris pendentia canis
Ora ferens miles feſtæ rorantia mentæ
Impoſuit, truncos laceravit Fimbria Craſſos.
Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo.
Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ
Ante ipſum penetrale deæ, ſempérque calentes
Mactavere focos: parvum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit jugulo, flammiſque pepercit.
Septimus hæc ſequitur, repetitis falcibus, annus;
Ille fuit vitæ Mario modus, omnia paſſo,
Quæ pejor fortuna poteſt, atque omnibus uſo,
Quæ melior: menſóque homini quid fata pararent.
Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?
Aut Collina tulit ſtratas quot porta catervas,
Tunc cùm penè caput mundi, rerúmque poteſtas
Mutavit tralata locum, Romanáque Samnis
Ultra Caudinas ſporavit vulnera Furcas?
Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus ultor.
Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis Urbi,
Hauſit; dúmque nimis jam putrida membra recidit,
Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt,
Quà morbi duxere, manus. periere nocentes;
Sed cùm jam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.
Tunc data libertas odiis, reſolutáque legum
Frænis ira ruit. non uni cuncta dabantur,
Sed fecit ſibi quiſque nefas. ſemel omnia victor
Juſſerat. infandum domini per viſcera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine: certatum eſt, cui cervix cæſa parentis
Cederet: in fratrum cecidêrunt præmia fratres.
Buſta repleta fugâ, permiſtáque viva ſepultis
Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, eliſáque guttura fregit:
Hic ſe præcipiti jaculatus pondere durâ
Diſſiluit percuſſus humo: mortéſque eruento
Victori rapuere ſuas: hic robora buſti
Extruit ipſe ſui, necdum omni ſanguine fuſo
Deſilit in flammas, &, dum licet, occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam geſtata per urbem,
Et medio congeſta foro: cognoſcitur illic
Quidquid ubique latet ſcelerum. non Thracia tantum
Vidit Biſtonii ſtabulis pendere tyranni;
Poſtibus Antæi Libye; Nec Græcia mœrens
Tot laceros artus Piſæâ flevit in aulâ.
Cùm jam tabe fluunt, confuſáque tempore multo
Amiſere notas, miſerorum dextra parentum
Colligit, & pavido ſubducit cognita furto.
Méque ipſum memini cæſi deformia fratris
Ora rogo cupidum, vetitiſque imponere flammis,
Omnia Syllanæ luſtrâſſe cadavera pacis:
Pérque omnes truncos, cum quâ cervice reciſum
Conveniat, quæſiſſe caput. Quid ſanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima triſtes
Inferias Marius, forſan nolentibus umbris,
Pendit, inexpleto non fanda piacula buſto:
Cùm laceros artus, aquatáque vulnera membris
Vidimus, & toto quamvis in corpore cæſo
Nil animæ letale datum, morémque nefandæ
Dirum ſævitiæ, pereuntis parcere morti.
Avulſæ cecidere manus, exectáque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit æra motu.
Hic aures, alius ſpiramina naris aduncæ
Amputat: ille cavis evolvit ſedibus orbes,
Ultimáque effodit ſpectatis lumina membris.
Vix erit ulla fides, tam ſævi criminis unum
Tot pœnas cepiſſe caput. ſic mole ruinæ
Fracta ſub ingenti miſcentur pondere membra:
Nec magis informes veniunt ad litora trunci,
Qui medio periere freto. quid perdere fructum
Juvit, &, ut vilem, Marii confunderè vultum?
Ut ſcelus hoc Syllæ cædéſque oſtenſa placeret,
Agnoſcendus erat. Vidit Fortuna colonos
Præneſtina ſuos cunctos ſimul enſe reciſos,
Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Heſperiæ, Latii jam ſola juventus,
Concidit, & miſeræ maculavit ovilia Romæ.
Tot ſimul infeſto juvenes occumbere leto,
Sæpe fames, pelagíque furor, ſubitæque ruinæ,
Aut cœli, terræque lues, aut bellica clades,
Numquam pœna fuit. denſi vix agmina vulgi
Inter & exangues immiſsâ morte catervas
Victores movere manus. vix cæde peractâ
Procumbunt, dubiâque labant cervice: ſed illos
Magna premit ſtrages: peragúntque cadavera partem
Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti ſedit ſecurus ab alto
Spectator ſceleris. miſeri tot millia vulgi
Non piguit juſſiſſe mori. congeſta recepit
Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera gurges.
In fluvium primi cecidere, in corpora ſummi.
Præcipites hæſere rates, & ſtrage cruentâ
Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor.
Ad molem ſtetit unda ſequens: nam ſanguinis alti
Vis ſibi fecit iter, campúmque effuſa per omnem,
Præcipitſque ruens Tyberina ad flumina rivo
Hærentes adjuvit aquas: nec jam alveus amnem,
Nec retinent ripæ, redeúntque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor.
Iſſne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio ſibi tollere Campo?

Hæc

Hæc rurſus patienda manent: hôc ordine belli
Ibitur: hic ſtabit civilibus exitus armis.
Quamquam agitant graviora metus, multóque coitur
Humani generis majore in prœlia damno.
Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Sullæ
Præſtitit, inviſas penitus quàm tollere partes.
Hos aliò Fortuna vocas: olimque potentes
Concurrunt. neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sylla fuit. Sic mœſta ſenectus
Præteritſque memor flebat, metuénſque futuri.
  At non magnanimi percuſſit pectora Bruti
Terror. & in tantâ pavidi formidine motus
Pars populi lugentis erat: ſed nocte ſoporâ,
Parrhatis obliquos Helice cùm verteret axes,
Atria cognati pulſat non ampla Catonis.
Invenit inſomni volventem publica curâ
Fata virum, caſûſque Urbis, cunctiſque timentem,
Securúmque ſui; tarſque his vocibus orſus.
Omnibus expulſæ terris, olimque fugatæ
Virtutis jam ſola fides, quam turbine nullo
Exutiet fortuna tibi; tu mente labantem
Dirige me, dubium certo tu robore firma.
Namque alii Magnum, vel Cæſaris arma ſequantur:
Dux Bruto Cato ſolus erit. pacémne tueris,
Inconcuſſa teneus dubio veſtigia mundo?
An placuit, ducibus ſcelerum, populíque furentis
Cladibus immiſtum civile abſolvere bellum?
Quemque ſuæ rapiunt ſcelerata in prœlia cauſæ:
Hos polluta domus, legéſque in pace timendæ:
Hos ferro fugienda fames, mundíque ruinæ
Permiſcenda fides. nullum furor egit in arma.
Caſtra petunt magnâ victi mercede: tibi uni
Per ſe bella placent? quid tot durâſſe per annos
Profuit immunem corrupti moribus ævi?
Hoc ſolum longæ pretium virtutis habebis?
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum ô Superi liceat feralibus armis,
Has etiam moviſſe manus: nec pila lacertis
Miſſa tuis cæcâ telorum in nube ferantur:
Nec tanta incaſſum virtus eat. ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. quis nolit ab illo
Enſe mori, quamvis alieno vulnere labens,
Et ſcelus eſſe tuum? meliùs tranquilla ſinè armis
Otia ſolus ages: ſicut cœleſtia ſemper
Inconcuſſa ſuo volvuntur ſidera lapſu,
Fulminibus propior terræ ſuccenditur aër,
Imáque telluris ventos, tractúſque coruſcos
Flammarum accipiunt: nubes excedit olympus
Lege deûm. minimas rerum diſcordia turbat:
Pacem ſumma tenent. quàm lætè Cæſaris aures
Accipient tantum veniſſe in prœlia civem!
Nam prælata ſuis nunquam diverſa dolebit
Caſtra ducis magni. nimiùm placet ipſe, Catoni
Si bellum civile placet. pars magna Senatûs,
Et duce privato geſturus prœlia Conſul
Sollicitant, proceréſque alii: quibus adde Catonem
Sub juga Pompeii; toto jam liber in orbe
Solus Cæſar erit. quòd ſi pro legibus arma
Ferre juvat patriis, libertatémque tueri:
Nunc neque Pompeii Brutum, neque Cæſaris hoſtem,
Poſt bellum victoris habe. Sic fatur. at illi
Arcano ſacras reddit Cato pectore voces.
  Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur:
Sed quò fata trahunt, virtus ſecura ſequetur.
Crimen erit Superis & me feciſſe nocentem.
Sidera quis, mundúmque velit ſpectare cadentem
Expers ipſe metûs? quis, cùm ruat arduus æther,
Terra labet, mitto coëuntis pondere mundi,
Complosâs tenuiſſe manus? gentémne furorem
Heſperium ignotæ Romanáque ſigna ſequentur,
Deductíque tretis alio ſub ſidere reges?
Otia ſolus agam? procul hunc arcete furorem,
O Superi, moturæ Dacas ut clade Getáſque
Securo me Roma cadat. ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipſe dolor: juvat ignibus atris
Inſeruiſſe manus, conſtructóque aggere buſti
Ipſum atras tenuiſſe faces: non antè revellar,
Exanimem quam te complectar Roma, tuúmque
Nomen, libertas, & inanem proſequar umbram.
Sic eat: immites Romana piacula divi
Plena ferant: nullo fraudemus ſanguine bellum.
O utinam, cœlíque deis, Erebíque liberet
Hoc caput in cunctos damnatum exponere pœnas!
Devotum hoſtiles Decium preſſere catervæ?
Me geminæ figunt acies, me barbara telis
Rheni turba petat: cunctis ego pervius haſtis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat ſanguis populos: hâc cæde luatur,
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad juga cur faciles populi, cur ſæva volentes
Regna pati pereunt? me ſolum invadite ferro,
Me fruſtra leges & inania jura tuentem:
Hic dabit, hic pacem jugulus, finémque laborum
Gentibus Heſperiis: poſt me regnare volenti
Non opus eſt bello. quin publica ſigna, ducémque
Pompeium ſequimur? nec, ſi fortuna favebit,
Hunc quoque totius ſibi jus promittere mundi
Non bene compertum eſt: ideo me milite vincat,
Ne ſibi ſe viciſſe putet. Sic fatur: & acres
Irarum movit ſtimulos: juvenſíque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores.
  Interea, Phœbo gelidas pellente tenebras,
Pulſatæ ſonuere fores: quas linêta relicto
Hortenſi mœrens irrupit Marcia buſto.
Quondam virgo toris melioris juncta mariti:
Mox ubi connubii pretium, mercéſque ſoluta eſt
Tertia jam ſoboles, alios ſecunda penates
Impletura datur, geminas è ſanguine matris
Permiſtura domos. ſed poſtquam condidit urnâ
Supremos cineres, miſerando concita vultu,
Effuſas laniata comas, concuſſâque pectus
Verberibus crebris, cinerémque ingeſta ſepulcri,
Non aliter placitura viro, ſic mœſta profatur:
Dum ſanguis inerat, dum vis materna, peregi
Juſſa, Cato, & geminos excepi fœta maritos.
Viſceribus laſſis, partúque exhauſta, revertor
Jam nulli tradenda viro: da fœdera priſci
Illibata tori: da tantùm nomen inane
Connubii: liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis
Marcia, nec dubium longo queratur in ævo,
Mutârim primas expulſa, an tradita, tedas.
Non me lætorum ſocium, rebúſque ſecundis
Accipis: in curas venio, partémque laborum.
Da mihi caſtra ſequi: cur tuta in pace relinquar,
Et ſit civili propior Cornelia bello?
Hæ flexere virum voces, & tempora quanquam
Sunt aliena toris, jam fato in bella vocante:
Fœdera ſola tamen, vanâque carentia pompâ
Jura placent, ſacríſque deos admittere teſtes.
Feſta coronato non pendent limine ſerta;
Infuláque in geminos diſcurrit candida poſtes,
Legitimæque faces, gradibúſque acclivis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro:
Turritâque premens frontem matrona coronâ,
Tralatâ vetuit contingere limina plantâ.
Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velârunt flammea vultus:
Balteus haud fluxos gemmis aſtrinxit amictus,
Colla monile decens; humeríſque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos.
Sic, ut erat, mœſti ſervans lugubria cultûs,
Quôque modo naros, hôc eſt amplexa maritum.
Oblita funereâ celatur purpura lanâ.
Non ſoliti luſere ſales: nec more Sabino
Excepit triſtis convicia feſta maritus.
Pignora nulla domûs, nulli coiere propinqui,
Junguntur taciti, contentíque auſpice Bruto.
Ille nec horrificam ſancto dimovit ab ore
Cæſariem, duróque admiſit gaudia vultu:
(Ut primùm tolli feralia viderat arma,
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mœſtámque genis increſcere barbam.
Uni quippe vacat ſtudiſtque odiſſque carenti,
Humanum lugere genus) nec fœdera priſci
Sunt tentata tori; juſto quoque robur amori
Reſtitit. hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, ſervare modum, finémque tenere,
Naturámque ſequi, patriæque impendere vitam;
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulæ, viciſſe famem: magníque penates
Submoviſſe hyemem tecto: pretioſáque veſtis,
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam: Veneríſque huic maximus uſus,
Progenies; Urbi pater eſt, Urbíque maritus:
Juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti:
In commune bonus: nullóſque Catonis in actus
Subrepſit,

Subrepſit, partémque tulit ſibi unta voluptas.
Interea trepido diſcedens agmine Magnus,
Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.
Hæc placuit belli ſedes, hinc ſumma moventis
Hoſtis in occurſum ſparſàs extendere partes,
Umbroſis mediam quà collibus Appenninus
Erigit Italiam, nullo quà vertice tellus
Altiùs intumuit, propiúſque acceſſit Olympo.
Mons inter geminas medius ſe porrigit undas
Inferni Superſque maris: collétique coërcent
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vaſtis immenſos concipit amnes,
Fluminàque in gemini ſpargit divortia ponti.
In lævum cecidere latus, velóxque Metaurus;
Cruſtumiúmque rapax, & junctus Itapis Hauro,
Sennáque & Adriacas qui verberat Aufidus undas:
Quóque magis nullum tellus ſe ſolvit in amnem,
Eridanus, fractáſque evolvit in æquora ſylvas,
Heſperiámque exhaurit aquis. Hunc fabula primum
Populeâ fluvium ripas umbráſſe coronâ:
Cúmque diem pronum tranſverſo limite ducens,
Succendit Phaëthon flagrantibus æthera loris.
Gurgitibus raptis penitus tellure perustâ,
Hunc habuiſſe pares Phœbeis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, ſi non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus ſtagnaret arenas.
Non minor hic Iſtro, niſi quòd, dum permeat orbem
Iſter, caſuros in quælibet æquora fontes
Accipit, & Scythicas exit non ſolus in undas.
Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Unda facit Rutubámque cavum. delabitur indè
Vulturnúſque celer, noctúrnæque editor auræ
Sarnus, & umbroſæ Liris per regna Maricæ
Veſtinis impulſus aquis, radénſque Salerni
Culta Siler, nulláſque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ procurrit in æquora Lunæ.
Longior educto quà ſurgit in æra dorſo,
Gallica rura videt, deverſáſque excipit Alpes.
Tunc umbris Marſíſque ferax, domitúſque Sabello
Vomere piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deſerit antè
Heſperiam, quàm cùm Scyllæis clauditur antris,
Extendítque ſuas in templa Lacinia rupes,
Longior Italiâ, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terráſque repelleret æquor.
At poſtquam gemino tellus eliſa profundo eſt,
Extremi colles Siculo ceſſere Peloro.
Cæſar in arma furens, nullas niſi ſanguine fuſo
Gaudet habere vias, quòd non terat hoſte vacantes
Heſperiæ fines, vacuóſque irrumpat in agros,
Atque ipſum non perdat iter, conſertáque bellis
Bella gerat; non tam portas intrare patentes
Quàm fregiſſe juvat: nec tam patiente colono
Arva premi, quàm ſi ferro populetur, & igni.
Concelsâ pudet ire viâ, civémque videri.
Tunc urbes Latii dubiæ, varióque favore
Ancipites, quanquàm primo terrore ruentis
Ceſſuræ belli, denſo tamen aggere firmant
Mœnia, & abrupto circumdant undique vallo:
Saxorúmque orbes, & quæ ſuper eminus hoſtem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.
Pronior in Magnum populus, pugnaque minaci
Cum terrore fides: ut cum mare pollidet Auſter
Flatibus horriſonis, hunc æquora tota ſequuntur:
Si rurſus tellus pulſu laxata tridentis
Æolii, tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Æquora, nubiferóque polus cùm ceſſerit Euro,
Vendicat unda notum. Facilis ſed vertere mentes
Terror erat, dubiámque fidem fortuna ferebat.
Gens Hetruſca fugâ trepidi nudata Libonis,
Júſque ſui pulſo jam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auſpiciis civilia bella paternis
Cæſaris audito converſus nomine Sylla.
Varus, ut admotæ pulſárunt Auximon alæ,
Per diverſa ruens neglecto mœnia tergo,
Quà ſylvæ, quà ſaxa, fugit, depellitur arce
Lentulus Eſculeâ, victor cedentibus inſtat,
Deverſítque acies; ſolúſque ex agmine tanto
Dux fugit, & nullas ducentia ſigna cohortes.
Tu quoque nudatam communiſſe deſeris arcem
Scipio Luceriæ: quamquam fortiſſima pubes
His ſedeat caſtris, jampridem Cæſaris armis
Parthorum ſubducta metu: quâ Gallica damna
Supplevit Magnus, dúmque ipſe ad bella vocaret,
Donavit ſocero Romani ſanguinis uſum.
At te Corfini validis circundata muris
Tecta tenent pugnax Domiti. tua claſſica ſervat
Oppontus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul immenſam campo conſurgere nubem,
Ardentéque acies percuſſis ſole coruſco
Conſpexit telis, Socii decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undæque immergite pontem.
Et tu montanis totus nunc fontibus exi,
Atque omnes trahe gurges aquas, ut ſpumeus alnos
Diſcuſsâ compage feras. hôc limite bellum
Hæreat, hâc hoſtis lentus terat otia ripâ.
Præcipitem cohibete ducem: victoria nobis
Hic primùm ſtans Cæſar erit. nec plura locutes,
Devolvit rapidum nequicquam mœnibus agmen.
Nam prior è campis, ut conſpicit amne ſoluto
Rumpi Cæſar iter, calidâ prolatus ab irâ,
Non ſatis eſt muris latebras quæſiſſe pavori?
Obſtruitis campos, fluviis arcere paratis,
Ignavi; non ſi tumido me gurgite Ganges
Summoveat, ſtabit jam flumine Cæſar in ullo,
Poſt Rubiconis aquas. equitum properate caterva:
Ite ſimul pedites: ruiturum aſcendite pontem.
Hæc ubi dicta, levis totas accepit habenas
In campum ſonipes: crebróque ſimillima nimbo
Trans ripam validi torſerunt tela lacerti.
Ingreditur pulſâ fluvium ſtatione vacantem
Cæſar, & ad tutas hoſtis compellitur arces.
Et jam moturas ingentia pondera turres,
Erigit, & mediis ſubrepſit vinea muris.
Ecce, nefas belli, reſeratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civíſque ſuperbi
Conſtitit ante pedes, vultu tamen alta minaci
Nobilitas rectâ ferrum cervice poposcit.
Scit Cæſar pœnámque peti, veniámque timeri.
Vive, licèt nolis, & noſtro munere, dixit,
Cerne diem. victis jam ſpes bona partibus eſto,
Exemplúmque mei: vel, ſi libet, arma retenta;
Et nihil hâc veniâ, ſi viceris ipſe, paciſcor.
Fatur: & aſtrictis laxari vincula palmis
Imperat. Heu quanto meliùs vel cæde peractâ
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Pœnarum extremum civi, quòd caſtra ſecutus
Sit patriæ, Magnúmque ducem, totúmque Senatum,
Ignoſci. premit ille graves interritus iras:
Et ſecum: Romámne petes, paciſque receſſus
Degener? in medios belli non ire furores
Jamdudum morituræ paras? rue certus, & omnes
Lucis rumpe moras, & Cæſaris effuge munus.
Neſcius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut admixto firmaret robore partes.
Jamque ſecuturo juſſurus claſſica Phœbo,
Tentandáſque ratus moturi militis iras,
Alloquitur tacitas venerandâ voce cohortes:
O ſcelerum ultores, melioráque ſigna ſecuti:
O verè Romana manus: quibus arma Senatus
Non privata dedit, votis depoſcite pugnam.
Ardent Heſperii ſævis populatibus agri:
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes:
Jam tetigit ſanguis pollutos Cæſaris enſes.
Dî melius, belli tulimus quòd damna priores.
Cœperit indè nefas, jam jam me præſide Roma
Supplicium, pœnámque petat, neque enim iſta vocari
Prœlia juſta decet, patriæ ſed vindicis iram.
Nec magis hoc bellum eſt, quàm cùm Catilina paravit
Arſuras in tecta faces, ſociúſque furoris
Lentulus; exertíque manus veſana Cethegi.
O rabies miſeranda ducis! cùm fata Camillis
Te Cæſar, magníſque velint miſcere Metellis,
Ad Cinnas, Mariólque venis. iterare profectò,
Ut Catulo jacuit Lepidus, noſtráſque ſecures
Paſſus, Sicanio tegitur qui Carbo ſepulchro,
Quique feros movit Sertorius exul Iberos.
Quanquam, ſi qua fides, his te quoque jungere Cæſar
Invideo, noſtráſque manus quòd Roma furenti
Oppoſuit. Parthorum utinam poſt prœlia ſoſpes,
Et Scythicis Craſſus victor remeâſſet ab oris,
Ut ſimili cautâ caderes, quâ Spartacus hoſtis.
Te quoque ſi Superi titulis accedere noſtris
Juſſerunt, valet in torquendo dextera pilo:
Fervidus hæc iterum circa præcordia ſanguis
Incaluit: diſces non eſſe ad bella fugaces,

Qui

Qui pacem potuere pati. licèt ille ſolutum,
Defectúmque vocet, ne vos mea terreat ætas.
Dux ſit in his caſtris ſenior, dum miles in illis.
Quò potuit civem populus perducere liber:
Aſcendi, ſuprâque nihil niſi regna reliqui.
Non privata cupit, Romanâ quiſquis in urbe
Pompeiam trahere parat. hinc Conſul uterque,
Hinc acies ſtatura ducum, Cæſárne Senatûs
Victor erit? non tam cæco trahis omnia curſu,
Téque nihil Fortuna pudet. Multíſne rebellis
Gallia jam luſtris, ætáſque impenſa labori
Dant animos? Rheni gelidis quòd fugit ab undis,
Oceanúmque vocans incerti ſtagna profundi,
Territa quæſitis oſtendit terga Britannis?
An vanæ tumuere minæ, quòd fama furoris
Expulit armatam patriis è ſedibus urbem?
Heu demens, non te fugiunt, me cuncta ſequuntur:
Qui cùm ſigna tuli toto fulgentia ponto,
Antè bis exactum quàm Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Anguſtâque domum terrarum in ſede poposcit.
Idem per Scythici profugum divortia Ponti
Indomitum regem, Romanáque fata morantem,
Ad mortem, Syllâ felicior, ire coëgi.
Pars mundi mihi nulla vacat: ſed tota tenetur
Terra meis, quocúnque jacet ſub ſole, trophæis.
Hinc me victorem gelidas ad Phaſidos undas
Arctos habet: calidâ medius mihi cognitus axis
Ægypto, atque umbras nuſquam flectente Syene.
Occaſus mea jura timet, Tethynque fugacem
Qui ferit, Heſperius poſt omnia flumina Bætis.
Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, notíque erepto vellere Colchi.
Cappadoces mea ſigna timent, & dedita ſacris
Incerti Judæa Dei, molliſque Sophene.
Armenios, Cilicáſque feros, Tauróſque ſubegi.
Quod ſocero bellum, præter civile, reliqui?
Verba ducis nullo partes clamore ſequuntur,
Nec matura petunt promiſſæ claſſica pugnæ.
Senſit & ipſe metum Magnus; placuítque referri
Signa, nec in tanto diſcrimina mittere pugnæ
Jam victum famâ non viſi Cæſaris agmen.
Pulſus ut armentis primo certamine taurus
Sylvarum ſecreta petit, vacuóſque per agros
Exul in adverſis explorat cornua truncis;
Nec redit in paſtus, niſi cum cervice receptâ
Excuſſa placuere toti: mox reddita victor
Quos libet in ſaltus comitantibus agmina tauris
Invito paſtore trahit: ſic viribus impar
Tradidit Heſperiam, profugúſque per Appula rura
Brundufii tutas concedit Magnus in arces.
Urbs eſt Dictæis olim poſſeſſa colonis,
Quos Cretâ profugos vexere per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Theſea velis.
Hanc latus anguſtum jam ſe cogentis in arctum
Heſperiæ, tenuem producit in æquora linguam,
Adriacas flexis claudit quas cornibus undas.
Nec tamen arctis immiſſum faucibus æquor
Portus erat, ſi non violentos inſula Coros
Exciperet ſaxis, laſſáſque refunderet undas:
Hinc illinc montes ſcopuloſæ rupis aperto
Oppoſuit natura mari, ſtatúſque removit,
Ut tremulo ſtarent contenta ſune carinæ.
Hinc latè patet omne fretum, ſeu vela ferantur
In portus, Corcyra, tuos, ſeu læva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.
Huc fugæ nautarum cùm totas Adria vires
Movit, & in nubes abiere Ceraunia, cúmque
Spumoſo Calabet perfunditur æquore Saſon.
Ergo ubi nulla fides rebus poſt terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Cùm mediæ jacent immenſis tractibus Alpes:
Tunc ſobole è tantâ natum, cui firmior ætas,
Affatur. Mundi jubeo tentare receſſus.
Euphratem, Nilúmque move, quò nominis uſque
Noſtri fama venit, quas eſt vulgata per urbes
Poſt me Roma ducem: ſparſos per rura colonos
Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges,
Tigranémque meum, nec Pharnacis arma relinquas,
Admoneo, nec tu populos utráque vagantes
Armeniâ, Pontíque feras per litora gentes,
Rhipheíque manus, & quas tenet æquore denſo
Pigra palus Scythiæ patiens Mæotica plauſtri.
Et quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella feres, totóque urbes diffabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in caſtra triumphi.
At vos, qui Latios ſignatis nomine faſtos,
Primus in Epirum Boreas agat: indè per arva
Grajorum, Macedúmque novas acquirite vires:
Dum paci dat tempus hyems. Sic fatur: & omnes
Juſſa gerunt, ſolvúntque cavas à litore puppes.
At nunquam patiens pacis, longæque quietis
Armorum, de quid fatis mutare liceret,
Aſſequitur, generíque premit veſtigia Cæſar.
Sufficerent aliis primo tot mœnia curſu
Rapta, tot oppreſſæ dejectis hoſtibus arces:
Ipſa caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma cápi facilis: Sed Cæſar in omnia præceps,
Nil actum credens, dum quid ſupereſſet agendum,
Inſtat atrox: & adhuc, quamvis poſſederit omnem
Italiam, extremo ſedeat quòd litore Magnus,
Communem tamen eſſe dolet: nec rurſus aperto
Vult hoſtes errare freto, ſed molibus undas
Obſtruit, & latum dejectis rupibus æquor.
Cedit in immenſum caſtus labor: omnia pontus
Haurit ſaxa vorax, montéſque immiſcet arenis:
Ut maris Ægæi mediis ſi ceſſus in undas
Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Emineant, vel ſi convulſo vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus ſtagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit ſua pondera moles,
Tunc placuit cæſis innectere vincula ſylvis,
Roboráque immenſis latè religare catenis.
Tales fama canit tumidum ſuper æquora Xerxem
Conſtruxiſſe vias, multum cùm pontibus auſus,
Europámque Aſiæ, Seſtónque admovit Abydo,
Inceſſitque fretum rapidi ſuper Helleſponti,
Non Eurum, Zephyrúmque timens: cùm vela, ratéſque
In medium deferret Athon: ſic ora profundi
Arctantur caſu nemorum. tunc aggere multo
Surgit opus. longæque tremunt ſuper æquora turres.
Pompeius tellure novâ compreſſa profundi
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut referet pelagus, ſpargátque per æquora bellum.
Sæpe Noto plenæ, tenſíſque rudentibus actæ
Ipſa maris per clauſtra rates faſtigia molis
Diſcuſſere ſalo, ſpatiúmque dedere carinis:
Tortáque per tenebras validis ballиſta lacertis,
Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivæ placuere fugæ: ne litora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
Neu tuba præmonitos perducat ad æquora nautas,
Præcepit ſociis. Jam cœperat ultima Virgo
Phœbum laturas ortu præcedere Chelas,
Cùm taciti ſolvere rates. non anchora voces
Movit, dum ſpiſſis avellitur uncus arenis:
Dum juga curvantur mali, dúmque ardua pinus
Erigitur, pavidi claſſis ſiluere magiſtri:
Strictáque pandentes deducunt carbaſa nautæ,
Nec quatiunt validos, ne ſibilet aura, rudentes.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
Quam retinere vetas, liceat ſibi perdere ſaltem
Italiam. vix fata ſinunt, nam murmure valdo
Impulſum roſtris ſonuit mare, fluctuat unda,
Tótque carinarum permiſtis æquora ſulcis.
Ergo hoſtes portis, quas omnes ſolverat urbis
Cum fato converſa fides, muriſque receptis,
Præcipiti curſu flexi per cornua portûs
Ora petunt, pelagúſque dolent contingere claſſes.
Heu pudor, exigua eſt fugiens victoria Magnus.
Anguſtus puppes mittebat in æquora limes
Arctior Euboicâ, quâ Chalcida verberat, undâ.
Hîc hæſere rates geminæ, claſſíſque paratas
Excepere manus: tractóque in litora bello,
Hîc primùm rubuit civili ſanguine Nereus.
Cætera claſſis abit ſummis ſpoliata carinis:
Ut Pagaſæa ratis peteret cùm Phaſidos undas,
Cyaneas tellus emiſit in æquora cautes,
Raptâ puppe minor ſubducta eſt montibus Argo,
Vanáque percuſſit pontum Symplegas inanem,
Et ſtatura redit. jam Phœbum urgere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albáque nondum
Lux rubet, & flammas propioribus eripit aſtris,
Et jam Pleias hebet, feſſi jam plauſtra Bootæ
In faciem puri redeunt languentia cœli,
Majoréſque latent ſtellæ, calidúmque refugit
Lucifer ipſe diem. pelagus jam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quæ, cùm ſuper æquora toto

Præ-

Prædonem ſequerere mari. laſſata triumphis
Deſcivit fortuna tuis. cum conjuge pullus,
Et natis, totóſque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens populis comitantibus exul.
Quæritur indignæ ſedes longinqua ruinæ,
Non quia te Superi patrio privare ſepulchro
Maluerint: Phariæ buſto damnantur arenæ:
Parcitur Heſperiæ, procul hoc ut in orbe remoto
Abſcondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata ſui ſervetur ſanguine Magni.

LIBER TERTIUS.

PROPULIT ut claſſem velis cedentibus Auſter
Incumbens, mediúmque rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios ſpectabat navita fluctus:
Solus ab Heſperiâ non flexit lumina terrâ
Magnus, dum patrios portus, dum litora nunquam
Ad viſus reditura ſuos, tectúmque cacumen
Nubibus & dubios cernit vaneſcere montes.
Indè ſoporifero ceſſerunt languida ſomno
Membra ducis; diri tum plena horroris imago
Viſa caput mœſtum per hiantes Julia terras
Tollere, & accenſo furialis ſtare ſepulcro.
Sedibus Elyſiis, campóque expulſa piorum
Ad Stygias (inquit) tenebras, manéſque nocentes,
Poſt bellum civile trahor: vidi ipſa tenentes
Eumenidas, quaterent quas veſtris lampadas armis.
Præparat innumeras puppes Acherontis aduſti
Portitor: in multas laxantur Tartara pœnas.
Vix operi cunctæ dextrâ properante ſorores
Sufficiunt: laſſant rumpentes ſtamina Parcas.
Conjuge me lætos duxiſti, Magne triumphos:
Fortuna eſt mutata toris: ſempérque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos
Innupſit tepido pellex Cornelia buſto.
Hæreat illa tuis per bella, per æquora ſignis,
Dum non ſecuros liceat mihi rumpere ſomnos,
Et nullum veſtro vacuum ſit tempus amori,
Sed teneat Cæſárque dies, & Julia noctes.
Me non Lethææ, conjux, oblivia ripæ
Immemorem fecere tui, regéſque ſilentum
Permiſere ſequi. veniam te bella gerente,
In medias acies. nunquam tibi, Magne, per umbras,
Pérque meos manes generum non eſſe licebit.
Abſcindis fruſtra ferro tua pignora. bellum
Te faciet civile meum. Sic fata rèfugit
Umbra per amplexus trepidi dilapſa mariti.
Ille, Dei quamvis cladem, manéſque minentur,
Major in arma ruit, certâ cum mente malorum.
Et quid (ait) vani terremur imagine viſûs?
Aut nihil eſt ſenſûs animis à morte relictum,
Aut mors ipſa nihil. Titan jam pronus in undas
Ibat, & igniferi tantum demerſerat orbis,
Quantum deeſſe ſolet lunæ ſeu plena futura eſt,
Seu jam plena fuit: tunc obtulit hoſpita tellus
Puppibus acceſſus faciles: legere rudentes,
Et poſito remis petierunt litora malo.
Cæſar, ut emiſſas venti rapuere carinas,
Abſcondítque fretum claſſes, & litore ſolus
Dux ſtetit Heſperio, non illum gloria pulſi
Lætificat Magni: queritur, quòd tuta per æquor
Terga ferant hoſtes. Neque enim jam ſufficit ulla
Præcipiti fortuna viro: nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. tunc pectore curas
Expulit armorum, pacíque intentus agebat,
Quóque modo vanos populi conciret amores,
Gnarus & irarum cauſas, & ſumma favoris
Annonâ momenta trahi. namque aſſerit urbes
Sola fames, emitúrque metus, cùm ſegne potentes
Vulgus alunt. neſcit plebes jejuna timere.
Curio Sicanias tranſcendere juſſus in urbes,
Quà mare tellurem ſubitis aut obruit undis,
Aut ſcidit, & medias fecit ſibi litora terras.
Vis illic ingens pelagi, ſempérque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes:
Belláque Sardoas etiam ſparguntur in oras.
Utraque frugiferis eſt inſula nobilis arvis.
Nec plùs Heſperiam longinquis meſſibus ullæ,
Nec Romana magis complêrunt horrea terræ.
Ubere vix glebæ ſuperat, ceſſantibus Auſtris,
Cùm medium nubes Boreâ cogente ſub axem,
Effuſis magnum Libye tulit imbribus annum.
Hæc ubi ſunt proviſa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, ſed pacis habentia vultum,
Tecta petit patriæ, prò, ſi remeâſſet in urbem,
Gallorum tantùm populis, Arctóque ſubactâ,
Quam ſerium rerum longâ præmittere pompâ,
Quas potuit belli facies! ut vincula Rheno,
Oceanóque daret! celſos ut Gallia currus
Nobilis, & flavis ſequeretur miſta Britannis!
Perdidit ô qualem vincendo plura triumphum!
Non illum lætis vadentem cœtibus urbes,
Sed tacitæ videre metu, non conſtitit uſquam
Obvia turba duci: gaudet tamen eſſe timori
Tam magno populis, & ſe non mallet amari.
Jamque & præcipites ſuperaverat Anxuris arces,
Et quà Pontinas via dividit uda paludes,
Quà ſublime nemus, Scythicæ quà regna Dianæ;
Quáque iter eſt Latiis ad ſummam falcibus Albam:
Excelsâ de rupe procul jam conſpicit Urbem,
Arctoi toto non viſam tempore belli:
Miratúſque ſuæ, ſic fatur, mœnia Romæ:
Téne, Deûm ſedes, non ullo Marte coacti
Deſeruere viri! pro quâ pugnabitur urbe?
Dî melius, quòd non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit; nec junctо Sarmata velox
Pannonio, Daciſque Getes adminiſtus: habenti
Tam pavidum tibi Roma ducem Fortuna pepercit,
Quòd bellum civile fuit. Sic fatur, & Urbem
Attonitam terrore ſubit. Namque ignibus atris
Creditur, ut captæ rapturus mœnia Romæ,
Sparſurúſque deos. fuit hæc menſura timoris:
Velle putant, quodcunque poteſt. non omina feſta,
Non fictas læto voces imulare tumultu:
Vix odiſſe vacat. Phœbea palatia complet
Turba Patrum, nullo cogendi jure ſenatûs,
E latebris educta ſuis: non Conſule ſacræ
Fulſerunt ſedes: non proxima lege poteſtas
Prætor adeſt: vacuæque loco ceſſere curules.
Omnia Cæſar erat, privatæ Curia vocis
Teſtis adeſt. ſedere Patres cenſere parati,
Si regnum, ſi templa ſibi, jugulúmque Senatûs,
Exiliúmque petat. meliùs, quòd plura jubere
Erubuit, quàm Roma pati. tamen exit in iram
Viribus an poſſent obſiſtere jura per unum
Libertas experta virum. pugnáxque Metellus
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
Mole, rapit greſſus, & Cæſaris agmina rumpens,
Ante fores nondum reſeratæ conſtitit ædis
(Uſque adeò ſolus ferrum, mortémque timere
Auri neſcit amor. pereunt diſcrimine nullo
Amiſſæ leges: ſed pars viliſſima rerum
Certamen movitis opes) prohibénſque rapinæ
Victorem clarâ teſtatur voce Tribunus:
Non niſi per noſtrum vobis percuſſa patebunt
Templa latus, nullâſque feres, niſi ſanguine ſacro
Sparſas, raptor, opes. certè violata poteſtas
Invenit iſta Deos, Craſſúmque in bella ſecutæ
Sæva tribunitiæ noverunt prœlia diræ.
Detege jam ferrum, neque enim tibi turba verenda eſt
Spectatrix ſcelerum: deſertâ ſtamus in Urbe.
Non feret à noſtro ſceleratus præmia miles:
Sunt quos proſternas populi, quæ mœnia dones.
Pacis ad exhauſtæ ſpolium non cogit egeſtas:
Bellum Cæſar habes. His magnam victor in iram
Vocibus accenſus: Vanam ſpem mortis honeſtæ
Concipis: haud (inquit) jugulo ſe polluat iſto
Noſtra, Metelle, manus. dignum te Cæſaris irâ
Nullus honor faciet. te vindice tuta relicta eſt
Libertas? non uſque adeò permiſcuit imis
Longus ſumma dies, ut, non ſi voce Metelli
Serventur leges, malint à Cæſare tolli.
Dixerat: & nondum foribus cedente Tribuno
Acrior ira ſubit: ſævos circumſpicit enſes,
Oblitus ſimulare togam. tum Cotta Metellum
Compulit audaci nimiùm deſiſtere cœpto.
Libertas, inquit, populi quem regna coërcent,
Libertate perit; cujus ſervaveris umbram,
Si, quicquid jubeare, velis. tot rebus iniquis
Paruimus victi: venia eſt hæc ſola pudoris,
Degeneréſque metûs, nil jam potuiſſe negari.
Ocyus avertant diri mala ſemina belli.
Damna movent populos, ſi quos ſua jura tuentur.
Non ſibi, ſed domino gravis eſt, quæ ſervit, egeſtas.
Protinus abducto patuerunt templa Metello.

Tunc

Tunc rupes Tarpeja ſonat, magnoque reclusas
Teſtatur ſtridore fores: tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi præda Philippi:
Quod tibi, Roma, fugâ Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores ſervâſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum,
Victorſque dedit Minoïa Creta Metello,
Quod Cato longinquâ vexit ſuper æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata eſt gaza triumphis,
Egeritur: triſti ſpoliantur templa rapinâ;
Pauperiórque fuit tunc primùm Cæſare Roma.
Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum caſuras in prœlia moverat urbes.
Proxima vicino vires dat Græcia bello.
Phocaïcus Amphiſſa manus, ſcopuloſâque Cyrrha,
Parnaſſúſque jugo miſit deſertus utroque.
Bœoti coiere duces, quos impiger ambit
Fatidicâ Cephiſſos aquâ, Cadmeáque Dirce,
Pitææque manus, populíſque per æquora mittens
Sicaniis Alpheus aquas; tunc Mænala liquit
Arcas, & Herculeam miles Trachinius OEten.
Theſproti, Dryopéſque ruunt, quercúſque ſilentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.
Exhauſit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes,
Tréſque petunt veram credi Salamina carinæ.
Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnoſſâſque agitare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna ſagittis.
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, & vagus altis
Diſperſus ſylvis Athamas, & nomine priſco
Encheliæ verſi teſtantes funera Cadmi.
Colchis, & Adriacas ſpumans Abſyrtos in undas,
Et Penei qui rura colunt, quorúmque labore
Theſſalus Æmoniam vomer proſcindit loicon.
Indè laceſſitum primò mare, cùm rudis Argo
Miſcuit ignotas temerato litore gentes,
Primáque cum ventis, pelagíque furentibus undis
Compoſuit mortale genus, fatíſque per illam
Acceſſit mors una ratem. tunc linquitur Æmus
Thracius, & populum Pholoë mentita biformem.
Deſeritur Strymon tepido committere Nilo
Biſtonias conſuetus aves, & barbara Conc,
Sarmaticas ubi perdit aquas, ſparſámque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Iſtri:
Myſiáque & gelido tellus perfuſa Caïco
Idalis, & nimiùm glebis exilis Arisbe.
Quíque colunt Pitanen, & quæ tua munera Pallas
Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ:
Quà celer erectis deſcendens Marſya ripis
Errantem Mæandron adit, miſtúſque refertur:
Paſſáque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon: quà culta ſecat non vilior Hermus.
Iliacæ quoque ſigna manus, peritoráque caſtra
Ominibus petiere ſuis: nec fabula Trojæ
Continuit, Phrygíſque ferens ſe Cæſar Iuli.
Accedunt Syriæ populi, deſertus Orontes,
Et felix, ſic fama, Ninos: ventoſa Damaſcos
Gazáque, & arbuſto palmarum dives Idume.
Et Tyros inſtabilis, pretioſáque murice Sidon,
Has ad bella rates non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit Cynoſura carinis.
Phœnices primi, famæ ſi creditur, uſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & ſaxis tantùm, volucréſque feræque,
Sculptáque ſervabant magicas animalia linguas.
Deſeritur Taurſque nemus, Perſæáque Tarſos.
Coriciúmque patens exeſis rupibus antrum,
Mallos, & externæ reſonant navalibus Ægæ.
Itque Cilix juſtâ jam non pirata carinâ.
Movit & Eoos bellorum fama receſſus,
Quà colitur Ganges, toto qui ſolus in orbe
Oſtia naſcenti contraria ſolvere Phœbo
Audet, & adverſum fluctus impellit in Eurum:
Hic ubi Pellæus poſt Tethyos æquora ductor
Conſtitit, & magno vinci ſe faſſus ab orbe eſt.
Quáque ferens rapidum diviſo gurgite fontem
Vaſtis Indus aquis miſtum non ſentit Hydaſpen:
Quíque bibunt tenerâ dulces ab arundine ſuccos,
Et qui cingentes crocco medicamine crinem
Fluxa coloratis aſtringunt carbaſa gemmis.
Quíque ſuas ſtruxere pyras, vivíque calentes
Conſcendere rogos. prò! quanta eſt gloria genti
Injeciſſe manum fatis, vitâque repletos,
Quod ſupereſt, donâſſe deis! Venere feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani,
Armeniúſque tenens volventem ſaxa Niphatem:
Æthera tangentes ſylvas liquere Coaſtræ.
Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras,
Tunc furor extremos movit Romanus Oloſtras,
Carmanóſque duces, quorum devexus in Auſtrum
Æther, non totam mergi tamen aſpicit Arcton.
Lucet & exiguâ velox ibi nocte Bootes.
Æthiopúmque ſolum quod non premeretur ab ullâ
Signiferi regione poli, niſi poplite lapſo
Ultima curvati procederet ungula Tauri.
Quáque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diverſis fontibus edit
Perſis, & incertum, tellus ſi miſceat amnes,
Quod potius ſit nomen aquis. ſed ſparſus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ;
At Tigrim ſubito tellus abſorbet hiatu,
Occultóſque tegit curſus, rurſúſque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
Inter Cæſareas acies, diverſáque ſigna
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,
Contenti feciſſe duos. tinxere ſagittas
Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vaſtíſque Hyrcania ſylvis.
Hinc Lacedæmonii moto gens aſpera fræno
Heniochi, ſæviſque affinis Sarmata Moſchis,
Colchorum quà rura ſecat ditiſſima Phaſis:
Qua Cræſo fatalis Halys, quà vertice lapſus
Rhiphæo Tanais diverſi nomina mundi
Impoſuit ripis, Aſiæque, & terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ,
Nunc hunc, nunc illum, quà flectitur, ampliat orbem.
Quáque fretum torrens Mæotidos egerit undas
Pontus, & Herculeis aufertur gloria metis,
Oceanúmque negat ſolas admittere Gades.
Hinc & Sithoniæ gentes, auróque ligatas
Subſtringens Arimaſpe comas: hinc fortis Arius,
Longáque Sarmatici ſolvens jejunia belli
Maſſagetes quo fugit equo; volucréſque Geloni.
Non, cùm Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus; & effuſis numerato milite telis
Deſcendit Perſes; fraterníque ultor amoris
Æquora cùm tantis percuſſit claſſibus, unum
Tot reges habuere ducem. coiere nec unquam
Tam variæ cultu gentes, tam diſſona vulgi
Ora. tot immenſæ comites miſtura ruinæ
Excivit populos, & dignas funere Magni
Exequias Fortuna dedit. non corniger Ammon
Mittere Marmaricas ceſſavit in Arma catervas:
Quicquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
Uſque Parætonias Eos ad litora Syrtes.
Acciperet felix ne non ſemel omnia Cæſar,
Vincendum pariter Pharſalia præſtitit orbem.
Ille ubi deſeruit trepidantis mœnia Romæ,
Agmine nubiferam rapto ſuperevolat Alpem:
Cúmque alii famæ populi terrore paverent,
Phocaïs in dubiis auſa eſt ſervare juventus
Non Graiâ levitate fidem, fignatáque jura,
Et cauſas, non fata ſequi. tamen antè furorem
Indomitum, durámque viri deflectere mentem
Pacifico ſermone parant, hoſtémque propinquum
Orant Cecropiæ prælatâ fronde Minervæ.
Semper in externis populo communia veſtro
Maſſiliam bellis teſtatur fata tuliſſe,
Comprenſa eſt Latiis quæcunque annalibus ætas.
Et nunc, ignoto ſi quos petis orbe triumphos,
Accipe devotas externa in prœlia dextras.
At ſi funeſtas acies, ſi dira paratis
Prœlia diſcordes, lacrymas civilibus armis
Secretúmque damus. tractentur vulnera nullâ
Sacra manu. ſi cœlicolis furor arma dediſſet,
Aut ſi terrigenæ tentarent aſtra gigantes;
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodeſſe Jovi: ſortíſque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantùm
Sciret adhuc cœlo ſolum regnare Tonantem.
Adde quòd innumeræ concurrunt undique gentes,

Nec ſic horret iners ſceleruм contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
Sit mens iſta quidem cunctis, ut veſtra recuſent
Fata, nec hæc alius committat prœlia miles.
Cui non conſpecto languebit dextra parente?
Telâque diverſi prohibebunt ſpargere fratres.
Finis adeſt rerum, ſi non committitis illis
Arma, quibus fas eſt. nobis hæc ſumma precandi,
Terribiles aquilas, infeſtâque ſigna relinquas
Urbe procul, noſtrîſque velis te credere muris,
Excludſque ſinas admiſſo Cæſare bellum.
Sit locus exceptus ſceleri, Magnóque tibſque
Tutus, ut invictæ fatum ſi conſulat Urbi,
Fœdera ſi placeant, ſit quò veniatis inermes.
Vel, cùm tanta vocent diſcrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta ſumus: nunquam felicibus armis
Uſa manus patriæ primis à ſedibus exul,
Et poſt tralatas exuſtæ Phocidos arces,
Mœnibus exiguis alieno in litore tuti,
Illuſtrat quos ſola fides. ſi claudere muros
Obſidione paras, & vi perfringere portas,
Excepiſſe faces tectis, & tela parati,
Undarum raptos averſis fontibus hauſtus
Quærere, & effoſſam ſitientes lambere terram:
Et deſit ſi larga Ceres, tunc horrida cerni,
Fœdâque contingi maculato carpere morſu.
Nec pavet hic populus pro libertate ſubire,
Obſeſſum Pœno geſſit quod Marte Saguntum.
Pectoribus rapti matrum fruſtrâque trahentes
Ubera ſicca fame medios mittentur in ignes:
Uxor & à caro poſcet ſibi fata marito.
Vulnera miſcebunt fratres, bellúmque coacti
Hoc potius civile gerent. Sic Graia juventus
Finierat: cùm turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem teſtata eſt voce dolorem.
Vana movet Graios noſtri fiducia curſûs,
Quamvis Heſperium mundi properemus ad axem,
Maſſiliam delere vacat. gaudete cohortes:
Obvia præbentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, niſi robora denſæ
Occurrant ſylvæ, ſpatio diffuſus inani:
Utque perit magnus nullis obſtantibus ignis,
Sic hoſtes mihi deeſſe nocet: damnúmque putamus
Armorum, niſi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed ſi ſolus eam dimiſſis degener armis,
Tunc mihi tecta patent. jam non excludere tantùm,
Incluſiſſe volunt. at enim contagia belli
Dira fugant, dabitis pœnas pro pace petitâ:
Et nihil eſſe meo diſcetis tutius ævo,
Quàm duce me bellum. Sic poſtquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter: tum mœnia clauſa
Conſpicit; & denſâ juvenum vallata coronâ.
Haud procul à muris tumulus ſurgentis in altum
Telluris, parvum diffuſo vertice campum
Explicat: hæc patiens longo munimine cingi
Viſa duci rupes, tutiſque aptiſſima caſtris.
Proxima pars urbis celſam conſurgit in arcem
Par tumulo, mediſque ſedent convallibus arva.
Tunc res immenſo placuit ſtatura labore,
Aggere diverſos vaſto committere colles.
Sed prius ut totam, quâ terrâ cingitur, urbem
Clauderet, à ſummis perduxit ad æquora caſtris
Longum Cæſar opus, foutéſque & pabula campi
Amplexus foſſâ, denſas tollentia pinnas
Ceſpitibus, crudâque extruxit brachia terrâ.
Jam ſatis hoc Graiæ memorandum contigit urbi,
Æternúmque decus, quod non impulſa, nec ipſo
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Præcipitem curſum: raptiſque à Cæſare cunctis,
Vincitur una morâ! quantum eſt, quòd fata tenentur.
Quódque virum toti properans imponere mundo
Hos perdit Fortuna dies! tunc omnia latè
Procumbunt nemora, & ſpoliantur robore ſylvæ:
Ut, cùm terra levis mediam virgultâque molem
Suſpendant, ſtructâ laterum compage ligatam
Arcêet humum, preſſus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas altè ſummotis ſolibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorúmque potentes
Sylvani Nymphæque tenent, ſed barbara ritu
Sacra deûm, ſtructæ ſacris feralibus aræ
Omnis & humanis luſtrata cruoribus arbos.
Si qua fidem meruit Superos mirata vetuſtas,
Illis & volucres metuunt inſiſtere ramis,
Et luſtris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit ſylvas, excuſſâque nubibus atris
Fulgura non ullis frondem præbentibus auris,
Arboribus ſuus horror ineſt. tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, ſimulacráque mœſta deorum
Arte carent, cæſſſque extant informia truncis.
Ipſe ſitus, putrſque facit jam robore pallor
Attonitos: non vulgatis ſacrata figuris
Numina ſic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant non nôſſe deos. jam fama ferebat
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum conſurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia ſylvæ,
Roboráque amplexos circumfluxiſſe dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere deis. medio cùm Phœbus in axe eſt,
Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipſe ſacerdos
Acceſſus, dominúmque timet deprendere luci.
Hanc jubet immiſſo ſylvam procumbere ferro:
Nam vicina operi, bellóque intacta priori
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes.
Sed fortes tremuere manus, motſque verendâ
Majeſtate loci, ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecures.
Implicitas magno Cæſar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Auſus, & aëriam ferro proſcindere quercum,
Effatur merſo violata in robora ferro:
Jam ne quis veſtrûm dubitet ſubvertere ſylvam,
Credite me feciſſe nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non ſublato ſecura pavore
Turba, ſed expenſâ Superorum, & Cæſaris irâ.
Procumbunt orni, nodoſa impellitur ilex,
Sylváque Dodones, & fluctibus aptior alnus,
Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus,
Tunc primùm poſuere comas, & fronde carentes
Admiſere diem: propulſáque robore denſo
Suſtinuit ſe ſylva cadens, gemuere videntes
Gallorum populi: muris ſed clauſa juventus
Exultat. quis enim læſos impune putaret
Eſſe Deos? ſervat multos Fortuna nocentes:
Et tantùm miſeris iraſci numina poſſunt.
Utque ſatis cæſum nemoris, quæſita per agros
Plauſtra ferunt: curvóque ſoli ceſſantis aratro
Agricolæ raptis annum flevere juvencis.
Dux tamen impatiens hæſuri ad Mœnia Martis
Verſus ad Hiſpanas acies, extremáque mundi,
Juſſit bella geri. ſtellatis axibus agger
Erigitur, geminâſque æquantes mœnia turres
Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum causâ repſere latenti.
Cùm tantum nutaret onus, telluris inanes
Concuſſiſſe ſinus quærentem erumpere ventum
Credidit, & muros mirata eſt ſtare juventus.
Illinc tela cadunt excelſas urbis in arces.
Sed major Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat. neque enim ſolis excuſſa lacertis
Lancea, ſed tenſo balliſtæ turbine rapta,
Haud unum contenta latus tranſire, quieſcit:
Sed pandens pérque arma viam, pérque oſſa, relictâ
Morte fugit: ſupereſt telo poſt vulnera curſus.
At ſaxum quoties ingenti ponderis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abſcidit impulſu ventorum adjuta vetuſtas,
Frangit cuncta ruens: nec tantùm corpora preſſa
Exanimat: totos cum ſanguine diſſipat artus.
Ut tamen hoſtiles denſâ teſtudine muros
Tecta ſubit virtus, armíſque innexa priores
Arma ferunt, galeámque extenſus protegit umbo,
Quæ priùs ex longo nocuerunt miſſa recuſſu,
Jam poſt terga cadunt: nec Graiis flectere jactum,
Aut facilis labor eſt longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum: ſed pondere ſolo
Contenti, nudis evolvunt ſaxa lacertis.
Dum fuit armorum ſeries, ut grandine tecta
Innocuâ percuſſa ſonant, ſic omnia tela
Reſpuit: at poſtquam virtus incenſa virorum
Perpetuam rupit defeſſo milite cratem;
Singula continuis ceſſerunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terrâ,
Sub cujus plateis, & tectâ fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro

Mœnia: nunc aries ſuſpenſo fortior ictu
Incuſſus denti compagem ſolvere muri
Tentat, & impoſitis unum ſubducere ſaxis.
Sed ſupèr & flammis, & magnæ fragmine molis,
Et ſudibus crebris, & aduſti roboris ictu
Percuſſæ cedunt crates, fruſtráque labore
Exhauſto ſeſſus repetit tentoria miles.
Summæ fuit Graiis ſtarent ut mœnia voti.
Ultro acies inferre parant: armiſque coruſcas
Nocturni texere faces: audáxque juventus
Erupit: non haſta viris, non letifer arcus,
Telum flamma fuit, rapiénſque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina curſu.
Nec quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: tedâ ſed raptus ab omni
Conſequitur nigri ſpatioſa volumina fumi:
Nec ſolum ſylvas: ſed ſaxa ingentia ſolvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, majórque jacens apparuit agger.
Spes victis telluris abit, placuiſtque profundo
Fortunam tentare mari. non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, & qualis procumbit montibus arbor,
Conferitur ſtabilis navalibus arca bellis.
Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite claſſis,
Stœchados arva tenens. nec non & Graia juventus
Omne ſuum fatis voluit committere robur:
Grandævóſque ſenes miſtis armavit ephebis.
Accepit non ſola viros, quæ ſtabat in undis
Claſſis: & emeritas repetunt navalibus alnos.
Ut matutinos ſpargens ſuper æquora Phœbus
Fregit aquis radios, & liber nubibus æther,
Et poſito Boreâ, pacémque tenentibus Auſtris,
Servatum bello jacuit mare, movit ab omni
Quiſque ſuam ſtatione ratem, paribúſque lacertis
Cæſaris hinc pubes, hinc Graio remige claſſis
Tollitur: impulſæ touſis tremuere carinæ,
Crebráque ſublimes convellunt verbera puppes:
Cornua Romanæ claſſis, validæque triremes,
Quáſque quater ſurgens extructi remigis ordo
Commovet, & plures quæ mergunt æquore pinus,
Multiplices cin[illegible] rates. hoc robur aperto
Oppoſitum pelago. lunatâ fronde recedunt,
Ordine contentæ gemino creviſſe liburnæ.
Celſior at cunctis Bruti Prætoria puppis
Verberibus ſenis agitur, molémque profundo
Invehit, & ſummis longè petit æquora remis.
Ut tantum medii fuerat maris, utraque claſſis
Quod ſemel excuſſis poſſet tranſcurrere touſis,
Innumeræ vallo miſcentur in æthere voces:
Remorúmque ſonus premitur clamore: nec ullæ
Audiri potuere tubæ. tum cærula verrunt,
Atque in tranſtra cadunt, & remis pectora pulſant.
Ut primùm roſtris crepuerunt obvia roſtra:
In puppim rediere rates, emiſſáque tela
Aëra texerunt, vacuúmque cadentia pontum.
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diverſæque rates laxatâ claſſe receptæ.
Ut quoties æſtus Zephyris, Euriſque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare: ſic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, hæc reppulit æquor.
Sed Graiis habiles, pugnámque laceſſere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Curſum, nec tardè flectenti cedere clavo.
At Romana ratis ſtabilem præbere carinam
Certior, & terræ ſimilem bellantibus uſum.
Tunc in ſigniferâ reſidenti puppe magiſtro
Brutus ait, paterſſne acies errare profundo?
Artibus & certas pelagi? jam confere bellum:
Phocaïcis medias roſtris oppone carinas.
Paruit, obliquas & præbuit hoſtibus alnos.
Tunc quæcunque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa ſuo, percuſſæ capta cohæſit.
Aſt alias manicæque ligant, teretéſque catenæ,
Séque tenent remis: tecto ſtetit æquore bellum.
Jam non excuſſis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro:
Miſcentúrque manus. navali plurima bello
Enſis agit, ſtat quiſque ſuæ de robore puppis
Pronus in adverſos ictus: multíque perempti
In ratibus cecidere ſuis. cruor altus in undis
Spumat, & obducto concreſcunt ſanguine fluctus.

Et quas immiſſi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conferta cadavera puppes.
Semianimes alii vaſtum ſubiere profundum,
Hauſerúntque ſuo permiſtum ſanguine pontum.
Hi luctantem animam lentâ cum morte trahentes,
Fractarum ſubitâ ratium periere ruinâ.
Irrita tela ſuas peragunt in gurgite cædes:
Et quodcunque cadit fruſtrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaïcis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum, lævúmque tuetur
Æquo Marte latus: cujus dum pugnat ab altâ
Puppe Tagus, Graiúmque audax apluſtre retentat,
Terga ſimul pariter miſſis & pectora telis
Tranſigitur. medio concurrit pectore ferrum,
Et ſtetit incertus flueret quo vulnere ſanguis;
Donec utraſque ſimul largus cruor expulit haſtas,
Diviſitque animam, ſparſitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miſeri quoque dextra Telonis,
Quâ nullam meliùs, pelago turbante, carinæ
Audivere manum: nec lux eſt notior ulli
Craſtina, ſeu Phœbum videat, ſeu cornua Lunæ,
Semper venturis componere carbaſa ventis.
Hic Latiæ roſtro compagem ruperat alni:
Pila ſed in medium venere trementia pectus,
Averſitque ratem morientis dextra magiſtri.
Dum cupit in ſociam Gyareus erumpere puppim,
Excipit immiſſum ſuſpenſa per ilia ferrum,
Affixúſque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fœcundæ gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viſcera fatis:
Diſcrevit mors ſæva viros: unúmque relictum
Agnórunt miſeri, ſublato errore, parentes,
Æternis cauſam lacrymis: tenet ille dolorem
Semper, & amiſſum fratrem lugentibus offert.
Quorum alter, miſtis obliquo pectine remis
Auſus Romanæ Graiâ de puppe carinæ,
Injectare manum: ſed eam gravis inſuper ictus
Amputat: illa tamen nixu quo prenderat, hæſit,
Diriguíſque tenens ſtrictis immortua nervis.
Crevit in adverſis virtus: plus nobilis iræ
Truncus habet; fortíque inſtaurat prælia lævâ,
Rapturúſque ſuam procurrit in æquora dextram:
Hæc quoque cum toto manus eſt abſciſſa lacerto.
Jam clypeo, telíſque carens, non conditur imâ
Puppe, ſed expoſitus, fraternáque pectore nudo
Arma tegens crebrâ confixus cuſpide perſtat:
Telâque multorum leto caſture ſuorum
Emeritâ jam morte tenet, tum vulnere multo
Effugientem animam laſſos collegit in artus:
Membráque contendit toto quicunque manebat
Sanguine, & hoſtilem, defectis robore membris,
Inſiluit, ſolo nociturus pondere, puppim.
Strage virûm cumulata ratis, multóque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At poſtquam ruptis pelagus compagibus hauſit,
Ad ſummos repleta foros, deſcendit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.
Æquora diſcedunt mersâ diducta carinâ,
Inque locum puppis cecidit mare. Multáque ponto
Præbuit illa dies varii miracula fati.
Ferrea dum puppi rapidos manus inſerit uncos,
Affixit Lycidam. merſus foret ille profundo,
Sed prohibent ſocii, ſuſpenſáque crura retentant.
Scinditur avulſus: nec, ſicut vulnere, ſanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
Diſcurſúſque animæ diverſa in membra meantis
Interceptus aquis, nullius vita perempti
Eſt tantâ dimiſſa viâ: pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus:
At tumidus quâ pulmo jacet, quâ viſcera fervent,
Hæſerunt ibi fata diu: luctatáque multùm
Hâc cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
Dum nimiùm pugnax unius turba carinæ
Incumbit prono lateri, vacuámque relinquit,
Quâ caret hoſte, ratem: congeſto pondere puppis
Verſa, cavâ texit pelagus, nautáſque carinâ:
Brachia nec licuit vaſto jactare profundo,
Sed clauſo periere mari. Tunc unica diri
Conſpecta eſt leti facies, cùm forte natantem
Diverſæ roſtris juvenem fixere carinæ.
Diſceſſit medium tam vaſtos pectus ad ictus:
Nec prohibere valent obtritis oſſibus artus,
Quò minùs æra ſonent, eliſo ventre, per ora

Et cælat faniem permiſſus viſcere ſanguis.
Poſtquam inhibent remis puppes, ac roſtra recedunt,
Diſſectum in pelagus perfoſſo pectore corpus
Vulneribus tranſmiſit aquas. pars maxima turbæ
Naufraga, jactatis morti oblucta lacertis,
Puppis ad auxilium ſociæ concurrit: at illi
Roſtra cum vetitis prenſarent altiùs uluis,
Nutarétque ratis populo peritura recepto:
Impia turba ſuper medios ferit enſe lacertos:
Brachia linquentes Graiâ pendentia puppe,
A manibus cecidere ſuis: non ampliùs undæ
Suſtinuere graves in ſummo gurgite truncos.
Jámque omni fulis nudato milite telis,
Invenit arma furor: remum contorſit in hoſtem
Alter: at hi tortum validis apluſtre lacertis,
Avulſáſque rotant excuſſo remige ſedes.
In pugnam fregere rates. fidentia peſſum
Corpora cæſa tenent, ſpoliántque cadavera ferro.
Multi inopes teli, jaculum letale revulſum
Viſceribus traxere ſuis, & vulnera lævâ
Oppreſſere manu, validos dum præbent ictus
Sanguis, & hoſtilem cùm torſerit, exeat, haſtam.
Nulla tamen plures hôc edidit æquore clades
Quàm pelago diverſa lues. nam pinguibus ignis
Affixus tedis, & tecto ſulfure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquidâ rapuere incendia cerâ.
Nec flammas ſuperant undæ. ſparſíſque per æquor
Jam rotibus, fragmenta terus ſibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter leti, mors una timori eſt,
Quâ cœpere mori. Nec ceſſat naufraga virtus.
Tela legunt dejecta mari, ratibúſque miniſtrant:
Incertáſque manus ictu languente per undas
Exercent. nunc rara datur ſi copia ferri,
Utuntur pelago. ſævus complectitur hoſtem
Hoſtis, & implicitis gaudent ſubſidere membris,
Mergentéſque mori. Pugnâ fuit unus in illâ
Eximius Phoceus animam ſervare ſub undis,
Scrutarſque fretum ſi quid merſiſſet arenis,
Et nimis affixos unci convellere morſus,
Adductum quoties non ſenſerat ancora funem.
Hic ubi compreſſum penitus deduxerat hoſtem,
Victor & incolumis ſummas remeabat in undas.
Sed ſe per vacuos credit dum ſurgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandémque ſub æquore manſit.
Hi ſuper hoſtiles jecerunt brachia remos,
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit, multus ſua vulnera puppi
Affixit moriens, & roſtris abſtulit ictus.
Stantem ſublimi Tyrrhenum culmine proræ
Lygdamus excuſſâ Balearis tortor habenæ
Glande petens, ſolido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulſi, poſtquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi; ſtat lumine rapto
Attonitus, mortíſque illas putat eſſe tenebras.
At poſtquam membris ſenſit conſtare vigorem,
Vos, ait, ô ſocii, ſicut tormenta ſoletis,
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod ſupereſt animæ Tyrrhene, per omnes
Bellorum caſus. ingentem militis uſum
Hoc habet ex magnâ defunctum parte cadaver:
Viventis feriete loco. ſic fatus in hoſtem
Cæcâ tela manu, ſed non tamen irrita mittit.
Excipit hæc juvenis generoſi ſanguinis Argus,
Quà jam non medius deſcendit in ilia venter;
Adjuvítque ſuo procumbens pondere ferrum.
Stabat diverſâ victæ jam parte carinæ
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocaïcis ulli ceſſurus in armis;
Victum ævo robur cecidit, feſúſque ſenectâ
Exemplum, non miles erat) qui funere viſo,
Sæpe cadens longæ ſenior per tranſtra carinæ
Pervenit ad puppim, ſpirantéſque invenit artus.
Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit,
Diſſentis toto riguit ſed corpore palmis.
Nox ſubit, atque oculos vaſtæ obduxere tenebræ,
Et miſerum cernens agnoſcere deſinit Argum.
Ille caput labens, & jam languentia colla
Viſo patre levat: vox fauces nulla ſolutas
Proſequitur: tacito tantum petit oſcula vultu,
Invitátque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut ſenex e tenex caruit, virésque cruentus
Cœpit habere dolor, Non perdam tempora, dixit,
A ſævis permiſſa Deis, jugulúmque ſenilem
Confodiam. veniam miſero concede parenti,
Arge, quòd amplexus, extrema quòd oſcula fugi.
Nondum deſtituit calidus tua vulnera ſanguis,
Semianimíſque jaces, & adhuc potes eſſe ſuperſtes.
Sic fatus, quamvis capulum per viſcera miſſi
Polluerat gladii, tamen alta ſub æquora tendit
Præcipiti ſaltu. letum præcedere nati
Feſtinantem animam morti non credidit uni.
Inclinant jam fata ducum: nec jam ampliùs anceps
Belli caſus erat: Graiæ pars maxima claſſis
Mergitur: aſt aliæ mutato remige puppes
Victores vexere ſuos: navalia paucæ
Præcipiti tenuere fugâ. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quantus matrum per littora planctus!
Conjux ſæpe fui, confuſis vultibus undâ,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accenſíſque rogis miſeri de corpore trunco
Certavere patres. at Brutus in æquore victor,
Primus Cæſareis pelagi decus addidit armis.

LIBER QUARTUS.

AT procul extremis terrarum Cæſar in oris
Martem ſævus agit non multâ cæde nocentem,
Maxima ſed fati ducibus momenta daturum.
Jure pari rector caſtris Afranius illis,
Ac Petrejus erat: concordia duxit in æquas
Imperium commune vices, tutelâque valli
Pervigil alterno paret cuſtodia ſigno.
His præter Latias acies erat impiger Aſtur,
Vectonéſque leves, profugíque à gente vetuſtâ
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.
Colle tumet modico, lenſque excrevit in altum
Pingue ſolum tumulo: ſuper hunc fundata vetuſtâ
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Heſperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas paſſurus aquas: at proxima ripes
Signa tenet Magni: nec Cæſar colle minore
Caſtra levat: medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effuſa patentes,
Vix oculo prendente modum, campóſque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus, & litora curſu
Oceani pepulíſſe ſuo: nam gurgite miſto,
Qui præſtat terris, aufert tibi nomen Iberus.
Prima dies belli ceſſavit Marte cruento,
Spectandáſque ducum vires, numeroſáque ſigna
Expoſuit: piguit ſceleris: pudor arma furentum
Continuit patriæque, & ruptis legibus unum
Donavere diem. prono tum Cæſar Olympo
In noctem ſubitâ circumdedit agmina foſſâ,
Dum primæ præſtant acies, hoſtémque fefellit,
Et propè conſertis obduxit caſtra maniplis.
Luce novâ collem ſubito conſcendere curſu,
Qui meliùs tutam caſtris dirimebat Ilerdam,
Imperat. huc hoſtem pariter terrórque, pudórque
Impulit: & rapto tumulum prior agmine cepit.
His virtus, ferrúmque locum promittit: at illis
Ipſe locus. miles rupes oneratus in altas
Nititur: adverſóque acies in monte ſupina
Hæret, & in tergum caſura, umbone ſequentis
Erigitur. nulli telum vibrare vacabat,
Dum labat, & fixo firmat veſtigia pilo.
Dum ſcopulos, ſtirpéſque tenent, atque hoſte relicto
Cædunt enſe viam. vidit lapſura ruinâ
Agmina dux, equitémque jubet ſuccedere bello,
Munitúmque latus lævo præducere gyro.
Sic pedes ex facili, nullóque urgente receptus,
Irritus & victor ſubducto Marte pependit.
Hactenus armorum diſcrimina. cætera bello
Fata dedit variis incertus motibus aër.
Pigro bruma gelu, ſiccíſque Aquilonibus hærens,
Æthere conſtricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives campóſque jacentes
Non duraturæ conſpecto ſole pruinæ.
Atque omnis propior mergenti lidera cœlo
Aruerat tellus hyberno dura ſereno.
Sed poſtquam vernus calidum Titana recepit
Sidera reſpiciens delapſæ porritor Helles,
Atque iterum æquatis ad juſtæ pondera Libræ

Tempo-

Temporibus vicere dies: tunc, ſole relicto,
Cynthia quo primùm cornu dubitanda refulſit,
Excluſit Boream, flammáſque accepit ab Euro.
Ille ſuo nubes quaſcunque invenit in axe,
Torſit in occiduum Nabatæis flatibus orbem,
Et quas ſentit Arabs, & quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, quicquid concreſcere primus
Sol patitur, quicquid cœli fuſcator Eoi
Impulerat Corus, quicquid defenderat Indos:
Incendere diem nubes oriente remotæ,
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
Sed nimbos rapuere fugâ. vacat imbribus Arctos,
Et Notus; in ſolam Calpen fluit humidus aër.
Hîc ubi jam Zephyri fines, & ſummus Olympi
Cardo tenet Tethyn, veritæ tranſcurrere denſos
Involvere globos, congeſtúmque aëris atri
Vix recipit ſpatium, quod ſeparat æthere terram.
Jámque polo preſſæ largos denſantur in imbres;
Spiſſatæque fluunt: nec ſervant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: exſtinguit fulgura nimbus.
Hinc imperfecto complectitur aëra gyro
Arcus, vix ullâ variatus luce colorem,
Oceanúmque bibit, raptóſque ad nubila fluctus
Pertulit, & cœlo defuſum reddidit æquor.
Jámque Pyreneæ quas nunquam ſolvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractóque madeſcunt
Saxa gelu: tum, quæ ſolitis è fontibus exit,
Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas jam: naufraga campo
Cæſaris arma natant, impulſáque gurgite multo
Caſtra labant: alto reſtagnant flumina vallo.
Non pecorum raptus faciles, non pabula merſi
Ulla ferunt ſulci: tectarum errore viarum
Fallitur occultos ſparſus populator in agros.
Jámque comes ſemper magnorum prima malorum
Sæva fames aderat: nullóque obſeſſus ab hoſte
Miles egct: toto cenſu non prodigus emit
Exiguam Cererem. Pro lucri pallida tabes!
Non deeſt prolato jejunus venditor auro.
Jam tumuli, collíſque latent: jam flumina cuncta
Condidit una palus, vaſtâque voragine merſit,
Abſorpſit penitus rupes, ac tecta ferarum
Detulit, atque ipſas hauſit: ſubitíſque frementes
Vorticibus contorſit equos, & reppulit æſtus
Fortior Oceani: nec Phœbum ſurgere ſentit
Nox ſubtexta polo: rerum diſcrimina miſcet
Deformis cœli facies, junctæque tenebræ.
Sic mundi pars ima jacet, quam zona nivalis,
Perpetuæque premunt hyemes: non ſidera cœlo
Ulla videt, ſterili non quicquam frigore gignit,
Sed glacie medios ſignorum temperat ignes.
Sic, ô ſumme parens mundi, ſic ſorte ſecundâ
Æquorei rector facias Neptune tridentis:
Et tu perpetuis impendas aëra nimbis:
Tu remeare vetes quoſcunque emiſeris æſtus:
Non habeant amnes declivem ad litora curſum,
Sed pelagi referantur aquis: concuſſáque tellus
Laxet iter fluviis. hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus: vaſtos obliquent flumina fontes.
Rhiphæis huc ſolve nives, huc ſtagna, lacúſque,
Et pigras, ubicunque jacent, effunde paludes:
Et miſeras bellis civilibus eripe terras.
Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, ſolitóque magis favere ſecundi,
Et veniam meruere Dei. jam clarior aër,
Et par Phœbus aquis denſas in vellera nubes
Sparſerat, & noctes venturâ luce rubebant:
Servatóque loco rerum, diſceſſit ab aſtris
Humor, & ima petit, quicquid pendebat aquarum.
Tollere ſylva comas, ſtagnis emergere colles
Incipiunt, viſóque die dureſcere valles.
Utque habuit ripas Sicoris, campóſque reliquit,
Primùm cana ſalix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæſóque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum ſupereſtatat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſóque Britannus
Navigat Oceano: ſic cùm tenet omnia Nilus,
Conſeritur bibulâ Memphitis cymba papyro.
His ratibus trajecta manus feſtinat utrinque
Succiſum curvare nemus: fluviſque ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
Impoſuit: medios pontem diſtendit in agros.
Ac ne quid Sicoris repetitis nudeat undis,
Spargitur in ſulcos, & ſcillo gurgite rivis
Dat pœnas majoris aquæ. Poſtquam omnia fatis
Cæſaris ire videt, ceſſam Petreius Ilerdam
Deſerit: & noti diffiſus vitibus orbis,
Indomitos quærit populos, & ſemper in arma
Martis amore feros, & tendit in ultima mundi.
Nudatos Cæſar colles, deſertáque caſtra
Conſpiciens, capere arma jubet: nec quærere pontem,
Nec vada, ſed duris fluvium ſuperare lacertis.
Paretur: rapuitque mens in prœlia miles,
Quod fugiens timuiſſet iter. mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidóſque à gurgite curſu
Reſtituunt artus, donec decreſceret umbra
In medium ſurgente die. jámque agmina ſumma
Carpit eques, dubiíque fugæ, pugnæque tenentur.
Attollunt campo geminæ juga ſaxea rupes
Valle cavæ mediâ: tellus hinc ardua celſos
Continuat colles, tutæ quos inter opaco
Anfractu latuere viæ: quibus hoſte potito
Faucibus, emitti terrarum in devia Martem,
Inque feras gentes Cæſar videt. Ite ſinè ullo
Ordine, ait, raptúmque fugâ convertite bellum,
Et faciem pugnæ, vultúſque inferte minaces:
Nec liceat pavidis iguavâ occumbere morte;
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.
Dixit: & ad montes tendentem prævenit hoſtem.
Illic exiguo paulùm diſtantia vallo
Caſtra locant. poſtquam ſpatio languentia nullo
Mutua conſpicuos habuerunt lumina vultus,
Et fratres, natóſque ſuos videre, patréſque;
Deprenſum eſt civile nefas. tenuere parumper
Ora metu: tantùm nutu, motóque ſalutant
Enſe ſuos: mox ut ſtimulis majoribus ardens
Rupit amor leges, audet tranſcendere vallum
Miles, in amplexus effuſas tendere palmas,
Hoſpitis ille ciet nomen, vocat ille propinquum:
Admonet hunc ſtudiis conſors puerilibus ætas:
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hoſtem.
Arma rigant lacrymis, fingultibus oſcula rumpunt:
Et quamvis nullo maculatus ſanguine miles,
Quæ potuit feciſſe, timet. quid pectora pulſas?
Quid veſane gemis? fletus quid fundis inanes?
Nec te ſponte tuâ ſceleri parere fateris?
Uſque adeone times, quem tu facis ipſe timendum?
Claſſica det bello; ſævos tu neglige cantus:
Signa ferat; ceſſa: jam jam civilis Erinnys
Concidet, & Cæſar generum privatus amabit.
Nunc ades æterno complectens omnia nexu,
O rerum, miſtíque ſalus concordia mundi,
Et ſacer orbis amor. magnum nunc ſæcula noſtra
Venturi diſcrimen habent. periere latebræ
Tot ſcelerum: populo venia eſt erepta nocenti:
Agnovere ſuos. prò numine fata ſiniſtro
Exiguâ requie tantas augentia clades!
Pax erat, & miles caſtris permiſtus utriſque
Errabat: duro concordes ceſpite menſas
Inſtituunt, & permiſto libamina Baccho.
Graminei luxere foci: junctóque cubili
Extrahit inſomnes bellorum fabula noctes:
Quo primùm ſteterint campo, quâ lancea dextrâ
Exierit. dum, quæ geſſerunt fortia, jactant,
Et dum multa negant; quod ſolum fata petebant,
Et miſeris renovata fides, atque omne futurum
Crevit amore nefas. nam poſtquam fœdera pacis
Cognita Petreio, ſéque, & ſua tradita venum
Caſtra videt, famulas ſcelerata ad prœlia dextras
Excitat, utque hoſtes turbâ ſtiparus inermes
Præcipitat caſtris, junctóſque amplexibus enſe
Separat, & multo diſturbat ſanguine pacem.
Addidit ira ferox moturas prœlia voces:
Immemor ô patriæ, ſignorum oblite tuorum,
Non potes hoc cauſæ miles præſtare Senatûs,
Aſſertor victo redeas ut Cæſare: certè
Ut vincare potes. dum ferrum, incertáque fata,
Quſque fluat multo non deerit vulnere ſanguis;
Ibitis ad dominum? damnatáque ſigna feretis?
Utque habeat famulos nullo diſcrimine Cæſar
Exoranaus erit? ducibus quoque vita petenda eſt?
Nunquam noſtra ſalus pretium, mercéſque petenda
Proditionis erit: non hoc civilia bella,
Ut vivamus, agunt. trahimur ſub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
Non ſonipes in bella feros, non iret in æquor
Turrigeras claſſis pelago ſparſura carinas,

Si bene libertas unquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
Sacramenta tenent: at vobis vilior hôc est
Vestra fides, quòd pro causâ pugnabitis æquâ.
Sed veniam sperare licet. prò dira pudoris
Funera! nunc toto fatorum ignarus in orbe
Magne paras acies, mundíque extrema tenentes
Sollicitas reges, cùm forsan fœdere nostro
Jam tibi sit promissa salus. Sic fatur, & omneis
Concussit mentes, scelerúmque reduxit amorem.
Sic ubi desuetæ sylvis in carcere clauso
Mansuevere feræ, & vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiésque furórque,
Admonitæque tument gustato sanguine fauces:
Fervet, & à trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: & quæ fortuna Deorum
Invidiâ cæcâ bellorum in hoste tulisset,
Fecit nostra fides: inter mensásque, torósque,
Quæ modò complexu foverunt pectora, cædunt.
Et quamvis primò ferrum strinxere gementes,
Ut dextræ jussi gladius dissuasor adhæsit,
Dum feriunt, odere suos, animósque labantes
Confirmant ictu. fervent jam castra tumultu,
Et scelerum turbâ: rapiuntur colla parentum.
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum: juvat esse nocentes.
Tu Cæsar, quamvis spoliatus milite multo
Agnoscis superos: neque enim tibi major in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis
Massiliæ, Pharioque tantum est æquore gestum.
Hoc liquidem solo civilis crimine belli
Dux causæ melioris eris. Polluta nefandâ
Agmina cæde duces junctis committere castris
Non audent, altæque ad mœnia rursus Ilerdæ
Intendere fugam. campos eques obvius omnes
Abstulit, & siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undæ præruptâ cingere fossâ
Cæsar avet, nec castra pati contingere ripas,
Aut circùm largos curvari brachia fontes.
Ut læti videre viam, conversus in iram
Præcipitem timor est. miles non utile clausis
Auxilium mactavit equos; tandémque coactus
Spe positâ dammare fugam, casurus in hostes
Fertur. Ut effuso Cæsar decurrere passu
Vidit, & ad certam devotos tendere mortem;
Tela tene jam miles, ait, ferrúmque ruenti
Subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum:
Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.
En tibi vilis adest invisâ luce juventus,
Jam damno peritura meo: non sentiet ictus,
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens.
Perdant velle mori. Sic deflagrare minaces
Incassum, & vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phœbo.
Indè ubi nulla data est miscendæ copia mortis,
Paulatim cadit ira ferox, mentésque tepescunt.
Saucia majores animos ut pectora gestant,
Dum dolor est, ictúsque recens, & mobile nervis
Conamen calidus præbet cruor, ossáque nondum
Adduxere cutem: si conscius ensis adacti
Stat victor tenuítque manus, tum frigidus artus
Alligat, atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis.
Jámque inopes undæ, patrium tellure refossâ,
Occultos latices abstrusáque flumina quærunt:
Nec solùm rastris, durísque ligonibus arva,
Sed gladiis fodere suis: puteósque cavati
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longè luce relictâ
Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt curribus amnes,
Aut micuere novi, percusso pumice, fontes:
Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea venâ.
Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris ilicum lassata metallis.
Quóque minùs possent siccos tolerare vapores,
Quæsitæ fecistis aquæ. nec languida fessi
Corpora sustentant epulis, mentásque perosi
Auxilium fecere famem. si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
Exprimit ora super. nigro si turbida limo
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscœnos miles: moriénsque recepit,
Quas nollet victurus, aquas: ritúque ferarum
Distentas siccant pecudes, &, lacte negato,
Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas frondésque terunt, & rore madentes
Distringunt ramos: &, si quos palmite crudo,
Arboris aut tenerâ succos pressere medullâ.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immisto stravit per rura veneno,
Hos licèt in fluvios saniem, tabémque ferarum,
Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis
Infundas acouita palâm, Romana juventus
Non decepta bibet. torrentur viscera flammâ,
Orâque sicca rigent squamosis aspera linguis.
Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aëris alternos angustat pulmo meatus,
Resciscóque nocent suspiria dura palato,
Pandunt ora siti, nocturnúmque aëra captant.
Expectant imbres, quorum modò cuncta natabant
Impulsu, & siccis vultus in nubibus hærent.
Quóque magis miseros undæ jejunia solvant,
Non super arentem Meroen, Cancrique sub axe,
Quâ nudi Garamantes arant, sedere: sed inter
Stagnantem Sicorim, & rapidum deprensus Iberum
Spectat vicinos ijtiens exercitus amnes.
Jam domiti cessere duces: pacísque petendæ
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. servata precanti
Majestas, non fracta malis, intérque priorem
Fortunam, casúsque novos, gerit omnia victi,
Sed ducis, & veniam securo pectore poscit.
Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
Non deerat fortis rapiendo dextera leto:
At nunc sola mihi est orandæ causa salutis,
Dignum donandâ, Cæsar, te credere vitâ.
Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
Consiliis inimica tuis; non denique bellum
Invenit civile duces: causæque priori,
Dum potuit, servata fides: nil fata moramur.
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securúmque orbis patimur post terga relicti.
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
Nec ferrum, lassæque manus. hoc hostibus unum,
Quod vincas, ignosce tuis, nec magna petuntur.
Otia des fessis, vitam patiaris inermem
Degere, quam tribuis: campis prostrata jacere
Agmina, nostra putes: nec enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partémque triumphi
Captos ferre tui: turba hæc sua fata peregit.
Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.
Dixerat: At facilis Cæsar, vultúque serenus
Flectitur, atque usum belli, pœnámque remittit.
Ut primùm justæ placuerunt fœdera pacis,
Incustoditos decurrit miles ad amnes;
Incumbit ripis, permissáque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum
Aëra non passus vacuis discurrere venis,
Arctavit, clausítque animam: nec fervida pestis
Cedit adhuc; sed morbus egens jam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. mox robora nervis,
Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terrâ, pelagóque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ,
Discite, quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
Non auro, murrháque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit. satis est populis fluviúsque Cerésque.
Heu miseri, qui bella gerunt. Tunc arma relinquens
Victori miles spoliato pectore tutus,
Inneatúsque suas cursarum liber in urbes
Spargitur. ô quantum donatâ pace potitos
Excussis unquam ferrum vibrâsse lacertis
Pœnituit, tolerâsse sitim, frustráque rogâsse
Prospera bella Deos! nempe ulis Marte secundo
Tot dubiæ restant acies, tot in orbe labores:
Ut nunquam fortuna labet successibus anceps,
Vincendum toties! terras fundendus in omnes
Esse cruor, & Cæsar per tot sua fata sequendus.
Felix qui potuit, mundi nutante ruinâ,
Quò jaceat jam scire loco, non prœlia sessos

Ulla

Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
Jam conjux, natsque rudes, & sordida tecta,
Et non deductos recipit sua terra colonos.
Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quòd abest favor: ille salutis
Est auctor, dux ille fuit. sic prœlia soli
Felices nullo spectant civilia voto.
Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit: in partes aliquid sed Cæsaris ausa est,
Quà maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Ister.
Illic bellaci confisus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extremâ residens Antonius orâ,
Cautus ab incursu belli si sola recedat,
Expugnat quæ tuta, fames. non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non proferit ullam
Flava Ceres segetem: spoliabat gramine campum
Miles, & attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.
Ut primùm adversæ socios in litore terræ
Et Basilum videre ducem: nova furta per æquor
Exquisita fugæ. neque enim de more carinas
Extendunt, puppésque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ sustentant undique cuppæ,
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expolitum telis in fronte patenti
Remigium: sed, quod trabibus circundedit æquor,
Hoc ferit, & taciti præbet miracula cursûs,
Quòd nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Æstus agat, refluóque mari nudentur arenæ.
Jámque relabenti crescebant litora ponto;
Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
Et geminæ comites. cunctas super ardua turris
Eminet, & tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricæ custos Octavius undæ
Confestim tentare ratem, celerésque carinas
Continuit, cursu crescat dum præda secundo:
Et temere ingressos repetendum invitat ad æquor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratæ metuentes ærea pennæ:
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi;
Spartanos, Cretásque ligat: nec creditur ulli
Sylva cani, nisi qui pressо vestigia rostro
Colligit, & prædâ nescit latrare repertâ,
Contentus tremulo monstrâsse cubilia loro.
Nec mora. complentur moles, avidéque petitis
Insula deseritur ratibus: quo tempore primas
Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.
At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiquâ parat arte Cilix, passúsque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto,
Et laxas fluitare finit, religátque catenas
Rupis ab Illyricæ scopulis. nec prima, nec illa,
Quæ sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
Hæsit, & ad cautes adducto fune secuta est.
Impendent cava saxa mari: ruituráque semper
Stat (mirum) moles: & sylvis æquor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates, submersáque pontus
Corpora sæpe tulit, cæcisque abscondit in antris:
Restituit rupes tectum mare, cúmque cavernæ
Evomuere fretum contorti vorticis undæ
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hìc Opiterginis moles onerata colonis
Constitit: hanc omni puppes statione solutæ
Circumeunt: alii rupes, ac litora complent,
Vulteius tacitas sensit sub gurgite fraudes;
(Dux erat ille ratis) fruстra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe prœlia nullâ,
Incertus quà terga daret, quà pectora bello.
Hôc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
Effecit virtus: inter tot millia captæ
Circumfusa rati, & plenam vix indè cohortem,
Pugna fuit, non longa quidem, nam condidit atra
Nox lucem dubiam: pacémque habuere tenebræ.
Tunc sic attonitam, venturáque fata paventem
Rexit magnanimâ Vulteius voce cohortem:
Libera non ultrà parvâ quàm nocte juventus,
Consulite extremis angusto in tempore rebus.
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illâ
Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.
Omnibus incerto venturæ tempore vitæ
Par animi laus est, & quos speraveris annos
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. non cogitur ullus
Velle mori. fuga nulla patet: stant undique nostris
Intenti cives jugulis. decernite letum,
Et metus hinc absit: cupias quodcunque necesse est.
Non tamen in cœcâ bellorum nube cadendum est;
Ut cùm permistis acies sua tela tenebris
Involvunt, conserta jacent cum corpora campo,
In medium mors omnis abit, perit obruta virtus.
Nos in conspicuâ sociis, hostísque carinâ
Constituere Dei. Præbebunt æquora testes,
Præbebunt terræ, summis dabit insula saxis.
Spectabunt geminæ diverso è litore partes.
Nescio quod nostris magnum & memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. quæcunque per ævum
Exhibuit monimenta fides servatáque ferro
Militiæ pietas, transibit nostra juventus.
Namque suis pro te gladiis incumbere Cæsar
Esse parum scimus: sed non majora supersunt
Obsessis, tanti quæ pignora demus amoris.
Abscindit nostræ multum fors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natsque tenemur.
Indomitos sciat esse viros, timeátque furentes,
Et morti faciles animos: & gaudeat hostis
Non plures hæsisse rates. tentare parabunt
Fœderibus, turpíque volent corrumpere vitâ.
O utinam, quo plus habeat mors unica famæ,
Permittant veniam, jubeant sperare salutem:
Ne nos, cùm calido fodiemus viscera ferro,
Desperâsse putent. magnâ virtute merendum est,
Cæsar ut, amissis inter tot millia paucis,
Hoc damnum, cladémque vocet. dent fata recessum,
Emittámque licèt, vitare instantia nolim.
Projeci vitam comites, totúsque futuræ
Mortis agor stimulis: furor est. agnoscere solis
Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,
Victuróque Dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori. Sic cunctas sustulit ardor
Nobilium mentes juvenum: cùm sidera cœli,
Ante ducis voces, oculis humentibus omnes
Aspicerent, flexóque Ursæ temone paverent:
Idem, cùm fortes animos præcepta subissent,
Optavere diem. nec segnis mergere ponto
Tunc erat astra polus: nam sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino cùm lux altissima Cancro est:
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
Pugnacésque mari Graiâ cum classe Liburnos.
Tentavere priùs suspenso vincere bello,
Fœderibus fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita morâ. stubat devota juventus
Damnatâ jam luce ferox, securáque pugnæ
Promisso sibi fine manu: nullisque tumultus
Excussere viris mentes ad summa paratas:
Innumeráque simul pauci terráque marique
Sustinuere manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
Versus ab hoste furor: primus dux ipse carinæ
Vulteius jugulo poscens jam fata retecto,
Ecquis, ait, juvenum est, cujus sit dextra cruore
Digna meo, certâque fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori? nec plura locuto
Viscera non unus jamdudum transigit ensis.
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totúmque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. sic semine Cadmi
Emicuit Dircæa cohors, cecidítque suorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos & campis insomni dente creati
Terrigenæ, missâ magicis è cantibus irâ,
Cognato tantos implêrunt sanguine sulcos:
Ipsáque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. sic mutua pacti
Fata cadunt juvenes: minimúmque in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternúntque, cadúntque
Vulnere lethali: nec quenquam dextra fefellit,
Cùm feriat moriente manu, nec vulnus adactis
Debetur gladiis: percussum & pectore ferrum,
Et jugulis pressere manum. cùm sorte cruentâ

Fratribus

Fratribus incurrant fratres, natúſque parenti.
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextrâ
Exegere enſes. pietas ferientibus una,
Non reperiſſe, fuit. jam latis viſcera lapſa
Semianimes traxere foris, multúmque cruoris
Infudere mari. deſpectam cernere lucem
Victorésque ſuos vultu ſpectare ſuperbo,
Et mortem ſentire juvat. jam ſtrage cruentâ
Conſpicitur cumulata ratis: buſtiſque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Eſſe ducem tanti. nullam majore locuta eſt
Orbe ratem, totum diſcurrens fama per orbem.
Non tamen ignavæ poſt hæc exempla virorum
Percipient gentes, quàm ſit non ardua virtus
Servitium fugiſſe manu. ſed regna timentur
Ob ferrum, & ſævis libertas uritur armis:
Ignorátque datos, ne quiſquam ſerviat, enſes.
Mors utinam pavidos vitæ ſubducere nolles,
Sed virtus te ſola daret. Non ſegnior illo
Marte fuit, qui tunc Libycis exarſit in arvis.
Namque rates audax Lilybæo litore ſolvit
Curio: nec forti velis Aquilone recepto
Inter ſemirutas magnæ Carthaginis arces,
Et Clupeam, tenuit ſtationis litora notæ:
Primáque caſtra locat cano procul æquore, quà ſe
Bagrada lentus agit ſiccæ ſulcator arenæ.
Indè petit tumulos, exeſáſque undique rupes,
Antæi quæ regna vocat non vana vetuſtas.
Nominis antiqui cupientem noſcere cauſas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Nondum poſt genitos Tellus effœta gigantes,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
Nec tam juſta fuit terrarum gloria Typhon,
Aut Tityos, Briareúſque ferox: cœlóque pepercit,
Quòd non Phlegræis Antæum ſuſtulit arvis.
Hôc quoque tam vaſtas cumulavit munere vires
Terra ſui fœtus, quod, cùm tetigere parentem,
Jam defecta vigent renovato robore membra.
Hæc illi ſpelunca domus: latuiſſe ſub altâ
Rupe ferunt, epulas raptos habuiſſe leones.
Ad ſomnos non terga feræ præbere cubile
Aſſuêrunt, non ſylva torum: virésque reſumit
In nudâ tellure jacens. periere coloni
Arvorum Libyes: pereunt, quos appulit æquor,
Auxilióque diu virtus non uſa cadendi,
Terræ ſpernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis ſtaret, erat. Tandem vulgata cruenti
Fama mali, terras monſtris æquórque levantem,
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonæi projecit terga leonis,
Antæus Libyci. perfudit membra liquore
Hoſpes, Olympiacæ ſervato more palæſtræ.
Ille parum fidens pedibus contingere matrem,
Auxilium membris calidas infudit arenas.
Conſeruere manus, & multo brachia nexu.
Colla diu gravibus fruſtra tentata lacertis:
Immotúmque caput fixâ cum fronte tenetur.
Mirantúrque habuiſſe parem. nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhauſitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, & gelidus ſeſſo de corpore ſudor.
Tunc cervix laſſataquati: tunc pectore pectus
Urgeri: tunc obliquâ percuſſa labare
Crura manu. jam terga viri cedentia victor
Alligat, & medium compreſſis ilibus arctat:
Inguináque inſertis pedibus diſtendit, & omnem
Explicuit per membra virum. rapit arida tellus
Sudorem: calido complentur ſanguine venæ.
Intumuere tori, totóſque induruit artus,
Herculeóſque novo laxavit corpore nodos.
Conſtitit Alcides ſtupefactus robore tanto:
Nec ſic Inachiis, quamvis rudis eſſet, in undis
Defectam timuit reparatis anguibus hydram.
Conſlixere pares, telluris viribus ille,
Ille ſuis. numquam ſævæ ſperare novercæ
Plus licuit. videt exhauſtos ſudoribus artus,
Cervicémque viri ſiccam, cùm ferret Olympum.
Utque iterum feſſis injecit brachia membris,
Non expectatis Antæus viribus hoſtis,
Sponte cadit, mjaórque accepto robore ſurgit.
Quiſquis ineſt terris, in feſſos ſpiritus artus
Egeritur; tellúſque viro luctante laborat.
Ut tandem auxilium tactæ prodeſſe parentis
Alcides ſenſit: ſtandum eſt tibi, dixit, & ultrà
Non credere ſolo, ſterníque vetabere terrâ:
Hærebis preſſis intrà mea pectora membris:
Huc Antæe cades. ſic fatus, ſuſtulit altè
Nitentem in terras juvenem. morientis in artus
Non potuit nati tellus ſubmittere vires.
Alcides medium tenuit. jam pectora pigro
Stricta gelu, terríſque diu non credidit hoſtem.
Hinc ævi veteris cuſtos famoſa vetuſtas,
Miratríxque ſui ſignavit nomine terras.
Sed majora dedit cognomina collibus iſtis,
Pœnum qui Latiis revocavit ab arcibus hoſtem
Scipio. nam ſedes Libycâ tellure potito
Hæc fuit. en veteris cernis veſtigia valli.
Romana hos primùm tenuit victoria campos.
Curio lætatus, tanquam fortuna locorum
Bella gerat, ſervétque ducum ſibi fata priorum,
Felici non fauſta loco tentoria ponens,
Indulſit caſtris, & collibus abſtulit omen,
Sollicitátque feros non æquis viribus hoſtes.
Omnis Romanis quæ cellerat Africa ſignis,
Tunc Vari ſub jure fuit: qui robore quanquam
Confiſus Latio, regis tamen undique vires
Excivit Libycæ gentis, extremáque mundi
Signa ſuum comitata Jubam. non fuſior ulli
Terra fuit domino: quà ſunt longiſſima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: à medio, confinis Syrtibus Ammon.
At quà lata jacet, vaſti plaga fervida regni
Diſtinet Oceanum, zonæque exuſta calentis
Sufficiunt ſpatio, populi tot caſtra ſequuntur,
Autololes, Numidæque vagi, ſempérque paratus
Inculto Gætulus equo: tum concolor Indo
Maurus, inops Naſamon, miſti Garamante peruſto
Marmaridæ volucres, æquaturúſque ſagittas
Medorum tremulum cùm torſit miſſile, Mazax:
Et gens, quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo
Ora levi flectit frænorum neſcia virgâ.
Et ſolitus vacuis errare mapalibus Afer
Venator, ferríque ſimul fiducia non eſt,
Veſtibus iratos laxis operire leones.
Nec ſolùm ſtudiis civilibus arma parabat,
Privatæ ſed bella dabat Juba concitus iræ.
Hunc quoque, quo ſuperos humanáque polluit anno
Lege Tribunitiâ ſolio depellere avorum
Curio tentârat, Libyámque auferre tyranno,
Dum regnum te Roma facit, memor ille doloris
Hoc bellum ſceptri fructum putat eſſe retenti.
Hâc igitur regis trepidat jam Curio famâ,
Et quòd Cæſareis nunquam devota juventus
Illa nimis caſtris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidúſque novis ducibus, dubiúſque priori,
Fas utrumque putat. ſed poſtquam languida ſegni
Cernit cuncta metu, nocturnáque munia valli
Deſolata fugâ, trepidâ ſic mente profatur:
Audendo magnus tegitur timor: arma capeſſam
Ipſe prior: campum miles deſcendat in æquum,
Dum meus eſt: variam ſemper dant otia mentem.
Eripe conſilium pugnâ: cùm dira voluntas
Enſe ſubit prenſo, galeæ texere pudorem,
Quis conferre duces meminit? quis pendere cauſas?
Quà ſtetit, indè favet: veluti fatalis arenæ
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos: odere pares. Sic fatus, apertis
Inſtruxit campis acies: quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudatáque fœdâ
Terga fugâ, donec vetuerunt caſtra, cecidit.
Triſtia ſed poſtquam ſuperati prælia Vari
Sunt audita Jubæ: lætus quòd gloria belli
Sit rebus ſervata ſuis, rapit agmina furtim,
Obſcurátque ſuam per juſſa ſilentia famam;
Hoc ſolum metuens incautus ab hoſte timeri.
Mittitur, exiguâ qui prælia prima laceſſat,
Eliciátque manu, Numidis à rege ſecundus,
Ut ſibi commiſſi ſimulator Sabbura belli:
Ipſe cavâ regni vires in valle retentat:
Aſpidas ut Pharias caudâ ſolertior hoſtis
Ludit, & iratas incertâ provocat umbrâ:
Obliquánſque caput vanas ſerpentis in auras
Effuſæ toto comprendit guttura morſu
Letiferam citra ſaniem: tunc irrita peſtis
Exprimitur, faucéſque fluunt pereunte veneno.
Fraudibus eventum dederat fortuna: feróxque

Non exploratis occulti viribus hoſtis,
Curio nocturnum caſtris erumpere cogit,
Ignotiſque equitem latè decurrere campis.
Ipſe ſub Auroræ primos excedere motus
Signa jubet caſtris, multùm, fruſtráque rogatus
Ut Libycas metuat fraudes, infectáque ſemper
Punica bella dolis: leti fortuna propinqui
Tradiderat ſatis juvenem, bellúmque trahebat
Auctorem civile ſuum. ſuper ardua ducit
Saxa, ſuper cautes abrupto limite ſigna.
Cùm procul è ſummis conſpecti collibus hoſtes
Fraude ſuâ ceſſere parum, dum colle relicto
Effuſam patulis aciem committeret arvis.
Ille fugam credens, ſimulatæ neſcius artis,
Ut victor, medios aciem projecit in agros.
Tunc primùm patuere doli, Numidæque fugaces
Undique completis clauſerunt montibus agmen.
Obſtupuit dux ipſe ſimul, perituráque turba.
Non timidi petiere fugam, non prælia fortes:
Quippe ubi non ſonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulſu, rigidos vexantia frænos
Ora terens, ſpargítque jubas, & ſurrigit aures,
Incertóque pedum pugnat non ſtare tumultu.
Feſſa jacet cervix, fumant ſudoribus armi:
Oráque projectâ ſqualent arentia linguâ:
Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget:
Et defecta gravis longè trahit ilia pulſus:
Siccáque ſanguineis dureſcit ſpuma lupatis.
Jámque gradum neque verberibus, ſtimuliſque coacti,
Nec, quamvis crebris juſſi calcaribus, addunt.
Vulneribus coguntur equi, nec profuit ulli
Cornipedis rupiſſe moras: neque enim impetus illis
Incurſúſque fuit: tantum profertur ad hoſtes,
Et ſpatium jaculis oblato vulnere donat.
At vagus Apher equos ut primùm emiſit in agmen:
Tunc campi tremuere ſono: terráque ſolutâ,
Quantus Biſtonio torquetur turbine pulvis,
Aëra nube ſuâ texit, traxítque tenebras.
Ut verò in pedites fatum miſerabile belli
Incubuit: nullo dubii diſcrimine Martis
Ancipites fleterunt caſus, ſed tempora pugnæ,
Mors tenuit. neque enim licuit procurrere contrà,
Et miſcere manus. ſic undique ſepta juventus
Comminus obliquis, & rectis eminus haſtis
Obruitur: non vulneribus, nec ſanguine, ſolum
Telorum nimbo peritura & pondere ferri.
Ergo acies tantæ parvum ſpiſſantur in orbem:
Ac ſi quis metuens medium correpſit in agmen,
Vix impune ſuos inter convertitur enſes,
Denſatúrque globus, quantum pede prima relato
Conſtrinxit gyros acies non arma movendi
Jam locus eſt preſſis: ſtipatáque membra teruntur.
Frangitur armatum colliſo pectore pectus.
Non tam læta tulit victor ſpectacula Maurus
Quàm fortuna dabat: fluvios non ille cruoris,
Membrorúmque videt lapſum, & ferientia terram
Corpora: compreſſum turbâ ſtetit omne cadaver.
Excitet invitas diræ Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis: ferat illa cruentus
Annibal, & Pœni tam dira piacula manes.
Romanam, Superi, Libycâ tellure ruinam
Pompeio prodeſſe nefas, votíſque Senatus.
Aphrica nos potiùs vincat ſibi. Curio ſuſas
Ut vidit campis acies, & cernere tantas
Permiſit clades compreſſus ſanguine pulvis,
Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut ſperare fugam: cecidítque in ſtrage ſuorum
Impiger ad letum, & fortis virtute coactâ.
Quid nunc roſtra tibi proſunt turbata, forúmque,
Unde Tribunitiâ plebeius ſignifer arce
Arma dabas populis? quid prodita jura Senatûs,
Et gener, atque ſocer bello concurrere juſſi?
Antè jaces, quàm dira duces Pharſalia conſert,
Spectandúmque tibi bellum civile negatum eſt.
Has urbi miſeræ veſtro de ſanguine pœnas
Ferre datis: luitis jugulo ſic arma potentes.
Felix Roma quidem, civéſque habitura beatos,
Si libertatis ſuperis tam cura placeret,
Quàm vindicta placet. Libycas en nobile corpus
Paſcit aves, nullo contectus Curio buſto.
At tibi nos (quando non proderit iſta ſilere,
A quibus omne ævi ſenium ſua fama repellit,)
Digna dariſus, juvenis meritæ præconia vitæ.
Haud alium tantâ civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta ſequenti.
Perdita tunc Urbi nocuerunt ſæcula, poſtquam
Ambitus, & luxus, & opum metuenda facultas
Tranſverſo mentem dubiam torrente tulerunt,
Momentúmque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus ſpoliis, & Cæſaris auro.
Jus licèt in jugulos noſtros ſibi fecerit enſe
Sylla potens, Mariúſque ferox, & Cinna cruentus:
Cæſareæque domûs ſeries; cui tanta poteſtas
Conceſſa eſt: emere omnes, hic vendidit Urbem.

LIBER V.

SIC alterna duces bellorum vulnera paſſos
In Macedûm terras, miſcens adverſa ſecundis,
Servavit Fortuna pares. Jam ſparſerat Æmo
Bruma nives, gelidóque cadens Atlantis Olympo:
Inſtabátque dies, qui dat nova nomina faſtis,
Quíque colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
Contul uterque vagos belli per munia Patres
Elicit Epirum. peregrina ac ſordida ſedes
Romanos cepit proceres: ſecretáque rerum
Hoſpes in externis audivit curia tectis.
Nam quis caſtra vocet tot ſtrictas jure ſecures,
Tot faſces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, ſed Magnum in partibus eſſe.
Ut primùm mœſtum tenuere ſilentia cœtum,
Lentulus excelsâ ſublimis ſede profatur;
Indole ſi dignum Latiâ, ſi ſanguine priſco
Robur ineſt animis, non quâ tellure coacti,
Quámque procul tectis captæ ſedeamus ab urbis
Cernite: ſed veſtræ faciem cognoſcite turbæ:
Cunctáque juſſuri primum hoc decernite Patres,
Quod regnis, populíſque liquet, nos eſſe Senatum.
Nam, vel Hyperboreæ plauſtrum glaciale ſub Urſæ,
Vel plaga quâ torrens, clauſúſque vaporibus axis
Nec patitur noctes, nec iniquos creſcere ſoles,
Si fortuna ferat, rerum nos ſumma ſequetur,
Imperiúmque comes. Tarpeiâ ſede peruſtâ
Gallorum facibus, Veióſque habitante Camillo,
Illìc Roma fuit. non unquam perdidit ordo
Mutato ſua jura ſolo. mœrentia tecta
Cæſar habet, vacuáque domos, legéſque ſilentes,
Clauſáque juſtitio triſti fora. curia ſolos
Illa videt Patres, plenâ quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quiſquis non exulat, hìc eſt,
Ignaros ſcelerum, longâque in pace quietos
Bellorum primus ſpargit furor: omnia rurſus
Membra loco redeunt, en totis viribus orbis
Heſperiam penſant ſuperi: jacet hoſtis in undis
Obrutus Illyricis: Libyæ ſqualentibus arvis
Curio Cæſarei cecidit pars magna Senatûs.
Tollite ſigna duces: fatorum impellite curſum:
Spem veſtram præſtate Deis: fortunáque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hoſtem
Cauſa dabat. noſtrum exhauſto jus clauditur anno.
Vos, quorum finem non eſt cenſura poteſtas,
Conſulite in medium Patres, Magnúmque jubete
Effe ducem. Lato nomen clamore Senatus
Excipit: & Magno fatum patriæque ſuúmque
Impoſuit. Tunc in reges, populóſque merentes
Sparſus honos, pelagíque potens Phœbeia dotis
Exornata Rhodos, gelidíque inculta juventus
Taygeti: famâ veteres laudantur Athenæ:
Maſſiliæque ſuæ donatur libera Phocis.
Tunc Sadalen, fortémque Cotyn, fidúmque per arma
Deiotarum, & gelidæ dominum Rhaſipolin oræ
Collaudant: Libyámque jubent auctore Senatu
Sceptrifero parere Jubæ. prò triſtia fata!
En tibi non fidæ gentis digniſſime regno,
Fortunæ Ptolemææ pudor, criménque Deorum,
Cingere Peliæo preſſos diademate crines
Permiſſum, ſævum in populos puer accipis enſem:
Atque utinam in populos! donata eſt regia Lagi;
Acceſſit Magni jugulus: regnúmque ſorori
Ereptum eſt, ſoceróque nefas. jam turba ſoluto
Arma petit cœtu. quæ cùm populíque ducéſque
Cæcis incertis, & cæcâ ſorte pararent,
Solus in ancipites metuit deſcendere Martis
Appius eventus: finémque exprimere rerum
Sollicitat ſuperos, multóſque obducta per annos

Digitized by Google

Delphica fatidici reſerat penetralia Phœbi.
  Heſperio tantum, quantum ſemotus Eoo
Cardine, Parnaſſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromióque ſacer: cui numine miſto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.
Hoc ſolum fluctu terras mergente cacumen
Eminuit, pontóque fuit diſcrimen, & aſtris.
Tu quoque vix ſummam ſeductus ab æquore rupem
Extuleras, unóque jugo Parnaſſe latebas.
Ultor ibi expulſæ premerent cùm viſcera partus
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona ſagittis
Explicuit, cùm regna Themis, tripodáſque teneret.
Ut vidit Pæan vaſtos telluris hiatus
Divinam ſpirare fidem, ventóſque loquaces
Exhalare ſolum, ſacris ſe condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.
Quis latet hic Superûm? quod numen ab æthere preſſum
Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas?
Quis terram cæli patitur Deus, omnia curſûs
Æterni ſecreta tenens, mundíque futuri
Conſcius, ac populis ſeſe proferre paratus,
Contactúſque ferens hominis, magnúſque poténſque,
Sive canit fatum, ſeu quod jubet ipſe canendo
Fit fatum? Forſan terris inſerta regendis,
Aëre libratum vacuo quæ ſuſtinet orbem,
Totius pars magna Jovis, Cirrhæa per antra
Exit, & ætherio trahitur connexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum eſt pectore numen,
Humanam feriens animam ſonat, oráque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam
Undat apex: Campana fremens ceu ſaxa vaporat
Conditus Inarimes æternâ mole Typhœus.
  Hoc tamen expoſitum cunctis, nullíque negatum
Numen, ab humani ſolùm ſe labe furoris
Vindicat. haud illic tacito mala vota ſuſurro
Concipiunt. nam fixa canens, mutandáque nulli
Mortales optare vetat: juſtíſque benignus
Sæpe dedit ſedem totas mutantibus urbes,
Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare. ſuſtulit iras
Telluris ſterilis, monſtrato fine: reſolvit
Aëra tabificum. non ullo ſæcula dono
Noſtra carent majore Deûm, quàm Delphica ſedes
Quòd ſiluit, poſtquam reges timuere futura,
Et ſuperos vetuere loqui. nec voce negatâ
Cyrrhææ mœrent vates, templíque fruuntur
Juſtitio. nam ſi qua Deus ſub pectora venit,
Numinis aut pœna eſt mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe ſtimulo fluctúque furoris
Compages humana labat, pulſúſque Deorum
Concutiunt fragiles animas. Sic tempore longo
Immotos tripodas, vaſtæque ſilentia rupis
Appius Heſperii ſcrutator ad ultima fati
Sollicitat. juſſus ſedes laxare verendas
Antiſtes, pavidámque Deis immittere vatem,
Caſtalios circùm latices, nemorúmque receſſus
Phemonoen errore vagam, curſíque vacantem
Corripuit, cogítque ſores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens conſiſtere Phœbas,
Abſterrere ducem noſcendi ardore futuri
Caſsâ fraude parat. quid ſpes (ait) improba veri
Te Romane trahit? muto Parnaſſus hiatu
Conticuit, profátque Deum: ſeu ſpiritus iſtas
Deſtituit fauces, mundique in devia verſum
Duxit iter. ſeu barbaricâ cum lampade Pytho
Arſit, in immenſas cineres abiere cavernas,
Et Phœbi tenuere viam: ſeu ſponte Deorum
Cirrha ſilet, fatíque ſat eſt arcana futuri
Carmine longævæ vobis commiſſa Sibyllæ:
Seu Pæan ſolitus templis arcere nocentes,
Ora quibus ſolvat, noſtro non invenit ævo.
  Virginei patuere doli, feciſque, negatis
Numinibus, metus ipſe fidem. tum torta priores
Stringit vitta comas, crinéſque in terga ſolutos
Candida Phocaïcâ complectitur infula lauro.
Hærentem, dubiámque premens in templa ſacerdos
Impulit. illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, primâ templorum in parte reſiſtit:
Atque Deum ſimulans, ſub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confuſæ murmure vocis
Inſtinctam ſacro mentem teſtata furore,
Haud æquè læſura ducem, cui falſa canebat,
Quàm tripodas, Phœbíque fidem. non rupta trementi
Verba ſono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens ſpatium, nullóque horrore comarum
Excuſſæ laurus, immotáque culmina templi,
Securúmque nemus, veritam ſe credere Phœbo
Prodiderant, ſentit tripodas ceſſare, furéntíque
Appius: Et nobis meritas dabis impia pœnas,
Et Superis, quos fingis, ait, niſi mergeris antris,
Déque orbis trepidi tanto conſulta tumultu
Deſinis ipſa loqui. Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vaſtíſque abducta cavernis
Hæſit, & inſueto concepit pectore numen,
Quod non exhauſtæ per tot jam ſecula rupis
Spiritus ingeſſit vati: tandémque potitus
Pectore Cirrhæo, non unquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan: mentémque priorem
Expulit, atque hominem toto ſibi cedere juſſit
Pectore. bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittáſque Dei, Phœbéque ſerta
Erectis diſcuſſa comis; per inania templi
Ancipiti cervice rotat, ſpargítque vaganti
Obſtantes tripodas, magnóque exæſtuat igne,
Iratum te Phœbe ferens: nec verbere ſolo
Uteris, & ſtimulis; flammas in viſcera mergis.
Accipit & frænos: nec tantùm prodere vati,
Quantum ſcire, licet. venit ætas omnis in unam
Congeriem: miſerúmque premunt tot ſecula pectus,
Tanta patet rerum ſeries, atque omne futurum
Nititur in lucem: vocémque petentia fata
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenæ.
Talis in Euboico vates Cumana recellu,
Indignata ſuum multis ſervire furorem
Gentibus, ex tantâ fatorum ſtrage ſuperbâ
Excerpſit Romana manu. ſic plena laborat
Phemonoe Phœbo, dum te conſultor operti
Caſtaliâ tellure Dei vix invenit, Appi,
Inter fata diu quærens tam magna latentem.
Spumea tunc primum rabies veſana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœſtus vaſtis ululatus in antris,
Extremæque ſonant domitâ jam virgine voces.
Effugis ingentes, tanti diſcriminis expers,
Bellorum Romane minas: ſolúſque quietem
Euboïci vaſtâ lateris convalle tenebis.
Cætera ſuppreſſit, faucéſque obſtruxit Apollo.
  Cuſtodes tripodes fatorum, arcanáque mundi,
Túque potens veri Pæan, nullúmque futuri
A Superis celate diem, ſuprema ruentis
Imperii, cæſóſque duces, & funera regum,
Et tot in Heſperio collapſas ſanguine gentes
Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevere nefas? & adhuc dubitantibus aſtris
Pompeii damnare caput, tot fata tenentur?
Vindicis an gladii facinus, pœnáſque furorum,
Regnáque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? Tunc pectore vatis
Impactæ ceſſere fores, excluſáque templis
Proſiluit: perſtat rabies, nec cuncta locuta eſt.
Quem non emiſit, ſuperest Deus. ille feroces
Torquet adhuc oculos, totóque vagantia cœlo
Lumina: nunc vultu pavido, nunc torva minaci.
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liventéſque genas: nec, qui ſolet eſſe timenti,
Terribilis ſed pallor ineſt, nec feſſa quieſcunt
Corda; ſed ut tumidus Boreæ poſt flamina pontus
Rauca gemit; ſic multa levant ſuſpiria vatem.
Dúmque à luce ſacrâ, quâ vidit fata, refertur
Ad vulgare jubar, mediæ venere tenebræ.
Immiſit Stygiam Pæan in viſcera Lethen,
Quæ raperet ſecreta Deûm. tum pectore verum
Fugit, & ad Phœbi tripodas rediere futura:
Vſque refecta cadit. nec te vicinia leti
Territat ambiguis fruſtratum ſortibus Appi:
Jure ſed incerto mundi, ſubſidere regnum
Chalcidos Euboïcæ vanâ ſpe rapte parabas.
Heu demens, nullum belli ſentire fragorem,
Tot mundi caruiſſe malis, præſtare Deorum
Exceptâ quis morte poteſt! ſecreta tenebis
Litoris Euboïci memorando condite buſto,
Quà maris anguſtat fauces ſaxoſa Caryſtos,
Et tumidis infeſta colit quà numina Rhamnus,
Arctatus rapido fervet quà gurgite pontus,
Euripúſque trahit, curſum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam claſſibus Aulim.
  Interea domitis Cæſar remeabat Iberis,

Victri-

Digitized by Google

Victrices aquilas alium laturus in orbem:
Cùm propè fatorum tantos per proſpera curſus
Avertere Dei. nullo nam Marte ſubactus
Intrà caſtrorum timuit tentoria ductor
Perdere ſucceſſus ſcelerum: cùm penè fideles
Per tot bella manus ſatiatæ ſanguine tandem
Deſtituere ducem: ſeu mœſto claſſica paulùm
Intermiſſa ſono, clauſúſque, & frigidus enſis,
Expulerat belli furias: ſeu prædia miles,
Dum majora petit, damnat cauſámque, ducémque,
Et ſcelere imbutos etiam nunc venditat enſes.
Haud magìs expertus diſcrimine Cæſar in ullo eſt,
Quàm non è ſtabili, tremulo ſed culmine cuncta
Deſpiceret, ſtarétque ſuper titubantia fultus,
Tot raptis truncus manibus, gladióque relictus
Penè ſuo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non eſſe ducis ſtrictos, ſed militis, enſes.
Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens: nam quæ dubias conſtringere mentes
Cauſa ſolet, dum quiſque pavet, quibus ipſe timori eſt,
Séque putat ſolum regnorum injuſta gravari,
Haud retinet. quippe ipſa metus exolverat audax
Turba ſuos. quidquid multis peccatur, inultum eſt.
Effudere minas: Liceat diſcedere Cæſar
A rabie ſcelerum. quæris terrâque marique
His ferrum jugulis, animáſque effundere viles
Quolibet hoſte paras: partem tibi Gallia hoſtri
Eripuit: partem duris Hiſpania bellis:
Pars jacet Heſperiâ: totóque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris ſudiſſe cruorem
Quid juvat Arctois, Rhodano, Rhenóque ſubactis:
Tot mihi pro bellis bellum civile dediſti.
Cepimus expulſo patriæ cùm tecta Senatu,
Quos hominum, vel quos licuit ſpoliare Deorum?
Imus in omne nefas, manibus, ferróque nocentes,
Paupertate pii. finis quis quæritur armis?
Quid ſatis eſt, ſi Roma parum? Jam reſpice canos
Invalidáſque manus: & inanes cerne lacertos.
Uſus abit vitæ: bellis conſumſimus ævum.
Ad mortem dimitte ſenes. en improba vota:
Non duro liceat morientia ceſpite membra
Ponere, non animâ galeam fugiente ferire,
Atque oculos morti clauſuram quærere dextram,
Conjugis illabi lacrymis, unſque paratum
Scire rogum. liceat morbis finire ſenectam.
Sit præter gladios aliquod ſub Cæſare fatum.
Quid, velut ignaros ad quæ portenta paremur,
Spe trahis? uſque adeò ſoli civilibus armis
Neſcimus cujus ſceleris ſit maxima merces?
Nil actum eſt bellis, ſi nondum comperit iſtas
Omnia poſſe manus. nec fas, nec vincula juris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Cæſar in undis
Dux erat, hic ſocius. Facinus quos inquinat, æquat.
Adde, quòd ingrato meritorum judice virtus
Noſtra perit. quicquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum ſciat eſſe ſuum. licèt omne Deorum
Obſequium ſperes, irato milite, Cæſar,
Pax erit. Hæc fatus, totis diſcurrere caſtris
Cœperat, infeſtóque ducem depoſcere vultu.
Sic erat, ô Superi, quando pietáſque, fidéſque
Deſtituunt, moréſque malos ſperare relictum eſt;
Finem civili faciat diſcordia bello.
Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!
Fata ſed in præceps ſolitus demittere Cæſar,
Fortunámque ſuam per ſumma pericula gaudens
Exercere, venit: nec dum deſæviat ira,
Expectat: medios properat tentare furores.
Non illis urbes, ſpoliandáque templa negâſſet,
Tarpeiámque Jovis ſedem, matréſque Senatûs,
Paſſuráſque infanda nurus. vult omnia Cæſar
A ſe ſæva peti, vult præmia Martis amari:
Militis indomiti tantùm mens ſana timetur.
Non pudet, heu Cæſar, ſoli tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis? hos antè pigebit
Sanguinis? his ferri grave jus erit? ipſe per omne
Fáſque nefáſque rues? laſſare, & diſce ſinè armis
Poſſe pati: liceat ſcelerum tibi ponere finem.
Sæve quid inſequeris? quid jam nolentibus inſtas?
Bellum te civile fugit. Stetit aggere fultus
Ceſpitis, intrepidus vultu, meruíſque timeri
Non metuens; atque hæc ità dictante profatur.
Qui modò in abſentem vultu, dextrâque furebas
Miles, habes nudum, promptúmque ad vulnera pectus;
Hìc fuge, ſi belli finis placet, enſe relicto.

Detegit imbelles animos nil fortiter auſa
Seditio, tantúmque fugam meditata juventus,
Ac ducis invicti rebus laſſata ſecundis.
Vadite, méque meis ad bella relinquite fatis:
Invenient hæc arma manus, vobíſque repulſis
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tantâ cum claſſe ſequuntur
Heſperiæ gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulſi tantum quæ præmia belli
Auferat, & veſtri raptâ mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos defecta ſenes, exhauſtáque ſanguine turba
Cernetis noſtros jam plebs Romana triumphos.
Cæſaris an curſus veſtræ ſentire putatis
Damnum poſſe fugæ? veluti ſi cuncta minentur
Flumina, quos miſcent pelago, ſubducere fontes,
Non magìs ablatis unquam decreſceret æquor,
Quàm nunc creſcit, aquis: an vos momenta putatis
Ulla dediſſe mihi? nunquam ſic cura deorum
Se premit, ut veſtræ morti, veſtræque ſaluti
Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta ſequuntur.
Humanum paucis vivit genus. orbis Iberi
Horror, & Arctoi, noſtro ſub nomine miles,
Pompeio certè fugeres duce. fortis in armis
Cæſareis Labienus erat: nunc transfuga vilis
Cum duce prælato terras atque æquora luſtrat.
Nec melior mihi veſtra fides, ſi bella nec hoſte,
Nec duce me geritis. quiſquis mea ſigna relinquit,
Nec Pompeianis tradit ſua partibus arma,
Hic nunquam vult eſſe meus. ſunt iſta profectò
Curæ caſtra Deis, qui me committere tantis,
Non niſi murato voluerunt milite, bellis.
Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere feſſis
Amolitur onus! ſperantes omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non ſufficit orbis.
Jam certè mihi bella geram: diſcedite caſtris:
Tradite noſtra viris ignavi ſigna Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arſit,
Non Cæſar, ſed pœna tenet, procumbite terræ:
Infidúmque caput, feriendáque tendite colla.
Et tu, quo ſolo ſtabunt jam robore caſtra,
Tiro rudis, ſpecta pœnas, & diſce ferire,
Diſce mori. Tremuit ſævâ ſub voce minantis
Vulgus iners: unúmque caput tam magna juventus
Privatum factura timet: velut enſibus ipſis
Imperet, invito moturus milite ferrum.
Ipſe pavet, ne tela ſibi dextræque negentur
Ad ſcelus hoc Cæſar: vicit patientia ſævi
Spem ducis, & jugulos, non tantùm præſtitit enſes.
Nil magìs, aſſuetas ſceleri quàm perdere mentes,
Atque perire, timet. tam diro fœderis ictu
Parta quies, pœnâque redit placata juventus.
Brunduſium decimis jubet hanc attingere caſtris
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,
Antiquúſque Taras, ſecretáque litora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus, & ſubdita Sipus
Montibus: Auſoniam quà torqueus frugifer oram,
Dalmatico Boreæ, Calabróque obnoxius Auſtro
Appulus Adriacas exit Garganus in undas.
Ipſe petit trepidam tutus ſinè milite Romam,
Jam doctam ſervire togæ: populóque precanti
Scilicet indulgens, ſummum Dictator honorem
Contigit, & lætos fecit ſe Conſule faſtos.
Namque omneis voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominis, hæc primùm repperit ætas,
Quâ ſibi ne ferri jus ullum Cæſar abeſſet,
Auſonias voluit gladiis miſcere ſecures.
Addidit & faſces aquilis, & nomen inane
Imperii rapiens, ſignavit tempora dignâ
Mœſta notâ. nam quo meliùs Pharſalicus annus
Conſule notus erit? fingit ſolennia campus,
Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis,
Decantátque tribus, & vanâ verſat in urnâ.
Nec cœlum ſervare licet: tonat augure ſurdo,
Et lætæ jurantur aves, bubone ſiniſtro.
Indè perit primùm quondam veneranda poteſtas
Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menſtruus in faſtos diſtinguit ſæcula Conſul.
Nec non Iliacæ numen quod præſidet Albæ
Haud meritum Latio ſolennia ſacra ſubacto,
Vidit flammiferâ confectas nocte Latinas.
Indè rapit curſus, &, quæ piger Appulus arva
Deſeruit raſtris, & inerti tradidit herbæ,
Ocyor & cœli flammis, & tigride fœtâ
Tranſcur-

Transcurrit: curvsque tenens Minoia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, & pavidas hyberno sidere classes.
Turpe duci visum est, rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras, portúque teneri,
Dum pateat tutum vel non felicibus æquor.
Expertes animos pelagi sic robore complet:
Fortiùs hyberni flatus, cœlúmque fretúmque
Cùm cœpere, tenent, quàm quos incumbere certos
Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.
Nec maris antractus, lustrandáque littora nobis,
Sed recti fluctus, solóque aquilone secandi.
Hìc utinam summi curvent carchesia mali,
Incumbátque furens, & Graia ad mœnia perflet,
Ne Pompeiani Phœacum è litore toto
Languida jactatis comprendant carbasa remis,
Rumpite, quæ retinent felices vincula proras.
Jam dudum nubes, & sævas perdimus undas.
  Sidera prima poli Phœbo labente sub undas
Exierant, & luna suas jam fecerat umbras:
Cùm pariter solvere rates, totósque rudentes
Laxavere sinus: & flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa, summáque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primùm levior propellere lintea ventus
Incipit, exiguúmque tument; mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terrâque relictâ
Non valet ipsa sequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta jacent alto torpore ligata.
Pigriùs immotis hæsere paludibus undæ,
Sic stat iners Scythicas astringens Bosphorus undas,
Cùm glacie retinente fretum non impulit Ister,
Immensúmque gelu tegitur mare: comprimit unda,
Deprendit quascunque rates: nec pervia velis
Æquora frangit eques, fluctúque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi.
Sæva quies pelagi, mœstóque ignava profundo
Stagna jacentis aquæ veluti deserta rigente
Æquora naturâ cessant, Pontúsque vetustas
Oblitus servare vices, non commeat æstu,
Non horrore premit: non Solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixæ patuere carinæ.
Illinc infestæ classes, & inertia tonsis
Æquora moturæ: gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura fames. nova vota timori
Sunt inventa novo, fluctus, nimiásque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, & sit mare. nubila nusquam,
Undarúmque minæ: cœlo languente, fretóque
Naufragii spes omnis abit. sed nocte fugatâ
Læsum nube diem jubar extulit, imáque sensim
Concussit pelagi, movítque Ceraunia nautis.
Indè rapi cœpere rates, atque æquora classem
Curva sequi, quæ jam vento, fluctúque secundo
Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.
  Prima duces vidit junctis consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circumeunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit undâ.
At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutæ
Præcipitant: neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terræ vicino litore novit.
Hôc Fortuna loco tantæ duo nomina famæ
Composuit: miserísque fuit spes irrita mundi,
Posse duces parvâ campi statione diremtos
Admotum damnare nefas. nam cernere vultus,
Et voces audire datur: multósque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta,
Sanguinis infausti sobolem, mortémque nepotis,
Te nisi Niliacâ propiùs non vidit arenâ.
  Cæsaris attonitam miscenda ad prœlia mentem
Ferre moras scelerum partes jussere relictæ.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.
Illum sæpe minis Cæsar, precibúsque morantem
Evocat: O mundi tantorum causa malorum,
Quid Superos, & fata tenes? sunt cætera cursu
Acta meo, summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. num rupta vadosis
Syrtibus incerto Libye nos dividit æstu?
Nunquid inexperto tua credimus arma profundo?
Inque novos traheris casus? ignave, venire
Te Cæsar, non ire, jubet. prior ipse per hostes
Percussi medias alieni juris arenas.
Tu mea castra times? pereuntia tempora fati
Conqueror: in ventos impendo vota, fretúmque.
Ne retine dubium cupientes ire per æquor:
Si bene nota mihi est, ad Cæsaris arma juventus
Naufragio venisse volet. jam voce doloris
Utendum est: non ex æquo divisimus orbem.
Epirum Cæsárque tenet, totúsque Senatus:
Ausoniam tu solus habes. his tèrque, quatèrque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse Deis, at non sibi numina, credit:
Sponte per incautas audet tentare tenebras,
Quod jussi timuere, fretum: temeraria prono
Expertus cessisse Deo: fluctúsque verendos
Classibus, exiguâ sperat superare carinâ.
  Solverat animorum fessas nox longa curas:
Parta quies miseris, in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor; jam castra silebant:
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos;
Cæsar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat: cunctísque relictis,
Sola placet Fortuna comes. tentoria postquam
Egressus vigilum, somno cedentia membra
Transiluit, questus tacitè quod fallere posset;
Litora curva legit, primísque invenit in undis
Rupibus excisis hærentem fune carinam.
Rectorem, dominúmque ratis secura tenebat
Haud procul indè domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili junco, cannâque intexta palustri,
Et latus inversâ madum munita phaselo.
  Hæc Cæsar bis tèrque manu quassantia tectum
Limina commovit. molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro. Quisnam mea naufragus, inquit,
Tecta petit? aut quem nostræ Fortuna coëgit
Auxilium sperare casæ! Sic fatus, ab alto
Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,
Scintillam tenuem commotos pavit in ignes:
Securus belli: prædam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares! ô munera nondum
Intellecta Deûm! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu
Cæsareâ pulsante manu? tum poste recluso,
Dux ait: Expecta votis majora modestis,
Spésque tuas laxa juvenis, si jussa secutus
Me vehis Hesperiam, non ultrà cuncta carinæ
Debebis, manibúsque inopem duxisse senectam.
Ne cessa præbere Deo tua fata, volenti
Angustos opibus subitis implere Penates.
Sic fatur: quanquam plebeio tectus amictu,
Indocilis privata loqui. tum pauper Amyclas:
Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.
Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,
Concordésque tulit radios: Notou altera Phœbi,
Altera pars Boream diductâ luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languénsque recessit,
Spectanteis oculos infirmo lumine passus.
Lunáque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus:
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,
Ventorúmque notâ rubuit: tum lurida pallens
Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro.
Sub mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat æquora, Delphin:
Aut siccum quod mergus amat: quódque ausa volare
Ardea sublimis pennæ confisa natanti;
Quódque caput spargens undis, velut occupet imbrem,
Instabili gressu metitur litora cornix.
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem præbere manus: vel litora tangam
Jussa, vel hôc potiùs pelagus, flatúsque negabunt.
  Hæc fatur, solvéusque ratem dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solùm lapsa per altum
Aëra dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera: sed summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. niger inficit horror
Terga maris: longo per multa volumina tractu
Æstuat unda minax: flatûsque incerta futuri,
Turbida testantur conceptos æquora ventos.
Tunc rector trepidæ fatur ratis: Aspice sævum
Quanta parat pelagus: Zephyrósne intendat, an Euros
Incertum est: puppim dubius ferit undique pontus.
Nubibus, & cœlo Notus est. si marmora ponti
Consulimus, Cori verrent mare. gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget nec naufragus oras.

Despe-

Desperare viam, & vetitos convertere cursus
Sola salus. liceat vexatâ littora puppe
Prendere, ne longè nimiùm sit proxima tellus.
Fisus cuncta tibi cessura pericula Cæsar,
Sperne minas, inquit, pelagi, ventóque furenti
Trade sinum. Italiam si cœlo auctore recusas,
Me pete. sola tibi causa hæc est justa timoris,
Vectorem non nôsse tuum; quem numina nunquam
Destituunt; de quo malè tunc Fortuna meretur,
Cùm post vota venit: medias perrumpe procellas
Tutelâ secure meâ. cœli iste fretique,
Non puppis nostræ labor est: hanc Cæsare pressam
A fluctu defendet onus. nec longa furori
Ventorum sævo dabitur mora: proderit undis
Ista ratis, nec flecte manum: fuge proxima velis
Litora: tum Calabro portu te crede potitum,
Cùm jam non poterit puppi, nostræque saluti
Altera terra dari. quid tantâ strage paretur
Ignoras? quærit pelagi, cœlique tumultu
Quid præstet Fortuna mihi. Non plura locuto
Avulsit laceros percussâ puppe rudentes
Turbo rapax, fragilémque super volitantia malum
Vela tulit: sonuit, victis compagibus, alnus.
Indè ruunt toto concita pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
Core, movens æstus: jam te tollente furebat
Pontus, & in scopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagúsque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & undas
Torsit, & abstrusas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, surúmque
In fluctus Cori frangit mare: motáque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessâsse minas, non imbribus arctum
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solitâ de parte ruentes
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. nam parva procellis
Æquora rapta ferunt: Ægæas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Ionio vagus Adria ponto.
Ah quoties frustra pulsatos æquore montes
Obruit illa dies! quàm celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non ullo litore surgunt
Tam validi fluctus alióque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundúmque coërcens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraternâ lassatum in sæcula fulmen
Adjuvit, regnóque accessit terra secundo,
Cùm mare convolvit gentes, cùm litora Tethys
Noluit ulla pati, cœlo contenta teneri.
Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni Superum rector pressisset nubibus undas.
Non cœli nox illa fuit: latet obsitus aër
Infernæ pallore domûs, nimbísque gravatus
Deprimitur, fluctúsque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aër.
Tunc Superûm convexa tremunt, atque arduus axis
Insonuit, motâque poli compage laborant.
Extimuit Natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursúsque redire
Nox manes mistura Deis. spes una salutis,
Quòd tantâ mundi nondum periere ruinâ.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è summis præceps mare: cúmque tumentes
Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, & terra carinâ.
Nam pelagus, quâ parte sedet, non celat arenam
Exhaustum in cumulos, omnísque in fluctibus unda est.
Artis opem vicere metus: nescítque magister
Quam frangat, cui cedat aquæ. discordia Ponti
Succurrit miseris, fluctúsque evertere puppim
Non valet in fluctus, victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
Non humilem Sasona vadis, non litora curvæ
Thessaliæ saxosa pavent, oræque malignos
Ambraciæ portus: scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent. Credit jam digna pericula Cæsar
Fatis esse suis. tantúsne evertere, dixit,
Me Superis labor est: parvâ quem puppe sedentem
Tam magno petiere mari? si gloria leti
Est pelago donata mei, bellísque negamur,
Intrepidus, quancunque datis mihi numina, mortem
Accipiam. licèt ingentes abruperit actus
Festinata dies fatis; sat magna peregi.
Arctoas domui gentes: inimica subegi
Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secundum.
Jussâ plebe tuli fasces per bella negatos:
Nulla meis aberit titulis Romana potestas.
Nesciat hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et Dictator eam Stygias, & Consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. mihi funere nullo
Est opus ô Superi: lacerum retinete cadaver
Fluctibus in mediis: desint mihi busta, rogúsque,
Dum metuar semper, terrâque expectet ab omni.
Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalidâ cum puppe levat: nec rursus ab alto
Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
Scrupossísque angusta vacant ubi litora saxis,
Imposuit terræ. pariter tot regna, tot urbes
Fortunámque suam tactâ tellure recepit.
Sed non tam remeans Cæsar jam luce propinquâ,
Quàm tacitâ sua castra fugâ, comitésque fefellit.
Circumfusa duci flevit, gemitúque suorum,
Et non ingratis incessit turba querelis.
Quò te dure tulit virtus temeraria Cæsar?
Aut quæ nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
Cúm tot in hâc animâ populorum vita, salúsque
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori. nullúsne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes
Esse tuis? cùm te raperet mare, corpora segnis
Nostra sopor tenuit. pudet heu. tibi causa petenda
Hæc fuit Hesperiæ? visum est committere quenquam
Tam sævo crudele mari? fors ultima rerum
In dubios casus, & prona pericula mortis
Præcipitare solet. mundi jam summa tenentem
Permisisse mari! tantùm quid numina lassas?
Sufficit ad fatum belli favor iste, labórque
Fortunæ, quòd te nostris impegit arenis?
Hine usus placuere Deûm, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?
Talia jactantes, discussâ nocte, serenus
Oppressit cum sole dies, sessúmque tumentes
Composuit pelagus ventis patientibus undas.
Nec non Hesperii lassatum fluctibus æquor
Ut videre duces, purúmque insurgere cœlo
Fracturum pelagus Boream, solvere carinas,
Quas ventus, doctæque pari moderamine dextræ
Permissas habuere diu: latúmque per æquor,
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox sæva modum venti, velísque tenorem
Eripuit nautis, excussítque ordine puppes.
Strymona sic gelidum, brumâ pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues, primóque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas:
Confusos temere immissæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.
Cùm primùm redeunte die violentior aër
Puppibus incubuit, Phœbeo concitus ortu,
Prætereunt frustra tentati litora Lissi,
Nymphæúmque tenent, nudas Aquilonibus undas.
Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Jam castris instare suis: seponere tutum
Conjugii decrevit onus, Lesbóque remotam
Te procul à sævi strepitu Cornelia belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in æquas
Justa Venus! dubium, trepidúmque ad prælia, Magne,
Te quoque fecit amor: quòd nollet stare sub ictu
Fortunæ, quo mundus erat, Romanáque fata,
Conjux sola fuit. mentem jam verba paratam
Destituunt, blandæque juvat ventura trahentem
Indulgere moræ, & tempus subducere fatis.
Nocte sub extremâ, pulsò torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus, & averli petit oscula grata maritl:
Humentes mirata genas, percussáque cæco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens, Non nunc, vitâ mihi dulcior, inquit,
Cùm tædet vitæ, læto sed tempore, conjux,
Venit mœsta dies, & quam nimiúmque parúmque

Di-

Diſtulimus: jam totus adeſt in prœlia Cæſar.
Cedendum eſt bellis: quorum tibi tuta latebræ
Lesbos erit, deſiſte preces tentare: negavi
Jam mihi: non longos à me patiere receſſus.
Præcipites aderunt caſus: properante ruinâ,
Summa cadunt. ſatis eſt audiſſe pericula Magni,
Méque tuus decepit amor, civilia bella
Si ſpectare potes. nam me jam Marte parato
Securos cepiſſe pudet cum conjuge ſomnos,
Eque tuo, miſerum quatient cùm claſſica mundum,
Surrexiſſe ſinu. vereor civilibus armis
Pompeium nullo triſtem committere damno.
Tutior interea populis, & tutior omni
Rege late, politámque procul fortuna mariti
Non totâ te mole premat. ſi numina noſtras
Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
Sítque mihi, ſi fata premant, victórque cruentus,
Quò fugiſſe velim. Vix tantum infirma dolorem
Cepit, & attonito ceſſerunt pectore ſenſus,
Tandem ut vox mœſtas potuit proferre querelas:
Nil mihi de fatis thalami, Superſíque relictum eſt,
Magne, queri: noſtros non rumpit funus amores,
Nec diri fax ſumma rogi: ſed ſorte frequenti,
Plebeiâque nimis careo dimiſſa marito.
Hoſtis ad adventum rumpamus fœdera tedæ:
Placemus Socerum. Sic eſt tibi cognita, Magne,
Noſtra fides? crediſſne aliquid mihi tutius eſſe,
Quàm tibi? nónne olim caſu pendemus ab uno?
Fulminibus me ſæve jubes, tantæque ruinæ
Abſentem præſtare caput? ſecura videtur
Sors tibi, cùm facias etiam nunc vota, periſſe,
Ut nolim ſervire malis: ſed morte paratâ,
Te ſequar ad manes. feriat dum mœſta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe ſuperſtes.
Adde, quòd aſſueſcis fatis, tantúmque dolorem
Crudelis me ferre doces. ignoſce fatenti:
Poſſe pati, timeo. quòd ſi ſunt vota, Deíſque
Audior, eventus rerum ſciet ultima conjux.
Sollicitam rupes jam te victore tenebunt,
Et puppim, quæ fata ferat tam læta, timebo.
Nec ſolvent audita metus mihi proſpera belli,
Cùm vacuis projecta locis à Cæſare poſſim
Vel fugiente capi. noteſcent litora clari
Nominis exilio, poſitâque ibi conjuge Magni,
Quis Mitylenæas poterit neſcire latebras?
Hòc precor extremum, ſi nil tibi victa relinquent
Tutius arma fugâ, cùm te commiſeris undis,
Quólibet infauſtam potiùs deflecte carinam:
Litoribus quærere meis. Sic fata, relictis
Exiluit ſtratis amens, tormentáque nullâ
Vult differre morâ. non mœſti pectora Magni
Suſtinet amplexu dulci, non colla tenere:
Extremúſque perit tam longi fructus amoris:
Præcipitántque ſuos luctus: neutérque recedens
Suſtinuit dixiſſe vale, vitámque per omnem
Nulla fuit tam mœſta dies. nam cætera damna
Duratâ jam mente malis, firmâque tulerunt.
Labitur infelix, manibúſque excepta ſuorum
Fertur ad æquoreas, ac ſe proſternit, arenas,
Litoráque ipſa tenet, tandémque illata carinæ eſt.
Non ſic infelix patriam portúſque reliquit
Heſperios, ſævi premerent cùm Cæſaris arma.
Fida comes Magni vadis duce ſola relicto,
Pompeiúmque fugis. quæ nox tibi proxima venit,
Inſomnis. viduo tum primùm frigida lecto,
Atque inſueta quies uni, nudúmque marito
Non hærente latus. ſomno quàm ſæpe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile eſt,
Atque oblita fugæ quæſivit nocte maritum!
Nam, quamvis flammâ tacitas urente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili:
Servatur pars illa tori. caruiſſe timebat
Pompeio: ſed non Superi tam læta parabant.
Inſtabat, miſeræ Magnum quæ redderet, hora.

Mœnia Grajorum ſpernit, Martémque ſecundum
Jam niſi de genero fatis debere recuſat.
Funeſtam mundo votis petit omnibus horam,
In caſum quæ cuncta ferat. placet alea fati
Alterutrum merſura caput. ter collibus omneis
Explicuit turmas, & ſigna minantia pugnam,
Teſtatus nunquam Latiæ ſe deeſſe ruinæ.
Ut videt ad nullos exciri poſſe tumultus
In pugnam generum, ſed clauſo fidere vallo,
Signa movet, tectúſque viâ damnoſa per arva
Dyrrhachii præceps rapiendas tendit ad arces.
Hoc iter æquoreo præcepit limite Magnus,
Quémque vocat collem Taulantius incola Petram,
Inſedit caſtris, Ephyreáque mœnia ſervat,
Defendens tutam vel ſolis turribus urbem.
Non opus hanc veterum, nec moles ſtructa tuetur,
Humanúſque labor, facilis, licèt ardua tollat,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.
Sed munimen habet nullo quaſſabile ferro;
Naturam, ſedémque loci, nam clauſa profundo
Undique præcipiti, ſcopulíſque vomentibus æquor,
Exiguo debet, quod non eſt inſula, colli.
Terribiles ratibus ſuſtentant mœnia cautes,
Ioniúmque furens rapido cùm tollitur auſtro,
Templa, domóſque quatit, ſpumátque in culmina pontus.
Hinc avidam belli rapuit ſpes improba mentem
Cæſaris, ut vaſtis diffuſum collibus hoſtem
Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metitur terras oculis: nec ceſpite tantum
Contentus fragili ſubitos attollere muros,
Ingentes cautes, avulſáque ſaxa metallis,
Graiorúmque domos, direptáque mœnia transfert.
Extruitur, quod non aries impellere ſævus,
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntúr montes, planúmque per ardua Cæſar
Ducit opus: pandit foſſas, turritáque ſummis
Diſponit caſtella jugis, magnóque receſſu
Amplexus fines, ſaltus, nemoroſáque teſqua,
Et ſylvas, vaſtáque feras indagine claudit.
Non deſunt campi, non deſunt pabula Magno,
Caſtráque Cæſareo circumdatus aggere mutat.
Flumina tot curſus illic exorta fatigant,
Illic merſa ſuos: operúmque ut ſumma reviſat,
Defeſſus Cæſar mediis intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adſcribátque Deis: fragili circundata teſtâ
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.
En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Aſſyriis quantum populis telluris Eoæ
Sufficit in regnum, ſubitum, belliſque tumultu
Raptum clauſit opus. tanti periere labores.
Tot potuere manus adjungere Seſton Abydo,
Ingeſtóque ſolo Phryxeum elidere pontum,
Aut Pelopis laris Ephyren abrumpere regnis,
Et ratibus longæ flexus donare Maleæ,
Aut aliquem mundi, quamvis Natura negáſſet,
In melius mutare locum. coit arca belli:
Hìc alitur ſanguis terras fluxurus in omneis,
Hìc & Theſſalicæ clades, Libycæque tenentur.
Æſtuat anguſtâ rabies civilis arenâ.
Prima quidem ſurgens operum ſtructura fefellit
Pompeium: veluti mediæ qui tutus in arvis
Sicaniæ rapidum neſcit latrare Pelorum:
Aut vaga cùm Tethys, Rutupináque litora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primùm vaſto ſeptas videt aggere terras:
Ipſe quoque à tutâ deducens agmina Petrâ
Diverſis ſpargit tumulis, ut Cæſaris arma
Laxet, & effuſo claudentem milite tendat.
Ac tantum ſepti vallo ſibi vendicat agri,
Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelsâ nemoralis Aricia Româ:
Quóque modo Romæ prælapſus mœnia Tybris
In mare deſcendit, ſi nuſquam torqueat amnem.
Claſſica nulla ſonant, injuſtáque tela vagantur:
Et ſit ſæpe nefas, jaculum tentante lacerto.
Major cura duces miſcendis abſtrahit armis.
Pompeium exhauſtæ prœbenda ad pabula terræ,
Quæ currens obtrivit eques, gradibúſque citatis
Ungula frondentem diſcuſſit cornea campum.
Belliger attonſis ſonipes deteſſus in arvis,
Advectos cùm plena ferant præſepia culmos,
Ore novas poſcens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.

LIBER VI.

POSTQUAM caſtra duces, pugnæ jam mente propinqui,
Impoſuere jugis, admotáque comminus arma,
Párque ſuum videre Dei, capere omnia Cæſar

Cor-

Corpora tum ſolvit tabes, & digerit artus.
Traxit iners cœlum fluidæ contagia peſtis
Obſcuram in nubem. tali ſpiramine Neſis
Emittit Stygium nebulosis aëra ſaxis,
Antráque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
Indè labant populi, cœlóque paratior unda
Omne pati virus duravit viſcera cœno.
Jam riget atra cutis, diſtentáque lumina rumpit:
Igneáque in vultus, & ſacro fervida morbo
Peſtis abit, feſſúmque caput ſe ferre recuſat.
Jam magis atque magis præceps agit omnia fatum:
Nec medii dirimunt morbi vitámque necémque:
Sed languor cum morte venit, turbâque cadentum
Aucta lues, dum miſta jacent incondita vivis
Corpora: nam miſeros ultra tentoria cives
Spargere funus erat. tamen hos minuere labores
A tergo pelagus, pulſúſque Aquilonibus aër,
Litoráque, & plenæ peregrinâ meſſe carinæ.
At liber terræ ſpatioſis collibus hoſtis
Aëre non pigro, non inertibus angitur undis:
Sed patitur ſævam, veluti circumdatus arctâ
Obſidione, famem. nondum ſurgentibus altam
In ſegetem culmis, cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos,
E morſu ſpoliare nemus, letúmque minanteis
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Quæ mollire queunt flammâ, quæ frangere morſu,
Quæque per abraſas utero demittere fauces,
Plurimáque humanis antehac incognita menſis
Diripiens miles, ſaturum tamen oblidet hoſtem.
Ut primùm libuit ruptis evadere claustris
Pompeio, cunctáſque ſibi permittere terras:
Non obſcura petit latebroſæ tempora noctis,
Et raptum furto ſoceri ceſſantibus armis
Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quærit, & impulſo turres confringere vallo,
Pérque omneis gladios, & quà via cæde paranda eſt.
Opportuna tamen valli pars viſa propinqui,
Quam Minuti caſtella vocant, & contraga denſis
Arboribus dumeta tegunt. huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, ſubitúſque ad mœnia venit.
Tot ſimul è campis Latiæ fulſere volucres:
Tot cecinere tubæ. ne quid victoria ferro
Deberet, pavor attonitos confecerat hoſtes.
Quod ſolum valuit virtus, jacuere peremti,
Debuerant quo ſtare loco: qui vulnera ferrent,
Jam deerant, nimbúſque ferens tot tela peribat.
Tum piceos volvunt immiſſæ lampadis ignes:
Tum quaſſæ nutant turres, lapſúmque minantur.
Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam Pompeianæ celſi ſuper ardua valli
Exierant Aquilæ; jam mundi jura petebant.
Quem non mille ſimul turmis, nec Cæſare toto
Auterret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, vetuſtque capi, ſéque arma tenente,
Ac nondum ſtrato, Magnum viciſſe negavit.
Scæva viro nomen: caſtrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi ſanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.
Pronus ad omne nefas, & qui neſciret, in armis
Quàm magnum virtus crimen civilibus eſſet.
Hic ubi quærentes ſocios jam Marte relicto
Tuta fugæ cernit; quò vos pavor, inquit, abegit
Impius, & cunctis ignotus Cæſaris armis?
O famuli turpes, ſervum pecus, abſque cruore
Terga datis morti? cumulo vos deeſſe virorum
Non pudet, & buſtis, intérque cadavera quæri?
Non irâ ſaltem juvenes, pietate remotâ,
Stabitis? è cunctis per quos erumperet hoſtis,
Nos ſumus electi. non parvo ſanguine Magni
Iſta dies ierit. peterem felicior umbras
Cæſaris in vultu. teſtem hunc Fortuna negavit:
Pompeio laudante cadam. confringite tela
Pectoris incurſu, jugulúſque retundite ferrum.
Jam longinqua petit pulvis, ſonitúſque ruinæ,
Securáſque fragor concuſſit Cæſaris aures.
Vincimus ô ſocii; veniet qui vendicet arces,
Dum morimur. Movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo ſuccendunt claſſica cantu:
Mirantéſque virum, atque avidi ſpectare ſequuntur
Scituri juvenes, numero deprenſi, locóque,
An plus quàm mortem virtus daret. ille ruenti
Aggere conſiſtit, primúmque cadavera plenis
Turribus evolvit, ſubeuntéſque obruit hoſtes
Corporibus: totæque viro dant tela ruinæ,
Roboráque, & moles; hoſti ſéque ipſe minatur.
Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, & valli ſumma tenentes
Amputat enſe manus: caput obterit, oſſáque ſaxo,
Ac malè defenſum fragili compage cerebrum
Diſſipat: alterius flammâ crinéſque genáſque
Succendit: ſtrident oculis ardentibus ignes.
Ut primùm cumulo creſcente cadavera murum
Admovere ſolo: non ſegnior extulit illum
Saltus, & in medias jecit ſuper arma catervas;
Quàm per ſumma rapit celerem venabula pardum.
Tunc denſos inter cuneos compreſſus, & omni
Vallatus bello vincit, quem reſpicit, hoſtem.
Jámque hebes, & craſſo non aſper ſanguine mucro
Percuſſum Scævæ frangit, non vulnerat, hoſtem.
Perdidit enſis opus, frangit ſinè vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:
Párque novum Fortuna videt concurrere, bellum,
Atque virum. fortis crebris ſonat ictibus umbo,
Et galeæ fragmenta cavæ compreſſa perurunt
Tempora: nec quicquam nudis vitalibus obſtat
Jam, præter ſtantes in ſummis oſſibus haſtas.
Quid nunc veſani jaculis, levibúſque ſagittis
Perditis hæſuros nunquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vaſti muralia pondera ſaxi:
Hunc aries ferro, balliſtáque limine portæ
Summoveat: ſtat non fragilis pro Cæſare murus,
Pompeiúmque tenet: jam pectora non tegit armis:
Ac veritus credi clypeo, lævâque vacâſſe,
Aut culpâ viviſſe ſuâ, tot vulnera belli
Solus obit, denſámque ferens in pectore ſylvam,
Jam gradibus feſſis, in quem cadat, eligit hoſtem,
Par pelagi monſtris. Libycæ ſic bellua terræ,
Getulus denſis Elephas oppreſſus ab armis
Omne repercuſſum ſqualenti miſſile tergo
Frangit, & hærentes motâ cute diſcutit haſtas.
Viſcera tuta latent penitus, citráque cruorem
Confixæ ſtant tela feræ: tot facta ſagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictæâ procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Scævam, quæ voto certior omni
In caput, atque oculi lævum deſcendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum & vincula rumpit,
Affixam vellens oculo pendente ſagittam
Intrepidus, telúmque ſuo cum lumine calcat.
Pannonis haud aliter poſt ictum ſævior urſa,
Cùm jaculum parvâ Libys amentavit habenâ,
Se rotat in vulnus: telúmque irata receptum
Impetit, & ſecum fugientem circuit haſtam.
Perdiderat vultum rabies: ſtetit imbre cruento
Informis facies: lætus fragor æthera pulſat
Victorum: majora viris de ſanguine parvo
Gaudia non faceret conſpectum in Cæſare vulnus.
Ille tegens altâ ſuppreſſum mente dolorem,
Mitis, & à vultu penitus virtute remotâ,
Parcite, ait, cives: procul hinc avertite ferrum:
Collatura meæ nil ſunt jam vulnera morti:
Non eget ingeſtis, ſed vultis pectore telis.
Tollite, & in Magni viventem ponite caſtris:
Hoc veſtro præſtate duci: ſit Scæva relicti
Cæſaris exemplum potiùs, quàm mortis honeſtæ.
Credidit infelix ſimulatis vocibus Aulus:
Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:
Membráque captivi pariter laturus, & arma,
Fulmineum mediis excepit faucibus enſem.
Incaluit virtus: atque unâ cæde reſectus
Solvat, ait, pœnas, Scævam quicunque ſubactum
Speravit; pacem gladio ſi quærit ab iſto
Magnus, adorato ſubmittat Cæſare ſigna.
An ſimilem veſtrî, ſegnémque ad fata putâſtis?
Pompeii vobis minor eſt, cauſæque Senatûs,
Quàm mihi mortis amor. Simul hæc effatus, & altus
Cæſareas pulvis teſtatur adeſſe cohortes.
Dedecus hic belli Magno, criménque remiſit,
Ne ſolum totæ fugerent te Scæva catervæ:
Subducto qui Marte ruis: nam ſanguine fuſo
Vires pugna dabat. labentem turba ſuorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.
At veluti inclusum perfoſſo in pectore numen,
Et vivam magnæ ſpeciem Virtutis adorant:
Teláque confixis certant evellere membris,

Exornántque Deos, ac nudum pectore Martem
Armis Scæva tuis, felix hôc nomine famæ,
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dediſſet
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
Non tu bellorum ſpoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu lætis ululare triumphis.
Infelix, quantâ dominum virtute parâſti!
Nec magis hâc Magnus caſtrorum parte repulſus
Intrà claustra piger dilato Marte quievit,
Quàm mare ſaltatur, cùm ſe tollentibus Euris,
Frangentem fluctus ſcopulum ferit, aut latus alti
Montis adeſt, ferámque ſibi parat unda ruinam,
Hinc vicina peteus placido caſtella profundo
In curſu gemini Martis rapit: armáque latè
Spargit, & effuſo laxat tentoria campo:
Mutandæque juvat permiſſa licentia terræ.
Sic pleno Padus ore tumens ſuper aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit ſi quà tellus, cumulúmque furentem
Undarum non paſſa, ruit: tum flumine toto
Tranſit, & ignotos aperit ſibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt, donante Pado. vix prælia Cæſar
Senſerat, elatus ſpeculâ quæ prodidit ignis.
Invenit inpulſos preſſo jam pulvere muros,
Frigidáque ut veteris deprendit ſigna ruinæ:
Accendit pax ipſa loci, movſtque furorem
Pompeiana quies, & victo Cæſare ſomnus.
Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
Torquato ruit indè minax: qui Cæſaris arma
Segniùs haud vidit, quàm malo nauta tremente
Omnia Circeæ ſubducit vela procellæ:
Agminaque interiùs muro breviore recepit,
Denſiùs ut parvâ diſponeret arma coronâ.
Tranſierat primi Cæſar munimina valli,
Cùm ſupèr è totis emiſit collibus agmen,
Effuditque acies obſeptum Magnus in hoſtem.
Non ſic Ætnæis habitans in vallibus horret
Enceladum ſpirante Noto, cùm tota cavernas
Erigit, & torrens in campos defluit Ætna:
Cæſaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, cæci trepidus ſub nube timoris
Hoſtibus occurrit fugiens, ſnque ipſa pavendo
Fata ruit. totus mitti civilibus armis
Uſque vel in pacem potuit cruor: ipſe furenteis
Dux tenuit gladios. Felix, ac libera legum
Roma fores, juriſque tui, viciſſet in illo
Si tibi Sylla loco. dolet heu, ſempérque dolebit,
Quòd ſcelerum Cæſar prodeſt tibi ſumma tuorum
Cum genero pugnâſſe pio. Prò triſtia fata,
Non Uticæ Libye clades, Hiſpania Mundæ
Flêſſet, & infando pollutus ſanguine Nilus
Nobilius Pharioſtâſſet rege cadaver:
Nec Juba Marmaricas nudus preſſiſſet arenas,
Pœnorúmque umbras placâſſet ſanguine fuſo
Scipio: nec ſancto caruiſſet vita Catone.
Ultimus eſſe dies potuit tibi Roma malorum:
Exire è mediis potuit Pharſalia ſatis.
Deſerit adverſo poſſeſſam numine ſedem
Cæſar, & Emathias lacero petit agmine terras.
Arma ſecuturum ſoceri, quacunque fugâſſet,
Tentavere ſui comites divertere Magnum,
Hortati, patrias ſedes, atque hoſte carentem
Auſoniam peteret. Nunquam me Cæſaris, inquit,
Exemplo reddam patriæ, nunquámque videbit
Me, niſi dimiſſo redeuntem milite Roma.
Heſperiam potui, motu ſurgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis,
Ac medio pugnare foro. dum bella relegem,
Extremum Scythici tranſcendam frigoris orbem,
Ardentéſque plagas. victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui, ne premerent te prælia, fugi?
Ah potiùs, ne quid bello patiaris in iſto,
Te Cæſar putet eſſe ſuam. Sic fatus, in ortus
Phœbeos convertit iter, terræque ſecutus
Devia, quà vaſtos aperit Candavia ſaltus,
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.
Theſſaliam, quâ parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Oſſæa coërcet.
Cùm per ſumma poli Phœbum trahit altior æſtas,
Pelion opponit radiis naſcentibus umbras.
At medios ignes cœli, rabidíque Leonis
Solſtitiale caput nemoroſus ſubmovet Orhrys.
Excipit adverſos Zephyros, & lapyga Pindus,
Et maturato præcidit veſpere lucem.
Nec metuens imi Borean habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
Hos inter montes mediâ qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere plaudibus agri:
Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelago, ſtagnúmque implentibus undis
Creſcere curtùs erat. poſtquam diſceſſit Olympo
Herculeâ gravis Oſſa manu, ſubitæque ruinam
Senſit aquæ Nereus: meliùs mantura ſub undis,
Emathis æquorei regnum Pharſalos Achillis
Eminet, & primâ Rhœteïa litora pinu
Quæ tetigit Phylace, Prateóſque, & Dorion irâ
Flebile Pieridum, Trachin, pretióque nefandæ
Lampados Herculeis fortis Meliboea pharetris:
Atque olim Lariſſa potens: ubi nobile quondam
Nunc ſuper Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monſtrat Echionias: ubi quondam Pentheos exul,
Colla, capûtque ferens ſupremo tradidit igni,
Queſta quòd hoc ſolum nato rapuiſſet Agave.
Ergo abrupta palus multos diſceſſit in amnes.
Purus in occaſus, parvi ſed gurgitis, Æas
Ionio fluit indè mari: nec fortior undis
Labitur avectæ pater Iſidis, & tuus, Oeneu,
Penè gener craſſis oblimat Echinadas undis:
Et Meleagream maculatus ſanguine Neſſi
Euenos Calydona ſecat. ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas; & flumine puro
Irrigat Amphrytos famulantis paſcua Phœbi.
Quíque nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos ſuſpirat Anauros;
Et quiſquis pelago per ſe non cognitus amnis
Peneo donavit aquas. it gurgite rapto
Apidanos: nunquámque celer, niſi miſtus, Enipeus.
Accipit Aſopos curſus, Phœníxque, Melâſque.
Solus in alterius nomen cùm venerit undæ,
Defendit Titareſus aquas, lapſúſque ſupernè
Gurgite Penei pro ſiccis utitur arvis.
Hunc fama eſt Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, ſuperûmque ſibi ſervare timorem.
Ut primùm emiſſis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Bœbicio diſceſſit vomere ſulcus:
Mox Lelegum dextrâ preſſum deſcendit aratrum.
Æolidæ, Dolopéſque ſolum fregere coloni,
Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis,
Illic ſemiferos Ixionidas Centauros
Fœta Pelethroniis nubes effudit in antris.
Aſpera te Pholoes frangentem Monyche ſaxa,
Téque ſub Oetæo torquentem vertice vulſas,
Rhœce ferox, quas vix Boreas inverteret, ornos:
Hoſpes & Alcidæ magni Phole: téque per amnem
Improbe Lerneas vector paſſure ſagittas:
Teque ſenex Chiron, gelido qui ſidere fulgens
Impetis Æmonio majorem Scorpion arcu.
Hâc tellure feri micuerunt ſemina Martis.
Primus ab æquoreâ percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exiluit; primus chalybem, frænóſque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.
Prima fretum ſcindens Pagaſæo litore pinus,
Terrenum ignotas hominem protecit in undas.
Primus Theſſalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percuſſit pondera maſſæ,
Fudit & argentum flammis, aurúmque monetâ
Fregit, & immenſis coxit fornacibus æra.
Illic, quod populos ſcelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum eſt. hinc maxima ſerpens
Deſcendit Python, Cyrrhæáque fluxit in antra:
Unde & Theſſalicæ veniunt ad Pythia laurus.
Impius hinc prolem ſuperis immiſit Aloeus,
Inſeruit celſis propè ſe cùm Pelion aſtris,
Sideribúſque vias incumbens abſtulit Oſſa.
Hâc ubi damnatâ fatis tellure locârunt
Caſtra duces: cunctos belli præſaga futuri
Mens agitat, ſummíque gravem diſcriminis horam
Adventare palàm eſt, propiùs jam fata moveri
Degeneres trepidant animi, pejoráque verſant.
Ad dubios pauci præſumto robore caſus
Spémque metúmque ferunt. Turbæ ſed miſtus inerti
Sextus erat, Magno proles indigna parente,
Qui mox Scyllæis exul graſſatus in undis,
Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.
Qui ſtimulante metu fati prænoſcere curſus,

Im-

Impatiénſque moræ, venturiſque omnibus æger;
Non tripodas Deli, non Pythia conſulit antra,
Nec quæſiſſe libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona ſonet, quis noſcere fibrâ
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet, & Aſſyriâ ſcrutetur ſidera curâ,
Aut ſiquid tacitum, ſed fas, erat. ille ſupernis
Deteſtanda Deis ſævorum arcana Magorum
Moverat, & triſteis ſacris feralibus aras,
Umbrarum, Ditiſque fidem: miſeróque liquebat
Scire parum Superos. vanum, ſævúmque furorem
Adjuvat ipſe locus, vicináque mœnia caſtris
Hæmonidum, fícti quas nulla licentia monſtri
Trauſierat, quarum, quicquid non creditur, ars eſt.
Theſſala quinetiam tellus herbáſque nocenteis
Rupibus ingenuit, ſenſuráque ſaxa canentes
Arcanum ferale Magos. ibi plurima ſurgunt
Vim factura Deis. & terris hoſpita Colchis
Legit in Hæmoniis, quas non advexerat, herbas.
Impia, tot populis, tot ſurdas gentibus aures
Cœlicolûm, diræ convertunt carmina genuis.
Una per æthereos exit vox illa receſſus,
Verbáque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli, cœlique volubilis unquam
Avocat. infandum tetigit cum ſidera murmur,
Tunc Babylon Perſea licèt, ſecretáque Memphis
Omne vetuſtorum ſolvat penetrale Magorum:
Abducit ſuperos alienis Theſſalis aris.
Carmine Theſſalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammiſque ſeveri
Illicitis arſere ſenes. nec noxia tantum
Pocula perficiunt, aut cùm turgentia ſucco
Frontis amaturæ ſubducunt pignora fœtæ.
Mens hauſti nullâ ſanie polluta veneni
Excantata perit. quos non concordia miſti
Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
Traxerunt torti magicâ vertigine fili.
Ceſſavere vices rerum: dilatáque longâ
Hæſit nocte dies: legi non paruit æther.
Torpuit & præceps audito carmine mundus:
Axibus & rapidis impulſos Jupiter urgens
Miratur non ire polos. nunc omnia complent
Imbribus, & calido producunt nubila Phœbo:
Et tonat ignaro cœlum Jove. vocibus iiſdem
Humentes latè nebulas, nimbóſque ſolutis
Excuſſere comis, ventis ceſſantibus, æquor
Intumuit: rurſus vetitum ſentire procellas
Conticuit turbante Noto: puppímque ferentes
In ventum tumuere ſinus. de rupe pependit
Abſciſsâ fixus torrens: amniſque cucurrit,
Non quà pronus erat. Nilum non extulit æſtas:
Mæander direxit aquas: Rhodanúmque morantem
Præcipitavit Arar: ſubmiſſo vertice montes
Explicuere jugum. nubes ſuſpexit Olympus:
Solibus & nullis Scythicæ, cùm bruma rigeret,
Dimaduere nives. impulſam ſidere Tethyn
Reppulit Hæmonidum, defenſo litore, carmen.
Terra quoque immoti concuſſit ponderis axem,
Et medium vergens niſu titubavit in orbem.
Tantæ molis onus percuſſum voce receſſit,
Proſpectúmque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti, genitúmque nocere,
Et pavet Hæmonias, & mortibus inſtruit arteis:
Has avidæ tigres, & nobilis ira leonum
Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoſo coluber diſtenditur arvo.
Viperei coëunt, abrupto corpore, nodi:
Humanóque cadit ſerpens afflata veneno.
Quis labor hic ſuperis, cantus herbáſque ſequendi
Spernendíque timor? cujus commercia pacti
Obſtrictos habuere Deos? parere neceſſe eſt,
An juvat? ignotâ tantum pietate merentur?
An tacitis valuere minis? hoc juris in omneis
Eſt illis ſuperos? an habent hæc carmina certum
Imperioſa Deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipſe, poteſt? illis & ſidera primùm
Præcipiti deducta polo: Phœbéque ſerena
Non aliter diris verborum obſeſſa venenis
Palluit, & nigris terretur ſque ignibus arſit,
Quàm ſi fraternâ prohiberet imagine tellus,
Inſererétque ſuas flammis cœleſtibus umbras.
Et patitur tantos cantu deprenſa labores,
Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.
Hos ſcelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
Effera damnárat nimiæ pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
Illi namque nefas urbis ſubmittere tecto
Aut laribus ferale caput: deſertáque buſta
Incolit, & tumulos expulſis obtinet umbris,
Grata Deis Erebi. cœtus audire ſilentum,
Nôſſe domos Stygias, arcanáque Ditis operti
Non ſuperi, non vita vetat. tenet ora profana
Fœda ſitu macies, cœlóque ignota ſereno.
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis. ſi nimbus, & atræ
Sidera ſubducunt nubes, tunc Theſſala nudis
Egreditur buſtis, nocturnáque fulgura captat.
Semina fœcundæ ſegetis calcata peruffit,
Et non letiferas ſpirando perdidit auras.
Nec ſuperos orat, nec cantu ſupplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litanteis
Novit: funereas aris imponere flammas
Gaudet, & accenſo rapuit quæ thura ſepulcro.
Omne nefas Superi primâ jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire ſecundum.
Viventes animas, & adhuc ſua membra regentes,
Infodit buſto: fatis debentibus annos
Mors invita ſubit: perverſâ funera pompâ
Rettulit à tumulis: fugere cadavera letum.
Fumantes juvenum cineres, ardentiáque oſſa
E mediis rapit illa rogis, ipſámque parentes
Quam tenuere facem; nigróque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, veſtéſque fluentes
Colligit in cineres, & olentes membra favillas.
Aſt ubi ſervantur ſaxis, quibus intimus humor
Ducitur, & tractâ dureſcunt tabe medullæ
Corpora; tunc omneis avidè deſævit in artus,
Immerſíque manus oculis: gaudetque gelatos
Effodiſſe orbes: & ſiccæ pallida rodit
Excrementa manûs: laqueum, nodóſque nocenteis
Ore ſuo rupit: pendentia corpora carpſit,
Abraſíque cruces: percuſſáque viſcera nimbis
Vulſit, & incoctas admiſſo ſole medullas.
Inſertum manibus chalybem, nigrámque per artus
Stillantis tabi ſaniem, viruſque coactum
Suſtulit, & nervo morſus retinente pependit,
Et quacunque jacet nudum tellure cadaver,
Ante feras, volucréſque ſedet: nec carpere membra
Vult ferro manibúſque ſuis, morſúſque luporum
Expectat, ſiccis raptura è faucibus artus.
Nec ceſſant à cæde manus, ſi ſanguine vivo
Eſt opus, erumpat jugulo qui primus aperto.
Nec refugit cædes, vivum ſi ſacra cruorem,
Extáque funereæ poſcunt trepidantia mentæ;
Vulnere ſic ventris, non, quà Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
Et quoties lævis opus eſt, ac fortibus umbris,
Ipſa facit manes. hominum mors omnis in uſu eſt.
Illa genæ florem primævo corpore vulſit,
Illa comam lævâ morienti abſcidit ephebo.
Sæpe etiam caris cognato in funere dira
Theſſalis incubuit membris: atque oſcula fingens
Truncavíque caput, compreſſáque dentibus ora
Laxavit: ſiccóque hærentem gutture linguam
Præmordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanúmque nefas Stygias mandavit ad umbras.
Hanc ut fama loci Pompeio prodidit: altâ
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub noſtrâ tellure diem: deſerta per arva
Carpit iter. fidi ſcelerum, ſuetíque miniſtri
Effractos circùm tumulos, ac buſta vagati
Conſpexere procul præruptâ in caute ſedentem,
Quà juga devexus Pharſalica porrigit Æmus.
Illa Magis, magicíſque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in uſus.
Namque timens, ne Mars alium vagus iret in orbem,
Emathis & tellus tam multâ cæde careret;
Pollutos cantu, dirſque veneſica ſuccis
Conſperſos, vetuit tranſmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura ſuas, uſuráque mundi
Sanguine: cæſorum truncare cadavera Regum
Sperat, & Heſperiæ cineres avertere gentis,
Oſſáque nobilium, tantóſque acquirere manes.
Hic ardor, ſolúſque labor, quid corpore Magni
Projecto rapiat, quos Cæſaris involet artus.
Quam prior affatur Pompeii ignava propago.
O decus Hæmonidum, populis quæ pandere fata,
Quæque ſuo ventura potes devertere curſu

Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
Quem belli fortuna paret. non ultima turbæ
Pars ego Romanæ, Magni clarissima proles;
Vel dominus rerum, vel tanti funeris hæres.
Mens dubiis percussa pavet, rursúsque parata est
Certos ferre metus. hoc casibus eripe juris:
Ne subiti, cæcique ruant: vel numina torque,
Vel tu parce Deis, & Manibus exprime verum.
Elysias resera sedes, ipsámque vocatam,
Quos petat è nobis, Mortem tibi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum, quod quærere cures,
Vel tibi, quò tanti præponderet alea fati.
Impia lætatur vulgatæ nomine famæ
Thessalis, & contrà: Si fata minora moveres,
Pronum erat, ô juvenis, quos velles (inquit) in actus
Invitos præbere Deos. conceditur arti,
Unam cùm radiis presserunt sidera mortem,
Inseruisse moras: & quamvis fecerit omnis
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul à primâ descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant,
Si quicquam mutare velis, unóque sub ictu
Stat genus humanum: tunc, Thessala turba fatemur,
Plus Fortuna potest. sed si prænoscere casus
Contentus, faciles aditus, multíque patebunt
Ad verum: tellus nobis, æthérque, chaósque,
Æquoráque, & campi, Rhodopeáque saxa loquentur.
Sed pronum, cùm tanta novæ sit copia mortis,
Emathiis unum campis attollere corpus,
Ut modò defuncti, tepidíque cadaveris ora
Plenâ voce sonent: ne membris sole perustis
Auribus incertum feralis stridcat umbra.
Dixerat: & noctis geminatis arte tenebris,
Mœstum tecta caput squalenti nube, pererrat
Corpora cæsorum, tumulis projecta negatis.
Continuò fugere lupi, fugere revulsis
Unguibus impastæ volucres, dum Thessala vatem
Eligit, & gelidas leto scrutata medullas,
Pulmonis rigidi stantes sinè vulnere fibras
Invenit, & vocem defuncto in corpore quærit.
Fata perentorum pendent jam multa virorum,
Quem superis revocásse velit. si tollere totas
Tentâsset campis acies, & reddere bello:
Cessissent leges Erebi, monstróque potenti
Extractus Stygio populus pugnâsset Averno.
Electum tandem trajecto gutture corpus
Ducit, & inserto laqueis feralibus unco,
Per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
Victurum: montisque cavi, quem tristis Erichtho
Damnârat sacris, aitâ sub rupe locatur.
Haud procul à Ditis cæcis depressa cavernis
In præceps subsedit humus: quam pallida pronis
Urget sylva comis, & nullo vertice cœlum
Suspiciens, Phœbo non pervia taxus opacat.
Marcentes intus tenebræ, pallénsque sub antris
Longâ nocte situs, nunquam, niti carmine factum,
Lumen habet. non Tænareis si faucibus aër
Sedit iners, mœstum mundi confine latentis,
Ac nostri: quò non metuunt emittere manes
Tartarei reges. nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc,
Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor, & vario furialis cultus amictu
Induitur, vultúsque operitur crine soluto,
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos juvenis comites, ipsúmque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu:
Ponite, ait, tripidâ conceptos mente timores:
Jam nova, jam verâ reddetur vita figurâ:
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
Si verò Stygiósque lacus, ripámque sonantem
Ignibus ostendam, si me præsente videri
Eumenides possent, villosáque colla colubris
Cerberus excutiens, & vincti terga Gigantes,
Quis timor, ignavi, metuentes cernere manes?
Pectora tunc primùm ferventi sanguine supplet
Vulneribus laxata novis: tabóque medullas
Abluit; & virus largè lunare ministrat.
Huc quicquid fœtu genuit Natura sinistro
Miscetur. non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ
Defuit, & cervi pasti serpente medulla:
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneïs aquis, oculíque draconum,
Quæque sonant fœtâ tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innatáque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ:
Aut viventis adhuc Libyci membrana ceraslæ,
Aut cinis Eoâ politi Phœnicis in arâ.
Quò postquam viles, & habentes nomina pestes
Contulit: infando saturatas carmine frondes,
Et quibus os dirum nascentibus insputt, herbas
Addidit, & quicquid mundo dedit ipsa veneni.
Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confundit murmura primùm
Dissona, & humanæ multùm discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitúsque luporum.
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod strident ululántque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, & planctus illisæ cautibus undæ,
Sylvarúmque sonum, fractæque tonitrua nubis:
Tot rerum vox una fuit. mox cætera cantu
Explicat Hæmonio, penetrátque in Tartara linguâ.
Eumenides, Stygiúmque nefas, pœnæque nocentum
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos,
Et Rector terræ, quem longa in secula torquet
Mors dilata deûm, Styx, & quos nulla meretur
Thessalis, Elysios, cælum, matrómque perosa
Persephone, nostræque Hecates pars ultima, per quam
Manibus & mihi sunt tacitæ commercia linguæ:
Janitor & sedis laxæ, qui viscera sævo
Spargis nostra cani: repetitáque fila sorores
Fraturæ: túque ô flagrantis portitor undæ
Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris;
Exaudite preces, si vos satis ore nefando,
Pollutóque voco, si nunquam hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano, si pectora plena
Sæpe dedi, & lavi calido profecta cerebro:
Si quis, qui vestris capur, extáque lancibus infans
Imposuit, victurus erat, parete precanti.
Non in Tartareo latitantem polcimus antro,
Assuetámque diu tenebris, modò luce fugatâ
Descendentem animam: primo pallentis hiatu
Hæret adhuc Orci, licet has exaudiat herbas
Ad manes ventura semel. Ducis omnia nato
Pompeiana canat noti modò militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur.
Hæc ubi fata caput, spumantiáque ora levavit,
Aspicit astantem projecti corporis umbram,
Exanimes artus, invisáque claustra timentem
Carceris antiqui. pavet ire in pectus apertum,
Viscerâque, & ruptas letali vulnere fibras.
Ah miser extremum cui mortis munus iniquæ
Eripitur non posse mori. miratur Erichtho
Has fatis licuisse moras, iratáque morti
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Pérque cavas terræ, quas egit carmine, rimas
Manibus illarrat, regnsque silentia rumpit.
Tisiphone, vocísque meæ secura Megæra,
Non agitis sævis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiásque canes in luce supernâ
Destituam: per busta sequar, per funera custos,
Expeliam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
Téque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida formâ,
Ostendam, faciémque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes, quo fœdere mœstum
Regem noctis ames, quæ te contagia passam
Noluerit revocare Ceres. tibi pessime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. Paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussâ tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibúsque suis trepidam castigat Erinnym,
Indespecta tenet vobis qui Tartara; cujus
Vos estis superi; Stygias qui pejerat undas?
Protinus astrictus caluit cruor, atráque fovit
Vulnera, & in venas extremáque membra cucurrit.
Percussæ gelido trepidant sub pectore fibræ:
Et nova desuetis subrepens vita medullis,
Miscetur morti. tunc omnis palpitat artus,
Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver
Paulatim per membra levat, terrâque repulsum est,
Erectúmque simul. distento lumina rictu
Nudantur, nondum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. remanet pallórque rigórque,

Et

Et ſtupet illatus mundo. ſed murmure nullo
Ora aſtricta ſonant. vox illi, linguáque tantùm
Reſponſura datur. dic, inquit Theſſala, magnâ,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præſtabimus ævo
Artibus Hæmoniis: tali tua membra ſepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine ſylvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti vixiſſe iterum: nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ ſomnum tibi ſolvere Lethes,
A me morte datâ. tripodas, vatéſque deorum
Sors obſcura tenet. certus diſcedit, ab umbris
Quiſquis vera petit, duræque oracula mortis
Fortis adit. ne parce precor. da nomina rebus,
Da loca, da vocem, quâ mecum fata loquantur.
  Addidit & carmen, quo, quidquid conſulit, umbram
Scire dedit. Mœſtum fletu manante cadaver,
Triſtia non equidem Parcarum ſtamina, dixit,
Reſpexi, tacitæ revocatus ab aggere ripæ:
Quod tamen è cunctis mihi noſcere contigit umbris,
Efferа Romanos agitat diſcordia manes,
Impiáque infernam ruperunt arma quietem.
Elyſias alii ſedes, ac Tartara mœſta
Diverſi liquere duces: quid fata pararent,
Hi fecere palám. triſtis felicibus umbris
Vultus erat. Vidi Decios, natúmque patrémque,
Luſtrales bellis animas, flentémque Camillum,
Et Curios; Syllam de te, Fortuna, querentem.
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infauſtam ſobolem. major Carthaginis hoſtis,
Non ſervituri mœret Cato fata nepotis.
Solum te Conſul depulſis prime tyrannis
Brute pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax, tractiſque catenis
Exultat, Mariſque truces, nudíque Cethegi.
Vidi ego lætantes popularia nomina Druſos,
Legibus immodicos, auſóique ingentia Gracchos.
Æternis chalybum nodis, & carcere Ditis
Conſtrictæ plauſere manus: campóſque piorum
Poſcit turba nocens. regni poſſeſſor inertis
Pallentes aperit ſedes, abruptáque ſaxa
Aſperat, & durum vinclis adamanta, parátque
Pœnam victori. refer hæc ſolatia tecum,
O juvenis, placido manes, patrémque, domúmque,
Expectare ſinu, regníque in parte ſerenâ
Pompeio ſervare locum, nec gloria parvæ
Sollicitet vitæ: veniet quæ miſceat omneis
Hora duces. properate mori, magnóque ſuperbi
Quamvis è parvis animo deſcendite buſtis,
Et Romanorum manes calcate Deorum.
Quem tumulum Nili, quem Tibridis abluat unda,
Quæritur, & ducibus tantùm de funere pugna eſt.
Tu fatum ne quære tuum cognoſcere: Parcæ,
Me reticente, dabunt: tibi certior omnia Vates
Ipſe canet Siculis genitor Pompeius in arvis:
Ille quoque incertus, quò te vocet, unde repellat,
Quas jubeat vitare plagas, quæ ſidera mundi.
Europam miſeri, Libyámque, Aſiámque timete:
Diſtribuit tumulos veſtris fortuna triumphis.
O miſeranda domus, toto nihil orbe videbis
Tutius Emathiâ. Sic poſtquam fata peregit;
Stat vultu mœſtus tacito, mortémque repoſcit.
Carminibus magicis opus eſt, herbíſque, cadaver
Ut cadat, & nequeunt animam tibi reddere fata
Conſumto jam jure ſemel. Tum robore multo
Extruit illa rogum: venit defunctus ad ignes:
Accenſâ juvenem poſitum ſtrue linquit Erichtho,
Tandem paſſa mori. Sextóque ad caſtra parentis
It comes, & cœlo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intrà tentoria greſſus,
Juſſa tenere diem denſas nox præſtitit umbras.

Nam Pompeiani viſus ſibi ſcæe theatri
Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis,
Attolliſque ſuum lætis ad ſidera nomen
Vocibus, & plauſu cuneos certare ſonanteis.
Qualis erat populi facies, clamórque faventis,
Olim cùm juvenis, primíque ætate triumphi
Poſt domitas gentes, quas torrens ambit Iberus,
Et quæcunque fugax Sertorius impulit arma,
Veſpere pacato, purâ venerabilis æquè
Quàm currus ornante togâ, plaudente Senatu,
Sedit adhuc Romanus eques. Seu fine bonorum
Anxia venturis ad tempora læta refugit:
Sive per ambages ſolitas contraria vitis
Vaticinata quies, magni tulit omina planctûs:
Seu vetito patrias ultrà tibi cernere ſedes,
Sic Romam Fortuna dedit. Ne rumpite ſomnos,
Caſtrorum vigiles, nullas tuba verberet aures.
Crallina dira quies, & imagine mœſta diurnâ
Undique funeſtas acies ferat, undique bellum.
Unde pares ſomnos populi, noctémque beatam?
O felix, ſi te vel ſic tua Roma videret.
Donâſſent utinam Superi, patriæque, tibíque
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Auſoniâ vadis moriturus in urbe:
Illa rati ſemper de te ſibi conſcia voti
Hoc ſcelus haud unquam fatis hærere putavit,
Sic ſe dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te miſto flêſſet luctu, juvenísque ſenéxque,
Injuſtúſque puer: lacerâſſet crine ſoluto
Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus.
Nunc quoque tela licèt paveant victoris iniqui,
Nunciet ipſe licèt Cæſar tua funera, flebunt:
Sed dum thura ferent, dum laurea ſerta Tonanti.
O miſeri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxere theatro.
Vicerat aſtra jubar, cùm miſto murmure turba
Caſtrorum fremuit, faſtſque trahentibus orbem,
Signa petit pugnæ. miſeri pars maxima vulgi
Non totum viſura diem, tentoria circùm
Ipſa ducis queritur: magnóque accenſa tumultu
Mortis vicinæ properanteis admovet horas.
Dira ſubit rabies: ſua quiſque, ac publica fata
Præcipitare cupit; ſegnis, pavidúſque vocatur,
Ac nimiùm patiens ſoceri Pompeius, & orbis
Indulgens regno, qui tot ſimul undique gentes
Juris habere ſui vellet, pacémque timeret.
Nec non & reges, populíque queruntur Eoi
Bella trahi, patriâque procul tellure teneri.
Hoc placet, ô Superi, cùm vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nociturâque poſcimus arma:
In Pompeianis votum eſt Pharſalia caſtris.
Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cujus ſub jure, togâque
Pacificas ſævus tremuit Catilina ſecures,
Pertulit, iratus bellis, cùm roſtra forúmque
Optaret, paſſus tam longa ſilentia miles.
Addidit invalidæ robur facundia cauſæ.
  Hoc pro tot meritis ſolum te, Magne, precatur,
Uti ſe Fortuna velis, procerémque tuorum
Caſtrorum, regémque tui cum ſupplice mundo
Affuſi, vinci ſocerum patiare rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Cæſar erit? meritò, Pompeium vincere lentè,
Gentibus, indignum eſt, a tranſcurrente ſubactis.
Quò tibi fervor abit? aut quò fiducia fati?
De Superis ingrate times? cauſámque Senatûs
Credere Dîs dubitas? ipſæ ſua ſigna revellent,
Profiliéntque acies. pudeat vicille coactum.
Si duce te juſſo, ſi nobis bella geruntur,
Sit juris quocunque velint concurrere campo,
Quid mundi gladios à ſanguine Cæſaris arces?
Viorant tela manus: vix ſigna morantia quiſquam
Expectat: propera. ne te tua claſſica linquant.
Scire Senatus avet, miles te, Magne, ſequatur,
An comes. Ingemuit Rector, ſenſítque Deorum
Eſſe dolos, & fata ſuæ contraria menti.
Si placet hoc, inquit, cunctis, ſi milite Mágno,
Non duce tempus eget, nil ultrà fata morabor.
Involvat populos unâ Fortuna ruinâ,
Sitque hominum magnæ lux illa noviſſima parti.
Teſtor Roma tamen Magnum, quo cuncta perirent,
Accepiſſe diem. potuit tibi vulnere nullo

LIBER VII.

Senior Oceano, quàm lex æterna vocabat,
Luctificus Titan nunquam magìs æthera contra
  Egit equos, currúmque polo rapiente retorſit:
Defectúſque pati voluit, raptæque labores
Lucis: & attraxit nubes, non pabula flammis,
Sed ne Theſſalico purus luceret in orbe.
  At nox felicis Magno pars ultima vitæ
Sollicitos vanâ decepit imagine ſomnos.

Stare labor belli: potuit finè cæde subactum,
Captivúmque ducem violatæ tradere Paci.
Quis furor, ô cæci, scelerum? Civilia bella
Gesturi, metuunt, ne non cum sanguine vincant.
Abstulimus terras, exclusimus æquore toto,
Ad præmaturas segetum jejuna rapinas
Agmina compulimus, votúmque effecimus hosti,
Ut mallet sterni gladiis, morténque suorum
Permiscere meis. belli pars magna peracta est
His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret:
Si modò virtutis stimulis, iræque calore
Signa petunt. multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest. placet hæc tam prospera rerum
Tradere Fortunæ? gladio permittere mundi
Discrimen? pugnare ducem, quàm vincere, malunt.
Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas:
Accipe majores, & cæco in Marte tuere.
Pompeii nec crimen erit, nec gloria bellum.
Vincis apud Superos votis me, Cæsar, iniquis:
Pugnatur. quantum scelerum, quantúmque malorum
In populos lux ista feret! quot regna jacebunt!
Sanguine Romano quàm turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si finè momento rerum, partísque ruinâ
Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
Lætior, aut populis invisum, hâc clade peractâ,
Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum;
Omne nefas victoris erit. Sic fatur, & arma
Permittit populis, frænósque furentibus ira
Laxat: & ut victus violento navita Coro
Dat regimen ventis, ignavúmque arte relictâ
Puppis onus trahitur, trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animíque truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, faciésque simillima fato.
Advenisse diem, qui tatum rebus in ævum
Conderet humanis, & quæri Roma quid esset,
Illo Marte palàm est. sua quisque pericula nescit,
Attonitus majore metu. quis litora ponto
Obruta, quis summis cernens in montibus æquor,
Ætheráque in terras dejecto sole cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
Pro se ferre metus: Urbi, Magnóque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper
Exarsit mucro. tunc omnis lancea saxo
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, frænorúmque aptat habenas.
Si liceat Superis hominum conferre labores,
Non aliter, Phlegrâ rabidos tollente Gigantes,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis:
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculáque extenso Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
Pallenæa Jovi mutavit fulmina Cyclops.
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. nam Thessala rura
Cùm peterent, totus venientibus obstitit æther;
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:
Adversásque faces, immensóque igne columnas,
Et trabibus missis avidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit.
Excussit cristas galeis, capulósque solutis
Pertudit gladiis, ereptáque pila liquavit:
Æthereóque nocens fumavit sulfure ferrum,
Nec non innumero cooperta examine signa,
Víxque revulsa solo, majori pondere pretium
Signiferi merere caput: rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana, & publica signa.
Admotus Superis discussâ fugit ab arâ
Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros;
Nullâque funestis inventa est victima sacris.
At tu, quos scelerum Superos? quas rite vocâsti
Eumenidas Cæsar? Stygii quæ numina regni?
Infernúmque nefas? & mersos nocte furores?
Impia tam lævè gesturus bella litâsti?
Jam dubium monstrísne Deum, nimióne pavori
Crediderint: multis concurrere visus Olympo
Pindus, & abruptis mergi convallibus Æmus,
Edere nocturnas belli Pharsalia voces,
Ire per Ossæam rapidus Bœbeida sanguis:
Inque vicem vultus tenebris mirantur apertos,
Et pallere diem, galeísque incumbere noctem,
Defunctósque patres, & cunctas sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos. sed mentibus unum
Hoc solamen erat, quòd voti turba nefandi
Conscia, quæ patrum jugulos, quæ pectora fratrum
Sperabat, gaudet monstris, mentísque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.
Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat
Lymphato trepidâsse metu? præsaga malorum
Si data mens homini est, Tyriis qui Gadibus hospes
Adjacet, Armeniúmque bibit Romanus Araxem:
Sub quocunque die, quocunque est sidere mundi,
Mœret, & ignorat causas, animúmque dolentem
Corripit: Emathiis, quid perdat, nescit, in arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompeii & Cæsaris arma.
Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit:
Aëra seu totum discordi obsistere cœlo,
Prospexítque polos: seu lumen in æthere mœstum,
Solis in obscuro pugnam pallore notavit.
Dissimilem certè cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum Natura diem: si cuncta perito
Augure mens hominum cœli nova signa notâsset,
Spectari toto potuit Pharsalia mundo.
O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacavit.
Hæc & apud seras gentes, populósque nepotum,
Sive suâ tantùm venient in secula famâ,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest: cùm bella legentur,
Spésque metúsque simul, perituráque vota movebunt:
Attonitíque omnes veluti venientia fata,
Non transmissa legent, & adhuc tibi, Magne, favebunt.
Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu
Descendens totos perfudit lumine colles,
Non temere immissus campis, stetit ordine certo
Infelix acies. cornûs tibi cura sinistri,
Lentule, cum primâ, quæ tum fuit optima bello,
Et quartâ legione, datur: tibi numine pugnax
Adverso, Domiti, dextri frons tradita Martis.
At medii robur belli fortissima dextræ
Agmina, quæ Cilicum terris deducta tenebat
Scipio, miles in hôc, Libyco dux primus in orbe.
At juxta fluvios, & stagna undantis Enipei,
Cappadocum montana cohors, & largus habenis
Ponticus ibat eques. sicci sed plurima campi
Tetrarchæ, regésque tenent, magnique tyranni,
Atque omnis Latio quæ servit purpura ferro.
Illuc, & Libye Numidas, & Creta Cydonas
Mittit; Iturææis cursus fuit indè sagittis;
Indè truces Galli solitum prodîtis in hostem.
Illîc pugnaces commovit Iberia cetras.
Eripe victori gentes, & sanguine mundi
Fuso, Magne semel, totos consume triumphos.
Illo fortè die Cæsar statione relictâ,
Ad segetum raptus moturus signa, repentè
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatúmque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Æger quippe moræ, flagránsque cupidine regni,
Cœperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. discrimina postquam
Adventare ducum, supremáque prœlia vidit,
Casuram & fati sensit nutare ruinam,
Illa quoque in ferrum rabies promtissima, paulùm
Langüit, & casus audax spondere secundos
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt: formidine mersa,
Prosilit hortando melior fiducia vulgo.
O domitor mundi, rerum fortuna mearum,
Miles, adest toties optatæ copia pugnæ,
Nil opus est votis, jam fatum accerlite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Cæsar, habetis.
Hæc est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
Promissam memini, cujus spe movimus arma,
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
Hæc eadem est hodie, quæ pignora, quæque penates
Reddat, & emerito faciat vos Marte colonos.
Hæc, fato quæ teste probet, quis justiùs arma
Sumpserit, hæc acies victum factura nocentem est.

Si

Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
Nunc pugnate truces, gladiosque exolvite culpâ.
Nulla manus belli, mutato judice, pura est.
Non mihi res agitur, sed vos, ut libera sitis
Turba, precor, gentes ut jus habeatis in omneis.
Ipse ego privatæ cupidus me reddere vitæ,
Plebeiâque togâ modicum componere civem:
Omnia dum vobis liceant, nihil esse recuso.
Invidiâ regnate meâ, nec sanguine multo
Spem mundi petitis: Graiis delecta juventus
Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstræ
Et vix arma ferens, & mistæ dissona turbæ
Barbaries; non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. civilia paucæ
Bella manus facient: pugnæ pars magna levabit
His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum:
Sitque palàm, quas tot duxit Pompeius in urbem
Curribus, unius gentes non esse triumphi.
Armenioscine movet, Romana potentia cujus
Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus Hesperiis Magnum præponere rebus?
Romanos odere omnes, dominosque gravantur,
Quos novere, magis; sed me Fortuna meorum
Commisit manibus, quorum me Gallia testem
Tot fecit bellis. cujus non militis ensem
Agnoscam? cœlumque tremens cum lancea transit,
Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.
Quòd si signa ducem nunquam fallentia vestrum
Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces;
Vicistis, video fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul Regis, sparsumque Senatûs
Corpus, & immensâ populos in cæde natantes.
Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes
Vocibus his teneo. veniam date bella trahenti;
Spe trepido: haud unquam vidi tam magna daturos,
Tam prope me Superos: camporum limite parvo
Absumus à votis. ego sum, cui Marte peracto,
Quæ populi, Regesque tenent, donare licebit.
Quone poli motu, quo cœli sidere verso,
Thessalicæ tantum, Superi, permittitis oræ?
Aut merces hodie bellorum, aut pœna paratur.
Cæsareas spectate cruces, spectate catenas,
Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
Septorumque nefas, & clausi prœlia campi.
Cum duce Syllano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. nam me secura manebit
Sors quæsita manu: fodientem viscera cernet
Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.
Di, quorum curas abduxit ab æthere tellus,
Romanusque labor, vincat, quicunque necesse
Non putat in victos sævum distringere ferrum,
Quique suos cives, quòd signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas. Pompeius in arcto
Agmina vestra loco vetità virtute moveri.
Cum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro juvenes, ne cædere quisquam
Hostis terga velit; civis, qui fugerit, esto.
Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adversâ conspecti fronte parentes
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus,
Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.
Sternite jam vallum fossasque implete ruinâ,
Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit. Vix cuncta locuto
Cæsare, quemque suum munus trahit, armaque raptim
Sumta viris. celeres capiunt præsagia belli;
Calcatisque ruunt castris: stant ordine nullo,
Arte ducis nullâ: permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
Urbis regna suæ funesto in Marte locâsses,
Non tam præcipiti ruerent in prœlia cursu.
Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompeius, nullasque moras permittere bello,
Sed Superis placuisse diem: stat corde gelato,
Attonitus, tantoque duci sic arma timere,
Omen erat. premit indè metus, totumque per agmen
Sublimi provectus equo: Quem flagitat, inquit,
Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
Quem quæsistis, adest. totas effundite vires;

Extremum ferri superest opus, unaque gentes
Hora trahit. quisquis patriam, carosque penates,
Qui sobolem, ac thalamos, desertaque pignora quærit,
Ense petat: medio potuit Deus omnia campo.
Causa jubet melior Superos sperare secundos:
Ipsi tela regent per viscera Cæsaris, ipsi
Romanas sancire volent hôc sanguine leges.
Si socero dare regna meo, mundumque pararent,
Præcipitare meam fatis potuere senectam.
Non iratorum populis urbique Deorum est
Pompeium servare ducem. quæ vincere possent
Omnia contulimus. subiere pericula clari
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent, reducesque Camillos
Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
Hinc starent. primò gentes oriente coactæ,
Innumeræque urbes, quantas in prœlia nunquam
Excivere manus. toto simul utimur orbe.
Quicquid signiferi comprensum limite cœli
Sub Noton, & Boream hominum sumus, arma movemus.
Nonne supersusis collectum cornibus hostem
In medium dabimus? paucas victoria dextras
Exigit: at plures tantum clamore catervæ
Bella gerent. Cæsar nostris non sufficit armis.
Credite pendentes è summis mœnibus urbis,
Crinibus effusis hortari in prœlia matres.
Credite grandævum, vetitumque ætate Senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
Credite qui nunc est, populum, populumque futurum
Permistas afferre pedes, hæc libera nasci,
Hæc vult turba mori. si quis post pignora tanta
Pompeio locus est, cum prole, & conjuge suppex,
Imperii salvâ si majestate liceret,
Volverer ante preces, Magnus, nisi vincitis, exul.
Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata
Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,
Ne discam servire senex. jam mœsta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, si vera timeret.
Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu
Iratum: metus hos, regni spes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quicquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet à ferro. gentes Mars iste futuras
Obruet, & populos ævi venientis in orbem
Erepto natale feret. tunc omne Latinum
Fabula nomen erit: Gabios, Veiosque Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque lares, Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coactâ
Invitus, questusque Numam jussisse, Senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monimentaque rerum
Patria destituit: crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. Generis quò turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimur orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros.
Urbs nos una capit: vincto sotsore coluntur
Hesperiæ segetes: stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus: nullòque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam,
Cladis eò dedimus, ne tanto in tempore bellum
Jam posset civile geri: Pharsalia tanti
Causa mali. cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.
Tempora signavit leviorum Roma malorum:
Hunc voluit nescire diem. prò tristia fata!
Aëra pestiferum tractu, morbosque fluentes,
Insanamque famem, permissâsque iguibus urbes,
Mœniaque in præceps laturos plena tremores
Hi possent explere viri: quos undique traxit
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens ævi, populosque, ducesque,
Constituit campis: per quos tibi Roma ruenti
Ostendat, quàm magna cadas. quò latiùs orbem
Possedit, citiùs per prospera fata cucurrit.
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terræ spatium restabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes stellæ Romana viderent.
Sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiæ funesta dies. hâc luce cruentâ
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,

Nec vetitos errare Deas in mœnia ducat:
Sarmaticúmque premat succinctus Consul aratrum:
Quòd semper sævas debet tibi Parthia pœnas,
Quòd fugiens civile nefas, redituráque nunquam
Libertas, ultra Tigrim, Rhenúmque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quæsita, negatur,
Germanum, Scythicúmque bonum: nec respicit ultrà
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris:
Vulturis ut primùm lævo fundata volatu
Romulus infami complevit mœnia luco,
Usque ad Thessalicas servîsses Roma ruinas.
De Brutis, Fortuna, queror. quid tempora legum
Egimus, aut annos à Consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medsque, Eoáque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata Tyrannis.
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profectò
Numina: cùm cæco rapiantur sæcula casu,
Mentimur regnare Jovem. spectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat cùm fulmina, cædes?
Scilicet ipse petet Pholoen? petet ignibus Oeten,
Immeritæque nemus Rhodopes, pinúsque minanteis?
Cassius hoc potiùs feriet caput? astra Thyestæ
Abstulit, & subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similes fratrum gladios, patrúmque gerenti
Thessaliæ dabit ille diem? mortalia nulli
Sunt curata Deo. cladis tamen hujus habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est.
Bella pares Superis facient civilia divos:
Fulminibus manes, radisque ornabit, & astris,
Inque Deûm templis jurabit Roma per umbras.
Ut rapido cursu fati suprema morantem
Consumsere locum: parvâ tellure diremti,
Indè manum spectant, vultúsque agnoscere quærunt,
Quò sua pila cadant, aut quà sibi fata minentur,
Facturi quæ monstra forent. videre parentes
Frontibus adversis, fraternáque comminus arma.
Nec libuit mutare locum: tamen omnia torpor
Pectora constrinxit: gelidúsque in viscera sanguis
Perpulsâ pietate coit: totæque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.
Dî tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur,
Sed sensum post fata tuæ dent, Crastine, morti,
Cujus torta manu commisit lancea bellum,
Primáque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
O præceps rabie, cùm Cæsar tela teneret,
Inventa est prior ulla manus! tunc stridulus aër
Elisus lituis, conceptáque classica cornu:
Tunc ausæ dare signa tubæ: tunc æthera tendit,
Extremsque fragor convexa irrumpit Olympi:
Unde procul nubes, quò nulla tonitrua durant,
Excepit resonis clamorem vallibus Æmus,
Peliacsque dedit rursus geminare cavernis:
Pindus agit gemitus, Pangæáque saxa resultant,
Oetææque gemunt rupes, vocésque furoris
Expavere sui totâ tellure relatas.
Spargitur innumerum diversis missile votis.
Vulnera pars optat, pars terræ figere tela,
Ac puras servare manus, rapit omnia casus;
Atque incerta facit, quos vult, Fortuna nocentes.
Sed quota pars cladis jaculis, ferróque volanti
Exacta est? odiis solus civilibus ensis
Sufficit, & dextras Romana in viscera ducit.
Pompeii densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma.
Vsque habitura locum dextras, ac tela movendi
Constiterat, gladiósque suos compressa tenebat.
Præcipiti cursu vesanum Cæsaris agmen
In densos agitur cuneos: pérque arma, per hostem
Quærit iter, quà torta graves lorica catenas
Opponit, tutóque latet sub tegmine pectus.
Hâc quoque perventum est ad viscera: tótque per arma
Extremum est quod quisque ferit. civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus indè
Stat gladius; calet omne nocens à Cæsare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,
Abstulit ingenteis fato torrente ruinas.
Ut primùm toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques, bellsque per ultima fudit:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, sævásque manus immittit in hostem.
Illìc quæque suo miscet gens prœlia telo:
Romanus cunctis petitur cruor: indè sagittæ,
Indè faces, & saxa volant, spatióque solutæ
Aëris, & calido liquefactæ pondere glandes.
Tunc & Ituræi, Medsque, Arabésque, soluto
Arcu turba minax, nusquam rexere sagittas,
Sed petitur solus, qui campis imminet aër:
Indè cadunt mortes: sceleris sed carmine nullo
Extremum maculant chalybem, stetit omne coactum
Circa pila nefas: ferro subtexitur æther,
Nóxque super campos telis conferta pependit.
Tum Cæsar metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortes:
Inque latus belli, quà se vagus hostis agebat,
Immittit subitum non motis cornibus agmen.
Immemores pugnæ, nullóque pudore timendi
Præcipites fecere palám. civilia bella
Non bene barbaricis unquam commissa catervis.
Ut primùm sonipes transfixus pectora ferro,
In caput effusi calcavit membra regentis:
Omnis eques cessit campis, glomeratáque pubes
In sua conversis præceps ruit agmina frenis.
Perdidit indè modum cædes, ac nulla secuta est
Pugna: sed hinc jugulis, hinc ferro bella geruntur.
Nec valet hæc acies tantum prosternere, quantum
Indè perire potest. Utinam Pharsalia campis
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora, non alio mutentur sanguine fontes.
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros:
Aut si Romano compleri sanguine mavis,
Istis parce precor: vivant Galatæque, Syrsque,
Cappadoces, Gallíque, extremsque orbis Iberi,
Armenii, Cilices: nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omneis
It timor, & fatis datus est pro Cæsare cursus.
Ventum erat ad robur Magni, mediásque catervas,
Quod totos errore vago persuderat agros:
Constitit hìc bellum, fortunáque Cæsaris hæsit.
Non illìc regum auxiliis collecta juventus
Bella gerit, terrúmque manus movere togatæ:
Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.
Hìc furor, hìc rabies, hìc sunt tua crimina Cæsar.
Hanc fuge mens partem belli tenebrísque relinque,
Nullâque tantorum discat, me vate, malorum,
Quàm multum bellis liceat civilibus, ætas.
Ah potiùs pereant lacrymæ, pereántque querelæ.
Quicquid in hâc acie gessisti Roma, tacebo.
Hìc Cæsar, rabies populi, stimulúsque furoris,
Ne quâ parte sui pereat scelus, agmina circùm
It vagus, atque ignes animis flagrantibus addit.
Inspicit & gladios, qui toti sanguine manent,
Qui niteant primo tantùm mucrone cruenti,
Quæ presso tremat ense manus, quis languida tela,
Quis contenta ferat, quis prælet bella jubenti,
Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremto
Mutet: obit latis projecta cadavera campis.
Vulnera multorum totum fusura cruorem
Oppositâ premit ipse manu. quacunque vagatur
Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere sævo
Palladiâ stimulet turbatos ægide currus,
Nox ingens scelerum, & cædes oriuntur, & instar
Immensæ vocis gemitus, & pondere lapsi
Pectoris arma sonant, contractsque ensibus enses.
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Adversósque jubet ferro confundere vultus.
Promovet ipse acies: impellit terga suorum:
Verbere conversæ cessantes excitat hastæ.
In plebem vetat ire manus, monstrátque Senatum.
Scit cruor imperii qui sit, quæ viscera legum:
Unde petat Romam, libertas ultima mundi
Quo steterit ferienda loco. permissa secundo
Ordine nobilitas, venerandáque corpora ferro
Urgentur: cædunt Lepidos, cædúntque Metellos,
Corvinósque simul, Torquatáque nomina legum,
Sæpe duces, summósque hominum te, Magne, remoto.
Illìc plebeiâ contectus casside vultus,
Ignotúsque hosti, quod ferrum Brute tenebas?
O decus imperii, spes ô suprema Senatûs,
Extremum tanti generis per sæcula nomen,
Ne rue per medios nimiùm temerarius hostes,
Nec tibi fatales admoveris antè Philippos,
Thessaliâ peritura tuâ. nil proficis istìc
Cæsaris intentus jugulo: nondum attigit arcem
Juris, & humanum culmen, quo cuncta reguntur,
Egressus, meruit tatis tam nobile letum:
Vivat, &, ut Bruti procumbat victima, regnet

Hic

Hic patriæ perit omne decus: jacet aggere magno
Patritium campis communi plebe cadaver.
Mors tamen eminuit clarorum in ſtrage virorum
Pugnacis Domiti; quam clades fata per omneis
Ducebant. nuſquam Magni fortuna ſinè illo
Succubuit: victus toties à Cæſare, ſalvâ
Libertate perit: tunc mille in vulnera lætus
Labitur, ac venià gaudet caruiſſe ſecundâ.
Viderat in craſſo verſantem ſanguine membra
Cæſar, & increpitans; Jam Magni deſeris arma,
Succeſſor Domiti: ſinè te jam bella geruntur.
Dixerat: aſt illi ſuffecit pectora pulſans
Spiritus in vocem, morientiáque ora reſolvit:
Non te funeſtâ ſcelerum mercede potitum,
Sed dubium fati Cæſar, generóque minorem
Aſpicieus, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et ſecurus eo: te ſævo Marte ſubactum,
Pompeióque graveis pœnas, nobiſque daturum,
Cùm moriar, ſperare licet. non plura locutum
Vita fugit, denſæque oculos preſſere tenebræ.
Impendiſſe pudet lacrymas in funere mundi
Mortibus innumeris, ac ſingula fata ſequentem
Quærere, letiferum per cujus viſcera vulnus
Exierit, quis fuſa ſolo vitalia calcet;
Ore quis adverſo, demiſſo faucibus enſe,
Expulerit moriens animam; quis corruat ictu,
Quis ſteterit, dum membra cadunt: qui pectora telis
Tranſmittant, aut quos campis affixerit haſta:
Quis cruor emiſſus perruperit aëra venis,
Inque hoſtis cadat arma ſui: quis pectora fratris
Cædat, &, ut notum poſſit ſpoliare cadaver,
Abſciſſum longè mittat caput: ora parentis
Quis laceret, nimiâque probet ſpectantibus irâ
Quem jugulat, non eſſe patrem. mors nulla querelâ
Digna ſuâ eſt, nullóſque hominum lugere vacamus.
Non iſtas habuit pugnæ Pharſalia parteis,
Quas aliæ clades: illic per fata virorum,
Per populos hìc Roma perit: quod militis illic,
Mors hìc gentis erat: ſanguis ibi fluxit Achæus,
Ponticus, Aſſyrius: cunctos hærere cruores
Romanus, campſique vetat conſiſtere torrens.
Majus ab hâc acie, quàm quod ſua ſecula ferrent,
Vulnus habent populi: plus eſt quàm vita, ſalúſque
Quod perit: in totum mundi proſternimur ævum.
Vincitur his gladiis omnis, quæ ſerviet, ætas.
Proxima quid ſoboles, aut quid meruere nepotes
In regnum naſci? pavidè num geſſimus arma?
Teximus aut jugulos? alieni pœna timoris
In noſtrâ cervice ſedet. poſt prœlia natis
Si dominum, Fortuna, dabas, & bella dediſſes.
Jam Magnus transîſſe Deos, Romanáque fata
Senſerat infelix: totâ vix clade coactus
Fortunam damnare ſuam ſtetit aggere campi
Eminus, unde omneis ſparſas per Theſſala rura
Aſpiceret clades, quæ bello obſtante latebant.
Tot telis ſua fata peti, tot corpora fuſa,
Ac ſe tam multo pereuntem ſanguine vidit.
Nec, ſicut mos eſt miſeris, trahere omnia ſecum
Merſa juvat, gentéſque ſuæ miſcere ruinæ:
Ut Latiæ poſt ſe vivat pars maxima turbæ,
Suſtinuit dignos etiam nunc credere votis
Cœlicolas, volvítque ſui ſolatia casûs:
Parcite, ait, Superi, cunctas proſternere gentes:
Stante poteſt mundo, Romàque ſuperſtite, Magnus
Eſſe miſer. ſi plura juvant mea vulnera, conjux
Eſt mihi, ſunt nati; dedimus tot pignora fatis.
Civiliſne parum eſt bello, ſi méque, meóſque
Obruat? exiguæ clades ſumus, orbe remoto?
Omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras?
Jam nihil eſt, Fortuna, meum. ſic fatur: & arma,
Signáque, & afflictas omni jam parte catervas
Circuit, & revocat matura in fata ruentes,
Séque negat tanti. nec decrat robur in enſes
Ire duci, jugulóque pati, vel pectore letum:
Sed timuit ſtrato miles ne corpore Magni
Non fugeret, ſupráque ducem procumberet orbis:
Cæſaris aut oculis voluit ſubducere mortem.
Nequicquam, infelix, ſocero ſpectare volenti
Præſtandum eſt ubicunque caput. ſed tu quoque conjux
Cauſa fugæ, vultúſque tui: fatiſque probatum
Te præſente mori. Tunc Magnum concitus aufert
A bello ſonipes, non tergo tela paventem,
Ingeneſſique animos extrema in fata ferentem.
Non gemitus, non fletus erat, ſalvâque verendus
Majeſtate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis præſtare malis. non impare vultu
Aſpicis Emathiam: nec te videre ſuperbum
Proſpera bellorum, nec fractum adverſa videbunt:
Quámque fuit læto per treis infida triumphos,
Tam miſero Fortuna minor. jam pondere fati
Depoſito ſecurus abis: nunc tempora læta
Reſpexiſſe vacat: ſpes nunquam implenda receſſit:
Quid fueris nunc ſcire licet. fuge prœlia dira,
Ac teſtare Deos, nullum qui perſtet in armis,
Jam tibi Magne mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharióque à gurgite clades.
Sic & Theſſalicæ poſt te pars maxima pugnæ.
Non jam Pompeii nomen populare per orbem,
Nec ſtudium belli: ſed par, quod ſemper habemus,
Libertas, & Cæſar erunt: téque indè fugato
Oſtendet moriens, ſibi ſe pugnâſſe, Senatus.
Nónne juvat pulſum bellis ceſſiſſe, nec iſtud
Proſpectare nefas, ſpumanteis cæde catervas?
Reſpice turbatos incurſu ſanguinis amnes,
Et ſoceri miſerere tui, quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior iſtis?
Quicquid in ignotis ſolus regionibus exul,
Quicquid ſub Pharios poſitus patiere tyranno;
Crede Deis, longo fatorum crede favori.
Vincere pejus erat. prohibe lamenta ſonare,
Flere vetà populos: lacrymas, luctúſque remitte.
Tam mala Pompeii, quàm proſpera mundus adoret.
Aſpice ſecurus vultu non ſupplice reges:
Aſpice poſſeſſas urbes, donatáque regna,
Ægyptum, Libyámque, & terras elige morti.
Vidit prima tuæ teſtis Lariſſa ruinæ
Nobile, nec victum fatis caput: omnibus illa
Civibus effudit totas per mœnia vires,
Obvia ceu læto: præmittunt munera flentes:
Pandunt templa, domos: ſocios ſe cladibus optant.
Scilicet immenſo ſupereſt ex nomine multum;
Téque minor ſolo: cunctas impellere gentes
Rurſus in arma potes, rurſúſque in fata redire.
Sed quid opus victo populis, aut urbibus, inquit?
Victori præſtate fidem. Tu Cæſar in alto
Cædis adhuc cumulo patriæ per viſcera vadis:
At tibi jam populos donat gener. avehit indè
Pompeium ſonipes: gemitus, lacrymæque ſequuntur:
Plurimáque in ſævos populi convicia divos.
Nunc tibi vera fides quæſiti Magne favoris
Contigit, ac fructus. felix ſe neſcit amari.
Cæſar ut Heſperio vidit ſatis arva natare
Sanguine, parcendum ferro, manibúſque ſuorum
Jam ratus, ut viles animas, perituráque frustra
Agmina permiſit vitæ. ſed caſtra fugatos
Ne revocent, pellátque quies nocturna pavorem;
Protinus hoſtili ſtatuit ſuccedere vallo,
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror,
Non veritus grave ne feſſis, ac Marte ſubactis
Hoc foret imperium: non magno hortamine miles
In prædam ducendus erat: Victoria nobis
Plena viri, dixit, ſupereſt pro ſanguine merces,
Quam monſtrare meum eſt: nec enim donare vocabo
Quod ſibi quiſque dabit. cunctis en plena metallis
Caſtra patent: raptum Heſperiis è gentibus aurum
Hic jacet: Eoáſque premunt tentoria gazas.
Tot regum fortuna ſimul, Magnúſque coacta
Expectat dominos: propera præcedere miles
Quos ſequeris: quaſcunque tuas Pharſalia fecit,
A victis rapiantur opes. Nec plura locutus
Impulit amentes, auríque cupidine cæcos
Ire ſuper gladios, ſupráque cadavera patrum,
Et cæſos calcare duces, quæ foſſa, quis agger
Suſtineat pretium belli, ſcelerúmque petentes?
Scire volunt, quantâ fuerint mercede nocentes.
Invenere quidem ſpoliato plurima mundo,
Bellorum in ſumtus congeſtæ pondera maſſæ:
Sed non implêrunt cupientes omnia mentes.
Quicquid fodit Iber, quicquid Tagus expulit auri,
Quódque legit dives ſummis Arimaſpus arenis,
Ut rapiant, parvo ſcelus hoc venîſſe putabunt,
Cùm ſibi Tarpeias victor deſponderit arces:
Cùm ſpe Romanæ promiſerit omnia prædæ:
Decipitur, quòd caſtra rapit. Capit impia plebes
Ceſpite patricio ſomnos: vacuúmque cubile
Regibus infandus miles premit: ſnque parentum,
Inque toris fratrum poſuerunt membra nocentes:
Quos agitat veſana quies, ſomnſque furentes:

Theſſa-

Theſſalicam miſeri verſant in pectore pugnam.
Invigilat cunctis ſævum ſcelus, armáque totâ
Mente agitant, capulóque manus abſente moventur.
Ingemuiſſe putes campos, terrámque nocentem
Inſpiráſſe animas, infectúmque aëra totum
Manibus, & ſuperam Stygiâ formidine noctem.
Exigit à meritis triſteis victoria pœnas,
Sibiláque & flammas infert ſopor: umbra peremti
Civis adeſt: ſua quemque premit terroris imago.
Ille ſenum vultus, juvenum videt ille figuras:
Hunc agitant totis fraterna cadavera ſomnis:
Pectore in hôc pater eſt; omnes in Cæſare manes.
Haud alios nondum Scythicâ purgatus in arâ
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Oreſtes:
Nec magis attonitos animi ſenſere tumultus,
Cùm fureret, Pentheus, aut, cùm deſiſſet, Agave.
Hunc omnes gladii, quos aut Pharſalia vidit,
Aut ultrix viſura dies, ſtringente Senatu,
Illâ nocte premunt: hunc infera monſtra flagellant.
Et quantum pœnæ miſero mens conſcia donat,
Quòd Styga, quòd manes, inteſtáque Tartara ſomnis
Pompeio vivente videt! Tamen omnia paſſo,
Poſtquam clara dies Pharſálica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Hærentes oculos. cernit propulſa cruore
Flumina, & excelſos cumulis æquantia colles
Corpora, fidentes in tabem ſpectat acervos,
Et Magni numerat populos; epulíſque paratur
Ille locus, vultus ex quo, faciéſque jacentum
Agnoſcat. juvat Emathiam non cernere terram,
Et luſtrare oculis campos ſub clade latenteis.
Fortunam, Superóſque ſuos in ſanguine cernit.
Ac ne læta furens ſcelerum ſpectacula perdat,
Invidet igne rogi miſeris, cœlóque nocenti
Ingerit Emathiam, non illum Pœnus humator
Conſulis, & Libycâ ſuccenſæ lampade Cannæ
Compellunt, hominum ritus ut ſervet in hoſtes:
Sed meminit nondum ſatiatâ cædibus irâ,
Cives eſſe ſuos. Petimus non ſingula bulta,
Diſcretóſque rogos; unum da gentibus ignem:
Non interpoſitis urantur corpora flammis.
Aut generi ſi pœna juvat, nemus extrue Pindi:
Erige congeſtas Oetæo robore ſylvas.
Theſſalicam videat Pompeius ab æquore flammam.
Nil agis hâc irâ: tabéſne cadavera ſolvat,
An rogus, haud refert: Placido Naturæ receptat
Cuncta ſinu, finémque ſui ſibi corpora debent.
Hos, Cæſar, populos, ſi nunc non ſtulerit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo ſupereſt rogus, oſſibus aſtra
Miſturus. quocunque tuam Fortuna vocabit,
Hæ quoque eunt animæ. non altiùs ibis in auras,
Non meliore loco Stygiâ ſub nocte jacebis.
Libera Fortunæ mors eſt: capit omnia tellus
Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet urnam.
Tu, cui dant pœnas inhumato funere gentes,
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deſeris agros?
Has trahe Cæſar aquas: hôc ſi potes, utere cœlo.
Sed tibi tabentes populi Pharſalica rura
Eripiunt, campóſque tenent victore fugato.
  Non ſolùm Hæmonii funeſta ad pabula belli
Biſtonii venere lupi, tabémque cruentæ
Cædis odorati Pholoen liquere leones.
Tunc urſi latebras, obſcœni tecta, domóſque
Deſeruere canes, & quicquid nare ſagaci
Aëra non ſanum, motúmque cadavere ſentit.
Jámque diu volucres civilia caſtra ſecutæ
Conveniunt. vos, quæ Nilo mutare ſoletis
Threïcias hyemes, ad mollem ſerius Auſtrum
Iſtis aves. nunquam ſe tanto vulture cœlum
Induit, aut plures preſſerunt aëra pennæ.
Omne nemus miſit volucres, omníſque cruentâ
Alite ſanguineis ſtillavit roribus arbor.
Sæpe ſuper vultus victoris, & impia ſigna
Aut cruor, aut alto defluxit ab æthere tabes,
Membráque dejecit jam laſſis unguibus ales.
Sic quoque non omnis populus pervenit ad oſſa,
Inque feras diſcerptus abit: non intima curant
Viſcera, nec totas avidè ſorbere medullas:
Deguſtant artus. Latiæ pars maxima turbæ
Fatidica jacet, quam ſol, nimbique, diéſque
Longior Emathiis reſolutam miſcuit arvis.
  Theſſalica infelix quo tanto crimine tellus
Læſiſti Superos, ut te tot mortibus unam,
Tot ſcelerum ſatis premerent? quod ſufficit ævum,
Immemor ut donet belli tibi damna vetuſtas?
Quæ ſeges infectâ ſurget non decolor herbâ?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Antè novæ venient acies, ſcelerſque ſecundo
Præſtabit nondum ſiccos hôc ſanguine campos.
Omnia majorum vertamus buſta licebit,
Et ſtantes tumulos, & qui radice vetuſtâ
Effudere ſuas, victis compagibus, urnas:
Plus cinerum Hæmoniæ ſulcis telluris aratur,
Pluráque ruricolis feriuntur dentibus oſſa.
Nullus ab Emathio religâſſet litore funem
Navita, nec terram quiſquam moviſſet arator,
Romani buſtum populi: fugeréntque coloni
Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent:
Nullúſque auderet pecori permittere paſtor
Vellere ſurgentem de noſtris oſſibus herbam,
Ac, velut impatiens hominum, vel ſolis iniqui
Limite, vel glacie nuda, atque ignota jaceres,
Si non prima nefas belli, ſed ſola tuliſſes.
O Superi, liceat terras odiſſe nocenteis.
Quid totum premitis, quid totum abſolvitis orbem?
Heſperiæ clades, & flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, & Leucas puros fecere Philippos.

LIBER VIII.

JAM ſuper Herculeas fauces, nemoroſáque Tempe,
Hæmoniæ deſerta petens diſpendia ſylvæ,
Cornipedem exhauſtum curſu, ſtimuliſque negantem
Magnus agens, incerta fugæ veſtigia turbat,
Implicitáſque errore vias. pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum comitúmque ſuorum:
Qui poſt terga venit, trepidum, lateríque timentem
Exanimat. quamvis ſummo de culmine lapſus,
Nondum vile ſui pretium ſcit ſanguinis eſſe,
Séque memor fati tantæ mercedis habere
Credit adhuc jugulum, quantum pro Cæſaris ipſe
Avulsâ cervice daret. deſerta ſequentem,
Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies. multi Pharſalica caſtra
Cùm peterent, nondum famâ prodente ruinas,
Occurſu ſtupuere ducis, vertigine rerum
Attoniti: cladíſque ſuæ vix ipſe fidelis
Auctor erat. gravis eſt Magno, quicunque malorum
Teſtis adeſt. cunctis ignotus gentibus eſſe
Mallet, & obſcuro tutus tranſire per orbem
Nomine: ſed longi pœnas Fortuna favoris
Exigit à miſero, quæ tanto pondere famæ
Res premit adverſas, fatíſque prioribus urget.
Nunc feſtinatos nimiùm ſibi ſentit honores,
Actáque lauriferæ damnat Syllana juventæ.
Nunc & Corycias claſſes, & Pontica ſigna
Dejectum meminiſſe piget. ſic longius ævum
Deſtruit ingenteis animos, & vita ſuperſtes
Imperio. niſi ſumma dies cum fine bonorum
Affuit, & celeri prævertit triſtia letho,
Dedecori eſt fortuna prior. quiſquámne ſecundis
Tradere ſe fatis audet, niſi morte paratâ?
  Litora contigerat, per quæ Peneius amnis
Emathiâ jam clade rubens exibat in æquor.
Indè ratis trepidum, ventis, & fluctibus impar,
Flumineis vix tuta vadis evexit in altum
Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, ſinúſque
Leucadii, Cilicum dominus, terræque Liburnæ,
Exiguam victor pavidus correptit in alnum.
Conſcia curarum ſecreta in litora Lesbi
Flectere vela jubes, quâ tum tellure latebas
Mœſtior, in mediis quàm ſi, Cornelia, campis
Emathiæ ſtares. triſteis præſagia curas
Exagitant: trepidâ quatitur formidine ſomnus:
Theſſaliam nox omnis habet: tenebríſque remotis
Rupis in abruptæ ſcopulos extremáque currens
Litora, proſpiciens fluctus, nutantia longè
Semper prima vides venientis vela carinæ,
Quærere nec quicquam de fato conjugis audes.
  En ratis, ad veſtros quæ tendit carbaſa portus
Quid ferat ignoras: ſed nunc tibi ſumma pavoris
Nuntius armorum triſtis, rumórque finiſter.
Victus adeſt conjux. quid perdis tempora luctu?
Cùm poſſis jam flere, times. tunc puppe propinquâ
Proſiluit,

Profiluit, criménque Deûm crudele notavit,
Deformem pallore ducem, vultúſque prementem
Canitie, atque atro ſqualentes pulvere veſtes.
Obvia nox miſeræ cœlum, lucémque tenebris
Abſtulit, atque animam clauſit dolor: omnia nervis
Membra relicta labant: riguerunt corda, diúque
Spe mortis decepta jacet. jam fune ligato
Litoribus, luſtrat vacuas Pompeius arenas.
Quem poſtquam propiùs famulæ videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos inceſſere fata
Permiſere ſibi, fruſtráque attollere terrâ
Semianimem conantur heram; quam pectore Magnus
Ambit, & aſtrictos refovet complexibus artus.
Cœperat in ſummum revocato ſanguine corpus
Pompeii ſentire manus, mœſtámque mariti
Poſſe pati faciem: prohibet ſuccumbere fatis
Magnus, & immodicos caſtigat voce dolores.
Nobile cur robur Fortunæ vulnere primo,
Fœmina, tantorum titulis inſignis avorum,
Frangis? Habes aditum manſura in ſecula famæ.
Laudis in hôc ſexu, non legum jura, nec arma,
Unica materia eſt conjux miſer. erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet, & ipſum,
Quòd ſum victus, ama: nunc ſum tibi gloria major,
A me quòd faſces, & quòd pia turba Senatus,
Tantáque diſceſſit regum manus: incipe Magnum
Sola ſequi. deformis, adhuc vivente marito
Summus, & augeri vetitus dolor: ultima debet
Eſſe fides, lugere virum. tu nulla tulisti
Bello damna meo. vivit poſt prœlia Magnus,
Sed Fortuna perit: quod defles, illud amâsti.
Vocibus his correpta viri, vix ægra levavit
Membra ſolo, taleis gemitu rumpente querelas:
O utinam in thalamos inviſi Cæſaris iſſem
Infelix conjux, & nulli læta marito:
Bis nocui mundo: me pronuba duxit Erinnys,
Craſſorúmque umbræ, devotáque manibus illis
Aſſyrios in caſtra tuli civilia caſus:
Præcipitéſque dedi populos, cunctóſque fugavi
A cauſâ meliore Deos. ô maxime conjux,
O thalamis indigne meis, hoc juris habebat
In tantum Fortuna caput! cur impia nupſi,
Si miſerum factura fui? nunc accipe pœnas,
Sed quas ſponte luam, quò ſit tibi mollius æquor,
Certa fides regum, totúſque paratior orbis,
Sparge mari comitem. mallem felicibus armis
Dependiſſe caput: nunc clades denique luſtra
Magne tuas. ubicunque jaces civilibus armis
Noſtros ulta toros, ades huc, atque exige pœnas,
Julia crudelis, placatáque pellice cæſâ,
Magno parce tuo. Sic fata, iterúmque refuſa
Conjugis in gremium, cunctorum lumina ſolvit
In lacrymas. duri flectuntur pectora Magni,
Siccáque Theſſaliæ confundit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenæum pleno jam littore vulgus
Affatur Magnum: Si maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus ſervare mariti,
Tu quoque devotos ſacro tibi fœdere muros
Oramus, ſocióſque lares dignare vel unâ
Nocte tuâ: fac Magne locum, quem cuncta reviſant
Secula; quem veniens hoſpes Romanus adoret.
Nulla tibi ſubeunda magis ſunt mœnia victo.
Omnia victoris poſſunt ſperare favorem:
Hæc jam crimen habent. quid, quòd jacet inſula ponto,
Cæſar eget ratibus? Procerum pars magna coibit
Certa loci. noto reparandum eſt littore fatum.
Accipe templorum cultus, aurúmque Deorum
Accipe: ſi terris, ſi puppibus iſta juventus
Aptior eſt, totâ, quantum valet, utere Lesbo,
Accipe: ne Cæſar rapiat, tu victus habeto.
Hoc ſolum crimen meritæ bene detrahe terræ,
Ne noſtram videare fidem felixque ſecutus,
Et damnâſſe miſer. Tali pietate virorum
Lætus, in adverſis, & mundi nomine gaudens
Eſſe fidem, Nullum toto mihi, dixit, in orbe
Gratius eſſe ſolum, non parvo pignore vobis
Oſtendi. tenuit noſtros hâc obſide Lesbos
Adfectus: hîc ſacra domus, carſque Penates,
Hîc mihi Roma fuit. non ulla in litora puppim
Antè dedi fugiens, ſævi cùm Cæſaris iram
Jam ſcirem meritam, ſervatâ conjuge, Lesbon,
Non veritus tantam veniæ committere vobis
Materiam. ſed jam ſatis eſt feciſſe nocentes:
Fata mihi totum mea ſunt agitanda per orbem.

Heu nimiùm felix æterno nomine Lesbos,
Sive doces populos, Regéſque admittere Magnum,
Seu præſtas mihi ſola fidem. nam quærere certum eſt
Fas quibus in terris, ubi ſit ſcelus. accipe numen,
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da ſimiles Lesbo populos, qui Marte ſubactum
Non intrare ſuos infeſto Cæſare portus,
Non exire vetent. Dixit, mœſtámque carinæ
Impoſuit comitem, cunctos mutare putares
Tellurem, patriæque ſolum; ſic littore toto
Plangitur, infeſtæ tenduntur in æthera dextræ;
Pompeiúmque minùs, cujus Fortuna dolorem
Moverat; at illam, quam toto tempore belli
Ut civem videre ſuam, diſcedere cernens
Ingemuit populus: quam vix ſi caſtra mariti
Victoris peteret, ſiccis dimittere matres
Jam poterant oculis: tanto devinxit amore
Hos pudor, hos probitas, caſtíque modeſtia vultus,
Quòd ſubmiſſa nimis, nulli gravis hoſpita turbæ,
Stantis adhuc fati vixit quaſi conjuge victo.
Jam pelago medios Titan demiſſus ad ignes,
Nec quibus abſcondit, nec ſi quibus exerit orbem,
Totus erat: vigiles Pompeii in pectore curæ
Nunc ſocias adeunt Romani fœderis urbes,
Et varias regum mentes, nunc invia mundi
Arva ſuper nimios ſoles, Auſtrúmque jacentis.
Sæpe labor mœſtus curarum, odiúmque futuri
Projecit feſſos incerti pectoris æſtus,
Rectorémque ratis de cunctis conſulit aſtris;
Unde notet terras; quæ ſit menſura ſecandi
Æquoris in cœlo; Syriam quo ſidere ſerret:
Aut quotus in plauſtro Libyam bene dirigat ignis.
Doctus ad hæc fatur taciti ſervator Olympi:
Signifero quæcunque fluunt labentia cœlo,
Nunquam ſtante polo, miſeros fallentia nautas
Sidera non ſequimur: ſed qui non mergitur undis
Axis inocciduus, geminâ clariſſimus Arcto,
Ille regit puppes. hic cùm mihi ſemper in altum
Surget, & inflabit ſummis minor Urſa cerucbis;
Boſporon, & Scythiæ curvantem litora pontum
Spectamus, quicquid deſcender ab arbore ſummâ
Arctophylax, propiórque mari Cynoſura feretur,
In Syriæ portus tendet ratis. indè Canopos
Excipit Auſtrali cœlo contenta vagari,
Stella timens Boream: illâ quoque perge ſiniſtrâ,
Trans Pharon in medio tanget ratis æquore Syrtim.
Sed quo vela dari, quo nunc pede carbaſa tendi
Noſtra jubes? Dubio contrà cui pectore Magnus,
Hoc ſolum toto, reſpondit, in æquore ſerva,
Ut ſit ab Emathiis ſemper tua longiùs oris
Puppis, & Heſperiam pelago, cœlóque relinquas;
Cætera da ventis. comitem, pignúſque recepi
Depoſitum: tunc certus eram, quæ litora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit. Sic fatur: at illé
Juſto vela modo pendentia cornibus æquis
Torſit, & in lævum puppim dedit, útque ſecaret,
Quas Aſiæ cautes, & quas Chios aſperat, undas,
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.
Æquora ſenſerunt motus, alitérque ſecante
Jam pelagus roſtro, nec idem ſpectante carinâ,
Mutavere ſonum. non ſic moderator equorum,
Dexteriore rotâ lævum cùm circuit orbem,
Cogit inoffenſæ currus accedere metæ.
Oſtendit terras Titan, & ſidera texit.
Sparſus ab Emathiâ fugit quicunque procellâ,
Aſſequitur magnum: primúſque à littore Lesbi
Occurrit natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque dejecto ſatis, aciéque fugato
Abſtulerat Magno reges Fortuna miniſtros:
Terrarum dominos, & ſceptra Eoa tenentes.
Exul habet comites. lubet ire in devia mundi
Deiotarum, qui ſparſa ducis veſtigia legit.
Quando, ait, Emathiis amiſſus cladibus orbis
Quà Romanus erat, ſupereſt fidiſſime regum
Eoam tentare fidem, populóſque bibentes
Euphratem, & adhuc ſecurum à Cæſare Tigrim:
Nec pigeat Magno quærentem fata, remotas
Medorum penetrare domos, Scythióſque receſſus;
Et totum mutare diem, vocéſque ſuperbo
Arſacidæ perferre meas: Si fœdera nobis
Priſca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
Per veſtros aſtricta magos, implete pharetras,
Armenióſque arcus Geticis intendite nervis:
Si vos ô Parthi peterem cùm Caſpia claudit,

Et ſequerer duros æterni Martis Alanos,
Paſſus Achæmeniſis latè decurrere campis,
In tutam trepidos nunquam Babylona coëgi:
Arva ſuper Cyri, Chaldæſque ultima regni,
Quà rapidus Ganges, & quà Nyſæus Hydaſpes
Accedunt pelago, Phœbi ſurgentis ab igne
Jam propior, quàm Perſis, eram: tamen omnia vincens
Suſtinui noſtris vos tantùm deeſſe triumphis,
Soluſque à numero regum telluris Eoæ,
Ex æquo me Parthus adit. nec munere Magni
Stant ſemel Arſacidæ. quis enim poſt vulnera cladis
Aſſyriæ, juſtas Latii compeſcuit iras?
Tot meritis obſtricta meis, nunc Parthia ruptis
Excedat clauſtris vetitam per ſecula ripam,
Zeugmáque Pellæum. Pompeio vincite Parthi;
Vinci Roma volet: Regem parere jubenti
Ardua non piguit, poſitiſque inſignibus aulæ
Egreditur famuli raptos indutus amictus.
In dubiis tutum eſt inopem ſimulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis ſecurius ævum
Verus pauper agit! Dimiſſo in litore rege,
Ipſe per Icariæ ſcopulos, Epheſúmque relinquens,
Et placidi Colophona maris, ſpumantia parvæ
Radit ſaxa Sami: ſpirat de litore Coo
Aura fluens: Gnidon indè fugit, clarámque relinquit
Sole Rhodon, magnóſque ſinus Telmeſſidos undæ
Compenſat medio pelagi. Pamphylia puppi
Occurrit tellus: nec ſe committere muris
Auſus adhuc ullis, te primùm parva Phaſelis
Magnus adit. nam te metui vetat incola rarus,
Exhauſtæque domus populis; majórque carinæ
Quàm tua turba fuit. tendens hinc carbaſa rurſus
Jam Taurum, Tauróque videt Dipſanta cadentem.
Crederet hoc Magnus, pacem cùm præſtitit undis
Et ſibi conſultum? Cilicum per litora tutus
Parvâ puppe fugit: ſequitur pars magna Senatûs
Ad profugum collecta ducem: parvíſque Synedris,
Quo portu mittíſque rates recipíſque Selinus,
In procerum cœtu tandem mœſta ora reſolvit
Vocibus his Magnus: Comites bellíque, fugæque,
Atque inſtar patriæ, quamvis in litore nudo,
In Cilicum terrâ, nullis circumdatus armis
Conſultem, rebúſque novis exordia quæram,
Ingentes præſtate animos: non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec ſic mea fata premuntúr,
Ut nequeam relevare caput cladéſque receptas
Excutere. an Libycæ Marium potuere ruinæ
Erigere in faſces, plenis & reddere faſtis:
Me pulſum leviore manu Fortuna tenebit?
Mille meæ Graio volvuntur in æquore puppes,
Mille duces: ſparſit potiùs Pharſalia noſtras,
Quàm ſubvertit opes. ſed me vel ſola tueri
Fama poteſt rerum, toto quas geſſimus orbe,
Et nomen quod mundus amat. vos pendite regna
Viribus, atque fide, Libyen, Parthóſque, Pharónque,
Quænam Romanis deceat ſuccurrere rebus.
Aſt ego curarum, proceres, arcana mearum
Expromam, mentíſque meæ quò pondera vergant.
Ætas Niliaci nobis ſuſpecta tyranni eſt:
Ardua quippe fides robuſtos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret ſolertia Mauri:
Namque memor generis Carthaginis impia proles
Imminet Heſperiæ, multúſque in pectore vano eſt
Annibal, obliquo maculat qui ſanguine regnum,
Et Numidas contingit avos: jam ſupplice Varo
Intumuit, vidítque loco Romana ſecundo.
Quare, agite, Eoum comites properemus in orbem.
Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum,
Caſpiáque immenſos ſeducunt clauſtra receſſus,
Et polus Aſſyrias alter noctéſque diéſque
Vertit, & abruptum eſt noſtro mare diſcolor unda,
Oceanúſque ſuus. regnandi ſola voluptas.
Cellior in campis ſonipes, & fortior arcus;
Nec puer, aut ſenior letales tendere nervos
Segnis, & à nullâ mors eſt incerta ſagittâ.
Primi Pellæas arcu fregere ſariſſas,
Bactráque Medorum ſedem, muríſque ſuperbam
Aſſyrias Babylona domos. nec pila timentur
Noſtra nimis Parthis, audéntque in bella venire,
Experti Scythicas, Craſſo pereunte, pharetras.
Spicula nec ſolo ſpargunt fidentia ferro;
Stridula ſed multo ſaturantur tela veneno.
Vulnera parva nocent, fatúmque in ſanguine ſummo eſt.
O utinam non tanta mihi fiducia ſævis

Eſſet in Arſacidis! fatis nimis æmula noſtris
Fata movent Medos, multúmque in gente Deorum eſt.
Effundam populos aliâ tellure revulſos,
Excitóſque ſuis immittam ſedibus ortus.
Quod ſi nos Eoa fides, & Barbara fallunt
Fœdera; vulgati ſupra commercia mundi
Naufragium Fortuna ferat. non regna precabor,
Quæ feci; ſed magna feram ſolatia mortis
Orbe jacens alio, nil hæc in membra cruentè,
Nil ſocerum feciſſe pié. ſed cuncta revolvens
Vitæ fata meæ, ſemper venerabilis illâ
Orbis parte fui: quantus Mæotida ſupra!
Quantus apud Tanaim toto conſpectus in ortu!
Quas magis in terras noſtrum felicibus actis
Nomen abit, aut unde redit majore triumpho?
Roma fave cœptis: quid enim tibi latius unquam
Præſtiterint ſuperi, quàm, ſi civilia Partho
Milite bella geras, tantam conſumere gentem,
Et noſtris miſcere malis? Cùm Cæſaris arma
Concurrent Medis, aut me Fortuna neceſſe eſt
Vindicet, aut Craſſum. Sic fatus, murmure ſentit
Conſilium damnâſſe viros: quos Lentulus omneis
Virtutis ſtimulis, & nobilitate dolendi
Præceſſit, dignáſque tulit modò Conſule voces:
Siccine Theſſalicæ mentem fregere ruinæ?
Una dies mundi damnavit fata? ſecundùm
Emathiam his tanta datur? jacet omne cruenti
Vulneris auxilium? ſolos tibi, Magne, reliquit
Parthorum Fortuna pedes? quid transfuga mundi
Terrarum totos tractus, cœlúmque peroſus,
Adverſóſque polos, alienáque ſidera quæris,
Chaldæos culture focos & barbara ſacra
Parthorum famulus? quid cauſa obtenditur armis
Libertatis amor? miſerum quid decipis orbem,
Si ſervire potes? te, quem Romana regentem
Horruit auditum, quem captos ducere reges
Vidit ab Hyrcanis, Indóque à litore, ſylvis,
Dejectum fatis, humilem fractúmque videbit,
Extollétque animos Latium veſanus in orbem,
Se ſimul, & Romam Pompeio ſupplice menſus?
Nil animis, fatíſque tuis effabere dignum:
Exiget ignorans Latiæ commercia linguæ,
Ut lacrymis ſe, Magne, roges. patimúrne pudoris
Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet antè
Heſperias, quàm Roma ſuas? civilibus armis
Elegit te nempe ducem. quid vulnera noſtra
In Scythicos ſpargis populos, cladéſque latenteis?
Quid Parthos tranſire doces? ſolatia tanti
Perdit Roma mali, nullos admittere Reges,
Sed civi ſervire ſuo. juvat ire per orbem
Ducentem ſævas Romana in mœnia gentes,
Signáque ab Euphrate cum Craſſis capta ſequentem?
Qui ſolus regum, fato celante favorem,
Defuit Emathiæ, nunc tantas ille laceſſet
Auditi victoris opes, aut jungere fata
Tecum, Magne, volet? non hæc fiducia genti eſt.
Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Naſcitur, indomitus bellis, & Martis amator.
Quicquid ad Eoos tractus, mundíque ruorem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Illic & laxas veſtes, & fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos, effuſáque plano
Tigridis arva ſolo, nulli ſuperabilis hoſti eſt
Libertate fugæ: ſed non, ubi terra tumebit,
Aſpera conſcendet montis juga; nec per opacas
Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti vorticis amnem,
Nec tota in pugnâ perfuſus ſanguine membra
Exigit æſtivum calido ſub pulvere ſolem.
Non aries illis, non ulla eſt machina belli:
Haud foſſas implere valent: Parthóque ſequente
Murus erit, quodcunque poteſt obſtare ſagittæ.
Pugna levis, bellúmque fugax, turmæque vagantes,
Et melior ceſſiſſe loco, quàm pellere, miles.
Illita tela dolis, nec Martem comminus unquam
Auſa pati virtus, ſed longè tendere nervos,
Et, quò ferre velint, permittere vulnera ventis.
Enſis habet vires, & gens quæcunque virorum eſt,
Bella gerit gladiis. nam Medos prœlia prima
Exarmant, vacuæque jubent remeare pharetræ.
Nulla manus illis; fiducia tota veneni eſt.
Credis, Magne, viros, quos in diſcrimina belli
Cum ferro veniſſe parum eſt? tentare pudendum

Auxilium tanti eſt, toto diviſus ut orbe
A terrâ moriare tuâ? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant, ac vilia buſta,
Invidioſh tamen, Craſſo quærente ſepulcrum.
Sed tua ſors levior, quoniam mors ultima pœna eſt,
Nec metuenda viris. at non Cornelia letum
Infando ſub rege timet. num barbara nobis
Eſt ignota Venus, quæ ritu cœca ferarum
Polluit innumeris leges, & fœdera tedæ
Conjugibus, thalamique patent ſecreta nefandi
Inter mille nurus? epulis veſana, meróque
Regia, non ullos exceptos legibus horret
Concubitus: tot femineis complexibus unum
Non laſſat nox tota marem. jacuere ſorores
In regum thalamis, ſacratáque piguora matres.
Damnat apud gentes ſceleris non ſponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas:
Parthorum dominus quoties ſic ſanguine miſto
Naſcitur Arſacides? cui fas implere parentem,
Quid reat eſſe nefas? proles tam clara Metelli
Stabit barbarico conjux milleſima lecto.
Quanquam non ulli plùs regia, Magne, vacabit
Sævitiâ ſtimulata Venus, tituiſſque virorum.
Nam quò plura juvent Parthum portenta, fuiſſe
Hanc ſciet & Craſſi: ceu pridem debita fatis
Aſſyriis, trahitur cladis captiva vetuſtæ.
Hæreat Eoæ vulnus miſerabile ſortis;
Non ſolùm auxilium funeſto à rege petiſſe,
Sed geſſiſſe prius bellum civile pudebit.
Nam quod apud populos crimen ſocerſque tuúmque
Majus erit, quàm quod vobis miſcentibus arma,
Craſſorum vindicta perit? incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, & ne qua vacarent
Arma, vel Arctoum Dacis, Rhenique catervis
Imperii nudare latus, dum perfida Suſa
In tumulos prolapſa ducum, Babylónque jacerent.
Aſſyriæ paci finem, Fortuna, precamur:
Et, ſi Theſſaliâ bellum civile peractum eſt,
Ad Parthos, qui vicit, eat. gens unica mundi eſt,
De quâ Cæſareis poſſim gaudere triumphis.
Non tibi, quàm primùm gelidum tranſibis Araxem,
Umbra ſenis mœſti Scythicis confixa ſagittis
Ingeret has voces? Tu, quem poſt funera noſtra
Ultorem cinerum nudæ ſperavimus umbræ,
Ad fœdus, pacémque venis? tum plurima cladis
Occurrent monimenta tibi: quæ mœnia trunci
Luſtrárunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, & noſtra cadavera Tigris
Detulit in terras, ac reddidit, ire per iſta
Si potes, in mediâ ſocerum quoque, Magne, ſedentem
Theſſaliâ placare potes. quin reſpicis orbem
Romanum? ſi regna times projecta ſub Auſtro,
Infidúmque Jubam, petimus Pharon, arváque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta eſt Ægyptus: at inde
Gurgite ſepteno rapidus mare ſummovet amnis:
Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis. in ſolo tanta eſt fiducia Nilo:
Sceptra puer Ptolemæus habet tibi debita, Magne,
Tutelæ commiſſa tuæ. quis nominis umbram
Horreat? innocua eſt ætas: ne jura, fidémque,
Reſpectúmque Deûm veteris ſperaveris aulæ.
Nil pudet aſſuetos ſceperis: mitiſſima ſors eſt
Regnorum ſub rege novo. Non plura locutus
Impulit huc animos. quantum ſpes ultima rerum
Libertatis habet! victa eſt ſententia Magni.
Tunc Cilicum liquere ſolum, Cypróque citatas
Immiſere rates, nullas cui prætulit aras
Unda diva memor Paphiæ, ſi numina naſci
Credimus, aut quenquam fas eſt cœpiſſe deorum.
Hæc ubi deſeruit Pompeius litora, totos
Emenſus Cypri ſcopulos, quibus exit in Auſtrum,
Indè maris vaſti transfuſo vertitur æſtu:
Nec tenuit Caſtum nocturno lumine montem,
Infimáque Ægypti pugnaci litora velo
Vix tetigit, quà dividui pars maxima Nili
In vada decurrit Peluſia ſeptimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas
Non uno plùs æqua die, noctíque rependit
Lux minor hybernæ verni ſolatia damni.
Comperit ut regem Calio ſe monte tenere,
Flectit iter: nec Phœbus adhuc, nec carbaſa languet.
Jam rapido ſpeculator eques per litora curſu
Hoſpitis adventu pavidam compleverat aulam.
Conſilii vix tempus erat: tamen omnia monſtra

Pellææ coiere domûs: quos inter Achoreus
Jam placidus ſenio: fractiſque modeſtior annis,
(Hunc genuit cultos Nili creſcentis in arva
Memphis vana ſacris; illo cultore Deorum
Luſtra ſuæ Phœbes non unus vixerat Apis;)
Conſilii vox prima fuit, meritúmque, fidémque,
Sacráque defuncti jactavit pignora patris.
Sed melior ſuadere malis, & nóſſe tyrannos,
Auſus Pompeium leto damnare Pothinus;
Jus, & fas multos faciunt Ptolemææ nocenteis,
Dat pœnas laudata fides, cum ſuſtinet, inquit,
Quos Fortuna premit. ſatis accede, Deiſque,
Et cole felices, miſeros fuge. ſidera terrâ
Ut diſtant, & flamma mari, ſic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, ſi penderè juſta
Incipit: everſique arces reſpectus honeſti.
Libertas ſcelerum eſt, quæ regna invitâ tuetur,
Sublatúſque modus gladiis, facere omnia ſævè
Non impune licet, niſi dum facis. exeat aulâ,
Qui volet eſſe pius. virtus, & ſumma poteſtas
Non coëunt: ſemper metuet, quem ſæva pudebunt.
Non impune tuos Magnus contemſerit annos;
Qui te nec victos arcere à littore noſtro
Poſſe putat. neu te ſceptris privaverit hoſpes,
Pignora ſunt propiora tibi; Nilónque, Pharónque,
Si regnare piget, damnatæ redde ſorori.
Ægyptum certè Latiis tueamur ab armis.
Quicquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec Victoris erit. toto jam pulſus ab orbe,
Poſtquam nulla manet rerum fiducia, quærit
Cùm quâ gente cadat: rapitur civilibus umbris.
Nec ſoceri tantùm arma fugit; fugit ora Senatus,
Cujus Theſſalicas ſaturat pars magna volucres.
Et metuit gentes, quas uno in ſanguine miſtas
Deſeruit: regéſque timet, quorum omnia merſit:
Theſſaliæque reus, nullâ tellure receptus,
Sollicitat noſtrum, quem nondum perdidit, orbem.
Juſtior in Magnum nobis, Ptolemæe, querelæ,
Cauſa data eſt. quid ſepolitam ſempérque quietam
Crimine bellorum maculas Pharon, arváque noſtra
Victori ſuſpecta facis? cur ſola cadenti
Hæc placuit tellus, in quam Pharſalica fata
Conferres, pœnáſque tuas? jam crimen habemus
Purgandum gladio, quòd nobis ſceptra Senatus
Te ſuadente dedit, votis tua fovimus arma.
Hoc ferrum, quod fata jubent proferre, paravi
Non tibi, ſed victo. feriam tua viſcera, Magne:
Malueram ſoceri: rapimur, quò cuncta feruntur.
Téne mihi dubitas an ſit violare neceſſe,
Cum liceat? quæ te noſtri fiducia regni
Huc agit infelix? populum non cernis inermem
Árváque vix refugo fodientem mollia Nilo?
Metiri ſua regna decet, viréſque fateri.
Tu Ptolemæe potes Magni fulcire ruinam,
Sub quâ Roma jacet? buſtum, cineréſque movere
Theſſalicos audes, bellúmque in regna vocare?
Ante aciem Emathiam nullis acceſſimus armis:
Pompeii nunc caſtra placent, quæ deſerit orbis?
Nunc victoris opes, & cognita fata laceſſis?
Adverſis non deeſſe decet, ſed læta ſecutos.
Nulla fides unquam miſeros elegit amicos.
Aſſenſere omnes ſceleri. lætatur honore
Rex puer inſueto, quod jam ſibi tanta jubere
Permittunt famuli. ſceleri delectus Achillas,
Perfida quà tellus Caſiis excurrit arenis,
Et veda teſtantur junctas Ægyptia Syrtes,
Exiguam ſociis monſtri, gladiiſque carinam
Inſtruit. ô ſuperi, Nilúſne, & barbara Memphis,
Et Peluſiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos! ſic fata premunt civilia mundum!
Sic Romana jacent! ullúſne in cladibus iſtis
Eſt locus Ægypto? Phariúſque admittitur enſis?
Hanc certè ſervate fidem civilia bella:
Cognatas præſtate manus, externáque mónſtra
Pellite, ſi meruit tam claro nomine Magnus
Cæſaris eſſe nefas, tanti Ptolemæe ruinam
Nominis haud metuis? cœlóque tonante profanas
Inſeruiſſe manus impure, ac ſemivir audes?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regúmque potens, vindéxque Senatûs,
Victoriſque gener; Pharios ſatis eſſe tyranno
Quod poterat, Romanus erat. quid viſcera noſtra
Scrutaris gladio? neſcis puer improbe, neſcis
Quo tua ſit fortuna loco: jam jure ſine ullo

Nili

Nili ſceptra tenes: cecidit civilibus armis
Qui tibi regna dedit. Jam vento vela negârat
Magnus, & auxilio remorum infanda petebat
Litora: quem contra non longâ vecta biremi,
Appulerat ſcelerata manus: Magnóque patere
Fingens regna Phari, celſæ de puppe carinæ
In parvam jubet ire ratem, litúſque malignum
Incuſat, bimarémque vadis frangentibus æſtum,
Qui vetet externas terris advertere claſſes.
Quòd niſi fatorum leges, intentáque juſſu
Ordinis æterni miſeræ vicinia mortis
Damnatum leto traherent ad litora Magnum;
Non ulli comitum ſceleris præſagia deerant.
Quippe fides ſi pura foret, ſi regia Magno
Sceptrorum auctori verâ pietate pateret;
Venturum totâ Pharium cum claſſe tyrannum.
Sed cedit fatis, claſſémque relinquere juſſus
Obſequitur, letúmque juvat præferre timori.
Ibat in hoſtilem præceps Cornelia puppim,
Hôc magis impatiens egreſſo deeſſe marito,
Quòd metuit clades. remane temeraria conjux,
Et tu nate precor, longéque è litore caſus
Expectate meos: & in hâc cervice tyranni
Explorate fidem, dixit: ſed ſurda vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
Quò ſinè me crudelis abis? iterúmne relinquor
Theſſalicis ſummota malis? numquam omine læto
Diſtrahimur miſeri. poteras non flectere puppim,
Cùm fugeres aliò, latebríſque relinquere Lesbi,
Omnibus à terris ſi nos arcere parabas?
An tantùm in fluctus placeo comes? Hæc ubi fruſtra
Effudit, primâ pendet tamen anxia puppe:
Attonitóque metu nec quóquam avertere viſus,
Nec Magnum ſpectare poteſt. fletit anxia claſſis,
Ad ducis eventum, metuens non arma, nefáſque;
Sed ne ſubmiſſis precibus Pompeius adoret
Sceptra ſuâ donata manu. tranſire parantem
Romanus Pharià miles de puppe ſalutat
Septimius: qui, prò ſuperûm pudor, arma ſatelles
Regia geſtabat poſito deformia pilo,
Immanis, violentus, atrox, nullâque ferarum
Mitior in cædes. quis non, Fortuna, putâſſet
Parcere te populis, quòd bello hæc dextra vacâſſet,
Theſſaliâque procul tam noxia tela fugâſſes?
Diſponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu, facinus civile tibi. victoribus ipſis
Dedecus, & nunquam Superûm caritura pudore
Fabula; Romanus Regi ſic paruit enſis,
Pellæúſque puer gladio tibi colla recidit
Magne tuo. quâ poſteritas in ſecula mittet
Septimium famâ? ſcelus hoc quo nomine dicent,
Qui Bruti dixere necas? jam venerat horæ
Terminus extremæ, Phariámque ablatus in alnum
Perdiderat jam jura ſui. tum ſtringere ferrum
Regia monſtra parant. ut vidit comminus enſes,
Involvit vultus: atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, tunc lumina preſſit,
Continuítque animam, ne quas effundere voces
Poſſet, & æternam fletu corrumpere famam.
At poſtquam mucrone latus funeſtus Achillas
Perfodit, nullo gemitu conſenſit ad ictum:
Deſpexítque nefas, ſervátque immobile corpus,
Séque probat moriens, atque hæc in pectore volvit:
Sæcula Romanos nunquam tacitura labores
Attendunt, ævúmque ſequens ſpeculatur ab omni
Orbe ratem, Phariámque fidem. nunc conſule famæ.
Fata tibi longè fluxerunt proſpera vitæ.
Ignorant populi, ſi non in morte probaris,
An ſcieris adverſa pati. ne cede pudori,
Auctoréque dole fati. quacunque feriris,
Crede manum ſoceri. ſpargant, lacerénturque licebit,
Sum tamen, ô ſuperi, felix, nullique poteſtas
Hoc auferre Deo. mutantur proſpera vitâ:
Non ſum morte miſer. videt hanc Cornelia cædem,
Pompeiúſque meus, tanto patientiùs oro
Claude dolor gemitus: natus, conjúxque peremptum
Si mirantur, amant. Talis cuſtodia Magno
Mentis erat: jus hoc animi morientis habebat.
At non tam patiens Cornelia cernere ſævum
Quàm perferre nefas, miſerandis æthera complet
Vocibus: ô conjux, ego te ſcelerata peremi:
Letiferæ tibi cauſa moræ fuit avia Lesbos,
Et prior in Nili pervenit litora Cæſar.
Nam cui jus alii ſceleris? ſed quiſquis in iſtud
A ſuperis immiſſe caput, vel Cæſaris iræ,
Vel tibi proſpiciens, neſcis crudelis, ubi ipſa
Viſcera ſint Magni: properas, atque ingeris ictus,
Quà votum eſt victo. pœnas non morte minores
Pendat, & antè meum videat caput, haud ego culpâ
Libera bellorum, quæ matrum ſola per undas,
Et per caſtra comes, nullis abſterrita fatis;
Victum, quod reges etiam timuere, recepi.
Hoc merui conjux in tutâ puppe relinqui?
Perfide parcebas? te fata extrema petente
Vitâ digna fui? moriar, nec munere regis.
Aut mihi præcipitem nautæ permittite ſaltum:
Aut laqueum collo tortóſque aptate rudentes:
Aut aliquis Magno dignus comes exigat enſem.
Pompeio prælatare poteſt quod Cæſaris armis
Imputet. ô ſævi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc conjux, & jam Cornelia non eſt
Juris, Magne ſui. prohibent accerſere mortem:
Servor victori. Sic fata, intérque ſuorum
Lapſa manus, rapitur, trepidâ fugiente carinâ.
At Magni cùm terga ſonent, & pectora ferro,
Permanſiſſe decus ſacræ venerabile formæ,
Iratámque Deis faciem, nihil ultima mortis
Ex habitu, vultúque viri mutâſſe, fatentur
Qui lacerum videre caput. nam ſævus in ipſo
Septimius ſceleris majus ſcelus invenit actu:
Ac retegit ſacros, ſciſſo velamine, vultus
Semianimis Magni, ſpirantiáque occupat ora,
Colláque in obliquo ponit languentia tranſtro.
Tunc nervos, venáſque ſecat, nodoſáque frangit
Oſſa diu: nondum artis erat caput enſe rotare.
At poſtquam trunco cervix abſciſſa receſſit,
Vendicat hoc Pharius dextrâ geſtare ſatelles.
Degener, atque operæ miles Romane ſecundæ,
Pompeii diro ſacrum caput enſe recidis,
Ut non ipſe feras? ô ſummi fata pudoris!
Impius ut Magnum nóſſet puer, illa verendâ
Regibus hirta comâ, & generoſâ fronte decora
Cæſaries compreſſa manu eſt; Pharióque veruto,
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulſant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigeſcunt,
Suffixum caput eſt, quo nunquam bella jubente
Pax fuit: hoc leges, campúmque, & Roſtra movebat:
Hâc facie Fortuna tibi Romana placebas.
Nec ſatis infando fuit hoc vidiſſe tyranno:
Vult ſceleri ſupereſſe fidem. tunc arte nefandâ
Submota eſt capiti tabes, raptóque cerebro
Adficcata cutis, putríſque effluxit ab alto
Humor, & infuſo facies ſolidata veneno eſt.
Ultima Lageæ ſtirpis, perituráque proles,
Degener, inceſtæ ſceptris ceſſure ſororis,
Cùm tibi ſacrato Macedon ſervetur in antro,
Et regum cineres extructo monte quieſcant,
Cùm Ptolemæorum manes, ſeriémque pudendam
Pyramides claudant, indignáque Mauſolea:
Litora Pompeium feriunt, truncúſque vadoſis
Huc illuc jactatur aquis. adeóne moleſta
Totum cura fuit ſocero ſervare cadaver?
Hâc Fortuna fide Magni tam proſpera fata
Pertulit: hâc illum ſummo de culmine rerum
Morte petit: cladéſque omneis exegit in uno
Sæva die, quibus immunes tot præſtitit annos:
Pompeiúſque fuit, qui nunquam miſta videret
Læta malis: felix nullo turbante Deorum,
Et nullo parcente miſer. ſemel impulit illum
Dilatâ Fortuna manu. pulſatur arenis,
Carpitur in ſcopulis, hauſto per vulnera fluctu
Ludibrium pelagi: nullâque manente figura,
Una nota eſt Magno capitis jactura revulſi.
Antè tamen Pharias victor quàm tangat arenas,
Pompeio raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore ſepulchro,
E latebris pavidus decurrit ad æquora Cordus.
Quæſtor ab Idalio Cinyreæ litore Cypri
Infauſtus Magni fuerat comes. ille per umbras
Auſus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quæſitum corpus in undis
Duceret ad terram, traherétque ad litora Magnum.
Lucis mœſta parum per denſas Cynthia nubes
Præbebat; cano ſed diſcolor æquore truncus
Conſpicitur. tenet ille ducem complexibus arctis
Eripiente mari: nunc victus pondere tanto
Expectat fluctus, pelagóque juvante cadaver
Impellit. poſtquam ſicco jam litore ſedit,

Incubuit

Incubuit Magno, lacrymásque effudit in omne
Vulnus, & ad Superos, obscurásque sidera fatur:
Non pretiosa petit cumulato ture sepulcra
Pompeius, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra
Ut ferat è membris Eoos fumus odores,
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Præferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.
Da vilem Magno plebei funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.
Robora non desint misero, nec sordidus uitor.
Sit satis, ô superi, quòd non Cornelia fuso
Crine jacet, subiscque facem complexa maritum
Imperat, extremo sed abest à munere busti
Infelix conjux, nec adhuc à litore longè est.
Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes,
Corpus vile suis, nullo custode cremantes.
Inde rapit flammas, semustáque robora membris
Subducens, Quæcunque es (ait) neglecta, nec ulli
Cara tuo, sed Pompeio felicior umbra,
Quòd jam compositum violat manus hospita bustum,
Da veniam: si quid sensûs post fata relictum est:
Cedis & ipsa rogo, patersque hæc damna sepulchri,
Téque pudet, spartis Pompeii manibus, uri.
Sic fatur: plenúsque sinus ardente favillâ
Pervolat ad truncum; qui fluctu penè relatus
Litore pendebat. summas dimovit arenas,
Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ
Exiguâ trepidus posuit scrobe, nobile corpus
Robora nulla premunt, nullâ strue membra recumbunt:
Admotus Magnum, non subditus, accipit ignis.
Ille sedens juxta flammas, O maxime, dixit,
Ductor, & Hesperii majestas nominis una,
Si tibi jactatu pelagi, si funere nullo
Tristior ille rogus manes, animámque potentem
Officiis averte meis: injuria fati
Hoc fas esse jubet; ne ponti bellua quicquam,
Ne fera, ne volucres, ne sævi Cæsaris ira
Audeat: exiguam, quantum potes, accipe flammam
Romanâ succense manu. Fortuna recursus
Si det in Hesperiam, non hâc in sede quiescent
Tam sacri cineres: sed te Cornelia, Magne,
Accipiet, nostráque manu transfundet in urnam.
Interea parvo signemus litora saxo,
Ut nota sit busti; si quis placare peremtum
Fortè volet, plenos & reddere mortis honores;
Inveniat trunci cineres, & vôrit arenas,
Ad quas, Magne, tuum referat caput. Hæc ubi fatus,
Excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur, & lentum Magnus distillat in ignem,
Tabe fovens bustum. Sed jam perculserat altra
Auroræ promissa dies: ille, ordine rupto
Funeris, attonitus latebras in litore quærit.
Quam metuis demens isto pro crimine pœnam,
Quo te fama loquax omneis accepit in annos?
Condita laudabit Magni socer impius ossa.
I modò securus veniæ, fassúsque sepulcrum
Posce caput. cogit pictas imponere finem
Officio. semusta rapit, resolutáque nondum
Ossa satis, nervis, & inustis plena medullis
Æquoreâ restinguit aquâ, congestáque in unum
Parvâ clausit humo. tum ne levis aura retectos
Auferret cineres, saxo compressit arenam;
Nautáque ne bustum religato sune moveret,
Inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus. placet hoc, Fortuna, sepulcrum
Dicere Pompeii: quo condi maluit illum,
Quàm terrâ caruisse socer? temeraria dextra
Cur obicis Magno tumulum, manésque vagantes
Includis? situs est, quà terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen, & omne
Imperium Magno est tumuli modus. obrue saxa
Crimine plena Deûm. si tota est Herculis Oete,
Et juga tota vacant Bromio Nysæa; quare
Unus in Ægypto Magno lapis? omnia Lagi
Rura tenere potest, si nullo cespite nomen
Hæserit. erremus populi, cinerúmque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.
Quòd si tam sacro dignaris nomine saxum;
Adde actus tantos, monimentáque maxima rerum:
Adde truces Lepidi motus, Alpináque bella,
Armáque Sertorii revocato Consule victa,
Et currus, quos egit eques: commercia tuta
Gentibus, & pavidos Cilicas maris, adde subactam
Barbariem, gentésque vagas, & quicquid in Euro
Regnorum, Boreâque jacet. dic semper ab armis
Civilem repetisse togam: ter curribus actis
Contentum patriæ multos domâsse triumphos.
Quis capit hæc tumulus? surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
Fastorum, solitúmque legi super alta Deorum
Culmina, & extructos spoliis hostilibus arcus,
Haud procul est imâ Pompeii nomen arenâ,
Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.
Noxia civili tellus Ægyptia fato,
Haud equidem immerito Cumanæ carmine Vatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripásque æstate tumentes.
Quid tibi sæva precer pro tanto crimine tellus?
Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe, retentus,
Et steriles egeant hybernis imbribus agri,
Totáque in Æthiopum putres solvaris arenas.
Nos in templa tuam Romana accepimus Iliu,
Semideósque canes, & sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:
Tu nostros Ægypte tenes in pulvere Manes.
Tu quoque cùm sævo dederis jam templa tyranno;
Nondum Pompeii cineres ô Roma petisti:
Exul adhuc jacet umbra ducis. si sæcula prima
Victoris timuere minas; nunc excipe saltem
Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
Invisâ tellure sedent. quis busta timebit?
Quis sacris dignam movisse verebitur urnam?
Imperet hoc nobis utinam scelus, & velit uti
Nostro Roma sinu: satis ô nimiúmque beatus,
Si mihi contingat manes transferre revulsos
Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum.
Forsitan aut sulco sterili cùm poscere finem
A Superis, aut Roma volet feralibus Austris,
Ignibus aut nimiis, aut terræ tecta moventi:
Consilio justúque Deûm transibis in urbem,
Magne, tuam, summúsque feret tua busta sacerdos.
Nam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, & imbriferâ siccas sub Pleiade Thebas
Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator Eoæ,
Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
Et cinis in summis, forsan turbatus arenis
Advertat? manésque tuos placare jubebit,
Et Catio præferre Jovi? nil illa nocebunt
Famæ busta tuæ. templis, auróque sepultus
Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo,
Hoc tumulo Fortuna jacens. augustius aris
Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum.
Tarpeiis qui sæpe Deis sua tura negârunt,
Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.
Proderit hoc olim, quòd non mansura sepulcri
Ardua marmoreo surrexit pondere moles.
Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustúmque cadet, mortísque peribunt
Argumenta tuæ. veniet felicior ætas,
Quâ sit nulla fides saxum monstrantibus istud:
Atque erit Ægyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quàm Creta Tonantis.

LIBER NONUS.

AT non in Phariâ manes jacuere favillâ,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:
Prosiluit busto, semustáque membra relinquens,
Degenerémque rogum, sequitur convexa Tonantis.
Quâ niger altriferis connectitur axibus aër;
Quódque patet terras inter, lunæque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.
Non illuc auro positi, nec ture sepulti
Perveniunt. illic postquam se lumine vero
Implevit, stellásque vagas miratur, & astra
Fixa polis, vidit quantâ sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Emathiæ campos, & signa cruenti
Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti

Sedit,

Sedit, & invicti posuit se mente Catonis.
Ille ubi pendebant casus, dubiumque manebat,
Quem mundi dominum facerent civilia bella;
Oderat & Magnum, quamvis comes isset in arma
Auspiciis raptus patriæ, ductúque Senatûs.
At postl Thessalicas clades jam pectore toto
Pompeianus erat, patriam tutore carentem
Excepit, populi trepidantia membra refovit,
Ignavis manibus projectos reddidit enses:
Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servitæ timens, nil causâ fecit in armis
Ipse suâ: totæ post Magni funera partes
Libertatis erant: quas ne per litora fusas
Colligeret rapido victoria Cæsaris actu,
Corcyræ secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
Agmina? quis pelagus victas arctâsse carinas?
Dorida tunc Malean, & apertam Tænaron umbris,
Indè Cythera petit: Boreâque urgente carinas
Creta fugit: Dictæa legit, cedentibus undis,
Litora, tunc ausum classi præcludere portus
Impulit, ac fœvas meritum Phœunta rapinas
Sparsit: & hinc placidis alto delabitur auris
In litus Palinure tuum: (neque enim æquore tantùm
Ausonio monimenta tenes: portúsque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro,)
Cùm procul ex alto tendentes vela carinæ
Ancipites tenuere animos, sociósne malorum,
An veherent hostes: præceps facit omne timendum
Victor, & in nullâ non creditur esse carinâ.
Ast illæ puppes luctus, planctúsque ferebant,
Et mala vel duri lacrymas inotura Catonis.
Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
Privignique fugam tenuit, ne fortè repulsus
Litoribus Phariis remearet in æquora truncus,
Ostenditque rogum non justi flamma sepulcri:
Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito
Accendisse rogum, gelidos effusa per artus
Incubuisse viro, laceros exurere crines,
Membráque dispersi pelago componere Magni?
Vulneribus cunctis largos infundere fletus?
Ossibus, & tepidâ vestes implere favillâ?
Quicquid ab extincto licuisset tollere busto,
In templis sparsura Deûm. sinè funeris ullo
Ardet honore rogus: manus hoc Ægyptia forsan
Obtulit officium grave manibus. ô bene nudi
Crassorum cineres! Pompeio contigit ignis
Invidiâ majore Deûm. similisne malorum
Sors mihi semper erit? nunquam dare busta licebit
Conjugibus: nunquam plenas plangemus ad urnas?
Quid porrò tumulis opus est, aut ulla requiris
Instrumenta dolor? non toto pectore portas
Impia Pompeium? non imis hæret imago
Visceribus? quærat cineres victura superstes.
Nunc tamen hic, longè qui fulget luce malignâ,
Ignis, adhuc aliquid, Phario de litore surgens
Ostendit mihi, Magne, tui: jam flamma resedit,
Pompeiúmque ferens vanescit Solis ad ortus
Fumus, & invisi tendunt mihi carbasa venti.
Non mihi nunc tellus Pompeio siqua triumphos.
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
Gratior; elapsus felix de pectore Magnus:
Hunc volumus, quem Nilus habet, terræque nocenti
Non hærere queror: crimen commendat arenas.
Linquere, si qua fides, Pelusia litora nolo.
Tu pete bellorum casus, & signa per orbem,
Sexte, paterna move: namque hæc mandata reliquit
Pompeius vobis in nostrâ condita curâ,
Me cum fatalis leto damnaverit hora,
Excipite ô nati bellum civile, nec unquam,
Dum terris aliquis nostrâ de stirpe manebit,
Cæsaribus regnare vacet, vel sceptra, vel urbes
Libertate suâ validas impellite famâ
Nominis: has vobis parteis, hæc arma relinquo.
Inveniet classes quisquis Pompeius in undas
Venerit, & notter nullis non gentibus hæres
Bella dabit: tantùm indomitos, memoréque paterni
Juris habete animos, uni parere decebit,
Si faciet partes pro libertate, Catoni.
Exolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
Insidiæ valuere tuæ, deceptúque vixi,
Ne mihi communis auferrem perfida voces.
Jam nunc te per inane chaos, per Tartara, conjux,
Si sunt ulla, sequar: quàm longo tradita leto
Incertum est: pœnas animæ vivacis ab ipsâ
Antè feram. potuit cernens tua vulnera, Magne,
Non fugere in mortem: planctu contusa peribit:
Effluet in lacrymas: nunquam veniemus ad enses,
Aut laqueos, aut præcipites per inania jactus.
Turpe mori post te solo non posse dolore.
Sic ubi tacta, caput ferali obducit amictu,
Degressúque pati tenebras, puppísque cavernis
Delituit: lævúmque arctè complexa dolorem
Perfruitur lacrymis, & amat pro conjuge luctum.
Illam non fluctus, stridéntsque rudentibus Eurus
Movit, & exurgens ad summa pericula clamor:
Votáque sollicitis faciens contraria nautis,
Compósita in mortem jacuit, favitque procellis.
Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
Indè tenens Pelagus, sed jam moderatior, Eurus
In Libycas egit sedes, & castra Catonis.
Tristis, ut in multo mens est præsaga timore,
Aspexit patrios comites à litore Magnus,
Et fratrem: medias præceps tunc fertur in undas.
Dic ubi sit, germane, parens: stat summa, capútque
Orbis, an occidimus? Romanáque Magnus ad umbras
Abstulit? Hæc fatur: quem contra talia frater:
O felix, quem fors alias dispersit in oras,
Quisque nefas audis: oculos, germane, nocenteis
Spectato genitore fero. non Cæsaris armis
Occubuit, dignóque perit auctore ruinæ.
Rege sub impuro Nilotica rura tenente,
Hospitii fretus Superis, & munere tanto
In pronos, cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris;
Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,
Litore Niliaco socerum jam stare putavi.
Sed me nec sanguis, nec tantùm vulnera nostri
Affecere senis, quantum gestata per urbes
Ora ducis, quæ transfixo sublimia pilo
Vidimus: hæc, fama est, oculis victoris iniqui
Servari, scelerísque fidem quæsisse tyrannum.
Nam corpus Phariæne canes, avidæque volucres
Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. quæcunque injuria fati
Abstulit hos artus, Superis hæc crimina dono:
Servatâ de parte queror. Cùm talia Magnus
Audisset: non in gemitus, lacrymásque dolorem
Effudit; justâque furens pietate profatur:
Præcipitate rates è sicco litore nautæ;
Classis in adversos erumpat remige ventos:
Ite duces mecum: nunquam civilibus armis
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellæas arces, adytísque retectum
Corpus Alexandri pigrâ Mareotide mergam?
Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, sepulcra:
Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,
Suppositísque Deis uram caput. has mihi pœnas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros;
Nec, Nilus cui crescat, erit: solúsque tenebis
Ægyptum genitor, populis superísque fugatis.
Dixerat, & classem fœvas rapiebat in undas.
Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.
Interea totis audito funere Magni
Litoribus sonuit percussus planctibus æther:
Exemplóque carens, & nulli cognitus ævo
Luctus erat, mortem populos deflere potentis.
Sed magis, ut visâ est lacrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primùm in sociæ pervenit littora terræ,
Collegit vestes, miserísque insignia Magni,
Arináque, & impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictásque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestóque intulit igni.
Ille fuit miseræ Magni cinis. accipit omnis
Exemplum pietas, & toto litore busta
Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi de pallis submittere gramina campis,
Et renovare parans hybernas Appulus herbas,
Igne fovet terras, simul & Garganus, & arva
Vulturis, & calidi lucent buxeta Mutini.

Non

Non tamen ad Magni pervenit gratiùs umbram,
Omne quòd in Superos audet convicia vulgus,
Pompeiúmque Deis obicit, quàm pauca Catonis
Verba, ſed à pleno venientia pectore veri.
Civis obit (inquit) multo majoribus impar
Nôſſe modum juris, ſed in hôc tamen utilis ævo,
Cui non ulla fuit juſti reverentia, ſalvâ
Libertate potens, & ſolus plebe paratâ
Privatus ſervire ſibi, rectórque Senatûs,
Sed regnantis, erat. nil belli jura popoſcit:
Quæque dari voluit, voluit ſibi poſſe negari.
Immodicas poſſedit opes: ſed plura retentis
Intulit: invaſit ferrum, ſed ponere nôrat.
Prætulit arma togæ: ſed pacem armatus amavit.
Juvit ſumpta ducem, juvit dimiſſa poteſtas.
Caſta domus, luxúque carens, corruptáque nunquam
Fortunâ domini. clarum, & venerabile nomen
Gentibus, & multum noſtræ quod proderat urbi.
Olim vera fides Syllâ Marióque receptis
Libertatis obît: Pompeio rebus ademto
Nunc & ficta perît. non jam regnare pudebit;
Nec colet imperii nec frons erit ulla Senatûs.
O felix, cui ſumma dies fuit obvia victo,
Et cui quærendos Pharium ſcelus obtulit enſes:
Forſitan in ſoceri potuiſſes vivere regno.
Scire mori, ſors prima viris, ſed proxima cogi.
Et mihi, ſi fatis aliena in jura venimus,
Da talem Fortuna Jubam: non deprecor hoſti
Servari, dum me ſervet cervice recisâ.
  Vocibus his major, quàm ſi Romana ſonarent
Roſtra ducis laudes, generoſam venit ad umbram
Mortis honos. fremit interea diſcordia vulgi
Caſtrorum, belliſque piget poſt funera Magni:
Cùm Tarcho in motu linquendi ſigna Catonis
Suſtulit; hunc raptâ fugientem claſſe ſecutus
Litus in extremum, tali Cato voce notavit:
O nunquam pacate Cilix! iterúmque rapinas
Vadis in æquoreas? Magnum Fortuna removit:
Jam pelago pirata redis. Tunc reſpicit omneis
In cœtu, motúque viros: quorum unus apertâ
Mente fugæ, tali compellat voce regentem:
Nos Cato, da veniam, Pompeii duxit in arma,
Non belli civilis amor, partéſque favore
Fecimus. ille jacet, quem paci prætulit orbis,
Cauſáque noſtra perit: patrios permitte penates,
Deſertámque domum, dulcéſque reviſere natos.
Nam quis erit finis, ſi nec Pharſalia, pugnæ,
Nec Pompeius erit? perierunt tempora vitæ,
Mors eat in tutum; juſtas ſibi noſtra ſenectus
Proſpiciat flammas. bellum civile ſepulcra
Vix ducibus præſtare poteſt. non barbara victos
Regna manent: non Armenium mihi ſæva minatur,
Aut Scythicum Fortuna jugum: ſub jura togati
Civis eo, quiſquis Magno vivente ſecundus,
Hic mihi primus erit: ſacris præſtabitur umbris
Summus honor: dominum, quem clades cogit, habebo:
Nullum, Magne, ducem. te ſolum in bella ſecutus,
Poſt te, fata ſequar: neque enim ſperare ſecunda
Fas mihi, nec liceat. Fortunâ cuncta tenentur
Cæſaris: Emathium ſparſit victoria ferrum.
Clauſa fides miſeris, & toto ſolus in orbe eſt,
Qui velit ac poſſit victis præſtare ſalutem.
Pompeio, ſcelus eſt bellum civile, perempto,
Quo fuerat vivente fides. ſi publica jura,
Si ſemper patriam ſequeris, Cato, ſigna petamus,
Romanus quæ Conſul habet. Sic ille profatus
Inſiluit puppi, juvenum comitante tumultu.
Actum Romanis fuerat de rebus, & omnis
Indiga ſervitii fervebat litore plebes:
Erupere ducis ſacro de pectore voces:
  Ergo pari voto geſſiſti bella juventus
Tu quoque pro dominis, & Pompeiana fuiſti,
Non Romana manus? quòd non in regna laboras,
Quòd tibi, non ducibus, vivis, moriénſque quòd orbem
Acquiris nulli, quòd jam tibi vincere tutum eſt,
Bella fugis, quærîſque jugum cervice vacante,
Et neſcis ſinè rege pati. nunc cauſa pericli
Digna viris. veſtro potuit Pompeius abuti
Sanguine: nunc patriæ jugulos enſéſque negatis;
Cùm propè libertas. unum Fortuna reliquit
Jam tribus è dominis. pudent: plus regia Nili
Contulit in leges, & Parthi militis arcus.
Ite ô degeneres, Ptolemæi munus, & arma
Sperníte. quis veſtras ullâ putet eſſe nocenteis
Cæde manus? credet facileis ſibi terga dediſſe,
Credet ab Emathiis primos fugiſſe Philippis.
Vadite ſecuri: meruiſtis judice vitam
Cæſare, non armis, non obſidione ſubacti.
O famuli turpes, domini poſt fata prioris
Itis ad hæredem. cur non majora mereri,
Quàm vitam, veniámque libet? rapiatur in undas
Infelix magni conjux, proléſque Metelli:
Ducite Pompeios: Ptolemæi vincite munus.
Noſtra quoque inviſo quiſquis feret ora tyranno,
Non parvâ mercede dabit. ſciat iſta juventus
Cervicis precio bene ſe mea ſigna ſecutam.
Quin agite, & magnâ meritum cum cæde parate:
Ignavum ſcelus eſt tantùm fuga. Dixit: & omnes
Haud aliter medio revocavit ab æquore puppes,
Quàm ſimul effœtas linquunt examina ceras,
Atque oblita favi non miſcent nexibus alas,
Sed ſibi quæque volat, nec jam deguſtat amarum
Deſidioſa thymum; tum ſi ſonus increpat æris,
Attonitæ poſuere fugam, ſtudiúmque laboris
Florigeri repetunt, & ſparſi mellis amorem:
Gaudet in Hyblæo ſecurus gramine paſtor
Divitias ſervâſſe caſæ: ſic voce Catonis
Inculcata viris juſti patientia Martis.
  Jámque actu belli non doctas ferre quietem
Conſtituit mentes, ſeriéque agitare laborum.
Primùm litoreis miles laſſatur arenis.
Proximus in muros, & mœnia Cyrenarum
Eſt labor: excluſus nullâ ſe vindicat irâ:
Pœnáque de victis ſola eſt, viciſſe, Catoni.
Indé peti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Jubæ; ſed iter mediis Natura negabat
Syrtibus: has audax ſperat ſibi cedere virtus.
Syrtes vel primam mundo Natura fuguram
Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.
(Nam neque ſubſedit penitus, quò ſtagna profundi
Acciperet, nec ſe defendit ab æquore tellus:
Ambiguâ ſed lege loci jacet invia ſedes:
Æquora fracta vadis, abruptáque terra profundo,
Et poſt multa ſonant projecti litora fluctus.
Sic malè deſeruit, nullóſque exegit in uſus
Hanc partem natura ſui.) vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitúſque natabat:
Sed rapidus Titan ponto ſua lumina paſcens,
Æquora ſubduxit zonæ vicina peruſtæ:
Et nunc pontus adhuc Phœbo ſiccante repugnat.
Mox ubi damnoſum radios admoverit ævum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda ſupernè
Innatat, & latè periturum deficit æquor.
  Ut primùm remis actum mare protulit omne
Claſſis onus denſis fremuit niger imbribus Auſter
In ſua regna furens: tentatum claſſibus æquor
Turbine defendit, longéque à Syrtibus undas
Egit, & illato confregit litore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbaſa malo
Eripuit nautis, fruſtráque rudentibus auſis
Vela negare Noto, ſpatium vicere carinæ,
Atque ultra proram tumuit ſinus. omnia ſi quis
Providus antennæ ſuffixit lintea ſummæ,
Vincitur, & nudis avertitur armamentis.
Sors melior claſſi, quæ fluctibus incidit altis,
Et certo jactata mari. quæcunque levatæ
Arboribus cæſis flatum effudere prementem:
Abſtulit has ventis liber contraria volvens
Æſtus, & obnixum victor detruſit in Auſtrum.
Has vada deſtituunt, atque interrupta profundo
Terra ferit puppes: dubióque obnoxia fato
Pars ſedet una ratis, pars altera pendet in undis.
Tunc magis impactum brevibus mare, terráque ſævit
Obvia conſurgens: quamvis eliſus ab auſtro,
Sæpe tamen cumulos fluctus non vincit arenæ.
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis,
Inviolatus aquâ, ſicci jam pulveris agger.
Stant miſeri nautæ, terræque hærente carinâ
Litora nulla vident: ſic partem intercipit æquor.
Pars ratium major regimen, clavúmque ſecuta eſt,
Tuta fugâ, nautáſque loci ſortita peritos,
Torpentem Tritonos adît illæſa paludem.
Hanc, ut fama, Deus, quem toto litore pontus
Audit ventoſâ perflantem murmura conchâ,
Hanc & Pallas amat: patrio quæ vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo eſt,
Ut probat ipſe calor) tetigit: ſtagníque quietâ
Vultus vidit aquâ, poſuítque in margine plantas,

Et

Et ſe dilectæ Triconida dixit ab undâ.
Quam juxta Lethes tacitus prælabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis:
Atque inſopiti quondam tutela draconis,
Heſperidum pauper ſpoliatis frondibus hortus.
Invidus, annoſo famam qui derogat ævo,
Qui vates ad vera vocat. Fuit aurea ſylva,
Divitiſque graves, & fulvo germine rami,
Virgineúſque chorus nitidi cuſtodia luci,
Et nunquam ſomno damnatus lumina ſerpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
Abſtulit arboribus pretium, nemoríque laborem
Alcides: pallúſque inopes ſinè pondere ramos
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulſa locis, ejectáque claſſis
Syrtibus, haud ultra Garamantidas attigit undas:
Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris
Manſit. At impatiens virtus hærere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, & terrâ cingere Syrtim.
Hæc eadem ſuadebat hyems, quæ clauſerat æquor.
Et ſpes imber erat, nimios metuentibus ignes:
Ut neque ſole viam, nec duro frigore ſævam,
Indè polo Libyes, hinc brumâ temperet annus:
Atque ingreſſurus ſteriles, ſic fatur, arenas:
O quibus una ſalus placuit mea caſtra ſecutis
Indomitâ cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, ſummóſque labores.
Vadimus in campos ſteriles, exuſtáque mundi,
Quà nimius Titan, & raræ in fontibus undæ,
Siccaque letiferis ſqualent ſerpentibus arva,
Durum iter, ad leges, patriæque ruentis amorem
Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
Si quibus in nullo poſitum eſt evadere voto,
Si quibus ire ſat eſt. neque enim mihi fallere quemquam
Eſt animus, tectóque metu perducere vulgus.
Hi mihi ſint comites, quos ipſa pericula ducent,
Qui, me teſte, pati, vel quæ triſtiſſima, pulcrum,
Romanúmque putant. at qui ſponſore ſalutis
Miles eget, capitúrque animæ dulcedine, vadat
Ad dominum meliore viâ. dum primus arenas
Ingrediar, primúſque gradus in pulvere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat ſerpens; fatóque pericula veſtra
Præſentate meo: ſitiat, quicunque bibentem
Viderit: aut umbras nemorum quicunque petentem,
Æſtuet: aut equitem peditum præcedere turmas,
Deficiat; ſi quo fuerit diſcrimine notum
Dux, an miles eam. ſerpens, ſitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti: Gaudet patientia duris.
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum.
Sola poteſt Libye turbam præſtare malorum,
Ut deceat fugiſſe viros. Sic ille calentes
Incendit virtute animos, & amore laborum,
Irreducémque viam deſerto limite carpit:
Et ſacrum parvo nomen clauſura ſepulcro
Invaſit Libye ſecuri fata Catonis.
Tertia pars rerum Libye, ſi credere famæ
Cuncta velis: at ſi ventos cœlúmque ſequaris,
Pars erit Europæ. nec enim plùs litora Nili,
Quàm Scythicus Tanais primis à Gadibus abſunt:
Unde Europa fugit Libyen, & litora dextro
Oceano fecere locum: ſed major in unam
Orbis abit Aſiam. nam cum communiter illa
Effundant Zephyrum, Boreæ lævus illa ſiniſtrum
Contingens, dextrúmque Noti, diſcedit in ortus,
Eurum ſola tenens. Libycæ quod fertile terræ eſt
Vergit in occaſus: ſed & hæc non fontibus ullis
Solvitur, Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, & noſtris reficit ſua rura ſerenis.
Ju nullas vitiatur opes; non ære, nec auro
Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura,
Et penitus terra eſt. tantum Maurufia gentis
Robora divitiæ, quarum non noverat uſum:
Sed citri contenta comis vivebat, & umbrâ.
In nemus ignotum noſtræ venere ſecures:
Extremóque epulas, menſáſque petivimus orbe.
At quæcunque vagam Syrtim complectitur ora
Sub nimia projecta die, vicina perufti
Ætheris, exurit meſſes, & pulvere Bacchum
Enecat, & nullâ putris radice tenetur.
Temperies vitalis abeſt: & nulla ſub illâ
Cura Jovis terrâ eſt: Naturâ defide torpet
Orbis, & immotis annum non ſentit arenis.
Hoc tam ſegne ſolum raras tamen exerit herbas,
Quas Naſamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. nam litoreis populator arenis
Imminet, & nullâ portus tangente carinâ,
Novit opes. ſic cum toto commercia mundo
Naufragiis Naſamones habent. Hàc ire Catonem
Dura jubet virtus. illic ſecura juventus
Ventorum, nullâſque timens tellure procellas,
Æquoreos eſt paſſa metus. nam litore ſicco,
Quàm pelago, Syrtis violentiùs excipit Auſtrum,
Et terræ magis ille nocet. non montibus ortum
Adverſis frangit Libye, ſcopulíſque repulſum
Diſſipat, & liquidas è turbine ſolvit in auras:
Nec ruit in ſylvas, annoſáque robora torquens
Laſſatur: patet omne ſolum, libérque meatu
Æoliam rabiem totis exercet arenis:
At non imbriferam cum torto pulvere nubem
In flexum violentus agit: pars plurima terræ
Tollitur, & nunquam reſoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Naſamon errantia vento,
Diſcuſſáſque domos: volitántque à culmine raptæ
Detecto Garamante caſæ. non altiùs ignis
Rapta vehit: quantúmque licet conſurgere fumo,
Et violare diem, tantum tenet ærа pulvis.
Tum quoque Romanum ſolito violentior agmen
Aggreditur, nullúſque poteſt conſiſtere miles,
Inſtabilis raptis etiam, quas calcat, arenis.
Concuteret terras, orbémque à ſede moveret,
Si ſolidâ Libye compage, & pondere duro
Clauderet exeſis Auſtrum ſcopuloſa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
Nuſquam luctando ſtabilis manet: imáque tellus
Stat, quia ſumma fugit. galeas, & ſcuta virorum,
Pilaque contorſit violento ſpiritus actu,
Intentúſque tulit magni per inania cœli.
Illud in externâ forſan longéque remotâ
Prodigium tellure fuit: delapſáque cœlo
Arma timent gentes, hominúmque erepta lacertis
A ſuperis demiſſa putant. ſic illa profectò
Sacrifico cecidere Numæ, quæ lecta juventus
Patritiâ cervice movet: ſpoliaverat Auſter
Aut Boreas populos ancilia noſtra ferentes.
Sic orbem torquente Noto Romana juventus
Procubuit, metuéntſque rapi, conſtrinxit amictus,
Inſeruſtque manus terræ: nec pondere ſolo,
Sed nixu jacuit, vix ſic immobilis Auſtro,
Qui ſuper ingenteis cumulos involvit arenæ,
Atque operit tellure viros. vix tollere miles
Membra valet, multo congeſtu pulveris hærens,
Alligat & ſtantes affuſæ magnus arenæ
Agger, & immoti terrâ ſurgente tenentur.
Saxa tulit penitus diſcuſſis proruta muris,
Effudítque procul mirandâ ſorte malorum:
Qui nullas videre domos, videre ruinas.
Jámque iter omne latet: nec ſunt diſcrimina terræ
Ulla, niſi ætheriæ medio velut æquore flammæ.
Sideribus novere vias: nec ſidera tota
Oſtendit Libycæ finitor circulus oræ,
Multáque devexo terrarum margine celat.
Utque calor ſolvit, quem torſerat æra ventus,
Incenſúſque dies, manant ſudoribus artus:
Arent ora ſiti: conſpecta eſt parva maligná
Unda procul veuâ: quam vix è pulvere miles
Corripiens, patulum galeâ confudit in orbem,
Porrexítque duci. ſqualebant pulvere fauces
Cunctorum: minimúmque tenens dux ipſe liquoris
Invidioſus erat. Méne, inquit, degener unum
Miles in hâc turbâ vacuum virtute putâſti?
Uſque adeò mollis, primíſque caloribus impar
Sum viſus? quanto pœnâ tu dignior iſtâ,
Qui populo ſitiente bibas! ſic concitus irâ
Excuſſit galeam, ſuffectúque omnibus unda.
Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: ſtat corniger illic
Jupiter, ut memorant, ſed non aut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.
Non illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa: nec Eois ſplendent donaria gemmis.
Quamvis Æthiopum populis, Arabúmque beatis
Gentibus, atque Indis unus ſit Jupiter Ammon,
Pauper adhuc Deus eſt, nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens: morúmque priorum
Numen Romanum templum defendit ab auro.

Eſſe

Illic locis Superos teſtatur ſylva per omnem
Sola virens Libyen. nam quicquid pulvere ſicco
Separat ardentem tepidâ Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: ſolus nemus extulit Ammon.
Sylvarum fons cauſa loco, qui putria terræ
Alligat, & domitas undâ connectit arenas.
Sic quoque nil obſtat Phœbo, cùm cardine ſummo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.
Deprenſum eſt hunc eſſe locum, quà circulus alti
Solſtitii medium ſignorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit
Rectior, aut Aries donat ſua tempora Libræ,
Aut Aſtræa jubet lentos deſcendere Piſces,
Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinos ardens
Humidus Ægoceros: nec plùs Leo tollitur Urnâ.
At tibi, quæcunque es Libyco gens igne diremta,
In Notion umbra cadit, quæ nobis exit in Arcton.
Te ſegnis Cynoſura ſubit: tu ſicca profundo
Mergi plauſtra putas, nullúmque in vertice ſemper
Sidus habes immune maris, procul axis uterque eſt,
Et fuga ſignorum medio rapit omnia cœlo.
  Stabant ante fores populi, quos miſerat Eos,
Cornigeríque Jovis monitu nova fata petebant:
Sed Latio ceſſere duci: comitéſque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de famâ tam longi judicet ævi.
Maximus hortator ſerutandi voce Deorum
Eventûs Labienus erat. Sors obtulit, inquit,
Et Fortuna viæ, tam magni numinis ora,
Conſiliúmque Dei: tanto duce poſſumus uti
Per Syrtes, bellſque datos cognoſcere caſus.
Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
Dicturóſque magis, quàm ſancto vera Catoni?
Certè vita tibi ſemper directa ſupernas
Ad leges, ſequerſque Deum. datur ecce loquendi
Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
Cæſaris, & patriæ venturos excute mores:
Jure ſuo populis uti, legúmque licebit
An bellum civile perit. tua pectora ſacrâ
Voce reple: duræ ſaltem virtutis amator,
Quære quid eſt virtus, & poſce exemplar honeſti.
  Ille Deo plenus, tacitâ quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis è pectore voces:
Quid queri, Labiene jubes? an liber in armis
Occubuiſſe velim potiùs, quàm regna videre?
An ſit vita nihil, ſed longam differat ætas?
An noceat vis ulla bono? Fortunáque perdat
Oppoſitâ virtute minas? laudandáque velle
Sit ſatis, & nunquam ſucceſſu creſcat honeſtum?
Scimus, & hoc nobis non altiùs inferet Ammon.
Hæremus cuncti Superis, templóque tacente
Nil facimus non ſponte Dei: nec vocibus ullis
Numen eget: dixítque ſemel naſcentibus auctor,
Quidquid ſcire licet: ſterilcis nec legit arenas,
Ut caneret paucis, menſítque hoc pulvere verum.
Eſtne Dei ſedes nili terra, & pontus, & aër,
Et cœlum, & virtus? Superos quid quærimus ultrà?
Jupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.
Sortilegis egeant dubii, ſempérque futuris
Caſibus ancipites: me non oracula certum,
Sed mors certa facit: pavido, fortíque cadendum eſt.
Hoc ſatis eſt dixiſſe Jovem. Sic ille profatur:
Servatâque fide templi diſcedit ab aris
Non exploratum populis Ammona relinquens.
  Ipſe manu ſua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes: monſtrat tolerare labores,
Non jubet; & nullâ vehitur cervice ſupinus,
Carpentóve ſedens. ſomni parciſſimus ipſe eſt,
Ultimus hauſtor aquæ. cùm tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur
Fama bonis, & ſi ſucceſſu nuda remoto
Inſpicitur Virtus, quicquid laudamus in ullo
Majorum, fortuna fuit. quis Marte ſecundo,
Quis tantum meruit populorum ſanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes, Libyæque extrema triumphum
Ducere maluerim, quàm ter Capitolia curru
Scandere Pompeii, quàm frangere colla Jugurthæ.
Ecce parens verus patriæ, digniſſimus aris
Roma tuis; per quem nunquam jurare pudebit,
Et quem, ſi fleteris unquam cervice ſolutâ,
Tunc olim facturi Deum. Jam ſpiſſior ignis,
Et plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra

A medio fecere die, calcatur, & unda
Rarior: inventus mediis fons unus arenis
Largus aquæ: ſed quem ſerpentum turba tenebat
Vix capiente loco. ſtabant in margine ſiccæ
Aſpides, in mediis ſitiebant Dipſades undis.
Ductor, ut aſpexit perituros fonte relicto,
Alloquitur: Vanâ ſpecie conterrite lœti
Ne dubita miles tutos haurire liquores:
Noxia ſerpentum eſt admiſto ſanguine peſtis:
Morſu virus habent, & fatum dente minantur:
Pocula morte carent. Dixit, dubiúmque venenum
Hauſit: & in totâ Libyæ fons unus arenâ
Ille fuit, de quo primus ſibi poſceret undam.
  Cur Libycus tantis exundet peſtibus aër,
Fertilis in mortes, aut quid ſecreta nocenti
Miſcuerit Natura ſolo, non cura, laborque
Noſter ſcire valet: niſi quòd vulgata per orbem
Fabula pro verâ decepit ſecula causâ.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
Accipit Oceanum demiſſo ſole calentem,
Squalebant latè Phorcynidos arva Meduſæ,
Non nemorum protecta comâ, non mollia ſulco,
Sed dominæ vultu conſpectis aſpera ſaxis.
Hoc primum natura nocens in corpore ſævas
Eduxit peſtes: illis è faucibus angues
Stridula fuderunt vibratis ſibila linguis,
Fœmineæ qui more comæ per terga ſoluti,
Ipſa flagellabant gaudentis colla Meduſæ.
Surgunt adversâ ſubrectæ fronte colubræ,
Vipereúmque fluit depexo crine venenum.
Hoc habet infelix, cunctis impune, Meduſa,
Quod ſpectare licet. nam rictus, oráque monſtri
Quis timuit? quem, qui recto ſe lumine vidit,
Paſſa Meduſa mori eſt? rapuit dubitantia fata,
Prævenítque metus: animâ periere retentâ
Membra, nec emiſſæ riguere ſub oſſibus umbræ.
Eumenidum crines ſolos movere furores:
Cerberus Orpheo lenivit ſibila cantu:
Amphitryoniades vidit, cùm vinceret, Hydram:
Hoc monſtrum timuit genitor, numénque ſecundum
Phorcus aquis, Cetóſque parens, ipſæque ſorores
Gorgones: hoc potuit cœlo pelagóque minari
Torporem inſolitum, mundóque obducere terram.
E cœlo volucres ſubito cum pondere lapſæ:
In ſcopulis hæſere feræ: vicina colentes
Æthiopum totæ riguerunt marmore gentes.
Nullum animal viſûs patiens, ipſique retrorſum
Effuſi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa ſub Heſperiis ſtantem Titana columnis
In cautes Atlanta dedit: cœlóque timente
Olim Phlegræo ſtantes ſerpente gigantes,
Erexit montes, bellúmque immane Deorum
Pallados è medio confecit pectore Gorgon.
Quo poſtquam partu Danaes, & divite nimbo
Ortum Parrhaliæ vexerunt Perſea pennæ,
Arcados auctoris citharæ, liquidæque palæſtræ,
Et ſubitus præpes Cyllenida ſuſtulit Harpen,
Harpen alterius monſtri jam cæde rubentem,
A Jove dilectæ fuſo cuſtode juvencæ:
Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri,
Pacta caput monſtri: terræque in fine Libyſſæ
Perſea Phœbeos converti juſſit ad ortus,
Gorgonis averſo ſulcantem regna volatu:
Et Clypeum lævæ ſulvo dedit ære nitentem,
In quo ſaxificam juſſit ſpectare Meduſam,
Quam ſopor æternam tracturus morte quietem
Obruit haud totam. vigilat pars magna comarum,
Defendúntque caput protenti crinibus hydri:
Pars jacet in medios vultus, oculſque tenebras.
Ipſa regit trepidum Pallas, dextrâque tremente
Perſeos averſi Cyllenida dirigit Harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.
Quos habuit vultus lunati vulnere ferri
Cæſa caput Gorgon! quanto ſpirâſſe veneno
Ora rear? quantúmque oculos effundere mortis!
Nec Pallas ſpectare poteſt: vultúſque gelâſſent
Perſeos adverſi, ſi non Tritonia denſos
Sparſiſſet crines, texiſſétque ora colubris.
Aliger in cœlum ſic raptâ Gorgone fugit.
Ille quidem penſabat iter, propiúſque ſecabat
Æthera, ſi medias Europæ ſcinderet urbes;
Pallas frugiferas juſſit non lædere terras,
Et parci populis. Quis enim non præpete tanto
Æthera reſpiceret? Zephyro convertitur ales,

Itque ſuper Libyen, quæ, nullo conſita cultu,
Sideribus, Phœbóque vacat: premit orbita ſolis,
Exuritque ſolum: nec terrâ ceſſior ullâ
Nox cadit in cœlum, lunæque meatibus obſtat,
Si flexûs obſita vagi per recta cucurrit
Signa, nec in Boream, aut in Notον effugit umbram.
Illa tamen ſterilis tellus, fœcundáque nulli
Arva bono, virus ſtillantis tabe Meduſæ
Concipiunt, diróſque fero de ſanguine rores,
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenæ.
Hìc, quæ prima caput movit de pulvere tabes,
Aſpida ſomniferam tumidâ cervice levavit.
Plenior huic ſanguis, & craſſi gutta veneni
Decidit: in nullâ plus eſt ſerpente coactum.
Ipſa caloris egens gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſuâ, Nilóque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? indè petuntur
Hue Libycæ mortes, & fecimus aſpida mercem.
At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem,
Squamiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes:
Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arva
Cherſydros, tractíque viâ fumante Chelydri:
Et ſemper recto lapſurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus Ophites:
Concolor exuſtis, atque indifferetus arenis
Ammodytes: ſpinâque vagi torquente Ceraſtæ:
Et Scytale ſparſis etiam nunc ſola pruinis
Exuvias potitura ſuas: & torrida Dipſas:
Et gravis in geminum ſurgens caput Amphisbæna:
Et Natrix violator aquæ, Jaculíque volucres,
Et contentus iter caudâ ſulcare Pareas:
Oráque diſtendens avidus ſpumantia Preſter:
Oſſáque diſſolvens cum corpore tabificus Seps,
Sibiláque effundens cunctas terrentia pelles,
Ante venena nocens, latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacuâ regnat Baſiliſcus arenâ.
Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
Pelliferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aëra cum pennis, armentáque tota ſecuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus ſpatio eſt Elephas: datis omnia leto:
Nec vobis opus eſt ad noxia fata veneno.
Has inter pelles duro Cato milite ſiccum
Emetitur iter: tot triſtia fata ſuorum,
Inſolitáſque videns parvo cum vulnere mortes.
Signiferum juvenem Tyrrheni ſanguinis Aulum
Torta caput retro Dipſas calcata momordit.
Vix dolor, aut ſenſus dentis fuit: ipſáque leti
Frons caret invidiâ: nec quicquam plaga minatur.
Ecce ſubit virus tacitum, carpítque medullas
Ignis edax, calidâque incendit viſcera tabe.
Ebibit humorem circùm vitalia fuſum
Pellis, & in ſicco linguam torrere palato
Cœpit. deteſtos iret qui ſudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non mœſti jura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin ſpargere ſigna
Auderet, totíque furens exquireret agris,
Quas poſcebat aquas ſitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanaim miſſus, Rhodanúmque, Padúmque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem.
Acceſſit morti Libye, ſatique minorem
Famam Dipſas habet terris adjuta peruſtis.
Scrutatur venas penitus ſqualentis arenæ:
Nunc redit ad Syrtes, & ſluctus accipit ore:
Æquoreúſque placet, ſed non & ſufficit, humor.
Nec ſentit ſatíque genus, mortémque veneni:
Sed putat eſſe ſitim: ferróque aperire tumentes
Suſtinuit venas, atque os implere cruore.
uſſit ſigna rapi propere Cato: diſcere nulli
Perutilum eſt hoc poſſe ſitim. ſed triſtior illâ
Mors erat ante oculos: miſeríque in crure Sabelli
Seps flectit exiguus, quem fixo dente tenacem
Avulſítque manu, pilóque affixit arenis:
Parva modo ſerpens; ſed quâ non ulla cruentæ
Tantum mortis habet. nam plagæ proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque oſſa retexit.
Jámque ſinu laxo nudum eſt ſinè corpore vulnus,
Membra natant ſanie: ſuræ fluxere: ſinè ullo
Tegmine poples erat: femorum quoque muſculus omnis
Liquitur, & nigrâ diſtillant inguina tabe.
Diſſiluit ſtringens uterum memorana, fluúntque
Viſcera: nec, quantum toto de corpore debet,
Eſſluit in terras: ſævum ſed membra venenum
Decoquit; in minimum mors contrahit omnia virus.
Vincula nervorum, & laterum textura, cavúmque
Pectus, & abſtruſum fibris vitalibus, omne
Quidquid homo eſt, aperit pellis. natura profanâ
Morte patet: manant humeri, tortéſque lacerti:
Colla, capútque fluunt. calido non ocyùs Auſtro
Nix reſoluta cadet, nec ſolem cera ſequetur.
Parva loquor; corpus ſanie ſtillâſſe perutlum:
Hoc & flamma poteſt. ſed quis rogus abſtulit oſſa?
Hæc quoque diſcedunt, putréſque ſecuta medullas
Nulla manere ſinunt rapidi veſtigia fati.
Cyniphias inter peſtes tibi palma nocendi eſt:
Eripiunt omnes animam, tu ſola cadaver.
Ecce ſubit facies leto diverſa fluenti.
Natidium Marſi cultorem torridus agri
Percuſſit Preſter. illi rubor igneus ora
Succendit, tendíſque cutem, pereunte figurâ,
Miſcens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanúmque egreſſa modum ſuper omnia membra
Efflatur ſanies, latè tollente veneno.
Ipſe latet penitus congeſto corpore merſus:
Nec loricæ tenet diſtenti corporis auctum.
Spumeus accenſo non ſic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos carbaſa Coro
Curvavere ſinus. tumidos jam non capit artus
Informis globus, & confuſo pondere truncus.
Intactum volucrum roſtris, epulâque daturum
Haud impune feris, non auſi tradere buſto,
Nondum ſtante modo, creſcens fugere cadaver.
Sed majora parant Libycæ ſpectacula peſtes.
Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo juveni, miratorſque Catonis.
Utque ſolet pariter totis ſe effundere lignis
Corycii preſſura croci: ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lacrymæ: quæcunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.
At tibi Leve miſer fixus præcordia preſſit
Niliacâ ſerpente cruor: nullóque dolore
Teſtatus morſus ſubitâ caligine mortem
Accipis, & Stygias ſomno deſcendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas
Toxica fatſlegi carpunt matura Sabæi.
Ecce procul ſævus ſterilis ſe robore trunci
Torſit, & immiſit (Jaculum vocat Africa) ſerpens:
Pérque caput Pauli tranſactáque tempora fugit.
Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
Deprenſum eſt, quæ funda rotat, quàm lenta volaret,
Quàm ſegnis Scythicæ ſtrideret arundinis aër.
Quid prodeſt miſeri Baſiliſcus cuſpide Murri
Tranſactus? velox currit per tela venenum,
Invadítque manum: quam protinus ille recto
Enſe ferit, totóque ſimul demittit ab armo:
Exemplárque ſui ſpectans miſerabile leti
Stat tutus percunte manu. Quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?
Ille minax nodis, & recto verbere ſævus,
Teſte tulit cœlo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat Solpuga latebras?
Et tibi dant Stygiæ jus in ſua fila ſorores.
Sic nec clara dies, nec nox dabat atra quietem,
Suſpecta eſt miſeris in quâ tellure jacebant.
Nam neque congeſtæ ſtruxere cubilia frondes,
Nec culmis crevere tori: ſed corpora ſatis
Expoſiti volvuntur humo, calidóque vapore
Alliciunt gelidas nocturno frigore peſtes:
Innocuóſque diu rictus torpente veneno
Inter membra fovent: nec, quæ menſura viarum,
Quiſve modus nôrunt, cœlo duce: ſæpe querentes,
Reddite Dî, clamant, miſeris, quæ fugimus, arma:
Reddite Theſſaliam. patimur cur ſegnia fata
In gladios jurata manus? pro Cæſare pugnant
Dipſades, & peragunt civilia bella Ceraſtæ.
Ire libet quâ Zona rubens, atque axis inuſtus
Solis equis: juvat ætheriis adſcribere cauſis
Quòd peream, cœloque mori. nil Africa de te,
Nec de te Natura queror: tot monſtra ferentem,
Gentibus ablatum dederas ſerpentibus orbem:
Impatiénſque ſolum Cereris cultore negato

Damnâſti,

Damnati, atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus: accipe pœnas,
Tu quisquis Superûm commercia nostra perosus,
Hinc torrente plagâ, dubiis hinc Syrtibus orbem
Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessûs
Vadit; & arcani miles tibi conscius orbis
Claustra petit mundi. forsan majora supersunt
Ingressûs. coëunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli. sed longiùs istâ
Nulla jacet tellus, quàm famâ cognita nobis
Tristia regna Jubæ. quæremus fortitan istas
Serpentum terras: habet hoc solatia cœlum:
Vivit adhuc aliquid, patriæ non arva requiro,
Europámque, alios soles, Afriámque videntem.
Quâ te parte poli, quâ te tellure reliqui
Africa? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat.
Exiguâne viâ legem convertimus anni?
Imus in adversos axes: evolvimur orbe:
Terga damus ferienda Noto. nunc fortitan ipsa est
Sub pedibus jam Roma meis. solatia fati
Hæc petimus: veniant hostes, Cæsárque sequatur,
Quà fugimus. Sic dura suos patientia questûs
Exonerat: cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nudâ fulvus arenâ
Excubat, atque omni Fortunam provocat horâ.
Omnibus unus adest fatis: quocunque vocatur
Advolat, atque ingens meritum, majúsque salute
Contulit, in letum vires: puduitque gementem
Illo teste mori: quod jus habuisset in ipsum
Ulla lues? casus alieno in pectore vincit,
Spectatórque docet magnos nil posse dolores.
Vix miseris serum tanto lassata periclo
Auxilium Fortuna dedit. gens unica terras
Incolit à sævo serpentum innoxia morsu.
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullúmque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. natura locorum
Jussit, ut immunes multi serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illis cum morte data est. fiducia tanta est
Sanguinis: in terram parvus cùm decidit infans,
Ne qua fit externæ Veneris mistura timentes,
Letificâ dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido cùm protulit ovo
Implumes natos solis convertit in ortus:
Qui potuere pati radios, & lumine recto
Sustinuere diem cœli, servantur in usus;
Qui Phœbo cessere, jacent: tic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis luxit serpentibus infans.
Nec solùm gens illa suâ contenta salute,
Excubat hospitibus, contráque nocentia monstra
Psyllus adest populis. qui tunc Romana secutus
Signa, simul jussit statui tentoria ductor,
Primum quas valli spatium comprendit arenas
Expurgat cantu, verbísque fugantibus angues.
Ultima castrorum medicatus circuit ignis.
Hic ebulum stridet, peregrináque galbana fudant,
Et thamarix non læta comis, Eoáque costos
Et panacea potens, & Thessala centaurea;
Peucedanúmque sonat flammis, Erycináque thapsos,
Et larices, fumóque gravem serpentibus urunt
Abrotanum, & longè nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. at si quis peste diurnâ
Fata trahit, tunc sunt magicæ miracula gentis,
Psyllorúmque ingens & rapti pugna veneni.
Nam primum tactâ delignat membra salivâ,
Quæ cohibet virus, retinétque in vulnere pestem.
Plurima tum volvit spumanti carmina linguâ
Murmure continuo, nec dat suspiria cursûs
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
Sæpe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, & elicitum, jussúmque exire repugnat;
Tunc superincumbens palientia vulnera lambit,
Ore venena trahens, & siccat dentibus artus,
Extractámque tenens gelido de corpore mortem
Expuit: & cujos morsus superaverit anguis,
Jam promptum Psyllis vel gustu nôsse veneni.
Hôc igitur levior tandem Romana juventus
Auxilio, latè squalentibus errat in arvis.
Bis pulsis Phœbe flammis, bis luce receptâ
Vidit arenivagum turgens fugiénsque Catonem.

Jámque illis magis, atque magis durescere pulvis
Cœpit, & in terram Libye spissata redire.
Jámque procul nemorum raræ se tollere frondes:
Surgere congelto non culta mapalia culmo.
Quanta dedit miseris melioris gaudia terræ,
Cùm primum sævos contrà videre leones?
Proxima Leptis erat, cujus statione quietâ
Exegere hyemem nimbis flammísque carentem.
Cæsar ut Emathiâ satiatus clade recessit,
Cætera curarum projecit pondera, soli
Intentus genero: cujus vestigia frustra
Terris sparsa legens, famâ duce tendit in undas,
Threïciásque legit sauces, & amore notatum
Æquor, & Eroas lacrymoso litore turres.
Quà pelago nomen Nepheleïas abstulit Helle.
Non Asiam brevioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europâ, quamvis Bizantion arcto
Pontus, & oblriteram dirimat Chalcedona cursu,
Euxinúmque ferens parvo ruat ore Propontis.
Sigeásque petit famæ mirator arenas,
Et Simoentis aquas, & Graio nobile busto
Rhœtion, & multum debentes vatibus umbras.
Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ,
Magnáque Phœbæi quærit vestigia muri.
Jam sylvæ steriles, & putres robore trunci
Assaraci pressere domos, & templa deorum
Jam lassâ radice tenent: ac tota teguntur
Pergama dumetis: etiam periere ruinæ.
Aspicit Hesiones scopulos, sylvásque latentes
Anchisæ thalamos; quo judex sederit antro;
Unde puer raptus cœlo: quo vertice Naïs
Luserit Oenone: nullum est sinè nomine saxum.
Insicius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat: securus in alto
Gramine ponebat gressus; Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat. discussa jacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri;
Herceas, monstrator ait, non respicis aras?
O sacer, & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus ævum.
Invidiâ sacræ Cæsar ne tangere famæ:
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi me, téque legent: Pharsalia nostra
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.
Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu cespitis aras,
Votáque turicremos non irrita fudit in ignes.
Dî cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullíque aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
Gentis Iuleæ veteris clarissimus aris
Dat pia tura nepos, & vos in sede priori
Rite vocat: date felices in cætera cursus:
Restituam populos. gratâ vice mœnia reddent
Ausonidæ Phrygibus, Romanáque Pergama surgent.
Sic fatus, repetit classes, & tota secundis
Vela dedit Coris, avidúsque urgente procellâ
Iliacas pensare moras, Asiámque potentem
Prævehitur, pelagóque Rhodon spumante relinquit.
Septima nox Zephyro nunquam laxante rudentes
Offendit Phariis Ægyptia litora flammis.
Sed priùs orta dies nocturnam lampada texit,
Quàm tutas intraret aquas. ibi plena tumultu
Litora & incerto turbatas murmure voces
Accipit: ac dubiis veritus se credere regnis
Abstinuit tellure rates. sed dira satelles
Regis dona ferens, medium provectus in æquor,
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta:
Ac priùs infandâ commendat crimina voce.
Terrarum domitor, Romanæ maxime gentis;
Et, quod adhuc nescis, genero secure peremto;
Rex tibi Pellæus terræ pelagíque labores
Donat, &, Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet: absenti bellum civile peractum est.
Thessalicas Magnus quærens reparare ruinas,
Ense jacet nostro: tanto te pignore Cæsar
Emimus: hôc tecum percussum est sanguine fœdus.
Accipe regna Phari nullo quæsita cruore:
Accipe Niliaci jus gurgitis: accipe quicquid
Pro Magni cervice dares; dignúmque clientem
Castris crede tuis, cui tantum fata licere

In generum voluere tuum. nec vile putâris
Hoc meritum, facili nobis quod cæde peractum eſt.
Hoſpes avitus erat: depulſo ſceptra parenti
Reddiderat. quid plura feram? tu nomina tanto
Invenies operi, vel famam conſule mundi.
Si ſcelus eſt, plus te nobis debere fateris,
Quod ſcelus hoc non ipſe facis. Sic fatus, opertum
Detexit, tenuſtque caput. jam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.
Non primo Cæſar damnavit munera viſu,
Averſitque oculos: vultus, dum crederet, hæſit:
Utque fidem vidit ſceleris, tutúmque putavit
Jam bonus eſſe ſocer; lacrymas non ſponte cadentes
Effudit, gemitúſque expreſſit pectore lato,
Non aliter manifeſta putans abſcondere mentis
Gaudia, quàm lacrymis. meritúmque immane tyranni
Deſtruit, & generi mavult lugere revulſum,
Quàm debere caput. qui duro membra Senatûs
Calcârat vultu, qui ſicco lumine campos
Viderat Emathios, uni tibi Magne negare
Non audet gemitus. ô ſors duriſſima fati!
Hunccine tu Cæſar ſcelerato Marte petiſti,
Qui tibi flendus erat? non mitti fœdera tangunt
Te generis? nec nata jubet mœrere nepóſque?
Credis apud populos Pompeii nomen amantes
Hoc caſtris prodeſſe tuis? fortaſſe tyranni
Tangeris invidiâ, captíque in viſcera Magni
Hoc alii licuiſſe dolet, quereríſque peritle
Vindictam belli, raptúmque a jure ſuperbi
Victoris generum. quiſquis te flere coëgit
Impetus, à verâ longè pietate receſſit.
Scilicet hôc animo terras, atque æquora luſtras,
Necubi ſuppreſſus pereat gener. ô bene rapta
Arbitrio mors iſta tuo! quàm magna remiſit
Crimina Romano triſtis Fortuna pudori,
Quòd te non paſſa eſt miſereri, perfide, Magni
Viventis! nec non his fallere vocibus audes,
Acquirſíque fidem ſimulati fronte doloris:
Aufer ab aſpectu noſtro funeſta ſatelles
Regis dona tui: pejus de Cæſare veſtrum,
Quàm de Pompeio meruit ſcelus. unica belli
Præmia civilis, victis donare ſalutem
Perdidimus. quòd ſi Pharío germana tyranno
Non inviſa foret, potuiſſem reddere regi,
Quod meruit; fratríque tuum pro munere tali
Miſiſſem Cleopatra caput. ſecreta quid arma
Movit, & inſeruit noſtro ſua tela labori?
Ergo in Theſſalicis Pellæo ſecimus arvis
Jus gladio? veſtris quæſita licentia regnis?
Non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
Te Ptolemææ feram? fruſtra civiſibus armis
Miſcuimus gentes, ſi qua eſt hôc orbe poteſtas
Altera, quàm Cæſar: ſi tellus ulla duorum eſt.
Vertiſſem Latias à veſtro litore proras:
Famæ cura vetat, ne non damnâtle cruentam,
Sed videar timuiſſe Pharon. nec fallere vos me
Credite victorem: nobis quoque tale paratum
Litoris hoſpitium: ne ſic mea colla gerantur,
Theſſaliæ fortuna facit. majore profecto,
Quàm metui poterat, diſcrimine geſſimus arma:
Exilium, generíque minas, Romámque timebam:
Pœna fugæ Ptolemæus erat. ſed parcimus annis.
Donamúſque nefas. ſciat hâc pro cæde tyrannus
Nil veniâ plus poſſe dari. vos condite buſto
Tanti colla ducis: ſed non, ut crimina tantùm
Veſtra tegat tellus. juſto date tura ſepulcro,
Et placate caput, cineréſque in litore fuſos
Colligite, atque unam ſparſis date manibus urnam.
Sentiat adventum ſoceri, vocéſque querentis
Audiat umbra pias. dum nobis omnia præfert,
Dum vitam Pharío mavult debere clienti,
Læta dies rapta eſt populis: concordia mundo
Noſtra perit: caruere Deis mea vota ſecundis,
Ut te complexus poſitis felicibus armis
Affectus abs te veteres, vitámque rogarem,
Magne, tuam: dignâque ſatis mercede laborum
Contentus par eſſe tibi. tunc pace fideli
Feciſſem, ut victus poſſes ignoſcere divis;
Feciſſes, ut Roma mihi. Nec talia fatus
Invenit fletûs comitem, nec turba querenti
Credidit; abſcondunt gemitus, & pectora lætâ
Fronte tegunt, hilaréſque netas ſpectare cruentum
(O bona libertas) cùm Cæſar lugeat, audent.

LIBER X.

UT primùm terras Pompeii colla ſequutus
Attigit, & diras calcavit Cæſar arenas:
Pugnavit fortuna ducis, fatúmque nocentis
Ægypti, regnum Lagi Romana ſub arma
Iret; an eriperet mundo Memphiticus enſis
Victoris, victíque caput. tua profuit umbra
Magne, tui ſocerum rapuere à ſanguine manes,
Ne populus poſt te Nilum Romanus haberet.
Indè Parætoniam fertur ſecurus in urbem
Pignore tam ſævi ſceleris, ſua ſigna ſequutus.
Sed fremitu vulgi faſces, & jura querentis
Inferri Romana ſuis, diſcordia ſenſit
Pectora, & ancipites animos, Magnúmque periſſe
Non ſibi. tum vultu ſemper celante timorem,
Intrepidus Superûm ſedes, & templa vetuſti
Numinis, antiquas Macedûm teſtantia vires,
Circuit: & nullâ captus dulcedine rerum,
Non auro, cultúque deûm, non mœnibus urbis,
Effoſſum tumulis cupidè deſcendit in antrum.
Illic Pellæi proles veſana Philippi
Felix prædo jacet: terrarum vindice fato
Raptus: ſacratis totum ſpargenda per orbem
Membra viri poſuere adytis: Fortuna pepercit
Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
Nam ſibi libertas unquam ſi redderet orbem,
Ludibrio ſervatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot poſſe ſub uno
Eſſe viro. Macedûm fines, latebráſque ſuorum
Deſeruit, victáſque patri deſperit Athenas:
Pérque Aſiæ populos fatis urgentibus actus
Humanâ cum ſtrage ruit, gladiúmque per omnes
Exegit gentes: ignotos miſcuit amnes,
Perſarum Euphratem, Indorum ſanguine Gangen:
Terrarum fatale malum, fulménque, quod omnes
Percuteret pariter populos, & fidus iniquum
Gentibus. Oceano claſſes inferre parabat
Exteriore mari. non illi flamma nec undæ,
Nec ſterilis Libye, nec Syrtibus obſtitit Ammon.
Iſſet in occaſus, mundi devexa ſecutus,
Ambiſſetque polos, Nilúmque à fonte bibiſſet:
Occurrit ſuprema dies, naturáque ſolum
Hunc potuit finem veſano ponere regi:
Qui ſecum invidiâ, quâ totum ceperat orbem,
Abſtulit imperium; nullóque hærede relicto,
Totius fati lacerandas præbuit urbes.
Sed cecidit Babylone ſuâ, Parthóque verendus.
Prò pudor! Eoi propiùs timuere ſariſſas,
Quàm nunc pila timent populi. licèt uſque ſub Arcton
Regnemus, Zephyríque domos, terráſque premamus
Flagrantis poſt terga Noti: cedemus in ortus
Arſacidum domino. non felix Parthia Craſſis
Exiguæ ſecura fuit provincia Pellæ.
Jam Peluſiaco veniens à gurgite Nili
Rex puer, imbellis populi ſedaverat iras,
Obſide quo pacis Pellæâ tutus in aulâ
Cæſar erat: cùm ſe parvâ Cleopatra biremi,
Corrupto cuſtode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Cæſare tectis;
Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnys,
Romano non caſta malo. quantùm impulit Argos,
Iliacáſque domos facie Spartana nocenti,
Heſperios auxit tantùm Cleopatra furores.
Terruit illa ſuo, ſi fas, Capitolia ſiſtro,
Et Romana petît imbelli ſigna Canopo,
Cæſare captivo Pharios ductura triumphos:
Leucadióque fuit dubius ſub gurgite caſus,
An mundum ne noſtra quidem matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quæ prima cubili
Miſcuit inceſtam ducibus Ptolemaïda noſtris.
Quis tibi veſani veniam non donet amoris,
Antoni? durum cùm Cæſaris hauſerit ignis
Pectus, & in mediâ rabie, medióque furore,
Et Pompeianis habitatâ manibus aulâ,
Sanguine Theſſalicæ cladis perfuſus adulter
Admitat Venerem curis, & miſcuit armis
Illicitóſque toros, & non ex conjuge partus?
Prò pudor! oblitus Magni, tibi Julia fratres
Obſcœnâ de matre dedit: partéſque fugatas
Paſſus in extremis Libyes coaleſcere regnis,

Tem-

Tempora Niliaco turpis dependit amori,
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.
Quem formæ confisa suæ Cleopatra sinè ullis
Tristis adit lacrymis, simulatum comta dolorem,
Quem decuit, veluti laceros dispersa capillos,
Et sic orsa loqui: Si qua est ô maxime Cæsar
Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
Exul in æternum sceptris depulsa paternis,
Si tua restituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. tu gentibus æquum
Sidus ades nostris. non urbes prima tenebo
Femina Niliacas; nullo discrimine sexûs
Reginam tcit ferre Pharos. lege summa perempti
Verba patris, qui jura mihi communia regni,
Et thalami cum fratre dedit. puer ipse sororem,
Sit modò liber, amet: sed habet sub jure Pothini
Affectus, ensésque suos. nil ipsa paterni
Juris habere peto: culpâ, tantóque pudore
Solve domum: remove funesta satellitis arma,
Et regem regnare jube. quantósne tumores
Mente gerit famulus, Magni cervice revulsâ!
Jam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur.
Sat fuit indignum, Cæsar, mundóque tibíque,
Pompeium jacinus meritúmque fuisse Pothini.
  Nequicquam duras tentâsset Cæsaris aures;
Vultus adest precibus, faciésque incesta perorat.
Exigit infandam corrupto judice noctem.
Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;
Excepere epulæ tantarum gaudia rerum:
Explicuítque suos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in secula luxus.
Ipse locus templi, quod vix corruptior ætas
Extruat, instar erat: laquearáque tecta ferebant
Divitias, crassúmque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus, sectísque nitebat
Marmoribus: stabátque sibi non segnis Achates,
Purpureúsque lapis, totâque effusus in aulâ
Calcabatur Onyx: Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma domûs: ebur atria vestit,
Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.
Fulget gemma toris, & Jaspide fulva supellex:
Strata micant: Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non uno duxit aheno;
Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
Tum famulæ numerus turbæ, populúsque minister,
(Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas:)
Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,
Ut nullas Cæsar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas. pars sanguinis usti
Torta caput, refugósque gerens à fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita juventus,
Atque exacta virum. stat contra fortior ætas,
Vix ullâ fuscante tamen lanugine malas.
  Discubuere toris reges, majórque potestas
Cæsar: & immodicè formam fucata nocentem,
Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, collóque, comísque
Divitias Cleopatra gerit, cultúque laborat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Solvit, & extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hìc niveis, sectos Atlantide sylvâ
Imposuere orbes; quales ad Cæsaris ora
Nec capto venere Jubâ. prò cæcus, & amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. non sit licèt ille nefando
Marte paratus opes mundi quæsisse ruinâ:
Pone duces priscos, & nomina pauperis ævi
Fabricios, Curiosque graves: hìc ille recumbat
Sordidus Hetruscis abductus Consul aratris,
Optabit patriæ talem duxisse triumphum.
  Infudere epulas auro, quod terra, quod æër,
Quod pelagus, Nilúsque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsivit in orbe.
Non mandante fame, multas volucrésque ferásque
Ægypti posuere Deos: manibúsque ministrat
Niliacas crystallus aquas: gemmæque capaces
Excepere merum, sed non Mareotidos uvæ,
Nobile sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et nunquam fugiente rosâ: multúmque madenti
Infudere comæ, quod nondum evanuit aurâ
Cinnamon, externâ nec perdidit aëra terrâ:
Advectúmque recens victimæ messis Amomum.
Discit opes Cæsar spoliati perdere mundi,
Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,
Et causas Martis Pharis cum gentibus optat.
Postquam epulis, Bacchóque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Cæsar producere noctem
Inchoat alloquiis: summáque in sede jacentum
Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O sacris devote senex, quódque arguit ætas,
Non neglecte Deis, Phariæ primordia gentis,
Terrarúmque situs, vulgíque edissere mores,
Et ritus, formásque Deûm: quodcunque vetustis
Insculptum est adytis, profer, nosíque volentes
Prode Deos. si Cecropium sua sacra Platonem
Majores docuere tui: quis dignior unquam
Hôc fuit auditu, mundíque capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
Sed tamen & vestri: media inter prœlia semper
Stellarum, cœlíque plagis, Superíque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur Fatibus annus.
Sed cùm tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim
Quàm fluvii cautas per secula tanta latentes,
Ignotúmque caput: spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes; bellum civile relinquam.
Finierat, contráque sacer sic orsus Achoreus:
  Fas mihi magnorum Cæsar secreta parentum
Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis.
Sit pietas aliis, miracula tanta tacere:
Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, & sacras populis notescere leges.
Sideribus, quæ sola fugam moderantur Olympi,
Occurrúntque polo, diversâ potentia primâ
Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursúsque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn, terrenáque miscet.
Frigida Saturno glacies, & zona nivalis
Cessit. habet ventos, incertáque fulmina Mavors.
Sub Jove temperies, & hunquam turbidus aër.
At fœcunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet. immensæ Cyllenius arbiter undæ est,
Hunc ubi pars cœli tenuit, quà missa Leonis
Sidera sunt cancro, rapidos quà Sirius igues
Exerit, & varii mutator circulus anni
Ægoceron, cancrúmque tenet, cui subdita Nili
Ora latent: quæ cùm dominus percussit aquarum
Igne superjecto, tunc Nilus fonte soluto
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Jussus adest: auctúsque suos non ante coarctat,
Quàm nox æstivas à Sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quo crescat in arva,
Æthiopum prodesse nives. non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. testis tibi sole perusti
Ipse color populi, calidíque vaporibus Austri.
Adde, quòd omne caput fluvii, quodcunque soluta
Præcipitat glacies, ingresso vere tumescit
Primâ tabe nivis: Nilus neque suscitat undas
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti Librâ sub judice Phœbum.
Indè etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hybernus, cùm longè sole remoto
Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.
Sub torrente plagâ, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contráque incensa Leonis
Ora tumet: Cancróque suam torrente Syenen,
Imploratus adest: nec campos liberat undis,
Donec in autumnum declinet Phœbus, & umbras
Extendat Meroë. quis causas reddere posset?
Sic jussit Natura parens decurrere Nilum:
Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas
His adscripsit aquis, quorum stata tempora flatus,
Continuíque dies, & in aëre longa potestas:
Vel quòd ab occiduo depellunt nubila cœlo
Trans Notum, & fluvio cogunt incumbere nimbos:
Vel quòd aquas toties rumpentis litora Nili
Assiduè feriunt, cogúntque resistere flatus.
Ille morâ cursûs adversíque objice ponti
Æstuat in campos. Sunt qui spiramina terris

Esse

Esse putent, magnósque cavæ compagis hiatus.
Commeat hàc penitus tacitis discursibus unda
Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,
Cùm Phœbus pressit Meroën, tellúsque perusta
Illuc duxit aquas, trahitur Gangésque, Padúsque,
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Æquoreósque sales longo miteſcere tractu.
Nec non Oceano patri Phœbúmque potúmque
Credimus: hunc, calidi tetigit cùm brachia Cancri,
Sol rapit, atque undæ plus, quàm quod digerat aër
Tollitur: hoc noctes referunt, Nilóque redundant.
Ast ego, si tantum jus est mihi solvere linem,
Quasdam, Cæsar, aquas potì mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis,
Non id agente Deo, quasdam compage sub ipsâ
Cum toto cœpisse reor, quas ille creator,
Atque opifex rerum certo sub jure coërcet.
Quæ tibi noscendi Nilum Romane cupido est,
Et Phariis, Persísque fuit, Macedúmque tyrannis:
Nullâque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander regum quos Memphis adorat,
Invidit Nilo, misítque per ultima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit; Nilum videre calentem.
Venit ad occasum, mundóque extrema Sesóstris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit:
Antè tamen vestros amnes Rhodanúmque, Padúmque,
Quàm Nilum de fonte bibit. vesanus in ortus
Cambyses longi populos pervenit ad ævi,
Defectúsque epulis, & pastus cæde suorum,
Ignoto te, Nile, redit. non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est, ubicunque videris,
Quæreris: & nulli contingit gloria genti,
Ut Nilo sit læta suo. tua flumina prodam,
Quà Deus undarum celator, Nile, tuarum
Te mihi nôsse dedit. medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum:
In Boream is rectus aquis, mediúmque Booten:
Cursus in occasum flexu torquetur, & ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis:
Téque vident primi, quærunt tamen hi quoque Seres,
Æthiopúmque feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovítque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nôsse tuos. consurgere in ipsis
Jus tibi solstitiis, alienâ crescere brumâ,
Atque hyemes adferre tuas: solísque vagari
Concessum per utrosque polos. hic quæritur ortus,
Illic finis aquæ. latè tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroë fœcunda colonis,
Læta comis hebeni: quæ, quamvis arbore multâ
Frondeat, æstatem nullâ sibi mitigat umbrâ:
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
Indè plagas Phœbi, damnum non passus aquarum,
Præveheris, sterilésque diu metitris arenas,
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
Nunc vagus, & spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Quà dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni claustra Philæ. mox te deserta secantem,
Quà dirimunt nostrum rubro commercia pontum,
Mollis lapsus agit. quis te tam lenè fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? sed cùm lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, & præcipites cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis: spumâ tunc astra lacessis:
Cuncta fremunt undis: ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,
Quòd manifesta novi primùm dant signa tumoris.
Hinc montes Natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyæ te, Nile, negant. quos inter ut altâ
In convalle jacens stat molibus unda receptis.
Prima tibi campos permittit, apertáque Memphis
Rura, modúmque vetat crescendi ponere ripæ.

Sic velut in tutâ securi pace trahebant
Noctis iter mediæ: sed non vesana Pothini
Mens imbuta semel tam sacrâ cæde, vacabat
A scelerum motu. Magno nihil ille perempto
Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricésque Deæ dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
Pœnáque civilis belli, & vindicta Senatûs
Penè data est famulo. procul hoc avertite fata
Crimen, ut hæc Bruto cervix abscsente secetur.
In sceleris it Pharium Romani pœna tyranni,
Exemplúmque perit. struit audax irrita fatis,
Nec parat occultæ cædem committere fraudi:
Invictúmque ducem detecto Marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Cæsaris, & socerum jungi tibi, Magne, juberet:
Atque hæc dicta monet famulos perferre fideles
Ad Pompeianæ socium tibi cædis Achillam,
Quem puer imbellis cunctis præfecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento,
In cunctos, in séque simul. Tu mollibus, inquit,
Nunc incumbe toris, & pingues exige somnos:
Invasit Cleopatra domum. nec prodita tantùm est,
Sed donata Pharos. cessas accurrere solus
Ad dominæ thalamos? nubet soror impia fratri:
Nam Latio jam nupta duci est: intérque maritos
Discurrens Ægypton habet, Romámque meretur.
Expugnare senem potuit Cleopatra veneno.
Crede miser puero: quem nox si junxerit una,
Et semel amplexus incesto pectore passus
Hauserit obscœnum fitulo pietatis amorem,
Méque, tuúmque caput, per singula forsitan illi
Oscula donabit. crucibus, flammísque luemus,
Si fuerit formosa soror. nil undique restat
Auxilii; rex hinc conjux, hinc Cæsar adulter:
Et sumus, ut fatear, tam sævâ judice sontes.
Quem non è nobis credet Cleopatra nocentem,
A quo casta fuit? per te, quod fecimus unà,
Perdidimúsque nefas, pérque ictum sanguine Magni
Fœdus, ades: subito bellum molire tumultu:
Irrue: nocturnas rumpamus funere tædas,
Crudelémque toris dominam mactemus in ipsis
Cum quocunque viro. nec nos deterreat aulis
Hesperii Fortuna ducis, quæ sustulit illum,
Imposuítque orbi, communis gloria nobis:
Nos quoque sublimes Magnus facit. aspice litus
Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus
Quid liceat nobis: tumulúmque è pulvere parvo
Aspice Pompeii non omnia membra tegentem.
Quem metuis, pars hujus erat: non sanguine clari;
Quid refert? nec opes populorum, ac regna movemus.
Ad scelus ingentis fati sumus, attrahit illos
In nostras Fortuna manus. en altera venit
Victima nobilior. placemus cæde secundâ
Hesperias gentes. jugulus mihi Cæsaris haustus
Hoc præstare potest, Pompeii cæde nocentes
Ut populus Romanus amet. quid nomina tanta
Hortemus, virésque ducis, quibus ille relictis
Miles erit? nox hæc peraget civilia bella,
Inferiásque dabit populis, & mittat ad umbras,
Quod debetur adhuc mundo caput. ite feroces
Cæsaris in jugulum: præstet Lagea juventus
Hoc Regi, Romana tibi. tu parce morari:
Plenum epulis, madidúmque mero, Veneríque paratum
Invenies: aude: Superi tot vota Catonum,
Brutorúmque tibi tribuent. Non lentus Achillas
Suadenti parere nefas, haud clara movendis,
Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma
Ullius clangore tubæ: temere omnia sævi
Instrumenta rapit belli. pars maxima turbæ
Plebis erat Latiæ: sed tanta oblivio mentes
Cepit in externos corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo, jussúque satellitis irent,
Quos erat indignum Pharios parere tyranno.
Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur,
Venalésque manus: ibi fas, ubi maxima merces:
Ære merent parvo: jugulúmque in Cæsaris ire
Non sibi dant. prò fas! ubi non civilia bella
Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliæ subducta acies in litore Nili
More furit patrio. quid plus te, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? dat scilicet omnis
Dextera, quod debet Superis: nullique vacare
Fas

Fas eſt Romano. Latium ſic ſcindere corpus
Dis placitum: non in generi, ſocerſque favorem
Diſcedunt populi. civilia bella fatelles
Movit, & in partem Romanam venit Achillas.
Et niſi fata manus à ſanguine Cæſaris arcent,
Hæ vincent partes. aderat maturus uterque:
Et diſtricta epulis ad cunctas aula patebat
Inſidias: poterátque cruor per regia fundi
Pocula Cæſareus, mensæque incumbere cervix.
Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
Ne cædes confuſa manu, permiſſáque fatis
Te, Ptolemæe, trahat. tanta eſt fiducia ferri.
Non rapuere nefas: ſummi contenta facultas
Eſt operis: viſum famulis reparabile dannum,
Illam mactandi dimittere Cæſaris horam.
Servatur pœnas in apertâ luce daturus.
Donata eſt nox una duci, vixítque Pothini
Munere Phœbeos Cæſar dilatus in ortus.
Lucifer à Caſiâ proſpexit rupe, dicmque
Miſit in Ægyptum primo quoque ſole calentem:
Cùm procul à muris acies non ſparſa maniplis,
Nec vaga conſpicitur, ſed juſtos qualis ad hoſtes
Rectâ fronte venit. paſſuri comminus arma,
Laturíque ruunt. at Cæſar mœnibus urbis
Diffiſus, foribus clauſæ ſe protegit aulæ,
Degeneres paſſus latebras. nec tota vacabat
Regia compreſſo: minimâ collegerat arma
Parte domûs: tangunt animos iræque metúſque:
Et timet incurſus, indignatúrque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita clauſtris,
Et frangit rabidos præmorſo carcere dentes.
Non ſecus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obſtrueret ſummam ſi quis tibi Mulciber Ætnam.
Audax Theſſalici qui nuper rupe ſub Æmi,
Heſperiæ cunctos proceres, aciémque Senatûs,
Pompeiúmque ducem, causâ ſperare vetante,
Non timuit, fatúmque ſibi promiſit iniquum,
Expavit ſervile nefas, intráque penates
Obruitur telis; quem non violâtlet Alanus,
Non Scytha, non fixo qui ludit in hoſpite Maurus.
Hic, cui Romani ſpatium non ſufficit orbis,
Parváque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris,
Quærit tuta domûs: ſpem vitæ in lumine clauſo
Ponit, & incerto luſtrat vagus atria curſu:
Non finè rege tamen; quem ducit in omnia ſecum,
Sumpturus pœnas & grata piacula morti;
Miſſurúſque tuum, ſi non ſint tela, nec ignes,
In famulos Ptolemæe caput. ſic barbara Colchis
Creditur ultorem metuens regnúſque, fugæque
Enſe ſuo, fratríſque ſimul cervice paratâ
Expectâſſe patrem. cogunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem: miſſúſque ſatelles
Regius, ut ſævos abſentis voce tyranni
Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.
Sed neque jus mundi valuit, neque fœdera ſancta
Gentibus: orator regis, pactíſque ſequeſter,
Æſtimat in numero ſcelerum ponenda tuorum
Tot monſtris Ægypte nocens. non Theſſala tellus,
Vaſtáque regna Jubæ, non Pontus, & impia ſigna
Pharnacis, & gelido circumfluus orbis Ibero
Tantum auſus ſcelerum; non Syrtis barbara, quantum
Deliciæ fecere tuæ. premit undique bellum,
Inque domum jam tela cadunt, quaſſántque penates
Non aries uno moturus limina pulſu,
Fracturúſque domum; non ulla eſt machina belli:
Nec flammis mandatur opus; ſed cæca juventus
Conſilii, vaſtos ambit diviſa penates,
Et nuſquam totis incurſat viribus agmen.
Fata vetant, murſque vicem fortuna tuetur.
Nec non & ratibus tentatur regia, quà ſe
Protulit in medios audaci margine fluctus
Luxurioſa domus. ſed adeſt defenſor ubique
Cæſar, & hos aditus gladiis, hos ignibus arcet:
Obſeſſúſque gerit (tanta eſt conſtantia mentis)
Expugnantis opus. piceo jubet unguine tinctas
Lampadas immitti junctis in bella carinis.
Nec piger ignis erat per ſtuppea vincula, pérque
Manantes cerâ tabulas: & tempore eodem
Tranſtráque nautarum ſumníque arſere cerichi.
Jam propè ſemuſtæ merguntur in æquore claſſes,
Jámque hoſtes, & tela natant. nec puppibus ignis
Incubuit ſolis: ſed quæ vicina fuere
Tecta mari longis rapuere vaporibus ignem:
Et cladem fovere Noti, percuſſáque flamma
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quàm ſolet ætherio lampas decurrere ſulco,
Materiáque carens, atque ardens aëre ſolo.
Illa lues clauſâ paulum revocavit ab aulâ
Urbis in auxilium populos. nec tempora cladis
Perdidit in ſomnos, ſed cæcâ nocte carinis
Inſiluit Cæſar, ſemper feliciter uſus
Præcipiti curſu bellorum, & tempore rapto.
Tunc clauſtrum pelagi cepit Pharon. inſula quondam
In medio ſtetit illa mari, ſub tempore vatis
Proteos: at nunc eſt Pellæis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum præſtitit uſus:
Abſtulit excurſus & fauces æquoris hoſti;
Cæſaris auxiliis aditus & libera ponti
Oſtia permiſit. Nec pœnas indè Pothini
Diſtulit ulteriùs: ſed non quâ debuit irâ,
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum:
Heu ſacinus, cervix gladio malè cæſa pependit:
Magni morte perit. Necnon ſubrepta paratis
A famulo Ganymede dolis pervenit ad hoſtes
Cæſaris Arſinoe: quæ caſtra carentia rege
Ut proles Lagea tenet, famulúmque Tyranni
Terribilem juſto tranſegit Achillea ferro;
Altera, Magne, tuis jam victima mittitur umbris.
Nec ſatis hoc Fortuna putat. procul abſit, ut iſta
Vindictæ ſit ſumma tuæ. non ipſe tyrannus
Sufficit in pœnas, non omnis regia Lagi.
Dum patrii veniant in viſcera Cæſaris enſes,
Magnus inultus erit. Sed non auctore furoris
Sublato cecidit rabies: nam rurſus in arma
Auſpiciis Ganymedis eunt: ac multa ſecundo
Prœlia Marte gerunt. potuit diſcrimine ſummo
Cæſaris una dies in famam, & ſecula mitti.
Molis in exiguæ ſpatio ſtipantibus armis,
Dum parat in vacuas Martem transferre carinas
Dux Latius, totâ ſubiti formidine belli
Cingitur: hinc denſæ prætexunt litora claſſes,
Hinc tergo inſultant pedites: via nulla ſalutis:
Non fuga, non virtus, vix ſpes quoque mortis honeſtæ:
Non acie fusâ, nec magnæ ſtragis acervo
Vincendus tunc Cæſar erat, ſed ſanguine nullo.
Captus ſorte loci pendet, dubiúſne timeret,
Optarétne mori; reſpexit in agmine denſo
Scævam perpetuæ meritum jam nomina famæ
Ad campos Epidamne tuos; ubi ſolus apertis
Obſedit muris calcantem mœnia Magnum.

C. SILII

C. SILII ITALICI

DE

BELLO PUNICO SECUNDO.

VITA *SILII ITALICI*

Per HERMANNUM BUSCHIUM PASIPHIUM Collecta.

SILIUM ITALICUM ſunt qui fuiſſe Hiſpanum affirment, ex Italicâ urbe Hiſpaniæ. Sunt alii qui per ſuos majores Romanorum fuiſſe dicant, ſed generis initium traxiſſe ab Hiſpanis. In primis annis Ciceronem Romanæ ducem eloquentiæ miratus eſt: & quaſi perfectam abſolutámque eloquentiæ imaginem, ſibi elegit imitandum. Cauſas in foro multas, nec ſinè proſpero ſucceſſu egit. Inter Centumviros judex ſedit. Ter Conſul fuit. Et in primum ejus conſulatum (quod lætiſſimum fuit fauſtiſſimúmque populo Romano) ſæviſſimi teterrimſque Neronis mors auſpicatiſſimè incidit. Et ex crudeliſſimâ tyrannide, orbis in libertatem vindicatus eſt. Hôc conſulatu adminiſtrato, & ſublato è vitâ Nerone, cœpit jam Helicona virentem, hoc eſt, amœniſſima Muſarum diverſoria celebrare, otióque poëtico fori colluctationes ſtrepitúſque mutare. In quo ſicut antè Ciceronem in ſoluto illo dicendi genere quaſi optimum exemplar ſecutus eſt, eminentiſſimum poëtam Virgilium ſibi æmulandum adſcivit more majorum, qui (ut Plinii verbis utar) ſtultiſſimum judicabant ad imitandum ſibi non optima quæque proponere. Hæc omnia quæ hactenus de vitâ Silii poëtæ memoravimus, Martialis uno Epigrammate eleganter comprehendit: ſeptimo Epigrammatum libro.

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Jugera ſecundi qui Ciceronis habet.
Heredem, dominúmque ſui tumulique, lariſque
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

Quemadmodum utrunque, Ciceronem ſcilicet ac Virgilium, coluit & imitatus eſt in foro & otio, ità & Virgilii prædium in Neapolitano habuit. Cujus tumulum etiam, teſte Plinio, ſanctiſſimè veneratus eſt. Et Ciceronis villam poſſedit, quam ipſe Cicero Academiam æmulatione Athenienſis academiæ, appellavit, à quâ & libros Academicorum, ſicut à villâ Tuſculanâ, libros Quæſtionum Tuſculanarum inſcripſit. Meminit etiam hujus Martialis Epigrammatum volumine undecimo, hôc Tetraſticho:

Duos habuit filios, quorum alterum, Severum nomine, amiſit in adoleſcentiâ adhuc conſtitutum, ejúſque mortem celebrat idem Martialis libro nono Epigrammatum; qui verſus ipſos legere voluerit, ex illo, quem jam citavimus libro, eos requirat. Alterum filium, & natu majorem reliquit auctum opibus, & ætate florentem. Scripſit bellum Punicum ſecundum his decem & ſeptem libris, qui in manibus nunc verſantur. Eorum etiam Martialis quarto Epigrammatum meminit, non ſinè honorificâ Silii appellatione.

In Neapolitano ſuo (de quo ſuprà diximus) cùm adversâ valetudine inſanabilis clavi laboraret, inediâ vitam finivit. Annos quinque & ſeptuaginta natus, corpore (ut inquit Plinius junior) delicato magis quàm infirmo.

EADEM, PER ALIUM.

C. SILIUS ITALICUS, vir conſularis, & orator ac poeta clariſſimus, ex Siliorum antiquâ gente oriundus, plebeiâ olim, quod ex Livii Lib. IV. cap. LIV. patet: poſtquam verò apertam ad honores viam habuit, cum primis Romanarum nobiliſſima, ut vel ſolus C. Silius documento eſt, qui tertiùm conſul erat, quum Auguſtus Cæſar ſuum teſtamentum conſignaret, hoc eſt proximo ante exceſſum illius anno, Suetonio referente cap. CI. *Italici* cognomen difficilius ad explicandum eſt, quod alii ab *Italicâ* Hiſpaniæ Bæticæ; à Corfinio alii, Italiæ in Pelignis urbe, deducunt, Sociali bello *Italici* nomen, tanquam capite Italiæ,

y Google

lia, ſortito. Neutrum pro certo haberi poteſt. Italica Hiſpaniæ *Italicenſes* habuit, non *Italicos*, quod ex Gellii lib. XVI. cap. XIII, & veteri inſcriptione apud Gruterum p. 385, videtur manifeſtari: nec Martialis Hiſpanus, qui tot epigrammata de Silio ſcripſit, communem patriam tam nobilis conterranei ſilentio præteriturus fuiſſet. De Corfinii mutando nomine conſilium fuiſſe & conatum, ex Velleii lib. II. cap. XVI. non obſcurum eſt: hæſiſſe illud nomen, & urbem eo appellatam conſtanter fuiſſe, probari non poteſt, neque Strabonis, Aſiatici hominis, teſtimonium in Italiæ rebus præjudicare Italo Velleio poteſt: nec veriſimile, exoſum Romanis nomen poſt victoriam ad poſteros tranſmiſſum eſſe, nec aliud poſtea quàm *Corfinii* nomen apud Cæſarem, Ciceronem, Plinium, Senecam, Lucanum, Frontinum, Ptolemæum, & ipſum Silium lib. VIII. v. 521. ſupereſt, qui pro ſolenni ſuo, quo in origines aliorum inquirit, non tacitorus fuiſſet, ſi genus indè ſuum, vel nomen ipſe duxiſſet. Neque per totum illud bellum (quod diuturnum non fuit, ſed quinto anno, Eutropio teſtante, finitum) Corfinium caput rerum fuit, ſed Æterniam tranſducta imperii ſedes, quam verò nemo unquam Italicam appellavit. *Italici* ergo cognomen ex quocunque alio cauſa, vel ex Italiâ, regione, potiùs, quàm ab oppido aliquo deducimus, quemadmodum Spartiano in Hadriani vitâ cap. XII. *Italici* ſunt Itali genere in provinciis negotiantes vel fixâ etiam ſede ibi commorantes. Prænomen *Caii* frequentius in Silià gente, quàm Publii, quod Modio & paucis aliis placet. Adoleſcentiæ ſtudiis optimos quoſque imitatus eſt, Ciceronem proſâ, Virgilium carmine, nec aliorum etiam præſtantium auctorum lectionem poſthabuit. Hinc clarum nomen ejus in oratoribus ſive cauſidicis, multùm in foro, multùm etiam in centumvirali judicio verſati. Per honorum gradus ad faſtigium adſcendit, eo anno conſul factus, quo Nero imperator periit. In Vitellii amicitiâ prudenter ſe geſſit, ne vel principem, vel alios offenderet. Aſiam pro conſule rexit, ex quâ provinciâ gloriam reportavit. Sunt qui ter conſulem fuiſſe credant, quos Martialis carmen lib. VIII. in errorem ſortè induxit, quo trium conſulatuum in Silii familiâ fit mentio, ſed ita diſpenſandorum, ut unos tantummodo patris, alter filii majoris, quem conſularem reliquit: tertius filio minori non datus (nam mors prævertit) ſed à vate precante & ominante prædictus fuit. Nec Plinii illum ter conſulem, Panegyr. cap. LVIII, probaveris facilè Silium fuiſſe: quia hic in Campaniâ erat Trajano imperante, ut ne ad ſalutandum quidem novum principem reverterit: ter autem ille conſul erat Romæ in ſenatu, quum Trajanus tertium conſulatum recuſaret. Noſter ergo ex Aſiâ revérſus, ſuadentibus etiam annis, reipublicæ valedixit, & honeſtiſſimo otio in Campaniâ uſus, ad ſcribendum ſe contulit, & totum ſe Muſis dedit. Plures ibidem villas poſſedit, & in ſingulis bibliothecam potuit & clarorum virorum imagines: duas autem præcipue amavit, veterum poſſeſſorum honore & ſtudiis inductus. Altera Ciceronis fuerat, in agro, credo, Putcolano, quam ille Academiam appellaverat, etiam à Plinio Veronenſi lib. XXXI. cap. I. laudata: altera Virgilii Maronis in Neapolitano, quem tanti fecit, ut natalem quoque ejus religioſiùs, quàm ſuum, coleret, & monimentum, ut templum, adire ſoleret. In hâc tranquillitate annum quintum & ſeptuageſimum exceſſit, nec tum fataliter, ſed inediâ vitam finiens, quum inſanabilis clavus ſeni natus eſſet, cujus tædio, ut ſolitum illo tempore ex Stoicâ diſciplinâ, vitam pulcherrimè actam abrupit. Unum eſt, quod famam ejus læſiſſe videtur ſub Nerone, quia credebatur ſponte accuſâſſe. Non autem certum illud crimen erat, ſed CREDEBATUR accuſâſſe, ut Plinius ait; & ſi accuſavit more illorum temporum, maculam tamen laudabili otio & optimis ſtudiis abluit, quibus fama integratur, in tantum etiam, ut PERPETUI laudem promeritus ſit, hoc eſt immortalis memoriæ & gloriæ. Hæc de vitâ ipſius: ſingula, præter diſceptationem de nomine, ex Plinio vel Martiale.

LIBER PRIMUS.

ORIOR arma, quibus cœlo ſe gloria tollit
Æneadum, patitúrque ferox Oenotria jura
Carthago. da muſa decus memorare laborum
Antiquæ Heſperiæ, quantóſque ad bella creârit,
Et quot Roma viros, ſacri quum perfida pacti
Gens Cadmæa ſuper regno certamina movit:
Quæſitúmque diu, quâ tandem poneret arce
Terrarum fortuna caput. ter Marte ſiniſtro
Juratúmque Jovi fœdus, conventáque patrum
Sidonii fregere duces: atque impius enſis
Ter placitam ſuaſit temerando rumpere pacem.
Sed medio finem bello, excidiúmque viciſſim
Molitæ gentes: propiúſque fuere periclo
Queis ſuperare datum: reſcravit Dardanus arces
Ductor Agenoreas: obſeſſa Palatia vallo
Pœnorum, ac muris defendit Roma ſalutem.
Tantarum cauſas irarum, odiúmque perenni
Servatum ſtudio, & mandata nepotibus arma
Fas aperire mihi, ſuperáſque recludere mentes.
Jámque adeò magni repetam primordia motûs.
Pygmalconeis quondam per cœrula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum
Fatali Dido Libyes appellitur oræ:
Tum precio mercata ſolum, nova mœnia ponit,
Cingere quâ ſecto permiſſum littora tauro.
Hic Juno ante Argos (ſic credidit alta vetuſtas)
Ante Agamemnoniam gratiſſima tecta Mycenen
Optavit profugis æternam condere ſedem.
Verùm ubi magnanimis Romam caput urbibus altè
Exſerere, ac miſſas etiam trans æquora claſſes
Totum ligna videt victricia ferre per orbem,
Jam propiùs metuens, bellandi corda furore
Phœnicum exſtimulat: ſed enim conamine primæ
Contuſo pugnæ, fractíſque in gurgite cœptis
Sicanio Libycis, iterum inſtaurata capeſſens
Arma remolitur: dux agmina ſufficit unus
Turbanti terras, pontúmque movere paranti.
Jámque deæ cunctas ſibi belliger induit iras
Annibal: hunc audet ſolum componere fatis.
Sanguineo tum læta viro, atque in regna Latini
Turbine mox ſævo venientum haud inſcia cladum,
Intulerit Latio, ſpretâ me, Troïus, inquit,
Exſul Dardaniam? & bis numina capta penates?
Sceptráque fundârit victor Lavinia Teucris,
Dum Romana tuæ, Ticine, cadavera ripæ
Non capiant? ſimilíſque mihi per Celtica rura
Sanguine Pergameo Trebia & ſtipantibus armis
Corporibúſque virûm retro fluat, ac ſua largo
Stagna reformidet Traſimenus turbida tabo?
Dum Cannas tumulum Heſperiæ, campúmque cruore
Auſonio merſum, ſublimis Japyga cernam?
Téque vadi dubium coeuntibus, Aufide, ripis
Per clypeos, galeáſque virûm, cæſóſque per artus
Vix iter Adriaci rumpentem ad littora pònti?
Hæc ait: ac juvenem facta ad Mavortia flammat.
Ingenio motûs avidus, fideſque ſiniſter
Is fuit, exſuperans altu, ſed devius æqui.
Armato nullus divûm pudor: improba virtus,
Et pacis deſpectus honos: penitúſque medullis
Sanguinis humani flagrat ſitis: inſuper ævi

Flore virens, avet Ægates abolere, parentum
Dedecus, ac Siculo demergere fœdera ponto.
Dat mentem Juno, ac laudum ſpe corda fatigat.
Jámque aut nocturno penetrat Capitolia niſu,
Aut rapidis fertur per ſummas paſſibus Alpes.
Sæpe etiam famuli turbato ad limina ſomno
Expavere trucem per vaſta ſilentia vocem,
Ac largo ſudore virum invenere futuras
Miſcentem pugnas, & inania bella gerentem.
Hanc rabiem in fines Italûm, Saturniáque arva
Addiderat quondam puero patrius furor, ortus
Sarranâ priſci Barcæ de gente: vetuſtos
A Belo numerabat avos. namque orba marito
Cùm fugeret Dido famulam Tyron, impia diri
Belides juvenis vitaverat arma tyranni,
Et ſe participem caſus ſociârat in omnes.
Nobilis hôc ortu, & dextrâ ſpectatus Amilcar,
Ut fari, primámque datum diſtinguere linguâ
Annibali vocem, ſolers nutrire furores,
Romanum ſevit puerili in pectore bellum.
Urbe fuit mediâ ſacrum genitricis Eliſæ
Manibus, & patriâ Tyriis formidine cultum,
Quod taxi circùm, & piceæ ſqualentibus umbris
Abdiderant, cælíque arcebant lumine templum.
Hôc ſeſe (ut perhibent) curis mortalibus olim
Exuerat regina loco. ſtant marmore mœſtæ
Effigies, Belúſque parens, omniſque nepotum
A Belo ſeries: ſtat gloria gentis Agenor,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix:
Ipſa ſedet tandem æternùm conjuncta Sichæo:
Ante pedes enſis Phrygius jacet: ordine centum
Stant aræ cælíque deis, Erebóque potenti.
Hìc crine effuſo, atque Ennææ numina divæ,
Atque Acheronta vocat ſtygiâ cum veſte ſacerdos.
Immugit tellus, rumpítque horrenda per umbras
Sibila, inaccenſi flagrant altaribus ignes.
Tum magico volitant cantu per inania manes
Exciti, vultúſque in marmore ſudat Eliſæ.
Annibal hæc patrio juſſu ad penetralia fertur,
Ingreſſíque habitus atque ora explorat Amilcar.
Non ille evantis Maſſylæ palluit iras,
Non diros templi ritus, adſperſâque tabo
Limina, & audito ſurgentes carmine flammas.
Olli permulcens genitor caput, oſcula libat,
Attolliſque animos hortando, & talibus implet:
Gens recidiva Phrygum Cadmeæ ſtirpis alumnos
Fœderibus non æqua premit: ſi fata negârint
Dedecus id patriæ noſtrâ depellere dextrâ,
Hæc tua ſit laus, nate, velis: age concipe bella
Latura exitium Laurentibus: horreat ortus
Jam pubes Tyrrhena tuos, partúſque recuſent
Te ſurgente puer Latiæ producere matres.
His acuit ſtimulis, ſubiciſque haud mollia dicta:
Romanos terrâ atque undis, ubi competet ætas,
Ferro igniſque ſequar, Rhœteáque fata revolvam.
Non ſuperi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celſæ obſtiterint Alpes, Tarpeiáque ſaxa.
Hanc mentem juro noſtri per numina Martis,
Per, manes, regina tuos. Tum nigra triformi
Hoſtia mactatur divæ, raptíſmque recludit
Spirantes artus poſcens reſponſa ſacerdos,
Ac fugientem animam properatis conſulit extis.
Aſt ubi quæſitas artis de more vetuſto
Intravit mentes ſuperûm, ſic deinde profatur:
Ætolos latè conſterni milite campos,
Idæóque lacus flagrantes ſanguine cerno:
Quanta procul moles ſcopulis ad ſidera tendit,
Cujus in aërio pendeht tua vertice caſtra?
Jámque jugis agmen rapitur, trepidantia fumant
Mœnia, & Heſperio tellus porrecta ſub axe
Sidoniis lucet flammis; fluit ecce cruentus
Eridanus, jacet ore truci ſuper arma virósque,
Tertia qui tulerit ſublimis opima tonanti.
Heu quænam ſubitis horreſcit turbida nimbis
Tempeſtas, ruptóque polo micat igneus æther:
Magna parant ſuperi, tonat alti regia cæli,
Bellantémque Jovem cerno, venientia fata
Scire ultrà vetuit Juno. fibræque repentè
Conticuere: latent caſus, longique labores.
Sic clauſum linquens arcano pectore bellum,
Atque hominum finem Gades, Calpémque ſequutus,
Dum fert Herculeis Garamantica ſigna columnis,
Occumbit ſævo Tyrius certamine ductor.
Interea rerum Aſdrubali traduntur habenæ:
Occidui qui ſolis opes, & vulgus Iberum,
Bæticoláſque viros ſpatiis agitabat iniquis.
Triſtia corda ducis, ſimul immedicabilis ira,
Et fructus regni feritas; erat aſper amore
Sanguinis, & metui demens credebat honorem:
Nec notâ docilis pœnâ ſatiare furores.
Ore excellentem, & ſpectatum fortibus auſis
Antiquâ de ſtirpe Tagum, ſuperûmque hominúmque
Immemor, erecto ſuffixum robore mœſtis
Oſtentabat ovans populis ſinè funere regem.
Auriferi Tagus adſcito cognomine fontis,
Pérque antra, & ripas nymphis ululatus Iberis.
Mæonium non ille vadum, non Lydia mallet
Stagna ſibi, nec qui riguo perfunditur auro
Campum, atque illatis Hermi flaveſcit arenis.
Primus inire manu, poſtremus ponere Martem.
Quum rapidum effuſis ageret ſublimis habenis
Quadrupedem, non enſe virum, non eminus haſtâ
Siſtere erat: volitabat ovans, aciéſque per ambas
Jam Tagus auratis agnoſcebatur in armis.
Quem poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit
Deformem leti, famulus clàm corripit enſem
Dilectum domino, pernixque irrumpit in aulam,
Atque immite ferit geminato vulnere pectus.
At Pœni ſuccenſi irâ, turbatáque luctu
Et ſævis gens læta ruunt, tormentáque portant.
Non ignes, candénſque chalybs, non verbera paſſim
Ictibus innumeris lacerum ſcindentia corpus,
Carnificéſve manus, penitúſve infuſa medullis
Peſtis, & in medio lucentes vulnere flammæ
Ceſſavere: ferum viſu, dictúque: per artem
Sævitiæ, extenti quantum tormenta jubebant
Creverunt artus, atque omni ſanguine rupto
Oſſa liquefactis fumárunt fervida membris.
Mens intacta manet, ſuperat, ridétque dolores:
Spectanti ſimilis, feſſóſque labore miniſtros
Increpitat, dominíque crucem clamore repoſcit.
Hæc inter ſpretæ miſeranda piacula pœnæ,
Erepto trepidus ductore exercitus, unâ
Annibalem voce, atque alacri certamine poſcit.
Hinc ſtudia accendit patriæ virtutis imago,
Hinc fama in populos jurati dicta belli,
Hinc virides auſis anni, fervórque decorus,
Atque armata dolis mens, & vis inſita ſandi.
Primi ductorem Libyci clamore ſalutant,
Mox & Pyrenes populi, & bellator Iberus.
Continuóque ferox oritur fiducia menti,
Ceſſiſſe imperio tantum terræque, marique.
Æoliis candens auſtris & lampade Phœbi
Æſtifero Libye torquetur ſubdita Cancro,
Aut ingens Aſiæ latus, aut pars tertia terris.
Terminus huic roſeos amnis Lageus ad ortus
Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.
At quà diverſas clementior adſpicit Arctos
Herculeo dirimente freto, diducta propinquis
Europes videt arva jugis: ultrà oblidet æquor,
Nec patitur nomen proferri longiùs Atlas,
Atlas ſubducto tacturus vertice cælum.
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriáſque
Erigit æternùm compages ardua cervix:
Canet barba gelu, frontémque immanibus umbris
Pinea ſylva premit, vaſtant cava tempora venti,
Nimboſóque ruunt ſpumantia flumina rictu.
Tum geminæ laterum fauces maria alta fatigant:
Atque ubi feſſus equos Titan immerſit anhelos,
Flammiferum condunt fumanti gurgite currum.
Sed quà ſe campis ſqualentibus Africa tendit
Serpentum largo coquitur fœcunda veneno.
Felix quà pingues mitis plaga temperat agros,
Nec Cerere Ennæâ, Pharío nec victa colono.
Hic paſſim exſultant Numidæ, gens inſcia fræni:
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.
Altrix bellorum, bellatorúmque virorum
Tellus, nec fidens nudo ſinè fraudibus enſi.
Altera complebant Hiſpanæ caſtra cohortes
Auxilia Europæ genitoris parta tropæis.
Martius hinc ſonipes campos himnitibus implet,
Hinc juga cornipedes erecti bellica raptant:
Non Eleus eat campo ferventior axis.
Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem.
Namque ubi tranſcendit florentes viribus annos,
Impatiens ævi ſpernit noviſſe ſenectam,
Et fati modus in dextrâ eſt. Hic omne metallum:

Electri

Electri gemino pallent de semine venæ,
Atque atros chalybis fœtus humus horrida nutrit.
Sed scelerum causas operit deus. Astur avarus
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.
Hic certant, Pactole, tibi Durióque Tagóque,
Quique super Gravios lucentes volvit arenas
Infernæ populis referens oblivia Lethes.
Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho,
Nullâque Palladiâ sese magis arbore tollit.
Hæ pollquam Tyrio gentes cessere tyranno,
Utque dati rerum frœni; nunc arte paternâ
Conciliare viros armis, consulta senatûs
Vertere nunc donis: primus sumsisse laborem,
Primus iter carpsisse pedes, partémque subire
Si valli sellinet opus, nec cætera segnis
Quæcunque ad laudem stimulant, somnúmque negabat
Naturæ, noctémque vigil ducebat in armis:
Interdum projectus humi, turbæque Libystæ
Insignis sagulo duris certare maniplis:
Celsus & in magno præcedens agmine ductor
Imperium perferre suum: tum vertice nudo
Excipere insanos imbres, cælique ruinas.
Spectárunt Pœni, tremuitque exercitus Astur,
Torquentem quum tela Jovem, permixtáque nimbis
Fulmina, & excussos ventorum ex flatibus ignes
Turbato transiret equo: nec pulvere tessum
Agminis ardenti labefecit Sirius astro.
Flammiferis tellus radiis quum exusta dehiscit,
Candentique globo medius coquit æthera fervor,
Femineum putat inventâ jacuisse sub umbrâ:
Exercétque litim, & spectato fonte recedit.
Idem correptis sternacem ad prœlia frœnis
Frangere equum, & famam letalis amare lacerti:
Ignotique amnis tranare sonantia saxa,
Atque è diversâ socios arcessere ripâ.
Idem expugnati primus stetit aggere muri:
Et quoties campo rapidus fera prœlia miscet,
Quâ sparsit ferrum, latus rubet æquore limes.
Ergo instat fatis, & rumpere fœdera certus.
Quâ datur interea Romam comprendere bello
Gaudet, & extremis pulsat Capitolia terris.
Prima Saguntinas turbárunt classica portas,
Belláque sumta viro belli majoris amore.
Haud procul Herculei tollunt se littore muri
Clementer crescente jugo, queis nobile nomen
Conditus excelso sacravit colle Zacynthus.
Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas
Geryone exstincto, cæloque ea fata ferebat.
Tres animas namque id monstrum, tres corpore dextras
Armárat, ternâque caput cervice gerebat.
Haud alium vidit tellus, cui ponere finem
Non posset mors una viro, duræque sorores
Tertia bis rupto torquerent stamina filo.
Hic spolia ostentabat ovans, captiváque victor
Armenta ad fontes medio fervore vocabat,
Quum tumidas fauces accensis sole venenis
Calcatus rupit letali vulnere serpens,
Inachiúmque virum terris prostravit Iberis.
Mox profugi ducente Notho advertere coloni,
Insula quos genuit Graio circumflua ponto,
Atque auxit quondam Lacrtia regna Zacynthus.
Firmavit tenues ortus mox Daunia pubes
Sedis inops, misit largo quam dives alumno,
Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.
Libertas populis pacto servata, decúsque
Majorum, & Pœnis postquam imperitare negatum,
Admovet abrupto flagrantia fœdere ductor
Sidonius castra, & latos quatit agmine campos.
Ipse caput quassans circumlustravit anhelo
Muros sævus equo, mensúsque paventia tecta,
Pandere jamdudum portas, & cedere vallo
Imperat, & longè clausis sua fœdera, longè
Ausoniam fore, nec veniæ spem Marte subactis:
Scita patrum, & leges, & jura, fidémque, deósque
In dextrâ nunc esse suâ: verba ocyùs acer
Intorto sancit jaculo, figítque per arma
Stantem pro muro, & nutantem membra Caycum.
Concidit exacti medius per viscera teli:
Effussíque simul prærupto ex aggere membris
Victori moriens tepefactam rettulit hastam.
At multo ducis exemplum clamore sequuti
Involvunt atrâ telorum mœnia nube.
Clara nec in numero virtus latet: obvia quisque
Ora duci portans, ceu solus bella capessat.
Hic crebram fundit Baleari verbere glandem,
Tércque levi ductâ circum caput altus habenâ
Permissum ventis abscondit in aëre telum.
Hic valido librat stridentia saxa lacerto,
Huic impulsa levi torquetur lancea nodo.
Ante omnes ductor patriis insignis in armis
Nunc piceâ jactat fumantem lampada flammâ,
Nunc sude, nunc jaculo, nunc taxis impiger instat.
Aut hydro imbutas bis noxia tela sagittas
Contendit nervo, atque insultat fraude pharetræ:
Dacus ut armiferis Geticæ telluris in oris
Spicula, quæ patrio gaudens acuisse veneno
Fundit apud ripas inopinæ binominis Istri.
Cura subit collem turritâ cingere fronte,
Castellóque urbem circumvallare frequenti.
Heu priscis numen populis, ac nomine solo
In terris jam nota fides! stat dura juventus,
Ereptámque fugam, & claudi videt aggere muros.
Sed dignam Ausoniâ mortem putat esse Sagunto,
Servatâ cecidisse fide. jámque acriùs omnes
Intendunt vires: adductis stridula nervis
Phocaïs effundit vastos ballista molares:
Atque eadem ingentis mutato pondere teli
Ferratam excutiens ornum media agmina rumpit.
Alternus resonat clangor. certamine tanto
Conseruere acies, veluti circumdata vallo
Roma foret: clamátque super tot millia: Gentes
Inter tela satæ, jam capto stamus in hoste.
Anne pudet cœpti? pudet ominis? en bona virtus,
Primitiæque ducis. talíne implere paramus
Italiam famâ? tales præmittere pugnas?
Accensæ exsultant mentes, haustúsque medullis
Annibal exagitat, stimulátque sequentia bella.
Invadunt manibus vallum, cæsáque relinquunt
Dejecti muris dextras. subit arduus agger,
Imponítque globos pugnantum desuper urbi.
Armavit clausos, ac portis arcuit hostem
Librari multâ consueta falarica dextrâ.
Horrendum visu, robur, celsíque nivosæ
Pyrenes trabs lecta jugis, cui plurima cuspis
Vix muris toleranda lues, sed cætera pingui
Uncta pice, atque atro circumlita sulfure fumant.
Fulminis hæc ritu summis è mœnibus arcis
Incita, sulcatum tremulâ secat æëra flammâ.
Qualis sanguineo præstringit lumina crine
Ad terram cælo decurrens ignea lampas.
Hæc ictu rapido pugnantum sæpe per auras,
Attonito ductore, tulit fumantia membra.
Hæc vastæ lateri turris cum turbine fixa,
Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis,
Arma, virósque simul pressit flagrante ruinâ.
Tandem condensis actæ testudinis armis
Subducto Pœni vallo, cœcâque latebrâ,
Pandunt prolapsam suffossis mœnibus urbem.
Terribilem in sonitum procumbens aggere victo
Herculeus labor, atque immania saxa revolvens,
Mugitum ingentem cælo dedit. Alpibus altis
Aëriæ rupes scopulorum mole revulsâ
Haud aliter scindunt resonanti fragmine montem.
Surgebat cumulo certantum prorutus agger,
Obstabátque jacens vallum, ne protinus instent
Hinc atque hinc acies mediâ pugnare ruinâ.
Emicat ante omnes primævo flore juventæ
Insignis Rutulo Murrus de sanguine: at idem
Matre Saguntinâ Graius, geminóque parente
Dulichios Italis miscebat prole nepotes.
Hic magno socios Vaidum clamore vocantem,
Quâ corpus loricam inter galeámque patescit
Conantis motus speculatus, cuspide fixit,
Prostratúmque premens telo, voce insuper urget:
Fallax Pœne jaces: certè Capitolia primus
Scandebas victor: quæ tanta licentia voti?
Nunc Stygio fer bella Jovi. tum fervidus hastam
Adversi torquens defigit in inguine Iberi,
Oráque dum calcat jam singultantia leto,
Hâc iter est, inquit, vobis ad mœnia Romæ.
O metuenda manus, fic quò properatis eundum.
Mox instaurantis pugnam circumsilit arma,
Et rapto nudum clypeo latus haurit Iberi.
Dives agri, dives pecoris, famæque negatus,
Bella feris arcu jaculóque agitabat Iberus.
Felix heu nemorum, & vitæ laudandus opacæ,
Si sua per patrios tenuisset spicula saltus.

Hunc miseratus adest infesto vulnere Ladmus.
Cui sævùm arridens, narrabis Amilcaris umbris
Hanc, inquit, dextram, quæ jam post vulnera vulgi
Annibalem vobis comitem dabit: & ferit altè
Insurgens gladio cristatæ cassidis æra,
Pérque ipsum tegmen crepitantia dissipat ossa.
Tum frontem Chremes intonsam vibrante capillo
Septus, & horrentes effingens crine galeros:
Tum Masulus, crudâque virens ad bella senectâ
Kartalo, non pavidus fœtas mulcere leænas,
Flumineâque urnâ cælatus Bragada parmam,
Et vastæ Nasamon Syrtis populator Hiempsal,
Audax in fluctu laceras raptare carinas,
Unâ omnes dextrâque cadunt, irâque peremti.
Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactúque graves sopire chelydros,
Ac dubiam admoto sobolem explorare ceraste.
Tu quoque fatidicis Garamanticus accola lucis
Insignis flexo galeam per tempora cornu,
Heu frustra reditum sortes tibi sæpe loquutas,
Mentitúmque Jovem increpitans occumbis Hiarba.
Et jam corporibus cumulatus creverat agger,
Perfusæque atrâ fumabat cæde ruinæ.
Tum ductorem avido clamore in prœlia poscit.
Fulmineus ceu Spartanis latratibus actus,
Cùm sylvam occursu venantum perdidit, hirto
Horrescit sævus dorso, & postrema capessit
Prœlia, candentem mandens aper ore cruorem:
Jámque gemens geminum contra venabula torquet.
At parte ex aliâ, quà se insperata juventus
Extulerat portis, ceu spicula nulla, manúsque
Vim ferre, exitiúmve queant, permixtus utrisque
Annibal agminibus passim furit, & quatit ensem,
Cantato nuper senior quem fecerat igni
Littore ab Hesperidum missus: qui carmine pollens
Fidebat magicâ ferrum crudescere linguâ:
Quantus Bistoniis latè Gradivus in oris
Belligero rapitur curru, telúmque coruscans
Titanum quo pulsa cohors, flagrantia bella
Cornipedum adflatu tonat, & stridoribus axis. [tiscum,
Jámque Hoscum, rutilúmque Pholum, ingentémque Me-
Jam Lygdum, Diriúmque simul, flavúmque Galesum,
Et geminos Chronum atque Gyam demiserat umbris.
Daunum etiam, gratâ quo non spectatior alter
Voce movere fora, atque orando fingere mentes,
Nec legum custos solertior, aspera telis
Dicta admiscentem: quónam te, Pœne, paternæ
Huc adigunt furiæ? non hæc Sidonia tecta
Femineâ fabricata manu, pretióve parata,
Exsulibúve datum dimensis littus arenis.
Fundamenta deûm, Romanáque fœdera cernis.
Ast illum toto jactantem talia campo
Ingenti raptum nisu, medióque virorum
Avulsum inter tela globo, & post terga revinctum
Annibal ad pœnam lentæ mandaverat iræ,
Increpitánsque suos inferri signa jubebat:
Pérque ipsos cædis cumulos, stragémque jacentum
Monstrabat furibundus iter, cunctósque ciebat
Nomine, & in prædas stantem dabat improbus urbem.
Sed postquam à trepidis allatum, fervere partem
Diversam Marte infausto, Murróque secundos
Hunc superos tribuisse diem, ruit ocyùs amens
Lymphúto cursu, atque ingentes deserit actus:
Letiferúmque micant fulgentes vertice cristæ.
Crine ut flammifero terret fera regna cometes
Sanguineum spargens ignem, vomit atra rubentes
Fax cælo radios, & sævâ luce coruscum
Scintillat sidus, terrísque extrema minatur.
Præcipiti dant tela viam, dant signa, virsque,
Atque ambæ trepidant acies: jacit igneus hastæ
Dirum lumen apex, ac latè fulgurat umbo.
Qualis ubi Ægæo surgente ad sidera ponto
Per longum vasto Cori cum murmure fluctus
Suspensum in terras portat mare, frigida nautis
Corda tremunt: sonat ille procul, flatúque tumescens
Curvatis pavidas transmittit Cycladas undis.
Non cuncta è muris unum incessentia tela,
Fumantésque ante ora faces, non saxa per artem
Tormentis excussa tenent: ut tegmina primum
Fulgentis galeæ conspexit, & arma cruento
Inter solem auro rutilantia, turbidus infit:
En, qui res Libycas, inceptáque tanta retardet
Romani Murrus belli mora, fœdera saxo,
Jam noscas quid vana queant, &vester Iberus.

Fer tecum castámque fidem servatáque jura.
Deceptos mihi linque deos. cui talia Murrus:
Exoptatus ades. mens olim prœlia poscit,
Spéque tui flagrat capitis: fer debita fraudum
Præmia, & Italiam tellure inquire sub imâ:
Longum in Dardanios fines iter, atque nivalem
Pyrenen, Alpésque, tibi mea dextera donat.
Hæc inter cernens subeuntem cominus hostem,
Præruptúmque loci, fidum sibi corripit ingens
Aggere convulso saxum, & nitentis in ora
Devolvit, pronóque silex ruit incitus ictu.
Subsedit duro concussus fragmine muri.
Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus pressa loco, frendens luctatur, & ægro
Scandit in adversum per saxa minantia nixu.
Sed postquam propiùs vicino lumine fulsit,
Et totâ se mole tulit, velut incita clausum
Agmina Pœnorum cingant, & cuncta paventem
Castra premant, lato Murrus caligat in hoste.
Mille simul dextræ, densúsque micare videtur
Ensis, & innumeræ nutare in casside cristæ.
Conclamant utrinque acies, ceu tota Saguntos
Igne micet: trahit instanti languentia leto
Membra pavens Murrus, supremáque vota capessit.
Conditor Alcide, cujus vestigia sacra
Incolimus, terræ minitantem averte procellam,
Si tua non segni defenso mœnia dextrâ.
Dúmque orat, cælóque attollit lumina supplex,
Cerne, ait, an nostris longè Tirynthius ausis
Justiùs adfuerit, ni displicet æmula virtus,
Haud me dissimilem, Alcide, primoribus annis
Agnosces invicte tuis: fer numen amicum,
Et Trojæ quondam primis memorate ruinis.
Dexter ades Phrygiæ delenti stirpis alumnos.
Sic Pœnus, pressúmque irâ simul exigit ensem
Quà capuli statuere moræ: telóque relato
Horrida labenti perfunditur arma cruore.
Ilicet ingenti casu turbata juventus
Procurrit. nota arma viri, corpúsque superbo
Victori spoliare negant: coit aucta vicissim
Hortando manus, & glomeratâ mole feruntur.
Hinc saxis galea, hinc clypeus sonat æreus hastis,
Incessunt sudibus, libratáque pondera plumbi
Certatim jaciunt: decisæ in vertice cristæ,
Direptúmque decus nutantum in cæde jubarum.
Jámque agitur largus per membra fluentia sudor,
Et stant loricæ squamis horrentia tela:
Nec requies, tegménve datur mutare sub ictu:
Genua labant, fessíque humeri gestamina laxant.
Tum creber, penitúsque trahens suspirsa, sicco
Fumat ab ore vapor, nisúque elisus anhelo
Auditur gemitus, fractúmque in casside murmur.
Mente adversâ domat, gandétque nitescere duris
Virtutem, & decoris pretio discrimina pensat.
Hic subitus scisso densâ inter nubila cælo
Erupit quatiens terram fragor: & super ipsas
Bis pater intonuit geminato fulmine pugnas.
Indè inter nubes ventorum turbine cæco
Ultrix injusti vibravit lancea belli,
Ac femore adverso librată cuspide sedit.
Tarpeiæ rupes, superíque habitabile saxum,
Et vos virgineâ lucentes semper in arâ
Laomedonteæ Trojana altaria flammæ,
Heu quantum vobis fallacis imagine teli
Promisere Dei: propiùs si pressa furenti
Hasta foret, clausæ starent mortalibus Alpes.
Nec Trasimene tuis nunc Allia cederet undis.
Sed Juno adspectans Pyrenes vertice celsæ
Nava rudimenta, & primos in Marte calores,
Ut videt impressum conjectâ cuspide vulnus,
Advolat obscurâ circumdata nube per auras.
Et validam duris evellit ab ossibus hastam.
Ille tegit clypeo fusum per membra cruorem,
Tardáque paulatim, & dubio vestigia nisu
Alternata trahens, aversus ab aggere cedit.
Nox tandem optatis terras, pontúmque tenebris
Condidit, & pugnas ereptâ luce diremit.
At duræ invigilant mentes, molémque reponunt
Noctis opus, clausos acuunt extrema pericli,
Et fractis rebus violentior ultima virtus.
Hinc pueri, invalidsque senes: hinc femina ferre
Certat opem in dubiis miserando vana labori,
Saxáque mananti subvectat vulnere miles.
Jam patribus, clarísque senum sua munia curæ:

Con-

Concurrunt, lectóſque viros hortantur, & orant,
Deſeſſis ſubeant rebus, revocéntque ſalutem,
Et Latia extremis implorent caſibus arma.
Ite citi, remis velíſque impellite puppim,
Saucia dum caſtris clauſa eſt fera: tempore Martis
Utendum eſt rapto, & graſſandum ad clara periclis.
Ite citi, deflete fidem, muróſque ruentes,
Antiquâque domo meliora arceſſite fata.
Mandati ſumma eſt: dum ſtat, remeate, Saguntos.
Aſt illi celerant quà proxima littora greſſum,
Et fugiunt tumido per ſpumea cærula velo.
Pellebat ſomnos Tithoni roſcida conjux,
Ac rutilus primis ſonipes hinnitibus altos
Adflârat montes, roſeáſque movebat habenas.
Jam celsâ è muris exſtructâ mole juventus
Clauſam nocturnis oſtentat turribus urbem.
Rerum omnes pendent actus, & milite mœſto
Laxata obſidio, ac pugnandi ſubſtitit ardor,
Inque ducem verſæ tanto in diſcrimine curæ.
Interea Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cepere exiſtere colles,
Et nebulosâ jugis attollere ſaxa Monœci.
Thracius hos Boreas ſcopulos immitia regna
Solus habet, ſempérque rigens nunc littora pulſat,
Nunc ipſas alis frangit ſtridentibus Alpes:
Atque ubi ſe terris glaciali fundit ab Arcto,
Haud ulli contrà fiducia ſurgere vento.
Vorticibus torquet rapidis mare, fractáque anhelant
Æquora, & injecto conduntur gurgite montes:
Jámque volans Rhenum, Rhodanúmque in nubila tollit.
Hunc poſtquam Boreæ dirum evaſere furorem,
Alternos mœſti caſus belliſque, marisque,
Et dubium rerum eventum ſermone volutant.
O patria, o Fidei domus inclyta: quo tua nunc ſunt
Fata loco: ſacræne manent in collibus arces?
An cinis, heu ſuperi, tanto de nomine reſtat?
Ferte leves auras, flatúſque ciete ſecundos,
Si nondum inſultat templorum Pœnicus ignis
Culminibus, Latiæque valent ſuccurrere claſſes.
Talibus illacrymant noctémque, diémque querelis,
Donec Laurentes puppis defertur ad oras:
Quà pater acceptis Anienis ditior undis
In pontum flavo deſcendit gurgite Tibris.
Hinc conſanguineæ ſubeunt jam mœnia Romæ.
Concilium vocat auguſtum, caſtâque beatos
Paupertate patres, ac nomina parta triumphis
Conſul: & æquantem ſuperos virtute ſenatum.
Facta animoſa viros, & recti ſacra cupido
Attollunt, hirtæque comæ, negléctáque menſa,
Dexteráque à curvis capulo non ſegnis aratris,
Exiguo faciles, & opum non indiga corda,
Ad parvos curru remeabant ſæpe penates.
In foribus ſacris, primóque in limine templi
Captivi currus, belli decus, armáque rapta
Pugnantum ducibus, ſævæque in Marte ſecures,
Perfoſſi clypei, & ſervantia tela cruorem,
Clauſtráque portarum pendent; hìc Punica bella,
Ægates cernas, fusàque per æquora claſſe
Exactam ponto Libyen teſtantia roſtra:
Hìc galeæ Senonum, penſatique improbus auri
Arbiter enſis inest: Gallíſque ex arce fugatis
Arma revertentis pompâ geſtata Camilli:
Hìc ſpolia Æacidæ, hìc Epirotica ſigna,
Et Ligurum horrentes coni, parmæque relatæ
Hiſpanâ de gente rudes, Alpináque gæſa.
Sed poſtquam clades patefecit & horrida bella
Orantum ſqualor, præſéntíque adſtare Sagunti
Ante oculos viſa eſt extrema precantis imago;
Tum ſenior mœſto Sicoris ſic incipit ore:
Sacratâ gens clara fide, quam rite fatentur
Marte ſatam populi ferro parere ſubacti:
Ne crede emenſos levia ob diſcrimina pontum.
Vidimus obſeſſam patriam, murósque trementes:
Et, quem infana freta, aut cœtus genuere ferarum,
Vidimus Annibalem: procul his à mœnibus oro,
Arcete ô ſuperi, noſtróque in Marte tenete
Fatiferæ juvenem dextræ: quâ mole ſonantes
Conjicit ille trabes? & quantus creſcit in armis
Trans juga Pyrenes? medium indignatus Iberum,
Excivit Calpen, & merſos Syrtis arenis
Molitur populos, majoráque mœnia quærit.
Spumeus hic medio qui ſurgit ab æquore fluctus
Si prohibere piget, veſtras effringet in urbes.
An tanti pretium motûs, ruptíque per enſes
Fœderis, hoc juveni jurata in bella ruenti
Creditis, ut ſtatuat ſuperatâ jura Sagunto?
Ocyùs ite viri, & naſcentem exſtinguite flammam,
Ne ſeræ redeant poſt aucta pericula curæ.
Quanquam ô ſi nullus terror, non obruta jam nunc
Semina ſumarent belli: veſtræve Sagunto
Spernendum conſanguineam protendere dextram!
Omnis Iber rapidis, omnis fera Gallia turmis,
Omnis ab æſtifero ſitiens Libys immiuet axe.
Per vos culta diu Rutulæ primordia gentis,
Laurentémque larem, & genitricis pignora Trojæ
Conſervate pios, qui permutare coacti
Acriſioneis Tirynthia culmina muris.
Vos etiam Zanclen Siculi contra arma tyranni
Juviſſe egregium: vos & Campana tueri
Mœnia, depulſo Samnitum robore, dignum
Sigeis duxittis avis: vetus incola Dauni
Teſtor vos fontes, & ſtagna arcana Numici,
Cùm felix nimium dimitteret Ardea pubem
Sacra, domúmque ferens, & avi penetralia Turni
Ultra Pyrenem Laurentia numina vexit.
Cur, ut deciſa, atque avulſa è corpore membra,
Deſpiciar, veſtérque luat cur fœdera ſanguis?
Tandem ut finitæ voces (miſerabile viſu)
Submiſſi palmas lacerato tegmine veſtis,
Affigunt proni ſqualentia corpora terræ.
Indè agitant conſulta patres: curáſque fatigant.
Lentulus ut cernens accenſæ tecta Sagunti,
Poſcendum pœnæ juvenem, celeríque negantis
Exuri bello Carthaginis arva jubebat.
Aſt Fabius cautâ ſpeculator mente futuri,
Nec lætus dubiis, parcúſque laceſſere Martem,
Et melior clauſo bellum producere ferro,
Prima ſuper tantis rebus penſanda: duciſne
Cœperit arma furor, patres an ſigna moveri
Cenſuerint: mittſque viros qui exacta reportent.
Providus hæc, ritu vatis, fundebat ab alto
Pectore præmeditans Fabius ſurgentia bella.
Ut ſæpe è celsâ grandævus puppe magiſter
Proſpiciens ſignis venturum in carbaſa Corum,
Summo jam dudum ſubſtringit lintea malo.
Sed lacrymæ, atque irâ mixtus dolor impulit omnes
Præcipitare latens fatum. lectíque ſenatu,
Qui ductorem adeant: ſi perſtet ſurdus in armis
Pactorum, vertant indè ad Carthaginis arces:
Nec divûm oblitis indicere bella morentur.

LIBER II.

COERULEIS provecta vadis jam Dardana puppis
Triſtia magnanimi portabat juſſa ſenatûs,
Primoréſque patrum. Fabius, Tirynthia proles,
Ter centum memorabat avos, quos turbine Martis
Abſtulit una dies, quum fors non æqua labori,
Patricio Cremeræ maculavit ſanguine ripas.
Huic comes æquato ſociavit munere curas
Publicola, ingentis Voleſi Spartana propago.
Is cultam referens inſigni nomine plebem,
Auſonios atavo ducebat conſule faſtus.
Hos ut depoſitis portum contingere velis
Allatum Annibali, conſultáque ferre ſenatûs,
Jam medio feram bello poſcentia pacem,
Ductoríſque ſimul conceptas fœdere pœnas,
Ocyùs armatas paſſim per littora turmas
Oſtentare jubet minitantia ſigna, recénſque
Perfuſos clypeos, & tela rubentia cæde.
Haud dictis nunc eſſe locum, ſtrepere omnia clamat
Tyrrhenæ clangore tubæ, gemitúque cadentum.
Dum detur, relegant pontum, neu ſe addere clauſis
Feſtinent: notum quid cæde calentibus armis,
Quantum iræ liceat, motúſve quid audeat enſis.
Sic ducis adfatu per inhoſpita littora pulſi,
Converſo Tyrios petierunt remige patres.
Hìc alto Pœnus fundentem vela carinam
Inceſſens dextrâ, Noſtrum, proh Jupiter, inquit,
Noſtrum ferre caput parat illa per æquora puppis?
Heu cæcæ mentes, tumefactáque corda ſecundis.
Armatum Annibalem pœnæ petit impia tellus.
Ne depoſce, adero: dabitur tibi copia noſtri
Ante exſpectatum: portíſque, focíſque timebis,
Quæ nunc externos defendis, Roma, penates.

Tar-

by Google

Tarpeios iterum ſcopulos, præruptáque ſaxa
Scandatis licèt, & celſam migretis in arcem,
Nullo jam capti vitam penſabitis auro.
Incenſi dictis animi, & furor additus armis.
Conditur extemplo telorum nubibus æther,
Et densâ reſonant ſaxorum grandine turres.
Ardor agit provecta queat dum cernere muros,
Inque oculis profugæ Martem exercere carinæ.
Ipſe autem incenſas promiſſa piacula turmas
Flagitat inſignis nudato vulnere ductor:
Ac repetens queſtus furibundo perſonat ore:
Poſcimur, o ſocii, Fabiúſque è puppe catenas
Oſtentat, dominſque vocat nos ira ſenatûs.
Si tædet cœpti, culpandáve movimus arma,
Auſoniam pouto properè revocate carinam.
Nil moror: en vinctâ lacerandum tradite dextrâ.
Nam cur Eoi deductus origine Beli
Tot Libyæ populis, tot circumfuſus Iberis
Servitium perferre negem? Rhœteïus imò
Imperet æternùm, & populis ſæcliſque propaget
Signa ferox: nos juſſa virûm nutúſque tremamus.
Effundunt gemitus, atque omina triſtia vertunt
In ſtirpem Æneadum, ac ſtimulant clamoribus iras.
Diſcinctos inter Libycos, populóſque bilingues
Marmaricis audax in bella Oenotria ſignis
Venerat Hasbite proles Garamantis Hiarbæ.
Ammone hic genitus, Phorcynidos antra Meduſæ
Cinyphiúmque Macen, & iniquo è ſole calentes
Battiadas, latè imperio, ſceptríſque regebat:
Cui patrius Naſamon, æternúmque arida Barce,
Cui nemora Autololum, atque infidæ littora Syrtis
Parebant, nullâque levis Gætulus habenâ.
Atque is fundârat thalamos Tritonide nymphâ:
Unde genus, proavúmque Jovem regina ferebat,
Et ſua fatidico repetebat nomina luco.
Hæc ignara viri, vacuóque adſueta cubili,
Venatu & ſylvis primos defenderat annos:
Non calathis mollita manus, operatáve fuſo,
Dictynnam, & ſaltus, & anhelum impellere plantâ
Cornipedem, ac ſtraviſſe feras immitis amabat.
Quales Threïciæ Rhodopen, Pangæáque luſtrant
Saxoſis nemora alta jugis, curſúque fatigant
Hebrum, innupta manus, ſpreti Ciconéſque, Getæque,
Et Rheſi domus, & lunatis Biſtones armis.
Ergo habitu inſignis patrio, religata fluentem
Heſperidum crinem dono, dextrúmque ſeroci
Nuda latus Marti, ac fulgenti tegmine lævum
Thermodontiacâ munita in prælia peltâ,
Fumantem rapidis quatiebat curſibus axem.
Pars comitum bijugo curru, pars cætera dorſo
Fertur equi, nec non Veneris jam fœdera paſſæ
Reginam cingunt: ſed virgine denſior ala eſt.
Ipſa autem gregibus per longa mapalia lectos
Ante aciem oſtentabat equos: tumulóque propinquo
Dum ſequitur gyris campum, vibrata per auras
Spicula contorquens ſumma ponebat in arce.
Hanc haſtâ toties intrantem mœnia, Mopſus
Non tulit, & celſis ſenior Gortynia muris
Tela ſonante fugat nervo, liquidáſque per auras
Dirigit aligero letalia vulnera ferro.
Cres erat, æriſonis Curetum advectus ab antris,
Dictæos agitare puer levioribus annis
Pennatâ ſaltus adſuetus arundine Mopſus.
Ille vagam cælo diviſit ſæpe volucrem,
Ille procul campo linquentem retia cervum
Vulnere ſiſtebat, ruerétque inopina ſub ictu
Antè fera incauto, quàm ſibila poneret arcus.
Nec ſe tum pharetrâ jactavit juſtiùs ullâ,
Eois quanquam certet Gortyna ſagittis.
Verùm ut opum levior, venatu extendere vitam
Abnuit, atque arctæ res exegere per æquor,
Conjuge cum Meroe, natíſque, inglorius hoſpes
Intrârat miſeram fato ducente Saguntum.
Coryti fratrum ex humeris, calamíque paterni
Pendebant, volucérque chalybs, Minoïa tela.
Hic medius juvenum, Maſſylæ gentis in agmen
Crebra Cydonæo fundebat ſpicula cornu.
Jam Gravium, audacémque Tyrum, paritérque ruentes
Giſconem, lævémque Bagam, indignúmque ſagittæ
Impubem malas tam certæ occurrere Lixum
Fuderat, & plenâ tractabat bella pharetrâ.
Tum vultúm intendens, telúmque in virginis ora,
Deſertum non grata Jovem per vota vocabat.
Namque ut fatiferos converti proſpicit arcus,

Oppoſito procul inſidiis Naſamonia Sarpe
Corpore, præripuit letum, calamúmque volantem
Dum clamat, patulo excipiens tranſmiſit hiatu,
Et primæ ferrum à tergo videre ſorores.
Ad comitis caſum frendens labentia virgo
Membra levat, parvâque oculos jam luce natantes
Irrorat lacrymis, totíſque adnixa doloris
Viribus, intorquet letalem in mœnia cornum.
Illa volans humerum rapido tranſverberat ictu
Conantis Dorylæ, junctis jam cornibus arcus
Et ducti ſpatium nervi complente ſagittâ,
Excutere in ventos reſoluto pollice ferrum.
Tum ſubitum in vulnus præceps devolvitur altis
Aggeribus muri: juxtáque cadentia membra
Effuſi versâ calami fulſere pharetrâ.
Exclamat paribus frater vicinus in armis
Icarus, ulciſcíque parat lacrymabile fatum:
Atque illum raptim promentem in prælia telum
Annibal excuſſi prævertit turbine ſaxi.
Labuntur gelido torpentia frigore membra,
Deficiéntſque manus pharetræ ſua tela remiſit.
At pater è gemino natorum funere Mopſus
Correptos arcus ter mæſtâ movit ab irâ:
Ter cecidit dextra, & notas dolor abſtulit artes.
Pœnitet heu ſerò dulces liquiſſe penates,
Arreptóque avidè, quo concidis Icare, ſaxo,
Poſtquam ævum ſenior, percuſſâque pectora fruſtra
Sentit, &, ut tantos compeſcat morte dolores,
Nil opis in dextrâ; vaſtæ ſe culmine turris
Præcipitem jacit, & delapſus pondere prono
Membra ſuper nati moribundos explicat artus.
Dum cadit externo Gortynius advena bello,
Jam nova molitus ſtimulato milite Teron,
Alcidæ templi cuſtos, aræque ſacerdos,
Non exſpectatum Tyriis effuderat agmen,
Et fera miſcebat referatâ prœlia portâ.
Atque illi non haſta manu, non vertice caſſis,
Sed fiſus latis humeris, & mole juventæ,
Agmina vaſtabat clavâ: nihil indigus enſis.
Exuviæ capiti impoſitæ, tegménque leonis,
Terribilem attollunt excelſo vertice rictum.
Centum angues idem cælatum inſigne gerebat
In clypeo, & ſectis geminam ſerpentibus hydram.
Ille Jubam, Tapſúmque patrem, clarúmque Micipſam
Nomine avi, Maurúmque Sacen, à mœnibus actos,
Palantéſque fugâ, præceps ad littora curſu
Egerat, atque unâ ſpumabant æquora dextrâ.
Nec contentus Idi leto, letóque Cothonis
Marmaridæ, nec cæde Rothi, nec cæde Jugurthæ;
Hasbites currum, & radiantis tegmina lævæ
Poſcebat votis, gemmatáque lumina peltæ,
Atque in belligerâ verſabat virgine mentem.
Quem ruere ut telo vidit regina cruento,
Obliquos detorquet equos, lævúmque per orbem
Fallaci gyro campum ſecat, ac velut ales
Averſo rapitur liquata per æquora curru.
Dúmque ea ſe ex oculis aufert, atque ocyùs euro
Incita pulveream campo trahit ungula nubem,
Adverſum latè ſtridens rota proterit agmen,
Ingerit & crebras virgo trepidantibus haſtas.
Hìc cecidere Lycus, Thamyríſque, & nobile nomen
Eurydamas, clari deductum ſtirpe parentis,
Qui thalamos auſus quondam ſperare ſuperbos,
(Heu demens) Ithacíque torum: ſed enim arte pudicâ
Fallacis toties revoluto ſtamine telæ
Deceptus, merſum pelago jactârat Ulyſſem.
Aſt Ithacus vero fictâ pro morte loquacem
Adfecit leto, tædæque ad funera verſæ.
Gens extrema viri campis deletur Iberis,
Eurydamas Nomados dextrâ: ſupèr inſtrepit æer,
Et ſervat curſum perfractis aſſibus axis.
Jámque aderat remeans virgo, inter prœlia, poſtquam
Diſtringi Terona videt, ſevámque bipennem
Perlibrans mediæ fronti, ſpolium indè ſuperbum,
Herculeáſque tibi exuvias Dictynna vovebat.
Nec ſegnis Teron tantæ ſpe laudis, in ipſos
Advertus conſurgit equos, villoſáque fulvi
Ingerit objectans trepidantibus ora leonis.
Attoniti terrore novo, rictúque minaci
Quadrupedes, jactant reſupino pondere currum.
Tum ſaltu Hasbiten conantem linquere pugnas
Occupat, incuſſâ gemina inter tempora clavâ,
Ferventéſque rotas, turbatáque fræna pavore
Disjecto ſpargit colliſa per oſſa cerebro.

¶ At

At raptâ properans eædem oſtentare bipenni,
Amputat è curru revolutæ virginis ora.
Nec dum iræ politæ, celsâ nam figitur haſtâ
Spectandum caput. id geſtent ante agmina Pœnûm,
Imperat, & properè currus ad mœnia vertant.
Hæc cæcus fati, divûmque abeunte favore
Vicino Teron edebat prœlia leto.
Namque aderat toto ore ferens iráſque, minaſque
Annibal, & cæſam Hasbiten, fixſque tropæum
Infandum capitis, furiatâ mente dolebat.
Ac ſimul ærati radiavit luminis umbo,
Et concuſſa procul membris velocibus arma
Letiferum intonuere, fugam percuſſa repentè
Ad muros trepido convertunt agmina curſu.
Sicut agit levibus per ſera crepuſcula pennis
E paſtu volucres ad nota cubilia Veſper.
Aut ubi Cecropius formidine nubis aquoſæ
Sparſa ſuper flores examina tollit Hymettos,
Ad dulces ceras, & odori corticis antra
Mellis apes gravidæ properant, denſóque volatu
Raucum connexæ glomerant ad limina murmur.
Præcipitat metus attonitos, cæcíque feruntur.
Heu blandum cæli lumen, tantóne cavetur
Mors reditura metu? naſcentíque addita fata?
Conſilium damnant, portis, atque aggere tuto
Erupiſſe gemunt: retinet vix agmina Teron:
Interdúmque manu, interdum clamore, minaſque
State viri: meus ille hoſtis: mihi gloria magnæ,
State, venit pugnæ. muro, tectíſque Sagunti
Hâc abigam Pœnos dextrâ: ſpectacula tantûm
Eſte viri, vel ſi cunctos metus acer in urbem
(Heu deforme) rapit, ſoli mihi claudite portas.
At Pœnus rapido præceps ad mœnia curſu,
Dum pavitant trepidi rerum, feſíſque ſalutis,
Tendebat: ſtat, primam urbem, muróſque patentes,
Poſtpoſitâ cæde & dilatâ, invadere, pugnâ.
Id poſtquam Herculeæ cuſtos videt impiger aræ,
Emicat, & velox formidine prævenit hoſtem.
Gliſcit Eliſæo violentior ira tyranno,
Tu ſolve interea nobis, bone janitor urbis,
Supplicium, ut pandas, inquit, tua mœnia leto.
Nec plura effari finit ira: rotatque coruſcum
Mucronem: ſed contortum prior impete vaſto
Daunius huic robur juvenis jacit: arma fragore
Icta gravi raucum gemuere, altéque reſultant
Ære illiſa cavo nodoſæ pondere clavæ.
At viduus teli, fruſtrato proditus ictu,
Pernici velox curſu rapit incita membra,
Et celeri fugiens perluſtrat mœnia plantâ.
Inſtat atrox terga increpitans fugientia victor.
Conclamant matres, celſóque è culmine muri
Lamentis vox mixta ſonat: nunc nomine noto
Appellant, feras feſſo nunc pandere portas
Poſſe volunt: quatit hortantum præcordia terror
Ne ſimul accipiant ingentem mœnibus hoſtem.
Incutit umbonem feſſo, adſultátque ruenti
Pœnus, & obteſtans ſpectantem è mœnibus urbem,
I, miſeram Hasbiten leto ſolare propinquo.
Hæc dicens, jugulo optantis dimittere vitam
Infeſtum condit mucronem, ac regia lætus
Quadrupedes ſpolia abreptos à mœnibus ipſis,
Queis aditum portæ trepidantum ſepſerat agmen,
Victor agit, currúque volat per ovantia caſtra.
At Nomadum furibunda cohors miſerabile humandi
Deproperat munus, tumulſque adjungit honorem,
Et rapto cineres ter circum corpore luſtrat.
Hinc letale viri robur, tegmenque tremendum
In flammas jaciunt: ambuſtóque ore, genſque
Deſœme alitibus liquere cadaver Iberis.
Pœnorum interea, queis rerum ſumma poteſtas,
Conſultant bello ſuper, & quæ dicta ferantur
Auſoniæ populis, oratorúmque minaci
Adventu trepidant. monet hinc fœdúſque fidéſque
Et teſtes ſuperi, juratáque pacta parentum:
Hinc popularis amor captantis magna juventæ,
Et ſperare juvat belli meliora: ſed olim
Ductorem infeſtans odiis gentilibus Anno,
Sic adeò increpitat ſtudia, incautúmque favorem:
Cuncta quidem, patres, (neque enim cohibere minantum
Iræ ſe valuere, premunt formidine vocem:
Haud tamen abſtiterim, mortem licèt arma propinquent,
Teſtabor ſuperos, & cælo vota relinquam,
Quæ poſtrema ſalus rerum patriæque repoſcit.
Nec nunc obteſtâ demum & fumante Sagunto
Hæc ſerus vates Anno canit: anxia rupi
Pectora, ne caſtris innutriretur & armis
Exitiale caput monui, & dum vita, monebo,
Ingenitum noſcens virus, flatúſque paternos,
Ut qui ſtelligero ſpeculatur ſidera cælo,
Venturam pelagi rabiem, Cauríque futura
Prædicit miſeris haud vanus flamina nautis.
Conſedit ſolio, rerúmque invaſit habenas.
Ergo armis fœdus fáſque omne abrumpitur armis:
Oppida quaſſantur, longéque in mœnia noſtra
Æneadum arrectæ mentes, disjectáque pax eſt.
Exagitant manes juvenem, furiæque paternæ,
Ac funeſta ſacra: & converſi fœdere rupto
In caput infidum ſuperi, Matſylíque vates
Adnuit. ille novi cæcus caligine regni
Externas arces quatit ut Tiryuthia tecta,
Sic propriâ luat hæc pœnâ, nec miſceat urbis
Fata ſuis: nunc hoc, hoc inquam, tempore muros
Oppugnat Carthago tuos, téque oblidet armis.
Lavimus Ætnæas animoſo ſanguine valles,
Et vix conducto produximus arma Lacone.
Nos ratibus laceris Scyllæa replevimus antra,
Claſſibus & refluo ſpectavimus æquore raptis
Contorta è fundo revomentem tranſtra Charybdim.
Reſpice proh demens, proh pectus inane deorum,
Ægates, Libyæque procul fluitantia membra.
Quò ruis? & patriæ exitio tibi nomina quæris?
Scilicet, immenſæ, viſis juvenilibus armis,
Subſident Alpes, ſubſidet mole nivali
Alpibus æquatum attollens caput Appenninus.
Sed campos fac, vane, dari: num gentibus iſtis
Mortales animi? aut ferro, flammáque fatiſcunt?
Haud tibi Neritiâ cernes cum prole laborem.
Pubeſcit caſtris miles, galeáque teruntur
Nondum lignatæ flavâ lanugine malæ.
Nec requies ævi nota, exſanguéſque merendo
Stant prima inter ſigna ſenes, letúmque lacteſſunt.
Ipſe ego Romanas, perfoſſo corpore, turmas
Tela intorquentes correpta è vulnere vidi,
Vidi animos, mortéſque virûm, decoríſque furorem,
Si bello abſiſtis, nec te victoribus offers,
Quantum, heu Carthago, donat tibi ſanguinis Anno?
Geſtar ad hæc: namque impatiens aſpérque coquebat
Jamdudum immites iras, mediámque loquentis
Bis conatus erat turbando abrumpere vocem:
Concilióne, inquit, Libyæ, Tyrióque ſenatu,
Proh ſuperi! Auſonius miles ſedet? armáque tantûm
Haud dum ſumta viro: nam cætera non latet hoſtis.
Nunc geminas Alpes, Appenninúmque minatur:
Nunc freta Siciniæ, & Scyllæi littoris undas:
Nec procul eſt, quin jam manes umbráſque paveſcat
Dardanias: tanta accumulat præconia leto,
Vulneribúſque virûm, tollíſque ad ſidera gentem
Mortalem: mihi credite, licèt formidine turpi
Frigida corda tremant, mortalem ſumimus hoſtem.
Vidi ego, quum geminas, arctis poſt terga catenis
Succinctus palmas, vulgo traheretur ovante
Carceris in tenebras ſpes & fiducia gentis
Regulus Hectoreæ: vidi quum robore pendens
Heſperiam cruce ſublimis ſpectaret ab altâ.
Nec verò terrent puerilia protinus ora
Sub galeâ, & preſſæ properatâ caſſide malæ.
Indole non adeò ſegni ſumus: adſpice turmæ
Quot Libycæ certant annos anteire labore?
Et nudis bellantur equis? ipſe adſpice, ductor
Quum primam tenero vocem proferret ab ore,
Jam bella, & lituos, ac flammis urere gentem
Jurabat Phrygiam, atque animo patria arma movebat.
Proinde polo creſcant Alpes, aſtríſque coruſcos
Appenninus agat ſcopulos, per ſaxa, nivéſque,
(Dicam etenim, ut ſtimulent atram vel inania mentem)
Per cælum eſt qui pandat iter. pudet Hercule tritas
Deſperare vias, laudémque timere ſecundam.
Sed Libyæ clades, & primi incendia belli
Aggerat, atque iterum pro libertate labores
Anno ferre vetat. ponat formidinis æſtus,
Parietibúſque domûs imbellis femina ſervet
Singultantem animam: nos, nos contra ibimus hoſtem,
Queis procul à Tyriâ dominos depellere Byrſâ
Vel Jove non æquo fixum eſt: ſin fata repugnent,
Et jam damnatâ ceſſit Carthagine Mavors,
Occumbam potiùs, nec te, patria incluta, dedam
Æternùm famulam, libéque Acherunta videbo.
Nam quæ (proh ſuperi) Fabius jubet, ocyùs arma
Exuite,

Exuite, & captâ descendite ab arce Sagunti.
Tum delecta manus sentorum incendat acervos:
Urantúrque rates, ac toto absistite ponto.
Di procul ô (merita est si nunquam talia plecti
Carthago) prohibete nefas, nostrísque solutas
Ductoris servate manus. tum deinde recedit:
Factáque censendi patrum de more potestas:
Hic Anno, reddi properè certamine rapta
Instat, & auctorem violati fœderis addit.
Tum verò attoniti, ceu templo irrumperet hostis,
Exsiluere patres, Latióque id verteret omen,
Oravere Deum. At postquam discordia sentit
Pectora, & infidas ad Martem vergere mentes;
Non ultrà patiens Fabius texisse dolorem,
Concilium exposcit properè, patribúsque vocatis
Bellum se gestare sinu, pacémque profatus,
Quid sedeat legere, ambiguis neu fallere dictis
Imperat, ac sævo neutrum renuente senatu,
Ceu clausas acies, gremióque effunderet arma,
Accipite infaustum Libyæ, eventúque priori,
Par, inquit, bellum: & laxos effudit amictus.
Tum patrias repetit pugnandi nuntius arces.
Atque ea dum profugæ regnis agitantur Elisæ,
Accitis velox populis, queis ægra lababat
Ambiguo sub Marte fides, prædâque gravatus
Ad muros Pœnus revocaverat arma Sagunti.
Ecce autem clypeum sævo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant,
Callaïcæ telluris opus, galeámque coruscis
Subnixam crinibus, vibrant cui vertice coni
Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ;
Ensem unà, ac multis fatalem millibus hastam.
Præterea textam nodis, auróque trilicem
Loricam, & nulli tegmen penetrabile telo.
Hæc æra: & duri chalybis perfecta metallo,
Atque opibus perfusa Tagi, per singula lætis
Lustrat ovans oculis, gaudétque in origine regni.
Condebat primæ Dido Carthaginis arces,
Instabátque operi subductâ classe juventus:
Molibus hi claudunt portus: his tecta, domúsque
Partiris justè Bitia venerande senectâ.
Ostentant caput effossâ tellure repertum
Bellatoris equi, atque omen clamore salutant.
Has inter species orbatum classe, sustque
Æneam pulsum pelago, dextrâque precantem
Cernere erat. fronte hunc avidè regina serenâ
Infelix, ac jam vultu spectabat amico.
Hinc & speluncam, furtivâque fœdera amantum
Callaïcæ fecere manus: it clamor ad auras,
Latratúsque canum, subitóque exterrita nimbo
Occultant alæ venantum corpora sylvis.
Nec procul Æneadum vacuo jam littore classis
Æquora nequidquam revocante petebat Elisâ.
Ipsa pyram super ingentem stans saucia Dido,
Mandabat Tyriis ultricia bella futuris:
Ardentémque rogum mediâ spectabat ab undâ
Dardanus, & magnis pandebat carbasa satis.
Parte aliâ supplex infernis Hannibal aris
Arcanum stygiâ libat cum vate cruorem,
Et primo bella Æneadum jurabat ab ævo.
At senior Siculis exsultat Amilcar in arvis,
Spirantem credas certamina anhela movere.
Ardor inest oculis, torvúmque minatur imago.
Necnon & lævum clypei latus asperа signis
Implebat Spartana cohors: hanc ducit ovantem
Ledæis veniens victor Xanthippus Amyclis.
Juxtà trifle decus pendet sub imagine pœnæ
Regulus, & fidei dat magna exempla Sagunto,
Latior at circà facies, agitata ferarum
Agmina venatu, & cæiata mapalia fulgent.
Nec procul, usta cutem nigri soror horrida Mauri
Adsuetas patrio mulcet sermone leænas.
It liber campis pastor, cui fine sinè ullo
Invetitum saltus penetrat pecus: omnia Pœnum
Armenti vigilem patrio de more sequuntur.
Gæsáque, latratórque Cydon, tectúmque, focisque
In silicis venis, & fistula nota juvencis.
Eminet excelsò consurgens colle Saguntos,
Quam circùm immenti populi, condensáque cingunt
Agmina certantum, pulsántque trementibus hastis:
Extremâ clypei stagnabat Iberus in orâ,
Curvatis claudens ingentem flexibus orbem.
Annibal abrupto transgressus fœdere ripas,
Pœnorum populos Romana in bella vocabat.

Tali sublimis dono, nova tegmina latis
Aptat concutiens humeris, celsúsque profatur:
Heu quantum Ausonio sudabitis arma cruore!
Quas belli vindex pœnas mihi curia pendes!
Jámque senescebat vallatis mœnibus hostis,
Carpebátque dies urbem, dum signa, manúsque
Exspectant fessi socias. tandem æquore vano
Avertunt oculos, frustratáque littora ponunt,
Et propius suprema vident, sedet acta medullis
Jamdudum, atque inopes penitus coquit intima pestis.
Est furtim lento miseris durantia tabo
Viscera, & exurit siccatas sanguine venas
Per longum celata fames, jam lumina retro
Exesis fugere genis, jam lurida solâ
Tecta cute, & venis malè junctа trementibus ossa
Exstant, consumtis visu deformia membris.
Humentis rores noctis, terrámque madentem,
Solamen fecere mali, cassóque labore
E sicco frustra prelserunt robore succos.
Nil temerare piget. rabidi jejunia ventris
Insolitis adigunt vesci: resolutáque nudos
Linquentes clypeos, armorum tegmina mandunt.
Desuper hæc cælo spectans Tirynthius alto
Illacrymat fractæ nequicquam casibus urbis.
Namque metus, magnísque tenent præcepta parentis,
Ne sævæ tendat contra decreta novercæ.
Sic igitur cœpta occultans, ad limina sanctæ
Contendit Fidei, secretáque pectora tentat.
Arcanis dea læta, polo tum fortè remoto,
Cælicolûm magnas volvebat conscia curas.
Quam tali alloquitur Nemeæ pacator honore:
Ante Jovem generata, decus divúmque hominúmque,
Quâ sinè non tellus pacem, non æquora nôrunt,
Justitiæ consors, tacitúmque in pectore numen.
Exitiúmne tuæ dirum spectare Sagunti,
Et tot pendentem pro te dea cernere pœnas
Urbem lenta potes? moritur tibi vulgus, & unà
Te matres, vincente fame, te mœsta virorum
Ora vocant: primâque sonant te voce minores.
Fer cœlo auxilium, & fessis da surgere rebus.
Hæc fatus Alcmenâ; contrà cui talia virgo:
Cerno equidem, nec pro nihilo est mihi fœdera rumpi,
Státque dies aulis olim tam tristibus ultor.
Sed me pollutas properantem linquere terras,
Sedibus his, tectísque Jovis succedere adegit
Fœcundum in fraudes hominum genus: impia liqui,
Et quantum terrent, tantum metuentia regna,
Et furias auri, nec vilia præmia fraudum,
Et super hæc, ritu horrificos, ac more ferarum
Viventes rapto populos, luxúque solutum
Omne decus, multâque oppressum nocte pudorem.
Vis colitur, jurisque locum sibi vindicat ensis:
Et probris cessit virtus. en adspice gentes:
Nemo insons: pacem servant commercia culpæ.
Sed secura tuâ fundata ut mœnia dextrâ,
Dignum te servent, memorando fine, vigorem:
Dedita nec fessi transmittant corpora Pœno:
(Quod solum nunc fata sinunt) seriésque futuri,
Extendam leti decus, atque in sæcula mittam,
Ipsâque laudatas ad manes prosequar umbras.
Indè severa Jovi decurrens æthere virgo
Luctantem fatis petit inflammata Saguntum:
Invadit mentes, & pectora nota pererrat,
Immittítque animis numen: tum fusa medullis,
Implicat, atque sui flagrantem inspirat amorem.
Arma volunt, tentántque ægros ad prœlia nisus.
Insperatus adest vigor, interiúsque recursat
Dulcis honos divæ, & sacrum pro virgine letum:
Et tacitus fessis per ovantia pectora sensus
Vel leto graviora pati, sævásque ferarum
Attentare dapes, & mensis addere crimen.
Sed prohibet culpâ pollutam extendere lucem
Casta fides, paribúsque famem compescere membris.
Quam simul invisæ gentis prospexit in arce,
Fortè ferens sese Libycis Saturnia castris,
Virgineum increpitat miscentem bella furorem;
Atque irâ turbata gradum, ciet ocyùs atram
Tisiphonen, imos agitantem verbere manes:
Et palmas tendens, hos, inquit, noctis alumna,
Hos muros impelle manu, populúmque ferocem
Dextris sterne suis, Juno jubet: ipsa propinquâ
Effectus studiúmque tuum de nube videbo.
Illa deos summúmque Jovem turbantia tela,
Queis Acheronta moves, flammam immanésque chelydros.

Stri-

Stridorémque tuum, quo territa comprimit ora
Cerberus, ac mixto quæ ſpumant felle venena,
Et quidquid ſcelerum, pœnarum quicquid & iræ
Pectore fœcundo coquitur tibi, congere præceps
In Rutulos, totámque Erebo demitte Saguntum:
Hâc mercede fides conſtet delapſa per auras:
Sic voce inſtimulans, dextrâ dea concita ſævam
Eumenida incuſſit muris, tremuſtque repentè
Mons circùm, & gravior ſonuit per littora fluctus.
Sibilat inſurgens capiti, & turgentia circùm
Multus colla micat ſqualenti tergore ſerpens.
Mors graditur vaſto pandens cava guttura rictu,
Caſuróque inhians populo: tum luctus & atri
Pectora circumdant planctus, mærórque, dolórque:
Atque omnes adſunt pœnæ, formâque triſauci
Perſonat inſomnis lacrymoſæ janitor aulæ.
Protinus adſimulat faciem mutabile monſtrum
Tiburnæ, greſſúmque ſimul, ſonitúmque loquentis.
Hæc bello vacuos, & ſævi turbine Martis
Lugebat thalamos Murro ſpoliata marito,
Clara genus, clarúmque trahens à ſanguine nomen:
Cui vultus induta pares, disjectáque crinem
Eumenis, in medios irrumpit turbida cœtus,
Et mœſtas lacerata genas: quis terminus, inquit?
Sat fidei, proavíſque datum. vidi ipſa cruentum,
Ipſa meum vidi lacerato vulnere noſtras
Terrentem Murrum noctes, & dira ſonantem.
Eripe te, conjux, miſerandæ caſibus urbis,
Et fuge, ſi terras adimit victoria Pœni,
Ad manes Tiburna meos: cecidere penates,
Occidimus Rutuli, tenet omnia Punicus enſis.
Mens horret, nec adhuc oculis abſiſtit imago.
Nullâne jam poſthac tua tecta, Sagunte, videbo?
Felix, Murre, necis, patriâque ſuperſtite felix.
At nos Sidoniis famulatum matribus actas,
Poſt belli caſus, vaſtíque pericula ponti,
Carthago adſpiciet victrix: tandémque ſupremùm
Morte obitâ, Libyæ gremio captiva jacebo.
Sed vos, ô juvenes, vetuit quos conſcia virtus
Poſſe capi, queis telum ingens contra aſpera mors eſt,
Veſtris ſervitio manibus ſubducite matres:
Ardua virtutem profert via. pergite primi,
Nec facilem, populis nec notam invadere laudem.
His ubi turbatas hortatibus impulit aures,
Indè petit tumulum, ſummo quem vertice montis
Amphitryoniades ſpectandum ex æquore nautis
Struxerat, & grato cineres decorârat honore.
Excitus ſede, horrendum! prorupit ab imâ
Cæruleus maculis auro ſqualentibus anguis:
Ignea ſanguineâ radiabant lumina flammâ.
Oráque vibranti ſtridebant ſibila linguâ:
Iſque inter trepidos cœtus, mediámque per urbem
Volvitur, & muris properè delabitur altis,
Ac ſimilis profugo vicina ad littora tendit,
Spumantíſque freti præceps immergitur undis.
Tum verò excuſſi amentes, ceu prodita tecta,
Expulſi fugiant manes, umbræque recuſent
Captivo latuiſſe ſolo, ſperare ſaluti
Pertæſum, damnántque cibos, agit abdita Erinnys.
Haud gravior duris divûm inclementia rebus,
Quàm leti proterre moras: abrumpere vitam
Ocyus attoniti quærunt, lucémque gravantur.
Certatim ſtructus ſurrectæ molis ad aſtra
In mediâ ſtetit urbe rogus, portántque, trahúntque
Longas pacis opes, quæſitáque præmia dextris,
Callaïco veſtes diſtinctas matribus auro,
Armáque Dulichiâ proavis portata Zacyntho,
Et priſcâ advectos Rutulorum ex urbe penates,
Huc quicquid ſupereſt captis, clypeóſque, ſinúlque
Infauſtos jaciunt enſes, & condita bello
Effodiunt penitus terrâ: gaudéntque ſuperbi
Victoris prædam flammis donare ſupremis.
Quæ poſtquam congeſta videt feralis Erinnys,
Lampada flammiferis tractam Phlegethontis ab undis
Quaſſat, & infernâ ſuperos caligine condit.
Indè opus adgreſſi, toto quod nobile mundo
Æternum invictis infelix gloria ſervat.
Princeps Tiſiphone lentum indignata parentum
Preſſit ovans capulum, cunctantémque impulit enſem,
Et dirum inſonuit ſtygio bis, térque flagello.
Invitas maculant cognato ſanguine dextras,
Mirantúrque nefas aversâ mente peractum,
Et facto ſceleri illacrymant. hic turbidus irâ,
Et rabie cladum, perpeſſæque ultima vitæ,

Obliquos verſat materna per ubera viſus:
Hic raptam librans dilectæ in colla ſecurim
Conjugis increpitat ſeſe, mediúmque furorem
Projectâ damnat ſtupefactus membra bipenni.
Nec tamen evaſiſſe datur. nam verbera Erinnys
Incutit atque atros inſibilat ore timores.
Sic thalami fugit omnis amor: dulcéſque marito
Effluxere tori, & ſubiere oblivia tædæ.
Ille jacit totis connixum viribus ægrum
In flammas corpus, denſum quà turbine nigro
Exundat fumum piceus caligine vertex.
At medios inter cœtus pietate ſiniſtrâ
Infelix Tymbrene furis, Pœnóque parentis
Dum properas auferre necem, reddentia formam
Ora tuam laceras, temeráſque ſimillima membra.
Vos etiam primo gemini cecidiſtis in ævo
Eurymedon fratrem, & fratrem mentite Lycormæ,
Cuncta pares; dulciſque labor ſua nomina natis
Reddere, & in vultu genitrici hærere ſuorum.
Jam fixus jugulo culpâ te ſolverat enſis,
Eurymedon, inter miſeræ lamenta ſenectæ:
Dúmque malis turbata parens, deceptáque viſis
Quò ruis? huc ferrum, clamat, converte Lycormæ,
Ecce ſimul jugulum perfoderat enſe Lycormas.
Sed magno, quónam Eurymedon furor ille? ſonabat
Cum planctu, geminæque notis decepta figuræ
Funera mutato revocabat nomine mater,
Donec tranſacto tremebunda per ubera ferro
Ceſſit, & ambiguos cecidit ſuper inſcia natos.
Quis diros urbis caſus, lacrymandáque monſtra,
Et fidei pœnas, & triſtia facta piorum
Temperet evolvens lacrymis? vix Punica fletu
Ceſsâſſent caſtra, ac miſereſcere neſcius hoſtis.
Urbs habitata diu fidei, cælóque parentem
Murorum repetens, ruit inter perfida gentis
Sidoniæ tela, atque immania facta ſuorum,
Injuſtis neglecta deis; furit enſis, & ignis,
Quíque caret flammâ, ſcelerum eſt locus: erigit atro
Nigrantem fumo rogus alta ad ſidera nubem.
Ardet in excelſo proceri vertice montis
Arx intacta priùs bellis: hinc Punica caſtra,
Littoráque, & totam ſoliti ſpectare Saguntum.
Ardent tecta deûm, reſplendet imagine flammæ
Æquor, & in tremulo vibrant incendia ponto.
Ecce inter medios cædum Tiburna furores,
Fulgenti dextram mucrone armata mariti,
Et lævâ infelix ardentem lampada quaſſans,
Squalentémque erecta comam, ac liventia planctu
Pectora nudatis oſtendens ſæva lacertis,
Ad tumulum Murri ſuper ipſa cadavera fertur.
Qualis, ubi inferni dirum tonat aula parentis,
Iráque turbatos exercet regia manes,
Alecto ſolium ante dei, ſedémque tremendam
Tartareo eſt operata Jovi, pœnáſque miniſtrat.
Arma viri multo nuper defenſa cruore
Imponit tumulo illacrymans: manéſque precata,
Acciperent ſeſe, flagrantem lampada ſubdit.
Tunc rapiens letum, tibi ego hæc, ait, optime conjux
Ad manes en ipſa fero: ſic enſe recepto
Arma ſuper ruit, & flammas invadit hiatu.
Semiambuſta jacet nullo diſcrimine paſſim,
Infelix obitûs, permixto funere turba.
Ceu, ſtimulante fame, quum victor ovilia tandem
Faucibus invadit ſiccis leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patuléque redundat
Gutture ructatus largè cruor, incubat atris
Semeſæ ſtragis cumulis, aut murmure anhelo
Infrendens, laceros inter ſpatiatur acervos.
Latè fuſa jacent, pecudes, cuſtóſque moloſſus,
Paſtorúmque cohors, ſtabuliſque gregíſque magiſter,
Totáque vaſtatis disjecta mapalia tectis.
Irrumpunt vacuam Pœni tot cladibus arcem.
Tum demum ad manes, perfecto munere, Erinnys
Junoni laudata redit, magnámque ſuperba
Exſultat rapiens ſecum ſub tartara turbam.
At vos ſidereæ, quas nulla æquaverit ætas,
Ite decus terrarum animæ, venerabile vulgus
Elyſium, & caſtas ſedes decorate piorum.
Queis verò non æqua dedit victoria nomen,
Audite ô gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem. vagus exſul in orbe
Errabit toto patriis projectus ab oris,
Tergáque vertentem trepidans Carthago videbit.
Sæpe Saguntinis ſomnos exterritus umbris

Opta-

Optabit cecidiſſe manu, ferróque negato,
Invictus quondam ſtygias bellator ad undas,
Deformata feret liventi membra veneno.

LIBER III.

POSTQUAM rupta fides Tyriis, & mœnia caſtæ,
Non æquo ſuperûm genitore, everſa Sagunti,
Extemplo poſitos finiti cardine mundi
Victor adit populos, cognatáque limina Gades.
Nec vatum mentes agitare, & præſcia corda
Ceſſatum ſuper imperio: citus æquore Boſtar
Vela dare, & rerum prænoſcere fata jubetur.
Priſca fides adytis longo ſervatur ab ævo,
Quà ſublimè ſedens Cirrhæis æmulus antris
Inter anhelantes Garamantas corniger Ammon
Fatidico pandit venientia ſæcula luco.
Hinc omen cœptis, & caſus ſcire futuros,
Ante diem, belliſque vices, noviſſe petebat.
Exin clavigeri veneratus numinis aras
Captivis onerat donis, quæ nuper ab arce
Victor fumantis rapuit ſemiuſta Sagunti.
Vulgatum, nec caſſa fides, ab origine ſani
Impoſitas durare trabes, ſoláſque per ævum
Condentum noviſſe manus, hic credere gaudent
Conſediſſe deum, ſeniúmque repellere templis.
Tum queis fas, & honos adyti penetralia nôſſe
Femineos prohibent greſſus, ac limine curant.
Setigeros arcere ſues, nec diſcolor uſti
Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Ex Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.
Diſcinctis mos thura dare, atque è lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.
Pes nudus, tonſæque comæ, caſtúmque cubile,
Inreſtincta focis ſervant altaria flammæ.
Sed nulla effigies, ſimulacráve nota deorum:
Majeſtate locum, & ſacro implevere timore.
In foribus labor Alcidæ Lernæa reciſis
Anguibus hydra jacet, nexúque eliſa leonis
Ora Cleonæi patulo celantur hiatu.
Aſt Stygius ſævis terrens latratibus umbras
Janitor, æterno tum primùm tractus ab antro,
Vincla indignatur, metuſtque Megæra catenas.
Juxtà Thraces equi, peſtíſque Erymanthia, & altos
Æripedis ramos ſuperantia cornua cervæ.
Nec levior vinci Libycæ telluris alumnus
Matre ſuper, ſtratíque genus deforme bimembres
Centauri, frontémque timet minor omnis Acarnan:
Inter quæ fulget ſacratis ignibus Oete,
Ingentémque animam rapiunt ad ſidera flammæ.
Poſtquam oculos varia implevit virtutis imago,
Mira dehinc cernit turgentis mole profundi
Injectum terris ſubitum mare, nulláque circa
Littora, & infuſo ſtagnantes æquore campos.
Nam quà cæruleis Nereus evolvitur antris,
Atque imo freta contorquet Neptunia fundo,
Præruptum exundat pelagus, cæcóſque relaxans
Oceani fontes, torrentibus ingruit undis.
Tum vada, ceu ſævo penitus permota tridenti
Luctantur, terris tumefactum imponere pontum.
Mox remeat gurges, tractóque relabitur æſtu,
Ac ratis erepto campis deſerta profundo.
Effuſi tranſtris exſpectant æquora nautæ:
Cymothoes ea regna vagæ, pelagíque labores
Luna movet. luna immiſſis per cærula bigis,
Fértque refértque fretum, ſequitúrque reciproca Thetis.
Hæc properè ſpectata duci. nam multa fatigant.
Curarum prima exercet ſubducere bello
Conſortem thalami, parvúmque ſub ubere natum:
Virgineis juvenem tædis, priuóque hymenæo
Imbuerat conjux, memoríque tenebat amore.
At puer obſeſſæ generatus in ore Sagunti,
Biſſenos lunæ nondum compleverat orbes.
Quos ut ſeponi ſtetit, & ſecernere ab armis,
Adfatur ductor: ſpes ô Carthaginis altæ
Nate, nec Æneadum levior metus, amplior oro
Sis patrio decore, & factis tibi nomina condas,
Qui ſuperes bellator avum, jámque ægra timoris
Roma tuos numeret lacrumandos matribus annos.
Nî præſaga meos ludunt præcordia ſenſus,
Ingens hic terris creſcit labor: ora parentis

Agnoſco, torvâque oculos ſub fronte minaces,
Vagitúmque gravem, atque irarum elementa mearum.
Si quis fortè deûm tantos inciderit actus,
Ut noſtro abrumpat leto primordia rerum,
Hoc pignus belli, conjux, ſervare labora.
Quúm que datum fari, duc per cunabula noſtra,
Tangat Eliſeas palmis puerilibus aras,
Et cineri juret patrio Laureutia bella.
Indè ubi flore novo pubeſcet firmior ætas,
Emicet in Martem, & calcato fœdere victor
In Capitolinâ tumulum mihi vindicet arce.
Tu verò, tanti felix quam gloria partûs
Exſpectat, veneranda fide, diſcede periclis
Incerti Martis, duróſque relinque labores:
Nos clauſæ nivibus rupes, ſuppoſtáque cælo
Saxa manent, nos Alcidæ mirante novercâ
Sudatus labor, & bellis labor acrior, Alpes.
Quòd ſi promiſſum vertat fortuna favorem,
Lævâque ſit cœptis, te longâ ſtare ſenectâ,
Ævúmque extendiſſe velim: tua juſtior ætas,
Ultra me impropere ducant cui tila ſorores.
Sic ille. At contrà Cirrhæi ſanguis Imilce
Caſtalii, cui materno de nomine dicta
Caſtulo Phœbei ſervat cognomina vatis,
Atque ex ſacratâ repetebat ſtirpe parentes
Tempore, quo Bacchus populos domitabat Iberos:
Concutiens thyrſo, atque armatâ Mænade Calpen,
Laſcivo genitus Satyro, nymphâque Myrice
Milicus indigenis latè regnârat in oris,
Cornigeram attollens genitoris imagine frontem.
Hinc patriam clarúmque genus referebat Imilce,
Barbaricâ paulùm vitiato nomine linguâ.
Quæ tunc ſic lacrymis ſenſim manantibus inſit:
Méne, oblite, tuâ noſtram pendere ſalutem
Abnuis inceptis comitem? ſic fœdera nota,
Primitiæque tori? gelidos ne ſcandere tecum
Deficiam montes conjux tua: crede vigori
Femineo: caſtum haud ſuperat labor ullus amorem.
Sin ſolo adſpicimur ſexu, fixúmque relinqui,
Cedo equidem, nec fata moror: deus adnuat, oro.
I felix, i numinibus votíſque ſecundis:
Atque acies inter, flagrantiáque arma relictæ
Conjugis, & nati curam ſervare memento.
Quippenec Auſonios tantùm, nec tela, nec ignes,
Quantùm te, metuo: ruis ipſos acer in enſes,
Objectáſque caput telis, nec te ulla ſecundo
Eventu ſatiat virtus: tibi gloria ſoli
Fine caret, credíſque viris ignobile letum
Belligeris in pace mori. tremor implicat artus:
Nec quemquam horreſco, qui ſe tibi conferat unus.
Sed tu, bellorum genitor, miſerere, nefáſque
Averte, & ſerva caput inviolabile Teucris.
Jámque adeò egreſſi ſteterant in littore primo,
Et promota ratis, pendentibus arbore nautis,
Aptabat ſenſim pulſanti carbaſa vento,
Quum lenire metus properans, ægrámque levare
Attonitis mentem curis, ſic Annibal orſus:
Omnibus parce, & lacrymis, fidiſſima conjux,
Et pace & bello cunctis ſtat terminus ævi,
Extremúmque diem primus tulit: ire per ora
Nomen in æternum, paucis mens ignea donat,
Quos pater ætheriis cæleſtum deſtinat oris.
An Romana juga, & famulas Carthaginis arces
Perpetiar? ſtimulant manes, noctíſque per umbras
Increpitans genitor: ſtant aræ atque horrida ſacra
Ante oculos, brevitáſque vetat mutabilis horæ
Prolatare diem: ſedeámne, ut noverit una
Me tantùm Carthago? & qui ſim neſciat omnis
Gens hominum? leſique metu decora alta relinquam?
Quantùm etenim diſtant à morte ſilentia vitæ?
Ne tamen incautos laudum exhorreſce furores:
Et nobis eſt lucis honos, gaudéque ſenectâ
Gloria, quum longo titulis celebratur in ævo.
Te quoque magna manent ſuſcepti præmia belli,
Dent modò ſe ſuperi; Tibris tibi ſerviet omnis,
Iliacæque nurus, & dives Dardanus auri.
Dúmque ea permixtis inter ſe fletibus orant,
Confiſus pelago celsâ de puppe magiſter
Cunctantem ciet. abripitur divulſa marito.
Hærent intenti vultus, & littora ſervant,
Donec iter liquidum, volucri rapiente carinâ,
Conſumſit viſus, tellus pontúſque receſſit.
At Pœnus belli curis avertere amorem
Apparat, & repetit properato mœnia greſſu.

Quæ

Quæ dum perluſtrat, crebróque obit omnia viſu,
Tandem ſollicito ceſſit vis dura labori,
Belligerámque datur ſomno componere mentem.
Tum pater omnipotens gentem exercere periclis
Dardaniam, & famâ ſævorum tollere ad aſtra
Bellorum meditans, priſcóſque referre labores
Præcipitat, conſulta viri, ſegnémque quietem
Terret, & immiſsâ rumpit formidine ſomnos.
Jámque per humentem noctis Cyllenius umbram
Aligero lapſu portabat juſſa parentis.
Nec mora, mulcentem ſecuro membra ſopore
Adgreditur juvenem, monitſſque inceſſit amaris:
Turpe duci totam ſomno conſumere noctem,
O rector Libyæ; vigili ſtant bella magiſtro.
Jam maria effuſas cernes turbare carinas,
Et Latiam toto pubem volitare profundo,
Dum lentus cœpti terrâ conctaris Iberâ.
Scilicet id ſatis eſt decoris, memorandáque virtus,
Quòd tanto cecidit molimine Graia Saguntos?
En age, ſi quid ineſt animo, par fortibus auſis:
Fer greſſus agiles mecum, & comitare vocantem:
Reſpexiſſe veto, monet hoc pater ille deorum:
Victorem ante altæ ſtatuam te mœnia Romæ.
Jámque videbatur dextram injectare, gradúque
Lætantem trahere in Saturnia regna citato,
Quum ſubitus circà fragor, & vibrata per auras
Exterrent ſævis à tergo ſibila linguis,
Ingentíque metu divûm præcepta paventi
Eſſluxere viro, & turbatus lumina flectit.
Ecce jugis rapiens ſylvas, ac robora vaſto
Contorta amplexu, tractáſque per invia rupes
Ater letifero ſtridebat turbine ſerpens.
Quantus non æquas perluſtrat flexibus Arctos,
Et geminum lapſu ſidus circumligat anguis;
Immani tantus fauces diducit hiatu,
Attollénſque caput nimbolis montibus æquat,
Congeminat ſonitus rapti violentia cæli,
Imbriferáſque hyemem permixtam grandine torquet.
Hôc trepidus monſtro (neque enim ſopor ille, nec altæ
Vis aderat noctis, virgâque fugante tenebras
Miſcuerat lucem ſomno Deus) ardua quæ ſit
Scitatur peſtis, terráſque urgentia membra
Quò ferat, & quoſnam populos depoſcat hiatu.
Cui gelidis almæ Cyllenes editus antris:
Bella vides optata tibi, te maxima bella,
Te ſtrages nemorum, te toto turbida cœlo
Tempeſtas, cædéſque virûm, magnæque ruinæ
Idæi generis, lacrymoláque fata ſequuntur.
Quantus per campos populatis montibus actas
Contorquet ſylvas ſqualenti tergore ſerpens,
Et latè humectat terras ſpumante veneno:
Tantus perdomitis decurres Appius, atro
Involvens bello Italiam, tantóque vagore
Eruta convulſis proſternes oppida muris.
His ægrum timulis liquere deûique, ſopórque.
It membris gelidus ſudor, lætóque pavore
Promiſſa evolvit ſomni, noctémque retractat.
Jámque deûm regi, Martíque ſub omine fauſto
Inſtauratur honos: niveóque ante omnia tauro
Placatur meritis monitor Cyllenius aris,
Extemplo edicit convellere ſigna, repénſque
Caſtra quatit clamor permixtis diſſona linguis.
Prodito Calliope famæ, quos horrida cœpta
Exciérint populos, tulerímque in regna Latini:
Et quas indomitis urbes armârit Iberis,
Quáſque Paretonio glomerârit littore turmas
Auſa ſibi Libye rerum depoſcere frænos,
Et terris mutare jugum, non ulla, nec unquam
Sævior it trucibus tempeſtas acta procellis,
Nec bellum raptis tam dirum mille carinis
Acrius infremuit, trepidúmque exterruit orbem.
Princeps ſigna tulit Tyriâ Carthagine pubes,
Membra levis, celſíque decus fraudata ſuperbum
Corporis, ac docilis fallendi, & nectere tectos
Nunquam tarda dolos. rudis his tunc parma, breviſque
Bellabant enſe, ac veſtigia nuda, ſinúſque
Cingere inadſuetum, & rubræ velamine veſtis
Ars erat in pugnâ ſuſum occuluiſſe cruorem.
His rector ſulgens oſtro ſuper altior omnes
Germanus nitet Annibalis, gratóque tumultu
Mago quatit currus, & fratrem ſpirat in armis.
ProximaSidoniis Utica eſt effuſa maniplis
Priſca ſitu, veterſíque ante arces condita Byrſa.
Tunc quæ Sicanio præcinxit littora muro
In clypei ſpeciem curvatis turribus Aſpis.
Sed dux in ſeſe converterat ora Sichæus
Aſdrubalis proles, cui vano corda tumore
Maternum implebat genus, & reſonare ſuperbo
Annibal haud unquam ceſſabat avunculus ore.
Adfuit undoſâ cretus Berenicide miles,
Nec tereti dextras in pugnam armata dolone
Deſtituit Barce ſitientibus arida venis:
Necnon Cyrene Pelopei ſtirpe nepotis
Battiadas pravos fidei ſtimulavit in arma,
Quos trahit antiquo laudatus Amilcare quondam
Conſilio viridis, ſed bello ſerus Iberes.
Tabraca tum Tyrium vulgus, Sarranáque Leptis,
Oeáque Trinacrios Afris permixta colonos,
Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus:
Tum Vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo,
Quæque procul cernit non æquos Ruſpina fluctus,
Et Zama, & uberior Rutulorum ſanguine Thapſus.
Ducit tot populos ingens & corpore, & armis
Herculeam ſervans factis ac nomine famam
Antæus, celſúmque caput ſuper agmina tollit.
Venere Æthiopes, gens haud incognita Nilo,
Qui magneta ſecant, ſolis honor ille metalli
Intactum chalybem vicino ducere ſaxo.
His ſimul immitem teſtantes corpore ſolem
Exuſto venere Nubæ, non ærea caſſis,
Nec lorica riget ferro, nec tenditur arcus:
Tempora multiplici mos eſt defendere lino,
Et lino munire latus, ſceleratáque ſuccis
Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.
Tum primùm caſtris Phœnicum tendere ritu
Cinyphii didicere Macæ, ſqualentia barbâ
Ora viris, humeróſque tegunt velamina capri
Setigeri, pandâ manus eſt armata cateiâ.
Verticolor contra cetra, & talcatus ab arte
Enſis Adyrmachidæ, ac lævo tegmina crure.
Sed mentis aſper populus, victúque maligno.
Nam calidâ triſtes epulæ torrentur arenâ.
Quin & Maſſyli fulgentia ſigna tulere,
Heſperidum veniens lucis, domus ultima terræ.
Præfuit intortos demiſſus vertice crines
Bocchus atrox, qui ſacratas in littore ſylvas,
Atque inter frondes revireſcere viderat aurum.
Vos quoque deſertis in caſtra mapalibus itis
Miſceri gregibus Gætule adſuete ferarum,
Indomitíque loqui & ſedare leonibus iras:
Nulla domus, plauſtris habitant: migrare per arva
Mos, atque errantes circumvectare penates.
His mille alipedes turmæ, velocior euris,
Et doctus virgæ ſonipes in caſtra ruebat.
Ceu pernix quum denſa vagis latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Umber
Nare ſagax è calle feras, perterrita latè
Agmina præcipitant volucres formidine cervi.
Hos agit haud læto vultu, nec fronte ſerenâ
Hasbites nuper cæſæ germanus Acheras.
Marmaridæ medicum vulgus ſtrepuere catervis:
Ad quorum cantus ſerpens oblita veneni,
Ad quorum tactus mites jacuere ceraſtæ.
Tum chalybis pauper Baniuræ cruda juventus,
Contenti parcâ duraſſe haſtilia flammâ,
Miſcebant avidi trucibus fera murmura linguis.
Necnon Autololes levibus gens ignea plantis,
Cui ſonipes curſu, cui ceſſerit incitus amnis,
Tanta fuga eſt, certant pennæ, campúmque volatu
Cùm rapuere, pedum fruſtra veſtigia quæras.
Spectati caſtris, quos ſucco nobilis arbor,
Et dulci paſcit lotos nimis hoſpita baccâ.
Quíque atro rapidas efferveſcente veneno
Dipſadas immenſis horrent Garamantes arenis.
Fama docet, cæſæ rapuit quum Gorgonis ora
Perſeus in Libyâ dirum fluxiſſe cruorem,
Indè Meduſæis terram exundâſſe chelydris.
Millibus his ductor ſpectatus marte Coaſper,
Neritiâ Meninge ſatus, cui tragula ſemper
Fulmineam armabat celebratum miſſile dextram.
Hinc coit æquoreus Naſamon invadere fluctu
Audax naufragia, & prædas avellere ponto.
Hinc qui ſtagna colunt Tritonidos alta paludis,
Quà virgo (ut fama eſt) bellatrix edita lymphâ
Invento primam Libyen perfudit olivo.
Nec non totus adeſt veſper, populíque repoſti
Cantaber ante omnes hyemíſque, æſtûſque, famíſque
Invictus, palmámque ex omni ferre labore.

Mirus amor populo, cùm pigra incanuit ætas
Imbelles jam dudum annos prævertere ſaxo:
Nec vitam ſinè Marte pati, quippe omnis in armis
Lucis cauſa ſita, & damnatum vivere paci.
Venit & Auroræ lacrymis perfuſus in orbem
Diverſum, patrias fugit quum devius oras
Armiger Eoi non felix Memnonis Aſtyr.
His parvus ſonipes, nec Marti notus, at idem
Aut inconcuſſo glomerat veſtigia dorſo,
Aut molli pacata celer trahit eſſeda collo.
Herdus agit, juga Pyrenes venatibus acer
Metiri, jaculóve extendere prœlia Mauro.
Venere & Celtæ ſociati nomen Iberis.
His pugnâ cecidiſſe decus, corpúſque cremari.
Tale nefas cælo credunt ſuperiſque referri,
Impaſtus carpat ſi membra jacentia vultur.
Fibrarum, & pennæ, divinarúmque ſagacem
Flammarum, miſit dives Gallæcia pubem.
Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percuſsâ verbere terrâ
Ad numerum reſonas gaudentem plaudere cetras.
Hæc requies ludúſque viris, ea ſacra voluptas.
Cætera femineus peragit labor: addere ſulco
Semina, & impreſſo tellurem vertere aratro
Segne viris; quidquid duro ſinè Marte gerendum eſt,
Callaïci conjux obit irrequieta mariti.
Hos Viriatus agit, Luſitanúmque remotis
Extractum luſtris, primo Viriatus in ævo
Nomen Romanis factum mox nobile damnis.
Nec Ceretani quondam Tirynthia caſtra,
Aut Vaſco inſuetus galeæ, ferre arma morati.
Nec quæ Dardanios pòſt vidit Ilerda furores,
Nec, qui Maſſageten monſtrans feritate parentem,
Cornipedis ſuſâ ſatiaris, Concane, venâ.
Jámque Ebuſus Phœniſſa movet, movet Artabrus arma,
Aelide, vel tenui pugnax inſtare veruto.
Jam cui Tlepolemus ſator, & cui Lindus origo,
Fundâ bella ferens Balearis, & alite plumbo.
Et quos nunc Gravios violato nomine Graiûm
Oeneæ miſere domus, Ætoláque Tyde:
Dat Carthago viros Teucro fundata vetuſto,
Phocaïcæ dant Emporiæ, dat Tarraco pubem
Vitifera, & Latio tantùm ceſſura Lyeo.
Hos inter clarâ thoracis luce nitebat
Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis,
Atque altrix celsâ mittebat Sætabis arce,
Sætabis, & telus Arabum ſpreviſſe ſuperba,
Et Peluſiaco tilum componere lino.
Mandonius populis, domitórque inſignis equorum
Imperitat Cæſo, & ſocio ſtant caſtra labore.
At Vettonum alas Balarus probat æquore aperto.
Hic adeò cùm ver placidum, flatúſque tepeſcit,
Concubitus ſervans tacitos grex proſtat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aurâ.
Sed non multa dies generi, properátque ſenectus,
Septimáque his ſtabulis longiſſima ducitur ætas.
At non Sarmaticos attollens Sulana muros
Tam levibus perſultat equis. hinc venit in arma
Haud ævi fragilis ſonipes, crudóque vigore
Aſper frena pati, aut juſſis parere magiſtri.
Rindacus his ductor, telum ſparus, ore ferarum
Et rictu horrificant galeas, venatibus ævum
Tranſigitur, vel more patrum. vis, raptáque paſcunt.
Fulget præcipuis Parnaſſia Caſtulo ſignis,
At celebre Oceano, atque alternis æſtibus Hiſpal,
Ac Nebriſſa Dionyſeis conſcia thyrſis,
Quam ſatyri coluere leves, redimitáque ſacrâ
Nebride, & Hortano Mænas nocturna Lyæo.
Arganthoniacos armat Carteia nepotes:
Rex proavis fuit humani ditiſſimus ævi
Ter denos decies emenſus belliger annos.
Armat Tarteſſos ſtabulanti conſcia Phœbo,
Et Munda Emathios Italis paritura labores:
Nec decus auriferæ ceſſavit Corduba terræ.
Hos duxere viros flaventi vertice Phorcis,
Spiciferiſque gravis bellator Aranthicus oris
Æquales ævi genuit quos ubere ripâ
Palladio Bætes umbratus cornua ramo.
Talia Sidonius per campos agmina ductór
Pulvere nigrantes raptat, luſtrátque ſub armis.
Quà viſu comprendere erat fulgentia ſigna,
Ibat ovans, longáque umbram tellure trahebat
Non aliter, quoties perlabitur æquora curru,
Extremámque petit Phœbea cubilia Tethyn
Frenatis Neptunus equis: fluit omnis ab antris
Nereïdum chorus, & ſueto certamine nandi
Candida perſpicuo convertunt brachia ponto.
At Pyrenei frondoſa cacumina montis
Turbatâ Pœnus terrarum pace petebat.
Pyrene celsâ nimboſi verticis arce
Diviſos Celtis latè proſpectat Iberos:
Atque æterna tenet magnis divortia terris.
Nomen Bebryciâ duxere à virgine colles,
Hoſpitis Alcidæ crimen, qui ſorte laborum
Geryonis peteret cùm longa tricorporis arva
Poſſeſſus Baccho, ſævâ Bebrycis in aulâ
Lugendam formæ ſinè virginitate reliquit
Pyrenen, letíque deus (ſi credere fas eſt)
Cauſa fuit leti miſeræ deus. edidit alvo,
(Namque, ut ſerpentem, patrias exhorruit iras)
Confeſtim dulces liquit turbata penates.
Tum noctem Alcidæ ſolis plangebat in antris,
Et promiſſa viri ſylvis narrabat opacis,
Donec mœrentem ingratos raptoris amores,
Tendentémque manus, atque hoſpitis arma vocantem
Diripuere feræ: laceros Tirynthius artus,
Dum remeat victor, lacrymis perfudit, & amens
Palluit invento dilectæ virginis ore,
Ac voce Herculeâ percuſſa cacumina montis
Intremuere jugis, mœſto clamore ciebat
Pyrenen; ſcopuliſque omnes, ac luſtra ferarum
Pyrenen reboant; tumulo tum membra reponit
Supremùm illacrymans, nec honos intercidit ævo,
Deflerúmque tenent montes per ſæcula nomen.
Jámque per & colles, & denſos abiete lucos
Bebryciæ Pœnus fines tranſcenderat aulæ:
Indè ferox quæſitum armis per inhoſpita rura
Volcarum populatur iter, tumidíque minaces
Accedit Rhodani feſtino milite ripas.
Aggeribus caput Alpinis, & rupe nivali
Profilit in Celtas, ingentémque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proſcindens gurgite campos,
Ac properè in pontum lato ruit incitus alveo:
Auget opes ſtanti ſimilis, tacitóque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptúmque per arva
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.
Invadunt alacres inimicum pontibus amnem:
Nunc celſo capite, & cervicibus arma tuentur,
Nunc validis gurges certatim frangitur ulnis.
Flumineâ ſonipes religatus ducitur alno:
Bellua nec retinet tardante Libyſſa timore:
Nam trabibus vada, & injectâ tellure, repertum
Connexas operire trabes, ac ducere in altum
Paulatim ripæ reſolutis aggere vinclis.
At gregis adlapſu fremebundo territus aeris
Expavit moles Rhodanus, ſtagnſſque refuſis
Torſit arenoſo minitantia murmura fundo.
Jámque Tricaſtinis incedit finibus agmen,
Jam faciles campos, jam rura Vocontia carpit.
Turbidus hic truncis, ſaxíſque Druentia lætum
Ductorie vaſtavit iter. namque Alpibus ortus
Avulſas ornos, & adeſi fragmina montis
Cum ſonitu volvens fertur latrantibus undis,
Ac vada tranſlato mutat fallacia curſu.
Non pediti fidus, patulis non puppibus æquus,
Et tunc imbre recèns fuſo, correpta ſub armis
Corpora multa virûm ſpumanti vertice torquens
Immerſit fundo laceris deformia membris.
Sed jam præteritos ultrà meminiſſe labores
Conſpectæ propiùs demſere paventibus Alpes:
Cuncta gelu, canáque æternùm grandine tecta,
Atque ævi glaciem cohibent: riget ardua montis
Ætherii facies, ſurgentíque obvia Phœbo
Duratas neſcit flammis mollire pruinas.
Quantùm tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atræ ſtagna paludis
A ſuperâ tellure patet: tam longa per auras
Erigitur tellus, & cælum intercipit umbrâ.
Nullum ver uſquam, nullíque æſtatis honores.
Sola jugis habitat diris, ſedéſque tuetur
Perpetuas deformis hyems: illa undique nubes
Huc atras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Jam cuncti flatus ventíque furentia regna
Alpinâ poſuere domo, caligat in altís
Obtutus ſaxis, abeúntque in nubila montes.
Mixtus Athos Tauro, Rhodopéque adjuncta Mimanti,
Oſſáque cum Pindo, cúmque Hæmo ceſſerit Othrys.

Primus

Primus inexpertas adiit Tirynthius arces:
Scindentem nubes, fraugentémque ardua montis
Spectárunt superi, longísque ab origine sæclis
Intermerata gradu magnâ vi saxa domantem.
At miles dubio tardat vestigia gressu,
Impia sen sacros in fines arma per orbem,
Naturâ prohibente, ferant, divisque repugnent.
Contra quæ ductor non Alpibus ille, nec ullo
Turbatus terrore loci: sed languida monstris
Corda virûm fovet hortando, revocátque vigorem.
Non pudet obsequio superûm, fessósque secundis
Post belli decus, atque acies dare terga nivosis
Montibus, & segnes submittere rupibus arma?
Nunc ô nunc socii dominantis mœnia Romæ
Credite vos, summúmque Jovis conscendere culmen.
Hic labor Ausoniam, dabit hic in vincula Tibrim.
Nec mora, commotum promissis ditibus agmen
Erigit in collem, & vestigia linquere nota
Herculis edicit magni, crudísque locorum
Ferre pedem, ac proprio turmas evadere calle,
Rumpit inaccessos aditus, atque ardua primus
Exsuperat, summâque vocat de rupe cohortes.
Tum quà durati concreto frigore collis
Lubrica frustratur canenti semita clivo,
Luctantem ferro glaciem premit, haurit hiatu
Nix resoluta viros, altóque à culmine præceps
Viventes turmas operit delapsa ruina.
Interdum adverso glomeratas turbine Corus
In media ora nives fuscis agit horridus alis.
Aut rursum immani stridens avulsa procella
Nudatis rapit arma viris, volvénsque per orbem
Contorto rotat in nubes sublimia flatu.
Quóque magis subiere jugo, atque evadere nisi
Erexere gradum, crescit labor, ardua suprà
Sese aperit fessis, & nascitur altera moles.
Unde nec edomitos exsudatósque labores
Respexisse libet, tantâ formidine plena
Exterrent repetita oculis, atque una pruinæ
Canentis, quacunque datur permittere visus,
Ingeritur facies. medio sic navita ponto
Quum dulces liquit terras, & inania nullos
Inveniunt ventos securo carbasa malo,
Immensas prospectat aquas, ac victa profundis
Æquoribus, fessus renovat sua lumina cælo.
Jámque super clades atque importuna locorum,
Illuvie rigidæque comæ squalore perenni
Horrida semiteri promunt è rupibus ora:
Atque effusa cavis exesi pumicis antris
Alpina invadit manus, adsuetóque vigore
Per dumos, notásque nives, atque invia, pernix
Clausum montivagis infestat cursibus hostem.
Mutatur jam forma locis, hìc sanguine multo
Infectæ rubuere nives, his nescia vinci
Paulatim glacies cedit tepefacta cruore:
Dúmque premit sonipes duro vestigia cornu,
Ungula perfossis hæsit compressa pruinis.
Nec pestis lapsus simplex, abscissa relinquunt
Membra gelu, fractósque asper rigor amputat artus.
Bis senos soles, totidem per vulnera sævas
Emensi noctes, optato vertice sidunt,
Castráque præruptis suspendunt ardua saxis.
At Venus ancipiti mentem labefacta timore
Adfatur genitorem, & rumpit mœsta querelas:
Quis pœnæ modus, aut pereundi terminus oso
Æneadís erit? & quando terrásque fretúmque
Emensis sedisse dabis? cur pellere nostros
A te concessâ Pœnus parat urbe nepotes?
Alpibus imposuit Libyen, finémque minatur
Imperio, casus metuit jam Roma Sagunti:
Quò Troiæ extremos cineres, sacrámque ruinam,
Assaracíque larem, & Vestæ secreta feramus,
Da sedem genitor, tutísque jacere. parúmne est
Exsilia errantes totum quæsisse per orbem?
Anne iterum captâ repetentur Pergama Româ?
His Venus. & contrà genitor sic deinde profatur.
Pelle metus, neu te Tyriæ conamina gentis
Turbárint Cytherea: tenet, longúmque tenebit
Tarpeias arces sanguis tuus. hâc ego Martis
Mole viros spectare paro, atque expendere bello.
Gens ferri patiens, ac læta domare labores,
Paulatim antiquo patrum desuescit honori.
Atque ille haud unquam parcus pro laude cruoris,
Et semper famæ sitiens, obscura sedendo
Tempora agit, mutum volvens inglorius ævum
Sanguine de nostro populus, blandóque veneno
Dehdiæ virtus paulatim evicta senescit.
Magnæ molis opus, multóque labore parandum
Tot populos inter soli sibi poscere regna.
Jámque tibi veniet tempus quo maxima rerum
Nobilior sit Roma malis. hinc nomina nostro
Non indigna polo referet labor, hinc tibi Paullus,
Hinc Fabius, gratúsque mihi Marcellus opimis:
Hi tantum parient Latio per vulnera regnum,
Quod luxu, & multùm mutatâ mente nepotes,
Non tamen evertisse queant: jámque ipse creatus,
Qui Pœnum revocet patriæ, Latióque repulsum
Ante suæ muros Carthaginis exuat armis.
Hinc, Cytherea, tuis longo regnabitur ævo.
Exin se Curibus virtus cælestis ad astra
Efferet, & sacris augebit nomen Iulis.
Bellatrix gens baccifero nutrita Sabino.
Hinc pater ignotam donabit vincere Thulen,
Inque Caledonios primus trahet agmina lucos,
Compescet ripis Rhenum, reget impiger Afros,
Palmiferámque senex bello domitabit Idumen.
Nec Stygis ille lacus, viduatáque lumine regna,
Sed superûm sedes, nostrósque tenebit honores.
Tum juvenis magno præcellens robore mentis
Excipiet patriam molem, celsúsque feretur
Æquatum imperio tollens caput, hic fera gentis
Bella Palæstinæ primo delebit in ævo.
At tu transcendens Germanice facta tuorum,
Jam puer auricomo performidate Batavo,
Nec te terruerint Tarpeii culminis ignes:
Sacrilegas inter flammas servabere terris.
Nam te longa manent nostri consortia mundi.
Huic laxos arcus olim Gangetica pubes
Submittet, vacuásque ostendent Bactra pharetras.
Hic & ab Arctoo currus aget axe per urbem,
Ducet & Eoos, Baccho cedente, triumphos.
Idem indignantem transmittere Dardana ligna
Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.
Quin & Romuleos superabit voce nepotes,
Queis erit eloquio partum decus. huic sua Musæ
Sacra ferent, meliórque lyrâ, cui substitit Hebrus,
Et venit Rhodope, Phœbo miranda loquetur.
Ille etiam, quà prisca, vides, stat regia nobis
Aurea Tarpeiâ ponet Capitolia rupe,
Et junget nostro templorum culmina cælo.
Tunc ô nate deûm, divósque dature, beatas
Imperio terras patrio rege, tarda senectam
Hospitia excipient cæli, solióque Quirinus
Concedet, mediúmque parens, fratérque locabunt.
Siderei juxtà radiabunt tempora nati.
Dum pandit seriem venturi Jupiter ævi,
Ductor Agenoreus tumulis delatus iniquis
Lapsantem dubio devexa per invia nisu
Firmabat gressum, atque humentia saxa premebat.
Non acies, hostísve tenet, sed prona minaci
Præcupto turbat, & cautibus obvia rupes.
Stant clausi, mœréntque moras, & dura viarum:
Nec refovere datur torpentia membra quiete.
Noctem operi jungunt, & robora ferre coactis
Approperant humeris, ac rapias collibus ornos.
Jámque ubi nudárunt sylvâ densissima montis,
Adgessere trabes, rapidísque accensus in orbem
Excoquitur flammis scopulus, mox proruta terro
Dat gemitum putris resoluto pondere moles,
Atque aperit sessis antiqui regna Latini.
His tandem ignotas transgressus casibus Alpes
Taurinis ductor statuit tentoria campis.
Interea voces Jovis, atque oracula portans
Ementis aderat Garamantum lætus arenis
Bostar, & ut viso stimulabat corda tonante:
Maxime Belidæ patriis qui à mœnibus arces
Servitium dextrâ, Libycas penetravimus oras,
Nos tulit ad superos perfundens sidera Syrtis,
Nos penè æquoribus tellus violentior hausit.
Ad finem cæli medio tenduntur ab ore
Squalentes campi, tumulum natura negavit
Immensis spatiis, nisi quem cava nubila torquens
Construxit turbo, impactâ glomeratus arenâ:
Vel si perfracto populatus carcere terras
Africus, aut pontum spargens super æthera Corus
Invasere truces capientem prælia campum,
Inque vicem ingesto cumulárunt pulvere montis;
Has observatis valles enavimus altri-.
Namque dies confundit iter, pediténque profundo

Errantem campo & ſemper media arva videntem
Sidoniis cynoſura regit fidiſſima nautis.
Verùm ubi defeſſi lucos, nemoroſáque regna
Cornigeri Jovis, & fulgentia templa columnis
Advehimur magnis, quàm latâ fronte ſacerdos
Exceptos, hoſpes tectis inducit Arisbas?
Stat fano vicina (novum & memorabile) lympha,
Quæ naſcente die, quæ deficiente tepeſcit,
Quæque riget, medium cùm ſol accendit olympum,
Atque eadem rurſus noctùrnis fervet in umbris.
Tum loca plena deo, dites ſinè vomere glebas
Oſtentat ſenior, lætâque ita mente profatur:
Has umbras nemorum, & connexa cacumina cœlo,
Calcatóſque Jovi lucos, prece Boſtar adora.
Nam cui dona Jovis non divulgata per orbem
In gremio Thebes geminas ſediſſe columbas?
Quarum, Chaonias pennis quæ contigit oras,
Implet fatidico Dodonida murmure quercum.
At quæ Carpathium ſuper æquor vecta, per auras
In Libyen nivis tranavit concolor alis.
Hanc ſedem primo Cythereia condidit ales,
Hic ubi nunc aras, lucóſque videtis opacos
Ductore electo gregis (admirabile dictu)
Lanigeri capitis media inter cornua peritæ,
Marmaricis ales populis reſponſa canebat.
Mox ſubitum nemus, atque annoſo robore lucus
Exſiluit, qualéſque premunt nunc ſidera quercus
A primâ venere die, priſco indè pavore
Arbor numen habet, colitúrque tepentibus aris.
Dúmque ea miramur, ſubito ſtridore (tremendum)
Impulſæ patuere fores, majórque repentè
Lux oculos ferit, ante aras ſtat veſte ſacerdos
Effulgens niveâ, & populi concurrere certant.
Indè ubi mandatas effudi pectore voces,
Ecce intrat ſubitus vatem deus, alta ſonoro,
Colliſis trabibus, volvuntur murmura luco,
Ac major notâ jam vox prorumpit in auras:
Tenditis in Latium, bellóque agitare paratis
Aſſaraci prolem: Libyes cœpta aſpera cerno,
Gradivúmque trucem currus jam ſcandere, & aram
In latus Heſperium flammam exſpirare furentes
Cornipedes, multóque fluentia ſanguine lora.
Tu qui pugnarum eventus, extremáque fati
Depoſcis, claróque ferox das vela labori,
Invade Ætoli ductoris Japyga campum.
Sidonios augebis avos, nullíque relinques
Altiùs Auſoniæ penetrare in viſcera gentis,
Donec victa tibi trepidabunt Dardana regna.
Nec ponet pubes unquam Saturnia curam,
Dum carpet ſuperas in terris Annibal auras.
Talia portabat lætis oracula Boſtar,
Implebátque viros pugnæ propioris amore.

Attoniti matres, ducentéſque ultima fila
Grandævos rapuere ſenes: tum crine ſoluto
Antè agitur conjux, dextrâ, lævâque trahuntur
Parvi, non æquo comitantes ordine, nati.
Sic vulgus, tradúntque metus, nec poſcitur auctor.
At patres quanquam exterrent immania cœpta,
Inque ſinu bellum, atque Alpes, & pervia ſaxa
Decepere; tamen crudam contra aſpera mentem,
Et magnos tollunt animos, juvat ire periclis,
Ad decus, & dextrâ memorandum condere nomen,
Quale dedit nunquam rebus fortuna ſecundis.
Sed Libyæ ductor ruto fovet agmina vallo
Feſſa gradum, multóque gelu torpentia nervos,
Solandíque genus, latis oſtentat ad urbem
Per campos ſupereſſe viam, Romámque ſub ictu.
At non & rerum curas, conſultáque belli
Stare probat, ſolúíque nequit perferre quietem.
Armiferæ quondam priſca inter tempora gentes
Auſonium invaſere latus, ſedéſque beatas,
Et metui peperere manu: mox impia bella
Tarpeius pater, & capti ſenſere Quirites.
Hic dum ſollicitat donis & inania corda,
Ac fluxam morum gentem fovet, armáque jungit,
Jam conſul volucri pervectus littora claſſe
Scipio, Phocaïcis ſeſe referebat ab oris.
Ingentéſque duces, pelagi terræque laborem
Diverſum emenſos, propiora pericula vallo
Jungebant, magnæque aderant primordia cladis.
Namque ut collatis admoto conſule caſtris
Sustulerat fortuna moras, figúmque furoris
Accenſa viſo poſcebant hoſte cohortes:
Debellata procul, quæcunque vocantur Iberis
Ingenti Tyrius, numeroſa per agmina, ductor
Voce ſonat, non Pyrenen, Rhodanúmve ferocem
Juſſa aſpernatos Rutulam fumâſſe Saguntum,
Raptum per Celtas iter, & quà ponere greſſum
Amphitryoniadæ fuerit labor, iſſe ſub armis,
Pœnorum turmas, equitémque per ardua vectum
Inſultâſſe jugo, & fremuiſſe hinnitibus Alpes.
Contrà pulchra ſuos vocat ad diſcrimina conſul:
Hoſtem, miles, habes fractum, ambuſtúmque nivoſis
Cautibus, atque ægre torpentia membra trahentem.
En age, qui ſacros montes, rupéſque profundas
Tranſiluit, diſcat quanto ſtet celſius arce
Herculeâ vallum, & majus ſit, ſcandere colles,
An noſtros rupiſſe globos: det inania famæ.
Dum magnâ ſuſo pugnâ, retróque ruenti
Quà ventum eſt, obſtent Alpes, ſuper ardua ductum
Huc egere dei, Latios ut ſanguine tinctos
Imbueret, tetlúſque hoſtilis conderet oſſa.
Scire libet, nova nunc nobis, atque altera bellum
Carthago, ánne eadem mittat, quæ merſa ſub æquor
Ægates inter vaſto jacet obruta ponto.
Hæc ait, atque agmen Ticini flectit ad undas.
Cæruleas Ticinus aquas, & ſtagna, vadoſo
Perſpicuus ſervat turbari neſcia, fundo,
Ac nitidum viridi lentè trahit amne liquorem.
Vix credas labi, ripis tam mitis opacis
Argutos inter volucrum certamina cantus
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.
Jámque ſub extremum noctis fugientibus umbris
Lux aderat, ſomnúſque ſuas conſecerat horas.
Explorare locos conſul, colliſque propinqui
Ingenium, & campis quæ ſit natura, parabat.
Par ſtudium Pœno, ſimiléſque in pectore curæ.
Ergo aderant, rapidis equitum comitantibus alis.
Verùm ubi commoto docuerunt pulvere nubes
Hoſtem ferre gradum, & propiùs propiúſque ſonoro
Quadrupedum cornu tellus gemit, ac ſimul acer
Vincentum linuos hinnitus ſævit equorum,
Arma viri, rapite arma viri, dux inſtat uterque.
Ambobus velox virtus, geminóſque cupido
Laudis, & ad pugnas, Martémque inſania concors.
Haud mora jam tantum campi diritnebat ab ictu,
Quantum impulſa valet comprendere lancea nodo,
Quum ſubitum liquidâ, non ullis nubibus, æthrâ
Augurium, mentes, oculóſque ad ſidera vertit.
Accipiter medio tendens à limite ſolis,
Dilectas Veneri, notáſque ab honore Dionæ
Turbabat violentus aves, atque unguibus idem,
Idem nunc roſtro, duris nunc ictibus alæ,
Ter quinas dederat, ſæva inter vulnera leto.
Nec finis ſatiéſve, novi ſed ſanguinis ardor
Gliſcere, & urgebat trepidam jam cæde priorum,

LIBER IV.

Fama per Auſoniæ turbatas ſpargitur urbes,
Nubiferos montes & ſaxa minantia cælo
Accepiſſe jugum, Pœnóſque per invia vectos:
Æmuláque Herculei jactatur fama laboris,
Deſcendiſſe ducem, diros canit improba motus
Et gliſcit greſſu, volucríque citatior Euro
Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.
Adſtruit auditis docilis per inania rerum
Paſcere rumorem vulgi pavor: itur in acres
Bellorum raptim curas, ſubitúſque per omnem
Auſoniam Mavors ſtrepit, & ciet arma virósque:
Pila novant, ac detersâ rubigine ſævus
Induitur ferro ſplendor: niveúmque repoſtæ
Inſtaurant galeæ coni decus: haſta juvatur
Atmento, revocántque novâ fornace bipennes.
Conſeritur tegmen laterum impenetrabile, multas
Paſſurus dextras, atque irrita vulnera thorax,
Pars arcu invigilant, domitat pars verbere anhelum
Cornipedem in gyros, ſaxóque exaſperat enſem.
Nec ferò muris, quibus eſt luctata vetuſtas,
Ferre morantur opem: ſubvectant ſaxa, cavásque
Retractant turres, edit quas longior ætas.
Hinc tela accipiunt arces, & robora portis
Et fidos certant obices arcęſſere ſylvâ.
Circumdant foſſas. haud ſegnis cuncta magiſter
Præcipitat timor, ac vaſtis trepidatur in arvis.
Deſeruere larem, portant cervicibus ægras

Incertámque fugæ, plumâ labente, columbam,
Donec Phœbeo veniens Jovis ales ab ortu,
In tenues tandem nubes dare terga coegit.
Tum victrix lætos ſigna ad Romana volatus
Convertit, proléſque ducis quâ parte decora
Scipio quaſſabat puerilibus arma lacertis,
Clangorem bis térque dedit, roſtróque coruſcæ
Perſtringens conum galeæ, ſe reddidit altris
Exclamat Liger (huic ſuperos ſentire monentes
Ars fuit, ac pennâ monſtrare futura magiſtrâ)
Penè bis octonos Italis in finibus annos
Audaci ſimilis volucri, ſectabere pubem
Auſoniam, multámque feres cum ſanguine prædam.
Sed compeſce minas, renuit tibi Daunia regna
Armiger ecce Jovis: noſco te ſumme deorum,
Adſis ô, firméſque tuæ pater alitis omen.
Nam tibi ſervantur, nî vano caſſa volatu
Mentitur ſuperos præpes, poſtrema ſubactæ
Fata, puer, Libyæ, & majus Carthagine nomen.
Contrà læta Bogus Tyrio canit omina regi,
Et fauſtum accipitrem, cæſáſque in nube volucres
Æneadis cladem, & Veneris portendere genti.
Tum dictis comitem contorquet primus in hoſtes,
Ceu ſuadente Deo & fatorum conſcius, haſtam.
Illa volans patuli longè per inania campi
Ictum perdiderat ſpatio, ni ſuſus habenas
Dum primæ decus adfectat decerpere pugnæ,
Obvia quadrupedis præceps Catus ora tuliſſet.
Sic elangueſcens, & jam caſura, petitum
Invenit vulnus, cædémque recepit ab hoſte
Cornus, & oblatæ ſtetit inter tempora frontis.
Incurrunt acies, magnóque fragore per æquor
Suſpendunt cuncti frenis ſublimè reductos
Cornipedes, ultróque ferunt. erectus in auras
It ſonipes, rapidâque volans per aperta procellâ
Tenuia vix ſummo veſtigia pulvere ſignat.
Boiorum ante alias Chryxo duce mobilis ala,
Arietat in primos, obiciſque immania membra.
Ipſe tumens, atavi Brenni ſe ſtirpe ferebat
Chryxus, & in titulos Capitolia capta trahebat.
Tarpeióque jugo demens, & vertice ſacro
Penſantes aurum Celtas, umbone ferebat.
Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgatæ veſtes, manicæque rigebant
Ex auro, & ſimili vibrabat criſta metallo.
Sternitur impulſu vaſto perculſa Camertum
Prima phalanx, ſpiſſæque ruunt conferta per arma
Undæ Boiorum, ſociata examina denſant
Infandi Senones, colliſáque quadrupedantum
Pectoribus, toto volvuntur corpora campo.
Arva natant, altúſque virûm cruor, altus equorum
Lubrica belligeræ ſorbet veſtigia turmæ,
Seminecum letum peragit gravis ungula pulſu,
Et circumvolitans tetros à ſanguine rores
Spargit humo, miſeríſque ſuo lavit ora cruore.
Spicula prima, puer tumidi Tyrrhene Pelori,
Purpureo moriens victricia ſanguine tingis.
Nam tibi cùm ſtimulas cornu, atque in prœlia mentes
Accendis, renováſque viros ad vulnera cantu,
Hæſit barbaricum ſub anhelo gutture telum,
Et clauſit raucum letali vulnere murmur.
At ſonus extremo morientis fuſus ab ore,
Flexa pererravit mutis jam cornua labris.
Chryxus Picentem, Laurúmque, nec eminus ambo,
Sed gladio Laurum, Picenti rapilis haſta
Ripis lecta Padi, letum tulit. avia namque
Dum petit, ac lævo meditatur fallere gyro,
Haſta viri femur, & pariter per anhela volantis
Ilia ſedit equi, geminam dedit horrida mortem.
Idem ſanguineâ Venuli cervice revellens,
Sternit præcipitem trepido te, Farfare, telo.
Et te ſub gelido nutritum, Tulle, Velino,
Egregium Auſoniæ decus, ac memorabile nomen,
Si dent fata moras, aut ſervent fœdera Pœni.
Tum Romulum, atque olim celeberrima nomina bello
Tiburtes magnos, Hiſpellatémque Metaurúmque
Et Damum, dubiâ meditatus cuſpide vulnus.
Nec locus eſt Tyriis belli pugnæve, ſed omnem
Celticus implevit campum furor: irrita nulli
Spicula torquentur, ſtátque omne in corpore ferrum.
Hic inter trepidos immane Quirinius audens,
Cui fugere ignotum, atque invictâ mente placebat
Rebus in adverſis exceptum pectore letum,
Cuſpide flammat equum, ac diſpergit gaſa lacerto,

Si reſerare viam, atque ad regem rumpere ferro
Detur iter, certúſque necis, petit omnibus auſis,
Quod nequeat ſentire decus: cadit inguine foſſo
Tcutalus, & vaſto quatitur ſub pondere tellus.
Occumbit Sarmens, flavam qui ponere victor
Cæſariem, crinémque tibi, Gradive, vovebat
Auro cértantem, & rutilum ſub vertice nodum.
Sed Parcæ intonsâ non exaudita voventem
Ad manes traxere comâ, per candida membra
It fumans cruor, & tellus perfuſa rubeſcit.
At non tardatus jaculo occurrente Lycaonus
Irruit, adverſúmque viro rotat obvius enſem,
Et ferit inſurgens, humero quâ brachia lenti
Adnectunt nervi, deciſáque vulnere læva
Laxatis paulùm moribunda pependit habenis.
Dúmque micans tremulo conatu lora retentat,
Flectentem adſuetos imitatur neſcia frænos,
Demetit averſi Veſagus tum colla, jubâque
Suſpenſam portans galeam, atque incluſa perenti
Ora viri, patrio divos clamore ſalutat.
Dúmque ea Gallorum populi dant funera campo,
Accitas properè caſtris in prœlia conſul
Raptabat turmas, primúſque ruebat in hoſtem
Candenti ſublimis equo, trahit undique lectum
Divitis Auſoniæ juvenem, Marſóſque, Corámque,
Laurentúmque decus, jaculatorémque Sabellum,
Et Gradivicolam celſo de colle Tudertem,
Indutólque ſimul gentilia lina Faliſcos,
Quóſque ſub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant, Anienicolæque Catilli,
Quóſque in prægelidis duratos Hernica rivis
Mittebant ſaxa, & nebuloſi rura Caſini,
Ibant in Martem terræ dominantis alumni,
Damnati ſuperis, nec jam reditura juventus.
Scipio, quâ medius pugnæ vorat agmina vortex,
Intert cornipedem, atque inſtinctus ſtrage ſuorum
Inferias cæſis mactat, Labarúmque, Padúmque,
Et Camum, & multo vix fuſum vulnere Brennum,
Gorgonecóque Larum torquentem lumina vultu;
Occidis & triſti pugnans Lepontice fato.
Nam dum frena ferox, objecto corpore prenſas,
Atque æquas celſus reſidentis conſulis ora
Ipſe pedes, frontem in mediam gravis incidit enſis,
Et diviſum humeris jacuit caput. Abbatus amens,
Qui luctatur equo, parmâque in curſibus obſtat,
Ictu quadrupedis fulvâ porrectus arenâ
Eliſa incuſſis amiſit calcibus ora.
Perfurit Auſonius turbata per æquora ductor,
Ceu gelidus Boreas totum quum ſuſtulit imo
Icarium fundo victor mare; navita vaſto
Jactatur ſparſus, laceratâ claſſe, profundo,
Cunctáque canenti perfunditur æquore Cyclas.
Chryxus ut in tenui ſpes, exiguúmque ſalutis
Jam videt eſſe ſuæ, mortémque adſtare propinquam
Armat contemtu mentem necis: horrida barba
Sanguineâ rutilat ſpumâ, rictúſque furentis
Albet, & effuſo ſqualent à pulvere crines,
Invadit Tarrum, vicino conſule, pugnas
Miſcentem, ſævíſque virum circumtonat armis.
Volvitur ille ſolo: nam pronum effundit in armos
Fata extrema ferens abies, rapitúrque pavore
Tractus equi, vinctis connexa ad cingula membris.
Longa cruor ſparſo liquit veſtigia campo,
Et tremulos cuſpis ductus in pulvere ſignat.
Laudabat leti juvenem, egregióſque parabat
Ulciſci conſul manes, cùm dira per auras
Vox venit, & Chrixum ferri clamoribus audit
Haud notum vultu, ſurgit violentior irâ
Cominus, atque oculos optato in corpore figit.
Tum ſtimulans grato plauſæ cervicis honore
Cornipedem alloquitur: Vulgum, Martémque minorem
Hactenus, & leto dedimus ſinè nomine gentem:
Mox, Gargane, vocant ſuperi ad majora, vidéſne
Quantus eat Chrixus? jam nunc tibi præmia pono
Illum Sidonio fulgentem ardore tapeta,
Barbaricum decus & fulvis donabere frenis.
Sic fatus, magno Chrixum clamore ciebat
In pugnam, ac vacuo poſcebat prœlia campo.
Nec detrectantem par ira accenderat hoſtem.
Ut juſſæ ceſſere retro, ſpatiúmque dederunt
Hinc atque hinc alæ, medio ſtetit æquore pugna.
Quantus Phlegræis telluris alumnus in arvis,
Movit ſigna Mimas, & cælum exterruit armis,
Tantus ſemifero Chrixus ſub pectore murmur

Tor-

Torquet, & horriſonis ululatibus erigit iras:
Nemóne incenſæ, captæque ſuperſuit urbi,
Ut tibi, quas Brenni populus ferremus in arma,
Narraret dextras? diſce en nunc, inquit, & unà
Contorquet nodis, & obuſto robore, diram
Vel portas quaſsâſſe trabem: ſonat illa tremendùm,
Ac nimio jactu ſervâſſe improvida campi
Diſtantis ſpatium, propiorem tranſvolat hoſtem.
Cui conſul: ferre hoc umbris proavóque memento,
Quàm procul occumbas Tarpeiâ à ſede, tibíque
Haud licitum ſacri Capitolia cernere montis:
Tum nodo, curſúque levi ſimul adjuvat haſtam
Dignam mole viri nixus: fugit illa per oras
Multiplicis lini, ſubtectáque tegmina nervis,
Atque altum totâ metitur cuſpide pectus.
Procumbit latâ porrectus in arva ruinâ,
Et percuſſa gemit tellus ingentibus armis.
Haud aliter ſtructo Tyrrhena ad littora ſaxo
Pugnatura fretis, ſubter cæciſque procellis
Pila immane ſonans, impingitur ardua ponto.
Immugit Nereus, diviſáque cærula pulſu
Illiſum accipiunt irata ſub æquora montem.
Ductore amiſſo pedibus ſe credere Celtæ:
Una ſpes animâ tantúſque pependerat ardor.
Ac veluti ſumino venator denſa Picano
Cùm luſtra exagitat, ſpiſſiſque cubilibus atram
Immittit paſſim dumoſa per invia peſtem.
Dum tacitas vires, & flammam colligit ignis,
Nigranti piceus ſenſim caligine vertex
Volvitur, & pingui contorquet nubila fumo,
Mox ſubita in toto lucent incendia monte,
Fit ſonitus, fugere feræ, fugere volucres,
Atque imâ longè trepidant in valle juvencæ.
At Mago ut vertiſſe globos, primúmque laborem,
Qui ſolus genti eſt, caſſum videt; arma ſuorum
Ac patrium in pugnas equitem vocat. undique nudi
Adſiliunt frenis, infrænatíque manipli.
Nunc Itali in tergum vertis referuntur habenis,
Nunc rurſus Tyrias retro pavor avehit alas,
Aut illi dextros lunatis flexibus orbes,
Aut illi lævos ſinuant in cornua gyros,
Texunt alterno glomerata volumina curſu,
Atque eadem refugâ cedentes arte reſolvunt.
Hâc pontum vice (ubi exercet diſcordia ventos)
Fert Boreas, Eurúſque refert, molémque profundi,
Nunc huc alterno, nunc illuc flamine geſtant.
Advolat aurato præfulgens murice ductor
Sidonius, circáque metus, terrórque, furórque.
Iſque ubi Callaïci radiantem tegminis orbem
Extulit, & magno percuſſit lumine campos,
Spes virtúſque cadunt, trepidàque à mente recedit
Vertere terga pudor, nec leti cura decori,
Sed fugere infixum eſt, terræque optantur hiatus.
Sic ubi Caucaſeis tigris ſe protulit antris,
Linquuntur campi, & tutas petit omne latebras
Turbatum inſano vultu pecus; illa pererrat
Deſertas victrix valles, jámque ora reducto
Paulatim nudat rictu, ut præſentia mandat
Corpora, & immani ſtragem meditatur hiatu.
Non illum Metabus, non illum celſior Uſens
Evaſere tamen, quamvis hic alite plantâ,
Hic ope cornipedis totis ferretur habenis.
Nam Metabum ad manes demiſit cuſpide fulgens
Fraxinus, Uſentem collapſum poplite flexo
Enſis obit, laudémque pedum cum ſanguine ademit.
Jámque dedit leto Sthenium, Laurúmque, domóque
Collinum gelidâ, vitreo quem Fucinus antro
Nutrierat, dederátque lacum tranſmittere nando.
Fit ſocius leti conjectâ Maſſicus haſtâ
Vitiferi ſacro generatus vertice montis,
Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto
Diſſimulat curſum, ac nullo mutabilis imbri
Perſtringit tacitas gemmanti gurgite ripas.
Exoritur rabies cædum, ac vix tela furori
Sufficiunt, teritur junctis umbonibus umbo,
Pétque pedem premit, & nutantes caſſide criſtæ
Hoſtilem tremulo pulſant conamine frontem.
Tergemini primam ante aciem fera prœlia fratres
Miſcebant, quos Ledæo Sidonia Barce
Xanthippo felix uteri inter bella creârat,
Res Graiæ, ductórque parens, ac nobile Amyclæ
Nomen, & injectus Spartanis colla catenis
Regulus, inflabat veteri præcordia fama
Marte probare genus, factíſque Lacona parentem
Ardebant, gelidóſque dehinc inviſere montes
Taygeta, & tandem bellis innare ſubactis
Eurotam patrium, ritúſque videre Lycurgi.
Sed Spartam penetrare deus, fratréſque negabant
Auſonii, totidem numero, quos miſerat altis
Egeriæ genitos immitis Aricia lucis:
Ætatis, mentíſque pares: at non dabat ultrà
Clotho dura lacus, arámque videre Dianæ.
Namque ut in adverſos impacti turbine pugnæ
Eumachus, & Clitias, & lætus nomine patris
Xanthippus, junxere gradus, ceu bella leones
Inter ſe furibunda movent, & murmure anhelo
Squalentes campos, & longa mapalia complent,
Omnis in occultas rupes, atque avia pernix
Maurus ſaxa fugit, conjúxque Libyſſa profuſo
Vagitum cohibens ſuſpendit ab ubère natos.
Illi dira fremunt, perfractáque in ore cruento
Oſſa ſonant, pugnántque feris ſub dentibus artus.
Haud ſecus Egeriæ pubes, hinc Virbius acer,
Hinc Capys adſiliunt, paribúſque Albanus in armis.
Subſidens paulùm perfoſsâ proruit alvo
Albanum Clitias. aſt illi cuncta repentè
Implêrunt clypeum miſerando viſcera lapſu.
Eumachus indè Capyn, ſed totâ mole tenebat
Ceu fixum membris tegmen, tamen improbus enſis
Adnexam parmæ decidit vulnere lævam,
Inque ſuo preſſa eſt non reddens tegmina niſu
Infelix manus, atque hæſit labentibus armis.
Ultima reſtabat futis jam palma duobus
Virbius, huic trepidos ſimulanti ducere greſſus
Xanthippus gladio, rigidâ cadit Eumachus haſtâ:
Et tandem æquatæ geminato funere pugnæ
Indè alterna viris tranſegit pectora mucro,
Inque vicem ereptâ poſuerunt prœlia vitâ.
Felices leti, pietas quos addidit umbris,
Optabunt ſimiles venientia ſæcula fratres,
Extremúmque decus memori celebrabitur ævo.
Si modò ferre diem, miſeróſque videre nepotes
Carmina noſtra valent, nec famam invidit Apollo.
At conſul toto palantes æquore turmas
Voce tenet, dum voce viget, quò ſigna refertis?
Quis vos heu vobis pavor abſtulit? horrida primi
Si ſors viſa loci, pugnæque laceſſere frontem,
Poſt me ſtate viri, & pulsâ formidine tantùm
Adſpicite has dextras. capti genuere parentes
Quos fugitis: quæ ſpes victis? Alpéſne petemus?
Ipſam turrigero portantem vertice muros
Credite ſubmiſſas Romam nunc tendere palmas,
Natorum paſſim raptus, cædémque parentum,
Veſtaléſque focos exſtingui ſanguine cerno.
Hoc arcete nefas. poſtquam inter talia crebro
Clamore obtuſæ, craſſóque à pulvere fauces,
Hinc lævâ frenos, hinc dextrâ corripit arma,
Et latum objectat pectus, ſtrictúmque minatur
Nunc ſibi, nunc trepidis, nî reſtent cominus, enſem.
Quas acies alto genitor dum ſpectat olympo,
Conſulis egregii movere pericula mentem,
Gradivum vocat, & patrio ſic ore profatur:
Magnanimi me, nate, viri, nî bella capeſſis,
Haud dubiè extremus terret labor; eripe pugnæ
Ardentem, oblitúmque ſui dulcedine cædum,
Siſte ducem Libyæ. nam plus petit improbus uno
Conſulis exitio, totâ quam ſtrage cadentum.
Præterea cernis teneræ qui prœlia dextræ
Jam credit puer, atque annos tranſcendere factis
Molitur, longúmque putat pubeſcere bello.
Te duce primitias pugnæ, te magna magiſtro
Audeat, & primum hoc vincat ſervâſſe parentem.
Hæc rerum ſator. at Mavors in prœlia currus
Odryſiâ tellure vocat, tum fulminis atri
Spargentem flammas clypeum, galeámque deorum,
Haud illi facilem, multóque labore Cyclopum
Sudatum thoraca capit, quaſſátque per auras
Titanum bello ſatiatam ſanguinis haſtam,
Atque implet curru campos, exercitus unà
Irarum, Eumenidéſque ſimul, letíque cruenti
Innumeræ facies, frenſſque operata regendis
Quadrijugos atro ſtimulat Bellona flagello.
Fertur ab immenſo tempeſtas horrida cælo,
Nigrantéſque globos, & turbida nubila torquens
Involvit terras, quatitur Saturnia ſedes
Ingreſſu tremefacta dei, ripáſque relinquit
Audito curru, fontſque relabitur amnis.
Ductorem Auſonium telis Garamantica pubes

¶ Cinxe-

Cinxerat, & Tyrio regi nova dona parabat,
Armorum ſpolium, & rorantia conſulis ora,
Stabat fortunæ non cedere certus, & acri
Mole retorquebat crudeſcens cædibus haſtas.
Jámque ſuo, jámque hoſtili perfuſa cruore
Membra madent, cecidere jubæ, gyróque per orbem
Arctato, Garamas jaculis propioribus inſtat,
Et librat fævâ conjectum cuſpide ferrum.
Hic puer ut patrio defixum corpore telum
Conſpexit, maduere genæ, ſubitóque trementem
Corripuit pallor, gemitúmque ad ſidera rupit.
Bis conatus erat præcurrere fata parentis
Conversâ in ſemet dextrâ; bis tranſtulit iras
In Pœnos Mavors: fertur per tela, per hoſtes
Intrepidus puer, & Gradivum paſſibus æquat.
Continuo ceſſere globi, latúſque repente
Apparet campo limes, metit agmina tectus
Cæleſti clypeo, & ſternit ſuper arma jacentum
Corpora, & auctorem teli, multáſque paternos
Ante oculos animas, optata piacula, mactat.
Tunc raptâ properè duris ex oſſibus haſtâ
Innixum cervice ferens humeróque parentem
Emicat: attonitæ tanta ad ſpectacula turmæ
Tela tenent, cedítque loco Libys aſper, & omnis
Latè cedit Iber, pietáſque inſignis, & ætas
Belligeris fecit miranda ſilentia campis.
Tum celſo è curru Mavors, Carthaginis arces
Exſcindes, inquit, Tyrióſque ad fœdera coges,
Nulla tamen longo tanta exorietur in ævo
Lux tibi, care puer, macte, ô macte indole ſacrâ,
Vera Jovis proles, & adhuc majora ſuperſunt.
Sed nequeunt meliora dari: tum nubila Mavors,
Ætheráque, emenſo terras jam ſole capeſſit,
Et ferias acies caſtris clauſere tenebræ.
Condebat noctem devexo Cynthia curru
Fraternis adflata rotis, & ab æquore Eoo
Surgebant roſeæ media inter cærula flammæ.
At conſul triſtis campos, Pœníſque ſecundam
Planitiem metuens, Trebiam colléſque petebat.
Jámque dies rapti curſu, varióque labore,
Et medio abruptus fluitabat in amne ſolutis
Pons vinctis, qui Dardanium tranſvexerat agmen,
Eridani rapidas aderat cùm Pœnus ad undas.
Dúmque vada, & molles aditus, per devia flexo
Circuitu petit, & ſtagni languentia quærit,
Interdum raptâ vicinis ſaltibus alno
Flumineam texit quà tranſvehat agmina claſſem,
Ecce aderat, Trebiæque ſimul vicina tenebat
Trinacrio accitus per cærula longa Peloro
Gracchorum proles conſul, gens inclyta, magno
Atque animotâ viro, multúſque in imagine claris
Præfulgebat avus titulis, belliſque, domíque.
Nec Pœni poſitis trans amnem in gramine caſtris
Deerant. namque animos ſtimulabant proſpera rerum,
Increpitánſque ſuprèr ductor: quis tertius urbi
Jam ſupereſt conſul? quænam altera reſtat in armis
Sicania? en omnes Latiæ, Daunique neporum
Convenere manus, feriant nunc fœdera mecum
Ductores Italûm, ac leges & pacta repoſcant.
At tu donatâ tela inter Martia luce
Infelix animæ, ſic ſic vivátque, tuóque
Des iterum hanc laudem nato, nec fine ſub ævi
Oppetere in bello detur, cùm fata vocabunt.
Pugnantem cecidiſſe meum eſt. hæc perſonat ardens.
Indè levi jaculo, Maſſylûmque impiger alis
Caſtra ſub ipſa datis irritat, & elicit hoſtem.
Nec Latius vallo miles debere ſalutem
Fas putat, aut clauſas pulſari cuſpide portas.
Erumpunt, cunctíſque prior volat aggere aperto
Degener haud Gracchus conſul, quatit aura comantes
Caſſidis auricomæ criſtas, humeróque refulget
Sanguinei patrium ſaguli decus, agmina magno
Reſpectans clamore vocat, quáque obvia denſos
Arctat turba globos, rumpens iter, æquore fertur.
Ut torrens celſi præceps è vertice Pindi
Cum ſonitu ruit in campos, magnóque fragore
Avulſum montis volvit latus, obvia paſſim
Armenta, immanéſque feræ, ſylvæque trahuntur.
Spumea ſaxoſis clamat convallibus unda.
Non mihi Mæoniæ redeat ſi gloria linguæ,
Centenáſque pater det Phœbus rumpere voces,
Tot cædes proferre queam, quot dextera magni
Conſulis, aut contrà Tyriæ furor edidit iræ.
Murranum ductor Libyæ, ductórque Phalantum
Auſonius gnaros belli, veteréſque laborum
Alter in alterius ſuderunt cominus ore.
Monte procelloſo Murranum miſerat Anxur,
Tritonis niveo te ſacra Phalante profundo.
Ut primùm inſigni fulſit velamine conſul,
Quanquam orbus partem viſus, unóque Cupentus
Lumine ſufficiens bellis, citat improbus haſtam,
Et ſummæ figit tremebundam margine parmæ.
Cui conſul, namque ira coquit, pone improbe quidquid
Reſtat in ore fero, & truncatâ fronte relucet.
Sic ait intorquens directo turbine robur,
Et dirum totâ tranſmittit cuſpide lumen.
Nec levior dextrâ generatus Amilcare ſævit.
Huic cadit infelix niveis Varenus in armis.
Mevanas Varenus, arat cui divitis uber
Campi Fulginia, & patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.
Sed triſtes ſuperi, atque ingratâ maxima curâ
Victima Tarpeio fruſtra nutrita tonanti.
Inſtat Iber levis, & levior diſcurrere Maurus
Hinc pila, hinc Libycæ certant ſubtexere cornus.
Denſâ nube polum, quantúmque interjacet æqui
Ad ripas campi, tantùm vibrantia condunt
Tela, nec arctatis locus eſt in morte cadendi.
Allius Argyripâ, Daunſque profectus ab arvis
Venator rudibus jaculis, & lapyge campum
Perſultabat equo, medióſque invectus in hoſtes,
Appula non vanâ torquebat ſpicula dextrâ.
Huic horret thorax Samnitis pellibus urſæ,
Et galea annoti vallatur dentibus apri.
Verùm ubi turbantem, ſolo ceu luſtra pererret
In nemore, aut agitet Gargano terga ferarum,
Hinc Mago, hinc ſævus pariter videre Maharbal,
Ut ſubigente fame divertis rupibus urſi,
Invadunt trepidum gemina inter prœlia taurum,
Nec partem prædæ patitur furor: haud ſecus acer
Hinc atque hinc jaculo devolvitur Allius acto.
It ſtridens per utrumque latus Maurutia taxus,
Obvia tum medio ſonuerunt ſpicula corde,
Incertúmque fuit letum, cui cederet haſtæ.
Et jam diſperſis Romana per agmina ſignis
Palantes agit ad ripas (miſerabile) Pœnus
Impellens trepidos, fluvióque immergere certat.
Tum Trebia infauſto nova prœlia gurgite feſſis
Inchoat, & precibus Junonis ſuſcitat undas.
Haurit ſubſidens fugientum corpora tellus,
Infidâque ſoli fruſtrata voragine ſorbet:
Nec niti lentóque datur convellere limo
Merſa pedum penitus veſtigia, labe tenaci
Hærent devincti greſſus, reſolutáque ripa
Implicat, aut cæcâ proſternit fraude paludis.
Jámque alius ſuprèr, atque alius per lubrica ſurgens,
Dum ſibi quiſque viam per inextricabile littus
Præripit, & putri luctatur ceſpite, lapſi
Occumbunt, ſeſéque ſuâ preſſere ruinâ.
Ille celer nandi, jamjámque apprendere tuta
Dum parat, & celſo connixus corpore prenſat
Gramina ſumma manu, liquidíſque emergit ab undis,
Contortâ ripæ pendens adfigitur haſtâ.
Hic hoſtem orbatus telo complectitur ulnis,
Luctantémque vado permixtâ morte coercet.
Mille ſimul leti facies. Ligus occidit arvis.
Sed projecta viri lymphis fluvialibus ora
Sanguineum hauſerunt longis ſingultibus amnem.
Enabat tandem medio vir gurgite pulcher
Hirpinus, ſociúmque manûs clamore vocabat.
Quum rapidis illatus aquis, & vulnere multo
Impulit aſper equus, feſſúſque ſub æquora merſit.
Accumulat clades ſubitò conſpecta per undas
Vis elephantorum turrito concita dorſo.
Namque vadis rapitur præceps, ceu proruta cautes
Avulſi montis, Trebiámque inſueta trementem
Præ ſe pectore agit, ſpumantíſque incubat alveo.
Explorant adverſa viros, pérque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.
Namque inhonoratam Fibrenus cernere mortem,
Et famæ nudam impatiens, ſpectabimur, inquit,
Nec fortuna meum condes ſub gurgite letum.
Experiar, ſine in terris, domitare quod enſis
Non queat Auſonius, Tyrrhenáve pernecet haſta.
Tum jacit adſurgens, dextróque in lumine tiſtit
Spicula ſæva feræ, telúmque in vulnere liquit.
Stridore horriſono penetrantem cuſpidis ictum
Bellua proſequitur, lacerámque cruore profuſo
Attollit

Attollit frontem, & lapso dat terga magistro.
Tum verò invadunt jaculis, crebràque sagittâ,
Ausi jam sperare necem, immensòsque per armos,
Et laterum extensus, venit atrâ cuspide vulnus.
Stat multa in tergo, & nigranti lancea dorso,
Ac sylvam ingentem concusso corpore vibrat,
Donec consumtis longo certamine telis
Concidit, & clausit magnâ vada pressa ruinâ.
Ecce per adversum quamquam tardata morantur
Vulnere membra virûm, subit implacabilis amnem
Scipio, & innumeris infestat cædibus hostem,
Corporibus, clypeisque simul, galeisque cadentum
Contegitur Trebia, & vix cernere linquitur undas.
Mezæus jaculo, Gestar prosternitur ense:
Tum Pelopeus avis Cyrenes incola Thelgon.
Hinc torquet rapido correptum è gurgite pilum,
Et quantum longo ferri tenuata rigore
Procedit cuspis, per hiantia transigit ora:
Pulsati ligno sonuere in vulnere dentes.
Nec leto quæsita quies. turgentia membra
Eridano Trebia, Eridanus dedit æquoris undis.
Tu quoque Lapse cadis tumulo post fata negato,
Quid domus Heliperidum, aut luci juvere dearum
Fulvos auriferâ servantes arbore ramos?
Intumuit Trebia, & stagnis se sustulit imis,
Jámque ferox totum propellit gurgite fontem,
Atque omnes torquet vires, furit unda sonoris
Vorticibus, sequiturque novus cum murmure torrens.
Sensit, & accensâ ductor violentior irâ,
Magnas, ô Trebia, & meritas mî, perfide, pœnas
Exsolves, inquit, lacerum per Gallica rivis
Dispergam rura, atque amnis tibi nomina demam:
Quóque aperis te fonte premam, nec tangere ripas,
Illabíque Pado dabitur, quænam ista repentè
Sidonium infelix rabies te reddidit amnem?
Talia jactantem, consurgens aggere aquarum
Impulit, atque humeros curvato gurgite pressit.
Arduus adversâ mole irrumpentibus undis
Stat ductor, clypeóque ruentem sustinet amnem.
Necnon à tergo fluctus stridente procellâ
Spumeus irrorat summas adspergine cristas.
Ire vadis, stabilémque vetat defigere gressum
Subductâ tellure deus, percussâque longè
Raucum saxa sonant, undæque ad bella patentes
Excitæ pugnant, & ripas perdidit amnis.
Tum madidos crines, & glaucâ fronde revinctum
Attollit cum voce caput, pœnâne superbas,
Insuper & nomen Trebiæ delere minaris?
O regnis inimice meis, tot corpora porto
Dextrâ fusa tuâ, clypeis galeisque virorum
Quos mactas, arctatus iter, curtúmque reliqui.
Cæde, vides, stagna alta rubent, retróque feruntur.
Adde modum dextræ, & campis incumbe propinquis.
Hæc Venere adjunctâ, tumulo spectabat ab alto
Mulciber, obscuræ tectus caligine nubis.
Ingravat, ad cælum sublatis Scipio palmis:
Dî patrii, quorum auspiciis stat Dardana Roma,
Talin' me leto tanta inter prœlia nuper
Servâstis? fortunæ animam hanc exscindere dextrâ
Indignum est visum? redde ô me nate periclis,
Redde hosti, liceat bellanti arcessere mortem,
Quam patriæ, fratrísque probem. tum percita dictis
Ingemuit Venus, & rapidas detrusit in amnem
Conjugis invicti vires: agit undique flammam
Dispersus ripis ignis, multósque per annos
Nutritas fluvio populatur fervidus umbras.
Uritur omne nemus, lucósque effusus in altos
Immissis crepitat victor Vulcanus habenis.
Jámque ambusta comas abies, jam pinus, & alni:
Jam solo restans trunco, dimisit in altum
Populus, adsuetas ramis habitare, volucres.
Flamma vorax imo penitus de gurgite tractos
Absorbet latices, sævóque urgente vapore
Siccus inarescit ripis cruor: horrida latè
Scinditur in rimas, & hiatu rupta dehiscit
Tellus, ac stagnis altæ sedere favillæ.
Miratur pater æternos cessare repentè
Eridanus curtis, nymphasque intima mœstus
Implevit chorus attonitis ululatibus antra.
Ter caput ambustum conantem attollere, jactâ
Lampade Vulcanus merdit fumantibus undis.
Ter correpta dei crines nudavit arundo.
Tum demum amissæ vires, & voce precanti
Orantíque datum ripas servare priores.

Ac tandem à Trebiâ revocavit Scipio fessas
Munitum in collem, Graccho comitante, cohortes.
At Pœnus multo fluvium veneratus honore
Gramineas undis stravit socialibus aras.
Nescius heu quanto superi majora moverent,
Et quos Ausoniæ luctus, Trasimene, parares.
Boiorum nuper populos turbaverat armis
Flaminius, facilísque viro tum gloria belli,
Corde levem, atque atlûs inopem contundere gentem:
Sed labor haud idem Tyrio certâsse tyranno.
Hunc lævis urbi genitum ed fatalia damna
Ominibus, parat imperio Saturnia sesso
Ductorem, dignúmque virum vehiente ruinâ.
Indè ubi prima dies juris, clavúmque regendæ
Invasit patriæ, & sub nutu castra fuere,
Ut pelagi rudis, & pontum tractare per artem
Nescius, accepit miseræ si jura carinæ,
Ventorum tenet ipse vicem, cunctísque procellis
Dat jactare ratem, fertur vaga gurgite puppis
Ipsius in scopulos dextrâ impellente magistri.
Ergo agitur raptis præceps exercitus armis
Lydorum in populos, sedémque ab origine prisci
Sacratam Coriti, junctósque à sanguine avorum
Mæonios Italis permixtâ stirpe colonos.
Nec regem Afrorum noscenda ad cœpta moratur
Laude super tantâ monitor deus. omnia somni
Condiderant, ægrísque dabant oblivia curis,
Quum Juno in stagni numen conversa propinqui,
Et madidæ frontis crines circumdata fronde
Populea stimulat subitis præcordia curis,
Ac rumpit ducis haud spernendâ voce quietem.
O felix famæ, & Latio lacrymabile nomen
Annibal, Ausoniâ si te fortuna creâsset
Ad magnos venture deos. quum fata tenemus,
Pelle moras: brevis est magni fortuna favoris.
Quantum vovisti cùm Dardana bella parenti
Jurares, fluet Ausonio tibi corpore tantum
Sanguinis, & patrias satiabis cædibus umbras.
Nobis persolves meritò securus honores.
Namque ego sum cellis, quem cinctum montibus ambit
Tmolo missa manus, stagnis Trasimenus opacis.
His agitur monitis, & lætam numine pubem
Protinus æërii præceps rapit aggere montis.
Horrebat glacie saxa inter lubrica, summo
Piniferum cælo miscens caput Apenninus.
Conditerat nix alta trabes, & vertice celso
Canus apex stricta surgebat ad astra pruinâ.
Ire jubet, prior exstingui labique videtur
Gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.
Scandunt prærupti nimbosa cacumina saxi,
Nec superâsse jugum finit mulcétque laborem.
Plana natant, putríque gelu liquentibus undis,
Invia limosâ restagnant arva palude.
Jámque ducis nudus tanta inter inhospita vertex
Sævitiâ quatitur cæli, manante per ora,
Pérque genas, oculo facilis spreviisse medentes.
Optatum bene credit emi quocunque periclo
Bellandi tempus, non frontis parcit honori,
Dum ne perdat iter, non cætera membra moratur
In pretium belli dare, si victoria poscat,
Sátque putat lucis, Capitolia cernere victor
Quà queat, atque Italum feriat quà cominus hostem.
Talia perpessi tandem inter sæva locorum
Optatos venere lacus, ubi deinde per arma
Sumeret amissi numerosa piacula visûs.
Ecce autem patres aderant Carthagine missi.
Causa viæ non parva viris, nec læta ferebant.
Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido
Poscere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris
(Infandum dictu) parvos imponere natos.
Urna reducebat miserandos annua casus,
Sacra Thoanteæ ritúsque imitata Dianæ.
Cui fato fortísque deûm de more petebat
Annibalis prolem dissors antiquitus Anno.
Sed propior metus armati ductoris ab irâ,
Et magna ante oculos stabat genitoris imago.
Aspera ad hæc, fœdata genas laceratáque crines,
Atque urbem complet mœsti clamoris Imilce.
Edonis ut Pangæa super Trieteride mota
It juga, & inclusum suspirat pectore Bacchum.
Ergo inter Tyrias, facibus ceu subdita, matres
Clamat, io conjux, quocunque in cardine mundi
Bella moves, huc signa refer, violentior hic est,
Hic hostis propior: tu nunc fortasse suo ipsis

Urbis

Urbis Dardaniæ muris vibrantia tela
Excipis intrepidus clypeo, sævámque coruscans
Lampada, Tarpeiis infers incendia tectis.
Interea tibi prima domus, atque unica proles
Heu gremio patriæ stygias raptatur ad aras.
I nunc Ausonios ferro populare penates,
Et vetitas molire vias: i pacta refigna
Per cunctos jurata deos; sic præmia reddit
Carthago, & tales jam nunc tibi vovit honores.
Quæ postrò hæc pietas, delubra adspergere tabo?
Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire deûm! justa ite precari
Thure pio, cæddúmque feros avertite ritus.
Mite & cognatum est homini deus. hactenus oro,
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos:
Aut si velle nefas superos, fixúmque sedétque,
Me, me, quæ genui, vestris adsumite votis.
Cur spoliare juvat Libycas hâc indole terras?
An flendæ magis Ægates, & mersa profundo
Punica regna forent, olim si fortè cruenta
Esset tanta mei virtus prærepta mariti?
Hæc dubios vario divûmque hominúmque timore
Ad cauta illexere patres, ipsíque relictum
Abnueret sortem, an superûm pareret honori.
Tum verò trepidare metu, vix compos Imilce
Magnanimi metuens immitia corda mariti.
His avidè auditis ductor, sic deinde profatur:
Quid tibi pro tanto non impar munere solvat
Annibal æquatus superis? quæ præmia digna
Inveniam, Carthago parens? noctémque diémque
Arma feram, templíque tuis hinc plurima faxo
Hostia ab Ausonio veniat generosa Quirino.
At puer armorum, & belli servabitur hæres.
Spes, ô nate, meæ, Tyriarúmque unica rerum,
Hesperiâ minitante, salus, terrâque fretóque
Certare Æneadis, dum stabit vita, memento.
Perge, patent Alpes, nostróque incumbe labori.
Vos quoque dî patrii, quorum delubra piantur
Cædibus, atque coli gaudent formidine matrum,
Huc lætos vultus, totásque advertite mentes.
Namque paro sacra, & meliores molior aras.
Tu, Mago, adversi confide in vertice montis:
Tu lævos propior colles accede, Choaspe:
Ad claustra & fauces ducat per opaca Sichæus.
Ast ego te Trasimene vago cum milite præceps
Lustrabo, & superis quæram libamina belli.
Namque haud parva deus promissis spondet apertis,
Quæ spectata viri patriam referatis in urbem.

LIBER V.

CESERAT Etruscos occulto milite colles
Sidonius ductor, pérque alta silentia noctis
Sylvarum anfractus cæcis insederat armis.
At parte è lævâ restagnans gurgite vasto
Effigiem in pelagi lacus exundabat, inerti
Et latè multo fœdabat proxima limo,
Quæ vada Faunigenæ regnata antiquitus Auno,
Nunc volvente die Trasimeni nomina servant.
Lydius huic genitor, Tmoli decus, æquore longè
Mæoniam quondam in Latias advexerat oras
Tyrrhenus pubem, dederátque vocabula terris.
Isque insueta tubâ monstravit murmura primus
Gentibus, & bellis ignava silentia rupit.
Nec modicus voti, natum ad majora fovebat.
Verùm ardens puero, castúmque exuta pudorem,
(Nam formâ certare diis Trasimene valeres)
Littore correptum stagnis demisit Agylle
Flore capi juvenum primævo lubrica mentem
Nympha, nec Idaliâ lenta incaluisse sagittâ.
Solitæ viridi penitus fovere sub antro
Naiades, amplexus undosáque regna trementem.
Hinc dotale lacus nomen, latéque hymenæo
Conscia lascivo, Trasimenus dicitur unda.
Et jam curriculo nigram nox roscida metam
Stringebat, nec se thalamis Tithonia conjux
Protulerat, stabátque nitens in limine primo.
Quum minus abnuerit noctem desisse viator,
Quàm cœpisse diem; consul carpebat iniquas
Prægrediens signa ipsa vias, omnísque ruebat
Mixtus eques, nec discretis levia arma maniplis,
Insertíque globo pedites, & inutile Marti
Lixarum vulgus, præsago cuncta tumultu
Implere, & pugnam fugientum more petebant.
Tum supèr ipse lacus densam caligine cæcâ
Exhalans nebulam, latè corruperat omnem
Prospectum miseris, atque atræ noctis amictu
Squalebat pressum picea inter nubila cælum.
Nec Pœnum liquere doli. sedet ense repostò
Abditus, & nullis properantem occursibus arcet.
Ire datur, longéque patet, ceu pace quietâ
Incustoditum, mox irremeabile, littus.
Namque sub angustas arctato limite fauces
In fraudem ducebat iter, geminúmque receptis
Exitium, hinc rupes, hinc undæ claustra premebant:
At contrà umbroso servabant vertice montis
Hostilem ingressum, refugos habitura sub ictu.
Haud secus, ac vitreas solers piscator ad undas,
Ore levem patulo texens de vimine nassam
Cautiùs interiora ligat, mediámque per alvum
Sensim fastigans, compressa cacumina nectit,
Ac fraude arctati remeare foraminis arcet
Introitu facilem, quem traxit ab æquore, piscem.
Ocyùs interea propelli signa jubebat
Excusus consul tutorum turbine mentem:
Donec flammiferum tollentes æquore currum
Solis equi sparsere diem, jámque orbe renato
Diluerat nebulas Titan, sensímque fluebat
Caligo in terras nitido resoluta sereno.
Tunc ales, priscum populis de more Latinis
Auspicium, quum bella parant, mentésque deorum
Explorant super eventu, ceu præscia luctûs
Damnavit vesci, planctúque alimenta refugit.
Nec rauco taurus cessavit (flebile) ad aras
Immugire sono, pressámque ad colla bipennem
Incertâ cervice ferens, altaria liquit.
Signa etiam effusâ certant dum vellere mole,
Teter humo lacerâ nitentum erupit in ora
Exsultans cruor, & cædis documenta futuræ
Ipsa parens miseris gremiò dedit atra cruento:
Ac super hæc divûm genitor, terrásque, fretúmque
Concutiens tonitru, Cyclopum rapta caminis.
Fulmina, Tyrrhenas Trasimeni torsit in undas:
Ictúsque ætherea per stagna patentia flammâ
Fumavit lacus, atque arserunt fluctibus ignes.
Heu vani monitus, frustráque morantia Parcas
Prodigia: heu fatis superi certâsse minores.
Atque hic egregius linguæ, noménque superbum
Corvinus, Phœbea sedet cui casside fulvâ
Ostentans ales proavitæ insignia pugnæ,
Plenus & ipse deûm, socium terrente pavore
Immiscet precibus monita, atque his vocibus infit:
Iliacas te per flammas, Tarpeiáque saxa,
Per patrios consul muros, suspensáque nostræ
Eventu pugnæ natorum pignora, cedas
Oramus superis, tempúsque ad prœlia dextrum
Opperiare, dabunt idem campósque diémque
Pugnandi, tantùm ne dedignare secundos
Exspectare deos, quum fulserit hora, cruentam
Quæ stragem Libyæ portet, tum signa sequentur
Nullâ vulsa manu, vescíque interritus ales
Gaudebit, nullósque vomet pia terra cruores.
An te præstantem bellis fugit, improba quantum
Hôc possit fortuna loco? sedet obvius hostis
Adversâ fronte, ac circa nemorosa minantur
Insidias juga, nec lævâ stagnantibus undis
Effugium patet, & tenui stant tramite fauces.
Sit certare dolis, & bellum ducere cordi.
Interea rapidis aderit Servilius armis,
Cui par imperium, & vires legionibus æquæ.
Bellandum est astu. levior laus indice dextræ.
Talia Corvinus, primorésque addere passim
Orantum verba, & divisus quisque timori
Nunc superos de Flaminio, nunc deinde precari
Flaminium, ne cælicolis contendere perstet.
Acriùs hôc accensa ducis surrexerat ira.
Auditóque furens socias non defore vires,
Siccine nos, inquit, Boiorum in bella ruentes
Spectâstis, quum tanta lues, vulgúsque tremendum
Ingrueret, rupésque iterum Tarpeia paveret?
Quas ego tunc animas, dextrâ quæ corpora fudi
Iratâ tellure fata, & vix vulnere vitam
Reddentes imo? jacuere ingentia membra
Per campos, magnísque premunt nunc ossibus arva.
Scilicet has fera ad laudes Servilius arma
Adjungat, niti diviso vicisse triumpho

Ut nequeam, & decoris contentus parte quiescam.
Quippe monent superi, similes ne fingite vobis,
Claulica qui tremitis, divos: sat magnus in hostem
Augur adest ensis, pulchrúmque & milite dignum
Auspicium Latio, quod in armis dextera præstat.
An, Corvine, sedet, clausum se consul inerti
Ut teneat vallo; Pœnus nunc occupet altos
Arreti muros, Coriti nunc diruat arcem?
Hinc Clusina petat, postremò ad mœnia Romæ
Illæsus contendat iter? deforme sub armis
Vana superstitio, dea sola in pectore virtus
Bellantum viget: umbrarum me noctibus atris
Agmina circunstant, Trebiæ qui gurgite, quique
Eridani volvuntur aquis, inhumata juventus.
Nec mora, jam medio cœtu, signisque sub ipsis
Postrema aptabat nulli exorabilis arma.
Ære, atque æquorei tergo flavente juvenci
Cassis erat munita viro, cui vertice surgens
Triplex crista jubas effundit crine Suevo:
Scylla super fracti contorquens pondera remi
Instabat, sævósque canum pandebat hiatus,
Nobile Gargeni spolium, quod rege superbus
Boiorum cælo capiti illacerabile victor
Aptárat, pugnásque decus portabat in omnes.
Loricam induitur: tortos huic nexilis hamos
Ferro squama rudi, permixtóque asperat auro.
Tum clypeum quatit, adspersum quem cædibus olim
Celticus ornárat cruor, humentisque sub antro
Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra,
Ingentem Assaraci cælo nutribat alumnum.
Hinc ensem lateri, dextræque accommodat hastam.
Stat sonipes, vexátque ferox humentia frena,
Caucasiam instratus virgato corpore tigrim:
Indè exceptus equo, quà dant angusta viarum,
Nunc hos, nunc illos adit, atque hortatibus implet.
Veltrum opus est, veltrúmque decus, fuffixa per urbem
Pœni ferre ducis spectanda parentibus ora.
Unum hoc pro cunctis sat erit caput. aspera quisque
Hortamenta sibi referat, meus heu, meus atris
Ticini frater ripis jacet, ac meus alta
Metitur stagna Eridani sinè funere natus.
Hæc sibi quisque: sed est vestrûm, cui nulla doloris
Privati rabies? is verò ingentia sumat
E medio, fodiant quæ magnas pectus in iras,
Perfractus Alpes, passúmque infanda Saguntum,
Quósque nefas vetiti transcendere nomen Iberi,
Tangere jam Tibrim. nam dum vos augur, & extis
Quæsitæ fibræ, vanúsque moratur aruspex,
Solum jam supereft Tarpeio imponere castra.
Turbidus hæc, visóque arctis in millibus atras
Bellatore jubas aptante, est Orphite munus,
Est, ait, hoc certare tuum: quis opima volenti
Dona Jovi portet feretro suspensa cruento?
Nam cur hæc aliâ pariatur gloria dextrâ?
Hinc prævectus equo, postquam inter prælia, notam
Accepit vocem, procul hinc te Martius, inquit,
Murrane ostendit clamor, videóque furentem
Jam Tyriâ te cæde: venit laus quanta: sed oro
Hæc angusta loci ferro patefacta relaxa.
Tum Soracte satum præstantem corpore, & armis
Æquanum noscens, patrio cui ritus in arvo,
Quum pius arcitenens accensis gaudet acervis
Exta ter innocuos latè portare per ignes,
Sic in Apollineâ semper vestigia prunâ
Inviolata teras, victórque vaporis, ad aras
Dona serenato referas solennia Phœbo.
Concipe, ait, dignum factis, Æquane, furorem,
Vulneribúsque tuis. socio te cæde & iræ
Non ego Marmaridum mediam penetrare phalangem
Cinyphiæque globos dubitárim irrumpere turmæ.
Nec jam ultrà monitus & verba morantia Martem
Ferre valet, longo Æneadis quod flebitur ævo.
Increpuere simul feralia classica signum.
At tuba terrificis fregit stridoribus auras.
Heu dolor, heu lacrymæ, nec tot post sæcula feræ.
Horresco, ut pendente malo, ceu ductor ad arma
Excitet Tyrius, latebrosis collibus Assur,
Et Libys, & tortâ Balearis sævus habenâ,
Erumpunt multúsque Maces, Garamántque, Nomásque:
Tum quo non alius venalem in prælia dextram
Ocyor attulerit, conductáque bella probárit,
Cantaber, & galeæ contemto tegmine Vasco.
Hinc pariter rupes, lacus hinc, hinc arma, simúlque
Consona vox urget, signum clamore vicissim
Per colles Tyriâ circumfundente coronâ,
Avertere dei vultus, fatóque dederunt
Majori non sponte locum: timet ipse tyranni
Fortunam Libyci Mavors, disjectáque crinem
Illacrymat Venus, & Delum pervectus Apollo
Tristem mœrenti solatur pectine luctum.
Sola Apennini residens in vertice, duras
Exspectat cædes inimico pectore, Juno.
At velut erepto metuendi libera cælo
Manibus ipsa suis præsumta piacula mittens,
Inferias mactat bellis accensa juventus.
Primæ Picentum, rupto ceu turbine, fusa
Agmina, & Annibalem ruere ut videre cohortes,
Invadunt ultro, & pœnas pro morte futurâ,
Turbato victore, petunt, Martémque reposcunt.
Funditur unanimo nisu & concordibus ausis
Pilorum in Pœnos nimbus, fixósque repulsi
Submittunt clypeos curvati pondere teli.
Acrius hôc rursum Libys, & præsentia sævi
Exstimulat ducis, hortantes se quisque vicissim
Incumbunt, pressóque impellunt pectore pectus.
Ipsa facem quatiens, ac flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat:
Stridit Tartareæ nigro sub pectore divæ
Letiferum murmur, feralsque horrida cantu
Buccina, lymphatas agit in certamina mentes.
His iras adversa fovent, crudúsque ruente
Fortunâ stimulus, spem projecisse salutis.
Hos dexter deus, & læto victoria vultu
Arridens acuit, Martisque favore fruuntur.
Abreptus pulchro cædum Lateranus amore
Dum sequitur dextram, in medios penetraverat hostes.
Quem postquam florens æquali Lentulus ævo
Conspexit, nimium pugnæ, nimiúmque cruoris
Infestas inter non æquo Marte catervas
Fata irritantem, nisu se concitat acri,
Immitémque Bagam, qui jam vicina ferebat
Vulnera pugnantis tergo, velocior hasta
Occupat, & socium duris se calibus addit.
Tunc alacres arma adglomerant, geminâque coruscí
Fronte micant, paribus fulgent capita ardua cristis.
Actus in adversos casu (namque obvia ferre
Arma quis auderet? nisi quem deus ima colentum
Damnâsset Stygiæ nocti) præfracta gerebat
Syrticus excelso decurrens robora monte,
Et quatiens acer nodosi pondera rami,
Flagrabat geminæ nequidquam cædis amore.
Non hìc Ægates, infidáque littora nautis,
O juvenes, motúmque novis sinè Marte procellis
Fortunam bello pelagus dabit: æquoris olim
Victores, mediâ sit qualis discite terrâ
Bellator Libys, & meliori cedite regno.
Ac simul intento Lateranum pondere truncæ
Arboris urgebat jungens convicia pugnæ.
Lentulus hic frendens irâ: Trasimenus in altos
Adscendet citius colles, quàm sanguine roret
Ille pio ramus, sublidens ilia nisu
Conantis suspensâ fodit: tum fervidus atro
Pulmone exundat per hiantia viscera sanguis.
Nec minùs accensis in mutua funera dextris
Parte aliâ campi sævit furor, altus Hiertes
Obtruncat Nerium, Rutilo ditissimus agri
Occumbis, generose Volunx, nec clausa repostis
Pondera thesauris, patrio nec regia quondam
Præfulgens ebore, & possessa mapalia soli
Profuerint: quid rapta juvant? quid gentibus auri
Nunquam exstincta litis? modò quem fortuna fovendo
Congestis opibus, domisque referst opimis,
Nudum tartareâ portavit navita cymbâ.
Juxtà bellator juvenilibus Appius ausis
Pandebat campum cæde: atque ubi plurima virtus,
Nullísque adspirare vigor, decus indè petebat.
Obvius huic Atlas, Atlas à littore Ibero
Nequidquam extremæ longinquus cultor arenæ
Impetit os hastâ, levitérque è corpore summo
Degustat cuspis generosum extrema cruorem.
Intonuere minæ, violentáque lumina flammis
Exarsere novis, furit, & diffulminat omnem
Obstantum turbam, clausum sub casside vultus
Martia commendat mananti sanguine membra.
Tum verò adspiceres pavitantem, & condere semet
Nitentem sociis juvenem, ceu tigride cerva
Hyrcanâ quum pressâ tremit, vel territa pennas
Colligit accipitrem cernens in nube columba:

Aut

Aut dumis ſubit, albenti ſi ſenſit in æthrâ
Librantem niſus aquilam lepus ore citato.
Enſe ferit tum colla viri, dextrâmque micantem
Demetit, ac mutat ſucceſſu ſævior hoſtem.
Stabat fulgentem portans in bella bipennem
Cinyphius: ſocerſque miſer Magonis inire
Optabat pugnam ante oculos, ſpe laudis Iſalces
Sidoniâ tumidus ſponſâ, vanóque ſuperbus
Fœdere promiſſæ poſt Dardana prœlia tædæ.
Huic immittit ovans violentas Appius iras,
Conantſque gravem fronti librare ſecurim,
Altior inſurgens, galeam ſuper exigit ictum.
At fragilis valido conamine ſolvitur enſis
Ære in Cinyphio: nec diſpar ſortis Iſalces
Umbonem incerto detorſit tutilis ictu.
Tum quod ſtumo haud unquam valuiſſet tollere ſaxum,
Ni vires trux ira daret, contorquet anhelans
Appius, & lapſu reſupino in terga cadentem
Mole premit ſcopuli, perfractſque oſſibus urget.
Vidit conjuncto miſcens certamina campo
Labentem ſocer, & lacrymæ ſub caſſide fuſæ
Cum gemitu, rapidúſque ruit: data fœdera nuper
Accendunt animos, expectatſque nepotes.
Jámque aderat, clypeúmque viri, atque immania membra
Luſtrabat viſu, propiórque à fronte coruſcæ
Lux galeæ ſævas palùm tardaverat iras.
Haud ſecus è ſpeculâ præceps delatus opacâ
Subſidens campo ſubmiſſos contrahit artus,
Quum vicina trucis conſpexit cornua tauri,
Quamvis longa fames ſtimulet, leo: nunc ferus altâ
Surgentes cervice toros, nunc torva ſub hirtâ
Lumina miratur fronte, ac jam ſigna moventem,
Et ſparsâ pugnas meditantem ſpectat arenâ.
Hic prior intorquens telum ſic Appius infit:
Si qua tibi pietas, ictum ne defere fœdus,
Et generum comitare ſocer. per tegmina velox
Tunc, æriſque moras, lævo ſtetit haſta lacerto.
At contra non dicta Libys, ſed fervidus haſtam
Perlibrat, magni donum memorabile fratris:
Cæſo quam victor ſub mœnibus ille Sagunti.
Abſtulerat Durio, ac ſpectatæ nobile pugnæ
Germano dederat portare in prœlia pignus
Telum ingens, pérque arma viri, pérque ora, doloris
Adjutum niſu, letalem protulit ictum:
Exſanguéſque viri conantis vellere ferrum
In vulnus cecidere manus: jacet æquore nomen
Clarum Mæonio, atque Italæ pars magna ruinæ
Appius: intremuere lacus, corpúſque refugit
Contractis Trafimenus aquis: telum ore cruento
Exſpirans premit, atque admorſæ immurmurat haſtæ.
Nec fati melior Mamercus, corpore toto
Exſolvit pœnas, nulli non ſaucius hoſti.
Namque per adverſos, quà Lulitana ciebat
Pugnas dira manus, raptum cum ſanguine Teli
Signiferi, magnâ vexillum mole ferebat,
Et trepida infelix revocabat ſigna ſuorum.
Sed furiata cohors, auſſque accenſa ſuperbis
Quodcumque ipſa manu geſtabat miſſile, quidquid
Præbebat tellus, ſparſis vix pervia telis,
Injecit pariter, pluréſque in corpore nullo
Invenere locum perfoſſis oſſibus haſtæ.
Advolat interea fraterni vulneris irâ
Turbatus Libyæ ductor, viſóque cruore,
Num lateri cuſpis, num toto pondere telum
Sediſſet, fratréque amens, ſociósque rogabat.
Utque metum leti procul, & leviora pavore
Cognovit, proprio tectum geſtamine præceps,
Ex acie rapit, & tutis à turbine pugnæ
Conſtituit caſtris: medicas hinc ocyùs artes,
Et ſeniotis opem Synali vocat: ungere vulnus
Herbarum hic ſuccis, fertúmque è corpore cantu
Exigere, & ſomnum tacto miſiſſe chelydro
Anteibat cunctos, nomenque erat indè per urbes,
Pérque Parætoniæ celebratum littora Syrtis.
Ipſe olim antiquo primum Garamanticus Ammon
Scire pater dederat Synalo, morſúſque ferarum,
Tolerúmque graves ictus ſedare medendo.
Atque is deinde ſuo moriens, cæleſtia dona
Monſtrârat nato, natúſque hæredis honori
Tranſmiſit patrias artes: quem deinde ſequutus
Haud levior famâ Synalus, Garamantica ſolers
Monſtrata augebat ſtudio, multâque vetuſtum
Ammonis comitem numerabat imagine patrem.
Tum proavita ferens, ſeni medicamina dextrâ
Ocyùs intortos de more adſtrictus amictus,
Mulcebat lymphâ purgatum ſanguine vulnus.
At Mago exuvias ſecum, cæſque volutans
Hoſtis mente necem, fraternas pectore curas
Pellebat dictis, & caſum laude levabat:
Parce metu, germane, meis medicamina nulla
Advertis majora feres: jacet Appius haſtâ
Ad manes pulſus noſtrâ; ſi vita relinquat,
Sat nobis actum eſt, ſequar hoſtem lætus ad umbras.
Quæ, dum turbatos avertunt æquore campi
Ductores, vallóque tenent ex agmine Pœnum,
Cedentem conſul tumulo ſpeculatus ab alto,
Atque atram belli caſtris ſe condere nubem,
Turbidus extemplo trepidantes milite mæſto
Invadit cuneos, ſubitóque pavore relaxat
Jam rareſcentes acies, tum voce feroci
Poſcit equum, ac mediæ ruit in certamina vallis.
Sic ubi torrentem crepitanti grandine nimbum
Illidit terris, molitus Jupiter, altas
Fumine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia cœlo,
Intremuere ſimul tellus, & pontus, & æther,
Ipſáque commoto quatiuntur Tartara mundo:
Incidit attonitis inopino turbine Pœnis
Haud ſecus improviſa lues, gelidúſque ſub oſſa
Pervaſit miſeris conſpectus conſulis horror.
It medius, ferróque ruens denſiſſima, latum
Pandit iter, clamor vario diſcrimine vocum
Fert belli rabiem ad ſuperos, & ſidera pulſat.
Ceu pater Oceanus quum ſævior æthere, Calpen
Herculeam ferit, & exeſa in viſcera montis
Contortum pelagus, latrantibus ingerit undis.
Dant gemitum ſcopuli, fractáſque in rupibus undas
Audit Tartellos latis diſtermina terris;
Audit non parvo diviſus gurgite Lixus.
Ante omnes jaculo tacitas fallente per auras
Occumbit Bogus, infauſtum qui primus ad amnem
Ticini, rapidam in Rotulos contorſerat haſtam.
Ille ſibi longam Clotho, turbámque nepotum
Crediderat, vanis deceptus in alite ſignis.
Sed non augurio Parcarum impellere metas
Conceſſum cuiquam, ruit inter tela cruentis
Suſpiciens oculis cælum, ſuperóſque repoſcit
Tempora promiſſæ mediâ jam morte ſenectæ.
Nec Baſago exſultare datur, ne impune relictum,
Conſulis ante oculos victum ſpoliâſſe Libonem.
Laurigeris decus illud avis, vanâque juventâ
Florebat: ſed Maſſylus ſuccideral enſis
Pubeſcente caput malâ, properóque virentes
Delêrat leto bellator barbarus annos.
Flaminium implorâſſe tamen jam morte ſuprema
Haud fruſtra fuit: avulſa eſt nam protinus hoſti
Ore ſimul cervix, juvit punire feroci
Victorem exemplo, monſtratum reddere letum.
Quis deus, ô Muſæ, paribus tot funera verbis
Evolvet, tantſque umbris in carmine digna
Quis lamenta ferat? certantes laude cadendi
Primævos juvenes, mortſque in limine crudæ
Facta virûm, & fixis rabiem ſub pectore telis?
Sternitur alternus vaſtis concurſibus hoſtis,
Nec ſpoliare vacat, prædæque advertere mentem.
Urget amor cædum, clauſis dum detinet hoſtem
Fraternum caſtris vulnus, fundſtque ruſtque
Nunc jaculis, nunc enſe, modò inter millia conſul
Bellantum conſpectus equo, modò Marte feroci
Ante aquilas, & ſigna pedes. fluit impia rivis
Sanguineis vallis, tumulſque, & concava ſaxa
Armorum ſonitus, flatúſque imitantur equorum.
Miſcebat campum membrorum in prœlia portans
Celſius humano robur, viſâque parentes
Mole gigantei vertebat corporis alas
Othrys Marmarides, lati ſuper agmen utrúmque
Ingens tollebant humeri caput, hirtâque torvæ
Frontis cæſaries, & crinibus æmula barba
Umbrabat rictus, ſqualore hinc hiſpida diro
Et villoſa feris horrebant pectora ſetis.
Adſpirare viro, propioréque addere Martem
Haud auſum cuiquam. laxo ceu bellua campo,
Inceſſebatur tutis ex agmine telis.
Tandem veſanos palantum in terga ferenti
Cum fremitu vultus, tacitâ per nubila pennâ
Intravit torvum Gortynia lumen arundo,
Avertſque virum; fugientis ad agmina conſul
Intorquet tergo jaculum, quod tegmine nudas
Irrumpit coſtas, hirtóque à pectore primùm

Mucro-

Mucronem oſtentat. rapidus convellere tentat
Quà naſci ferrum fulgenti cuſpide cernit,
Donec abundanter defuſo ſanguine latè
Procubuit moriens, & telum vulnere preſſit:
Spiritus exundans vicinum pulvere moto
Perflavit campum, & nubem diſperſit in auras.
Nec minor interea tumulis ſylvíſque fremebat
Diverſus Mavors, variâque per ardua pugnâ.
Et ſaxa & dumi rorantes cæde nitebant.
Exitium trepidis, letíque, & ſtragis acerbæ
Cauſa Sichæus erat: Murranum ille eminus haſtâ
Perculerat, quo non alius, quum bella ſilerent,
Dulciùs Oeagrios pulſabat pectine nervos,
Occubuit ſylvâ in magnâ, patriósque ſub ipſo
Quæſivit montes leto, ac felicia Baccho
Æquana, & Zephyro Surrentum molle ſalubri.
Addiderat miſero comitem, pugnæque ferocis
Gaudebat triſti victor novitate Sichæus.
Palantes nam dum ſequitur, pervaſerat altam
In ſylvam, & priſcæ reclinis ab ictibus ulmi
Terga tuebatur trunco, fruſtráque relictos
Tauranus comites ſuprema voce ciebat.
Tranſegit juvenem, ac perfoſſis incita membris
Hæſit in oppoſito cuſpis Sidonia ligno.
Quid vobis? quænam ira deûm, vel mente finiſtrâ
Quæ ſedit formido viri? qui Marte relicto
Ramorum quæſîſtis opem, non æquus in arctis
Nimirum rebus ſuaſor metus, arguit aſper
Exitus eventu pravi conſulta timoris.
Annoſa excelſos tendebat ad æthera ramos
Æſculus, umbroſum magnas ſuper ardua ſylvas
Nubibus inſertans altis caput, inſtar (aperto
Si ſtaret campo) nemoris, latéque tenebat
Frondoſi nigram telluren roboris umbrâ.
Par juxtà quercus longum molita per ævum
Vertice canenti proferre ſub aſtra cacumen
Diffuſas patulo laxabat ſtipite frondes,
Umbrabátque comâ ſummi faſtigia montis.
Huc Ætnæa cohors, Triquetris quam miſerat oris
Rex, Arethuſa, tuus, defendere neſcia morti
Dedecus, & mentem nimio mutata pavore,
Certatim ſeſe tulit, adſcendénſque viciſſim
Preſſit nutantes incerto pondere ramos.
Móxque alius ſupèr, atque alius conſiſtere tutò
Dum certant, pars excuſſi. nam fragmine putri
Ramorum, & ſenio malè fida fefellerat arbor.
Pars trepidi celſo inter tela cacumine pendent.
Turbatos unâ properans conſumere pelle
Corripit æratam jamdudum in bella bipennem
Depoſito clypeo mutatus tela Sichæus.
Incumbunt ſociæ dextræ, magnóque fragore,
Pulſa gemit crebris ſuccumbens ictibus arbos.
Fluctuat infelix concuſſo ſtipite turba,
Ceu Zephyrus quatit antiquos ubi flamine lucos,
Fronde ſuper tremuli vix tota cacuminis hærens
Jactatur, nido pariter nutante, volucris.
Procubuit tandem multâ devicta ſecuri
Suffugium infelix miſeris, & inhoſpita quercus,
Eliſitque viros ſpatioſâ magna ruinâ.
Indè aliæ gladium facies, contermina cædis
Collucet, rapidóque involvitur æſculus igni.
Jámque inter frondes arenti robore gliſcens
Verticibus ſævis, torquet Vulcanus anhelos
Cum fervore globos flammarum, & culmina torret.
Nec tela interea ceſſant, ſemiuſta gementum,
Atque amplexa cadunt ardentes corpora ramos.
Hæc inter miſeranda virûm certamina, conſul
Ecce aderat volvens iram, exitiúmque Sichæo.
At juvenis ſubito tantæ diſcrimine pugnæ
Occupat eventum telo tentare priorem,
Cui medio leviter clypeo ſtetit æris in orâ
Cuſpis, & oppoſitas vetita eſt tranſmittere crates.
Sed non & conſul miſſo concredere telo
Fortunam optatæ cædis parat; at latus enſe
Haurit, nec crudæ tardárunt tegmina parmæ.
Labitur infelix, atque oppetit ore cruento
Tellurem exſpirans, tum diffundente per artus
Frigore ſe Stygio, manantem in viſcera mortem
Accipit, & longo componit lumina ſomno.
Atque ea dum variis permixtus triſtia Mavors
Gallibus alternat, jam caſtris Mago relictis,
Jam Libyæ ductor properantia ſigna citato
Raptabat curſu, & certata reponere avebant
Tempora cæde virûm, ac multo perfare cruore.

It globus intorquens nigranti turbine nubem
Pulveris, & ſurgit ſublatis campus arenis,
Quáque ferens greſſum flectit vestigia ductor
Undanti circùm tempeſtas acta procellâ
Volvitur, atque altos operit caligine montes.
Occubuere ſemur Fontanus, Buta canorum
Transfixi guttur, preſſóque è vulnere cuſpis
Proſpexit terga, hunc triſtes luxere Fregellæ
Multiplicem proavis, hunc mater Anagnia flevit.
Haud diſpar fortuna tibi Lævine: ſed auſo
Non eadem: neque enim Tyrio concurrere regi
Tentas, ſed lectus par ad certamen Hiremon
Autololum moderator erat, quem poplite cæſo
Dum ſpolias, gravis immiti cum turbine coſtas
Fraxinus irrumpit, collapſáque membra ſub ictu
Hoſte ſuper fuſo ſubitâ cecidere ruinâ.
Nec Sidicina cohors deſit. Viridalius armat
Mille viros, nulli victus vel ponere caſtra,
Vel junxiſſe ratem, duróque reſolvere muros
Ariete, & in turrim ſubitos immittere pontes.
Quem poſtquam Libyæ ductor virtute feroci
Exſultare videt (namque illi vulnere præceps
Terga dabat levibus diffiſus Avaricus armis)
Acriùs hôc pulchro Mavorte accenſus in iram,
Et dignum ſeſe ratus in certamine ſævo
Cominus ire viro referenti è corpore telum,
Advolat, & fodiens pectus, laudande laborum
Quiſquis es haud aliâ decuit te occumbere dextrâ.
Ad manes leti perfer decus, Itala gentis
Nî tibi origo foret, vitâ donatus abires.
Hinc Fadum petit, & veterem bellare Labicum,
Cui Siculis quondam terris congreſſus Amilcar
Clarum ſpectato dederat certamine nomen,
Immemor annorum, ſeniúmque oblitus, in arma
Ille quidem crudâ mente, & viridiſſimus iræ
Ibat: ſed vani frigentem in Marte ſenectam
Prodebant ictus, ſtipulâ crepitabat inani
Ignis iners, caſſámque dabat ſinè robore flammam.
Quem poſtquam accepit patrio monſtrante ſuperbus
Armigero Pœnûm ductor, certamina primæ
Hic lue nunc, inquit, pugnæ, te notus Amilcar
Hâc trahit ad manes dextrâ: tum librat ab aure
Intorquens jaculum, & verſantem in vulnere ſeſe,
Tranſigit, extractâ fœdavit cuſpide ſanguis
Caniciem, & longos finivit morte labores.
Nec minùs Herminium primis obtruncat in armis,
Adſuetum, Traſimene, tuos prædantibus hamis
Exhaurire lacus, patriæque alimenta ſenectæ
Ducere ſuſpenſo per ſtagna latentia lino.
Interea exanimem mœſti ſuper arma Sichæum
Portabant Pœni, corpúſque in caſtra ferebant.
Quos ubi conſpexit triſti clamore ruentes
Ductor, præſago percuſſus pectora luctu,
Quinam, inquit, dolor ô ſocii, quæve ira deorum,
Eripuit nobis? num te dulcedine laudis
Flagrantem, & nimio primi Mavortis amore,
Atra Sichæe dies properato funere carpſit?
Atque dato gemitu, lacrymæ adſenſere ferentum.
Et dictus pariter cædis mœrentibus auctor.
Cerno, ait, adverſo pulchrum ſub pectore vulnus
Cuſpidis Iliacæ, dignus Carthagine, dignus
Aſdrubale ad manes ibis, nec te optima mater
Diſſimilem lugebit avis, Stygiâve ſub umbrâ
Degenerem cernens noſter vitabit Amilcar.
At mihi Flaminius, tam mœſti cauſa doloris,
Morte ſuâ minuet luctus, hæc pompa ſequetur
Exſequias, ſeróque emtum volet impia Roma
Non violâſſe mei corpus mucrone Sichæi.
Sic memorans torquet fumantem ex ore vaporem,
Iráque anhelatum proturbat pectore murmur:
Ut multo accenſis fervore exuberat undis
Clauſus ubi exuſto liquor indignatur aheno.
Tum præceps ruit in medium, ſolúmque fatigat
Flaminium inceſſens: nec dicto ſegnius ille
Bella capeſſebat, propiórque inſurgere Mavors
Cœperat, & campo junctus jam ſtabat uterque,
Quum ſubitus per ſaxa fragor, motíque repentè
Horrendùm colles, & ſumma cacumina totis
Intremuere jugis, nutant in vertice ſylvæ
Pinifero, fractæque ruunt ſuper agmina rupes.
Immugit penitus convulſis ima cavernis
Diſſiliens tellus, nec parvos rumpit hiatus:
Atque umbras latè Styxias immenſa vorago
Faucibus ollendit patulis, manéſque profundi

Anti-

Antiquum expavere diem: lacus ater in altos
Sublatus montes, & ſede excuſſus avitâ
Lavit Tyrrhenas ignotâ adſpergine ſylvas.
Jámque eadem populos, magnorúmque oppida regum
Tempeſtas, & dira lues ſtravítque, tuliſque.
Ac ſuper hæc reſtui pugnârunt montibus amnes,
Et retro fluctus torlit mare, monte relicto
Apenninicolæ fugere ad littora Fauni.
Pugnabat tamen (heu belli vecordia) miles
Jactatus titubante ſolo, tremebundáque tela
Subductâ tellure ruens, torquebat in hoſtem,
Donec pulſa vagos curſus ad littora vertit
Mentis inops, ſtagniſque inlata eſt Daunia pubes.
Queis conſul terga increpitans, nam turbine motæ
Ablatis terræ inciderat, quid deinde, quid oro
Reſtat iò profugis? vos en ad mœnia Romæ
Ducitis Annibalem: vos in Tapeia tonantis
Tecta faces, terrúmque datis. ſta miles, & acres
Diſce ex me pugnas, vel ſi pugnare negatum,
Diſce mori: dabit exemplum non vile futuris
Flaminius, ne terga Libys, ne Cantaber unquam
Conſulis adſpiciat. ſolus, ſi tanta libido
Eſt vobis, rabiéſque fugæ, tela omnia ſolus
Pectore conſumo, & moriens fugiente per auras
Hâc animâ, veſtras revocabo ad prœlia dextras.
Dúmque ea commemorat, denſóque obit obvius hoſtes,
Advolat ora ferus mentémque Ducarius, acri
Nomen erat gentile viro, fuſſique catervis
Boiorum quondam patriis, antiqua gerebat
Vulnera barbaricæ mentis, noſcénſque ſuperbi
Victoris vultus, túne, inquit, maximus ille
Boiorum terror? libet hôc cognoſcere telo
Corporis an tanti manet de vulnere ſanguis.
Nec vos pœniteat, populares, fortibus umbris
Hoc mactare caput: noſtros hic curribus egit
Inſiſtens victos alta ad Capitolia patres.
Ultrix hora vocat. pariter tunc undique fuſis
Obruitur telis, nimbóque ruente per auras
Contectus, nulli dextrâ jactare reliquit
Flaminium cecidiſſe ſuâ, nec pugna peremto
Ulterior ductore fuit. namque agmine denſo
Primores juvenum læva ad diſcrimina Martis
Infenſi ſuperis, dextríſque, & cernere Pœnum
Victorem plus morte rati, ſuper ocyùs omnes
Membra ducis, ſtratóſque artus certamine magno
Teláque, corporáque, & non fauſto Marte cruentas
Injecere manus, ſic denſi cædis acervo,
Ceu tumulo, texere virum. tum ſtrage per undas,
Per ſylvas ſparsâ, pérque altam ſanguine vallem
In medias fratre invectus comitante catervas
Cæſorum juvenum Pœnus, quæ vulnera cernis
Quas mortes? inquit, premit omnis dextera ferrum,
Armatúſque jacet ſervans certamina miles.
Hos en, hos obitus, noſtræ ſpectate cohortes,
Fronte minæ durant, & ſtant in vultibus iræ,
Et vereor, ne quæ tantâ creat indole tellus
Magnanimos fœcunda viros, huic fata dicârint
Imperium, atque ipſis devincat cladibus orbem.
Sic fatus ceſſit nocti, finémque dedere
Cædibus, infuſæ ſubducto ſole tenebræ.

LIBER VI.

JAM Tarteſſiaco quos ſolverat æquore Titan
In noctem diffuſus equos, jungebat Eois
Littoribus, primſque novo Phaëthonte retecti
Seres lanigeris repetebant vellera lucis,
Et fœda ante oculos ſtrages, propiúſque patebat
Inſani Mavortis opus, ſimul arma virſque,
Ac mixtus ſonipes, dextræque in vulnere, cæſi
Hærentes haſtis paſſim clypeſque tubæque,
Atque artus trunci capitum, fractúſque jacebat
Oſſibus in duris enſis, nec cernere deerat
Fruſtra feminecum quærentia lumina cælum.
Tum ſpumans ſanie lacus, & fluitantia ſummo
Æternùm tumulis orbata cadavera ponto.
Nec tamen adverſis fuerat fracta Itala virtus.
Bruttius ingenti miſerandæ cædis acervo
Non æquum oſtentans conſoſſo corpore Martem,
Extulerat vix triſte caput, truncóſque trahebat
Per ſtragem, nervis interlabentibus, artus,
Tenuis opum, non patre nitens, linguâve, ſed aſper
Enſe, nec è Volſcâ quiſquam vir gente redemit
Plus ævi, nec magnâ animâ puer abdere ſeſe
Pubeſcente genâ caſtris optârat, & acer
Flaminio ſpectatus erat, quum Celtica victor
Obrueret bello divis melioribus arma.
Indè honor, ac ſacræ cuſtodia Marte ſub omni
Alitis, hinc cauſam nutrivit gloria leti.
Namque necis certus, captæ prohibere nequiret
Quum Pœnos aquilæ, poſtquam ſubſidere ſata
Viderat, & magnâ pugnam inclinare ruinâ,
Occulere interdum, & terræ mandare parabat.
Sed ſubitis victus telis, labentia membra
Proſtravit ſuper, atque illectâ morte tegebat.
Verùm ubi lux nocte è Stygiâ, miſeróque ſopore
Reddita, vicini de ſtrage cadaveris haſta
Erigitur, ſolóque ingens conamine, latè
Stagnantem cæde, & facilem diſcedere terram
Enſe fodit, clauſámque aquilæ infelicis adorans
Effigiem, palmis languentibus æquat arenas:
Supremus teſli tenues tum ceſſit in auras
Halitus, & magnam miſit ſub tartara mentem.
Juxtà cernere erat, meritò ſibi poſcere carmen
Virtutis ſacram rabiem. Lævinus, ab alto
Priverno, vitis Latiæ præſignis honore,
Exanimum Naſamona Tyren ſuper ipſe jacebat
Exanimis, non haſta viro, non enſis, in arctis
Abſtulerat fors arma, tamen certamine nudo
Invenit Marti telum dolor, ore cruento
Pugnatum, ferſque vicem dens præbuit iræ.
Jam laceræ nares, fœdatáque lumina morſu,
Jam truncum raptis caput auribus, ipſáque diris
Frons depaſta modis, & ſanguine abundat hiatus,
Nec ſatias, donec mandentia linqueret ora
Spiritus, & plenos rictus mors atra teneret.
Talia dum præbet trillis miracula virtus,
Diverſo interea fugientes faucia turba
Jactantur caſu, ſylvíſque per avia cæcis
Ablati furtim, multo cum vulnere, ſolos
Per noctem metantur agros: ſonus omnis, & aura
Exterrent, pennâque levi commota volucris:
Non ſopor, aut menti requies, agit aſper acerbâ
Nunc Mago attonitos, nunc arduus Annibal haſtâ.
Serranus, clarum nomen, tua Regule proles,
Qui longum ſemper famâ gliſcente, per ævum,
Infidis ſervâſſe fidem memorabere Pœnis,
Flore nitens primo, patriis heu Punica bella
Auſpiciis ingreſſus erat, miſerámque parentem,
Et dulces triſti repetebat ſorte penates
Saucius, haud illi comitum ſupèr ullus, & atris
Vulneribus qui ferret opem, per devia fractæ
Innitens haſtæ, furtóque ereptus opacæ
Noctis, iter tacitum Peruſina ferebat in arva:
Hic feſſus, parvi (quæcunque hìc fata darentur)
Limina pulſabat tecti: tum membra cubili
Evolvens jam tarda Marus (vetus ille parentis
Miles, & haud ſurdâ tractârat prœlia famâ)
Procedit renovata ſocis & paupere Veſtâ
Lumina prætendens: utque ora agnovit, & ægrum
Vulneribus duris ac (lamentabile viſu)
Lapſantes ſultum truncatâ cuſpide greſſus,
Funeſti rumore mali jam ſaucius aures,
Quod ſcelus ô nimius vitæ, nimiúmque ferendis
Adverſis genitus cerno? te maxime vidi
Ductorum, quum captivo Carthaginis arcem
Terreres vultu, crimen culpámque tonantis,
Occidere, atque hauſi, quem non Sidonia tecta
Expulerint everſa meo de corde dolorem.
Eſtis ubi en iterum ſuperi? dat pectora ferro
Regulus: an ſtirpem tantæ perjura recidit
Surgentem Carthago domûs? indè ægra reponit
Membra toro, nec ferre rudis medicamina (quippe
Callebat bellis) nunc purgat vulnera lymphâ,
Nunc mulcet ſuccis, ligat indè, ac vellera molli
Circundat tactu, & torpentes mitigat artus.
Exin cura ſeni, triſtem depellere feſſo
Ore ſitim, & parcâ vires accerſere menſâ.
Quæ poſtquam properata, ſopor ſua munera tandem
Applicat, & mitem fundit per membra quietem.
Necdum exorta dies, Marus inſtat vulneris æſtus
Expertis medicare modis, gratúmque teporem,
Exutus ſenium, trepidâ pietate miniſtrat.
Hic juvenis mœſtos tollens ad ſidera vultus
Cum gemitu, lacrymíſque ſimul, ſi culmina nondum
Tarpeia exoſus damnâſti ſceptra Quirini,

Extre-

Extremas Italûm res, Auſoniámque ruentem
Adſpice, ait, genitor, tandémque adverte procellis
Æquos Iliacis oculos. amiſimus Alpes,
Nec deinde advertis modus eſt: Ticinus, & ater
Stragibus Eridanus, túque inſignite tropæis
Sidoniis Trebia, & tellus lacrymabilis Auni.
Sed quid ego hæc? gravior quanto vis ecce malorum,
Vidi creſcentes Traſimeni cædibus undas
Proſtratâque virûm mole, inter tela cadentem
Vidi Flaminium: teſtor mea numina, manes,
Dignam me pœnæ tum nobilitate paternæ
Strage hoſtis quæsîſſe necem, ni triſtia letum,
Ut quondam patri, nobis quoque fata negàssent.
Cætera acerbantem queſtu, lenire laborans,
Effatur ſenior: patrio, fortiſſime, ritu
Quidquid adeſt duri, & rerum inclinata feramus.
Talis lege deûm clivoſo tramite vitæ,
Per varios præceps caſus, rota volvitur ævi,
Sat tibi, ſat magna, & totum vulgata per orbem
Stant documenta domûs: ſacer ille, & numine nullo
Inferior tuus ille parens, decora alta paravit,
Reſtando adverſis: nec virtutem exuit ullam,
Antè reluctantes liquit quàm ſpiritus artus.
Vix puerile mihi tempus confecerat ætas,
Quum primo malas ſignabat Regulus ævo.
Acceſſi comes, atque omnes ſociavimus annos,
Donec dîs Italæ viſum eſt exſtinguere lumen
Gentis, in egregio cujus ſibi pectore ſedem
Ceperat alma fides, mentémque amplexa tenebat.
Ille enſem nobis magnorum, en, inſtar honorum
Virtutiſque ergo dedit, & ſordentia ſumo
Quæ cernis nunc frena, ſed eſt argenteus ollis
Fulgor, nec cuiquam Marus eſt poſt talia dona
Non prælatus eques: verùm ſuperavit honores
Omnes haſta meos. cui me libare Lyæi
Quod cernis latices, dignum eſt cognoſcere cauſam.
Turbidus arentes lento pede ſulcat arenas
Bragada, non ullo Libycis in finibus amne
Victus limoſas extendere latiùs undas,
Et ſtagnante vado patulos involvere campos.
Hîc ſtudio laticum, quorum eſt haud prodiga tellus,
Per ripas læti ſævis conſedimus arvis:
Lucus iners juxtà Stygium, pallentibus umbris,
Servabat ſinè ſole nemus, craſſúſque per auras
Halitus erumpens tetrum exſpirabat odorem,
Intus dira domus, curvóque immanis in antro
Sub terras ſpecus, & triſtes ſinè luce tenebræ.
Horror mente redit, monſtrum exitiabile, & irâ
Telluris genitum, cui par vix viderat ætas
Ulla virûm, ſerpens centum porrectus in ulnas
Letalem ripam, & lucos habitabat avernos:
Ingluviem immenſi ventris, gravidámque venenis
Alvum, deprenſi ſatiabant fonte leones,
Aut acta ad fluvium torrenti lampade ſolis
Armenta, & tractæ fœdâ gravitate per auras,
Ac tabe adflatûs volucres, ſemeſa jacebant
Oſſa ſolo informi, latéque repletus, & aſper
Vaſtatis gregibus, nigro ructabat in antro.
Iſque ubi ferventi concepta incendia paſtu
Gurgite mulcebat rapido, & ſpumantibus undis,
Nondum etiam toto demerſus corpore in amnem
Jam caput adverſæ ponebat margine ripæ.
Imprudens tantæ peſtis gradiebar Aquino
Apeninicolâ, atque Umbro comitatus Havente,
Scire nemus, pacémque loci explorare libebat.
Jámque propinquantum tacitus penetravit in artus
Horror, & occulto riguerunt frigore membra.
Intramus tamen, & nymphas, numénque precamur
Gurgitis ignoti, trepidoſque & multa pavcntes
Arcano greſſus audemus credere luco.
Ecce è veſtibulo, primiſque è faucibus antri
Tartareus turbo, atque infano ſævior Euro
Spiritus erumpit, vaſtóque è gurgite fuſa
Tempeſtas oritur, mixtam ſtridore procellam
Cerbereo intorquens, pavefacti clade vicillim
Adſpicimus reſonare ſolum, telluſque moveri,
Atque antrum ruere, & vili procedere manes.
Quantis armati cælum petiere gigantes
Anguibus, aut quantus Lernæ laſſavit in undis
Amphitryoniadem ſerpens, qualiſque comantes
Auro ſervavit ramos Junonius anguis,
Tantus diſjectâ tellure tuo aſtra coruſcum
Extulit adſurgens caput, atque in nubila primam
Diſperſit ſaniem, & exlam fœdavit hiatu.
Diffugimus, tenuémque metu conamur anhelî
Tollere clamorem fruſtra: nam ſibila totum
Implebant nemus, ac ſubitâ formidine cæcus,
Et tacti damnandus Havens (ſed fata trahebant)
Antiquæ quercûs ingenti robore ſeſe
Occulit, infandum ſi poſſet fallere monſtrum,
(Vix egomet credo) ſpiris ingentibus, arctè
Arboris abſtraxit molem, penitúſque revulſam
Evertit ſundo, & radicibus eruit imis.
Tum trepidum, ac ſocios extremâ voce cientem
Corripit, atque haustu ſorbens, & faucibus atris
(Vidi reſpiciens) obſcænâ condidit alvo.
Infelix fluvio ſeſe, & torrentibus undis
Crediderat, celerſque fugâ jam nabat Aquinus.
Hunc medio invaſit fluctu, ripæque relatos
(Heu genus infandum leti) depaſcitur artus.
Sic dirum nobis & lamentabile monſtrum
Effugiſſe datur, quantum mens ægra ſinebat
Adpropero greſſum, & ductori ſingula pando.
Ingemuit, caſus juvenum miſeratus acerbos.
Utq; erat in pugnámque, & Martem, & prælia, & hoſtem
Igneus, & magna audendi flagrabat amore,
Ocyus arma rapi, & ſpectatum Marte ſub omni
Ire jubet campis equitem, ruit ipſe citatum
Quadrupedem plantâ fodiens, ſcutatáque raptim
Obſequitur juſſu manus, & muralia portat
Balliſtas tormenta graves, ſuetámque movere
Excelſas turres immenſæ cuſpidis haſtam.
Jámque ubi feralem ſtrepitu circumtonat aulam
Cornea gramineum perſultans ungula campum,
Percitus himitu ſerpens evolvitur antro,
Et Stygios æſtus fumanti exſibilat ore,
Terribilis gemino de lumine fulgurat ignis:
At nemus arrectæ & procera cacumina ſaltûs
Exſuperant criſtæ, trifido vibrata per auras
Lingua micat motu, atque adſultans æthera lambit.
Ut verò ſtrepuere tubæ, conterritus altè
Immenſum attollit corpus, tergóque reſidens
Cætera ſinuatis glomerat ſub pectore gyris.
Dira dehinc in bella ruit, rapidéque reſolvens
Contortos orbes, directo corpore totam
Extendit molem, ſubitóque propinquus in ora
Lato diſtantum ſpatio venit. omnis anhelat
Attonitus ſerpentis equus, frænóque teneri
Impatiens, crebros exſpirat naribus ignes.
Arduus ille ſuper tumidis cervicibus altum
Nutat utroque caput, trepidos indè incitus irâ
Nunc ſublime rapit, nunc vaſto pondere gaudet
Eliſiſſe premens, nunc fractis oſſibus atram
Abſorbet ſaniem, & tabo manante per ora
Mutat hians hoſtem, ſemeſaque membra relinquit.
Cedebant jam ſigna retro, victáſque catervas
Longiùs avectas adflatus peſte premebat,
Quum ductor properè revocatam in prœlia turmam
Vocibus impellens, ſerpentine Itala pubes
Terga damus, Libyeſſque parem non eſſe fatemur
Auguibus Auſoniam? ſi debellavit inertes
Halitus, ac viſo mens ægra effluxit hiatu;
Ibo alacer, ſolúſque manus componere monſtro
Sufficiam. clamans hæc, atque interritus haſtam
Fulmineo volucrem torquet per inane lacerto,
Venit in adverſam non vano turbine frontem
Cuſpis, & haud paulum vires adjuta ruentis
Contrà ardore feræ capiti tremebunda reſedit.
Cla mor ad aſtra datus, vocéſque repentè profuſæ
Ætherias adiere domos: furit ilicet irâ
Terrigena impatiens dare terga, novûſque dolori,
Et chalybem longo tum primùm paſſus in ævo.
Nec fruſtra rapido ſtimulante dolore fuiſſet
Impetus, alato ni Regulus arte regendi
Inſtantem eluſiſſet equo, curſúque ſequutum
Cornipedis gyros, flexi curvamine tergi,
Detortis lævâ celer effugiſſet habenis.
At non ſpectator Marus, inter talia ſegni
Torpebat dextrâ, mea tanto in corpore monſtri
Haſta ſecunda fuit, jam jámque extrema triſulcâ
Lambebat linguâ, feſſi certamine terga
Quadrupedis, torſi telum, atque ingentia velox
In memet ſævi ſerpentis prœlia verto.
Hinc imitata cohors certatim ſpicula dextris
Congerit, alternáſque ferum diducit in iras,
Donec murali balliſta coercuit ictu.
Tum fractus demum vires (nec enim ampliùs ægrâ
Conſuetum ad nitus ſpinâ præſtante vigorem,

Ut

Ut ſolito, in nubes tollit caput) acriùs inſtat.
Jámque alvo penitus demerſa talarica ſedit,
Et geminum volucres lumen rapuere ſagittæ:
Jam patulis vaſto ſub vulnere fluctibus aër
Tabificam exſpirat ſaniem, ſpecus ultima: jámque
Ingenti caudâ, & jaculis, & pondere conti
Hæret humi, laxóque tamen minitatur hiatu,
Donec tormentis ſtridens, magnóque fragore
Diſcuſſit trabs acta caput, longóque reſolvens
Aggere ſe ripæ, tandem exhalavit in auras
Liventem nebulam fugientis ab ore veneni.
Erupit triſti fluvio mugitus, & imis
Murmura ſuſa vadis, ſubitóque & lucus, & antrum,
Et reſonæ ſylvis ululârunt flebile ripæ.
Heu quantis luimus mox triſtia prœlia damnis,
Quantáque ſupplicia, & quales exhautimus iras!
Nec tacuere pii vates, famulúmque ſororum
Naïadum, tepidâ quas Bragada nutrit in undâ,
Nos violâſſe manu, ſeris monuere periclis.
Hæc tunc haſta decus nobis, pretiúmque ſecundi
Vulneris, à veſtro, Serrane, tributa parente,
Princeps quæ ſacro bibit è ſerpente cruorem.
Jamdudum vultus lacrymis atque ora rigabat
Serranus, medióque viri ſermone profatur.
Huic ſi vita duci noſtrum durâſſet in ævum,
Non Trebia infauſtas ſuperâſſet ſanguine ripas,
Nec Trafimene tuus premeret tot nomina gurges.
Tunc ſenior magnas, inquit, de ſanguine pœnas
Præcepit Tyrio, & præſumta piacula mortis.
Nam defecta viris, & opes attrita ſupinas
Africa tendebat palmas, quum ſidere diro
Mittit Agenoreis ductorem animoſa Therapne.
Nulla viro ſpecies, decorſque, & frontis, egenum
Corpus, at exiguis vigor (admirabile) membris.
Vividus, & niſu magnos qui vinceret artus,
Jam Martem regere, atque aſtus adjungere ferro,
Et duris facilem per inhoſpita ducere vitam.
Haud iſti, quem nunc penès eſt ſolertia belli,
Cederet Annibali. vellem hunc ô triſtia nobis
Taygeta, hunc unum non durâſſetis opacis
Eurotæ ripis, vidiſſem mœnia flammis
Phœniſſæ ruere, aut certè non horrida fata
Fleviſſem ducis, & nullâ quos morte nec igni
Exutos, ſervans portabo in tartara luctus.
Conſertæ campis acies, multúſque per arva
Fervebat Mavors, nec mens erat ulla ſinè irâ.
Hìc inter medios memorandis Regulus auſis
Laxabat ferro, campóque pericla ruebat,
Nec repetenda dabat letali vulnera dextrâ.
Sic ubi nigrantem torquens ſtridentibus auſtris
Portat turbo globum, piceâque è nube ruinam
Pendentem, terris pariter, pontóque minatur:
Omnis & agricola, & nemoroſo vertice paſtor,
Et pelago trepidat ſubductis navita velis.
At fraudem nectens, ſocios ubi concava ſaxa
Claudebant, vertit ſubito certamine gyros,
Et dat terga celer fictâ formidine ductor.
Haud ſecus ac ſtabulis procurans otia paſtor
In foveam parco tectam velamine frondis
Ducit nocte lupos poſitæ balatibus agnæ.
Abripuit, traxítque virum fax mentis honeſtæ
Gloria, & incerti fallax fiducia Martis.
Non ſocios, comitúmve manus, non arma ſequentum
Reſpicere, inſano pugnæ tendebat amore.
Jam ſolus, nubes ſubitò quum denſa Laconum
Saxoſis latebris intenta ad prœlia, circùm
Funditur, & Pœna inſurgit vis ſæva virorum.
O diram Latio lucem, falliſque notandam,
Dedecus, ô Gradive, tuum! tibi dextera, & urbi
Nata tuæ, triſti damnatur ſorte catenæ.
Haud unquam abſiſtam gemitu. te Regule vidit
Sidonius carcer, túque huic ſat magna triumpho
Viſa es Carthago ſuperis: quæ pœna ſequetur
Digna ſatis tali pollutos Marte Laconas?
At nova Eliſei jurato fœdera patres
Conſultant mandare duci, pacíſque ſequeſtrem
Mittere, poſcentes victam inter prœlia pubem,
Captivámque manum ductore rependere noſtro.
Nec mora, jam ſtabat primis in littoris undis
Navali propulſa ratis, jam nautica pubes
Aut ſylvis ſtringunt remos, aut abiete ſectâ
Tranſtra novant, his intortos aptare rudentes,
His ſtudium erecto componere carbaſa malo.
Unca locant prorâ curvati pondera ferri.

Ante omnes doctus pelagi, rectórque carinæ
Puppim aptat, clavúmque Cothon, micat æreus altâ
Fulgor aquâ, trifidi ſplendentis in æquore roſtri.
Tela ſimul, variámque ferunt contra aſpera ponti
Rerum ad tempus opem, mediæ ſtat margine puppis
Qui voce alternos nautarum temperet ictus,
Et remis dictet ſonitum, paritérque relatis
Ad numerum plaudat reſonantia cærula tonſis.
Poſtquam confectum nautis opus, horáque curſûs,
Atque armata ratis, ventíque dedere profundum,
Omnis turba ruit, matres, puerſque, tenéſque,
Per medios cœtus trahit, atque inimica per ora
Spectandum fortuna ducem, fert lumina contra
Pacatus frontem, qualis cùm littora primùm
Attigit appulſa rector Sidonia claſſe.
Acceſſi comes haud ipſo renuente, ratſque
Impolitus, mactis ſocium me cædibus addo.
Illuviem, atque inopes mentes, durúmque cubile,
Et certare malis urgentibus, hoſte putabat
Devicto majus, nec tam fugiſſe cavendo
Adverſa egregium, quàm perdomuiſſe ferendo.
Spes tamen una mihi (quanquam bene cognita, & olim
Atrox illa fides) urbem, muróſque, domúmque
Tangere ſi miſeris licuiſſet, corda movemi
Poſſe viro, & veſtro certè miſcere fletu.
Claudebam ſub corde metus, lacrymáſque putabam
Eſſe viro, & noſtræ ſimilem inter triſtia mentem.
Quum tandem patriæ Tiberino allabimur amni,
Servabam vultus ducis, & prodentia ſenſum
Lumina, & obtutu perſtabam intentus eodem.
Si qua fides, unum puer inter mille labores,
Unum etiam in patriâ, ſævâque in Agenoris urbe,
Atque unum vidi pœnæ quoque tempore vultum.
Obvia captivo cunctis ſimul urbibus ibat
Auſonia, & campum turbâ vincente, propinqui
Implentur colles, ſtrepit altis Albula ripis:
Ipſi Pœnorum proceres, immitia corda,
Ad patrios certant cultus revocare, togæque
Addebatur honos, ſtetit illacrymante ſenatu,
Et matrum turbâ, juvenúmque dolore profuſo,
Inter tot gemitus immobilis: aggere conſul
Tendebat dextram, & patriâ velligia primus
Ponentem terrâ, occurſu celebrabat amico.
Collegit greſſum, monitúſque recedere conſul,
Nec luminum violare decus, cingente ſuperbâ
Pœnorum turbâ, captivóque agmine ſeptus
Ibat, & invidiam cælo, diviſque ferebat.
Ecce trahens geminum natorum Martia pignus
Infelix nimiâ magni virtute mariti,
Squalentem crinem, & triſtes lacerabat amictus,
Agnoſcíſne diem? an teneris non hæſit in annis?
Atque ea poſtquam habitu juxtà, & velamine Pœno
Deformem adſpexit, fuſis ululatibus ægra
Labitur, & gelidos mortis color occupat artus.
Si qua deis pietas, tales, Carthago, videre
Dent tibi Sidonias matres. me voce quietâ
Adfatus, jubet & veſtros, & conjugis unâ
Arcere amplexus, patet impenetrabilis ille
Luctibus, & nunquam ſubmiſſus colla dolori.
Hìc alto juvenis gemitu, lacrymíſque coortis,
Magne parens, inquit, quo majus numine nobis
Tarpeiâ nec in arce ſedet, ſi jura querelis
Sunt conceſſa piis, cur hoc matríque, mihíque
Solamen? vel cur decus hoc, ô dure, negâſti
Tangere ſacratos vultus, atque oſcula ab ore
Libaviſſe tuo? dextram mihi prendere dextrâ
Non licitum? leviora forent hæc vulnera quantùm
Si ferre ad manes infixos mente daretur
Amplexus, venerande, tuos? ſed vana recordor
Mî Mare. nam primo tunc hærebamus in ævo,
Humanâ major ſpecies erat, horrida cano
Vertice deſcendens jugentia colla tegebat
Cæſaries, frontíque comâ ſqualente ſedebat
Terribilis decor, atque animi venerabile pondus.
Nil poſthac oculis ſimile incidit. excipit indè
Jam Marus, atque inhibens convellere vulnera queſtu,
Quid quum præteritis invisa penatibus, inquit,
Hoſpitia, & ſedes Pœnorum intravit acerbas?
Adfixi clypei, currúſque, & ſpicula nota
Ædibus in parvis, magni monumenta triumphi
Pulſabant oculos, conjúxque in limine primo
Clamabar, quò fers greſſus? non Punicus hic eſt,
Regule, quem fugias carcer, veſtigia noſtri
Caſta tori, domus & patrium ſinè crimine ſervat

Inviolata larem, ſemel hìc, iterúmque, quid oro
Pollutum eſt nobis, prolem gratante ſenatu,
Et patriâ ſum enixa tibi. tua, reſpice, ſedes
Hæc eſt, unde ingens humeris fulgentibus oſtro
Vidiſti Latios conſul præcedere faſces,
Unde ire in Martem, quò capta referre ſolebas,
Et victor mecum ſuſpendere poſtibus arma.
Non ego complexus, & ſanctæ fœdera tædæ
Conjugiúmve peto, patrios damnare penates
Abſiſte, ac natis fas duc concedere noctem.
Hos inter fletus junctus veſtigia Pœnis
Limine ſe cluſit Tyrio, queſtúſque reliquit.
Vixdum clara dies ſummâ luſtrabat in Oetâ
Herculei monimenta rogi, cùm conſul adire
Acciríque jubet Libycos. tum limina templi
Vidimus intrantem, quæ conſultata ſenatus,
Quáſve viri voces extremùm curia mœrens
Audierit, placido nobis ipſe edidit ore.
Intulit ut greſſus, certatim voce manúque
Ad ſolitam ſedem, & veſtigia nota vocabat.
Abnuit, antiquúmque loci aſpernatus honorem eſt.
At circumfuſi non ſecius undique dextram
Prenſare, ac patriæ ductorem nomine tanto
Redderet, orabant, captivâ poſſe redemtum
Penſari turbâ, ac Tyrias tum juſtiùs arces
Arſuras dextrâ, fuerit quæ victa catenis.
Tum palmas ſimul attollens, ac lumina cælo:
Juſtitiæ, rectíque dator, qui cuncta gubernas,
Nec levior mihi diva Fides, Sarranáque Juno,
Quos reditûs teſtes juratâ mente vocavi,
Sit mihi fas me digna loqui, Latiósque tueri
Voce focos. ibo ad Tyrios non ſegnior, inquit,
Stante fide reditûs, & ſalvo fœdere pœnæ.
Sic nobis rerum exitio deſiſtite honorem
Tendere. tot bellis, tótque annis fregimus ævum,
Nunc etiam vinclis, & longo carcere torpent
Captivo in ſenio vires. fuit ille, nec unquam
Dum fuit, à duro ceſſavit munere Martis
Regulus, exſangui ſpectatis corpore nomen.
At non Carthago fraudum domus, inſcia quantum
E nobis reſtet, juvenes parat, aſpera ferro
Pectora, captivos noſtrâ penſare ſenectâ.
Ne dolos contra, génſque aſtu fallere læta
Diſcat me capto, quantum tibi Roma ſuperſit.
Nec verò placeat, niſi quæ de more parentum
Pax erit. expoſcunt Libyci, nobíſque dedere
Hæc referenda, pari libeat ſi pendere bellum
Fœdere, & æquo geminas conſcribere leges.
Sed mihi ſit Stygios antè intraviſſe penates,
Talia quàm videam ferientes pacta Latinos.
Hæc fatus Tyriæ ſeſe jam reddidit iræ,
Nec monitus ſpernente graves fidóſque ſenatu,
Pœnorum dimiſſa cohors, quæ mœſta repulsâ,
Ac minitans capto, patrias properabat ad oras.
Proſequitur vulgus patres, ac planctibus ingens
Perſonat & luctu campus: revocare libebat
Interdum, & juſto raptum retinere dolore.
At trepida, & ſubito ceu ſtans in funere, conjux
Ut vidit puppim properantem intrare, tremendum
Vociferans, celerem greſſum referebat ad undas:
Tollite me Libyci comitem pœnæque necíſque,
Hoc unum conjux uteri per pignora noſtri
Unum oro, liceat tecum quoſcunque ferentem
Terrarum, pelagíque pari, cæliſque labores.
Non ego Amyclæum ductorem in prœlia miſi,
Nec noſtris tua ſunt circumdata colla catenis,
Cur uſque ad Pœnos miſeram fugis? accipe mecum
Hanc prolem, forſan duras Carthaginis iras
Flectemus lacrymis, aut ſi præcluſerit aures
Urbs inimica ſuas, eadem tunc hora manebit
Téque, tuóſque ſimul: vel ſi ſtat rumpere vitam,
In patriâ moriamur, adeſt comes ultima fati.
Has inter voces, vinclis reſoluta moveri
Paulatim, & ripâ cœpit decedere puppis.
Tum vero infelix mentem furiata dolore
Exclamat, teſſas tendens ad ſidera palmas:
En qui ſe jactat Libyæ, populíſque nefandis,
Atque hoſti ſervare fidem, data fœdera nobis,
Ac promiſſa fides thalamis, ubi, perfide, nunc eſt?
Ultima vox duras hæc tunc penetravit ad aures:
Cætera percuſſi vetuerunt noſcere remi.
Tum fluvio raptim ad pelagi devolvimur oras,
Ac legimus pontum, pinúque immanè cavatâ,
Æquor, & immenſas curvâ trabe findimus undas.
Ludibrium necis horreſcens, vis aſpera ponti
Obrueret, ſcopulíſque ratem furor improbus Euri
Frangeret, optabam: letum id commune fuiſſet.
Sed nos ad pœnam moderato flamine lenes
Vexerunt zephyri, Tyrióque dedere furori:
Infelix vidi, patriámque remiſſus in urbem
Narrator pœnæ durâ mercede reverti.
Nec tibi nunc ritus imitantem iráſque ferarum
Pygmaleoneam tentarem expromere gentem,
Si majus quidquam toto vidiſſet in orbe
Gens hominum, quàm quod veſtri veneranda parentis
Edidit exemplum virtus. pudet addere queſtus
Suppliciis, quæ ſpectavi placido ore ferentem.
Tu quoque, care puer, dignum te ſanguine tanto
Fingere ne ceſſa, atque humentes comprime fletus.
Præfixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, denſúſque per artem
Texitur erecti, ſtantíſque ex ordine ferri
Infelix ſtimulus, ſomníſque hâc fraude negatis
Quoſcunque in flexus producto tempore torpor
Inclinavit iners, fodiunt ad viſcera corpus.
Abſiſte, ô juvenis, lacrymis. patientia cunctos
Hos ſuperat caſus. longo revireſcet in ævo
Gloria, dum cæli ſedem, terráſque tenebit
Caſta fides, dum virtutis venerabile nomen
Vivet, eríſque dies, tua quo, dux inclyte, fata
Audire horrebunt à te calcata minores.
Hæc Marus, & mœſtâ refovebat vulnera curâ.
Interea rapidas perfuſa cruoribus alas
Sicut ſanguineâ Traſimeni tinxerat undâ,
Vera ac ficta ſimul ſpargebat fama per urbem.
Allia, & infandi Senones, captæque recurſat
Attonitis arcis facies, excuſſit habenas
Luctificus pavor, & tempeſtas aucta timendo.
Hic raptim ruit in muros, vox horrida fertur,
Hoſtis adeſt, jaciúntque ſudes, & inania tela.
Aſt aliæ laceris canentes crinibus, alta
Verrunt tecta deûm, & feris poſt fana ſuorum
Sollicitant precibus, requiem tenebræque, dieſque
Amiſere: jacet portis, ululante dolore,
Diſperſum vulgus, remeantúmque ordine longo
Servat turba gradus, pendent ex ore loquentum,
Nec lætis ſat certa fides, iterúmque morantur
Orando, & vultu interdum ſinè voce precati
Quod rogitant, audire pavent: hìc fletus, ubi aures
Percuſſæ graviore malo: metus indè, negatum
Si ſcire, & dubius reſponſi nuntius hæſit.
Jámque ubi conſpectu redeuntis viſa propinquo
Corpora, ſollicitè læti funduntur, & ipſis
Oſcula vulneribus figunt, ſuperóſque fatigant.
Hinc inter trepidos curæ venerandus agebat
Serranum Marus, atque olim poſt fata mariti
Non egreſſa domum vitato Martia cœtu,
Et lucem causâ natorum paſſa, ruebat
In luctum ſimilem antiquo, turbata repentè,
Agnoſcénſque Marum, fidei comes inclyte magnæ,
Hunc certè mihi reddis, ait, leve vulnus? an altè
Uſque ad noſtra ferus penetravit viſcera mucro?
Quidquid adeſt, dum non vinctum Carthago catenis
Abripiat, pœnæque inſtauret monſtra paternæ,
Gratum eſt, ô ſuperi. quoties heu, nate, potebam,
Ne patrias iras animóſque in prœlia ferres,
Nec te belligeri ſtimularet in arma parentis
Triſte decus, nimiùm vivacis dura ſenectæ
Supplicia expendi, quæſo jam parcite, ſiqua
Numina pugnâſtis nobis. Hâc cladis acerbæ
Diſcuſsâ ceu nube, patres conquirere feſſis
Jam rebus meditantur opem, atque ad munera belli
Certatur, pulſúſque dolor graviore periclo.
Maxima curarum, rectorem ponere caſtris
Cui Latium, & moles rerum quaſſata recumbat,
Spectante occaſum patriâ. Jovis illa ruenti
Auſoniæ, atque Italis tempus protendere regnis
Cura fuit. nam Tyrrhenos, Pœnúmque ſecundis
Albanâ ſurgens reſpexerat arce tumentem:
Qui ferre in muros victricia ligna parabat.
Tunc quaſſans caput, haud unquam tibi, Jupiter, inquit,
O juvenis, dederit portas tranſcendere Romæ,
Atque inferre pedem. Tyrrhenas ſternere valles
Cædibus, & ripas fluviorum exire Latino
Sanguine fas fuerit, Tarpeium adſcendere collem,
Muríſque adſpirare veto. quater indè coruſcum
Contorſit dextrâ fulmen, quo tota reluxit
Mæonidum tellus, atrámque per æthera volvens

Abrupto

Abrupto fregit cælo, ſuper agmina nubem.
Nec Pœnum averiſſe ſatis: dat numine magno
Æneadis mentem, gremio deponere tuto
Romuleam gentem, Fabióque ſalutis habenas
Credere ductori, cui poſtquam tradita belli
Jura videt, non hunc, inquit, ſuperaverit unquam
Invidia, aut Libyco popularis gloria fuco.
Non aſtus fallax, non præda, aliúſve cupido
Bellandi vetus, ac laudum cladúmque quietâ
Mente capax, par ingenium, caſtriſque togæque.
Sic genitor divûm, recipíſque ad ſidera greſſum.
Hic circumſpectis nulli deprenſus in armis,
Laudatúſque Jovi Fabius, (mirabile) tantam
Gaudebat reducem patriæ adnumerare reverſus,
Duxerat egrediens quam ſecum in prœlia pubem.
Nec membris quiſquam, natóve pepercit amato
Acriùs, aut vidit ſocium per bella cruorem
Triſtior, atque idem perfuſus ſanguine victor
Hoſtili, plenis repetebat mœnia caſtris.
Stirpe genus clarum, cælóque adfinis origo.
Nam remeans longis olim Tirynthius oris,
Et triplicis monſtri famam, & ſpectacula captas
Mira boves, hàc quà fulgent nunc mœnia Romæ
Egit ovans: tunc Arcadius (ſic fama) locabat
Inter deſertos fundata palatia dumos
Paupere ſub populo ductor, cùm regia virgo
Hoſpite victa ſacro, Fabium de crimine læta
Procreat, & magni commiſcet ſeminis ortus
Arcas in Herculeos mater ventura nepotes.
Ter centum domus hæc Fabios armavit in hoſtem
Limine progreſſos uno, pulcherrima quorum
Cunctando Fabius ſuperavit facta, ducemque
Annibalem æquando. tantus tunc, Pœne, fuiſti.
Dum ſe perculſi renovant in bella Latini,
Turbatus Jove, & exutâ ſpe mœnia Romæ
Pulſandi, colles Umbros, atque arva petebat
Annibal, excelſo ſummum quà vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder, atque ubi latis
Projecta in campis nebulas exhalat inertes,
Et ſedet ingentem paſcens Mevania taurum,
Dona Jovi, tum Palladios ſe fundit in agros
Picenûm cupidus prædæ, atque errantibus armis,
Quò ſpolia invitant, transfert populantia ſigna,
Donec peſtiferos mitis Campania curſus
Tardavit, bellúmque ſinu indefenſa recepit.
Hìc dum ſtagnoſi ſpectat templúmque domóſque
Linterni ductor, variâ ſplendentia cernit
Picturâ, belli patribus monimenta prioris
Exhauſti. nam porticibus ſignata manebant,
Queis inerat longus rerum, & ſpectabilis ordo.
Primus bella truci ſuadebat Regulus ore,
Bella neganda viro, ſi noſcere fata daretur.
At princeps Pœnis indictæ more parentum
Appius adſtabat pugnæ, lauróque revinctus,
Juſtum Sarranâ ducebat cæde triumphum.
Æquoreum juxtà decus, & navale tropæum
Roſtra gerens, niveâ ſurgebat mole columna
Exuvias Marti, donúmque Duillius alto
Ante omnes mersâ Pœnorum claſſe dicabat.
Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacérque
Poſt epulas tibicen adeſt, caſtóſque penates
Inſignis læti repetebat murmure cantûs.
Cernit & extremos defuncti civis honores,
Scipio ductoris celebrabat funera Pœni,
Sardoâ victor terrâ, videt indè ruentem
Littoribus Libycis diſperſa per agmina pubem,
Inſtabat criſtâ fulgens, & terga premebat
Regulus, Autololes, Nomadéſque, & Maurus, & Ammon,
Et Garamas poſitis dedebant oppida telis.
Lentus arenoſo ſpumabat Bragada campo.
Vipereâ ſanie, turmis minitantibus ultro
Pugnabat ſerpens, & cum duce bella gerebat.
Necnon projectum puppi, fruſtráque vocantem
Numina, Amyclæum mergebat perfida ponto
Xanthippum manus, & feras tibi Regule pœnas
Xanthippus digni pendebat in æquore leti.
Addiderant geminas medio conſurgere fluctu
Ægates, laceræ circùm fragmenta videres
Claſſis, & effuſos fluitare in gurgite Pœnos.
Poſſeſſor pelagi, pronâque Lutatius aurâ
Captivas puppes ad littora victor agebat.
Hæc inter juncto legatus in ordine Amilcar
Ductoris genitor, cunctarum ab imagine rerum
Totius in ſeſe vulgi converterat ora.

Sed pacis facies, & pollutas fœderis aras,
Deceptúmque Jovem, ac dictantes jura Latinos
Cernere erat, ſtrictas trepidâ cervice ſecures
Horrebat Libys, ac ſubmiſſis ordine palmis
Orantes veniam jurabant irrita pacta.
Hæc Eryce è ſummo ſpectabat læta Dione.
Quæ poſtquam infeſto percenſuit omnia vultu,
Arridens Pœnus, lentâ proclamat ab irâ.
Non leviora dabis noſtris inſcribere tectis
Acta meæ dextræ, captam, Carthago, Saguntum
Da ſpectare ſimul flammâ, ferróque ruentem,
Perfodiant patres natorum membra, nec Alpes
Exiguus domitas capiat locus, ardua celſis
Perſultet juga victor equis, Garamáſque, Nomáſque.
Adde & Ticini ſpumantes ſanguine ripas,
Et noſtrum Trebiam, & Traſimeni littora Tuſcis
Clauſa cadaveribus, ruat ingens corpore & armis
Flaminius, fugiat conſul manante cruore
Scipio, & ad ſocios nati cervice venatur.
Hæc mitte in populos, & adhuc majora dabuntur.
Flagrantem effinges facibus, Carthago, Libyſſis
Romam, & dejectum Tarpeiâ rupe tonantem.
Interea vos (ut dignum eſt) iſta, ocyùs ite
O juvenes, quorum dextris mihi tanta geruntur,
In cineres monimenta date, atque involvite flammis.

LIBER VII.

INTEREA trepidis Fabius ſpes unica rebus
Ille quidem ſocios, atque ægram vulnere præceps
Auſoniam armabat, viridíque ad dura laborum
Bellator ſenio, jam caſtra movebat in hoſtem.
Sed mens humanâ major, nec tela, nec enſes,
Nec fortes ſpectabat equos, tot millia contra
Pœnorum, invictúmque ducem, tot in agmina ſolus
Ibat, & in ſeſe cuncta arma, viróſque gerebat.
Ac nî ſacra ſeni vis, impreſſúmque fuiſſet
Siſtere cunctando fortunam adverſa foventem,
Ultima Dardanii tranſiſſet nominis ætas.
Ille modum ſuperis in Punica caſtra favoris
Addidit, & Libyæ finem, inter proſpera bella,
Vincendi ſtatuit, tumefactum cladibus ille
Heſperiis, lento Pœnum moderamine luſit.
Summe ducum, qui regna iterum labentia Trojæ,
Et fluxas Latii res, majorúmque labores,
Qui Carmentis opes, & regna Evandria ſervas,
Surge age, & emerito ſacrum caput inſere cælo.
At Libyæ ductor poſtquam nova nomina lecto
Dictatore vigent, raptim mutata Latinis
Imperia haud fruſtra reputans, cognoſcere avebat
Quæ fortuna viro, quodnam decus, ultima feſſis
Ancora cur Fabius, quem poſt tot Roma procellas
Annibali putet eſſe parem, fervore calentes
Angebant anni, fraudſque inaperta ſenectus
Ocyùs accitum captivo ex agmine poſcit
Progeniem ritúſque ducis, dextræque labores.
Cilnius Arretî Tyrrhenis ortus in oris
Clarum nomen erat, ſed læva adduxerat hora
Ticini juvenem ripis, fuſúſque ruentis
Vulnere equi, Libycis præbebat colla catenis.
Hic ardens extrema malis, & rumpere vitam:
Non cum Flaminio tibi res, nec fervida Gracchi
In manibus conſulta, inquit, Tirynthia gens eſt:
Quam ſi fata tuis genuiſſent Annibal oris,
Terrarum imperium Carthaginis arce videres.
Non ego te longâ ſerie per ſingula ducam,
Hoc ſat erit. noſces Fabios certamine ab uno.
Veientum populi violatâ pace negabant
Acceptare jugum, ac vicino Marte furebant,
Ad portas bellum, conſúlque ciebat ad arma:
Delectus veteres, privatáque caſtra penates
Herculei implevere, domo (admirabile) ab unâ
Patricius junctis exercitus ibat in armis.
Ter centum exiliere duces, quocunque liberet
Uno non pavidus rexiſſes bella magiſtro.
Sed dirum egreſſis omen, ſcelerata minaci
Stridentis ſonitu tremuerunt limina portæ,
Maximáque Herculei mugivit numinis ara.
Invaſere hoſtem, numerarſque aſpera virtus
Haud eſt paſſa viros, & plures milite cædes,
Sæpe globo denſi, ſæpe & per devia paſſim
Diſperſi ſubiere vices, meritíſque labore
Æquato, nulli quiſquam virtute ſecundus
Ducere

Ducere tercentum Tarpeia ad templa triumphos,
(Spes heu fallaces, oblitáque corda caducum
Mortali quodcunque datur) grex ille virorum,
Qui Fabiâ gente incolumi deforme putabat
Publica bella geri, pariter cecidere deorum
Invidiâ, ſubitis circumvenientiõus armis.
Nec tamen occiſos eſt cur lætere, ſuperſunt
Quot tibi ſint Libyæque ſatis. certaverit unus,
Ter centum dextris, tam vivida membra, labórque
Providus, & cautâ ſolertia tecta quiete.
Nec verò, calidi nunc tu cui ſanguinis ætas,
Foderis in pugnâ velociùs ilia plantâ
Bellatoris equi, frænſſque momorderis ora.
Quem cernens avidum leti poſt talia Pœnus,
Nequidquam noſtras demens, ait, elicis iras,
Et captiva paras moriendo evadere vincla.
Vivendum eſt, arctâ ſerventur colla catenâ.
Hæc juvenis, diviſſque tumens, auſiſque ſecundis.
At patres Latiáſque nurus raptabat ad aras
Cura deûm, mœſto ſuffuſæ lumina vultu,
Femineus matres graditur chorus, ordine longo,
Junoni pallam, conceptáque vota dicabant,
Huc ades ô regina deûm, gens caſta precamur,
Et ferimus, digno quæcunque eſt nomine, turba
Auſonidum, pulchrúmque, & acu ſubtemine fulvo,
Quod noſtræ nevere manus, venerabile donum.
At dum decreſcit matrum metus, hoc tibi, diva,
Interea velamen erit, ſi pellere noſtris
Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
Preſſa tibi variâ fulgebit gemma coronâ.
Nec non & proprio venerantur Pallada dono,
Phœbúmque, armigerúmque deum, primámque Dionem.
Tanta adeò cùm res trepidæ reverentia divûm
Naſcitur, & raræ fumant felicibus aræ.
Dum Roma antiquos templis indicit honores,
Jam Fabius cauto præcedens agmine, & arte
Bellandi lento ſimilis, præcluſerat omnes
Fortunæque hoſtíque vias, diſcedere ſignis
Haud licitum, ſummúmque decus, quo tollis ad aſtra
Imperii, Romane, caput, parere docebat.
Verùm ubi prima ſatis conſpecta in montibus altis
Signa procul, fulſítque novis exercitus armis,
Arrectæ ſpes Sidoniæ, fervétque ſecundis
Fortunæ juvenis, vincendi ſola videtur
Quod nondum ſteterint acies, mora: pergite, clamat,
Ite citi, ruite ad portas, propellite vallum
Pectoribus. quantum campi diſtamus, ad umbras
Tantum hoſti ſupereſt: reſides ad bella vocantur,
Queis pudeat certare, ſenes. quodcunque videtis,
Hoc reliquum eſt, primo damnatum, & inutile bello.
Heu ubi nunc Gracchi, aut ubi ſunt nunc fulmina gentis
Scipiadæ? pulſi Auſoniâ non antè paventes
Dimiſere fugam, quàm terror ad ultima mundi
Oceanúmque tulit profugos: nunc errat uterque
Nomina noſtra tremens, & ripas ſervat Iberi.
Eſt etiam cur Flaminio mihi gloria cæſo
Creverit, & titulis libeat cur figere noſtris
Crudum Marte viri nomen, quot demere noſter
Huic annos Fabio gladius valet? & tamen audet.
Audeat. haud ultrà faxo ſpectetur in armis.
Talia vociferans volucri rapit agmina curſu,
Ac prævectus equo, nunc dextrâ provocat hoſtem,
Nunc voce increpitat, miſsâ nunc eminus haſtâ
Fertur ovans, pugnæque agitat ſimulacra futuræ,
Ut Thetidos proles Phrygiis Vulcania campis
Arma tulit, clypeo amplexus terrámque, polúmque,
Maternúmque fretum, torúmque in imagine mundum.
Caſſarum ſedet irarum ſpectator, & alti
Celſus colle jugi domat exſultantia corda,
Infractáſque minas dilato Marte fatigat
Solers cunctandi Fabius. ceu nocte ſub atrâ
Munitis paſtor ſtabulis, per ovilia clauſum
Impavidus ſomni ſervat pecus, effera ſævit,
Atque impaſta truces ululatus turba luporum
Exercet, morſúque quatit reſtantia clauſtra.
Irritus incepti, movet indè, atque Appula tardo
Arva Libys paſſu legit, ac nunc valle reſedit
Conditus occultâ, ſi præcipitare ſequentem,
Atque inopinatâ detur circumdare fraude:
Nunc nocturna parat cæcæ celantibus umbris
Furta viæ, retróque abitum, fictóſque timores
Adſimulat, nunc caſtra citus deſerta, relictâ
Oſtentat prædâ, atque invitat prodigus hoſtem.
Qualis Mæoniâ paſſim Mæandrus in orâ,

Quum ſibi gurgitibus flexis revolutus oberrat.
Nulla vacant incepta dolis, ſimul omnia verſat,
Miſcétque exacuens varia ad conamina mentem.
Sicut aquæ ſplendor radiatus lampade ſolis
Diſſultat per tecta, vagâ ſub imagine vibrans
Luminis, & tremulâ laquearia verberat umbrâ.
Jámque dolore furens ita ſecum immurmurat iræ:
Obvia ſi primus nobis hic tela tuliſſet,
Nulla eſſent Trebiæ & Traſimeni nomina, nullos
Ingererent titulos, nunquam Phaethontius amnis
Sanguineâ pontum turbâſſet decolor undâ.
Inventum (dum ſe cohibet, terimúrque ſedendo)
Vincendi genus: ô quoties velut obvius iret
Diſcinxit ratione dolos, fraudéſque reſolvit.
Hæc ſecum, mediam ſomni quum buccina noctem
Divideret, jámque excubias ſortitus iniquas
Tertius abruptâ vigil iret ad arma quiete,
Vertit iter, Daunſque retro tellure relictâ
Campanas remeat notus populator in oras.
Hic verò, intravit poſtquam uberis arva Falerni
(Dives ea, & nunquam tellus mentita colono)
Addunt frugiferis inimica incendia ramis.
Haud fas, Bacche, tuos tacitum tranſmittere honores,
Quamquam mágna incepta vocant, memorabere ſacri
Largitor laticis, gravidæ cui nectare vites
Nulli dant prælis nomen præferre Falernis.
Maſſica ſulcabat meliore Falernus in ævo
Enſibus ignotis ſenior juga, pampinus umbras
Nondum uvâ viridis nudo texebat in arvo,
Pocula nec nôrant ſuccis mulcere Lyæi,
Fonte ſitim, & purâ ſoliti defendere lymphâ,
Attulit hoſpitio pergentem ad littora Calpes,
Extremúmque diem pes dexter & hora Lyæum,
Nec pigitum parvóſque lares, humilſſque ſubire
Limina cælicolam tecti, cepere volentem
Fumoſi poſtes, & ritu pauperis ævi
Ante focos menſæ, lætus nec ſenſerat hoſpes
Adveniſſe deum: ſed enim de more parentum
Grato curſabat ſtudio, inſtabátque ſenectæ,
Donec opes feſtas puris nunc corna caniſtris
Compoſuit, nunc irriguis citus extulit hortis
Rorantes humore dapes, tum lacte, faviſque
Diſtinxit dulces epulas, nullóque cruore
Pollutâ caſtus menſâ, cerealia dona
Attulit, ac primum Veſtæ deterſit honorem
Undique, & in mediam jecit libamina flammam.
Deeſſe tuos latices, hâc ſedulitate ſenili
Captus, Jacche, vetas, ſubitò (mirabile dictu)
Fagina pampineo ſpumárunt pocula ſucco,
Pauperis hoſpitii pretium, vilſſque rubenti
Fluxit mulctra mero, & quercu in cratera cavatâ
Dulcis odoratis humor ſudavit ab uvis.
En cape, Bacchus ait, nondum tibi nota: ſed olim
Viticolæ nomen pervulgatura Falerni
Munera: & haud ultrà latuit deus: indè nitentem
Lumine purpureo frontem cinxere corymbi,
Et fuſæ per colla comæ, dextrâque pependit
Cantharus, ac vitis thyrſo delapſa virenti
Feſtas Nyſæo redimivit palmite menſas.
Nec facilis læto certâſſe, Falerne, ſapori,
Poſtquam iterata tibi ſunt pocula, jam pede riſum,
Jam linguâ titubante moves, patrióque Lyæo
Tempora quaſſatus, grates & præmia digna
Vix intellectis conaris reddere verbis,
Donec compoſuit luctantia lumina ſomnus,
(Somnus, Bacche, tibi comes additus) hinc ubi primo
Ungula diſperſit rores Phaethontia Phœbo,
Uviferis latè florebat Maſſicus arvis
Miratus nemora, & fulgentes ſole racemos.
Id monti decus, atque ex illo tempore dives
Tmolus, & ambroſiis Arviſia pocula ſuccis,
Ac Methymna ferax lacubus ceſſere Falernis.
Hæc tum vaſta dabat, terríſque infeſtus agebat
Annibal, & ficci ſtimulabant ſanguinis enſes,
Ludificante ducem Fabio, jámque improba caſtris
Auſoniis vota, & pugnandi prava libido
Gliſcebat, proni decurrere monte parabant.
Da famæ, da Muſa, virum, cui vincere bina
Conceſſum caſtra, & geminos domitare furores.
Fervida ſi nobis corda, abruptúmque putâſſent
Ingenium patres, & ſi clamoribus, inquit,
Barbari facilem mentem; non ultima rerum,
Et deplorati mandâſſent Martis habenas.
Stat penſata diu belli ſententia, vincam

Servando invitos, urgentéſque ultima fata.
Nulli per Fabium è vobis cecidiſſe licebit,
Si lucis piget, & ſupremis eſſe cupido eſt
Nominis Auſonii, tædétque in tempore talí
Nullum clade novâ, claræque fragore ruinæ
Inſignem feciſſe locum, revocandus ab atris
Flaminius vobis eſt ſedibus, ille ruendi
Jam dudum properans, ſignum auſpiciúmque dediſſet.
An nondum præceps, vicináque fata videtis?
Una, ut debellet, ſatis eſt victoria Pœno.
State viri, & ſentite ducem, quum optabile tempus
Depoſcet dextras, tunc iſta ferocia dicta
Æquentur factis, non eſt (mihi credite) non eſt
Arduus in pugnas ferri labor: una recluſis
Omnes jam portis in campum effuderit hora.
Magnum illud, ſoliſque datum, quos mitis euntes
Jupiter adſpexit, magnum eſt ex hoſte reverti.
Fortunæ Libys incumbit, flatúque ſecundo
Fidit agens puppim. Dum deſinat aura, ſinúſque
Deſtituat tumidos ſubducto flamine ventus,
In rem cunctari fuerit. non ulla perenni
Amplexu fortuna fovet. jam copia quanto
Arctior eſt nullo Tyriis certamine? quantum
Detritum eſt famæ? quin inter cætera, noſtrâ
Haud laude abfuerit, modò qui. ſed parcere dictis
Sit melius; jam vos acies & prœlia & hoſtem
Poſcitis? ô maneat, ſuperi, fiducia talis.
Interea, excluſâ majoris ſorte pericli,
Me ſolum, quæſo, toti me opponite bello.
His dictis fractus furor, & rabida arma quiêrunt:
Ut cùm turbatis placidum caput extulit undis
Neptunus, totúmque videt, totóque videtur
Regnator ponto, ſævi fera murmura venti
Dimittunt, nulláſque movent in frontibus alas:
Tum ſenſim infuſâ tranquilla per æquora pace
Languentes tacito lucent in littore fluctus.
Senſit cura ſagax Pœni, fraudíſque veneno
Adgreditur mentes, pauca atque hæc ruris aviti
Jugera, nec multis Fabius vertebat aratris,
Maſſicus uviferis addebat nomina glebis:
Hinc peſtem placidam moliri, & ſpargere cauſas
In caſtra ambiguas, ferro flammíſque pepercit,
Suſpectámque loco pacem dedit, arte maligná:
Ceu clandeſtino traheretur fœdere bellum.
Intellectus erat Fabio, Tyrióſque videbat
Dictator ſævire dolos: at non vacat agri
Invidiam gladios inter lituóſque timere,
Et dubiâ morſus famæ depellere pugnâ,
Donec reptantem, & nequidquam ſæpe trahendo
Huc illuc caſtra, & ſcrutantem prœlia Pœnum,
Quà nemoroſa juga, & ſcopuloſi vertice colles
Exſurgunt, clauſit, ſparsâ ad divortia turmâ.
Hinc Læſtrigoniæ ſaxoſo monte premebant
A tergo rupes, undoſis ſqualida terris.
Hinc Linterna palus: nec ferri aut militis uſum
Poſcebat regio, ſeptos ſed fraude locorum
Arcta fames, pœnas miſeræ exactura Sagunti,
Urgebat, finiſque aderat Carthaginis armis.
Cuncta per & terras, & lati ſtagna profundi
Condiderat ſomnus, poſitóque labore dierum
Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat.
At non Sidonium curis flagrantia corda
Ductorem, vigiléſque metus haurire ſinebant
Dona ſoporiferæ noctis. jam membra cubili
Erigit, & fulvi circundat pelle leonis,
Quâ ſuper inſtratos projectus gramine campi
Preſſerat antè toros. tunc ad tentoria fratris
Fert greſſus vicina citos: nec degener ille
Belligeri ritus, taurino membra jacebat
Effultus tergo, & mulcebat triſtia ſomno.
Haud procul haſta viri terræ defixa propinquæ,
Et dira è ſummâ pendebat cuſpide caſſis,
Et clypeus circà, loricáque, & enſis, & arcus,
Et telum Baleare, ſimul tellure quieſcunt,
Juxtà lecta manus, juvenes in Marte probati.
Et ſonipes ſtrato carpebat gramina dorſo.
Ut pepulere levem intrantis veſtigia ſomnum,
Heus, inquit, paritérque manus ad tela ferebat,
Quæ te cura vigil ſeſſum, germane, fatigat?
Ac jam conſtiterat, ſocióſque in ceſpite fuſos
Incuſsâ revocat caſtrorum ad munera plantâ.
Tum Libyæ ductor: Fabius me noctibus ægrum,
In curas Fabius nos excitat, illa ſenectus,
Heu! fatis quæ ſola meis currentibus obſtat.
Cernis ut armatâ circumfundare coronâ,
Et vallet clauſos collectus miles in orbe.
Verùm age (nunc quoniam res arctæ) percipe porrò,
Quæ meditata mihi. latos correpta per agros
Armenta adſueto belli de more ſequuntur,
Cornibus arentes edicam innectere ramos,
Sarmentíque leves fronti religare maniplos,
Admotus cùm fervorem diſperſerit ignis,
Ut paſſim exultent ſtimulante dolore juvenci,
Et vaga per colles cervice incendia jactent.
Tum terrore novo trepidus laxabit iniquas
Cuſtos excubias, majoráque nocte timebit,
Si cordi, conſulta moras extrema recuſant,
Accingamur ait. gemino tentoria greſſu
Indè petunt, ingens clypeo cervice repoſtâ
Inter equos, intérque viros, intérque jacebat
Capta manu ſpolia, & rorantia cæde Maraxes:
Ac dirum in ſomno ceu bella capeſſeret, amens
Clamorem tum fortè dabat, dextrâque tremente
Arma toro, & notum quærebat fervidus enſem.
Huic Mago, inversâ quatiens ut diſpulit haſtâ
Bellantem ſomnum: tenebris fortiſſime ductor
Iras compeſce, atque in lucem prœlia differ.
Ad fraudem, occultámque fugam, totóſque receptus
Nunc nocte utendum eſt, arentes nectere frondes
Cornibus, & latis accenſa immittere ſylvis
Armenta, oppoſiti referent quò clauſtra manipli,
Germanus parat, atque obſeſſa evellere caſtra.
Emergamus, & hic Fabio perſuadeat æſtus,
Non certare dolis. nihil hinc cunctante, ſed acris
Incepti læto juvene, ad tentoria Acherræ
Feſtinant, cui parca quies, minimúmque ſoporis,
Nec notum ſomno noctes æquare, feroci
Pervigil inſervibat equo, feſſúmque levabat
Tractando, & frenis ora exagitata fovebat.
At ſocii renovant tela, arentémque cruorem
Ferro detergunt, & dant mucronibus iras.
Quid fortuna loci poſcat, quod tempus, & ipſi
Quænam agitent, pandunt, & cœptis ire miniſtrum
Haud ſegnem hortantur. diſcurrit teſſera caſtris,
Intentíque docent quæ ſint properanda, monéntque
Quiſque ſuos: inſtat trepidus, ſtimulátque ruentes
Navus abire timor, dum cæca ſilentia, dumque
Majores umbræ, rapidâ jam ſubdita peſte
Virgulta, atque altis ſurgunt è cornibus ignes.
Hic verò ut gliſcente malo, & quaſſantibus ægra
Armentis capita, adjutæ pingueſcere flammæ
Cœpere, & vincens fumos erumpere vertex,
Per colles, dumóſque lues agit atra, per altos
Saxoſi ſcopulos montis, lymphata feruntur
Corpora anhela boum, atque obſeſſis naribus igni
Luctantur fruſtra rabidi mugire juvenci.
Per juga, per valles errat Vulcania peſtis,
Nuſquam ſtante malo, vicináque littora fulgent,
Quàm multa adfixus cælo ſub nocte ſerenâ
Fluctibus è mediis ſulcator navita ponti
Aſtra videt, quàm multa videt, fervoribus atris
Quum Calabros urunt ad pinguia pabula ſaltus,
Vertice Gargani reſidens incendia paſtor.
At facie ſubitâ volitantum in montibus altis
Flammarum, queis tunc cecidit cuſtodia ſorti
Horrere, atque ipſos nullo ſpargente vagari
Credere, & indomitos paſci ſub collibus ignes.
Cælóne exciderint, & magnâ fulmina dextrâ
Torſerit omnipotens, an cæcis rupta cavernis
Fuderit egeſtas accenſo ſulfure flammas
Infelix tellus, mediâ in formidine quærunt.
Jámque abeunt, faucéſque viæ citus occupat armis
Pœnus, & in patulos exſultans emicat agros.
Huc tamen uſque vigil proceſſerat arte regendi
Dictator, Trebiam & Tuſci poſt ſtagna profundi
Eſſet ut Annibali Fabium Romanáque tela
Evaſiſſe ſatis. quin & veſtigia pulſi,
Et greſſus premeret caſtris, ni ſacra vocarent
Ad patrios veneranda deos: tum verſus ad urbem
Alloquitur juvenem, cui mos tranſmittere ſigna
Et belli ſummam, primáſque jubebat habenas,
Atque his præformat dictis, fingítque monendo:
Si factis nondum, Minuci, te cauta probare
Erudiit fortuna meis, nec ducere verba
Ad verum decus, ac pravis arcere valebunt,
Vidiſti clauſum Annibalem, nil miles & alæ
Juvere, aut denſis legio conferta maniplis.
Teſtor te, ſolus clauſi, nec deinde morabor,

Dîs

Dis finè me libare dapem, & solennia ferre.
Nunc iterum, atque iterum vinctum vel montibus altis,
Amnibus aut rapidis (modò pugnâ absistite) tradam.
Interea, crede experto, non fallimur, ægris
Nil movisse salus rebus, sit gloria multis
Et placeat. quippe egregium prosternere ferro
Hostem, sed Fabio sit vos servare triumphus.
Plena tibi castra atque intactus vulnere miles
Creditur, hos nobis (erit hæc tibi gloria) redde.
Jam cernes Libycum huic vallo adsultare leonem.
Jam prædas offerre tibi, jam vertere terga,
Respectantem adeò, atque iras cum fraude coquentem.
Claude, oro, castra, & cunctas spes eripe pugnæ.
Hæc monuisse satis, sed ti compescere corda
Non datur oranti, magno te jure pióque
Dictator capere arma veto. sic castra relinquens
Vallârat monitis, ac se referebat ad urbem.
Ecce autem flatu classis Phœnissa secundo
Littora Cajetæ, Læstrigoniósque recessus
Sulcabat rostris, portúsque intrabat apertos,
Ac totus multo spumabat remige pontus;
Quum trepidæ fremitu vitrei se sedibus antri
Æquoreæ pelago simul emersere sorores,
Ac pulsella vident infestis littora proris.
Tum magno percussa metu Nereïa turba,
Attonitæ properè refluunt ad littora nota,
Telebois medio surgunt quà regna profundo,
Pumicesque procul sedes, immanis in antro
Conditur abrupto Proteus, ac spumea latè
Cautibus objectis rejectat cœrula, vates.
Is postquam (fas gnarus enim rerúmque metúsque)
Per varias lusit formas, & terruit atri
Serpentis squamis, horrendáque sibila torsit,
Et fremuit torvo mutatus membra leone,
Dicite ait, quæ causa viæ? quisve ora repentè
Pervasit pallor? cur scire futura libido?
Ad quæ Cymodoce, nymipharum maxima natu
Italidum, nôsti nostros, prætage, timores.
Quid Tyriæ classes, ereptáque littora nobis
Portendunt? num migrantur Rhœteïa regna
In Libyam superis? aut hos Sarranus habebit
Navita jam portus? patriâ num sede fugatæ
Atlantem & Calpen, extrema habitabimus antra?
Tum sic involvens repetita exordia retro,
Incipit ambiguus vates, referátque futura:
Laomedonteus Phrygiâ quum sedit in Idâ
Pastor, & errantes dumosa per avia tauros
Argutâ revocans ad roscida pascua cannâ,
Audivit sacræ lentus certamina formæ.
Tum matris currus niveos agitabat olores
Tempora sollicitus litis servâsse Cupido.
Parvulus ex humero corytus & aureus arcus
Fulgebat, nutúque vetans trepidare parentem,
Monstrabat gravidam telis se ferre pharetram.
Ast alius niveâ comebat fronte capillos
Purpureos, alius vestis religabat amictus,
Cùm sic suspirans rosco Venus ore decoros
Alloquitur natos: testis certissima vestræ
Ecce dies pictatis adest, quis credere salvis
Hoc ausit vobis? de formâ atque ore (quid ultrà
Jam superest rerum?) certat Venus: omnia parvis
Si mea tela dedi blando medicata veneno,
Si vester cælo ac terris qui fœdera sancit,
Stat supplex, quum vultis, avus, victoria nostra
Cypros Idumeas referat de Pallade palmas
Et Junone, Paphos centum mihi fumet in aris.
Dúmque hæc aligeris instat Cytherea, sonabat
Omne nemus gradiente deâ. jam bellica virgo
Ægide depositâ, atque adsuetum casside crinem
Involvi, tum comta tamen, pacémque serenis
Condiscens oculis ibat, lucóque ferebat
Prædicto sacræ vestigia concita plantæ.
Parte alià intrabat jussas Saturnia sylvas,
Judicium Phrygis, & fastus pastoris, & Idam,
Post fratris latura toros: postrema nitenti
Adluisit vultu ridens Venus, omnia circa,
Et nemora, & penitus frondosis rupibus antra
Spirantem sacro traxerunt vertice odorem.
Nec judex sedisse valet, sessúque nitoris
Luce cadunt oculi, metuit dubitâsse videri.
Sed victæ fera bella deæ vexere per æquor,
Atque excisa suo pariter cum judice Troja est,
Tum pius Æneas terris jactatus & undis,
Dardanios Italâ posuit tellure penates.

Dum cete innabunt ponto, dum sidera cælo
Lucebunt, dum sol Indo se littore tollet;
Hic regna, & nullæ regnis per sæcula metæ.
At vos, ô natæ, currit dum immobile filum,
Adriaci fugite infaustas Sassonis arenas,
Sanguineis tumidus ponto miscebitur undis
Ausidus, & rubros impellet in æquora fluctus,
Damnatóque deûm quondam per carmina campo
Ætolæ rursus Teucris pugnabitis umbræ.
Punica Romuleos quatient mox spicula muros,
Multâque Asdrubalis fulgebit strage Metaurus.
Hinc ille è furto genitus, patrusque piabit
Idem ultor patrisque necem: tum littus Elissæ
Implebit flammis, avellétque Itala Pœnum
Viscera torrentem, & propriis superabit in oris.
Huic Carthago armis, huic Africa nomine cedet.
Hic dabit ex sese, qui tertia bella fatiget,
Et cinerem Libyæ ferat in Capitolia victor.
Quæ dum arcana deûm, vates evolvit in antro,
Jam monita, & Fabium bellíque equitúmque magister
Exuerat mentem, ac præceps tendebat in hostem,
Pascere nec Pœnus pravum ac nutrire favorem
Deerat, & ut parvo majora ad prœlia damno
Eliceret, dabat interdum simulantia terga:
Nun aliter, quàm qui sparsâ per stagna profundi
Evocat è liquidis piscem penetralibus escâ.
Quúmque levem summâ vidit jam nare sub undâ,
Ducit captivum sinuato ad littora lino.
Fama furit, versos hostes, Pœnúmque salutem
Invenisse fugâ, liceat si vincere, finem
Promitti cladum, sed enim ditione carere
Virtutem, & pœnas vincentibus esse repostas.
Clausurum jam castra ducem, rursúsque referri
Vaginæ jussurum enses, reddatur in armis
Ut ratio, purget miles, cur vicerit hostem.
Hæc vulgus, necnon patrum Saturnia mentes
Invidiæ stimulo fodit, & popularibus auris.
Tunc indigna fide censent, optandáque Pœno,
Quæ mox haud parvo luerent damnata periclo.
Dividitur miles, Fabióque equitúmque magistro
Imperia æquantur, penitus cernebat & expers
Irarum senior, magnas ne penderet alti
Erroris pœnas patria inconsulta, timebat.
Ac tum multa putans secum, ut remeavit ab urbe
Partitus socias vires, vicina propinquis
Signa jugis locat, & speculâ sublimis ab altâ
Non Romana minùs servat, quàm Punica castra.
Nec mora, disjecto Minuci vecordia vallo,
Perdendi simul & pereundi ardebat amore.
Quem postquam rapidum vidit procedere castris,
Hinc Libys, hinc Fabius, simul accendere sagaces
In subitum curas: properè capere arma maniplis
Edicit, nullóque tenet munimine turmas
Ausonius; torquet totas in prœlia vires
Pœnorum ductor, propellítque agmina voce:
Dum dictator abest, rape miles tempora pugnæ,
Non sperata diu plano certamina campo
Offert ecce deus, quoniam data copia, longum
Detergete situm ferro, multóque cruore
Exsatiate viri plenos rubiginis enses.
Atque ea cunctator pensabat ab aggere valli,
Perlustrans campos oculis, tantóque periclo
Discere quisnam esset Fabius te Roma, dolebat.
Cui natus, juncta arma ferens, dabit improbus, inquit,
Quas dignum pœnas, qui per suffragia cæca
Invasit nostros hæc ad discrimina fasces.
Insanæ spectate tribus, proh lubrica rostra,
Et vanis fora læta viris: nunc munera Martis
Æquent imperio, & solem concedere nocti
Sciscant. imbelles magnâ mercede piabunt
Erroris rabiem, & nostrum violâsse parentem.
Tum senior quatiens hastam, lacrymísque coortis:
Sanguine Pœnorum, juvenis, tam trista dicta
Sunt abolenda tibi: patiárne ante ora manúsque
Civem deleri nostras? aut vincere Pœnum
Me spectante sinam? nos æquavisse, minori
Solvetur culpâ, si sint mihi talia corda.
Jámque hoc (ne dubites) longævi, nate, parentis
Accipe, & æterno fixum sub pectore serva:
Succensere nefas patriæ, nec fœdior ulla
Culpa sub extremas fertur mortalibus umbras.
Sic docuere senes: quantus, qualísque fuisti
Quum pulsus lare & extorris Capitolia curru
Intrares exsul, tibi corpora cæsa Camille

Dum-

Damnatâ quot sunt dextrâ? pacata fuissent
Ni consulta viro, mensque impenetrabilis iræ;
Mutâssentque solum sceptris Æneia regna,
Nullâque nunc stares terrarum vertice Roma.
Pone iras, ô nate, meas, socia arma feramus,
Acceleremus opem. jam jamque immixta sonabant
Classica, concursúsque viros collisserat acer.
Primus claustra manu portæ dictator, & altos
Disjecit postes, rupitque in prœlia cursum.
Non graviore movent venti certamina mole,
Odrysius boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus, obnixi cùm bella furentia torquent,
Distraxere fretum, ac diversa ad littora volvunt
Æquor quisque suum, sequitur stridente procellâ
Nunc huc, nunc illuc raptim mare, & intonat undis.
Haud tantum daret ullus bonos, tellúsque subactæ
Phœnicum, & Carthago ruens, injuria quantum
Orta ex invidiâ decoris tulit: omnia namque
Dura simul devicta viro, metus, Annibal, iræ,
Invidia, atque unà fama & fortuna subactæ.
Pœnus ab excelso rapidos decurrere vallo
Ut vidit, tremuere iræ, cecidítque repentè
Cum gemitu spes haud dubiæ præsumta ruinæ,
Quippe aciem denso circumvallaverat orbe
Haustorus clausos conjectis undique telis.
Atque hìc Dardanius pravo certamine doctor
Jam Styga, & æternas intrârat mente tenebras.
Nam Fabium, auxiliúmque viri sperare pudebat,
Quum senior gemino complexus prœlia cornu
Ulteriore ligat Pœnorum terga coronâ.
Et modò claudentes aciem, nunc extima cingens,
Clausos ipse tenet, majorem surgere in arma,
Majorémque dedit cerni Tirynthius. altæ
Scintillant cristæ, & (mirum) velocibus ingens
Per subitum membris venit vigor, ingerit hastas,
Aversúmque premit telorum nubibus hostem.
Qualis post juvenem, nondum subeunte senectâ,
Rector erat Pylius bellis ætate secundâ.
Indè ruens, Turin, & Boten, & Marin, & Arsen
Det leto, fisúmque manus conferre Maleon,
Cui decus insigne, & quæsitum cuspide nomen.
Tum Garadum, largúmque cornæ consternit Adherben,
Et geminas acies superantem vertice Tylin,
Qui summas alto prensabat in aggere pinnas.
Eminus hos: gladio Sapharum, gladióque Monesum,
Et Morinum pugnas æris stridore cientem,
Dexteriore genâ sedit cui letifer ictus,
Pérque tubam fixa decurrens vulnere malæ,
Extremo fluxit propulsus murmure sanguis.
Proximus huic jaculo Nasamonius occidit Idmon.
Namque super tepido lapsantem sanguine, & ægrâ
Lubrica nitentem nequidquam evadere plantâ,
Impacto prosternit equo, trepidóque levantem
Membra adflicta solo, pressâ violentiùs hastâ
Implicuit terræ, telúmque in cæde reliquit.
Hæret humi cornus motu tremefacta jacentis,
Et campis servat mandatum adfixa cadaver.
Necnon exemplo laudis furiata juventus,
Syllæque, Cratísque simul, junctúsque Metello
Fannius, ac melior dextræ Torquatus, ibant
Prœlia, & unanimi vel morte emisse volebant
Spectari Fabio: miser hinc vestigia retro
Dum rapit, & molem subducto corpore vitæ
Intorti Bibulus saxi, atque in terga refertur,
Strage super lapsus sociûm, quâ fibula morsus
Loricæ crebro laxata resolverat ictu,
Accepit lateri, penitúsque in viscera adegit,
Exstabat fixo quod forte cadavere ferrum.
Heu sortem necis! evasit Garamantica tela,
Marmaridúmque manus, ut inerti cuspide fusus
Occideret, telo non in sua vulnera misso.
Volvitur exanimis, turpátque decora juventâ
Ora novus pallor, membris dimissa solutis
Arma fluunt, errátque niger per lumina somnus.
Venerat ad bellum Tyriâ Sidone, nepotum
Excitus prece, & auxilio socia arma ferebat
Æoâ tumidus pharetrati militis alâ
Gens Cadmi Cleadas, fulvâ cui plurima passim
Casside, & auratо fulgebat gemma monili.
Qualis ubi oceani renovatus lucifer undâ
Laudatur Veneri, & certat majoribus astris.
Ostro ipse, ac sonipes ostro, totúmque per agmen
Purpura Agenoreis saturata micabat ahenis.
Hic avidum pugnæ, & tam clarum exscindere nomen
Brutum exoptantem, variè nunc lævus in orbem,
Nunc dexter levibus flexo per devia gyris
Ludificatus equo, volucrem post terga sagittam
Fundit, Achæmenio detrectans prœlia ritu.
Nec damnata manus, medio sed (flebile) mento
Armigeri Cascæ penetrabilis hæsit arundo,
Obliquúmque secans subrectâ cuspide vulnus
Uventi ferrum admovit tepefacta palato.
At Brutus diro casu turbatus amici,
Ausum multa virum, & spargentem in vulnera fœvos
Fraude fugæ calamos, jam nullis curribus instat
Prendere cornipedis, sed totam pectoris iram
Mandat atrox hastæ, telúmque volatile nodo
Excutit, & summum, quà laxa monilia crebro
Nudabant cursu, transmittit cuspide pectus.
Labitur intento cornu transfixus, & una
Arcum læva cadens, dimisit dextra sagittam.
At non tam tristi sortitus prœlia Marte
Phœbei Soractis honor Charmelus agebat:
Sanguine quippe suo jam Bragada tinxerat ensem,
Dux rectórque Jubæ populi, jam fusus eidem
Zeusis, Amyclei stirps impacata Phalanti,
Quem tulerat mater claro Phœnissa Laconi.
Talia dum metuit, nec pugnæ fisus in hoste
Tam rapido, nec deinde fugæ, suadente pavore,
Per dumos miser in vicina cacumina quercûs
Repserat, atque altâ sesè occultabat in umbrâ
Nampsicus, insistens tremulis sub pondere ramis.
Hunc longâ, multa orantem Charmelus, & altos
Mutantem saltu ramos transverberat hastâ:
Ut qui viscatos populatur arundine lucos,
Dum nemoris celsi procera cacumina sensim
Subtractâ certat tacitus contingere metâ,
Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.
Effudit vitam, atque altè manante cruore
Membra pependerunt curvato exsanguia ramo.
Jámque in palantes ac versos terga, feroces
Pugnabant Itali, subitus quum mole pavendâ
Terrificus nigris prorumpit Maurus in armis.
Nigra viro membra, & furvi juga celsa trahebant
Cornipedes, totúsque novæ formidinis arte
Concolor æquabat liventia currus equorum
Terga, nec erectis similes imponere cristis
Cessârat pennas, atérque tegebat amictus.
Ceu quondam æternæ regnator noctis, ad Imos
Cùm fugeret thalamos, Æneâ virgine raptâ
Egit nigrantem Stygiâ caligine currum.
At Cato tum primâ sparsus lanugine malas,
Quod peperere decus Circæo Tuscula dorso
Mœnia, Laertæ quondam regnata nepoti.
Quanquam tardatos turbatâ fronte Latinos
Collegisse gradum videt, imperterritus ipse
Ferratâ calce, atque effusâ largus habenâ
Cunctantem impellebat equum, negat obvius ire,
Et trepidat crasâ sonipes exterritus umbrâ.
Tum celer in pugnam dorso delatus ab alto
Alipedem plantâ currum premit, atque volanti
Adsilit à tergo, cecidere & lora repentè,
Et stimuli, ferrúmque super cervice tremiscens.
Palluit infelix subducto sanguine Magnus,
Ora rapit gladio, præfixáque cuspide portat.
At sævo Mavorte ferox perrumpit anhelum
Dictator cùm cæde globum (miserabile visu)
Vulneribus fessum, ac multo labente cruore
Ductorem cernit suprema ac fœda precantem.
Manavere genis lacrymæ, clypeóque parentem
Protegit, & natum stimulans, fortissime labem
Hanc pellamus ait, Pœnóque ob mitia facta
Quòd nullos nostris ignes disperserit agris,
Dignum expendamus pretium: tunc arte paternâ
Ac stimulis gaudens juvenis, circumdata Pœnûm
Agmina deturbat gladio, campúmque relaxat,
Donec Sidonius decederet æquore ductor.
Ceu stimulante fame, rapuit cùm Martius agnum
Aversо pastore lupus, fœtúmque trementem
Ore tenet pressо, tum si vestigia cursu
Auditis celeret balatibus obvia pastor,
Jam sibimet metuens, spirantem dentibus imis
Rejectat prædam, & vacuo fugit æger hiatu.
Tum demum terris, quas circumfuderat atra
Tempestas, Stygiæ tandem fugere tenebræ,
Torpebant dextrâ & sese meruisse negabant
Servari, subitísque bonis mens ægra natabat.
Ut qui collapsâ pressi jacuere ruinâ,

Eruta quum ſubitò membra, & nox atra receſſit,
Connivent, ſolémque pavent agnoſcere viſu.
Queis actis, ſenior numerato milite lætus
Colles, & tuto repetebat in aggere caſtra.
Ecce autem è mediâ jam morte renata juventus
Clamorem tollens ad ſidera, & ordine longo
Ibat ovans, Fabiúmque decus, Fabiúmque ſalutem
Certatim, & magnâ memorabat voce parentem.
Tum qui partitis diſſederat antè maniplis,
Sancte, ait, ô genitor revocati ad lucis honorem,
Si fas vera queri, cur nobis caſtra, virôſque
Dividere eſt licitum? patiens cur arma dediſti,
Quæ ſolus rexiſſe vales? hôc munere lapſi
Æternas multo cum ſanguine vidimus umbras.
Ocyùs huc aquilas, ſervatáque ſigna referte,
Hîc patria eſt, murſque urbis ſtant pectore in uno.
Túque dolos, Pœne, atque aſtus tandem exue notos,
Cum ſolo tibi jam Fabio ſunt bella gerenda.
Hæc ubi dicta dedit, mille hinc (venerabile viſu)
Ceſpite de viridi ſurgunt properantiùs aræ.
Nec priùs aut epulas, aut munera grata Lyæi
Fas cuiquam tetigiſſe fuit, quàm multa precatus
In menſam Fabio ſacrum libavit honorem.

LIBER VIII.

PRIMUS Agenoridum cedentia terga videre
Æneadis dederat Fabius: Romana parentem
Solum caſtra vocant, ſolum vocat Annibal hoſtem.
Impatiénſque moræ fremit, ut ſit copia Martis,
Exſpectanda viri fata, optandúmque ſub armis
Parcarum auxilium. namque hâc ſpirante ſenectâ
Nequidquam ſeſe Latium ſperare cruorem.
Jam verò concors miles, ſignáſque relatis
Indiviſus honos, iterúmque & rurſus eidem
Soli obluctandum Fabio, majoribus ægrum
Angebat curis. lentando fervida bella
Dictator, cùm multa adeò, tum miles egenus
Cunctarum ut rerum Tyrius foret, arte ſedendi
Egerat, & quamquam finis pugnâque manúque
Haud dum pagus erat, jam bello vicerat hoſtem.
Quin etiam ingenio fluxi, ſed prima feroces
Vaniloquum, Celtæ, genus, ac mutabile mentis,
Reſpectare domos: mœrebant, cæde ſinè ullâ
(Inſolitum ſibi) bella geri, ſiccáſque cruoris
Inter tela ſui Mavortis hebeſcere dextras.
His ſuper, internæ tabes, & civica vulnus
Invidia augebant, ſævus conatibus Anno
Ductoris, non ulla domo ſubmittere patres
Auxilia, aut ullis opibus juviſſe ſinebat.
Queis lacerum curis, & rerum extrema paventem
Ad ſpes armorum, & furialia vota reducit
Præſcia Cannarum Juno, atque elata futuris.
Namque hâc accitam ſtagnis Laurentibus Annam
Adfatur voce, & blandis hortatibus implet:
Sanguine cognato juvenis tibi, diva, laborat
Annibal, à noſtro nomen memorabile Belo.
Perge age, & inſanos curarum comprime fluctus.
Excute ſollicito Fabium, ſola illa Latinos
Sub juga mittendi mora. jam diſcingitur armis:
Cum Varrone manus, & cum Varrone ſerendâ
Prœlia, ne deſit fatis, ad ſigna movenda.
Ipſa adero, tendat jamdudum in Japyga campum.
Huc Trebiæ rurſum, & Trafimeni fata ſequentur.
Tum diva Indigetis callis contermina lucis,
Haud, inquit, tua jus nobis præcepta morari,
Sit fas; ſit tantum, quæſo, retinere favorem
Antiquæ patriæ, mandatáque magna ſororis,
Quanquam inter Latios Annæ ſtet numen honores.
Multa retro rerum jacet, atque ambagibus ævi
Obtegitur denſâ caligine merſa vetuſtas,
Cur Sarrana dicent Oenotri numina templo,
Regniſque Æneadum germana colatur Eliſæ.
Sed preſſis ſtringam revocatam ab origine famam
Narrandi metis, brevitérque antiqua revolvam.
Iliaco poſtquam deſerta eſt hoſpite Dido,
Et ſpes abrupta è medio, in penetralibus atram
Feſtinat furibunda pyram, tum corripit enſem
Certa necis, profugi donum exitiale mariti.
Deſpectus tedæ regnis ſe imponit Hiarbas,
Et tepido fugit Anna rogo: quis rebus egenis
Ferret opem Nomadum latè terrente tyranno?
Battus Cyrenen molli tum fortè fovebat
Imperio, mitis Battus, lacrymáſque dediſſe
Calibus humanis facilis, qui ſupplice viſâ,
Intremuit regum eventus, dextrámque tetendit.
Atque ea dum flavas bis tondet meſſor aristas
Servata interea ſedes, nec longiùs uti
His opibus Battóque fuit: nam ferre per æquor
Exitium miſeræ jam Pygmaliona docebat.
Ergo agitur pelago divis inimica, ſibíque
Quòd ſe non dederit comitem in ſuprema ſorori,
Donec lactatam laceris (miſerabile) velis
Fatalis turbo in Laurentes expulit oras.
Non cæli, non illa ſoli, non gnara colentum
Sidonis in Latiâ trepidabat naufraga terrâ.
Ecce autem Æneas ſacro comitatus Iulo
Jam regni compos, noto ſeſe ore ferebat,
Qui terræ defixam oculis, & multa timentem,
Ac deinde adlapſam genibus lacrymantis Iuli,
Attollit, mitíque manu intrà limina ducit,
Atque ubi jam caſus, adverſorúmque pavorem
Hoſpitii lenivit honos, tum diſcere mœſtâ
Expoſcit curâ letum infelicis Etiſæ.
Cui ſic verba trahens, largis cum fletibus Anna
Incipit, & blandas addit pro tempore voces:
Nate deâ, ſolus regni, lucíſque fuiſti
Germanæ tu cauſa meæ: mors teſtis, & ille,
Heu cur non idem mihi tunc rogus! ora videre
Poſtquam eſt ereptum miſeræ tua, littore ſedit
Interdum, ſtetit interdum, ventóſque ſequuta
Infelix oculis, magno clamore vocabat
Æneam, comitémque tuæ ſe imponere ſolam
Orabat paterere rati: mox turbida anhelum
Rettulit in thalamos curſum, ſubitóque tremore
Subſtitit, & ſacrum timuit tetigiſſe cubile.
Indè amens, nunc ſideream fulgentis Iuli
Effigiem fovet amplexu, nunc tota repentè
Ad vultus converſa tuos, ab imagine pendet,
Conqueritúrque tibi, & ſperat reſponſa remitti.
Nonnunquam ſpem ponit amor: jam tecta, domúmque
Deſerit, & rurſus portus furibunda revisit,
Si qui te referant converſo flamine venti.
Ad magicas etiam fallax, atque improba gentis
Maſſylæ levitas deſcendere compulit artes.
Heu ſacri vatum errores, dum numina noctis
Eliciunt, ſpondéntque novis medicamina curis.
Quod vidi, decepta, nefas? congeſſit in aram
Cuncta tui monumenta pyram, & non proſpera dona.
Tum ſic Æneas dulci repetitus amore:
Tellurem hanc juro, vota inter noſtra frequenter
Auditam vobis: juro caput, Anna, tibíque.
Germanæque tuæ dilecti, mitis Iuli,
Reſpiciens, ægérque animi tum regna reliqui
Veſtra, nec abſcéſſem thalamo, ni magna minatus
Méque ſuâ ratibus dextrâ impoſuiſſet, & alto
Egiſſet rapidis claſſem Cyllenius euris.
Sed cur, heu ſeri monitus! cur tempore tali
Incuſtodito ſævire dediſtis amori?
Contrà ſic infit, volvens vix murmur anhelum
Inter singultus, labiſſque trementibus Anna:
Nigro fortè Jovi, cui tertia regna laborant,
Atque atri ſociæ thalami nova ſacra parabam
Queis ægram mentem, & trepidantia corda levaret,
Infelix germana tori, furváſque trahebam
Ipſa manu properans ad viſa piacula bidentes.
Namque aſper ſomno dirus me impleverat horror,
Térque ſuam Dido, ter cum clamore vocârat,
Et læta exſultans oſtenderat ora Sichæus.
Quæ dum abigo menti, & ſub lucem, ut viſa ſecundent,
Oro cælicolas, ac vivo purgor in amni,
Illa cito paſſu perfecta ad littora, mutæ
Oſcula quâ fleteras bis, térque infixit arenæ.
Deinde amplexa ſinu latè veſtigia fovit:
Ceu cinerem orbatæ preſſant ad pectora matres.
Tum rapido præceps curſu, reſolutáque crinem
Evalit propere in celſam, quam ſtruxerat antè
Magnâ mole pyram, cujus de ſede dabatur
Cernere cuncta freta, & totam Carthaginis urbem.
Hic Phrygiam veſtem, & baccatum induta monile,
Poſtquam illum infelix hauſit, quo munera primum
Sunt conſpecta diem, & convivia mente reduxit,
Feſſáſque adventu menſas, téque ordine Trojæ
Narrantem longos ſe pervigilante labores,
In portus aurens rorantia lumina flexit:

Digitized by Google

Di longæ noctis, quorum jam numina nobis
Mors inſtans majora facit, precor, inquit, adeſte,
Et placidi victos ardore admittite manes,
Æneæ conjux, Veneris nurus, ulta maritum,
Vidi conſtructas noſtræ Carthaginis arces,
Nunc ad vos magni deſcendet corporis umbra.
Me quoque fors dulci quondam vir notus amore
Exſpectat, curas cupiens æquare priores.
Hæc dicens, enſem media in præcordia adegit,
Enſem Dardanii quæſitum in pignus amoris.
Viderunt comites, triſtíque per atria planctu
Concurrunt, magnis reſonant ululatibus ædes.
Accepi infelix, dirſíque exterrita fatis
Ora manu lacerans lymphato regia curſu
Tecta peto, celſóſque gradus evadere nitor.
Ter diro fueram conata incumbere ferro,
Ter cecidi exanimæ membris revoluta ſororis.
Jámque ferebatur vicina per oppida rumor.
Tum Cyrenæam fatis agitantibus urbem
Devenio, hinc veſtris pelagi vis appulit oris.
Motus erat, placidúmque animum, mentémque quietam
Troïus in miſeram rector ſuſceperat Annam.
Jámque omnes luctus, omnéſque è pectore curas
Diſpulerat, Phrygiis nec jam ampliùs advena tectis
Illa videbatur. tacito nox atra ſopore
Cuncta per & terras, & lati ſtagna profundi
Condiderat, triſti quum Dido ægerrima vultu
Has viſa in ſomnis germanæ effundere voces:
His ſoror in tectis longæ indulgere quieti
Heu nimium ſecura potes? nec quæ tibi fraudes
Tendantur, quæ circumſtent diſcrimina cernis?
Ac nondum noſtro infauſtos generíque ſolóque
Laomedonteæ noſcis telluris alumnos?
Dum cælum rapidâ ſtellas vertigine volvet,
Lunáque fraterno luſtrabit lumine terras,
Pax nulla Æneadas inter, Tyriósque manebit.
Surge age, jam tacitas ſuſpecta Lavinia fraudes
Molitur, dirúmque nefas ſub corde volutat.
Præterea (ne falſa putes hæc fingere ſomnum)
Haud procul hinc parvo deſcendens fonte Numicus
Labitur, & leni per valles volvitur amne.
Huc rapies germana viam, tutóſque receptus.
Te ſacra excipient hilares in flumina nymphæ,
Æternúmque Italis numen celebrabere in oris.
Sic fata, in tenuem Phœniſſa evanuit auram.
Anna novis ſomno excutitur perterrita viſis,
Itque timor totos gelido ſudore per artus.
Tunc ut erat tenui corpus velamine tecta,
Proſiluit ſtratis, humilſque egreſſa feneſtrâ
Per patulos curtit plantis pernicibus agros,
Donec arenoſo (ſic fama) Numicius illam
Suſcepit gremio, vitreſſque abſcondidit antris.
Orta dies totum radiis impleverat orbem,
Quum nullam Æneadæ thalamis Sidonida nacti,
Et Rutulum magno errantes clamore per agrum,
Vicini ad ripas fluvii manifeſta ſequuntur
Signa pedum, dúmque inter ſe mirantur, ab alto
Amnis aquas curſúmque rapit, tum ſedibus imis
Inter cæruleas viſa eſt reſidere ſorores
Sidonis, & placido Teucros adfarier ore.
Ex illo primis anni celebrata diebus
Per totam Auſoniam venerando numine culta eſt.
Hanc poſtquam in triſtes Italûm Saturnia pugnas
Hortata eſt, celeri ſuperum petit æthera curru
Optatum Latii tandem potura cruorem.
Diva deæ parere parat, magnúmque Libyſſæ
Ductorem gentis nulli conſpecta petebat.
Ille virûm cœtu tum fortè remotus ab omni
Incertos rerum eventus, belliſque volutans
Anxia ducebat vigili ſuſpiria voce.
Cui dea ſic dictis curas ſolatur amicis:
Quid tantum ulteriùs, rex ô fortiſſime gentis
Sidoniæ, ducis curâ ægreſcente dolorem?
Omnis jam placata tibi manet ira deorum,
Omnis Agenoridis rediit favor, eia age ſegnes
Rumpe moras, rape Marmaricas in prœlia vires.
Mutati faſces, jam bellum, atque arma ſenatûs
Ex inconſulto poſuit Tirynthius heros,
Cúmque alio tibi Flaminio ſunt bella gerenda.
Me tibi (ne dubites) ſummi matrona tonantis
Miſit: ego Oenotris æternum numen in oris
Concelebror veſtri generata è ſanguine Beli.
Haud mora ſit, rapido belli rape fulmina curſu,
Celſus Iapygios quà ſe Garganus in agros

Explicat: haud longè tellus, huc dirige ſigna.
Hæc, ut Roma cadat, ſat erit victoria Pœnis.
Dixit, & in nubes evanida ſuſtulit ora.
Cui dux promiſſæ revireſcens pignore laudis:
Nympha decus generis, quo non ſacratius ullum
Numen, ait, nobis, felix oblata ſecundis.
Aſt ego te compos pugnæ Carthaginis arce
Marmoreis ſiſtam templis, juxtáque dicabo
Æquatam gemino ſimulacri numine Dido.
Hæc fatus, ſocios ſtimulat tum feſtus ovantes.
Pone graves curas, tormentáque lenta ſedendi
Fatalis Latio miles. placavimus iras
Cælicolûm, redeunt divi, finita maligno
Hinc Fabio imperia, & mutatos conſule faſces
Nuntio. nunc dextras mihi quiſque, atque illa referto,
Quæ Marte excluſus promittere magna ſolebas.
En numen patrium ſpondet majora peractis:
Vellantur ſigna, ac divâ ducente petamus
Infauſtum Phrygibus Diomedis nomine campum.
Dúmque Arpos tendunt inſtructi pectora Pœni,
Subnixus rapto plebei muneris oſtro,
Sævit jam roſtris Varro, ingentíque ruinæ
Feſtinans aperire locum, fata admovet urbi.
Atque ille ſinè luce genus, ſurdúmque parentum
Nomen, & immodicè vibrabat in ore canoro
Lingua procax, hinc auctus opes, largúſque rapinæ
Intima dum vulgi fovet, oblatrátque ſenatum.
Tantùm in quaſſatâ bellis caput extulit urbe,
Momentum ut rerum, & fati foret arbiter unus:
Quo conſervari Latium victore puderet.
Hunc Fabios inter, ſacratáque nomina Marti
Scipiadas, intérque Jovi ſpolia alta ferentem
Marcellum, faſtis labem, ſuffragia cæca
Addiderant, Canniſque malum exitiale fovebat
Ambitus, & Graio funeſtior æquore campus.
Idem ut turbarum fator, atque accendere ſolers
Invidiam, pravúſque togæ, hic debilis arte
Belligerâ, Martémque rudis verſare, nec ullo
Spectatus ferro, linguâ ſperabat adire
Ad dextræ decus, atque è roſtris bella ciebat.
Ergo alacer, Fabiúmque moræ increpitare profeſſus
Ad vulgum, in patres & ovantia verba ferebat:
Vos quorum imperium eſt, conſul præcepta modúmque
Bellandi poſco: ſedeóne, an montibus erro,
Dum mecum Garamas, & aduſtus corpore Maurus
Dividit Italiam? an ferro, quo cingitis utor?
Exaudi bone dictator, quid Martia plebes
Imperitet, pelli Libyas, Romámque levari
Hoſte jubet: num feſtinant, quos plurima paſſos
Tertius exurit lacrymoſis calibus annus?
Ite igitur, capite arma viri, mora ſola triumpho
Parvum iter eſt. quæ prima dies oſtenderit hoſtem,
Et patrum regna, & Pœnorum bella reſolvet.
Ite alacres, Latiâ devinctum colla catenâ
Annibalem Fabio ducam ſpectante per urbem.
Hæc poſtquam increpuit, portis arma incitus effert,
Impellítque moras, veluti quum carcere rupto
Auriga indocilis totas effundit habenas,
Et præceps trepidâ pendens in verbera plantâ
Impar ferrur equis, fumat malè concitus axis,
Ac fræna incerto fluitant diſcordia curru.
Cernebat Paullus (namque huic communia campus
Jura atque arma tulit) labi mergente ſiniſtro
Conſule res, peſſúmque dari, ſed mobilis ira
Turbati vulgi, ſignatáque mente cicatrix
Undantes ægro frænabat corde dolores.
Nam quum perdomita eſt armis juvenilibus olim
Illyris ora, nigro tunc adlatraverat ore
Victorem invidia, & ventis jactârat iniquis.
Hinc inerat metus, & duræ reverentia plebis.
Sed genus admotum ſuperis, ſummúmque per altos
Attingebat avos cælum, numerare parentem
Aſſaracum retro præſtabat Amulius auctor,
Aſſaracúſque Jovem: nec qui ſpectâſſet in armis,
Abnueret genus. huic Fabius jam caltra petenti:
Si tibi cum Tyrio credis fore maxima bella
Ductore (invitus vocem hanc è pectore rumpam)
Fruſtraris, Paulle, Auſoniam. te prœlia dira,
Téque hoſtis caſtris gravior manet, aut ego multo
Nequidquam didici caſus pernoſcere Marte.
Spondentem audivi (piget heu, tædétque ſenectæ,
Si, quas proſpicio, reſtat paſſura ruinas)
Cum duce tam fauſti Martis, quâ viderit horâ,
Sumturum pugnam. quantum nunc Paulle ſupremo

Abſumus exitio, vocem hanc ſi conſulis ardens
Audivit Pœnus? jam latis obvia credo
Stat campis acies, exſpectatúrque ſub ictu
Alter Flaminius. quantos inſane ciebis
Varro viros, tu, proh ſuperi, tu protinus arma:
Tu campum noſcas antè, exploréſque trahendo
Quantum hoſtis victu valeat, quæ copia rerum,
Quæ natura loci, quod ſit, rimabere ſolers
Armorum genus, & ſtantem ſuper omnia tela
Fortunam adſpicies. fer, Paulle, in devia rectî
Pectora: cur, uni patriam ſi adſtigere fas eſt,
Uni ſit ſervare nefas? eget improbus arcto
Jam victu Libys, &, belli fervore recluſo,
Laxa fides ſociûm eſt, non hìc domus hoſpita tecto
Invitat patrio, non fidæ mœnibus urbes
Excipiunt, renovátque pari ſe pube juventus.
Tertia vix ſupereſt crudo quæ venit ibero
Turba virûm, perſta, & lenti meditamina belli
Cautus ama: ſi qua interea invitaverit aura,
Adnueríque deus, velox accede ſecundis.
Cui breviter mœſto conſul ſic ore viciſſim:
Mecum erit hæc prorſus pietas, mentémque feremus
In Pœnos, invicte, tuam, non me unica fallit
Cunctandi ratio, quâ, te graſſante, ſeneſcens
Annibal oppreſſum vidit conſidere bellum.
Sed quænam ira deûm? conſul datus alter, opinor,
Auſoniæ eſt, alter Pœnis: trahit omnia ſecum,
Et metuit demens, alio ne conſule Roma
Concidat: è Tyrio conſortem accite ſenatu,
Non tam ſæva volet. nullus, qui portet in hoſtem,
Sufficit inſano ſonipes; incedere hoſtis
Quod tardent curſum, tenebras dolet, ſtque ſuperbus
Tantùm non ſtrictis mucronibus, ulla retardet
Ne pugnas mora, dum vaginâ ducitur enſis.
Tarpeiæ rupes, cognatáque ſanguine nobis
Tecta Jovis, quæque arce ſuâ nunc ſtantia linquo
Mœnia felicis patriæ, quocunque vocabit
Summa ſalus, teſtor, ſpreto diſcrimine iterum.
Sed ſi ſurda mihi pugnabunt caſtra monenti,
Haud ego vos ultrà, nati, dulcémque morabor
Aſſaraci de gente domum, ſimilémve videbit
Varroni Paullum redeuntem ſaucia Roma.
Sic tumidi, versâ turbati mente, petebant
Caſtra duces, ac prædictis jam ſederat arvis
Ætolos Pœnus ſervans ad prœlia campos.
Non alìàs majore virûm, majore ſub armis
Agmine cornipedum concuſſa eſt Itala tellus.
Quippe extrema ſimul gentíſque urbíque timebant,
Nec ſpes certandi plùs uno Marte dabatur.
Faunigenæ ſocio bella invaſere Sicano
Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentíſque domo gaudent, & fonte Numici:
Quos Caſtrum, Phrygibúſque gravis quondam Ardea
Quos celſo devexa jugo Junonia ſedes (miſit,
Lavinum, ac altrix calli Collatia Bruti,
Quíque immite nemus Triviæ, quíque oſtia Tuſci
Amnis amant, tepidóque fovent Almone Cybellen,
Hinc Tibur Catille tuum, ſacríſque dicatum
Fortunæ Prænelle jugis, Antemnáque priſco
Cruſtumio prior, atque habiles ad aratra Labici:
Necnon ſceptriferi qui potant Tibridis undam,
Quíque Anienis habent ripas, gelidóque riganter
Simbrivio, raſtríſque domant Æquicula rura.
His Scaurus monitor, tenero tunc Scaurus in ævo,
Sed jam ſigna dabat naſcens in ſæcula virtus.
Non illis ſolitum criſpare haſtilia campo,
Nec mos pennigeris pharetram impleviſſe ſagittis;
Pila volunt, brevibúſque habiles mucronibus enſes,
Ære caput tecti, ſurgunt ſuper agmina criſtis.
At quos ipſius menſis ſepoſta Lyæi
Setia, & incelebri miſerunt valle Velitræ,
Quos Cora, quos ſpumans inimico Signia muſto,
Et quos peſtiferâ Pomtini uligine campi,
Quâ Saturæ nebuloſa palus reſtagnat, & atro
Liventes cœno per ſqualida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atque inficit æquora limo.
Ducit avis pollens, nec dextrâ indignus avorum
Scævola, cui diræ cælatur laudis honorâ
Effigie clypeus. flagrant altaribus ignes,
Tyrrhenûm in valli medio ſtat Mutius irâ
In ſemet versâ, ſævíſque in imagine virtus.
Tunc icti ſpecie ruere acri in bella magiſtro
Cernitur effugiens ardentem Porſena dextram.
Queis Circæa juga, & ſcopuloſi verticis Anxur,
Hernicáque impreſſo radantur vomere ſaxa,
Queis putri pinguis ſulcaris Anagnia glebâ.
Sylla Ferentinos Privernatúmque maniplos
Ducebat ſimul excitos, Soræque juventus
Addita fulgebat telis. hìc Scaptia pubes,
Hìc Fabrateriæ vulgus, nec monte nivoſo
Deſcendens Atina aberat, detritáque bellis
Sueſſa, atque à duro Fruſino haud imbellis aratro.
At qui Fibreno miſcentem flumina Lirim
Sulfureum tacitíſque vadis ad littora lapſum
Accolit Arpinas, accità pube Venafro,
Ac Larinatum dextris ſocia hiſpidus arma
Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.
Tullius æratas rapiebat in agmina turmas
Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto.
Indole proh quantâ juvenis, quantúmque daturus
Auſoniæ populis ventura in ſæcula civem.
Ille ſuper Gangem, ſuper exanditus & Indos,
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam ſperare nepotum.
Ecce inter primos Theramnæo à ſanguine Clauſi
Exſultat rapidis Nero non imitabilis auſis.
Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Caſperula, hunc Foruli, magnæque Reate dicatum
Cælicolûm matri, nec non habitata pruinis
Nurſia, & à Tetricâ comitantur rupe cohortes:
Cunctis haſta decus, clypeúſque refertur in orbem,
Conſque implumes, ac lævo tegmina crure,
Ibant, & læti pars Sancum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magnâ ditione Sabinos.
Et qui Picenæ ſtimulat telluris alumnos
Horridus & ſquamis & equinâ Curio criſtâ,
Pars belli quàm magna venit! non æquore verſo.
Tam creber fractis albeſcit fluctus in undis:
Nec cœtu leviore, ubi mille per agmina virgo
Lunatis acies imitatur Martia peltis,
Perſtrepit & tellus, & Amazonius Thermodon.
Hìc & quos paſcunt ſcopuloſæ rura Numanæ,
Et queis littoreæ fumant altaria Cupræ,
Quíque Truentinas ſervant cum flumine turres
Cernere erat, clypeata procul ſub ſole coruſco
Agmina, ſanguineâ vibrant in nubila luce.
Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon
Murice, nec Libyco, ſtátque humectata Vomano
Adria, & inclemens hirſuti ſignifer Aſcli
Vepicus, quondam nomen memorabile ab alto
Saturno, Fatui genitor, quem carmine Circe
Exutum formæ volitare per æthera juſſit,
Et ſparſit plumis croceum fugientis honorem.
Antè (ut fama docet) tellus poſſeſſa Pelaſgis,
Queis Æſis regnator erat: fluvióque relinquit
Nomen, & à lete populos tam dixit Aſiſos.
Sed non ruricolæ firmárunt robore caſtra
Deteriore, cavis venientes montibus Umbri,
Hos Æſis, Sapíſque lavant, rapidáſque ſonanti
Vertice contorquens undas per ſaxa Metaurus.
Et lavat, ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum, Nárque albeſcentibus undis
In Tybrim properans, Tiniaque inglorius humor,
Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena,
Sed pater ingenti medios illabitur amne
Albula, & immotâ perſtringit mœnia ripâ.
His urbes, Arna, & latis Mevania pratis,
Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim
Iguvium, patulóque jacens ſinè mœnibus ævo
Fulginia: his populi fortes, Amerinus, & armis
Vel raſtris laudande Camers, his Sarſina dives
Lactis, & haud parci Martem coluiſſe Tudertes.
Ductor Piſo viros ſpernaces mortis agebat
Ore puer, puerique habitu, ſed corde ſagaci
Æquabat ſenium, atque ævo ſuperaverat annos,
Is primùm ante aciem pictis radiabat in armis
Arſacidum, & ſalvo micat ignea gemma monili.
Jámque per Etruſcos legio completa maniplos
Rectorem magno ſpectabat nomine Galbam.
Huic genus oritur Minos, incluſáque tauro
Paſiphae, clarſque dehinc ſtant ordine patres.
Lectos Cære viros, lectos Cortona ſuperbi
Tarcontis domus, & veteres miſere Graviſcæ.
Necnon Argolico dilectum littus Alefo

Alſium, & obſeſſæ campo ſqualente Fregellæ.
Adfuit & ſacris interpres fulminis alis
Fatîda, & antiquus Romanis mœnibus horror
Clufinum vulgus, quum, Porſena magne, jubebas
Nequidquam pulſos Romæ imperitare Superbos.
Tunc quos à niveis exegit Luna metallis
Inſignis portu, quo non ſpatioſior alter
Innumeras cepiſſe rates, & claudere pontum.
Mœoniæque decus quondam Vetuloniа gentis,
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures,
Hæc altas eboris decoravit honore curules,
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.
Hæc eadem pugnas accendere protulit ære.
Hos juxta Nepeſina cohors, Æquſque Faliſci,
Quſque tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminſque lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & ſacrum Phœbo Soracte frequentant,
Spicula bina gerunt, capiti cudone ferino
Sat cautum: Lycios damnant haſtilibus arcus.
Hæ bellare acies nôrant, ac Marſica pubes
Et bellare manu, & chelydris cantare ſoporem,
Viperecúmque herbis hebetare & carmine dentem,
Æetæ prolem Angitiam mala gra nina primam
Monſtraviſſe ferunt, tactúque domare venena,
Et lunam excuſſiſſe polo, ſtridoribus amnes
Frænantem, ac ſylvis montem nudâſſe vocatis.
Sed populis nomen poſuit metuentior hoſpes,
Quum fugeret Phrygios trans æquora Marſia Crenos,
Mygdoniam Phœbi ſuperatus pectine loton.
Marruvium veteris celebratum nomine Marri
Urbibus eſt illis caput, interiórque per udos
Alba ſedet campos, pomiſque rependit ariſtas.
Cætera in obſcuro famæ, & ſinè nomine vulgi,
Sed numero caſtella valent: conjungitur acer
Pelignus, gelidóque rapit Sulmone cohortes.
Nec cedit ſtudio vicinus ſanguine miles,
Quem genuere Cales: non parvæ conditor urbis
(Ut fama eſt) Calais, Boreæ quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris.
Haud illo levior bellis Veſtina juventus
Agmina denſavit venatu dura ferarum.
Quæ, Fiſcelle, tuas arces, Pinnámque virentem,
Paſcuáque haud tardè redeuntia tondet Avellæ,
Marrucina ſimul Frentanis æmula pubes
Corfinî populos, magnúmque Teate trahebat.
Omnibus in pugnâ fertur ſparus, omnibus alto
Adſuetæ volucrem cælo demittere fundæ.
Pectora pellis obit cæſi venatibus urſi,
Jam verò quos dives opum, quos dives avorum,
E toto dabat ad bellum Campania tractu.
Ductorum adventum vicinis ſedibus Oſci
Servabant, Sinueſſa tepens fluctúque ſonorum
Vulturnum, quáſque evertere ſilentia, Amyclæ,
Fundíque, & regnata Lamo Caieta, domúſque
Antiphatæ compreſſa freto, ſtagnſſque paluſtre
Linternum, & quondam fatorum conſcia Cume,
Illic Nuceria, & Gaurus navalibus apta,
Prole Dicarchæâ, multo cum milite Graia
Illic Parthenope, ac Pœno non pervia Nola,
Alliſe, & Clanio contemtæ ſemper Acerræ,
Sarraſtes etiam populos, totáſque videres
Sarni mitis opes: illic quos ſulfure pingues
Phlegræi legere ſinus. Miſenus, & ardens
Ore giganteo ſedes Ithaceſia Bai,
Non Prochyte, non ardentem ſortita Typhœa
Inarime, non antiqui ſaxoſa Telonis
Inſula, nec parvis aberat Calatia muris,
Surrentum, & pauper ſulci cerealis Avella.
In primis Capua, heu rebus ſervare ſerenis
Inconſulta modum, & pravo peritura tumore,
Lectos venturo formabat Scipio bello.
Ille viris pilâ, & ferro circundare pectus
Addiderat, leviora domo de more parentum
Geſtabant tela, ambuſtas ſinè cuſpide cornos,
Aclidis uſus erat, factæque ad rura bipennes.
Ipſe inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas, undoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum: ſpectacula tanta
Ante acies virtutis erant: ſæpe alite plantâ
Ilia perfoſſum, & campi per aperta volantem
Ipſe pedes prævertit equum, ſæpe arduus idem
Caſtrorum ſpatium & ſaxo tranſmiſit, & haſtâ:

Martia frons, facilêſque comæ, nec ponè retróque
Cæſaries brevior, flagrabant lumina, miti
Adſpectu, gratúſque inerat viſentibus horror.
Adfuit & Samnis, nondum vergente favore
Ad Pœnos, ſed nec veteri purgatus ab irâ.
Qui Batulum, Mucráſque colunt, Boviania quſque
Exercent luſtra, aut Caudinis faucibus hærent,
Et quos aut Rufre, aut quos Æſernia, quóſve
Obſcura incultis Herdonia miſit ab agris.
Bruttius haud diſpar animorum, unáque juventus
Lucanis excita jugis, Hirpináque pubes
Horrebat telis, & tergo hirſuta ferarum.
Hos venatus alit, luſtra incoluere, ſitímque
Avertunt fluvio, ſomnſque labore parantur.
Additur his Calaber, Salentinæque cohortes,
Necnon Brunduſium, quo deſinit Itala tellus.
Parebat legio audaci permiſſa Cethego,
Cui ſocias vires, atque indiſcreta maniplis
Arma recenſebant, nunc ſeſe oſtendere miles
Leucoſiæ à ſcopulis, nunc quem Picentia Pæſto
Miſit, & exhauſtæ mox Pœno Marte Carillæ,
Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum merſis inoleſcere ramis.
Ille & pugnacis laudavit tela Salerni,
Falcatos enſes, & quæ Baxentia pubes
Aptabat dextris irraſæ robora clavæ,
Ipſe humero exſertus, gentili more parentum,
Difficili gaudebat equo, robúrque juventæ
Flexu cornipedis duro exercebat in ore.
Vos etiam acciſæ, deſolatæque virorum
Eridani gentes, nullo attendente deorum
Votis tunc veſtris, caſura ruiſlis in arma.
Certavit Mutinæ quaſſata Placentia bello.
Mantua mittendâ certavit pube Cremonæ,
Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Evecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris.
Tum Verona Athefi circumfluа, & undique ſolers
Arva coronantem nutrire Faventia pinum.
Vercellæ, fuſciſque ferax Pollentia villi,
Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Oeni priſca domus, parvſque Bononia Rheni.
Quſque gravi remo, limoſis ſegniter undis
Lenta paludoſæ perſcindunt ſtagna Ravennæ.
Tum Trojana manus, tellure antiquitus orti
Euganeâ, profugſque ſacris Antenoris oris.
Nec non cum Venetis Aquileïa perfurit armis.
Tum pernix Ligus, & ſparſi per ſaxa Vagenni
In decus Annibalis duros miſere nepotes.
Maxima tot populis rector fiducia Brutus
Ibat, & hortando notum accendebat in hoſtem.
Læta viro gravitas, & mentis amabile pondus,
Et ſinè triſtitiâ virtus, non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam lævo quærebat limite vitæ.
Addiderat ter mille viros, in Marte ſagittæ
Expertos, fidus Siculâ regnator ab Ætnâ.
Non totidem Ilva viros, ſed lectos cingere ferrum
Armârat patrio, quo nutrit bella, metallo.
Ignôſſet, quamvìs avido committere pugnam,
Varroni, quicunque ſimul tot tela videret.
Tantis agminibus Rhœteo littore quondam
Fervere, quum magnæ Trojam invaſere Mycenæ.
Mille rates vidit Leandrius Helleſpontus.
Ut ventum ad Cannas, urbis veſtigia priſcæ,
Defigunt diro ſigna infelicia vallo.
Nec tantâ miſeris, jámque impendente ruinâ,
Ceſsârunt ſuperi vicinas prodere clades.
Per ſubitum attonitis pila exarſere maniplis,
Et celſæ toto ceciderunt aggere pinnæ,
Nutantíque ruens proſtravit vertice ſylvas
Garganus, fundóque imo mugivit anhelans
Aufidus, & magno latè diſtantia ponto
Terruerunt pavidos accenſa Ceraunia nautas.
Quæſivit Calaber, ſubductâ luce repentè
Immenſis tenebris, & terram, & littora Sipûs.
Obſedítque frequens caſtrorum limina bubo,
Nec denſæ trepidis apium ſe involvere nubes
Ceſsârunt aquilis. non unus crine coruſco
Regnorum everſor rubuit letale cometes,
Caſtra quoque, & vallum, rabidæ ſub nocte ſilenti
Irrupere feræ, raptíque ante ora paventum
Adjunctos vigilis ſparſerunt membra per agros,
Ludificante etiam terroris imagine ſomnos.
Gallorum viſi buſtis rupere nitores.

Térque quatérque ſolo penitus tremuere revulſæ
Tarpeiæ rupes, atque atro ſanguine flumen
Manavit Jovis in templis, lacrymæque vetuſtâ
Effigie patris largè fluxere Quirini.
Major & horrificis ſeſe extulit Allia ripis.
Non Alpes ſedere loco, non nocte diéve
Ingentes inter ſtetit Apenninus hiatus.
Axe ſuper medio, Libyes à parte, coruſcæ
In Latium venere faces, ruptúſque fragore
Horriſono polus, & vultus patuere tonantis.
Ætneos quoque contorquens è cautibus ignes
Lemnius intonuit, ſcopulíſque in nubila jactis
Phlegræus tetigit trepidantia ſidera vertex.
Ecce inter medios belli præſagus, & ore
Attonito, ſenſúque ſimul, clamoribus implet
Miles caſtra ſeris, & anhelat clade futurâ.
Parcite crudeles ſuperi, jam ſtragis acervis
Deficiunt campi, video per denſa volantem
Agmina ductorem Libyæ, currúſque citatos
Arma virûm ſuper, atque artus, & ſigna trahentem.
Turbinibus furit inſanis, & prœlia ventus
Inque oculos, ſinque ora rotat: cadit immemor ævi,
Nequidquam Trafimene tuis Servilius oris
Subductus: quò Varro fugis? proh Jupiter ictu
Procumbit ſaxi feſſis ſpes ultima Paullus.
Cetſerit huic Trebia exitio: pons ecce cadentum
Corporibus ſtruitur, tacitúſque cadavera fundit
Auſidus, ac victrix inſultat bellua campis.
Geſtat Agenoreus noſtro de more ſecures
Conſulis, & ſparſos lictor fert ſanguine faſces,
In Libyam Auſonii portatur pompa triumphi.
O dolor, hoc etiam ſuperi vidiſſe jubetis,
Congello, lævæ quodcunque avellitur, auro
Metitur Latias victrix Carthago ruinas.

LIBER IX.

TURBATO monſtris Latio cladiſque futuræ
Signa per Auſoniam prodentibus irrita divis,
Haud ſecus ac ſi fauſta forent, & proſpera pugnæ
Omina venturæ, conſul traducere noctem
Exſomnis, telúmque manu vibrare per umbras,
Ac modò ſegnitie Paullum increpitare, modò acres
Exercere tubas, nocturnáque claſſica velle.
Nec minor in Pœno properi certaminis ardor.
Erumpunt vallo fortunâ urgente ſiniſtrâ,
Conſertæque manus: jam ſparſi ad pabula campis
Vicinis raptanda Macæ, fudere volucrem
Telorum nubem: ante omnes invadere bella
Mancinus, gaudens hoſtili tinguere primus
Tela cruore cadit, cadit & numeroſa juventus.
Nec pecudum fibras Varro & contraria Paullo
Auſpicia incuſante deûm, compeſceret arma,
Ni ſors alterni juris, quo caſtra reguntur
Arbitrium pugnæ properanti in fata negâſſet.
Quæ tamen haud valuit perituris millibus, unâ
Plus donâſſe die, redire in caſtra, gemente
Haud dubiè Paullo, qui craſtina jura videret
Amenti ceſſura viro, fruſtráque ſuorum
Servatas à cæde animas. nam turbidus irâ
Infenſúſque moræ, dilata ob prœlia ductor,
Siccine nunc, inquit, grates pretiúmque rependis
Paulle tui capitis? meruerunt talia qui te
Legibus atque urnæ dira eripuere minanti?
Tradant imò hoſti revocatos ilicet enſes,
Tradant arma jube, aut pugnantum diripe dextras.
Sed vos quorum oculos atque ora humentia vidi,
Vertere quum conſul terga, & remeare juberet,
Ne morem & pugnæ ſignum exſpectate petendæ,
Dux ſibi quiſque viam rapito, quum ſpargere primus
Incipiet radiis Gargana cacumina Phœbus.
Pandam egomet primus portas, ruite ocyùs, atque hunc
Ereptum revocate diem. ſic turbidus ægra
Peſtifero pugnæ caſtra incendebat amore.
At Paullus jam non idem, nec mente, nec ore,
Sed qualis ſtratis dilecto milite campis
Poſt pugnam ſtetit, ante oculos atque ora futuro
Obverſante malo, ceu jam ſpe lucis ademtâ,
Quum ſtupet exanimata parens, natſque tepentes
Nequidquam fovet extremis amplexibus artus.
Per toties, inquit, concuſſæ mœnia Romæ,
Pérque has, nox Stygiâ quas jam circumvolat umbrâ,
Inſontes animas, cladi parce obvius ire,
Dum tranſit divûm furor, & conſumitur ira
Fortunæ, novus Annibalis ſat nomina ferre
Si diſcit miles, nec frigidus adſpicit hoſtem.
Nónne vides, quum vicinis auditur in arvis,
Quàm ſubitus linquat pallentia corpora ſanguis?
Quámque fluant arma ante tubas? cunctator & æger
(Ut rere) in pugnas Fabius, quoſcunque ſub illis
Culpatis duxit ſignis, nunc arma capeſſunt,
Haud quos Flaminius, ſed dira avertite divi.
Sin noſtris animus monitis precibúſque repugnat,
Aures pande deo, cecinit Grynæa per orbem
Hæc olim vates, & te præſaga tuóſque
Vulgavit terris proavorum ætate furores.
Jámque alter tibi, nec perplexo carmine, coràm
Fata cano vates, fiſtis nî craſtina ſigna,
Firmabis noſtro Phœbeæ dicta Sibyllæ
Sanguine, nec Graio poſthac Diomede ferentur,
Sed te, ſi perſtas, inſignes conſule campi.
Hæc Paullus, lacrymæque oculis ardentibus ortæ,
Necnon & noctem ſceleratus polluit error.
Xanthippo captus, Libycis tolerârat in oris
Servitium Satricus, mox inter præmia regi
Autololum dono datus ob virtutis honorem:
Huic domus, & gemini fuerant Sulmone relicti
Matris in uberibus nati, Mancinus, & unà
Nomine Rhœteo Solymus: nam Dardana origo,
Et Phrygio genus à proavo, qui ſceptra ſequutus
Æneæ, claram muris fundaverat urbem
Ex ſeſe dictam Solymon, celebrata colonis
Mox Italis paulatim attrito nomine Sulmo.
Ac tum barbaricis Satricus cum rege catervis
Advectus, quo non ſpretum (ſi poſceret uſus)
Noſcere Gætulis Latias interprete voces.
Poſtquam poſſe datum Peligna reviſere tecta,
Et patrium ſperare larem, ad conamina noctem
Advocat, ac furtim caſtris evadit iniquis.
Sed fuga nuda viri, ſumto quia prodere cœpta
Vitabat clypeo, & dextrâ remeabat inermi.
Exuvias igitur, proſtratáque corpora campo
Luſtrat, & exutis Mancini cingitur armis.
Jámque metus levior: verùm cui demta ferebat
Exſangui ſpolia, & cujus nudaverat artus,
Natus erat, paulò antè Macâ proſtratus ab hoſte.
Ecce ſub adventum noctis, primúmque ſoporem
Alter natorum Solymus, veſtigia vallo
Auſonio vigil extulerat, dum ſorte viciſſim
Alternat portæ excubias, fratríſque petebat
Mancini ſtratum ſparſa inter funera corpus,
Furtivâ cupiens miſerum componere terrâ.
Nec longum celerârat iter, quum tendere in armis
Aggere Sidonio venientem conſpicit hoſtem.
Quódque dabat ſors in ſubitis necopina, ſepulcro
Ætoli condit membra occultata Thoantis:
Indè ubi nulla ſequi propiùs ponè arma, virúmque
Incomitata videt veſtigia ferre per umbras,
Proſiliens tumulo contorquet nuda parentis
In terga, haud fruſtra, jaculum: Tyriámque ſequentum
Satricus eſſe manum, & Sidonia vulnera credens,
Auctorem cæci trepidus circumſpicit ictûs.
Verùm ubi victorem juvenili robore curſus
Attulit, & notis fulſit lux triſtis ab armis,
Fraternúſque procul, lunâ prodente, retexit
Ante oculos ſeſe, & radiavit cominus umbo,
Exclamat juvenis ſubitâ flammatus ab irâ,
Non ſim equidem Sulmone ſatus tua Satrice proles,
Nec frater Mancine tuus, fateárque nepotem
Pergameo indignum Solymo, ſi evadere detur
Hinc noſtrâ te impune manu: tu nobile geſtes
Germani ſpolium ante oculos, referáſque ſuperba,
Me ſpirante, domûs Pelignæ perfidus arma?
Hæc tibi cara parens, Acca, ad ſolatia luctûs
Dona feram nati, ut figas æterna ſepulcro.
Talia vociferans ſtricto mucrone ruebat.
Aſt illi jam tela manu, jámque arma fluebant
Audita patriâ, natſque & conjuge & armis,
Ac membra & ſenſus gelidus ſtupefecerat horror.
Tum vox ſemianimi miſeranda effunditur ore:
Parce precor dextræ, non ut mihi vita ſuperſit,
Quippe nefas hâc velle frui, ſed ſanguine noſtro
Ne damnes, ô nate, manus. Carthaginis ille
Captivus patrias nunc primùm advectus in oras
Ille ego ſum Satricus, Solymi genus, haud tua nate
Fraus ulla eſt, jaceres in me quum fervidus haſtam,

Pœnus eram, verùm ut caſtris elapſus acerbis
Ad vos, & caræ properabam conjugis ora.
Hunc rapui exanimi clypeum, ſed jam unice nobis
Hæc fratris tumulis arma excuſata reporta.
Curarum tibi prima tamen ſit, nate, referre
Ductori monitus Paullo, producere bellum
Nitatur, Pœnóque neget certamina Martis.
Augurio exſultat divûm, immenſámque propinquâ
Stragem acie ſperat: quæſo prohibete furentem
Varronem: namque hunc fama eſt impellere ſigna:
Sat magnum hôc miſeræ fuerit mihi cardine vitæ
Solamen, caviſſe meis: nunc ultima, nate
Invento ſimul, atque amiſſo, redde parenti
Oſcula: ſic fatus galeam exuit, atque rigentis
Invadit nati tremebundis colla lacertis,
Attonitóque timens, verbis ſanare pudorem
Vulneris impreſſi, telum excuſare laborat.
Quis teſtis noſtris, quis conſcius adfuit actis?
Non nox errorem nigranti condidit umbrâ?
Cur trepidas? da nate magìs, da jungere pectus.
Abſolvo pater ipſe manum, atque in fine laborum
Hâc condas oculos dextrâ precor. at miſer imo
Pectore ſuſpirans juvenis, non verba vicéſque
Alloquio vocémve refert, ſed ſanguinis atri
Siſtere feſtinat curſum, laceróque ligare
Ocyus illacrymans altum velamine vulnus.
Tandem inter gemitus, miſeræ erupere querelæ:
Siccine te nobis genitor fortuna reducit
In patriam? ſic te nato natúmque parenti
Impia reſtituit? felix ô térque quatérque
Frater, cui fatis genitorem agnoſcere ademtum.
Aſt ego Sidoniis inperditus, ecce parentem
Vulnere cognoſco. ſaltem hoc, fortuna, fuiſſet
Solamen culpæ, dubia ut mihi ſigna dediſſes
Infauſti generis: verùm linquetur iniquis
Non ultrà ſuperis noſtros celare labores.
Hæc dum amens queritur, jam deficiente cruore
In vacuas ſenior vitam deſperſerat auras.
Tum juvenis mœſtum attollens ad ſidera vultum,
Pollutæ dextræ & facti Titania teſtis
Infandi, quæ nocturno mea lumine tela
Dirigis in patrium corpus, non ampliùs, inquit,
His oculis & damnato violabere viſu.
Hæc memorat, ſimul enſe fodit præcordia, & atrum
Suſtentans vulnus, mananti ſanguine ſignat
In clypeo mandata patris, FUGE PROELIA VARRO.
Ac ſummi tegmen ſuſpendit cuſpide teli,
Defletúmque ſuper proſternit membra parentem.
Talia venturæ mittebant omina pugnæ
Auſoniis ſuperi, ſenſímque abeuntibus umbris
Conſcia nox ſceleris roſeo cedebat Eoo.
Ductor in arma ſuos Libys, & Romanus in arma
Excibat de more ſuos, Pœnſíque redibat
Qualis nulla dies omni ſurrexerit ævo.
Nec verborum, inquit, ſtimulantum Pœnus, egetis,
Herculeis iter à metis ad Japygis agros
Vincendo emenſi: nuſquam eſt animoſa Saguntos:
Conceſſere Alpes: pater ipſe ſuperbus aquarum
Auſonidum Eridanus captivo defluit alveo.
Strage virûm merſus Trebia eſt, atque ora ſepulto
Lydia Flaminio premitur, latéque refulgent
Oſſibus, ac nullo ſulcantur vomere campi.
Clarior his titulus, plúſque adlatura cruoris
Lux oritur, mihi magna ſatìs, ſat vera ſupérque
Bellandi merces ſit gloria, cætera vobis
Vincantur: quidquid diti devexit Ibero,
Quidquid & Ætnæis jactavit Roma triumphis,
Quin etiam Libyco ſi quid de littore raptum
Condidit, in veſtros venient ſinè ſortibus enſes.
Ferte domos quod dextra dabit: nil victor honoris
Ex opibus poſco: raptor per ſæcula longa
Dardanus, edomitum vobis ſpoliaverit orbem.
Qui Tyriâ ducis Sarranum ab origine nomen,
Seu Laurens tibi Sigæo fulcata colono
Arridet tellus, ſeu ſunt Byzácia cordi
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis,
Electos optare dabo inter præmia campos,
Addam etiam flavâ Tibris quas irrigat undâ
Captivis latè gregibus depaſcere ripas.
Qui verò extremo ſocius mihi cardine Byrſæ
Signa moves, dextram Auſoniâ ſi cæde cruentam
Attolles, hinc jam civis Carthaginis eſto.
Neu vos Gargani Dauníque fefellerit ora.
Ad muros ſtatis Romæ, licèt avia longè
Urbs agat, & noſtro procul à certamine diſtet:
Hìc hodie ruet, atque ultrà te ad prœlia miles
Nulla voco, ex acie tende in Capitolia curſum.
Hæc memorat, tum propulſo munimine valli
Foſſarum rapuere moras, aciémque locorum
Conſilio, curvis accommodat ordine ripis.
Barbaricus lævo ſtetit ad certamina cornu
Bellator Naſamon, unáque immanior artus
Marmarides, tum Maurus atrox, Garamáſque, Macéſque
Et Maſſylæ acies, & terro vivere lætum
Vulgus Adyrmachidæ, pariter gens accola Nili
Corpora ab immodico ſervans nigrantia Phœbo.
Queis poſitum agminibus caput imperiúmque Nealces.
At parte in dextrâ, ſinuat quà flexibus undam
Auſidus, & curvo circùm errat gurgite ripas,
Mago regit, ſubiere leves, quos horrida milit
Pyrene populi varióque auxere tumultu
Flumineum latus, effulget cetrata juventus,
Cantaber ante alios, nec tectus tempora Vaſco,
Ac torto miſcens Balearis, prœlia plumbo,
Bætigenæque viri: celſus media ipſe coercet
Agmina, quæ patrio firmavit milite, quæque
Celtarum Eridano perfuſis ſæpe catervis.
Sed quà ſe fluvius retro labentibus undis
Eripit, & nullo cuneos munimine vallat,
Turritas moles, ac propugnacula dorſo
Bellua nigranti geſtans, ceu mobilis agger
Nutat, & erectos attollit ad æthera muros.
Cætera jam Numidis circumvolitare, citóſque
Ferre datur curſus, & toto fervere campo,
Dum Libys incenſo diſpenſat milite vires,
Hortandóque iterum, atque iterum inſatiabilis urget,
Factis quemque ſuis, & ſe cognoſcere jactat
Quâ dextrâ veniant ſtridentis ſibila teli:
Promittítque viris nulli ſe defore teſtem.
Jam Varro, exactâ vallo legione, movebat
Cladum principia: at pallenti lætus in undâ
Laxabat ſedem venturis portitor umbris.
Stant primi, quos ſanguineæ pendente vetabant
Ire notæ clypeo, defixíque omine torpent.
Juxtà terribilis facies, miſeranda jacebant
Corpora in amplexu, natúſque in pectore patris
Impoſitâ vulnus dextrâ letale tegebat.
Effuſæ lacrymæ, Mancinſque indè reverſus
Fraternâ ſub morte dolor, tum triſte movebat
Augurium, & ſimiles defuncto in corpore vultus,
Ocyùs erroris culpam, deflendáque fata
Ductori pandunt, atque arma vetantia pugnam.
Ille ardens animi, ferte hæc, ait, omina Paullo:
Namque illum, cui femineo ſtant corde timores,
Moverit iſta manus, quæ cæde imbuta nefandâ
Quum furiæ expeterent pœnas, fortaſſe paterno
Signavit moriens ſceleratum ſanguine carmen.
Tum minitans properè deſcribit munera pugnæ,
Quâque feras ſævus gentes, aciémque Nealces
Temperat, hâc ſeſe Marſo cum milite, cúmque
Samnitum opponit ſignis, & Japyge alumno.
At campi medio (namque hâc in parte videbat
Stare ducem Libyæ) Servilius obvia adire
Arma, & Picentes Umbróſque inferre jubetur.
Cætera Paullus habet dextro certamina cornu.
His ſuper, inſidias contra, Nomadúmque volucrem
Scipiadæ datur ire manum, quâque arte doliſque
Scindent ſe turmæ, prædicit ſpargere bellum.
Jámque propinquabant acies, agiliſque virorum
Diſcurſu, mixtóque ſimul calefacta per ora
Cornipedum hinnitu, & multùm ſtrepitantibus armis
Errabat cæcum turbata per agmina murmur.
Sic ubi prima movent pelago certamina venti,
Incluſam rabiem, ac ſparſuras aſtra procellas
Parturit unda freti, fundóque emota minaces
Exſpirat per ſaxa ſonos, atque acta cavernis
Torquet anhelantem ſpumanti vertice pontum.
Nec verò fati tam ſævo turbine, ſolùm
Terrarum fuit ille labor: diſcordia demens
Intravit cælos, ſuperóſque ad bella coegit,
Hinc Mavors, hinc Gradivum comitatus Apollo,
Et domitor tumidi pugnat maris, hinc Venus amens,
Hinc Veſta, & captæ ſtimulatus cæde Sagunti
Amphitryoniades, pariter veneranda Cybelle,
Indigetéique dei, Faunúſque, ſatórque Quirinus,
Alternúſque animæ mutato Caſtore Pollux.
Contrà cincta latus ferro Saturnia Juno,
Et Pallas Libycis Tritonidos edita lymphis,

Ac

Ac patrius flexis per tempora cornibus Ammon,
Multáque præterea divorum turba minorum,
Quorum ubi mole simul venientum & greſſibus alma
Intremuit tellus, pars implevere propinquos
Diviſi montes, pars ſedem nube ſub altâ
Ceperunt, vacuo deſcenſum ad prœlia cælo.
Tollitur immenſus deſerta ad ſidera clamor,
Phlegræis quantas effundit ad æthera voces
Terrigena in campis exercitus, aut ſator ævi
Quantâ Cyclopas nova fulmina voce popoſcit
Jupiter, exſtructis vidit cùm montibus ire
Magnanimos raptum cæleſtia regna gigantes.
Nec verò prima in tantis concurſibus haſta
Ulla fuit, ſtridens nimbus certante furore
Telorum ſimul effuſus, cupidæque cruoris
Hinc atque hinc animæ, geminâ cecidere procellâ.
Acriùs inſanus dextrâ quâ ducitur enſis
Bellantum pars magna jacet, ſuper ipſa ſuorum
Corpora conſiſtunt avidi, calcántque gementes.
Nec magis aut Libyco protrudi Dardana niſu
Avertíve poteſt pubes, aut ordine pelli
Fixa ſuo Sarrana manus, quàm vellere ſede
Si tentet Calpen impacto gurgite pontus.
Amiſere ictus ſpatium, nec morte peractâ
Arctatis cecidiſſe licet, galea horrida flictu
Adverſæ ardeſcit galeæ, clypeúſque fatiſcit
Impulſu clypei, atque enſis contunditur enſe,
Pes pede, virque viro teritur, tellúſque videri
Sanguine operta nequit, cælúmque & ſidera pendens
Abſtulit ingeſtis nox denſa ſub æthere telis.
Queis adſtare loco dederat fortuna ſecundo,
Contorum longo & proceræ cuſpidis ictu,
Ceu primas agitent acies, certamina miſcent.
At quos deinde tenet retrorſum inglorius ordo,
Miſſilibus certant pugnas æquare priorum.
Ultrà clamor agit bellum, milésque cupiti
Martis inops, lævis impellit vocibus hoſtem.
Ullum nec deſit teli genus: hi ſude pugnas,
Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili:
At ſaxis, fundâque alius, jaculóque volucri.
Interdúmque ipſis metuenda falarica muris,
Interdum ſtridens per nubila fertur arundo.
Speramúſne deæ, quarum mihi ſacra coluntur,
Mortali totum hunc aperire in ſæcula voce
Poſſe diem? tantúmne datis confidere linguæ,
Ut Cannas uno ore ſonem? ſi gloria vobis
Noſtra placet, neque vos magnis avertitis auſis,
Huc omnes cantus, Phœbúmque vocate parentem.
Verùm utinam poſthac animo, Romane, ſecunda,
Quanto tunc adverſa, feras, ſitque hactenus oro,
Nec libeat tentare deis, an Troïa proles
Par bellum tolerare queat, túque anxia fati
Pone precor lacrymas, & adora vulnera, laudes
Perpetuas paritura tibi. nam tempore, Roma,
Nullo major eris. mox ſic labere ſecundis,
Ut ſolâ cladum tuearis nomina famâ.
Jámque inter varias fortuna utrimque virorum
Alternata vices, incerto eluſerat iras
Eventu, mediâque diu pendente per ambas
Spe gentes, paribus Mavors flagrabat in armis.
Mitia ceu virides agitant quum flamina culmos,
Necdum maturas impellit ventus ariſtas.
Huc atque huc it ſumma ſeges, nutánſque viciſſim
Alterno lentè motu incurvata nitéſcit.
Tandem barbaricis perfractam viribus acer
Diſſipat incurrens aciem clamore Neaices,
Laxati cunei, pérque intervalla citatus
Irrupit trepidis hoſtis, tum turbine nigro
Sanguinis exundat torrens, nullúmque ſub imâ
Cuſpide procumbit corpus, dum vulnera tergo
Bellator timet Auſonius, per pectora ſævas
Exceptat mortes, & leto dedecus arcet.
Strabat cum primis mediæ certamina pugnæ
Aſpera ſemper amans, & par cuicunque periclo
Scævola, nec tantâ vitam jam ſtrage volebat,
Sed dignum proavo letum, & ſub nomine mortem.
Is poſtquam frangi res, atque augeſcere vidit
Exitium, brevis hoc vitæ quodcunque relictum
Extendamus ait. nam virtus futile nomen,
Nî decus adfuerit patiendo, ubi tempora leti
Proxima ſint, pulchrámque petat per vulnera laudem.
Dixit, & in medios quà dextera concita Pœni
Limitem agit, vaſto connixus turbine fertur.
Hic exſultantem Calarim, atque erepta volentem
Induere excelſo cæſi geſtamina trunco
Enſe ſubit, capulóque tenus ferrum impulit ira.
Volvitur ille ruens, atque arva hoſtilia morſu
Appetit, & mortis premit in tellure dolores.
Nec Gabaris Sichæque virum tenuere furentes,
Concordi virtute manus, ſed perdidit acer
Dum ſtat, deciſam Gabar inter prœlia dextram.
At Sicha auxilium, magno turbante dolore,
Dum temere accelerat, calcato improvidus enſe
Succidit, & nudæ ferro veſtigia plantæ
Damnavit, dextrâque jacet morientis amici.
Tandem convertit fatalia tela Nealcæ
Fulminei gliſcens juvenis furor, exſilit ardens
Nomine tam claro ſtimulante, ad præmia cædis.
Tum ilicem ſcopulo avulſum, quem montibus altis
Derulerat torrens, raptum contorquet in ora
Turbidus, incuſſo crepuerunt pondere malæ.
Ablatúſque viro vultus, concreta cruento
Per nares cerebro ſanies fluit, atráque manant
Orbibus eliſis, & truncâ lumina fronte.
Sternitur unanimo Marius ſuccurrere Caſpro
Conatus, metuénſque viro ſupereſſe cadenti.
Lucis idem auſpicium, ac patrium & commune duobus
Paupertas, ſacro juvenes Prænelte creati
Miſcuerant ſtudia, & junctâ tellure ſerebant,
Velle ac nolle ambobus idem, ſociatáque toto
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus.
Occubuere ſimul, votíſque ex omnibus unum
Id fortuna dedit, junctam inter prœlia mortem.
Arma fuere decus victori bina Simetho.
Sed longùm tanto lætari munere caſûs
Haud licitum Pœnis: aderat terrore minaci
Scipio converſæ miſeratus terga cohortis,
Et cuncti fons Varro mali, flavúſque comarum
Curio, & à primo deſcendens conſule Brutus.
Atque his fulta viris acies repararet ademtum
Mole novâ campum, ſubito ni turbine Pœnus
Agmina frænâſſet jam procurrentia ductor.
Iſque ut Varronem procul inter prœlia vidit,
Et juxtà ſagulo circumvolitare rubenti
Lictorem; noſco pompam, atque inſignia noſco.
Flaminius modò talis ait, tum fervidus acrem
Ingentis clypei tonitru præmuntiat iram.
Heu miſer, æquari potuiſti funere Paullo,
Si tibi non irâ ſuperûm tunc eſſet ademtum
Annibalis cecidiſſe manu. quàm ſæpe querere
Varro deis, quòd Sidonium defugeris enſem?
Nam rapido ſubitam portans in morte ſalutem
Procurſu cœptâ ſeſe in diſcrimina vertit
Scipio, nec Pœnum (quamquam eſt ereptus opimæ
Cædis honor) mutâſſe piget majore ſub hoſte
Prœlia, & erepti Ticina ad flumina patris
Exigere oblato tandem certamine pœnas.
Stabant educti diverſis orbis ab oris,
Quanto non aliàs vidit concurrere tellus,
Marte viri, dextrâque pares, ſed cætera ductor
Anteibat Latius, melior pietate fidéque.
Diſſiluere cavâ turbati ad prœlia nube
Mavors Scipiadæ metuens, Tritonia Pœno,
Adventúque deûm intrepidis ductoribus, ambæ
Contremuere acies. ater, quâ pectore flectit
Pallas, Gorgoneo latè micat ignis ab ore,
Sibiláque horrificis torquet ſerpentibus ægis.
Fulgent ſanguinei, geminum vibrare cometen
Ut credas, oculi, ſummâque in caſſide largus
Undantes volvit flammas ad ſidera vertex.
At Mavors moto perturbans aera telo,
Et clypeo campum involvens, Ætnæa Cyclopum
Munere fundentem loricam incendia geſtat,
Ac pulſat fulvâ conſurgens æthera criſtâ.
Ductores pugnæ intenti, quantúmque viciſſim
Auderent, propiùs menſi, tamen arma ferentes
Senſere adveniſſe deos, & lætus uterque
Spectari ſuperis, addebant mentibus iras.
Jámque ictu valido libratam à pectore Pœni
Pallas in obliquum dextrâ detorſerat haſtam.
Et Gradivus opem divæ portare ferocis
Exemplo doctus, porgebat protinus enſem
Ætnæum in pugnâ juveni, ac majora jubebat.
Tum virgo igneſcens penitus, violenta repentè
Suffudit flammis ora, atque obliqua retorquens
Lumina, turbato ſuperavit Gorgona vultu.
Erexere omnes immania membra chelydri
Ægide commotâ, primíque furoris ad ictus

Rettulit

Rettulit ipſe pedem ſenſim à certamine Mavors.
Hìc dea convulſam rapidò conamine partem
Vicini montis, ſcopulíſque hærentia ſaxa
In Martem furibunda jacit, longéque relatos
Expavit ſonitus, tremefacto littore, Saſſon.
At non hæc ſuperûm fallebant prœlia regem,
Demittit properè ſuccinctam nubibus Irim,
Quæ nimios frœnet motus, ac talia fatur:
I dea, & Oenotris velox allabere terris,
Germanæque truces, die, Pallas mitiget iras,
Nec ſperet fixas Parcarum vertere leges:
Dic etiam, ni deſiſtis (nam virus & æſtus
Flammiferæ novi mentis) nec colligis iram,
Ægide præcellam quantùm horrida fulmina noſtræ.
Quæ poſtquam accepit dubitans Tritonia virgo,
Nec tàm certa diu, patriis an cederet armis,
Abſiſtemus ait campo? ſed Pallade pulsâ
Num fata avertet? cælóque arcebit ab alto
Cernere Gargani ferventia cædibus arva?
Hæc effata, cavâ Pœnum in certamina nube
Sublatum diverſa tulit, terráſque reliquit.
At Gradivus atrox, remeantis in æthera divæ
Abſceſſu revocat mentes, fuſámque per æquor
Ipſe manu magnâ, nebulâ circumdatus atrâ,
Reſtituit pugnam, convertunt ſigna, novámque
Inſtaurant Itali, versâ formidine, cædem.
Tum ventis poſitus cuſtos, cui flamina carcer
Imperio compreſſa tenet, cælúmque ruentes
Eurſque & Boreæ parent, Corſque Noſque,
Junonis precibus, promiſſa haud parva ferentis,
Regnantem Æoliis Vulturnum in prœlia campis
Eſtrænat, placet hic iræ exitiabilis ultor.
Qui ſe poſtquam Ætnæ merſit candente barathro,
Concepítque ignes, & flammea protulit ora,
Evolat horrendo ſtridore, ac Dannia regna
Perflat agens cæcam glomerato pulvere nubem.
Eripuere oculos auræ vocémque manúſque,
Vortice arenoſo candentes (flebile dictu)
Torquet in ora globos Italûm, & bellare maniplis
Juſſa lacerantur rabie, tum mole ruinæ
Sternuntur tellure, & miles, & arma, rubeque,
Atque omnis retro flatu occurſante refertur
Lancea, & intergum Rutulis cadit irritus ictus.
Atque idem flatus Pœnorum tela ſecundat,
Et velut amento contorta haſtilia turbo
Adjuvat, ac Tyrias impellit ſtridulus haſtas.
Tum denſo fauces præcluſus pulvere miles
Ignavam mortem compreſſo mœret hiatu,
Ipſe caput flavum caligine conditus atrâ
Vulturnus, multâque comam perfuſus arenâ
Nunc vertos agitat tergo ſtridentibus alis,
Nunc mediam in frontem veniens clamante procellâ
Obvius arma quatit, patulóque inſibilat ore.
Interdum intentos pugnæ, & jam jámque ferentes
Hoſtili jugulo ferrum, conamine & ictu
Avertit, dextrámque ipſo de vulnere vellit.
Nec ſatìs Auſonias paſſim fœdare cohortes,
In Martem vomit immixtas mugitibus auras,
Biſque dei ſummas libavit turbine criſtas.
Quæ dum Romuleis exercet prœlia turmis
Æolius furor, & Martem ſuccendit in iras,
Adfatur virgo ſociâ Junone parentem:
Quantos Gradivus fluctus in Punica caſtra,
Reſpice, agit, quantíſque furens ſe cædibus implet.
Nunc, quæſo, terris deſcendere non placet Irim? 530
Quanquam ego non Teucros (noſtro cùm pignore re-
Roma, & Palladio ſedes hâc urbe locârim) [gnet
Non Teucros delere aderam, ſed lumen alumnæ
Annibalem Libyæ, pelli florentibus annis
Vita, atque extingui primordia tanta negabam.
Excipit hæc Juno, longíque laboris ab irâ,
Imò, ait, ut noſcant gentes, immania quantùm
Regna Jovis valeant, cunctíſque potentia quantùm
Antiſtet conjux ſuperis tua, diſcute telo
Flagranti (nil oramus) Carthaginis arces,
Sidoniámque aciem vaſto telluris hiatu
Tartareis immerge vadis, aut obrue ponto.
Contra quæ miti reſpondet Jupiter ore:
Certatis ſatis, & ſpes extenditis ægras.
Ille, ô nata, libens cui tela inimica ferebas,
Contundet Tyrios juvenis, ac nomina gentis
Induet, & Libycam feret in Capitolia laurum.
At cui tu, conjux, cui das animóſque, decúſque,
(Fata cano) avertet populis Laurentibus arma.

Nec longè cladis metæ: venit hora, diéſque
Quâ nullas unquam tranſiſſe optaverit Alpes.
Sic ait, atque Irim properè demittit olympo,
Quæ revocet Martem, jubeátque abſcedere pugnâ.
Nec vetitis lætatus abit Gradivus in altas
Cum fremitu nubes, quanquam lituſque, tubæque,
Vulneráque, & ſanguis, & clamor, & arma juvarent.
Ut patuit liber ſuperûm certamine tandem,
Laxatúſque deo campus, ruit æquore ab imo
Pœnus, quo ſenſim cœleſtia fugerat arma.
Magnâ voce trahens equitémque virúſque, feraque
Turrigeræ molem, tormentorúmque labores.
Atque ubi turbantem leviores enſe catervas
Agnovit juvenem, ſcintillavítque cruentis
Ira genis, quonam furiæ, quíve egit in hoſtem,
En Minuci, deus, ut rurſum te credere nobis
Auderes, inquit? genitor tibi, natus ab armis
Ille meis, ubi nunc Fabius? ſemel, improbe, noſtras
Sit ſatìs evaſiſſe manus: atque indè ſuperbis
Haſta comes dictis, murali turbine pectus
Transforat, & voces venturas occupat ictu.
Nec ferro ſævire ſat eſt, appellitur atra
Mole fera, & monſtris componitur Itala pubes.
Nam prævectus equo, moderantem cuſpide Lucas
Maurum in bella boves, ſtimulis majoribus ire,
Ac raptare jubet Libycarum armenta ferarum.
Immanè ſtridens agitur, crebróque coacta
Vulnere bellatrix properos ferit bellua greſſus.
Liventi dorſo turris flammâque, virúſque,
Et jaculis armata ſedet, procul aſpera grando
Saxorum ſuper arma ruit, paſſímque volanti
Celſus telorum fundit Libys aggere nimbum.
Stat niveis longum ſtipata per agmina vallum
Dentibus, atque ebori prætixâ cominus haſtâ
Fulget ab incurvo dejecta cacumine cuſpis.
Hìc inter trepidos rerum, per membra, per arma
Exigit Uſentis ſceleratum bellua dentem,
Clamantémque ferens calcata per agmina portat.
Nec leviùs radio lævum quà tegmine thorax
Multiplicis lini claudit latus, improba ſenſim
Corpore non læſo penetrârunt ſpicula dentis,
Et ſublime virum clypeo reſonante tulerunt.
Haud excuſſa novi virtus terrore pericli,
Utitur ad laudem caſu, geminúmque citato
Vicinus fronti lumen tranſverberat enſe.
Exſtimulata gravi ſeſe fera tollit ad auras
Vulnere, & erectis excuſſam cruribus altè
Ponè jacit volvens reflexo pondere turrim.
Arma virique timui ſpoliatáque bellua viſu
Sternuntur, ſubitâ (miſerandum) mixta ruinâ
Spargere flagrantes contra bellantia monſtra
Dardanius tædas victor jubet, & facis atræ
Quos fera circumfert, compleri ſulfure muros.
Nec juſſo mora, collectis famantia lucent
Terga elephantorum flammis, paſſúſque ſonoro
Iguis edax vento, per propugnacula fertur.
Non aliter Pindo Rhodopéve incendia paſtor
Quum jacit, & ſylvis ſpatiatur fervida peſtis.
Frondoſi igneſcunt ſcopuli, ſubitóque per alta
Collucet juga diſſultans Vulcanius ardor.
It fera, candenti torrente bitumine corpus
Amens, & laxo diducit limite turmas.
Nec cuiquam virtus propiora capeſſere bella
Longinquis audent jaculis, & arundinis ictu.
Uritur impatiens, & magni corporis æſtu,
Huc atque huc jactas accendit bellua flammas,
Donec vicini tandem ſe fluminis undis
Præcipitem dedit, & tenui decepta liquore
Stagnantis per plana vadi, tulit incita longis
Exſtantem ripis flammam, tum denique ſeſe
Gurgitis immerſit molem capiente profundo.
At quà pugna datur, necdum Mauruſia peſtis
Igne calet, circumfuſi Rhœteïa pubes,
Nunc jaculis, nunc & ſaxis, nunc alite plumbo
Eminus incellunt, ut qui caſtella per altos
Oppugnat monita locos, atque adlidet arces.
Auſus digna viro, fortunâ digna ſecundâ,
Extulerat dextram, atque adverſum cominus enſem
Mincius infelix auſi, ſed ſtridula anhelum
Fervorem effundens monſtri manus, abſtulit acri
Implicitum nexu, diróque ligamine tortis,
Et ſuperas altè miſerum jaculata per auras
Telluri elisis adfixit (flebile) membris.
Has inter clades viſo Varrone ſub armis

Increpitans Paullus, quin imus cominus, inquit,
Ductori Tyrio, quem vinctum colla catenis
Staturum ante tuos currus promisimus urbi?
Heu patria, heu plebes scelerata, & prava favoris!
Haud unquam expedies tam dirâ sorte malorum.
Quem tibi non nasci fuerit per vota petendum,
Varronem, Annibalémne magis? dum talia Paullus,
Urget præcipitans Libys, atque in terga ruentum
Ante oculos cunctas ductoris concitat hastas.
Pulsatur galea, & quatiuntur consulis arma,
Acriùs hôc Paullus medios ruit asper in hostes.
Tum verò excussus mentem, in certamina Paullo
Avia deducto, convertit Varro, manúque
Cornipedem inflectens, das, inquit, patria pœnas
Quæ Fabio incolumi, Varronem ad bella vocâsti.
Quænam autem mentis, vel quæ discordia fati?
Parcarúmque latens fraus est? abrumpere cuncta
Jamdudum cum luce libet: sed comprimit ensem
Nescio quis deus, & meme ad graviora reservat.
Vivámne? & fractos, sparsósque cruore meorum
Hos referam populo fasces? atque ora per urbes
Iratas spectanda dabo? & quo sæviùs ipse
Annibal haud poscat, fugiam, & te Roma videbo?
Plura indignantem, telis propioribus hostes
Egere, & sonipes rapuit laxatus habenas.

LIBER X.

PAULLUS ut adversam videt increbrescere pugnam,
Ceu fera, quæ, telis circumcingentibus, ultro
Adsilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos, seséque periclis
Ingerit, atque omni letum molitur ab ense.
Increpat horrendum, perstate, & fortiter, oro,
Pectoribus ferrum accipite, ac sinè vulnere terga
Ad manes deferte viri, nisi gloria mortis
Nil superest: idem sedes adeuntibus imas
Hîc vobis dux Paullus erit. velociùs indè
Hæmonio Boreâ, pennâque citatior ibat,
Quæ redit in pugnas fugientis arundine Parthi:
Atque ubi certamen primi ciet immemor ævi
Pœtus, Gradivus mente; & citò fertur in hostes,
Ac juvenem quem Vasco levis, quem spicula densus
Cantaber urgebat, letalibus eripit armis.
Abscessere retro, pavidíque in terga relatos
Abduxere gradus, ut lætus valle remotâ
Quum capream venator agit, sessámque propinquo
Insequitur cursû, & sperat jam tangere dextrâ,
Si ferus adverso subitum se protulit antro,
Et fletit ante oculos frendens leo, deserit unà
Et color & sanguis, & tela minora periclo,
Nec jam speratæ cura est in pectore prædæ.
Nunc in restantes mucronem cominus urget,
Nunc trepidos, ac terga malâ formidine versos
Adsequitur telis, furere, ac decorare labores,
Et sævire juvat: cadit ingens nominis expers
Uni turba viro: alter si detur in armis
Paullus Dardaniis, amittant nomina Cannæ.
Tandem inclinato cornu sinè more ruebat
Prima acies, non parca fugæ. Labienus, & Ocris
Sternuntur leto atque Opiter, quos Setia colle
Vitifero, celsis Labienum Cingula saxa
Miserunt muris, junxit fera tempora leti
Sidonius non consimili discrimine miles:
Nam Labienus obit penetrante per ilia cornu,
Fratres, hic humero cecidere, hic poplite cæsi.
Oppetis & Tyrio super inguina fixe veruto
Mæcenas, cui Mæoniâ venerabile terrâ,
Et sceptris olim celebratum nomen Etruscis.
Per medios agitur, projecto lucis amore
Annibalem lustrans Paullus: fors una videtur
Aspera, si occumbat ductore superstite Pœno.
Quam metuens molem (neque enim certamine sumto
Tempestas tanta, & rabies impune fuisset)
In faciem pavidi Juno conversa Metelli,
Quid vanos, inquit, Latio spes unica consul
Incassum renovas, fato renuente, furores?
Si superest Paullus, restant Æneïa regna,
Sin secus, Ausoniam tecum trahis: ire tumentem
Tu contra juvenem, & caput hoc abscindere rebus
Turbatis ô Paulle paras? nunc Annibal ipsi
(Tam lætus bello est) ausit certare tonanti.
Et jam (conversis vidi nam flectere habenis)
Evasit Varro, ac sese ad meliora reservat.
Sit spatium fatis, & dum datur, eripe leto
Hanc nostris majorem animam, mox bella capesses.
Ad quæ suspirans ductor, mortémne sub armis
Cur poscam, causa ista parum est, quòd talia nostræ
Pertulerint aures suadentem monitra Metellum?
I demens, i carpe fugam, non hostica tela
Excipias tergo, superos precor, integer, oro,
Intactúsque abeas, atque intres mœnia Romæ
Cum Varrone simul, talín', pavidissime, dignum
Me vitâ? pulchráque indignum morte putâsti?
Quippe finit Pœnus, qui nunc contraria bella
Ipsi ferre Jovi valeat, proh degener altæ
Virtutis patrum, quando certamen inire,
Cuive viro mallem memet componere, quàm qui
Et victus dabit, & victor per sæcula nomen?
Talibus increpitat, mediósque aufertur in hostes,
Ac retro cursum tendentem ad crebra suorum
Agmina, & in densis furantem membra maniplis,
Per conferta virûm, & stipata umbonibus arma
Consequitur melior plantâ, atque obtruncat Acerram.
Ut canis occultos agitat quum Belgicus apros,
Erroréque feræ solers per devia mersâ
Nare legit, tacitóque premens vestigia rostro
Lustrat inaccessos venantum indagine saltus:
Nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem,
Deprendit spissis arcana cubilia dumis.
At conjux Jovis, ut Paullum depellere dictis
Nequidquam fuit, & consul non desinit iræ;
In faciem Mauri rursus mutata Gelasiæ
Advocat ignarum sævo à certamine Pœnum.
Huc tela, huc, inquit, dextram implorantibus adfer
O decus æternum Carthaginis, horrida juxta
Stagnantes consul molitur prœlia ripas,
Et laus haud alio major datur hoste peremto.
Hæc ait, & juvenem diversa ad prœlia raptat.
Flumineo Libycam turbabat in aggere pubem,
Christæ nomen erat, bis terni juncta ferebant
Arma senem circa nati, paupérque penatum
Sed domus haud obscura Tuder, notúsque per Umbros
Bellator populos, factis & cæde docebat
Natorum armigeram pugnas tractare cohortem.
Unanima indè phalanx crudo ducente magistro,
Postquam hominum satiata necem, prostraverat ictu
Innumero cum turre feram, facibúsque sequuta,
Ardentem monstri spectabat læta ruinam,
Quum subitus galeæ fulgor, conóque coruscum
Majore intremuere jubæ: nec tarda senectus
Agnovit hâc luce virum, rapit agmine natos
Sæva parens ultro in certamina, & addere passim
Tela jubet, nec manantes ex ore feroci,
Aut quæ flagrarent galeâ, exhorrescere flammas.
Armiger haud aliter magni Jovis, amnis nido
Quum dignos nutrit gestanda ad fulmina fœtus,
Obversam spectans ora ad Phaethontia prolem,
Explorat dubios Phœbeâ lampade natos.
Jámque suis daret ut pugnæ documenta vocatis,
Stridentem gelidis vibravit viribus hastam,
Quæ medias raptim velox prætervolat auras.
Hæsit multiplici non altè cuspis in auro,
Atque senem invalido dependens prodidit ictu.
Cui Pœnus: quisnam ad casSos furor impulit ictus
Exsanguem dextram senio? vix prima momordit
Tegmina Callaïci cornus tremebunda metalli.
En reddo tua tela tibi, memorabilis ista
A nobis meliùs discet bellare juventus.
Sic propriâ miseri transfigit pectora cornu.
At contrà (horrendum) bis terna spicula dextrâ
Torta volant, paribúsque ruunt conatibus hastæ.
Haud secus ac Libycam fœtâ tellure leænam
Venator premit obsesso quum Maurus in antro,
Invadunt rabidi jam dudum, & inania tentant
Nondum sat firmo catuli certamine dente.
Consumit clypeo tela, & collectus in arma
Sustinet ingentes crepitantibus ictibus hastas
Sidonius ductor: nec jam per vulnera credit,
Aut per tot cædes actum satis, iráque anhelat,
Ni leto det cuncta virûm, jungátque parenti
Corpora, & excidat miseros cum stirpe penates.
Tunc Abarim adfatur, namque unà hic armiger irâ
Flammabat Martem, atque omnes comes ibat in actus:
Suppedita mihi tela, vadis liventis Averni

Demitti globus ille cupit, qui noſtra laceſſit
Tegmina, jam ſtultæ fructus pietatis habebit.
Hæc fatus, jaculo Lucam, qui maximus ævi
Tranſadigit, preſsâ juvenis cum cuſpide labens
Arma ſuper fratrum reſupino concidit ore.
Mortiferum indè manu properantem vellere ferrum
Pilo Volſonem (namque hoc de ſtrage jacentum
Fors dabat) adfixâ ſternit per tegmina nare.
Tum Veſulum calido lapſantem in ſanguine fratrum
Enſe metit rapido, plenâmque (heu barbara virtus)
Abſciſi galeam capitis, ceu miſſile telum
Convertis in terga jacit. Teleſinus ad oſſa
Illiſa ſaxo, quâ ſpina interſtruit artus,
Occumbit, fratriſque videt labentia membra
Quercentis, quem funda procul per inane voluta
Sopierat, dum ſupremam Teleſinus in auras
Exhalat lucem, & dubitantia lumina condit.
At fellus mœrore ſimul curſúque metúque,
Et tamen haud iræ vacuus, non certa per æquor
Interdum infiltens Perufinus membra ferebat,
Hunc ſude, quam Libyci raptam per terga jacentis
Armiger obtulerat monſtri, ſuper inguina fixum
Obtruncat, quercúque premit violentus obuſtâ.
Tentârat precibus ſævum lepire furorem,
Sed Strygius primos implevit fervor hiatus,
Et pulmone tenus depreſſit anhelitus ignem.
Tandem quum toto cecidit grege, nomen in Umbro
Clarum Chriſta diu populo, ceu fulmine celſa
Æſculus, aut proavis ab origine cognita quercus
Quum fumat percuſſa Jovi, ſacróſque per ævum
Ætherео ramos populantur ſulfure flammæ,
Donec victa deo latè procumbit, & omnem
Collabens operit ſpatioſo ſtipite prolem.
Atque ea dum juxta Tyrius ſtagna Aufida ductor
Molitur, Paullus numeroſâ cæde futuram
Ultus jam mortem, ceu victor bella gerebat.
Inter mille viros jacet ingens Phorcus, ab antris
Herculeæ Calpes, cælatus Gorgone parmam,
Unde genus triſtiſque deæ manabat origo.
Hinc objectantem ſeſe, atque antiqua tumentem
Nomina, ſaxificæ monſtroſâ ex ſtirpe Meduſæ,
Dum lævum petit incumbens violentiùs inguen
Detrahit excelſi correptum vertice coni,
Adfictúmque premens, tergo quà balteus imo
Sinuatur, coxâque ſedet munimen utràque
Conjecto fodit enſe, ſupervomit ille calentem
Sanguinis effundens per hiantia viſcera rivum,
Et ſubit Ætolos Atlanticus accola campos.
Has inter ſtrages rapido terrore coorti
Invadunt terga, atque averſo turbine miſcent
Bella inopina viri, Tyrius quos fallere doctos
Hanc ipſam pugnæ rector formârat ad artem,
Succinctíque dolis, fugerent ceu Punica caſtra,
Dediderant dextras. tum totis mentibus actam
In cædes aciem, ponè atque in terga ruentes
Præcipitant, non haſta viro, non deficit enſis,
E ſtrage eſt ferrum, atque evulſa cadavere tela.
Raptum Galba procul (neque enim virtutis amorem
Adverſa exemiſſe valent) ut vidit ab hoſte
Auferri ſignum, connixus corpore toto
Victorem adſequitur, letaliſque occupat ictu.
Ac dum comprenſam cæſo de corpore prædam
Avellit, tardéque manus moribunda remittit,
Transfixus gladio properè accurrentis Amorgi
Occidit, immoriens magnis non proſperus auſis.
Hæc inter veluti nondum ſatiâſſet Enyo
Iras ſæva truces, ſublatum pulvere campum
Vulturnus rotat, & candentes torquet arenas,
Jámque reluctantes ſtridens immanè procella
Per longum tulit ad campi ſuprema, caviſque
Adflictos ripis, tumidum demerſit in amnem.
Hic tibi finis erat, metas hìc Aufidus ævi
Servabat tacito, non felix Curio, leto.
Namque furens animi dum conſternata moventur
Agmina, & oppoſitu membrorum ſiſtere certat,
In præceps magnâ propulſus mole ruentum
Turbatis hauritur aquis, fundóque volutus
Adriacâ jacuit ſinè nomine mortis arenâ.
Ingens ferre mala, & fortunæ ſubdere colla
Neſcius, adversâ fronte incurrebat in arma
Vincentum conſul; pereundi Martius ardor,
Atque animos jam ſola dabat fiducia mortis;
Quum Viriatus agens telis regnator Iberæ
Magnanimus terræ, juxta atque ante ora furentis
Obtruncat Paulli, feſſum certaminis hoſtem.
Heu dolor, heu lacrymæ! Servilius optima belli
Poſt Paullum, belli pars optima corruit ictu
Barbarico, magnámque cadens leto addidit uno
Invidiam Cannis: triſtem non pertulit iram
Conſul, & inſani quanquam contraria venti
Exarmat vis, atque obtendit pulvere lucem,
Squalentem rumpens ingeſto torvus arenæ
Ingreditur nimbum, ac ritu jam moris Iberi
Carmina pulſatâ tundentem barbara cetrâ
Invadit, lævæque fodit vitalia mammæ.
Hìc fuit extremus cædum labor, addere bello
Haud ultrà licuit dextram, nec tanta relictum
Uti, Roma, tibi poſthac ad prœlia Paullo.
Saxum ingens vaſto libratum pondere, cæcâ
Venit in ora manu, & perfractæ callidis æra
Oſſibus infodiens complevit ſanguine vultus.
Indè pedem referens labentia membra propinquo
Impoſuit ſcopulo, atque undanti vulnere anhelans
Sedit terribilis clypeum ſuper, ore cruento:
Immanis, ceu depulſis levioribus haſtis
Accepit leo quum tandem per pectora ferrum,
Stat teli patiens mediâ tremebundus arenâ,
Ac manante jubis rictúque & naribus undâ
Sanguinis, interdum languentia murmura torquens,
Effundit paulo ſpumantem ex ore cruorem.
Tum verò incubuit Libyes ſuper ipſe citato
Ductor equo, quà flatus agit, quà pervius enſis,
Quà ſonipes, quà belligero fera bellua dente.
Obrutus hìc telis, ferri per corpora Piſo
Rectorem ut vidit Libyæ, connixus in haſtam
Ilia cornipedis ſubrecta cuſpide tranſit,
Collaptóque ſuper nequidquam incumbere cœptat.
Cui Pœnus properè collecto corpore, quanquam
Cernuus inflexo ſonipes effuderat armo;
Umbræne Auſoniæ rediviva in bella retractant
Poſt obitum dextras? nec in ipſâ morte quieſcunt?
Sic ait, atque ægrum cœptanti attollere corpus
Arduus inſurgens totum permiſcuit enſem.
Ecce Cydoneâ violatus arundine plantam
Lentulus, effuſis campum linquebat habenis,
Quum videt in ſcopulo rorantem ſaxa cruore,
Torvóque obtutu labentem in Tartara Paullum,
Mens abiit, puduſtque fugæ, tum viſa cremari
Roma viro, tunc ad portas jam ſtare cruentus
Annibal, & toti tum primùm ante ora fuere
Sorbentes Latium campi, quid deinde relictum eſt,
Craſſina cur Tyrios lux non deducat ad urbem?
Deſeris in tantis puppim ſic Paulle procellis?
Teſtor cælicolas, inquit, ſi damna gubernas
Crudelis belli, viviſque in turbine tanto
Invitus, plus Paulle (dolor verba aſpera dictat)
Plus Varrone noces. cape quæſo hunc, unice rerum
Feſſarum, cape cornipedem, languentia membra
Ipſe levabo humeris, & dorſo tuta locabo.
Hæc inter, lacero manantem ex ore cruorem
Ejectans conſul, macte ô virtute paternâ,
Nec verò ſpes anguſtæ, quam talia reſtent
Pectora Romuleo regno: calcaribus ſufer
Quà vulnus permittit equum, atque hinc ocyùs urbis
Claudantur portæ: ruet hæc ad mœnia peſtis.
Dic, oro, rerum Fabio tradantur habenæ,
Noſtris pugnavit monitis furor, amplius actâ
Quid ſupereſt vitâ, niſi cæcæ oſtendere plebi
Paullum ſcire mori? ferar an conſumtus in urbem
Vulneribus? quantíne emtum velis Annibal, ut nos
Vertentes terga adſpiciat? nec talia Paullo
Pectora, nec manes tam parvâ intramus imago.
Ille ego, ſed vario quid enim te demoror æger
Lentule conquestu? perge atque hinc cuſpide feſſum
Eripe quadrupedem properé. tum Lentulus urbem
Magnæ ferens mandata petit: nec Paullus inultum,
Quod ſupereſt de luce, ſinit, ceu vulnere tigris
Letifero cedèns tandem, projectáque corpus
Luctatur morti, & languentem pandit hiatum
In vanos morſus, nec ſufficientibus iræ
Ictibus, extremâ lambit venabula linguâ.
Jámque coruſcanti telum, propiúſque ferenti
Greſſum exſultantem, & ſecuro cædis herdæ
Non exſpectatum ſurgens defixerat enſem,
Sidoniúmque ducem circumſpectabat, in illâ
Exoptans animam certantem ponere dextrâ.
Sed vicere virum coeuntibus undique telis
Et Noman, & Garamas, & Celan, & Maurus, & Aſtur.

Hic finis Paullo. jacet altum pectus, & ingens
Dextera, quem (ſoli ſi bella agitanda darentur)
Æquares forſan Fabio. mors additur urbi
Pulchra decus, miſtque viri inter ſidera nomen.
Poſtquam ſpes ſtatim, mentéſque in conſule lapſæ,
Ceu truncus capitis, ſævis exercitus armis
Sternitur, & victrix toto fuit Africa campo.
Hic Picentum acies, hic Umber Martius, illic
Sicana procumbit pubes, hìc Hernica turma.
Paſſim ſigna jacent, quæ Samnis belliger, & quæ
Sarraſtes populi, Marſæque tulere cohortes.
Transfixos clypeos, galeæque & inutile ferrum
Fractáque conflictu parmarum tegmina, & ore
Cornipedum directa fero ſpumantia fræna,
Sanguineus tumidis in campos Auſidus undis
Ejectat, reddítque furens ſua corpora ripis.
Sic Lagea ratis, vaſto velut inſula ponto
Conſpecta, illiſit ſcopulis, ubi nubifer Eurus
Naufragium ſpargens operit freta, jámque per undas
Et tranſtra, & mali, laceróque apluſtria velo,
Ac miſeri fluitant revomentes æquora nautæ.
At Pœnus per longa diem certamina ſævis
Cædibus emenſus, poſtquam eripuere furori
Inſignem tenebræ lucem, tum denique Martem
Dimiſit, tandémque ſuis in cæde pepercit.
Sed mens invigilat curis, noctíque quietem
Ferre nequit, ſtimulat dona inter tanta deorum.
Hortatur nondum portas intrâſſe Quirini.
Proxima lux placet. hinc ſtrictos ferre ocyùs enſes,
Dum fervet cruor, & perfuſæ cæde cohortes,
Deſtinat, ac jam clauſtra manu, jam mœnia flammâ
Occupat, & jungit Tarpeia incendia Cannis.
Quo turbata viri conjux Saturnia cœpto
Iratúmque Jovis, Latiique haud neſcia fati,
Incautum ardorem, atque avidas ad futile votum
Spes juvenis frænare parat. ciet indè quietis
Regnantem tenebris Somnum, quo ſæpe miniſtro
Edomita invicti componit lumina fratris.
Atque huic arridens, non te majoribus, inquit,
Auſis, dive, voco, nec poſco ut mollibus alis
Des victum mihi Somne Jovem, non mille premendi
Sunt oculi tibi, nec ſpernens tua numina cuſtos
Inachiæ multâ ſuperandus nocte juvencæ.
Ductori precor immittas nova ſomnia Pœno,
Ne Romam, & vetitos cupiat nunc viſere muros,
Quos intrare dabit nunquam regnator olympi.
Imperium celer exſequitur, curvóque volucris
Per tenebras portat medicata papavera cornu.
Aſt ubi per tacitum allapſus, tentoria prima
Barcæi petiit juvenis, quatit indè ſoporas
Devexo capiti pennas, oculíſque quietem
Irrorat, tangens Lethæâ tempora virgâ.
Exercent rabidam truculenta inſomnia mentem.
Jámque videbatur multo ſibi milite Tibrim
Cingere, & inſultans adſtare ad mœnia Romæ,
Ipſe refulgebat Tarpeiæ culmine rupis
Elatâ torquens flagrantia fulmina dextrâ
Jupiter, & lati fumabant ſulfure campi,
Ac gelidis Anio trepidabat cærulus undis,
Et denſi ante oculos, iterúmque iterúmq; (tremendum)
Vibrabant ignes; tunc vox effuſa per auras:
Sat magna ô juvenis prenſa eſt tibi gloria Cannis,
Siſte gradum, neque enim ſacris irrumpere muris,
Pœne, magis dabitur, noſtrum quàm ſcindere cælum.
Attonitum vitis, majoráque bella paventem
Poſt confecta ſopor Junonia juſſa reliquit,
Nec lux terribili purgavit imagine mentem.
Quos inter motus ſomni, varióſque tumultus
Dedita per noctem reliquo cum milite caſtra
Nuntiat, & prædam pleno trahit agmine Mago.
Huic ductor lætas Tarpeio in vertice menſas
Spondenti, quum quinta diem nox orbe tulliſſet,
Celatis ſuperûm monitis, clauſtáque pavore,
Vulnera, & exhauſtas ſævo certamine vires,
Ac nimiùm lætis excuſat fidere rebus.
Tum ſpe dejectus juvenis, ceu vertere ab ipſis
Terga juberetur muris, ac ſigna referre,
Tantâ mole, inquit, non Roma (ut credidit) ipſa,
Sed Varro eſt victus: quonam tam proſpera Martis
Munera deſtituis fato? patriámque moraris?
Mecum exſultet eques, juro hoc caput, accipe muros
Iliacos, portáſque tibi ſinè Marte patentes.
Dúmque ea Mago fremit cauto non credita fratri,
Jam Latius ſeſe Canulina in mœnia miles
Colligere, & profugos vicino cingere vallo
Cœperat; heu rebus facies inhonora ſiniſtris!
Non æquilæ, non ſigna viris, non conſulis altum
Imperium, non ſubnixæ lictore ſecures,
Trunca, atque ægra metu, ceu magnâ eliſa ruinâ
Corpora debilibus nituntur ſiſtere membris:
Clamor ſæpe repens, & ſæpe ſilentia fixis
In tellurem oculis, nudæ pleriſque ſiniſtræ
Detrito clypeo, deſiunt pugnacibus enſes.
Saucius omnis eques, galeis carpſere ſuperbum
Criſtarum decus, & damnârunt Martis honores.
At multâ thorax perfoſſus cuſpide, & hærens
Loricæ, interdum Mauruſia pendet arundo.
Interdum mœſto ſocios clamore requirunt.
Hic Galba, hìc Piſo, & leto non dignus inerti
Curio defletur, gravis illic Scævola bello:
Hos paſſim; at Paulli pariter, ceu dira parentis
Fata gemunt, ut vera mali præſentia numquam
Ceſsârit canere, & Varronis ſiſtere mentem.
Atque diem hunc quoties nequidquam averterit urbi,
Atque idem quantus dextrâ: ſed cura futuri
Quos premit, aut foſſas inſtant præducere muris,
Aut portarum aditúque (ut rerum eſt copia) firmant,
Quáque patet campus planis ingreſſibus hoſti,
Cervorum ambuſtis imitantur cornua ramis,
Et ſtilus occulitur, cæcum in veſtigia telum.
Ecce ſuper clades, & non medicabile vulnus,
Reliquias belli, atque imperdita corpora Pœnis,
Impia formido, ac major jactabat Erinnys.
Trans æquor Tyrios enſes, atque arma parabant
Punica, & Annibalem mutato evadere cælo.
Dux erat exſilio collectis Marte Metellus,
Sed ſtirpe haud parvi cognominis. is nova bello
Pectora, degenerémque manum, ad deformia agebat
Conſulta, atque alio poſitas ſpectabat in orbe
Queis ſeſe occulerent terras, quò nomina nulla
Pœnorum, aut patriæ penetraret fama relictæ.
Quæ poſtquam accepit flammatâ Scipio mente,
Quantus Sidonium contra fera prœlia miſcens
Ductorem ſtetit in campis, rapit ocyùs enſem,
Atq; ubi tarpe malum, Latióque extrema coquebant
Cœpta viri, ruptis foribus ſeſe arduus infert:
Tum quatiens ſtrictum cum voce ante ora paventum
Murcronem, Tarpeia, pater, qui templa ſecundam
Incolis à cælo ſedem, & Saturnia nondum
Iliacis mutata malis, túque aſpera pectus
Ægide Gorgoneos virgo ſuccincta furores,
Indigetéſque dei, ſponte inter numina noſtra,
Pérque caput nullo levius mihi numine patris
Magnamini juro, nunquam Lavinia regna
Linquam, nec linqui patiar, dum vita manebit.
Ocyùs en teſtare deos, ſi mœnia tædis
Flagrabunt Libycis, nullas te ferre, Metelle,
Auſurum in terras greſſus: nî talia ſancis,
Quem tremis, & cujus ſomnos formidine rumpis,
Annibal hìc armatus adeſt, moriere, nec ullo
Pœnorum melior parietur gloria cæſo.
His excuſſa incepta minis, jámque ordine juſſo
Obſtringunt animas patriæ, dictatáque jurant
Sacramenta deis, & purgant pectora culpâ.
Atque ea dum Rutulis turbatâ mente geruntur,
Luſtrabat campos, & fævæ triſtia dextræ
Facta recenſebat, pertractas vulnera viſu
Annibal, & magnâ circumſtipante catervâ
Dulcia præbebat trucibus ſpectacula Pœnis,
Quas inter ſtrages confoſſus pectora telis,
Semineçem extremo vitam exhalabat in auras
Munere deficiens jam Cloelius, oráque niſu
Languida vix ægro, & dubiâ cervice levabat.
Agnovit ſonipes, arrectíſque auribus acrem
Hinnitum effundens, ſternit tellure Vageſum,
Quem tunc captivo portabat in agmina dorſo.
Hinc rapidum glomerans curſum, per lubrica pinguis
Stante cruore ſoli, & mutata cadavera cæde
Evolat, ac domini conſiſtit in ora jacentis.
Indè inclinatus collum, ſubmiſſus & armos
De more, inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.
Milite non illo quiſnam feliciùs acri
Inſultârat equo, vel ſi reſupina citato
Projectus dorſo ferret quum membra, vel idem
Si nudo ſtaret tergo, quum rapta volucris
Tranſigeret curſu ſonipes certamina campi.
At Libys humanos æquantem pectore ſenſus

Haud

y Goo

Haud pareè miratus equum, quinam ille ſiniſtræ
Depugnet morti juvenis, noménque, decúſque
Erogitat, letíque ſimul compendia donat.
Hinc Cinna (ad Tyrios namque is ſua verterat arma
Credulus adverſi) qui tum comes ibat ovanti,
Auribus huic, inquit, ductor fortiſſime, origo eſt
Non indigna tuis: quondam ſub regibus illa,
Quæ Libycos renuit frænos, ſub regibus olim
Roma fuit, ſedenim ſolium indignata ſuperbi
Ut ſceptra exegit, confeſtim ingentia bella
Cluſinâ venere domo, ſi Porſena tando
Auditus tibi, ſi Cocles, ſi Lydia caſtra.
Ille ope Mæoniâ, & populo ſuccinctus Etruſco
Certabat pulſos per bella repouere reges.
Multa adeò nequidquam auſi, preſsítque tyrannus
Ianiculum incumbens, ubi mox jam pace probatâ
Compreſſere odia, & poſitum tum fœdere bellum,
Obſidibúſque obſtricta fides, manſueſcere corda
Neſcia (proh ſuperi) & nil non immite parata
Gens Italûm pro laude pati, bis Clœlia ſenos
Nondum complérat primævi corporis annos,
Una puellarum Laurentum, & pignora pacis
Inter virgineas regi tranſmiſſa catervas.
Facta virûm ſileo, rege hæc, & fœdere, & annis,
Et fluvio ſpretis, mirantem interrita Tibrim
Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis:
Cui ſi mutâſſet ſexum natura, reverti
Forſan Tyrrhenas tibi non licuiſſet in oras
Porſena, ſed juveni (ne ſim tibi longior) huic eſt
Et genus, & clarâ memorandum à virgine nomen.
Talia dum pandit, vicinus parte ſiniſtrâ
Per ſubitum erumpit clamor, permixta ruina,
Inter & arma virûm, & lacerata cadavera, Paulli
Ernerant corpus, mediâ de ſtrage jacentum.
Heu quis erat, quàm non ſimilis modò Punica telis
Agmina turbanti! vel quum Taulantia regna
Vertit, & Illyrico ſunt addita vincla tyranno.
Pulvere canicies atro, arentſque cruore
Squalebat barba, & perfracti turbine dentes
Muralis ſaxi, tum toto corpore vulnus.
Quem poſtquam adſpexit geminatus gaudia ductor
Sidonius, fuge Varro, inquit, fuge Varro ſuperſtes,
Dum jacerat Paullus: patribus Fabióque ſedenti
Et populo, conſul totas ediſſere Cannas.
Concedam hanc iterum, ſi lucis tanta cupido eſt,
Concedam tibi Varro fugam. at cui fortia, & hoſte
Me digna, haud parvo caluerunt corda vigore,
Funere ſupremo & tumuli decoretur honore.
Quantus Paulle jaces? qui tot mihi millibus unus
Major lætitiæ cauſa es. quum fata vocabunt,
Tale precor nobis ſalvâ Carthagine letum.
Hæc ait, & ſociûm mandari corpora terræ,
Poſtera quum thalamis aurora rubebit apertis,
Imperat: armorúmque jubet conſurgere acervos
Arſuros, Gradive, tibi. tum munera juſſa
Defeſſi quamquam accelerant, ſparſóque propinquos
Agmine proſternunt lucos, ſonat acta bipenni
Frondoſis ſilva alta jugis, hinc ornus, & altæ
Populus alba comæ validis acciſa lacertis
Scinditur, hinc ilex proavorum condita ſæclo.
Devolvunt quercus, & amantem littora pinum.
At ferale decus, mœſtas ad buſta cupreſſos,
Funereas tum deinde pyras certamine texunt.
Officium infelix, & munus inane peremtis.
Donec anhelantes ſtagna in Tarteſſia Phœbus
Merſit equos, fugiéntique polo Titania cæcam
Orbita nigranti traxit caligine noctem.
Pòſt ubi tulerunt primis Phaethontia fræna
Ignibus, atque ſui terris rediere colores,
Supponunt flammam, & manantia corpora tabo
Hoſtili tellure cremant, ſubit horrida mentem
Formido incerti casûs, tacitúſque pererrat
Intima corda pavor, ſi fors ita Martis iniqui
Mox ferat, ac ipſis inimicâ ſede jacendum.
Aſt tibi, bellipotens, ſacrum conſtructus acervo
Ingenti mons armorum, ſurgebat ad altra.
Ipſe manu celſam pinum, flammâque comantem
Attollens ductor, Gradivum in vota ciebat,
Primitias pugnæ, & læti libamina belli
Annibal Auſonio cremat hæc de nomine victor,
Et tibi, Mars genitor, votorum haud ſurde meorum,
Arma electa dicat ſpirantum turba virorum:
Tum face conjectâ populatur fervidus ignis
Flagrantem molem, & ruptâ caligine in auras
Actus apex, claro perfundit lumine campos.
Hinc citus ad tumulum, donaráque funera Paullo
Ibat, & hoſtilis leti jactabat honorem,
Sublimem eduxere pyram, molléſque virenti
Stramine compoſuere toros, ſuperaddita dona
Funereum decus expertis, invitus & enſis,
Et clypeus, terrórque modò, atque inſigne ſuperbum,
Tum lateri faſces, captæque in Marte ſecures.
Non conjux, nativæ aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virûm, aut cellis de more feretris
Præcedens priſca exſequias decorabat imago.
Omnibus exſequiis nudo, jámque Annibal unus
Sat decoris laudator erat, fulgentia pingui
Murice ſuſpirans inicit velamina & auro
Intextam chlamydem, ac ſupremo adfatur honore:
I decus Auſoniæ, quò fas eſt ire ſuperbas
Virtute & factis animas: tibi gloria leto
Jam parta inſigni, noſtros fortuna labores
Verſat adhuc, caſúſque jubet neſcire futuros.
Hæc Libys, atque repens crepitantibus undique flammis
Æthereas anima exſultans evalit in auras.
Fama dehinc gliſcente ſono jam ſidera adibat,
Jam maria ac terras, primámque intraverat urbem.
Diffidunt muris, ſolam pavitantibus arcem
Speraviſſe ſat eſt. nec enim ſupereſſe juventam,
Ac ſtare Auſoniam, vacuum ſinè corpore nomen.
Quódque adeò nondum portis irruperit hoſtis
Contemtu ceſſare putant; jam tecta cremari,
Ac delubra rapi, cædéſque ante ora nefandæ
Natorum, ſeptémque arces fumare videntur.
Lux una everſas bis centum inſtare curules,
Ac juvenum bis tricenis orbata gemebat
Millibus exhauſtæ nutantia mœnia Romæ,
Atque ea poſt Trebiam, poſt Tuſci ſtagna profundi,
Nec ſociûm numero pariter leviore peremto.
Hæc inter ſedenim reliqui pia turba ſenatûs
Munera fortitò invadunt, celer omnia luſtrans
Clamitat attonitus Fabius, non ulla relicta,
Credite, cunctandi ratio: approperemus, ut hoſtis
Nequidquam armatos auſit ſuccedere muros.
Dura inter pavidos alitur fortuna ſedendo,
Et gliſcunt adverſa metu: ite, ite ocyùs, arma
Deripite, ô pubes, templis; vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.
Sat patriæ ſumus è numero, ſi ad prœlia noſter
Nil minuit pavor: in patulis illa horrida campis
Sit metuenda lues, muros haud fregerit unquam
Exſultare levis nudato corpore Maurus.
Dum Fabius lapſas acuit formidine mentes,
Varronem adventare vagus per mœnia rumor
Spargit, & occulto perfundit pectora motu:
Haud ſecus, ac fractæ rector ſi fortè carinæ
Littoribus ſolus vacuis, ex æquore ſoſpes
Adnatet, incerti trepidant, tendántne, negéntve
Jactato dextras, ipſámque odere ſalutem
Unius amiſsâ ſuperantis puppe magiſtri.
Quam reſtare viro labem, qui accedere portis
Audeat, ac dirum veniat pavitantibus omen.
Hos mulcens queſtus Fabius, deforme docebat
Cladibus iraſci, vulgúmque arcebat ab irâ.
Adverſis etenim frangi non eſſe virorum,
Qui Martem inſcribant genti, non poſſe dolores
Condere, & ex pœnâ ſolatia poſcere luctûs.
Si verò exprobrare ſinant, ſibi triſtiùs illum
Illuxiſſe diem, quo caſtris viderit ille
Varronem, quàm quo videat remeare ſinè armis.
His dictis ſedere minæ, & converſa repentè
Pectora, nunc fati miſeret, nunc gaudia Pœno
Conſulibus reputant cæſis erepta duobus.
Ergo omne effundit longo jam ſe agmine vulgus
Gratantum, magnâque actum ſe credere mente
Teſtantur, quod fiſus avis, ſceptríſque ſuperbis
Laomedontiadum non deſperaverit urbi,
Nec minùs infelix culpæ, grandíque pudore
Turbatus conſul, titubantem ad mœnia greſſum
Portabat lacrymans: dejectum attollere vultum,
Ac patriam adſpicere, & luctus revocare pigebat.
Quòd verò reduci tum ſe populúſque patréſque
Offerrent, non gratari, ſed poſcere natos
Quiſque ſuos, fratréſque ſimul, miſeræque parentes
Ire videbantur, laceranda ad conſulis ora.
Sic igitur muro lictore invectus in urbem,
Damnatum ſuperis aſpernabatur honorem.
At patres, Fabiúſque ſimul mœrore remoto,

Præcipitant curas, raptim & delecta juventa,
Servitiâ armantur, nec claudit caſtra ſaluti
Poſtpoſitus pudor. infixum eſt Æneia regna
Parcarum in leges quacunque reducere dextrâ:
Próque arce, & ſceptris, & libertatis honore,
Vel famulas armare manus, primæva ſuorum
Corpora prætexto ſpoliant velamine, & armis
Inſolitis cingunt. puerilis caſſide vultus
Clauditur, atque hoſtis pubeſcere cæde jubetur.
Iidem obſecrantes, captivum vulgus ut auro
Penſarent parvo (nec pauca fuere precantum
Millia) miranti durârunt prodere Pœno.
Cuncta adeò ſcelera, & noxam ſuperaverat omnem,
Armatum potuiſſe capi. tunc terga dediſſe
Damnatis, Siculas longè meritare per oras
Impoſitum, donec Latio decederet hoſtis.
Hæc tum Roma fuit, poſt te, cui vertere mores
Si ſtabat fatis, potiùs Carthago maneres.

LIBER XI.

NUNC age, quos clades inſignis Japygе campo
Verterit ad Libyam populos, Sarranáque caſtra,
Expediam. ſtat nulla diu mortalibus uſquam
Fortunâ tutante fides: adjungere dextras
Certavere palàm rumpenti fœdera Pœno.
Heu nimiùm faciles læſis diffidere rebus!
Sævior ante alios iras ſervâſſe repoſtas,
Atque odium renovare ferox in tempore Samnis.
Mox levis & ſero pretſurus facta pudore
Bruttius, ambiguis fallax mox Appulus armis.
Tum gens, Hirpini, vana indociliſque quietem,
Et rupiſſe indigna fidem, ceu dira per omnes
Manarent populos fœdi contagia morbi.
Jámque Atella ſuas, jámque & Calatia abegit,
Fas ſuperante metu, Pœnorum in caſtra cohortes.
Indè Phalanteo levites animoſa Tarento
Auſonium laxare jugum. patefecit amicas
Alta Croton portas, Afriſque ad barbara juſſa
Theſpiadum docuit ſubmittere colla nepotes.
Idem etiam Locros habuit furor, ora vadoſi
Littoris, Argivos major quà Grœcia muros
Servat, & Ionio luitur curvata profundo,
Lætas res Libyæ, & fortunam errore ſequuta
Juravit pavitans Tyrio ſua prœlia Marti.
Jam verò Eridani tumidiſſimus accola, Celtæ,
Incubuere malis Italûm, veteriſque doloris
Totâ ſe ſocios properârunt jungere mole.
Sed fas id Celtis, fas impia bella referre
Boiorum fuerit populis, Capuæne furorem,
Quem Senonum genti placuiſſe? & Dardana ab ortu
Mœnia, barbarico nondum ſociata tyranno,
Quiſnam mutato tantum nunc tempore credat?
Luxus, & inſanis nutrita ignavia luſtris,
Conſumtúſque pudor peccando, unſque relictus
Divitiis probroſus honor, lacerabat hiantem
Deſidiâ populum, ac reſolutam legibus urbem
Inſuper exitio truculenta ſuperbia agebat.
Nec vitiis deerant vires. non largior ulli
Auſoniæ populo (ſic tum fortuna fovebat)
Aurſque argentſque modus: madefacta veneno
Aſſyrio manibus veſtis, medióque dierum
Regales epulæ, atque ortu convivia ſolis
Deprenſa, & nullâ maculâ non illita vita.
Tum populo ſævi patres, plebéſque ſenatûs
Invidiâ læta, & collidens diſſona corda
Seditio, ſedenim interea temeraria pubes
Delicta augebat, pollutior ipſa ſenectus.
Nec quos vile genus, deſpectáque lucis origo
Fœdabat, ſperare ſibi & depoſcere primi
Deerant imperia ac patriæ pereuntis habenas.
Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira.
Certantum ferro ſæpe, & ſuper ipſa cadentum
Pocula reſperſis non parco ſanguine mentis.
Has aſtu adgreſſus, quò verteret acriùs ægras
Ad Tyrios mentes, quia nullâ ſorte daturam
Certus erat Romam. neque enim impetrata volebat
Pactulo (fuit haud obſcurum crimine nomen)
Hortatur ſummi partem depoſcere juris,
Atque alternatos ſociato conſule faſces:
Et ſi partitâ renuant ſediſſe curuli,

Æquatúmque decus, geminâſque videre ſecures,
Ultorem ante oculos atque ora adſtare repulſæ.
Ergo electa manus greſſu fert dicta citato.
Antiſtat cunctis præcellens Virius ore,
Sed genus obſcurum, nulliſque furore ſecundus.
Qui poſtquam cœtu patrum ingentiſque ſenatu
Impia dementis vulgi, & vix tota profudit
Conſulta, & tumidis incendit vocibus aures;
Concordi fremitu renuentum effunditur aſper
Toto è concilio clamor, tum quiſque fatigat
Increpitans, vocúmque tremit certamine templum.
Hic Torquatus avum fronte æquaviſſe ſeverâ
Nobilis, heu Capuâ portantes talia dicta
Romuleis duràſtis, ait, ſuccedere muris?
Ad quos non auſi Carthago atque Annibal, arma
Poſt Cannas adferre ſuas? nunquámne per aures
It veſtras in Tarpeiâ quum ſede Latini
Orarent paria, haud verbis, haud voce, ſed acri
Propulſum dextrâ, qui tum mandata ſuperbo
Ore adportabat, tanto per limina templi
Turbine præcipitem revoluti corporis actum,
Ut ſævo adflictus ſaxo, ſpectante piaret
Triſtia dicta Jove, & lueret verba impia leto?
En ego, progenies ejus, qui ſede tonantis
Expulit orantem, & nudâ Capitolia conſul
Defendit dextrâ. rapidum hunc, palmáſque virorum
Intentantem oculis, proavitáque facta parantem
Ut vidit majore adeò crudeſcere motu,
Excipit his frendens Fabius, proh cuncta pudendi,
Sedes ecce vacat belli viduata procellâ:
Quem quæſo è vobis huic impoſuiſſe paratis?
Inque locum Paulli quemnam datis? an tua, Viri,
Prima atque ante alios ſors concedente ſenatu
Te citat, ac noſtris æquat jam purpura Brutis?
I demens, i quò tendis, tibi perfida faſces
Det Carthago ſuos. medio fervore loquentis
Impatiens ultrà gemitu cohibere furorem
Fulmineâ torvum exclamat Marcellus ab irâ:
Quæ tandem & quàm lenta tenet patientia mentem,
O confuſe nimis Gradivi turbine Varro,
Ut perferre queas furibunda inſomnia conſul?
Nónne exturbatos jam dudum limine templi
Præcipites agis ad portas? & diſcere cogis
Semiviros, quod ſit noſtro de more creati
Conſulis imperium? non unquam ſobria pubes
Et peritura brevi, moneo, ocyùs urbe faceſſe.
Muros ante tuos (ut par eſt) debita ductor
Armatus reſponſa dabit. conſurgere cuncti
Hinc pariter magnóque viros clamore premebant.
Necnon & foribus properè Campana juventus
Extulit acta gradum, tantæque dolore repulſæ
Concitus Annibalem volvebat Virius ore.
Fulvius (huic jam ſpondebant præſagia mentis
Venturum decus, & Capuæ pereuntis imago
Jam tum erat ante oculos) Non ſi Carthaginis, inquit,
Ductorem veſtris devinctum colla catenis
Romam victor agas, poſthac intrare Quirini
Sacratas dabitur ſedes. tende ocyùs, oro,
Quò mens ægra vocat. Referunt hæc indè citati
Mixta minis & torva trucis reſponſa ſenatûs.
Tantâne, omnipotens, caligine merſa latere
Fata placet? veniet quondam felicior ætas,
Cùm pia Campano gaudebit conſule Roma,
Et per bella diu, faſces, pérque arma, negatos
Ultro ad magnanimos referat ſecura nepotes.
Pœna ſuperborum tamen hæc durabit avorum,
Quòd non antè ſuos Capua ad ſuffragia mittet,
Quàm Carthago ſuos. Poſtquam nunc dicta ſenatûs,
Nunc fata expoſuit, tum veris falſa per artem
Virius admiſcens, cecinit fatale cruenti
Turbati ſignum belli, furiata juventus
Arma ſibi Annibalémque volunt, ruit undique vulgus,
Et Pœnos in tecta vocant, ingentia facta
Sidonii juvenis celebrant, ut ruperit Alpes
Herculei ſocius decoris, diviſque propinquas
Tranſierit curſu rupes, ut cæde referta
Clauſerit Eridani victor vada, victor ut idem
Lydia Romano turbârit ſtagna cruore,
Et Trebiæ ripas æterno nomine famæ
Tradiderit, Paullúmque idem inter prœlia, & idem
Flaminium proceres rerum, demiſerit umbris.
His ſuper exciſam primori Marte Saguntum,
Et juga Pyrenes, & Iberum, & ſacra parentis,
Juratúmque viro bellum puerilibus annis,

Accu-

Accumulant, unum ducibus tot cæde peremtis,
Tot fusis acie, stare inter prœlia nullis
Attactum telis. superûm quum munere detur
Huic sociare viro dextras & fœdere jungi;
Fastus exsanguis populi vanúmque tumorem
Nimirum Capua & dominatum perferat urbis,
Ceu famulis, fasces æquatáque jura negantis?
Prorsus enim tanto potiorem nomine habendum
Varronem, ut fugiat consul fulgentior ostro.
Talia jactantes jam lectam sorte parabant
Mittere, quæ Tyrios adjungat fœdere, pubem.
Sed non invictum ponebat pectore robur
Tum solum Decius Capuæ decus, isque receptus
In medios cœtus, (neque enim differre dabatur)
Itis, ait, cives violanda ad jura parentum,
Damnatúmque caput temerati fœderis aris
Jungitis hospitio? quæ tanta oblivio recti?
Magnum utique, in magnis rebus, populisque virisque
Adversis, servare fidem. nunc tempus inire
Prœlia pro Rutulis, nunc signa aciémque movere,
Dum trepidæ res, & medicinam vulnera poscunt.
Is locus officio, quum cessant prospera, quúmque
Dura ad opem fortuna vocat. nam læta fovere
Haud quaquam magni est animi decus: heic age adeste,
Novi dis animas similes, & pectora magnis
Nunquam angusta malis: capiunt (mihi credite) Cannas,
Et Trasimena vada, & Paulli memorabile letum.
Hi sunt, qui vestris infixum mœnibus hostem
Dejecere manu, & Capuam eripuere superbis
Samnitum jussis: hi sunt qui jura dedere
Terrore expulso, Sidicináque bella remôrunt.
Quos fugitis socios odiis? quóve additis? ille
Dardanius, cui sacra pater, cui nomina liquit
Ab Jove ducta Capys, magno cognatus Julo:
Ille ego semihomines inter Nasamonas, & inter
Sævum, atque æquantem ritus Garamanta ferarum,
Marmarico ponam tentoria mixtus alumno?
Ductorémque feram, cui nunc pro fœdere, próque
Justitia est ensis, solúmque è sanguine laudes?
Non ita, non Decio permixtum fásque netásque,
Hæc ut velle queat: nullo vos invida tanto
Armavit natura bono, quàm janua mortis
Quòd patet, è vitâ non æqua exire potestas.
Hæc vana aversas Decius jactavit ad aures.
Ast delecta manus jungebat fœdera Pœno.
Jámque aderat præmissa duci turbante tumultu,
Autololes, numerosa cohors, ipse agmine magno
Festinata citus per campos signa movebat.
Et Decius, nunc hora viri, nunc tempus, adeste
Dum capuâ dignum, dum me duce dextera vindex
Molitur facinus, procumbat barbara pubes,
Pro se quisque alacres rapite hoc decus, hostis adire
Si parat, obstructas præbete cadavere portas,
Et ferro purgate nefas: hic denique solus
Eluerit sanguis maculatas crimine mentes.
Dúmque ea nequidquam, non ulli læta profatur,
Auditâ asperitate viri, cœptóque feroci,
Multâ fœta gerens irâ præcordia Pœnus
Aditabat muris, properéque accersere lectos
Immitem castris Decium jubet: horrida virtus,
Armatúmque fide pectus, rectique cupido,
Et major Capuâ mens, imperterrita mole
Invictâ stabat, torvóque minantia vultu
Jussa ducis, verbisque etiam incessebat amaris.
Quem Libyæ rector tot signa, tot arma ferentis,
Spernentem increpitans, magno clamore profatur:
Post Paullum, post Flaminium componimur ehen
Vecordi Decio, mecum certâsse volenti
In decus & famam leti. rapite, ite citati,
Signa duces, pateátne mihi Campana vetante
Urbs Decio, explorare libet, nova bella moventi,
Cui patuere Alpes, saxa impellentia cælum,
Atque uni calcata deo. suffuderat ora
Sanguis, & à torvo surgebant lumine flammæ.
Tum rictu spumas, & anhelis faucibus acta
Versabant penitus dirum suspiria murmur.
Sic urbem invectus toto comitante senatu,
Et vulgo ad spectanda ducis simul ora ruente,
Effundit cunctam rabiem, irarúmque procellas.
Necnon & Decio propiora pericula mentem
Flammârant, tempúsque adeò cernebat adesse
Quo laudes ducis invicti superaret inermis.
Non illum fuga, non clausi occuluere penates,
Sed liber, veluti nullus penetrâsset in urbem
Annibal, intrepido servaverat otia vultu.
Quum juvenem sævis horrendum concitus armis
Invadit globus, & pedibus sublime sedentis
Ductoris tollit: tonat indè ferocibus altè
Incessens victor dictis, solúsne ruentem
Fulcire, ac revocare paras à funere Romam?
O demens, en qui divûm mihi munera tanta
Eripiat. Decio prorsus servabur inerti
Vincendus, Decio imbelli, cui femina nulla
Orta in Agenoreis nostræ Carthaginis oris
Cesserit: huic agedum (nam cur indigna feramus?)
Magnanimo miles meritas innecte catenas.
Dixerat, & nondum finem convicia nôrant,
Quum fera gens Decii constanti pectore corpus
Invadit, vinctique manus post terga catenis.
Illatus velut armentis super ardua colla
Quum sese imposuit, victórque immane sub irâ
Infremuit leo, & immersis gravis unguibus hæsit,
Mandit anhelantem pendens cervice juvencum.
At Decius dum vincla ligant, nec̃te ocyùs, inquit.
Nam sic Annibalem decet intravisse catenas
Fœderis infausti pretium, sic victima prorsus
Digna cadat Decius, nec enim te sanguine lætum
Humano, sit fas cælis placâsse juvencis.
En dextra, en fœdus, nondum tibi curia, nec dum
Templorum intrati postes, jam panditur acri
Imperio carcer, perge ac primordia tanta
Accumula paribus factis, mihi fama sub umbras
Te feret oppressum Capuæ cecidisse ruinis.
Nec plura effari concessum, obnubitur atrâ
Veste caput, trahitúrque ferox ante ora suorum.
Exin victor ovans sedato pectore tandem
Spectandis urbis tectis, templisque serenos
Lætus circumfert oculos, & singula discit.
Quis muris sator, & pubes sit quanta sub armis,
Quótque auri pateant bello argentíque talenta,
Nunc qualis frænata acies, nunc deinde pedestris
Copia quanta viris, monstrant Capitolia celsa,
Stellatélque docent campos, Cererémque benignam.
Jámque diem ad metas defessis Phœbus olympo
Impellebat equis, fuscabat & Hesperus umbrâ
Paulatim infusâ, properantem ad littora currum,
Instituunt de more epulas, festámque per urbem
Regificé extructis celebrant convivia mensis.
Ipse deûm cultu, & sacro dignatus honore,
Præcipuis, multóque procul splendentibus ostro
Accipitur sublimè toris, non una ministri
Turba gregis: posuisse dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre.
Nec non & certis struitur penus, aspera mensâ
Pondera cælati fulgent antiquitus auri.
Eripiunt flammæ noctem, strepitúque moventum
Murmurat alta domus, stupet inconsuetus opimæ
Sidonius mensæ miles, faciémque superbi
Ignotam luxûs oculis mirantibus haurit.
Vescitur ipse silens, & tantos damnat honores
Esse epulis, facilésque coli tanto agmine mensas.
At quum pulsa fames, & Bacchi munera duram
Laxârunt mentem, quum fronti reddita demum
Lætitia, & positæ graviores pectore curæ;
Personat Euboïcâ Teuthras testudine, Cymes
Incola, & obtusas immiti murmure sævæ
Inter bella tubæ, permulcet cantibus aures.
Jámque Jovem, & lætos per furta canebat amores,
Electræque toros Atlantidos, unde creatus
Proles digna deûm tum Dardanus, isque tonanti
Ut det Erichthonium magnâ de stirpe nepotem.
Hinc Tros, hinc Ilus, generis tunc ordine longo
Assaracus, nullóque minor famâve manúve,
Tum Capys, ut primus dederit sua nomina muris.
Concelebrant plausu pariter Sidonia pubes,
Campanæque manus, ante omnes ductor honori
Nominis augusto libat carchesia ritu,
Cætera quem sequitur, Bacchisque ex more liquorem
Irrorat mensis turba, ardescítque Lyæo.
Interea Tyrio resoluta in gaudia cœtu
Conversо (neque enim juvenis non digne fileri
Transmittam tua cœpta libens, famámque negabo
Quamquam imperfectis, magnæ tamen indolis ausis)
Mens una inviolata mero, nullisque venenis
Potando exarmata, decus pugnæque necisque
Sidoniæ tacito volvebat pectore molem.
Quóque esset miranda magis tum sacra libido,
Pactulo genius patrias damnaverat artes.

Is

Is variis oneratum epulis, atque atria tardo
Linquentem greſſu comitatus ponè parentem,
Poſtquam poſſe datum meditata aperire, novóſque
Pandere conatus, & liber parte relictâ
Tectorum à tergo patuit locus, accipe digna
Et Capuâ, & nobis, inquit, conſulta, (togâque
Armatum amotâ nudat latus) hoc ego bellum,
Conficere enſe paro, atque avulſum ferre tonanti
Rectoris Libyci victor caput. hic erit ille
Qui polluta dolis jam fœdera ſanciet enſis.
Si perſerre nequit ſpectacula tanta ſenectus,
Et tremit inceptis laſſo majoribus ævo,
Et tu ſecuris concede penatibus, & me
Linque meæ menti: ſummum tu credis, & æquas
Annibalem ſuperis, ô quantùm nomine major
Jam Pœno tibi natus erit! vibrabat ab ore
Ignis atrox, animúſque viri jam bella gerebat.
Quum ſenior tanti pondus conaminis ægrâ
Jam dudum vix aure ferens, tremebundus ibidem
Sternitur, & pedibus crebrò pavida oſcula figens,
Per, ſi quid ſupereſt vitæ, per jura parentis,
Pérque tuam noſtrâ potiorem nate ſalutem
Abſiſte inceptis, oro, ne ſanguine cernam
Polluta hoſpitia, ac tabo repleta cruento
Pocula, & everſas pugnæ certamine menſas.
Túne illum, quem non acies, neque mœnia, & urbes
Ferre valent, quum frons propior, lumenque coruſco
Igne micat, túne illa viri, quæ vertice fundit,
Fulmina pertuleris? ſi viſo intorſerit enſe
Diram, quâ vertit per campos agmina, vocem?
Fallit te, menſas inter quòd credis inermem.
Tot bellis quæſita viro, tot cædibus armat
Majeſtas æterna ducem, ſi admoveris ora,
Cannas, & Trebiam ante oculos, Traſimenáque buſta,
Et Paulli ſtare ingentem miraberis umbram.
Quid tanto in cœtu comitum, juxtáque jacentum
Torpebunt dextræ? parce oro, & deſine velle,
Cui nequeas victor ſupereſſe: an triſtia vincla
Et Decius non eruduunt componere mentem?
Talia commemorans, famæ majoris amore
Flagrantem ut vidit juvenem, ſurdúmque timori,
Nil ultrà poſco, refer in convivia greſſum,
Approperemus, ait, non jam tibi pectora pubis
Sidoniæ fodienda manu tutantia regem.
Hoc jugulo dextram explora, namque hæc tibi ferrum,
(Si Pœnum invaſiſſe paras) per viſcera ferrum
Noſtra eſt ducendum, tardam ne ſperne ſenectam,
Opponam membra, atque enſem extorquere negatum
Morte meâ eripiam. lacrymæ tunc ore profuſæ,
Et magnâ ſuperûm curâ ſervatus in arma
Scipiadæ Pœnus, nec tantum fata dederunt
Externâ peragi dextrâ, pulcherrimus iræ,
Et dignus fieri compos memorabilis auſi,
Amiſit quantam poſito conamine laudem,
Cui tantum eſt voluiſſe decus? tum reddere ſeſe
Feſtinant epulis, & triſtia fronte ſerenant,
Donec læta virûm ſolvit convivia ſomnus.
Poſtera lux Phaethontis equos proferre parabat
Jam rapido ſummis curru ſplendente ſub undis.
Et juvenis magno generatus Amilcare, duras
Jam dudum exercet curas. Carthaginis arces
Ire ferox Mago, & patribus portare jubetur
Nuntia facta ducis, præda & captiva leguntur
Corpora, direptæque viris ſub Marte cruento
Exuviæ, fauſti ſuperis libamina belli.
Altera curarum Libycis demittitur oris
Heu Decius, reduci lentas ſervatus ad iras,
Ni pœnæ juvenem indignæ miſeratus ab alto
Jupiter, antiquam Batti vertiſſet ad urbem.
Hèic Pellæa virum Ptolemæi ſceptra, vehentum
Eripuere minis, reſolutáque vincula collo,
Atque eadem vitæ cuſtos, mox deinde quieto
Accepit tellus oſſa inviolata ſepulcro.
Nec Venerem interea fugit exoptabile tempus,
Pœnorum mentes cæco per læta premendi
Exitio, & luxu corda importuna domandi.
Spargere tela manu paſſim fallentia natis
Imperat, & tacitas in pectora mittere flammas.
Tum pueris dulcè arridens: eat improba Juno,
Et nos (nec mirum, quid enim ſumus?) acta ſecundis
Deſpiciat, valet illa manu, valet illa lacertis,
Parvula nos arcu puerili ſpicula ſenſim
Fundimus, & nullus noſtro de vulnere ſanguis.
Verùm agite ô mea turba precor, nunc tempus, adeſte
Et Tyriam pubem tacitis exurite telis.
Ampleau, multóque mero, ſomnóque virorum
Profligande acies, quam non perfregerit enſis,
Non ignes, non emiſſis Gradivus habenis.
Combibat illapſos ductor per viſcera luxus,
Nec pudeat picto ſultum jacuiſſe cubili,
Nec crinem Aſſyrio perfundere pugnet amomo.
Ille ſub hyberno ſomnos educere cœlo
Jactator, tectis malit conſumere noctes.
Ac ponat ritus veſcendi, ſæpe citato
Dum reſidet ſub caſſide equo, diſcátque Lyæo
Imbellem donare diem. tum deinde madenti
Poſt epulas ſit grata chelys, ſegniſque ſoporas
Aut noſtro vigiles ducat ſub numine noctes.
Hæc poſtquam Venus, applaudit laſcivus, & alto
Mittit ſe cœlo niveis exercitus alis.
Sentit flammiferas pubes Mauruſia pennas,
Et pariter fuſis tepuerunt pectora telis,
Bacchi dona volunt, epuláſque, & carmina rurſus
Pieriâ liquefacta lyrâ. non acer aperto
Deſudat campo ſonipes, non ulla per auras
Lancea nudatos exercet torta lacertos.
Mollitæ flammis lymphæ languentia ſomno
Membra fovent, miſertſque bonis perit horrida virtus.
Ipſe etiam, adflatus fallente Cupidine, ductor
Inſtaurat menſas dapibus, repetítque volentum
Hoſpitia, & patrias paulatim decolor artes
Exuit, occultâ mentem vitiante ſagittâ.
Altera jam patria, atque æquo ſub honore vocatur,
Altera Carthago Capua, intactúmque ſecundæ
Fortunæ ingenium vitia adlatrantia quaſſant.
Nec luxûs ullus, merſæque libidine vitæ
Campanis modus: accumulant, variáſque per artes
Scenarum, certant epulas diſtinguere ludo,
Ut ſtrepit aſſiduè Phrygiam ad Nilotica loton
Memphis Amyclæo paſſim laſciva Canopo.
Inprimis dulcem, Pœno lætante, per aures
Nunc voce infundit Teuthras, nunc pectine cantum:
Iſque ubi mirantem reſonantia pollice fila
Ductorem vidit Libyæ, canere indè ſuperbas
Aoniæ laudes ſenſim teſtudinis orſus,
Concordem citharæ movit per carmina linguam,
Vincere linquentes vitam quæ poſſit olores.
Atque hæc è multis carpſit molliſſima menſæ
Argolicis quondam populis (mirabile dictu)
Exaudita chelys, lapidem teſtudine promtum
Ducere, & in muros poſuiſſe volentia ſaxa.
Hæc Amphionio vallavit pectine Thebas,
Ac ſilice aggeribus per ſe ſcandente vocatis,
Juſſit in immenſum cantatas ſurgere turres.
Altera turbatum plectro moderata profundum,
Et tenuit phocas, & in omni Protea formâ
Traxit, & æquoreo portavit Ariona dorſo.
Nam quæ Peliacâ frænabat rupe canendo
Heroum mentes, & magni pectora Achillis,
Centauro dilecta chelys, compeſceret iras
Percuſſâ fide, vel pelagi, vel triſtis averni.
Namque chaos, cæcam quondam ſinè ſidere molem,
Non ſurgente die, ac mundum ſinè luce canebat,
Tum Deus ut liquidi diſcîſſet ſtagna profundi,
Tellurſque globum mediâ compage locâſſet,
Ut celſum ſuperis habitare deditſet olympum,
Caſláque Saturni monſtrabat ſæcula patris.
Sed quos pulſabat Riphæum ad Strymona nervos
Auditus ſuperis, auditus manibus Orpheus,
Emerito fulgent clara inter ſidera plectro.
Hunc etiam mater, totâ comitante ſororum
Aonidum turbâ, mater mirata canentem,
Non illo Pangæa juga, aut Mavortius Hæmus,
Non illo modulante ſonos ſtetit ultima Thrace,
Cum ſylvis venere feræ, cum montibus amnes.
Immemor & dulcis nidi, poſitóque volatu
Non motâ volucris captiva pependit in æthrâ.
Quin etiam Pagaſæa ratis, quum cærula nondum
Cognita terrigenis, pontóque intrare negaret,
Ad puppim ſacræ citharâ eliciente carinæ
Adductum cantu venit mare, pallida regna
Biſtonius vates, flammiſque Acheronta ſonantem
Placavit plectro, & fixit revolubile ſaxum.
O diræ Ciconum matres, Geticíque furores,
Et damnata deis Rhodope, tulit ora revulſa
In pontum, ripis utrimque ſequentibus Hebrus.
Tum quoque quum rapidi caput à cervice reciſum
Portarent fluctus, ſubitò emicuere per undas

Ad

Ad murmur cete toto exsultantia ponto:
Sic tum Pierius bellis durata virorum
Pectora Cattalio frangebat carmine Teuthras.
Interea placida attulerant jam flamina terris
Magonem Libycis, lauro redimita subibat
Optatos puppis portus, pelagóque micabant
Captiva arma procul celsâ fulgentia prorâ.
At parulo surgens jam dudum ex æquore latè
Nauticus implebat resonantia littora clamor,
Et simul adductis percussa ad pectora remis,
Centeno fractus spumabat verbere pontus.
Nec lentum in medios rapienda ad gaudia vulgus
Procurrit fluctus, elatáque turba favore
Certatim ingenti celebrant nova gaudia plausu.
Æquatur rector divis, illum undique matres,
Illum turba minor, moniti laudare nepotes,
Et senior manus, & juxtà populúsque, patrésque,
Mactatis superûm dignantur honore juvencis.
Sic patriam Mago & portas ingressus ovantes
Fraternæ laudis famâ. ruit indè senatus,
Et multo patrum stipatur curia cœtu.
Tum divos veneratus avûm de more vetusto,
Martem, ait, egregium, & fractas, quæs Iraia tellus
Nitebatur, opes, pars ipse haud parva laborum
Nuntio: pugnatum superis in vota secundis.
Est locus, Ætoli signat quem gloria regis,
Possessus quondam prisca inter sæcula Dauno,
Humentes rapido circumdat gurgite campos
Aufidus, & stagnis intercipit arva refusis,
Mox fluctus ferit Adriacos, magnóque fragore
Cedentem impellit retrorsus in æquora pontum.
Hìc Varro, & magnum Latia inter nomina Paullus
Nomen, queis rerum ducibus permissa potestas,
Vixdum depulsâ nigræ caligine noctis
Invadunt campum, & latè fulgentibus armis
Accendunt ultro lucem surgentis Eoi.
Nos contrà (nam germanum furor acer agebat
Optatæ pugnæ) castris cita signa movemus.
Intremuit tellus, & pulsus mugit olympus.
Hìc fluviam & campos abscondit strage virorum
Ductor, quo nunquam majorem ad bella tulerunt
Rectorem terræ. vidi quum turbine sævo
Ausonia, & sonitu bellantis fusa per agros
Uni terga daret, vidi quum Varro citato
Auferretur equo, projectis degener armis.
Quin & magnanimum, perfosso corpore telis,
Staro super socium vidi te, Paulle, cadentem.
Ægates ille & servilia fœdera, largâ
Ultus cæde dies: non plus optâsse liberet,
Quàm tum concessit dexter deus; altera jam lux
Si talis redeat, populis sis omnibus una
Tum Carthago caput, terrásque colere per omnes.
Testes hi stragis, quos signum illustre superbis
Mos lævâ gestare viris. tum funditur ante
Ora admirantum præfulgens annulus auro,
Dátque fidem verbis, haud parvo insignis acervo.
Hinc iterum repetens. restat nunc sedibus imis
Vertenda, atque æquanda solo jam subruta Roma.
Adnitamur, ait, vires refovete tot haustas
Calibus, & pateant non parca æraria dextris,
Quas emimus bellis. defit jam bellua tristis
Ausoniis terror, nec non alimenta fatigant.
Atque ea dum memorat, torvo conversus in ora
Annonis vultu, quem glisceus gloria parvum
Ductoris studio jam dudum agitabat acerbo.
Jámque tibi dextras, inceptáque nostra probamus,
Jam fas Dardanio me non servire colono.
Anne iterum Annibalem dedi placet? atra veneno
Invidiæ nigróque undantia pectora felle
Tandem tot titulis, totque exorata tropæis
Infelix muta: dextra hæc, en dextera, quam tu
Æneadis lacerare dabas, & littora, & amnes,
Et stagna, & latos impleri sanguine campos.
Hæc Mago, atque animos favor haud obscurus habebat.
Cui, simul invidiâ atque irâ stimulantibus, Anno:
Talia vesani juvenis convicia miror
Haud equidem: tumet ingenio, fraternáque corda
Non tardè agnoscas, & virus futile linguæ.
Qui ne mutatum vanis abiisse credat,
Nunc pacem orandum, nunc improba fœdere rupto
Arma réponendum, & bellum exitiale cavendum
Auctor ego, atque adeò vosmet pendite quæso,
Quid ferat: haud aliud nobis censere relictum est.
Tela, viros, aurum, classis alimenta precatur,
Belligerámque feram: victus non plura dedisset.
Sanguine Dardanio Rutulos fœcundavimus agros,
Et jacet in campis Latium. deponere curas
Tandem ergo bone da victor, liceátque sedere
In patriâ, liceat non exhaurire rapacis
Impensis belli vacuatos sæpe penates.
Nunc eu, nunc inquam (falsâ ut præsagia nostra
Sint oro, ménsque augurio ludatur inani)
Haud procul est funesta dies: atrocia novi
Corda, ac prospicio natas in cladibus iras.
Vos ego, vos metuo, Canuæ; submittite signa,
Atque adeò tentate, agedum, & deposcite pacem.
Non dabitur. parát ille dolor (mihi credite) majus
Exitium accepto, citiúsque hæc fœdera victor,
Quàm victus, dabit, atque adeò qui tanta superbo
Facta tonas ore, & spumanti turbine perdas
Ignorantum aures, dic en germanus in armis
Ille tuus par Gradivo, per sæcula tellus
Cui similem nunquam ductorem in bella creavit,
Mœnia Romuleæ cur nondum viderit urbis?
Scilicet à gremio matrum rapiamus in hostem
Nondum portandis habiles gravioribus armis.
Æratas jussi texamus mille carinas,
Atque omnis Libyæ quæratur bellua terris,
Ut longa imperia, atque armatus proroget annos
Annibal, & regnum trahat usque in tempora fati.
Vos verò (neque enim occulto circumdamur astu)
Ne dulces spoliate domos, castrisque potentum
Atque opibus sancite modum. pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem
Et cives æquare potens, revocetur in arces
Tandem Sidonias, & fama fugetur ab urbe
Perfidiæ Phœnissa tuâ: si tanta libido
Armorum tenet, atque enses non reddere pectat
Poscenti patriæ, nil suppeditare furori
Hortor, & hæc fratri Magonem dicta referre.
Plura adnectentem (neque enim satiaverat iras
Dicendo) clamor turbat diversa volentum:
Si Libyæ decus, haud ulli superabilis armis
Annibal est iræ tibi, destituemus ad ipsas
Victorem metas? nec opum adjumenta feremus,
Invidia unius sceptra ut jam parta retardet?
Indè alacres tribuunt, quæ belli poscceret usus:
Absentíque suum jactant sub teste favorem.
Mox eadem terris placitum traducere Iberis,
Cum malus obtrectat facta immortalia livor,
Nec finit adjutas ductoris crescere laudes.

LIBER XII.

JAM terrâ glaciale caput, fœcundáque nimbis
Tempora, & austritero nebulosam vertice frontem,
Immitis condebat hyems, blandíssque salubre
Ver Zephyris, tepido mulcebat rura sereno.
Prorumpit Capuâ Pœnus, vicináque latè
Præmisso terrore quatit. ceu condita brumâ
Dum Riphæa rigent Aquilonis flamina, tandem
Evolvit serpens arcano membra cubili,
Et splendente die novus emicat, atque coruscum
Fert caput, & saniem sublatis faucibus efflat.
At Libyci ducis ut fulserunt signa per agros,
Desolata metu cuncta, & suadente pavore
Vallo se claudere simul, trepidíque salutis
Exspectant ipsis metuentes mœnibus hostem.
Sed non ille vigor, qui ruptis Alpibus arma
Intulerat, dederatque vias, Trebiâque potitus,
Mæonios Italo sceleravit sanguine ductus,
Tunc inerat. molli luxu madefacta, meróque
Illecebris somni torpentia membra fluebant,
Queis gelidas suetum noctes thorace gravatis
Sub Jove non æquo trahere, & tentoria sæpe
Spernere, ubi hybernâ ruerent cum grandine nimbi,
Ac ne nocte quidem clypei, ensésve reposti,
Non pharetræ, aut jaculæ, & pro membris arma fuere.
Tunc grave cassis onus, majoráque pondera visa
Parmarum, ac nullis fusæ stridoribus hastæ.
Prima instaurantem sensit certamina mitis
Parthenope, non dives opum, non spreta virôris:
Sed portus traxere ducem, fecura volentem
Æquora, quæ peteret veniens Carthagine puppis.
Nam mollis urbi situs, atque hospita Musis

Otia,

Otia, & exemtum curis gravioribus ævum,
Sirenum dedit una suum & memorabile nomen
Parthenope muris Acheloïas, æquore cujus
Regnavere dia cantus, quum dulce per undas
Exitium miseris caneret non prospera nautis.
Hæc ponè aggressus (nam frontem clauserat æquor)
Mœnia, non ullas valuit perfringere Pœnus
Totâ mole vias, frustráque inglorius ausi,
Pulsavit quatiens obstructas ariete portas.
Stabat Cumarum Graja ad munimina victor
Nequidquam, & cautæ mentis consulta probabat
Eventu, qui post Dauni stagnantia regna
Sanguine, Tarpeias ire abstinuisset ad arces.
En qui nos segnes, & nescire addere cursum
Fatis jactâstis, quòd vobis scandere nuper
Non acie ex ipsâ concessum mœnia Romæ;
Intrate, atque epulas promissas fœde tonantis
His, quæ Graia manus defendit, reddite tectis.
Talia jactabat, famæque pudore futuræ
Irritus, inceptâ primus si abstiterat urbe,
Audebat cuncta, atque acuebat fraudibus cusos.
Sed subitæ muris flammæ, totóque fluebant
Aggeris anfractu tela improvisa per auras.
Haud secus, occuluit saxi quos vertice fœtus
Ales fulva Jovis, tacito si ad culmina nisu
Evasit serpens, terrétque propinquus hiatu,
Illa hostem rostro, atque adsuetis fulmina ferre
Unguibus incessens, nidi circumvolat orbem.
Tandem ad vicinos Cumarum vertere portus
Defessus subigit, varióque lacessere motu
Fortunam, & famæ turbando obstare sinistræ.
Sed custos urbi Gracchus tutela, vel ipsis
Certior arcebat muris, iterúmque sedere
Portis, atque aditus iterum sperare vetabat.
Lustrat inops animi, rimatur & omnia circùm
Alite vectus equo, rursúsque hortatibus infit
Laudum agitare suos: proh di, quis terminus, inquit,
Ante urbes standi Graias, oblite tuorum
Factorum miles? quis erit modus? Alpibus adstat
Nimirum major moles, & scandere cælum
Pulsantes jubeo scopulos: quamquam altera detur
Si similis tellus, aliæque repentè sub astra
Exsurgant rupes, non ibis? & arduus arma
Me ducente feres? téne heu Cumanus hiantem
Agger adhuc murúsque tenet? Gracchúmque, moveri
Non ausum portis, parvo in discrimine cerno?
An vobis gentes, quæcunque labore parâstis,
Casu gesta putent? per vos Tyrrhena faventum
Stagna deûm, per ego & Trebiam, cinerésque Sagunti
Obtestor, dignos jam vosmet reddite vestrâ,
Quam trahitis, famâ, & revocate in pectora Cannas.
Sic ductor fessas luxu, attritáque secundis
Erigere, & verbis tentabat tillere mentes.
Atque hic perlustrans aditus, fulgentia cernit
Arcis templa jugo, quorum tum Virius altæ
Immitis ductor Capuæ, primordia pandit.
Non est hoc, inquit, nostri, quod suspicis, ævi,
Majores fecere manus, quum regna timeret
Dictæi regis, (sic fama est) linquere terras
Dædalus invenit: nec toto signa sequenti
Orbe dare, æthereas alienâ tollere in auras
Ausus se pennâ, atque homini monstrare volatus.
Suspensum hic librans media inter nubila corpus
Enavit, superósque novus conterruit ales.
Natum etiam docuit falsæ sub imagine plumæ
Attentare vias volucrum: lapsúmque solutis
Pennarum remis, & non felicibus alis
Turbida plaudentem vidit freta: dúmque dolori
Indulget subito, motis ad pectora palmis
Nescius heu planctu duxit moderante volatus.
Hic pro nubivago gratus pia templa meatu
Instituit Phœbo, atque audaces exuit alas.
Virius hæc. sed enim ductor numerabat inertes
Atque actos sinè Marte dies, ac stare pudebat.
Ingemit adversis, respectánsque irrita tecta
Urbe Dicarchæâ parat exstatiare dolorem.
Hìc quoque nunc pelagus, nunc muri saxea moles
Officit audenti, defendentúmque labores.
Dúmque tenet socios dura atque obsepta viarum
Rumpere nitentes lentus labor; ipse propinqua
Stagnorum terræque sinûs miracula lustrat.
Primores adsunt Capuæ, docet ille tepentes
Unde ferant nomen Baiæ, comitémque dedisse
Dulichiæ puppis magno tot nomina monstrat.

Ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam
Cocyti memorat, medióque in gurgite ponti
Herculeum commendat iter, quà discidit æquor
Amphitryoniades armenti victor Iberi.
Ille olim populis dictum Styga, nomine verso
Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Avernum,
Tum tristi nemore atque umbris nigrantibus horrens,
Et formidátus volucri, loetale vomebat
Suffuso virus cælo, Stygiáque per urbes
Religione sacer, sævum retinebat honorem.
Hinc vicina palus, famæ est Acherontis ad undas
Pandere iter, cæcas stagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,
Interdúmque novo perturbat lumine manes.
Juxtà ac caligante situ, longúmque per ævum
Interclusis pressas nebulis, pallente sub umbrâ
Cimmerias jacuisse domos, noctémque profundam
Tartareæ narrant urbis: tum sulfure & igni
Semper anhelantes, coctóque bitumine campos
Ostentant, tellus atro exundante vapore
Suspirans, ustíque diu calefacta medullis
Æstuat, & Stygios exhalat in æra flatus.
Parturit, & tremulis metuendum exsibilat antris.
Interdúmque cavas luctatus rumpere sedes,
Aut exire foras, sonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, laceratáque viscera terræ
Mandit, & excelsos labefactat murmure montes.
Tradunt Herculeâ prostratos mole gigantes
Tellurem injectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri latè campos, quotiésque minatur
Rumpere compagem impositam, expalleseere cælum.
Apparet Prochyte sævum sortita Mimanta:
Apparet procul Inarime, quæ turbine nigro
Fumantem premit Japetum, flammásque rebelli
Ore ejectantem, & si quando evadere detur,
Bella Jovi rursus superisque iterare volentem.
Monstrantur Veseva juga, atque in vertice summo
Depasti flammis scopuli, fractúsque ruinâ
Mons circùm, atque Ætnæ fatis certantia saxa.
Nec non Misenum servantem Idæa sepulcro
Nomina, & Herculeos videt ipso in littore Baulos.
Miratur pelagique minas, terræque labores.
Quæ postquam perspecta viro, regressus ad altos
Indè Phereeyadum muros, frondentia læto
Palmite devastat Nysæa cacumina Gauri.
Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.
Campo Nola sedet, crebris circumdata in orbem
Turribus, & celso facilem tutatur adiri
Planiciem vallo: sed qui non turribus arma
Defendenda daret, verùm ultro mœnia dextrâ
Protegeret, Marcellus opem auxiliúmque ferebat.
Isque ubi Agenoream procul adventare per æquor,
Et ferre ad muros nubem videt, arma, cruentus
Hostis adest, rapite arma viri, clamátque, capíteque.
Circumstant rapidi juvenes, aptántque frementi
Sanguineas de more jubas: sonat indè citato
Agmina disponens passu, tu limina dextræ
Servabis portæ Nero: tu converte cohortes
Ad lævam patrias, & Latinatia signa,
Clarum Volscorum Tulli decus: ast ubi jusso
Per tacitum ruptis, subitâ vi, fundite portis
Telorum in campos nimbum, ferat ipse revulsâ
In medios, equitúmque trahat certamina portâ.
Dúmque ea Marcellus, jam claustra evellere Pœni
Et scalis spretos tentabant rumpere muros.
Insonuere tubæ passim, clamórque virorum,
Hinnitúsque, simul litui, raucóque tumultu
Cornua, & in membris concussa furentibus arma.
Fertur acerba lues disjectis incita telis,
Effusæque ruunt inopino flumine turbæ,
Improbus ut fractis exundat molibus amnis,
Propulsum ut Boreâ scopulis impingitur æquor,
Ut rupto terras invadunt carcere venti.
Nec terrente Libys visu armorúmque virûmque
Dejectum sperare valet; dux Dardanus instat
Attonito prægressus equo, tergísque ruentum
Incumbens hastâ, socios nunc voce fatigat.
Perge age, fer gressus, dexter deus, horáque nostra est,
Hàc iter in muros Capuæ: nunc rursus in hostem
Conversus, sta, quò rapéris? non terga tuorum,
Te, ductor Libyæ, increpito, stat campus, & arma,
Et Mars in manibus, dimitto à cæde cohortes.
Spectamur soli, Marcellus prœlia posco.
Sic rector Latius: juvenísque invadere pugnam

Barcæo

Barcæo ſuadebat honor, pretiúmque periclî.
Sed non hæc placido cernebat pectore Juno,
Cœptóque avertit ſuprema in fata ruentem.
Sillere perculſos ille, & revocare laborat.
Talémne è gremio Capuæ, tectíſque ſiniſtris
Egredimur? ilate ô miſeri, queis gloria ſumma
Dedecori eſt. nil vos hodie (mihi credite) terga
Vertentes fidum exſpectat: meruiſtis ut omnis
Ingruat Auſonia, & ſævo Mavorte parâſtis,
Nequa ſpes fuſos pacis vitæque maneret.
Vincebat clamore tubas, vociſque vigore
Quamvis obſtructas ſævus penetrabat in aures.
Polydamanteis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox, Trojanáque ſemina, & ortus
Atque Antenoreâ ſeſe de ſtirpe ferebat,
Haud levior generis famâ, ſacróque Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,
Seu Muſas placidus, doctæque ſilentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores.
Non ullum dixere parem, nec notior alter
Gradivo juvenis, nec Phœbo notior alter.
Qui poſtquam effuſis urgens veſtigia frænis
Pœnorum, juxtà galeam atque inſigne peremti
Agnovit ſpolium Paulli, puer illa gerebat
Non parvo lætus ductoris munere Cinyps,
Dilectus Pœno Cinyps, quo gratior ora
Non fuit, ac nullâ nituit plus fronte decoris.
Quale micat ſempérque novum eſt, quod Tiburis aura
Paſcit ebur, vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis, rubris advectus ab undis.
Quem poſtquam egregium criſtis, & caſſide notâ
Fulgentem extremo Pedianus in agmine vidit,
Ceu ſubita ante oculos Paulli emerſiſſet imago
Sedibus infernis, amiſſáque poſceret arma,
Invadit frendens, túne, ignaviſſime, ſacri
Portabis capitis, quæ non ſinè crimine veſter
Invidiâque deûm geſtaret tegmina ductor?
En Paullus. vocat indè viri ad ſpectacula manes,
Et fugientis agit coſtis penetrabile telum.
Tum delapſus equo, galeam atque inſignia magni
Conſulis abrumpit dextrâ, ſpoliátque videntem.
Solvitur omne decus leto, niveóſque per artus
It Stygius color, & formæ populatur honores.
Ambroſiæ cecidere comæ, violatáque cervix
Marmoreum in jugulum collo labente recumbit,
Haud ſecus oceano rediens Cytherëius ignis,
Quum ſeſe Veneri jactat ſplendore refecto,
Si ſubita invadat nubes, hebetatur, & atris
Decreſcens tenebris, languentia lumina condit.
Ipſe etiam captâ Pedianus caſſide, nudos
Attonitus ſtupet ad vultus, iráſque coercet.
Tum galeam magno ſociûm clamore reportans
Immitem quatiebat equum, ſpumantia ſævo
Fræna cruentantem morſu, cui turbidus armis
Obvia Marcellus rapido tulit ora tumultu:
Agnoſcénſque decus, macte ô virtutis avitæ
Macte Antenoride, nunc, inquit, rapta petamus
Quod ſupereſt Libyci ductoris tegmina, & ardens
Terrificis ſævam fundit ſtridoribus haſtam.
Nec forſan voti vanus foret, obvia ni vis
Geſtaris oppoſito tenuiſſet corpore telum.
Qui dum vicinis ductorem protegit armis,
Tranſabiit non hunc fitiens gravis haſta cruorem,
Ingentéſque minas mutatâ morte peregit.
Avehitur raptim ductor, diſcrimine leti
Turbatus, curſúmque ferens ad caſtra capeſſit.
Jámque fugæ immodicus tendit certamine greſſum
Præcipitem, verſis Pœnorum exercitus armis.
Adſequitur telis hoſtis, longáſque viritim
Exſatiant iras cladum, cælóque cruentos
Certatim oſtentant & dîs ultoribus enſes.
Ille dies primus docuit, quod credere nemo
Auderet ſuperis, Martis certamine iſti
Poſſe ducem Libyæ. raptant currúſque virôſque
Maſſylámque feram, & vivis avulſa reportant
Tegmina bellantum, atque abeunt ſub cuſpide terga
Contenti vidiſſe ducis: tum Martis adæquant
Marcellum decori: graditur comitante triumpho
Major, quàm ferret quum victor opima tonanti.
Inde furens poſtquam vallo vix depulit hoſtem
Ductor Agenoreus, quando hanc, quantóque cruore
Hoſtili, labem eluerim? mea terga videre
Contigit Auſoniæ? méne, inquit, ſumme deorum,
Poſt Trebiam ſtatuis tam triſti funere dignum?
Vóſque invicta diu, nunc heu ſinè Marte juventus,
Debellata bonis Capuæ, non degener ipſe
Geſtorum, Auſoniis verti victricia ſigna,
Vobis terga dedi, vidi quum ad bella vocarem,
Non ſecus atque Italo fugere à ductore paventes.
Quid reliquum priſci Martis tibi, qui dare terga
Me revocante potes? fundebat talia Pœnus,
Et Latiæ ſeſe Nolana ad mœnia turmæ
Portantes ſpolia inſigni clamore ferebant.
At conſueta graves per longum audire ſuorum
Eventus Roma, & nunquam recreata ſecundis;
Adlato tandem fauſtæ certamine pugnæ
Erigitur, primóque deûm ſe munere tollit.
Ante omnes pigra in Martem, fugiéuſque laborum,
Dum bellum tonat, & ſeſe furata juventus
Dat pœnas latebræ; tum qui dulcedine vitæ,*
Invenere dolos, juratáque fœdera Pœno
Corrupere, notant, & purgant crimine gentem.
Punitur patriam meditantum linquere terram
Conſilium infelix, ſceleratáque culpa Metelli.
Talia corda virûm: ſedenim non femina ceſſit
Mente æquare viros, & laudis poſcere partem.
Omnis præ ſeſe portans capitiſſque manûſque
Antiquum decus, ac direpta monilia collo,
Certatim matrona ruit, bellóque miniſtrant.
Haud tantâ ceſſiſſe viros in tempore tali
Laudis ſorte piget: factóque in ſæcula ituro
Lætantur tribuiſſe locum: tum celſa ſenatûs
Subſequitur turba, in medium certamine magno
Privatæ cumulantur opes, nudare penates
Ac nihil arcanos vitæ melioris ad uſus
Sepoſuiſſe juvat, coit & ſinè nomine vulgus.
Corpore ſic toto ac membris Roma omnibus uſa,
Exſangues rurſus tollebat ad æthera vultus.
Addunt ſpem miſeris dulcem Parnaſſia Cirrha
Portantes reſponſa viri. nam læta ferebant
Exaudiſſe adytis, ſacrâ cum voce tonaret
Antrum, & mugiret Phœbo jam intrata ſacerdos:
Solvite, gens Veneris, graviores corde timores,
Adverſa, & quidquid duri ſub Marte manebat,
Exhauſtum eſt vobis: reſtant leviora laborum,
Et ſinè pernicie terror, dîs vota, precéſque
Ferte modò, & tepidos aris libate cruores,
Neu date terga malis, aderit Gradivus, & ipſe
Delius avertet propiora pericula vates,
Trojanos notus ſemper minuiſſe labores.
Sed verò, ſedenim ante omnes altaria fument
Centum feſta Jovi, centum cadat hoſtia cultris.
Ille trucem belli nubem, ſævâſque procellas
In Libyam violenter aget. ſpectabitis ipſi
Ægida turbato quatientem in prœlia mundo.
Aît ea Parnaſſi poſtquam clamata ſub antris
Adlatum, vulgſque deus pervenit ad aures;
In Capitolinas certatim ſcanditur arces,
Sternuntúrque Jovi, & delubrum ſanguine honorant.
Tum pæana canunt reſponſáque fida precantur.
Interea adſuetis ſenior Torquatus in armis,
Sardoas patrio quatiebat milite terras.
Namque ortum Iliacâ jactans ab origine nomen
In bella Hampſagoras Tyrios renovata vocârat.
Proles pulchra viro, nec tali digna parente
Oſcus erat, cujus fretus fulgente juventâ
Ipſe aſper paci, crudos ſinè viribus annos
Barbarici ſtudio ritûs, refovebat in armis.
Iſque ubi Torquatum raptim properata ferentem
Signa videt, pugnæque avidas accendere dextras,
Fraude loci notâ, latebroſa per avia ſaltûs
Evolat, & proviſa fugæ compendia carpens,
Occultâ tegitur valle, & frondentibus umbris.
Inſula fluctiſono circumvallata profundo
Caſtigatur aquis, compreſſâque gurgite, terras
Enormes cohibet nudæ ſub imagine plantæ.
Indè Ichnuſa priùs Graiis memorata colonis,
Mox Libyci Sardus generoſo ſanguine fidens
Herculis ex ſeſe mutavit nomina terræ.
Adfluxere etiam, & ſedes poſuere coactas
Diſperſi pelago, poſt eruta Pergama, Teucri.
Nec parvum decus, advecto cum claſſe paternâ
Agmine Theſpiadum, terris Iolae dediſti.
Fama eſt, quum lacerîs Actæon flebile membris
Supplicium lueret ſpectatæ in fonte Dianæ,
Attonitum novitate mali fugiſſe parentem

Per freta Ariſtæum, & Sardoos iſſe receſſus,
Cyrenen monſtràſſe ferunt nova littora matrem.
Serpentum tellus pura, ac viduata venenis,
Sed triſtis cælo, & multâ vitiata palude.
Quà videt Italiam, ſaxoſo torrida dorſo
Exercet ſcopulis latè freta, pallidáque intus
Arva coquit nimiùm, Cancro fumantibus Auſtris.
Cætera propenſæ Cereris nutrita favore.
Hôc habitu terræ nemoroſa per invia crebro
Torquatum eludens hoſtis, Sidonia pugnæ
Tela exſpectabat, ſociósque laboris Iberos.
Qui poſtquam appulſis animos auxere carinis,
Haud mora prorumpit latebris, adverſáque latè
Agmina inhorreſcunt, longúmque coire videtur,
Et conferre gradum: media intervalla patentis
Corripiunt campi properatis eminus haſtis.
Donec ad exſertos enſes, fidiſſima tela,
Deventum, dura indè luce, cedúntque, cadúntque,
Alterníque animas ſævo in mucrone relinquunt.
Non equidem innumeras cædes, tótque horrida facta
Sperârim tanto dignè pro nomine rerum
Pandere, nec dictis bellantum æquare calorem.
Sed vos, Calliope, noſtro donate labori,
Nota parum magni longo tradantur in ævo
Facta viri, & meritum vati ſacremus honorem.
Ennius antiquâ Meſapi ab origine regis
Miſcebat primas acies, Latiæque ſuperbum
Vitis adornabat dextram decus. hiſpida tellus
Miſerunt Calabri, Rudiæ genuere vetuſtæ,
Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen alumno.
Is primâ in pugnâ, vates ut Thracius olim
Infeſtam bello quateret quum Cyzicus Argo
Sidonia depoſito Rhodopeïa pectine torſit,
Spectandum ſeſe non parvâ ſtrage virorum
Fecerat, & dextræ gliſcebat cædibus ardor.
Advolat æternum ſperans fore, pelleret Oſcus
Si tantam labem, ac perlibrat viribus haſtam.
Riſit nube ſedens vani conamina cœpti,
Et telum procul in ventos dimiſit Apollo.
Ac ſuper his nimiùm juvenis, nimiúmque ſuperbè
Sperata hauſiſti: ſacer hic, ac magna ſororum
Aonidum cura eſt, & dignus Apolline vates.
Hic canet illuſtri primus bella Itala verſu,
Attollétque duces cælo, reſonare docebit
Hic Latiis Helicona modis, nec cedet honore
Aſcræo famâve ſeni. ſic Phœbus, & Oſco
Ultrix per geminum tranſcurrit tempus arundo.
Vertuntur juvenis caſu perculſa per agros
Agmina, & effuſæ pariter dant terga catervæ,
Dum pater, auditâ nati nece, turbidus iræ
Barbaricum atque immane gemens, tranſfigit anhelum
Pectus, & ad manes urget vestigia nati.
At Libyæ ductor Marcello fractus, & acri
Contuſus pugnâ, campos damnârat, & arma
Verterat ad miſeras non æqui Martis Acerras.
Indè ubi permiſit flammis, atque enſibus urbem,
Nuceriæ nihilo levior nec parcior iræ
Incuſſit ſeſe, atque æquavit mœnia terræ.
Pòſt Caſilina ſibi, multùm oblectatus iniquis
Defendentum armis, ægre reſeraverat aditu
Limina, & obſeſſis vitam penſaverat auro.
Jámque in Dauniacos perfundens agmina campos
Flectebat rabiem, quò præda vel ira vocâſſet:
Fumabat verſis incenſa Petilia tectis,
Infelix fidei, miſeræque ſecunda Sagunto,
Ac quondam Herculeam ſervare ſuperba pharetram.
Verterat & mentem Tyria ad conata Tarentus,
Portíſque intrârant Pœni, ſedenim arce coruſcâ
Fiſa loco manus Auſoniæ, ſtipata ſedebat.
Hic (miranda) movens claſſem, quæ condita portu
Adſtabat, namque anguſtis è faucibus æquor
Erumpit ſcopulos inter, paruloque receſſu
Infundit campis ſecretum gurgite pontum.
Incluſas igitur, quibus haud enare dabatur
Arce ſuperpoſitâ, clauſtris maris extulit aditu,
Pérque averſa tulit portas arva carinas.
Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris,
Atque recens cæſi tergo perlapſa juvenci
Æquoream rota ducebat per gramina puppim.
Et jam per colles, dumóſque ad littus adacta
Innabat pelago, veniens ſinè remige claſſis.
Nuntius interea, vectis non more carinis
Terrentem freta, curarum fervoribus implet.
Dum procul Oebalios avet expugnare nepotes,

Et primus roſtris ſulcet navalibus arva,
Adſeſſos Capuæ muros, clauſtra ipſa revelli
Portarum, ac totum miſeris incurrere bellum.
Linquit cœpta ferox, pennáſque addente pudore,
Atque irâ ſimul, immani per proxima motu
Evolat, & minitans avida ad certamina fertur.
Haud ſecus amiſſo tigris ſi concita fœtu
Emicet, attonitæ paucis luſtratur in horis
Caucaſus, & ſaltu tranſmittitur alite Ganges,
Donec fulmineo partus veſtigia curſu
Colligit, & rabiem premſo conſumit in hoſte.
Obvius huic ſparſo Centenius agmine raptim
Funditur, audendi pravus, faciliſque periclis.
Sed parvum decus Annibali. nam vitis honore
Perfunctus Latiæ, ſubitò ſtimulârat agreſtes,
Semiermémque manum ſternendam objecerat hoſti.
Bis ſeptem demiſſa neci, nec ſubſtitit agmen,
Millia bis ſeptem, quæ non ſolertior enſe,
Sed genus inſignis, juſtis ducebat in armis
Fulvius, aſt æquè per corpora fuſa jacentum
Raptum iter eſt, victórque moram non paſſus eundi.
Exſequiæ, tantum famam noménque volentem
Mitificæ mentis, tenuerunt funere læto.
Namque per inſidias (infandum) & ab hoſpite cæſus,
Colloquium & promiſſa petit dum perfida gentis
Lucanæ Gracchus, cæco circumdatus æſtu
Occiderat, laudémque Libys rapiebat humandi.
Sed non ut ſcitum, celerare ad mœnia Pœnum,
Adſtabat res ulla loco, jam conſul uterque
Præcipites aderant, Nolâ vis omnis & Arpis,
Ævi floridior Fabius, rapida arma ferebant,
Hinc Nero, & hinc volucres Syllanus nocte diéque
Impellebat agens, properata ad bella, cohortes,
Undique conveniunt, paritérque opponere cunctos
Uni ductores juveni placet, arduus ipſe
Tifata invadit propior, quà mœnibus inſtat
Collis, & è tumulis ſubjectam deſpicit urbem.
Verùm ubi tot ſeſe circumfundentibus armis
Vallatas ſociûm portas, unſque negari
Intraviſſe ſibi, Capuáque erumpere cernit,
Anxius adventûs, nunc ferro frangere cœtum
Obſtantum meditatur, init nunc avia cœpto
Conſilia, atque æſtu quærit tot millia portis
Abſtrahere arctatis, cinctóſque reſolvere muros.
Sic igitur ſecum, curáſque ira corde fatigat:
Quò mens ægra vocas? rurſúſne pericula ſumam
Non æquus regione loci? Capuáque videnti
Terga dabo? an reſidens vicini vertice montis
Exſcindi ante oculos patiar ſocialia tecta?
Non ita me experti Fabius, Fabióque magiſter
Turbarum expertem, quam clauſos milite colles
Evaſi victor, ſparſóſque per arva juvencos
Jactare accenſis ſtimulavi cornibus ignes.
Haud dum omnes abiere doli, defendere nobis
Si Capuam ereptum eſt, dabitur circumdare Romam.
Hæc poſtquam placita, & tenuit ſententia mentem,
Non exſpectato Titan dum gurgite lucem
Spirantes proferret equos, impellit in agmen
Voce manúque viros, & cœpta immania pandit,
Perge, age, vince omnem miles virtute laborem,
Et quantùm humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera, Romam petis: hoc iter Alpes,
Hoc Cannæ ſtravere tibi, eia incute muris
Umbonem Iliacis, Capuæque repende ruinas,
Quam tanti fuerit cadere, ut Palatia cernas
Ex demigrantem Tarpeiâ ſede tonantem.
Inſtructi glomerant greſſus, Roma auribus hæret,
Roma oculis, credúntque ducis ſolertibus actis
Aptiùs id cœptum, quàm ſi duxiſſet ab ipſo
Fatali Æneadis campo, Vulturna citata
Tranſmittunt alvo vada, poſtremíque relinquunt
Tardandis Italis corruptas igne carinas.
Tum Sidicina legunt pernicibus arva maniplis,
Threïciámque Calen, veſtras à nomine natæ
Orithyia domos. hinc Alitanos laccho
Haud inamatus ager, nymphíſque habitata Caſini
Rura evaſtantur: mox & vicinus Aquinas,
Et quæ fumantem texere gigantæ Fregellæ
Agmine carpuntur volucri: fert concitus indè
Per juga celſa gradum, duris quà rupibus hæret
Bellator Frutino, & ſurgit ſuſpenſa tumenti
Dorſo, frugiferis Cerealis Anagnia glebis.
Jámque adeò eſt campos ingreſſus, & arva Labici,
Linquens Telegoni pulſatos ariete muros,

Haud dignam inter tanta morarum, nec amœna retentant
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ.
Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus quà serpit leniter undis
Ad genitorem Anio, labens finè murmure Tibrim.
Hìc ut signa ferox, dimensáque castra locavit,
Et ripas tremefecit eques, perterrita pulsis
Ilia prima vadis, sacro se conjugis antro
Condidit, & cunctæ fugerunt gurgite nymphæ.
At matres Latiæ, ceu mœnia nulla supersint,
Attonitæ, passim furibundis greffibus errant.
Ante oculos adstant laceræ trepidantibus umbræ,
Quæque gravem ad Trebiam, quæque ad Ticina fluenta
Oppetiere necem, Paullus Gracchúsque cruenti
Flaminiúsque simul, miseris ante ora vagantur.
Clausit turba vias, stat celsus & asper ab irâ,
Ingentémque metum torvo domat ore senatus.
Interdum tamen erumpunt sub casside fusæ
Per tacitum lacrymæ, quidnam fortuna minetur,
Quídve parent superi: pubes dispersa per altas
Stat turres, atque hoc ventum sub corde volutat,
Ut jam Roma satis credat defendere muros.
Pœnus ut ad somnos vix totam cursibus acta
Indulsit pubi noctem, vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credensque abscedere vitæ
Quod sopor eripiat tempus, radiantibus armis
Induitur, Nomadúmque jubet prorumpere turmas.
Indè levis frœnis circùm pavitantia fertur
Quadrupedante sono perculsæ mœnia Romæ.
Nunc aditus lustrat, clausas nunc cuspide pulsat
Infestâ portas, fruitúrque timore paventum.
Nunc lætus celsis adstans in collibus, intrat
Urbem oculis, discítque locos, causásque locorum.
Ac legeret visu cuncta, & penetraret in omnes
Spectando partes, ni magno turbine adesset
Fulvius, haud totâ Capuæ obsidione relictâ.
Tum demum castris turmas suffixit ovantes
Spectatâ ductor satiatus pectora Româ.
Atque ubi nox depulsa polo, primâque rubescit
Lampade Neptunus, revocátque aurora labores,
Effundit rupto persultans agmina vallo,
Et quantum clamare valet per plurima nostra,
O socii, decora, & sacras in sanguine dextras,
Votis ite pares, & tantum audete sub armis
Quantum Roma timet, reliquam hanc exscindite mo-
Nil quod vincatis toto restabit in orbe: (lem,
Neu populi vos Martigenæ tardârit origo,
Intratam Senonum capietis millibus urbem,
Adsuetámque capi: fortasse curulibus altis
Jam vos, exemplo proavorum, ac nobile letum
Exspectant de more senes, mortíque parantur.
Talibus hic Pœnus: sed contrà Oenotria pubes
Non ullas voces ducis, aut præcepta requirit.
Sat matres stimulant, natíque, & cara supinas
Tendentum palmas lacrymantiáque ora parentum.
Ostentant parvos, vagitúque incita pulsant
Corda virûm, armatis infigunt oscula dextris.
Ire volunt, & pro muris opponere densi
Pectora, respectántque suos, fletúmque resorbent.
Ut verò impulso patefactæ cardine portæ,
Et simul erupit junctis exercitus armis,
Funditur immixtus gemitu, precibúsque per altos
Ad cælum muros clangor, sparsæque solutis
Crinibus exululant matres, atque ubera nudant.
Fulvius antevolans agmen, quis nesciat, inquit,
Non sponte ad nostros Pœnum venisse penates?
A portis fugit Capuæ. subnectere plura
Conantem tristis cæli cum murmure vasto
Turbavit fragor, & subitâ de nube procellæ.
Jupiter, Æthiopum remeans tellure, minantem
Romuleo Pœnum ut vidit succedere vallo,
Cælicolis raptim excitis, defendere tecta
Dardana, & in septem discurrere jusserat arces.
Ipse è Tarpeio sublimis vertice, cuncta,
Et ventos, simul & nubes, & grandinis iras,
Fulmináque & tonitrus, & nimbos conciet atros.
Concussu tremuere poli, cælúmque tenebris
Clauditur, & terras cæco nox condit amictu.
Instat tempestas oculis, hostíque propinquo
Roma latet, jactæ in turmas per nubila flammæ
Stridorem servant, membris insibilat ignis.
Hinc Notus, hinc Boreas, hinc fuscis Africus alis
Bella movent, quantis animos & pectora possint
Irati satiare Jovis. fluit agmen aquarum
Turbine confusum picco, & nigrante procellâ,
Atque omnes circa campos spumantibus undis
Involvit, celsus summo de culmine montis
Regnator superûm: sublatâ fulmina dextrâ
Libravit, clypeóque ducis non cedere certi
Incussit, summâ liquefacta est cuspis in hastâ,
Et fluxit, ceu correptus fornacibus, ensis.
Ambustis sedenim ductor Sidonius armis
Sistebat socios, & cæcum è nubibus ignem
Murmuráque à ventis misceri vana docebat.
Tandem post clades sociûm, cælique ruinam
Non hoste in nimbis viso, non ense referri
Signa jubet castris, mœstáque resuscitat iras.
Ventis debebis nimirum, hyemísque procellis
Unum, Roma, diem, sed non te crastina nobis
Lux unquam eripiet. descendat Jupiter ipse
In terras licèt infrendens. dum talia fatur,
Ecce serenato clarum jubar emicat axe,
Purgatúsque nitet discussis nubibus æther.
Æneadæ sensere deum, telisque repostis
Summissas tendunt alta ad Capitolia dextras,
Et festâ cingunt montis penetralia lauro.
Tum vultus, modò non parvo sudore madentes,
Nunc lætos Jovis adspectant. da summe deorum,
Da pater, ut sacro Libys inter prœlia telo
Concidat, haud aliâ potis est occumbere dextrâ.
Sic adeò orantes premere silentia, postquam
Abstulerat terras nigrantibus Hesperus umbris,
Quem simul attollens rutilantem lampada Titan
Obruit, & vitæ rediit mortalibus usus,
Pœnus adest, nec se castris Oenotria pubes
Continet, haud dum enses stricti, mediúmque jacebat
Tantum ad bella loci, quantum transmittere jactæ
Sufficerent hastæ, quum fulgor hebescere cæli
Per subitum cœpit, densæque subire tenebræ,
Atque dies fugere, atque armari ad prœlia rursus
Jupiter, incumbunt venti, crassúsque, rotante
Austro, nimborum fervet globus, intonat ipse
Quo tremat, & Rhodope, Taurúsque, & Pindus & Atlas,
Audivere lacus Erebi, mersúsque profundis
Agnovit tenebris cælestia bella Typhœus.
Invadit notus, ac piceam cum grandine multâ
Intorquens nubem, conantem & vana minantem
Circumagit, castrísque ducem succedere cogit.
Verùm ubi depositis sepsit sese aggere telis,
Læta serenati facies aperitur olympi,
Nulláque jam mitem credas habuisse tonantem
Fulmina, nec placido commota tonitrua cælo.
Durat, & adfirmans non ultrà spondet in ipsos
Venturam crebróque diem, modò patria virtus
In dextras redeat, ne Romam exscindere Pœni
Credant esse nefas. ubinam tunc fulmina tandem
Invicti jacuisse Jovis, quum sterneret ensis
Ætolos campos? ubi quum Tyrrhena natarent
Stagna cruore virûm? pugnat pro mœnibus, inquit,
Si rector superûm tot jactis fulmine telis,
Inter tot motus, cur me contra arma ferentem
Adflixisse piget? ventis hyemísque fugaces
Terga damus: remeet quæso mens illa, vigórque,
Quâ nobis quum pacta patrum, quum fœdera adessent,
Integrare acies placitum. sic pectora flammat,
Donec equûm Titan spumantia frœna resolvit.
Nec nox composuit curas, somnúsve frementem
Ausus adire virum, & redeunt cum luce furores.
Rursus in arma vocat trepidos, clypeóque tremendum
Increpat, atque armis imitatur murmura cæli.
Ut verò accepit tantùm confidere divis
Ausonios patres, submissáque Batis ad oras
Auxilia, & noctu progressum mœnibus agmen:
Sic agitare fremens obsessos otia, jámque
Securam Annibalis Romam, violentior instat.
Jámque propinquabat muro, quum Jupiter ægram
Junonem adloquitur curis, mulcétque monendo:
Nulláne Sidonio juveni, conjúxque sorórque
Cara mihi, non ulla unquam sinè fine feroci
Addes frœna viro? fuerit delere Saguntum,
Exæquare Alpes, imponere vincula sacro
Eridano, fœdare lacus, etiámne parabit
Nostras ille domos, nostras perrumpere in arces?
Siste virum, namque (ut cernis) jam flagitat ignes,
Et parat accensis imitari fulmina flammis.
His dictis, grates agit, ac turbata per auras
Devolat, & prensâ juvenis Saturnia dextrâ,
Quò ruis ô vecors? majoráque bella capessis

Mortali quàm ferre datur? Junò inquit, & arcùm
Dimovit nubem, vercque apparuit ore.
Non tibi cum Phrygio res, Laurentive colono,
En age (namque oculis amotâ nube, parumper
Cernere cuncta dabo) surgit quâ celsus ad auras,
Adspice, montis apex, vocitata Palatia regi
Parrhasio: plenâ tenet, & resonante pharetrâ
Intenditque arcum, & pugnas meditatur Apollo.
At quà vicinis tollit se collibus alter
Molis Aventinus, vidén' ut Latonia virgo
Accensas quatiat Phlegethontis gurgite taedas,
Exsertos avidè pugnæ nudata lacertos!
Parte aliâ certe, ut saevis Gradivus in armis
Implêrit dictum proprio de nomine campum.
Hinc Janus movet arma manu, movet indè Quirinus
Quisque suo de colle deus, sed enim adspice, quantùm
Ægida commoveat nimbos flammásque vomentem
Jupiter, & quantis pascat ferat ignibus iras.
Huc vultus flecte, atque aude spectare tonantem,
Quas hyemes, quantos concusso vertice cernis
Sub nutu tonitrus? oculis qui fulgurat ignis!
Cede deis tandem, & Tirynthia desine bella.
Sic effata, virum indocilem pacisque modique,
Mirantem shperûm vultus, & flammea membra
Abstrahit, ac pacem terris cœlóque reponit.
Respectans abiit, & castris avulsa moveri
Signa jubet ductor, remeaturúmque minatur.
Redditur extemplo flagrantior æthere lampas,
Et tremula insulso resplendent cornua Phoebo.
At procul è muris videre ut tigna revelli
Æneadæ, versúmque ducem; taciti ora vicissim
Obtenant, murúque docent quod credere magno
Non audent haerente mora, nec abire volentes,
Sed fraudem insidiásque putant, & Punica corda,
Ac tacitè natis infigunt oscula matres,
Donec procedens oculis fulx abstulit ignem,
Suspectósque dolos demto terrore resolvit.
Tum verò passim sacra in Capitolia pergunt,
Inque vicem impleri permixtâ voce triumphum
Tarpeii clamant Jovis, ac delubra coronant.
Jámque omnes pandunt portas, ruit undique laetus
Non spectata pecus dudum sibi gaudia vulgus.
Hi spectant quo fixa loco trimodia regis
Adstiterint, hi quâ celsus de sede vocatus
Adfatus fuerit turmas, ubi belligor Astur,
Atque ubi atrox Garamas, saevúsque tetenderit Arabs.
Corpora nunc vivâ spargantur gurgitis undâ,
Nunc Anienicolis statuunt altaria nymphis.
Tum festam repetunt lustratis moenibus urbem.

LIBER XIII.

SEGNE iter emensо, vix dum Tarpeia videri
Culmina delerant, torvos quum versus ad urbem
Ductor Agenoreus vultus, remeare parabat.
Castra locat, nullâ laedens ubi gramina ripâ
Turia dedecti tenuem finè nomine rivum,
Et tacitè Tuscis inglorius adluit undis.
Hic modò primores fociûm, modò jussa deorum,
Nunc sese increpitat, dic, ô cui Lydia caede
Creverunt flagna, & concussa est Daunia tellus
Armorum tonitru, quos exanimatus in oras
Signa refers? qui mucro tuum, quae lancea eandem
Intravit pectus? si nunc exsiliret alma
Carthago ante oculos turritâ celsa figurâ,
Quas abitus miles causas illuxe dediscs?
Imbres, ô patria, & mixtos cum grandine ventos
Et tonitrus fugio. procul hanc expellite gentis
Femineam Tyriae labem, nisi luce serenâ
Nescire ac liquidâ Mavortem agitare sub aethrâ.
Terror adhuc inerat superûm, ac redolentia in armis
Fulmina, & ante oculos irati pugna tonantis.
Parendi tamen, & cuicumque incumbere jussо
Durabat vigor, ac sensim diffusus ad omnes,
Signa reportandi crescebat in agmine fervor.
Sic ubi perrumpit stagnantem calculus undam,
Exiguos format per prima volumina gyros,
Mox tremulum vibrans motu glisconte liquorem
Multiplicat crebros finitimi gurgitis orbes,
Donec postremò laxatis circulus oris,
Contingat gemino patulo curvamine ripas.
At contrà Agrippa haud parvum decus (inclyta namque
Semina ab Oenei ductoris stirpe trahebat)
Oenidas inter fuit aut ignobile nomen.
Laetus opum, sed claudа fides, sesèque caelesti
Addiderat Pisoni, Latio dissitus habenae.
Is volvens veterum memorata antiqua parentum,
Longo miles, ait, quaereret cùm Teucria bello
Pergama, & ad muros fluret finè sanguine Mavors,
Sollicitis Calchas (nam tic fortissimus heros
Poscenti socero saepe inter pocula Dauno,
Narrabat memori Diomedes condita mensa)
Sed Calchas Danais, aiti clausum è sedibus arcis
Armisonae curent simulacrum avellere divae,
Non unquam adfirmat Therapnaeis Ilion armis
Cessurum, aut Ledae rediturum nomen Amyclis.
Quippe deis visum, ne cui perrumpere detur,
Effigies ea quas unquam possederit urbes.
Tum meus adjuncto monstratum evadit in arcem
Tydides Ithaco, & dextrâ molitus in ipso
Custodes aditu templi, caeleste reportat
Palladium, ac nostris aperit mala Pergama fatis.
Sed postquam Oenotris fundavit finibus urbem,
Aeger delicti, Phrygium placare colendo
Numen, & Iliacos parat exorare penates.
Ingens jam templum celsâ surgebat in arce,
Laomedonteae sedes ingrata Minervae.
Quum medios inter somnos, altámque quietem,
Nec celata deam, & minitans Tritonia virgo:
Non haec Tydide tantae pro laudis honore
Digna paras, non Garganus, nec Daunia tellus
Debentur nobis, quaere in Laurentibus arvis,
Qui nunc prima locant melioris moenia Troiae.
Huc intra, captámque refer penetrale parentem.
Queis trepidus monitis, Saturnia regna capessit.
Jam Phryx condebat Lavinia Pergama victor,
Armáque Laurenti figebat Troia loco.
Verùm ubi Tyrrheni perventum ad flumina undas,
Castráque Tydides potitus fulgentia ripâ,
Priamidae intremuere metu, tum pignora pacis
Prætendens dextrâ ramum canentis olivae,
Sic orsus Dauni genter, inter marmora Teucrûm:
Pone Anchisiade memores irásque minásque,
Quidquid ad Idaeos, Xanthum, Simoentáque nobis
Sanguine fluctuum, fossaeque ad limina portae,
Haud nostrum est, agere dei, duraeque sorores.
Nunc age, quod superest cur non melioribus ausi
Dicimus auspiciis? dextras jungamus inermes.
Foederis en haec nostis erit, veniámque precatus
Trojanam ostentat trepidis de puppe Minervam.
Haec ausos Celtas irrumpere moenia Romae
Corripuit laeto, neque tot de millibus unum
Ingentis populi, patrias dimisit ad oras.
His fractus ductor convelli signa manipulis
Optato latis abitu jubet. Iter in agros
Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco,
Et sacer humectat fluvialis rura Capenas.
Fama est, immotas longaevi ab origine fani
Crevisse in medium, congestis undique donis,
Immensum per tempus opes, lucrisque relictum
Innumeris aurum, solo servante pavore.
Haec avidas mentes, & barbara corda rapina
Polluit, atque armat contemto pectora divûm.
Avia nunc longinqua placent, quae falcat aratro
Ad freta porrectis Trinacria Bruttius arvis.
Dum Libys haud latus Rhegina ad littora tendit,
Victor submoto patriis à finibus hoste
Fulvius infestam Campana ad moenia classis
Portabat famam, miserique extrema movebat.
Tum pressans passim cuicumque est nomen in armis,
Dedecus hoc defende manu: cur perfida & urbi
Altera Carthago nostrae, post foedera rupta,
Et missum ad portas Poenum, post jura petita
Consulis alterni, stat adhuc? & turribus altis
Annibalem, ac Libycas exspectat lenta cohortes?
Miscebat dictis facta, & nunc robore celsas
Educi turres, queis vinceret ardua muri,
Cogebat, nunc conjunctas adstringere nodis
Instabat ferróque trabes, quo frangeret altos
Portarum postes, quaterétque moramina claustra.
Hic latera immanes stellatis axibus agger,
Hic gravida armato surgebat vinea dorso.
Ac postquam properata satis, quae commonet usus,
Dat signum, atque alacer scalis transcendere muros
Imperat, ac saevis urbem terroribus implet,
Quum subitò dextrum effulsit cuspidibus arma.

Certa

Cerva fuit raro terris ſpectata colore,
Quæ candore nivem, candore superaret olores.
Hanc agreſte Capys donum, quum mœnia ſulco
Signaret, grato parvæ mollitus amore
Nutrierat, ſenſúſque hominis domârat alendo.
Indè exuta feram, docilíſque accedere menſis,
Atque ultro blanda, attactu gaudebat herili.
Aurato matres adſuetæ pectine mitem
Comere, & humenti fluvio renovare colorem.
Numen erat jam cerva loci, famulámque Dianæ
Credebant, ac thura deûm de more dabantur.
Hæc ævi, viræque tenax, felíxque ſenectam
Mille indefeſſos viridem duxiſſe per annos,
Seclorum numero, Trojanis condita tecta
Æquabat, ſed jam longo mors venerat ævo.
Nam ſubito incurſu ſævorum agitata luporum,
Qui noctis tenebris urbem (miſerabile bello
Prodigium) intrârant, primos ad luminis ortus
Extulerat ſeſe portis, pavidâque petebat
Conſternata fugâ pulſos ad mœnia campos.
Exceptam læto juvenum certamine, ductor
Mactat diva tibi, tibi enim hæc gratiſſima ſacra
Fulvius, atque adſis orat Latonia cœptis.
Indè alacer, fidénſque deâ, circumdata claſſis
Arma movet, quáque obliquo curvantur in orbem
Mœnia flexa tinu ſpiſſâ vallata coronâ
Adligat, & telis in morem indaginis ambit.
Dum pavitant, ſpumantis equi fera corda fatigans
Evehitur portâ ſublimis Taurea criſtis
Bellator, cui Sidonius ſuperare lacerto
Ductor & Autololas dedit, & Mauruſia tela.
Is trepido lituûm timitu ſtare neganti
Imperitans violenter equo, poſtquam auribus hoſtis
Vicinum ſeſe videt, ac clamore propinquo
Claudius, huic inquit præſtabat Claudius arte
Bellandi, & meritâ mille inter prœlia famâ)
Huic, inquit, ſoltum, ſi qua eſt fiducia dextræ,
Det ſeſe campo, atque ineat certamina mecum.
Una mora Æneadæ, poſtquam vox attigit aures,
Dum daret auſpicium júſque in certamina ductor.
Prævetitus namque & capital committere Martem
Sponte, viris erumpit ovans, ut Fulvius arma
Imperio ſolvit, paruláque invectus in æquor
Erigit undantem glomerato pulvere nubem.
Indignatus opem amenti, ſocióque juvare
Expulſum nodo jaculum, atque arceſſere vires
Taurea vibrabat nudis conatibus haſtam,
Indè ruens irâ telum contorquet in auras.
At non idem animus Rutulo, ſpectatur, & omni
Corpore perluſtrat, quà ſit certiſſima ferro
In vulnus via, nunc vibrat, nunc comprimit haſtam,
Mentitúrque minas, mediam nunc tranſigit ictu
Parmam, ſed grato fraudata eſt ſanguine cuſpis.
Tum ſtrictum properè vaginâ detegit enſem.
Et jam ferratâ rapiebat calce volantem
Taurea cornipedem, fugiens minitantia fata.
Nec Rutulus levior cedentis prendere terga.
Nam profugo rapidus ſuſis inſtabat habenis.
Utque metus victum, ſic ira & gloria portis
Victorem immiſit, meritíque cupido cruoris.
Ac dum vix oculis, vix credunt mentibus hoſtem
Confiſum nullo comitante irrumpere tectis,
Per mediam properè trepidantum interritus urbem
Egit equum, adverſâque evaſit ad agmina portâ.
Hinc ardore pari, niſúque incurrere muris
Igneſcunt animi, penetratáque tecta ſubire.
Tela ſimul, flammæque micant, tunc ſaxeus imber
Ingruit, & ſummis adſcendunt turribus haſtæ.
Nec pronum, audendi virtutem excellere cuiquam,
Æquârunt iræ dextras, Dictæa per auras
Tranat & in medium perlabitur urbis arundo.
Lætatur non hortandi, non plura monendi
Fulvius eſſe locum, rapiunt ſibi quiſque laborem.
Quos ubi tam erectos animi videt, & ſupereſſe
Fortunam ſibi quemque ducem; ruit impete vaſto
Ad portam, magnæque optat diſcrimina famæ.
Tres clauſtra æquævo ſervabant corpore fratres,
Queis delecta manus, centeni cuique ferebant
Excubias, unâque locum ſtatione tenebant.
Formâ ex his Numitor, curſu plantâque volucri
Præſtabat Laurens, membrorum mole Laburnus.
Sed non una viris tela: hic mirabilis arcu,
Ille haſtam quatere, ac medicatæ cuſpidis ictu
Prœlia moliri, & nudo non credere ferro,

Tertius aptabat flammis ac ſulfure tædas.
Qualis Atlantiaco memoratur littore quondam
Monſtrum Geryones immane tricorporis iræ,
Cui tres in pugnâ dextræ varia arma gerebant.
Una ignes ſævos; alt altera ponè ſagittas
Fundebat, validam torquebat tertia cornum,
Atque uno diverſa dabat tria vulnera niſu.
Hos ubi non æquis variantes prœlia conſul
Conſpexit telis, & portæ lumina circùm
Stragem, & perfuſos ſubeuntum ſanguine poſtes,
Concitat intortam furiatis viribus haſtam.
Letum triſte ferens auras ſecat Itala taxus,
Et quâ nudârat, dum fundit ſpicula ab alto
Arcum protendens Numitor latus, ilia tranſit.
At non obſepto contentus limine Martem
Exercere levis bello, ſed turbidus auſi
Virius incauto fervore eruperat amens
Reclusâ in campum portâ, miſerámque furori
Vincentum obtulerat pubem, ruit obvia in arma
Scipio, & oblatum merit inſatiabilis agmen.
Tifata umbrifero generatum monte Calenum
Nutrierant audere trucem, nec corpore magno
Mens erat inferior, ſublidere ſæpe leonem,
Nudus inire caput pugnas, certare juvenco,
Atque obliqua trucis deducere cornua tauri
Adſuêrat, crudóque olim ſe attollere fato.
Is, dum præcipites expellit Virius urbe,
Seu ſpreto, ſeu ne fieret mora, nudus in æquor
Thorace exierat, leviórque premebat anhelos
Pondere loricæ, & palantes victor agebat.
Jámque Veliternum mediâ tranſegerat alvo,
Jam ſolitum æquali ludo committere equeſtres
Scipiadæ pugnas, Marium tellure revulſo
Perculerat ſaxo, miſer implorabat amicum
Cum gemitu exſpirans, ſcopulúſque premebat hiantem.
Sed validas ſævo vires duplicante dolore,
Effundit lacrymas pariter, cornúmque ſonantem
Scipio, ſolamen properans optabile in armis
Hoſtem proſtrato morientem oſtendere amico.
Tranavit, liquidas volucris ceu ſcinderet auras,
Haſta viri pectus, rupítque immania membra,
Quanta eſt vis agili per cærula ſumma Liburnæ,
Quæ, pariter quoties revocatæ ad pectora tonſæ
Percuſſere fretum, ventis fugit ocyor, & ſe
Quàm longa eſt uno remorum præterit ictu.
Aſcanium Voleſus projectis ocyùs armis,
Quò levior peteret muros, per aperta volantem
Adſequitur plantâ, dejectum protinus enſe
Ante pedes domini jacuit caput, ipſe ſequutus
Corruit ulterior, procurſûs impete, truncus.
Nec ſpes obſeſſis ultrà reſerata tueri
Mœnia, convertunt greſſus, recipíſque petentes
Infandum excludunt ſocios, tum cardine verſo
Obnixi torquent obices munimina feræ.
Acriùs hôc inſtant Itali, clauſóſque fatigant.
Et ni cæca ſinu terras nox conderet atro,
Perfractæ rabido patuiſſent milite portæ.
Sed non in requiem pariter ceſſere tenebræ.
Hinc ſopor impavidus, qualem victoria novit.
At Capua, aut mœſtis ululantum flebile matrum
Queſtibus, aut gemitu trepidantum exterrita patrum
Tormentis finem, metúmque laboribus orat.
Muſſat perfidiæ ductórque capúque ſenatûs
Virius, à Pœno nullam donet eſſe ſalutem
Vociferans, pulſis vivendi è pectore curis,
Speravi ſceptra Auſoniæ, pepigíque ſub armis,
Si dexter Pœnis deus & fortuna fuiſſet,
Ut Capuam Iliaci migrarent regna Quirini:
Qui quaterent muros, Tarpeíque mœnia miſ.
Nec mihi poſcendi vigor affuit, alter ut æquos
Portaret fuſces noſtro de nomine conſul.
Hactenus eſt vixiſſe ſatis. dum copia noctis,
Cui cordi, comes (æterna eſt Acherontis ad undam
Libertas) petat ille meas, menſáſque dapéſque,
Et victus mentem fuſo per membra Lyæo
Sopitóque necis morſu, medicamina cladis
Hauriat, & placidis exarmet fata venenis.
Hæc ait, & turbâ repetit comitante penates.
Ædibus in mediis conſurgens ilice multâ
Exſtruitur rogus, hoſpitium commune perennis.
Nec vulgum ceſſat furiare dolórque pavórque,
Nunc menti feræ Decius redit, & bona virtus
Exilio punita truci, deſpectat ab alto
Sacra fides, agitátque virûm fallacia corda.

Vox

Vox occulta ſubit paſſim diffuſa per aures:
Fœdera mortales ne ſævo rumpite ferro,
Sed caſtam ſervate fidem, fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis. dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues ſpes linquet amici,
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Unquam expers luctûs, lacrymæque, aget æquore ſemper
Ac tellure premens, aget ægrum nocte diéque
Deſpecta ac violata fides. adit omnia namque
Concilia, ac menſas contingit, & abdita nube,
Accumbítque toris, epulatúrque improba Erinnys.
Ipſa etiam Stygio ſpumantia pocula tabo
Porrigit, & largè pœnas letúmque miniſtrat.
Virius interea dum dat penetrare medullas
Exitio, adſcendítque pyram, atque amplexibus hæret
Jungentum fata, & ſubici jubet ocyùs ignes.
Stringebant tenebræ metas, victórque ruebat.
Jámque ſuperſtantem muro, ſociósque Milonem
Voce attollentem, pubes Campana videbat,
Pandunt attoniti portas, trepidóque capeſſunt
Caſtra inimica gradu, queis leto avertere pœnas
Defuerant animi. patet urbs confeſſa furorem,
Et referat Tyrio maculatas hoſpite ſedes.
Matronæ puerſque ruunt, mœſtúmque ſenatûs
Concilium, nulíque hominum lacrymabile vulgus.
Stabant innixi pilis, exercitus, omnes:
Spectabántque viros, & læta & triſtia ferre
Indociles, nunc propexis in pectora barbis
Verrere humum, nunc fœdantes in pulvere crinem
Canentem, & turpi lacrymâ, precibúſque pudendis
Femineum tenues ululatum fundere in auras.
Atque ea dum miles miratur, inertia facta,
Exſpectátque ferox ſternendi mœnia ſignum,
Ecce repens tacito percurrit pectora ſenſu
Religio, & ſævas componit numine mentes.
Ne flammam tædáſque velint, ne templa ſub uno
In cinerem transiſſe rogo, ſubit intima corda,
Perlabens ſenſim mitis deus: ille ſuperbæ
Fundamenta Capyn poſuiſſe antiquitus urbi,
Non cuiquam viſus paſſim monet, ille refuſis
In ſpatium immenſum campis habitanda relinqui
Utile tecta docet, paulatim atrocibus iræ
Langueſcunt animis, & vis mollita ſeneſcit.
Pan Jove miſſus erat ſervari tecta volente
Troïa, pendenti ſimilis Pan ſemper, & imo
Vix ulla inſcribens terræ veſtigia cornu.
Dextera laſcivit cæsâ Tegeatide caprâ
Verbera læta movens feſtâ per compita caudâ.
Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus,
Ac parva erumpunt rubicundâ cornua fronte,
Stant aures, imóque cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale deo baculum, pelliſque ſiniſtrum
Velat grata latus, teneræ de corpore damæ.
Nulla in præruptum tam prona & inhoſpita cautes,
In quâ non librans corpus, ſimilíſque volanti
Cornipedem tulerit præciſa per avia plantam.
Interdum inflexus, medio naſcentia tergo
Reſpicit adridens hirtæ ludibria caudæ.
Obtendénſque manum, ſolem inferveſcere fronti
Arcet, & umbrato perluſtrat paſcua viſu.
Hic, poſtquam mandata dei perfecta, malámque
Sedavit rabiem, & permulſit corda furentum,
Arcadiæ volucris ſaltus & amata reviſit
Mænala, ubi argutis longe de vertice ſacro
Dulce ſonat calamis, ducit ſtabula omnia cantu.
At legio Auſonidum flammas ductore jubente
Arceri portis, ſtantéſque relinquere muros,
Mite decus mentis condunt enſéſque facéſque.
Multa deûm templis domibúſque nitentibus auro
Egeritur præda, & victûs alimenta ſuperbi,
Queſque bonis periere, virûm de corpore veſtes
Femineæ, menſæque aliâ tellure petitæ,
Poculáque Eoâ luxum irritantia gemmâ,
Nec modus argento, cælatáque pondera facti
Tantùm epulis auri, tum paſſim corpora longo
Ordine captiva, & domibus depromta talenta
Paſcere longinquum non deficientia bellum,
Immenſique gregis famulæ ad convivia turbæ.
Fulvius ut finem ſpoliandis ædibus ære
Belligero revocante dedit, ſublimis ab alto
Suggeſtu, magnis auctor non futilis auſis:
Lanuvio generate, inquit, quem Soſpita Juno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem
Tempora murali cinctus turrita coronâ.

Tum fontes procerum, meritóſque piacula primæ
Accîit, & juſtâ punit commiſſa ſecuri.
Hìc atrox virtus (nec enim occuluiſſe probârim
Spectatum vel in hoſte decus) clamore feroci,
Taurea túne, inquit, ferro ſpoliabis inultus
Te majorem animam? & juſſo lictore reciſa
Ignavos cadet ante pedes fortiſſima cervix?
Haud unquam hoc vobis dederit deus. indè minaci
Obtutu torvum contra, & furiale renidens,
Bellatorem alacer per pectora tranſigit enſem.
Cui ductor, patriam moriens comitare cadentem.
Qui nobis animus, quæ dextera, quídve virtim
Decernet Mavors, tibi ſi rebare pudendum
Juſta pati, licuit pugnanti occumbere letum,
Dum Capua infauſtam luit haud ſinè ſanguine culpam.
Interea geminos terrâ crudelis Iberâ
Fortuna abſtulerat, permiſcens triſtia lætis
Scipiadas, magnúmque decus, magnúmque dolorem.
Fortè Dicarchæâ juvenis conſedit in urbe
Scipio, poſt belli repetens extrema penates.
Huc triſtis lacrymas & funera acerba ſuorum
Fama tulit, duris quanquam non cedere ſuetus,
Pulſato lacerat violenter pectore amictus.
Non comites tenuiſſe valent, non ullus honorum
Militiæve pudor, pietas irata ſiniſtris
Cælicolis furit atque odit ſolatia luctûs.
Jámque dies, iterúmque dies abſumta querelis.
Verſatur ſpecies ante ora oculóſque parentis.
Ergo excire parat manes, animáſque ſuorum,
Adloquióque virûm tantos mulcere dolores.
Hortatur vicina palus, ubi ſignat Averni
Squalentem introitum ſtagnans Acheruſius humor,
Noſcere venturos agitat mens protinus annos.
Sic ad Gryneam, quæ tum ſub nomine Phœbi,
Autonoë, tripodas ſacros antrúmque tenebat,
Fert greſſus juvenis, conſultáque pectoris ægri
Pandit, & adſpectus orat contingere patrum.
Nec cunctata diu vates, mactare repoſtis
Mox umbris, inquit, conſueta piacula, nigras
Sub lucem pecudes, recluſæque abdere terræ
Manantem jugulis ſpirantum cæde cruorem,
Tunc populos tibi regna ſuos pallentia mittent.
Cætera quæ poſcis majori vate canentur.
Namque tibi Elyſio repetita oracula campo
Eliciam, veterſque dabo inter ſacra Sibyllæ
Cernere fatidicam Phœbei pectoris umbram.
Vade age, à medio quum ſe nox humida curſu
Flexerit, ad fauces vicini caſtus Averni
Duc prædicta ſacris duro placamina Diti,
Mella ſimul tecum, & puri ſer dona Lyæi.
Hôc alacer monitu, & promiſſæ nomine vatis
Apparat occulto monſtrata piacula cœpto.
Indè ubi nox juſſam procedens contigit horam,
Et ſpatia æquárunt tenebras tranſacta futuras,
Conſurgit ſtratis, pergítque ad turbida portæ
Oſtia Tartareæ, penitus queis abdita vates
Promiſſa implérat, Stygióque ſedebat in antro.
Tum quà ſe primum ruptâ tellure recludit
Inviſum cælo ſpecus, atque eructat acerbam
Cocyti laxo ſuſpirans ore paludem,
Inducit juvenem, ferróque cavare refoſſam
Ocyùs urget humum, atque arcanum murmur anhelans.
Ordine mactari pecudes jubet. æer operto
Ante omnes taurus regi, tum proxima divæ
Cæditur Ennææ caſtâ cervice juvenca.
Indè tibi Alecto, tibi, nunquam læta Megæra,
Corpora lanigerûm procumbunt lecta bidentum,
Fundunt mella ſuper, Bacchíque & lactis honorem.
Sta juvenis, faciémque Erebo quæ ſurgit in omni,
Exclamat vates, patere: accedentia cerno
Tartara, & ante oculos adſiſtere tertia regna.
Ecce ruunt variæ ſpecies, & quidquid ab imo (videbat,
Natum hominum exſtinctúmque chao eſt: jam cuncta
Cyclopas, Scyllámque, & paſtos membra virorum
Odryſiæ telluris equos; contende tueri,
Eductúmque tene vaginâ interritus enſem.
Quæcunque antè animæ tendunt potare cruorem,
Disjice, dum caſtæ procedat imago Sibyllæ.
Interea cerne, ut greſſus inhumata citatos
Fert umbra, & properat tecum conjungere dicta,
Cui datur ante atros abſumti corporis ignes,
Sanguine non tacto, ſolitas effundere voces.
Adſpicit, & ſubito turbatur Scipio viſu.
Quinam te qui caſus, ait, dux maxime, feſſa

Eripuit

Eripuit patriæ? quum tales horrida poſcant
Bella viros, nec enim dextrâ conceſſerit ulli
Appius, aut aſiu, decimum lux rettulit ortum,
Ut te, quum Capuâ remearem, vulnera vidi
Mulcentem, hôc uno mœſtum, quòd adire nequires
Saucius ad muros, & Martis honore careres.
Contra quæ ductor: ſetlo mihi proxima tandem
Lux gratos Phaethontis equos avertit, & atris
Æternum demiſit aquis. ſed lenta meorum
Dum vanos ritus cura & ſolennia vulgi
Exſequitur, ceſſat flammis imponere corpus,
Ut portet tumulis per longum membra paternis.
Quod te per noſtri Martis precor æmula facta,
Arce, quæ patriis artus medicamina ſervant,
Dique vago portas quamprimum Acherontis adire.
Tum juvenis: gens ô veteris pulcherrima Claudi
Haud ulla ante tuam; quanquam non parva fatigent,
Curarum prior exſtiterit. namque iſta per omnes
Diſcrimen ſervat populos, variátque jacentum
Exſequias, tumuli & cinerum ſententia diſcors.
Tellure (ut perhibent) is mos antiquus Iberâ
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur:
Regia quum lucem poſuerunt membra, probatum eſt
Hyrcanis, adhibere canes: Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exſanguem haud ſeparat umbram.
Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in ævum.
Quid qui reclusâ nudos Garamantes arenâ
Infodiunt? quid qui ſævo ſepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Naſamones in oris?
At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Oſſa (nefas) auro, & menſis ea pocula ſervant.
Cecropidæ ob patriam Mavortis ſorte peremtos
Decrevere ſimul communibus urere flammis.
At gente in Scythicâ ſuffixa cadavera truncis
Lenta dies ſepelit, putri liquentia tabo.
Talia dum memorant, umbrâ venicute Sibyllæ,
Autonoe finem hîc, inquit, ſermonibus adde
Alternis, hæc hæc veri fœcunda ſacerdos:
Cui tantum patuit rerum, quantum ipſe negârit
Plus noſtile deus, me jam comitante tuorum
Tempus abire globo, & pecudes imponere flammis.
At gravida arcanis Cymes anus, attigit ore
Poſtquam ſacrificum delibavitque cruorem,
In decus egregium vultus intenta juventæ,
Æthereâ fruetur quem luce haud ſegniter, inquit,
Cymæo populis vox noſtra ſonabat in antro,
Tunc te permixtum ſæclis, rebúſque futuris
Æneadum cecini, ſed non ſat digna mearum
Cura tuis vocum, nec enim conquirere dicta
Aut ſervare fuit promvis ſolertia veſtris.
Verùm age, diſce puer, quando cognoſcere cordi
Jam tua, déque tuis pendentia Dardana fatis.
Namque tibi cæno properandum oracula vitæ
Hinc petere, & patrios viſu contingere manes.
Armifero victor patrem ulciſceris Ibero,
Creditus ante annos Marti, ferróque reſolves
Gaudia Pœnorum, & miſſum lætabere bello
Omen, Iberiacis victâ Carthagine terris.
Majus ad imperium poſt hæc capiere, nec antè
Jupiter abſtitet curâ, quàm cuncta fugârit
In Libyam bella, & vincendum duxerit ipſe
Sidonium tibi rectorem: pudet urbis iniquæ
Quòd tu, poſt decus hoc, patriâque domóque carebis.
Sic vates, greſſúmque lacus vertebat ad atros.
Tum juvenis, quæcunque datur ſors durior ævi,
Obpitemur, ait, culpâ modò pectora ceſſent.
Sed te oro (quando vitæ tibi cauſa labores
Humanos juviſſe fuit) ſiſte incluta virgo
Pauliſper greſſum, & nobis manéſque ſilentum
Enumera, Stygiæque aperi ſarmidinis autum.
Adnuit illa quidem, ſed non optanda recludis
Regna ait, hic tenebras agitant, volitántque per umbras
Innumeri quondam populi, domus omnibus una.
In medio vaſtum latè ſe tendit inane,
Huc quidquid terra, quidquid freta, & ignea æther
Natrivit primo mundi genitalis ab ævo,
Mors communis agit, deſcendunt cuncta, capíque
Campus iners quantum interiit, reſtátque futurum.
Cingunt regna decem portæ, quarum una receptat
Belligenas dumâ Gradivi ſorte creatos.
Altera qui leges poſuere, atque incluta jura
Gentibus, & primas ſundârunt moenibus arces.
Tertia ruricolas, Cereris juſtiſſima turba,
Quæ venit ad manes, & fraudum illæſa veneno:
Exin, qui latas artes vitæque colendæ
Invenere viam, nec dedignanda parenti
Carmina fuderunt Phœbo, ſua limina ſervant:
Proxima quos venti ſævæque hauſere procellæ
Naufraga porta rapit, ſic illam nomine dicunt.
Finitima huic noctâ gravido, & peccâſſe furenti
Vaſta patet populo, pœnas Rhadamantus in ipſo
Expetit introitu, mortémque exercet inanem.
Septima femineis reſeratur porta catervis,
Liventes ubi caſta fovet Proſerpina lucos.
Infantum hinc gregibus, verſas ad funera tædas
Paſſim virginibus, turbæque in limine lucis
Eſt iter exſtinctæ, & vagitu janua nota.
Tum ſeducta loco, & laxatâ lucida nocte
Clauſtra nitent, quæ ſecreti per limitis umbram
Elyſios ducunt campos: hic turba piorum
Nec Stygio in regno, cæli nec poſita ſub axe:
Verùm ultra Oceanum ſacro contermina fonti,
Lethæos potat latices oblivia mentis.
Extrema hinc auro fulgens, jam lucis honorem
Sentit, & admoto ſplendet ceu ſidere lunæ.
Hàc animæ cælum repetunt, ac mille peractis
Oblitæ Ditem redeunt in corpora luſtris.
Has paſſim nigrum pandens mors lurida rictum,
Itque redítque vias, & portis omnibus errat.
Tum jacet in ſpatium ſinè corpore pigra vorago,
Limoſíque lacus, latè exundantibus urit
Ripas ſævus aquis Phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum reſonans ſaxoſa incendia torquet.
Parte aliâ torrens Cocytos ſanguinis atri
Vorticibus furit, & ſpumanti gurgite fertur.
At magnis ſemper divis, regíque deorum
Jurari dignata palus, picis horrida rivo
Fumiferum volvit Styx inter ſulfura limum.
Triſtior his Acheron ſanie, craſſóque veneno
Æſtuat, & gelidam cractans cum murmure arenam
Deſcendit nigrâ lentus per ſtagna palude.
Hanc potat ſaniem non uno Cerberus ore,
Hæc & Tiſiphones ſunt pocula, & atra Megæra
Hinc ſitit, ac nullo rabies exſtinguitur haufu.
Ultimus erumpit lacrymarum fontibus amnis
Ante aulam, atque aditus, & inexorabile limen.
Quarta cohors omni ſtabulante per avia monſtro
Excubat, & manes permixto murmure terret,
Luctus edax, maciéſque malis comes addita morbis,
Et mœror paſtus fletu, & ſinè ſanguine pallor
Curæque, inſidiæque, atque hinc queribunda ſenectus,
Hinc angens utrâque manu ſua guttura livor,
Et deforme malum, ac ſceleri proclivis egeſtas,
Errórque infido greſſu, & diſcordia gaudens
Permiſcere fretum cælo, ſed & oſtia Ditis
Centenis ſuetus Briareus excludere palmis,
Et Sphinx virgineos rictus infecta cruore,
Scyllâque, Centaurique truces, umbræque gigantum.
Cerberus hìc ruptis peragrat quum Tartara vinclis,
Non ipſa Alecto, nec fœta furore Megæra
Audet adire ferum, dum fractis mille catenis
Viperea latrans circumligat ilia cauda.
Dextera vaſta comas, nemoroſâque brachia ſundit
Taxus, Cocyti riguâ frondoſior undâ.
Hìc diræ volucres, paſtáſque cadavere vultur,
Et multus bubo, ac ſparſis ſtrix ſanguine pennis,
Harpyiæque fovent nidos, atque omnibus hærent
Condenſæ foliis, nutat ſtridoribus arbor.
Has inter formas conjux Junonis Avernæ
Suggeſtu reſidens cognoſcit crimina regum,
Stant vincti, feróque piget ſub judice culpæ.
Circùm errant furiæ, pœnarúmque omnis imago.
Quàm vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis!
Inſultant duro imperio, non digna nec æqua
Ad ſuperos paſſi manes, quæque antè profari
Non licitum vivis, tandem permiſſa queruntur.
Tunc alius ſævis religatur rupe catenis.
Aſt alius ſubigit ſaxum, pérque ardua montis
Vipereo domat hunc æterna Megæra flagello.
Talia letiferis reſtant patienda tyrannis.
Sed te maternos tempus cognoſcere vultus,
Cujus prima venit non tardis paſſibus umbra,
Adſtabat fœcunda Jovis Pomponia forto.
Namque ubi cognovit Latio ſurgentia bella
Pœnorum, Venus inſidias anteire laborans
Junonis, fuſâ ſenſim per pectora patrem

Im-

Implicuit flammâ, quæ ni provisa fuissent,
Sidonia Iliacas nunc virgo accenderet aras.
Ergo ubi gustatus cruor, admonuitque Sibylla,
Et dedit alternos ambobus noscere vultus,
Sic juvenis prior: ô magni mihi numinis instar
Cara parens, quàm, te ut nobis vidisse liceret,
Optâssem Stygias vel leto intrare tenebras.
Quæ fors nostra fuit, cui te, quum prima subiret,
Eripuit finè honore dies, & funere carpsit?
Excipit his mater: nullos ô nate labores
Mors habuit nostra, æthereo dum pondere partu
Exsolvor, miti dextrâ Cyllenia proles
Imperio Jovis Elysias deduxit ad oras:
Attribuitque pares sedes, ubi magna morantur
Alcidæ genitrix, ubi sacro munere Leda.
Verùm age nate tuos ortus, ne bella pavescas
Ulla, nec in cælum dubites te tollere factis,
Quando aperire datur nobis, nunc denique disce.
Sola die caperem mediâ quum fortè petitos
Ad requiem somnos, subitus mihi membra ligavit
Amplexus, non ille meo veniente marito
Adsuetus, facilisque mihi: tum luce coruscâ,
Implebat quanquam languentia lumina somnus,
Vidi (crede) Jovem, nec me mutata fefellit
Forma dei, quod squalentem conversus in anguem
Ingenti traxit curvata volumina gyro.
Sed mihi post partum non ultrà ducere vitam
Concessum. heu quantum gemui, quòd spiritus antè,
Hæc tibi quàm noscenda darem, discessit in auras!
His alacer colla amplexu materna petebat,
Umbráque ter frustra per inane petita fefellit.
Succedunt simulacra virûm concordia, patris,
Unanimisque simul patrui, ruit ipse per umbram
Oscula vana petens juvenis, fumóque volucri,
Et nebulis similes animas apprendere certat.
Quis te, care pater, quo stabant Itala regna,
Exosus Latio deus abstulit? hei mihi! nam cur
Ulla fuere adeò, quibus à te sævus abessem
Momenta? opposito mutâssem pectore mortem.
Quantos funeribus vestris gens Itala passim
Dat gemitus, tumulus vobis, censente senatu,
Mavortis geminus surgit per gramina campo.
Nec passi plura in medio sermone loquentis
Sic adeò incipiunt, prior hæc genitoris imago:
Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces,
Dulce tamen venit ad manes quum gloria vitæ,
Durat apud superos, nec edunt oblivia laudem.
Verùm age fare decus nostrum, te quanta fatiget
Militia: heu quoties intrat mea pectora terror,
Quum repeto quàm sævus eas, ubi magna pericla
Contingunt tibi: per nostri, fortissime, leti
Obtestor causas, Martis moderare furori.
Sat tibi sunt documenta domûs. octava terebat
Arentem cultris messem crepitantibus æstas,
Ex quo cuncta mihi calcata meóque subibat
Germano devexa jugum Tartessia tellus.
Nos miseræ muros & tecta renata Sagunto,
Nos dedimus Bætin nullo potare sub hoste,
Nobis indomitus convertit térque quatérque
Germanus terga Annibalis, proh barbara nunquam
Impolluta fides. peterem quum victor adesum
Cladibus Asdrubalem, subitò venale, cohortes
Hispanæ, vulgus, Libyco quas fecerat auro
Asdrubal, abrupto liquerunt agmine signa:
Tunc hostis socio desertos milite, multùm
Ditior ipse viris spisso circumdedit orbe.
Non segnis nobis, nec inultis, nate, peracta
Illa suprema dies, & laude inclusimus ævum.
Excipit indè suos frater conjungere casus:
Excelsæ turris post ultima rebus in arctis
Subsidium optâram, suprémáque bella ciebam.
Fumantes tædas, ac lata incendia passim,
Et mille injecere faces. nil nomine leti
De superis queror. haud parvo data membra sepulcro
Nostra cremaverunt in morte hærentibus armis.
Sed me luctus habet, geminæ ne clade ruinæ
Cesserit adfusis oppressa Hispania Pœnis.
Contra quæ juvenis turbato fletibus ore:
Di quæso, ut merita est, dignas pro talibus ausis
Carthago expendat pœnas. sed continet acres
Pyrenes populos, qui vestro Marte probatus
Excepit sessos, & notis Martius armis
Successit bello, fusos quoque fama ferebat
Victores zelo, atque exacta piacula cædis.

His læti rediere duces loca amœna piorum,
Prosequitúrque oculis puer adveneratus euntes.
Jámque aderat multâ vix agnoscendus in umbrâ
Paullus, & epoto fundebat sanguine verba:
Lux Italûm, cujus spectavi Martia facta,
Multùm uno majora viro, descendere nunc te,
Atque habitanda semel subigit quis visere regna?
Cui contrà tales effundit Scipio voces:
Armipotens ductor, quàm sunt tua fata per urbem
Lamentata diu, quàm penè ruentia tecum
Traxisti ad Stygias Oenotria tecta tenebras!
Tum tibi defuncto tumulum Sidonius hostis
Constituit, laudémque tuo quæsivit honore.
Dúmque audit lacrymans hostilia funera Paullus,
Ante oculos jam Flaminius, jam Gracchus, & ægro
Absumtus Cannis stabat Servilius ore.
Appellare viros erat ardor, & addere verba:
Sed raptabat amor priscos cognoscere manes.
Nunc meritum sævâ Brutum immortale securi
Nomen, nunc superis æquatum laude Camillum,
Nunc auro Gurium non unquam cernit amicum.
Ora Sibylla docet venientum, & nomina pandit.
Hic fraudes pacis, Pyrrhúmque à limine portæ
Dejecit visus orbus: tulit ille ruentem
Tibridis in ripas regem, solúsque revulso
Ponè ferox ponte exclusit redeuntia regna.
Si tibi dulce, virum, primo qui fœdera bello
Phœnicum pepigit, vidisse, hic Martius ille
Æquoreis victor cum classe Lutatius armis.
Si studium, & sævam cognoscere Amilcaris umbram,
Illa est, cerne procul, cui frons nec morte remissa
Irarum servat rabiem: si jungere cordi est
Colloquium, sine gustato det sanguine vocem.
Atque ubi permissum, & sitiens se implevit imago,
Sic prior increpitat non miti Scipio vultu:
Taliáne, ô fraudum genitor, sunt fœdera vobis?
Aut hæc Sicaniâ pepigisti captus in orâ?
Bella tuus toto natus contra omnia pacta
Exercet Latio, & perruptis molibus Alpes
Eluctatus adest, fervet gens Itala Marte
Barbarico, & refluunt obstructi stragibus amnes.
Post quæ Pœnus ait, decimum modò cœperat annum
Excessisse puer, nostro quum bella Latinis
Concepit jussu: licitum nec fallere divos
Juratos patri: quòd si Laurentia vastat
Nunc igni regna, & Phrygias res vertere tentat,
O pietas, ô sancta fides, ô vera propago.
Atque utinam amissum reparet decus, indè citato
Celsus abit gressu, majórque recessit imago.
Exin designat vates, qui jura sub armis
Poscenti dederint populo, primíque petitas
Miscuerint Italis Piræo littore leges.
Lætatur, spectátque virûm insatiabilis ora
Scipio, & appellet cunctos, ni magna sacerdos
Admoneat turbæ innumeræ, quot millia toto
Credis in orbe puer, lustras dum singula visu,
Descendisse Erebo? nullo non tempore abundans
Umbrarum huc agitur torrens, vectátque capaci
Agmina mole Charon, & sufficit improba puppis.
Post hæc ostendens juvenem, sic virgo profatur:
Hic ille est tellure vagus, qui victor in omni
Cursu signa tulit, cui pervia Bactra, Dahæque,
Qui Gangem bibit, & Pellæo ponte Niphaten
Adstrinxit, cui stant sacro sua mœnia Nilo.
Incipit Æneades: Libyci certissima proles
Ammonis, quanto exsuperat tua gloria cunctos
Indubitata duces! similsque cupidine rerum
Pectora nostra calent, quæ te via, fare, superbum
Ad decus, & summas laudum perduxerit arces.
Ille sub hæc: turpis lenti solertia Martis,
Audendo bella expedias. pigra extulit astris
Haud unquam sese virtus, tu magna gerendi
Præcipita tempus, mors atra impendet agenti.
Hæc effatus abit. Crœsi mox advolat umbra
Dives apud superos, sed nos æquârat egenis.
Atque hic Elysio tendentem limite cernens
Effigiem juvenis castam, cui vitta ligabat
Purpurea effusos per colla nitentia crines,
Dic ait, hic quinam, virgo? nam luce refulget
Præcipuâ frons sacra viro, multæque sequuntur
Mirantes animæ, & læto clamore frequentant.
Qui vultus? quem (si Stygiâ non esset in umbrâ)
Dixissem facilè esse deum. non falleris, inquit
Docta comes Triviæ, meruit deus esse videri,

Et

Et fuit in tanto non parvum pectore numen.
Carmine complexus terram, mare, sidera, manes
Et cantu Musas & Phœbum æquavit honore.
Atque hæc cuncta, priùs, quàm cerneret, ordine terris
Prodidit, & vestram tulit usque ad sidera Trojam.
Scipio perlustrans oculis lætantibus umbram,
Si nunc fata darent, ut Romula facta per orbem
Hic caneret vates, quanto majora futuros
Facta eadem intrarent hôc, inquit, tolle nepotes.
Felix Æacida, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi, crevit tua carmine virtus.
Sed quæ tanta adeò gratantum turba requirens
Heroum effigies, majoréque accipit umbras?
Indè viro stupet Æacide, stupet Hectore magno,
Ajacísque gradum, venerandáque Nestoris ora
Miratur, geminos adspectans lætus Atridas,
Jámque Ithacum corde æquantem Peleïa facta.
Victuram hinc cernit Ledæi Castoris umbram,
Alternam lucem peragebat in æthere Pollux.
Sed subitò vultus monstrata Lavinia traxit,
Nam virgo admonuit tempus cognoscere manes
Femineos, ne cunctantem lux alma vocaret.
Felix hæc, inquit, Veneris nurus ordine longo
Trojugenas junxit sociatâ prole Latinis.
Vis & Martigenæ thalamos spectare Quirini?
Herfiliam cerne; hirsutos quum sperneret olim
Gens vicina procos, pastori rapta marito.
Lustravitque casam, culmique à stramine fulcum
Pressit læta torum, & soceros revocavit ab armis.
Adspice Carmentis gressus. Evandria mater
Hæc fuit, & vestros tetigit præsaga labores.
Vis & quos Tanaquil vultus gerat? hæc quoque casta
Augurio valuit mentis, venturúsque dixit
Regna viro, & dextros agnovit in ætite divos:
Ecce pudicitiæ Latium decus, incluta Leti
Fert frontem, atque oculos terræ Lucretia fixos.
Non datur heu tibi, Roma, nec est quòd malle deceret
Hanc laudem retinere diu. Virginia juxtà,
Cerne, cruentato vultus sub pectore servat,
Tristia detensi ferro monimenta pudoris,
Et patriam laudat miserando in vulnere dextram.
Illa est quæ Tibrim, quæ fregit Lydia bella,
Nondum passa marem, quales optabat habere
Quondam Roma viros, contemtrix Cloëlia sexûs.
Cùm subito adspectu turbatus Scipio poscit,
Quæ pœnæ causa & qui sint in crimine manes.
Tum virgo, patrios fregit quæ curribus artus,
Et sterit adductis super ora trementia frænis,
Tullia non ullos satis exhaustura labores,
Ardenti Phlegethonte natat, fornacibus atris
Fons rapidus furit, atque ustas sub gurgite cautes
Egerit, & scopulis pulsat flagrantibus ora.
Illa autem quæ tondetur præcordia rostro
Alitis, en quantùm resonat plangentibus alis
Armiger ad pastus rediens Jovis, hostibus arcem
Virgo (immane nefas) adamato prodidit auro
Tarpeia, & pactis reseravit claustra Sabinis.
Juxtà (nonne vides? neque enim leviora domantur
Delicta) illatrat jejunis faucibus Orcus,
Armenti quondam custos immanis Iberi
Et morsu petit, & polluto evisserat ungue,
Nec par pœna tamen sceleri: sacraria Vestæ
Polluit exutâ sibi virginitate sacerdos.
Sed satis hæc vidisse satis, mox deinde videnti
Nunc animas tibi, quæ potant oblivia, paucas
In fine enumerare paro, & remeare tenebris.
Hic Marius (nec multa dies jam restat iturо
Ætheream in lucem) veniet tibi origine parvâ
In longum imperium consul, nec Sylla morari
Jussa potest, aut amne diu potare soporo.
Lux vocat, & nulli divûm mutabile fatum.
Imperium hic primus rapiet, sed gloria culpæ,
Quòd reddet solus, nec tanto in nomine quisquam
Existet Syllæ qui se velit esse secundum.
Ille hirtâ cui fabrigitus coma fronte, decorum
Et gratum terris Magnus caput: ille deûm gens
Stelligerum attollens apicem Trojanus Iulo
Cæsar avo, quantas moles, quum sede reclusâ
Hâc tandem erumpent, terrâque marique movebunt?
Heu miseri quoties toto pugnabitur orbe!
Nec leviora lues, quàm victus, crimina victor.
Tum juvenis lacrymans, Restare hæc ordine dura
Lamentor rebus Latiis, sed luce remotâ
Si nulla est venia, & merito mors ipsa laborat,

Perfidiæ Pœnus quibus aut Phlegethontis in undis
Exuret ductor scelus? aut quæ digna renatos
Ales in æternum laniabit morsibus artus?
Ne metue, exclamat vates, non vita sequetur
Inviolata virum, patriâ non ossa quiescent.
Namque ubi fractus opum, magnæ certamine pugnæ
Pertulerit vinci, turpémque orare salutem,
Rursus bella volet Macetûm instaurare sub armis:
Damnatúsque doli, delectis conjuge fidâ,
Et dulci nato, linquet Carthaginis arces,
Atque unâ profugus lustrabit cærula puppe.
Hinc Cilicia, Tauri saxosa cacumina vilet.
Proh quanto levius mortalibus ægra subire
Servitia, æquè hyemes, æstus, fugémque, fretúmque,
Atque famem, quàm posse mori? post Italia bella
Assyrio famulus regi, fallúsque cupiti
Ausoniæ motûs, dubio petet æquora velo,
Donec Prusiacas delatus segniter oras
Altera servitia imbelli patiatur in ævo.
Et latebram munus regni, persantibus indè
Æneadis reddíque sibi poscentibus hostem,
Pocula furtivo rapiet properata veneno,
Ac tandem terras longâ formidine solvet.
Hæc vates, Erebíque cavis se rettulit umbris.
Tum lætos socios juvenis, portúmque revisit.

LIBER XIV.

FLECTITE nunc vestros Heliconis numina cantus,
Ortygiæ pelagus Siculíque ad littoris urbes.
Muneris hic vestri labor est, modò Daunia regna
Æneadum, modò Sicanios accedere portus,
Aut Macetûm lustrare domos, & Achaïca rura,
Aut vaga Sardoo vestigia tinguere fluctu,
Vel Tyriæ quondam regnata mapalia genti,
Extremúmque diem & terrarum invisere metas,
Sic poscit sparsis Mavors agitatus in oris.
Ergo age, quà litui, quà ducunt bella, sequamur,
Ausoniæ pars magna jacet Trinacria tellus,
Ut semel expugnante Noto, & vastantibus undis
Accepit freta cæruleo propulsa tridente.
Namque per occultum cæcâ vi turbinis olim
Impactum pelagus laceratæ viscera terræ
Discidit, & medio perrumpens arva profundo,
Cum populis pariter convulsas transtulit urbes.
Ex illo servans rapidus divortia Nereus,
Sævo dividuos conjungi pernegat æstu,
Sed spatium, quod dissociat consortia terræ,
Latratus fama est (sic arcta intervenit unda)
Et matutinos volucrum transmittere cantus.
Multa solo virtus, jam reddere fœnus aratris,
Jam montes umbrare oleâ, dare nomina Baccho,
Cornipedémque citum lituis generâsse ferendis,
Nectare Cecropias Hyblæo accendere ceras.
Hic & Pæonios arcano sulfure fontes,
Hic Phœbo digna & Musis venerabere vatum
Ora excellentum, sacras qui carmina sylvas,
Quíque Syracosiâ resonant Helicona Camœnâ.
Promtæ gens linguæ, ast eadem quum bella cieret,
Portus æquoreis sueta insignire tropæis.
Post dirum Antiphatæ sceptrum, & Cyclopia regna
Vomere verterunt primùm nova rura Sicani.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne
Adscitum patrio, terræ imposuere vocanti.
Mox Ligurum pubes, Siculo ductore, novavit
Possessis bello mutata vocabula regnis.
Nec res dedecori fuit, aut mutâsse pudebat
Sicanum Siculo nomen: mox accola Minos
Duxerat è Cretâ non fausta ad bella cohortes
Dædaleam repetens pœnam: qui fraude nefandâ
Postquam perpetuus judex concessit ad umbras
Cocalidum insidiis, tesso Minoïa turba
Bellandi studio, Siculis subsedit in oris.
Miscuerunt Phrygiam prolem Trojanus Acestes,
Trojanúsque Helymus, structis, qui pube sequutâ
In longum ex sese donârunt nomina muris.
Nec Zanclæa gerunt obscuram mœnia famam,
Dextera quam tribuit polito Saturnia telo.
Sed decus Ætneis haud ullum pulcherius oris,
Quàm quæ Stiyptio fundavit nomen ab Isthmo,
Et multùm ante alias Ephyræis fulget thermis.
Hic Arethusæ suum piscoso fonte receptat

Alpheon ſacræ portantem ſigna corónæ.
At non æquus amat Trinacria Mulciber antra.
Nam Lipare vaſtis ſubter depaſta caminis
Sulfureum vomit exeſo de vertice fumum.
Aſt Ætna eructat tremefactis cautibus ignes,
Incluſi gemitûs, pelagíque imitata furorem,
Murmure per cæcos tonat inrequieta fragores
Nocte diéque ſimul: fonte è Phlegethontis ut atro
Flaminarum exundat torrens, piceâque procellâ
Semiambuſta rotat liquefactis ſaxa cavernis.
Sed quanquam largo flammarum exæſtuat intus
Turbine, & aſſiduè ſubnaſcens profugit ignis,
Summo cana jugo cohibet (mirabile dictu)
Vicinam flammis glaciem, æternóque rigore
Ardentes horrent ſcopuli, ſtat vertice celſi
Collis hyems, calidâque nivem tegit atra favillâ.
Quid referam Æolio regnatas nomine terras?
Ventorúmque domos, atque addita clauſtra procellis?
Hìc verſi penitus Pelopea ad regna Pachyni
Pulſata Ionio reſpondent ſaxa profundo.
Hìc contra Libyámque ſitam, Cauróſque furentes
Cernit devexas Lilybæon nobile Chelas.
At quà diverſi lateris frons tertia terris
Vergit in Italiam prolato ad littora dorſo,
Cellos arenosâ tollit ſe mole Pelorus.
His longo mitis placidè dominator in ævo
Præfuerat terris Hieron, tractare ſereno
Imperio vulgum pollens, & pectora nullo
Parentum exagitare metu, pactámque per aras
Haud facilis temerare fidem, ſocialia jura
Auſoniis multos ſervârat caſta per annos.
Verùm ubi fata virum fragili ſolvere ſenectâ,
Primævo ceſſit ſceptrum exitiale nepoti,
Et placida indomitos accepit regia mores.
Namque bis octonis nondum rex præditus annis,
Caligare alto in ſolio, nec pondera regni
Poſſe pati, & nimiùm fluxis confidere rebus.
Jámque brevi, nullum, delicta tuentibus armis,
Fas notum, ignotúmque nefas, viliſſima regi
Cura pudor: tam præcipiti materna furori
Pyrrhus origo dabat ſtimulos, proavíque ſuperbum
Æacidæ genus, atque æternus carmine Achilles.
Ergo ardor ſubitus Pœnorum incepta fovendi.
Nec ſceleri mora: *quin* jungit nova fœdera, pacto
Cederet ut Siculis victor Sidonius oris.
Sed ſtabant pœnæ, tumultúmque negabat Erinnys
Quâ, modò pactus erat ſocium non cernere, terrâ.
Sævos namque pati faſtus, juvenémque cruento
Flagrantem luxu, & miſcentem turpia duris,
Haud ultrà faciles, quos ira merúſque coquebat
Jurati obtruncant, nec jam modus enſibus, addunt
Femineam cædem, atque inſontum rapta ſororum
Corpora proſternunt ferro. nova fævit in armis
Libertas, jactátque jugum: pars Punica caſtra,
Pars Italos & nota volunt, nec turba furentum
Defit, quæ neutro ſociari fœdere malit.
Tali Trinacriæ motu, rebúſque Sicanis
Exitio regis trepidis, ſublimis honore,
(Tertia nam Latios renovârat purpura faſces)
Marcellus claſſem Zancleis appulit oris.
Atque ubi cuncta viro, cædéque expoſta tyranni,
Ambiguæque hominum mentes, Carthaginis arma
Quos teneant, & quanta locos, quod vulgus amicum
Duret Trojugenis, quantos Arethuſa tumores
Concipiat, perſtétque ſuas non pandere portas,
Incumbit bello, ac totam per proxima raptim
Armorum effundit flammato pectore peſtem.
Non aliter Boreas Rhodopes a vertice præceps
Quum ſeſe immiſit, decimóque volumine pontum
Expulit in terras, ſequitur cum murmure molem
Ejecti maris, & ſtridentibus adfremit alis.
Prima Leontinos vaſtârunt prœlia campos,
Regnatam duro quondam Læſtrygone terram.
Inſtabat ductor, cui tardè vincere Graias
Par erat ac vinci turmas: ruit æquore toto:
Femineum credas maribus concurrere vulgum:
Et Cereri placitos fœcundat ſanguine campos.
Sternuntur paſſim, pedibúſque evadere letum
Eripuit rapidus Mavors, ut cuique ſalutem
Promiſit fuga, prævenienſ dux occupat enſe.
Ite, gregem & metite imbellem, ac ſuccidite ferro,
Clamat, cunctantes urgens umbone catervas,
Pigro luctandi ſtudio certamen in umbrâ
Molle pati docta, & gaudens ſplendeſcere olivo,
Stat mediocre decus vincentum ignava juventus
Hæc laus ſola datur, ſi vitâ vincitis hoſtem.
Ingruit audito ductore exercitus omnis,
Soláque, quod ſupereſt, ſecum certamina nórunt,
Quis dextrâ antiſtet, ſpoliíſque excellat opimis.
Euboïci non per ſcopulos illiſa Caphareo
Euripi magìs unda furit: pontúmve ſonantem
Ejicit anguſto violentiùs ore Propontis:
Nec fervet majore fretum, rapitúrque tumultu
Quod ferit Herculeas extremo ſole columnas.
Mite tamen dextræ decus inter prœlia tanta
Enituit, famâ miles Tyrrhenus, Aſylo
Nomen erat, captus quondam ad Tratimena fluenta,
Servitium facile, & dominantis mollia juſſa
Expertus Berræ, patrias remeabat ad oras
Sponte faventis heri, repetitíſque impiger armis
Tum veteres Siculo caſus Mavorte piabat.
Atque is, dùm medios inter fera prœlia miſcet,
Illatus Berræ, cui pacta ad regia miſſo
Pœnorum à populis, ſociatáque bella gerenti
Ærato caſſis munimine clauſerat ora,
Invadit juvenem ferro, trepidéque ferentem
Inſtabiles retro greſſus, proſternit arenâ.
Ac miſer auditâ victoris voce, trementem
Cunctantémque animam Stygiâ tunc ſede reducens,
Caſſidis à mento malefidæ vincula rupit,
Jungebátque preces, atque addere verba parabat.
Sed ſubito adſpectu, & noto conterritus ore
Tyrrhenus, ferrúmque manu revocavit, & ultro
Talia cum gemitu lacrymis effudit obortis:
Ne, quæſo, ſupplex lucem dubiúſque precare,
Fas hoſtem ſervare mihi. multo optimus ille
Militiæ, cui poſtremum eſt, primúmque tueri
Inter bella fidem: tu letum evadere nobis
Das prior, & ſervas nondum ſervatus ab hoſte.
Haud equidem indignum memet, quæ triſtia vidi,
Abnuerim, dignúmque iterum in pejora revolvi,
Si tibi per medios ignes, medióſque per enſes
Non dederit mea dextra viam: ſic fatur, & ultro
Attollit, vitâque exæquat munera vitæ.
At compos Siculâ primùm certaminis orâ
Marcellus cœpti, victricia ſigna quieto
Agmine progrediens Ephyræa ad mœnia vertit.
Indè Syracoſias caſtris circumdedit arces.
Sed ferri languebat amor, ſedare monendo
Pectora cæca virûm, atque iras avellere avebat.
Nec (rennant ſi fortè, ſibi & ſi mitia malle
Credant eſſe metum) laxis ſervatur omiſſa
Obſidio clauſtris, quin contra intentior ipſe
Invigilat cautis fronte imperterritus armis.
Et ſtruit arcanâ, necopina pericula curâ.
Haud ſecus Eridani ſtagnis, ripâve Cayſtri
Innatat albus olor, pronóque immobile corpus
Dat fluvio, & pedibus tacitas eremigat undas.
Interea dum incerta labat ſententia clauſis,
Exciti populi, atque urbes ſocia arma ferebant.
Incumbens Meſſana freto, minimámque revulſa,
Diſcretâ Italiâ, atque Oſco memorabilis ortu.
Tum Catine nimiùm ardenti vicina Typhœo,
Et generâſſe pios quondam celeberrima fratres:
Et cui non licitum fatis Camerina moveri.
Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymettos
Audax Hybla favis, palmæque arbuſta Selinus.
Et juſti quondam portus, nunc littore ſolo
Subſidium infidum fugientibus æquora, Myle.
Necnon altus Eryx, nec non è vertice celſo
Centuripe, largóque virens Entella Lyæo.
Entella Hectoreo dilectum nomen Aceſtæ.
Non Tapſos, non è tumulis glacialibus Acræ
Defuerunt, Agyrina manus, geminóque Lacone
Tyndaris attollens ſeſe adfuit, altor equorum
Mille rapit turmam, atque hinnitibus æra flammat
Pulveream volvens Agragas ad inania nubem.
Ductor Groſphus erat, cujus cælata gerebat
Taurum parma trucem, pœnæ monimenta vetuſtæ.
Ille ubi torreret ſubjectis corpora flammis,
Mutabat gemitus mugitibus, actáque veras
Credere erat ſtabulis armenta effundere voces.
Haud impune quidem, nam diræ conditor artis
Ipſe ſuo moriens immugit flebile tauro.
Venit ab amne trahens nomen Gela, venit Haleſa,
Et qui præſenti domitant perjura Palici
Pectora ſupplicio, Trojanáque venit Aceſta.
Quíque per Ætnæos Acis petit æquora fines,

Et

Et dulci gratam Nereïda perluit undâ,
Æmulus ille tuo quondam Polypheme calori,
Dum fugit agreſtem violenti pectoris iram,
In tenues liquefactus aquas, evaſit & hoſtem,
Et tibi victricem Galatea immiſcuit undam.
Nec non qui potant Hyſpámque, Alabſnque ſonoros,
Et perlucentem ſplendenti gurgite Achaten.
Qui fontes Vagedruſa tuos, & pauperis alvei
Hyparen, ac facilem ſuperari gurgite parco
Pantagyam, rapidíque colunt vada flava Symæthi.
Littora Thermarum priſcâ dotata Camœnâ
Armavere ſuos, quà mergitur Himera ponto
Æolio, nam dividuâ ſe ſcindit in oras,
Nec minùs occaſus petit incita, quàm petit ortus.
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis
Quo mons Sicaniâ non ſurgit ditior umbrâ.
Enna deûm lucis ſacram dedit ardua dextram.
Hìc ſpecus ingentem laxans telluris hiatum
Cæcum iter ad manes tenebroſo limite pandit,
Quà novus ignotas Hymenæus venit in oras.
Hàc Stygius poſtquam ſtimulante Cupidine rector
Auſus adire diem, mœſtóque Acheronte relicto
Illicitas, egit currum per inania, terras;
Cùm raptâ præceps Ennæâ virgine flexit
Attonitos cæli viſu, lucémque paventes,
In Styga rurſus equos, & prædam condidit umbris.
Romanos Petræa duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis, lapidoſíque Engyon arvi.
Hadranum, Hergentúmque ſimul, telâque ſuperba
Lanigerâ Melite, & littus piſcoſa Calacte,
Quæque procelloſo, Cephalœdias ora, profundo
Cæruleis horret campis paſcentia cete,
Et qui correptas ſorbentem vorticis hauſtu,
Atque iterum è fundo jaculantem ad ſidera puppes
Tauromenitanâ cernunt de ſede Charybdim,
Hæc Latium manus & Laurentia ſigna movebat.
Cætera Eliſæis aderat gens Sicana votis.
Mille Agathyrna dedit perflatáque Strongylos Auſtris,
Mille Thoanteæ ſedes Faſcelina divæ.
Tergemino venit numero fœcunda Panormos,
Seu ſylvis ſectare feras, ſeu retibus æquor
Verrere, ſeu cælo libeat traxiſſe volucrem.
Non Herbeſos iners, non Naulocha pigra pericli
Sederunt, non frondoſis Morgentia campis
Abſtinuit Marte infido, comitata Nemæis
Venit Amaſtra viris, & parvo nomine Tiſſe,
Et Netum, & Mutyce, pubéſque liquentis Acheti,
Sidonia & Drepane, atque undæ clamoſus Helorus,
Et mox ſervili vaſtata Triocala bello,
Sidonios Arabeia ferox, & celſus Ietas,
Et bellare Tabas docilis, Coſſyráque parva:
Nec major Megarâ Mute concordibus auſis
Juvere, & ſtrato, Gaulos, ſpectabile ponto
Quum ſonat Halcyones cantu, nidóſque natantes
Immotâ geſtat ſopitis fluctibus undâ.
Ipſa Syracuſæ patulos urbs inclyta muros
Milite collecto, variſque impleverat armis.
Ductores facilem impelli, lætámque tumultûs
Vaniloquo pubem furiabant inſuper ore:
Nunquam hoſte intratos muros, & quatuor arces,
Et Salaminiacis quantam Eoſſque tropæis
Ingenio portûs urbs invia fecerit umbram.
Spectatum proavis, ter centum ante ora triremes
Unum naufragium, merſáſque impune profundo
Clade pharetrigeri ſubnixas regis Athenas.
Flammabant vulgum geniti Carthagine fratres
Pœni matre genus, ſed quos ſub crimine pulſus
Urbe Syracoſiâ Libycis eduxerat oris
Trinacrius genitor, geminâque à ſtirpe parentum
Aſtus miſcebant Tyrios levitate Sicanâ.
Quæ cernens ductor, poſtquam immedicabile viſum
Seditio, atque ultro bellum ſurgebat ab hoſte,
Teſtatus divos Siculorum, amnéſque, lacúſque,
Et fontes Arethuſa tuos, ad bella vocari
Invitum, quæ ſponte diu non ſumſerit, hoſtem
Induere arma ſibi, telorum turbine vaſto
Adgreditur muros, atque armis intonat urbi.
Par omnes ſimul ira rapit, certántque, ruúntque.
Turris multiplici ſurgens ad ſidera tecto
Exibat, tabulata decem cui creſcere Graius
Fecerat, & multas nemorum conſumſerat umbras.
Armatam hinc igni molem, & devolvere ſaxa
Certabant, calidæque plcis diffundere peſtem.
Hìc procul ardentem jaculatus lampada Cimber
Conjicit, & lateri telum exitiabile figit,
Paſcitur adjuto Vulcanus turbine venti,
Gliſcentémque trahens turris per viſcera labem,
Pérque altam molem & toties creſcentia tecta
Scandit ovans, rapidíſque vorat crepitantia flammis
Robora, & ingenti ſimul exundante vapore
Ad cælum victor nitentia culmina lambit.
Implentur fumo, & nebulâ caliginis atræ,
Nec cuiquam evaſiſſe datur, ceu fulminis ictu
Correptæ rapido, in cineres abiere ruinæ.
Par contrà pelago miſeris fortuna carinis.
Namque ubi ſe propiùs tectis, urbíque tulere,
Quà portus muris pacatas applicat undas,
Improviſa novo peſtis conterruit aſtu.
Trabs fabre teres, atque eraſis undique nodis
Navali ſimilis malo, præfixa gerebat
Uncæ tela manus, ea celſo ex aggere muri
Bellantes, curvi rapiebat in aëra ferri
Unguibus, & mediam revocata ferebat in urbem.
Nec ſolos vis illa viros, quin ſæpe triremem
Belligeræ rapuere trabes, quum deſuper actum
Incuterent puppi chalybem, morſúſque tenaces.
Qui ſimul adfixo vicina in robora ferro
Suſtulerant ſublimè ratem (miſerabile viſu)
Per ſubitum rurſus laxatis arte catenis
Tantâ præcipitem reddebant mole profundo,
Ut totam haurirent undæ cum milite puppem.
His ſuper inſidiis anguſta foramina murus
Arte cavata dabat, per quæ confundere tela
Tutum erat oppoſito mittentibus aggere valli.
Nec ſinè fraude labos, arctâ ne rurſus eodem
Spicula ab hoſte viâ vicibus contorta redirent.
Calliditas Graia, atque aſtus pollentior armis
Marcellum, tantáſque minas, terràque marſque
Arcebat, ſtabátque ingens ad mœnia bellum.
Vir fuit Iſthmiacis decus immortale colonis,
Ingenio facilè ante alios telluris alumnos,
Nudus opum, ſed cui cœlum terræque paterent.
Ille novus pluvias Titan ut proderet ortu
Fuſcatis triſtis radiis; ille hæreat, ánne
Pendeat inſtabilis tellus; cur fœdere certo
Hunc adfuſa globum Tethys circumliget undis,
Noverat, atque unà pelagi lunæque labores;
Et pater Oceanus quâ lege effunderet æſtus.
Non illum mundi numerâſſe capacis arenas
Vana fides, pupper etiam, conſtructáque ſaxa
Feminea traxiſſe ferunt contra ardua dextrâ.
Hic dum Italum ductorem aſtu, Teucróſque fatigat,
Adnabat centum latè Sidonia velis
Claſſis ſubſidio, & ſcindebat cærula roſtris.
Erigitur ſubitas in ſpes Arethuſia proles,
Adjungíque ſuas portu progreſſa carinas.
Nec contrà Auſonius tonſis aptare lacertos
Addubitat, merſíſque celer fodit æquora remis
Verberibus torſere fretum, ſalis icta frequenti
Albeſcit pulſu facies, pérque æquora latè
Spumat canenti ſulcatus gurgite limes.
Inſultant pariter pelago, ac Neptunia regna
Tempeſtate novâ trepidant, tum vocibus æquor
Perſonat, & clamat ſcopulis clamoris imago.
Ac jam diffuſus vacuâ bellator in undâ
Cornibus ambierat patulos ad prœlia fluctus,
Navali claudens humentem indagine campum.
At ſimili curvata ſinu diverſa ruebat
Claſſis, & arctabat lunato cærula gyro.
Nec mora, terrificis ſævæ ſtridoribus æris
Per vacuum latæ cantu reſonante profundum
Increpuere tubæ, queis excitus æquore Triton
Expavit tortæ ad certantia murmura conchæ.
Vix meminere maris, tam vasto ad prœlia niſu
Incumbunt proni, poſitíſque in margine puppis
Extremæ plantis, nutantes ſpicula torquent.
Sternitur effuſis pelagi media area telis,
Celſáque anhelatis exſurgens ictibus alnus
Cærula nigranti findit ſpumantia ſulco.
Aſt aliæ latere, atque incuſſi roboris ictu
Detergent remos, aliæ per viſcera pinus
Tranſmiſſis ipſo retinentur vulnere roſtris
Quo retinent: medias inter ſublimior ibat
Terribilis viſu puppis, quâ nulla per omne
Egreſſa eſt Libycis major navalibus ævum.
Sed quater hæc centum numeroſo remige pontum
Pulſabat tonſis, velóque ſuperba capaci,
Quum rapidum hauriret Boream, & cornibus omnes

Colligeret flatus, lento se robore agebat,
Intraret fluctus solis si pulsa lacertis.
Procurrunt levitate agili, docilésque regentis
Audivisse manum Latio cum milite puppes.
Has ut per lævum venientes æquor Imilco
In latus obliquas, jussámque incurrere proram
Conspexit, properè divis in vota vocatis
Æquoris, intento volucrem de more sagittam
Adsignat nervo: utque oculis libravit in hostem,
Et calamo monstravit iter diversa relaxans
Brachia, deducit vultu comitante per auras
In vulnus telum, & residentis puppe magistri
Adfixit plectro dextram, nec deinde regendâ
Puppe manus valuit flectendo immortua clavo.
Dúmque ad opem accurrit ceu captâ navita puppe,
Ecce iterum fatóque pari nervóque sagitta
In medium perlapsa globum, transverberat ictu
Orba gubernacli subeuntem munera Taurum.
Irrumpit Cumana ratis, quam Corbulo ductor
Lectáque complebat Stabiarum littore pubes.
Numen erat celsæ puppis, vicina Dione.
Sed super ingestis propior quæ subdita telis
Bella capessebat, mediâ subsedit in undâ,
Divisítque fretum, clamantum spumeus ora
Nereus implet aquis, palmæque, trahente profundo
Luctantum frustra, summis in fluctibus exstant.
Hac audax irâ magno per cæruli saltu
Corbulo transgressus (nam textam robore turrim
Appulerant nexæ ferri compage triremes)
Evadit tabulata super, flammâque comantem
Multifidâ pinum celso de culmine quassat.
Indè atros alacer, paltósque bitumine torquet
Amentante Noto Pœnorum aplustribus ignes.
Intrat diffusos pestis Vulcania passim,
Atque implet dispersa foros: trepidatur omisso
Summis remigio, sed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrârat ad imos,
Et rapidus fervor per pingues unguine tædas
Illapsus, flammis victricibus insonat alveo.
Quâ nondum tamen impulerat vim Dardana lampas,
Parcebátque vapor, saxorum grandine dirus
Arcebat, fatúmque ratis retinebat Imilco.
Hic miser igniferam dum ventilat aere pinum,
Murali saxo per lubrica sanguine transtra
Volvitur in fluctus, Lichei vulnere, Cydnus.
Fax nidore gravi fœdavit cominus auras,
Ambusto instridens pelago, ferus indè citatum
Missile adoratâ contorquet Sabrata puppe:
Ammon numen erat Libycæ gentile carinæ,
Cornigerâque sedens spectabat cærula fronte.
Fer pater adflictis fer, ait, Garamantice vates
Rebus opem, snque Italos da certa effundere tela.
Has inter voces tremulo venit agmine cornus,
Et Neptunicolæ transverberat ora Telonis.
Urgebant nihilo leviùs jam in limine mortis,
Quos fuga præcipites, partem glomerârat in unam
Puppis adhuc vacuam tædæ, sed proxima cursu
Fulmineo populatus inevitabilis ardor,
Correptam flammis involvit ovantibus alnum.
Primus ope æquorei funis delapsus in undas,
Quâ nondum Stygios glomerabat Mulciber æstus,
Ambustus sociûm remis aufertur Imilco.
Proxima nudârunt miserandi fata Bathonis
Desertam ductore ratem, bonus ille per artem
Crudo luctari pelago, atque exire procellas.
Idem quid Boreas, quid vellet crastinus Auster
Anteibat, nec pervigilem tu fallere vultum,
Obscuro quamvis cursu, Cynosura, valeres.
Is postquam advertis nullus modus, accipe nostrum
Ammon sanguinem ait, spectator cladis iniquæ,
*Atque acto in pectus gladio, dextra deinde cruorem
Excipit, & largè sacra inter cornua fundit.
Hos inter Daphnis deductum ab origine nomen
Antiquâ fuit infelix, cui linquere saltus,
Et mutare casas infido marmore visum.
At princeps generis quanto majore paravit
Intrà pastorem sibi nomina, Daphnin amârunt
Sicelides Musæ, dexter donavit avenâ
Phœbus Callaliâ, & jussit projectus in herbâ
Siquando caneret, lætos per prata, per arva
Ad Daphnin properare greges, rivósque lilere.
Ille ubi septenâ modulatus arundine carmen
Mulcebat sylvas, non unquam tempore eodem
Siren adsuetos effudit in æquore cantus,
Scyllæi tacuere canes, stetit atra Charybdis,
Et lætus scopulis sedavit jubila Cyclops.
Progeniem hausêrunt, & nomen amabile flammæ,
Innatat ecce super transtris fumantibus asper
Ornytos, ac longam sibimet facit æquore mortem.
Qualis Oïlides, fulmen jaculante Minervâ,
Surgentes domuit fluctus ardentibus ulnis.
Transfigitur validâ medius, dum se adlevat, alni
Cuspide Marmarides Scyron, pars subnatat undâ
Membrorum, pars exstat aquis, totúmque per æquor
Portatur rigido miserandum immortua rostro.
Accelerant puppes utrimque, atque ora ruentum
Sanguinei feriunt remorum adspergine rores.
Ipse adeò senis ductor Rhœteïus ibat
Pullibus, & valido superabat remige ventos,
Quam rapidis puppem manibus frænare Lilæus
Dum tentat, sevâ truncatur membra bipenni,
Et fert hærentes trabibus ratis incita palmas.
Sicania Æoliden portabant transtra Podetum.
Hic ævo quanquam nondum excessisset ephebis,
Seu lævi traxere dei, seu fervida corda,
(Nec sat maturus laudum) bellisque cupido.
Arma puer niveis aptârat picta lacertis,
Et freta gandebat celsâ turbare Chimærâ.
Jámque super Rutulâ, super & Garamantide pinu
Ibat ovans melior remo, meliórque sagittâ,
Et jam turrigerum demersérat æquore Nessum.
Heu puero malesuada rudi nova gloria pugnæ.
Dum cristam galeæ trucis, exuviásque precatur
De duce Marcello superos, temerarius hastâ
Excepit raptim vulnus letale remissâ.
Proh qualis, seu splendentem sub sidera nisu
Exigeret discum, jaculo seu nubila supra
Surgeret, aligeras ferret seu pulvere plantas
Vix tacto, vel dimensi spatia improba campi
Transiret velox saltu, docuere labores.
Sat prorsus, sat erat decoris discrimine tuto,
Sat laudis: cur fata puer majora petebas?
Illum ubi labentem pepulerunt tela sub undas,
Ossa Syracosio fraudatum naufraga busto
Fleverunt freta, fleverunt Cyclopia saxa,
Et Cyane, & Anapus, & Ortygiæ Arethusa.
Parte aliâ præses puppem Tiberinus agebat,
Quáque ferebatur ductor Sidonius, iô
Conclamant, injecta ligant hinc vincula ferri
Atque illinc, steterúntque rates ad prœlia nexæ.
Nec jaculo, aut longè certatur arundine fusâ.
Cominus, & gladio terrestria prœlia miscent.
Perrumpunt Itali, quâ cædes prima reclusit,
Monstravitque viam: vastas & Mela catenas
Hortatur socios & vincla abrumpere ferri,
Ac parat hostili resolutâ puppe receptos
Avehere, & paribus pelago diducere ab armis.
Ætnæo Polyphemus erat nutritus in antro,
Atque indè antiquæ nomen feritatis amabat,
Ubera præbuerat parvo lupa, corporis alti
Terribilis moles, mens aspera, vultus in irâ
Semper, & ad cædes Cyclopia corde libido.
Isque relaxatis membrorum pondere vinclis
Impulerat puppim, & mergebat gurgite tonsas,
Duxisséque ratem, pressâ Laronius hastâ
Ni properè duro nitentem exsurgere, velox
Adfixet transtro. vix morte incepta remittit.
Namque manus servat dum suetos languida ductus,
Ignavum summa attraxit super æquora remum.
Perculsi cuneo Pœni densantur in unum,
Quod caret hoste latus, subito cùm pondere victus
Insiliente mari submergitur alveus undis.
Scuta virûm, cristæque, & inerti spicula ferro,
Tutelæque deûm fluitant: hic robore fracto
Pugnat inops chalybis, seséque in prælia rursus
Armat naufragio: remis malè fervidus ille
Festinat spoliare ratem, discrimine nullo,
Nautarum interdum convulsa sedilia torquens.
Non plectro ratis, aut frangendæ in vulnere proræ
Parcitur, & pelago repetuntur nantia tela.
Vulneribus patulis intrat mare, mox sua ponto
Singultante animâ propulsa refunditur unda.
Nec desunt, qui correptos amplexibus arctis
Immergant pelago, & jaculis cessantibus hostem
Morte suâ perimant, remeantum gurgite mentes
Crudescunt, ac pro ferro stat fluctibus uti.
Haurit sanguineus contorta cadavera vortex.
Hinc clamor, gemitus illinc, mortésque, fugæque,

Re-

Digitized by Google

Remorúmque fragor, flictúque ſonantia roſtra:
Perfuſum bello fervet mare, teſſus acerbis
Terga fugâ deleri Libyæ convertit ad oras,
Exiguâ ſeſe furatus Imilco carinâ.
Conceſſere mari tandem, Graiúſque Libyſque,
Et jam captivæ vinclis ad littora longo
Ordine ducuntur puppes, flagrantibus alto
Stant aliæ tædis, ſplendet lucente profundo
Mulciber, & tremulâ vibratur imagine pontus.
Ardet nota fretis Cyane, pennatáque Siren.
Ardet & Europe, nivei ſub imagine tauri
Vecta Jove, ac prenſo tramittens æquora cornu.
Et quæ fuſa comas, curvum per cærula piſcem
Nereis humenti moderatur roſcida fræno.
Uritur undivagus Phyton, & corniger Ammon,
Et quæ Sidonios vultus portabat Eliſæ,
Bis ternis ratis ordinibus graſſata per undas.
Ac vinclis trahitur cognata in litpora Anapus,
Gorgoneáſque ferens ad ſidera Pegaſus alas.
Ducitur & Libyæ puppis ſignata figuram,
Et Triton captivus, & ardua rupibus Ætna,
Spirantis rogus Enceladi, Cadmæáque Sidon.
Nec mora, quin trepidos hâc clade irrumpere muros
Signáque ferre deûm templis: jam jámque fuiſſet,
Ni ſubitò importuna lues, inimicáque peſtis
Invidiâ divûm, pelagíque labore parata
Polluto miſeris rapuiſſet gaudia cœlo.
Criniger aſtriferis Titan fervoribus, auras
Et patulam Cyanen, latéque paluſtribus undis
Stagnantem Stygio Cocyti opplevit odore,
Temporáque autumni latis florentia donis
Fœdavit, rapidóque accendit fulminis igni.
Fumabat craſſæ nebulis caliginis aër,
Squalebat tellus vitiato fervida dorſo,
Nec victum dabat, aut ullas languentibus umbras.
Atque ater piceâ vapor exſpirabat in æthrâ.
Vim primi ſenſere canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens pennâ labente volucris:
Indè feræ ſylvis ſterni, tum ſerpere labes
Tartarea, atque hauſtis populari caſtra maniplis.
Arebat lingua, & gelidus per viſcera ſudor
Corpore manabat tremulo, deſcendere fauces
Abnuerant ſiccæ juſſorum alimenta ciborum.
Aſpera pulmonem tuſſis quatit, & per anhela
Igneus efflatur fitientum ſpiritus ora.
Lumina, ferre gravem vix ſufficientia lucem,
Uncâ nare jacent, ſaniéſque immixta cruore
Exſpuitur, membríſque cutis tegit oſſa pereſis.
Heu dolor, inſignis notis bellator in armis
Ignavo rapitur leto, jactantur in ignem
Dona ſuperba virûm multo Mavorte parata.
Succubuit medicina malis, cumulantur acervo
Labentum, & magno cineres ſeſe aggere tollunt.
Paſſim etiam deſerta jacent, inhumatáque latè
Corpora, peſtiferos tetigiſſe timentibus artus.
Serpit paſcendo creſcens Acherutia peſtis,
Nec leviore quatit Trinacria mœnia luctu,
Pœnorúmque parem caſtris fert atra laborem,
Æquato par exitio, & communis ubique
Ira deûm, atque eadem leti verſatur imago.
Nulla tamen Latios fregit vis dura malorum
Incolumi ductore viros, cladéſque rependit
Unum inter ſtrages tutum caput. ut gravis ergo
Primùm letiferos repreſſit Sirius æſtus,
Et minuere avidæ mortis contagia peſtes,
Ceu ſidente Noto quum ſe maria alta reponunt,
Propulsâ invadit piſcator cærula cymbâ:
Sic tandem ereptam morbis graſſantibus, armat
Marcellus pubem, luſtratis rite maniplis.
Circumſtant alacres ſigna, auditíſque tubarum
Reſpirant læti clangoribus. itur in hoſtem,
Et, ſi fata ferant, juvat inter prœlia ferro
Poſſe mori. ſociûm miſeret, qui morte pudendâ
In morem pecudum effudere cubilibus atris
Illaudatam animam. tumulos inhonoráque buſta
Reſpiciunt, & vel nullo jacuiſſe ſepulcro,
Quàm debellari morbis placet. ardua primus
Ad muros dux ſigna rapit, tenuata jacendo
Et maciem galeis abſcondunt ora, malúſque
Ne ſit ſpes hoſti, velatur caſſide pallor.
Infundunt rapidum convulſis mœnibus agmen,
Condenſíque ruunt, tot bellis invia tecta,
Tot uno introitu capiuntur militis arces.
Totum, quà vehitur Titan, non ulla per orbem
Tum ſeſe Iſthmiacis æquâſſent oppida tectis.
Tot delubra deûm, tótque intra mœnia portus,
Adde fora, & celſis ſuggeſta theatra columnis,
Certantéſque muri moles, adde ordine longo
Innumeras ſpatióque domos æquare ſuperbas
Rura, quid incluſos porrecto limite, longis
Porticibus, ſacros juvenum certamine lucos?
Quid tot captivis fulgentia cúlmina roſtris?
Armáque fixa deis? aut quæ Marathonius hoſtis
Perdidit, aut Libyâ quæ ſunt advecta ſubactâ?
Hìc Agathocleis ſedes ornata tropæis,
Hìc mites Hieronis opes, hìc ſancta vetuſtas
Artificum manibus, non uſquam clarior ullo
Gloria picturæ ſæclo: non æra juvabant
Quæ ſcirent Ephyren: fulvo certaret ut auro
Veſtis, ſpirantes referens ſubtemine vultus.
Quæ radio cœlat Babylon, vel murice picto
Læta Tyros, quæque Attalicis variata per artem
Aulæis ſcribuntur acu, aut Memphitide telâ.
Jam ſimul argento fulgentia pocula, mixtâ
Queis gemmâ quæſitus honos, ſimulacra deorum
Numen ab arte datum ſervantia: munera rubri
Præterea ponti, depexáque vellera ramis,
Femineus labor. his tectis opibúſque potitus
Auſonius ductor, poſtquam ſublimis ab alto
Aggere deſpexit trepidam clangoribus urbem,
Inque ſuo poſitum nutu, ſtent mœnia regum,
An nullos oriens videat lux craſtina muros,
Ingemuit, nimiúmque viris tantúmque licere
Horruit, & propere revocatâ militis irâ
Juſſit ſtare domos, indulgens templa vetuſtis
Incolere atque habitare deis. ſic parcere victis
Pro prædâ fuit, & ſeſe contenta, nec ullo
Sanguine pollutis plauſit Victoria pennis.
Tu quoque ductoris lacrymas memorande tuliſti
Defenſor patriæ, meditantem in pulvere formas,
Nec turbatum animi, tantâ ferſente ruinâ,
Ignarus miles vulgi quem ſorte peremit.
At reliquum vulgus reſolutâ in gaudia mœste,
Certárunt victi victoribus. æmulus ipſe
Ingenii ſuperûm, ſervando condidit urbem.
Ergo exſtat ſæclis, ſtabítque inſigne tropæum,
Et dabit antiquos ductorum noſcere mores.
Felices populi, ſi quondam ut bella ſolebant,
Nunc quoque inexhauſtas pax noſtra relinqueret urbes!
At ni cura viri, qui nunc dedit otia mundo
Effrænum arceret populandi cuncta furorem,
Nudáſſent avidæ terráſque fretúmque rapinæ.

LIBER XV.

AT nova Romuleum carpebat cura ſenatum
Quis trepidas gentes Martémque ſubiret iberum
Attritis rebus, geminus jacet hoſte ſuperbo
Scipio, belligeri Mavortia pectora fratres.
Hinc metus, in Tyrias ne jam Tarteſſia leges
Concedat tellus, propioráque bella paveſcat.
Anxia turba patrum quaſſo medicamina mœſti
Imperio circumſpectant, divóſque precantur,
Qui laceris auſit ductor ſuccedere caſtris.
Abſterret juvenem, patrios patruſque piare
Optantem manes, triſti conterrita luctu,
Et reputans annos cognato ſanguine túrbâ.
Si gentem petat infauſtam inter buſta ſuorum
Decertandum hoſti, qui fregerit arma duorum,
Qui conſulta ducum, ac ſtagret meliore Gradivo.
Nec protinus teneris immania bella lacertis
Molliri, regiménque rudi depoſcere in ævo.
Has lauri reſidens juvenis viridante ſub umbrâ
Ædibus extremis volvebat pectore curas.
Quum ſubitò adſiſtunt dextrâ lævâque per auras
Adlapſæ, haud paulùm mortali major imago,
Hinc Virtus, illinc virtuti inimica Voluptas.
Altera Achæmenium ſpirabat vertice odorem,
Ambroſias diffuſa comas, & veſte refulgens,
Oſtrum quæ fulvo Tyrium ſuffuderat auro.
Fronte decor quæſitus acu, laſciváque crebras
Ancipiti motu jaciebant lumina flammas.
Alterius diſpar habitus, frons hirta, nec unquam
Compoſitâ mutata comâ, ſtans vultus, & ore
Inceſſúque viro propior, lætíque pudoris,

Celſa humeros niveæ fulgebat ſtamine pallæ.
Occupat indè prior promiſſis ſiſa Voluptas:
Quis furor hic non digne puer, conſumere bello
Florem ævi? Cannæne tibi, graviórque palude,
Mæonius Stygiâ lacus exceſſere? Padúſque?
Quem tandem ad finem bellando fata laceſſes?
Túne etiam tentare paras Atlantia regna?
Sidoniáſque domos? moneo, certare periclis
Deſine, & armiſonæ caput ob ectare procellæ.
Nî fugis hos ritus, Virtus te ſæva jubebit
Per medias volitare acies, medióſque per ignes.
Hæc patrem patruúmque tuos, hæc prodiga Paullum,
Hæc Decios Stygias Erebi detruſit ad undas.
Dum cineri titulum, memorandáque nomina buſtis
Prætendit, nec ſenſuræ, quid geſſerit, umbræ.
At ſi me comitere puer, non limite duro
Jam tibi decurret conceſſi temporis ætas.
Haud unquam trepidos abrumpet buccina ſomnos.
Non glaciem Arctoam, non experiere furentis
Ardorem Cancri, nec menſas ſæpe cruento
Gramine compoſitas: aberunt ſitis aſpera, & hauſtus
Sub galeâ pulvis, partíque timore labores:
Sed current albúſque dies, horæque ſereuæ,
Et molli dabitur victu ſperare ſenectam.
Quantas ipſe deus lætos generavit in uſus
Res homini? plenâque dedit bona gaudia dextrâ?
Atque idem exemplar lenis mortalibus ævi,
Imperturbatâ placidus tenet otia mente.
Illa ego ſum, Anchiſæ Venerem Simoentis ad undas
Quæ junxi, generis vobîs unde editus auctor.
Illa ego ſum, verti ſuperûm quæ ſæpe parentem
Nunc avis in formam, nunc torva in cornua tauri.
Huc adverte aures; currit mortalibus ævum,
Nec naſci bis poſſe datur: fugit hora, rapítque
Tartareus torrens, ac ſecum ferre ſub umbras,
Si qua animo placuere, negat. quis luce ſuprema
Dimiſiſſe meas ſerò non ingemit horas?
Poſtquam conticuit, finíſque eſt addita dictis,
Tum Virtus: quaſnam juvenem florentibus, inquit,
Pellicis in fraudes annis, vitæque tenebras?
Cui ratio, & magnæ cæleſtia ſemina mentis
Munere ſunt conceſſa deûm: mortalibus alti
Quantum cælicolæ, tantundem animalibus iſti
Præcellunt cunctis, tribuit namque ipſa minores
Hos terris natura deos: ſed fœdere certo,
Degeneres tenebris animas damnavit Avernis.
At queis ætherei ſervatur ſeminis ortus,
Cæli porta patet. referam quid cuncta domantem
Amphitryoniadem? quid, cui poſt Seras & Indos
Captivo Liber quum ſigna referret ab Euro,
Caucaſeæ currum duxere per oppida tigres?
Quid ſuſpiratos magno in diſcrimine nautis
Ledæos referam fratres? veſtrúmque Quirinum?
Nónne vides, hominum ut celſos ad ſidera vultus
Suſtulerit deus, ac ſublimia finxerit ora,
Quum pecudes, volucrúmque genus, formáſque ferarum,
Segnem atque obſcœnam paſſim ſtraviſſet in alvum?
Ad laudes genitum, capiat ſi munera divûm,
Felix ad laudes hominum genus. huc age paullùm
Adſpice, nec longè repetam, modò Roma minanti
Impar Fidenæ, contentáque creſcere aſylo,
Quò ſeſe extulerit dextris: idem adſpice latè,
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa Voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te ſemper volitans infamia pennis:
Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus, & niveis victoria concolor alis.
Me cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus,
Caſta mihi domus, & celſo ſtant colle penates,
Ardua ſaxoſo perducit ſemita clivo
Aſpera principio (nec enim mihi fallere mos eſt)
Proſequitur, labor ad nitendum intrare volenti:
Nec bona cenſendum, quæ fors infida dediſſet,
Atque eadem rapuiſſe valet: mox celſus ab alto
Infra te cernes hominum genus, omnia contrà
Experienda manent, quàm ſpondet blanda Voluptas.
Stramine projectus duro patiere ſub aſtris
Inſomnes noctes, trigáſque famémque domabis.
Idem juſtitiæ cultor, quæcunque capeſſes,
Teſtes factorum ſtare arbitrabere divos.
Tunc quoties patriæ, rerúmque pericula poſcent,
Arma feres primus, primus te in mœnia tolles
Hoſtica, nec ferro mentem vincere nec auro.
Hinc tibi, non Tyrio vitiatas murice veſtes,
Nec donum deforme viro flagrantis amomi;
Sed dabo, qui veſtrum ſævo nunc Marte fatigat
Imperium, ſuperare manu, laurúmque ſuperbam
In gremio Jovis exciſis deponere Pœnis.
Quæ poſtquam cecinit ſacrato pectore Virtus,
Exemplis lætum vultúque audita probantem
Convertit juvenem; ſedenim indignata Voluptas
Non tenuit voces: nil vos jam demoror ultrà
Exclamat, venient, venient mea tempora quondam
Quum docilis noſtris magno certamine Roma
Serviet imperiis, & honor mihi habebitur uni.
Sic quaſſans caput in nubes ſe ſuſtulit atras.
At juvenis plenus monitis ingentia corde
Molitur, viſæque calet Virtutis amore.
Ardua roſtra petit nullo fera bella volente,
Et gravia ancipitis depoſcit munera Martis.
Arrecti cunctorum animi, pars lumina patris,
Pars credunt torvos patrui revireſcere vultus.
Sed quanquam inſtinctis tacitus tamen ægra periclis
Pectora ſubrepit terror, molémque paventes
Expendunt belli, & numerat favor anxius annos.
Dúmque ea confuſo percenſet murmure vulgus,
Ecce per obliquum cæli ſqualentibus auro
Effulgens maculis ferri inter nubila viſus
Anguis, & ardenti radiare per æra ſulco,
Quáque ad cæliferi tendit plaga littus Atlantis,
Perlabi reſonante polo. bis térque coruſcum
Addidit augurio fulmen pater, & vaga latè
Per ſubitum moto ſtrepuere tonitrua mundo.
Tum verò capere arma jubent, genibúſque ſalutant
Submiſſi augurium, atque iret, quà ducere divos
Perſpicuum, & patrio monſtraret ſemita ſigno.
Certatim comites rerum, belliſque miniſtri
Adglomerant ſeſe, atque acres ſociare labores
Expoſcunt, laudúmque loco eſt îſdem eſſe ſub armis.
Tum nova cæruleum deſcendit claſſis in æquor,
It comes Auſonia, atque in terras tranſit Iberas.
Ut quum ſæva fretis immiſit prœlia Corus,
Iſthmon curvatâ ſublime ſuberigit undâ,
Et ſpumante ruens per ſaxa gementia fluctu,
Ionium Ægæo miſcet mare, celſus in arma
Emicat, ac primâ ſtans Scipio puppe profatur:
Dive tridentipotens, cujus maria ire per alta
Ordimur, ſi juſta paro, decurrere claſſi
Da pater, & noſtros ne ſperne juvare labores.
Per pontum pia bella veho. levis indè ſecundâ
Adſpirans aurâ propellit carbaſa flatus.
Jámque agiles, Tyrrhena ſonant quâ cærula, puppes
Auſonium evaſere latus, Ligurúmque citatis
Littora tranſmittunt proris. hinc gurgite ab alto
Tellurem procul irrumpentem in ſidera cernunt
Aërias Alpes, occurrunt mœnia Graiis
Condita Maſſiliæ, populis hæc cincta ſuperbis,
Barbarus immani quum territet accola ritu,
Antiquæ morem patriæ, cultúmque habitúmque
Phocaïs armiſonas inter tenet hoſpita gentes.
Hinc legit Auſonius ſinuatos gurgite ductor
Anfractus pelagi, nemoroſo vertice celſus
Apparet collis, fugiúntque in nubila ſylvæ
Pyrenes: tunc Emporiæ, veteréſque per ortus
Graiorum vulgus, tunc hoſpita Tarraco Baccho.
Conſidunt portu, & ſecuræ gurgite clauſo
Stant puppes, politúſque labor, terrórque profundi.
Nox ſimiles morti dederat placidiſſima ſomnos,
Viſa viro ſtare effigies ante ora parentis,
Atque hâc adſpectu turbatum voce moneret:
Nate ſalus quondam genitoris, nate parentis
Et poſt fata decus, bellorum dira creatrix
Evaſtanda tibi tellus, & cæde ſuperbi
Ductores Libyæ cautâ virtute domandi,
Qui ſua nunc trinis deducunt agmina caſtris.
Si conferre manu libeat, coeántque vocatæ
Hinc atque hinc acies, valeat quis ferre ruentes
Ter geminâ cum mole viros? abſiſte labori
Ancipiti, ſed nec ſegnis potiora capeſſe.
Urbs colitur Teucro quondam fundata vetuſto,
Nomen Carthago, Tyrius tenet incola muros.
Ut Libyæ ſua, ſic terris memorabile Iberis
Hæc caput eſt: non ulla opibus certaverit auri,
Non portu, celſóve ſitu, non dotibus arvi
Uberis, aut agili fabricanda ad tela vigore.
Iuvade averſis, nate, hanc ductoribus urbem.

Nulla

by Googl

Nulla acies famæ tantum, prædæve pudorit.
Talia monſtrabat genitor, propiúſque monebat,
Quum juvenem ſopor, & dilapſa reliquit imago.
Surgit, & infernis habitantia numina lucis
Ac ſupplex patrios compellat nomine manes.
Eſte duces bello, & monſtratam ducite ad urbem,
Vobis ultor ego, & Sarrano murice fulgens
Inferias mittam fuſis inſignis Iberis,
Et tumulis addam ſacros certamine ludos.
Progreditur, celeráque vias, & corripit agmen
Pernici rapidum curſu, campóſque fatigat.
Sic ubi protíluit Piſæo carcere præceps,
Ante ſuos it victor equus, currítque per auras,
Non ſolùm ante alios, ſed enim (mirabile dictu)
Haud ulli durant viſus æquare volantem.
Jámque Hyperioniâ lux ſeptima lampade ſurgens
Sentim attollebat propiùs ſubeuntibus arces
Urbis, & admoto creſcebant culmina greſſu.
Ac pelago vectus ſervatâ Lælius horâ,
Quam dederat ductor ſubigendæ ad mœnia claſſi,
A tergo adfuſis cingebat tecta carinis.
Carthago impenſo naturæ adjuta favore
Excelſos tollit pelago circumflua muros,
Arctatas ponti fauces modica inſula claudit,
Quà Titan ortu terras adſpergit Eoo.
At quà proſpectat Phœbi juga ſera cadentis,
Pigram in planiciem ſtagnantes egerit undas,
Quas auget veniens, refluúſque reciprocat æſtus.
Sed gelidas à fronte ſedet ſublimis ad Arctos
Urbi impoſita jugo, pronúmque excurrit in æquor,
Et tuta æterno defendit mœnia fluctu.
Audax, ceu plano gradiens victricia campo
Ferret ſigna, jugum certabat ſcandere miles.
Arris ductor erat, qui contrà amplexus in arctis
Auxilium, atque excelſi loci, præcinxerat arcem.
Pugnabat natura ſoli, parvóque ſupernè
Bellantum niſu, paſſim per prona volúti
Truncato inſtabiles fundebant corpore vitam.
Verùm ubi conceſſit pelagi revolubilis unda,
Et fluctus rapido fugiebat in æquora lapſu,
Quáque modò excelſis ſulcârant cæſula puppes,
Hâc impune dabat Nereus tranſcurrere plantâ.
Hinc tacite mœens informidatus adire
Ductor Dardanius, ſubitam trahit æquore pubem,
Pérque undas maris pedes advolat: indè citati
A tergo accelerant, quà fiſus fluctibus Arris
Incuſtoditam ſinè milite liquerat urbem.
Tum proſtratus humi (miſerandum) victa catenis
Pœnus colla dedit, populúmque addixit inermem.
Hanc oriens vidit Titan quum ſurgeret urbem
Vallari caſtris, captámque adſpexit eandem
Ocyùs Heſperio quàm gurgite tingueret æſem.
Aurora ingrediens terris exegerat umbras,
Principio ſtatuunt aras: cadit ardua taurus
Victima Neptuno pariter, paritérque tonanti.
Tum merita æquantur donis, ac præmia virtus
Sanguine parta capit. phaleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circumdat bellica colla,
Ille nitet celſus muralis honore coronæ.
Lælius ante omnes, cui dextera clara domúſque,
Ter deno bove, & æquorei certaminis alto
Donatur titulo, Pœníque recentibus armis
Rectoris: tunc haſta viris, & Martia cuique
Vexilla, ut meritum, & prædæ libamina dantur.
Poſtquam perfectæ laudes hominúmque deûmque,
Captivæ ſpectantur opes, digeſtáque præda.
Hoc aurum patribus, bello hæc Martíque talenta,
Hoc regum donis, divûm hoc, ante omnia, templis:
Cætera bellantum dextris, pulchróque labori.
Quin etiam accitus populi regnator Iberi,
Cui ſponſa, & ſponſæ defixus in oſſibus ardor,
Hanc notam formæ conceſſit lætus ovánſque
Indelibatâ gaudenti virgine, donum.
Tum vacui curis vicino littore menſas
Inſtituunt, feſtóque agitant convivia ludo.
Lælius adfatur: macte ô venerande pudici
Ductor macte animi, cedat tibi gloria, laúſque
Magnorum heroum, celebratáque carmine virtus.
Mille Mycenæus qui traxit in æquore proras
Rector, & Inachiis qui Theſſala miſcuit arma,
Femineo ſociûm violavit fœdus amore.
Nullâque tum Phrygio ſteterant tentoria campo
Captivis non plena toris: tibi barbara ſoli
Sanctiùs Illineâ ſervata eſt Phœbade virgo.

Hæc, atque his paria, alterno ſermone requirunt,
Donec nox atro circumdata corpus amictu
Nigrantes invexit equos, ſuaſitque quietem.
Emathio interea tellus Æxola tumultu
Fervebat, Macetûm ſubitis perculſa carinis.
Proximus huic hoſti dextras jungebat Acarnan,
Cauſa novi motûs Pœnis, regíque Philippo,
In bellum Auſonium ſociatæ fœdere vires.
Hic gente egregius, veteríſque ab origine regni
Æacidum ſceptris, proavóque tumebat Achille.
Ille & nocturnis conterruit Oricon armis.
Quáque per Illyricum Taulantius incola littus
Exiguos habitat non ullo nomine muros,
Turbidus inceſſit telis, ille æquore vectus
Nunc & Phæacum, Teſprotiáque arva laceſſens
Epirum caſſis luſtrabat futilis auſis.
Hinc & Anactoriâ ſigna oſtentavit in orâ.
Ambracióſque ſinus, Pellæáque littora bello
Perfundit rapido. pepulit vada fervida remis.
Leucatæ, & Phœbi vidit citus Actia templa.
Nec portus Ithacæ, Laertia regna, Saménque
Liquit inacceſſam, fluctúque ſonantia cano
Saxa Cephalenum, & ſcopuloſis Neriton arvis.
Ille etiam Pelopis ſedes & Achaïa adire
Mœnia gaviſus, triſtem Calydona Dianæ,
Oeneáſque domos, Curetica tecta ſubibat,
Promittens contra Heſperiam ſua prœlia Gratis.
Tum luſtrata Ephyre, Patræque, & regia Pleuron,
Parnaſſúſque biceps, Phœbóque loquentia ſaxa.
Ac ſæpe ad patrios bello revocante penates,
Quum modò Sarmaticus regna infeſtaret Oreſtes,
Aſpera nunc Dolopum vis exundâſſet in agros:
Incepto tamen haud facilis deſiſtere vano,
Belli per Graias umbram circumtulit oras.
Donec nunc pelago, nunc terrâ exutus omiſit
Spem poſitam in Tyriis, & ſupplex fœdera ſanxit
Dardana, nec legem regno accepiſſe refugit.
Tunc & Tyndarii Latias fortuna Tarenti
Auxit opes, laudémque ſimul. nam perfida tandem
Urbs Fabio devicta ſeni, poſtremus in armis
Ductoris titulus cauti, ſolertia tutum
Tum quoque adepta decus, captis ſinè ſanguine muris.
Namque ut compertum, qui Punica ſigna regebat,
Feminеâ exuri flammâ, tacitúſque quieto
Exin virtuti placuit dolus, ire ſorori
(Nam caſtris erat in Rutulis) germanus amatæ
Cogitur, & magnis muliebria vincere corda
Pollicitis, ſi recluſas tranſmittere portas
Concedat Libycus rector, votſque potitus
Evicto Fabius Pœno, circumdata telis
Incuſtoditâ penetravit mœnia nocte.
Sed quiſquam averſos Phœbum tunc jungere ab urbe
Romuleâ dubitaret equos, qui tempore eodem
Marcellum acciperet letum oppetiſſe ſub armis?
Moles illa viri, calidóque habitata Gradivo
Pectora, & haud ullis unquam tremefacta periclis,
Heu quantum Annibalem clarâ fractura ruinâ
Procubuere, jacet campis Carthaginis horror:
Forſan Scipiadæ confecti nomina belli
Rapturus, ſi quis paulum deus adderet ævo.
Collis Agenoreum dirimebat ab aggere vallum
Auſonio, Dauni Mavors conſederat arvis
Curarum comes, & ſummi Criſpinus honoris
Marcello ſocius, communia bella ciebat.
Ad quem Marcellus: geſtit luſtrare propinquas
Mens ſylvas, medióque viros imponere monti,
Ne Libys occultis tumulum prior occupet auſis.
Si cordi eſt, te participem, Criſpine, laboris
Eſſe velim, nunquam deſunt conſulta duobus.
Hæc ubi ſedere, ardentes attollere ſeſe
Jam dudum certant in equos. Marcellus ut arma
Aptantem natum adſpexit, lætúmque tumultu,
Vincis, ait, noſtros mirando ardore vigores,
Sit præmaturus felix labor, urbe Sicanâ
Qualem te vidi, nondum permitteret ætas
Quum tibi bella, meo tractantem prœlia vultu.
Huc decus, huc noſtrum, lateri te junge paterno,
Et me diſce novum Martem tentare magiſtro.
Tum pueri colla amplectens ſic pauca profatur:
Summe deûm, Libyco, faxis, de præſide victor
His humeris tibi opima feram: nec plura, ſereno
Sanguineos fudit quum Jupiter æthere rores,
Atque atris arma adſperſit non proſpera guttis.
Vixdum finitis intrârant vocibus arctas

Letiferi

Letiferi collis fauces, quum turba volucres
Invadunt Nomades jaculis, nimbóque feruntur
Æthereo similes, cæcâ fundente latebrâ
Armatos in bella globos. circumdata poſtquam
Nil reſtare videt virtus, quod debeat ultrà
Jam ſuperis, magnum ſecum portare ſub umbras
Nomen mortis avet, tortæ nunc eminus haſtæ
Altiùs inſurgit, nunc ſævit cominus enſe.
Forſan & enâſſet rapidi freta ſæva periclî,
Nî telum adverſos nati veniſſet in artus.
Tum patriæ tremuere manus, laxatáque luctu
Fluxerunt rigidis arma infelicia palmis.
Obvia nudatum tranſmittit lancea pectus,
Labénſque impreſſo ſignavit gramina mento.
At poſtquam Tyrius ſæva inter prœlia ductor
Infixum adverſo vidit ſub pectore telum
Immane, exclamat, Latias, Carthago, timore
Define jam leges, jacet exitiabile nomen,
Auſonii columen regni: ſed dextera noſtræ
Tam ſimilis non obſcuras mittatur ad umbras.
Magnanima invidiâ virtus caret, alta ſepulcri
Protinus exſtruitur, cælóque educitur ara.
Convectant ſylvis ingentia robora, credas
Sidonium cecidiſſe ducem, tum thura dapéſque
Et faſces, clypeáſque viri, pompa ultima fertur.
Ipſe facem ſubdens, laus, inquit, parta perennis,
Marcellam abſtulimus Latio: deponere forſan
Gens Italûm tandem arma velit: vos ite ſuperbæ
Exſequias animæ, & cinerem donate ſupremi
Muneris officio: nunquam hoc tibi Roma negabo.
Alterius par, atque eadem fortuna laborum
Conſulis, exanimum ſonipes ad ſigna revexit.
Talia in Auſoniâ, ſed non eſt talis Iberis
Armorum eventus campis. Carthaginis omnes
Per ſubitum raptæ pernix victoria latè
Terruerat gentes, dubiis ſpes una ſalutis
Si ſocias jungant vires, ingentibus orſum
Auſpiciis juvenem, ceu patria gestet in armis
Fulmina, ſublimi valbatam vertice montis
Ex oculis urbem, cumulatam ſtrage virorum,
Non totó rapuiſſe die, quum Martius ille
Annibal interea conſumto verterit anno
Nec pube equandam nec opum ubertate Saguntum.
Proximus applicito ſaxoſis aggere ſylvis
Tendebat, fratris ſpirans ingentia facta
Aſdrubal, hinc robur, mixtáſque rebellibus Afris
Cantaber, hinc volucri Mauro pernicior Aſtur.
Tantáque majeſtas terrâ rectoris Iberâ,
Annibalis quantus Laurenti terror in orâ.
Fortè dies priſcum Tyriis ſolennis honorem
Rettulerat, quo primùm orti Carthaginis altæ
Fundamenta, novam cœpere mapalibus urbem.
Et lætus repetens gentis primordia ductor
Feſta coronatis agitabat gaudia lignis,
Pacificans divos. fraternum læna nitebat
Demiſſâ ex humeris donum, quam fœderis arcti
Trinacrius Libyco rex inter munera pignus
Miſerat, Æoliis geſtatum inſigne tyrannis.
Auratâ puerum rapiebat in æthera pennâ
Per nubes aquila, intexto librata volatu.
Antrum ingens juxtà, quod acus ſimulavit in oſtro,
Cyclopum domus, hic recubans manantia tabo
Corpora letifero ſorbet Polyphemus hiatu,
Circà fracta jacent, exculſáque morſibus oſſa.
Ipſe manu extentâ Laertia pocula poſcit,
Permiſcétque mero ructatos ore cruores.
Conſpicuus Siculi Tyrius ſubterminis arte
Gramineas pacem ſuperûm poſcebat ad aras:
Ecce inter medios hoſtilia nuntius arma
Quadrupedante invectus equo adventare ferebat.
Turbatæ mentes, imperfectúſque decorum
Ceſſit honos, raptis linquunt altaria ſacris,
Claſduntur vallo, tenuémque ut roſcida miſit
Lucem aurora polo, rapiunt certamina Martis.
Audax Scipiadæ ſtridentem Sabbura cornum
Excepit, geminæque acies velut omine motæ.
Exclamat Latius ductor, prima hoſtia vobis,
Sacrati manes, campo jacet: en age, miles,
In pugnam & cædes, qualis ſpirantibus ire
Adſuêras ducibus, talis rue. dúmque ea fatur,
Incumbant, Myconum Lenna, Cirtámque Latinus,
Et Thyſdrum Maro, & inceſtum Catilina Nealcen
Germanæ thalamo obtruncat, cadit obvius acri
Kartalo Naſidio, Libycæ regnator arenæ.

Te quoque Pyrenes vidit conterrita tellus
Permixtum Pœnis, & vix credenda furentem,
Magnum Dardaniæ Læli decus, omnia felix
Cui natura dedit, nullo renuente deorum.
Ille foro auditus quum dulcia ſolveret ora,
Æquabat Pyliæ Neleia mella ſenectæ.
Ille ubi ſuſpenſi patres, & curia vocem
Poſceret, ut cantu, ducebat corda ſenatûs.
Idem quum ſubitum campo perſtrinxerat aures
Murmur triſte tubæ, tanto fervore ruebat
In pugnam atque acies, ut natum ad ſola liqueret
Bella, nihil vitæ peragi ſinè laude placebat.
Tunc è furtivâ tractantem prœlia luce
Dejecit Galam, ſacris Carthaginis illum
Suppoſito mater partu ſubduxerat olim.
Sed ſtant nulla diu deceptis gaudia divis.
Tunc Alabim, Murum, atque Draceu, demiſit ad umbras,
Femineo clamore Draceu extrema rogantem.
Hujus cervicem gladio inter verba precéſque
Amputat, abſciſſo durabant murmura collo.
At non ductori Libyco par ardor in armis.
Frondoſi collis latebras ac ſaxa capeſſit
Avia, nec cædes extremáve damna movebant
Agminis, Italiam profugus ſpectabat & Alpes
Præmia magna fugæ. tacitum dat teſſera ſignum,
Dimiſſâ in colles pugnâ ſylváſque ferantur
Diſperſi, & ſummam quicunque evaſerit arcem,
Pyrenes culménque petat. tum primus honore
Armorum exuto, & parmâ celatus lberâ
In montes abit, atque volans palantia linquit
Agmina. defertis latiùs victricia ſigna
Immittit miles caſtris. non urbe receptâ
Plus ullâ partum prædæ, tenuítque moratas
A cæde, ut Libycus ductor proviserat, iras.
Fluminei veluti deprenſus gurgitis undis
Avulsâ parte inguinibus causâque pericli
Enatat intento prædæ fiber avius hoſte.
Impiger occultis Pœnus poſtquam abditur umbris
Saxoſæ fidens ſylvæ, majora petuntur
Rurſus bella retro, & ſuperari certior hoſtis.
Pyrenes tumulo clypeum cum carmine figunt,
ASDRUBALIS SPOLIUM GRADIVO SCIPIO VICTOR.
Terrore interea poſito trans ardua montis
Bebryciâ populos armabat Pœnus in aulâ,
Mercandi dextras largus, bellóque parata
Prodigere in bellum facilis, præmiſſa feroces
Augebant animos argenti pondera & auri
Parta metalliferis longo diſcrimine terris.
Hinc nova complêrunt haud tardo milite caſtra
Venales animæ, Rhodani qui gurgite gaudent,
Quorum ſerpit Arar per rura pigerrimus undæ.
Jámque hyeme adfectâ miteſcere cœperat annus,
Indè iter ingrediens rapidum per Celtica rura,
Miratur domitas Alpes, ac pervia montis
Ardua, & Herculeæ quærit veſtigia plantæ,
Germanſque vias divinis comparat auſis.
Ut verò ventum in culmen, caſtriſque reſedit
Annibalis, quos Roma, inquit, quos altiùs, oro,
Attollit muros? qui poſt hæc mœnia fratri
Victa meo ſtent incolumes? ſit gloria dextræ
Felix tanta precor, néve uſque ad ſidera caſſe
Invideat lævus nobis deus. agmine celſo
Indè alacer, quà munitum declivis ab alto
Agger monſtrat iter, properatis devolat armis.
Non tanto ſtrepuere metu primordia belli,
Nunc geminum Annibalem, nunc jactant bina coire
Hinc atque hinc caſtra, & paſtos per proſpera bella
Sanguine ductores Italo conjungere Martem,
Et duplicare acies, venturum ad mœnia curſu
Hoſtem præcipiti, & viſurum hærentia portæ
Spicula Eliſæis nuper contorta lacertis.
His ſuper infrendens ſic ſecum Oenotria tellus:
Tantóne, heu ſuperi, ſpernor contemta furore
Sidoniæ gentis, quæ quondam ſceptra timentem
Nati Saturnum noſtris conſidere in oris
Et regnare dedi? decima jam hæc vertitur æſtas,
Ex quo proterimur: juvenis cui ſola ſuperſunt
In ſuperos bella, extremo de littore rapta
Intulit arma mihi, temeratíſque Alpibus ardens
In noſtros deſcendit agros. quot corpora texi
Cæſorum, heu ſtratis toties deformis alumnis?
Nulla mihi floret baccis felicibus arbor,
Immatura ſeges rapido ſuccidítur enſe,
Culmina villarum noſtrum delapſa feruntur

In

In gremium, fœdántque ſuis rhea regna ruínis.
Nunc etiam, vaſtis qui nunc ſeſe intulit oris
Perpetiar miſeras quærentem exurere belli
Reliquias. tum me ſcindat vagus Afer aratro,
Et Libys Auſoniis commendet ſemina ſulcis,
Nî, cuncta exſultant quæ latis agmina campis,
Uno condiderim tumulo. dum talia verſat,
Et thalamos clauſit nox atra hominúmque deûmque,
Tendit Amyclæi præceps ad caſtra nepotis.
Is tum Lucanis cohibentem finibus arma
Pœnum, vicini ſervabat ceſpite valli.
Hic juvenem adgreditur Latiæ telluris imago:
Clauſorum decus, atque erepto maxima Romæ
Spes Nero Marcello, rumpe atque expelle quietem:
Magnum aliquid tibi, ſi patriæ vis addere fatis,
Audendum eſt, quod depulſo quoque mœnibus hoſte
Victores feciſſe tremant. fulgentibus armis
Pœnus inundavit campos, quà Scna relictum
Gallorum à populis ſervat per ſæcula nomen.
Nî properè alipedes rapis ad certamina turmas,
Serus deletæ pòſt auxiliabere Romæ.
Surge age, ſer greſſus, patulos regione Metauri
Damnavi tumulis Pœnorum atque oſſibus agros.
His dictis abit, atque abſcedens viſa paventem
Attrahere, & fractis turmas propellere portis.
Rumpit flammato turbatus corde ſoporem,
Ac ſupplex geminas tendens ad ſidera palmas,
Tellurem noctémque, & cœlo ſparſa precatur
Aſtra, ducémque viæ tacito ſub lumine Phœben.
Indè legit diguas tanta ad conamina dextras.
Quáque jacet ſuperi Larinas accola ponti,
Quà duri bello gens Marrucina, fidémque
Exuere indocilis ſociis Frentanus in armis.
Tum quà vitiferos domitat Prætutia pubes
Læta laboris agros: & pennâ, & fulmine, & undis
Hybernis, & Achæmenio velocior arcu
Evolat: hortator ſibi quiſque, age, pergé, ſalutem
Auſoniæ ancipites ſuperi, & ſtet Roma cadúne,
In pedibus poſuere tuis, clamántque, ruúntque.
Hortandi genus acer habet præcedere ductor.
Illum augent curſus adnixi æquare ſequendo,
Atque indefeſſi noctémque diémque feruntur.
At Roma adverſi tantùm mala gliſcere belli
Accipiens, trepidare metu, nimiúmque Neronem
Speraviſſe quetl, atque uno ſibi vulnere poſſe
Auferri reſtantem animam, non arma, nec aurum,
Nec pubem, nec, quem fundant, ſupereſſe cruorem.
Scilicet Aſdrubalem invadat; qui ad prœlia ſoli
Annibali ſatis eſſe nequit. jam rurſus ubi arma
Avertiſſe ſuo cognôrit devia vallo,
Hæſurum portis Pœnum: veniſſe ſuperbo
Qui fratri certet, cui maxima gloria cedat
Urbis deletæ. fremit amens corde ſub uno
Ordo patrum, ac magno interea meditatur amore
Servandi decoris, quonam ſe fine minanti
Servitio eripiat, divóſque evadat iniquos.
Hos inter gemitus, obſcuro noctis opacæ
Succedit caſtris Nero, quæ conjuncta feroci
Livius Aſdrubali vallo cuſtode tenebat.
Belliger is quondam, ſcitúſque accendere Martem
Floruerat primo clarus pugnator in ævo.
Mox falſo læſus non æqui crimine vulgi,
Secretis ruris triſtes abſconderat annos.
Sed poſtquam gravior moles, terrórque periclo
Poſcebat propiore virum, revocatus ad arma
Tot cæſis ducibus, patriæ donaverat iram.
At non Aſdrubalem fraudes latuere recentum
Armorum, quanquam tenebris nox texerat æſtus.
Pulveris in clypeis veſtigia viſa movebant,
Et properi ſignum adcurſûs, ſonipéſque virſque
Subſtricti corpus, bis clarum buccina ſignum.
Præterea gemino prodebant juncta magiſtro
Caſtra regi, verùm fratri ſi vita ſuperſit,
Qui tandem licitum ſocias conjungere vires
Conſulibus? ſedenim ſolum (dum vera pateſcunt)
Cunctandi reſtare dolum, Martémque trahendi.
Nec conſulta fugæ ſegni formidine differt.
Nox ſomni genitrix mortalia pectora curis
Purgârat, tenebræque horrenda ſilentia alebant,
Erupit ſuſpenſa ferens veſtigia caſtris,
Et muta elabi tacito jubet agmina paſſu.
Illunem nacti per rura tacentia noctem
Accelerant, vitant ſonitus, ſed percita falli
Sub tanto motu tellus nequit, implicat actas

Cæco errore vias, umbriſque ferentibus arcto
Circumagi ſpatio ſua per veſtigia ductos.
Nam quà curvatas ſinuatis flexibus amnis
Obliquat ripas, refluóque per aſpera lapſu
In ſeſe redit, hàc caſſo ducente labore,
Exiguo involvunt fruſtratis greſſibus orbem,
Inque errore viæ tenebrarum munus ademtum
Lux urget, pandíſque fugam, ruit acer apertis
Turbo equitum portis, atque omnis ferrea latè
Tempeſtas operit campos, nondum arma manúſque
Permixtæ, jam tela bibunt præmiſſa cruorem.
Hinc juſſæ Pœnum fugientem ſiſtere, pennæ
Dictææ volitant, hinc lancea turbine nigro
Fert letum cuicunque viro, quem prendidit ictus.
Deponunt abitûs curam, trepidíque coactas
Conſtituunt acies, & ſpes ad prœlia vertunt.
Ipſe inter medios (nam rerum dura videbat)
Sidonius ductor, tergo ſublimis ab alto
Quadrupedantis equi, tendens vocéſque manúſque
Per decora extremo vobis quæſita ſub axe,
Per fratris laudes oro, veniſſe probemus
Germanum Annibalis: Latio fortuna laborat
Adverſis documenta dare, atque oſtendere quantus
Verterit in Rutulos domitor telluris Iberæ,
Suetus ad Herculeas miles bellare columnas.
Fortitan & pugnas veniet germanus in ipſas.
Digna viro, digna obteſtor ſpectacula, pleno
Corporibus properare ſolo: quicunque timeri
Dux bello poterat, fratri jacet: unica nunc ſpes,
Ex pœnæ latebris infracto Livius ævo
Damnatum offertur vobis caput. ite, agite, oro,
Sternite ductorem, cum quo concurrere fratri
Sit pudor, & turpi finem donate ſenectæ.
At contrà Nero: quid ceſſas clauſiſſe labores
Ingentis belli? pedibus tibi gloria, miles,
Parta ingens, nunc accumula cœpta ardua dextrâ.
Heu temere abducto liquiſti robore caſtra,
Nî factum abſolvit victoria, præripe laudem.
Adventu cecidiſſe tuo memorabitur hoſtis.
Parte aliâ inſignis nudatis caſſide canis
Livius: huc juvenes, huc me ſpectare ruentem
In pugnas, quantúmque meus patefecerit enſis,
Tantum intrate loci, & tandem præcludite ferro
Jam nimiùm patulas Pœnis graſſantibus Alpes.
Quod nî veloci proſternimus agmina Marte,
Et fulmen ſubitum Carthaginis Annibal adſit,
Quis deus infernis quemquam noſtrûm eximat umbris?
Hinc galeâ capite acceptâ, dicta horrida ferro
Sancit, & obtectus ſenium fera prœlia miſcet.
Illum, per cuneos & per denſiſſima campi
Corpora tot dantem leto, quot ſpicula torſit,
Turbati fugere Macæ, fugere feroces
Autololes, Rhodaníque comas intonſa juventus.
Fatidicis Nabis veniens Ammonis arenis
Improba miſcebat ſecurus prœlia fati,
Ceu tutante deo, ac patriis ſpolia Itala templis
Fixurum vano tumidus promiſerat ore.
Ardebat gemmâ Garamantide cærula veſtis,
Ut cum ſparſa micant ſtellarum lumina cælo,
Et gemmis galeam, clypeúmque accenderat auro,
Caſſide cornigerâ dependens infula ſacros
Præ ſe terrores, divûmque ferebat honorem.
Arcus erat, pharetræque viro, atque incocta ceraſtis
Spicula, & armatus peragebat bella veneno.
Nec non cornipedis tergo de more repoſtus,
Suſtentata genu per campum pondera conti
Sarmatici, prona adverſos urgebat in hoſtes.
Tum quoque transfixum telo, per membra, per arma,
Conſulis ante oculos, magno clamore Sabellum
Aſportabat ovans, & ovans Ammona canebat.
Non tulit hanc iram, tantóſque in corde tumores
Barbarico ſenior, telúmque intorſit, & unà
Prædam, animámque ſimul victori victor ademit.
Adſilit audito triſtis clamore ruinæ
Aſdrubal, & cœptantem Atabum raptare peremto
Gemmiferi ſpolium cultûs, auróque, rigentes
Exuvias, jaculum à tergo perlibrat ad oſſa.
Jam correpta miſer geminis velamina palmis
Carpebat properè, & tepidos nudaverat artus.
Concidit, & ſacras veſtes, atque aurea fila
Reddidit ex animo, ſpoliatum lapſus in hoſtem.
At Canthus Libycæ latæ poſſeſſor arenæ,
Quà celebre invicti nomen poſuere Phileni,
Ditem ovium obtruncat Rutilum, cui mille ſub altis

Lanigeræ balant ſtabulis, ipſe otia molli
Exercens curâ, gelido nunc flumine ſoles
Frangebat nimios pecori, nunc lætus in umbrâ
Tondebat niveæ ſplendentia vellera lanæ,
Aut pecus è paſtu quum ſeſe ad tecta referret,
Noſcentes matres ſpectabat ovilibus agnos.
Occubuit clypei transfixo proditus ære,
Et ſerò ingemuit ſtabulis exiſſe paternis.
Acriùs hôc Italûm pubes incurrit, & urget,
Ut torrens, ut tempeſtas, ut flamma coruſci
Fulminis, ut Boream pontus fugit, ut cava currunt
Nubila, quum pelago cælum permiſcuit Eurus.
Proceræ ſtabant, Celtarum ſigna, cohortes,
Prima acies, hos impulſu cuneóque feroci
Laxat vi ſubitâ, & teſſos errore viarum,
Nec ſoli faciles, longíque laboris anhelos
Avertit patrius gentem pavor, addere tergo
Haſtas Auſonius, telóque inſtare ſequaci,
Nec dubitare fugam. cadit uno vulnere Turus,
Non uno Rhodanus, profligatúmque ſagittæ
Lancea deturbat Morinum, & jam jámque cadentem
Cedentémque urget totas largitus habenas
Livius acer equo, & turmis abeuntibus infert
Cornipedem: tunc averſi turgentia colla
Diripit enſe Moſæ, diſcuſſit pondere terram
Cum galeâ ex alto lapſum caput, ac reſidentem
Turbatus rapuit ſonipes in prœlia truncum.
Hic Cato (nam medio vibrabat & ipſe tumultu)
Si primas, inquit, bello quum amiſimus Alpes
Hic juveni oppoſitus Tyrio foret, hei mihi quanta
Ceſſavit Latio dextra, & quot funera Pœnis
Donâsunt pravi ſuffragia triſtia campi.
Jámque inclinabant acies, cunctíſque pavorem
Gallorum induerat pavor, & fortuna ruebat
Sidonia, ad Rutulos victoria verterat alas.
Celſus, ceu primâ refloreſcente juventâ,
Ibat conſul ovans, major majórque videri.
Ecce trahens ſecum canentem pulvere turmam,
Ductor Agenorens ſubit, intorquénſque lacertis
Tela, ſonat: cohibete fugam, cui cedimus hoſti?
Nónne pudet? converſa ſenex marcentibus annis
Agmina agit: nunc quæſo mihi nunc dextera in armis
Degenerat, noſtrîque piget? mihi Belus avorum
Principium, mihi cognatum Sidonia Dido
Nomen & ante omnes bello numerandus Amilcar
Eſt genitor mihi: cui cedunt montéſque, lacúſque
Et campi atque amnes, frater: me magna ſecundum
Carthago putat Annibali: me Bætis in oris
Æquant germano paſſæ mea prœlia gentes.
Talia dum memorat, medios ablatus in hoſtes.
Ut nova conſpecti fulſerunt conſulis arma,
Haſtam præpropero niſu jacit: illa per oras
Ærati clypei, & loricæ tegmine ſummo
Incidit haud felix humero, parcéque petitum
Perſtrinxit corpus, nec multo tincta cruore,
Vana ſed optanti promiſit gaudia Pœno.
Turbati Rutuli, confuſáque pectora viſu
Terrifico: tum increpitans conamina conſul:
Femineis læſum vana inter cornua corpus
Unguibus, aut palmis credas puerilibus ictum.
Ite, docete viri, Romanæ vulnera ſuérint
Quanta adferre manus, tum verò effunditur ingens
Telorum vis, & denſâ ſol vincitur umbrâ.
Jámque per extentos æternâ ſtrage virorum
Corpora ſuſa jacent campos, demerſáque in undam
Junxerunt cumulo creſcente cadavera ripas.
Ut quum venatu ſaltus exercet opacos
Dictynna, & lætæ præbet ſpectacula matri,
Aut Pindi nemora excutiens, aut Mænala luſtrans
Omnis Naïadum plenis comitata pharetris
Turba ruit, ſtridúntque ſagittiferi coryti.
Tum per ſaxa feræ, pérque ipſa cubilia fuſæ,
Per valles, fluviósque atque antra virentia muſco,
Multâ ſtrage jacent: exſultat vertice montis
Gratam perluſtrans oculis Latonia prædam.
Audito ante alios ſenioris vulnere, rumpit
Per medios Nero ſævus iter, viſâque virorum
Æquali pugnâ, quid enim, quid deinde relictum eſt
Italiæ fatis? hunc ſi non vincitis hoſtem,
Annibalem vincetis ait? ruit ocyùs amens
In medios: Tyriúmque ducem inter prima frementem
Agmina ut adſpexit, rabidi ceu bellua ponti
Per longum ſteriti ad paſtus jactata profundo,
Quum procul in fluctu piſcem malè ſaucia vidit,
Æſtuat, & luſtrans tantem ſub gurgite prædam,
Abſorbet latè permixtum piſcibus æquor.
Non telo mora, non dictis, haud amplius, inquit,
Elabere mihi, non hìc nemora avia fallent
Pyrenes, nec promiſſis fruſtrabere vanis,
Ut quondam terrâ fallax deprenſus Ibera
Evâſti noſtram mentito fœdere dextram.
Hæc Nero, & intorquet jaculum, nec futilis ictus.
Nam latere extremo cuſpis vibrata reſedit.
Invadit ſtricto ſuper hæc interritus enſe,
Collapſque premens umbone trementia membra,
Si qua ſub extremo caſu mandata referri
Germano vis fortè tuo, portabimus, inquit.
Contrà Sidonius: leto non terreor ullo,
Utere Marte tuo, dum noſtris manibus adſit
Actutum vindex. mea ſi ſuprema referre
Fratri verba paras, mando Capitolia victor
Exurat, cineríque Jovis permiſceat oſſa
Et cineres noſtro. cupientem adnectere plura
Ferventémque irâ mortis, tranſverberat enſe,
Et rapit infidum victor caput: agmina fuſo
Sternuntur duce, non ultrà fidentia Marti.
Jámque diem ſoliſque vices nox abſtulit atra,
Quum vires parco victu ſomnóque reducunt:
Ac nondum remeante die, victricia ſigna,
Quà ventum, referunt clauſis formidine caſtris.
Tum Nero procerâ ſublimis cuſpide portans
Ora ducis cæſi, Cannas penſavimus, inquit,
Annibal, & Trebiam, & Traſimeni littora tecum
Fraterno capite, i, duplica nunc perfida bella,
Et geminas arceſſe acies. hæc præmia reſtant,
Qui tua tranſmiſſis optârint Alpibus arma.
Compreſſit lacrymas Pœnus, minuítque ferendo
Conſtanter mala, & inferias in tempore dignas
Miſſurum fratri, clauſo commurmurat ore.
Tum caſtris procul amotis, adverſa quietè
Diſſimulans, dubia exclaſit certamina Martis.

LIBER XVI.

Bruttia mœrentem caſus patriæque ſuóſque
Annibalem accepit tellus. hìc aggere ſeptus
In tempus poſita ad renovandum bella coquebat.
Abditus ut ſylvâ, ſtabulis quum ceſſit ademtis
Amiſſo taurus regno gregis, avia clauſo
Molitur ſaltu certamina, jámque feroci
Mugitu nemora exterret, pérque ardua curſu
Saxa ruit, ſternit ſylvas, rupéſque laceſſit
Irato rapidus cornu, tremit omnis ab alto
Proſpectans ſcopulo paſtor nova bella parantem.
Sed vigor hauſturus Latium, ſi cætera Martis
Adjumenta forent, pravâ obtrectante ſuorum
Invidiâ revocare animos, ac ſtare negatâ
Cogebatur ope, & ſenio torpeſcere rerum.
Parta tamen formido manu, & tot cædibus olim
Quæſitus terror, velut inviolabile telis
Servabant ſacrúmque caput, próque omnibus armis
Et caſtrorum opibus, dextríſque recentibus unum
Annibalis ſat nomen erat, tot diſſona linguâ
Agmina, barbarico tot diſcordantia ritu
Corda virûm manſere gradu, rebúſque retuſis
Fidas ductoris tenuit reverentia mentes.
Nec verò Auſoniâ tantùm ſe lætus agebat
Dardanidis Mavors, jam terrâ cedit ſuberâ
Auriferis tandem Phœnix depulſus ab arvis.
Jam Mago exutus caſtris, agitante pavore
In Libyam propero tranſmiſit cærula velo.
Ecce aliud decus haud primo contenta favore
Nutribat fortuna duci. nam concitus Anno
Adventabat, agens crepitantibus agmina cetris
Barbara, & indigenas ferus raptabat Iberos.
Non ars, aut aſtus belli, vel dextera deerat,
Si non Scipiadæ concurreret, omnia ductor
Magna adeò Auſonius majori mole premebat,
Ut Phœbe ſtellas, ut fratris lumina Phœben
Exſuperant, montéſque Atlas, ut flumina Nilus,
Ut pater Oceanus Neptunia cærula vincit.
Vallantem caſtra (obſcuro jam veſper olympo
Fundere non æquam trepidanti cœperat umbram)
Adgreditur Latius rector, ſubitóque tumultu
Cæduntur paſſim, cœpti munimina valli
Imperfecta ſuper contexere herbida lapſos

Pondere,

Digitized by Goo

Pondera, & in tumuli conceſſit ceſpes honorem.
Vix uni mens digna viro, noviſſe minores,
Quàm deceat, pretiúmque operæ ſit tradere famæ.
Cantaber ingenio membrorum, & mole timeri
Vel nudus telis poterat Larus; hic fera, gentis
More, ſecurigerâ miſcebat prœlia dextrâ,
Et quanquam fundi ſe circùm pullà videret
Agmina, deletâ gentilis pube catervæ
Cæſorum implebat ſolus loca, ſeu foret hoſtis
Cominus, expleri gaudebat vulnere frontis
Adverſæ, ſeu læva acies in bella vocaret
Obliquo telum reflexum Marte rotabat.
At cùm ponè ferox averſi in terga veniret,
Victor nil trepidans retro jactare bipennem
Callebat, nullâ belli non parte timendus.
Huic, ducis invicti germanus turbine vaſto
Scipio contorquens haſtam, cudone comantes
Diſjecit crines, namque altiùs acta cucurrit
Cuſpis, & elatâ procul eſt ejecta ſecuri.
At juvenis, cui telum ingens acceſſerat ira,
Barbaricam adſiliens magno clamore bipennem
Incutit, intremuere acies, ſonuſtque per auras
Pondere belligero pulſati tegminis umbo.
Haud impune quidem, remeans nam dextera ab ictu
Deciſa eſt gladio, ac dilecto immortua telo.
Qui poſtquam murus miſeris ruit, agmina concors
Avertit fuga confeſtim diſperſa per agros.
Nec pugnæ ſpecies, ſed pœnæ triſtis imago
Illa erat, hinc tantum cedentum, atque indè ruentum.
Per medios Anno palmas poſt terga revinctus
Ecce trahebatur, lucémque (heu dulcia cœli
Lumina) captivus lucem inter vincla petebat.
Cui rector Latius: tanta en qui regna repoſcant,
Queis cedat toga, & armiferi gens ſacra Quirini,
Servitio ſi tam faciles, cur bella refertis?
Hæc inter celerare gradum, conjungat ut arma,
Aſdrubalem ignarum cladis, prænuntius adfert
Explorator eques, raptat dux obvia ſigna.
At poſtquam optatam lætus contingere pugnam
Vidit, & ad letum magno venientia curſu
Agmina, ſuſpiciens cœlum, nihil amplius, inquit,
Vos hodie poſco ſuperi, protraxtis ad arma
Quòd profugos, ſatis eſt, in dextrâ cætera nobis
Vota, viri rapite, ite precor, vocat ecce furentes
Hinc pater, hinc patruus. gemina ô mihi numina belli
Ducite, adeſte, ſequor, dignas ſpectabitis, aut me
Præſcia mens fallit, veſtro jam nomine cædes.
Nam quis erit tandem campis telluris Iberæ
Bellandi modus? en unquam lucebit in orbe
Ille dies, quo te armorum, Carthago, meorum
Adſpiciam ſonitus admotáque bella trementem:
Dixerat, & raucus ſtridenti murmure clangor
Increpuit, tonuere feris clamoribus aſtra.
Concurrunt, quantúmque rapit violentia ponti
Et Notus & Boreas, & inexorabilis Auſter,
Quum mergunt plenas tumefacta ſub æquora claſſes.
Aut cùm letiferos accendens Sirius ignes,
Torret anhelantem ſævis ardoribus orbem,
Tantum acies, hominúmque ferox diſcordia ferro
Demetit, haud ullus terrarum æquârit hiatus
Pugnarum damna, aut ſtrages per inhoſpita luſtra
Unquam tot dederit rabies horrenda ferarum.
Jam campi vallésque madent, hebetatáque telá.
Et Libys occubuere & amantes Martis Iberi.
Stat tamen una loco perfoſſis debilis armis,
Luctatúrque acies, quà concutit Aſdrubal haſtam.
Nec finem daret ille dies, animoſáque virtus,
Ni perlapſa foret loricæ tegmine arundo,
Et parco ſummum violáſſet pondere corpus,
Suaſiſſétque fugam, rapido certamina linquit
In latebras evectus equo, noctiſque per umbram
Ad Tarteſſiacos tendit per littora portus.
Proximus in pugnâ ductori Marte manúque
Regnator Nomadum fuerat, mox fœdere longo
Cultúque Æneadum, nomen Maſiniſſa ſuperbum.
Huic feſſo, quos dura fuga, & nox ſuaſerat atra
Carpenti ſomnos, ſubitus rutilante coruſcùm
Vertice fulſit apex, criſpámque involvere viſa eſt
Mitis flamma comam, atque hirtâ ſe ſpargere fronte.
Concurrunt famuli, & ſerpentes tempora circùm
Feſtinant gelidis reſtinguere fontibus ignes.
At grandæva, deûm prænoſcens omina, mater,
Sic ſic cælicolæ, portentáque veſtra ſecundi
Condite, ait, duret capiti per ſæcula lumen.

Ne verò ne, nate, deûm tu læta paveſce
Prodigia, aut ſacras metue inter tempora flammas.
Hic tibi Dardaniæ promittit fœdera gentis,
Hic tibi regna dabit regnis majora paternis
Ignis, & adjunget Latiis tua nomina faſtis.
Sic vates, juvenſſque animum tam clara movebant
Monſtra, nec à Pœnis ulli virtutis honores,
Annibal ipſe etiam jam jámque modeſtior armis.
Aurora obſcuri tergebat nubila cæli,
Vixque Atlantiadum rubefecerat ora ſororum,
Tendit ad Auſonios, & adhuc hoſtilia caſtra.
Atque ubi ſe vallo intulerat, ductórque benigno
Accepit Latius vultu, rex talibus infit:
Cæleſtum monita, & ſacræ reſponſa parentis,
Diſque tua, ô Rutulûm rector, gratiſſima virtus
Avulſum Tyriis huc me duxere volentem.
Si tibi non ſegnes tua contra fulmina ſæpe
Viſi ſtare ſumus, dignam te, nate tonantis,
Adferimus dextram, nec nos aut vana ſubegit
Incertæ mentis levitas, & mobile pectus,
Aut ſpes & læti ſectamur præmia Matris.
Perfidiam fugio, & perjuram ab origine gentem.
Et quando Herculeis finîſti prœlia metis,
Hanc ipſam belli nobiſcum invade parentem.
Ille tibi, qui jam gemino Laurentia luſtro
Poſſedit regna, & ſcalas ad mœnia Romæ
Admovet, in Libyam flammis ferróque trahendus.
Sic Nomadum ductor. tunc dextrâ Scipio dextram
Amplexus, ſi pulchra tibi Mavorte videtur,
Pulchrior eſt gens noſtra fide, dimitte bilingues
Ex animo ſocios, magna hinc te præmia claræ
Virtutis Maſiniſſa manent, citiúſque vel armis
Quàm gratæ ſtudio vincetur Scipio mentis.
Cætera quæ in Libyam portare incendia ſuades,
Expediet tempus, nec enim ſunt talia rerum
Non meditata mihi, & mentem Carthago fatigat.
Hinc juveni, dona inſignem velamine picto
Dat chlamydem, ſtratúmque oſtro, quem ceperat ipſe
Dejecto victor Magone, animíque probârat,
Cornipedem, & cum quâ divûm libabat ad aras
Aſdrubal, ex auro pateram, galeámque comantem.
Exin firmato ſociali fœdere regis,
Vertendas agitat jam nunc Carthaginis arces.
Maſſylis regnator erat ditiſſimus oris,
Nec nudus virtute Syphax, quo jura petebant
Innumeræ gentes, extremáque littore Tethys.
Multa viro terra ac ſonipes, & bellua terror
Bellorum, nec non Marti delecta juventus.
Nec foret aut ebore, aut ſolido qui vinceret auro,
Gætuliſve magis fucaret vellus ahenis.
Has adjungere opes avidus, reputánſque laborem,
Si vertat rex ad Pœnos, dare vela per altum
Imperat, atque animo jam tum Africa bella capeſſit.
Verùm ubi perventum, & portus tenuere carinæ,
Jam trepidâ fugiens per proxima littora puppe
Aſdrubal adflictis aderat nova fœdera quærens
Rebus, & ad Tyrios Maſſylia ſigna trahebat.
Audito pariter populorum in regna duorum
Adveniſſe duces, qui totâ mole laborent,
Diſcepténtque armis, terrarum uter imperet orbi,
Celſus mente Syphax acciri in tecta benignè
Imperat, & tanto regni ſe tollit honore.
Tum lætos volvens oculos adverſa per ora,
Sic Latium adfatur juvenem, ac priùs incipit ultro:
Quàm te, Dardanida pulcherrime, mente ſerenâ
Accipio, intueórque libens, quámque ora recordor
Lætus Scipiadæ, revocat tua forma parentem.
Nam repeto Herculeas Erythræa ad littora Gades
Quum ſtudio pelagi, & ſpectandis æſtibus undæ
Veniſſem, magnos vicina ad flumina Bætis
Ductores miro quondam me cernere amore.
Tum mihi dona viri prædâ delecta tulere,
Arma timul, regnóque meo, tum cognita primùm
Cornipedum fræna, atque arcus, queis cedere noſtra
Non nôrunt jacula, & veteris tribuere magiſtros
Militiæ, qui diſperſas ſinè lege catervas
Veſtro formarent ritu ad certamina Martis.
Aſt ego quum noſtra (in noſtris quæ copia regnis)
Nunc auri ferrem, nivei nunc munera dentis;
Nil valui precibus, ſolos ſibi cepit uterque,
Quos cohibebat ebur vaginæ ſectilis enſes.
Quare age, lætus habe noſtros intrare penates,
Ac mea quando adfert Libycum fortuna per undas
Ductorem, facili quæ dicam percipe mente,

Et vos, qui Tyriæ regitis Carthaginis arces,
Aſdrubal huc aures, huc quæſo advertite ſenſus.
Quanta per Auſonios populos torrentibus armis
Tempeſtas ruat, & Latio ſuprema minetur,
Utque bibant Tyrium bis quinos ſæva per annos
Sicana nunc tellus, nunc littora libera cruorem,
Cui neſcire licet? quin ergo triſtia tandem
Conſidunt bella, & deponitis arma volentes?
Tu Libyâ, tu te Auſoniâ cohibere memento.
Haud deformis erit vobis ad fœdera verſus
Pacator mediúſque Syphax. ſubjungere plura
Non paſſus, gentis morem arbitriúmque ſenatûs
Scipio demonſtrat: namque illum abliſtere cœpti
Spe jubet, & patres docet hæc expendere ſolos.
Suadendi modus hic, quódque eſt de parte diei
Exacti ſupèr, ad menſas & pocula vertunt.
Atque epulis poſtquam finis, dant corpora ſomno,
Et dura in noctem curarum vincula ſolvunt.
Jámque novum terris pariebat lumine primo
Egrediens aurora diem, ſtabuliſque ſubibant
Ad juga ſolis equi, necdum ipſe adſcenderat axem,
Sed prorupturis rutilabant æquora flammis.
Exigit è ſtratis corpus, vultúque ſereno
Scipio contendit Maſſyli ad limina regis.
Illi mos patrius fœtus nutrîſſe leonum,
Et catulis rabiem atque iras expellere alendo.
Tum quoque fulva manu mulcebat colla jubáſque,
Et fera tractabat ludentum interritus ora.
Dardanium poſtquam ductorem accepit adeſſe,
Induitur chlamydem, regniſque inſigne vetuſti
Geſtat læva decus, cinguntur tempora vittâ
Albente, ac lateri de more adſtringitur enſis.
Hinc in tecta vocat, ſecretiſque ædibus hoſpes
Sceptrigero cum rege, pari ſub honore reſidunt.
Tum prior his infit terræ pacator Iberæ:
Prima mihi, domitis Pyrenes gentibus, ire
Ad tua regna fuit properantem, & maxima cura,
O ſceptri venerande Syphax, nec me æquore ſævus
Tardavit medio pontus: non ardua regnis
Quæſumus aut inhonora tuis: conjunge Latinis
Unanimum pectus, ſociúſque accede ſecundis.
Non tibi Maſſylæ gentes, extentáque tellus
Syrtibus, & latis proavita potentia campis
Amplius attulerint decoris, quam Romula virtus
Certâ junctа fide, & populi Laurentis honores.
Cætera quid referam? non ullus ſcilicet ulli
Æquus cælicolûm, qui Dardana læſerit arma.
Audivit læto Maſſylus & adnuit ore,
Complexúſque virum, firmemus proſpera dixit
Omina, nec votis ſuperi concordibus abſint,
Cornigerúmque Jovem Tarpeiúmque ore vocemus,
Et timul exſtructis ceſpes ſurrexerat aris.
Victimáque admotæ ſtabat ſubjecta bipenni,
Quum ſubitò abruptis fugiens altaria taurus
Exſiliit vinclis, mugitúque excita latè
Implevit tecta, & fremitu ſuſpiria rauco
Gongeminat, trepidâ terrorem ſparſit in aulâ.
Vittáque, majorum decoramen, fronte ſinè ullo
Delapſa tractu, nudavit tempora regis.
Talia cælicolæ caſuro triſtia regno
Signa dabant, ſæviſque aderant gravia omina fati.
Hinc fractum bello regem, ſolióque revulſum,
Tempus erit, quum ducet agens ad templa tonantis,
Qui tunc orabat ſocialia fœdera ſupplex.
His actis repetit portum, puppémque ſecundo
Dat vento, & notis reddit ſe Scipio terris.
Concurrunt avidæ gentes, varióſque ſubactâ
Pyrene miſit populos, mens omnibus una
Concordes regem appellant, regémque ſalutant,
Scilicet hunc ſummum nôrunt virtutis honorem.
Sed poſtquam miti rejecit munera vultu
Auſonio non digna viro, patrióſque viciſſim
Edocuit ritus, & Romam nomina regum
Monſtravit neſcire pati, converſus in unam
Quæ reſtat curam, nullo ſupèr hoſte relicto,
Et Latium timul, & vulgum Bætiſque Tagiſque
Convocat, ac medio in cœtu ſic deinde profatur:
Quando ita cælicolûm nobis propenſa voluntas
Adnuit, extremo Libys ut dejectus ab orbe
Aut his occideret campis, aut axe relicto
Heſperio, patrias exſul luſtraret arenas:
Jam veſtrâ tumulos terrâ celebrare meorum
Eſt animus, pacémque dare expoſcentibus umbris.
Mente favete pari, atque aures advertite veſtras,
Septima quum ſolis renovabitur orbita cælo.
Quiſque armis ferróque valent, quiſque arte regendi
Quadrijugos pollent currus, queis vincere plantâ
Spes eſt, & ſtudium jaculis impellere ventos
Adſint, & pulchræ certent de laude coronæ.
Præmia digna dabo, è Tyriâ ſpolia incluta prædâ,
Nec quiſquam noſtri diſcedet muneris expers.
Sic donis vulgum, laudúmque cupidine flammat.
Jámque dies prædicta aderat, cœtúque ſonabat
Innumero campus, ſimulatáſque ordine juſto
Exſequias rector lacrymis ducebat obortis.
Omnis Iber, omnis Latio ſub nomine miles
Dona ferunt, tumuliſque ſupèr flagrantibus addunt.
Ipſe tenens nunc lacte ſacro, nunc plena Lyæo
Pocula, odoriferis adſpergit floribus aras.
Tum manes vocat excitos, laudéſque virorum
Cum fletu cantat, veneratur facta jacentum.
Indè refert ſeſe circo, & certamina prima
Inchoat, & rapidos curſus proponit equorum.
Fluctuat æquoreo fremitu, rabiéque faventum
Carceribus nondum reſeratis mobile vulgus,
Atque fores oculis, & limina ſervat equorum.
Jámque ubi prolato ſonuere repagula ſigno,
Et toto prima emicuit vix ungula cornu,
Tollitur in cælum furiali turbine clamor.
Proniſque ac ſimiles certantibus ore ſequuntur
Quiſque ſuos currus, magnâque volantibus idem
Voce loquuntur equis, quatitur certamine circus
Certantum, & nulli mentem non abſtulit ardor.
Inſtant præceptis, & equos clamore gubernant.
Fulvus arenoſâ ſurgens tellure ſub auras
Erigitur globus, atque operit caligine denſâ
Cornipedúmque vias, aurigarúmque labores.
Hic ſtudio furit acris equi, furit ille magiſtri.
Hos patriæ favor, hos accendit nobile nomen
Antiqui ſtabuli, ſunt quos ſpes grata fatiget,
Et nova ferre jugum cervix, ſunt cruda ſenectus
Quos juvet, & longo ſonipes ſpectatus in ævo.
Evolat ante omnes, rapidóque per aera curſu
Callaïcus Lampon fugit, atque ingentia tranat
Exſultans ſpatia, & ventos poſt terga relinquit.
Conclamant, plauſúque fremunt, votíque peractam
Majorem credunt præcepto limite partem.
At queis interior cura, & prudentia circi
Altior, effuſas primo certamine voces
Damnare, & caſſis longè increpitare querelis
Indiſpenſato laſſantem corpora niſu,
Quò nimius, quò Cyrne ruis? (nam Cyrnus agebat)
Verbera dimitte, & revoca moderatus habenas.
Heu ſurdas aures, fertur ſecurus equorum,
Nec meminit quantum campi decurrere reſtet,
Proximus à primo diſtans, quantum æquore currus
Occupat ipſe loci tantum: ſed proximus ibat
Aſtur Panchates, patrium frons alba nitebat
Inſigne, & patrio pes omnis concolor albo.
Ingentes animi, membra haud procera, decúſque
Corporis exiguum, ſed tum ſibi fecerat alas
Concitus, atque ibat campo indignatus habenas.
Creſcere ſublimem, atque augeri membra putares.
Cinyphio rector cocco radiabat Iberus.
Tertius æquatâ currebat fronte Peloro
Caucaſus, ipſe aſper, nec qui cervicis amaret
Applauſæ blandos ſonitus, clauſúmque cruento
Spumeus admorſu gauderet mandere ferrum.
At docilis fræni & melior parere Pelorus,
Non unquam effuſum ſinuabat devius axem.
Sed lævo interior ſtringebat tramite metam,
Inſignis multâ cervice, & plurimus idem
Ludentis per colla jubæ (mirabile dictu)
Nullus erat pater, ad Zephyri nova flamina campis
Vettonum eductum genitrix effuderat Harpe:
Nobilis hunc Durius ſtimulabat in æquore currum;
Caucaſus antiquo fidebat Atlante magiſtro.
Ipſum Ætola vago Diomedi condita Tyde
Miſerat, exceptum Trojanâ ab origine equorum
Credebant, quos Æneæ Simoentis ad undas
Victor Tydides magnis abduxerat auſis.
Jámque ferè medium evecti certamine campum
In ſpatia addebant: niſúſque apprendere primos
Panchates animoſus equos, ſupèr altior ire,
Et præcedentem jam jámque adſcendere currum
Ponè videbatur, curvatiſque ungula prima
Callaïcum quatiens pulſabat calcibus axem.
At poſtremus Atlas, ſed non & ſegnior ibat

Poſtremo Durio, pacis de more putares
Æquatâ fronte & concordi currere fræno.
Senſit, & exhauſtas, qui proximus ibat, Iberus
Callaïcas Cyrni vires, nec ut antè ſalire
Præcipitem currum, & ſumantes verbere cogi
Aſſiduo violenter equos, ceu monte procella
Quum ſubita ex alto ruit, uſque ad colla repentè
Cornipedum protentus, & in capita ardua pendens
Concitat ardentem, quod ferret lora ſecundus,
Panchaten, vocéſque addit cum verbere mixtas:
Téne Aſtur certante ferat quiſquam æquore palmam
Erepto? conſurge, vola, perlabere campum.
Adſuetis velox pennis decreſcit anhelo
Pectore conſumtus Lampon, nec reſtat hiantí,
Quem ferat ad metas, jam ſpiritus. hæc ubi dicta,
Tollit ſe ſonipes, ceu tunc è carcere primo
Corriperet ſpatium, & nitentem opponere lævos
Aut æquare gradus, Cyrnum poſt terga relinquit.
Confremit & cælum, & percuſſus vocibus altis
Spectantum circus, fertur ſublimè per auras
Altiùs attollens cervicem victor ovantem
Panchates, ſocióſque trahit prior ipſe jugales.
At poſtremus Atlas, Durius poſtremus in urbem
Exercent artes, lævos nunc appetit ille
Conatus, nunc ille premit, certáque ſubire
Dexter, & alterni, nequidquam fallere tentant,
Donec confiſus primævæ flore juventæ
Obliquum Durius converſis pronus habenis
Oppoſuit currum, atque everſum propulit axem
Atlantis ſenio invalidi, ſed juſta querentis,
Quò ruis? aut quinam hic rabidi certaminis eſt mos?
Et nobis & equis, letum commune laboras.
Dúmque ea proclamat, pertracto volvitur axe
Cernus, ac pariter fuſi (miſerabile) campo
Diſcordes ſternuntur equi: quatit æquore aperto
Lora ſuis victor, mediâque Pelorus arenâ
Surgere nitentem fugiens Atlanta reliquit.
Nec longum Cyrni defeſſos prendere currus.
Hunc quoque cunctantem, & ſerò moderamina equorum
Diſcentem, rapido prætervolat incitus axe,
Impellit currum clamor vocéſque faventum.
Jámque etiam dorſo atque humeris trepidantis Iberi
Ora ſuperpoſuit ſonipes, flatúſque vapore
Terga premi, & ſpumis auriga caleſcere ſentit,
Incubuit campo Durius, miſítque citatos
Verbere quadrupedes, nec fruſtra æquare videtur,
Aut etiam æquavit juga præcedentia dexter.
Attonitus tum ſpe tantâ, genitore, Pelore,
Te Zephyro eductum nunc nunc oſtendere tempus
Diſcant, qui pecudum ducunt ab origine nomen,
Quantum divini præcellit ſeminis ortus.
Victor dona dabis, ſtatuéſque altaria patri.
Et ni ſucceſſu nimio, lætóque pavore
Proditus elapſo foret inter verba flagello,
Forſan ſacrâſſet Zephyro, quas voverat, aras.
Tum verò infelix veluti delapſa corona
Victoris capiti foret, in ſe verſus ab irâ
Auratam medio diſcindit pectore veſtem,
Ac lacrymæ ſimul, & queſtus ad ſidera fuſi.
Nec jam ſubducto parebat verbere currus.
Pro ſtimulis dorſo quatiuntur inania lora.
Interea metis, certus jàm laudis, agebat
Seſe Panchates, & præmia prima petebat
Arduus, effuſas lenis per colla, per armos
Ventilat aura jubas, tum mollia crura ſuperbi
Attollens greſſus, magno clamore triumphat.
Par donum ſolido argento cælata bipennis
Omnibus, ac vario diſtantia cætera honore.
Primus equum volucrem Maſſyli munera regis
Haud ſpernenda tulit, tulit hunc virtute ſecundus
E Tyriâ, quæ multa jacet, duo pocula prædâ.
Aurifero perfuſa Tago villoſa leonis
Terga feri, & criſtis horrens Sidonia caſſis:
Tertius indè honor, & poſtremo munere Atlantis
Quamvis perfracto ſenior ſubſederat axe,
Accitum donat ductor, miſeratus & ævum
Et ſortem caſûs, famulus florente juventâ
Huic datur, adjuncto gentilis honore galeri.
His actis ductor lætæ ad certamina planæ
Invitat, poſitíſque accendit pectora donis:
Hanc primus galeam, hâc acies terrebat Iberas
Aſdrubal: hunc enſem, cui proxima gloria curſûs,
Accipiet, cæſo pater hunc detraxit Hiempſæ.
Tertius extremam tauro ſolabere palmam.

Cætera contenti diſcedent turba duobus
Quiſque ferox jaculis, quæ dat gentile metallum.
Fulgentes pueri, Tarteſſos & Heſperos, ora
Oſtendere ſimul, vulgi clamore ſecundo,
Hos Tyriâ mittere domo patria incluta Gades.
Mox ſubit adſperſus primâ lanugine malas
Bæticus (hoc dederat puero cognomen ab amne
Corduba, & haud parvo certamina læta fovebat)
Indè comam rutilus, ſed cum fulgore nivali
Corporis, implevit caveam clamoribus omnem
Eurythus, excelſo nutritum colle creârat
Setabis, atque aderant trepidi pietate parentes.
Tum Lamus, & Sicoris, proles bellacis Ilerdæ,
Et Theron potator aquæ ſub nomine Lethes,
Quæ fluit immemori perſtringens gurgite ripas:
Qui poſtquam arrecti plantis, & corpora proni
Pulſantéſque æſtu laudum exſultantia corda,
Accepere tubâ ſpatium, exſiluere per auras
Ocyus effuſis nervo extorbante ſagittis.
Diverſa & ſtudia & clamor, pendéntque faventes,
Unguibus atque ſuos, ut cuique & gratia, anheli
Nomine quemque cient, grex inclutus æquore fertur,
Nullâque tranſmiſſâ veſtigia ſignat arenâ.
Omnes primævi flaventiáque ora decori,
Omnes ire leves, atque omnes vincere digni.
Extulit incumbens medio jam limite greſſum
Eurythus, & primus brevibus ſed primus abibat
Præcedens ſpatiis: inſtat non ſegniùs acer
Heſperos, & primâ ſtringit veſtigia plantâ
Progreſſæ calcis, ſatis eſt huic eſſe priori,
Huic ſperare ſat eſt fieri ſe poſſe priorem.
Acriùs hôc tendunt greſſus, animíque vigore
Corpora agunt, auget pueris labor ipſe decorem.
Ecce levi niſu poſtremóque agmine curſus
Poſtquam ſat viſus ſibi concepiſſe vigoris,
Celſus inexhauſtas effundit turbine vires
Non exſpectato, ſubitúſque erumpit ad auras,
Prævehitur Theron. credas Cyllenida plantam
Æthereo nexis curſu talaribus ire.
Jámque hos, jámque illos populo mirante reliquit,
Et modò poſtremus, nunc ordine tertia palma
Heſperon infeſtat ſua per veſtigia preſſum.
Nec jam quem ſequitur tantùm, ſed prima coronæ
Spes trepidat tantis venientibus Eurythus alis.
Quartus ſorte loci, ſed ſi tres ordine ſervent
Inceptos curſus, nequidquam vana laborans
Tarteſſos, fratrem medio Therone premebat.
Nec patiens ultrà tollit ſeſe æquore Theron
Igneus, & plenum prætervolat Heſperon iræ.
Unus erat ſupèr, & metæ propioribus ægros
Urebat finis ſtimulis, quaſcunque reliquit
Hinc labor hinc penetrans pavor in præcordia vires
Dum ſperare licet, brevia ad conamina uterque
Advocat, æquatur curſus, paritérque ruebant.
Et forſan geminâ meruiſſent præmia palmâ
Pervecti ſimul ad metas, ni terga ſequutus
Theronis, fuſam latè per lactea colla
Heſperos ingenti tenuiſſet ſævus ab irâ,
Traxiſſétque comam, tardato lætus ovánſqu
Eurythus evadit juvene, atque ad præmia victor
Emicat, & galeæ fert donum inſigne coruſcæ.
Cætera promiſſo donata eſt munere pubes,
Intonſâſque comas viridi redimita coronâ
Bina tulit patrio quatiens haſtilia ferro.
Hinc graviora virûm certamina, cominus enſis
Diſtrictus, belliſque feri ſimulacra cientur.
Nec quos culpa tulit, quos crimina noxia vitæ,
Sed virtus animúſque ferox ad laudis amorem,
Decrevere pares ferro, ſpectacula digna
Martigenâ vulgo, ſuetíque laboris imago.
Hos inter, gemini, quid jam non regibus auſum?
Aut quod jam regni reſtat ſcelus? impia circo
Innumero, fratres, cavcâ damnante furorem,
Pro ſceptrò armatis inierunt prœlia dextris.
Is genti mos dirus erat, patriúmque petebant
Orbati ſolium lucis diſcrimine fratres.
Concurrere animis, quantis confligere par eſt
Quos regni furor exagitat, multóque cruore
Exſatiata ſimul portantes corda ſub umbras
Occubuere, pari niſu per pectora adactus
Intima deſcendit mucro: ſuperaddita ſævis
Ultima vulneribus verba, & convicia volvens
Dirus in invitas effudit ſpiritus auras.
Nec manes pacem paſſi. nam corpora junctus

Unâ

Unâ quum raperet flammâ rogus impius, ignis
Diffiluit, cineréſque ſimul jacuiſſe negârunt.
Cætera diſtincto donata eſt munere turba,
Ut virtus & dextra fuit, duxere juvencos
Impreſſis dociles terram proſcindere aratris.
Duxere adſuetos luſtra exagitare ferarum
Venatu juvenes, quos dat Maurufia præda.
Nec non argenti, nec non inſignia veſtis
Captivæ pretia, & ſonipes, & criſta nitenti
Inſurgens cono, ſpolia, exuviæque Libyſſæ.
Tum jaculo petiere decus, ſpectacula circi
Poſtrema, & metæ certârunt vincere finem.
Quâ Tagus auriferis pallet turbatus arenis,
Accola Burnus avis majorum & ſtemmate clarus,
Et Glagus, inſignis ventos anteire lacerto,
Et cujus nunquam fugiſſe haſtilia cervi
Prærapidâ potuere fugâ venator Aconteus,
Indibiliſque, diu lætus bellare, Latinis
Jam ſocius, volucréſque vagas deprendere nube
Adſuetus jaculis, idem & bellator Ilerdes,
Cui ludus nullam curſu non tollere damam.
Laus Burni, prima infixit qui ſpicula metæ,
Eſt Damum ſerva, albentes invertere lanas
Murice Gætulo docta. at quem proxima honorant
Præmia, vicinam metæ qui propulit haſtam,
Accepto lætus puero diſceſſit Ilerdes.
Tertia palma habuit geminos inſignis Aconteus
Nec timidos agitare canes latratibus aprum.
Quos poſtquam clamor plauſúſque probavit honores,
Germanus ducis, atque effulgens Lælius oſtro
Nomina magna vocant læti, manéſque jacentum,
Atque haſtas ſimul effundunt, celebrare juvabat
Sacratos cineres, atque hoc decus addere ludis.
Ipſe etiam mentis teſtatus gaudia vultu
Ductor, ut æquavit meritis pia pectora donis,
Et frater thoraca tulit multiplicis auri,
Lælius Aſturicâ rapidos de gente jugales;
Contorquet magnis victricem viribus haſtam
Conſurgens, umbréſque dari teſtatus honorem
Haſta volans, (mirum dictu) medio incita campo
Subſtitit ante oculos, & terræ infixa cohæſit.
Tum ſubitæ frondes, celſóque cacumine rami,
Et latam ſpargens quercus, dum naſcitur, umbram.
Ad majora jubent præſagi tendere vates,
Id monſtrare deos, atque hoc portendere ſignis.
Quo ſuper augurio, pullis de littore cunctis
Heſperio Pœnis, ultor patriæque domûſque,
Auſoniam repetit famâ ducente triumphum.
Nec Latium curis ardet flagrantiùs uilis,
Quàm juveni Libyam & ſummos permittere faſces.
Sed frigens animis, nec bello proſpera turba
Ancipiti, ſenior temeraria cœpta vetabant,
Magnóſque horrebant cautâ formidine caſus.
Ergo ubi delato conſul ſublimis honore
Ad patres conſulta refert, detúrque poteſtas,
Orat, delendæ Carthaginis; altiùs orſus
Hôc grandæva modo Fabius pater ora reſolvit:
Haud equidem metuiſſe queam ſatiatus & ævi
Et decoris, cui tam ſupereſt & gloria & ætas,
Ne credat nos invidiæ certamine conſul
Laudibus obtrectare ſuis. latìs incluta nomen
Geſtat fama meum, nec egent tam proſpera laude
Facta novâ: verùm & patriæ dum vita manebit
Deeſſe nefas, animúmque nefas ſcelerare ſilendo.
Bella nova in Libyæ moliris ducere terras?
Hoſtis enim deeſt Auſoniâ, nec vincere nobis
Eſt ſatis Annibalem? petitur quæ gloria major
Littore Eliſæo? ſtimuli ſi laudis agunt nos,
Hanc ſegetem mete, compoſuit propioribus auſis
Dignum te fortuna parem. vult Itala tellus
Ductoris ſævi, vult tandem haurire cruorem. (eſt
Quò Martem, aut quò ſigna trahis? reſtinguere primum
Ardentem Italiam: tu felſos obvius hoſtes
Deſeris, ac ſeptem denudas proditor arces.
An, quum tu Syrtim ac ſteriles vaſtabis arenas,
Non dira illa lues notis jam mœnibus urbis
Adſiliet? vacuúmque Jovem ſinè pube, ſinè armis
Invadet? quanti eſt ut eas, Romámque relinquas
Emerito? ac tanti perculſi fulmine belli
Siccine te, ut nuper Capuâ eſt accitus ab altâ
Fulvius, æquoreis Libyæ revocabimus oris?
Vince domi, & trinis mœrentem funera luſtris
Auſoniam purga bello. tum tende remotos
In Garamantas iter, Natamoniacóſque triumphos

Molire: anguſtæ prohibent nunc talia cœpta
Res Italæ: pater ille tuus qui nomina veſtræ
Addidit haud ſegnis genti, quum conſul Iberi
Tenderet ad ripas, revocato milite primus
Deſcendenti avidè ſuperatis Alpibus ultro
Oppoſuit ſeſe Annibali: tu conſul abire
A victore paras hoſte, atque avellere nobis
Scilicet hôc aſtu Pœnum? ſi deinde ſedebit
Impavidus, nec te in Lybiam tuáſque arma ſequetur,
Captâ hæc damnabis conſulta improvida Româ.
Sed fac turbatum convertere ſigna, tuæque
Claſſis vela ſequi, nempe idem erit Annibal idem,
Cujus tu vallum vidiſti è mœnibus urbis.
Hæc Fabius, ſeniórque manus paria ore fremebant.
Tum contrà conſul: Cæſis ductoribus olim
Magnanimis leto gemino, quum tota ſubiſſet
Sidonium poſſeſſa jugum Tarteſſia tellus,
Non Fabio, non queis eadem eſt ſententia cordi,
Quoquam ad opem verſo (fateor) primoribus annis
Excepi nubem belli, ſolúſque ruenti
Objeci telo caput, atque in me omnia verti.
Tum grandæva manus, puero malè credita bella,
Atque idem hic vates temeraria cœpta canebat.
Dîs grates laudémque fero, ſub nomine quorum
Gens Trojana ſumus, puer ille, & futilis ætas,
Imbelléſque anni, necdum maturus ad arma
Scipio, reſtituit terras illæſus Iberas
Trojugenis, pepulit Pœnos, ſolíſque ſequutus
Extremas ad Atlanta vias, exegit ab orbe
Heſperio nomen Libyæ, nec rettulit urbi
Signa priùs, quàm fumantes circa æquora vidit
Romano Phœbum ſolventem littore currus.
Adſcivit reges idem: nunc ultimus actis
Reſtat Carthago noſtris labor. hoc ſator ævi
Jupiter æterni monet. Annibalem ecce ſenectus
Intremit, aut ægros ſimulat mentita timores,
Ne finem longis tandem peperiſſe ruinis
Sit noſter titulus: certè jam dextera nobis
Experta, & robur florentibus auximus annis.
Ne verò fabricate moras, ſed currere ſortem
Hanc ſinite, ad veterum delenda opprobria cladum,
Quam mihi ſervavere dei. ſat gloria cauto
Non vinci pulchra eſt Fabio, peperítque ſedendo
Omnia cunctator nobis: nec Mago, nec Anno,
Nec Giſgone ſatus, nec Amilcare, terga dediſſent,
Segnes ſi clauſo traheremus prœlia vallo:
Sidoniúſne puer vix pubeſcente juventâ
Laurentes potuit populos, & Troïa adire
Mœnia, flaventémque ſacro cum gurgite Tibrim?
Et potuit Latium longo depoſcere bello?
Nos Libyæ terris tranſmittere ſigna pigebit?
Et Tyrias agitare domos? ſecura pericli
Littora lata patent, & opimâ pace quieta
Stat tellus. timeat tandem Carthago, timeri
Adſueta: & nobis, quamvis Oenotria nondum
Annibale arva vacent, ſupereſſe intelligat arma.
Illum ego, quem voſmet cauti, conſultáque veſtra
In Latio fecere ſenem, cui tertia largè
Fundenti noſtrum ducuntur luſtra cruorem,
Illum ego, ad incenſas trepidantem & ſæva paventem
Advertam patriæ ſedes. an Roma videbit
Turpia Agenoreæ muris veſtigia dextræ?
Carthago immunis noſtros ſecura labores
Audiet interea, & portis bellabit apertis?
Tum verò pulſet noſtras iterum improbus hoſtis
Ariete Sidonio turres, ſi templa ſuorum
Non antè audierit Rutulis crepitantia flammis.
Talibus accenſi patres, fatóque vocante,
Conſulis adnuerant dictis, fauſtúmque precati
Ut foret Auſoniæ, tranſmittere bella dederunt.

LIBER XVII.

HOSTIS ut Auſoniis diſcederet advena terris,
Fatidicæ fuerant oracula priſca Sibyllæ.
Cœlicolûm Phrygiâ genitricem ſede petîtam,
Laomedonteæ ſacrandam mœnibus urbis
Advectum acciperet numen, qui lectus ab omni
Concilio patrum, præſentis degerit ævi
Optimus, heu nomen melius majúſque triumphis.
Jámque petita aderat, Latiâ portante, Cybelle,
Puppe, atque intrepidus magno cedente ſenatu,

Ob-

¶

Obvius accitis properabat Scipio sacris,
Qui genitus patruo ductoris ad Africa bellâ
Tunc lecti, multâ fulgebat imagine avorum.
Isque ubi longinquo venientia numina ponto
Accepit supplex palmis, Tuscisque sonora
Tibridis adducit sublimis ad ostia puppim.
Feminæ tum deinde manus subiere per amnem
Quæ traherent celsam religatis funibus alnum.
Circùm arguta cavis tinnitibus æra, simúlque
Certabant rauco resonantia tympana pulsu.
Semivirique chori, gemino qui Dindyma monte
Casta colunt, qui Dictæo bacchantur in antro,
Quique Idæa juga, & lucos novere silentes.
Hos inter fremitus, ac læto vota tumultu,
Substitit adductis renuens procedere vinclis
Sacra ratis, subitisque vadis immobilis hæsit.
Tum puppe è mediâ magno clamore sacerdos,
Parcite pollutis contingere vincula palmis,
Et procul hinc moneo, procul hinc quæcunque profanæ
Ferte gradus, nec vos casto miscete labori.
Dum satis est monuisse, deæ, quòd si qua pudica
Mente valet, si qua illæsi corporis adstas
Conscia, vel sola subeat pia munera dextrâ.
Hèic priscâ ducens Claudiorum ab origine nomen
Claudia, non æquâ populi male credita famâ:
In puppim versis palmisque oculisque profatur:
Cælicolûm genitrix, numen quod numina nobis
Cuncta creas, cujus proles terrámque fretúmque,
Sideráque & manes regnorum sorte gubernat;
Si nostrum nullo violatum est crimine corpus,
Testis diva veni, & facili me absolve carinâ.
Tum secura capit funem, fremitúsque leonum
Audiri visus subitò, & graviora per auras
Nullâ pulsâ manu sonuerunt tympana divæ.
Fertur prona ratis, ventos impellere credas,
Contráque adversas ducentem prævenit undas.
Extemplo major cunctis spes pectora mulcet,
Finem armis tandem, finémque venire periclis.
Ipse alacer Siculâ discedens Scipio terrâ,
Abscondit latè propulsis puppibus æquor,
Cui numen pelagi placaverat hostia taurus,
Jactáque cæruleis innabant fluctibus exta.
Tunc à sede deûm, purúmque per æthera lapsæ
Armigeræ Jovis ante oculos cæpere volucres
Æquoreas monstrare vias, ac ducere classem.
Augurium clangor lætum dabat, indè sequuti
Tantùm progressûs liquidâ sub nube volatus,
Quantùm non frustra speculantum lumina servant,
Littora Agenoreæ tenuerunt perfida terræ.
Nec segnis, tantâ isq; semet veniente procellâ,
Africa: terribilem magno sub nomine molem
Regis opes contra, & Massyla paraverat arma.
Spésque Syphax Libycis una, & Laurentibus unus
Terror erat, campos pariter vallésque refusas,
Littoráque implêrat, nullo decorare tapete
Cornipedem Nomas adsuetus, densæque per auras
Condebant jaculis stridentibus æthera nubes.
Immemor is dextræque datæ, junctíque per aras
Fœderis, & mensas testes atque hospita jura,
Fásque fidémque simul, pravo mutatus amore
Ruperat, atque toros regni mercede parârat.
Virgo erat eximiâ specie, claróque parente,
Asdrubalis proles, thalamis quam cepit ut altis,
Cæu face succensus primâ tædâque jugali,
Vertit opes gener ad Pœnos, Latioque soluto
Fœdere amicitiæ, dotalia transtulit arma.
Sed non Ausonio curarum extrema Syphacem
Ductori monuisse fuit, fit fidus, & ictum
Observet fœdus, neu pacis jura resolvat,
Stet regno, reputet superos, pacta hospita servet:
Longè conjugia ac longè Tyrios hymenæos
Inter Dardanias acies fore: sanguine quippe,
Si renuat, blando nimiùm facilique marito
Statura obsequia, & thalami flagrantis amores.
Sic Latius permixta minis & casta movebat
Ductor, nam surdas conjux obstruxerat aures.
Ergo asper monitis frustra nitentibus enses
Advocat, & castas polluti fœderis aras
Testatus, variâ Martem movet impiger arte.
Castra levi calamo campâque intorta palustri,
Qualia Maurus amat dispersâ mapalia pastor,
Adgreditur, furtum armorum tutantibus umbris,
Ac tacitâ spargit celata incendia nocte.
Iadè ubi collecti rapidam diffundere pubem

Cœperunt ignes, & se per pinguia magno
Pabula ferre sono; clarè exspatiantur in auras,
Et frænos volucri propellunt flumine flammæ.
It totis inimica lues cum turbine castris,
Atque alimenta vorat strepitu Vulcanus anhelo
Arida, & ex omni manant incendia tecto.
Sentitur plerisque priùs, quàm cernitur ignis,
Excitis somno, multorúmque ora vocantum
Auxilium invadunt flammæ, fluit undique victor
Mulciber, & rapidis amplexibus arma virósque
Corripit, exundat pestis semiustáque castra
Ardenti volitant per nubila summa favillâ.
Ipsius ingenti regis tentoria saltu
Lugubre increpitans latè circumvolat ardor:
Hausisséque virum, trepidus ni clade satelles
E somno ac stratis rapuisset multa precantem.
Verùm ubi mox juncto sociârant aggere vires
Massylus Tyriúsque duces, accitáque regno
Lenierat pubes infaustæ vulnera noctis,
Ira, pudórque dabant, & conjux, tertius ignis,
Immanes animos, adflatáque barbarus ora
Castrorum flammis; & se velamine nullo
Vix inter trepidas ereptum ex hoste catervas
Freudebat minitans. sed enim non luce Syphacem,
Nec claro potuisse die, nec sole tuente,
A quoquam vinci, jactârat talia vecors.
Sed jam claudebat fatus, nec plura sinebat
Atropos, & tumidæ properantur stamina linguæ.
Namque ubi profiluit castris, seu turbidus amnis
Qui sylvas ac saxa trahens per devia præceps
Volvitur, & ripas spumanti gurgite laxat.
Ante omnes prævectus equo, trahit agmina voce.
Contrà sana manus Rutuli, celsúsque ruebat
Viso rege procul raptis exercitus armis.
Ac sibi quisque, videsne? vides, ait, agmine primus
Massylus vositat deposcens prælia rector?
Fac nostrum hoc mea dextra decus, violavit & aras
Cælicolûm, & casti ductoris fœdera rupit.
Sit satis hunc castris semel effugisse crematis.
Sic secum taciti, & certatim spicula fundunt.
Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus hasta volans, erexitque ore cruento
Quadrupedem elatis pulsantem calcibus auras.
Corruit asper equus, confixáque cuspide membra
Huc illuc jactans, rectorem prodidit hosti.
Invadunt, vastámque fugam, atque attollere fessos
Adnitentem artus, revocato è vulnere telo
Corripiunt: tum vincla viro, manicæque pudendæ
Addita, & exemplum non unquam fidere lætis.
Sceptriferas arctâ palmas vinxere catenâ.
Ducitur ex alto dejectus culmine regni,
Qui modò sub pedibus terras, & sceptra, patensque
Littora ad Oceani sub nutu viderat æquor.
Prostratis opibus regni, Phœnissa metuntur
Agmina, & invisus Marti notúsque fugarum
Vertit terga citus damnatis Asdrubal ausis.
Stabat Carthago truncatis undique membris
Uni nixa viro, tantóque fragore ruentem
Annibal absenti retinebat nomine molem.
Id reliquum, fessos opis auxiliisque ciere,
Rerum extrema jubent, hùc confugere paventes,
Postquam se superûm defertos numine cernunt.
Nec mora propulsâ fulcant vada salsa carinâ
Qui revocent, patrúmque ferant mandata monentes:
Ne lentus nullas videas Carthaginis arces,
Tolle moras, patriæque celer succurre cadenti
Annibal, & nostris depelle à mœnibus hostem.
Quarta aurora ratem Dauni devexerat oras,
Et fera ductoris turbabant somnia mentem.
Namque gravis curis carpit dum nocte quietem,
Cernere Flaminium, Gracchúmque, & cernere Paullum
Visus erat, simul adversos mucronibus in se
Districtis ruere, atque Italâ depellere terrâ:
Omnísque à Cannis, Trasimenique omnis ab undis
In pontum impellens umbrarum exercitus ibat.
Ipse fugam cupiens notas evadere ad Alpes
Quærebat, terræque ulnis amplexus utrisque
Hærebat Latiæ, donec vis sæva profundo
Truderet, & rapidis daret asportare procellis.
His ægrum visis adeunt mandata ferentes
Legati, patriæque extrema pericula pandunt,
Massyla ut ruerint arma, ut cervice catenas
Regnator tulerit Libyæ, letóque negato,
Servetur nova pompa Jovi: ut Carthago laboret,

Et trepidi Aſdrubalis, (qui rerum agitabat habenas)
Non unâ concuſſa fugâ, ſe triſte profatu
Vidiſſe, arderent cùm bina in nocte ſilenti
Caſtra, & luceret ſceleratis Africa flammis.
Præpidum juvenem minitari, Bruttia ſervet
Littora dum Pœnus, detracturum ignibus atris
Omnia, & excidium extremum Carthagini adeſſe.
In quam ſe referant patriam, ſuáque incluſa facta
Commemorant, Italis ſtrages quas fecerit oris.
Hæc poſtquam dicta, & caſus patuere metúſque,
Effundunt lacrymas: dextrámque ut numen adorant.
Audivit torvo obtutu defixus, & ægrâ
Expendit tacitò curâ ſecum ipſe volutans
An tanti Carthago foret, ſic deinde profatur:
O dirum exitium mortalibus! ô nihil unquam
Creſcere, nec magnas patiens exſurgere laudes
Invidia! everſam jam pridem exſcindere Romam,
Atque æquâſſe ſolo potui, traducere captam
Servitum gentem, Latióque imponere leges,
Dum ſummus, dúmque arma duci, feſſóſque ſecundis
Submiſſo tirone negant reçreare maniplos,
Dúmque etiam Cerere & victu fraudâſſe cohortes
Annoni placet, induitur tota Africa flammis,
Pulſat Agenoreas Rhœteïa lancea portas.
Nunc patriæ decus, & patriæ nunc Annibal unus
Subſidium, nunc in noſtrâ ſpes ultima dextrâ.
Vertantur ſigna, ut patres ſtatuere, ſimúlque
Et patriæ muros, & te ſervabimus Anno.
Hæc ubi detonuit, celſas è littore puppes
Propellit, multúmque gemens movet æquore claſſem.
Non terga eſt auſus cedentum invadere quiſquam,
Non revocare virum: cuncti præſtare videntur,
Quòd ſponte abſcedat, ſuperi, tandémque reſolvat,
Auſoniam. ventos optant & littora ab hoſte
Nuda videre ſat eſt: ceu flumina comprimit Auſter
Quum fera, & abſcedens reddit mare, navita parco
Interea voto non auras poſcit amicas
Contentus carviſſe Noto, pacémque quietam
Pro facili curſu reputat ſatis: omnis in altum
Sidonius viſus converterat undique miles,
Ductor defixos Italâ tellure tenebat
Intentus vultus, manantéſque ora rigabant
Per tacitum lacrymæ, & ſuſpiria crebra ciebat.
Haud ſecus ac patriam pulſus dulcéſque penates
Linqueret, & triſtes exſul traheretur in oras.
Ut verò adfuſis puppes procedere ventis,
Et ſenſim cœpere procul ſubſidere montes,
Nullâque jam Heſperia, & nuſquam jam Daunia tellus.
Hæc ſecum infrendens: mentíſne ego compos, & hôc
Indignus redita, qui memet finibus unquam
Amórim Auſoniæ? flagrâſſet ſubdita tædis
Carthago, & potiùs ceciditſet nomen Eliſæ.
Quid? tunc ſat compos, qui non ardentia tela
A Cannis in templa tuli Tarpeia? Jovémque
Detraxi ſolio? ſparſiſſem incendia montes
Per ſeptem bello vacuos, gentſque ſuperbæ
Iliacum exitium, & proavorum fata dediſſem.
Cur porrò hæc angam, nunc nunc invadere ferro
Quis prohibet? rurſúmque ad mœnia tendere greſſum?
Ibo, & caſtrorum relegens monimenta meorum,
Quà via nota mihi eſt, remeabo Anienis ad undas.
Flectite in Italiam proras, avertite claſſem,
Faxo, ut vallatâ revocetur Scipio Româ.
Talibus ardentem furiis Neptunus ut alto
Proſpexit, vertſque rates ad littora vidit,
Quaſſans cæruleum genitor caput, æquora fundo
Eruit, & tumidum movet ultra littora pontum.
Extemplo ventos, imbréſque, è rupe procellas
Concitat Æolias, ac nubibus æthera condit.
Tum penitus telo molitus regna tridenti
Intima ab occaſu Tethyn impellit & ortu,
Ac totum Oceani turbat caput, æquora ſurgunt
Spumea & illiſu ſcopulus tremit omnis aquarum.
Primus ſe attollens Naſamonum ſedibus Auſter
Nudavit Syrtim correptâ nubilus undâ.
Inſequitur ſublime ferens nigrantibus alis
Abruptum Boreas ponti latus: intonat ater
Diſcordi flatu, & partem rapit æquoris Eurus.
Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare
Fulmina, & in claſſem ruere implacabile cælum.
Conſenſere ignes, nimbſque, & fluctus, & ira
Ventorum, nocténque freto impoſuere tenebræ.
Ecce intorta Noto veniénſque à rupe procella
Antennæ immugit, ſtridórque immite rudentum
Sibilat, ac ſimilem monti, nigrante profundo,
Ductoris frangit ſuper ora trementia fluctum.
Exclamat volvens oculos cælóque freto que:
Felix, ô frater, diviſque æquate cadendo,
Aſdrubal, egregium fortis cui dextera in armis
Pugnanti peperit letum, & cui fata dedere
Auſoniam extremo tellurem apprendere morſu.
At mihi Cannarum campis, ubi Paullus & ille
Egregiæ occubuere animæ, dimittere vitam
Non licitum: vel quum ferrem in Capitolia flammas
Tarpeii Jovis ad manes deſcendere telo.
Talia dum mœret, diverſis flatibus acta
In geminum ruit unda latus, puppímque ſub atris
Æquoris aggeribus tenuit, ceu turbine merſam.
Mox nigris altè pulſa exundantis arenæ
Vorticibus ratis, æthereas remeavit ad auras,
Et fluctus ſupra, vento librante, pependit.
At geminas Notus in ſcopulos atque horrida ſaxa
Durâ ſorte rapit (miſerandum & triſte) biremes.
Increpuere ictu proræ, tum murice acuto
Diſſiliens ſonuit ruptâ compage carina.
Hic varia ante oculos facies natat æquore toto
Arma inter, galeáſque virûm, criſtáſque rubentes,
Florentis Capuæ & gaza, & ſepoſta triumpho
Laurens præda ducis, tripodes, menſæque deorum,
Cultáque nequidquam miſeris ſimulacra Latinis.
Quum Venus emoti facie conterrita ponti
Talibus adloquitur regem maris: hoc ſatis iræ
Interea genitor: ſatis ad majora minarum.
Cætera, parce, precor pelago, ne tollat acerba
Hoc Carthago decus, nullo ſuperabile bello
Progenuiſſe caput, noſtróſque in funera Pœni
Æneadas, undis totóque eguiſſe profundo.
Sic Venus, & tumidi conſidunt gurgite fluctus,
Obviáque adverſis propellunt agmina caſtris.
Dux vetus armorum, ſcitúſque accendere corda
Laudibus, ignifero mentes furiabat in iram
Hortatu, decorſſque urebat pectora flammis.
Tu mihi Flaminii portas rorantia cæſi
Ora ducis, noſco dextram: tu primus in ictus
Ingentis Paulli ruis, ac defigis in oſſa
Mucronem: tibi pugnacis geſtantur opima
Marcelli, Gracchúſque cadens tibi proluit enſem.
Ecce manus, quæ te pulſantem, belliger Appi,
Mœnia ſublimis Capuæ, de culmine muri
Excelſo fuſâ moribundum propulit haſtâ.
Ecce aliud fulmen dextræ, quo nobilem omen
Fulvius, excepit non unum pectore vulnus.
Huc primâ te ſiſte acie, cui conſul in armis
Criſpinus cecidit, me tu comitare per hoſtes
Qui nobis (memini) ad Cannas lætiſſimus iræ
Servili fers ora ducis ſuffixa veruto.
Cerno flagrantes oculos, vultúmque eimendum
Non ipſo minùs enſe tuum, fortiſſime Pœnûm,
O juvenis, qualem vidi cum flumine ſævo
Inſignis Trebiæ, complexum ingentibus ulnis
Merſiſti fundo luctantem vana tribunum.
At tu qui gelidas Ticini primus ad undas
Scipiadæ patris tinxiſti ſanguine ferrum,
Incepta exſequere, & nati mihi redde cruorem.
Horreſcámne ipſos veniant ſi ad prœlia divos,
Quum ſteteris prope me? vidi certantia cælo
Quum juga calcâſtis, ſummas volitare per Alpes.
Quum videam quorum ferro manibúſque capaces
Arſere Argyripæ campi: num ſegnior ibis
Nunc mihi, qui primus torques in mœnia telum
Dardana? nec noſtræ facilis concedere laudi?
Te verò, téne exſtimulem, qui fulmina contra
Et nimbos, tonitrúſque, ac ſummi numinis iras
Quum ſtarem, perferre ferox ac vana jubebas?
Nubila, & ante ducem Capitolia celſa petebas?
Quid vos, queis claro deleta eſt Marte Saguntus
Exhorter, quos nobilitant primordia belli?
Ut méque, & vobis dignum, defendite quæſo
Præteritas dextræ laudes, divûm ipſe favore,
Vincendóque ſenex patriam poſt trina labantem
Luſtra, & non viſos tam longâ ætate penates,
Ac natum, & fidæ jam pridem conjugis ora
Confiſus vobis repeto. non altera reſtat
Jam Libyæ, nec Dardaniis pugna altera reſtat.
Certatus nobis hodie dominum accipit orbis.
Annibal hæc: ſed non patiens remorantia verba
Auſonius miles, quoties dux cœperat ora
Solvere ad adfatus, ſignum pugnámque petebat.

Hæc

Hæc procul aëriâ ſpectantem nube ſororem
Ut vidit divûm genitor, mœſtóſque ſub acri
Obtutu vultus, ſic ore effatus amico eſt:
Qui te mentis edunt morſus? da noſcere conjux,
Num Pœnî caſus ducis, & Carthaginis angit
Cura tuæ? ſed enim reputa tecum ipſa furores
Sidonios: gentem contra & fatalia regna
Teucrorum, quis erit quæſo, germana, rebelli
Fractis fœderibus populo modus? ipſa malorum
Non plus Carthago tulit, exhauſtéque laboris,
Quàm pro Cadmeâ tu exercita gente tuliſti.
Turbâſti maria, ac terras, juvenémque ferocem
Immiſti Latio, tremuerunt mœnia Romæ,
Pérque bis octonos primus fuit Annibal annos
Humani generis: tempus componere gentem,
Ad finem ventum, & claudenda eſt janua belli.
Tum ſupplex Juno, neque ego mutare laborans,
Quels eſt fixa dies, pendenti nube reſedi.
Nec revocare acies, bellúmque extendere quæro:
Quæ donare potes, quoniam mihi gratia languet,
Et cecidit jam primus amor, nil fila ſororum
Adverſus poſco. vertat terga Annibal hoſti,
Ut placet, & cineres Trojæ Carthagine regnent.
Illud te gemini per mutua pignora amoris
Et ſoror & conjux oro, tranare pericla
Magnanimum patiare ducem, vitæque remittas,
Néve linas campum Auſonias perferre catenas.
Stent etiam contuſa malis mea mœnia, fracto
Nomine Sidonio, & noſtro ſerventur honori.
Sic Juno, & breviter contrà ſic Jupiter orſus.
Do ſpatium muris (ut vis) Carthaginis altæ,
Stent lacrymis precibúſque tuis; ſed percipe conjux
Quatenus indulſiſſe vacet: non longa ſuperſunt
Fata urbi, veniétque pari ſub nomine ductor,
Qui nunc ſervatas evertat funditus arces.
Æthereas quoque (uti poſcis) trahat Annibal auras
Ereptus pugnæ: miſcere hic ſidera ponto,
Et terras implere volet redeuntibus armis.
Novi fœta viri belli præcordia: ſed lex
Muneris hæc eſto noſtri: Saturnia regna
Ne poſthac videat, repetat néve ampliùs unquam
Auſoniam: nunc inſtanti raptum avehe leto,
Ne, ſi miſcebit latis fera prœlia campis,
Romulei nequeas juvenis ſubducere dextræ.
Dum ſtatuit fata omnipotens urbíque ducíque,
Invadúnt acies pugnam, & clamore laceſſunt
Sidera: non alio graviores tempore vidit
Aut populos tellus, aut qui paria arma moverent
Majores certare duces. diſcriminis alta
In medio merces, quidquid tegit undique cælum.
Ibat Agenoreus præfulgens ductor in oſtro,
Excelſúmque caput pennâ nutante levabat
Criſta rubens, ſævus magno de nomine terror
Præcedit, Latióque micat bene cognitus enſis.
At contrà ardenti radiabat Scipio cocco
Terribilem oſtentans clypeum, quo patris & unà
Cælârat patrui ſpirantes prœlia dira
Effigies, flammam ingentem frons alta vomebat.
Sub tantâ cunctis vi telorúmque virûmque,
In ducibus ſtabat ſpes & victoria ſolis.
Quin etiam ſubigit favor, ut plerumque, metúſve,
Scipio ſi Libycis eſſet generatus in oris
Sceptra ad Agenoreos eſſent ventura nepotes.
Annibal Auſoniâ genitus ſi ſede fuiſſet,
Haud dubitant terras Italâ in ditione futuras.
Contremuere auræ, rapido vibrantibus haſtis
Turbine, & horrificam traxere per æthera nubem.
Indè enſis, propiórque acies, & cominus ora
Admota, ac dirâ flagrantia lumina flammâ.
Sternitur in medium contemtrix turba pericli,
Quæ primis ſe præcipitem tulit obvia telis,
Gentiléque bibit tellus inviſa cruorem.
Fervidus ingenii Maſiniſſa, & fervidus ævi
In primas Macetûm turmas, immania membra
Infert, & jaculo circumvolat alite campum.
Cærulus haud aliter quum dimicat incola Thules,
Agmina falcifero circumvenit arcta covino.
Graia phalanx patrio densârat more catervas,
Inniaſſque adſtat nulli penetrabilis haſtis.
Immemor has pacti poſt fœdus in arma Philippus
Miſerat, & quaſſam refovebat Agenoris urbem.
Rareſcit multo laxatus vulnere miles,
Atque aperit patulos proſtrato corpore latè
Inter tela vias, irrumpit mole ruinæ
Auſonius globus, & perjuria Graia reſignat.
Archemorum Rutulus, Teucrum Norbanus, & ambos
Mantua labenti genitrix dimiſerat ævo.
Obtruncat Samiam bellacis dextra Caleni.
At Clytium Selius, Pellæum & vana tumentem
Ad nomen pátriæ Clytium, ſed gloria Pellæ
Haud valuit miſero defendere Daunia tela.
Sævior his Latios vaſtabat Bruttia ſigna
Lælius increpitans, adeóne Oenotria tellus
Deteſtanda fuit, quam per maria aſpera, pérque
Inſanos Tyrio fugeretis remige fluctus?
Sed fugiſſe ſatis fuerit: Latióne cruore
Inſuper externas petitis perfundere terras?
Hæc dicens, Silarum meditantem in prœlia, telo
Prævenit, haſta volans imo ſub gutture ſedit,
Et vitæ vociſque vias ſimul incita clauſit.
Vergilio Caudinus, acerbo Sarris Amano
Sternitur: accendunt iras, vultúſque virorum
Armorúmque habitus noti, & vox conſona linguæ.
Quos ubi nudantes conſpexit Amilcare cretus
Terga fugæ, ſtate, ac noſtram ne prodite gentem,
Vociferans ſubit, & convertit prœlia dextrâ.
Qualis in æſtiferis Garamantum fœta veneno
Attollit campis ferventi paſtus arenâ
Colla Parætonius ſerpens, latéque per auras
Undantem torquet perfundens nubila tabem.
Continuò infeſtâ portantem cuſpide vulnus
Impedit antevolans Herium, cui nobile nomen
Marrucina domus, clarúmque Teate ferebat.
Atque ille magnum nitenti, & laudibus hoſtis
Arrecto, capuli ad finem manus incita fodit,
Quærebátque miſer morienti lumine fratrem,
Quum juvenis ſubit, & leto ſtimulatus acerbo
Pleminius ſævum mucronem ante ora coruſcat,
Ac fratrem magno minitans clamore repoſcit.
Huic proles Barcæ: germanum reddere vero
Si placet, haud renuo, maneant modò fœdera noſtra,
Aſdrubalem revocare umbris: egóne aſpera ponam
Unquam in Romanos odia? aut manſueſcere corda
Noſtra ſinam? parcámque viro, quem terra creârit
Itala? tum manes inimicâ ſede repellat
* Æterna, ſocióque abigat me frater Averno.
Sic ait, & clypei propulſum pondere toto
Lubrica quà tellus lapſantis ſanguine fratris
Fallebat nixus, proſternit, & occupat enſe.
Extendit labens palmas, Heriúmque jacentem
Amplexus, junctâ lenivit morte dolorem.
Tum Libys invadit mixtæ certamina turbæ,
Convertíſque ruens per longum hoſtilia terga:
Ut cum fulminibus permixta tonitrua mundum
Terrificant, ſummíque labat domus alta parentis,
Omne hominum in terris trepidat genus, ipſáque ob ora
Lux atrox micat, & præſens adſtare viritim
Creditur intento perculſis Jupiter igne.
Parte aliâ, ceu ſola forent diſcrimina campo
Quà miſcebat agens truculentus Scipio Martem,
Aſpera pugna novas variâ ſub imagine leti
Dat formas: hic enſe jacet proſtratus adacto,
Hic ſaxo perfracta gemit lacrymabilis oſſa,
Atque hos (turpe) pavor fuſos dejecit in ora,
Horum adverſa dedit Gradivo pectora virtus.
Ipſe ſuper ſtrages ductor Rhœteïus inſtat.
Qualis apud gelidum currus quatit altior Hebrum,
Et Geticas ſolvit ferventi ſanguine Mavors
Lætus cæde nives, glaciémque Aquilonibus auctam
Perrumpit ſtridens ſub pondere belliger axis.
Jámque ardore truci luſtrans, fortiſſima quæque
Nomina obit ferro, claris ſpectata per orbem
Stragibus occumbit latè inter tela juventus.
Qui muros rapuere tuos, miſeráſque nefandi
Principium belli fecere, Saguntе, ruinas.
Qui ſacros Traſimene lacus, Phaethontia quíque
Polluerant tabo ſtagna, ac fiducia tanta
Quos tulit, ut ſuperûm regi ſoliúmque domóſque
Irent direptum. mactantur cominus uno
Exitio, reddúntque animas, temerata ferebant
Qui ſecreta deûm, & primo preſſere negatas
Greſſibus humanis Alpes, formidinis hujus
Plena acies, properè retro exanimata ruebat.
Haud ſecus, ac tectis urbis Vulcania peſtis
Quum ſeſe infudit, rapidúſque incendia flatus
Ventilat, & volucres ſpargit per culmina flammas:
Attonitum erumpit ſubitâ formidine vulgus,
Latéque ut captâ paſſim trepidatur in urbe.

Verùm ubi cunctari tædet dispersa virorum
Prœlia sectantem, & leviori Marte teneri,
Omnes, in causam belli auctorémque malorum
Vertere jam vires tandem placet. Annibal unus
Dum restet, non si muris Carthaginis ignis
Subdatur, cæsique cadant exercitus omnis,
Profectum est Latio: contrà si concidat unus,
Nequidquam fore Agenoreis cuncta arma virósque.
Illum igitur lustrans circumfert lumina campo,
Rimatúrque ducem, juvat in certamina summa
Ferre gradum, cuperétque viro concurrere totâ
Spectante Ausoniâ. celsus clamore feroci
Provocat increpitans hostem, & nova prœlia poscit.
Quas postquam audivit voces conterrita Juno,
Ne Libyci ducis impavidas ferrentur ad aures,
Effigiem informat Latiam, properéque coruscis
Attollit crinibus, addit clypeúmque jubásque
Romulei ducis, atque humeris imponit honorem
* Fulgentis saguli, dat gressus habitúsque cientis
Prœlia, & audaces addit sinè corpore motus.
Tum par effigies fallacis, imagine vanâ
Cornipedis moderanda, cito per devia passu
Belligeræ datur ad speciem certaminis umbræ.
Sic Pœni ducis ante oculos exsultat, & ultro
Scipio Junoni simulatus tela coruscat.
Ac viso latus rectore ànte ora Latino,
Et tandem propiùs sperans ingentia Pœnus,
Quadrupedi citus imponit velocia membra,
Et jacit adversam properati turbinis hastam.
Dat terga, & campo fugiens volat ales imago,
Transmittítque acies. tum verò ut victor, & alti
Jam compos voti, ferratâ calce cruentat
Cornipedem, & largas Pœnus quatit asper habenas:
Quò fugis oblitus nostris te cedere regnis?
Nulla tibi Libycâ latebra est, ô Scipio, terrâ.
Hæc ait, & stricto sequitur mucrone volantem,
Donec longinquo frustratum duxit in arva
Diversa: spatio procul à certamine pugnæ.
Tum fallax subitò simulacrum in nubila cessit.
Fulmineus ductor, quisnam se lumine cæco
Composuit nobis, inquit, deus? aut latet idem
Cur monstro? tantúmne obstat mea gloria divis?
Sed non avelles unquam quicunque secundus
Cælicolûm stas Ausoniæ, non artibus hostem
Eripies verum nobis. fræna indè citatis
Convertit furibundus equis, campúmque petebat,
Quum subitæ occulto pestis collapsa tremore
Cornipedis moles ruit, atque effluvit anhelo
Pectore, Junonis curis, in nubila vitam.
Tum verò impatiens, vestra est hæc altera, vestra
Fraus, inquit, superi: non fallitis? æquore mersum
Texissent scopuli, pelagúsque hausisset & undæ.
Anne huic servabar leto? mea signa sequuti
Queis pugnæ auspicium dedimus, cæduntur, & absens
Accipio gemitus, vocésque & verba vocantum
Annibalem. quis nostra satis delicta piabit
Tartareus torrens? simul hæc fundebat, & unà
Spectabat dextram, ac leti fervebat amore.
Tum Juno miserata virum, pastoris in ora
Vertitur, ac sylvis subitò procedit opacis.
Atque his adloquitur versantem ingloria fata,
Quænam te sylvis accedere causa subegit
Armatum nostris? num dura ad prœlia tendis,
Magnus ubi Ausoniæ reliquos domat Annibal armis?
Si velox gaudes ire, & compendia grata
Sunt tibi, vicino in medios te tramite ducam.
Adnuit, atque onerat promissis pectora largis
Pastoris, patrésque docet Carthaginis altæ
Magna repensuros, nec se leviora daturum.
Præcipitem, & vasto superantem proxima saltu
Circumagit Juno, & fallens regione viarum
Non gratam invito servat celata salutem.
Interea Cadmea manus deserta, pavénsque,
Non ullum Annibalem, nusquam certamina cernit
Sævi nota ducis, pars ferro occumbere credunt,
Pars damnâsse aciem, & superis cessisse sinistris.
Ingruit Ausonius, versósque agit æquore toto
Rector, jámque ipsæ trepidant Carthaginis arces.
Impletur terrore vago cuncta Africa pulsis
Agminibus, volucrisque fugâ sinè Marte ruentes
Tendunt attonitos extrema ad littora cursus,
Ac Tartessiacas profugi sparguntur in oras.
Pars Batti petiere domos, pars flumina Lagi.
Sic ubi vi cæcâ tandem devictus ad astra
Evomuit pastos per sæcula Vesbius ignes,
Et pelago & terris fusa est Vulcania pestis,
Videre Eoi monstrum admirabile Seres
Lanigeros cinere Ausonio eanescere lucos.
At fessum tumulo tandem regina propinquo
Sistit Juno ducem, facies unde omnis, & atræ
Apparent admota oculis vestigia pugnæ.
Qualem Gargani campum, Trebiæque paludem.
Et Tyrrhena vada, & Phaethontis viderat amnem
Strage virûm undantem, talis (miserabile visu)
Prostratis facies aperitur dira maniplis.
Tum superus Juno sedes turbata revisit.
Jámque propinquabant hostes, tumulóque subibant,
Quum secum Pœnus: cælum licèt omne solutâ
In caput hoc compage ruat, terræque dehiscant,
Non ullo Cannas abolebis Jupiter ævo.
Decedésque priùs regnis, quàm nomina gentes
Aut facta Annibalis tileant, nec deinde relinquo
Securam te Roma mei, patriæque superstes
Ad spes armorum vivam tibi: nam modò pugnâ
Præcellis, resident hostes: mihi fátque supérque,
Ut me Dardaniæ matres, atque Itala tellus
Dum vivam, exspectent, nec pacem pectore nôrint.
Sic rapitur paucis fugientum mixtus, & altos
Indè petit retro montes, tutáque latebras.
Hic finis bello. referantur protinus arces
Ausonio jam sponte duci, jura improba ademta
Armáque, & incisæ leges, opibúsque superbis
Vis fracta, & posuit gestatas bellua turres.
Excelsæ tum sæva rates spectacula Pœnis
Flammiferam accepere facem, subitáque procellâ
Arserunt maria, atque expavit lumina Nereus.
Mansuri compos decoris per sæcula rector,
Devictæ referens primus cognomina terræ,
Securus sceptri, repetit per cærula Romam,
Et patria invehitur sublimi tecta triumpho.
Antè Syphax feretro residens, captiva premebat
Lumina, & auratæ servabant colla catenæ.
Hic Anno, clarsque genus Phœnissa juventa,
Et Macetûm primi, atque incocti corpora Mauri,
Tum Nomades, notúsque sacro quum lustrat arenas
Ammoni Garamas, & semper naufraga Syrtis.
Mox victas tendens Carthago ad sidera palmas
Ibat, & effigies oræ jam lenis Iberæ,
Terrarum finis Gades, ac laudibus olim
Terminus Herculeis Calpe, Bætisque lavare
Solis equos dulci consuetus fluminis undâ.
Frondosúmque apicem subigens ad sidera mater
Bellorum fera Pyrene, nec mitis Iberus
Quum simul illidit ponto, quos attulit amnes.
Sed non ulla magis mentésque oculósque tenebat,
Quàm visa Annibalis campis fugientis imago.
Ipse adstans curru, atque auro decoratus & ostro
Martia præbebat spectanda Quiritibus ora.
Qualis odoratis descendens Liber ab Indis
Egit pampineos frænatâ tigride currus.
Aut quum Phlegræis, confectâ mole gigantum,
Incessit campis tangens Tirynthius astra.
Salve, invicte parens, non concessure Quirino
Laudibus, ac meritis non concessure Camillo.
Nec verò, quum te memorat de stirpe deorum,
Prolem Tarpeii, mentitur Roma, tonantis.

P. P A-

P. PAPINII STATII SYLVARUM LIBRI QUINQUE.

PUBLII PAPINII STATII VITA A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

PUBLIUS Statius Papinius inter poëtas heroicos relatus, haud ignobili genere ortus eſt. Quidam ſcribunt, majores ejus orlundos Epiro, diúque verſatos Sellis, non ſinè commendatione ingenii atque probitatis. Patrem Papinium habuit, qui ob inſignem eruditionem, egregiáſque virtutes civitate Neapoli donatus eſt, in quâ Statius poëta natalem ſuum habuit. Quæ res cùm locis multis indicatur, tum illis præcipuè carminibus quibus Claudiam uxorem hortatur, ut relictâ Urbe, Neapolim ſe recipiat, quò liberiùs atque faciliùs animo ſuo indulgere poſſet. Primam ætatem in ſtudiis literarum & honeſtis diſciplinis collocavit, diligentiâ Papinii patris inſtitutus. Cúmque in poëticâ facultate multum profeciſſet, brevi tempore adeptus eſt ſummam celebritatem nominis. Uxorem habuit nomine Claudiam, quæ ingenio magno fuit, miniméque vulgari doctrinâ, ut ipſe Statius alicubi refert. Quidam falsò exiſtimarunt, eandem eſſe Pollam Argentariam, quæ uxor Annei Lucani fuit, ut dictum eſt à nobis commodiùs. Compoſuit multa & varia poëmata, de quibus breviter agendum eſt. Thebaïdem libris XII. quos conſecravit Cæſ. Domitiano. In hôc opere ſequutus eſt magnâ ex parte poëtam Antimachum, qui pari argumento maximum atque operoſiſſimum opus reliquit. Neque dubium eſt, poëtam Statium in eo abſolvendo mirâ ſolertiâ uſum, & incredibili ſtudio per XII. annos. Fatetúrque liberè & ingenuè, ſe magnopere adjutum à parente ſuo in pernoſcendâ ac deſcribendâ locorum hiſtoriâ: & à ſe editum atque publicatum judicio ac monitionibus Junii Maximi, qui per ea tempora excelluit magnâ eruditione & eloquentiâ. Deinde aggreſſus eſt ſcribere opus de Achille, in quo majore ſpiritu, ac longiori carmine parabat exequi geſta illius atque virtutes: ſed per importunum obitum minimè potuit inchoatum opus perficere. Quidam exiſtimârunt fuiſſe ab eo abſolutum, ac majori ex parte amiſſum injuriâ temporum. Sylvarum libros quinque edidit, auſpicatus à Cæſare Domitiano, qui ſtudium poëticæ quantum potuit maximè ſimulavit. In his facilè probavit Statius, quantùm faveret bonis ingeniis, quantúmque amicorum ſtudiis atque officiis concederet. Idem tamen refert, ſe diu, multúmque dubitâſſe in his libellis emittendis, qui ſubito calore, & quâdam feſtinandi voluptate fluxerunt. De his Apollinaris Sidonius meminit, magnſſque laudibus proſequitur, non modò in Epiſtolis, ſed in ſuis etiam Hendecaſyllabis,

Nón quòd Papiniæ tuus meóſque,
Inter Labdacos ſonat furores:
Aut cùm fortè pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata ſylvularum.

Inter cæteros amicos præcipuè coluit Attedium Meliorem, Pollium, Septimium, Stellam, Patavinum, & Marcellum Victorium: ad quem Fabius Quintilianus libros ſuos miſit de oratoriâ inſtitutione. Cæſar Domitianus tantum ſtudii atque officiorum demonſtravit erga poëtam Statium, ut eum quandoque ſuſceperit magnifico atque apparatiſſimo convivio. De quo ſcriptum eſt carmen à Statio, adjectâ laudatione principis, quem indulgentiſſimum vocat. Idem Domitianus donavit eum inſigni coronâ, & aliis muneribus atque dignitatibus honeſtavit. Filium amiſit, cùm in tenerâ ætate eſſet: cujus acerbum interitum deflevit pater modeſtiſſimus longiori carmine: ut habetur eo ſylvarum libro, quem

quem Abstemio misit. Minimè dubium est, periisse Statium provectâ ætate, ut Grammatici nostri tebantur. Neque inclinat animus, ut verum esse existimem, quod à quibusdam scribitur, fuisse illum stylo præacuto occisum à Cæsare Domitiano, cùm tam diligenter, támque officiosè multis ac variis Poëmatis blandiatur principi in extollendis atque assiduè celebrandis illius officiis.

EADEM EX
LILIO GREGORIO GYRALDO.

POST Bassum sequebatur P. Papinius Statius, cujus de patriâ inter Grammaticos controversia fuit, usque ad Domitii tempora, Domitii, inquam, de re literariâ bene meriti, qui si non sibi & memoriæ tantum indulsisset, multa certè obtrectatores in ejus scriptis frustra, quæ reprehenderent, perquisissent. Sed de Domitio aliàs, inquit Piso, nunc de Statio, qui, ab aliquibus Tolosanus, ab aliis ex Sellis, Epiri oppido, ab aliis Neapolitanus dicitur. Tunc ego, Postquam me provocas, & Picus attentè & libenter hæc audire videtur, causam vobis exponam, cur Statio diversa statuatur Patria. Atque ut rem clarius percipiatis, Patris & Filli vitas vobis paucis recitabo, quas cùm alii, tum Pomponius Lætus, & Literarum & antiquitatis, ut scitis, bene peritus, pridem Gaspari Blondi filio conscripsit, quibusdam à me pro tempore additis. Sic agas, inquit Picus, & simul obticuit. Publius igitur, inquam ego, Papinius Statius pater, Græcâ & Latinâ linguâ eruditus, ad novissimum usque diem professus est, summo honore apud Domitianum habitus, à quo etiam est auro donatus & coronâ, digno principe erga præceptorem munere. Primus genus suum, propter inopiam & egestatem obliteratum, celebritate nominis celebre fecit, adeóque claruit, ut, quod Homero, ei contigerit; duæ enim urbes, Sellæ Epirotarum, & Neapolis Campanorum, de ejus natali solo certárunt. Singularis profectò contentio, ex quâ intelligi facilè potest, quanto in pretio tum literæ fuerunt. Qui verò Tolosanum existimárunt, inter quos Danthes fuit, poëta Hetruscorum vernaculus, decepti sunt alterius Statii rhetoris patriâ, cujus meminit Eusebius. Ex Agellinâ uxore, quam unicam habuit, & ei superstes fuit, P. Papinium Statium genuit, cujus pueritiam ac juventutem literis fovit, copiâ, varietatéque rerum refertit, & omne ejus studium, quoad vixit, juvit, operâque castigavit. Annum agens sexagesimum quintum, inexpergescibilis somni morbo, quem letharguin vocamus, perit, cujus mortem Epicedio filius prosecutus est. Multa & prosâ & carmine scripsit, si filio credimus, sed eorum nihil ad nos pervenit. Papinius verò filius, juvenis adhuc, Claudiam Claudii Apollinaris filiam, quæ Tibicini nupta fuerat, & ex eo filiam genuerat, amoris impatiens, duxit uxorem, cui tanta, ut ait Pomponius, modestia & castitas, amorisque observantia mariti, XX. annis non fraudárit. Deceptum hôc loco crediderim Pomponium, & eum secutum Maturantium, nec enim à marito Claudia tandiu abfuit. Erroris, opinor, causam præstitit, quòd parum consideratè Statii carmen ad Claudiam ipsam examinárunt. Filium cùm ex Claudiâ uxore nullum haberet, infantem sibi Statius adoptavit, quem præmaturâ extinctum morte carmine deflevit. Vergens verò ad senium Neapolim, communem ambobus patriam, Claudiam carmine revocavit; ambigitur, quis superstes fuerit. Albano certamine, Domitianus Cæsar eâdem, quâ patrem, qui præsens erat, filium coronâ, ac item agro Albano donavit, bisque auro insignivit, splendidóque ac magnifico, cum senatoribus equitibúsque Romanis convivio suscepit, id quod carmine poëta, quod Eucharisticon inscripsit, testatus est. Quo fit, ut fabulæ potiùs, quàm historiæ simile putem, quod ab aliquibus proditum est, Statium præacuto stilo à Domitiano confossum. Supersunt verò ad hæc usque tempora hæc Statii opera; Thebaïs, ut ipsemet cecinit,

——— *Multâ cruciata limâ*

atque ideireo durior & inconcinnior alicubi quibusdam videtur, quam Junii Maximi, viri eloquentissimi judicio monitúque publicavit. Antimachum argumento tantùm imitatus, nam phrasi ille tumidus & laxus, hic durus & arctior. Item Achilleïs imperfecta, in quâ longè plus doctis quibusdam, quàm in Thebaïde præstare videtur. Non defuere etiam, qui Achilleïda ipsam perfectam fuisse existimárint, sed reliquum quod deest, deperditum, ut etiam diutiùs Sylvæ fuerunt; alii, quod habemus, integrum esse; utrique magno, ut puto, actí errore, & manifestis pridem argumentis exploti. Proditum est, cùm Achilleïda esset descripturus, Crispinum Vectii Bolani filium, clarum militiâ juvenem, sibi proposuisse. Utramque verò Imperatori Domitiano dicavit. Extant & quinque Sylvarum libri, ex quibus & vehemens in eo poëmatis genere illius, & penè extemporale ingenium, & subitum calorem, ut ipse ait, percipere possitis. De quibus quidem Papinii Sylvis sic Apollinaris in hendecasyllabo, ad Felicem:

At cùm fortè pedum minuit rhythmo
Pingit gemmea prata Sylvularum.

Ex iisdem, inquam, Sylvis & amicos & fortunam, & reliquam ipsius poëtæ vitam facilè cognoscetis. Scripsisse præterea tragœdiam à nonnullis existimatur; idque Juvenalis innuere videtur, ut mox dicam. Non multum adeò Statium à suorum temporum Scriptoribus amatum eâ ratione colligo, quòd ab iis ejus nullam ferè mentionem factam video, præterquam ab Juvenale, qui & illum perstringere potiùs Satyricè videtur, quàm laudare; ita enim canit in septimâ:

Curritur ad vocem jucundam, & Carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cùm Statius urbem,
Promisitque diem, tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantáque libidine vulgi
Auditur, sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agavem.

Nec illud in præsentiâ vobis reticuerim, quod est ab Aligero Danthe, suo carmine proditum, Statium videlicet Papinium religioni Christianæ addictum fuisse, Christianisque tum laborantibus, ob metum occultè, pro virili opem tulisse, ne scilicet suppliciis cruciatibúsque, quibus tum passim afficiebantur, agitaretur ipse. In hanc autem pietatem & religionem inclinâsse idem poëta innuit, ob eos Virgilii versus ex Sibyllâ,

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,

& reliqua. Sed an Danthes deceptus sit, ut in ejusdem etiam patriâ, non vobis facilè dixerim, nam & recentiores alios nonnullos scriptores in eodem fuisse errore invenio. Legitur & epitaphium Statii à Pomponio, ut fertur, conditum, quod referre haud pretium operæ videtur.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS,

De Poëtis Latinis cap. III. pag. 45.

STATIUS Papinius Poëta, qui sub Domitiano vixit, perperam confunditur cum Statio Poëtâ, cognomine Surculo, qui claruit sub Nerone. De Rhetore sunt illa Hieronymi in Chronico Eusebiano: Olymp. CCIX. an. 1. (est is Neronis secundus) *Statius Surculus Tolosensis in Gallis celeberrimè Rhetoricam docet.* Ejus nomen verum ex Suetonii libello de Claris Rhetoribus supereſt, ubi non Surculus vocatur, sed Ursulus, ut & in Chronico MSo ad S. Victoris. *Ursi* enim & *Ursuli* familiæ sunt nomina, ut ex vett. inscriptionibus constat. At Papinius Poëta nec *Ursuli*, vel *Surculi*, cognomen habuit, nec Tolosensis fuit, sed Neapolitanus. Reliquit V. Sylvarum libros, XII. Thebaïdos, V. Achilleïdos. In Thebaïda & Achilleïda commentatus Placidus Lactantius; quem necesse est post annum vixisse quadringentesimum cùm Sedulium citet, Theodosiani ævi scriptorem: imò & post quingentesimum fuerit, cùm Boëthii meminerit. Et verò commentarius ejus cento ex Servii, Hygeni Mythologicis, & Astronomico Arateo, & quibusdam aliis, quos ad verbum exscribit. Est idem, qui Argumenta reliquit Ovidianæ Metamorphoseos. Etsi non ignorem à quibusdam *Lutatium* dici. Prius nomen agnoscit & Boccacius lib. 1. de Genealogiâ Deorum, pag. 8. *Lactantius, insignis homo, doctúsque, super Statium scribens.* Nec displicet quòd suspicantur easdem videri glossas, quæ Placidi dicuntur. Mirum verò Martialem, cùm adeò celebret Stellam Poëtam, non meminisse Statii, tanti amici Stellæ, ut ei miserit primum Sylvarum. Nempe ab invidiâ id profectum videtur. Non ferebat Martialis Papinium tantopere in gratiâ esse apud Domitianum, idque ob extemporalem in carmine felicitatem, quâ Martialis longè vincebatur. Parum amicum Papinio fuisse Martialem ex eo colligitur, quòd nunquam æqualis sui meminerit.

LIBER

LIBER PRIMUS.

EQUUS MAX. DOMITIANI.

QUÆ ſuper-impoſito moles geminata Coloſſo
Stat Latium complexa forum? Cœlóne peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis [reliquit?
Effigies, laſſum Steropem Brontémque
An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus, qualem modò frena tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age fama prior notum per ſæcula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice ſacro
Dindymon, & cæſis decrevit frondibus Ida;
Hunc neque diſciſſis cepiſſent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
Ipſe nec Æneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quòd ille nocens, ſævóſque amplexus Achivos;
Hunc mitis commendat eques, juvat ora tueri
Mixta notis belli, placidámque gerentia pacem.
Nec veris majora putes; par forma, decórque,
Par honor. exhauſtis Martem non amplior armis
Biſtonius portat ſonipes, magnóque ſuperbit
Pondere; nec tardo raptus prope flumina curſu
Fumat, & ingenti propellit Strymona flatu.
Par operi ſedes. hinc obvia limina pandit,
Qui feſſus bellis, adſcitæ munere prolis,
Primus iter noſtris oſtendit in æthera Divis.
Diſcitur è vultu quantum tu mitior armis;
Qui nec in externos facilis ſævire furores;
Das Cattis, Dacíſque fidem. te ſigna ferente
Et minor in leges iret gener, & Cato caſtris.
At laterum paſſus hinc Julia templa tuentur,
Illinc belligeri ſublimis regia Pauli.
Terga pater, blandóque videt Concordia vultu.
Ipſe autem puro celſum caput ære ſeptus
Templa ſuperſurges, & proſpectare videris,
An nova contemptis ſurgant Palladia flammis
Pulcriùs: an tacitâ vigilet face Troïcus ignis:
Atque exploratas jam laudet Veſta miniſtras:
Dextra vetat pugnas: lævam Tritonia virgo
Non gravat, & ſectæ prætendit colla Meduſæ,
Ceu ſtimulis accendat equum, nec dulcior uſquam
Lecta deæ ſedes: nec ſic pater ipſe teneres
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas,
Et quis ſe toties Temeſe dedit hauſta metallis.
It tergo demiſſa chlamys. latus enſe quieto
Securum: magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hybernis & ſidera terret Orion.
At ſonipes, habitus animóſque imitatus equeſtres,
Acriùs attollit vultus, curſúmque minatur:
Cui rigidis ſtant colla jubis, vivúſque per armos
Impetus, & tantis calcaribus ilia latè
Suffectura patent. vacuæ pro ceſpite terræ
Ænea captivi crinem terit ungula Rheni.
Hunc & Adraſtæus viſum extimuiſſet Arion.
Et pavet aſpiciens Ledæus ab æde propinquâ
Cyllarus. hic domini nunquam mutabit habenas:
Perpetuis frenis, atque uni ſerviet aſtro.
Vix ſola ſufficiunt, inſeſſáque pondere tanto
Subter anhelat humus. nec ferro aut ære laborant,
Sed Genio. tencat quamvis æterna crepido,
Quæ ſupèr ingeſti portaret culmina montis,
Cœliferíque attrita genu duráſſet Atlantis.
Nec longæ traxere moræ: juvat ipſa labores
Forma Dei præſens, operíque intenta juventus
Miratur plus poſſe manus. ſtrepit ardua pulſu
Machina: continuus ſeptem per culmina montes
It fragor, & magnæ fingit vaga murmura Romæ.
Ipſe loci cuſtos, cujus ſacrata vorago,
Famoſúſque lacus nomen memorabile ſervat,
Innumeros æris ſonitus, & verbere crudo
Ut ſenſit mugire forum, movet horrida ſancto
Ora ſitu, meritâque caput venerabile quercu.
Ac primùm ingentes habitus, lucémque coruſcam
Expavit majoris equi, térque ardua merſit
Colla lacu trepidus, lætus mox præſide viſo:
Salve magnorum proles genitórque deorum,
Auditum longè numen mihi. nunc mea felix,
Nunc veneranda palus, cùm te propè nôſſe, tuámque
Immortale jubar vicinâ ſede tueri
Conceſſum. ſemel auctor ego, inventórque ſalutis
Romuleæ; tu bella Jovis, tu prælia Rheni,
Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem,
Longo Marte domas. quòd ſi te noſtra tuliſſent
Sæcula; tentâſſes, me non audente, profundos
Ire lacus. ſed Roma tuas tenuiſſet habenas.
Cedat equus, Latiæ qui contra templa Dioneæ,
Cæſarei ſtat ſede fori. *quem tradere es auſus*
Pellæo Liſyppe duci, mox Cæſaris ora
Auratâ ſervice tulit. vix lumine feſſo
Explores, quàm longus in hunc deſpectus ab illo.
Quis rudis uſque adeò, qui non ut viderit ambos,
Tantum dicat equos, quantum diſtare regentes?
Non hoc imbriferas hyemes opus, aut Jovis ignem
Tergeminum; Æolii non agmina carceris horret,
Annorúmve moras: ſtabit dum terra, polúſque,
Dum Romana dies. hunc & ſub nocte ſilenti,
Cùm Superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cœlo, miſcebítque oſcula juxtà:
Ibit in amplexus natus, fratérque, patérque,
Et ſoror: una locum cervix dabit omnibus aſtris.
Utere perpetuùm populi magnique ſenatûs
Munere: Apelleæ cuperent te ſcribere ceræ,
Optáſſérque novo ſimilem te ponere templo
Atticus Elei ſenior Jovis. & tua mitis
Ora Taras: tua ſidereas imitantia flammas
Lumina contempto mallet Rhodos aſpera Phœbo.
Certus ames terras, & quæ tibi templa dicamus
Ipſe colas, nec te cœli juvet aula: tuóſque
Lætus huic dono videas dare thura nepotes.

II. EPITHALAMION STELLÆ ET VIOLANTILLÆ.

UNDE ſacro Latii ſonuerunt carmine montes?
Cui Pæan nova plectra moves? humeróque comanti
Facundum ſuſpendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone deæ, quatiúntque novenâ
Lampade ſolennem thalamis cœuntibus ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam,
Quas inter vultu petulans Elegia, propinquat
Celſior aſſueto, diváſque hortatur, & ambit
Alternum factura pedem: decimámque videri
Se cupit, & medias fallit permixta ſorores.
Ipſa manu nuptam genitrix Æneïa ducit
Lumina demiſſam, & dulci probitate rubentem.
Ipſa toros, & ſacra parat cœtúque Latino
Diſſimulata deam, crinem, vultúmque, genáſque,
Temperat, atque novâ geſtit minor ire maritâ.
Noſco diem, cauſáſque ſacri: te concinit iſte
(Pande fores) te Stella chorus, tibi Phœbus, & Euan,
Et de Mænaliâ volucer Tegeaticus umbrâ
Serta ferunt, nec blandus amor, nec Gratia ceſſat
Amplexum virides optatæ conjugis artus,
Floribus innumeris, & olenti ſpargere thymbrâ.
Tu modò fronte roſas, violis modò lilia mixta
Excipis, & dominæ niveis à vultibus obſtas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellæ Violantillæque profeſſus.

Clamæ

Clamaretur Hymen. cedant curaque, metúſque;
Ceſſent mendaces obliqui carminis aſtus:
Fama tace, ſubiit leges, & frena momordit
Ille ſolutus amor: conſumpta eſt fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oſcula cives.
Tu tamen attonitus (quamvis data copia tantæ
Noctis) adhuc optas, promiſſâque numine dextro
Vota paves. Pone ô dulcis ſuſpiria vates,
Pone, tua eſt, licet expoſitum per limen aperto
Ire, redire, gradu: jam nuſquam janitor, aut lex,
Aut pudor, amplexu tandem ſatiare petito
Conjugis, & duras pariter reminiſcere noctes.
Digna quidem merces, & ſi tibi Juno labores
Herculeos, Stygiis & ſi concurrere monſtris
Fata darent, ſi Cyaneos raperere per æſtus.
Hanc propter tutum Piſæâ lege trementem
Currere, & Oenomai fremitus audire ſequentis.
Nec ſi Dardaniâ paſtor temerarius Idâ
Sediſſes, hæc dona forent: nec ſi alma per auras
Te potiùs prensâ veheret Tithonia bigâ.
Sed quæ cauſa toros, inopináque gaudia vati
Attulit, hìc mecum dum fervent agmine poſtes,
Atriáque, & multâ pulſantur limina virgâ,
Hìc Erato jucunda doce, vacat apta movere
Colloquia, & docti nôrunt audire Penates.
Fortè ſerenati quâ ſtat plaga lactea cœli,
Alma Venus thalamo, pulsâ modò nocte, jacebat
Amplexu duro Getici reſoluta mariti.
Fulcra, toróſque deæ, tenerum premit agmen Amorum:
Signa petunt, quas ferre faces, quæ pectora figi
Imperet; an terris ſævire, an malit in undis,
An miſcere deos, an adhuc vexare Tonantem?
Ipſi animus nondum, nec cordi fixa voluntas:
Feſſa jacet ſtratis, ubi quondam conſcia culpæ
Lemnia repſerunt deprenſo vincula lecto.
Hìc puer è turbâ volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manúque levi nunquam fruſtrata ſagitta,
Agmine de medio, tenerâ ſic dulce profatus
Voce: (pharetrati preſſere ſilentia fratres:)
Scis, ut, mater, ait, nullâ mihi dextera ſegnis
Militiâ, quemcunque hominum, divûmque dediſti,
Uritur. at quondam lachrymis, & ſupplice dextrâ,
Et votis precibúſque virûm concede moveri,
O genitrix, duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba ſumus. Clarus de gente Latinâ
Eſt juvenis, quem patritiis majoribus ortum
Nobilitas gaviſa tulit, præſagáque formæ
Protinus è noſtro poſuit cognomina cœlo.
Hunc egomet totâ quondam (tibi dulce) pharetrâ
Improbus, & denſâ trepidantem cuſpide fixi.
Quamvis Auſoniis multùm gener ille petitus
Matribus, edomui victum, dominæque potentis
Ferre jugum, & longos juſſi ſperare per annos.
Aſt illam ſummâ, leviter (ſic namque jubebas)
Lampade, parcentes, & inermi ſtrinximus arcu.
Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes,
Teſtis ego; attonitus quantùm me nocte, diéque,
Urgentem ferat. haud ulli vehementior unquam
Incubui, genitrix, iteratáque vulnera fixi.
Vidi ego & immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec ſic metâ pallebat in ipsâ.
Vidi & Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, laudavíque manus, & ſæpe natanti
Præluxi; minor ille calor, quo ſæva tepebant
Æquora. tu veteres juvenis tranſgreſſus amores.
Ipſe ego te tantos ſtupui durâſſe per æſtus,
Firmavíque animos, blandíſque madentia plumis
Lumina deterſi, quoties mihi queſtus Apollo,
Sic vatem mœrere ſuum! jam, mater, amatos
Indulge thalamos, noſter comes ille, piúſque
Signifer armiferos poterat memorare labores,
Claráque facta virûm, & torrentes ſanguine campos,
Hinc tibi plectra dedit: mitíſque incedere vates
Maluit, & noſtrâ laurum ſubtexere myrto.
Hic juvenum lapſus, ſuáque haud externa revolvit
Vulnera. prò quanta eſt Paphii reverentia, mater,
Numinis! hic noſtræ deflevit fata Columbæ.
Dixerat: & tenerâ matris cervice pependit
Blandus, & admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert, vultu non aſpernata rogari:
Grande quidem, rarúmque viris, quos ipſa probavi,
Pierius votum juvenis cupit. hanc ego, formæ
Egregium mirata decus, cui gloria patrum,
Et generis certabat honos, tellure cadentem
Excepi, foviqne ſinu, nec colla, genaſque
Comere, nec pingui crinem deducere amomo
Ceſſavit mea, nate, manus. mihi dulcis imago
Proſiluit. celſæ procul aſpice frontis honores,
Suggeſtúmque comæ. Latias, metire, quid ultra
Emineat matres. quantùm Latonia Nymphas
Virgo premit, quantúmque egomet Nereïdas exto.
Hæc & cæruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus, & noſtrâ potuit conſidere conchâ.
Et ſi flammiferas potuiſſet ſcandere ſedes,
Háſque intrare domos, ipſi erraretis Amores.
Huic quamvis cenſus dederim largita beatos,
Vincit opes animo. Queritur jam Seras avaros
Auguſtum ſpoliare nemus, Clymeneáque deeſſe
Germina, nec virides ſatis illachrymare ſorores:
Vellera Sidonio jam pauca rubeſcere tabo,
Raráque longævis nivibus cryſtalla gelari.
Huic Hermum, fulvóque Tagum decurrere limo,
(Nec ſatis ad cultus) huic Inda monilia Glaucum
Proteáque, atque omnem Nereïda quærere juſſi.
Hanc ſi Theſſalicos vidiſſes Phœbe per agros,
Erraret Daphne ſecura. in littore Naxi
Theſeum juxta foret hæc conſpecta cubile,
Gnoſſida deſertam profugus liquiſſet & Eum.
Quòd niſi me longis placâſſet Juno queretis,
Falſus huic pennas, & cornua ſumeret æthra
Rector, in hanc vero cecidiſſet Jupiter auro.
Sed dabitur juveni, cui tu, mea ſumma poteſtas
Nate, cupis: thalami quamvis juga ferre ſecundi
Sæpe neget mœrens. ipſam jam cedere ſenſi,
Inque vicem tepuiſſe viro. ſic fata, levavit
Sidereos artus, thalamíque egreſſa ſuperbum
Limen, Amycleos ad frena citavit olores.
Jungit Amor, lætámque vehens per nubila matrem
Gemmato remone ſedet. Jam Tybridis arces
Iliacæ: pandit nitidos domus alta Penates,
Claráque gaudentes plauſerunt limina cycni.
Digna deæ ſedes, nitidis nec ſordet ab aſtris.
Hìc Libycus, Phrygiúſque filex, hìc dura Laconum
Saxa virent: hìc flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupéſque nitent, quis purpura ſæpe
Ocbalis, & Tyrii moderator livet aheni.
Pendent innumeris faſtigia nixa columnis.
Robora Dalmatico lucent ſatiata metallo.
Excludunt radios ſylvis decuſſa vetuſtis
Frigora. perſpicui vivunt in marmore fontes.
Nec ſervat Natura vices; hìc Seſtius alget,
Bruma tepet, verſúmque domus ſibi temperat annum.
Exultat viſu, tectíſque potentis alumnæ
Non ſecus alma Venus, quàm ſi Paphon æquore ab alto,
Idaliáſque domos, Erycináque templa ſubiret.
Tunc ipſam ſolo reclinem affata cubili:
Quónam hic uſque ſopor, vacuíque modeſtia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum, fideíque modus? nunquámne virili
Submittere jugo? veniet jam triſtior ætas:
Exercæ formam, & fugientibus utere donis.
Non ideo tibi tale decus, vultúſque ſuperbos,
Méque dedi, viduos ut tranſmittare per annos
Ceu non cara mihi. fatìs, ô, nimiúmque, priores
Deſpexiſſe procos. at enim hic tibi ſanguine toto
Deditus, unam omnes inter miratur, amátque,
Nec formæ, nec ſtirpis egens. nam docta per urbem
Carmina, qui juvenes, quæ non didicere puellæ?
Hunc & biſſenos (ſic indulgentia pergat
Præſidis Auſonii) cernes attollere faſces
Ante diem: certè jam nunc Cybeleïa novit
Limina, & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.
Jámque parens Latius (cujus prænoſcere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, Juvenſque curule
Indulgebit ebur, Dacas (quæ gloria major?)
Exuvias, lauróſque dabit celebrare recentes.
Ergo age junge toros, atque otia deme juventæ.
Quas ego non gentes, quæ non face corda jugavi?
Alituum pecudúmque mihi, duríque ferarum
Non renuere greges. ipſum in connubia terræ
Æthera (cùm pluviis rareſcunt nubila) ſolvo.
Sic rerum ſeries, mundíque revertitur ætas.
Unde novum Trojæ decus, ardentúmque deorum
Raptorem, Phrygio ſi non ego juncta marito?
Lydius unde meos iterâſſet Tybris Julos?
Quis ſeptemgeminæ poſuiſſet mœnia Romæ
Imperii Latiale caput? niſi Dardana furto
Cepiſſet Martem, nec me prohibente, ſacerdos?

His

His mulcet dictis, tacitúmque inspirat amorem
Connubii; redeunt animo jam dona, precésque,
Et lacrymæ, vigiléſque viri prope limina quæſtus:
Aſteris & vatis, totam cantata per urbem,
Aſteris ante dapes, nocte Aſteris, Aſteris ortu,
Quantùm non clámatus Hylas; jámque aſpera cœpit
Flectere corda libens, & jam ſibi dura videri.
Macte toris, Latios inter placidiſſime vates,
Quòd durum permenſus iter, cœptíque laboris
Prendiſti portus. tumidæ ſic transtiga Piſæ
Amnis in externos longè flammatus amores,
Flumina demerſo trahit intemerata canali,
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes; miratur dulcia Naïs
Oſcula, nec credit pelago veniſſe maritum.
Quis tibi tunc alacri, cœleſtum munere claro,
Stella dies? quanto ſalierunt pectora voto,
Dulcia cùm dominæ dexter connubia vultus
Annuit! ire polo, nitidóſque errare per axes
Viſus. Amyclæis minùs exultavit arenis
Paſtor, ad Idæas Helenâ veniente carinas.
Theſſala nec talem viderunt Pelea Tempe,
Cùm Thetin Æmoniis Chiron accedere terris
Erecto proſpexit equo. Quàm longa morantur
Sidera! quàm ſegnis votis Aurora mariti!
At procul ut Stellæ thalamos ſenſere parari
Latous vatum pater, & Semeleïus Euan;
Hic movet Ortygiâ, movet hic rapida agmina Nysâ;
Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thymbræ,
Et Parnaſſus honos; illi Pangea reſultant,
Iſmaráque, & quondam genialis littora Naxi.
Tunc caras iniere fores, comitſque canoro
Hic chelyn, hic flavam maculoſo nebrida tergo,
Hic thyrſos, hic plectra ferit, hic enthea lauro
Tempora, Minoâ crinem premit ille coronâ.
Vixdum emiſſa dies, & jam ſocialia præſtò
Omina. jam feſtâ fervet domus utraque pompâ.
Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis,
Et pars immenſæ gaudet celeberrima Romæ.
Omnis honos, cunéti veniunt ad limina faſces,
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu.
Hic eques; hìc juvenum cœtu ſtola mixta laborat.
Felices utroſque vocant, ſed in agmine plures
Invidere viro. Jam dudum poſte reclinis
Quærit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat, dat Juno verenda
Vincula, & inſigni geminat Concordia tædâ:
Hic fuit ille dies: noctem canat ipſe maritus,
Quantum nôſſe licet. Sic victa ſopore doloſo
Martia flumineâ poſuit latus Ilia ripâ:
Non talis niveos ſtrinxit Lavinia vultus,
Cùm Turno ſpectante rubet: non Claudia talis
Reſpexit populos notâ jam virgo carinâ.
Nunc opus Aonidum comites, tripodúmque miniſtri
Diverſis certare modis: eat enthea vittis,
Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovánti
Quiſque lyrâ. ſed præcipuè qui nobile greſſu
Extremo fraudatis opus, date carmina feſtis
Digna toris. hunc ipſe Coo plaudente Philetas,
Callimachúſque ſenex, Umbróque Propertius antro,
Ambiſſent laudare diem, nec triſtis in ipſis
Naſo Tomis, divéſque foco lucente Tibullus.
Me certè non unus amor, ſimpléxque canendi
Cauſa trahit: tecum ſimiles, junctæque Camœnæ
Stella mihi, multúmque pares bacchamur ad aras,
Et ſociam doctis haurimus ab amnibus undam;
At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulciſque ſolo tu gloria noſtro
Reptâſti: nitidum conſurgat ad æthera tellus
Euboïs, & pulchrâ tumeat Sebetos alumnâ.
Nec tibi ſulphureis Lucrinæ Naïdes antris,
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
Eja age præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui caſtra regant, qui carmina ludant.
Acceleret partu decimum bona Cynthia menſem.
Sed parcat Lucina precor. túque ipſe parenti
Parce puer, ne mollem uterum, ne ſtantia lædas
Pectora: cúmque tuos tacito Natura receſſu
Formârit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre feras. At tu pulcherrima formâ
Italidum, tandem merito poſſeſſa marito,
Vincla diu quæſita fove. ſic damna decoris
Nulla tibi, longæ viridis ſic flore juventæ
Perdurent vultus, tardéque hæc forma ſeneſcat.

¶

III. Villa Tiburtina Manlii Vopisci.

Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci
Si quis, & inſerto geminos Aniene penates,
Aut potuit ſociæ commercia noſcere ripæ,
Certantéſque ſibi dominum defendere villas;
Illum nec calido latravit Scirius altro,
Nec gravis aſpexit Nemees frondentis alumnus.
Talis hyems tectis, frangunt ſic improba ſolem
Frigora, Piſæúmque domus non æſtuat annum.
Ipſa manu tenerâ tectum ſcripſiſſe Voluptas.
Tunc Venus Idaliis unxit faſtigia ſuccis,
Permulſitque comis, blandúmque reliquit honorem
Sedibus, & volucres vetuit diſcedere natos.
O longùm memoranda dies! quæ mente reporto
Gaudia! quàm laſſos per tot miracula viſus!
Ingenium quàm mite ſolo! quæ forma beatis
Arte manûs conceſſa locis! non largiùs uſquam
Indulſit Natura ſibi. nemora alta citatis
Incubuere vadis, fallax reſponſat imago
Frondibus, & longas eadem fugit umbra per undas.
Ipſe Anien (miranda fides) infráque, ſupérque
Saxeus; hic tumidam rabiem, ſpumoſáque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopiſci
Pierióſque dies, & habentes carmina ſomnos.
Littus utrumque domi: nec te mitiſſimus amnis
Dividit, alternas ſervant prætoria ripas,
Non externa ſibi, fluviúmve obitare queruntur.
Seſtiacos nunc fama ſinus, pelagúſque natatum
Jactet, & audaci junctos delphinas ephebo:
Hic æterna quies, nullis hìc jura procellis,
Nuſquam fervor aquis. datur hìc tranſmittere viſus,
Et voces, & penè manus: ſic Chalcida fluctus
Expellunt reflui: ſic diſſociata profundo
Bruttia Sicanium circumſpicit ora Pelorum.
Quid primun, mediúmve canam? quo fine quieſcam?
Auratáſne trabes? an Mauros undique poſtes?
An picturatâ lucentia marmora venâ
Mirer? an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?
Huc oculis, huc mente trahor. venerabile dicam
Lucorum ſenium? te quæ vada fluminis infra
Cernis? an id ſylvas quæ reſpicis, aula, tacentes?
Quà tibi tota quies, offenſáque turbine nullo
Nox ſilet, & nigros imitantia murmura ſomnos.
An quæ gramineâ ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quáque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas.
Vidi artes, veterúmque manus, variſſque metalla
Viva modis. labor eſt, auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quicquid & argento primum, vel in ære Myrónis
Luſit, & enormes manus eſt experta Coloſſos.
Dum vagor aſpectu, viſúſque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes. nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ
Monſtravere ſolum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, ſuperátque novis aſarota figuris.
Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer,
Aut quid partitis diſtantia tecta trichoris?
Quid te, quæ mediis ſervata penatibus, arbor,
Tecta per & poſtes liquidas emergis in auras,
Quo non ſub domino ſævas paſſura bipennes?
Et nunc ignaro forſan vel lubrica Naïs,
Vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.
Quid referam alternas gemino ſuper aggere menſas;
Albentéſque lacus, altóſque in gurgite foſſes?
Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem
Martia, & audaci tranſcurris flumina plumbo?
An ſolum Ioniis ſub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducat ſemita portus?
Illis ipſe antris Anienus fonte relicto,
Nocte ſub arcanâ glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili proſternit pectora muſco:
Aut ingens in ſtagna cadit, vitreáſque natatu
Plaudit aquas: illâ recubat Tiburnus in umbrâ,
Illic ſulphureos cupit Albula mergere crines.
Hæc domus, Ægeriæ nemoralem abjungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia poſſit
Taygeta, & ſylvis arceſſere Pana Lycæis.
Quod ni templa darent alias Tirynthia ſortes,
Et Prænellinæ poterant migrare ſorores,

Quid

Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vósque,
Qui nunquam vacui prodítis in æthera rami?
Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, littúsque cruenti
Antiphatæ: cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis, arcéſque ſuperbæ
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant quæ te jam ſolibus arctis
Avia nimbosâ revocabunt littora brumâ.
Scilicet hìc illi meditantur pondera mores:
Hìc premitur fœcunda quies, virtúſque ſerenâ
Fronte gravis, ſanúſque nitor, luxúque carentes
Deliciæ, quas ipſe ſuis digreſſus Athenis
Mallet deſerto ſenior Gargettius horto.
Hæc per & Ægeas hyemes, Pliadúmque nivoſum
Sidus, & Oleniis dignum petiiſſe ſub aſtris.
Si Maleæ credenda ratis, Siculóſque per æſtus
Sit via: cur oculis ſordet vicina voluptas?
Hìc tua Tiburtes Faunos chelys, & juvat ipſum
Alciden, dictúmque lyrâ majore Catillum.
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora, ſive
Liventem ſatyram nigrâ rubigine turbes:
Seu tua non altâ ſplendeſcat epiſtola curâ,
Digne Midæ, Crœſique bonis, & Perſide gazâ,
Macte bonis animi! cujus ſtagnantia rura
Debuit, & flavis Hermus tranſcurrere ripis,
Et limo ſplendente Tagus, ſic docta frequentes
Otia, ſic omni detectus pectora nube
Finem Neſtoriæ precor egrediare ſenectæ.

IV. Soteria pro Rutilio Gallico.

Estis iô Superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus: videt alma pios Aſtræa, Jovíque
Conciliata cadit, dubitatáque ſidera cernit
Gallicus. Es cælo, dîs es, Germanice, cordi,
Quis neget? erubuit tanto ſpoliare miniſtro
Imperium Fortuna tuum. ſtat proxima cervix
Ponderis immenſi, damnoſáque fila ſenectæ
Exuit, atque alios melior revireſcit in annos.
Ergo alacres, quæ ſigna colunt urbana, cohortes,
Inque ſinum quæ ſæpe tuum fora turbida queſtu
Confugiunt, legéſque, urbéſque ubicunque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant jura querelis,
Certent lætitiâ: nollérque ex ordine collis
Confremat, & ſileant pejoris murmura famæ.
Quippe manet, longúmque ævo redeunte manebit,
Quem penès intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.
Nec tantum induerint fatis nova ſæcula crimen,
Aut inſtaurati peccaverit ara Terenti.
Aſt ego nec Phœbum (quanquam mihi ſurda ſinè illo
Plectra) nec Aonias decimâ cum Pallade divas,
Aut mitem Tegeæ, Dircéſve hortabor alumnum:
Ipſe veni, virésque novas, animúmque miniſtra,
Qui caneris. docto nec enim ſinè numine, tantus
Auſoniæ decora ampla togæ, centúmque dediſti
Judicium, mentémque viris. licèt enthea vatis
Excludat Pimplæa ſitim: nec conſcia detur
Pirene: largos potior mihi gurges in hauſtus,
Qui rapitur de fonte tuo: ſeu plana ſolutis
Cùm ſtruis orſa modis, ſed cùm tibi dulcis in artem
Frangitur, & noſtras curat facundia leges.
Quare age, ſi Cereri ſua dona, merúmque Lyæo
Reddimus, & dives prædæ, tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo, captiváque tela
Bellipotens; nec tu quando tibi Gallice majus
Eloquium, fandíque opibus ſublimis abundas;
Sperne coli tenuiore lyrâ: vaga cingitur aſtris
Luna, & in Oceanum rivi cecidere minores.
Quæ tibi ſollicitus perſolvit præmia morum
Urbis amor? quæ tum Patrúmque Equitúmque notavi
Lumina, & ignaræ plebis lugere potentes?
Non labente Numâ timuit ſic curia felix,
Pompeio nec celſus eques, nec fœmina Bruto,
Hoc illud; triſtes invitum audire catenas:
Parcere verberibus, nec quà jubet alta poteſtas
Ire, ſed armatas multùm ſibi demere vires:
Dignarſque manus humiles, & verba precantum:
Reddere jura foro, nec proturbare curules,
Et ferrum mulcere togâ, ſic itur in alta
Pectora, ſic mixto reverentia fidit amori.
Ipſa etiam cunctos gravis inclementia fati
Terruit, & ſubiti præceps juvenile pericli,
Nil cunctante malo, non illud culpa ſenectæ,
(Quippe ea biſſenis vix dum orſa excedere luſtris)
Sed labor intendens, animſque in membra vigentis
Imperium, vigiléſque ſuo pro Cæſare curæ,
Dulce opus, hinc feſſos penitus ſubrepſit in artus
Inſidioſa quies, & pigræ oblivia vitæ:
Tunc Deus, Alpini qui juxta culmina dorſi
Signat Apollineos ſancto cognomine lucos,
Reſpicit, heu, tanti pridem ſecurus alumni,
Prægreſſúſque moras: hunc mecum Epidauria proles,
Hinc alti gaudens datur aggredienda facultas.
Ingentem recreare virum tentemus adorti.
Tendatis jam fila colos, nec fulminis atri
Sit metus: has ultro laudârit Jupiter artes.
Nam neque plebeiam, aut dextro ſinè numine cretam
Servo animam. Atque adeò, breviter, dum tecta ſubimus,
Expediam. Genus ipſe ſuis, præmiſſâque retro
Nobilitas, nec origo latet, ſed luce ſequente
Vincitur, & magno gaudet ceſſiſſe nepoti.
Prima togæ virtus: illâ quoque clarus, & ingens
Eloquio, mox innumeris exercita caſtris,
Occiduas, primáſque domos, & ſole ſub omni
Permeruit jurata manus. nec in otia pacis
Permiſſum laxare animos, ferrúmque recingi.
Hunc Galatia vigens auſa eſt inceſſere bello.
Hunc quoque pérque novem timuit Pamphylia meſſes:
Pannoniúſque ferox, arcúque horrenda fugaci
Armenia, & patiens Latii jam pontis Araxes.
Quid geminos faſces, magnæque iterata revolvam
Jura Aſiæ? velit illa quidem ter habere, quatérque
Hunc ſibi, ſed revocant faſti, majórque curulis,
Nec promiſſa ſemel. Libyci quid mira tributi
Obſequia, & miſſum medià de pace triumphum
Laudem, & opes tantas? nec qui mandaverat, auſus
Expectare fuit. gaudet Tralinenus, & Alpes,
Cannenſéſque animæ: primúſque iniigne tributum
Ipſe palàm lacerâ poſcebat Regulus umbrâ.
Non vacat Arctoas acies, Rhenúmque rebellem
Captivæque preces Veledæ, & (quæ maxima nuper
Gloria) depoſitam Dacis pereuntibus urbem
Pandere. cùm tanti, lectus, rectoris habenas,
Gallice, fortunâ non admirante ſubiſti.
Hunc igitur (ſi digna loquor) rapiemus iniquo,
Nate, Jovi. rogat hoc Latiæ pater inclytus urbis:
Et meruit. neque enim fruſtra mihi nuper honora
Carmina patritio pueri ſonuiſtis in oſtro.
Si qua ſalutifero gemini Chironis in antro
Herba, tholo quodcunque tibi Trojana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat. Idæâ profert quam Creta ſub umbrâ
Dictamni florentis, opem, quóque anguis abundat
Spumatu. jungam ipſe manus, atque omne benignè
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis,
Aut Amphryſiaco paſtor de gramine carpſi.
Dixerat. inveniunt poſitos jam ſegniter artus,
Pugnantémque animam; ritu ſe cingit uterque
Pæonio, monſtrántque ſimul, paréntque volentes,
Donec letiferas vario medicamine pelles,
Et ſuſpecta mali ruperunt nubila ſomni.
Adjuvat ipſe Deus, morbóque valentior omni
Occupat auxilium, citiùs non arte refectus
Telephus Æmoniâ, nec quæ metuentis Atridæ
Sæva Machaonio coïerunt vulnera ſucco.
Quis mihi tot cœtus inter populſque patrúmque,
Sit curæ, votſque locus? tamen ardua teſtor
Sidera, téque pater vatum Tymbræe, quis omni
Luce mihi, quis nocte timor? dum poſtibus hærens
Aſſiduus, nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta
Auguror? immenſæ veluti connexa carinæ
Cymba minor, cùm ſævit hyems; pro parte, furentes
Parva receptat aquas, & eodem volvitur Auſtro.
Nectite nunc lætæ candentia fila ſorores,
Nectite. nemo modum tranſmiſſi computet ævi,
Hic vitæ natalis erit. tu Troïca dignus
Sæcula, & Euboïci tranſcendere pulveris annos,
Neſtoreóſque ſitus: Quâ nunc tibi pauper acerrâ
Digna litem? nec ſi vacuet Mevania valles,
Aut præſtent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam, ſed ſæpe Deis hos inter honores
Ceſpes, & exiguo placuerunt farra ſalino.

V. Balneum Claudii Etrusci.

NON Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro,
Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
Et te Phœbe choris, & te, dimittimus Euan;
Tu quoque mota feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
Terga premas: alios poscunt mea carmina cœtus.
Naïdas undarum dominas, regémque coruſci
Ignis, adhuc festum, Siculâque incude rubentem
Elicuisse satìs: paulùm arma nocentia, Thebæ,
Ponite: dilecto volo lascivire sodali.
Junge puer cyathos, atque enumerare labora,
Cunctantémque intende chelym: discede labórque,
Curáque, dum nitidis canimus gemmantia saxis
Balnea, dúmque procax myrtis hederísque, solutâ
Fronte, verecundo Clio mea ludit Etrusco.
Ite deæ virides, liquidósque advertite vultus,
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Veste nihil tectæ: quales emergitis altis
Fontibus, & viſu Satyros torquetis amantes.
Non vos quæ culpâ decus infamâstis aquarum
Sollicitare juvat. procul hinc, & fonte doloso
Salmacis, & viduæ Cebrenidos arida luctu
Flumina, & Herculei prædatrix cedat alumni.
Vos mihi quæ Latium, septenâque culmina Nymphæ
Incolitis, Tybrímque novis attollitis undis,
Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat, Marsâsque nives, & frigora ducens
Martia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.
Vestrum opus aggredimur. vestra est quam carmine molli
Pando domus. non unquam aliis habitâstis in antris
Ditiùs, ipsa manus tenuit Cytherea mariti,
Monstravítque artes, neu vilis flamma caminos
Ureret, ipsa faces volucrum succendit Amorum,
Non huc admissæ Thasos, aut undosa Caristos.
Mœret onyx longè, queritúrque exclusus ophites,
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys:
Quásque Tyrus niveas secat, & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ; viridis cùm regula longo
Synnada distinctu variat; non limina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species, animósque nitent: stupet ipse beatas
Circumplexus opes, & parciùs imperat ignis.
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, útque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium: nusquam Temesea notabis
Æra, sed argento felix propellitur unda,
Argentóque cadit, labrísque nitentibus instat
Delicias mirata suas, & abire recusat.
Extrà autem niveo qui margine cærulus amnis
Vivit, & in summum fundo patet omnis ab imo.
Cui non ire lacu, pigrósque exolvere amictus
Suadeat? hôc mallet nasci Cytherea profundo:
Hìc te perspicuum meliùs Narcisse videres:
Hìc velox Hecate velit & deprensa lavari.
Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem?
Nec si Baianis veniat novus hospes ab oris,
Talia despiciat, fas sit componere magnis
Parva; Neroneâ nec qui modò lotus in undâ,
Hìc iterum sudare neget. Macte, oro, nitenti
Ingenio, curâque puer: tecum illa senescant,
Et tua jam meliùs discat fortuna renasci.

VI. Kal. Decembres Saturnales.

ET Phœbus Pater, & severa Pallas,
Et Musæ procul ite feriatæ:
Jani vos revocabimus Kalendis.
Saturnus mihi compede exolutâ:
Et multo gravidus mero December,
Et ridens Jocus, & sales protervi
Adsint, dum refero diem beatam
Læti Cæsaris, ebriámque partem.
Vix Aurora novos movebat ortus,
Jam bellaria adoreâ pluebant,
Hunc rorem veniens profudit Eurus.
Quidquid nobile Ponticis nucetis,
Fœcundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas percoquit Ebusia Cannas,
Largis gratuitum cadit rapinis.
Molles Caïoli, Lagunculsque,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, & latente palmâ
Prægnantes caryotides cadebant.
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Plias;
Qualis per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concutit serenam,
Ducat nubila Jupiter per orbem,
Et latis pluvias minetur agris,
Dum nostri Jovis hi ferantur imbres.
Ecce autem caveas subit per omnes,
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera, non minor sedente.
Hi pannaria, candidásque mappas
Subvectant, epulásque lautiores,
Illi Massica vina largiuntur.
Idæos totidem putes ministros.
Orbem, quà melior severiórque est,
Et gentes alis insimul togatas:
Et cùm tot populos beata pascas,
Hunc, annona, diem superba nescis.
I nunc sæcula compara, Vetustas,
Antiqui Jovis, aureúmque tempus:
Non sic libera vina tunc fluebant,
Nec tardum seges occupabat annum,
Unâ vescitur omnis ordo mensâ,
Parvi, Fœmina, Plebs, Eques, Senatus,
Libertas reverentiam remilit.
Et tu quin etiam (quis huc vocare,
Quis promittere possit hoc Deorum?)
Nobiscum socias dapes insti.
Jam se, (quisquis is est) inops, beatus
Convivam ducis esse gloriatur.
Hos inter fremitus, novósque luxus,
Spectandi levis effugit voluptas:
Stat sexus rudis, insciúsque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanain, ferúmque Phasin,
Thermodontiacas calere turmas.
Hìc audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura brevi statu peracto,
Nodosum semel in globum ligavit:
Edunt vulnera, conserúntque dextras,
Et mortem sibi (quâ manu?) minantur.
Ridet Mars pater, & cruenta Virtus:
Casuræque vagis grues rapinis,
Mirantur pumilos ferociores.
Jam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio, quos agit tumultus?
Huc intrant faciles emi puellæ:
Hìc agnoscitur omne quod theatris
Aut formâ placet, aut probatur arte.
Hôc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Illìc cymbala, tinnulæque Gades:
Illìc agmina confremunt Syrorum,
Hìc plebs scenica, quæque comminutis
Permutat vitreis gregale sulfur.
Inter quæ subito cadunt volatu,
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridúsque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub Austro.
Desunt qui rapiant, sinúsque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.
Tollunt innumeras ad astra voces,
Saturnalia principis sonantes,
Et dulci dominum favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Cæsar.
Vix dum cærula nox subibat orbem,
Descendit mediâ nitens arenâ
Densas flammeus orbis inter umbras,
Vincens Gnosiacæ facem coronæ.
Collucet polus ignibus, nihilque
Obscuræ patitur licere nocti.
Fugit pigra quies: inérsque somnus,
Hæc cernens, alias adivit urbes.
Quis spectacula, quis jocos licentes,
Quis convivia, quis dapes inemptas,
Largi flumina quis canat Lyæi:
Jamjam deficio, tuóque Baccho
In serum trahor ebrius soporem,

Quos ibit procul hic dies per annos!
Quàm nullo ſacer exoleſcet ævo!
Dum montes Latii, patérque Tybris,
Dum ſtabit tua Roma, dúmque terris
Quod reddis Capitolium, manebit.

LIBER SECUNDUS.

I. Glaucias Atedii Melioris Delicatus.

QUOD tibi prærepti, Melior, ſolamen alumni,
Improbus ante rogos, & adhuc vivente favillâ
Ordiar? abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.
Cùm jam egomet cantus, & verba medentia ſævus
Conſero, tu planctus, lamentáque fortia mavis,
Odiſtique chelym, ſurdâque averteris aure.
Intempeſta cano: citiùs me tigris abactis
Fœtibus, orbatique velint audire leones,
Nec ſi tergeminum Siculâ de virgine carmen
Affluat, aut ſylvis chelys intellecta, ferſque;
Mulceat inſanos gemitus. ſtat pectore demens
Ductus, & admoto latrant præcordia tactu.
Nemo vetat: ſatiare malis, ægrúmque dolorem
Libertate doma. jam flendi expleta voluptas?
Jámne preces feſſus non indignaris amicas?
Jámne canam? lachrymis en & mea carmina, in ipſo
Ora natant, triſtéſque cadunt in verba lituræ.
Ipſe etenim tecum nigræ ſolemnia pompæ,
Spectatúmque urbi ſcelus, & puerile feretrum
Produxi: & ſævos damnati thuris acervos,
Plorantémque animam ſupra ſua funera vidi:
Téque patrum gemitus ſuperantem, & brachia matrum,
Complexúmque rogos, ignémque haurire parantem
Vix tenui ſimilis comes, offendíque tenendo.
Et nunc (heu) vittis, & frontis honore ſoluto,
Infauſtus vates vexo mea pectora tecum:
Plango lyrâ: & diri comitem ſociúmque doloris
(Si merui luctúſque tui conſortia ſenti)
Jam lenis patiare precor, me fulmine in ipſo
Audivere patres: ego juxta buſta profuſis
Matribus, atque piis cecini ſolatia natis,
Et mihi, cùm proprios gemerem defectus ad ignes
Quem, Natura, Patrem? Nec te lugere ſeverus
Arceo, ſed conſer gemitus, paritérque flcamus.
Jamdudum dignos aditus, laudúmque tuarum
O meritò dilecte puer, primordia quærens
Diſtrahor. hinc anni ſtantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit indè modeſtia præcox,
Et pudor, & tenero probitas maturior ævo.
O ubi purpureo ſuffuſus ſanguine candor!
Sidereſque orbes, radiatáque lumina cœlo!
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingenuíque ſupèr crines, molliſque decoræ
Margo comæ? blandis ubinam ora arguta querelis?
Oſculáque impliciti vernos redolentia flores?
Et mixtæ riſu lachrymæ? penitúſque loquentis
Hyblæis vox mixta favis? cui ſibila ſerpens
Poneret, & ſævæ vellent ſervire novercæ?
Nil veris affingo bonis: heu lactea colla,
Brachiáque, & nunquam domini ſinè pondere cervix!
O ubi venturæ ſpes non longinqua juventæ,
Atque genis optatus honos? juratáque multùm
Barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora
Hoſtiliſque dies, nobis meminiſſe relictum.
Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? quis curas, mentíſque arcana remittet?
Accenſum quis bile feret? famuliſque tumentem
Leniet? ardentíque in ſe deflectet ab irâ?
Inceptas quis ab ore dapes, libatáque vina
Auferet? & dulci turbabit cuncta rapinâ?
Quis matutinos abrumpet murmure ſomnos
Impoſitus ſtratis? abitúſque morabitur arctis
Nexibus, atque ipſo revocabit ad oſcula poſte?
Obvius intranti rurſus quis in ora, manúſque,
Protiliet? brevibúſque humeros circundabit ulnis?
Muta domus (fateor) deſolatique penates,
Et ſitus in thalamis, & mœſta ſilentia menſis.
Quid mirum, tanto ſi te pius altor honorat
Funere? tu domino requies, portúſque ſenectæ,
Tu modò deliciæ, dulces modò pectore curæ,
Non te barbaricæ verſabat turbo cataſtæ,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compoſitóſque ſales, meditatáque verba locutus,
Quæſiſti laſcivus herum, tardéque parâſti;
Hinc domus, hinc ortus, dominſque penatibus olim
Carus uterque parens, atque in tua gaudia liber,
Ne quererere genus, raptum te protinus alvo
Suſtulit exultans, ac primâ lucida voce
Aſtra ſalutantem dominus ſibi mente dicavit,
Amplexúſque ſinu tulit, & genuiſſe putavit.
Fas mihi ſanctorum veniâ dixiſſe parentum,
Túque, oro, Natura, ſinas, cui prima per orbem
Jura animis ſociare datum: non omnia ſanguis
Proximus, aut ſerie generis demiſſa propago,
Alligat; interiùs nova ſæpe, adſcitáque ſerpunt
Pignora connexis. natos genuiſſe neceſſe eſt,
At legiſſe juvat. Tenero ſic blandus Achilli
Semiter Æmonium vincebat Pelea Chiron.
Nec ſenior Peleus natum comitatus in arma
Troïca, ſed caro Phœnix hærebat alumno.
Optabat longè reditus Pallantis ovantes
Evander, fidus pugnas ſpectabat Acetes.
Cúmque procul nitidis genitor ceſſaret ab aſtris,
Fluctivagus volucrem comebat Perſea Dictys.
Quid referam altricum victos pietate parentes?
Quid te poſt cineres, deceptáque funera matris,
Tutiùs Inoo reptantem pectore Bacche?
Jam ſecura parens Thuſcis regnabat in undis
Ilia, portantem laſſabat Romulus Accam.
Vidi ego tranſſertos alieno in robore ramos,
Altiùs ire ſuis: & te jam fecerat illi
Mens, animúſque patrem, necdum moréſve, decórve,
Tu tamen & mutas etiam tum murmure voces,
Vagitúmque rudem, fletúſque infantis amabas.
Ille, velut primos expiraturus ad Auſtros
Mollibus in pratis altè flos improbus extat;
Sic tener ante diem, vultu, greſſúque ſuperbo,
Vicerat æquales; multúmque reliquerat annos.
Sive catenatis curvatus membra palæſtris
Staret, Amyclæâ conceptum matre putares.
Oebaliden illo præceps mutaret Apollo:
Alcides penſaret Hylan, ſeu Graius, amictu
Attica facundi decurreret orſa Menandri;
Laudaret gaviſa ſonum, crinémque decorum
Fregiſſet roſeâ laſciva Thalia coronâ.
Mæonium ſive ille ſenem, Trojæque labores
Diceret, aut caſus tardè remeantis Ulyſſi;
ipſe pater ſenſus, ipſi ſtupuere magiſtri.
Scilicet infauſtâ Lacheſis cunabula dextrâ
Attigit, & gremio puerum complexa fovebat
Invidia: illa genas, & adultum comere crinem,
Et monſtrare artes, & verba refringere, quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores,
Cœperat aſſurgens, ſed adhuc infantia mixta;
Jam tamen & validi greſſus, menſuráque major
Cultibus, & viſæ puero decreſcere veſtes.
Cùm tibi, quas veſtes, quæ non geſtamina mitis
Feſtinabat herus? brevibus conſtringere lænis
Pectora, & angustâ telas arctare lacernâ.
Enormes non ille ſinus, ſed ſemper ad annos
Texta legens, modò Puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante ſinu, nunc dulcè rubenti
Murice, nunc vivis digitos incendere gemmis
Gaudebat; non turba comes, non munera ceſſant:
Sola verecundo deerat prætexta decori.
Hæc fortuna domûs: ſubitas inimica levavit
Parca manus, quò diva feros gravis exeris ungues?
Non te forma movet? non te lachrymabilis ætas?
Hunc nec ſæva viro potuiſſet carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis durâſſet in iras,
Editus Æoliâ nec ſi foret iſte Creüſâ,
Torvus ad hunc Athamas inſanos flecteret arcus.
Hunc quamquam Hectoreos cineres, Trojámque peroſus,
Turribus è Phrygiis flêſſet miſſurus Ulyſſes.
Septima lux: & jam frigentia lumina torpent,
Jam complexa manu crinem tenet Infera Juno.
Ille tamen Parcis fragiles urgentibus annos,
Te vultu moriente videt, linguâque cadente
Murmurat: in te omnis vacui jam pectoris efflat
Reliquias: ſolum meminit, ſolúmque vocantem
Exaudit, tibíque ora movet, tibi verba relinquit,
Et prohibet gemitus, conſolatúrque dolentem.
Gratum eſt, fata, tamen, quod non mors lenta jacentis

Ex-

y Google

Exedit puerile decus, manésque ſubivit
Integer, & nullo temeratus corpora damno.
Qualis erat. Quid ego exequias, & prodiga flammis
Dona loquar, mœstóque ardentia funera luxu?
Quòd tibi purpureo triſtis rogus aggere crevit:
Quòd Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quódque Arabes, Phariſque Palæſtinſque liquores
Arſuram lavere comam? cupit omnia ferre
Prodigus, & totos Melior ſuccendere cenſus,
Deſertas exoſus opes, ſed non capit ignis
Invidus, atque arctæ deſunt in munera flammæ.
Horror habet ſenſus: qualem te funere ſummo,
Atque rogum juxta, Melior placidiſſime quondam,
Extimui! túne ille hilaris, comíſque videri?
Unde animi, ſævæque manus, & barbarus horror?
Tu modò fuſus humi, lucem averſaris iniquam,
Nunc torvus, pariter veſtes & pectora rumpis,
Dilectóſque premis viſus, & frigida lambis
Oſcula. erant illìc genitor, Matérque jacentis
Mœſta; ſed attoniti te ſpectavere parentes.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, & prævia ſtéruht
Agmina. Flaminio quæ limite Milvius agger
Tranſvehit, immeritus flammis dum triſtibus infans
Traditur, & gemitum formâque ævóque meretur.
Talis in Iſthmiacos prolatus ab æquore portus
Naufragus impoſitâ jacuit ſub matre Palæmon.
Sic & in anguiferæ ludentem gramine Lernæ
Præciſum ſquammis avidus bibit anguis Ophelten.
Pone metus, letſque minas deſiſte vereri:
Illum nec terno latrabit Cerberus ore,
Nulla ſoror flammis, nulla aſſurgentibus hydris
Terrebit, quin ipſe avidæ trux navita cymbæ
Interiùs ſteriles ripas, & aduſta ſubibit
Littora, ne puero dura aſcendiſſe facultas.
Quid mihi gaudebit proles Cyllenia virgâ
Nuntiat? eſtne aliquid tam ſævo in tempore lætum?
Noverat effigiem, generoſíque ardua Blæſi
Ora puer, dum ſæpe domi nova ſerta ligantem
Te videt, & ſimiles volventem pectore curas.
Hunc ubi Lethæi luſtrantem gurgitis oras
Auſonios inter proceres, ſeriémque Quirini
Agnovit, timidè primùm veſtigia jungit
Acceſſu tacito, ſummóſque laceſſit amictus.
Indè magìs ſequitur, neque enim magìs ille trahentem
Spernit, & ignotâ credit de ſtirpe nepotum.
Mox ubi delicias, & rari pignus amici
Senſit, & amiſſi puerum ſolatia Blæſi
Tollit humo, magnâque ligat cervice, diúque
Ipſe manu gaudens vehit, & quæ munera mollis
Elyſii, ſteriles ramos, mutáſque volucres
Pórxit, & obtuſo pallentes germine flores,
Nec prohibet meminiſſe tui: ſed pectora blandus
Miſcet, & alternum pueri partitur amorem.
Hic finis rapto. quin tu jam vulnera ſedas,
Et tollis merſum luctu caput? omnia functa,
Aut moritura vides, obeunt noctéſque, diéſque,
Aſtráque, nec ſolidis prodeſt ſua machina terris.
Nam populos, mortale genus, plebíſque caducæ
Quis fleat interitus? hos bella, hos æquora poſcunt:
His amor exitio, furor his, & ſæva cupido.
Ut fileam morbos; hos ora rigentia Bruma,
Illos implacido letalis Scirius igni,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.
Quicquid habent ortus, finem timet. ibimus omnes,
Ibimus, immenſis urnam quatit Æacus umbris.
Aſt hic quem gemimus, felix hominéſque, deóſque,
Et dubios caſus & cæcæ lubrica vitæ
Effugit, immunis fati; non ille rogavit,
Non timuit, meruítve mori. Nos anxia plebes,
Nos miſeri, quibus unde dies ſuprema, quis ævi
Exitus, incertum: quibus inſtet fulmen ab aſtris,
Quæ nubes fatale ſonent. Nil flecteris iſtis?
Sed flectere libens. Ades huc emiſſus ab atro
Limite, cui ſoli cuncta impetrare facultas
Glaucis (nam inſontes animas, nec portitor arcet,
Nec diræ comes ille feræ) tu pectora mulce,
Tu prohibe manare genas, noctéſque beatas
Dulcibus alloquiis, & vivis vultibus imple,
Et periiſſe nega, deſolatámque ſororem,
Quà potes, & miſeros perge inſinuare parentes.

II. Villa Surrentina Pollii Felicis.

EST inter notos Sirenum nomine muros,
Saxáque Tyrrhenæ templis oneraia Minervæ,

Celſa Dicarchei ſpeculatrix villa profundi,
Quà Bromio dilectus ager, colléſque per altos
Uritur, & prælis non invidet uva Falernis.
Huc me poſt patrii lætum quinquennia luſtri,
Cùm ſtadio jam pigra quies, canúſque ſederet
Pulvis, ad Ambracias conversâ gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit, & nitidæ juvenilis gratia Pollæ,
Flectere jam cupidum greſſus, quà limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
Sed juvere moræ. Placido lunata receſſu
Hinc atque hinc curvas perrúmpunt æquora rupes.
Dat Natura locum: montíque intervenit imum
Littus, & in terras ſcopulis pendentibus, exit.
Gratia prima loci, geminâ teſtudine fumant
Balnea, & è terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari. levis hìc Phorci chorus, udáque crines
Cymodoce, viridíſque cupit Galatea lavari.
Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ
Excubat, innocui cuſtos laris: hujus amico
Spumant templa ſale, felicia rura tuetur
Alcides, gaudet gemino ſub numine portus:
Hic ſervat terras, hic ſævis fluctibus obſtat.
Mira quies pelagi: ponunt hìc laſſa furorem
Æquora, & inſani ſpirant clementiùs Auſtri:
Hìc præceps minùs audet hyems, nullóque tumultu
Stagna modeſta jacent, dominíque imitantia mores.
Indè per obliquas erepit porticus arces,
Urbis opus, longóque domat ſaxa aſpera dorſo.
Quà priùs obſcuro permixti pulvere ſoles,
Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas.
Qualis, ſi ſubeas Ephyres Baccheïdos altum
Culmen, ab Inoo fert ſemita tecta Lechæo.
Non mihi ſi cunctos Helioon indulgeat amnes,
Et ſuperet Pimplea ſitim, largéque volantis
Ungula ſe det equi, reſerétque arcana pudicos
Phœmonoe fontes, vel quos meus auſpice Phœbo
Altiùs immerſâ turbavit Pollius urnâ;
Innumeras valeam ſpecies, cultúſque locorum
Pieriis æquare modis. vix ordine longo
Suffecere oculi, vix, dum per ſingula ducor,
Suffecere gradus. quæ rerum turba! locíne
Ingenium, an domini mirer priùs? hæc domus ortus
Aſpicit, & Phœbi tenerum jubar; illa cadentem
Detinet, exactámque negat dimittere lucem,
Cùm jam feſſa dies, & in æquora montis opaci
Umbra cadit, vitreóque natant prætoria ponto.
Hæc pelagi clamore fremunt: hæc tecta ſonoros
Ignorant fluctus, terræque ſilentia malunt.
His favit Natura locis: hìc victa, colenti
Ceſſit, & ignotos docilis manſuevit in uſus.
Mons erat hìc, ubi plana vides. hæc luſtra fuerunt,
Quæ nunc tecta ſubis. ubi nunc nemora ardua cernis,
Hìc nec terra fuit. domuit poſſeſſor, & illum
Formantem rupes, expugnantémque ſecuta
Gaudet humus. nunc cerne jugum diſcentia ſaxa,
Intrantéſque domos, juſſúmque recedere montem.
Jam Methymnæi vatis manus, & chelys unà
Thebaïs, & Getici cedat tibi gloria plectri.
Et tu ſaxa moves, & te nemora alta ſequuntur.
Quid referam, veteres ceræque æriſque figuras?
Si quid Apellei gaudent animâſſe colores?
Si quid adhuc vacuâ tamen admirabile Piſâ
Phidiacæ raſere manus: quod ab arte Myronis,
Aut Polycletæo juſſum eſt, quod vivere cælo,
Æráque ab Iſthmiacis auro potiora favillis,
Ora ducum, & vatum ſapientúmque ora priorum,
Quos tibi cura ſequi, quos toto pectore ſentis
Expers curarum, atque animum virtute quietâ
Compoſitus, ſempérque tuus. Quid mille revolvam
Culmina, viſendíque vices? ſua cuique voluptas,
Atque omni proprium thalamo mare, tránſque jacentem
Nerea diverſis ſervit ſua terra feneſtris.
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aſpera paret,
Armiger hàc magni patet Hectoris: indè malignum
Aëra reſpirat pelago circumflua Neſis:
Indè vagis omen felix Euplea carinis,
Quæque ferit curvos exerta Megalia fluctus.
Angitur & domino contrà recubante, procúlque
Surrentina tuus ſpectat prætoria Limon.
Una tamen cunctis procul eminet, una dictis,
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit. hic Graiis penitus defecta metallis
Saxa: quod Eoæ reſpergit vena Syenes:

Synnade quod mœstâ Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros: ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hîc & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.
Hîc Nomadum lucent flaventia saxa, Thalósque,
Et Chios, & gaudens fluctus spectare Carystos.
Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
Macte animo quòd Graia probas, quòd Graia frequentas
Arva, nec invideant quæ te genuere Dicarchi
Mœnia: nos docto melius potiemur alumno.
Quid nunc ruris opes, pontóque novalia dicam
Injecta, & madidas Bacchæo nectare rupes?
Sæpe per autumnum jam pubescente Lyæo
Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbrâ
Palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereïs, & dulces rapuit de collibus uvas.
Sæpe & vicino sparsa est vindemia fluctu.
Et Satyri cecidere vadis, nudámque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
Sis felix tellus dominis ambobus in annos
Mygdonii, Pylisque senis, nec nobile mutes
Servitium, nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarchæsque sinus, nec sæpius istis
Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.
Hîc sen siderias exercet Pollius artes,
Seu volvit monitus, quos dat Gargettius autor;
Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina, sive minax ultorem stringit iambon:
Hinc levis è scopulis meliora ad carmina Seiren
Advolat, hinc motis audit Tritonia cristis.
Tunc rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur
Obstrepere, emergunt pelago, doctámque trahuntur
Ad chelyn, & blandi scopulis delphines aderrant.
Vive Midæ gazis, & Lydo ditior auro,
Troïca, & Euphrate supra diademata felix.
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent: qui pectore magno
Spémque metúmque domas, vitio sublimior omni
Exemptus fatis, indignantémque repellis
Fortunam, dubio quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies: sed abire paratum,
Ac plenum vitâ. Nos vilis turba, caducis
Deservire bonis, sempérque optare parati,
Spargimur in casus; celsâ tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanáque gaudia rides.
Tempus erat, cùm te geminæ suffragia terræ
Diriperent, celsúsque duas veherere per urbes:
Indè Dicarchæis multùm venerande colonis,
Hinc ascite meis, paritérque his largus, & illis,
Ac juvenile calens, plectríque errore superbus.
At nunc discussâ rerum caligine, verum
Aspicis, illo alii rursus jactantur in alto.
At tua securos portus, blandámque quietem
Intravit non quassa ratis, sic perge: nec unquam
Emeritam in nostras puppem demitte procellas.
Discite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coïere faces, sanctúsque pudicæ
Servat amicitiæ leges amor, ite per annos,
Sæculáque, & priscæ titulos præcedite famæ.
Túque nurus inter longè pulcherrima, cujus
Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia, & in vultu curarum ignara voluptas.
Non tibi sepultas infelix strangulat arca
Divitias, avidsque animum dispendia torquent
Fœnoris: expositi census, & docta fruendi
Temperies, non ulla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit Concordia mentes.

III. Arbor Atedii Melioris.

STat, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat
Arbor aquas; complexa lacus, quæ robore ab imo
Curvata in nodos redit indè cacumine recto
Ardua, ceu mediis iterum nascatur ab undis,
Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
Quid Phœbum tam parva rogem? vos dicite causas,
Naïdes, & faciles (tàtis est) date carmina Fauni.
Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ:
Ille quidem it, cunctas tanquam velit, it tamen unam
In Pholoen, sylvis hæc fluminibúsque sequentis
Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.
Jámque & belligerum Jani nemus, atráque Caci
Rura, Quirinalésque fugâ suspensa per agros
Cælica tecta subit. ibi demum victa labore,
Fessa metu, quà nunc placidi Melioris, aperti
Stant sinè fraude lares, fluidos collegit amictus
Arctiùs, & niveæ posuit se margine ripæ.
Insequitur velox pecorum Deus, & sua credit
Connubia, ardenti jamjam suspiria librat
Pectore, jam prædæ levis imminet, ecce citatos
Advertit Diana gradus, dum per juga septem
Errat, Aventinæque legit vestigia terræ.
Pœnituit vidisse Deam: conversâque fidas
Ad comites: Nunquámne avidis arcebo rapinis
Hoc petulans, fœdúmque pecus? sempérne pudici
Decrescet mihi turba chori? sic deinde locuta
Deprómit pharetrâ telum breve, quod neque flexis
Cornibus, aut solito torquet stridore; sed unâ
Emisit contenta manu, lævúmque soporem
Naïdos aversâ fertur tetigisse sagittâ.
Illa Deam pariter surgens, hostémque protervum
Vidit, & in fontem, niveos ne panderet artus,
Sic totâ cum veste ruit, stagnísque sub altis
Pana sequi credens, imâ latus implicat algâ.
Quid faceret subitò deceptus prædo? nec altis
Credere corpus aquis hirtæ sibi conscius audet
Pellis, & à tenero nandi rudis: omnia quæstus,
Immitem Brimo, stagna invida, & invida tela;
Primævam visu platanum, cui longa propago,
Innumeræque manus, & iturus in æthera vertex,
Deposuit juxtà, vivámque aggessit arenam,
Optatísque aspergit aquis, & talia mandat:
Vive diu nostri pignus memorabile voti
Arbor, & hæc duræ latebrosa cubilia nymphæ
Tu saltem declivis ama, preme frondibus undam:
Illa quidem meruit; sed ne precor igne superno
Æstuet, aut durâ feriatur grandine, tantùm
Spargere tu laticem, & foliis turbare memento.
Tunc ego téque diu recolam, dominámque benignæ
Sedis, & illæsâ tutabor utramque senectâ.
Et Jovis, & Phœbi frondes, & discolor umbrâ
Populus, & nostræ stupeant tua germina pinus.
Sic ait, illa Dei veteres animata calores
Uberibus flagnis, obliquo pendula trunco
Incubat, atque umbris scrutatur amantibus undas,
Sperat & amplexus, sed aquarum spiritus arcet,
Nec patitur tactus: tandem eluctata sub auras,
Libratur fundo, rursúsque enode cacumen
Ingeniosa levat, veluti descendat in imos
Stirpe lacus aliâ, jam nec Phœbeïa Nais
Odit, & exclusos invitat gurgite ramos.
Hæc tibi parva quidem geniali luce paramus
Dona, sed ingenti forsan victura sub ævo.
Tu cujus placido posuere in pectore sedem
Blandus Honos, hilarísque (tamen cum pondere) Virtus:
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba, sed medius per honesta, & dulcia limes
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
Et secrete palàm, qui digeris ordine vitam:
Idem auri facilis contemptor, & optimus idem
Comere divitias, opibúsque immittere lucem,
Hîc longùm florens animi, morúmque juventâ
Iliacos æquare senes, & vincere pergis,
Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos;
Hoc illi duras exoravere sorores:
Hoc, quæ te sub teste, situm fugitura tacentem
Ardua magnanimi revirescit gloria Biæsi.

IV. Psittacus Atedii Melioris.

PSittace dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ soler imitator Psittace linguæ:
Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
Hesternas miserande dapes moriturus infsti
Nobiscum, & gratæ carpentem munera mensæ,
Errantémque toris mediæ plus tempore noctis
Vidimus, affatus etiam meditatáque verba
Reddideras, at nunc æterna silentia Lethes
Ille canorus habes. cedat Phaëtontia vulgi
Fabula, nec soli celebrant sua funera cycni:
At tibi quanta domus rutilâ testudine fulgens?
Connexúsque ebori virgarum argenteus ordo?
Argutúmque tuo stridentia limina cornu?
Et querulæ jam sponte fores! vacat ille beatus
Carcer, & augusti nusquam convicia tecti.
Huc doctæ stipentur aves, quis nobile fandi

Jus

Jus Natura dedit. plangat Phœbeïus æſes,
Auditâſque memor penitus demittere voces
Sturnus, & Aonio verſæ certamine picæ;
Quſque refert jungens iterata vocabula perdix,
Et quæ Biſtonio queritur ſoror orba cubili.
Ferte ſimul gemitus, cognatâque ducite flammis
Funera, & hoc cunctæ miſerandum addiſcite carmen:
Occidit aëriæ celeberrima gloria gentis
Pſittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ.
Quem non gemmatâ volueris Junonia caudâ
Vinceret, aſpectu gelidi non Phaſidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere ſub Auſtro.
Ille ſalutator regum, noménque locutus
Cæſareum, & queruli quondam vice functus amici:
Nunc conviva levis, monſtratâque reddere verba
Tam facilis: quo tu Melior dilecte recluſo
Nunquam ſolus eras. At non inglorius umbris
Mittitur: Aſſyrio cineres adolentur amomo,
Et tennes Arabum reſpirant germine plumæ,
Sicaniſſque crocis. ſenio nec feſſus inerti
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

V. Leo Mansuetus Imp.

QUID tibi conſtratâ manſuefcere profuit irâ?
Quid ſcelus, humanâſque animo dediſcere cædes,
Imperiúmque pati, & domino parere minori?
Quid? quòd abire domo, rurſúſque in claúſtra reverti
Suetus, & à captâ jam ſponte recedere prædâ,
Inſertâſque manus laxo dimittere morſu?
Occidis altarum vaſtator doſte ferarum,
Non grege Maſſylo, curváque indagine clauſus,
Non formidato ſupra venabulâ ſaltu
Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu;
Sed victus fugiente ferâ. ſtat cardine aperto
Infelix cavea, & clauſis circùm undique portis,
Hoc licuiſſe nefas pavidi timuere leones,
Tunc cunctis cecidere jubæ, puduſque relatum
Aſpicere, & totas duxere in lumina frontes.
At te non primo fuſum novus obruit ictu
Ille pudor; manſere animi, virtúſque cadenti
A mediâ jam morte redit. nec protinus omnes
Terga dedere minæ. ſicut ſibi conſcius alti
Vulneris, adverſum moriens it miles in hoſtem,
Attolliſque manum, & ferro labente minatur;
Sic piger ille gradu, ſolitóque exutus honore
Firmat hians oculos, animámque, hoſtémque requirit.
Magna tamen ſubiti tecum ſolatia lethi
Victæ feres, quòd te mœſti, Populúſque Patréſque,
Cùm notus caderes triſti gladiator arenâ,
Ingemuere mori: magni quòd Cæſaris ora
Inter tot Scythicas, Libycáſque, & littore Rheni,
Et Pharià de gente feras, quas perdere vile eſt,
Unius amiſſi tetigit jactura leonis.

VI. Consolatio ad Flavium Ursum de Amissione Pueri Delicati.

SÆVE nimis, lachrymis quiſquis diſcrimina ponis,
Lugendíque modos. miſerum eſt primæva parenti
Pignora, ſurgentéſque nefas accendere natos:
Durum & deſerti præreptâ conjuge, partem
Conclamare tori: mœſta & lamenta ſororum,
Et fratrum gemitus; arctè tamen, & procul intrat
Altiùs in ſenſus, majoráque vulnera vincit
Plaga minor. Famulum (quoniam rerum omnia cæcâ
Sic miſcet Fortuna manu, nec pectora novit)
Sed famulum gemis, Urſe, pium: ſed amore, fidéque
Has meritum lachrymas, cui major ſtemmate junctо
Libertas ex mente fuit. ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat frenos dolor iſte, Deſſque
(Si tam dura placent) hominem gemis (hei mihi! ſubdo
Ipſe faces) hominem, Urſe, tuum, cui dulce volenti
Servitium, cui triſte nihil: qui ſponte, ſibíque
Imperioſus erat. Quiſnam hæc in funera miſſos
Caſtiget luctus? gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidóſque canes flevere Moloſſi,
Et volucres habuere rogum, cervúſque Maronis,
Quid ſi nec famulus? vidi ipſe habitúſque notavi
Te tantum cupientis herum; ſed major in ore
Spiritus, & tenero manifeſti in ſanguine mores.
Optarent multùm Graiæ, cuperéntque Latinæ
Sic peperiſſe nurus. Non talem Creſſa ſuperbum
Callida ſollicito revocavit Theſea filo.
Nec Paris Oebalios talis viſurus amores
Ruſticus, invitas dejecit in æquora pinus.
Non fallo, aut cantus aſſueta licentia ducit:
Vidi, & adhuc video, qualem nec bella caventem
Littore virgineo Thetis occultavit Achillem.
Nec circùm ſævi fugientem mœnia Phœbi
Troïlon Æmoniæ deprendit lancea dextræ.
Qualis erat (procul heu!) cunctis puerſque, virſque
Pulchrior, & tantùm domino minor! illius unus
Antè decor, quantùm præcedit clara minores
Luna faces, quantúmque alios premit Heſperus ignes.
Non tibi fœmineum vultu decus, oráque ſupra
Mollis honos, quales dubiæ poſt crimina formæ
De ſexu tranſire jubent: parvóque virilis
Gratia, nec petulans acies, blandíque ſevero
Igne oculi. qualis belli jam caſſide miſſâ
Parthenopæus erat: ſimpléxque horrore decoro
Crinis, & obſeſſæ nondum, primóque micantes
Flore genæ: talem Ledæo gurgite pubem
Educat Eurotas, teneri ſic integer ævi
Elin adit, primóſque Jovi puer approbat annos.
Nam pudor indè novæ mentis, tranquilláque morum
Temperies, teneróque animus maturior ævo,
Carmina quæ donâſſe queant? Sæpe ille volentem
Caſtigabat herum, ſtudióque altíſque juvabat
Conſiliis, tecum triſtíſque, hilariſque, nec unquam
Ille ſuus, vultúmque tuo ſumebat ab ore;
Dignus & Æmonium Pyladen præcedere famâ,
Cecropiámque fidem, ſed laudum terminus eſto,
Quem fortuna ſinit: non mente fidelior ægrâ
Speravit tardi reditus Eumæus Ulyſſis.
Quis Deus, aut quiſnam tam triſtia vulnera caſus
Eligit? unde manus fatis tam certa nocendi?
O quàm divitiis cenſúque exutus opimo
Fortior, Urſe, fores! ſi vel fumante ruinâ
Ructâſſent dites Veſuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos merſiſſent flumina ſaltus:
Seu Lucanus ager, ſeu Tybridis impetus, altas
In dextrum torſiſſet aquas, paterere ſerenâ
Fronte Deos: ſive alma fidem, meſſéſque negâſſet
Cretáque, Cyrenéque, & quà tibi cunque beato
Larga redit Fortuna ſinu. ſed gnara dolorum
Invidia infelix animi vitalia vidit,
Lædendíque vias, vitæ modò carmen adultæ
Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille;
Cùm tribus Eleis unam Trieterida luſtris
Attendit torvo triſtis Rhamnuſia vultu.
Ac primùm implevítque toros, oculíſque nitorem
Addidit, & ſolito ſublimiùs ora levavit.
Heu miſero letale favens, ſeſéque videndo
Torſit, & Invidiam, Mortémque amplexa, jacenti
Injecit nexus, carpſítque immitis aduncâ
Ora verenda manu. quintâ vix Phoſphoros horâ
Rorantem ſternebat equum, jam littora duri
Sæva Philete ſenis, durúmque Acheronta videbas;
Quo domini clamate ſono? non ſæviùs atros
Nigrâſſet planctu genitrix tibi ſæva lacertos,
Nec pater: & certè qui vidit funera frater
Erubuit vinci: ſed nec ſervilis adempto
Ignis; odoriferos exhauſit flamma Sabæos,
Et Cilicum meſſes, Phariæque exempta volueri
Cinnama, & Aſſyrio manantes gramine ſuccos,
Et domini fletus. hos tantùm hauſere faville,
Hos bibit uſque rogus. nec quod tibi Setia canos
Reſtinxit cineres, gremio nec lubricus oſſa
Quod vallavit onyx, miſeris acceptius umbris
Quàm gemitus. ſed & ipſe juvat. quid terga dolori,
Urſe, damus; quid damna foves? & pectore iniquo
Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis?
Quid caram crucias tam ſavis luctibus umbram?
Eximius licèt ille animi, meritúſque doleri,
Solviſti. ſubit ille pios, carpſítque quietem
Elyſiam, caróſque illìc fortaſſe parentes
Invenit: aut illi per amœna ſilentia Lethes
Forſan Avernales alludunt undique mixtæ.
Naïdes, obliquóque notat Proſerpina vultu,
Pone precor queſtus, aliùm tibi Fata Philetan
Forſan & ipſe dabit, moréſque habitúmque decoris
Monſtrabit gaudens, ſimilémque docebit amorem.

VII. Genethliacon Lucani.

LUCANI proprium diem frequentet,
Quiſquis collibus Iſthmiæ Dionæ

Docto

Docto pectora concitatus œstro,
Pendentis bibit ungulæ liquorem.
Ipsi, quos penès est honor canendi,
Vocalis citharæ repertor Arcas,
Et tu Bassaridum rotator Euan,
Et Pæan, & Hyantiæ sorores,
Lætæ purpureas novate vittas,
Crinem comite, candidámque vestem
Perfundant hederæ recentiores.
Docti largiùs evagentur amnes,
Et plùs Aoniæ virete sylvæ.
Et si quà patet, aut diem recepit,
Sertis mollibus expleatur umbra.
Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum,
Quas Dirce lavat, aut alit Citheron.
Lucanum canimus, favete linguis,
Vestra est ista dies, favete Musæ.
Dum qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, & solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.
Felix heu nimis, & beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus,
Summis Oceani vides in undis,
Stridorémque rotæ cadentis audis:
Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica, provocas trapetis.
Lucanum potes imputare terris.
Hoc plus quàm Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem genuisse Gallionem.
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætin Mantua provocare noli.
Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.
Tum primùm posito remissa luctu
Longos Orpheos exuit dolores:
Et dixit: puer ô dicate Musis,
Longævos citò transiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed septem juga, Martiúmque Tybrim,
Et doctos Equites, & eloquente
Cantu purpureum trahes Senatum.
Nocturnas alii Phrygum ruinas,
Et tardi reducis vias Ulyssi,
Et puppem temerariam Minervæ,
Tritâ vatibus orbitâ, sequantur.
Tu carus Latio, memórque gentis
Carmen fortior exeris rogatum.
Ac primum, teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalósque currus,
Et supplex Priami potentis aurum.
Et sedes reserabis Inferorum.
Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noster tibi præferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantes,
Infandos domini nocentis ignes.
Tu castæ titulum decúsque Pollæ
Jucundâ dabis allocutione.
Mox cœptâ generosior juventâ
Albos ossibus Italis Philippos,
Et Pharsalica bella detonabis,
Et fulmen ducis inter arma Divi,
Libertate gravem piâ Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Pelusiaci scelus Canopi
Deflebis pius, & Pharo cruentâ
Pompeio dabis altius sepulchrum.
Hæc primo juvenis canes sub ævo
Ante annos culicis Maroniani.
Cedet Musa rudis ferocis Enni,
Et docti furor arduus Lucretî.
Et qui per freta duxit Argonautas:
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin majus loquor, ipsa te Latinis
Æneïs venerabitur canentem.
Nec solùm dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio tuo decoram:
Qualem blanda Venus, darétque Juno.
Formâ, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratiâ, decore.
Et vestros Hymenæon ante postes
Festis cantibus ipsa personabo.
O sævæ nimiùm, gravésque Parcæ!
O nunquam data festa longa summis?
Cur plùs ardua casibus patetis?
Cur sævâ vice magna non senescunt?
Sic natum Nasamonii Tonantis
Post ortus, obitúsque fulminator,
Angusto Babylon premit sepulchro.
Sic fixum Paridis manu trementis
Peliden Thetis horruit cadentem.
Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.
Sic & tu (rabidi nefas Tyranni!)
Jussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas canis, arduâque voce
Das solatia grandibus sepulchris,
(O dirum scelus! ô scelus!) tacebis.
Sic fata est, levitérque decidentes
Abrasit lachrymas nitente plectro.
At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Quà surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, & sepulchra rides:
Seu pacis meritum nemus recluse
Felix Elysiis tenes in oris,
Quò Pharsalica turba congregatur,
Et te nobile carmen insonantem
Pompei comitantur, & Catones:
Tu magnâ sacer & superbus umbrâ
Nescis Tartaron, & procul nocentum
Audis verbera, pallidúmque visâ
Matris lampade respicis Neronem:
Adsis lucidus, & vocante Pollâ
Unum quæso diem Deos silentum
Exores. solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis,
Hæc te non thyasis procax dolosis
Falsi numinis induit figurâ:
Ipsum sed colit, & frequentat ipsum
Imis altiùs insitum medullis:
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis prænitet, incubátque somno.
Securæ procul hinc abite mortes:
Hæc vitæ genialis est origo.
Cedat luctus atrox, genísque manent
Jam dulces lachrymæ, dolórque festus,
Quicquid fleverat antè, nunc adoret.

LIBER III.

I. Hercules Surrentinus Pollii Felicis.

INTERMISSA tibi renovat Tirynthie sacra
Pollius, & causas designat desidis anni,
Quod coleris majore tholo, nec littora pauper
Nuda tenes, tectúmque vagis habitabile nautis:
Sed nitidos postes, Graiísque effulta metallis
Culmina, ceu tædis iterum lustratus honesti
Ignis, ab Oetæâ conscenderis æthera flammâ.
Vix oculis, animóque fides: túne ille recluſi
Liminis, & parvæ custos inglorius aræ?
Unde hæc aula recens? fulgórque inopinus agresti
Alcidæ? sunt fata Deûm: sunt fata locorum.
O velox pietas! steriles hìc nuper arenas,
Aspersum pelago montis latus, hirtáque dumis
Saxa, nec ulla pati faciles vestigia terras,
Cernere erat: quænam subitò fortuna rigentes
Ductavit scopulos? Tyrióne hæc mœnia plectro,
An Geticâ venere lyrâ? stupet ipse labores
Annus, & augusto bissêni limite menses
Longævum mirantur opus. Deus affuit, arces
Erexítque suas, atque oblúctantia saxa
Summovit nitens, & magno pectore montem
Reppulit: immitem credas jussisse novercam.
Ergo age, seu patrios, liber jam legibus, Argos
Incolis, & mersum tumulis Eurystbea calcas:
Sive tui solium Iovis, & virtute parata
Astra tenes, hausúmque tibi succincta beati

Necta-

Nectaris, excluſo melior Phryge, porrigit Hebe;
Huc ades, & genium templis naſcentibus infer.
Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi,
Nec formidatus Nemees ager, antráque poſcunt
Thracia, nec Pharii polluta altaria regis;
Sed felix, ſimpléxque domus, fraudúmque malarum
Inſcia, & hoſpitibus Superis digniſſima ſedes.
Pone truces arcus, agménque immite phareträ:
Et regum multo perfuſum ſanguine robur:
Inſtratúmque humeris dimitte gerentibus hoſtem.
Hic tibi Sidonio celſum pulvinar acantho
Texitur, & ſignis creſcit torus aſper eburnis.
Pacatus, mitiſque veni. nec turbidus irâ,
Nec famulare timens, ſed quem te Mænalis Auge
Confectum thyaſis, & multo fratre madentem,
Detinuit: qualémque vagæ poſt crimina noctis
Theſpius obſtupuit toties ſocer. hìc tibi feſta
Gymnas, & inſontes juvenum ſinè cæſtibus iræ,
Annua veloci peragunt certamina luſtro.
Hic templis inſcriptus, avo gaudente, ſacerdos
Parvus adhuc, ſimiliſque tui, cùm prima noverca
Monſtra manu premeres, atque exanimata dolères.
Sed quænam ſubiti veneranda exordia templi,
Dic age Calliope, ſocius tibi grande ſonabit
Alcides, tenſóque modos imitabitur arcu.
Tempus erat, cæli cùm torrentiſſimus axis
Incumbit terris, ictúſque Hyperione multo
Aeer anhelantes incendit Seirius agros.
Jámque dies aderat, profugis cùm regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus, ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit:
Et tutas tinit ire feras, omniſque pudicis
Itala terra focis, Hecateias excolit idus.
Aſt ego, Dardaniæ quamvis ſub collibus Albæ
Rus proprium, magniſque ducis mihi munere currens
Unda, domi curas mulcere, æſtúſque levare
Sufficerent: notas Seirenum nomine rupes,
Facundíque larem Pollî non hoſpes habebam,
Aſſiduè, moréſque viri, pacémque, novóſque
Pleridum flores, intactáque carmina diſcens.
Fortè diem Triviæ dum littore ducimus udo
Auguſtáſque fores, aſſuetáque tecta gravati,
Frondibus & patulâ defendimus arbore ſoles,
Delituit cælum, ſubitis lux candida ceſſit
Nubibus, & tenuis graviore Favonius Auſtro
Immaduit, qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit, Iliaco dum dives Elyſa marito
Donatur, teſtéſque ululant per devia Nymphæ.
Diffugimus, feſtáſque dapes, redimitáque vina
Abripiunt famuli: nec quò convivia migrent.
Quamvis innumeræ gaudentia rura ſuperne
Inſedere domus, & multo culmine dives
Mons nitet: inſtantes ſed proxima quærere nimbi,
Suadebant, læſque fides reditura ſereni.
Stabat dicta ſacri tenuis caſa, nomine templi,
Et magnum Alciden humili lare parva premebat,
Fluctivagos nautas, ſcrutatoréſque profundi
Vix operire capax. huc omnis turba coimus,
Huc epulæ ditéſque tori, cœtúſque miniſtrûm
Stipantur, nitidæque cohors gratiſſima Pollæ.
Non cepere fores, anguſtáque deficit ædes.
Erubuit, riſitque Deus, dilectáque Pollî
Corda ſubit, blandíſque virum complectitur ulnis:
Túne, inquit, largitor opum, qui mente profuſâ
Tecta Dicarchæi pariter, juvenémque replêſti
Parthenopen, noſtro qui tot faſtigia monti,
Tot virides lucos, tot ſaxa imitantia vultus,
Æráque tot ſcripto viventes lumine ceras
Fixiſti? quid enim illa domus, quid terra priuſquam
Te gauderet, erat? longo tu tramite nudos
Texiſti ſcopulos, fuerátque ubi ſemita tantùm,
Nunc ibi diſtinctis ſtat porticus alta columnis.
Ne ſorderet iter, curvi tu littoris ora
Clauſiſti calidas geminâ teſtudine lymphas.
Vix opera enumerem: mihi pauper, & indigus uni
Pollius, & tales hilaris tamen intro penates,
Et littus, quod pandis, amo. ſed proxima ſedem
Deſpicit, & tacitè ridet mea numina Juno.
Da templum, dignáſque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint tranſire ſecundis:
Quò pater ætherius, menſíſque accita deorum
Turba, & ab excelſo veniat ſoror hoſpita templo.
Nec te, quòd ſolidus contrà riget umbo maligni
Montis, & immenſo non unquam exeſus ab ævo,
Terreat; ipſe adero, & conamina tanta juvabo,
Aſperáque invitæ perfringam viſcera terræ.
Incipe, & Herculeis fidens hortaribus aude.
Non Amphioniæ ſteterint velociùs arces,
Pargameúſve labor. dixit, mentémque reliquit.
Nec mora, conſcriptâ formator imagine tela:
Innumeræ coïere manus. his cædere ſylvas,
Et lævare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta ſolo. coquitur pars uvida terræ
Protectura hyemes, atque excluſura pruinas,
Indomitúſque ſilex curvâ fornace liqueſcit.
Præcipuus ſed enim labor eſt exſcindere dextrâ
Oppoſitas rupes, & ſaxa negantia ferro.
Hic pater ipſe loci, poſitis Tirynthius armis
Inſudat, validáque ſolum deforme bipenni,
Cùm grave nocturnâ cœlum ſubtexitur umbrâ,
Ipſe fodit. dites Capreæ, viridéſque reſultant
Taurubulæ, & terris ingens redit æquoris Echo.
Non tam grande ſonat motis incudibus Ætna,
Cùm Brontes, Steropéſque ferit. nec major ab antris
Lemniacis fragor eſt, ubi flammeus ægida cælat
Mulciber, & caſtis exornat Pallada donis.
Decreſcunt ſcopuli, & roſeâ ſub luce reverſi
Artifices mirantur opus: vix annus anhelat
Alter, & ingenti dives Tirynthius arce
Deſpectat ductus, & junctæ texta noverca
Provocat, & dignis invitat Pallada templis.
Jam placidæ dant ſigna tubæ, jam fortibus ardens
Fumat arena ſacris: hos nec Piſæus honores
Jupiter, aut Cyrrhæ pater aſpernetur opacæ.
Nil his triſte locis. cedat lachrymabilis Iſthmos:
Cedat atrox Nemee. litat hic felicior infans.
Ipſæ pumiceis virides Nereïdes antris
Exiliunt ultro, & ſcopulis juventibus hærent.
Nec pudet occultè nudas ſpectare palæſtras.
Spectat & Icariò nemoroſus palmite Gaurus,
Sylváque, quæ fixam pelago Neſida coronat,
Et placidus Limon, numéuque Euplæa carinis,
Et Lucrina Venus, Phrygióque è vertice Graias
Addiſcis, Miſene, tubas: ridétque benigna
Parthenope gentile ſacrum, nudóſque virorum
Certatus, & parva ſuæ ſimulachra coronæ.
Quin age, & ipſe libens proprii certaminis actus
Invictâ dignare manu. ſeu nubila diſco
Findere, ſeu volucres Zephyros prævertere telo,
Seu tibi dulce manu Libycas nudare palæſtras,
Indulge ſacris. & ſi tibi poma ſuperſunt
Heſperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ:
Nam capit, & tantum non degenerabit honorem.
Quòd ſi dulce decus, viridéſque reſumeret annos,
(Da veniam Alcide) fors huic & penſa tuliſſes.
Hæc ego naſcentes lætus bacchatus ad aras
Libamenta tuli. nunc ipſum in limine cerno
Solventem voces, & talia dicta ferentem:
Macte animis, opibúſque, meos imitate labores.
Qui rigidas rupes, infœcundæque pudenda
Naturæ deſerta domas, & vertis in uſum
Luſtra habitata feris, fœdéque latentia profers
Numina, quæ tibi nunc meritorum præmia ſolvam?
Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,
Extendámque colos, duram ſcio vincere mortem.
Avertam luctus, & triſtia damna vetabo.
Téque nihil læſum, viridi renovabo ſenectâ.
Concedámque diu juvenes ſpectare nepotes,
Donec & hic ſponſæ maturus, & illa marito:
Rurſus & ex illis ſoboles nova, grégque protervus
Nunc humeris irreptat avi, nunc agmine blando
Certatim placidæ concurrat ad oſcula Pollæ.
Nam templis nunquam ſtatuetur terminus ævi,
Dum me flammigeri portabit machina cæli.
Nec mihi plùs Nemee, priſcúmque habitabitur Argos,
Nec Tiburna domus, Soliſque cubilia Gades.
Sic ait, & tangens ſurgentem altaribus ignem,
Populeâque movens albentia tempora ſylvâ,
Et Styga, & ætherei juravit fulmina patris.

II. Propemptikon Metio Celeri.

Di quibus audaces amor eſt ſervare carinas,
Sævâque ventoſi mulcere pericula ponti,
Sternite molle fretum, placidúmque avertite votis
Concilium, & lenis non obſtrepat unda precantis.
Grande tuo rarúmque damus, Neptune, profundo
Depoſitum, juvenis dubio committitur alto
Me-

Metius, atque animæ partem ſuper æquora noſtræ
Majorem transferre parat: proferte benigna
Sidera, & antennæ gemino conſidite cornu
Oebalii fratres: vobis pontúſque, polúſque,
Luceat. Iliacæ longè nimboſa ſororis
Aſtra fugate precor, totóque excludite cælo.
Vos quoque cœruleum divæ Nereïdes agmen,
Quîs honor, & regni ceſſit fortuna ſecundi,
(Dicere quæ magni fas ſit mihi ſidera ponti)
Surgite, de vitreis ſpumoſæ Doridos antris,
Baianóſque ſinus, & fœta tepentibus undis
Littora. tranquillo certatim ambite natatu,
Quærentes ubi celſa ratis, quà ſcandere gaudet
Nobilis Auſoniæ Celer armipotentis alumnus.
Nec quærenda diu: modò nam trans æquora terris
Prima Dicarchæis Pharium gravis intulit annum.
Prima ſalutavit Capreas, & margine dextro
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.
Hujus utrumque latus molli præcingite gyro,
Partitæque vices, vos ſtuppea tendite mali
Vincula, vos ſummis annectite ſuppara velis:
Vos Zephyris aperite ſinus: pars tranſtra reponat,
Pars demittat aquis curvæ moderamina puppis.
Sunt quibus exploret rupes gravis arte Molochus,
Quæque ſecuturam religent poſt terga phaſelon,
Uncáque ſubmerſæ penitus retinacula vellant.
Temperet hæc æſtus, pelagúſque inclinet ad ortus.
Officio careat glaucarum nulla ſororum.
Huic multo Proteus, geminóque huic corpore Triton
Prænatet, & ſubitis, qui perdidit inguina monſtris
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Littoream blandâ ſeriens Anthedona caudâ.
Tu tamen ante omnes divâ cum matre Palæmon
Annue, ſi veſtras amor eſt mihi pandere Thebas,
Nec cano degeneri Phœbeium Amphiona plectro,
Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varii flatus, omniſque per æquora mundi
Spiritus, ac hyemes nimboſáque nubila parent,
Arctiùs objecto Borean, Eurúmque, Notúmque
Monte premat: ſoli Zephyro ſit copia cæli,
Solus agat puppes, ſummáſque ſupernatet undas
Aſſiduas pelago, donec tua, turbine nullo,
Læta Paretoniis aſſignet carbaſa ripis.
Audimur: vocat ipſe ratem, nautáſque morantes
Increpat, ecce, meum timido jam frigore pectus
Labitur, & nequeo, quamvis movet ominis horror,
Claudere ſuſpenſos oculorum in margine fletus.
Jámque ratem terris divitis fune ſoluto
Navita, & anguſtum dejecit in æquora pontem:
Sævus ubi è puppi longo clamore magiſter
Diſſipat amplexus, atque oſcula fida revellit,
Nec longùm carâ licet in cervice morari.
Attamen in terras è plebe noviſſimus omni
Ibo, nec egrediar niſi jam cedente carinâ.
Quis rude, & abſciſſum miſeris animantibus æquor
Fecit iter? ſolidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagóque immiſit hiantes?
Audax ingenii; nec enim temeraria virtus
Illa magìs, ſummæ gelidum quæ Pelion Oſſæ
Junxit, anhelantémque jugis bis preſſit Olympum.
Uſque adeóne parum lentas tranſire paludes?
Stagnáque & anguſtos ſummittere pontibus amnes?
Imus in abruptum, gentiléſque undique terras
Fugimus, exiguâ clauſi trabe, & aëre nudo.
Indè furor ventis, indignatæque procellæ,
Et cæli fremitus, & fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora ſomno,
Nec ſpumare Thetis, nec ſpargere nubila fluctus
Audebant; viſis tumuerunt puppibus undæ,
Inque hominem ſurrexit hyems; tunc nubila Plias,
Oleniúmque pecus, ſolito tunc pejor Orion.
Juſta queror: fugit ecce vagas ratis acta per undas
Paulatim minor, & longè ſervantia vincit
Lumina, tot gracili ligno complexa timores,
Quæque ſuper reliquos, te noſtri pignus amoris
Portatura, Celer. quos nunc ego pectore ſomnos
Quóſve queam perferre dies? quis cuncta paventi
Nuntiet, an facili te prætermiſerit undâ
Lucani rabida ora maris? num torva Charybdis
Fluctuet? aut Siculi populatrix virgo profundi?
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?
Quæ pax Carpathio? quali te ſubvehat aurâ
Doris Agenorei furtis blandita juvenci.
Sed merui queſtus: quid enim, te caſtra petente
Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos?
Cimmeriúmque Chaos? ſtarem prope bellica regis
Signa mei, ſeu tela manu, ſeu frena teneres,
Armatis ſeu jura dares, operúmque tuorum
Et ſi non ſocius, certè mirator adeſſem.
Sic quondam magno Phœnix reverendus Achilli
Littus ad Iliacum, Thymbræáque Pergama venit
Imbellis, tumidóque nihil juratus Atridæ.
Cur nobis ignavus amor? ſed pectore fido
Nuſquam abero, longíſque ſequar tua carbaſa votis.
Iſi Phoroneis quondam ſtabulata ſub antris,
Nunc regina Phari, numénque Orientis anheli,
Excipe multiſono puppem Mareotida ſiſtro:
Ac juvenem egregium, Latius cui ductor Eoa
Signa, Palæſtináſque dedit frenare cohortes,
Ipſa manu placidâ per limina feſta, ſacróſque
Duc portus, urbéſque tuas, te præſide noſcat
Unde paludoſi fœcunda licentia Nili:
Cur vada delidant, & ripa coërceat undas
Cecropio ſtagnata luto: cur invida Memphis,
Cúrve Terapnæi laſciviat ora Canopi:
Cur ſervet Pharias Lethæus janitor aras;
Vilia cur magnos æquent animalia Divos.
Quæ ſibi præſternat vivax altaria Phœnix:
Quos dignetur agros, aut quo ſe gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis.
Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat:
Anguiferámque domum, blando qua merſa veneno
Actias Auſonias fugit Cleopatra catenas:
Uſque & in Aſſyrias ſedes, mandatáque caſtra
Proſequere, & Marti juvenem dea trade Latino.
Nec novas hoſpes erit. puer hic ſudavit in armis
Notus adhuc tantùm majoris munere clavi.
Jam tamen & turmas facili prævertere gyro
Fortis, & Eoas jaculo damnare ſagittas.
Ergo erit illa dies, quà te majora daturus
Cæſar ab emerito jubeat diſcedere bello?
At nos hôc iterum ſtantes in littore, vaſtos
Cernemus fluctus, aliáſque rogabimus auras.
O tum quantus ego! aut quantâ votiva movebo
Plectra lyrâ! cùm me magnâ cervice ligatum
Attolles humeris, atque in mea pectora primùm
Incumbes à puppe novus, ſervatáque reddes
Colloquia, ſinque vicem medios narrabimus annos,
Tu rapidum Euphraten, & regia Bactra, ſacráſque
Antiquæ Babylonis opes, & Zeugma Latinæ
Pacis iter: quà dulce nemus florentis Idumes,
Quà pretioſa Tyros rubeat, quà purpura fuco
Sidoniis iterata cadis: ubi germine primùm
Candida felices ſudent opobalſama virgæ;
Aſt ego devictis dederim quæ buſta Pelaſgis,
Quæve laboratas claudat mihi pagina Thebas.

III. Lachrymæ Hetruſci.

Summa Deûm Pietas, cujus gratiſſima cœlo
Rara profanatas inſpectant numina terras:
Huc vittata comam, niveóque inſignis amictu,
Qualis adhuc præſens, nullâque expulſa nocentum
Fraude, rudes populos, atque aurea regna colebas;
Mitibus exequiis ades, & lugentis Hetruſci
Cerne pios fletus, laudatáque lumina terge.
Nam quis inexpleto rumpentem pectora queſtu
Complexúmque rogos, incumbentémque favillis
Aſpiciens, non aut primævæ funera plangi
Conjugis, aut nati modò pubeſcentia credat
Ora rapi flammis? pater eſt, qui fletur. adeſte
Diique hominéſque ſacris. procul hinc, procul ite nocentes:
Si cui corde nefas tacitum, feſſíque ſenectus
Longa patris, ſi quis pulſatæ conſcius unquam
Matris, & infernâ rigidum timet Æacon urnâ:
Inſontes caſtóſque voco. tenet ecce ſeniles
Leniter implicitos vultus, ſanctámque parentis
Caniciem, ſpargit lachrymis, animæque ſupremum
Frigus amat: celeres genitoris filius annos,
(Mira fides) nigráſque putat properàſſe ſorores.
Exultent placidi Lethæa ad flumina manes:
Elyſiæ gaudete domus. date ſerta per aras
Feſtáque pallentes hilarent altaria lucos.
Felix, & nimiùm felix, ploratáque nato
Umbra venit. longè Furiarum ſibila, longè
Tergeminus cuſtos. penitus via longa pateſcat
Manibus egregiis. eat, horrendúmque ſilentis

Accedat domini ſolium, gratéſque ſupremas
Perferat, & totidem juveni roget anxius annos,
Macte pio genitu, dabimus ſolatia dignis
Luctibus, Aoniáſque tuo ſacrabimus ultro
Inferias, Etruſce, ſeni. tu largus Eoa
Germina, tu meſſes Cilicúmque, Arabúmque ſuperbis
Merge rogis: ferat ignis opes hæredis, & alto
Aggere miſſuri nitido pia nubila cœlo,
Stipentur cineres; nos non arſura feremus
Munera, venturóſque tuus durabit in annos
Me monſtrante dolor, neque enim mihi flere parentem
Ignotum: ſimilis gemui projectus ad ignem.
Ille mihi tua damna dies compeſcere cantu
Suadet, & ipſe tuli, quos nunc tibi confero queſtus.
Non tibi clara quidem, ſenior placidiſſime, gentis
Linea, nec proavis demiſſum ſtemma: ſed ingens
Supplevit fortuna genus, culpámque parentum
Occuluit: neque enim dominos de plebe tuliſti;
Sed quibus occaſus, pariter famulantur & ortus.
Nec pudor iſte tibi: quid enim terríſque, polóque
Parendi ſinè lege manet? vice cuncta reguntur,
Alternſque premunt. propriis ſub regibus omnis
Terra: premit felix regum diademata Roma;
Hanc ducibus frenare datum: mox creſcit in illos
Imperium Superis. ſed habent & numina legem:
Servit & aſtrorum velox chorus, & vaga ſervit
Luna, nec injuſſæ toties redit orbita lucis.
Et (modò ſi fas eſt æquare jacentia ſummis)
Pertulit & ſævi Tirynthius horrida regis
Pacta, nec erubuit famulantis fiſtula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio tranſmiſſus ab oris;
Smyrna tibi gentile ſolum, potúſque verendo
Fonte Meles, Hermíque vadum, quò Lydius intrat
Bacchus, & aurato reficit ſua cornua limo.
Læta dehinc ſeries, variſque ex ordine curis
Auctus honos, ſempérque gradus prope numina, ſemper
Cæſareum coluiſſe latus, ſacríſque Deorum
Arcanis hærere datum. Tibereïa primùm
Aula tibi, vix dum ora novâ mutante juventâ
Panditur. hìc annis multâ ſuper indole victis
Libertas oblata venit. nec proximus hæres,
Immitis quanquam & furiis agitatus, abegit.
Hunc & in Arctoas tenuis comes uſque pruinas
Terribilem affatu paſſus, viſúque tyrannum,
Immanémque ſuis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant, merſáſque jubent jam ſanguine tacto
Reddere ab ore manus, & nullâ vivere prædâ.
Præcipuos ſed enim meritò ſubrexit in actus
Nondum ſtelligerum ſenior demiſſus in axem
Claudius, & longo tranſmittit habere nepoti.
Quis Superos metuens, pariter tot templa, tot aras,
Promeruiſſe datur? ſummi Jovis aliger Arcas
Nuntius: imbriferâ potitur Thaumantide Juno:
Stat celer obſequio juſſâ ad Neptunia Triton;
Tu toties mutata ducum juga rite tuliſti
Integer, ſnque omni felix tua cymba profundo.
Jámque piam lux alta domum, præcelſáque toto
Intravit fortuna gradu; jam creditur uni
Sanctarum digeſtus opum, partæque per omnes
Divitiæ populos, magnſque impendia mundi.
Quicquid ab auriferis ejectat Iberia foſſis,
Dalmatico quod monte nitet, quod meſſibus Afris
Vertitur, æſtiferi quicquid terit area Nili,
Quódque legit merſus pelagi ſcrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galeſi,
Perſpicuæque nives, Maſſyllaque robora, & Indi
Dentis honos: uni parent commiſſa miniſtro,
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auſter
Invehit. Hybernos citiùs numeraveris imbres,
Sylvarúmque comas Vigilis te, animſque ſagacis
Exitus evolvit, quantum Romana ſub omni
Pila die, quantúmque Tribus: quid templa: quid alti
Undarum curſus, quid propugnacula poſcant
Æquoris, aut longè ſeries porrecta viarum.
Quod Domini celſis niteat laquearibus aurum,
Quæ Divûm in vultus igni formanda liqueſcat
Maſſa: quid Auſoniæ ſcriptum crepet igne monetæ.
Hinc tibi rara quies, animóque excluſa voluptas,
Exiguæque dapes, & nunquam læſa profundo
Cura mero, ſed jura tamen genialia cordi,
Et mentem vincire toris, & jungere feſta
Connubia, & fidos domino genuiſſe clientes,
Quis ſublime genus, formámque inſignis Etruſcæ
Neſciat? haudquaquam proprio mihi cognita viſu,

Sed decus eximium formæ, par reddit imago
Vultibus, & ſimilis natorum gratia monſtrat.
Nec vulgare genus: faſces, ſummámque curulem
Frater, & Auſonios enſes, mandatáque fidus
Signa tulit, cùm prima truces amentia Dacos
Impulit, & magno gens eſt damnata triumpho.
Sic quicquid patrio ceſſatum eſt ſanguine, mater
Reddidit, obſcurúmque latus clareſcere vidit
Connubio gaviſa domus. nec pignora longè:
Quippe bis ad partus venit Lucina, manúque
Ipſa levi gravidos tetigit fœcunda labores.
Felix ah ſi longa dies; ſi cernere vultus
Natorum viridéſque genas tibi juſta dediſſent
Stamina: ſed mediâ cecidere abrupta juventâ
Gaudia, florentéſque manu ſcidit Atropos annos,
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentéſque roſæ primos moriuntur ad Auſtros,
Aut utì verna novis expirat purpura pratis.
Illa ſagittiferi circumvolitâſtis amores
Funera, maternóque rogos unxiſtis amomo.
Nec modus aut pennis, laceris aut crinibus ignem
Spargere, collectæque pyram ſtruxere pharetræ.
Quas tunc inferias, aut quæ lamenta dediſſes
Maternis, Etruſce, rogis, qui funera patris
Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos?
Illum, & qui nutu ſuperas nunc temperat arces,
Progeniem claram terris partitus, & aſtris,
Lætus Idumæi donavit honore triumphi.
Dignatúſque loco victricis, & ordine pompæ
Non vetuit, tenuéſque nihil minuere parentes.
Atque idem in cuneos populum cùm duxit equeſtres,
Mutavítque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, & celsè natorum æquavit honori.
Dextra bis octonis fluxerunt ſæcula luſtris,
Atque ævi ſinè nube tenor. quàm dives in uſus
Natorum, totóque volens excedere cenſu.
Teſtis adhuc largi nitor indè aſſuetus Etruſci,
Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.
Hunc ſiquidem amplexu ſemper revocante tenebas
Blandus, & imperio nunquam pater: hujus honori
Pronior; ipſe etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi devoti juvenes pro patre renato,
Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant?
Tu, ſeu tarda ſitu, rebúſque exhauſta ſenectus
Erravit; ſeu blanda diu fortuna regreſſum
Maluit; attonitum & venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantùm, leuſque procellâ
Contentus moviſſe ſenem: cúmque horrida ſupra
Æquora, curarum ſocius procul Itala rura
Linqueret, hìc molles Campani littoris oras,
Et Diomedeas concedere juſſus in arces.
Atque hoſpes, non exul erat. nec plura moratus
Romuleum reſeras iterum Germanice limen,
Mœrentémque foves, inclinatóſque penates
Erigis. Haud mirum, Ductor placidiſſime, quando
Hæc eſt, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.
Quæ modò Marcomanos poſt horrida bella, vagóſque
Sauromatas, Latio non eſt dignata triumpho.
Jámque in fine dies, & inexorabile penſum
Deficit, hìc mœſti pietas me poſcit Etruſci,
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati jam certus olor, ſævíque marita
Tereos. heu quantis laſſantem brachia vidi
Planctibus, & prono fuſum ſuper oſcula vultu!
Vix famuli, comitéſque tenent, vix arduus ignis
Submovet. haud aliter gemuit perjuria Theſeus
Littore, qui falſis deceperat Ægea velis.
Tunc immanè gemens, fœdatúſque ora, tepentes
Affatur cineres: cur nos, fidiſſime, linquis
Fortunâ redeunte pater? modò numina magni
Præſidis, atque breves Superûm placavimus iras,
Nec frueris, tantíque orbatus muneris uſu
Ad Manes, ingrate, fugis. nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aſpera numina Lethes?
Felix cui magnâ patrem cervice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ.
Quíque tener ſævis genitorem Scipio Pœnis
Abſtulit, & Lydi pietas temeraria Lauſi.
Ergo Theſſalici conjux penſare mariti
Fonus, & immitem potuit Styga vincere ſupplex
Thracius? ah quanto meliùs pro patre liceret!
Non totus rapiere tamen, nec funera mittam
Longiùs: hìc manes, hìc intrà tecta tenebo.

Tu cuſtos, dominúſque laris; tibi cuncta tuorum
Parebunt: ego rite minor, ſempérque ſecundus
Aſſiduè libabo dapes, & pocula ſacris
Manibus, effigiéſque colam: te lucida ſarâ,
Te ſimilem doctæ refert mihi linea ceræ:
Nunc ebur, & ſulvum vultus imitabitur aurum.
Indè viàm morum, longæque examina vitæ,
Affatúſque pios, moniturâque ſomnia poſcam.
Talia dicentem, genitor dulcedine lætâ
Audit, & imminites lentè deſcendit ad umbras,
Verbâque dilectæ fert narraturus Hetruſcæ.
Salve ſupremùm, ſenior mitiſſime patrum,
Supremúmque vale: qui nunquam ſoſpite nato
Triſte Chaos, mœſtíque ſitus patiere ſepulchri.
Semper odoratis ſpirabunt floribus aræ:
Semper & Aſſyrios fœlix bibet urna liquores,
Et lachrymas, qui major honos. hic ſacra libabit
Manibus: éque tuâ tumulum tellure levabit.
Noſtra quoque exemplo meritus tibi carmina ſancit,
Hôc etiam gaudens cinerem donâſſe ſepulchro.

IV. Coma Flavii Earini.

ITE comæ, facilémque precor tranſcurrite pontum:
Ite, coronato recubantes molliter auro:
Ite, dabit curſus mitis Cytherea ſecundos,
Placabítque Notos: fors & de puppe timendâ
Transferet, ſinque ſuâ ducet ſuper æquora conchâ.
Accipe laudatos, juvenis Phœbeïe, crines,
Quos tibi Cæſareus donat puer, accipe lætus,
Intonſóque oſtende patri. ſine, dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet eſſe Lyæi.
Forſan & ipſe comæ nunquam labentis honorem
Proferet, atque alio clauſum tibi ponet in auro.
Pergame, piniferâ multùm fœlicior Idâ!
Illa, licet, ſacræ placeat ſibi nube rapinæ,
Nempe dedit Superis illum, quem turbida ſemper
Juno videt, refugítque manum, nectárque recuſat:
At tu grata Deis, pulchróque inſignis alumno,
Miſiſti Latio, placidâ quem fronte miniſtrum
Jupiter Auſonius pariter, Romanáque Juno
Aſpiciunt, & uterque probant. Nec tanta potenti
Terrarum Domino divûm ſinè mente voluptas.
Dicitur Idalios Ericis de vertice lucos
Dum petit, & molles agitat Venus aurea cygnos,
Pergameas intrâſſe domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens
Fata, ſalutifero mitis Deus incubat angui.
Hîc puerum egregiæ præclarum ſidere formæ
Ipſius ante Dei ludentem conſpicit aram.
Ac primùm ſubitâ paulùm decepta figurâ
Natorum de plebe putat: ſed non erat illi
Arcus, & ex humeris nullæ fulgentibus umbræ.
Miratur puerile decus, vultúmque, comáſque
Aſpiciens, túne Auſonias, ait, ibis ad arces,
Neglectus Veneri? tu ſordida tecta, jugúmque
Servitii vulgare feres? procul abſit. ego iſti
Quem meruit, formæ dominum dabo. vade age mecum,
Vade puer, ducam volucri per ſidera curru
Donum immane duci. nec te plebeia manebunt
Jura, Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil fateor, toto jam dulce ſub orbe
Aut vidi, aut genui. cedat tibi Latmius ultro,
Sangariúſque puer, quémque irrita fontis imago,
Et ſterilis conſumpſit amor. te cærula Naïs
Mallet, & apprenſâ traxiſſet fortiùs urnâ.
Tu puer ante omnes, ſolus formoſior ille,
Cui daberis. ſic orſa, leves ſecum ipſa per auras
Tollit, olorinâque jubet conſidere bigâ.
Nec mora: jam Latii montes, veterémque penates
Euandri, quos mole novâ pater inclytus urbis
Excolit, & ſummis æquat Germanicus aſtris.
Tunc propior jam cura deæ: quæ forma capillis
Optima, quæ veſtis roſeos accendere vultus
Apta, quod in digitis, collo quod dignius aurum.
Nôrat cæleſtes oculos ducis, ipſâque tædas
Junxerat, & plenâ dederat connubia dextrâ.
Sic ornat crines, Tyrios ſic fundit amictus,
Dat radios, ignémque ſuum. ceſſere priores
Deliciæ, famulûmque greges. hic pocula magno
Prima duci, myrrháſque graves, cryſtalláque portat
Candidiore manu: creſcit nova gratia Baccho.
Care puer, Superis qui prælibare verendum
Nectar, & ingentem toties contingere dextram
Electus, quam nôſſe Getæ, quam tangere Perſæ,
Armeníque, Indíque petunt! O ſidere dextro
Edite! multa tibi divûm indulgentia favit!
Olim etiam, ne prima genas lanugo nitentes
Carperet, & pulchræ fuſcaret gratia formæ:
Ipſe Deus patriæ, celſum trans æquora liquit
Pergamon. haud ulli puerum mollire poteſtas
Credita, ſed tacitâ juvenis Phœbeïus arte
Leniter, haud ullo concuſſum vulnere corpus
De ſexu tranſire jubet. tamen anxia curis
Mordetur, puerſque timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cœperat orta
Intactos ſervare mares. nunc frangere ſexum,
Atque hominem mutare nefas, gaviſáque ſolos
Quos genuit, Natura videt. nec lege ſiniſtrâ
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.
Tu quoque nunc juvenis, genitus ſi tardiùs eſſes,
Umbratúſque genas, & adultos fortior artus,
Non unum gaudens Phœbeïa ad limina munus
Miſiſſes: patrias nunc vertex ſolus ad aras
Naviget. hunc multo Paphie ſaturabat amomo,
Hunc nova tergeminâ pectebat Gratia dextrâ.
Huic & purpurei cedat coma ſaucia Niſi,
Et quam Sperchio tumidus ſervabat Achilles.
Ipſi, cùm primùm niveam præcerpere frontem
Decretum eſt, humeróſque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphiâ cum matre volucres,
Expediúntque comas, & ſerica pectore ponunt
Pallia. tunc junctis crinem incidere ſagittis,
Atque auro, geminíſque locant. rapit ipſa cadentes
Mater, & arcanos iterat Cytherea liquores.
Tunc puer è turbâ manibus qui fortè ſupinis
Nobile gemmato ſpeculum portaverat auro:
Hoc quoque demus, ait, patriis nec gratius ullum
Munus erit templis, ipſóque potentius auro.
Tu modò fige aciem, & vultus hucuſque relinque.
Sic ait, & ſpeculum reclusit imagine raptâ.
At puer egregius tendens ad ſidera palmas:
His mihi pro donis, hominum mitiſſime cuſtos,
(Si merui) longâ dominum renovare juventâ,
Atque orbi ſervare velis. hoc ſidera mecum,
Hoc undæ, terræque rogant, eat oro per annos
Iliacos, Pylióſque ſimul: proprióſque penates
Gaudeat, & ſecum Tarpeia ſeneſcere templa.
Sic ait, & motas miratur Pergamos aras.

V. Ad Claudiam Uxorem.

QUID mihi mœſta die, ſociis quid noctibus uxor
Anxia, pervigili ducis ſuſpiria curâ?
Non metuo ne læſa fides, aut pectore in iſto
Alter amor; nullis in te datur ire ſagittis
(Audiat infeſto licèt hæc Rhamnuſia vultu)
Non datur: & ſi egomet patrio de littore raptus
Quatuor emeritis per bella, per æquora, luſtris
Errarem: tu mille procos intacta fugares,
Non intertextas commenta retexere telas,
Sed ſinè fraude palàm, thalamóſque armata negâſſes;
Dic tamen unde aliâ mihi fronte, & nubila vultu?
Anne quòd Euboicos feſſus remeare penates
Auguror, & patriâ ſenium componere terrâ?
Cur hoc triſte tibi? certè laſcivia cordi
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia circi,
Aut intrat ſenſus clamoſi turba theatri.
Sed probitas, & opaca quies, & ſordida nunquam
Gaudia. Quas autem comitem te rapto per undas?
Quamquam, & ſi gelidas irem manſurus ad Arctos,
Vel ſuper Heſperiæ vada caligantia Thules,
Aut ſeptemgemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias. etenim tua (nempe benignâ
Quam mihi ſorte Venus, junctam florentibus annis
Servet, & in ſenium) tua, quæ me vulnere primo
Intactum thalamis, & adhuc juvenilè vagantem
Fixiſti, tua frena libens, docilíſque recepi.
Et ſemel inſertas non mutaturus habenas,
Uſque premo: ter me nitidas Albana ferentem
Dona comas, ſanctóque indutum Cæſaris auro,
Viſceribus complexa tuis, ſertíſque dediſti
Oſcula anhela meis, tu cùm Capitolia noſtra
Inficiata lyræ, ſævum, ingratúmque dolebas
Mecum victa Jovem, tu procurrentia primis
Carmina noſtra ſonis, totáſque in murmure noctes
Aure rapis vigili, longi tu ſola laboris
Conſcia, cúmque tuis crevit mea Thebaïs annis.

Qua-

Qualem te nuper Stygias modò raptus ad undas,
Cùm jam Lethæos audirem cominus amnes,
Aſperi, tenuſque oculos jam morte cadentes!
Scilicet exhauſti Lachefis mihi tempora fati
Te tantùm miſerata dedit, ſuperſque potentes
Invidiam timuere tuam. poſt iſta, propinquum
Nunc iter, optatóſque finus comes ire moraris?
Heu ubi nota fides! tótque explorata per uſus,
Quâ veteres Latias, Graiáſque Heroïdas æquas?
Iſſet ad Iliacas (quid enim detetret amantes?)
Penelope gaviſa domos, ſi paſſus Ulyſſes.
Queſta eſt Ægiale, queſta eſt Melibœa relinqui,
Et quanquam ſævi fecerunt Mænada planctus:
Nec minor his tu nôſſe fidem, firmámque maritis
Reddere. ſic certè cineres, umbrámque priorem
Quæris adhuc: ſic exequias amplexa canori
Conjugis, ingentes iterâſti pectore planctus.
Jam mea, nec pietas alia eſt tibi, curáque natæ.
Sic ut mater amas. ſic nunquam corde recedit
Nata tuo, fixámque animi penetralibus imis
Nocte diéque tenes, non ſic Trachinia nidos
Alcyone vernos, non ſic Philomela penates
Circuit amplectens, animánque in pignora transfert.
Heu nunc illa terit vidua quòd ſola cubili
Otia! jam pulchræ terit infœcunda juventæ!
Sed venient, plenis, venient connubia tædis.
Sic certè, formæque bonis, animíque meretur:
Sive chelyn complexa petit, ſeu voce paternâ
Diſcendum Mutis ſonat, & mea carmina flectit:
Candida ſeu molli diducit brachia motu,
Ingenium probitas, artémque modeſtia vincit.
Nónne leves pueros, non te Cytherea pudebat
Hoc ceſſare decus? nec tantùm Roma jugales
Conciliare toros, feſtáſque accendere tædas
Fertilis; & noſtrâ generi tellure dabuntur.
Non adeò Veſuvinus apex, & flammea diri
Montis hyems, trepidas exhauſit civibus urbes:
Stant, populíſque vigent. hìc auſpice condita Phœbo
Tecta, Dicarchei portus, & littora mundi
Hoſpita; at hìc magnæ tractus imitantia Romæ
Quæ Capys advectis implevit mœnia Teucris.
Noſtra quoque & propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope, cui mite ſolum trans æquora vectæ
Ipſe Dioneâ monſtravit Apollo columbâ.
Has ego te ſedes (nam nec mihi barbara Thrace,
Nec Libye natale ſolùm) tranſferre laboro:
Quas & mollis hyems, & frigida temperat æſtas:
Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis.
Pax ſecura locis, & deſidis otia vitæ,
Et nunquam turbata quies, ſomníque peracti.
Nulla foro rabies, aut ſtrictæ jurgia legis,
Morum jura viris: ſolum, & ſine faſcibus æquum.
Quid nunc magnificæ ſpecies, cultúſque locorum,
Templáque: & innumeris ſpatia interſtincta columnis,
Et geminam molem nudi, tectíque Theatri,
Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris?
Quid laudem riſus, libertatémque Menandri,
Quam Romanus honos, & Graia licentia miſcent?
Nec deſunt variæ circùm oblectamina vitæ:
Sive vaporiferas blandiſſima littora Baias,
Enthea fatidicæ ſeu viſere tecta Sibyllæ
Dulce ſit, Iliacóque jugum memorabile remo:
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri,
Teleboúmque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ,
Garáque non molli juga Surrentina Lyæo,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget,
Ænariæque lacus medicos, Statináſque renatas:
Mille tibi noſtræ referam telluris amores.
Sed ſatìs hoc conjux, ſatìs hoc dixiſſe, creavit
Me tibi, me ſocium longos aſtrinxit in annos.
Nónne hæc amborum genitrix, altríque videri
Digna? ſed ingratus qui plura adnecto, tuíſque
Moribus indubito. venies cariſſima conjux
Præveniéſque etiam: ſinè me tibi ductor aquarum
Tibris, & armiferi ſordebunt tecta Quirini.

VOL. II.

LIBER IV.

I. XVII. Consulatus Imp. Aug. Germanici.

Læta bis octonis accedit purpura faſtis
Cæſaris, inſignémque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum ſole novo, cùm grandibus aſtris
Clariùs ipſe nitens, & primo major Eoo.
Exultent leges Latiæ: gaudete curules:
Et ſeptemgemino jactantior æthera pulſet
Roma jugo: plúſque ante alias Evandrius arces
Collis ovet. ſubiere novi Palatia faſces,
Et requiem bis ſextus honos, precibúſque receptis,
Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.
Ipſe etiam immenſi reparator maximus ævi
Attollit vultus, & utroque à limine grates
Janus agit. quem tu vicinâ Pace ligatum
Omnia juſſiſti componere bella, novíque
In leges jurare fori. levat ecce ſupinas
Hinc atque indè manus, geminâque hæc voce profatur:
Salve magne parens mundi, qui ſæcula mecum
Inſtaurare paras. talem te cernere ſemper
Menſe meo tua Roma cupit: ſic tempora naſci,
Sic annos intrare decet. da gaudia faſtis
Continua, hos humeros multo ſinus ambiat oſtro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.
Aſpicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, & ipſa meæ tepeant tibi ſidera brumæ.
Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribúſque,
Purpureſque Patres, lucémque à conſule ducit
Omnis honos, quid tale precor prior annus habebat?
Dic age Roma potens, & mecum longa Vetuſtas
Dinumera faſtos, nec parva exempla recenſe,
Sed quæ ſola meus dignetur vincere Cæſar.
Ter Latios deciéſque tulit labentibus annis
Auguſtus faſces, ſed cœpit ſerò mereri.
Tu juvenis prægreſſus avos, & quanta recuſas,
Quanta vetas, flectere tamen: precibúſque Senatûs
Permittes hanc ſæpe diem. manet inſuper ordo
Longior, & totidem fœlix tibi Roma curules
Térque quatérque dabit, mecum altera ſæcula condes,
Et tibi longævi revocabitur ara Tarenti.
Mille trophæa feres. tantùm permitte triumphos.
Reſtat Bactra novis, reſtat Babylona tributis
Frenari. nondum gremio Jovis Indica Lauros,
Nondum Arabes, Seréſque rogant, nondum omnis honorem
Annus habet, cupiúntque decem tua nomina menſes:
Sic Janus, clauſóque libens ſe poſte recepit.
Tunc omnes patuere fores, lætóque dederunt
Signa polo, longámque tibi, Rex magne, juventam
Annuit, atque ſuos promiſit Jupiter annos.

II. Eucharistichon ad Imp. August. Germanicum Domitianum.

Regia Sidoniæ convivia laudat Eliſæ,
Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis
Alcinoíque dapes manſuro carmine monſtrat,
Æquore qui multo reducem conſumpſit Ulyſſem.
Aſt ego, cui ſacræ Cæſar nova gaudia cœnæ
Nunc primùm, dominâque dedit conſurgere menſâ,
Quâ celebrem mea vota lyrâ, quas ſolvere grates
Sufficiam? non ſi pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas, & Smyrna, & Mantua lauros,
Digna loquar. mediis videor diſcumbere in aſtris
Cum Jove, & Iliacâ porrectum ſumere dextrâ
Immortale merum: ſteriles tranſmiſimus annos:
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.
Téne ego regnator terrarum, orbíſque ſubacti
Magne parens, te ſpes hominum, te cura deorum
Cerno jacens? datur hæc juxtà, datur ora tueri
Vina inter, menſáſque, & non aſſurgere fas eſt?
Tectum auguſtum, ingens, non centum inſigne columnis,
Sed quantæ Superos cœlúmque Atlante remiſſo
Suſtentare queant. ſtupet hoc vicina Tonantis
Regia, téque pari lætantur ſede locatum
Numina, ne magnum properes eſcendere cœlum,
Tanta patet moles, effuſæque imperus aulæ,
Liberior campi, multúmque amplexus operti,
Æthereo & tantùm domino minor: ille penates
Implet, & ingenti Genio juvat. Æmulus illìc

Mons Libys, Iliactíque nitent, & multa Syene,
Et Chios, & glaucâ certantia Doride saxa
Lunáque portandis tantùm suffecta columnis.
Longa supèr species: fessis vix culmina prendas
Visibus, auratíque patet laquearia cœli.
Hìc cùm Romuleos proceres, trabeatáque Cæsar
Agmina, mille simul jussit discumbere mensis,
Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchúsque laborant
Sufficere. Ætherei felix sic orbita fluxit
Triptolemi: sic vinifero sub palmite nudos
Umbravit colles, & sobria rura Lyæus.
Sed mihi non epulæ, lucísque immixta columnis
Robora Maurorum, famulántúm ex ordine turmæ:
Ipsum, ipsum cupido tantùm spectare vacavit
Tranquillum vultu; sed majestate serenâ
Mulcentem radios, fummittentémque modestè
Fortunæ vexilla fuæ. tamen ore nitebat
Dissimulatus honos. talem quoque barbarus hostis
Posset, & ignotæ conspectum agnoscere gentes:
Non aliter gelidâ Rhodopes in valle recumbit
Dimissis Gradivus equis: sic lubrica ponit
Membra Terapnæâ resolutus gymnade Pollux:
Sic jacet ad Gangen lucis ululantibus Euan:
Sic gravis Alcides post horrida jussa reversus
Gaudebat strato latus acclinare leoni.
Parva loquor: nec dum æquo tuos, Germanice, vultus:
Talis ubi Oceani finem, mensásque revisit
Æthiopum, sacro diffusus nectare vultus,
Dux superûm secreta jubet dare carmina Musis,
Et Palleneos Phœbum laudare triumphos.
Dî tibi (namque animos sæpe exaudire minores
Dicuntur) patriæ, bis térque, exire senectæ
Annuerint fines, rata numina miseris astris,
Templáque des, habitéfque domos, sæpe aurea pandas
Limina, sæpe novo lanum lictore salutes:
Sæpe coronatis ineas quinquennia lustris.
Quà mihi felices epulas, mensasque dedisti
Sacra tuæ, talis longo pòst tempore venit
Lux mihi, Trojanæ qualis sub collibus Albæ
Cùm modò Germanas acies, modò Dacia fremitum
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

III. Via Domitiana.

Quis duri silicis, gravísque ferri
Immanis sonus, æquori propinquum
Saxosa latus Appia replevit?
Certè non Libycæ sonant cateruæ,
Nec dux advena pejerante bello,
Campanos quatit inquietus agros.
Nec frangit vada, montibúsque cæsis
Inducit Nero sordidas paludes.
Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus, & foro coronat:
Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera, sobriásque terras:
Qui fortem vetat interire sexum:
Et Censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ:
Qui reddit Capitolio Tonantem;
Et Pacem propriâ domo reponit.
Qui genti patriæ futura semper
Sancit limina, Flaviúmque culmen.
Hic frenis populi vias gravatas,
Et campis iter omne detinentes,
Longos eximit ambitus, novóque
Injectu solidat graves arenas.
Gaudens Eboïcæ domum Sibyllæ,
Gauranósque sinus, & æstuantes
Septem montibus admovere Baias.
Hic quondam piger axe vectus uno
Nutabat cruce pendulâ viator,
Sorbebátque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis.
Nec cursus agiles, sed impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,
Dum pondus nimium querens sub altâ
Repit languida quadrupes flatera.
At nunc, quæ solidum diem terebat
Horarum via facta vix duarum,
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velociùs ibitis carinæ.
Hic primus labor inchoare sulco,
Et rescindere limites, & alto
Egestu penitus cavare terras,
Mox haustas alicer replere fossas,
Et summo gremium parare dorso,
Ne nutent sola, ne maligna sedes
Et pressis dubium cubile saxis.
Tunc umbonibus hinc, & hinc cuneis,
Et crebris iter obligare gomphis.
O quantæ pariter manus laborum!
Hi cædunt nemora, exuúntque montes,
Hi ferro scopulos, trabésque cædunt;
Illi saxa ligant, optúsque texunt
Cocto pulvere, sordidóque topho:
Hi siccant bibulas manu lacunas,
Et longè fluvios agunt minores.
Hæ possent & Athon cavare dextræ,
Et mœstum pelagus gementis Hellæ
Intercludere ponto non natanti.
His parvus (Lechiæ nisi vetarent)
Inous freta miscuisset Istmos,
Fervent littora, nobiléque sylvæ.
It longus medias fragor per urbes.
Atque Echo simul hinc, & indè fractum
Gauro Massicus avifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme;
Et Linterna palus, pigérque Savo.
At flavum caput, humidúmque lucè
Crinem mollibus impeditus ulmis,
Volturnus levat ora, maximóque
Pontis Cæsarei rectitis arcu,
Pandis talis faucibus redundat:
Camporum bone conditor meorum,
Qui me vallibus aviis refusum,
Et ripas habitare nescientem,
Recti legibus alvei ligásti:
Et nunc ille ego turbidus, minúsque,
Vix passus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, perviúsque calcor.
Qui terras rapere, & rotare sylvas
Assuêram (pudet) Amnis esse cœpi.
Sed grates ago strictus, æque tanti est,
Quòd sub te duce, te jubente cessi,
Quòd tu maximus arbiter, meæque
Victor perpetuus legere ripæ.
Et nunc limite me colis beato,
Nec sordere finis, malúmque latè
Deterges sterilis soli pudorem,
Ne me pulverem, gravémque cœno
Tyrrheni sinus obruat profundi,
Qualis Cinyphius tacente ripâ,
Pœnos Bagrada serpit inter agros.
Sed talis ferar, ut patente cursu
Tranquillum mare, proximúmque possim
Puro gurgite provocare Lyrim.
Hæc Amnis: paritérque se levârat
Ingenti plaga marmorata dorso.
Hujus janua, prosperúmque limen
Arcus belligeri Ducis trophæis,
Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila qui coronat imbri.
Illìc flectitur excitus viator:
Illìc Appia se dolet relinqui.
Tunc velocior, acriórque cursus,
Tunc ipsos juvat impetus jugales.
Ceu fessis ubi remigum lacertis,
Primæ, carbasa ventilatis, auræ.
Ergo omnes, age, quæ sub axe primo
Romani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes:
Eoæ citiùs venite lauros;
Nil obstat cupidis, nihil moratur.
Qui primo Tyberim reliquit ortu,
Primo vespere navigat Lucrinum.
Sed quam fine viæ recentis imo,
Quà monstrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus, infulisque cerno?
Visu fallimur? an sacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?
Cedamus Chely: jam repone cantus:
Vates sanctior incipit: tacendum est.
En & colla rotat, novisque latè
Bacchatur spatiis, viámque replet.
Tunc sic virgineo profatur ore:
Dicebam, veniet (manete campi,

Atque amnis) venies favente cælo
Qui fœdum nemus, & putres arenas.
Cellis ponibus, & vià levabit.
En hic eſt Deus, hunc jubet beatis
Pro ſe Jupiter imperare terris.
Quo non dignior has ſubis habenas,
Ex quo me duce, profectus Averni,
Æneas avidè futura quærens,
Lucos & penetravit, & reliquit.
Hic paci bonus, hic timendus armis,
Naturâ melior, potentiorque.
Hic ſi flammiferos referret axes,
Largis India nubibus maderet,
Undaret Libye, teneret Ænus.
Salve dux hominum, & parens deorum,
Prævisum mihi, cognitúmque numen.
Nec jam putribus evoluta chartis
Solenni prece quindecim virorum
Perluſtra mea dicta, ſed canentem
Ipſam cominus (ut mereris) audi:
Vidi quam ſeriem moratis ævi
Pronectant tibi candidæ ſorores.
Magnus te manet ordo ſæculorum:
Natis longior, adnepotibúſque,
Annos perpetuâ geres juventâ,
Quos fertur placidos obiſſe Neſtor,
Quos Tironis computat ſenectus,
Et quantos ego Delium popoſci.
Juravit tibi jam nivalis Arctos;
Nunc magnos Oriens dabit triumphos.
Ibis quà vagus Hercules, & Enan
Ultra ſidera, flammeúmque ſolem,
Et Nili caput, & nives Atlantis:
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, obviúſque curru.
Donec Troïcus ignis, & renatæ
Tarpeius Pater intonabit aulæ.
Hæc donec via, te regente terræ,
Annosâ magis Appiâ ſeneſcat.

IV. Ad Victorium Marcellum Epistola.

CUrre per Euboïcos non ſegnis, epiſtola, campos;
Hàc ingreſſa vias, quà nobilis Appia creſcit
In latus, & molles ſolidus premit egger arenas:
Atque ubi Romuleas velox penetraveris arces,
Continuò dextras flavi pete Tibridis oras,
Lydia quà penitus ſtagnum navale coërcet
Ripa, ſuburbanſſque vadum prætexitur hortis.
Illic egregium, formâque, animiſque, videbis
Marcellum, & celſo præſignem vertice noſces.
Cui primùm ſolito vulgi de more ſalutem,
Mox incluſa modis hæc reddere verba memento.
Jam terras, volucrémque polum, fuga veris aquoſi
Laxat, & Icariis cœlum latratibus urit.
Ardua jam denſæ rareſcunt mœnia Romæ:
Hos Præneſte ſacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra:
Tiburis hi lucos, Anienéque frigora captant.
Te quoque clamoſæ quænam plaga mitior urbi
Subtrahit? æſtivos quo decipis æëre ſoles?
Quid tuus ante omneis, tua cura potiſſima, Gallus,
Nec non noſter amor (dubium mordaxne probandus,
Ingeniſve bonis) Latiis æſtivat in oris?
Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ,
Tyrrhenáſque domos? quòd ſi tibi proximus hæret,
Non ego nunc veſtro procul à ſermone recedo.
Certum eſt: indè ſonus geminas mihi circuit aures.
Sed tu dum nimio poſſeſſa Hyperione flagrat
Torva Cleonæi juba ſideris, exue curis
Pectus, & aſſiduo temet furare labori.
Et fontes operit pharetras, arcúmque retendit
Parthus, & Elæis auriga laboribus æſtus
Alpheo permulcet equos. & noſtra fatiſcit
Laxatúrque chelys. vires inſtigat, alitque
Tempeſtiva quies, major poſt otia virtus.
Talis cantatâ Briſeïde venit Achilles
Acrior, & poſitis erupit in Hectora plectris.
Te quoque flammabit tacitè repetita paramper
Deſidia, & ſolidos novus exultabis in actus.
Certè jam Latiæ non miſcent jurgia loges.
Et pacem piger annus habet, meſſéſque reverſæ
Dimiſere forum. nec jam tibi turba reorum
Veſtibulo, querulíſque rogant exire clientæ.
Ceſſat centeni moderatrix judicis haſta,
Quà tibi ſublimi jam nunc celeberrima famâ
Eminet, & juvenes facundia præterit annos.
Felix curarum, cui non Heliconia cordi
Serta, nec imbelles Parnaſſi è vertice laurus!
Sed viget ingenium, & magnos accinctus in uſus
Fert animus quaſcumque vices. nos otia vitæ
Solamur cantu, ventoſáque gaudia famæ
Quærimus. en egomet ſomnum, & geniale ſecutus
Littus, ubi Auſonio ſe condidit hoſpita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulſo, Maroneſque ſedeas in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis adcanto magiſtri.
At tu ſi longi curſum dabit Atropos ævi,
(Dérque precór Latiſque ducis ſic numina pergant,
Quam tibi poſthabito ſtudium eſt colniſſe Tonanti,
Quique tuos alio ſubtexit munere faſces,
Et ſpatia obliquæ mandat renovare Latinæ)
Forſitan Auſonias ibis frenare cohortes,
Aut Rheni populos, aut nigræ littora Thules,
Aut Iſtrum ſervare latus, metuendáque portæ
Limina Caſpiacæ. nec enim tibi ſola potentis
Eloquii virtus; ſunt membra accommoda bellis,
Quique gravem tardi ſubeant thoraca lacerti.
Seu campo pedes ire paras, eſt agmina ſupra
Nutaturus apex: ſeu frena ſonantia flectes,
Serviet aſper equus, nos facta aliena canendo
Vergimur in ſenium: propriis tu pulcher in armis
Ipſe canenda geres, patriæque exempla parabis.
Magna geres: dignóſque etiamnum belliger actus
Poſcit avus, præſtátque domi noviſſe triumphos.
Surge agedum, juvenémque puer deprende parentem
Stemmate materno felix, virtute paternâ,
Jam te blanda ſinu Tyrio, ſibi gloria felix
Educat, & cunctas gaudet ſpondere curules.
Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, ſonabam
Littoribus, fractas ubi Vesbius egerit iras,
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.
Mira fides! credétne virûm ventura propago,
Cùm ſegetes iterum, cùm jam hæc deſerta virebunt,
Infra urbes, populóſque premi? provitáque toto
Rura abiiſſe mari? necdum letale minari
Ceſſat apex. procul iſta tuis, Tifata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc inſania montes.
Nunc ſi fortè meis quæ ſint exordia Muſis
Scire petis, jam Sidonios emenſa labores
Thebaïs optato collegit carbaſa portu:
Parnaſſíque jugis, ſylvâque Heliconide feſſis
Thura dedit flammis, & virginis exta juvencæ,
Votiferâque meas ſuſpendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines, alio ſubit infula nexa:
Troja quidem, magnúſque mihi tentatur Achilles;
Sed vocat arcitenens altò pater, armáque monſtrat
Auſonii majora ducis: trahit impetus illò
Jam pridem, retrahítque timor. ſubéantne ſub illâ
Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix?
Dic Marcelle, feram, fluctus an ſueta minores
Nôſſe ratis, nondum lonile credenda periclis?
Jámque vale, & penitus voti tibi vatis amorem
Corde exire veta. nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ. cedit tibi gloria fidi
Theſeos, & lacerum qui circa mœnia Trojæ
Priamidem, cæſo ſolatia traxit amico.

V. Lyricum ad Sept. Severum.

PArvi beatus rure honoribus,
Quà priſca Teucros Alba colit lares,
Fortem æque facundum Severum
Non ſolitis fidibus ſaluto.
Jam trux ad Arctos Parrhaſias hyems
Conceſſit altis obruta ſolibus:
Jam pontus, ac tellus renident,
Jam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta Veris frondibus annuis
Crinitur arbos, nunc volucrum novi
Queſtus, inexpertámque carmen,
Quod tacità ſtatuere brumâ.
Nos parca tellus, pervigil & focus,
Culmínque multo lumine ſordidum
Solantur, exemptáſque teſtâ,
Quà modò ferbuerat Lyæus.
Non mille balant lanigeri greges,

Nec

Nec vacca dulci mugit adultero:
Unique (ſi quando) canenti
Mutus ager domino reclamat.
Sed terra primis poſt patriam mihi
Dilecta curis, huic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæſareo petaravit auro.
Cùm tu ſodalis dulce periculum
Connixus omni pectore tolleres,
Ut Caſtor ad cunctos tremebat
Bebryciæ ſtrepitus arenæ.
Téne in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit? jam feret Indicas
Meſſes, odoratiſque rara
Cinnama præripiet Sabæis.
Quis non in omni vertice Romuli
Reptâſſe dulcem Septimium putet?
Quis fonte Juturnæ relictis
Uberibus neget eſſe paſtum?
Hæc mira virtus: protinus Auſonum
Portus, vadoſæ neſcius Africæ
Intras, adoptatúſque Thuſcis
Gurgitibus puer innatâſti.
Hîc parvus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ
Creſcis, ſed immenſos labores
Indole patriciâ ſecutus.
Non ſermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens, Italus, Italus:
Sunt urbe, Romaniſque turmis,
Qui Libyam deceant alumni.
Eſt & frementi vox hilaris foro,
Venale ſed non eloquium tibi,
Enſiſque vaginâ quieſcit,
Stringere ni jubeant amici.
Sed rura cordi ſæpius, & quies,
Nunc in paternis ſedibus, & ſolo
Veiente, nunc frondoſa ſupra
Hernica, nunc Curibus vetuſtis.
Hîc plura pones, vocibus & modis
Paſſim ſolutis: ſed memor interim
Noſtri, verecundo latentem
Barbiton ingemina ſub antro.

VI. Hercules Epitrapezios Nonii Vindicis.

Forte remittentem curas, Phœbóque levatum
Pectora, cùm patulis tererem vagus otia ſeptis,
Jam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis: hæc imos animi perlapſa receſſus
Inconſumpta manet. neque enim ludibria ventris
Hauſimus, aut epulas diverſo è ſole petitas,
Vinâque perpetuis ævo certantia faſtis.
Ah miſeri, quos nôſſe juvat, quid Phaſidis ales
Diſſet ab hybernâ Rhodopes grue: quis magis anſer
Exta ferat: cur Thuſcus aper generoſior Umbro;
Lubrica quà recubent conchylia molliùs algâ.
Nobis verus amor, medióque Helicone petitus
Sermo, hilaréſque joci, brumalem abſumere noctem
Suaſerunt, mollémque oculis expellere ſomnum,
Donec ab Elyſiis proſpexit ſedibus alter
Caſtor, & heſternas riſit Titonia menſas.
O bona nox! junctâque utinam Tiryntha lunâ!
Nox & Erythræis Thetidis ſignanda lapillis,
Et memoranda diu, genióque habitura perennem.
Mille ubi tunc ſpecies, æriſque eboriſque vetuſti,
Atque locuturas mentito corpore ceras,
Edidici. quis namque oculis certaverit uſquam
Vindicis, artificum veteres agnoſcere ductus?
Et non inſcriptis auctorem reddere ſignis?
His tibi quæ docto multum vigilata Myroni
Æra, laboriferi vivant quæ marmora cælo
Praxitelis, quod ebur Piſæo pollice raſum,
Quod Polycletæis juſſum ſpirare caminis,
Linea quæ veterem longè fateatur Apellem,
Monſtrabit. namque hæc quoties chelyn exuit ille,
Deſidia eſt, hic Aoniis amor avocat antris.
Hæc inter, caſtæ Genius tutelaque menſæ
Amphitryoniades, multo mea cepit amore
Pectora, nec longo ſatiavit lumina viſu.
Tantus honos operi, finéſque incluſa per arctos
Majeſtas! Deus ille Deus, ſeſéque videndum
Indulſit Lyſippe tibi; parvúſque videri,
Sentirique ingens. & cùm mirabilis intrà
Stet menſura pedem, tamen exclamare libebit:
(Si viſus per membra feras) hôc pectore preſſus
Vaſtator Nemees: hæc exitiale ferebant
Robur, & Argoos frangebant brachia remos.
Hôc ſpatio, tam magna, brevi, mendacia formæ!
Quis modus in dextrâ, quanta experientia docti
Artificis curis, pariter geſtamina menſæ
Fingere, & ingentes animo verſare coloſſos?
Tale nec Idæis quicquam Telchines in antris,
Nec ſolidus Brontes, nec qui polit arma deorum
Lemnius, exiguâ potuiſſet ludere maſſâ.
Nec torva effigies, epuliſque aliena remiſſis,
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa ſacerdos.
Qualis & Oetæis emiſſus in aſtra favillis
Nectar adhuc torvâ lætus Junone bibebat.
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur menſas, tenet hæc marcentia fratris
Pocula, adhuc ſævæ meminit manus altera cædis:
Suſtinet occultum Nemeæo tegmine ſaxum.
Digna operi fortuna ſacro: Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile menſis,
Et comitem occaſûs ſecum portabat & ortûs:
Prenſabátque libens, modò quâ diademata dextrâ
Abſtulerat, dederátque, & magnas verterat urbes.
Semper ab hôc animos in craſtina bella petebat,
Huic acies victor ſemper narrabat opimas:
Sive catenatos Bromio detraxerat Indos,
Seu clauſam magnâ Babylona refregerat haſtâ,
Seu Pelopis terras, libertatémque Pelaſgam
Obruerat bello: magnóque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantùm excuſâſſe triumphos.
Ille etiam magnos fatis rumpentibus actus,
Cùm traheret lætale merum, jam mortis opacâ
Nube gravis, vultus alios in numine caro,
Æráque ſupremis timuit ſudantia menſis.
Mox Naſamoniaco decus admirabile regi
Poſſeſſum, fortíque Deo libavit honores
Semper atrox dextrâ, perjuróque enſe ſuperbus
Annibal. Italicæ perfuſum ſanguine gentis,
Diráque Romuleis portantem incendia tectis,
Oderat: & cùm epulas, & cùm Lenæa dicaret
Dona, Deus caſtris mœrens comes iſſe nefandis,
Præcipuè cùm ſacrilegus face miſcuit arces
Ipſius, immeritæque domos, ac templa Saguntî
Polluit, & populis furias immiſit honeſtas.
Nec poſt Sidonii lethum ducis, ære potita
Egregio plebeia domus: convivia Syllæ
Ornabat, ſemper claros intrare penates
Aſſuetum, & felix dominorum ſtemmate ſignum.
Nunc quoque (ſi mores, humanáque pectora curæ
Nôſſe deis) non aula quidem, Tiryntie, nec te
Regius ambit honos: ſed caſta, ignaráque culpæ
Mens domini, cui priſca fides, cœptæque perenne
Fœdus amicitiæ: ſcit adhuc florente ſub ævo
Par magnis Veſtinus avis, quem nocte, diéque
Spirat, & in caræ vivit complexibus umbræ.
Hîc igitur tibi læta quies, fortiſſime Divûm
Alcide: nec bella vides, pugnáſque feroces,
Sed chelyn, & vittas, & amantes carmina laurus.
Hic tibi ſolenni memorabit carmine, quantus
Iliacas, Geticáſque domos, quantúſque nivalem
Stymphalon, quantúſque jugis Erimanthon aquoſis
Terrueris, quem te pecoris poſſeſſor Iberi,
Quem tulerit ſævæ Mareoticus arbiter aræ.
Hic penetrata tibi, ſpoliatáque limina mortis
Concinet, & flentes Libyæ, Scythiæve puellas.
Nec te regnator Macetum, nec barbarus unquam
Annibal, aut ſævi poſſet vox horrida Sullæ
His celebrare modis. certè tu muneris auctor
Non aliis malles oculis, Lyſippe, probari.

VII. Lyricum ad Maximum Junium.

Jamdiu lato ſpatiata campo
Fortis heroos Erato labores
Differ: atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.
Túque regnator Lyricæ cohortis,
Da novi paulùm mihi jura plectri,
Si tuas cantu Latio ſacravi,
Pindare, Thebas.
Maximo carmen renuare tento:

Nunc

by Google

Nunc ab intonsâ capienda myrto
Serta, nunc major litis, & bibendus
Caſſior amnis.
Quando te dulci Latiò remittent
Dalmatæ montes? ubi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutóque
Concolor auro,
Ecce me natum propiore terrâ
Non tamen portu retinent amœno
Deſides Bajæ, liticénve notus
Hectoris armis.
Torpor eſt noſtris ſinè te Camœnis,
Tardiùs ſueto venit ipſe Thymbræ
Rector, & primis meus ecce metis
Hæret Achilles.
Quippe te fido monitore, noſtra
Thebaïs multâ cruciata limâ
Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.
Sed damus lento veniam, quod almâ
Prole fundâſti vacuos penateis.
O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.
Orbitas omni fugienda niſu,
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poſcens (pudet heu) propinquum
Funus amico.
Orbitas nullo tumulata fletu:
Stat domo captâ cupidus ſuperſtes
Imminens leti ſpoliis, & ipſum
Computat ignem.
Duret in longum generoſus infans:
Pérque non multis iter expeditum
Creſcat in mores patrios, avúmque
Provocet actis.
Tu tuos parvo memorabis enſes,
Quos ad Eoum tuleris Orontem
Signa frenatæ moderatus alæ
Caſtore dextro.
Ille ut invicti rapidum ſecutus
Cæſaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem, dederit ſub uno
Vivere cælo.
Sed tuas artes puer antè diſcat,
Omne quîs mundi ſenium remenſus
Orſa Salluſtî brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

VIII. Ad Julium Menecratem ob Prolem.

Pande fores Superûm, vittatáque templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris ſpirantibus imple,
Parthenope: clari genus ecce Menecratis auget
Tertia jam ſoboles. procerum tibi nobile vulgus
Creſcit, & inſani ſolatur damna Veſevi.
Nec ſolùm feſtas ſecreta Neapolis aras
Ambiat: & ſocii portus, dilectáque mitis
Terra Dicarchei, nec non plaga cara madenti
Surrentina Deo, ſertis altaria cingat,
Materni quà littus avi, quem turba nepotum
Circuit, & ſimiles contendit reddere vultus.
Gaudeat & Libycâ præſignis avunculus haſtâ:
Quæque ſibi genitos purat, attolliſque benigno
Polla ſinu. macte ô juvenis, qui tanta merenti
Lumina das patriæ. dulci tremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus. procul atra recedat
Invidia, atque aliò liventia pectora flectat.
His ſenium, longæque decus Virtutis, & alba
Atropos, & patrias lauros promiſit Apollo.
Ergo quòd Auſoniæ Pater auguſtiſſimus urbis
Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat. venit toties Lucina, piúmque
Intravit repetita larem. ſic fertilis, oro,
Stet domus, & donis nunquam mutata ſacratis
Macte, quòd & proles tibi ſæpius aucta virili
Robore; ſe juveni lætam dat virgo parenti:
Aptior his Virtus, citiùs dabit illa nepotes.
Qualis maternis Helene jam digna palæſtris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.
Vel qualis cœli facies, ubi nocte ſerenâ
Admovere jubar mediæ duo ſidera Lunæ.
Sed queror haud faciles, juvenum rariſſime, queſtus,
Iraſcórque etiam, quantùm iraſcuntur amantes.
Tantáne me decuit vulgari gaudia famâ
Noſcere? cúmque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia curſu
Littera, quæ feſtos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, poſtéſque ornare juberet?
Albanóque cadum ſordentem promere fumo?
Et cantu ſignare diem? ſed tardus, inérſque
Nunc demum mea vota cano. tua culpa, tuúſque
Hic pudor. ulteriùs ſed enim producere queſtus
Non licet: en hilaris circumſtat turba tuorum,
Defenſátque patrem: quem non hôc agmine vincas?
Dî Patrii, quos auguriis ſuper æquora magnis
Littus ad Auſonium devexit Abantia claſſis,
Tu ductor populi longè emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem lævâ cervice ſedentem
Reſpiciens blandè felix Eumelis adorat,
Túque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada myſtæ:
Et vos Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbroſæque magis coluere Terapnæ:
Hos cum plebe ſuâ patrii ſervate Penates.
Sint qui feſſam ævo, crebríſque laboribus urbem
Voce, opibúſque juvent, viridíque in nomine ſervent.
His placidos genitor mores, largúmque nitorem
Monſtret avus, pulchræ ſtudium virtutis uterque.
Quippe & opes, & origo ſinunt, hâc lampade primâ
Patritias intrare fores, hos pube ſub ipsâ
(Si modò prona bonis invicti Cæſaris adſint
Numina) Romulei limen pulſare ſenatûs.

IX. Risus Saturnalitius ad Plotium.

Est ſanè jocus iſte, quòd libellum
Miſiſti mihi Griphe pro libello.
Urbanum tamen hoc poteſt videri:
Si poſt hoc aliquid mihi remittas.
Nam ſi ludere, Griphe, perſeveras,
Non ludis. licet ecce computemus:
Noſter purpureus, novúſque chartâ,
Et binis decoratus umbilicis,
Præter me, mihi conſtitit decuſſi.
Tu roſum tineis, ſitúque putrem,
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut thus Niliacum, pipérve, ſervant,
Aut Byzantiacos colunt lacertos,
Nec ſaltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas,
Aut centum propè judices, priùs quàm
Te Germanicus arbitrum ſequenti
Annonæ dedit, omniúmque latè
Præfecit ſtationibus viarum;
Sed Bruti ſenis oſcitationes
De capsâ miſeri libellionis,
Emptum plùs minùs aſſe Caïano
Donas. uſque adeóne defuerunt
Cæſis pilea ſuta de lacernis?
Vel mantilia? luridæve mappæ?.
Chartæ, Thebaicæve, caricæve?
Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque coctanorum?
Non ellychnia ſicca, non replictæ
Bulborum tunicæ, nec ova tantum?
Non leves alicæ, nec aſperum far?
Nuſquam Cyniphiis vagata campis
Curvarum domus uda cochlearum?
Non lardum grave, debiliſve perna?
Non Lucanica, non graves Phaliſci?
Non ſal, oxyporúmve, caſeúſve,
Aut panes viridantis aphronitri?
Vel paſſum pſythiis ſuis recoctum?
Dulci defruta vel lutoſa cœno?
Quantum vel dare cereos nitentes,
Cultellum, tenuéſve codicillos!
Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas in orbe tortas,
Aut unam dare ſyntheſin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum?
Sed certâ velut æquus in ſtaterâ,
Nil muras, ſed idem mihi rependis.
Quid ſi cùm bene manè ſemicrudus
Illatam tibi dixero ſalutem,
Et tu me vicibus domi ſalutes?

Aut cùm tne dape juveris opimâ,
Expectes similes & ipse cœnas!
Irascar tibi Griphe: sed valebis:
Tantùm ne mihi quo soles lepore,
Et nunc hendecasyllabos remittas.

LIBER V.

I. Adascantii In Priscillam Pietas.

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur, impressis aurúmve animare figuris;
Hinc Priscilla tuo solatia grata marito
Conciperem. namque egregiâ pietate meretur,
Ut vel Apellæo vultus signata colore,
Phidiacâ vel nata manu, reddare dolenti.
Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curásque fatigat
Artificum, suque omni te quærit amare metallo.
Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat.
Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenni
Tentamus dare justa lyrâ: modò dexter Apollo,
Quisque venit juncto mihi semper Apolline Cæsar,
Annuat. haud alio melius condere sepulchro.
Sera quidem tanto struitur medicina dolori,
Altera cum volucris Phœbi rota torqueat annum:
Sed cùm plaga recens, & adhuc in vulnere primo
Nigra domus questu, miserámque accessus ad aurem
Conjugis orbati, tunc flere & scindere vestes,
Et famulos lassare greges, & vincere planctus,
Fatáque, & injustos rabidis pulsare querelis
Cælicolas, solamen erat. ilicèt ipse levandos
Ad gemitus sylvis comitatus & amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter matertera vatem,
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos;
Nil cantus, nil fila, dies pallentis Averni
Eumenidúmque audita comis, mulcere valerent:
Tantus in attonito regnabat pectore luctus!
Nunc etiam ad planctus refugit jam plana cicatrix,
Dum canimus, gravibúsque oculis uxorius instat
Imber. habéntne pios etiamnum hæc lumina fletus!
Mira fides! citiùs genitrix Sipylcia fertur
Exhausisse genas, citiùs Titonida mœsti
Deficient rores: aut exsiccata satisset
Mater Achilleis hyemes affrangere bustis.
Macte animi: notat illa Deus, qui flectit habenas
Orbis, & humanos propior Jove digerit actus,
Mœrentémque videt, lectúsque arcana ministri.
Hinc etiam documenta capit, quòd diligis umbram,
Et colis exequias. hic est carissimus ardor:
Hic amor à Domino meritus censore probari.
Nec mirum, si vos collato pectore mixtos
Junxit inabruptâ Concordia longa catenâ.
Illa quidem, nuptúmque prior, tædásque marito
Passa alio, sed te ceu virginitate jugatum
Visceribus totis, animóque amplexa fovebat.
Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
Ulmus amat, miscétque nemus, ditémque precatur
Autumnum, & caris gaudet redimita racemis.
Laudentur proavis, seu pulchræ munere formæ,
Quæ morum caruere bonis, falsóque potentes
Laudis egent veræ. tibi quanquam, & origo niteret,
Et felix species, meltúmque optanda maritis,
Ex te major honos. unum noviisse cubile,
Unum secretis agitare sub ossibus ignem.
Illum nec Phrygius vitiâsset raptor amorem,
Dulichiive proci, nec qui fraternus adulter
Casta Mycenæo connubia polluit auro.
Si Babylonis opes, Lydæ si pondera gazæ,
Indorúmque dares, Serúmque, Arabúmque potentes
Divitias, mallet cum paupertate pudicâ
Interrerata mori, vitámque impendere famæ.
Nec frons tristè rigens, nimiúque in moribus horror:
Sed simplex, hilarísque fides, & mixta pudori
Gratia. quòd si anceps metus ad majora vocâsset,
Illa vel armiferas pro conjuge læta catervas,
Et ultroneósque ignes, medíque pericula ponti,
Exciperet: melius, quòd non adversa probârunt,
Quæ tibi cura tori, quantus pro conjuge pallor.

Sed meliore viâ, dextros tua vota marito
Promeruere Deos, dum nocte diéque fatigas
Numina, dum cunctis supplex devolveris aris,
Et mitem Genium domini præsentis adoras.
Audita es: venitque gradu fortuna benigno.
Vidit quippe pii juvenis rarámque quietem,
Intactámque fidem, succinctáque pectora curis,
Et vigiles sensus, & digna evolvere tantis
Sobria corda vices. vidit qui cuncta suorum
Novit, & inspectis ambit latus omne ministris.
Nec mirum: videt ille ortus, obitúsque. quid Arctos,
Quid Boreas hybernus agat, ferríque togæque
Consilia, atque ipsam mentem probat. ille subactis
Molem immensam humeris, & vix tractabile pondus
Imposuit (nec enim numerosior altera sacrâ
Cura domo) magnum latè dimitere in orbem
Romulei mandata Ducis, virésque, modósque
Imperii tractare manu. quæ laurus ab Arcto,
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Istri,
Quid Rheni vexilla ferant: quantùm ultimus orbis
Cesserit, & refluo circumsona gurgite Thule,
Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullâque famosâ signatur lancea pennâ.
Præterea fidos dominus si dividat enses,
Pandere quis centum valeat frenare maniplos
Intermissus eques: quis præcepisse cohorti:
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni:
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.
Mille etiam prænósse vices: an merserit agros
Nilus, an imbrifero Libye sudaverit Austro.
Cunctaque si numerem, non plura interprete virgâ
Nuntiat è celsis ales Tegeaticus astris;
Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras,
Et picturato pluvium ligat æra gyro.
Quæque tuas laurus volucri, Germanice, cursu
Fama vehit prægressa diem, tardúmque sub astris
Arcada, & in medio linquit Thaumantida cœlo.
Qualem te Superi, Priscilla, hominésque benigno
Aspexere die! cùm primùm ingentibus actis
Admotus conjux? vicisti gaudia cœnæ
Ipsius, effuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avidè, domini tam magna merentis
Volveris. Aonio non sic in vertice gaudet,
Quem pater arcani præfecit hiatibus antri
Delius, aut primi cui jus venerabile thyrsi
Bacchus, & attonitæ tribuit vexilla catervæ.
Nec tamen hic mutata quies, probitásve secundis
Intumuit: tenor idem animo, morésque modesti
Fortunâ crescente manent. fovet anxia curas
Conjugis, hortatúrque simul, flectítque labores.
Ipsa dapes modicas, & sobria pocula tradit,
Exemplúmque ad herile monet. velut Appula conjux
Agricolæ parci: vel sole infecta Sabino
Quæ videt emeriti jam prospectantibus astris
Tempus adesse viri, properè mensásque torósque
Instruit, expectátque sonum redeuntis aratri.
Parva loquor: tecum gelidas comes illa per Arctos,
Sarmaticásque hyemes, Istrúmque, & pallida Rheni
Frigora, tecum omnis animo durata per æstus,
Et si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazoniâ latus intercludere peltâ
Dum te pulverea bellorum in nube videret
Cæsarei prope fulmen equi, divinâque tela
Vibrantem, & magnæ sparsum sudoribus hastæ.
Hactenus alma chelys: tempus nunc ponere frondes
Phœbe tuas, mœstâque comam damnare cupresso.
Quisnam impacatâ consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiámque Deus? quis jussit iniquas
Æternùm bellare deas? nullámne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sævâ perturbet gaudia dextrâ?
Florebant hilares, inconcussíque penates.
Nil mœstum: quid enim, quamvis infida, levísque
Cæsare tam dextro posset Fortuna timeri?
Invenere viam liventia Fata, piúmque
Intravit vis sæva larem: sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Imbre seges nimio: rapidæ sic obvia puppi
Invidet, & velis adnubilat aura secundis.
Carpitur eximium fato Priscilla decorem:
Qualiter alta comam sylvarum gloria pinus
Seu Jovis igne malo, seu jam radice solutâ
Deficit, & multi spoliata remurmurat auræ.
Quid probitas, aut casta fides? quid numina prosunt

Cuita

Culta Deûm? furvæ miseram circùm undique leti
Vallavere plagæ. tenuantur dura sororum
Licia, & exacti supereſt pars ultima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operosa medentum
Auxiliata malis. comites tamen undique ficto
Spem simulant vultu: flentem notat illa maritum.
Ille modò inferne nequicquam flumina Lethes
Incorrupta rogat: nunc anxius omnibus aris
Illachrymat, signátque fores, & pectore terget
Limina. nunc magni vocat exorabile numen
Cæsaris. Heu durus Fati tenor! éſtne quod illi
Non liceat? quantæ poterant mortalibus annis
Accesſisse moræ, si tu pater omne teneres
Arbitrium? cœco gemeret Mors clausa barathro,
Longiùs & vacuæ posuissent stamina Parcæ.
Jámque cadunt vultus, oculisque noviſſimus error,
Obtusæque aures, nisi cùm vox sola mariti
Noscitur. illum unum medià de morte reversa
Mens videt: illum ægris circumdat fortiter ulnis
Immotas obversa genas, nec sole supremo
Lumina, sed dulci mavult satiare marito.
Tunc sic unanimum moriens solatur amantem:
Pars animæ victura meæ, cui linquere possim,
O utinam, quos dura mihi rapit Atropos annos!
Parce precor lachrymis, sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.
Linquo equidem thalamos (salvo tamen ordine) mœstos,
Quòd prior exegi longâ potiora senectâ
Tempora, vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propiùs, propiúsque accedere dextræ.
Non in te fatis, non jam cœlestibus ullis
Arbitrium, mecum illa fero. tu limite cœpto
Tende libens. Sacrúmque latus, Geniúmque potentem
Irrequietus ama. nunc, quod cupis ipse juberi,
Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteat sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propriæ signet cultricis amorem.
Sic ego nec Furias, nec deteriora videbo
Tartara, & Elysias felix admittar ad oras.
Hæc dicit labens, socioſque amplectitur artus,
Hærentémque animam non tristis in ora mariti
Transtulit, & carâ pressit sua lumina dextrâ.
At juvenis magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet sævo viduos clamore penates:
Nunc ferrum laxare cupit: nunc ardua tendit
In loca: vix retinent comites, nunc ore ligato
Incubat amissæ, mersúmque in corde dolorem
Sævus agit. qualis conspectâ conjuge segnis
Odrysius vates positis ad Strymona plectris
Obstupuit, tristémque rogum sinè carmine flevit,
Ille etiam certè rupisset tempora vitæ,
Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires:
Sed prohibet mens fida Duci, mirandáque sacris
Imperiis, & major amor. Quis carmine digno
Exsequias, & dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illìc stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicúmque fluit, floréſque Sabæi,
Indorúmque arsura seges, præreptáque templis
Thura, Palæstinis simul Hebræſque liquores,
Coryciæque comæ, Cynareiáque germina: & altis
Ipsâ toris Serum, Tyrióque umbrata recumbit
Tegmine, sed toto spectatur in agmine conjux
Solus: in hunc magnæ flectuntur lumina Romæ,
Ceu juvenes natos suprema ad busta ferentem,
Is dolor in vultu: tantum crinéſque, genæque
Noctis habent. illam tranquillo fine solutam,
Felicémque vocant, lachrymas fudere marito.
Est locus ante urbem, quà primùm nascitur ingens
Appia; quáque Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos jam non reminiscitur amnes.
Hìc te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta
Clamorémque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro. nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris. tantas venerabile marmor
Sepit opes. mox in varias mutata novaris
Effigies: hôc ære Ceres, hôc lucida Gnosſis.
Illo Maia tholo, Venus hôc non improba saxo.
Accipiunt vultus, haud indignata, decoros
Numina. circumstant famuli, consuetáque turba
Obsequiis, tum rite tori, mensæque parantur
Assiduè: domus ista, domus: quis triste sepulchrum
Dixerit? hâc meritò visâ pietate mariti;
Protinus exclames: Est hic, agnosco, minister,
Illius, æternæ modò qui sacraria genti
Condidit, fnque alio posuit sua sidera cælo.
Sic ubi magna novum Pharia de littore puppis
Solvit iter, jámque innumeros utrinque rudentes,
Latáque velifieri porrexit brachia mali,
Invasítque vias; in eodem angusta phaselus
Æquore, & immensi partem sibi vindicat Austri.
Quid nunc immodicps, juvenum lectissime, fletus
Corde foves, longúmque vetas exire dolorem?
Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus? tacet ille piis. ne tardior adsit
Navita, proturbétque vadis? vehit ille merentes
Protinus, & Manes placidos locat hospite cymbâ.
Præterea si quando pio laudata marito
Umbra venit, jubet ire faces Proserpina lætas,
Egreſſáſque sacris veteres Heroidas antris
Lumine purpureo tristes laxare tenebras,
Sertáque, & Elysios animæ prosternere flores.
Sic Manes Priscilla subit, ubi supplice dextrâ
Pro te fata rogat, reges tibi tristis Averni
Placat, ut expletis humani finibus ævi
Vacantem terras dominum, juvenémque relinquas
Ipse senex: certè jurant in vota sorores.

II. Protrepticon ad Crispinum.

RURA meus Tyrrhena petit, saltúsque Tagetis
Crispinus. nec longa mora est, aut avia tellus:
Sed mea secreto vellantur pectora morsu,
Udáque turgentes impellunt lumina guttas;
Ceu super Ægeas hyemes abeuntis amici
Vela sequar, spectémque ratem jam fessus ab altis
Rupibus, atque oculos longo querar æëre vinci.
Quid si militiæ jam te, puer inclyte, primæ
Clara rudimenta, & castrorum dulce vocaret
Auspicium, quanto manarent gaudia fletu?
Quósve darem amplexus? etiámne optanda propinquant
Tristia? Et octonos bis jam tibi circuit orbes
Vita; sed angustis animus robustior annis,
Succumbítque oneri, & mentem sua non capit ætas.
Nec mirum: non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem,
Plebeiâ de stirpe tulit, non sanguine cretus
Turmali, trabeâque Remi, nec paupere clavo
Augustam sedem, & Latii penetrale senatûs
Advena pulsâsti, sed præcedente tuorum
Agmine. Romulei qualis per jugera Circi,
Cùm pulcher visu, titulis generosus avitis
Expectatur equus, cujus de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura parentes.
Illum omnes acuunt plausus, illum ipse volantem
Pulvis, & incurvæ gaudent agnoscere metæ.
Sic te, clare puer, genitum tibi curia sensit,
Primáque patritiâ clausit vestigia lunâ.
Mox Tyrios ex more sinus, tunicámque potentem
Agnovere humeri. sed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater. quippe ille juventam
Protinus ingrediens, pharetratum invalit Araxem
Belliger, indocilémque fero servire Neroni
Armeniam, rigidi summam Mavortis agebat
Corbulo, sed comitem belli, sociúmque laborum
Ille quoque egregiis multùm miratus in armis
Bolanum, atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus. quod tempus amicum
Fraudibus, exerto quænam bona tempora bello,
Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis
Armenii: Bolanus iter prænôsse timendum:
Bolanus tutis juga quærere commoda castris:
Metari Bolanus agros: aperire malignas
Tot veprum nemorúmque moras, tantámque verendi
Mentem implere ducis, jussíque ingentibus unus
Sufficere. ipsa virum nôrat jam barbara tellus:
Ille secundus apex bellorum, & proxima cassis.
Sic Phryges attoniti, quanquam Nemeæa viderent
Arma, Cleonæúsque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen & Telamona timebant.
Disce puer: nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministret
Laus animos: aliis Decii reducésque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem, quantúsque nigrantem
Fluctibus occiduis, fessóque Hyperione Thulen
Intrârit mandata gerens, quantúsque potentes
Mille urbes Asiæ sortito rexerit anno,

Imperium mulcente togâ, tibi talia, pronis
Auribus, hæc certent tibi conciliare propinqui:
Hæc iterent comites præcepta, ſenéſque paterni
Jámque aliò moliris iter. nec deſide paſſu
Ire paras. nondum validæ tibi ſigna juventæ
Irrepſere genis, & adhuc decor integer ævi.
Nec genitor juxtá. fatis namque haullus iniquis
Occidit, heu, geminam prolem ſinè præſide linquens,
Nec ſaltem teneris oſtrum puerile lacertis
Exuit, albentíſque humeros induxit amictu.
Quem non corrumpit pubes effrena? novæque
Libertas properata togæ? ceu neſcia falcis
Sylva comas tollit, fructumque expirat in umbras.
At tibi Pieriæ tenero ſub pectore curæ,
Et pudor, & docti legem ſibi dicere mores.
Tunc hilaris probitas & frons tranquilla, nitórque
Luxuriæ confine tenens, pietáſque per omnes
Diſpenſata modos. æquævo cedere fratri,
Mirarſque pátrem, miſeræque ignoſcere matri.
Admonuit fortuna domûs. tibíne illa nefanda
Pocula, letaléſque manu componere ſuccos
Evaluit? qui voce potes prævertere morſus
Serpentum, atque omnes vultu placare noverças?
Infeſtare libet Manes, meritóque precatu
Pacem auferre rogis. ſed te, puer optime, cerno
Flectentem juſtis, & talia dicta parantem:
Parce precor cineri: fatum illud, & ira nocentum
Parcarum, criménque Dei, mortalia quiſquis
Pectora ſerò videt, nec primo in limine ſiſtit
Conatus ſcelerum, atque animos infanda parantes.
Excidat ille dies ævo, ne poſtera credant
Secula: nos certè taceamus; & obruta multâ
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.
Exegit pœnas, hominum cui cura ſuorum,
Quo Pietas auctore redit, terráſque reviſit, [bis,
Quem timet omne nefas. ſatis hæc, lachrymandáque no-
Ultio. quin fœvas utinam exorare liceret
Eumenidas, tinidæque avertere Cerberon umbræ,
Immemoremque tuis citius dare manibus amnem.
Macte animo juvenis: ſic creſcunt crimina matris.
Nec tantùm Pietas, ſed protinus ardua Virtus
Affectata tibi: nuper cùm fortè ſodalis
Immeritæ falſo palleret crimine famæ,
Erigerétque forum, ſuccinctáque judice multo
Surgeret, & caſtum vibraret Julia fulmen;
Tu quanquam non antè forum legéſque ſeveras
Paſſus, ſed tacitâ ſtudiorum occultus in umbrâ,
Defenſare metus, adverſáque tela ſubiſti
Pellere inermis adhuc, & tiro paventis amici.
Haud unquam tales aſpexit Romulus annos,
Dardaniúſque ſenex, medii bellare togatâ
Strage fori. ſtupuere Patres tentamina tanta,
Conatúſque tuos: nec te reus ipſe timebat.
Par vigor eſt membris, promptæque ad fortia vires
Sufficiunt animo, atque ingentia juſſa ſequuntur.
Ipſe ego te nuper Tyberino in littore vidi,
Quà Tyrrhena vadis Laurentibus æſtuat unda,
Tendentem curſus, vexantémque ilia nudâ
Calce ferocis equi, vultu, dextrâque minacem.
(Si qua fides dictis) ſtupui, armatúmque putavi.
Getulo ſic pulcher equo, Trojanáque quaſſans
Tela, novercales ibat venator in agros
Aſcanius, miſerámque patri flagrabat Eliſam.
Troilus haud aliter gyro leviore minantes
Eludebat equos. aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio verſantem in pulvere metas
Spectabant Tyriæ non torvo lumine matres.
Ergo age, nam magni Ducis indulgentia pulſat,
Certáque dat votis hilaris veſtigia frater,
Surge, animo & fortes caſtrorum concipe curas.
Monſtrabunt acies Mavors, Actæáque virgo:
Flectere Caſtor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permiſit plaudere collo
Nubigenas clypeos, intactáque cædibus arma.
Quaſnam igitur terras, quem Cæſaris ibis in orbem?
Arctooſne amnes, & Rheni fracta natabis
Flumina? an æſtiferis Libyæ ſudabis in arvis?
An juga Pannoniæ, mutatoréſque domorum
Sauromatas quaties? an te ſeptenus habebit
Iſter? & undoſi circumflua conjuge Peuce?
An Solymum cinerem, palmetáque capta ſubibis,
Non ſibi felices ſylvas ponentis Idumes?
Quod ſi te magno tellus frenata parenti
Accipiat, quantùm ferus exultabit Araxes!
Quanta Caledonios attollet gloria campos!
Cùm tibi longævus referet trucis incola terræ,
Hic ſuetus dare jura parens: hôc ceſpite turmas
Affari: nitidas ſpeculas, caſtelláque lóngè
Aſpicis? ille dedit, cinxítque hæc mœnia foſsâ:
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit.
Cernis adhuc titulos; hunc ipſe vacantibus armis
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.
Qualiter in Teucros victricia bella parentis
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.
Felix qui viridi fidens optata juventâ
Durabis quaſcunque vias, vallúmque ſubibis.
Forſan & ipſe latus (ſic numina principis adſint)
Cinctus, & unanimi comes indefeſſus amici,
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana geſſit
Bella Menœtiades. quippe hæc concordia vobis,
Hic amor eſt, durétque precor. nos fortior ætas
Jam fugit, hinc votis animum, precibúſque juvabo.
Hei mihi, ſed cœtus ſolitos ſi fortè ciebo,
Et mea Romulei venient ad carmina patres,
Tu deeris Criſpine mihi, cuneóſque per omnes
Te meus abſentem circumſpectabit Achilles.
Sed venies melior: vatum non irrita currunt
Omina. quíque aquilas tibi nunc, & caſtra recludit,
Idem omnes perferre gradus, cingíque ſuperbis
Faſcibus, & patrias dabit inſedíſſe curules.
Sed quis ab excelſis Trojanæ collibus Albæ,
Unde ſuæ juxtà proſpectat mœnia Romæ,
Proximus ille Deus. famâ velocior intrat
Nuntius, atque tuos implet, Criſpine, penátes?
Dicebam certè: Vatum non irrita currunt
Auguria. en ingens referat tibi limen honorum
Cæſar, & Auſonii committit munia ferri.
Vade puer, tantíſque enixus ſuffice donis.
Felix, qui magno jam nunc ſub præſide juras,
Cuſque ſacer primum tradit Germanicus enſem.
Non minus hoc, fortis quàm ſi tibi panderet ipſe
Bellipotens aquilas, torvâque induceret ora
Caſſide. vade placer, majoráque diſce mereri.

III. Epicedion in Patrem.

Ipse malas vires, & lamentabile carmen
Elyſio de fonte mihi, pulſúmque ſiniſtræ
Da, genitor perdocte, lyræ. neque enim antra moveri
Delia, nec ſolitam fas eſt impellere Cyrrham
Te ſinè. Corycià quicquid modò Phœbus in umbrâ,
Quicquid ab Iſmariis monſtrabat collibus Euan,
Dedidici. fugere meos Parnaſia crines
Vellera, funeſtámque hederis irrepere taxum
Extimui, trepidámque (nefas) areſcere laurum.
Certè ego, magnanimûm qui facta attollere regum
Ibam altum ſpirans, Martémque æquare canendo:
Quis ſterili mea corda ſitu, quis Apolline merſo
Frigida damnatæ produxit nubila menti?
Stant circùm attonitæ vatem, & nil dulce ſonantes
Nec digitis, nec voce deæ. dux ipſa, ſilenti
Fulta caput citharâ, qualis poſt Orphea raptum
Aſſitit, Hebre, tibi, cernens jam ſurda ferarum
Agmina, & immotos ſublato carmine lucos.
At tu ſeu membris emiſſus in ardua tendens,
Fulgentéſque plagas, rerúmque elementa recenſes,
Quis Deus, unde ignes, quæ ducat ſemita Solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem
Cauſa queat, notíque modos extendis Arati:
Seu tu Lethæi ſecreto in gramine campi
Concilia Heroum juxta, Manéſque beatos
Mæonium, Aſcræúmque ſenem, non ſegnior umbra
Accolis, alternúmque ſonas, & carmina miſces,
Da vocem magno, Pater, ingeniúmque dolori.
Nam me ter relegens cœlo, térque ora retexens
Luna videt reſidem, nullâque Heliconide triſtes
Solantem curas, tuus ut mihi vultibus ignis
Irrubuit, cinerémque oculis humentibus hauſi,
Vilis honos ſtudiis: vix hæc in munera ſolvo
Primum animum, tacitíſque ſitum depellere curis
Nunc etiam labente manu, nec lumine ſicco
Ordior acclinis tumulo; quo mollè quieſcis
Jugera noſtra tenens, ubi poſt Æneia fata
Solatus, Latiis ingeſſit montibus Albam
Aſcanius, Phrygio dum pingues ſanguine campos
Odit, & infauſtæ regnum dotale noverçæ.
Hîc ego te (nam Sicanii non mitiùs halat
Aura croci, dites nec ſic ubi rara Sabæi

Cin-

Cinnama, odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas,)
Inſerui cum laude loci, ſed carmine plango
Pierio: ſume & genitus, & vulnera nati,
Et lachrymas, cari quas nunquam habuere parentes.
Atque utinam fortuna dares mihi Manibus aras,
Par templis opus, aëriámque educere molem,
Cyclopum ſcopulos ultræ, atque audacia ſaxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco!
Illìc & Siculi ſuperáſſem dona ſepulchri,
Et Nemees lucum, & Pelopis ſolennia trunci.
Illìc Oebalio non finderet æra diſco
Graiorum vis ulla virûm: non arva rigaret
Sudor equûm, aut putri ſonitum daret ungula foſſâ:
Sed Phœbi ſimplex chorus. Hìc frondentia vatum
Præmia, laudato genitor tibi rite dicarem.
Ipſe madens oculis, umbrarum, animæque ſacerdos
Præcinerem gemitum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheæ quirent avertere leges:
Atque tibi moréſque tuos & facta canentem
Fors & magniloquo non poſthabuiſſet Homero,
Tenderet & torvo pietas æquare Maroni.
Cur magìs inceſſat Superos, & ſæva ſororum
Stamina, quæ tepido genitrix ſuper aggere nati
Orba ſedet? vel quæ primævi conjugis ignem
Aſpicit, obſtantéſque manus, turbámque tenentem
Vincit, in ardentem, (liceat) moritura maritum?
Major certè aliis Superos, & Tartara pulſem
Invidiâ: externis etiam miſerabile viſu
Funus eat. Sed nec modò ſe natura dolenti,
Nec pietas injuſta dedit: mihi limine primo
Fatorum, & viridi, genitor, ceu raptus ab ævo,
Tartara dura ſubis; nec enim Marathonia virgo
Parciùs extinctum ſævorum crimine agreſtûm
Fleverit Icarium, Phrygiâ quàm turre cadentem
Aſtyanacta parens. laqueo quin illa ſupremos
Incluſit gemitus; At te poſt funera magni
Hectoris, Hæmonio pudor eſt ſervìſſe marito.
Non ego quas fati certus ſibi voce canorâ
Inferias præmittit olor: nec rupe quod atrâ
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos. non murmure trunco
Quod gemit, & duræ queritur Philomela ſorori:
Nota nimìs vati. quis non in funere cunctos
Heliadum ramos, lachrymoſáque germina dixit?
Et Phrygium ſilicem? atque auſum contraria Phœbo
Carmina? nec fiſſâ gaviſam Pallada buxo?
Te Pietas oblita virûm, revocatáque cœlo
Juſtitia & geminâ plangat facundia linguâ,
Et Pallas, doctíque cohors Heliconia Phœbi,
Quìs honor Aonios ſeno pede ducere campos,
Et quibus Arcadiâ carmen teſtudine menſis
Oda labor, noménque fuit: quóſque orbe ſub omni
Ardua ſeptenâ numerat Sapientia famâ?
Qui furias, regúmque domos, averſáque cœlo
Sidera terrifico ſuper intonuere cothurno.
Et quìs laſcivâ vires tenuare Thaliâ
Dulce, vel heroos greſſu truncare tenores.
Omnia namque animo complexus, & omnibus auctor,
Quà fandi vis lata patet: ſive orſa libebat
Aoniis vincire modis, ſeu voce ſolutâ
Spargere, & effreno nimbos æquare profatu.
Exere ſemirutos ſubito de pulvere vultus
Parthenope, crinémque afflato monte ſepulti
Pone ſuper tumulos, & magni funus alumni,
Quo non Munychiæ quicquam præſtantius arces,
Doctáque Cyrene, Spartéve animoſa creavit.
Si tu ſtirpe vetus, famæque obſcura jaceres
Nil gentile tenens, illo te clve probares
Graiam, atque Euboico majorum ſanguine ducl.
Ille tuis toties præſtrinxìt tempora ſertis,
Cùm ſtata laudato caneret Quinquennia verſu,
Ora ſupergreſſus Pylii ſenis, oráque regis
Dulichii, ſpeciéque comam ſubnexus utráque.
Non tibi deformes obſcuri ſanguinis ortus,
Nec finè luce genus (quanquam fortuna parentum
Arctior expenſis) etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum.
Protinus exorto dextrum riſere ſorores
Aonides, pueróque chelyn ſummiſit, & ora
Imbuit amne ſacro jam tum tibi blandus Apollo.
Nec ſimplex patriæ decus, & natalis origo
Pendet, & ambiguo geminæ certamine terræ.
Te de gente ſuum Latiis aſſcita colonis
Graia refert Selle: Graius quâ puppe magiſter
Excidit, & mediis miſer evigilavit in undis.
Mæon & indè ſuum longo probat ordine vitæ
Mæoniden, aliæque aliis natalibus urbes
Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
Verus: alit victos immanis gloria falſi.
Atque ibi dum profers annos, vitámque ſaluras,
Protinus ad patrii raperis certamina luſtri
Vix implenda viris, laudum feſtinus, & audax
Ingenii: ſtupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa, & natis te monſtravere parentes.
Indè frequens pugnæ, nullóque ingloria ſacro
Vox tua. non toties victorem Caſtora gyro,
Nec fratrem cæſtu virides plauſere Terapnæ.
Sit pronum viciſſe domi: quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantæâ protectum tempora pinu?
Cùm toties laſſata, tamen nuſquam avia frondes
Abſtulit, aut alium tetigit victoria crinem.
Hinc tibi vota patrum credi, generoſáque pubes
Te monitore regi, mores & facta priorum
Diſcere: quis caſus Trojæ, quàm tardus Ulyſſes:
Quantus equos pugnáſque virûm decurrere verſu
Mæonides: quantúmque pios ditârit agreſtes
Aſcræus, Siculúſque ſenex: quâ lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ, volucrúmque precator
Ibycus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Steſichorúſque ferox, ſaltúſque ingreſſa viriles
Non formidatâ temeraria Leucade Sappho,
Quóſque alios dignata chelys. tu pandere doctus
Carmina Battiadæ, latebráſque Lycophronis atri,
Sophronáque implicitum, tenuſſque arcana Corinnæ.
Sed quid parva loquor? tu par aſſuetus Homero
Ferre jugum, ſenóſque pedes æquare ſolutis
Verſibus, & nunquam paſſu breviore relinqui.
Quid mirum, patriâ ſi te petiere relictâ,
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectáque tellus
Alcidæ, vel quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni ſpeculatrix virgo profundi?
Quos propiore ſinu lituo remóque notatus
Collis, & Auſonii pridem laris hoſpita Cyme?
Quóſque Dicarchæi portus, Baianáque mittunt
Littora, quà mediis altè permiſtus anhelat
Ignis aquis, & operta domos incendia ſervant.
Sic ad Avernales ſcopulos, & opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant undique gentes.
Illa minas Divûm, Parcarúmque acta canebat,
Quamvìs decepto vates non irrita Phœbo.
Mox & Romuleam ſtirpem, proceréſque futuros
Inſtruis, ſnque patrum veſtigia ducere perſtas.
Sub te Dardanius facis explorator operte,
Qui Diomedei celat penetralia furti,
Crevit, & indè ſacrum didicit puer: arma probare
Monſtrâſti Saliis, præſagúmque æthera certis
Auguriis, cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii eſt coma flaminis: & una multùm
Verbera ſuccincti formidavere Luperci.
Et nunc ex illo forſan grege, gentibus alter
Jura dat Eois, alter compeſcit Iberos,
Alter Achæmenium ſecludit Zeugmate Perſen.
Hi dites Aſiæ populos, hi Pontica frenant,
Hi fora pacificis emendant faſcibus, illi
Caſtra piâ ſtatione tenent: tu laudis origo.
Non tibi certâſſet juvenilia fingere corda
Neſtor, & indomiti Phœnix moderator alumni.
Quſque tubas acres, lituóſque audire volentem
Æaciden, alio frangebat carmine Chiron.
Talia dum celebras, ſubitam civilis Erinnys
Tarpeio de monte facem, Phlegræáque movit
Prælia. ſacrilegis lucent Capitolia tædis,
Et Senonum furias Latiæ ſumpſere cohortes.
Vix requies flammæ: necdum rogus ille deorum
Siderat, exciſis cùm tu ſolatia templis
Impiger, & multùm facibus velocior ipſis,
Concinis ore pio, captiváque ſalmina defles.
Mirantur Latii proceres, ultórque deorum
Cæſar, & è medio divûm pater annuit igni.
Jámque & flere pio Veſuvina incendia cantu
Mens erat, & gemitum patriis impendere damnis,
Cùm pater exemptum terris ad ſidera montem
Suſtulit, & latè miſeras dejecit in urbes.
Me quoque vocales lucos, luſtratáque Tempe
Pulſantem, cùm ſtirpe tuâ deſcendere dixi,
Admiſere

Admiſere deæ. nec enim mihi ſidera tantùm,
Æquoráque & terras, quantum oſtendere parenti.
Sic decus hoc, quodcunque lyræ: primúſque dediſti
Non vulgare loqui, & famam ſperare ſepulchro.
Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felíxque tui ſpectator adeſſes
Muneris? heu quali confuſus gaudia fletu
Vota, pióſque metus inter, lætúmque pudorem!
Qualis eſt illa dies, quâ non mihi gloria major!
Talis Olympiacâ juvenem cùm ſpectat arenâ
Qui genuit, plùs ipſe ferit: plùs corde ſub alto
Cæditur, attendunt cunei, ſpectatur Acetes
Ille magis, crebro dum lumina pulveris hauſtu
Obruit, & prenſâ vovet expirare coronâ.
Hei mihi quòd tantùm patrias ego vertice frondes,
Soláque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te ſub teſte tuli. qualem te Dardanus Albæ
Vix cepiſſet ager, ſi per me ſerta tuliſſes
Cæſareâ donata manu! quod ſubdere robur
Illa dies, quantum potuit dempſiſſe ſenectæ?
Nam quòd me mixtâ quercus non preſſit olivâ,
Et fugit ſperatus honos, cùm dulce parentis
Invida Tapeii caneret te noſtra magiſtro
Thebaïs. Urgebant priſcorum exordia vatum,
Tu cantus ſtimulare meos, tu pandere facta
Heroum, belliſque modos, poſitúſque locorum
Monſtrabas: labat incerto mihi limite curſus
Te ſinè, & orbatæ caligant vela carinæ.
Nec ſolùm largâ mentet pietate fovebas;
Talis & in thalamos: unâ tibi cognita tædâ
Connubia, unus amor. certè ſejungere matrem
Jam gelidis nequeo buſtis, te ſentit, habétque,
Te videt, & tumulos ortúque obitúque ſalutat.
Ut Phorbos aliæ fictâ pietate dolores,
Mygdoniósque colunt, & non ſua funera plorant.
Quid referam expoſitos ſervato pondere mores?
Quæ pietas? quam vile lucrum? quæ cura pudoris?
Quantus amor recti? rurſúſque ubi dulce remitti,
Gratia quæ dictis, animo quàm nulla ſenectus?
His tibi pro meritis, famam, laudéſque benignas
Vindex cura Deûm, nullóque è vulnere triſtem
Conceſſit. raperis, genitor, non indigus ævi,
Non nimius, triſſque decem quinquennia luſtris
Juncta ferens. ſed me pietas numerare, dolórque
Non ſinit: ô Pylias ævi tranſcendere metas,
Et Teucros æquare ſenes, ò digne videre
Me ſimilem! Sed nec leti tibi janua triſtis:
Quippe leves cauſæ, nec ſegnis tabe ſenili
Exitus, inſtanti præmiſit membra ſepulchro;
Sed te torpor iners, & mors imitata quietem,
Explicuit, falſóque tulit ſub tartara ſomno.
Quos ego tunc gemitus? comitum manus anxia vidit.
Vidit & exemplum genitrix, gaviſáque novit
Quæ lamenta tuli. veniam concedite Manes;
Fas dixiſſe, pater: non tu mihi plura dèdiſſes.
Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis:
Vellet &, Elyſiâ quamvis in ſede locatum,
Abripere, & Danaas iterum portare per umbras.
Tentantem, & vivos molitum in Tartara greſſus,
Detulit infernæ vates longæva Dianæ.
Si chelyn Odryſiam pigro tranſimiſit Averno
Cauſa minor: ſi Theſſalicis Admetus in oris
Sylvâ unà tetrâ Phylaceida rettulit umbram,
Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua Manes,
Aut mea? fas mihi ſit patrios contingere vultus,
Fas junxiſſe manus, & lex quæcunque ſequatur.
At vos umbrarum reges, Ætneáque Juno
(Si laudanda precor) tædas auferte, comáſque
Eumenidum: nullo ſonet aſper janitor ore:
Centauróſque, Hydræque greges, Scyllæáque monſtra
Averſæ celent valles, umbrámque ſenilem
Invitet ripis diſcuſſâ plebe ſupremis
Vector, & in mediâ componat molliter algâ.
Ite pii manes, Graiúmque examina vatum,
Illuſtrémque animam Lethæis ſpargite ſertis,
Et monſtrate nemus, quò nulla irrupit Erinnys,
In quo falſa dies, cælóque ſimillimus aër.
Indè tamen venias, melior quà porta malignum
Cornea vincit ebur, ſomníque in imagine monſtra,
Quæ ſolitus: ſic ſacra Numæ, ritúſque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha ſub antro.
Scipio ſic plenos Latio Jove ducere ſomnos
Creditur Auſoniis, & non ſinè Apolline Sylla.

IV. Ad Somnum.

Crimine quo merui juvenis, placidiſſime divûm,
Quóve errore miſer, donis ut ſolus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus, volucréſque, ferasque,
Et ſimulant feſſos curvata cacumina ſomnos.
Nec trucibus fluviis idem ſonus, occidit horror
Æquoris, & terris maria acclinata quieſcunt.
Septima jam rediens Phœbe mihi reſpicit ægras
Stare genas, totidem Oetæas, Paphiæque reviſunt
Lampades, & toties noſtros Titonia queſtus
Præterit, & gelido ſpargit miſerata flagello.
Unde ego ſufficiam? non ſi mihi lumina mille,
Quæ facer alternâ tantùm ſtatione tenebat
Argus, & haud unquam vigilabat corpore toto.
At nunc, heu, aliquis longâ ſub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te, Somne, repellit.
Indè veni, nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; (hoc turba precatur
Lætior) extremo me tange cacumine virgæ:
Sufficit, aut leviter ſuſpenſo poplite tranſi.

V. Epicedion in Filium.

Me miſerum (neque enim verbis ſolennibus ulla
Incipiam nunc, Caſtaliæ vocalibus undis
Inviſus, Phœbóque gravis) quæ veſtra, ſorores,
Otgia, Pieriæ, quas inceſtavimus aras?
Dicite: poſt pœnam liceat commiſſa fateri.
Numquid inacceſſo poſui veſtigia luco?
Num vetito de fonte bibi? quæ culpa? quis error,
Quem luimus tantis mœroribus? ecce lacertis
Viſcera noſtra tuens, animâque avellitur infans.
Non de ſtirpe quidem, nec qui mea nomina ferret,
Oráque: non fueram genitor. ſed cernite fletus,
Liventéſque genas, & credite planctibus orbi.
Orbus ego: huc patres, & aperto pectore matres
Conveniant, cineréſque oculis & carmina ferte,
Siqua ſub uberibus plenis ad funera natos
Ipſa gradu labente tulit, madidúmque cecidit
Pectus, & ardentes reſtinxit lacte favillas.
Quiſquis adhuc teneræ ſignatum flore juventæ
Immerſit cineri juvenem, primâque jacentis
Serpere crudelis vidit lanugine flammas,
Adſit, & alterno mecum clamore fatiſcat.
Vincetur lacrymis, & te Natura pudebit.
Tanta mihi feritas, tanta eſt inſania luctûs.
Hoc quoque cùm meditor, terdenâ luce peractâ
Acclinis tumulo, luctus in carmina verto,
Diſcordéſque modos, & ſingultantia verba
Melior. Orſa dolor prohibet, atque ira tacendi
Impatiens. ſed nec ſolitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos: en taxea marcet
Sylva comis, hilaréſque hederas plorata cupreſſus
Excludit ramis. ignavo pollice chordas
Pulſo: ſed incertam digitis errantibus amens
Scindo chelyn. juvat heu, juvat illaudabile carmen
Fundere, & incomptè miſerum laudare dolorem.
Sic merui, ſic me cantúque habitúque nefaſtum
Aſpiciant Superi. pudeat, Thebáſque, novúmque
Æaciden. nil jam placidum manabit ab ore.
Ille ego qui toties blandus, matrúmque, patrúmque
Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores,
Ille ego lugentum mitis ſolator, acerbis
Auditus tumulis, & deſcendentibus umbris,
Deficio, medicáſque manus, fomentáque quæro
Vulneribus (ſed ſumma) meis. nunc tempus amici
(Quorum ego manantes oculos, & faucia terſi
Pectora) reddite opem, ſævas exolvite grates.
Nimirum cùm veſtra domans ego funera, mœſtus
Increpito, tunc damna dolens aliena, repono
Infelix lacrymas, & triſtia carmina ſervo.
Verum erat: abſumptæ vires, & copia fandi
Nulla mihi, dignúmque nihil mens fulmine tanto
Repperit. inferior vox omnis, & omnia ſordent
Verba. ignoſce puer: tu me caligine mœſtum
Obruis. à duro, viſo ſic vulnere caræ
Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce ſibi: ſic buſta Lini complexus Apollo
Non tacuit. nimius fortaſſe, avidúſque doloris
Dicor, & in lacrymis juſtum exceſſiſſe pudorem.
Quiſnam autem gemitus, lamentáque noſtra reprendit?
O nimium felix, nimiùm crudelis, & expers

Imperii

Experii Fortuna tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet cenſere dolendi.
Incitat (heu) planctus. potiùs fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obſtes,
Quàm miſeros lugere vetes. tamen ille ſeverus
(Quiſquis is eſt) noſtræ cognoſcat vulnera cauſæ.
Non ego mercatus Phariâ de puppe loquaces
Delicias, doctúmve ſui convicia Nili
Infantem, linguâque ſimul, ſalibúſque protervum
Dilexi. meus ille, meus: tellure cadentem
Excepi, & vinctum genitali carmine fovi.
Poſcentémque novas tremulis ululatibus auras,
Inſerui vitæ. quid plus tribuere parentes?
Quin alios ortus, libertatémque ſub iptis
Uberibus tibi, parve, dedi. heu munera noſtra
Ridebas ignarus adhuc. properaverat ille,
Sed meritò properabat amor, ne perderet ullum
Libertas tam parva diem. nónne horridus ipſos
Invidiâ Superos, injuſtáque Tartara pulſem?
Nónne gemam te, care puer, quo ſoſpite natos
Non cupii? primo genitum qui protinus ortu
Implicuit, fixítque mihi. cui verba, ſonóſque
Monſtravi (queſtúſque, & vulnera cæca reſolvam)
Reptantémque ſolo demiſſus ad oſcula dextrâ
Erexi, blandóque ſinu. jam jámque natantes
Exercere genas, dulcéſque accerſere ſomnos.
Cui nomen vox prima meum, ludúſque tenello
Riſus, & è noſtro veniebant gaudia vultu.

THEBAIDOS

LIBER PRIMUS.

Eraterras acies, alternáque regna profanis [Thebas,
Decertata odiis, fontéſque evolvere Pierius menti calor incidit. unde jubetis
Ire Deæ? Gentiſne canam primordia diræ?
Sidonios raptus, & inexorabile pactum
Legis Agenoreæ? ſcrutantémque æquora Cadmum? 6
Longa retro ſeries, trepidum ſi Martis operti
Agricolam infandis condentem prælia ſulcis
Expediam, penitúſque ſequar quo carmine muris
Juſſerit Amphion Tyrios accedere montes.
Unde graves iræ cognata in mœnia Baccho,
Quod ſævæ Junonis opus: cui ſumpſerit arcum
Infelix Athamas, cur non expaverit ingens
Jonium, ſocio caſura Palæmone mater.
Atque adeò jam nunc gemitus, & proſpera Cadmi
Præteriiſſe ſinam: limes mihi carminis eſto
Oedipodæ confuſa domus: quando Itala nondum
Signa, nec Arctoos auſim ſperare triumphos,
Biſque jugo Rhenum, bis adactum legibus Iſtrum,
Et conjurato dejectos vertice Dacos:
Aut defenſa priùs vix pubeſcentibus annis
Bella Jovis. Túque ô Latiæ decus addite famæ,
Quem nova maturi ſubeuntem exorſa parentis
Æternum ſibi Roma cupit: licèt arctior omnes
Limes agat ſtellas, & te plaga lucida cœli
Pleïadum, Boreæque, & hiulci fulminis expers
Sollicitet; licèt ignipedum frenator equorum
Ipſe tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Jupiter æquâ
Parte poli; maneas hominum contentus habenis,
Undarum terræque potens, & ſidera dones.
Tempus erit, cùm Pierio tua fortior œſtro
Facta canam: nunc tendo chelyn. ſatis arma referre
Aonia, & geminis ſceptrum exitiale tyrannis:
Nec furiis poſt fata modum, flammáſque rebelles
Seditione rogi, tumulíſque carentia regum
Funera, & egeſtas alternis mortibus urbes:
Cærula cùm rubuit Lernæo ſanguine Dirce,
Et Thetis arentes aſſuetum ſtringere ripas,
Horruit ingenti venientem Iſmenon acervo.
Quem priùs heroum Clio dabis? immodicum iræ
Tydea? laurigeri ſubitos an vatis hiatus!
Urget & hoſtilem propellens cædibus amnem
Turbidus Hippomedon, plorandáque bella protervi
Arcados, atque alio Capaneus horrore canendus.
Impia jam meritâ ſcrutatus lumina dextrâ
Merſerat æternâ damnatum nocte pudorem.
Oedipodes, longâque animam ſub morte tenebat.
Illum indulgentem tenebris, imæque receſſu
Sedis, inaſpectos cœlo, radiíſque penates
Servantem, tamen aſſiduis circumvolat alis
Sæva dies animi, ſcelerúmque in pectore Diræ.
Tunc vacuos orbes, crudum ac miſerabile vitæ
Supplicium, oſtentat cœlo, manibúſque cruentis
Pulſat inane ſolum, ſævâque ita voce precatur:
Dî fontes animas, anguſtâque Tartara pœnis
Qui regitis, túque umbrifero Styx livida fundo,
Quam video, multúmque mihi conſueta vocari
Annue Tiſiphone, perverſáque vota ſecunda:
Si bene quid merui, ſi me de matre cadentem
Foviſti gremio, & trajectum vulnere plantas
Firmâſti: ſi ſtagna petî Cyrrhæa bicorni
Interfuſa jugo, poſſem cùm degere falſo
Contentus Polybo, trifidæque in Phocidos arcto
Longævum implicui regem, ſecuſque trementis
Ora ſenis, dum quæro patrem: ſi Sphyngos iniquæ
Callidus ambages te præmonſtrante reſolvi:
Si dulces furias, & lamentabile matris
Connubium gaviſus inî: noctémque nefandam
Sæpe tuli, natóſque tibi (ſcis ipſa) paravi:
Mox avidus pœnæ digitis cædentibus ultro
Incubui, miſeràque oculos in matre reliqui;
Exaudi, ſi digna precor, quæque ipſa furenti
Subjiceres: Orbum viſu regníſque parentem
Non regere, aut dictis mœrentem flectere adorti
Quos genui, quocunque toro: quin ecce ſuperbi
(Prò dolor) & noſtro jamdudum funere reges
Inſultant tenebris, genitúſque odere paternos.
Hiſne etiam funeſtus ego? & videt iſta deorum
Ignavus genitor? tu ſaltem debita vindex
Huc ades, & totos in pœnam ordire nepotes.
Indue quod madidum tabo diadema cruentis
Unguibus arripui, votíſque inſtincta paternis
I media in fratres, generis conſortia ferro
Diſſiliant: da Tartarei regina barathri
Quod cupiam vidiſſe nefas. nec tarda ſequetur
Mens juvenum, modò digna veni, mea pignora noſces.
Talia jactanti crudelis Diva ſeveros
Advertit vultus; inamœnum fortè ſedebat
Cocyton juxta, reſolutáque vertice crines,
Lambere ſulfureas permiſerat anguibus undas.
Ilicet igne Jovis, lapſíſque citatior aſtris
Triſtibus exiluit ripis, diſcedit inane
Vulgus, & occurſus dominæ pavet; illa per umbras
Et caligantes animarum examine campos,
Tænariæ limen petit irremeabile portæ.
Senſit adeſſe dies: piceo nox obvia nimbo
Lucentes turbavit equos. procul arduus Atlas
Horruit, & dubiâ cœlum cervice remiſit.
Arripit extemplo Maleæ de valle reſurgens
Notum iter ad Thebas. neque enim velocior ullas
Itque redítque vias, cognatáque Tartara mavult.
Centum illi ſtantes umbrabant ora ceraſtæ,
Turba minor diri capitis: ſedet intus abactis
Ferrea lux oculis. qualis per nubila Phœbes
Atraciâ rubet arte labor: ſuffuſa veneno
Tenditur, ac ſanie gliſcit cutis: igneus atro
Ore vapor: quo longa ſitis, morbíque, famésque,

Et

Et populis mors una venit. riget horrida tergo
Palla, & cærulei redeunt in pectore nodi.
Atropos hos, atque ipsa novat Proserpina cultus.
Tum geminas quatit illa manus. hæc igne rogali
Fulgurat, hæc vivo manus ærea verberat hydro.
Ut fleuit, abruptâ quà plurimus arce Cithæron
Occurrit cœlo, fera sibila crine virenti
Congeminat, signum terris, unde omnis Achæi
Ora maris latè, Pelopeiáque regna resultant.
Audiit & medius cœli Parnassus, & asper
Eurotas, dubiámque jugo fragor impulit Oeten
In latus, & geminis vix fluctibus obstitit Isthmos.
Ipsa suum genitrix, curvo delphine vagantem
Arripuit frenis, gremióque Palæmona pressit.
Atque ea Cadmæo præceps ubi limine primùm
Constitit, assuetâque infecit nube penates:
Protinus attoniti fratrum sub pectore motus,
Gentilísque animos subiit furor, ægráque lætis
Invidia, atque parens odii metus. indè regendi
Sævus amor: ruptæque vices, jurísque secundi
Ambitus impatiens, & summo dulcius unum
Stare loco, sociísque comes discordia regnis.
Sic ubi delectos per torva armenta juvencos
Agricola impositò sociare affectat aratro:
Illi indignantes, quis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant
Viribus, & vario confundunt limite sulcos:
Haud secus indomitos præceps discordia fratres
Asperat. alterni placuit sub legibus anni
Exilio mutare ducem. sic jure maligno
Fortunam transire jubent, ut sceptra tenentem
Fœdere præcipiti semper novus angeret hæres.
Hæc inter fratres pietas erat: hæc mora pugnæ
Sola, nec in regem perduratura secundum.
Et nondum cratso laquearia fulva metallo,
Montibus aut altè Graiis effulta nitebant
Atria, congestos satis explicitura clientes.
Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alternâ ferri statione gementes
Excubiæ, nec cura merò committere gemmas,
Atque aurum violare cibis. sed nuda potestas
Armavit fratres: pugna est de paupere regno.
Dúmque uter angustæ squalentia jugera Dirces
Verteret, aut Tyrii solio non altus ovaret
Exulis, ambigitur; periit jus, fásque, bonúmque,
Et vitæ mortísque pudor. Quò tenditis iras
Ah miseri? quid si peteretur crimine tanto
Limes uterque poli, quem Sol emissus Eoo
Cardine, quem portâ vergens prospectat Iberâ?
Quásque procul terras obliquo sidere tangit
Avius, aut Boreâ gelidas, madidíve tepentes
Igne Noti? quid si Tyriæ Phrygiæve sub unum
Convectentur opes? loca dira, arcésque nefandæ
Suffecere odio, furtísque immanibus emptum est
Oedipodæ sedisse loco. Jam forte carebat
Dilatus Polynicis honos. quis tum tibi, sæve,
Quis fuit ille dies? vacuâ cùm solus in aulâ
Respiceres jus omne tuum, cunctósque minores,
Et nusquam par stare caput? Jam murmura serpunt
Plebis Echioniæ, tacitúmque à principe vulgus
Diffidet, & (qui mos populis) venturus amatur.
Atque aliquis, cui mens humili lætisse veneno
Summa, nec impositos unquam cervice volenti
Ferre duces: háncne Ogygiis, ait, aspera rebus
Fata tulere vicem? toties mutare timendos,
Alternóque jugo dubitantia subdere colla!
Partiti versant populorum fata, manúque
Fortunam fecere levem. sempérne vicissim
Exulibus servire dabor? tibi, summe deorum,
Terrarúmque sator, sociis hanc addere mentem
Sedit? an indè vetus Thebis extenditur omen,
Ex quo Sidonii nequicquam blanda juvenci
Pondera, Carpathio jussus sale quærere Cadmus
Exul Hyanteos invenit regna per agros:
Fraternásque acies fœtæ telluris hiatu
Augurium, seros dimisit adusque nepotes?
Cernis ut erectum torvâ sub fronte minetur
Sævior assurgens dempto consorte potestas?
Quas gerit ore minas? quanto premit omnia fastu?
Hícne unquam privatus erit? tamen ille precanti
Mitis, & affatu bonus & patientior æqui.
Quid mirum? non solus erat. nos vilis in omnes
Prompta manus cæsis domino cuicunque parati.

Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus
Vela trahunt, nutat mediæ fortuna carinæ.
Heu dubio suspensa metu, tolerandáque nullis
Aspera sors populis! hic imperat: ille minatur.
At Jovis imperiis rapidi super atria cœli
Lectus concilio divûm convenerat ordo
Interiore polo. spatiis hinc omnia juxtà
Primæque occiduæque domûs, effusa sub omni
Terra atque unda die. mediis sese arduus infert
Ipse deis, placido quatiens tamen omnia vultu;
Stellantísque locat solio. nec protinus auli
Cœlicolæ, veniam donec pater ipse sedendi
Tranquillà jubet esse manu. mox turba vagorum
Semideûm, & summis cognati nubibus amnes,
Et compressa metu servantes murmura venti
Aurea tecta replent, mixtâ convexa deorum
Majestate tremunt: radiant majore sereno
Culmina, & arcano florentes lumine postes.
Postquam jussa quies, situsque exterritus orbis,
Incipit ex alto: (grave & immutabile sanctis
Pondus adest verbis, & vocem Fata sequuntur)
Terrarum delicta, nec exuperabile diris
Ingenium mortale queror. quónam usque nocentum
Exigar in pœnas? tædet sævire corusco
Fulmine. jam pridem Cyclopum operosa fatiscunt
Brachia, & Æoliis desunt incudibus ignes.
Atque ideo tuleram falso rectore solutos
Solis equos, cœlúmque rotis errantibus uri,
Et Phaëtontæâ mundum sqnallere favillâ.
Nil actum est: neque tu validâ quod cuspide latè
Ire per illicitum pelago germane dedisti.
Nunc geminas punire domos, quis sanguinis autor
Ipse ego, descendo. Perseos alter in Argos
Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas.
Mens cunctis imposita manet: quis funera Cadmi
Nesciat? & toties excitam à sedibus imis
Eumenidum bellásse aciem? mala gaudia matrum,
Errorésque feros nemorum, & reticenda deorum
Crimina? vix lucis spatio, vix noctis abactæ
Enumerare queam mores, gentémque profanam.
Scandere quin etiam thalamos hic impius hæres
Patris, & immeritæ gremium incestare parentis
Appetiit, proprios monstro revolutus in ortus.
Ille tamen Superis æterna piacula solvit,
Projecítque diem: nec jam amplius æthere nostro
Vescitur, at nati (facinus finè more!) cadentes
Calcavere oculos. jam jam rata vota tulisti
Dire senex: meruere tuæ, moruere, tenebræ
Ultorem sperare Jovem. nova fontibus arma
Injiciam regnis, totúmque à stirpe revellam
Exitiale genus. belli mihi semina sunto
Adrastus socer, & Superis adjuncta sinistris
Connubia. Hanc etiam pœnis incessere gentem
Decretum. neque enim arcano de pectore fallax
Tantalus, & sævæ periit injuria mensæ.
Sic pater omnipotens. ast illi saucia dictis
Flammato verlans inopinum corde dolorem
Talia Juno refert: méne, ô justissime divûm
Me bello certare jubes? scis semper ut arces
Cyclopum, magnísque Phoroneos inclyta famâ
Sceptra viris, opibúsque juvem, licèt improbus illic
Custodem Pharíæ, somno letóque juvencæ
Exinguas, septis & turribus aureus intres.
Mentitis ignoísco toris: illam odimus urbem,!
Quam vultu confessus adis: ubi conscia magni
Signa tori, tonitrus agis, & mea fulmina torques.
Facta luant Thebæ: cur hostes eligis Argos?
Quin age, si tanta est thalami discordia sancti,
Et Samon, & veteres armis exscinde Mycenas.
Verte solo Sparten. cur usquam sanguine fœdo
Conjugis ara tuæ, cumulo cur thuris Eoi
Læta calet? meliùs votis Mareotica fumat
Coptos, & æriſoni lugentia flumina Nili.
Quòd si prisca luunt auctorum crimina gentes,
Subvenítque tuis fera hæc sententia curis;
Percensere ævi senium, quo tempore tandem
Terrarum furias abolere, & secula retro
Emendare sat est? jamdudum ab sedibus illis
Incipe, fluctivagâ qua præterlabitur undâ
Sicanos longè relegens Alpheus amores.
Arcades hic tua (nec pudor est) delubra nefastis
Imposuere locis: illic Mavortius axis
Oenomai, Geticóque pecus stabulare sub Æmo
Dignius: abruptis etiamnum inhumata procorum

Reliquiis

Relliquiis trunca ora rigent. tamen hìc tibi templi
Gratus honos. placet Ida nocens, mentitáque manes
Creta tuos. me Tantaleis conſiſtere tectis,
Quæ tandem invidia eſt? belli deſiſte tumultus
Et generis miſereſce tui. ſunt impia latè
Regna tibi, meliùs generos paſſura nocentes.
Finierat miſcens precibus convicia Juno,
At non ille gravis, dictis, quanquam aſpera, motus
Reddidit hæc: equidem haud rebar te mente ſecundâ
Laturam, quodcumque tuos, (licèt æquus) in Argos
Conſulerem, neque me (detur ſi copia) fallit
Multa ſuper Thebis Bacchum, auſurámque Dionem
Dicere, ſed noſtri reverentia ponderis obſtat.
Horrendos etenim latices, Stygia æquora fratris
Obteſtor, manſurum & non revocabile verum,
Nil fore quo dictis flectar. quare impiger ales
Portantes præcede Notos Cyllenia proles:
Aëra per liquidum, regniſque illapſus opacis
Dic patruo: ſuperas ſenior ſe tollat ad auras
Laïus, extinctum nati quem vulnere, nondum
Ulterior Lethes accepit ripa profundi
Lege Erebi: ferat hæc diro mea juſſa nepoti:
Germanum exilio fretum, Argoliciſque tumentem
Hoſpitiis, quod ſponte cupit, procul impius aulâ
Arceat, alternum regni inticiatus honorem:
Hinc cauſæ irarum. certo reliqua ordine ducam.
Paret Atlantiades dictis genitoris, & indè
Summa pedum properè plantaribus illigat alis,
Obnubítque comas, & temperat aſtra galero.
Tum dextræ virgam inſeruit, quâ pellere dulces
Aut ſuadere iterum ſomnos, quâ nigra ſubire
Tartara, & exangues animare aſſueverat umbras.
Deſiluit, tenuiſque exceptus inhorruit aurâ.
Nec mora, ſublimes raptim per inane volatus
Carpit, & ingenti deſignat nubila gyro.
Interea patriis olim vagus exul ab oris
Oedipodionides furto deſerta pererrat
Aoniæ. jam jámque animis malè debita regna
Concipit, & longum ſignis cunctantibus annum
Stare gemit. tenet una dies noctéſque recurſans
Cura virum, ſi quando humilem decedere regno
Germanum, & ſemet Thebis, opibúſque potitum
Cerneret, hâc ævum cupiat pro luce paciſci.
Nunc queritur ceu tarda fugæ diſpendia: ſed mox
Attollit ſtatus ducis, & ſediſſe ſuperbum
Dejecto ſe fratre putat. ſpes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.
Tunc ſedet Inachias urbes, Danaeïáque arva,
Et caligantes abrupto ſole Mycenas,
Ferre iter impavidum. ſeu prævia ducit Erinnys,
Seu fors illa viæ, ſive hàc immota vocabat
Atropos. Ogygiis ululata furoribus antra
Deſerit, & pingues Bacchæo ſanguine colles.
Indè plagam, quà molle ſedens in plana Cithæron
Porrigitur, laſſúmque inclinat ad æquora montem
Præterit. hinc arctè ſcopuloſo in limite pendens,
Infames Scyrone petras, Scyllæáque rura
Purpureo regnata ſeni, mitémque Corinthon
Linquit, & in mediis audit duo littora campis.
Jámque per emeriti ſurgens confinia Phœbi
Titanis, latè mundo ſubvecta ſilenti
Roriferâ gelidum tenuaverat aëra bigâ.
Jam pecudes volucréſque tacent: jam ſomnus avaris
Inſerpit curis, pronúſque per aëra fluctat,
Grata laboratæ referens oblivia vitæ.
Sed nec puniceo rediturum nubila cœlo
Promiſere jubar, nec rareſcentibus umbris
Longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo.
Denſior à terris, & nulli pervia flammæ
Subtexit nox atra polos. jam clauſtra rigentis
Æoliæ percuſſa ſónant, venturáque rauco
Ore minatur hyems, venti tranſverſa frementes
Confligunt, axémque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit. ſed plurimus Auſter
Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet,
Defundítque imbres, ficco quos aſper hiatu
Perſolidat Boreas. nec non abrupta tremiſcunt
Fulgura, & attritus ſubitâ face rumpitur æther.
Jam Nemea, jam Tænareis contermina lucis
Arcadiæ capita alta madent. ruit agmine facto
Inachus, & gelidas ſurgens Eraſinus ad Arctos.
Pulverulenta priùs, calcandáque flumina nullæ
Aggeribus tenuere moræ, ſtagnóque refuſa eſt
Fanditus, & veteri ſpumavit Lerna veneno.
Frangitur omne nemus: rapiunt antiqua procellæ
Brachia ſylvarum, nulliſque aſpecta per ævum
Solibus umbroſi patuere æſtiva Lycæi.
Ille tamen modò ſaxa jugis fugientia ruptis
Miratur, modò nubigenas è montibus amnes
Aure pavens, paſſímque inſano turbine raptas
Paſtorum pecorúmque domos. non ſegniùs ænens,
Incertúſque viæ, per nigra ſilentia, vaſtum
Haurit iter. pulſat metus undique, & undique frater.
Ac velut hyberno deprenſus navita ponto,
Cui neque temo piger, neque amico ſidere monſtrat
Luna vias, medio cœli, pelagíque tumultu
Stat rationis inops: jam jámque aut ſaxa malignis
Expectat ſubmerſa vadis, aut vertice acuto
Spumantes ſcopulos erectæ incurrere proræ:
Talis opaca legens nemorum Cadmeïus heros,
Accelerat, valto metuenda umbone ferarum
Excutiens ſtabula, & prono virgulta refringit
Pectore: dat ſtimulos animo vis mœſta timoris,
Donec ab Inachiis victâ caligine tectis
Emicuit lucem devexa in mœnia fundens
Lariſſæus apex. illò ſpe concitus omni
Evolat. hinc celſæ Junonia templa Proſymnæ
Lævus habet, hinc Herculeo ſignata vapore
Lernæi ſtagna atra vadi. tandémque recluſis
Infertur portis. acutum regia cernit
Veſtibula. hìc artus imbri, ventóque rigentes
Projicit, ignotmque acclinis poſtibus aulæ
Invitat tenues ad dura cubilia ſomnos.
Rex ibi tranquillæ medio de limite vitæ
In ſenium vergens populos Adraſtus habebat,
Dives avis, & utroque Jovem de ſanguine ducens.
Hic ſexûs melioris inops, ſed prole virebat
Fœmineâ, gemino natarum pignore fultus.
Cui Phœbus generos (monſtrum exitiabile dictu!
Mox adaperta fides) ævo ducente canebat
Setigerúmque ſuem, & fulvum adventare leonem.
Hæc volvens, non ipſe pater, non docte futuri
Amphiarae vides, etenim vetat auctor Apollo.
Tantùm in corde ſedens ægreſcit cura parentis.
Ecce autem antiquam fato Calydona relinquens
Oleníus Tydeus (fraterni ſanguinis illum
Conſcius horror agit) eadem ſub nocte ſoporâ
Luſtra terit, ſimilémque Notos dequeſtus & imbres,
Infuſam tergo glaciem, & liquentia nimbis
Ora, comáſque gerens, ſubit uno tegmine, cujus
Fuſus humo gelidâ, partem prior hoſpes habebat.
Hìc verò ambobus rabiem fortuna cruentam
Attulit, haud paſſi ſociis defendere noctem
Culminibus. paulùm alternis in verba mináſque
Cunctantur: mox ut jactis ſermonibus iræ
Intumuere ſatìs, tum verò erectus uterque
Exertare humeros, nudámque lacceſſere pugnam.
Celſior ille gradu procera in membra, ſimúlque
Integer annorum, ſed non & viribus infra
Tydea fert animus, totóſque infuſa per artus
Major in exiguo regnabat corpore virtus.
Jam crebros ictus ora & cava tempora circùm
Obnixi ingeminant, telorum aut grandinis inſtar
Rhipheæ, flexóque genu vacua ilia tundunt.
Non aliter quàm Piſæo ſua luſtra Tonanti
Cùm redeunt, crudíſque virûm ſudoribus ardet
Pulvis, at hinc teneros caveæ diſſenſus ephebos
Concitat, excluſæque expectant præmia matres.
Sic alacres odio, nullâque cupidine laudis
Accenſi incurrunt, ſcrutatur & intima vultûs
Unca manus, penitúſque oculis cedentibus inſtat.
Forſan & accincto lateri (ſic ira ferebat)
Nudâſſent enſes, meliúſque hoſtilibus armis
Lugendus fratri juvenis Thebane, jaceres,
Ni rex inſolitum clamorem, & pectore ab alto
Stridentes gemitus, noctis miratus in umbris,
Moviſſet greſſus, magnis cui ſobria curis
Pendebat ſomno jam deteriore ſenectus.
Iſque ubi progrediens numeroſâ luce, per alta
Atria, dimotis adverſo limine clauſtris
Terribilem dictu faciem, lacera ora, putréſque
Sanguineo videt imbre genas: quæ cauſa furoris
Externi juvenes? (neque enim meus audeat iſtas
Civis in uſque manus) quiſnam implacabilis ardor
Exturbare odiis tranquilla ſilentia poſtis?
Uſque adeóne angusta dies? & triſte, parumper

Pacem

Pacem animo, ſomnúmque pati? ſed prodite tandem
Unde orti? quò fertis iter? quæ jurgia? nam vos
Haud humiles tanta ira docet, generiſque ſuperbi
Magna per effuſum clareſcunt ſigna cruorem.
Vix ea, cùm mixto clamore obliqua tuentes
Incipiunt unà: Rex ô mitiſſime Achivûm,
Quid verbis opus? ipſe undantes ſanguine vultus
Aſpicis. hæc paſſim turbatis vocis amaræ
Confudere ſonis. indè orſus in ordine Tydeus
Continuat: mœſti cupiens ſolatia caſûs.
Monſtriferæ Calydonis opes, Acheloïáque arva
Deſerui: veſtris hìc me ecce in finibus ingens
Nox operit. tecto cœlum prohibere quis ille
Arcuit? an quoniam prior hæc ad limina fortè
Molitur greſſus? pariter ſtabulare bimembres
Centauros, unáque ferunt Cyclopas in Ætnâ
Compoſitos, ſunt & rabidis jura inſita monſtris,
Fáſque ſuum; nobis ſociare cubilia terræ?
Sed quid ego? aut hodie ſpoliis gaviſus abibis
Quiſquis es his; aut me, ſi non effœtus oborto
Sanguis hebet luctu, magni de ſtirpe creatum
Oeneos, & Marti non degenerare paterno
Accipies. Nec nos animi, nec ſtirpis egemus,
Ille refert contrà, ſed mens ſibi conſcia facti
Cunctatur proferre patrem. tunc mitis Adraſtus,
Imò agite, & poſitis, quas nox inopináque ſuaſit
Aut virtus, aut ira minis, ſuccedite tecto.
Jam pariter coëant animorum in pignora dextræ.
Non hæc incaſſum, diviſque abſentibus acta:
Forſan & has venturus amor præmiſerit iras,
Ut meminiſſe juvet. nec vanâ voce locutus
Fata ſenex: ſiquidem hanc perhibent poſt vulnera junctis
Eſſe fidem, quantâ partitam extrema protervo
Theſea Pirithoo, vel inanem mentis Oreſtem
Oppoſito rabidam Pylade vitâſſe Megæram.
Tunc quoque mulcentem dictis corda aſpera regem
Jam faciles (ventis ut decertata relidunt
Æquora, laxatiſque diu tamen aura ſuperſtes
Immoritur velis) paſſi ſubiere penates.
Hìc primùm luſtrare oculis, cultúſque virorum
Teláque magna vacat, tergo videt hujus inanem
Impexis utrinque jubis horrere leonem,
Illius in ſpeciem, quem per Theumeſia Tempe
Amphitryoniades fractum juvenilibus armis
Ante Cleonæi veſtitur prælia monſtri.
Terribiles contrà ſetis, ac dente recurvo
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuviæ, Calydonis honos. ſtupet omine tanto
Defixus ſenior, divina oracula Phœbi
Agnoſcens, monitúſque datos vocalibus antris.
Obtutu gelida ora premit, lætúſque per artus
Horror iit. ſenſit manifeſto numine ductos
Affore, quos nexis ambagibus augur Apollo
Portendi generos, vultu fallente ferarum,
Ediderat. tunc ſic tendens ad ſidera palmas:
Nox, quæ terrarum cœliſque amplexa labores
Ignea multivago tranſinittis ſidera lapſu,
Indulgens reparare animum, dum proximus ægris
Infundat Titan agiles animantibus ortus,
Tu mihi perplexis quæſitam erroribus ultro
Advehis alma fidem, veteriſque exordia fati
Detegis, aſſiſtas operi, tuáque omina firmes.
Semper honoratam dimenſis orbibus anni
Te domus iſta colet: nigri tibi, diva, litabunt
Electâ cervice greges, luſtraliáque exta
Lacte novo perfuſus edet Vulcanius ignis.
Salve priſca fides tripodum, obſcuriſque receſſus,
Deprendi Fortuna deos. ſic fatus; & ambos
Innectens manibus tecta ulterioris ad aulæ
Progreditur. canis etiamnum altaribus ignes,
Sopitum cinerem, & tepidi libamina ſacri
Servabant. adolere focos, epuláſque recentes
Inſtaurare jubet. dictis parere miniſtri
Certatim accelerant. vario ſtrepit icta tumultu
Regia: pars oſtro tenues, auróque ſonantes
Emunire toros, altóſque inferre tapetas,
Pars teretes lævare manu, ac diſponere menſas.
Aſt alii tenebras & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.
His labor inſerto torrere exanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum: his cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo Cererem. lætatur Adraſtus
Obſequio fervere domum. jámque ipſe ſuperbis
Fulgebat ſtratis, ſolióque effultus eburno.

Parte aliâ juvenes ſiccati vulnera lymphis
Diſcumbunt: ſimul ora notis fœdata tuentur,
Inque vicem ignoſcunt. tunc rex longævus Aceſten
(Natarum hæc altrix, eadem & fidiſſima cuſtos
Lecta ſacrum juſtæ Veneri occultare pudorem)
Imperat acciri, tacitâque immurmurat aure.
Nec mora præceptis; cùm protinus utraque virgo
Arcano egreſſæ thalamo (mirabile viſu)
Pallados armiſonæ, pharetratæque ora Dianæ
Æqua ferunt, terrore minús. nova deinde pudori
Viſa virûm facies: pariter, pallórque, rubórque
Purpureas hauſere genas: oculíque verentes
Ad ſanctum rediere patrem. poſtquam ordine menſæ
Victa fames, ſignis perfectam auróque nitentem
Iaſides pateram famulos ex more popoſcit,
Quâ Danaus libare deis ſenióque Phoroneus
Aſſueti. tenet hæc operum cælata figuras:
Aureus anguicomam præfecto Gorgona collo
Ales habet. jam jámque vagas (ita viſus) in auras
Exilit: illa graves oculos, languentiáque ora
Penè movet, vivóque etiam palleſcit in auro.
Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis:
Gargara deſidunt ſurgenti, & Troja recedit.
Stant mœſti comites, fruſtráque ſonantia latrant
Ora canes, umbrámque petunt, & nubila latrant.
Hanc undante mero fundens, vocat ordine cunctos
Cœlicolas: Phœbum ante alios, Phœbum omnis ad aras
Laude ciet comitum, famulûmque, evincta pudicâ
Fronde, manus: cui feſta dies, largóque refecti
Thure, vaporatis lucent altaribus ignes.
Forſitan, ô juvenes, quæ ſint ea ſacra, quibúſque
Præcipuum cauſis Phœbi obteſtemur honorem,
Rex ait, exquirunt animi. non inſcia ſuaſit
Religio: magnis exercita cladibus olim
Plebs Argiva litant: animos advertite, pandam;
Poſtquam cœrulei ſinuoſa volumina monſtri,
Terrigenam Pythona, deus ſeptem orbibus atris
Amplexum Delphos, ſquammíſque annoſa terentem
Robora, Caſtaliis dum fontibus ore triſulco
Fuſus hiat, nigro fitiens alimenta veneno,
Perculit, abſumptis numeroſa in vulnera telis,
Cyrrhæſque dedit centum per jugera campi
Vix tandem explicitum, nova deinde piacula cædi
Perquirens, noſtri tecta haud opulenta Crotopi
Attigit. huic primis, & pubem ineuntibus annis
Mira decore pio, ſervabat nata penates
Intemerata toris. felix, ſi Delia nunquam
Furta, nec occultum Phœbo ſociâſſet amorem.
Namque ut paſſa deum Nemeæi ad fluminis undam,
Bis quinos plenâ cum fronte reſumeret orbes
Cynthia, fidereum Latonæ fœta nepotem
Edidit: ac pœnæ metuens (neque enim ille coactis
Donâſſet thalamis veniam pater) avia rura
Eligit, ac natum ſepta inter ovilia furtim
Montivago pecoris cuſtodi mandat alendum.
Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros, & vimine querno
Texta domus: clauſa arbutei ſub cortice libri
Membra tepent, ſuadétque leves cava fiſtula ſomnos.
Et pecori commune ſolum. ſed fata nec illum
Conceſſere larem: viridi nam ceſpite terræ
Projectum temere, & patulo cœlum ore trahentem
Dira canum rabies morſu depaſta cruento
Diſjicit. hic verò attonitas ut nuntius aures
Matris adit, pulſi ex animo genitórque, pudórque,
Et metus. ipſa ultro ſævis plangoribus amens
Tecta replet, vacuúmque ferens velamine pectus
Occurrit confeſſa patri. nec motus, & atro
Imperat, infandum! cupientem occumbere leto.
Serò memor thalami, mœſtæ ſolatia morti
Phœbe paras. monſtrum infandis Acheronte ſub imo
Conceptum Eumenidum thalamis: cui virginis ora,
Pectoráque, æternùm ſtridens à vertice ſurgit,
Et ferrugineam frontem diſcriminat anguis.
Hæc tam dira lues nocturno ſquallida paſſu
Illabi thalamis, animáſque à ſtirpe recentes
Abripere altricum gremiis, morſúque cruento
Deveſci & multùm patrio pingueſcere luctu.
Haud tulit armorum præſtans animíque Corœbus,
Séque ultro lectis juvenum, qui robore primi
Famam poſthabitâ faciles extendere vitâ,
Obtulit. illa novos ibat populata penates
Portarum in bivio. lateri duo corpora parvûm
Dependent, & jam unca manus vitalibus hæret,

Ferratíque ungues tenero ſub corde tepeſcunt.
Obvius huic latus omne virûm ſtipante coronâ
It juvenis, ferrúmque ingens ſub pectore diro
Condidit: atque imas animæ mucrone coruſco
Scrutatus latebras, tandem ſua monſtra profundo
Reddit habere Jovi. juvat ire, & viſere juxtà
Lividentes in morte oculos, uteríque nefandam
Proluviem, & craſſo ſqualentia pectora tabo,
Quâ noſtræ cecidere animæ. ſtupet Inacha pubes.
Magnáque poſt lachrymas etiamnum gaudia pallent.
Hi trabibus duris ſolatia vana dolori,
Proterere exanimes artus, aſpróſque molares
Deculcare genis, nequit iram explere poteſtas.
Illam & nocturno circùm ſtridore volantes
Impaſtæ fugiſſis aves, rabidámque canum vim,
Oráque ſicca ferunt trepidorum inhiâſſe luporum.
Sævior in miſeros fatis ultricis ademptæ
Delius inſurgit, ſummâque biverticis umbrâ
Parnaſſi reſidens, arcu crudelis iniquo
Peſtifera arma jacit, campóſque, & celſa Cyclopum
Tecta, ſuperjecto nebularum incendit amictu.
Labuntur dulces animæ: mors fila ſororum
Enſe metit, captámque tenens fert manibus urbem.
Quærenti quæ cauſa duci, quis ab æthere lævus
Ignis, & in totum regnaret Seirius annum?
Idem autor Pæan rurſus jubet ire cruento
Inferias monſtro juvenes, qui cæde potiti.
Fortunate animi, longúmque in ſæcula dignè
Promeriture diem! non tu pia degener arma
Oculis, aut certæ trepidas occurrere morti.
Cominus ora ferens, Cyrrhæi in limine templi
Conſtitit, & ſacras ita vocibus aſperat iras:
Non miſſus, Thymbræe, tuos ſuppléxve penates
Advenio: mea me pietas, & conſcia virtus
Has egere vias. ego ſum qui cæde ſubegi,
Phœbe, tuum mortale nefas, quem nubibus atris
Et ſqualente die, nigrâ quem tabe ſiniſtri
Quæris, inique, poli. quòd ſi monſtra effera magnis
Cara adeò Superis, jacturáque vilior orbis,
Mors hominum, & ſævo tanta inclementia cœlo eſt:
Quid meruere Argi? me me, divûm optime, ſolum
Objeciſſe caput fatis præſtabit. an illud
Leve magis cordi, quòd deſolata domorum
Tecta vides? igniſque datis cultoribus omnis
Lucet ager? ſed quid fando tua tela manúſque
Demoror? expectant matres, ſupremáque fundunt
Vota mihi. ſatis eſt: merui, ne parcere velles.
Proinde move pharetras, arcúſque intende ſonoros,
Inſignémque animam leto demitte. ſed illum
Pallidus Inachiis qui deſuper imminet Argis,
Dum morior, depelle globum. Fors æqua merentes
Reſpicit. ardentem tenuit reverentia cædis
Latoïdem, triſtémque viro ſummiſſus honorem
Largitur vitæ. noſtro mala nubila cœlo
Diffugiunt. at tu ſtupefacti à limine Phœbi
Exoratus abis. indè hæc ſtata ſacra quotannis
Solennes recolunt epulæ, Phœbeiáque placat
Templa novatus honos: has fortè inviſitis aras
Vos quæ progenies? quanquam Calydonius Oeneus,
Et Parthaoniæ (dudum ſi certus ad aures
Clamor iit) tibi jura domûs; tu pande quis Argos
Advenias, quando hæc variis ſermonibus hora eſt.
Dejecit mœſtos extemplo Iſmenius heros
In terram vultus, tacitéque ad Tydea læſum
Obliquare oculos. tum longa ſilentia movit:
Non ſuper hos divûm tibi ſum quærendus honores,
Unde genus, quæ terra mihi: quis deſinat ordo
Sanguinis antiqui, piget inter ſacra fateri.
Sed ſi præcipitant miſerûm cognoſcere curæ,
Cadmus origo patrûm, tellus Mavortia Thebæ,
Et genitrix Iocaſta mihi. tum motus Adraſtus,
Hoſpitiis (agnovit enim) quid nota recondis?
Scimus, ait. nec ſic averſum fama Mycenis
Volvit iter. regnum, & furias, oculóſque pudentes
Novit, & Arctois ſi quis de ſolibus horret,
Quíque bibit Gangen, aut nigrum occaſibus intrat
Oceanum, & ſi quos incerto littore Syrtes
Deſtituunt, ne perge queri, caſúſque priorum
Annumerare tibi. noſtro quoque ſanguine multùm
Erravit pietas. nec culpa nepotibus obſtat.
Tu modò diſſimilis rebus mereare ſecundis
Excuſare tuos. ſed jam temone ſupino
Languet Hyperboreæ glacialis portitor Urſæ.
Fundite vina ſocis, ſervatorémque parentum
Latoïden votis iterúmque iterúmque canamus.
Phœbe parens, ſeu te Lyciæ Pataræa nivoſis
Exercent dumeta jugis, ſeu rore pudico
Caſtaliæ flavos amor eſt tibi mergere crines:
Seu Trojam Thymbræus habes, ubi fama volentem
Ingratis Phrygios humeris ſubiiſſe molares:
Seu juvat Ægæum feriens Laronius umbrâ
Cynthus, & aſſiduam pelago non quærere Delon:
Tela tibi, longéque feros lentandus in hoſtes
Arcus, & ætherii dono ceſſere parentes
Æternùm florere genas. tu doctus iniquas
Parcarum prænôſſe manus, fatúmque quod ultra eſt,
Et ſummo placitura Jovi. quis letifer annus,
Bella quibus populis, mutent quæ ſceptra Cometæ.
Tu Phryga ſubmittis citharæ. tu matris honori
Terrigenam Tityon Stygiis extendis arenis.
Te viridis Python, Thebanáque mater ovantem,
Horruit in pharetris. ultrix tibi torva Megæra
Jejunum Phlegyam ſubter cava ſaxa jacentem
Æterno premit accubitu, dapibúſque profanis
Inſtimulat: ſed miſta famem fallidia vincunt.
Adſis ô memor hoſpitii, Junoniáque arva
Dexter ames. ſeu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrin
Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

LIBER II.

INTEREA gelidis Maiâ ſatus aliger umbris
Juſſa gerens magni remeat Jovis. undique pigræ
Ire vetant nubes, & turbidus implicat aër:
Nec Zephyri rapuere gradum, ſed fœda ſilentis
Aura poli. Styx indè novem circumflua campis,
Hinc objecta vias torrentum incendia cludunt,
Ponè ſenex trepidâ ſuccedit Laïus umbra
Vulnere tardus adhuc. capulo nam largiùs ille
Tranſabiit coſtas cognatis ictibus enſis
Impius, & primas Furiarum pertulit iras.
It tamen, & medicâ firmat veſtigia virgâ.
Tum ſteriles luci, poſſeſſáque Manibus arva,
Et ferrugineum nemus adſtupet, ipſáque tellus
Miratur paruiſſe retro, nec livida tabes
Invidiæ, functis quanquam & jum lumine caſſis
Defuit. unus ibi ante alios, cui læva voluntas
Semper, & ad Superos hinc eſt gravis exitus, ævi
Inſultare malis, rebúſque ægreſcere lætis:
Vade, ait, ô felix quoſcunque vocaris in uſus,
Seu Jovis imperio, ſeu major adegit Erinnys
Ire diem contra, ſeu te furiata ſacerdos
Theſſalis arcano jubet emigrare ſepulchro,
Heu dulces viſure polos, ſolémque relictum,
Et virides terras & puros fontibus amnes.
Triſtior has iterum tamen intrature tenebras.
Illos ut cæco recubans in limine ſentit
Cerberus, atque omnes capitum ſubrexit hiatus;
Sævus & intranti populo. jam nigra tumebat
Colla minax, jam ſparſa ſolo turbaverat oſſa,
Ni Deus horrentem Lethæo vimine mulcens
Ferrea tergemino domuiſſet lumina ſomno.
Eſt locus, Inachiæ dixerunt Tænara gentes,
Quà formidatum Maleæ ſpumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine viſus.
Stat ſublimis apex, ventóſque imbréſque ſerenus
Deſpicit, & tantùm feſſis inſiditur aſtris.
Illic exhauſti poſuere cubilia venti:
Fulminibúſque iter eſt. medium cava nubila montis
Inſumpſere latus: ſummos nec præpetis alæ
Plauſus adit colles, nec rauca tonitrua pulſant.
Aſt ubi prona dies longos ſuper æquora fines
Exigit, atque ingens medio natat umbra profundo,
Interiore ſinu frangentia littora curvat
Tænarus, expoſitos non audax ſcandere fluctus.
Illic Ægæo Neptunus gurgite feſſos
In portum deducit equos: prior haurit arenas
Ungula; poſtremi ſolvuntur in æquora piſces.
Hôc (ut fama) loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigríque Jovis vacua atria ditat
Mortibus: Arcadii perhibent ſi vera coloni,
Stridor ibi, & genitus pœnarum, atróque tumultu
Fervet ager. ſæpe Eumenidum vocéſque, manúſque
In medium ſonuere diem, letíque triformis

Janitor agricolas campis auditus abegit.
Hâc & tunc fuscâ volucer deus obsitus umbrâ
Exilit ad Superos, infernáque nubila vultu
Discutit, & vivis afflatibus ora serenat.
Indè per Arcturum, mediæque silentia Lunæ
Arva super, populósque meat. Sopor obvius illi
Noctis agebat equos, trepidúsque assurgit honori
Numinis, & recto decidit limite cœli.
Inferior volat umbra deo, præreptáque noscit
Sidera, principiúmque sui. jámque ardua Cyrrha,
Pollutámque suo despectat Phocida busto.
Ventum erat ad Thebas: gemuit prope limina nati
Laïus, & notos cunctatur inire penates.
Ut verò excelsis suamet juga nixa columnis
Vidit, & infectos etiamnum sanguine currus,
Penè retro turbatus abit. nec summa Tonantis
Jussa, nec Arcadiæ retinent spiramina virgæ.
Et tunc fortè dies noto signata Tonantis
Fulmine, præcupti cùm te, tener Euie, partus
Transmisere patri. Tyriis ea causa colonis
Insomnem ludo certatim educere noctem
Suaserat: effusi passim per tecta, per agros,
Serta inter, vacuósque mero crateras anhelum
Proflabant sub luce deum. tum plurima buxus,
Æráque taurinos sonitu vincentia pulsus.
Ipse etiam gaudens nemorosa per avia sanas
Impulerat matres Baccho meliore Citheron.
Qualia per Rhodopen rapido convivia cœtu
Bistones, aut mediæ ponunt convallibus Ossæ.
Illis semianimum pecus, excussæque leonum
Ore dapes, & lacte novo domuisse cruorem
Luxus, at Ogygii si quando afflavit lacchi
Sævus odor, tunc saxa manu, tunc pocula pulchrum
Spargere, & immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, feltásque reponere mensas.
Nox ea, cùm tacitâ volucer Cyllenius aurâ
Regis Echionii stratis adlapsus, ubi ingens
Fuderat Assyriis extructa tapetibus alto
Membra toro. prò gnara nihil mortalia fati
Corda sui! capit ille dapes, habet ille soporem.
Tunc senior quæ jussus agit, neu falsa videri
Noctis imago queat, longævi vatis opacos
Tiresiæ vultus, vocémque, & vellera nota
Induitur. mansere comæ, propexáque mento
Canicies, pallórque suus. sed falsa cucurrit
Infula per crines, glaucæque innexus olivæ
Vittarum provenit honos. dehinc tangere ramo
Pectora, & has visus Fatorum expromere voces:
Non somni tibi tempus iners, qui nocte sub altâ
Germani secure jaces: ingentia dudum
Acta vocant, rerúmque graves, ignave, paratus.
Tu veluti, magnum si jam tollentibus Austris
Ionium nigrâ jaceat sub nube magister,
Immemor armorum, versantísque æquora clavi
Cunctaris. jámque ille novis (scit fama) superbus
Connubiis, virésque parat quîs regna capessat,
Quîs neget. suque suâ senium tibi destinat aulâ.
Dant animos socer augurio fatalis Adrastus,
Dotaléque Argi, nec non in fœdera vitæ
Pollutus placuit fraterno sanguine Tydeus.
Hinc tumor, & longus fratri promitteris exul.
Ipse desim genitor tibi me miseratus ab alto
Mittit. habe Thebas, cæcúmque cupidine regni,
Autúrumque eadem germanum expelle; nec ultrà
Fraternos inhiantem obitus sine fidere cœptis
Fraudibus, aut Cadmo dominas inferre Mycenas.
Dixit, & abscedens (etenim jam pallida turbant
Sidera lucis equi) ramos ac vellera fronti
Deripuit, confessus avum, dirsque nepotis
Incubuit stratis: jugulum mox cæde patentem
Nudat, & undanti perfundit vulnere somnum.
Illi rupta quies, attollit membra, toróque
Erigitur plenus monstris, vanúmque cruorem
Excutiens, timul horret avum, fratrémque requirit.
Qualis ubi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, somnóque excussit inertes;
Bella cupit, laxátque genas, & temperat ungues;
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum: sic excitus irâ
Ductor, in absentem consumit prælia fratrem.
Et jam Mygdoniis elata cubilibus alto
Impulerat cœlo gelidas Aurora tenebras,
Rorantes excussa comas, multúmque sequenti
Sole rubens: illi roseus per nubila ferat

Advertit flammas, alienúmque æthera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, atque ipsi radios veret esse sorori.
Cùm senior Talaonides, nec longa morati
Diremtúsque gradum paritérque Acheloïus heros
Corripuere toris. illos post verbera fessos,
Exceptámque hyemem cornu perfuderat omni
Somnus. at Inachio tenuis sub pectore regi
Tracta quies, dum mente deos, inceptáque versat
Hospitia, & quæ sint generis adscita repertis
Fata movet. postquam mediis in sedibus aulæ
Congressi, sinque vicem dextras junxere, locúmque
Quo ferere arcanas aptum, atque evolvere curas,
Insidunt; prior his dubios compellat Adrastus:
Egregii juvenum, quos non sinè numine regnis
Invexit nox dextra meis, quibus ipse per imbres
Fulminibus mixtos, intempestúmque Tonantem
Has meus usque domos vestigia fecit Apollo:
Non equidem obscurum vobis, plebísque Pelasgæ
Esse reor, quantis connubia nostra procorum
Turba petant studiis. geminæ mihi namque, nepotum
Læta fides, æquo pubescunt sidere natæ.
Quantus honos, quantúsque pudor (ne credite patri)
Et super hesternas licuit cognoscere mensas.
Has tumidi solio, & latè dominantibus armis
Optavere viri, (longum enumerare Pharæos
Oebaliósque duces,) & Achæa per oppida matres,
Spem generis, nec plura tuus despexerat Oeneus
Fœdera, Pisæsque socer metuendus habenis.
Sed mihi nec Spartâ genitos, nec ab Elide missos
Jungere fas generos, vobis hic sanguis, & aulæ
Jura meæ, longo promittitur ordine fati.
Dî bene, quod tales stirpémque animósque venitis,
Ut responsa juvent. hic duræ tempore noctis
Partus honos: hæc illa venit post verbera merces.
Audierant: fixósque oculos per mutua paulùm
Ora tenent, visque inter sese ordine fandi
Cedere. sed cunctis Tydeus audentior actis
Incipit: ô quàm te parcum in præconia fumæ
Mens agitat matura tuæ, quantúmque ferentem
Fortunam virtute domas! cui cedat Adrastus
Imperiis? quis te solio Sicyonis avitæ
Excitum infrenos componere legibus Argos
Nesciat? atque utinam his manibus permittere gentes,
Jupiter æque, velis, quas Doricus alligat undis
Isthmos, & alterno quas margine submovet insulà:
Non fugeret diras lux intercisa Mycenas,
Sæva nec Eleæ gemerent certamina valles.
Eumenidésque aliis aliæ sub regibus, & quæ
Tu potior, Thebane, queri. nos verò volentes,
Expositsque animis. sic interfatus, & alter
Subjicit, Anne aliquis soceros accedere tales
Abnuat? exulibus quamquam patriâque fugatis
Nondum læta Venus, tamen omnis corde resedit
Tristitia, affixsque animo cessere dolores.
Nec minùs hæc læti trahimus solatia, quàm si
Præcipiti convulsa Noto, prospectet amicam
Puppis humum. juvat ingressos felicia regni
Omina, quod superest fati vitæque laborum
Fortunâ transire tuâ. nec plura morati,
Consurgunt, dictis impensiùs aggerat omne
Promissum Inachius pater, auxilióque futurum
Et patriis spondet reduces inducere regnis.
Ergo alacres Argi, fuso rumore per urbem
Advenisse duci generos, primúsque Hymenæis
Egregiam Argian, nec formæ laude secundam
Deïphilen, tumidâ jam virginitate jugari
Gaudia mente parant, socias it Fama per urbes:
Finitimisque agitatur agris. procul usque Lyceos
Partheniósque super saltus, Ephyræáque rura.
Nec minùs Ogygias eadem dea turbida Thebas
Insilit. & totis perfundit mœnia pennis,
Labdaciúmque ducem prænuptæ consona nocti
Territat, hospitia, & thalamos, & fœdera regni,
Permixtumque genus (quæ tanta licentia monstro?
Quis furor est?) jam bella canit. diffuderat Argos
Expectata dies. læto regalia cœtu
Atria complentur, species est cernere avorum
Cominus, & vivis certantia vultibus æra.
Tantum aulæ perferre manus. pater ipse bicornis
In lævum pronâ nixus sedet Inachus urnâ.
Hunc tegit Jasiúsque senex, placidúsque Phoroneus,
Et bellator Abas, indignatúsque Tonantem
Acrisius; nudóque ferens caput ense Coræbus,

Torváque jam Danai facinus meditantis imago.
Exin mille duces: foribus cùm immissa superbis
Unda fremit vulgi. procerum manus omnis, & alto
Quis propior de rege gradus, stant ordine primi:
Interior sacris calet, & sonat aula tumultu
Fœmineo. castâ matres cinxere coronâ
Argolides: pars virginibus circùm undique fusa
Fœdera conciliant nova, solantúrque timorem.
Ibant insignes vultúque habitúque verendo
Candida purpureum fusæ super ora ruborem,
Dejectæque genas. tacitè subit ille supremus
Virginitatis amor, primæque modestia culpæ
Confundit vultus. tunc ora rigantur honestis
Imbribus, & teneros lacrymæ juvere parentes.
Non secus ac supero pariter si cardine lapsæ
Pallas, & asperior Phœbi soror, utraque telis,
Utraque torva genis, flavóque in vertice nodo,
Illa suas Cyntho comites agat, hæc Aracyntho:
Tunc, si fas oculis, non unquam longa tuendo
Expedias, cui major honos, cui gratior, aut plus
De Jove, mutatósque velint transumere cultus,
Et Pallas deceat pharetras, & Delia cristas.
Certant lætitiâ, Superósque in vota fatigant
Inachidæ, quæ cuique domus, sacrique facultas.
Hi fibris, animâque litant, hi cespite nudo:
Nec minùs auditi, si mens accepta meretur
Thure deos, fractisque obtendunt limina sylvis.
Ecce metu subito (Lachesis sic dira jubebat)
Impulsæ mentes; excussâque gaudia patris,
Et turbata dies. innuptam lumine adibant
Pallada; Munychiis cui non Argiva per urbes
Posthabita est Larissa jugis. hìc more parentum
Iasides, thalamis ubi casta adolescceret ætas,
Virgineas libare comas, primósque solebant
Excusare toros. celsam subeuntibus arcem
In gradibus summi delapsum culmine templi
Arcados Euippi spolium cadit æreus orbis;
Præmissâsque faces, festum nubentibus ignem,
Obruit, éque adytis simul exaudita remotis
Nondum ausos firmare gradum, tuba terruit ingens.
In regem converti omnes formidine primâ,
Mox audisse negant: cunctos tamen omina rerum
Dira movent, varisque metum sermonibus augent.
Nec mirum: nam tu infaustos donante marito
Ornatus Argia geris, dirúmque monile
Harmonies. longa est series, sed nota malorum
Prosequar, unde novis tam sæva potentia donis.
Lemnius hæc, ut prisca fides, Mavortia longùm
Furta dolens, capto postquam nihil obstat amori
Pœna, nec ultrices castigavere catenæ,
Harmonies dotale decus sub luce jugali
Struxerat. hoc, docti quanquam majora, laborant
Cyclopes notique operum Thelchines amicâ
Certatim juvere manu, sed plurimus ipsi
Sudor. ibi arcano florentes igne smaragdos
Cingit, & infaustas percussum adamanta figuras,
Gorgoneósque orbes, Siculâque incude relictos
Fulminis extremi cineres, viridúmque draconum
Lucentes à fronte jubas: hìc flebile germen
Hesperidum, & dirum Phryxæi velleris aurum.
Tum varias pestes, raptúmque interplicat atro
Tisiphones de crine ducem, & quæ pessima Cestos
Vis probat. hæc circùm spumis Lunaribus ungit
Callidus, atque hilari perfundit cuncta veneno.
Non hoc Pasithea blandarum prima sororum,
Nec decor, Idaliúsque puer, sed Luctus, & Ira,
Et Dolor, & totâ pressit Discordia dextrâ.
Prima fides operi, Cadmum comitata jacentem
Harmonie versis in sibila dira querelis,
Illyricos longo sulcavit pectore campos.
Improba mox Semele, vix dona nocentia collo
Induit, & fallax intravit limina Juno.
Téque etiam, infelix, perhibent, Jocasta, decorum
Possediisse nefas. vultus hâc laude colebas,
Heu quibus, heu placitura toris! pòst longior ordo.
Tum donis Argia nitet, vilésque sororis
Ornatus sacro præculta supervenit auro.
Viderat hoc conjux perituri vatis, & aras
Ante omnes, epulásque trucem secreta coquebat
Invidiam, sævis detur si quando potiri
Cultibus, heu nihil augurlis adjuta propinquis.
Quos optat gemitus! quantas cupit impia clades!
Digna quidem, sed quid miseri decepta mariti
Arma? quid insontes nati meruere furores?

Postquam regales epulas, & gaudia vulgi
Bissêni clusere dies, Ismenius heros
Respicere ad Thebas, jámque & sua quærere regna;
Quippe animum subit illa dies, qua sorte benignâ
Fratris, Echionià steterat privatus in aulâ:
Respiciens descîsse deos, trepidóque tumultu
Dilapsos comites, nudum latus omne, fugámque
Fortunæ. namque una soror producere tristes
Exulis ausa vias, etiam hanc in limine primo
Liquerat, & magnâ lacrymas incluserat irâ.
Tunc quos excedens hilares, quis cultus iniqui
Præcipuus ducis, & profugo quos ipse notârat
Ingemuisse sibi, per noctem, ac luce sub omni
Digerit. exedere animum dolor iráque demens:
Et quâ non gravior mortalibus addita cura,
Spes, ubi longa venit. talem sub pectore nubem
Consilio volvens, Dircen, Cadmúsque negatas
Apparat ire domos. veluti dux taurus amatâ
Valle carens, pulsum solito quem gramine victor
Jussit ab ereptâ longè mugire juvencâ:
Cùm profugo placuere tori, cervíxque recepto
Sanguine magna redit, fractæque in pectora vires:
Bella cupit, saltúsque, & capta armenta repescit,
Jam pede, jam cornu melior, pavet ipse reversum
Victor, & attoniti vix agnovere magistri.
Non aliàs tacitâ juvenis Theumesius iras
Mente acuit; sed fida vias, arcanáque conjux
Senserat. útque toris primo complexa jacebat
Auroræ pallore virum: Quas callide motus,
Quámve fugam moliris? ait. nil transit amantes.
Sentio, pervigiles acuunt suspiria questus,
Nunquam in pace sopor. quoties hæc ora natare
Fletibus, & magnas latrantia pectora curas
Admotâ deprendo manu? nil fœdere rupto,
Connubiisve super moveor, viduâque juventâ.
(Et si crudus amor, necdum post flammea toti
Intepuere tori) tua me, properabo fateri,
Angit amata salus. túne incomitatus, inermis
Regna petes? potersque tuis decedere Thebis,
Si neget? atque illum solers deprendere semper
Fama duces, tumidum narrat, raptóque superbum,
Difficilémque tibi: necdum consumserat annum.
Me quoque nunc vates, nunc exta minantia divos,
Aut avium lapsus, aut turbida noctis imago
Territat. ah, memini, nunquam mihi falsa per umbras
Juno venit. quò tendis iter? ni conscius ardor
Ducit, & ad Thebas melior socer. hìc brevè tandem
Ritit Echionius juvenis, tenerúmque dolorem
Conjugis amplexu solatur, & oscula mœstis
Tempellva genis posuit, lacrymásque repressit;
Solve metus animo, dabitur, mihi crede, merentum
Consiliis tranquilla dies. te fortior annis
Nondum cura decet. sciat hæc Saturnius olim
Fata parens, oculósque polo dimittere si quos
Justitia, & rectum terris defendere curat.
Fors aderit lux illa tibi, quâ mœnia cernes
Conjugis, & geminas ibis regina per urbes.
Sic ait, & caro raptim se limine profert.
Tydea jam socium cœptis, jam pectore fido
Æquantem curas (tantus post jurgia mentes
Vinxit amor) socerúmque affatur tristis Adrastum.
Fit mora consilio: cùm multa moventibus, una
Jam potior cunctis sedit sententia, fratris
Prætentare fidem, tutósque in regna precando
Explorare aditus. audax ea munera Tydeus
Sponte subit. nec non & te, fortissime gentis
Ætolûm, multùm lacrymis conata morari
Deïphile, sed jussa patris, tutíque regressus
Legato, justæque preces vicere sororis.
Jámque emensus iter sylvis ac littore durum,
Quà Lernea palus, ambustâque fontibus altè
Intepet Hydra vadis, & quà vix carmine raro
Longa sonat Nemea nondum pastoribus ausis,
Quà latus Eoos Ephyres quod vergit ad Euros,
Sisyphesque sedem portus: iratáque terræ
Curva Pelæmonio secluditur unda Lechæo.
Hinc prætervectus Nisum, & te mitis Eleusin
Lævus habet: jámque arva gradu Theumesia, & arces
Intrat Agenoreas. ibi durum Etheoclea cernit
Sublimem solio, septúmque horrentibus armis.
Jura ferus populo trans legem, ac tempora regni
Jam fratris de parte dabat. sedet omne paratus
In facinus, queritúrque fidem tam serò reposci.
Constitit in mediis: ramus manifestat oliva
Legatum,

Legatum, cauſáſque viæ nomémque rogatus
Edidit: útque rudis fandi, pronúſque calori
Semper erat, juſtis miſcens tamen aſpera, cœpit:
Si tibi plana fides, & dicti cura maneret
Fœderis, ad fratrem completo juſtius anno
Legatos hinc ire fuit. téque ordine certo
Fortunam exuere, & lætum deſcendere regno:
Ut vagus ille diu, paſſúſque haud digna per urbes
Ignotas, pactæ tandem ſuccederet aulæ.
Sed quia dulcis amor regni, blandúmque poteſtas,
Poſceris. aſtriferum velox jam circulus orbem
Torſit, & amiſſæ redierunt montibus umbræ,
Ex quo frater inops, ignota per oppida triſtes
Exul agit caſus, & te jam tempus aperto
Sub Jove ferre dies, terrenáque frigora membris
Ducere, & externos ſummiſſum ambire penates.
Pone modum lætis. ſatis auro dives, & oſtro
Conſpicuus, tenuem germani pauperis annum
Riſiſti. moneo regnorum gaudia temet
Dedoceas, patiéníque fugæ mereare reverti.
Dixerat. aſt illi tacito ſub pectore dudum
Ignea corda fremunt, jacto velut aſpera ſaxo
Cominus exigitur ſerpens, cui ſubter inanes
Longa ſitis latebras, totóſque agitata per artus
Convocat in fauces & ſquammea colla venenum:
Cognita ſi dubiis fratris mihi jurgia ſignis
Ante forem, nec clara odiorum arcana paterent,
Sufficeret vel ſola fides, quâ torvus, & illum
Mente gerens, ceu ſepta novus jam mœnia laxet
Follor, & hoſtiles inimicent claſſica turmas,
Præfuris. in medios ſi cominus orſa tuliſſes
Biſſonas, aut refugo pallentes ſole Gelonos,
Parcior alloquio, & medii reverentior æqui
Inciperes. Neque te furibundæ crimine mentis
Arguerim, mandata refers. nunc, omnia quando
Plena minis, nec ſceptra fide, nec pace ſequeſtrâ
Poſcitis, & capulo propior manus: hæc mea regi
Argolico, nondum æqua tuis, vice dicta reporta:
Quæ ſors juſta mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicavit honos, teneo, longúmque tenebo.
Te penès Inachiæ dotalis regia dono
Conjugis: & Danaæ (quid enim majoribus actis
Invideam?) cumulentur opes. felicibus Argos
Auſpiciis, Lernámque regas. nos horrida Dirces
Paſcua, & Euboicis arctatas fluctibus oras,
Non indignati miſerum dixiſſe parentem
Oedipoden. tibi larga (Pelops, & Tantalus autor)
Nobilitas, propiórque ſuat de ſanguine juncto
Jupiter. ánne ferat luxu conſueta paterno
Hunc regina larem? noſtræ cui jure ſorores
Anxia pénſa trahunt? longo quam ſordida luctu
Mater, & ex imis auditus fortè tenebris
Offendat ſocer ille ſenex: jam pectora vulgi
Aſſuevere jugo. pudet heu, plebíſque, patrúmque,
Ne toties incerta ferant, muténtque gementes
Imperia, & dubio pigeat parere tyranno,
Non parcit populis regnum breve. reſpice quantus
Horror, & attoniti noſtro in diſcrimine cives.
Hóſine ego, quis certa eſt ſub te duce pœna, relinquam?
Iratus, germane, venis. fac velle, nec ipſi
(Si modò notus amor, meritíque eſt gratia) Patres
Reddere regna ſinent. Non ultrà paſſus, & orſa
Injecit mediis ſermonibus obvia: Reddes,
Ingeminat, reddes: non ſi te ferreus agger
Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat. nil tela, nec ignes
Obſtiterint, quin auſa luas, hoſtríſque ſub armis
Captivo moribundus humum diademate pulſes.
Tu meritò: Aſt horum miſeret, quos ſanguine viles
Conjugibus, natíſque infanda ad prælia raptos
Projicis excidio bone rex. ô quanta Cithæron
Funera, ſanguineſſque vadis, Iſmene, rotabis!
Hæc pietas, hæc magna fides: nec crimina gentis
Mira equidem duco, ſi primus ſanguinis autor,
Inceſtíque patrum thalami, ſed fallit origo:
Oedipodes tu ſolus eris: hæc præmia morum
Ac ſceleris, violente, feres. nos poſcimus annum.
Sed moror. hæc audax etiamnum in limine retro
Vociferans, jam tunc impulſa per agmina præceps,
Evolat. Oeneæ vindex ſic ille Dianæ
Erectus ſetis, & adunca fulmine malæ,
Cùm premeret Pelopea phalanx, ſaxa obvia volvens,
Fractáque perfoſſis arbuſta Acheloïa ripis,
Jam Telamona ſolo, jam ſtratum Ixiona linquens,
Te Meleagre ſubit. ibi demum cuſpide latâ
Hæſit, & obnixo ferrum laxavit in armo.
Talis adhuc trepidum liquit Calydonius Heros
Concilium, infrendens ipſi ceu regna negentur:
Feſtinátque vias, ramúmque precantis olivæ
Abjicit. attonitæ tectorum ex culmine ſummo
Proſpectant matres, ſævóque infanda precantur
Oenidæ, tacitóque ſimul ſub pectore regi.
Nec piger ingenio ſcelerum, fraudíſque nefandæ
Rector eget. juvenum fidos lectiſſima bello
Corpora nunc pretio, nunc ille hortántibus ardens
Sollicitat dictis, nocturnáque prælia ſævus
Inſtruit, & ſanctum populis per ſæcula nomen
Legatum inſidiis, tacitóque invadere ferro,
(Quid regnis non vile?) cupit: quas quæreret artes,
Si fratrem fortuna dares? ô cæca nocentum
Conſilia! ô ſemper timidum ſcelus! exit in unum
Plebs ferro jurata caput. ceu caſtra ſubire
Apparet, aut celſum crebris arietibus urbis
Inclinare latus. denſi ſic agmine facto
Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.
Macte animi, tantis dignus qui crederis armis.
Fert via per dumos propior, quà calle latenti
Præceleraut, denſæque legunt compendia ſylvæ.
Lecta dolis ſedes: gemini procul urbe malignis
Faucibus urgentur colles, quos umbra ſuperni
Montis, & incurvis claudunt juga frondea ſylvis:
Inſidias natura loco, cæcámque latendi
Struxit opem. medias arctè ſecat aſpera rupes
Semita, quam ſubter campi, devexáque latis
Arva jacent ſpatiis. contrà importuna crepido
Oedipodioniæ domus aditis. hìc fera quondam
Pallentes erecta genas, ſuffuſáque tabo
Lumina, concretis infando ſanguine plumis
Reliquias amplexa virûm, ſemeſáque nudis
Pectoribus ſtetit oſſa premens, vitúque trementi
Conluſtrat campos, ſi quis concurrere dictis
Hoſpes inexplicitis, aut comlnus ire viator
Audeat, & duræ commercia jungere linguæ.
Nec mora, quin acuens exertos protinus ungues,
Liventéſque manus, fractóſque in vulnere dentes
Terribili applauſu circùm hoſpita ſurgeret ora.
Et latuere doli, donec de rupe cruentâ
Heu ſimili deprenſa viro, ceſſantibus alis
Triſtis inexpletam ſcopulis adfigeret alvum.
Monſtrat ſylva nefas, horrent vicina juvenci
Gramina; damnatis avidum pecus abſtinet herbis.
Non Dryadum placet umbra choris, non commoda ſacris
Faunorum, diræque etiam fugere volucres
Prodigiale nemus. tacitis huc greſſibus acti
Deveniunt peritura cohors. hoſtémque ſuperbum
Adnixi jaculis, & humi poſita arma tenentes
Expectant, denſâque nemus ſtatione coronant.
Cœperat humenti Phœbum ſubtexere pallâ
Nox, & cæruleam terris infuderat umbram.
Ille propinquabat ſylvis, & ab aggere celſo
Scuta virûm, galeáſque videt rutilare comantes,
Quà laxant rami nemus, adverſàque ſub umbrâ
Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis.
Obſtupuit viſis. ibat tamen, horrida tantùm
Spicula, & incluſum capulo tenus admovet enſem.
Ac prior, unde viri? quídve occultatis in armis?
Non humili terrore rogat. nec reddita contrà
Vox, fidámque negant ſuſpecta ſilentia pacem.
Ecce autem vaſto Chthonii contorta lacerto,
Quo duce freta cohors, fuſcas intervolat auras
Haſta, ſed audenti Deus & Fortuna receſſit.
Per tamen Olenii tegimen ſuis, atráque ſetis
Terga, ſuper lævos humeros vicina cruori
Effugit, & viduo jugulum ferit irrita ligno.
Tunc horrere comæ, ſanguiſque in corde gelari.
Huc ferus, atque illuc animum, pallentiáque irâ
Ora ferens, nec tanta putat ſibi bella parari.
Ferte gradum contrà, campóque erumpite aperto.
Quis timor audendi? quæ tanta ignavia? ſolus,
Solus in arma voco. neque in his mora; quos ubi plures,
Quam ratus, innumeris videt excurſare latebris,
Hos prodire jugis, illos è vallibus imis
Creſcere, nec paucos campo, totúmque ſub armis
Conlucere iter (ut clauſas indagine profert
In medium vox prima feras) quæ ſola medendi
Turbatâ ratione via eſt, petit ardua diræ
Sphyngos, & abſcitis infringens cautibus uncas
Exuperat juga dira manus, ſcopulóque potitus

Unde

Unde procul tergo metus, & via prona nocendi,
Saxum ingens, quod vix plenâ cervice gementes
Vertere humo, murſſque valent inferre juvenci,
Rupibus avellit: dein toto ſanguine nixus
Sullinet, immanem quærens librare ruinam.
Qualis in adverſos Lapithas erexit inanem
Magnanimus cratera Pholus. ſtupet obvia leto
Turba ſuper lantem, atque emiſſi turbine montis
Obruitur, ſimul ora virûm, ſimul arma, manúſque,
Fractáque commixto ſederunt pectora ferro.
Quattuor hìc adeò dejecti mole ſub unâ
Congemuere, fugâ tremefactum protinus agmen
Excutitur cœptis. neque enim temnenda jacebant
Funera, fulmineus Dorylas, quem regibus ardens
Æquabat virtus, Martíſque à ſemine Theron
Terrigenas confiſus avos. nec vertere cuiquam
Frena ſecundus Halys, ſed tunc pedes occubat arvis,
Penthecímque trahens nondum te Phædimus æquo,
Bacche, genus: quorum ut ſubitis exterrita fatis
Agmina, turbatam vidit laxare catervam:
Quæ duo ſola manu geſtans acclinia monti
Fixerat, intorquet jacula, & fugientibus addit.
Mox in plana libens, nudo ne pectore tela
Incíderent, ſaltu præceps defertur: & orbem
Quem procul oppreſſo vidit Therone volutum
Corripuit, tergóque, & vertice tegmine noto
Septus, & hoſtili propugnans pectora parmâ
Conſtitit. indè iterum denſi glomerantur in unum
Ogygidæ, firmántque gradum. trahit ocyùs enſem
Biſſonium Tydeus, Mavortia munera magni
Oeneos: & partes pariter diviſus in omnes
Hos obit, atque illos, ferróque micantia tela
Decutit. impeditant numero, ſéque ipſa viciſſim
Arma premunt. nec vis conatibus ulla, ſed ipſa
In ſocios errare manus, & corpora turbâ
Involvi prolapſa ſuâ. manet ille cruentis
Anguſtus telis, & inexpugnabilis oſtat.
Non aliter (Geticæ ſi fas eſt credere Phlegræ)
Armatum immenſus Briareus ſtetit æthera contra,
Hinc Phœbi pharetras, hinc torvæ Palladis angues,
Indè Pelethroniam præfixâ cuſpide pinum
Martis, at hinc laſſo mutata Pyracmone temnens
Fulmina, cùm toto nequicquam obſeſſus Olympo
Tot queritur ceſſare manus: non ſegniùs ardet
Huc illuc clypeum objectans, ſéque ipſe recedens
Circuit, interdum trepidis occurrit, & inſtat
Spicula divellens, clypeo quæ plurima toto
Fixa tremunt, armántque virum, ſæpe aſpera paſſum
Vulnera, ſed nullum vitæ in ſecreta receptum,
Nec mortem ſperare valet. rotat ipſe furentem
Deïlochum, comitémque illi jubet ire ſub umbras
Phegea, ſublatâ minitantem bella ſecuri,
Dircæúmque Gyan, & Echionium Lycophontem.
Jam trepidi ſeſe quærunt, numerántque, nec idem
Cædis amor, tantámque dolent rareſcere turbam.
Ecce Chromis Tyrii demiſſus origine Cadmi,
(Hunc utero quondam Dryope Phœniſſa gravato
Rapta repentè choris, onerſique oblita ferebat:
Dúmque trahit prenſis taurum tibi cornibus Euan
Procidit impulſus nimiis conatibus infans)
Tunc audax jaculis, & capti pelle leonis
Pinea nodosâ quaſſabat robora clavâ,
Increpitans: Uníine viri tot cædibus, unus
Ibit ovans Argos? vix credet fama reverſo.
Heu ſocii, nullæne manus? nulla arma valebunt?
Hæc regi promiſſa Cydon, hæc Lampe dabamus?
Dum clamat, ſubit ore cavo Theumeſia cornus,
Nec prohibent fauces. atque illi voce repletâ
Intercepta natat prorupto in ſanguine lingua.
Stabat adhuc, donec tranſmiſſâ morte per artus
Labitur, immorſâque cadens obmutuit haſtâ.
Vos quoque Theſpiadæ, cur inficiatus honorâ
Arcuerim famâ? fratris moribunda levabat
Membra ſolo Periphas (nil indole clarius illâ,
Nec pietate fuit) lævâ marcentia colla
Suſtentans, dextráque latus. ſingultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor. nec vincla coërcent
Undantem fletu galeam, cùm multa gementi
Ponè gravis curvas perfringit lancea coſtas.
Exit & in fratrem, cognatáque pectora telo
Conſerit, ille oculos etiamnum in luce natantes
Siſtit, & aſpectâ germani morte, reſolvit.
At cui vita recens, & adhuc in vulnere vires,
Hos tibi complexus, hæc dent, ait, oſcula nati.
Procubuere pares ſatis (miſerabile votum
Mortis) & alternâ clauſerunt lumina dextrâ.
Protinus idem ultro jaculo, parmâque Menoetem
Proterrebat agens, trepidis veſtigia retro
Paſſibus urgentem, donec defecit iniquâ
Lapſus humo, paritérque manus diſtractus in ambas
Orat, & à jugulo nitentem ſuſtinet haſtam.
Parce per has ſtellis interlabentibus umbras,
Per Superos, noctémque tuam. fine, triſtia Thebis
Nuntius acta feram, vulgíque per ora paventis
Contempto te rege canam. ſic irrita nobis
Tela cadant, nulliſque tuum penetrábile ferro
Pectus, & optanti victor revehāris amico.
Dixerat. ille nihil vultum mutatus, inanes
Perdis, ait, lachrymas, & tu (ni fallor) iniquo
Pollicitus mea colla duci. nunc arma, diémque
Projice. quid ſequeris timidæ compendia vitæ?
Bella manent. ſimul hæc, & craſſum ſanguine telum
Jam redit. ille ſuper dictis infenſus amaris
Proſequitur victos; non hæc Trieterica vobis
Nox patrio de more venit: non Orgia Cadmi
Cernitis, aut avidas Bacchum ſcelerare parentes.
Nebridas, & fragiles thyrſos portare putâſtis
Imbellem ad ſonitum, maribúſque incognita veris
Fœda Celenæâ committere prælia buxo?
Hìc aliæ cædes, alius furor: ite ſub umbras
O timidi, paucíque! hæc intonat, aſt tamen illi
Membra negant, laſſáſque ferit præcordia ſanguis.
Jam ſublata manus caſſos defertur in ictus:
Tardatſque gradus. clypeum nec ſuſtinet umbo
Mutatum ſpoliis. gelidus cadit imber anhelo
Pectore, tum crines, ardentiáque ora cruentis
Roribus, & tetrâ morientum aſpergine manant.
Ut leo, qui campis longè cuſtode fugato
Maſſylas depaſtus oves, ubi ſanguine multo
Luxuriata fames, cervíque, & tabe gravatæ
Conſedere jubæ, mediis in cædibus aſtat
Æger hians, victúſque cibis: nec jam ampliùs iræ
Crudeſcunt. tantùm vacuis terit æëra malis,
Mollíque ejectâ delambit vellera linguâ.
Ille etiam Thebas ſpoliis, & ſanguine plenus
Iſſet, & attonitis ſeſe, populóque, ducíque
Oſtentâſſet ovans, ubi tu Tritonia virgo
Flagrantem, multâque operis caligine plenum
Conſilio dignata virum. Sate gente ſuperbi
Oeneos, abſentes cui dudum vincere Thebas
Annuimus, jam pone modum, nimiúmque ſecundis
Parce deis. huic una fides optanda labori.
Fortunâ ſatis uſus abi. Reſtabat acerbis
Funeribus, ſocióque gregi non ſponte ſuperſtes
Hemonides (ille hæc prævideràt, omnia doctus
Aëris, & nullâ deceptus ab alite) Mæon,
Nec veritus prohibere ducem. ſed fata monentem
Privavere fide, vitâ miſerandus inerti
Damnatur, trepido Tydeus immitia mandat:
Quiſquis es Aonidum, quem craſtina munere noſtro
Manibus exemptum mediis aurora videbit,
Hæc jubeo perferre duci: cinge aggere portas:
Tela nova: fragiles ævo circumſpice muros:
Præcipuè ſtipare viros, denſáſque memento
Multiplicare acies, fumantem hunc aſpice latè
Enſe meo campum. tales in bella venimus.
Hæc ait, & meritæ pulcherum tibi Pallas honorem
Sanguineâ de ſtrage parat, prædámque jacentem
Comportat gaudens, ingentiáque acta recenſet.
Quercus erat teneræ jam longùm oblita juventæ
Aggere camporum medio, quam plurimus ambit
Frondibus incurvis, & crudo robore cortex;
Huic leves galeas, perfoſſáque vulnere crebro
Inſerit arma ferens, huic truncos ictibus enſes
Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.
Corpora tunc atque arma ſimul cumulata ſuperſtans
Incipit. oranti nox, & juga longa reſultant.
Diva ferox, magni decus, ingeniúmque parentis
Bellipotens, cui torva genis horrore decoro
Caſſis, & aſperſo crudeſcit ſanguine Gorgon.
Nec magìs ardentes Mavors, haſtatáque pugnæ
Impulerit Bellona tubas, huic annue ſacro.
Seu Pandionio noſtras inviſere cædes
Monte venis, ſive Aoniâ devertis ithone
Læta choris, ſeu tu Libyco Tritone repexas
Lota comas, quà te bijugo temone frementem
Intemeratarum volucer rapit axis equarum:
Nunc tibi fracta virûm ſpolia, informéque dicamus

Exuvias. at ſi patriis Parthaonis arvis
Inferar, & reduci pateat mihi Martia Pleuron:
Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo
Collibus, Ionias quà deſpectare procellas
Dulce ſit, & flavo tollens ubi vertice pontum
Turbidus objectas Achelous Echinadas exit.
Hic ego majorum pugnas, vultúſque tremendos
Magnanimûm effingam regum, figámque ſuperbis
Arma tholis: quæque ipſe meo quæſita revexi
Sanguine, quæque dabis captis Tritonia Thebis.
Centum ibi virgineis votæ Calydonides aris
Actæas tibi rite faces, & ab arbore caſtâ
Nectent purpureas niveo diſcrimine vittas.
Pervigilémque focis ignem longæva ſacerdos
Nutriet, arcanum nunquam inſpectura pudorem.
Tu bellis, tu pace feres de more frequentes
Primitias operum, non indignante Dianâ.
Dixerat; & dulces iter inſtaurabat ad Argos.

LIBER III.

AT non Aoniæ moderator perfidus aulæ,
Nocte ſub ancipiti quamvis humentibus aſtris,
Longus ad Auroram ſuperet labor, otia ſomni
Accipit. invigilant animo; ſceleriſque parati
Supplicium exercent curæ. tunc plurima verſat
Peſſimus in dubiis augur timor. hei mihi clamat,
Unde moræ? (nam prona ratus, facilémque tot armis
Tydea, nec numero virtutem, animúmque rependit)
Num regio diverſa viæ? num miſſus ab Argis
Subſidio globus? an ſceleris data fama per urbes
Finitimas; paucóſne pater Gradive, manúve
Legimus indecores? at enim fortiſſimus illic
Et Chromis, & Dorylas, & noſtris turribus æqui
Theſpiadæ totos raperent mihi funditus Argos.
Nec tamen ille meis reor impenetrabilis armis,
Ære gerens, ſolidóque datos adamante lacertos,
Venerat. heu ſegnes, quorum labor hæret in uno,
Si conferta manus. vario ſic turbidus æſtu
Angitur, ac ſeſe culpat ſuper omnia, qui non
Orantem in mediis legarum cœtibus enſe
Perculerit, fœdáſque palàm ſatiaverit iras.
Jam pudet incepti, jam pœnitet. ac velut ille
Fluctibus Ioniis Calabræ datus arbiter alno,
Nec rudis undarum, portus ſed linquere amicos
Purior Oleniî fruſtra gradus impulit aſtri:
Cùm fragor hybemi ſubitus Jovis, omnia mundi
Clauſtra tonant, multúſque polos inclinat Orion:
Ipſe quidem mallet terras, pugnátque reverti,
Fert ingens à puppe Notus: tunc arte relictâ
Ingemit, & cæcas ſequitur jam neſcius undas:
Talis Agenoreus ductor, cœlóque morantem
Luciferum, & ſeros mœrentibus increpat ortus.
Ecce ſub occiduas verſæ jam noctis habenas,
Aſtrorúmque obitus, ubi primùm maxima Tethys
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona ponto,
Ima flagellatis, ſignum lugubre malorum,
Ponderibus trepidavit humus, motúſque Cithæron
Antiquas dedit ire nives. tunc viſa levari
Culmina, ſeptenæque jugo concurrere portæ.
Et propè ſunt cauſæ: gelido remeabat Eoo
Iratus fatis, & triſtis, morte negatâ
Hemonides. nondum ora patent, dubiúſque notari
Signa dabat magnæ longè manifeſta ruinæ,
Planctúque, & gemitu. lacrymas nam protinus omnes
Fuderat. haud aliter ſaltu devertitur orbus
Paſtor ab agreſtum nocturnâ ſtrage luporum,
Cujus herile pecus ſylvis inopinus abegit
Imber, & hybernæ ventoſa cacumina lunæ.
Luce patent cædes: domino perferre recentes
Ipſe timet caſus, hauſtâque informis arenâ
Queſtibus implet agros, ſtabulíque ſilentia magni
Odit, & amiſſos longo ciet ordine tauros.
Ilium congeſtæ portarum ad limina matres
Ut ſolum videre (nefas!) nulla agmina circùm,
Magnanimóſque duces nihil auſæ quærere, tollunt
Clamorem, bello qualis ſupremus apertis
Urbibus, aut pelago jam deſcendente carina.
Ut primùm inviſi cupido data copia regis:
Hanc tibi de tanto donat ferus agmine Tydeus
Infelicem animam, ſive hæc ſententia divûm,
Seu fortuna fuit: ſeu, quod pudet ore fateri,

Vis invicta viri. vix credo & nuntius, omnes,
Procubuere omnes. noctis vaga lumina teſſor
Et ſociûm manes, & te mala protinus ales
Quà redeo: non hanc lacrymis meruiſſe, nec aſta
Crudelem veniam, atque inhonoræ munera lucis.
Sed mihi juſſa deûm, placitóque ignara moveri
Atropos, atque olim non hæc data janua leti
Eripuere necem. jámque ut mihi prodiga vitæ
Pectora, & extremam nihil horreſcentia mortem
Aſpicias; bellum infandum ominibúſque negatam
Moviſti, funeſte, aciem, dum pellere leges,
Et conſanguineo gliſcis regnare ſuperbus
Exule, te ſeries orbarum exciſa domorum
Planctibus aſſiduis, te diro horrore volantes
Quinquaginta animæ, circùm noctéſque, diéſque,
Adſilient, neque enim ipſe moror. jam moverat iras
Rex ferus, & triſtes igneſcunt ſanguine vultus.
Indè ultro Phlegyas, & non cunctator iniqui
Labdacus (hos regni ferrum penès) ire, manúque
Proturbare parant. ſed jam nudaverat enſem
Magnanimus vates. & nunc trucis ora tyranni,
Nunc ferrum aſpectans, nunquam tibi ſanguinis hujus
Jus erit, aut magno ſeries imperdita Tydeo
Pectora. vado equidem exultans, ereptáque fata
Inſequor, & comites feror expectatus ad umbras.
Te Superis, fratríque. & jam media orſa loquentis
Abſtulerat plenum capulo latus. ille dolori
Pugnat, & ingentem nixu duplicatus in ictum
Corruit, extremíſque animæ lingultibus errans
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere ſanguis.
Excuſſæ procerum mentes, turbatáque muſſant
Concilia. aſt illum conjux, fidíque parentes
Servantem vultus, & torvum in morte peractâ,
Non longum reducem lætati, in tecta ferebant.
Sed ducis infandi rabidæ non hactenus iræ
Stare queunt. vetat igne rapi, pacémque ſepulchri
Impius, ignaris nequicquam manibus arcet.
Tu tamen egregius fati, mentiſque, nec unquam
Indignum paſſure ſitum, qui cominus auſus
Vadere contemptum regis. quáque ampla veniret
Libertas ſancire viam. quo carmine dignam,
Quo ſatis ore tuis famam virtutibus addam,
Augur amate deis? non te cœleſtia fruſtra
Edocuit, lauróque ſuâ dignatus Apollo eſt,
Et nemorum Dodona parens, Cyrrhæáque virgo
Audebit tacito populos ſuſpendere Phœbo.
Nunc quoque Tartareo multùm diviſus Averno
Elyſias, i, carpe plagas: ubi manibus axis
Invius Ogygiis, nec fontis iniqua Tyranni
Juſſa valent. durant habitus, & membra cruentis
Inviolata feris, nudóque ſub axe jacentem
Et nemus, & triſtis volucrum reverentia ſervat.
At nuptæ exanimes, puerſque, ægríque parentes
Mœnibus effuſi per plana, per invia, paſſim
Quiſque ſuas avidi ad lacrymas miſerabile currunt
Certamen: quos denſa gradu comitantur euntes
Millia ſolandi ſtudio; pars viſere flagrant
Unius acta viri, & tantos in nocte labores.
Fervet iter gemitu, & plangoribus arva reclamant.
Ut verò infames ſcopulos, ſylvámque nefandam
Perventum, ceu nulla priùs lamenta, nec atri
Manâſſent imbres, ſic ore miſerrimus uno
Exoritur fragor, aſpectúque accenſa cruento
Turba furit. ſtat ſanguineo diſciſſus amictu
Luctus atrox, cæſóque invitat pectore matres.
Scrutantur galeas frigentum, inventáque monſtrant
Corpora, procidue ſuper externóſque, ſuóſque,
Hæ preſſant in tabe comas, hæ lumina ſignant,
Vulneráque alta replent lacrymis. pars ſpicula dextrâ
Nequicquam parcente trahunt, pars molliter aptant
Brachia trunca loco, & cervicibus ora reponunt.
At vaga per dumos, vacuíque in pulvere campi
Magna parens juvenum, gemini tunc funeris, Ide
Squallentem ſublata comam, liventiáque ora
Ungue premens, nec jam infelix miſerandáque, verùm
Terror ineſt lacrymis, per & arma & corpora paſſim
Caniciem impexam dirâ tellure volutans,
Quærit inops natos, omníque in corpore plangit.
Theſſalis haud aliter bello gaviſa recenti,
Cui gentile nefas hominem revocare canendo,
Multifida attollens antiquâ lumina cedro
Nocte ſubit campos, verſátque in ſanguine functum
Vulgus, & explorat manes, cui plurima buſto
Imperet ad Superos. animarum mœſta querantur
Concilia,

Concilia, & nigri pater indignatur Averni.
Illi in ſucceſſu pariter ſub rupe jacebant
Felices, quos una dies, manus abſtulit una
Pervia vulneribus mediâ trabe pectora nexi.
Ut vidit, lachrymiſque oculi patuere profuſis:
Hóſne ego complexus, genitrix? hæc oſcula, nati,
Veſtra tuor? ſic vos extremo in fine ligavit
Ingenium crudele necis? quæ vulnera tractem,
Quæ priùs ora premam? vóſne illa potentia matris?
Vos uteri fortuna mei: quâ tangere divos
Rebar, & Ogygias titulis anteire parentes.
At quantò meliùs, dextrâque in ſorte jugatæ,
Quîs ſteriles thalami, nullóque ululata dolore
Reſpexit Lucina domum. mihi quippe malorum
Cauſa labor. ſed nec bellorum in luce patenti
Conſpicui factis, æternáque gentibus auſi,
Quæſiſtis miſeræ vulnus memorabile matri:
Sed mortem obſcuram, numerandáque funera paſſi.
Heu quantus furto cruor, & ſinè laude jacetis?
Quin ego, non dextras miſeris complexibus auſim
Dividere, & tanti conſortia rumpere leti:
Ite diu fratres, indiſcretiſque ſupremis
Ignibus, & caros urnâ confundite manes.
Nec minùs interea digeſtâ ſtrage ſuorum
Hinc Cnthonium conjux, hinc mater Penthea clamat
Aſtyoche, puerſque rudes tua, Phædime, proles
Amiſſum didicere patrem, Marpiſſáque pactum
Phyllea: ſanguineúmque lavant Acamanta ſorores.
Tunc ferro retegunt ſylvas, colliſque propinqui
Annoſum truncant apicem, qui conſcius actis
Noctis, & inſpexit gemitus. ibi grandior ævo
Antè rogos, dum quiſque ſuo nequit igne revelli,
Concilium infauſtum dictis mulcebat Alethes:
Sæpe quidem infelix, varióque exercita ludo
Fatorum gens noſtra ruit, Sidonius ex quo
Hoſpes in Aonios jecit ſata ferrea ſulcos.
Unde novi fœtus, & formidata colonis
Arva ſuis. ſed nec veteris cùm regia Cadmi
Fulmineum in cinerem montis Junonis iniquæ
Conſedit, neque funereâ cùm laude potitus
Infelix Athamas trepido de monte veniret
Semianimem heu læto referens clamore Learchum;
Hic gemitus Thebis. nec tempore clariùs illo
Phœniſſæ ſonuere domus, cùm laſſa furorem
Vicit, & ad comitum lacrymas expavit Agave.
Una dies ſimilis fato ſpeciéque malorum
Æqua fuit, quâ magniloquos luit impia fletus
Tantalis, innumeris cùm circumfuſa ruinis
Corpora tot raperet terrâ, tot quæreret ignes.
Talis erat vulgi ſtatus, & lic urbe relictâ,
Primævíque ſenes, & longo examine matres
Invidiam planxere deis, miſeróque tumultu
Bina per ingentes ſtipabant funera portas.
Méque ipſum, memini (necdum apta doloribus ætas)
Flêſſe tamen, gemitúque meos æquâſſe parentes.
Illa tamen Superi. nec quòd tibi Delia caſtos
Prolapſum ad fontes, ſpeculâ temerante profanâ,
Heu dominum inſani non agnovere Moloſſi,
Deflérim magis, aut verſo quòd ſanguine fluxit
In ſubitos regina lacus. ſic dira ſororum
Penſa dabant, viſúmque Jovi. nunc regis iniqui
Ob noxam immeritos patriæ tot culmina cives
Exuimus, nec adhuc calcati fœderis Argos
Fama ſubit, & jam bellorum extrema dolemus.
Quantus equis, quantúſque viris in pulvere craſſo
Sudor! iò quanti crudeiè rubebitis amnes!
Viderit hæc bello viridis manus; aſt ego doner,
Dum licet, igne meo, terráque interna avitâ.
Hæc ſenior: multúmque nefas Eteoclis acerbat,
Crudelem infandúmque vocans, pœnáſque daturum.
Unde ea libertas? juxtà illi finis & ætas
Tota retro, ſeræque velit decus addere morti:
Hæc fator aſtrorum jamdudum è vertice mundi
Proſpectans, primóque imbutas ſanguine gentes,
Gradivum acciri properè jubet. ille furentes
Biſſonas, & Geticas populatus cædibus urbes,
Turbidus ætherias currus urgebat ad arces.
Fulmine criſtatum galeæ jubar, armáque in auro
Triſtia, terrificis monſtrorum animata figuris
Ineutiens: tonat axe polus, clypeſque cruenta
Lux rubet, & ſolem longè ferit æmulus orbis.
Hunc ubi Sarmaticos etiamnum efflare labores
Jupiter, & totâ perfuſum pectora belli
Tempeſtate videt: Talis mihi, nate, per Argos,
Talis ubi. ſic enſe madens, ac nubilus irâ.
Exturbent reſides frenos; & cuncta peroſi
Te cupiant, tibi præcipites animáſque, manúſque
Devoveant: rape cunctantes, & fœdera turba
Quæ dedimus. tibi fas ipſos incendere bello
Cœlicolas, pacémque meam. jam ſemina pugnæ
Ipſe dedi, remeat portans immania Tydeus
Auſa ducis, ſcelus & turpis primordia belli,
Inſidias, fraudéſque, ſuis quas ultus in armis.
Adde fidem. vos ô Superi, meus ordine ſanguis,
Ne pugnate odiis, neu me tentare precando
Certetis. ſic fata mihi, nigræque ſororum
Juravere colus. manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populiſque in prælia nati.
Quid nî me veterum pœnas ſancire malorum
Gentibus, & diros finitis punire nepotes,
Arcem hanc æternam, mentis ſacraria noſtræ,
Teſtor, & Elyſios etiam mihi numina fontes,
Ipſe manu Thebas, correptáque mœnia fundo
Excutiam, verſâſque ſolo ſuper Inacha tecta
Effundam turres, ac ſtagna in cærula vertam
Imbre ſuperjecto: licèt ipſa in turbine rerum
Juno ſuos colles, templúmque amplexa laboret.
Dixit. & attoniti juſſis (mortalia credas
Pectora) ſic cuncti vocémque, animóſque tenebant.
Non ſecus ac longâ ventorum pace ſolutum
Æquor, & imbelli recubant ubi littora ſomno,
Sylvarúmque comas, & abacto flumine nubes.
Mulcet iners æſtas: tunc ſtagna, lacúſque ſonori
Detumuere: tacent exhauſti ſolibus amnes.
Gaudet ovans juſſis, & adhuc temone calenti
Fervidus, in lævum torquet Gradivus habenas.
Jámque iter extremum, cœliſque abrupta tenebat,
Cùm Venus ante ipſos, nullâ formidine greſſum
Figit equos. ceſſere retro, jam jámque rigentes
Suppliciter poſuere jubas. tunc pectora ſummo
Acclinata jugo, vultúmque obliqua madentem,
Incipit: (interea dominæ veſtigia juxta
Spumantem proni mandunt adamanta jugales)
Bella etiam in Thebas, ſocer ô pulcherrime, bella
Ipſe paras, ferróque tuos abolere nepotes?
Nec genus Harmiones, nec te connubia cœlo
Feſta, nec hæ quicquam lacrymæ furibunde morantur?
Criminis hæc merces? hoc fama, pudórque relictus:
Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ?
Perge libens. at non eadem Vulcania nobis
Dolequia, & læſi ſervit tamen ira mariti.
Illum ego perpetuis mihi deſudare caminis
Si jubeam, vigiléſque operi tranſmittere noctes,
Gaudeat, ornatúſque novos, ipſique laboret
Arma tibi. tu: ſed ſcopulos, & ahena precando
Flectere corda paro. ſolum hoc tamen anxia, ſolum
Obteſtor, quid me Tyrio ſociare marito
Progeniem caram, infauſtiſque dabas Hymenæis?
Dum ſore præclaros armis, & vivida rebus
Pectora vipereo Tyrios de ſanguine jactas,
Demiſſúmque Jovis ſerie genus. ah mea quanto
Sithoniâ mallem nupliſſet virgo ſub Arcto
Traus Boream, Thracáſque tuos. indigna parúmne
Pertulimus? divæ Veneris quòd filia longum
Reptat, & Illyricas ejectat virus in herbas?
Nunc gentem immeritam lacrymas non pertulit ultrà
Bellipotens. haſtam lævâ tranſlumit & alto
(Haud mora) deſiluit curru: clypeóque receptam
Lædit in amplexu, dictiſque ita mulcet amicis:
O mihi, bellorum requies, & ſacra voluptas,
Unáque pax animo; ſoli cui tanta poteſtas
Divorúmque hominúmque meis occurrere telis
Impune, & mediâ quamvis in cæde frementes,
Hos aſſiſtere equos, hunc enſem avellere dextrâ.
Nec mihi Sidonii genitalia fœdera Cadmi,
Nec tua cara fides (ne falſa inceſſere gaude)
Exciderant. priùs in patrui deus infera mergat
Stagna, & pallentes agar exarmatus ad umbras.
Sed nunc Fatorum monitus, mentémque ſupremi
Juſſus obire patris, (neque enim Vulcania tali
Imperio manus apta legi) quo pectore contra
Ire Jovem? dictáſque parem contemnere leges?
Cui modò, prò vires! terras, cœlúmque, fretúmque,
Attremere oranti, tantóſque ex ordine vidi
Delituiſſe deos. ſed ne mihi corde ſupremos
Concipe, cara, metus. quando hæc mutare poteſtas
Nulla datur. cùm jam Tyriis ſub mœnibus ambæ
Bellabunt gentes, adero, & ſocia arma juvabo.

Tunc

Tunc me ſanguineo latè defervere campo
Res ſuper Argolicas haud ſic dejecta videbis:
Hoc mihi jus, nec Fata vetant. ſic orſus aperto
Flagrantes immiſit equos. non ocyùs alti
In terras cadit ira Jovis, ſi quando nivalem
Othryn, & Arctoæ gelidum caput inſtitit Oſſæ,
Armavítque in nube manum. volat ignea moles
Sæva dei mandata ferens, cœlúmque triſulcâ
Territat omne comâ, jamdudum aut ditibus agris
Signa dare, aut ponto miſeros involvere nautas.
Jámque remenſus iter feſſo Danaeïæ Tydeus
Arva gradu, viridíſque legit devexa Proſymnæ
Terribilis viſu. ſtant ſulti pulvere crines.
Squallidus ex humeris cadit alta in vulnera ſudor.
Inſomnéſque oculos rubor excitat, oráque retro
Sorbet anhela fitis. mens altum ſpirat honorem
Conſcia factorum: ſic nota in paſcua taurus
Bellator redit, adverſo cui colla, ſuóque
Sanguine, proſciſſíſque natant palearibus armi.
Tunc quoque laſſa tumet virtus, multúmque ſuperbit
Pectore deſpecto, vacuâ jacet hoſtis arenâ
Turpè gemens, crudóſque vetat ſentire dolores.
Talis erat. medias etiam non deſtitit urbes
Quicquid & Aſopon, veteréſque interjacet Argos
Inflammare odiis. multúmque, & ubique retexens
Legatum ſeſe Graiâ de gente petendis
Iſſe ſuper regnis profugi Polynicis, at indè
Vim, noctem, ſcelus, arma, dolos, ea fœdera paſſum
Regis Echionii, fratri ſua jura negari.
Prona fides populis. Deus omnia credere ſuadet
Armipotens, geminátque acceptos fama pavores.
Utque introgreſſus portas (& fortè verendos
Conciſſo pater ipſe duces cogebat Adraſtus)
Improviſus adeſt. jam illinc à poſtibus aulæ
Vociferans, arma, arma viri, túque optime Lernæ
Ductor, magnanimûm ſi quis tibi ſanguis avorum,
Arma para. nuſquam pietas, non gentibus æquum
Fas, aut cura Jovis. meliùs legatus adiſſem
Sauromatas avidos, ſervatorémque cruentum
Bebrycii nemoris, nec juſſa incuſo, pigétve
Officii. juvat iſſe, juvat, Thebáſque nocentes
Explorâſſe manu. bello me, credite, bello,
Ceu turrim validam, aut arctam compagibus urbem
Delecti inſidiis inſtructíque omnibus armis
Nocte, dolóque viri, nudum, ignarúmque locorum
Nequicquam clauſere. jacent in ſanguine mixti
Ante urbem vacuam. nunc ô, nunc tempus in hoſtes,
Dum trepidi, exanguéſque metu, dum funera portant:
Dum capulo nondum manus excidit. ipſe ego ſeſſus
Quinquaginta illis heroum immanibus umbris,
Vulneráque iſta ferens putri inſiccata cruore
Protinus ire peto. Trepidi de ſedibus aſtant
Inachidæ. cunctíſque prior Cadmeïus heros
Accurrit vultum dejectus, &, En ego divis
Inviſus, vitæque nocens, hæc vulnera cerno
Integer? hóſne mihi reditus, germane, parabas?
In me hæc tela dabas? prò vitæ fœda cupido!
Infelix facinus fratri tam grande negavi.
Et nunc veſtra quidem maneant in pace ſerenâ
Mœnia, nec vobis tanti ſim cauſa tumultûs
Hoſpes adhuc. ſcio, nec me adeò res dextra levavit
Quàm durum natis, thalamo quam triſte revelli,
Quàm patriâ. non me ullius domus anxia culpet,
Reſpecténtque truces obliquo lumine matres.
Ibo libens certúſque mori. licèt optima conjux,
Auditúſque iterum revocet ſocer. hunc ego Thebis,
Hunc germane tibi jugulum, & tibi maxime Tydeu,
Debeo. ſic variis prætentat pectora dictis,
Obliquátque preces. commotæ queſtibus iræ
Et mixtus lachrymis caluit dolor. omnibus ultro
Non juvenum modò, ſed gelidis & inertibus ævo
Pectoribus mens una ſubit. viduare penates,
Finitimas adhibere manus. jámque ire: Sed altus
Conſiliis pater, imperiſque haud flectere molem
Inſcius: iſta quidem Superis, curæque medenda
Linquite quæſo meæ (nec te germanus inulto
Sceptra geret) neque vos avidi promittere bellum.
At nunc egregium tantóque in ſanguine ovantem
Excipite Oenidem, animóſque & pectora laxet
Sera quies, nobis dolor haud rationis egebit.
Turbati extemplo comites, & pallida conjux,
Tydea circùm omnes feſſum belliſque, viæque
Stipantur. lætus mediis in ſedibus aulæ
Conſtitit, ingentíque exceptus terga columnâ.

Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,
Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis
Mitior. ipſe altâ ſeductus mente renarrat
Principia irarum, quæque orſus uterque viciſſim,
Quis locus inſidiis, tacito quæ tempora bello.
Qui contrà, quantíque duces, ubi maximus illi
Sudor, & indicio ſervatum Mæona triſti,
Exponit. cui fida manus procereſque, ſocérque
Aſtupet oranti, Tyriúſque incenditur exul.
Solverat Heſperii devexo margine ponti
Flagrantes ſol pronus equos, rutilámque lavabat
Oceani ſub fonte comam, cui turba profundi
Nereos, & rapidis accurrunt paſſibus Horæ:
Frenáque, & auratæ textum ſublime coronæ
Deripiunt. laxant roſeis humentia loris
Pectora. pars meritos vertunt ad molle jugales
Gramen, & erecto currum temone ſupinant.
Nox ſubiit, curáſque hominum, motúſque ferarum
Compoſuit, nigróque polos involvit amictu,
Illa quidem cunctis, ſed non tibi mitis, Adraſte,
Labdacióque duci. nam Tydea largus habebat
Perfuſum magnâ virtutis imagine ſomnus.
Et jam noctivagas inter deus armiger umbras
Deſuper Arcadiæ fines, Nemeæáque rura,
Tænariúmque cacumen, Apollineáſque Therapnas
Armorum tonitru ferit, & trepidantia corda
Implet amore ſui. comunt Furor Iráque criſtas,
Frena miniſtrat equis Pavor armiger. at vigil omni
Fama ſono varios rerum ſuccincta tumultus
Ante volat currum, flatúque impulſa gementum
Alipedum, trepidas denſo cum murmure plumas
Excutit. urget enim ſtimulis auriga cruentis
Facta, infecta loqui, currúque infeſtus ab alto
Terga, comáſque deæ Scythicâ pater increpat haſtâ.
Qualis ubi Æolio dimiſſos carcere ventos
Dux præ ſe Neptunus agit, magnóque volantes
Injicit Ægæo, triſtis comitatus eunti
Circùm lora fremunt, nimbíque hyeméſque profundæ,
Nubiláque & vulſo terrarum ſordida fundo
Tempeſtas dubiæ motis radicibus obſtant
Cyclades. ipſa tuâ Mycono, Gyaróque revelli,
Dele, times, magníque fidem teſtaris alumni.
Septima jam nitidum terris Aurora deſſque
Purpureo vehit ore diem: Perſeïus heros
Cùm primùm arcanâ ſenior ſeſe extulit aulâ,
Multa ſuper bello, generíſque tumentibus amens
Incertúſque animi, daret armis jura, ferósque
Gentibus incuteret ſtimulos, an frena teneret
Irarum, & motos capulis aſtringeret enſes.
Hinc pacis tranquilla movent, atque indè pudori
Fœda quies, flectíſque novâ dulcedine pugnæ
Difficiles populi. dubio ſententia tandem
Sera placet, vatum mentes, ac provida veri
Sacra movere deûm. ſolers tibi cura futuri,
Amphiaraë, datur, juxtáque Amythaone cretus
Jam ſenior, ſed mente virens Phœbóque Melampus
Aſſociat paſſus: dubium cui dexter Apollo,
Oráque Cyrrhæâ ſatiârit largiùs undâ.
Principio fibris pecudúmque in ſanguine divos
Exploraut. jam tum pavidis maculoſa bidentum
Corda negant, dirâque nefas minitantia venâ,
Ire tamen, vacuóque ſedet petere omina cælo.
Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo,
Nomine Lernæi memorant Apheſanta coloni)
Gentibus Argolicis olim ſacer: indè ferebant
Nubila, ſuſpenſo celerem temeràſſe volatu
Perſea, cùm raptos pueri perterrita matres
Proſpexit de rupe gradus, ac penè ſecuta eſt.
Huc gemini vates ſanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter. madidos ubi lucidus agros
Ortus, & algentes laxavit ſole pruinas.
Ac prior Oeclides ſolitâ prece numen amicat.
Jupiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere conſilium, volucréſque implere futuri,
Omináque, & cauſas cœlo deferre latentes
Accipimus: non Cyrrha deum promiſerit antro
Certiùs, aut frondes lucis quas fama Moloſſis
Chaonias ſonuiſſe tibi. licèt aridus Hammon
Invideat, Lyciæque parent contendere ſortes,
Niliacúmque pecus, patrióque æqualis honori
Branchus, & undoſæ qui ruſticus accola Piſæ
Pana Lyaconiâ noctiurnum exaudit in umbrâ.
Ditior ille animi, cui tu, Dictæe, ſecundas

Im-

Impuleris manifeſtus aves. mirum unde, ſed olim
Hic honor alitibus. ſuperæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit, effuſum Chaos in nova ſemina texens:
Seu quia mutatæ, noſtrâque ab origine verſis
Corporibus ſubiere Notus: ſeu purior axis,
Amotúmque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent, tibi ſumme ſator terræque deûmque
Scire licet. nos Argolicæ primordia pugnæ,
Venturúmque ſinas cœlo prænôſſe laborem.
Si datur, & duris ſedet hæc ſententia Parcis
Solvere Echionias Lernæâ cuſpide portas,
Signa feras, lævúſque tones. tunc omnis in aſtris
Conſonet arcanâ volucris bona murmura linguâ.
Si prohibes, hîc necte moras: dextríſque profundum
Alitibus prætexe diem. ſic fatus, & alto
Membra locat ſcopulo. tunc plura, ignotáque jungit
Numina, & immenſi fruitus caligine mundi.
Poſtquam rite diu partiti ſidera, cunctas
Perlegere animis, oculiſque ſequacibus auras:
Tunc Amythaonius longo poſt tempore vates,
Nónne ſub excelſo ſpirantis limite cœli,
Amphiarae, vides, curſus ut nulla ſerenos
Ales agat? liquidóque polum complexa meatu
Pendeat? aut fugiens placabile planxerit omen?
Non comes obſcurus tripodum, non fulminis ardens
Vector adeſt, flavæque ſonans avis unca Minervæ,
Non venit auguriis melior. quin vultur, & altis
Deſuper accipitres exultavere rapinis.
Monſtra volant, diræ ſtridunt in nube volucres,
Noctúrnæque gemunt ſtriges, & feralis bubo
Damna canens. quæ prima deûm portenta ſequemur?
Hiſſne dari, Thymbræe, polum? ſimul ora recurvo
Ungue ſecant rabidæ, planctúmque imitantibus alis
Exagitant Zephyros, & plumea pectora cædunt.
Ille ſub hæc: Equidem varii, pater, omina Phœbi
Sæpe tuli. jam tunc primâ cùm pube virentem
Semideos inter pinus me Theſſala reges
Duceret. hîc caſus terræque marísque canentem
Obſtupuere duces, nec me ventura locuto
Sæpius, in dubiis auditus Jaſone Mopſus.
Sed ſimiles non antè metus, aut aſtra notavi
Prodigioſa magis. quamquàm majora parantur,
Huc adverte animum. clarâ regione profundi
Ætheros, innumeri ſtatuerunt agmina cygni.
Sive hos Strymoniâ Boreas ejecit ab Arcto,
Seu fœcunda refert placidi clementia Nili.
Fixerunt curſus, hâc rere in imagine Thebas.
Nam ſeſe immoti gyro, atque in pace ſilentes,
Ceu muris, vallóque tenent. ſed fortior ecce
Adventat per inane cohors. ſeptem ordine fulvo
Armigeros ſummi Jovis exultante catervâ
Intuor. Inachii ſunt hi tibi (concipe) reges.
Invaſere globum nivei gregis, uncáque pandunt
Cædibus ora novis, & ſtrictis unguibus inſtant.
Cernis inexperto rorantes ſanguine ventos,
Et plumis ſtillare diem? quàm ſæva repentè
Victores agitat leto Jovis ira ſiniſtri?
Hic excelſa petens ſubitâ face Solis inarſit,
Summisítque animos. illum veſtigia adortum
Majorum volucrum teneræ deponitis alæ.
Hic hoſti implicitus pariter ruit, hunc fuga retro
Volvit agens ſociæ linquentem fata catervæ.
Hic nimbo glomeratus obit. hic præpete vivâ
Paſcitur immoriens. ſpargit cava nubila ſanguis.
Quid furtim lachrymas? illum venerande Melampu,
Qui cadit, agnoſco. trepidos ſic mole futuri,
Cunctáque jam rerum certâ ſub imagine paſſos
Terror habet vates. piget irrupiſſe volantum
Concilia, & cœlo mentem inſertâſſe vetanti.
Auditſque odere deos. unde iſte per orbem
Primus venturi miſeris animantibus æger
Crevit amor? divûmne feras hoc munus, an ipſi
Gens avida, & parto non unquam ſtare quieti?
Eruimus, quæ prima dies, ubi terminus ævi,
Quid bonus ille deûm genitor, quid ferrea Clotho
Cogitet: hinc fibræ, & volucrum per nubila ſermo,
Aſtrorúmque vices, numeratáque ſemita lunæ,
Theſſalicúmque nefas. At non prior aureus ille
Sanguis avûm, ſcopulíſque fatæ vel robore genteis
Mentibus hoc auſæ ſylvas amor unus, humánumque
Edomuiſſe manu. quid craſtina volveret ætas
Scire nefas homini. nos pravum, ac debile vulgus
Scrutati penitus Superos, hinc pallor, & iræ,
Hinc fœlus, inſidiæque, & nulla modeſtia voti.

Ergo manu vittas, damnatáque vertice ſerta
Deripit, abjectâque inhonorus fronde ſacerdos
Inviſo de monte redit. jam bella tubæque
Cominus, abſentéſque fremunt ſub pectore Thebæ.
Ille nec aſpectum vulgi, nec fida tyranni
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, ſed atrâ
Sede tegi, & Superûm clauſus negat acta fateri.
Te pudor, & curæ retinent per rura Melampu.
Biſſeno premit ora die, populúmque ducéſque
Extrahit incertis. & jam ſuprema Tonantis
Juſſa fremunt, agróſque viris, annoſáque vaſtant
Oppida. Bellipotens præ ſe deus agmina paſſim
Mille rapit. liquere domos, dilectáque læti
Connubia, & primo plorantes limine natos.
Tantus in attonitos cecidit deus. arma paternis
Poſtibus, & fixos Superûm ad penetralia currus
Vellere amor. tunc feſſa putri rubigine tela,
Hærentéſque ſitu gladios in ſæva recurvant
Vulnera, & attrito cogunt juveneſcere ſaxo.
Hi teretes galeas, magnorúmque ærea ſuta
Thoracum, & tunicas chalybum ſqualore crepantes
Pectoribus tentare, alii Gortynia lentant
Cornua. jam falces avidis, & aratra caminis,
Raſtráque, & incurvi ſævum rubuere ligones.
Cædere nec validas ſanctis è ſtirpibus haſtas,
Nec pudor emerito clypeum veſtiſſe juvenco.
Irrupere Argos, mæſtíque ad limina regis
Bella animis, bella ore fremunt, it clamor ad auras.
Quantus Tyrrheni gemitus ſalis, aut ubi tentat
Enceladus mutare latus. procul igneus antris
Mons tonat. exundant apices, fluctúſque Pelorus
Contrahit, & ſperat tellus abrupta reverti.
Atque hîc ingenti Capaneus Mavortis amore
Excitus, & longam pridem indignantia pacem
Corda tumens (huic ampla quidem de ſanguine priſco
Nobilitas. ſed enim ipſe manu progreſſus avorum
Facta, diu tutò Superûm contemptor, & æqui
Impatiens, largúſque animæ, modò ſuaſerit ira.)
Unus ut è ſylvis Pholoës habitator opacæ
Inter & Ætnæos æquus conſurgere fratres.
Ante fores, ubi turba ducum, vulgíque frementis,
Amphiaraë tuas. quæ tanta ignavia, clamat
Inachidæ? vóſque ô ſocio de ſanguine Achivi
Unius (heu pudeat) plebeia ad limina civis,
Tot ferro accinctæ gentes, animíſque paratæ
Pendemus? non ſi ipſe cavo ſub vertice Cyrrhæ,
Quiſquis is eſt timidis, famæque ita vitius, Apollo
Mugiat inſano penitus ſecluſus in antro,
Expectare queam, dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages. Virtus mihi numen, & enſis,
Quem teneo. jámque hoc timidâ cum fraude ſacerdos
Exeat, aut hodie volucrum quæ tanta poteſtas
Experiar. letum fremit, aſſenſúque furentem
Implet Achæa manus. tandem prorumpere adactus
Oeclides, alio curarum agitante tumultu:
Non equidem effreno juvenis clamore profani,
Dictorúmque metu, licèt hic inſana minetur,
Elicior tenebris. alio mihi debita fato
Summa dies, vetitúmque dari mortalibus armis.
Sed me veſter amor, nimiúſque arcana profari
Phœbus agit. vobis ventura, atque omne, quod ultrà eſt,
Pandere mœſtus eo. nam te, veſane, moveri
Antè nefas, unſque filet tibi noſter Apollo.
Quò miſeri, Fatis Superíſque obſtantibus, arma,
Quò rapitis? quæ vos Furiarum verbera cæcos
Exagitant? adeóne animarum tædet? & Argos
Exoli? nil dulce domi? nulla omina curæ?
Quid me Perſei ſecreta ad culmina montis
Ire gradu trepido ſuperóſque irrumpere cœtus
Egiſtis? potui pariter neſcire, quis armis
Caſus, & atra dies, quæ fati exordia cunctis,
Quæ mihi. conſulti teſtor penetralia mundi,
Et volucrum affatus, & te, Thymbræe, vocanti
Non aliàs tam ſæve mihi, quæ ſigna futuri
Pertulerim. vidi ingentis portenta ruinæ.
Vidi hominum, divûmque nefas, hilarémque Megæram,
Et Lachetin putri vacuantem ſæcula penſo.
Projicite arma manu. deus ecce furentibus obſtat:
Ecce deus. miſeri quid pulchrum ſanguine victo
Aoniam, & diri ſaturare novalia Cadmi?
Sed quid vana cano? quid fixos arceo caſus?
Ibimus. hîc preſſo gemuit ſimul ore ſacerdos.
Illum iterum Capaneus: tuus ô furor augur, & una
Iſta tibi, ut ſerves vacuos inglorius Argos:

Et tua non unquam Tyrrhenus tempora circùm
Clangor eat. quid vota virûm meliora moraris?
Scilicet ut vanis avibus, natóque, domóque,
Et thalamis potiare jacens, ſileamus inulti
Tydeos egregii perſoſſum pectus? & arma
Fœderis abrupti? quòd ſi bella effera Graios
Ferre vetas, i Sidonias legatus ad urbes.
Hæc pacem tibi ſerta dabunt. tua prorſus inani
Verba polo cauſas, abſtruſáque ſemina rerum,
Eliciunt? miſeret Superûm, ſi carmina curæ,
Humanæque preces. quid inertia pectora terres?
Primus in orbe deos fecit timor. & tibi tuto
Nunc eat iſte furor. ſed prima ad claſſica cùm jam
Hoſtilem Iſmenon galeis Dircénque bibemus,
Ne mihi tunc moneo lituos, atque arma volenti
Obvius ire pares, ventíſque aut alite viſâ
Bellorum proferre diem. procul hæc tibi mollis
Infula, terrificique aberit dementia Phœbi.
Illic augur ego & mecum quicunque parati
Inſanire manu. rurſus fragor intonat ingens
Hortantum, & vaſto ſubter volat aſtra tumultu.
Ut rapidus torrens, animos cui verna miniſtrant
Flumina, & exuti concreto frigore colles,
Cùm vagus in campos fruſtra prohibentibus exit
Objicibus, reſonant permixto turbine tecta,
Arva, armenta, viri, donec ſtetit improbus alto
Colle minor, magnóque invenit in aggere ripas.
Hæc alterna ducum nox interfuſa diremit.
At gemitus Argia viri non ampliùs æquo
Corde ferens, ſociúmque animo miſerata dolorem,
Sicut erat pridem laceris turbata capillis,
Et fletu ſignata genas, ad celſa verendi
Ibat tecta patris, parvúmque ſub ubere caro
Theſſandrum portabat avo. jam nocte ſuprema
Ante novos ortus, ubi ſola ſuperſtite plauſtro
Arctos ad Oceanum fugientibus invidet aſtris.
Utque fores iniit, magnóque affuſa parenti eſt:
Cur tua cum lachrymis mœſto ſinè conjuge ſupplex
Limina nocte petam, ceſſem licèt ipſa profari,
Scis genitor. ſed jura deûm genitalia teſtor,
Téque pater, non ille jubet; ſed pervigil angor,
Ex quo primus Hymen, movítque infauſta ſiniſtram
Juno facem, ſemper lachrymis gemitúque propinquo
Exturbata quies. non ſi mihi tigridis horror,
Æquoreæque ſuper rigeant præcordia cautes,
Ferre queam. tu ſolus opem, tu ſumma medendi
Jura tenes. da bella pater, generíque jacentis
Aſpice res humiles, atque hanc, pater, aſpice prolem
Exulis. huic olim generis pudor, obvia prima
Hoſpitia, & junctæ teſtato numine dextræ.
Hic certè eſt, quem Fata dabant, quem dixit Apollo.
Non egomet tacitos Veneris furata calores,
Culpatámve facem, tua juſſa verenda, tuóſque
Dilexi monitus. nunc quâ feritate dolentis
Deſpiciam queſtus? neſcis pater optime, neſcis
Quantus amor cânſæ miſero nupſiſſe marito.
Et nunc mœſta quidem grave & illætabile munus
Ut timeam dolcámque, rogo. ſed cùm oſcula rumpet
Mœſta dies, cùm rauca dabunt abeuntibus armis
Signa tubæ, ſævóque genas fulgebitis auro,
Hei mihi care parens, iterum fortaſſe rogabo.
Illius humenti carpens pater oſcula vultu,
Non equidem has unquam culpârim nata querelas,
Pone metus: laudanda rogas: nec digna negari.
Sed mihi multa dei (nec tu ſperare quod urges
Deſine) multa metus, regníque volubile pondus
Subjiciunt animo. veniet, qui debitus iſtis
Nata modus. nec te incaſſum fleviſſe queretis,
Tu ſolare virum, neu ſint diſpendia juſtæ
Dura moræ, magnos cunctamur nata paratus.
Proficitur bello. dicentem talia naſcens
Lux movet, ingentéſque jubent aſſurgere curæ.

LIBER IV.

TERTIUS horrentem Zephyris laxaverat annum
Phœbus, & anguſtum cogebat limite verno
Longiùs ire diem, cùm tracta impuliſque fatis
Conſilia, & tandem miſeris data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo
Oſtendit Bellona facem, dextrâque trabalem
Haſtam intorſit agens: liquido quæ ſtridula cœlo
Fugit, & adverſæ celſo ſtetit aggere Dirces.
Mox & caſtra ſubit, ferróque, auróque coruſcis
Mixta viris, turmale fremit. dat euntibus enſes.
Plaudit equos: vocat ad portas. hortamina fortes
Præveniunt, timidíſque etiam brevis addita virtus.
Dicta dies aderat. cadit ingens rite Tonanti
Gradivóque pecus. nulliſque ſecundus in extis
Pallet, & armatis ſimulat ſperare ſacerdos.
Jámque ſuos circùm pueri, iunuptæque, patréſque,
Funduntur mixti, ſummiſque à poſtibus obſtant.
Nec modus eſt lacrymis. rorant clypeíque, jubæque
Triſte ſalutantum, & cunctis dependet ab armis
Suſpiranda domus. galeis juvat oſcula claufis
Inſerere, amplexúque truces deducere conos.
Illi, quis ferrum modò, quis mors ipſa placebat,
Dant gemitus, fractæque labant ſingultibus iræ.
Sic ubi fortè viris longum ſuper æquor ituris,
Cum jam ad vela Noti, & ſciſſo redit ancora fundo,
Hæret amica manus: certant innectere collo
Brachia, manantéſque oculos. hinc oſcula turbant,
Hinc magni caligo maris: tandémque relicti
Stant in rupe tamen. fugientia carbaſa viſu
Dulce ſequi, patrióſque dolent crebreſcere ventos.
Stant tamen, & notam puppem de rupe ſalutant.
Nunc mihi, fama prior, mundíque arcana vetuſtas,
Cui meminiſſe ducum, vitáſque extendere curæ,
Pande viros, túque ô nemoris regina ſonori
Calliope, quas ille manus, quæ moverit arma
Gradivus, quantas populis ſolaverit urbes,
Sublatâ molire lyrâ. nec enim altior ulli
Mens hauſto de fonte venit. Rex triſtis, & æger
Pondere curarum, propiórque abeuntibus annis,
Inter adhortantes vix ſponte incedit Adraſtus,
Contentus ferro cingi latus, arma manipli
Ponè ferunt: volucres portis auriga ſub ipſis
Comit equos, & jam indè jugo luctatur Arion.
Huic armat Lariſſa viros: huic celſa Proſymne,
Aptior armentis Midea, pecoroſáque Phyllos,
Quæque pavet longâ ſpumantem valle Charadron
Neris, & ingenti turritæ mole Cleonæ,
Et Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.
Junguntur memores tranſiniſſi ab origine regis,
Qui Drepani ſcopulos, & oliviferæ Sicyonis
Culta ferunt, quos pigra vado Langia tacenti
Lambit, & amfractu riparum incurvus Eliſſos.
Sævus honos fluvio: Stygias luſtrare ſeveris
Eumenidas perhibetur aquis. huc mergere ſuetæ
Ora, & anhelantes toto Phlegethonte ceraſtas.
Seu Thracum vertere domos, ſeu tecta Mycenis
Impia, Cadmeúmve larem, fugit ipſe natantes
Amnis, & innumeris liveſcunt ſtagna venenis.
It comes Inois Ephyre ſolata querelas,
Cenchrææque manus, vatum quà conſcius amnis
Gorgoneo percuſſus equo. quáque objacet alto
Iſthmos, & à terris maria inclinata repellit.
Hæc manus Adraſtum numero ter mille ſecuti
Exultant. pars geſa manu, pars robora flammis
Indurata diu (non unus namque maniplis
Mos, neque ſanguis ineſt) teretes pars vertere fundas
Aſſueti, vacuóque diem præcingere gyro.
Ipſe annis ſceptríſque ſubit venerabilis æquè:
Ut poſſeſſa diu taurus meat arduus inter
Paſcua, jam laxâ cervice, & inanibus armis,
Dux tamen. haud illum bello attentare juvencis
Sunt animi, nam trunca vident de vulnere multo
Cornua, & ingentes plagarum in pectore nodos.
Proxima longævo profert Dircæus Adraſto
Signa gener, cui bella favent: cui commodat iras
Cuncta cohors. huic & patriâ de ſede volentes
Advenere viri. ſeu quos movet exul, & hæſit
Triſtibus aucta fides, ſeu quis mutare potentes
Præcipuum. multi melior quos cauſa querenti
Conciliât. dederat nec non ſocer ipſe regendas
Ægion, Arenénque, & quas Theſeïa Trœzen
Addit opes, ne rara movens inglorius iret
Agmina, neu raptos patriæ ſentiret honores.
Idem habitus, eadem arma viro, quæ debitus hoſpes
Hybernâ ſub nocte tulit. Theumeſius implet
Terga leo. gemino lucent haſtilia ferro:
Aſpera vulnifico ſubter latus enſe riget Sphynx.
Jam regnum matriſque ſinus, fidáſque ſorores
Spe, votíſque tenet: tamen & de turre ſuprema
Attonitam, totóque extantem corpore longè
Reſpicit Argian. hæc mentem, oculóſque reducit
Conjugis,

Conjugis, & dulces avertit pectore Thebas.
Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus: jam lætus, & integer artus,
Ut primùm strepuere tubæ. Ceu lubricus altâ
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, & squallentibus annis
Exutus, lætisque minax interviret herbis.
Ah miser, agrestum si quis per gramen hianti
Obvius, & primo siccaverit ora veneno.
Huic quoque præstantes Ætolis urbibus affert
Belli fama viros. sensit scopulosa Pylene
Fletáque cognatis avibus Meleagria Pleuron.
Et præceps Calydon, & quæ Jove provocat Iden
Olenos, Ioniis & fluctibus hospita portu
Chaleis, & Herculeâ turpatus gymnade vultus
Amnis: adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis, glaucóque caput summersus in antro
Mœret, anhelantes ægrescunt pulvere ripæ.
Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Piláque sæva manu, patrius stat casside Mavors.
Undique magnanimum pubes delecta coronant
Oeniden hilarem bello, notisque decorum
Vulneribus. non ille minis Polynicis, & irâ
Inferior, dubiúmque adeò cui bella gerantur.
Major at indè novis it Doricus ordo sub armis,
Qui ripas Lyrcie tuas, tua littora multo
Vomere suspendunt, fluviorum ductor Achivûm
Inache. Perseâ neque enim violentior exit
Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hausit aquosas
Spumeus, & genero tumuit Jove. quos celer ambit
Asterion Dryopúmque trahens Eratinus aristas.
Et qui rura domant Epidauria: dexter Iaccho
Collis (at Ennææ Cereri negat) avia Dyme.
Mittit opes, densásque Pylos Neleïa turmas,
Nondum nota Pylos, juvenisque ætate secundâ
Nestor, & ire tamen peritura in castra negavit.
Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem
Arduus Hippomedon. capiti tremit ærea cassis,
Ter niveâ scandente jubâ. latus omne sub armis
Ferrea suta terunt. humeros, ac pectora latè
Flammeus orbis habet, perfectáque vivit in auro
Nox Danai. fontes, furiarum lampade nigrâ,
Quinquaginta ardent thalami: pater ipse cruentis
In foribus laudátque nefas, atque inspicit enses.
Illum Palladiâ sonipes Nemæus ab arce
Devehit arma pavens. umbráque immane volanti
Implet agros, longóque attollit pulvere campum.
Non aliter sylvas humeris, & utroque refringens
Pectore, montano duplex Hyleus ab antro
Præcipitat, pavet Olla vias, pecudésque, feræque,
Procubuere metu: non ipsis fratribus horror
Abfuit, ingenti donec Peneïa saltu
Stagna subit, magnúmque objectus detinet amnem.
Quis numerum terri, gentésque, & robora dicto
Æquârit mortale sonans? suus excit in arma
Antiquam Tiryntha deus. non fortibus illa
Infœcunda viris, famâque immanis alumni
Degenerat; sed lapsa situ fortuna, neque addunt
Robur opes. rarus vacuis habitator in arvis
Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.
Dat tamen hæc juvenum tercentum pectora, vulgus
Innumerum bello, quibus haud amenta, nec enses
Tristè micant. flavent capiti tergóque Leonum
Exuviæ, gentilis honos, & pinea armat
Stipes, inexhaustis arctantur tela pharetris.
Herculeum Pæana canunt, vastatáque monstris
Omnia: frondosâ longùm deus audit ab Oetâ.
Dat Nemea comites, & quas in prælia vires
Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi.
Gloria nota casæ, foribus simulata salignis
Hospitis arma dei, parvóque ostenditur arvo.
Robur ubi & laxos quà reclinaverit arcus
Ilice, quà cubiti sedeant vestigia terrâ.
At pedes, & toto despectans vertice bellum,
Quatuor indomitis Capaneus erecta juvencis
Terga, supérque rigens injectu molis ahenæ
Versat onus, squallet triplici ramosa coronâ
Hydra recens obitu. pars anguibus aspera vivis
Argento cælata micat, pars arte repertâ
Conditur, & fulvo morietis igniscit in auro.
Circùm amnis torpens, & ferro cærula Lerne.
At laterum tractus, spatiosáque pectora servat
Nexilis innumero chalybum subtemine thorax,
Horrendum, non matris opus, galeæque coruscâ

Prominet arce gygas. atque uni mittitur illi
Cuspide præfixâ stat frondibus orba cupressus.
Huic parere dati quos fertilis Amphigenia,
Planáque Messene, montanáque nutrit Ithome.
Quos Thrion, & summis ingestum montibus Æpy,
Quos Helos, & Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion. hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas, mutos Thamyris damnatus in annos
Ore simul, citharâque (quis obvia numina temnat?)
Conticuit præceps: quis non certamina Phœbi
Nosset, & illustres Satyro pendente Celænas?
Jámque & fatidici mens expugnata satisfcit
Auguris. ille quidem casus, & dira videbat
Signa, sed ipsa manu cunctanti injecerat arma
Atropos, obruerátque deum, nec conjugis absunt
Insidiæ, vetitóque domus jam fulgurat auro.
Hoc aurum vati fata exitiale monebant
Argolico. scit & ipse nefas, sed perfida conjux
Dona viro mutare velit, spolisque potentis
Imminet Argiæ, raptóque excellere cultu
Illa libens (nam regum animos, & pondera belli
Hâc nutare videt, pariter ni providus heros
Militet) ipsa sacros gremio Polynicis amati
Depositi nexus haud mœsta, atque insuper addit:
Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit,
Tempora, nec miseræ placeant insignia formæ
Te sine. sat dubium cœtu solante timorem
Fallere, & incultos aris advertere crines.
Scilicet (heu superi) cùm tu cindare minaci
Casside, ferratúsque sones, ego divitis aurum
Harmoniæ dotale geram? dabit aptior ista
Fors deus, Argolicásque habitu præstabo maritas.
Cùm regis conjux, cùm te mihi sospite, templa
Votivis implenda choris: nunc induat illa,
Quæ petit, & bellante potest gaudere marito.
Sic Eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit, scelerúmque ingentia semina movit,
Et grave Tisiphone risit gavisa futuris.
Tænareis hic celsus equis, quam dispare cœtu
Cyllarus, ignaro genetârat Castore prolem,
Quassat humum. vatem cultu Parnassia monstrat
Vellera, frondenti crinitur cassis olivâ,
Albáque puniceas interplicat infula cristas.
Arma simul, prensásque jugo moderatur habenas.
Hinc, atque indè moræ jaculis, & ferrea curru
Sylva tremit. procul ipse gravi metuendus in hastâ
Eminet, & clypeo victum Pythona consecat.
Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ.
Quos Pylos, & dubiis Malea vitata carinis,
Plaudentisque habiles Caryæ resonare Dianæ.
Quos Pharis, volucrúmque parens Cythereïa Messe,
Taygetique phalanx, & oliviferi Eurotæ
Dura manus. deus ipse viros in pulvere crudo
Arcas alit, nudæque modos virtutis, & iras
Ingenerat. vigor indè animis, & mortis honoræ
Dulce sacrum. gaudent natorum in fata parentes:
Hortantúrque mori. deflet jámque omnis ephebum
Turba, coronato contenta est funere mater.
Frena tenent, duplexque inserto missile nodo,
Exerti ingentes humeros: chlamys horrida pendet,
Et cono Ledæus apex. non hi tibi solùm,
Amphiarae, merent. auget resupina maniplos
Elis. depressæ populus subit incola Pisæ,
Qui te, flave, natant terris, Alphee, Sicanis
Advena tam longo non unquam infecte profundo.
Curribus innumeris latè putria arva lacessunt:
Et bellis armenta domant. ea gloriâ genti
Infando de more, & fractis durat ab usque
Axibus Oenomai. strident spumantia morsu
Vincula, & effossas niveus rigat imber arenas.
Tu quoque Parrhasias ignarâ matre catervas
Ah rudis annorum (tantum nova gloria suadet)
Parthenopæe, rapis. tum saltus fortè remotos
Torva parens (neque enim hæc juveni foret ire potestas)
Pacabat cornu, gelidísque aversa Lycei.
Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ.
Nec desunt animi, veniat modò fortior ætas.
Quos non ille duces nemorum, fluviisque dicata
Numina; quas magno non impulit igne Napæas?
Ipsam, Mænaliâ puerum cùm vidit in umbrâ,
Dianam, tenero lignantem gramina passu,
Ignoviisse ferunt comiti, Dictæáque tela
Ipsam, & Amyclæas humeris aptâsse pharetras.

Profilit audaci Martis percuſſus amore,
Arma, tubas audire calens, & pulvere belli
Flaventem ſordere comam, captóque referri
Hoſtis equo. tædet nemorum, titulúmque nocentem
Sanguinis humani pudor eſt neſcire ſagittas.
Igneus ante omnes auro micat, igneus oſtro,
Undantémque linum nodis irrugat Iberis.
Imbelli parmâ pictus Calydonia matris
Prælia. trux lævâ ſonat arcus, & aſpera plumis
Terga, Cydoneâ corytos arundine pulſat,
Electro pallens, & iaſpide clarus Eoâ.
Cornipedem trepidos ſuetum prævertere cervos
Velatum geminâ dejectu lyncis, & arma
Mirantem gravioris heri ſublimis agebat,
Dulcè rubens, viridíque genas ſpectabilis ævo.
Arcades huic veteris aſtris Lunâque priores,
Agmina fida datis. nemorum vos ſtirpe rigenti
Fama ſatos, cùm prima pedum veſtigia tellus
Admirata tulit. nondum arva, domúſque, nec urbes,
Connubiſque modus. Quercus, laurſque ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbroſa creavit
Fraxinus, & fœtâ viridis puer excidit orno.
Hi lucis ſtupuiſſe vices, noctiſque feruntur
Nubila, & occiduum longè Titana ſecuti
Deſperâſſe diem. rareſcunt alta colonis
Mænala: Parthenium fugitur nemus: agmina bello
Rhipéque, & Stratie, ventoſáque donat Eniſpe.
Non Tegea, non ipſa Deo vacat alite felix
Cyllene, templúmque Aleæ nemorale Minervæ.
Et rapidus Cliton, & qui tibi, Pythie, Ladon
Penè ſocer. candénſque jugis Lampia nivoſis,
Et Phenеos nigro Styga mittere credita Diti.
Venit & Idæis ululatibus æmulus Azan.
Parrhaſiíque duces, & quæ riſiſtis, Amores,
Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti.
Dives & Orchomenos pecorum, & Cynoſura ferarum.
Æphitios idem ardor agros, & Pſophida celſam
Vaſtat, & Herculeo vulgatos robore montes,
Monſtriferúmque Erymanthon, & æriſonum Stympha-
Arcades hi, gens una viris, ſed diſſona cultu [lon.
Scinditur, hi Paphias myrtos à ſtirpe recurvant,
Et paſtorali meditantur prælia trunco.
His arcus, his tela ſudes, hic caſſide crines
Integit: Arcadii morem tenet ille galeri.
Ille Lycaoniæ rictu caput aſperat urſæ.
Hos belli cœtus, juratáque pectora Marti,
Milite vicinæ nullo juvere Mycenæ.
Funereæ tum námque dapes, mediique recurſus
Solis, & hìc alii miſcebant prælia fratres.
Jámque Atalantæas implêrat nuntius aures
Ire ducem bello, totámque impellere natum
Arcadiam. tremuere gradus, elapſáque juxtà
Tela. fugit ſylvas pernicior alite vento
Saxa per, & plenis obſtantia flumina ripis.
Qualis erat, correpta ſinus, & vertice flavum
Crinem ſparſa noto. raptis velut aſpera natis
Prædatoris equi ſequitur veſtigia tigris.
Ut ſtetit, adverſiſque impegit pectora frenis:
(Ille ad humum pallens) Unde hæc furibunda cupido,
Nate, tibi? teneróque unde improba pectore virtus?
Tu bellis aptare viros? tu pondera ferre
Martis, & enſiferas inter potes ire catervas?
Quanquam utinam vires! nuper te pallida vidi,
Dum premis obnixo venabula cominus apro,
Poplite ſucciduo reſupinum ac penè ruentem:
Et nî curvato torſiſſem ſpicula cornu,
Nunc ubi bella tibi? nil te mea tela juvabunt,
Nec teretes arcus, maculis nec diſcolor atris,
Hic, cui fidis, equus. magnis conatibus inſtas,
Vix Dryadum thalamis, Erymanthiadúmque furori
Nympharum mature puer. ſunt omina vera:
Mirabar cur templa mihi tremuiſſe Dianæ
Nuper, & inferior vultu dea viſa, ſacriſque
Exuviæ cecidere thoris. hinc ſegnior arcus,
Difficiléſque manus, & nullo in vulnere certæ.
Expecta, dum major honos, dum firmius ævum,
Dum roſeis venit umbra genis, vultúſque recedunt
Ore mei, tunc bella tibi, ferrúmque quod ardes,
Ipſa dabo, & nullo matris revocabere fletu.
Nunc refer arma domum. Vos autem hunc ire finetis,
Arcades? O ſaxis nimirum, & robore nati.
Plura cupit, fuit circùm natúſque, ducéſque
Solantur, minuúmque metus, & jam horrida clangunt
Signa tubæ. nequit illa pio dimittere natum
Complexu, multúmque duci commendat Adraſto.
At parte ex aliâ Cadmi Mavortia plebes,
Mœſta ducis furiis, nec molli territa famâ,
(Quando his vulgatum deſcendere viribus Argos)
Tardiùs illa quidem, regis, cauſæque pudore,
Verùm bella movet. nulli diſtringere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clauſiſſe paterno
Dulce. nec alipedum juga comere, qualia belli
Gaudia. dejecti trepidas ſinè mente, ſinè irâ,
Promiſere manus. hic ægrâ in ſorte parentem
Unanimum, hic dulces primævæ conjugis annos
Ingemit, & gremio miſeros accreſcere natos.
Bellator nulli caluit deus: ipſa vetuſto
Mœnia laſſa ſitu, magnæque Amphionis arces,
Jam felſum ſenio nudant latus, & fide ſacrâ
Æquatos cœlo, ſurdum, atque ignobile, muros
Firmat opus. tamen & Bœotis urbibus ultrix
Aſpirat ferri rabies, nec regis iniqui
Subſidio, quantum ſociâ pro gente moventur.
Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti ſanie gravis, hirtáque ſetis
Ora cruentatâ deformis hiantia lanâ,
Decedit ſtabulis, huc, illuc turbida verſans
Lumina, ſi duri compertâ clade ſequantur
Paſtores, magníque fugit non inſcius auſi.
Accumulat crebros turbatrix fama pavores.
Hic jam diſperſos errare Aſopide ripâ
Lernæos equites: hic te, bacchate Cithæron,
Ille rapi Theumeſon ait, noctiſque per umbras
Nuntiat excubiis vigiles arſiſſe Plateas.
Nam Tyrios ſudâſſe lares, & ſanguine Dircen
Irriguam, fœtúſque novos, iterúmque locutam
Sphynga petis, cui non & ſcire licentia paſſim,
Et vidiſſe fuit? Novus his ſuper anxia turbat
Corda metus. ſparſis ſubitò correpta caniſtris
Sylveſtris regina chori, decurrit in æquum
Vertice ab Ogygio, trifidámque huc triſtis, & illuc,
Lumine ſanguineo pinum dejectat, & ardens
Erectam attonitis implet clamoribus urbem:
Omnipotens Niſæe pater, cui gentis avitæ
Pridem lapſus amor. tu nunc horrente ſub arcto
Bellica ferrato rapidus quatis Iſmara thyrſo,
Pampineúmque jubes nemus irreptare Lycurgo,
Aut tumidum Gangen, aut clauſtra noviſſima rubræ
Tethyos, Eoáſque domos flagrante triumpho
Perfuris, aut Hermi de fontibus aureus exis.
At tua progenies, poſitis gentilibus armis
Quæ tibi feſta litat bellum, lachrymáſque, metúmque
Cognatúmque nefas injuſti munera regni
Pendimus. æternis potiùs me Bacche pruinis
Trans & Amazoniis ululatum Caucaſon armis,
Siſte ferens, quàm monſtra ducum ſtirpémque profanam
Eloquar. en urges! alium tibi, Bacche, furorem
Juravi. ſimiles video concurrere tauros.
Idem ambobus honos, unúſque ab origine ſanguis.
Ardua collatis obnixi cornua miſcent
Frontibus, alternâque truces moriuntur in irâ.
Tu pejor, tu cede nocens, qui ſolus avita
Gramina, communémque petis defendere montem.
Ah miſeri morum! bellatis ſanguine tanto,
Et ſaltus dux alter habet. ſic fata gelatis
Vultibus, & Baccho jam demigrante quievit.
At trepidus monſtro, & variis terroribus impar
Longævi rex vatis opem, tenebráſque ſagaces
Tireliæ (qui mos incerta paventibus) æger
Conſulit. ille deos non largâ cæde juvencûm,
Non alacri pennâ, aut verum ſpirantibus extis,
Nec tripode implicito, numeríſque ſequentibus aſtra,
Thurea nec ſupra volitante altaria fumo,
Tam penitus, duræ quàm mortis limite manes
Elicitos patuiſſe refert, Lethæáque ſacra
Et merſum Iſmeni ſubter confinia ponto
Miſcentis, parat antè ducem circúmque bidentum
Viſceribus laceris, & odori ſulfuris aurâ,
Graminibúſque novis, & longo murmure purgat.
Sylva capax ævi, validâque incurva ſenectâ
Æternùm intonſæ frondis ſtat pervia nullis
Solibus. haud illam brumæ minuere, Notúſve
Jus habet, aut Geticâ Boreas impactus ab Urſâ.
Subtèr opaca quies, vacuúſque ſilentia ſervat
Horror, & excluſæ pallet mala lucis imago.
Nec caret umbra deo. nemori Latonia cultrix
Additur. hanc piceæ, cedríque, & robore in omni
Effictam, ſanctis occultat ſylva tenebris.

Hujus

Hujus inaſpectæ luco ſtridere ſagittæ,
Nocturnúſque canum gemitus, ubi limina patrui
Effugit, ſnque novæ melior redit ora Dianæ.
Aſt ubi feſſa jugis, dulcéſque altiſſima ſomnos
Lux movet, hìc latè jaculis circùm undique fixis,
Effuſam pharetrâ cervicem excepta quieſcit.
Extrà immanè patent, tellus Mavortia, campi,
Fœtus ager Cadmo, durus qui vomere primo
Poſt conſanguineas acies, ſulcóſque nocentes,
Auſus humum verſare, & putria ſanguine prata
Eruit: ingentes infelix terra tumultus
Lucis adhuc medio, ſolâque in nocte per umbras
Expirat, nigri cùm vana in prælia ſurgunt
Terrigenæ. fugit incepto tremebundus ab arvo
Agricola, inſanſque domum rediere juvenci.
Hic ſenior vates, (Stygiis accommoda quippe
Terra ſacris, multóque placent ſola pinguia tabo)
Velleris obſcuri pecudes armentáque iſti
Atra monet. quæcunque gregum pulcherrima cervix
Ducitur. ingemuit Dirce, mœſtúſque Citheron,
Et nova clamoſæ ſtupuere ſilentia valles.
Tum fera cæruleis intexit cornua ſertis
Ipſe manu tractans, notæque in limine ſylvæ,
Principio largos novies tellure cavatâ
Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actæos imbres, ſuadúmque cruorem
Manibus: aggeritur, quantum bibit arida tellus.
Trunca dehinc nemora advolvunt, mœſtúſque ſacerdos
Tres Hecatæ, totidémque ſatis Acheronte nefaſto
Virginibus jubet eſſe ſocos. tibi rector averni
Quanquam infoſſus humo, ſuperat tamen agger in auras
Pineus. hunc juxta cumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri. frondes, atque omne cupreſſus
Intexit plorata latus. jámque ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges. tunc innuba Mantho
Exceptum pateris prælibat ſanguinem, & omnes
Ter circùm acta pyras ſancti de more parentis
Semineces fibras, & adhuc ſpirantia reddit
Viſcera. nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subjectare faces. atque ipſe ſonantia flammis
Virgulta, & triſtes crepuiſſe ut ſenſit acervos
Tireſias (illi nam plurimus ardor anhelat
Ante genas, implétque cavos vapor igneus orbes)
Exclamat: (tremuere rogi, & vox impulit ignem)
Tartareæ ſedes, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ, túque ô ſæviſſime fratrum
Cui ſervire dati manes, æternáque fontum
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi,
Solvite pulſanti loca muta, & inane ſeveræ
Perſephones, vulgúſque cavâ ſub nocte repoſtum
Elicite, & plenâ redeat Styga portitor alno.
Ferte ſimul greſſus. nec ſimplex Manibus eſto
In lucem remeare modus. tu ſepare cœtu
Elyſios Perſei pios, virgâque potenti
Nubilds Arcas agat. contrà per crimina functis
Qui plures Erebo, pluréſque è ſanguine Cadmi,
Angue ter excuſſo, & flagranti prævia taxo,
Tiſiphone, dux pande diem, nec lucis egentes
Cerberus occurſu capitum detorqueat umbras.
Dixerat. & pariter ſenior, Phœbeáque virgo
Erexere animos. illi formidine nullâ,
(Quippe in corde deus) ſolum tremor obruit ingens
Oedipodioniden, vatiſque horrenda canentis
Nunc humeros, nunc ille manus, & vellera preſſat
Anxius, inceptíſque velit deſiſtere ſacris.
Qualis Gætulæ ſtabulantem ad confraga ſylvæ
Venator longo motum clamore leonem
Expectat firmans animum, & ſudantia niſu
Tela premens. gelat ora pavor, greſſúſque tremiſcunt
Quis veniat, quantúſque, ſed horrida ſigna frementis
Accipit, & cæcâ metitur murmura curâ.
Atque hìc Tireſias nondum adventantibus umbris:
Teſtor, ait, divæ, quibus hunc ſaturavimus ignem,
Lævâque convulſæ dedimus carchefia terræ,
Jam nequeo tolerare moram. caſſúſne ſacerdos
Audior? an rabido jubeat ſi Theſſala cantu
Ibitis? & Scythicis quoties armata venenis
Colchis aget, trepido pallebunt tartara motu?
Noſtri cura minor, ſi non attollere buſtis
Corpora, nec plenas antiquis oſſibus urnas
Egerere, & mixtos, cœlſque, Erebíque ſub unum
Funeſtare deos libet? aut exanguia ferro
Ora ſequi, aut ægras functorum carpere fibras?
Ne tenues annos, nubémque hanc frontis opacæ,
Spernite ne, monco, & nobis ſævire facultas.
Scimus enim & quicquid dici, noſcéſque timetis,
Et turbare Hecaten, ni te, Thymbræe, vererer.
Et triplicis mundi ſummum quem ſcire nefaſtum eſt,
Illum ſed taceo. prohibet tranquilla ſenectus.
Jámque ego vos. avidè ſubicit Phœbeïa Manto,
Audiris genitor, vulgúſque exangue propinquat.
Panditur Elyſium Chaos, & telluris opertæ
Diſſilit umbra capax, ſylvæque, & nigra pateſcunt
Flumina, liventes Acheron ejectat arenas.
Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit,
Et Styx diſcretis interflua Manibus obſtat.
Ipſum pallentem ſolio, circúmque miniſtras
Funeſtorum operum Eumenides, Stygiæque ſeveros
Junonis thalamos, & mœſta cubilia cerno.
In ſpeculis Mors atra ſedet, dominſque ſilentis
Adnumerat populos: major ſupereminet ordo.
Arbiter hos durâ verſat Ciortynius urnâ,
Vera minis poſcens, adigſtque expromere vitas
Uſque retro, & tandem pœnarum lucra fateri.
Quid tibi monſtra Erebi, Scyllas, & inane furentes
Centauros, ſolidóque intorta adamante gigantum
Vincula, & anguſtam centeni Ægæonis umbram?
Imò, ait, ô noſtræ regimen, virétque ſenectæ,
Ne vulgato mihi. quis enim remeabile ſaxum,
Fallentéſque lacus, Tytiónque alimenta volucrum,
Et caligantem longis Ixiona gyris
Neſciat? ipſe etiam melior cùm ſanguis, opertas
Inſpexi ſedes Hecate ducente, priuſquam
Obruit ora Deus, totámque in pectora lucem
Detulit. Argolicas magìs huc appelle precando,
Thebanáſque animas. alias avertere greſſus
Lacte quater ſparſas mœſtóque excedere luco,
Nata, jube. tum quis vultus, habitúſque, quis ardor
Sanguinis adfuſi, gens utra ſuperbior adſit,
Dic agedum, noſtrámque move per ſingula noctem.
Juſſa facit, carménque ſerit quo diſſipet umbras,
Quo regat & ſparſas. qualis ſi crimina demat
Colchis, & Ææo ſimulatrix littore Circe.
Tunc his ſacrificum dictis adfata parentem:
Primus ſanguineo ſummittit inertia Cadmus
Ora lacu, juxtáque virum Citherëia proles,
Effluit amborum geminus de vertice ſerpens.
Terrigenæ comites illos gens Martia cingunt.
His ævi menſura dies: manus omnis in armis,
Omnis & in capulo. prohibent, obſtántque, ruúntque
Spirantum rabie. nec triſti incumbere ſulco
Cura, ſed alternum cuperent haurire cruorem.
Proxima natarum manus eſt, fletſque nepotes.
Hìc orbam Autonoen, & anhelam cernimus Ino
Reſpectantem arcus, & ad ubera dulce prementem
Pignus, & oppoſitis Semelen à ventre lacertis.
Penthea jam fractis genitrix Cadmeïa thyrſis,
Jam dimiſſa deo, pectúſque adaperta cruentum
Inſequitur planctu. fugit ille per avia Lethes,
Et Stygios, ſuperóſque lacus, ubi mitior illum
Flet pater & lacerum componit corpus Echion.
Triſtem noſco Lycum. dextrámque in terga reflexum
Æoliden, humero jactantem funus onuſto.
Necdum ille aut habitus, aut verſæ crimina formæ
Mutat Ariſtæo genitus. frons aſpera cornu,
Tela manu, rejicíſque canes in vulnus hiantes.
Ecce autem magnâ ſubit invidioſa caterva
Tantalis, & tumido percenſet funera luctu,
Nil dejecta malis. juvat effugiſſe deorum
Numina, & inſanæ plus jam permittere linguæ.
Talia dum patri canit intemerata ſacerdos,
Illius elatis tremefacta adſurgere vittis
Canicies, tenuſque impelli ſanguine vultus.
Nec jam firmanti baculo, nec virgine fidâ
Nititur, erectúſque ſolo, Deſiſte canendo,
Nata, ait, externæ ſatis eſt mihi lucis, inertes
Diſcedunt nebulæ, & vultum niger exuit aër.
Umbríſne, an ſupero me miſſus Apolline complet
Spiritus? en video quæcunque audita. ſed ecce
Mœrent Argolici dejecto lumine manes.
Torvus Abas, Prœtúſque nocens, mitiſque Phoroneus
Truncatúſque Pelops, & ſævo pulvere ſordens
Oenomaus, largis humectant imbribus ora.
Auguror hinc Thebis belli meliora. quid autem
Hi grege condenſo (quantum arma & vulnera monſtrant,
Pugnaces animæ) nobis in ſanguine multo
Oráque, pectoráque & falſo clamore levatas
Intendunt

Intendunt ſinè pace manus? rex, fallor, an hi ſunt
Quinquaginta illi? cernis Chroniúmque Chromíſque
Phægeáque, & noſtrâ præſignem Alæona lauro.
Ne tæcite duces. nihil hìc mortalibus auſum
Credite conſilijs. hos ferrea neverat annos
Atropos, exîlitis caſus. bella horrida nobis,
Atque iterum Tydeus. dixit, vittâque ligatis
Frondibus inſtantes abigit, monſtrátque cruorem.
Stabat inops comitum Cocyti in littore mœſto
Laïus, imminti quem jam deus ales Averno
Reddiderat, dirúmque tuens obliquà nepotem,
(Noſcit enim vultu) non ille aut ſanguinis hauſtus
Cætera ceu plebes, aliúmve accedit ad imbrem,
Immortale odium ſpirans. ſed prolicit ultro
Aonius vates: Tyriæ dux inclyte Thebes,
Cujus ab interitu non ulla Amphionis arces
Vidit amica dies, ô jam ſatìs ulte cruentum
Exitium, & multùm placata minoribus umbra,
Quò miſerande fugis? jacet ille in funere longo
Quem premis, & junctæ ſentit confinia mortis,
Obſitus exhauſtos pedore, & ſanguine vultus,
Ejectúſque die. ſors leto durior omni,
Crede mihi. quænam immeritum vitare nepotem
Cauſa tibi? confer vultum, & ſatiare litanti
Sanguine, venturáſque vices, & funera belli
Pande vel infenſus, vel res miſerate tuorum.
Tunc ego te optatâ vetitam tranſinittere Lethen
Puppe dabo, placidúmque piâ tellure reponam,
Et Stygiis mandabo deis. Mulcetur honoris
Muneribus, tingítque genas. dehinc talia reddit:
Cur tibi verſanti manes, æquæve ſacerdos,
Lectus ego augurio? tantíſque potiſſimus umbris
Qui ventura loquar? ſatìs eſt meminiſſe priorum.
Noſtráne præclari (pudeat) conſulta nepotes
Poſcitis? illum illum ſacris adhibete nefaſtis,
Qui læto fodit enſe patrem, qui ſemet in ortus
Vertit, & indignæ regerit ſua pignora matri.
Et nunc ille deos, furiarúmque atra fatigat
Concilia, & noſtros rogat hæc in prælia manes.
Quòd ſi adeò placui detlenda in tempora vates,
Dicam equidem, quò me Lacheſis, quò torva Megæra
Uſque ſinunt. Bellum innumero venit undique bellum
Agmine, Lernæóſque trahit fatalis alumnos
Gradivus ſtimulis. hos terræ monſtra, deûmque
Tela manent, pulchríque obitus, & ab igne ſupremo
Sontes lege moræ. certa eſt victoria Thebis,
Ne trepida, nec regna ferox germanus habebit.
Sed furiæ, geminúmque nefas, miſeróſque per enſes
(Hei mihi) crudelis vincet pater. Hæc ubi fatus,
Labitur, & flexâ dubios ambage reliquit.
Interea gelidam Nemeen, & conſcia laudis
Herculeæ dumeta, vagâ legione tenebant
Inachidæ. jam Sidonias avertere prædas,
Sternere, ferre domos ardent, inflántque. Quis iras
Flexerit, unde moræ, medius quis euntibus error
Phœbe doce: nos rara manent exordia famæ.
Marcidus edomito bellum referebat ab Hæmo
Liber, ibi armiferos geminæ jam ſydere brumæ
Orgia ferre Getas canúmque vireſcere dorſo
Othryn, & Icariâ Rhodopen adſueverat umbrâ,
Et jam pampineos materna ad mœnia currus
Promovet: effrenæ dextrâ, lævâque ſequuntur
Lynces, & uda mero lambunt retinacula tigres.
Poſt exultantes ſpolia armentalia portant
Semineccíſque lupos, ſciſſaſque Mimallones urſas.
Nec comitatus iners, ſunt illic Ira, Furórque,
Et metus, & Virtus, & nunquam ſobrius Ardor,
Succiduſque gradus, & caſtra ſimillima regi.
Iſque ubi pulverea Nemeen effervere nube
Conſpicit, & ſolem radiis igneſcere ferri,
Necdum compoſitas belli in certamina Thebas:
Concuſſus viſis, quamquam ore, & pectore marcet,
Æráque tympanáque, & bifórem reticere tumultum
Imperat, attonitas qui circum plurimus aures.
Atque ita: Me manus illa, meámque exſcinderegentem
Apparat: & longè recalet furor: hoc mihi ſævum
Argos, & indomitæ bellum ciet ira novercæ.
Uſque adeóne parum cineri data mater iniquo?
Natalésque rogi? quæque ipſe micantia ſenli
Fulgura? relliquias etiam, tulæque ſepulchrum
Pellicis, & retidem ferro petit improba Theben.
Nec mea fraude moras: illum, illum tendite campum,
Tendite, iò, comites. Hyrcanæ ad ſigna jugales
Jutumuere jubas, dicto priùs adſtitit arvis.

Tempus erat, medii cùm ſolem in culmina mundi
Tollit anhela dies, ubi tardus hiantibus arvis
Stat vapor, atque omnes admittunt æthera luci.
Undarum vocat ille deas, mediúſque ſilentum
Incipit: Agreſtes fluviorum numina Nymphæ,
Et noſtri pars magna gregis, perferte laborem,
Quem damus. Argolicos paulùm mihi fontibus amnes,
Stagnáque, & errantes ubducite pulvere rivos.
Præcipuus Nemees, quâ noſtra in mœnia bellis
Nunc iter, ex alto fugiat liquor, adjuvat ipſe
Phœbus ad hoc ſummo (ceſſet ni veſtra voluntas)
Limite: vim cœptis indulgent altra, meæque
Æſtifer Erigones ſpumat canis. Ite volentes,
Ite in operta ſoli. poſt vòs ego gurgite pleno
Eliciam, & quæ dona meis ampliſſima ſacris
Veſter habebit honos. nocturnáque furta licentum
Cornipedum, & cupidas Faunorum arcebo rapinas.
Dixerat. Aſt illis tenuior percurrere viſus
Ora ſitus, viridiſſque comes exhorruit humor.
Protinus Inachios haurit ſitis ignea campos.
Diffugere undæ: ſqualent fontéſque, lacúſque,
Et cava ferventi dureſcunt flumina limo.
Ægra ſolo macies, tenerſque in origine culmi
Inclinata ſeges. deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque amnes quærunt armenta natatos.
Sic ubi ſe magnis refluus ſuppreſſit in antris
Nilus, & Eoæ liquentia pabula brumæ
Ore premit, fumant deſertæ gurgite valles,
Et patris undoſi ſonitus expectat hiulca
Ægyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris, magnúmque inducat meſſibus annum.
Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, & ingens
Inachus, adverrénſque natantia ſaxa Charadrus.
Et nunquam in ripis audax Eraſinus, & æquus
Fluctibus Aſterion. illic alta per avia notus
Audiri, & longè paſtorum rumpere ſomnos.
Una tamen tacitas (ſed juſſu numinis) undas
Hæc quoque ſecretâ nutrit Langia ſub umbrâ,
Nondum illi raptus dederat lacrymabile nomen
Archemorus, nec fama deæ. tamen avia ſervat
Et nemus, & fluvium. manet ingens gloria nympham,
Cùm triſtem Hypſipylen ducibus ſudatus Achæis
Ludus, & atra ſacrum recolit trieteris Opheltes.
Ergo nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
Thoracum nexus (tantum ſitis horrida torquet)
Sufficiunt. non ora modò, anguſtiſque perulti
Faucibus, interior ſed vis quatit: aſpera pulſu
Corda, gelant venæ, & ſiccis cruor æger adhæret
Viſceribus. tunc ſole putris, tunc pulvere tellus
Exhalat calidam nubem. non ſpumeus imber
Manat equùm: ſiccis illidunt ora lupatis,
Ora catenatas procul exertantia linguas,
Nec legem dominóſve pati, ſed perſurit arvis
Flammatum pecus. huc illuc impellit Adraſtus
Exploratores, ſi ſtagna Lycimnia reſtent,
Si quis Amymones ſuperet liquor. omnia cæcis
Ignibus hauſta ſedent. nec ſpes humentis Olympi,
Ceu flavam Libyen deſertáque pulveris Afri
Conſuſtrent, nullâque umbratam nube Syenen.
Tandem inter ſylvas (ſic Evius ipſe parabat)
Errantes, ſubitam pulchro in mœrore tuentur
Hypſipylen. illi quamvìs & ab ubere Opheltes
Non ſuus, Inachii proles infauſta Lycurgi
Dependet, neglecta comam nec dives amictu;
Regales tamen ore notæ, nec merſus acerbis
Extat honos. tunc hæc adeò ſtupefactus Adraſtus:
Diva potens nemorum (nam te vultúſque pudórque
Mortali de ſtirpe negant) quæ læta ſub iſto
Igne poli non quæris aquas, ſuccurre propinquis
Gentibus: arcitenens ſeu te Latonia caſto
De grege tranſiniſit thalamis, ſeu lapſus ab aſtris
Non humilis fœcundat amor (neque enim ipſe deorum
Arbiter, Argolidum thalamis novus) aſpice mœſta
Agmina, nos ferro meritas exſcindere Thebas
Mens tulit. imbelli ſed nunc ſitis anxia fato
Summittíque animos, & inertia robora carpit.
Da feſſis in rebus opem, ſeu turbidus amnis,
Seu tibi fœda palus. nihil hâc in ſorte pudendum,
Nil humile eſt. Tu nunc ventis, pluvióque rogaris
Pro Jove, tu refugas vires, & pectora bello
Exanimata reple. ſic hoc tibi ſydere dextro
Creſcat onus. tantùm reduces det flectere greſſus
Jupiter, O quantâ belli donabere præda!
Dircæos tibi diva greges, numerúmque rependam

Plebis,

Plebis, & hic magnâ lucus fignabitur arâ.
Dixit, & orantis media inter anhelitus ardens
Verba rapit, curſúque animæ labat arida lingua.
Idem omnes pallórque viros, flatúſque ſoluti
Oris habet. reddit demiſſo Lemnia vultu:
Diva quidem vobis, & ſi cœleſtis origo eſt,
Unde ego? mortales utinam haud tranſgreſſa fuiſſem
Luctibus! altricem mandati cernitis orbam
Pignoris, at noſtris an quis ſinus, uberáque ulla,
Scit deus. & nobis regnum tamen, & pater ingens.
Sed quid ego hæc? feſtóſque optatis demoror undis?
Mecum age nunc: ſi fortè vado Langia perennes
Servat aquas. ſolet & rapidi ſub limite cancri
Semper, & Icarii quamvis juba fulguret aſtri,
Ire tamen. ſimul hærentem, ne tarda Pelaſgis
Dux foret, ab miſerum vicino ceſpite alumnum
(Sic Parcæ voluere) locat, ponſtque negantem
Floribus aggeſtis, & amico murmure dulces
Solatur lacrymas. Qualis Berecynthia mater,
Dum circa parvum jubet exultare Tonantem
Curetas trepidos: illi certantia plaudunt
Orgia, ſed magnis reſonat vagitibus Ide.
At puer in gremio vernæ telluris, & alto
Gramine, nunc faciles ſternit procurſibus herbas
In vultum nitens: caram modò lactis egeno
Nutricem clangore ciens, iterúmque renidens,
Et teneris meditans verba illuctantia labris,
Miratur nemorum ſtrepitus, aut obvia carpit,
Aut patulo trahit ore diem. nemoríſque malorum
Inſcius, & vitæ multùm ſecurus inerrat.
Sic tener Odryſiâ Mavors nive, ſic puer ales
Vertice Mænalio, talis per littora reptans
Improbus Ortygiæ latus inclinabat Apollo.
Illi per dumos, & opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arctâ plebe ſequuntur
Præcelerántque ducem. medium ſubit illa per agmen
Non humili feſtina modò. jámque amne propinquo
Rauca ſonat vallis, ſaxoſúmque impulit aures
Murmur. ibi exultans conclamat ab agmine primo,
Sicut erat, levibus tollens vexilla maniplis
Argus, Aquæ. (longúſque virúm ſuper ora cucurrit
Clamor) Aquæ. ſic Ambracii per littora ponti
Nauticus in remis juvenum monſtrante magiſtro
Fit ſonus, ſuque vicem contrà percuſſa reclamat
Terra, ſalutatus cùm Leucada pandit Apollo.
Incubuere vadis paſſim diſcrimine nullo
Turba ſimul, primique; nequit ſecernere mixtos
Æqua ſitis. frenata ſuis in curribus intrant
Armenta, & pleni dominis, armíſque feruntur
Quadrupedes. hos turbo rapax, hos lubrica fallunt
Saxa. nec implicitos fluvio reverentia reges
Proterrere, aut merſiſſe vado clamantis amici
Ora. fremunt undæ, longúſque à fontibus amnis
Diripitur modò lenè virens, & gurgite puro
Perſpicuus, nunc ſordet aquis egeſtus ab imo
Alveus. indè toros riparum, & prorula turbant
Gramina, jam craſſus cœnóque & pulvere torrens,
Quamquam expleta ſitis, bibitur tamen. agmina bello
Decertare putes, juſtúmque in gurgite Martem
Præſurere, & captam tolli victoribus urbem.
Atque aliquis regum medio circumfluus amni:
Sylvarum, Nemea, longè regina virentum,
Lecta Jovi ſedes, quàm nunc, non Herculis actis
Dura magis, rabidi cùm colla minantia monſtri
Angeret, & tumidos animam anguſtaret in artus:
Hàc ſæviſſe tenus populorum incepta tuorum
Sufficiat: túque ô cunctis inſuete domari
Solibus, æternæ largitor corniger undæ,
Lætus eas. quacunque domo gelida ora reſolvis
Immortale tumens. neque enim tibi cana repoſtas
Bruma nives, raptáſque alio de fonte refundit
Arcus aquas: gravidíve indulgent nubila Cori.
Sed tuus, & nulli ruis expugnabilis aſtro.
Te nec Apollineus Ladon, nec Xanthus uterque,
Sperchiúſque minax, Centaureúſque Lycormas,
Præſtiterint. tu pace mihi, tu nube ſub ipsâ
Armorum, feſtáſque ſuper celebrabere menſas.
Ab Jove primus honos. bellis modò lætus ovantes
Accipias, feſtſſque libens iterum hoſpita pandas
Flumina, defenſáſque velis agnoſcere turmas.

LIBER V.

PULSA ſitis fluvio, populátáque gurgitis alveum
Agmina, linquebat ripas, annémque minorem.
Acrior & campum ſonipes rapit, & pedes arva
Implet ovans. rediere viris animíque, minæque,
Votáque, ſanguineis mixtum ceu fontibus ignem
Hauſiſſent belli, magnáſque in prælia mentes.
Diſpoſiti in turmas rurſus, legémque ſeveri
Ordinis, ut cuique antè locus, ductórque, monentur
Inſtaurare vias. tellus jam pulvere primo
Creſcit, & armorum tranſmittunt fulgura ſylvæ.
Qualia trans Pontum Pharijis defenſa ſerenis
Rauca Parætonio decedunt agmina Nilo,
Cùm fera ponit hyems, illæ clangore fugaci
Umbra fretis, arvíſque volant. ſonat avius æther,
Jam Boream imbréſque pati, jam nare ſoſutis
Amnibus, & nudo juvat æſtivare ſub Hæmo.
Hìc rurſus ſimili procerum vallante coronâ
Dux Talaïonides, antiquâ ut fortè ſub orno
Stabat, & admoti nixus Polynicis in haſtam:
At tamen ô quæcunque es ait, cui gloriâ tanta
Venimus innumeræ fatum debere cohortes:
Quem non ipſe deûm fator aſpernetur honorem,
Dic age (quando tuis alacres adſtillimus undis)
Quæ domus, aut tellus, animam quibus hauſeris aſtris?
Dic quis & ille pater? neque enim tibi numina longè,
Tranſlerit fortuna licèt, majórque per ora
Sanguis, & adflicto ſpirat reverentia vultu.
Ingemit, & paulum fletu cunctata modeſto
Lemnias orſa refert: Immania vulnera, rector,
Integrare jubes, Furias, & Lemnon, & arctis
Arma inſerta toris, debellatóſque pudendo
Enſe mares. redit ecce nefas, & frigida cordi
Eumenis. ô miſeræ quibus hic furor additus! ô nox!
O pater! illa ego ſum (pudeat ne fortè benignæ
Hoſpitis) illa, duces, raptum quæ ſola parentem
Occului. quid longa malis exordia necto?
Et vos arma vocant, magnſque in corde paratus.
Hoc memorâſſe ſat eſt; claro genetata Thoante,
Servitium Hypſipyle veſtri fero capta Lycurgi.
Advertere animos, majórque, & honora videri
Párque operi tanto. cunctis tunc noſcere caſus
Ortus amor. pater ante alios hortatur Adraſtus.
Imò age, dum primi longè damus agmina vulgi,
Nec facilis Nemeæ latas evolvere vires,
Quippe obtenta comis, & ineluctabilis umbra;
Pande nefas, laudéſque tuas, gemitúſque tuorum,
Unde hos advenias regno dejecta labores.
Dulce loquì miſeris, veteréſque reducere queſtus.
Incipit: Ægæo premitur circumflua Nereo
Lemnos, ubi igniferâ ſeſſus inſpirat ab Ætnâ
Mulciber. inſgenti tellurem proximus umbrâ
Veſtit Athos, nemorúmque obſcurat imagine pontum.
Thraces arant contrà. Thracum fatalia nobis
Littora, & indè nefas; florebat dives alumnis
Terra, nec illa Samo famâ, Delóve ſonanti
Pejor, & innumeris quas ſpumifer adſilit Ægon.
Dîs viſum turbare domos. nec pectora culpâ
Noſtra vacant. nullos Veneri ſacravimus ignes.
Nulla deæ ſedes. movet & cœleſtia quondam
Corda dolor, lentóque irrepunt agmine pœnæ.
Illa Paphon veterem, centúmque altaria linquens
Nec vultu, nec crine prior, ſolviſſe jugalem
Ceſton, & Idalias procul ablegâſſe volucres
Fertur. erant certè mediâ quæ noctis in umbrâ,
Divam alios ignes, majoráque tela gerentem
Tartareas inter, thalamis, volitâſſe ſorores
Vulgarent. útque implicitis arcana domorum
Anguibus, & ſævâ formidine cuncta replevit
Limina, nec fidi populum miſerata mariti,
Protinus à Lemno teneri fugiſtis amores.
Motus Hymen, verſæque faces, & frigida juſti
Cura tori. nullæ redeunt in gaudia noctes,
Nullus in amplexu ſopor eſt. odia aſpera ubique,
Et Furor, & medio recubat Diſcordia lecto.
Cura viris tumidos adversâ Thracas in orâ
Eruere, & ſævam bellando frangere gentem.
Cúmque domus contrà, ſtantéſque in littore nati,
Dulcius Edonas hyemes, Arctónque frementem
Excipere, aut tandem tacitâ poſt prælia nocte

Fractorum

Fractorum ſubitas torrentum audire ruinas.
Illæ autem triſtes (nam me tunc libera curis
Virginitas, annique tegunt) ſub nocte, diéque
Aſſiduis ægræ lachrymis, ſolantia miſcent
Colloquia, aut ſævam ſpectant trans æquora Thraſſen.
Sol operum medius ſummo librabat Olympo
Lucentes, ceu ſtaret, equos: quater axe ſereno
Intonuit, quater antra dei fumantis anhelos
Exeruere apices: ventiſque abſentibus Ægon
Motus, & ingenti percuſſit littora ponto.
Cùm ſubitò horrendas ævi matura Polyxo
Tollitur in furias, thalamiſque inſueta relictis
Evolat, inſano veluti Theumeſſa Thyas
Rapta deo, cùm ſacra vocant, Idæique ſuadet
Buxus, & à ſummis auditus montibus Euan:
Sic erecta genas, aciémque effuſa, trementi
Sanguine, deſertam rabidis clamoribus urbem
Exagitat, clauſiſque domos, & limina pulſans,
Concilium vocat. infelix comitatus eunti
Hærebant nati, atque illæ non ſegniùs omnes
Erumpunt tectis ſummáſque ad Pallados arces
Impetus. huc properè ſtipamur, & ordine nullo
Congeſtæ. ſtricto mox enſe ſilentia juſſit
Hortatrix ſcelerum, & medio ſic auſa profari eſt:
Rem ſummam inſtinctu Superum, meritiſque doloris,
O viduæ (firmate animos & pellite ſexum)
Lemniades, ſancire paro. ſi tædet inanes
Æternùm ſervare domos, turpémque juventam
Flore ſitum, & longis ſteriles in luctibus annos:
Inveni, promitto, viam (nec numina deſunt)
Quâ renovanda Venus. modò par inſumite robur
Luctibus; atque adeò primum hoc mihi noſcere detur.
Tertia canet hyems, cui connubialia vincla,
Aut thalami ſecretus honos? quod conjuge pectus
Intepuit? cujus vidit Lucina labores?
Dicite, vel juſtos cujus pulſantia menſes
Vota tument? quâ pace feras, volucréſque jugari
Mos datus. heu ſegnes! potuiſtne ultricia Graiis
Virginibus dare tela pater, luctúſque dolorum,
Sanguine ſecuros juvenum perfundere ſomnos?
At nos vulgus iners, quòd ſi propioribus actis
Eſt opus, ecce animos doceat Rhodopeia conjux
Ulta manu thalamos, paritérque epulata marito.
Nec vos immunis ſcelerum, ſecuráve cogo.
Plena mihi domus atque ingens, en cernite, ſudor.
Quatuor hos unà decus, & ſolatia patris
In gremio (licèt amplexu, lachrymiſque morentur)
Tranſadigam ferro, ſaniémque & vulnera fratrum
Miſcebo, patrémque ſuper ſpirantibus addam.
Ecqua tot in cædes animum promittit? agebat
Pluribus, adverſo nituerunt vela profundo.
Lemnia claſſis erat. rapuit gaviſa Polyxo
Fortunam, atque iterat: Superiſne vocantibus ultro
Deſumus? ecce rates, deus hos, deus ultor in iras
Adportat, cœptiſque favet. nec imago quietis
Vana meæ, nudo ſtabat Venus enſe, videri
Clara mihi, ſomnóſque ſuper. Quid perditis ævum?
Inquit. age averſis thalamos purgate maritis.
Ipſa faces alias, melioráque fœdera jungam.
Dixit. & hoc ferrum ſtratis, hoc (credite) ferrum
Impoſuit. quin ô miſeræ, dum tempus agit rem,
Conſulite. en validis ſpumant everſa lacertis
Æquora. Biſtonides veniunt fortaſſe maritæ.
Hinc ſtimuli ingentes, magnúſque advolvitur auris
Clamor. Amazonio Scythiam fervere tumultu,
Lunatúmque pates agmen deſcendere, ubi arma
Indulget pater, & ſævi movet otia belli.
Nec varius fremor, aut ſtudia in contraria rapti
Diſſenſus, ut plebe ſolet. furor omnibus idem,
Idem animus ſolare domos, juvenúmque, ſenúmque
Præcipitare colos, plenſiſque adfrangere parvos
Uberibus, ferróque omnes exire per annos.
Tunc viridis latè lucus, juga cellà Minervæ
Propter, opacat humum niger ipſe, ſed inſuper ingens
Mons premit, & geminâ pereunt caligine ſoles:
Hîc ſanxere fidem, tu Martia teſtis Enyo,
Atque infera Ceres, Stygiæque Acheronte recluſo
Ante preces venere deæ. ſed fallit ubique
Mixta Venus: Venus arma tenet: Venus admovet iras.
Nec de more cruor, natum Caropeïa conjux
Obtulit, accingunt ſeſe, & mirantia ferro
Pectora, congeſtiſque avidæ ſimul undique dextris
Perfringunt, ac dulce nefas in ſanguine vivo
Conjurant, matrémque recens circumvolat umbra.

Talia cernenti mihi quantus in oſſibus horror?
Quiſve per ora color? qualis cùm cerva cruentis
Circumventa lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tenuis fiducia curſu,
Præcipitat ſuſpenſa fugam: jam jámque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.
Illi aderant. primis jámque offendere carinæ
Littoribus. certant ſalto contingere terram
Præcipites. miſeri quos non aut horrida virtus
Marte ſub Odryſio, aut medii inclementia ponti
Hauſerit! alta etiam Superûm delubra vaporant,
Promiſſáſque trahunt pecudes. niger omnibus aris
Ignis, & in nullis ſpirat Deus integer extis.
Tardiùs humenti noctem dejecit Olympo
Jupiter, & verſum niti reor æthera curâ
Suſtinuit, dum fata vetant. nec longiùs unquam
Ceſſavere novæ perfecto ſole tenebræ.
Sera tamen mundo venerunt aſtra, ſed illis
Et Paros, & nemoroſa Thaſos, crebræque relucent
Cyclades. una gravi penitus latet obruta cœlo
Lemnos, in hanc triſtes nebulæ, & plaga cæca ſuperne
Texitur, una vagis Lemnos non aguita nautis.
Jam domibus fuſi & nemorum per opaca ſacrorum
Ditibus indulgent epulis, vacuántque profundo
Aurum immane mero. dum quæ per Strymona pugnæ,
Quis Rhodope, gelidóve labor ſudatus in Hæmo
Enumerare vacat. nec non manus impia, nuptæ
Serta inter, feſtáſque dapes, quo maxima cultu
Quæque jacent, dederat mites Cytherea ſupremâ
Nocte viros, longóque brevem poſt tempore pacem
Nequicquam, & miſeros perituro adflaverat igni.
Conticuere chori: dapibus, luduque licenti
Fit modus, & primæ decreſcunt murmura noctis,
Cùm conſanguinei mixtus caligine leti
Rore madens Scygio, morituram amplectitur urbem
Somnus, & implacido fundit gravia otia cornu:
Secernitque viros. vigilant nuptæque, nurúſque
In ſcelus, atque hilares acuunt fera tela ſorores.
Invaſere nefas, cuncto ſua regnat Erinnys
Pectore. non aliter Scythicos armenta per agros
Hyrcanæ clauſere leæ, quas exigit ortu
Prima fames, avidíque implorant ubera nati.
Quos tibi (nam dubito) ſcelerum de mille figuris
Expediam caſus? Helimum temeraria Gorge
Evinctum ramis, altâque in mole tapetum
Efflantem ſomno crateſcentia vina, ſuperſtans
Vulnera diſjectâ rimatur veſte, ſed illum
Infelix ſopor admotâ ſub morte refugit.
Turbidus, incertúmque oculis vigilantibus hoſtem
Occupat amplexu, nec ſegniùs illa tenentis
Ponè adigit coſtas, donec ſua pectora ferro
Tangeret. is demum ſceleri modus. ora ſupinat
Blandus adhuc, oculíſque tremens & murmure Gorgen
Quærit, & indigno non ſolvit brachia collo.
Non ego nunc vulgi, quanquam crudelia, pandam
Funera, ſed propriâ luctus de ſtirpe recordor.
Quòd te, flave Cydon, quòd te per colla refuſis
Intactum, Crenæe, comis, quibus ubera mecum
Obliquúmque à patre genus fortémque, timebam
Quem deſponſa, Gyan, vidi lapſare cruenta
Vulnere Mirmydonis: quíſque inter ſerta chorôſque
Barbara ludentem fodiebat Opopea mater?
Flet ſuper æquævum ſoror exarmata Lycaſte
Cydimon. heu ſimiles perituro in corpore vultus
Aſpiciens, floremque genæ, & quas finxerat auro
Ipſa comas. tum ſæva parens jam conjuge fuſo
Adſtitit, impelliſtque minis, atque inſerit enſem.
Ut fera, quæ placido rabiem deſueta magiſtro
Tardiùs arma movet, ſtimuliſque, & verbere crebro
In mores negat ire ſuos: ſic illa jacenti
Incidit, undantémque ſinu collapſa cruorem
Excipit, & laceros premit in nova vulnera crines.
Ut verò Alcimeden etiamnum in murmure truncos
Ferre patris vultus, & egentem ſanguinis enſem
Conſpexi, riguere comæ, atque in viſcera ſævus
Horror iit. meus ille Thoas, mea dira videri
Dextra mihi. extemplo thalamis turbata paternis
Inferor. ille quidem dudum (quis magna tuenti
Somnus?) agit verſans ſecum (etſi lata receſſit
Urbe domus) quinam ſtrepitus? quæ murmura noctis,
Cur fremebunda quies? trepido ſcelus ordine pando.
Quis dolor, unde animi. Vis nulla arcere furentes:
Hàc ſequere, ô miſerande. premunt, aderúntque morantî,
Et mecum fortaſſe cades. his motus, & artus

Erexit

Frexit ſtratis. ferimur per devia vaſtæ
Urbis, ubi ingentem nocturnæ cædis acervum
Paſſim, ut quoſque ſacris crudelis velipera lucis
Straverat, occultâ ſpeculamur nubè latentes.
Hìc impreſſa toris ora, extantéſque reclulis
Pectoribus cápulos, magnarum & fragmina trunca
Haſtarum, & ferro laceras per corpora veſtes,
Crateras pronos, epulâſque in cæde natantes
Cernere erat, jugulíſque modò torrentis apertis
Sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.
Hìc juvenum manus, & nullis violabilis armis
Turba ſenes. poſitíque patrum ſuper ora gementum
Semineces pueri, trepidas in limine vitæ
Singultant animas, gelidâ non ſævîùs Oîsâ
Luxuriant Lapitharum epulæ, ſi quando profundo
Nubigenæ caluere mero. Vix primus ab irâ
Pallor, & impulſis ſurgunt ad prælia menſis.
Tunc primùm ſeſe trepidis ſub nocte Thyoneus
Detexit, nato portans extrema Thoanti
Subſidia, & multâ ſubitus cum luce refulſit.
Agnovi. non ille quidem turgentia ſertis
Tempora, nec flavâ crinem diſtinxerat uvâ,
Nubilus, indignúmque oculis liquentibus imbrem
Alloquitur: Dum fata dabant tibi, nate, potentem
Lemnon, & externis etiam ſervare timendam
Gentibus, haud unquam juſto mea cura labori
Deſtitit, abſciderant triſtes crudelia Parcæ
Stamina, nec dictis, ſupplex quæ plurima fudi
Ante Jovem ſruſtra, lachrymiſque avertere luctus
Contigit. infandum natæ conceſſit honorem.
Accelerate fugam. tuque ô mea digna propago
Hàc rege, virgo, patrem, gemini quà brachia muri
Littus eunt; illâ, quà rara ſilentia, portâ
Stat funeſta Venus, ferróque accincta furentes
Adjuvat. (unde manus? unde hæc Mavortia divæ
Pectora?) tu lato patrem committe profundo.
Succedam curis. ita fatus in æëra rurſus
Solvitur: & noſtrûm viſus arcentibus umbris,
Mitis iter longæ claravit limite flammæ.
Quà data ſigna ſequor. dein curvo robore clauſum
Dis pelagi, ventíſque, & Cycladas Ægæòni
Amplexo, commendo patrem. nec fletibus unquam
Fit modus alternis: ni jam dimittat Eoo
Lucifer altra polo. tum demum littore rauco
Multa metu reputans, & vix confiſa Lyæo
Dividor, ipſa gradu nitens, ſed & anxia retro
Pectora, nec requies, quin & ſurgentia cœlo
Flamina, & è cunctis proſpectum collibus undas.
Exoritur pudibunda dies, cœlúmque retexens
Averſum Lemno jubar, & declinia Titan
Oppoſitâ juga nube refert. patuere furores
Nocturni, lucíſque novæ formidine cunctis
(Quanquam inter ſimiles) habitus rubor. impia terræ
Infodiunt ſcelera, aut feſtinis ignibus urunt.
Jam manus Eumenidum, captâſque refugerat atees
Exſaturata Venus. licuit ſentire quid ausæ,
Et turbare comas, & lumina tingere fletu.
Inſula dives agris, opibúſque, armíſque, vitíſque
Nota ſitu, & Getico nuper ditata triumpho,
Non maris incurſu, non hoſte, nec æthere lævo,
Perdidit una omnes orbata, exciſáque mundo
Indigenas, non arva viri, non æquora vertunt.
Conticuere domus. cruor altus, & oblita craſſo
Cuncta rubent tabo. magnæque in mœnibus urbis
Nos tantùm: & ſævi ſpirant per culmina Manes.
Ipſa quoque arcanis tecti penetralibus alto
Molior igne pyram. ſceptrum ſuper armáque patris
Injicio, & notas regum geſtamina veſtes,
Ac prope mœſta rogum confuſis ignibus adſto
Enſe cruentato, fraudémque & inania baſta
Plango metu, ſi fortè premant, caſſúmque parenti
Omen & hàc dubios leti precor ire timores.
His mihi pro meritis, (ut falſi criminis aſtu
Parta fides) regno, & ſolio conſidere patris
Supplicium datur. ánne illis obſeſſa negarem?
Acceſſi, ſæpe ante Deos teſtata, fidémque,
Immeritáſque manus. ſubeo (prò dira poteſtas!)
Exangue imperium, & mœſtam ſinè culmine Lemnon.
Jam magis atque magis vigiles dolor angere ſenſus,
Et gemitus clari, & paulatim inviſa Polyxo,
Jam meminiſſe nefas. jam ponere Manibus aras
Conceſſum: & multûm cineres jurare ſepultos.
Sic ubi ductorem trepidæ ſtabulíſque maritum
Quem penès & ſaltus & adultæ gloria gentis,
Maſſylo fraſigi ſtupuere ſub hoſte juvencæ,
Ut truncum ſinè honore pecus, regémque peremptum
Ipſe ager, ipſi amnes, & muta armenta querantur.
Ecce autem ærata diſpellens æquora prorâ
Pelias intacti latè ſubit hoſpita ponti
Pinus: agunt Minyæ. geminus fragor ardua canet
Per latera, abruptam credas radicibus ire
Ortygiam, aut fractum pelago decurrere montem.
Aſt ubi ſuſpenſis ſiluerunt æquora tonſis,
Mitior & ſenibus cygnis & pectine Phœbi,
Vox mediâ de puppe venit, maria ipſa carinæ
Accedunt. (pòſt nôſſe datum eſt) Oeagrius illic
Acclinis malo, mediis interſonat Orpheus
Remigiis, tantóſque jubet neſcire labores.
Illis in Scythicum Boream iter, oráque primùm
Cyaneis arctata vadis. nos Thracia viſu
Bella ratæ, vario tecta incurſare tumultu
Denſarum pecudum, aut fugientum more volucrum.
Heu ubi nunc furiæ? portus, amplexáque littus
Mœnia, quà longè pelago deſpectus aperto,
Scandimus, & celſas turres. huc ſaxa, ſudéſque,
Armáque mœſta virûm, atque infectos cædibus enſes
Subvectant trepidæ. quin & ſqualentia texta
Thoracum, & vultu galeas intrare ſoluto
Non pudet. audaces rubuit mirata catervas
Pallas, & adverſo riſit Gradivus in Hæmo.
Tunc primùm ex animis præceps amentia ceſſit.
Nec ratis illa ſalo, ſed divûm ſera per æquor
Juſtitia, & pœnæ ſcelerum adventare videntur.
Jámque aderant terræ, quantùm Gortynia currunt
Spicula: cæruleo gravidam cùm Jupiter imbri
Ipſa ſuper nubem ratis armamenta Pelaſgæ
Siſtit agens. indè horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies, miſcet tenebras, quas protinus unda
Concolor: obnixi lacerant cava nubila venti,
Diripiúntque fretum, nigris redit humida tellus
Vorticibus, totúmque Notis portantibus æquor
Pendet, & æquato jam jam prope ſidera dorſo
Frangitur, incertæ jam nec prior impetus alno,
Sed labat, extantem roſtris modò gurgite in imo,
Nunc cœlo Tritona ferens. nec robora proſunt
Semideûm heroum, puppémque inſana flagellat
Arbor: & inſtabili procumbens pondere curvas
Raptat aquas, remíque cadunt in pectus inanes.
Nos quoque per rupes, murorúmque aggere ab omni,
Dum labor ille viris, fretáque indignantur, & Auſtri,
Deſuper invalidis fluitantia tela lacertis
(Quid non auſa manus?) Telamona, & Pelea contra,
Spargimus, & noſtro petitur Tirynthius arcu.
Illi quippe ſimul bello, pelagóque laborant
Pars clypeis munire ratem. pars æquora fundo
Egerere: aſt alli pugnant, ſed inertia motu
Corpora, ſuſpenſæque carent conamine vires.
Inſtamus jactu telorum, & ferrea nimbis
Certat hyems: vaſtæque ſudes, fractíque molares,
Spiculáque, & multâ crinitum miſſile flammâ.
Nunc pelago, nunc puppe cadunt. dat operta fragorem
Pinus, & abjunctis regemunt tabulata cavernis.
Talis Hyperboreâ virides nive verberat agros
Jupiter. obruitur campis genus omne ferarum,
Deprenſæque cadunt volucres, & meſſis amaro
Strata gelu. fragor indè jugis, indè amnibus iræ.
Ut verò elifit nubes Jove tortus ab alto
Ignis, & ingentes patuere in lumine nautæ,
Diriguere animi: manibúſque horrore remiſſis
Arma aliena cadunt: redeunt in pectora ſenſus.
Cernimus Æacidas, muriſque immane minantem
Ancæum, & longâ pellentem cuſpide rupes
Iphiton. attonito manifeſtus in agmine ſuprà eſt
Amphitryoniades. puppémque alternus utrinque
Ingravat, & medias ardet deſcendere in undas.
At levis, & miſeræ nondum mihi notus Iaſon
Tranſtra per & remos, impreſſíque terga virorum
Nunc magnum Oeniden, nunc ille hortatibus Idam,
Et Talaum, & canâ rorantem aſpergine ponti
Tyndariden iterans, gelidíque in nube parentis
Vela laborantem Calain ſubnectere malo
Voce, manúque rogat. quatiunt impulſibus illi
Nunc freta, nunc muros. ſed nec ſpumantia cedunt
Æquora, & incuſſæ redeunt à turribus haſtæ.
Ipſe graves fluctus, clavúmque audire negantem
Laſſat agens Tiphys, pallétque, & plurima mutat
Imperia. ac lævas, dextráſque obtorquet in undas
Proram, naviſragis avidam concurrere ſaxis.

Donec ab extremæ cuneo ratis, Æsone natus
Palladios oleæ, Mopti gestamina, ramos
Extulit, & sœvûm turbâ prohibente popposcit
Fœdera. præcipites vocem involvere procellæ.
Tunc modus armorum, paritérque exhausta quiêrunt
Flamina, confusóque dies respexit Olympo.
Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.
Magnorum decora alta patrum, jam fronte sereni,
Noscendíque habitu, postquam timor, iráque cessit
Vultibus. arcanâ si fama erumpere portâ
Cœlicolas, si quando domus, lituíque rubentum
Æthiopum, & mensas amor est intrare minores.
Dant fluvii montésque locum. tum terra superbit
Gressibus & paulùm respirat cœlifer Atlas.
Hìc & rb adserto nuper Marathone superbum
Thesea & Ismarios Aquilonia pignora fratres,
Utraque quís rutilâ stridebant tempora pennâ,
Cernimus. hìc Phœbo non indignante priorem
Admetum, & duræ similem nihil Orphea Thracæ.
Tunc prolem Calydone satam, genuerúmque profundi
Nereos. ambiguo visus errore lacessunt
Oebalidæ gemini. chlamys huic, chlamys ardet & illi:
Ambo hastile gerunt: humeros exertus uterque,
Nudus uterque genas, simili coma fulgurat astro.
Audet iter, magnique sequens vestigia mutat
Herculis, & tardâ quamvis se mole ferentem,
Vix cursu tenet æquat Hylas. Lernæáque tollens
Arma, sub ingenti gaudet sudare pharetrâ.
Ergo iterum Venus, & tacitis corda aspera flammis
Lemniadum pertentat amor. tunc regia Juno
Arma, habitúsque virûm, pulchræque insignia gentis
Mentibus insinuat, certatímque ordine cunctæ
Hospitibus patuere fores. tunc primus in aris
Ignis, & infandis venere oblivia curis.
Tunc epulæ, velíque sopor, noctésque quietæ:
Nec Superûm sinè mente reor, placuere fatentes.
Forsitan & nostræ fatum excusábile culpæ
Noscere cura, duces. cinerem, furiásque meorum
Testor, ut externas non sponte aut crimine tedas
Attigerim (scit cura deûm) etsi blandus Iason
Virginibus dare vincla novis. sua jura cruentum
Phasin habent: alios Colchi generatis amores.
Jámque exuta gelu tepuerunt sidera longis
Solibus, & velox in terga revolvitur annus.
Jam nova progenies, partúsque in vota soluti,
Et non speratis Lemnos clamatur alumnis.
Nec non ipsa tamen, thalami monumenta cocti,
Enitor geminos, duróque sub hospite mater
Nomen avi renovo. nec quæ fortuna relictis
Nósse datum. jam plena quater quinquennia pergunt,
Si modò fata sinunt, aluíque rogata Lycaste.
Detumuere animi maris, & clementior Auster
Vela vocat. ratis ipsa moram, portúsque quietos
Odit, & adsueti tendit retinacula saxi.
Indè fugam Minyæ, sociósque appellat Iason
Efferus, ô utinam jam tum mea littora rectis
Prætervectus aquis, cui non sua pignora cordi,
Non promissa fides. certè stat fama remotis
Gentibus, æquorei redierunt vellera Phryxi.
Ut stata lux pelago, venturúmque æthera sensit
Tiphys, & occidui rubuere cubilia Phœbi:
Heu iterum gemitus, iterúmque novissima nox est.
Vix reserata dies, & jam rate celsus Iason
Ire jubet, primóque ferit dux verbere pontum.
Illos è scopulis, & summo vertice montis,
Spumea porrecti dirimentes terga profundi
Prosequimur visu, donec lassavit euntes
Lux oculos, longúmque polo contexere visa est
Æquor, & extremi pressit freta margine cœli.
Fama subit portus, vectum trans alta Thoanta
Fraternâ regnare Chio: mihi crimina nulla,
Et vacuos arsisse rogos. fremit impia plebes
Sontibus accensæ stimulis, facinúsque reposcunt.
Quin etiam occultæ vulgo increbescere voces.
Soláne fida suis? nos autem in funera lætæ?
Non deus hæc, fatúmque, quod imperat urbe nefanda.
Talibus exanimis dictis (& trisse propinquat
Supplicium) nec regna juvant, vaga littora furto
Incomitata sequor, funestáque mœnia linquo:
Quà fuga nota patris, sed non iterum obvius Euan.
Nam hìc prædonum manus huc appulsa tacentem
Arripit, & veltrasfamulam transmittit in oras.
Talia Lernæis ſtrerat dum regibus exul
Lemnias, & longâ solatur damna querelâ,
Immemor absentis (sic Di fuatistis) alumni:
Ille graves oculos, languentiáque ora comanti
Mergit humo, fessúsque diu puerilibus actis
Labitur in somnos, prensâ manus hæret in herbâ.
Interea campis, nemoris sacer horror Achæi,
Terrigena erigitur serpens, tractúque soluto
Immanem sese vehit, ac pòst terga relinquit.
Livida fax oculis: tumidi stat in ore veneni
Spuma virens, ter lingua vibrat, terna agmina adunci
Dentis, & auratæ crudelis gloria frontis
Prominet. Inachio sanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, & sylvestribus aris
Pauper honos. nunc ille dei circundare templa
Orbe vago labens, miseræ nunc robora sylvæ
Atterit, & vastas tenuat complexibus ornos.
Sæpe super fluvios geminæ jacet aggere ripæ
Continuus, squamísque incisus adæstuat amnis.
Sed nunc Ogygii jussis quando omnis anhelat
Terra dei, trepidæque latent in pulvere Nymphæ,
Sævior anfractu laterum sinuosa retorquens
Terga solo, siccísque nocens furit igne veneni.
Stagna per, arentésque lacus, fontésque repressos
Volvitur, & vacuis fluviorum in vallibus errat.
Incertúsque sui liquidum nunc æra lambit
Ore supinato, nunc arva gementia radens
Pronus adhæret humo, si quid viridantia sudent
Gramina. percussæ calidis afflatibus herbæ,
Quà tulit ora, cadunt, moritúrque ad sibila campus.
Quantus ab Arctois discriminat æthera plaustris
Anguis ad usque Notos, alienúmque exit in orbem.
Quantus & ille sacri spiris intorta movebat
Cornua Parnassi, donec tibi, Delie, fixus
Vexit arundineam centeno vulnere sylvam.
Quis tibi, parve, deus tam magni pondera fati
Sorte dedit? túne hôc vix prima ad limina vitæ
Hoste jaces? an ut indè sacer per sæcula Graiis
Gentibus, & tanto dignus morerere sepulchro?
Occidis extremæ dextrictus verbere caudæ
Ignaro serpente puer: fugit ilicet artus
Somnus, & in solam patuerunt lumina mortem.
Cùm tamen attonito moriens vagitus in auras
Excidit, & ruptis immutuit ore querelis,
(Qualia non totas peragunt insomnia voces,)
Audiit Hypsipyle, facilémque negantia cursum
Exanimis genua ægra rapit. jam certa malorum
Mentis ab augurio, sparsóque per omnia visu
Lustrat humum quærens, & nota vocabula parvo
Nequicquam ingeminans. nusquam ille, & prata recen-
Amisere notas. viridi piger accubat hostis [tes
Collectus gyro, spatiosáque jugera complet.
Sic etiam obliquâ cervicem expostus in alvo:
Horruit infelix visu, longóque profundum
Incendit clamore nemus: nec territus ille,
Sed jacet. Argolicas ululatas flebilis aures
Impulit. extemplo monitu ducis advolat ardens
Arcas eques, cunsámque refert. tum squammea demum
Torvus ad armorum radios, fremitúmque virorum
Colla movet, rapit ingenti conanime saxum,
Quo discretus ager, vacuáque impellit in auras
Arduus Hippomedon, quo turbine bellica quondam
Librati saliunt portarum in claustra molares.
Cassa duci virtus. nam mollia colla resusus
In tergum serpens venientem exhauserat ictum.
Dat sonitum tellus, nemorúmque per æra densi
Dissultant nexus. at non mea vulnera, clamat,
(Et trabe fraxineâ Capaneus subit obvius) unquam
Effugies. seu tu pavidi ferus incola luci,
Sive deis, utinámque deis concessa voluptas.
Non si consertum super hæc mihi membra Gigantа
Subveheres. volat hasta tremens, & hiaptia monstri
Ora subit, linguæque secat fera vincla trisulcæ.
Pérque jubas stantes, capitísque insigne coruscі
Emicat, & nigri sanie perfusa cerebri
Figitur alta solo. longus vix tota peregit
Membra dolor. rapido celer ille volumine telum
Circuit, avulsúmque ferens in opaca refugit
Templa dei. hic magno tellurem pondere mensus,
Implorantem animam dominisaffibilat aris.
Illum & cognatæ stagna indignantia Lernæ,
Floribus & vernis adsuetæ spargere Nymphæ,
Et Nemees reptatus ager, lucósque per omnes
Sylvicolæ, fractâ, gemuistis, arundine, Fauni.
Ipse etiam summâ jam tela popposcerat æthrâ
Jupiter,

Jupiter, & dudum nimbíque hyemésque coibant,
Nî minor ira deo, gravioráque tela mereri
Servatus Capaneus. moti tamen aura cucurrit
Fulminis, & ſummas libavit vertice criſtas.
Jámque pererratis infelix Lemnia campis,
Liber ut angue locus, modico ſuper aggere longè
Pallida ſanguineis infectas toribus herbas
Proſpicit. huc magno curſum rapit effera luctu,
Agnoſcítque nefas: terræque illita nocenti
Fulminis in morem, non verba in funere primo,
Non lacrymas habet. iugeminat miſera oſcula tantùm
Incumbens animæque fugam per membra tepentem
Quærit hians. non ora loco, non pectora reſtant.
Rapta cutis. tenuia oſſa patent nexúſque madentes
Sanguinis imbre novi, totúmque in vulnere corpus.
Ac velut allgeræ, ſedem, fœtúſque parentis
Cùm piger umbroſâ populatus in ilice ſerpens,
Illa redit, querulæque domus mirata quietem,
Stat ſuper impendens, advectóſque horrida mœſto
Excutit ore cibos: cùm ſolus in arbore carâ
Sanguis, & errantes per capta cubilia plumæ.
Ut laceros artus gremio miſeranda recepit,
Intexítque comis, tandem laxata dolore
Vox invenit iter, gemitúſque in verba ſoluti:
O mihi defertæ natorum dulcis imago
Archemore: ô rerum & patriæ ſolamen ademptæ,
Servitiſque decus, qui te, mea gaudia, fontes
Extinxere dei? modò quem digreſſa reliqui
Laſcivum & prono vexantem gramina curſu?
Heu ubi ſiderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta ſonis? riſúſque & murmura ſoli
Intellecta mihi? quoties tibi Lemnon, & Argo
Sueta loqui, & longâ ſomnum ſuadere querela?
Sic equidem luctus ſolabar, & ubera parvo
Jam materna dabam, cui nunc venit irritus ori
Lactis, & infelix in vulnera liquitur imber.
Noſco deos. ô dura mei præſagia ſomni,
Nocturníque metus, & nunquam impune per umbras
Attonitæ mihi viſa Venus! quos arguo divos?
Ipſe ego te (quid enim timeam moritura fateri?)
Expoſui fatis. quæ mentem inſania traxit?
Tantáne me tantæ tenuere oblivia curæ?
Dum patrios caſus, famæque exorſa retracto
Ambitioſa meæ, pietas hæc magna, fidéſque!
Exolvi tibi Lemne nefas. ubi letifer anguis,
Ferte duces. meriti, ſi qua eſt mihi gratia duri.
Si quis honos dictis, aut vos extinguite ferro,
Ne triſtes dominos, orbámque inimica reviſam
Eurydicen. quanquam haud illi mea cura dolendo
Ceſſerit. hócne ferens onus illætabile matris
Tranſfundam gremio? quàm me priùs ima ſub umbras
Mergat humus? ſimul hæc terrâque, & ſanguine vultum
Sordida, magnorum circa veſtigia regum
Vertitur, & tacitè mœrentibus imputat undas.
Et jam ſacrifici ſubitus per tecta Lycurgi
Nuncius implérat lacrymis ipſúmque domúmque,
Ipſum adventantem Perſei vertice ſancto
Montis, ubi averſo dederat profecta Tonanti,
Et caput iratis rediens quaſſabat ab extis.
Hic ſeſe Argolicis immunem ſervat ab armis
Haud animi vacuus, ſed templa, æquque tenebant.
Necdum etiam reſponſa deûm, monitúſque veruſti
Exciderant, vóxque ex adytis accepta profundis,
Prima, Lycurge, dabis Dircæo funera bello.
Id cavet, & mœſtus vicini pulvere Martis
Angitur ad litnos, periturſique invidet armis.
Ecce fides Superûm, lucerас comitata Thoantis
Advenit exequias. contrà ſubit obvia mater,
Fœmineos cœtus plangentiſque agmina ducens.
At non magnanimo pietas ignava Lycurgo,
Fortior ille malis, lacrymáſque inſana reforbet
Ira patris. longo rapit arva morantia paſſu
Vociferans. Illa autem ubinam? cui parva cruoris
Lætáve damna mei? vivítne? impellite raptam,
Ferte citi comites. ſaxo omnis fabula Lemni
Et pater, & tumidæ generis mendacia ſacri
Exciderint. ibat, letúmque inferre parabat
Enſe furens rapto. venienti Oenetius heros
Impiger objectâ proturbat pectora parmâ.
Ac ſimul infrendens: Siſte hunc veſane furorem
Quiſquis es, & pariter Capaneus, acérque reducto
Affuit Hippomedon, rectóque Erymanthius enſe,
Ac juvenem multo perſtringunt lumine. at indè
Agreſtûm pro rege manus. quos inter Adraſtus
Mitior, & ſociæ veritus commercia vitæ
Amphiaraus ait: Ne quæſo: abſiſtite ferro:
Unus avûm ſanguis, néve indulgete furori.
Túque prior. ſed non ſedato pectore Tydeus
Subjicit: Anne ducem, ſervatricémque cohortis
Inachiæ ingratis coram tot millibus audes
Mactare in tumulos? (quanti prò funeris ultor!)
Cui regnum, genitórque Thoas, & lucidus Euan
Stirpis avus: tumidóne parum quòd gentibus actis
Undique in arma ruis, inter rapida agmina pacem
Solus habes? habeáſque & te victoria Graiûm
Inveniat tumulis etiamnum hæc fata gementem.
Dixerat. & tandem cunctante modeſtior irâ
Ille refert; Equidem non vos ad mœnia Thebes
Rebar, & hoſtiles huc adveniſſe catervas.
Vergite in excidium ſocii (ſi tanta voluptas)
Sanguinis, imbuite arma domi, atque hæc irrita dudum
Templa Jovis (quid enim haud licitum?) ferat impius ignis.
Si vilem, tanti premerent cùm pectora luctus,
In famulam jus eſſe ratus, dominóque, ducíque.
Sed videt hoc, videt ille deûm regnator, & autis
Sera quidem, manet ira tamen. ſic fatus, & arces
Reſpicit, atque illìc alio certamine belli
Tecta fremunt. volucres equitum præverterat alas
Fama recens, geminos alis amplexa tumultus.
Illi ad fata rapi, atque illi jam occumbere leto,
Sic meritam Hypſipylen iterant: credúntque, nec iræ
Fit mora. jámque faces, & tela penatibus inſtant.
Vertere regna fremunt, raptúmque auferre Lycurgum,
Cum Jove, cúmque aris. reſonant ululatibus ædes
Fœmincis, verſúſque dolor dat terga timori.
Alipedum curru ſed enim ſublimis Adraſtus
Secum ante ora virûm fremebunda, Thoantida portans
It medius turmis, &, parcite parcite, clamat.
Nil actum ſævè: meritus nec tale Licurgus
Excidium, gratſque inventrix fluminis ecce.
Sic ubi diverſis maria evertere procellis
Hinc Boreas, Eurúſque, illinc niger imbribus Auſter,
Pulſa dies, regnántque hyemes, venit æquoris alti
Rex ſublimis equis, geminúſque ad ſpumea Triton
Frena natans, latè pelago dat ſigna cadenti:
Et jam plana Thetis, montéſque, & littora creſcunt.
Quis Superûm tanto ſolatus funera voto
Penſavit lacrymas? inopináque gaudia mœſtæ
Rettulit Hypſipylæ? tu gentis conditor Euan,
Qui geminos juvenes Lemni de littore vecto,
Intuleras Nemeæ, mirandáque fata parabas.
Cauſa viæ genitrix, nec inhoſpita tecta Lycurgi
Præbuerant aditus, & protinus ille tyranno
Nuncius, extinctæ miſerando vulnere prolis.
Ergo adſunt comites (prò fors, & cæca futuri
Mens hominum!) regíque favent. ſed Lemnos ad aures
Ut primùm, dictúſque Thoas, per tela, manúſque
Irruerant, matrémque avidis complexibus ambo
Diripiunt flentes, alternáque pectora mutant.
Illa velut rupes immoto ſaxea viſu
Hæret, & expertis non audet credere divis.
Ut verò & vultus, & ſigna Argoa relictis
Enſibus, atque humeris amborum intextus Iaſon;
Ceſſerunt luctus, turbatáque monere tanto
Corruit, atque alio maduerunt lumina fletu.
Addita ſigna polo, lætóque ululante tumultu
Tergáque, & æra dei motas crepuere per auras.
Tunc pius Oeclides, ut prima silentia vulgi
Mollior ira dedit, placidáſque acceſſit ad aures:
Audite ô ductor Nemeæ, lectíque potentes
Inachidæ, quæ certus agi manifeſtat Apollo.
Iſte quidem Argolicis haud olim indebitus armis
Luctus adeſt. recto deſcendunt limite Parcæ.
Et tibi inter itu fluviorum, & letifer anguis,
Et puer, heu noſtri ſignatus nomine fati
Archemorus. cuncta hæc Superûm demiſſa ſuprema
Mente ſuunt. differte animos, feſtináque tela
Ponite. manſuris donandus honoribus infans.
Et meruit. det pulchra ſuis libamina virtus
Manibus, atque utinam plures innectere pergas
Phœbe moras, ſempérque novis bellare vetemur
Catibus, & ſemper Thebe funeſta recedat.
At vos magnorum tranſgreſſi fata parentum
Felices, longum quibus hinc per ſæcula nomen,
Dum Lernæa palus, & dum pater Inachus ibit,
Dum Nemee tremulas campis jaculabitur umbras.
Ne fletu violate ſacrum, ne plangite divos.
Nam deus ille, deus. Pyliæ nec fata ſenectæ
Malnerit,

Maluerit, Phrygiis aut degere longiùs annis.
Finierat, cœlóque cavam nox induit umbram.

LIBER VI.

NUNCIA multivago Danaas perlabitur urbes
Fama gradu, ſancire novo ſolennia buſto
Inachidas, ludúmque ſuper, quo Martia bellis
Præſudare paret, ſeſéque accendere virtus;
Graiûm ex more decus. Primus Piſæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereúmque ferâ crinem deterſit olivâ.
Proxima vipereo celebravit libera nexu
Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ.
Mox circùm triſtes ſervata Palæmonis aras
Nigra ſuperſtitio, quoties animoſa reſumit
Leucothoë gemitus, & amica ad littora feſtâ
Tempeſtate venit, planctû conclamat uterque
Iſthmos, Echioniæ reſponſant flebile Thebæ.
Et nunc eximii regum, quibus Argos alumnis
Connexum cœlo, quorúmque ingentia tellus
Aonis, & Tyriæ ſuſpirant nomina matres,
Concurrunt, nudáſque movent in prælia vires.
Ceu primùm auſuræ trans alta ignota biremes,
Seu Tyrrhenam hyemem, ſeu ſtagna Ægæa laceſſunt;
Tranquillo priùs arma lacu, clavúmque, levéſque
Explorant remos, atque ipſa pericula diſcunt.
At cùm experta cohors: tum pontum irrumpere fretis
Longiùs, ereptáſque oculis non quærere terras.
Clara laboriferos cœlo Tithonia currus
Extulerat, vigiléſque deæ pallentis habenas
Et nox, & cornu fugiebat Somnus inani.
Jam plangore viæ, gemitu jam regia mugit
Flebilis, acceptos longè nemora avia frangunt,
Multiplicántque ſonos. ſedet ipſe exutus honoro
Vittarum nexu genitor, ſqualléntiáque ora
Sparſus, & incultam ferali pulvere barbam.
Aſperior contrà, planctúſque egreſſa viriles
Exemplo famulas premit, hortaturque volentes
Orba parens, lacerâſque ſuper procumbere nati
Reliquias ardet, totiéſque avulſa refertur.
Arcet & ipſe pater. mox ut mœrentia dignis
Vultibus Inachii penetrârunt limina reges,
Ceu nova tunc clades, & primo ſaucius infans
Vulnere, letaliſve irrumperet atria ſerpens:
Sic alium ex alio quanquam laſſata, fragorem
Pectora congeminant, integratóque reſultant
Acceníæ clamore fores. ſenſere Pelaſgi
Invidiam, & lachrymis excuſant crimen obortis.
Ipſe datum quoties, intercitóque tumultu
Conticuit ſtupefacta domus, ſolatur Adraſtus
Alloquiis genitorem ultro. nunc fata recenſens
Réſque hominum duras, & inexorabile penſum:
Nunc aliam prolem, manſuráque numine dextro
Pignora. nondum orſis modus, & lamenta redibant.
Ille quoque affatus non molliùs audit amicos,
Quàm trucis Ionii rabies clamantia ponto
Vota virûm, aut tenues curant vaga fulmina nimbos.
Triſtibus interea ramis, teneráque cupreſſo
Damnatus flammæ torus, & puerile pharetrum
Texitur: ima virent agreſti ſtramina cultu.
Proxima gramineis operoſior area ſertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo
Eoas complexus opes, incenáque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo.
Summa crepant auro, Tyrióque attollitur oſtro
Molle ſupercilium, teretéſque hinc undique gemmæ
Irradiant, medio Linus intertextus acantho,
Letiferſque canes. opus admirabile ſemper
Oderat, atque oculos flectebat ab omine mater.
Arma etiam, & veterum exuvias circundat avorum
Gloria mixta malis, adfictæque ambitus aulæ.
Ceu grande exequiis onus, atque immenſa ferantur
Membra toro: ſed caſſa tamen, ſteriliſque dolentes
Fama juvat, parvſque augeſcunt munere manes.
Indè ingens lachrymis honor, & miſeranda voluptas,
Muneráque in cineres annis graviora feruntur.
Namque illi & pharetras, brevioráque tela dicârat
Feſtinus voti pater, inſontéſque ſagittas.
Jam tunc & notâ ſtabulis de gente probatos
In nomen paſcebat equos, cinctúſque ſonantes
Armáque majores expectatura lacertos.
Spes avidæ! quas non in nomen credula veſtes
Urgebat ſtudio? cultúſque inſignia regni
Purpureos, ſceptrúmque minus. cuncta ignibus atris
Damnat atrox, ſuáque ipſe parens geſtamina ferri,
Si damnis rabidum queat exſaturare dolorem.
Parte aliâ gnari monitis exercitus inſtat
Auguris, aëriam truncis nemorúmque ruinâ
Montis onus cumulare pyram, quæ crimina cæſi
Anguis, & infauſti cremet atra piacula belli.
His labor acciſam Nemeen, umbroſaque Tempe
Præcipitare ſolo, lucóſque oſtendere Phœbo.
Sternitur extemplo veteres incidua ferro
Sylva comas, largæ quâ non opulentior umbræ
Argolicos inter ſaltúſque educta Lycæos
Extulerat ſuper aſtra caput. ſtat ſacra ſenectæ
Numine, nec ſolos hominum tranſgreſſa veterno
Fertur avos, Nymphas etiam mutâſſe ſuperſtes,
Faunorúmque greges. aderat miſerabile loco
Excidium. fugere feræ, nidóſque tepentes
Abſiliunt (metus urget) aves. cadit ardua fagus:
Chaoniúmque nemus, brumæque inlæſa cupreſſus,
Procumbunt piceæ, flammis alimenta ſuprémis,
Ornique, iliceæque trabes, metuendáque ſucco
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus, atque ſitu non expugnabile robur.
Hinc audax abies, & odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant intonſa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhoſpita vitibus ulmus.
Dat gemitum tellus. non ſic everſa feruntur
Iſmara, cùm fracto Boreas caput extulit antro.
Nox graſſante Noto citiùs nocturna peregit
Flamma nemus. linquunt flentes dilecta locorum
Otia, cana Pales, Sylvanúſque arbiter umbræ,
Semideúmque pecus. migrantibus adgemit illis
Sylva, nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.
Ut cùm poſſeſſas avidis victoribus arces
Dux raptare dedit, vix ſigna audita, nec urbem
Invenias. ducunt, ſternúntque, abigúntque, ſerúntque
Immodici. minor ille fragor quo bella geruntur.
Jámque pari cumulo geminas hanc triſtibus Umbris,
Aſt illam Superis æquus labor auxerat aras,
Cùm ſignum luctûs cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes
Lege Phrygum mœſtâ. Pelopem monſtrâſſe ferebant
Exequiale ſacrum, carméuque minoribus umbris
Utile. quo geminis Niobe conſumpta pharetris
Squallida billeuas Sipylon deduxerat urnas.
Portant inferias, arſuráque fercula primi
Graiorum, tituliſque pios teſtantur honores
Gentis quiſque ſuæ. longo pòſt tempore ſurgit
Colla ſuper juvenum (numero dux legerat omni)
Ipſe fero clamore torus. cinxere Lycurgum
Lernæi proceres, genetricem mollior ambit
Turba, nec Hypſipyle raro ſubit agmine. vallant
Inachidæ memores, ſuſtentant livida nati
Brachia, & inventæ concedunt plangere matri.
Illìc infauſtos ut primùm egreſſa penates
Eurydice, nudo vocem de pectore rumpit,
Planctúque, & longis præfata ululatibus infit:
Non hôc Argolidum cœtu circundata matrum
Speravi te nate ſequi, nec talia demens
Fingebam votis annorum elementa tuorum,
Nil ſævum reputans; etenim his in finibus ævi
Unde ego bella tibi Thebáſque ignara timerem?
Cui ſuperûm noſtro committere ſanguine pugnas
Dulce? quis hoc armis vovit ſcelus? at tua nondum,
Cadme, domus, nullus Tyrio grege plangitur infans.
Primitias egomet lachrymarum, & cædis acerbæ
Antè tubas ferrúmque tuli. dum deſide curâ
Credo ſinus fidos altricis, & ubera mando.
Quid ni ego? narrabat ſervatum fraude parentem,
Inſontéſque manus. en! quam ferale putemus
Abjurâſſe ſacrum, & Lemni gentilibus unam
Immunem furiis, hæc illa, & creditis auſæ?
Hæc pietate potens? ſolis abjecit in arvis
Non regem, dominúmve; alienos impia partus.
Hoc tantùm, ſylvæque infamis tramite liquit,
Quem non anguis atrox (quid enim hâc opus, hei mihi, leti
Mole fuit?) tantùm cœli violentior aura,
Impulſæque Noto frondes, caſſúſque valeret
Exanimare timor. Nec vos inceſſere luctu
Orba habeo, fixum matri, immotúmque manebat
Hâc altrice nefas. at quin & blandus ad illam,

Nate,

Nate, magis, ſolam nôſſe, atque audire vocantem
Ignarúſque mei: nulla ex te gaudia matri.
Illa tuos queſtus, lachrymoſóſque impia riſus
Audiit, & vocis decerpſit murmura primæ.
Illa tibi genitrix ſemper, dum vita manebat:
Nunc ego. ſed miſeræ mihi nec punire poteſtas
Sic meritam. quid dona, duces, quid inania feſtis
Juſta rogis? illam (nil poſcunt amplius umbræ)
Illam (oro) cineri ſimul, exciſæque parenti
Reddite, quæſo, duces. per ego hæc primordia belli
Cui peperi: ſic æqua gemant mihi funera matres
Ogygiæ. ſternit crines, iterátque precando,
Reddite, nec verò crudelem, avidámque vocate
Sanguinis, occumbam pariter dum vulnere juſto
Exſaturata oculos unum impellamur in ignem.
Talia vociferans aliâ de parte gementem
Hypſipylen (neque enim illa comas nec pectora ſervat)
Agnovit longè, & ſocium indignata dolorem.
Huc ſaltem, ô proceres, túque ô cui pignore noſtro
Partus honos, prohibete nefas. auferte ſupremis
Juviſam exequiis. quid ſe funeſta parenti
Miſcet? & in noſtris ſpectatur & ipſa ruinis?
Cui luget complexa ſuos? ſic fata repentè
Concidit, abruptíſque obmutuit ore querelis.
Non ſecus ac primo fraudatum lacte juvencum,
Cui trepidæ vires, & ſolus ab obere ſanguis
Seu fera, ſeu duras avexit paſtor ad aras,
Nunc vallem ſpoliata parens, nunc flumina queſtu,
Nunc armenta movet, vacuóſque interrogat agros:
Tunc piget ire domum, mœſtóque noviſſima campo
Exit, & oppoſitas impaſta avertitur herbas.
At genitor, ſceptríque decus, cultúſque Tonantis
Injicit ipſe rogis, tergóque & pectore fuſam
Cæſariem ferro minuit, ſectíſque jacentis
Obnubit tenuia ora comis. ac talia fletu
Verba pio miſcens, Alio tibi perfide pacto,
Jupiter, hunc crinem voti reus antè dicâram:
Si pariter virides nati libare dediſſes
Ad tua templa genas. ſed non ratus ore ſacerdos,
Damnatæque preces. ferat hæc, quæ dignior umbra eſt.
Jam face ſubjectâ primis in frondibus ignis
Exclamat. labor inſanos arcere parentes.
Stant juſſi Danai, atque obtentis eminus armis,
Proſpectu viſus intercluſere nefaſto.
Ditantur flammæ. non unquam opulentior illic
Antè cinis, crepitant gemmæ, atque immane liqueſcit
Argentum, & pictis exſudat veſtibus aurum,
Nec non Aſſyriis pingueſcunt robora ſuccis,
Pallentíque croco ſtridunt ardentia mella,
Spumantéſque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis & rapti gratiſſima cymbia lactis.
Tunc ſeptem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Graiugenæ reges, luſtrántque ex more, ſiniſtro
Orbe rogum, & ſtantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos urgere ſinus, illiſáque telis
Tela ſonant. quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.
Semianimes alter pecudes, ſpirantiáque ignis
Accipit armenta. hic luctus abolere, noviſque
Funeris auſpicium, vates, quanquam omina ſentit
Vera, jubet, dextri gyro, & vibrantibus haſtis
Hàc redeunt. raptúmque ſuis libamen ab armis
Quiſque jacit, ſeu frena libet, ſeu cingula flammis
Mergere, ſeu jaculum, ſummæ ſeu caſſidis umbram.
Multa gemunt contrà raucis concentibus agri,
Et lituis aures circùm pulſantur acutis.
Terretur clamore nemus. Sic Martia vellunt
Signa tubæ, nondum ira calet, nec ſanguine ferrum
Irrubuit, primo bellorum comitur illo
Vultus, honoris opus. Stat adhuc incertus in altâ
Nube, quibus ſeſe Mavors indulgeat armis.
Finis erat, lapſúſque putres jam Mulciber ibat
In cineres, inſtant flammis, multóque ſoporant
Imbre rogum, poſito donec cum ſole labores
Exhauſti. ſeris vix ceſſit cura tenebris.
Roſcida jam novies cœlo dimiſerat aſtra
Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes
Mutato nocturnus equo. nec conſcia fallit
Sidera, & alterno deprenditur unus in ortu.
Mirum opus acceleràſſe manus, ſtat ſaxea moles,
Templum ingens, cineri, rerúmque effectus in illo
Ordo docet caſus. Feſſis hìc flumina monſtrat
Hypſipyle Danais, hìc reptat flebilis infans,

Hic jacet, extremum tumuli circùm aſperarat orbem
Squammeus. expectes morientis ab ore cruenta
Sibila, marmoreâ ſic volvitur anguis in haſtâ.
Jámque avidum pugnas viſendi vulgus inermes
Fama vocat. cunctis arvis, ac mœnibus adſunt
Exciti. illi etiam quis belli incognitus horror,
Quos efficta domi, quos prima reliquerat ætas,
Conveniunt. non aut Ephyræo in littore tanta
Unquam, aut Oenomai fremuerunt agmina circo.
Collibus incurvis, viridíque obſeſſa coronâ
Vallis in amplexu nemorum ſedet. hiſpida circùm
Stant juga, & objectus geminis umbonibus agger
Campum exire vetat, longo quem tramite planum
Gramineæ frondes, ſinuatáque ceſpite vivo
Mollia non ſubitis augent faſtigia clivis.
Illic conferti jam ſole rubentibus arvis,
Bellatrix ſederè cohors. ibi corpore mixto
Metiri numerum, vultúſque, habitúſque ſuorum
Dulce viris, tantíque juvat fiducia belli,
Centum ibi nigrantes, armenti robora, tauros
Lentâ mole trahunt, idem numerúſque colórque
Matribus, & nondum lunatis fronte juvencis.
Exin magnanimûm ſeries antiqua parentum
Invehitur, miris in vultum animata figuris.
Primus anhelantem duro Tirynthius angens
Pectoris attritu ſua frangit in oſſa leonem.
Haud illum impavidi, quamvis & in ære, ſuúmque
Inachidæ videre decus. pater ordine juncto
Lævus arundineæ recubánſque ſub aggere ripæ
Cernitur, emiſſæque indulgens Inachus urnæ.
Io poſt tergum. jam proma, dolórque parentis
Spectat inocciduis ſtellatum vitibus Argum.
Aſt illam melior Phariis erexerat arvis
Jupiter, atque hoſpes jam tunc Aurora colebat.
Tantalus indè parens, non qui fallentibus undis
Imminet, aut refugæ ſterilem rapit aëra ſylvæ,
Sed pius, & magni vehitur conviva Tonantis.
Parte aliâ victor curru Neptunia tendit
Lora Pelops, preſſátque rotas auriga natantes
Myrtilus, & volucri jam jámque relinquitur axe;
Et gravis Acriſius, ſpeciéſque horrenda Chorebi
Et Danaë culpata ſinus. & in amne reperto
Triſtis Amymone, parvóque Alcmena ſuperbit
Hercule, tergeminâ crinem circundata lunâ.
Jungunt diſcordes inimica in fœdera dextras
Belidæ fratres. ſed vultu mitior aſtat
Ægyptus, Danai manifeſtum agnoſcere ficto
Ore nefas, pactíſque malæ, noctíſque futuræ.
Mille dehinc ſpecies tandem ſatiata voluptas,
Præſtantéſque viros vocat ad ſua præmia virtus.
Primus ſudor equis. dic inclyte Phœbe regentum
Nomina, dic ipſos (neque enim generoſior unquam
Alipedum collata acies) ceu præpete curſu
Confligant denſæ volucres, aut littore in uno
Æolus inſanis ſtatuat certamina ventis.
Ducitur ante omnes rutilæ manifeſtus Arion
Igne jubæ. Neptunus equo (ſi certa priorum
Fama) pater, primus teneris læſiſſe lupatis
Ora, & littoreo domitâſſe in pulvere fertur
Verberibus parcens, etenim inſatiatus eundi
Ardor, & hyberno par inconſtantia ponto.
Sæpe per Ionium, Libycúmque natantibus ſre
Interjunctus equis, omnéſque aſſuetus in oras
Cæruleum deferre patrem. ſtupuere relicta
Nubila, certantes Euríque, Notíque ſequuntur.
Nec minor in terris bella Euryſthea gerentem
Amphitryoniaden alto per gramina ſulco
Duxerat. illi etiam ferus, indociliſque teneri.
Mox divûm dono regis dignatus Adraſti
Imperia, & multum mediis manſueverat annis.
Tunc rector genero Polynici indulget agendum
Multa monens, ubi fervor equo, quâ ſuetus ab arte
Mulceri, ne ſæva manus, ne liber habenis
Impetus, urge alios, inquit, ſtimuliſque, minuſque;
Ille ibit, minùs ipſe voles. ſic ignea ſora
Cùm daret, & rapido Sol natum imponeret axi
Gaudentem lachrymans aſtra infidioſa docebat,
Nolentéſque teri zonas, mediámque polorum
Temperiem. pius ille quidem, & formidine cautâ,
Sed juvenem duræ prohibebant diſcere Parcæ.
Oebalios ſublimis agit ſpes proxima palmæ
Amphiaraus equos. tua furto lapſa propago,
Cyllare, dum Scythici diverſus ad oſtia ponti
Caſtor, Amyclæas remo permutat habenas.

Ipſe

Ipſe habitu niveus. nivei dant colla jugales.
Concolor eſt albis & caſſis, & inſula, criſtis.
Quin & Theſſalicis felix Admetus ab oris
Vix ſteriles compeſcit equas, Centaurica dicunt
Semina. credo, adeò ſexum indignantur, & omnis
In vires adducta Venus, noctémque, diémque
Aſſimulant, maculis internigrantibus albæ.
Tantus uterque color. credi nec degener illo
De grege Caſtaliæ, ſtupuit qui ſibila cannæ
Lætus, & audito contemſit Apolline paſci.
Ecce & Iaſonidæ juvenes nova gloria matris
Hypſipyles ſubiere jugo, quo vectus uterque
Nomen avo gentile Thoas, atque omine dictus
Euneos Argoo, geminis eadem omnia, vultus,
Currus, equi, veſtes, par & concordia voti
Vincere, vel ſolo cupiunt à fratre relinqui.
It Chromis, Hippodamúſque, alter ſatus Hercule magno,
Alter ab Oenomao, dubites uter effera preſſet
Frena magis. Getici pecus hic Diomedis; at ille
Piſæi juga patris habet, crudelibus ambo
Exuviis, diróque imbuti ſanguine currus.
Metarum inſtar erat hinc nudo robore quercus
Olim omnes exuta comas, hinc ſaxeus umbo
Arbiter agricolis. finem jacet inter utrumque,
Quale quater jaculo ſpatium, ter arundine vincas.
Interea cantu Muſarum nobile mulcens
Concilium, citharæque manus inſertus Apollo
Parnaſſi ſummo ſpectabat ab æthere terras,
Orſa deum (nam ſæpe Jovem, Phlegrámque, ſuſque
Anguis opus, fratrúmque pius cantárat honores)
Tunc aperit quis fulmen agat, quis ſidera ducat
Spiritus, unde animi fluviis, quæ pabula ventis,
Quo fonte immenſum vivat mare. quæ via ſoles
Præcipitet, noctem quæ porrigat, imáne tellus,
An media, & rurſus mundo ſuccincta latenti.
Finis erat, differt avidas audire ſorores:
Dúmque chelyn lauro, textúmque illuſtre coronæ
Subligat, & picto diſcingit pectora limbo,
Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
Aſpicit, atque illic ingens certaminis inſtar
Qradrijugi. noſcit cunctos, & fortè propinquo
Conſtiterant Admetus & Amphiaraus in arvo.
Tunc ſecum, Quiſnam iſte duos, fidiſſima Phœbo
Nomina, commiſit deus in diſcrimina reges?
Ambo pii, carſque ambo. nequeam ipſe priorem
Dicere. Peliacis hic cùm famularer in arvis
(Sic Jovis imperia, & nigræ voluere ſorores)
Thura dabat famulo, nec me ſentire minorem
Auſus; at hic tripodum comes, & pius artis alumnus
Ætherææ. potior meritis tamen ille, ſed hujus
Extremâ jam fila colo, datur ordo ſenectæ
Admeto, ſerúmque mori. tibi nulla ſuperſunt
Gaudia, jam Thebæ juxta, & tenebroſa vorago.
Scis miſer, & noſtræ pridem cecinere volucres.
Dixit, & os fletu penè inviolabile tinctus
Extemplo Nemeen radiante per æthera ſultu
Ocyor & patrio venit igne, ſuſque ſagittis.
Ipſe olim in terris, cœlo veſtigia durant,
Claráque per Zephyros etiamnum ſemita lucet.
Et jam ſortitus Prothous versârat ahenâ
Caſſide. jámque locus cuique eſt, & liminis ordo.
Terrarum decora ampla viri, decora ampla jugales
Divûm utrumque genus. ſtant uno margine clauſi,
Spéſque, audáxque unà metus, & fiducia pallens:
Nil fixum cordi, pugnant exire, pavéntque.
Concurrit ſummos animoſum frigus in artus.
Qui dominis, idem ardor equis. face lumina ſurgunt,
Ora ſonant morſu, ſpumíſque, & ſanguine ferrum
Uritur, impulſi nequeunt obſiſtere poſtes,
Clauſtráque, compreſſæ transſumat anhelitus iræ.
Stare adeò miſerum eſt. pereunt veſtigia mille
Ante fugam, abſentémque ferit gravis ungula campum.
Circumſtant fidi, nexúſque, & torta jubarum
Expediunt, firmántque animos, & plurima monſtrant.
Inſonuit contrà Tyrrhenum murmur, & omnes
Exiluere loco. quæ tantùm carbaſa ponto?
Quæ beſſo ſic tela volant? quæ nubila cœlo?
Amnibus hybernis minor eſt; minor impetus igni.
Tardiùs aſtra cadunt. glomerantur tardiùs imbres.
Tardiùs è ſummo decurrunt flumina monte.
Emiſſos videre, atque agnovere Pelaſgi,
Et jam rapti oculis, jam cæco pulvere mixti
Unâ in nube latent: vultúſque umbrante tumultu,
Vix inter ſeſe clamore, & nomine noſcunt.

Evolvere globum, & ſpatio quo quiſque valebat
Diducti. delet ſulcos iterata priores
Orbita. nunc avidi prono juga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu preſſis duplicantur habenis.
Colla toris crinita tument, ſtantéſque repectit
Aura jubas. bibit albentes humus arida nimbos.
Fit ſonus, immaníſque pedum, tenuíſque rotarum.
Nulla manûs requies, denſis intibitat aër
Verberibus. gelidâ non crebrior exilit Arcto
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres.
Senſerat adductis alium præſagus Arion
Stare ducem loris, diráque expaverat infons
Oedipodioniden. jam illinc à limine diſcors,
Iratúſque oneri inſolito truculentior ardet.
Inachidæ credunt accenſum laudibus. ille
Aurigam fugit. aurigæ furiale minatur
Efferus, & campo dominum circumſpicit omni.
Ante tamen cunctos ſequitur, longéque ſecundus
Amphiaraus agit, quem Theſſalus æquat eundo
Admetus. juxtà gemini, nunc Euneos antè,
Et nunc antè Thoas. cedunt, vincúntque, nec unquam
Ambitioſa pios collidit gloria fratres.
Poſtremum diſcrimen erant Chromis aſper, & aſper
Hippodamus. non arte rudes, ſed mole tenentur
Cornipedum, prior Hippodamus fert ora ſequentum.
Fert gemitus, multâque humeros incenditur aurâ.
Speravit flexæ circùm compendia metæ
Interius ductis Phœbeius augur habenis
Anticipâſſe viam, nec non & Theſſalus heros
Spe propiore calet. dum non cohibente magiſtro
Spargitur in gyros, dextérque exerrat Arion.
Jam prior Oeclides. & jam non tertius ibat
Admetus. laxo cùm tandem ex orbe reductus
Æquoreus ſonipes premit, evadſtque parumper
Gaviſos. ſubit aſtra fragor, cœlúmque tremiſcit,
Omniáque excuſſo patuere ſedilia vulgo.
Sed nec lora regit, nec verbera pallidus addit
Labdacides. laſsâ veluti ratione magiſter
In fluctus, in ſaxa ruit. nec jam ampliùs aſtra
Reſpicit, & victam projecit caſibus artem.
Rurſus præcipites in recta ac devia campi
Obliquant, tendúntque vias, iterum axibus axes
Inflicti, radiſſque rotæ. pax nulla, fidéſque.
Bella geri ferro levius. bella horrida credas:
Is furor in laude eſt. trepidant, mortémque minantur,
Multáque tranſverſis præſtringitur ungula campis.
Nec jam ſufficiunt ſtimuli, non verbera. voce
Nominibúſque cient Pholoën Admetus, & Irin
Funalémque Thoën, rapidum Danacius augur
Aſcheton increpitans, meritúmque vocabula Cygnum.
Audit & Herculeum Strymon, Chromin. Euneon audit
Igneus Æchion. tardum Calydona laceſſit
Hippodamus, variúmque Thoas rogat ire Podarcem.
Solus Echionides errante ſilentia curru
Mœſta tenet, trepidâque timet ſe voce fateri.
Vixdum cœptus equis labor, & jam pulvere quarto
Campum ineunt, jámque & tepidis ſudoribus artus
Effœti, & craſſum rapit ejectátque vaporem
Cornipedum flammata ſitis. nec jam integer illis
Impetus, & longi ſuſpendunt ilia flatus.
Hìc anceps fortuna diu decernere primum
Auſa venit. ruit Hæmonium, dum fervidus inſtat
Admetum ſuperare Thoas. nec prætulit ullam
Frater opem. velit ille quidem. ſed Martius antè
Obſtitit Hippodamus, mediáſque immiſit habenas.
Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem
Viribus Herculeis, & toto robore patris
Axe tenet prenſo, luctantur abire jugales
Nequicquam, frenóſque & colla rigentia tendunt.
Ut Siculas ſi quando rates tenet æſtus, & ingens
Auſter agit, medio ſtant vela tumentia ponto.
Tunc ipſum fracto curru deturbat, & iſſet
Ante Chromis, ſed Thraces equi ut videre jacentem
Hippodamum; redit illa fames, jam jámque trementem
Partiti furiis. nî frena, ipſóſque frementes
Oblitus palmæ, retro Tirynthius heros
Torſiſſet, victúſque, & collaudatus abiſſet.
At tibi promiſſos jamdudum Phœbus honores
Amphiaraë cupit. tandem ratus apta favori
Tempora, pulverei venit in ſpatia horrida Circi.
Cùm jam in fine viæ, & ſummum victoria nutat:
Anguicomam monſtri effigiem ſæviſſima viſu
Ora movet, ſive ille Erebo, ſeu finxit in aſtu
Temporis, innumerâ certè formidine cultum

Tollit

Tollit in aſtra nefas, non illud janitor atræ
Impavidus Lethes, non ipſæ horrore ſinè alto
Eumenides vidiſſe queant, turbâſſet euntes
Solis equos, Martiſque jugum. Nam flavus Arion
Ut vidit, ſaliere jubæ, atque erectus in armos
Stat, ſociúmque jugi, comitéſque utrinque laboris
Secum altè ſuſpendit equos. ruit ilicet exul
Aonius, nexúſque diu per terga volutus
Exuit, abripitur longè moderamine liber
Currus, at hunc putri præter tellure jacentem
Tænarei currus, & Theſſalus axis, & heros
Lemnius, obliquâ quantum vitare dabatur
Tranſabiere fugâ. tandem caligine merſum
Erigit accurſu comitum caput; ægráque tollit
Membra ſolo, & ſocero redit haud ſperatus Adraſto.
Quis mortis, Thebane, locus? niſi dura negâſſet
Tiſiphone, quantum poteras dimittere bellum?
Te Thebæ, fratérque palàm, te plangeret Argos.
Te Nemea, tibi Lerna comas, Lariſsáque ſupplex
Poneret, Archemori major colerere ſepulchro.
Tunc verò Oeclides, quanquam jam certa ſequenti
Præmia, cùm vacuus domino præiret Arion,
Ardet adhuc cupiens vel inanem vincere currum.
Dat vires, refovétque deus. volat ocyor Euro.
Ceu modò carceribus dimiſſus in arva ſolutis
Verberibúſque jubas, & terga laceſſit habenis,
Aſcheton increpitánſque levem, Cygnúmque nivalem.
Nunc ſaltem dum nemo prior, rapit igneus orbes
Axis, & effoſſæ longè ſparguntur arenæ,
Dat gemitum tellus, & jam tunc ſæva minatur.
Forſitan & victo prior iſſet Arione Cygnus,
Sed vetat æquoreus vinci pater. hinc vice juſtâ
Gloria manſit equo, ceſſit victoria vati.
Huic pretium palmæ. gemini cratera ferebant
Herculeum juvenes. illum Tirynthius olim
Ferre manu ſolâ, ſpumantémque ore ſupino
Vertere ſcu monſtri victor, ſeu Marte, ſolebat.
Centauros habet arte truces, aurúmque figuris
Terribile, hìc mixtâ Lapitharum cæde rotantur
Saxa, faces, aliſque iterum crateres, ubique
Ingentes morientum iræ. tenet ipſe furentem
Hyleum, & tortâ molitur robora barbâ.
At tibi Mæonio fertur circumfluus limbo,
Pro meritis Admete chlamys, repetitáque multo
Murice. Phryxei natat hìc contemptor ephebus
Æquoris, & pictâ tranſlucet cærulus undâ;
In latus ire manus, mutaturúſque videtur
Brachia, nec ſiccum ſperes in ſtamine crinem:
Contrà autem fruſtra ſedet anxia turre ſuprema
Seſtias in ſpeculis. moritur propè conſcius ignis.
Has Adraſtus opes dono victoribus ire
Imperat, at generúm famulâ ſolatur Achæâ.
Sollicitat tunc ampla viros ad præmia curſu
Præceleres. agile ſtudium, & tenuiſſima virtus,
Pacis opus, cùm ſacra vocant, nec inutile bellis
Subſidium, ſi dextra neget. prior omnibus Idas,
Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis,
Proſilit. excipiunt plauſu Piſæa juventus
Eleæque manus. ſequitur Sicyonius Alcon,
Et bis in Iſthmiacâ victor clamatus arenâ
Phœdimus. alipedúmque fugam prægreſſus equorum
Antè Dymas, ſed tunc ævo tardante ſecutus.
Multi & quos varii tacet ignorantia vulgi
Hinc, atque hinc ſubiere. ſed Arcada Parthenopæum
Appellant, denſque cient vaga murmura Circi.
Nota parens curſu. quis Mænaliæ Atalantes
Neſciat egregium decus? & veſtigia cunctis
Indeprenſa procis? onerat celeberrima natum
Mater. & ipſe procul famâ jam notus inermes
Narratur cervas pedes inter aperta Lycæi
Tollere, & emiſſum cùrſu deprendere telum.
Tandem expectatus volucri ſuper agmina ſaltu
Emicat, & torto chlamyden diſſibulat auro.
Effulſere artus, membrorúmque omnis aperta eſt
Lætitia, inſignéſque humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis, latuſque in corpore vultus.
Ipſe tamen formæ laudem aſpernatur, & arcet
Mirantes. tunc Palladios non inſcius hauſtus
Incubuit, pinguſque cutem fuſcatur olivo.
Hôc Idas, hôc more Dymas, aliſque niteſcunt.
Sic ubi tranquillo pellucent ſidera pontò,
Vibratúrque fretis cœli ſtellantis imago,
Omnia clara nitent, ſed clarior omnia ſupra
Heſperus exercet radios, quantúſque per altum
Æthera, cæruleis tantus monſtratur in undis.
Proximus & formâ, nec multùm ſegnior Idas
Curſibus, atque ævo juxtà prior. attamen illi
Jam tenuem pingues florem induxere palæſtræ,
Deſerpſtque genis, nec ſe lanugo fatetur
Intonſæ ſub nube comæ. tunc rite citatos
Explorant, acuúntque gradus, variáſque per artes
Inſtimulant docto languentia membra tumultu.
Poplite nunc flexo fidunt, nunc lubrica forti
Pectora collidunt plauſu: nunc ignea tollunt
Crura, brevémque fugam nec opino fine reponunt.
Jam ruit, atque æquum ſummilit regula limen,
Corripuere leves ſpatium, campóque refulſit
Nuda cohors. volucres iſdem modò tardiùs arvis
Iſſe videntur equi. credas è plebe Cydonum
Parthorúmque fugâ totidem exiluiſſe ſagittas.
Non aliter celeres Hyrcana per avia cervi,
Cùm procul impaſti fremitum accepere leonis,
Sive putant, rapit attonitos fuga cæca, metúſque
Congregat, & longum dant cornua mixta fragorem.
Effugit hìc oculos rapidâ puer ocyor aurâ
Mænalius, quem deinde gradu premit horridus Idas,
Inſpirátque humero. flatúque, & pectoris umbrâ
Terga premit. pòſt ambiguo diſcrimine tendunt
Phœdimus, atque Dymas. illis celer imminet Alcon.
Flavus ab intonſo pendebat vertice crinis
Arcados, hoc primis Triviæ paſcebat ab annis
Munus, & Ogygio victor cum Marte rediſſet.
Nequicquam patriis audax promiſerat aris.
Tunc liber nexu, latéque in terga ſolutus
Occurſu Zephyri retro fugit, & ſimul ipſum
Impedit, infeſtóque volans obtenditur Idæ.
Indè dolum juvenis, fraudſque accommoda ſenſit
Tempora, jam finem juxta, dum limina victor
Parthenopæus init, correpto crine reductum
Occupat, & longæ primus ferit oſtia portæ.
Arcades arma fremunt. armis defendere regem,
Ni, raptum decus, & meriti reddantur honores,
Contendunt, totóque parant decedere Circo.
Sunt & quis Idæ placeat dolus. ipſe regeſtâ
Parthenopæus humo vultúmque oculóſque madentes
Obruit. acceſſit lachrymarum gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Ungue ſecat, meritámque comam. furit undique clamor
Diſſonus, ambiguúmque ſenis cunctatur Adraſti
Conſilium. tandem ipſe refert: Compeſcite litem,
O pueri. virtus iterum tentanda. ſed ite
Limite non uno, latus hoc conceditur Idæ,
Tu diverſa tene: fraus curſibus omnis abeſto.
Audierant, dictóque manent. mox numina ſupplex
Affatu tacito juvenis Tegeæus adorat:
Diva potens nemorum (tibi enim hic tibi crinis honori
Debitus, éque tuo venit hæc injuria voto)
Si bene quid genitrix, ſi quid venatibus ipſe
Promerui, ne (quæſo) ſinas hôc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruiſſe pudorem.
Auditum, manifeſta fides; vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis intervenit aër,
Rariáque non fracto veſtigia pulvere pendent.
Irrupit clamore fores, clamore recurrit
Ante ducem, prenſâque levat ſuſpiria palmâ.
Finiti curſus, operúmque inſignia præſtó.
Arcas equum dono, clypeum gerit improbus Idas.
Cætera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris.
Tunc vocat, emiſſo ſi quis decernere diſco
Impiger, & vires velit oſtentare ſuperbas.
Et juſſus Pterelas, & aënæ lubrica maſſæ
Pondera, vix toto curvatus corpore juxtà
Dejicit. inſpectant taciti, expendúntque laborem
Inachidæ. mox turba ruunt, duo gentis Achææ,
Tres Ephyreïadæ, Piſâ ſatus unus, Acarnan
Septimus, & plures agitabat gloria, ni ſe
Arduus Hippomedon caveâ ſtimulante tuliſſet.
In medios, latéque ferens ſub pectore dextro
Orbem alium: Hunc potiùs juvenes qui mœnia ſaxis
Frangere, qui Tyrias dejectum vaditis arces;
Hunc rapite. aſt illud cui non jaculabile dextræ
Pondus; & abreptum nullo conamine jecit
In latus. abliſtunt procul, attonitſque fatentur
Cedere, vix unus Phlegyas, acérque Meneſtheus
(Hos etiam pudor, & magni tenuere parentes)
Promiſſere manum. conceſſit cætera pubes
Sponte, & adorato rediit ingloria diſco.
Qualis Biſtoniis clypeus Mavortis in arvis

Luca

Luce malâ Pangæa ferit, solémque refulgens
Territat, inculsíque dei grave mugit ab hastâ.
Pisæus Phlegyas opus inchoat, & simul omnes
Abstulit in se oculos exhausto corpore virtus
Promissa. ac primum terrâ discúmque manúmque
Asperat. excusso mox circum pulvere versat
Quod latus in digitos, mediæ quod certius ulnæ
Conveniat. non artis egens, hic semper amori
Ludus erat. patriæ non tantùm ubi laudis obiret
Sacra, sed alternis Alpheon utrinque solebat
Metiri ripis, & quâ latissima distant
Non unquam merso transinittere flumina disco.
Ergo operum fidens, non protinus horrida campi
Jugera, sed cœlo dextram metitur, humíque
Pressus utroque genu, collecto sanguine discum
Ipse super sese rotat, atque in nubila condit.
Ille citus sublime petit, similísque cadenti
Crescit in adversum, tandémque exhaustus ab alto
Tardior in terram redit, atque immergitur arvis.
Sic cadit, attonitis quoties avellitur altris
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustráque timent. at Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.
Conlaudant Danai. sed non tibi molle tuenti
Hippomedon, majórque manus sperator in æquo.
Atque illi extemplo cui spes infringere dulce
Immodicas, Fortuna venit. quid numina contra
Tendere fas homini? spatium jam immane parabat,
Jam cervix conversa, & jam latus omne redibat:
Excidit ante pedes elapsum pondus, & ictus
Destituit, frustráque manum dimisit inanem.
Ingemuere omnes, rarissque ea visa voluptas.
Indè ad conatus tumidâ subit arte Menestheus
Cautior, & multùm te, Maiâ nate, rogato
Molis prægravidæ castigat pulvere lapsus.
Illa manu magnâ, & multùm felicior exit,
Nec partem exiguam Circi transvecta quievit.
Fit sonus, & fixâ signatur terra sagittâ.
Tertius Hippomedon valida ad certamina tardos
Molitur gressus. namque illum corde sub alto
Et casus Phlegyæ monet, & fortuna Menesthei.
Erigit adsuetum dextræ gestamen, & altè
Sustentans, rigidúmque latus, sortésque incertos
Consulit, ac valto contorquet turbine, & ipse
Prosequitur; fugit horrendo per inania saltu,
Jámque procul meminit dextræ, servátque tenorem
Discus. nec dubiâ junctâve Menesthea victum
Transabiit metâ. longè super æmula signa
Consedit, viridéque humeros, & opaca Theatri
Culmina, ceu latæ tremescit mole ruinæ.
Quale vaporiferâ saxum Polyphemus ab Ætnâ
Lucis egente manu, tamen in vestigia puppis
Auditæ, juxtáque inimicum exegit Ulyssem.
Sic & Aloidæ, cùm jam celaret Olympum
Desuper Ossa rigens, ipsum glaciale ferebant
Pelion, & trepidâ sperabant jungere cælo.
Tunc genitus Talao victori tigrin inanem
Ire Jubet, fulvo quæ circumfusa nitebat
Margine, & extremos auro mansueverat ungues.
Gnosiacos arcus habet, & vaga tela Menestheus.
At tibi, ait, Phlegya, casu frustrate sinistro,
Hunc quondam nostri decus, auxiliúmque Pelasgi
Ferre damus (neque enim Hippomedon invideriť) ensem.
Nunc opus est animis infestos tollere cæstus
Cominus. hæc bellis & ferro proxima virtus.
Constitit immanis cerni, immanísque teneri
Argolicus Capaneus. ac dum nigrantia plumbo
Tegmina cruda boum non mollior ipse lacertis
Induitur, date tot juvenum de millibus unum
Huc ait; atque utinam potiùs de stirpe veniret
Æmulus Aoniâ, quem fas dimittere leto,
Nec mea crudelis civili sanguine virtus.
Obstupuere animi, fecitque silentia terror.
Tandem insperatus nudâ de plebe Laconum
Prosilit Alcidamas; mirantur Dorica regum
Agmina. sed socii fretum Polluce magistro
Nôrant & sacras inter crevisse palæstras.
Ipse deus posuitque manus, & brachia finxit
Materiam (suadebat amor) tunc sæpe locavit
Cominus, & simili stantem miratus in irâ
Sustulit exultans, nudúmque ad pectora pressit.
Illum indignatur Capaneus, ridétque vocantem
Ut miserans, polcítque aliam. tandémque coactus
Restitit, & stimulis jam languida colla tumescunt.
Fulmineas altè suspensi corpora plantis
Erexere manus. tuto procul ora recessu
Argivorum in speculis, aditúsque ad vulnera clusi.
Hic quantus Stygiis Tityos consurgat ab arvis
Si torvæ patiantur aves, tanta undique pandit
Membrorum spatia, & tantis ferus ossibus extat.
Hic paulò antè puer, sed enim maturius ævo
Robur, & ingentes spondet tener impetus annos,
Quem vinci haud quisquam, lævo nec sanguine tingi
Malit, & erecto timeat spectacula voto.
Ut sese permensi oculis, & uterque priorem
Speravere locum, non protinus ira, nec ictus:
Alternus paulùm timor, & permixta furori
Consilia, inclinant tantùm contraria jactu
Brachia, & explorant cæstus, hebetántque terendo.
Doctior hic differt animum, metuénsque futuri
Cunctatus vires dispensat. at ille nocendi
Prodigus, incautúsque sui, ruit omnis, & ambas
Consumit sinè lege manus, atque irrita frendit
Insurgens, séque ipse premit. sed providus astu,
Et patriâ vigil arte Lacon, hos rejicit ictus,
Hos cavet. interdum nutu, capitísque citati
Integer obsequio, manibus nunc obvia tela
Discutiens, intlat gressu, vultúque recedit.
Sæpe etiam injustis collatum viribus hostem
(Is vigor ingenio, tanta experientia dextræ est)
Ultro audax animis intrátque & obumbrat, & altè
Adsilit, ut præceps cumulo salit unda minantes
In scopulos, & tracta redit, sic ille furentem
Circuit expugnans. levat ecce, diúque minatur
In latus, insque oculos. illum rigida arma caventem
Avocat, & manibus necopinum interserit ictum
Callidus, ac mediam designat vulnere frontem.
Jam cruor, & tepido signantur tempora rivo,
Nescit adhuc Capaneus, subitúmque per agmina murmur
Miratur: verùm ut fessam super ora reduxit
Fortè manum, & summo maculas in vellere vidit,
Non leo, non jaculo tantùm indignata recepto
Tigris, agit toto cedentem fervidus arvo,
Præcipitátque retro juvenem, atque in terga supinat,
Dentibus horrendùm stridens, geminátque rotatas
Multiplicátque manus. rapiunt conamina venti,
Pars cadit in cæstus. motu Spartanus acuto
Mille cavet lapsas circùm cava tempora mortes:
Auxilióque pedum. sed, non tamen immemor artis,
Adversus fugit, & fugiens tamen ictibus obstat.
Et jam utrumque labor, suspiriísque ægra fatigant.
Tardiùs ille premit. nec jam hic abstinere velox.
Defectíque ambo genibus, paritérque quiêrunt.
Sic ubi longa vagos lassárunt æquora nautas,
Et signo de puppe dato posuere parumper
Brachia; vix requies, jam vox ciet altera remos.
Ecce iterum immodicè venientem cludit, & exit
Sponte ruens, mersúsque humeris. effunditur ille
In caput, adsurgentem alio puer improbus ictu
Perculit, eventúque impalluit ipse secundo.
Clamorem Inachidæ, quantum non littora, tollunt,
Non nemora. Illum ab humo conantem ut vidit Adrastus,
Tollentémque manus, & non toleranda parantem,
Ite, oro, socii, furit: ite, opponite dextras,
Festinate, furit, palmámque, & præmia ferte.
Non priùs effracto quàm miscerat ora cerebro,
Abstinet, video. moriturum auferte Lacona.
Nec mora, prorumpit Tydeus, nec jussa recusat
Hippomedon. tunc vix ambo conatibus ambas
Restringunt cohibéntque manus. ac plurima suadent.
Vincis, abi. pulchrum est vitam donare minori.
Noster & hic, bellique comes. nil frangitur heros,
Ramúmque oblatúmque manu thoraca repellit
Vociferans: liceat, non has ego pulvere crasso,
Atque cruore genas, meruit quibus iste favorem.
Semivir infodiam? mittámque informe sepulchro
Corpus? & Oebalio donem lugere magistro?
Dixit. at hunc socii tumidum & vicisse negantem
Avertunt. contrà laudant insignis alumnum
Taygeti, longéque minas risere Lacones.
Jamdudum variæ laudes & conscia virtus
Tydea magnanimum stimulis ingentibus angunt.
Ille quidem & disco bonus, & contendere cursu,
Nec cæstu bellare minor. sed corde labores
Ante alios erat uncta Pale. hic otia Martis
Degere, & armiferas laxare adsueverat iras
Ingentes contra ille viros, Acheloïa circùm
Littora, felicéque deo monstrante palæstras.

Ergo

Ergo ubi luctandi juvenes animoſa citavit
Gloria, terrificos humeris Ætolus amictus
Exuitur, patriúmque ſuem, levat ardua contrà
Membra, Cleonææ ſtirpis jactator Agylleus,
Herculeâ nec mole minor. ſic grandibus altè
Inſurgens humeris, hominem ſuper improbus exit.
Sed non ille rigor, patriúmque in corpore robur.
Luxuriant artus, effuſáque ſanguine laxo
Membra natant. indè hæc audax fiducia tantùm
Oenidæ ſuperare parem. quamquam ipſe videri
Exiguus, gravia oſſa tamen, nodíſque lacerti
Difficiles. nunquam hunc animum Natura minori
Corpore, nec tantas auſa eſt includere vires.
Poſtquam oleo gaviſa cutis, petit æquor uterque
Procurſu medium, atque hauſtâ veſtitur arenâ.
Tum madidos artus alterno pulvere ſiccant,
Colláque demerſere humeris, & brachia latè
Vara tenent, jam tunc aſtu deducit in æquum
Callidus, & celſum procurvat Agyllea Tydeus
Summiſſus tergo, & genibus vicinus arenæ.
Ille autem Alpini veluti regina cupreſſus
Verticis, urgentes cervicem inclinat in Auſtros,
Vix ſeſe radice tenens, terræque propinquat,
Jamdudum ætherias eadem reditura ſub auras.
Non ſecus ingentes artus præcelſus Agylleus
Sponte premit, parvúmque gemens duplicatur in hoſtem:
Et jam alterna manus, frontémque, humeróſque, latúſque,
Colláque, pectoráque, & vitantia crura laceſſit.
Interdúmque diu pendent per mutua fulti
Brachia, nunc ſævi digitorum vincula frangunt.
Non ſic ductores gemini gregis horrida tauri
Bella movent, medio conjux ſtat candida prato
Victorem expectans, rumpunt obnixa furentes
Pectora, ſubdit amor ſtimulos & vulnera ſanat.
Fulminei ſic dente ſues, ſic hiſpida turpes
Prælia villoſis ineunt complexibus urſi.
Vis eadem Oenidæ. nec ſole, aut pulvere feſſa
Membra labant. riget arcta cutis, duríſque laborum
Caſtigata toris. contrà non integer ille
Flatibus alternis, ægróque effœtus hiatu
Exuit ingeſtas fluvio ſudoris arenas,
Ac furtim raptâ ſuſtentat pectora terrâ.
Inſtat agens Tydeus, fictúmque in colla minatus
Crura ſubit. cœptis non evaluere potiri
Fruſtratæ brevitate manus. venit arduus ille
Deſuper, oppreſſúmque ingentis mole ruinæ
Condidit. Haud aliter collis ſcrutator Iberi
Cùm ſubiit, longéque diem, vitámque reliquit,
Si tremuit ſuſpenſus ager, ſubitúmque fragorem
Rupta dedit tellus, latet intus monte ſoluto
Obrutus, ac penitus fractum obductúmque cadaver
Indignantem animam propriis non reddidit aſtris.
Acrior hôc Tydeus, animíſque & pectore ſuprà eſt.
Nec mora, cum vinclis onerſque elapſus iniquo
Circumit errantem, & tergo nec opinus inhæret.
Mox latus, & firmo celer implicat ilia nexu.
Poplitibus genua indè premens evadere nodos
Nequicquam, & lateri dextram inſertare parantem
Improbus, horrendum viſu ac mirabile pondus
Suſtulit. Herculeis preſſum ſic fama lacertis
Terrigenam ſudâſſe Libyn, cùm fraude repertâ
Raptus in excelſum, nec jam ſpes ulla cadendi,
Nec licet extremâ matrem contingere plantâ.
Fit ſonus, & lætos attollunt agmina plauſus.
Tunc altè librans inopinum ſponte remiſit,
Obliquúmque dedit, procumbentémque ſecutus
Colla ſimul dextrâ, pedibus ſimul inguina vinxit.
Deficit obſeſſus, ſolóque pudore repugnat,
Tandem pectus humi, pronámque extenſus in alvum
Sternitur, ac longo mœſtus pòſt tempore ſurgit,
Turpia ſignatâ linquens veſtigia terrâ.
Palmam autem dextrâ, lævâque nitentia dono
Arma ferens Tydeus. quid ſi non ſanguinis hujus
Partem haud exiguam (ſcitis) Dircæus haberet
Campus? ubi hæ nuper Thebarum fœdera plagæ?
Hæc ſimul oſtentans, quæſitáque præmia laudum
Dat ſociis. ſequitur neglectus Agyllea thorax.
Sunt, & qui nudo ſubeant concurrere ferro.
Jámque aderant inſtructi armis Epidaurius Agreus:
Et nondum ſatis Dircæus agentibus exul.
Dux vetat Jaſides; Manet ingens copia leti
O juvenes: ſervate animos, avidúmque furorem
Sanguinis adverſi. túque ô quem propter avita
Jugera, dilectas cui deſolavimus urbes,
Ne precor ante aciem, jus tantum caſibus eſſe,
Fraterníſque ſinas (abigant hoc numina) votis,
Sic ait. atque ambos auratâ, caſſide ditat.
Tunc genero ne laudis egens, jubet ardua necti
Tempora, Thebarúmque ingenti voce citari
Victorem. diræ retinebant omina Parcæ.
Ipſum etiam proprio certamina feſta labore
Dignari, & tumulo ſupremum hunc addere honorem
Hortantur proceres. ac ne victoria deſit
Una ducum numero, fundat vel Lycia cornu
Tela rogant, tenui vel nubila tranſeat haſtâ.
Obſequitur gaudens, viridíque ex aggere in æquum
Stipatus ſummis juvenum deſcendit. at illi
Ponè leves portat pharetras, & cornua juſſus
Armiger ingentem jactu tranſmittere circum
Eminus, & dictæ dare vulnera deſtinat orno.
Quis fluere occultis rerum neget omina cauſis?
Fata patent homini, piget inſervare, perítque
Venturi promiſſa fides. ſic omina caſum
Fecimus, & vires auxit Fortuna nocendi.
Campum ementà brevi fatalis ab arbore tactâ
Horrendum viſu, per quas modò fugerat auras,
Venit arundo retro; verſúmque à fine tenorem
Pertulit, & notæ juxta ruit ora pharetræ.
Multa duces errore ferunt, hi nubila, & altos
Occurriſſe Notos. adverſo roboris ictu
Tela repulſa alii. penitus latet exitus ingens,
Monſtratúmque nefas. uni remeabile bellum,
Et triſtes domino ſpondebat arundo recurſus.

LIBER VII.

ATque ea cunctantes Tyrii primordia belli
Jupiter haud æquo reſpexit corde Pelaſgos,
Concuſſítque caput, motu quo celſa laborant
Sidera, proclamátque adici cervicibus Atlas.
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum:
I, medium, rapido, Boream illabere ſaltu
Biſtonias ſuper uſque domus, axémque nivoſi
Sideris: Oceano vetitum quà Parrhaſis ignem
Nubibus hybernis, & noſtro paſcitur imbri.
Atque ibi ſeu poſitâ reſpirat cuſpide Mavors
(Quanquam inviſa quies) ſeu quod reor, arma tubáſque
Inſatiatus habet, cæcæque in ſanguine gentis
Luxuriat. properè monitus, irámque parentis
Ede, nihil parcens. nempe olim accendere juſſus
Inachias acies, atque omne quod iſthmius umbo
Deſtinet, & raucæ circumtonat ira Maleæ.
Illi vix muros, liménque egreſſa juventus
Sacra colunt. credas bello rediiſſe, tot inſtant
Plauſibus, offenſíque ſedent ad juſta ſepulchri.
Hſcne tuus, Gradive, furor? ſonat orbe recuſſo
Diſcus, & Oebalii coëunt in prælia cœſtus.
At ſi ipſi rabies, ferríque inſana voluptas
Quâ tumet; immeritas cineri dabit impius urbes
Ferrum, ignémque ferens, implorantéſque Tonantem
Sternet humi populos, miſerúmque exhauriet orbem.
Nunc lenis belli, noſtráque remittitur irâ.
Quòd niſi præcipitat pugnas, dictóque jubentis
Ocyus impingit Tyriis Danaa agmina muris,
(Nil equidem crudele minor) ſit mite, bonúmque
Numen, & effreni laxentur in otia mores.
Reddat equos, enſémque mihi, nec ſanguinis ultrà
Jus erit. aſpiciam terras, pacémque jubebo
Omnibus, Ogygio ſat erit Tritonia bello.
Dixerat, & Thracum Cyllenius arva ſubibat:
Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ
Tempeſtas æterna plagæ, prætentáque cœlo
Agmina nimborum, primíque Aquilonis hiatus
In diverſa ferunt. crepat aurea grandine multâ
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.
Hic ſteriles delubra notat Mavortia ſylvas
Horreſcítque tuens. ubi millie furoribus illi
Cingitur adverſo domus immanſueta ſub Æmo.
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis,
Læditur adverſum Phœbi jubar, ipſáque ſedem
Lux timet, & dirus contriſtat ſidera fulgor.
Digna loco ſtatio. primis ſalit Impetus amens
E foribus, cæcúmque Nefas, Iræque rubentes,
Exanguéſque Metus, occultíſque enſibus aſtant
Inſidiæ, geminúmque tenens Diſcordia ferrum.
In-

Innumeris ſtrepit aula minis. triſtiſſima Virtus
Stat medio, lætúſque Furor, vultúque cruento
Mors armata ſedet: bellorum ſolus in aris
Sanguis, & incenſis qui raptus ab urbibus ignis.
Terrarum exuviæ circùm, & faſtigia templi
Captæ inſignibant gentes, cælatáque ferro
Fragmina portarum, bellatricéſque carinæ,
Et vacui currus protritáque curribus ora.
Penè etiam gemitus. adeò vis omnis, & omne
Vulnus. ubique ipſum, ſed non uſquam ore remiſſo
Cernere erat. talem divinâ Mulciber arte
Ediderat. nondum radiis monſtratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.
Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius, tremit ecce ſolum, & mugire refractis
Corniger Hebrus aquis. tunc quod pecus utile bellis
Vallem infeſtabat, trepidas ſpumare per herbas,
Signa adventantis, clauſæque adamante perenni
Diſſiluere fores. Hyrcano in ſanguine pulcher
Ipſe ſubit curru, diràque aſpergine latos
Mutat agros, ſpolia à tergo, flentéſque catervæ
Dant ſylvæ, nixque alta locum. regit atra jugales
Sanguineâ Bellona manu, longâque fatigat
Cuſpide. diriguit viſu Cyllenia proles,
Summisſtque genas. ipſi reverentia patri,
Si propè ſit, demátque minas, nec talia mandet.
Quod Jovis Imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat Armipotens. neque enim hunc germane ſub
Sponte venis, hyemélque meas, cui roſcida juxtà [axem
Mænala, & æſtivi clementior aura Lycæi.
Ille refert conſulta patris. nec longa moratus,
Sicut anhelabant juncto ſudore volantes
Mars impellit equos, reſidéſque in prælia Graios.
Ipſe etiam indignans vidit pater altus, & irâ
Jam levior, tardo flectebat pondere vultum.
Ut ſi quando ruit, debellatáſque reliquit
Eurus aquas, pax ipſa tumet, pontúmque jacentem
Exanimis jam volvit hyems. nondum arma carinis
Omnia, nec toto reſpirant pectore nautæ.
Finierat pugnas honor exequialis inermes,
Necdum aberant cœtus, cunctiſque ſilentibus Heros
Vina ſolo fundens, cinerem placabat Adraſtus
Archemori. Da, parve, tuum trieteride multâ
Inſtaurare diem, nec ſaucius Arcadas aras
Malit adire Pelops, Elæáque pulſet eburnâ
Templa manu, nec Caſtaliis altaribus anguis,
Nec ſua pinigero magìs adnatet umbra Lecbæo.
Nos te lugenti puer inficiamur Averno,
Morſtáque perpetuis ſolemnia jungimus aſtris
Nunc feſtina cohors. at ſi Bœotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris,
Tunc deus. Inachias nec tantùm culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis. eadem ſibi quiſque vovebat.
Jam pronis Gradivus equis Ephyræa premebat
Littora, quà ſummas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, & alternâ geminum mare protegit umbrâ.
Indè unum dirâ comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes anteire jubet. non alter anhelos
Inſinuare metus, animúmque avertere veris
Aptior, innumeræ monſtro vocéſque, manúſque,
Et facies quæcunque libet. bonus omnia credi
Auctor, & horrificis lymphare incurſibus urbes.
Si geminos ſoles, ruituráque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſylvas,
Ah miſeri vidiſſe putent. tunc acre novabat
Ingenium. falſo Nemeæum pulvere campum
Erigit. attoniti tenebroſam à vertice nubem
Reſpexere duces. falſo clamore tumultum
Auget, & arma virûm, pulſúſque imitatur equorum,
Terribilémque vagas ululatum ſpargit in auras.
Exiluere animi, dubiúmque in murmure vulgus
Pendet. ubi iſte fragor? ni fallimur aure. ſed unde
Pulverco ſtant aſtra globo? num Iſmenius ultro
Miles? ita eſt. veniunt. tanta autem audacia Thebis?
An dubitent? agedum inferias, & buſta colamus.
Hæc Pavor attonitis. variéſque per agmina vultus
Induitur, nunc Piſæis è millibus unus,
Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hoſtéſque propinquos
Adjurat, turmáſque metu conſternat inani.
Nil falſum trepidis. ut verò amentibus ipſe
Incidit, & ſacræ circùm faſtigia vallis
Turbine prævectus rapido, ter ſuſtulit haſtam:
Ter concuſſit equos, clypeum ter pectore planſit,
Arma, arma inſani, ſua quiſque, ignotáque nullo
More rapit. mutant galeas, alienáque cogunt
Ad juga cornipedes. ferus omni in pectore ſævit
Mortis amor, cædíſque. nihil flagrantibus obſtat.
Præcipitant, redimúntque moras. ſic littora vento
Incipiente fremunt, fugitur cùm portus ubique,
Vela fluunt, laxi jactantur ubique rudentes.
Jámque natant remi, natat omnis in æquore ſummo
Anchora. jam dulcis medii de gurgite ponti
Reſpicitur tellus, comitéſque à puppe relicti.
Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter. gemuit Tyriam converſus ad urbem,
Altricémque domum, & patrios reminiſcitur ignes.
Purpureum triſti turbatus pectore vultum,
Non crines, non ſerta loco, dextrámque reliquit
Thyrſus, & intactæ ceciderunt cornibus uvæ.
Ergo ut erat lachrymis, lapſóque inhonorus amictu
Ante Jovem (& tunc fortè polum ſecretus habebat)
Conſtitit, haud unquam facie conſpectus in illâ,
(Nec cauſæ latuere patrem) ſuppléxque profatur.
Exſcindíſne tuas divûm ſator optime Thebas?
Sæva adeò conjux? nec te telluris amatæ,
Deceptíque laris miſeret: cinerúmque meorum?
Eſto, olim invitum jaculatus nubibus ignem,
Credimus. en iterum atra refers incendia terris,
Nec Styge juratâ, nec pellicis arte rogatus,
Quis modus? an nobis pater iratúſque bonúſque
Fulmen habes? ſed non Danaëia limina talis,
Parrhaſiúmque nemus, Ledæáſque ibis Amyclas.
Scilicet è cunctis ego neglectiſſima natis
Progenies? ego nempe tamen qui dulce ferenti
Pondus eram. cui tu dignatus limina vitæ
Præreptúmque iter, & maternos reddere menſes.
Adde quòd imbellis, rariſque exercita caſtris
Turba meas acies, mea tantùm prælia nôrunt:
Nectere fronde comas, & ad inſpiratu rotari
Buxa, timent thyrſos nuptarum, & prælia matrum.
Unde tubas, Martémque pati? quin fervidus ecce
Quanta parat? quid ſi ille tuos Curetas in arma
Ducat? & innocuis jubeat decernere peltis?
Quin etiam inviſos (ſic hoſtis defuit?) Argos
Elicis. ô ipſis genitor graviora periclis
Juſſa, novercules ruimus ditare Mycenas.
Cedo equidem. quò ſacra tamen, ritúſque peremptæ
Gentis? & in tumulos ſi quid malè fœta reliquit
Mater, abire jubes? Thracen, ſylváſque Lycurgi?
Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?
Da ſedem profugo. potuit Latonia frater
Saxa (nec invideo) defigere Delon, & imis
Commendare fretis. carâ ſubmovit ab arce
Hoſtiles Tritonis aquas. vidi ipſe potentem
Gentibus Eois Epaphum dare jura, nec ullas
Cyllene ſecreta tubas, Minoáve curat
Ida. quid heu tantùm noſtris offenderis aris?
Hìc tibi (quando minor jam noſtra potentia) noctes
Herculeæ, placitúſque vagæ Nyctcidos ardor,
Hic Tyrium genus, & noſtro felicior igne
Taurus, Agenoreos ſaltem tutare nepotes.
Invidiam rilit pater, & jam poplite flexum,
Sternentémque manus tranquillus ad oſcula tollit.
Inque vicem placida orſa refert. Non conjugis iſta
Conſiliis (ut rere) puer, nec ſæva roganti
Sic expoſtus ego. immoto deducimur orbe
Fatorum, veteres, ſeræque in prælia cauſæ.
Nam cui tanta quies irarum? aut ſanguinis uſus
Parcior humani? videt axis, & iſta per ævum
Mecum æterna domus, quoties jam torta reponam
Fulmina, quàm rarus terris hic Imperet ignis.
Quin etiam invitus magna, ulciſcendáque paſſis
Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianæ
Expugnare dedi. meáque eſt jactura, pigétque
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ.
Labdacios verò, Pelopíſque à ſtirpe nepotes
Tardum, abolere mihi. ſcis ipſe ut crimina mittam
Dorica, quàm promptæ Superos inceſſere Thebæ.
Te quoque, (ſed quoniam vetus excidit ira) filebo.
Non tamen aut patrio reſperſus ſanguine Pentheus,
Aut matrem ſceleràſſe toris, aut crimine fratres
Progenuiſſe reus, lacero tua luſtra replevit
Funere. ubi fletus? ubi tunc ars tanta precandi?
Aſt ego non proprio diros impendo dolori
Oedipodionidas. rogat hoc tellúſque, poliúſque,
Et pietas, & læſa fides, naturáque, & ipſi
Eumenidum mores. ſed tu ſuper urbe moveri

Parce

Parce tuâ. non hoc ſtatui ſub tempore rebus
Occaſum Aoniis. veniet ſuſpectior ætas,
Ultoréſque alii, nunc regia Juno queretur.
His ille auditis, mentémque habitúmque recepit.
Ut cùm ſole malo, triſtíque roſaria pallent
Uſta Noto, ſi clara dies, Zephyríque refecit
Aura polum, redit omnis honos, emiſſáque lucent
Germina, & iuformes ornat ſua gloria virgas.
Nuncius attonitas jamdudum Eteoclis ad aures
Explorata ferens, longo docet agmine Graios
Ire duces. nec jam Aoniis procul abfore campis.
Quacunque ingreſſi tremere, ac miſereſcere cunctos
Thebarum, qui ſtirpe refert, qui nomine, & armis.
Ille metum condens audire expoſcit, & odit
Narrantem. hinc dictis ſocios ſtimulare, ſuáſque
Metiri decernit opes. exciverat omnem
Aoniam, Euboeámque, & Phocidos arva propinquæ
Mars, ita dulce Jovi. longo fugit ordine velox
Teſſera. propellunt acies, ſeſéque ſub armis
Oſtentant, ſubeunt campo, qui proximus urbi
Damnatus bellis patet, expectátque furores.
Nondum hoſtis circà, trepido tamen agmine matres
Conſcendunt muros, indè arma nitentia natis
Et formidandos monſtrant ſub caſſide patres.
Turre procul ſolâ nondum conceſſa videri
Antigone populis, teneras defenditur atrâ
Veſte genas, juxtáque comes, quo Laïus ibat
Armigero, tunc virgo ſenem regina veretur.
Quæ ſic orſa prior ; Spéſne obſtatura Pelaſgis
Hæc vexilla, pater? Pelopis deſcendere totas
Audimus gentes. dic ô precor extera regum
Agmina. nam video, quæ noſter ſigna Menœceus,
Quæ noſter gerat arma Creon, quàm celſus aënâ
Sphynge per ingentes Homoloïdas exeat Hæmon.
Sic rudis Antigone. ſenior cui talia Phorbas:
Mille ſagittiferos gelidæ de colle Tanagræ
Promovet ecce Dryas. hic cui nivea arma tridentem,
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti
Non falſus virtute nepos. procul, oro, paternum
Omen, & innuptæ vetus excidat ira Dianæ.
Jungunt ſe caſtris, regíſque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeónque, & confertiſſima lucis
Nyſa, Dionæíſque avibus circumſona Thisbe.
Proximus Eurymedon, cui paſtoralia Fauni
Arma patris, pinúſque jubas imitatur equinas
Terribilis ſylvis. reor & Mavorte cruento
Talis erit. dites pecorum comitantur Erythræ.
Qui Scolon, denſámque jugis Etheonon iniquis,
Qui breve littus Hyles, Atalantaúmque ſuperbi
Schœnon habent, notíque colunt veſtigia campi.
Fraxineas vibrant Macetûm de more ſariſſas:
Sæváque difficiles excludere vulnera peltas.
Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Onchesti, quos pinigeris Mycaleſſos in agris,
Palladiúſque Melas, Hecataáque gurgite nutrit
Gargaphye: quorámque novis Haliartos ariſtis
Invidet, & nimiâ ſata læta ſupervenit herbâ.
Tela rudes truci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant ſcuta ſinus. hos regis egenos
Amphion en noſter agit (cognoſcere pronum
Virgo) lyrâ galeam, tauróque inſignis avito.
Macte animo juvenis. medios parat ire per enſes,
Nudáque pro cæris opponere pectora muris.
Vos etiam noſtris, Heliconia turba, venitis
Addere rebus opem. túque, ô Permeſſe, canoris
Et, felix Olmie, vadis, armatis alumnos
Bellorum refides. patriis concentibus audis
Exultare gregem. quales cùm pallida cedit
Bruma, renidentem deducunt Strymona cygni.
Ite alacres, nunquam veſtri morientur honores,
Belláque perpetuo memorabunt carmine Muſæ.
Dixerat, & paulum virgo interſata docenti.
Illi autem, quânam junguntur origine fratres?
Sic certè paria arma viris, ſic exit in auras
Caſſidis æquus apex. utinam hæc concordia noſtris!
Cui ſenior ridens: Non prima errore videndi
Falleris, Antigone. multi hos (nam decipit ætas)
Dixerunt fratres. pater eſt, natúſque, ſed ævi
Confudere modos. puerum Lapithonia nympha
Dircetis, expertem thalami, crudúmque maritis
Ignibus, ante diem cupido violavit amore,
Improba connubii. nec longum & pulcher Alathreus
Editus, ac primæ genitorem in flore juventæ
Conſequitur, traxítque notas, & miſcuit annos.
Et nunc ſic fratres mentito nomine gaudent,
Plùs pater, hunc olim juvat, & ventura ſenectus.
Terceutum genitor, totidémque in prælia natus
Exercent equites. hi deſerviſſe feruntur
Exilem Gliſanta, Coroniámque, feracem
Meſſe Coroniam, Baccho Gliſanta colentes.
Sed potiùs celſos umbrantem hunc aſpice latè
Hypſea quadrijugos: clypei ſeptemplice tauro
Læva, ter inſuto ſervantem ingentia ferro
Pectora, nam tergo nunquam metus. haſta vetuſtum
Sylvarum decus, emiſſæ cui pervia ſemper
Armáque pectoráque & nunquam manus irrita voti.
Aſopos genuiſſe datur, dignúſque videri
Tunc pater, abruptis cùm torrentiſſimus exit
Pontibus, aut natæ tumidus cùm virginis ultor
Flumina concuſſit, generum indignata Tonantem.
Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis
Amplexu latuiſſe Jovis. furit amnis, & aſtris
Infenſus bellare parat (nondum iſta licebant
Nec Superis) ſtetit audaces effuſus in iras,
Conſeruíſque manus, nec quem imploraret habebat,
Donec vi tonitrus ſummotus, & igne triſulco
Ceſſit. adhuc ripis animoſus gurges anhelis,
Fulmineum cinerem, magnæque inſignia pœnæ
Gaudet, & Ætnæos in cœlum efflare vapores.
Talem Cadmeo mirabimur Hypſea campo,
Si modò placavit felix Ægina Tonantem.
Ducit Ithonæos & Alalcomenæa Minervæ
Agmina, quos Mide, quos humida ſuggerit Arne,
Aulida qui Græámque ſerunt, viridéſque Plateas,
Et ſulco Peteona domant, refluúmque meatu
Euripum, quà noſter abit, téque ultima tractu
Anthedon, ubi gramineo de littore Glaucus
Poſcentes irrupit aquas, jam crine genſíque
Cærulus, & mixtos expavit ab inguine piſces.
Glandibus & tortâ Zephyros incidere fundâ
Cura. Cydoneas anteibunt geſa ſagittas.
Tu quoque præclarum formâ, Cephiſſe, dediſſes
Narciſſum, ſed Theſpiacis jam pallet in agris
Trux puer. orbatâ florem pater alluit undâ.
Quis tibi Phœbæas acies, veterémque revolvat
Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cypariſſon,
Et valles Lebadea tuas, & Hyampolin acri
Subnixam ſcopulo, vel qui Parnaſſon utrumque
Aut Cyrrham tauris, Anemoriámque ſupinant
Coryciúmque nemus? propellentémque Lilæam
Cephiſſi glaciale caput, quo ſuetus anhelam
Ferre ſitim Python, amnémque avertere ponto.
Omnibus immixtas ceno ſuper aſpice lauros,
Armáque, vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
Hic deus innumerâ laxavit cæde pharetras.
Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademptus
Naubolus Hippaſides, tuus, ô mitiſſime Laï,
Hoſpes, adhuc currus, ſecuráque lora tenebat,
Cùm tua ſubter equos jacuit convulſa cruentis
Ictibus, ô utinam noſtro cum ſanguine, cervix.
Dicentis maduere genæ, vultúmque per omnem
Pallor iit, vocíſque repens ſingultus apertum
Intercepit iter. refovet frigentis amicum
Pectus alumna ſenis. redit, atque exile profatur:
O mihi ſollicitum decus ac ſuprema voluptas
Antigone, ſeras tibi demoror improbus umbras,
Fors eadem ſcelera & cædes viſurus avitas;
Donec te thalamis habilem, integrámque reſignem,
Hoc ſatis, & feſſum vitâ dimittite Parcæ.
Sed dum labor iners, quanti nunc ecce reviſo
Tranſabiere duces. Clonium atque in terga comantes
Non ego Abantiadas, non te ſaxoſa Caryſte,
Non humiles Ægas, altúmque Capharea dixi.
Et jam acies obtuſa negat, cunctíque reſiſtunt:
Et tuus armatis jubet ecce ſilentia frater.
Vix ea turre ſenex, cùm Ductor ab aggere cœpit:
Magnanimi reges, quibus haud parere recuſem
Ductor, & ipſe meas miles defendere Thebas,
Non ego vos ſtimulare parem, (nam liber in arma
Impetus & meritas ultro juráſtis in iras)
Nec laudare ſatis, dignáſque rependere grates
Sufficiam. referent Superi, veſtræque ſubacto
Hoſte manus. urbem ſociâ de gente ſubiſtis
Tutari, quam non aliis populator ab oris
Belliger, externâve ſatus tellure, ſed hoſtis
Indigena adſultat, cui caſtra adverſa regenti
Hìc pater, hìc genitrix, hìc junctæ ſtirpe ſorores,
Hìc erat & frater. cerne en ubicunque nefandus

Excidium moliris avis. venere volentes
Aoniæ populi, nec sum tibi, sæve, relictus.
Quid velit ista cohors, & te sentire decebat.
Reddere regna vetant. sic fatus, & omnia rite
Disponit, qui bella gerant, qui mœnia servent.
Quas in fronte manus, medio quas robore siftat.
Perspicuas sic luce fores, & virgea pastor
Claustra levat, dum terra recens. jubet ordine primos
Ite duces, mediâ stipantur plebe maritæ.
Ipse levat gravidas, & humum tactura parentum
Uberâ, succiduásque adportat matribus agnas.
Interea Danaï noctémque diémque sub armis,
Noctem iterum rursúsque diem (sic ira ferebat)
Ingeminant. contempta quies, vix aut sopor illis,
Aut epulæ fecere moram. properatur in hostem
More fugæ. nec monstra tenent, quæ plurima nectit
Prodigiale canens, certi fors prævia fati.
Quippe ferunt diros monitus, volucrésque, feræque,
Sideráque, aversique suis decursibus amnes:
Infestúmque tonat pater, & mala fulgura lucent.
Terrificæque adytis voces, clausæque deorum
Sponte fores. nunc sanguineus, nunc saxeus imber,
Et subiti manes, flentúmque occursus avorum.
Tunc & Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ,
Et non adsuetis pernox ululavit Eleusin
Mensibus, & templis Sparte præsaga reclusis,
Vidit Amyclæos (facinus!) concurrere fratres.
Arcades insanas latrare Lycaonis umbras
Nocte ferunt tacitâ. sævo decurrere campo
Oenomaum sua Pisa refert. Acheloon utroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.
Perseos effigiem mœstam exorántque Mycenæ
Confusum Junonis ebur: mugire potentem
Inachon agricolæ, gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.
Hæc audit Pelopea phalanx. sed bellicus ardor
Consiliis obstat divûm, prohibétque timeri.
Jam ripas, Asope, tuas, Bœotáque ventum
Flumina; non ausæ transmittere protinus alæ
Hostilem fluvium. fortè & trepidantibus ingens
Descendebat agris. animos sive imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
Mens fuit, objectúsque vado pater arma vetabat.
Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ
Cunctantem dejecit equum, ducibúsque relictis
Gurgite de medio frenis suspensus, & armis,
Ite viri, clamat: sic vos in mœnia primus
Ducere, sic clausas voveo perfringere Thebas.
Præcipitant cuncti fluvio, puduitque secutos.
Ac velut ignotum si quando armenta per amnem
Pastor agit, stat triste pecus, procul altera tellus
Omnibus, & latè medius timor: ast ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visæque accedere ripæ.
Haud procul indè jugum, tutisque accommoda castris
Arva notant, unde urbem etiam turrésque videre
Sidonias: placuit sedes, fidúsque receptus.
Colle per excelsum patulo quem subter aperto
Arva sinu, nullíque aliis à montibus obstant
Despectus. nec longa labor munimina durus
Addidit, ipsa loco mirùm Natura favebat.
In vallum elatæ rupes, devexáque fossis
Æqua, & fortuito ductæ quater aggere pinnæ.
Cætera dant ipsi, donec sol montibus omnis
Erepsit, rebúsque dedit sopor otia fessis.
Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?
Urbem in conspectu belli suprema parantem
Territat insomnem nox atra, diémque minatur.
Discurrunt muris. nil septum horrore sub illo,
Nil fidum satis, invalidæque Amphionis arces.
Rumor ubique altus, pluréque annunciat hostes,
Majoréque timor. spectant tentoria contra
Inachia, externósque suis in montibus ignes.
Hi precibus, questúque deos, hi Martia tela
Belligeróque hortantur equos. hi pectora fletu
Cara premunt, miserique rogos, & crastina mandant
Funera. si tenuis demisit lumina somnus,
Bella gerunt, modò lucra moræ, modò tædia vitæ
Attonitis. lucémque timent. lucémque precantur.
It geminum excutiens anguem, & bacchatur utrisque
Tisiphone castris. fratrem huic, fratrem ingerit illi,
Aut utrique patrem. procul ille penatibus imis
Excitus implorat furias, oculósque reposcit.
Jam gelidam Phœben & caligantia primus
Hauserat astra dies, cùm jam tumet igne futuro
Oceanus, latéque novo Titane reclusum
Æquor, anhelantum radiis subsidit equorum.
Ecce truces oculos sordentibus obsita canis
Exangúéque Jocasta genas, & brachia planctu
Nigra terens, ramúmque oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquissima, portis
Egreditur, magnâ cum majestate malorum.
Hinc atque hinc natæ melior jam sexus, anîles
Præcipitantem artus, & plusquam posset euntem
Sustentant. venit ante moles, & pectore nudo
Claustra adversa ferit, tremulísque ululatibus orat
Admitti. referare viam rogat impia belli
Mater. in his aliquod jus execrabile castris
Huic utero est. trepidi visam expavere Manipli,
Auditámque magis. remeat jam missus Adrasto
Nuncius. excipiunt jussi, mediósque per enses
Dant iter. illa duces ut primùm aspexit Achivos,
Clamorem horrendum luctu furiata resolvit:
Argolici proceres, hei quis monstraverit hostem
Quem peperi? quânam inveniam (mihi dicite) natum
Sub galeâ? venit attonitæ Cadmeius heros
Obvius, & raptam lachrymis gaudentibus implet,
Solatúrque tenens, atque inter singula, matrem,
Matrem iterat. nunc ipsam urgens, nunc cara sororum
Pectora, cum mixtâ fletus anus asperat irâ:
Quid molles lachrymas, venerandáque nomina fingis,
Rex Argive, mihi? Quid colla amplexibus ambis,
Invisámque teris ferrato pectore matrem?
Túne ille exilio vagus? & miserabilis hospes?
Quem non permoveas? longè tua jussa cohortes
Expectant, multóque latus præfulgurat ense.
Ah miseræ matres! hunc te noctéique, diéque,
Deflebam. si verba tamen, monitúsque tuorum
Dignaris, dum castra silent, suspensâque bellum
Horrescit pietas, genitrix, jubeóque, rogóque,
I mecum, patriósque deos, arsuráque saltem
Tecta vide, fratrémque (quid aufers lumina?) fratrem
Alloquere, & regnum jam me sub judice posce.
Aut dabit, aut ferrum causâ meliore resumes.
Anne times, ne fortè doli, & te conscia mater
Decipiam? non sic miseros fas omne penates
Effugiet. vix Oedipode ducente timeres.
Nupsi equidem, peperique nefas. sed diligo tales,
Ah dolor, & vestros etiamnum excuso furores!
Quòd si adeò perstas, ultro tibi, sæve, triumphum
Detulimus, religa captas in terga sorores,
Injice vincla mihi. gravis huc, utcumque feretur
Et pater. Ad vestrum gemitus nunc verto pudorem,
Inachidæ. liquistis enim parvósque senésque,
Et lachrymas has quisque domi, sua credite matri
Viscera. si vobis hic parvo in tempore carus,
(Sitque precor) quid me, oro, decet? quídve ista, Pelasgi,
Ubera? ab Hyrcanis hoc Odrysiisque tulissem
Regibus, & si qui nostros vicere furores.
Annuite, aut natum complexa superstite bello
Hic moriar. Tumidas frangebant dicta cohortes.
Nutantésque virum galeas, & sparsa videres
Fletibus arma piis. Quales ubi tela, virósque
Pectoris impulsu rapidi stravere leones:
Protinus ira minor, gaudéntque in corpore capto
Securam differre famem. sic flexa Pelasgûm
Corda labant, ferrique avidus mansueverat ardor.
Ipse etiam ante omnes nunc matris ad oscula versus,
Nunc rudis Ismenes, nunc flebiliora precantis
Antigones, variâque animum turbante procellâ
Exciderat regnum. cupit ire, & mitis Adrastus
Non vetat. hìc justæ Tydeus memor occupat iræ:
Me potiùs socii, qui fidum Etcoclea nuper
Expertus, (nec frater eram) me opponite regi.
Cujus adhuc pacem egregiam, & bona fœdera gesto
Pectore in hôc. ubi tunc fidei, pactíque sequestra,
Mater eras, pulchris cùm me nox vestra morata est
Hospitiis? nempe hæc trahis ad commercia natum?
Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguis
Spirat adhuc, pinguíque meo. tu porrò sequeris?
Heu nimiùm mitis, nimiúmque oblite tuorum.
Scilicet infestæ cùm te circùm undique dextræ
Nudabunt enses, hæc flebit, & arma quiescent?
Téne ille, heu demens, semel intra mœnia clausum,
Possessúmque odiis Argiva in castra remittet?
Antè hæc excusso frondescet lancea ferro,
Inachus ante retro, nostérque Achelous abibunt.
Sed mite alloquium, & sævis pax quæritur armis,

Hæc

Hæc quoque caſtra patent: necdum meruere timeri.
An ſuſpectus ego? abſcedo, & mea vulnera dono.
Intret, & hic genitrix eadem, mediæque ſorores.
Finge autem pactis evictum excedere regnis,
Nempe iterum reddes? Rurſus mutata trahuntur
Agmina conſiliis. ſubito ceu turbine cœli
Obvius adverſum Boreæ Notus abſtulit æquor.
Arma iterum, furiæque placent. fera tempus Erinnys
Arripit, & primæ molitur ſemina pugnæ.
Errabant geminæ Direæa ad flumina tigres
Mite jugum, belli quondam vaſtator Eoi
Currus, Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber, in Aonios meritas dimiſerat agros.
Illas turba dei, ſenióque ex more ſacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmite maturo variſque ornare corymbis
Curat, & alterno maculas interligat oſtro.
Jámque ipſi colles, ipſa has (quis credat?) amabant
Armenta, atque auſæ circùm mugire juvencæ.
Quippe nihil graſſata fames, manus obvia paſcit,
Expectántque cibos, fuſóque horrenda ſupinant
Ora mero, vaga rure quies. ſi quando benigno
Urbem iniere gradu, domus omnis, & omnia ſacris
Templa calent, ipſúmque fides intrâſſe Lyæum.
Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello
Eumenis in furias, animúmque redire priorem
Impulit, erumpunt non agnoſcentibus Argis.
Ceu duo diverſo pariter ſi fulmina cælo
Rupta cadant, longúmque trahant per nubila crinem.
Non aliter curſu rapidæ, atque immanè frementes
Tranſiliunt campos, aurigámque impete vaſto,
Amphiaraë, tuum (nec deſuit omen, heriles
Fortè is primus equos ſtagna ad vicina trahebat)
Corripiunt. mox Tænarium qui proximus Idam
Ætolúmque Acamanta premunt, fuga torva per agros
Cornipedum, viſâ donec flammatus Aconteus
Strage virûm, cui ſueta feras proſternere virtus
(Arcas erat) denſis jam fida ad mœnia verſas
Inſequitur telis, multúmque haſtile reſumens
Ter, quater, adducto per terga, per ilia telo
Tranſigit. illæ autem longo cum limite fuſi
Sanguinis, ad portas utrinque extantia ducunt
Spicula ſemianimes, gemitúque imitante querelas,
Saucia dilectis acclinant pectora muris.
Templa putes, urbémque rapi, facibúſque nefandis
Sidonios ardere lares. ſic clamor apertis
Exoritur muris. mallent cunabula magni
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruiſſe
Harmonies, cultor Bacchæus Acontea Phegeus
Jam vacuum telis, geminóque in ſanguine ovantem
Cominus enſe petit. Subeunt Tegeæa juventus
Auxilio tardi. jam ſupra ſacra ferarum
Corpora, mœrenti juvenis jacet ultio Baccho.
Rumpitur & Graium ſubito per caſtra tumultu
Concilium. Fugit externos Jocaſta per hoſtes
Jam non auſa preces. natas, ipſámque repellunt
Qui modò tam mites, & præceps tempore Tydeus
Utitur. Ite age, nunc pacem ſperate, fidémque
Nunc ſaltem differre nefas? potuſtne morari
Dum genitrix dimiſſa redit? ſic fatus aperto
Enſe vocat ſocios. ſævus jam clamor, & iræ
Hinc atque indè calent. nullo venit ordine bellum.
Confuſique duces vulgo, & neglecta regentum
Imperia, unà equites mixti, peditúmque catervæ,
Et rapidi currus. premit indigeſta ruentes
Copia, nec ſeſe vacat oſtentare, nec hoſtem
Noſcere. ſic ſubitis Thebana, Argiváque pubes
Conflixere globis. retro vexilla, tubæque
Poſt tergum, & litui bellum invenere ſecuti.
Tantus ab exiguo crudeſcit ſanguine Mavors.
Ventus utì primas ſtruit inter nubila vires
Lenis adhuc, frondéſque, & aperta cacumina geſtat.
Mox rapuit nemus, & montes patefecit opacos.
Nunc age Pieriæ (non vos longinqua ſorores
Conſulimus) veſtras acies, veſtrámque referte
Aoniam (vidiſtis enim) dum Marte propinquo
Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.
Sidonium Pterelan ſonipes malefidus in armis
Rumpentem frenos, diverſa per agmina raptat
Jam liber, ſic feſſa manus: venit haſta per armos
Tydeos, & lævum juvenis tranſverberat inguen,
Labentémque adfigit equo. fugit ille perempto
Conſertus domino. nec jam arma, aut frena tenentem
Portat adhuc. ceu nondum animâ defectus utràque
Cùm ſua Centaurus moriens in terga recumbit:
Certat opus ferri. ſternúntque alterna furentes
Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus,
Parthonopæus Ityn; Sybaris jacet enſe cruento,
Cuſpide trux Periphas, Itys inſidiante ſagittâ.
Cæneos Inachii ferro Mavortius Hæmon
Colla rapit. cui dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput. arma jacentis
Jam rapiebat Abas. cornu deprenſus Achivâ
Dimiſit moriens clypeum hoſtilémque, ſuúmque.
Quis tibi Bacchæos, Eunæe, relinquere cultus?
Quis lucos? vetitus quibus emanſiſſe ſacerdos
Suaſit, & adſuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nyſæáque ſerta coronant.
Candida pampineo ſubnectitur inſtita pilo,
Crine latent humeri: creſcunt lanugine malæ,
Et rubet imbellis Tyrio ſubtemine thorax.
Brachiáque in manicis, & pictæ vincula plantæ,
Carbaſeſque ſinus, & fibula raſilis auro
Tænariam fulvâ mordebat Jaſpide pallam.
Quam ſuper à tergo velox corytus, & arcu
Pendentéſque ſonant auratâ lynce pharetræ,
It lymphante deo media inter millia longùm
Vociferans: Prohibete manus, hæc omine dextro
Mœnia, Cyrrhæâ monſtravit Apollo juvencâ.
Parcite, in hæc ultro ſcopuli venere volentes.
Gens ſacrata ſumus. gener huic eſt Jupiter urbi,
Gradivúſque ſocer. Bacchum haud mentimur alumnum,
Et magnum Alciden. jactanti talia fruſtra
Turbidus aëriâ Capaneus occurrit in haſtâ.
Qualis ubi primam leo manè cubilibus atris
Erexit rabiem, & ſævo ſpeculatur ab antro
Aut cervam, aut nondum bellantem fronte juvencum;
It fremitu gaudens, licèt arma, gregéſque laceſſant
Venantum, prædam videt, & ſua vulnera neſcit.
Sic tunc congreſſu Capaneus gaviſus iniquo,
Librabat magnâ venturam mole cupreſſum.
Antè tamen, Quid fœmineis ululatibus, inquit,
Terrificas moriture viros? utinam ipſe veniret
Cui furis, hæc Tyriis cane matribus. & ſimul haſtam
Expulit. illa volans, ceu vis non ulla moretur
Obvia vix ſonuit clypeo, & jam terga reliquit.
Arma fluunt, longíſque crepat ſingultibus aurum.
Eruptúſque ſinus vicit cruor. occidis audax;
Occidis Aonii puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Iſmara thyrſis,
Te Tmolos, te Nyſa ferax, Theſeáque Naxos,
Et Thebana metu juratus in Orgia Ganges.
Nec ſegnem Argolicæ ſenſere Eteoclea turmæ,
Parcior ad cives Polynicis inhorruit enſis.
Eminet ante alios jam formidantibus arva
Amphiaraus equis, ac multo pulvere vertit
Campum indignantem. Famulo decus addit inane
Mœſtus, & extremos obitus illuſtrat Apollo.
Ille etiam clypeum, galeámque incendit honoro
Sidere, nec tardè fratri, Gradive, dediſti,
Ne qua manus vatem, ne quid mortalia bello
Lædere tela queant, ſanctum, & venerabile Diti
Funus erat. talis medios infertur in hoſtes
Certus & ipſe necis. vires fiducia leti
Suggerit. indè viro majoráque membra, diéſque
Lætior, & nunquam tanta experientia cœli,
Si vacet: avertit morti contermina Virtus.
Ardet inexpleto ſævi Mavortis amore,
Et fruitur dextrâ, atque animâ flagrante ſuperbit.
Hic hominum caſus lenire, & demere fatis
Jura frequens, quantùm ſubitò diverſus ab illo
Qui tripodas, laurúſque ſequi, qui doctus in omni
Nube, ſalutato volucrem cognoſcere Phœbo.
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
Aut jubar adverſi grave ſideris immolat umbris
Ipſe ſuis. Jaculo Phlegyam, jaculóque ſuperbum
Phylea, falcato Chromin, & Cremetaona curru
Cominus hunc ſtantem metit, hunc à poplite ſectum:
Cuſpide demiſſâ Chromin, Iphinoúmque, Sagénque,
Intonſúmque Gyan, ſacrúmque Lycorea Phœbo
Invitus: jam fraxineum dimiſerat haſtæ
Robur, & excuſſis apparuit inſula criſtis.
Alcathoum ſaxo, cui circùm ſtagna Caryſti
Et domus & conjux, & amantes littora nati.
Vixerat ille diu pauper ſcrutator aquarum.
Decepit tellus. moriens hyemémque, Notóſque
Laudat, & experti meliora pericula ponti.

Aſpicit

Aſpicit has longè jamdudum Aſopius Hypſeus
Palantum ſtrages. ardétque avertere pugnam.
Quanquam haud ipſe minùs curru Tirynthia fundit
Robora, ſed viſo præſens minor augure ſanguis.
Illum armis, animíſque cupit, prohibebat iniquo
Agmine conſertum cunei latus. indè ſuperbus
Exeruit patriis electum miſſile ripis.
Ac priùs, Aonidum dives largitor aquarum,
Clare Giganteis etiamnum, Aſope, favillis,
Da numen dextræ: rogat hoc natúſque, tuſque
Quercus alumna vadi. fas & mihi ſpernere Phœbum,
Si tibi collatus divûm ſator. omnia mergam
Fontibus arma tuis, triſtéſque ſinè augure vittas.
Audierat genitor. vetat indulgere volentem
Phœbus, & aurigam jaculum detorquet in Hetſen.
Ille ruit. deus ipſe vagis ſuccedit habenis
Lernæum falſo ſimulans Aliagmona vultu.
Tunc verò ardenti non ulla obſiſtere tentant
Signa, ruunt ſolo terrore, & vulnera citra
Mors trepidis ignava venit: dubiúmque tuenti
Preſſerit infeſtos onus, impulerſtne jugales.
Sic ubi nubiferum montis latus, aut nova ventis
Solvit hyems, aut victa ſitu non pertulit ætas;
Deſilit horrendus campo timor, arma, virósque
Limite non uno, longæváque robora ſecum
Præcipitans, tandémque exhauſtus turbine feſſo,
Aut vallem cavat, aut medios intercipit amnes.
Non ſecus ingentíque viro magnóque gravatus
Temo deo, nunc hôc, nunc illo in ſanguine fervet.
Ipſe ſedens telis, paritérque miniſtrat habenis
Delius: ipſe docet jactus, adverſáque flectit
Spicula, fortunámque haſtis venientibus auſert.
Sternuntur terræ, Menalas pedes, Antiphus alto
Nil defenſus equo, genitúſque Heliconide Nymphâ
Æthion, cæſóque infamis fratre Polites,
Conatúſque toris vittatam attingere Manto
Lampus: in hunc ſacras Phœbus dedit ipſe ſagittas.
Et jam cornipedes trepida ac moribunda reflantes
Corpora, rimantur tertas, omníſque per artus
Sulcus, & ineitis altùm rubet orbita membris.
Hos jam ignorantes terit impius axis, at illi
Vulnere femineces (nec devitare facultas)
Venturum ſuper ora vident. jam lubrica tabo
Frena, nec inſiſti madidus dat temo, rotæque
Sanguine difficiles, & tardior ungula foſſis
Viſceribus. tunc ipſe furens in morte relicta
Spicula, & è mediis extantes oſſibus haſtas
Avellit: ſtridunt animæ, currúmque ſequuntur.
Tandem ſe famulo ſummum confeſſus Apollo,
Utere luce tuâ, longámque, ait, indue famam,
Dum tibi me junctum mors irrevocata veretur.
Vincimur. immites ſcis nulla revolvere Parcas
Stamina. vade diu populis promiſſa voluptas
Elyſiis, certè non perpeſſure Creontis
Imperia, aut vetito nudus jaciture ſepulchro.
Ille refert contrà, & paulùm reſpirat ab armis:
Olim te, Cyrrhæe pater, peritura ſedentem
Ad juga (quis tantus miſeris honor?) axe trementi
Senſimus, inſtantes quonam uſque morabere manes?
Audio jam rapidæ curſum Stygis, atráque Ditis
Flumina, tergeminóſque mali cuſtodis hiatus.
Accipe commiſſum capiti decus, accipe laurus
Quas Erebo deferre nefas. nunc voce ſuprema
Si qua receſſuro debetur gratia vati,
Deceptum tibi, Phœbe, larem, pœnáſque nefandæ
Conjugis, & pulchrum nati commendo furorem.
Deſiluit mœrens, lachrymáſque avertit Apollo.
Tunc verò ingemuit currúſque, orbíque jugales.
Non aliter cæco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis, cùm jam damnata ſororis
Igne, Therapnæi fugerunt carbaſa fratres.
Jámque receſſuræ paulatim horreſcere terræ,
Summáque terga quati; graviórque effervere pulvis
Cœperat. inferno mugit jam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellíque hunc eſſe fragorem.
Hortantúrque gradus. Alius tremor arma, virósque
Mirantéſque inclinat equos. jam frondea nutant
Culmina, jam muti, ripíſque Iſmenos apertis
Effugit. Exciderunt iræ, nutantia figunt
Tela ſolo, dubiáſque vagi nituntur in haſtas
Cominus, ſnque vicem viſo pallore recedunt.
Sic ubi navales miſcet ſuper æquora pugnas
Contempto Bellona mari: ſi fortè benigna
Tempeſtas; ſibi quiſque cavent, enſéſque recondit
Mors alia, & ſocii pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.
Sive laborantes concepto flamine terræ
Ventorum rabiem, & clauſum ejecere furorem:
Exedit ſeu putre ſolum, carpſítque terendo
Unda latens: ſive hàc volventis machina cœli
Incubuit: ſive omne fretum Neptunia movit
Cuſpis, & extremas graviùs mare torſit in oras:
Seu vati datus ille fragor, ſeu terra minata eſt
Fratribus; ecce altè præceps humus, ore profundo
Diſſilit, ſuque vicem timuerunt ſidera, & umbræ.
Illum ingens hauſit ſpecus, & tranſire parantes
Mergit equos. non arma manu, non frena remiſit:
Sicut erat, rectos defert in Tartara currus.
Reſpexítque cadens cœlum, campúmque coire
Ingemuit: donec levior diſtantia rurſus
Miſcuit arva tremor, lucémque excluſit Averno.

LIBER VIII.

UT ſubitus vates pallentibus incidit Umbris,
Letiferáſque domos, orbíſque arcana ſepulti
Rupit, & armato turbavit funere Manes,
Horror habet cunctos, Stygiis mirantur in oris
Tela & equos, corpúſque novum, neque enim ignibus artus
Conditus, aut mœſtâ niger adventabat ab urnâ:
Sed belli ſudore calens, clypeúmque cruentis
Roribus, & ſciſſi reſperſus pulvere campi.
Necdum illum aut truncâ luſtraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proſerpina poſte notârat
Cœtibus adſumptum functis. quin cominus ipſa
Fatorum deprenſa colus. viſóque paventes
Augure, tunc demum rumpebant ſtamina Parcæ.
Illum & ſecuri circumſpexere fragorem
Elyſii, & ſi quos procul inferiore barathro
Altera nox, aliſque gravat plaga cæca tenebris.
Tunc regemunt pigríque lacus, uſtæque paludes,
Umbriferæque fremit ſulcator pallidus undæ,
Diſſiluiſſe novo penitus telluris hiatu
Tartara, & admiſſos non per ſua flumina manes.
Fortè ſedens mediâ regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos polcebat crimina vitæ.
Nil hominum miſerans, iratúſque omnibus umbris.
Stant Furiæ circùm, variæque ex ordine Mortes,
Sæváque multiſonas exercet Pœna catenas.
Fata ferunt animas, & eodem pollice damnant.
Vincit opus. Juxtà Minos cum fratre verendo
Jura bonus meliora monet, regémque cruentum
Temperat. aſſiſtunt lachrymis atque igne tumentes
Cocytos Phlegethónque, & Styx perjuria divûm
Arguit: ille autem ſuperâ compage ſolutâ,
Nec ſolitus ſentire metus, expavit oborta
Sidera, jucundâque offenſus luce profatur:
Quæ Superûm labes inimicum impegit Averno
Æthera? quis rumpit tenebras? vitæque ſilentes
Admovet? unde minæ? uter hæc mihi prælia fratrum?
Congredior, pereant agedum diſcrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia victum
Dejecit fortuna polo, mundúmque nocentem
Servo. nec iſte meus, diríſque en pervius aſtris
Inſpicitur. tumidúſne meas regnator Olympi
Explorat vires? habeo jam quaſſa Gigantum
Vincula, & æthereum cupidos exire ſub axem
Titanas, miſerúmque patrem. quid me otia mœſta
Sævus, & implacidam prohibet perferre quietem?
Amiſſúmque odiſſe diem? pandam omnia regna
Si placet, & Stygio prætexam Hyperiona cœlo.
Arcada nec Superis (quid enim mihi nuncius ambas
Itque redítque domos?) emittam, & utrumque tenebo
Tyndariden. cur autem avidis Ixiona frango
Vorticibus? cur non expectant Tantalon undæ?
Anne profanatum toties Chaos hoſpite vivo
Perpetiar? me Pirithoi temerarius ardor
Tentat, & audaci Theſeus juratus amico.
Me ferus Alcides tunc cum cuſtode remoto
Ferrea Cerberææ tacuerunt limina portæ.
Odryſiis etiam pudet heu patuiſſe querelis
Tartara, vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lachrymas, iteratáque penſa ſororum.
Me quoque, ſed duræ melior violentia legis.
Aſt ego vix unum, nec ceſſa ad ſidera furto
Auſus iter, Siculo rapui connubia campo,

Nec

Nec licuiſſe ferunt, injuſtæque ab Jove leges
Protinus, & ſectum genitrix mihi computat annum.
Sed quid ego hæc! i, Tartareas ulciſcere ſedes
Tiſiphone, & ſi quando novis aſperrima monſtris
Triſte, inſuetum, ingens, quod nondum viderit æther,
Ede neſas, quod mirer ego, invideántque ſorores.
Atque adeò fratres (noſtriſque hæc omina ſunto
Prima odiis) fratres alterna in vulnera læto
Marte ruant. ſit, qui rabidarum more ferarum
Mandat atrox hoſtile caput, quíque igne ſupremo
Arceat exanimes & manibus æthera nudis
Commaculet. juvet iſta ferum ſpectare Tonantem.
Præterea ne ſola furor mea regna laceſſat,
Quære deis qui bella ferat, qui fulminis ignes,
Inſeſtúmque Jovem clypeo fumante repellat.
Faxo haud ſit cunctis levior metus, atra movere
Tartara, frondenti quàm jungere Pelion Oſſæ.
Dixerat. atque illi jam dudum regia triſtis
Attremit oranti, ſuáque, & quæ deſuper urget,
Nutabat tellus. non fortiùs æthera vultu
Torquet, & aſtriferos inclinat Jupiter axes.
At tibi quos (inquit) manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? ſubit ille minantem
Jam tenuis viſu, jam vanéſcentibus armis,
Jam pedes. extincto tamen interceptus in ore
Augurii perdurat honos, obſcuráque fronti
Vitta manet, ramúmque tenet morientis olivæ.
Si licet, & ſanctis hic ora reſolvere fas eſt
Manibus, O cunctis finitor maxime rerum,
At mihi, qui quondam, cauſas, elementáque nórам,
Et fator, oro, minas, ſtimulatáque corda remulce,
Néve irâ dignare hominem, & tua jura timentem.
Nam nec ad Herculeos (unde hæc mihi pectora?) raptus,
Nec Venerem illicitam (crede his inſignibus) auti
Intramus Lethen. fugiat nec triſtis in antrum
Cerberus, aut noſtros timeat Proſerpina currus.
Augur Apollineis modò dilectiſſimus aris,
Teſtor inane chaos, (quid enim hic jurandus Apollo?)
Crimine non ullo ſubeo nova fata: nec almâ
Sic merui de luce rapi. ſcit judicis urna
Dictæi, verúmque poteſt deprendere Minos.
Conjugis inſidiis, & iniquo venditus auro
Argolicas acies, unde hæc tibi turba recentum
Umbrarum, & noſtræ veniunt quoque funera dextræ,
Non ignarus mî. ſubito me turbine mundi
(Horret adhuc animus) mediis è millibus hauſit
Nox tua. quæ mihi mens? dum per cava viſcera terræ
Vado diu pendens? & in aëre volvor operto?
Hei mihi nil ex me ſociis, patriæque relictum,
Vel captum Thebis. non jam Lernæa videbo
Tecta, nec attonito ſaltem cinis ibo parenti.
Non tumulo, non igne miſer, lachrymíſque meorum
Productus, toto pariter tibi funere veni.
Nil illis auſurus equis. nec deprecor umbram
Accipere, & tripodum jam non meminiſſe meorum.
Nam tibi præſagi, quiſnam ſupèr auguris uſus,
Cum Parcæ tua juſſa trahant? ſed pectora flectas,
Et melior ſis, quæſo, deis. ſi quando nefanda
Huc aderit conjux, illi funeſta reſerva
Supplicia, illa tuâ, rector bone, dignior irâ.
Accipit ille preces, indignatúrque moveri.
Ut leo Maſſyli cùm lux ſtetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat; ſi decidat hoſtis,
Ire ſupèr ſatis eſt, vitámque relinquere victo.
Interea vittis, laurúque inſignis opimâ
Currus, & egregiis modò formidatus in armis,
Luce palàm ſuus nulli, nulliſque fugatus
Quæritur. abſiſtunt turmæ, ſuſpectáque tellus
Omnibus: infidi miles veſtigia campi
Circumit, atque avidæ triſtis locus ille ruinæ
Ceſſat, & inferni vitatur honore ſepulchri.
Nuncius hortanti diversâ in parte maniplos
Adraſto, vix ipſe ratus vidiſſe Palæmon
Advolat, & trepidans (ſteterat nam fortè cadenti
Proximus) inſpectóque miſer pallebat hiatu.
Verte gradum: fuge rector ait; ſi Dorica ſaltem
Terra loco, patriæque manent, ubi liquimus, arces.
Non armis, non ſanguine opus. quid inutile ferrum
Stringimus in Thebas? currus humus impia ſorbet,
Armáque bellantéſque viros: fugere ecce videtur
Hic etiam quo ſtamus ager. vidi ipſe profundæ
Noctis iter, ruptâque ſoli compage ruentem,
Illum heu, præſagis quo nullus amicior aſtris,
Oecliden, fruſtráque manus cum voce tetendi.
Mira loquor; ſulcos etiamnum Rector equorum,
Fumantémque locum, & ſpurnis madida arva reliqui.
Nec commune malum eſt; tellus agnoſcit alumnos,
Stat Thebana acies. ſtupet hæc, & credere Adraſtus
Cunctatur, ſed Mopſus idem, trepidúſque ferebat
Actor idem. nam fama novis terroribus audax
Non unum cecidiſſe refert. ſponte agmina retro
Non expectato revocantum more tubarum
Præcipitant. ſed torpet iter, falluntque ruentes
Genua viros, ipſque (putes ſenſiſſe) repugnant
Cornipedes, nullóque truces hortamine parent,
Nec celerare gradum, nec tollere lumina terrâ.
Fortiùs incurſant Tyrii. ſed Veſper opacus
Lunares jam ducit equos. data fœdere parvo
Mœſta viris requies, & nox auctura timores.
Quæ tibi tunc facies, poſtquam permiſſa gemendi
Copia? qui fletus galeis cecidere ſolutis?
Nil ſolitum feſſos juvat. Abjecere madentes,
Sicut erant, clypeos. nec quiſquam ſpicula terſit,
Nec laudavit equum. nitidæ nec caſſidis altam
Compſit adornavítque jubam. vix magna levare
Vulnera & effantes libet internectere plagas.
Tantus ubique dolor. menſas alimentáque bello
Debita, nec pugnæ ſuaſit timor. omnia laudes,
Amphiaraë, tuas, fœcundaque pectora veri
Commemorant lachrymis, & per tentoria ſermo
Unus, Abîſſe deos, delapſáque numina caſtris.
Heu ubi laurigeri currus? ſolenniáque arma?
Et galeæ vittatus apex? hoc antra, lacúſque
Caſtalii? tripodúmque fides? ſic gratus Apollo?
Quis mihi ſidereos lapſus, mentémque ſiniſtri
Fulguris, aut cæſis ſaliat quod numen in extis,
Quando iter, unde moræ, quæ ſævis utilis armis,
Quæ pacem magis hora velit, quis jam omne futurum
Proferet? aut cum quo volucres mea fata loquentur?
Hos quoque bellorum caſus, nobiſque, tibique,
Præſcieras, & (quanta ſacro ſub pectore virtus?)
Veniſti tamen, & miſeris comes additus armis.
Et cùm te tellus, fatalíſque hora vocaret,
Tu Tyrias acies, adverſáque ſigna, vocâſti
Sternere. tunc etiam mediâ de morte timendum
Hoſtibus, inſeſtáque abeuntem vidimus haſtâ.
Et nunc te quis caſus habet? poteríſne reverti
Sedibus à Stygiis altâque erumpere terrâ?
Anne ſedes hilaris juxta tua numina Parcas?
Et vice concordi diſcis ventura, docéſque?
An tibi felices lucos miſeratus Averni
Rector, & Elyſias dedit inſervare volucres?
Quicquid es, æternus Phœbo dolor, & nova clades
Semper eris, mutíſque diu plorabere Delphis.
Hic Tenedon, Cyrrhámque dies, partúque ligatam
Delon, & intonſi cludet penetralia Branchi.
Nec Clarias hâc luce fores, Didymæáque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit.
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Moloſſi
Quercus anhela Jovis, Trojanáque Thymbra tacebit.
Ipſi amnes, ipſæque volent areſcere laurus.
Ipſe nihil certum ſagis clangoribus æther
Præcinet, & nullâ ferientur ab alite nubes.
Jámque erit ille dies, quo te quoque conſcia fati
Templa colant, reddátque tuus reſponſa ſacerdos.
Talia fatidico peragunt ſolennia regi.
Ceu flammas, ac dona rogo, triſtéſque rependant
Exequias, molliſque animam tellure reponant.
Fracta dehinc cunctis, averſáque pectora bello.
Sic fortes Minyas ſubito cùm funere Tiphys
Deſtituit. non arma ſequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipſique minus jam ducere venti.
Jam feſſis gemitu paulatim corda levabat
Exhauſtus ſermone dolor. nóxque addita curas
Obruit, & facilis lachrymis irrepere ſomnus.
At non Sidoniam diversâ in parte per urbem
Nox eadem. vario producunt ſidera ludo
Ante domos, intráque. ipſæque ad mœnia marcent
Excubiæ. gemina æra ſonant, Idæaque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.
Tunc dulces Superos atque omne ex ordine alumnum
Numen, ubique ſacri reſonant Pæanes, ubique
Serta, coronatúmque merum. nunc funera rident
Auguris ignari, contráque in pectore certant
Tireſiam laudare ſuum. nunc facta revolvunt
Majorum, veteréſque canunt ab origine Thebas.
Hi mare Sidonium, manibúſque attrita Tonantis
Cornua, & ingenti ſulcatum Nerea tauro:

Hi Cadmum, laſſámque bovem, fœtóſque cruenti
Martis agros: alii Tyriam reptantia ſaxa
Ad chelyn, & duras animantem Amphiona cautes:
Hi gravidam Semelen: illi Cythereïa laudant
Connubia: & multâ deductam lampade fratrum
Harmonien: nullíſque deeſt ſua fabula mensis.
Ceu modò gemmiferum thyrſo populatus Hydaſpen,
Eoáſque domos, nigri vexilla triumphi
Liber, & ignotos populis oſtenderet Indos.
Tum primum ad cœtus, ſociæque ad fœdera menſæ
Semper inaſpectum, diràque in ſede latentem,
Oedipoden exiſſe ferunt, vultúque ſereno
Caniciem nigram ſquallore, & ſordida fuſis
Ora comis laxâſſe manu, ſociúmque benignos
Adfatus, & abacta priùs ſolatia paſſum.
Quin hauſiſſe dapes, inſiccatúmque cruorem
Dejeciſſe genis. cunctos audítque, refértque,
Qui Ditem, & Furias tantùm, & ſi quando regentem
Antigonen, mœſtis ſolitus pulſare querelis.
Cauta latet. non hunc Tyrii ſors proſpera belli,
Quantùm bella, juvant. natum hortatúrque, probátque,
Nec viciſſe velit. ſed primos cominus enſes
Et ſcelerum tacito rimatur ſemina voto.
Indè epulæ dulces, ignotáque gaudia vultu.
Qualis poſt longæ Phineus jejunia pœnæ,
Nil ſtridere domi volucres ut ſenſit abactas,
(Necdum tota fides) hilaris, menſáſque, toróſque,
Nec turbata feris tractavit pocula pennis.
Cætera Graiorum curis, armíſque jacebat
Feſſa cohors; alto caſtrorum ex aggere Adraſtus
Lætificos tenui captabat corde tumultus,
Quanquam æger ſenio, ſed agit miſeranda poteſtas
Invigilare malis. illum æreus undique clamor
Thebanſque urunt ſonitus, & amara laceſſit
Tibia, tum nimio voces marcore ſuperbæ,
Incertæque faces, & jam malè pervigil ignis.
Sic ubi per fluctus uno ratis obruta ſomno,
Conticuit, tantíque maris ſecura juventus
Mandavere animas. ſolus ſtat puppe magiſter
Pervigil, inſcriptâque deus qui navigat alno.
Tempus erat, junctos cùm jam ſoror ignea Phœbi
Sentit equos, penitúſque cavam ſub luce parata
Oceani mugire domum, ſeſéque vagantem
Colligit, & moto leviter fugat aſtra flagello.
Concilium rex triſte vocat: quærúntque gementes,
Quis tripodas ſucceſſor agat? quò prodita laurus
Tranſeat? atque orbum vittæ decus. haud mora, cunctis
Inſignem famâ, ſanctóque Melampode cretum
Thiodamanta volunt. quîcum ipſe arcana deorum
Partiri, & viſas uni ſociare ſolebat
Amphiaraus aves, tantæque haud invidus artis
Gaudebat dici ſimilem, juxtáque ſecundum.
Illum ingens confundit honos, inopináque turbat
Gloria, & oblatas frondes ſubmiſſus adorat,
Séque oneri negat eſſe parem, cogíque meretur.
Sicut Achæmenius ſolium, gentéſque paternas
Excepit ſi fortè puer, cui vivere patrem
Tutius, incertâ formidine gaudia librat,
An fidi proceres, ne pugnet vulgus habenis:
Cui latus Euphratæ, cui Caſpia limina mandet.
Sumere tunc arcus, ipſúmque onerare veretur
Patris equum, viſúſque ſibi nec ſceptra capaci
Suſtentare manu, nec adhuc implere tiaram.
Atque is ubi intorto ſignavit vellere crinem,
Convenítque deis, hilari per caſtra tumultu
Vadit ovans. ac, prima ſui documenta, ſacerdos
Tellurem placare parat. nec futile mœſtis
Id viſum Danais. geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis, & adulto ceſpite texi
Imperat, innumeróſque deæ ſua munera flores;
Et cumulos frugum, & quicquid novat integer annus
Addit, & intacto ſpargens altaria lacte
Incipit: O hominum divúmque æterna creatrix,
Quæ fluvios, ſylváſque, animarum & ſemina mundi
Cuncta, Promethéáſque manus, Pyrrhæáque ſaxa
Gignis, & impaſtis quæ prima alimenta dedíſti,
Mutâſtíque vices, quæ pontum ambíſque, vehíſque,
Te penès & pecudum gens mitis, & ira ferarum,
Et volucrum requies: firmum atque immobile mundi
Robur inoccidui. te velox machina cœli
Aere pendentem vacuo, te currus uterque
Circumit. O rerum media, indiviſáque magnis
Fratribus, ergo ſimul tot gentibus alma, tot altis
Urbibus, ac populis, ſubtérque, ac deſuper una
Sufficis, aſtriferúmque domos Atlanta ſupernas
Ferre laborantem, nullo vehis ipſa labore,
Nos tantum portare negas? nos diva gravaris?
Quod precor ignari luimus ſcelus? an quia plebes
Externa, Inachiis huc adventamus ab oris?
Omne homini natale ſolum, nec te, optima, ſævo
Tanquam humiles populos deceat diſtinguere fine,
Undique ubique tuos maneas communis, & arma
Hinc, atque indè feras. liceat (precor) ordine belli
Pugnaces effare animas, & reddere cœlo.
Ne rape tam ſubitis ſpirantia corpora buſtis,
Ne propera. veniemus enim quo limite cuncti,
Quà licet ire viâ. tantum exorata Pelaſgis
Siſte levem campum, celeres neu præcipe Parcas.
At tu care deis, quem non manus ulla, nec enſes
Sidonii, ſed magna ſinu Natura ſoluto,
Ceu te Cyrrhæo meritum tumularet hiatu,
Sic amplexa coit, hilaris des, oro, precatus
Nôſſe tuos, cœlóque, & vera monentibus aris
Concilies. & quæ populis proferre parabas,
Me doceas. tibi ſacra feram præſaga, tuſque
Numinis interpres, te Phœbo abſente vocabo.
Ille mihi Delo Cyrrhâque potentior omni
Quò ruis, ille adytis melior locus. hæc ubi dicta,
Nigrantes terrâ pecudes, obſcuráque mergit
Armenta, ac vivis cumulos undantis arenæ
Aggerat, & vati mortis ſimulacra rependit.
Talia apud Graios, cùm jam Mavortia contrà
Cornua, jam ſævos fragor æreus excitat enſes.
Addit acerba ſonum Theumeſi è vertice crinem
Incutiens, acuíque tubas & tibila miſcet
Tiſiphone, ſtupet inſolito clangore Cithæron
Marcidus, & turres carmen non tale ſecutæ.
Jam trepidas Bellona fores, armatáque pulſat
Limina, jam multo laxantur cardine Thebæ,
Turbat eques pedites. currus properantibus obſtant;
Ceu Danai poſt terga premant: ſic omnibus alæ
Arctantur portis, ſeptémque excurſibus hærent.
Ogygiis it ſorte Creon, Eteoclea mittunt
Neïtæ, celſas Homoloïdas occupat Hæmon,
Hypſea Prœtides, celſum fudere Dryanta
Electræ, quatit Hypſiſtas manus Eurymedontis,
Culmina magnanimus ſtipat Direæa Menœceus.
Qualis ubi averſi ſecretus pabula cœli
Nilus, & Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, ſeptémque patentibus arvis
In mare fert hyemes. penitus ceſſere fugatæ
Nereïdes, dulcíque timent occurrere ponto.
Triſtis at indè gradum tardè movet Inacha pubes
Præcipuè Elææ, Lacedæmoniæque cohortes
Et Pylii. ſubitum nam Thiodamanta ſequuntur
Augure fraudati, necdum acceſſere regenti.
Nec tua te princeps tripodum ſola agmina quærunt:
Cuncta phalanx ſibi deeſſe putat. minor ille per alas
Septimus extat apex. liquido velut æthere, nubes
Invida Parrhaſiis unum ti detrahat aſtris,
Truncus honor plauſtri. nec idem nitet igne reciſo
Axis, & incerti numerant ſua ſidera nautæ.
Sed jam bella vocant. alias nova ſuggere vires
Calliope, majórque chelyn mihi tenda: Apollo.
Fatalem populis ultro poſcentibus horam
Admovet atra dies. Stygiíſque emiſſa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatorémque volando
Campum operit, nigróque viros invitat hiatu,
Nil vulgare legens. ſed quæ digniſſima vitâ
Funera, præcipuos annis, animíſque cruento
Angue notat, jámque in miſeros penſum omne ſororum
Scinditur, & Furiæ rapuerunt licia Parcis.
Stat medius campis etiamnum cuſpide ſiccâ
Bellipotens, jámque hos clypeum, jam vertit ad illos
Arma ciens, abolétque domos, connubia, natos.
Pellitur & patriæ, & qui mente noviſſimus exit,
Lucis amor: tenet in capulis haſtíſque paratas
Ira manus, animúſque ultra thoracas anhelus
Conatur. galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluiſſe viros? flammantur in hoſtem
Cornipedes, niveóque rigant ſola putria nimbo,
Corpora ceu mixti dominis, iráſque ſedentum
Induerint: ſic frena terunt, ſic prælia poſcunt
Hinnitu, tollúntque armos, equitémque ſupinant.
Jamque ruunt, primúſque virûm concurrere pulvis
Incipit, & ſpatiis utrinque æqualibus acti
Adventant, mediúmque vident decreſcere campum.
Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,

Enſe

Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis.
Sic obnixa acies pariter ſuſpiria fumant,
Admotæque nitent alienâ in caſſide criſtæ.
Pulcher adhuc belli vultus: ſtant vertice coni,
Plena armenta viris, nulli ſinè præſide currus,
Arma loco, ſplendent clypei, pharetræque decoræ,
Cingulâque, & nondum deforme cruoribus aurum:
At poſtquam rabies, & vitæ prodiga Virtus
Emiſere animos, non tanta cadentibus Hœdis
Aëriam Rhodopen ſolidâ nive verberat Arctos,
Nec fragor Auſoniæ tantus, cùm Jupiter omni
Arce tonat, tantâ quatitur nec grandine Syrtis,
Cùm Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.
Excluſere diem telis, ſtant ferrea cœlo
Nubila, nec jaculis arctatus ſufficit aër.
Hi pereunt miſſis, illi redeuntibus haſtis:
Concurrunt per inane ſudes, & mutua perdunt
Vulnera, concurrunt haſtæ, ſtridentia fundæ
Saxa plunt. volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandæ non unâ morte ſagittæ.
Nec locus ad terram telis: in corpora ferrum
Omne cadit. ſæpe ignari perimúntque, cadúntque,
Caſus agit Virtutis opus: nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, & aufert.
Ut ventis, nimbíſque minax, cùm ſolvit habenas
Jupiter, adfligítque alterno turbine mundum.
Stat cœli diverſa acies, nunc fortior Auſtri,
Nunc Aquilonis hyems, donec pugnante procellâ
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille ſereno.
Principium pugnæ turmas Aſopius Hypſeus
Oebalias (namque hæ magnum, & gentile tumentes
Euboicum duris rumpunt umbonibus agmen)
Reppulit erepto cunei ductore Menalcâ.
Hic & mente Lacon, crudi torrentis alumnus
(Nec turpavit avos) haſtam intrà pectus euntem
(Ne pudor in tergo) per & oſſa & viſcera retro
Extrahit, atque hoſti dextrâ labente remittit
Sanguineam. dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, & pugnæ, laudatáque verbera matri.
Phædimon laſidem arcu Dircæus Amyntas
Deſtinat. heu celeres Parcæ! jam palpitat arvis
Phædimus, & certi nondum tacet arcus Amyntæ.
Abſtulit ex humero dextram Calydonius Agreus
Phegeos. illa ſuum terrâ tenet improba ferrum,
Et movet. extimuit ſparſa inter tela jacentem
Progrediens, truncámque tamen percuſſit Acetes.
Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulit Hypſeus.
Stravit Abanta Pheres. diverſáque vulnera flentes,
Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem.
Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga jacebant,
Inachidæ gemini geminos ex ſanguine Cadmi
Occultos galeis (ſæva ignorantia belli)
Perculerant ferro. ſed dum ſpolia omnia cæſis
Eripiunt, videre nefas, & mœſtus uterque
Reſpicit ad fratrem, paritérque erràſſe queruntur.
Cultor Ion Piſæ, cultorem Daphnea Cyrrhæ
Turbatis proſtravit equis. hunc laudat ab alto
Jupiter, hunc tardus fruſtra miſeratur Apollo.
Ingentes Fortuna viros illuſtrat utrimque
Sanguine in adverſo: Danaos Cadmeius Hæmon
Sternit, agítque furens. ſequitur Tyria agmina Tydeus.
Hunc Pallas præſens, illum Tirynthius implet.
Qualiter hyberni ſummis duo montibus amnes
Franguntur, geminâque cadunt in plana ruinâ.
Contendiſſe putes, uter arva, arbuſtáque tollat,
Altiùs aut ſuperet pontes. ecce una receptas
Confudit jam vallis aquas: ſibi quiſque ſuperbus
Ire cupit, pontóque negant deſcendere mixti.
Ibat fumiferam quatiens Oncheſtius Idas
Lampada per medios, turbabátque agmina Graiûm,
Igne viam rumpens. magno quem cominus ictu
Tydeos haſta feri, diſcuſsâ caſſide fixit.
Ille ingens in terga jacet, ſtat fronte ſuperſtes
Lancea, collapſæ veniunt in tempora flammæ.
Proſequítur Tydeus: ſævos ne dixeris Argos:
Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde.
Indè velut primo Tigris gaviſa cruore
Per totum cupit ire pecus, ſic Aona ſaxo,
Enſe Pholum, Chromin enſe, duos Helicaonas haſtâ
Tranſigit, Ægeæ Veneris quos Mæra ſacerdos
Ediderat prohibente Deâ. vos præda cruenti
Tydeos, it ſævas etiamnum mater ad aras.
Nec minùs Herculeum contra vagus Hæmona ducit
Sanguis, inexpleto rapitur per millia ferro.

Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pyleneæ
Agmina, nunc mœſtæ fundens Pleuronis alumnos.
Donec in Olenium ſeſsâ jam cuſpide Buten
Incidit. hunc turmis obverſum, & abire vetantem
Aggreditur. puer ille, puer, malâſque comámque
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis
In galeam librata venit. finduntur utrinque
Tempora, diviſuſque cadunt in brachia crines,
Et non hoc metuens inopino limite vita
Exiluit. tunc flavum Hypanin, flavúmque Politen
(Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.
Sævus uterque deus) victis Hyperenora jungit,
Converſúmque fugâ Damaſum. ſed lapſa per armos
Haſta viri trans pectus abit, parmámque tenenti
Excutit, & ſumma fugiens in cuſpide portat.
Sterneret adverſos etiamnum Iſmenius Hæmon
Inachidas (nam tela regit, viréſque miniſtrat
Amphitryoniades) ſævum ſed Tydea contra
Pallas agit. jámque adverſo venere favore
Cominus, & placido prior hæc Tirynthius ore:
Fida ſoror, quænam hunc belli caligine nobis
Congreſſum Fortuna tulit? num regia Juno
Hoc molita nefas? citiùs me fulmina contra
(Infandum) ruere, & magno bellare parenti
Aſpiciat. genus huic, ſed mitto agnoſcere, quando
Tu diverſa foves. nec ſi ipſum cominus Hyllum
Tydeos haſta tui, Stygióque ex orbe remiſſum
Amphitryona petat. teneo, æternúmque tenebo
Quantum hæc diva manus, quoties ſudaverit ægis
Iſta mihi, duris famulus cùm caſibus omnes
Luſtro vagus terras: ipſa heu comes, invia mecum
Tartara, ni ſuperos Acheron excluderet, iſſes.
Tu patrem, cœlúmque mihi. quis tanta relatu
Æquet? habe totas, ſi mens excindere, Thebas.
Cedo equidem, veniámque precor. ſic orſus abibat.
Pallada mulcet honos. rediit ardore remiſſo
Vultus, & erecti ſederunt pectoris angues.
Sentit abiſſe deum. leviùs Cadmeius Æmon
Tela rotat, nullóque manum cognoſcit in ictu.
Tunc magis, atque magis vires animúſque recedunt,
Nec pudor ire retro. cedentem Acheloïus Heros
Impetit, & libras uni ſibi miſſile telum,
Direxit jactus, ſummæ quà margine parmæ
Ima ſedet galea, & juguli vitalia lucent.
Nec fruſtrata manus, mortémque invenerat haſta,
Sed prohibet, paulúmque humeri libare ſiniſtri
Præbuit, & merito parcit Tritonia fratri.
Ille tamen nec ſtare loco, nec cominus ire
Ampliùs, aut vultus audet perferre cruenti
Tydeos. ægra animo vis, ac fiducia ceſſit.
Qualis ſetigeram Lucanâ cuſpide frontem
Strictus aper, penitus cui non infoſſa cerebro
Vulnera, nec felix dextræ tenor, in latus iras
Frangit, & expertæ jam non venit obvius haſtæ.
Ecce, ducem turmæ, certa indignatus in hoſtem
Spicula, felici Prothoum torquere lacerto.
Turbidus Oenides, unâ duo corpora pinu
Cornipedémque, equitémque ferit. ruit ille ruentem
In Prothoum, lapſáſque manu quærentis habenas
In vultus galeam, clypeúmque in pectora calcat,
Saucius extremo donec cum ſanguine frenos
Reſpuit, & junctâ domino cervice recumbit.
Sic ulmus, vitiſque, duplex jactura coloni
Gaurano de monte cadunt. ſed mœſtior ulmus
Quærit utrumque nemus, nec tam ſua brachia labens,
Quàm gemit adſuetas, invitáque proterit uvas.
Sumpſerat in Danaos Heliconius arma Choræbus
Antè comes Muſis, Stygii cui conſcia penſi
Ipſa diu poſitis letum prædixerat aſtris
Uranie. cupit ille tamen, pugnáſque virósque
Forſitan ut caneret. longâ jacet ipſe canendus
Laude, ſed amiſſum mutæ flevere ſorores.
Pectus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Iſmenen (Tyrii juvenis non advena belli,
Quamvis Cyrrha domus: ſoceros nec triſtibus actis
Adverſatus erat,) ſponſam, cui caſtus amanti
Squallor, & indigni commendat gratia luctûs.
Ipſe quoque egregius, nec pectora virginis illi
Diverſa, ſinque vicem, fineret Fortuna, placebant.
Bella vetant tedas, juvenſque hinc major in hoſtes
Ira: ruit primis immixtus, & agmina Lernæ
Nunc pedes enſe vago, prenſis nunc celſus habenis,
Ceu ſpectetur, agit. triplici velaverat oſtro
Surgentes etiamnum humeros, & lævia mater

Pectora. tunc auro phaleras, auróque sagittas
Cingulúque, & manicas (ne conjuge vilior iret)
Presserat, & mixtum cono crispaverat aurum.
Talibus heu fidens vocat ultro in prælia Graios.
Ac primùm faciles grassatus cuspide turmas
Arma refert sociis, & in agmina fida, peracta
Cæde redit. sic Hyrcanâ Leo Caspius umbrâ
Nudus adhuc, nullóque jubæ flaventis honore
Terribilis, magnisque etiamnum sanguinis insons,
Haud procul à stabulis captat custode remoto
Segne pecus, teneràque famem consumit in agnâ.
Mox ignotum armis, ac solo corpore mensus
Tydea non timuit: fragilisque lacessere telo
Sæpius infrendentem aliis, aliósque sequentem
Ausus erat. tandem invalidos Ætolus ad ictus
Fortè refert oculos, & formidabilè ridens:
Jamdùdum video, magnum cupis, improbe, leti
Nomen, ait. simul audacem non ense, nec hastâ
Dignatus, leviter digitis imbelle solutis
Abjecit jaculum. latebras tamen inguinis altè
Missile, ceu totis intortum viribus hausit.
Præterit haud dubium fati, & spoliare superbit
Oenides, Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pallas,
Exuvias figemus, ait. procul arcent ipsum
Ferre pudor. vix si bellum comitata relictis
Deiphile thalamis, illi illudenda tulissem.
Sic ait: & belli majora ad præmia mente
Ducitur. innumeris veluti Leo fortè potitus
Cædibus, imbelles vitulos, mollésque juvencas
Transmittit, magno sutor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys. prævertit equos, currúque citato
Desilit. initabat pubes Tegeæa jacenti,
Nec prohibent Tyrii: pudeat Cadmea juventus
Terrigenas mentita patres, quò tenditis, inquit,
Degeneres? meliúsve jacet pro sanguine nostro
Hospes Atys? tantum hospes adhuc, & conjugis ultor
Infelix nondum ille tuæ. nos pignora tanta
Prodimus? insurgunt justo firmata pudore
Agmina, cuique suæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami secretâ in parte sorores,
Par aliud morum, miserique innoxia proles
Œdipodæ, varias miscent sermone querelas.
Nec mala quæ juxtà, sed longa ab origine fati,
Hæc matris tedas, oculos ast illa paternos,
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ. gravis hinc miseri cunctatio voti.
Nutat utróque timor, quemnam hôc certamine victum,
Quem victisse velint: tacitè præponderat exul.
Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
Hospitia, atque larem brumâ pulsante relictum,
Stántque super nidos veterisque exordia fati
Enarrant tectis, & truncam ac flebile murmur
Verba patant, vóxque illa tamen non dissona verbis.
Atque ibi post lachrymas, & longa silentia rursus
Inchoat Ismene: Quisnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam invigilare quieti,
Cleráque per somnos animis simulacra reverti?
Ecce ego quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu (pudet heu) connubia vidi
Nocte soror. sponsum (unde?) mihi: sopor attulit amens
Vix notum visu? semel his in sedibus illum
Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto
Respexi non sponte soror. turbata repentè
Omina cernebam, subitáque intercidit ignis,
Méque sequebatur rabido clamore reposcens
Mater Atyn. quemnam hæc dubiæ præsagia cladis?
Nec timeo dum tota domus, miléque recedat
Doricus, & tumidos liceat componere fratres.
Talia nectebant, subito cùm pigra tumultu
Expavit domus, & multo sudore receptas
Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo,
Cui manus in plagâ, dependet languida cervix
Exterior clypeo, crinésque à fronte supini.
Prima videt, carámque tremens Jocasta vocabat
Ismenen. namque hoc solum moribunda precatur
Vox generi: solum hoc gelidis jam nomen inerrat
Faucibus. exclamant famulæ: tollebat in ora
Virgo manus: tenuit sævus pudor. attamen ire
Cogitur, induiget summum hoc Jocastæ jacenti.
Offendúntque offértque. quater jam morte sub ipsâ
Ad nomen visus, dejectáque fortiter ora
Sustulit: illum unum neglecto lumine cœli
Aspicit, & vultu non exsatiatur amato.
Tunc quia nec genitrix juxtà, positúsque bestâ
Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt,
Declinare genas. ibi demum teste remoto
Fassa pios gemitus, lacrymásque in lumina fudit.
Dúmque ea per Thebas, aliis serpentibus ardens,
Et face mutatâ bellum integrabat Enyo,
Arma volunt, primos veluti modò cominus ictus
Sustulerint, omnísque etiamnum luceat ensis.
Eminet Oenides; quamvis & arundine certâ
Parthenopæus agat, morientúmque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneáque pinus
Jam procul Aoniis volet agnoscenda catervis;
Tydeos illa dies: illum fugiúntque, tremúntque,
Clamantem: Quò terga datis? licet ecce peremptos
Ulcisci socios, mœstámque rependere noctem.
Ille ego inexpletis solus qui cædibus hausi
Quinquagintà animas: totidem, totidémque gregatim
Ferte manus. nullíne patres, nullíne jacentum
Unanimi fratres? quæ tanta oblivia luctûs?
Quàm pudet Inachias contentum abiisse Mycenas!
Hisne super Thebis? hæc robora regis? ubi autem
Egregius dux ille mihi? simul ordine lævo
Ipsum exhortantem cuneos, capitísque superbi
Insignem fulgore videt. nec segniùs ardens
Accurrit, niveo quàm flammiger ales olori
Imminet, & magnâ trepidum circumligat umbrâ.
Tunc prior: Aoniæ rex ô justissime gentis,
Imus in arma palàm, tandémque ostendimus enses?
An noctem & solitas placet expectare tenebras?
Ille nihil contrà, sed stridula cornua in hostem
It referens mandata ducis, quam providus heros
Jam jam in fine viæ percussam obliquat, & ipse
Telum ingens avidè, & quanto non antè lacerto
Impulit: ibat atrox finem positura duello
Lancea. convertere oculos utrimque faventes
Sidonii Graiique dei, crudelis Erinnys
Obstat, & infando differt Eteoclea fratri.
Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit, ubi ingens
Pugna virûm. stricto nam lævior irruit ense
Ætolus, retróque datum Thebana tegebant
Arma ducem. sic densâ lupum jam nocte sub arâ
Arcet ab adprenso pastorum turba juvenco:
Improbus erigitur contrà, nec cœca vetantes
Impetere, illum illum semel in quem venerat, urget.
Non secus objectas acies, turbámque minorem
Dissimulat, transítque manu. tamen ora Thoantis
Pectora Deïlochi, Clonii latus, ilia torvi
Perforat Hippotadæ. truncis sua membra remittit
Interdum, galeáque rotat per nubila plenas.
Et jam corporibus, sese, spoliisque cadentum
Clauserat, unum acies circùm consumitur, unum
Omnia tela vovent. summis hæc ossibus hærent,
Pars frustrata cadunt, partem Tritonia vellit.
Multa rigent clypeo. densis jam consitus hastis
Ferratum quatit umbo nemus, tergóque fatiscit
Atque humeris gentilis aper, nusquam ardua coni
Gloria, quæque apicem torvæ Gradivus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen. inusta
Temporibus nuda ara sedent. circúmque sonori
Vertice percusso, volvuntur in arma molares.
Jam cruor in galeâ, jam saucia proluit ater
Pectora permixtus sudore, & sanguine torrens.
Respicit hortantes socios, & Pallada fidam
Longiùs oppositâ celantem lumina parmâ:
Ibat enim magnum lachrymis inflectere patrem.
Ecce secat Zephyros, ingentem fraxinus iram
Fortunámque ferens, teli non eminet auctor.
Astacides Menalippus erat. nec prodidit ipse,
Et vellet latuisse manum. sed gaudia turmæ
Monstrabant trepidum. nam flexus in ilia Tydeus
Submissum latus, & clypei laxaverat orbem.
Clamorem Aonii miscent gemitúmque Pelasgi,
Objectántque manus, indignantémque tuentur.
Ille per oppositos, longè rimatus, amarum
Astaciden, totis animæ se cogit in ictum
Reliquiis, telúmque jacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat, perit expressus commune sanguis.
Tunc tristes socii cupidum bellare, (quis ardor!)
Et poscentem hastas, mediâque in morte negantem
Exspirare, trahunt, summíque in margine campi
Effultum geminâ latera inclinantia parmâ
Ponunt, ac sævi rediturum ad prælia Martis
Promittunt dentes. sed & ipse recedere cœlum,

Ingentésque

Ingentéſque animos extremo frigore labi
Sentit, & innixus terræ, Miſereſcite, clamat,
Inachidæ, non oſſa précor referantur ut Argos,
Ætolúmve larem: nec enim mihi cura ſupremi
Funeris. odi artus, fragilémque hunc corporis uſum
Deſertorem animi. caput, ô caput, ô mihi ſi quis
Adportet, Menalippe, tuum, nam volveris arvis,
Fido equidem. nec me virtus ſuprema feſellit.
I precor, Atrei ſi quid tibi ſanguinis unquam,
Hippomedon. vade, ô primis puer inclyte bellis
Arcas, & Argolicæ Capaneu jam maxime turmæ.
Moti omnes: ſed primus abit, primúſque repertum
Aſtaciden medio Capaneus è pulvere tollit
Spirantem, lævâque ſuper cervice reportat,
Terga cruentantem concuſſi vulneris undâ.
Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captivúmque ſuem clamantibus intulit Argis.
Erigitur Tydeus, vultúque occurrit & amens
Lætitiâque, iràque, ut ſingultantia vidit
Ora, trahíque oculos, ſeſéque agnovit in illo:
Imperat abſciſſum porgi, lævâque receptum
Spectat atrox hoſtile caput, gliſciſque tepentis
Lumina torva videns, & adhuc dubitantia figi,
Infelix contentus erat. plus exigit ultrix
Tiſiphone. jámque inflexo Tritonia patre
Venerat, & miſero decus immortale ferebat,
Atque illum effracti perfuſum tabe cerebri
Aſpicit, & vivo ſcelerantem ſanguine fauces.
Nec comites auferre valent. ſtetit aſpera Gorgo
Crinibus emiſſis, rectíque ante ora Ceraſtæ
Velavere deam. fugit averſata jacentem,
Nec priùs aſtra ſubit, quàm myſtica lampas, & inſons
Iliſſos multâ purgavit lumina lymphâ.

LIBER IX.

ASPERAT Aonios rabies audita cruenti
Tydeos. ipſi etiam minùs ingemuere jacentem
Inachidæ, culpántque virum, & rupiſſe queruntur
Fas odii. quin te divûm implacidiſſime, quanquam
Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas,
Offenſum virtute ferunt. nec cominus ipſum
Ora, ſed & trepidos retro torſiſſe jugales.
Ergo profanatum Menalippi funus acerbo
Vulnere, non aliis ultum Cadmeïa pubes
Inſurgunt ſtimulis, quàm ſi turbata ſepulchris
Oſſa patrum, monſtríſque datæ crudelibus urnæ.
Accendit rex ipſe ſupèr: quiſquámne Pelaſgis
Mitis adhuc? hominémque gerit: jam morſibus uncis
(Prò furor! uſque adeò tela exſatiavimus?) artus
Dilacerant. nónne Hyrcanis bellare putaris
Tigribus? aut ſævos Libyæ contraire leones?
Et nunc ille jacet (pulchra ô ſolatia leti)
Ore tenens hoſtile caput, dulcíque nefandus
Immoritur tabo. nos ferrum mite, facéſque:
Illis nuda odia, & feritas jam non eget armis.
Sic peragant rabidi, clarâque hâc luce fruantur,
Dum videas hæc ſumme pater. ſed enim hiſcere campos
Conqueſti, terræque fugam miſerantur. an iſtos
Vel ſua portet humus? magno ſic fatus agebat
Procurſu fremitúque viros. furor omnibus idem
Tydeos inviſi ſpoliis, raptóque potiri
Corpore. non aliter ſubtexunt aſtra catervæ
Inceſtarum avium, longè quibus aura nocentem
Aëra, deſertáſque tulit ſinè funere mortes.
Illò avidæ cum voce ruunt, ſonat arduus æther
Plauſibus, & cœlo volucres ceſſere minores.
Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
Spargitur in turmas, ſolito pernicior index
Cùm lugenda refert. donec cui maxima fando
Damma vehit, trepidas lapſa eſt Polynicis ad aures.
Diriguit juvenis, lachrymæque hæſere paratæ,
Et cunctata fides. nimiùm nam cognita Virtus
Oenidæ, credi letum ſuadétque vetátque.
Sed poſtquam haud dubio clades auctore reperta eſt,
Nox oculos, mentémque rapit. tum ſanguine fixo
Membra ſimul, ſimul arma ruunt. madet ardua fletu
Jam galea, atque ocreæ clypeum excepere cadentem.
It mœſtus genua ægra trahens, haſtámque ſequentem,
Vulneribus ceu mille gravis, totóſque per artus
Saucius, aſſiſtunt ſocii monſtrántque gementes.
Tandem ille abjectis, vix quæ portaverat, armis
Nudus in egregii vacuum jam corpus amici
Procidit, & tali lachrymas cum voce profudit.
Háſne tibi armorum ſpes ô ſuprema meorum,
Oenide, grates? hæc præmia digna rependi?
Nudus ut invisâ Cadmi tellure jaceres
Soſpite me? nunc exul ego æternúmque fugatus,
Quando alius miſero, ac melior mihi frater ademptus.
Nec jam ſortitus veteres, regnúſque nocentis
Perjurum diadema peto. quò gaudia tanti
Empta mihi? aut ſceptrum quod non tua dextera tradet?
Ite viri, ſolúmque fero me linquite fratri.
Nil opus arma ultrà tentare, & perdere mortes:
Ite precor. quid jam dabitis mihi deniqúe majus?
Tydea conſumpſi, quânam hoc ego morte piabo?
O ſocer, ô Argi! & primæ bona jurgia noctis,
Alternæque manus, & longi pignus amoris
Ira brevis. non me enſe tuo tunc, maxime Tydeu,
(Et poteras) noſtri mactatum in limine Adraſti?
Quin etiam Thebas me propter, & impia fratris
Tecta libens, unde haud alius remeâſſet, adíti:
Ceu tibimet ſceptra, & proprios laturus honores.
Jam Telamona pium, jam Theſea fama tacebat.
Qualis & ecce jaces? quæ primùm vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoſte cruor? quæ te agmina? quíve
Innumeri ſtravere globi? ni fallor, & ipſe
Invidit pater, & totâ Mars impulit haſtâ.
Sic ait, & mœrens etiamnum lubricâ tabo
Ora viri tergit lachrymis, dextrámque reponit.
Túne meos hoſtes hucuſque exoſus? & ultrà
Soſpes ego? exuerat vaginâ turbidus enſem,
Aptabátque neci: comites tenuere, ſocérque
Caſtigat, belliſque vices, ac fata revolvens
Solatur tumidum, longéque à corpore caro
Paulatim, unde dolor, letíque animoſa voluntas,
Amovet, ac tacitè ferrum inter verba reponit.
Ducitur, amiſſo qualis conſorte laborum
Deſerit inceptum media inter jugera ſulcum
Taurus iners, colléque jugum deforme remiſſo
Parte trahit, partem lacrymans ſuſtentat arator.
Ecce autem hortatus Eteoclis, & arma ſecuti
Lecta manus, juvenes, quos nec Tritonia bello
Nec propè collatâ ſpreviſſet cuſpide Mavors
Adventant. contrà collecta ut pectora parmæ
Fixerat, atque haſtam longè protenderat, hæret
Arduus Hippomedon. ceu ductibus obvia rupes,
Cui neque de cœlo metus, & fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis. timet ipſe rigentem
Pontus, & ex alto miſeræ novere carinæ.
Tunc prior Aonides, (validam ſimul elicit haſtam)
Non pudet hos manes, hæc infamantia bellum
Funera, diis coram, & cœlo inſpectante tueri?
Scilicet egregius ſudor memorandáque Virtus
Hanc tumulare feram? ne non mœrentibus Argos
Exequiis lachrymandus eat? molliſque pheretro
Infandam ejectans ſaniem? dimittite curam.
Nullæ illum volucres, nulla impia monſtra, nec ipſe
Si demus, pius ignis edat. nec plura: ſed ingens
Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum,
Tranſmiſſúmque tamen clypei ſtetit orbe ſecundo.
Indè Pheres, acérque Lycus. ſed caſſa Pheretis
Haſta redit, Lycus excelſo terrore comantem
Perſtrinxit galeam. convulſæ cuſpide longè
Diffugere jubæ, patuítque ingloria caſſis.
Ipſe nec ire retro, nec in obvia concitus arma
Exilit. ſnque eadem ſeſe veſtigia ſemper
Obverſus cunctis profert, recipítque, nec unquam
Longiùs indulget dextræ, motúſque per omnes
Corpus amat: corpus ſervans, circúmque, ſupráque
Vertitur. Imbellem non ſic amplexa juvencum
Infeſtante lupo, cùm primàm fœta tuetur
Mater, & ancipiti circumfert cornua gyro.
Ipſa nihil metuens, ſexúſque oblita minoris
Spumat, & ingentes imitatur fœmina tauros.
Tandem intermiſſâ jaculantum nube poteſtas
Reddere tela fuit. namque & Sicyonius Alcon
Venerat auxilio, Piſæáque præpetis Idæ
Turba ſubit, cuneúmque replent. his fretus, in hoſtes
Lernæam jacit ipſe trabem. volat illa ſagittis
Æqua fugâ, mediúmque nihil cunctata Politen
Tranſabit, & juncti clypeum cavat improba Mopſi.
Phocea tunc Cydoña, Tanagræúmque Phalantum,
Atque Erycem, hunc retro converſum, & tela petentem
Dum ſpes nulla necis, crinito à vertice figit.
Faucibus ille cavis haſtam non ore recepeam
Miratur

Miratur moriens, paritérque & murmure plenus
Sanguis, & expulsi salierunt cuspide dentes.
Ausus erat furto dextram injectare Leonteus
Ponè viros atque arma latens, positúmque trahebat
Prenso crine caput. vidit, quanquam undique crebræ
Hippomedon ante ora minæ. sævóque protervam
Abstulit ense manum. simul increpat: Hanc tibi Tydeus,
Tydeus ipse rapit. post & confecta virorum
Fata time, magnósque miser fuge tangere manes.
Ter Cadmæa phalanx torvum abduxere cadaver,
Ter retrahunt Danai. Sicuti velut anxia puppis
Seditione maris, nequicquam obstante magistro
Errat, & averso redit in vestigia velo.
Non ibi Sidoniæ valuissent pellere cœpto
Hippomedonta manus. non illum impacta moverent
Tormenta oppositum, formidatsque superbis
Turribus impulsus tentato umbone redissent.
Sed memor Elysii regis, noxásque retexens
Tydeos, in medios situ subit impia campos
Tisiphone, sensere acies, subitúsque cucurrit
Sudor equis, sudórque viris: quanquam ore remisso
Inachium fingebat Halyn: nusquam impius ignis,
Verberáque, & jussi tenuere silentia crines.
Arma gerit, juxtáque feri latus Hippomedontis
Blanda genas, vocémque venit. tamen ille loquentis
Extimuit vultus, admiratúrque timorem.
Ille autem lachrymans, Tu nunc ait inclyte frustra
Exanimes socios, inhumatáque corpora Graiûm,
(Scilicet is nobis metus? aut jam cura sepulchri?)
Protegis, ipse manu Tyriâ tibi captus Adrastus
Raptatur, téque ante alios, te voce, manúque
Invocat. heu qualem lapsare in sanguine vidi
Exutum canos lacero diademate crines.
Nec procul hinc, adverte oculos: ubi plurimus ille
Pulvis, ubi ille globus. paulum stetit anxius heros,
Librabátque metus. premit aspera virgo: quid hæres?
Imus? an hi retinent manes? & vilior ille
Qui supersit? miserum sociis opus, & sua mandat
Prælia, & unanimi vadit desertor amici,
Respiciens tamen, & revocent si fortè paratus.
Indè legens turbata trucis vestigia divæ,
Huc illuc frustra ruit avius. impia donec
Eumenis ex oculis, rejectâ cærula parmâ
Fugit, & innumeri galeam rupere cerastæ.
Aspicit infelix discussâ nube quietos
Inachidas, currúmque nihil metuentis Adrasti.
Et Tyrii jam corpus habent. jam gaudia magnæ
Testantur voces. victórque ululatus aderrat
Auribus, occultóque ferit præcordia luctu.
Ducitur hostili (prò dura potentia fati)
Tydeus ille solo, modò cui Thebana sequenti
Agmina, sive gradum, seu frena effunderet, ingens
Limes utrimque datus: nusquam arma, manúsque qui-
Nulla viri feritas juvat ora rigentia leto, [escunt.
Et formidatos impune lacessere vultus.
Hic amor, hoc unà timidi, fortésque sequuntur
Nobilitare manus, infectáque sanguine tela
Conjugibus servant, parvísque ostendere natis.
Sic ubi Maura diu populatum rura leonem
Quem propter, clausque greges, vigilántque magistri,
Pastorum lassæ debellavere cohortes;
Gaudet ager, magno subeunt clamore coloni,
Præcerpúntque jubas, immaniáque ora recludunt,
Dumnáque commemorant, seu jam sub culmine fixus
Excubat, antiquo seu pendet gloria luco.
At ferus Hippomedon quanquam jam sentit inane
Auxilium, & seram rapto pro corpore pugnam,
It tamen, & cæcum rorat irrevocabilis ensem.
Vix socios, hostémque nihil dum tardet euntem
Secernens, sed cæde novâ jam lubrica tellus
Armáque, seminecésque viri, currúsque soluti
Impediunt, lævúmque femur, quod cuspide fixum
Regis Echionii, seu dissimulaverat ardens,
Sive ibi nescierat, mœstum videt Hoplea tandem.
Tydeos hic magni fidus comes, & modò frustra
Armiger. alipedem pronâ cervice tenebat
Fatorum ignarum domini, solúmque frementem
Quòd vacet. inque acies audentior ille pedestres,
Hunc aspernantem tumido nova pondera tergo
(Unam quippe manum domitis expertus ab annis)
Corripit, affatúrque: quid ô nova jussa recusas
Infelix sonipes? nusquam tibi dulce superbi
Regis onus: non jam Ætolo satiabere campo,
Gaudentémque jubam per stagna Acheloïa solves.
Quod supersit, caros, i, saltem ulciscere manes,
Aut sequere. extorrem neu tu quoque læseris umbram
Captivus, tumidúmque equitem post Tydea portes.
Audisse, accensúmque putes, hôc fulmine raptum
Abstulit, & similes minùs indignatur habenas.
Semifer aëriâ talis Centaurus ab Ossâ
Desilit in valles. ipsum nemora alta tremiscunt,
Campus equum. trepidi cursu glomerantur anhelo
Labdacidæ, premit ille super, necopináque ferro
Colla metens, linquit truncos post terga cadentes.
Ventum erat ad fluvium, solito tunc plenior alveo,
Signa mali, magnâ se mole Ismenos agebat.
Illa brevis requies, illo timida agmina lassam
De campis egere fugam. stupet hospita belli
Unda viros, claráque armorum incenditur umbrâ.
Insiluere vadis. magnóque fragore solutus
Agger, & adversæ latuerunt pulvere ripæ.
Ille quoque hostiles saltu majore per undas
Irruit attonitis (longum dimittere habenas)
Sicut erat, tantùm viridi defixa parumper
Cespite, populeo commendat spicula trunco.
Tunc verò exanimes tradunt rapientibus ultro
Arma vadis, alii dimissâ casside quantùm
Tendere conatus animæ valuere sub undis,
Turpe latent. multi fluvium transmittere nando
Aggressi, sed vincla tenent, lateríque repugnat
Balteus, & madidus deducit pectora thorax.
Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties devexa profundi
Scrutantem delphina vident, fugit omnis in imos
Turba lacus, viridésque metu stipantur in algas.
Nec priùs emersi quàm summa per æquora flexus
Emicet, & visis malit certare carinis.
Talis agit sparsos, medissque in fluctibus heros
Frena manu pariter, pariter regit arma, pedúmque
Remigio sustentat equum, consuetáque campo
Fluctuat, & mersas levis ungula quærit arenas.
Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon Hypseus Astyagen, evasurúmque relicto [Hypseus,
Amne Linum, ni fata vetent & stamine primo
Ablatum tellure mori, premit Agmina Thebes
Hippomedon, turbat Danaos Asopius Hypseus,
Amnis utrumque timet. crasso vada mutat uterque
Sanguine, & à fluvio neutri fatale reverti.
Jam laceri pronis volvuntur cursibus artus,
Oráque, & abscisæ redeunt in pectora dextræ.
Spicula jam clypeósque leves arcúsque remissos
Unda vehit, galeásque vetat descendere crista.
Summa vagis latè sternuntur flumina telis,
Ima viris. illic luctantur corpora leto,
Efflantésque animas retro premit obvius amnis.
Flumineam rapiente vado puer Agrius ulmum
Prenderat, insignes humeros ferus ense Menœceus
Amputat. ille cadens nondum conamine adempto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia remis.
Hypseos hasta Sagen ingenti vulnere mersit.
Ille manet fundo, rediit pro corpore sanguis.
Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miser, & tenuit. sed saucius ille levantem
Degravat amplexu. poterat resolutus Agenor
Emersisse vadis, puduit sinè fratre reverti.
Surgentem dextrâ Chaletum, vulnúsque minantem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex:
Jam vultu, jam crine latet, jam dextera nusquam,
Ultimus abruptas ensis descendit in undas.
Mille modis leti miseros mors una fatigat.
Induit à tergo Mycalesia cuspis Agyrten,
Respexit, nusquam auctor erat. sed concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.
Figitur & validos sonipes Ætolus in armos,
Exiluitque altè vi mortis, & aëra pendens
Verberat. Haud tamen est turbatus flumine dúctor,
Sed miseratur equum, magnóque è vulnere telum
Exuit ipse gemens & sponte remisit habenas.
Indè pedes repetit pugnas, gressúque, manúque
Certior. & segnem Nomium, fortémque Mimanta,
Thisbæúmque Lichan, Anthedoniúmque Lycetum
Continuat ferro, geminíssque è fratribus unum
Thespiaden. eadem poscenti fata Panemo,
Vive superstes, ait, diræque ad mœnia Thebes
Solus abi, miseros non decepture parentes.
Dî bene quòd pugnas rapidum dejecit in amnem
Sanguineâ Bellona manu. trahit unda timentes
Gurgite gentili, nudâ nec flebilis umbrâ

Stridebit

Stridebit veſtros Tydeus inhumatus ad ignes,
Ibitis æquoreis crudelia pabula monſtris.
Illum terra vehit, ſuáque in primordia ſolvit.
Sic premit adverſos, & acerbat vulnera dictis.
Ac nunc enſe furit, nunc tela natantia raptans
Ingerit: innuptæ comitem Therona Dianæ,
Ruricolámque Gyan, cum fluctivago Ergino,
Intonſúmque Herſen, contemptorémque profundi
Crethea, nimboſam qui ſæpe Caphareos arcem
Euboïcáſque hyemes, parvâ transfugerat alno.
Quid non fata queant? trajectus pectora ferro
Volvitur in fluctus: heu cujus naufragus undæ!
Te quoque ſublimi tranſnantem flumina curru
Dum ſocios Pharſale petis, reſupinat ademptis
Dorica cuſpis equis. illos violentia ſævi
Gurgitis, infeſtxque jugi concordia mergit.
Nunc age quis tumidis magnum expugnaverit undis
Hippomedonta labor, cur ipſe excitus in arma
Iſmenos, doctæ nôſſe indulgere ſorores:
Veſtrum opus ire retro, & ſenium defendere famæ.
Gaudebat Fauno, nymphâque Iſmenide natus
Maternis bellare tener Crenæus in undis.
Crenæus, cui prima dies in gurgite fido
Et natale vadum & virides cunabula ripæ.
Ergo ratus nihil Elyſias ibi poſſe ſorores,
Lætus adulantem nunc hôc nunc margine ab illo
Tranſit avum. levat unda gradus, ſeu defluus ille,
Sive obliquus eat, nec cùm ſubit obvius ullas
Stagna dedere moras, paritérque revertitur amnis.
Non Anthedonii tegit hoſpitis inguina pontus
Blandior, æſtivo nec ſe magis æquore Triton
Exerit, aut caræ feſtinos ad oſcula matris
Cùm remeat, tardúmque ferit delphina Palæmon.
Arma decent humeros, clypeúſque inſignis, & auro
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.
Sidonis hìc blandi per candida terga juvenci
Jam ſecura maris, teneris jam cornua palmis
Non tenet: extremis alludunt æquora plantis.
Ire putes clypeo, fluctúſque ſecare juvencum.
Adjuvat unda fidem. pelago nec diſcolor amnis,
Tunc audax pariter telis, & voce protervâ
Hippomedonta petit: non hæc fœcunda veneno
Lerna, nec Herculeis hauſtæ ſerpentibus undæ.
Sacrum amnem, ſacrum, (&, miſer, experiere) deûmque
Altrices irrumpis aquas. nihil ille, ſed ibat
Cominus, oppoſuit cumulo ſe denſior amnis
Tardavítque manum. vulnus tamen illa retentum
Pertulit, atque animæ tota in penetralia ſedit.
Horruit unda nefas: ſylvæ flevíſtis utræque:
Et graviora cavæ ſonuerunt murmura ripæ.
Ultimus ille ſonus moribundo emerſit ab ore,
Mater: in hanc miſeri ceciderunt flumina vocem.
At genitrix cœtu glaucarum cincta ſórorum
Protinus icta malo, vitreâ de valle ſolutis
Exiliit furibunda comis, ac verbere crebro
Oráque, pectoráque, & viridem ſcidit horrida veſtem.
Utque erupit aquis, iterúmque, iterúmque trementi
Ingeminat, Crenæe, ſono. nuſquam ille, ſed index
Deſuper, ah miſeræ nimiùm noſcenda parenti,
Parma natat. jacet ipſe procul, quâ mixta ſupremum
Iſmenon primi mutant confinia ponti.
Fluctivagam ſic ſæpe domum, madidóſque penates
Halcyone deſerta gemit, cùm pignora ſævus
Auſter, & algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum, penitúſque occulta ſub undis
Limine non uno, liquidum quâ ſubter eunti
Lucet iter, miſeri nequicquam funera nati
Veſtigat, plangítque tamen. ſæpe horridus amnis
Obſtat, & obducto caligant ſanguine viſus.
Illa tamen præceps in tela offendit & enſes,
Scrutatúrque manu galeas, & prona reclinat
Corpora. nec ponto ſubmota intrabat amaram
Dorida. poſſeſſum donec jam fluctibus altis
Nereïdum miſerata cohors, ad pectora matris
Impulit. illa manu ceu vivum amplexa reportat.
Inſternítque toris riparum, atque humida ſiccat
Mollibus ora comis, atque hæc ululatibus addit:
Hoc tibi ſemidei munus tribuere parentes?
Nec mortalis avus? ſic noſtro in gurgite regnas?
Mitior heu miſero diſcors, alienáque tellus,
Mitior unda maris, quæ juxta flumina corpus
Rettulit, & miſeram viſa expectâſſe parentem.
Hîne mei vultus? hæc torvi lumina patris?
Hi crines undantis avi? tu nobile quondam
Undarum, nemorúmque decus, quo ſoſpite major
Diva, & nympharum longè regina ferebar.
Heus ubinam ille frequens modò circa limina matris
Ambitus? orantéſque tibi ſervire Napææ?
Cur nunc te meliùs ſævo manſura profundo
Amplexu miſero tumulis, Crenæe, reporto,
Non mihi? nec tantæ pudet (heu) miſerétque ruinæ,
Dure parens? quæ te alta & ineluctabilis imo
Condidit amne palus? quo jam nec cruda nepotis
Funera, nec noſtri valeant perrumpere planctus?
Ecce furit, jactátque tuo ſe in gurgite major
Hippomedon, illum, ripæque undæque tremiſcunt,
Illius impulſu noſtrum bibit unda cruorem.
Tu piger, & trucibus facilis ſervire Pelaſgis.
Ad cineres ſaltem, ſupremáque juſta tuorum
Sæve veni, non hìc ſolum accenſure nepotem.
His miſcet planctus, multúmque indigna cruentat
Pectora, cæruleæ referunt lamenta ſorores.
Qualiter Iſthmiaco nondum Nereïda portu
Leucothean planxiſſe ferunt, dum pectore anhelo
Frigidus in matrem ſævum mare reſpuit infans.
At pater arcano reſidens Iſmenos in antro,
Unde auræ, nubéſque bibunt, atque imbriſer Arcus
Paſcitur, & Tyrios melior venit annus in agros,
Ut lamenta procul (quanquam obſtrepit ipſe) novóſque
Accepit natæ gemitus, levat aſpera muſco
Colla, gravémque gelu crinem, cecidítque ſolutâ
Pinus adulta manu, demiſſáque volvitur urna.
Illum per ripas annoſo ſcrupea limo
Ora exertantem ſylvæ, fluviſque minores
Mirantur, tantus tumido de gurgite ſurgit,
Spumoſum attollens apicem, lapſúque ſonoro
Pectora cæruleæ rivis manantia barbæ,
Obvia cognatos gemitus, caſúmque nepotis
Nympharum docet una patrem, monſtrátque cruentum
Auctorem, dextrámque premit. ſtetit arduus alto
Amne, manúque genas, & nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, ſic turbidus ore profundo
Incipit: húncne mihi, ſuperûm regnator, honorem,
Quòd toties hoſpéſque tuis & conſcius actis,
(Nec memorare timor,) falsâ nunc improba fronte
Cornua, nunc vetitam currus disjungere Phœben,
Dotaléſque rogos, deceptáque fulmina vidi,
Præcipuóſque alui natorum? an vilis & illis
Gratia? ad hunc certè repſit Tirynthius amnem:
Hâc tibi flagrantem Bromium reſtinximus undâ.
Aſpice quas fluvio cædes, quæ funera portem
Continuus telis, altóque adopertus acervo.
Omne vadum belli ſeries tenet: omnia anhelat
Unda nefas, ſubtérque animæ, ſupráque recentes
Errant, & geminas jungunt caligine ripas.
Ille ego clamatus ſacris ululatibus amnis,
Qui molles thyrſos, Bacchæáque cornua puro
Fonte lavare feror, ſtipatas cædibus arctas
In freta quæro vias. non Strymonos impia tanto
Stagna cruore natant, non ſpumifer altius Ebrus
Gradivo bellante rubet. nec te admonet altrix
Unda, tuáſque manus, jam pridem oblite parentum
Liber? an Eous meliùs pacatur Hydaſpes?
At tu qui tumidus ſpoliis, & ſanguine gaudes
Inſontis pueri, non hôc ex amne potentem
Inachon, aut ſævas victor revehere Mycenas,
Nî mortalis ego, & tibi ductus ab æthere ſanguis.
Sic ait infrendens, & ſponte furentibus undis
Signa dedit. mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia, antiquáſque nives, & pabula brumæ
Ire jubet. frater tacitas Aſopos eunti
Conciliat vires, & hiulcis flumina venis
Suggerit. ipſe cavæ ſcrutatur viſcera terræ,
Stagnáque, torpentéſque lacus, pigráſque paludes
Excutit, atque avidos tollens ad ſidera vultus
Humentes nebulas exhaurit, & aëra ſiccat.
Jámque ſuper ripas utroque extantior ibat
Aggere, jam medium modò qui ſuperaverat amnem
Hippomedon intactus aquis humeróſque manúſque,
Miratur cerviſſe vadum, ſeſéque minorem.
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animoſáque ſurgit
Tempeſtas inſtar pelagi, cùm Pleïadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Non ſecus æquoreo jactat Theumeſius amnis
Hippomedonta ſalo, ſempérque umbone ſiniſtro
Tollitur, & clypeum nigrante ſupervenit æſtu
Spumeus adſultans, fractâque refunditur undâ,
Et cumulo majore redit. nec mole liquenti

¶ Contentus,

Contentus, carpit putres ſervantia ripas
Arbuſta, annoſáſque trabes, ejectáque fundo
Saxá rotat. ſtat pugna impar amuſſque virſque,
Indignante deo. nec enim dat terga, nec ullis
Frangitur ille minis, venientéſque obvius undas
Intrat, & objectâ diſpellit flumina parmâ.
Stant terrâ fugiente gradus, & poplite tenſo
Lubrica ſaxa natant, genibúſque obnixus, & hærens
Subruta fallaci ſervat veſtigia limo.
Sic etiam increpitans: Unde hæc, Iſmene, repentè
Ira tibi? quóve has traxiſti gurgite vires
Imbelli famulante deo? ſolúmque cruorem
Fœmineis experte choris, cùm Bacchica mugit
Buxus, & inſanæ maculant trieterida matres?
Dixerat. atque illi ſeſe deus obtulit ultro
Turbidus imbre genas, & imbe natantis arenæ.
Nec ſævit dictis, truncâ ſed pectora quercu
Ter, quater, oppoſiti, quantùm ira deúſque valebant,
Impulit aſſurgens, tandem veſtigia flexit,
Excuſſúmque manu tegimen, converſáque lentè
Terga refert. inſtant undæ, ſequitúrque labentem
Amnis ovans. nec non ſaxis, & grandine ferri
Deſuper infeſtant Tyrii, geminóque repellunt
Aggere. quid faciat bellis obſeſſus, & undis?
Nec fuga jam miſero, nec magnæ copia mortis.
Stabat gramineæ producta crepidine ripæ
Undarum ac terræ dubio, ſed amicior undis
Fraxinus, ingentíque vadum poſſederat umbrâ.
Hujus opem (nam quâ terras invaderet?) uncâ
Arripuit dextrâ: nec pertulit illa trahentem.
Sed majore ſuprà, quàm ſtabat pondere victa
Solvitur, & quâ ſtagna ſubit radice, quibúſque
Arentem mordebat humum, demiſſa ſuperne
Injecit trepido ſeſe, ripámque, nec ultrà
Paſſurum ſubitæ vallavit ponte ruinæ.
Huc undæ coëunt, & ineluctabile cœnum
Vorticibúſque cavis ſedit, creſcítque barathrum.
Jámque humeros, jam colla ducis ſinuoſa vorago
Circuſit. hic demum victus ſuprema fateri
Exclamat: Fluvióne (pudet!) Mars inclyte merges
Hanc animam? ſegnéſque lacus & ſtagna ſubibo
Ceu pecoris cuſtos, ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeóne occumbere ferro
Non merui? tandem precibus commota Tonantem
Juno ſubit: Quónam miſeros, fator inclyte divûm,
Inachidas, quónam uſque premes? jam Pallas & odit
Tydea, jam rapto tacuerunt augure Delphi.
En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ
Argoliſque lares, numénque ante omnia Juno,
(Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit
Præda feris? certè tumulos, ſupremáque victis
Buſta dabas. ubi Cecropiæ poſt prælia flammæ?
Theſeos ignis ubi eſt? non ſpernit conjugis æquas
Ille preces: levitérque oculos ad mœnia Cadmi
Retulit, & viſo ſederunt flumina nutu.
Illius exangues humeri, & perfoſſa pateſcunt
Pectora. ceu ventis altè cùm elata reſedit
Tempeſtas, ſurgunt ſcopuli, quæſitáque nautis
Terra, & ab infeſtis deſcendunt æquora ſaxis.
Quid ripas tenuiſſe juvat? premit undique nimbo
Telorum Phœniſſa cohors. nec tegmina membris
Ulla, omníſque patet leto. tunc vulnera manant,
Quíque ſub amne diu ſtupuit cruor, aëre nudo
Solvitur, & tenues venarum laxat hiatus,
Incertíque labant undarum frigore greſſus.
Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo
Seu Boreæ furiis, putri ſeu robore quercus
Cœlo mixta comas, ingentémque æra laxat.
Illam nutantem nemus, & mons ipſe tremiſcit
Quâ tellure cadat, quas obruat ordine ſylvas.
Non tamen aut enſem, galeámve audacia cuiquam
Tangere. vix credunt oculis, ingentíáque horrent
Funera, & aſtrictis accedunt cominus armis.
Tandem adiit Hypſeus, capulúmque in morte tenenti
Extrahit, & torvos laxavit caſſide vultus.
Itque per Aonios altè mucrone coruſco
Suſpenſam oſtentans galeam, & clamore ſuperbit.
Hic ferus Hippomedon: hic formidabilis ultor
Tydeos infandi, debellatórque cruenti
Gurgitis, agnovit longè, preſſítque dolorem
Magnanimus Capaneus. telúmque immane lacerto
Hortatur librans: Ades ô mihi, dextera, tantùm
Tu præſens bellis, & inevitabile numen,
Te voco, te ſolam ſuperſtim contemptor adoro.
Sic ait, & voti ſeſe facit ipſe potentem.
It tremebunda abies, clypeum per & æreа terga
Loricæ, tandémque animam ſub pectore magno
Deprendit: ruit haud alio quàm celſa fragore
Turris, ubi innumeros penitus quaſſata per ictus
Labitur, effractámque aperit victoribus urbem.
Cui ſuper adſiſtens, non inficiamur honorem
Mortis ait: refer huc oculos, ego vulneris author.
Lætus abi, multúmque aliis jactantior umbris.
Tunc enſem, galeámque rapit, clypeúmque revellit
Ipſius, exanimémque tenens ſuper Hippomedonta,
Accipe, ait, ſimul hoſtiles dux magne, tuáſque
Exuvias: veniet cineri decus, & ſuus ordo
Manibus, interea juſtos dum reddimus ignes,
Hôc ultor Capaneus operit tua membra ſepulchro.
Sic anceps durâ belli vice mutua Graiis
Sidoniſque ſimul nectebat vulnera Mavors.
Hic ferus Hippomedon, illìc non ſegnior Hypſeus
Fletur, & alterni præbent ſolatia luctus.
Triſtibus interea ſomnum turbata figuris
Torva ſagittiferi mater Tegeatis Ephebi,
Crine dato paſſim, plantíſque ex more ſolutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas
Purgatura malum fluvio vivente ſoporem.
Namque per attonitas curarum pondere noctes
Sæpe & delapſas adytis, quas ipſa dicârat
Exuvias, ſéque ignotis errare ſepulchris
Extorrem nemoris, Dryadúmque à plebe fugatam,
Sæpe novos nati bello rediiſſe triumphos,
Armáque, & alipedem notum, comitéſque videbat,
Nuſquam ipſum. nunc ex humeris fluxiſſe pharetras,
Effigiéſque ſuas, ſimulacráque nota cremari.
Præcipuos ſed enim illa metus portendere viſa
Nox miſeræ, totóque erexit pectore matrem.
Nota per Arcadias felici robore ſylvas
Quercus erat, Triviæ quam deſacraverat ipſa
Electam turbâ nemorum, numéníque colendo
Fecerat. hìc arcus, & feſſa reponere tela,
Armáque curva Suum, & vacuorum terga Leonum
Figere, & ingentes æquantia cornua ſylvas.
Vix ramis locus: agreſtes adeò omnia cingunt
Exuviæ, & viridem ferri nitor impedit umbram.
Hanc ut fortè jugis longo defeſſa redibat
Venatu modò rapta ferox Erymanthidos urſæ
Ora ferens, multo proſciſſam vulnere cernit
Depoſuiſſe comam, & rorantes ſanguine ramos
Expirâſſe ſolo. quærenti Nympha cruentas
Mænadas, atque hoſtem dixit ſæviſſe Lyæum.
Dum gemit, & planctu circundat pectus inani,
Abrupere oculi noctem, mœſtóque cubili
Exilit, & falſos quærit per lumina fletus.
Ergo ut in amne nefas merſo ter crine piavit,
Verbáque ſollicitas matrum ſolantia curas
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ,
Rore ſub Eoo, notáſque ex ordine ſylvas
Et quercum gaviſa videt. tunc limine divæ
Aſtitit, & tali nequicquam voce precatur:
Virgo potens nemorum, cujus non mollia ſigna
Militiámque trucem, ſexum indignata frequento
More nihil Graio. nec te gens alpera ritu
Colchis, Amazoniæve magis coluere catervæ.
Si mihi non unquam thyaſi, ludúſve procervæ
Noctis & inviſo quamvis temerata cubili,
Non tamen aut teretes thyrſos, aut mollia geſſi
Penſa, ſed in tetricis & poſt connubia luſtris,
Sic quoque venatrix, animúmque innupta remanſi.
Nec mihi ſecretis culpam occultare ſub antris
Cura, ſed oſtendi natum, poſuíque trementem
Ante tuos confeſſa pedes. nec degener ille
Sanguinis, ſnque meos reptavit protinus arcus,
Tela puer lachrymis & primâ voce popoſcit:
Hunc mihi (quid trepidæ noctes, ſomnúſque minantur?)
Hunc, precor, audaci qui nunc ad prælia voto
Heu nimiùm tibi fiſus abit, da viſere belli
Victorem, vel ſi ampla peto, da viſere tantùm.
Hic ſudet, tuáque arma ferat. preme diva malorum
Signa: quid in noſtris, nemoralis Delia, ſylvis
Mænades hoſtiles, Thebanáque numina regnant?
Hei mihi cur penitus (ſínque augur caſſa futuri)
Cur penitus, magnóque interpretor omine quercum?
Quòd ſi vera ſopor miſeræ præſagia mittit,
Per te maternos, mitis Dictynna, labores,
Fraternúmque decus, juſtis hunc fige ſagittis
Infelicem uterum. miſeræ ſine funera matris

Audiat

Audiat ille prior. dixit, flетúque ſoluto,
Aſpicit & niveæ ſaxum maduiſſe Dianæ.
Illam diva ferox etiamnum in limine ſacro
Expoſitam, & gelidas verrentem crinibus aras
Linquit, & in mediis frondentem Mænalon aſtris
Exuperat greſſu, ſaltúmque ad mœnia Cadmi
Deſtinat, interior cœli quà ſemita lucet
Dis tantùm, & cunctas juxtà videt arduus terras.
Jámque ferè medium Parnaſi frondea præter
Colla tenebat iter, cùm fratrem in nube coruſcâ
Aſpicit haud ſolitum viſu. remeabat ab armis
Mœſtus Echioniis, demerſi funera lugens
Auguris. irrubuit cœli plaga ſidere mixto,
Occurſúque ſacro pariter jubar arſit utrimque,
Et coiere arcus, & reſpondere pharetræ.
Ille prior, Scio Labdacidas, germana, cohortes,
Et nimiùm fortes auſum petis Arcada pugnas.
Fida rogat genitrix; utinam indulgere precanti
Fata darent! en ipſe mei (pudet) irritus arma
Cultoris, frondéſque ſacras, ad inania vidi
Tartara, & in memet verſos deſcendere vultus.
Nec tenui currus, terræque abrupta coëgi,
Sævus ego, immeritúſque coli. Lugentia cernis
Antra, ſoror, mutáſque domos. hæc ſola rependo
Dona pio comiti. nec tu peritura movere
Auxilia, & moeſtos in vanum perge labores.
Finis adeſt juveni: non hoc mutabile fatum.
Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt.
At decus extremum miſero, conſuſa viciſſim
Virgo refert, duræque licet ſolatia morti
Quærere, nec fugiet pœnas, quicunque nefandam
Inſontis pueri ſceleràrit ſanguine dextram
Impius & noſtris fas ſit ſævire ſagittis.
Sic effata movet greſſus, libandáque fratri
Parciùs ora tulit, Thebáſque infeſta petivit.
At pugna ereptis major crudeſcit utrimque
Regibus, alternóſque ciet vindicta furores.
Hypſeus hinc turmæ, deſolatúmque magiſtro
Agmen, at hinc graviùs fremit Hippomedontis adempti
Orba cohors. præbent obnixi pectora ferro:
Idem ardor rabidis externum haurire cruorem,
Ac fudiſſe ſuum: nec ſe veſtigia mutant.
Stat cuneo defixa acies, hoſtíque cruento
Dant animas, & terga negant, cùm lapſa per auras
Vertice Dircæi velox Latonia montis
Aſtitit. agnoſcunt colles, notámque tremiſcit
Sylva deam, ſævis ubi quondam exerta ſagittis
Fœcundam laſſo Nioben conſumpſerat arcu.
Illum acies inter medias, jam cæde ſuperbum
Neſcius armorum, & primas tunc paſſus habenas
Venator raptabat equus, quem diſcolor ambit
Tigris, & auratis adverberat unguibus armos.
Colla ſedent, nodis & caſtigata jubarum
Libertas, nemoriſque notæ ſub pectore primo
Jactantur, niveo lunata monilia dente.
Ipſe bis Oebalio ſaturatam murice pallam,
Lucentéſque auro tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo
Cornipedis lævo clypeum demiſerat armo,
Enſe gravis nimio: tereti juvat aurea morſu
Fibula, pendentes circùm latera aſpera cinctus,
Vaginæque ſonum, tremulúmque audire pharetræ
Murmur, & à cono miſſas in terga catenas.
Interdum criſtas hilaris jactare comantes,
Et pictum gemmis galeæ jubar. aſt ubi pugnâ
Caſſis anhela calet; reſoluto vertice nudus
Exoritur. tunc dulcè comæ, radiíſque micantes
Dulcè nitent viſus, &, quas dolet ipſe morari,
Nondum mutatæ roſeâ lanugine malæ.
Nec formæ tibi laude placet, multúmque ſeveris
Aſperat ora minis, ſed frontis ſervat honorem
Ira decens. dat ſponte locum Thebana juventus
Natorum memores, intentáque tela retorquent.
Sed premit, & fævas miſerantibus ingerit haſtas.
Illum & Sidoniæ juga per Theumeſia nymphæ
Bellantem, atque ipſo ſudore & pulvere gratum
Laudant, & tacito ducunt ſuſpiria voto.
Talia cernenti mitis ſubit alta Dianæ
Corda dolor, flетúque genas violata, Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quæram dea fida propinqui
Effugium? hæcne ultro properâſti ad prælia, ſæve
At miſerande puer? cruda heu feſtináque Virtus
Suaſit, & hortatrix animoſi gloria leti.
Scilicet anguſtum jamdudum urgentibus annis
Mænalium tibi, parve, nemus, pérque antra ferarum
Vix tutæ ſinè matre viæ, ſylveſtria cujus
Nondum tela procax, arcúmque implere valebas:
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, ſurdáſque fores, & limina laſſat.
Tu dulces lituos, ululatáque prælia gaudes
Felix, & miſeræ tantùm periture parenti.
Ne tamen extremo fruſtra morientis honori
Adfuerit, venit in medios caligine fulvâ
Septa globos, primúmque leves furata ſagittas
Audacis tergo pueri, cœleſtibus implet
Coryton telis, quorum ſinè ſanguine nullum
Effugit. Ambroſio tunc ſpargit membra liquore,
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantúſque ſacros, & conſcia miſcet
Murmura, ſecretis quæ Colchidas ipſa ſub antris
Nocte docet, monſtrátque feras quærentibus herbas.
Tunc verò exerto circumvolat igneus arcu,
Nec ſe mente regit, patriæ, matriſque, ſuique
Immemor, & nimiùm cœleſtibus utitur armis.
Ut leo, cui parvo mater Gætula, cruentos
Suggerit ipſa cibos, cùm primùm creſcere ſenſit
Colla jubis, torvúſque novos reſpexit ad ungues,
Indignatur ali, tandémque effuſus apertos
Liber amat campos, & neſcit in antra reverti.
Quos age Parrhaſio ſternis, puer improbe, cornu?
Prima Tanagræum turbavit arundo Chorœbum
Extremo galeæ, primóque in margine parmæ
Anguſtâ tranſmiſſa viâ. ſtat faucibus unda
Sanguinis, & ſacri facies rubet igne veneni.
Sæviùs Eurytion, cui luminis orbe ſiniſtri
Aſpera tergeminis acies ſe condidit uncis.
Ille trahens oculo plenam labente ſagittam
Ibat in auctorem. Sed divûm fortia quid non
Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
Explevit tenebras, ſequitur tamen improbus hoſtem,
Quà meminit, fuſum donec prolapſus in Idam
Decidit, hic ſævi miſer inter funera belli
Palpitat, & mortem, ſocióſque, hoſtéſque precatur.
Addit Abantiadas, inſignem crinibus Argum,
Et malè dilectum miſeræ Cydona ſorori.
Illi perfoſſum telo patefecerat inguen,
Huic geminum obliquâ trajecit arundine tempus.
Extitit hàc ferrum, velox hàc penna remanſit;
Fluxit utrimque cruor: nulli tela aſpera mortis
Dant veniam. non forma Lamum, non inſula Lygdum,
Non pubeſcentes texerunt Æolon anni.
Figitur ora Lamus, flet ſaucius inguina Lygdus,
Perfoſſam telo niveam gemis Æole frontem.
Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe
Miſerat, hunc virides non excipietis Amyclæ.
Nunquam caſſa manus, nullum ſinè vulnere fugit
Miſſile; nec requies dextræ, ſonitúmque priori
Jungit arundo ſequens. unum quis crederet arcum?
Aut unam ſævire manum? modò dirigit ictus,
Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
Nunc fugit inſtantes, & ſolo reſpicit arcu.
Et jam mirantes, indignantéſque coïbant
Labdacidæ, primûſque Jovis de ſanguine claro
Amphion, ignarus adhuc, quæ funera campis
Ille daret, Quóuam uſque moram lucrabere fati,
O multùm meritos puer orbature parentes?
Quin etiam menti tumor, atque audacia gliſcit,
Congreſſus dum nemo tuos, pugnámque minorem
Dignatur bellis, irámque relinqueris intra.
I, repete Arcadiam, mixtúſque æqualibus illic,
Dum ferus hìc vero deſævit pulvere Mavors,
Prælia lude domi. quòd ſi te mœſta ſepulchri
Fama movet, dabimus, leto moriere virorum.
Jamduduum hunc contra ſtimulis gravioribus ardet
Trux Atalantiades, necdum ille quieverat, infit:
Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus arma
Profero. quiſnam adeò puer, ut bellare recuſet
Talibus? Arcadiæ ſtirpem, & fera femina gentis,
Non Thebana vides. non me ſub nocte ſilenti
Thyas Echionio genitrix famulata Lyæo
Edidit, haud unquam deformes vertice mitras
Induimus, turpíque manu jactavimus haſtam.
Protinus aſtrictos didici reptare per amnes,
Horrendáſque domos magnarum intrare ferarum,
Et quid plura loquar? ferrum mea ſemper, & arcus
Mater habet, veſtri feriunt cava tympana patres.
Non tulit Amphion, vultúmque, & in ora loquentis
Telum immane rotat, ſed ferri lumine diro

Turbatus

Turbatus ſonipes, ſeſe dominúmque retorſit
In latus, atque avidam tranſmiſit devius haſtam.
Acrior hôc juvenem ſtricto mucrone petebat
Amphion. cùm ſe medio Latonia campo
Injicit ante oculos: omni ſtetit obvia vultu.
Hærebat juveni devinctus amore pudico
Mœnalius Dorceus, cui bella, ſuúmque timorem
Mater, & audaces pueri mandaverat annos.
Hujus tum vultum dea diſſimulata profatur:
Hactenus Ogygias ſatis infeſtâſſe catervas,
Parthenopæe, ſatis. miſeræ jam parce parenti,
Parce deis quicunque favent. nec territus ille,
Hunc ſine me (ne plura petam) fidiſſime Dorceu,
Sternere humi, qui tela meis gerit æmula telis,
Et ſimiles cultus, & frena ſonantia jactat.
Frena regam; cultus triviæ pendebitis alto
Limine, captivis matrem donabo pharetris.
Audiit, & mixto riſit Latonia fletu.
Viderat hanc cœli jamdudum in parte remotâ
Gradivum complexa Venus, dúmque anxia Thebas
Commemorat, Cadmúmque viro, caræque nepotes
Harmoniæ, preſſum tacito ſub corde dolorem
Tempeſtiva movet. Nónne hanc, Gradive, protervam
Virginitate vides mediam ſe ferre virorum
Cœtibus? útque acies audax, & Martia ſigna
Temperet? en etiam donat, præbétque necandos
Tot noſtrâ de gente viros. huic tradita Virtus,
Huic furor? agrelles ſupereſt tibi figere damas.
Deſiluit juſtis commotus in arma querelis
Bellipotens, cui ſola vagum per inane ruenti
Ira comes, reliqui ſudant ad bella Furores.
Nec mora, cùm mœſtam monitu Latoïda duro
Increpat aſſiſtens: Non hæc tibi prælia divûm
Dat pater, armiferum ni protinus improba campum
Deſeris, huic æquam noſces nec Pallada dextræ.
Quid faciat contrà? premit hinc Mavortia cuſpis,
Hinc plenæ tibi, parve, colus, Jovis indè ſeveri
Vultus: abit ſolo poſt hæc victa pudore.
At pater Ogygias Mavors circumſpicit alas,
Horrendúmque Dryanta movet, cui ſanguinis auctor
Turbidus Orion, comitéſque odiſſe Dianæ.
Indè furit primùm. hic turbatos arripit enſe
Arcadas, exarmátque ducem. cadit agmine longo
Cyllenes populus, Tegeéſque habitator opacæ
Æpitiſque duces, fugiunt, Pheneſque phalanges.
Ipſum autem, & laſsâ fidit proſternere dextrâ,
Nec ſervat vires, etenim huc jam ſeſſus, & illuc,
Mutabat turmas, urgent præſagia mille
Funeris, & nigræ præcedunt nubila mortis.
Jámque miſer raros comites, verúmque videbat
Dorcea, jam vires paulatim abſcedere ſentit,
Sentit & exhauſtas humero leviore pharetras.
Jam minùs atque minùs fert arma, puérque videtur
Et ſibi, cùm torvâ clypei metuendus obarſit
Luce Dryas, tremor ora repens, ac viſcera torſit
Arcados. útque feri vectorem fulminis albus
Cùm ſuprà reſpexit Olor, cupit hiſcere ripam
Strymonos, & trepidas in pectora contrahit alas;
Sic juvenem ſævi conſpectâ mole Dryantis,
Jam non ira ſubit, ſed leti nuncius horror.
Arma tamen, fruſtra ſuperos Triviámque precatus,
Molitur pallens, & ſurdos expedit arcus.
Jámque inſtat telis, & utramque obliquus in ulnam
Cornua contingit mucrone, & pectora nervo.
Cùm ducis Aonii magno cita turbine cuſpis
Fertur in adverſum, nervíque obliqua ſonori
Vincla ſecat, pereunt ictus, manibúſque remiſſis
Vana ſupinato ceciderunt ſpicula cornu.
Tunc miſer & frenos turbatus, & arma remiſit,
Vulneris impatiens, humeri quà tegmina dextri
Intrârat, facilémque cutem ſubit altera cuſpis,
Cornipedíſque fugam ſucciſo poplite ſiſtit.
Tunc cadit ipſe Dryas (mirum) nec vulneris uſquam
Conſcius, olim auctor teli, cauſæque patebant.
At puer infuſus ſociis, in devia campi
Tollitur (heu ſimplex ætas!) moriénſque jacentem
Flebat equum. cecidit laxatâ caſſide vultus,
Ægráque per trepidos expirat gratia viſus,
Et prenſis concuſſa comis, ter colla, quatérque
Stare negant, ipſíſque nefas lachrymabile Thebis,
Ibat purpureus niveo de pectore ſanguis.
Tandem hæc ſingultu verba incidente profatur:
Labitur, i, miſeram, Dorceu, ſolare parentem.
Illa quidem, ſi vera ferunt præſagia curæ,
Aut ſomno jam triſte nefas, aut omine vidit.
Tû tamen arte piâ trepidam ſuſpende, diúque
Decipito, neu tu ſubitus, néve arma tenenti
Veneris, & tandem cùm jam cogere fateri,
Dic: merui, genitrix, pœnas, invita capeſſens
Arma puer rapui, nec te retinente quievi:
Nec tibi ſollicitæ ſaltem inter bella peperci.
Vive igitur, potiúſque animis iraſcere noſtris.
Et jam pone metus. fruſtra de colle Lycæi
Anxia proſpectas, ſi quis per nubila longè
Aut ſonus, aut noſtro ſublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nudâ jaceo tellure, nec uſquam
Tu propè, quæ vultus, efflantiáque ora teneres.
Hunc tamen, orba parens, crinem (dextrâque ſecandum
Præbuit) hunc toto capies pro corpore criuem,
Comere quem fruſtra me dediguante ſolebas.
Huic dabis exequias: atque inter juſta memento,
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis,
Dilectóſque canes ullis agat ampliùs antris.
Hæc autem primis arma infelicia caſtris
Ure, vel ingratæ munus ſuſpende Dianæ.

LIBER X.

OBRUIT Heſperiâ Phœbum nox humida portâ
Imperiis properata Jovis, nec caſtra Pelaſgûm,
Aut Tyrias miſeratus opes, ſed triſte tot extra
Agmina, & immeritas ferro decreſcere gentes.
Panditur immenſo deformis ſanguine campus.
Illic arma, & equos, ibant quibus antè ſuperbi,
Funeráque orba rogis, negleétáque membra relinquunt.
Tunc inhonora cohors laceris inſignibus ægras
Secernunt acies, portæque ineuntibus arma
Anguſtæ populis, latè cepere reverſos.
Par utrinque dolor, ſed dant ſolatia Thebis
Quatuor errantes Danaûm ſinè præſide turmæ.
Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni,
Quas Deus, & caſus, tempeſtatéſque gubernant.
Indè animus Tyriis non jam ſua caſtra, ſed ultro
Hoſtilem ſervare fugam, ne fortè Mycenas
Contenti rediiſſe petant. dat teſſera ſignum
Excubiis, poſitæque vices. dux noctis opertæ
Sorte Meges, ultróque Lycus. jámque ordine juſſo
Arma, dapes, ignémque ferunt, rex firmat euntes.
Victores Danaûm (nec enim lux craſtina longè,
Nec quæ pro timidis interceſſere tenebræ
Semper erunt) augete animos, & digna ſecundis
Pectora ferte deis. jacet omnis gloria Lernæ
Præcipuæque manus, ſubiit ultricia Tydeus
Tartara. mors ſubitam nigri ſtupet auguris umbram.
Iſmenos raptis tumet Hippomedontis opimis.
Arcada belligeris pudet annumerare trophæis.
In manibus merces. nuſquam capita ardua belli
Monſtratæque ducum ſeptena per agmina criſtæ.
Scilicet Adraſti ſenium, fratérque juventâ
Pejor, & inſanis Capaneus metuendus in armis?
Ite age, & obſeſſis vigiles circundate flammas.
Nulli ex hoſte metus, prædam adſervatis, opéſque
Jam veſtras. Sic ille truces hortatibus implet
Labdacidas. juvat exhauſtos iterare labores.
Sicut erat pulvis, ſudórque, cruórque per artus
Mixtus adhuc, vertere gradum. vix obvia paſſi
Colloquia, amplexus etiam, dextráſque ſuorum
Excuſſere humeris. tunc frontem, averſâque terga
Partiti, laterúmque ſinus, vallum undique cingunt
Ignibus infeſti. rabidi ſic agmine mixto
Sub noctem coiere Lupi, quos omnibus agris
Nil non auſa fames longo tenuavit hiatu,
Jam ſtabula ipſa premunt: torquet ſpes irrita fauces,
Balatúſque tremens, pinguéſque ab ovilibus auræ.
Quod ſupereſt, duris adtringunt poſtibus ungues,
Pectoráque, & ſiccos minuunt in limine dentes.
At procul Argolici ſupplex in margine templi
Cætus, & ad patrias fuſæ Pelopeïdes aras
Sceptriferæ Junonis opem, reditúmque ſuorum
Expoſcunt, pictáſque fores, & frigida vultu
Saxa terunt, parvóſque docent procumbere natos.
Condiderant jam vota diem: nox addita curas
Jungit, & aggeſſis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus ſterilis, nec diſſociata marito
Verſârat, calathis caſtæ velamina divæ

Haud

Haud ſpernenda ferunt. variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtóque incenditur auro.
Ipſa illìc magni thalamo deſponſa Tonantis
Expers connubii, & timidè poſitura ſororem
Lumine demiſſo pueri Jovis oſcula libat
Simplex, & nondum furtis offenſa mariti.
Hôc tunc Argolicæ ſanctum velamine matres
Induerant ebur, & lachrymis queſtúque rogabant.
Aſpice ſacrilegas Cadmeæ pellicis arces,
Siderei regina poli, tumulúmque rebellem
Diſpice, & in Thebas aliud (potes) excute fulmen.
Quid faciat? ſcit fata ſuis contraria Graiis,
Averſúmque Jovem: ſed nec periiſſe precatus
Tantáque dona velit. tempus tamen obvia magni
Fors dedit auxilii. videt alto ex æthere clauſa
Mœnia, & inſomni vallum ſtatione teneri.
Horruit irarum ſtimulis, motâque verendum
Turbavit diadema comâ. non ſæviùs arſit
Herculeæ cùm matris onus, geminóſque Tonantis
Concubitus vacuis indignaretur in aſtris.
Ergo intempeſtâ ſomni dulcedine captos
Deſtinat Aonios leto præbere: ſuámque
Orbibus accingi ſolitis jubet Irin, & omne
Mandat opus. paret juſſis dea clara, polúmque
Linquit, & in terras longo ſuſpenditur arcu.
Stat ſuper occiduæ nebuloſa cubilia noctis,
Æthiopáſque alios, nulli penetrabilis aſtro
Lucus iners, ſubtérque cavis grave rupibus antrum
Jt vacuum in montem, quà deſidis atria ſomni,
Securúmque larem ſegnis Natura locavit.
Limen opaca Quies, & pigra Oblivia ſervant,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu.
Otia veſtibulo, preſſiſque ſilentia pennis
Muta ſedent, abigúntque truces à culmine ventos.
Et ramos errare vetant, & murmura demunt
Alitibus. non hìc pelagi, licèt omnia clament
Littora, non illic cœli fragor. ipſe profundis
Vallibus effugiens ſpeluncæ proximus amnis
Saxa inter, ſcopulóſque tacet. nigrantia circà
Armenta, omne ſolo recubat pecus, & nova marcent
Germina, terrarúmque inclinat ſpiritus herbas.
Mille intus ſimulacra dei cælaverat ardens
Mulciber. hìc hæret lateri redimita Voluptas.
Hic comes in requiem vergens labor. eſt ubi Baccho,
Eſt ubi Martigenæ ſocium pulvinar Amori
Obtinet. interius tectum in penetralibus altis
Et cum Morte jacet. nullique ea triſtis imago.
Ipſe autem, vacuus curis, humentia ſubter
Antra ſoporifero ſtipatus flore, tapetas
Incubat. exhalant veſtes, & corpore pigro
Strata calent. ſupráque torum niger efflat anhelo
Ore vapor, manus hæc ſuſos à tempore lævo
Suſtentat crines: hæc cornu oblita remiſit.
Aſſunt innumero circùm vaga ſomnia vultu.
Vera ſimul falſis, permixtáque triſtia blandis.
Noctis opaca cohors, trabibúſque, aut poſtibus hærent,
Aut tellure jacent. tenuis qui circuit aulam
Invalidúſque nitor. primóſque hortantia ſomnos
Languida ſucciduis expirant lumina flammis.
Huc ſe cæruleo libravit ab æthere virgo
Diſcolor. effulgent ſylvæ, tenebroſáque Tempe
Adriſere deæ, & zonis lucentibus icta
Evigilat domus. ipſe autem nec lampade clarâ
Nec ſonitu, nec voce deæ perculſus, eodem
More jacet. donec radios Thaumantias omnes
Impulit, ſinque oculos penitus deſcendit inertes.
Tunc ſic orſa loqui nimborum fulva creatrix:
Sidonios te Juno duces, mitiſſime divûm
Somne, jubet populúmque trucis defigere Cadmi,
Qui nunc eventu belli tumefactus, Achæum
Pervigil adſervat vallum, & tua juſſa recuſat.
Da precibus tantis, (rara eſt hoc poſſe facultas,)
Placatúmque Jovem dextrâ Junone merere.
Dixit, & increpitans languentia pectora dextrâ,
Ne pereant voces, iterúmque, iterúmque monebat.
Ille deæ juſſis dubium, mixtúmque ſopori
Annuit. excedit gravior nigrantibus antris
Iris, & obtuſum multo jubar excitat imbri.
Ipſe quoque & volucrem greſſum, & ventoſa citavit
Tempora, & obſcuri ſinuatam frigore cœli
Implevit chlamydem, tacitóque per æthera curſu
Fertur, & Aoniis longè gravis imminet arvis.
Illius aura ſolo volucres, pecudéſque, feráſque
Explicat, & penitus quacunque ſupervolat orbem.
Languida de ſcopulis fidunt freta. pigriùs hærent
Nubila, demittunt extrema cacumina ſylvæ,
Pluráque laxato ceciderunt ſidera cœlo.
Primus adeſſe deum ſubitâ caligine ſenſit
Campus, & innumeræ voces, fremitúſque virorum
Summiſere ſonum. cùm verò humentibus alis
Incubuit, piceâque haud unquam denſior umbrâ
Caſtra ſubit, errare oculi, reſolutáque colla,
Et medio adfatu verba imperfecta relinqui,
Mox & fulgentes clypeos, & ſæva remittunt
Pila manu, laſſíque cadunt in pectora vultus.
Et jam cuncta ſilent: ipſi jam ſtare recuſant
Cornipedes. ipſos ſubitus cinis abſtulit ignes.
At non & trepidis eadem ſopor otia Graiis
Suadet, & à junctis arcet ſua nubila caſtris
Noctivagi vis blanda dei, ſtant undique in armis
Fœdam indignantes noctem, vigiléſque ſuperbos.
Ecce repens, ſuperis animum lymphantibus, horror
Thiodamanta ſubit, formidandóque tumultu
Pandere fata jubet. ſive hanc Saturnia mentem,
Sive novum comitem bonus inſtigabat Apollo.
Proſilit in medios viſu, auditúque tremendus,
Impatiénſque dei, fragili quem mente receptum
Non capit, exundant ſtimuli, nudúſque per ora
Stat furor, & trepidas incerto ſanguine reddit,
Exhauríſque genas: acies huc errat, & illuc,
Sertáque mixta comis ſparsâ cervice flagellat.
Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumptáque brachia ferro
Scire vetat. quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineóſque rotat crines, & vulnera curſu
Exanimat: pavet omnis ager, reſperſáque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.
Ventum ad concilii penetrale, domúmque verendam
Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger
Rerum extrema movens, fruſtra conſultat Adraſtus.
Stant circùm ſubiti proceres, ut quiſque perempto
Proximus, & magnis loca deſolata tuentur
Regibus, haud læti, ſéque huc creviſſe dolentes.
Non ſecus amiſſo medium cùm præſide puppis
Fregit iter, ſubit ad vidui moderamina clavi,
Aut laterum cuſtos, aut quem penès obvia ponto
Prora fuit. ſtupet ipſa ratis, tardéque ſequuntur
Arma, nec accedit domino tutela minori.
Ergo alacer trepidos ſic erigit augur Achivos:
Magna deûm mandata, duces monitúſque verendos
Advehimus. non hæ noſtro de pectore voces:
Ille canit, cui me famulari, & ſumere vittas
Veſtra fides, ipſo non diſcordante, ſubegit.
Nox fœcunda operum, pulchræque accommoda fraudi
Panditur augurio divûm. vocat obvia virtus,
Et poſcit Fortuna manus. ſtupet obruta ſomno
Aonidum legio. tempus nunc funera regum
Ulciſci, miſerúmque diem. rapite arma, moráſque
Frangite portarum: ſociis hoc ſubdere flammas,
Hoc tumulare ſuos. equidem hoc & Marte diurno
Dum res infractæ, pulſíque in terga redimus,
(Per tripodas juro, & rapti nova fata magiſtri)
Vidi, & me volucres circùm plauſere ſecundæ.
Sed nunc certa fides. modò me ſub nocte ſilenti
Ipſe, ipſe aſſurgens iterum tellure ſolutâ,
Qualis erat (ſolos infecerat umbra jugales)
Amphiaraus adit. vanæ nec monſtra quietis,
Nec ſomno comperta loquor. Tûne inquit, inertes
Inachidas (redde hæc Parnaſſia ſerta, meóſque
Redde deos) tantam patiere amittere noctem,
Degener? hæc egomet cœli ſecreta, vagóſque
Edocui lapſus? vade eia, ulciſcere ferro
Nos ſaltem. dixit, méque hæc ad limina viſus
Cuſpide ſublatâ, totóque impellere curru.
Quare agite, utendum ſuperis. non cominus hoſtes
Sternendi, bellum jacet, & ſævire poteſtas:
Ecqui aderunt? quos ingenti ſe attollere famâ
Non pigeat, dum fata ſinunt? iterum ecce benignæ
Noctis aves. ſequor, & comitum licèt agmina ceſſent,
Solus eo, ſolus. venit ille, & quaſſat habenas.
Talia vociferans, noctem exturbabat, eúntque
Non ſecus accenſi proceres, quàm ſi omnibus idem
Corde deus. flagrant comitari & jungere caſus.
Ter denos numero, turmarum robora, juſſus
Ipſe legit. circà fremit indignata juventus
Cætera, cur maneant caſtris ignaváque ſervent
Otia. pars ſublime genus, pars facta ſuorum,
Pars ſua. ſortem alii clamant, ſortem undique poſcunt.

Gaudet in adverſis, animóque adſurgit Adraſtus.
Vertice ſic Pholoës volucrum nutritor equorum,
Cui fœtura gregem pecoroſo vere novavit,
Lætatur, cerneus hos montis in ardua niti,
Hos innare vadis, certare parentibus illos.
Tunc vacuo ſub corde movet, qui molle domandi
Ferre jugum, qui terga boni, quis in arma, tuáſque
Natus, ad Eleas melior quis ſurgere palmas.
Talis erat turmæ ductor longævus Achivæ.
Nec deeſt cœptis: unde hæc tam ſera repentè
Numina? qui fractos ſuperi rediiſtis ad Argos?
Eſtne hic infelix virtus? gentíſque ſuperſtes
Sanguis, & in miſeris animorum ſemina durant?
Laudo equidem, egregii juvenes, pulcherâque meorum
Seditione fruor. ſed fraudem, & operta paramus
Prælia, celandi motus. nunquam apta latenti
Turba dolo. ſervate animos: venit ultor in hoſtes
Ecce dies. tunc arma palàm, tunc ibimus omnes.
His tandem virtus juvenum frenata quievit.
Non aliter moto quàm ſi pater Æolus antro
Portam iterum ſaxo premat imperioſus, & omne
Claudat iter, jam jam ſperantibus æquora ventis.
Inſuper Herculeum ſibi jungit Agyllea vatem
Actoráque. hic aptus ſuadere, hic robora juctat
Non ceſſiſſe patri. comites tribus ordine deni
Horrendum Aoniis, & contrà ſtantibus agmen.
Ipſe, novi gradiens furta ad Mavortia belli,
Ponit adoratas Phœbea inſignia frondes,
Longævíque ducis gremio commendat honorem
Frontis: & oblatam Polynicis munere grato
Loricam, galeámque ſubit. ferus Actora magno
Enſe gravat Capaneus. ipſe haud dignatus in hoſtem
Ire dolo, ſuperóſque ſequi. permutat Agylleus
Arma trucis Nomii. quid enim fallentibus umbris
Arcus, & Herculeæ juviſſent bella ſagittæ?
Indè per abruptas caſtrorum ex aggere pinnas,
Ne gravis exclamet portæ mugitus ahenæ,
Præcipitant ſaltu. nec longum, & protinus ingens
Præda ſolo, ceu jam examines, multóque peracti
Enſe jacent. Ite ô ſocii quacunque voluptas
Cædis inexhauſtæ: ſuperſíque faventibus, oro,
Sufficite. hortatur clarâ jam voce ſacerdos:
Cernitis expoſitas turpi marcore cohortes.
Prò pudor! Argolicas hinc auſi obſidere portas?
Hi ſervare viros? ſic fatus & exuit enſem
Fulmineum, rapidâque manu morientia tranſit
Agmina. quis numeret cædes? aut nomine turbam
Exanimem ſignare queat? ſubit ordine nullo
Tergáque, pectoráque, & galeis incluſa relinquit
Murmura, permiſcétque vagos in ſanguine manes.
Hunc temere explicitum ſtratis, hunc ſerò remiſſis
Greſſibus illapſum clypeo, & malè tela tenentem:
Cœtibus hos mediis vina inter, & arma jacentes.
Acclines clypeis alios, ut quemque ligatum
Infelix tellure ſopor, ſupremáque nubes
Obruerat. nec numen abeſt, armatáque Juno
Lunarem quatiens exertâ lampada dextrâ
Pandit iter, firmátque animos, & corpora monſtrat.
Sentit adeſſe deam tacitus, ſed gaudia celat
Thiodamas. jam tarda manus, jam debile ferrum,
Et caligantes nimiis ſucceſſibus iræ.
Caſpia non aliter magnorum in ſtrage juvencûm
Tigris, ubi immenſo rabies placata cruore,
Laſſavítque genas, & craſſo ſordida tabo
Confudit maculas, ſpectat ſua facta, dolétque
Defeciſſe famem. victus ſic augur inerrat
Cædibus Aoniis. optet nunc brachia centum,
Centenáſque in bella manus. jam tædet inanes
Exhaurire minas, hoſtémque adſurgere malit.
Parte aliâ, ſegnes magno ſatus Hercule vaſtat
Sidonios, Actórque aliâ. ſua quemque cruento
Limite turba ſubit. ſtagnant nigrantia tabo
Gramina, ſanguineis nutant tentoria rivis.
Fumat humus, ſomníque, & mortis anhelitus unà
Volvitur, haud quiſquam viſus, aut ora, jacentum
Erexit. tali miſeris deus aliger umbrâ
Incubat, & tantùm morientia lumina ſolvit.
Traxerat inſomnis citharâ, ludóque ſuprema
Sidera, jam nullos viſurus Alimenus ortus,
Sidonium Pæana canens: huic languida cervix
In lævum cogente deo, mediàque jacebant
Colla relicta lyrâ. ferrum per pectus Agyleus
Exigit, aptatámque cavâ teſtudine dextram
Percutit, & digitos inter ſua fila trementes.

Proturbat menſas dirus liquor: undique manant
Sanguine permixti latices, & Bacchus in altos
Crateras, pateráſque redit, ferus occupat Actor
Implicitum fratri Thamyrum. Tagus haurit Ethecli
Terga coronati: Danaus caput amputat Hebri.
Neſcius heu rapitur fatis, hilariſque ſub umbras
Vita fugit, mortíſque feræ lucrata dolores.
Stratus humo gelidâ ſubter juga fida, rotáſque
Palpetus, Aonios gramen gentile metentes
Proſtatu terrebat equos, madida ora reduudant,
Accenſúſque mero ſopor æſtuat. Ecce jacentis
Imachius vates jugulum fodit, expulit ingens
Vina cruor, fractúmque perſt in ſanguine murmur.
Fors illi præſaga quies, nigráſque gravatus
Per ſomnum Thebas, & Thiodamanta videbat.
Quarta ſoporiferæ ſuperabant tempora nocti,
Cùm vacuæ nubes, & honor non omnibus aſtris,
Adflatúſque fugit curru majore Bootes.
Jámque ipſum defecit opus, cùm providus Actor
Thiodamanta vocat. Satis hæc inopina Pelaſgis
Gaudia: vix ullos tanto reor agmine ſævam
Effugiſſe necem, ni quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita. ſecundis
Pone modum. ſunt & diris ſua numina Thebis.
Forſitan & nobis modò quæ favere, recedunt.
Paruit, & madidas tollens ad ſidera palmas:
Phœbe, tibi exuvias monſtratæ præmia noctis,
Nondum ablutus aquis, (tibi enim hæc ego ſacra litavi)
Trado ferus miles tripodum, fidúſque ſacerdos.
Si non dedecui tua juſſa, tuíque prementem,
Sæpe veni. ſæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honos, truncæ arma, cruórque virorum,
Ac patrias ſi quando domos, optatáque Pæan
Templa, Lycie, dabis, tot ditia dona ſacratis
Poſtibus, & totidem voti memor exige tauros.
Dixerat, & lætis ſocios revocabat ab armis.
Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus
Mœnaliúſque Dymas, dilecti regibus ambo,
Regum ambo comites, quorum poſt funera mœſti
Vitam indignantur. prior Arcada concitat Hopleus:
Nullâne poſt Manes regis tibi cura peremptI,
Care Dyma? teneant quem jam fortaſſe volucres
Thebanſque canes. patriæ quid deinde féretis
Arcades? en reduces contra venit aſpera mater.
Funus ubi? at noſtro ſemper ſub pectore Tydeus
Sævit inops tumuli, quamvis patientior artus
Ille nec abruptis adeò lachrymabilis annis.
Ire tamen, fævúmque libet nullo ordine paſſim
Scrutari campum, mediáſque irrumpere Thebas.
Excipit orſa Dymas: per ego hæc vaga ſidera juro,
Per ducis errantes inſtar mihi numinis umbras,
Idem ardor miſero. comitem circumſpicit olim
Mens humilis luctu: ſed nunc prior ibo, viámque
Inchoat, & mœſto converſus ad æthera vultu
Sic ait: Arcanæ moderatrix Cynthia noctis,
Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen, & in ſylvas alio deſcendere vultu,
Ille comes nuper, nemorúmque inſignis alumnus,
Ille tuus, Diana, puer (nunc reſpice ſaltem)
Quæritur. incendit pronis dea curribus almum
Sidus, & admoto monſtravit funera cornu.
Apparent campi, Thebæque, altúſque Citharon.
Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Jupiter, abſiliunt nubes, & fulgure claro
Aſtra patent, ſubitúſque oculis oſtenditur orbis.
Accepit radios, & eâdem percitus Hopleus
Tydea luce videt. longè dant ſigna per umbras
Mutua lætantes, & amicum pondus uterque,
Ceu reduces vitæ. ſævâque à morte remiſſos
Subjectâ cervice levant. nec verba, nec auſi
Flere diu: propè ſæva dies, indéxque minatur
Ortus. eunt taciti per mœſta ſilentia magnis
Paſſibus, exhauſtáſque dolent pallere tenebras.
Invida fata piis, & fors ingentibus auſis
Rara comes. jam caſtra vident, armíſque propinquant,
Et decreſcit onus, ſubiti cum pulveris umbrâ,
Et ſonus à tergo, monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem, vigilatáque caſtra
Explorare datus, primúſque per avia campi
Uſque procul (necdum totas lux ſolverat umbras)
Neſcio quid viſu dubium, incertúmque moveri
Corporáque ire videt. ſubitus mox fraude repertâ
Exclamat: cohibete gradum quicunque. ſed hoſtes
Eſſe patet. miſeri pergunt anteire, timéntque

Non

Non ſibi. tunc mortem trepidis minitatur, & haſtam
Expulit, ac vanos altè levat eminus ictus,
Affectans errare manus. ſtetit ille Dymantis
Ante oculos, qui fortè prior, greſſúmque repreſſit.
At non magnanimus curavit perdere jactus
Æpytus, & fixo tranſverberat Hoplea tergo:
Pendentéſque etiam perſtrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregii nondum ducis immemor Hopleus,
Expirátque tenens: felix ſi corpus ademptum
Neſciat, ac ſævas talis deſcendat ad umbras.
Viderat hoc retro converſus, & agmina ſentit
Juncta Dymas, dubius precibúſne ſubiret, an armis
Inſtantes. arma ira dabat. fortuna precari,
Non audere jubet: neutri fiducia cœpto.
Diſtulit ira preces. ponit miſerabile corpus
Ante pedes: tergóque graves quas fortè gerebat
Tigridis exuvias, in lævum torquet, & obſtat
Exertum objectans mucronem, ſnque omnia tela
Verſus, & ad cædem juxtà, mortémque paratus.
Ut lea quam ſævo fœtam preſſere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta ſuperſtat
Mente ſub incertâ, torvùm ac miſerabilè frendens.
Illa quidem turbare globos, & frangere morſu
Tela queat, ſed prolis amor crudelia vincit
Pectora, & à medià catulos circumſpicit irâ.
Et jam læva viro, quamvìs ſævire vetaret
Amphion, erepta manus, puerſque trahuntur
Ora ſupina comis. ſerus tunc denique ſupplex
Demiſſo mucrone rogat: Moderatiùs oro
Ducite. fulminei per vos cunabula Bacchi,
Inoámque fugam, veſtríque Palæmonis annos.
Si cui fortè domi natorum gaudia, ſi quis
Hìc pater, anguſti puero date pulveris hauſtus,
Exiguámque tacem. rogat, en rogat ipſe jacentis
Vultus: ego infandas potior ſatiare volucres.
Me præbete feris: ego bella audere coëgi.
Imò, ait Amphion, regem, ſi tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens, ede, Pelaſgis.
Quid fracti, exanguéſque parent. cuncta ocyùs effer,
Et vitâ, tumulóque ducis donatus, abito.
Horruit, & toto præcordia protinus Arcas
Implevit capulo, ſummúmne hoc cladibus, inquit,
Decrat, ut affictos turparem ego proditor Argos?
Nil emimus tanti, nec ſic velit ipſe cremari.
Sic ait & magno proſciſſum vulnere pectus
Injecit puero, ſupremáque murmura volvens:
Hôc tamen interea claro potiere ſepulchro.
Tales optatis regum in complexibus ambo,
Par inſigne animis Ætolus, & inclytus Arcas,
Egregias efflant animas, letóque fruuntur.
Vos quoque ſacrati, quamvìs mea carmina ſurgant
Inferiore lyrâ, memores ſuperabitis annos.
Forſitan & comites non aſpernabitur umbras
Euryalus, Phrygiſque admittet gloria Niſi.
At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
Edoceántque dolum, captiváque corpora reddant,
Mittit ovans. clauſis ipſe inſultare Pelaſgis
Tendit, & abſciſſos ſociorum oſtendere vultus.
Interea reducem murorum è culmine Graii
Thiodamanta vident. nec jam erumpentia celant
Gaudia, ut exertos enſes, & cæde recenti
Arma rubere notant. novus adſilit æthera magnus
Clamor, & è ſummo pendent cupida agmina vallo
Noſcere quiſque ſuos. volucrum ſic turba recentum
Cùm reducem longo proſpexit in æthere matrem,
Ire cupit contrà, ſummâque è margine nidi
Extat hians: jam jámque cadat, ni pectore toto
Obſtet aperta parens, & amantibus increpet alis.
Dúmque opus arcanum, & taciti compendia Martis
Enumerant, lætíſque ſuos complexibus implent,
Hopleáque exquirunt, tardúmque Dimanta queruntur,
Ecce & Dirceæ juxtà dux concitus alæ
Venerat Amphion. non longùm cæde recenti
Lætatus, videt innumeris fervere catervis
Tellurem, atque unà gentem expirare ruinâ.
Qui tremor illicità cœli de lampade tactos,
Hic fixit juvenem, paritérque horrore ſub uno
Vox, acies, ſanguíſque perit, gemitúſque parantem
Ipſe ultro convertit equus. fugit ala retorto
Pulvere. nondum illi Thebarum clauſtra ſubibant,
Et jam Argiva cohors nocturno freta triumpho
Profilit in campos, per & arma, & membra jacentum
Tetráque congerie ſola, ſemianimúmque cruorem
Cornipedes, ipſique ruunt. gravis exterit artus
Ungula, ſanguineus lavat imber, & impedit axes.
Dulce viris hâc ire viâ, ceu tecta ſuperbi
Sidonia, atque ipſas calcent in pulvere Thebas.
Hortatur Capaneus: Satìs occultata, Pelaſgi,
Delituit virtus. nunc nunc mihi vincere pulchrum
Teſte die. mecum clamore, & pulvere aperto
Ite palàm juvenes: ſunt & mihi provida dextræ
Omina, & horrendi ſtricto mucrone furores.
Sic ait. ardentes alacer ſuccendit Adraſtus,
Argolicúſque gener, ſequitur jam triſtior augur.
Jámque premunt muros, & adhuc nova funera narrat
Amphion, miſerámque intrabant protinus urbem,
Ni Megareus ſpeculà citus exclamàſſet ab altâ,
Claude vigil: ſubeunt hoſtes: claude undique portas.
Eſt ubi dat vires nimius timor: ocyùs omnis
Porta coit. ſolas dum tardiùs arctat Echion
Ogygias, audax animi Spartana juventus
Irrupit, cæſque ruunt in limine primo,
Incola Taygeti Panopeus, rigidíque nator
Oebalus Eurotæ. túque ô ſpectate palæſtris
Omnibus, & nuper Nemæo in pulvere felix
Alcidama, primis quem cœſtibus ipſe ligârat
Tyndarides: nitidi moriens convexa magiſtri
Reſpicis, averſo pariter deus occidit aſtro.
Te nemus Oebalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, & falſo gurges cantatus olore,
Flebit, Amyclæis Triviæ lugebere nymphis.
Et quæ te leges, præceptáque fortia belli
Erudiit genitrix, nimiùm didiciſſe queretur.
Talis Echionio Mavors in limine ſævit.
Tandem humeris obnixus Acron, & pectore toto
Pronus Alimenides ferratæ robora portæ
Torſerunt. quantà pariter cervice gementes
Profringunt inarata diu Pangæa juvenci.
Par operis jactura lucro. quippe hoſte retento
Excluſere ſuos. cadit intrà mœnia Graius
Ormenus, & pronas tendentis Amynthoris ulnas
Fundentíſque preces, penitus cervice recisâ
Verba ſolo, vultúſque cadunt, collóque decorus
Torquis in hoſtiles cecidit per vulnus arenas.
Solvitur interea vallum, primæque recuſant
Stare moræ. jam ſe peditum junxere catervæ
Mœnibus, at patulas ſaltu tranſmittere foſſas
Horror equis. hærent trepidi, atque immanè paventes
Abruptum mirantur agi: nunc impetus ire
Margine ab extremo, nunc ſponte in frena recedunt.
Hi præfixa ſolo vellunt munimina: at illi
Portarum objectus minuunt, & ferrea ſudant
Clauſtra remoliri, trabibúſque arctata ſonoro
Pellunt ſaxa loco. pars ad faſtigia miſſas
Exultant hæſiſſe faces: pars ima laceſſunt
Scrutantúrque cavas cæcâ teſtudine turres.
At Tyrii, quæ ſola ſalus, caput omne coronant
Murorum, nigráſque ſudes, & lucida ferro
Spicula, & arſuras cœli per inania glandes,
Saxáque in adverſos ipſis avulſa rotabant
Mœnibus. exundant ſævo faſtigia nimbo,
Armatæque vomunt ſtridentia tela feneſtræ.
Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia ſupra
Ceſſantes in nube ſedent, nigríſque leguntur
Collibus, & ſubitæ ſaliunt in vela procellæ:
Talis Agenoreis, Argivûm exercitus armis
Obruitur. non ora virûm, non pectora flectit
Imber atrox, rectóſque tenent in mœnia vultus
Immemores leti, & tantùm ſua tela videntes.
Anthea falcato luſtrantem mœnia curru
Deſuper Ogygiæ pepulit gravis impetus haſtæ.
Lora excuſſa manu, retróque in terga volutus
Semianimos artus, ocreis retinentibus hæret
Mirandum viſu belli ſcelus, arma trahuntur,
Fumantéſque rotæ tellurem, & tertius haſtæ
Sulcus arant. longo ſequitur vaga pulvere cervix,
Et reſupinarum patet orbita longa comarum.
At tuba luctificis pulſat clangoribus urbem,
Obſeptáſque fores ſonitu perfringit amaro.
Diviſere aditus, omníque in limine ſævus
Signifer ante omnes ſua damna, & gaudia portat.
Dira intus facies: vix Mavors ipſe videndo
Gaudeat. incertis lymphatam horroribus urbem
Scindunt diſſenſu vario, luctúſque, furóque
Et pavor, & cæcis fuga circumluſa tenebris.
Bellum intrâſſe putes: ferveut diſcurſibus arces,
Miſcentur clamore viæ. ferrum undique, & ignes
Mente vident: ſævas mente accepere catenas.

Conſumpſit ventura timor. jam tecta replèrant
Templáque, & ingratæ vallantur planctibus aræ.
Una omnes, eadémque ſubit formido per annos.
Poſcunt fata ſenes, ardet, pallétque juventus,
Atria fœmineis trepidant ululata querelis.
Flent pueri, & flendi nequeunt cognoſcere cauſas
Attoniti, & tantùm matrum lamenta timentes.
Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem.
Ipſæ tela viris, ipſæ iram, animóſque miniſtrant,
Hortantúrque, unáque ruunt, nec avita gementes
Limina, nec parvos ceſſant oſtendere natos.
Sic ubi pumiceo paſtor rapturus ab antro
Armatas erexit apes, fremit aſpera nubes:
Inque vicem ſeſe ſtridore hortantur, & omnes
Hoſtis in ora volant, mox deficientibus alis
Amplexæ, flavámque domum, captiváque plangunt
Mella, laboratáſque premunt ad pectora ceras.
Nec non ancipitis pugnat ſententia vulgi,
Diſcordéſque ſerit motus. hi reddere fratrem
Nec muſſant, ſed voce palàm, claróque tumultu
Reddere regna jubent: periit reverentia regis
Sollicitis: veniat, pactúmque hic computet annum,
Cadmeóſque lares exul, patriáſque ſalutet
Infelix tenebras. cur autem ego ſanguine fraudes,
Et perjura luam regalis crimina noxæ?
Indè alii. ſera iſta fides, jam vincere mavult.
Tireſian alii lachrymis & ſupplice cœtu
Orant, quódque unum rebus ſolamen in arctis,
Nôſſe futura rogant. tenet ille incluſa, premítque
Fata deûm. Quiáne antè duci bene credita noſtra
Conſilia, & monitus, cùm perfida bella vetarem?
Te tamen, infelix, inquit, periturâque Thebe,
Si taceam, nequeo miſer exaudire cadentem,
Argolicúmque oculis haurire vacantibus ignem.
Vincamur, pietas: pone eia altaria, virgo,
Quæramus ſuperos. facit illa, aciéque ſagaci
Sanguineos flammarum apices, geminúmque per aras
Ignem, & clara tamen mediæ ſaltigia lucis
Orta docet. tunc in ſpeciem ſerpentis inanem
Ancipiti gyro volvi, frangíque roborem
Demouſtrat dubio, patriáſque illuminat umbras.
Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.
Stant triſtes horrore comæ, vittáſque trementes
Cæſaries inſana levat. diducta putares
Lumina, conſumptúmque genis rediiſſe nitorem.
Tandem exundanti permiſit verba furori,
Audite ô ſontes, extrema litamina divûm,
Labdacidæ. venit alma ſalus, ſed limite duro.
Martius inferias, & ſæva effligitat anguis
Sacra, cadat generis quicunque noviſſimus extat
Viperei: datur hôc tantum victoria pacto.
Felix qui tantâ lucem mercede relinquet.
Stabat fatidici prope ſæva altaria vatis
Mœſtus adhuc, patriæ tantùm communia lugens
Fata Creon. grandem ſubiti cùm fulminis ictum
Non ſecus ac tortâ trajectus cuſpide pectus,
Accipit exanimis, ſentíſque Menœcea poſci.
Monſtrat enim, ſuadétque timor. ſtupet anxius alto
Corda metu glaciante pater. Trinacria qualis
Ora repercuſſum Libyco mare ſumit ab æſtu.
Mox plenum Phœbo vatem, & celerare jubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequicquam reticere rogat. jam fama ſacratam
Vocem amplexa volat, clamántque oracula Thebæ.
Nunc age quis ſtimulos, & pulchræ gaudia mortis
Addiderit juveni (neque enim hæc abſentibus unquam
Mens homini tranſmiſſa deis) memor incipe Clio,
Sæcula te quoniam penès, & digeſta vetuſtas.
Diva Jovis ſolio juxtà comes, unde per orbem
Rara dari, terríſque ſolet contingere virtus.
Seu pater omnipotens tribuit, ſive ipſa capaces
Elegit penetrare viros, cœlicolibus ut nunc
Defluit gaviſa plagis. dant clara meanti
Aſtra locum, quóſque ipſa polis adfixerat ignes,
Jámque premit terras: nec vultus ab æthere longè,
Sed placuit mutare genas, fit provida Manto.
Reſponſis ut plana fides, & fraude priores
Exuitur vultus. abiit horrórque vigórque
Ex oculis, paulum decoris permanſit, honóſque
Mollior, & polito vatum geſtamina ferro
Subdita. deſcendunt veſtes, torvíſque ligatur
Vitta comis (nam laurus erat) tamen aſpera produnt
Ora deam, nimiſque gradus. ſic Lydia conjux

Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, & tympana rumpere dextrâ.
Sed neque te indecorem ſacris, dignúmque juberi
Talia, Dircæâ ſtantem pro turre, Menœceu,
Invenit. immenſæ reſerato limine portæ
Sternebas Danaos. pariter Mavortius Æmon.
Sed conſanguinei quamvis, atque omnia fratres,
Tu prior. exanimes circumcumulantur acervi.
Omne ſedet telum: nulli ſinè cædibus ictus.
Necdum aderat virtus. non mens, non dextra quieſcit,
Non avida arma vacant, ipſa inſanire videtur
Sphynx galeæ cuſtos, viſóque animata cruore
Emicat effigies, & ſparſa orichalca renident.
Cùm dea pugnantis capulum, dextrámque repreſſit:
Magnanime ô juvenis, quo non agnoverit ullum
Certiùs armifero Cadmi de ſemine Mavors,
Linque humiles pugnas, non hæc tibi debita virtus:
Aſtra vocant, cœlóque animam (plus concipe) mittes.
Jamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras,
Hoc ignes, fibræque volunt, hoc urget Apollo.
Terrigenam cuncto patriæ pro ſanguine poſcunt.
Fama canit monitus. gaudet Cadmeia plebes
Certa tui. rape mente deos, rape nobile fatum.
I, precor, accelera. ne proximus occupet Hæmon.
Sic ait, & magnâ cunctantis pectora dextrâ
Permulſit tacitè, ſeſéque in corde reliquit.
Fulminis haud citiùs radiis adflata cupreſſus
Combibit infeſtas, & ſtirpe & vertice flammas,
Quàm juvenis multo poſſeſſus numine pectus
Erexit ſenſus, letíque invaſit amorem.
Ut verò averſæ, greſſúmque, habitúmque notavit,
Et ſubitam à terris in nubila creſcere Manto,
Obſtupuit. ſequimur, divûm quicunque vocâſti,
Nec tardè paremus ait. jam jámque recedens,
Inſtantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
Armigeri feſſum excipiunt. tum vulgus euntem
Auctorem pacis, ſervatorémque deúmque
Conclamat gaudens, atque ignibus implet honeſtis.
Jámque iter ad muros curſu feſtinus anhelo
Obtinet, & miſeros gaudet vitâſſe parentes.
Cùm genitor (ſteterúntque ambo & vox hæſit utrinque,
Dejectæque genæ) tandem pater antè profatur:
Quis novus inceptis rapuit te caſus ab armis?
Quæ bello graviora paras? dic nate precanti,
Cur tibi torva acies? cur hic truculentus in ore
Pallor? & ad patrios non ſtant tua lumina vultus?
Audîſti reſponſa. palàm eſt. per ego oro tuóſque,
Nate, meóſque annos, miſeræque per ubera matris,
Ne vati, ne crede puer. ſuperſne profanum
Dignantur ſtimulare ſenem? cui vultus inanis,
Extinctíque orbes, & pœna ſimillima diro
Oedipodæ? quid ſi inſidiis, & fraude doloſâ
Rex agit? extrema eſt cui noſtra in ſorte timori
Nobilitas, tuáque ante duces notiſſima virtus.
Illius hæc forſan remur, quæ verba deorum
Ille monet: ne frena animo permitte calenti:
Da ſpacium, tenuémque moram: malè cuncta miniſtrat
Impetus. hoc, oro, munus concede parenti.
Sic tua maturis ſignentur tempora canis,
Et ſis ipſe parens, & ad hunc, animoſe, timorem
Pervenias. ne perge meos orbare penates.
Externi te nempe patres, alienáque tangunt
Pignora? ſi pudor eſt, primùm miſerere tuorum.
Hæc pietas, hic verus honos, ibi gloria tantùm
Ventoſúmque decus, titulíque in morte latentes.
Nec timidus te flecto parens: i, prælia miſce,
Per Danaas acies, medióſque per obvius enſes,
Non teneo. liceat miſero tremebunda lavare
Vulnera, & undantem lachrymis ſiccare cruorem.
Téque iterum ſævis, iterúmque remittere bellis.
Hoc malunt Thebæ. ſic colla, manúſque tenebat
Implicitus. ſed nec lachrymæ, nec verba movebant
Dîs votum juvenem. quin & monſtrantibus illis
Fraude patrem tacitâ ſubit, avertítque timorem.
Falleris heu, veróſque metus, pater optime, neſcis.
Non me ulli monitus, nec vatum exorſa furentum
Sollicitant, manéſque movent: ſibi callidus iſta
Tireſias, natæque canat. non ſi ipſe reclusis
Cominus ex adytis in me inſaniret Apollo.
Sed gravis unanimi caſus me fratris ad urbem
Sponte refert. gemit Inachiâ mihi ſaucius Hæmon
Cuſpide. vix illum medio de pulvere belli
Inter utraſque acies, jamjámque tenentibus Argis.

Sed

Sed moror. I, tefove dubium, turbæque ferenti
Dic, pareant, levitérque vehant. ego vulnera doctum
Jungere, fupremíque fugam revocare cruoris
Eetiona petam. fic imperfecta locutus
Effugit. illi atrâ merfum caligine pectus
Contudit fenfus. pietas incerta vagatur,
Difcordántque metus: impellunt credere Parcæ.
Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.
Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedeftres,
Et procúlcantes moderantum funera currus.
Idem altas turres faxis, & turbine crebro
Laxat, agit turmas idem, atque in fanguine fumat.
Nunc fpargit torquens volucri nova vulnera plumbo,
Nunc jaculum excuffo rotat in fublime lacerto,
Nullâque tectorum fubit ad faftigia, quæ non
Deferat haſta virum, perfuſâque cæde recurrat.
Nec jam aut Oeniden, aut Hippomedonta peremptos,
Aut vatem Pelopea phalanx, aut Arcada credunt,
Quin fociûm coiiffe animas, & corpore in uno
Stare omnes: ita cuncta replet. non ullius ætas,
Non cultus, non forma movet. pugnantibus idem;
Supplicibúſque furit. non quiſquam obſtitere contrâ.
Non belli tentare vices. procul arma furentis,
Terribiléſque jubas, & frontem caſſidis horrent.
At pius electâ murorum in parte Menœceus,
Jam facer aſpectu ſolitóque auguſtior ore,
Ceu ſubitò in terras ſupero demiſſus ab axe,
Conſtitit, exemptâ manifeſtus caſſide noſci,
Deſpexítque acies hominum, & clamore profundo
Convertit campum, juſsítque ſilentia bello.
Armorum ſuperi, túque ô qui funere tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi, & toto quæ ſanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite Lernæ
Relliquias turpes, confixáque terga fovente
Inachus indecores pater averſetur alumnos.
At Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte meâ. ſi vos placida hoſtia juvi,
Si non attonitis vatis conſulta recepi
Auribus, & Thebis nondum credentibus hauſi.
Hæc Amphioniis pro me perſolvite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem.
Sic ait, inſignémque animam mucrone coruſco
Dedignantem artus pridem, mœſtámque teneri
Arripit, atque uno quæſitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc ſpargit turres & mœnia luſtrat.
Séque ſuper medias acies, nondum enſe remiſſo
Jecit, & in ſævos cadere eſt conatus Achivos.
Aſt illum amplexæ Pietas, Virtúſque ferebant
Leniter ad terras corpus. jam ſpiritus olim
Ante Jovem, & ſummis apicem ſibi poſcit in aſtris.
Jámque intrà muros nullo ſudore receptum
Gaudentes heroa ferunt. abſceſſerat ultro
Tantalidum venerata cohors. ſubit agmine longo
Colla inter juvenum, lætíſque favoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum atque Amphiona ſupra
Conditor. hi ſertis, hi veris honore ſoluto
Accumulant artus, patriâque in ſede reponunt
Corpus adoratum. repetunt mox bella peractis
Laudibus. hic victâ genitor lachrymabilis irâ
Congemit, & tandem matri data flere poteſtas:
Luſtralémne feris ego te, puer inclyte, Thebis,
Devotúmque caput, vilis ceu mater alebam?
Quod molita nefas? cui tantùm inviſa deorum?
Non ego monſtrifero coitu revoluta notavi
Pignora, nec nato peperi funeſta nepotes.
Quid refert? habet ecce ſuos Jocaſta ducéſque,
Regnantéſque videt. nos ſæva piacula bello
Demus, ut alternis (placet hoc tibi fulminis auctor)
Oedipodionii mutent diademata fratres.
Quid ſuperos hominéſve queror? tu ſæve Menœceu,
Tu miſeram ante omnes properâſti extinguere matrem.
Unde hic mortis amor? quæ ſacra inſania menti?
Quóſve ego conceptus, aut quæ mala pignora fudi
Tam diverſa mihi? nimirum Martius anguis.
Quæque novis proavûm tellus effloruit armis.
Hinc animi triſtes, nimiúſque in pectore Mavors,
Et de matre nihil, ſponte en ultróque peremptus
Irrumpis mœſtas fatis nolentibus umbras.
Aſt egomet Danaos Capanéaque tela verebar.
Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrúmque quod amens
Ipſa dedi. vidén' ut jugulo conſumpſerit enſem?
Altiùs haud quiſquam Danaûm mucrone ſubiſſet.

Diceret infelix etiamnum & cuncta repleret
Queſtibus. abducunt comites, famulæque peroſam
Solantes thalamóque tenent. ſedet eruta multo
Ungue genas. non illa diem, non verba precantum
Relpicit, aut viſus flectit tellure relictos.
Jam vocis, jam mentis inops. ſic aſpera tigris
Fœtibus abreptis Scythico deſerta ſub antro
Accubat, & tepidi lambit veſtigia ſaxi,
Nuſquam iræ: ſedit rabies, feritáſque, famésque
Oris, eunt prætèr ſecura armenta, gregéſque.
Aſpicit illa jacens. ubi enim, quibus ubera paſcat,
Aut quos ingenti premat expectata rapinâ?
Hactenus arma, tubæ, ferrúmque, & vulnera. ſed nunc
Cominus attrigeros Capaneus tollendus in axes.
Non mihi jam ſolito vatum de more canendum:
Major ab Aoniis ſumenda audacia lucis.
Mecum omnes audete deæ. ſive ille profundâ
Miſſus nocte furor, Capaneáque ſigna ſecutæ
Arma Jovem contra Stygiæ rapuere ſorores,
Seu virtus egreſſa modum, ſeu gloria præceps,
Seu magnæ data fama neci, ſeu læta malorum
Principia, & blandæ ſuperûm mortalibus iræ.
Jam ſordent terrena viro, tædéque profundæ
Cædis, & exhauſtis olim, Graiûmque, ſuiſque
Miſſilibus, laſsâ reſpexit in æthera dextrâ.
Ardua mox torvo metitur culmina viſu,
Innumeróſque gradus, geminâ latus arbore cluſus
Aërium ſibi portat iter. longéque timendus
Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent unà, clypeóque incenditur ignis.
Hàc, ait, in Thebas, hàc me jubet ardua virtus
Ire, Menœceo quà lubrica ſanguine turris.
Experiar, quid ſacra juvent, an falſus Apollo.
Dixit, & alterno captiva in mœnia greſſu
Surgit ovans. quales mediis in nubibus æther
Vidit Aloidas, cùm creſceret impia tellus
Deſpectura deos, nec adhuc immane veniret
Pelion, & trepidum jam tangeret Oſſa Tonantem.
Tum verò attoniti fatorum in cardine ſummo
Ceu ſuprema lues urbem, facibúſque cruentis
Æquatura ſolo turres Bellona ſubiret,
Omnibus è tectis certatim ingentia ſaxa,
Roboráque, & gravidas fundæ balearis habenas,
(Nam jaculis, cœlóque vagis ſpes unde ſagittis?)
Verùm avidi & tormenta rotant, & molibus urgent.
Ille nec ingeſtis, nec terga ſequentibus unquam
Detrahitur telis, vacuóque ſub aëre pendens
Plana velut terrâ certus veſtigia figat,
Tendit, & ingenti ſubit occurrente ruinâ.
Amnis ut incumbens longævi robora pontis
Aſſiduis oppugnat aquis. jam ſaxa fatiſcunt,
Emotæque trabes, tanto violentior ille
(Sævit enim majore ſalo) quaſſátque, trahítque
Molem ægram, nexus donec celer alveus omnes
Abſcidit, & curſu victor reſpirat aperto.
Utque petita diu celſus faſtigia ſupra
Eminuit, trepidámque adſurgens deſuper urbem
Vidit, & ingenti Thebas exterruit umbrâ,
Increpat attonitos: Humiléſne Amphionis arces
Prò pudor, hi faciles, carméque imbelle ſecuti,
Et, mentita diu Thebarum fabula, muri?
Et quidnam egregium proſternere mœnia molli
Structa lyrâ? ſimul inſultant, greſſúque, manúque
Molibus obſtantes cuneos, tabulatáque ſævus
Deſtruit. abiliunt pontes, tectíque trementis
Saxea frena labant, diſſeptóque aggere rurſus
Utitur, & truncas rupes in templa, domóſque
Præcipitat, frangítque ſuis jam mœnibus urbem,
Jámque Jovem circa ſtudiis diverſa fremebant
Argolici, Tyriſque dei. pater æquus utriſque
Aſpicit ingentes ardentum cominus iras,
Séque obſtare videt. gemit inſervante novercâ
Liber, & obliquo reſpectans lumine patrem:
Nunc ubi ſæva manus, meáque heu cunabula flammæ,
Fulmen, iò ubi fulmen? ait. gemit auctor Apollo,
Quas dedit ipſe domos, Lernam, Thebáſque rependit
Mœſtus, & intento dubitat Tirynthius arcu.
Maternos plangit volucer Danaëius Argos.
Flet Venus Harmoniæ populos: metuénſque mariti
Stat procul, & tacitâ Gradivum reſpicit irâ.
Increpat Aonios audax Tritonia divos.
Junonem tacitam furibunda ſilentia torquent.
Non tamen hæc turbant pacem Jovis. ecce quiérant
Jurgia, cùm mediis Capaneus auditus in aſtris,

Nullâne

Nullâne pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis? ubi infandæ ſegnes telluris alumni
Bacchus, & Alcides? piget inſtigare minores.
Tu potiùs venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior?) en cineres Semeleâque buſta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis
Jupiter. an pavidas tonitru turbare puellas
Fortior? & ſoceri thalamos exſcindere Cadmi?
Ingemuit dictis ſuperûm dolor. ipſe furentem
Ritit, & incuſsâ ſanctarum mole comarum,
Quænam ſpes hominum tumidæ poſt prælia Phlegræ?
Túne etiam feriendus? ait, premit undique lentum
Turba Deûm frendens, & tela ultricia poſcit.
Nec jam audet fatis turbata obſiſtere conjux.
Ipſa dato nondum cœleſtis regia ſigno
Sponte tonat, coëunt ipſæ ſinè flamine nubes,
Accurrúntque imbres, Stygias rupiſſe catenas
Iapetum, aut victam ſupera ad convexa levari
Inarimen, Ætnámve putes. pudet iſta timere
Cælicolas. ſed cùm in mediâ vertigine mundi
Stare virum, inſanáſque vident depoſcere pugnas,
Mirantur taciti, & dubio pro fulmine pendent.
Cœperat Ogygiæ ſupra faſtigia turris
Arcanum mugire polus, cœlúmque tenebris
Auferri: tenet ille tamen, quas non videt arces,
Fulguráque attritis quoties micuere procellis,
His, ait, in Thebas, his jam decet ignibus uti,
Hinc renovare facem, laſſámque accendere quercum.
Talia dicentem toto Jove fulmen adactum
Corripuit. primæ fugere in nubila criſtæ,
Et clypei niger umbo cadit. jámque omnia lucent
Membra viri. cedunt acies, & terror utrinque
Quò ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.
Intrà ſe ſtridere facem, galeámque, comáſque
Quærit, & arentem thoraca repellere dextrâ
Conatus, ferri cinerem ſub pectore tractat.
Stat tamen, extremúmque in ſidera verſus anhelat,
Pectoráque inviſis obicit fumantia muris
Ne caderet. ſed membra virum terrena relinquunt,
Exuitúrque animus. paulùm ſi tardiùs artus
Ceſſiſſent, potuit fulmen meruiſſe ſecundum.

LIBER XI.

POSTQUAM magnanimus furias virtutis iniquæ
Conſumpſit Capaneus, expiravítque receptum
Fulmen, & ad terras longè comitata cadentem
Signavit muros ultricis ſemita flammæ:
Componit dextrâ victor concuſſa plagarum
Jupiter, & vultu cœlúmque, diémque reducit.
Gratantur ſuperi. Phlegræ ceu feſſus anhelet
Prælia, & Encelado fumantem impreſſerit Ætnam.
Ille jacet laceræ complexus fragmina turris,
Torvus adhuc viſu, memorandáque facta relinquens
Gentibus, arque ipſi non illaudata Tonanti.
Quantus Apollineæ temerator matris Averno
Tenditur, ipſæ horrent ſi quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immenſáque membra jacentis
Spectant, dum miſeræ creſcunt in pabula fibræ.
Sic gravat injectus terras, hoſtiliáque urit
Arva, & anhelantem cœleſti ſulfure campum.
Reſpirant Thebæ, templíſque tacentia ſurgunt
Agmina. jam finis votis, finíſque ſupremis
Planctibus, & natos auſæ deponere matres.
At vaga palantes campo fuga volvit Achivos.
Nec jam aut hoſtiles turmæ, aut ferrum mortale timetur,
Omnibus ante oculos iræ Jovis, omnibus ardent
Arma metu, galeæque tonant, viſúſque paventes
Ipſe ſequi, & profugis opponere Jupiter ignes.
Inſtat Agenoreus miles, cœlſque tumultu
Utitur, indomitos ut cùm Maſſylla per arva
Armenti reges magno Leo fregit hiatu,
Et contentus abit: rauci tunc cominus urſi,
Tunc avidi venere lupi, rabiéque remiſsâ
Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.
Hinc premit Eurymedon, cui ruſticus horror in armis,
Ruſtica tela manu, patriúmque agitare tumultum.
Pan illi genitor: tener hinc conatibus annos
Egreditur, juvenémque patrem puer æquat Alatreus.
Fœlices ambo: ſed fortunatior ille,
Quem genuiſſe juvat, nec jam dinoſcere promptum,
Quæ magis arma ſonent, quo plùs eat haſta lacerto.

Arctatur denſo fugientum examine vallum.
Quas volvis, Gradive, vices? modò mœnia Cadmi
Scandebant, ſua nunc defendunt tecta Pelaſgi.
Ceu redeunt nubes, ceu circumflantibus Austris
Alternus procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit æſtus arenas,
Procumbit latè pubes Tirynthia, alumni
Exuvias imitata dei. trux mœret ab alto
Amphitryoniades Nemeæa in ſanguine terga,
Et ſimiles ramos, ſimiléſque videre pharetras.
Stabat in Argolicæ ferrato margine turris
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus
Hortator, ſed tunc miſeris dabat utile ſignum,
Suadebátque fugam, & tutos in caſtra receptus:
Cùm ſubitum obliquo deſcendit ab aëre vulnus,
Urgentíſque ſonum lævâ manus aure retenta eſt,
Sicut erat: fugit in vacuas jam ſpiritus auras,
Jam gelida ora jacent, carmen tuba ſola peregit.
Jámque potens ſcelerum, geminæque exercita gentis
Sanguine, Tiſiphone fraternâ cludere quærit
Bella tubâ. nec ſe tanta in certamina retur
Sufficere, infernâ comitem in ſede Megæram,
Et conſanguineos in prælia ſuſcitet angues.
Ergo procul vacuâ conſedit valle, ſolúmque
Enſe fodit Stygio, terræque immurmurat abſens
Nomen, &, Elyſiis ſignum indubitabile regnis,
Crinalem attollit longo ſtridore ceraſten.
Cæruleæ dux ille comæ, quo protinus omnis
Horruit audito tellus, pontúſque, polúſque,
Et pater Ætnæos iterum proſpexit ad ignes.
Accipit illa ſonum, ſtabat tunc fortè parenti
Proxima, dum cætu Capaneus laudatur ab omni
Ditis, & inſignem Stygiis fovet amnibus umbram.
Protinus abruptâ terrarum mole ſub aſtris
Conſtitit, exultant manes, quantúmque profundæ
Rareſcunt tenebræ, tantum de luce receſſit.
Excipit atra ſoror, dextræque innexa profatur:
Hàc germana tenus Stygii metuenda parentis
Imperia, & juſſos potui tolerare furores
Sola ſuper terras, hoſtiliſque obvia mundo,
Dum vos Elyſium & faciles compeſcitis umbras.
Nec pretium deforme moræ, caſsſque labores:
Hoc quodcunque madent campi, quod ſanguine fumant
Stagna, quod innumero Lethæa examine gaudet
Ripa, meæ vires, mea læta inſignia. ſed quid
Hæc ego? Mars habeat, vulgatáque jactet Enyo.
Vidiſtis (Stygiis certè manifeſtus in umbris)
Sanguine fœdatum rictus, atróque madentem
Ora ducem tabo. miſerum inſatiabilis edit
Me tradente caput. modò nempe horrendus ab aſtris
Deſcendit vos uſque fragor. mea ſacra premebat
Tempeſtas, ego mixta viri furialibus armis
Bella deûm, & magnas ridebam fulminis iras.
Sed jam (effabor enim) longo ſudore fatiſcunt
Corda ſoror, tardæque manus. hebet infera cœlo
Taxus, & inſuetos angues nimia aſtra ſoporant.
Tu cui totus adhuc furor, exultántque recentes
Cocyti de fonte comæ, da jungere vires.
Non ſolitas acies, nec Martia bella paramus,
Sed fratrum (licèt alma fides, pietáſque repugnent,
Vincentur) fratrum ſtringendi cominus enſes.
Grande opus. ipſæ odiis, ipſæ diſcordibus armis
Aptemur. quid lenta venis? agedum elige cujus
Signa feras: ambo faciles, noſtríque, ſed anceps
Vulgus, & adfatus matris, blandámque precatu
Antigonen timeo, paulùm ne noſtra retardet
Conſilia. ipſe etiam, qui nos laſſare precando
Suetus, & ultrices oculorum expoſcere diras,
Jam pater eſt. cœtu fertur jam ſolus ab omni
Flere tibi. Atque adeò moror ipſa irrumpere Thebas,
Aſſuetúmque larem, tibi pareat impius exul,
Argolicumque impelle nefas, neu mitis Adraſtus
Prævaleat, plebéſque, cave, Lernæa moretur.
Vade, & in alternas inimica revertere pugnas.
Talia partitæ diverſum abiere ſorores.
Ut Notus, & Boreas, gemino de cardine mundi,
Hic nive Rhiphæâ, Libycis hic paſtus arenis,
Bella cient. clamant amnes, freta, nubila, ſylvæ;
Jámque patent ſtrages. plangunt ſua damna coloni,
Et tamen oppreſſos miſerantur in æquore nautas.
Illas ut ſummo vidit pater altus Olympo
Inceſtare diem, trepidúmque Hyperionis orbem
Suffundi maculis, torvo ſic inchoat ore:
Vidimus armiferos, quò fas erat uſque, furores,

Cælicolæ,

Cœlicolæ, licitáſque acies, etſi impia bella
Unus init, anſúſque meâ procumbere dextrâ.
Nunc par infandum, miſerſque incognita terris
Pugna ſubeſt. auferte oculos. abſentibus auſint
Iſta deis, lateántque Jovem. ſat funera menſæ
Tantaleæ, & fontes vidiſſe Lycaonis aras,
Et feſtina polo ducentes aſtra Mycenas.
Nunc etiam turbanda dies. mala nubila tellus
Accipe, ſecedántque poli, ſtat parcere mundo,
Cœlitibúſque meis. ſaltem ne virginis almæ
Sidera, Ledæi videant neu talia fratres.
Sic pater omnipotens, viſúſque nocentibus arvis
Abſtulit, & dulci terræ caruere ſereno.
Jámque per Argolicas Erebo ſata virgo cohortes
Veſtigat Polynicis iter, portíſque ſub ipſis
Invenit, incertum leto tot iniqua fugâne
Exeat, & dubios turbabant omina ſenſus.
Viderat, obſcurâ vallum dum nocte pererrat
Æger conſilii, curſſque noviſſima volvens,
Conjugis Argiæ lacerâ cum lampade mœſtam
Effigiem. (ſunt monſtra deûm, ſic ire parabar,
Has latura viro tedas erat) ergo roganti,
Quæ via, quíſve dolor, cur mœſta inſignia? tantùm
Fleverat; atque manu timidos averterat ignes.
Scit mentem vidiſſe nefas. etenim unde Mycenis
Adforet, & vallum conjux inopina ſubiret?
Sed fati monitus, vicináque funera ſentit,
Ac ſentire timet. cùm verò Acherontis operti
Diva ter admoto tetigit thoraca flagello,
Ardet inops animi, nec tam conſidere regno,
Quàm ſcelus, & cædem, & perfoſſi in ſanguine fratris
Expirare cupit, ſubitúſque adfatur Adraſtum.
Sera quidem, extremus ſociûm, gentíſque ſuperſtes
Argolicæ, conſulta, pater, jam rebus in arctis
Aggredior: tunc tempus erat, cùm ſanguis Achivûm
Integer, ire ultro, primámque capeſſere pugnam.
Non plebis Danaæ florem, regúmque verendas
Objectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus induerem capiti decus: aſpera quando
Præcepit virtus; nunc ſaltem exolvere fas ſit,
Quæ merui. ſcis namque ſocer, licèt alta recondas
Vulnera, & adflictum generi vereare pudorem.
Ille ego ſum, qui te pacem, & pia jura regentem
Infelix (utináinque aliis datus urbibus hoſpes)
Extorrem patriâ, regnóque. ſed exige tandem
Supplicia. fratrem ſuprema in bella (quid horres?
Decretum eſt, fixúmque) voco. deſiſte morari:
Nec poteris. non ſi atra parens, miſeræque ſorores
In media arma cadant: non ſi ipſe ad bella ruenti
Obſtet, & extinctos galeæ pater ingerat orbes,
Deficiam. áinne bibam ſupereſt quodcunque cruoris
Inachii? & veſtris etiamnum mortibus utar?
Vidi egomet propter raptos tellurls hiatus,
Nec ſubii: vidi exanimum, feciſque nocentem
Tydea: me Tegee regem indefeſſa repoſcit,
Orbáque Parrhatiis ululat mihi mater in antris.
Ipſe nec Iſmeni ripas, dum ſtagna cruentat
Hippomedon, Tyrias potui nec ſcandere turres,
Dum tonat, & tecum, Capaneu, miſcere furores?
Quis tantus pro luce timor? ſed digna rependam,
Conveniant ubicunque nurus, matréſque Pelaſgæ,
Longæváque patres, quorum tot gaudia cárpſi,
Orbaváque domos. fratri concurro: quid ultrà eſt?
Spectent, & votis victorem Eteoclea poſcant.
Jámque vale conjux, dulcéſque valete Mycenæ.
At tu care ſocer (nec enim omnis culpa malorum
Me penès, & ſuperi mecum, Parcæque nocentes)
Sis lenis cineri, méque hæc poſt prælia raptum
Alitibus, fratríque tegas, urnâque reportes.
Hoc tantùm, & natæ meliùs connubia jungas.
Ibant in lachrymas, veluti cùm vere reverſo
Biſtoniæ tepuere nives, ſummittitur ingens
Hæmus, & anguſtos Rhodope deſcendit in amnes.
Cœperat & leni ſenior mulcere furentem
Alloquio. ſcidit orſa novo terrore cruenta
Eumenis, alipedémque citum, fataliáque arma.
Protinus Inachii vultus expreſſa Perinthi
Obtulit, ac fidas excluſit caſſide voces.
Ac ſuper hæc: Abrumpe moras: celeremus, & illum
Adventare ferunt portis. ſic omnia vicit,
Correptúmque injecit equo. volat æquore aperto
Pallidus, inſtantémque deæ circumſpicit umbram.
Sacra Jovi merito Tyrius pro fulmine ductor
Nequicquam Danaos ratus exarmâſſe ferebat.
Nec pater ætherius, divûmque has ullus ad aras,
Sed mala Tiſiphone trepidis inſerta miniſtris
Aſtat, & inferno prævertit vota Tonanti.
Summe deûm, tibi namque meæ primordia Thebæ,
(Liceat infandum licèt Argos, & aſpera Juno)
Debent, Sidonios ex quo per littora raptor
Turbâſti thyaſos, dignatus virgine noſtrâ
Terga premi, & placidas falſum mugire per undas!
Nec te vana fides, iterum Cadmeïa adeptum
Connubia, & Tyrios nimiùm irrupiſſe penates.
Tandem, inquam, ſoceros, dilectáque mœnia gratus
Reſpicis, adſertórque tonas. ecu regia cœli
Attentata tui, ſic te pro turribus altis
Vidimus urgentem nubes, latéque benignum
Fulmen, & auditos proavis agnovimus ignes:
Accipe nunc pecudes, & magni thuris acervos,
Votivúmque marem. dignas ſed pendere grates
Haud mortale opus eſt. certent tibi reddere Bacchus
Noſter, & Alcides. illis hæc mœnia ſerva.
Dixerat, aſt illi niger ignis in ora genáſque
Profiluit, raptúmque comis diadema cremavit.
Tunc ferus ante ictum ſpumis delubra cruentat
Taurus, & obſtantum mediis è cœtibus exit
Turbidus, inſano feriens altaria cornu.
Diffugiunt famuli, & regem ſolatur aruſpex.
Ipſe inſtaurari ſacrum malè fortis, agſque
Imperat, & magnos ficto premit ore timores.
Qualis ubi implicitum Tirynthius oſſibus ignem
Senſit, & Oetæas membris accedere veſtes,
Vota incepta tamen, libatáque thura ferebat
Durus adhuc, patiénſque mali, mox grandè coactus
Ingemuit, victórque furit per viſcera Neſſus.
Nuntius exanimi ſuſpenſus pectora curſu
Ægytus ad regem portæ ſtatione relictâ
Tendit, & hæc trepido vix intellectus anhelat:
Rumpe pios cultus, intempeſtiváque, Rector,
Sacra Deûm. frater muris circùm omnibus inſtat,
Portarúmque moras frenis adſultat, & haſtis,
Nomine te crebro, te ſolum in prælia poſcens.
Flent mœſti retro comites, & uterque loquenti
Adgemit, & pulſis exercitus obſtrepit armis.
Ille vocat: Nunc tempus erat, fator optime divûm.
Quid meruit Capaneus? turbatus inhorruit altis
Rex odiis, mediâque tamen gaviſus in irâ eſt.
Sic ubi regnator poſt exulis otia tauri,
Mugitum hoſtilem ſummâ tulit aure juvencus,
Agnoviſque minas, magnâ ſtat fervidus irâ
Ante gregem, ſpumíſque animos ardentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus æra findens,
Horret ager, trepidæque expectant prælia valles.
Non deſunt regi comites: Sine, mœnia pulſet
Irritus. ille autem fractis huc audeat uſque
Viribus? hic miſeris furor eſt inſtare periclo
Nec librare metus, & tuta odiſſe. reſiſte
Hoc fretus ſolio. nos propulſabimus hoſtem.
Hos bellare jube. ſic proxima turba, ſed ardens
Ecce aderat luctu, dicturúſque omnia belli
Libertate Creon. urit fera corda Menœceus:
Nulla patri requies: illum quæríque, tenétque.
Illum ſanguineos proflantem pectore rivos
Aſpicit, & ſævâ ſemper de turre cadentem.
Ut dubium, & pugnas cunctantem Eteoclea vidit:
Ibis ait, neque te ulteriùs, fratrúmque ducúmque,
Peſſime, funeribus patriæ, lachrymíſque potitum,
Eumenidum belliſque reum, patiemur inulti.
Sat tua non æquis luimus perjuria divis.
Urbem armis, opibúſque gravem, & modò civibus arctam,
Ceu cœlo dimiſſa lues, inimicáve tellus
Hauſiſti, vacuámque tamen ſublimis obumbras?
Deeſt ſervitio plebes. hos ignis egentes
Fert humus, hos pelago patrius jam detulit amnis.
Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.
Redde agedum miſeris fratres, natóſque, patréſque,
Redde arvis, domibúſque viros. ubi maximus Hypleus,
Finitimúſque Dryas? ubi Phocidos arma ſonoræ,
Euboïcíque duces? illos tamen æqua duelli
Fors tulit ad manes. at tu (pudet) hoſtia regni,
Hoſtia nate jaces, ceu mutus, & è grege ſanguis.
Hei mihi primitiis armorum, & rite nefaſto,
Libatus, juſſúſque mori, & cunctabitur ultrà
Iſte? nec adverſo nunc ſaltem Marte vocatus
Stabit? an in pugnas alium jubet ire prophanus
Tireſias? iterúmque meos oracula nectit
In gemitus? quid enim miſero ſuperèr unicus Hæmon?

Ille

Ille jube ſubeat, túque hinc ſpectator ab altâ
Turre ſede. quid ſæva fremis, famulámque cohortem
Reſpectas? hi te ire volunt, hi pendere pœnas:
Ipſa etiam genitrix, ipſæque odere ſorores.
In te ardens frater, ferrum, mortémque minatur,
Sæváque portarum convellit clauſtra, nec audes?
Sic pater infrendens, miſeràque exæſtuat irâ.
Ille ſub hæc: Non fallis, ait, nec te inclyta nati
Fata movent: canere illa patrem, & jactare decebat.
Sed ſpes ſub lachrymis, ſpes atque occulta cupido
His latet; inſano prætendis funera voto,
Méque premis fruſtra, vacuæ ceu proximus aulæ.
Non ita Sidoniam fortuna reliquerit urbem,
In te ut ſceptra cadant tanto indigniſſime nato.
Nec mihi difficilis præſens vindicta. ſed arma,
Arma priùs famuli. coëant in prælia fratres.
Vult gemitus lenire Creon: lucrare furorem:
Victori mihi cuncta lues. ſic jurgia paulùm
Diſtulit, atque enſem, quem jam dabat ira, repreſſit.
Ictus ut incerto paſtoris vulnere ſerpens
Erigitur gyro, longúmque è corpore toto
Virus in ora legit, paulùm ſi devius hoſtis
Torſit iter, cecidere minæ, tumefactáque fruſtra
Colla ſedent, iráſque ſui bibit ipſe veneni.
At genitrix primam funeſtæ ſortis at amens
Expavit famam, (nec tardè credidit) ibat
Scitla comas, vultúque, & pectore nuda cruento,
Non ſexûs, decoriſve memor. Pentheïa qualis
Mater ad inſani ſcandebat culmina montis,
Promiſſum ſævo caput allatura Lyæo.
Non comites, non ferre ipſæ veſtigia natæ
Æqua valent. tantum miſeræ dolor ultimus addit.
Robur; & exangues crudeſcunt luctibus anni.
Jámque decus galeæ, jam ſpicula ſæva ligabat
Ductor, & ad lituos hilarem, trepidúmque tubarum
Proſpiciebat equum. ſubitò cùm apparuit ingens
Mater, & ipſe metu famulûmque expalluit omnis
Cœtus, & oblatam retro dedit armiger haſtam.
Quis furor? unde iterum regni integrata reſurgit
Eumenis? ipſi etiam poſt omnia, cominus ipſi
Stabitis? uſque adeò geminas duxiſſe cohortes,
Et facinus mandâſſe parum eſt? quò deinde redibit
Victor? in hoſne ſinus? ô diri conjugis olim
Felices tenebræ! datis improba lumina pœnas.
Hæc ſpectanda dies? quò, ſæve, minantia flectis
Ora? quid alternos vultus, pallórque rubórque
Mutat? & obnixi frangunt mala murmura dentes?
Me miſeram, vinces! priùs hæc tamen arma neceſſe eſt
Experiare domi. ſtabo ipſa in limine portæ
Auſpicium infelix, ſcelerúmque immanis imago.
Hæc tibi canicies, hæc ſunt calcanda, nefande,
Ubera. pérque uterum ſonipes hic matris agendus.
Parce: quid oppoſitam capulo, parmâque repellis?
Non ego te contra Stygiis feralia ſanxi
Vota deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi.
Exaudi miſeram: genitrix te, ſæve, precatur,
Non pater. adde moram ſceleri, & metire quod audes.
Sed pulſat muros germanus, & impia contrà
Bella ciet? non mater enim, non obſtat eunti
Ulla ſoror. te cuncta rogant, hìc plangimus omnes.
Aſt ibi vix unus pugnas diſſuadet Adraſtus,
Aut fortaſſe jubet. tu limina avita deóſque
Linquis, & à noſtris in fratrem amplexibus exis?
At parte ex aliâ tacitos obſtante tumultu
Antigone furata gradus (nec caſta retardat
Virginitas) volat Ogygii faſtigia muri
Exuperare furens. ſenior comes hæret eunti
Actor, & hic ſummas non duraturus ad arces.
Utque procul viſis paulùm dubitavit in armis,
Agnovíque (nefas!) jaculis, & voce ſuperbâ
Tecta inceſſentem, magno priùs omnia planctu
Implet, & è muris ceu deſcenſura profatur:
Comprime tela manu, paulúmque hanc aſpice turrim
Frater, & horrentes refer in mea lumina criſtas.
Agnoſcíſne hoſtes? ſic annua pacta, fidémque
Poſcimus? hi queſtus? hæc eſt bona cauſa modeſti
Exulis? Argolicos per te, germane, penates
(Nam Tyriis jam nullus honos,) par ſiquid in illâ
Dulce domo, ſummitte animos. en utraque gentis
Turba rogant, ambæque acies. rogat illa ſuorum
Antigone devota malis, ſuſpectáque regi,
Et tantùm tua, dure, ſoror. ſaltem ora, trucéſque
Solve genas. liceat vultus fortaſſe ſupremum
Noſcere dilectos, &, ad hæc lamenta, videre,
Anne fleas. illum gemitu jam ſupplice mater
Frangit, & extremum dimittere dicitur enſem.
Tu mihi fortis adhuc? mihi, quæ tua nocte, diéque
Exilia, errorésque fleo? jam jámque tumentem
Placavi tibi, ſæve, patrem. quid crimine ſolvis
Germanum? nempe ille fidem & ſtata fœdera rupit,
Ille nocens, ſævúſque ſuis. tamen ecce vocatus
Non venit. his paulùm furor elangueſcere dictis
Cœperat, obſtreperet quamquam, atque obſtaret Erinnys.
Jam ſummiſſa manus, lentè jam flexit habenas,
Jam tacet. erumpunt gemitus, lachrymáſque fatetur
Caſſis. hebent iræ, paritérque & abire nocentem
Et veniſſe pudet. ſubitò cum matre repulsâ
Eumenis ejecit fractis Eteoclea portis
Clamantem, Venio, ſolúmque quod antè vocâſti
Invideo. ne inceſſe moras, gravis arma tenebat
Mater. lò patria, ô regum incertiſſima tellus,
Nunc certè victoris eris. nec mitior ille,
Tandem, inquit, ſcis, ſæve, fidem? & deſcendis in æquum?
O mihi nunc primùm longo pòſt tempore frater,
Congredere: hæ leges, hæc fœdera ſola ſuperſunt.
Sic hoſtilè tuens fratrem: namque uritur alto
Corde, quòd innumeri comites, quòd regia caſſis,
Inſtratúſque oſtro ſonipes, quòd fulva metallo
Parma micet: quamquàm haud armis inhonorus & ipſe,
Nec pallâ vulgare nitens. opus ipſa novârat
Mœoniis Argia modis, & pollice docto
Stamina purpureæ ſociaverat aurea telæ.
Jámque in pulvereum furiis hortantibus æquor
Proſiliunt: ſua quemque comes ſtimulátque, regítque.
Frena tenent ipſæ, phaleráſque, & lucida comunt
Arma manu, mixtíſque jubas ſerpentibus augent.
Stat conſanguineum campo ſcelus: unius ingens
Bellum uteri, coëúntque pares ſub caſſide vultus.
Signa tacent, ſiluere tubæ: ſtupefactáque Martis
Cornua. ter nigris avidus regnator ab oris
Intonuit, térque ima ſoli concuſſit, & ipſi
Armorum fugere dei. nuſquam inclyta Virtus,
Reſtinxit Bellona faces, longéque paventes
Mars rapuit currus, & Gorgone cruda virago
Abſtitit, ínque vicem Stygiæ rubuere ſorores.
Prominet excelſis vulgus miſerabile tectis:
Cuncta madent lachrymis, & ab omni plangitur arce.
Hinc queſti vixiſſe ſenes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvóſque vetant attendere natos.
Ipſe quoque Ogygios monſtra ad gentilia manes
Tartareus rector portâ jubet ire reclusâ.
Montibus inſidunt patriis, triſtíque coronâ
Intecere diem, & vinci ſua crimina gaudent.
Illos ut ſtimulis ire in diſcrimen apertis
Audiit, & ſceleri nullum jam obſtare pudorem,
Advolat, & medias immittit Adraſtus habenas.
Ipſe quidem regnis multum, & venerabilis ævo,
Sed quid apud tales, quîs nec ſua pignora curæ?
Alternos tamen ille rogat: Spectabimus ergo
Inachidæ, Tyríſque nefas? ubi jura, deſque?
Balla ubi? ne perſtate animis. te deprecor hoſtis,
(Quamquàm hæc ira ſinat, nec tu mihi ſanguine longè)
Te gener, & jubeo. ſceptri ſi tanta cupido eſt.
Exuo regales habitus: i Lernan, & Argos
Solus habe. non verba magìs ſuadentia frangunt
Accenſos, ſumptíſque ſemel conatibus obſtant,
Quàm Scytha curvatis erectus fluctibus unquam
Pontus, Cyaneos veruit concurrere montes.
Ut periiſſe preces, geminóſque ad prælia fuſos
Pulvere cornipedes, exploraríque furentum
In digitis amenta videt, fugit, omnia linquens
Caſtra, viros, generum, Thebas, ac fata monentem
Converſúmque jugo propellit Ariona. qualis
Demiſſus curru lævæ poſt præmia ſortis
Umbrarum cuſtos, mundíque noviſſimus hæres
Palluit, amiſſo venions in Tartara cœlo.
Non tamen indulſit pugnæ, cunctatáque primo
Subſtitit in ſcelere, & paulùm fortuna morata eſt.
Bis caſſæ periere viæ: bis cominus actos
Avertit bonus error equos, puræque nefandi
Sanguinis obliquis ceciderunt ictibus haſtæ.
Tendunt frena manu, & ſævis calcaribus urgent
Immeritos. movet & geminas miſerabile divûm
Prodigium turmas, alternáque murmura volvunt
Muſſantes, iterare aciem, procurrere ſæpe
Impetus, & totum miſeris opponere bellum.
Jamdudum terris, cœtúque offenſa deorum
Aversâ cœli Pietas in parte ſedebat,

Non

Non habitu quo nota priùs, non ore ſereno,
Sed vittis exuta comam, fraternáſque bella,
Ceu ſoror infelix pugnantum, aut anxia mater,
Deflebat: ſævúmque Jovem, Parcáſque nocentes
Vociferans, teſtéque polis, & luce relictâ
Deſcenſuram Erebo, & Stygios jam malle penates.
Quid me, ait, ut ſævis animantum, ac ſæpe deorum
Obſtaturam animis, princeps natura, creabas?
Nil jam ego per populos, nuſquam reverentia noſtri.
O furor, ô homines, diræque Prometheos artes!
Quàm bene poſt Pyrrham tellus, pontúſque vacabant?
En mortale genus! dixit, ſpeculatáque tempus,
Auxilium tentemus, ait, licèt irrita coner.
Deſiluſtque polo: niveus ſub nubibus altis
Quamquàm mœſta deæ, ſequitur veſtigia limes.
Vix ſteterat campo, ſubitâ manſueſcere pace
Agmina, ſentirſque nefas. tunc ora madeſcunt,
Pectoráque, & tacitus ſubrepſit fratribus horror.
Arma etiam ſimulata gerens, cultúſque virilis
Nunc his, nunc illis, Agite, ite, obſiſtite, clamat,
Quîs nati fratréſque domi, quîs pignora tanta.
His quoque (nonne palàm eſt ultro miſereſcere divos?)
Tela cadunt, cunctantur equi: ſors ipſa repugnat,
Nonnihil impulerat dubios, nî torva notâſſet
Tiſiphone fraudes, cœleſtíque ocyor igne
Aſſoret increpitans. Quid belli obverteris auſis,
Numen iners, pacíque datum? cede improba: noſter
Hic campus, noſtérque dies. nunc ſera nocentes
Defendis Thebas: ubi tunc cùm bella cieret
Bacchus? & armatas furiarent orgia matres?
Aut ubi ſegnis eras, dum Martius impia ſerpens
Stygna bibit! dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphinx?
Dum rogat Oedipoden genitor? dum lampade noſtrâ
In thalamos Jocaſta venit? ſic urget, & ultro
Vitantem aſpectus etiam, pudibundáque longè
Ora reducentem, premit adſtridentibus Hydris,
Intentátque faces: dejectam in lumina pallam
Diva trahit, magnóque fugit querura Tonanti.
Tunc verò accenſæ ſtimulis majoribus iræ:
Arma placent, veſtíque volunt ſpectare cohortes,
Inſtaurant crudele nefas. rex impius aptat
Tela, & funeſtæ caſum prior occupat haſtæ.
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exul ſubit, & clarè funeſta precatur:
Di quos effoſſo non irritus ore rogavit
Oedipodes, firmate hefas, non improba poſco
Vota: piabo manus, & eodem pectora ferro
Reſcindam, dum me moriens hic ſceptra tenentem
Linquat, & hunc ſecum portet minor umbra dolorem.
Haſta ſubit velox equitis femur inter equíque
Ilia, letum utrique volens. ſed plaga ſedentis
Laxato vitata genu. tamen irrita voti
Cuſpis, in obliquis invenit vulnera coſtis.
It præceps ſonipes ſtrictæ contemptor habenæ,
Arváque ſanguineo ſcribit rutilantia gyro.
Exultat, fratris credens hunc eſſe cruorem.
Credit & ipſe metu. totis jámque exul habenis
Indulget, cæcúſque avidos illidit in ægrum
Corripedem curſus. miſcentur frena manúſque,
Teláque, & ad terram turbatis greſſibus ambo
Præcipitant. ut nocte rates, quas nubilus Auſter
Implicuit, fraugunt tonſas, mutántque rudentes,
Luctatæque diu tenebris, hyemíque, ſibíque,
Sicut erant, imo pariter ſedere profundo.
Hæc pugnæ facies. coëunt ſinè more, ſinè arte,
Tantùm animis, iráque, atque igneſcentia cernunt
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine. nil adeò mediæ telluris, & enſes
Impliciti nexæque manus, alternáque ſævi
Murmura, ceu lituos rapiunt, aut ſigna tuberum.
Fulmineos veluti præceps cùm cominus egit
Ira ſues, ſtrictíſque crexit pectora ſetis:
Igne tremunt oculi, lunatáque dentibus uncis
Ora ſonant. ſpectat pugnas de rupe propinquâ
Venator pallens, canibúſque ſilentia ſuadet.
Sic avidi incurrunt: necdum letalia miſcent
Vulnera, ſed cœptus ſanguis, facinúſque peractum,
Nec jam opus eſt furiis: tantùm mirantur, & adſtant
Laudantes, hominúmque dolent plus poſſe furores.
Fratris uterque furens cupit affectátque cruorem,
Et neſcit manare ſuum. Tandem irruit exul,
Hortatúſque manum, cui fortior ira, nefáſque
Juſtius, altè enſem germani in corpore preſſit,

Quà malè jam plumis imus tegit inguina thorax.
Ille dolens nondum, ſed ferri frigore primo
Territus, in clypeum turbatos colligit artus,
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere, nec parcit cedenti, atque increpat hoſti:
Quò retrahis, germane, gradus? O languida ſomno,
Et regnis effœta quies! longâque ſub umbrâ
Imperia! exilio, rebúſque exercita egenis
Membra vides. diſce arma pati, nec fidere lætis.
Sic pugnant miſeri. reſtabat laſſa nefando
Vita duci, ſummúſque cruor, poterántque parumper
Stare gradus: ſed ſponte ruit, fraudémque ſupremam
In mediâ jam morte parat. clamore Citharon
Erigitur, fratérque ratus viciſſe, levavit
Ad cœlum palmas. Bene habet. non irrita vovi,
Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.
Huc aliquis properè ſceptrum, atque inſigne comarum
Dum videt. hæc dicens greſſus admovit, & arma,
Ceu templis decus & patriæ laturus ovanti,
Arma etiam ſpoliare cupit. nondum ille peractis
Manibus, ultrices animam ſervabat in iras.
Utque ſuperſtantem, pronúmque in pectore ſenſit,
Erigit occultè ferrum, vitæque labantis
Reliquias tenues odio ſupplevit, & enſem
Jam lætus fratris non frater corde reliquit.
Ille autem, Viviſne? & adhuc manet ira ſuperſtes,
Perfide, nec ſedes unquam meriture quietas?
I mecum ad Manes: illic quoque pacta reposcam,
Si modò Agenorei ſtat Gnoſſia judicis urna,
Quâ reges punire datur: nec plura locutus,
Concidit, & totis fratrem gravis obruit armis.
Ite truces animæ, funeſtáque Tartara leto
Polluite, & cunctas Erebi conſumite pœnas.
Vóſque malis hominum, Stygiæ, jam parcite, divæ,
Omnibus in terris ſcelus hoc, omnique ſub ævo
Viderit una dies, monſtrúmque infame futuris
Excidat, & ſoli memorent hæc prælia reges.
At genitor ſceleris comperto fine, profundis
Erepſit tenebris, ſævóque è limine profert
Mortem imperfectam. veteri ſtat ſordida tabo
Utraque canicies, & durus ſanguine crinis
Obnubit furiale caput. procul ora, genæque
Intus, & effoſſæ ſqualent veſtigia lucis.
Virgo autem impoſitæ ſuſtentat pondera læva,
Dextra ſedet baculo. qualis ſi puppe relictâ
Exoſus pigri manes ſulcator Averni
Exeat ad ſuperos, ſolémque, & pallida turbet
Aſtra, nec ipſe diu fortis, patiénſque ſuperni
Aëris, interea longum ceſſante magiſtro
Creſcat opus, totíſque expectent ſæcula ripis.
Talis init campum, comitíque extrema gementi,
Duc, ait, ad natos, patrémque recentibus oro
Injice funeribus. cunctatur neſcia virgo,
Quid paret. impediunt iter, implicitóſque morantur
Arma, viri, currus, altâque in ſtrage ſeniles
Deficiunt greſſus, & dux miſeranda laborat.
Ut quæſita diu monſtravit corpora clamor
Virginis, inſternit totos frigentibus artus.
Nec vox ulla ſeni. jacet, immugíteque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata ſequuntur.
Dum tractat galeas, atque ora latentia quærit,
Tandem muta furens genitor ſuſpiria ſolvit,
Tarda meam, pietas, longo pòſt tempore mentem
Percutis? éſtne ſub hôc hominis clementia corde?
Vincis me miſerum, vincis, natura, parentem.
En habeo gemitus, lachrymæque per arida ſerpunt
Vulnera, & in molles ſequitur manus impia planctus.
Accipite infandæ juſta exequialia mortis,
Crudeles, nimiúmque mei. nec noſcere natos,
Alloquiúmque aptare licet. dic, virgo, precanti,
Quemteneo? quo nunc veſtras ego ſævus honore
Proſequar inferias? ô ſi fodienda redirent
Lumina, & in vultus ſævire ex more poteſtas.
Heu dolor, heu juſto magis exaudita parentis
Vota, malæque preces. quiſnam fuit ille deorum
Qui lætit orantem juxta præceptáque verba
Dictavit fatis? furor illa, & movit Erinnys,
Et pater, & genitrix, & regna oculíque cadentes;
Nil ego. per Ditem juro dulcéſque tenebras,
Immeritámque ducem, ſubeam ſic tartara dignâ
Morte, nec iratâ fugiat me Laïus umbrâ.
Hei mihi quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto?
Solvite quæſo manus, infeſtáque vincula tandem
Dividite, & medium nunc ſaltem admittite patrem.

Talia dequeſtus, paulatim ſumpſerat iras
Mortis, & occultè telum, ni nata vetaret,
Quærebat, ſed caſta manu ſubtraxerat enſes
Antigone, furit indè ſenex: Ubi noxia tela?
Heu furiæ, num totum abiit in corpora ferrum?
Dicentem comes ægra levat, mutúmque dolorem
Ipſa premit, ſævum gaudens planxiſſe parentem.
Olim autem incœptæ clamore exterrita pugnæ
Regina extulerat notum penetralibus enſem,
Enſem ſceptriferi ſpolium lachrymabile Laji.
Multáque cum Superis, & diro queſta cubili,
Et nati furiis, & primi conjugis umbris,
Luctata eſt dextrâ, & prono vix pectore ferrum
Intravit tandem, & venas prorupit aniles
Vulnus, & infelix luſtratur ſanguine lectus.
Illius exili ſtridentem in pectore plagam
Iſmene collapſa ſuper, lachrymiſque, comiſque
Siccabat plangens. qualis Marathonide ſylvâ
Flebilis Erigone, cæli prope funera patris
Queſtibus abſumptis triſtem jam ſolvere nodum
Cœperat, & fortes ramos moritura legebat.
At jam læta ducum ſpes eluſiſſe duorum
Res Amphionias aliò, ſceptrúmque malignâ
Tranſluterat Fortuna manu, Cadmíque tenebat
Jura Creon. miſer heu bellorum terminus! illi
Pugnârant fratres. hunc & Mavortia clamant
Semina, & impenſus patriæ paulò antè Menœceus
Conciliat populis. ſcandit fatale tyrannus
Flebilis Aoniæ ſolium. prò blanda poteſtas,
Et ſceptri male-ſuadus amor! nunquámne priorum
Hærebunt documenta novis? juvat ecce nefaſto
Stare loco, regiménque manu tractare cruentum,
Quid melior Fortuna poteſt? jam flectere patrem
Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis.
Primùm adeò ſævis imbutus amoribus aulæ,
Indicium ſpeciménque ſui jubet igne ſupremo
Arceri Danaos, nudóque ſub axe relinqui
Infelix bellum, & triſtes finè ſedibus umbras.
Mox reducem Ogygiæ congreſſus limine portæ
Oedipoden timuit paulùm, ſeſéque minorem
Confeſſus tacitè, promptámque coërcuit iram.
Mox redit in regem, cæcúmque audentibus hoſtem
Increpitans; procul, inquit, abi victoribus omen
Inviſum, & furias averte, ac mœnia luſtra
Diſceſſu Thebana tuo. ſpes longa peracta eſt.
Vade, jacent nati. quæ jam tibi vata ſuperſunt?
Horruit inflictu rabido, ſteterúntque trementes,
Ceu vilis præſente, genæ, ſeniúmque receſſit.
Tunc natam, baculúmque manu dimiſit, & iræ
Innixus, tumido vocem de pectore rumpit:
Jámne vacat ſævire, Creon? modò perfida regna
Fortunæque locum noſtræ miſerande ſubiſti,
Et tibi jam fas eſt regum calcare ruinas?
Jam tumulis victos, ſocios jam mœnibus arces?
Macte, potes dignè Thebárum ſceptra tueri.
Hæc tua prima dies. ſed cur nova contrahis amens
Jura? quid anguſtè tantos metiris honores?
Exilium intendis? timida inclementia regum
Iſta. feros avidus quin protinus imbuis enſes?
Crede: licèt veniat cupidus parere ſatelles,
Intrepidúſque ſecet non evitantia colla,
Incipe: an expectas, ut pronus ſupplice dextrâ
Sternar? & immitis domini veſtigia quæram?
Finge autem tentare, fines? mihíne ulla minaris
Supplicia? aut ullos reris ſupereſſe timores?
Linquere tecta jubes? cœlum, terráſque reliqui
Sponte, atque ultricem crudelis in ora retorſi
Non ullo cogente manum. quid tale jubere
Rex inimice potes? fugio, excedóque nefandis
Sedibus. an refert quò funera longa, meáſque
Tranſportem tenebras? ne non gens cuncta precanti
Concedat, patriæ quantùm miſer incubo terræ?
Sed dulces Thebæ: nimirum hìc clarior ortus,
Et meliora meos permulcent ſidera vultus.
Hìc genitrix, natíque. habeas Thebana, regáſque
Mœnia, quo Cadmus, quo Laïus omine rexit,
Quóque ego. ſic thalamos, ſic pignora fida capeſſas;
Nec tibi ſit virtus fortunam evadere dextrâ:
Sed lucem deprenſus ames. ſatis omina ſanxi,
Duc age nata procul. quid te autem luctibus addo?
Da, rex magne, ducem. timuit miſeranda relinqui
Antigone: mutátque preces. felicia per te
Regna, verende Creon, ſanctáſque Menœceos umbras:
Da veniam adflicto, dictíſque ignoſce ſuperbis.
Hunc morem fandi longæ fecere querelæ.
Nec ſoli ferus ille tibi, ſic fata, deóſque
Alloquitur. durus luctu, facilíſque nec ipſi
Sæpe mihi. pridem indomito ſub pectore fervet
Libertas miſera, & fævæ ſpes anxia mortis.
Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,
Supplicitúmque cupit. ſed tu majoribus, oro,
Imperii potiare bonis, altúſque jacentes
Prætereas, & magna ducum vereare priorum
Funera. & hìc quondam ſolio ſublimis, & armis
Septus, opem miſeris, jura & poſcentibus æquus,
Supplicibúſque dabat: cui nunc ex agmine tanto
Una comes, necdum exul erat. felicibus hìcne
Obſtat? in hunc odiis, & regni viribus exis?
Hunc abigis tectis? an ne prope limina clarum
Ingemat, & votis intempeſtivus oberret?
Pone metum, procul uſque tuâ ſummotus ab aulâ
Flebit. ego erectum ſubigam, & ſervire docebo.
Cœtibus abducam, ſolâque in ſede recondam:
Exul erit: nam quæ migranti externa patebunt
Mœnia? vis Argos eat, hoſtiléſque Mycenas
Squallidus irrepet? victíſque ad limen Adraſti
Aonias narret clades? tenuémque precetur
Rex Thebanus opem? miſeræ quid crimina gentis
Pandere, quid caſus juvat oſtentare pudendos?
Conde precor quodcunque fumus, nec longa precamur
Dona Creon, miſerere ſenis, mœſtíque parentis
Hìc precor, hìc manes indulge ponere: certè
Thebanos ſepelire licet. ſic orat, humíque
Volvitur. abducit genitor, ſævúmque minatur
Indignans veniam. qualis leo rupe ſub altâ,
Quem viridem quondam ſylvæ montéſque tremebant:
Jam piger, & longo jacet exarmatus ab ævo,
Magna tamen facies, & non adeunda ſenectus:
Et ſi demiſſas veniat mugitus ad aures,
Erigitur, meminíſtque ſui, viréſque peractas
Ingemit, & campis alios regnare leones.
Flectitur affatu, ſed non tamen omnia rector
Supplicis indulget lachrymis, partémque recidit
Muneris. haud, inquit, patriis prohibebere longè
Finibus, occurſu dum non pia templa, domóſque
Commacules. habeant te luſtra, tuúſque Cithæron:
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis umbris,
Quà bellum, geminæque jacent in ſanguine gentes.
Sic ait, & ficto comitum, vulgíque gementis
Aſſenſu, limen tumidus regale petebat.
Interea pulſi vallum exitiale Pelaſgi
Deſtituunt furto. nulli ſua ſigna, ſuúſque
Ductor: eunt taciti paſſim, & pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam reditúſque pudendos.
Nox favet, & gratâ profugos ampleditur umbrâ.

LIBER XII.

NONDUM cuncta polo vigil inclinaverat aſtra
Ortus, & inſtantem cornu tenuiore videbat
Luna diem: trepidas ſubitò Tithonia nubes
Diſcutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Agmina jam raris Dircæa penatibus errant
Noctis queſta moras, quamvis tunc otia tandem,
Et primus poſt bella ſopor: tamen ægra quietem
Pax fugat, & ſævi meminit victoria belli.
Vix primò proferre gradum, & munimina valli
Solvere, vix totas reſerare audacia portas.
Stant veteres ante ora metus, campíque vacantis
Horror: ut aſſiduo jactatis æquore tellus
Prima labat. hìc attoniti nil cominus ire
Mirantur, fuſáſque putant adſurgere turmas.
Sic ubi proſpicuæ ſcandentem limina turris
Idaliæ volucres fulvum aſpexere draconem,
Intus agunt natos, & fœta cubilia vallant
Unguibus, imbeliéſque citant ad prælia pennas:
Mox ruerit licèt ille retro, tamen aëra nudum
Candida turba timet, tandémque ingreſſa volatus
Horret, & à mediis etiamnum reſpicit aſtris.
Itur in exanguem populum, bellíque jacentis
Relliquias, quà quemque dolor, luctúſque cruenti
Exegere duces. hi tela, hi corpora, at illi
Cæſorum tantùm ora vident, alienáque juxtà
Pectora. pars currus deflent, viduíſque loquuntur,
Hoc ſolum quia reſtat, equis: pars oſcula figunt
Vulneribus magnis, & de virtute queruntur.

Frigida

Frigida digeritur strages: patuere recisæ
Cum capulis, hastisque manus, mediisque sagittæ
Luminibus stantes, multis vestigia cædis
Nulla, ruunt planctu pendente, & ubique parato.
At circùm informes truncos miserabile surgit
Certamen, qui justa ferant, qui funera ducant.
Sæpe etiam hostiles (lusit Fortuna parumper)
Decepti flevere viros. nec certa facultas
Noscere quem miseri vitent, calcéntve cruorem.
At quibus est illæsa domus, vacuique dolores,
Aut deserta vagi Danaûm tentoria lustrant:
Immittúntque faces, aut (quæ post bella voluptas)
Quærunt dispersi, jaceat quo pulvere Tydeus,
An rapti pateat specus auguris, aut ubi divûm
Hostis, an æthereæ vivant per membra favillæ.
Jam lachrymis exempta dies, nec ferus abegit
Vesper: amant miseri lamenta, malisque fruuntur.
Nec subiere domos, sed circùm funera pernox
Turba sedet, vicibúsque datis alterna gementes
Igne feras, planctúque fugant. nec dulcibus astris
Victa, nec assiduo coïerunt lumina fletu.
Tertius auroram pulsabat Lucifer, & jam
Montibus orbatis lucorum gloria, magnæ
Theumeti venere trabes, & amica Cithæron
Sylva rogis. ardent excisæ viscera gentis
Molibus extructis. supremo munere gaudent
Ogygii manes: queritur miserabile Graiûm
Nuda cohors, vetitúmque gemens circumvolat ignem.
Accipit & sævi manes Eteoclis iniquos
Haudquaquam regalis honos, Argivus haberi
Frater jussus adhuc, atque exule pellitur umbrâ.
At non plebeio fumare Menœcea busto
Rex genitor, Thebæque sinunt. nec robora vilem
Struxerunt de more rogum: sed bellicus agger
Curribus, & clypeis, Graiorúmque omnibus armis
Sternitur. hostiles super ipse ut victor acervos,
Paciferâ lauro crinem, vittisque decorus
Accubat. haud aliter quàm cum poscentibus astris
Lætus in accensâ jacuit Tirynthius Œtâ.
Spirantes super inferias captiva Pelasgûm
Corpora, frenatósque pater, solatia, fortes
Bellorum, mactabat equos, his arduus ignis
Palpitat, & gemitus tandem erupere paterni:
O nisi magnanimus tantæ te laudis inisset
Ardor, Echionios mecum venerande penates,
Atque ultrà rectore puer: venientia qui nunc
Gaudia & ingratum regni mihi munus acerbas.
Tu superûm convexa licèt, cœtúsque perenni
(Credo equidem) Virtute colas: mihi flebile semper
Numen eris. ponant aras, excelsâque Thebæ
Templa dicent: uni fas sit lugere parenti.
Et nunc heu quæ digna tibi solennia, quâve
Largiar exequias? nec si fatale, potestas,
Argos, & impulsas cineri miscere Mycenas,
Méque super, cui vita, (nefas!) & sanguine nati
Partus honos. eadémne dies, eadem impia bella
Te, puer, & diros misere in Tartara fratres?
Et nunc Œdipodi par est Fortuna doloris,
Ac mihi: quàm similes gemimus, bone Jupiter, umbras?
Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi,
Accipe, & hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
Vincula, quæ patri nimiùm gestanda dedisti.
Regem te, regem, tristes Eteocleos umbræ
Aspiciant. simul hæc dicens, crinémque, manúmque
Destruit, accensâque iterat violentiùs irâ:
Sævum agedum, immitémque vocent, nunc funera Lernæ
Tecum ardere veto. longos utinam addere sensus
Corporibus, cœlóque animas, Erebóque nocentes
Pellere fas: ipsúmque feras, ipsum unca volucrum
Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos.
Hei mihi quòd positos humus alma, diésque resolvit.
Quare iterum repetens, iterúmque edico, suprema
Ne quis ope, aut flammis ausit juvisse Pelasgos,
Aut nece facta luet, numeróque explebit ademta
Corpora: per superos, magnúmque Menœcea juro.
Dixit, & abreptum comites in tecta ferebant.
Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis
(Fama trahit miseras) orbæ, viduæque ruebant
Inachides, ceu capta manus: sua vulnera cuique,
Par habitus cunctis, dejecti in pectora crines,
Accinctique sinus. manant lacera ora cruentis
Unguibus, & molles planctu crevere lacerti.
Prima per attonitas nigræ regina catervæ
Tristibus illabens famulis, iterúmque resurgens
Quærit inops Argia vias. non regia cordi,
Non pater: una fides, unum Polynicis amati
Nomen in ore sedet. Dircen, infaustáque Cadmi
Mœnia, posthabitis velit incoluisse Mycenis.
Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
Tydeos exequiis trahit haud cessura sorori
Deïphile. scelus illa quidem, morsúsque profanos
Audierat miseranda viri. sed cuncta jacenti
Infelix ignoscit amor. post aspera vitâ,
Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
Hippomedonta ciens. vatis mox impia conjux
Heu vacuos positura rogos. Postrema gementum
Agmina Mænaliæ ducit comes orba Dianæ.
It gravis Euadne. dolet hæc, queritúrque labores
Audacis pueri: magni memor illa mariti
It torvùm lachrymans, summisque irascitur astris.
Illas & lucis Hecate speculata Lycæis
Prosequitur gemitu, duplexque ad littus euntes
Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulchro.
Noctivagúmque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin
Flevit, & arcanos errantibus extulit ignes.
Ipsa per aversos ducit Saturnia colles,
Occultátque vias, ne plebs congressa suorum
Ire vetet, pereátque ingentis gloria cœpti.
Nec non functa ducum refovendi corpora curam
Iris habet: putrésque arcanis roribus artus
Ambrosiæque rigat succis, ut longiùs obstent
Expecténtque rogos, flammas néve ante fatiscant.
Squallidus ecce genas, & hianti vulnere pallens
Ornitus (hic socio desertus ab agmine, tardat
Plaga recens) timidus secreta per avia furto
Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.
Isque ubi mota novo stupuit loca sola tumultu,
Fœmineúmque gregem, quæ jam super agmina Lernæ
Sola videt (non ille viam, causásque requirit,
Quippe patent) mœsto sed sic prior occupat ore:
Quò miseræ, quò fertis iter? funúsne peremptis
Speratis, cinerémque viris? stat pervigil illic
Umbrarum custos, inhumatáque corpora regi
Adnumerat. nusquam lachrymæ, procul usque fugati
Accessus hominum. solis avibúsque, ferisque
Ire licet. vestrísne Creon dabit æquus honorem
Luctibus? immites citiùs Busiridos aras,
Odrysiique famem stabuli, Siculósque licebit
Exorare deos. rapiet fortasse precantes,
(Si mens nota mihi) nec conjugalia supra
Funera, sed caris longè mactabit ab umbris:
Quin fugitis, dum tuta via est, Lernámque reversa
Nomina (quod superest) vacuis datis orbæ sepulchris,
Absentésque animas ad inania busta vocatis?
Aut vos Cecropiam (propè namque & Thesea fama est
Thermodontiaco lætum remeare triumpho)
Imploratis opem? bello cogendus & armis
In mores hominémque Creon. sic fatus, at illis
Horruerant lachrymæ, stupuitque immanis eundi
Impetus, atque uno vultus pallore notati.
Non secus afflavit molles si quando juvencas
Tigridis Hyrcanæ jejunum murmur, & ipse
Auditu turbatur ager: timor omnibus ingens,
Quæ placeat, quos illa fames descendat in armos.
Continuò discors vario sententia motu
Scinditur: his Thebas, tumidúmque ambire Creontæ,
His placet Actææ si quid clementia gentis
Annuat. extremum curarum, ac turpe reverti.
At non fœmineæ subitum virtutis honorem
Colligit Argia, serúque immane relicto
Tractat opus. placet egregii spes dura periclî
Cominus infandi leges accedere regni.
Quò Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi
Phasidis, innuptis vallara cohortibus iret.
Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido
Segreget, immitésque deos, regémque cruentum
Contemptrix animæ, & magno temeraria luctu
Provocet. hortantur pietas, ignésque pudici.
Ipse etiam ante oculos omni manifestus in actu
Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras,
Nunc mitis conjux, nunc jam sub casside torvâ
Mœstus in amplexu, multúmque à limine summo
Respiciens. sed nulla animo obversatur imago
Crebrior, Aonii quàm quæ de sanguine campi
Nuda venit, poscítque rogos. his anxia mentem
Ægrescit curis, & qui castissimus ardor,
Funus amat. tunc ad comites conversa Pelasgas:
Vos, ait, Actæas acies, Marathoniásque arma
Elicite.

Elicite, aſpirétque pio fortuna labori.
Me ſinite Ogygias tantæ quæ ſola ruinæ
Cauſa fui, penetrare domos, & fulmina regni
Prima pati. nec ſurda feræ pulſabimus urbis
Limina, ſunt illìc ſoceri mihi, ſúntque ſorores
Conjugis, & Thebas haud ignoranda ſubibo.
Ne tantùm revocate gradus. illò impetus ingens,
Auguriúmque animi. nec plura: unúmque Menœtem
(Olim hic virginei cuſtos, monitórque pudoris)
Eligit, & quanquam rudis, atque ignara locorum
Præcipites greſſus quà venerat Ornitus affert.
Atque ubi viſa procul, ſocias liquiſſe malorum,
Anne, ait, hoſtiles ego te labente per agros,
Heu dolor, expectem quænam ſententia lenti
Theſeos? an bello proceres, an dexter aruſpex
Annuat? interea funus decreſcit: & uncis
Alitibus non hos potiùs ſupponimus artus?
Et nunc me duram, ſi quis tibi ſenſus, ad umbras
Me tardam quereris Stygiis, fidiſſime, divis.
Heu ſi nudus adhuc, heu ſi jam fortè ſepultur,
Noſtrum utrumque nefas. adeò vis nulla dolenti,
Mors nuſquam, ſævúſque Creon. hortaris euntem
Ornite: tic dicens magno Megareïa præceps
Arva rapit paſſu, demonſtrat proxima quiſquis
Obvius, horreſcítque habitus, miſerámque veretur.
Vadit atrox viſu, nec corde, nec ore paveſcens,
Et nimiis confiſa malis, propiórque timeri:
Nocte velut Phrygiâ cùm lamentata reſultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoëntis ad amnem
Dux vefana chori, cujus dea ſanguine lecto
Ipſa dedit ferrum, & vittatâ fronte notavit.
Jam pater Heſperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab undis,
Cùm tamen illa gravem luctu fallente laborem
Neſcit abiſſe diem. nec caligantibus arvis
Terretur, nec frangit iter, per & invia ſaxa,
Lapſuráſque trabes, nemorúmque arcana ſereno
Nigra die, cæciſque inciſa novalia foſſis
Per fluvios ſecura vadi, ſomnóſque ferarum
Præter, & horrendis inſeſſa cubilia monſtris.
Tantum animi, luctúſque valent. pudet ire Menœtem
Tardiùs, invalidæque gradum miratur alumnæ.
Quas non illa domos, pecorúmque, hominúmque modeſto
Pulſavit gemitu? quoties amiſſus eunti
Limes, & errantem comites ſolatia flammæ
Deſtituunt? gelidæque facem vicere tenebræ?
Jámque ſupinantur feſſis, latéque fatiſcunt
Penthei devexa jugi, cùm pectore anhelo
Jam propè deficiens, ſic inchoat orſa Menœtes:
Haud procul (exacti ſi ſpes non blanda laboris)
Ogygias Argia domos, & egena ſepulchri
Bulla jacere reor. grave cominus æſtuat aër
Sordidus, & magnæ redeunt per inane volucres.
Hæc illa eſt crudelis humus: nec mœnia longé.
Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras
Campus, & è ſpeculis moriens intermicet ignis?
Mœnia ſunt juxtà, modò nox magìs ipſa tacebat,
Soláque nigrantes laxabant aſtra tenebras.
Horruit Argia, dextrámque ad mœnia tendens:
Urbs optata priùs, nunc tecta hoſtilia Thebæ,
Et tamen illæſas ſi reddis conjugis umbras,
Sic quoque dulce ſolum: cernis quo prædita cultu,
Quâ ſtipata manu, juxta tua mœnia primùm
Oedipodis magni venio nurus? improba non ſunt
Vota. rogos hoſpes planctúmque, & funera, poſco.
Illum, oro, extorrem regni, belióque fugatum,
Illum, quem ſolio non es dignata paterno,
Redde mihi. túque, oro, veni, ſi manibus ulla
Effigies, errántque animæ poſt membra ſolutæ.
Tu mihi pande vias, tuáque ipſe ad funera deduc,
Si merui. dixit, tectúmque aggreſſa propinquæ
Paſtorale catæ, reficit ſpiramina feſſi
Ignis, & horrendos irrumpit turbida campos.
Qualis ab Ætnæis accensâ lampade ſaxis
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ,
Auſonium Siculúmque latus veſtigia nigri
Raptoris, vaſtóſque legens in pulvere ſulcos.
Illius inſanis ululatibus ipſe remugit
Enceladus, ruptóque vias illuminat igni.
Perſephonen amnes, ſilvæ, freta, nubila, clamant,
Perſephonen tantùm Stygii tacet aula mariti.
Admonet attonitam fidus meminiſſe Creontis
Altor, & occultam ſummittere lampada furto.
Regina Argolicas modò formidata per urbes

Votum immane procis, ſpéſque auguſtiſſima gentis,
Nocte ſub infeſtâ, nullo duce, & hoſte propinquo,
Sola per offenſus armorum, & lubrica tabo
Gramina, non tenebras, non circumfuſa tremiſcens
Concilia umbrarum, atque animas ſua membra gementes.
Sæpe gradu cæco ferrum calcatáque tela
Diſſimulat, ſolúſque labor vitare jacentes,
Dum funus putat omne ſuum, viſúque ſagaci
Rimatur poſitos, & corpora prona ſupinat
Incumbens, queritúrque parum lucentibus aſtris.
Fortè ſoporiferas cœli ſecreta per umbras
Juno ſinu magni ſemet furata mariti,
Theſeos ad muros, ut Pallada flecteret, ibat,
Supplicibúſque piis faciles aperiret Athenas:
Atque ubi per campos errore fatiſcere vano
Immeritam Argian ſupero reſpexit ab axe,
Indoluit viſu: & lunaribus obvia bigis
Advertit currum, placidâque ita voce locuta eſt:
Da mihi poſcenti munus breve, Cynthia, ſi quis
Eſt Junonis honos. certè Jovis improba juſſu
Ternoctem Herculeam. veteres ſed mitto querelas:
En locus officio. cultrix placidiſſima noſtri
Inachis Argia cernis quâ nocte vagetur,
Nec reperire virum denſis queat ægra tenebris?
Et tibi nimboſum languet jubar. exere queſo
Cornua, & aſſueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles demitte Soporem.
Vix ea, cùm ſciſſis magnum dea nubibus orbem
Protulit: expavere umbræ fulgórque reciſus
Sideribus, vix ipſa tulit Saturnia flammas.
Primùm per campos infuſo lumine, pallam
Conjugis ipſa ſuos noſcit miſeranda labores,
Quanquam texta latent, ſuffuſáque ſanguine mœret
Purpura. dúmque deos vocat, & de funere caro
Hoc ſupereſſe putat, videt ipſum in pulvere penè
Calcatum. fugere animus, viſúſque, ſonúſque,
Incluſíque dolor lachrymas. tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animámque per oſcula quærit
Abſentem, preſſúmque comis, ac veſte cruorem
Servatura legit. mox tandem voce reversâ,
Hunc ego te, conjux, ad debita regna profectum
Ductorem belli, generúmque potentis Adraſti
Aſpicio? talíſque tuis occurro triumphis?
Huc attolle genas, defectáque lumina. venit
Ad Thebas Argia tuas. age mœnibus induc:
Et patrios oſtende lares, & mutua redde
Hoſpitia. Heu quid ago? projectus ceſpite nudo
Hoc patriæ telluris habes? quæ jurgia? certè
Imperium non frater habet. nullâſne tuorum
Moviſti lachrymas? ubi mater? ubi inclyta famâ
Antigone? mihi nempe jaces: mihi victus es uni.
Dicebam, quò tendis iter? quid ſceptra negata
Poſcis? habes Argos: ſoceri regnabis in aulâ:
Hic tibi longus honos, hìc indiviſa poteſtas.
Quid queror? ipſa dedi bellum, mœſtúmque rogavi
Ipſa patrem, ut talem nunc te complera tenerem.
Sed bene habet, ſuperi: gratum eſt, Fortuna: peracta eſt
Spes longinqua viæ: totos invenimus artus.
Hei mihi, ſed quanto deſcendit vulnus hiatu!
Hoc frater? quâ parte precor jacet ille nefandus
Prædator? vincam volucres, ſit adire poteſtas,
Excludámque feras. an habet funeſtus & ignes?
Sed nec te flammis inopem tua terra videbit:
Ardebis, lachrymáſque feres, quas ferre negatum
Regibus, æternúmque tuo famulata ſepulchro
Durabit deſerta fides, teſtiſque dolorum
Natus erit, parvóque torum Polynice fovebo.
Ecce alios gemitus, aliámque ad buſta ferebat
Antigone miſeranda facem, vix nacta petitos
Mœnibus egreſſus. illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles, & rex jubet ipſe timeri,
Contractæque vices, & crebrior excubat ignis:
Ergo deis, fratríque moras excuſat, & amens,
Ut paulùm immiſſo ceſſit ſtatio horrida ſomno,
Erumpit muris, fremitu quo territat agros
Virginis ira leæ rabies, cui libera tandem
Et primus ſinè matre furor. nec longa morata eſt,
Quippe trucem campum, & poſitus quo pulvere frater
Noverat. atque illam contrà videt ire Menœtes
Cui vacat, & caræ gemitus compeſcit alumnæ.
Cùm tamen erectas extremus virginis aures
Acceſſit ſonus: útque atrâ ſub veſte, comíſque
Squallentem, & craſſo fœdatam ſanguine vultus

Aſtrorum

Aſtrorum radiis, & utrîque à lampade vidit:
Cujus, ait, manes, aut quem temeraria quæris
Nocte meâ? nihil illa diu, ſed in ora mariti
Dejicit, ſuque ſuos pariter velamina vultus,
Capta metu ſubito, paulúmque oblita doloris.
Hôc magis increpitans ſuſpecta ſilentia, perſtat
Antigone, comitémque premens ipſámque: ſed ambo
Deficiunt, fixíque ſilent. tandem ora retexit
Argia, corpúſque tamen complexa, profatur:
Si quid in hôc veteri bellorum ſanguine mecum
Quæſitura venis, ſi tu quoque dura Creontis
Juſſa times, poſſum, tibi me confiſa, fateri.
Si miſera es (certè lachrymas, lamentáque cerno)
Junge age, junge fidem: proles ego regis Adraſti
(Hei mihi num quis adeſt?) cari Polynicis ad ignes,
Etſi regna vetant. ſtupuit Cadmeïa virgo,
Intremuítque ſimul, dicentémque occupat ultro:
Méne igitur ſociam (prò ſors ignara!) malorum,
Méne times? mea membra tenes, mea funera plangis,
Cedo, tén' pudet! heu pietas ignava ſororis!
Hæc prior. hìc pariter lapſæ, junctóque per ipſum
Amplexu, miſcent avidæ lachrymáſque, comáſque,
Partitæque artus redeunt alterna gementes
Ad vultum, & carâ vicibus cervice fruuntur.
Dúmque modò hæc fratrem memorat, nunc illa maritum,
Mutuáque exorſæ Thebas, Argóſque renarrant,
Longiùs Argia miſeros reminiſcitur actus:
Per tibi furtivi ſacrum commune doloris,
Per ſocios Manes, & conſcia fidera juro;
Non hìc amiſſos, quamquam vagus exul honores,
Non gentile ſolum, caræ non pectora matris,
Te cupiens unum, noctéſque, diéſque, locutus
Antigonen. ego cura minor, facilíſque relinqui.
Tu tamen excelsâ ſublimis forſitan arce,
Antè nefas Graiis dantem vexilla maniplis
Vidiſti, téque ille acie reſpexit ab ipsâ
Enſe ſalutatam, & nutantis vertice coni:
Nos procul. extremas ſed quis deus egit in iras?
Nil veſtræ valuere preces? tibíne iſte negavit
Oranti? cauſas ac triſtia reddere facta
Cœperat Antigone: fidus comes admonet ambas:
Eia agite inceptum potiùs. jam ſidera pallent
Vicino turbata die, perferte laborem,
Tempus erit lachrymis: accenſo flebitis igne.
Haud procul Iſmeni monſtrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc, & ſanguine decolor ibat.
Huc laceros artus ſocio conamine portant
Invalidæ, jungíque comes non fortior ulnas.
Sic Hyperionium tepidi Phaëthonta ſorores
Fumantem lavere Pado. vix dum ille ſepulchro
Conditus, & flentes ſtant circùm flumina ſylvæ.
Ut ſanies purgata vado, membríſque reverſus
Mortis honos, ignem miſeræ poſt ultima quærunt
Oſcula: ſed gelidæ circùm exaniméſque favillæ
Putribus in foveis, atque omnia buſta quieſcunt.
Stabat adhuc, ſeu fortè rogus, ſeu numine divûm,
Cui torrere datum ſævos Eteocleos artus,
Sive locum monſtris iterum fortuna parabat,
Seu diſceſſuros ſervaverat Eumenis ignes.
Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem
Roboribus pariter cupidæ videre, ſimúlque
Flebile gaviſæ, nec adhuc quæ buſta repertum
Sit placidus quicunque, rogant, mitíſque ſupremi
Admittat cineris conſortem, & miſceat umbras.
Ecce iterum fratres. primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena buſtis
Pellitur, exundant diviſo vertice flammæ,
Alternóſque apices abruptâ luce coruſcant.
Pallidus Eumenidum veluti commiſerit ignes
Orcus, uterque minax globus, & conatur uterque
Longiùs. ipſæ etiam commoto pondere paulum
Secedere trabes. conclamat territa virgo:
Occidimus, functáſque manu ſtimulavimus iras.
Frater erat. quis enim acceſſus ferus hoſpitis umbræ
Pelleret? en clypei fragmen, ſemuſtáque noſco
Cingula, frater erat. cernísne ut flamma recedat,
Concurrátque tamen? vivunt odia improba, vivunt.
Nil actum bello. miſeri, ſic dum arma moveris,
Vicit nempe Creon. nuſquam jam regna, quis ardor?
Cui furitis? ſedate minas. túque exul ubique
Semper inops æqui, jam cede. hoc nupta precatur,
Hoc ſoror: aut ſævos mediæ veniemus in ignes.
Vix ea, cùm ſubitus campos tremor, altáque tecta
Impulit, adjuvítque rogi diſcordis hiatus,
Et vigilum turbata quies, quibus ipſe malorum
Fingebat ſimulachra ſopor. ruit ilicet, omnem
Proſpectum luſtrans armatâ indagine miles.
Illos inſtantes ſenior timet unus. at ipſæ
Ante rogum, ſævíque palàm ſpreviſſe Creontis
Imperia, & furtum claro plangore fatentur
Securæ, quippe omne vident fluxiſſe cadaver.
Ambigitur ſævâ de morte, animoſáque leti
Spes furit. hæc fratris rapuiſſe, hæc conjugis artus
Contendunt, vicibúſque probant. ego corpus, ego ignes,
Me pietas, me duxit amor. depoſcere ſæva
Supplicia, & dextras juvat inſertare catenis.
Nuſquam illa alternis modò quæ reverentia verbis,
Iram, odiúmque putes. tantus diſcordat utrinque
Clamor, & ad regem qui deprendere trahuntur.
At procul Actæis dextrâ jam Pallade muris
Juno Phoroneas inducit prævia matres
Attonitas, non ipſa minùs, cœtúmque gementem
Conciliat populis, & ſentibus addit honorem.
Ipſa manu, ramóſque oleæ, vittáſque precantes
Tradit, & obtentâ ſummittere lumina pallâ,
Et præferre docet vacuas ſinè manibus urnas.
Omnis & Actæis effuſa penatibus ætas
Tecta, viáſque replent. unde hoc examen? & unâ
Tot miſeræ? necdum cauſas novere malorum,
Jámque gemunt. dea conciliis ſe miſcet utríſque
Cuncta docens, quâ gente ſatæ, quæ funera plangant,
Quídve petant. variis nec non affatibus ipſæ
Ogygias leges, immanſuetúmque Creonta
Multum & ubique fremunt. Geticæ non plura queruntur
Hoſpitibus tectis trunco ſermone volucres,
Cùm duplices thalamos, & iniquum Terea clamant.
Urbe fuit mediâ nulli conceſſa potentum
Ara deûm, mitis poſuit Clementia ſedem:
Et miſeri fecere ſacram. ſinè ſupplice nunquam
Illa novo: nullâ damnavit vota repulsâ.
Auditi quicunque rogant, noctéſque, diéſque
Ire datum, & ſolis numen placare querelis.
Parca ſuperſtitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur ſanguis, lachrymis altaria ſudant,
Mœſtarúmque ſuper libamina ſerta comarum
Pendent, & veſtes mutatâ ſorte relictæ.
Mite nemus circà, cultúque inſigne verendo
Vittatæ laurus, & ſupplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma deæ, mentes habitare, & pectora gaudet.
Semper habet trepidos, ſemper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantùm fœlicibus aræ.
Fama eſt defenſos acie, poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundâſſe nepotes.
Fama minor factis: ipſos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus hoſpita ſemper Athenæ,
Ceu leges, hominémque novum, ritúſque ſacrorum,
Seminâque in vacuas hinc deſcendentia terras,
Sic ſacrâſſe loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul ſtarent iræque, minæque,
Regnáque, & à juſtis Fortuna recederet aris.
Jam tunc innumeræ nôrant altaria gentes.
Huc victi bellis, patriſque è ſede fugati
Regnorúmque inopes, ſcelerúmque errore nocentes
Conveniunt, pacémque rogant. mox hoſpita ſedes
Vicit, & Oedipodæ furias, & funus Olynthi
Texit, & à miſero matrem ſummovit Oreſte.
Hunc vulgo monſtrante locum, manus anxia Lernæ
Deveniunt: cedit miſerorum turba priorum.
Vix ibi ſedatis requiêrunt pectora curis,
Ceu patrio ſuper alta grues Aquilone fugatæ
Cùm videre Pharon, tunc æthera latiùs implent,
Tunc hilari clangore ſonant: juvat orbe ſereno
Contempſiſſe nives, & frigora ſolvere Nilo.
Jámque domos patrias, Scythicæ poſt aſpera gentis
Prælia, laurigero ſubeuntem Theſea curru
Lætifici plauſus, miſſúſque ad ſidera vulgi
Clamor, & emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem ſpolia, & duri Mavortis imago
Virginei currus, cumulatáque fercula criſtis,
Et triſtes ducuntur equi, truncæque bipennes,
Quis nemora, & ſolidam Mæotida cædere ſuetæ,
Corytíque leves portantur, & ignea gemmis
Cingula, & informes dominarum ſanguine peltæ.
Ipſæ autem nondum trepidæ, ſexúmque fatentur,
Nec vulgare gemunt, aſpernantúrque precari,
Et tantùm innuptæ quærunt delubra Minervæ.
Primus amor niveis victorem cernere vectum

Quadrijugis,

Quadrijugis, nec non populos in ſemet agebat
Hippolyte, jam blanda genas, patiéntſque mariti
Fœderis. hanc patriæ ritus fregiſſe ſeveros
Atthides obliquæ ſecum mirantur operto
Murmure: quòd nitidi crines, quòd pectora pallâ
Tota latent, magnis quòd barbara ſeinet Athenis
Miſceat, atque hoſti veniat paritura marito.
Paulùm & ab inſeſſis mœſtæ Pelopeïdes aris
Promovere gradum, ſeriémque & dona triumphi
Mirantur, victíſque animo rediere mariti.
Atque ubi tardavit currus, & ab axe ſuperbo
Explorat cauſas victor, poſcítque benignâ
Aure preces, auſa ante alias Capaneïa conjux:
Belliger Ægide, ſubitæ cui maxima laudis
Semina de noſtris aperit Fortuna ruinis.
Non externa genus, diræ nec conſcia noxæ,
Turba ſumus: domus Argos erat, regéſque mariti.
Non utinam & fortes. quid enim ſeptena movere
Caſtra, & Agenoreos opus emendare penates?
Nec querimur cæſos: hæc bellica jura, vicéſque
Armorum. ſed non Siculis exorta ſub antris
Monſtra, nec Oſſæi bello cecidere bimembres.
Mitto genus, claróſque patres; hominum, inclyte Theſeu,
Sanguis erant, homines, eadémque in ſidera, eoſdem
Sortitus animarum, alimentáque veſtra creati,
Quos vetat igne Creon, Stygiæque à limine portæ,
Ceu ſator Eumenidum, aut Lethæi portitor amnis,
Summovet, ac dubio cœlíque, Erebíque ſub axe
Detinet. heu princeps natura! ubi numina? ubi ille
Fulminis injuſti jaculator? ubi eſtis Athenæ?
Septima jam ſurgens trepidis aurora jacentes
Averſatur equis. radios declinat, & horret
Stelligeri jubar omne poli. jam cominus ipſe
Pabula dira feræ, campúmque odere volucres
Spirantem tabo, & cœlum, ventóſque gravantem.
Quantum etenim ſupereſſe rear? nuda oſſa, putrémque
Urere permittat ſaniem. properate, verendi
Cecropidæ: vos iſta decet vindicta, priuſquam
Emathii, Thracéſque dolent, quæque extat ubique
Gens arſura rogis, manéſque habitura ſupremos.
Nam quis exit ſævire modus? bellavimus: eſto,
Sed cecidere odia, & triſtes mors obruit iras.
Tu quoque, ut egregios famâ cognovimus actus,
Non trucibus monſtris Sinin, infandúmque dediſti
Cercyona, & ſævum velles Scyrona crematum.
Credo & Amazoniis Tanain ſumâſſe ſepulchris,
Unde hæc arma refers: ſed & hunc dignare triumphum.
Da terris unum cœlóque Erebóque laborem.
Si patrium Marathona metu, ſi tecta levâſti
Creſſia, nec fudit vanos anus hoſpita fletus.
Sic tibi non ullæ ſociâ ſinè Pallade pugnæ,
Nec ſacer invideat paribus Tirynthius actis.
Semper & in curru, ſemper te mater ovantem
Cernat, & invictæ nil tale precentur Athenæ.
Dixerat. excipiunt cunctæ, tendúntque precantes
Cum clamore manus. rubuit Neptunius heros
Permotus lachrymis. juſtâ mox concitus irâ
Exclamat: quænam iſta novos induxit Erinnys
Regnorum mores? non hæc ego pectora liqui
Graiorum abſcedens, Scythiam, pontúmque nivalem
Cùm peterem. novus unde furor? victúmne putâſti
Theſea dire Creon? adſum: nec ſanguine feſſum
Crede: ſitit meritos etiamnum hæc haſta cruores,
Nulla mora eſt. verte huc adeò, fidiſſime Phegeu,
Cornipedem, & Tyrias invectus protinus arces
Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.
Sic ait, oblitus belliſque, viæque laborum,
Hortatúrque ſuos, viréſque inſtaurat anhelas.
Ut modò connubiis taurus, ſaltúque recepto,
Cùm poſuit pugnas; alio ſi fortè remugit
Bellatore nemus, quamquàm ora, & colla cruento
Imbre madent, novus arma parat, campúmque laceſſens
Diſſimulat gemitus, & vulnera pulvere celat.
Ipſa metus Libycos, ſervatricémque Meduſam
Pectoris, incuſsâ movit Tritonia parmâ.
Protinus erecti toto ſimul agmine Thebas
Reſpexere angues. necdum Atticus ire parabat
Miles, & infelix expavit claſſica Dirce.
Continuò in pugnas, haud ſolùm accenſa juventus,
Qui modò Caucaſei comites rediere triumphi;
Omnis ad arma rudes ager extimulavit alumnos.
Conveniunt, ultróque ducis vexilla ſequuntur,
Qui gelidum Braurona viri, qui rura laceſſunt
Munichia, & trepidis ſtabilem Pyræea nautis.
Et nondùm Eoo clarum Marathona triumpho
Mittit in arma manus, genialibus hoſpita divis
Icarii, Celeſque domus, viridéſque Melænæ:
Dives & Egaleos uemorum, Parnéſque benignus
Vitibus, & pingui melior Lycabeſſos olivâ.
Venit atrox Ileus, & olentis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrſos hederis veſtiſtis Acharnæ.
Linquitur Eois longè ſpeculabile proris
Sunion, unde vagi caſurum in nomina ponti
Creſſia decepit falſo ratis Ægea velo.
Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleuſin
Horrida ſulpenſis ad prælia miſit aratris.
Et quos Calliroe novies errantibus undis
Implicat, & raptæ qui conſcius Orythiæ
Celavit Geticos ripis Iliſſos amores.
Ipſe quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens
Lis Superûm, dubiis donec nova ſurgeret arbor
Rupibus, & longâ refugum more frangeret umbrâ.
Iſſet & Arctoas Cadmea ad mœnia ducens
Hippolyte turmas, retinet jam certa tumentis
Spes uteri, conjúxque rogat dimittere curas
Martis, & emeritas thalamo ſacrare pharetras.
Hos ubi velle acies, & dulci gliſcere ferro
Dux videt, útque piis raptim dent oſcula natis
Amplexúſque breves, curru ſic fatur ab alto:
Terrarum leges & mundi fœdera mecum
Defenſura manus, dignas inſumite mentes
Cœptibus. hàc omnem divûmque, hominúmque favorem
Naturámque ducem, cœtúſque ſilentis Averni
Stare palàm eſt: illìc Pœnarum exercita Thebis
Agmina, & anguicomæ ducent vexilla ſorores.
Ite atacres, tantæque, precor, confidite cauſæ.
Dixit, & emiſsâ præceps iter inchoat haſtâ.
Qualis Hyperboreos ubi nubilus inſtitit axes
Jupiter, & primâ tremefecit ſidera brumâ:
Rumpitur Æolia, & longam indignata quietem
Tollit hyems animos, ventoſáque ſibilat Arctos.
Tunc montes undæque fremunt, tunc prælia cœlis
Nubibus, & tonitrus inſanáque fulmina gaudent.
Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
Mutat, & innumeris, peditúmque, equitúmque catervis
Expirat protritus ager, nec pulvere craſſo
Armorum lux victa perit, ſed in æthera longum
Frangitur, & mediis ardent in nubibus haſtæ.
Noctem adeò, placidáſque operi junxere tenebras,
Certaméque immane viris, quò concita tendant
Agmina, quis viſas proclamet ab aggere Thebas,
Cujus in Ogygio ſtet princeps lancea muro.
At procul ingenti Neptunius agmina Theſeus
Anguſtat clypeo, propriæque exordia laudis,
Centum urbes umbone gerit, centenáque Creta
Mœnia: ſéque ipſum monſtroſi ambagibus antri
Hiſpida torquentem luctantis colla juvenci:
Alternáſque manus circùm, & nodoſa ligantem
Brachia, & abducto vitantem cornua vultu.
Terror habet populos, cùm ſeptus imagine torvâ
Ingreditur pugnas, bis Theſea, biſque cruentas
Cæde videre manus. veteres reminiſcitur actus
Ipſe tuens, ſociúmque gregem, metuendáque quondam
Limina, & abſumpto pallentem Gnoſſida filo.
Sævus at interea ferro poſt terga revinctas
Antigonen, viduámque Creon Adraſtida leto
Admovet. ambæ hilares, & mortis amore ſuperbæ
Enſibus intentant jugulos, regémque cruentum
Deſtituunt, cùm dicta ferens Theſcia Phegeus
Aſſitit. Ille quidem ramis inſontis olivæ
Pacificus, ſed bella ciet, bellúmque minatur
Grandè fremens, nimiúmque memor mandantis: & ipſum
Jam prope, jam medios operire cohortibus agros
Ingeminans. ſtetit ambiguo Thebanus in æſtu
Curarum, nutántque minæ, & prior ira tepeſcit.
Tunc firmat ſeſe, fictúmque, ac triſte renidens:
Parvâne proſtratis, inquit, documenta Mycenis
Sanximus? en iterum, qui mœnia noſtra laceſſant
Accipimus. veniant: ſed ne poſt bella querantur.
Lex eadem victis. Dixit, ſed pulvere craſſo
Caligare diem, & Tyrios juga perdere montes
Aſpicit. armari populos tamen, armáque ferri
Ipſe jubet pallens, mediæque in ſedibus aulæ
Eumenidas ſubitas, ſtentémque Menœcea cernit
Turbidus, impoſitóſque rogis gaudere Pelaſgos.
Quis fuit ille dies, tanto cùm ſanguine Thebis
Pax inventa perit? Patriis modò fixa revellunt
Arma deis, clypeique obducunt pectora fractis,

Et galeas humiles, & adhuc fordentia tabo
Spicula: non pharetris quiſquam, non enſe decorus,
Non ſpectandus equo. ceſſit fiducia valli:
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Expoſcunt: prior hoſtis habet. faſtigia deſunt:
Dejecit Capaneus. exanguis, & ægra juventus,
Jam nec conjugibus, ſuprema nec oſcula natis
Jungit, & attoniti nil optavere parentes.
Atticus at contrà, jubar ut clareſcere ruptis
Nubibus, & ſolem primis aſpexit in armis,
Deſilit in campum, qui ſubter mœnia nudos
Adſervat manes: dirſique vaporibus ægrum
Aëra pulverea penitus ſub caſſide ducens
Ingemit, & juſtas belli flammatur in iras.
Hunc ſaltem miſeris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quòd non ſuper ipſa jacentum
Corpora belligeras acies, Martémque ſecundum
Miſcuit. At lacerà ne quid de ſtrage nefandus
Perderet, eligitur ſævos potura cruores
Terra rudis. jámque alternas in prælia gentes
Diſſimilis Bellona ciet. non clamor utrinque,
Non utrinque tubæ. ſtat debilis altera pubes
Summiſſos enſes nequicquam, amentáque dextris
Laxa tenens. cedunt tellure, armíſque reductis
Oſtentant veteres etiamnum in ſanguine plagas.
Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Langueſcúntque minæ, & virtus ſecura reſidit.
Ventorum velut ira minor, niſi ſylva furentes
Impedit, inſanſque tacent ſinè littore fluctus.
Ut verò æquoreus quercum Marathonida Theſeus
Extulit, erectæ cujus crudelis in hoſtes
Umbra cadit, campúmque trucem lux cuſpidis implet.
Ceu pater Ædonios Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortémque, fugámque
Axe vehens, ſic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas. tædet fugientibus uti
Theſea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio deſævit ſanguine virtus.
Sic juvat exanimis projectáque præda canéſque
Degenerésque lupos, magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirúmque, hunc tela pharetrâ
Promentem, hunc ſævi tollentem pondera ſaxi
Dejicit, & triplici confiſos robore gentis
Alceïdas fratres, totidem quos eminus haſtis
Continuat: ferrum conſumpſit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero tranſmiſit lapix.
Jámque & quadrijugo celſum petit Hæmona curru,
Horrendúmque manu telum rotat. ille paventes
Obliquavit equos. longo perlata tenore
Tranſiit haſta duos. ſitiebat vulnera, nec non
Tertia, ſed medio cuſpis temone retenta eſt.
Sed ſolum votis, ſolum clamore fremendo
Omnibus in turmis, optátque vocátque Creonta.
Atque hunc diversà bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, fruſtráque extrema minantem
Conſpicit: abſcedunt comites, & Theſea juſſi
Linquebant, fretíque deis, atque ipſius armis.
Ille tenet, revocátque ſuos. útque æqua notavit
Hinc atque hinc odia, extremâ ſe colligit irâ,
Jam letalè furens, atque audax morte futurâ:
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus. hìc cruda virorum
Prælia, nos magnum qui Tydea, quíque furentem
Hippomedonta neci, Capaneáque miſimus umbris
Pectora. quæ bellum præceps amentia ſuaſit
Improbe? nónne vides quos ulciſcare jacentes?
Sic ait, & fruſtra periturum miſſile ſummo
Adfixit clypeo. riſit vocéſque, manúmque
Horridus Ægides, ferratáque arbore magnos
Molitur jactus, nec non priùs ore ſuperbo
Intonat: Argolici, quibus hæc datur hoſtia, Manes,
Pandite Tartareum chaos, ultricéſque parate
Eumenidas, venit ecce Creon: ſic fatus, & auras
Diſſipat haſta tremens. tunc quà ſubtemine duro
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit. emicuit per mille foramina ſanguis
Impius. ille oculis extremo errore ſolutis
Labitur. aſſiſtit Theſeus gravis, armáque tollens:
Jámne dare extinctis juſtos, ait, hoſtibus ignes?
Jam victos operire placet? vade atra datore
Supplicia, extremíque tamen ſecure ſepulchri.
Accedunt utrinque pio vexilla tumultu,
Permiſcéntque manus. medio jam fœdera bello,
Jámque hoſpes Theſeus. orant ſuccedere muris,
Dignarique domos. nec tecta hoſtilia victor
Aſpernatus, init. gaudent matréſque, nurúſque
Ogygiæ: qualis thyrſo bellante ſubactus
Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges.
Ecce per adverſas Dircæi verticis umbras
Fœmineus quatit altra fragor, matréſque Pelaſgæ
Decurrunt. quales Bacchea ad bella vocatæ
Thyades amentes, magnum quas poſcere credas,
Aut feciſſe nefas. gaudent lamenta, novæque
Exultant lachrymæ: rapit huc, rapit impetus illuc.
Theſea magnanimum quærant priùs, ánne Creonta,
Anne ſuos: vidui ducunt ad corpora luctus.
Non ego centenâ ſi quis mea pectora laxet
Voce deus, tot buſta ſimul, vulgíque, ducúmque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem.
Turbine quo ſeſe caris inſtraverit audax
Ignibus Evadne, fulménque in pectore magno
Quæſierit. quo more jacens ſuper oſcula ſævi
Corporis, infelix exculet Tydea conjux,
Ut ſævos narret vigiles Argia ſorori.
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,
Arcada conſumpto ſervantem ſanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus iſta furor, veniénſque implêſſet Apollo.
Et mea jam longo meruit ratis æquore portum.
Durabiſne procul, dominóque legere ſuperſtes,
O mihi biſſenos multùm vigilata per annos
Thebai? jam certè præſens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpíque novam monſtrare futuris.
Jam te magnanimus dignatur noſcere Cæſar,
Itala jam ſtudio diſcit, memorátque juventus.
Vive precor, nec tu divinam Æneïda tenta,
Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.
Mox tibi, ſi quis adhuc prætendit nubila livor,
Occidet, & meriti poſt me referentur honores.

ACHILLEIDOS

LIBER PRIMUS.

MAgnanimum Æaciden formidatámque Tonanti [cœlo
Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere
Diva refer. Quamquàm acta viri multùm inclyta cantu
Mæonio, ſed plura vacant. nos ire per omnem
(Sic amor eſt) Heroa velis, Scyróque latentem
Dulichiâ proferre tubâ. nec in Hectore tracto
Siſtere, ſed totâ juvenem deducere Trojâ.
Tu modò, ſi veteres digno deplevimus hauſtu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde ſecundâ
Necte comas: neque enim Aonium nemus advena pulſo,
Nec mea nunc primis albeſcunt tempora vittis.
Scit Dircæus ager: méque inter priſca parentum
Nomina, cúmque ſuo numerant Amphione Thebæ.
At tu, quem longè primum ſtupet Itala virtus,
Graiáque, cui geminæ florent vatúmque ducúmque
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci)

Da veniam, ac trepidam patere hôc ſudare parumper
Pulvere. te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnúſque tibi præludit Achilles.
Solverat Oebalio claſſem de littore paſtor
Dardanus, incautas blandè populatus Amyclas,
Plenáque materni referens præſagia ſomni
Culpatum relegebat iter, quà condita ponto
Fluctibus iuviſis jam Nereïs imperat Helle.
Cùm Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria) expavit vitreo ſub gurgite remos.
Nec mora: & undoſis turbâ comitante ſororum
Proſiluit thalamis, fervent coëuntia Phrixi
Littora, & auguſtum dominas non explicat æquor.
Illa ubi diſcuſſo primùm ſubit æra ponto:
Me petit, hæc mihi claſſis (ait) funeſta minatur:
Agnoſco monitus, & Protea vera locutum.
Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis,
Fert Bellona nurum. video jam mille carinis
Ionium Ægæúmque premi. nec ſufficit, omnis
Quòd plaga Grajugenûm tumidis conjurat Atridis:
Jam pelago, terríſque meus quæretur Achilles,
Et volet ipſe ſequi. quid enim cunabula parvo
Pelion, & torvi commiſimus antra magiſtri?
Illîc (nî fallor) Lapitharum prælia ludit
Improbus, & patriâ jam ſe metitur in haſtâ.
O dolor, ô ſeri materno in corde timores.
Non potui infelix, cùm primùm in gurgite noſtro
Rhœtææ cecidere trabes, attollere magnum
Æquor? & inceſti prædonis vela, profundâ
Tempeſtate ſequi? cunctáſque inferre ſorores?
Nunc quoque ſed tardum eſt, jam plena injuria raptæ.
Ibo tamen, pelagíque deos, dextrámque ſecundi,
Quod ſupereſt, complexa Jovis, per Tethyos annos
Grandævúmque patrem, ſupplex miſeranda rogabo
Unam hyemem. Dixit, magnúmque in tempore regem
Aſpicit. Oceano veniebat ab hoſpite, mentis
Lætus, & æquoreo diffuſus nectare vultus,
Unde hyemes, ventíque ſilent, cantúque quieto
Armigeri Tritones eunt, ſcopuloſáque cete,
Tyrrhenſique greges, circúmque, infráque rotantur
Rege ſalutato. Placidis ipſe arduus undis
Eminet, & triplici telo jubet ire jugales.
Illi ſpumiferos glomerant à pectore fluctus:
Ponè natant, deléntque pedum veſtigia caudâ.
Cui Thetis: O magni rector genitórque profundi,
Aſpicis in quales miſerum patefeceris uſus
Æquor? cunt totis terrarum crimina velis.
Ex quo jura freti, majeſtatémque repoſtam
Rupit Jaſoniâ puppis Pagaſæa rapinâ.
Im aliud furto ſcelus, & ſpolia hoſpita portans
Navigat injuſtæ temerarius arbiter Idæ.
Heu quos genitus terris pelagóque daturus!
Quos mihi? ſic Phrygiæ penſamus præmia palmæ.
Hi Veneris mores, hoc gratæ munus alumnæ?
Has ſaltem (non Semideos, noſtrúmque reportant
Theſea) ſi quis adhuc undis honor, obrue puppes,
Aut permitte fretum. nulla inclementia: fas tit
Pro nato timuiſſe mihi. Da tollere fluctus,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum
Littus, & Iliaci ſcopulos habitare ſepulchri.
Orabat laniata comas, & pectore nudo
Cæruleis obſtabat equis. tunc ductor aquarum
Invitat curru, dictíſque ita mulcet amicis:
Ne pete Dardaniam fruſtra, Theti, mergere claſſem.
Fata vetant: ratus ordo deis, miſcere cruentas
Europæque Aſiæque manus, conſultáque bella
Jupiter, & triſtes edixit cædibus annos.
Quem tu illic natum Sigæo in pulvere? quanta
Aſpicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Cùm tuus Æacides tepido modò ſanguine Teucros
Undabit campos, modò craſſa exire vetabit
Flumina, & Hectoreo tardabit funere currus:
Impelletque manu noſtros, opera irrita, muros.
Pelea jam deſiſte queri, thalamóſque minores,
Credideris peperiſſe Jovi. nec inulta dolebis,
Cognatis utere fretis. dabo tollere fluctus,
Cùm reduces Danai, nocturnáque ſigna Caphareus
Exeret, & dirum pariter quæremus Ulyſſem.
Dixerat. illa gravi vultum demiſſa repulsâ,
Quæ jam excire fretum, & ratibus bellare parabat
Ithacis, alios iterum commenta paratus,
Triſtis ad Æmonias detorquet brachia terras.
Ter conata manu, liquidum ter greſſibus æquor
Reppulit, & niveas ferunt vada Theſſala plantas.

Lætantur montes, & connubialia pandunt
Antra ſinus, latéque deæ Sperchios abundat
Obvius, & dulci veſtigia circuit undâ.
Illa nihil gaviſa locis, ſed cœpta fatigat
Pectore conſilia, & ſolers pietate magiſtrâ,
Longævum Chirona petit. Domus ardua montem
Perforat, & longo ſuſpendit Pelion arcu.
Pars exhauſta manu, partem ſua ruperat ætas.
Signa tamen, divûmque tori, & quem quiſque ſacrârat
Accubitu, genióque, locus monſtratur: at intrà
Centauri ſtabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus. hìc hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni,
Aut conſanguineos fracti crateres in hoſtes,
Sed pharetræ inſontes, & inania terga ferarum.
Hæc quoque, dum viridis, nam nunc labor unus, inermi
Nôſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monſtrare lyrâ veteres heroas alumno.
At tunc venatu rediturum in limine primo
Opperiens, properátque dapes, largóque ſerenat
Igne domum, cùm viſa procul de littore mater
Nereïs: erumpit ſylvis, dant gaudia vires,
Motáque deſueto crepuit ſenis ungula campo.
Tunc blandus dextrâ, atque imos ſummiſſus in armos
Pauperibus tectis inducit, & admovet antris.
Jamdudum tacito luſtrat Thetis omnia viſu;
Nec perpeſſa moras: ubi nam mea pignora Chiron?
Dic, ait, aut cur ulla puer jam tempora ducit
Te ſiné? num meritò trepidus ſopor? atráque matri
Signa deûm? magnos utinam mentita timores!
Namque mihi infeſtos utero modò contuor enſes,
Nunc planctu livere manus, modò in ubera ſævas
Ire feras, ſæpe ipſa (nefas!) ſub inania natum
Tartara, & ad Stygios iterum fero mergere fontes.
Hos abolere metus magici jubet ordine ſacri
Carpathius vates, puerúmque ſub axe probato
Secretis luſtrare fretis, ubi littora ſumma
Oceani, & genitor tepet illabentibus aſtris
Pontus, ubi ignotis horrenda piacula divis,
Donáque: ſed longum cuncta enumerare, vetórque;
Trade magis. ſic fata parens: neque enim ille dediſſet,
Si molles habitus, & tegmina fœda fateri
Auſa ſeni. tunc ille refert: Duc optima quæſo,
Duc genitrix, humilſque deos infringe precatu.
Nam ſuperant tua vota modum, placandáque multùm
Invidia eſt. non addo metum, ſed vera fatebor,
Neſcio quid magnum (nec me patria omina fallunt)
Vis feſtina parat, teneróſque ſupervenit annos.
Olim ferre minas, & obire audita ſolebat
Imperia, noſtris procul haud diſcedere ab antris.
Nunc illum non Oſſa capit, non Pelion ingens,
Theſſaliæve nives. ipſi mihi ſæpe queruntur
Centauri, raptáſque domos, abſtractáque coràm
Armenta, & campis ſemet fluviſſque fugari.
Inſidias, & bella parant, tumidíque minantur.
Olim equidem Argoos, pinus cùm Theſſala reges
Hàc veheret, juvenem Alciden, & Theſea vidi,
Sed taceo. figit gelidus Nereïda pallor.
Ille aderat multo ſudore, & pulvere major.
Attamen arma inter, feſtinatóſque labores,
Dulcis adhuc viſu, niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvóque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima novâ lanugine vertitur ætas,
Tranquillæque faces oculis, & plurima vultu
Mater ineſt. qualis Lyciâ venator Apollo
Cùm redit, & ſævis permutat plectra pharetris.
Fortè & lætus adeſt, (ô quantum gaudia formæ
Adjiciunt!) fœtam Pholoën ſub rupe leænam
Perculerat ferro, vacuiſſque reliquerat antris
Ipſam, ſed catulos apportat, & incitat ungues.
Quos tamen, ut fido genitrix in limine viſa eſt,
Adjicit, exceptámque avidis circumligat ulnis.
Jam gravis amplexu, jámque æquus vertice matri.
Inſequitur magno jam tunc connexus amore
Patroclus, tantíſque extenditur æmulus actis.
Par ſtudiis, ævique modis, ſed robore longè,
Et tamen æquali viſurus Pergama fato.
Protinus ille ſubit rapido, quæ proxima, ſaltu
Flumina, fumantéſque genas, crinémque novatur
Fontibus. Eurotæ qualis vada Caſtor anhelo
Intrat equo, feſtúmque ſui jubar excitat aſtri:
Miratur, comitque lenex, nunc pectora mulcens,
Nunc ſortes humeros: angunt ſua gaudia matrem.
Tunc libare dapes, Bacchæáque munera Chiron

Orat,

Orat, & attonitam vario obiectamine mulcens,
Elicit extremò chelyn, & solantia curas
Fila movet, levitérque expertas pollice chordas
Dat puero. canit ille libens immania laudum
Semina; qui tumidæ superârit jussa novercæ
Amphitryoniades: crudum quo Bebryca cæstu
Obruerit Pollux: quanto circundata nexu
Ruperit Ægides Minoi brachia tauri:
Maternos in sinus totos, superísque gravatum
Pelion: hìc ficto risit Thetis anxia vultu.
Nox trahit in somnos: saxo collabitur ingens
Centaurus, blandísque humeris se innectit Achilles,
Quanquàm ibi fida parens, assuetáque pectora mavult.
At Thetis undisonis per noctem in rupibus astans,
Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris
Destinet, huc, illuc, diversâ mente volutat.
Proxima, sed studiis multùm Mavortia, Thrace:
Nec Macetûm gens dura placet, laudúmque daturi
Cecropidæ stimulos. nimiùm opportuna carinis
Sestos, Abydenique sinus; placet ire per altas
Cycladas. hinc spretæ Myconos, humilísque Seriphos,
Et Lemnos non æqua viris, atque hospita Delos
Gentibus. imbelli nuper Lycomedis in aulâ
Virgineos cœtus, & littora persona ludo
Audierat, duros laxantem Ægæona nexus
Jussa sequi, centúmque dei numerare catenas.
Hæc placet, hæc timidæ tellus tutissima matri.
Qualis vicino volucris jam sedula partu,
Jámque timens quâ fronde domum suspendat imanem,
Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,
Hinc homines: tandem dubiæ placet umbra, novísque
Vix stetit in ramis, & protinus arbor amatur.
Altera consilio superest, tristémque fatigat
Cura deam, natum ipsa sinu complexa per undas,
An magno Tritone ferat, ventósque volucres
Advocet, an pelago solitam Thaumantida pasci.
Elicit indè fretis, & murice frenat acuto
Delphinas bijuges, quos illi maxima Thetis
Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonorâ
Nutrierat. nullis vada per Neptunia glaucæ
Tantus honor formæ, nandíque potentia: nec plus
Pectoris humani. jubet hos subsistere pleno
Littore, ne nudæ noceant contagia terræ.
Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillem
(Qui pueris sopor) Æmonii de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas, & jussa tacere
Littora, monstrat iter, totóque effulserat orbe
Cynthia, prosequitur divam, celeréque recursus
Securos pelagi Chiron rogat, udáque celat
Lumina, & abreptos subitò jam jámque latentes
Erecto prospectat equo, quà cana parumper
Spumant signa fugæ, & liquido perit orbita ponto.
Illum non aliàs rediturum ad Thessala Tempe
Jam trimus Pholoë, jam nubilus ingemit Othrys,
Et tenuis Sperchios aquis, speluncáque docti
Muta senis. quærunt puerilia carmina Fauni,
Et sperata diu plorant connubia Nymphæ.
Jam premit astra dies, humilísque ex æquore Titan
Rorantes evolvit equos, & ab æthere magno
Sublatum curru pelagus cadit. at vada mater
Scyria jamdudum fluctus emensa tenebat:
Exierántque jugo fessi Delphines herili.
Cùm pueri tremefacta quies, oculísque jacentis
Infusum sensere diem, stupet aëre primo,
Quæ loca? qui fluctus? ubi Pelion? omnia versa,
Atque ignota videt, dubitátque agnoscere matrem.
Occupat illa manu, blandéque affata paventem:
Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset,
Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis, magníque puerpera cæli,
Nil humiles Parcas, terrenáque fata vererer.
Nunc impar tibi, nate, genus præclusáque leti
Tantùm matre via est. quin & metuenda propinquant
Tempora, & extremis admota pericula metis.
Cedamus, paulúmque animos summitte viriles,
Atque habitus dignare meos. si Lydia durâ
Pensa manu, mollésque tulit Tirynthius hastas:
Si decet auratâ Bacchum vestigia pallâ
Verrere; virgineos si Jupiter induit artus;
Nec magnum ambigui fregerunt Cænea sexus:
Has fine quæso minas numéneque exire malignum.
Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
Lustra tibi. per ego hoc decus, & ventura juventæ
Gaudia, si terras, humilémque experta maritum
Te propter, si progenitum Stygos amne severo
Armavi (totúmque utinam) cape tuta parumper
Tegmina, nil nocitura animo. cur ora reducis?
Quídve parant oculi? pudet hôc initescere cultu?
Per te care puer, cognata per æquora juro
Nesciet hoc Chiron. sic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens, obstat genitórque roganti,
Nutritórque ingens & cruda exordia magnæ
Indolis. effrenæ tumidum velut igne juventæ
Si quis equum primis summittere tentet habenis:
Ille diu campis, fluviísque, & honore superbo
Gavisus, non colla jugo, non aspera præbet
Ora lupis, dominísque gemit captivus inire
Imperia, atque alios miratur discere cursus.
Quis deus attonitæ fraudes, astúmque parenti
Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?
Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum
Fortè diem, placidóque satæ Lycomede sorores
Luce sacrâ patriis (quæ rara licentia) muris
Exierant, daro veris opes, divæque severas
Fronde ligare comas, & spargere floribus hastam.
Omnibus eximium formæ decus: omnibus idem
Cultus, & expleto teneri jam sine pudoris
Virginitas matura toris: annísque tumentes.
Sed quantùm virides pelagi Venus addita Nymphas
Obruit, aut humeris quantùm Diana relinquit
Naïdes, effulget tantùm regina decori
Deidamia chori, pulchrísque sororibus obstat.
Illius & roseo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux major inest, & blandius aurum.
Atque ipsi par forma deæ, si pectoris angues
Ponat, & exemptâ placetur callide vultus.
Hanc ubi ducentem longè socia agmina vidit
Trux puer, & nullo temeratus pectora motu;
Diriguit, totísque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus, atque ora redit, lucémque genarum
Tingit, & impulsum tenui sudore pererrat.
Lactea Massagetæ veluti cùm pocula fuscant
Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro:
Sic variis manifesta notis, pallétque, rubétque
Flamma recens. eat, atque ultro ferus hospita sacra
Discutiat turbæ securus, & immemor ævi,
Ni pudor, & junctæ teneat reverentia matris.
Ut pater armenti quondam, rectórque futurus,
Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Cùm sociam pastus niveo candore juvencam
Aspicit, ardescunt animi, primúsque per ora
Spumat amor, spectant hilares, optántque magistri.
Occupat arrepto jam tempore conscia mater:
Hósne inter simulare choros, & brachia ludo
Nectere, Nate, grave est? gelidâ quid tale sub Ossâ,
Peliacísque jugis? O si mihi jungere curas,
Atque alium portare sinu contingat Achillem!
Mulcetur, lætúmque rubet, visúque superbos
Obliquat, vestéque manu leviore repellit.
Aspicit ambiguam genitrix, cogítque volentem,
Injecítque sinus. tunc colla rigentia mollit,
Submittítque graves humeros, & fortia laxat
Brachia, & impexos certo domat ordine crines:
Ac sua dilectâ cervice monilia transfert,
Et picturato cohibet vestigia limbo.
Ingessum, motúmque docet, fandísque pudorem.
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignémque, manúmque sequuntur:
Talis erat divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diu: superest nam plurimus illi
Invictâ virtute decor, fallítque tuentes
Ambiguus, tenuísque latens discrimine sexus.
Procedunt, iterúmque monet, rursúmque fatigat
Blanda Thetis: sic ergo gradus, sic ora, manúsque,
Nate, feres, comitésque modis imitabere fictis.
Ne te suspectum molli non misceat aulæ
Rector, & incepti pereant mendacia furti.
Dixit, & admoto non cessat comere tactu.
Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris,
Ad patrem fratrémque redit, comes heret eunti
Mater, & ipsa humeros, exertíque brachia velat.
Ipsa arcum, pharetrámque locat, vestésque latentes
Deducit, sparsósque studet componere crines.
Protinus aggreditur regem: atque ibi testibus aris,
Hanc, tibi, ait, nostri germanam rector Achillis
(Nónne vides ut torva genas, æquandáque fratri?)
Tradimus, arma humeris, arcúmque animosa petebat
Ferre,

Ferre, & Amazonio connubia pellere ritu.
Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili.
Hæc calathos, & sacra ferat. Tu frange regendo
Indocilem, sexúmque tene, dum nubilis ætas,
Solvendúsque pudor. néve exercere protervas
Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari.
Intus ale, & similes inter secludе puellas.
Littore præcipuè, portúque arcere memento.
Vidisti modò vela Phrygum, jam mutua jura
Fallere, transiniss pelago didicere carinæ.
Accedit dictis pater, ingenióque parentis
Occultum Æaciden (quis divûm fraudibus obstet?)
Accipit. ultro etiam veneratur supplice dextrâ,
Et grates electus agit. nec turba piarum
Scyriadum cessat nimio defigere visu
Virginis ora novæ. quantùm cervice, comisque
Emineat, quantúmque humeros, ac pectora fundat.
Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris
Hortantur, cedúntque loco, & contingere gaudent.
Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, jam longùm cœlóque, domóque gregatæ,
Si junxit pennas, diversóque hospita tractu
Venit avis, cunctæ primùm mirantur, & horrent;
Mox propiùs propiúsque volant, atque aëre in ipso
Paulatim fecere suam, plausúque secundo
Circumeunt hilares, & ad alta cubilia ducunt.
Digreditur multùm cunctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanáque murmura figit
Auribus, & tacito dat verba novissima voto.
Tunc excepta freto, longè cervice reflexâ
Abnatat, & blandis affatur littora verbis:
Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ,
Depositúmque ingens timido commilimus æstu,
Sis felix, taceásque precor, quo more tacebat
Creta Rheæ. te longus honos, æternáque cingent
Templa, nec instabili famâ superabere Delo.
At ventis, & sacra fretis, intérque vadosas
Cycladas, Ægeæ frangunt ubi saxa procellæ,
Nereidum tranquilla domus, jurandáque nautis
Insula, ne solùm Danaas admitte carinas,
Te precor. hic thiasos tantùm, nihil utile bellis,
Hoc famam narrare doce. dúmque arma parantur
Dorica, & alternum Mavors interfurit orbem:
(Cedo equidem) sit virgo pii Lycomedis Achilles.
Interea meritos ultrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis, & supplice regum
Conquestu flammata movet, quippe ambit Atrides
Ille magis, cui nupta domi, facinúsque retatu
Asperat Iliacum. captam sinè Marte, sinè armis
Progeniem cœli, Spartæque potentis alumnam:
Jura, fidem, superos, unâ calcata rapinâ.
Hoc fœdus Phrygium, hæc geminæ commercia terræ?
Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos
Degrassata duces? coëunt gens omnis, & ætas:
Nec tantùm exciti, bimari quos Isthmia vallo
Claustra, nec undisonæ quos circuit umbo Maleæ;
Sed procul amotæ, Phrixi quà semita jugi
Europámque, Asiámque vetat, quásque ordine gentes
Littore Abydeno maris alligat unda superni.
Fervet amor belli, concussáque erigit urbes.
Æra domant Temesæ: quatitur navalibus ora
Euboïs, innumerâ resonant incude Mycenæ:
Pisa novat currus: Nemee dat terga ferarum:
Cyrrha sagittiferas certat stipare pharetras:
Lerna graves clypeos cæsis vestire juvencis.
Dat bello pedites Ætolus, & asper Acarnan:
Argos agit turmas, vacuantur pascua ditis
Arcadiæ: frenat celeres Epiros alumnos:
Phocis, & Aoniæ jaculis rarescitis umbræ.
Murorum tormenta Pylos, Messanáque tendunt:
Nulla immunis humus. velluntur postibus altis
Arma olim dimissa patrum, flammisque liquescunt
Dona deûm: raptum Superis Mars efferat aurum.
Nusquam umbræ veteres: minor Othrys, & ardua sidunt
Taygeta, exuti viderunt æra montes.
Jam natat omne nemus; cæduntur robora classi:
Sylva minor remis. ferrum laxatur ad usus
Innumeros: quod rostra liget, quod muniat arma,
Belligeros quod frenet equos, quod mille catenis
Squallentes nectat tunicas, quod sanguine fumet,
Vulneráque alta bibat, quod conspirante veneno
Impellat mortes; tenuántque humentia saxa
Attritu, & pigris addunt mucronibus iras.
Nec modus, aut arcus lentare, aut fundere glandes,
Aut torrere sudes, galeásque attollere cassi.
Hos inter motus pigram gemit ora quietem
Thessalis, & geminis incusat fata querelis:
Quòd senior Peleus, nec adhuc maturus Achilles.
Jam Pelopis terras, Graiúmque exhauserat orbem
Præcipitans in transtra viros insanus, equóque,
Bellipotens. fervent portus, & operta carinis
Stagna, suásque hyemes classis promota, suósque
Attollit fluctus. ipsum jam puppibus æquor
Deficit, & totos consumunt carbasa ventos.
Prima rates Danaas Hecatesia congregat Aulis,
Rupibus expositis, longíque crepidine dorsi
Euboïcum scandens Aulis mare: littora mulrùm
Montivagæ dilecta deæ, juxtáque Caphareus
Latratum pelago tollens caput. ille Pelasgas
Ut vidit transire rates, ter monte, ter undis
Intonuit, sævæque dedit præsagia noctis.
Cœtus ibi armorum Trojæ fatalis: ibi ingens
Juratur bellum, donec Sol annuus omnes
Conficeret metas. tum primùm Græcia vires
Contemplata suas: tunc sparsa, ac dissona moles
In corpus, vultúmque coit, & rege sub uno
Disposita est. Sic curva feras indago latentes
Claudit, & admotis paulatim cassibus arctat.
Illæ ignem, sonitúmque pavent, diffusáque linquunt
Avia, mirantúrque suum decrescere montem,
Donec in angustam ceciderunt undique vallem,
Inque vicem stupuere greges, socióque timore
Mansuescunt. timul hirtus aper, timul ursa, lupásque
Cogitur, & captos contemnit cerva leones.
Sed quanquam gemini pariter sua bella capessant
Atridæ, famámque avidi virtute paternam
Tydides, Sthenelúsque premant, nec cogitet annos
Antilochus, septémque Ajax umbone coruscet
Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem,
Consiliis, armisque vigil contendat Ulysses;
Omnis in absentem belli manus ardet Achillem:
Nomen Achillis amant, & in Hectora solus Achilles
Poscitur. illùm unum Teucris, Priamóque loquuntur
Fatalem. quis enim Æmoniis sub vallibus alter
Creverit, effossâ reptans nive? cujus ab ortu
Cruda rudimenta, & teneros formaverit annos
Centaurus? patrii propior cui linea cœli?
Quémve alium Stygios tulerit secreta per amnes
Nereïs? & pulchros ferro perstrinxerit artus?
Hæc Graiæ castris iterant, tradúntque cohortes.
Cedit turba ducum, vincíque haud mœsta fatetur.
Sic cùm bellantes Phlegræa in castra coirent
Cœlicolæ, jámque Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, & Libycos Tritonia tolleret angues,
Ingentémque manu curvaret Delius arcum;
Stabat anhela metu solùm Natura Tonantem
Respiciens, quando ille hyemes, tonitrúsque vocaret
Nubibus, igniferam quæ fulmina posceret Ætnam.
Atque ibi dum mixtâ vallati plebe suorum
Et maris & belli consultant tempora reges,
Increpitans magno vatem Calchanta tumultu,
Protesilaus ait: (namque huic bellare cupido
Præcipua, & primæ jam tunc data copia mortis,)
O nimiùm Phœbi tripodúmque oblite tuorum
Thestoride: quando ora deo possessa movebis
Justiús? aut quando Parcarum occulta recludes?
Cernis ut ignotum cuncti, stupeántque, petántque
Æaciden? sordet vulgo Calydonius Heros,
Et magno genitus Telamone, Ajáxque secundus,
Nos quoque: sed Mavors arreptáque Troja probabunt.
Illum neglectis (pudet heu) ductoribus, omnes
Belligerum ceu numen amant. dic ocyùs (aut cur
Serta comis, & mitis honos?) quibus abditus oris,
Quâve jubes tellure peti. nam fama nec antris
Chironis, patriâ nec degere Peleos aulâ:
Eia irrumpe deos, & fata latentia laxa,
Laurigeróque ignes, si quando, avidissimus hauri:
Arma horrenda tibi, sævósque remissimus enses.
Nunquam has imbelles galeâ violabere vittas,
Sis felix, numeróque ducum præstantior omni,
Si magnum Danais per te portendis Achillem.
Jamdudum trepido circumfert lumina motu,
Intrantémque deum primo pallore fatetur
Thestorides, mox igne genas, & sanguine torquens
Nec socios, nec castra videt, sed cæcus & amens
Nunc superûm magnos deprendit in æthere cœtus,
Nunc fagas affatur aves, nunc dira sororum
Licia, thuriferas modò consulit anxius aras,

Flam-

Flammarúmque apices rapit, & caligine facit
Paſcitur, exiliunt crines, rigidiſque laborat
Vitta comis, nec colla loco, nec in ordine greſſus.
Tandem feſſa tremens longis mugitibus ora
Solvit, & oppoſitum vox eluctata furorem eſt:
Quò rapis ingentem magni Chironis alumnum
Fœmineis, Nerei, dolis? hunc mitte: quid aufers?
Non patiar: meus ille, meus. tu diva profundi,
Et me Phœbus agit. latebris quibus abdere tentas
Everſorem Aſiæ? video per Cycladas altas
Attonitum, & turpi quærentem littora furto.
Occidimus: placuit Lycomedis conſcia tellus.
O ſcelus! en fluxa veniant in pectora veſtes.
Scinde puer, ſcinde, & timidæ ne credo parenti.
Hei mihi raptus abit, quænam hæc procul improba virgo?
Hic nutante gradu ſtetit, amiſitque furoris
Viribus, ante ipſas tremefactus corruit aras.
Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat Heros:
Nos vocat iſte labor, neque enim comes ire recuſo,
Si te cura trahit. licèt ille ſonantibus antris
Tethyos adverſæ, gremióque prematur aqueoſo
Nereos, invenies; tu tantùm provides æſtu
Tende animum vigilem, fœcundúmque erige pectus.
Nam mihi quis vatum dubiis in caſibus anſit
Fata videre prior? ſubicit gaviſus Ulyſſes:
Sic Deus omnipotens firmet, ſic annuat illa
Virgo paterna tibi. ſed me ſpes lubrica tardat.
Grande equidem armatum caſtris inducere Achillem.
Sed ſi fata negent, quàm fœdam, ac triſte reverti?
Vota tamen Danaûm non intentata relinquam.
Jámque adeò aut aderit mecum Peleïus Heros,
Aut verum penitus latet, & ſinè Apolline Calchas.
Conclamant Danai, ſtimulátque Agamemno volentes:
Laxantur cœtus, reſolutáque murmure læto
Agmina diſcedunt. Quales jam nocte propinqua
E paſtu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
Nec mora, jam dextras Ithacenſia carbaſa auras
Poſcit, & in remis hilaris ſedere juventus.
At procul occultum falſi ſub imagine ſexûs
Æacidem furto jam noverat una latentem
Deïdamia virum, ſed operta conſcia culpæ
Cuncta pavet, tacitáſque putat ſentire ſorores.
Namque ut virgineo ſtetit agmine clarus Achilles,
Exolvítque rudem genitrix digreſſa pudorem,
Protinus elegit comitem (quamquàm omnis in illum
Turba coit) blandéque novas nil tale timenti
Admovet inſidias. illam ſequitúrque, premítque
Improbus illam oculis, iterúmque, iterúmque reſumit.
Nunc nimius lateri non evitantis adhæret.
Nunc levibus ſertis, lapſis nunc ſponte emiſſris,
Nunc thyrſo parcente ferit. modò dulcia noto
Fila lyræ, tenuéſque modos, & carmina monſtrat
Chironis, ducítque manum, digitóſque ſonanti
Infringit citharæ. nunc occupat ora canentis,
Et ligat amplexus, & mille per oſcula laudat.
Illa libens diſcit, quo vertice Pelion, & quis
Æacides, puerſque auditum homen, & æſtus
Aſſiduè ſtupet, & præſentem cantat Achillem.
Ipſa quoque & validos proferre modeſtiùs artus,
Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonſtrat, reficítque colos, & perdita duri
Penſa manu; vocíſque ſonum, pondúſque tenentis,
Quódque fugit comites, nimio quòd lumine ſeſe
Figat, & in verbis intempeſtivus anhelet,
Miratur. jam jámque dolos aperire parantem,
Virgineâ levitate fugit, prohibétque fateri.
Sic ſub matre Rheâ juvenis regnator Olympi
Oſcula ſecura dabat inſidioſa ſorori
Frater adhuc, medii donec reverentia ceſſit
Sanguinis, & veros germana expavit amores.
Tandem detecti timidæ Nereïdos æſtus.
Lucus Agenorei ſublimis ad orgia Bacchi
Stabat, & admiſſum cœlo nemus. hujus in umbrâ
Alternùm revocare piæ Trieterica matres
Conſuêrant, ſciſſúmque pecus, terrâque revulſas
Ferre trabes, gratóſque deo præſtare furores.
Lex procul ire mares. iterat præcepta verendus
Ductor, inacceſſúmque viris edicitur antrum.
Nec ſatis eſt: ſtat fine dato metuenda ſacerdos,
Explorátque aditus, ne quis temerator oberret
Agmine fœmineo: tacitus ſubrepſit Achilles.
Illum virgineæ ducentem ſigna catervæ,
Magnáque difficili ſolventem brachia motu,
(Et ſexus pariter decet, & mendacia matris)
Mirantur comites. nec jam pulcherrima turba
Deïdamia ſuæ, tantúmque admota ſuperbo
Vincitur Æacide, quantùm premit ipſa ſorores.
Ut verò à tereti demiſit Nebrida collo,
Errantéſque ſinus hederâ collegit, & alte
Cinxit purpureis flaventia tempora vittis,
Vibravítque gravi redimitum miſſile dextrâ:
Attonito ſtat turba metu, ſacríſque relictis
Illum ambire libet, pronóſque attollere vultus.
Talis ubi ad Thebas vultúmque animúmque remiſit
Evius, & patrio ſatiavit pectora luxu:
Serta comis, mitrámque levat, thyrſúmque virentem
Armat, & hoſtiles invitit fortior ludos.
Scandebat roſeo medii faſtigia cœli
Luna jugo, totis ubi Somnus inertior alis
Defluit in terras, mutúmque amplectitur orbem;
Conſedere chori, paulúmque exercita pulſu
Æra tacent: tenero cùm ſolus ab agmine Achilles
Hæc ſecum: Quónam timidæ commenta parentis
Uſque feres? primúmque imbelli carcere perdes
Florem animi? non tela licet Mavortia dextrâ,
Non trepidas agitare feras? ubi campus & amnes
Æmonii? quærîſne meos, Sperchie, natatus,
Promiſſiſque comas? an deſertoris alumni
Nullus honos? Stygiáſque procul jam raptus ad umbras
Dicor? & orbatus plangit mea funera Chiron?
Tu nunc tela manu, noſtros tu dirigis arcus,
Nutritóſque mihi ſcandis, Patrocle, jugales:
Aſt ego pampineis diffundere brachia Thyrſis,
Et tenuare colos (pudet heu, tædétque fateri)
Jam ſcio. quin etiam dilectæ virginis ignem,
Æquævámque facem, captus, noctéſque, diéſque,
Diſſimulas? quónam uſque premes urentia pectus
Vulnera? téque marem (pudet heu) nec amore probabis?
Sic ait, & denſâ noctis gaviſus in umbrâ
Tempeſtiva ſuis torpere ſilentia furtis,
Vi potitur votis, & toto pectore veros
Admovet amplexus: riſit chorus omnis ab alto
Aſtrorum, & tenero rubuerunt cornua Lunæ.
Illa quidem clamore nemus montémque replevit,
Sed Bacchi comites, diſcuſſâ nube, ſoporis
Signa choris indicta putant. fragor undique notus
Tollitur, & thyrſos iterum vibrabat Achilles.
Antè tamen dubiam verbis ſolatur amicis:
Ille ego (quid trepidas) genuit quem cærula mater
Peliacis ſylvis, nivibúſque immiſit alendum
Theſſalicis. neque ego hos cultus, aut fœda ſubiſſem
Tegmina, nî primo te viſâ in littore: ceſſi
Te propter: tibi penſa manu, tibi mollia geſto
Tympana. quid deſles magno nurus addita ponto?
Quid gemis ingentes cœlo paritura nepotes?
Sed pater antè igni, ferróque exciſa jacebit
Scyros, & in tumidas ibunt hæc verſa procellas
Mœnia, quàm ſævo mea tu connubia perdas
Funere, non adeò parebimus omnia matri.
Vade, ſed ereptum taceas, celéſque pudorem.
Obſtupuit tantis regina exterrita monſtris,
Quamquàm olim ſuſpecta fides, & cominus ipſum
Horruit, & multùm facies mutata fatentis.
Quid faciat? caſúſne ſuos ferat ipſa parenti?
Séque ſimul, juvenémque premat, fortaſſis acerbas
Hauſurum pœnas, & adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor. ſilet ægra, premítque
Jam commune nefas. unam placet addere furtis
Altricem ſociam, precibus quæ victa duorum
Annuit. illa æſtu tacito raptúmque pudorem,
Surgentémque uterum, atque ægros in pondere menſes
Occuluit, plenis donec ſtata tempora metis
Attulit, & partus index Lucina reſolvit.

VOL. II.

LIBER II.

JAMQUE per Ægæos ibat Laërtia fluctus
Puppis, & innumeræ mutabant Cycladas auræ,
Jam Paros, Olearóſque latent. jam raditur alta
Lemnos, & à tergo decreſcit Bacchica Naxos,
Ante oculos creſcente Samo. jam Delos opacæ
Æquor. ubi excelsâ libant carcheſia puppe,
Reſponſíque fidem, & verum Calchanta precantur.
Audiit Arciteneus, Zephyrúmque è vertice Cynthi

Impulit, & dubiis pleno dedit omina velo.
It pelago ſecura ratis. quippe alta Tonantis
Juſſa, Thetin certas fatorum vertere leges
Arcebant ægram lachrymis, ac multa gementem,
Quòd non everteret pontum, ventiſque, fretiſque
Omnibus, inviſum jam tunc ſequeretur Ulyſſem.
Frangebat radios humili jam pronus Olympo
Phœbus, & Oceani penetrabile litus anhelis
Promittebat equis: cùm ſe ſcopuloſa levavit
Scyros, in hanc totos emiſit puppe rudentes
Dux Laertiades, ſociósque reſumere pontum
Imperat, & remis Zephyros ſupplere cadentes.
Accedunt juſſi. magìs indubitata, magiſque
Scyros erat, placidíque ſupèr Tritonia cuſtos
Littoris. Egreſſi numen venerantur amicæ
Ætolúſque Ithacúſque deæ. tum providus heros
Hoſpita ne ſubito terrerent mœnia cœtu,
Puppe jubet remanere ſuos. ipſe ardua tido
Cum Diomede petit. ſed jam prævenerat arcis
Littoreæ ſervator Abas, ignotáque regi
Ediderat (ſed Graia tamen) ſuccedere terris
Carbaſa. procedunt, gemini ceu fœdere juncto
Hybernâ ſub nocte lupi, licèt & ſua pulſet
Natorúmque fames, penitus rabiémque mináſque
Diſſimulant, humiléſque meant, ne nuntiet hoſtes
Cura canum, & trepidos moneat vigilare magiſtros:
Sic ſegnes heroes eunt, campúmque patentem,
Qui medius portum, celſámque interjacet urbem,
Alterno ſermone ſerunt. prior occupat acer
Tydides: Quâ nunc verum ratione paramus
Scrutari? namque ambiguo ſub pectore quondam
Verſo, quid imbelles thyrſos mercatus, & æra,
Urbibus in mediis, Bacchæáque terga, mitráſque
Hoc tuleris, varióque aſperſas Nebridas auro?
Hiſne gravem Phrygibus, Priamóque armamus Achil-
Illi ſubridens Ithacus paulùm ore remiſſo: [lem?
Hæc tibi, virgineâ modò ſi Lycomedis in aulâ
Fraude latens, ultro confeſſum in prælia ducent
Peliden. in cuncta citus de puppe memento
Ferre, ubi tempus erit, clypeúmque ſi jungere donis,
Qui pulcher ſignis, auróque aſperrimus ardet.
Hæc ſat erunt: tecum litus bonus adſit Agyrtes,
Occultámque tubam tacitos apportet in uſus.
Dixerat, atque ipſo portarum in limine regem
Cernit, & oſtenſâ pacem præfatur olivâ.
Magna (reor) pridem veſtras pervenit ad aures
Fama trucis belli, regum placidiſſime, quod nunc
Europámque Aſiámque quatit. ſi nomina quæras
Huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides,
Hic tibi, quem tantâ meliorem ſtirpe creavit
Magnanimus Tydeus, Ithacis ego ductor Ulyſſes.
Cauſa viæ (metuam quid enim tibi cuncta fateri:
Cùm Graius, notâque fide celeberrimus unus?)
Explorare aditus, inviſáque littora Troiæ,
Quídve parent. Medio ſermone intercipit ille:
Annuerit Fortuna, precor, dextríque ſecundent
Iſta dei. nunc hoſpitio mea tecta, piúmque
Illuſtrate larem. ſimul intrà limina ducit.
Nec mora, jam menſas famularis turba toróſque
Inſtruit. interea viſu perluſtrat Ulyſſes,
Scrutatúrque domum, ſi quà veſtigia magnæ
Virginis, aut dubiâ facies ſuſpecta figurâ
Porticibúſque vagis errat, totóſque penates
Ceu miretur, adit. velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens multo legit arva Moloſſo
Venator, videat donec ſub frondibus hoſtem
Porrectum ſomno, poſitóſque in ceſpite dentes.
Rumor in arcanâ jamdudum perſtrepit aulâ,
Virginibus quà fida domus, veniſſe Pelaſgûm
Ductores, Graiámque ratem, ſociósque receptos.
Jure pavent aliæ, ſed vix nova gaudia celat
Pelides, avidúſque novos heroas, & arma
Vel talis vidiſſe cupit. jámque atria fervent
Regali ſtrepitu, & picto diſcumbitur oſtro.
Tum pater ire jubet natas, comitéſque pudicas
Natarum. ſubeunt, quales Mæotide ripâ,
Cùm Scythicas rapuere domos, & capta Getarum
Mœnia, ſuppoſitis epulantur Amazones armis.
Tum verò intentus vultus, ac pectora Ulyſſes
Prælibat viſu. ſed nox, illatáque fallunt
Lumina, & extemplo latuit menſura jacentis.
Et tamen, erectúmque genas, oculíſque vagantem,
Nulláque virginei ſervantem ſigna pudoris,
Defigit, comitíque obliquo lumine monſtrat.

Quòd niſi præcipitem blando complexa moneret
Deïdamia ſinu, nudatáque pectora ſemper,
Exertáſque manus, humeróſque in vellet teneret,
Et prodire toris, & poſcere vina vetaret
Sæpius, & fronti crinale reponeret aurum;
Argolicis ducibus jam tunc patuiſſet Achilles.
Ut placata fames epulis bis térque repoſtis,
Rex prior alloquitur, paterſíque hortatur Achivos:
Invideo veſtris (fateor) decora inclyta gentis
Argolicæ, cœptis: utinam mihi fortior ætas,
Quæque fuit, Dolopas cùm Scyria littora adortos
Perdomui, fregíque vadis. quæ ſigna triumphi,
Vidiſtis celſas murorum in fronte carinas.
Saltem ſi ſoboles, aptam quam mittere bello
Poſſem, plena forent mihi gaudia. namque juvarem.
Nunc ipſi viréſque meas, & cara videtis
Pignora. quando novos dabit hæc mihi turba nepotes?
Dixerat, & ſolers arrepto tempore Ulyſſes:
Haud ſpernenda cupis. quis enim non viſere gentes
Innumeras, varióſque duces, atque agmina regum
Ardeat? omne ſimul robúrque decúſque potentis
Europæ, meritos ultro juravit in enſes.
Rura, urbéſque vacant: montes ſpoliavimus altos.
Omne fretum longâ velorum obtexitur umbra.
Tradunt arma patres, ruit irrevocata juventus.
Non aliàs unquam tantæ data copia famæ
Fortibus, aut campo majore exercita Virtus.
Aſpicit intentum vigiliſque hæc aure bibentem,
Cùm paveant aliæ, demiſſáque lumina flectant.
Atque iterat: Quiſquis proavis & gente ſuperbus,
Quiſquis equo jaculóque potens, qui prævalet arcu,
Omnis bonos illìc: illìc ingentia certant
Nomina. vix timidæ matres, vix agmina ceſſant
Virginea. hic multùm ſteriles damnatus in annos,
Inviſúſque deis, ſi quem hæc nova gloria ſegnem
Præterit. exiſſet ſtratis, niſi provida ſigno
Deïdamia dato, cunctas hortata ſorores,
Liquiſſet menſas, ipſum complexa. ſed hæret
Reſpiciens Ithacum, cœtúque noviſſimus exit:
Ille quidem incepto paulùm ex ſermone remiſit,
Pauca tamen jungens: At tu tranquillus in altâ
Pace mane, cariſque para connubia natis,
Quas tibi fidereis divarum vultibus æquas
Sors dedit. ut me olim tacitum reverentia tangit!
Is decor eſt. formæ ſpecies permixta virili.
Occurrit genitor: quid ſi Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circùm videris aras?
Et dabimus, ſi fortè novus cunctabitur Auſter.
Excipiunt cupidi, & tacitis ſpes addita votis.
Cætera depoſitis Lycomedis regia curis
Tranquillâ ſub pace filet, ſed longa ſagaci
Nox Ithaco, lucémque cupit, ſomnóque gravatur.
Vixdum exorta dies, & jam comitatus Agyrtâ
Tydides aderat, prædictáque dona ferebat.
Nec minùs egreſſæ thalamis Scyreïdes ibant
Oſtentare choros, promiſſáque ſacra verendis
Hoſpitibus. nitet ante alias regina, coméſque
Pelides. Qualis Siculæ ſub rupibus Ætnæ
Naïdes Ætneas inter Diana, ferócque
Pallas, & Elyſii lucebat ſponſa tyranni.
Jámque movent greſſus: thyaſíque Iſmenia burus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulſant
Terga manu, varióſque quater legere recurſus.
Tunc thyrſos paritérque levant, paritérque reponunt,
Multiplicántque gradum, modò quo Curetes in actu
Quóque pii Samothraces eunt. nunc obvia verſæ
Pectine Amazonio, modò quo citat orbe Lacænas
Delia, plaudentéſque ſuis intorquet Amyclis.
Tunc verò, tunc præcipuè manifeſtus Achilles,
Nec ſervare vices, nec jungere brachia curat.
Tunc molles greſſus, tunc aſpernatur amictus
Plùs ſolito, rumpítque choros, & plurima turbat.
Sic indignantem thyrſos, acceptáque matris
Tympana, jam trilles ſpectabant Penthea Thebæ.
Solvuntur laudata cohors, repetúntque paterna
Limina, ubi in mediæ jamdudum ſedibus aulæ,
Munera virgineos viſus tractura locârat
Tydides: ſignum hoſpitii, pretiúmque laboris.
Hortatúrque legant, nec rex placidiſſimus arcet.
Heu ſimplex, nimiúmque rudis, qui callida dona,
Graiorúmque dolos, variumque ignorat Ulyſſem!
Hinc aliæ, quas ſexus iners, naturáque ducit
Aut teretes thyrſos, aut reſpondentia tentant
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis,

Arma

Arma vident, magnoque putant donata parenti.
At ferus Æacides radiantem ut cominus orbem
Cælatum pugnis sævis, & fortè rubentem
Bellorum maculis, aclinem & conspicit hastam:
Infremuit, torsitque genas, & fronte relictâ
Surrexere comæ. nusquam mandata parentis,
Nusquam occultus amor, totóque in pectore Troja est.
Ut leo, materno cùm raptus ab ubere mores
Accepit, pectíque jubas, hominémque vereri
Edidicit, nullâque ruit nisi justius in iras:
Si semel adverso radiavit lumine ferrum,
Ejurata fides, domitórque inimicus, in illum
Prima fames, timidóque pudet servisse magistro.
Ut verò accessit propiùs, lúxque æmula vultum
Reddidit, & similem tandem se vidit in auro,
Horruit, erubuitque simul. Tunc acer Ulysses
Admotus lateri summissâ voce: quid hæres?
Scimus, ait, tu semiferi Chironis alumnus,
Tu cœli, pelagíque nepos: te Dorica classis,
Te tua suspensis expectat Græcia signis.
Ipsáque jam dubiis nutant tibi Pergama muris.
Eia age, rumpe moras: sine perfida palleat Ide,
Et juvet hæc audire patrem, pudeátque dolosam
Sic pro te timuisse Thetin. jam pectus amictu
Laxabat, cùm grande tubâ (sic jussus) Agyrtes
Insonuit. fugiunt disjectis undique donis,
Implorántque patrem, commotáque prælia credunt.
Illius intactæ cecidere à pectore vestes,
Jam clypeus, brevióque manu consumitur hasta,
(Mira fides) Ithacúmque humeris excedere visus,
Ætolúmque ducem: tantùm subita arma, calórque
Martius, horrendâ confundit luce penates.
Immanísque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
Stat medius trepidante domo. Peleïa virgo
Quæritur. ast aliâ plangebat parte retectos
Deïdamia dolos, cujus cùm grandia primùm
Lamenta, & notas accepit pectore voces,
Hæsit, & occulto virtus infracta calore est.
Dimittit clypeum, regísque ad lumina versus,
Attonitum satis, inopináque monstra paventem,
Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis:
Me tibi care pater (dubium dimitte timorem)
Me Thetis alma dedit. te pridem tanta manebat
Gloria. quæsitum Danais tu mittis Achillem.
Gratior & magno (si fas dixisse) parente,
Et dulci Chirone mihi. sed corda parumper
Huc adverte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato socerum, & Thetis hospita jungunt,
Allegántque suos utroque à sanguine divos.
Unam virgineo naturum ex agmine poscunt.
Dáne? an nos humiles tibi, degenerésque videmur?
Non renuis. junge ergo manus, & concipe fœdus,
Atque ignosce tuis. tacito jam cognita furto
Deïdamia mihi. quis enim his obstare lacertis,
Quæ potuit nostras possessa evadere flammas?
Me luere ista jube: pono arma, & reddo Pelasgis,
Et maneo. quid tristè fremis? quid lumina mutas?
Jam socer es. natum ante pedes projecit, & addit;
Jámque avus. immitis quoties tractabitur ensis,
Turba sumus. Tunc & Danai, per sacra, fidémque
Hospitii, blandúsque precum compellat Ulysses.
Ille, etsi caræ comperta injuria natæ,
Et Thetidis mandata movent, prodíque veretur
Depositum tam grande deæ, tamen obvius ire
Tot metuit fatis, Argiváque bella morari.
Fac velit: ipsam illic matrem sprevisset Achilles.
Ne tamen abnueret genero se jungere tali;
Vincitur. Arcanis effert pudibunda tenebris
Deïdamia gradum, veniam nec protinus amens
Credit, & opposito genitorem placat Achille.
Mittitur Æmoniam, magni qui Pelea facti
Impleat, & classem, comitésque in prœlia poscat.
Nec non & geminas regnator Scyrius alnos
Deducit genero, virésque excusat Achivis.
Tunc epulis consumpta dies, tandémque receptum
Fœdus, & intrepidos nox conscia jungit amantes.
Illius ante oculos nova bella, & Xanthus, & Ide,
Argolicæque rates: atque hæc jam cogitat undas,
Aurorámque timet. carâ cervice mariti
Fusa novi, lachrymas jam solvit, & occupat artus.
Aspiciámne iterum, méque hôc in pectore ponam
Æacide? rursúsque tuos dignabere partus?
An tumidus, Teucrosque lares, & capta reportans
Pergama, virgineæ nolis meminisse latebræ?
Quid precer, heu, timeámne prius? quídve anxiâ mandem,
Cui vix flere vacat? modò te nox una dedítque,
Invidítque mihi, thalamis hæc tempora nostris?
Hícne est liber Hymen? ô dulcia furta, dolíque,
O timor! eripitur miseræ permissus Achilles.
I, (neque enim tantos ausim revocare paratus)
I, cautus, nec vana Thetim timuisse memento.
I felix, nostérque redi: nimis improba posco.
Jam te spectabunt lachrymis planctúque decoræ
Troades, optabúntque tuis dare colla lacertis,
Et patriam pensare toris. aut ipsa placebit
Tyndáris, incestâ nimiùm laudata rapinâ.
Ait ego vel primæ puerilis fabula culpæ
Narrabor famulis, aut dissimulata latebo.
Quin age duc comitem: cur non ego Martia tecum
Signa feram? tu pensa manu, Bacchæáque mecum
Sacra, quod infelix non credet Troja, tulisti.
Attamen hunc, quem mœsta mihi solatia linquis,
Hunc saltem sub corde tene, & concede precanti
Hoc solum, pariat ne quid tibi barbara conjux,
Ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes.
Talia dicentem non ipse immotus Achilles
Solatur, jurátque fidem: juratáque fletu
Spondet, & ingentes famulas, captúmque reversus
Ilion, & Phrygiæ promittit munera gazæ.
Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.
Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitórque coruscæ
Lucis adhuc hebetem vicinâ nocte levabat,
Et nondum excusso rorantem lampada ponto.
Et jam puniceâ nodatum pectora pallâ,
Insignémque ipsis, quæ prima invaserat, armis
Æaciden (quippe aura vocat, cognatáque suadent
Æquora) prospectant cuncti, juvenémque, ducémque
Nil ausi meminisse, pavent. sic omnia visu
Mutatus rediit, ceu nunquam Scyria passus
Littora, Peliaco raptus descendat ab antro.
Tunc ex more deis (ita namque monebat Ulysses)
Æquoreis matríque litat, fluctúque sub ipso
Cæruleum regem tauro veneratur, avúmque
Nerea, vittatâ genitrix placata juvencâ est.
Hic spumante salo jaciens tumida exta profatur:
Paruimus genitrix, quamquàm haud toleranda jubebas,
Paruimus nimiùm, bella ad Trojana, ratésque
Argolicas quæsitus eo. sic orsus, & alno
Insiluit, penitúsque Noto stridente propinquis
Abripitur terris: jámque ardua crescere nubes
Incipit, & Scyros longè decrescere ponto.
Turre procul summâ, lachrymis comitata sororum,
Confessúmque tenens, & habentem nomina Pyrrhum,
Pendebat conjux, oculísque in carbasa fixis
Ibat, & ipsa fretum, & puppem jam sola videbat.
Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat, viduámque domum, gemitúsque relictæ
Cogitat: occultus sub corde renascitur ardor,
Dátque locum virtus. sensit Laërtius heros
Mœrentem, & placidis aggressus flectere dictis;
Téne (inquit) magnæ vastator debite Trojæ,
Quem Danaæ classes, quem divûm oracula poscunt,
Erectúmque manet reserato limine bellum,
Callida fœmineo genitrix velavit amictu?
Commisítque ullis tam grandia furta latebris?
Speravítque fidem? nimis ô suspensa nimísque
Mater! an hæc virtus tacitâ torperet in umbrâ,
Quæ vix audito litui clangore, refugit
Et Thetin, & comites, & quos suppresserat ignes?
Nec nostrum est, quòd in arma venis, sequerísque precan-
Veniísses ultro. quem talibus occupat heros [tes:
Æacides: longum est reside exponere causas,
Maternúmque nefas. hôc excusabitur ense
Scyros, & indecores, fatorum crimina, cultus.
Tu potiùs dum lene fretum, Zephyrísque feruntur
Carbasa, quæ Danais tanti primordia belli,
Ede, libet justas hinc sumere protinus iras.
Hîc Ithacus paulùm repetito longiùs orsu:
Fertur in Hectoreâ (si talia credimus) orâ
Electus formæ certamina solvere pastor
Sollicitas tenuisse deas, nec torva Minervæ
Ora, nec ætherei sociam rectoris, amico
Lumine, sed solam nimiùm vidisse Dionen.
Atque adeò lis ista tuis exorta sub antris
Concilio superûm, dum Pelea dulce maritat
Pelion, & nostris jam tunc promitteris armis
Ira quatit victus: petit exitialia judex

Premia.

Præmia. raptori faciles monſtrantur Amyclæ.
Ille Phrygas lucos, matris penetralia cædit
Turrigeræ, vetitáſque ſolo procumbere pinus
Præcipitat, terráſque freto delatus Achæas
Hoſpitis Atridæ (pudet heu, miſerétque potentis
Europæ) ſpoliat thalamos, Helenâque ſuperbus
Navigat, & captos ad Pergama devehit Argos.
Indè dato paſſim varias rumore per urbes,
Undique inexciti ſibi quiſque, & ſponte coimus
Ultores, quis enim genialia fœdera rumpi
Capta dolis, facilíque trahi connubia raptu,
Ceu pecus, armentúmve, aut vites meſſis acervos
Perferat? hæc & non fortes jactura moveret.
Non tulit inſidias divûm imperioſus Agenor,
Mugitúſque ſacros, & magno numine vectam
Quæſiit Europen, aſpernatúſque Tonantem eſt
Ut generum. Raptam & Scythico de littore prolem
Non tulit Æetes, ferróque & claſſe ſecutus
Semideos reges, & iturum in ſidera puppim.
Nos Phryga ſemivirum, portus, & littora circùm
Argolica, inceſtâ volitantem puppe feremus?
Uſque adeò nuſquam arma & equi, fretáque invia Graiis?
Quid ſi nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deïdamian eat, viduſque à ſede revellat
Attonitam, & magni clamantem nomen Achillis?
Illius ad capulum rediit manus, & ſimul ingens
Impulit ora rubor. tacuit contentus Ulyſſes,
Excipit Oenides: quin ô digniſſima cœli
Progenies, ritúſque tuos, elementáque primæ
Indolis, & validâ mox accedente juventâ,
Quæ ſolitus laudum tibi ſemina pandere Chiron,
Virtutíſque aditus, quas membra augere per artes,
Quas animum, ſociis, multúmque faventibus ede,
Sit pretium longas penitus quæſiſſe per undas
Scyron, & his armis primùm intendiſſe lacertos.
Quem pigeat ſua facta loqui? tamen ille modeſtè
Inchoat, ambiguus paulùm, propiórque coacto:
Dicor, & in teneris, & adhuc creſcentibus annis,
Theſſalus ut rigido ſenior me monte recepit,
Non ullas ex more dapes habuiſſe, nec almis
Uberibus ſatiâſſe famem, ſed ſpiſſa leonum
Viſcera, ſemianimémſque libens traxiſſe medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi,
Sic dabat ille pater. mox ire per avia ſecum
Luſtra gradu majore trahens, viſíſque docebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus undis
Saxa, nec ad vaſtæ trepidare ſilentia ſylvæ.
Jam tunc haſta manu, jam tunc cervice pharetræ,
Et ferri properatus amor, duratáque multo
Sole, gelúque cutis. tenero nec flexa cubili
Membra, ſed ingenti ſaxum commune magiſtro.
Vix mihi biſſenos annorum torſerat orbes
Vita rudis, volucres cùm jam prævertere cervos,
Et Lapithas cogebat equo, præmiſſáque curſu
Tela ſequi, ſæpe ipſe gradu me præpete Chiron,
Dum velox ætas, campis admiſſus agebat
Omnibus, exhauſtúmque vago per gramina paſſu
Laudabat gaudens, atque in ſua colla levabat.
Sæpe etiam primo fluvii torpore jubebat
Ire ſuper, glaciémque levi non frangere plantâ.
Hoc puerile decus. quid nunc tibi prælia dicam
Sylvarum? & vacuos ſævo jam murmure ſaltus?
Nunquam ille imbelles Oſſæa per avia lynces
Sectari, aut timidos paſſus me cuſpide damas
Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus urſas,
Fulmineóſque ſues, & ſicubi maxima tigris,
Aut ſeducta jugis fœtæ ſpelunca leænæ.
Ipſe ſedens vaſto facta expectabat ab antro,
Si ſparſus magno remearem ſanguine, nec me
Antè niſi inſpectis admiſit ad oſcula telis.
Jámque & ad enſiferos vicinâ pube tumultus
Aptabar, nec me ulla feri Mavortis imago
Præteriit. didici quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ ſua geſa citent, quo turbine cæſtum
Sauromates, falcémque Getes, arcúmque Gelonus
Tenderet, & flexæ Balearicus actor habenæ
Quo ſuſpenſa trahens libraret vulnera tortu,
Incluſum quoties diſtringeret ære gyro.
Vix memorem cunctos (etſi modò geſſimus) actus.
Nunc docet ingenti ſaltu me jungere ſoſſas,
Nunc caput aërii ſcandentem prendere montis,
Quo fugitur per plana gradu: ſimulachráque pugnæ
Excipere immiſſos curvato umbone molares,
Ardentéſque intrare caſas, peditémque volantes
Siſtere quadrijugos. memini, rapidiſſimus ibat
Imbribus aſſiduis paſtus, nivibúſque ſolutis
Sperchios, vulſáſque trabes, & ſaxa ferebat
Cùm me ille immiſſum, quà ſævior impetus undæ,
Stare jubet contrà, tumidóſque repellere fluctus.
Quos vix ipſe gradu toties obſtante tuliſſet.
Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis,
Et latæ caligo viæ. ferus ille minari
Deſuper incumbens, verbíſque urgere pudorem.
Nec niſi juſſus abi, ſic me ſublimis agebat
Gloria, nec duri tanto ſub teſte labores.
Jam procul Oebalios in nubila condere diſcos
Et liquidam nudare Palen, & ſpargere cœſtus
Ludus erat, requiéſque mihi. nec major in iſtis
Sudor, Apollineo quàm fila ſonantia plectro
Cùm quaterem, priſcóſque virûm mirarer honores.
Quin etiam ſuccos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius ſtaret medicamine ſanguis,
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis,
Edocuit, monitúſque ſacræ ſub pectore fixit
Juſtitiæ, quâ Peliacis dare jura verenda
Gentibus, atque ſuos ſolitus pacare bimembres.
Hactenus annorum, comites, elementa meorum
Et memini, & meminiſſe juvat. ſcit cætera Mater.
Aura ſilet, puppis currens ad littora venit.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON.

C. VALERII FLACCI SETINI VITA A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

CAius Valerius Flaccus Setinus inter eos qui heroicâ decantârunt, poëta multorum judicio admirandus, Patavinus fuit, juxta Aponum natus, ut à veteribus traditum eſt, qui ſcribunt, ejus patriam fuiſſe maximè inſignem natalibus Livii, Stellæ, & Valer. Flacci. Itaque hunc ipſum Val. Martialis laris Antenorei alumnum appellavit. Alii Setinum crediderunt ex Setiâ Campaniæ Urbe, quæ haud procul à Velitris fuit: unde in magno pretio habita ſunt Setina vina, ut ab antiquis ſcriptoribus relatum eſt. Et mirum videri debet, quanto ſpiritu Flaccus inſurgat, quantáque ingenii felicitate in ſcribendo carmine præſtet. Hic eſt ille Valerius Flaccus, in cujus obitu multum fuiſſe amiſſum queritur Fabius Quintilianus in libris ad Marcellum Victorium. Extant ipſius octo volumina de Argonauticis, quod opus dicatum eſt Cæſari Domitiano: vel, ut alii volunt, patri Veſpaſiano, quoniam ſic ad eum ſcribat in ipsâ præfatione operis:

Eripe me populis, & habenti nubila terræ
Sancte pater: veterumque fave veneranda canenti
Facta virûm: verſam proles tua pandit Idumen,
Namque potes, Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentémque faces, & in omni turre furentem.

Scripturus erat multò plures libros, niſi mors intempeſtiva eum nobis eripuiſſet. Videtur autem in illis, qui ſuperſunt, Apollonium Rhodium non tantùm argumento operis expreſſiſſe, ſed etiam ſingulis quandoque carminibus. Atacinus quoque Varro pari titulo compoſuit libros de Argonautis. Idem Flaccus inter amicos habuit Secundum, Maternum, Stellam, & Val. Martialem, qui ad eum ſcribit, eruditionémque illius magnopere extollit. Conſtat hunc mediocri cenſu ac penè tenui fuiſſe, & prædium poſſediſſe exiguum, in quo (ut Martialis refert) Muſarum curas reponeret Itaque Martialis idem liberè illum monet, ut relictis Muſis atque otio, malit in foro & cauſis agendis verſari, quoniam Poëtarum ſtudia parvi admodum cenſerentur. Habuit Flaccus puerum in deliciis quem Amaſonicum quidam appellant.

LIBER

LIBER PRIMUS.

PRIMA deûm magnis canimus freta pervia natis,
Fatidicámque ratem; Scythici quæ Phasidis oras
Ausa sequi, mediósque inter juga concita cursus
Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.
Phœbe, mone; si Cymææ mihi conscia vatis
Stat casta cortina domo; si laurea dignâ
Fronte viret. Túque ô, pelagi cui major aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios priùs indignatus liilos,
Eripe me populis & habenti nubila terræ,
Sancte pater; veterúmque fave veneranda canenti
Facta virûm. versam proles tua pandet Idumen
(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentémque faces, & in omni turre furentem.
Ille tibi cultúsque deûm, delubráque genti
Instituet; cùm jam genitor lucebis ab omni
Parte poli. neque enim in Tyrias Cynosura carinas
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris:
Seu tu signa dabis, seu te duce Græcia mittet
Et Sidon Nilúsque rates. nunc nostra serenus
Orsa juves; hæc ut Latias vox implcat urbes.
Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis,
Jam gravis & longus populis metus: illius amnes,
Iónium quicumque petunt: ille Othryn & Hæmum,
Atque imum felix versabat vomere Olympum.
Sed non ulla quies animo fratrísque paventi
Progeniem divûmque minas: hunc nam fore regi
Exitio vatésque canunt, pecudúmque per aras
Terrifici monitus iterant: supèr ipsius ingens
Instat fama viri, virtúsque haud læta tyranno.
Ergo anteire metus, juvenémque exstinguere pergit
Æsonium; letsque vias ac tempora versat.
Sed neque bella videt, Graias neque monstra per urbes
Ulla. Cleonæo jam tempora clusus hiatu
Alcides: olim Lernæ defensus ab angue
Arcas; & ambobus jam cornua fracta juvencis.
Ira maris, vastsque placent discrimina ponti.
Cùm juvenem tranquillà tuens, nec fronte timendus,
Occupat; & fictis dat vultum & pondera dictis:
Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,
Adnue; dáque animum. nostri de sanguine Phrixus
Cretheos ut patrias, audîsti, effugerit aras.
Hunc ferus Æetes, Scythiam Phasimque rigentem
Qui colit, (heu magni Solis pudor!) hospita vina
Inter, & attonitæ mactat solemnia mensæ,
Nil nostrî divûmque memor. non nuntia tantùm
Fama refert. ipsum juvenem tam sæva gementem,
Ipsum ego, cùm ferus fessos sopor alligat artus,
Aspicio: méque assiduis lacera illius umbra
Quæstibus, & magni numen maris excitat Helle.
Si mihi, quæ quondam, vires; vel pendere pœnas
Colchida jam, & regis caput hìc atque arma videres,
Olim annis ille ardor hebet: necdum mea proles
Imperio & belli rebus matura marisque.
Tu, cui jam curæque vigent, animísque viriles;
I decus: & pecoris Nepheiæi vellera Graio
Redde tholo; ac tantis temet dignare periclis.
Talibus hortatur juvenem, propiórque jubenti
Conticuit, certus Scythico concurrere ponto
Cyaneas: tantóque silet possessa dracone
Vellera; multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibúsque vocabat,
Et dabat hesterno liventia mella veneno.
Mox taciti patuere doli, nec vellera curæ
Esse viro; sed sese odiis inmania cogi
In freta: quâ jussos sic tandem quærere Colchos
Arte queat. nunc aërii plantaria vellet
Perseos, aut curru sævos frenâsse dracones
Creditus ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flavâ quercum damnavit arillâ.
Heu quid agat? populúmne levem, veterísque tyranno
Infensum, atque olim miserantes Æsona patres
Advocet? an socià Junone & Pallade fretus
Armisonâ, superet magìs & freta justa capessat?
Si quâ operis tanti domito contùrgere ponto
Fama queat. tu sola animos memémque peruris,
Gloria: te viridem videt immunémque senectæ
Phasidis in ripâ stantem, juvenémque vocantem.
Tandem animi incertum confusáque pectora firmat
Religio: tendénsque pias ad sidera palmas,
Omnipotens regina, inquit, quam turbidus atro
Æthera cæruleum quateret cùm Jupiter imbre,
Ipse ego præcipiti tumidum per Énipea nimbo
In campos & tuta tuli; nec credere quivi
Antè deam, quàm te tonitru nutúque reposci
Conjugis, & subitâ raptam formidine vidi:
Da Scythiam Phasímque mihi: túque, innuba Pallas,
Eripe me. vestris egomet tunc vellera templis
Illa dabo: dabit auratis & cornibus igni
Colla pater: niveíque greges altaria cingent.
Accepere deæ, celerísque per æthera lapsu
Diversas petiere vias. in mœnia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
Moliri hunc puppem jubet, & demittere ferro
Robora: Peliácas & jam comes exit in umbras.
At Juno Argolicas pariter Macetúmque per urbes
Spargit, inexpertos tentare parentibus austros
Æsoniden: jam stare ratem, remísque superbam
Poscere quos revehat, rebúsque in fœcula tollat.
Omnis avet, quæ jam bellis spectatáque famâ,
Turba ducum, primæ seu quos in flore juventæ
Tentamenta tenent, necdum data copia rerum.
At quibus arvorum studiúmque insontis aratri,
Hos stimulant, magnâque ratem per lustra viásque
Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni,
Sylvarúmque deæ, atque elatis cornibus amnes.
Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facilésque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas: velit ille quidem; sed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax. quos talibus amens
Insequitur, solitósque novat Saturnia quæstus:
O utinam Graiæ rueret non omne juventæ
In nova fata decus: nostríque Eurystheos hæc nunc
Jussa forent! imbrem & tenebras sævúmque tridentem
Jam jam ego, & inviti torsissem conjugis ignem.
Hunc quoque nec socium nostræ columénve carinæ
Esse velim; Herculeis nec me umquam fidere fas sit
Auxiliis; comiti & tantum debere superbo.
Dixit: & Hæmonias oculos detorquet ad undas.
Fervere cuncta virûm cœtu, simul undique cernit
Delatum nemus, & ductâ resonare bipenni
Litora: jam pinus gracili dissolvere lamnâ
Thespiaden, jungíque latus, lentóque sequaces
Molliri videt igne trabes, remísque paratis
Pallada velifero quærentem brachia malo.
Constitit ut longo moles non pervia ponto
Puppis, & ut tenues subire latentia ceræ
Lumina; picturæ varios superaddit honores.
Hìc insperatos Tyrrheni tergore pisces
Peleos in thalamos vehitur Thetis: æquora Delphin
Corripit: illa sedet dejectâ in lumina pallâ;
Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem.
Hanc Panope, Dotóque soror, lætatáque fluctu
Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis
Antra petens: Siculo revocat de litore Cyclops.
Contrà ignis, viridísque torus de fronde, dapésque,
Vináque, & æquoreo inter cum conjuge divos
Æacides: pulsátque chelyn post pocula Chiron.
Parte alià Pholoë, multóque insanus laccho
Rhœtus, & Atracià subitæ de virgine pugnæ:
Crateres mensæque volant, aræque deorum,
Poculáque insignis veterum labor. optimus hastâ
Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Æson.

Fert

Fert gravis invito victorem Neſtora tergo
Monychus: ardenti peragit Clanis Actora quercu:
Nigro Neſſus equo fugit: adclinſſque tapetis
In mediis vacuo condit caput Hippaſus auro.
Hæc quamquam miranda viris ſtupet Æſone natus;
Et ſecum: Heu miſeros noſtrúm natóſque patréſque!
Haccine nos animæ facites rate nubila contra
Mittimur? in ſolum nunc ſæviet Æſona pontus?
Non juvenem in caſus eadémque pericula Acaſtum
Abripiam? inviſæ Pelias freta tuta carinæ
Optet, & exoret noſtris cum matribus undas.
Talia conanti lævum Jovis armiger æthrâ
Advenit: & validis fixam gerit unguibus aquam.
At procul è ſtabulis trepidi clamore ſequuntur
Paſtores, fremitúſque canum: citus occupat auras
Raptor; & Ægæi ſuper effugit alta profundi.
Accipit augurium Æſonides, lætúſque ſuperbi
Tecta petit Peliæ. prior huic tum regia proles
Advolat, amplexus fraternáque pectora jungens.
Ductor ait; Non degeneres, ut reris, Acaſte,
Venimus ad queſtus: ſocium te jungere cœptis
Eſt animus. neque enim Telamon, aut Canthus & Idas,
Tyndariúſque puer mihi vellere dignior Helles.
O quantum terræ, quantum cognoſcere cæli
Permiſſum eſt! pelagus quantos aperimus in uſus!
Nunc forſan grave reris opus: ſed læta recurret
Cùm ratis; & caram cùm jam mihi reddet Iolcon;
Quis pudor heu noſtros tibi tunc audire labores!
Quàm referam viſas tua per ſuſpiria gentes!
Nec paſſus rex plura virum. Sat multa parato,
In quæcumque vocas; nec nos, ait, optime, ſegnes
Credideris; patriſque magis confidere regnis,
Quàm tibi: ſi primos duce te virtutis honores
Carpere, fraterna ſi des adcreſcere famæ.
Quin ego, ne qua metu nimio me cura parentis
Impediat, fallam ignarum; ſubitóſque paratis
Tunc adero; primas linquet cùm puppis arenas.
Dixerat. ille animos promiſſáque talia lætus
Accipit; & greſſus avidos ad litora vertit.
At ducis imperiis Minyæ monitúque frequentes
Puppem humeris ſubeunt; & tento poplite proni
Decurrunt, intrántque fretum. non clamor anhelis
Nauticus, aut blandus teſtudine defuit Orpheus.
Tum læti ſtatuunt aras. tibi, rector aquarum,
Summus honor: tibi cæruleis in litore vittis
Et Zephyris Glaucóque bovem, Tethídſque juvenem
Deicit Ancæus. non illo certior alter
Pinguia letiferâ perfringere colla bipenni.
Ipſe ter æquoreo libans carchefia patri
Sic ait Æſonides: O qui ſpumantia nutu
Regna quatis, terráſque ſalo complecteris omnes,
Da veniam. ſcio me cunctis è gentibus unum
Inlicitas tentare vias, hyemémque mereri:
Sed non ſponte feror: nec nunc mihi jungere montes
Mens tamen, aut ſummo depoſcere fulmen Olympo:
Ne Peliæ te vota trahant. ille aſpera juſſa
Repperit, & Colchos in me luctúmque meorum.
Illum ego. tu tantùm non indignantibus undis
Hoc caput accipias, & preſſam regibus alnum.
Sic fatus, pingui cumulat libamine flammam.
Protulit ut crinem denſis luctatus in extis
Ignis; & adſcendit ſalientia viſcera tauri;
Ecce ſacer totúſque Dei per litora Mopſus
Inmanis viſu vittámque comámque per auras
Surgentem laurúſque rotat: vox reddita tandem,
Vox horrenda viris: tum facta ſilentia vati:
Heu quænam aſpicio! noſtris modò conſcius auſis
Æquoreos vocat ecce deos Neptunus, & ingens
Concilium: fremere, & legem defendere cuncti
Hortantur. ſic amplexus, ſic pectora fratris
Juno tene: túque ô puppem ne deſere Pallas:
Nunc, patrui nunc flecte minas. ceſſere, ratémque
Accepere mari. per quot diſcrimina rerum
Expedior! ſubitâ cur pulcher arundine crines
Velat Hylas? unde urna humeris, niveóſque per artus
Cæruleæ veſtes? unde hæc tibi vulnera, Pollux?
Quantus iò tumidis taurorum è naribus ignis!
Tollunt ſe galeæ, ſulcíſque ex omnibus haſtæ,
Et jam jámque humeri. quem circùm vellera Martem
Aſpicio? quænam aligeris ſecat anguibus auras
Cæde madens? quos enſe ferit? miſer eripe parvos
Æſonide: cerno en thalamos ardere jugales.
Jam dudum longâ Minyas ambage ducémque
Terrificat: ſed enim contrà Phœbeïus Idmon
Non pallore oris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis Phœbóque quieto;
(Cui genitor tribuit monitu prænoſcere divûm
Omina, ſeu flammas, ſeu lubrica cominus exta,
Seu plenum certis interroget aëra pennis)
Sic ſociis Mopſóque canit: Quantum augur Apollo,
Flammáque prima docet; præduri plena laboris
Cerno equidem; patiens ſed quæ ratis omnia vincet.
Ingentes durate animæ, dulcéſque parentum
Tendite ad amplexus. lacrymæ cecidere canenti,
Quòd ſibi jam cluſos invenit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat; jungit cùm talia ductor
Æſonius: Superûm quando conſulta videtis,
O ſocii, quandóque datur ſpes maxima cœptis;
Vos quoque nunc vires animóſque adferte paternos.
Non mihi Theſſalici pietas culpanda tyranni,
Suſpective doli: deus hæc, deus omine dextro
Imperat. ipſe ſuo voluit commercia mundo
Jupiter & tantos hominum miſcere labores.
Ite, viri, mecum; dubiíſque evincite rebus;
Quæ meminiſſe juvat, noſtríſque nepotibus inſtent.
Hanc verò, ſocii, venientem litore læti
Dulcibus adloquiis ludóque educite noctem.
Paretur. molli juvenes funduntur in algâ,
Conſpicuúſque toris Tirynthius. exta miniſtri
Rapta timul veribus, Cererémque dedere caniſtris.
Jámque aderat ſummo decurrens vertice Chiron,
Clamantémque patri procul oſtentabat Achillen.
Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, & ingenti tendentem brachia paſſu;
Affiluit, caráque diu cervice pependit.
Illum nec valido ſpumantia pocula Baccho
Sollicitant: veteri nec conſpicienda metallo
Signa tenent. ſtupet in ducibus: magnúmque ſonantes
Haurit, & Herculeo fert comminus ora leoni.
Lætus at impliciti Peleus rapit oſcula nati,
Suſpiciénſque polum, Placito ſi currere flactu
Pelea vultis, ait, ventóſque optare ferentes;
Hoc, ſuperi, ſervate caput. tu cætera, Chiron,
Da mihi. te parvus lituos & bella loquentem
Miretur: ſub te puerilia tela magiſtro
Venator ferat: & noſtram feſtinet ad haſtam.
Omnibus indè magis calor additus: ire per altum
Magnâ mente volunt. Phrixi promittitur abſens
Vellus, & auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit, & totum Minyis lætantibus undæ
Deduxere diem. ſparguntur litore curvo
Lumina, nondum ullis terras monſtrantia nautis.
Thracius hìc noctem dulci teſtudine vates
Extrahit; ut fleterit redimitus tempora vittis
Phrixus; & injuſtus contectus nubibus aras
Fugerit, Inoo linquens Athamanta Learcho;
Aureus ut juvenem miſerantibus intulit undis
Vector, & adſtrictis ut ſedit cornibus Helle.
Septem Aurora vias, totidémque peregerat umbras
Luna polo; dirimíſque procul non æquore viſa
Cœperat à geminâ diſcedere Sellos Abydo.
Hìc ſoror Æoliden, ævum manſura per omne,
Deſerit: heu ſævæ nequiequam erepta novercæ!
Illa quidem feſſis longè petit humida palmis
Vellera, ſed bibulas urgenti pondere veſtes
Unda trahit, lævíque manus labuntur ab auro.
Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cùm concitus æſtu
Reſpiceres miſeræ clamantis virginis ora,
Extremáſque manus, ſparſóſque per æquora crines?
Jámque mero ludóque modus; poſitíque quietis
Conticuere toris: ſolus quibus ordine ſuſis
Impatiens ſomni ductor manet. hunc gravis Æſon,
Et pariter vigil Alcimede ſpectántque tenéntque
Pleni oculos: illis placidi ſermonis Iaſon
Suggerit adfatus, turbatáque pectora mulcet.
Mox, ubi victa gravi cecidêrunt lumina ſomno,
Viſa coronate fulgens tutela carinæ
Vocibus his inſtare duci: Dodonida querum,
Chaoníſque vides famulam Jovis. æquora tecum
Ingredior. nec fatidicis avellere ſylvis
Me niſi promiſſo potuit Saturnia cælo.
Tempus adeſt. age, rumpe moras: dúmque æquore toto
Currimus, incertus ſi nubila duxerit æther;
Jam nunc mitte metus, fidens ſuperiſque mihíſque.
Dixerat ille pavens, lato quamquam omine divûm,
Profiluit ſtratis. Minyas timul obtulit omnes
Alma novo criſpans pelagus Tithonia Phœbo.
Diſcurrunt trantris. hi celſo cornua malo,

Expediunt: alii tonſas in marmore ſummo
Prætentant. prorâ funem legit Argus ab altâ.
Increſcunt matrum gemitus, & fortia languent
Corda patrum. longis flentes amplexibus hærent.
Vox tamen Alcimedes planctus ſuper eminet omnes:
Femineis tantùm illa furens ululatibus obſtat;
Obruat Idæum quantùm tuba Martia buxum.
Fatur & hæc: Nate, indignos aditure labores,
Dividimur: nec ad hos animum componere caſus
Antè datum; ſed bella tibi terrâſque timebam.
Vota aliis facienda deis. ſi fata reducunt
Te mihi, ſi trepidis placabile matribus æquor;
Poſſum equidem lucémque pati longúmque timorem:
Sin aliud Fortuna parat; miſerere parentum.
Mors bona, dum metus eſt, nec adhuc dolor. hei mihi!
Unde ego, & avecti timuiſſem vellera Phrixi? [Colchos
Quos jam mente dies, quàm ſæva inſomnia curis
Proſpicio! quotiens raucos ad litoris ictus
Deficiam. Scythicum metuens pontúmque polúmque;
Nec de te credam noſtris ingrata ſerenis!
Da precor amplexus, hæſuráque verba relinque
Auribus, & dulci jam nunc preme lumina dextrâ.
Talibus Alcimede mæret. ſed fortior Æſon
Attollens dictis animos: O ſi mihi ſanguis,
Quantus erat, cùm ſignifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus hæc compeſcuit auro!
Primus in ætatis poſuiſſem puppibus arma,
Concuſſóque ratem gauderem tollere remo.
Sed patriæ valuere preces, auditáque magnis
Vota deis. video en noſtro tot in æquore reges,
Téque ducem: tales, tales ego ducere ſuetus,
Atque ſequi: nunc ille dies, (det Jupiter oro)
Ille ſupèr, quo te Scythici regiſque mariſque
Victorem, atque humeros ardentem vellere rapto
Accipiam, cedántque tuæ meæ facta juventæ.
Sic ait. ille ſuo collapſam pectore matrem
Suſtinuit, magnâque ſenem cervice recepit.
Et jam finis erat: Zephyrúmque ratémque morantes
Solverat amplexus triſti tuba tertia ſigno.
Dant remo ſua quiſque viri, dant nomina tranſtris.
Hinc lævum Telamon pelagus tenet: altior indè
Occupat Alcides aliud mare: cætera pubes
Dividitur. celer Aſterion, quem matre carentem
Criſtatus gemino fovit pater amne Cometes;
Segnior Apidani vires ubi ſentit Enipeus:
Nititur hinc Talaus, fratriſque Leodocus urget
Remo terga ſui, quos nobile contulit Argos.
Hinc quoque miſſus adeſt, quamvis arcentibus Idas
Alitibus; ſed turpe viro timuiſſe futura.
Hìc & Naubolides tortas conſurgit in undas
Iphitus: hìc patrium frangit Neptunius æquor,
Qui tenet undiſonam Pſamathem, ſempérque patentem
Tænaron Euphemus: mollíque à litore Pellæ
Deucalion certus jaculis, & cominus enſe
Nobilis Amphion; pariter quos edidit Hypſo,
Nec potuit ſimiles voluítve ediſcere vultus.
Tum validâ Clymenus percuſſo pectore tonſâ
Frater & Iphiclus puppem trahit: & face ſævâ
In tua mox Danaos actûrus ſaxa, Caphareu,
Nauplius: & tortum non ab Jove fulmen Oïleus
Qui gemet, Euboicas nato ſtridente per undas:
Quíque Erymanthei ſudantem pondere monſtri
Amphitryoniaden Tegeæo limine Cepheus
Juvit; & Amphidamas. at frater plenior actis
Maluit Ancæo vellus contingere Phrixi.
Tectus & Eurytion ſervato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
Te quoque Theſſalicæ, Neſſor, rapit in freta puppis
Fama; Mycenæis olim qui candida velis
Æquora, nec ſtantes mirabere mille magiſtros.
Hic vatis Phœbíque fides non vana parentis
Moſpus; puniceo cui circumfuſa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittatáque frontem
Caſſis, & in ſummo laurus Peneïa cono.
Quin etiam Herculeo conſurgit ab ordine Tydeus
Nelidéſque Periclymenus: quem parva Methone
Et levis Elis equis, & fluctibus obvius Aulon,
Cæſibus adverſos viderunt frangere vultus.
Tu quoque Phrixeos remo Pæantie Colchos
Bis Lemnon viſure petis: nunc cuſpide patris
Inclytus, Herculeas olim moture ſagittas.
Proximus hinc Butes Actæis dives ab oris:
Innumeras nam claudit apes, longâque ſuperbus
Fuſcat nube diem; dum plenas nectare cellas
Pandit, & in dulcem reges dimittit Hymetton.
Inſequeris, caſúſque tuos expreſſa Phalere
Arma geris; vacuâ nam laptus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.
Tum cætata metus alios gerit arma Eribotes.
Nec Peleus fretis ſoceris & conjuge divâ
Defuit. ac prorâ ſplendet tua culpis ab altâ,
Æacide: tantùm hæc aliis excellior haſtis
Quantùm Peliacas in vertice vicerat ornos.
Linquit & Actorides natum Chironis in antro;
Ut ſocius caro pariter meditetur Achilli
Fila lyræ: paritérque leves puer incitet haſtas:
Diſcat eques placidi conſcendere terga magiſtri.
Et, quem fama genus non eſt decepta Lynei,
Phleïas inmiſſus patrios de vertice crines.
Nec timet Ancæum genetrix committere ponto;
Plena tulit quem rege maris. ſecurus in æquor
Haud minùs Erginus proles Neptunia fertur:
Qui maris inſidias, claræ qui ſidera noctis
Nôrit, & è clauſis quem deſtinet Æolus antris;
Non metuat cui regna ratis, cui tradere cælum
Aſſiduâ Tiphys vultum laſſatus ab Arcto.
Taurea vulnifico portat celatíque plumbo
Terga Lacon; ſaltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat; & Oebalium Pagaſeïa puppis alumnum
Spectet, ſecuro celebrantem litora ludo.
Oráque Theſſalico melior contundere freno,
Vectorem pavidæ Caſtor dum quæreret Helles,
Paſſus Amyclæâ pingueſcere Cyllaron herbâ.
Illis Tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura; quod geminâ mater ſpectabile telâ
Duxit opus: bis Taygeton ſylváſque comantes
Struxerat: Eurotan molli bis ſuderat auro.
Quémque ſuus ſonipes niveo de ſtamine portat,
Et volat amborum patrius de pectore cycnus.
At tibi collectas ſolvit jam fibula veſtes,
Oſtenditque humeros fortes, ſpatiúmque ſuperbi
Pectoris Herculèis æquum, Meleagre, lacertis.
Hinc numeroſa phalanx, proles Cyllenia: certus
Æthalides ſubitas nervo redeunte ſagittas
Cogere: tu medios gladio bonus ire per hoſtes,
Enryte: nec patrio Minyis ignobilis uſu,
Nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.
Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis;
Heu celerem Scythicâ te mœſta relinquet arenâ,
Ceſſantémque tuo lugebit in ordine remum.
Te quoque dant campi tanto paſtore Pheræi
Felices, Admete: tuis nam pendit in arvis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
Ah quotiens famulo notis ſoror obvia ſylvis
Flevit, ubi Oſſæa captaret frigora quercûs,
Perderet & pingui miſeros Bœbeïde crines!
Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat
Canthus, in Ææo volvet quem barbara cuſpis
Pulvere: at in terrâ clari decus adjacet orbis,
Quem genitor geſtabat Abas: ſecat aurea fluctu
Tegmina Chalcidicas fugiens Euripus arenas:
Celſáque ſemiferûm contorquens frena luporum
Surgis ab oſtrifero medius, Neptune, Geræſto.
Et tibi Palladiâ pinu, Polypheme, revecto
Ante urbem ardentis reſtat deprendere patris
Reliquias: multum famulis pia juſta moratis,
Si venias. breviore petit jam cærula remo,
Occupat & longè ſua tranſtra noviſſimus Idas.
At frater magnos Lynceus ſervatur in uſus;
Quem tulit Arene: poſſit qui rumpere terras,
Et Styga tranſmiſſo tacitam deprendere viſu.
Fluctibus è mediis terras dabit ille magiſtro,
Et dabit aſtra rati; cúmque æthera Jupiter umbrâ
Perdiderit, ſolus tranſibit nubila Lynceus.
Quin & Cecropiæ proles vacat Orithyiæ,
Temperet ut tremulos Zetes fratérque ceruchos.
Nec verò Odrilius tranſtris impenditur Orpheus,
Aut pontum remo ſubigit: ſed carmine tonſas
Ire docet, ſummo paſſim ne gurgite pugnent.
Donat & Iphiclo pelagus juvenúmque labores
Æſonides; feſſum Phylace quem miſerat ævo,
Non jam operum in partem; monitus ſed tradat ut a-
Magnorúmque viros qui laudibus urat avorum. [cres,
Arge, tuæ tibi cura ratis: te mœnia doctum
Theſpia Palladio dant munere: tors tibi ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare; fitláque fluctu
Vel pice vel molli conducere vulnera cerâ.

Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab aſtro
Hagniades; ſelix ſtellis qui ſegnibus uſum,
Et dedit æquoreos cælo duce tendere curſus.
Ecce per obliqui rapidum compendia montis
Ductor avens lætúque dolis agnoſcit Acaſtum,
Horrentem jaculis, & parmæ luce coruſcum.
Ille ut ſe mediæ per ſcuta virósque carinæ
Intulit; ardenti Æſonides retinacula ferro
Abſcidit. haud aliter ſaltus vaſtatáque pernix
Venator cùm luſtra fugit; dominóque timentum
Urget equum, teneras compreſſus pectore tigres,
Quas æſtu rapuit pavido: dum ſæva relictis
Mater in adverſo catulis venatur Amano.
Ut pariter propulſa ratis; ſtant littore matres:
Claráque vela oculis, percuſſáque ſole ſequuntur
Scuta virûm: donec jam celſior arbore pontus,
Immenſúſque ratem ſpectantibus abſtulit aër.
Sidereâ tunc arce pater pulcherrima Graiûm
Cœpta tuens, tantámque operis conſurgere molem,
Lætatur: patrii neque enim probat otia regni.
Unà omnes gaudent ſuperi, venturáque mundo
Tempora quæque vias cernunt ſibi creſcere Parcæ.
Sed non & Scythici genitor diſcrimine nati
Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces:
Sumine ſator cui noſtra dies, volventibus annis,
Tot peragit refiectque vices: tuáne iſta voluntas?
Graiáque nunc undis duce te natúque ſecundo
It ratis? an meritos fas eſt mihi rumpere quæſtus?
Hoc metuens, & ne qua foret manus invida nato,
Non mediæ telluris opes, non improba legi
Divitis arva plagæ: (teneant uberrima Teucer,
Et Lybis, & veſtri Pelopis domus) horrida ſævo
Quæ premis arva gelu, ſtrictóſque inſedimus amnes.
Cederet his etiam; & ſeſe ſinè honore referret
Ulteriùs: ſed nube rigens ac neſcia rerum
Stat ſupèr, & noſtros jam zona reverberat ignes.
Quid regio inmanis, quid barbarus amnibus illis
Phaſis, & averſis proles mea gentibus obſtat?
Quid Minyæ meruere queri? num vellere Graio
Vi potitur? profugo quin agmina jungere Phrixo
Abnuit; Inoas ultor nec venit ad aras:
Imperii ſed parte virum natæque moratus
Conjugio, videt è Graiâ nunc ſtirpe nepotes:
Et generos vocat, & junctas ſibi ſanguine terras.
Flecte ratem motúſque pater; nec vulnere noſtro
Æquora pande viris: veteris ſat conſcia luctûs
Sylva Padi, & viſo flentes genitore ſorores.
Adfremit his, quaſſátque caput, qui vellera dono
Bellipotens ſibi fixa videt: tentatáque contra
Pallas, & amborum gemuit Saturnia queſtus.
Tum genitor: Vetera hæc nobis & condita pergant
Ordine cuncta ſuo, rerúmque à principe curſu
Fixa manent: neque enim terris tum ſanguis in ullis
Noſter erat, cùm fata darem; juſtúque facultas
Hinc mihi, cùm varios ſtruerem per ſæcula reges.
Atque ego curarum repetam decreta mearum;
Jam pridem regio, quæ virginis æquor ad Helles,
Et Tanaim tenus immenſo deſcendit ab Euro,
Undat equis, floréque viris: nec tollere contrà
Ulla pares animos, noménque capeſſere bellis
Auſa manus: ſic fata, locos ſic ipſe fovebam.
Accelerat ſed ſumma dies, Aſiámque labantem
Linquimus, & poſcunt jam me ſua tempora Graii;
Indè meæ quercus, tripodéſque, animæque parentum
Hanc pelago miſere manum: via facta per undas,
Pérque hyemes, Bellona, tibi: nec vellera tantùm
Indignanda manent; propior de virgine raptâ
Ille dolor: ſed nulla magis ſententia menti
Fixa meæ. veniet Phrygiâ nam paſtor ab Idâ,
Qui gemitus, iráſque pares, & mutua Graiis
Dona ferat. quâ claſſe dehinc effuſa procorum
Bella! quot ad Trojam flentes hyberna Mycenas!
Quot proceres notóſque deûm, quæ robora cernes
Oppetere, & magnis Aſiam concedere fatis!
Hinc Danaûm de fine ſedet: gentéſque fovebo
Mox alias: pateant montes, ſylvæque, lacúſque,
Cunctáque clauſtra maris; ſpes & metus omnibus eſto.
Arbiter ipſe locos, terrenáque ſumma movendo
Experiar, quamnam populis longiſſima cunctis,
Regna velim, linquámque datas ubi certus habenas.
Tunc oculos Ægæa refert ad cærula, robur
Herculeum Ledæque tuens genus; atque ita fatur;
Tendite in aſtra viri: me primum regia mundo
Iäpeti poſt bella trucis, Phlegræque labores
Impoſuit: durum vobis iter & grave cæli
Juſſitui. ſic ecce meus, ſic orbe peracto
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.
Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem: quæ puppe propinquâ
In bifidum diſceſſit iter, fratréſque petivit
Tyndarios: placida & mediis in frontibus hæſit
Protinus amborum; luménque innoxia fundit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.
Interea medio ſævus permiſſa profundo
Carbaſa Pangæâ Boreas ſpeculatus ab arce,
Continuò Æoliam Tyrrhenáque tendit ad antra
Concitus. omne dei rapidis nemus ingemit alis:
Strata Ceres: motóque niger ſub præpete pontus.
Æquore Trinacrio, refugíque à parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis: quot in æthera ſurgit
Molibus, infernas totiens demiſſa ſub undas.
Nec ſcopulos aut antra minor juxtà altera tellus
Cernitur: illam Acamas habitat, nudúſque Pyracmon.
Has nimbi ventíque domos, & naufraga ſervat
Tempeſtas: hinc in terras latúmque profundum
Eſt iter: hinc olim ſoliti miſcere polúmque
Infeſtique fretum: neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Lybyâ cùm rumperet advena Calpen
Oceanus, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ:
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regémque dedit, quem juſſa vereri
Sæva cohors in monte: chalybs iteratáque muris
Saxa domant Euros. cùm jam prohibere frementum
Ora nequit rex, tunc aditus & claustra refringit
Ipſe volens, placátque datâ fera murmura portâ.
Nuntius hunc ſolio Boreas proturbet ab alto:
Pangæâ quod ab arce netas, ait, Æole, vidi!
Graia novam ferro molem commenta juventus
Pergit, & ingenti gaudens domat æquora velo:
Nec mihi libertas imis freta tollere arenis.
Qualis eram, nondum vinclis & carcere clauſus!
Hinc animi, ſtructæque viris fiducia puppis,
Quòd Boream ſub rege vident. da mergere Graios,
Inſanámque ratem: nil me mea pignora tangunt,
Tantùm hominum compeſce minas, dum litora juxta
Theſſala, nec dum aliæ viderunt carbaſa terræ.
Dixerat. at cuncti fremere intus & æquora venti
Poſcere, tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades. fundunt ſe carcere læti
Thraces equi: Zephyrúſque, & nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus; crinémque procellis
Hiſpidus, & multâ flavus caput Eurus arenâ,
Induxere hyemem; raucóque ad litora tractu
Unanimi freta curva ferunt: nec ſola tridentis
Regna movent: vaſto pariter ruit igneus æther
Cùm tonitru, piceóque premit nox omnia cælo.
Excuſſi manibus remi; converſáque frontem
Puppis in obliquam reſonos latere accipit ictus:
Vela ſuper tremulum ſubitus volitantia malum
Turbo rapit. qui tum Minyis trepidantibus horror,
Cùm picei fulſere poli, pavidámque coruſcæ
Ante ratem cecidere faces, antennáque lævo
Prona dehiſcentem cornu cùm ſuſtulit undam!
Non hyemem, miſſóſque putant conſurgere ventos
Ignari, ſed tale fretum. tum murmure mæſto:
Hoc erat, illicitas temerare rudentibus undas
Quod noſtri timuere patres! vix litore puppim
Solvimus; en quanto fremitu ſe ſuſtulit Ægon!
Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes?
Triſtius an miſeris ſupereſt mare? linquite, terræ,
Spem pelagi, ſacróſque iterum ſeponite fluctus.
Hæc iterant, ſegni flentes occumbere leto.
Magnanimus ſpectat pharetras & inutile robur
Amphitryoniades: miſcent ſupremæ paventes
Verba alii, jungúntque manus, atque ora fatigant:
Aſpectu tota in miſero cùm protinus alnus
Solvitur, & vaſto puppis mare ſorbet hiatu.
Illam hue atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
Nunc ſtridens Zephyris aufert Notus; undique fervent
Æquora: cùm ſubitus trifidâ Neptunus in haſtâ
Cæruleum fundo caput extulit. Hanc mihi Pallas,
Et ſoror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu
Abſtulerint: venient Phariæ Tyriæque carinæ,
Permiſſúmque patent. quotiens mox rapta videbo
Vela Notis, plenáſque malis clamoribus undas!
Non meus Orion, aut ſævus Pliade Taurus
Mortis cauſa novæ, miſeris tu gentibus, Argo,

Fata paras: nec jam merito tibi, Typhi, quietum
Uilla parens volet Elysium manésque piorum.
Hæc ait, & pontum pater ac turbata repónit
Litora, depellítque Notos: quos cærulus horror
Et madido gravis unda sinu, longéque secutus
Imber, ad Æoliæ tendunt simul æquora portæ.
Emicuit reserata dies: cælúmque resolvit
Arcus: & in summos redierunt nubila montes.
Jam placidis ratis extat aquis, quam gurgite ab imo
Et Tethis, & magnis Nereus socer erigit ulnis.
Ergo humeros ductor sacro velatur amictu,
Æsoniámque capit pateram: quam munere gaudens
Liquerat hospitio, pharetráque rependerat auro
Salmoneus: nondum ille furens: cùm fingeret alti
Quadrifidâ trabe tela Jovis, contráque ruentem
Aut Athon, aut Rhodopen; mœstæ nemora ardua Pisæ
Æmulus & miseros ipse ureret Elidis agros.
Hâc pelago libat latices, & talibus infit:
Di, quibus undarum tempestatísque sonoræ
Imperium, & magno pénitus par regia cælo:
Túque, fretum divósque pater sortite biformes:
Seu casus nox ista fuit; seu volvitur axis,
Ut superûm sic staret opus; tollíque vicissim
Pontus habet; seu te subitæ nova puppis imago
Armorúmque hominúmque truces consurgere in iras
Impulit: hæc luerim satis; & tua numina, rector,
Jam fuerint meliora mihi. da reddere terris
Has animas, patriæque amplecti limine portæ.
Tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
Pascet honos, ubicumque rotis horrendus equísve
Stas, pater; atque ingens utrimque fluentia Triton
Frena tenet: tantus nostros concede per urbes.
Dixerat hæc. oritur clamor, dextrâque sequentum
Verba ducis. sic cùm stabulis & messibus ingens
Ira deûm, & Calabri populator Sirius arvi
Incubuit; coit agrestûm manus inscia ptisecum
In nemus, & miseris dictat pia vota sacerdos.
Ecce autem molli zephyros descendere lapsu
Aspiciunt; volat immissis cava pinus habenis,
Infindítque salum, & spumas vomit ære tridenti.
Tiphys agit, tacitísque sedent ad jussa ministri.
Qualiter ad summi solium Jovis omnia circùm
Prona parata deo, ventíque, imbrésque, nivésque,
Fulguráque, & tonitrus, & adhuc in fontibus amnes.
At subitus, curâque ducem metus acrior omni,
Ménsque mali præsaga quatit; quòd regis adortus
Progeniem, raptóque dolis crudelis Acasto,
Cætera nuda neci, medióque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis:
Ipse procul nunc tuta tenens. ruat omnis in illos
Quippe furor; nec vana pavet, trepidátque futuris.
Sævit atrox Pelias, inimicáque vertice ab alto
Vela videt: nec quà se ardens effundere possit:
Nil animi, nil regna juvant. fremit objice ponti
Clausa cohors, telísque salum facibúsque coruscat.
Haud secus, arisonâ volucer cùm Dædalus Idâ
Prosiliit, juxtáque comes brevioribus alis;
Nube novâ linquente domos, Minoïa frustra
Infremuit manus, & visu lassatur inani.
Omnis eques, plenísque redit Gortyna pharetris.
Quin etiam in thalamis, primóque in limine Acasti
Fusus humi, juvenis gressus & inania signa
Ore premit, sparsísque legens vestigia canis;
Te quoque jam mœsti forsan genitoris imago
Nate, ait, & luctûs subeunt suspiria nostri.
Jámque dolos, circúmque trucis discrimina leti
Mille vides. quà te infelix, quibus insequar oris?
Non Scythicas ferus ille domos, nec ad ostia Ponti
Tendit iter; falsæ sed captum laudis amore
Te, puer, in nostræ durus tormenta senectæ
Nunc lacerat. celsis an si freta puppibus essent
Pervia, non ultro juvenes classémque dedissem?
O domus, ô freti nequicquam prole penates!
Dixit, & extemplo furiis iráque minaci
Terribilis, Sunt hìc etiam tua vulnera, prædo;
Sunt lacrymæ, carúsque parens. simul ædibus altis
Itque redítque fremens, rerúmque asperrima versat.
Bistonas ad meritos cùm cornua sæva Thyoneus
Torsit, & infelix jam mille furoribus Hæmus,
Jam Rhodopes nemora alta gemunt: talem incita longis
Porticibus conjúnxque fugit natsque Lycurgum.
Tartareo tum sacra Jovi, Stygiísque ferebat
Manibus Alcimede, tanto super anxia nato,
Si quid ab excitis melius prænoscceret umbris.

Ipsum etiam, cursúsque parem, talésque prementem
Corde metus ducit, facilem tamen, Æsona conjunx.
In scrobibus cruor, & largus Phlegethontis operti
Stagnat honos, sævóque vocat grandæva tumultu
Thessalis exanimes atavos, magnæque nepotem
Pleïones. & jam tenues ad carmina vultus
Extulerat, mœstósque ruens natúmque nurúmque,
Talia libato pandebat sanguine Cretheus:
Mitte metus. volat ille mari: quantúmque propinquat,
Jam magis atque magis, variis stupet Æa deorum
Prodigiis, quatiúntque trucis oracula Colchos.
Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
Pergit! mox Scythiæ spoliis nuribúsque superbus
Adveniet. cuperem ipse graves tum rumpere terras.
Sed tibi triste nefas, fraternáque turbidus arma
Rex parat, & sævos irarum concipit ignes.
Quin rapis hanc animam, & famulos citus effugis artus?
I, meus es. jam te in lucos pia turba silentum,
Secretísque ciet volitans pater Æolus antris.
Horruit interea famulûm clamore supremo
Mœsta domus: regémque fragor per mœnia differt,
Mille ciere manus, & jam dare jussa vocatis.
Flagrantes aras, vestémque, nemúsque sacerdos
Præcipitat, subitísque pavens circumspicit Æson,
Quid moveat. quàm multa leo cunctatus in artâ
Mole virûm, rictúque genas & lumina pressit.
Sic curæ subiere ducem, ferrúmne capessat
Imbelle, atque ævi senior gestamina primi:
An patres regnúque acuat mutabile vulgus.
Contrà effusa manus, harénisque in pectore conjunx:
Me quoque, ait, casus, comitem, quicumque propinquat,
Accipies: nec fata traham, natúmque videbo
Te finé. sat cæli patiens, cùm prima per altum
Vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem.
Talia per lacrymas. & jam circumspicit Æson,
Præveniat quò fine minas, quo fata capessat,
Digna satis. magnos obitus natúmque domúmque,
Et genus Æolium, pugnatáque poscere bella.
Est etiam ante oculos ævi rudis altera proles,
Ingentes animos & fortia discere facta
Quem velit, atque olim licet meminisse paterni.
Ergo sacra novat. veteris sub nocte cupressi
Sordidus, & multâ pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc: cui cæruleæ per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis: ipse æger, anhelans,
Impatiénsque loci, visâque exterritus umbrâ.
Hunc sibi præcipuum, gentis de more nefandæ,
Thessalis in seros Ditis servaverat usus.
Tergeminam tum placat heram, Stygiásque supremo
Obsecrat igne domos, jam jam exorabile retro
Carmen agens. neque enim antè leves niger avehit umbras
Portitor, & cunctæ primis stant faucibus Orci.
Illum ubi terrifici superesse in tempore sacri
Conspexit, statuit leto, supremáque fatur,
Ipse manu tangens damnati cornua tauri:
Vos, quibus imperium Jovis, & non segne peractum
Lucis iter, mihi consiliis, mihi cognita bellis
Nomina, magnorum famâ sacrata nepotum;
Túque excite parens umbris, ut nostra videres
Funera, & oblitos superûm paterere dolores;
Da placidæ mihi sedis iter; méque hostia vestris
Conciliet præmissa locis. tu nuntia fontum
Virgo Jovi, terras oculis quæ prospicis æquis;
Ultricésque deæ, Fásque, & grandæva Furorum
Pœna patens, meritis regi succedite tectis,
Et sævas inferte faces. sacer effera raptet
Corda pavor. nec sola mei gravia adfore nati
Arma ratémque putet: classes, & Pontica signa,
Atque indignatas temerato litore reges
Mente agitet; sempérque metu decurrat ad undas,
Arma ciens; mors sera viam tentatáque claudat
Effugia, & nostras nequeat præcurrere Diras:
Sed reduces jam jámque viros, auróque coruscum
Cernat iter. flabo insultans, & ovantia contrà
Ora manúsque feram. tum, vobis si quod inausum
Arcanúmque nefas, & adhuc incognita leti
Sors superest, date fallaci pudibunda senectæ
Exitia, indecorésque obitus. non Marte, nec armis,
Aut nati precor ille mei dignatus ut umquam
Ense cadat. quin fida manus, quin cara suorum
Diripiat lacerétque senem; nec membra sepulcro
Contegat. hæc noster de rege piacula sanguis
Sumat, & heu cunctæ, quas misit in æquora, gentes,
Adstitit, & nigro fumantia pocula tabo

Con-

Contigit ipſa gravi Furiarum maxima dextrâ.
His avidè exceptum pateris hauſere cruorem.
Fit fragor: irrumpunt ſonitu, qui ſæva ferebant
Imperia, & ſtrictos juſſis regalibus enſes.
In mediâ jam morte ſenes, ſuffectáque leto
Lumina, & undanti revomentes veſte cruorem
Conſpiciunt: primóque rudem ſub limine rerum
Te, puer, & visâ pallentem morte parentum,
Diripiunt, addúntque tuis. procul horruit Æſon
Excedens, memorémque tulit ſub nubibus umbram.
Cardine ſub noſtro rebúſque abſciſa ſupernis
Tartarei ſedet aula patris: non illa ruenti
Acceſſura polo, victam ſi volvere molem
Jupiter, & primæ velit omnia reddere maſſæ.
Ingenti jacet ore Chaos; quod pondere teſſam
Materiem, lapſúmque queat conſumere mundum.
Hic geminæ æternum portæ: quarum altera, durâ
Semper lege patens, populos recéſque receptat;
Aſt aliam tentare nefas, & tendere contrà;
Rara & ſponte patet; ſi quando pectore ductor
Vulnera nota gerens, galeis præfixa roſtráque
Cui domus, aut ſtudium mortales pellere curas,
Culta fides, longè metus atque ignota cupido:
Seu venit in vittis, caſtâque in veſte ſacerdos.
Quos omneis lenis plantis & lampada quaſſans
Progenies Atlantis agit. lucet via latè
Igne dei: donec ſylvas & amœna piorum,
Deveniant, campóſque, ubi Sol, totúmque per annum
Durat aprica dies, thiaſíque, choríque virorum,
Carminâque, & quorum populis jam nulla cupido.
Has pater in ſedes æternáque mœnia natum
Inducítque nurum. tum, portâ quanta ſiniſtrâ
Pœna, docet, maneat Pelian; quo limine, monſtrat.
Mirantur, tantos ſtrepitus, turbámque ruentem,
Et loca, & infernos almæ virtutis honores.

LIBER II.

INTEREA ſcelerum luctúſque ignarus Iaſon
Alta ſecat. neque enim patrios cognoſcere caſus
Juno ſinit; mediis ardens ne flectat ab undis,
Ac temere in Pelian, & adhuc obſtantia regis
Fata ruat, placitóſque deis neu deſerat actus.
Jámque fretis ſummas æquatum Pelion ernos,
Templáque Tiſææ mergunt obliqua Dianæ.
Jam Sciathos ſubſedit aquis, jam longa receſſit
Sepias: attollit tondentes pabula Magnes
Campus equos: vidiſſe putant Dolopeïa buſta,
Intrantémque Amyron curvas quælita per oras
Æquora; flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt. remis inſurgitur. indè ſalutant
Eurymenas. recipit velúmque fretumque reverſus
Auſter: & in nubem, Minyis repetentibus altum,
Oſſa redit. metus ecce deûm, damnatáque bello
Pallene: circúmque vident immania monſtra
Terrigenûm cœlo quondam adverſata gigantum;
Quos ſcopulis trabibúſque parens miſerata jugiſque
Induit, & verſos extruxit in æthera montes.
Quiſque ſuas in rupe minas, pugnámque, metúſque
Servat adhuc: quatit ipſe hyemes, & torquet ab alto
Fulmina crebra pater: ſcopulis ſed maximus illis
Horror abeſt, Siculâ preſſus tellure, Typhoëus.
Hunc profugum, & ſacras revomentem pectore flammas,
Ut memorant, prenſum ipſe comis Neptunus in altum
Abſtulit, implicuítque vadis: totiénſque cruentâ
Mole reſurgentem, torquentémque anguibus undas
Sicanium dedit uſque fretum; cúmque urbibus Ætnam
Intulit, ora premens: trux ille ejectat adeſi
Fundamenta jugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, injectam feſſo dum pectore molem
Commovet experiens, gemitúque reponit inani.
Jámque Hyperionius metas maris urget Hiberi
Currus, & evectæ prono laxantur habenæ
Æthere; cùm palmas Tethys grandæva ſinúſque
Suſtulit, & rapto ſonuit ſacer æquore Titan.
Auxerat hora metus; jam ſe vertentis Olympi
Ut faciem, raptóſque ſimul montéſque locóſque
Ex oculis, circúmque graves videre tenebras.
Ipſa quies rerum, mundíque ſilentia terrent;
Aſtráque, & effuſis ſtellatus crinibus æther.
Ac velut ignotâ captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter; non aure quieſcit,

Non oculis; noctíſque metus niger auget utrimque
Campus, & occurrens umbris majoribus arbor.
Haud aliter trepidare viri. ſed pectora firmans
Hagniades, Non hanc, inquit, ſinè numine pinum
Dirigimus: nec me tantùm Tritonia curſus
Erudiit; ſæpe ipſa manu dignata carinam eſt.
An non experti, ſubitus cùm luce fugatâ
Horruit imbre dies? quantis, prò Jupiter, auſtris
Reſtitimus! quantâ quotiens & Palladis arte
In caſſum decimæ cecidit tumor arduus undæ!
Quin agite, ô ſocii; micat immutabile cælum,
Paráque nec gravido ſurrexit Cynthia cornu;
Nullus in orbe rubor; certúſque ad talia Titan
Integer in fluctus, & in uno decidit Euro.
Adde, quòd in noctem venti velóque marſque
Incumbunt magis: it tacitis ratis ocyor horis.
Atque adeò non illa ſequi mihi ſidera monſtrant,
Quæ delapſa polo reficit mare: tantus Orion
Jam redit; irato jam ſtridet in æquore Perſeus:
Sed mihi dux, vetitis qui numquam conditus undis
Axe nitet ſerpens, ſeptenóſque implicat ignes.
Sic ait: & certi memorat qui vultus Olympi,
Pleïones Hyadúmque locos; quo tidere vibret
Enſis, & Actæus niteat quâ luce Bootes.
Hæc ubi dicta dedit; Cereris tum munere feſſas
Reſtituunt vires, & parco corpora Baccho:
Mox ſomno ceſſere: regunt ſua ſidera puppem.
Jámque ſub Eoæ dubios Atlantidis ignes
Albet ager: motíſque truces ab ovilibus urſi
Tuta domóſque petunt: raras & litus in altum
Mittit aves; cùm primus equis exegit anhelis
Phœbus Athon, mediáſque diem diſperſit in undas.
Certatim remis agitur mare: roſtráque curſu
Prima tremunt. & jam ſummis Vulcania ſurgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
Ignipotens: nec te Furiis & crimine matrum
Terra fugat, meritíque piget meminiſſe prioris.
Tempore quo primum fremitus inſurgere opertos
Cælicolûm, & regni ſenſit novitate tumentes
Jupiter; ætheria nec ſtare ſilentia pacis:
Junonem volueri primam ſuſpendit Olympo
Horrendum chaos oſtendens, pœnámque barathri.
Mox etiam pavidæ tentantem vincula matris
Solvere, prærupti Vulcanum vertice cæli
Devolvit. ruit ille polo noctémque diémque,
Turbinis in morem; Lemni cùm litore tandem
Inſonuit: vox indè repens ut perculit urbem,
Adclinem ſcopulo inveniunt, miſeréntque fovéntque
Alternos ægro cunctantem poplite greſſus.
Hinc, reduci ſuperas poſtquam pater admit arces,
Lemnos cara deo: nec famâ notior Ætnæ
Aut Lipares domus. has epulas, hæc templa, peractâ
Ægide, & horrifici formatis fulminis alis,
Lætus adit, contrà Veneris ſtat frigida ſemper
Ara loco; meritas poſtquam dea conjugis iras
Hotruit, & tacitæ Martem tenuere catenæ.
Quocirca ſtruit illa nefas, Lemnóque merenti
Exitium furiale movet: neque enim alma videri
Jam tum ea, cùm tereti crinem ſubnectitur auro,
Sidereos diffuſa ſinus; eadem effera & ingens,
Et maculis ſuffecta genas, pinúmque ſonantem
Virginibus Stygiis, nigrámque ſimillima pallam.
Jámque dies aderat, Thraces qui ſuderat armis:
Dux Lemni, puppes tenui contexere cannâ
Auſus, & inducto cratem defendere tergo,
Læva mari tum ſigna refert: plenáſque movebat
Armentis nuribúſque rates. it barbara veſtis,
Et torques infigne loci. ſonat æquore clamor:
O patria, ô variis conjunx nunc anxia curis,
Has agimus longi famulas tibi præmia belli.
Cùm dea ſe piceo per ſudum turbida nimbo
Præcipitat; Famámque vagam veſtigat in umbrâ:
Quam pater omnipotens digna atque indigna canentem,
Spargentémque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat ſub nubibus imis,
Non Erebi, non diva poli: terráſque fatigat,
Quas datur: audentem primi ſpernántque fovéntque:
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.
Talem diva tibi ſceleríſque dolíque miniſtram
Quærit avens. videt illa prior; jámque advolat ultro
Impatiens: jámque ora parat; jam ſuſcitat aures.
Hanc ſuperincendit Venus, atque his vocibus implet:
Vade, age, & æquoream virgo delabere Lemnon,
Et cunctas mihi verte domos: præcurrere qualis

Bella

Bella ſoles; cùm mille tubas, armatáque campis
Agmina, & innumerûm flatus cùm fingis equorum.
Adſore jam luxu turpíque cupidine captos
Fare viros, caráſque toris inducere Threſſas.
Hinc tibi principia; hinc rabidas dolor undique matres
Inſtimulet: mox ipſa adero, ducámque paratas.
Illa abit, & mediam gaudens defertur in urbem:
Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
Occupat, exeſam curis, caſtúmque cubile
Servantem: manet illa viro; famuláſque fatigat
Litoribus: tardi reputans quæ tempora belli
Ante torum, & longo mulcens inſomnia penſo.
Huic dea cum lacrymis, & notâ veſte Neæræ
Iƈta genas: Utinam non hic tibi nuntius eſſem
O ſoror; aut noſtros, inquit, priùs unda dolores
Obruat; in tali quoniam tibi tempore conjunx
Sic meritæ, votis quem tu fletúque requiris,
Heu furit, & captæ indigno famulatur amore.
Jámque aderunt: thalamíſque tuis Threïſſa propinquat;
Non formâ, non arte colûs, non laude pudoris
Par tibi; nec magni proles præclara Dorycli:
Picta manus, uſtóque placet ſed barbara mento.
Attamen hos tales forſan ſolabere caſus
Tu thalamis, fatóque leges meliore penates.
Me tua matris egens, damnatáque pellice proles
Exanimat; quam jam miſeros tranſversà tuentem,
Letaléſque dapes, infectáque pocula cerno.
Scis ſimile ut flammis ſimus genus. adde cruentis
Quòd patrium ſævire Dahis. jam lacte ferino,
Jam veniet durata gelu. ſed me quoque pulſam
Fama viro: noſtróſque toros virgata tenebit
Et plauſtro derepta nurus. ſic fata, querelas
Abſcidit: & curis pavidam lacrymíſque relinquit.
Tranſit ad Iphinoën; iſdémque Amythaonis implet,
Oleniſque domum furiis. totam indè per urbem
Perſonat, ut cunƈtas agitent expellere Lemno;
Ipſi urbem Threſſæque regant. dolor iráque ſurgit.
Obvia quæque eadem tradítque audítque: neque ulli
Vana fides. tum voce deos, tum quetibus implent.
Oſcula jámque toris, jámque oſcula poſtibus ipſis
Ingeminant: lacrymíſque iterum viſûque morantur.
Proſiliunt; nec tecta virûm, thalamóſque reviſunt
Ampliùs: adglomerant ſeſe nudíſque ſub aſtris
Condenſæ fletus acuunt; ac dira precantur
Conjugia, & Stygias infanda ad fœdera tædas.
Has inter medias, Dryopes in imagine mœſtæ,
Flet Venus; ad ſævis ardens dea planƈtibus inſtat.
Primáque: Sarmaticas utinam Fortuna dediſſes
Inſediſſe domos. triſtéſque habitáſſe pruinas,
Plauſtra ſequi; vel jam patriæ viditſe per ignes
Culmen agi, ſtragémque deûm. nam cætera belli
Perpetimur. méne ille novis, me deſtinat amens
Servitiis? urbem ut fugiens natóſque relinquam?
Non priùs enſe manus, raptóque armabimus igne?
Dúmque ſilent, ducúntque novâ cum conjuge ſomnos,
Magnum aliquid ſpirabit amor? tunc ignea torquens
Lumina præcipites excuſſit ab ubere natos.
Jlicet arrectæ mentes, evictáque matrum
Corda ſacer Veneris gemitus rapit. æquora cunƈtæ
Proſpiciunt, ſimulántque choros, delubráque feſtâ
Fronde tegunt; lætæque viris venientibus adſunt.
Jámque domos menſáſque petunt; diſcumbitur altis
Porticibus: ſua cuique furens feſtináque conjunx
Adjacet. inferni qualis ſub nocte barathri
Adcubat attonitum Phlegyan & Theſea juxta
Tiſiphone, ſaváſque dapes & pocula libat;
(Tormenti genus) & nigris amplectitur hydris.
Ipſa Venus quaſſans undantem turbine pinum
Adglomerat tenebras, pugnæque accincta tremendam
Deſilit in Lemnon. nimbíſque & luce fragoſâ
Proſequitur polus, & tonitru pater auget honoro.
Indè novam pavidas vocem furibunda per aures
Congeminat: quâ primus Athos, & pontus, & ingens
Thraca palus, paritérque toris exhorruit omnis
Mater, & adſtricto rigucrunt ubere nati.
Accelerat Pavor, & Geticis Diſcordia demens
E ſtabulis, atræque genis pallentibus Iræ,
Et Dolus, & Rabies, & Leti major imago
Viſa, truces exſerta manus; ut prima vocatu
Intonuit, ſignúmque dedit Mavortia conjunx.
Hìc aliud Venus & multo magìs ipſa tremendum
Orſa nefas, gemitus fingit, vocéſque cadentum:
Irrupítque domos: & ſingultantia geſtans
Ora manu, tabóque ſinus perfuſa recenti,

Adrectáſque comas: Meritos en prima revertor
Ulta toros: premit ecce dies. tum verbere victas
In thalamos agit, & cunƈtantibus invenit enſes.
Unde ego tot ſcelerum facies, tot fata jacentum
Exſequar? heu vatem monſtris quibus intulit ordo!
Quæ ſe aperit ſeries! ó qui me vera canentem
Siſtat, & hâc noſtras exſolvat imagine noƈtes!
Invadunt aditus, & quondam cara ſuorum
Corpora: pars, ut erant, dapibus vinóque ſoporos;
Pars conferre manus etiam, magníſque paratæ
Cum facibus; quoſdam inſomnes & cuncta tuentes.
Sed tentare fugam, prohibéque capeſſere contrà
Arma metus. adeò ingentes inimica videri
Diva dabat: notâque ſonat vox conjuge major.
Tantùm oculos preſſere metu; velut agmina cernant
Eumenidum, ferrúmve ſupèr Bellona coruſcet.
Hoc ſoror, hoc conjunx, propiórque hoc nata paréntſque
Sæva valet: prenſóſque toris maƈtátque trahítque
Femineum genus: immanes quos ſternere Beſſi,
Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris iræ.
His cruor in thalamis, & anhela in pectore fumant
Vulnera; ſéque toris miſero luƈtamine trunci
Devolvunt: diras aliæ ad faſtigia tædas
Injiciunt, addúntque domos: pars ignibus atris
Effugiunt properè; ſed dira in limine conjunx
Obſidet, & viſo repetunt incendia ferro.
Aſt aliæ Threſſas labem cauſámque furoris
Diripiunt. mixti gemitus, clamórque precantum
Barbarus, ignotæque implebant æthera voces.
Sed tibi nunc quæ digna tuis ingentibus auſis
Ora feram, decus & patriæ laus una ruentis,
Hypſipyle? non ulla meo te carmine dictam
Abſtulerint, durent Latiis modò ſæcula faſtis,
Iliacſque lares, tantſque palatia regni.
Irruerant actæ pariter natæque nurúſque;
Totáque jam ſparſis exarſerat inſula monſtris:
Illa pias armata manus, Fuge protinus urbem
Méque, pater: non hoſtis, ait, non mœnia læſi [ƈtor.
Thraces habent; noſtrum hoc facinus. ne quære, quis au-
Jam fuge, jam dubiæ donum rape mentis, & enſem
Tu potiùs miſeræ retine. tunc excipit artus,
Obnubítque caput, tacitúmque ad conſcia Bacchi
Templa rapit: primóque manus à limine tendens,
Exime nos ſceleri, pater, & miſerere piorum
Rurſus, ait. tacitâ pavidum tunc ſede locavit
Sub pedibus dextràque dei. latet ille receptus
Veſte ſacrâ. voces chorus & trieterica reddunt
Æra ſonum, fixæque fremunt in limine tigres.
Regina ut roſeis Auroram ſurgere bigis
Vidit, & inſomni laſſatas turbine tandem
Conticniſſe domos; ſtabilem quando optima facta
Dant animum, majórque piis audacia cœptis;
Serta patri, juvenſíque comam veſtéſque Lyæi
Induit, & medium curru locat; æráque circùm,
Tympanáque, & plenas tacitâ formidine ciſtas.
Ipſa ſinus hederíſque ligat famularibus artus:
Pampineámque quatit ventoſis ictibus haſtam,
Reſpiciens; tencat virides velatus habenas
Ut pater, & niveâ tumeant ut cornua mitrâ,
Et ſacer ut Bacchum referat ſcyphus. impulit aeri
Tum validas ſtridore fores; rapitúrque per urbem
Talia voce canens: Linque ô mihi cæde madentem
Bacche domum. ſine fœdatum te funere pontus
Expiet; & referam lotos in templa dracones.
Sic medios egreſſa metus: facit ipſe verendam
Nam deus, & ſtatu non inſcia gliſcit anhelo.
Jámque ſenem tacitis ſævâ procul urbe remotum
Occulerat ſylvis: ipſam ſed conſcius auſi
Nocte diéque pavor, fraudatáque turbat Erinnys.
Non ſimiles jam ferre choros (ſemel orgia fallunt)
Audet, non patrios furtis accedere ſaltus:
Et fuga diverſas miſero quærenda per artes.
Viſa ratis, ſævæ defecta laboribus undæ,
Quam Thetidi longinqua dies Glaucóque repoſtam
Solibus & canis urebat luna pruinis;
Huc genitorem, altæ per opaca ſilentia noƈtis,
Præcipitem ſylvis rapit; & ſic mæſta profatur:
Quam, genitor, patriam quantâ modò linquis inanes
Pube domos! prô dira lues, prô noƈtis acerbæ
Exitium! talín' poſſum te credere puppi,
Care parens? poſſum tantis retinere periclis?
Solvimus heu ſerum Furiis ſcelus! annue votis,
Diva, ſoporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.
Non populos, non dite ſolum, non ulla parenti

Regna peto: patriâ liceat decedere terrâ.
Quando ego ſervato mediam genitore per urbem
Læta ferar? quando hic lacrymas planctúſque videbo?
Dixerat. ille procul truncâ fugit anxius alno;
Taurorúmque locos, delubráque ſæva Dianæ
Advenit. hic illum triſti dea præficis aræ
Enſe dato. mora nec terris tibi longa cruentis.
Jam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Albâ
Jupiter, & ſoli non mitis Aricia Regi.
Arcem nata petit, quò jam manus horrida matrum
Congruerat. rauco fremitu ſedere parentum
Natorúmque locis: vacuæque in mœnibus urbis
Jura novant: donant ſolio ſceptrúſque paternis,
Ut meritam; redeúntque piæ ſua præmia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant: rapitur ſubito regina tumultu,
Conciliúmque vocat. non illis obvia tela
Ferre, nec infeſtos deerat furor improbus ignes:
Ni Veneris ſævas fregiſſet Mulciber iras.
Tunc etiam vates Phœbo dilecta Polyxo,
Non patriam, non certa genus, ſed maxima Cæte
*Proteáque ambiguum Pharii ſe patris ab antris
Huc rexiſſe vias, junctis ſuper æquora phocis:
Sæpe imis ſe condit aquis, cunctatáque paulùm
Surgit, ut auditas referens in gurgite voces:
Portum demus, ait. hæc hoſpita, credite, puppis
Adveniet: levior Lemno deus æquore flexit
Huc Minyas: Venus ipſa volens dat tempora jungi,
Dum vires utero, maternáque ſufficit ætas.
Dicta placent: portátque preces ad litora Graiis
Iphinoë: nec turba nocens, ſceleriſque recentis
Signa movent; tolliſque loci Cytherea timorem.
Protinus ingentem procerum ſub nomine taurum
Deicit: inſuetis & jam pia munera templis
Reddit: & hâc primâ Veneris calet ara juvencâ.
Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant ſaxa jugis, coquitúrque vaporibus aër;
Subſtitit Æſonides: atque hic regina precari
Hortatur: cauſáſque docens, Hæc antra videtis,
Vulcaniſque, ait, ecce domos: date vina precéſque.
Forſitan hôc factum jaceat jam fulmen in antro;
Nox dabit ipſa fidem: clauſæ cùm murmura flammæ,
Hoſpes, & incuſſæ ſonitum mirabere maſſæ.
Mœnia tum, viréſque loci, veteréſque parentum
Jactat opes. mediis famulæ convivia tectis
Expediunt; Tyrio vibrat torus igneus oſtro.
Stat mœrens atavos reges regéſque maritos
Threſſa manus, quæcumque faces timuiſſe jugales
Credita, nec dominæ ſanctum tetigiſſe cubile.
Jam medio Æſonides, jam ſe regina locavit,
Pòſt alii proceres: ſacris dum vincitur extis
Prima fames; circùm pateris it Bacchus, & omnis
Aula ſilet: dapibus captis mox tempora fallunt
Noctis, & in ſeras durant ſermonibus umbras.
Præcipuéque ducis caſus mirata requirit
Hypſipyle: quæ fata trahant, quæ regis agat vis,
Aut unde Hæmoniæ molem ratis. unius hæret
Adloquio, & blandos paulatim colligit ignes,
Jam non dura toris, Veneri nec iniqua reverſæ:
Et deus ipſe moras ſpatiúmque indulget amori.
Pliada lege poli nimboſo moverat aſtro
Jupiter, æternum volvens opus; & ſimul undis
Cuncta ruunt: unóque dei Pangæa ſub ictu,
Gargaráque, & mœſti ſteterant formidine luci.
Sævior haud alio mortales tempore gentes
Tortor agit: tunc urget enim, tunc flagitat iras
In populos Aſtræa Jovem; terriſque relictis
Invocat aſſiduo Saturnia ſidera queſtu.
Inſequitur niger & magnis cum fratribus Eurus
Intonat Ægæo; tendíſque ad litora pontus.
Et lunam quarto denſam videt imbribus ortu
Theſpiades, longus cœptis & fluctibus arcet
Quem metus: uſque novos divæ melioris ad ignes
Urbe ſedent læti Minyæ, viduíſque vacantes
Indulgent thalamis: nimbóſque educere luxu:
Nec jam velle vias: Zephyróſque audire vocantes
Diſſimulant; donec relictis Tyrinthius heros
Non tulit, ipſe rati invigilans, atque integer, urbis
Invidiſſe deos tantum maris æquor adortis
Deſertáſque domos, fraudatáque tempore ſegni
Vota patrum. quid & ipſe viris cunctantibus adfit?
O miſeri, quicumque tuis acceſſimus actis!
Phaſin, & Aceten, Scythicíque pericula ponti
Redde, ait, Æſonide: me tecum ſolus in æquor
Rerum traxit amor, dum ſpes mihi ſiſtere montes
Cyaneos, vigilémque alium ſpoliare draconem.
Si ſedet Ægæi ſcopulos habitare profundi;
Hoc mecum Telamon peraget meus. hæc ubi dicta,
Haud ſecus Æſonides monitis accenſus amaris,
Quàm bellator equus, longâ quem frigida pace
Terra juvat, brevis in lævos piger angitur orbes:
Frena tamen dominúmque velit, ſi Martius aures
Clamor, & obliti rurſus fragor impleat æris.
Tunc Argum Tiphymque vocat; pelagóque parari
Præcipitat. petit ingenti clamore magiſter
Arma, viros pariter, ſparſóſque in litore remos.
Exoritur novus urbe dolor, planctúſque per omnes
It facies antiqua domos. ſibi mœnia linqui
En iterum. ecquando natorum tempora, gentem
Qui recolant, qui ſceptra gerant? nunc triſte nefandæ
Noctis opus: vidui nunc illa ſilentia tecti.
Sævit amor; thalamos excuſſaque vincla quod auſæ
Imbuere, atque iterum taſes admittere curas.
Ipſa quoque Hypſipyle ſubitos per litora curſus
Ut vidit, totâque viros decedere Lemno;
Ingemit, & tali compellat Jaſona queſtu:
Jámne placet primo deducere vela ſereno,
Carius ô mihi patre caput? modò ſæva quiérunt
Æquora. ſic portus fugeret ratis, aſpera ſi te
Plias in adverſæ tenuiſſet litore Thraces.
Ergo moras cœlo curſúmque tenentibus undis
Debuimus? dixit lacrymans: hæſuráque caro
Dona duci promit chlamydem, textóſque labores.
Illic ſervati genitoris conſcia ſacra
Preſſit acu, currúſque pios: ſtant ſæva paventum
Agmina, dáutque locum: viridis circùm horrida tela
Sylva tremit: mediis refugit pater anxius umbris.
Pars & frondoſæ raptus expreſſerat Idæ,
Inluſtrémque fugam pueri: mox æthere lætus
Adſtabat menſis: quin & Jovis armiger ipſe
Accipit à Phrygio jam pocula blanda miniſtro.
Tunc enſem, notúmque ferens inſigne Thoantis,
Accipe, ait, bellis mediæque ut pulvere pugnæ
Sim comes, Ætnæi genitor quæ flammea geſſit
Dona Dei, nunc digna tuis adjungier armis.
I, memor, i terræ, quæ vos amplexa quieto
Prima ſinu; refer & domitis à Colchidos oris
Vela, per hunc, utero quem linquis Jaſona noſtro.
Sic ait, Hæmonii labens in colla mariti.
Nec minùs Orpheâ triſtis cervice, tuâque,
Æacide, & gemino conjunx à Caſtore pendet.
Has inter lacrymas legitur piger uncus arenis:
Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant;
Spumea ſubſequitur fugientis ſemita clavi.
Tunc tenuis Lemnos; tranſitque Electria tellus
Threïciis arcana ſacris: hìc numinis ingens
Horror, & incautis decreta piacula linguis.
Hunc demiſſa Jovi non umquam lædere fluctu
Audet hyems: ſponte ipſe deus tunc aſperat undas,
Cùm vetat infidos ſua litora tangere nautas.
Obvius at Minyas terris adytíſque ſacerdos
Excipit, hoſpitibus referans ſecreta, Thyotes.
Hactenus in populos, vates Samothraca, diémque
Miſſa mane: ſacríſque metum ſervemus opertis.
Illi ſole novo læti, plenſque deorum,
Conſidunt tranſtris. jam, quas præviderat urbes
Navita, condebat: proræque acceſſerat Imbros:
Et Sol ætherias medius conſcenderat arces.
Theſſala Dardaniis tunc primùm puppis arenis
Appulit, & fatis Sigeo litore ſedit.
Deliliunt: pars hinc levibus candentia velis
Caſtra levat: tracto pars frangit adorea ſaxo
Farra: citum ſtrictis alius de cautibus ignem
Oſtendit foliis, & ſulfure paſcit amico.
Alcides Telamónque comes dum litora blando
Anfractu ſinuoſa legunt, vox accidit aures,
Flebilè ſuccedens, cùm fracta remurmurat unda.
Attoniti preſſere gradum; vacuúmque ſequuntur
Vocis iter: jam certa ſonat: deſertáque duræ
Virgo neci quem non hominum ſuperûmque vocabat?
Acriùs hoc inſtare viri, ſuccurrere certi.
Qualiter, implevit gemitu cùm taurus acerbo
Avia, frangentem morſu ſuper alta leonem
Terga ferens; coit è ſparſo concita mapali
Agreſtûm manus, & cæco clamore coloni.
Conſtitit Alcides; viſúque eniſus, in altâ
Rupe truces manicas, defectáque virginis ora
Cernit, & ad primos turgentia lumina fluctus.

Examinum

Exanimum veluti, multâ tamen arte coactum,
Mæret ebur; Pariúsve notas & nomina sumit
Cùm lapis; aut liquidi referunt miranda colores.
Ductor ait: Quod virgo, tibi nomenque genúsque,
Quæ mors ista, doce. tendunt cur vincula palmas!
Illa tremens, tristíque oculos dejecta pudore,
Non ego digna malis, inquit; suprema parentum
Dona vides, ostro scopulos auróque frequentes.
Nos Ili veteris quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
Principio morbi, cælóque exacta sereno
Temperies; arsere rogis certantibus agri:
Cùm subitus fragor, & fluctus Idæa moventes
Cum stabulis nemora: ecce, repens consurgere ponto
Bellua, monstrum ingens; hanc tu nec montibus ullis,
Nec nostro metire mari: primæva furenti
Huic manus, amplexus inter planctúsque parentum
Deditur. hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon,
Virgineam damnare animam, sortitáque Lethen
Corpora: crudelis scopulis me destinat urna.
Verùm ô jam redeunt Phrygibus si numina, túque
Ille ades, auguriis promisse & sorte deorum;
Jam cui candentes votivo in gramine pascit
Cornipedes genitor, nostræ stata dona salutis,
Adnue, méque, precor, defectáque Pergama monstris
Eripe; namque potes. neque enim tam læta videbam
Pectora, Neptunus muros cùm jungeret astris;
Nec tales humeros pharetrámque gerebat Apollo.
Auxerat hæc locus, & facies mæstissima capti
Litoris, & tumuli, cælúmque, quod incubat urbi:
Quale laborantis Nemees iter, aut Erymanthi
Vidit, & infectæ miseratus flumina Lernæ.
Dat procul interea signum Neptunus: & unà
Monstriferi mugire sinus; Sigeáque pestis
Adglomerare fretum: cujus stellantia glaucâ
Lumina nube tremunt, atque ordine curva trisulco
Fulmineus quatit ora fragor; pelagóque remenso
Cauda redit, passósque sinus rapit ardua cervix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Prosequitur lateri adsultans: trepidísque ruentem
Litoribus sua cogit hyems. non fluctibus æquis
Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
Tantus ovat, patrisque manus cùm plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ
Surgentémque toris stupet, immanémque paratu
Æacides; pulséntque graves ut terga pharetræ,
Ille patrem, pelagíque deos, suáque arma precatus,
Insiluit scopulo; motúmque è sedibus æquor
Horruit, & celsi spatiosa volumina monstri.
Qualis ubi à gelidi Boreas convallibus Hebri
Tollitur, & volucres Riphæa per ardua nubes
Præcipitat, piceo necdum tenet omnia cælo.
Ille simul molem horrificam, scopulosque terga
Promovet, ingentique umbrâ subit; intremere Ide,
Illidíque ratis, pronæque resurgere turres.
Occupat Alcides arcum, totâque pharetræ
Nube premit. non illa magìs, quàm sede moveri
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
Jam brevis, & telo volucri non utilis aër.
Tum verò fremitus, vanique insania cœpti,
Et tacitus pudor: & rursus pallescere virgo.
Projicit arma manu, scopulos vicináque saxa
Respicit, & quantum ventis adjuta vetustas
Impulerit, pontíve fragor, tantum abscidit imi
Concutiens à sede matris. jámque agmine tota
Pistris adest, miseræque inhiat jam proxima præda.
Stat mediis elatus aquis, recipísque ruentem
Alcides: laxóque prior surgentia colla
Obruit: hinc vastos nodosi roboris ictus
Congeminat. fluctus defertur bellua in imos,
Jam totis resoluta vadis. Idæáque Mater,
Et chorus, & summis ululárunt collibus amnes.
Protinus è scopulis, & opacâ valle resurgunt
Pastores, magnúsque petunt clamoribus urbem.
Nuntius hinc socios Telamon vocat; ac simul ipsi
Horrescunt, subitóque vident in sanguine puppem.
Nec minùs in scopulos, crudíque cacumina saxi
Emicat Alcides, vincísque tenentibus ausert
Virgineas de rupe manus: aptátque superbis
Arma humeris: regem indè petens superabat ovante
Litora tuta gradu. qualis per pascua victor
Ingreditur, cum colla tumens, tum celsior artus
Taurus, ubi assueti pecoris stabula alta revisit,
Et patrium nemus, & bello quos ultus amores.
Obvia cui contrà longis emissa tenebris
Turba Phrygum, parvúmque trahens cum conjuge natum
Laomedon, jam mœstus equos, jam debita poscit
Dona gemit. pars ærii fastigia muri
Cingit, & ignotis juvenem mirantur in armis.
Illum torvà tuens, atque acri lubricus astu
Rex subit, & patrio fatur malè lætus amore:
Maxime Grajugenûm, quem non Sigea petentem
Litora, nec nostræ miserantem funera Trojæ
Appulit his Fors ipsa locis; si vera parentem
Fama Jovem, summíque tibi genus esse Tonantis;
Noster ades, junctúsque venis: fator unus, & idem
Stirpis honos: quamquàm longis disjungimur oris.
Quot mihi post lacrymas, post quanta piacula patrum
Serus ades? quàm parva tuis jam gloria factis?
Verùm, age, nunc socios fraternis mœnibus infer,
Ut tibi, servatâ statui quæ munera prole,
Crastina lux bijuges stabulis ostendat apertis.
Dixerat hæc: tacitúsque dolos, dirúmque volutat
Corde nefas, clausum ut thalamis somnóque gravatum
Immolet, ereptâque luat responsa pharetrâ:
Namque bis Herculeis deberi Pergama telis
Audierat. Priami sed quis jam vertere regnis
Fata queat? manet immotis nox Dorica lustris,
Et genus Æneadûm, & Trojæ melioris honores.
Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, hostia ponti
Raptat iter; mox hinc vestras revehemur ad oras,
Donáque dicta feram. tum verò plura vocatis
Adnuit ille deis. promissa infida tyranni
Jam Phryges, & miseræ flebant discrimina Trojæ.
Panditur hinc totis in noctem carbasus alis;
Litoráque, & veteres tumulos prælabitur Ili,
Dardaniúmque patrem: vigili simul omnia ludo
Festa vident. hinc unda, sacris hinc ignibus Ide
Vibrat, & horrisonæ respondent Gargara buxo.
Indè ubi jam medii tenuere silentia ponti,
Stridentéque juvant auræ, Phrixea subibant
Æquora, & angustas quondam sinè nomine fauces.
Ecce autem primâ volucrem sub luce dehiscens
Terruit unda ratem; vittatáque constitit Helle,
Jam Panopes Tethidísque soror: jámque aurea lævâ
Sceptra tenens: tum sternit aquas, procereque ducémque
Aspicit, & placidis compellat Jasona dictis:
Te quoque ab Hæmoniis ignota per æquora terris,
Regna infelta domûs, fatísque simillima nostris
Fata ferunt: iterum Æolios Fortuna penates
Spargit, & infelix Scythicum gens quæritis amnem.
Vasta supèr tellus, longum (ne desice cœptis)
Æquor; & ipse procul, verùm dabit ostia, Phasis.
Hìc nemus arcanum, geminæque virentibus arae
Stant tumulis. celeres hìc prima piacula Phrixo
Ferte manu; cinerísque precor mea reddite dicta:
Non ego per Stygiæ, quod rere, silentia ripæ,
Frater, agor. frustra vacui scrutaris Averni,
Care, vias. neque enim scopulis me & fluctibus aëtam
Frangit hyems; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucúsque manu: pater ipse profundi
Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo
Regna; nec Inoïs noster finus invidet undis.
Dixerat: & mœstos tranquilla sub æquora vultus
Cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
Tum pelago vina invergens dux talibus infit:
Undarum decus & gentis, Cretheïa virgo,
Pande viam, cursúque tuos age diva secundo.
Immittítque ratem, mediáque intervolat urbes,
Quà brevibus furit æstus aquis; Asiámque prementem
Effugit abruptis Europa immanior oris.
Has etiam terras, consertáque gentibus arva,
Sic, pelago pulsante, reor. Neptunia quondam
Cuspis, & adversi longus labor abscidit ævi;
Ut Siculum Libycúmque latus: stupuéque fragorem
Canus & occiduis regnator montibus Atlas.
Jam juga Percotes, Pariúmque infame fragosis
Exsuperant Pythiámque vadis; transmissáque puppi
Lampsacus: Ogygii quam nec trieterica Bacchi
Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris,
Sed suus in Venerem raptat deus. illius aras
Urbe super, celsíque vident velamina templi.
Ratior hinc tellus, atque ingens undique cælum,
Rursus & incipiens alium prospectus in orbem.
Terra sinu medio Pontum jacet inter & Hellen,
Ceu fundo prolata maris: namque improba cæcis
Intulit arva vadis, longóque sub æquora dorso

Litus

Litus agit. tenet hinc veterem confinibus oris
Pars Phrygiam, pars diſcreti juga pinea montis.
Nec procul, ad tenuis ſurgit confinia ponti
Urbs placidis demiſſa jugis: rex divitis agri
Cyzicus: Hæmoniæ qui tum nova ſigna carinæ
Ut videt, ipſe ultro primas procurrit ad undas,
Miratúrque viros, dextrâque amplexus, & hærens,
Incipit: O terris nunc primùm cognita noſtris
Æmathiæ manus, & famâ mihi major imago.
Non tamen hæc adeò ſemota, neque ardua tellus,
Longáque jam populis impervia lucis Eoæ;
Cùm tales intrâſſe duces, tot robora cerno.
Nam licèt hinc ſævas tellus alat horrida gentes,
Méque fremens tumido circumfluat ore Propontis;
Veſtra fides, ritúſque pares, & mitia cultu
His etiam mihi corda locis. procul effera virtus
Bebrycis, & Scythici procul inclementia ſacri.
Sic memorat; lætóſque rapit: ſimul hoſpita pandi
Tecta jubet, templiſque ſacros largitur honores.
Stant gemmis auróque tori, menſæque paratu
Regifico; cernúmque pares primæva miniſtri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea geſtant
Pocula, bellorum caſus expreſſa recentum.
Atque ea prima duci porgens carcheſia Gnio
Cyzicus, Hic portus, inquit, mihi territat hoſtis:
Has acies ſub nocte refert: hæc verſa Pelaſgûm
Terga vides: meus hic, ratibus qui paſcitur, ignis.
Subjicit Æſonides: Utinam nunc ira Pelaſgos
Efferat, & ſolitis tentent concurrere furtis;
Cunctáque ſe ratibus fundat manus: arma videbis
Hoſpita, nec poſt hanc ultrà tibi prœlia noctem.
Sic ait: háſque inter variis nox plurima dictis
Rapta vices, nec non ſimili lux poſtera tractu.

LIBER III.

TERTIA jam gelidas Tithonia ſolverat umbras,
Exuerátque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
It rectis Argoa manus; ſimul urbe profuſi
Æneada, cæſis ſociûm digreſſibus hærent.
Dat Cererem, lectúmque pecus; nec palmite Bacchum
Bithyno Phrygióve ſatum; ſed quem ſua noto
Colle per anguſtæ Lesbos freta ſuggerit Helles.
Ipſe agit Ætonidæ junctos ad litora greſſus
Cyzicus abſceſſu lacrymans; onerátque ſuperbis
Muneribus, primas conjunx Percoſia veſtes
Quas dabat, & picto Clyte variaverat auro.
Tum galeam, & patriæ telum inſuperabile dextræ
Addidit: ipſe ducis pateras & Theſſala contrà
Frena capit: manibúſque datis junxere penates.
Tu mihi nunc cauſas infandáque prœlia, Clio,
Pande virûm: tibi enim ſuperûm data, virgo, facultas
Nôſſe animos, rerúmque vias; cur talia paſſus
Arma; quid hoſpitiis junctas concurrere dextras
Jupiter; unde tubæ, nocturnáque movit Erinnys.
Dindyma ſanguineis famulûm bacchata lacertis
Dum volucri quatit aſper equo, ſylváſque fatigat
Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore,
Aſſuetum Phrygias dominam vectare per urbes,
Oppreſſit jaculo redeuntem ad frena leonem.
Et nunc ille jubas captiváque poſtibus ora
Impoſuit, ſpolium infelix, divæque pudendum.
Quæ poſtquam Hæmoniam, tantæ non immemor iræ,
Æriſono de monte ratem, præfixáque regum
Scuta videt; nova monſtra viro, nova funera volvit;
Ut ſocias in nocte manus, útque impia bella
Conſerat; & ſævis erroribus implicet urbem.
Nox erat, & leni canebant æquora ſulco;
Et jam prona leves ſpargebant ſidera ſomnos.
Aura vehit: religant tonſas: velóque Procneſſon,
Téque etiam medio flaventem Rhundace ponto,
Spumoſámque legunt fractâ Scyllaceon undâ.
Ipſe diem longè Solisque cubilia Tiphys
Conſulit: ipſe ratem vento ſtelliſque miniſtrat.
Atque illum non antè ſopor luctamine tanto
Lenit agens divûm imperiis; cadit inſcia clavo
Dextera, demittítque oculos: ſolatáque puppis
Turbine flectit iter, portúque refertur amico.
Ut notis adlapſa vadis, dant æthere longo
Signa tubæ: vox & mediis emiſſa tenebris:
Hoſtis habet portus; ſoliti rediere Pelaſgi.
Rupta quies: deus ancipitem lymphaverat urbem,

Mygdoniæ Pan juſſa ferens ſæviſſima Matris,
Pan nemorum belliſque potens; quem lucis ab horis
Antra tenent: patet ad medias per devia noctes
Setigerum latus, & torvæ coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper una tubas, quâ conus & enſes,
Quâ trepidis auriga rotis, nocturnáque muris
Clauſtra cadunt: talésque metus non Martia caſſis,
Eumenidúmque comæ, non triſtis ab æthere Gorgon
Sparſerit, aut tantis aciem raptaverit umbris.
Ludus & ille deo; pavidum præſepibus aufert
Cùm pecus, & profugi ſternunt dumeta juvenci.
Ilicet ad regem clamor ruit. exſilit, altis
Somnia dira toris ſimulacráque pallida linquens,
Cyzicus. ecce ſuper foribus Bellona recluſis,
Nuda latus, paſſúque movens orichalca ſonoro,
Adſtitit, & triplici pulſans faſtigia criſtâ,
Indè ciere virum. ſequitur per mœnia demens
Ille deam, & fatis extrema in prœlia tendit.
Qualis in Alciden & Theſea, Rhœtus iniqui
Nube meri, geminam Pholoën majoráque cernens
Aſtra, ruit: qualiſve redit, venatibus actis,
Luſtra pater Triviámque canens; humeróque Learchum
Advehit: at miſeræ declinant lumina Thebæ.
Jámque adeò nec porta ducem, nec ponè moratur
Excubias ſortita manus: quæ prima furenti
Advolat; hinc alii ſubeunt, ut proxima quæque
Intremuit domus, & motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pavor. ægra virorum
Corda labant: nec quæ regio, aut diſcrimina, cernunt;
Cur galeæ clypeique micent: num pervigil armis
Hoſtis, & excîti dent obvia prœlia Colchi.
Donec & haſta volans immani turbine tranſtris
Inſonuit, monuítque ratem rapere obvia cæcâ
Arma manu. Princeps galeam conſtringit Iäſon,
Vociferans: Primam hanc nati, pater, accipe pugnam:
Vóſque, viri, optatos huc adfore credite Colchos.
Biſtonas in medios ceu Martius exſilit aſtris
Currus; ubi ingentes animæ clamórque tubæque
Sanguineæ juvere deum. non ſegniùs ille
Occupat arva furens; ſequitur vis omnis Achivûm:
Adglomerant latera; & denſis thoracibus horrens
Stat manus; agiſono quam nec fera pectore virgo
Diſpulerit, nec dextra Jovis, Terrórque Pavórque
Martis equi. ſic contextis umbonibus urgent;
Cæruleo veluti cùm Jupiter agmine nubem
Conſtituit; certant Zephyri, fruſtráque rigentem
Pulſat utrimque Notus: pendent mortalia longo
Corda metu; quibus illa fretis, quibus incidat arvis.
Hinc manus infelix, clamore impellere magno
Saxa, facéſque atras, & tortæ pondera fundæ:
Fert ſonitus immota phalanx; iráſque retentant,
Congeries dum prima fluat: ſtellantia Mopſus
Tegmina, & ingentem Corythi notat Eurytus umbram.
Reſtitit ille gradu; ſeſéque à lumine ferri
Suſtinuit præceps: ſubitum ceu paſtor ad amnem,
Spumantem nimbis, fluctúque arbuſta ruentem.
At Tydeus, En intentis quem viribus, inquit,
Opperiar; manibúſque dari quem cominus optem:
Quo ſteteris moriere loco. ſubit ilia cuſpis
Oleniî: dedit ille ſonum; compreſſáque mandens
Æquora purpuream ſingultibus expulit auram.
Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
Quam ſuper ignari nunquam rexere magiſtri
Præcipites impune rates: ſic agmine cæco
Incurrit ſtrictis manus enſibus. occubat Iron,
Et Cotys, & Pyrno melior genitore Bienor.
At magìs interea diverſo turbida motu
Urbs agitur. Genyſo conjunx amoverat arma:
Aſt illi ſubitus ventis vivóque reluxit
Torre focus; telis gaudes miſerande repertis.
Linquit & undantes menſas, infectáque pernox
Sacra Medon; chlamys imbelli circumvenit oſtro
Torta manum; ſtrictóque vias præfulgurat enſe.
Talis in arma ruit; nec vina dapéſque remotæ:
*Státque loco torus; in quo (omen) manſere miniſtri.
*Indè vagi nec tela modis nec caſibus hiſdem
Conſeruere manum, & longè jacuere peremti.
Ecce gravem nodis pinguſque bitumine quaſſans
Lampade, turbatâ Phlegyas decurrit ab arce:
Ille leves de more manus, aciémque Pelaſgûm
Per noctem remeâſſe ratus; pulſúmque requirens
Sæpe ſibi vano Thamyrum clamore petebat
Arduus, & latè fumanti nube coruſcus,
Quantus ubi immenſo proſpexit ab æthere Typhon,

Igne simul ventisque rubens; quem Jupiter altè
Crine tenet: trepidant diro sub lumine puppes.
Tollitur hinc, totúsque ruit Tirynthius arcu,
*Pectore certa regens adversâ spicula flammâ,
Per piceos accensa globos: & pectus arundo
Per medium contenta fugit. ruit ille comanti
Ore facem supra, majórque apparuit ignis.
Ambrosium Peleus, ingentem Anceus Ethelum
Sternit: & elatæ propiùs succedere dextræ
Telecoonta sinit; duplicatâque ora securi
Disjecit cervice tenus. simul aspera victor
Cingula sublustri vibrantia detrahit umbrâ.
Has precor exuvias & prima cadavera, Nestor,
Linquite, ait: ferro potiùs mihi dextera, ferro
Navet opus: prensúmque manu detruncat Amastrum:
Diversâsque simul socios invadere turmas
Admonuit. pergunt ruptâ testudine fusi;
Quà tenebræ campique ferunt. gravis invenit Ochum
Phleïas, & trepido Pollux impingitur Hebro.
Ipse super vultus, tabóque labantia terga,
Dux campi Martisque potens, ut cæca profundo
Currit hyems, Zelen & Broten Abarimque relinquit
Semineces; Glaucum sequitur; Glaucúmque ruentem
Occupat, & jugulo vulnus molitur aperto.
Ille manu contrà telum tenet, ultima frustra
Verba ciens; fixámque videt decrescere cornum.
Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
Prothin, & insignem citharâ cantúque fluenti
Durcea; qui dulci festis adsistere mensis
Pectine Bittoniæ magnum post ausus alumnum.
Nec pharetram, aut acres ultrà Tirynthius arcus
Exercet; sociâ sed disjicit agmina clavâ.
Ac veluti magnâ juvenum cùm densa securi
Sylva labat; cunctisque gemit grave robur adactis;
Jámque abies piceæque ruunt: sic dura sub ictu
Ossa virûm malæque sonant, sparsúsque cerebro
Albet ager. levis ante pedes subsederat Idmon;
Occupat os barbámque viri, clavámque supernè
Intonat: Occumbens i nunc, ait, Herculis armis;
Donum ingens, sempérque tuis mirabile fatis.
Horruit ille cadens: noménque agnovit amicum
Primus, & ignaris dirum scelus attulit umbris.
Nec tibi, Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
Hospitiis, aut mente moras fovisse benignâ;
Et laribus sacrâsse diem: procul advenit Idmon,
Oblatúmque ferit, galeam cristâsque rubentes
Heu tua dona gerens, quem te, qualémque videbit
Attonitus, Crenæe, parens! en frigidus orbes
Purpureos jam somnus obit: jam candor, & anni
Deficiunt; vitâque fugit decus omne solutâ.
Desere nunc nemus, & Nympharum durus amores.
At diversa Sagen turbantem fallere nervo
Tum primum puer ausus Hylas: spes maxima bellis
Pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Juno;
Prostravitque virum celeri per pectora telo.
Accessere (nefas) tenebris fallacibus acti
Tyndaridæ in sese: Castor priùs ibat in ictus
Nescius; ast illos nova lux, subitúsque diremit
Frontis apex. tum Castor Itym; quà cærulus ambit
Balteus, & gemini committunt ora dracones;
Frater Hagen, Thapsúmque, securigerúmque Nealcen
Transigit, & Canthi pallentem vulnere Cydrum.
Torserat hic totis connisus viribus hastam
Venatori Erymo: brevis hanc sed fata ferentem
Prodidit, & piceo comitem miserata refulsit
Luna polo: cessere jubæ; raptúmque per auras
Vulnus; & extremâ sonuit cita casside cuspis.
Nisæum Telamon, & Ophelten vana sonantem,
Per clypei cedentis opus, partémque trilicem,
Quà stomachi secreta, ferit; lætúsque profatur:
Dî, precor, hunc regem, aut æquè delegerit altâ
Fors mihi gente satum; magnúsque & flebilis urbi
Conciderit. super addit Aren, fratrémque Melanthum,
Phoceáque Oleniden; Lelegum qui pulsus ab oris,
Regis amicitiam, & famuli propioris honores
(Quâ patiens non arte?) tulit. nox alta cadentum
Ingentes donat sonitus, augétque ruinas.
Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesvius, attonitas acer cùm suscitat urbes:
Sic pugnæ crudescit opus. neque enim ignea cedunt
Astra loco; lentis hæret nox conscia bigis.
Perge, age, Tartareæ mecum simul omnia noctis,
Musa, sequi. trepidam Phaëthon adflavit ab alto
Tisiphonen; gravióque locos jam luce propinquâ
Umbra premit: non signa virûm, non funera cernunt:
Et rabie magis ora calent. vos prodite, divæ,
Eumenidum noctisque globos; utique pateseat
Armorum fragor, & trepidi singultibus agri
Labentum, atque acti Minyis per litora manes.
Cyzicus hìc aciem vanis discurtibus implet
Fata trahens; jam pulsa sibi cessisse Pelasgûm
Agmina, jam passim vacuos disjecta per agros
Credit ovans. tales aditus, ea gaudia fingit
Ira deûm. fundo veluti cùm Cœus in imo,
Vincla Jovis fractóque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityónque vocat; spémque ætheris amens
Concipit: ast illum fluviis & nocte remensâ
Eumenidum canis, & sparsæ juba reppulit hydræ.
Sævit acerbà fremens; tardúmque à mœnibus agmen
Increpitat: Numquámne dolor virtute subibit
Nil ausas finè rege manus? at barbara buxus
Si vocet, & motis ululantia Dindyma sacris;
Tunc ensis placeátque furor: modò tela sacerdos
Porrigat, & justâ sanguis exuberet urnâ.
Talibus insultans jamdudum numine divæ
Deficit: infracti languescunt frigore cursus:
Corda pavent; audit fremitus iráque leonum.
Cornuáque; & motas videt inter nubila turres.
Tunc gravis, & certo tendens stridore per umbras,
Æsonii venit hasta ducis; latúmque sub imo
Pectore rumpit iter. quàm nunc incognita vellet
Lustra sibi, nullisque datos venatibus annos!
Talia magnanimi diverso turbine fundunt
Tela viri; sonitúque pedum, suspectáque motu
Explorant: prensant socios, vocémque reposcunt.
Quòd si tanta lues feros durâsset in ortus;
Extinctum genus, & solas per mœnia matres
Vidisset, stratámque dies in litore gentem.
Tum pater omnipotens, tempus jam rege peremto
Flectere fata ratus, miseráque abrumpere pugnas;
Supremam celeravit opem: nutúque sereno
Intonuit: quem nocte satæ, quem turbidus horret
Armipotens. tunc porta trucis coit infera belli.
Continuò dant terga metu, versique per agros
Diffugiunt; quæ sola salus: nec terga ruentum
Mens Minyis conversa sequi: stetit anxia virtus.
Ecce levi primos jam spargere lumine portus
Orta dies; notæque (nefas) albescere turres.
Dî maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnâstis pectora somno!
Heu socii quantis complêrunt litora monstris!
Illi autem neque adhuc gemitus, neque conscia facti
Ora levant: tenet exsangues rigor horridus artus.
Ceu pavet ad crines, & trifida Pentheos ora
Thyas; ubi impulsæ jam se deus agmine matris
Abstulit, & cæli vanescunt cornua tauri.
Nec minùs effusi grandævum ad litora vulgus,
Ut socias videre manus, dare versa retrorsus
Terga metu; dextram tendens proclamat Iäson:
Quò fugitis? vellem hâc equidem me strage meósque
Procubuisse magis. deus hæc, deus asper utrisque
Implicuit. sumus heu Minyæ, sumus hospita turba!
Cur etiam flammas, miserósque moramur honores?
Tum super exsangues confertæ cædis acervos
Præcipiti plangore ruunt. agnoscit in altâ
Strage virûm sua texta parens, sua munera conjunx.
It gemitus toto sinuosa per æquora cælo.
Pars tenues flatus, & adhuc stridentia prensant
Vulnera: pars ferâ componunt lumina dextrâ.
At verò in mediis exsangui rege reperto
Aggeribus, tristi fileant ceu cetera planctu,
Sic famulûm matrúmque dolor, sic omnis ad unum
Versa manus. circa lacrymis ac mentibus ægri
Stant Minyæ: defiénique nefas, & cuspidis ictus
Æsoniæ; sortémque ducis solantur acerbam.
Ille ubi concretos pingui jam sanguine crines,
Pallentésque genas, intractâque pectore caro
Tela, neque hesternos agnovit in hospite vultus;
Ingemit, atque artus fatur complexus amicos:
Te tamen ignarum tanti, miserande, furoris
Nox habet, & nullo testantem fœdera questu:
At mihi luctificum venit jubar. en quibus adsum
Colloquiis? cui me hospitio Fortuna revexit?
Exstinguíne meâ (fatis hoc defuit unum)
Speravi te posse manu? talisve reliqui
Has ego, amice, domos? quòd si jam bella manebant;
Et placitum hoc Superis: nónne hæc mea justiùs essent
Funera? méque tuus potiùs nunc plangeret error?

Nec Clarii nunc antra dei, quercúſque Tonantis
Arguerem. taléſne acies, taléſne triumphos
Sorte dabant? tantúmque nefas mens conſcia vatum
Conticuit, patriæ exitium crudele ſenectæ,
Et tot acerba canens? heu divis viſa tiniſtris
Regna mihi, quinam reditus? quæ me hoſpita tellus
Accipiet? quæ non primis prohibebit arenis?
Invidere dei, ne Phaſidis arva remoti,
Et Scythicas populatus opes, hæc rurſus adirem
Litora; néve tuos item tunc ultor in hoſtes.
Fas tamen eſt conferre genas; fas jungere tecum
Pectora, & exſangues miſcere amplexibus artus.
Vos, age, funereas ad litora volvite ſylvas,
Et ſocios luſtrate rogos; date debita cæſis
Munera, quæ noſtro miſiſſet Cyzicus igni.
Parte alià Clyte laceras ſuper ora mariti
Fuſa comas, miſera in planctus vocat agmina matrum;
Fatur & hæc: Primis conjunx ereptus in annis
Cuncta trahis: necdum ſuboles, nec gaudia de te
Ulla mihi; quis mæſta tuos nunc, optime, caſus
Perpeterer, tenui luctum ſolamine fallens.
Mygdonis ora patrem, funeſtáque prælia nuper
Natales rapuere domos; Triviæque potentis
Occidit arcanâ genetrix abſumta ſagittâ:
Tu mihi qui conjunx pariter fratérque parénſque
Solus, & à primâ fueras ſpes una juventâ,
Deſeris heu; totámque deus ſimul impulit urbem!
Aſt ego non mediâ te ſaltem, Cyzice, vidi
Tendentem mihi morte manus; aut ulla monentis
Verba tuli. quin & thalamis modò queſta morari,
Heu talem tahtſque metûs ſecura recepi.
Illam vix gemino mœrens cum Caſtore Pollux
Erigit hærentem, compreſſáque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urgent
Certatim decorántque pyras; & corpora mœſti
Summa locant: vadit ſonipes cervice remiſſâ;
Venatrix nec turba canum, pecudúmque morantur:
Funereæ quæ cuique manus, quæ cura ſuorum,
Quæ fortuna fuit. medio rex æggere longè
Eminet; hunc crebris quatiens ſingultibus ora
Adlevat Æſonides, celſóque reponit in oſtro.
Dat pietas auro atque ardentes murice veſtes,
Quas rapuit telis feſtina vocantibus auſtris
Hypſipyle: galeam dilectáque cingula regi
Injicit: ille, ſuam vultum converſus ad urbem,
Sceptra manu veterum retinet geſtamen avorum.
Nam quia nec proles, alius nec denique ſanguis,
Ipſe decus regnſque refert inſigne paterni.
Indè, ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concuſſi tremuere rogi: ter inhorruit æther,
Lucificùm clangente tubâ: jecere ſupremo
Tum clamore faces. rerum labor omnis in auras
Solvitur, & celſis collucent æquora flammis.
Scilicet hæc illo juvenem populóſque manebant
Tempore; Peliacis caderet cùm montibus arbor:
Hoc volucrúmque minæ, præſagáque fulmina longo
Acta mari tulerant. ſed quis non prima reſellat
Monſtra deûm, longóſque ſibi non auguret annos?
Jámque ſolutus honos cineri: jam paſſibus ægris
Dilapſæ cum prole nurus: tandémque quieſcunt
Diſſona pervigili planctu juga. qualiter Arctos
Ad patrias avibus medio jam vere revectis
Memphis, & ſprici ſtatio filet annua Nili.
At non indè dies, neque magnis aſpera curis
Nox Minyæ tantâ cæſorum ab imagine ſolvit.
Bis Zephyri jam vela vocant; fiducia mœſtis
Nulla viris: ægro aſſiduè mens carpitur æſtu:
Necdum omnes lacrymas, atque omnia reddita cæſis
Juſta putant: patria ex oculis, acérque laborum
Pulſus amor; ſegnſque juvat frigeſcere luctu.
Ipſe etiam Æſonides (quamquàm triſtiſſima rerum
Caſtigauda duci, vultúque premenda ſereno)
Dulcibus indulget lacrymis, aperítque dolorem.
Tum ſecreta trahens Phœbeum ad litora Mopſum:
Quænam, ait, iſta lues? aut quæ ſententia divûm?
Decretúſne venit fato pavor? an tibi nectunt
Corda moras? cur inmemores famæque laríſque
Angimur? aut pariet quemnam hæc ignavia finem?
Dicam, ait, ac penitus cauſas labémque docebo,
Mopſus; & aſtra tuens: Non ſi mortalia membra,
Sortitúſque breves, & parvi tempora fati
Perpetimur, ſocius ſuperi quondam ignis Olympi;
Fas ideò miſcere neces: ferróque morantes
Exigere hinc animas, redituráque ſemina cælo.

Quippe nec in ventos, nec in ultima ſolvimur oſſa:
Ira manet, durátque dolor: cùm deinde tremendi
Ad ſolium venere Jovis, queſtúque nefandam
Edocuere necem; patet ollis janua leti;
Atque iterum remeare licet: comes una ſororum
Additur, & pariter terras atque æquora luſtrant.
Quiſque ſuos fontes, inimicáque pectora pœnis
Implicat; & variâ meritos formidine pulſant.
At quibus invito maduerunt ſanguine dextræ,
Si ſors læva tulit miſeros, & proxima culpæ;
Hos variis mens ipſa modis agit: & ſua carpunt
Facta viros relidet: & jam nil amplius auſi,
In lacrymas, humiléſque metus, ægrámque fatiſcunt
Segnitiem: quos ecce vides. ſed noſtra requiret
Cura viam, memori jam pridem cognita vate.
Eſt procul, ad Stygiæ devexa ſilentia noctis,
Eumenidum domus, & ſuperis incognita tellus,
Cæruleo tenebroſa ſitu: quò flammea numquam
Sol juga, ſidereos nec mittit Jupiter annos:
Stant tacitæ frondes; inmotáque ſylva comanti
Horret verna jugo: ſpecus umbrarúmque meatus
Subter, & Oceani præceps fragor; arváque nigro
Vaſta metu; & ſubitæ poſt longa ſilentia voces.
Enſiter hìc, atráque ſedens in veſte Celeneus,
Inſontes errore luit: culpámque remittens,
Carmina turbatos volvit placantia manes.
Ille mihi, quæ danda forent luſtramina cæſis,
Prodidit: ille volens Erebum terráſque retexit.
Ergo ubi puniceas oriens adſcenderit undas;
Tu ſocios adhibere ſacris, armentáque magnis
Bina deis: me jam cœtus accedere veſtros
Haud fas interea; donec luſtralia pernox
Vota fero. movet en gelidos Latonia currus.
Flecte gradum; placitis ſileant age litora cœptis.
Jámque ſopor mediis tellurem preſſerat horis,
Et circùm tacito volitabant ſomnia mundo:
Cùm vigil arcani ſpeculatus tempora ſacri
Ampycides, petit adverſis Æſepia ſylvis
Flumina, & æquoreas pariter decurrit ad undas.
Hic ſale purpureo, vivâque nitentia lymphâ
Membra novat; ſéque horrificis accommodat actis.
Tempora tum vittis, & ſupplice caſtus olivâ
Implicat, & ſtricto deſignat litora ferro:
Circùm humiles aras, ignotáque nomina divûm
Inſtituit: ſylvâque ſuper contriſtat opacâ.
Utque metum numénque loco, ſacrámque quietem
Addidit; ardenti nitidum jubar evocat alto.
Atque Argoa manus variis inſignis in armis
Ibat, agens lectas auratâ fronte bidentes.
Delius hìc longè candenti veſte ſacerdos
Occurrit, ramóque vocat: jámque ipſe recenti
Stat tumulo, placidâ tranſmittens agmina lauro:
Ducit & ad fluvios, ac vincula ſolvere monſtrat
Prima pedum: glaucáſque comis prætexere frondes
Imperat. hinc altè Phœbi ſurgentis ad orbem
Ferre manus, totſſque ſimul procumbere campis.
Tunc piceæ mactantur oves: profectáque partim
Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon.
Ter tacitos egere gradus; ter triſtia tangens
Arma ſimul veſtéſque virûm, luſtramina ponto
Ponè jacit: rapidis adolentur cætera flammis.
Quinetiam truncas nemorum effigiéſque virorum
Rite locat quercus; ſimulatáque ſubligat arma.
Huc Stygias tranſire minas, irámque ſeveri
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas:
Atque ita luſtrifico cantu vocat: Ite peremti,
Ac memores abolete animas; ſint otia vobis,
Sit Stygiæ jam ſedis amor: procul agmine noſtro,
Et procul eſte mari: cunctiſque abſiſtite bellis.
Vos ego nec Graias umquam contendere ad urbes,
Nec triviis ululare velim; pecoríque ſatiſque
Nullæ adeò peſtes, nec luctifer ingruat annus:
Nec populi, noſtríve luant ea facta minores.
Dixerat: & ſummas frondentibus intulit aris,
Libavíque dapes; placidi quas protinus angues,
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruſcis.
Continuò puppem petere, & conſidere tranſtris
Imperat Ampycides; nec viſum vertere terræ:
Exciderint quæ geſta manu, quæ debita fatis.
Illi alacres pars arma locant, pars ardua celſis
Inſternunt tabulata foris: oritúrque trementum
Remorum ſonus, & lætæ concordia vocis.
Jupiter urgentem ceu ſumma Ceraunia nubem
Cùm pepulit, movítque jugis; fulſere repentè

Et

Et nemora & ſcopuli, nitidúſque reducitur æther.
Sic animi rediere viris: jámque ipſe magiſter
Nutat ab arce ratis, remíſque obſtitere tendit.
Inſtaurant primi certamina, liber amictu
Eurytus, & dictis Talai non territus Idas:
Indè alii increpitant; atque æquora pectore tollunt.
Par gemitu pulſúque labor: verſúmque viciſſim
Mittitur in puppem remo mare. lætus & ipſe
Alcides: Quinam hos vocat in certamina ductus?
Dixit: &, intortis adſurgens arduus undis,
Percuſſit ſubito deceptum fragmine pectus:
Atque in terga ruens, Talaum, fortémque Eribotem,
Et longè tantæ ſecurum Amphiona molis
Obruit; ſuque tuo poſuit caput, Iphite, tranſtro.
Jam ſummas cæli Phœbus candentior arces
Vicerat, & longas medius revocaverat umbras.
Tardior hinc ceſſante Euro, quæ proxima Tiphys
Litora, quóſque dabat denſâ trabe Myſia montes,
Advehitur. petit excelſas Tirynthius ornos:
Hæret Hylas lateri, paſſúſque moratur iniquos.
Illum ubi Juno, poli ſummo de vertice, puppem
Deſeruiſſe videt; tempus rata diva nocendi;
Pallada conſortem curis curſúſque regentem
(Ne qua inde inceptis fieret mora) fallere prima
Molitur; caróque dolis avertere fratri.
Tunc ſic adloquitur: Procerum vi pulſus iniquâ
Germaníque manu; repetit quo crimine Perſes;
Barbaricas jam movit opes Hyrcanáque ſigna:
Æëtes contrà thalamis & virgine pactâ
Conciliat reges Scythicos; primúſque coacta
Advehit Albanâ Styrus gener agmina portâ.
Bellum ingens: atque ipſe citis Gradivus habenis
Fundit equos. vidén' Arctoo de carcere quanta
Tollat ſe nubes, atque æquore pendeat atro?
Corripe prima vias; finem cùm Phaſidis alti
Tranſierit Perſes, aciémque admoverit urbi,
Cœpta refer; paulúmque nefas & fœdera necte,
Conſiliis atque arte tuâ; ſponde adfore reges
Dîs genitos, quis arma volens, quîs agmina jungat.
At virgo, quamquàm inſidias æſtúſque novercæ
Sentiat, & blandos quærentem fingere vultus,
Obſequitur tamen, & juſſas petit ocyùs oras.
Ingemuit Juno, tandémque ſilentia rumpit:
En labor; en odiis caput inſuperabile noſtris.
Quam Nemeen tot feſſa minis, quæ bellua Lernæ
Experiar? Phrygiis ultro concurrere monſtris
Nempe virum, & pulchro referantem Pergama ponto
Vidimus. en ego nunc regum ſoror: & mihi gentis
Ullus honos? jam tum indecores, juſtæque dolorum
Primitiæ, & tenero ſuperati protinus angues.
Debueram nullos juveni jam quærere caſus,
Victa nec ad tales forſan deſcendere pugnas:
Verùm animis inſiſte tuis; aſſúmque per omnem
Tende pudor: mox & Furias Ditémque movebo.
Hæc ait; & pariter lævi juga pinea montis
Reſpicit, ac pulchro venantes agmine Nymphas,
Undarum nemorúmque decus. levis omnibus arcus,
Et manicæ virides, & ſtrictâ myrtus avenâ;
Summo palla genu; tenui vagus innatat umbrâ
Crinis, ad obſcuræ decurrens cingula mammæ.
Ipſa citatarum tellus pede plauſa ſororum
Perſonat; & teneris ſubmittit gramina plantis.
E quibus Herculeo Dryope percuſſa fragore,
Cùm fugerent jam tela feræ, proceſſerat ultrà
Turbatum viſura nemus; fontémque petebat
Rurſus; & attonitus referebat ab Hercule vultus.
Hanc delapſa polo, piceæque adclinis opacæ
Juno vocat, prenſâque manu ſic blanda profatur:
Quem tibi conjugio tot dedignata dicavi
Nympha procos; en Hæmoniâ puer adpulit alno,
Clarus Hylas; ſaltúſque tuos, fontéſque pererrat.
Vidiſti, roſeis hæc per loca Bacchus habenis
Cùm domitas acies, & Eoi fercula regni
Duceret: ac rurſus thiaſos & ſacra moventem
Hunc tibi, vel poſito venantem pectine Phœbum,
Crede dari. quæ ſpes Nymphis aufertur Achaïs!
Præreptum quanto proles Bœbeïa queſtu
Audiet, & flavi quàm triſtis nata Lycormæ!
Sic ait; & celerem frondoſa per avia cervum
Suſcitat; ac juveni ſublimem cornibus offert.
Ille animos tardúſque fugæ longúmque reſiſtens
Sollicitat, ſuadétque pari contendere curſu.
Credit Hylas; prædæque ferox ardore propinquæ
Inſequitur: ſimul Alcides hortatibus urget
Proſpiciens: jámque ex oculis aufertur uterque:
Cùm puerum inflantem quadrupes feſſâque minantem
Tela manu procul ad nitidi ſpiracula fontis
Ducit: & intactas levis ipſe ſuperfugit undas.
Hôc pueri ſpes luſa modo eſt: nec tendere certat
Ampliùs: útque artus & concita pectora ſudor
Diluerat; gratos avidus procumbit ad amnes.
Stagna vagâ ſic luce micant, ubi Cynthia cælo
Proſpicit, aut medii tranſit rota candida Phœbi:
Tale jubar diffudit aquis; nil umbra, comæque,
Turbavítque ſonus ſurgentis ad oſcula Nymphæ.
Illa avidas injecta manus, heu ſera cientem
Auxilia, & magni referentem nomen amici,
Detrahit: adjutæ prono nam pondere vires.
Jam pater umbroſis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnóque jugi ſtridore revulſas
Terga ſuper fulvi porrexerat horrida monſtri,
Litora curva petens: alio nam calle revertum
Credit Hylan, captâque dapes auxiſſe ferinâ.
Sed neque apud ſocios, ſtructáſque in litore menſas
Unanimum videt æger Hylan; nec longiùs acrem
Intendens aciem, varios hinc excitat æſtus,
Nube mali percuſſus amor: quibus hæſerit oris;
Quis tales impune moras caſúſve labórve
Attulerit: denſam interea deſcendere noctem
Jam majore metu: tum verò & pallor & amens
Cum piceo ſudore rigor. ceu pectora nautis
Congelat hyberni vultus Jovis: agricoliſve
Cùm coit umbra minax: comitis ſic adficit error
Alciden, ſævæque monet meminiſſe novercæ.
Continuò, volucri ceu pectora tactus aſylo,
Emicuit Calabris taurus per confraga ſeptis,
Obvia quæque ruens: tali ſe concitat ardens
In juga ſenta fugâ. pavet omnis conſcia latè
Sylva: pavent montes; luctu ſuccenſus acerbo
Quid ſtruat Alcides, tantáque quid apparet irâ.
Ille, velut refugi quem contigit improba Mauri
Lancea, ſanguineus vaſto leo murmure fertur,
Frangit & abſentem vacuis ſub dentibus hoſtem;
Sic Furiis accenſa gerens Tirynthius ora
Fertur; & intento decurrit montibus arcu.
Heu miſeræ, quibus ille, feræ, quibus incidit uſquam
Inmeritis per luſtra viris! volat ordine nullo
Cuncta petens; nunc ad ripas, dejectáque ſaxis
Flumina; nunc notas nemorum procurrit ad umbras:
Rurſus Hylan, & rurſus Hylan per longa reclamat
Avia: reſponſant ſylvæ, & vaga certat imago.
At ſociis immota fides, auſtriſque ſecundis [æquè
Certa moræ: nec parvus Hylas: quamquàm omnibus
Grata rudimenta Herculeo ſub nomine pendent.
Illum omnes lacrymis, mæſtiſque repoſcere votis;
Incertíque metu, nunc longas litore voces
Spargere: nunc ſeris oſtendere noctibus ignes.
Ipſe, vel excelſi cùm denſa ſilentia montis,
Strata vel oblatis ductor videt æquora ventis,
Stat lacrymans; magnóque viri cunctatur amore.
Illius inceſſus, habilémque ad terga pharetram;
Illum inter proceres, mæſtæque ſilentia menſæ
Quærit inops, quondam ingenti comprenſa trahentem
Vina manu, & duræ referentem monſtra novercæ.
Nec minùs interea crudelis Lapyga Juno
Aſſiduè movet, & primis cum ſolibus offert.
Jámque moræ impatiens, cunctantes increpat auſus
Tiphys; & oblato monet otia rumpere curſu.
Ergo animum flexus dictis inſtantis Iaſon
Concedit; ſocióſque ſimul ſic fatur ad omnes:
O utinam, Scythicis ſtruerem cùm funera terris,
Vox mihi mentitas tulerit Parnaſia ſortes;
Agmine de tanto ſocium, qui maximus armis
Adforet, hunc Jovis imperiis fatóque teneri,
Ante procelloſum ſcopulis errantibus æquor.
Nec dum fama viri, nec certior exſtitit auctor.
Verùm agite, &, dubiis variant quia pectora curis,
Conſulite: &, motis ſeu vos via flatibus urget;
Pergite, & inceptos mecum revocate labores:
Seu plures tolerare moras, rurſúſque propinquis
Quæſiviſſe jugis; pretium haud leve temporis acti.
Dixerat: & ſtudiis jamdudum freta juventus
Orat inire vias: unum tanto aſore cœtu:
Nec minus in ſeſe generis, dextráſque potentes
Eſſe ferunt. tali mentem pars maxima flatu
Erigit, & vanâ gliſcunt præcordia linguâ.
Saltibus ut mediis tum demum læta reducit
Cerva gregem; tum geſtit aper; reboátque ſuperbis

Cominus

Cominus urſa lupis; cùm ſeſe Nar[illegible] tigris
Abſtulit, aut curvo tacitus le[illegible] antro.
At pius ingenti Telamon jam fluctuat irâ
Cum fremitu, fævíſque furens in [illegible] dictis
Inſequitur, magnóque implorat numina queſtu.
Idem orans prenſátque viros, demiſſáque ſupplex
Hæret ad ora ducis; nil ſe ſuper Hercule fari,
Sed ſocio quocumque gemens: quamquàm aſpera fama,
Jam loca, jámque feras per barbara litora gentes:
Non alium contra Alciden, non pectora tanta
Poſſe dari. rurſum inſtimulat, duoſque faventes
Magnanimus Calydone ſatus; potiorèbus ille
Deteriora fovens, ſempérque inverſa tueri
Dorus, & hàud ullis umquam ſuperabilis æquis,
Rectorúmve memor: Non Herculis, inquit, ademti,
Sed tuus in ſeros hæc noſtra ſilentia queſtus.
Traxit honor; dum jura dares, dum tempora fandi.
Septimus hic celſis deſcendit montibus auſter,
Jámque ratem Scythicis forſan ſtatuiſſet in oris;
Nos patriæ immemores, maneant ceu nulla revectos
Gaudia, ſed duro ſævæ ſub rege Mycenæ;
Ad medium cunctamur iter. ſi ſluibus ullis
Has tolerare moras, & inania tempora poſſem;
Regna hodie, & dulcem ſceptris Calydona tenerem,
Lætus opum pacíſque meæ: tutúſque manerem,
Quis genitor matérque, locis. quid deſide terrâ
Hæremus? vacuos cur laſſant æquora viſus?
Tún' comitem Alciden ad Phaſidis ampliùs arva
Adfore, tu ſocias ultrà tibi rere pharetras?
Non ea fax odiis; oblitáque numine ſeſſo
Juno ſui. nova Tartareo, ſors, ſemine monſtra,
Atque iterum Inachiis jam nuntius urget ab Argis.
Non datur hæc magni proles Jovis; at tibi Pollux
Sürpe pares Caſtórque manent, at cætera divûm
Progenies: nec parva mihi fiducia gentis.
Aſt egomet quocumque voces, quâ tegmina ferro
Plura metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipſo
Sanguine erit: jámque hinc, operum quæ maxima, poſco.
Scilicet in ſolis profugi ſtetit Herculis armis
Noſtra ſalus? nempe ora æquè mortalia cuncti
Ecce gerunt: ibunt æquo nempe ordine remi.
Ille, vel inſano jam dudum turbidus æſtu,
Vel partâ jam laude tumens, conſortia famæ
Deſpicit, ac noſtris ferri comes abnuit actis.
Vos, quibus & virtus, & ſpes in limine primo,
Tendite; dum rerum patiens calor, & rude membris
Robur ineſt: nec enim ſolis dare funera Colchis
Sit ſatis, & totâ pelagus luſtrâſſe juventâ
Spes mihi, quæ tali potuit longiſſima caſu
Eſſe, fuit: quiſcumque virum perquirere ſylvis
Egit amor: loca vociferans non ulla reliqui.
Nunc quoque, dum vario nutat ſententia motu,
Cernere devexis redeuntem montibus opto.
Sat lacrymis comitíque datum; quem ſortibus ævi
Crede, vel in mediæ raptum tibi ſanguine pugnæ.
Talibus Oenides urget. ſimul incita dictis
Heroum manus. ante omnes Argoa jubebat
Vincla rapi Calais. furias miratur ovantum
Æacides: multúſque viri cunctantia corda
Fert dolor; an ſeſe comitem tam triſtibus actis
Abneget, & celſi mærens petat ardua montis.
Non tamen & gemitus, & inanes deſinit iras
Fundere: Quis terris, prò Jupiter, inquit, Achæis
Iſte dies! ſævi capient quæ gaudia Colchi!
Non hi tum ſtatus, non iſta ſuperbia dictis,
Litore cùm patrio, jam vela petentibus auſtris,
Cunctus ad Alciden verſus favor. ipſe juvaret,
Ipſe ducis curas, meritóſque ſubiret honores.
Jámne animis, jam gente pares, atque inclita vulgi
Dextera? nulla fides, nulli ſuper Hercule fletus?
Nunc Pasthaonides, nunc dux mihi Thracia proles,
Aſpera nunc pavidos contra ruit agna leones?
Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam,
Quæ neque jam frondes virides, nec proferet umbras,
Ut ſemel eſt evulſa jugis, ac matre perentâ
Fida miniſteria, & duras obit horrida pugnas;
Teſtor: & hoc omni ductor tibi numine firmo:
Sæpe metu, ſæpe in tenui diſcrimine rerum,
Herculeas jam ſerus opes, ſpretíſque vocabis
Arma viri: nec nos tumida hæc tum dicta juvabunt.
Talibus Æacides ſocios terroribus urgens
Illacrymat; multâque comas deformat arenâ.
Fata trahunt: raptúſque virûm certamine ductor
Ibat, & obtentâ mulcebat lumina pallâ.
Hîc verò ingenti repetuntur pectora luctu:
Ut ſocii ſedere locis, nullæque leonis
Exuviæ; tantíque vacant veſtigia tranſtri:
Flet pius Æacides: mærent Paantia corda:
Ingemit & dulci frater cum Caſtore Pollux.
Omnis adhuc vocat Alciden, fugiente carinâ,
Omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.
Dat procul intereà toto pater æquore ſignum
Phorcys; & immanes intorto murice phocas
Contrahit antra petens: ſimul & Mailylus, & unà
Lyctius, & Calabris redit armentarius arvis.
Ilicet extremi nox litore Solis Hiberas
Condidit alta domos, & ſidera ſuſtulit aſtris.
Flamina conticuere; jacet ſinè fluctibus æquor.
Amphitryoniades, nec quæ nova luſtra requirat,
Nec quò tentet iter, comitis nec fata peremti
Quæ referat, videt, aut ſocios quâ mente reviſat.
Urit amor, ſolſíque negat decedere ſylvis.
Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ
* Terga dedit; ſedet indè viis: incluſáque longo
* Pervigilant caſtella metu: dolor attrahit orbes
Interea, & miſero manat juba ſordida luctu.

LIBER IV.

ATQUE ea non oculis divûm pater ampliùs æquis
Suſtinuit: natíque pios miſeratus amores,
Junonem ardenti trepidam gravis increpat irâ:
Ut nova nunc tacito te pectore gaudia tollunt!
Hæret inops, ſolſíque furit Tirynthius oris.
At comite immemores Minyæ facilésque relicto
Alta tenent: ſic Juno ducem fovet anxia curis
Æſonium; ſic arma, viros, ſociósque miniſtrat.
Jam quibus inſertam bellis, Scythicæque paventem
Gentis opes, quantâ trepidam formidine cernam!
Tum precibus, tum me lacrymis, & ſupplice dextrâ
Attentare veto: rerum mihi firma poteſtas.
I, Furias Venerémque move: dabit impia pœnas
Virgo, nec Æëtæ gemitus patiemur inultos.
Dixit, & arcano redolentem nectare rorem,
Quem penès alta quies, liquidſque potentia ſomni,
Detulit, ſnque vagi libavit tempora nati.
Ille graves oculos & Hylan reſonantia ſemper
Ora ferens, ut nulla deum ſuperare poteſtas,
Procumbit. tandem feſſis pax reddita ſylvis:
Fluminâque, & vacuis auditæ montibus auræ.
Ecce, puer ſummâ ſe tollere vitius ab undâ
Frondibus in croceis, & iniquæ munere Nymphæ;
Stánſque ſuper carum tales caput edere voces:
Quid, pater, in vanos abſumis tempora queſtus?
Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus: improba quò
* Nympha rapit, ſævæ monitu Junonis: inanes [mo
Nunc Jovis acceſſus, & jam mihi limina cæli
Conciliat: jungíque ſuos & ſontis honores.
O dolor! ô dulces, quas geſſimus antè, pharetræ!
Jam ſocii lætis rapuerunt vincula ventis;
Hortator poſtquam furiis & voce nefandâ
Impulit Oenides. verùm cum gente domóque
Iſta luet; ſævæque aderunt tua numina matri.
Surge, age, & in duris haud umquam defice; cælo
Mox aderis; téque aſtra ferent: tu ſemper amoris
Sis memor, & cari comitis ne abſcedat imago.
Talibus orantem dictis, viſúque fruentem,
Ille ultro petit; & vacuis amplexibus inſtat:
Languentíſque movèt fruſtra conamina dextræ.
Corpus hebet ſomno, refugâque eluditur umbrâ.
Tum lacrymis, tum voce ſequi; tum rumpere queſtus;
Cùm ſopor & vano ſpes mæſta reſolvitur actu.
Fluctus ab undiſoni ceu fortè crepidine ſaxi
Cùm rapit Halcyones miſeræ fœtúmque larémque;
It ſuper ægra parens: queritúrque tumentibus undis,
Certa ſequi quocumque ferant; audétque, pavétque;
Icta fatiſcit aquis donec domus, hauſtáque fluctu eſt:
Illa dolens vocem dedit, & ſe ſuſtulit alis.
Haud aliter ſomni mæſtus labor. exſilit amens,
Effuſíſque genas lacrymis rigat: Ibimus, inquit;
Solus & hos montes deſertáque luſtra tenebis,
Care puer? nec res ultrà mirabere noſtras?
Hæc fatus relegítque vias & vallibus exit,
Incertus quid Juno ferat, quas apparet iras.
Nec minùs & ſocios cernit procul æquore ferri
Præcipites; tacitúmque pudet potuiſſe relinqui.

Jámque iter ad Teucros, atque hospita mœnia Trojæ
Flexerat; Iliaci repetens promissa Tyranni:
Cùm mœsto Latona simul Dianáque vultu
Ante Jovem stetit; & supplex sic fatur Apollo:
In quem alium Alciden, in quæ jam tempora differs
Caucasium, rex magne, senem? nullúmne malorum
Finem adeò pœnæque dabis? te cuncta precantur
Gens hominum; atque ipsi jam te, pater optime, montes,
Fessáque cum sylvis oeant jugat. sat tibi fastum
Ignis, & ætheriæ defensa silentia mensæ.
Exit ubi è scopulis, media inter pabula diri
Volturis. ipse etiam gemitu mœstáque fatigat
Voce Jovem, sævis relevans ambusta pruinis
Lumina: congeminant amnes, rupésque fragorem
Caucasiæ: stupet ipse dei clamoribus ales.
Tunc etiam superas Acheronte auditur ad arces
Japetus gravis: orantem procul arcet Erinnys,
Respiciens celsi legem Jovis: ille, dearum
Fletibus & magno Phœbi commotus honore,
Velocem roseis demittit nubibus Irim:
I, Phrygas Alcides, & Trojæ differat arma;
Nunc, ait, eripiat diræ Titana volucri.
Diva volat; deférque viro celeranda parentis
Imperia; atque alacrem lætis hortatibus implet.
Jam Minyæ mediis claræ per sidera noctis
Fluctibus intulerant placido cava lintea cursu;
Multáque deserto memores super Hercule volvunt.
Thracius at summâ sociis è puppe sacerdos,
Fata deûm, & miseræ solans incommoda vitæ,
Securum numeris agit & medicabile carmen:
Quod simul adsumtâ pulsum fide; luctus, & ira,
Et labor; & dulces cedunt è pectore nati.
Interea, magni jamjam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra sonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum jubar & bissено sidere textam
Loricam induitur: ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Indè super terras & Eoi cornua montis
Emicuit, traxítque diem candentibus undis:
Et Minyas viso liquerunt flamina Phœbo.
Proxima Bebrycii panduntur litora regni;
Pingue solum, & duris regio non invida tauris:
Rex Amycus; regis fatis & numine freti
Non muris cinxere domos; non fœdera legum
Ulla colunt; placidas aut jura tenentia mentes.
Quales Ætneis rabidi Cyclopes in antris
Nocte sub hybernâ servant freta; sicubi sævis
Advectet ratis acta Notis tibi pabula dira
Et miseras, Polypheme, dapes: sic undique in omnes
Prospiciunt cursántque vias; qui corpora regi
Capta trahant. ea Neptuno trux ipse parenti
Sacrifici pro rupe jugi, media æquora supra,
Torquet agens. sin forma viris præstantior adsit;
Tum legere arma jubet, sumtísque occurrere contrà
Cæstibus. hæc miseri sors est æquissima leti.
Huc ubi devectam Neptunus gurgite puppem
Sensit; & extremum nati prospexit in oras,
Et quondam lætos domini certamine campos;
Ingemit, ac tales evolvit pectore questus:
Infelix, imas quondam mihi rapta sub undas,
Nec potiùs magno, Melie, tum mixta Tonanti:
Usque adeóne meam quacumque ab origine prolem
Tristia fata manent? sic te olim pergere sensi
Jupiter, injustæ quando mihi virginis armis
Concidit infelix, & nunc chaos implet Orion.
Nec tibi nunc virtus, aut det fiducia nostri,
Nate, animos: opibúsque ultrà ne crede paternis.
Jam jam aliæ vires, majoráque sanguine nostro
Vincunt fata Jovis; potior cui cura suorum est.
Atque ideo, neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuíve ratem: nec jam mora morti
Hinc erit ulla tuæ, reges doliture secundos.
Abstulit indè oculos, natúmque & tristia linquens
Prœlia, sanguineo terras pater adluit æstu.
Principio fluvios, gentémque, & litora ductor
Explorare jubet: paulúmque egressus Echion,
Invenit obscurâ gemitus in valle trahentem
Clàm juvenem; & cæsi mœrentem nomen amici.
Ille, virum ut contrà venientem, umbratáque vidit
Tempora Parrhasio patris de more galero,
Paciferæque manu nequicquam insignia virgæ,
Heu fuge, ait, certo quicumque es, perdite, passu,
Dum datur. obstupuit visu Nonacria proles,
Qualè ferat admirans. postquam remeare monentem
Ocyùs, & dictis perstantem cernit in isdem;
Abripit, & sociis, quæ sint ea, promere cogit.
Ille manum tendens, Non hæc, ait, hospita vobis
Terra, viri; non hìc ullos reverentia ritus
Pectora: mors habitat, sævæque hôc litore pugnæ.
Jam veniet diros Amycus qui tollere cœtus
Imperet, & vasto qui vertice nubila pulset.
Talis in advectos Neptuni credita proles
Æternùm furit: atque æquæ virtutis egentes,
Ceu superûm segnes ad iniqua altaria tauros,
Constituit: tandem ut misero lavet arma cerebro.
Consulite, atque fugæ medium ne temnite tempus.
Namque illi frustra quisquam concurrere mónstro
Audeat. & quænam talem vidisse voluptas?
Ductor ad hæc: Bebryxne venis, diversáque regi
Corda gerens? melior vulgi nam sæpe voluntas.
Hostis an externis fato delatus ab oris?
Et tua cur Amycus cæstu nondum obruit ora?
Nomen, ait, præduloe mihi, noménque secutus
Otreos unanimi: decus ille, & læta suorum
Gloria, nec vestros comes aspernandus in actus,
Hesionam & Phrygiæ peteret cùm gaudia nuptæ,
Hic Amycum contrà jussus stetit: atque ego palmas
Implicui: sed prima procul virdum ora levantis
Fulmineâ frontem dextrâ disjectáque fudit
Lumina me numquam læto dignatus & armis;
Sed lacrymis potiùs luctúque absumor inerti.
Spes tamen, his fando si nuntius exstitit oris,
Et Mariandynûm patrias penetravit ad urbes,
Unde genus fratérque viro: sed & ille quiérit
Oro; nec à vanis cladem Lycus augeat armis.
Hæc ubi non ullâ juvenes formidine moti
Accipiunt: dolor & duras insurgere mentes,
Terga sequi, properósque jubet conjungere gressus.
Litore in extremo spelunca apparuit ingens,
Arboribus super & dorso contecta minanti;
Non quæ dona deûm, non quæ trahat ætheris ignem;
Infelix domus, & sonitu tremebunda profundi;
Et varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, strictóque inmortua cæstu,
Ossáque tetra situ; capitum mœstissimus ordo.
Respicias, quibus adverso sub vulnere nulla
Jam facies, nec nomen erat: media ipsius arma
Sacra metu, magnúsque aris imposta parentis.
Hospitis hìc primùm monitus rediere Timantis;
Et pavor, & monstri subiit absentis imago:
Atque oculos cunctì inter se tenuere silentes.
Donec sidereo Pollux interritus ore,
Te tamen hâc, quicumque es, ait, formidine saxo
Jam tua sylva ferat; modò sint tibi sanguis & artus.
Omnibus idem animus forti decernere pugnâ;
Exoptántque virum, contráque occurrere poscunt.
Qualiter ignotis spumantem funditus amnem
Taurus aquis qui primus init, spernítque tumentem;
Pandit iter: mox omne pecus formidine pulsâ
Ponè subit: jámque & mediis præcedit ab undis.
At procul è sylvis sese gregibúsque ferebat
Sævus in antra gigas: quem nec sua turba tuendo
Et tanti secura metûs. mortalia nusquam
Signa manent: instar scopuli, qui montibus altis
Summus abit, longéque jugo stat solus ab omni.
Devolat indè furens; nec, quò via, cúrve profecti,
Nec genus antè rogat; sed tali protonat irâ:
Incipite, ô juvenes. etenim fiducia credo
Huc tulit; auditas & sponte lacessitis oras.
Sin errore viæ, necdum mens gnara locorum;
Hìc mihi lex, cæstus adversáque tollere contrà
Brachia, sic ingens Asiæ plaga, quisque per Arcton
Dexter & in lævum Pontus jacet, hæc mea visit
Hospitia: hôc cuncti remeant certamine reges
Neptuni domus, atque egomet Neptunia proles.
Jam pridem cæstus refides, & frigida raris
Dentibus aret humus. qui mecum fœdera junget
Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem
Ibit honos. fuga sub terras, fuga nulla per auras.
Nec lacrymæ, nec fortè preces, superíve vocati
Pectora nostra movent: aliis rex Jupiter oris.
Faxo Bebrycium nequeat transcendere puppis
Ulla fretum, & ponto volitet Symplegas inani.
Talia dicta dabat: cùm protinus aspera Iásson,
Et simul Æacidæ, simul & Calydonis alumni,
Nelidésque, Idásque prior, quæ maxima surgunt
Nomina: sed nudo steterat jam pectore Pollux.

Cùm

Cùm pavor, & gelidus defixit Caſtora ſanguis.
Nam nec ad Eleï pugnam videt ora parentis;
Nec ſonat Oebalius caveæ favor, aut juga notæ
Taygeti; lavitur patrios ubi victor ad amnes:
Nec pretium ſonipes aut ſacræ taurus arenæ;
Præmia ſed manes, recluſáque janua leti.
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremendum,
Vixdum etiam primæ ſpargentem ſigna juventæ,
Ore renidenti luſtrans obit; & fremit auſum:
Sanguineóſque rotat furiis ardentibus orbes.
Non aliter jam regna poli, jam capta Tiphoëus
Aſtra ferens; Bacchum ante acies, primamque deorum
Pallada, & oppoſitos doluit ſibi virginis angues.
Sic adeò inſequitur, rabidóque ita murmure terret:
Quiſquis es, infelix celera puer; haud tibi pulchræ
Manſerit hoc ultrà frontis decus: oráve matri
Nota feres. tune è ſociis electus iniquis?
Túne Amyci moriere manu? nec plura moratus,
Ingentes humeros ſpatioſáque pectoris oſſa
Protulit, horrendóſque toris informibus artus.
Deficiunt viſu Minyæ: miratur & ipſe
Tyndarides; redit Alcidæ jam ſera cupido:
Et vacuos mæſto luſtrârunt lumine montes.
At ſatus æquoreo ſatur tunc talia rege:
Aſpice & hæc crudis durata volumina tauris,
Nec pete ſortis opem; ſed, quos potes, indue cæſtus.
Dixit, & urgentis poſt ſera piacula fati
Neſcius extremum hoc, armis innectere palmas
Dat famulis: dat & indè Lacon. odia aſpera ſurgunt
Ignotis priùs; atque incenſâ mente feruntur
In medium, ſanguis Jovis & Neptunia proles.
Hinc illinc dubiis intenta ſilentia votis.
Et pater orantes cæſorum Tartarus umbras
Nube cavâ tandem ad meritæ ſpectacula pugnæ
Emittit: ſummi nigreſcunt culmina montis.
Continuò Bebryx, Malcæ velut arce fragoſâ
Turbo rapax, vix ora virûm, vix tollere paſſus
Brachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
Curſibus involvens: totâque immanis arenâ
Inſequitur. vigil ille metu, cum pectore & armis
Huc alternus & huc, ſemper cervice reductâ,
Semper & in digitis, & ſummi pulvere campi,
Projectúſque redit, ſpumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam ſola magiſtri
Cura tenet, rapidum ventis certantibus æquor
Intemerata ſecat. Pollux ſic providus ictus
Servat, & Oebaliâ dubium caput eripit arte.
Ut deinde urgentes effudit nubibus iras
Ardoréque viri, paulatim inſurgere feſſo
Integer, & ſummos manibus deducere cæſtus.
Ille dies ægros Amyci ſudoribus artus
Primus, & arenti cunctantem vidit hiatu.
Nec ſua deſeſſum noſcunt loca, nec ſua regem
Agmina; reſpirant ambo, paulúmque reponunt
Brachia, ceu Lapithas aut Pæonas æquore in ipſo
Dum refovet, fixâque ſilet Gradivus in haſtâ.
Vix ſteterant, & jam ecce ruunt: inflictáque latè
Terga ſonant: nova vis iterum, nova corpora ſurgunt.
Hunc pudor, hunc noto jam ſpes audentior hoſte
Inſtimulat. fumant crebro præcordia pulſu.
Avia reſponſant gemitu juga. pervigil ut cùm
Artificum notat ipſe manus, & fulmina Cyclops
Proſubigit; pulſis ſtrepitant incudibus urbes.
Emicat hic, dextrámque parat, dextrámque minatur
Tyndarides. redit huc oculis & pondere Bebryx
Sic ratus: ille autem celeri rapit ora ſiniſtrâ.
Conclamant ſocii, & ſubitas dant gaudia voces.
Illum inſperatâ turbatum fraude, furentémque
Oebalides primâ refugit dum detonet irâ,
Territus ipſe etiam, atque ingentis conſcius auſi,
Sævit inops Amycus, nullo diſcrimine ſeſe
Præcipitans; avidúſque viri (reſpectat ovantes
Quippe procul Minyas) cæſtu velatus utroque
Irruit. hos inter Pollux ſubit, & trucis ultro
Advolat ora viri: nec ſpes effæta: ſed ambæ
In pectus cecidere manus. hôc ſævior ille,
Ecce iterum vacuus agit inconſulta per auras
Brachia. ſentit enim Pollux rationis egentem:
Dat genibus junctis latus. effuſúmque ſecutus
Haud revocare gradum patitur: turbátque, premítque
Ancipitem; crebros & liber congerit ictus
Deſuper averſo: ſonat omni vulnere vertex
Inclinis, cedítque malis. jam tempora manant,
Sanguineæque latent aures: vitalia donec
Vincula, quà primo cervix committitur artu,
Solvit dextra gravis. labentem propulit heros,
Ac ſupèr inſiſtens; Pollux ego miſſus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes; ſic & memori noſcere ſepulcro.
Bebryces extemplo ſpargit fuga: nullus ademti
Regis amor: montem celeres ſylvámque capeſſunt.
Hæc ſors, hæc Amycum tandem manus arguit auſi,
Effera ſervantem Ponti loca; vínque juventæ
Continuam, & magni ſperantem tempora patris.
Tenditur ille ingens hominum pavor, arváque latè
Occupat. annoſi veluti ſi decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos. quà mole jacentis
Ipſe etiam expleri victor nequit; oráque longo
Cominus obtutu mirans tenet. at manus omnis
Heroum denſis certatim amplexibus urgent:
Armáque ferre juvat, feſſáſque attollere palmas.
Salve vera Jovis, vera ô Jovis undique proles,
Ingeminant: ô magnanimis memoranda palæſtris
Taygeta, & primi felix labor ille magiſtri!
Dúmque ea dicta ferunt; tenues tamen ire cruores
Sidereâ de fronte vident. nec ſanguine Pollux
Territus, averſo ficcabat vulnera cæſtu.
Illius excelſum ramis caput, armáque Caſtor
Implicat, & viridi connectit tempora lauro:
Reſpiciénſque ratem, Patriis, ait, has precor oris
Diva refer frondes, cúmque hâc freta curre coronâ.
Dixerat. hinc validâ cædunt armenta bipenni;
Perfuſique ſacro placati gurgitis amne
Gramineâ ſternuntur humo: tunc liba dapéſque
Frondibus accumulant: exſortia terga Laconi
Præcipiunt pecudum. toto mox tempore menſæ
Lætus ovat nunc laude virûm, nunc vatis honoro
Carmine, victori geminans cratera parenti.
Jámque dies auræque vocant: rurſúſque capeſſunt
Æquora, quà rigidos eructat Boſphoros amnes.
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus lö
Tranſierat fluctus; unde hæc data nomina ponto.
Tum pius Oeagri claro de ſanguine vates,
Admonitâ genitrice, refert caſúſque locorum,
Inachidóſque vias, pelagúſque emenſa juvencæ
Exſilia; intentíſque canit: Videre priores
Sæpe Jovem, terras Argiváque regna Pelaſgûm
Virginis Iaſiæ blandos deſcendere ad ignes.
Sentit Juno dolos, curâque accenſa jugali
Æthere deſiluit: dominam Lyrcëia tellus,
Antráque deprenſæ tremuerunt conſcia culpæ.
Cùm trepida Inachiæ pellex ſubit ora juvencæ,
Sponte dei: plauſu fovet hanc, & pectora mulcet
Juno, renidenti cohibens ſuſpiria vultu.
Mox ita adorta Jovem: Da, quam modò ditibus Argis
Campus alit, primæ referentem cornua Phœbes,
Indomitámque bovem, da cæræ munera nuptæ.
Ipſa ego dilectæ pecudi jam paſcua digna,
Præcipuóſque legam fontes. quâ fraude negaret,
Aut quos inventos timuiſſet Jupiter aſtus?
Muneris illa potens cuſtodem protinus Argum
Adjungit: cuſtos Argus placet: inſcia ſomni
Lumina non aliter toto cui vertice; quàm ſi
Lyda nurus ſparſo telas maculaverit oſtro.
Argus & in ſcopulos, & monſtris horrida luſtra,
Ignotas jubet ire vias; heu multa morantem,
Conantémque preces incluſáque pectore verba.
Ultima tum patriæ cedens dedit oſcula ripæ.
Flevit Amymone, flêrunt Meſſenides undæ,
Flevit & effuſis revocans Hyperia lacertis.
Illa, ubi vel feſſi tremerent erroribus artus,
Vel rueret ſummo jam frigidus æthere veſper,
Heu quotiens ſaxo poſuit latus! aut ubi longâ
Ægra ſiti; quos ore lacus, quæ pabula carpſit!
Verbere candentes quotiens exhorruit armos!
Quin & ab excelſo meditantem vertice ſaltus,
Audentémque mori, valles citus egit in imas
Argus; & arbitrio durus ſervavit herili.
Cùm ſubitò Arcadio ſonuit cava fiſtula ritu;
Imperiúmque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, & leni modulatur carmen avenâ.
Quóque, ait, hinc diverſus abis? heu reſpice cantus.
Haud procul infectans Argum, languentia ſomno
Lumina cuncta notat, dulcéſque ſequentia ſomnos:
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.
Jámque reſecta Jovi, paulatim in imagine priſcâ
Ibat agris Io victrix Junonis; & ecce
Cum facibus ſpirſque & Tartareo ululatu

Tisiphonen videt: ac primo vestigia visu
Fugit; & in miseræ rursus bovis ora recurrit;
Nec quâ valle memor, nec quo se vertice sistat.
Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis, & à primâ quantùm mutata juvencâ!
Nec pater, aut trepidæ tentant accedere Nymphæ.
Ergo iterum sylvas, iterum petit invia retro,
Ceu Styga, dilectum fugiens caput. indè per urbes
Raptatur Graias, atque ardua flumina ripis:
Oblato donec paulùm cunctata profundo
Incidit: absistunt fluctus, & gnara futuri
Dant pavidæ alta viam: celsis procul ipsa refulget
Cornibus, ac summâ palearia sustinet undâ.
Ast Erebi virgo ditem volat æthere Memphim
Præcipere, & Phariâ venientem pellere terrâ.
Contrà Nilus adest; & toto gurgite torrens
Tisiphonen agit, atque imis illidit arenis,
Ditis opem, ac sævi clamantem numina regni.
Apparent sparsæque faces, disjectâque longè
Verbera, & abruptis excussi crinibus hydri.
Nec Jovis interea cessat manus. intonat alto
Insurgens cælo genitor, curámque fatetur:
Atque ipsa imperium Juno pavet. hæc procul Io
Spectat ab arce Phari, jámque divis addita, jámque
Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.
Bosphoron hinc veteres errantis nomine divæ
Vulgavere. juvet nostros nunc ipsa labores,
Immissisque ratem sua per freta provehat Euris.
Dixerat: & placidi tendebant carbasa venti.
Postera non cassæ Minyis Aurora retexit
Noctis iter: nova cuncta vident; Thynneáque juxtà
Litora, fatidici pœnis horrentia Phinei.
Dira deûm summóque lues urgebat in ævo.
Quippe neque extorrem tantùm, nec lucis egentem,
Insuper Harpyiæ Typhonides ira Tonantis
Depopulant; ipsóque dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia, & tales pro crimine pœnas
Perpetitur. spes una seni; quòd pellere sævam
Quondam fata Iuem dederant Aquilone creatis.
Ergo ubi jam Minyas certámque accedere Phineus
Sentit opem, primas baculo defertur ad undas:
Vestigátque ratem, atque oculos attollit inanes.
Tunc tenuem spirans animam: Salve, ô mihi longùm
Exspectata manus, nostrisque, ait, agnita votis.
Novimus, & divis geniti quibus, & via jussos
Quæ ferat: ac vestri rebar sic tempora cursûs,
Proxima quæque legens: quantum Vulcania Lemnos
Traxerit; infelix tulerit quæ Cyzicus arma.
Sensi & Bebryeio suprema in litore pugnam
Jam propior, jámque hôc animam solamine mulceo.
Non ego nunc, magno quòd cretus Agenore Phineus,
Aut memorem, mea quòd vates insedit Apollo
Pectora; præsentis potiùs miserescite fati.
Nec mihi diversis erratum casibus orbem,
Amissas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina: consuetis serum est ex ordine fatis
Ingemere. Harpyiæ semper mea pabula servant;
Fallere quas nusquam misero locus: ilicet omnes
Deveniunt; niger intorto ceu turbine nimbus.
Jámque alis procul (& sonitu mihi nota Celæno)
Diripiunt verrúntque dapes, fœdatáque turbant
Pocula. sævit odor; surgítque miserrima pugna:
Párque mihi monstrisque fames. sprevere quod omnes
Polluerúntque manus, quódque unguibus excidit atris,
Has mihi fert in luce moras. nec rumpere fata
Morte licet: trahitur victu crudelis egestas.
Sed vos ô servate precor. prædicta deorum
Si non falsa mihi; vos finem imponite pœnis.
Nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquilonia proles,
Non externa mihi: nam rex ego divitis Hebri,
Junctáque vestra meo quondam Cleopatra cubili.
Nomen ad Actæa Calais Zetésque sororis
Prosiliunt. Zetésque prior; Quem cernimus, inquit?
Túne ille Odrysiæ Phineus rex inclytus oræ?
Tu Phœbi comes, & nostro dilecte parenti?
O ubi nunc regni, generisque ubi gloria? quàm te
Exedit labor, & miseris festina senectus!
Quin age, mitte preces; namque est tibi nostra voluntas;
*Si non ira deûm, vel si placabilis urget.
Sustulit hìc geminas Phineus ad sidera palmas:
Téque, ait, injusti, quæ nunc premis, ira Tonantis
Antè precor: nostræ tandem jam parce senectæ:
Sit modus: & fore credo equidem: nam vestra voluntas
Quò, juvenes, sinè pace deûm? nec credite culpam
Sævitiæ, scelerúmve mihi nunc crimina pendi;
Fata loquax mentémque Jovis, quæque abdita solus
Consilia, & terris subitò ventura parabat,
Prodideram, miserans hominum genus: hinc mihi tanta
Pestis, & offusæ media inter dicta tenebræ.
Jam tandem cessere iræ: nec casus, ab alto
Ipse volens nostris sed vos deus appulit oris.
Sic ait, &, satis ita jam cedentibus, omnes
Impulit, & duræ commovit imagine pœnæ.
Instituere toros, mediisque tapetibus ipsum
Accipiunt, circúmque jacent: simul æquora servant,
Astra simul: vescíque jubent, ac mittere curas.
Cùm subitus misero tremor, & pallentia primæ
Ora senis fugere manus. nec prodita pestis
Antè, sed in mediis dapibus videre volucres.
Fragrat acerbus odor; patriíque exspirat Averni
Halitus: unum omnes incessere planctibus, unum
Infestare manus: inhiat Cocytia nubes
Luxurians, ipsóque ferens fastidia visu.
Tum sola colluvie, atque illisis stramina mensis
Fœda rigant: stridunt alæ; prædâque retentâ
Sævit utrimque fames: nec solùm horrenda Celæno
Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores.
Emicat hìc subitò, sesèque Aquilonia proles
Cum clamore levat: geniior simul impulit alas.
Hoste novo turbata lues; lapsæque rapinæ
Faucibus: & primùm pavidæ Phineia tecta
Pervolitant, mox alta petunt: stant litore fixi
Hæmonidæ, atque oculis palantia monstra sequuntur.
Sic ubi prorupti tonuit cùm fortè Vesevi
Hesperiæ letalis apex; vixdum ignea montem
Torsit hyems; jámque Eoas cinis induit urbes.
Turbine sic rapido populos atque æquora longè
Trans abeunt; nullâque datur contidere terrâ.
Jámque & ad Ionii metas atque intima tendunt
Saxa; vocat magni Strophadas nunc incola ponti.
Hìc fessis, letíque metu propioris anhelis
Dum trepidant, humilíque graves timidóque volatu
Implorant clamore patrem Typhona nefando:
Extulit adsurgens noctem pater; imáque summis
Miscuit, & mediis vox exaudita tenebris:
Jam satis hunc populisse deas. cur tenditis ultrà
In famulas sævire Jovis, quas, fulmina quamquàm
Ægidáque ille gerens, magnas sibi legit in iras?
Nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
Imperat: agnoscunt monitus, jussæque recedunt.
Mox tamen & vobis similis fuga, cùm premet arcus
Letifer. Harpyiæ numquam nova pabula quærent,
Donec erunt divûm meritæ mortalibus iræ.
Hæsit uterque polo, dubiisque elanguit alis:
Mox abit, & sociæ victor petit agmina puppis.
Interea Minyæ pulsâ lue prima Tonanti
Sacra novant: tum vina toris, epulásque reponunt.
Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni
Lætus, ad oblitæ Cereris suspirat honores:
Agnoscit Bacchi latices, agnoscit & undam:
Et nova non pavidæ miratur gaudia mensæ.
Hunc ubi reclinem stratis, & pace fruentem
Aspicit, ac longæ ducentem oblivia pœnæ;
Talibus appellat, supplexque ita fatur Iason:
Vota, senex, perfecta tibi: nunc me quoque curis
Eripe, & ad nostros animum converte labores.
Omnis adhuc sors læta quidem: nec numine vano
(Si qua fides curæ superûm) tantum æquor adorti
Tendimus: ipsa mihi puppem Jovis optima proles
Instituit; sociósque dedit Saturnia reges.
Fidere mens sed cæca nequit. quantúmque propinquat
Phasis, & ille operum summus labor; hôc magis angunt
Proxima: nec vates sat jam mihi Mopsus & Idmon.
Ille ducem nec ferre preces, nec dicere passus
Ampliùs, hic demum vittas laurúmque capessit,
Numina nota ciens. stupet Æsonis inclyta proles
Phinea, ceu numquam pœnis, nullâque gravatum
Peste Jovis. tam largus honos, tam mira senectæ
Majestas infusa: vigor novus auxerat artus.
Tum canit: O terras famâ venture per omnes;
Quem sociis ducibúsque deis, atque arte benignâ
Pallados, ipse ultro Pelias ad sidera tollit
Demens, dum profugi non sperat vellera Phrixi:
Fata locósque tibi (possum quas reddere grates)
Expediam, rerúmque vias finémque docebo.
Ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
Sæcula, te propter fandi mihi Jupiter auctor.
Hinc iter ad Ponti caput, errantésque per altum

¶ Cya-

Cyaneas: furor his medio concurrere pohto;
Necdum ullas videre rates: ſua cominus actæ
Saxa premunt, cautéſque ſuas; cùm vincula mundi
Ima labant; tremere ecce ſolum, tremere ipſa repentè
Tecta vides; illæ redeunt, illæ æquore certant.
Dî tibi progreſſo propiùs, Dî fortitan ipſi
Auxilium mentémque dabunt. aſt ipſe juvare
Auſa quibus monitis poſſim tua? quippe per altum
Tenditis, unde procul venti, procul unde volucres,
Et pater ipſe maris pavidas detorquet habenas.
Si qua brevis ſcopulis fuerit mora, ſi ſemel orſis
Ulla quies; fuga tunc medio properanda recurſu.
Vix repetunt primæ celeres confinia terræ,
Jámque alio clamore ruunt; omniſque tenetur
Pontus, & infeſtis anceps cum montibus errat.
Verùm animo redit illa meo ſors cognita divûm:
(Fabor enim, nec ſpe dubios ſolabor inani,)
Cùm mihi Tartareas ſævo clangore volucres
Protulit ira Jovis; vox hæc ſimul accidit aures:
Ne vanas inpende preces, finémque malorum
Expete, Agenoride: pontum penetraverit ulla
Cùm ratis, & rapidi ſteterint in gurgite montes;
Tunc ſperare modum pœnæ veniámque licebit.
Sic Deus. aut vobis ergo fera ſaxa pateſcunt,
Aut mea jam ſævæ redeunt ad pabula Diræ.
Verùm inter medias dabitur ſic currere cautes,
Certè digna manus, vacuúmque exibis in æquor;
Proxima regna Lyci: remeat qui victor ab oris
Bebryciis: toto non ullus litore Ponti
Mitior. hìc lecto comitum de robore ſi quem
Pereulerit vicina lues, ne defice, casûs
Prædicti memor, atque animos accinge futuris.
Illìc peſtiferas ſubter juga concava torquet
Ater aquas Acheron; vaſtóque exundat hiatu
Fumeus; & ſævâ ſequitur caligine campus:
Linque gravem fluvium, & miſeris ſua fata colonis.
Sic quoque non uno dabitur tranſcurrere luctu.
Quid tibi nubiferâ ſurgentem rupe Carambin,
Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?
Proxima Thermodon hìc jam ſecat arva: memento
Inclyta Amazonidum, magnóque exorta Gradivo
Gens ubi: fœmineas nec tu nunc crede catervas.
Sed qualis, ſed quanta viris inſultat Enyo,
Diváque Gorgonei geſtatrix innuba monſtri.
Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
Ventus agat; ludo volitans cùm turma ſuperbo
Pulvereis exſultat equis; ululatáque tellus
Intremit, & pugnas motâ pater incitat haſtâ.
Non ita ſit metuenda tibi, ſæviſſima quamquàm
Gens Chalybum; duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat adfictâ ſemper domus ignea maſsâ.
Iudè omnem innumeri reges per litoris oram,
Hoſpitii quîs nulla fides: ſed limite recto
Puppis, & æquali tranſcurrat carbaſus aurâ:
Sic demum rapidi venies ad Phaſidis amnem.
Caſtra ibi jam Scythiæ, fraternáque ſurgit Erinnys;
Ipſe truces illìc Colchos hoſtémque juvabis
Auxiliis. nec plura equidem diſcrimina cerno.
Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
Sed te non animis, ſed ſolis viribus æquum
Credere; ſæpe acri potior prudentia dextrâ.
Quam tulerit deus, arripe opem, jámque ultima nobis
Promere fata nefas: fileo, & precor. atque ita facto
Fine dedit tacitis iterum reſponſa tenebris.
Tum ſubitâ reſides ſocios formidine Iaſon
Præcipitat; rumpſtque moras, tempúſque timendi.
Ipſe viros gradiens ad primi litoris undam
Proſequitur Phineus: Quænam tibi præmia, dixit,
Quas, decus ô Boreæ, poſſim perſolvere grates?
Me Pangæa ſuper rurſus juga, méque paternâ
Stare Tyro, dulcéſque iterum mihi ſurgere ſoles
Nunc reor: exactæ nam verè abiere volucres:
Nec metuam, tutæque dapes. date tangere vultus:
Dem ſinite amplexus: propiúſque accedite dextræ.
Dixerat. abſcedunt terris, & litora condunt.
Omnibus extemplo ſævâ ſub imagine rupes
Cyaneæ, propiórque labor; quando adfore, quâque
Parte putent: ſtant ora metu, nec feſſa recedunt
Lumina diverſas circùm ſervantibus undas.
Cùm procul audiri ſonitus inſanáque ſaxa.
Saxa neque illa viris, ſed præcipitata profundo
Siderei pars viſa poli. dúmque ocyùs inſtant
Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipſe repentè
Diffugere, adverſóſque vident diſcedere montes.

Omnibus & gelidâ rapti formidine remi:
Ipſe per arma volans, & per juga ſumma carinæ
Hortatur, ſupplérque manus intendit Iaſon,
Nomine quemque premens: Ubi nunc promiſſa ſuperba
Ingentéſque minæ, mecum quibus iſta ſecuti?
Idem animos Amyci viſo timor omnibus antro
Perculerat: ſtetimus tamen, & deus adfuit auſis.
Quin iterum idem aderit, credo, deus. hæc ubi fatus:
Corripit abjecti remúmque locúmque Phaleri,
Et trahit: inſequitur flammata pudore juventus.
Unda laborantes præceps rotat, ac fuga ponti
Ovia: miſcentur rupes: jámque æquore toto
Cyaneæ juga præcipites illiſa remittunt.
Bis fragor inteſtas cautes, adverſáque ſaxis
Saxa dedit: flamma expreſſo bis fullit in imbri.
Sic ubi multifidus ruptis è nubibus horror
Effugit, & tenebras nimbóſque intermicat ignis,
Terrificſque ruunt tonitrus, eliſáque noctem
Lux dirimit; pavor ora virûm, pavor occupat aures.
Haud ſecus implevit pontum fragor: effluit imber
Spumeus, & magno puppem procul æquore veſtit.
Advertere dei, defixáque numina ponto,
Quid ſcopulis præcluſa ratis, quid dura juventus
Expediat: pendet magnis favor ortus ab auſis.
Prima coruſcanti ſignum dedit ægide virgo,
Fulmineam jaculata facem. vixdum ardua cautes
Ceſſerat; illa volans tenui per concita ſaxa
Luce fugit: rediere viris animíque manúſque,
Ut videre viam: Sequor ô, quicumque deorum,
Æſonides, vel fallor, ait: præcépſque fragores
Per medios ruit, & fumo ſe condidit atro.
Cœperat hinc cedens adductis montibus unda
Ferre ratem, pelagóque dies occurrere aperto;
Sed neque permiſſis jam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis pote; cùm ſupèr adſunt
Cyaneæ: premit umbra ratem, ſcopulíque feruntur
Cominus. hìc Juno præcépſque ex æthere Pallas
Inſiliunt pariter ſcopulos: hunc nata coërcet,
Hunc conjunx Jovis. ut valido qui robore tauros
Sub juga, & invito detorquet in ilia cornu.
Indè, velut mixtis Vulcanius ardor arenis
Verſet aquas, ſic ima fremunt, fluctúque coacto
Angitur, & clauſum ſcopulos ſuper effluit æquor.
Contra omnes validis tenui diſcrimine remis
Pergere iter; medióſque ratem transferre per ictus:
Saxa ſed extremis tamen increpuere corymbis:
Párſque (nefas) deprenſa jugis. nam cætera cælo
Debita conclamant Minyæ: laterautraque quippe
Diſſiluiſſe putant. fugit ipſe noviſſimus ictus
Tiphys, & è mediis ſequitur freta rapta ruinis:
Nec priùs obſeſſum ſcopulis reſpexit ad æquor,
Aut ſociis tentata quies; nigrantia quàm jam
Litora, longinquſque exirent flumina Rhebi.
Tunc feſſis poſuere manus, tunc arida anheli
Pectora. diſcuſsâ quales formidine Averni
Alcides Theſeúſque comes pallentia jungunt
Oſcula, vix primis amplexi luminis oris.
Nec verò ipſe metus curáſque reſolvere ductor:
Sed maria aſpectans; Heu quis datus iſte deorum
Sorte labor nobis? ſerum ut veniamus ad amnem
Phaſidis, & mites. inquit, dent vellera Colchi,
Unde per hos iterum montes fuga? talia fundit,
Imperio fixos Jovis æternúmque revinctos
Neſcius. id fati certâ nam lege manebat,
Si qua per hos undis unquam ratis iſſet apertis.
Tum freta, quæ longis fuerant impervia ſæclis,
Ad ſubitam ſtupuere ratem; Pontíque jacentis
Omne ſolum regéſque patent gentéſque repoſtæ.
Non alibi effuſis ceſſerunt longiùs undis
Litora; nec tantas quamvis Tyrrhenus & Ægon
Volvat aquas; geminis & deſint Syrtibus undæ.
Nam ſuper huc vaſtos tellus quoque congerit amnes.
Non ſeptem gemini memorem quas exitus Hiſtri,
Quas Tanais, flavúſque Lycus, Hypanſque, Melâſque
Addat opes; quantóſque ſinus Mæotia laxent
Æquora. flumineo hìc agmine trangit amari
Vim ſalis, hinc Boreæ cedens glacialibus auris
Pontus, & exortâ facilis concreſcere brumâ.
Utque vel immotos Urſæ rigor invenit amnes,
Vel freta verſa vadis: hyemem ſic unda per omnem
Aut campo jacet, aut tumido rigat ardua fluctu;
Atque hàc Europam curvis anfractibus auget,
Hàc Aſiam, Scythicum ſpecie ſinuatus in arcum.
Illìc umbroſæ ſemper ſtant æquore nubes,

Et non certa dies: primo nec sole profundum
Solvitur, aut vernis cùm lux æquata tenebris:
Sed redit extremo tandem in sua litora Tauro.
Jam Mariandynis advertit puppis arenis:
Atque celer terras regémque exquirit Echion,
Dicta ferens: lectos fama est si nominis umquam
Hæmonii subiisse viros, det litora fessis.
Adproperat Lycus auditis lætatus Achivis:
Ac simul Æsoniden, omnémque in regia turbam
Tecta trahit, modò Bebryciis præfixa tropæis:
Mitis & in mediis effatur talia Graiis:
Haud temere, & fato divûm reor ad mea vectos
Litora vos: odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciæ; sævâque pares de gente triumphi.
Certa fides animis, idem quibus incidit hostis.
Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
Sensimus; & sævis frater mihi fusus arenis.
Ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
Tunc aderam; cùm vos mediis contenta ferebant
Vela fretis. illum in sanie, tabóque recenti
Vidimus, æquoreo similem per litora monstro.
Nec verò prærepta mihi suprema tyranni
Fata queror: bellóve magis lætarer & armis
Procubuisse meis; quàm lege quòd occidit ultus
Ipse suâ; meritóque madent quòd sanguine cæstus.
Excipit Æsonides: Tuus ergo in montibus ignis
Ille? tuas acies medio de gurgite vidi?
Fatur. & ostentans prolem Jovis, Hic tibi Pollux
En, ait, invisо solvit cui pectore pœnas.
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Festa dehinc mediis ineunt convivia tectis,
Communésque vocant superos; quorum eruta nutu
Bebrycia: & votis pariter prædâque fruuntur.

LIBER V.

ALTERA lux haud læta viris emersit Olympo:
Argolicus morbis, fatisque rapacibus Idmon
Labitur; extremi sibi tum non inscius ævi.
At memor Æsonides nimiùm jam vera locuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus.
Tum comiti pia justa tulit: cælatáque multâ
Arte Dolionii donat velamina regis:
Hospes humum sedémque Lycus. flens arma revellit
Idmonis è celsâ Mopsus rate: robora cædunt
Pars sylvis, portántque arma: pars auguris albâ
Fronde caput vittisque ligant; positúmque feretro
Congemuere. dies simul & sua admonet omnes.
Ecce, inter lacrymas, intérque extrema virorum
Munera, quem cursûs penès imperiúmque carinæ,
Tiphyn agit violenta lues; cunctisque pavore
Attoniti fundunt mœstas ad sidera voces:
Arcipotens adverte, precor, nunc denique, Apollo;
Hoc, pater, hoc nobis refove caput: ulla laboris
Si nostri te cura movet, qui cardine summo
Vertitur, atque omnis manibus nunc pendet ab unis.
Dicta dabant ventis, nec debita fata movebant.
Qualem præcipiti gravidum jam sorte parentem
Natorum flet parva manus; trepidisque precantur,
Duret ut invalidis, & adhuc genitoris egenis.
Haud aliter socii supremo in tempore Tiphyn
Ante alios superesse volunt. mors frigida contrà
Urget: & ille recens oculis intervolat Idmon.
Exanimum frustra Minyæ clamore morantur,
Avellisque negant: vix membra rigentia tandem
Imposuere rogo; lacrymásque & munera flammis
Vana ferunt; crescit donis feralis acervus.
Ut verò amplexus fessi rupere supremos,
Et rapidæ sonuere faces? tunc ipsa cremari
Visa ratis, medióque viros deponere ponto.
Non tulit Æsonides, geminis flagrantia cernens
Corpora cara rogis: sed pectore ductor ab imo
Talia voce gemit: Quid tantùm infensa repentè
Numina? quas nostri pœnas meruere labores?
Bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
Litore. magna adeò comitum numerosáque pubes?
Aut socios rapit atra dies, aut ipse relinquo
Sontibus impulsus Furiis. ubi Tiphys? ubi Idmon
Fata canens? ubi monstriferæ par ille novercæ?
Te sinè, Thespiade, nos ulla movebimus ultrà
Æquora? nec summâ speculantem puppe videbo
Pleiadúmque globos & agentes noctibus Arctos?
Cui Minyas, caramque ratem, cui fidera tradis?
Carpere securas quis jam jubet Æsona noctes?
Hoc labor, hoc dulci totiens fraudata sopore
Lumina, & admotis nimiùm mens anxia Colchis
Profuit? heu quantùm Phasis, quantùm Æa recessit?
Nunc quoque si tenui superant in imagine curæ;
Adsis umbra, precor, venturi præscia cæli,
Rectorémque tuæ moneas ratis. hæc ubi fatus,
Sola virûm flammis vidit labentibus ossa.
Quod tamen externis unum solamen in oris
Restat, ait, caras humus hæc non dividet umbras,
Ossáque nec tumulo, nec separe conteget urnâ;
Sed simul ut junctis venistis in æquora fatis.
Haud mora: reliquias socii defletáque miscent
Nomina. tum vivo frondens è cespite tellus
Aggeritur: cinerémque Lyco commendat Iason.
Mœsti omnes dubisque, ratem fidissima cujus
Dextra regat: simul Ancæus, sollérsque perebant
Nauplius. Erginum fato vocat ipsa monenti
Quercus: & ad tonsas victi rediere magistri.
Ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus
Fertur ovans: hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Transit amor. primo lætos sic tempore rector
Ingreditur cursus: etenim dat candida certam
Nox Helicen. jam prora fretum commoverat, & jam
Puppe sedens placidas dimiserat ancora terras.
Indè, premente Noto, tristes Acherusidos oras
Præterit; & festâ vulgatum nocte Lyæi
Callichoron: nec vana fides. his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos.
Illum, post acies rubrisque novissima claustra
Æquoris, hìc residet thiasos, hìc æra moventem,
Udáque pampineâ nectentem cornua vittâ,
Nunc etiam meministis, aquæ: Bœotia qualem
Thyas, & infelix cuperet vidisse Citheron.
Fama per extremos quin jam volat improba manes
Interea, & magnis fatorum laudibus implet
Venturam cælo fatis melioribus Argo.
Addita jámque fretis repetens freta, jámque ferentes
Cyaneas. ardent avidos attollere vultus,
Quos pietas, vel tangit adhuc quos æmula virtus.
Fata immota manent: unum, qui litore in illo
Conditus, ad caræ mittunt spectacula turbæ.
It Sthenelus: qualem Mavortia vidit Amazon,
Cúmque suis comitem Alcides ut condidit armis:
Talis ab æquorei consurgens aggere husti
Emicuit: fulsere undæ; Sol magnus ut orbem
Tolleret, aut nubem quæreret polus. atque ea vix dum
Visa viris atrâ nox protinus abstulit umbrâ:
Ille dolens altum repetit chaos. omina Mopsus
Dum stupet, in primâ tumulum procul aspicit aclâ:
Obnubénsque caput, cineri dat vina vocato.
Carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dum rite movet; mixtóque sonantem
Percutit ore lyram, nomenque reliquit arenis.
Altiùs in ventos recipit ratis; ac fugit omne
Crobiali latus, & fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium: ante alios Triviæ qui creditur amnes
Fidus, & Inopi materná gratior undâ.
Mox etiam Cromnæ juga pallentémque Cytoron,
Téque citâ penitus condunt, Erythia, carinâ.
Jámque reducebat noctem polus: alta Carambis
Raditur, & magnæ pelago tremit umbra Sinopes.
Assyrios complexa sinus stat opima Sinope;
Nympha priùs, blandósque Jovis quæ luserat igues,
Cælicolis immota procis: deceptus amatæ
Fraude deæ nec solus Halys, nec solus Apollo.
Addidit hìc casu comites Fortuna benigno,
Autolycum Phlogiúmque & Deileonta, secutos
Herculis arma viros: vagus hos ibi fixerat error:
Ut Graiam videre manum, puppémque Pelasgam;
Prima ruunt celeres ad litora, séque precantur
Accipiant socios. nova dux accedere gaudet
Nomina, desertos & jam sibi currere remos.
Transit Halys, longísque fluens anfractibus Iris,
Sæváque Thermodon medio sale murmura volvens;
Gradivo sacer, & spoliis ditissimus amnis:
Donat equos, donat votas cui virgo secures,
Cùm redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Medúmque trahens. est vera propago
Sanguinis; est ollis genitor deus. hinc magis alta
Hæmonidæ petere, & monitus non temnere Phinei.
Ipse autem comitum conversus ad ora novorum:
Vos mihi nunc pugnas, ait, & victricia, ductor,

Herculis arma mei, veſtráſque in litore Martis
Interea memorate manus. ſic fatus, & ægro
Corde ſilens, audit currus, belliſque labores
Virginei: exciderit frenis quæ prima remiſſis;
Semianimem patrius quam vexerit amnis in æquor;
Quæ peltâ latus, atque humeros nudata pharetris
Fugerit, Herculeæ mox vulnere prenſa ſagittæ;
Utque ſecurigeras ſtimulaverit ira catervas,
Fleturúſque pater; quantus duce terror in ipsâ,
Qui furor: inſignis quo balteus arſerit auro.
Nocte ſub extremâ clauſis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolæ, Gradive, tui: ſonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam priùs ignoti quàm dura cubilia ferri
Eruerent, enſéſque darent; odia ægra ſinè armis
Errabant, iræque inopes, & ſegnis Erinnys.
Indè Genetæi rupem Jovis, hinc Tibarenum
Dant virides poſt terga lacus: ubi deſide mitrâ
Fœta ligat, partúque virum fovet ipſa ſoluto.
Vos quoque non notæ mirati vela carinæ
Moſſonychi: vos & ſtabulis Macrones ab altis,
Byzeréſque vagi, Philyræque à nomine dicta
Litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus indè ſinus, ſævúmque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas conſurgens Caucaſus Arctos.
Ille etiam Alciden Titania fata morantem
Attulerat tum fortè dies: jámque aſpera niſû
Undique convellens, veteris cum ſtrage pruinæ;
Vincula prenſa manu ſaxis adduxerat imis
Arduus, & lævo gravior pede: conſonat ingens
Caucaſus: & ſummo pariter cum monte ſecutæ.
Incubuere trabes, abductáque flumina ponto:
Fit fragor: ætherias ceu Jupiter arduus arces
Impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
Horruit immenſum Ponti latus: horruit omnis
Armeniæ prætentus Hiber: penitúſque recuſſo
Æquore Cyaneas Minyæ timuere relictas.
Tum gemitu propiore Chalybs, denſúſque revulſis
Rupibus audiri montis labor, & gravè Titan
Vociferans, fixos ſcopulis dum vellitur artus.
Contrà autem ignari quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden? dimiſſáve vota retentet?)
Pergere iter locii: tantùm mirantur ab alto
Litora diſcuſsâ ſterni nive, ruptáque ſaxa,
Et ſimul ingentem moribundæ deſuper umbram
Alitis, atque atris rorantes imbribus auras.
Sol propiùs flammabat aquas: extremáque feſſis
Cœperat optatos jam lux oſtendere Colchos:
Magnus ubi adverſum ſpumanti Phaſis in æquor
Ore ruit. cuncti pariter loca debita noſcunt,
Signáque commemorant, emenſáſque ordine gentes:
Dántque ratem fluvio. timul æthere plena coruſco
Pallas, & alipedum Juno juga ſiſtit equorum.
Ac dum prima gravi ductor ſubit oſtia pulſu;
Populeos flexus, tumulúmque virentia ſupra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi:
Quem comes infelix Pario de marmore juxta
Stat ſoror; hinc ſævæ formidine mœſta novercæ,
Indè maris, pecudíſque timens imponere palmas.
Siſtere tum ſocios jubet, atque hinc prima ligari
Vincula, ceu Pagaſas patriúmque intraverit amnem.
Ipſe, gravi paterâ ſacri libamina Bacchi
Rite ferens, umbram vocat, & ſic fatur ad aras:
Per genus, atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
Tu precor orſa regas, méque his tuteris in oris;
Tot freta, tot durè properantia ſidera paſſis,
Phrixe, fave; & patrias placidus reminiſcere terras.
Tu quoque nunc, tumulo nequicquam condita inani,
Annue, diva maris; numeróque accede tuorum.
Quando egomet rurſus per te vehar? aurea quando
Seſton, & infauſtos agnoſcent vellera fluctus?
Vos etiam ſylvæ, vos Colchidos hoſpitis oræ
Pandite, dives ubi pellis micat arbore ſacrâ.
Tunc tibi, fœcundi proles Jovis, orte nivali
Arcados axe deæ, fluvio modò, Phaſi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec aræ
Defuerint tellure meâ: veneranda fluentis
Effigies te, Phaſi, manet; quàm magnus Enipeus,
Et pater aurato quantus jacet Inachus antro.
Dixerat: atque illi dextrâ ſinè verſa magiſtri
Protinus in proram rediit ratis, omine certo
Fluminis os pontúmque tuens. promittis ut, ecce,
Utque vocas revehemur, ait. ſic deinde precatus;
Arma jubet celsâ ſocios depromere puppe:
Dona dehinc Bacchi, caſus qui firmet in omnes.
Rapta Ceres: viridéſque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc alios cantus, dea, viſáque vobis
Theſſalici da bella ducis. non mens mihi, non hæc
Ora ſatis: ventum ad furias, infandáque natæ
Fœdera, & horrendâ trepidam ſub virgine puppem:
Impia monſtriferis ſurgunt jam prœlia campis.
Antè dolos, antè inſidi tamen exſequar aſtus
Soligenæ, falli meriti, meritſque relinqui.
Indè canens: Scythicâ ſenior jam Solis ab urbe
Fata laborati Phrixus compleverat ævi;
Illius extremo ſub funera mira repentè
Flamma poli, magnóque aries apparuit aſtro,
Æquora cuncta movens. at vellera, Martis in umbrâ,
Ipſe ſui Phrixus monumentum inſigne pericli
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.
Quondam etiam tacitæ vitus per tempora noctis
Effigie vaſtâ: ſocerúmque exterruit ingens
Prodita vox: O qui patriâ tellure fugatum
Quærentémque domos, his me confidere paſſus
Sedibus, oblatâ generum mox prole petiſti:
Tunc tibi regnorum labes luctúſque ſuperſunt,
Rapta ſoporato fuerint cùm vellera luco.
Præterea infernæ quæ nunc ſacrata Dianæ
Fert caſtos Medea choros, quemcumque procorum
Pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis.
Dixit, & admotâ pariter fatalia viſus
Tradere terga manu: tum falſo fuſus ab auro
Currere per ſummi fulgor laquearia tecti.
Membra toris rapit ille tremens, patriúmque precatur
Numen, & Eoo ſurgentes litore currus.
Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum
Omnituens: tua nunc terris, tua lumina toto
Sparge mari: ſed noſtra dolos molitur opertos,
Sive externa manus, primus mihi nuntius eſto.
Tu quoque, ſacratâ rutilant cui vellera quercu,
Excubias Gradive tene; præſentia luco
Arma tubæque ſonent: vox & tua noctibus exſtet.
Vix ea: Caucaſeis cùm lapſus montibus anguis,
Haud ſine mente dei, ſpiris nemus omne refuſis
Implicuit, Graiúmque procul reſpexit ad orbem.
Ergo omnes prohibere minas, prædictáque Phrixi
Invigilat: plenâ necdum Medea juventâ
Adnuitur thalamis Albani virgo tyranni.
Interea auguriis monſtriſque minacibus urbem
Territat antè monens ſemper deus, & data ferì
Signa mali: reddi jubet exitiale ſacerdos
Vellus, & Hæmoniis infauſtum mittere terris.
Contrà Sole ſatus, Phrixi præcepta volutans,
Ægro corde negat: nec vulgi cura tyranno,
Dum ſua ſit modò tuta ſalus. tunc ordine regi
Proximus, & frater materno ſanguine, Perſes
Increpitare virum: ſequitur duce turba reperto.
Ille furens irâ ſolio ſe proripit alto,
Præcipitátque patres: ipſum quoque talibus auſis
Spem ſibi jam rerum vulgi levitate ferentem
Enſe petit. rapit indè fugam, crudelia Perſes
Signa gerens, omnémque quatit rumoribus Arcton.
Jámque aderat magnis regum cum millibus urbi,
Primáque in adverſos fruſtratus prœlia muros
Conſliterat. datus & ſociis utrimque cremandis
Ille dies, altérque dies; cùm, Marte remiſſo,
Debitus Æxis dux Theſſalus appulit oris.
Nox hominum genus & duros miſerata labores
Rettulerat feſſis optata ſilentia terris:
At Juno & ſummi virgo Jovis intima ſecum
Conſilia & varias ſociabant pectore curas.
Virgo prior. Magnâ paritet quos mole petamus,
Cernis, ait, Colchos habeant quæ prœlia, quíque
Nunc ſtatus. hinc Perſes, illinc non viribus æquis
Apparat Æëtes aciem: quibus addimur armis?
Cui Juno: Dimitte metus, ne prœlia fortè
Hinc tibi grata negem: manet ingens ægida fudor,
Et noſtros jam ſudor equos: ſtat pectore fixum,
Æëtæ ſociare manus: ſcio perfida regis
Corda quidem; nullos Minyis exſolvet honores.
Verùm alios tunc ipſa dolos, alia orſa movebo.
Sint, precor, hæc: tua namque mihi comitanda poteſtas,
Pallas ait: liceat Grajis ut reddere terris
Æſonium caput; & puppem, quam ſtruximus ipſæ,
Jactatam tandem noſtro componere cælo.
Talia tunc hominum ſuperi pro laude movebant.
Triſtior at numquam, tantóve paventibus ulla

Nox Minyis egesta metu; nil quippe reperto
Phasíde, nil domitis actum Symphlegados undis,
Cunctáque adhuc magni veniant dum regis ad urbem
Ambigua, & dubiâ rerum pendentia summâ.
Præcipuè Æsoniden varios incerta per æstus
Mens rapit undantem curis, ac multa novantem.
Qualiter ex altâ cùm Jupiter arce coruscat,
Pliadas ille movens, mixtúmque sonoribus imbrem,
Horriferámve nivem, canis ubi tollitur omnis
Campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli,
Aut altos duris fatorum gentibus ortus.
Sic tum diversis hinc atque hinc molibus anceps
Pectora dux crebro gemitu quatit: optat & almum
Jam jubar, & certi tandem discriminis horas.
Tunc defixa solo, cœtúque intenta silenti
Versus ad ora virûm, Quod primum ingentibus ausis
Optavistis, ait, veterúmque quod horruit ætas,
Adsumus en, tantúmque fretis enavimus orbem.
Nec pelagi nos mille viæ, nec fama fefellit,
Soligenam Æëten mediâ regnare sub Arcto.
Ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
Urbis, & ignoti mens experienda tyranni:
Adnuet ipse, reor; neque inexorabile certè,
Quod petimus: sin verò preces & dicta superbus
Respuerit, jam tunc animos firmate repulsæ;
Quâque viâ patriis referamus vellera terris,
Stet potiùs: rebus semper pudor absit in artis.
Dixerat; &, Scythicam qui se comitentur ad urbem,
Sorte petit: numeróque novem ducuntur ab omni.
Indè viam, quà Circæi plaga proxima campi,
Corripiunt, regémque petunt. jam luce reductâ,
Fortè deûm variis per noctem exterrita monstris,
Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi jubar ad placabile Phœbi
Ibat, & horrendas lustrantia flumina noctes.
Namque, soporatos tacitis in sedibus artus
Dum premit alta quies, nullæque in virgine curæ,
Visa pavens castis Hecates excedere lucis:
Dúmque pii petit ora patris, stetit arduus intèr
Pontus, & ingenti circùm stupefacta profundo:
Fratre tamen conante sequi: mox stare paventes
Viderat intentâ pueros nece, séque trementum
Spargere cæde manus, & lumina rumpere fletu.
His turbata minis fluvios ripámque petebat
Phasídis, æquali Scythidum comitante catervâ.
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Siculâ sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Pallados, hinc caræ Proserpina juncta Dianæ,
Altior, ac nullâ comitum certante, priusquam
Palluit, & viso pulsus decor omnis Averno.
Talis & in vittis geminæ cum lumine tædæ
Colchis erat, nondum miseros exosa parentes.
Ut procul extremi gelidis à fluminis undis
Prima viros tacito vidit procedere passu,
Substitit, & mœsto nutricem adfata timore est:
Quæ manus hæc, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit, haud armis, haud umquam cognito cultu?
Quære fugam, precor, & tutos circumspice saltus.
Audit virginei custos grandæva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus ævi:
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
Non tibi ab hoste minæ, nec vis, ait, ulla propinquat,
Nec metus; externo jam flammea murice cerno
Tegmina; jam vittas frondémque imbellis olivæ.
Graius adest: Graio hic cuncta simillima Phrixo.
Sic ait. at Juno, pulchrum longissima quando
Robur cura ducis, magnisque dedere labores,
Mole novâ & roseæ perfudit luce juventæ.
Jam Talaum; jámque Ampyciden, astróque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.
Non secus, autumno quàm cùm magis æsperat ignes
Sirius, & sævo cùm nox accenditur auro,
Luciferas cripita faces; hebet Arcas, & ingens
Jupiter: ast illum tanto non glíscere cælo
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.
Regina, attonito quamquàm pavor ore silentem
Exanimet, mirata tamen, paulúmque reductis
Passibus insolito stupuit duce. nec minùs inter
Ille tot ignoti socias gregis hæret in unâ
Defixus, sentítque ducem dominámque catervæ.
Si dea, si magni decus hue ades, inquit, Olympi;
Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ,
Téque remodatam pharetris, ac pace fruentem,
Ad sua Caucasææ producunt flumina Nymphæ.
Si domus in terris, atque hinc tibi gentis origo,
Felix prole parens, olímque beatior ille,
Qui tulerit, longis & te sibi junxerit annis.
Sed fer opem, regina, viris. nos hospita pubes
Advehimur, Graiûm proceres tua tecta petentes.
Duc, precor, ad vestri, quicumque est, ora tyranni:
Ac tu prima dpce fandi tempúsque modúmque.
Nam mihi sollicito deus ignaróque locorum
Te dedit: in te animos, sed & omnia nostra repono.
Dixit, & opperiens trepidam lletit. illa, parumper
Virgineo cunctata metu, sic orsa vicissim:
Quem petis Æëten, genitor meus: ipsáque juxta
Mœnia; si bivios possis discernere calles.
Hâc adeò duce ferte gradus: ingentia namque
Castra alios aditus, atque impius obsidet hostis.
Dixerat hæc, patriúmque viam detorquet ad amnem;
Sacráque terrificæ supplex movet irrita Nocti.
Ille autem inceptum famulâ duce protinus urget
Aëre septus iter: patitur nec regia cerni
Juno virum, prior Æëtæ ne nuntius adsit.
Jámque inerat populo mediæque incognitus urbi;
Cùm comes orsa loqui: Phœbi genitoris ad aras
Ventum, ait. huc adytis jam se de more paternis
Rex feret: hic proceres audit, populósque precantes
Adloquii facilis (præsens pater admonet) æqui.
Dixerat. ast illi properè monstrata capessunt
Limina: non aliter, quàm si radiantis adirent
Ora dei, veráque æterni luminis arces.
Tale jubar per tecta micat. stat ferreus Atlas
Oceano, genibúsque tumens infringitur unda:
At medii per terga senis rapit ipse nitentes
Altus equos, curvóque diem subtexit Olympo:
Ponè rotâ breviore, soror, densæque sequuntur
Pliades, & madidis rorant è crinibus ignes.
Nec minùs hìc variâ dux lætus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hìc ortúsque tuens: ut prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis; ut clade suorum
Territus hos Thebas patriúmque reducat ad amnem;
Phasídis hos imponat agris, Colchósque vocari
Imperet: Arsinoën illi tepidæque requirunt
Otia læta Phari, pinguémque linè imbribus annum:
Et jam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
Barbarus in patriis sectatur montibus Æan
Phasis, amore furens: pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu; discursibus & jam
Deficit: ac volucri victam deus alligat undâ.
Flebant populeæ juvenem Phaëthonta sorores:
Ater & Eridani trepidum globus ibat in amnem,
At juga vix Tethys sparsúmque recolligit axem,
Et formidantem patrios Pyroënta dolores.
Aurea quin etiam præsagâ Mulciber arte
Vellera, venturósque olim cælârat Achivos:
Texitur Argoâ pinus Pagasea securi:
Jámque eadem remos, eadem dea flectit habenas:
Ipse subit, nudâque vocat dux agmina dextrâ.
Exoritur Notus, & toto ratis una profundo
Cernitur. Odrysio gaudebant carmine phocæ.
Apparent trepidi per Phasidis Hostia Colchi:
Clamantémque procul linquens regina parentem.
Urbs erat hìc contrà gemino circumflua ponto,
Ludus ubi & cantus, tædæque in nocte jugales,
Regalsque toro lætus gener: ille priorem
Deserit: ultrices spectant à culmine Diræ.
Deficit in thalamis, turbatáque pellice conjunx
Pallam & gemmiferæ donum exitiale coronæ
Apparat, ante omnes secum dequesta labores;
Munere quo patrias pellex ornetur ad aras
Infelix: & jam rutilis correpta venenis
Implicat igne domos. hæc tum miracula Colchis
Struxerat ignipotens, nondum noscentibus, ille
Quis labor, aligeris aût quæ secet anguibus auras,
Cæde madens: odere tamen, visúsque reflectunt.
Quin idem Minyas operum defixerat error;
Cùm se Sole satus patriis penetralibus infert.
Filius hunc juxta primis Absyrtus in annis,
Dignus avo, quémque insontem meliora manerent.
Tum gener Albanis Styrus qui advenerat oris,
Distulerant sed bella toros: tum Phrontis & Argus
Æolidæ, fratérque Melas, quos advena Phrixus
Progenuit; paritérque levi Cytisorus in hastâ.
Pòst alii, quos præcipuo Titania tellus
Legit honore patres, motíque ad prælia reges.
Admonet hìc socios, nebulámque erumpit Iäson

Sideris ora ferens. nova lux offuſa Cimeis.
Conveniunt, rogitántque viros, rogitántque, quid auſi,
Quídve ferant. poſtquam primis inhiantia dictis
Agmina, ſuppreſſúmque videt jam murmur Iáſon;
Tajia miranti propiùs tulit orſa tyranno:
Rex Hyperionide, quem per freta tanta petendum,
Cælicolæ, & primâ dignum ſtatuere carinâ:
Siquando hìc aliquam noſtro ſatus orbe ſolebat
Theſſaliam, ſi quos Phrixus memorare Pelaſgos;
Hi tibi, tot caſus, horrenda tot avia menſi,
Cernimur. ipſe egomet proprio de ſanguine Phrixi:
Namque idem Cretheus ambobus & Æolus auctor,
Cum Jove, Neptunóque, & cum Salmonide Nymphâ.
Méque nec huc enſes, æraque egere paternæ:
Nec tua Theſſalicis quamquam inclyta nomina terris
Sponte ſequor. cui non juſſo tot adire voluptas
Monſtra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
Sceptra tui toto Pelias ſub nomine Phœbi
Maxima ſorte tenens, tótque illa creantia divos
Oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu;
Ille meum imperiis urget caput: ille labores
Dat varios. ſuus ut magnum rex ſpargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipſe ſatus. tamen aſpera regum
Perpetimur juga; nec melior parere recuſo.
Hic ſibi me auratæ pecudis quiſcumque periclis
Exuvias perferre jubet. tibi gratia noſtri
Sit precor hæc, meritíque locus, quòd juſſa recepi:
Téque alium, quàm quem Pelias ſperátque cupítque,
Promiſi, & meliora tuæ mihi fœdera dextræ.
Si petere hoc ſævi ſtatuiſſem ſanguine belli;
Olla dabat Pindúſque rates: quótque antè ſecuti
Indè nec audacem Bacchum, nec Perſea reges.
Sed me nuda fides, ſanctíque potentia juſti
Huc tulit, & medii ſociatrix gratia Phrixi;
Jámque tibi noſtrâ geniti de ſtirpe nepotes.
Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis
Bebryciæ ſpernendus adî, ſeu fraude petivi;
Seu quis honore meo ſua reddita dona; deûmque
Nos genus, atque ratem magnæ ſenſere Minervæ.
Vix tandem longis quæſitam Colchida votis
Contigimus: qualémque dabat te fama, videmus.
Tu modò ne claros Minyis invideris actus.
Non aliena peto, terrîſve indebita noſtris,
Si quis & in precibus vero locus: atque ea Phrixo
Crede dari; Phrixum ad patrios ea ferre penates.
Munera tu contrà victum mihi vecta per æquor
Accipe, Tænarii chlamydem de ſanguine aheni,
Frenáque, & accinctum geminis fulgentibus enſem:
Hoc patrium decus; hæc materni texta labores:
His Lapithes adſuêrat eques. da jungere dextram,
Da Scythicas ſociare domos: ſciat effera regis
Ira mei, quem te horrifero ſortitus in axe
Caucaſus, atque tuis quantum miteſcat habenis.
Talibus orantem vultu gravis ille minaci
Jam dudum premit; & furiis igneſcit opertis.
Ceu tumet, atque imo ſub gurgite concipit auſtros
Unda ſilens; trahit ex alto ſic barbarus iras:
Et nunc auſa viri, nunc heu ſua prodita Graiis
Regna fremit: quin & facili ſibi mente receptum
Jam Phrixum dolet, & Scythiæ periiſſe timores:
Nunc quaſſat caput, ac juvenis ſpes ridet inanes;
Quid veſanus agat, quòd vellera poſcat ab angue,
Urit & antiquæ memorem vox præſcia ſortis;
Cur ſimul aut Perſen illinc ſibi moverit, aut hinc
Theſſalicam Fortuna ratem: num debitus iſta
Finis agat, ſævæque petant jam vellera Parcæ.
Interea quoniam belli pugnæque propinquæ
Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis.
Reddit & hæc: Cuperem haud tali vos tempore tectis
Adveniſſe meis, quo me gravis adſidet hoſtis.
Frater enim (ſceptri ſic omnibus una cupido)
Excidium parat, & caſtris me ingentibus urget.
Quare, age, cognatas primùm defendite ſedes;
Nec decus oblati dimiſeris advena belli.
Jámque virum trahit ipſe chalybs: tum vellera victor,
Tum meritis, nec ſola dabo. contrà inſcius aſtûs;
Ergo nec hic noſtris deerat labor arduus actis,
Excipit Æſonides, & ceu nihil æquora paſſis
Additus iſte dies? veniant ſupèr hæc quoque fato
Bella meo. non hunc parvâ mihi cæde dolorem,
Quáſque dedit luet ille moras. tum Caſtora mittit,
Qui ferat Æxi ſociis reſponſa tyranni.
Acribus aſt illos curis mora ſæva trahebat:
Ac ſimul ut medio viderunt Caſtora campo;
Crebrior incuſſit mentem pavor: O Jovis alma
Progenies, fare an patriam ſpes ulla videndi,
Fare tuis. ille in mediis ſic orſus Achivis:
Nec ferus Æëtes, ut fama, nec aurea nobis
Terga negat: bello interea ſed preſſus iniquo
Auxilium petit: armatos dux protinus omnes
Accelerare jubet: longo nam tuta receſſu
Puppis, & oppoſitâ fluvius defenditur urbe.
Haud mora; proſiliunt quos nec Rhipæa juventus,
Quos nec Iber, aut tota ſuis Aurora pharetris
Suſtineat. ſtetit explicito priùs agmine pubes:
Expertíque ſimul, ſi tela artúſque ſequantur.
Nec quiſquam freta, nec patrias jam reſpicit urbes:
Sed magìs ad præſens itur decus. incita criſtas
Aura quatit: variis floret via diſcolor armis.
Qualis ab Oceano nitidum chorus æthera veſtit:
Qualibus adſurgens nox aurea cingitur aſtris.
Illos Sole ſatus tacitâ mæſtiſſimus irâ
Miratur temere adſumtos: nec talia mallet
Robora; quàm medios hoſtem ſubiiſſe penates.
Interea læto patitur convivia vultu;
Et juxtà Æſoniden magno cratere laceſſit.
Nunc ſibi monſtrantem natos Jovis, oráque juxtà
Æacidûm, nunc ingentes Calydonis alumnos:
Audit & Alciden infando errore relictum,
Deflectóſque duces, terræque mariſque labores.
Ipſe autem tantis concita furoribus arma
Experit Æſonides, & amicos ordine reges:
*Quis procul ille virum nobis, quem balteus aſper
Subligat, & ſtricto ſtat proximus armiger arcu,
Ceu pugnam paret, & poſitas confundere menſas?
Contrà flammigeri proles Perſeïa Solis,
Quem rogitas, Carmeius, ait; mos, cominus arma
Semper habere viro, ſemper meminiſſe pharetræ.
Quid Latagum? quid ſi amnigenam mirere Choaſpem?
Bellatoris equi potantem cerne cruores:
Nec tamen immiſſis hic ſegnior ibit habenis.
Illum, ait Æſonides, pariter refer; horrida ſignis
Cui chlamys, & multâ ſpirat coma flexilis aurâ.
Reſpicit Æëtes, atque hunc quoque nomine reddit:
Dives Aron; croceos ſic illius omnis odores
Jactat eques; unctis ſic eſt coma culta maniplis:
Sed nec ſperne virum, & comtis diffide capillis.
Campeſus hic ſpoliis in tigridis; ille profundo
Incumbens Odruſſa mero: vidén' alta comantem
Pectora, & ingenti turbantem pocula barbâ?
Hic & Taxarten dictis ſtupet hoſpes acerbis
Immodicum, linguâque gravem; cui nulla minanti
Non ſuperûm, non præſentis reverentia belli.
Contrà autem Æëtes; Non fruſtra magna ſuperbo
Dicta volant, ait, & vocem paria arma ſequuntur:
Nec requies; quin Marte diem noctémque fatiget:
Atque ubi Rhipæâ ſtupuerunt flumina brumâ,
Jam pavidi cum prole Getæ, jam pervigil illum
Medus, & oppoſitis exſpectat Hiberia clauſtris.
Hos autem quæ quemque manus, quæ ſigna ſequantur
Si memorem; priùs humentem lux ſolverit umbram.
Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis
Diſſona; ſaxiferæ ſurgat quibus imber arenæ:
Quæ jaculo gens apta levi, quæ picta pharetris
Venerit: ingentes animo jam proſpice campos,
Atque hanc alipedi pulſantem corpora curru
Euryalen, quibus exſultet Mavortia turmis,
Et quantùm elatâ valeat peltata ſecuri,
Cara mihi & veras inter non ultima natas.
Fatur, & occiduo libat cratera parenti.
Quiſque ſuis tum vota deis & pocula fundit;
Dent aciem, dent belligeros ſuperare labores.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris,
Ingentémque trahens Arctoa per æquora nubem,
Aſpicit Æxâ Minyas ſtupefactus in urbe,
Ambitúmque ſenem, promiſſâque vellera puppi
Theſſalicæ: citus ad ſummi tellantia patris
Tecta ruit, queſtóque Jovem teſtatur acerbo:
Quæ ſtudiis, rex magne, quies? jam motiva divi
Exitia in ſolos hominum molimur honores:
Téque ea cuncta juvant, rabidam qui Pallada cælo
Non abigis, neque fœmineis jus ejicis aulis.
Num querar, exſtructâ quòd vexerit ipſa carinâ
Vellera ſacra meis ſperantem avertere lucis,
Quódque palàm tutata viros? ſic cætera pergat,
Si valet, inſidiis quæ nunc fallacibus ambit,

No-

Noſtra ut Phrixeo ſpolientur templa metallo.
Non opus auxilio Colchis, nec fœdere veſtro:
Et Perſen ſimul, & Minyas depoſcimus hoſtes.
Quin age; quid tantæ coëunt in prœlia gentes?
Quid tuus Æſonides? imus nos, protinus imus,
In nemus auriferum, & ſumtis decernimus armis?
Vel tu ſola polo tacitis inopina tenebris
Labere; quantus ibi deus experiere; nec illas
Adſliteris impune trabes! an Martia templa
Intemeranda minùs, tacitus mihi lucus, & agger
*Quod rudis; & ſolâ colimur frigentibus umbrâ?
Eſt amor, & rerum cunctis tutela ſuarum:
Et tibi, magne pater, terris donaria certant:
Eſt honor his etiam ſuus. ánne ego clara Mycenis
Culmina, virgineas præder ſi Cecropis arces,
Jam conjunx, jam te gemitu lacrymiſque tenebit
Nata querens? metuant ergo, nec talia poſcant.
Non tulit hæc animis, quin longa ſilentia Pallas
Rumperet, irridens ſtrepitúmque mináſque Gradivi:
Non tibi Biſtonidæ, quibus hæc fera murmura jactes,
Non Lapithæ, ſed Pallas, ait; neque ego ægide digna,
Nec vocer ulteriùs proles Jovis, excidat iſte
Ni tibi corde tumor: lituos mox armáque fixo
Oderis, & primis adimam tua nomina bellis.
Quin ſimili matrem demens gravitate ſecutus:
Digna quidem, monſtrum ſuperis quæ tale creavit.
Quod tamen aggreſſæ ſcelus, aut quo crimine fontes,
Si juvenem, qui juſſa ſui tam dira tyranni
Impavidus, maria & nondum qui nota ſubibat,
Juvimus, & magnis aliquam ſpem movimus auſis?
An nullas præferre preces nec fœdera regis
Ulla ſequi? cæcâ ſed cuncta impellere pugnâ
Debuimus? ſic Thraces agunt, ſic turbidus iſte,
Si qua petit. cuperem hæc etiam nunc bella remitti,
Nec ſocias armare manus. da vellera, rector,
Et medio nos cerne mari. quòd lin ea Mavors
Abnegat, & ſolus noſtris ſudoribus obſtat;
Ibimus indecores, fruſtráque tot æquora vectæ,
*Faſſáque quæ nequeam? ſic femina: cœperat ardens
Hic iterum alternis Mavors inſurgere dictis.
Excipit hinc contrà pater, & ſic voce coërcet:
Quid veſane fremis? cùm vos jam pœnitet acti,
Peccatúmque ſatis; tunc ad mea jura venitis.
Quolibet iſta modo, quacumque impellite pugnâ,
Quæ cœpiſtis; habent quoniam ſua fata furores.
Te tamen hoc, conjunx, & te, mea nata, monebo:
Sit Perſen populiſſe ſatis; nec vana retentet
Spes Minyas, finémve velint imponere bello.
Illum etenim talis rerum manet (accipite) ordo.
Victa retro nunc caſtra dabit, bellúmque remittet
Territus adventu ducis & virtute Pelasgi:
Mox ubi Theſſalicis referent hos flamina terris,
Tunc aderit, victórque domos & ſceptra tenebit:
Donec & Æëten inopis poſt longa ſenectæ
Exſilia (heu magnis quantum licet in pia fatis!)
Nata juvet; Graiúſque nepos in regna reponat.
Hic labor, amborúmque hæc ſunt diſcrimina fratrum:
Vadite, & adverſis, ut quis volet, irruat armis.
Dixerat. inſtaurat menſas, pacémque reducit;
Et jam ſideream noctem dimittit Olympo.
Tunc aſſuetus adeſt Phlegræâ reddere pugnas,
Muſarum chorus, & citharæ pulſator Apollo:
Eértque gravem Phrygius circùm cratera miniſter.
Surgitur in ſomnos, ſéque ad ſua limina flectunt.

LIBER VI.

AT vigil hiſdem ardet Furiis Gradivus, & acri
Corde tumet; nec quas acies, quæ caſtra ſequatur,
Invenit: ire placet tandem, præſénſque tueri,
Steruere ſi Minyas, magnóque rependere luctu
Regis pacta queat; Graiámque abſumere pubem.
Impulit hinc currus, monſtrum irrevocabile belli,
Concutiens, Scythiæque ſuper tentoria ſiſtit.
Protinus è caſtris fugit ſopor: excita tela;
Turbati coiere duces: hos inſuper ingens
Fama movet, rate quæ ſacrâ vulgabat Achivos
Adveniſſe, ſui repetentes vellera Phrixi;
Quos malus hoſpitio junctâque ad fœdera dextrâ
Laſerit Æëtes, atque in ſua traxerit arma.
Ergo, conſiliis dum nox vacat alta movendis,
Legatos placèt ire duces: mandatáque Perſes
Edocet adfari Minyas, fraudémque tyranni
Ut moneant; quinam hinc animos averterit error;
Se primum Hæmoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, & exuvias pecudis dimittere ſacræ:
Hinc odium, & tanti veniſſe exordia belli.
Quin potiùs dextrámque ſuam, ſuáque arma ſequantur,
Aut remeent. neque enim Æëtæ promiſſa fidémque
Eſſe loco; abſtineant alienæ à ſanguine pugnæ.
Non illos ideo tanti veniſſe labores
Per maris. ignotis quid opus concurrere, nec quos
Oderis? hæc medio Perſes dum tempore mandat;
Aureus effulſit campis rubor; armáque & acres
Sponte ſuâ ſtrepuere tubæ. Mars ſævus ab altis,
Hoſtis ìò, conclamat, equis, agite, ite, propinquat:
Ac ſimul hinc Colchos, hinc fundit in æquora Perſen:
Tunc & quæque ſuis committit prœlia terris,
Vóxque dei pariter pugnas audita per omnes.
Hinc, age, Rhipæo quos videris orbe furores
Muſa, mone; quanto Scythiam molimine Perſes
Concierit, quîs fretus equis per bella virſque.
Verùm ego nec numero memorem, nec nomine cunctos,
Mille vel ora movens. neque enim plaga gentibus ulla
Ditior: æterno quamquàm Mæotia pubes
Marte cadat; pingui numquam tamen ubere defit,
Quòd geminas Arctos, magnúmque quòd impleat anguem.
Ergo duces ſoláſque, deæ, mihi promite gentes.
Miſerat ardentes, mox ipſe ſecutus, Alanos,
Heniochóſque truces, jampridem infenſus Atlantis;
Pacta quod Albano conjunx Medea tyranno:
Neſcius, heu, quanti thalamos aſcendere monſtri
Arſerit, atque urbes maneat qui terror Achæas;
Gratior ipſe deis, orbâque beatior aulâ.
Proxima Biſaltæ regio, ductórque Colaxes,
Sanguis & ipſe deûm; Scythicis quem Jupiter oris
Progenuit, viridem Myracen Tibiſenáque juxta
Oſtia, ſemifero (dignum ſi credere) captus
Corpore: nec Nymphæ geminos exhorruit angues.
Cuncta phalanx inſigne Jovis cælatáque geſtat
Tegmina, diſperſos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffunderis alas.
Inſuper auratos collegerat ipſe dracones
Matris Horæ ſpecimen: linguíſque adverſus utrimque
Congruit, & tereti ſerpens dat vulnera gemmæ.
Tertius unanimis veniens cum millibus Auchus
Cimmerias oſtentat opes; cui candidus olim
Crinis ineſt, natale decus: dat longior ætas
Jam ſpatium, triplici percurrens tempora nodo:
Demittit ſacro geminas à vertice vittas.
Dathin Achæmeniæ gravior de vulnere pugnæ
Miſit in arma Daraps; acies quem Martia circùm
Gangaridûm, potâque Gerys quos efferat undâ,
Quíque lacum cinxere Bicen. non defuit Anxur,
Non Rhadano cum fratre Sydon: Aceſináque lævo
Omine fatidicæ Phrixus movet agmina cervæ.
Ipſa comes, ſetis fulgens & cornibus aureis,
Ante aciem celſi vehitur geſtamine conti
Mœſta, nec in ſævæ lucos reditura Dianæ.
Movit & Hylæâ ſupplex cum gente Syenem
Impia germani prætentans vulnera Perſes.
Denſior haud uſquam, nec celſior extulit ullas
Sylva trabes; feſſæque priùs rediere ſagittæ,
Arboris ad ſummum quàm pervenere cacumen.
Quin & ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma viros: plauſtríſque ad prœlia cunctas
Coraletæ traxere manus: ibi futilis illis
Et domus, & crudo reſidens ſub vellere conjunx,
Et puer è primo torquens temone cateias.
Linquitur abruptus pelago Tyra; linquitur & mons
Ambenus, & gelidis poliens Ophiuſa venenis.
Degenerésque ruunt Sindi; glomerántque paterno
Crimine, nunc etiam metuentes verbera turmas.
Hos ſuper æratam Phalces agit æquore nubem
Cum fremitu; denſique levant vexilla Coralli:
Barbaricæ quîs ſigna rotæ, ferratáque dorſo
Forma ſuum, truncæque Jovis ſimulacra columnæ;
Prœlia nec rauco curant incendere cornu;
Indigenas ſed rite duces & priſca ſuorum
Facta canunt, veterúmque viris hortamina laudes.
Aſt ubi Sidonicas inter pedes æquat habenas;
Illinc juratos ſecum trahit Æa Baternas:
Quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat;
Æquáque nec ferro brevior, nec rhomphea ligno.
Nec procul albentes geminâ fert aclyde parmas,

Hiberni qui terga Noæ, gelidúmque ſecuri
Eruit, & totâ non audit Alazona ripâ:
Quóſque Taras, niveûmque ferax Euarchus olorum.
Te quoque venturis, ingens Ariaſmene, ſæclis
Tradiderim; molem belli, latéque ferentem
Undique falcatos deſerta per æquora currus.
Inſequitur Drangæa phalanx; clauſtriſque profuſi
Caſpiadæ: quîs turba canum non ſegniùs acres
Exſilit ad lituos, pugnáſque capeſſit heriles.
Indè etiam par mortis honos: tumuliſque recepti
Inter avos poſitúſque virûm: nam pectora ferro,
Terribiléſque innexa jubas ruit agmine nigro
Latratúque cohors: quanto ſonat horrida Ditis
Janua, vel ſuperas Hecates comitatus ad auras.
Ducit ab Hyrcanis vates ſacer agmina lucis
Varus: eum Scythiæ jam tertia viderat ætas
Magnanimos Minyas Argoáque vela canentem.
Illius & dites monitis ſpondentibus Indi,
Et centumgeminæ Lagea novalia Thebes,
Totáque Rhipæo Panchaïa rapta triumpho.
Diſcolor haſtatas effudit Iberia turmas,
Quas Otaces, quas Latris agunt, & raptor amorum
Neurus, & expertes canentis lazyges ævi.
Namque, ubi jam viréſque aliæ, notóſque refutat
Arcus, & inceptus jam lancea temnit heriles,
Magnanimis mos ductus avis, haud ſegnia mortis
Jura pati; dextrâ ſed caræ occumbere prolis
Enſe dato: rumpúntque moras natúſque parénſque,
Ambo animis, ambo miſeri tam fortibus actis.
Hîc & odorato ſpirantes crine Micelæ,
Ceſſæque manus; & qui tua jugera nondum
Eruis, ignotis inſons Arimaſpe metallis.
Doctus & Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.
Non ego ſanguineis geſtantem tympana bellis
Thyrſageten, cinctúmque vagis poſt terga filebo
Pellibus, & nexas viridantem floribus haſtas.
Fama, ducem Jovis & Cadmi de ſanguine Bacchum,
Hâc quoque turiferos felicia regna Sabæos,
Hâc Arabas fudiſſe manu: mox rumperet Hebri
Cùm vada, Thyrſagetas gelidâ liquiſſe ſub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, & ſacer æris
Pulſus, & Eoæ memoratrix tibia pugnæ.
Jungit opes Eumeda ſuas: ſua ſigna ſecuti
Exomatæ, Torinſque, & flavi crine Satarchæ:
Mellis honos Torinis; ditant ſua mulctra Satarchen;
Exomatas venatus alit. nec clarior ullis
Arctos equis: abeunt Hypanin, fragilémque per undam,
Tigridis aut ſævæ profugi cum prole leænæ:
Mœſtáque ſuſpectæ mater ſtupet aggere ripæ.
Impulit & dubios Phrixei velleris ardor
Centoras, & diros magico terrore Choatras.
Omnibus in ſuperos ſævus honor; omnibus artes
Monſtrificæ: nunc vere novo compeſcere frondes,
Nunc ſubitam trepidis Mæotin ſolvere plauſtris.
Maximus hos inter Stygiâ venit arte Coaſtes:
Sollicitat nec Martis amor; ſed fama Cytææ
Virginis, & paribus ſpirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet jam nocte quietâ
Portitor, & tuto veniens Latonia cælo.
Ibant & geminis æquantes cornibus alas
Ballonoti; comitúmque celer mutator equorum
Mœſus; & ingentis frenator Sarmata conti:
Nec tot ab extremo fluctus agit æquore, nec ſic
Fratribus adversâ Boreas reſpondet ab undâ;
Aut is apud fluvios volucrum ſonus; æthera quantus
Tunc lituûm concentus adit, lymphatáque miſcet
Millia: quot foliis, quot floribus incipit annus.
Ipſe rotis gemit intus ager; tremebundáque pulſu
Nutat humus: quatit ut ſævo cùm fulmine Phlegram
Jupiter, atque imis Typhoëa verberat arvis.
Prima tenent illinc patriis Abſyrtus in armis,
Et gener; ingentéſque inter ſua millia reges.
At circa Æſoniden Danaûm manus, ipſáque Pallas
Ægide terrificâ: quam nec dea laſſat habendo,
Nec pater horrentem colubris vultúque tremendam
Gorgoneo, nec ſemineces oſtendere crines
Tempus adhuc; primáſque ſinit concurrere pugnas.
Impulit hos contrà Mavors pater, & mala læti
Gaudia, Tiſiphonéque caput per nubila tollens
Ad ſonitum lituî, mediâque altiſſima pugnâ:
Necdum clara, quibus ſeſe fuga mentibus addat.
Illi ubi conſertis junxere frementia telis
Agmina, virque virum galeis adſtarit adactis;
Continuò hinc obitus, perfractáque cædibus arma,
Corporáque, alternus cruor, alternæque ruinæ:
Volvit ager galeas, & thorax egerit imbres
Sanguineos. hinc barbarici glomerantur ovatus,
Hinc gemitus, mixtæque virûm cum pulvere vitæ.
Caſpius Æætum correpto crine Moneſen
Abſtulit; hunc pariter Colchi Graiſque ſequuntur
Miſſilibus: rapit ille necem, prædámque relinquit:
Nec ſociis jam cura viri. Dypſanta Careſus,
Strymonáque obſcurâ ſpargentem vulnera fundâ
Dejicit: Albani cadit ipſe Chremedonis haſtâ:
Jámque latet; currúſque ſuper turmæque feruntur.
Proceſſere Melas & Hidaſmenus; incipit haſtâ
Antè Melas: levis aſt abies eluſit utrumque;
Enſibus indè ruunt: prior occupat ære citato
Caſſidis ima Melas; infracta eſt vulnere cervix;
Mixta perit virtus: neſcit cui debeat Oebreus,
Aut cui fata Tyres. dum fibila reſpicit Iron
Cuſpidis Argivæ, Pyliam latere accipit haſtam.
Viderat Hyrcanos paribus diſcurrere fratres
Caſtor equis; pater armento quos dives ab omni
Nutrierat, fatiſque viam monſtrârat iniquis:
Tum magìs atque magìs peditem candore notato
Tyndariden incendit amor: ſimul obvius haſtam
Pectus in adverſum Gelæ jacit alipedémque:
Conſtitit excuſſo victor duce: riſit ab altâ
Nube pater, prenſiſque equitem cognovit habenis.
At pariter luctúque furens viſúque Medores
Tyndariden petit, & ſuperos ſic voce precatur:
Hunc, age, vel cæſo comitem me reddite fratri:
Primus & hic noſtrâ ſonipes cadat impius haſtâ,
Credita qui miſero non rettulit arma parenti,
Méque venit contra, captiváque terga miniſtrat.
Dixerat: Actæi ſed cum prior haſta Phaleri
Dejicit: ad ſocias ſonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales umquam metuiſſet Amyclas
Oebaliámque manum, tot, Rhyndace, montibus inter
Diviſo, totidémque fretis? cadit impiger unà
Inguine transfoſſo clari Taulantis alumnus
Semideâ genitrice Tages; cui plurima ſylvis
Pervigilat materna ſoror, cultúſque laborat.
Tenuia non illum candentis carbaſa lini,
Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Cæſaries, pictóque juvant ſubtemine bracæ.
Jámque novus mediæ ſtupefacta per agmina pugnæ
Vidit eques, denſâ ſpargens haſtilia dextrâ;
Fulmineúmque viris proturbans ingerit enſem
Huc alternus & huc: cùm ſævior, ecce, juventus
Sarmaticæ coiere manus, fremitúſque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catenâ;
Id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
Et caput ingentem campis hoſtilibus umbram
Fert abies obnixa genu; vadítque virûm vi,
Vadit equûm, docilis relegi docilíſque relinqui,
Atque iterum medios non altior ire per hoſtes.
Orbibus hos rapidis, molliſque per æquora Caſtor
Anfractu levioris equi deludit anhelos,
Immemoréſque mori: ſed non iſdem artibus æquè
Concurrunt, ultróque ruunt in funera Colchi.
Campeſus, impactâ latus inter & ilia quercu,
Tollitur; ac mediam moriens deſcendit in haſtam.
Oebaſus, infeſtum ſummiſſo poplite Phalcen
Evaſiſſe ratus, lævum per luminis orbem
Tranſigitur; teneræ liquuntur vulnere malæ.
Contrà autem geminis fidens thoracibus, ictum
Suſtulit, & gladio Sibotes ferit ultima teli.
Nequicquam: jam cuſpis ineſt, nec fragmina curat
Ambenus, & trunco medium ſubit Otrea ligno.
Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remiſſum
Ponè trahit fugiens, & curſibus exuit haſtam:
Dúmque recollectam rurſus locat; irruit ultro,
Turbatúmque Lacon, & adhuc invadit inermem.
Impulit adverſo præceps equus Onchea conto,
Nequicquam totis revocantem viribus armos.
In latus accedit ſonipes; accedit & ipſe
Frigidus: armâ cadunt; rorat procul ultima cuſpis.
Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ
Si quis avem ſummi deducat ab aëre rami,
Antè manu tacitâ cui plurima crevit harundo;
Illa dolis viſcóque ſuper correpta ſequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.
Parte aliâ infeſtis (nam fors ita junxit) in armis
Styrus adeſt, lætúſque virum cognoſcit Anauſin;
Et prior: En cujus thalamis Æetia virgo

Dicta

Dicta manet; noſtróſque ferat qui victor amores.
Non, ait: invitóque gener mutabere patri.
Tum ſimul adverſas collatis curſibus haſtas
Conjiciunt: fugit adductis Albanus habenis
Saucius, atque datum leto non ſperat Anauſin,
Nec videt. ille autem telo moribundus adacto,
Ad ſoceros, pactæque ſinus en conjugis, inquit,
Styre, fugis; volnus referens, quod carmine nullo
Suſtineat, nulliſque levet Medea venenis.
Dixerat: extremus cùm lumina corripit error;
Vóxque repreſſa gelu, percuſſáque vertice tellus.
Hinc animos acies auget; magnóque doloris
Turbine Geſandrum Mavors rapit: ille morantes
Increpat, & ſtricto ſic urget lăzygas enſe:
Nempe omnes cecidere ſenes, nempe omnis ademtus
Antè pater. quæ vos ſubitò tam fœda ſenectus
Corripuit, fregítque animos, atque abſtulit iras?
Aut mecum mediam, juvenes, agite, ite per urbem
Argolicámque manum; aut caris occumbite natis.
Irruit, & patrias cœptis ferus advocat umbras:
Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc, animámque parem; ſi fata peroſo
Tarda tibi turpéſque moras non ſegniùs ipſi
Paruimus, parvíque viam didicere nepotes.
Hæc ait, auditúrque Erebo: tunc corripit enſem
Turbidus, & Furiis ardens quatit arma paternis.
Indigenis ſacratus aquis, magníque ſacerdos
Phaſidis Arctois Aquites errabat in armis;
Populeus cui frondis honor, conſpectáque glauco
Tempora nectuntur ramo; te, Cyrne, parentis
Immemorem duræ cupiens abducere pugnæ;
Jámque omnes impune globos diverſáque luſtrans
Agmina, quem quærit, nuſquam videt, atque iterum intrat
Vociferans, iterum belli diverſa peragrat:
Lancea cæruleas circùm ſtrepit incita vittas.
Opprimit admiſſis ferus hunc Geſander habenis.
Ille manum trepidans atque irrita ſacra tetendit:
Téque per hanc, inquit, genitor tibi ſi manet, oro
Canitiem, compeſce minas, & ſicubi nato
Parce meo. dixit. contrà ſic victor adacto
Enſe refert: Genitor, turpi durare ſenectâ
Quem mihi reris adhuc, ipſe hâc occumbere dextrâ
Maluit, atque ultro ſegnes abrumpere metas.
Et tibi ſi pietas nati, ſi dextra fuiſſet,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli,
Præda future canum. juveni ſors pulchrior omni;
Et certare manu decet, & caruiſſe ſepulcro.
Dixerat: ille deos moriens cælúmque precatur,
Dextera ne miſero talis foret obvia nato.
Te quoque, Canthe, tui non inſcia funeris Argo
Flevit, ab invitâ rapientem tela carinâ:
Jam Scythicos miſerande ſinus, jam Phaſidis amnem
Contigeras: nec longa dies, ut capta videres
Vellera, & Euboicis patrios de montibus ignes.
Illum, ubi congreſſu ſubiit Geſander iniquo,
Territat his: Tu, qui faciles hominúmque putâſti
Has, Argive, domos, alium hìc miſer aſpicis annum,
Altricémque nivem, feſtináque tædia vitæ.
Non nos aut levibus componere brachia remis
Novimus, aut ventos opus expectare ferentes:
Imus equis, quà vel medio riget æquore pontus,
Vel tumidâ fremit Hiſter aquâ: nec mœnia nobis
Veſtra placent: feror Arctois nam liber in arvis
Cuncta tenens mecum: omnis amor jacturáque plauſtri
Sola; nec hâc longùm victor potiere rapinâ.
Aſt epulæ quodcumque pecus, quæcumque ferarum,
Mitte Aſiæ, mitte Argolicis mandata colonis;
Ne trepident. numquam has hyemes, hæc ſaxa relinquam
Martis agros: ubi jam ſævi duravimus amne
Progeniem, natóſque rudes: ubi copia leti
Tanta viris: ſic in patriis bellare pruinis
Prædarique juvat: talémque hanc accipe dextram.
Dixit, & Ædoniis nutritum miſſile ventis
Concitat: it medium per pectus & horrida nexu
Letifer æra chalybs. trepidus ſupèr advolat Idas,
Ac ſimul Oenides, paritérque Menœtius, & qui
Bebrycio propiùs remeavit ab hoſpite victor.
At verò ingentem Telamon procul extulit orbem
Exanimem te, Canthe, tegens: ceu ſeptus in arto
Dat catulos poſt terga leo. ſic cominus haſtam
Æacides greſſúmque tenet, contráque ruentem
Septeno validam circumfert tegmine molem.
Nec minùs hinc urget Scythiæ manus, armáque Canthi,
Quiſque ſibi & Graio pœnam de corpore poſcens.

Arduus indè labos: medióque in corpore pugna
Conſeritur. magno veluti cùm turbine ſeſe
Iplius Æoliæ frangunt in limine venti,
Quem pelagi rabies, quem nubila, quémque ſequatur
Illa dies: obnixa virûm ſic cominus hæret
Pugna; nec arrepto velli de corpore poſſunt.
Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo
Dat famulis: tendunt illi, tractúque viciſſim
Taurea terga domant: pingui fluit unguine tellus.
Talis utrimque labos; ruptatáque limite in arto
Membra viri miſeranda meant. hi tendere contrà,
Hi contrà; alternæque virûm non cedere dextræ.
Hinc medium Telamon Canthum rapit; hinc tenet ar-
Colla viri, & molles galeæ Geſander habenas: [dens
Inſonuit quæ lapſa ſolo, dextrámque fefellit.
Ille iterum in clypei ſeptemplicis improbus orbem
Arietat, & Canthum ſequitur, Canthúmque repoſcit:
Quem manus à tergo ſociûm rapit, atque receptum
Virginis Euryales curru locat: advolat ipſa,
Ac ſimul Hæmonidæ: Geſandrúmque omnis in unum
It manus. ille novas acies & virginis arma
Ut videt, Has etiam contra bellabimus? inquit.
Heu pudor! indè Lycen ferit ad confine papillæ;
Indè Thoën, quà pelta vacat, jámque ibat in Harpen,
Vixdum prima levi ducentem cornua nervo,
Illabentis equi tendentem frena & Henippen:
Cùm regina, gravem nodis auróque ſecurim
Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ
Diſſipat. hìc pariter telorum immanis in unum
It globus: ille diu conjectis ſufficit haſtis:
* Quin gravior, nutúque carens exterruit Idam.
Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,
Quæ ſcopulis trabibúſque diu confectáque flammis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempúſque ratus jámque & ſua poſci
Prœlia, falcatos infert Ariaſmenus axes,
Sæváque diffundit ſociûm juga, protinus omnes
Grajugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
Qualiter, exoſus Pyrrhæ genus, æquora rurſus
Jupiter atque omnes fluviûm ſi fundat habenas,
Ardua Parnaſi lateant juga, ceſſerit Othrys
Piniger, & merſis decreſcant rupibus Alpes.
Diluvio tali, paribúſque Ariaſmenus urget
Excidiis, nullo rapiens diſcrimine currus.
Ægida tum primùm virgo ſpirámque Meduſæ
Tercentum ſævis ſqualentem ſuſtulit hydris,
Quam ſoli vidiſtis equi: pavor occupat ingens
Excuſſis in terga viris; dirámque retorquet
In ſocios non ſponte luem. tunc enſibus uncis
Implicat, & trepidos lacerat diſcordia currus.
Romanas veluti ſæviſſima cùm legiones
Tiſiphone regéſque movet; quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrimque micant, eadémque parentis
Rura colunt; idem lectos ex omnibus agris
Miſerat infelix non hæc ad prælia Tybris.
Sic modò concordes externáque fata petentes
Palladii rapuere metus; ſic in ſua verſi
Funera concurrunt dominis revocantibus axes.
Non tam fœda virûm Laurentibus agmina terris
Ejecere Noti; Libyco nec talis imago
Litore, cùm fractas involvunt æquora puppes.
Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles,
Quos radii, quos frena ſecant; trahitúrque trahíſque
Currus cæde madens; atróque in pulvere regum
Viſcera nunc aliis, aliis nunc curribus hærent.
Haud uſquam Colchorum animi: neque cura cavere
Tela; ſed implicitos miſeràque in peſte revinctos
Confodiunt: ac forma necis non altera ſurgit;
Quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
Non pennâ petit: hærentes ſed cornibus altis
Invenit, & cæcâ conſtrictos excipit irâ.
Ipſe recollectis audax Ariaſmenus armis
Deſilit: illum acies curvæ ſecat undique falcis,
Partitúrque rotis: atque indè furentia raptus
In juga Circæos tetigit non ampliùs agros,
Talia certatim Minyæ ſparſíque Cytæi
Funera miſcebant campis, Scythiámque premebant:
Cùm Juno Æſonidæ, non hanc ad vellera cernens
Eſſe viam, nec ſic reditus regina parandos,
Extremam molitur opem; funeſta priuſquam
Conſilia, ac feras aperit rex perfidus iras.
Increpat & ſævis Vulcanum mœſta querelis,
Cujus flammiferos videt inter regia tauros
Paſcua Tartaream profantes pectore noctem.

Hæc etenim Minyas ne jungere Marte peracto
Monstra satis jubeat Cadmei dentibus hydri,
Ante diem timet, & varias circumspicit artes:
Sola animo Medea subit: mens omnis in unâ
Virgine; nocturnis quâ nulla potentior aris.
Illius ad fremitus sparsósque per avia succos
Sidera fixa pavent, & avi stupet orbita Solis:
Mutat agros fluviúmque vias; suus adligat igni
Cuncta sopor: recoquit fessos ætate parentes,
Dátque aliis sinè lege colus. hanc maxima Circe
Terrificis mirata modis, hanc advena Phrixus;
Quamvis Atracio lunam spumare veneno
Sciret, & Hæmoniis agitari cantibus umbras.
Ergo opibus magnis & virginitate tremendam
Juno duci sociam conjungere quærit Achivo.
Non aliam tauris videt & nascentibus armis
Quippe parem. quam, si medio stet in agmine flamma,
Nullum mente nefas, nullos horrescere visus.
Quid si cæcus amor, sævúsque accesserit ignis?
Hinc Veneris thalamos sempérque recentia sertis
Tecta petit. visâ jamdudum profilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum.
Ac prior hanc blandis supplex Saturnia dictis
Adgreditur, veros metuens aperire timores:
In manibus spes nostra tuis, omnísque potestas
Nunc, ait. hoc etiam magis annue vera fatenti.
Durus ut Argolicis Tirynthius exulat oris;
Mens mihi non eadem Jovis, atque aversa voluntas:
Nullus honor thalamis, flammæve in nocte priores.
Da precor artificis blanda adspiramina formæ,
Ornatúsque tuos, terrâ cælóque potentes.
Sensit diva dolos, jam pridem sponte requirens
Colchida & invisi genus omne exscindere Phœbi.
Tum verò optatis potitur; nec passa precari
Ulteriùs, dedit acre decus fœcundáque monstris
Cingula; non pietas quibus, aut custodia famæ,
Non pudor: at contrà levis & festina cupido,
Adfatúsque mali, dulcésque labantibus error,
Et metus, & demens alieni cura pericli.
Omne, ait, imperium, natorúmque arma meorum
Cuncta dedi: quascumque libet nunc concute mentes.
Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atque hinc virgineæ venit ad penetralia sedis,
Chalciopen imitata sono formâque sororem.
Fulsit ab invitâ numen procul: & pavor artus
Protinus, atque ingens Æetida perculit horror.
Ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus, inquit,
Advenisse, soror, nec nostro sola parenti
Scis socias junxisse manus? at cætera muros
Turba tenet, fruitúrque virûm cælestibus armis.
Tu thalamis ignara sedes, tu sola paternâ
Fixa domo? tales quando tibi cernere reges?
Illa nihil contrà; nec enim dea passa: manúmque
Implicat, & rapidis mirantem passibus aufert.
Ducitur infelix ad mœnia summa futuri
Nescia virgo mali, & falsæ commissa sorori.
Lilia per vernos lucent velut alba colores,
Præcipuè quis vita brevis, totúsque parumper
Floret honor, fuscis & jam Notus imminet alis.
Hanc residens altis Hecate Perseïa lucis
Flebat, & has imo referebat pectore voces:
Deseris, heu, nostrum nemus æqualésque catervas,
Ah misera, ut Graias haud sponte vageris ad urbes,
Non injussa tamen: neque te, mea cura, relinquam.
Magna fugæ monumenta dabis; spernere nec usquam
Mendaci captiva viro: méque ille magistram
Sentiet, & raptu famulæ doluisse pudendo.
Dixerat. ast illæ murorum extrema capessunt,
Defixæque virûm lituûmque fragoribus horrent.
Quales instanti nimborum frigore mœstæ
Succedunt ramis, hærentque pavore volucres.
Jámque Getæ, jámque omnis Hiber, Drancæsque densâ
Strage cadit legio, & latis prosternitur arvis:
Seminecésque duces inter sua tela, fusósque
Inter equos sævam misero luctamine versant
Congeriem, & longis campos singultibus implent.
Victores contrà patrium Pæana Geloni
Congeminant: eadem redeunt mox gaudia victis;
Quà deus & melior belli respexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
Dic age, túque feri reminiscere, Musa, furoris.
Absyrtus clypei radiis currúque coruscus
Solis avi; cujus vibrantem cominus hastam
Cernere, nec galeam gentes potuere minantem;
Sed trepidæ redeunt, & verso vulnera tergo
Accipiunt, magnísque fugam clamoribus augent:
Proterit impulsu gravis agmina corporáque atris
Sternit equis, gemitúsque premit spirantis acervi.
Nec levior comitatur Aron; horrentia cujus
Discolor arma super, squalentésque æra lacertos,
Barbaricâ chlamys ardet acu, tremefactáque vento
Implet equum. qualis roscis it Lucifer alis,
Quem Venus illustri gaudet producere cœlo.
At non indè procul Rhambelus & acer Otaxes
Dispulerant Colchos, paritérque inglorius Armes,
Fraude novâ stabula & furtis assuetus inultis,
Depopulare greges: frontem cùm cornibus auxit
Hispidus, sinque dei latuit terrore Lycæi.
Hâc tunc attonitos facie defixerat hostes,
Quem simul ignotâ formidine bella moventem
Vidit Aron; Pavidos te, inquit, nunc rere magistros,
Et stolidum petiisse pecus: non pascua, nec spes
Hîc tibi: nocturnis mitte hæc simulacra rapinis;
Néve deum mihi finge; deus quoque consere dextram.
Sic ait: intentâque adjutum missile plantâ
Dirigit, & laxis paruerunt vulnera villis.
Nec minùs Æolii proles Æetia Phrixi
Fertur & ipsa furens; ac se modo læta Cytæis
Agminibus, modò cognatis ostentat Achivis.
Atque hos, in medio duri discrimine belli,
Laudibus sinque ipsis, gaudens ubi vidit Iäson;
Macte, ait, ô nostrum genus, & jam certa propago
Æoliæ necopina domûs: sat magna laborum
Dona fero, satis hoc visu quæcumque rependo.
Dixit, & in Sueten, magnúsque in fata Ceramni
Emicuit: clypeúmque rotans, hunc poplite cæso
Dejicit, illum aperit lato per pectus hiatu.
Argus utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
Et Zacorum & Phalcen, peditem pedes haurit Amastrum.
Sanguinis ille globos, effusáque viscera gestat
Barbarus, & cassâ frendens sublabitur irâ.
Dat Calais Barisanta neci, sempérque propinquas
Rhipea venali comitantem sanguine pugnas.
Centum lecta boum bellator corpora, centum
Pactus equos; his ille animam lucémque rependit
Crudelis: tandem dulces jam cassus in auras
Respicit, ac nullâ cælum reparabile gazâ.
Labitur intortos per tempora cærula crines
Tunc quoque maternâ velatus arundine Peucron.
At genitrix imis pariter Mæotis ab antris
Implevit plangore lacus, natúmque vocavit,
Jam non per ripas, jam non per curva volantem
Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos.
Eurytus Exomatas agit æquore. Nestoris hastæ
Imponitur primævus Helix (nec reddita caro
Nutrimenta patri) brevibus præreptus in annis.
At Latagum Zaténque Daraps; illum exigit hastâ,
Hunc fugat; ingentem subiti cùm sanguinis undam
Vidit, & extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris residens Medea paternis,
Singula dum magni lustrat certamina belli,
Atque hos ipsa procul densâ in caligine reges
Agnoscit, quæritque alios Junone magistrâ,
Conspicit Æsonium longè caput: ac simul acres
Huc oculos sensúsque refert animúmque faventem:
Nunc quò se raperet, nunc quò diversus abiret,
Antè videns: quótque unus equos, quot funderet arma,
Orantésque viros quàm densis sterneret hastis.
Quâque iterum tacito sparsit vaga lumina vultu,
Aut fratris quærens, aut pacti conjugis arma,
Sævus ibi miseræ solúsque occurrit Iäson.
Tunc his germanam adgreditur, ceu nescia, dictis:
Quis, precor, hic; toto jamdudum fervere campo
Quem tueor, quémque ipsa vides? nam te quoque tali
Attonitam virtute reor. contrà aspera Juno
Reddita agens stimulis, ac diris fraudibus urget:
Ipsum, ait, Æsoniden cernis, soror; æquore tanto
Debita cognati repetit qui vellera Phrixi.
Nec nunc laude prior generis, nec sanguinis usquam.
Aspicis, ut Minyas inter procerésque Cytæos
Emicet effulgens; quantísque insultet acervis:
Et jam vela dabit, jam litora nostra relinquet,
Thessaliæ felicis opes, dilectáque Phrixo
Rura petens. eat atque utinam, superétque labores!
Tantum effata, magis campis intendere suadet,
Dum datur, ardentésque viri percurrere pugnas.
At simul hanc dictis, illum dea Marte secundo
Impulit, atque novas egit sub pectora vires.

Ora ſub excelſo jam dudum vertice coni
Sæva micant, curſúſque ardeſcit: nec tibi, Perſe,
Nec tibi, virgo, jubæ lætabile ſidus Achivæ.
Acer ut autumni canis, iratóque vocati
Ab Jove fatales ad regna injuſta cometæ.
Nec ſua Crethiden latuit dea, vimque recentem
Sentit agi membris, ac ſe ſuper agmina tollit:
Quantus ubi ipſe gelu, magnóque incanuit imbre
Caucaſus, & ſummas abiit hybernus in Arctos.
Tunc verò, ſtabulis qualis leo ſævit opimis
Luxurians, ſpargítque famem, mutátque cruores;
Sic neque parte ferox, nec cæde moratur in unâ
Turbidus; inque omnes pariter furit: ac modò ſævo
Enſe, modò infeſtâ rareſcunt cuſpide pugnæ.
Tunc & terrificis ſudantem crinibus Hebrum,
Et Geticum Priona ferit: caput eripit Auchi;
Brachiáque, & vaſtis volvendum mittit arenis.
At genitus Jove complérat ſua fata Colaxes:
Jámque pater mæſto contriſtat ſidera vultu,
Talibus ægra movens nequicquam pectora curis;
Hei mihi, ſi duræ natum ſubducere ſorti
Moliar, atque meis auſim confidere regnis!
Frater adhuc Amyci mœret nece: cunctáque divûm
Turba fremunt, quorum nati cecidere cadéntque.
Quin habeat ſua quemque dies: cunctiſque negabo,
Quæ mihi, ſupremos miſero ſic fatus honores
Congerit, atque animis moriturum ingentibus implet.
Ille volat campis, immenſáque funera miſcet
Per cuneos: velut hyberno proruptus ab arcu
Imber agens ſcopulos, nemorúmque operúmque ruinas;
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, ſinque novum paulatim deficit amnem.
Talis in extremo proles Jovis emicat ævo;
Et nunc magnanimos Hypetaona Geſithoúmque,
Nunc Arinen Olbúmque necat: jam ſaucius Apren,
Et deſertus equo Tydrum pedes excipit haſtâ
Phaſiaden; pecoris cuſtos de more paterni
Caucaſus ad primas genuit quem Phaſidis undas:
Hinc puero cognomen erat; famulúmque ferebant
Phaſidis intonſo nequicquam crine parentes.
Jámque aliis inſtabat atrox; cùm diva ſupremas
Rumpit iniqua colus, victórque advenit Iäſon.
Excipit hunc ſævâ ſic fatus voce Colaxes:
Vos Scythiæ ſaturare canes, Scythiæque volucres
Huc miſeri veniſtis? ait: ſaxúmque prehenſum
Illius & dextræ geſtamen, & illius ævi,
Concuſſâ molitur humo; quod regia Juno
Flexit in admoti caput in fatúmque Moneſi.
Præceps ille ruit. nato non depulit ictus
Jupiter; Æſoniæ vulnus fatale ſed haſtæ
Per clypeum, per pectus abit: lapſóque cruentus
Advolat Æſonides, mortémque cadentis acerbat.
Spargitur hinc, miſerſque venit jam notus Alanis.
At regina virum (neque enim deus amovet ignem)
Perſequitur luſtrans, oculíſque ardentibus hæret:
Et jam, læta minùs præſentis imagine pugnæ,
Caſtigátque metus, &, quas alit inſcia, curas;
Reſpiciens, an vera ſoror: nec credere falſos
Audet atrox vultus, eadémque in gaudia rurſus
Labitur, & ſævæ trahitur dulcedine flammæ.
Ac velut ante comas ac ſumma cacumina ſylvæ
Lenibus adludit flabris levis Auſter: at illum
Protinus immanem miſeræ ſenſere carinæ:
Talis ad extremos agitur Medea furores:
Interdum blandæ derepta monilia divæ
Contrectat, miſeróque aptat fragrantia collo:
Quáque dedit teneros aurum furiale per artus,
Deficit; ac ſua virgo deæ geſtamina reddit:
Non gemmis, non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, ſed mole dei; quem pectore toto
Jam tenet: extremus roſeo pudor errat in ore.
Ac prior his: Crediſne patrem promiſſa daturum,
O ſoror, Argolicus cui dîs melioribus hoſpes
Contigit? aut belli quantum jam reſtat acerbi:
Heu quibus ignoti ſeſe pro gente periclis
Objicit! hæc fantem medio in ſermone réliquit
Incepti jam Juno potens, ſecuráque fraudis.
Imminet è celſis audentiùs improba muris
Virgo, nec ablatam ſequitur quæritve ſororem.
At quotiens vis dira ducum, denſíque repentè
Æſoniden preſſere viri, cúmque omnis in unum
Imber iit; totiens ſaxis pulſatur & haſtis.
Primáque ad infeſti Lexanoris horruit arcus;
Alta ſed Æſonium ſupra caput exit harundo,
Téque, Caïce, petit. conjunx miſeranda Caïco
Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.
Regius Eois Myraces interpres ab oris
Venerat, ut Colchos procul atque Æætia Parthis
Fœdera donato non irrita jungeret auro.
Tum juvenem terris Parcæ tenuere Cytæis,
Ac ſubiti Mavortis amor: ſimul armiger ibat
Semivir, impubémque gerens ſterilémque juventam.
Ipſe, pharetratis reſidens ad frena tapetis,
Nunc levis infeſto procurrit in agmina curru:
Nunc fuga converſas ſpargit mentita ſagittas.
At viridem gemmis & Eoæ ſtamine ſylvæ
Subligat extremâ patrium cervice tiaram,
Inſignis manicis, inlignis acinace dextro;
Improba barbaricæ procurrunt tegmina plantæ.
Nec latuere diu ſævum ſpolia illa Syenem,
Pérque levem & multo maculatam murice tigrin
Concita cuſpis abit: ſubitos ex ore cruores
Saucia tigris agit, vitámque effundit herilem:
Ipſe puer fracto pronum caput implicat arcu.
Sanguine tunc atro chlamys ignea, ſanguine vultus,
Et gravidæ maduere comæ, quos flore Sabæo
Nutrierat, liquidóque parens ſignaverat auro.
Qualem ſi quis aquis & fertilis ubere terræ
Educat, ac ventis oleam felicibus implet,
Nec labor aſſiduus, nec ſpes ſua fallit alentem;
Jámque videt primam tenero de vertice frondem:
Cùm ſubitò immiſſis præceps aquilonia nimbis
Venit hyems, nigrâque evulſam tendit arenâ.
Haud ſecus ante urbem Myraces, atque ipſius ante
Virginis ora cadit: ſed non magis illa movetur
Unius ægra metu; quàm te, Meleagre, furentem,
Quàm Talaum videt, aut pugnas miratur Acaſti
[At ſatis hos ipſæ gentes, campſque videbant]
Tempeſtate pari verſis incumbere turmis:
Ante oculos fuga fœda ducem, largúſque cadentum
Et cruor, & currus dominis ingentibus orbi.
Non tulit hos Perſes gemitus: cladémque ſuorum,
Tergáque verſa tuens his cælum queſtibus implet.
Quid me jam patriis ejectum ſedibus iſtas
Ut ſtruerem pugnas, Scythiámque in bella moverem,
Vos Superi, vos augurio juſſiſtis inani?
Quid fratris meritas tua, Jupiter, omina pœnas
Promiſere mihi? nobis Argoa parabas
Scilicet auxilia, & tantas conjungere vires.
Sæva quidem lucis miſeris mora: dent tamen oro
Unum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos
Sic meritos; quóque hunc videam virtute ſuperbum
Æſoniden, tantos flentem ſiuè honore labores.
Dixerat hæc, pectúſque ſuis everberat armis,
Et galeam fletu, galeam ſingultibus implet:
Ibat & in medii præceps incendia belli;
Ni prior adverſis Pallas vidiſſet ab armis:
Et ſecum; Ruit ecce ferox in funera Perſes,
Quem genitor Colchis ſolióque reponere fratris
Jam ſtatuit. noſtrâ vereor ne fraude peremtum
Increpet, & culpam hanc magno terrore rependat.
Hæc dicens, atro nebulam diffundit amictu,
Stridentéſque viri circùm caput amovet haſtas.
Ille ſuper ſocias clementi turbine gentes
Erigitur, paulúmque levi raptatus in æthrâ,
Jam tandem extremas pugnæ defertur in oras:
Fortè ubi ſerus Hiber Eſſedoniæque phalanges
Marte carent, ſoliſque juvant clamoribus agmen.
Nox ſimul aſtriferas profert mortalibus umbras:
Et cadit extemplo belli fragor; ægráque muris
Digreditur, longum virgo perpeſſa timorem.
Ut fera Nyctelii pauliſper ſacra reſiſtunt;
Mox rapuere deum jamjam quocumque paratæ
Thyades. haud alio remeat Medea tumultu,
Atque inter Graiûmque acies patriáſque phalanges
Semper inexpletis agnoſcit läſona curis,
Armáque, quique cavâ ſupereſt de caſſide vultus.

LIBER VII.

TE quoque Theſſalico jam ſerus ab hoſpite veſper
Dividit, & te jam tua gaudia, virgo, relinquunt:
Nóxque ruit, ſoli veniens non mitis amanti.
Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,
Contigit ægra toros, & mens incenſa tenebris;
Vertere tunc varios per longa inſomnia queſtus,

Nec

Nec perent quo ſcire modo: tandémque fateri
Auſa tibi; paulùm medio ſic fata dolore eſt:
Nunc ego quo caſu, vel quo ſic pervigil uſque
Ipſa volens errore trahor? non hæc mihi certè
Nox erat ante tuos, juvenis fortiſſime, vultus.
Quos ego cur iterum demens iterúmque recordor,
Tam magno diſcreta mari? quid in hoſpite ſolo
Mens mihi? cognati potiùs jam vellera Phrixi
Accipiar, quæ ſola petit, quæque una laborum
Cauſa viro. nam quando domos has ille reviſet?
Aut meus Æolidas quando pater ibit ad urbes?
Felices, mediis qui ſe dare fluctibus auſi,
Nec tantas timuere vias, talémque ſecuti
Hunc qui deinde virum: ſed ſic quoque talis abito.
Tum jactata toro, nimiúmque experta cubile,
Ecce videt tenui candeſcere limen Eoo:
Nec minùs inſomnem lux orta refecit amantem,
Quàm cùm languentes levis erigit imber arillas,
Gratáque jam teſſis deſcendunt flamina remis.
At ſua longarum Minyas jam cura virarum
Admonet, ſuque ipſo nequicquam tempore regem
Lætitiæ meritique petunt; quem paſſus Iaſon
Vota priùs captáſque deis accendere prædas,
Prominet, atque oculos longè tenet; aurea ſi jam
Pellis, & oblatis clareſcant atria villis.
Ille autem jamjam vultus vocéſque parantem
Antè aperit; rumpítque moras, ſuque ipſa morantis
Profilit ora viri, talíque effunditur irâ:
Orbe totos alio, ſua litora regnáque habentes,
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quiſve mei vos tantus amor? tu prima malorum
Cauſa mihi, tu, Phrixe gener: non te æquore merſum,
Quo ſoror, ut felix nullos nunc nomine Graios
Nôſſem ego? quis regum Pelias, quis Theſſalus, aut quæ
Græcia? quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes
Cyaneæ? venit Scythicas en hoſpes in oras:
Quinquaginta Aſiam (pudet heu!) penetrârit Iaſon
Exſulibus? méque ante alios ſic ſprevérit una,
Una ratis, ſpolium ut vivo de rege reportet?
Ipſum offerre meos, ipſum me pandere lucos
Imperet? & nullo diguetur vincere bello?
Cur, age, non templis ſacrata avellere dona
Omnibus, atque ipſas gremiis abducere natas,
Prædo, libet? vobíſne domos, vobíſne parentes
Eſſe putem, ratis infandis quos ſola rapinis
Sæváque paſcit hyems? & quos, credamus ut ipſâ,
Rex ſuus illîlit pelago, vetuſtque reverti?
Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro?
Antè meus cæſâ deſcendet Caucaſus umbrâ,
Ac prior Hæmonias repetet ſuper æquora prædas.
Haud ego cum vittis ſtatui feralibus Hellen.
Si tamen his alter perſtas non cedere terris,
Téque pudor caſſi reditûs movet, ac latet unâ
Neſcio quid plus puppe viris; haud ipſe morabor
Quæ petitis: modò noſtra prior tu perfice juſſa.
Martius ante urbem longis jacet horridus annis
Campus, & ardentes, ac me quoque vomere preſſo,
Me quoque cunctantes interdum agnoſcere tauri.
His magìs atque magìs rabiem nunc noſtra ſenectus
Luxuriémque dedit; ſolitóque ſuperbior ignis
Ore fremit. ſuccede meæ, fortiſſime, laudi;
Et noſtros recole, hoſpes, agros. nec ſemina deerunt,
Quæ priùs ipſe dabam, & meſſes, quas ſolus obibam.
Conſiliis nox una ſatis: tecúmque retracta,
Cúmque tuis hæc juſſa deis: ac, ſi quid in iſto eſt
Robore, prædicti venies in rura laboris.
Ipſe incertus adhuc, tenebris te protinus illis
Involvi flammíſque velim: durare parumper
An magìs, everſo jacias dum ſemina campo,
Ac tibi Cadmei dum ſeminis exeat hydri
Miles, & armatâ floreſcant pube novales.
Filia prima trucis vocem mirata tyranni
Hæſit, & ad juvenem pallentia rettulit ora,
Contremuítque metu, ne neſcius audeat hoſpes,
Séque miſer ne poſſe putet. perſtrinxerat horror
Ipſum etiam, & mœſtâ ſtabat defixus in irâ.
Non ita Tyrrhenus ſtupet Ioniúſque magiſter,
Qui portus Tyberine tuos, clarámque ſerenâ
Arce Pharon præceps ſubiit: nuſquam oſtia, nuſquam
Auſoniam videt, & ſævas accedere Syrtes.
Tum tamen infando quæ det reſponſa tyranno
Colligit, & tandem obtutu conſurgit ab alto:
Non, ait, hos reditus, non hanc, Æeta, dediſti
Spem Minyis: cùm prima tuis pro mœnibus arma
Induimus, quò verſa fides? quos vectra volutant
Juſſa dolos? alium hic Pelian, alia æquora cerno.
Quin agite, hoc omnes odiſque urgete tyranni
Imperiſque caput; quamquàm mihi dextera, nec ſpes
Defuerit mox juſſa pati, nec cédere duris.
Unum oro, ſeu me illa ſuis ſeges obruet haſtis,
Hauriet adverſo ſeu craſſinus ignis hiatu;
Nuntius hinc ſævas Peliæ mittatur ad aures,
Hîc periiſſe viros: & me, ſi vectra fuiſſet
Ulla fides, reducem patriæ potuiſſe referri.
Talibus attonitos dictis natámque patrémque
Linquit, & infidâ præceps prorumpit ab aulâ.
At trepida & medios inter deſerta parentes
Virgo ſilet: nec fixa ſolo ſervare párumper
Lumina, nec potuit mœſtos non flectere vultus:
Reſpexítque fores, & adhuc invenit euntem:
Viſus & heu miſeræ tunc pulchrior hoſpes amanti
Diſcedens: tales humeros, ea terga relinquit.
Illa domum atque ipſos paulùm procedere poſtes
Optat, & ardentes tenet intrà limina greſſus.
Qualis, ubi extremas lo vaga ſentit arenas,
Férque reférque pedem; tumido quam cogit Erinnys
Ire mari, Phariæque vocant trans æquora matres.
Circuit haud aliter, foribúſque impendet apertis,
An melior Minyas revocet pater: oráque quærens
Hoſpitis, aut ſolo mœret detecta cubili,
Aut venit in caræ gramium refugíque ſororis,
Atque loqui conata ſilet; rurſúſque recedens
Quærit, ut Ææis hoſpes conſederit oris
Pulvinus, ut aligeri Circen rapuere draconeſ.
Tum comitum viſu fruitur miſeranda ſuarum,
Implerſque nequit; ſubitóque parentibus hæret
Blandior, & patriæ circumtèrt oſcula dextræ.
Sic adſueta toris & menſæ dulcis herili,
Ægra novâ jam pelle canis rabiéque futurâ,
Ante fugam totos luſtrat queribunda penates.
Tandem etiam molli ſeſe ſemel increpat irâ:
Pergis, ait, demens; téque illius angit imago
Curáque, qui profugâ forſan tenet alta carinâ?
Quíque meum patrias referet nec nomen ad urbes?
Quid me autem ſic ille movet, ſuperéne labores,
An cadat, & tanto turbetur Græcia luctu?
Saltem, fata virum ſi jam ſuprema ferebant,
Juſſus ad ignotos potius foret ire tyrannos
O utinam, & tandem non hâc moreretur in urbe!
Namque & fidereo noſtri de ſanguine Phrixi
Dicitur; & caram vidi indoluiſſe ſororem:
Séque ait hos juſſis actum miſer ire per undas.
At redeat quocumque modo, méque iſta precari
Neſciat, atque meum non oderit ille parentem.
Dixerat hæc, ſtratóque graves projecerat artus,
Si veniat miſerata quies; cùm ſævior ipſe
Turbat agítque ſopor: ſuppliex hinc ſternitur hoſpes,
Hinc pater: illa novâ rumpit formidine ſomnos,
Erigitúrque toro; famulas caróſque penates
Agnoſcit, modò Theſſalicas raptata per urbes.
Turbidus ut pœnis cæciſque pavoribus enſem
Corripit, & ſævæ ferit agmina matris Oreſtes;
Ipſum angues, ipſum horriſoni quatit ira flagelli;
Atque iterum inteſtîs ſe fervere cæde Lacænæ
Credit agens, falſâque redit de ſtrage dearum
Feſſus, & in miſeræ collabitur ora ſororis.
His ubi nequicquam mutantem Colchida curis
Juno videt, necdum extremo parere furori;
Non jam mentitæ vultum vocémque reſumit
Chalciopes; quando ardor hebet, leviórque pudori
Ménſque obnixa malo; tenues ſublimis in auras
Tollitur, & fulvo Venerem veſtigat Olympo:
Sum memor, ut totam mecum partita laborem;
Illa nimis ſed dura manet, converſáque in iram
Et Furias dolet, ac me nunc decepta reliquit.
I, precor, atque iſtum, quo me fruſtratur, amorem
Vince precor; patriis ut tandem evadere tectis
Audeat, æque meum caſû defendere ab omni
Æſoniden. quin illa, ſæro quo freta veneno,
Illum etiam totis adſtantem noctibus anguem,
Qui nemus omne ſeum, quſque aurea (reſpice porrò)
Vellera tot ſpiris circùm, tot dorſibus implet,
Solvat, & in ſomnos ingenti ſolvat ab orno.
Hæc tibi nunc: Furiis, atque ipſi cætera mando.
Tum Venus aligerûm mater ſic fatur Amorum:
Nec tibi, cùm primos aggreſſa es flectere ſenſus
Virginis, ignoráque animum contingere curâ,
Defuimus: data continuò ſub cingula ſolî

Noſtra

Noſtra tibi, quis mota loco labefactáque ceſſit.
Haud ſatis eſt; ſed me ipſa opus eſt: cunctantia poſcunt
Pectora me, dubiúſque pudor: jam fœdera fazo
Æſonii petat ipſa viri, metuárque morari.
Tu face luciferæ citus ad delubra Dianæ
Deveniat, ſacras ſolita eſt ubi fundere tædas
Colchis, & æquali dominam lustrare catervâ.
Nec te tunc Hecates ſubeat metus, aut mea fortè
Impediat ne cœpta time. quin audeat opto:
Continuò tranſibit amor; cantúque trilingui
Ipſam flammiferos cogam compeſcere tauros,
Amplexúmque pati. volucrem tunc aſpicit Irin,
Feſtinámque jubet monitis parere Dionæ;
Et juvenem Æſonium prædicto ſiſtere luco.
Protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit
Colchida: Caucaſiis ſpeculatrix Juno reſedit
Rupibus, attonitos Ææa in mœnia vultus
Spéque metúque tenens, & adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus proſpexerat arces;
Virginis ecce novus mentem perſtringere languor
Incipit: ingeminant commotis queſtibus æſtus.
Ergo iterum ſenſus varios ſuper hoſpite volvens
Mœret, & abſenti nequicquam talia fatur.
Si tibi Theſſalicis, nunc ſi tua fortè venenis
Mater, & heu, ſi qua eſt, poſſet ſuccurrere conjunx!
Quídve tuos virgo poſſim niſi flere labores?
Hoc ſatis; ipſa etiam caſus ſpectare ſupremos,
Atque iterum duræ cogar comes eſſe ſorori.
Et nunc ille ſuâ non quemquam ſorte moveri,
Non ullum meminiſſe putat: cúmque omnibus odit
Me quoque. ſi quando fuerit tamen ulla poteſtas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus hæſerit arvis,
Oſſáque, quis tauri ſævúſque pepercerit ignis,
Componam, ſedémque dabo. fas tunc mihi manes
Dilexiſſe viri, tumulóque has reddere curas.
Dixerat, ecce toro Venus improviſa reſedit,
Sicut erat mutata deam, mentitáque pictis
Veſtibus & magicâ Circen Titanida virgâ.
Ipſa, velut lenti fallatur imagine ſomni,
Hîc oculos incerta tenet, magnúque ſororem
Paulatim putat eſſe patris: tum flebilè gaudens
Proſiluit, ſævæque ultro tulit oſcula divæ.
Ac prior: O tandem, vix tandem reddita Circe
Dura tuis; quæ te bijugis ſerpentibus egit
Hinc fuga? quæve fuit patriis mora gratior oris?
Antè & Theſſalicæ Phaſin petiere carinæ,
Pérque tot infelix fruſtra vada venit Iaſon,
Quàm patriæ te movit amor. tum cetera rumpit,
Occurritque Venus: Tu nunc mihi cauſa viarum;
Sola tuæ venio jampridem ignara juventæ:
Cætera parce queri; neu me meliora ſecutam
Argue: quippe etiam repetentur munera divûm.
Omnibus hunc potiùs communem animantibus orbem,
Communes & crede deos. patriam indè vocato
Quà redit ſeque dies. nec nos dîs nata malignis
Cluſerit hôc uno ſemper ſub frigore meſſis.
Fas mihi non habiles, fas & tibi linquere Colchos.
Et nunc Auſonii conjunx ego regia Pici:
Nec mihi flammiferis horrent ibi paſcua tauris:
Méque vides Tuſci dominam maris. at tibi quinam
Sauromatæ, miſeranda, proci? cui vadis Hibero,
(Hei mihi!) vel ſævo conjunx non una Gelono?
Illa deæ contrà jamdudum ſpernere voces:
Non ita me immemorem magnæ Perſeidos, inquit,
Cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
I, precor, atque unum pro me dimitte timorem.
Sed magis his miſeram, quando potes, eripe curis,
Unde metus æſtúſque mihi, quæque aſpera, mater,
Perpetior duræ jamdudum incendia mentis.
Nulla quies animo, nullus ſopor: ardua amanti.
Quære malis noſtris requiem, mentémque repone:
Redde diem noctémque mihi; da prendere veſtes
Somniferas, ipsâque oculos componere virgâ.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi: fortior antè
Sola fui. triſtes thalamos, infeliáque cerno
Omnia, vipereos ipſi tibi ſurgere crines.
Talia verba dabat, conlapſáque flebat iniquæ
In Veneris Medea ſinus, peſtémque latentem
Oſſibus, atque imi monſtrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus, & furialia figit
Oſcula, permixtúmque odiis inſpirat amorem.
Dúmque illam variis mœrentem vocibus ambit,
Inque alio ſermone tenet; Quin hoc, ait, audi,
Atque attolle genas. lachrymiſque hæc infit obortis:
Cùm levis à ſuperis ad te modò laberer auris;
Fortè ratem primo fugientem litore cerno,
Qualem noſtra ſuo numquam dimittere portu
Vellet, adhuc omnes quæ detinet inſula nautas.
Unus (ibi ante alios qui tum mihi pulchrior omnes
Viſus erat; longéque ducem mirabar & ipſe)
Advolat, atque unam comitum ratus eſſe tuarum:
Per, tibi ſi quis, ait, morituri protinus horror,
Et quem non meritis videas occurrere monſtris,
Hæc precor: hæc dominæ referas ad virginis aurem:
Tu fletus oſtende meos: illi has ego voces
Quà datur, háſque manus, ut poſſum, à litore tendo.
Ipſæ, ego quas mecum per mille pericula traxi,
Deſecere deæ. ſpes & via ſola ſalutis,
Quam dederit, ſi fortè dabit. ne vota repellat,
Ne mea: tótque animas, quales nec viderit ultrà,
Dic precor, auxilio juvet, atque hæc nomina ſervet.
Si Pelopis duros prior Hippodamia labores
Expediit, tótque ora ſimul jugulata procorum
Reſpiciens, tandem patrios exhorruit axes:
Si dedit ipſa neci fratrem Minoïa virgo:
Cur non hoſpitibus fas ſit ſuccurrere dignis
Te quoque, & Ææos jubeas miteſcere campos?
Occidat æternâ tandem Cadmeïa morte
Jam ſeges, & viſo fumantes hoſpite tauri.
Hei mihi, quòd nullas hîc poſſum exſolvere grates!
Ut tamen hoc ſævâ corpus de morte receptum,
Hanc animam ſciat eſſe ſuam. miſerebitur ergo?
Dic, ait. an potiùs? ſtrictúmque ruebat in enſem.
Promiſi: ne falle, precor. cúmque ipſa moveret
Adloquio caſúque viri, te paſſa rogari
Sum potiùs: tu laude novâ, tu ſupplice digno
Dignior es: ſat fama meis jam parta venenis.
Torſerat illa gravi jamdudum lumina vultu
Vix animos dextrámque tenens, quin ipſa loquentis
Iret in ora deæ; tantâ pudor æſtuat irâ
Verba cavens: horror mollés invaſerat annos.
Jámque toro trepidas infelix obſtruit aures;
Nec quò ferre fugam, nec quò ſe vertere poſſet
Prenſa videt: ruptâ condi tellure premíque
Jamdudum cupit, ac diras evadere voces.
Illa ſequi jubet, & portis exſpectat in ipſis.
Sævus Echioniâ ceu Penthea Bacchus in aulâ
Deſerit, infectis per roſcida cornua vittis;
Cùm tenet ille deum, pudibundáque tegmina patris,
Tympanáque, & mollem ſubitò miſer accipit haſtam.
Haud aliter deſerta pavet, pérque omnia circùm
Fert oculos, tectíſque negat procedere virgo.
Contrà ſævus amor, contrà perituras Iaſon
Urget, & auditæ creſcunt in pectore voces.
Heu quid agat? videt externo ſe prodere patrem
Dura viro: famam ſcelerum jámque ipſa ſuorum
Proſpicit: & queſtu ſuperos, queſtúque fatigat
Tartara: pulſat humum, manibúſque immurmurat uncis,
Noctis heram Ditémque ciens; ſuccurrere tandem
Morte velint, ipſúmque ſimul dimittere leto,
Quem propter furit: abſentem fæviſſima poſcit
Nunc Pelian, tantâ juvenem qui perderet irâ:
Sæpe ſuas miſero promittere deſtinat artes,
Denegat, atque unâ potiùs decernit in irâ;
Ac neque tam turpi ceſſuram ſemper amori
Proclamat, neque opem ignoto virétque daturam:
Atque toro projecta manet: cùm viſa vocari
Rurſus, & impulſo ſonuerunt cardine poſtes.
Ergo ubi neſcio quo penitus ſe numine vinci
Sentit, & abſciſum quicquid pudor antè monebat;
Tum thalami penetrale petit, quæ maxima nôrat
Auxilia Hæmoniæ quærens pro rege carinæ.
Utque procul magicis ſpirantia tecta venenis,
Et fævæ patuere fores, oblatáque contrà
Omnia, quæ Ponto, quæ Manibus eruit imis,
Et quæ ſanguineâ Lunæ deſtrinxit ab irâ:
Túne ſequeris, ait, quicquam, aut patiere pudendum,
Cùm tibi tot mortes, ſcelerîſque breviſſima tanti
Effugia? hæc dicens, quo non velociùs ulla,
Peſtiferam toto nequicquam lumine luſtrat.
Cunctatúrque ſuper, moriturâque colligit iras.
O nimiùm jucunda dies, quàm cara ſub ipsâ
Morte magis! ſtetit, & ſeſe mirata furentem eſt.
Occidis, heu! primo potes hoc durare ſub ævo?
Nec tu lucis, ait, nec videris ulla juventæ
Gaudia? nec dulces fratris pubeſcere malas?
Hunc quoque, qui nunc eſt primævus, Iaſona neſcis
Morte perire tuâ, qui te nunc invocat unam,

Qui

Qui rogat, & noſtro quem primum in litore vidi?
Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras?
Tún' poteras illis juvenem non perdere monſtris
Protinus? ipſa etiam, fatcor, tunc ipſa volebam.
Teſſor cara tuas, Circe Titania, voces:
Te ducente ſequor: tua me grandæva fatigant
Conſilia, & monitis cedo minor. hæc ubi fata,
Rurſus ad Hæmonii juvenis curámque metúmque
Vertitur: hunc ſolum propter ſe vivere gaudens,
Sive mori, quodcumqſe velit. majora precatur
Carmina, majores Hecaten immittere vires
Nunc tibi; nec notis ſtabat contenta venenis.
Cingitur indè ſinus, & quâ libi fida magis vis
Nulla, Promethææ florem de ſanguine fibræ
Caucaſium, tornitru nutritáque gramina, promit,
Quæ ſacer ille nives inter trifteſque pruinas
Durat edítque cruor; cùm vitiare vultur adeſo
Tollitur è ſcopulis, & roſtro irrorat aperto.
Idem nec longi langueſcit finibus ævi
Immortale virens: idem ſtat fulmina contra
Sanguis, & in mediis floreſcunt ignibus herbæ.
Prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
Intulit, & validas ſcopulis effodit aritas:
Mox famulæ monſtrata ſeges, quæ lampade Phœbes
Sub decimâ juga fœta metit, ſævitque per omnes
Reliquias ſaniémque dei; gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: totos tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctæque tremunt ſub falce cacumæ.
Talibus infelix contra ſua regna venenis
Induitur, noctſque tremens infertur opacæ.
Dat dextram vocémque Venus, blandíſque paventem
Adloquiis, junctóque trahit per mœnia pallu.
Qualis adhuc teneros ſupremum pallida fœtus
Mater ab excelſo produxit in æra nido,
Hortatúrque ſequi, brevibúſque inſurgere pennis;
Illos cærulei primus ferit horror Olympi;
Jámque redire rogant, aſſuetáque quæritur arbor.
Haud alia Æææ per mœnia deſicit urbis
Incedens, horrétque domos Medea ſilentes.
Hic iterum extremæ nequicquam in limine portæ
Subſtitit, atque iterum fletus animſque ſoluti:
Reſpexítque deam, paulúmque his vocibus hæſit:
Ipſe rogat certè, méque ipſe implorat Iáſon.
Nullâne culpa ſubeſt? labes non ulla pudoris,
Nullus amor: nec turpe viro ſervire precanti.
Illa mihi contrà, vocéique abrumpit inanes.
Et jam jam magico per opaca ſilentia Colchis
Cœperat ire ſono, monſtratáque condere vultus
Numina, cúmque ſuis averti collibus amnes:
Jam ſtabulis gregibúſque pavor, ſtrepitúſque ſepulcris
Inciderat: ſtupet ipſa gravi nox tardior umbrâ.
Jámque tremens longè ſequitur Venus. útque ſub altas
Pervenere trabes, divæque triformis in umbram;
Hìc ſubitò ante oculos nondum ſperatus Iáſon
Emicuit: vidítque prior conterrita virgo.
Atque hìc ſe profugam volucri Thaumantias alâ
Sottulit: indè Venus dextræ dilapſa tenenti.
Obvius ut ferâ cùm ſe ſub nocte magiſtris
Impingit pecorſque pavor; qualéſve profundam
Per chaos occurrunt cæcæ ſinè vocibus umbræ:
Haud ſecus in mediis noctis nemoríſque tenebris
Inciderant ambo attoniti, juxtáque ſubibant,
Abietibus tacitis aut immotis cypariſſis
Adſimiles, rapidus nondum quas miſcuit auſter.
Ergo ut erat vultu defixus uterque ſilenti,
Nóxque ſuum peragebat iter; jam jam ora levare
Æſoniden, farſque cupit Medea priorem.
Quam ſimul effutis pavitantem fletibus heros,
Flagrantéſque genas vidit, miſerúmque pudorem;
Has tandem voces dedit, & ſolatus amantem eſt:
Férſne aliquam ſpem lucis? ait. miſerata laborem
Nempe venis? an & ipſa meâ lætabere morte?
Ne precor infando ſimilem te, virgo, parenti
Geſſeris: haud tales decet inclementia vultus.
Háſcene nunc grates, hæc exſpectata laborum
Dona dari decuit? ſic te ſub teſte remitti
Fas me, virgo, tuum? juſtas da vocibus aures.
Nec pater ille tuus, tantis me opponere monſtris,
(Quid meritum?) aut tales voluit me pendere pœnas.
An jacet externâ quod nunc mihi cuſpide Canthus?
Quódque meus veſtris cecidit pro mœnibus Iphis?
Aut Scythiæ tanta indè manus? juſſiſſet abire
Perfidus, atque ſuis extemplo cedere regnis.
Spem mihi promiſſam per quæ diſcrimina rurſus,
Et reddat quâ lege, vides, occumbere tandem
Poſſumus: ſdque ſedet, quàm non quæcumque ſubire
Patris juſſa tui: nunquàm ſinè vellere ſiſtho
Hinc ego: degenerem nec me tu prima videbis.
Hæc ait illa tremens, ut ſupplicis aſpicit ora
Conticuiſſe viri, jámque & ſua verba repoſci;
Nec quibus inciplat demens videt, ordine nec quo,
Quóve tenus, primâ cupiens effundere voce
Omnia, ſed nec prima pudor dat verba timenti.
Hæret, & attollens vix tandem lumina fatur:
Quid, precor, in noſtras veniſti, Theſſale, terras?
Unde mei ſpes ulla tibi? tantóſque petiſti
Cur non ipſe tuâ fretus virtute labores?
Nempe, ego ſi patriis timuiſſem excedere tectis,
Occideras: nempe hanc animam ſors ſæva manebat
Funeris. en ubi Juno, ubi nunc Tritonia virgo?
Sola tibi quoniam tantis in caſibus adſum
Externæ regina domûs: miraris & ipſe,
Credo: nec agnoſcunt hæ nunc Æetida ſylvæ.
Sed fatis ſum victa tuis. cape munera ſuppliex
Non mea: téque iterum Pelias ſi perdere quæret,
Inque alios caſus, alias te mittet ad urbes;
Heu formæ ne crede tuæ. Titania jámque
Gramina, Perſæáſque ſinu depromere vires
Cœperat; his iterum compellat läſona dictis:
Si tamen aut ſumtis aliquam ſpem ponis in armis,
Aut tua præſenti virtus educere leto
Si te fortè poteſt; & jam nunc deprecor, hoſpes,
Me ſine, & inſontem miſero dimitte parenti.
Dixerat. extemplo (neque enim matura ruebant
*Sidera, & extremum ſuffixerat axe Booten)
Cùm gemitu & multo juveni medicamina fletu
Non ſecus ac patriam, pariter famámque decúſque,
Objicit. ille manu ſubit, & vim corripit omnem.
Indè ubi facta nocens, & non revocabilis unquam
Ceſſit ab ore pudor, propiórque implevit Erinnys;
Carmina nunc totos ſolvit figítque per artus
Æſonidæ, & totum ſepteno murmure fertur
Per clypeum, atque viro graviorem reddidit haſtam:
Jámque ſui tauris languent abſentibus ignes.
Nunc age, & has, inquit, criſtas galeámque reſume;
Quam modò funereâ tenuit Diſcordia dextrâ.
Hanc jace per medias, cùm verteris æquora, meſſes.
Protinus in ſeſe converſa furoribus ibit
Cuncta phalanx: atque ipſe fremens mirabitur, & me
Reſpiciet fortaſſe pater. ſic deinde locuta
Jam magis atque magis mentem ſuper alta ferebat
Æquora: pandentes Minyas jam vela videbat
Se ſinè: tum verò extremo percuſſa dolore
Arripit Æſoniden dextrâ, ac ſummiſſa profatur:
Sis memor oro mei, contrà memor ipſa manebo,
Crede, tui. quando hinc aberis, dic quæſo, profundi
Quod cæli ſpectabo latus? ſed te quoque tangat
Cura mei quocumque loco, quoſcumque per annos:
Atque hunc te meminiſſe velis, & noſtra fateri
Munera; ſervatum pudeat nec virginis arte.
Hei mihi, cur nullos ſtringunt tua lumina fletus?
An me mox meritâ moriturum patris ab irâ
Diſſimulas? te regna tuæ felicia gentis,
Te conjunx nataque manent: ego prodita obibo.
Non queror, & pro te lucem quoque læta relinquam.
Protinus hoſpes ad hæc, (tacitis nam cantibus illum
Flexerat, & ſimili jamdudum adflârat amore)
Túne, ait, Æſoniden quidquam te velle relictâ
Credis; & ulla pati ſinè te loca? redde tyranno
Me potiùs: recipe ingratos atque exue cantus.
Quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
Si non & genitor te primam ampleétitur Æſon,
Téque tuo longè fulgentem vellere gaudens
Spectat, & ad primos procumbit Græcia fluctus?
Reſpice ad has voces, & jam precor adnue, conjunx.
Per te, quæ ſuperis diviſque potentior imis,
Pérque hæc ergo tuo redeuntia ſidera nutu,
Atque per has noſtri juro diſcriminis horas;
Umquam ego ſi meriti ſim noctis & immemor hujus,
Si te, ſceptra, domum, ſi te liquiſſe parentes
Senſeris, & mea tum non hæc promiſſa videntem;
Tum me non tauros juvet evaſiſſe, feróſque
Terrigenas: tum me tectis tua turbet in ipſis
Flamma, tuæque artes: nullus ſuccurrere contrà
Ingrato queat, & ſi quid tu ſævius ipſis
Adjicias, méque in medio terrore relinquas.
Audiit, atque ſimul meritis perjuria pœnis
Deſpondet, queſtus ſemper furor ultus amantis.

Hæc

Hæc ubi dicta, tamen perſtant defixus utrique,
Et nunc ora levant audaci læta juventâ,
Ora ſimul totiens dulces rapientia viſus.
Dejicit hinc vultus æger pudor, & mora dictis
Redditur, ac rurſus conterret läſona virgo:
Accipe, perdomitis quæ deinde pericula tauris,
Et quis in Æolio maneat te vellere cuſtos;
Nondum cuncta tibi, fateor, promiſſa peregi.
Sævior ingenti Mavortis in arbore reſtat,
Crede, labor; quem tanta utinam fiducia noſtri
Sit mihi, nocturnæque Hecates, veſtríque vigoris.
Dixerat: útque virum doceat, quæ monſtra ſuperſint,
Protinus immenſis recubantem anfractibus anguem
Turbat, & Hæmonii ſubitò ducis objicit umbram.
Ille, quod haud aliàs, ſtetit, & trepidantia torſit
Sibila, ſéque metu poſtquam ſua vellera circùm
Suſtulit, atque omnis ſpiris exhorruit arbor;
Incipit indè ſequi, & vacuo furit ore per auras.
Quis fragor hic? quonam tanta, dic virgo, ruinæ?
Exclamat ſtricto Æſonides ſtans frigidus enſe.
Illa trahit ridens, tandémque ait angue repreſſo:
Hunc tibi poſtremum noſtri parat ira parentis,
Heu miſer, heu tantis iterum carpende periclis.
O utinam, ut nullo te ſim viſura labore
Ipſam cæruleis ſqualentem nexibus ornum,
Ipſáque pervigilis calcantem lumina monſtri,
Contingat vix deinde mori! ſic fata, profugit;
Séque ſub extremis in mœnia rettulit umbris.
Et jam puniceo regem ſpes vana ſub ortu
Extulerat, quantis nox una diremerit undis
Æſoniden: libérne freto jam vultus aperto,
Utque priùs totum ſileat mare: dúmque ea longè
Explorare queat; contrà venit Arcas Echion
Dicta ferens: jam Circæis Mavortis in agris
Stare virum, daret æripedes in prœlia tauros.
En vocor, en ultro, dixit, ſpéſque addidit auſa:
Vos mihi nunc primùm in glebas invertite tauri
Æquora, nunc totas aperite & volvite flammas:
Exeat Hæmonio meſſis memoranda colono,
Túque tuum parti Graiûm da nata draconem.
Ipſius aſpectu pereant: quin vellera, & ipſa
Terga mihi diros ſervent infecta cruores.
Fatur, & effuſis pandi jubet æquora tauris.
Pars & Echionii ſubeunt immania dentis
Semina: pars diri portant grave robur aratri.
At ſua magnanimum contra Pagaſea juventus
Proſequitur ſtipátque ducem: tum maxima quiſque
Dicta dedit, ſævíſque procul diſceſſit in agris.
Fixerat ille gradus, totóque ex agmine ſolus
Stabat, ut extremis deſertus ab orbibus axis,
Quem jam laſſa dies, auſtríque ardentis arenæ,
Aut quem Rhipæas exſtantem rurſus ad arces
Nix & cærulei Boreæ ferus abſtulit horror:
Cùm ſubitò attonitis longiſſima Phaſidis unda,
Caucaſiæque trabes, omniſque Æetia tellus
Fulſit, & ardentes ſtabula effudere tenebras.
Ac velut ex unâ ſi quando nube coruſci
Ira Jovis torſit geminos mortalibus ignes;
Aut duo cùm pariter ruperunt vincula venti,
Dántque fugam: ſic tunc clauſtris evaſit uterque
Taurus, & immani proflavit turbine flammas
Ardnus, atque atro volvens incendia fluctu.
Horruit Argoa legio ratis: horruit audax,
Qui modò virgineis ſervari cantibus Idas
Flebat, & invito proſpexit Colchida vultu.
Non tulit ipſe moras, ſeſéque immiſit läſon;
Diverſos poſtquam ire videt: galeámque minantem
Quaſſat, & errantem dextrâ ciet obvius ignem,
Ut tandem ſtetit, & toto ſe lumine flexit,
Qui prior adverſi reſpexit läſonis arma;
Cunctatus paulùm ſubitò furit. æquora non ſic
In ſcopulos irata ruunt, eadémque recedunt
Fracta retro. bis fulmineis ſe flatibus infert,
Obnubítque virum: ſed non incendia Colchis
Adſpirare ſinit: clypeóque illiditur ignis
Frigidus, & viſo palleſcit flamma veneno.
Incitat Æſonides dextram, ſnque ardentia mittit
Cornua, dein totis propendens viribus hæret.
Ille virum atque ipſam tunc te Medea recuſans,
Concutit, & totâ nitentem cornibus irâ
Portat iners: tandem graviùs mugire reſidens,
Incipit, & feſſo victus deſcendere cornu.
Reſpicit hinc ſocios immania vincula poſcens
Æſonides, jámque ora premit, trahitúrque trahítque,
Obnixúſque genu ſuperat, cogíſque trementes
Sub juga ahena toros. alium dehinc turbida Colchis
Exarmat, lentúmque offert timidéque minantem:
Jámque propinquanti noctem implicat: ille tatiſcens
In caput, ſnque humeros ipsâ vi molis & iræ
Pronit: invadit, totúſque incumbit läſon
Deſuper, atque ſuis deſixum flatibus urget.
Utque dedit vinclis, validóque obſtrinxit aratro,
Suſcitat ipſe genu, ſævâque agit inſuper haſtâ.
Non aliter medio quàm ſi telluris hiatu
Terga recentis equi, primúmque invaſit habenis
Murmur, & in ſummâ Lapithes apparuit Oſsâ.
Ille velut campos Libyes, ac pinguia Nili
Fertilis arva ſecet; plenâ ſic femina dextrâ
Spargere gaudet agris, onerátque novalia bello.
Martius hic primùm ter vomere ſuſus ab ipſo
Clangor, & ex omni onuerunt cornua ſulco:
Bellatrix tunc gleba quati, paritérque creari
Armaſque phalanx, totíſque inſurgere campis:
Ceſſit, & ad ſocios paulùm ſe rettulit heros
Opperiens, ubi prima ſibi daret agmina tellus
Adverſo. ut ſummis jam rara recedere criſtis
Vidit, & infeſtâ vibrantes caſſide terras;
Advolat, atque imo tellus quà proxima collo,
Necdum humeri videre diem, prior enſe ſequaci
Æquat humo truncos; rutilum thoraca ſequenti,
Aut primas à matre manus; premit obvius anté.
Nec magìs aut illis, aut illis millibus altrà
Sufficit; ad diræ quàm càm Tiryuthius hydræ
Agmina Palladios defeſſus reſpicit angues.
Ergo iterum ad ſocias convertere Colchidos artes,
Et galeæ nexus ac vincula diſſipat ima:
Cunctatúrque tamen, totíque occurrere bello
Ipſa cupit; ſpes nulla datur: ſic undique denſant
Terrigenæ jam ſigna duces; clamórque, tubæque.
Jámque omnes odere virum: jámque omnia contrà
Tela volant: tum verò amens diſcrimine tanto,
Quam modò Tartareo galeam Medea veneno
Infectam dederat, uſúſque armârat in illos,
In medios torſit: converſæ protinus haſtæ.
Qualis ubi attonitos mœſtæ Phrygas annua Matris
Ira, vel exectos lacerat Bellona comatos:
Haud ſecus accenſas ſubitò Medea cohortes
Implicat, & miſeros agit in ſua prœlia fratres.
Omnis ibi Æſoniden ſternì putat: omnibus ira
Talis erat: ſtupet Æetes, ultróque furentes
Ipſe viros revocare cupit: ſed cuncta jacebant
Agmina; nec quiſquam primus ruit, aut ſupèr ullus
Linquitur: atque hauſit ſubitò ſua funera tellus.
Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
Æſonides. qualis Getico de pulvere Mavors
Intrat equis urſtque gravem ſudoribus Hebrum;
Aut niger ex antris rutilíſque à fulminis æſtu
Cùm furit, & Siculo reſpirat in æquore Cyclops.
Redditus hic tandem, ſocióſque amplexus ovantes,
Haud jam mendacem promiſſa repoſcere regem
Dignatur: nec, ſi ipſe ſibi terga ingerat ultro
Qui pepigit, velit in pacem dextrámque reverti
Ampliùs: ambo truces, ambo abſceſſere minantes.

LIBER VIII.

AT trepidam in thalamis, & jam ſua fata parentem
Colchida circa omnes pariter furiæque minæque
Patris habent: nec cærulei timor æquoris ultrà,
Nec miſeræ terra ulla procul. quaſcumque per undas
Ferre fugam, quamcumque cupit jam ſcandere puppim.
Ultima virgineis tunc flens dedit oſcula vittis;
Quóſque fugit, complexa toros, crinémque genáſque
Antè per antiqui carpſit veſtigia ſomni:
Atque hæc impreſſo gemuit miſeranda cubili:
O mihi ſi profugæ genitor nunc ille ſupremos
Amplexus Æeta dares, fletúſque videres
Ecce meos! ne crede, pater; non carior ille eſt,
Quem ſequimur: tumidis utinam ſimul obruar undis!
Tu, precor, hæc longâ placidus mox ſceptra ſenectâ
Tuta geras, meliórque tibi ſit cætera proles.
Dixit, & Hæmonio numquam ſpernenda marito
Condita letiferis prodit medicamina ciſtis;
Virgineóſque ſinus, ipſúmque monile venenis
Implicat, ac ſævum ſuper omnibus addidit enſem.
Indè, velut torto Furiarum erecta flagello,

Profilit. attonito qualis pede prosilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet: extremum conjunx ferit irritus Isthmon.
Jam prior in lucos curis urgentibus heros
Venerat, & nemoris sacrâ se nocte tegebat;
Tum quoque sidereâ clarus procul ora juventâ.
Qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius æstivâ residet venator in umbrâ,
Dignus amore deæ: velatis cornibus & jam
Luna venit. roseo talis per nubila ductor
Implet honore nemus, talémque exspectat amantem.
Ecce autem pavidæ virgo de more columbæ,
Quæ super ingenti circumdata præpetis umbrâ
In quemcumque tremens hominem cadit: haud secus illa
Icta timore gravi mediam se misit: at ille
Excepit, blandóque prior sic ore locutus:
O decus in nostros magnum ventura penates,
Soláque tantarum virgo haud indigna viarum
Causa reperta mihi; jam nunc non ulla requiro
Vellera: téque meæ satis est quæsisse carinæ.
Verùm age, & hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus meritísque tuis: namque aurea jussi
Terga referre sumus: sociós ea gloria tangit.
Sic ait: & primis supplex dedit oscula palmis.
Contrà virgo novis iterum singultibus orta est:
Linquo domos patrias te propter, opésque meorum;
Nec jam nunc regina loquor: sceptrísque relictis
Vota sequor: serva hanc profugæ, prior ipse dedisti
Quam (scis nempe) fidem: Dî nostris vocibus adsunt,
Sidera & hæc te méque vident: tecum æquora, tecum
Experiar quascumque vias: modò ne quis abactam
Hue referat me fortè dies, oculísque parentis
Ingerat. hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.
Hæc ait, atque furens rapido per devia passu
Tollitur. Ille hæret comes, & miseratur euntem;
Cùm subitò ingentem media inter nubila flammam
Conspicit, & sævâ vibrantes luce tenebras.
Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
Sidus? ait. reddit trepido cui talia virgo:
Ipsius en oculos & lumina torva draconis
Aspicis: ille suis hæc vibrat fulgura cristis;
Méque pavens contrà solam videt, ac vocat ultro,
Ceu solet, & blandâ poscit me pabula linguâ.
Dic age nunc, utrum vigilanti hostémque videnti
Exuvias auferre velis; an lumina somno
Mergitur, & domitum potiùs tibi tradimus anguem?
Ille silet; tantùs subiit ut virginis horror.
Jámque manus Colchis, crinémque intenderat astris,
Carmina barbarico fundens pede, téque ciebat
Somne pater: Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, tuque unum jubeo nunc ire draconem:
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu,
Fulmináque, & toto quidquid micat æthere: sed nunc
Nunc, age, major ades, fratrísque simillime leto.
Te quoque, Phrixeæ pecudis fidissime custos,
Tempus ab hâc oculos tandem deflectere curâ.
Quem metuis me hìc stante dolum? servabo parumper
Ipsa nemus. longum interea tu pone laborem.
Ille haud Æolio discedere fessus ab auro,
Nec dare permissæ (quamvis juvet) ora quieti
Sustinet; ac primi percussus nube soporis
Horruit, & dulces excussit ab arbore somnos.
Contrà Tartareis Colchis spumare venenis,
Cunctáque Lethæi quassare silentia rami
Perstat; & adverso luctantia lumina cantu
Obruit; atque omnem linguâque manúque fatigat
Vim Stygiam; ardentes donec sopor occupat iras.
Jámque altæ cecidere jubæ, nutátque coactum
Jam caput, atque ingens extra sua vellera cervix.
Ceu refluens Padus, aut septem projectus in amnes
Nilus, & Hesperium veniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circùm projecta lacertis;
Séque suúmque simul flevit crudelis alumnum:
Non ego te serâ talem sub nocte videbam,
Sacra ferens epulásque tibi: nec talis hianti
Mella dabam, ac nostris nutribam fida venenis.
Quàm gravidâ nunc mole jaces! quàm segnis inertem
Flatus habet! nec te saltem, miserande, peremi,
Heu sævum passure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tuâ fulgentia dona sub umbrâ.
Cede Deo, sinque aliis fenium nunc digere lucis
Immemor oro mei: nec me tua sibila toto
Exagitent infesta mari. sed tu quoque cunctas,
Æsonide, dimitte moras, atque effuge raptis
Velleribus. patrios exstinxi noxia tauros;
Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
Corpus habes; jámque omne nefas, jam spero peregi.
Quærenti tunc deinde viam, quâ se arduus heros
Ferret ad aurigeræ caput arboris, Eia, per ipsum
Scande age, & adverso gressus, ait, imprime dorso.
Nec mora fit dictis. fidens Cretheïa proles
Calcat, & æream quamvis perfertur ad ornum
Cujus adhuc rutilam servabant brachia pellem,
Nubibus accensis similem, aut cùm veste recinctâ
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo.
Corripit optatum decus extremúmque laborem
Æsonides: longósque sibi gestata per annos
Phryxeæ monumenta fugæ vix reddidit arbor
Cum gemitu, tristésque supere coïere tenebræ.
Egressi relegunt campos, & fluminis ora
Summa petunt. micat omnis ager, villisque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus:
Nunc in colla refert: nunc implicat ille sinistræ.
Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitísque leonem.
Ut verò sociis, qui tunc prædicta tenebant
Ostia, per longas adparuit aureus umbras;
Clamor ab Hæmonio surgit grege; se quoque gaudens
Promovet ad primas juveni ratis obvia ripas.
Præcipites agit ille gradus, atque aurea misit
Terga priùs: mox attonitâ cum virgine puppem
Insilit, ac raptâ victor consistit in hastâ.
Interea patrias sævus venit horror ad aures,
Fata domûs luctúmque ferens, fraudémque fugámque
Virginis: hinc subitis inflexit frater in armis:
Urbs etiam mox tota coit: volat ipse senectæ
Immemor Æetes. complentur litora bello
Nequicquam: fugit immissis navis puppis habenis.
Mater adhuc ambas tendebat in æquora palmas,
Et furor, atque omnes aliæ matrésque nurúsque
Colchides, æqualésque tibi, Medea, puellæ.
Exstat sola parens, implétque ululatibus auras:
Siste fugam; medio reter huc ex æquore puppem,
Nata, potes. quò, clamat, abis? hìc turba tuorum
Omnis, & iratus nondum pater: hæc tua tellus
Sceptráque. quid terris solam te credis Achæis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Istáne vota domus, exspectatíque Hymenæi?
Hunc petii grandæva diem? vellem unguibus uncis,
Ut volucris, possem prædonis in ipsius ora
Ire, ratémque supra; claróque reposcere cantu
Quam genui. Albano fuit hæc promissa tyranno:
Non tibi, nil tecum miseri pepigere parentes,
Æsonide: non hôc Pelias evadere furto
Te jubet, aut ullas Colchis abducere natas.
Vellus habe, & nostris si quid superè, accipe, templis.
Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis?
Ipsa fugit, tantóque (nefas) ipsa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti)
Ex quo Thessalici subierunt æquora remi;
Quòd nullæ te, nata, dapes, non ulla juvabant
Tempora. non ullus tibi tum color; ægráque verba,
Errantésque genæ, atque alieno gaudia vultu
Semper erant? cur tanta mihi non prodita pestis,
Ut gener Æsonides nostrâ consideret aulâ,
Nec talem paterere fugam? commune fuisset
Aut certè nunc omne nefas: iremus & ambæ
In quascumque vias: pariter petiisse juvaret
Thessaliam, & sævi, quæcumque est, hospitis urbem.
Sic genitrix, similísque implet soror omnia questu
Exululans. famulæ pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos, dominámque reclamant.
Nomine. te venti procul & tua fata ferebant.
Indè diem noctémque volant. redeuntibus aura
Gratior; & notæ Minyis transcurreque terræ:
Cùm subitò Erginus puppi sic fatur ab altâ:
Vos, ait, Æsonide, contenti vellere capto,
Nec via quæ superet, nec quæ fortuna videtis:
Crastina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneásque vocat: meminíque, ô Tiphy, tuorum
Saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
Mutandum, ô socii, nobis iter. altera ponti
Eluctanda via; & cursu, quem fabor, eundum est.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri,
Fundere non uno tantùm quem flumina cornu
Accipimus: septem exit aquis; septem ostia pandit.
Illius adversi nunc ora petamus & undam,

Quæ

Quæ latus in lævum ponti cadit. indè ſequemur
Iplius amnis iter: donec nos flumine certo
Perferat, ſnque aliud reddat mare. ſint age tanti,
Æſonide, quæcumque moræ; quàm ſæva ſubire
Saxa iterum; quàm Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi non totis Argo redit ecce corymbis.
Hæc ait, ignarus fixas jam numine rupes
Stare, neque adverſis ultrà concurrere ſaxis.
Reddidit Æſonides: Et te, fidiſſime rector,
Haud vani tetigere metus; nec me ire recuſo
Longiùs, & cunctis redeuntem oſtendere terris.
Protinus indè alios flectunt regéſque locóſque,
Adſuetúmque petunt plauſtris migrantibus æquor.
Puppe procul ſummâ vigilis poſt terga magiſtri,
Hæſerat auratæ genibus Medea Minervæ:
Atque ibi dejectâ reſidens in lumina pallâ
Flebat adhuc, quamquàm Hæmoniis cum regibus iret;
Sola tamen, nec conjugii ſecura futuri.
Illam Sarmatici miſerantur litora ponti:
Illa Thoantææ trantit deflexa Dianæ.
Nulla palus, nullus Scythiæ non mœret euntem
Amnis: Hyperboreas movit conſpecta pruinas,
Tot modò regna tenens: ipſi quoque murmura ponti
Jam Minyæ, jam ferre volunt: vix adlevat ora,
Ad ſeras ſi quando dapes, quas carus Iaſon
Ipſe dabat; jam nubiferam tranſire Carambin
Significans; jam regna Lyci: totiénſque gementem
Fallit, ad Hæmonios hortatus ſurgere montes.
Inſula Sarmaticæ Peuce ſtat nomine nymphæ;
Torvus ubi & ripâ ſemper metuendus utrâque
In freta per ſævos Hiſter deſcendit Alanos;
Solvere in hôc tandem reſides dux litore curas,
Ac primùm ſocios auſus ſua pacta docere,
Promiſſámque fidem thalami, fœdúſque jugale.
Ultro omnes læti inſtigant, meritamque fatentur.
Ipſa autem invitæ jam Pallados erigit aras,
Incipit Idaliæ numen nec ſpernere divæ.
Præcipuéque ſui, ſiquando, in tempore pulcher
Conjugii Minyas numquam magìs eminet inter:
Qualis ſanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto ſubit, aut dilecta Cythera;
Seu cùm cæleſtes Alcidæ inviſere menſas
Jam vacat, & feſſum Junonia ſuſtinet Hebe.
Adſunt unanimes Venus hortatórque Cupido.
Suſcitat adfixam mœſtis Æetida curis,
Ipſa ſuas illi croceo ſubtemine veſtes
Induit: ipſa ſuam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arſuras aliâ cum virgine gemmas.
Tum novus implevit vultus honor: ac ſua flavis
Reddita cura comis graditúrque oblita malorum.
Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætáque jam Cybele, feſtæque per oppida tædæ;
Quis modò jam ſævos adytis fluxiſſe cruores
Cogitet? aut ipſi qui jam meminere miniſtri?
Indè, ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Æſonides, unáque adeunt, paritérque precari
Incipiunt, ignem Pollux undámque jugalem
Prætulit; ut dextrum pariter vertantur in orbem.
Sed neque ſe pingues tum candida flamma per auras
Explicuit: nec tura videt concordia Mopſus,
Promiſſam nec ſtare fidem; breve tempus amorum.
Odit utrumque ſimul, ſimul & miſeratur utrumque:
Et tibi jam nullos optavit, barbara, natos.
Mox epulas & ſacra parant: ſylveſtria læti
Præmia, venatu facili quæſita ſuperſunt:
Pars veribus, pars undanti delpumat aheno.
Gramineis aſt indè toris diſcumbitur, olim
Hiſter anhelantem Peucen quo preſſerat antro.
Ipſi inter medios roſeâ radiante juventâ
Altiùs, ſnque ſui ſternuntur velleris auro.
Quis novus inceptos timor impediit Hymenæos?
Turbavſtque toros, & ſacra calentia rupit?
Abſyrtus ſubitâ præceps cum claſſe parentis
Advehitur, profugis infeſtam lampada Graiis
Concutiens, dirámque premens clamore ſororem:
Atque, Hanc, ô ſi quis vobis dolor iráque, Colchi,
Accelerate viam: neque enim fugit æquore raptor
Jupiter, aut falſi ſequimur veſtigia tauri.
Puppe (nefas) unà prædo Phryxea reportat
Vellera: quâ libuit remeat cum virgine: nobis
(O pudor!) & muros & ſtantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde fatis? nec quæro vellera: nec te
Accipio, germana, datam: nec fœderis ulla
Spes erit, aut iræ quiſquam modus. indè reverti
Patris ad ora mei tam parvo in tempore fàs ſit?
Quinquaginta animæ me ſcilicet unáque merſa
Sufficiet placare ratis? te, Græcia fallax,
Perſequor, atque tuis hunc quaſſo mœnibus ignem:
Nec tibi digna, ſoror, deſum ad connubia frater.
Primus & ecce fero quatióque hanc lampada veſtro
Conjugio: primus celebro dotalia ſacra,
Qui potui. patriæ veniam da quæſo ſenectæ.
Quin omnes alti pariter populſque patréſque
Mecum adſunt. magni virgo ne regia Solis
Hæmonii thalamos adeas deſpecta mariti,
Tot decuit coiiſſe rates, tot fulgere tædas.
Dixerat. ſtque omans iterum ventóſque virósque,
Perque ratis ſupplex vox remigis illa magiſtros.
Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;
Quæque die fuerat raptim formata ſub uno,
Et tantùm dejecta ſuis à montibus arbor,
(Quid dolor & veterum potuit non ira virorum?)
Haud longis jam diſtat aquis; ſequitúrque volantem
Barbara Palladiam puppem ratis: oſtia donec
Danubii viridémque vident ante oſtia Peucen;
Ultimáque agnoſcunt Argoi cornua mali.
Tum verò clamorem omnes inimicáque tollunt
Gaudia: tum gravior remis fragor, ut procul Argo
Viſa viris; unámque petunt roſtra omnia puppem.
Princeps navalem nodoſi roboris uncum
Arripit, & longâ Stirus proſpectat ab undâ,
Conjugio atque iterum ſponſæ flammatus amore.
Jámque alii clypeos & tela trabalia dextris
Expediunt: armant alii picis unguine flammas.
Impatiens tremit haſta moræ. nec longiùs inter,
Quàm quod tela vetet, ſupereſt mare. vocibus urgent
Interea, & pedibus pulſant tabulata frementes;
Cùm ſubitas videre rates, vibratáque flammis
Æquora. non unâ Minyæ formidine ſurgunt.
Primus & in puppem deſertâ virgine ductor
Proſilit, & ſummâ galeam rapit altus ab haſtâ:
Enſe ſimul clypeóque micat. nec cætera pubes
Segniùs arreptis in litore conſtitit armis.
At tibi quæ ſcelerum facies, Medea, tuorùm?
Quſſve pudor Colchos iterum fratrémque videnti?
Quicquid & abſciſum vaſto jam tuta profundo
Credideras, ergo infauſto ſeſe occulit antro,
Non aliud quàm certa mori; ſeu carus Iaſon,
Seu frater Graiâ victus cecidiſſet ab haſtâ.
Haud ita ſed ſummo ſegnis ſedet æthere Juno;
Haud finit extremâ Minyas decernere pugnâ;
Nec numero quoniam Colchis nec puppibus æquos.
Ergo, ubi diva rates hoſtémque accedere cernit,
Ipſa ſubit terras, tempeſtatúmque refringit
Ventorúmque domos. volucrum gens turbida fratrum
Erumpit: claſſem dextrâ Saturnia monſtrat.
Videre; ſnque imum pariter mare protinus omnes
Infeſto clamore ruunt: inimicáque Colchis
Æquora, & adverſos ſtatuunt à litore fluctus.
Tollitur, atque intrà Minyas Argoáque vela
Stirus abit. vaſto rurſus deſedit hiatu
Abruptâ revolutus aquâ. jámque omnis in aſtra
Itque reditque ratis, lapſóque reciproca fluctu
Deſcendit. trahit hos vortex; hos agmine toto
Gurges agit: ſimul in vultus micat undique terror.
Crebra ruina poli cæleſtia lumina laxat.
Non tamen ardentis Stiri violentia cedit.
Hortatur ſocios media inter prælia divûm:
Transferet ergo meas in quæ volet oppida dotes
Colchis? & Hæmonius nobis ſuccedet adulter?
Nec mihi tot magnos inter regéſque procóſque
Profuerit prona haud dubii ſententia patris?
An virtus prælata viri eſt, & fortior ille,
Quem ſequitur? jungam igniferos ſinè carmine tauros,
Sævâque Echionii ferro ſata perſequar hydri.
Hôc adeò interea ſpectans de litore pugnas
Amborum, victoris eris: jam digna videbis
Prælia, jámque illud carum caput ire cruenta
Sub freta; ſemiviri nec murrhâ corpus Achivi,
Sed pice, ſed flammis, & olentes ſulfure crines.
Vos modò vel ſolum hoc fluctus expellite corpus,
Non te, Æeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos
Ipſa movet, dirâque levat maria ardua linguâ?
Atque iterum Æſonides, iterum defenditur arte,
Quâ ſolet? haud illi cantus & futile murmur
Proderit. ite, rates, & frangite virginis undam.
Dixit, & intortis ſocio cum milite remis

Proſilit:

Prosilit: ac fluctu puppis labefacta reverso
Solvitur, effundítque viros, ipsúmque minantem
Tunc quoque, & elatâ quærentem litora dextrâ.
Ibat & arma ferens & strictum naufragus ensem:
Incipit & remos & quærere transtra solutæ
Sparsa ratis: mœstas altis intendere voces
Puppibus. ast inter tantos succurrere fluctus
Nulla potest, aut ulla velit: quotiénsque propinquat,
Tunc aliud rursus dirimit mare. jam tamen extat,
Jámque abiit: fundóque iterum violentus ab imo
Erigitur: sed fluctus adest, magnóque sub altis
Turbine figit aquis, & tandem virgine cessit.
Absyrtus visu mœret defixus acerbo;
Nec quid agat, quâ vi portus, & prima capessat
Ostia, quâ possit Minyas invadere clausos,
Quos videt agnoscítque fremens: maria obvia contra
Sævâque pugnat hyems, totúsque in vertice pontus.
Abscessit tandem, vanâque recedit ab irâ,
Et tantâ de clade ratis: latus indè sinistrum
Adversámque procul Peuces defertur in oram.
Cùm socii (gemino nam scinditur insula flexu
Danubii) hâc dudum Minyæ Pagaseáque puppis
In statione manent: illinc Æetius heros
Obsidet adversâ tentoria Thessala classe
Impatiens; pugnæque datur non ulla potestas.
Noctes atque dies vastis mare fluctibus inter
Perfurit; expediant donec Junonia sese
Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyæ tanti reputantes ultima belli
Urgent & precibus cuncti fremitúque fatigant
Æsoniden: Quid se externâ pro virgine clausâ
Objiciat, quidve illa pati discrimina cogat?
Respiceret plurésque animas, majoráque fata
Tot comitum: qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, sed solâ sese virtute sequantur.
An verò, ut thalamis raptísque indulgeat unus
Conjugiis? id tempus enim. sat vellera Graiis:
Et posse oblatâ componere virgine bellum:
Quémque suas sinat ire domos: Nec Marte cruento
Europam atque Asiam prima hæc committat Erinnys.
Namque datum hoc fatis, trepidus suppléxque canebat
Mopsus, ut in feros irent magis ipsa nepotes:
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus impar
(Quanquàm jura dedm, sacri sibi conscia pacti,
Religio, dulcísque movent primordia tædæ)
Cunctatur, mortémque cupit, sociámque periclî
Cogitat: haud ultrà sociis obsistere pergit.
Hæc ubi fixa viris; tempus fluctúsque quietos
Exspectant: ipsam interea, quid restet, amantem
Ignorare sinunt, decretáque tristia servant.
Sed miser ut vanos, veros ita sæpe timores
Versat amor; fallíque sinit nec virginis annos.
Ac prior ipsa dolos & quamlibèt intima sensit
Non fidi jam signa viri, nimiúmque silentes
Unà omnes. haud illa sui tamen immemor unquam
Nec subitis turbata minis, prior occupat unum
Æsoniden, longéque trahit; mox talibus infit:
Me quoque vir tecum Minyæ fortissima pubes
Nocte diéque movent: liceat cognoscere tandem,
Si modò Peliacæ non sum captiva carinæ,
Nec dominos decepta sequor, consultáque vestra
Fas audire mihi. vereor, fidissime conjunx,
Nil equidem: miserere tamen; promissáque serva
Usque ad Thessalicos saltem connubia portus:
Inque tuâ me sperne domo. scis te mihi certè,
Non socios juràsse tuos. hi reddere forsan
Fas habeant: tibi non eadem permissa potestas.
Téque simul mecum ipsa traham. non sola reposcor
Virgo nocens: atque hâc pariter rate fugimus omnes.
An fratris te bella mei, patriæque biremes
Terrificant? magnóque impar urgeris ab hoste?
Finge rates alias, & adhuc majora coïre
Agmina. nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortémque tuam comitúmque tuorum?
Vellem equidem nostri tetigissent litora patris
Te sinè, dúxque illis alius quicumque fuisset.
Nunc remeant; méque ecce (nefas) & reddere possunt:
Nec spes ulla supèr. quin tu mea respice saltem
Consilia; & nimio comitum ne cede timori.
Credidit ardentes quis se tunc jungere tauros
Posse? quis ad sævi venturum templa draconis?
O utinam ergo meus pro te non omnia posset,
Atque aliquid dubitaret amor. quin nunc quoque quærit
Nescio quid tuus iste pudor. méne, optime quondam
Æsonide, me ferre preces, & supplicis ora
Fas erat? haud hoc nunc genitor putat: haud dare pœnas
Jam sceleris, dominúmque pati. sic fata parantem
Reddere dicta virum furiatâ mente refugit
Vociferans. qualem Ogygias cùm tollit in arces
Bacchus & Aoniis illidit tympana truncis:
Talis erat, talémque jugis se virgo ferebat,
Cuncta pavens. fugit infestos vibrantibus hastis
Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros.
Si Pagasas, vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret, & Tempe viridi lucentia fumo;
Hôc visu contenta mori. tunc tota querelis
Egeritur questúque dies: eadémque sub astris
Sola movet. mœstis veluti nox illa sonaret
Plena lupis, quateréntque truces jejuna leones
Ora, vel orbatæ traherent suspiria vaccæ.
Procedit non gentis honos, non gloria magni
Solis avi, non barbaricæ decor ille juventæ.
Quid dubitas? heu, dure, flies? magnúmque minatur.
Qualis erat, cùm Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ovans; intérque ingentia Graiûm
Nomina Palladiâ virgo stetit altera prorâ.
Mœstus at ille minis & notâ Colchidos irâ
Hæret: & hinc præsens pudor, hinc decreta suorum
Dura premunt, utcumque tamen mulcere gementem
Tentat & ipse gemens, & tempora currere dictis.
Méne aliquid meruisse putas? me talia velle?

* * *

D. JUNII

Digitized by Google

D. JUNII JUVENALIS SATYRÆ.

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS VITA.

AQUINATEM ſe ipſe teſtatur Juvenalis Satyrâ 3. v. 319. libertino quidam patre natum, alii duntaxat ab eo educatum referunt. Eruditus eſt à Frontone Grammatico; à Quintiliano Rhetore etiam, ut volunt nonnulli. Certè hic de Juvenale dicitur loqui lib. 10. cap. 1. ubi Satyricos laudans Poëtas ait: *Sunt clari hodie quoque, & qui olim nominabuntur.* Floruit ſub Imperatoribus Domitiano, Nervâ, Trajano, Hadriano etiam.

J. Lipſius Epiſtolic. Quæſt. Lib. 4. Epiſt. 20. *De Juvenalis ætate non abs re dubitatur*, inquit. Declamavit ad mediam ferè ætatem, forenſéſque cauſas egit non ſinè laude & gloriâ. Poſtea ad Satyras componendas animum appulit. At in Paridem mimum verſus quoſdam non abſurdos cùm publicâſſet, Domitianum hiſtrionis iſtius amantem haud leviter offendit. De his Sat. 7. 15, & 16. Illos igitur pudore & irâ percitos de Juvenale amovendo cogitâſſe tradunt, atque ſub honoris obtentu relegâſſe, præfectum nempe cohorti, quæ in Ægyptum mittebatur. Intellectâ verò præfecturæ causâ dicunt eum tædio & angore vitam finiiſſe illìc ſanè octogenarium. Porrò hæc neque vera omnia, nec falſa: Lipſio teſte citato loco, ubi Juvenalem ſub Domitiano exulâſſe non abnuit quidem, negat autem eo ſuperſtite mortuum; imò poſt ipſum Satyras aliquot ſcripſiſſe, colligit ex ejus Sat. 4. Imprimiſque ex ultimis verſibus, vixiſſe ad Trajani, quin & Hadriani tempora, oſtendit ex Sat. 6. v. 406. & ſeq. & Sat. 13. v. 17. atque Plinio Juniori, & Tacito ſupparem exiſtimat.

Juvenalem ſibi familiarem valde commendat Martialis Lib. 7. Epigram. 23. & 90. Item Lib. 12. Epigram. 18. Quod Epigramma ſi Martialis, cùm in Hiſpanis degeret, ſcripſit; mortuóque jam Domitiano; quæ quidem affirmat ibid. cit. Lipſ. hinc duo nobis patent: alterum, ſuperſtitem Domitiano fuiſſe Juvenalem: alterum, in Ægypto nequaquam obiiſſe, ſed reverſum indè Romam, ibíque deinceps ſcriptitâſſe. Nam ſic ait Mattial. citat. Epigram. 18. Lib. 12. ad Juvenalem:

Dum tu forſitan inquietus erras
Clamosâ Juvenalis in Suburrâ,
Aut collem domine teris Dianæ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, &c.

Cæterùm omnibus Satyricis, ipsíque Horatio præferendum Juvenalem ſcribit Jul. Scaliger: nihil autem verius ab eo ſcriptum Lipſius aſſeverat.

SATY-

SATYRA I.

SEMPER ego auditor tantùm? nunquámne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeïde Codri?
Impunè ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic Elegos? impune diem conſumpſerit ingens
Telephus? aut ſummi plenâ jam margine libri
Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes?
Nota magìs nulli domus eſt ſua, quàm mihi lucus
Martis, & Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti; quas torqueat umbras
Æacus; unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ: quantas jaculetur Monychus ornos;
Frontonis platani, convulſíque marmora clamant
Semper, & aſſiduo ruptæ lectore columnæ.
Expectes eadem à ſummo, minimóque Poëtâ,
Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus: & nos
Conſilium dedimus Sullæ privatus ut altum
Dormiret. Stulta eſt clementia, cùm tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hôc libeat potiùs decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus:
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Cùm tener uxorem ducat ſpado: Mævia Tuſcum
Figat aprum, & nudâ teneat venabula mammâ:
Patricios omnes opibus cùm provocet unus,
Quo tondente gravis juvenis mihi barba ſonabat:
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Criſpinus, Tyrias humero revocante lacernas
Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ:
Difficile eſt Satyram non ſcribere. Nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat ſe?
Cauſidici nova cùm veniat lectica Mathonis
Plena ipſo: & poſt hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comeſâ
Quod ſupereſt: quem Maſſa timet; quem munere palpat
Carus; & à trepido Thymele ſummiſſa Latino:
Cùm te ſummoveant qui teſtamenta merentur
Noctibus, in cœlum quos evehit optima ſummi
Nunc via proceſſûs, vetulæ veſica beatæ.
Unciolam Proculeius habet, ſed Gillo deuncem:
Partes quiſque ſuas, ad menſuram inguinis hæres;
Accipiat ſanè mercedem ſanguinis, & ſic
Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quantâ ſiccum jecur ardeat irâ,
Cum populum gregibus comitum premat hic ſpoliator
Pupilli proſtantis? Et hic damnatus inani
Judicio (quid enim ſalvis infamia nummis?)
Exul ab octavâ Marius bibit, & fruitur Dîs
Iratis: at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venuſinâ digna lucernâ?
Hæc ego non agitem? Sed quid magìs? Heraclens,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percuſſum puero, fabrúmque volantem?
Cùm leno accipiat mœchi bona, ſi capiendi
Jus nullum uxori, doctus ſpectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo:
Cùm fas eſſe putet curam ſperare cohortis
Qui bona donavit præſepibus, & caret omni
Majorum cenſu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat,
Ipſe lacernatæ cùm ſe jactaret amicæ.
Nónne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio? Cùm jam ſextâ cervice feratur
Hinc atque indè patens, ac nudâ penè cathedrâ,
Et multùm referens de Mecænate ſupino
Signator falsò, qui ſe lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, & gemmâ fecerat udâ.
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miſcet ſitiente rubetam,
Inſtituíque rudes melior Locuſta propinquas,
Per famam & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis: PROBITAS laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurûs corruptor avaræ?
Quem ſponſæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio verſum,
Qualemcunque poteſt: quales ego vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem aſcendit, ſortéſque popoſcit,
Paulatímque animâ caluerunt mollia ſaxa,
Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas:
Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit ſinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſitâ ſed luditur arcâ.
Prælia quanta illìc diſpenſatore videbis
Armigero! ſimplexne furor ſeſtertia centum
Perdere; & horrenti tunicam non reddere ſervo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula ſeptem
Secretò cœnavit avus? nunc ſportula primo
Limine parva ſedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem priùs inſpicit, & trepidat, ne
Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas.
Agnitus accipies. Jubet à præcone vocari
Ipſos Trojugenas: nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum. Da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior eſt: Prior, inquit, ego adſum.
Cur timeam, dubitémve locum defendere? quamvìs
Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licèt ipſe negem: ſed quinque tabernæ
Quadringenta parant. Quid confert purpura majus
Optandum, ſi Laurenti cuſtodit in agro
Conductas Corvinus oves? Ego poſſideo plus
Pallante, & Licinis. Expectent ergo Tribuni.
Vincant divitiæ; ſacro nec cedat honori
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.
Quandoquidem inter nos ſanctiſſima divitiarum
Majeſtas: etſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.
Sed cùm ſummus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc eſt,
Et panis, fumúſque domi? denſiſſima centum
Quadrantes lectica petit, ſequitúrque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor.
Hic petit abſenti, notâ jam callidus arte,
Oſtendens vacuam, & clauſam pro conjuge ſellam.
Galla mea eſt, inquit; citiùs dimitte: moraris?
Profer, Galla, caput. Noli vexare, quieſcit.
Ipſe dies pulchro diſtinguitur ordine rerum.
Sportula, deinde forum, Juriſque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas auſus habere
Neſcio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches,
Cujus ad effigiem non tantùm meiere fas eſt.
Veſtibulis abeunt veteres, laſſíque clientes,
Votáque deponunt; quanquam longiſſima cœnæ
Spes homini: caules miſeris, atque ignis emendus.
Optima ſylvarum interea, pelagíque vorabit
Rex horum, vacuíſque thoris tantùm ipſe jacebit.
Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, unâ comedunt patrimonia menſâ.
Nullus jam parafitus erit: ſed quis feret iſtas
Luxuriæ ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum?
Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.
It nova, nec triſtis per cunctas fabula cœnas:

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem cupient faciéntque minores.
OMNE in præcipiti vitium ſtetit. Utere velis,
Totos pande ſinus. Dicas hìc forſitan, unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum
Scribendi quodcumque animo flagrante liberet
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoſcat Mutius, an non?
Pone Tigellinum, tedâ lucebis in illâ,
Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum mediâ ſulcum deducit arenâ.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehetur
Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciet nos?
Cum veniet contrà, digito compeſce labellum:
Accuſator erit, qui verbum dixerit, hic eſt.
Securus licet Æneam, Rutulúmque ferocem
Commìttas: nulli gravis eſt percuſſus Achilles;
Aut multùm quæſitus Hylas, urnámque ſecutus.
Enſe velut ſtricto quoties Lucilius ardens
Inſremuit, rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacitâ ſudant præcordia culpâ.
Indè iræ, & lachrymæ. Tecum priùs ergo voluta
Hæc animo, ante tubas: galeatum ſerò duelli
Pœnitet. Experiar quid concedatur in illos,
Quorum Flaminiâ tegitur cinis, atque Latinâ.

SATYRA II.

ULTRA Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt,
Indocti primùm: quanquam plena omnia gypſo
Chryſippi invenias. Nam perfectiſſimus horum eſt,
Si quis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.
FRONTI nulla fides. Quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis? Caſtìgas turpia, cùm ſis
Inter Socraticos notiſſima foſſa cinædos.
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum: ſed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariſcæ.
Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio brevior coma. Veriùs ergo,
Et magìs ingenuè Perſomius. Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſúque fatetur.
Horum ſimplicitas miſerabilis; his furor ipſe
Dat veniam. Sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant: ego te ceventem, Sexte, verebor,
Infamis Varillus ait? Quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocârat amaras
Omnibus, atque ipſis Veneri Martíque timendas,
Cùm tot abortivis fœcundam Julia vulvam
Solveret, & patruo ſimiles effunderet offas.
Nónne igitur jure, ac meritò vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & caſtigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam
Clamantem toties; ubi nunc lex Julia? Dormis?
Ad quem ita ſubridens: felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt: habeat jam Roma pudorem.
TERTIUS è cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde
Hæc emis, hirſuto ſpirant opobalſama collo.
Quæ tibi? Ne pudeat dominum monſtrare tabernæ.
Quòd ſi vexantur leges, ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia. Reſpice primùm
Et ſcrutare viros: faciunt hi plura; ſed illos
Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplum in noſtro tam deteſtabile ſexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam.
Hiſpo ſubit juvenes, & morbo pallet utroque.
Numquid nos agimus cauſas? Civilia Jura
Novimus? Aut ullo ſtrepitu fora veſtra movemus?
Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ.
Vos trahitis lanam, calathiſque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem ſtamine fuſum
Penelope melius, meliùs torquetis Arachne,
Horrida quale facit reſidens in codice pellex.
Notum eſt cur ſolo tabulas impleverit Hilter
Liberto; dederit vivus cur multa puellæ.
Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.
Tu nube, atque tace. Donant arcana cylindros.
De nobis poſt hæc triſtis ſententia fertur.
DAT veniam corvis, vexat cenſura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifeſta canentem
Stoicidæ. Quid enim falli Laronia? Sed quid
Non facient alii, cùm tu multicia ſumas,
Cretice? Et hanc veſtem populo mirante perores
In Proculas, & Pollineas? Eſt mœcha Fabulla:
Damnetur ſi vis, etiam Carfinia. Talem
Non ſumet damnata togam. Sed Julius ardet,
Æſtuo. Nudus agas; minùs eſt inſania turpis.
En habitum, quo te leges ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modò victor, & illud
Montanum poſitis audiret vulgus aratris.
Quid? Non proclames, in corpore Judicis iſta
Si videas? Quæro an deceant multicia teſtem.
Acer, & indomitus, libertatiſque magiſter
Cretice pelluces. DEDIT hanc contagio labem,
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci;
Uváque conſpectâ livorem ducit ab uvâ.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
NEMO repentè fuit turpiſſimus. Accipient te
Paulatim qui longa domi rediinicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: ſed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara Deæ maribus patet: ite profanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia ſecretâ coluerunt Orgia tedâ
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.
Ille ſupercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu; pingítque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulúmque comis auratum ingentibus implet
Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa;
Et per Junonem, domini jurante miniſtro.
Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis:
Actoris Arunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cùm jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoriâ, ſpeculum civilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia civis,
Bebriaci in campo ſpolium affectare palati,
Et preſſum in faciem digitis extendere panem,
Quod nec in Aſſyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœſta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.
Hìc nullus verbis pudor, aut reverentia menſæ.
Hic turpis Cybeles, & fractâ voce loquendi
Libertas, & crine ſenex fanaticus albo
Sacrorum Antiſtes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendúſque magiſter.
Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erat jam
More ſupervacuam cultris abſcindere carnem?
Quadringenta dedit Gracchus ſeſtertia, dotem
Cornicini; ſive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ; dictum, feliciter; ingens
Cœna ſedet; gremio jacuit nova nupta mariti.
O proceres, Cenſore opus eſt, an haruſpice nobis?
Scilicet horreres, majoráque monſtra putares,
Si mulier vitulum, vel, ſi bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flamea ſumit,
Arcano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis paſtoribus? Unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir:
Nec galeam quaſſas, nec terram cuſpide pulſas,
Nec quereris patri. Vade ergo, & cede ſeveri
Jugeribus campi, quem negligis. Officium eras
Primo ſole mihi peragendum in valle Quirini,
Quæ cauſa officii? Quid quæris? Nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modò vivere; fient,
Fient iſta palàm, cupient & in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus haret,

Quòd

Digitized by Google

Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.
Sed melius, quòd nil animis in corpora juris
Natura indulget. Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt conditâ pyxide Lyde;
Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.
Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi,
Luſtravitque fugâ mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generoſior, & Marcellis,
Et Catulis, Paulliſque minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium ſpectantibus: his licèt ipſum
Admoveas, cujus tunc munere retia miſit.
Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unâ tranſire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid ſentit, & ambo
Scipiadæ? Quid Fabricius, manéſque Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis conſumpta juventus,
Tot bellorum animæ? Quoties hinc talis ad illos
Umbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.
Illuc heu miſeri traducimur: arma quidem ultra
Littora Jubernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.
Sed quæ nunc populi ſiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus: & tamen unus
Armenius Zalates, cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti ſeſe indulſiſſe Tribuno.
Aſpice quid faciant commercia: venerat obſes.
Hìc ſiunt homines. Nam ſi mora longior urbem
Indulſit pueris, non unquam deerit amator:
Mittentur braccæ, cultelli, frænа, flagellum.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

SATYRA III.

QUAMVÌS digreſſu veteris confuſus amici,
Laudo tamen vacuis quòd ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Janua Baiarum eſt, & gratum littus amœni
Seceſſûs. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miſerum, & tam ſolum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſævæ
Urbis, & Auguſto recitantes menſe Poëtas?
Sed dum tota domus rhedâ componitur unâ,
Subſtitit ad veteres arcus, madidámque Capenam;
Hìc ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnúmque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camœnis.
In vallem Ægeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimiles veris. Quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?
Hìc tunc Umbritius; Quando artibus, inquit, honeſtis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor eſt, herè quàm fuit, ac eadem cras
Deteret exiguis aliquid; proponimus illuc
Ire fatigatas ubi Dædalus exuit alas:
Dum nova canities, dum prima, & recta ſenectus,
Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo,
Cedamus patriâ: vivant Arturius illhìc,
Et Catulus: maneant qui nigra in candida vertunt,
Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad buſta cadaver,
Et præbere caput dominâ venale ſub haſtâ.
Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter: indè reverſi
Conducunt foricas. Et cur non omnia? Cùm ſint
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.
Quid Romæ faciam? Mentiri neſcio: librum,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi: ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, nôrint alii; me nemo miniſtro
Fur erit: atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & extinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui fervens
Æſtuat occultis animus, ſempérque tacendis?
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accuſare poteſt. Tanti tibi non fit opaci
Omnis arena Tagi, quódque in mare volvitur aurum,
Ut ſomno careas, ponendáque præmia ſumas
Triſtis & à magno ſemper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptiſſima noſtris;
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri;
Nec pudor obſtabit. Non poſſum ferre, Quirites,
Græcam urbem; quamvìs quota portio fæcis Achææ?
Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad Circum juſſas proſtare puellas.
Ite, quibus grata eſt pictâ lupa barbara mitrâ.
Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic altâ Sicyone, aſt hic Amydone relictâ,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,
Eſquilias, dictámque petunt à vimine collem,
Viſcera magnarum domuum, dominſque futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior: ede quid illum
Eſſe putes? Quemvis hominem ſecum attulit ad nos.
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus: omnia novit,
Græculus eſuriens, in cœlum juſſeris, ibit.
Ad ſummam non Maurus erat, nec Sarmata nec Thrax,
Qui ſumpſit pennas, mediis ſed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? Fultúſque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento?
Uſque adeò nihil eſt, quòd noſtra infantia cœlum
Hauſit Aventini baccâ nutrita Sabinâ?
Quid quòd adulandi gens prudentiſſima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis?
Miratur vocem anguſtam, quâ deteriùs nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare: ſed illis
Creditur. An melior cùm Thaïda ſuſtinet, aut cùm
Uxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipſa videtur,
Non perſona loqui: vacua & plena omnia dicas
Infrà ventriculum, & tenui diſtantia rimâ.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illìc
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda eſt. Rides? Majore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacrymas aſpexit amici:
Nec dolet. Igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat.
Non ſumus ergo pares: melior qui ſemper & omni
Nocte diéque poteſt alienum ſumere vultum;
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si benè ructavit, ſi rectum minxit amicus,
Si trulla inverſo crepitum dedit aurea fundo.
Præterea ſanctum nihil eſt, & ab inguine tutum,
Non matrona Jaris, non filia virgo, neque ipſe
Sponſus lævis adhuc, non filius antè pudicus.
Horum ſi nihil eſt, aulam reſupinat amici.
Scire volunt ſecreta domûs atque indè timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, tranſi
Gymnaſia, atque audi facinus majoris abollæ.
Stoïcus occidit Baream, delator amicum,
Diſcipulúmque ſenex, ripâ nutritus in illâ,
Ad quam Gorgonei delapſa eſt penna caballi.
Non eſt Romano cuiquam locus hìc, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimanthus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum;
Solus habet. Nam cùm facilem ſtillavit in aurem
Exiguum de naturæ, patriæque veneno,
Limine ſummoveor: perierunt tempora longi
Servitii: nuſquam minor eſt jactura clientis.
Quod porrò officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis hìc meritum; ſi curet nocte togatus
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat dudum vigilantibus orbis;
Ne prior Albinam, aut Modiam collega ſalutet?

Divitis

Divitis hic ſervi claudit latus ingenuorum
Filius; alter enim quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,
Ut ſemel atque iterum ſuper illam palpitet: at tu
Cùm tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres,
Et dubitas altâ Chionem deducere ſellâ.
Da teſtem Romæ tam ſanctum, quàm fuit hoſpes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam.
Protinus ad cenſum: de moribus ultima fiet
Quæſtio: quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri
Jugera, quàm multâ magnâque paropſide cœnat.
QUANTUM quiſque ſuâ nummorum ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei: jures licèt & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Dîs ignoſcentibus ipſis.
Quid, quòd materiam præbet cauſâſque jocorum
Omnibus hic idem, ſi fœda & ſciſſa lacerna,
Si toga ſordidula eſt, & ruptâ calceus alter
Pelle patet; vel ſi conſuto vulnere craſſum
Atque recens linum oſtendit non una cicatrix?
NIL habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit: Exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de pulvino ſurgat equeſtri,
Cujus res legi non ſufficit, & ſedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenéſque laniſtæ.
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.
Quis gener hìc placuit cenſu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper ſcribitur hæres?
Quando in conſilio eſt ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migráſſe Quirites.
HAUD facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. Sed Romæ durior illis
Conatus: magno hoſpitium miſerabile, magno
Servorum ventres, & frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Tranſlatus ſubitò ad Marſos, mentámque Sabellam,
Contentúſque illic Veneto, duróque cucullo.
Pars magna Italiæ eſt (ſi verum admittimus) in quâ
Nemo togam ſumit niſi mortuus. Ipſa dierum
Feſtorum herboſo colitur ſiquando theatro
Majeſtas: tandémque redit ad pulpita notum
Exodium, cùm perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rullicus infans:
Æquales habitus illìc, ſimilémque videbis
Orcheſtram, & populum, clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.
Hìc ultra vires habitûs nitor: hìc aliquid plus,
Quàm ſatis eſt, interdum alienâ ſumitur arcâ.
Commune id vitium eſt: hìc vivimus ambitioſâ
Paupertate omnes: quid te moror? OMNIA Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?
Ut te reſpiciat clauſo Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:
Plena domus libis venalibus: accipe, & illud
Fermentum tibi habe: præſtare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia ſervis.
Quis timet, aut timuit gelidâ Præneſte ruinam;
Aut poſitis nemoroſa inter juga Volſiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fulcam
Magnâ parte ſui: nam ſic labéntibus obſtat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruinâ.
Vivendum eſt illìc, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus: jam poſcit aquam, jam frivola tranſfert
Ucalegon; tabulata tibi jam tertia fumant.
Tu neſcis. Nam ſi gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula ſola tuetur
A pluviâ; molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Proculâ minor, urceoli ſex,
Ornamentum abaci; necnon & parvulus inſtrâ
Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron;
Jámque vetus Græcos ſervabat ciſta libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? Et tamen illud
Perdidit infelix totum nil: ultimus autem
Ærummæ cumulus, quòd nudum, & fruſtra rogantem
Nemo cibo, nemo hoſpitio, tectóque juvabit.
Si magna Aſturii cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor:
Tunc gemimus caſus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, & jam accurrit qui marmora donet,
Conferat impenſas. Hic nuda, & candida ſigna;
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,
Phæcaſianorum vetera ornamenta Deorum.
Hic libros dabit, & forulos, mediámque Minervam:
Hic modium argenti: meliora, ac plura reponit
Perſicus orborum lautiſſimus, & meritò jam
Suſpectus, tanquam ipſe ſuas incenderit ædes.
Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frutinone paratur;
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hìc, puteúſque brevis, nec reſte movendus,
In tenues plantas facili diffunditur hauſtu.
Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.
Eſt aliquid quocunque loco, quocunque receſſu,
Unius ſeſe dominum feciſſe lacertæ.
Plurimus hìc æger moritur vigilando; ſed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti ſtomacho. Nam quæ meritoria ſomnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in urbe.
Indè caput morbi: rhedarum tranſitus arcto
Vicorum inflexu, & ſtantis convicia mandræ
Eripiunt ſomnum Druſo, vitulíſque marinis.
Si vocat officium, turbâ cedente vehetur
Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburno,
Atque obiter leget, aut ſcribet, vel dormiet intus.
Namque facit ſomnum clauſâ lectica feneſtrâ.
Antè tamen veniet: nobis properantibus obſtat
Unda prior, magno populus premit agmine lumbos
Qui ſequitur: ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam,
Pinguia crura luto; plantâ mox undique magnâ
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
Nónne vides quanto celebretur ſportula fumo?
Centum convivæ; ſequitur ſua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res
Impoſitas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix; & curſu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ ſartæ; modò longa coruſcet
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt, nutant altè, populóque minantur.
Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus? quis membra, quis oſſa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver,
More animæ. Domus interea ſecura patellis
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat undis
Strigilibus, & pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros variè properantur: at ille
Jam ſedet in ripâ, tetrúmque novitius horret
Porthmea, nec ſperat cœnoſi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Reſpice nunc alia, ac diverſa pericula noctis.
Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa, & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent,
Et lædant ſilicem. Poſſis ignavus haberi,
Et ſubiti caſûs improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas, adeò tot fata, quot illâ
Nocte patent vigiles, te prætereunte, feneſtræ.
Ergo optes, votúmque feras miſerabile tecum,
Ut ſint contentæ patulas effundere pelves.
Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus.
Ergo non aliter poterit dormire: quibuſdam
Somnum rixa facit: ſed quamvìs improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo:
Multum præterea flammarum, atque ænea lampas:
Me, quem Luna ſolet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus diſpenſo & tempero filum,
Contemnit. Miſeræ cognoſce proœmia rixæ:
Si rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo tantúm.
Stat contrà, ſtarſque jubet, parere neceſſe eſt.
Nam quid agas, cùm te furioſus cogat, & idem
Fortior? Unde venis? Exclamat: cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi reſpondes? aut dic, aut accipe calcem.
Ede ubi conſiſtas: in quâ te quæro proſeuchâ?
Dicere ſi tentes aliquid, tacitúſque recedas,
Tantundem eſt: feriunt pariter: vadimonia deinde

Irati

Irati faciunt: libertas pauperis hæc eſt.
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus indè reverti.
Nec tamen hoc tantum metuas. Nam qui ſpoliet te
Non deerit, clauſis domibus, poſtquam omnis ubique
Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.
Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.
Sic indè huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Quâ fornace graves, quâ non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ, & ſarcula deſint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam ſub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram, & plures ſubnectere cauſas:
Sed jumenta vocant, & Sol inclinat; eundum eſt.
Nam mihi commotâ jamdudum mulio virgâ
Innuit: ergo vale noſtri memor; & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino;
Me quoque ad Elvinam Cererem, veſtrámque Dianam
Convelle à Cumis: Satyrarum ego (nî pudet illas)
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

SATYRA IV.

ECce iterum Criſpinus; & eſt mihi ſæpe vocandus
Ad partes, monſtrum nullâ virtute redemptum
A vitiis, æger, ſolâque libidine fortis:
Delicias viduæ tantùm aſpernatur adulter.
Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quantâ nemorum vectetur in umbrâ,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix, minimè corruptor, & idem
Inceſtus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: & tamen alter
Si feciſſet idem, caderet ſub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio, Seióque, decebat
Criſpinum. Quid agas, cùm dira & fœdior omni
Crimine perſona eſt? mullum ſex millibus emit,
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Conſilium laudo artificis, ſi munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi.
Eſt ratio ulterior, magnæ ſi miſit amicæ,
Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.
Nil tale expectes: emit ſibi. Multa videmus,
Quæ miſer & frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patriâ quondam Criſpine papyro?
Hoc pretium ſquamæ? potuit fortaſſe minoris
Piſcator, quàm piſcis emi. Provincia tanti
Vendit agros; ſed majores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipſum gluriſſe putemus
Induperatorem? cùm tot ſeſtertia, partem
Exiguam, & modicæ ſumptam de margine cœnæ
Purpureus magni ructaret ſcurra Palati,
Jam princeps equitum, magnâ qui voce ſolebat
Vendere municipes fractâ de merce ſiluros?
Incipe Calliope, licet hìc conſidere: non eſt
Cantandum; res vera agitur. Narrate puellæ
Pierides; proſit mihi vos dixiſſe puellas.
Cùm jam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo ſerviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci ſpatium admirabile rhombi,
Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon,
Implevítque ſinus: neque enim minor hæſerat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptáque tandem
Solibus effundit torpentis ad oſtia Ponti
Deſidiâ tardos, & longo frigore pingues.
Deſtinat hoc monſtrum cymbæ linique magiſter
Pontifici ſummo. Quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? Cùm plena & littora multo
Delatore forent; diſperſi protinus algæ
Inquiſitores agerent cum remige nudo;
Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem,
Depaſtúmque diu vivaria Cæſaris, indè
Elapſum, veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato,
Quicquid conſpicuum, pulchrúmque ex æquore toto eſt,
Res fiſci eſt, ubicunque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, jam letifero cedente prûinis
Autumno, jàm quartanam ſperantibus ægris.
Stridebat deformis hyems, prædámque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auſter.
Utque lacus ſuberant, ubi quanquam diruta ſervat
Ignem Trojanum, & Veſtam colit Alba minorem,
Obſtitit intranti miratrix turba parumper.
Ut ceſſit, facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi expectant admiſſa obſonia patres.
Itur ad Atridem: tam Picens, Accipe, dixit,
Privatis majora focis; genialis agatur
Iſte dies; propera ſtomachum laxare ſaginis,
Et tua ſervatum conſume in ſæcula rhombum.
Ipſe capi voluit. Quid apertius? & tamen illi
Surgebant criſtæ. Nihil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cùm laudatur dîs æqua poteſtas.
Sed decerat piſci patinæ menſura. Vocantur
Ergo in concilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miſeræ, magnæque ſedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno,
Currite, jam ſedit, raptâ properabat aboliâ
Pegaſus, attonitæ poſitus modò villicus urbi.
Anne aliud tunc præfecti? Quorum optimus, atque
Interpres legum ſanctiſſimus; omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Juſtitiâ. Venit & Criſpi jucunda ſenectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria, ac terras, populóſque regenti
Quis comes utilior, ſi clade & peſte ſub illâ
Sævitiam damnare, & honeſtum afferre liceret
Conſilium? ſed quid violentius aure tyranni?
Cum quo de pluviis, aut æſtibus, aut nimboſo
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem. Nec civis erat, qui libera poſſet
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogeſima vidit
Solſtitia, his armis, illâ quoque tutus in aulâ.
Proximus ejuſdem properabat Acilius ævi
Cum juvene indigno, quem mors tam ſæva maneret,
Et domini gladiis tam feſtinata: ſed olim
Prodigio par eſt in nobilitate ſenectus.
Unde fit, ut malim fraterculus eſſe gigantum.
Profuit ergo nihil miſero, quòd cominus urſos
Figebat Numidas, Albanâ nudus arenâ
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? Quis priſcum illud miretur acumen,
Brute tuum? Facile eſt barbato imponere regi.
Nec melior vultu quamvìs ignobilis ibat
Rubrius, offenſæ veteris reus, atque tacendæ;
Et tamen improbior Satyram ſcribente cinædo.
Montani quoque venter adeſt abdomine tardus:
Et matutino ſudans Criſpinus amomo;
Quantum vix redolent duo funera: ſævior illo
Pompeius tenui jugulos aperire ſuſurro:
Et qui vulturibus ſervabat viſcera Dacis
Fuſcus, marmoreâ meditatus prælia villâ:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam viſæ flagrabat amore puellæ, [ſtrum,
Grande, & conſpicuum noſtro quoque tempore mon-
Cæcus adulator, dirúſque à ponte ſatelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandáque devexæ jactaret baſia rhedæ.
Nemo magis rhombum ſtupuit: nam plurima dixit
In lævum converſus: at illi dextra jacebat
Bellua: ſic pugnas Cilicis laudabat, & ictus;
Et pegma, & pueros indè ad velaria raptos.
Non cedit Veiento, ſed ut fanaticus œſtro
Percuſſus, Bellona, tuo divinat; Et ingens
Omen habes, inquit, magni clariſque triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina eſt bellua. Cernis
Erectas in terga ſudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.
Quidnam igitur cenſes? Conciditur? Abſit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait; teſta alta paretur,
Quæ tenui muro ſpatioſum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ ſubitúſque Prometheus.
Argillam, atque rotam citiùs properate: ſed ex hôc
Tempore jam, Cæſar, figuli tua caſtra ſequantur.
Vicit digna viro ſententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctéſque Neronis
Jam medias, aliámque famem, cùm pulmo falerno
Arderet. Nulli major fuit uſus edendi

Tem-

Tempeſtate meâ. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinóve edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu:
Et ſemel aſpecti littus dicebat echini.
Surgitur, & miſſo proceres exire jubentur
Conciliо, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid, torviſque Sicambris
Dicturus; tanquam diverſis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pinnâ.
Atque utinam his potiùs nugis tota illa dediſſet
Tempora ſævitiæ, claràs quibus abſtulit urbi
Illuſtréſque animas impune, & vindice nullo.
Sed perit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Cœperat; hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

SATYRA V.

SI te propoſiti nondum pudet, atque eadem eſt mens,
Ut bona ſumma putes, aliená vivere quadrâ;
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet,
Quamvìs jurato mortem tibi credere teſti.
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipſum
Deſeciſſe puta, quod inani ſufficit alvo.
Nulla crepido vacat? Nuſquam pons, & tegetis pars
Dimidiâ brevior? tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames; cùm poſſis honeſtius illic
Et tremere, & ſordes ſacris mordere canini?
Primo ſige loco, quòd tu diſcumbere juſſus
Mercedem ſolidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ, cibus: imputat hunc rex,
Et quamvìs rarum, tamen imputat. Ergo duos poſt
Si libuit menſes neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo ceſſaret calcitra lecto,
Unà ſimus, ait. Votorum ſumma: quid ultrà
Quæris? Habet Trebius propter quod rumpere ſomnum
Debeat, & ligulas dimittere, ſollicitus, ne
Tota ſalutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo ſe
Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen? Vitrum quod ſuccida nolit
Lana pati: de convivâ Corybanta videbis.
Jurgia proludunt; ſed mox & pocula torques
Saucius, & rubrâ deterges vulnera mappâ;
Inter vos quoties, libertorúmque cohortem
Pugna Saguntinâ fervet commiſſa lagenâ.
Ipſe capillato diffuſum conſule potat,
Calcatámque tenet bellis ſocialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulúmque ſenectæ
Delevit multâ veteris fuligine teſtæ:
Quale coronati Thraſeæ, Helvidiúſque bibebant,
Brutorum, & Caſſî natalibus. Ipſe capaces
Heliadum craſſas, & inæquales beryllo,
Virro tenet phialas. Tibi non committitur aurum:
Vel ſi quando detur, cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguéſque obſervet acutos.
Da veniam: præclara illìc laudatur iaſpis,
Nam Virro (ut multi) gemmam ad pocula tranſfert
A digitis; quas in vaginæ fronte ſolebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Iarbæ.
Tu Beneventani tutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor, ac jam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulfura vitro.
Si ſtomachus domini fervet vinóque, cibóque;
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modò vina querebar.
Vos aliam potatis aquam: tibi pocula curſor
Gætulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri,
Et cui per medium nolis occurrere noctem,
Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Aſiæ ante ipſum pretio majore paratus:
Quàm fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci:
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod cùm ita ſit, tu Gætulum Ganymedem
Reſpice, cùm ſitiet: neſcit tot millibus emptus
Pauperibus miſcere puer: ſed forma, ſed ætas
Digna ſupercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter?
Quippe indignatur veteri parere clienti:
Quódque aliquid poſcas & quòd ſe ſtante recumbat.
Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, ſolidæ jam mucida fruſta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum.
Sed tener & niveus, mollíque ſiligine factus
Servatur domino. Dextram cohibere memento.
Salva ſit artoptæ reverentia. Finge tamen te
Improbulum; ſupereſt illìc qui ponere cogat.
Vín' tu conſuetis audax conviva caniſtris
Impleri, panſíque tui noviſſe colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod ſæpe relictâ
Conjuge, per montem adverſum, gelidáſque cucurri
Eſquilias, fremeret ſævâ cùm grandine vernus
Jupiter, & multo ſtillaret penula nimbo.
Aſpice quàm longo diſtendat pectore lancem,
Quæ fertur domino ſquilla; & quibus undique ſepta
Aſparagis, quâ deſpiciat convivia caudâ,
Cùm venit excelſi manibus ſublata miniſtri.
Sed tibi dimidio conſtrictus Cammarus ovo
Ponitur, exiguâ feralis cœna patellâ.
Ipſe Venafrano piſcem perfundit: at hic, qui
Pallidus offertur miſero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim veſtris datur alveolis, quod
Canna Micipſarum prorâ ſubvexit acutâ:
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lavatur;
Quod tutos etiam facit à ſerpentibus atris.
Mullus erit domino, quod miſit Corſica, vel quem
Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum eſt,
Et jam defecit noſtrum mare; dum gula ſævit,
Retibus aſſiduis penitus ſcrutante macello
Proxima; nec petitur Tyrrhenum creſcere piſcem.
Inſtruit ergo focum provincia: fumitur illinc
Quod captator erat Lenas, Aurelia vendat.
Virronî murena datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam dum ſe continet Auſter
Dum ſedet, & ficcat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temerariæ lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata columbæ,
Aut glacie aſperſus roncalis Tiberinus, & ipſe
Vernula riparum pinguis torrente cloacâ
Et ſolitus medias cryptam penetrare Suburras.
Ipſi panca velim, facilem ſi præbeat aurem:
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Senecâ; quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri: namque & titulis, & faſcibus olim
Major habebatur donandi gloria: ſolùm
Poſcimus, ut cœnes civiliter. Hoc face, & eſto,
Eſto (ut nunc multi) dives tibi, pauper amicis.
Anſeris ante ipſum magni jecur, anſeribus par
Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper. Poſt hunc radantur tubera, ſi ver
Tunc erit, & faciem optata tonitrua cœnæ
Majores: tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; diſjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio deſit,
Saltantem ſpectes, & chirononiona volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia. Nec minimo ſanè diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.
Duceris plantâ, velut ictus ab Hercule Cacus;
Et ponere foris, ſi quid tentaveris unquam
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, ſumíſque tuis contecta libellis
Pocula? Quis veſtrûm temerarias uſque adeò, quis
Perditus, ut dicat Regi, bibe? Plurima ſunt, quæ
Non audent homines pertæſi dicere læti.
Quadringenta tibi ſi quis Deus, aut ſimilis Dîs
Et melior fatis donaret, homuncio quantus
Ex nihilo fieres, quantos Virronis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium: vis frater ab illis
Ilibus? O numini, vobis hunc præſtat honorem:
Vos eſtis fratres. Dominus tamen, & Domini Rex
Si vis ut fieri, nullus tibi parvulus aulâ
Luſerit Æneas, nec filia dulcior illo.
Jucundum & carum ſterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licèt, & pueros tres
In gremium patris fundat, ſimul ipſe loquaci
Gaudebit nido, viridem thoracem jubebit
Afferri, minimáſque nates, aſſémque rogatum,
Ad menſam quoties parafitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; ſed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, poſt quem nil ampliùs edit.

Virro

Virro ſibi & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat;
Credere quæ poſſis ſurrepta ſororibus Afris.
Tu ſcabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parmâ, & galeâ, metuénſque flagelli
Diſcit ab hirſuto jaculum torquere Capellâ.
Forſitan impenſæ Virronem parcere credas:
Hoc agit, ut doleas: nam quæ comœdia? Mimus
Quis melior plorante gulâ? Ergo omnia fiunt,
Si neſcis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, preſſóque diu ſtridere molari.
Tu tibi liber homo, & regis conviva videris;
Captum te nidore ſuæ putat ille culinæ:
Nec malè conjectat: quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Hetruſcum puero ſi contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & ſignum de paupere loro?
Spes bene cœnandi vos decipit: ecce dabit jam
Semeſum leporem, atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos jam veniet minor altilis: indè parato,
Intactóque omnes, & ſtricto pane tacetis.
Ille ſapit, qui te ſic utitur. Omnia ferre
Si potes, & debes; pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

SATYRA VI.

CRedo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, viſámque diu; cùm frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignémque, Larémque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbrâ:
Sylveſtrem montana torum cùm ſterneret uxor
Frondibus, & culmo, vicinarúmque ferarum
Pellibus: haud ſimilis tibi Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et ſæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cœlóque recenti
Vivebant homines; qui rupto robore nati,
Compoſitíque luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris veſtigia forſan,
Aut aliqua extiterant, & ſub Jove, ſed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cùm furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad Superos Aſtræa receſſit,
Hâc comite, atque duæ pariter fugere ſorores.
Antiquum & vetus eſt alienum, Poſthume, lectum
Concutere, atque ſacri Genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.
Viderunt primos argentea ſæcula mœchos.
Conventum tamen, & pactum, & ſponſalia, noſtrâ
Tempeſtate paras; jámque à tonſore magiſtro
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.
Certè ſanus eras. Uxorem, Poſthume, ducis?
Dic quâ Tiſiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam ſalvis tot reſtibus ullam?
Cùm pateant altæ caligantéſque feneſtræ?
Cùm tibi vicinum ſe præbeat Æmilius pons?
Aut ſi de multis nullus placet exitus; illud
Nónne putas melius, quòd tecum puſio dormit:
Puſio qui noctu non litigat: exigit à te
Nulla jacens illic munuſcula, nec queritur quòd
Et lateri parcas, nec quantum juſſit anheles.
Sed placet Urſidio lex Julia: tollere dulcem
Cogitat hæredem, carituras turture magno,
Mullorúmque jubis, & captatore macello.
Quid fieri non poſſe putes, ſi jungitur ulla
Urſidio? Si mœchorum turpiſſimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capiſtro,
Quem toties texit perituri ciſta Latini?
Quid, quòd & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? O Medici mediam pertundite venam.
Delicias hominis! Tarpeium limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ;
Quarum non timeat pater oſcula. Nectè coronam
Poſtibus, & denſos per limina tende corymbos.
Unus Iberinæ vir ſufficit? Ocyùs illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta ſit uno.
Magna tamen fama eſt cujuſdam rure paterno

Viventis: vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? Adeò ſenuerunt Jupiter, & Mars?
Porticibúſne tibi monſtratur fœmina voto
Digna tuo? Cuneis an habent ſpectacula totis
Quòd ſecurus ames, quódque indè excerpere poſſis?
Chironomon Ledam molli ſaltante Batyllo
Tuccia veſicæ non imperat; Appula gannit
Sicut in amplexu: ſubitum & miſerabile longum
Attendit Thymele, Thymelo tunc ruſtica diſcit.
Aſt aliæ, quoties aulæa recondita ceſſant,
Et vacuo clauſóque ſonant fora ſola theatro,
Atque à plebeis longè Megaleſia, triſtes
Perſonam, thyrſúmque tenent, & ſubligar Accî.
Urbicus exodio riſum movet Atellanæ
Geſtibus Autonoes; hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno comœdi fibula. Sunt quæ
Chryſogonum cantare vetent. Hiſpulla tragœdo
Gaudet: an expectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de quâ citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrotiúſque choraules.
Longa per anguſtos figamus pulpita vicos:
Ornentur poſtes, & grandi janua lauro,
Ut teſtudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludum
Ad Pharon, & Nilum, famoſáque mœnia Lagi,
Prodigia & mores urbis damnante Canopo.
Immemor illa domûs, & conjugis atque ſororis,
Nil patriæ indulſit, plorantéſque improba natos,
Utque magis ſtupeas, ludos, Paridémque reliquit.
Sed quanquam in magnis opibus, plumâque paternâ,
Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis,
Contempſit pelagus: famam contempſerat olim,
Cujus apud molles minima eſt jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, latéque ſonantem
Pertulit Ionium conſtanti pectore, quamvis
Mutandum toties eſſet mare. Juſta pericli
Si ratio eſt, & honeſta; timent, pavidóque gelantur
Pectore, nec tremulis poſſunt inſiſtere plantis.
Fortem animum præſtant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum eſt conſcendere navim.
Tunc ſentina gravis, tunc ſummus vertitur aër.
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet. Illa maritum
Convomit: hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.
Quâ tamen exarſit formâ? Quâ capta juventâ eſt
Hippia? Quid vidit propter quod ludia dici
Suſtinuit? Nam Sergiolus jam radere guttur
Cœperat, & ſecto requiem ſperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia, ſicut
Attritus galeâ, mediiſque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum ſemper ſtillantis ocelli.
Sed gladiator erat. Facit hoc illos Hyacinthos.
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa ſorori,
Atque viro. Ferrum eſt, quod amant. Hic Sergius idem
Acceptâ rude cœpiſſet Veiento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Reſpice rivales Divorum; Claudius audi
Quæ tulerit: Dormire virum cùm ſenſerat uxor,
Auſa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos.
Linquebat comite ancillâ non ampliùs unâ:
Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ,
Oſtendítque tuum, generoſe Britannice, ventrem.
Excepit blandè intrantes, atque æra popoſcit:
Mox lenone ſuas jam dimittente puellas,
Triſtis abit; ſed quod potuit, tamen ultima cellam
Clauſit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et laſſata viris, necdum ſatiata receſſit:
Obſcuriſque genis turpis, fumóque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
Hippomanes, carménque loquar, coctúmque venenum,
Privignóque datum? Faciunt graviora coactæ
Imperio ſexûs, minimúmque libidine peccant.
Optima ſed quare Ceſennia teſte marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam;
Nec Veneris pharetris macer eſt; aut lampade fervet:
Indè faces ardent, veniunt à dote ſagittæ.
Libertas emitur: coràm licèt innuat, atque

Reſcribat, vidua eſt locuples, quæ nupſit avaro.
Cur deſiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculiſque minores;
Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & ſæpe emungeris; exi
Ocyùs, & propera; ſicco venit altera naſo.
Interea calet, & regnat, poſcitque maritum
Paſtores, & ovem Canuſinam, ulmóſque Falernas.
Quantulum in hôc? Pueros omnes, ergaſtula tota,
Quódque domi non eſt, & habet vicinus, ematur.
Menſe quidem brumæ, cùm jam mercator Iaſon
Clauſus, & armatis obſtat caſa candida nautis,
Grandia tolluntur cryſtallina, maxima rurſus
Myrrhina, deinde adamas notiſſimus, & Berenices
In digito factus pretioſior. Hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori,
Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.
Nullúne de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formoſa, decens, dives, fœcunda, vetuſtos
Porticibus diſponat avos, intactior omni
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabinâ:
RARA AVIS IN TERRIS, nigróque ſimillima cygno.
Quis feret uxorem, cui conſtant omnia? Malo,
Malo Venuſinam, quàm te, Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſuperçilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Annibalem, victúmque Syphacem
In caſtris; & cum totâ Carthagine migra.
Parce precor, Pœan, & tu depone ſagittas:
Nil pueri faciunt; ipſam configite matrem:
Amphion clamat. Sed Pœan contrahit arcum.
Extulit ergo gregem natorum, ipſúmque parentem,
Dum ſibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem ſcroſâ Niobe fœcundior albâ.
Quæ tanti gravitas? quæ forma, ut ſe tibi ſemper
Imputet? hujus enim rari, ſummúque voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta ſuperbo
Plus aloës quàm mellis habet. Quis deditus autem
Uſque adeò eſt, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, ſique diem ſeptenis oderit horis?
Quædam parva quidem, ſed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quàm quòd ſe non putet ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſcâ Græcula facta eſt,
De Sulmonenſi mera Cecropis? Omnia Græcè,
Cùm ſit turpe magìs noſtris neſcire Latinè.
Hôc ſermone pavent, hôc iram, gaudia, curas,
Hôc cuncta effundunt animi ſecreta. Quid ultrà?
Concumbunt græcè. Dones tamen iſta puellis:
Túne etiam, quam ſextus & octogeſimus annus
Pulſat, adhuc græcè? Non eſt hic ſermo pudicus
In vetulâ, quoties laſcivum intervenit illud,
Ζωὴ κὴ ψυχὴ, modò ſub lodice relictis
Uteris in turbâ. Quod enim non excitat inguen
Vox blanda, & nequam? digitos habet: ut tamen omnes
Subſidant pennæ. Dicas hæc molliùs Æmo
Quanquam & Carpophoro, facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam junctámque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Cauſa; nec eſt quare cœnam, & muſtacea perdas,
Labente officio, crudis donanda; nec illud
Quod primâ pro nocte datur, cùm lance beatâ
Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro.
Si tibi ſimplicitas uxoria, deditus uni
Eſt animus: ſubmitte caput cervice paratâ
Ferre jugum: nullam invenies, quæ parcat amanti.
Ardeat ipſa licèt, tormentis gaudet amantis,
Et ſpoliis. Igitur longè minùs utilis illi
Uxor, quiſquis erit bonus, optandúſque maritus.
Nil unquam invitâ donabis conjuge: vendes
Hâc obſtante nihil: nihil, hæc ſi nolit, emetur.
Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Jam ſenior, cujus barbam tua janua vidit.
Teſtandi cùm ſit lenonibus, atque laniſtis
Libertas, & juris idem contingat arenæ,
Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.
Pone crucem ſervo: meruit quo crimine ſervus
Supplicium? Quis teſtis adeſt? Quis detulit? Audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.
O demens, ita ſervus homo eſt? Nil fecerit, eſto:
Hoc volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro: ſed mox hæc regna relinquit,
Permutátque domos, & flamea conterit: indè
Avolat, & ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulò antè fores, pendentia linquit
Vela domûs, & adhuc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus; ſic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos: titulo res digna ſepulcri.
Deſperanda tibi ſalvâ concordia ſocru:
Illa docet ſpoliis nudi gaudere mariti:
Illa docet miſſis à corruptore tabellis,
Nil rude, nil ſimplex reſcribere: decipit illa
Cuſtodes, aut ære domat: tunc corpore ſano
Advocat Archigenen, oneroſâque pallia jactat.
Abditus interea latet, & ſecretus adulter,
Impatiéntſque moræ ſilet, & præputia ducit.
Scilicet expectas, ut tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quàm quos habet? Utile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla ferè cauſa eſt, in quâ non fœmina litem
Moverit. Accuſat Manilia, ſi rea non eſt.
Componunt ipſæ per ſe, formántque libellos,
Principium, atque locos Celſo dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis neſcit? Vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat aſſiduis ſudibus, ſcutóque laceſſit,
Atque omnes implet numeros? digniſſima prorſus
Floreli matrona tubâ: niſi ſi quid in illo
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à ſexu, vires amat? Hæc tamen ipſa
Vir nollet fieri: nam quantula noſtra voluptas?
Quale decus rerum, ſi conjugis auctio fiat,
Balteus, & manicæ, & cristæ, cruriſque ſiniſtri
Dimidium tegmen: vel ſi diverſa movebit
Prælia, tu felix ocreas vendente puellâ.
Hæ ſunt, quæ tenui ſudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.
Aſpice quo fremitu monſtratos perferat ictus;
Et quanto galeæ curvetur pondere; quanta
Poplitibus ſedeat; quàm denſo faſcia libro;
Et ride, ſcaphium poſtis cùm ſumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi, cœciſve Metelli,
Gurgitis aut Fabii, quæ ludia ſanxerit unquam
Hos habitus? Quando ad palum gemat uxor Aſylli?
Semper habet lites, alternáque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orbâ tigride pejor,
Cùm ſimulat gemitus occulti conſcia facti:
Aut odit pueros, aut fictâ pellice plorat
Uberibus ſemper lacrymis, ſempérque paratis
In ſtatione ſuâ, atque expectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletúmque labellis
Exorbes; quæ ſcripta, & quas lectare tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ?
Sed jacet in ſervi complexibus, aut Equitis: dic,
Dic aliquem, ſodes, dic, Quintiliane, colorem.
Hæremus: dic, ipſa. Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu quod velles; necnon ego paſſem
Indulgere mihi: clames licèt, & mare cœlo
Confundas, homo ſum. Nihil eſt audacius illis
Deprenſis. Iram, atque animos à crimine ſumunt.
Unde hæc monſtra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebat
Tecta labor, ſomníque breves, & vellere Tuſco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus urbi
Annibal, & ſtantes Collinâ in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victúmque ulciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinúſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Hinc ſtrexit ad iſtos
Et Sybaris colles; hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, madidúmque Tarentum.
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina, neſcit;
Grandia quæ mediis jam noctibus oſtrea mordet,
Cùm perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno,
Cùm bibitur conchâ, cùm jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis.
I nunc, & dubita quâ ſorbeat aëra ſanctâ
Tullia, quid dicat notæ Collatia Mauræ;
Maura pudicitiæ veterem cùm præterit aram.

Nocti-

Noctibus hìc ponunt lectìcas, miſcuriunt hìc;
Effigiémque Deæ longis ſiphonibus implent;
Inque vices equitant, ac Lunâ teſte moventur.
Indè domos abeunt. Tu calcas, luce reverſâ,
Conjugis urinam, magnos viſurus amicos.
Nota Bonæ ſecreta Deæ, cùm tibia lumbos
Incitat; & cornu pariter, vinóque feruntur.
Attonitæ, crinémque rotant, ululámque Priapi
Mænades: ô quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitûs! Quæ vox ſaltante libidine! Quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas poſitâ Laufella coronâ
Provocat, & tollit pendentis præmia coxæ:
Ipſa Medullinæ frictum criſſantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum ſimulabitur, omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo
Laomedontiades, & Neſtoris hernia poſſit.
Tunc prurigo moræ impatiens: tunc fœmina ſimplex
Et pariter toto repetitur clamor ab antro.
Jam fas eſt, admitte viros. Jam dormit adulter?
Illa jubet ſumpto juvenem properare cucullo.
Si nihil eſt; ſervis incurritur: abſtuleris ſpem
Servorum, veniet conductus aquarius: hic ſi
Quæritur, & deſunt homines; mora nulla per ipſam,
Quo minùs impoſito clunem ſubmittat aſello.
Atque urinam ritus veteres, & publica ſaltem
His intacta malis agerentur ſacra: ſed omnes
Noverunt Mauri, atque Indi, quæ pſaltria penem
Majorem, quàm ſint duo Cæſaris Anticatones:
Illuc, teſticuli ſibi conſcius unde fugit mus,
Intulerit; ubi velari pictura jubetur,
Quacumque alterius ſexûs imitata figuram eſt.
Et quis tunc hominum contemptor numinis: aut quis
Sympuvium ridere Numæ, nigrúmque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat? Sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio quid veteres olim moneatis amici.
Pone ſeram, cohibe. Sed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? Cauta eſt, & ab illis incipit uxor.
Jámque eadem ſummis pariter, minimiſque libido.
Nec melior pedibus ſilicem quæ conterit arrum;
Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut ſpectet ludos, conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, cervical, amicas,
Nutricem, & ſuavem, cui det mandata, puellam,
Hæc tamen argenti ſupereſt quodcumque paterni
Lævibus athletis, ac vaſa noviſſima donat.
Multis res anguſta domi eſt: ſed nulla pudorem
Paupertatis habet; nec ſe metitur ad illum,
Quem dedit hæc poſuſtque modum. Tamen utile quid ſit,
Proſpiciunt aliquando viri; frigúſque, famémque,
Formicâ tandem quidam expavere magiſtrâ.
Prodiga non ſentit pereuntem fœmina cenſum:
At velut exhauſtâ redivivus pullulet arcâ
Nummus, & è pleno ſemper toltatur acervo,
Non unquam reputat, quanti ſibi gaudia conſtent.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quòd abortivo non eſt opus. Illa voluptas
Summa tamen, quòd jam calida & matura juventâ
Inguina traduntur Medicis, jam pectine nigro.
Ergo expectatos ac juſſos creſcere primùm
Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantùm rapit Heliodorus.
Conſpicuus longè, cunctiſque notabilis intrat
Balnea, nec dubiè cuſtodem vitis & horti
Provocat, à dominâ factus ſpado: dormiat ille
Cum dominâ: ſed tu jam durum, Poſthume, jámque
Tondendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus; organa ſemper
In manibus; denſi radiant teſtudine totâ
Sardonyches: criſpo numerantur pectine chordæ,
Quo tenor Hedymeles operam dedit: hunc tenet, hôc ſe
Solatur, gratóque indulget baſia plectro.
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti
Cum farre & vino Janum, Veſtámque rogabat,
An Capitolinum deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. Quid faceret plus
Ægrotante viro? Medicis quid triſtibus erga
Filiolum? Steit ante aram, nec turpe putavit
Pro citharâ velare caput; dictatáque verba
Protulit, ut mos eſt, & aperta pallulit agnâ.

Dic mihi nunc quæſo, dic antiquiſſime Divûm;
Reſpondes his, Jane pater? Magna ocia cœli.
Non eſt (ut video) non eſt, quod agatur apud vos.
Hæc de Comœdis te conſulit: illa Tragœdum
Commendare volet; varicoſus fiet haruſpex.
Sed cantet potiùs, quàm totam pervolet urbem
Audax, & cœtus poſſit quàm ferre virorum;
Cumque paludatis ducibus, præſente marito,
Ipſa loqui, rectâ facie, ſtrictiſque mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe:
Quid Seres, quid Thraces agant: ſecreta noverca,
Et pueri: quis amet; quis decipiatur adulter.
Dicet quis viduam prægnantem fecerit, & quo
Menſe, quibus verbis concumbat quæque, modis quot.
Inſtantem regi Armenio, Parthóque cometem
Prima videt: famam, rumoréſque illa recentes
Excipit ad portas: quoſdam facit: iſſe Niphatem
In populos, magnóque illìc cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, ſubſidere terras,
Quocumque in trivio, cuicumque eſt obvia, narrat.
Nec tamen id vitium magìs intolerabile, quàm quòd
Vicinos humiles rapere, & concidere loris
Exorata ſolet: nam ſi latratibus alti
Rumpuntur ſomni; Fuſtes huc ocyùs, inquit,
Afferte, atque illis dominum jubet antè feriri,
Deinde canem: gravis occurſu, teterrima vultu,
Balnea nocte ſubit: conchas, & caſtra moveri
Nocte jubet; magno gaudet ſudare tumultu,
Cùm laſſata gravi cecidêrunt brachia maſſâ,
Callidus & criſtæ digitos impreſſit aliptes,
Ac ſummum dominæ femur exclamare coëgit.
Convivæ miſeri interea ſomnóque, faméque
Urgentur. Tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum ſitiens, plenâ quod tenditur urnâ
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit, & terram loto ferit inteſtino.
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet. Nam ſic tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit, & vomit. Ergo maritus
Nauſeat, atque oculis bilem ſubſtringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ cùm diſcumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoſcit Eliſæ:
Committit vates, & comparat indè Maronem,
Atque aliâ parte in trutinâ ſuſpendit Homerum.
Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis
Turba tacet, nec cauſidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis.
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulſari. Jam nemo tubas atque æra fatiget:
Una laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.
Imponit finem ſapiens & rebus honeſtis.
Nam quæ docta nimis cupit & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet,
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut certum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes:
Sed quædam ex libris & non intelligat. Odi
Hanc ego, quæ repetit volvítque Palæmonis artem,
Servatâ ſemper lege, & ratione loquendi,
Ignotóſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris Opicæ caſtigat amicæ
Verba. Solœciſmum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier ſibi: turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.
Intolerabilius nihil eſt quàm fœmina dives.
Interea fœda aſpectu, ridendáque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lotâ cute: quando videri
Vult formoſa domi? mœchis ſoliata parantur.
His emitur quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit;
Incipit agnoſci, atque illo lacte fovetur
Propter quod ſecum comites educit aſellas,
Exul Hyperboreum ſi dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque ſovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit & madidæ; facies dicetur, an ulcus?
Eſt operæ pretium penitus cognoſcere toto,
Quid faciant agiténtque die. Si nocte maritus
Averſus jacuit, periit libraria, ponunt
Coſmetæ

Coſmetæ tunicas, tardè veniſſe Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic ſcuticâ; ſunt quæ tortoribus annua præſtent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum;
Et cædens longi relegit tranſacta diurni.
Et cædit, donec laſſis cædentibus, exi
Intonet horrendum, jam cognitione peractâ.
Præfectura domûs Siculâ non mitior aulâ.
Nam ſi conſtituit, ſolitóque decentiùs optat
Ornari; & properat, jámque expectatur in hortis,
Aut apud Iliacæ potiùs ſacraria lenæ;
Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humeros Pſecas infelix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuò fieri crimen facinúſque capilli.
Quid Pſecas admiſit? Quænam eſt hîc culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? Altera lævum
Extendit, pectítque comas, & volvit in orbem.
Eſt in conſilio matrona, admotáque lanis
Emeritâ quæ ceſſat acu: ſententia prima
Hujus erit; poſt hanc ætate, atque arte minores
Cenſebunt; tanquam famæ diſcrimen agatur.
Atque animæ: tanta eſt quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis;
Pòſt minor eſt: aliam credas. Cedò, ſi breve parvi
Sortita eſt lateris ſpatium, breviórque videtur
Virgine Pygmæâ, nullis adjuta cothurnis;
Et levis erectâ conſurgit ad oſcula plantâ.
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tanquam vicina mariti.
Hôc ſolo propior, quòd amicos conjugis odit,
Et ſervos. Gravis eſt rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, matriſque Deûm chorus intrat: & ingens
Semivir obſcœno facies reverenda minori,
Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ;
Jam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & Phrygiâ veſtitur bucca tiarâ.
Grande ſonat, metuſque jubet Septembris, & Auſtri
Adventum, niſi ſe centum luſtraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipſi;
Ut quicquid ſubiti & magni diſcriminis inſtat,
In tunicas eat, & totum ſemel expiet annum.
Hybernum fractâ glacie deſcendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis
Vorticibus timidum caput abluet. Indè Superbi
Totum Regis agrum, nuda, ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida juſſerit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidâque petitas
A Meroë portabit aquas, ut ſpargat in æde
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ovili.
Credit enim ipſius dominæ ſe voce moneri.
En animam, & mentem, cum quâ Dî nocte loquantur.
Ergo hic præcipuum ſummúmque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu ſacris obſervandiſque diebus:
Magnáque debetur violato pœna cadurco:
Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.
Illius lacrymæ meditatáque murmura præſtant,
Ut veniam culpæ non abnuat, anſere magno
Scilicet & tenui popano correptus Oſiris.
Cùm dedit ille locum, cophino fœnóque relicto,
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli.
Implet & illa manum, ſed parciùs ære minuto.
Qualiacumque voles Judæi ſomnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus haruſpex.
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri. Faciet quod deferat ipſe.
Chaldæis ſed major erit fiducia: quidquid
Dixerit Aſtrologus, credem à fonte relatum
Ammonis; quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen eſt horum, qui ſæpius exul,
Cujus amicitiâ, conducendâque tabellâ
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.
Indè fides arti, ſonuit ſi dextera ferro,
Læváque ſi longo caſtrorum in carcere manſit.
Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui penè perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, & parvâ tandem caruiſſe Scripho.
Conſulit ictericæ lento de funere matris,
Antè tamen de te, Tanaquil tua; quando ſororem
Efferat, & patruos: an ſit victurus adulter
Poſt ipſam. Quid enim majus dare Numina poſſunt?
Hæc tamen ignorat quid ſidus triſte minetur
Saturni; quo læta Venus ſe proferat aſtro;
Qui menſis damno, quæ dentur tempora lucro.
Illius occurſus etiam vitare memento,
In cujus manibus ceu pinguia ſuccina tritas
Cernis ephemeridas; quæ nullum conſulit, & jam
Conſulitur; quæ caſtra viro patriámque petente,
Non ibit pariter, numeris revocata Thraſylli.
Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora
Sumitur ex libro: ſi prurit frictus ocelli
Angulus, inſpectâ geneſi collyria poſcit.
Ægra licèt jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.
Si mediocris erit, ſpatium luſtrabit utrumque
Metarum, & ſortes ducet; frontémque manúmque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.
Divitibus reſponſa dabit Phryx augur, & indè
Conductus dabit aſtrorum mundíque peritus:
Atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante Phalas, Delphinorúmque columnas;
An ſaga vendenti nubat, caupone relicto.
Hæ tamen & partûs ſubeunt diſcrimen, & omnes
Nutricis tolerant, fortunâ urgente, labores.
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantùm artes hujus, tantùm medicamina poſſunt,
Quæ ſteriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit. Gaude infelix, atque ipſe bibendum
Porrige quidquid erit: nam ſi diſtendere vellet,
Et vexare uterum pueris ſalientibus, eſſes
Æthiopis fortaſſe pater: mox decolor hæres
Impleret tabulas, nunquam tibi manè videndus.
Tranſeo ſuppoſitos, & gaudia, votáque ſæpe
Ad ſpurcos decepta lacus, atque indè petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falſo
Corpore laturos. Stat fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus. Hos fovet omnes,
Involvítque ſinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretúmque ſibi mimum parat: hos amat, his ſe
Ingerit, atque ſuos ridens producit alumnos.
Hic magicus affert cantus, hic Theſſala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,
Et ſoleâ pulſare nates. Quod deſipis, indè eſt,
Indè animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modò geſſiſti. Tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, & fractâ compage ruebant,
Non aliter, quàm ſi feciſſet Juno maritum
Inſanum. Minùs ergo nocens erit Agrippina
Boletus: ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulúmque caput deſcendere juſſit
In cœlum, & longâ manantia labra ſalivâ.
Hæc poſcit ferrum atque ignes, hæc potio torquet.
Hæc lacerat miſſos equitum cum ſanguine Patres.
Tanti partus equæ, quanti una venefica conſtat.
Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet, Jamjam privignum occidere fas eſt.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior eſt res,
Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat antè aliquis quicquid porrexerit illa
Quæ peperit: timidus præguſtet pocula pappas.
Fingimus hæc, altum Satyrâ ſumente cothurnum
Scilicet? Et finem egreſſi legémque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis, cœlóque Latino?
Nos utinam vani: ſed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerſque meis aconita paravi,
Quæ deprenſa patent; facinus tamen ipſa peregi.
Tûne duos unâ ſæviſſima vipera cœnâ?
Tûne duos? Septem, ſi ſeptem fortè fuiſſent.
Credamus tragicis quicquid de Colchide torvâ
Dicitur, & Progne. Nil contrà conor: & illæ

Grandia

Grandia monſtra ſuis audebant temporibus; ſed
Non propter nummos. Minor admiratio ſummis
Debetur monſtris, quoties facit ira nocentem
Hunc ſexum; & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites: ut ſaxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivóque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, & ſcelus ingens
Sana facit. Spectant ſubeuntem fata mariti
Alceſtim: & ſimilis ſi permutatio detur,
Morte viri cupiant animam ſervare catellæ.
Occurrunt multæ tibi Belides, atque Eriphylæ.
Manè Clytemneſtram nullus non vicus habebit.
Hoc tantùm refert, quòd Tyndaris illa bipennem
Inſulſam & ſatuam dextrâ lævâque tenebat.
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ:
Sed tamen & ferro, ſi præguſtaret Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

SATYRA VII.

ET ſpes, & ratio ſtudiorum in Cæſare tantùm.
Solus enim triſtes hâc tempeſtate Camœnas
Reſpexit, cùm jam celebres notíque Poëtæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent; nec fœdum alii nec turpe putarent
Præcones fieri; cùm deſertis Aganippes
Vallibus, eſuriens migraret in atria Clio.
Nam ſi Pieriâ quadrans tibi nullus in umbrâ
Oſtendatur, ames nomen victúmque Machæræ;
Et vendas potiùs, commiſſa quod auctio vendit
Stantibus, cænophorum, tripodes, armaria, ciſtas,
Alcithoen Pacci, Thebas & Terea Fauſti.
Hoc ſatiùs quàm ſi dicas ſub judice, vidi,
Quod non vidiſti. Faciant Equites Aſiani,
Quanquam & Cappadoces faciant, Equitéſque Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurúmque momordit.
Hoc agite, ô juvenes: circumſpicit, & ſtimulat vos,
Materiámque ſibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum expectanda tuarum
Prætidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur; lignorum aliquid poſce ocyùs, & quæ
Componis, dona Veneris, Teleſine, marito:
Aut elude, & poſitos tineâ pertunde libellos.
Frange miſer calamos, vigilatáque prælia dele,
Qui facis in parvâ ſublimia carmina cellâ,
Ut dignus venias hederis, & imagine macrâ.
Spes nulla ulterior: didicit jam dives avarus
Tantùm admirari, tantum laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas,
Et pelagi patiens, & caſſidis, atque ligonis.
Tædia tunc ſubeunt animos, tunc ſéque, ſuámque
Terpſichoren odit facunda & nuda ſenectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iſte,
Quem colis, & Muſarum & Apollinis æde relictâ.
Ipſe facit verſus, atque uni cedit Homero,
Propter mille annos. At ſi dulcedine famæ
Succenſus recites, Maculonus commodat ædes;
Ac longè ferrata domus ſervire jubetur,
In quâ ſollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extremâ in parte ſedentes
Ordinis, & magnas comitum diſponere voces.
Nemo dabit regum, quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis potita eſt orcheſtra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuíque in pulvere ſulcos
Ducimus, & littus ſterili verſamus aratro.
Nam ſi diſcedas, laqueo tenet ambitioſi
Conſuetudo mali; tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.
Sed vatem egregium, cui non ſit publica vena,
Qui nihil expolitum ſoleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale monetâ;
Hunc, qualem nequeo monſtrare, & ſentio tantùm,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus ſylvarum, aptúſque bibendis
Fontibus Aonidum. Neque enim cantare ſub antro
Pierio, thyrſúmve poteſt contingere ſana
Paupertas, atque æris inops, quo nocte, diéque
Corpus eget. Satur eſt, cùm dicit Horatius, Euhoë,
Quis locus ingenio: niſi cùm ſe carmine ſolo
Vexant, & dominis Cirrhæ Niſæque feruntur
Pectora noſtra duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice parandâ
Attonitæ, currus & equos, faciéſque Deorum
Aſpicere, & qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam ſi Virgilio puer & tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes à crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. Poſcimus ut ſit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos & lænam pignerat Atreus?
Non habet infelix Numitor quod mittat amico;
Quintillæ quod donet habet: nec defuit illi
Unde emeret multâ paſcendum carne leonem
Jam domitum. Conſtat leviori bellua ſumptu
Nimirum; & capiunt plus inteſtina Poëtæ.
Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis. At Serrano, tenuíque Saleio
Gloria quantalibet, quid erit, ſi gloria tantùm eſt?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaïdos, lætam fecit cùm Statius urbem,
Promiſitque diem: tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantéque libidine vulgi
Auditur: ſed cùm fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.
Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semeſtri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit hiſtrio. Tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita paſcunt.
Quis tibi Mecænas? Quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? Quis Cotta iterum? Quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium. Nunc utile multis
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.
Veſter porrò labor fœcundior, hiſtoriarum
Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus.
Namque oblita modi milleſima pagina ſurgit
Omnibus, & creſcit multâ damnoſa papyro.
Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.
Quæ tamen indè ſeges? Terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit hiſtorico quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod tecto gaudet & umbrâ.
Dic igitur quid cauſidicis civilia præſtent
Officia, & magno comites in faſce libelli?
Ipſi magna fouant; ſed tunc cùm creditor audit
Præcipuè, vel ſi tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,
Tunc immenſa cavi ſpirant mendacia folles,
Conſpuitúrque ſinus. Veram deprendere meſſem
Si libet: hinc centum patrimonia cauſidicorum,
Parte aliâ ſolùm Ruſſati pone Lacertæ.
Conſedere Duces: ſurgis tu pallidus Ajax,
Dicturus dubiâ pro libertate, Bubulco
Judice. Rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo
Figantur virides ſcalarum gloria palmæ.
Quod vocis pretium? Siccus petaſunculus, & vas
Pelamidum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi;
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egiſti, ſi contigit aureus unus,
Indè cadunt partes, ex fœdere pragmaticorum.
Æmilio dabitur quantum petet: & meliùs nos
Egimus. Hujus enim ſtat currus aheneus, alti
Quadrijuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curvarum haſtile minatur
Eminus, & ſtatuâ meditatur prælia luſcâ.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit; excitus hic eſt
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui ſolet, & vexat lutulentâ balnea turbâ,
Pérque forum juvenes longo premit aſſere Medos,
Empturus pueros, argentum, myrrhina, villas.
Spondet enim Tyrio illataria purpura filo.
Et tamen hoc ipſis eſt utile: purpura vendit
Cauſidicum, vendunt amethyſtina: convenit illis
Et ſtrepitu, & facie majoris vivere cenſûs.
Sed finem impenſæ non ſervat prodiga Roma.
Ut redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, niſi fulſerit annulus ingens.
Reſpicit hoc primum qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, poſt te an ſit ſella, togati
Ante pedes. Ideo conductâ Paulus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quàm Coſſus agebat,
Quàm Baſilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet flentem Baſilo producere matrem?

¶ Quis

Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat se
Gallia, vel potiùs nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem imponere linguæ.
Declamare doces, ô ferrea pectora Veêî,
Cùm perimit sævos classis numerosa Tyrannos.
Nam quocumque sedens modò legerat, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit verbibus îsdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color, & quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversâ parte fugitæ,
Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? Quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quòd lævâ in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sextâ
Quâque die miserum dirus caput Annibal implet.
Quicquid id est, de quo deliberat, an petat urbem
A Cannis; an post nimbos & fulmina cautus
Circumagat madidas à tempestate cohortes.
Quantumvis stipulare, & protinus accipe quod do,
Ut toties illum pater audiat. Aît alii sex
Et plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto:
Fusa venena silent, malus ingratúsque maritus,
Et quæ jam veteres sanant morbaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, & vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetoricâ descendit ab umbrâ,
Summula ne pereat, quâ vilis tessera venit
Frumenti. Quippe hæc merces lautissima. Tenta
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodoti.
Balnea sexcentis, & pluris porticus, in quâ
Gestetur dominus quoties pluit; anne serenum
Expectet, spargátque luto jumenta recenti?
Hîc potiùs: namque hîc mundæ nitet ungula mulæ.
Parte aliâ longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio solem.
Quanticumque domus, veniet qui fercula doctè
Componit, veniet qui pulmentaria condit.
Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
Ut multùm, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quàm filius. Undè igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix & pulcher & acer,
Felix & sapiens & nobilis & generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ:
Felix, orator quoque maximus, & jaculator,
Et si pertulit, cantat bene. Distat enim, quæ
Si cera te excipiant, modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
SI FORTUNA volet, fies de Rhetore Consul:
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.
Ventidius quid enim? Quid Tullius? Anne aliud quàm
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ,
Sicuit Thrasymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis: & hunc inopem vidistis Athenæ,
Nil præter gelidas aquæ conferre cicutas.
Di majorum umbris tenuem & sinè pondere terram,
Spirantésque crocos, & in urnâ perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patrijs in montibus: & cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Ruffum atque alios cædit sua quæque juventus:
Ruffum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert
Quantum Grammaticus meruit labor? Et tamen ex hôc,
Quodcumque est (minùs est autem, quàm rhetoris æra)
Discipuli custos præmordet Acœnitus ipse,
Et qui dispensat frangit sibi. Cede, Palæmon,
Et patere indè aliquid decrescere; non aliter, quàm
Institor hybernas tegetis, niveique cadurci:
Dummodo non pereat, medias quòd noctis ab horâ
Sedisti, quâ nemo faber, quâ nemo sedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabam pueri, cùm totus decolor esset
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni
Non egeat. Sed vos sævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula constet

Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitósque suos; ut fortè rogatus
Dum petit aut Thermas aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen patriámque novercæ
Archemori; dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cerâ vultum facit: exigite ut sit
Et pater ipsius cœtûs, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve tot puerorum
Observare manus, oculósque in fine trementes.
Hæc, inquit, cures; & cùm se verterit annus,
Accipe victori populus quod postulat aurum.

SATYRA VIII.

STEMMATA quid faciunt? Quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictósque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos.
Et Curios jam dimidios, humeróque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis nasóque carentem?
Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Corvinum, posthac multâ deducere virgâ
Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros,
Si coram Lepidis malè vivitur? Effigies quò
Tot bellatorum, si luditur alea pernox,
Ante Numantinos? Si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces & castra movebant?
Cur Allobrogicis & magnâ gaudeat arâ
Natus in Herculeo Fabius Lare? Si cupidus, si
Vanus, & Euganeâ quantumvis mollior agnâ:
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squallentes traducit avos: emptórque veneni
Frangendâ miseram funestat imagine gentem?
Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria, NOBILITAS sola est atque unica virtus.
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi, te consule, virgas.
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis dictísque mereris?
Agnosco procerem. Salve, Getulice, seu tu
Silanus, quocumque alio de sanguine rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamare libet populus quod clamat Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus:
Æthiopem cygnum: parvam extortámque puellam,
Europen. Canibus pigris scabiéque vetustâ
Lævibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo; si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentiùs. Ergo cavebis,
Et metues, ne tu sic Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? Tecum est mihi sermo, Rubelli
Plance. Tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses;
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquit, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.
Aît ago Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen imâ plebe Quiritem
Facundum invenies. Solet hic defendere causas
Nobilis indocti. Veniet de plebe togatâ
Qui Juris nodos, & legum ænigmata solvat.
Hic petit Euphraten juvenis, domitúsque Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides, truncóque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? Nempe volucrem
Sic laudamus equum, facilis cui plurima palma
Fervet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.
Sed venale pecus Corinthi, posteritas &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum: dominos pretiis mutare jubentur
Exigui, tritóque trahunt epirhedia collo

Segnipedes, dignique molam verſare nepotes.
Ergo ut miremur te, non tua, primùm aliquid da,
Quod poſſim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, & dedimus quibus omnia debes.
Hæc ſatis ad juvenem, quem nobis fama ſuperbum
Tradit, & inflatum, plenúmque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme ſenſus communis in illâ
Fortunâ. Sed te cenſeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, ſic ut nihil ipſe futuræ
Laudis agas. Miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas deſiderat ulmos.
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licèt imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.
Dignus morte perit, cœnet licèt oſtrea centum
Gaurana, & Coſmi toto mergatur aheno.
Expectata diu tandem provincia cùm te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna modúmque,
Pone & avaritiæ; miſerere inopum ſociorum,
Oſſa vides regum vacuis exhauſta medullis.
Reſpice quid moneant leges, quid Curia mandet;
Præmia quanta bonos maneant; quàm fulmine juſto
Et Capito & Numitor ruerint, damnante ſenatu,
Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cùm Panſa eripiat quicquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumſpice pannis,
Jámque tace. Furor eſt poſt omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, nec vultus erat par
Damnorum, ſociis florentibus, & modò victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhatii tabulis, ſignique Myronis
Phidiacum vivebat ebur, necnon Polycleti
Multus ubique labor; raræ ſinè Mentore menſæ.
Indè Dolabella eſt, atque hinc Antonius, indè
Sacrilegus Verres. Referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.
Nunc ſociis juga pauca boum & grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripitur agello:
Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum;
Si quis in ædiculâ Deus unicus. Hæc etenim ſunt
Pro ſummis: nam ſunt hæc maxima. Deſpicias tu
Forſitan imbelles Rhodios, unctámque Corinthum
Deſpiciasque merito. Quid reſinata juventus,
Cruráque totius facient tibi lævia gentis?
Horrida vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis,
Illyricúmque latus. Parce & meſſoribus illis,
Qui ſaturant urbem, circo, ſcenaque vacantem.
Quanta autem indè feres tam diræ præmia culpæ,
Cùm tenues nuper Marius diſcinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus & miſeris: tollas licèt omne quod uſquam eſt
Auri atque argenti; ſcutum gladiúmque relinques,
Et jacula, & galeam. Spoliatis arma ſuperſunt.
Quod modò propoſui non eſt ſententia: verùm
Credite me vobis ſolium recitare Sibyllæ.
Si tibi ſancta cohors comitum; ſi nemo tribunal
Vendit acerſecomes; ſi nullum in conjuge crimen;
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet à Pico numeres genus: altáque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipſúmque Promethea ponas:
De quocunque voles proavum tibi ſumito libro.
Quòd ſi præcipitem rapit ambitus atque libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures:
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, clarámque facem præferre pudendis.
OMNE animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
Quò mihi te ſolium falſas fingnare tabellas
In templis, quæ fecit avus; ſtatuámque parentis
Ante triumphalem? Quò, ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus; & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul:
Nocte quidem; ſed luna videt; ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos. Finitam tempus honoris
Cùm fuerit, clarâ Damaſippus luce flagellum
Sumet, & occurſum nuſquam trepidabit amici
Jam ſenis, ac virgâ prior innuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea laſſis.
Interea dum lanatas, torvúmque juvencum
More Numæ cedit Jovis ante altaria, jurat
Hipponam, & facies olida ad præſepia pictas.
Sed cùm pervigiles placet inſtaurare popinas,
Obvius aſſiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ,
Hoſpitis affectu Dominum, regémque ſalutat,
Et cum venali Cyane ſuccincta lagenâ.
Defenſor culpæ dicet mihi: Fecimus & nos
Hæc juvenes. Eſto; deſiſti nempe, nec ultrà
Foviſti errorem. Breve ſit quod turpiter audes.
Quædam cum primâ reſecentur crimina barbâ.
Indulge veniam pueris. Damaſippus ad illos
Thermarum calices, inſcriptáque lintea vadit,
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis
Amnibus, & Rheno, atque Iſtro. Præſtare Neronem
Securum valet hæc ætas. Mitte oſtia, Cæſar,
Mitte; ſed in magnâ legatum quære popinâ.
Invenies aliquo cum percuſſore jacentem,
Permiſtum nautis, aut furibus, aut fugitivis;
Inter carnifices & fabros ſandapilarum,
Et reſupinati ceſſantia tympana Galli.
Æqua ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec menſa remotior ulli.
Quid facias talem ſortitus, Pontice, ſervum?
Nempe in Lucanos, aut Tuſca ergaſtula mittas.
At vos, Trojugenæ, vobis ignoſcitis, & quæ
Turpia cerdoni, Voleſos Brutoſque decebunt.
Quid, ſi nunquam adeò fœdis adeóque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora ſuperſint?
Conſumptis opibus vocem, Damaſippe, locaſti
Sipario, clamoſum ageres ut Phaſma Catulli.
Laureolum Velox etiam benè Lentulus egit,
Judice me, dignus verâ cruce. Nec tamen ipſi
Ignoſcas populo: populi frons durior hujus,
Qui ſedet, & ſpectat triſcurria Patriciorum:
Planipedes audit Fabios, ridere poteſt qui
Mamercorum alapas. Quanti ſua funera vendant,
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant celſi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios indè, atque hinc pulpita pone.
Quid ſatius? Mortem ſic quiſquam exhorruit, ut ſit
Zelotypus Thymeles, ſtupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen: citharœdo principe, mimus
Nobilis: hæc ultra, quid erit niſi ludus? Et illic
Dedecus urbis habes. Nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce ſupinâ,
(Damnat enim tales habitus, & damnat & odit,)
Nec galeâ frontem abſcondit: movet ecce tridentem,
Poſtquam librată pendentia retia dextrâ
Nequicquam effudit, nudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & totâ fugit agnoſcendus arenâ.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cùm ſe
Porrigat, & longo jactetur ſpira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho juſſus pugnare ſecutor.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni;
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus?
Par Agamemnonidæ crimen; ſed cauſa facit rem
Diſſimilem: quippe ille Deis auctoribus ultor
Patris erat cæſi media inter pocula: ſed nec
Electræ jugulo ſe polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii: nullis aconita propinquis
Miſcuit: in ſcenâ nunquam cantavit Oreſtes:
Troïca non ſcripſit. Quid enim Virginius armis
Debuit ulciſci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam ſævâ, crudâque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ ſunt generoſi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Graiæque apium meruiſſe coronæ.
Majorum effigies habeant inſignia vocis,
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigones, ſeu perſonam Menalippes,
Et de marmoreo citharam ſuſpende coloſſo.
Quis, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
Inveniet quicquam ſublimius? Arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus templiſque parâtis,
Ut Braccatorum pueri, Senonúmque minores,

Auſi

Anſi quod liceat tunicâ punire moleſtâ.
Sed vigilat Conſul, vexilláque veſtra coëreet.
Hic novus Arpinas ignobilis, & modò Romæ
Municipalis Eques galeatum ponit ubique
Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum
Theſſaliæ campis Octavius abſtulit udo
Cædibus aſſiduis gladio. Sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro;
Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret caſtra dolabrâ.
Hic tamen & Cimbros, & ſumma pericula rerum
Excipit; & ſolus trepidantem protegit urbem.
Atque ideo poſtquam ad Cimbros, ſtragémque volabant
Qui nunquam attigerant majora cadavera corvi,
Nobilis ornatur lauro collega ſecundâ.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina. Pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latinâ
Sufficiunt Dis infernis, Terræque parenti.
Plutis enim Decii, quàm qui ſervantur ab illis.
Ancillâ natus trabeam & diadema Quirini,
Et faſces meruit regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum clauſtra Tyrannis
Exulibus juvenes ipſius Conſulis, & quos
Magnum aliquid dubiâ pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina ſervus
Matronis lugendus: at illos verbera juſtis
Afficiunt pœnis, & legum prima ſecuris.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniáque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.
Et tamen ut longè repetas, longéque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

SATYRA IX.

SCIRE velim quare toties mihi, Nævole, triſtis
Occurras fronte obductâ, ceu Marſya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprenſus habebat
Ravola, dum Rhodopes udâ terit inguina barbâ?
Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſervo.
Non erat hâc facie miſerabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem uſuram præſtare paratus
Circuit, & ſatuos non invenit. Unde repentè
Tot rugæ? Certè modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus,
Et ſalibus vehemens intrà pomœria natis.
Omnia nunc contrà. Vultus gravis, horrida ſiccæ
Sylva comæ; nullus totâ nitor in cute; qualem
Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci;
Sed fruticante pilo neglecta, & ſquallida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domeſtica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia: ſumit utrumque
Indè habitum facies: igitur flexiſſe videris
Propoſitum, & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim (ut repeto) fanum Iſidis, & Ganymedem
Pacis, & advectæ ſecreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non proſtat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchus ſceleraſe ſolebas,
Quódque taces, ipſos etiam inclinare maritos.
Utile & hoc multis vitæ genus: at mihi nullum
Indè operæ pretium. Pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri craſſique coloris,
Et malè percuſſas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum venæque ſecundæ.
Fata regunt homines. Fatum eſt & partibus illis,
Quas ſinus abſcondit. Nam ſi tibi ſidera ceſſant,
Nil faciet longi menſura incognita nervi;
Quamvis te nudum ſpumanti Virro labello
Viderit, & blandæ aſſiduæ denſæque tabellæ
Sollicitent. *οὐτὲ γὰρ ἰσχνῆσι ἀνὴρ κίναιδος.*
Quod tamen ulterius monſtrum, quàm mollis avarus?

Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tuliſti.
Computat, atque cavet. Ponatur calculus, adſint
Cum tabulâ pueri: numera ſeſtertia quinque
Omnibus in rebus; numerentur deinde labores.
An facile & pronum eſt agere intrà viſcera penem
Legitimum, atque illìc heſternæ occurrere cœnæ?
Servus erit minùs ille miſer, qui foderit agrum,
Quàm dominum. Sed tu ſanè tener, & puerum te,
Et pulchrum, & dignum cyatho cœlóque putabas.
Vos humili aſſectæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, jam nec morbo donare parati?
Et cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit; & ſtratâ poſitus longâque cathedrâ
Munera fœmineis tractas ſecreta Kalendis.
Dic, paſſer, cui tot montes, tot prædia ſervas
Appula, tot milvos intrà tua paſcua laſſos?
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suſpectúmque jugum Cumis, & Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia muſto?
Quantum erat exhauſti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis? Meliúſne hic ruſticus infans
Cum matre, & caſulis, & cum luſore catello
Cymbala pulſantis legatum fiet amici?
Improbus es, cùm poſcis, ait; ſed penſio clamat,
Poſce: ſed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam ſolers evaſit Ulyſſes:
Alter emendus erit; namque hic non ſufficit; ambo
Paſcendi. quid agam brumâ ſpirante? Quid, oro,
Quid dicam ſcapulis ſervorum menſe Decembri,
Et pedibus? Durate, atque expectate cicadas?
Verùm ut diſſimules, ut mittas cætera, quanto
Metiris pretio, quòd ni tibi deditus eſſem,
Devotúſque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certè quibus illa modis, quàm ſæpe rogâris,
Et quæ pollicitus. Fugientem ſæpe puellam
Amplexu rapui; tabulas quoque ruperat, & jam
Signabat. Totâ vix hanc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Teſtis mihi lectulus, & tu,
Ad quem pervenit lecti ſonus, & dominæ vox.
Inſtabile, ac dirimi-cœptum, & jam penè ſolutum
Conjugium in multis domibus ſervavit adulter.
Quò te circumagas? Quæ prima, aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum eſt, ingrate ac perfide, nullum,
Quòd tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri. Foribus ſuſpende coronas:
Jam pater es: dedimus quod famæ opponere poſſis.
Jura parentis habes; propter me ſcriberis hæres;
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.
Commoda præterea junguntur multa caducis,
Si numerum, ſi tres implevero. Juſta doloris
Nævole, cauſa tui: contrà tamen ille quid affert?
Negligit, atque alium bipedem ſibi quærit aſellum.
Hæc ſoli commiſſa tibi celare memento,
Et tacitus noſtras intrà te fige querelas.
Nam res mortifera eſt inimicus pumice lævis.
Qui modò ſecretum commiſerat, ardet, & odit;
Tanquam prodiderim quicquid ſcio. Sumere ferrum,
Fuſte aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. Nec contemnas, aut deſpicias, quòd
His opibus nunquam cara eſt annona veneni.
Ergo occulta teges; ut curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, ſecretum divitis ullum
Eſſe putas? Servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora: claude feneſtras,
Vela tegant rimas, junge oſtia, tollito lumen
E medio, clament omnes, propè nemo recumbat;
Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. Quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciſcuntur
Baltea? Nec deerit qui te per compita quærat
Nolentem, & miſeram vinoſus inebriet aurem.
Illos ergo roges quicquid paulò antè petebas
A nobis. Taceant illi, ſed prodere malunt
Arcanum, quàm ſubrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.
Vivendum rectè, cùm propter plurima, tum his
Præcipuè cautis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars peſſima ſervi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit, illis
Quorum animas & farre ſuo cuſtodit, & ære.

Idcirco

Idcirco ut poſſim linguam contemnere ſervi,
Utile conſilium modò, ſed commune dediſti:
Nunc mihi quid ſuades poſt damnum temporis, & ſpes
Deceptas? Feſtinat enim decurrere velox
Floſculus anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ
Portio; dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.
Ne trepida: nunquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus & ſalvis his collibus. Undique ad illos
Conveniunt & carpentis, & navibus omnes
Qui digito ſcalpunt uno caput. Altera major
Spes ſupereſt: tu tantùm erucis imprime dentem.
Hæc exempla para felicibus; at mea Clotho
Et Lacheſis gaudent, ſi paſcitur inguine venter.
O parvi, noſtríque Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare coronâ,
Quando ego figam aliquid, quo ſit mihi tuta ſenectus
A tegete & baculo? Viginti millia fœnus,
Pignoribus poſitis argenti vaſcula puri.
Sed quæ Fabricius Cenſor noter, & duo fortes
De grege Mœſorum, qui me cervice locatâ
Securum jubeant clamoſo inſiſtere circo?
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter,
Qui multas facies fingat citò; ſufficient hæc.
Quando ego pauper ero; votum miſerabile, nec ſpes
His ſaltem: nam cùm pro me fortuna rogatur,
Affigit ceras illâ de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige ſurdo.

SATYRA X.

OMnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus uſque
Auroram, & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt,
Vera bona, atque illis multùm diverſa, remotâ
Erroris nebulâ: quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatûs non pœniteat, votíque peracti?
Evertere domos totas optantibus ipſis
Dî faciles. Nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ. Torrens dicendi copia multis,
Et ſua mortifera eſt facundia. Viribus ille
Confiſus periit, admirandíſque lacertis.
Sed plures nimiâ congeſta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia cenſus,
Quanto delphinis balæna Britannica major.
Temporibus diris igitur, juſſúque Neronis
Longinum & magnos Senecæ prædivitis hortos
Claudit, & egregias Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors. Rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licèt portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus, gladium, contúmque timebis;
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima ferè vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant, ut opes; ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus. Tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jámne igitur laudas, quod de Sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine moverat unum
Protulerátque pedem: flebat contrarius alter?
Sed facilis rigidi cuivis cenſura cachinni.
Mirandum eſt unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, quanquam non eſſent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, faſces, lectica, tribunal.
Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere circi
In tunicâ Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem quanto cervix non ſufficit ulla?
Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi Conſul,
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno;
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad fræna Quirites,
Defoſſa in loculis quos ſportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam riſûs invenit ad omnes
Occurſus hominum, cujus prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patriâ, craſſóque ſub aëre naſci.
Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi;

Interdum & lacrymas, cùm fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediúmque oſtenderet unguem.
Ergo ſupervacua hæc aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.
Quoſdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atque inſignis honorum
Pagina; deſcendunt ſtatuæ, reſtémque ſequuntur.
Ipſas deinde rotas bigarum impacta ſecuris
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Jam ſtridunt ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe ſecundâ
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatúmque bovem; Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes: Quæ labra? Quis illi
Vultus erat? Nunquam, ſi quid mihi credis, amavi
Hunc hominem: ſed quo cecidit ſub crimine? Quiſnam
Delator? Quibus indiciis? Quo teſte probavit?
Nil horum. Verboſa & grandis epiſtola venit
A Capreis: bene habet, nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? Sequitur fortunam, ut ſemper, & odit
Damnatos: idem populus, ſi Nurſcia Tuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis; hâc ipsâ Sejanum diceret horâ
Auguſtum. Jam pridem, ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effugit curas. Nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantùm res anxius optat,
Panem, & Circenſes. Perituros audio multos:
Nil dubium: magna eſt fornacula: pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut malè defenſus! Curramus præcipites, &
Dum jacet in ripâ, calcemus Cæſaris hoſtem.
Sed videant ſervi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice aſtrictâ dominum trahat. Hi ſermones
Tunc de Sejano: ſecreta hæc murmura vulgi.
Viſne ſalutari ſicut Sejanus? Habere
Tantumdem? Atque illi ſellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? Tutor haberi
Principis, Auguſtâ Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo? Vis certè pila, cohortes,
Egregios equites, & caſtra domeſtica. Quidni
Hæc cupias? Et qui nolunt occidere quemquam,
Poſſe volunt. Sed quæ præclara, & proſpera tanti,
Ut rebus lætis par ſit menſura malorum?
Hujus qui trahitur prætextam ſumere mavis;
An Fidenarum, Gabiorúmque eſſe poteſtas?
Et de menſurâ jus dicere? Vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorâſſe fateris
Sejanum. Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.
Quid Craſſos, Quid Pompeios evertit, & illum,
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nullâ non arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſinè cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſiccâ morte Tyranni.
Eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.
Eloquio, ſed uterque perît orator. Utrumque
Largus & exundans letho dedit ingenii fons.
Ingenio manus eſt, & cervix cæſa; nec unquam
Sanguine cauſidici maduerunt roſtra puſilli.
O fortunatam natam me Conſule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet. Ridenda Poëmata malo,
Quàm te conſpicuæ divina Philippica famæ,
Volveris à primâ quæ proxima. Sævus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.
Dis ille adverſis genitus, fatóque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladióſque parante
Incude, ac luteo Vulcano ad Rhetora miſit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fractâ de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſire

Aplustre, & summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Graiúsque ac Barbarus induperator
Erexit: causas discriminis atque laboris
Indè habuit. Tanto major famæ sitis est, quàm
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, titulíque cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus; ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficûs:
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Annibalem: quot libras in duce summo
Invenies? Hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Nilóque admota tepenti.
Rursus ad Æthiopum populos, aliósque Elephantos
Additur imperiis Hispania: Pyrenæum
Transilit. Opposuit natura Alpémque, nivémque:
Diducit scopulos, & montem rumpit aceto.
Jam tenet Italiam: tamen ultrà pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nî Pœno militè portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ.
O qualis facies, & quali digna tabellâ,
Cùm Gætula ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est? O gloria! Vincitur idem
Nempe & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus
Mirandúsque cliens sedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare Tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor
Annulus. I, demens, & sævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, & declamatio fias.
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvâque Seripho.
Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. MORS sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in historiâ; cùm stratum classibus isdem,
Suppositúmque rotis solidum mare. Credimus altos
Defecisse amnes, epotáque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relictâ,
In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sanè, quòd non & stigmate dignum
Credidit. huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? Nempe unâ nave cruentis
Fluctibus, ac tardâ per dentia cadavera prorâ.
Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos:
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas.
Sed quàm continuis & quantis longa senectus
Plena malis! Deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilémque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentésque genas, & tales aspice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetulâ scalpit jam mater simia buccâ.
Plurima sunt juvenum discrimina, pulcrior ille
Hôc, atque ille alio: multùm hic robustior illo.
Una senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidíque infantia nasi.
Frangendus misero gingivâ panis inermi.
Usque adeò gravis uxori, natísque, sibíque,
Ut captatori moveat fastidia Cossо.
Non eadem vini, atque cibi, torpente palato,
Gaudia. Nam coitûs jam longa oblivio: vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis totâ palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? Quid, quòd meritò suspecta libido est
Quæ venerem affectat sinè viribus. Aspice partis
Nunc damnum alterius. Nam quæ cantante voluptas,
Sit licèt eximius citharœdus, sive Seleucus,
Et quibus auratâ mos est fulgere lacernâ?
Quid refert magni sedeat quâ parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? Clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam corpore sanguis
Febre calet solâ: circumsilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,
Promptiùs expediam, quot amaverit Hippia mœchos;
Quot Themilon ægros autumno occiderit uno;
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos: quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus.
Percurram citiùs quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic noxâ debilis; ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet. Hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantùm, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præteritâ cœnavit nocte, nec illos,
Quos genuit, quos eduxit. Nam codice sævo
Hæredes vetat esse suos: bona tota feruntur
Ad Phialen. Tantùm artificis valet halitus oris,
Quòd steterat multis in carcere fornicis annis,
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum, rogus aspiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domûs multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigrâ veste senescant.
Rex Pylius (magno si quicquam credis Homero)
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos jam dextrâ computat annos,
Quisque novum toties mustum bibit: oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cùm videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni
Quisquis adest socio, cur hæc in tempora duret;
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo.
Hæc eadem Peleus, raptum cùm luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Trojâ Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis solemnibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissâque Polyxena pallâ:
Si foret extinctus diverso tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? Omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam ferróque cadentem.
Tunc miles tremulus positâ tulit arma tiarâ,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat uxor.
Festino ad nostros, & regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.
Exilium, & carcer Minturnarúmque paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompâ, animam exhalâsset opimam,
Cùm de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt. Igitur fortuna ipsius, & urbis
Servatum victo caput abstulit. Hôc cruciatu
Lentulus, hâc pœnâ caruit, ecciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? Pulerâ gaudet Latona Dianâ.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit. Cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros trepidósque parentes
Semper habet. RARA est adeò concordia formæ
Atque pudicitiæ. Sanctos licèt horrida mores
Tradiderit domus ac veteres imitata Sabinas:
Præterea castum ingenium, vultúmque modestum
Sanguine ferventem tribuat natura benignâ
Larga manu: (quid enim puero conferre potest plus
Custode, & curâ natura potentior omni?)

Non

Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia. Nullus ephebum
Deformem sævâ castravit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumosum, atque utero pariter, gibbóque tumentem.
I nunc, & juvenis specie lætare tui, quem
Majora expectant discrimina. Fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet quascumque maritus
Exigit iratus: nec erit felicior altro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat. Exigit autem
Interdum ille dolor plus, quàm lex ulla dolori
Concessit. Necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ. Mox cùm dederit Servilia nummos,
Fiet & illius quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum. Quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Hippia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed casto quid forma nocet? Quin profuit olim
Hippolyto grave propositum? Quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, seu fastidita repulsâ:
Nec Sthenobœa minùs quàm Cressa excanduit, & ik
Concussere ambæ. Mulier sævissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admovet. Elige quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat. Optimus hic & formosissimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser extinguendus
Messalinæ oculis. Dudum sedet illa parato
Flameolo; Tyriúsque palàm genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo: veniet cum signatoribus asper.
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas?
Non nisi legitimè vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum est ante lucernas.
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota urbi, & populo, contingat Principis aures.
Dedecus ille domûs sciet ultimus. Interea tu
Obsequere imperio, si tanti est vita dierum
Paucorum. Quicquid levius, melióque putâris,
Præbenda est gladio pulcra hæc & candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebúsque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo, quàm sibi. Nos animorum
Impulsu, & cæcâ magnâque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partúmque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Ut tamen & poscas aliquid, voveásque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci;
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem;
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores;
Nesciat irasci, cupiat nihil; & potiores
Herculis ærumnas credat, sævósque labores,
Et Venere & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monstro quod ipse tibi possis dare; semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
NULLUM Numen habes, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœlóque locamus.

SATYRA XI.

ATTICUS eximiè si cœnat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens: quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida, ac juvenilia membra,
Sufficiunt galeæ, dúmque ardens sanguine, fertur
Non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno
Scripturus leges, & regia verba lanistæ.
Multos portò vides, quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregiùs cœnat meliúsque miserrimus horum,
Et citò casurus jam perlucente ruinâ.
Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus: interiùs si
Attendas, magis illa juvant quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est perituram arcessere summam

Lancibus oppositis, vel matris imagine fractâ,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludi.
Refert ergo quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & à censu famam trahit. Illum ego jure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libyâ sit montibus: hic tamen idem
Ignoret quantum ferratâ distet ab arcâ
Sacculus. E cœlo descendit, γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum & memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte Senatûs
Esse velis. Nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in quâ se trahucebat Ulysses
Ancipitem. Seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule, dic tibi quis sis:
Orator vehemens, an Curtius, an Matho. Buccæ
Noscenda est mensura tuæ; spectandáque rebus
In summis, minimisque; etiam cùm piscis emetur.
Nec mullum cupias, cùm sit tibi gobio tantùm
In loculis: quis enim te, deficiente Crumenâ,
Et crescente gulâ, manet exitus; ære paterno,
Ac rebus mersis in ventrem, fœnoris, atque
Argenti gravis, & pecorum, agrorúmque capacem?
Talibus à dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus; conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis consumitur. Indè ubi paulum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Baias, & ad Ostia currunt.
Cedere namque foro jam non tibi deterius, quàm
Esquilias à ferventi migrare Suburrâ.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta; morantur
Pauci ridiculum, & fugientem ex urbe pudorem.
Experiere hodie numquid pulchetrima dictu,
Perfice, non præstem vitâ, nec moribus, & re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam, cùm sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, & ipse tamen contingens sanguine cœlum;
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet quàm sanguinis; & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia præterea, tortóque calentia fœno
Ova adsunt ipsis cum matribus, & servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus uvæ:
Signinum Syriúmque pyrum: de corbibus îsdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, & crudi posuere pericula succi.
Hæc olim nostri jam luxuriosa senatûs
Cœna fuit. Curius parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squallidus in magnâ fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga suis rarâ pendentia crate
Moris erat quondam festis servire diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter Consulis, atque
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturiùs ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.
Cùm tremerent autem Fabios, durúmque Catonem,
Et Scauros, & Fabricios, postremò severos
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.
Tunc rudis, & Graias mirari nescius artes,

Urbibus everſis, prædarum in parte repertâ,
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælatáque caſſis
Romuleæ ſimulacra feræ manſueſcere juſſæ
Imperii fato, & geminos ſub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis & haſtâ,
Pendentiſque Dei perituro oſtenderet hoſti.
Argenti quod erat, ſolis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tuſco farrata catino
Omnia tunc; quibus invideas, ſi lividulus ſis.
Templorum quoque majeſtas præſentior, & vox
Nocte ferè mediâ, mediámque audita per urbem,
Littore ab Oceani Gallis venientibus, & Dîs
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.
Illa domi natas, noſtràque ex arbore menſas
Tempora viderunt; hos lignum ſtabat in uſus,
Annoſam ſi fortè nucem dejecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama ſapit; putere videntur
Unguenta, atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus,
Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu,
Jam nimios, capitſque graves. Hinc ſurgit orexis,
Hinc ſtomacho bilis. Nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo ſuperbum
Convivam caveo, qui me ſibi comparat, & res
Deſpicit exiguas; adeò nulla uncia nobis
Eſt eboris, nec teſſellæ, nec calculus ex hâc
Materiâ: quin ipſa manubria cultellorum
Oſſea: non tamen his ulla unquam obſonia fiunt
Rancidula; haud ideo pejor gallina ſecatur.
Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, diſcipulus Trypheri doctoris, apud quem
Summine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & totâ ſonat ulmea cœna Suburrâ.
Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ
Novit avis noſter tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ fruſtis imbutus oſellæ.
Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porriget incultus puer, atque à frigore tutus;
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus
Quiſquam erit, & magno. Cùm poſces, poſce Latinè.
Idem habitus cunctis, tonſi, erectíque capilli;
Atque hodie tantùm propter convivia pexi.
Paſtoris duri eſt hic filius, ille bubulci:
Suſpirat longò non viſam tempore matrem,
Et caſulam, & notos triſtis deſiderat hœdos:
Ingenui vultûs puer, ingenuíque pudoris,
Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit.
Nec pugillares defert in balnea raucus
Teſticulos, nec vellendas jam præbuit alas:
Craſſa nec oppoſito pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit diffuſa in montibus illis
A quibus ipſe venit, quorum ſub vertice luſit:
Namque una atque eadem vini patria, atque miniſtri.
Forſitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plauſúque probatæ
Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ. Major tamen iſta voluptas
Alterius ſexûs: magìs ille extenditur, & mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Teſtarum crepitus cum verbis, nudùm olido ſtans
Fornice mancipium quibus abſtinet: ille fruatur
Vocibus obſcœnis, omníque libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.
Namque ibi fortunæ veniam damus. Alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cùm faciant, hilares nitidíque vocantur.
Noſtra dabunt alios hodie convivia ludos.
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altiſoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert tales verſus quâ voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam ceſſare diem: non fœnoris ulla
Mentio, nec primâ ſi luce egreſſa reverti
Nocte ſolet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida ſuſpectis referens multitia rugis,
Vexatáſque comas, & vultum aurémque calentem.
Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.
Pone domum, & ſervos, & quicquid frangitur illis,
Aut perit: ingratos ante omnia pone ſodales.
Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ
Idæum ſolenne colunt, ſimiliſque triumpho
Prædo caballorum Prætor ſedet: ac mihi pace
Immenſæ nimiæque licet ſi dicere plebis,
Totam hodie Romam Circus capit; & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam ſi deficeret, mœſtam attonitámque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Conſulibus. Spectent juvenes, quos clamor, & audax
Sponſio, quos cultæ decet aſſediſſe puellæ.
Spectent hoc nuptæ, juxtà recubante marito,
Quod pudeat narrâſſe aliquem præſentibus ipſis.
Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiátque togam. Jam nunc in balnea ſalvâ
Fronte licet vadas, quanquam ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam. Facere hoc non poſſis quinque diebus
Continuis, quia ſunt talis quoque tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior uſus.

SATYRA XII.

NATALI, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Quâ feſtus promiſſa Deis animalia cæſpes
Expectat; niveam Reginæ cædimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maurâ.
Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem,
Tarpeio ſervata Jovi, frontémque coruſcat.
Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ,
Spargendúſque mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat naſcenti robora cornu.
Si res ampla domi, ſimiliſque affectibus eſſet,
Pinguior Hiſpullâ traheretur taurus, & ipsâ
Mole piger, nec finitimâ nutritus in herba;
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret, & à grandi cervix ferienda miniſtro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendáque paſſi
Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.
Nam præter pelagi caſus, & fulguris ictum
Evaſi, denſæ cœlum abſcondere tenebræ
Nube unâ, ſubitúſque antemnas impulit ignis,
Cùm ſe quiſque illo percuſſum crederet, & mox
Attonitus nullum conferri poſſe putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, ſiquando poëtica ſurgit
Tempeſtas. Genus ecce aliud diſcriminis; audi,
Et miſerere iterum, quanquam ſint cætera ſortis
Ejuſdem; pars dira quidem, ſed cognita multis,
Et quam votivâ teſtantur fana tabellâ
Plurima. Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?
Accidit & noſtro ſimilis fortuna Catullo,
Cùm plenus fluctu medius foret alveus, & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem; decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus Caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum: adeò medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea ſunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, veſtem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam;
Atque alias, quarum generoſi graminis ipſum
Infecit natura pecus, ſed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aër.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignam ſitiente Pholo, vel conjuge Fuſci.
Adde & baſcaudas, & mille eſcaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius, quâ mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebúſque ſalutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima; ſed nec
Damna levant. Tunc adverſis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro ſummitteret, ac ſe
Explicat anguſtum, diſcriminis ultima quando

Præſidia

Præſidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac ſeptem, ſi ſit latiſſima teda.
Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ,
Aſpice ſumendas in tempeſtate ſecures.
Sed poſtquam jacuit planum mare, tempora poſtquam
Proſpera vectoris, fatúmque valentius Euro,
Et pelago, poſtquam Parcæ meliora benignâ
Penſa manu ducunt hilares, & ſtaminis albi
Lanificæ; modicâ non multo fortior aurâ
Ventus adeſt; inopi miſerabilis arte cucurrit
Veſtibus extenſis, & quod ſuperaverat unum,
Velo prora ſuo: jam deficientibus Auſtris,
Spes vitæ cum Sole redit. Tum gratus Iulo,
Atque novercali ſedes prælata Lavino,
Conſpicitur ſublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile ſumen,
Et nunquam viſis triginta clara mamillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles,
Tyrrhenámque Pharon; porrectáque brachia rurſum,
Quæ pelago occurrunt mediò, longéque relinquant
Italiam. Non ſic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit: ſed truncâ puppe magiſter
Interſora petit Baianæ pervia cymbæ
Tuti ſtagna ſinûs. Gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.
Ite igitur, pueri, linguis animiſque faventes,
Sertáque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebámque virentem.
Jam ſequar; & ſacro, quod præſtat, rite peracto
Indè domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cerâ.
Hìc noſtrum placabo Jovem, Laribúſque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent; longos erexit janua ramos;
Et matutinis operitur feſta lucernis.
Nec ſuſpecta tibi ſint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes. Libet expectare, quis ægrum
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam ſterili. Verùm hæc nimia eſt impenſa: coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita & Paccius orbi,
Legitimè fixis veſtitur tota tabellis
Porticus. Exiſtunt qui promittant hecatomben.
Quatenus hìc non ſunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut uſquam noſtro ſub ſidere talis
Bellua concipitur: ſed furvâ gente petita,
Arboribus Rutulis & Turni paſcitur agro
Cæſaris armentum nulli ſervire paratum
Privato: ſiquidem Tyrio parere ſolebant
Hannibali, & noſtris Ducibus Regíque Moloſſo:
Horum majores, & dorſo ferre cohortes,
Partem aliquam belli & euntem in prœlia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Iſtrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante Lares Gallitæ victima ſacra,
Tantis digna Deis, & captatoribus horum.
Alter enim, ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna, & pulcherrima quæque
Corpora; vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas: & ſi qua eſt nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etſi
Non ſperat tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo teſtamento
Mille rates: nam ſi Libitinam evaſerit æger,
Delèbit tabulas incluſus carcere naſſæ,
Poſt meritum ſanè mirandum; atque omnia ſòli
Forſan Pacuvio breviter dabit. Ille ſuperbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quàm
Grande operæ pretium faciat jugulata Myceniis.
Vivat Pacuvius quæſo, vel Neſtora totum:
Poſſideat quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet: nec amet quemquam, nec ametur ab ullo.

SATYRA XIII.

EXemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori. Prima eſt hæc ultio, quòd ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ.
Quid ſentire putas omnes, Calvine, recenti
De ſcelere, & fidei violatæ crimine? Sed nec
Tam tenuis cenſus tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus: nec rara videmus
Quæ pateris. Caſus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, & è medio Fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus. Flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere major.
Tu quamvis levium minimam exiguámque malorum
Particulam vix ferre potes ſpumantibus ardens
Viſceribus, ſacrum tibi quòd non reddat amicus
Depoſitum. Stupet hæc, qui jam poſt terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio Conſule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis uſu?
Magna quidem ſacris quæ dat præcepta libellis
Victrix Fortunæ ſapientia. DICIMUS autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vitâ didicere magiſtrâ.
Quæ tam feſta dies, ut ceſſet prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio vel pyxide nummos?
RARI quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.
Nona ætas agitur, pejoráque ſæcula ferri
Temporibus; quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.
Nos hominum Divúmque fidem clamore ciemus,
Quanto Feſſidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic ſenior bullâ digniſſime, neſcis
Quos habeat Veneres aliena pecunia? Neſcis
Quem tua ſimplicitas riſum vulgò movear, cùm
Exigis à quoquam ne pejeret, & putet ullis
Eſſe aliquod Numen templis, æque rubenti?
Quondam hôc Indigenæ vivebant more priùs quàm
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens: tunc cùm virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla ſuper nubes convivia Cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor
Ad cyathos; & jam ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæâ nigra tabernâ.
Prandebat ſibi quiſque Deus, nec turba Deorum
Talis, ut eſt hodie; contentáque ſidera paucis
Numinibus miſerum urgebant Atlanta minori
Pondere. Nondum aliquis ſortitus triſte profundi
Imperium, aut Siculâ torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec Furiæ, nec ſaxum, aut vultur atri
Pœna; ſed Infernis hilares ſinè Regibus Umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte plandum
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat; & ſi
Barbato cuicumque puer; licèt ipſe videret
Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primáque par adeò ſacræ lanugo ſenectæ.
Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum totâ ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Tuſcis digna libellis,
Quæque coronatâ luſtrari debeat agnâ.
Egregium ſanctúmque virum ſi cerno, bimembri
Hoc monſtrum puero, vel mirandis ſub aratro
Piſcibus inventis, & fœtæ comparo mulæ;
Sollicitus tanquam lapides effuderit imber,
Examénque apium longâ conſederit uvâ
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris ſeſtertia fraude
Sacrilegâ. Quid ſi bis centum perdidit alter
Hôc arcana modo: majorem tertius illâ
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronum eſt Superos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat. Aſpice quantâ
Voce neget; quæ ſit ficti conſtantia vultûs.
Per Solis radios, Tarpeiáque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi ſpicula Vatis;
Per calamos Venatricis, pharetrámque Pucllæ,
Pérque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem.
Addit & Herculeos arcus, haſtámque Minervæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cœli.
Si verò & pater eſt, comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi, Pharióque madentis aceto.
Sunt qui in Fortunæ jam caſibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Naturâ volvente vices & lucis, & anni;

Atque

Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.
Eſt alius metuens ne crimen pœna ſequatur.
Hic putat eſſe Deos, & pejerat, atque ita ſecum;
Decernat quodcumque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthiſis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, ſi non eget Anticyrâ, nec
Archigene. Quid enim velocis gloria plantæ
Præſtat, & eſuriens Piſææ ramus olivæ?
Ut ſit magna, tamen certè lenta ira Deorum eſt.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? Sed & exorabile Numen
Fortaſſe experiar. Solet his ignoſcere. Multi
Committunt eadem diverſo crimina fato.
Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. Tunc te ſacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere imò ultro ac vexare paratus.
Nam cùm magna malæ ſupereſt audacia cauſæ,
Creditur à multis fiducia. Mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus ſcurra Catulli.
Tu miſer exclamas, ut Stentora vincere poſſis,
Vel potiùs quantùm Gradivus Homericus: Audis,
Jupiter, hæc, nec labra moves, cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? Aut cur
In carbone tuo charâ pia thura ſolutâ
Ponimus, & ſectum vituli jecur, albáque porci
Omenta? Ut video, nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuámque Batylli.
Accipe quæ contrà valeat ſolatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoïca dogmata legit
A Cynicis tunicâ diſtantia; non Epicurum
Suſpicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubii Medicis majoribus ægri:
Tu venam vel diſcipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam deteſtabile factum
Oſtendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec planâ faciem contundere palmâ;
Quandoquidem accepto claudenda eſt janua damno,
Et majore domûs gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc caſu, veſtem diducere ſummam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrymis amiſſa pecunia veris.
Sed ſi cuncta vides ſimili ſora plena querelâ;
Si decies lectis diversâ in parte tabellis,
Vana ſupervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipſorum quos littera, gemmáque princeps
Sardonyches, loculis quæ cuſtoditur eburnis:
Te nunc delicias extra communia cenſes
Ponendum; quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina: confer
Conductum latronem, incendia ſulphure cœpta,
Atque dolo, primos cùm janua colligit ignes:
Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas à Rege coronas.
Hæc ibi ſi non ſunt, minor extat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.
An dubitet, ſolitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatorémque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.
Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus urbis
Uſque à Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nôſſe volenti
Sufficit una domus. Paucos conſume dies, &
Dicere te miſerum, poſtquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Aut quis
In Meroë craſſo majorem infante mamillam?
Cærula quis ſtupuit Germani lumina? Flavam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quòd hæc illis natura eſt omnibus una.
Ad ſubitas Thracum volucres, nubémque ſonorâm
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hoſti, raptúſque per æra curvis
Unguibus à lævâ fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in noſtris, riſu quatiere: ſed illic,
Quanquam eadem aſſiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non eſt altior uno.
Nullâne perjuri capitis, fraudiſque nefandæ
Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catenâ
Protinus, & noſtro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. Manet illa tamen jactura, nec unquam
Depoſitum tibi ſoſpes erit: ſed corpore trunco
Invidioſa dabit minimus ſolatia ſanguis.
At vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum aut levibus videas flagrantia cauſis.
Quantulacunque adeò eſt occaſio, ſufficit iræ.
Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcíque ſenex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ ſæva inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes
Prima docens rectum ſapientia. Quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguíque voluptas,
Ultio. Continuò ſic collige, quòd vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm fœmina. Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit aut Rhadamanthus,
Nocte diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.
Spartano cuidam reſpondit Pythia Vates;
Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem jure tueri
Jurando: quærebat enim quæ Numinis eſſet
Mens: & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus; & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, verámque probavit,
Extinctus totâ pariter cum prole domóque,
Et quamvis longâ deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intrà ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedò, ſi conata peregit?
Perpetua anxietas, nec menſæ tempore ceſſat;
Faucibus ut morbo ficcis, intérque molares
Difficili creſcente cibo. Sed vina miſellus
Exſpuit: Albani veteris pretioſa ſenectus
Diſplicet. Oſtendas melius, denſiſſima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem ſi fortè indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata toro jam membra quieſcunt,
Continuò templum, & violati Numinis aras,
Et (quod præcipuis mentem ſudoribus urget)
Te videt in ſomnis. Tua ſacra & major imago
Humanâ turbat pavidum, cogítque fateri.
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli;
Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, curâ graviore timetur
Proxima tempeſtas; velut hôc dilata ſereno.
Præterea lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt à Numine; ſæva Deorum
Hæc, & tela putant. Pecudem ſpondere ſacello
Balantem, & Laribus criſtam promittere galli
Non audent. Quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? Vel quæ non dignior hoſtia vitâ?
Mobilis & varia eſt ferme natura malorum.
Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quid fas,
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire, peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia. Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi? Quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dubit in laqueum veſtigia noſter,
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem, ſcopulóſque frequentes
Exulibus magnis. Pœnâ gaudebis amarâ
Nominis inviſi. Tandémque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

SATYRA XIV.

PLURIMA ſunt, Fuſcine, & famâ digna ſiniſtrâ,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris traduntque parentes.
Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvóque eadem movet arma fritillo.
Nec de ſe melius cuiquam ſperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et canâ monſtrante gulâ. Cùm ſeptimus annus
Tranſierit, puero nondum omni dente renato,
Barbatos licèt admoveas mille indè magiſtros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare parato
Semper, & à magnâ non degenerare culinâ.
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animos ſervorum, & corpora noſtrâ
Materiâ conſtare putat, paribúſque elementis:
An ſævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?
Tum felix quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.
Quid ſuadet juveni lætus ſtridore catenæ,
Quem mitè afficiunt inſcripta ergaſtula, carcer
Ruſticus? Exſpectas ut non ſit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere curſu,
Ut non ter decies reſpiret? Conſcia matri
Virgo fuit: ceras nunc hâc dictante puellas
Implet, & ad mœchum dat eiſdem ferre cinœdis.
Sic natura jubet: velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cùm ſubeunt animos auctoribus. Unus, & alter
Forſitan hæc ſpernant juvenes, quibus arte benignâ,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt;
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abſtineas igitur damnandis; hujus enim vel
Una potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus; & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque ſub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus uſquam.
Nil dictu fœdum, viſúque hæc limina tangat,
Intrà quæ puer eſt. Procul hinc, procul indè puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſtillat tibi filius infans.
Nam ſi quid dignum Cenſoris fecerit irâ,
Quandoquidem ſimilem tibi ſe non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cùm
Omnia deteriùs tua per veſtigia peccet,
Corripies nimirum, & caſtigabis acerbo
Clamore, ac poſt hæc tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatémque parentis,
Cùm facias pejora ſenex, vacuúmque cerebro
Jampridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?
Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum:
Verre pavimentum; nitidas oſtende columnas;
Arida cum totâ deſcendat aranea telâ:
Hic lavet argentum; vaſa aſpera tergeat alter:
Vox domini fremit inſtantis, virgámque tenentis.
Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus; & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.
Illud non agitas, ut ſanctam filius omni
Aſpiciat ſinè labe domum, vitióque carentem?
Gratum eſt, quòd patriæ civem populóque dediſti,
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimùm enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ:
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus, crucibúſque relictis,
Ad fœtus properat, partémque cadaveris affert.
Hinc eſt ergo cibus magni quoque vulturis, & ſe
Paſcentis, propriâ cùm jam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream, famulæ Jovis, & generoſæ
In ſaltu venantur aves: hinc præda cubili
Ponitur: indè autem, cùm ſe matura levabit
Progenies ſtimulante fame, feſtinat ad illam,
Quam primùm rupto prædam guſtaverit ovo.
Ædificator erat Centronius, & modò curvo
Littore Caietæ, ſummâ nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis longéque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem;
Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.
Dum ſic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen menſura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas,
Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & Cœli Numen adorant:
Nec diſtare putant humanâ carne ſuillam,
Quâ pater abſtinuit: mox & præputia ponunt:
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaïcum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes:
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in causâ, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam
Sponte tamen juvenes imitantur cætera: ſolam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.
FALLIT enim vitium ſpecie virtutis & umbrâ,
Cùm ſit triſte habitu, vultúque & veſte ſeverum.
Nec dubiè tanquam frugi laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quàm ſi fortunas ſervet eaſdem
Heſperidum ſerpens, aut Ponticus. Adde quòd hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem: quippe his creſcunt patrimonia fabris.
Sed creſcunt quocunque modo, majoráque fiunt
Incude aſſiduâ, ſempérque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putat; juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordes.
Mox acquirendi docet inſatiabile votum.
Servorum ventres modio caſtigat iniquo,
Ipſe quoque eſuriens: neque enim omnia ſuſtinet unquam
Mucida cœrulei panis conſumere fruſta,
Heſternum ſolitus medio ſervare minutal
Septembri; nec non differre in tempora cœnæ
Alterius, conchem æſtivi cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putríque ſiluro,
Filáque ſectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quò divitias hæc per tormenta coactas?
Cùm furor haud dubius, cùm ſit manifeſta phreneſis,
Ut locuples moriaris egenti vivere fato?
Interea pleno cùm turget ſacculus ore,
CRESCIT amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit:
Et minùs hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, cùm rus non ſufficit unum,
Et proferre libet fines; majóſque videtur,
Et melior vicina ſeges. Mercaris & hanc, &
Arbuſta, & denſâ montem qui canet olivâ.
Quorum ſi pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, laſſóque famelica collo
Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas;
Nec priùs indè domum, quàm tota novalia ſarcos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix poſſis, quàm multi talia plorent,
Et quot vernales injuria fecerit agros.
Sed qui ſermones? Quæ fœda buccina famæ?
Quid nocet hoc? Inquit. Tunicam mihi malo lupini,
Quàm ſi me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem.
Scilicet & morbis & debilitate carebis,
Et luctum & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi poſt hæc fato meliore dabuntur;
Si tantum culti ſolus poſſederis agri,
Quantum ſub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica paſſis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladióſque Molóſſos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus, Merces ea ſanguinis atque laboris

Nullis

Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbámque casæ, quâ fœta jacebat
Uxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Indè ferè scelerum causæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva cupido
Indomiti censûs. Nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri. Sed quæ reverentia legum?
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?
Vivite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat & Hernicus olim,
Vestinúsque senex: panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis. Laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercûs.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui summovet Euros
Pellibus inversis. Peregrina ignotáque nobis
Ad scelus atque nefas, quodcunque est, purpura ducit
Hæc illi veteres præcepta minoribus. At nunc
Post finem Autumni mediâ de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat; accipe ceras,
Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, narésque pilosas
Annotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem Aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat: aut longos castrorum ferre labores
Si piget, & trepido solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta & corium. Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dis atque ipso Jove digna, Poëtæ:
Unde habeas, quærit nemo, sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem;
Hoc discunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.
Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Sic possem affari: dic, ô vanissime, quis te
Festinare jubet? Meliorem præsto magistro
Discipulum. Securus abi: vinceris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum est teneris; nondum implevere medullas
Nativæ mala nequitiæ: cùm pectere barbam
Cœperit, & longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet perjuria summâ
Exiguâ, Cereris tangens arámque pedémque.
Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortiferâ cum dote subit. Quibus illa premetur
Per somnum digitis? Nam quæ terrâque marique
Acquirenda putes, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi:
Mentis causa malæ tamen est, & origo penès te.
Nam quisquis magni censûs præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros:
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo; quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contempto rapitur, metúsque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeò indulgent sibi latiùs ipsi.
Cùm dicis juveni stultum qui donet amico,
Qui paupertatem levet attollátque propinqui;
Et spoliare doces, & circumscribere, & omni
Crimine divitias acquirere quarum amor in te est,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus;
In quarum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur, & horrida bella capessunt
Continuò, tanquam & tubicen surrexerit unâ.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidúmque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota Mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Expectare colos. Morieris stamine nondum
Abrupto. Jam nunc obstas, & vota moraris;
Jam torquet juvenem longa & cervina senectus.
Ocyùs Archigenem quære, atque eme quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare rosas. Medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat aut pater aut Rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti,
Si spectas quanto capitis discrimine constant
Incrementa domûs, ærată multus in arcâ
Fiscus, & ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, & res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Floræ,
Et Cereris licèt, & Cybeles aulæa relinquas:
Tanto majores humana negotia ludi.
An magìs oblectant animum jactata petauro
Corpora, quisque solent rectum descendere funem,
Quàm tu, Corycià semper qui puppe moraris,
Atque habitas, Coro semper tollendus & Austro,
Perditus, ac vilis sacci mercator olentis;
Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ
Passum, & municipes Jovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia plantâ
Victum illâ mercede parat, brumámque, famémque
Illâ reste cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius. Aspice portus
Et plenum magnis trabibus mare. Plus hominum est jam
In pelago. Veniet classis quocunque vocârit
Spes lucri; nec Carpathium, Gætuláque tantùm
Æquora transiliet: sed longè Calpe relictâ,
Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.
Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti
Indè domum possis, tumidâque superbus alutâ
Oceani monstra, & juvenes vidisse marinos.
Non unus mentes agitat furor. Ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur & igni.
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. Parcat tunicis licèt atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, & tabulâ distinguitur undâ;
Cùm sit causa mali tanti & discriminis hujus,
Concisum argentum in titulos faciésque minutas.
Occurrunt nubes & fulgura; solvite funem,
Frumenti dominus clamat, piperísque coëmptor;
Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur:
Æstivum tonat. Infelix, ac forsitan ipsâ
Nocte cadet fractis trabibus, fluctúque premetur
Obrutus, & zonam lævâ morsúque tenebit.
Sed cujus votis modò non sufficerat aurum,
Quod Tagus & rutilâ volvit Pactolus arenâ,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguúsque cibus, mersâ rate naufragus assem
Dum rogat, & pictâ se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, curâ majore metúque
Servantur. MISERA est magni custodia censûs.
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signísque suis, Phrygiâque columnâ,
Atque ebore, & latâ testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici. Si fregeris, altera fiet
Cras domus; aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testâ cùm vidit in illâ
Magnum habitatorem, quantò felicior hic qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, si sit prudentia; sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quæ
Sufficiat censûs, si quis me consulat, edam.
In quantum sitis atque fames & frigora poscunt:
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis:
Quantum Socratici ceperunt antè Penates.
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere: misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum;
Sume duos Equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultrà:
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica Regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere jussus.

SATYRA

SATYRA XV.

QUIS neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus ibim.
Eſſigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hìc piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. Nefas illìc fœtum jugulare capellæ;
Carnibus humanis veſci licet. Attonito cùm
Tale ſuper cœnam facinus narraret Ulyſſes
Alcinoo, bilem aut riſum fortaſſe quibuſdam
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abicit, ſævâ dignum verâque Charybdi,
Fingentem immanes Læſtrygonas atque Cyclopas?
Nam citiùs Scyllam, vel concurrentia ſaxa
Cyanes, plenos & tempeſtatibus utres
Crediderim, aut tenui percuſſum verbere Circes,
Et cum remigibus grunuiſſe Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis meritò nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyræâ temetum duxerat urnâ.
Solus enim hoc Ithacus nullo ſub teſte canebat.
Nos miranda quidem, ſed nuper Conſule Junio
Geſta, ſuper calidæ referemus mœnia Copti;
Nos vulgi ſcelus, & cunctis graviora cothurnis.
Nam ſcelus à Pyrrhâ, quanquam omnia ſyrmata volvas,
Nullus apud Tragicos populus facit. Accipe noſtro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus utrinque
Indè furor vulgo, quòd Numina vicinorum
Odit uterque locus; cùm ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit. Sed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio cunctis
Viſa inimicorum primoribus ac Ducibus; ne
Lætum hilarémque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent poſitis ad templa & compita menſis,
Pervigilſque toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interea Sol invenit. Horrida ſanè
Ægyptus: ſed luxuriâ, quantum ipſe notavi,
Barbara famoſo non cedit turba Canopo.
Adde quòd & facilis victoria de madidis &
Blæſis, atque mero titubantibus. Indè virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta, & flores, multæque in fronte coronæ:
Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Deiu clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ ſinè vulnere malæ:
Vix cuiquam aut nulli toto certamine naſus
Integer. Aſpiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Oſſa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt ipſi tamen, & puerilis
Exercere acies, quòd nulla cadavera calcent,
Et ſanè quò tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, & jam
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela; nec hunc lapidem, quali ſe Turnus, & Ajax;
Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam
Æneæ; ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.
Ergo Deus quicunque aſpexit, ridet, & odit.
A diverticulo repetatur fabula. Poſtquam
Subſidiis auctі, pars altera promere ferrum
Audet, & infeſtis pugnam inſtaurare ſagittis.
Terga fugæ celeri præſtantibus omnibus inſtant,
Qui vicina colunt umbroſæ Tentyra palmæ.
Labitur hìc quidam nimiâ formidine curſum
Præcipitans, capitúrque; at illum in plurima ſectum
Fruſta ac particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corroſis oſſibus edit

Victrix turba; nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus: longum uſque adeò, tardúmque putavit
Expectare focos, contenta cadavere crudo.
Hinc gaudere libet, quòd non violaverit ignem,
Quem ſummâ cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor, & te
Exultare reor. Sed qui mordere cadaver
Suſtinuit, nihil unquam hâc carne libentius edit.
Nam ſcelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula ſenſerit: ultimus autem
Qui ſtetit abſumpto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de ſanguine guſtat.
Vaſcones, ut fama eſt, alimentis talibus uſi
Produxere animas: ſed res diverſa; ſed illìc
Fortunæ invidia eſt, bellorúmque ultima, caſus
Extremi, longæ dira obſidionis egeſtas.
Hujus enim, quod nunc agitur, miſerabile debet
Exemplum eſſe cibi: ſicut modò dicta mihi gens
Poſt omnes herbas, poſt cuncta animalia, quicquid
Cogebat vacui ventris furor, hoſtibus ipſis
Pallorem, ac maciem, & tenues miſerantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua. Quiſnam hominum veniam dare, quiſve Deorum,
Urbibus abnuerit dira atque immania paſſis;
Et quibus ipſorum poterant ignoſcere manes,
Quorum corporibus veſcebantur? Meliùs nos
Zenonis præcepta mŏnent. Nec enim omnia quædam
Pro vitâ facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoïcus, antiqui præſertim ætate Metelli?
Nunc totus Graias, noſtráſque habet orbis Athenas.
Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute atque fide, ſed major clade Saguntus,
Tale quid excuſat. Mæotide ſævior arâ
Ægyptus. Quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inventrix homines (ut jam quæ carmina tradunt
Digna fide credas) tantùm immolat; ulterius nil
Aut gravius cultro timet hoſtia. Quis modò caſus
Impulit hos? Quæ tanta fames, infeſtáque vallo
Arma coëgerunt, tam deteſtabile monſtrum
Audere? Anne aliam terrâ Memphitide ſiccâ
Invidiam facerent nolenti ſurgere Nilo?
Quam nec terribiles Cimbri, nec Brittones unquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrſi,
Hâc ſævit rabie imbelle & inutile vulgus,
Parvula fictilibus ſolitum dare vela phaſelis,
Et brevibus pictæ remis incumbere teſtæ.
Nec pœnam ſceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares ſunt
Et ſimiles ira atque fames. Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit. Hæc noſtri pars optima ſenſûs.
Plorare ergo jubet cauſam lugentis amici,
Squallorémque rei, pupillum ad jura vocantem
Circumſcriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans,
Et minor igne rogi. Quis enim bonus, aut face dignus
Arcanâ, qualem Cereris vult eſſe Sacerdos,
Ulla aliena ſibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorúmque capaces,
Atque exercendis capiendíſque artibus apti
Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto
De nemore, & proavis habitatas linquere ſylvas;
Ædificare domos, laribus conjungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem;
Communi dare ſigna tubâ, defendier iſdem
Turribus, atque unâ portarum clave teneri.
Sed jam ſerpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.

Aſt homini ferrum lethale incude nefandâ
Produxiſſe parum eſt, cùm raſtra & ſarcula tantùm
Aſſueti coquere, & marris ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios excudere fabri.
Aſpicimus populos quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi. Quid diceret ergo,
Vel quò non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulſit non omne legumen?

SATYRA XVI.

QUIS numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? Nam ſi ſubeantur proſpera caſtra,
Me pavidum excipiat tyronem porta ſecundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quàm ſi nos Veneris commendet epiſtola Martſ,
Et Samiâ genitrix quæ delectatur arenâ.
Commoda tractemus primùm communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulſare togatus
Audeat: imò & ſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.
Bardiacus Judex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ,
Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à ſignis. Juſtiſſima Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, ſi juſtæ defertur cauſa querelæ.
Tota cohors tamen eſt inimica, omnéſque manipli
Conſenſu magno officiunt. Curabitis, ut ſit
Vindicta gravior quàm injuria; dignum erit ergo
Declamatoris Mutinenſis corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clavorum. Quis tam procul abſit ab urbe?
Præterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? lacrymæ ſiccentur protinus, & ſe
Excuſaturos non ſollicitemus amicos.
Da teſtem, judex cùm dixerit: audeat ille
Neſcio quis, pugnos vidit qui, dicere, Vidi;
Et credam dignum barbâ, dignúmque capillis
Majorum. Citiùs falſum producere teſtem
Contra Paganum poſſis, quàm vera loquentem
Contra fortunam armati contráque pudorem.
Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo,
Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos,
Vana ſupervacui dicens chirographa ligni:
Expectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi; ſed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties ſubſellia tantùm
Sternuntur; jam facundo ponente lacernas
Cæditio, & Fuſco jam micturiente, parati
Digredimur, lentâque fori pugnamus arenâ.
Aſt illis, quos arma tegunt & balteus ambit,
Quod placitum eſt, illis præſtatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo ſufflamine litis.
Solis præterea teſtandi militibus jus
Vivo patre datur. Nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſûs,
Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum
Signorum comitem, caſtrorúmque æra merentem,
Quamvis jam tremulus captat pater. Hunc labor æquus
Provehit, & pulcro reddit ſua dona labori.
Ipſius certè Ducis hoc referre videtur,
Ut qui fortis erit, ſit feliciſſimus idem;
Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

SULPI-

Digitized by Google

SULPITIÆ SATYRA.

J. Cæs. Scaliger *in Hypercritico.* Aiunt Sulpitiam fuiſſe temporibus Domitiani. Ejus Satyra falsò Auſonio attributa fuit. Satìs enim patet à fœminà factos verſus, in quibus muſa cultricem appellat ſuam, quæque ait ſeſe primam docuiſſe Romanas mulieres poſſe cum Græcis Poetriis comparari.

Primáque Romanas docui contendere Graiis.

In eà multum dexteritatis ad Satyricam amarulentiam aſpirantis. Numeri verò, ut in eo genere Poematis, non contemnendi.

De ſtatu Reipub. temporibus Domitiani, cùm edicto philoſophos urbe exegiſſet.

MUSA, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi ſeceſſi, tecum penetrale retractans
Conſilium, quæro nec carmine curro phalæco,
Nec trimetro iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter iraſci didicit duce Clazomenio.
Cætera quinetiam, quot denique millia luſi,
Primáque Romanas docui contendere Graiis,
Et ſalibus variare novis, conſtanter omitto:
Téque, quibus princeps & facundiſſima calles,
Aggredior. precibus deſcende clientis, & audi.
Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitet? an terras & patria ſæcula mutat?
Quáſque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nóſque jubet tacitos, & jam rationis egenos,
Non aliter, primo quàm cùm ſurreximus ævo,
Glandibus, & puræ rurſus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conſervat amicus, & urbes,
Sed genus Auſonium, Remulíque exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? duo ſunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & ſapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, & ſocialibus armis,
In freta Sicaniæ, & Carthaginis exiit arces,
Cæteráque imperia, & totum ſimul abſtulit orbem.
Deinde, velut Iladio victor qui ſolus Achæo
Languet, & immotâ ſecum virtute fatiſcit:
Sic itidem Romana manus, contendere poſtquam
Deſtitit, & paecm longis frenavit habenis,
Ipſa domi leges & Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terrâ quæſita, marique
Præmia, conſilio & molli ratione regebat.
Stabat in his: neque enim poterat conſtare ſinè ipſis,
Aut fruſtra uxori mendáxque Dieſpiter olim,
Imperium ſinè fine dedi, dixiſſe probatur.
Nunc igitur qui res Romanas temperat inter,
Non trabe, ſed tergo prolapſus, & ingluvie albus,
Et ſtudia, & ſapiens hominum nomènque genúſque,
Omnia abire foras, atque Urbe excedere juſſit.
Quid facimus? Graios, hominúmque reliquimus urbes,
Ut Romana foret magis his inſtructa magiſtris:
Nunc, Capitolino veluti turbante Camillo,
Enſibus & trutinâ Galli fugere relictâ,
Sic noſtri palare ſenes dicantur, & ipſi
Ut ferale ſuos onus exſtirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycúſque erravit in iſto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magiſtro,
Cætera & illa manus bello fœcunda ſecundo,
Quos inter priſci ſententia dia Catonis
Scire adeò magni feciſſet, utrúmne ſecundis,
An magis adverſis ſtaret Romana propago.
Scilicet adverſis. nàm quum defendier armis
Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor,
Convenit ut veſpis, quarum domus arce Monetæ,
Turba rigens ſtrictis per lutea corpora telis.
Aſt ubi pax ſecura redit, oblita favorum
Plebs, matérque unâ ſomno moriuntur obeſo.
Romulidarum igitur longa & gravis exitium pax.
Hôc fabella modo pauſam facit. optima poſthac
Muſa, velim moneas, ſinè quâ mihi nulla voluptas
Vivere, utì quondam Lydus dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint. vel denique quidvis,
Ut Dea, quæræ aliud. tantùm Romana Caleno
Mænia, jucundos paritérque averte Sabinos.
Hæc ego. tum paucis Dea me dignatur, & infit.
Pone metus æquos, cultrix mea, ſumma Tyranno
Hæc inſtant odia, & noſtro perituras honore eſt.
Nam laureta Numæ, fontéſque habebimus eoſdem,
Et comite Egeriâ ridemus inania cœpta.
Vive, vale. manet hunc pulchrum ſua fama dolorem.
Muſarum ſponder chorus, & Romanus Apollo.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATA.

M. VAL. MARTIALIS VITA
EX PETRO CRINITO.

MARC. Valerius Martialis genere Hiſpanus fuit, Bilbili natus haud ignobili oppido Celtiberiæ, ut veteres auctores tradunt; & ipſe Martialis cùm plurimis locis demonſtrat, tum maximè his verſibus ad Licinianum municipem ſuum:

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Noſtræque laus Hiſpaniæ,
Videbis altam, Liciniane, Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Sub primam ætatem profectus eſt ad urbem Romam, quò faciliùs in literarum ſtudio verſari poſſet, ſuúmque ingeniam erudire. Sed cùm agendis cauſis minimè ſe idoneum videret, omnem operam atque diligentiam retulit ad ſcribenda Epigrammata: in quibus magnopere excelluit, judicio veterum. Maximè autem valuit in promerendis ſibi atque conciliandis hominum ſtudiis: adeò urbanitate & ſalibus præſtitit. Relata ſunt à C. Plinio permulta de ingenio & eruditione Val. Martialis: quibus ſatis colligere poſſumus quanti fecerit hunc ipſum poëtam, quantúmque illius verſibus oblectari conſuevit. Sic enim ſcribit: *Fuit Martialis ingenioſo acri, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet & fellis: neque candoris minus.* Itaque minimè mirari oportet, ſi Ælius Verus Imperator (qui Cæſari Hadriano gratiſſimus fuit) ſolitus eſt ſingulari affectu proſequi lepores atque jocos poëtæ Martialis; ſuúmque Virgilium vocare. Neque dubium eſt, illum Romæ publicis honoribus ornatum atque honeſtatum fuiſſe. Nam equeſtri dignitate donatus eſt, & præturâ, & jure trium liberorum; ut ipſe de ſe teſtatur. Lib. XII. Epigrammaton compoſuit miro ingenio & ſingulari urbanitate; quibus adjecit Xenia & Apophoreta libellis duobus abſoluta. In his ſecutus eſt Marſum poëtam, Pedonem, atque Getulicum: quorum exemplo ſeipſum tuetur, ac laſcivam verborum licentiam excuſat. Valerium quoque Catullum & Licinium Calvum plurimi fecit: quòd in hôc ſcribendi genere inſignes habiti ſunt. In duodecimo libro Nervæ atque Trajano Imperatoribus blanditus eſt, damnatis temporibus Domitiani Cæſaris. Ad eundem refertur Spectaculorum liber: qui extrà ordinem aliorum habetur à noſtris grammaticis, ut vetuſti codices probant. Inter amicos præcipuè habuit Stellam Patavinum, Decianum, Silium Italicum, Val. Flaccum, Parthenium, aliósque complures; ad quos ſæpenumero ſcribit. Stertinius vir clariſſimus (quem Martialis mutato nomine Avitum appellat) tantum conceſſit ipſius ingenio atque doctrinæ, ut viventi adhuc illi imaginem more veterum in ſuâ bibliothecâ poſuerit. Poſtremò cùm Martialis foret provectior, tædiò rerum urbanarum affectus in patriam rediit, atque in natali ſolo paulò pòſt interiit: non ſinè lacrymis ac magno mœrore C. Plinii: ut ingenuè teſtatus eſt; ſcriptâ epiſtolâ ad Cornelium Priſcum.

DE

DE SPECTACULIS
EPIGRAMMATA

In Amphitheatrum Cæsaris.

BARBARA Pyramidum sileat miracula Memphis;
Assiduus jactet nec Babylona labor;
Nec Triviæ templo molles laudentur honores;
Dissimulétque deum cornibus ara frequens;
Aëre nec vacuo pendentia Mausolea,
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

II. *In opera publica Cæsaris.*

HIC ubi sidereus propiùs videt astra colossus,
Et crescunt mediâ pegmata celsa viâ;
Invidiosa feri radiabant atria regis,
Unáque jam totâ stabat in urbe domus.
Hìc, ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hìc, ubi miramur velocia munera thermas;
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma sibi est; & sunt, te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

III. *De gentium confluxu & congratulatione.*

QUÆ tam sepositа est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
Ex quâ spectator non sit in urbe tuâ?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeïus Hæmo,
Venit & epoto Sarmata pastus equo;
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
Et quem suprémæ Tethyos unda ferit.
Festinavit Arabs; festinavere Sabæi;
Et Cilices nimbis hìc maduere suis.
Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una,
Cùm verus PATRIÆ diceris esse PATER.

IV. *Ad Cæsarem, quod expulerit delatores.*

TURBA gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Gætulis; nec cepit arena nocentes;
Et delator habet, quod dabat, exsilium.
Exsulat Ausoniâ profugus delator ab urbe:
Impensis vitam principis annumeres.

V. *De Pasiphaës spectaculo.*

JUNCTAM Pasiphaën Dictæo credite tauro.
Vidimus; accepit fabula prisca fidem.
Nec se miretur, Cæsar, longæva vetustas:
Quicquid fama canit, donat arena tibi.

VI. *Fœmina in Amphitheatro cum Leone certamen.*

BELLIGER invictis quòd Mars tibi sævit in armis,
Non satis est, Cæsar; sævit & ipsa Venus.
Prostratum Nemees & vastâ in valle leonem,
Nobile & Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post tua munera, Cæsar,
Hæc jam fœmineâ vidimus acta manu.

VII. *Pœna Laureoli.*

QUALITER in Scythicâ religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem:
Nuda Caledonio sic pectora præbuit ursо,
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.
Vivebant lacerі membris stillantibus artus,
Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini jugulum foderat ense nocens.
Templa vel arcano demens spoliaverat auro;
Subdiderat sævas vel tibi Roma faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

VIII. *De Dædalo.*

DÆDALE, Lucano cùm sic lacereris ab urso,
Quàm cuperes pennas nunc habuisse tuas!

IX. *De Rhinocerote.*

PRÆSTITIT exhibitus totâ tibi, Cæsar, arenâ,
Quæ non promisit, prœlia rhinoceros.
O quàm terribiles exarsit prorus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

X. *De Leone qui gubernatorem offendit.*

LÆSERAT ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas:
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris?

XI. *De Urso.*

PRÆCEPS sanguineâ dum se rotat ursus arenâ,
Implicitam visco perdidit ille fugam.
Splendida jam tecto cessent venabula ferro;
Nec volet excussâ lancea torta manu.
Deprendat vacuo venator in aëre prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

XII. *De sue, quæ ex vulnere peperit.*

INTER Cæsareæ discrimina sæva Dianæ
Fixisset gravidam cùm levis hasta suem:
Exiliit partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse fatum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite: nata fera est.

XIII. *De eâdem.*

ICTA gravi telo, confossâque vulnère, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quàm certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianæ;
Quâque soluta parens, quâque perempta fera est.

XIV. *De eâdem.*

SUS fera jam gravior, maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis calibus ingenium!

XV. *De Carpophoro venatore.*

SUMMA tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori portio, fusus aper!
Ille & præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoï qui fuit arce poli:
Stravit & ignotâ spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus:
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum,
Præmia cùm laudis ferret, adhuc poterat.

XVI. *De Hercule insidente tauro ad cælum rapto.*

RAPTUS abit mediâ quod ad æthera taurus arenâ;
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus;
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Cæsaris atque Jovis confer nunc schema: juvenci
Par onus ut tulerint; altiùs iste tulit.

XVII. *De*

Digitized by Google

XVII. *De ſupplice elephante.*

QUÒD pius, & ſupplex elephas, te, Cæſar, adorat;
Hic modò qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc juſſus, nullóque docente magiſtro:
Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

XVIII. *De tigride, & leone.*

LAMBERE ſecuri dextram conſueta magiſtri,
Tigris, ab Hircano gloria rara jugo,
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:
Res nova, non ullis cognita temporibus.
Auſa eſt tale nihil, ſylvis dum vixit in altis:
Poſtquam inter nos eſt, plus feritatis habet.

XIX. *De tauro & elephante.*

QUI modò per totam, flammis ſtimulatus, arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas;
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic elephanta putat.

XX. *De pari gladiatorum.*

DUM peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum:
Promiſit pariter Cæſar utrâque manu.
Non potuit meliùs litem finire jocoſam.
O dulce invicti principis ingenium!

XXI. *De Orpheo.*

QUIDQUID in Orpheo Rhodope ſpectâſſe theatro
Dicitur; exhibuit, Cæſar, arena tibi.
Repſerunt ſcopuli, mirandáque ſylva cucurrit,
Quale fuiſſe nemus creditur Heſperidum.
Adfuit immitium pecudum genus omne ferarum,
Et ſupra vatem multa pependit avis.
Ipſe ſed ingrato jacuit laceratus ab urſo.
Hæc tamen ut res eſt facta, ita facta alia eſt.

XXII. *De rhinocerote.*

SOLLICITANT pavidi dum rhinocerota magiſtri,
Séque diu magnæ colligit ira feræ;
Deſperabantur promiſſi prælia Martis:
Sed tamen is rediit cognitus antè furor.
Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum,
Jactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

XXIII. *De Carpophoro.*

DORICA quàm certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili cervice juvencos;
Illi ceſſit atrox bubalus atque biſon.
Hunc leo cùm fugeret, præceps in tela cucurrit:
I nunc, & lentas corripe, turbo, moras.

XXIV. *De Naumachia.*

SI quis ades longis ferus ſpectator ab oris,
Cui lux prima ſacri muneris iſta fuit.
Ne te decipiat ratibus navalis Envo,
Et par unda freti; hìc modò terra fuit.
Non credis? ſpectes, dum laxent æquora Martem;
Parva mora eſt, dices; hìc modò pontus erat.

XXV. *De Leandro.*

QUÒD nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,
Deſine mirari: Cæſaris unda fuit.
Cùm peteret dulces audax Leandrus amores,
Et feſſus tumidis jam premeretur aquis;
Sic miſer inſtantes affatus dicitur undas:
Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

XXVI. *De natatoribus.*

LUSIT Nereidum doctis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas:
Fuſtina dente minax, nexu fuit anchora cæco:
Credidimus remum, credidimúſque ratem:
Et gratum nautis ſidus fulgere Laconum,
Latáque perſpicuo vela tumere ſinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit luſus hos Thetis, aut didicit.

XXVII. *Blanditur Cæſari.*

SÆCULA Carpophorum, Cæſar, ſi priſca tuliſſent,
Jam nullum monſtris orbe fuiſſet opus.
Non Marathon taurum, Nemeæ frondoſa leonem,
Arcas Mænalium non timuiſſet aprum.
Hæc armata manus hydræ mors una fuiſſet,
Huic percuſſa foret tota Chimæra ſemel.
Ignipedes poſſet ſinè Colchide vincere tauros:
Solvere & Heſionem ſolus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus eſt,
Bis denas pariter perdomuiſſe feras.

XXVIII. *De Naumachiâ.*

AUGUSTI laudes fuerant, committere claſſes,
Et freta navali ſollicitare tubâ:
Cæſaris hæc noſtri pars eſt quotâ? vidit in undis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,
Et domini Triton ipſe putavit equos.
Dúmque parat ſævis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quidquid & in circo ſpectatur, & Amphitheatro,
Dives Cæſarea præſtitit unda tibi.
Fucinus, & pigri taceantur ſtagna Neronis:
Hanc nôrint unam ſecula Naumachiam.

XXIX. *De Priſco & Vero gladiatoribus.*

CUM traheret Priſcus, traheret certamina Verus,
Eſſet & æqualis Mars utriuſque diu;
Miſſio ſæpe viris magno clamore petita eſt:
Sed Cæſar legi paruit ipſe ſuæ.
Lex erat, ad digitum poſitâ concurrere palmâ:
Quòd licuit, lances, donáque ſæpe dedit.
Inventus tamen eſt finis diſcriminis æqui;
Pugnavere pares, ſuccubuere pares.
Miſit utrique rudes, & palmas Cæſar utrique:
Hoc pretium virtus ingenioſa tulit.
Contigit hoc nullo, niſi te ſub principe, Cæſar,
Cùm duo pugnarent, victor uterque fuit.

XXX. *Ad Cæſarem.*

DA veniam ſubitis: non diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat, Cæſar, qui placuiſſe tibi.

XXXI. *Alterum.*

CEDERE majori, virtutis fama ſecunda eſt.
Illa gravis palma eſt, quam minor hoſtis habet.

XXXII. *De damâ & canibus.*

CONCITA veloces fugeret cùm dama molloſſos,
Et variâ obliquas necteret arte moras;
Cæſaris ante pedes ſupplex, ſimilíſque roganti
Conſtitit; & prædam non tetigere canes.

Aliud, apud antiquum Juvenalis Scholiaſten.

FLAVIA gens, quantum tibi tertius abſtulit hæres!
Penè fuit tanti, non habuiſſe duos.

Digitized by Google

EPIGRAMMATUM

LIBER PRIMUS.

I. *Ad Catonem.*

NOSSES jocoſo dulce cùm ſacrum Floræ,
Feſtóſque luſus, & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideo tantùm veneras, ut exires?

II. *Ad Lectorem.*

HIC eſt quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis Epigrammatôn libellis:
Cui, Lector ſtudioſe, quod dediſti
Viventi decus, atque ſentienti,
Rari poſt cineres habent poëtæ.

III. *Ad Lectorem, ubi Libri venales.*

QUI tecum cupis eſſe meos ubicunque libellos,
Et comites longæ quæris habere viæ;
Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis, me manus una capit.
Ne tamen ignores ubi ſint venalis, & erres
Urbe vagus totâ: me duce certus eris.
Libertum docti Lucenſis quære Secundum,
Limina poſt Pacis, Palladiúmque forum.

IV. *Ad librum ſuum.*

ARGILETANAS mavis habitare tabernas,
Cùm tibi, parve liber, ſcrinia noſtra vacent.
Neſcis, heu, neſcis dominæ faſtidia Romæ:
Crede mihi, nimium Martia turba ſapit.
Majores nuſquam ronchi, juvenéſque ſenéſque
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.
Audieris cùm grande ſophos, dum baſia captas,
Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Néve notet luſus triſtis arundo tuos;
Ætherias, laſcive, cupis volitare per auras:
I, fuge; ſed poteras tutior eſſe domi.

V. *Ad Cæſarem.*

CONTIGERIS noſtros, Cæſar, ſi fortè libellos,
Terrarum dominum pone ſupercilium.
Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi;
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.
Quâ Thymelen ſpectas, deriſorémque Latinum;
Illâ fronte precor carmina noſtra legas.
Innocuos cenſura poteſt permittere luſus:
Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

VI. *Ad Marcum.*

DO tibi naumachiam, tu das Epigrammata nobis:
Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.

VII. *De Leone Cæſaris.*

ÆTHERIAS aquilâ puerum portante per auras,
Illæſum timidis unguibus hæſit onus:
Nunc ſua Cæſareos exorat præda leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula? ſummus utriſque
Auctor adeſt: hæc ſunt Cæſaris, illa Jovis.

VIII. *Ad Maximum, de columba Stellæ.*

STELLÆ delicium mei columba,
Veronâ licèt audiente dicam,
Vicit, Maxime, paſſerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto paſſere major eſt columba.

IX. *Deciani dogma laudat.*

QUÒD magni Thraſeæ, conſummatíque Catonis
Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſſe velis:
Pectore nec nudo ſtrictos incurris in enſes;
Quod feciſſe velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui ſanguine famam:
Hunc volo, laudari qui ſinè morte poteſt.

X. *In Cottam.*

BELLUS homo & magnus vis idem, Cotta, videri;
Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

XI. *De Gemello, & Maronilla.*

PETIT Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & inſtat, & precatur, & donat.
Adeóne pulchra eſt? imò fœdius nil eſt.
Quid ergo in illâ petitur & placet? tuſſit.

XII. *Ad Sextilianum potorem.*

CUM data ſint equiti bis quina numiſmata, quare
Bis decies ſolus, Sextiliane, bibis?
Jam defeciſſet portantes calda miniſtros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

XIII. *De Regulo.*

ITUR ad Herculei gelidas quà Tiburis arces,
Canáque ſulphureis Albula fumat aquis;
Rura, nemúſque ſacrum, dilectáque jugera Muſis
Signat vicinâ quartus ab urbe Lapis:
Hic rudis æſtivas præſtabat porticus umbras,
Heu quàm penè novum porticus auſa nefas!
Nam ſubitò collapſa ruit, cùm mole ſub illâ
Geſtatus bijugis Regulus eſſet equis.
Nimirum timuit noſtras Fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.
Nunc & damna juvant: ſunt ipſa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare deos.

XIV. *De Arria & Pæto.*

CASTA ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

XV. *Ad Cæſarem.*

DELICIAS, Cæſar, luſúſque jocóſque leonum
Vidimus: hoc etiam præſtat arena tibi;
Cùm prenſus blando toties à dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Unde poteſt avidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen eſſe tuus dicitur; ergo poteſt.

XVI. *Ad Julium.*

O Mihi poſt nullos Juli memorande ſodales;
Si quid longa fides, caſtáque jura valent:
Bis jam pænè tibi conſul trigeſimus inſtat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene diſtuleris, videas quæ poſſe negari;
Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.
Exſpectant curæque catenatíque labores.
Gaudia non remanent, ſed fugitiva volant.
Hæc utráque manu complexúque aſſere toto:
Sæpe fluunt imo ſic quoque lapſa ſinu.
Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita eſt craſtina; vive hodie.

XVII. *Ad Avitum.*

SUNT bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis hîc: aliter non fit, Avite, liber.

XVIII. *Ad*

Digitized by Google

XVIII. *Ad Titum.*

COGIT me Titus actitare causas,
Et dicit mihi sæpe, magna res est:
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

XIX. *Ad Tuccam.*

QUID te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile est: scelus est jugulare Falernum,
Et dare Campano toxica sæva mero.
Convivæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori.

XX. *Ad Ælium.*

SI memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Exspuit una duos tussis, & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus;
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

XXI. *Ad Cæcilianum.*

DIC mihi quis furor est? turbâ spectante vocatâ,
Solus boletos, Cæciliane voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulâque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

XXII. *De Porsenâ & Mucio Scævolâ.*

CUM peteret regem decepta satellite dextra,
Ingessit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Major deceptæ fama est & gloria dextræ.
Si non errâsset, fecerat illa minus.

XXIII. *De leone & lepore.*

QUID nunc sæva fugis placidi lepus ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus:
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

XXIV. *Ad Cottam.*

INVITAS nullum, nisi cum quo, Cotta, lavaris,
Et dant convivam balnea sola tibi.
Mirabar, quare nunquam me, Cotta, vocâsses:
Jam scio me nudum displicuisse tibi.

XXV. *Ad Decianum.*

ADSPICIS incomptis illum, Deciane, capillis?
Cujus & ipse times triste supercilium;
Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos,
Nolito fronti credere, nupsit herî.

XXVI. *Ad Faustinum.*

EDE tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec fileant nostri, prætereántque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam?
Téque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque vivere, chartæ
Incipiant. cineri gloria sera venit.

XXVII. *Ad Sextilianum.*

SEXTILIANE, bibis quantum subsellia quinque
Solus, aquâ toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantùm,
Æra sed à cuneis ulteriora petis.
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis,
Una nec in Tuscis nascitur ista jugis.
Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
Egerit & nigros Massica cella cados.
A caupone tibi fæx Laletana petatur,
Si plus quàm decies, Sextiliane, bibis.

XXVIII. *Ad Procillam.*

HESTERNA tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
Cœnares hodie, Procille, mecum.
Tu factam tibi rem statim putâsti;
Et non sobria verba subnotâsti;
Exemplo nimium periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπότην. Procille.

XXIX. *De Acerrâ.*

HESTERNO fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem semper Acerra bibit.

XXX. *Ad Fidentinum.*

FAMA refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quàm recitare tuos.
Si mea vis dici; gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua vis; hæc eme, ne mea sint.

XXXI. *De Diaulo medico.*

CHIRURGUS fuerat, nunc est vespillo Diaulus:
Cœpit, quo poterat, clinicus esse modo.

XXXII. *De Encolpo.*

HOS tibi, Phœbe, vovet totos à vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor:
Grata Pudens meriti tulerit cùm præmia pili,
Quàm primùm longas, Phœbe, recide comas.
Dum nullâ teneri sordent lanugine vultus,
Dúmque decent fusæ lactea colla jubæ:
Utque tuis longum, dominúsque, puérque fruatur
Muneribus, tonsum fac citò, serò virum.

XXXIII. *Ad Sabidium.*

NON amo te Sabidi, nec possum dicere quare.
Hoc tantùm possum dicere; non amo te.

XXXIV. *De Gelliâ.*

AMISSUM non flet, cùm sola est Gellia, patrem.
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit,
Ille dolet verè, qui sinè teste dolet.

XXXV. *Ad Lesbiam.*

INCUSTODITIS, & apertis, Lesbia, semper
Liminibus peccas, nec tua furta tegis:
Et plùs spectator, quàm te delectat adulter:
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testem velóque serâque:
Raráque Summœni fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Helide discе pudorem;
Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.
Nunquid dura tibi nimiùm censura videtur?
Deprendi veto te, Lesbia, non futui.

XXXVI. *Ad Cornelium.*

VERSUS scribere me parum severos,
Nec quos prælegat in schola magister,
Corneli, quereris: sed hi libelli,
Tanquam conjugibus suis mariti,
Non possunt sinè mentulâ placere.
Quid si me jubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est jocosis,
Ne possint, nisi pruriant, juvare.
Quare depositâ severitate,
Parcas lusibus, & jocis, rogamus:
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

XXXVII. *Ad Lucanum, & Tullum.*

SI, Lucane, tibi, vel si tibi, Tulle, darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent:
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quòd pro fratre mori vellet uterque prior:
Diceret infernas & qui prior îsset ad umbras;
Vive tuo frater tempore, vive meo.

XXXVIII. *Ad Bassam.*

VENTRIS onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa, bibis vitro. cariùs ergo cacas.

XXXIX. *Ad Fidentinum.*

QUEM recitas, meus est, ô Fidentine, libellus:
Sed malè cùm recitas, incipit esse tuus.

XL. *Ad*

Digitized by Google

XL. *Ad Decianum.*

SI quis erit, raros inter numerandus amicos,
Quales priſca fides, famáque novit anus:
Si quis Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ
Artibus, & verâ ſimplicitate bonus:
Si quis erit recti cuſtos, mirator honeſti,
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magnæ ſubnixus robore mentis,
Diſpeream, ſi non hic Decianus erit.

XLI. *Ad Lividum.*

QUI ducis vultus, & non legis iſta libenter,
Omnibus invideas, Livide, nemo tibi.

XLII. *In Cæcilium.*

URBANUS tibi, Cæcili, Videris.
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.
Hoc quod Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulfurata fractis
Permutat vitreis: quod otioſæ
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod cuſtos, dominúſque viperarum:
Quod viles pueri ſalariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis:
Quod non optimus Urbicus poëta:
Quod de Gadibus improbus magiſter:
Quod bucca eſt vetuli loquax cinædi.
Quare deſine jam tibi videri,
Quod ſoli tibi, Cæcili, videris:
Qui Galbam ſalibus tuis, & ipſum
Poſſis vincere Sextium Caballum.
Non cuicunque datum eſt habere naſum.
Ludit qui ſtolidâ procacitate,
Non eſt Sextius ille, ſed caballus.

XLIII. *De Porciâ uxore Bruti.*

CONJUGIS audiſſet fatum cùm Porcia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor:
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas:
I nunc, & ferrum, turba moleſta, nega.

XLIV. *In Mancinum.*

BIS tibi triceni ſuimus, Mancine, vocati,
Et poſitum eſt nobis nil herè præter aprum.
Non quæ de tardis ſervantur vitibus uvæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela favis,
Non pyra quæ lentâ pendent religata geniſtâ,
Aut imitata breves punica mala roſas.
Ruſtica lactantes nec miſit fiſcina metas,
Nec de Picenis venit oliva cadis.
Nudus aper; ſed & hic minimus, qualiſque necari
A non armato pumilione poteſt.
Et nihil indè datum eſt; tantùm ſpectavimus omnes.
Ponere aprum nobis ſic & arena ſolet.
Ponatur tibi nullus aper poſt talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

XLV. *Ad Stellam.*

LASCIVOS leporum curſus, luſúſque leonum,
Quod major nobis charta minórque gerit:
Et bis idem facimus: nimium ſi, Stella, videtur
Hoc tibi; bis leporem tu quoque pone mihi.

XLVI. *De libro ſuo.*

EDITA ne brevibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potiùs ἐ δ' ἀναμεσόμιον.

XLVII. *Ad Hedylum.*

CUM dicis propero, fac ſi facis, Hedyle, languet
Protinus, & ceſſat debilitata Venus.
Exſpectare jube: velociùs ibo retentus
Hedyle, ſi properas, dic mihi ne properem.

XLVIII. *De Diaulo medico.*

NUPER erat medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:
Quod veſpillo facit, fecerat & medicus.

XLIX. *De leone & lepore.*

RICTIBUS his tauros non eripuere magiſtri,
Per quos præda fugax ſtque redíque lepus,
Quódque magis mirum, velocior exit ab hoſte,
Nec nihil à tantâ nobilitate refert.
Tutior in ſolâ non eſt cùm currit arenâ,
Nec caveæ tantâ conditur ille fide:
Si vitare canum morſus, lepus improbe, quæris,
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

L. *Ad Liciniannm, de Hiſpaniæ locis.*

VIII Celtiberis non tacende gentibus,
Noſtræque laus Hiſpaniæ;
Videbis altam Liciniane Bilbilim,
Equis & armis nobilem,
Steriléque Calvum nivibus, & fractis ſacrum
Vadaveronem montibus:
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidi natabis lene Congedi vadum,
Molléſque nympharum lacus;
Quibus ſemiſſum corpus adſtringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.
Præſtabit illic ipſa figendas propè
Vobiſca prandenti feras.
Æſtus ſerenos aureo franges Tago,
Obſcurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit ſitim,
Et Nemea, quæ vincit nives.
At cùm December canus, & bruma impotens
Aquilone rauco mugiet;
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuámque Laletaniam:
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & vernos apros,
Leporémque forti callidum rumpes equo:
Cervos relinques villico.
Vicina in ipſum ſylva deſcendet focum
Infante cinctum ſordido.
Vocabitur venator, & veniet tibi
Conviva clamatus propé.
Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,
Olidæque veſtes murice:
Procul horridus Liburnus, & querulus cliens;
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus ſomnum reus,
Sed manè totum dormies.
Mercetur alius grande, & inſanum ſophos:
Miſerere tu felicium;
Veróque fruere non ſuperbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum eſt, petit;
Cùm fama, quod ſatis eſt, habet.

LI. *Jocus ex Homero in Cocum.*

SI tibi Miſtyllus cocus, Æmiliane, vocatur:
Dicetur quare non Taratalla mihi?

LII. *Ad Leporem.*

NON facit ad ſævos cervix, niſi prima, leones,
Quid fugis hos dentes, ambitioſe lepus?
Scilicet à magnis ad te deſcendere tauris,
Et quæ non cernunt, frangere colla velint.
Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati:
Non potes hôc tenuis præda ſub hoſte mori.

LIII. *Quinctianum facit aſſertorem.*

COMMENDO tibi, Quinctiane, noſtros,
(Noſtros dicere ſi tamen libellos
Poſſim, quos recitat tuus Poëta,)
Si de ſervitio gravi queruntur,
Aſſertor venias, ſatiſque præſtes,
Et, cùm ſe Dominum vocabit ille,
Dicas eſſe meos, manúque miſſos.
Hoc ſi térque quatérque clamitâris;
Impones plagiario pudorem.

LIV. *Ad Fidentinum.*

UNA eſt in noſtris tua, Fidentine, libellis
Pagina, ſed certâ domini ſignata figurâ;
Quæ tua traducit manifeſto carmina furto.
Sic interpoſitus vitio contaminat uncto.
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus:
Sic Aretinæ violant cryſtallina teſtæ:
Sic niger, in ripis errat cùm fortè Cayſtri,
Inter Ledæos ridetur corvus olores:
Sic ubi multiſonâ fervet ſacer Attide lucus,

Improba

Improba Geetoplat offendit pica querelas.
Indice non opus est nostris, nec vindice libris:
Sunt contrà, dicitque tibi tua pagina, fur es.

LV. *Ad Fuscum.*

SI quid, Fusce, vacat adhuc amari;
(Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici:)
Unum, si superest, locum rogamus:
Nec me, quòd tibi sum novus, recusas:
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantùm inspice, qui novus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

LVI. *Ad Frontonem.*

VOTA tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronto, rogæque decus:
Hoc petit: esse sui nec magni ruris arator,
Sordidáque in parvis otia rebus amat.
Quisquam pictâ colit Spartani frigora furi,
Et matutinum portat ineptus ave;
Cui licet exuviis nemoris rurisque beato
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremulâ salientem ducere setâ,
Flaváque de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emptus præparat ova cinis?
Non amet hanc vitam, quisquis me non amet, opto:
Vivat & urbanis albus in officiis.

LVII. *Ad Cauponem.*

CONTINUIS vexata madet vindemia nimbis.
Non potes, ut cupias, vendere caupo merum.

LVIII. *Ad Flaccum.*

QUALEM Flacce velim quæris, nolimve puellam?
Nolo nimis facilem, difficilémque nimis.
Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus.
Nec volo quod cruciat; nec volo, quod satiat.

LIX. *De pueri pretio.*

MILLIA pro puero centum me mango popposcit:
Risi ego: sed Phœbus protinus illa dedit.
Hoc dolet, & queritur de me mea mentula mecum,
Laudatúrque meam Phœbus in invidiam.
Sed sestertiolum donavit mentula Phœbo
Bis decies; hoc da tu mihi, pluris emam.

LX. *Ad Flaccum de sportulâ.*

DAT Bajana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosáque balnea Grylli:
Tam malè cùm cœnem, cur bene Flacce lavor?

LXI. *De Lepore & Leone.*

INTRES ampla licèt torvi lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
Quod ruet in tergum, vel quòs procumbet in artus,
Alta juvencorum vulnera figet ubi?
Quid frustra nemorum dominum regémque fatigas?
Non nisi delectâ pascitur ille ferâ.

LXII. *Ad Licinianum, scriptorem suum.*

VERONA docti syllabas amat vatis;
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellâque nec Flacco minùs:
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus;
Nasone Peligni sonant.
Duósque Senecas, unicúmque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ Canio suo Gades;
Emerita Deciano meo.
Te, Liciniane, gloriabitur nostrâ,
Nec me tacebit Bilbilis.

LXIII. *De Lævina.*

CASTA, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro;
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno;
Et dum Bajanis sæpe fovetur aquis:
Incidit in flammas, juvenémque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

¶

LXIV. *Ad Celerem.*

UT recitem tibi nostra rogas epigrammata. nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

LXV. *Ad Fabullam ambitiosam.*

BELLA es; novimus: & puella; verum est:
Et dives; quis enim potest negare?
Sed dum te nimiùm, Fabulla, laudas;
Nec dives, neque bella, nec puella es.

LXVI. *Ad Cæcilianum, de genere & declinatione ficûs.*

CUM dixi, ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici, ficos, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

LXVII. *Ad furem, de libro suo.*

ERRAS meorum fur avare librorum,
Fieri Poëtam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constet, & tomus vilis.
Non sex paratur aut decem sophos nummis.
Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas novit unus, scrinióque signatas
Custodit ipse virginis pater chartæ;
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus.
Sed pumicatâ fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus atque membranâ:
Mercare tales ab eo, nec sciet quisquam.
Aliena quisquis recitat, & petit famam;
Non emere librum, sed silentium debet.

LXVIII. *Ad Charilum.*

LIBER homo es nimiùm, dicis mihi, Charile, semper:
In te qui dicit, Charile, liber homo est.

LXIX. *De Rufo.*

QUIDQUID agit Rufus, nihil est nisi Nævia Rufo.
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit; una est
Nævia; si non sit Nævia, mutus erit.
Scriberet hesternâ patri cùm luce salutem;
Nævia lux, inquit, Nævia! lumen, ave.
Hæc legit, & ridet demisso Nævia vultu.
Nævia non una est: quid vir inepte furis?

LXX. *Ad Maximum.*

COEPIT, Maxime, Pana quæ solebat,
Nunc ostendere Canium Terentos.

LXXI. *Ad Librum.*

VADE salutatum; pro me liber ire juberis
Ad Proculi nitidos officiose lares.
Quæris iter? dicam: vicinum Castora cane
Transibis Vestæ, virgineámque domum.
Indè sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima quà summi fulget imago ducis.
Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hàc, quà madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.
Protinus à lævâ clari sub fronte Penates,
Atriáque excelsæ sunt adeunda domûs.
Hanc pete, ne metuas fastus, liménque superbum:
Nulla magis toto janua poste patet;
Nec propior quam Phœbus amat, doctæque sorores.
Sic dicet; quare non tamen ipse venit?
Sic licet excuses: quia qualiacumque leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.

LXXII. *Ad Somnum.*

NÆVIA sex cyathis; septem Justina bibatur;
Quinque Lycas; Lyde quatuor; Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

LXXIII. *Ad Fidentinum.*

NOSTRIS versibus esse te Poëtam
Fidentine, putas, cupísque credi?
Sic demata sibi videtur Ægle,

Emptis

Emptis ossibus, Indicóque cornu:
Sic, quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hâc & tu ratione, quâ poëta es,
Calvus cùm fueris, eris comatus.

LXXIV. *Ad Cæcilianum.*

NULLUS in urbe fuit totâ, qui tangere vellet
Uxorem gratis, Cæciliane, tuam;
Dum licuit: sed nunc positis custodibus, ingens
Turba fututorum est. ingeniosus homo es.

LXXV. *Ad Paullam.*

MOECHUS erat. poteras tamen hoc tu, Paulla, negare:
Ecce, vir est. numquid, Paulla, negare potes?

LXXVI. *De Lino.*

DIMIDIUM donare Lino, quàm credere totum,
Qui mavult: mavult perdere dimidium.

LXXVII. *Ad Flaccum.*

O Mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce Antenorei spes & alumne Lavis:
Pierios differ cantúsque chorósque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ:
Hæc sapit, hæc omneis fœnerat una deos.
Quid possent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & serta, lyráque Dearum
Nil habet, & magnum sed perinane sophos.
Quid tibi cum Cirrhâ? quid cum Permessidе nudâ?
Romanum propius, divitiúsque forum est.
Illic æra sonant: at circùm pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

LXXVIII. *De Charino.*

PULCHRE valet Charinus, & tamen pallet.
Parcè bibit Charinus, & tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, & tamen pallet.
Sole utitur Charinus, & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, & tamen pallet.

LXXIX. *De Festo.*

INDIGNAS premeret pestis cùm tabida fauces,
Inque suos vultus serperet atra lues:
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos
Decrevit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno:
Aut torlit lentâ tristia fata fame.
Sanctam Romanâ vitam sed morte peregit,
Dimisitque animam nobiliore viâ.
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest: hujus Cæsar amicus erat.

LXXX. *Ad Attalum.*

SEMPER agis causas, & res agis, Attale, semper:
Est, non est quod agas, Attale, semper agis.
Si res, & causæ desunt, agis Attale, malas.
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

LXXXI. *Ad Cannum.*

SPORTULA, Cane, tibi suprema nocte petita est:
Occidit, puto, te Cane, quòd una fuit.

LXXXII. *Ad Sosibianum.*

E Servo scis te genitum, blandéque fateris;
Cùm dicis dominum (Sosibiane) patrem.

LXXXIII. *De Regulo.*

HÆc, quæ pulvere diffipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto jacet absoluta casu!
Tectis nam modò Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recessérátque;
Victa est pondere cùm suo repentè;
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ,
Quis curam neget esse te deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

LXXXIV. *De Manneiâ.*

OS & labra tibi lingit, Manneia, catellus:
Non miror, merdas si libet esse cani.

LXXXV. *De Quirinali.*

UXOREM habendam non putat Quirinalis,
Cùm vult habere filios: & invenit
Quo possit istud more, fututt ancillas,
Domúmque, & agros implet equitibus vernis.
Paterfamilias verus est Quirinalis.

LXXXVI. *De Mario.*

VENDERET excultos colles cùm præco facetus,
Atque suburbani jugera pulcra soli:
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nil debet: fœnerat imò magis.
Quæ ratio est igitur? servos ubi perdidit omnes,
Et pecus & fructus: non amat indè locum.
Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet
Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

LXXXVII. *De Novio micropsycho.*

VICINUS meus est, manúque tangi
De nostris Novius potest fenestris.
Quis non invideat mihi, putétque
Horis omnibus esse me beatum,
Junctо cui liceat frui sodale?
Tam longè est mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non convivere, nec videre saltem,
Non audire licet: nec urbe totâ
Quisquam est tam propè, tam procúlque nobis:
Migrandum est mihi longiùs, vel illi.
Vicinus Novio, vel inquilinus
Sit, si quis Novium videre non vult.

LXXXVIII. *Ad Fescenniam.*

NE gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cùm venit à barathro.
Quid quod olet graviùs mistum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longiùs exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprensâque furta
Jam tollas, & sis ebria simpliciter.

LXXXIX. *Ad Alcimum.*

ALCIME, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus:
Accipe non Pharlo nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis roscida prata meis.
Accipe, care puer, nostri monumenta laboris:
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
Cùm mihi supremos Lachesis perneverit annos:
Non aliter cineres mando jacere meos.

XC. *Ad Cinnam.*

GARRIS in aurem semper omnibus, Cinna;
Garris & illud, teste quod licet turbâ.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras:
Cantas in aurem, judicas, taces, clamas.
Adeóne penitus sedit hic tibi morbus,
Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes?

XCI. *Ad Bassam tribadem.*

QUOD nunquam maribus junctam te, Bassa, videbam,
Quódque tibi mœchum fabula nulla dabat:
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexûs, non adeunte viro:
Esse videbaris, fatcor, Lucretia nobis:
At tu (pro facinus!) Bassa, fututor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentitúrque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum:
Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium.

XCII. *Ad Lælium.*

CUM tua non edas, carpis mea carmina Læli:
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Digitized by Google

XCIII. *Ad Mamurianum.*

SÆPE mihi queritur non ficcis Cestus ocellis,
Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totum tibi Cestion habeto,
Si deest nil aliud, Mamuriane, tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,
Nec curtus Chiones, Antiopéve calix:
Cerea si pendet lumbis, & trita lacerna,
Dimidiásque nates Gallica palla tegit;
Pasceris & nigræ solo nidore culinæ,
Et bibis immundam cum cane pronus aquam:
Non culum (neque enim est culus, qui non cacat olim;)
Sed fodiam digito, qui supereſt, oculum.
Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.
Denique pudica, Mamuriane, satur.

XCIV. *De Aquino.*

FABRICIO junctus fido requiescit Aquinus,
Qui prior Elysias gaudet adisse domos.
Ara duplex primi testatur munera pili:
Plus tamen est, titulo quod brevinre legis.
Functus uterque sacro laudatæ fœdere vitæ,
Famáque quod raro novit, amicus erat.

XCV. *Ad Æglen fellatricem.*

CANTASTI malè, dum fututa es, Ægle.
Jam cantas bene; basianda non es.

XCVI. *Ad Helium.*

QUOD clamas semper, quòd agentibus obstrepis Hell,
Non facis hoc gratis: accipis, ut taceas.

XCVII. *Ad Scazontem, de fellatore*

SI non molestum est, téque non piget, Scazon,
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.
Amator ille tristium lacernarum,
Et bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystináque mulierum vocat vestes;
Nativa laudat; habeat & licèt semper
Fuscos colores, Galbanos habet mores,
Rogabit, unde suspicer virum mollem.
Unà lavamur: adspicit nihil sursum;
Sed spectat oculis devorantibus drancos:
Nec otiosis mentulas videt labris.
Quæris quis hic sit? excidit mihi nomen.

XCVIII. *Ad Nævolum Cunsidicum.*

CUM clamant omnes, loqueris tu, Nævole, tantùm,
Et te patronum, causidicúmque putas.
Hâc ratione potest nemo non esse desertus.
Ecce, tacent omnes: Nævole, dic aliquid.

XCIX. *Ad Flaccum.*

LITIGAT, & podagrâ Diodorus, Flacce, laborat;
Sed nil patrono porrigit; hæc chiragra est.

C. *Ad Calenum avarum.*

NON plenum modò vicies habebas,
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota Deus, precésque nostras;
Atque intrà, puto, septimas Calendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
At tu sic quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser esuritionem,
Ut convivia sumptuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices monetæ;
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbeâ selibrâ.
Quid dignum meritis precemur istis?
Optamus tibi millies, Calene:
Hoc si contigerit, fame peribis.

CI. *De Afrâ vetulâ.*

MAMMAS, atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dici & mammarum maxima mamma potest.

CII. *De Demetrio.*

ILLA manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix domino, notáque Cæsaribus,
Destituit primos virides Demetrius annos:
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Ureret implicitum cùm scelerata lues,
Cavimus; & domini jus omne remissimus ægro:
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, néque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

CIII. *Ad Lycorim.*

QUI pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

CIV. *Ad Scævolam.*

SI dederint superi decies mihi millia centum;
Dicebas nondum, Scævola, justus eques:
Qualiter ô vivam, quàm largè, quámque beatè!
Riserunt faciles & tribuere dei.
Sordidior multo post hoc toga; penula pejor:
Calceus est sartâ térque quatérque cute:
Déque decem plures semper servantur olivæ;
Explicat & cœnas unica mensa duas:
Et Vejentani bibitur fax crassa rubelli;
Asse cicer tepidum constat, & asse Venus.
Ius, ô fallax atque inficiator, eamus:
Aut vive, aut decies, Scævola, redde Deis.

CV. *De spectaculo.*

PICTO quòd juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quòd lupata cervi,
Quòd frænis Libyci domantur ursi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quòd trahunt bisontes,
Et molles dare jussa quòd choreas
Nigro bellua nil negat magistro;
Quis spectacula non putet deorum?
Hæc transit tamen, ut minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amántque captos,
Et securior est in ore præda;
Laxos cui dare, perviósque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes;
Mollem frangere dum pudet rapinam:
Stratis cùm modò venerint juvencis.
Hæc clementia non paratur arte,
Sed nôrunt cui serviant leones.

CVI. *Ad Ovidium.*

IN Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosâ mores noménque senectâ:
Et, quidquid voluit, testa vocatur anus.

CVII. *Ad Rufum.*

INTERPONIS aquam subinde, Rufe,
Et si cogeris à sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni,
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Nævia, sobriásque mavis
Certæ nequitiæ fututionis?
Suspiras, retices, gemis: negavit.
Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum jugules mero pudorem.
Quid parcis tibi, Rufe? dormiendum est.

CVIII. *Ad Lucium Julium.*

SÆPE mihi dicis, Luci clarissime Juli,
Scribe aliquid magnum: desidiosus homo es.
Ocia da nobis: sed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco, Virgilióque suo:
Condere victuras tentem per secula curas,
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt juga ferre juvenci:
Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

CIX. *Ad*

Digitized by Google

CIX. *Ad Gallum.*

EST tibi, sîque precor, multos crescátque per annos
Pulchra quidem, verùm Pranstiberina domus.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus;
Factus in hâc ego sum jam regione senex.
Migrandum est, ut manè domi te, Galle, salutem:
Es tanti, vel si longiùs illa foret.
Sed tibi non multum est, unum si prosto togatum:
Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
Ipse salutabo decimâ vel serius horâ:
Manè tibi pro me dicat AVERRE liber.

CX. *De Catellâ Publii.*

ISSA est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbo.
Issa est blandior omnibus puellis.
Issa est carior Indicis lapillis.
Issa est deliciæ catella Publî.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiámque gaudiémque.
Collo nixa cubat, capítque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur.
Et desiderio coacta ventris,
Guttâ pallia non fefellit ullâ:
Sed blando pede suscitat, toróque
Deponi rogat, & monet levari.
Castæ tantus inest pudor catellæ:
Ignorat Venerem: nec invenimus
Dignum tam tenerâ virum puellâ.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Pictâ Publius exprimit tabellâ,
In quâ tam similem videbis Issam
Ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabellâ:
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

CXI. *Ad Velocem.*

SCRIBERE me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

CXII. *Ad Regulum.*

CUM tibi sit sophiæ par fama, & cura Deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo:
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, thura dari.

CXIII. *In Priscum.*

CUM te non nôssem, dominum regémque vocabam:
Cùm bene te novi, jam mihi Priscus eris.

CXIV. *Ad Lectorem.*

QUÆCUNQUE lusi juvenis & puer quondam,
Apinásque nostras, quas nec ipse jam novi;
Malè collocare si bonas voles horas,
Et invidebis ocio tuo lector:
A Valeriano Pollio petes Quincto,
Per quem perire non licet meis nugis.

CXV. *Ad Faustinum.*

HOS tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fœnius, & breve rus, udáque prata tenet.
Condidit hic natæ cineres, nomenque sacravit,
Quod legis, Antullæ, dignior ipse legi.
Et Stygias æquum fuerat patrem isse sub umbras:
Sed quia non licuit; vivit, ut ossa colat.

CXVI. *In Procillum.*

QUÆDAM me cupit, invide Procille,
Toto candidior puella cygno,
Argento, nive, lilio, ligustro:
Jam suspendia sæva cogitabis:
Sed quandam volo nocte nigriorem,
Formicâ, pice, graculo, cicadâ,
Si novi bene te, Procille, vives.

CXVII. *De Antullâ.*

HOC nemus æterno cinerum sacravit honore
Fœnius, & culti jugera pauca soli.
Hôc tegitur citò rapta suis Antulla sepulchro:
Hôc erit Antullæ mistus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum:
Perpetuò dominis serviet iste suis.

CXVIII. *In Luperum.*

OCCURRIS quoties, Luperce, nobis:
Vis mittam puerum, subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam:
Non est, quod puerum, Luperce, verses:
Longum est, si velit ad Pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod queris, propiùs petas licebit:
Argi nempe soles subire letum.
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & indè totis,
Omnes ut citò perlegas Poëtas.
Illinc me pete; ne rogas Atreëtum:
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.
De primo dabit, alteróve nido
Rasum pumice, purpuráque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.
Tanti non es, ais. sapis Luperce.

CXIX. *Ad Ceciliannm.*

CUI legisse satis non est epigrammata centum,
Nil illi satis est, Caeciliane, mali.

LIBER II.

I. *Ad librum suum.*

TERCENTENA quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegerétque, liber?
At nunc succincti quæ sint bona disce libelli:
Hoc primum est, brevior quòd mihi charta perit.
Deinde, quòd hæc unâ peragit librarius horâ,
Nec tantùm nugis serviet iste meis.
Tertia res hæc est, quòd si cui fortè legeris,
Sis licèt usque malus, non odiosus eris.
Te conviva leget misto quincunce: sed antè
Incipiat positus quàm tepuisse calix.
Esse tibi tantâ cautus brevitate videris?
Hei mihi, quàm multis sic quoque longus eris!

II. *Ad Cæsarem Domitianum.*

CRETA dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quódque Metellus habet;
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hôc dignus nomine, Cæsar, eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

III. *Ad Sextum.*

SEXTE, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur:
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

IV. *In Ammianum.*

O Quàm blandus es, Ammiane, matri!
Quàm blanda est tibi mater, Ammiane!
Fratrem te vocat, & sororem vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non juvat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc, jocúmque? non est.
Matrem, quæ cupit esse se sororem,
Nec matrem juvat esse, nec sororem.

V. *Ad Decianum.*

NE valeam, si non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt, quæ nos distinguunt, millia passûm;
Quatuor hæc fiunt, cùm rediturus eam.
Sæpe domi non es: cùm sis quoque, sæpe negaris:
Vel tantùm causis, vel tibi sæpe vacas.
Te tamen ut videam, duo millia non piget ire:
Ut te non videam, quatuor ire piget.

VI. *Ad Severum.*

I Nunc, edere me jube libellos.
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐγχαλκότατον Severe,
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas
Rapta exscribere, sed Vitelliani.
Hæc sunt singula, quæ sine ferebas

Per

Per convivia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior ut sit umbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
Nunquam deliciæ supiniores.
Lassus tam citò deficit viator,
Et cùm currere debeas Bovillas,
Interjungere quæris ad Camœnas.
I nunc, edere me jube libellos.

VII. *In Attalum.*

DECLAMAS bellè; causas agis, Attale, bellé.
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis bellè mimos; epigrammata bellé;
Bellus grammaticus; bellus es astrologus.
Et bellè cantas, & saltas, Attale, bellé.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cùm facias, facis attamen omnia bellé.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

VIII. *Ad Lectorem.*

SI qua videbuntur chartis tibi, Lector, in istis,
Sive obscura nimis, sive Latina parum:
Non meus est error; nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quòd si non illum, sed me peccâsse putabis;
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt. quasi nos manifesta negemus;
Hæc mala sunt: sed tu non meliora facis.

IX. *De Nævio.*

SCRIPSI, reseripsit nil Nævia. non dabit ergo.
Sed puto, quod scripsi, legerat. ergo dabit.

X. *In Posthumum.*

BASIA dimidio quòd das mihi, Posthume, labro,
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare majus adhuc, & inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum, Posthume, dimidium.

XI. *Ad Rufum de Selio.*

QUÒD fronte Selium nubilâ vides, Rufe,
Quòd ambulator porticum terit serus:
Lugubre quiddam quòd tacet piger vultus;
Quòd penè terram tangit indecens nasus;
Quòd dextra pectus pulsat; & comam vellit,
Non ille amici fata luget, aut fratris:
Uterque natus vivit, & precor vivat.
Salva est & uxor, sarcinæque, servique:
Nihil colonus, villicúsque decoxit.
Mœroris igitur causa quæ? domi cœnat.

XII. *In Posthumum.*

ESSE quid hoc dicam, quòd olent tua basia myrrham,
Quódque tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quòd oles bene, Posthume, semper:
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

XIII. *Ad Sextum.*

ET judex petit, & petit patronus.
Solvas censeo, Sexte, creditori.

XIV. *Ad Paulinum de Selio.*

NIL intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties jam videt esse domi.
Currit ad Europen, & te, Paulline, tuósque
Laudat Achilleos, sed sinè fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
Si quid Phyllirides præstet, & Æsonides.
Hîc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Assidet & cathedris mœsta juvenca tuis.
Indè petit centum pendentia tecta columnis;
Illinc Pompeii dona, nemúsque duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Æoliámque Lupi.
Nam thermis iterúmque iterúmque iterúmque lavatur.
Omnia cùm fecit, sed renuente Deo;
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, pérque tuam, vector lascive, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

XV. *In Hermum.*

QUOD nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis, Herme, non superbé.

XVI. *In Zoilum.*

ZOÏLUS ægrotat, faciunt hanc stragula febrem:
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus à Nilo? quid Sidone tinctus olenti?
Ostendit stultus quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

XVII. *Ad Ammianum.*

TONSTRIX Suburæ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent quâ flagella tortorum,
Argúsque letum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet.
Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit.

XVIII. *In Maximum.*

CAPTO tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas aliam. jam sumus ergo pares.
Manè salutatum venio: tu diceris isse
Antè salutatum. jam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidúsque anteambulo regis:
Tu comes alterius. jam sumus ergo pares.
Esse sat est servum: jam nolo vicarius esse.
Qui Rex est, regem, Maxime, non habeat.

XIX. *Ad Zoilum.*

FELICEM fieri credis me, Zoile, cœnâ:
Felicem cœnâ, Zoile? deinde tuâ?
Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

XX. *De Paullo.*

CARMINA Paullus emit: recitat sua carmina Paullus.
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

XXI. *In Posthumum.*

BASIA das aliis; aliis das, Posthume, dextram:
Dicis, utrum mavis? elige: malo manum.

XXII. *De eodem.*

QUID mihi vobiscum est, ô Phœbe, novémque sorores?
Ecce nocet vati Musa jocosa suo.
Dimidio nobis dare Posthumus antè solebat
Basia; nunc labro cœpit utroque dare.

XXIII. *De eodem.*

NON dicam, licèt usque me rogetis,
Quis sit Posthumus in meo libello,
Non dicam. quid enim mihi necesse est
Has offendere basiationes,
Quæ se tam bene vindicare possunt?

XXIV. *In Candidum.*

SI det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiórque reo.
Si jubeat patriâ damnatum excedere terrâ,
Per freta, per scopulos exsulis ibo comes.
Dat tibi divitias. ecquid sunt ista duorum?
Das partem? multum est; Candide, das aliquid.
Mecum eris ergo miser. quòd si Deus ore sereno
Annuerit: felix, Candide, solùs eris.

XXV. *Ad Gallam.*

DAS nunquam, semper promittis, Galla, roganti.
Si semper fallis, jam rogo, Galla, nega.

XXVI. *Ad Bithynicum.*

QUÒD querulum spirat, quòd acerbum Nævia tussit,
Inque suos mittit sputa subinde sinus:
Jam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras: blanditur Nævia, non moritur.

XXVII. *De Selio.*

LAUDANTEM Selium, cœnæ cùm retia tendit,
Accipe, sive legas, sive patronus agas.
Effectè! graviter! citò! nequiter! euge! beatè!
Hoc volui! facta est jam tibi cœna. tace.

XXVIII. *In*

Digitized by Google

XXVIII. *In Sextillum.*

RIDETO multùm, qui te, Sextille, cinœdum
Dixerit, & digitum porrigito medium.
Sed nec pudico es, nec tu, Sextille, fututor:
Calda Venusillam nec tibi bucca placet.
Ex illis nihil es fateor, Sextille: quid ergo es?
Nescio: sed tu scis rem superesse duas.

XXIX. *Ad Rufum.*

RUFE, vides illum subsellia prima terentem,
Cujus & hinc lucet Sardonychata manus:
Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
Et togæ non tectas vincere jussa nives:
Cujus olet toto pinguis coma Marcelliano,
Et splendent vulso brachia trita pilo.
Non hesterna sedet lunatâ lingula plantâ,
Coccina non læsum cingit aluta pedem;
Et numerosa linum stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

XXX. *In Cajum.*

MUTUA viginti sestertia fortè rogabam,
Quæ vel donanti non grave munus erat.
Quippe rogabatur felixque, vetúsque sodalis,
Et cujus laxas area flagellat opes.
Is mihi, dives eris, si caulas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai, non peto consilium.

XXXI. *Ad Marianum.*

SÆPE ego Chrestillam fatul. det quàm bene, queris?
Supra quod fieri nil, Mariane, potest.

XXXII. *In Ponticum.*

LIS mihi cum Balbo est: tu Balbum offendere non vis.
Pontice, cum Licino est: hic quoque magnus homo est.
Vexat sæpe meum Patrobas consulis agellum:
Contra libertum Cæsaris ire times.
Abnegat & retinet nostrum Laronia servum;
Respondes, orba est, dives, anus, vidua.
Non bene, crede mihi, servo servitur amico:
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

XXXIII. *In Philænim.*

CUR non basio te, Philæni? calva es.
Cur non basio te, Philæni? rufa es.
Cur non basio te, Philæni? lusca es.
Te qui basiat, hic, Philæni, fellat.

XXXIV. *In Gallam.*

CUM placeat Philetos, totâ tibi dote redemptus,
Tres pateris natos, Galla, perire fame.
Præstatur cano tanta indulgentia cunno,
Quem nec casta potest jam decuisse Venus.
Perpetuam Dî te faciant Philetotis amicam,
O mater, quâ nec Pontia deterior.

XXXV. *Ad Phœbum.*

CUM sint crura tibi simulent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

XXXVI. *Ad Pannicem.*

PECTERE te nolim, sed nec turbare capillos,
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barbâ reorum.
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.
Sunt tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis
Horrida: sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

XXXVII. *In Cæcilianum.*

QUIDQUID ponitur hinc & indè verris:
Mammas suminis, imbricémque porci,
Communémque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupémque totum,
Murenaque latus, femúrque palli,
Stillantémque alicâ sub palumbum.
Hæc cùm condita sunt madente mappâ;
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba.
Ullus si pudor est, repone cœnam:
Cras te, Cæciliane, non vocavi.

XXXVIII. *In Linum.*

QUID mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager: te, Line, non video.

XXXIX. *De Muneribus Mœchæ.*

COCCINA famosæ donas, & ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

XL. *In Tongilium.*

URI Tongilius malè dicitur hemitriteo.
Novi hominis mores: esurit, atque sitit.
Subdola tenduntur crassis modò retia tardis:
Hamus & in mullum mittitur atque lupum.
Cæcuba faccentur, quæque annus coxit Opimi:
Condantur parco fusca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici jussere lavari:
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

XLI. *In Maximinam.*

RIDE, si sapis, ô puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat Poëta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Verùm ut dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi; tu puella non es;
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes;
Sed planè piceique, buxeique.
Quare si speculo mihique credis,
Debes non aliter timere risum,
Quàm ventum Spanius, manúmque Priscus:
Quàm eretata timet Fabulla nimbum:
Cerussâta timet Sabella Solem.
Vultus induito magis severos,
Quàm conjux Priami, nurúsque major.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et convivia nequiora vita;
Et quicquid lepidâ procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mœstæ decet assidere matri,
Lugentisque virum, piúmque fratrem,
Et tantùm tragicis vacare Musis.
At tu, judicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, ô puella, plora.

XLII. *In Zoilum.*

ZOÏLE quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoïle, merge caput.

XLIII. *In Candidum.*

CANDIDE, κατὰ φίλον, hæc sunt tua, Candide, κάλλη
Quæ tu magniloquus nocte diéque sonas.
Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso,
Vel quam sepositò de grege Parma dedit.
At me quæ passa est furias & cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testâ fagina mensa mihi.
Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli:
Concolor in nostrâ, cammare, lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinœdo:
At mihi succurrit pro Ganymede manus.
Ex opibus tantis veteri fidóque sodali
Das nihil, & dicis, Candide, κατὰ φίλον?

XLIV. *In Sextum.*

EMI seu puerum, togámve pexam,
Seu tres, ut puto, quatuórve libras:
Sextus protinus ille fœnerator,
Quem nôstis veterem meum sodalem,
Ne quid fortè petam, timet, cavétque;
Et secum, sed ut audiam, susurrat;
Septem millia debeo Secundo;
Phœbo quatuor; undecim Phileto;
Et quadrans mihi nullus est in arcâ.
O grande Ingenium mei sodalis!
Durum est, Sexte, negare, cùm rogaris:
Quanto durius, antequam rogeris!

XLV. *Ad Glyptum.*

QUÆ tibi non habet, præcisa est mentula, Glypte
Demens cum ferro quid tibi? Gallus eras.

XLVI. *In Naevolum.*

FLORIDA per varios ut pingitur Hybla colores;
Cùm breve Siculis ver populantur apes:

Sic

Sic tua ſuppoſitis pellucent præla lacernis:
Sic nitet innumeris arcula ſyntheſibus,
Atque unam veſtire tribum tua candida poſſunt,
Appula non uno quæ grege terra tulit.
Tu ſpectas hyemem ſuccincti lentus amici,
(Prò ſcelus!) & lateris frigora trita mei.
Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus,
(Quid renuis?) non te, Nævole, ſed tineas?

XLVII. *In Gallum.*

SUBDOLA famoſæ, moneo, fuge retia mœchæ,
Levior ô conchis, Galle, Cytheriacis.
Confides natibus? non eſt pædico maritus.
Quæ faciat duo ſunt: irrumat, aut futuit.

XLVIII. *Ad Rufum.*

CAUPONEM, laniúmque, balneúmque,
Tonſorem, tabulámque, calculóſque,
Et paucos, ſed ut eligam, libellos:
Unum non nimiùm rudem ſodalem,
Et caram puero meo puellam,
Et grandem puerum, diúque levem:
Hæc præſta mihi Ruſe, vel Bitonti;
Et thermas tibi habe Neronianas.

XLIX. *De Theleſina.*

UXOREM nolo Theleſinam ducere. quare?
Mœcha eſt. ſed pueris dat Theleſina. volo.

L. *In Lesbiam.*

QUOD fellas, & aquam potas, nil Lesbia peccas.
Quâ tibi parte opus eſt, Lesbia, ſumis aquam.

LI. *In Hyllum.*

UNUS ſæpe tibi totâ denarius arcâ
Cùm ſit, & hic culo tritior, Hylle, tuo;
Non tamen hunc piſtor, non auferet hunc tibi caupo;
Sed ſi quis nimio pene ſuperbus erit.
Infelix venter ſpectat convivia culi,
Et ſemper miſer hic eſurit, ille vorat.

LII. *De Daſio.*

NOVIT loturas Daſius numerare: popoſcit
Mammoſam Spatalen pro tribus, illa dedit.

LIII. *In Maximum.*

VIS fieri liber? mentiris, Maxime, non vis:
Sed fieri ſi vis, hâc ratione potes.
Liber eris, cœnare foris ſi, Maxime, nolis:
Veientana tuam ſi domat uva ſitim:
Si ridere potes miſeri chryſendeta Cinnæ:
Contentus noſtrâ ſi potes eſſe togâ:
Si plebeia Venus gemino tibi vincitur aſſe:
Si tua non rectus tecta ſubire potes.
Hæc tibi ſi vis eſt, ſi mentis tanta poteſtas,
Liberior Partho vivere rege potes.

LIV. *In Linum.*

QUID de te, Line, ſuſpicetur uxor,
Et quâ parte velit pudiciorem,
Certis indiciis ſatis probavit,
Cuſtodem tibi quæ dedit ſpadonem.
Nil naſutius hâc, maligniúſque eſt.

LV. *Ad Sextum.*

VIS te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum eſt tibi: quod jubes, coleris:
Sed ſi te colo, Sexte, non amabo.

LVI. *Ad Gallum, de ejus uxore.*

GENTIBUS in Libycis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia: non ſolet illa
Accipere omnino. quid ſolet ergo? dare.

LVII. *In fictum divitem.*

HIC, quem videtis greſſibus vagis lentum,
Amethyſtinatus media qui ſecat ſepta:
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipſe Codrus alpha penulatorum:
Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,
Recénſque ſella linteiſque lorſque:
Oppigneravit Claudii modò ad menſam
Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

LVIII. *In Zoïlum.*

PEXATUS pulcre rides mea, Zoïle, trita.
Sunt hæc trita quidem, Zoïle; ſed mea ſunt.

LIX. *De cœnatione micæ.*

MICA vocor. quid ſim, cernis: cœnatio parva.
Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum.
Frange toros: pete vina: roſas cape: tingere nardo:
Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.

LX. *In Hyllum.*

UXOREM armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantùm dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis: caſtrabere. jam mihi dices,
Non licet hoc. quid, tu quod facis, Hylle, licet?

LXI. *In maledicum.*

CUM tibi vernarent dubiâ lanugine malæ,
Lambebat medios improba lingua viros.
Poſtquam triſte caput faſtidia veſpillonum,
Et miſeri meruit tædia carnificis:
Uteris ore aliter, nimiâque ærugine captus,
Adiatras nomen, quod tibi cumque datum eſt.
Hæreat inguinibus potiùs tam noxia lingua,
Nam cùm fellaret, purior illa fuit.

LXII. *In Labienum.*

QUÒD pectus, quòd crura tibi, quòd brachia vellis,
Quòd cincta eſt brevibus mentula tonſa pilis:
Hoc præſtas, Labiene, tuæ, quis neſcit, amicæ.
Cui præſtas culum, quem, Labiene, pilas?

LXIII. *In Milichum.*

SOLA tibi fuerant ſeſtertia, Miliche, centum,
Quæ tulit è ſacrâ Leda redempta viâ.
Miliche, luxuria eſt, ſi tanti dives amares.
Non amo, jam dices: hæc magè luxuria eſt.

LXIV. *In Taurum.*

DUM modò cauſſidicum, dum te modò rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid eſſe velis:
Peleos, & Priami tranſit, & Neſtoris ætas,
Et fuerat ſerum jam tibi deſinere.
Incipe: tres uno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, ſi quid in arte vales.
Si ſchola damnatur; fora litibus omnia fervent:
Ipſe poteſt fieri Marſya cauſſidicus.
Eia age, rumpe moras; quò te ſperabimus uſque?
Dum, quid ſis, dubitas, jam potes eſſe nihil.

LXV. *In Salejanum.*

CUR triſtiorem cernimus Salejanum?
An cauſa levis eſt? extuli, inquis, uxorem.
O grande fati crimen! ô gravem caſum!
Illa, illa dives mortua eſt Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidiſſet hoc tibi, Salejane.

LXVI. *In Lalagen.*

UNUS de toto pecaverat orbe comarum
Annulus, inertâ non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, ulta eſt.
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.
Deſine jam, Lalage, triſtes ornare capillos,
Tangat & inſanum nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, vel ſæva novacula nudet,
Ut digna ſpeculo fiat imago tuo.

LXVII. *In Poſthumum.*

OCCURRIS quocumque loco mihi, Poſthume, clamas
Protinus, & prima eſt hæc tua vox, Quid agis?
Hoc, ſi me decies unâ convenieris horâ,
Dicis. habes, puto tu, Poſthume, nil quod agas.

LXVIII. *Ad Olum.*

QUÒD te nomine jam tuo ſaluto,
Quem regem, & dominum priùs vocabam;
Ne me dixeris eſſe contumacem:
Totis pilea ſarcinis redemi.
Reges & dominos habere debet,

Qui

Qui ſe non habet, atque concupiſcit,
Quod reges dominſque concupiſcunt.
Servum ſi potes, Ole, non habere;
Et Regem potes, Ole, non habere.

LXIX. *In Claſſicum.*

INVITUM cœnare foris te, Claſſice, dicis:
Si non mentiris, Claſſice, diſpeream.
Ipſe quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire;
Cùm cœnaret, erat triſtior ille, domi.
Si tamen invitus vadis, cur, Claſſice, vadis?
Cogor, ais: verum eſt; cogitur & Selius.
En rogat ad cœnam Melior te, Claſſice, rectam.
Grandia verba ubi ſunt? ſi vir es, ecce, nega.

LXX. *In Cotilum.*

NON vis in ſolio priùs lavari
Quemquam, Cotile, cauſa quæ, niſi hæc, eſt?
Undis ne fovearis irrumatis.
Te primus licèt abluas, neceſſe eſt
Antè hic mentula, quàm caput, lavetur.

LXXI. *Ad Cæcilianum.*

CANDIDIUS nihil eſt te, Cæciliane, notavi,
Si quando ex noſtris diſticha pauca legis,
Protinus aut Marci recitas, aut ſcripta Catulli.
Hæc mihi das, tanquam deteriora legas.
Ut collata magìs placeant mea? credimus illud.
Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

LXXII. *In Poſthumum.*

HESTERNA factum narratur, Poſthume, cœnâ,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi perciſum, quanto non ipſe Latinus
Vilia Panniculi percutit ora ſono:
Quódque magìs mirum eſt, auctorem criminis hujus
Cæcilium totâ rumor in urbe ſonat.
Eſſe negas factum: vis hoc me credere? credo.
Quid quòd habet teſtes, Poſthume, Cæcilius?

LXXIII. *In Lyrim.*

QUID faciat vult ſcire Lyris: quid? ſobria fellat.

LXXIV. *In Saufeium.*

CINCTUM togatis poſt & ante Saufeium,
Quantâ reduci Regulus ſolet turbâ,
Ad alta tonſum templa cùm reum miſit,
Materne, cernis? invidere nolito.
Comitatus iſte ſit, precor, tuus nunquam.
Hos illi amicos & greges togatorum
Fuſticulenus præſtat, & Faventinus.

LXXV. *De Leone.*

VERBERA ſecuri ſolitus leo ferre magiſtri,
Inſertámque pati blandus in ora manum:
Dedidicit pacem, ſubitò feritate reversâ,
Quanta nec in Libycis debuit eſſe jugis.
Nam duo de tenerâ puerilia corpora turbâ,
Sanguineam raſtris quæ renovabat humum,
Sævus & infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit majus arena nefas.
Exclamare libet; crudelis, perfide, prædo,
A noſtrâ pueris parcere diſce lupâ.

LXXVI. *De Mario.*

ARGENTI libras Marius tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipſe dabas, is tibi verba dedit.

LXXVII. *In Coſconium.*

COSCONI, qui longa putas epigrammata noſtra,
Utilis ungendis axibus eſſe potes.
Hâc tu credideris longum ratione coloſſum,
Et puerum Bruti dixeris eſſe brevem.
Diſce, quod ignoras; Marſi doctiſque Pedonis
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis;
Sed tu, Coſconi, diſticha longa facis.

LXXVIII. *Ad Cæcilianum.*

ÆSTIVO ſerves ubi piſcem tempore, quæris?
In Thermis ſerva, Cæciliane, tuis.

LXXIX. *In Naſicam.*

INVITAS tunc me, cùm ſcis, Naſica, vocâſſe;
Excuſatum habeas me, rogo: cœno domi.

LXXX. *De Fannio.*

HOSTEM cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Hic, rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

LXXXI. *In Zoilum.*

LAXIOR hexaphoris tua ſit lectica licebit:
Dum tamen hæc tua ſit, Zoïle, ſandapila.

LXXXII. *Ad Ponticum.*

ABSCISSA ſervum quid fingis, Pontice, linguâ?
Neſcis tu populum, quod tacet ille, loqui?

LXXXIII. *In ſævum maritum.*

FOEDASTI miſerum, marite, mœchum:
Et ſe, qui fuerant priùs, requirunt
Trunci naribus, auribúſque vultus.
Credis te ſatìs eſſe vindicatum?
Erras. iſte poteſt & irrumare.

LXXXIV. *In Sertorium.*

MOLLIS erat, faciliſque viris Paantius heros:
Vulnera ſic Paridis dicitur ulta Venus.
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc eſt:
Ex hoc occiſus, Rufe, videtur Eryx.

LXXXV. *Ad Amicum.*

VIMINE clauſa levi nivem cuſtodia coctæ,
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quòd æſtatis miſi tibi menſe Decembri,
Si quereris; raſam tu mihi mitte togam.

LXXXVI. *Ad Claſſicum.*

QUÒD nec carmine glorior ſupino,
Nec retro lego Sotaden cinædum,
Nuſquam Græcula quòd recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate Galliambon:
Non ſum, Claſſice, tam malus Poëta.
Quid ſi per graciles vias Petauri
Invitum jubeas ſubire Ladam?
Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palæmon:
Me raris juvat auribus placere.

LXXXVII. *In Sextum.*

DICIS amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem ſub aquâ, Sexte, natantis habes.

LXXXVIII. *In Mamercum.*

NIL recitas, & vis, Mamerce, Poëta videri.
Quidquid vis eſto, dummodo nil recites.

LXXXIX. *In Gaurum.*

QUÒD nimio gaudes noctem producere vino;
Ignoſco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quòd ſcribis Muſis & Apolline nullo;
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quòd vomis; Antoni: quod luxuriaris; Apici:
Quòd fellas; vitium dic mihi cujus habes?

XC. *Ad Quinctilianum.*

QUINCTILIANE, vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ, Quinctiliane, togæ;
Vivere quòd propero pauper, nec inutilis annis;
Da veniam: properat vivere nemo ſatis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere cenſus,
Atriáque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantis fumos
Tecta juvant, & fons vivus, & herba rudis.
Sit mihi verna ſatur: ſit non doctiſſima conjux:
Sit nox cum ſomno: ſit ſinè lite dies.

XCI. *Ad Cæſarem Domitianum.*

REBUM certa ſalus, terrarum gloria, Cæſar,
Soſpite quo magnos credimus eſſe Deos:
Si feſtinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina noſtra tuos:

 Quod

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri:
Natorum genitor credar ut esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

XCII. *Ad Uxorem.*

NATORUM mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat, valebis uxor.
Non debet Domini perire munus.

XCIII. *Ad Regulum.*

PRIMUS tibi est, inquis, cùm sit liber iste secundus?
Quid faciam si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum:
Unum de titulo tollere iota potes.

LIBER III.

I. *Ad Lectorem, de libro Gallicano.*

HOC tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia, Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis, & laudas librum fortasse priorem:
Illa, vel hæc mea sunt, quæ meliora putas.
Plùs sanè placeat, dominâ qui natus in urbe est;
Debet enim Gallum vincere verna liber.

II. *Ad Librum suum.*

CUJUS vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram citò raptus in culinam
Cordylas madidâ tegas papyro,
Vel turis, piperisque tis cucullus.
Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedro nunc licet ambules peruncta,
Et frontis gemino decens honore,
Pictis luxurieris umbilicis;
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index,
Illo vindice nec Probum timeto.

III. *In Mulierem deformem.*

FORMOSAM faciem nigro velaminе celas:
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede Deam verbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, vel tunicata lava.

IV. *Ad Librum suum.*

ROMAM vade liber. si, veneris unde, requiret:
Æmiliæ dices de regione viæ.
Si, quibus in terris, quâ simus in urbe, rogabit:
Cornelî referas me licet esse foro.
Cur ablim, quæret: breviter tu, multa, fatere,
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
Si quando veniet? dicet: respondе; Poëta
Exierat; veniet, cùm citharœdus erit.

V. *Ad eundem.*

VIS commendari sinè me cursurus in urbem,
Parve liber, multis? an satìs unus erit?
Unus erit (mihi crede) satìs, cui non eris hospes,
Julius assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc primæ quæres in limine Tectæ,
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille, lares.
Est illi conjux, quæ te manibúsque sinúque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.
Hos tu seu pariter, sive hanc, illúmve priorem
Videris; hoc dices: Marcus avere jubet.
Hoc satìs est. alios commendat epistola: peccat,
Qui commendandum se putat esse suis.

VI. *Ad Marcellinum.*

LUX tibi post Idus numeratur tertia Maias,
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat æthereos ortus hæc prima parenti:
Libat florentes hæc tibi prima genas.
Magna licèt dederit jucundæ munera vitæ,
Plus nunquam patri præstitit illa dies.

VII. *De sportulâ.*

CENTUM misselli jam valete quadrantes,
Antesambulonis congiarium lassi;
Quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis, ô fames amicorum?
Regis superbi sportula recesserunt.
Nihil stropharum est: jam salarium dandum est.

VIII. *In Quinctum.*

THAÏDA Quinctus amat, quam Thaïda? Thaïda fuscam.
Unum oculum Thaïs non habet, ille duos.

IX. *In Cinnam.*

VERSICULOS in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

X. *In Philomusum.*

CONSTITUIT, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua, pérque omnes præstitit illa dies,
Luxuriam premeret cùm crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis.
Idem te moriens hæredem ex asse reliquit;
Exhæredavit te, Philomuse, pater.

XI. *Ad Quinctum.*

SI tua nec Thaïs, nec lusca est, Quincte, puella,
Cur in te factum distichon esse putas?
Sed simile est aliquid: pro Laïde Thaïda dixi.
Dic mihi, quid simile est Thaïs & Hermione?
Tu tamen es Quinctus; mutemus nomen amantis;
Si non vult Quinctus Thaïda, Sextus amet.

XII. *In Fabullum.*

UNGUENTUM, fateor, bonum dedisti,
Convivis herè: sed nihil sciditi.
Res falsa est bene olere, & esurire.
Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

XIII. *In Nævium.*

DUM non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
Et plùs quàm patri, Nævia, parcis apro;
Accusas, rumpísque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. nunquam, hic ego crudus ero.

XIV. *De Tuccio.*

ROMAM petebat esuritor Tuccius,
Profectus ex Hispaniâ.
Occurrit illi sportularum fabula:
A ponte redit Mulvio.

XV. *De Codro.*

PLUS credit nemo, quàm totâ Codrus in urbe.
Cùm sit tam pauper, quomodo? cæcus amat.

XVI. *In cerdonem.*

DAS gladiatores, sutorum regule, cerdo,
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.
Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam,
Ut velles corio ludere, cerdo, tuo.
Lusisti, satìs est: sed te, mihi crede, memento
Nunc in pelliculâ, cerdo, tenere tuâ.

XVII. *In Sabidium.*

CIRCUMLATA diu mensis scriblita secundis,
Urebat nimio sæva calore manus.
Sed magis ardebat Sabidî gula: protinus ergo
Sufflavit buccis tèrque quatèrque suis.
Illa quidem tepuit, digitósque admittere visa est:
Sed nemo potuit tangere: merda fuit.

XVIII. *In Maximum.*

PERFRIXISSE tuas questa est præfatio fauces.
Cùm te excusâris, Maxime, quid recitas?

XIX. *De viperâ in ore ursæ.*

PROXIMA centenis ostenditur Ursa columnis,
Exornant fictæ quà Platanona feræ:
Hujus dum parulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas; teneram mersit in ora manum.
Vipera sed cæco scelerata latebat in ore,
Vivebátque animâ deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit. ô facinus, falsa quòd ursa fuit!

XX. *De*

Digitized by Google

XX. *De Canio.*

DIC, Muſa, quid agat Canius meus Rufus?
Utrúmne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Clandianorum?
An quæ Neroni falſus adſtruit ſcriptor?
An æmulatur improbi jocos Phædri?
Laſcivus elegis, an ſeverus heroïs?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otioſus in ſchola poëtarum
Lepore tinctos Attico ſales narrat?
Hinc ſi receſſit, porticum terit templi;
An ſpatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ Sole rurſus Europæ
Inter tepentes poſt meridiem buxos
Sedet, ambulátve liber acribus curis?
Titſne thermis, an lavatur Agrippæ?
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad quartum?
An æſtuantes jam profectus ad Baias,
Piger Lucrino naucúlatur in ſtagno?
Vis ſcire quid agat Canius tuus? ridet.

XXI. *In crudelem Dominum.*

PROSCRIPTUM famulus ſervavit fronte notatus.
Non fuit hæc domini vita, ſed invidia.

XXII. *De Apicio.*

DEDERAS, Apici, bis tricenties ventri,
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ut famem & ſitim ferre,
Summâ venenum potione duriſti.
Nil eſt, Apici, te guloſius factum.

XXIII. *In invitatorem.*

OMNIA cùm retro pueris obſonia tradas:
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?

XXIV. *De Haruſpice herniaſo.*

VITE nocens roſâ ſtabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata ſacris.
Quem Tuſcus mactare Deo cùm vellet haruſpex,
Dixerat agreſti fortè, rudique viro;
Ut citò teſticulos peracutâ falce ſecaret,
Teter ut immundæ carnis abiret odor.
Ipſe ſuper virides aras luctantia pronus
Dum reſecat cultro colla, premítque manu;
Ingens iratis apparuit hernia ſacris.
Occupat hanc ferro ruſticus, atque ſecat:
Hoc ratus antiquos ſacrorum poſcere ritus,
Talibus & fibris numina priſca coli.
Sic modo qui Tuſcus fueras, nunc Gallus haruſpex,
Dum jugulas hircum, factus es ipſe caper.

XXV. *Ad Fauſtinum.*

SI temperari balneum cupis fervens,
Fauſtine, quod vix Julianus intraret:
Roga, lavetur, rhetorem Sabinæum.
Neronianas hic refrigeret thermas.

XXVI. *In Candidum.*

PRÆMIA ſolus habes, & ſolus, Candide, nummos:
Aurea ſolus habes, myrrhina ſolus habes:
Maſſica ſolus habes, & Opimî Cæcuba ſolus:
Et cor ſolus habes, ſolus & ingenium:
Omnia ſolus habes: hoc me puta velle negare:
Uxorem ſed habes, Candide, cum populo.

XXVII. *In Gallum.*

NUNQUAM me revocas, venias cùm ſæpe vocatus:
Ignoſco, nullum ſi modò, Galle, vocas.
Invitas alios: vitium eſt utriuſque. quod? inquis.
Et mihi cor non eſt; nec tibi, Galle, pudor.

XXVIII. *In Neſtorem.*

AURICULAM Mario graviter miraris olere!
Tu facis hoc: garris, Neſtor, in auriculam.

XXIX. *In Zoilum.*

HAS cum geminâ compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoïlus, annulos priores.

XXX. *Ad Gargilianum.*

SPORTULA nulla datur; gratis conviva recumbis:
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Unde tibi togula eſt, & fuſcæ penſio cellæ?
Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?
Cum ratione licèt dicas te vivere ſummâ:
Quòd vivis, nullâ cum ratione facis.

XXXI. *Ad Rufinum.*

SUNT tibi, confiteor, diffuſi jugera campi,
Urbanſque tenent prædia multa Lares:
Et ſervit dominæ numeroſus debitor arcæ,
Suſtentátque tuas aurea menſa dapes.
Faſtidire tamen noli, Rufine, minores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

XXXII. *In Matriniam.*

NUM poſſim vetulam, quæris Matrinia? poſſum
Et vetulam: ſed tu mortua, non vetula es.
Poſſum Hecubam, poſſum Nioben, Matrinia: ſed ſi
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

XXXIII. *Qualem puellam velis.*

INGENUAM malo: ſed ſi tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio eſt:
Extremo eſt ancilla loco: ſed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenuâ.

XXXIV. *Ad Chionem.*

DIGNA tuo cur ſis, indignáque nomine; dicam.
Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.

XXXV. *De Piſcibus ſculptis.*

ARTIS Phidiacæ toreuma clarum,
Piſces adſpicis: adde aquam, natabunt.

XXXVI. *In Fabianum.*

QUOD novus & nuper factus tibi præſtat amicus,
Hoc præſtare jubes me, Fabiane, tibi.
Horridus ut primo ſemper te manè ſalutem,
Per mediúmque trahat me tua ſella lutum:
Laſſus ut in thermas decimâ, vel ſeriùs, horâ
Te ſequar Agrippæ, cùm laver ipſe Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Ut ſim tiro tuæ ſemper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, togâ, tritâque, meâque,
Ut nondum credas me meruiſſe rudem?

XXXVII. *In iraſcentes amicos.*

IRASCI tantùm felices nóſtis amici.
Non bellè facitis: ſed juvat hoc facere.

XXXVIII. *Ad Sextum.*

QUÆ te cauſa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut ſperas, aut petis indé? refer.
Cauſas, inquis, agam Cicerone diſertiùs ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Ateſtinus cauſas, & Caius; utrumque
Nôras: ſed neutri penſio tota fuit.
Si nihil hinc veniet; pangentur carmina nobis:
Audieris, dices eſſe Maronis opus.
Inſanis: omnes gelidis quicunque lacernis
Sunt ibi; Naſones, Virgilióſque vides.
Atria magna colam. vix treis, aut quatuor iſta
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? ſuade. nam certùm eſt vivere Romæ.
Si bonus es, caſu vivere, Sexte, potes.

XXXIX. *De Lycori.*

ILIACO ſimilem puerum, Fauſtine, Magiſtro
Luſca Lycoris amat. quàm bene luſca videt!

XL. *In Theleſinum.*

MUTUA quòd nobis ter quinquagena dediſti
Ex opibus tantis, quas gravis arca premit:
Eſſe tibi magnus, Theleſine, videris amicus:
Tu magnus, quòd das? imò ego, quòd recipis.

XLI. *In lacertam calatam.*

INSERTA phialæ Mentoris manu doctâ
Lacerta vivit, & timetur argentum.

XLII. *In Pollam.*

LOMENTO rugas uteri quòd condere tentas,
Polla; tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortaſſe puſillum:
Quod tegitur, majus creditur eſſe malum.

XLIII. *In Lentinum.*

MENTIRIS juvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam ſubitò corvus, qui modò cygnus eras.
Non omnes falles. ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

XLIV. *Ad Ligurinum.*

OCCURRIT tibi nemo quòd libenter;
Quòd quacunque venis, fuga eſt, & ingens
Circa te, Ligurine, ſolitudo;
Quid ſit, ſcire cupis? nimis Poëta es:
Hoc valde vitium periculoſum eſt.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipſas medio peruſta Sole,
Nec ſic ſcorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et ſtanti legis, & legis ſedenti:
Currenti legis, & legis cacanti.
In thermas fugio; ſonas ad aurem:
Piſcinam peto, non licet natare.
Ad cœnam propero, tenes euntem.
Ad cœnam venio; fugas ſedentem.
Laſſus dormio; ſuſcitas jacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir juſtus, probus, innocens timeris.

XLV. *De eodem.*

FUGERIT an menſas Phœbus cœnámque Thyeſtæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta eſt, dapibúſque inſtructa ſuperbis:
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullúmve bilibrem.
Nec volo boletos, oſtrea nolo: tace.

XLVI. *Ad Candidum.*

EXIGIS à nobis operam ſinè fine togatam.
Non eo, libertum ſed tibi mitto meum.
Non eſt, inquis, idem: multo plus eſſe probabo.
Vix ego lecticam ſubſequor; ille feret.
In turbam incideris; cunctos umbone repellet:
Invalidum eſt nobis, ingenuúmque latus.
Quidlibet in cauſis narraveris, ipſe tacebo:
At tibi tergeminum mugiet ille ſophos.
Lis erit; ingenti faciet convicia voce:
Eſſe pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præſtabit amicus?
Quidquid libertus, Candide, non poterit.

XLVII. *De Baſſo.*

CAPENA grandi porta quà pluit guttâ,
Phrygiámque Matris Almo quà lavat ferrum,
Horatiorum quà viret ſacer campus,
Et quà puſilli fervet Herculis fanum,
Fauſtine, plenâ Baſſus ibat in rhedâ,
Omnes beati copias trahens ruris.
Illìc videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, ſeſſiléſque lactucas,
Pigróque ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporémque læſum Gallici canis dente,
Nondúmque victâ lacteum ſabâ porcum.
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno curſor ova portabat.
Urbem petebat Baſſus? imò rus ibat.

XLVIII. *De Ollo.*

PAUPERIS exſtruxit cellam, ſed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

XLIX. *In invitatorem.*

VEIENTANA mihi miſces, tu Maſſica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quàm bibere.

L. *In Ligurinum.*

HÆC tibi, non alia, eſt ad cœnam cauſa vocandi,
Verſiculos recites ut, Ligurine, tuos.
Depoſui ſoleas; affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarúmque liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur:
Tertius eſt, nec adhuc menſa ſecunda venit.
Et quartum recitas, & quinctum denique librum.
Putidus eſt, toties ſi mihi ponis aprum.
Quòd ſi non ſcombris ſcelerata poëmata donas:
Cœnabis ſolus jam, Ligurine, domi.

LI. *Ad Gallam.*

CUM faciem laudo, cùm miror crura manúſque:
Dicere, Galla, ſoles; nuda placebo magis.
Et ſemper vitas communia balnea nobis.
Numquid, Galla, times, ne tibi non placeam?

LII. *Ad Tongilianum.*

EMPTA domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis:
Abſtulit hanc nimium caſus in urbe frequens:
Collatum eſt decies. rogo, non potes ipſe videri,
Incendiſſe tuam, Tongiliane, domum.

LIII. *Ad Chloën.*

ET vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibúſque cruribúſque;
Et mammis, natibúſque, clunibúſque:
Et ne ſingula perſequi laborem,
Totâ te poteram, Chloë, carere.

LIV. *Ad Gallam.*

CUM dare non poſſim, quod poſcis, Galla, rogantem:
Multo ſimpliciùs, Galla, negare potes.

LV. *In Gellium.*

QUOD quacunque venis, Coſmum migrare putamus:
Et fluere excuſſo cinnama fuſa vitro:
Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Scis, puto, poſſe meum ſic bene olere canem.

LVI. *De Ciſternâ Ravennate.*

SIT ciſterna mihi, quàm vinea, malo Ravennæ:
Cùm poſſim multo vendere pluris aquam.

LVII. *De Copone.*

CALLIDUS impoſuit nuper mihi copo Ravennæ:
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merum.

LVIII. *De villâ Fauſtini. ad Baſſum.*

BAIANA noſtri villa, Baſſe, Fauſtini,
Non otioſis ordinata myrtetis,
Vidnâque platano, tonſiſque buxeto
Ingrata lati ſpatia detinet campi:
Sed rure vero barbaróque lætatur.
Hìc farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis.
Hìc poſt Novembres, imminente jam brumâ,
Seras putator horridus refert uvas.
Truces in altâ valle mugiunt tauri,
Vitulúſque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba ſordidæ cortis;
Argutus anſer, gemmeſque pavones,
Noménque debet quæ rubentibus pennis;
Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,
Et impiorum phaſiana Colchorum.
Rhodias ſuperbi fœminas premunt galli:
Sonántque turres plauſibus columbarum;
Gemit hinc palumbus, indè cereus turtur.
Avidi ſequuntur villicæ finum porci;
Matrémque plenam mollis agnus expectat.
Cingunt ſerenum lactei focum vernæ,
Et larga feſtos lucet ad Lares ſylva.
Non ſegnis albo pallet otio copo:
Nec perdit oleum lubricus palæſtrita:
Sed tendit avidis rete ſubdolum turdis;
Tremulâve captum lineâ trahit piſcem,
Aut impeditam caſſibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus urbanos,
Et pædagogo non jubente, laſcivi
Parere gaudent villico capillati;
Et delicatus opere fruitur eunuchus.
Nec venit inanis ruſticus ſalutator,
Fert ille ceris cana cum ſuis mella,
Metámque lactis: Saſſinate de ſylvâ
Somniculoſos ille porrigit glires;

Hic

Hic vagientem matris hiſpidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec avara ſervat craſtinas dapes menſa,
Veſcuntur omnes, ebrióque non novit
Satur miniſter invidere convivæ.
At tu ſub urbe poſſides famem mundam,
Et turre ab altâ proſpicis meras laurus,
Furem Priapo non timente ſecurus.
Et vinitorem farre paſcis urbano,
Pictámque portas otioſus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caſeum, muſtum.
Rus hoc vocari debet, an domus longé?

LIX. *De ſutore & ſullone.*

SUTOR cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?

LX. *In Ponticum.*

CUM vocor ad cœnam, non jam venalis, ut antè:
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino:
Sugitur inciſo mytilus ore mihi.
Sunt tibi boleti; fungos ego ſumo ſuillos.
Res tibi cum rhombo eſt; at mihi cum ſparulo.
Cereus immodicis turtur te clunibus implet;
Ponitur in caveâ mortua pica mihi.
Cur ſinè te cœno, cùm tecum, Pontice, cœnem?
Sportula quòd non eſt, profit: edamus idem.

LXI. *In Cinnam.*

ESSE nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna:
Si nil Cinna petis; nil tibi, Cinna, nego.

LXII. *In Quinctum.*

CENTENIS quòd emis pueros, & ſæpe ducenis:
Quòd ſub rege Numa condita vina bibis:
Quòd conſtat decies tibi non ſpatioſa ſupellex:
Libra quòd argenti millia quinque rapit:
Aurea quòd fundi pretio carruca paratur:
Quòd pluris mula eſt, quàm domus empta tibi:
Hæc animo credis magno te, Quincte, parare?
Falleris. hæc animus, Quincte, puſillus emit.

LXIII. *In Cotilum.*

COTILE, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio: ſed quid ſit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo eſt, flexos qui digerit ordine crines:
Balſama qui ſemper, cinnama ſemper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat:
Qui movet in varios brachia volſa modos:
Inter fœmineas totâ qui luce cathedras
Deſidet, atque aliquâ ſemper in aure ſonat:
Qui legit hinc illinc miſſas, ſcribítque tabellas:
Pallia vicini qui refugit cubiti:
Qui ſcit, quam quis amet, qui per convivia currit:
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras? hoc eſt, hoc eſt homo, Cotile, bellus?
Res præcoſa eſt, Cotile, bellus homo.

LXIV. *Ad Caſſianum.*

SIRENAS hilarem navigantium pœnam,
Blandáſque mortes, gaudiúmque crudele,
Quas nemo quondam deſerebat anditas,
Fallax Ulyſſes dicitur reliquiſſe.
Non miror: illud, Caſſiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquiſſet.

LXV. *Ad Diadumenum.*

QUOD ſpirat tenerâ malum mordente puellâ:
Quod de Corycio quæ venit aura croco:
Vinea quod primis floret cùm cana racemis:
Gramina quod redolent, quæ modò carpſit ovis:
Quod myrtus, quod meſſor Arabs, quod ſuccina tuta;
Pallidus Eoo thure quod ignis olet;
Gleba quod æſtivo leviter cùm ſpargitur imbre:
Quod madidis nardo ſparſa corona comis:
Hoc tua, ſæve puer Diadumene, baſia fragrant.
Quid, ſi tota dares illa ſinè invidiâ?

LXVI. *In M. Antonium.*

PAR ſcelus admiſit Phariis Antonius armis;
Abſcidit vultus enſis uterque ſacros.
Illud, laurigeros ageres cùm læta triumphos:
Hoc tibi, Roma, caput, cùm loquereris, erat.
Antoni tamen eſt pejor, quàm cauſa Pothini:
Hic facinus domino præſtitit; ille ſibi.

LXVII. *De pigris Nautis.*

CESSATIS pueri, nihſique nôſtis,
Vatreno, Eridanóque pigriores:
Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos tingitis ad celeuſma remos.
Jam prono Phaëthonte ſudat Æthon,
Exarſítque dies, & hora laſſos
Interjungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per undas
Tutâ luditis otium carinâ.
Non nautas puto vos, ſed Argonautas.

LXVIII. *Ad Matronam pudicam.*

HUC eſt uſque tibi ſcriptus, matrona, libellus:
Cui ſint ſcripta rogas interiora? mihi.
Gymnaſium, thermæ, ſtadium eſt hâc parte; recede:
Exuimur: nudos parce videre viros.
Hic jam depoſito poſt vina roſáſque pudore,
Quid dicat, neſcit ſaucia Terpſichore.
Schemate nec dubio, ſed apertè nominat illam,
Quam recipit ſexto menſe ſuperba Venus:
Cuſtodem medio ſtatuit quam villicus horto;
Oppoſitâ ſpectat quam proba virgo manu.
Si bene te novi; longum jam laſſa libellum
Ponebas: totum nunc ſtudioſa leges.

LXIX. *Ad Coſconium.*

OMNIA quòd ſcribis caſtis epigrammata verbis,
Inque tuis nulla eſt mentula carminibus;
Admiror: laudo. nihil eſt te ſanctius uno:
At mea luxuriâ pagina nulla vacat.
Hæc igitur juvenes nequam, faciléſque puellæ,
Hæc ſenior, ſed quem torquet amica, legat.
At tua, Coſconi, venerandáque ſanctáque verba
A pueris debent, virginibúſque legi.

LXX. *Ad Sævinum.*

MOECHUS es Aufidiæ, qui vir, Sævine, fuiſti.
Rivalis fuerat qui tuus, ille vir eſt.
Cur aliena placet tibi, cui ſua non placet uxor?
Numquid ſecurus non potes arrigere?

LXXI. *In Nævolum.*

METULA cùm doleat puero, tibi, Nævole, culus:
Non ſum divinus, ſed ſcio quid facias.

LXXII. *Ad Laufeiam.*

VIS futui, nec vis mecum, Laufeia, lavari.
Neſcio quod magnum ſuſpicor eſſe nefas.
Aut tibi pannoſæ pendent à pectore mammæ:
Aut ſulcos uteri prodere nuda times:
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu:
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil eſt horum, credo pulcherrima nuda es.
Si verum eſt, vitium pejus habes: fatua es.

LXXIII. *In Phœbum.*

DORMIS cum pueris mutoniatis,
Et non ſtat tibi, Phœbe, quod ſtat illis.
Quid vis me, rogo, Phœbe, ſuſpicari?
Mollem credere te virum volebam:
Sed rumor negat eſſe te cinædum.

LXXIV. *In Gargilianum.*

PSILOTHRO faciem levas, & dropace calvam.
Numquid tonſorem, Gargiliane, times?
Quid facient ungues? nam certè non potes illos
Reſinâ, Veneto nec reſecare luto.
Deſine, ſi pudor eſt, miſeram traducere calvam;
Hoc fieri cunno, Gargiliane, ſolet.

LXXV. *In Lupercum.*

STARE, Luperce, tibi, jam pridem mentula deſit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucæ faciunt, bulbíque ſalaces;

Improba

Improba nec prosunt jam saturcia tibi.
Cœpisti puras opibus corrumpere buccas:
Sic quoque non vivit sollicitata Venus.
Mirari satis hoc quisquam, vel credere possit,
Quæ non stat, magno stare, Luperce, tibi?

LXXVI. *In Bassum.*

ARRIGIS ad vetulas, fastidis, Basse, puellas:
Nec formosa tibi, sed moritura placet:
Hic, rogo, non furor est, non est hæc mentula demens?
Cùm possis Hecubam, non potes Andromachen.

LXXVII. *In Bæticum.*

NEC mullus, nec te delectat, Bætice, turdus:
Nec lepus est umquam, nec tibi gratus aper.
Nec te liba juvant, nec sectæ quadra placentæ:
Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.
Capparin, & putri cepas alece natantes,
Et pulpam dubio de petasone voras.
Téque juvant gerres & pelle melandrya canâ;
Resinata bibis vina, Falerna fugis.
Nescio, quod stomachi vitium secretius esse
Suspicer. ut quid enim, Bætice, saprofagis?

LXXVIII. *Ad Paullinum.*

MINISTI currente semel, Paulline, carinâ:
Meiere vis iterum? jam Palinurus eris.

LXXIX. *Ad Sertorium.*

REM peragit nullam Sertorius, inchoat omnes.
Hunc ego, cùm futuit, non puto perficere.

LXXX. *Ad Apicium.*

DE nullo quereris, nulli maledicis, Apici:
Rumor ait, linguæ te tamen esse malæ.

LXXXI. *In Bæticum.*

QUID cum fœmineo tibi, Bætice Galle, barathro?
Hæc debet medios lambere lingua viros.
Absciss etl quare Samiâ tibi mentula testâ,
Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat?
Castrandum caput est: nam sis licèt inguine Gallus,
Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir es.

LXXXII. *In Zoilum.*

CONVIVA quisquis Zoïli potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores,
Curtâque Ledæ sobrius bibat testâ:
Hoc esse levius, puriúsque contendo.
Jacet occupato galbinatus in lecto:
Cubitisque trudit hinc, & indè convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidésque lentisci;
Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello;
Fugátque muscas myrteâ puer virgâ.
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manúmque doctam spargit omnibus membris,
Digiti crepantis signa novit Eunuchus,
Et delicatæ suscitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem.
At ipse retro flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis,
Et concubino turturum nates donat:
Ligurúmque nobis saxa cùm ministrentur,
Vel cocta fumis musta Massilitanis:
Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque myrrhinisque propinat.
Et Colmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus stertit:
Nos accubamus, &, silentium ronchis
Præstare jussi, nutibus propinamus.
Hos Malchionis patimur improbi fastus;
Nec vindicare, Ruse, possumus; fellat.

LXXXIII. *In Coelitem.*

UT faciam breviora mones epigrammata, Cocles,
Fac mihi, quod Chione, non potui brevius.

LXXXIV. *In Tongilionem.*

QUID narrat tua mœcha? non puellam
Dixi, Tongilion. quid ergo? linguam.

LXXXV. *Ad Marisum.*

QUIS tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hâc peccatum est parte, Marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cùm sit salva sui mentula Deiphobi.

LXXXVI. *Ad castam matronam.*

NE legeres partem lascivi, casta, libelli,
Prædixi, & monui: tu tamen, ecce, legis.
Sed si Panniculum, si spectas, casta, Latinum:
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

LXXXVII. *In Chionem.*

NARRAT te rumor, Chione, numquam esse fututam
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hâc, quâ debes, parte lavaris:
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

LXXXVIII. *In fratres fellatores.*

SUNT gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magìs, an similes?

LXXXIX. *Ad Phœbum.*

UTERE lactucis, & mollibus utere malvis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

XC. *De Galla.*

VULT, non vult dare Galla mihi: nec dicere possum,
Quod vult, & non vult, quid sibi Galla velit.

XCI. *De Misitio.*

CUM peteret patriæ Misitius arva Ravennæ,
Semiviro Cybeles cum grege junxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitivus Achillas;
Insignis formâ nequitiâque puer.
Hoc steriles sensere viri: quâ parte cubaret,
Quærunt; sed tacitos sensit & ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petuntur:
Continuò ferrum noxia turba rapit;
Excidúntque senem, spondæ qui parte jacebat;
Namque puer pluteo vindice tutus erat.
Suppositam, fama est, quondam pro virgine cervam;
At nunc pro cervo mentula supposita est.

XCII. *Ad Gallum.*

UT patiar mœchum, rogat uxor, Galle, sed unum.
Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos?

XCIII. *In Vetustillam.*

CUM tibi trecenti consules, Vetustilla,
Et tres capilli, quatuórque sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculúmque formicæ:
Rugosiorem cùm geras stolâ frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas:
Cùm comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliúsque ranæ garriant Ravennates;
Et Adrianus dulciùs culex cantet,
Videásque quantum noctuæ vident manè,
Et illud oleas, quod viri capellarum;
Et anatis habeas orropygium macræ,
Senémque Cynicum vincat osseus cunnus:
Cùm te lucernâ balneator extinctâ
Admittat inter bustuarias mœchas,
Cùm bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit:
Gaudes ducentas nupturire post mortes,
Virúmque demens cineribus tuis quæris
Prurire. quid! farrire si velit farum?
Quis conjugem, quis te vocabit uxorem,
Philomelus aviam quam vocaverat nuper?
Quòd si cadaver exigis tuum scalpi:
Sternatur à Coricle clinico lectus,
Thalassionem qui tuum decet solus,
Ustórque tedas præferat novæ nuptæ:
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

XCIV. *In*

Digitized by Google

XCIV. *In Rufum.*

ESSE negas coctum leporem, poscisque flagella:
Mavis Rufe coquum scindere, quàm leporem.

XCV. *In Nævolum.*

NUMQUAM dicis ave, sed reddis, Nævole, semper,
Quod prior & corvus dicere sæpe solet.
Cur hoc expectas à me rogo, Nævole, dicas:
Nam puto, nec melior, Nævole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,
Natorúmque dedit jura paterna trium.
Ore legor multo, notúmque per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.
Est & in hôc aliquid: vidit me Roma tribunum,
Et sedeo quà te suscitat Oceanus.
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed prædicaris: sed pulchre, Nævole, ceves:
Jam jam sic prior es, Nævole. vincis. ave.

XCVI. *In Gargilium.*

LINGIS, non futuis meam puellam:
Et garris quasi mœchus, & fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

XCVII. *Ad Rufum.*

NE legat hunc Chione, mando tibi, Rufe, libellum:
Carmine læsa meo est; lædere & illa potest.

XCVIII. *In Sabellum.*

SI Teculus tibi quàm macer, requiris?
Prædicare potes, Sabelle, culo.

XCIX. *Ad cerdonem.*

IRASCI nostro non debes, cerdo, libello:
Ars tua, non vita est, carmine læsa meo.
Innocuos permitte sales. cur ludere nobis
Non liceat, licuit si jugulare tibi?

C. *Ad Rufum.*

CURSOREM sextâ tibi, Rufe, remisimus horâ,
Carmina quem madidam nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam fortè ruebat:
Non aliter mitti debuit iste liber.

LIBER IV.

I. *De natali Domitiani.*

CÆSARIS alma dies, & luce sacratior illâ,
Conscia Dictæum quâ tulit Ida Jovem,
Longa precor, Pylióque veni numerosior ævo,
Semper & hôc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
Pérque manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem, Superi, petimus, sed debita terris.
Pro tanto quæ sunt improba vota Deo?

II. *De Horatio.*

SPECTABAT modò solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs, & minor ordo, maximúsque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repentè cœlo:
Albis spectat Horatius lacernis

III. *De Nivibus.*

ADSPICE quàm densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, sinque sinus.
Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
Coneretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hyperborei solitus lassare Boötæ,
Et madidis Helicen dissimulare comis.
Qui siccis lascivit aquis, & ab æthere ludit;
Suspicor has pueri Cæsaris esse nives.

IV. *In Bassam.*

QUOD sicca redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressâ piger hircus in capellâ,
Lassi bardaicus quod evocati,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia sabbatariorum,
Mœstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromate face de Sabinâ,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Mallem, quàm quod oles, olere Bassa.

V. *Ad Fabianum.*

VIR bonus & pauper, linguâque & pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec comissator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare reos:
Nec potes uxorem cari corrumpere amici:
Nec potes algentes arrigere ad vetulas:
Vendere nec vanos circa Palatia fumos:
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Unde miser vives? homo fidus, certus amicus.
Hoc nihil est. nunquam sic Philomelus eris.

VI. *In Malisianum.*

CREDI virgine castior pudicâ,
Et frontis teneræ cupis videri,
Cùm sis improbior, Malisiane,
Quàm qui compositos metro Tibulli,
In Stellæ recitat domo libellos.

VII. *Ad Hyllum.*

CUR herè quod dederas, hodie, puer Hylle, negâsti?
Durus tam subitò, qui modò mitis eras?
Sed jam causaris barbámque, annósque, pilósque:
O nox quàm longa es, quæ facis una senem!
Quid nos derides? herè qui puer, Hylle, fuisti,
Dic nobis, hodie quâ ratione vir es?

VIII. *Ad Euphemum.*

PRIMA salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia cauffidicos.
In quinctam varios extendit Roma labores:
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris;
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum;
Temperat ambrosias cùm tua cura dapes;
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentisque tenet pocula parca manu.
Tunc admitte jocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

IX. *In Fabullam.*

SOTÆ filia Clinici, Fabulla,
Deserto sequeris Clitum marito,
Et donas, & amas, ἴσως ἐσόιτως.

X. *Ad Faustinum.*

DUM novus est, neque adhuc rasâ mihi fronte libellus,
Pagina dum tangi non bene ficca timet:
I puer, & caro perfer leve munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur Punica librum
Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare jocos: una litura potest.

XI. *In Aut. Saturninum.*

DUM nimiùm vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te miser esse pudet:
Impia Parrhasiâ movisti bella sub ursâ,
Qualia qui Pharias conjugis arma tulit.
Exciderâtne adeò fatum tibi nominis hujus,
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis;
Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

XII. *In*

XII. *In Thaidem.*

NULLI, Thaï, negas. ſed ſi te non pudet iſtud,
Hoc ſaltem pudeat, Thaï, negare nihil.

XIII. *Ad Rufum de nuptiis Pudentis, & Claudiæ Peregrinæ.*

CLAUDIA, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte eſto tedis ô Hymenæe tuis.
Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo,
Maſſica Theſeis tam bene vina favis.
Nec meliùs teneris junguntur vitibus ulmi,
Nec plùs lotos aquas, litora myrtus amat.
Candida perpetuo reſide, Concordia, lecto,
Támque pari ſemper ſit Venus æqua jugo.
Diligat illa ſenem quondam: ſed & ipſa marito,
Tunc quoque cùm fuerit, non videatur anus.

XIV. *Ad Silium.*

SILI Caſtalidum decus ſororum,
Qui perjuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidóſque
Aſtus Hannibalis, levéſque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paullum ſepoſitâ ſeveritate,
Dum blandâ vagus aleâ December
Incertis ſonat hinc & hinc fritillis,
Et ludit Popa nequiore talo,
Noſtris otia commoda Camœnis.
Nec torvâ lege fronte, ſed remiſſâ
Laſcivis madidos jocis libellos.
Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

XV. *Ad Cæcilianum.*

MILLE tibi nummos heſternâ luce roganti,
In ſex aut ſeptem, Cæciliane, dies,
Non habeo, dixi: ſed tu cauſatus amici
Adventum, lancem pancáque vaſa rogas.
Stultus es? an ſtultum me credis, amice? negavi
Mille tibi nummos: millia quinque dabo?

XVI. *In Gallum.*

PRIVIGNUM non eſſe tuæ te, Galle, noverca
Rumor erat, conjux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat vivo genitore probari.
Jam nuſquam pater eſt, Galle; noverca domi eſt.
Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
Et te defendat Regulus ipſe licèt:
Non potes abſolvi: nam quæ non deſinit eſſe
Poſt patrem; nunquam, Galle, noverca fuit.

XVII. *Ad Paullum.*

FACERE in Lyciſcam, Paulle, me jubes verſus,
Quibus illa lectis rubeat, & ſit irata.
O Paulle, malus es: irrumare vis ſolus.

XVIII. *De puero ſtillicidio jugulato.*

QUA vicina pluit Vipſanis porta columnis,
Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roſcida tecta ſubibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu:
Cúmque peregiſſet miſeri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non ſæva ſibi voluit Fortuna licere?
Aut ubi mors non eſt, ſi jugulatis, aquæ?

XIX. *De endromide.*

HANC tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet;
Sordida, ſed gelido non aſpernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidúmve trigonа,
Sive harpaſta manu pulverulenta rapis:
Plumea ſeu laxi partiris pondera follis:
Sive levem curſu vincere quæris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Néve gravis ſubitâ te premat Iris aquâ:
Ridebis ventos hôc munere tectus & imbres:
Nec ſic in Tyriâ ſindone tutus eris.

XX. *De Cærelliâ & Galliâ.*

DICIT ſe vetulam, cùm ſit Cærellia puppa:
Puppam ſe dicit Gellia, cùm ſit anus.
Ferre nec hanc poſſis, poſſis, Coline, nec illam:
Altera ridicula eſt, altera putidula.

XXI. *De Selio.*

NULLOS eſſe Deos, inane cœlum
Affirmat Selius, probátque; quòd ſe
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

XXII. *De Cleopatra.*

PRIMOS paſſa toros, & adhuc placanda marito,
Merſerat in nitidos ſe Cleopatra lacus;
Dum fugit amplexus: ſed prodidit unda latentem,
Lucebat totis cùm tegeretur aquis.
Condita ſic puro numerantur lilia vitro:
Sic prohibet tenuis gemma latere roſas.
Inſilui, merſúſque vadis luctantia carpſi
Baſia: perſpicuæ plus vetuſtis aquæ.

XXIII. *Ad Thaliam, de Brutiano.*

DUM tu lenta nimis, diúque quæris,
Quis primus tibi, quíve ſit ſecundus;
Graium quíve epigramma comparabit:
Palmam Callimachus, Thalia, de ſe
Facundo dedit ipſe Brutiano.
Qui ſi Cecropio fatur lepore,
Romanæ ſale luſerit Minervæ:
Illi me facias, precor, ſecundum.

XXIV. *De Lycori, ad Fabianum.*

OMNES, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit, uxori fiat amica meæ.

XXV. *De litoribus Altini & Aquileiæ.*

ÆMULA Bajanis Altini litora villis,
Et Phaëtontei conſcia ſylva rogi;
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus:
Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo,
Hîc ubi ſeptenas Cyllarus haurit aquas;
Vos eritis noſtræ portus, requiéſque ſenectæ,
Si juris fuerint otia noſtra ſui.

XXVI. *Ad Poſthumum.*

QUOD te manè domi toto non vidimus anno,
Vis dicam, quantum, Poſthume, perdiderim?
Tricenos, puto, bis; vicenos ter, puto, nummos.
Ignoſces; togulam, Poſthume, pluris emo.

XXVII. *Ad Cæſar. Auguſt. Domitianum.*

SÆPE meos laudare ſoles, Auguſte, libellos:
Invidus, ecce, negat: non minùs ergo ſoles.
Quid! quòd honorato non ſolâ voce dediſti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi.
Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.
Da, Cæſar, tanto tu magìs, ut doleat.

XXVIII. *Ad Chloën.*

DONASTI tenero Chloë Luperco
Hiſpanas, Tyriáſque, coccináſque,
Et lotam tepido togam Galeſo,
Indos ſardonychas, Scythas ſmaragdos,
Et centum dominos novæ monetæ,
Et quidquid petit uſque & uſque donas.
Væ glabraria, væ tibi miſella:
Nudam te ſtatuet tuus Lupercus.

XXIX. *Ad Pudentem.*

OBSTAT, care Pudens, noſtris ſua turba libellis:
Lectorémque frequens laſſat, & implet opus.
Rara juvant, primis ſic major gratia pomis:
Hybernæ pretium ſic meruere roſæ.
Sic ſpoliatricem commendat faſtus amicam,
Janua nec juvenem ſemper aperta tenet.
Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm levis in totâ Marſus Amazonide.
Tu quoque de noſtris releges quemcumque libellis,
Eſſe puta ſolum: ſic tibi pluris erit.

XXX. *Ad Piſcatorem.*

BAJANO procul à lacu monemus
Piſcator fuge, ne nocens recedas.
Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt Dominum, manúmque lambunt

Digitized by Google

Illam, quâ nihil eſt in orbe majus.
Quid, quòd nomen habent, & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus.
Hòc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repentè cæcus
Captum non potuit videre piſcem:
Et nunc ſacrilegos peroſus hamos,
Baianos ſedet ad lacus togator.
At tu, dum potes, innocens recede,
Jactis ſimplicibus cibis in undas,
Et piſces venerare dedicatos.

XXXI. *Ad Hippodamum.*

QUOD cupis in noſtris dicſque legſque libellis,
Et nonnullus honos creditur eſſe tibi:
Ne valeam, ſi non res eſt gratiſſima nobis,
Et volo te chartis inſeruiſſe meis.
Sed tu nomen habes averſo fonte ſororum
Impoſitum, mater quod tibi dura dedit.
Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia poſſit,
Nec pia cum Phœbo dicere Calliope.
Ergo aliquod gratum Muſis tibi nomen adopta:
Non ſemper bellè dicitur Hippodamus.

XXXII. *De ape electro inclusâ.*

ET latet, & lucet Phaëtontide condita guttâ,
Ut videatur apis nectare clauſa ſuo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.

XXXIII. *Ad Soſibianum.*

PLENA laboratis habeas cùm ſcrinia libris,
Emittis quare, Soſibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina, quando?
Tempus erat jam te, Soſibiane, legi.

XXXIV. *Ad Attalum.*

SORDIDA cùm tibi ſit: verum tamen, Attale, dixit,
Quiſquis te niveam dixit habere togam.

XXXV. *De pugnâ damarum.*

FRONTIBUS adverſis molles concurrere damas
Vidimus, & fati ſorte jacere pari.
Spectavere canes prædam: lupuſque ſuperbus
Venator, cultro nil ſupereſſe ſuo.
Unde leves animi tanto calvere furore?
Sic pugnant tauri, ſic cecidere viri.

XXXVI. *Ad Olum.*

CANA eſt barba tibi: nigra eſt coma: tingere barbam
Non potes, hæc cauſa eſt; ſed potes, Ole, comam.

XXXVII. *Ad Afrum.*

CENTUM Coranus, & ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterúmque Serranus:
Ex inſulis, fundíſque tricies ſoldum,
Et pecore redeunt ter ducena Parmenſi,
Totis diebus, Afer, hoc mihi narras:
Et teneo meliùs iſta, quam meum nomen.
Numeres oportet aliquid, ut pati poſſim:
Quotidianam refice nauſeam nummis.
Audire gratis, Afer, iſta non poſſum.

XXXVIII. *Ad Gallam.*

GALLA nega: ſatiatur amor, niſi gaudia torquent:
Sed noli nimiùm, Galla, negare diu.

XXXIX. *Ad Charinum.*

ARGENTI genus omne comparâſti,
Et ſolus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæque,
Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores.
Nec deſunt tibi vera Grantiana,
Nec quæ Callaico linuntur auro,
Nec menſis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne, miror,
Quare non habeas, Charine, purum.

XL. *Ad Poſthumum.*

ATRIA Piſonum ſtabant cùm ſtemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus;
Prætulimus tantis ſolum te, Poſthume, regnis:
Pauper eras, & eques, ſed mihi conſul eras.
Tecum ter denas numeravi, Poſthume, brumas:
Communis nobis lectus & unus erat.
Jam donare potes, jam perdere, plenus honorum,
Largus opum: exſpecto, Poſthume, quid facias.
Nil facis: & ſerum eſt alium mihi quærere regem.
Hoc, fortuna, placet? Poſthumus impoſuit.

XLI. *In malè recitantem.*

QUID recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt noſtris auribus illa magis.

XLII. *Ad Flaccum.*

SI quis fortè mihi poſſet præſtare roganti:
Audi, quem pueram, Flacce, rogare velim.
Niliacis primùm puer is naſcatur in oris:
Nequitias tellus ſcit dare nulla magis.
Sit nive candidior: namque in Mareotide fuſcâ
Pulchrior eſt, quanto rarior iſte color.
Lumina ſideribus certent, molléſque flagellent
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons brevis, atque modus breviter ſit naribus uncis:
Pœſtanis rubeant æmula labra roſis.
Sæpéque nolentem cogat, nolítque volentem:
Liberior domino ſæpe ſit ille ſuo
Et timeat pueros, excludat ſæpe puellas.
Vir reliquis, uni ſit puer ille mihi.
Jam ſcio, nec fallis: nam me quoque judice verum eſt:
Talis erat, dices, noſter Amazonicus.

XLIII. *In Coracinum.*

NON dixi, Coracine, te cinædum:
Non ſum tam temerarius, nec audax,
Nec mendacia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te cinædum,
Iratam mihi Pontiæ lagenam,
Iratum calicem mihi Metili.
Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecynthios furores.
Quod dixi tamen, hoc leve, & puſillum eſt:
Quod notum eſt, quod & ipſe non negabis:
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

XLIV. *De Veſuvio monte.*

HIC eſt pampineis viridis modò Veſvius umbris:
Preſſerat hic madidos nobilis uva lacus.
Hæc juga, quàm Nyſæ colles, plùs Bacchus amavit:
Hòc nuper Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris ſedes, Lacedæmone gratior illi:
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta jacent flammis, & triſti merſa favillâ:
Nec Superi vellent hoc licuiſſe ſibi.

XLV. *Votum Parthenii ad Phœbum, pro Burro.*

HÆC tibi pro nato plenâ dat lætus acerrâ,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius.
Ut qui prima novo ſignat quinquennia luſtro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata vota patris: ſic te tua diligat arbor,
Gaudeat & certâ virginitate ſoror.
Perpetuo ſic flore mices: ſic denique non ſint
Tam longæ Bromio, quàm tibi, Phœbe, comæ.

XLVI. *De Sabello.*

SATURNALIA divitem Sabellum
Fecerunt. meritò tumet Sabellus:
Nec quemquam putat eſſe, prædicátque
Inter cauſidicos beatiorem.
Hos faſtus, animóſque dat Sabello
Farris ſemodius, fabæque freſſæ,
Et turis, piperíſque tres ſelibræ,
Et Lucanica ventre cum Faliſco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Libycâ gelata teſtâ,
Cum bulbis, cochleíſque, caſeóque.
Piceno quoque venit à cliente
Parcæ ciſtula non capax olivæ,
Et craſſo figuli polita cœlo
Septenaria ſynthesis Saguntî,
Hiſpanæ luteum rotæ toreuma,
Et lato variata mappa clavo.
Saturnalia fructuoſiora
Annis non habuit decem Sabellus.

XLVII. *De Phaëthonte.*

ENCAUSTUS Phaëthon tabulâ depictus in hâc eſt.
Quid tibi vis, dipyrro qui Phaëthonta facis?

XLVIII. *In Papilam.*

PERCIDI gaudes: perciſus, Papile, ploras.
Cur, quæ vis fieri, Papile, facta dolet?
Pœnitet obſcœnæ pruriginis? an magis illud
Fles; quòd percidi, Papile, deſieris?

XLIX. *Ad Flaccum.*

NESCIS, crede mihi, quid ſint epigrammata, Flacce;
Qui tantùm luſus illa, jocóſque putas.
Ille magis ludit qui ſcribit prandia ſævi
Tereos: aut cœnam, crude Thyeſta, tuam:
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Paſcentem Siculas aut Polyphemon oves.
A noſtris procul eſt omnis veſica libellis:
Muſa nec infamo fyrmate noſtra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant,
Confiteor: laudant illa, ſed iſta legunt.

L. *In Thaïdem.*

QUID me, Thaï, ſenem ſubinde dicis?
Nemo eſt, Thaï, ſenex ad irrumandum.

LI. *Ad Cæcilianum.*

CUM tibi non eſſent ſex milia, Cæciliane,
Ingenti latè vectus es hexaphoro.
Poſtquam bis decies tribuit Dea cæca, finúmque
Ruperunt nummi: factus es, ecce, pedes.
Quid tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?
Dî redeant ſellam, Cæciliane, tibi.

LII. *In Hedylum.*

GESTARI junctis nili delinis, Hedyle, capris:
Qui modò ficus eras, jam caprificus eris.

LIII. *Ad Coſmum.*

HUNC, quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ
Pallados, & templi limina, Coſme, novi,
Cum baculo, perâque lenem: cui cana, putríſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit:
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos:
Eſſe putas Cynicum, deceptus imagine falsâ.
Non eſt hic Cynicus, Coſme: quid ergo? canis.

LIV. *Ad Colinum.*

O Cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas primâ cingere fronde comas:
Si ſapis, utaris totis, Coline, diebus,
Extremúmque tibi ſemper adeſſe putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obſervant, quem ſtatuere, diem.
Divitior Criſpo, Thraſeâ conſtantior ipſo,
Lautior & nitido ſis Meliore licèt:
Nil adicit penſo Lachelis, fuſóſque ſororum
Explicat, & ſemper de tribus una ſecat.

LV. *Ad Lucium.*

LUCI, gloria temporum tuorum,
Qui Graium veterem, Tagúmque noſtrum
Arpis cedere non tuis diſertis:
Argivas generatus inter urbes,
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinoſæ
Ledæas Lacedæmonis paleſtras.
Nos Celtis genitos & ex Iberis
Noſtræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre verſu:
Sævo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybáſque, Noricóſque,
Et ferro Plateam ſuo ſonantem,
Quam fluctu tenui, ſed inquieto
Armorum Salo temperator ambit:
Tutelamque, choróſque Rixamarum,
Et convivia feſta Carduarum,
Et textus Peteron rotis rubentem,
Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos jaculo levi Silaos,
Turgentíſque lacus, Perufiæque,
Et parvæ vada pura Veroniſſæ,
Et ſanctum Baradonis ilicetum,
Per quod vel piger ambulat viator;
Et quæ fortibus excolit juvencis
Curvæ Manlius æva Matineſſæ.
Hæc tam ruſtica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit.
Hæc tam ruſtica malo, quàm Birantos.

LVI. *In Gargilianum.*

MUNERA quod ſenibus, viduíſque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil eſt, nihil eſt te ſporcius uno,
Qui potes inſidias dona vocare tuas.
Sic avidis fallax indulget piſcibus hamus:
Callida ſic ſtultas decipit eſca feras.
Quid ſit largiri, quid ſit donare; docebo,
Si neſcis: dona, Gargiliane, mihi.

LVII. *Ad Fauſtinum.*

DUM nos blanda tenent luſcivi ſtagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent:
Tu colis Argivi regnum, Fauſtine, coloni,
Quò te bis decimus ducit ab urbe lapis.
Horrida ſed fervent Nemeæi pectora monſtri:
Nec ſatis eſt, Baias igne calere ſuo.
Ergo ſacri fontes & littora grata valete,
Nympharum pariter, Nereïdúmque domus.
Herculeos colles gelidâ vos vincite brumâ,
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

LVIII. *In Gallam.*

IN tenebris luges amiſſum, Galla, maritum.
Nam plorare pudet te, puto, Galla, virum.

LIX. *De viperâ electro inclusâ.*

FLENTIBUS Heliadum ramis dum vipera repit,
Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram:
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit victa repentè gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulchro;
Vipera ſi tumulo nobiliore jacet.

LX. *De Curiatio.*

ARDEA, ſolſtitio, Caſtranóque rura petuntur,
Quíque Cleoneo ſidere fervet ager:
Cùm Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga miſſus aquas.
Nullo fata loco poſſis excludere: cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

LXI. *In Mancinum.*

DONASSE amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper ſuperbo lætus ore jactâſti.
Quartus dies eſt, in ſcholâ poëtarum
Dum fabulamur, millibus decem dixi
Emptas lacernas munus eſſe Pompillæ:
Sardonycha verum lineſſque ter cinctum,
Duáſque ſimiles fluctibus maris gemmas
Dediſſe Baſſam, Cæliámque juráſti.
Herè, de theatro, Pollione cantante,
Cùm ſubitò abires, dum fugis, loquebaris,
Hæreditatis tibi trecenta veniſſe:
Et manè centum, & poſt meridiem centum.
Quid tibi ſodales fecimus mali tantum?
Miſerere jam crudelis, & ſile tandem.
Aut, ſi tacere lingua non poteſt iſta,
Aliquando narra, quod velimus audire.

LXII. *De Lycori.*

TIBUR in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

LXIII. *De Carelliâ.*

DUM petit à Baulis mater Carellia Baias,
Occidit inſani crimine merſa freti.
Gloria quanta perit vobis! hæc monſtra Neroni
Nec quondam juſſæ præſtiteratis aquæ.

LXIV. *De hortis Julii Martialis.*

JULI jugera pauca Martialis,
Hortis Heſperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt.
Lati collibus imminent receſſus:
Et planus modico tumore vertex

Cœlo

Cœlo perfruitur ferentore:
Et curvas nebulâ tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina delicata villæ.
Hinc *septem dominos videre montes*,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculósque colles,
Et quodcumque jacet sub urbe frigus,
Fidenas veteres, brevésque Rubras,
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum:
Cùm sit tam prope Mulvius, sacrúmque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.
Hoc rus (seu potiùs domus vocanda est)
Commendat dominus; tuam putabis:
Tam non invida, támque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios Penates,
Aut facti modò divitis Molorchi.
Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domare, pendulámque
Uni dedite Setiam colono:
Dum, me judice, præferantur istis
Iuli jugera pauca Martialis.

LXV. *De Philæni.*

OCULO Philænis semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

LXVI. *Ad Linum.*

EGISTI vitam semper, Line, municipalem:
Quâ nihil omnino vilius esse potest.
Idibus, & raris togula est excussa Kalendis:
Duxit & æstates synthesis una decem.
Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemptum,
Sylva gravis turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite pisces;
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolicâ missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Villica vel duri compressa est nupta coloni:
Incaluit quoties sancia vena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.
Supposita est blando numquam tibi tessera talo:
Alea sed parcæ sola fuere nocet.
Dic ubi sit decies, mater quod avara reliquit?
Nusquam est, facili gens, Line, difficilem.

LXVII. *In Prætorem.*

PRÆTOREM pauper centum sestertia Gaurus
Orabat canâ notus amicitiâ.
Dicebátque suis hæc tantùm deesse trecentis,
Ut posset domino plaudere justus eques.
Prætor ait: scis me Scorpo, Thallóque dantum;
Atque utinam centum millia sola darem.
Ah pudet ingratæ, pudet ah malè divitis arcæ.
Quod non vis equiti, vis dare, Prætor, equo?

LXVIII. *Ad Sextum.*

INVITAS centum quadrantibus, & bene cœnas.
Ut cœnem invitor, Sexte, an ut invideam?

LXIX. *Ad Papilum.*

TU Setina quidem semper, vel Massica ponis,
Papile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hâc factus cœlebs quater esse lagenâ.
Nec puto, nec credo Papile, nec sitio.

LXX. *De Ammiano ad Maronillum.*

NIHIL Ammiano, præter aridam restem
Moriens reliquit ultimis pater cœris.
Fieri putaret posse quis, Maronille,
Ut Ammianus mostrum patrem nollet?

LXXI. *Ad Sophronium Rufum.*

QUÆRO diu totam, Sophroni Rufe, per urbem,
Si qua puella neget; nulla puella negat.
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare:
Tanquam non liceat; nulla puella negat.
Casta igitur nulla est? castæ sunt mille. quid ergo
Casta facit? non dat; non tamen illa negat.

LXXII. *Ad Quinctum.*

EXIGIS, ut donem nostros tibi, Quincte, libellos:
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Æs dabo pro nugis, & emam tua carmina lanus?
Non, inquis, faciam tam fatuè: nec ego.

LXXIII. *De Vestino.*

CUM gravis extremas Vestinus duceret horas,
Et jam per Stygias esset iturus aquas,
Ultima volventes orabat pensa sorores,
Ut traherent parvâ stamina pulla morâ.
Jam sibi defunctus, caris dum vivit amicis;
Moverant tetricas tam pia vota Deas.
Tum largas partitus opes, à luce recessit:
Séque mori post hoc credidit ille senem.

LXXIV. *De Damis.*

ADSPICIS, imbelles tentent quàm fortia damæ
Prœlia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, damis parcere? mitte canes.

LXXV. *De Nigrina.*

O Felix animo, felix Nigrina, marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus.
Te patrios miscere juvat cum conjuge census,
Gaudentem socio, participque viro.
Arserit Evadne flammis injecta mariti,
Nec minor Alcestem fama sub astra ferat.
Tu meliùs: certo meruisti pignore vitæ,
Ut tibi non esset morte probandus amor.

LXXVI. *In avarum amicum.*

MILLIA misisti mihi sex, bis sena petenti:
Ut bis sena feram, bis duodena petam.

LXXVII. *In Zoilum invidum.*

NUMQUAM divitias Deos rogavi,
Contentus modicis, meóque lætus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Causa est quæ subiti, novíque vòti?
Pendentem volo Zoïlum videre.

LXXVIII. *In Varum.*

AD cœnam nuper Varus me fortè vocavit,
Ornatus dives, parvula cæna fuit.
Auro, non dapibus oneratur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego, non oculos, sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

LXXIX. *In Afrum.*

CONDITA cùm tibi sit jam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo;
Discurris totâ vagus urbe; nec ulla cathedra est,
Cui non manè feras irrequietus, ave.
Et sinè te nulli fas est prodire tribunæ,
Nec caret officio consul uterque tuo;
Et sacro decies repetis Pallatia clivo,
Sigeriósque meros, Partheniósque sonas.
Hæc faciant sanè juvenes: deformius, Afer,
Omnino nihil est ardelione sene.

LXXX. *Ad Mathonem.*

HOSPES eras nostri semper, Matho, Tiburtini.
Hoc emis, impositi: rus tibi vendo tuum.

LXXXI. *In Mathonem.*

DECLAMAS in febre, Mathon: hanc esse phrenesin
Si neścis, non es sanus, amice Mathon.
Declamas æger, declamas hemitritæus.
Si sudare aliter non potes, est ratio.
Magna tamen res est: errans cùm viscera febris
Enxrit, res est magna, tacere, Mathon.

 LXXXII. *De*

LXXXII. *De Fabullâ.*

EPIGRAMMA noſtrum cùm Fabulla legiſſet,
Negare nullam quo queror puellarum:
Semel rogata bíſque térque neglexit
Preces amantis: jam, Fabulla, promitte:
Negare juſſi, pernegare non juſſi.

LXXXIII. *Ad Rufum.*

HOS quoque commenda Venuleio, Rufe, libellos,
Imputet & nobis otia parva, roga:
Immemor & paullùm curarum, operúmque ſuorum,
Non tetricâ nugas exigat aure meas.
Sed nec poſt primum legat hæc, ſummúmve trientem:
Sed ſua cùm medius prœlia Bacchus amat.
Si nimis eſt legiſſe duos: tibi charta plicetur
Altera: diviſum ſic breve fiet opus.

LXXXIV. *In Nævolum.*

SECURO nihil eſt te, Nævole, pejus: eodem
Sollicito nihil eſt, Nævole, te melius.
Securus, nullam reſalutas, deſpicis omnes;
Nec quiſquam liber, nec tibi gratus homo eſt.
Sollicitus, donas: dominum regémque ſalutas;
Invitas. eſto, Nævole, ſollicitus.

LXXXV. *In Thaïdem.*

NON eſt in populo, nec urbe totâ,
A ſe Thaïda qui probet fututam;
Cùm multi cupiant, rogéntque multi.
Tam caſta eſt, rogo, Thaïs? imo fellat.

LXXXVI. *In Ponticum.*

NOS bibimus vitro, tu murrhâ, Pontice, quare?
Prodat perſpicuus ne duo vina calix.

LXXXVII. *Ad librum de Apollinari.*

SI vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneóque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari,
Nil exactius, eruditiúſque eſt;
Sed nec candidius, benigniúſque:
Si te pectore, ſi tenebit ore,
Nec ronchos metues malignorum,
Nec ſcombris tunicas dabis moleſtus.
Si damnaverit, ad ſalariorum
Curras ſcrinia protinus licebit,
Inversâ pueris arande chartâ.

LXXXVIII. *De Baſſâ.*

INFANTEM ſecum ſemper tua Baſſa, Fabulle,
Collocat, & luſus, deliciáſque vocat.
Et quod mireris magìs, infantaria non eſt.
Ergo quid in causâ eſt? pedere Baſſa ſolet.

LXXXIX. *In Diſſimulatorem.*

NULLA remiſiſti parvo pro munere dona;
Et jam Saturni quinque fuere dies.
Ergo nec argenti ſex ſcriptula Septitiani,
Miſſa nec à querulo mappa cliente fuit?
Antipolitani nec quæ de ſanguine thynni
Teſta rubet, nec quæ coctana parva gerit;
Nec rugoſarum vimen breve Picenarum:
Dicere te poſſes ut meminiſſe mei.
Decipies alios verbis vultúque benigno:
Nam mihi jam notus diſſimulator eris.

XC. *De ruſticatione.*

RURE morans quid agam, reſpondeo pauca, rogatus,
Luce Deos oro; famulos, pòſt arva reviſo,
Partibus atque meis juſtos indico labores.
Indè lego, Phœbúmque cio, Muſámque laceſſo.
Hinc oleo corpúſque frico, molliſque palæſtrâ
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quieſco.
Dum parvus lychnus modicum conſumat olivi.
Hæc dat noctурnis nox lucubrata Camœnis.

XCI. *Ad Librum.*

OHE jam ſatìs eſt, ohe libelle:
Jam pervenimus uſque ad umbilicos:
Tu procedere adhuc, & ire quæris:
Nec ſummâ potes in ſchedâ teneri.
Sic tanquam tibi res peracta non ſit,
Quæ primâ quoque paginâ peracta eſt.
Jam lector queritúrque, deſiſtque;
Jam librarius hoc & ipſe dicit!
Ohe jam ſatìs eſt, ohe libelle.

LIBER V.

I. *Ad Cæſarem.*

HOC tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, indè Thetin:
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani quà cubat unda freti:
Seu placet Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus, ô rerum felix tutela, ſalúſque,
Soſpite quo gratum credimus eſſe Jovem.
Tu tantùm accipias: ego te legiſſe putabo,
Et tumidus Gallâ credulitate fruar.

II. *Ad Lectores.*

MATRONÆ, puerſque, virgineſque,
Vobis pagina noſtra dedicatur.
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimiùm, ſaléſque nudi,
Laſcivos lege quatuor libellos;
Quinctus cum Domino liber jocetur;
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropiâ legat puellâ.

III. *Ad Domitianum.*

ACCOLA jam noſtræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Iſtri qui tibi venit aquis,
Lætus & attonitus, viſo modò præſide mundi,
Affatus comites dicitur eſſe ſuos:
Sors mea quàm fratris melior! cui tam propè fas eſt
Cernere, tam longè quem colit ille Deum.

IV. *Ad Paullum de Myrtale.*

FOETERE multo Myrtale ſolet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merúmque cautâ fronde non aquâ miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paulle, videris contrà;
Dicas, licebit: Myrtale bibit laurum.

V. *Ad Sextum.*

SEXTE, Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore Dei;
Nam tibi naſcentes Domini cognoſcere curas,
Et ſecreta ducis pectora nôſſe licet;
Sit locus & noſtris aliquâ tibi parte libellis,
Quâ Pedo, quâ Marſus, quâque Catullus erit.
Ad Capitolini cœleſtia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus.

VI. *Ad Muſas. Vel, librum commendat Parthenio.*

SI non eſt grave, nec nimis moleſtum,
Muſæ, Parthenium rogate veſtrum:
Sic te ſerior & beata quondam
Salvo Cæſare finiat ſenectus,
Et ſis invidiâ favente felix;
Sic Burrus citò ſentiat parentem;
Admittas timidam, brevémque chartam
Intrà limina ſanctioris aulæ.
Nôſti tempora tu Jovis ſereni,
Cùm fulget placidus, ſuóque vultu,
Quo nil ſupplicibus ſolet negare.
Non eſt, quòd metuas preces iniquas:
Nunquam grandia, nec moleſta poſcit,
Quæ cedro decorata, purpuràque
Nigris pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris iſta, ſed teneto,
Sic tanquam nihil offeras agáſque.
Si novi dominum novem ſororum,
Ultro purpureum petet libellum.

VII. *Ad Volcanum.*

QUALITER Aſſyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties ſecula vixit avis:

Tali-

Digitized by Google

Taliter exuta eſt veterem nova Roma ſenectam,
Et ſumpſit vultus præſidis ipſa ſui.
Jam precor oblitus noſtræ, Volcane, querelæ
Parce: ſumus Martis turba, ſed & Veneris.
Parce pater: ſic Lemniacis laſciva catenis
Ignoſcat conjux, & patienter amet.

VIII. *De Phaſide.*

EDICTUM Domini, Deſque noſtri,
Quo ſubſellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modò Phaſis in theatro,
Phaſis purpureis rubens lacernis,
Et jactat tumido ſuperbus ore
Tandem commodiùs licet ſedere,
Nunc eſt reddita dignitas equeſtris;
Turbâ non premimur, nec inquinamur.
Hæc, & talia dum refert ſupinus,
Illas purpureas, & arrogantes
Juſſit ſurgere Lectius lacernas.

IX. *In Symmachum.*

LANGUEBAM: ſed tu comitatus protinus ad me
Veniſti centum, Symmache, diſcipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

X. *Ad Regulum, de famâ poëtarum.*

ESSE quid hoc dicam, vivis quòd fama negatur,
Et ſua quòd rarus tempora lector amat?
Hi ſunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram;
Sic laudant Catuli vilia templa ſenes.
Ennius eſt lectus ſalvo tibi, Roma, Marone,
Et ſua miſerunt ſæcula Mæonidem.
Rara coronato plauſere theatra Menandro:
Nôrat Naſonem ſola Corinna ſuum.
Vos tamen, ô noſtri, ne feſtinate libelli:
Si poſt fata venit gloria, non propero.

XI. *De Stella.*

SARDONYCHAS, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas auro
Verſat in anulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis plures in carmine gemmas
Invenies: indè eſt hæc, puto, culta manus.

XII. *De eodem.*

QUÒD nutantia fronte perticatâ
Geſtat pondera Maſthlion ſuperbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis
Septem quòd pueros levat, vel octo;
Res non difficilis mihi videtur:
Uno cum digito, vel hôc, vel illo,
Portet Stella meus decem puellas.

XIII. *In Calliſtratum.*

SUM, fateor, ſempérque fui, Calliſtrate, pauper,
Sed non obſcurus, nec malè notus eques.
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic eſt:
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnáque Niliacæ ſervit tibi gleba Syenes;
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, túque ſumus. ſed quod ſum, non potes eſſe:
Tu quod es, è populo quilibet eſſe poteſt.

XIV. *De Nanneio.*

SEDERE primo ſolitus in gradu ſemper,
Tunc cùm liceret occupare, Nanneius;
Bis excitatus térque tranſtulit caſtra,
Et inter ipſas penè tertius ſellas
Poſt Caiúmque Luciúmque conſedit.
Illinc cucullo proſpicit caput tectus,
Oculóque ludos ſpectat indecens uno.
Et hinc miſer dejectus in viam tranſit,
Subſellióque ſemifultus extremo,
Et malè receptus altero genu, jactat:
Equiti ſedere; Lectióque ſe ſtare.

XV. *Ad Cæſ. Domitianum.*

QUINCTUS noſtrorum liber eſt, Auguſte, jocorum,
Et queritur læſus carmine nemo meo.
Gaudet honorato ſed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.
Quid tamen hæc proſunt, quamvis venerantia multos?
Non proſint: ſanè me tamen illa juvant.

XVI. *Ad Lectorem.*

SERIA cùm poſſim, quòd delectantia malim
Scribere, tu cauſa es, lector amice, mihi,
Qui legis, & totâ cantas mea carmina Româ,
Sed neſcis, quanti ſtet mihi talis amor.
Nam ſi falciferi defendere templa tonantis,
Sollicitíſque velim vendere verba reis;
Plurimus Hiſpanas mittet mihi nauta metretas,
Et fiet vario ſordidus ære ſinus.
At nunc conviva eſt, comiſſatórque libellus,
Et tantùm gratis pagina noſtra placet.
Sed non hâc veteres contenti laude fuerunt,
Cùm minimum vati munus Alexis erat.
Bellè, inquis, dixti: ſatis eſt: laudabimur uſque.
Diſſimulas? facies me, puto, cauſidicum.

XVII. *In Gellium.*

DUM proavos, atavóſque refers, & nomina magna;
Dum tibi noſter eques ſordida conditio eſt:
Dum te poſſe negas niſi lato, Gellia, clavo
Nubere: nuptiſti, Gellia, ciſtifero.

XVIII. *Ad Quinctianum.*

QUÒD tibi Decembri menſe, quo volant mappæ,
Graciléſque ligulæ, cereique, chartæque,
Et acuta ſenibus teſta cum damaſcenis,
Præter libellos vernulas nihil miſi:
Fortaſſe avarus videar, aut inhumanus.
Odi doloſas munerum & malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis neſcit,
Avidum voratâ decipi ſcarum muſcâ?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis eſt pauper.

XIX. *Ad Cæſ. Domitianum.*

SI qua fides veri, præferri, maxime Cæſar,
Temporibus poſſunt ſæcula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit ſpectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere dei?
Pulchrior & major quo ſub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Eſt tamen hoc vitium, ſed non leve, ſit licèt unum,
Quòd colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri, fidóque ſodali,
Aut quem proſequitur non alienus eques?
Saturnalitiæ ligulam miſiſſe ſelibræ,
Flammatæve togæ ſcriptula tota decem,
Luxuria eſt, tumidóque vocant hæc munera reges.
Qui crepet aureolos, forſitan unus erit.
Quatenus hi non ſunt, eſto tu, Cæſar, amicus.
Nulla ducis virtus dulcior eſſe poteſt.
Jam dudum tacito rides, Germanice, naſo:
Utile quod nobis, do tibi conſilium.

XX. *Ad Julium Martialem.*

SI tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;
Si diſponere tempus otioſum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forúmque triſte
Noſſemus, nec imagines ſuperbas:
Sed geſtatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, Virgo, thermæ;
Hæc eſſent loca ſemper, hi labores.
Nunc vivit ſibi neuter, heu, bonóſque
Soles effugere, atque abire ſentit;
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quiſquam vivere cùm ſciat, moratur?

XXI. *De Apollonio.*

QUINCTUM pro Decimo, pro Craſſo, Regule, Macrum
Antè ſalutabat rhetor Apollonius.
Nunc utrumque ſuo reſalutat nomine: quantum
Cura, labórque poteſt! ſcripſit, & edidicit.

XXII. *In Paullum.*

MANE domi niſi te volui, meruſque videre,
Sint mihi, Paulle, tua longiùs Exquiliæ.

Sed

Sed Tiburtinæ ſum proximus accola pilæ;
Quà videt antiquum ruſtica Flora Jovem.
Alta Suburrani vincenda eſt ſemita clivi,
Et numquam ſicco ſordida ſaxa gradu:
Viſque datur longas mulorum rumpere mandras;
Quæque trahi multo marmora funè vides.
Illud adhuc gravius, quòd te poſt mille labores,
Paulle, negat laſſo janitor eſſe domi.
Exitus hic operis vani, togulæque madentis:
Vix tanti Paullum manè videre fuit.
Semper inhumanos habet officioſus amicos:
Rex, niſi dormieris, non potes eſſe meus.

XXIII. *Ad Baſſum.*

HERBARUM ſueras indutus, Baſſe, colores,
Jura theatralis dum ſiluere loci.
Quæ poſtquam placidi cenſoris cura renaſci
Juſſit, & Oceanum certior audit eques;
Non niſi vel cocco madidâ, vel murice tinctâ
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ ſunt, Baſſe, lacernæ:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

XXIV. *De Hermete.*

HERMES Martia ſæculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes & gladiator, & magiſter;
Hermes turba ſui tremórque ludi;
Hermes quem timet Helius, ſed unum;
Hermes cui cadit Advolans, ſed uni;
Hermes vincere, nec ferire doctus;
Hermes ſuppoſititius ſibi ipſi;
Hermes divitiæ locariorum;
Hermes cura, labórque ludiarum;
Hermes belligerâ ſuperbus haſtâ;
Hermes æquoreo minax tridente;
Hermes caſſide languidâ timendus;
Hermes gloria Martis univerſi;
Hermes omnia ſolus, & ter unus.

XXV. *De Chareſtrate.*

QUADRINGENTA tibi non ſunt, Chæreſtrate, ſurge,
Lectius ecce venit: ſta, fuge, curre, late.
Ecquis, iò, revocat, diſcedentémque reducit?
Ecquis, iò, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famæque damus, populiſque loquendum?
Quis Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuſo permaduiſſe croco?
Quàm non ſenſuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi naſus ubique micet?
O fruſtra locuples, ô diſſimulator amici,
Hæc legis & laudas? quæ tibi fama perit?

XXVI. *Ad Codrum.*

QUÒD alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliquâ cùm jocarer in chartâ:
Si fortè bilem movit hic tibi verſus,
Dicas licebit beta me togatorum.

XXVII. *In fictum equitem.*

INGENIUM, ſtudiúmque tibi, moréſque, genúſque
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.
Bis ſeptena tibi non ſunt ſubſellia tanti,
Ut ſedeas viſo pallidus Oceano.

XXVIII. *Ad Aulum, de Mamerco.*

UT bene loquatur, ſentiátque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus poſſis:
Pietate fratres Curtios licèt vincas,
Quiete Nervas, comitate Ruſones,
Probitate Macros, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos:
Rubiginoſis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forſan eſſe tu credas:
Ego eſſe miſerum credo, cui placet nemo.

XXIX. *Ad Gellium.*

SI quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum, lux mea, narras:
Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

XXX. *Ad Varronem.*

VARRO Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minùs in Calabrâ ſuſpiciende lyrâ;
Differ opus: nec te facundi ſcena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoſo non aſpernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi menſe ſuo.
Commodius niſi fortè tibi, potiúſque videtur,
Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

XXXI. *De ludo puerorum cum juvencis.*

ADSPICE, quàm placidis inſultet turba juvencis,
Et ſua quàm facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet ſummis: vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma bove.
At feritas immota riget. non eſſet arena
Tutior, & poterant fallere plana magis.
Nec trepidant geſtus: ſed de diſcrimine palmæ
Securus puer eſt, ſollicitúmque pecus.

XXXII. *Ad Fauſtinum, de Criſpo.*

QUADRANTEM Criſpus tabulis, Fauſtine, ſupremis
Non dedit uxori; cui dedit ergo? ſibi.

XXXIII. *In Cauſidicum.*

CARPERE cauſidicus fertur mea carmina: qui ſit
Neſcio: ſi ſciero, væ tibi cauſidice.

XXXIV. *Epitaphium Eroti ad Frontonem & Flaccillam parentes.*

HANC tibi, Fronto Puer, genitrix Flaccilla puellam,
Oſcula commendo deliciáſque meas:
Paulula ne nigras horreſcat Erotion umbras,
Oráque Tartarei prodigioſa canis.
Impletura fuit ſextæ modò frigora brumæ;
Vixiſſet totidem ni minùs illa dies.
Inter tam veteres ludat laſciva patronos,
Et nomen blæſo garriat ore meum.
Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra gravis fueris; non fuit illa tibi.

XXXV. *De Euclide.*

DUM ſibi redire de Patrenſibus ſuis
Ducena clamat coccinatus Euclides,
Corinthióque plura de ſuburbano:
Longúmque pulchrâ ſtemma repetit à Ledâ,
Et ſuſcitanti Lectio reluctatur;
Equiti ſuperbo, nobili, locupleti,
Cecidit repentè magna de ſinu clavis.
Numquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

XXXVI. *Ad Fauſtinum.*

LAUDATUS noſtro quidam, Fauſtine, libello,
Diſſimulat, quaſi nil debeat: impoſuit.

XXXVII. *De Erotio puellâ.*

PUELLA ſenibus dulcior mihi cycnis:
Agnâ Galeſi mollior Phalantini:
Conchâ Lucrini delicatior ſtagni;
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modò politum pecudis Indicæ dentem,
Nivéſque primas, liliúmque non tactum:
Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rhenſque nodos, aureámque nitelam:
Fragravit ore, quod roſarium Pæſti;
Quod Atticarum prima mella cerarum;
Quod ſuccinorum rapta de manu glebæ;
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis ſciurus, & frequens Phœnix:
Adhuc recenti tepet Erotion buſto,
Quam peſſimorum lex avara ſatorum
Sextâ peregit hyeme, nec tamen totâ,
Noſtros amores, gaudiúmque, luſúſque.
Et eſſe triſtem me meus vetat Pætus:
Pectúſque pulſans, pariter & comam vellens:
Deflere non te vernulæ pudet mortem?
Ego conjugem, inquit, extuli, & tamen vivo,
Notam, ſuperbam, nobilem, locupletem.
Quid eſſe noſtro fortius poteſt Pæto?
Ducenties accepit, & tamen vivit.

XXXVIII. *In*

Digitized by Google

XXXVIII. *In Calliodorum.*

CALLIODORUS habet censum (quis nescit?) equestrem; sed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta fecit, qui dicit σῦκα μισῶ;
Uno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Unus cùm sitis; duo, Calliodore, sedetis.
Surge: solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ; aut cum fratre sedere
Non potes. alterutis, Calliodore, fide.

XXXIX. *In Carinum.*

SUPREMAS tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere jam Carine.
Signa rariùs, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculósque sacculúmque,
Crœso divitior licèt fuissem,
Iro pauperior forem, Carine,
Si concham toties meam comesses.

XL. *Ad Artemidorum.*

PINXISTI Venerem; colis, Artemidore, Minervam:
Et miraris, opus displicuisse tuum?

XLI. *In Didymum.*

SPADONE cùm sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,
Quem sectus ululat matris cathea Gallus,
Theatra loqueris, & gradus, & edicta;
Trabeásque, & ldus, fabuláque censúsque:
Et pumicatâ pauperes mana monteras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme: non licet maritorum.

XLII. *Amicis quod datur, non perire.*

CALLIDUS effractâ nummos fur auferet arcâ:
Prosternet patrios impia flamma Lares.
Debitor usuram pariter, sortémque negabit:
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam est quidquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

XLIII. *De Thaide & Lecania.*

THAIS habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio est? hæc emptos hanc habet, illa suos.

XLIV. *In Dentonem.*

QUID factum est, rogo, quid repentè factum est?
Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti
(Quis credat?) quater ausus es negare.
Sed nec respicis, & fugis sequentem;
Quem thermis modò quærere, & theatris,
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est: captus es unctiore cœnâ,
Et major rapuit canem culina
Jam te: sed citò cognitum & relictum
Cùm fastidierit popina dives,
Antiquas venies ad ossa cœnæ.

XLV. *In Bassam.*

DICIS formosam, dicis te, Bassa, puellam,
Istud quæ non est, dicere Bassa solet.

XLVI. *Ad Diadumenum.*

BASIA dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plùs tua, quàm facies:
Ut te sæpe rogem, cædo, Diadumene, sæpe;
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

XLVII. *De Philone.*

NUMQUAM se cœnâsse domi Philo jurat: & hoc est:
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

XLVIII. *De Encolpo.*

QUID non cogit amor? secuit nolente capillos
Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permisit, flevitque Pudens. sic cessit habenis
Audaci questus de Phaëthonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles
Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, brevibus nec crede capillis;
Tardáque pro tanto munere barba veni.

XLIX. *Ad Labienum.*

VIDISSEM modò fortè cùm sedentem
Solum te, Labiene: tres putavi.
Calvæ me numerus tuæ fefellit.
Sunt illinc tibi, sunt & hinc capilli,
Quales nec pueris decere possint.
Nudum est in medio caput, nec ullus
In longâ pilus aream notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc cùm prandia misit Imperator;
Cum panariolis tribus redisti.
Talem Geryonem fuisse credo.
Vites, censeo, porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi.

L. *In Charopinum.*

COENO domi quoties, nisi te, Charopine, vocavi;
Protinus ingentes sunt inimicitiæ:
Méque petis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sinè te scis calluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum feciſſe licebit?
Improbius nihil est hâc, Charopine, gulâ.
Define jam nostram, precor, observare culinam,
Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

LI. *Ad Rufum.*

HIC qui libellis prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus levis,
Qui codicillis hinc, & indè prolatis,
Epistolísque commodat gravem vultum,
Similis Catoni, Tullióque, Brutóque;
Exprimere, Rufe, fidiculæ licèt cognæ,
Ave Latinum, χαῖρε non potest Græcum.
Si fingere istud me putas, salutemus.

LII. *In Postumum.*

QUÆ mihi præstiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo? Postume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat; dixerat ipse mihi.
Non bellè quondam faciunt duo: sufficit unus
Huic operi: si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dona
Auctoris pereunt garrulitate sui.

LIII. *Ad Bassum.*

COLCHIDA quid scribis, quid scribis, amice, Thyestem?
Quò tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaëthon.

LIV. *De Rhetore Apollonio.*

EXTEMPORALIS factus est meus Rhetor:
Calpurnium non scripsit, & salutavit.

LV. *De Aquilâ portante Jovem.*

DIC mihi, quem portes, volucrum regina? tonantem.
Nulla manu quare fulmina gestat? amas.
Quo calet igne deus? pueri. cur mitis aperto
Respicis ore Jovem? de Ganymede loquor.

LVI. *Ad Lupum.*

CUI tradas, Lupe, filium magistro
Quæris sollicitus diu, rogásque.
Omnes grammaticósque rhetorásque
Devites, moneo; nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Fama Tutilium suæ relinquat.
Si versus facit, abdices Poëtam.
Artes discere vult pecuniosas?
Fac, discat, citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingenî videtur,
Præconem facias, vel architectum.

LVII. *Ad Cinnam.*

CUM voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

LVIII. *Ad Poſtumum.*

CRAS te victurum, cras dicis, Poſtume, ſemper
Dic mihi cras iſtud, Poſtume, quando venit?
Quàm longè cras iſtud? ubi eſt? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos, Armeniósque latet?
Jam cras iſtud habet Priami vel Neſtoris annos.
Cras iſtud quanti, dic mihi, poſſit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Poſtume, ſerum eſt.
Ille ſapit, quiſquis, Poſtume, *vixit heri.*

LIX. *Ad Stellam.*

QUÒD non argentum, quòd non tibi miſimus aurum;
Hoc facimus causâ, Stella diſerte, tuâ.
Quiſquis magna dedit, voluit ſibi magna remitti:
Fictilibus noſtris exoneratus eris.

LX. *Ad detractorem.*

ALIATRES licèt uſque nos & uſque,
Et gannitibus improbis laceſſas:
Certum eſt hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiſcumque legaris ut per orbem:
Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?
Ignotus pereas, miſer, neceſſe eſt.
Non deerunt tamen hâc in urbe forſan
Unus, vel duo, tréſve, quatuórve,
Pellem rodere qui velint caninam.
Nos hâc à ſcabie tenemus ungues.

LXI. *In Marianum.*

CRISPULUS iſte quis eſt, uxori ſemper adhæret
Qui, Mariane, tuæ? criſpulus iſte quis eſt?
Neſcio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,
Et ſellam cubito dexteriore premit?
Per cujus digitos currit levis annulus omnes:
Crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi reſpondes? uxoris res agit, inquis,
Iſte meæ: ſanè certus, & aſper homo eſt:
Procuratorem vultu qui præferat ipſo;
Acrior hôc Chius non erat Auſidius.
O quàm dignus eras alapis, Mariane, Latini:
Te ſucceſſurum credo ego Panniculo.
Res uxoris agit? res nullas Criſpulus iſte:
Res non uxoris, res agit iſte tuas.

LXII. *Ad hoſpites.*

JURE tuo noſtris maneas licet, hoſpes, in hortis,
Si potes in nudo ponere membra ſolo:
Aut ſi portatur tecum tibi magna ſupellex:
Nam mea jam digitum ſuſtulit hoſpitibus.
Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos:
Putris & abruptâ faſcia reſte jacet.
Sit tamen hoſpitium nobis commune duobus:
Emi hortos; plus eſt: inſtrue tu; minus eſt.

LXIII. *Ad Ponticum.*

QUID ſentis, inquis, de noſtris, Marce, libellis?
Sic me ſollicitus, Pontice, ſæpe rogas.
Admiror; ſtupeo; nihil eſt perfectius illis:
Ipſe tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc ſentis? inquis; faciat tibi ſic bene Cæſar,
Sic Capitolinus Jupiter: imò tibi.

LXIV. *Ad ſuos miniſtros.*

SEXTANTES, Calliſte, duos infunde Falerni:
Tu ſupèr æſtivas, Alcime, ſolve nives.
Pingueſcat nimio madidus mihi crinis amomo,
Laſſentúrque roſis tempora ſutilibus.
Jam vicina jubent nos vivere Mauſolea:
Cùm doceant ipſos poſſe perire deos.

LXV. *Ad Cæſarem.*

ASTRA, polúmque dedit, quamvis obſtante novercâ,
Alcidæ, Nemeæ terror, & Arcas aper;
Et caſtigatum Libyeæ ceroma palæſtræ;
Et gravis in Siculo pulvere fuſus Eryx:
Sylvarúmque tremor, tacitâ qui fraude ſolebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boves:
Iſta tuæ, Cæſar, quota pars ſpectatur arenæ?
Dat majora novus prælia manè dies.
Quot graviora cadunt Nemeæo pondera monſtro?
Quot tua Mænalios collocat haſta ſues?
Reddatur ſi pugna triplex paſtoris Iberi;
Eſt tibi, qui poſſit vincere Geryonem.
Sæpe licèt Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis cœlum tantis, Auguſte, dederunt
Alcidæ citò Dî: ſed tibi ſerò dabunt.

LXVI. *In Pontilianum.*

SÆPE ſalutatus, numquam prior ipſe ſalutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

LXVII. *De hirundine.*

HYBERNOS peterent ſolito cùm more receſſus
Atthides, in nidis una remanſit avis.
Deprendere nefas ad tempora verna reverſæ,
Et profugam volucres diripuere ſuæ.
Serò dedit pœnas. diſcerpi noxia mater
Debuerat: ſed tunc, cùm laceravit Itym.

LXVIII. *Ad Lesbiam.*

ARCTOA de gente comam tibi, Lesbia, miſi:
Ut ſcires quanto ſit tua flava magis.

LXIX. *In M. Antonium.*

ANTONI Pharios nil objecture Pothino,
Et leviùs tabulâ quàm Cicerone nocens:
Quid gladium demens Romana ſtringis in ora?
Hoc admiſiſſet nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro:
Et tantis opibus vox tacet una tibi.
Quid proſunt ſacræ pretioſa ſilentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

LXX. *De Syriſco ad Maximum.*

INFUSUM ſibi nuper à patrono
Plenum, Maxime, centies Syriſcus
In ſellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor, peregit.
O quanta eſt gula, centies comeſſe!
Quanto major adhuc, nec accubare!

LXXI. *Ad Fauſtinum.*

HUMIDA quà gelidas ſummittit Trebula valles,
Et viridis Cancri menſibus alget ager;
Rura Cleonæo numquam temerata leone,
Et domus Æolio ſemper amica Noto,
Te, Fauſtine, vocant: longas his exige meſſes
Collibus; hybernum jam tibi Tibur erit.

LXXII. *Ad Ruſum, de origine Bacchi.*

QUI potuit Bacchi matrem dixiſſe Tonantem,
Ille poteſt Semelen dicere, Ruſe, patrem.

LXXIII. *Ad Theodorum.*

NON donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore? magna cauſa eſt:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

LXXIV. *De Pompeio & filiis.*

POMPEIOS juvenes Aſia, atque Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes; ſi tamen ulla tegit.
Quid mirum toto ſi ſpargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

LXXV. *Ad Quinctum.*

QUÆ legis causâ nuptit tibi Lælia, Quincte,
Uxorem potes hanc dicere legitimam?

LXXVI. *Ad Cinnam.*

PROFECIT poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.
Tu quoque caviſti cœnando tam malè ſemper:
Ne poſſes unquam, Cinna, perire fame.

LXXVII. *Ad Marullum.*

NARRATUR bellè quidam dixiſſe, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculam

LXXVIII. *Ad*

Digitized by Google

LXXVIII. *Ad Turanium.*

SI triſti domicœnio laboras,
Turani; potes eſurire mecum.
Non deerunt tibi, ſi ſoles *ἀγρίωνες*,
Viles Cappadocæ, gravéſque porri.
Diviſis cybium latebit ovis:
Ponetur digitis tenendus unctis
Nigrâ cauliculus virens patellâ,
Algentem modò qui reliquit hortum:
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum;
Et quas docta Neapolis creavit
Lento caſtaneæ vapore toſtæ:
Vinum tu facies bonum bibendo.
Poſt hæc omnia fortè ſi movebit
Bacchus, quam ſolet, eſuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ,
Piceni modò quas tulere rami,
Et fervens cicer, & tepens lupinus.
Parva eſt cœnula, (quis poteſt negare?)
Sed finges nihil, audiéſve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes;
Nec craſſum dominus leget volumen:
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſinè fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos:
Sed, quod non grave ſit, nec inſectum
Parvi tibia condyli ſonabit.
Hæc eſt cœnula. Claudiam ſequeris
Quam nobis cupis eſſe te priorem.

LXXIX. *In Zoilum.*

UNDECIES unâ ſurrexi, Zoïle, cœnâ;
Et mutata tibi eſt ſyntheſis undecies:
Sudor inhæret madidâ ne veſte retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non ſudo, qui tecum, Zoïle, cœno?
Frigus enim magnum ſyntheſis una facit.

LXXX. *Ad Severum.*

NON totam mihi, ſi vacabis, horam,
Dones, & licet imputes, Severe,
Dum noſtras legis, exigisque nugas.
Durum eſt perdere ferias: rogamus,
Jacturam patiaris hanc, feráſque.
Quòd ſi legeris ipſe cum diſerto
(Sed numquid ſumus improbi?) Secundo?
Plus multo tibi debiturus hic eſt,
Quàm debet domino ſuo libellus.
Nam ſecurus erit, nec inquieta
Laſſi marmora Siſyphi videbit;
Quem cenſoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi.

LXXXI. *Ad Æmilianum.*

SEMPER eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nulli nunc niſi divitibus.

LXXXII. *In Gaurum.*

QUID promittebas mihi millia, Gaure, ducenta:
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, & non vis? rogo, non eſt turpius iſtud?
I, tibi diſperdas, Gaure: puſillus homo es.

LXXXIII. *Ad Dindymum.*

INSEQUERIS, fugio; fugis, inſequor; hæc mihi mens eſt:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

LXXXIV. *Ad Gallam.*

JAM triſtis nucibus puer relictis
Clamoſo revocatur à Magiſtro:
Et blando malè proditus fritillo,
Arcanâ modò raptus à popinâ,
Ædilem rogat udus aleator.
Saturnalia tranſiere tota.
Nec munuſcula parva, nec minora
Miſiſti mihi, Galla, quæ ſolebas.
Sanè ſic abeat meus December.
Scis certè puto veſtra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dediſti.

LIBER VI.

I. *Ad Julium Martialem.*

SEXTUS mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis:
Quem ſi terſeris aure diligenti,
Audebit minùs anxius treméntſque,
Magnas Cæſaris in manus venire.

II. *Adulatorium.*

LUSUS erat ſacræ connubia fallere tedæ:
Luſus & immeritos exſecuiſſe mares.
Utraque tu prohibes, Cæſar, populiſque futuris
Succurris, naſci quos ſinè fraude jubes.
Nec ſpado jam, nec mœchus erit, te præſide, quiſquam:
At priùs (ô mores) & ſpado mœchus erat.

III. *De filio Domitiani.*

NASCERE Dardanio promiſſum nomen Iülo,
Vera deûm ſoboles: naſcere magne puer.
Cui pater æternas poſt ſecula tradat habenas,
Quiſque regas orbem cum ſeniore ſenex.
Ipſa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

IV. *Adulatorium.*

CENSOR maxime, principúmque princeps,
Cùm tot jam tibi debeat triumphos,
Tot naſcentia templa, tot renata,
Tot ſpectacula, tot deos, tot urbes:
Plus debet tibi Roma, quòd pudica eſt.

V. *Ad Cæcilianum.*

RUSTICA mercatus multis ſum prædia nummis:
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi reſpondes? tacitum te dicere credo:
Non reddes: ideo, Cæciliane, rogo.

VI. *Ad Lupercum.*

COMOEDI tres ſunt: ſed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor, & *καμὸν* Paulla *φάσκοντα* amat.

VII. *De Theleſinâ.*

JULIA lex populis ex quo, Fauſtine, remota eſt;
Atque intrare domos juſſa Pudicitia eſt:
Aut minùs, aut certè non pius tricesima lux eſt,
Et nubit decimo jam Theleſina viro.
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege eſt.
Offendor mœchâ ſimpliciore minùs.

VIII. *Ad Severum.*

PRÆTORES duo, quatuor tribuni,
Septem cauſidici, decem Poëtæ,
Cujuſdam modò nuptias petebant
A quodam ſene. non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

IX. *Ad Lavinum.*

IN Pompeiano dormis, Lavine, theatro:
Et quereris, ſi te ſuſcitat Oceanus?

X. *Petit latenter à Domitiano pecuniam.*

PAUCA Jovem nuper cùm millia fortè rogarem:
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidem dedit ille Jovi: ſed millia nobis
Nulla dedit: pudeat pauca rogâſſe Jovem.
At quàm non tetricus, quàm nullâ nubilus irâ,
Quàm placido noſtras legerat ore preces!
Talis ſupplicibus tribuit diademata Dacis:
Et Capitolinas ſtque redítque vias.
Dic precor, ô noſtri dic conſcia virgo Tonantis:
Si negat hôc vultu, quo ſolet ergo dare?
Sic ego: ſic breviter poſitâ mihi Gorgone Pallas:
Quæ nondum data ſunt, ſtulte, negata putas?

XI. *In Marcum.*

QUÒD non ſit Pylades hoc tempore, non ſit Oreſtes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdúſve dabatur Oreſti:
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.

Digitized by Google

Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris:
Non minùs ingenua est & mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?
Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama.

XII. *De Fabullâ.*

JURAT capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: numquid, Paulle, pejerat? nego.

XIII. *De statuâ Juliæ.*

QUIS te Phidiaco formatam, Julia, cœlo:
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacitâ respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A te Juno petat cestos, & ipsa Venus.

XIV. *In Laberium.*

VERSUS scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi? quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi; virum putabo.

XV. *De formicâ succino inclusâ.*

DUM Phaëthontea formica vagatur in umbrâ,
Implicuit tenuem succina gutta feram:
Sic modò quæ fuerat vitâ contempta manente,
Funeribus facta nunc pretiosa suis.

XVI. *Ad Priapum.*

TU qui pene viros terres, & falce cinædos,
Jugera sepositi pauca tuere loci.
Sic tua non intrent vetuli pomaria fures;
Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

XVII. *In Cinnamum.*

CINNAM, Cinname tu jubes vocari.
Non est hic, rogo, Cinna, barbarissimus?
Tu si Furius antè dictus esses,
Fur istâ ratione dicereris.

XVIII. *Epitaphium Saloninι, ad Priscum.*

SANCTA Saloninι terris requiescit Iberis,
Quâ melior Stygias non videt umbra domos,
Sed lugere nefas, nam qui te, Prisce, reliquit;
Vivit, quâ voluit vivere parte magis.

XIX. *In Postumum cunctidicum.*

NON de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Hoc judex tibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticúmque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariósque, Mutiósque
Magnâ voce sonas, manúque totâ.
Jam dic, Postume, de tribus capellis.

XX. *In Phœbum.*

MUTUA te centum sestertia, Phœbe, rogavi:
Cùm mihi dixisses, exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, méque diebus
Téque decem crucias: jam rogo, Phœbe, nega.

XXI. *De Stellâ & Ianthide.*

PERPETUAM Stellæ dum jungit Ianthida vati
Læta Venus, dixit: plus dare non potui.
Hæc coram dominâ: sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces, exitiose, vide.
Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi,
Legitimos isset cùm vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nullâ me pellice læsit:
Tam frugi Juno vellet habere Jovem.
Dixit, & arcano percussit pectora loro.
Plaga juvat: sed tu jam dea cæde duos.

XXII. *In Proculinam.*

QUOD nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modò, nunc facis maritum;
Ne lex Julia te notare possit:
Non nubis, Proculina, sed fateris.

XXIII. *In Lesbiam.*

STARE jubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem?
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licèt & manibus, blandis & vocibus instes:
Contra te facies imperiosa tua est.

XXIV. *De Charisiano.*

NIL lascivius est Charisiano;
Saturnalibus ambulat togatus.

XXV. *Ad Marcellinum.*

MARCELLINE boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit ursa jugo:
Ille vetus pro te patriúsque quod optat amicus,
Accipe, & hæc memori pectore vota tene:
Casta sit ut virtus, nec te temerarius ardor
In medios enses, sæváque tela ferat.
Bella velint, Martémque ferum rationis egentes:
Tu potes & patriæ miles, & esse decus.

XXVI. *De Sotade.*

PERICLITATUR capite Sotades noster.
Reum putatis esse Sotadem? non est.
Arrigere desît posse Sotades: lingit.

XXVII. *Ad Nepotem.*

BIS vicine nepos (nam tu quoque proxima Flore
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi, quæ patriâ signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimiùm ne parce Falerno:
Et potiùs plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum;
Amphora cum dominâ nunc nova fiat anus.
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos;
Possunt & patres vivere, crede mihi.

XXVIII. *Epitaphium Glauciæ.*

LIBERTUS Melioris ille notus,
Totâ qui cecidit dolente Româ,
Cari deliciæ breves patroni,
Hôc sub marmore Glaucias humatus
Junctο Flaminiæ jacet sepulchro:
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modò messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas viator.

XXIX. *De eodem.*

NON de plebe domus, nec avara verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer:
Munera cùm posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus jam Melioris erat.
Moribus hoc formæque datum. quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.
Quidquid ames, cupias non placuisse nimis.

XXX. *In Patrem.*

SEX sestertia si statim dedisses,
Cùm dixti mihi; sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc cùm dederis diu moratus,
Post septem puto, vel novem Kalendas:
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Pæte, perdidisti.

XXXI. *In Charidemum.*

UXOREM, Charideme, tuam scis ipse, finisque
A medico futui. vis sinè febre mori.

XXXII. *De morte Othonis.*

CUM dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
Forsitan & posset vincere mollis Otho:
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certâ pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sanè vel Cæsare major:
Dum moritur, numquid major Othone fuit?

XXXIII. *In*

Digitized by Google

XXXIII. *In Sabellum.*

NIL miſerabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidiſti, quo nil lætius antè fuit.
Furta, fugæ, mortes ſervorum, incendia, luctus
Affligunt hominem, tam miſer, & futuit.

XXXIV. *Ad Diadumenum.*

BASIA da nobis, Diadumene, preſſa. quot, inquis?
Oceani fluctus me numerare jubes.
Et maris Ægæi ſparſas per littora conchas:
Et quæ Cecropio monte vagantur apes:
Quæque ſonant pleno vocéſque manúſque theatro,
Cùm populus ſubiti Cæſaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia: pauca cupit, qui numerare poteſt.

XXXV. *Ad Cæcilianum.*

SEPTEM clepſydras magnâ tibi voce petenti
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis: vitreſſque tepentem
Ampullis potas ſemiſupinus aquam.
Ut tandem ſuies vocémque ſitímque; rogamus
Jam de clepſydrâ, Cæciliane, bibas.

XXXVI. *Ad Papilum.*

MENTULA tam magna eſt, tantus tibi, Papile, naſus:
Ut poſſis, quoties arrigis, olfacere.

XXXVII. *In Carinum.*

SECTI podicis uſque ad umbilicum
Nullas relliquias habet Carinus.
Et prurit tamen uſque ad umbilicum:
O quantâ ſcabie miſer laborat!
Culum non habet, eſt tamen cinædus.

XXXVIII. *De filio Reguli.*

ADSPICIS ut parvus, nec adhuc trieteride plenâ
Regulus auditum laudet & ipſe patrem?
Maternóſque ſinus viſo genitore relinquat,
Et patrias laudes ſentiat eſſe ſuas?
Jam clamor, centúmque viri, denſúmque corona
Vulgus, & infanti Julia tecta placent.
Acris equi ſoboles magno ſic pulvere gaudet;
Sic vitulus molli prœlia fronte cupit.
Di ſervate, precor, matri ſua vota, patríque:
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

XXXIX. *In Cinnam.*

PATER ex Marullâ, Cinna, factus es ſeptem,
Non liberorum: namque nec tuus quiſpiam,
Nec eſt amici, filiúſve vicini:
Sed in grabatis tegetibúſque concepti
Materna produnt capitibus ſuis furta.
Hic qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur eſſe ſe coci Santræ.
At ille ſimâ nare, turgidis labris,
Ipſa eſt imago Pannici palæſtritæ.
Piſtoris eſſe tertium, quis ignorat,
Quicunque lippum novit & videt Damam?
Quartus cinædâ fronte, candido vultu,
Ex concubino natus eſt tibi Lygdo:
Percide ſi vis filium, nefas non eſt.
Hunc verò acuto capite, & auribus longis,
Quæ ſic moventur ut ſolent aſellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhæ?
Duæ ſorores; illa nigra, & hæc rufa,
Croti choraulæ, villicíque ſunt Carpi.
Jámque hybridarum grex tibi foret plenus,
Si ſpado Coreſus, Dindymúſque non eſſet.

XL. *Ad Lycorim.*

FOEMINA præferri potuit tibi nulla, Lycori:
Præferri Glyceræ fœmina nulla poteſt.
Hæc erit hoc, quod tu: tu non potes eſſe, quod hæc eſt:
Tempora quid faciunt! hanc volo, te volui.

XLI. *In raucum Poëtam.*

QUI recitat lanâ fauces & colla revinctus,
Hic ſe poſſe loqui, poſſe tacere negat.

XLII. *De Etruſci termis, ad Oppianum.*

ETRUSCI niſi thermulis lavaris,
Illotus morieris, Oppiane.

Nullæ ſic tibi blandientur undæ:
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinueſſa, fervidſque
Fluctus Palſeris, aut ſuperbus Anxur,
Non Phœbi vada, principéſque Baiæ.
Nuſquam tam nitidum micat ſerenum:
Lux ipſa eſt ibi longior, diéſque
Nullo tardiùs à loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore ſaxa,
Quæ Phryx, & Libys altiùs cecidit.
Siccos pinguis Onyx anhelat æſtus,
Et flammâ tenui calent Ophitæ.
Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Crudâ Virgine Martiâve mergi;
Quæ tam candida, tam ſerena lucet,
Ut nullas ibi ſuſpiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis, & aure me ſupinâ,
Jam dudum quaſi negligenter audis.
Illotus morieris, Oppiane.

XLIII. *Ad Caſtricum.*

DUM tibi felices indulgent, Caſtrice, Baiæ:
Canáque ſulphureis nympha natatur aquis:
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et caſa jugeribus non oneroſa ſuis.
Hìc mihi Baiani Soles, molliſque Lucrinus;
Hìc veſtræ mihi ſunt, Caſtrice, divitiæ.
Quondam laudatas quocunque libebat ad undas
Currere, nec longas pertimuiſſe vias.
Nunc urbi vicina juvant, faciléſque receſſus,
Et ſatìs eſt, pigro ſi licet eſſe mihi.

XLIV. *In Calliodorum.*

FESTIVE credis te, Calliodore jocari;
Te ſolum multo permaduiſſe ſale.
Omnibus adrides, dicteria dicis in omnes;
Sic te convivam poſſe placere putas.
At ſi ego non bellè, ſed verè dixero quiddam:
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

XLIV. *In nuptias Lygdi & Lætoriæ.*

LUSISTIS, ſatis eſt; laſcivi nubite cunni:
Permiſſa eſt vobis non niſi caſta Venus.
Hæc eſt caſta Venus? nubit Lætoria Lygdo:
Turpior uxor erit, quàm modò mœcha fuit.

XLVI. *Ad Catianum.*

VAPULAT aſſiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

XLVII. *Ad Ianthida Nymphan.*

NYMPHA, mei Stellæ quæ fonte domeſtica puro
Laberis, & domini gemmea tecta ſubis:
Sive Numæ conjux Triviæ te miſit ab antro;
Sive Camœnarum de grege nona venis:
Exſolvit votis hâc ſe tibi virgine porcâ
Marcus, furtivam quòd bibit æger aquam.
Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
Da ſecura tui: ſit mihi ſana ſitis.

XLVIII. *In Pomponium.*

QUÒD tam grande ſophos clamat tibi turba togata;
Non tu, Pomponi; cœna diſerta tua eſt.

XLIX. *De ſe Priapus.*

NON ſum de fragili dolatus ulmo,
Nec quæ ſtat rigidâ ſupina venâ,
De ligno mihi quolibet columna eſt,
Sed vivâ generata de cupreſſo:
Quæ nec ſecula centies peracta,
Nec longæ cariem timet ſenectæ.
Hanc, tu quiſquis es, ô malus, timeto:
Nam ſi vel minimos manu rapaci
Hôc de palmite læſeris racemos:
Naſcetur, licèt hoc velis negare,
Inſertâ tibi ſicus à cupreſſo.

L. *De Theleſino.*

CUM coleret puros pauper Theleſinus amicos,
Errabat gelidâ ſordidus in togulâ.

 Obſcenos

Obſcœnos poſtquam cœpit curare cinœdos,
Argentum, menſas, prædia ſolus emit.
Vis fieri dives Bithynice? conſcius eſto.
Nil tibi, vel minimum, baſia pura dabunt.

LI. *Ad Lupercum.*

QUòd convivaris finè me tam ſæpe, Luperce;
Inveni, noceam quâ ratione tibi.
Iraſcar licèt uſque voces, mittáſque, rogéſque.
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

LII. *Epitaphium Pantagathi veſtoris.*

HOC jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolórque ſui,
Vix tangente vagos ferro reſecare capillos
Doctus, & hirſutas excoluiſſe genas.
Sis licèt, ut debes, Tellus placata, leviſque;
Artificis levior non potes eſſe manu.

LIII. *De Andragorâ.*

LOTUS nobiſcum eſt, hilaris cœnavit; & idem
Inventus manè eſt mortuus Andragoras.
Tam ſubitæ mortis cauſſam, Fauſtine, requiris?
In ſomnis medicum viderat Hermocratem.

LIV. *De Sextilianâ.*

TANTOS, & tantas ſi dicere Sextilianum,
Aule, vetes; junget vix tria verba miſer.
Quid ſibi vult? inquis. dicam, quid ſuſpicer eſſe:
Tantos, & tantas Sextilianus amat.

LV. *In Coracinum.*

QUòd ſemper caſiâque, cinnamóque,
Et nido niger alitis ſuperbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quàm bene olere, nil olere.

LVI. *In Charidemum.*

QUòd tibi crura rigent ſetis, & pectora villis;
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Téque pilare tuas teſtificare nates.
Quæ ratio eſt? inquis. ſcis multos dicere multa.
Fac pædicari te, Charideme, putent.

LVII. *In Phœbum.*

MENTIRIS fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis ſordida calva comis.
Tonſorem capiti non eſt adhibere neceſſum:
Radere te meliùs ſpongia, Phœbe, poteſt.

LVIII. *Ad Aulum Pudentem.*

CERNERE Parrhaſios dum te juvat, Aule, Triones
Cominus & Scythici ſidera pigra poli;
O quàm penè tibi Stygias ego raptus ad undas,
Elyſiæ vidi nubila fuſca plagæ!
Quamvis laſſa tuos quærebant lumina vultus,
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla ſorores
Stamina, nec ſurdos vox habet iſta deos:
Soſpite me ſoſpes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

LIX. *In Baccarum.*

ET dolet, & queritur, ſibi non contingere frigus
Propter ſexcentas Baccara gauſapinas:
Optat & obſcuras luces, ventóſque, nivéſque;
Odit & hybernos, ſi tepuere, dies.
Quid fecere mali noſtræ tibi, ſæve, lacernæ,
Tollere de ſcapulis quas levis aura poteſt?
Quanto ſimplicius, quanto eſt humanius iſtud:
Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas?

LX. *De Pompillo, ad Fauſtinum.*

REM factam Pompillus habet, Fauſtine: legetur:
Et nomen toto ſparget in orbe ſuum.
Sic leve flavorum valeat genus Uſipiorum.
Quiſquis & Auſonium non amat imperium.
Ingenioſa tamen Pompilli ſcripta feruntur;
Sed famæ non eſt hoc, mihi crede, ſatis.
Quàm multi tineas paſcunt blattáſque diſerti!
Et redimunt ſoli carmina docta coci!

Neſcio quid plus eſt, quod donet ſecula chartis:
Victurus Genium debet habere liber.

LXI. *In Invidum.*

LAUDAT, amat, cantat noſtros mea Roma libellos:
Méque ſinus omnes, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, ſtupet, oſcitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina noſtra placent.

LXII. *Ad Oppianum.*

AMISIT pater unicum Silanus:
Ceſſas mittere munera, Oppiane?
Heu crudele nefas, malæque Parcæ!
Cujus vulturis hoc erit cadaver?

LXIII. *Ad Marianum.*

SCIS te captari: ſcis hunc, qui captat avarum:
Et ſcis qui captat, quid, Mariane, velit:
Tu tamen hunc tabulis hæredem, ſtulte, ſupremis
Scribis, & eſſe tuo vis, furioſe, loco.
Munera magna tamen miſit, ſed miſit in hamo:
Et piſcatorem piſcis amare poteſt?
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret: des, Mariane, nihil.

LXIV. *In detractorem.*

CUM ſis nec rigidâ Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirſutâ peperit rubicunda ſub ilice conjux:
Sed patris ad ſpeculum tonſi, matriſque togatæ
Filius, & ſponſam poſſit te ſponſa vocare:
Emendare meos, quos novit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas:
Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totam
Non aſpernantur proceres urbiſque, foriſque:
Quas & perpetui dignantur ſcrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore;
Quiſque videt propiùs magni certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ:
Ipſe etiam tanto dominus ſub pondere rerum
Non dedignatur bis térque revolvere Cæſar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minervâ
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.
Ne valeam, ſi non multo ſapit altius iſtud,
Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi,
Et rubro pulmone vetus, naſiſque timendum,
Omnia crudelis lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere verſiculos, miſeras & perdere chartas:
At ſi quid noſtræ tibi bilis inuſſerit ardor,
Vivet, & hærebit, totóque legetur in orbe:
Stigmata nec vafrâ delebit Cinnamus arte.
Sed miſerere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi.
Sit placidus licèt, & lambat digitóſque, manúſque:
Si dolor, & bilis, ſi juſta coëgerit ira,
Urſus erit: vacuâ dentes in pelle fatiges,
Et tacitam quæras, quam poſſis rodere carnem.

LXV. *Ad Tuccam.*

HEXAMETRIS epigramma facis, ſcio dicere Tuccam:
Tucca ſolet fieri; denique, Tucca, licet.
Sed tamen hoc longum eſt. ſolet hoc quoque Tucca, li-
Si breviora probas, diſticha ſola legas. [cétque:
Conveniat nobis: ut fas epigrammata longa
Sit tranſire tibi; ſcribere, Tucca, mihi.

LXVI. *De præcone puellam vendente.*

FAMÆ non nimiùm bonæ puellam,
Quales in mediâ ſedent Suburrâ,
Vendebat modò præco Gellianus.
Parvo cùm pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis:
Attraxit prope ſe manu negantem:
Et bis térque quatérque baſiavit.
Quid profecerit oſculo, requiris?
Sexcentos modò qui dabat, negavit.

LXVII. *Ad Pannicum de Gelliâ uxore.*

CUR tantùm eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

LXVIII. *De*

Digitized by Google

LXVIII. *De morte Eutychi pueri.*

FLETE nefas veſtrum, ſed toto flete Lucrino
Naïdes, & luctus ſentiat ipſa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit undas
Eutychus, ille tuum, Caſtrice, dulce latus.
Hic tibi curarum ſocius, blandúmque levamen,
Hic amor, hic noſtri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudum laſciva ſub undis
Vidit, & Alcidæ Nympha remiſit Hylam?
An Dea fœmineum jam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri ſollicitata viri?
Quidquid id eſt, ſubitæ quæcunque eſt cauſa rapinæ:
Sit, precor, & tellus mitis, & unda tibi.

LXIX. *De Baſſâ.*

NON miror, quòd potat aquam tua Baſſa, Catulle,
Miror, quòd Baſſi filia potat aquam.

LXX. *Ad Martianum.*

SEXAGESIMA, Martiane, meſſis
Acta eſt, &, puto, jam ſecunda Cottæ;
Nec ſe tædia lecticuli calentis
Expertum meminit die vel uno.
Oſtendit digitum, ſed impudicum,
Alconti, Daſióque, Symmachóque.
At noſtri bene computentur anni,
Et, quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vitâ meliore ſeparentur:
Infantes ſumus, & ſenes videmur.
Ætatem Priamſque, Neſtorſque
Longam qui putat eſſe, Martiane,
Multùm decipitúrque, fallitúrque.
Non eſt vivere, ſed valere, vita.

LXXI. *De Telethuſa.*

EDERE lascivos ad Betica cruſmata geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis;
Tendere quæ trementem Pelian, Hecubæque maritum
Poſſet ad Hectoreos ſollicitare rogos;
Urit, & excruciat dominum Telethuſa priorem:
Vendidit ancillam; nunc redimit dominam.

LXXII. *De Cilice fure.*

FURI notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingenti ſed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacuâ manu redire;
Ipſum ſurripuit Cilix Priapum.

LXXIII. *De Priapo Hilari.*

NON rudis indoctâ fecit me falce colonus:
Diſpenſatoris nobile cernis opus.
Nam Cæretani cultor ditiſſimus agri
Hos Hilarus colles & juga læta tenet.
Adſpice, quàm certo videar non ligneus ore,
Nec devota focis inguinis arma geram:
Sed mihi perpetuâ nunquam moritura cupreſſo
Phidiacâ rigeat mentula digna manu.
Vicini, moneo, ſanctum celebrate Priapum,
Et bis ſeptenis parcite jugeribus.

LXXIV. *Ad Eſculanum.*

MEDIO recumbit imus ille qui lecto,
Calvam trifilem ſemitactus unguento,
Fodſtque tonſis ora laxa lentiſcis;
Mentitur, Eſculane: non habet dentes.

LXXV. *In Pontiam.*

CUM mittis turdúmve mihi, quadrámve placentæ,
Sive femur leporis, ſive quid his ſimile;
Buccellas miſiſſe tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, ſed nec edam.

LXXVI. *Epitaphium Fuſci.*

ILLE ſacri lateris cuſtos, Martiſque togati,
Credita cui ſummi caſtra fuere ducis:
Hic ſitus eſt Fuſcus. licet hoc, fortuna, fateri:
Non timet hoſtiles jam lapis ille minas.
Grande jugum domitâ Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix poſſidet umbra nemus.

LXXVII. *In Afrum.*

CUM ſis tam pauper, quàm nec miſerabilis Irus;
Tam juvenis, quàm nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quàm nec, cùm vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum ſex onus eſſe juvat?
Rideris, multóque magis traduceris, Afer,
Quàm nudus medio ſi ſpatiere foro.
Non aliter monſtratur Atlas cum compare ginno;
Quæque vehit ſimilem bellua nigra Libya.
Invidioſa tibi quàm ſit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

LXXVIII. *Ad Aulum, de Phryge luſco.*

POTOR nobilis, Aule, lumine uno
Luſcus Phryx erat, alteróque lippus:
Huic Heras medicus, Bibas caveto:
Vinum ſi biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit.
Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros jubet exitum requiris;
Vinum Phryx, oculos bibit venenum.

LXXIX. *Ad Lupum.*

TRISTIS es, & felix; ſciat hoc fortuna caveto:
Ingratum dicet te, Lupe, ſi ſcierit.

LXXX. *Ad Cæſarem de roſis hybernis.*

UT nova dona tibi, Cæſar, Nilotica tellus
Miſerat hybernas ambitioſa roſas:
Navita derifit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, & odoræ gratia Floræ,
Tantáque Præſtani gloria ruris erat.
Sic quacumque vagus, greſſúmque oculóſque ferebat,
Tonſilibus ſertis omne rubebat iter.
At tu Romanæ juſſus jam cedere brumæ,
Mitte tuas meſſes; accipe, Nile, roſas.

LXXXI. *In Charidemum.*

IRATUS tanquam populo, Charideme, lavaris:
Inguina ſic toto ſubluis in ſolio.
Nec caput hìc vellem, ſic te, Charideme, lavare;
Et caput, ecce, lavas: inguina malo laves.

LXXXII. *Ad Rufum.*

QUIDAM me modò, Rufe, diligenter
Inſpectum, velut emptor, aut laniſta,
Cùm vultu, digitóque ſubnotâſſet,
Túne es, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias, jocóſque novit
Aurem qui modò non habet Batavam?
Subriſi modicè: leviſque nutu
Me, quem dixerat eſſe, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Reſpondi: quia ſum malus Poëta.
Hoc ne ſæpius accidat Poëtæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

LXXXIII. *Ad Cæſarem Domitianum.*

QUANTUM ſollicito fortuna parentis Etrusco;
Tantum, ſumme ducum, debet uterque tibi.
Nam tu miſſa tuâ revocaſti fulmina dextrâ:
Hos cuperem mores ignibus eſſe Jovis.
Si tua ſit ſummo, Cæſar, natura Tonanti,
Utetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc utrumque tui teſtatur Etruſcus,
Eſſe quod & comiti contigit, & reduci.

LXXXIV. *De Philippo.*

OCTAPHORO ſanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu ſi ſanum credis, Avite, furis.

LXXXV. *In mortem Rufi Camonii.*

EDITUS eſt ſextus finè te mihi, Rufe Camoni,
Nec te Lectorem ſperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, & numine lævo
Viſa tibi, cineres reddit, & oſſa patri.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo:
Et reſonet totâ planctus in Æmiliâ.
Heu qualis pietas, heu quàm brevis occidit ætas!
Viderat Alphei præmia quinque modò
Pectore tu memori noſtros evolvere luſus
Tu ſolitus noſtros, Rufe, tenere jocos.

Accep-

Digitized by Google

Accipe cum fletu mœsti breve carmen amici,
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

LXXXVI. *In bibentes aquam calidam.*

SÆTINUM, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultos, & ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult hæres divitis esse Midæ.
Possideat Libycas messes, Hermúmque, Tagúmque,
Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

LXXXVII. *Ad Cæsarem.*

DI tibi dent, & tu Cæsar, quæcunque mereris:
Dî mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

LXXXVIII. *Ad Cæcilianum,*

MANE salutavi vero te nomine casu:
Nec dixi Dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

LXXXIX. *De Panareto potore.*

CUM peteret feram mediâ jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est, sed quam ficcaverat ipse:
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summâ testæ sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

XC. *De Gelliâ.*

MOECHUM Gellia non habet, nisi unum.
Turpe est hoc magis; uxor est duorum.

XCI. *In Zoïlum.*

SANCTA ducis summi prohibet censura, vetátque
Mœchari. gaude, Zoïle, non futues.

XCII. *In Ammianum.*

CÆLATUS tibi cùm sit, Ammiane,
Serpens in paterâ Myronis arte;
Vaticana bibis: bibis venenum.

XCIII. *In Thaïde.*

TAM malè Thaïs olet, quàm non fullonis avari
Testa vetus, mediâ sed modò fracta viâ.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
Non detracta cani Transtiberina cutis.
Pullus abortivo nec cùm putrescit in ovo,
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Depositâ quoties balnea veste petit:
Phlotro viret, aut acidâ latet oblita cretâ:
Aut tegitur pingui térque quatérve fabâ.
Cùm bene se tutam per fraudes mille putavit,
Omnia cùm fecit, Thaïda Thaïs olet.

XCIV. *De Calpetiano.*

PONUNTUR semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu cùm cœnat in urbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro.
Non habet ergo aliud? non habet imò suum.

LIBER VII.

I. *Ad Domitianum, de lorica.*

ACCIPE belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari:
Pectore cùm sacro sederit, Ægis erit.

II. *Ad ipsam loricam.*

INVIA Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis:
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus
Texuit innumeri lubricus unguis apri,
Felix sorte tuâ! sacrum cui tangere pectus
Fas erit, & nostri mente calere Dei.
I comes, & magnos illæsa merere triumphos.
Palmatæque ducem, sed citò, redde togæ.

III. *Ad Pontilianum.*

CUR non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

IV. *De Oppiano.*

ESSET, Castrice, cùm mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

V. *Ad Cæsarem Domitianum.*

SI desiderium, Cæsar, populique patrúmque
Respicis, & Latiæ gaudia vera togæ;
Redde Deum votis poscentibus; invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licét.
Terrarum dominum propiùs videt ille, tuóque
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

VI. *De famâ reditûs Domitiani.*

ECQUID Hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias Cæsar jam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nunciat omnis:
Credo tibi; verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ:
Martia laurigerâ cuspide pila virent.
Rursus, iô, magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictúsque tuâ, Cæsar, in urbe sonas.
Sed jam lætitiæ quo sit fiducia major,
Sarmaticæ laurûs nuncius ipse veni.

VII. *Ad Cæsarem Domitianum.*

HYBERNA quamvis Arctos, & rudis Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister,
Fractúsque cornu jam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te summe mundi rector, & parens orbis,
Abesse nostris non tamen potes votis.
Illic & oculis & animis sumus, Cæsar:
Adeóque mentes omnium tenes unus,
Ut ipsa magni turba nesciat Circi
Utrúmne currat Passerinus, an Tigris.

VIII. *De reditu Domitiani.*

NUNC hilares, si quando mihi, nunc ludite Musæ:
Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December:
Jam licet ingenti dicere voce; Venit.
Felix sorte tuâ! poteras non cedere Jano,
Gaudia si nobis, quæ dabit ille, dares.
Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cùm comes ibit equos.
Fas audire jocos, levioráque carmina, Cæsar,
Et tibi: si lusus ipse triumphus amat.

IX. *De Cascelio.*

CUM sexaginta numeret Cascelius annos,
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

X. *In Olum.*

PÆDICATUR Eros, fellat Linus: Ole, quid ad te?
De cute quid faciant ille, vel ille, suâ?
Centenis fecit Matho millibus: Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius: Ole, quid ad te?
Cum liceat totâ stertere nocte tibi.
Septingenta Tito debet Lupus: Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, credideríve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole,
Quódque magis curæ convenit esse tuæ.
Pro togulâ debes: hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo jam tibi credet: & hoc.
Uxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit jam dotem filia grandis: & hoc.
Dicere quindecies poteram quod pertinet ad te:
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

XI. *Ad Aulum Pudentem.*

COGIS me calamo, manúque nostrâ
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quàm me nimiùm probas, amásque,
Qui vis archetypas habere nugas?

XII. *Ad*

XII. *Ad Fauſtinum.*

SIC me fronte legat dominus, Fauſtine, ſerenâ,
Excipiátque meos quâ ſolet aure jocos:
Ut mea nec juſtè quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodeſt? cupiant cùm quidam noſtra videri,
Si qua Lycambeo ſanguine tela madent?
Viperedmque vomant noſtro ſub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre diémque negant?
Ludimus innocui: ſuis hoc bene. juro potentis
Per genium Famæ, Caſtalidúmque gregem:
Pérque tuas aures magni mihi numinis inſtar,
Lector, inhumanâ liber ab invidiâ.

XIII. *De Lycoride.*

DUM Tiburtinis albeſcere ſolibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles. quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

XIV. *Ad Aulum, de luctu ſuæ puellæ.*

ACCIDIT infandum, noſtra ſcelus, Aule, puellæ;
Amiſit luſus, deliciáſque ſuas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiæ paſſeris orba ſui;
Vel Stellæ cantata meo, quas flevit Ianthis,
Cujus in Elyſio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus iſtis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum ſeſquipedalis erat.

XV. *Ad Arginum puerum Ianthidos.*

QUIS puer hic nitidis abſtitit Ianthidos undis,
Et fugit ad dominam Najada? nunquid Hylas?
O bene, quòd ſylvâ colitur Tirynthius iſtâ,
Et quòd amatrices tam propè ſervat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, miniſtres:
Nil facient Nymphæ: ne velit ipſe, cave.

XVI. *Ad Regulum.*

ÆRA domi non ſunt, ſupereſt hoc, Regule, ſolum,
Et tua vendamus munera: numquid emis?

XVII. *Ad bibliothecam Julii Martialis.*

RURIS bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem;
Inter carmina ſanctiora ſi quis
Laſciva fuerit locus Thaliæ:
Hos nido licet inferas vel imo,
Septem quos tibi mittimus libellos:
Auctoris calamo ſui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto:
Pignus pectoris hoc mei tuere
Julî bibliotheca Martialis.

XVIII. *In Gallam.*

CUM tibi ſit facies, de quâ nec fœmina poſſit
Dicere; cùm corpus nulla litura notet:
Cur te tam rarus cupiat, repetátque fututor,
Miraris? vitium eſt non leve, Galla, tibi.
Acceſſi quoties ad opus, miſtíſque movemur
Inguinibus: cunnus non tacet, ipſa taces.
Dî facerent ut tu loquereris, & ipſe taceret:
Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, & riſum res movet iſta ſimul.
Quis ridere poteſt fatui poppyſmata cunni?
Cùm ſonat hic, cui non mentula ménſque cadit?
Dic aliquid ſaltem, clamoſóque obſtrepe cunno:
Et ſi adeò muta es, diſce vel indè loqui.

XIX. *De fragmento Argûs.*

FRAGMENTUM, quod vile putas & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici triſtior ira freti.
Secula vicerunt: ſed quamvis cefferit annis,
Sanctior eſt ſalvâ parva tabella rate.

XX. *In Sanctram.*

NIHIL eſt miſerius, nec guloſius Sanctrâ.
Rectam vocatus cùm cucurrit ad cœnam,
Quam tot diebus, noctibúſque captavit;
Ter poſcit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coram leporis, & duos armos:
Nec erubeſcit pejerare de turdo;
Et oſtreorum rapere lividos cirros.
Buccis placentæ ſordidam linit mappam.
Illîc & uvæ collocantur ollares,
Et Punicorum pauca grana malorum,
Et excavatæ pellis indecens vulvæ,
Et lippa ficus, debiliſque boletus.
Sed mappa cùm jam mille rumpitur furtis,
Roſos tepenti ſpondylos ſinu condit,
Et devorato capite turturem truncum.
Colligere longâ turpe nec putat dextrâ
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.
Nec eſculenta ſufficit gulæ præda,
Miſto lagenam replet ac pedes vino.
Hæc per ducentas cùm domum tulit ſcalas,
Séque obſeratâ cluſit anxius cellâ,
Guloſus ille poſtero die vendit.

XXI. *De natali Lucani.*

HÆC eſt illa dies, quæ magni conſcia partûs,
Lucanum populus, & tibi, Polla, dedit.
Heu! Nero crudelis, nullâque invifior umbrâ:
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.

XXII. *De eodem.*

VATIS Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba favete ſacris.
Hæc meruit, cùm te terris, Lucane, dediſſet,
Mixtus Caſtaliæ Bætis ut eſſet aquæ.

XXIII. *De eodem, ad Phœbum.*

PHOEBE veni; ſed quantus eras cùm bella tonanti
Ipſe dares Latiæ plectra ſecunda lyræ.
Quid tantâ pro luce precer? tu, Polla, maritum
Sæpe colas, & ſe ſentiat ipſe coli.

XXIV. *In maledicum.*

CUM Juvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odiſſet Oreſtes:
Theſea Pirithoi deſtituiſſet amor.
Tu Siculos fratres, & majus nomen Atridas,
Et Ledæ poteras diſſociare genus.
Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor auſis;
Ut facias illud, quod, puto, lingua, facis.

XXV. *In malum poëtam.*

DULCIA cùm tantùm ſcribas epigrammata ſemper,
Et ceruſſatâ candidiora cute:
Nullâque mica ſalis, nec amari felliſ in illis
Gutta ſit, ô demens! vis tamen illa legi.
Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti:
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
Infanti melimela dato, fatuáſque mariſcas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia ſapit.

XXVI. *Scazonta mittit ad Apollinarem.*

APOLLINAREM conveni meum, Scazon,
Et ſi vacabit (ne moleſtus accedas)
Hoc qualecunque, cujus aliqua pars ipſe eſt,
Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte videris totâ,
Noto rogabis ut favore ſuſtentet.
Quanto mearum, ſcis, amore nugarum
Flagret: nec ipſe plùs amare te poſſum.
Contra malignos eſſe ſi cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon.

XXVII. *De Apro ſibi à Dextro miſſo.*

TUSCÆ glandis aper populator, & ilice multâ
Jam piger, Ætolæ fama ſecunda feræ,
Quem meus intravit ſplendenti cuſpide Dexter;
Præda jacet noſtris invidioſa focis.
Pingueſcant madido tetri nidore Penates,
Flagret & exciſo feſta culina jugo.
Sed coquus ingentem piperis conſumet acervum,
Addet & arcano miſta Falerna garo.

Ad

Digitized by Google

Ad dominum redeas: noster te non capit ignis,
Conturbator aper, villûs esurio.

XXVIII. *Ad Fuscum.*

SIC Tiburtinæ crescat tibi sylva Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus.
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, & immodici dent bona musta lacus.
Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parva December,
Exige, sed certâ, quos legis, aure jocos.
Scire libet verum: res est hæc ardua: sed tu
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

XXIX. *Ad Testilum puerum.*

TESTILE Victoris tormentum dulce Vocônî,
Quo nemo est toto notior orbe puer:
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo:
Paullisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Mæcenati Maro cùm cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

XXX. *In Cæliam.*

DAS Parthis, das Germanis: das, Cælia, Dacis:
Nec Cilicum spernis, Cappadocúmque toros.
Et tibi de Pharià Memphiticus urbe fututor
Navigat, à rubris & niger Indus aquis:
Nec recutitorum fugis inguina Judæorum,
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Quâ ratione facis, cùm sis Romana puella,
Quòd Romana tibi mentula nulla placet?

XXXI. *Ad Regulum.*

RAUCÆ cortis aves, & ova matrum,
Et flavas medio vapore Chias,
Et fœtum querulæ rudem capellæ,
Nec jam frigoribus pares olivas,
Et canum gelidis olus pruinis
De nostro tibi rure missa credis?
O quàm, Regule, diligenter erras!
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Id totâ mihi nascitur Suburrâ.

XXXII. *Ad Atticum.*

ATTICE, facundæ renovas qui nomina gentis,
Nec finis ingentem conticuisse domum:
Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At juvenes alios fractâ colit aure magister,
Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
Vara nec injecto ceromate brachia tendis;
Non harpasta vagus pulverulenta rapis?
Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias arteis, omnis quibus area servit,
Ludere, cùm liceat currere, pigritia est.

XXXIII. *In Cinnam.*

SORDIDIOR cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior primâ sit tibi, Cinna, nive;
Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam; calceus ecce perit.

XXXIV. *Ad Severum, de Charino.*

QUO possit fieri modo, Severe,
Ut vir pessimus omnium Charinus
Unam rem bene fecerit, requiris?
Dicam. sed citò. quid Nerone pejus?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deest protinus, ecce, de maligno,
Qui sic rancidulo loquatur ore:
Quid? tu tot domini, Deique nostri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cinædi.

XXXV. *Ad Lecaniam.*

INGUINA succinctus nigrâ tibi servus alutâ
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus,
Judæum nullâ sub cute pondus habet.
Et nudi tecum juvenésque senésque lavantur,
An sola est servi mentula vera tui?
Ecquid fœmineos sequeris, matrona, recessus?
Secretúsque tuâ, cunne, lavaris, aquâ?

XXXVI. *Ad Stellam.*

CUM pluvias, madidumque Jovem perferre negaret,
Et rudis hybernis villa nataret aquis:
Plurima, quæ possent subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis.
Horridus, ecce, sonat boreæ stridore December:
Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

XXXVII. *Ad Castricum, de theta.*

NOSTI mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem juguli jusserat esse notam.
Turpis ab inviso pendebat stiria naso
Cùm flaret madidâ fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus. quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

XXXVIII. *Ad Polyphemum.*

TANTUS es, & talis nostri, Polypheme, Severi:
Ut te mirari possit & ipse Cyclops.
Sed nec Scylla minor: quòd si fera monstra duorum
Junxeris, alterius fiet uterque timor.

XXXIX. *De Cælio.*

DISCURSUS varios, vagúmque manè,
Et fastus, & ave, potentiorum,
Cùm perferre parique jam negaret;
Cœpit fingere Cælius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit obligátque plantas,
Incedítque gradu laborioso;
(Quantum cura potest, & ars doloris!)
Desît fingere Cælius podagram.

XL. *Epitaphium patris Etrusci.*

HIC jacet ille senex, Augustâ notus in aulâ,
Pectore non humili passus utrumque Deum;
Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris
Miscuit: Elysium possidet ambo nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata juventâ:
Hic propè ter senas vixit, Olympiadas.
Sed festinatis raptum tibi credidit annis,
Aspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

XLI. *Ad Sempronium Tuccam.*

COSMICOS esse tibi, Semproni Tucca, videris:
Cosmica, Semproni, tam mala quàm bona sunt.

XLII. *Ad Castricum.*

MUNERIBUS cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus,
Nos tenues in utroque sumus, vincíque parati:
Indè sopor nobis, & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo nullum poma dedisse putas?

XLIII. *In Cinnam.*

PRIMUM est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut citò, Cinna, neges.
Diligo præstantem; non odi, Cinna, negantem;
Sed tu nec præstas, nec citò, Cinna, negas.

XLIV. *De imagine Maximi Cæsonii, ad Q. Ovidium.*

MAXIMUS ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est;
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem
Ausus es, & profugi, non tua, fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exulis isti:
Qui modò nolueras consulis ire comes.
Sivictura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:

Audiet

Digitized by Google

Audiet hoc præſens, venturáque turba; fuiſſe
Ille te, Senecæ quod fuit ille ſuo.

XLV. *De eâdem.*

FACUNDI Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic eſt Maximus ille quem frequenti
Felix littera paginâ ſalutat.
Hunc tu per Siculas ſecutus undas,
O nullis Ovidi tacende linguis,
Spreviſti domini furentis iras.
Miretur Pyladem ſuum vetuſtas,
Hæſit qui comes exuli parentis.
Quis diſcrimina comparet duorum?
Hæſiſti comes exuli Neronis.

XLVI. *Ad Priſcum.*

COMMENDARE tuum dum vis mihi carmine munus,
Mæonióque cupis doctius ore loqui:
Exercias multis pariter me téque diebus:
Et tua de noſtro, Priſce, Thalia placet.
Divitibus poteris Muſas, elegóſque ſonantes
Mittere: pauperibus munera pera dato.

XLVII. *Ad Licinium Suram.*

DOCTORUM Licini celeberrime Sura virorum,
Cujus priſca graves lingua reduxit avos:
Redderis, (heu) quanto fatorum munere nobis,
Guſtatâ Lethes penè remiſſus aquâ!
Perdiderant jam vota metum, ſecuráque flebant
Triſtia cum lacrymis: jámque peractus eras.
Non tulit invidiam taciti regnator Averni,
Et raptas fatis reddidit ipſe colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falſa querelas
Moverit, & frueris poſteritate tuâ.
Vive velut rapto, fugitiváque gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita reverſa diem.

XLVIII. *Ad Annium.*

CUM menſas habeat ferè ducentas,
Pro mentis habet Annius miniſtros:
Tranſcurrunt gabatæ, volántque lances.
Has vobis epulas habete lauti;
Nos offendimur ambulante cœnâ.

XLIX. *Ad Severum.*

PARVA ſuburbani munuſcula mittimus horti;
Faucibus ova tuis: poma, Severe, gulæ.

L. *Ad fontem Hiantidas.*

FONS dominæ, regina loci, quo gaudet Ianthis,
Gloria conſpicuæ deliciúmque domûs.
Cùm tua tot niveis ornetur ripa miniſtris,
Et Ganymedæo luceat unda choro:
Quid facit Alcides ſylvâ ſacratus in iſtâ?
Tam vicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid Nympharum notos obſervat amores,
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

LI. *Ad Urbicum.*

MERCARI noſtras ſi te piget, Urbice, nugas:
Et laſciva tamen carmina nôſſe libet;
Pompeium quæras (& nôſti forſitan) Auctum,
Ultoris primâ Martis in æde ſedet.
Jure madens, varióque togæ limatus in uſu,
Non lector meus hic, Urbice, ſed liber eſt.
Sic tenet abſentis noſtros, cantátque libellos:
Ut pereat chartis littera nulla meis.
Denique, ſi vellet, poterat ſcripſiſſe videri;
Sed famæ mavult ille favere meæ.
Hunc licèt à decimâ (nec enim ſatis antè vacabit)
Sollicites: capiet cœnula parva duos.
Ille leget, bibe tu: nolis licèt, ille ſonabit:
Et cùm, jam ſatis eſt, dixeris; ille leget.

LII. *Ad Auctum.*

GRATUM eſt, quod Celeri noſtros legis, Aucte, libellos;
Si tamen & Celerem quod legis, Aucte, juvat.
Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in noſtro certior orbe fides.
Major me tanto reverentia turbat; & aures
Non auditoris, judicis eſſe puto.

LIII. *In Umbrum.*

OMNIA miſiſti mihi Saturnalibus, Umber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque diès;
Bis ſenos triplices, & dentiſcalpia ſeptem:
His comes acceſſit ſpongia, mappa, calix;
Semodiúſque fabæ cum vimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagena ſapæ:
Parvíque cum canis venerunt coctana pranis,
Et Libycæ fici pondere teſta gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuiſſe
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodiùs nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

LIV. *In Naſidienum.*

SEMPER manè mihi de me mera ſomnia narras,
Quæ moveant animum, ſolliciténtque meum.
Jam prior ad fœcem, ſed & hæc vindemia venit;
Exorat noctes dum mihi ſaga tuas.
Conſumpſi ſalſáſque molas, & thuris acervos:
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova ſuperſunt.
Aut vigila, aut dormi, Naſidiene, tibi.

LV. *In Chreſtum.*

NULLI munera, Chreſte, ſi remittis,
Nec nobis dederis, remiſeríſque;
Credam te ſatis eſſe liberalem.
Sed ſi reddis Apicio, Lupóque,
Et Gallo, Titióque, Gellióque;
Lingas non mihi (nam proba & puſilla eſt)
Sed quæ de Solymis venit peruſtis,
Damnatam modò mentulam tributi.

LVI. *Ad Rabirium.*

ASTRA polúmque tuâ cepiſti mente, Rabiri:
Parthaliam mirâ qui ſtruis arte domum.
Phidiaco ſi digna Jovi dare templa parabit,
Has petat à noſtro Piſa tonante manus.

LVII. *De Achillâ.*

CASTORA de Polluce Gabinia fecit Achillam:
Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

LVIII. *Ad Gallam.*

JAM ſex, aut ſeptem nupſiſti, Galla, cinædis:
Dum coma te nimiùm, perſque barba juvat.
Deinde experta latus, madidóque ſimillima loro
Inguina, nec laſsâ ſtare coacta manu,
Deſeris imbelles thalamos, mollémque maritum:
Rurſus & in ſimiles decidis uſque toros.
Quære aliquem Curios ſemper Fabióſque loquentem,
Hirſutum, & durâ ruſticitate trucem.
Invenies, ſed habet triſtis quoque turba cinædos:
Difficile eſt vero nubere, Galla, viro.

LIX. *De Cæciliano.*

NON cœnat ſinè apro noſter, Tite, Cæcilianus,
Bellum convivam Cæcilianus habet.

LX. *Ad Jovem Capitolinum.*

TARPEIA venerande rector aulæ,
Quem ſalvo duce credimus Tonantem,
Cùm votis ſibi quiſque te faciget,
Et poſcat dare, quæ Dei poteſtis:
Nil pro me mihi, Jupiter, petenti,
Ne ſuccenſueris velut ſuperbo.
Te pro Cæſare debeo rogare:
Pro me debeo Cæſarem rogare.

LXI. *Ad Cæſarem Germanicum.*

ABSTULERAT totam temerarius inſitor urbem,
Inque ſuo nullum limine limen erat.
Juſſiſti tenues, Germanice, creſcere vicos;
Et modò quæ fuerat ſemita, facta via eſt.
Nulla catenatis pila eſt præcincta lagenis:
Nec prætor medio cogitur ire luto.
Stringitur in denſâ nec cæca novacula turbâ:
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonſor, caupo, coquus, lanius ſua limina ſervant.
Nunc Roma eſt, nuper magna taberna fuit.

LXII. *In Amillum.*

RECLUSIS foribus grandes percidis, Amille,
Et te deprendi, cùm facis ista, cupis;
Ne quid liberti narrent, servíque paterni,
Et niger obliquâ garrulitate cliens.
Non pædicari se qui testatur, Amille,
Illud sæpe facit, quod sinè teste facit.

LXIII. *De Silio (Italico.)*

PERPETUI numquam moritura volumina Silî
Qui legis & Latiâ carmina digna togâ;
Pierios tantùm vati placuisse recessus
Credis, & Aoniæ Bacchica serta comæ?
Sacra cothurnati non attigit antè Maronis,
Implevit magni quàm Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquàm bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis & Phœbo tradidit annos:
Próque suo celebrat nunc Helicona foro.

LXIV. *In Cinnamum.*

QUI tonsor fueras totâ notissimus urbe,
Et posthæc dominæ munere factus eques:
Sicanias urbes, Ætnæáque regna petisti
Cinname, cùm fugeres tristia jura fori.
Quâ nunc arte graves tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix & fugitiva quies?
Non rhetor, non grammaticus, ludíve magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes.
Vendere nec vocem Siculis plausúmque theatris:
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

LXV. *In Gargilianum.*

LIS te bis decímæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, & demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

LXVI. *De Labieno.*

HÆREDEM Fabius Labienum ex asse reliquit:
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

LXVII. *In Philænim.*

PÆDICAT pueros tribas Philænis,
Et tentigine fævior mariti
Undenas vorat in die puellas.
Harpasto quoque subligata ludit,
Et flavescit haphe, gravésque draucis
Halteras facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palæstrâ
Uncti verbere vapulat magistri.
Nec cœnat priùs, aut recumbit antè
Quàm septem vomuit meros deunces:
Ad quos fas sibi tunc putat redire,
Cùm coliphia sexdecim comedit.
Post hæc omnia: cùm libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile:
Sed planè medias vorat puellas.
Dî mentem tibi dent tuam Philæni:
Cunnum lingere quæ putas virile.

LXVIII. *Ad Instantium Rufum.*

COMMENDARE meas, Instanti Rufe, Camœnas
Parce precor socero: seria forsan amat.
Quòd si lascivos admittit & ille libellos,
Hæc ego vel Curio Fabricióque legam.

LXIX. *De Theophilâ ad Canium.*

HÆC est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cujus Cecropiâ pectora dote madent.
Hanc sibi jure petat magni senis Atticus hortus,
Nec minùs esse suam Stoica turba velit.
Vivet opus quodcunque per has emiseris aures;
Tam non fœmineum nec populare sapit.
Non tua Pantæris nimiùm se præferat illi,
Quamvis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix:
Castior hæc, & non doctior illa fuit.

LXX. *In Philænim.*

IPSARUM tribadum tribas, Philæni,
Rectè, quam furuis, vocas amicam.

LXXI. *De familia ficosa.*

FICOSA est uxor, ficosus & ipse maritus:
Filia ficosa est, & gener, atque nepos.
Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cùm sint ficosi pariter juvenésque senésque,
Res mira est; ficos non habet unus ager.

LXXII. *Ad Paullum.*

GRATUS sic tibi, Paulle, sit December:
Nec vani triplices, brevésque mappæ,
Nec thuris veniant leves selibræ;
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus:
Seu quod te potiùs juvat capitque,
Sic vincas Noviúmque Publiúmque
Mandris & vitreo latrone clausos;
Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis siniştras:
Si quisquam mea dixerit malignus
Atro carmina quæ madent veneno:
Ut vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed usque, clames:
Non scripsit meus ista Martialis.

LXXIII. *Ad Maximum.*

ESQUILIIS domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patricius culmina vicus habet:
Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;
Indè novum, veterem prospicis indè Jovem.
Dic, ubi conveniam: dic, quâ te parte requiram?
Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

LXXIV. *Pro Caro & Norbanâ vetum.*

CYLLENES cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone virat:
Sic tibi lascivi non desit copia furti,
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cadet:
Maternæque sacris ornentur frondibus Idus,
Et senior parcâ mole prematur avus:
Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo coïere toris.
Hic pius antistes Sophiæ sua dona ministrat:
Hic te thure vocat, fidus & ipse Jovi.

LXXV. *In unum deformem.*

VIS futui gratis, cùm sis deformis, andsque?
Res perridicula est: vis dare, nec dare vis.

LXXVI. *Ad Philomusum.*

QUÒD te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari juvat, & juvat lavari:
Nolito nimiùm tibi placere.
Delectas Philomuse: non amaris.

LXXVII. *In Tuccam.*

EXIGIS ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

LXXVIII. *In Papilum.*

CUM Saxetani ponatur cauda lacerti;
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est:
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos,
Mitis, habes nec cor, Papile, nec genium.

LXXIX. *Ad Severum.*

POTAVI modò consulare vinum.
Quæris quàm vetus atque liberale?
Ipso consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

LXXX. *Ad Faustinum, ut libellos suos Marcellino mittat.*

QUATENUS Odrysios jam pax Romana Triones
Temperat, & tetricæ conticuere tubæ,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere; jam chartis, jam vacat ille jocis.

Sed

Sed ſi parva tui munuſcula quæris amici
Commendare, ferat carmina noſtra puer:
Non qualis Geticæ ſaciatus lacte juvencæ
Sarmaticâ rigido ludit in amne rotâ:
Sed Mitylenæi roſeus mangonis ephebus,
Vel non cæſus adhuc matre jubente Lacon.
At tibi captivo famulus mittetur ab Iſtro;
Qui Tiburtinas paſcere poſſit oves.

LXXXI. *Ad Lauſum.*

TRIGINTA toto mala ſunt epigrammata libro:
Si totidem bona ſunt; Lauſe, liber bonus eſt.

LXXXII. *De Menophila.*

MENOPHILI penem tam grandis fibula veſtit,
Ut ſit comœdis omnibus una ſatis.
Hunc ego credideram (nam ſæpe lavamur in unum)
Sollicitum voci parcere, Flacce, ſuæ:
Dum ludit mediâ populo ſpectante palæſtrâ,
Delapſa eſt miſero fibula; verpus erat.

LXXXIII. *De Eutrapelo.*

EUTRAPELUS tonſor dum circuit ora Luperci,
Expingítque genas: altera barba ſubit.

LXXXIV. *Ad Librum.*

DUM mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat & argutâ picta tabella manu:
I liber ad Geticam Peucen, Iſtrúmque tacentem:
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis caro, ſed dulcia dona ſodali:
Certior in noſtro carmine vultus erit.
Caſibus hic nullis, nullis delebilis annis
Vivet, Apelleum cùm morietur opus.

LXXXV. *Ad Sabellum.*

QUÒD non inſulsè ſcribis tetraſticha quædam;
Diſticha quòd bellè pauca, Sabelle, facis:
Laudo, nec admiror: facile eſt epigrammata bellè
Scribere; ſed librum ſcribere difficile eſt.

LXXXVI. *In Sextum.*

AD natalicias dapes vocabar,
Eſſem cùm tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum eſt, rogo, quid repentè factum eſt?
Poſt tot pignora noſtra, poſt tot annos,
Quòd ſum præteritus vetus ſodalis?
Sed cauſam ſcio. nulla venit à me
Hiſpani tibi libra puſtulati,
Nec levis toga, nec rudes lacernæ;
Non eſt ſportula, quæ negociatur:
Poſcis munera, Sexte, non amicos.
Jàm dices mihi, vapulet vocator.

LXXXVII. *De Se.*

SI meus auritâ gaudet glaucopide Flaccus:
Si fruitur triſti Canius Æthiope:
Publius exiguæ ſi flagrat amore catellæ;
Si Cronius ſimilem cercopithecon amat:
Delectat Marium ſi pernicioſus ichneumon;
Pica ſalutatrix ſi tibi, Lauſe, placet:
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem;
Luſciniæ tumulum ſi Theleſina dedit:
Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycæ,
Qui videt hæc dominis monſtra placere ſuis?

LXXXVIII. *De ſuis libris.*

FERTUR habere meos, ſi vera eſt fama, libellos
Inter delicias pulcra Vienna ſuas.
Me legit omnis ibi ſenior, juveníſque, puérque,
Et coram tetrico caſta puella viro.
Hoc ego maluerim, quàm ſi mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipſo protinus ore bibunt.
Quàm meus Hiſpano ſi me Tagus impleat auro,
Paſcat & Hybla meas, paſcat Hymettos apes.
Non nihil ergo ſumus, nec blandæ munere linguæ
Decipimur. credam jam puto, Lauſe, tibi.

LXXXIX. *Apollinari mittit coronam roſeam.*

FELIX roſa, mollibúſque ſertis
Noſtri cinge comas Apollinaris;
Quas tu nectere candidas, ſed olim,
Sic te ſemper amet Venus; memento.

XC. *Ad Creticum.*

JACTAT inæqualem Matho me feciſſe libellum:
Si verum eſt, laudat carmina noſtra Matho.
Æquales ſcribit libros Calvinus & Umber.
Æqualis liber eſt, Cretice, qui malus eſt.

XCI. *Ad Juvenalem.*

DE noſtro facunde tibi, Juvenalis, agello
Saturnalicias mittimus, ecce, nuces.
Cætera laſcivis donavit poma puellis
Mentula cuſtodis luxurioſa Dei.

XCII. *In Baccaram.*

SI quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
Bis nobis dicis, Baccara, térque die.
Appellat rigidâ triſtis me voce Secundus:
Audis, ſed neſcis, Baccara, quid ſit opus.
Penſio te coram petitur claréque, palámque:
Audis, ſed neſcis, Baccara, quid ſit opus.
Eſſe queror gelidáſque mihi tritáſque lacernas:
Audis, ſed neſcis, Baccara, quid ſit opus.
Hoc opus eſt, ſubito ſias ut tidere mutus;
Dicere ne poſſis, Baccara, *quid ſit opus.*

XCIII. *Ad Narniam.*

NARNIA, ſulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda jugo:
Quid tam ſæpe meum nobis abducere Quinctum
Te juvat, & lentâ detinuiſſe morâ?
Quid Nomentani cauſam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretioſus erat?
Sed jam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quincto;
Perpetuo liceat ſic tibi ponte frui.

XCIV. *De Papilo.*

UNGUENTUM fuerat, quod onyx modò parva gerebat:
Olfecit poſtquam Papilus, ecce garum eſt.

XCV. *In Linum.*

BRUMA eſt; & riget horridus December,
Audes tu tamen oſculo nivali
Omnes obvius hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, baſiare Romam.
Quid poſſis gravitáſque, ſæviúſque
Percuſſus facere, atque verberatus?
Hôc me frigore baſiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior, elegantiórque;
Cujus livida naribus caninis
Dependet glacies, rigétque barba,
Qualem forficibus metit ſupinis
Tonſor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis:
Et Gallum timeo minùs recentem.
Quare ſi tibi ſenſus eſt, pudórque;
Hybernas, Line, baſiationes,
In menſem rogo differas Aprilem.

XCVI. *Epitaphium Urbici pueri.*

CONDITUS hìc ego ſum Baſſi dolor Urbicus infans:
Cui genus & nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de primâ deerant trieteride menſes,
Ruperunt tetricæ cùm mala penſa Deæ.
Quid ſpecies, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis iſta, meo.
Sic ad Lethæas, niſi Neſtore ſerior, undas
Non eat, optabis quem ſupereſſe tibi.

XCVII. *Ad librum de Caſio Sabino.*

NOSTI ſi bene Caſium, libelle,
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis hæc, vel occupato.
Inſtent mille licèt premántque curæ,
Noſtris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximúmque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum tibi nominis paratur!
O quæ gloria! quàm frequens amator!
Te convivia, te forum ſonabit,
Ædes, compita, porticus, tabernæ.
Uni mitteris, omnibus legeris.

XCVIII. *Ad Caſtorem.*

OMNIA, Caſtor, emis: ſic fiet, ut omnia vendas.

XCIX. *Ad Criſpinum.*

SIC placidum videas ſemper, Criſpine, tonantem;
Nec te Roma minùs, quàm tua Memphis amet:
Carmina Parrhaſiâ ſi noſtra legentur in aulâ;
(Namque ſolent ſacrâ Cæſaris aure frui.)
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude:
Temporibus præſtat non nihil iſte tuis.
Nec Marſo nimiùm minor eſt, doctóque Catullo.
Hoc ſatis eſt: ipſi cætera mando Deo.

C. *Ad Ponticum.*

PONTICE, per reges diſcurris, & omnia luſtras;
Magna quidem ſequeris, Pontice; magnus homo es.
Pontice, ſi qua facis, ſinè teſte facis, ſinè turbâ:
Non adhibes multos, Pontice; cautus homo es.
Pontice, te celebrem formâ natura creavit:
Dignus eras Helenâ Pontice; pulcher homo es.
Pontice, voce tuâ poſſes adamanta movere:
Vox tua dulce ſonat, Pontice; dulcis homo es.
Pontice, ſic alios, ſic te quoque decipit error:
Vis dicam verum, Pontice? nullus homo es.

CI. *Ibidem de vetula.*

TACTA places, audita places, ſi non videare,
Tota places: neutro, ſi videare, places.

CII. *Ibidem de Milone.*

MILO domi non eſt: peregre Milone profecto
Arva vacant: uxor non minùs indè parit.
Cur ſit ager ſterilis, cur uxor lætitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

LIBER VIII.

I. *Ad librum ſuum.*

LAURIGEROS domini liber intrature penates,
Diſce verecundo ſanctiùs ore loqui.
Nuda recede Venus: non eſt tuus iſte libellus.
Tu mihi, tu Pallas Cæſariana veni.

II. *Ad Janum.*

FASTORUM genitor, parénſque Janus
Victorem modò cùm videret iſtri,
Tot vultus ſibi non ſatis putavit;
Optavítque oculos habere plures,
Et linguâ pariter locutus omni;
Terrarum Domino, Deóque rerum
Promiſit Pyliam quater ſenectam:
Addas, Jane pater, tuam rogamus.

III. *Ad Muſam.*

QUINQUE ſatis fuerant; nam ſex, ſeptémve libelli,
Eſt nimium: quid adhuc ludere, Muſa, juvat?
Sit pudor, & finis. jam plus nihil addere nobis
Fama poteſt: teritur noſter ubique liber.
Et cùm rupta ſitu Meſſallæ ſaxa jacebunt,
Altáque cum Licini marmora pulvis erunt:
Me tamen ora legent, & ſecum plurimus hoſpes
Ad patrias ſedes carmina noſtra feret.
Finieram, cùm ſic reſpondit nona ſororum,
Cui coma, & unguento ſordida veſtis erat:
Túne potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius deſidioſus ages?
An juvat ad tragicos ſoccum transferre cothurnos?
Aſpera vel paribus bella tonare modis?
Prælegat ut tumidus raucâ te voce magiſter,
Oderit & grandis virgo bonúſque puer?
Scribant iſta graves nimiùm, nimiúmque ſeveri,
Quos mediâ miſeros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos ſale tinge libellos:
Agnoſcat mores vita legátque ſuos.
Anguſtâ cantare licet videaris avenâ,
Dum tua multorum vincat avena tubas.

IV. *Ad Cæſarem Domitianum, vel ut alii, Germanicum.*

QUANTUS, iò, Latias mundi conventus ad aras
Suſcipit, & ſolvit pro duce vota ſuo!
Non ſunt hæc hominum, Germanice, gaudia tantùm,
Sed faciunt ipſi nunc, puto, ſacra Dei.

V. *Ad Macrum.*

DUM donas, Macer, annulos puellis;
Deſiſti, Macer, annulos habere.

VI. *In Euclum.*

ARCHETYPIS vetuli nihil eſt odioſius Eucli.
Fictа Saguntino cymbia malo luto.
Argenti furioſa ſui cùm ſtemmata narrat
Garrulus, & verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula menſæ;
Ferret ut hæc, muros ſtruxit Apollo lyrâ.
Hôc cratere ferox commiſit prælia Rhœcus
Cum Lapithis; pugnâ debile cernis opus.
Hi duo longævo cenſentur Neſtore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic ſcyphus eſt, in quo miſceri juſſit amicis
Largius Æacides vividiúſque merum.
Hâc propinavit Bytiæ pulcherrima Dido
In paterâ, Phrygio cùm data cœna viro eſt.
Miratus fueris cùm priſca toreumata multùm,
In Priami cyathis Aſtyanaſta bibes.

VII. *In Cinnam.*

HOC agere eſt cauſas, hoc dicere, Cinna, diſertè,
Horis, Cinna, decem dicere verba novem?
Sed modò clepſydras ingenti voce petiſti
Quatuor: ô quantum, Cinna, tacere potes!

VIII. *Ad Janum de reditu Cæſaris.*

PRINCIPIUM des, Jane, licèt velocibus annis,
Et revoces vultu ſecula longa tuo:
Te primum pia thura rogent, te vota ſalutent:
Purpura te felix, te colat omnis honos:
Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit urbi,
Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum.

IX. *Ad Quinctum de Hylâ.*

SOLVERE dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: luſcus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum: brevis eſt occaſio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi ſolvet Hylas.

X. *De Baſſo.*

EMIT lacernas millibus decem Baſſus
Tyrias coloris optimi. lucrifecit.
Adeò bene emit? inquis. imò non ſolvit.

XI. *Ad Cæſarem Domitianum.*

PERVENISSE tuam jam te ſcit Rhenus in urbem:
Nam populi voces audit & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Iſtrúmque, Getáſque
Lætitiæ clamor terruit ipſe novæ.
Dum te longa ſacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater miſſos currere ſenſit equos.
Nullum Roma ducem, nec te ſic, Cæſar, amavit:
Te quoque jam non plùs, ut velit ipſa, poteſt.

XII. *Ad Priſcum.*

UXOREM quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fuerint fœmina vírque pares.

XIII. *Ad Gargilianum.*

MORIO dictus erat: viginti millibus emi.
Redde mihi nummos, Gargiliane: ſapit.

XIV. *In crudelem amicum.*

PALLIDA ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus:
Hybernis objecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſinè fæce diem.
At mihi cella datur, non totâ clauſa feneſtrâ,
In quâ nec Boreas ipſe manere velit.
Sic habitare jubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hoſpes ero.

XV. *Ad Domitianum.*

DUM nova Pannonici numeratur gloria belli,
Omnis & ad reducem dum litat ara Jovem;

¶ Dat

Dat Populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus;
Hos quoque ſecretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor iſta tuæ laurea pacis erit.
Quod tibi de ſanctâ credis pietate tuorum?
Principis eſt virtus maxima, nôſſe ſuos.

XVI. *In Ciperum.*

PISTOR qui fueras dîu, Cipere,
Nunc cauſas agis, & ducena quæris:
Sed conſumis, & uſque mutuaris.
A piſtore, Cipere, non recedis;
Et panem facis, & facis farinam.

XVII. *Ad Sextum.*

EGI, Sexte, tuam, pactus duo millia, cauſam.
Mittiſti nummos quot mihi? mille. quid eſt?
Narrâſti nihil, inquis, & à te perdita cauſa eſt:
Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

XVIII. *Ad Cirinium.*

SI tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vel mecum poſſis, vel prior ipſe legi:
Sed tibi tantus ineſt veteris reſpectus amici,
Carior ut mea ſit quàm tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos nôſſet cum ſuperare modos:
Et Vario ceſſit Romani laude cothurni,
Cùm poſſet tragico fortiùs ore loqui.
Aurum, & opes, & rara frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

XIX. *De Cinnâ.*

PAUPER videri Cinna vult; & eſt pauper.

XX. *Ad Varum.*

CUM facias verſus nullâ non luce ducenos,
Vare, nihil recitas: non ſapis, atque ſapis.

XXI. *Ad Luciferum, vel in adventum Cæſaris.*

PHOSPHORE, redde diem. quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo, Phoſphore, redde diem.
Roma rogat. placidi numquid te pigra Bootæ
Plauſtra vehunt, lento quòd nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron aſtro:
Ipſe ſuo cedit nunc tibi Caſtor equo.
Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus, & Æthon
Fræna volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt ſidera luci,
Et cupit Auſonium Luna videre ducem.
Jam, Cæſar, vel nocte veni: ſtent aſtra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

XXII. *In Gallicum.*

INVITAS ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida ſum, ſi das, Gallice, verba mihi.

XXIII. *Ad Ruſticum.*

ESSE tibi videor ſævus, nimiúmque guloſus,
Qui propter cœnam, Ruſtice, cædo cocum?
Si levis iſta tibi flagrorum cauſa videtur,
Ex quâ vis cauſâ vapulet ergo cocus?

XXIV. *Ad Cæſarem Domitianum.*

SI quid fortè petam timido, gracilíque libello,
Improba non fuerit ſi mea charta; dato.
Et ſi non dederis, Cæſar, permitte rogari:
Offendunt nunquam thura, precéſque Jovem.
Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille deos: qui rogat, ille facit.

XXV. *In Oppianum.*

VIDISTI ſemel, Oppiane, tantùm
Ægrum me malè, ſæpe te videbo.

XXVI. *Ad Cæſarem Domitianum.*

NON tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo:
Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres:
Delicias potuit nec numerare ſuas.
Vincit Erythræos tua, Cæſar, arena triumphos,
Et victoris opes, divitiáſque dei.
Nam cùm captivos ageret ſub curribus Indos,
Contentus geminâ tigride Bacchus erat.

XXVII. *Ad Gaurum.*

MUNERA qui tibi dat locupleti, Gaure, ſenique,
Si ſapis & ſentis, hic tibi ait: morere.

XXVIII. *De Parthenianâ togâ.*

DIC toga facundi gratum mihi munus amici,
Eſſe velis cujus fama, decúſque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Quâ ſaturat Calabris culta Galeſus aquis?
An Tarteſſiacus ſtabuli nutritor Iberi
Bætis in Heſperiâ te quoque lavit ove?
An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem priùs aſtrifero Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclæo decuit livere veneno:
Nec Miletus erat vellere digna tuo.
Lilia tu vincis, nec adhuc delapſa liguſtra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ;
Cedet Erythræis cruta gemma vadis.
Sed licèt hæc primis nivibus ſint æmula dona,
Non ſunt Parthenio candidiora ſuo.
Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.
Non Athamanteo potiùs me mirer in auro;
Æolium dones ſi mihi, Phryxe, pecus.
O quantos riſus pariter ſpectata movebit
Trita Palatinâ noſtra lacerna togâ!

XXIX. *De diſtichis.*

DISTICHA qui ſcribit, puto, vult brevitate placere.
Quid prodeſt brevitas, dic mihi, ſi liber eſt?

XXX. *De ſpectaculo Scævolæ.*

QUI nunc Cæſareæ luſus ſpectatur arenæ,
Temporibus Bruti gloria ſumma fuit.
Adſpicis, ut teneat flammas, pœnâque fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus!
Ipſe ſui ſpectator adeſt, & nobile dextræ
Funus amat: totis paſcitur illa ſacris.
Quòd niſi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sævior in laſſos ire ſiniſtra focos.
Scire piget poſt tale decus, quid fecerit antè:
Quam vidi, ſatis eſt hanc mihi nôſſe manum.

XXXI. *In Dentonem.*

NESCIO quid de te non bellè, Dento, fateris,
Conjuge qui ductâ jura paterna petis.
Sed jam ſupplicibus dominum laſſare libellis
Deſine, & in patriam ſerus ab urbe redi.
Nam dum tu longe deſertâ uxore, dinque
Tres quæris natos, quattuor invenies.

XXXII. *De columbâ Aretullæ.*

AERA per tacitum delapſa ſedentis in ipſos
Fluxit Aretullæ blanda columba ſinus.
Luſerat hoc caſus, niſi inobſervata maneret,
Permiſſaque diu nollet abire fugâ.
Si meliora piæ fas eſt ſperare ſorori,
Et dominum mundi flectere vota valent:
Hæc à Sardois tibi forſitan exulis oris,
Fratre reverſuro, nuncia venit avis.

XXXIII. *Ad Paullum, de phialâ.*

DE prætoriciâ folium mihi, Paulle, coronâ
Mittis, & hoc phialæ nomen habere jubes.
Hâc fuerat nuper nebulâ tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magìs aſturi deraſa eſt ungue miniſtri
Bractea, de fulcrò (quod reor eſſe) tuo?
Illa poteſt culicem longè ſentire volantem,
Et minimi pennâ papilionis agi.
Exiguæ volitat ſuſpenſa vapore lucernæ,
Et leviter fuſo rumpitur icta mero.
Hôc linitur ſputo Jani caryota Calendis,
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.
Lenta minùs gracili creſcunt colocaſia filo:
Plena magìs nimio lilia Sole cadunt:
Nec vaga tam tenui diſcurſat aranea telâ:
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Craſſior in facie vetulæ ſtat creta Fabullæ:
Craſſior offenſæ bulla tumeſcit aquæ.
Fortior & tortos ſervat veſica capillos,
Et mutat Latias ſpuma Batava comas.

Hâc

Digitized by Google

Hâc cute Ledæo veſtitur pullus in ovo:
Talia lunatâ ſplenia fronte ſedent.
Quid tibi cum phialâ, ligulam cùm mittere poſſes:
Mittere cùm poſſes vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, cochleam cùm mittere poſſes:
Denique cùm poſſes mittere, Paulle, nihil.

XXXIV. *In jactatorem.*

ARCHETYPUM Myos argentum te dicis habere.
Quod finè te factum eſt, hoc magìs archetypum eſt.

XXXV. *In peſſimos conjuges.*

CUM ſitis ſimiles, paréſque vitâ,
Uxor peſſima, peſſimus maritus;
Miror, non bene convenire vobis.

XXXVI. *Ad Cæſarem Domitianum.*

REGIA pyramidum, Cæſar, miracula ride:
Jam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhaſiæ labor eſt Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas aſſurgere montes:
Theſſalicum brevior Pelion Oſſa tulit.
Æthera ſic intrat, nitidis ut conditus aſtris
Inferiore tonet nube ſerenus apex.
Et priùs arcano ſatietur lumine Phœbi,
Naſcentis Circe quàm videt ora patris.
Hæc, Auguſte, tamen, quæ vertice ſidera pulſat,
Par domus eſt cœlo: ſed minor eſt domino.

XXXVII. *Ad Polycarmum.*

QUÒD Cajetano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum num tribuiſſe putas?
Debuit hæc, inquis, tibi habe, Polycarme, tabellas,
Et Cajetano millia crede duo.

XXXVIII. *Ad Meliorem.*

QUI præſtat pietate pertinaci
Senſuro bona liberalitatis,
Captet forſitan, aut vicem repoſcat:
At ſi quis dare nomini relicto
Poſt manes, tumulúmque perſeverat,
Quærit quid, niſi parciùs dolere?
Refert ſis bonus, an velis videri.
Præſtas hoc, Melior, ſciente famâ:
Qui ſollennibus anxius ſepulti
Nomen non ſinis interire Blæſi;
Et de munificâ profuſus arcâ
Ad natalitium diem colendum,
Scribarum memori piæque turbæ
Quod donas, facis ipſe Blæſianum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & poſt cineres erit tributum.

XXXIX. *Ad Domitianum.*

QUI Pallatinæ caperet convivia menſæ,
Ambroſiáſque dapes, non erat antè locus.
Hìc haurire decet ſacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedeâ pocula mixta manu.
Eſſe velis, oro, ſerus conviva Tonantis.
At tu ſi properas Jupiter, ipſe veni.

XL. *Ad Priapum.*

NON horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, cuſtos,
Ex quo natus es, & potes renaſci,
Furaces, moneo, manus repellas,
Et ſylvam domini focis reſerves.
Si defecerit hæc, & ipſe lignum es.

XLI. *Ad Fauſtinum.*

TRISTIS Athenagoras non miſit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere menſe ſolet.
An ſit Athenagoras triſtis, Fauſtine, videbo:
Me certè triſtem fecit Athenagoras.

XLII. *Ad Mathonem.*

SI te ſportula major ad beatos
Non corruperit, ut ſolet: licebit
De noſtro, Matho, centies laveris.

XLIII. *In Fabium & Chreſtillam.*

EFFERT uxores Fabius, Chreſtilla maritos;
Funereámque toris quaſſat uterque facem.
Victores committe Venus: quos iſte manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

XLIV. *Ad Titullum.*

TITULLE, moneo, vive ſemper; hoc ſerum eſt:
Sub pædagogo cœperis licèt, ſerum eſt.
At tu, miſer Titulle, nec ſenex vivis:
Sed omne limen conteris ſalutator,
Et manè ſudas urbis oſculis udus,
Foróque triplici ſparſus ante equos omnes,
Ædémque Martis, & Coloſſon Auguſti
Curris per omnes tertiáſque, quinctáſque.
Rape, congere, aufer, poſſide: relinquendum eſt.
Superba denſis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ Calendarum:
Jurabit hæres, te nihil reliquiſſe,
Supráque pluteum te jacente, vel ſaxum,
Fartus papyro dum tibi torus creſcit,
Flentes ſuperbus baſiabit eunuchus;
Tuóque triſtis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet primâ.

XLV. *Ad Flaccum de reditu P. Terentii.*

PRISCUS ab Ætneis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, & lento ſplendeſcat turbida lino
Amphora centeno conſule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida menſis?
Tam juſto dabitur quando calere mero?
Cùm te, Flacce, mihi reddet Cythereïa Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona cauſa meæ.

XLVI. *Ad Ceſtum puerum.*

QUANTA tua eſt probitas, quanta eſt infantia formæ,
Ceſte puer, puero caſtior Hippolyto!
Te ſecum Diana velit, Dorſſque natare:
Te Cybele totum mallet habere Phryga.
Tu Ganymedeo poteras ſuccedere lecto,
Sed durus domino baſia ſola dares.
Felix quæ tenerum vexabit ſponſa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum!

XLVII. *In nimiè ſe tendentem.*

PARS maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt;
Pars vulſa eſt: unum quis putet eſſe caput?

XLVIII. *De abolla Criſpini.*

NESCIT cui dederit Tyriam Criſpinus abollam,
Dum mutat cultus, induitúrque togam.
Quiſquis habes, humeris ſua munera redde, precamur:
Non hoc Criſpinus, te ſed abolla rogat.
Non quicunque capit ſaturatas murice veſtes,
Nec niſi deliciis convenit iſte color.
Si te præda juvat fœdíque inſania lucri,
Quâ poſſis meliùs fallere, ſume togam.

XLIX. *De Aſpro.*

FORMOSAM planè, ſed cæcus diligit Aſper.
Plùs ergo, ut res eſt, quàm videt Aſper, amat.

L. *Ad Cæſarem Domitianum.*

QUANTA Gigantei memoratur menſa triumphi,
Quantáque nox ſuperis omnibus illa fuit;
Quâ bonus accubuit genitor cum plebe deorum,
Et licuit Faunis poſcere vina Jovem:
Tanta tuus Cæſar, celebrant, convivia laurus:
Exhilarant ipſos gaudia noſtra deos.
Veſcitur omnis eques tecum, populúſque, patréſque,
Et capit ambroſias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus, quanto majora dediſti!
Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

LI. *De phialâ Inſtantii Ruſi.*

QUIS labor in phialâ? docti Myos, ánne Myronis?
Mentoris hæc manus eſt, an Polyclete tua?
Liveſcit nullâ caligine fuſca, nec odit
Exploratores nubila maſſa focos.
Vera minùs flavo radiant electra metallo,
Et niveum felix puſtula vincit ebur.

Mate-

Digitized by Google

Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima cum totâ lampade Luna nitet.
Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus: ab hôc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit, & tu
Ipse tuâ pasci vite, Lyæe, velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis:
Palladius tenero lotos ab ore sonat.
Sic Methymnæo gavisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus
Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus.
Ceste decus mensæ, misce Setina: videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instanti littera Rufi:
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissâque gaudia portat:
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo.
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem,
Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam.

LII. *Ad Ceditianum.*

TONSOREM pueros, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ,
Æquandas semel in genas rogatus,
Rufo, Ceditiane, commodavi.
Dum jussus repetit pilos eosdem,
Censurâ speculi manum regente;
Expingitque cutem, facitque longam
Detonsis epaphæresim capillis;
Barbatus mihi tonsor est reversus.

LIII. *In Catullam.*

FORMOSISSIMA quæ fuere, vel sunt,
Sed vilissima quæ fuere, vel sunt,
O quàm te fieri, Catulla, vellem
Formosam minùs, aut magis pudicam!

LIV. *Ad Cæsarem Domitianum.*

MAGNA licèt toties tribuas, majorâ daturus
Dona, ducum victor, victor & ipse tui.
Diligeris populo non propter præmia, Cæsar,
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

LV. *Ad eundem, de leone.*

AUDITUR quantum Massyla per avia murmur,
Innumero quoties sylva leone furit:
Pallidus attonitos ad Pœna mapalia pastor
Cùm revocat tauros, & sinè mente pecus:
Tantus in Ausoniâ fremuit modò terror arenâ.
Quis non esse gregem crederet? unus erat.
Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem,
Aurea lunatæ cùm stetit umbra jubæ!
Grandia quàm decuit latum venabula pectus,
Quantâque de magnâ gaudia morte tulit!
Unde tuis, Libye, tam felix gloria sylvis?
A Cybeles numquid venerat ille jugis?
An magis Herculeo, Germanice, missit ab astro,
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse, feram?

LVI. *Ad Flaccum.*

TEMPORIBUS nostris nec cùm cedat avorum,
Creverit & major cum duce Roma suo:
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tantâ bella sonare tubâ.
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliúmque tibi vel tua rura dabunt.
Jugera perdiderat misera vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatémque malignam
Reppulit, & celeri jussit abire fugâ.
Accipe divitias, & vatum maximus esto:
Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmoreâ fundens nigra falerna manu;
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem.
Excidit attonito pinguis Galatea poëtæ,
Thestylis & rubras messibus usta genas:
Protinus Italiam concepit, & *arma virúmque*,
Qui modò vix Culicem severat ore rudi.

Quid Varos, Marsósque loquar, ditatáque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Mecœnatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

LVII. *De Picente.*

TRES habuit dentes, pariter quos exspuit omnes;
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum.
Collegitque sinu fragmenta novissima laxi
Oris, & aggestâ contumulavit humo.
Ossa licèt quondam defuncti non legat hæres:
Hoc sibi jam Picens præstitit officium.

LVIII. *In Artemidorum.*

CUM tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Possim te Sagarim jure vocare meo.

LIX. *In luscum furem.*

ADSPICIS hunc uno contentum lumine, cujus
Lippa sub attritâ fronte lacuna patet?
Ne contemne caput, nihil est furacius illo:
Non fuit Autolyci tam piperata manus.
Hunc tu convivam cautus servare memento:
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.
Pocula solliciti perdunt ligulásque ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec à cubito subducere pallia nescit,
Et tectus lænis sæpe duabus abit.
Nec dormitantem vernam fraudare lucernâ
Erubuit fallax, ardeat illa licèt.
Si nihil invasit, puerum tunc arte dolosâ
Circuit, & soleas furripit ipse suas.

LX. *In Claudium.*

SUMMA Palatini poteras æquare Colossi,
Si fieres brevior, Claudia, sesquipedem.

LXI. *Ad Severum, de Carino.*

LIVET Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, unde pendeat, ramos:
Non jam quòd orbe cantor & legor toto:
Nec umbilicis quòd decorus & cedro
Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes:
Sed quòd sub urbe rus habemus æstivum,
Vehimúrque mulis non ut antè conductis.
Quid imprecabor, ô Severe, liventi?
Hoc opto; mulas habeat, & suburbanum.

LXII. *De Picente.*

SCRIBIT in aversâ Picens epigrammata chartâ;
Et dolet, aversò quòd facit illa deo.

LXIII. *De Aulo.*

THESTYLON Aulus amat, sed nec minùs ardet Alexin:
Forsitan & nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc & dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum cùm meus Aulus amet.

LXIV. *In Clytum.*

UT poscas, Clyte, munus, exigásque,
Uno nascéris octies in anno;
Et solas, puto, trésve, quatúorve
Non natalitias habes Calendas.
Sit vultus tibi levior licebit
Tritis littoris aridi lapillis;
Sit moro coma nigrior caduco;
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modò lactis alligati;
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella servat:
Tu nobis, Clyte, jam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamíve, Nestorísve?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quòd si ludis adhuc, semélque nasci
Uno jam tibi non sat est in anno;
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

LXV. *Ad Domitianum.*

HIC ubi fortunæ Reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat:
Hîc stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hîc lauro redimita comas, & candida cultu

Roma

Digitized by Google

Roma ſalutavit voce manúque ducem.
Grande loci meritum teſtantur & altera dona:
Stat ſacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hîc gemini currus numerant elephanta frequentem:
Sufficit immenſis aureus ipſe jugis.
Hæc eſt digna tuis, Germanice, porta triumphis:
Hos aditus urbem Martis habere decet.

LXVI. *De conſulatu Silii.*

AUGUSTO pia thura, victimáſque
Pro noſtro date Silio, Camœnæ,
Bis ſenos jubet en redire faſces
Nato conſule, nobilſque virgâ
Vatis Caſtaliam domum ſonare.
Rerum prima ſalus & una Cæſar,
Gaudenti ſupereſt adhuc quod optet
Felix purpura, tertiúſque conſul.
Pompeio dederit licèt ſenatus,
Et Cæſar genero ſacros honores:
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina, Silius frequentes
Mavult ſic numerare conſulatus.

LXVII. *In Cæcilianum.*

HORAS quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.
Cùm modò diſtulerint raucæ vadimonia quartæ,
Et Floralicias laſſet arena feras.
Curre, age, & illotos revoca, Calliſte, miniſtros:
Sternantur lecti: Cæciliane, ſede.
Caldam poſcis aquam; ſed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.
Manè veni potiùs. nam cur te quincta moretur?
Ut jentes, ſerò, Cæciliane, venis.

LXVIII. *Ad Entellum.*

QUI Corcyræi vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domûs.
Invida purpureos uret ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perſpicuâ vivit vindemia gemmâ,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus:
Calculus in nitidâ ſic numeratur aquâ.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum ſterilis ferre jubetur hyems.

LXIX. *In Vacerram.*

MIRARIS veteres, Vacerra, ſolos,
Nec laudas niſi mortuos poëtas.
Ignoſcas petimus, Vacerra: tanti
Non eſt, ut placeam tibi, perire.

LXX. *De Nervâ.*

QUANTA quies placidi, tanta eſt facundia Nervæ;
Sed cohibet vires ingeniúmque pudor.
Cùm ſiccare ſacram largo Permeſſida poſſet
Ore, verecundam maluit eſſe ſitim:
Pieriam tenui frontem redimire coronâ
Contentus, famæ nec dare vela ſuæ.
Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

LXXI. *In Poſtumianum.*

QUATUOR argenti libras mihi tempore brumæ
Miſiſti ante annos, Poſtumiane, decem.
Speranti plures (nam ſtare, aut creſcere debent
Munera) venerunt plúſve, minúſve duæ.
Tertius, & quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quincto Septitiana. quid eſt?
Beſſalem ad ſcrutulam ſexto pervenimus anno:
Poſt hunc in cotulâ raſa ſelibra data eſt.
Octavus ligulam miſit ſextante minorem:
Nonus acu levius vix cochleare tulit.
Quod mittat nobis decimus jam non habet annus:
Quatuor ad libras, Poſtumiane, redi.

LXXII. *Ad librum ſuum.*

NONDUM muricæ cultus, aſperóque
Morſu pumicis aridi politus,
Artanum properas ſequi, libelle:
Quem pulcherrima jam redire Narbo,
Docti Narbo Paterna Votieni
Ad leges jubet annuóſque faſces:
Votis quod paribus tibi petendum eſt,
Continget locus ille, & hic amicus.
Quàm vellem fieri meus libellus!

LXXIII. *Ad Inſtantium.*

INSTANTI, quo nec ſincerior alter habetur
Pectore, nec nivei ſimplicitate prior:
Si dare vis noſtræ vires animóſque Thaliæ,
Et victura petis carmina; da, quod amem.
Cynthia te vatem fecit, laſcive Properti:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Peligni, nec ſpernet Mantua vatem,
Si qua Corinna mihi, ſi quis Alexis erit.

LXXIV. *In malum medicum.*

HOPLOMACHUS nunc es, fueras ophthalmicus antè:
Feciſti medicus, quod facis hoplomachus.

LXXV. *De Gallo Lingone.*

DUM repetit ſerâ conductos nocte penates
Lingonus à Tectâ Flaminiáque recens:
Expulit offenſo vitiatum pollice talum,
Et jacuit toto corpore fuſus humi.
Quid faceret Gallus, quâ ſe ratione moveret?
Ingenti domino ſervulus unus erat,
Tam macer, ut minimam poſſet vix ferre lucernam:
Succurrit miſero caſus, opémque tulit.
Quatuor inſcripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.
Hos comes invalidus ſubmiſsâ voce precatur,
Ut quocumque velint corpus inane ferant.
Permutatur onus, ſtipatáque tollitur altè
Grandis in anguſtâ ſarcina ſandapilâ.
Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur:
Cui meritò dici, *mortue Galle*, poteſt.

LXXVI. *In Gallicum.*

DIC verum mihi, Marce, dic amabò:
Nil eſt, quod magis audiam libenter:
Sic & cùm recitas tuos libellos,
Et cauſam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogáſque ſemper,
Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergò quid ſit, audi:
Verum, Galliee, non libenter audis.

LXXVII. *Ad Liberum amicum.*

LIBER, amicorum dulciſſima cura tuorum,
Liber, in æternâ vivere digne roſâ:
Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea ſerta caput.
Candida nigreſcant vetulo cryſtalla Falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui ſic, vel medio finitus vixit in ævo,
Longior hunc facta eſt, quàm data vita fuit.

LXXVIII. *De Indis Stellæ.*

QUOS caperet Phlegræa ſuos victoria ludos,
Indica quos caperet pompa, Lyæe, tuos:
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi:
O pudor! ô pietas! & putat eſſe parum.
Non illi ſatis eſt turbato ſordidus auro
Hermus, & Heſperio qui ſonat orbe Tagus.
Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat; & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt ſubitis laſciva numiſmata nimbis:
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.
Nunc implere ſinus ſecuros gaudet, & abſens
Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
Quid numerem currus, ter denáque præmia palmæ,
Quæ dare non ſemper conſul uterque ſolet?
Omnia ſed, Cæſar, tanto ſuperantur honore,
Quòd ſpectatorem te tua laurus habet.

LXXIX. *In Fabullam.*

OMNES aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetuliſque fœdiores:
Has ducis comites, trahiſque tecum
Per convivia, porticus, theatra.
Sic formoſa, Fabulla, ſic puella es.

LXXX. *Ad*

Digitized by Google

LXXX. *Ad Domitianum.*

SANCTORUM nobis miracula reddis avorum,
Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori:
Cùm veteres Latiæ ritus renovantur arenæ,
Et pugnet virtus simpliciore manu.
Sic priscis servatur honos te præside templis,
Et casa tam culto sub Jove numen habet.
Sic nova dum condis, revocas Auguste, priora:
Debentur quæ sunt, quæque fuere, tibi.

LXXXI. *De Gelliâ.*

NON per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bovem juvencæ,
Nullos denique per deos, deásque
Jurat Gellia: sed per uniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur:
Hos fratres vocat, hos vocat sorores:
Hos natis amat acriùs duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Ehen quàm bene nunc, Papiriane,
Annæi faceret manus Sereni?

LXXXII. *Ad Domitianum.*

DANTE tibi turbâ querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parva damus;
Posse deum rebus pariter, Musisque vacare
Scimus; & hæc etiam ferta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæque sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi,
Fiat & ex hederâ civica nostra tibi.

LIBER IX.

I. *Ad Avitum.*

NOTE, licèt nolis, sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis:
Hoc tibi sub nostrâ breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris jungis, Avite, viris.
Ille ego sum nulli nugarum laude secundus:
Quem non miraris, sed puto, lector, amas.
Majores majora sonent: mihi parva locuto
Sufficit in vestras sæpe redire manus.

II. *De templo Flaviæ gentis.*

DUM Janus hyemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates:
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux calendarum:
Tarpeia summi saxa dum patris stabunt:
Dum voce supplex, dúmque thure placabit
Matrona divæ dulce Juliæ numen:
Manebit altum Flaviæ decus gentis,
Cum sole, & astris, cúmque luce Romanâ.
Invicta quidquid condidit manus, cœlum est.

III. *In Lupum.*

PAUPER amicitiæ cùm sis, Lupe, non es amicæ;
Et queritur de te mentula sola nihil.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis;
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominæ Setina liquantur;
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis;
Haud sua desertos rura sodalis erat.
Splendet Erythræis pellucida mœcha lapillis:
Ducitur addictus, te futuente, cliens.
Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:
Nudum sandapilæ pondus amicus erit.
I nunc, & miseros Cybele præcide cinædos:
Hæc erat, hæc cultris mentula digna tuis.

IV. *Ad Domitianum.*

QUANTUM jam superis, Cæsar, cœlóque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis;
Grandis in æthereo licèt mactio fiat Olympo,
Cogantúrque Dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum quâ pater ipse Deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbúmque, pióque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Expectes, & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat non habet area Jovis.

V. *In Æschylum.*

AUREOLIS futui cùm possit Galla duobus,
Et plus quàm futui, si totidem addideris:
Aureolos à te cur accipit, Æschyle, denos?
Non fellat tanti Galla. quid ergo? tacet.

VI. *In Paullam.*

NUBERE vis Prisco, non miror, Paulla: sapisti.
Ducere te non vult priscus: & ille sapit.

VII. *Ad Domitianum.*

TIBI summe Rheni domitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes;
Populos habebunt: parere jam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ:
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit & lupanari.

VIII. *In Afrum.*

DICERE de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus Ave.
Non vacat, aut dormit, dictum bis, térque reverso:
Jam satis est. non vis, Afer, avere: Vale.

IX. *Ad Domitianum.*

TAMQUAM parva foret sexûs injuria nostri
Fœdandos populo prostituisse mares:
Jam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater:
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Dilexere priùs pueri, juvenésque senésque;
At nunc infantes te quoque, Cæsar, amant.

X. *Ad Bithynicum.*

NIL tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli:
Annua legavit millia sena tibi.

XI. *In Cantharum.*

COENES, Canthare, cùm foris libenter:
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

XII. *De Earino Domitiani.*

NOMEN cum violis, rosísque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni;
Hyblam quod sapit, Atticósque flores,
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti:
Quòd si Parrhasiâ sones in aulâ;
Respondent Veneres, Cupidinésque:
Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Earinon tamen poëtæ,
Sed Graeci, quibus est nihil negatum,
Et queis ἦρι δῶρα licet sonare;
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

XIII. *De eodem.*

SI daret autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς essem:
Horrida si brumæ sidera, χειμερινός.
Dictus ab æstivo θερινὸς tibi mense vocarer,
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

XIV. *De eodem.*

NOMEN habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cùm breve Cecropiæ ver populantur apes.
Nomen, Acidaliâ meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea suâ scribere gaudet acu.
Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice trita notet.
Quod pennâ scribente grues ad sidera tollant;
Quod decet in solâ Cæsaris esse domo.

XV. *In amicum cœnipetam.*

HUNC, quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mullos, & famen, & ostrea, non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

XVI. *De Chloe.*

INSCRIPSIT tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe. quid pote simplicius?

XVII. *De eodem Eutini.*

CONSILIUM formæ speculum dulcésque capillos
Pergameo posuit dona sacrata deo,
Ille puer totâ domino gratissimus aulâ,
Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quæ tali censetur munere tellus!
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

XVIII. *De eodem ad Æsculapium.*

LATONÆ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, brevésque colos:
Hos tibi laudatos domino sua vota capillos
Ille tuus Latiâ misit ab urbe puer.
Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem.
Quo felix facies judice tota fuit.
Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longâ fuerit quàm breviore comâ.

XIX. *Ad Cæsarem Domitianum.*

EST mihi, sítque precor longum te præside, Cæsar,
Rus minimum: parvi sunt & in urbe Lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Cùm mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

XX. *In Sabellum.*

LAUDAS balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

XXI. *Ad Domitianum.*

HÆC quæ tota patet, tegitúrque & marmore, & auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
Felix quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ
Vidit reptantes, sustinuítque manus!
Hîc steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rodos, astrifero quod pia Creta polo.
Curetes texere Jovem crepitantibus armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit Superûm pater, & tibi, Cæsar,
Pro jaculo & parmâ, fulmen, & Ægis erat.

XXII. *Ad Auctum.*

ARTEMIDORUS habet puerum: sed vendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis meliùs rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

XXIII. *Ad Pastorem.*

CREDIS ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassáque turba rogat:
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumerâ compede Tuscus ager:
Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes;
Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives:
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens:
Astet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim:
Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massyleum virga gubernet equum.
Est nihil ex istis: superos, ac sidera testor.
Ergo quid? ut donem, Pastor, & edificem.

XXIV. *Ad Carum.*

O Cui virgineo flavescere contigit auro,
Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
Adspicis en domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanæ livere potest pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quòd prior illa caput.

XXV. *Ad eundem.*

QUIS Pallatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies; hæc sunt Jovis ora sereni:
Sic tonat ille Deus, cùm sine nube tonat.
Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam:
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

XXVI. *In Afrum.*

DANTEM vina tuum quoties adsperimus Hyllum,
Lumine nos, Afer, turbidiore notas.
Quod rogo, quod scelus est, mollem spectare ministrum?
Adspicimus Solem, sidera, templa, deos.
Avertam vultus, tamquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos oráque nostra tegam?
Trux erat Alcides: sed Hylam spectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis teneros spectet conviva ministros:
Phineas invites, Afer, & Oedipodas.

XXVII. *De Nervâ.*

AUDET facundo qui carmina mittere Nervæ,
Pallida donabit glaucia, Cosme, tibi.
Pæstano violas, & cana ligustra colono,
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen & parvæ nonnulla est gratia Musæ:
Appetitur posito vilis oliva lupo.
Nec tibi sic mirum, modici quòd conscia vatis
Judicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum juvenis cùm tibi lusit opus.

XXVIII. *In Chrestum.*

CUM depilatos, Chreste, coleos portes
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis levius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgéntque crebræ cana labra volsellæ;
Curios, Camillos, Quinctios, Numas, Ancos,
Et quidquid usquam legimus pilosorum
Loqueris, sonásque grandibus minax verbis;
Et cum theatris, feculóque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista si draucus,
Jam pædagogo liberatus, & cujus
Refibulavit turgidum faber penem:
Nutu vocatum ducis, & pudet fari,
Catonianâ, Chreste, quod facis linguâ.

XXIX. *Epitaphium Latini.*

DULCE decus scenæ: ludorum fama, Latinus
Ille ego sum; plausus, deliciæque tuæ:
Qui spectatorem potui feciſſe Catonem,
Solvere qui Curios, Fabriciósque graves.
Sed nihil à nostro sumpsit mea vita theatro,
Et solâ tantùm scenicus arte feror:
Nec poteram gratus domino sinè moribus esse:
Interiùs mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Jovis.

XXX. *Epitaphium Philenis.*

SECULA Nestoreæ permensa, Philenis, senectæ,
Rapta es ad infernas tam citò Ditis aquas?
Euboïcæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora: major erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat:
Nec matutini cirrata caterva magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.

Quæ

Quæ nunc Theſſalico Lunam deducere rhombo,
Quæ ſciet hos illos vendere lena toros?
Sit tibi terra levis, molliſque tegaris arenâ,
Ne tua non poſſint eruere oſſa canes.

XXXI. *In pietatem Nigrinæ.*

CAPPADOCUM ſævis Antiſtius occidit oris
Ruſticus. ô triſti crimine terra nocens!
Rettulit oſſa ſinu cari Nigrina mariti,
Et queſta eſt longas non ſatis eſſe vias:
Cúmque daret ſanctam tumulis, quibus invidet, urnam,
Viſa ſibi eſt rapto bis viduata viro.

XXXII. *De Velii voto.*

DUM comes Arctois hæreret Cæſaris armis
Velius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poſcebat jam ſibi vota Deus.
Ipſe ſuas anſer properavit lætus ad aras;
Et cecidit ſanctis hoſtia parva focis.
Octo vides patulo pendere numiſmata roſtro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ licat argento pro te non ſanguine, Cæſar,
Victima, jam ferro non opus eſſe docet.

XXXIII. *Qualem velit amicam.*

HANC volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur:
Hanc volo, quæ puero jam dedit antè meo:
Hanc volo quam redimit totam denarius alter:
Hanc volo quæ pariter ſufficit una tribus.
Poſcentem nummos, & grandia verba ſonantem,
Poſſideat craſſi mentula Burdigali.

XXXIV. *Ad Flaccum.*

AUDIERIS in quo, Flacce, balneo planſum;
Maronis illic eſſe mentulam ſcito.

XXXV. *De templo gentis Flaviæ.*

JUPITER Idæi riſit mendacia buſti,
Dum videt Auguſti Flavia templa poli:
Atque inter menſas largo jam nectare fuſus,
Pocula cùm Marti traderet ipſe ſuo;
Reſpiciens Phœbum pariter Phœbſque ſororem,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat;
Cnoſſia vos, inquit, nobis monumenta dediſtis:
Cernite quàm plus ſit Cæſaris eſſe patrem.

XXXVI. *In Philomuſum.*

ARTIBUS his ſemper cœnam, Philomuſe, mereris;
Plurima dum fingis, ſed quaſi vera refers.
Scis, quid in Arſacià Pacorus deliberet aulâ,
Rhenanam numeras, Sarmaticámque manum.
Verba ducis Daci chartis mandata reſignas;
Victricem laurum quàm venit antè vides.
Scis quoties Pharios madeat Jove fuſca Syene:
Scis quota de Libyco littore puppis eat:
Cujus lúlea capiti naſcantur olivæ;
Deſtinet ætherius cui ſua ſerta pater.
Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me;
Hâc lege: ut narres nil, Philomuſe, novi.

XXXVII. *Colloquium Ganymedis & Jovis ſuper Earino & aliis Domitiani pueris.*

VIDERAT Auſonium poſito modò crine miniſtrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Jovis:
Quod tuus, ecce, ſuo, Cæſar permiſit ephebo,
Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Jam mihi prima latet longis lanugo capillis:
Jam tua me ridet Juno, vocátque virum.
Cui pater ætherius, puer ô dulciſſime, dixit:
Non ego quod poſcis, res negat ipſa tibi.
Cæſar habet noſter ſimiles tibi mille miniſtros,
Tantáque ſidereos vix capit aula mares.
At tibi ſi dederit vultus coma tonſa viriles,
Quis mihi, qui nectar miſceat, alter erit?

XXXVIII. *In Gallam.*

CUM ſis ipſa domi, mediâque ornare Suburâ,
Fiant abſentes & tibi, Galla, comæ:
Nec dentes aliter, quàm Serica nocte reponas,
Et jaceas centum condita pyxidibus:
Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
Quod tibi protritum eſt manè, ſupercilio.

Et te nulla movet cani reverentia cunni,
Quem potes inter avos jam numerare tuos:
Promittis ſexcenta tamen: ſed mentula ſurda eſt,
Et ſit luſca licèt, te tamen illa videt.

XXXIX. *Ad Agathinum.*

SUMMA licèt velox, Agathine, pericula ludas;
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
Nolentem ſequitur, tenuéſque reverſa per auras
Vel pede, vel tergo, clunè, vel ungue ſedet.
Lubrica Corycio quamvis ſunt pulpita nimbo,
Et raptant celeres vela negata Noti:
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus, & unda nihil.
Ut peccare velis, cùm feceris omnia, falli
Non potes: arte opus eſt, ut tibi parma cadat.

XL. *De natali Cæſoniæ.*

PRIMA Palatino lux eſt hæc orta Tonanti,
Optâſſet Cybele quâ peperiſſe Jovem.
Hâc & ſancta mei genita eſt Cæſonia Rufi:
Plus debet matri nulla puella ſuæ.
Lætatur geminâ votorum ſorte maritus,
Contigit hunc illi quòd bis amare diem.

XLI. *De Diodoro & voto Philænis uxoris.*

TARPEIAS Diodorus ad coronas
Romam cùm peteret Pharo relictâ;
Vovit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret ut puella ſimplex,
Quam caſtæ quoque diligunt Sabinæ:
Diſperſâ rate triſtibus procellis
Merſus fluctibus, obrutúſque ponto
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis & piger maritus!
Hoc à litore ſi puella votum
Feciſſet mea, protinus rediſſem.

XLII. *In Ponticum.*

PONTICE quod nunquam futuis, ſed pollice lævâ
Uteris, & Veneri ſervit amica manus:
Hoc nihil eſſe putas? ſcelus eſt, mihi crede, ſed ingens.
Quantum vix animo concipis eſſe tuo.
Nempe ſemel futuit, generaret Horatius ut tres;
Mars ſemel, ut geminos Ilia caſta daret.
Omnia perdiderat, ſi maſturbatus uterque
Mandâſſet manibus gaudia fœda ſuis.
Ipſam crede tibi naturam dicere rerum:
Iſtud quod digitis, Pontice, perdis, homo eſt.

XLIII. *Ad Apollinem pro Stella ſuo.*

CAMPIS dives Apollo ſic marinis,
Sic ſemper ſenibus fruare cycnis;
Doctæ ſic tibi ſerviant ſorores;
Nec Delphis tua mentiatur ulli;
Sic Pallada te colant, amémque:
Bis ſenos citò te rogante faſces
Det Stellæ bonus annuárque Cæſar.
Felix tunc ego, debitórque voti
Cæſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureſt juvencum!
Nata eſt hoſtia, Phœbe, quid moraris?

XLIV. *De ſtatuâ Herculis.*

HIC, qui dura ſedens porrecto ſaxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære Deus,
Quæque tulit, ſpectat reſupino ſidera vultu,
Cujus læva calet robore, dextra mero:
Non eſt fama recens, nec noſtri gloria cæli;
Nobile Lyſippi munus, opúſque vides.
Hoc habuit numen Pellæi menſa tyranni,
Qui citò perdomito victor in orbe jacet.
Hunc puer ad Libyces juraverat Hannibal aras:
Juſſerat hic Syllam ponere regna trucem.
Offenſus variæ tumidis terroribus aulæ,
Privatos gaudet nunc habitare lares.
Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
Sic voluit docti Vindicis eſſe Deus.

XLV. *De eâdem ſtatuâ.*

ALCIDEN modò Vindicis rogabam,
Eſſet cujus opus labórque felix.
Riſit (nam ſolet hoc) levíque nutu,

Græcè numquid ait, poëta, neſcis?
Inſcripta eſt baſis, indicátque nomen
Ἀσίαν lego, Phidiæ putavi.

XLVI. *Ad Marcellinum.*

MILES Hyperboreos modò, Marcelline, Triones,
Et Getici tuleris fidera pigra poli,
Eece Promethea rupes & fabula montis,
Quàm propè ſunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immenſis cùm conclamata querelis
Saxa ſenis, dices: durior ille fuit.
Et licet hoc addas: potuit qui talia ferre,
Humanum meritò finxerat ille genus.

XLVII. *In Gellium.*

GELLIUS ædificat ſemper: modò limina ponit,
Nunc foribus claves aptat, emítque ſeras:
Nunc has nunc illas mutat, refícitque feneſtras.
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit.
Quanti numinos ut dicere poſſit amico
Unum illud verbum Gellius, *ædifico.*

XLVIII. *In Pannicum.*

DEMÓCRITOS, Zenonas, inexplicitóſque Platonas,
Quidquid & hirſutis ſquallet imaginibus,
Sic quaſi Pythagoræ loqueris ſucceſſor, & hæres;
Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed, quod & hircoſis ſerum eſt, & turpe piloſis,
In molli rigidum clune libenter habes.
Tu qui ſectarum cauſas & pondera nôſti,
Dic mihi, percidi, Pannice, dogma facit?

XLIX. *In Gallicum.*

HÆREDEM cùm me partis tibi, Gallice, quæſta
Per tua jurares ſacra, capútque tuum;
Credidimus, (quis enim damnet ſua vota libenter?)
Et ſpem muneribus fovimus uſque datis:
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Miſimus, Ætolâ de Calydone putes.
At tu continuò populúmque patréſque vocâſti:
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipſe ego (quis credat?) conviva nec ultimus hæſi:
Sed nec coſta data eſt, caudáve miſſa mihi.
De quadrante tuo quid ſperem, Gallice? nulla
De noſtro nobis uncia venit apro.

L. *De togâ à Partheuio ſibi donatâ.*

HÆC eſt illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amátque togam.
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
Munus: in hâc ibam conſpiciendus eques:
Dum nova, dum nitidâ fulgebat ſplendida lanâ,
Dúmque erat auctoris nomine digna fui:
Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli,
Quam poſſis niveam dicere jure tuo.
Quid non longa dies, quid non conſumitis anni?
Hæc toga jam non eſt Partheniana: mea eſt.

LI. *In Gaurum.*

INGENIUM mihi, Gaure, probas ſic eſſe puſillum,
Carmina quòd faciam, quæ brevitate placent.
Confiteor: ſed tu bis denis grandia libris
Qui ſcribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum:
Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

LII. *De Lucano & Tullo.*

QUOD ſemper ſuperos invito fratre rogâſti,
Hoc Lucane, tibi contigit, antè mori.
Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamvis ſit minor, ire prior.
Tu colis Elyſios, nemoríſque habitator amœni
Eſſe tuo primum nunc ſinè fratre capis.
Et ſi jam nitidis alternus venit ab aſtris,
Pro Polluce moues Caſtora, ne redeat.

LIII. *Ad Quinctum Ovidium.*

SI credis mihi, Quincte (quod mereris)
Natales, Ovidi, tuos Apriles,
Ut noſtras amo Martias Calendas,
Felix utraque lux, diéſque nobis
Signandi melioribus lapillis!
Hic vitam tribuit, ſed hic amicum.
Plus dant, Quincte, mihi tuæ Calendæ.

LIV. *Ad eundem.*

NATALI tibi, Quincte, tuo dare parva volebam
Munera. tu prohibes: imperioſus homo es.
Parendum eſt monitis. fiat quod uterque jubemus;
Et quod utramque juvat, tu mihi, Quincte, dato.

LV. *Ad cognatum.*

SI mihi Picenâ turdus palleret olivâ,
Tenderet aut noſtras ſylva Sabina plagas;
Aut creſcente levis traheretur arundine præda,
Pinguis & implicitas virga teneret aves:
Cara daret ſollenne tibi cognatio munus,
Nec frater nobis, nec prior eſſet avus.
Nunc ſturnos inopes, fringillarúmque querelas
Audit, & arguto paſſere vernat ager.
Indè ſalutatus picæ reſpondet arator:
Hinc propè ſumma rapax milvus in aſtra volat.
Mittimus ergo tibi parvæ munuſcula cortis,
Qualia ſi recipis, ſæpe propinquus eris.

LVI. *Ad Flaccum.*

LUCE propinquorum, quâ plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro:
Succurrit nobis ingens oneroſáque turba;
In quâ ſe primum quiſque metúmque putat.
Demeruiſſe duos, votum eſt: offendere plures,
Vix tutum: multis mittere dona, grave eſt.
Quâ poſſum ſolâ veniam ratione merebor:
Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

LVII. *De Spendophoro.*

SPENDOPHORUS Libycas domini petit armiger urbes:
Quæ puero dones tela, Cupido, para.
Illa quibus juvenes figis, molléſque puellas:
Sit tamen in tenerâ levis & baſta manu.
Loricam clypeúmque tibi galeámque remitto,
Tutus ut invadat prælia, nudus eat.
Non jaculo, non enſe fuit, læſúſve ſagittâ,
Caſſide dum liber Parthenopæus erat.
Quiſquis ab hôc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, ſi quem tam bona fata manent!
Dum puer es, redeas, dum voltus lubricus; & te
Non Libye faciat, ſed tua Roma virum.

LVIII. *In Hedylum.*

NIL eſt tritius Hedyli lacernis,
Non anſæ veterum Corinthiorum,
Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptæ recutita colla mulæ,
Nec quæ Flaminiam ſecant ſalebræ,
Nec qui littoribus nitent lapilli,
Nec Tuſcâ ligo vincâ politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quaſſa mulionis,
Nec raſum cavâ lacus Meſſontis,
Nec dens jam ſenior ferocis apri.
Res una eſt tamen, ipſe non negabit,
Cujus tritior Hedyli lacernis.

LIX. *Ad Nymphum Sabini.*

NYMPHA ſacri regina loci, cui grata Sabinus,
Et manſura pio munere templa dedit;
Sic montana tuos ſemper colat Umbria fontes,
Nec tua Bajanas Sarſina malit aquas:
Excipe ſollicitos placidè, mea dona, libellos:
Tu fueris Muſis Pegaſis unda meis.
Nympharum templis quiſquis ſua carmina donat,
Quid fieri libris debeat ipſe monet.

LX. *In Mamurram.*

IN ſeptis Mamurræ diu multúmque vagatus,
Hìc ubi Roma ſuas aurea vexat opes;
Inſpexit molles pueros, oculíſque comedit:
Non hos quos primum proſtituere caſæ;
Sed quos arcanæ ſervant tabulata cataſtæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Indè ſatur, mentax, & apertos exuit orbes,
Expoſitúmque ubi pingue popoſcit eburi.
Et teſtudinea menſus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.
Conſuluit nares, an olerent æra Corinthon:
Culpavit ſtatuas, Polyclete, tuas.
Et turbata brevi quæſtus cryſtallina vitro,

Myrrhina

Digitized by Google

Myrrhina ſignavit ſepoſuitque decem.
Expendit veteres calathos, & ſi qua fuerunt
Pocula Mentoreâ nobilitata manu:
Et virides picto gemmas numeravit in auro,
Quidquid & à niveâ grandine aure ſonat.
Sardonychas veros mensâ quæſivit in omni,
Et pretium magnis fecit inſpicibus.
Undecimâ laſſus cùm jam diſcoderet horâ,
Aſſe duos calices emit, & ipſe tulit.

LXI. *Sabino mittit coronam roſeam.*

SEU tu Pæſtanis genita es, ſeu Tiburis arvis,
Seu rubuit tellus Tuſcula flore tuo:
Seu Prænestino te vilica legit in horto;
Seu modò Campani gloria rara eras:
Pulchrior ut noſtro videare corona Sabino;
De Nomentano te putet eſſe meo.

LXII. *De platano Cæſaris.*

IN Tarteſſiacis domus eſt notiſſima terris,
Quà dives placidum Corduba Bætin amat;
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Heſperiam bractea viva pecus:
Ædibus in mediis totos amplexa Penates
Stat platanus denſis Cæſariana comis:
Hoſpitis invicti poſuit quam dextera felix,
Cœpit & ex illâ creſcere virga manu.
Auctorem, dominúmque nemus ſentire videtur:
Sic viret, & ramis ſidera ceſſa petit.
Sæpe ſub hâc madidi luſerunt arbore Fauni,
Terruit & tacitam ſiſtula ſera domum:
Dúmque fugit ſolos nocturnum Pana per agros;
Sæpe ſub hâc latuit ruſtica fronde Dryas.
Atque oluere lares comiſſatore Lyæo,
Crevit & effuſo latior umbra mero:
Heſterniſque rubens dejecta eſt herba coronis,
Atque ſuas potuit dicere nemo roſas.
O dilecta deis, ô magni Cæſaris arbor,
Ne metuas ferrum, ſacrilegóſque focos.
Perpetuos ſperare licet tibi frondis honores:
Non Pompeianæ te poſuere manus.

LXIII. *De Philæni.*

TINCTIS murice veſtibus quòd omni
Et nocte utitur, & die Philænis,
Non eſt ambitioſa, nec ſuperba:
Delectatur odore, non colore.

LXIV. *In Phœbum.*

AD cœnam invitant omnes te, Phœbe, cinædi:
Mentula quem paſcit, non puto purus homo eſt.

LXV. *De ſtatuâ Cæſaris Domitiani.*

HERCULIS in magni vultus deſcendere, Cæſar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ:
Quà Triviæ nemoroſa petit dum regna viator,
Octavum Dominâ marmor ab urbe legit.
Antè colebatur votis, & ſanguine largo:
Majorem Alciden nunc minor ipſe colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores:
Illi ſecurus vota minora facit.

LXVI. *Ad Herculem, de eâdem ſtatuâ.*

ALCIDE Latio nunc agnoſcende Tonanti,
Poſtquam pulchra Dei Cæſaris ora geris,
Si tibi tunc iſti vultus habitúſque fuiſſent,
Ceſſerunt manibus cùm fera monſtra tuis;
Argolico famulum non te ſervire tyranno
Vidiſſent gentes, ſævâque regna pari:
Sed tu judicio Euryſthea, nec tibi fallax
Portâſſet Neſſi perfida dona Lichas.
Oetæi ſuâ lege rogi ſecurus adiſſes
Aſtra patris ſummi, quæ tibi pœna dedit:
Lydia nec dominæ traxiſſes penſa ſuperbæ:
Nec Styga vidiſſes Tartareúmque canem.
Nunc tibi Juno favet, nunc te tua diligit Hebe:
Nunc te ſi videat Nympha, remittet Hylan.

LXVII. *Ad Fabullum.*

UXOR cùm tibi ſit formoſa, pudica, puella,
Quò tibi natorum jura, Fabulle, trium?
Quod petis à noſtra ſupplex Dominóque Deóque,
Tu dabis ipſe tibi, ſi potes, arrigere.

LXVIII. *In Æſchylum.*

LASCIVAM totâ poſſedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nulla poteſt.
Feſſus mille modis, illud puerile popoſci:
Antè preces totas, primáque verba dedit.
Improbius quiddam ridénſque rubénſque rogavi:
Pollicita eſt nullâ luxurioſa morâ.
Sed mihi pura fuit; tibi non erit, Æſchyle: ſi vis,
Accipe & hoc munus conditione malâ.

LXIX. *In Magiſtrum ludi.*

QUID tibi nobiſcum eſt ludi ſcelerate magiſter,
Inviſum pueris virginibúſque caput?
Nondum criſtati rupere ſilentia galli:
Murmure jam ſævo verberibúſque tonas.
Tam grave percuſſis incudibus æra reſultant,
Cauſidicum medio cùm faber aptat equo.
Mitior in magno clamor fuit amphitheatro,
Vincenti parmæ cùm ſua turba favet.
Vicini ſomnum non totâ nocte rogamus:
Nam vigilare leve eſt, pervigilare grave.
Diſcipulos dimitte tuos. vis garrule, quantum
Accipis ut clames, accipere ut taceas?

LXX. *In Polycarmum.*

CUM futuis, Polycarme, ſoles in fine cacare:
Cùm pædicaris, quid, Polycarme, facis?

LXXI. *In Cæcilianum.*

DIXERAT, ô MORES! ô TEMPORA! Tullius olim,
Sacrilegum ſtrueret cùm Catilina nefas:
Cùm gener atque ſocer diris concurreret armis,
Mœſtáque civili cæde maderet humus.
Cur nunc, ô MORES! cur nunc, ô TEMPORA! dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid eſt?
Nulla ducum feritas, nulla eſt inſania ferri:
Pace frui certâ, lætitiáque licet.
Non noſtri faciunt, tua quòd tibi tempora ſordent:
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

LXXII. *De leone & ariete.*

MASSYLI leo fama jugi, pecorúſque maritus
Lanigeri, mirum, quâ coiere fide.
Ipſe licet videas, caveâ ſtabulantur in unâ,
Et pariter ſocias carpit uterque dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
Concordem ſatiat ſed rudis agna famem.
Quid meruit terror Nemeæ, quid proditor Hellæ,
Ut niteant celſi lucida ſigna poli?
Sidera ſi poſſent pecudéſque ferasque mereri;
Hic aries aſtris, hic leo dignus erat.

LXXIII. *Ad Liberum.*

LIBER Amycleâ frontem vittate coronâ,
Qui quatis Auſoniâ verbera Graja manu;
Clauſa mihi texto cum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo ſi nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

LXXIV. *In Sauerum.*

DENTIBUS antiquas ſolitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetúſque ſolum:
Prænestina tenes decepti regna patroni,
In quibus indignor ſi tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus cryſtalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas ſtulti docuere parentes:
Quid cum grammaticis rhetoribúſque mihi?
Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos:
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

LXXV. *De effigie Camoni.*

EFFIGIEM tantùm pueri pictura Camoni
Servat, & infantis prima figura manet.
Florentes nullâ ſignavit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

LXXVI. *De balneo Tuccæ.*

NON filice duro ſtructilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit:
Sed ſtrage nemorum, pineâque compage,

Ut

Digitized by Google

Ut navigare Tucca balneo poſſit.
Idem beatas lautus exſtruit thermas
De marmore omni, quod Caryſtos invenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.
Sed ligna deſunt: ſubice balneum thermis.

LXXVII. *De effigie Camoni.*

HÆC ſunt illa mei quæ cernitis ora Camoni:
Hæc pueri facies primáque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis;
Gaudebátque ſuas pingere barba genas:
Et libata ſemel ſummos modò purpura cultros
Spárſerat. invidit de tribus una ſoror.
Et feſtinatis incidit ſtamina penſis;
Abſentémque patri rettulit urna rogum.
Sed ne ſola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis major imago meis.

LXXVIII. *De convivio Priſci.*

QUOD optimum ſit diſputat convivium
Facunda Priſci pagina:
Et multa dulci, multa ſublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum ſit quæritis convivium?
In quod choraules non venit.

LXXIX. *Ad Picentinum.*

FUNERA poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum,
Picentine: ſequi vult puto Galla viros.

LXXX. *Ad Domitianum.*

ODERAT antè ducum famulos turbámque priorem,
Et Pallatinum Roma ſupercilium:
At nunc tantus amor cunctis, Auguſte, tuorum;
Ut ſit cuique ſuæ cura ſecunda domûs.
Tam placidæ mentes, tanta eſt reverentia veſtri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo ſuos (hæc eſt aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæſarianus habet.

LXXXI. *De Gellio.*

DUXERAT eſuriens locupletem pauper anúmque
Uxorem: paſcit Gellius & futuit.

LXXXII. *Ad Auctum.*

LECTOR & auditor noſtros probat, Aucte, libellos:
Sed quidam exactos eſſe poëta negat.
Non nimiùm curo: nam cœnæ fercula noræ
Malim convivis quàm placuiſſe cocis.

LXXXIII. *In Mannam.*

DIXERAT aſtrologus periturum te citò, Manna:
Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi:
Nam tu dum metuis, ne quid poſt fata relinquas;
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.
Biſque tuum decies non toto tabuit anno:
Dic mihi, non hoc eſt, Manna, perire citó?

LXXXIV. *Ad Cæſarem Domitianum.*

INTER tanta tuæ miracula, Cæſar, arenæ,
Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, ſed plus aures debere fatentur
Se tibi, quòd ſpectant, qui recitare ſolent.

LXXXV. *Ad Norbanum.*

CUM tua ſacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Cæſare ſancta fides:
Hæc ego Pierià ludebam tutus in umbrâ,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in otis,
Neſcia nec noſtri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixiſti; meus eſt iſte poëta, meus!
Omne tibi noſtrum, quod bis trieteride junctâ
Antè dabat lector, nunc dabit auctor opus.

LXXXVI. *De Paullo.*

LANGUIDIOR noſtri ſi quando eſt Paullus Atilî,
Non te, convivas abſtinet ille ſuos.
Tu languore quidem ſubito, fictóque labore,
Sed mea porrexit ſportula, Paulle, pedes.

LXXXVII. *In obitum Severi Silii.*

FESTINATA ſui gemeret cùm fata Severi
Silius, Auſonio non ſemel ore potens:
Cum grege Pierio mœſtus Phœbóque querebar,
Ipſe meum flevi, dixit Apollo, Linon.
Reſpexítque ſuam, quæ ſtabat proxima fratri,
Calliopen, & ait; tu quoque vulnus habes.
Adſpice Tarpeium, Pallatinúmque Tonantem:
Auſa nefas Lacheſis læſit utrumque Jovem.
Numina cùm videas duris obnoxia fatis,
Invidiâ poſſis exonerare deos.

LXXXVIII. *Ad Lupercum.*

SEPTEM poſt calices Opimiani
Denſo cùm jacerem triente blæſus,
Affers neſcio quas mihi tabellas,
Et dicis, modò liberum eſſe juſſi
Naſtam; (ſervulus eſt mihi paternus)
Signa. cras meſiùs, Luperce, fiet.
Nunc ſignat meus annulus lagenam.

LXXXIX. *Ad Rufum.*

DUM me captares, mittebas munera nobis:
Poſtquam cepiſti, das mihi, Rufe, nihil.
Ut captum teneas, capto quoque munera mitte,
De caveâ fugiat ne malè paſtus aper.

XC. *Ad Stellam.*

LEGE nimis durâ convivam ſcribere verſus
Cogis, Stella: licet ſcribere, nempe malos.

XCI. *Ad Flaccum.*

SIC in gramine floreo reclinis,
Quà gemmantibus hinc & indè rivis
Curvâ calculus excitatur undâ;
Excluſis procul omnibus moleſtis,
Perfundas glaciem triente nigro,
Frontem ſutilibus ruber coronis:
Sic uni tibi ſit puer cinædus,
Et caſtiſſima pruriat puella.
Infamem nimio calore Cyprou
Obſerves, moneo precórque, Flacce,
Meſſes area cùm teret crepantes,
Et fulvi juba ſæviet leonis.
At tu, diva Paphi, remitte, noſtris
Illæſum juvenem remitte votis.
Sic Martis tibi ſerviant Calendæ,
Et cum thure, meróque, victimâque
Libetur tibi candidas ad aras
Sectâ plurima quadra de placentâ.

XCII. *Adulatur Domitiano.*

AD cœnam ſi me diverſa vocaret in aſtra
Hinc invitator Cæſaris, indè Jovis:
Aſtra licèt propiùs, pallatia longiùs eſſent,
Reſponſa ad ſuperos hæc referenda darem:
Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Jupiter, ecce, tenet.

XCIII. *Ad Condylum.*

QUÆ mala ſint domini, quæ ſervi commoda neſcis,
Condyle, qui ſervum te gemis eſſe diu.
Dat tibi ſecuros vilis tegeticula ſomnos:
Pervigil in plumâ Caïus, ecce, jacet;
Caïus à primâ tremebundus luce ſalutat
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Caï, redde inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagrâ, cheragrâque ſecatur
Caïus; & mallet verbera mille pati.
Quòd nec manè vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mavis, quàm ter Caïus eſſe tuus?

XCIV. *Ad Calociſſum.*

ADDERE quid ceſſas, puer, immortale falernum?
Quadrantem duplica de ſeniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calociſſe, deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæſar erit.
Sutilis aptetur decies roſa crinibus, ut ſit
Qui poſuit ſacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da baſia, fiat ut illud
Nomen, ab Othryſio quod deus orbe tulit.

XCV. *De*

Digitized by Google

XCV. *De Hippocrate.*

SANTONICA medicata dedit mihi pocula virgâ,
Os hominis! mulsum me rogat Hippocrates.
Tam ſtupidus numquam nec tu puto, Glauce, fuiſti,
Chalcea donanti Chryſea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poſcit amaro?
Accipiat, ſed ſi potat in elleboro.

XCVI. *De Athenagorâ.*

ALFICUS antè fuit, cœpit nunc Olficus eſſe,
Uxorem poſtquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Calliſtrate, verum?
Si ſcio, diſpeream, quis ſit Athenagoras.
Sed puto me verum Calliſtrate, dicere nomen:
Non ego, ſed veſter peccat Athenagoras.

XCVII. *De Herode.*

CLINICUS Herodes trullam ſubduxerat ægro:
Deprenſus dixit; ſtulte, quid ergo bibis?

XCVIII. *Ad Julium.*

RUMPITUR invidiâ quidam, cariſſime Juli,
Quòd me Roma legit, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quòd turbâ ſemper in omni
Monſtramur digito, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, tribuit quod Cæſar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quòd rus mihi dulce ſub urbe eſt,
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quòd ſum jucundus amicis,
Quòd conviva frequens, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quod amamur, quódque probamur:
Rumpatur, quiſquis rumpitur invidiâ.

XCIX. *Ad Quintum Ovidium.*

VINDEMIARUM non ubique proventus
Ceſſavit, Ovidi: pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

C. *Ad Atticum de M. Antonio.*

MARCUS amat noſtras Antonius, Attice, Muſas,
Charta ſalutatrix ſi modò vera refert:
Marcus Palladiæ non inficianda Toloſæ
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.
Tu qui longa potes diſpendia ferre viarum,
Liber abſentis pignus amicitiæ.
Vilis eras, fateor, ſi te nunc mitteret emptor.
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multùm crede mihi, refert, à fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ ſtuper unda lacu.

CI. *In Baſſum.*

DENARIIS tribus invitas, & manè togatum
Obſervare jubes atria, Baſſe, tua:
Deinde hærere tuo lateri, præcedere ſellam;
Ad viduas tecum plùs minùs ire decem.
Trita quidem nobis togula eſt, villſque, putriſque:
Denariis tamen hanc non emo, Baſſe, tribus.

CII. *Adulatur Domitiano.*

APPIA, quam ſimili venerandus in Hercule Cæſar
Conſecrat, Auſoniæ maxima fama viæ;
Si cupis Alcidæ cognoſcere facta prioris,
Diſce: Libyn domuit: aurea poma tulit:
Peltatam Scythico diſcinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem ſylvis cervam, Stymphalidas aſtris
Abſtulit: à Stygiâ cum cane venit aquâ.
Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Heſperias Tuſco lavit in amne boves.
Hæc minor Alcides. major quæ geſſerit audi,
Sextus ab Albanâ quem colit arce lapis.
Aſſeruit poſſeſſa malis Pallatia regnis:
Prima ſuo geſſit pro Jove bella puer.
Solus luleas cùm jam retineret habenas;
Tradidit, ſnque ſuo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Iſtri:
Sudantem Geticâ ter nive lavit æquum.
Sæpe recuſatos parcus duxiſſe triumphos
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa deo, mores populis dedit, otia ferro,
Aſtra ſuis, cœlo ſidera, ſerta Jovi.
Herculeum tantis numen non ſufficit actis:
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

CIII. *Ad Phœbum.*

QUADRINGENTORUM reddis mihi, Phœbe, tabellas?
Centum da potiùs mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere jactes:
Quod tibi non poſſum ſolvere, Phœbe, meum eſt.

CIV. *De geminis fratribus.*

QUÆ nova tam ſimiles genuit tibi Leda miniſtros?
Quæ capta eſt alio nuda Lacæna cygno?
Dat faciem Pollux Hiero, dat Caſtor Aſillo:
Atque in utroque nitet Tyndaris ore ſoror.
Iſta Therapnæis ſi forma fuiſſet Amyclis,
Cùm vicere duas dona minora deas;
Manſiſſes Helene, Phrygiámque redíſſet in Idam
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

LIBER X.

Liber ad Lectorem. I.

SI nimius videor, ſerâque coronide longus
Eſſe liber: legito pauca, libellus ero:
Térque quatérque mihi finitur carmine parvo
Pagina. fac tibi me quam cupis eſſe brevem.

II. *Ad eundem.*

FESTINATA prior decimi mihi cura libelli
Elapſum manibus nunc revocavit opus.
Nota leges quædam, ſed limâ raſa recenti.
Pars nova major erit; lector, utrique fave:
Lector opes noſtræ, quem cùm mihi Roma dediſſet
Nil tibi quod demus majus habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte ſuperſtes eris.
Marmora Meſſalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Criſpi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, & ſecula proſunt;
Soláque non nôrunt hæc monumenta mori.

III. *Ad Priſcum.*

VERNACULORUM dicta, ſordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ ſulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poëta quidam cancellarius ſpargit;
Et vult videri noſtra. credis hoc, Priſce,
Voce ut loquatur pſittacus cotumicis,
Et concupiſcat eſſe Canus aſcaules?
Procul à libellis nigra ſit meis fama,
Quos rumor albâ gemmeus vehit pennâ.
Cur ego laborem notus eſſe tam pravè,
Conſtare gratis cùm ſilentium poſſit?

IV. *Ad Mamurram.*

QUI legis Oedipodem, caligantémque Thyeſten,
Colchidas, & Scyllas; quid niſi monſtra legis?
Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, & Atys?
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutúſve puer pennis labentibus? aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana juvant miſeræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod poſſit dicere vita, meum eſt.
Non hìc Centauros, non Gorgonas, Harpyiáſque
Invenies: hominem pagina noſtra ſapit.
Sed non vis, Mamurra, tuos cognoſcere mores,
Nec te ſcire: legas *ἄιτια* Callimachi.

V. *In maledicum Poëtam.*

QUISQUIS ſtolæve purpuræve contemptor,
Quos colere debet, læſit impio verſu:
Erret per urbem pontis exſul & clivi,
Intérque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.
Illi December longus, & madens bruma,
Clauſúſque fornix triſte frigus extendat:
Vocet beatos clamitétque felices,
Orciniani qui feruntur in ſpondâ:
Et, cùm ſupremæ fila venerint horæ,
Diéſque tardus, ſentiat canum litem,
Abigátque moto noxias aves panno;
Nec finiantur morte ſimplices pœnæ:

Sed

Digitized by Google

Non lectore tuis opus eſt ſed Apolline libris:
Judice te major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: ſanè mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & ſinè Grammaticis.

XXII. *In Philænim.*

CUR ſpleniato ſæpe prodeam mento,
Albâve pictus ſana labra ceruſsâ,
Philæni quæris? baſiare te nolo.

XXIII. *De M. Antonio.*

JAM numerat placido felix Antonius ævo
Quindecies actas Primus Olympiadas:
Præteritóſque dies, & tutos reſpicit annos:
Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
Nulla recordanti lux eſt ingrata, graviſque:
Nulla ſubit cujus non meminiſſe velit.
Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus: hoc eſt
Vivere bis, vitâ poſſe priore frui.

XXIV. *Ad Calend. Martias.*

NATALES mihi Martiæ Calendæ,
(Lux formoſior omnibus Calendis,
Quâ mittunt mihi munus & puellæ:)
Quinquageſima liba, ſeptimámque
Veſtris addimus hanc focis acerram.
His vos (ſi tamen expedit roganti;)
Annos addite bis precor novenos,
Ut nondum nimiâ piger ſenectâ,
Sed vitæ tribus arcis peractis
Lucos Elyſiæ petam puellæ.
Poſt hunc Neſtora, nec diem rogabo.

XXV. *De Mucio.*

IN matutinâ nuper ſpectatus arenâ
Mucius, impoſuit qui ſua membra focis;
Si patiens fortiſque tibi durúſque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cùm dicatur tunicâ præſente moleſtâ;
Ure manum: plus eſt dicere; Non facio.

XXVI. *De morte Vari.*

VARE Parætonias Latiâ modò vite per urbes
Nobilis, & centum dux memorande viris:
At nunc Auſonio fruſtra promiſſe Quirino
Hoſpita Lagæi litoris umbra jaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec mœſtis addere thura rogis.
Sed datur æterno victurum carmine nomen.
Numquid & hoc, fallax Nile, negare potes?

XXVII. *Ad Diodorum.*

NATALI, Diodore, tuo conviva ſenatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques;
Et tua tricenos largitur ſportula nummos:
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

XXVIII. *Ad Janum.*

ANNORUM, nitidíque fator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precéſque vocant,
Pervius exiguos habitabas antè Penates,
Plurima quâ medium Roma terebat iter.
Nec tua Cæſareis cinguntur limina donis;
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
At tu, ſancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetuâ claustra tuere ſerâ.

XXIX. *Ad Sextilianum.*

QUAM mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Miſiſti dominæ, Sextiliane, tuæ.
Et quam donabas dictis à Marte Calendis,
De noſtrâ prafina eſt ſynthesis empta togâ.
Jam conſtare tibi gratis cœpere puellæ:
Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

XXX. *De Apollinaris littore Formiano.*

O TEMPERATÆ dulce Formiæ litus:
Vos, cùm ſeveri fugit oppidum Martis,
Et inquietas feſſus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille ſanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tuſculanos, Algidóſve ſeceſſus,
Præneste nec tic, Antiúmve miratur.
Non blanda Circe, Dardanſíve Caieta
Deſiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrinâ lota Salmacis venâ.
Hic ſumma leni ſtringitur Thetis vento;
Nec languet æquor: viva ſed quies Ponti
Pictam phaſelon adjuvante fert aurâ;
Sicut puellæ non amantis ætatem
Motâ ſalubre purpurâ venit frigus.
Nec ſeta longo quærit in mari prædam,
Sed à cubili lectulóque jactatam
Spectatus altè lineam trahit piſcis.
Si quando Nereus ſentit Æoli regnum,
Ridet procellas tuta de ſuo menſa.
Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas;
Natat ad magiſtrum delicata muræna.
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.
Frui ſed iſtis quando Roma permittit?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotioſis rebus urbis hærenti?
O janitores, villicíque felices!
Dominis parantur iſta; ſerviunt vobis.

XXXI. *In Calliodorum.*

ADDIXTI ſervum nummis herè mille trecentis,
Ut bene cœnares, Calliodore, ſemel:
Nec bene cœnâſti. mullus tibi quatuor emptus
Librarum cœnæ pompa caputque fuit.
Exclamare libet, non eſt hic improbe, non eſt
Piſcis: homo eſt. hominem, Calliodore, voras.

XXXII. *De imagine Marci Antonii, ad Cæditianum.*

HÆC mihi quæ colitur violis pictura, roſſque,
Quos referat vultus, Cæditiane, rogas?
Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus: in hôc juvenem ſe videt ore ſenex.
Ars utinam mores, animúmque effingere poſſet!
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

XXXIII. *Ad Munatium Gallum.*

SIMPLICIOR priſcis, Munati Galle, Sabinis,
Cecropium ſuperas qui bonitate ſenem;
Sic tibi conſoceri claros retinere Penates
Perpetuâ natæ det face caſta Venus:
Ut tu, ſi viridi tinctos æruginе verſus,
Fortè malus livor dixerit eſſe meos,
Ut facis, à nobis abigas: nec ſcribere quemquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc ſervare modum noſtri novere libelli;
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

XXXIV. *Ad Cæſ. Trajanum.*

DI tibi dent quidquid, princeps Trajane, mereris;
Et rata perpetuò, quæ tribuere, velint:
Qui ſua reſtituis ſpoliato jura patrono;
Libertis exul non erit ille ſuis.
Dignus es, ut poſſis totum ſervare clientem:
Ut liceat tantum; vera probare potes.

XXXV. *De Sulpiciâ.*

OMNES Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos aſſerit furorem,
Diri prandia nec refert Thyeſtæ;
Scyllam, Byblida nec fuiſſe credit:
Sed caſtos docet, & pios amores,
Luſus, delicias, facetiáſque.
Cujus carmina qui bene æſtimârit,
Nullam dixerit eſſe nequiorem,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.
Tales Egeriæ jocos fuiſſe
Udo crediderim Numæ ſub antro.
Hâc condiſcipulâ, vel hâc magiſtrâ
Eſſes doctior & pudica Sappho.
Sed tecum pariter ſimúlque viſam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Fruſtra: namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto ſibi viveret Caleno.

XXXVI. *In Munnam.*

IMPROBA Maſſiliæ quidquid famaria cogunt,
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus;
A te, Munna, venit: miſeris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica ſæva vias:
Nec facili pretio, ſed quo contenta Falerni
Teſta ſit, aut cellis Setia cara ſuis.
Non venias quare tam longo tempore Romam,
Hæc puto cauſa tibi eſt; ne tua vina bibas.

XXXVII. *Ad Maternum.*

JURIS, & aquarum cultor ſanctiſſime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum;
Municipi, Materne, tuo, veteriſque ſodali,
Callaïcum mandas ſi quid ad Oceanum;
An Laurentino turpes in litore ranas,
Et ſatius tenues ducere credis aeos?
Ad ſua captivum quàm ſæva remittere mullum,
Viſus erit libris qui minor eſſe tribus?
Et fatuam ſummâ cœnare pelorida menſâ,
Quóſque tegit levi cortice concha brevis?
Oſtrea Bajanis quàm non livernia teſtis,
Quæ pueri domino non prohibente vorent?
Hîc olidam clamoſus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos ſordida præda canes.
Illîc piſcoſo modò vix educta profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit ſportâ piſcator inani:
Venator captâ mele ſuperbus adeſt.
Omnis ab urbano venit ad mare cœna macello;
Callaïcum mandas ſi quid ad Oceanum.

XXXVIII. *Ad Calenum.*

OMOLLES tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpiciâ tuâ jugales
Indulſit deus & peregit annos:
O nox Omnis & hora, quæ notata eſt
Caris litoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas utrimque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit
Nimbis ebriis Nicerotianis!
Vixiſti tribus, ô Calene, luſtris;
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et ſolos numeras dies mariti.
Ex illis tibi ſi dia rogatam
Lucem fuderet Atropos vel anam,
Malles quàm Pyliam quater ſenectam.

XXXIX. *In Lesbiam.*

CONSULE te Bruto quid juras, Lesbia, natam?
Mentiris: nata ès, Lesbia, rege Numâ.
Sic quoque mentiris. namque, ut tua ſecula narrant,
Ficta Prometheo diceris eſſe luto.

XL. *Ad Lupum de Pollâ.*

SEMPER cùm mihi diceretur eſſe
Secreto mea Polla cum cinædo:
Irrupi, Lupe. non erat cinædus.

XLI. *In Proculeiam.*

MENSE novo Jani veterem, Proculeia, maritum
Deſeris, atque jubes res tibi habere ſuas.
Quid rogo? quid factum eſt? ſubiti quæ cauſa doloris?
Nil mihi reſpondes? dicam ego: Prætor erat.
Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus, ut nimiùm munera parca dares:
Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.
Diſcidium non eſt hoc, Proculeia: lucrum eſt.

XLII. *Ad Dindymum.*

TAM dubia eſt lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, & ſoles, & levis aura terat:
Celantur ſimili ventura Cydonia lanâ,
Pollice virgineo quæ ſpoliata nitent.
Fortiùs impreſſi quoties tibi baſia quinque,
Barbatus labris, Dindyme, fio tuis.

XLIII. *Ad Phileretem.*

SEPTIMA jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quàm tibi reddit ager.

XLIV. *Ad Q. Ovidium.*

QUINCTE Caledonios Ovidi viſure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanúmque patrem:
Ergò Numæ colles, & Nomentana relinquis,
Otia? nec retinet réſque ſocíſque ſenem?
Gaudia tu differs: at non & ſtamina differt
Atropos, atque omnis ſcribitur hora tibi.
Præſtiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Ut potior vitâ ſit tibi ſancta fides.
Sed reddare tuis tandem manſure Sabinis,
Téque tuas numeres inter amicitias.

XLV. *In delicatum lecturum.*

SI quid lene mei dicunt & dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda ſonat:
Hoc tu pingue putas, & coitum rodere mavis,
Ilia Laurentis cùm tibi demus apri.
Vaticana bibas, ſi delectaris aceto:
Non facit ad ſtomachum noſtra lagena tuum.

XLVI. *In Mathonem.*

OMNIA vis bellè Matho dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum. dic aliquando malè.

XLVII. *Ad Julium Martialem.*

VITAM quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;
Vires ingenuæ; ſalubre corpus;
Prudens ſimplicitas; pares amici;
Convictus facilis; ſinè arte menſa;
Nox non ebria, ſed ſoluta curis;
Non triſtis torus, & tamen pudicus;
Somnus qui faciat breves tenebras;
Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

XLVIII. *Parat Poëta convivium.*

NUNCIAT octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Et pilata redit jámque, ſubíque cohors.
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis?
Septem ſigna capit, ſex ſumus, adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.
In quibus eſt lactuca ſedens, & ſectile porrum:
Nec deeſt ructatrix mentha, nec herba ſalax.
Secta coronabunt rutatos ova lacertos,
Et madidum thynni de ſale ſumen erit.
Guſtus in his. unâ ponetur cœnula menſâ,
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.
Et, quæ non egeant ferro ſtructoris ofellæ,
Et faba fabrorum, protoſomíque rudes.
Pullus ad hæc, cœmíſque tribus jam perna ſuperſtes
Addetur; futuris mitia poma dabo.
De Nomentanâ vinum ſinè fece lagenâ,
Quæ bis Frontino conſule plena fuit.
Accedent ſinè felle joci, nec manè timenda
Libertas, & nil quod tacuiſſe velis.
De Praſino conviva meus, Venetóque loquatur;
Nec faciem querimur pocula noſtra rem.

XLIX. *In Cottam.*

CUM potes amethyſtinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano:
Propinas modò conditum Subinum:
Et dicis mihi, Cotta, *vis in auro*?
Quiſquam plumbea vina vult in auro?

L. *De Scorpo.*

FRANGAT Idumæas triſtis Victoria palmas:
Plange Favor ſævâ pectora nuda manu.
Mutet Honor cultus, & iniquis munera flammis:
Mitte coronatas Gloria maſta comas.
Heu facinus! primâ fraudatus, Scorpe, juventâ
Occidis, & nigros tam citò jungis equos.
Curribus illa tuis ſemper properata, breviſque
Cur fuit & vitæ tam propè meta tuæ?

LI. *Ad Fauſtinum.*

SIDERA jam Tyrius Phryxei reſpicit agni
Taurus, & alternum Caſtora fugit hyems.
Ridet ager, veſtitur humus, veſtitur & arbos:
Iſmarium pellex Attica plorat Itym.
Quos, Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit? ô ſoles, ô tunicata quies!
O nemus, ô fontes, ſolidúmque madentis arenæ
Litus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis:
Et non unius ſpectator lectulus undæ,
Qui videt hinc puppes fluminis, indè maris!
Sed neque Marcelli, Pompeianúmque, nec illîc
Sunt triplices thermæ: nec fora juncta quater:
Nec Capitolini ſummum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cœlo proxima templa ſuo.
Dicere te laſſum quoties ego credo Quirino?
Quæ tua ſunt, tibi habe: quæ mea, redde mihi.

LII. *De Spadone.*

THELIN viderat in togâ ſpadonem,
Damnatam Numa dixit eſſe mœcham.

LIII. *Epitaphium Scorpi.*

ILLE ego ſum Scorpus, clamoſi gloria Circi,
Plauſus, Roma, tui, deliciæque breves:
Invida quem Lacheſis raptum trieteride nonâ,
Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

LIV. *In Olum.*

MENSAS, Ole, bonas ponis: ſed ponis opertas.
Ridiculum eſt: poſſum ſic ego habere bonas.

LV. *In Marullam.*

ARRECTUM quoties Marulla penem
Penſavit digitis, diúque menſa eſt:
Libras ſcriptula, ſextulaſque dicit.
Idem poſt opus, & ſuas paleſtras,
Loro cùm ſimilis jacet remiſſo:
Quanto ſit levior Marulla dicit.
Non ergo eſt manus iſta, ſed ſtatera.

LVI. *In Gallum.*

TOTIS, Galle, jubes tibi me ſervire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Caſcellius ægrum;
Infeſtos oculis uris, Hegine, pilos.
Non ſecat & tollit ſtillantem Fannius uvam:
Triſtia ſervorum ſtigmata delet Eros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes:
Qui ſanet rupeos, dic mihi Galle, quis eſt?

LVII. *Ad Sextum.*

ARGENTI libram mittebas: facta ſelibra eſt,
Sed piperis. tanti non emo, Sexte, piper.

LVIII. *Ad Frontinum.*

ANXURIS æquorei placidos, Frontine, receſſus,
Et propiùs Baias, littoreámque domum,
Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ
Non novere nemus, flumineóſque lacus,
Dum colui: doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi, quando dies meus eſt? jactamur in alto
Urbis, & in ſterili vita labore perit.
Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri,
Vicinóſque tibi, ſancte Quirine, Lares.
Sed non ſolus amat, qui nocte, diéque frequentat
Limina; nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Muſarum ſacra, per omnes
Juro deos, & non officioſus amo.

LIX. *In delicatum lectorem.*

CONSUMPTA eſt uno ſi lemmate pagina, tranſis,
Et breviora tibi, non meliora placent.
Dives, & ex omni poſita eſt inſtructa macello
Cœna tibi, ſed te mattea ſola juvat.
Non opus eſt nobis nimiùm lectore guloſo.
Hunc volo, qui fiat non ſinè pane ſatur.

LX. *De Munnâ.*

JURA trium petiit à Cæſare diſcipulorum,
Aſſuetus ſemper Munna docere duos.

LXI. *Epitaphium Erotii.*

HIC feſtinatâ requieſcit Erotion umbrâ,
Crimine quam fati ſexta peremit hyems.
Quiſquis eris noſtri poſt me regnator agelli,
Manibus exiguis annua juſta dato.
Sic Lare perpetuo, ſic turbâ ſoſpite, ſolus
Flebilis in terrâ ſit lapis iſte tuâ.

LXII. *Ad magiſtrum ludi.*

LUDI magiſter parce ſimplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus menſæ:
Nec calculator, nec notarius velox
Majore quiſquam circulo coronetur.
Albæ leone flammeo calent luces,
Toſtámque fervens Julius coquit meſſem.
Cirrata loris horridis Scythæ pellis,
Quâ vapulavit Marſyas Celenæus,
Ferulæque triſtes, ſceptra pædagogorum,
Ceſſent, & Idus dormiant in Octobres:
Æſtate pueri ſi valent, ſatìs diſcunt.

LXIII. *Epitaphium nobilis matronæ.*

MARMORA parva quidem, ſed non ceſſura, viator,
Mauſoli ſaxis Pyramidúmque legis.
Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas:
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.
Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiæ mentula nota meæ.

LXIV. *Ad Pollam.*

CONTIGERIS regina meos ſi Polla libellos,
Non tetricâ noſtros excipe fronte jocos.
Ille tuus vates, Heliconis gloria noſtri,
Pierîâ caneret cùm fera bella tubâ,
Non tamen erubuit laſcivo dicere verſu,
Si nec pædicor, Cotta, quid hîc facio?

LXV. *In Carmenionem.*

CUM te municipem Corinthiorum
Jactes, Carmenion, negante nullo;
Cur frater tibi dicor, ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagiſque civis?
An vultu ſimiles videmur eſſe?
Tu flexâ nitidus comâ vagaris;
Hiſpanis ego contumax capillis.
Levis dropace tu quotidiano:
Hirſutis ego cruribus, genſſque.
Os blæſum tibi, debiliſque lingua eſt:
Nobis filia fortiùs loquetur.
Tam diſpar aquilæ columba non eſt,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare deſine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem ſororem.

LXVI. *De Theopompo.*

QUIS rogo, tam durus, quis tam fuit ille ſuperbus,
Qui juſſit fieri te, Theopompe, cocum?
Hanc aliquis faciem nigrâ violare culinâ
Suſtinet? has uncto polluit igne comas?
Quis potiùs cyathos, aut quis cryſtalla tenebit?
Quâ ſapient meliùs mixta falerna manu?
Si tam fidereos manet exitus iſte miniſtros,
Jupiter utatur jam Ganymede coco.

LXVII. *Epitaphium vetulæ.*

PYRRHÆ filia, Neſtoris noverca,
Quam vidit Niobe puella cauam,
Laërtes aviam ſenex vocavit,
Nutricem Priamus, ſocrum Thyeſtes;
Jam cornicibus omnibus ſuperſtes,
Hôc tandem ſita prurit in ſepulchro
Calvo Plotia cum Melanthione.

LXVIII. *In Lælium.*

CUM tibi non Epheſos, nec ſit Rhodos, aut Mitylene,
Sed domus in vico, Lælia, patricio;
Déque coloratis nunquam lita mater Etruſcis,
Durus Aricinâ de regione pater;
Ζωὴ καὶ ψυχὴ laſcivum congeris uſque,
Prò pudor! Herſiliæ civis, & Egeriæ.

Digitized by Google

Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis;
Sed quem lascivo stravit amica viro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris:
Numquid cùm crissas, blandior esse potes?
Tu licèt ediscas totam, referásque Corinthon,
Non tamen omnino, Lælia, Thaïs eris.

LXIX. *De Polla.*

CUSTODES das, Polla, viro; non accipis ipsa.
Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

LXX. *Ad Potitum.*

QUOD mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Justiùs at quanto mirere, quòd exeat unus,
Labantur toti cùm mihi sæpe dies.
Nunc resalutantes video nocturnus amicos:
Gratulor & muitis; nemo, Potite, mihi.
Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam:
Nunc me prima sibi, nunc sibi quincta rapit.
Nunc consul, prætórve tenet, reducésque choreæ:
Auditur toto sæpe poëta die.
Sed nec causidico possis impune negare,
Nec si te rhetor, grammaticúsve rogent:
Balnea post decimam lasso, centúmque petuntur
Quadrantes. fiet quando, Potite, liber?

LXXI. *De Rabirio.*

QUISQUIS læta tuis & fera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.
Condidit hâc caras tellure Rabirius umbras:
Nulli sorte jacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori nox mitis & ultima clusit,
Arserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis;
Improbius nihil his fletibus esse potest.

LXXII. *Adulatorium de Cæsare Trajano.*

FRUSTRA blandiciæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis,
Dicturus dominum, Deúmque non sum:
Jam non est locus hâc in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilésque supplicésque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed Imperator,
Sed justissimus omnium senator:
Per quem de Stygiâ domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.
Hôc sub principe, si sapis, caveto,
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

LXXIII. *Ad Marcum.*

LITTERA facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniæ dona severa togæ:
Quâ non Fabricius, sed vellet Apicius uti,
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis alio mittente fuisset:
Non quacunque manu victima cæsa litat.
A te missa venit: possem nisi munus amare,
Marce, tuum: poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso,
Officium docti, judiciúmque viri.

LXXIV. *Ad Romam.*

JAM parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quamdiu salutator
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?
Cùm Scorpus unâ quindecim graves horâ
Ferventis auri victor auferat saccos:
Non ego meorum præmium libellorum,
(Quid enim merentur?) Apulos velim campos.
Non Hybla, non me spicifer caput Nilus;
Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.
Quid concupiscam quæris ergo? dormire.

LXXV. *De Gallâ.*

MILLIA viginti quondam me Galla popposcit;
Et, fatcor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit.
Poscere plus visa est, quàm priùs, illa mihi.
Jam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binæ forsan, ternæve Calendæ,
Aureolos ultro quatuor ipsa petit.
Non dedimus. centum jussit me mittere nummos:
Sed visa est nobis hæc quoque summa gravis.
Sportula nos junxit quadrantibus arida centum:
Hanc voluit: puero diximus esse datam.
Inferiùs numquid potuit descendere? fecit.
Dat gratis: ultro dat mihi Galla: nego.

LXXVI. *De Mævio.*

HOC, fortuna, tibi videtur æquum?
Civis non Syriæve, Parthiæve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numæque verna,
Jucundus, probus, innocens, amicus,
Linguâ doctus utrâque; cujus unum est,
Sed magnum vitium, quòd est poëta;
Pullo Mævius alget in cuculo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

LXXVII. *De Caro medico.*

NEQUIUS à Caro nihil unquam, Maxime, factum est,
Quàm quòd febre perit: fecit & illa nefas.
Sæva, nocens febris saltem quartana fuisses!
Servari medico debuit ille suo.

LXXVIII. *Ad Macrum.*

IBIS littoreas, Macer, Salonas:
Ibit rara fides, amórque recti,
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferæ colone terræ,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabísque moras, & exeuntem
Udo Dalmata gaudio sequeris.
Nos Celtas, Macer, & truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quæcunque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar poëtas;
Nec multos mihi præferas priores,
Uno sed tibi sim minor Catullo.

LXXIX. *De Torquato & Otacilio.*

AD lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Exstruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato vici fuit ille magister;
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim;
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

LXXX. *De Erote.*

PLORAT Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobiliúsve citrum.
Et gemitus imo ducit de pectore, quòd non
Tota miser coëmat Septa, ferátque domum.
Quàm multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars major lacrymas ridet, & intus habet.

LXXXI. *De Phyllide.*

CUM duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior:
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit. ille pedem sustulit, hic tunicam.

LXXXII. *Ad Gallum.*

SI quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Manè, vel à mediâ nocte togatus ero.
Stridentésque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiámque nives.
Sed si non fias quadrante beatior uno,
Per gemitus nostros, ingenuásque cruces:
Parce precor lasso, vanósque remitte labores,
Qui tibi non prosunt, & mihi, Galle, nocent.

LXXXIII. *Ad Marinum.*

RAROS colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, calvæ

Campum

Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt jubente vento,
Redduntúrque sibi, capútque nudum
Cirris grandibus hinc & indè cingunt.
Inter Spendophorum, Telesphorúmque,
Cydæ stare putabis Hermeroten.
Vis tu simpliciùs senem fateri?
Ut tandem videaris unus esse?
Tonsor jam reliquos metat capillos,
Calvo turpius est nihil comato.

LXXXIV. *De Afro, ad Cæditianum.*

MIRARIS, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum quâ Cæditiane vides.

LXXXV. *De Ladonte nautâ.*

JAM senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ
Proxima dilectis rura paravit aquis.
Quæ cùm sæpe vagus premeret torrentibus undis
Tybris, & hyberno rumperet arva lacu:
Emeritam puppim, ripâ quæ stabat in altâ,
Implevit saxis, oppositque vadis.
Sic nimias avertit aquas. quis credere posset?
Auxilium domino merla carina tulit.

LXXXVI. *De Lauro.*

NEMO novâ caluit sic inflammatus amicâ,
Flagravit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas;
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

LXXXVII. *De natali Restituti.*

OCTOBRES age sentiat Calendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnibus & favete votis.
Natalem colimus, tacete lites.
Absit cereus aridi clientis,
Et vani triplices, brevésque mappæ
Expectent gelidi jocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lucernas.
Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cænatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit?
Veros sardonychas sed ipsa tradat.
Mirator veterum senex avorum,
Donet Phidiaci toreuma cœli.
Venator leporem, colonus hœdum,
Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittit sua quisque, quid poëtam
Missurum tibi, Restitute, credis?

LXXXVIII. *Ad Cottam.*

OMNES persequeris prætorum, Cotta, locellos;
Accipis & ceras: officiosus homo es.

LXXXIX. *De statuâ Junonis.*

JUNO labor, Polyclete, tuus, & gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus:
Ore nitet tanto, quanto superâsset in Idâ
Judice convictas non dubitante deas.
Junonem, Polyclete, suam misi frater amaret,
Junonem poterat frater amare tuam.

XC. *In Ligellam.*

QUID vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiæ decent puellas.
Nam tu jam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, bellè
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnus hic videtur;
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

XCI. *De Almone.*

OMNES eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quòd sua Polla nihil.

XCII. *Ad Marium.*

MARI, quietæ cultor & comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicésque Faunorum,
Et semidoctâ villici manu structas
Tonantis aras, horridíque Sylvani,
Quas tinxit agni sæpe sanguis, aut hœdi,
Dominámque sancti virginem deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem mearum principem Calendarum,
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen
Seu tu cruore, sive thure placabis:
Ubicunque noster Martialis est, dices,
Hâc, ecce, meum dexterâ litat vobis
Absens sacerdos; vos putate præsentem;
Et date duobus, quidquid alter optârit.

XCIII. *Ad Clementem.*

SI prior Euganeas Clemens Helicaonis oras,
Pictáque pampineis videris arva jugis;
Perfer Atellinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpureâ sed modò suta togâ.
Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo:
Sic nova nec mento sordida charta juvat.

XCIV. *Munusculum pomorum.*

NON mea Massylus servat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi servit ager:
Sed Nomentanâ securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, mediâ quæ sunt modò nata Suburrâ,
Mittimus autumni cerea poma mei.

XCV. *Ad Gallam.*

INFANTEM tibi, vir, tibi, Galla, remisit adulter.
Hi, puto, non dubiè se futuisse negant.

XCVI. *Ad Avitum.*

SÆPE loquar nimiùm gentes quòd, Avite, remotas
Miraris, Latiâ factus in urbe senex;
Auriferúmque Tagum fitiam, patriúmque Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in quâ res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Pascitur hîc: ibi pascit ager: tepet igne maligno
Hîc focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hîc pretiosa fames, conturbatórque macellus,
Mensa ibi divitiis ruris operta sui.
Quatuor hîc æstate togæ, pluréve teruntur,
Autumnis ibi me quatuor una tegit.
I, cole nunc reges: quicquid non præstat amicus,
Cùm præstare tibi possit, Avite, locus.

XCVII. *De Numâ.*

DUM levis arsurâ structor Libitina papyro,
Dum myrrham, & casiam flebilis uxor emit:
Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato
Hæredem scriptit me Numa: convaluit.

XCVIII. *In Publium.*

ADDAT cùm mihi Cæcubam minister,
Ideo resolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua, nec soror recumbit:
Vis spectem potiùs tuas lacernas,
Aut citrum vetus, Indicósque dentes?
Suspectus tibi ne tamen recumbam,
Præsta de grege, sordidâque villâ
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.
Perdet te pudor hic: habere, Publi,
Mores non potes hos, & hos ministros.

XCIX. *De figurâ Socratis.*

SI Romana forent hæc Socratis ora, fuissent
Julius in Satyris qualia Rufus habet.

C. *In commiscentem versus operi suo.*

QUID, fatue, nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi, miser, libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilísque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte, frustra crure ligneo curres.

De

Digitized by Google

CI. *De Capitolino.*

ELYSIO redeat si fortè remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus;
Qui Capitolinum pariter, Galbámque jocantes
Audierit: dicet, rustice Galba tace.

CII. *De Phileno.*

QUA factus ratione fit requiris,
Qui nunquam futuit, pater Philenus?
Gaditanus, Avite, dicat istud:
Qui scribit nihil, & tamen poëta est.

CIII. *Ad municipes suos Bilbilitanos.*

MUNICIPES, Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis;
Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis?
Nam decus & nomen, famáque vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Méque velit dici non minùs illa suum.
Quatuor accessit tricesima messibus ætas,
Ut sinè me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ;
Mutavere meas Itala regna comas?
Excipitis reducem placidâ si mente, venimus:
Aspera si geritis corda, redire licet.

CIV. *Ad Librum.*

I Nostro comes, I libelle Flacco
Longum per mare, sed faventis undæ,
Et cursu facili, tussque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, & citatus
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.
Quid mandem tibi quæris? ut sodales
Paucos, sed veteres & ante brumas
Triginta mihi quatuórque visos
Ipsâ protinus à viâ salutes,
Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
Jucundos mihi nec laborioſos
Secessus pretio paret salubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem.
Hæc sunt. jam tumidus vocat magister,
Castigátque moras; & aura portum
Laxavit melior. vale libelle:
Navem, scis puto, non moratur unus.

LIBER XI.

I.

QUO tu, quò liber ociosè tendis,
Cultus Sindone non quotidianâ?
Numquid Parthenium videre? certè.
Vadas, & redeas inevolutus.
Libros non legit ille, sed libellos:
Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
Ecquid te satìs æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.
Sunt illìc duo, tréſve, qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum:
Sed cùm sponsio, fabulæque lassæ
De Scorpo fuerint, & Incitato.

II. *Ad Lectores.*

TRISTE supercilium, durique severa Catonis
Frons, & aratoris filia Fabricii,
Et personati fastus, & regula morum,
Quidquid & in tenebris non sumus; ite foras.
Clamant ecce mei, lò Saturnalia, versus:
Et licet; & sub te præside, Nerva, libet.
Lectores terrici salebrosum ediscite Santram:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

III. *De suis libellis.*

NON urbana meâ tantum Pimpleïde gaudent
Ocia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur & nostros cantare Britannia versus.
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quàm victuras poteramus pangere chartas,
Quantáque Pieriâ prælia fare tubâ;
Cùm pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenantem si mihi Roma daret!

IV. *Precatur deos pro Nervâ Trajano.*

SACRA, Laréſque Phrygum, quos Trojæ movit heres,
Quàm rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus & æterno nunc primùm Jupiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris:
Et qui purpureis jam tertia nomina fastis
Jane, refers Nervæ; vos precor ore pio:
Hunc omnes servate ducem, servate senatum:
Moribus hic vivat principis, ille suis.

V. *In laudem Nervæ Trajani.*

TANTA tibi est recti reverentia, Cæsar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat:
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Cræsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te colet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cùm positurus erit.
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris,
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

VI. *Ad Romam.*

UNCTIS falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti: licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quidquid venerit obvium, loquamur,
Morosâ sinè cogitatione.
Misce dimidios puer trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni:
Misce Dindyme, sed frequentiores,
Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrent mihi quindecim poëtæ.
Da nunc basia, sed Catulliana:
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

VII. *Ad Paullam.*

JAM certè stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longiùs ire voles,
Cæsar in Albanum jussit me manè venire,
Cæsar Circeïos, jam strupha talis abit.
Penelopæ licet esse tibi sub principe Nervâ;
Sed prohibet scabies, ingeniúmque vetus.
Infelix quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ:
Ibit & ad fratrem tecum, matrémque, patrémque;
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet & hystericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.
Quanto tu meliùs! quoties placet ire fututum,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro.

VIII. *De basiis sui pueri.*

LASSA quod externi spirant opobalsama drauci;
Ultima quod curvo quæ cadit aura croco;
Poma quod hybernâ matureſcentia capsâ:
Arbore quod vernâ luxuriosus ager;
De Pallatinis dominæ quod serica prælis;
Succina virgineâ quod regelata manu:
Amphora quod nigri, sed longè fracta Falerni;
Quod qui Sicanias detinet hortus apes:
Quod Cosmi redolent alabastra, focíque deorum:
Quod modò divitibus lapsa corona comis:
Singula quid dicam? non sunt satìs; omnia misce:
Hoc fragrant pueri basia manè mei.
Scire cupis nomen? nil præter basia dicam.
Jurâsti. nimium scire, Sabine, cupis.

De

IX. *De statuâ Memoris.*

CLARUS fronde Jovis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea reditus arte Memor.

X. *De Turno.*

CONTULIT ad Satyras ingentia Pectora Turnus:
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

XI. *Ad puerum suum.*

TOLLE puer calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, & tonso pura ministro;
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemmâ, qui Mentora frangis
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ.

XII. *In Zoilum.*

JUS tibi natorum vel septem, Zoile, detur:
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

XIII. *Epitaphium Paridis Pantomimi.*

QUISQUIS Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salésque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus, & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinésque,
Hôc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

XIV. *De colono.*

HÆREDES, nolite brevem sepelire colonum:
Nam terra est illi quantulacumque gravis.

XV. *De libro suo.*

SUNT chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legunt Sabinæ:
Hic totus volo rideat libellus,
Et fit nequior omnibus libellis:
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam,
Ex quâ nascimur, omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios, Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

XVI. *Ad Lectores.*

QUI gravis es nimiùm, potes hinc jam lector abire
Quò libet: urbanas scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,
Et Tartessiacâ concrepat æra manu.
O quoties rigidâ palsabis pallia venâ,
Sis gravior Curio, Fabricióque licét!
Tu quoque nequitias nostri lusúsque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licét.
Erubuit, posuitque meam Lucretia librum:
Sed coram Bruto. Brute recede, leget.

XVII. *Ad Sabinum.*

NON omnis nostri nocturna est pagina libri:
Invenies & quod mane, Sabine, legas.

XVIII. *Ad Lupum.*

DONASTI Lupe rus sub urbe nobis:
Sed rus est mihi majus in fenestrâ.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica dic comedit uno,
Clausæ cui solitum rosæ corona est:
In quo non magis invenitur herba,
Quàm costi folium, pipérve crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam malè poscit hortus unam;
Consumpto moriatur culex falérno;
Et talpa est mihi fossor, atque arator:
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt.
Fines meos populatur, & colono
Tamquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges est hirundinino;
Et cùm stet sinè falce, mentulâque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mostum nece condimus picatâ.
Errâsti, Lupe, literâ sed unâ:
Nam quo tempore *prædium* dedisti,
Mallem tu mihi *prandium* dedisses.

XIX. *In Gallam.*

QUÆRIS cur nolim te ducere, Galla? diserta es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

XX. *Ad lectorem grævem.*

CÆSARIS Augusti lascivos, livide, versus
Sex lege, qui tristis verba Latina legis.
Quod fuerit Glaphyræ Antonius, hæc mihi pœnæ
Fulvia constituit, se quoque uti fuerim.
Fulviam ego ut fuerim? quid si vir Mantius esset
Pædicem? faciam? non puto si sapiam.
Aut fuge, aut pugnemus, ait. quid, quid mihi vitâ
Carius est ipsâ mentula? signa canant.
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romanâ simplicitate loqui.

XXI. *In Lydiam.*

LYDIA tam laxa est, equitis quàm culus ærni;
Quàm celer arguto qui sonat ære trochus;
Quàm rota transmisso toties intacta petauro,
Quàm vetus à crassâ calceus udus aquâ;
Quàm quæ rara vagos expectant retia turdos,
Quàm Pompeiano vela negata Noto;
Quàm quæ de phthisico lapsa est armilla cinædo,
Calcita Leuconico quàm viduata suo;
Quàm veteres bracæ Britonis pauperis, & quàm
Turpe Ravennatis guttur onocrotali.
Hanc in piscinâ dicor futuisse marinâ,
Nescio: piscinam me futuisse puto.

XXII. *In pædiconem masturbantem.*

MOLLIA quòd nivei duro teris ære Galesi
Basia, quòd nudo cum Ganymede jaces;
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina saltem
Parce fututrici sollicitare manu.
Levibus in pueris plus hæc, quàm mentula, peccat:
Et faciunt digiti, præcipitántque virum.
Indè tragus, celeréque pili, mirandáque matri
Barba, nec in clarâ balnea luce placent.
Divisit natura mares; pars una puellis,
Una viris genita est: utere parte tuâ.

XXIII. *In Silam.*

NUBERE Sila mihi nullâ non lege parata est:
Sed Silam nullâ ducere lege volo.
Cùm tamen instaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quamvis primâ te nocte maritus,
Communis tecum nec mihi lectus erit:
Complectárque meam, nec tu prohibebis, amicam;
Ancillam mittes & mihi jussa tuam.
Te spectante dabit nobis lasciva minister
Basia, sive meus, sive erit ille tuus.
Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis, sed non dabis ultro:
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas:
Invenies qui te ducere, Sila, velit.

XXIV. *Ad Labullum.*

DUM te prosequor, & domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,
Et quidquid loqueris, facísque, laudo,
Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat causidicus, poëta carpit,
Propter te perit? hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, ut tibi togarum
Sit major numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta propè jam diebus una est

Nobis

Digitized by Google

Dixit idem quoties lafelvo Jano tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede jacet.
Incurvabat Hylam posito Tirinthius arcu:
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Pœbum Daphne fugitiva: sed illas
Oebalius flammas jussit abire puer.
Brisëis multùm quamvis aversa jaceret,
Æacidæ propior lævis amicus erat.
Parce tuis igitur dare masculа nomina rebus,
Téque puta cunnos, uxor, habere duos!

XLIV. *Ad fœnus orbum.*

ORBUS es, & locuples, & Bruto consule natus,
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ: sed quas juvenis, quas pauper habebas:
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

XLV. *In Cantharum.*

INTRASTI quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, sive puella tibi:
Contentus non es foribus, velóque, seráque,
Secretúmque jubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimæ si qua est suspectio rimæ,
Punctáque lascivâ quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitíque pudoris,
Qui vel pedicet, Canthare, vel futuit.

XLVI. *In Mævium.*

JAM, nisi per somnum, non arrigis, & tibi, Mævi,
Incipit in medios meiere verpa pedes:
Traditur & digitis pannucea mentula lassis,
Nec levat extinctum sollicitata caput.
Quid miseros frustra cunnos, culósque lacessis?
Summa pecus: illìc mentula vivit anus.

XLVII. *In Blatterum.*

OMNIA fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blattara? ne futuat.
Cur nec Pompeiâ lentus spatiatur in umbrâ,
Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelidâ Virgine? ne futuat.
Cùm sic fœminei generis contagia vitet,
Cur lingit cunnum Blattara? ne futuat.

XLVIII. *In Silium Italicum.*

SILIUS hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Jugera facundi qui Ciceronis habet.
Hæredem, dominúmque sui tumulíve, Larísve
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

XLIX. *De Silio.*

JAM propè desertos cineres, & sancta Maronis
Nomina qui coleret pauper, & unus erat.
Silius optatæ succurrere censùit umbræ,
Silius & vatem, non minor ipse, tulit.

L. *In Phyllida.*

NULLA est hora tibi quâ non me, Phylli, furentem
Despolies: tantâ calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel à digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt:
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri carioſa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc ut emam grandémve lupum, multúmve bilibrem,
Indixit cœnam dives amica tibi.
Sit pudor, & tandem veri respectus, & æqui.
Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi, Phylli, nega.

LI. *De Titio.*

TANTA est quæ Titio columna pendet,
Quantum Lampsaciæ colunt puellæ.
Hic nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus, & suis lavatur:
Angustè Titius tamen lavatur.

LII. *Ad Julium Cerealem.*

COENABIS bellè, Juli Cerealis, apud me:
Condicio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare: lavabimur unà:
Scis quàm sint Stephani balnea juncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, & porris fila resecta suis.
Mox vetus, & tenui major cordylla lacerto;
Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui versata favillâ;
Et Velabrenti massa recocta foco:
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ:
Hæc satis in gustu. cætera nôsse cupis?
Mentiar, ut venias; pisces, conchylia, fumen,
Et cortis saturas, atque paludis aves:
Quæ nec Scella solet rarâ nisi ponere cœnâ.
Plus ego polliceor; nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

LIII. *De Claudiâ Rufinâ.*

CLAUDIA cæruleis cùm sit Rufina Britannis
Edita, quàm Latiæ pectora gentis habet!
Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possint, Atthidas esse suam.
Dî bene, quòd sancto peperit fœcunda marito,
Quòd sperat generos, quódque puella nurus.
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

LIV. *In Zoïlum.*

UNGUENTA, & casias, & olentem funera myrrham,
Thuráque de medio semicremata rogo;
Et quæ de Stygio rapuisti Cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoïle, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare protervæ.
Non miror furem, qui fugitivus erat.

LV. *De Lupo ad Urbicum.*

HORTATUR fieri quòd te Lupus, Urbice, patrem;
Ne credas, nihil est quod minùs ille velit.
Ars est captandi, quod nolis velle videri:
Ne facias optat, quod rogat ut facias.
Dicat prægnantem tua se Coscottia tantùm:
Pallidior fiet jam pariente Lupus.
At tu consilio videaris ut usus amici;
Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

LVI. *In Charemonem.*

QUOD nimiùm laudas, Chæremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer suspiciámque tuum.
Hanc tibi virtutem fractâ facit urceus ansâ,
Et tristis nullo qui tepet igne focus.
Et teges & cimex, & nudi sponda grabati,
Et brevis, atque eadem nocte diéque toga.
O quàm magnus homo es, qui fece rubentis aceti,
Et stipulâ, & nigro pane carere potes!
Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis:
Constringátque tuos purpura pexa toros:
Dormiat & tecum, qui, cùm modò Cæcuba miscet,
Convivas roseo torserat ore, puer:
O quàm tu cupies ter vivere Nestoris annos,
Et nihil ex ullâ perdere luce voles!
Rebus in angustis facilè est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

LVII. *Ad Severum.*

MIRARIS docto quòd carmina mitto Severo,
Ad cœnam cùm te, docte Severe, vocem.
Jupiter ambrosiâ satur est, & nectare vivit:
Nos tamen exta Jovi cruda merúmque damus.
Omnia cùm tibi sint dono concessa deorum:
Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

LVIII. *In Telesphorum.*

CUM me velle vides, tentúmque, Telesphore, sentis;
Magna rogas: puto me velle negare nihil.
Et nisi juratus dixi, *dabo*, subtrahis illas,
Permittunt in me quæ tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, cùm stricta novacula suprà est,
Tunc libertatem, divitiásque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curvâ cùm tuta novacula theca,
Frangam tonsori crura manúsque simul.
At tibi nil faciam: sed lotâ mentula lanâ
Ἀνεχέζειν cupidæ dicet avaritiæ.

LIX. *De Charino.*

SENOS Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit, annulos;
Nec cùm lavatur. causa quæ sit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

LX. *De Chione & Phlogide.*

SIT Phlogis, an Chione Veneri magis apta requiris?
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
Quódque senem Pylium non sinat esse senem.
Ulcus habet, quod habere suam vult quisque puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygeia potest.
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adjuvat: absentem, marmoreámve putes.
Exorare, dei, si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare:
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Ut Phlogis; & Chione, quod Phlogis ulcus habet.

LXI. *De Manneio seu Nanneio.*

LINGUA maritus, mœchus ore Manneius,
Summœnianis inquinatior buccis:
Quem cùm fenestrâ vidit à Suburanâ
Obscœna nudum lena, fornicem cludit.
Mediúmque mavult basiare, quàm summum:
Modò qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certâ, conscilque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre;
(Gaudete cunni; vestra namque res acta est.)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam, dum tumenti mersus hæret in vulvâ,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus:
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

LXII. *De Lesbiâ.*

LESBIA se jurat gratis nunquam esse futucam.
Verum est: cùm futui vult, numerare solet.

LXIII. *In Philomusum.*

SPECTAS nos, Philomuse, cùm lavamur;
Et quare mihi tam mutoniati
Sint leves pueri, subinde quæris.
Dicam simpliciter tibi roganti:
Pædicant, Philomuse, curiosos.

LXIV. *In Faustum.*

NESCIO tam multis quid scribas, Fauste, puellis:
Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

LXV. *In Justinum.*

SEXCENTI cœnant à te, Justine, vocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit:
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam;
Nec locus hic nobis invidiosus erat.
Postera sed festæ reddes solemnia mensæ:
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

LXVI. *In Vacerram.*

ET delator es, & calumniator:
Et fraudator es, & negotiator:
Et fellator es, & lanista. miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

LXVII. *In Maronem.*

NIL mihi das vivus: dicis, post fata datorum.
Si non es stultus, scis, Maro quid cupiam.

LXVIII. *Ad Mathonem.*

PARVA rogas magnos: sed non dant hæc quoque magni.
Ut pudeat leviùs te, Matho, magna roga.

LXIX. *Epitaphium canis Lydiæ.*

AMPHITHEATRALES inter nutrita magistros
Venatrix, sylvis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar, domino fidissima Dextro,
Qui non Erigones mallet habere canem:
Nec qui, Dictæâ Cephalum de gente secutus,
Luciferæ pariter venit ad astra deæ.
Non me longa dies, nec inutilis absulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani.
Fulmineo spumantis apri sum dente peremptæ,
Quantus erat Calydon, aut, Erymanthe, tuus.
Nec queror, infernas quamvis citò rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

LXX. *In Tuccam.*

VENDERE, Tucca, potes centenis millibus emptos?
Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?
Nec te blanditiæ, nec verba, rudésque querelæ,
Nec te dente tuo saucia colla movent?
Ah facinus! tunicâ patet inguen utrimque levatâ;
Inspicitúrque tuâ mentula facta manu.
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
Vende senes servos, agros & vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende miser.
Luxuria est emere hos, (quis enim dubitátve, negátve?)
Sed multo major vendere luxuria est.

LXXI. *De Leda.*

HYSTERICAM vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Læda necesse sibi:
Sed fleus, atque gemens tanti negat esse salutem,
Séque refert potiùs proposuisse mori.
Vir rogat, ut vivat, virides nec deserat annos;
Et fieri, quod jam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicæque recedunt,
Tolluntúrque pedes: O medicina gravis.

LXXII. *De Natâ.*

DRAUCI Nata sui vocat pipinnam,
Collatus cui Gallus est Priapus.

LXXIII. *In Lygdum.*

VENTURUM juras semper mihi, Lygde, roganti,
Constituíque horam, constituíque locum.
Cùm frustra jacui longâ prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid precer, O fallax, meritis, & moribus istis?
Umbellam fuscæ, Lygde, feras dominæ.

LXXIV. *De Baccarâ.*

CURANDUM penem commisit Baccara Græcus
Rivali medico: Baccara Gallus erit.

LXXV. *In Cæliam.*

THECA tectus ænea lavatur
Tecum, Cælia, servus. ut quid, oro,
Non sit cùm citharœdus, aut choraules!
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo, ne videaris invidere,
Servo, Cælia, fibulam remitte.

LXXVI. *Ad Petum.*

SOLVERE, Pete, decem tibi me sestertia cogis:
Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

LXXVII. *In Vacerram.*

IN omnibus Vacerra quòd conclavibus
Consumit horas, & die totâ sedet:
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

LXXVIII. *Ad Victorem sponsum.*

UTERE fœmineis complexibus, utere Victor,
Ignotúmque sibi mentula discat opus.
Flammea texuntur sponsæ, jam virgo paratur,
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Sæpius hoc fieri nutrix, matérque vetabunt,
Et dicent, *uxor, non puer, ista tibi est.*
Heu quantos æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
Ergo Suburanæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

LXXIX. *Ad Petum.*

AD primum decimâ lapidem quod venimus horâ,
Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista viæ, non est mea sed tua culpa;
Misisti mulas qui mihi, Pete, tuas.

LXXX. *De*

LXXX. *De Baiis.*

LITUS beatæ Veneris aureum Baias,
Baias superbæ blanda dona Naturæ,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Baias:
Laudabo dignè non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quàm Baias.
Optare utrumque pariter, improbum votum est.
Quòd si deorum munere hoc tibi detur:
Quid gaudiorum est Martialis & Baiæ!

LXXXI. *De spadone, & seue.*

CUM seue communem vexat spado Dindymus Æglen,
Et jacet in medio ficca puella toro:
Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo finè effectu prurit uterque labor.
Supplex ille rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc juvenem facias, hunc, Cytherea, virum.

LXXXII. *De Philostrato.*

A SINUESSANIS conviva Philostratus undis
Conductam repetens nocte jubente larem,
Penè imitatus obit sævis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset; Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potiùs vestras ille bibisset aquas.

LXXXIII. *Ad Sosibianum.*

NEMO habitat gratis, nisi dives & orbus apud te.
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

LXXXIV. *De Antiocho tonsore.*

QUI nondum Styglas descendere quærit ad undas;
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minùs sævis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractáque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collúque pulvereâ nudet equina jubâ.
Hic miserum Scythicâ sub rupe Promethea radat:
Carnificem nudo pectore poscet avem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus:
Antiochi tantùm barbara tela sonent.
Hæc quæcunque meo numeratis stigmata mento,
In vetuli pictæ qualia fronte sedent.
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor:
Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
Unus de cunctis animalibus hircus habet cor;
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

LXXXV. *In Zoilum.*

SIDERE percussa est subito tibi, Zoïle, lingua.
Dum lingis certè, Zoïle, nunc futues.

LXXXVI. *In Parthenopæum.*

LENIAT ut fauces medicus, quas aspera vexat
Assiduè tussis, Parthenopæe, tibi:
Mella dari, nucleósque jubet, dulcésque placentas,
Et quicquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopæe: gula est.

LXXXVII. *Ad Charidemum.*

DIVES eras quondam: sed tunc pædico fuisti,
Et tibi nulla diu fœmina nota fuit.
Nunc sectaris anus. ô quantum cogit egestas!
Illa fututorem te, Charideme, facit.

LXXXVIII. *De Charisiano.*

MULTIS jam, Lupe, posse se diebus
Pædicare negat Charisianus.
Causam cùm modò quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

LXXXIX. *Ad Pollam.*

INTACTAS quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

XC. *In Chrestillum.*

CARMINA nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altáque saxa cadunt.
Et tibi Mæonio res carmine major habetur,
Lucilei Columella heic situ' Metrophan' est.

Attonitúsque legis *terrai frugiferai*;
Accius & quicquid Pacuviúsque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuósque poëtas?
Dispeream, si scis mentula quid sapiat.

XCI. *Epitaphium Canaces.*

ÆOLIDON Canace jacet hôc tumulâta sepulchro
Ultima cui parvæ septima venit hyems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere viator?
Non licet hìc vitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
Abstulit, & tenero sedit in ore lues:
Ipsáque crudeles ederunt oscula morbi,
Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant aliâ fata venire viâ.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
Ne posset duras flectere lingua deas.

XCII. *In Zoilum.*

MENTITUR, qui te vitiosum, Zoïle, dixit.
Non vitiosus homo es, Zoïle, sed vitium.

XCIII. *De Theodoro.*

PIERIOS vatis Theodori flamma Penates
Abstulit. hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, ô magnum facinus, criménque deorum,
Non arsit pariter quòd domus, & dominus?

XCIV. *In verpum æmulum.*

QUOD nimiùm lives, nostris & ubique libellis
Detrahis, ignosco: verpe poëta sapis.
Hoc quoque non caro, quòd, cùm mea carmina carpas,
Compilas; & sic verpe poëta sapis.
Illud me crucìat; Solymis quòd natus in ipsis,
Pædicas pueros, verpe poëta, meum.
Ecce negas, juráque mihi per templa Tonantis.
Non credo: jura, verpe, per Anchialum.

XCV. *Ad Flaccum.*

INCIDERIS quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

XCVI. *Ad Germanum.*

MARTIA, non Rhenus, salit hìc, Germane. quid obstas,
Et puerum, prohibes divitis imbre lacûs?
Barbare, non debet, subnoto clve, ministro
Captivam victrix unda levare sitim.

XCVII. *In Thelesillam.*

UNA nocte quater possum: sed quatuor annis
Si possum, peream, te Thelesilla semel.

XCVIII. *Ad Bassum.*

EFUGERE non est, Basse, basiatores:
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt;
Et hinc, & illinc, usquequaque, quacumque
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
Nec triste mentum, sordidíque lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis afferet caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, velóque,
Nec vindicabit sella sæpius clusa.
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Senísque fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem:
Sedeas in alto tu licèt tribunali,
Et è curuli jura gentibus reddas:
Adscendet illa basiator, atque illa:
Febricitantem basiabit & flentem:
Dabit oscitanti basium, natantíque:
Dabit & cacanti. remedium mali solum est;
Facias amicum, basiare quem nolis.

XCIX. *In Lesbiam.*

DE cathedrâ quoties surgis, jam sæpe notavi,
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas cum conata es dextrâ, conata sinistrâ
Vellere, cum lacrymis eximis, & gemitu.
Sic constringuntur geminâ Symplegade culi,
Et

Et Minyas intrant, Cyaneásque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo;
Lesbia, nec surgas censeo, nec sedeas.

C. *Ad Flaccum.*

HABERE amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat, & genu pungat:
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius sum, pingularius non sum.

CI. *Ad Flaccum.*

THAÏDA tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu puto, quod non est, Flacce, videre potes.

CII. *In Lydiam.*

NON est mentitus qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita; si taceas, & si tam muta recumbas,
Quàm filet in cerâ vultus, & in tabulâ.
Sed quoties loqueris, carnem quoque Lydia perdis;
Et sua plus nulli, quàm tibi lingua nocet.
Audiat ædilis ne te, videátque caveto;
Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

CIII. *Ad Sophonium.*

TANTA tibi est animi probitas, ortúsque Sophoni,
Ut mirer fieri te potuisse patrem.

CIV. *In Uxorem.*

UXOR vade foras, aut moribus utere nostris:
Non ego sum Curius, non Numa, non Tatius.
Me jucunda juvant tractæ per pocula noctes:
Tu properas potâ surgere tristis aquâ.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucernâ,
Et juvat admissâ rumpere luce latus.
Fascia te, tunicæque obscuráque pallia celant:
At mihi nulla satis nuda puella jacet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das, aviæ qualia manè soles.
Nec motu dignaris opus, nec voce juvare,
Nec digitis: tanquam thura, merúmque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties socerat uxor equo.
Et quamvis Ithaco stertente, pudica solebat
Illic Penelope semper habere manum.
Pædicare negas: dabat hoc Cornelia Graccho,
Julia Pompeio, Porcia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Juno fuit pro Ganymede Jovi.
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
Sis licet usque die: Laïda nocte volo.

CV. *Ad Garricum.*

MITTEBAS libram: quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

CVI. *Ad Albinum Maximum.*

ALBI Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantùm lege: namque & occupatus,
Et non es nimiùm laborioſus.
Transis hos quoque quatuor? sapisti.

CVII. *Ad Septicianum.*

EXPLICITUM nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti. credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

CVIII. *Ad Lectorem.*

QUAMVIS tam longo possis satur esse libello,
Lector; adhuc à me distichа pauca petis.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.
Lector solve. taces, dissimulásque? vale.

LIBER XII.

I. *Ad Priscum.*

RETIA dum cessant, latratorésque Molossi,
Et non invento sylva quiescit apro:
Ocia, Prisce, brevi poteris donare libello.
Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

II. *Ad sua carmina.*

QUÆ modò littoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite Sacrâ, jam non pulverulenta via est.

III. *Ad librum suum.*

AD populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis iò Romam nunc peregrine liber.
Auriferi de gente Tagi, tetricíque Salonis,
Dat patrios Manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.
Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, primâ gradiere Suburâ:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hyanteæ Stella siticor aquæ.
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribúsque, equitíque legendum,
Nec nimiùm siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tréve legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

IV. *Ad Priscum.*

QUOD Flacco, Varióque fuit, summóque Maroni;
Mæcenas avis regibus ortus eques,
Gentibus & populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartáque dicet anus.
Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur:
Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.

V. *Ad Cæsarem.*

LONGIOR undecimi nobis, decimíque libelli
Arctatus labor est, & breve rasit opus.
Plura legant vacui, quibus ocia tuta dedisti:
Hæc lege tu Cæsar: forsan & illa leges.

VI. *In commendationem Nervæ.*

CONTIGIT Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta Fides, hilaris Clementia, casta Potestas
Jam redeunt: longi terga dedere Metus.
Hoc populi, gentésque tuæ, pia Roma, precantur:
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Mœste animi quem rarus habet, morúmque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breves extendere census,
Et dare quæ faciles vix tribuere dei;
Nunc licet, & fas est. sed tu sub principe duro,
Temporibúsque malis, ausus es esse bonus.

VII. *De Ligeia.*

TOTO vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Ligeia, trima est.

VIII. *In commendationem Trajani.*

TERRARUM dea, gentiúmque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Trajani modò læta cum futuros
Tot per secula computaret annos;
Et fortem, juvenémque, Martiúmque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside glorioſa tali:
Parthorum proceres, ducésque Serum,
Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem; Venite.

IX. *Ad Cæsarem.*

PALMA regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Missi mores in loca nostra tuos.

X. *De Africano.*

HABET Africanus millies, tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

XI. *Mittit librum ad Parthenium.*

PARTHENIO dic Musa tuo, nostróque salutem.
Nam quis ab Aonio largiùs amne bibit?
Cujus Pimpleo lyra clarior exit ab antro?
Quem plùs Pierio de grege Phœbus amat?

Et

Digitized by Google

Et si fortè, sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat ut ipse duci cărmina nostra, roga;
Quatuor & tantùm tinidúmque brevémque libellum
Commendat verbis; hunc tua Roma legit.

XII. *In Postumum.*

OMNIA promittis, cùm totâ nocte bibisti:
Manè nihil præstas: Postume, manè bibe.

XIII. *Ad Auctum.*

GENUS, Aucte, lucri divites habent iram.
Odisse, quàm donare, vilius constat.

XIV. *Ad Priscum.*

PARCIUS utaris, moneo, rapiente veredo
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet: nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licèt, fallere plana solent.
Non desunt qui tanta tibi spectacula præstent,
Invidiâ fati sed leviore cadant.
Si te delectant animosa pericula: Tuscis,
(Tutior est virtus,) insidiemur apris.
Quid te frena juvant temeraria? sæpius illis
Prisce, datum est equitem rumpere, quàm leporem.

XV. *Adulatorium.*

QUIDQUID Parrhasiâ nitebat aulâ,
Donatum est oculis, dessque nostris,
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Jupiter, & stupet superbi
Regis delicias, gravésque luxus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Jove nunc sumus beati:
At nuper (pudet, ah pudet fateri,)
Omnes cum Jove pauperes eramus.

XVI. *In Labienum.*

ADDIXTI, Labiene, tres agellos:
Emisti, Labiene, tres cinædos:
Prædicas, Labiene, tres agellos.

XVII. *In Lentinum.*

QUARE tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & usque gemis.
Gestatur tecum pariter, paritérque lavatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Sentino sit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi per niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo;
Dormit & in plumâ, purpureóque toro.
Cùm sit ei pulcre, cùm tam bene vivat apud te,
Ad Damam potiùs vis tua febris eat?

XVIII. *Ad Juvenalem.*

DUM tu fortitan inquietus erras
Clamosâ, Juvenalis, in Suburâ,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum,
Sudatrix toga ventilat, vagúmque
Major Cœlius, & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticúmque fecit
Auro Bilbilis, & superba ferro.
Hìc pigri colimus labore dulci
Boterdum, Plateámque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improbóque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora.
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Ter denos vigilaveram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti
Ruptâ proxima vestis à cathedrâ.
Surgentem focus excipit superbâ
Vicini strue cultus iliceti,
Multâ villica quem coronat ollâ.
Venator sequitur; sed ille, quem tu
Secretâ cupias habere sylvâ.
Dispensat pueris, rogátque longos
Levis ponere villicus capillos.
Sic me vivere, sic juvat perire.

XIX. *De Æmilio.*

IN thermis sumit lactucas, ova, lacertum,
Et cœnare foris se negat Æmilius.

XX. *Ad Fabullum.*

QUARE non habeat, Fabulle, quæris
Uxorem Themison? habet sororem.

XXI. *Ad Marcellam.*

MUNICIPEM rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam:
Nulla nec in mediâ certabit nata Suburâ,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec citò ridebit peregrini gloria partûs,
Romanam deceat quam magis esse nurum.
Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
Esse jubes: Romam tu mihi sola facis.

XXII. *De Philænide.*

QUAM sit lusca Philænis indecenter,
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Esset cæca decentior Philænis.

XXIII. *In Lælium.*

DENTIBUS, atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

XXIV. *Ad Juvencum, de covino curru.*

O Jucunda, covine, solitudo,
Carrucâ magìs, essedóque gratum
Facundi mihi munus Æliani;
Hìc mecum licet, hìc Juvence, quidquid
In buccam tibi venerit, loquaris.
Non rector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam multo: mannuli tacebunt.
O si conscius esset hìc Avitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quàm bene sic dies abiret!

XXV. *In Thelesinum.*

CUM rogo te nummos sinè pignore: non habeo, inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribúsque meis.
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
Exilii comitem quæris? agellus eat.

XXVI. *In avarum amicum.*

SEXAGINTA teras cùm limina manè senator,
Esse tibi videor desidiosus eques;
Quòd non à primâ discurram luce per urbem,
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis,
Aut Numidûm gentes, Cappadocúmve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patíque lutum,
Quid petitur? ruptâ cùm pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamatus verna lacernis;
Accedit gelidam servus ad auriculam,
Et, rogat ut cœnes secum Lætorius, inquit.
Viginti nummis non ego. malo famem;
Quòd sit cœna mihi, tibi sit provincia merces,
Et faciamus idem, nec mereamur idem.

XXVII. *In Senium.*

A LATRONIBUS esse te fututam
Dicis Senia: sed negant latrones.

XXVIII. *In Cinnam.*

POTO ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces.
Et quereris quòd non, Cinna, bibamus idem.

XXIX. *De Hermogene fure.*

HERMOGENES tantus mapparum, Pontice, fur est,
Quantus nummorum vix, puto, Massa fuit.
Tu licèt observes dextram, teneásque sinistram:
Inveniet, mappam quâ ratione trahat.
Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
Casuras altè sic capit Iris aquas.

Nuper

Nuper cùm Myrino peteretur missio laso:
Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
Cretatam prætor cùm vellet mittere mappam;
Prætori mappam surripit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furtà timentur:
Mantile è mensâ surpuit Hermogenes.
Hoc quoque si deerit: medios discingere lectos,
Mensarúmque pedes non timet Hermogenes.
Quamvis non modico caleant spectacula Sole:
Vela reducuntur, cùm venit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nauta,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calvi, fistratáque turba,
Inter adorantes cùm stetit, Hermogenes.
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam:
A cœnâ semper rettulit Hermogenes.

XXX. *Ad Aprum.*

SIccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

XXXI. *De hortis Marcellæ uxoris.*

HOC nemus, hi fontes, hæc textilis umbra supini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ:
Pratáque, nec bifero cessura rosaria Pæsto:
Quódque viret Jani mense, nec alget olus:
Quæque natat clusis anguillà domestica lymphis,
Quæque gerit similes candida turris aves:
Munera sunt dominæ post septima lustra reverso;
Has Marcella domos, parváque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

XXXII. *In Vacerram.*

O Juliarum dedecus Calendarum:
Vidi Vacerra sarcinas tuas; vidi:
Quas non retentas pensione pro bimâ
Portabat uxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore canâ mater ingenti.
Furias putavi nocte Ditis emersas.
Has tu priores frigore & fame ficcus,
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucernâ, corneóque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphoræ cervix:
Fuisse gerres, aut inutiles mœnas
Odor impudicus arcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tholosatis.
Quadrima nigri nec corona pulei,
Calvæque restes allióque, cepísque,
Nec plena turpi matris olla resinâ,
Summœnianæ quâ pilantur uxores.
Quid quæris ædes, villicósque derides,
Habitare gratis, ô Vacerra, cùm possis?
Hæc sarcinarum pompa convenit ponti.

XXXIII. *De Labieno.*

UT pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

XXXIV. *Ad Julium Martialem.*

TRIGINTA mihi, quatuórque messes
Tecum, si memini, fuere Juli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris;
Sed jucunda tamen fuêre plura.
Et si calculus omnis huc, & illuc
Diversus bicolórque digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

XXXV. *Ad Callistratum.*

TAMQUAM simpliciter mecum, Callistrate, vivas:
Dicere percisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex, quàm vis, Callistrate, credi:
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

XXXVI. *In Labullum.*

LIBRAS quatuor, aut duas amico,
Algentémque togam, brevémque lenam,
Interdum aureolos manu crepantes,
Possint ducere qui duas calendas,
Quòd nemo, nisi tu, Labulle donas;
Non es, crede mihi, bonus: quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecásque, Memmiósque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus ultimus bonorum.
Vis cursu, pedibúsque gloriari?
Tigrim vince, levémque Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellos.

XXXVII. *In nasutum.*

NASUTUS nimiùm cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

XXXVIII. *Ad Candidum.*

HUNC qui fœmineis noctésque diésque cathedris
Incedit totâ notus in urbe nimis;
Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber;
Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret:
Non est quod timeas, Candide: non futuit.

XXXIX. *In Sabellum.*

ODI te, quia bellus es Sabelle.
Res est putida bellus, & Sabellus,
Bellum denique malo, quàm Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, bellé!

XL. *In Pontilianum.*

MENTIRIS? credo: recitas mala carmina? laudo:
Cantas? canto: bibis, Pontiliane? bibo.
Pedis? dissimulo: gemmâ vis ludere? vincor.
Res una est sinè me, quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. mortuus, inquis,
Accipiam bene te, nil volo: sed morere.

XLI. *In Tuccam.*

NON est, Tucca, satis, quòd es gulosus:
Et dici cupis, & cupis videri.

XLII. *De Callistrato & Afra.*

BARBATUS rigido nupsit Callistratus Afro,
Hâc quâ lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces; velárunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? expectas numquid ut & pariat?

XLIII. *In Sabellum.*

FACUNDOS mihi de libidinosis
Legisti nimiùm, Sabelle, versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli,
Sunt illìc Veneris novæ figuræ:
Quales perditus audeat fututor:
Præstent, & taceant quid exoleti:
Quo symplegmate quinque copulentur;
Quâ plures teneantur à catenâ;
Extinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat esse te disertum.

XLIV. *Ad M. Unicum.*

UNICE cognato junctum mihi sanguine nomen:
Quisque geris studiis corda propinqua meis:
Carmina cùm facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela juvaret:
Sed tu litus amas. hoc quoque fratris habes.

XLV. *Ad Phœbum.*

HOEDINA tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticémque calvæ;
Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Ad

XLVI. *Ad Classicum.*

VENDUNT carmina Gallus, & Lupercus.
Sanos, Classice nunc nega poëtas.

XLVII. *In habentem varios mores.*

DIFFICILIS, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere: nec sinè te.

XLVIII. *In lautum invitatorem.*

BOLETOS & aprum si tanquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota: volo.
Si fortunatum fieri me credis, & hæres
Vis scribi, propter quinque Lucrina: vale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautissima: sed cras
Nil erit, imò hodie; protinus imò nihil;
Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicumque canis, junctáque testa viæ:
Mullorum, leporúmque, & suminis exitus hic est;
Sulphureúsque color, carnificésque pedes.
Non Albana mihi sit comissatio tanti;
Nec Capitolinæ, pontificúmque dapes.
Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Convivas alios cœnarum quære magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ:
Me meus ad subitas invitet amicus ofellas:
Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

XLIX. *Ad Linum pædagogum.*

CRINITÆ Line pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum vocat suarum,
Et credit cui Postumilla dives
Gemmas, aurea, vina, concubinos:
Sic te, perpetuâ fide probatum,
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero, precor, furori,
Et serves aliquando negligenter,
Illos qui malè cor meum perurunt:
Quos & noctibus & diebus opto
In nostro cupidus sinu videre.
Formosos, niveos, pares, gemellos;
Grandes, non pueros, sed uniones.

L. *In habentem amœnas ædes.*

DAPHNONAS, platanonas & aërias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes;
Et tibi centenis stat porticus alta columnis,
Calcatúsque tuo sub pede lucet onyx;
Pulveretúmque fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.
Atria longa patent: sed nec cœnantibus usquam,
Nec somno locus est, quàm bene non habitas!

LI. *De Fabullo.*

TAM sæpe nostrum decipi Fabullinum
Miraris, Aule? semper bonus homo tiro est.

LII. *Ad Sempronium.*

TEMPORA Pieriâ solitus redimire coronâ,
Nec minùs attonitis vox celebrata reis,
Hîc situs est, hîc ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cujus & ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore rediisti;
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, & Iliacos audit Menelaus amores:
Absolvit Phrygium vestra rapina Parim.
Accipient olim cùm te loca læta piorum,
Non erit in Stygiâ notior umbra domo.
Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas:
Iste tibi dominam conciliabit amor.

LIII. *In Avarum.*

NUMMI cùm tibi sint, opésque tantæ,
Quantas civis habet, patérve rarus:
Largiris nihil, incubásque genæ,
Ut magnus draco, quem canunt poëtæ
Custodem Scythici fuisse luci.
Sed causa, ut memoras, & ipse jactas,
Dirus filius est rapacitatis.
Et quid tu fatuos, rodéque queris,
Illudas quibus, auferísque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

LIV. *In Zoilum.*

CRINE ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

LV. *Ad Puellam.*

GRATIS qui dare vos jubet puellæ,
Insulsissimus, improbissimúsque est.
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Ægle negat, hoc avara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est?
Hoc vendit quoque nec levi rapinâ:
Aut libram petit illa Cosmiani,
Aut binos quater à novâ monetâ:
Ne sint basia muta, nec maligna,
Ne clusis aditum neget labellis.
Humanè facit hoc tamen; sed unum est,
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

LVI. *In Polycarpum.*

ÆGROTAS uno decies, aut sæpius anno;
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme, nocet.
Nam quoties surgis, soceris poscis amicos.
Sit pudor: ægrota jam, Polycarme, semel.

LVII. *Ad Sparsum.*

CUR sæpe ficci parva rura Nomenti,
Larémque villæ sordidum petam, quæris?
Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi. negant vitam
Ludimagistri manè, nocte pistores,
Ærariorum marculi die toto.
Hinc ociosus sordidam quatit mensam
Neroniani nummularius massæ:
Illinc paludis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonæ,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet quot æra verberent manus urbis,
Cùm secta Colcho Luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitórque Romanus.
Nec in Falerno colle major autumnus,
Intráque limen latus effedo cursus,
Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis; nec dies, nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est Roma: tædio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

LVIII. *Ad Alaudam.*

ANICILLARIOLUM tua te vocat uxor, & ipsa
Lecticariola est: essis, Alauda, pares.

LIX. *De impertitis basiatoribus.*

TANTUM dat tibi Roma basiorum
Post annos modò quindecim revecto,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc inflat tibi textor, indè fullo;
Hinc fator modò pelle basiatâ,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc defricatúsque, & indè lippus,
Fellatórque, recensque cunnilingus.
Jam tanti tibi non fuit redire.

LX. *Ad suum natalem.*

MARTIS alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnáque siderei vidimus ora dei:
Si te rure coli, viridésque pigebit ad aras,
Qui fueras Latiâ cultus in urbe mihi:
Da veniam, servire meis quòd nolo Calendis,
Et quâ sum genitus, vivere luce volo.
Natali pallere suo, ne calda Sabello
Desit, & ut liquidum potet Alauda merum,

Ter-

Digitized by Google

Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba ſæceo;
Atque inter menſas ire, redire ſuas;
Excipere hos, illos, & totâ ſurgere cœnâ
Marmora calcantem frigidiora gelu:
Quæ ratio eſt, hæc ſponte tuâ perferre, patſque,
Quæ te ſi jubeat rex dominúſve, neges?

LXI. *De Ligurrâ.*

VERSUS, & breve vividúmque carmen
In te ne faciam times, Ligurra;
Et dignus cupis hôc metu videri:
Sed fruſtra metuis, cupíſque fruſtra.
In tauros Libyci fremunt leones;
Non ſunt papilionibus moleſti.
Quæras, cenſeo, ſi legi laboras,
Nigri fornicis ebrium poëtam;
Qui carbone rudi, putríque cretâ
Scribit carmina, quæ legunt cacantes.
Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.

LXII. *Ad Saturnum pro Priſco Terentio.*

ANTIQUI rex magne poli, mundíque prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
Scifſa nec ad Manes, ſed ſua dives humus:
Lætus ad hæc facilíſque veni ſollennia Priſci
Gaudia; cum ſacris te decet eſſe tuis.
Te reducem patriæ ſextâ, pater optime, brumâ
Pacifici Latiâ reddis ab urbe Numæ.
Cernis ut Auſonio ſimilis tibi pompa macello
Pendeat, & quantus luxurietur honos?
Quàm non parca manus, largæque notniſmata menſæ,
Quæ, Saturne, tibi pernumerentur opes?
Utque ſit his pretium meritis, & gratia major,
Et pater, & frugi ſic tua ſacra colit.
At tu ſancte, tuo ſic ſemper amore Decembri:
Hos illi jubeas ſæpe redire dies.

LXIII. *Ad Cordubam.*

UNCTO Corduba lotior Venafro,
Hiſtrâ nec minùs abſoluta teſtâ,
Albi quæ ſuperas oves Galeſi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore vivo:
Dic veſtro, rogo, ſit pudor poëtæ,
Ne gratis recitet meos libellos:
Ferrem, ſi faceret bonus poëta,
Cui poſſem dare mutuos honores:
Corrumpit ſinè talione cœlebs.
Cæcus perdere non poteſt, quod aufert.
Nil eſt deterius latrone nudo:
Nil ſecurius eſt malo poëtâ.

LXIV. *De Cinnâ.*

VINCENTEM roſeos, faciéque, comâque miniſtros
Cinna cocum fecit. Cinna guloſus homo eſt.

LXV. *De Phyllide.*

FORMOSA Phyllis nocte cùm mihi totâ
Se præſtitiſſet omnibus modis largam,
Et cogitarem manè quod darem munus,
Utrúmne Coſmi, Nicerotis an libram,
An Bæticarum pondus acre lanarum,
An de monetâ Cæſaris decem flavos:
Amplexa collum, baſióque tam longo
Blandita, quàm ſunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

LXVI. *Ad Amœnum.*

BIS quinquagenis domus eſt tibi millibus empta,
Vendere quam ſummâ vel breviore cupis.
Arte ſed emptorem vafrâ corrumpis, Amœne,
Et caſa divitiis ambitioſa latet.
Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti,
Et Mauruſiaci pondera rara citri.
Argentum atque aurum non ſimplex Delphica portat:
Stant pueri, dominos quos precer eſſe meos.
Deinde ducenta ſonas, & aïs, non eſſe minoris.
Inſtructam vili vendis, Amœne, domum.

LXVII. *In natalem Maronis.*

MAIÆ Mercurium creâſtis Idus.
Auguſtis redit Idibus Diana.
Octobres Maro conſecravit Idus.
Idus ſæpe colas & has, & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

LXVIII. *Ad clientes.*

MATUTINE cliens, urbis mihi cauſa relictæ,
Atria, ſi ſapias, ambitioſa colas.
Non ſum ego cauſidicus, nec amaris litibus aptus:
Sed piger, & ſenior, Pieridúmque comes.
Ocia me, ſomnúſque juvant, quæ magna negavit
Roma mihi: redeo, ſi vigilatur & hîc.

LXIX. *Ad Paullum.*

SIC tamquam tabulas, ſcyphóſque, Paulle,
Omnes archetypos habes amicos.

LXX. *De Apro.*

LINTEA ferret Apro Vatius cum vernula ſuper,
Et ſupra togulam luſca ſederet anus;
Atque olei ſtillam daret enterocelicus unctor:
Udorum tetricus cenſor & aſper erat:
Frangendos calices, effundendúmque Falernum
Clamabat, biberet qui modò lotus eques.
A ſene ſed poſtquam patruo venere trecenta;
Sobrius à thermis neſcit abire domum.
O quantum diatreta valent, & quinque comati!
Tunc, cùm pauper erat, non ſitiebat Aper.

LXXI. *Ad Lygdum.*

NIL non, Lygde, mihi negas roganti:
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

LXXII. *Ad Pannicum.*

JUGERA mercatus prope buſta latentis agelli,
Et malè compactæ culmina fulta caſæ,
Deſeris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parváque ſed tritæ præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptiſanámque, fabámque ſolebas
Vendere pragmaticus: nunc emis agricola.

LXXIII. *Ad Catullum.*

HÆREDEM tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nîſi legero, Catulle.

LXXIV. *Ad Flaccum.*

CUM tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magìs audaces, an ſunt qui talia mittunt
Munera? ſed geminus vitibus uſus ineſt.
Nullum ſollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimiùm calidis non vitiantur aquis.
Quid! quòd ſecuro potat conviva miniſtro,
Et caſum tremulæ non timuere manus?
Hoc quoque non nihil eſt, quòd propinabis in iſtis,
Frangendus fuerit ſi tibi, Flacce, calix.

LXXV. *De pueris.*

FESTINAT Polytimus ad puellas:
Invitus puerum fatetur Hymnus:
Paſtas glande nates habet Secundus.
Mollis Diadymus eſt, ſed eſſe non vult:
Amphion potuit puella naſci.
Horum delicias, ſuperbiámque,
Et faſtus querulos, amice, malo,
Quàm dotis mihi quinquies ducena.

LXXVI. *De Agricolâ.*

AMPHORA vigeſſis, modius datur ære quaterno.
Ebrius & crudus nil habet agricola.

LXXVII. *De Æthonte.*

MULTIS dum precibus Jovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungueis,
Æthon in Capitolio, pepedit;
Riſerunt comites: ſed ipſe divûm
Offenſus genitor, trinoctiali
Affecit domicænio clientem.
Poſt hoc flagitium miſellus Æthon,
Cùm vult in Capitolium venire,
Sellas antè petit Patroclianas,
Et pedit deciéſque, viciéſque:
Sed quamvis ſibi caverit crepando,
Compreſſis natibus Jovem ſalutat.

De

LXXVIII. *De eodem.*

ANTE Jovis ſtatuam crepuit ſatur hiſtrio: pœnam
Jupiter indixit vivere de proprio.

LXXIX. *Ad Bithynicum.*

NIL in te ſcripſi Bithynice: credere non vis,
Et jurare jubes: malo ſatisfacere.

LXXX. *Ad Atticillam.*

DONAVI tibi multa, quæ rogâſti:
Donavi tibi plura, quàm rogâſti:
Non ceſſas tamen uſque me rogare.
Quiſquis nil negat, Atticilla: fellat.

LXXXI. *De Calliſtrato.*

NE laudet dignos, laudat Calliſtratus omnes.
Cui malus eſt nemo, quis bonus eſſe poteſt?

LXXXII. *De Umbro.*

BRUMÆ diebus, feriſſque Saturni,
Mittebat Umber aliculam mihi pauper:
Nunc miſit alicam: factus eſt enim dives.

LXXXIII. *De Menogene.*

EFFUGERE in thermis, & circa balnea non eſt
Menogenen, omni tu licèt arte velis.
Captabit tepidum dextrâ, lævâque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi ſæpe pilas.
Colliget, & referet lapſum de pulvere ſollem,
Et ſi jam lotus, jam ſolearis erit.
Linteа ſi ſumes, nive candidiora loquetur,
Sint licèt infantis ſordidiora ſinu.
Exiguos ſecto comentem dente capillos,
Dicet Achilleas diſpoſuiſſe comas.
Fumoſæ feret iſſe tropin de fæce lagenæ,
Frontis & humorem colliget uſque tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpeſſus dicas tædia mille, *veni.*

LXXXIV. *De Fabiano.*

DERISOR Fabianus herniarum,
Omnes quem modò colei timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli;
In thermis ſubitò Neronianis
Vidit ſe miſer, & tacere cœpit.

LXXXV. *Ad Polytimum.*

NOLUERAM, Polytime, tuos violare capillos:
Sed juvat hoc precibus me tribuiſſe tuis.
Talis eras modò tonſe Pelops, poſitiſque nitebas
Crinibus, ut totum ſponſa videret ebur.

LXXXVI. *In Fabullum.*

PÆDICONIBUS os olere dicis.
Hoc ſi, ſicut ais, Fabulle, verum eſt,
Quid tu credis olere cunnilingis?

LXXXVII. *In non arrigentem.*

TRIGINTA tibi ſunt pueri, totidémque puellæ:
Una eſt, nec ſurgit mentula. quid facies?

LXXXVIII. *De Cottâ.*

BIS Cotta ſoleas perdidiſſe ſe queſtus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui ſolus inopi præſtat, & facit turbam:
Excogitavit homo ſagax, & aſtutus,
Ne facere poſſet tale ſæpius damnum;
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

LXXXIX. *De Tongiliano.*

TONGILIANUS habet naſum: ſcio, non nego: ſed jam
Nil præter naſum Tongilianus habet.

XC. *Ad Charinum.*

QUOD lanâ caput alligas, Charine,
Non aures tibi, ſed dolent capilli.

XCI. *De Marone.*

PRO ſene, ſed claræ, votum Maro fecit amico,
Cui gravis, & fervens hemitritæus erat:
Si Stygias æger non iret miſſus ad undas,
Ut caderet magno victima grata Jovi.
Coeperunt certam medici ſpondere ſalutem.
Ne votum ſolvat, nunc Maro vota facit.

XCII. *In Magillam.*

COMMUNIS tibi cum viro, Magilla,
Cùm ſit lectulus, & ſit exoletus.
Quare, dic mihi, non ſit & miniſter?
Suſpiras: ratio eſt, times lagenam.

XCIII. *Ad Priſcum.*

SÆPE rogare ſoles qualis ſim, Priſce, futurus,
Si ſiam locuples, ſimque repentè potens.
Quemquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu leo, qualis eris?

XCIV. *De Fabullâ.*

QUA mœchum ratione baſiaret
Coram conjuge repperit Fabulla.
Parvum baſiat uſque morionem:
Hunc multis rapit oſculis madentem
Mœchus protinus, & ſuis repletum
Ridenti dominæ ſtatim remittit.
Quanto morio major eſt maritus?

XCV. *In Tucram.*

SCRIBEBAMUS epos: cœpiſti ſcribere: cœſſi,
Æmula ne ſtarent carmina noſtra tuis.
Tranſtulit ad Tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos:
Aptâſti longum tu quoque ſyrma tibi.
Fila lyræ movi Calabris exculta Camœnis:
Plectra rapis nobis ambitione nova.
Audemus ſatyras: Lucilius eſſe laborat.
Ludo leves elegos: tu quoque ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt? epigrammata fingere cœpi:
Hinc etiam petitur jam mea fama tibi.
Elige quid nolis; quis enim pudor, omnia velle?
Et ſi quid non vis, Tucca, relinque mihi.

XCVI. *Ad Rufum.*

MUSÆI pathiciſſimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas ſale pruriente chartas
Inſtanti lege Rufe: ſed puella
Sit tecum tua, ne Thaluſſionem
Indicas manibus libidinoſis,
Et fias ſinè fœminâ maritus.

XCVII. *In Zelotypum.*

CUM tibi nota tui ſit vita, fidéſque mariti,
Nec premat ulla tuos, ſollicitétve toros:
Quid quaſi pellicibus torqueris inepta miniſtris,
In quibus & brevis eſt, & fugitiva Venus?
Plus tibi quàm domino pueros præſtare probabo:
Hi faciunt, ut ſis fœmina ſola viro.
Hi dant, quod non vis uxor dare. do tamen, inquis,
Ne vagus à thalamis conjugis erret amor.
Non eadem res eſt: Chiam volo, nolo mariſcam.
Ne dubites quæ ſit Chia, mariſca tua eſt.
Scire ſuos fines matrona, & fœmina debet:
Cede ſuam pueris; utere parte tuâ.

XCVIII. *In Baſſum.*

UXOR cùm tibi ſit puella, qualem
Votis vix petat improbis maritus,
Dives, nobilis, erudita, caſta:
Rumpis, Baſſe, latus, ſed in comatis,
Uxoris tibi dote quos paràſti.
Et ſic ad dominam reverſa languet
Multis mentula millibus redempta:
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata ſurgit.
Sit tamen pudor, aut eamus in jus.
Non eſt hæc tua, Baſſe: vendidiſti.

XCIX. *Ad Betum.*

BÆTIS oliviferâ crinem redimite coronâ;
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis:
Quem Bromius, quem Pallas amat; cui rector aquarum
Albula navigerum per freta pandit iter:
Omnibus lætis veſtras Inſtantius oras
Intret; & hic populis, ut prior, annus eat.
Non ignorat, onus quod ſit, ſuccedere Macro.
Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Digitized by Google

C. *In effrontem.*

OS atavi, patris naſum, duo lumina patris,
Et matris geſtus dicis habere tuæ.
Cùm referas priſcos, nullámque in corpore partem
Mentiris; frontem dic mihi cujus habes?

CI. *Ad Matium.*

QUI negat eſſe domi ſe, tunc cùm limina pulſas,
Quid dicat, neſcis? dormio, Matte, tibi.

CII. *Ad Milonem.*

THURA, piper, veſtes, argentum, pallia, gemmas,
Vendere, Milo, ſoles, cum quibus emptor abit.
Conjugis utilior merx eſt: quæ vendita ſæpe
Vendentem numquam deſerit, aut minuit.

LIBER XIII.

I. *Ad Lectorem.*

NE toga cordullis, ne pœnula deſit olivis,
Aut inopem metuat ſordida blatta famem;
Perdite Niliacas, Muſa, mea damna papyros:
Poſtulat, ecce, novos ebria bruma ſales.
Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum cum cane quaſſat ebur;
Hæc mihi charta nuces, hæc eſt mihi charta fritillus;
Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.

II. *In detractorem.*

NAſutus ſis uſque licèt, ſis denique naſus,
Quantum voluerit ferre rogatus Atlas,
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipſe ego quàm dixi. quid dentem dente juvabit
Rodere? carne opus eſt, ſi ſatur eſſe velis.
Ne perdas operam: qui ſe mirantur, in illos
Virus habe: nos hæc novimus eſſe nihil.
Nec tamen hoc nimium nihil eſt, ſi candidus aure,
Nec matutinâ ſi mihi fronte venis.

III. *Ad Lectorem.*

OMnis in hôc gracili XENIORUM turba libello
Conſtabit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor eſt nimium: poterit conſtare duobus,
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Hæc licet hoſpitibus pro munere diſticha mittas,
Si tibi tam rarus, quàm mihi, nummus erit.
Addita per titulos ſua nomina rebus habebis:
Prætereas, ſi quid non facit ad ſtomachum.

IV. *Thus.*

SEros ut ætheream Germanicus imperet aulæ,
Utque diu terris; da pia thura Jovi.

V. *Piper.*

CEreа quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cùm tibi fortè datur, ſi ſapis, adde piper.

VI. *Alica.*

NOS alicam, multum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

VII. *Conchis faba.*

SI ſpumet rubrâ conchis tibi pallida teſtâ,
Lautorum cœnis ſæpe negare potes.

VIII. *Far.*

IMbue plebeias Cluſinis pultibus ollas,
Ut ſatur in vacuis dulcia muſta bibas.

IX. *Lens.*

ACcipe Niliacam, Peluſia munera, lentem:
Vilior eſt alicâ, carior illa fabâ.

X. *Simila ex tritico.*

NEC poteris ſimilæ dotes numerare, nec uſus,
Piſtori toties cùm ſit & apta coco.

XI. *Ordeum.*

MUlio, quod non des taciturîs, accipe, mullis.
Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.

XII. *Frumentum triticeum.*

TErentum Libyci modios de meſſe colonî
Sume, ſuburbanus ne moriatur ager.

XIII. *Beta.*

UT ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm ſæpe petet vina, pipérque cocus.

XIV. *Lactuca.*

CLaudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

XV. *Ligna acapna.*

SI vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, ruſtice, ligna feras.

XVI. *Rapa.*

HÆC tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus eſſe ſolet.

XVII. *Caliculi.*

NE tibi pallentes moveant faſtidia caules,
Nitratâ viridis braſſica fiat aquâ.

XVIII. *Porri ſectivi.*

FIla Tarentini graviter redolentia porri
Ediſti quoties, oſcula clauſa dato.

XIX. *Porri capitati.*

MIttit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides ſtipite cerne comas.

XX. *Napi.*

NOS Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nurſinas poteris parciùs eſſe pilas.

XXI. *Aſparagi.*

MOllis in æquoreâ quæ crevit ſpina Ravennâ;
Non erit incultis gratior aſparagis.

XXII. *Uva duracina.*

NON habilis cyathis, & inutilis uva Lyæo:
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

XXIII. *Chia ficus.*

CHia ſeni ſimilis Baccho, quem Setia miſit;
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

XXIV. *Cydonia.*

SI tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle
Ponentur: dicas hæc melimela licet.

XXV. *Nuces pineæ.*

POma ſumus Cybeles: procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

XXVI. *Sorba.*

SOrba ſumus, molles nimiùm durantia ventres:
Aptiùs hæc puero, quàm tibi, poma dabis.

XXVII. *Spathalium caryotarum.*

AUrea porrigitur Jani Caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

XXVIII. *Coctana.*

HÆC tibi quæ tortâ venerunt condita metâ,
Si majora forent coctana, ficus erant.

XXIX. *Pruna Damaſcena.*

PRuna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ
Sume: ſolent duri ſolvere ventris onus.

XXX. *Caſeus Lunenſis.*

CAſeus Etruſcæ ſignatus imagine lunæ,
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

XXXI. *Caſeus Veſtinus.*

SI ſinè carne voles jentacula ſumere frugi:
Hæc tibi Veſtino de grege maſſa venit.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. *Caſeus Velabrenſis.*

NON quemcunque focum, nec fumum caſeus omnem,
Sed Velabrenſem qui bibit, ille ſapit.

XXXIII. *Caſei Trebulani.*

TRebula nos genuit; commendat gratia duplex,
Sive levi flammâ, ſive domamur aquâ.

XXXIV. *Bulbi.*

CUM ſit anus conjux, & ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

XXXV. *Lucanica.*

FIlia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

XXXVI. *Olivæ.*

HÆC quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Inchoat atque eadem finit oliva dapes.

XXXVII. *Mala citrea.*

AUT Corcyræi ſunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Maſſyli poma draconis erant.

XXXVIII. *Coloſtrum.*

SUrripuit paſtor quæ nondum ſtantibus hœdis,
De primo matrum lacte coloſtra damus.

XXXIX. *Hœdi.*

LAſcivum pecus, & viridi non utile Baccho
Det pœnas: nocuit jam tener ille deo.

XL. *Ova.*

CAndida ſi croceos circumfluit unda vitellos,
Heſperius ſcombri temperet ova liquor.

XLI. *Porcellus lacteus.*

LActe mero paſtum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de ſue dives edat.

XLII. *Apyrina & tuberes.*

NON tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis,
De Nomentanis ſed damus arboribus.

XLIII. *Idem.*

LEcta ſuburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes. quid tibi cum Libycis?

XLIV. *Sumen.*

ESſe putes nondum ſumen: ſic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

XLV. *Pulli gallinacei.*

SI Libycæ nobis volucres, & Phaſides eſſent,
Acciperes. at nunc accipe cortis aves.

XLVI. *Perſica, Nuciperſica.*

VIlia maternis fucramus præcoqua ramis;
Nunc in adoptivis Perſica cara ſumus.

XLVII. *Panes Picentini.*

PIcentina Ceres niveo ſic nectare creſcit,
Ut levis acceptâ ſpongia turget aquâ.

XLVIII. *Boleti.*

ARgentum atque aurum, facile eſt, lenámque togámque
Mittere: boletos mittere difficile eſt.

XLIX. *Ficedula.*

CUM me ficus alat, cùm paſcar dulcibus uvis,
Cur potiùs nomen non dedit uva mihi?

L. *Tubera.*

RUmpimus alticetn tenero quæ vertice terram
Tubera, boletis poma ſecunda ſumus.

LI. *Turdorum corona.*

TExta roſis forſaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

LII. *Anas.*

TOta quidem ponitur anas: ſed pectore tantùm,
Et cervice ſapit: cætera redde coco.

LIII. *Turtur.*

DUM pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe. perdere nolo famem.

LIV. *Perna.*

CÆretana mihi fiet, vel miſſa licebit
De Menapis: lauti de petaſone vorent.

LV. *Petaſo.*

MUſteus eſt: propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo ſit petaſone nihil.

LVI. *Vulva.*

TE fortaſſe magis capiet de virgine porca:
Me materna gravi de ſue vulva capit.

LVII. *Colocaſia.*

NIliacum ridebis olus, lanáſque ſequaces,
Improba cùm morſu ſila manúque trahes.

LVIII. *Jecur anſeris.*

ADſpice quàm tumeat magno jecur anſere majus!
Miratus dices; hoc, rogo, crevit ubi?

LIX. *Glires.*

TOta mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

LX. *Cuniculus.*

GAudet in effoſſis habitare cuniculus antris:
Monſtravit tacitas hoſtibus ille vias.

LXI. *Attagena.*

INter ſapores fertur alitum primus
Ionicarum guſtus attagenarum.

LXII. *Gallina altilis.*

PAſcitur & dulci facilis gallina farinâ;
Paſcitur & tenebris. ingenioſa gula eſt.

LXIII. *Capo.*

NE nimis exhauſto macreſceret inguine gallus,
Amiſit teſtes: nunc mihi Gallus erit.

LXIV. *Idem.*

SUccumbit ſterili fruſtra gallina marito:
Hanc matris Cybeles eſſe decebat avem.

LXV. *Perdix.*

POnitur Auſoniis avis hæc rariſſima menſis:
Hanc in lautorum mandere ſæpe ſoles.

LXVI. *Columbini.*

NE violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita ſi Cnidiæ ſunt tibi ſacra deæ.

LXVII. *Palumbus torquatus.*

INguina torquati tardant hebetántque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.

LXVIII. *Galbula.*

GAlbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cùm rudis uva mero.

LXIX. *Catta.*

PAnnonicas nobis numquam dedit Umbria cattas:
Mavult hæc domino mittere dona Pudens.

LXX. *Pavo.*

MIraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc ſævo tradere, dure, coco?

LXXI. *Phœnicopterus.*

DAT mihi penna rubens nomen: ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit. quid ſi garrula lingua foret?

LXXII. *Phaſianus.*

ARgivâ primum ſum tranſportata carinâ,
Antè mihi notum nil, niſi Phaſis, erat.

LXXIII. *Numidica.*

ANſere Romano quamvis ſatur Hannibal eſſet:
Ipſe ſuas nunquam barbarus edit aves.

LXXIV. *Auſer.*

HÆC ſervavit avis Tarpeii templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa deus.

LXXV. *Grues.*

TUrbabis verſus, nec litera tota volabit,
Unam perdideris ſi Palamedis avem.

LXXVI. *Ruſticula.*

RUſtica ſim, an perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt?
Carior eſt perdix: ſic ſapit illa magis.

LXXVII. *Cycnus.*

DUlcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator cycnus funeris ipſe ſui.

LXXVIII. *Porphyriones.*

NOmen habet magni volucris tam parva gigantis?
Et nomen Praſini Porphyrionis habet.

LXXIX. *Mullus.*

SPirat in advecto, ſed jam piger, æquore mullus:
Langueſcit? vivum da mare, fortis erit.

LXXX. *Murena.*

QUÆ natat in Siculo grandis murena profundo,
Non valet exuſtam mergere Sole cutem.

LXXXI. *Rhombus.*

QUamvis lata gerat Patella Rhombum:
Rhombus latior eſt tamen patellâ.

LXXXII. *Oſtrea.*

EBria Baiano veni modò concha Lucrino:
Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.

LXXXIII. *Squillæ.*

COEruleus nos Liris amat, quem ſylva Maricæ
Protegit: hinc ſquillæ maxima turba ſumus.

LXXXIV. *Scarus.*

HIC Scarus, æquoreis qui venit obeſus ab undis,
Viſceribus bonus eſt: cætera vile ſapit.

LXXXV. *Coracinus.*

PRinceps Niliaci raperis, Coracine, macelli:
Pelleæ prior eſt gloria nulla gulæ.

LXXXVI. *Echinus.*

ISte licèt digitos teſtudine pungat acutâ,
Cortice depoſito mollis echinus erit.

LXXXVII. *Murices.*

SAnguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis, &, non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

LXXXVIII. *Gobius.*

IN Venetis ſint lauta licèt convivia terris,
Principium cœnæ gobius eſſe ſolet.

LXXXIX. *Lupus.*

LAneus Enganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum ſale paſtus aquas.

XC. *Aurata.*

NON omnis laudem pretiúmque aurata meretur,
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

XCI. *Acipenſis.*

AD Pallatinas acipenſem mittite menſas:
Ambroſias ornent munera rara dapes.

XCII. *Lepus.*

INter aves turdus, ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

XCIII. *Aper.*

QUI Diomedæis metuendus ſetiger agris
Ætolâ cecidit cuſpide, talis erat.

XCIV. *Dama.*

DEnte timentur apri; defendunt cornua cervos:
Imbelles damæ quid, niſi præda, ſumus?

XCV. *Oryx.*

MAtutinarum non ultima præda ferarum
Sævus oryx, conſtat quot mihi morte canum?

XCVI. *Cervus.*

HIC erat ille tuo dominus, Cypariſſe, capiſtro:
An magis ille tuus, Silvia, cervus erat?

XCVII. *Laliſio.*

CUM tener eſt onager, ſolâque laliſio matre
Paſcitur: hoc infans, ſed breve nomen habet.

XCVIII. *Dorcas.*

DElicium parvo donabis dorcada nato:
Jactatis ſolet hanc mittere turba togis.

XCIX. *Capræa.*

PEndentem ſumma capream de rupe videbis:
Caſuram ſperes, deſpicit illa canes.

C. *Onager.*

PUlcher adeſt onager: mitti venatio debet
Dentis Erythræi: jam removete linus.

CI. *Oleum Venafranum.*

HOC tibi Campani ſudavit bacca Venafri:
Unguentum, quoties ſumis, & illud olet.

CII. *Garum ſociorum.*

EXpirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo,
Accipe faſtoſum munera cara garum.

CIII. *Muria.*

ANtipolitani (fateor) ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

CIV. *Mel Atticum.*

HOC tibi Theſei populatrix miſit Hymetti
Pallados à ſylvis nobile nectar apis.

CV. *Favi Siculi.*

CUM dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet eſſe favos.

CVI. *Paſſum.*

GNoſſia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi; quod mulſum pauperis eſſe ſolet.

CVII. *Picatum vinum.*

HÆC de vitiferâ veniſſe picata Viennâ
Ne dubites: miſit Romulus ipſe mihi.

CVIII. *Mulſum.*

ATtica nectareum turbatis mella Falernum:
Miſceri decet hoc à Ganymede merum.

CIX. *Albanum.*

HOC de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Iuleo quæ ſibi monte placet.

CX. *Surrentinum.*

SUrrentina bibis? nec myrrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

CXI. *Falernum.*

DE Sinueſſanis venerunt Maſſica prelis:
Condita quo quæris conſule? nullus erat.

CXII. *Setinum.*

PEndula Pomptinos quæ ſpectat Setia campos,
Exiguâ vetulos miſit ab urbe cados.

CXIII. *Fundanum.*

HÆC Fundana tulit felix autumnus Opimi:
Expreſſit muſtum conſul, & ipſe bibit.

CXIV. *Trifolinum.*

NON ſum de primo, fateor, Trifolina Lyæo,
Inter vina tamen ſeptima vitis ero.

CXV. *Cæcubum.*

CÆcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis:
Vitis & in mediâ nata palude viret.

CXVI. *Signi-*

Digitized by Google

CXVI. *Signinum.*

POTABIS liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimiùm ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.

CXVII. *Mamertinum.*

AMphora Neſtoreâ tibi Mamertina ſenectâ
Si detur, quod vis nomen habere poteſt.

CXVIII. *Tarraconenſe.*

TArraco, Campano tantùm ceſſura Lyæo,
Hæc genuit Tuſcis æmula vina cadis.

CXIX. *Nomentanum.*

NOmentana meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quinctus amat, commodiora bibes.

CXX. *Spoletinum.*

DE Spoletinis quæ ſunt carioſa lagenis
Malueris, quàm ſi muſta Falerna bibas.

CXXI. *Peligninm.*

MArſica Peligni mittunt turbata coloni:
Non tu, libertus ſed bibat illa tuus.

CXXII. *Acetum.*

AMphora Nilliaci non ſit tibi vilis aceti,
Eſſet cùm vinum, vilior illa fuit.

CXXIII. *Maſſilianum.*

CUM tua centenos expugnet ſportula cives,
Fumea Maſſilia ponere vina potes.

CXXIV. *Ceretanum.*

CÆretana Nepos ponat, Setina putabis,
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

CXXV. *Tarentinum.*

NObilis & lanis, & felix vitibus Aulon,
Det pretioſa tibi vellera, vina mihi.

CXXVI. *Unguentum.*

UNguentum hæredi nunquam, nec vina relinquat,
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

CXXVII. *Corona roſea.*

DAT feſtinatas, Cæſar, tibi bruma coronas:
Quondam veris erat, nunc tua facta roſa eſt.

LIBER XIV.

Cui APOPHORETA *inditum nomen.*

I.

SYntheſibus dum gaudet eques, dominúſque ſenatus;
Dúmque decent noſtrum pilea ſumpta Jovem:
Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo,
Cùm videat gelidos tam propè verna lacus:
Divitis alternas, & pauperis accipe ſortes:
Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.
Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.
Quis neſcit? vel quis tam manifeſta negat?
Sed quid agam potiùs madidis Saturne diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipſe dedit?
Vis ſcribam Thebas, Trojámque, maláſve Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.
Quo vis cumque loco potes hunc finire libellum:
Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.

II. *Apophoreta.*

LEmmata ſi quæris cur ſint adſcripta, docebo:
Ut, ſi malueris, lemmata ſola legas.

III. *Pugillares citrei.*

SEcta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,
Eſſemus Libyci nobile dentis onus.

IV. *Quincuplices.*

CÆde juvencorum domini calet area felix,
Quincuplici cerâ cùm datur auctus honor.

V. *Pugillares eborei.*

LAnguida ne triſtes obſcurent lumina cera,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

VI. *Triplices.*

TUnc triplices noſtros non villa dona putabis,
Cùm ſe venturam ſcribet amica tibi.

VII. *Pugillares membranei.*

ESſe puta ceras, licèt hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties ſcripta novare voles.

VIII. *Vitelliani.*

NOndum legerit hos licèt puſilla,
Novit quid cupiant Vitelliani.

IX. *Idem.*

QUòd minimos cernis, mitti nos credis amicæ;
Falleris, & nummos iſta tabella rogat.

X. *Chartæ majores.*

NON eſt, munera quòd putes puſilla,
Cùm donat vacuas poëta chartas.

XI. *Chartæ epiſtolares.*

SEU leviter noto, ſeu caro miſſa ſodali;
Omnes iſta ſolet Charta vocare *ſuos.*

XII. *Loculi eborei.*

HOS niſi de flavâ loculos implere monetâ
Non decet. argentum vilia ligna ferant.

XIII. *Loculi lignei.*

SI quid adhuc ſupereſt in noſtri fœce locelli,
Munus erit: nihil eſt, ipſe locellus erit.

XIV. *Tali eborei.*

CUM ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

XV. *Teſſera.*

NON ſim talorum numero par teſſera, dum ſit
Major, quàm talis, alea ſæpe mihi.

XVI. *Turricula.*

QUÆ ſcit compoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

XVII. *Tabula luſoria.*

HIC mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto:
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

XVIII. *Nuces.*

ALea parva nuces, & non damnoſa videntur:
Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.

XIX. *Theca calamaria.*

SOrtitus thecam, calamis armare memento:
Cætera nos dedimus, tu leviora para.

XX. *Calculi.*

INſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

XXI. *Graphiarium.*

HÆC tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

XXII. *Dentiſcalpium.*

LEntiſcum meliùs: ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

XXIII. *Auriſcalpium.*

SI tibi morosâ prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

XXIV. *Acus aurea.*

TEnuia ne madidi violent bombycina crines:
Figat acus tortas, ſuſtineátque comas.

XXV. *Pecten ad calvum.*

QUID faciet nullos hîc inventura capillos
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

XXVI. *Se-*

Digitized by Google

XXVI. *Sapo.*

CAustica Tentonicos accendit spuma capillos,
Captivis poteris cultior esse comis.

XXVII. *Mattiaca pila.*

SI mutare paras longævos cana capillos:
Accipe Mattiacas (quò tibi calva?) pilas.

XXVIII. *Umbella.*

ACcipe quæ nimios vincant umbracula Soles,
Si licèt & ventus, te tua vela tegent.

XXIX. *Cauſia.*

IN Pompeiano tectus ſpectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare ſolet.

XXX. *Venabula.*

EXcipient apros, expectabúntque leones:
Intrabunt urſos, ſit modò firma manus.

XXXI. *Culter venatorius.*

SI dejecta gemes longo venabula roſtro:
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

XXXII. *Parazonium.*

MIlitiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus.

XXXIII. *Pugio.*

PUgio, quem curvis ſignat brevis orbita venis,
Stridentem geliqis hunc Salo tinxit aquis.

XXXIV. *Falx ex enſe.*

PAX me certa ducis placidos curvavit in uſus:
Agricolæ nunc ſum, militis antè fui.

XXXV. *Securicula.*

CUM fieret triſtis ſolvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

XXXVI. *Ferramenta tonſoria.*

TOndendis hæc arma tibi ſunt apta capillis:
Unguibus hæc longis utilis; illa genis.

XXXVII. *Scrinium.*

COnſtrictos niſi das mihi libellos:
Admittam tineas, trucéſque blattas.

XXXVIII. *Faſces calamorum.*

DAT chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliquâ tecta palude tibi.

XXXIX. *Lucerna cubicularia.*

DUlcis conſcia lecti luceroa,
Quidquid vis facias licet, tacebo.

XL. *Candela.*

ANcillam tibi ſors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

XLI. *Lucerna polymyxos.*

ILluſtrem cùm tota mais convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

XLII. *Cereus.*

HIC tibi nocturnos præſtabit cereus ignes:
Subducta eſt puero namque lucerna tuo.

XLIII. *Candelabrum Corinthium.*

NOmina candelæ nobis antiqua dederent:
Non nôrat parcos uncta lucerna patres.

XLIV. *Candelabrum ligneum.*

ESſe vides lignum: ſerves niſi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

XLV. *Pila paganica.*

HÆC quæ difficilis turget parganica plumâ,
Folle minùs laxa eſt, & minùs arcta pilâ.

XLVI. *Pila trigonalis.*

SI me nobilibus ſcis expulſare ſiniſtris,
Sum tua: ſi neſcis, ruſtice, redde pilam.

XLVII. *Follis.*

ITE procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle ſenes.

XLVIII. *Harpaſta.*

HÆC rapit Antæi velox in pulvere dumcus,
Grandia qui vano colla labore facit.

XLIX. *Halteres.*

QUid pereunt ſtulto fortes halterc lacerti?
Exercet melius vinea foſſa viros.

L. *Galericulum.*

NE latet immundum nitidos ceroma capillos,
Hâc poteris madidas condere pelle comas.

LI. *Strigiles.*

PErgamus has miſit: curvo deſtringere ferro,
Non tam ſæpe teret lintea fullo tibi.

LII. *Guttus curreus,*

GEſtavit modò fronte me juvencus,
Verum rhinocerota me putabis.

LIII. *Rhinoceros.*

NUper in Auſoniâ domini ſpectatus arenâ
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

LIV. *Crepitaculum.*

SI quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenerâ garrula ſiſtra manu.

LV. *Flagellum.*

PRoficies nihil, hôc cædas licèt uſque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

LVI. *Dentifricium.*

QUID mecum eſt tibi? me puella fumat.
Emptos non ſoleo polire dentes.

LVII. *Myrobalanum.*

QUOD nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento conſtat, & ex balano.

LVIII. *Aphronitrum.*

RUſticus es? neſcis quid Græco nomine dicar,
Spuma vocor nitri. Græcus es? ἀφρόνιτρον.

LIX. *Opobalſama.*

BAlſama me capiunt, hæc ſunt unguenta virorum:
Delicias Coſmi vos redolete meus.

LX. *Lomentum.*

GRatum manus erit, ſciſſo nec inutile ventri,
Si clarâ Stephani balnea luce petes.

LXI. *Laterna cornea.*

DUX laterna viæ claſis feror aurea flammis,
Et tuta eſt gremio parva lucerna meo.

LXII. *Laterna ex veſicâ.*

COrnea ſi non ſum, numquid ſum fuſcior? aut me
Veſicam contrà qui venit eſſe putat?

LXIII. *Fiſtula.*

QUID me compactam ceris, & arundine rides?
Quæ primùm ſtructa eſt fiſtula, talis erat.

LXIV. *Tibiæ.*

EBria nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas pariter, ſæpe monaulon habet.

LXV. *Soleæ lunatæ.*

DEfuerit ſi fortè puer, ſoleáſque libebit
Sumere: pro puero pes erit ipſe tibi.

LXVI. *Mamillare.*

TAurino poteras pectus conſtringere tergo:
Nam pellis mammas non capit iſta tuas.

LXVII. *Muſcaria pavonina.*

LAmbere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

LXVIII. *Copa*

Digitized by Google

LXVIII. *Copta Rhodia.*

PEccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam quam tibi mittit, edat.

LXIX. *Priapus ſiligineus.*

SI vis eſſe ſatur, noſtrum potes eſſe Priapum:
Ipſa licèt rodas inguina, purus eris.

LXX. *Porcus.*

ISte tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter ſpumantes ilice paſtus apros.

LXXI. *Muſcarium bubulum.*

SOrdida ſi flavo fuerit tibi pulvere veſtis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis.

LXXII. *Botulus.*

QUI venit botulus medio tibi tempore bruma,
Saturni ſeptem venerat ante dies.

LXXIII *Pſittacus.*

PSittacus à vobis aliorum nomina diſcam:
Hoc didici per me dicere, *Ceſar, ave.*

LXXIV. *Corvus.*

CO.ve ſalutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

LXXV. *Luſcinia.*

FLet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

LXXVI. *Pica.*

PIca loquax certâ dominum te voce ſaluto:
Si me non videas, eſſe negabis avem.

LXXVII. *Cavea eborea.*

SI tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hìc habitare poteſt.

LXXVIII. *Narthecium.*

ARtis ebur medicæ narthecia cernis habere
Munera, quæ caperet Pactius eſſe ſua.

LXXIX. *Flagra.*

LUdite laſcivi, ſed tantùm ludite ſervi:
Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

LXXX. *Ferula.*

INviſæ nimiùm pueris, gratæque magiſtris,
Clara Prometheo munere ligna ſumus.

LXXXI. *Pera.*

NE mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane, pera rogat.

LXXXII. *Scopæ.*

IN pretio ſcopas teſtatur palma fuiſſe:
Otia ſed ſcopis nunc analecta dabunt.

LXXXIII. *Scalpterium.*

DEfendet manus hæc ſcapulas mordente moleſto
Pulice, vel ſi quid pulice ſordidius.

LXXXIV. *Manuale.*

NE toga barbatos faciat, vel pænula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

LXXXV. *Lectus pavoninus.*

NOmina dat ſpondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Junonis avis, ſed priùs Argus erat.

LXXXVI. *Ephippium.*

STragula ſuccincti venator ſume veredi:
Nam ſolet à nudo ſurgere ficus equo.

LXXXVII. *Stibadia.*

ACcipe lunatâ ſcriptum teſtudine ſigma:
Octo capit: veniat, quiſquis amicus erit.

LXXXVIII. *Guſtatorium.*

FOEmineam nobis cherſon ſi credis ineſſe;
Deciperis: pelagi maſcula præda ſumus.

LXXXIX. *Menſa citrea.*

ACcipe felices, Atlantica munera, ſylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

XC. *Menſa aſerna.*

NON ſum criſpa quidem, nec ſylvæ filia Mauræ;
Sed nôrunt lautas & mea ligna dapes.

XCI. *Dentes eborei.*

GRandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas poſſint ſuſtinuiſſe trabes?

XCII. *Quinquepedal.*

PUncta notis ilex, & acutâ cuſpide clauſa,
Sæpe redemptoris prodere furta ſolet.

XCIII. *Pocula archetypa.*

NON eſt iſta recens, nec noſtri gloria ævi:
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

XCIV. *Calices.*

NOS ſumus audacis plebeia toreumata vitri:
Noſtra nec ardenti gemma feritur aquâ.

XCV. *Phiala aurea calata.*

QUamvìs Callaico rubeam generoſa metallo,
Glorior arte magìs: nam Myos iſte labor.

XCVI. *Calices Vatinii.*

VIlia ſutoris calicem monumenta Vatini
Accipe; ſed naſus longior ille fuit.

XCVII. *Lances chryſendeta.*

GRandia ne viola parvo chryſendeta mullo:
Ut minimum, libras debet habere duas.

XCVIII. *Vaſa Aretina.*

ARetina nimis ne ſpernas vaſa monemus:
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

XCIX. *Baſcauda.*

BArbara de pictis veni baſcauda Britannis:
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam.

C. *Panaca.*

SI non ignota eſt docti tibi terra Catulli,
Potâſti teſtâ Rhætica vina meâ.

CI. *Boletaria.*

CUM mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, ſervio coliculis.

CII. *Calices Surrentini.*

ACcipe non vili calices de pulvere natos:
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

CIII. *Colum nivarium.*

SEtinos moneo noſtrâ nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

CIV. *Saccus nivarius.*

ATtenuare nives nôrunt & lintea noſtra:
Frigidior colo non ſalit unda tuo.

CV. *Urceoli miniſtratorii.*

FRigida non deſit, non deerit calda petenti,
Sed tu morosâ ludere parce ſiti.

CVI. *Urceus fictilis.*

HIC tibi donatur pandâ ruber urceus ansâ:
Stoicus hôc gelidam Fronto petebat aquam.

CVII. *Calathi.*

NOS Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfuſos domini lambere docta pedes.

CVIII. *Calices Saguntini.*

QUÆ non ſollicitus teneat, ſervétque miniſter,
Sume Saguntino pocula facta luto.

CIX. *Calices gemmati.*

GEmmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Adſpice: quot digitos exuit iſte calix!

CX. *Au-*

Digitized by Google

CX. *Ampulla potoria.*

HAC licet in gemmâ, quæ ſervat nomina Coſmi,
Luxurioſe bibas, ſi foliata ſitis.

CXI. *Chryſtallina.*

FRangere dum metuis, frangis cryſtallina: peccant
Securæ nimiùm, ſollicitæque manus.

CXII. *Nimbus vitreus.*

AD Jove qui veniet, miſcenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

CXIII. *Murrina.*

SI calidum potas, ardenti murra Falerno
Convenit, & melior fit ſapor indè mero.

CXIV. *Patella Cumana.*

HANC tibi Cumano rubicundam pulvere teſtam,
Municipem miſit caſta Sibylla ſuam.

CXV. *Calices vitrei.*

ADſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum capit, ah, quoties perdidit auctor opus!

CXVI. *Lagena nivaria.*

SPoletina bibis, vel Marſis condita cellis:
Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

CXVII. *Nives.*

NON potare nivem, ſed aquam potare rigentem
De nive, commenta eſt ingenioſa ſitis.

CXVIII. *Idem.*

MAffilias fumos miſcere nivalibus undis
Parce, puer, conſtet ne tibi pluris aqua.

CXIX. *Matella fictilis.*

DUM poſcor crepitu digitorum, & verna moratur:
O quoties pellex culcita facta mea eſt!

CXX. *Ligula argentea.*

QUamvis me ligulam dicant equitéſque, patréſque:
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

CXXI. *Cochlearia.*

SUM cochleis habilis, ſed nec minùs utilis ovis:
Numquid ſcis potiùs cur cochleare vocer?

CXXII. *Anuli.*

ANtè frequens, ſed nunc rarus nos donat amicus:
Felix cui comes eſt non alienus eques.

CXXIII. *Dactyliotheca.*

SÆpe gravis digitis elabitur annulus unctis:
Tuta meâ fiet ſed tua gemma fide.

CXXIV. *Toga.*

ROmanos rerum dominos, gentémque togatam
Ille facit, magno qui dedit aſtra patri.

CXXV. *Idem.*

SI matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos:
Atritâ veniet ſportula ſæpe togâ.

CXXVI. *Endromis.*

PAuperis eſt munus, ſed non eſt pauperis uſus:
Hanc tibi pro lanâ mittimus endromida.

CXXVII. *Canuſinæ fuſcæ.*

HÆC tibi turbato Canuſina ſimillima muſto
Munus erit. gade: non citò fiet anus.

CXXVIII. *Bardocucullus.*

GAllia Santonico veſtit te bardocucullo:
Cercopithecorum pænula nuper erat.

CXXIX. *Canuſinæ rufæ.*

POma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibúſque color.

CXXX. *Pænula ſcortea.*

INgrediare viam cœlo licet uſque ſereno;
Adſubitas nunquam ſcortea defit aquas.

CXXXI. *Lacerna coccinea.*

SI Veneto, Praſinóve faves, quid coccina ſumis?
Ne fias iſtâ transfuga ſorte, vide.

CXXXII. *Pileus.*

SI poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

CXXXIII. *Lacerna Betica.*

NON eſt lana mihi mendax, nec mutor ænos:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

CXXXIV. *Faſcia pectoralis.*

FAſcia creſcentes dominæ compeſce papillas,
Ut ſit quod capiat noſtra, tegátque manus.

CXXXV. *Cunatoria.*

NEC foris ſunt nobis, nec ſunt vadimonia nota:
Hoc opus eſt pictis accubuiſſe toris.

CXXXVI. *Læna.*

TEmpore brumali non multùm levia proſunt:
Calfaciunt villi pallia veſtra mei.

CXXXVII. *Lacerna Alba.*

AMphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cùm tegit algentes alba lacerna togas.

CXXXVIII. *Gauſapa villoſa, vel mantile.*

NObilius villoſa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

CXXXIX. *Cuculli Liburnici.*

JUngere neſciſti nobis ô ſtulte, lacernas:
Indueras albas, exue Collainas.

CXL. *Udones Cilicii.*

NON hos lana dedit, ſed olentis barba mariti:
Cinyphio poterit planta latere ſinu.

CXLI. *Synthefis.*

DUM toga per quinas gaudet requieſcere luces,
Hos poteris cultus ſumere jure tuo.

CXLII. *Focale.*

SI recitaturus dedero tibi fortè libellum,
Hoc focale tuas aſſeret auriculas.

CXLIII. *Tunicæ Patavinæ.*

VEllera cùm fumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas ferra ſecare poteſt.

CXLIV. *Spongia.*

HÆC tibi forte datur tergendis ſpongia menſis
Utilis, expreſſo cum levis imbre tumet.

CXLV. *Pænula gauſapina.*

IS mihi candor ineſt, villorum gratia tanta eſt,
Ut me vel mediâ ſumere meſſe velis.

CXLVI. *Cervical.*

TInge caput nardi folio, cervical olebit:
Perdidit unguentum cùm coma, pluma tenet.

CXLVII. *Cubicularia gauſapina.*

STragula purpureis lucent villoſa tapetis:
Quid prodeſt, ſi te congelat uxor anus?

CXLVIII. *Lodices.*

NUdo ſtragula ne toro paterent;
Junctæ nos tibi venimus ſorores.

CXLIX. *Amictorium.*

MAmmoſas metuo: teneræ me trade puellæ,
Ut poſſint niveo pectore lina frui.

CL. *Cubicularia polymita.*

HÆC tibi Memphitis tellus dat munera: victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

CLI. *Zona.*

LOnga ſatis nunc ſum; dulci ſed pondere venter
Si tumeat, nam tunc tibi Zona brevis.

CLI. *Gau-*

Digitized by Google

CLII. *Gausape quadratum.*

LOdices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

CLIII. *Semicinctium.*

DET tunicam dives: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

CLIV. *Lanæ amethystinæ.*

EBria Sidoniæ cùm sim de sanguine conchæ,
Non video quare sobria lana vocer.

CLV. *Lanæ albæ.*

VElleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

CLVI. *Lanæ Tyriæ.*

NOS Lacedæmoniæ pastor donavit amicæ:
Deterior Ledæ purpura matris erat.

CLVII. *Lanæ Pollentinæ.*

NON tantùm pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

CLVIII. *Idem.*

LAna quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.

CLIX. *Tomentum Leuconicum.*

OPpressæ nimiùm vicina est fascia plumæ?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

CLX. *Tomentum Circense.*

TOmentum concisa palus Circense vocatur:
Hæc pro Leuconico stramina pauper emit.

CLXI. *Pluma.*

LAssus Amyclæâ poteris requiescere plumâ,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

CLXII. *Fœnum.*

FRaudatâ tumeat fragilis tibi culcita multâ;
Non venit ad duros pallida cura toros.

CLXIII. *Tintinnabulum.*

REdde pilam: sonat æs thermarum. ludere pergis?
Virgine vis solâ lotus abire domum.

CLXIV. *Discus.*

SPlendida cùm volitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri: sit semel ille nocens.

CLXV. *Cithara.*

REddidit Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

CLXVI. *Idem.*

DE Pompeiano sæpe est ejecta theatro,
Quas duxit sylvas, detinuitque feras.

CLXVII. *Plectra.*

FErvida ne trito tibi pollice pustula surgat:
Exornent docilem garrula plectra lyram.

CLXVIII. *Trochus.*

INducenda rota est: dat nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

CLXIX. *Idem.*

GArrulus in laxo cur annulus orbe vagatur,
Cedat ut argutis obvia turba trochis?

CLXX. *Signum victoriæ.*

HÆC illi sinè sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde Falerna puer.

CLXXI. *Equus sandyx.*

GLoriâ tam parvi non est obscura figilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

CLXXII. *Saurocthones Corinthius.*

AD te reptanti puer infidiose lacerta
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

CLXXIII. *Hyacinthus in tabulâ pictus.*

FLectit ab inviso morientia lumina disco
OEbalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

CLXXIV. *Hermaphroditus marmoreus.*

MAsculus intravit fontes: emersit utrumque.
Pars est una patris: cætera matris habet.

CLXXV. *Danaë picta.*

CUR ? te pretium Danaë regnator Olympi
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

CLXXVI. *Persona Germanica.*

SUM figuli lusus rufi persona Batavi:
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

CLXXVII. *Hercules Corinthius.*

ELidit geminos infans, nec respicit angues.
Jam poterat teneras hydra timere manus.

CLXXVIII. *Hercules fictilis.*

SUM fragilis: sed tu (moneo) ne sperne figillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum.

CLXXIX. *Minerva argentea.*

DIC mihi virgo ferox, cùm sit tibi cassis & hasta;
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

CLXXX. *Europa picta.*

MUtari melliùs tauro, pater optime divûm,
Tunc poteras, Iò cùm tibi vacca fuit.

CLXXXI. *Leander marmoreus.*

CLamabat tumidis audax Leander in undis,
Mergite me fluctus, cùm rediturus ero.

CLXXXII. *Sigillum gibberi fictile.*

EBrius hæc fecit terris puto monstra Prometheus:
Saturnalitio lusit & ipse luto.

CLXXXIII. *Homeri Batrachomyomachia.*

PErlege Mæonio cantatas carmine ranas,
Et frontem nugis solvere disce meis.

CLXXXIV. *Homerus in membranis.*

ILias, & Priami regnis inimicus Ulysses,
Multiplici pariter condita pelle latent.

CLXXXV. *Virgilii culex.*

ACcipe facundi Culicem, studiose, Maronis:
Ne nugis positis *arma, virumque* canas.

CLXXXVI. *Virgilius in membranâ.*

QUàm brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

CLXXXVII. *Menandri Thais.*

HÆC primùm juvenum lascivos lusit amores;
Nec Glycere, verè Thais amica fuit.

CLXXXVIII. *Cicero in membranis.*

SI comes ista tibi fuerit membrana, putaro
Carpere te longas cum Cicerone vias.

CLXXXIX. *Propertius.*

CYnthia facundi carmen juvenile Properti,
Accepit famam, nec minùs ipsa dedit.

CXC. *Livius in membranis.*

PEllibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

CXCI. *Sallustius.*

HIC erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romanâ Crispus in historiâ.

CXCII. *Ovidii Metamorphosis in membranis.*

HÆC tibi multiplici quæ structa est massa tabellâ,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

CXCIII. *Tibullus.*

USit amatorem Nemesis lasciva Tibullum:
In totâ juvit quem nihil esse domo.

CXCIV. *Lucanus.*

SUnt quidam, qui me dicunt non esse Poëtam:
Sed qui me vendit, bibliopola putat.

CXCV. *Catullus.*

TAntum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

CXCVI. *Calvi de aquæ frigidæ usu.*

HÆC tibi quæ fuerant calidarum nomina dicit,
Ipsa suas meliùs charta natabit aquas.

CXCVII. *Mulæ pumilæ.*

HIS tibi de mulis non est metuenda ruina:
Altiùs in terrâ penè sedere soles.

CXCVIII. *Catella Gallicana.*

DElicias parvæ si vis audire catellæ,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

CXCIX. *Asturco.*

HIC brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

CC. *Canis vertagus.*

NON sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

CCI. *Palæstrita.*

NON amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et dicit meliùs ☞ ἀναλυτικῶς.

CCII. *Simius.*

CAllidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

CCIII. *Puella Gaditana.*

TAM tremulùm crissat, tam blandùm prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

CCIV. *Cymbala.*

ÆRA Celænæos lugentis matris amores
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

CCV. *Puer cinædus.*

SIT nobis ætate puer, non pumice levis:
Propter quem placeat nulla puella mihi.

CCVI. *Cestos.*

COllo necte puer meros amores
Cestον de Veneris sinu calentem.

CCVII. *Idem.*

SUme Cytheriaco medicatum nectare cestον:
Offit amatorem balteus iste Jovem.

CCVIII. *Notarius.*

CUrrant verba licèt, manus est velocior illis:
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

CCIX. *Concha.*

LEvis ab æquoreâ cortex Mareotica conchâ
Fiat: inoffensâ curret arundo viâ.

CCX. *Morio.*

NON mendax stupor est, nec fingitur arte dolosâ:
Quisquis plùs justo non sapit, ille sapit.

CCXI. *Caput arietinum.*

MOlla Phryxei secuisti colla mariti.
Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit?

CCXII. *Pumilio.*

SI solum spectes hominis caput, Hectora credas:
Si stantem videas, Astyanacta putes.

CCXIII. *Parma.*

HÆC quæ sæpe solet vinci, quæ vincere rarò,
Parma tibi, scutum pumilionis erit.

CCXIV. *Pueri comædi.*

NON erit in turbâ quisquam μισόμιμος istâ:
Sed poterit quivis esse Διονυσόκολαξ.

CCXV. *Fibula.*

DIC mihi simpliciter, comœdis & citharœdis
Fibula quid præstat? cariùs ut futuant.

CCXVI. *Accipiter.*

PRædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non sibi mœret aves.

CCXVII. *Obsonator.*

DIC quotus, & quanti cupias cœnare; nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

CCXVIII. *Calami aucupatorii.*

NON tantùm calamis, sed cantu fallitur alès,
Callida dum tacitâ crescit arundo manu.

CCXIX. *Cor bubulum.*

PAuper causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas: accipe cor, quod habes.

CCXX. *Cocus.*

NON satis est ars sola coco, servire palato,
Namque cocus domini debet habere gulam.

CCXXI. *Craticula cum vervo.*

PArva tibi curvâ craticula sudet ofellâ:
Spumeus in longâ cuspide fumet aper.

CCXXII. *Pistor dulciarius.*

MIlle tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit: huic uni parca laborat apis.

CCXXIII. *Jentacula.*

SUrgite, jam vendit pueris jentacula pistor,
Cristæque sonant undique lucis aves.

MAURI

Digitized by Google

MAURI TERENTIANI

Tractatus de Literis, Syllabis, Pedibus, & Metris.

MAURI TERENTIANI VITA

A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

MAURUS Terentianus, natione Afer, patriâ Carthaginiensis fuit. Per eadem ferme tempora excelluit in Poëticâ, quibus Alphius Avitus, Septimius Petronius Arbiter, & Aurelius Apollinaris, qui Iambicos scripsit. Grammatici veteres, si quando citant Terentianum, inter recentiores autores referunt, ut apud Servium & Priscianum legitur. Opus composuit vario multiplicisque carminum genere de literis, syllabis, pedibus, & variis metris. In quo habitâ ratione utilitatis, omnem propè gratiam contempsit: & cùm valde laboraret in scribendâ atque explicandâ varietate carminum, minimè alienum existimavit ab officio eruditionis, si eorum Poëtarum exemplis uteretur, qui suis propè temporibus aliquid scripsissent, ut Alphii Aviti, Septimii, atque aliorum, quod his versibus ingenuè profitetur,

Non equidem possum tot priscos mittere poetas,
Ut veterum exemplis valeam qua tracto probare.
Maurus item quantos potui cognoscere Graios,
Quorum præcipuè studiis pars maxima constat?
Nemo tamen culpet si sumo exempla novella:
Nam melius nostri servarunt metra minores.

Neque dubium est, ipsum Terentianum ad extremam ætatem pervenisse, & in hôc opere condendo ita versari solitum, quasi animum tali studiorum officio recrearet, senioque suum mollioribus curis transigeret. De hôc Terentiano Augustinus etiam meminit, referens illius versiculum de Marco Varrone,

Vir doctissimus undecumque Varro.

Quòd habuerit filium nomine Bassum, & Novatemum generum, facilè colligitur ex ipsis Terentiani verbis.

Præfatio. Carmen Gliconicum vel Choriambicum.

AUDIVI veterem virum
Vulgo dicere fabulam,
Quendam qui ter olympia
Vicisset Jove præside,
Postquam accedere lividum
Virtutis senium videt,
Dum victor eluet omnium,
Maturâsse resolvere
Legem pulveris & cibi.
Sed ne corpoream repens
Labem accerseret otium,
Tale exercitii genus
Commentum sibi dixerat,
Quod solus gereret domi:
Nervis mollibus invicem
Junctis in teretem struem
(Ceu Parthus solet aut Scythes
Arcus cornibus extimis)
Lævem nectere lineam:
Talem assiduè ligat,
Dum fit funiculi modus
Aptus qui puteo foret.
Haustos hinc igitur cados
Imis ab tenebris, aquæ,
Tam filo tenui trahens,
Quòd stringi nequeat vola,
Nisus undique corporis
Summos in digitos agit.
Angustóque tenaculo
(Donec lubrica sarcina
Tanti per spacium cavi,
In lucem superam exeat)
Alternâ vice pollicum
Certat vincere ponderis
In præceps facilem fugam.

Nil magnum gerere hunc putes:
Et tantum in digitis opus:
Cunctis visceribus tamen
Occultus trepidat labor;
Totum cernere nec palàm,
Quo totum geritur, queas:
Cæcis flatibus intimi
Tenduntur laterum sinus:
Et poples tremit, & genu:
Nec plantæ stabiles manent:
Nil immune relinquitur,
Et parva est via viribus,
Mos certaminis, & modus,
Sudor dum solitus cadit
Nullâ mole palæstricâ.
Sic nostrum senium quoque
Quia jam dicere grandia
Maturum ingenium negat:
Nec spirant animas fibræ:
Angustam studii viam
Et callem tenuem terit:
Tantùm ne malè desidi
Suescant ora silentio
Quid sit litera, quid duæ
Junctæ, quid sibi syllabæ,
Dumos inter, & aspera
Scruposis sequimur vadis.
Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes:
Aggressis labor arduus
Nec tractabile pondus est.
At mens tenditur acriùs,
Ne contenta sit obviis:
Rimantémve recondita
Subtiles fugiant notæ:

Digitized by Google

Neu diſcretio falſa ſit
Rerum, tam gracili modo
Inſtat callida cautio:
Ne ſermo ambiguum ſonet,
Ne priſcum nimis aut leve:
Vocum ne ſeries hiet,
Neu compago fragoſa ſit:
Vel ſit quod malè luceat
Dum certo gradimur pede,
Ipſi neu trepident pedes,
Par examinis æſtus eſt.
Ceu ſublimia diſſeras,
Par eſt judicii mora:
Pompæ gloria vilis eſt.

DE LITERIS.

Carmen Satadeum ſeu Ionicum à majore.

ELEMENTA rudes quæ pueros docent magiſtri,
Vocalia quædam memorant, conſona quædam:
Hæc reddere vocem quoniam valent ſeorſa:
Nullúmque finè illis potis eſt coire verbum.
At conſona quæ ſunt, niſi vocalibus apres,
Pars dimidium vocis opus proferet ex ſe:
Pars muta ſoni comprimet ora molientum:
Illis ſonus obſcurior, impeditiórque:
Utcunque tamen promitur ore ſemicluſo,
Vocalibus atque eſt minor auctiórque mutis:
His cæca ſoni vis penitus ſubeſt, latétque:
Ut non labiis hiſcere, non fortaſſe lingua,
Ullúmve meatum queat explicare niſus,
Vocalia rictum niſi juncta diſſerârint.
Res quum tenuis, difficile eſt probare verbis:
Exempla ſolent ſenſibus admovere lucem.
B, quum volo, vel C, tibi, vel dicere D, G:
E, quæ ſonitum commodat hiſce, ſi negetur:
Et labra prementur ſimul & revincta lingua:
Hæc vim, tacitam ſponte ſuâ, nimiſque mutam,
Conjuncta, potentem ſonitus facit latentis,
Geminúmque refert auribus ex utráque ſenſum,
Si proprietas tradita, ſi regula nota eſt.
Nunc lingula quam poſſideant in ore ſedem,
Ictúſque ſuos concipiant, & unde rumpant,
Ut quivero verſu blaterabo ſotadæo.
A, prima locum littera ſic ab ore ſumit:
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguámque neceſſe eſt ita pendulam reduci,
Ut niſus in illam valeat ſubire vocis:
Nec partibus ullis aliquos ferire dentes.
E, quæ ſequitur vocula, diſſona eſt priori,
Quia deprimit altum modico tenore rictum:
Et lingua remotos premit hinc, & hinc, molares.
I, porrigit ictum genuinos propè ad ipſos,
Minimúmque renidet, ſupero tenus labello.
O, Grajugenûm longior, altera eſt figura,
Alter ſonus, atque temporum nota variata.
Compendia noſtri meliora crediderunt:
Vocalibus ut non niſi quinque fungeremur:
Productio longis daret ut tempora bina:
Correptio plus tempore non valeret uno.
Hinc ὦ minus ſcribimus, hinc & ω ſupremum;
Unâ quoniam ſat habitum eſt notare formâ,
Pro temporibus quæ geminum miniſtret uſum.
Igitur ſonitum reddere quum voles minori,
Retrorſus adactam modicè teneto linguam:
Rictu neque magno ſat erit patere labra.
At longior alto tragicum ſub oris antro
Molita, rotundis acuit ſonum labellis.
Y, quam memorant, vocibus avia eſt latinis:
Vocalibus autem quoniam jugata Græcis,
In noſtra etiam verba dabat frequenter uſum:
Subjecimus illam cui nomen V dederunt
Vocalem, ſonantes ſibi quæ jugaret omnes:
Et ſola ſonum redderet ex ſuâ figurâ.
Quam ſcribere Graius niſi jungat ſ, nequibit:
Hanc edere vocem quoties paramus ore,
Nitamur ut V dicere, ſic citetur ortus:
Productiùs autem coeuntibus labellis
Natura ſoni preſſior altiùs meabit.
Hanc & modò quam diximus I ſimul jugatas,
Verum eſt ſpatium ſumere, vimque conſonantum,
Ut quæque tamen conſtiterit loco priore:
Nec tum modò quum jungimus hoc valebit ipſas,
Sed ſi qua erit his altera vocalis adhærens,
Vis hæc manet illis quaſi quum ſimul jungantur.
Nam ſi juga quis nominet, I conſona fiet,
Ut qualis erat permanet in loco ſequenti:
Ut quum jaculum, aut dico jecur, Jovem, juvencum,
Nil ordo ſecundis tribuit, prior juvatur.
Verſâ vice ſi ſit prior V, ſequatur illa,
Cum dico Vide, contulit I, ſonum priori,
Aſt ipſa manet tempore quo ſonabat antè:
Vocalibus hoc & reliquis prædita ſervat:
Ut vade, veni, vota refer, teneto vultum,
Creviſſe ſonum perſpicis, & coiſſe craſſum,
Unde Æoliis littera fingitur digammos.
Quæ de numero ſit magis una conſonantum,
Vocalis in iſtum magè quàm verſa ſit uſum.
Sed ut altera quo referat, alteram ſciamus,
I, cum medio nomine ſic erit locata,
Vocalis ut illam latere ex utróque coarctet,
Bajana velut, pejor, item Troja, vel hujus,
Ipſa (ut docui) conſona fiet à ſequenti:
Et ſi brevis eſt, quæ poſita eſt loco priore,
Longum faciet non minùs hanc conſona ſola:
Ceu longa fit olim quoties duæ ſequuntur:
Aut ſi minium eſt hoc dare, vocalis ut una
Fiat ſimilis tempore conſonis duabus:
Atque i geminum ſcribere nos jubent magiſtri,
I conſona fiet, ſimul & ſequens priorem:
Et quum prior, eſt auxilio poſterioris,
Hoc u ſimili ſi fuerit loco, nequibit:
Quum dico lavor, dico nives, pluvia, novâles,
Sola conſonans ipſa ſit, ut priùs notâſti:
Perſtat brevitas quæ fuit antè collocatis.
Jam cætera non ordine quo ſolent, loquemur,
Verùm ut cuique eſt proximitas loci, ſonive:
Ne dicta priùs me ſubigat referre rurſum
Vicinia vocum, modico dirempta puncto,
B littera, vel p, quaſi ſyllabæ videntur:
Jungúntque ſonos de geminâ ſede profectos,
Nam muta jubet portio comprimi labella,
Vocalis at intus locus exitum miniſtrat:
Compreſſio porrò in utráque diſſonora:
Nam prima per oras etiam labella figit,
Velut intus agatur ſonus: eſt altera contrà:
Pellit ſonitum de mediis foras labellis.
Utrunque latus dentibus adplicare linguam,
C, preſſiùs urget, ſed hinc hincque remittit,
Quo vocis adhærens ſonus explicetur ore.
G, porrò retrorſum coit, & ſonum prioris
Obtuſiùs ipſi propè ſufficit palato:
At portio dentes quoties ſuprema linguæ
Pulſaverit imos, moditéque curva ſummos,
Tunc d ſonitum perficit, explicátque vocem.
T quà ſuperis dentibus intima eſt origo,
Summâ ſatis eſt ad ſonitum ferire linguâ.
K perſpicuum eſt littera, quòd vacare poſſit:
Et q ſimilis, namque eadem vis in utráque eſt,
Quia qui locus eſt primitus unde exoritur c.
Quaſcunque deinceps libeat jugare voces,
Mutare neceſſe eſt ſonitum quidem ſupremum:
Refert nihili k prior, an q ſiet, an c,
Aut g quoque, vel c, ſimili parique lege
Addi (quaſi deſit) numero poteſt priorum.
Nam non ita ut eſt longa diſſolubilis,
Breves viciſſim contrahi in longam valent:
Quia ſola findi magnitudo non vetat,
Diviſa jungi rurſum in unum non queunt,
Quod ſi fieri concedas poſſe: quid antè Terentianus promiſit?
Inſtat callida cautio
Neu trepident pedes, &c.
Fortaſſe dices, non trepidare pedes, afferens illud quod ait Terentianus de verſu Ionico à majore,
Nec enim numero pendere metra ſyllabarum,
Sua ſed pedibus tempora ſufficit referre.
Nulli dubium eſt faucibus emicet quod ipſis
H, littera, ſive eſt nota quæ ſpiret anhelum:
Quin hanc etiam grammatici volunt vacare:
Quia non adicit litterulis novum ſonorem,
Sed græcula quædam ſcholicæ nitela vocis:
Vocalibus aptè ſed & antepoſta cunctis,
Haſtas, hederas quum loquor, hiſtet, hoſpes, hujus.
Solum patitur quatuor ante conſonantes.

Græcis

Græcis quoties nominibus latina forma eſt,
Si quando choros, Phyllida, Rhamnes, thyma, dico.
Septem reliquas hinc tibi voce ſemiplenas,
Vix lege ſolutus poterit ponere ſermo:
Has verſibus aptè quoniam loqui negatur,
Inſtar tituli fulgidula notabo mitto:
Ut quamque loquemur, datus indicabit ordo.
F. L. M. N. R. S. X.
Imum ſuperis dentibus adprimens labellum
Spiramine leni (velut hirta Graia vites)
F. Hanc ore ſonabis, modò quæ locata prima eſt.
Adverſa palati ſuperâ premendo parte,
Obſtánſque ſono quem ciet ipſa lingua nitens,
Validum penitus neſcio quid cogit inire.
L. Quo littera ad aures veniat ſecunda noſtras,
Ex ordine fulgens cui dat locum ſinopis.
M. At tertia clauſo quaſi mugit intus, ore.
N. Quartæ ſonitus fingitur uſque ſub palato,
Quo ſpiritus anceps coeat naris & oris.
R. Vibrat tremulis ictibus aridum ſonorem,
Has quæ ſequitur littera. mox duæ ſupremæ
Vicina quidem ſibila dentibus repreſſis
Miſcere videntur: tamen ictus ut priori,
S. Promptus in ore eſt, agitúrque ponè dentes:
Sic lævis, & unum ciet auribus ſuſurrum.
X. Mixtura ſecunda geminum parat ſonorem,
C. S. Quia c ſimul & quæ prior eſt jugando niſum,
X. Retrorſus adactam ſolidant premúntque vocem.
Nihil Auſoniis eſſe opus Y ſonare dixi:
Et ζῆτα ſupremum, niſi Graia verba cogent.
Sed quorſum (ais) hoc diſcere vel docere refert?
Tradunt homines ſecta quibus Pythagorea eſt,
Arcana ſecuti phyſicis remota cauſis,
Summas numeri non ita literis valere,
Græcus pueros ut docet inſonans magiſter:
Cùm tollere cunctos jubet altiùs ſiniſtras:
Unum ſit ut ἄλφα & duo βῆτα & tria γάμμα.
Diverſa valent, alia docent, ordine nullo
Referre putant, quæ cui ſit ſub ore ſedes,
Ut nos modò tentavimus expedire raptim.
Aiunt aliquas faucibus exilire ab imis:
Γάμμα, penitus κάππα ſonat. ξῖ ſimul & χῖ
Idam graviùs vocis opus fingere linguam.
Si ζῆτα loquor βῆτα νῦ, vel hiſpidum ῥῶ,
Et σῖγμα (quod iſtic parili ſede vibratur)
Dentes ſonitum fingere; δῖλτα, θῆτα, tum ταῦ
Itidem parili ſede ſequi: φῖ quoque tum πῖ.
Hinc & numeri non ſimiles habere ſummas:
Et nomina tradunt ita literis peracta,
Hæc ut numeris pluribus, illa ſint minutis,
Quandoque ſubibunt dubiæ pericula pugnæ.
Major numerus quà ſteterit, favere palmam:
Præſagia leti, minima patere ſumma:
Sic Patroclon olim Hectoreâ manu periiſſe,
Sic Hectora tradunt cecidiſſe mox Achilli.
Hæc ſunt quoniam viribus altiora noſtris,
Si tam tenues res tibi ſic diſſero verſu,
Vitem ut tenebras, quas ſolet & ſoluta verſu
Oratio parvis minùs explicare rebus,
Sat duco meas hactenus occupâſſe nugas.

De SYLLABIS.

Carmen trochaicum quadratum catalecticum.

SYLLABAS quæ rite metro congruunt heroico,
Captus ut meus ferebat, diſputatas attuli
Verſibus, ſanè modorum quo ſonora lævitas
Addita, ſtyli ſublevaret ficcioris tedium.
Hæc prius Baſſine fili, & tu gener Novateme
Perpolite (quàm poteſtis) crebriore limulâ,
Non pater tanquam, ſocérque, ſed velut ſim extrarius,
Intueri vos oportet, an ſatis ſit literis
Singulis diſcreta rectè (quæ cuique eſt) nativitas:
Syllabarum (quas duabus jungimus vocalibus)
Num minùs ſit ſcrupulosè vis reperta, & prodita:
Conſonans ſi prælocatur una, quantum differat:
Una vocalis duabus prædita eſt ſi conſonis:
Ne parum vel diligenter, lucidéve expreſſerim,
Quanta ſit quæ comparatur pedibus hinc diverſitas.
Sermo ſi planus pedeſtri ſe tenet modeſtiâ,
Diſputandi quem tenorem doctiores imperant:
Verba ſi non adpetita, nec remota plurimis,
Sed ferè communis uſus & tamen non obvia,
Carminis ſervant honorem non jacentis canticî:
Quo ſuper ſedens trapeto, ſigna gyris temperat:
Sufficit vitare labes, & carere ſordibus:
Pro ſtatu rerum domare lineam fandi parem,
Liberam ſcholæ nitore, vatis exutam ſtolâ,
Quæ tropos omnes relinquat, & ſuperba ſchemata
Negligens ut ſemet, ipſa laudem ab inculto ferat:
Dum tamen rebus minutis (quas pedum liber quoque
Vix queat proferre ſermo noſter offenſâ ſinè,
Labili verſu miniſtret in retuſos exitus,)
Regulam ſervans ubique, finis ut quarti pedis,
Nominis, verbíve fine comma primum terminet:
Hàc enim tome probatur, metroñ hoc trochaïcum.
Hunc modum ſi competenti pertulit ductu ſtylus,
Sive proviſo tenore ceſſit affectus labor,
Acriùs vos pendite iſta, quàm maliguis moris eſt:
Hoc domi clauſum manebit, nec ſinam noſci priùs,
Scrupulum quàm veſtra demat hunc mihi ſententia,
Opera nobis hæc inanis? aut in uſum impenſa ſit?
Sed labor vobis ferendus in legendo eſt maximus:
Non enim curſim aut remiſſè tam minuta acumina
Adſequî quicunque poterit, ſed moroſa intentio
Tam legentis debet eſſe, quàm fuit nobis quoque,
Qui laborem provocando, perdomando tædium,
Forſitan nec lecta multis, è latebris ſcalpſimus:
Ardui laudem expetentes, non favorem ex obviis:
Corrigenda ſi qua ſanè viſa vobis hinc erunt,
Non ero ſtultè repugnans, aut amans pravè mea,
Quin ſtatim culpanda delens, præbeam rectis locum,
Litteris autem latinis Græca quibus eſt formula
Quo ſtatim diſcriminentur, ne ſit hæſitatio,
Indices ſupra locavi nominum, primas notas:
Quando Græcè γάμμα, ſuprà ſua Latinis littera eſt:
K vel Q Græcum putetûr ne an Latinum: e vel o
Neu viciſſim quæ Latina proferas Græco ſono:
Hæc erunt utrinque bina, quæ parent caliginem:
Quia pari formâ notantur, & ſoni ſunt ſimplicis.
Cæterum ῆτα & Υ, & ω, Latinis à figuris diſcrepant:
A Latinè ſæpe ut ἄλφα, ſæpe λάμβδα ſcribitur,
I ſimiliter ἰῶτα, credi & C poteſt quod σῖγμα ſit.
Verſibus ſed quum loquamur, quando Græca ponimus
ἄλφα, ἰῶτα λάμβδα, σῖγμα, legem metri cogimur
Syllabis perſcriptitare, non figuris ſingulis:
Ne quis hoc culpet, Latina ſi notata non erunt.
Artium parens & altrix Græca diligentia eſt:
Litterarum porrò curam nulla gens attentiùs
Repperit, polivit uſque finem ad unguis extimum:
Quod Latinus æmulando, nec ſatis fidens ſui
(Exitus nam noſtra lingua non capit tam plurimos)
Attamen, fandi paravit non ſecundam copiam.
Congruens idcirco duxi in hoc opus de ſyllabis,
(Quod recepi nunc loquendum) litterarum origines
Indè deductas locare: quò probarem planiùs
Et ſimul quàm multa Græcis noſtra non reſpondeant,
Quæque reſpondent, ab ipſis eſſe nobis tradita:
Artis indè origo manat: lingua non tantum patet.
Ergo Græcis eſſe ſeptem ſcimus è vocalibus
H & ω, quæ bina pedibus ſubminiſtrant tempora:
E & ο breves vocari ſingularis temporis:
Cæteras tres quæ ſuperſunt δίχρονα cognominant,
Corripi quòd ſæpe, eædem ſæpe produci valent:
Ἄλφα primum eſt: indè ἰῶτα tertium quod *Y* vocant:
Porrò cunctas noſtra lingua quinque vocales ſuas,
Corripit quòd nunc eaſdem, nunc eaſdem protrahit,
Utitur longis, & iſdem brevibus æquè fungitur:
Nec brevem ſemper requirit, ſemper aut quæ longa ſit
Omnibus, ſed quinque ſemper utitur ceu dichronis:
Indè multa ſyllabarum naſcitur diverſitas:
Quia nec illæ δίχρονοι tres, Græca quas vox nuncupat,
Litteris noſtris eoidem ſemper exhibent ſonos:
Ἄλφα, nos A nominamus, ἰῶτα ſic I diximus:
Tertiam Romana lingua (quam vocant Υ) non habet:
Hujus in locum videtur V Latina ſubdita,
Quæ vicem nobis rependit interim vacantis Υ:
Quando communem Latino reddit, & Græco ſonum.
Interim vocalem, & ipſum ſumpta propter quod tamen
Non tuendo, ſyllabarum ſæpe mutat regulam:
Scilicet non conſonantem quando vocalis ligat
Syllabam, ſed cum duabus edimus vocalibus:
Si prior locetur, ipſa conſonans tunc redditur.
Porrò vocalem ſecuta, vim tenet vocalium,
Et ſonos utroſque jungit, unde dipthongos eas

Græcis

Græciæ dicunt magiſtri, quod duæ junctæ ſimul
Syllabam ſonant in unam, vſque geminâ prædita
Semper effectum duorum temporum cuſtodiunt,
Sive producto efferantur, ſive correpto ſono.
Fronte quod primâ videri forſitan mirum poteſt,
Eſſe correptam duorum temporum quòd dixerim:
Sed pedum exequendo formam, res erit probabilis.
Non minùs namque & Latinas ſæpe correpto ſono
Promimus, quanquam duabus editas vocalibus,
Quæ pedibus æquè miniſtrant bina & ipſæ tempora.
Planius quò fiat iſtud, antè diphthongos loquar,
Græca lingua quas frequenter, quaſque rarò interſerat:
Iſta patebit noſtra Græcis cum ſonis diverſitas:
Αλφα & E & O priores, ἰῶτα diphthongos creat:
Al & El & Ol, parentur ut duabus literis:
Sic & ϒ ſequens eaſdem reddit Au & Eu & Ou:
Ἰῶτα tantum & ϒ videmus ſubditas vocalibus:
His enim ſolis duabus, quinque præponi ſolent.
Neutra porrò de duabus, ante tres illas, data
Αλφα, & E, & O, valebit eſſe diphthongi ſoni,
Syllabam nec edet unam, ſed duæ voces erunt.
Eſſe diphthongos & alias rariores diximus,
ϒ ſibi tantùm jugantes, ἰῶτα queis non ſubditur:
αὐτὸς ut tradunt magiſtri, ſic & ἄυλα copulant:
Eſſe ſed longas utraſque litteras primas palàm eſt.
Nec fuit longis juganda vel brevis vocalium
Syllaba, ut diphthongos ulla temporum fieret trium:
Non ita eſt: nec prima longis ϒ dedit nativitas
Utriuſque, verùm origo jure diphthongos fuit:
Tempore inſtanti quod ἀυλᾶ, ἄυλα perfecto facit:
Sic ὁ αὐτὸς ſeparatim αὐτὸς immiſtum ſonat:
Ergo diphthongo creatâ, ϒ ſibi adnexam tenent:
Det licèt longam priorem flexa declinatio:
Vel duas partes in unam contrahat confuſio.
Quin & ϒ loco priore ἰῶτα ſi ſubjunxeris,
Effici diphthongon unam poſſe nec plures reor:
Τῖτς ut dicunt, ἀειλογία, μῖα, & talia.
Porrò diphthongos Latini quatuor fixas habent,
Quatuor ideo ſeparavi, quinta quòd ſit rarior:
Ex quibus ſtatim videbis non ut in Græcis ſonis,
Ἰῶτα ſubjungi, neceſſe eſt alteram vel V dari:
Semper E vel V Latinas poſſe ſubdi cæteris:
Αλφα ſemper atque ἰῶτα quem parant Græcis ſonum,
A & E nobis miniſtrant: ſic enim nos ſcribimus.
Oi ſimiliter O & E ſit, ἰῶτα quod Græcum fuit.
Au & Eu quum copulamus, V ſecundam jungimus,
In vicem Græcæ: quod υ ψιλὸν ſubdita eſt vocalis V.
Græca diphthongus Ου literis tamen noſtris vacat:
Sola vocalis quòd V complet hunc ſatìs ſonum.
E, deinde ἰῶτα, Græca quod diphthongos Ei ſonat
Non erit ſemper neceſſe copulatas ſcribere,
Seu Latina ſeu jugetur Græca longa ſyllaba:
Ἰῶτα ſolum quod videmus ſæpe produci, vel I:
Ἰλιὸν nam ſic jubemur ſcribere, & producere:
Dico ſive fido, longæ ſunt priores ſyllabæ:
Nec tamen nos E neceſſe eſt poſt I ſubnectere:
Nec poteſt diphthongus aliter è duabus litteris
Iſta componi, niſi antè principali in corpore
E ſubeſſe ratio monſtret, atque origo nominis:
Δῆμος indè ſic notamus, quia Δίμος reprehenditur:
Indè Μέσσαν oportet ſcribere iſdem litteris,
Quia Δῖος non minùs & iſtìc (ut videre propalam eſt)
Ipſa demonſtrat ſubeſſe compoſitio nominis.
Scribimus ſi quando νέκος, ἰῶτα ſolum ſufficit:
Nulla præcedens origo quia ſubeſſe monſtrat E:
Porrò diphthongon notamus quando νηεῖν ſcribimus,
Ητα quod compago fícti comprehendit nominis:
Νὴ & ἔνειν namque junctis, conditum eſt vocabulum.
Quippe non cedendo, ſemper quæritur victoria:
Litteram namque E videmus eſſe ad ἦτα proximam,
Sicut o & ω videntur eſſe vicinæ ſibi.
Temporum momenta diſtant, non ſoni nativitas:
Indè vertunt hanc in ἦτα ſæpe diphthongon Graii.
Quando quos ἱππῆς ſolebant aut Ἀχαιεῖς dicere:
Lævigant, ἱππῆς que potiùs aut Ἀχαιῆς nominant,
Noſque Medeam Latinè ſic in uſum vertimus:
Nomen & regina geſſit quod furens Amazonum:
Sic & Ἀτρείδης Achæus, noſter Æneam vocat:
Sic erit nobis & iſta rarior diphthongos EI.
E videmus quando fixam principali in nomine,
Eltur in ſylvam, neceſſe eſt E & I connectere,
Principali namque verbo naſcitur, quod eſt EO.
Sic oveis, plureis, omneis, ſcribimus pluraliter,
Non enim nunc addis E, ſed permanet ſicut fuit:
Lector & non ſingularem nominativum ſciet,
Vel ſequentem, qui prioris ſæpe ſimilis editur.
AU & EU quas hic habemus cum Graiis communiter,
Corripi plerumque poſſunt temporum ſalvo modo,
Sive Græcis, ſeu Latinis inſerantur verſibus:
Aut age, inquit ille vates, ſæpe dixit, aut ubi:
Dixit Aurunci, quod æquè barbarum eſt producere:
Pes ubique lege conſtat, prima cùm correpta ſit,
Conſonans & una plenum non queat tempus dare.
Et lupi ceu, dixit idem, finis eſt verſûs quidem:
Pes tamen non eſt trochæus, quia diphthongus extima eſt:
Dactylus nam pes & ille eſt, Nube nati ceu duo:
Αὖ ἔφατ', inquit poeta, ſic & ἀυτὰρ corripit:
Εὔπολιν, πεύκην, & ἴυγα, aut poetam Ἐυρυπίδην,
Syllabas primas neceſſe eſt ore raptim promere:
Tempus at duplum manebit, nihil obeſt correptio.
AU tamen capere videtur ſæpe productum ſonum,
Auſpices quum dico, & aurum, ſive Græcus αὐριον.
Mira nec putanda nobis talis alternatio eſt:
Dichronon quod ἄλφα notum eſt, ſicut à noſtratibus
Indè communem miniſtrat ſola diphthongos ſonum:
Eu manet correpta, ſemper eſt quod E Græcum, breve:
Litteris E Latinis ſæpe quum ſit dichronos,
Facta diphthongos nequibit eſſe producti ſoni:
Nec pedes idcirco fraudat temporum juſto modo:
Hanc enim ſi potrahamus, A ſonabit, E, & V:
Syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus,
Sic Ariſtæum notamus quatuor per ſyllabas,
Quòd ſi diphthongos æ jam tertiam non jungit V
His ita exceptis duabus AU & EU quas retuli:
I & O duæ ſuperſunt quinque de vocalibus.
Ante vocales locari littera O tres non poteſt
A, vel I, vel V, cohærens duplicem ut reddat ſonum:
Cæterum quod e ſecundo copulata cum loco eſt,
Reddat œ, diphthongon eſſe, traditum ſuprà tenes.
Diximus rarum eſſe Græcis ἰῶτα poſt ϒ ſubdere:
Verùm enim nec prælocari ſic apud Graios poteſt,
Edat ut diphthongon unam de duabus vocalibus:
Littèræ nam nomen ipſum ἰῶτα quod Graius vocat,
Si quis in metro locabit ſyllabæ ut fiant duæ:
Non poteſt diphthongos eſſe in duabus literis:
Conſonans prior locata quia fit & Graios apud:
Quod tibi exemplo probare verſus herous poteſt.
Οὗτος ἰῶτα γεφύρου verſûs ſi principium ſit.
Pes erit primus trochæus, ſed facit ſpondeon hunc
Prima vocalis notari ἰῶτα qua Graium incipit.
Syllabas licèt videri potiùs has Græci velint
Eſſe communes, eáſque dicent κοινὰς magis,
Quæque vocalis ſequetur quando ſupremam brevem.
I magis Romana lingua non poteſt præmittere,
Edat ut diphthongon nulli nexilis vocalium.
Conſonans quod ſemper hæc ſit ante vocales data:
Quippe jacula quando dico, vel jecur, Jovem aut jubam,
Conſonans effecta ubique eſt quæ fuit vocalis I.
Quæ ſequuntur vim tenebunt quam priùs vocalium.
Quin & ipſæ quom jugantur I, & V, quo differant
Ut prior quæque eſt locata, proderit diſtinguere:
I prior ſi conlocetur, V ſequens correpta ſit,
An ſoni prolixioris, nulla differentia eſt,
Conſonans quia ſemper iſta juncta ſit vocalibus:
Juno quum dico, aut juvencus, nulla differentia eſt.
Quippe IU diphthongos eſſe Græca nequaquam poteſt,
Quòd ſoni tres implicentur & tribus vocalibus.
Quando ſic Græcè notatur Ου, ut ſit O & ϒ ſimul:
Ἰῶτα queis ſi prælocetur, tres videmus voculas,
E quibus conſtare ſuprà ſyllabam negavimus.
Sic ἰοὺ ἰοὺ, tragœdus, Graius & ceryx ſonat:
Sic io matres Latinæ, ſic Iulum dicimus.
Quia duas edat neceſſe ſyllabas quum prædita eſt,
Quas videmus ſeparatas eſſe vocales duas:
Vim vel amittat priorem, quum ſit una ſyllaba:
Conſonans namque invenitur quando dico Julius,
Sive Juno, ſive juſtus: Porrò quum præcedet V
Conſonantis vim miniſtret (omnibus vocalibus
Nexa) ſemper hæc neceſſe eſt, ſyllabam nec dividat,
Et ſonum mutet priorem, vade quando dicimus,
Vel venito, vel videto tot volatus vulturum.
Ante conſonam U reperta ſola, ſive in Syllabâ,
Unus, aut ubi, vel unde, & umbo quando dicimus,
Obtinet vocalis uſum ſicut I quum prædita eſt.
Quanta vero ſit poteſtas ſingulis junctis ſibi,
Scandimus ſi quando verſum quolibet metro datum,
Ut prior quæcunque curret, hoc pedes diſcriminant.
Namque ſi momenta quæ ſint litterárum examines,

Cor-

Conſonantem aut quas neceſſe eſt conſonantes effici,
Tempus unum jam tenemus eſſe correptis datum : 271
Bina productas habere nec minùs compertum eſt :
Tempus autem conſonantes dividunt unum duæ,
Indè quæ duplex habetur, tempus integrum dabit :
Ergo correptæ jugatur una quando conſonans, 275
Sive vocalis referri quæ poteſt in conſonam,
Seſcuplum tempus neceſſe eſt edere illam ſyllabam,
Quæ duplex habere poſſet ab duabus conſonis,
Ac per hoc, producta per ſe, quæ duorum temporum eſt,
Conſonæ quom ſubjugatur vel relatæ in conſonam, 280
Temporis parte atque duplo ſit, neceſſe eſt, prædita :
Hoc ſub exemplis videbis eſſe planum nominum,
Syllabas ex his duabus quæ parant vocalibus :
Juno, vita, quando, legas, vel juba, aut vigor, vetus,
Conſonans fieri neceſſe eſt hìc priores literas, 285
Quæ ſequuntur ut fuerunt eſſe vocalis ſoni.
Temporis momenta longæ poſſident partem & duo :
Seſcuplum breves habere partem & unum convenit :
Pars enim iſta non ſequenti prorogat tempus ſuum ;
Sed priori, pleniore ſi indigebit tempore. 290
Syllabam nam jam peractam quom ſequetur I vel U,
Illa porrò brevis quæ in unam conſonantem definet,
I, ſequens partem rependet quam miniſtrant conſonæ :
Hoc & U præſtare poterit, quom tenebit hunc locum :
Rurſus exemplis agendum eſt ergo, quò ſit planius, 294
Syllabam brevem antè ponam definentem in conſonam :
At *jubam* pes ut paretur, ſit vel alter, *at vigor*,
Sic enim partem videbis huc redire temporis :
At brevis dum conſonanti T propinquæ jungitur,
Tempori ſuo ab eàdem conſonâ partem trahet,
Seſcuplum quod dico ſic fit : plena quò ſint tempora, 300
I dabit partem reſiduam, quam miniſtrant conſonæ :
Hoc & V pedem locare ſi velimus, *at vigor* :
Longa fit ſic prima poſitu tunc duorum temporum :
Et breves ambæ manebunt inſequentes ſyllabæ,
Quattuor pedem peractum cernis eſſe temporum. 305
Juno porrò, ſive vita quum pedem primum occupat :
Conſonans effecta quum ſit quæ prior locatur I,
Et ſequens producta, quippe bina præſtet tempora,
Parte cenſeri videmus atque duplo ſyllabam.
Hinc pedem ſi cœperimus edere iterum dactylum, 310
Quia brevis vocalis extat in ſequenti ſyllabâ,
Tertiam addamus neceſſe eſt utique correpti ſoni :
Pes quidem reddetur ipſe, non tamen pars temporis
Conſonæ factæ prioris, cernimus quò ceſſerit.
Ergo ut effectus probetur, conſonans quom fiet I, 315
Non erit locanda prima, quando verſus naſcitur :
Syllabâ ſed in ſecundâ, quæ brevis cùm conſona
Eſſe potuerit, priores quâ pedes adjuvimus.
Seſcuplum quæ ſola præſtat, temporis parte indiget,
Ut ſit *at ju* pes, & indè verſus ortum ſumpſerit. 320
Ergo *ju* quia nunc ſecundo conlocatur in loco,
I ſua (quam conſonantem non negamus redditam)
At facit longam, tenebat ſeſcuplum quæ temporis :
Nec ſecus partem retrorſus T dabit quom conſona eſt.
Sic *at vi* pes abſolutus, fiet *at ju* par ei, 325
Syllabas longas habebunt hi pedes binas ita,
Dum ſitu prior juvatur, & ſequens producitur.
Porrò quom producta prima eſt, ſi ſequatur conſonans,
Efficit duplum atque partem, non (ut illìc diximus
Antè) partem & indè duplum, prima quòd non ſit brevis,
Sol tibi, velut poeta ſigna quom dicit, dabit. 331
Sufficit productam primam temporis duplum dare,
Pars reſidua conſonantis unius vel proximæ
Ita vacabit, ut vacabunt quando plures conſonæ
Sponte productam ſequentur, non egent ſubſidii. 335
Trans mare, atque inſignis, Auſter, ſi in pedem convenerint ;
Eſt adhuc quo ſeparatæ I & U diſſentiant,
I media quum locatur hinc & hinc vocalium,
Troja, ſive Maja dicas, pejor, aut jejunium,
Nominum primas videmus eſſe vocales breves : 340
I tamen ſolâ ſequente, duplum habere temporis :
Ergo vel loco duarum conſonantum fungitur :
Vel gemella ſi locanda eſt, ut videtur pluribus,
Bis tibi vocalis eadem præbet uſum conſonæ.
Ante vocalem, ſequendo cum priore ſyllabâ, 345
Prædita & mox inſequenti, jure quo fit conſonans :
Hoc in his tantùm invenimus nominum vocalibus,
I ſecundo conlocata, conſonæ ut valeat loco,
Ante vocales quod alias quum locatur, exhibet.
U ſimiliter ſi conlocetur, ut *favor* quum ſcribimus, 350
Nil juvabit A priorem media facta conſonans.
Temporis quia parte tantùm fungitur, quom vi prædita

Vel licèt ponas gemellas ſicut in verbo juvo,
Ante, quæ locatur I, fiet ab U ſequenti conſonans :
Ipſa vocalis manebit U brevis ſicut fuit. 355
V ſecundam in conſonantem transfert vocalis O,
Sic prior vocalis U quæ tempore uno prædita eſt,
Temporis parte adjuvatur ſequenti conſonâ.
Seſcuplum tempus videmus longa quum poſcat duo :
Proderit nil ergo gemina ſicut I bis profuit, 360
Quom facit longam priorem Troiia, Maiia, & talia.
Perdere U quia ſic videtur uſque vocalem ſonum,
Alteri quom prælocatur : nam facit vita, & valens
Sordidam quiddam, videmus abſonúmque excludere.
Aeolica gens tunc digammon denique illam ſcriptitat,
Mutet ut ſitum figuræ, quando mutabit ſonum. 366
Nominum multa inchoata litteris vocalibus
Æolicus uſus reformat, & digammon præficit.
Æolica etiam dialectos ferè eſt miſta Italiæ.
Heſperum quem dico Græcè, veſperum cognominat,
Ἑστία ſic Veſta facta, veſtis ἑσθὶς dicitur.
Ἰὰ quam Græcè vocamus, vim jubet me dicere.
Ἑὰ eſt multis in uſu, & magìs poeticum eſt,
Ἠὼ enim nativa vox eſt, ille ver hoc dictitat :
Quos Homerus dixit Ἑσπερέτας, ille Venetos autumat. 375
Viola flos qui nuncupatur, hunc Graii vocant ἴον :
Et Iolaus, violeus ſit, crede Marco Tullio.
Quanquam ἴτυν dicunt Achæi, hanc βίτυν gens Æolis :
Plura Sappho comprobavit Æoliis & cæteri.
U latina ſic obeſa, ſordet à vocalibus, 380
Prorſus ſegregandas ſic ut has utraſque exiſtimem.
Nomen I quod conſonantis, U vicem ſolam gerat :
Hanc enim ſenſu per artem tradito dignoſcimus,
Illius converſionem & vox, & aures arguunt.
Hæc erit lex his duabus I & U quas rettuli, 385
Syllabam per ſemet ipſæ quando nudam copulant :
Conſonans nec ulla junctis quædam præponitur.
Nam media poſt conſonantem cùm datur vocalis I,
U dein ſi conſequatur, ſyllaba una non erit,
Ut pius quum dico, dives, ocius, vel Cælius, 390
Nulla diphthongos quod ante ἰῶτα permitti ſinit :
Media porrò ſi locetur U, ſit una ſyllaba,
Ecce rurſum diſcrepare litteras iſtas vides :
Namque *cui* ſi quando dico, non erit diſſyllabon :
Nec tamen diphthongos illa conſonante prædita 395
Poterit eſſe, quæ videri non poteſt quum libera eſt :
Hoc enim ſolum adſequetur, quod digammos non erit,
Antepoſita quum ſit ipſa, tum ſequens vocalis I :
Nam niſi inſequatur aliqua conſonantum littera,
Cui brevis manebit, atque longa fiet addita : 400
Cui ſuper non digna dixit hyemis, & ſolis mala,
Dixit &, cui tu favos, pes hinc mihi primus ſat eſt :
Sic enim vel prima longa, vel prior, ſit ſyllaba :
Dactylus nam *cui ſuper* : *cui tu* ſequens, ſpondeus eſt :
Conſonans quia poſt ſequuta tempus adjuvit breve : 405
Hanc brevem ſed antè nobis pervidendum eſt ſyllabam,
Una conſonans ſecuta, quatenus longam creet,
Ipſa nam vel ſecum habere conſonantem debuit,
Vel duarum poſt ſequentum ſublevari tempore :
Antè quod nobis liquere non poteſt, ſi non priùs 410
Conſonans quæ prima in iſtâ ſyllabâ *cui* ſcribitur,
C magìs, vel Q notari debeat, diſperieris.
Sæpius quia C locare plurimis jam moris eſt,
Sic enim conſtare poterit, è duabus quæ magìs
Nunc locum vocalis habeat, U prior, vel I ſequens :
Namque ſi cu præferatur ſyllabæ fient duæ, 416
Tertia his quod implicari nulla vocalis poteſt,
Sed duæ fient ſeorſæ ſyllabæ per ſe breves :
Cui ſuper ſic inveniri dactylus jam non poteſt ;
Syllabas ſed pes habebit quattuor totas breves. 420
Principale ſed videmus eſſe *quis* quo naſcitur,
Cui dativum quando caſum ratio ſermonis petet.
Caſus & ſecundus antè, qui facit *quius* probat,
Q duarum præditam eſſe ſyllabæ vocalium :
Quartus & caſus priori non repugnat regulæ, 425
Nec minùs O perſeverat quum loquor pluraliter,
Caſibus cunctis jugamus quando vocales duas,
Qui facit quorum, deinde mox quibus, quos, à quibus :
Uſque Q nunquam revelli propalam eſt pronomini.
Dubius autem quia videri numerus, & caſus poteſt, 430
Quom dativo ſingulari prima Q præſcribitur,
Et poteſt plurale *qui* lector aliquis credere facilè,
Ac ſimul mutante caſu tardiùs ſenſum ſequi :
Uſus, ut ſolet, reliquit veritatis regulam :
Litteram & dedit propinquam, dum ſtudet compendio,
Ergo per C jam videmus *cui* notandum litteram :

Hanc

Hanc enim U pòst insecuta, præditam docet sibi:
Et cohærens i secundo quando connexa est loco:
Quippe Q non constat aliter, quàm duabus C & U:
B velut, vel K, quod esse Q vides muti soni:
Q velut sit C & U quoque: plenius quòd postmodum
Sic in unam Q redactæ congruerunt litteram,
Portio ut nunc consonantis U videri rectius,
Litteræ vocalis habitum quàm tenere debeat.
Namque Q præmissa, semper U simul jungit sibi.
Syllabam non edituram nî comes sit tertia
Quælibet vocalis: illis hoc & exemplis proba, [bimus,
Namque equos, vel æquor, quæstus, aut aquam quom scri-
Et queo, & querela, quercus, & quater, Q prædita est:
Et vides *qui* quoque similiter esse vocales duas:
Unde si dematur I, & sola sit vocalis U,
Non erit jam Q necesse syllabæ præponere:
Sicut illic, quom querela, & æquor aut aquam notas:
Sed magis C, sola namque subditur vocalis U:
Curo quom dicis, cupido, curro, vel custodio:
Unde nomen qui sequondi rectius scribi putant,
Si prius Q conlocârint, U, & O subjunxerint,
Qui *sequor* eadem habebat, unde nomen nascitur:
Non videntur obtinere veritatis regulam:
Quia *sequor* duas videmus vocales simul:
Et locamus jure tunc Q exigente syllabâ:
At secundus ut sit, una ponitur vocalis U,
C locari debet ergo, quando solam copulat:
Quippe origo prima verbi non manet jam nomini.
Cæterum vocalis illis si jugetur tertia,
Q necesse est prima detur, & sit una syllaba:
Nomina ut suprà relata jam satis nobis probant.
Non tamen prior U videri facta consonans potest,
Consonans quia de duabus effici prior solet:
Nuda sed prior: quæ quando nec subacta est consonæ,
Quando non digammi sumit neque figuram, neque sonum,
Tunc sonus vocalis illi, qui solet quum libera est;
Prædita est vel consonanti, tunc enim est vocalis U.
Sed tamen videmus illam consonæ vim sumere,
Tenuia ut dixit poeta nubis ire vellera,
Longa fit nam *ten* nunc, quom sequatur U & I:
Nec minùs vocalis una si sequatur hanc, potest
Consonæ præbere vires: & digammos effici.
Genua cùm labant Daretis, æger est anhelitus,
Nec potest et hoc liquere, an I putemus consonam,
Longa *cui super* paretur seu duabus consonis:
Alteram quia consequendo, semper I vocalis est:
Tertiam & casus sequentes esse vocalem docent:
Imò si nunc U putamus esse vocalis soni,
I magis vocalis esse judicanda est subsequens.
Nunc quòd hanc diphthongon ergo ex U & I sit, dicimus:
Non ut U nunc fit Latina, sed magis Græcum fit *ui*
τυΐα quum dicunt & *ὕιας*, tale quid *cui* ut sonet:
Temporum & per se duorum non requirat consonam:
Cui super, sed tale fiat, quale dudum *trans mare*;
Longa quom reddit vacantes quæ simul sunt consonæ:
An magis cuii nos oportet per duas ii scribere?
Quia sequens casus videtur hoc sonare, qui facit
Quiius, ut Troia atque Maia de tribus vocalibus;
Cui super nil ut juvetur à propinquâ consonâ:
Quando quiius longa prior est, facta cùm sit consonans:
Hæc putavi colligenda, tu sequere quod voles.
Nec minùs natura varia est consonis in litteris:
Digerunt quidem magistri quando pueros imbuunt,
Sed rudes ne prægraventur, parciùs discriminant:
Nam novem mutas vocârunt: semivocales item
Esse septem tradiderunt: ordo uterque notus est:
De novem tres (ut vacantes) separandas convenit:
Una nam spiramen addit omnibus vocalibus,
Hasta quando & *hedera* dicis, *hister*, *hespes*, atque *humus*,
Quattuor solis adhæret consonantum litteris.
Inserit si quando Græca sermo noster nomina, [loqui:
Quom choros, rhamnum, necesse est Phyllidem, thimum
Sola nec vocalis usum, nec tuetur consonæ:
Tempus aut ministrat ullum brevibus usquam syllabis:
Et tamen vim consonantis adimit unâ in syllabâ:
Prædita est quoties duabus u & i vocalibus,
Hujus aut *huic* solemus nam frequenter dicere
U digammon esse, nunc jam non finit, nec consonam
Esse, quia semper necesse est, quom carens spiramine
Ante vocalem locatur, ut vigor, valens, vetus.
K similiter otiosa cæteris sermonibus,
Tunc in usu est quom Kalendas adnotamus, aut Kaput;
Sæpe Kæsones notabant hâc vetusti litterâ.
Q vacare prorsus omni diceremus syllabâ,
(C quòd ejus invenitur posse subdi pro sono)
Casus unus nî probaret rectiùs poni semel,
Syllabam junctis duabus quum facit vocalibus,
Ut satis sumus locuti jam priore paginâ.
Nunc loquar natura quæ sit omnibus, quæ & singulis:
Nulla nam muris facultas ad sonum edendum data est,
Labra fixa, vincta lingua est, exitus nullus patet,
Nexa (si non adjuvetur) cuilibet vocalium.
Namque b vel c sonat, porrò d g & cæteras
Quinque, at si non resignet labra vocalis comes
Syllabam fingas ut antè, litteram qui proferas?
Semivocales videmus oris exprimi sono
Posse vel solas, adhærens nulla vocalis licèt
Exitum plenum ministret nuncupandæ litteræ.
Verùm enim binæ ligari non queunt mutæ simul,
Syllabæ si quando binas postulabunt consonas,
Nominis verbive cujus quæ tenent primordia:
C modò, aut p copulare subditam T sic solent
Non priores, sed secunda dum latinâ in syllabâ,
Nactus ut dicas vel aptus, sanctus aut Neptunius:
Cæteris natura non est, ut duæ jungi queant:
Semivocales oportet segregare adtentiùs,
Quas quidem quia nominatim versus indi non finit
Ordinis signabo numero, quæ sit hæc quam differam
Titulus præscribet iste discolor sinopide.

F. L. M. N. R. S. X.

F. Prima mutas nec sequetur, nec potest præcedere,
Ipsa gemina nec locari simplici in verbo potest:
Suffice & suffer, vel offer, est quidem duplex sonus,
Partibus sed ex duabus verba conjungi vides:
Et prior non hâc eâdem terminatur litterâ:
Sed sonum confudit ipsa partium conlisio.
Quattuor post hanc locatas Græcus udas nominat,
Lubrica est natura in illis namque & alternus vigor;
Nunc enim vocalis usum, nunc ministrant consonæ:
Et pedum vel hinc, vel indè sublevant discrimina:
L. Hinc sibi primam atque quartam semivocalis potest R.
Subdere ista quam loquebar, quando flabra & flosculus.
Fratrem item, frugem, atque frondem, fraudémque atque
M. non item potest secundam copulare & tertiam, N [talis.
Quia secunda mugit intus abditum & cæcum sonum:
N. Tertiam nec ullus illis sermo Romanus ligat. L. R.
Nec sinas errare puerum, quando Daphnin scripserit,
Semivocalem locandam primam ut istam existimet:
Quippe nos si quando Græcum φ necesse est exprimi,
P & h simul solemus, non Latinam hanc ponere, F.
Cujus à Græcâ recedit lenis atque hebes sonus,
Phosphoron, Phrygásque nam, vel dysphilon sic scribimus.
Consonas autem per omnes (quæ quibus jungi queant;
Quas vetet natura junctas convenire in syllabam)
Ire jam nunc ideo nobis visum est consultius,
In breve ut redacta sylva demeret caliginem;
Neu subesse præter istos (quos loquar) casus alios,
Qui pedum turbare normam, lædere aut metrum queant.
Præter udas ergo suprà, jam duas quam retuli,
F Hæc sibi nullam ligare semivocalis potest.
Quattuor posthac loquemur ordine udas debito
Quas priores ante nullam consonam præponimus,
Ut caput verbi inchoare conditæ simul, queant,
Subdimus mutis earum plurimis tantum duas, [erit. R.
L primam atque quartam, exemplis palàm quod nunc
Namque b, c, g, deinde p priores ponere
Singulas possis, ut uda prima sic subjecta fit, L.
Blandior quom dico, cludo, gleba, plebs, aut Plinius
D cum hâc nunquam colbit, n magis nunquam potest:
T potest si quando Græca missa sunt vocabula.
Ttepolemus, Atlas nam solemus invenire in versibus.
R. Uda quarta præter istas quattuor quas retuli, B.C.G.P.
Ampliùs D T priores subsequetur, ut puta;
Brutus, & Crassus fuere, Drusus, & Gracchus, Procas,
Trossulus: jam seu habemus ante mutas editas:
H.K.Q. Cæteræ quia tres in usum syllabarum non cadunt.
F. Semivocalis quòd una præfici possit tenes. [D. T.P.
R. Uda quarta præter istas, cæteris non subditur. B.C.G.
M. Et secunda penè solis convenit vocalibus,
Seu loco prior loetur, seu jugetur alteri:
Manè quom dicis, vel umbra, mensis, ambo, & talia.
N. Tertiam udam sibi videtur posse solam jungere,
Sic tamen non priore, sed sequenti syllabâ,
Omnis ut dicas, vel amnis: uda quæque quum sequi
Alterum non possit udam, dum sit una syllaba:
Omnis uda quum gemella, rite conjungi queat,
Gallus ut, vel Ammianus, annus, & Tyrrhenius.
Nec secus mutas videmus posse geminas currere,

Obba, & ecce, redde, & agger, Attiúsque, & Appius.
M Hanc tamen Græcus ſecundam tertiæ ſic præficit, N
Syllaba prima Latinè quod nequire diximus:
Quando μνάμων atque μνᾶς dictitátque Μνάσων.
M. Interim compellis illam δίπλα nunc, nunc ταῦ, ſequi:
Δμῶας & Τμῶλον videmus namque Græca nomina.
N. Tertia uda ſic videtur poſſe mutam ſequi,
Graia verba quando in uſum ſermo noſter ſuſcipit,
Gnoſios ſi dicere arcus, inſulam aut Gnidum velis,
Scribimus prænomen unum, & c quidem præponimus,
C tamen ſonabit illic, quando Cneum enuncio:
Aſperum quia vox ſonorem laviore interpolat,
Vel priores g Latini nondum ab apice finxerant:
Caius prænomen, proinde ⌐ notatur, g ſonat,
Sic amurca quæ veruſtè ſæpe per c ſcribitur,
Eſſe per g proferenda crediderunt plurimi:
Quando ἀμοργὴ Græca vox eſt, γάμμα origo præferat.
Illic contrà diſcat, unde c notare debeat.
G tamen mox tertia uda rariùs componitur, N
Quando gnatum nominare, dicere aut gnarum voles.
Namque magnus, dignus, agnus, ſigna, pugna, & talia
Syllabæ quum ſint ſecundæ, non ita impugnant pedes,
Queis jugatis, impediri (quom caput verbi tenent) G. N.
Sæpius pedes videmus, ut ſuo promam loco.
S. Admonet nunc ordo ſextam ſemivocalem ſequi,
Quæ ſonum nobis miniſtrat, σῖγμα quod Græcis ſolet.
Vivida eſt hæc inter omnes, atque denſa littera:
Ἀρχτικὸν Græci vocârunt, adſerúntque exordiis:
Et probant mutis eandem penè cunctis præfici: [θας:
Quom σθένος, θάνατος que dicunt, σπᾶσθαι, & quando στόμα dicunt, σφίγγας, atque χάματα, atque uda quoq;
M. Poſſe præponi ſecundæ, ſic apud Graios vides,
Σμῦγμα ſiquando, aut σμάραγδον, σμίλαξ vel nominant:
M enim ſolum videtur poſſe ſubdi, quia loco
Intimo fauces prope ipſas littera hæc excluditur:
Dentibus σῖγμα atque labris proximam ſedem tenet,
Σῖγμα quis poſſit negare quod det adjunctum ſonum,
Quom ſonis utriſque conſtet ζ quod eſt Græcum duplex?
Nomen etſi non videbor tradere exempli loco,
Syllabis ſedet ſecundis quando proſa oratio eſt,
Verſus ut quadre reſiſtat, nec propaget terminum,
Neſtoris ſi fortè nomen dividendum incurrerit,
N & Σ verſûs prioris obtinebunt extimum:
Σῖγμα verſûs ſequentis atque ταῦ exordium.
Nos tribus mutis eandem poſſumus præponere,
Nulli quom ſic poſſit antè ſemivocalis dari,
Scuta namque, ſpatia dico, flamina atque hoc genus:
Et duas ſimul ligare ſola conſonas poteſt,
Scrinium, ſtruémve quando, ſplendidúmve dicimus,
Tres tamen nunquam coibunt (uda niſi tertia)
Semivocales. Suprema duplicis reſtat ſoni,
Præfici verbis Latinis illa nec vocalibus
Poterit unquam, tantum abeſt ut præloceturconſonis:
Ipſa quum conſtet duabus comparata conſonis.
Syllaba quácunque ſanè ſubditur vocalibus,
Quando rex, calíxve dicis, pax, latex, apex, ſenex.
Ante vocales locatur, ut in ſequenti ſyllabâ
Faxo ſi dicas, vel axis, nexus, uxor, noxia.
Tantùm apud Græcos videmus inchoantem nomina:
Qui ξίνον, ξάνθον loquuntur, ξῦθον, & ξυνία.
Conſonis præfertur autem ſi dirempta ſyllaba
Nominis verbíve, cujus cùm Latinis ſermo ſit,
Expuli quom dico, & exta, ſeu quis excuſſam comam
Dicat, aut exlex, & illud, hoc ſine exquitam priùs,
Adde & exortem, vel iſtis ſimile ſi quid finxeris:
Muto vel partem prioris ſi ſit hirtum ſyllabæ,
Effer ut dicam, vel illud, hoc tibi effectum dabo.
Verba contrà ſeparata quando ſic connectimus,
Hanc ut ante deſinentem ſubſequatur conſonans,
Σ ſat eſt ſolum locare, quia duplex eſt conſona:
Tres videntur ſyllabam unam conſonantes edere,
Hiſpidum quod porrò ne ſit, dico & è bello viros,
Dico & è pago reverſos, dico & è foro domum.
X. Aſt enim Graius locabit quandocunque hanc ultimam
Sive in uno comprehenſam ſive in verbo pari,
Conſonam non x jugabit, quia ſono lævi ſtudet,
Nam niſi vocalis adſit, vertit hanc in ſimplicem:
Κάστωρ enim ſolum ſonabit, σῖγμα verò excluditur:
Sic & ἱκταῖξαι loquuntur, ſic & ἱκτίνεον πόλιν,
Sic & illud ἐκ τόμαῖο ἐκπαγλοτάτη ξίφη,
Sic & ἐκ πάντων ſolutè, ſic & ἐκ νεὸς ἥκεις.
Litteras autem receptant ſæpe ternas ſyllabæ,
Nec minùs ſæpe & quaternas porrò, quinas parciùs,
Eſſe quia vocalis una debet unâ in ſyllabâ,
Vel duæ, diphthongos edit quando vocalem ſonum,
Indè rarum eſt conſonantes addere uni quattuor,
Quia vetat natura mutas jungere unâ in ſyllabâ:
Semivocales jugari ſæpius deprendimus:
In quibus ſcimus udas computari quattuor.
Syllaba ergo quando quinque litteris componitur,
Conſonas duas neceſſe eſt, & tot udas copulet,
Poſſit ut vocalis una ſyllabam talem dare.
Ergo frons, & glans videmus eſſe quinas litteras:
Conſonans nam prima, & uda pòſt, modò uda & conſonans
O tenent utrinque junctam: ſic & A cùm glans erit.
Eſt & uda quando ſola, dantur & tres alteræ,
Conſonans quum ſit bis una, ſíve duplex tertia:
Stant enim quum dico verbum: t ſecunda & ultima eſt:
Strixve ſi dicam, ſupremam duplicem eſſe perſpicis.
Porrò cum diphthongos inerit, frans velut ſcribi ſolet:
E tribus videmus unam (quæ eſt uda) conſonis.
Nos monemur litterarum ſyllabam ſex poſſe dari:
Græca quoqm duplex duabus ſolvitur noſtratibus,
Dixerit ſi fortè quidam ſcrobis abundæ quòd foſſa eſt,
Stirps velut dixit diſertus Gracchus alter, Caius:
Græcus hôc caſu nequibit ſyllabam talem dare,
Nec dabit per ſe: ſeorſam & retiduam nominis
Atque diphthongo coactam promet, & pluraliter:
Namque declinare Græci ſæpe ſic αἴγρης ſolent,
Αἰ prior ſi ſeparetur, ſex erunt ſuperſtites:
Ἀρχτικὸν nam cernis eſſe σῖγμα primum, & ultimum:
Alteram diphthongus auxit copulando litteram:
Conſonans & uda complent ſyllabam ſenariam.
Nunc per ipſas ire pergam ſyllabas, quæ verſibus
Scrupulum ſolent movere, ratio ſi non cernitur.

Carmen heroicum.

Sed quoniam exemplis heroi carminis uti
Res monet, ut pedibus ſiſtat ſua regula juſtis:
Seu vitium inceſſit, metri ratione probemus:
Aptius eſt nobis ſimili decurrere normâ,
Diſcolor alternos referat ne pagina verſus.
Spectandis pedibus quæ ſunt nimis obvia, mittam:
Naturâ longas quid enim tractare neceſſe eſt?
Aut facili poſitu, & planâ ratione patentes?
Quæ pueris etiam promptum eſt occurrere parvis.
Nec mihi Græcorum ratio eſt attingere καιρὰς:
Quarum rarus ineſt noſtris in verſibus uſus:
Nec tantâ in pedibus venia conceditur uti.
E brevibus quoties longæ redduntur, oportet
Verſificatorem quid littera quæque miniſtret
Diſpicere, atque aptas naturâ jungere ſecum,
Vel diſcordantes mutatis vincere verbis.
Conſona ſed ſanè gemina eſt quom prædita verbo,
Seu medio in pede ſunt, ſive has pes proximus infert,
Quàm dubias pedibus ſoleant adferre figuras,
Ut poſſum, paucis nitar decernere verbis.
Syllaba prima brevis quæcunque pedem generabit,
Longa fit à geminis quibus indita conſona vis eſt,
Seu pariter junctæ, ſuberúmve in parte ſequenti:
Seu ſunt diviſæ, finémque caputque tenentes.
Exemplis manifeſta magis reddenda videntur:
Poſtquam res, prior eſt junctis adjuta duabus:
Subjectis æquè fiet, quom dicimus agros:
At tu ſume pedum, diviſas cernis utraſque.
Dactylon hæc eadem poterit toties dare forma,
Quando brevem mediam brevis æquè tertia claudet:
Nunc age, neſcio quis, necnon & Belgica collo.
Uda etiam quocunque loco, ſeu ſubdita detur,
Libera ſeu, verbo quaſi conſona curret in uno,
Arma, virúmque cano, duris agreſtibus arma:
Si ſit longa prior, mox hanc correpta ſequatur
Vocalis verbi pariter cum fine reſiſtens,
Syllabáque adjaceat geminis exorta ſonoris,
Non ſemper videas ſpondeum poſſe creari,
Quia mutas ita conjungi natura recuſat,
Ut pariter poni poſſint in parte ſequenti:
Udas nec poſſis unquam præponere mutis,
Nec tempus præſtant udæ: quom ſubjiciuntur
Nominis in capite, aut verbi. ſupereſt igitur quid?
Ut ſint diviſæ, ſubduntur quando trochæo,
Unam detinent ſequitur quæ ſyllaba primam,
Atque ita vocalis ſuperet non ſola trochæo,
Altera ſuccedat, quâ proximus exoritur pes,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ:
Poſtquam res Aſiæ, geminum hoc exemplar habebis:
Ergo ut vocalis remanens in fine trochæi,
Et verbi finem faciat, ſpondeon & edat,

Unicus efficiet casus, si qui sequitur pes,
Nascatur certis (quas debet habere) sonoris:
Dum caput obtineat fortissima littera verbi:
Hæc quæ sit jam scire potes si prima tenebis,
Quæ tibi quum loquerer septem quoque semisonantes,
Discrevi titulo, & numero signante notavi.
Hæreat ergo animo sexta hæc tibi vivida párque
Littera de numero (quam dixi) semisonantum:
Quæ sibi tres tantùm poterit subjungere mutas,
(Si quando scutum, spumas, vel stamina dico)
Hæc sola efficiet nudo ut remanente trochæo,
Spondeum geminæ possint firmare sonoræ:
Exemplis an prava sequar, vel recta probabo.
Quisque scire cupit, vel quisque scribere curat,
Antè stare decet, quum dico: & separo verbum,
Antè Stesichorum vatem natura creavit:
Ultima vocalis remanens finisque trochæi,
Excipitur geminis queis proximus exoritur pes,
Quæ quanquam capite alterius verbi teneantur,
Sufficiant retro vires, & tempus, oportet:
Consona quòd debet geminata referre priori.
Nam cur spondeo credas non reddere tempus,
Quæ tali positu (quom dactylus incidit) obstant?
Incipe si dicas, & scire, aut scribere jungas,
Creticus efficitur, quis viribus ergo nocebit
Subdita præteritæ, cur isdem viribus æquè,
Tempora non præstet, quum sit subjecta priori?
Quin mirum magis invenias, ut tempore duplo,
Semisonans istæc, paritérque & muta cohærens,
Correptam retro nequeant augere trochæi.
Nam nisi vocalis producta sequatur utrasque
Tertia, quas dixi, nullum poterunt dare tempus..
Scire etenim quom dico, & stare *spumeus amnis*:
Tertia vocalis producta adjungitur illis,
Atque indè accipiunt vires, prosúntque priori.
Si fuerit correpta, nihil præstare valebunt,
Quom scapulam, spatium, stimulum, subjungo trochæo:
Quippe pedem primum, niti pes comitabitur alter,
Desinit esse caput versûs, & prosa loquela:
Pes etenim speciem metri nunquam facit unus:
Quia variis pedibus loquimur sermone soluto:
Nec metrum facimus, quia fungimur ordine nullo.
Adde quod hic primum cernis natare trochæum,
(Quem tantùm in fini sumunt heroica metra)
Cui si dactylici generis subjungitur alter
A geminis ortus, cui sit quoque tertia longa,
Quum sit dactylus ipse simul quoque reddat oportet
Spondeum, pleno qui tempore solus egebat.
Quom correpta adeò vocalis tertia currat,
Si positu longa efficitur, pedis efficit orsum,
Dactylicúmque parat jam rite effingere metrum,
Suggerit & tempus, quantum producta solebat:
Quod nos exemplis æquè firmare decebit.
Unde scissa coma est, aut unde spissa corona,
Ecce stagna madent: triplici sic syllaba pacto
Temporis accessu non tantùm est reddita longa,
Sed dedit & vires geminis augere trochæum.
Dactylus in brevibus vocales quando supremas
Servabit, verbíque simul cum fine resistet,
Si pedis alterius primordia consona & uda
Subnectent, pes incolumis, vegetúsque manebit:
Consona si gemina est, quæ proximus incipiet pes,
Cujus principium sexta hæc (quam dico) tenebit,
Dactylus ille prior (quamvis sermone peracto
Discretus, libérque pedis compage secundi)
Sentiet accessum momenti, & temporis auctum:
Exemplo versûs unius utrumque probabis.
Antè supinatas Aquiloni ostendere glebas,
Stendere quom verbi finem, simul & pedis explet,
Nil obstat pedis alterius modò consona, & uda:
Syllaba si contrà veniat, qualem modò dixi,
Temporibus vitiatus erit pes, integer antè,
Antè supinatas Aquiloni ostendere strages.
Tertia sic longa efficitur, pes creticus exit,
Vel tu finge aliud, dum talis syllaba detur:
Sed nullam invenies, nisi littera sit prior ista
Quæ sexto præscripta loco est, atque ordine earum,
Dimidium vocis quas edere diximus anté.
Syllaba difficilis, quoties correpta secunda
Indiget auxilio, quod tempora bina ministrat:
Dactylus indè magis, spondeus rarior exit:
Nam quom nititur vocali sermo trochæum
Destituens, jam pes in dactylon ire videtur,
Inque breves geminas longam laxare secundam:
Spondeus quo more solet dare dactylon ex se:
Quippe ubi sola manet verbi vocalis in imo
Et brevis hæc abscissa, aliam comitémque requirens,
Nulláque consona juncta parat dare temporis auctum,
Nil jam spondeo videas superesse relictum:
Vel tu ruricolæ primum decurre Maronis:
Liber & *alma* Ceres, & *ferte* simul Dryadésque,
Munera *vestra* cano, túque ô cui *prima* frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti:
Ipse nemus Tegeæe favens, oleæque Minerva:
Díque deæque omnes, studium quibus *arva* tueri,
Quique novas, & *quique* satis, & *quæque* sibi mox.
Nec tibi requandi veniat tam *dira* cupido.
Anne novum nunc *ipse* tibi plus *parte* relinquit:
Vere novo gelidus canis cùm montibus humor
Liquitur: & zephyro putris se *gleba* resolvit.
Et quid *quæque* ferat regio, & quid *quæque* recuset.
Bis decies, unúmque suprà, nisi fallimur, esse
Dactylon efficiet talis (quem dico) trochæus:
Spondeum & nullum potuit dare versibus isdem.
Namque etiam duplex, quæ nobis una relicta est,
Principium verbi quoniam proferre Latini
Non valet, & tantùm vocali subdita currit:
Quum Græcum inciderit nomen quo possumus uti,
Si post dactylon accedat, nil tempora duplex,
Officiet, gemini poterunt quod pandere versus:
Pontibus instratis conjunxit littora Xerxes,
Sanguine turbatus miscebat littora Xanthus.
Littora pes longâ constat brevibúsque duabus,
Tempora nec lædit duplex, quin dactylus extet.
Pro duplici contrà gemina est si consona, lædit:
Pontibus instratis conjunxit littora Sciron.
In tantum vegeta est, & vivida littera sexta
Quom prior est, & muta loco subjecta secundo.
Arcticon idcirco Græcia dixit.
Sed non principium nunc nominis inchoat ipsa,
Quom duplicem reddit, sequitur sed ponè priorem,
Quum, Xanthum, Xerxem, aut Xuthum & talia pono.
Nam ξ quod Græcis commune videmur habere,
Κάστα & σῖγμα facit, non σῖγμα & κάστα secundo,
Nec sonus ex illis idem, nec littera prima,
Quæ quom mutatur, mutatur origo sonandi.
Sic Ξέρξης duplicem præstat: Σκίρων aliquid plus,
Ut suprà ostendi, quum scire, & scribere curat,
Vel scutum, sputum, spumas, aut stamina dixi.
Imò velim spectes, quàm multa occasio detur,
Quom remanet nutans etiam, dubiúsq; trochæus
Dactylus ut crebrò, spondeus rarior exret.
Syllaba vocali quando est finita secunda,
Tertia vocalem si subjicit, hiscere credas.
Est tamen exemplum vocalis consona si sit,
Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.
Vocalem mediam si consona suscipit una,
Dactylus incolumi constabit lege, sonóque,
Antè tibi eoæ Atlantides abscondantur.
Consona si mediam determinat, altera porrò
Vocalem adnectit, simili pes lege probatur:
Venit & upilio, tardi venere bubulci.
Si mediam vocalis habet, quam consona & uda
Excipiunt, nequeunt geminæ vexare priorem:
Unde tremor terris, aut hoc percussa tridenti,
Dactylus efficitur: nam longa est reddita prima,
Et mediam nil uda juvat, quæ subdita currit:
Sic manet unde brevis sic & percussa tridenti.
Syllaba si contrà, fortísque & vivida detur,
Unde scire potes, percussa spumat arena:
Reddet spondeos justâ ratione locatos.
Nec modò quia verbo finem facit *unde*, putato
Sic cecidisse, magis sermone notabis in uno
Congruere, ut cassæ pariter sint consona & uda:
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:
Et *duplices* mediam non possint reddere longam.
Perspicis, udarum quàm vis modò fiat inanis,
Subjectæ quoties & juris sunt alieni.
Hoc & diversâ melius ratione patebit,
Vocalis mediæ nam quando residet in udam,
Tertiáque accedens similem geminaverit udam,
Spondeus plenus reddetur temporibus pes:
Attollítque animos Pœnorum, qualis in arvis,
Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.
Nec non vocalis primæ si quamlibet udam
Contineat, veniénsque aliam subjecerit udam,
Præpositam longæ, spondeon cernimus edi:
Pallenen, hunc & nymphæ veneramur, & ipsæ:

Tyrrhe-

Tyrrhenas i ferme acies, tege pace Latinos.
Si fuerit correpta ſequens & tertia talis
Jungenda eſt, pes ſic geminis fit dactylus udis,
Spondeum qualem geminæ fecere priores:
Palladiâ gaudet ſylvâ vivacis olivæ:
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.
Cur tantum valeant udæ, modò reddita cauſa eſt,
Conſona quia vis eſt illis nunc libera, namque
L. R. Utraque complexu alterius, nec ſubdita currit,
Inter vocales poſitas nam cernimus ambas.
L. Quatuor udarum primam quartámque videmus R.
In pedibus varias effingere poſſe figuras:
M. Uda ſecunda ſed his, & tertia diſſimiles ſunt: N.
Conſona nulla poteſt quoniam ſociare ſecundam
Sermone in noſtro, ſicut poſitum antè tenemus.
Tertia non aliter mutæ ſubjungitur uni,
Quàm quoties Cneum, Gnarum, Gnatámque loquentur,
Syllaba dum primas habeat, geminaſque creetur.
Has etiam geminas pedibus ſimiles dare formas
Invenies, geminæ quòd prima & quarta dedere:
Talia flammato ſecum dea corde volutans.
Non annî domuere decem, non mille carinæ.
Tam multa in tectis: unâ cum gente tot annos.
Dactylus hinc etiam reddetur talis, ut illic,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum?
Annuus exactis completur menſibus orbis.
Nec non & mutas geminas componere poſſis,
Obba, & Tucca velut, muris velut addicur agger,
Oppius advenit, comes eſt quoque Tettius illi.
Uda igitur nunquam præbebit ſubdita tempus,
Præbebit verbo deprenſa, aut nomine eodem:
Replet quum dico, ſubjecta eſt uvida mutæ,
Atlas ut Græcâ, ſic protero voce Latinâ.
M. Uda ſecunda urinam noſtrâ ſic voce fœderet,
Exemplo ſat erit qui dixit membra Pyrrhon,
N. Tertia tum cygnus: ſed quarta frequentior his eſt. R.
Nam mutis docui ſubjectam hanc omnibus eſſe. R.
Fabritium dixit, Sacrum, qui limite quadret,
Agricola, & vepres, dixit ſaliere per utreis:
Tempora ſic præbent udæ quum ſubjiciuntur.
Si pars ſermonis perſtat, nec fine trochæi
Finitur, geminæ præbebant tempora mutæ,
Quæ ſecum jungi poſſunt, ut diximus antè.
Si qua prior ſeu poſterior correpta locatur,
Sermonis dixi, non hanc pedis eſſe priorem,
Quam prior eſt: duplici exemplo contentus abito:
Et genus inviſum, & rapti, prior hìc brevis eſt *ra*,
Longa fit à geminis, quas proxima ſyllaba præbet:
Ejuſdem verbi, nam p ſequitur, ſimul & t.
Quam facilè accipiter ſaxo ſacer ales ab alto,
Pro geminis duplicem rectè ſubjungere poſſis.
Sic reddunt longas, quod dudum poſſe negavi,
Finitur quoniam pleno tunc ſermo trochæo.
Nunc ſermo incolumis ſibi vires ipſe miniſtrat,
Vivida nec præſtò eſt toties tibi, littera nota:
At quoties correpta ſequens eſt ſyllaba, poſſe
Spondeum fieri, ſi ſyllaba tertia tales
Subſtituat geminas, exempla tibi totidem do:
Efficit objectu laterum quibus omnis ab alto:
Nunc illa exceptum: correptas cernimus ambas
Sermonum voces poſitas in parte ſequenti.
Sed tamen has etiam reddet tibi ſyllaba longas
Tertia, quæ geminis conſtat ſubjecta ſonoris,
Quia ſermo ipſe manet, nullóque eſt fine receſſus.
Forſitan hunc aliquis verboſum dicere librum
Non dubitet: forſan multo præſtantior alter
Pauca reperta putet, quum plura invenerit ipſe.
Deſes & impatiens nimis hæc obſcura putabit:
Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.
Sed me judicii non pœnitet: hæc bene vobis
Commiſi, quibus eſt amor & prudentia juxtà:
Et labor in ſtudiis ſemper celebratus haberet:
Vos ſequar, in veſtro ſatis eſt examine cautum.
Hæc ego conſcripſi bis quinis menſibus æger:
Pendebam ambiguum trutinâ ſub judice corpus:
Alterutrum nutans, & neutro pondere fidens:
Nam neque mors avidas nigros pandebat hiatus:
Nec vitam fortì retinebant ſtamine Parcæ.
Sic varios tam longa dies renovando dolores
Duxit ad hoc tempus, ſemper ſinè fine minuendo.
Quum potui tamen obrepens incœpta peregi:
Quò vitæ dubius, vel ſic viviſſe viderer.

Carmen trochaicum cataleƈticum quadratum.

De Voce.

Nulla vox humana conſtat abſque ſeptem litteris,
Rite vocales vocavit quas magiſtra Græcia:
Quicquid audis præter illas, pars ſoni, non vox erit.
Quinque contenta eſt figuris Romuli latinitas.
η & ω longas enim nos non habemus litteras,
Nec breves ſemper vocamus his duas contrarias.
Cæteras tres quæ ſuperſunt dichronas cognominant:
Corripi quòd ſæpe eadem, ſæpe produci valent.
Porrò cunctas noſter uſus quinque vocales ſuas
Corripit quòd nunc eaſdem, nunc eaſdem protrahit,
Utitur longis, & iſdem brevibus æquè fungitur:
Nec brevem ſemper requirit, ſæpe aut quæ longa ſit:
Omnibus ſed quinque ſemper utitur ceu dichronis:
In brevi ſed tempus unum eſt: bina longæ poſſident.

De Syllabis.

Una vocalis jugata conſonanti, aut pluribus,
Syllabam reddat neceſſe eſt: ſyllabam Græci vocant,
Ore quod ſimul profectæ copulant unum ſonum:
Vinculum nam ſignat iſta congregale dictio.
Et tamen vocalis una quando pars ſermonis eſt,
Syllabam dici neceſſe eſt, quum ſit una littera.

De poſitione, & diphthongo longis.

Quem brevis duas habebit adjacentes conſonas,
Sive ſecum, vel ſequenti copulatas ſyllabæ,
Singulæ vel dividentur, longa fiet è brevi,
Non ſecus, producta quàm ſi temporis dupli foret.
Nec minùs longam probamus, una quem duplex erit,
Quia duarum conſonantum vim ſuo præbet ſono.
Vel gemellis cùm jugamus ſyllabam vocalibus.
Miſceant ſonum neceſſe eſt, jure diſtant temporum.
E & U ſimul junctæ, vel cum alterutrâ ſingulæ
Quæ ſolent coire diphthongo, creabunt longulam.
I & U non hoc valebunt, ſive præſint alteri,
Vel ſibi quem copulantur: quia prior ſit conſonans,
Illa quæ remanſit indè, tempus unius tenet, habet.
Sive duplum: quantum & omnis quando producta eſt
O cum E tantùm jugatæ, longa ſemper ſyllaba eſt:
Quem duas ſermonis uſus comprehendit ſyllabas.
Hoc ut exemplis probemus, réſque ut omnis clara ſit,
Antè quæ natura, quæque ratio ſit dicam pedum.
Sed priùs nitar docere ſimplices quos nominant:
Una vis quòd ſyllabarum eſt, quando binos ſcandimus.
Ergo quum duas videbis eſſe vinctas ſyllabas,
Effici pedem neceſſe eſt, ſint breves ambæ licèt.
Una longa non valebit edere ex ſeſe pedem:
Ictibus quia ſit duobus, non gemello tempore.
Brevis utrinque ſit licebit: bis feriri convenit:
Parte nam attollit ſonorem, parte reliquâ deprimit.

De Arſi & Theſi.

Ἄρσιν hanc Græci vocârunt, alteram contrà Θέσιν,
Una porrò his feriri quando poterit ſyllaba:
Temporum momenta ſanè lege certâ dividunt,
Seu duas pes quiſque juget, ſive plures ſyllabas.
Aut enim quantum eſt in ἄρσει, tantum erit tempus θέσει.
Altera aut ſimplo viciſſim temporis duplum dabit:
Seſcuplo vel una vincet alterius ſingulum:
Quicquid iſtis diſcrepabit, abſonum reddet melos.
Latiùs tractant magiſtri Rhythmici, vel Muſici:
Nos viam metri ſtudemus parte ab aliquâ pandere.
Ergo quum reddenda rurſus hæc erit diſtinctio,
Quæ pedum natura poſcet, ſatis habebo attingere.
Nunc pedes accedo primos, quos vocant diſſyllabos.

De PEDIBUS DISSYLLABIS.

PRIMUS ille eſt jure primus, πρωτεύς qui dictus eſt,
Author & ductor melorum, qui duas breves habet:
Antè enim breve eſt creatum, redditum longum dein:
Sicut unum numerus antè, quàm ſecundum prodidit:
Ergo princeps jure naturâ repertus dicitur:
Ante quem non eſt creatus: quem ſequuntur cæteri.
Δίβραχυν dicere Græci, quòd ſit ambabus brevis,
Πυρρίχιον idem vocatur, quippe & aptus pyrrhichæ:
Tam cito motu recurſat, quàm breves, hi ſunt ſoni,
Tertium detrecto nomen, lege nam metri vetor,
Παιᾶνας namque dicunt, ſi probâris ἐκλαυσεν,
Ars vetat primæ negare ſpatia binæ ſyllabæ.

Red-

Reddere autem pedibus iſdem plura cogor nomina,
Ne quis erret ſi quando nomen aliud alibi invenerit,
Ac putet pigrum, vel artis uſque ad iſta neſcium,
Hujus exemplum videbis eſſe quom dicet *bonor*.
Eſt huic adverſus ille, qui duas longas habet,
Syllabis compar priori, temporis duplum merens.
Qui quod in templis canorus, à ſono vocis malæ
Auribus libantis obſtat, & favet, σπονδεῖος eſt.
Hunc ſonabis, ſive reges, ſive cives dixeris.
Verùm uterque quantum in ἄρσει, tantum habebit in θέσει:
Temporum menſura diſpar, lex ſoni communis eſt,
Qui brevem primam tenebit, deinde longam ſyllabam,
Erit ἰαμβος pes virilis, acer, & raptim citus.
Nec minus currit τροχαῖος lege versâ temporum:
Syllabâ longus priore, parcior noviſſimâ:
χόρειος idem nuncupatur à magiſtris plurimis:
Terna rite partientur ambo vicibus tempora:
Ἄρσις unum poſſidebit, quando ἰαμβον partior:
Fiat alternum neceſſe eſt, quom τροχαῖον divides:
Vis ἰαμβον? dic *parens*. Vis tu τροχαῖον? *Roma* dic.
Hactenus viciſſitudo vertitur διπλασίων:
Nam quater reciprocantur numerus & tempus duplex.

De octo pedibus triſſyllabis.

Octo porrò procreantur, quos vocant τετρασυλλάβους.
Τετράβραχυν primò loquemur, tunc ſequentur cæteri:
Ut pedes ſibi recurſent temporum adverſi vice:
Namque huic adverſus ibit, qui tribus longis patet;
Hunc μόλοσσον nominârunt, hunc & ἴσατον vocant,
Temporum tria ille habebit, iſte duplo tenditur:
Quæ tamen quom partieris, ſimpla duplis reddito.
Forma talis eſt minoris, *anima* quando dicimus.
Hic trilongus tunc ſonabit, quando *Romanos* loquor.
Qui breveis primas habebit, atque longam tertiam,
Is erit ἀνάπαιστος, vides quot ille pes ſit temporum.
Verſus hic nuſquam vacillat: hoc ſuo reddam loco,
Hujus exemplum tenebis, quando *populos* nominas.
Δάκτυλον poſt hunc loquemur, nam priori adverſus eſt.
Ordinis ſitu repugnans, temporum conſors modo.
Nam breves longam ſequuntur, quando dico *Romulus*.
Horum utrunque tempus æquum librat ἄρσιν cum θέσει.
Quom duas longas ſequetur una brevior ſyllaba,
Pes erit βακχεῖος, ἀντίβακχος autem tunc erit,
Quom brevem primam locabis, & duas longas dein:
Nomina aut vertes viciſſim, quum priorem dixeris.
Ἀντίβακχον, nominato qui redit contrarius.
Temporum menſura par eſt, bina ternis appara,
Ut pedum natura poſcet antè, vel retro brevem,
Forma ut eſt *Romanus* illi, ſic *Catones* alteri.
Septimum pedem loquemur, quem vocant ἀμφίβραχυν,
Quom duæ breves utrinque, media longa ponitur:
Quale ſi velis *amanus*, aut *amicus* dicere.
Ἄρσις hinc ſumat neceſſe eſt tria priora tempora,
Et θέσιν relinquat unum: vel licet vertas retro,
Ἄρσις uno ſublevetur, deprimant θέσιν tria,
Par pari figura non eſt, pugnat unum cum tribus.
Nec modum dupli rependit, nec tenetur ſeſquiplo.
Exigunt idcirco talem qui ſequuntur muſicam.
Pes adeſt ſupremus unus octo de triſſyllabis:
Ἀμφίμακρος, hunc priori perſpicis contrarium:
Nam duæ longæ receptam continent intus brevem:
Romulos ſi nominemus, *Appulos*, aut *Dorices*.
Seſquiplo metimur illum, quinque nam ſunt tempora.
Num duo antè, tria ſequuntur, nunc tribus reddes duo,
Italûm ſi quando mutat Graius accentus ſonum,
Appulos nam quando dico, tunc in ἄρσει ſunt duo,
Σπουδεῖος Graius loquendo reddet in θέσει duo.
Creticum appellant eundem, fortè Creticum genus
Quomodo ludos ſub armis congruenteis ſuccinat.
Primus iſte pes locatur his ubique in verſibus,
Optimus pes & melodis, & pedeſtri gloriæ:
Plurimum oranteis decebit, quando penè in ultimo
Obtinet ſedem, beatam terminet ſi clauſulam
Δάκτυλος, σπονδεῖος, ſimam, nec τροχαῖον reſpuo.
Bacchicos utroſque fugito, nec repellas τριβραχυν.
Nam ſolet longam τροχαῖος ſolvere in duas breveis:
Unde & appellant τροχαῖον, quem vocamus τρίβραχυν.
Pleniùs tractatur iſtud arte proſâ rhetorum.
Nec minùs frequens ἴαμβος τριβραχυν ex ſe procreat:
Solvit & σπονδεῖος unam quom propagat δάκτυλος,
Quom prior ſolvetur, edet dactylo contrarium.
Ἀμφίμακρος ſæpe primam, ſæpe ſolvit tertiam:
Quin & ambas ſæpe ſolvens, quinque componit breveis
Verſus eſt ut ille noſter, quem probare debeo:

Regulam reddemus omnem debito metri loco.
Nulla enim non longa ſolvi per duas breveis poteſt:
Dum ſuo pedi reſervet præſtituta tempora,
Syllabarum nil nocebit longior progreſſio.

Carmen ſotadicum ſeu ionicum à majore de duplicibus pedibus.

Nunc incipiam bis geminos pedes referre,
Quaſi ſi repetam (quos docui) διπλασίους jam:
Unum ut faciant duo pariter pedes jugati.
Περισπασματικὸς primus erit, brevis habebit
Hic quatuor omneis: duo quia ſunt pariambi,
Hunc efficiet Minutius ut quis vocitetur.
Verſum dabo, quo regula nota fiat omnis.

Anapæſticus verſus cataleCticus.

Perit abit avipedis animula lepotis.
Hunc nos pedibus ſcandere convenit jugatis:
Et trimeter erit, τετράμετρος in fine reſiſtet:
Παροιμιακὸν habebit ſimul & ſemipedem imum:
Κατάληξις enim dicitur ea clauſula verſûs,
Detracta ſit ut quarta pedi ſyllaba quarto,
Quam ſyllaba, vel pes numeri datus minoris
Ita terminat, ut diſcrepet id quod indè præſtat.
Adverſus huic, tempora bis quaterna ſumet,
Διασπασμὸς hic dicitur, ecce nomine ipſo
Debent duplici tempora ſinguli quaterna.
Rhythmis magis hic jugiter invenitur aptus,
Anapæſtica nec non variantur indè metra,
Quaſi ſi duo ſint tempora, quia quaterna reddunt.
Quom prima brevis, longa dein, tertia longa,
Pòſt quarta brevis ſyllaba continebit omnes,
Hunc promit ἰαμβος, geminum facit τροχαῖος,
Pes nomen habebit, quod in hôc referre metro
Longæ prohibent ordine tres ſimul locatæ.

Carmen heroicum.

Artiarasu enim magè lex heroica promet.

Ionicum à majore.

Eſt forma Tarentina velut mœnia dicas.
Claudunt medias quando breveis utrinque longæ,
Eſt antè τροχαῖος, ſequitur dehinc ἰαμβος,
Idcirco gemellum vocitârunt χορειάμβον.
Nam qui χόρειος dicitur, & τροχαῖος idem eſt.
Exemplar in iſto facile eſt locare verſu,
Si Romulidas dicere quis velit Quirites.
Sin prima brevis, longa ſequens, itémque rurſus
Sibi conſimiles ordine quo duas locavi,
Hunc rite vocant (quia geminatur) διάμβον.
Duplicémque τροχαῖον vocitârunt δίτροχαιον.
Eſt forma prioris, quaſi ſi Corinthios quis,
Itidémque ſequentis, quaſi Gallicane dicat,
Nunc reddo duos nomine quos ionas ambos
Diſcrimine ſignant, dedit ordo quod locorum.
Longas ſiquidem quando priùs locamus ambas,
Ac deinde breveis ſubdimus, ut putes priorem
Σπονδεῖον oriri, comitem mox παροιμιακὸν,
Ἀπὸ μείζονος illum memorant Ionicorum.
At qui brevibus præpoſitis, deinde longas
Acceperit, ἀπ' ἐλάσσονος hunc jubent vocari:
Nomen tibi quid deligo, quo notes priorem,
Cum verſibus iſtis toties recurrat hic pes,
Longas geminat qui priùs & jugat minores?
Lavinia quom dicimus, hæc tamen figura eſt.
Metrúmque facit Σαπφικὸν quod vocitârunt,
Quia multa ferunt hoc pede Σαπφὼ locutum.
Ἀπ' ἐλάσσονος autem cui nomen indiderunt,
In nomine ſic eſt Διομήδης, μέτρον autem
Non verſibus iſtud, numero aut pedum coarctant,
Sed continuo carmine quia pedes gemelli
Urgent brevibus (tot numero jugando) longas,
Idcirco vocari voluerunt συναφείας.
Anapæſtica fiunt iridem per συναφείαν:
Verſus tamen & non minùs indè comparatur,
Qui ſæpe pedes treis habeat, vel ille plureis,
Καταληκτικὸς quos ſyllaba terminat: frequenter
Solet integer anapæſtus & in fine locari.
Ἀπ' ἐλάσσονος unquam numero non cohibetur
Senſum quoties terminat, aut carmina finit.
Longas ratio eſt ponere, non breveis in imo,
Pes integer ut ſit geminus, ſimúlque in aure
Dulcem ſonitum tempora longiora linquant.
Ἀπὸ μείζονος autem brevior quòd eſt ſecundis,
Verſus malè ne deſinat, adhibentur in imo

Quas

Quas prima pedis portio longas habet ambas.
Ita versus erit de tribus, & semipede uno:
Treis dico jugatos fieri, & semipedem unum.
Ut pæonici nominis ambo sint quaterni,
Is primus erit, longa cui locata prima est,
Quam continuò tres aliæ breves sequuntur:
Tu pone τετχαῖον priùs, & mox παειάμβον,
Cæcilius erit consimilis pedis figuræ.
Natura secundum faciet secunda longa.
Hinc fiet ἰαμβῷ prior, & λίβανχυς alter,
Dicat quasi si quis magìs hunc Horatius vult.
Hôc ordine fit tertius, ut sit παειαμβῷ
Prior, & socium pòst sibi copulet τετχαῖον:
Menelaus ei nomen erit simile locatum.
Quartum quoniam quarta facit syllaba longa,
Subjungit ἴαμβον prior hic pes παειαμβῷ:
Apto similes nomine Pelopidæ sonabunt.
Et ὁμότερῷ æquè genus est pæonicorum,
Totidem pedibus quia varius, tempore differt:
Septena etenim tempora singula tenebunt:
Quum pæonici possideant quina priores.
Quom prima brevis syllaba, longæ veniunt tres,
Hic primus habetur, pedibúsque pòst secutis
Ex ordine sunt nomina, quem breves tenebunt.
Σπονδεῖῷ ἴαμβον sequitur quando priorem,
Si prima brevis, ὁμότερῷ hic primus habetur.
Migrante brevi consequitur pedem τετχαῖον:
Idcirco secundus vocitatur alter hic pes,
Ut tertius ille est, brevis ubi tertia currit:
Σπονδεῖῷ in hôc fit prior, est sequens ἰαμβῷ.
Idémque manet, quom faciet quarto τετχαῖον,
Quartum quoniam perspicis hunc ὁμότερον esse,
Versus similes non sinit hic dari figuras,
Ut quibo tamen disparili notabo metro.

Carmen ex bucolicâ cæsurâ & parte Phalecii, Acron archilochum vocat.

Primus agillinos pes efficit alter Ἀρχιμέδιον.

Iambicum trimetrum acatalecticum.

Δημοδίνης fit tertius: quarto loco

Heroicum.

Qui currit poterit quasi Δακτυλεῖῷ haberi:
Ἄρσιν quoties in geminis διάνοιαν quæres,
Sex æqua pedes tempora dividant oportet:
Binas parileis qui sibi syllabas habebunt:
Περιλειπομενικὸς bina dabit, sequens quaterna.
Qui sena tenent tempora, terna partientur.
At quando genus funditur hoc Ionicorum:
Longis dare nos tempora convenit quaterna:
Et bina duabus brevibus dari necesse est.
Servare vices admonet ordo longiorum:
Impar numerus pæonicis utrisque coget
Aptare duobus tria, vel quaterna ternis:
Sesqupla ferè quòd numeros pars secat istos.
Perspecta pedum regula si satis videtur,
Jam possumus ipsis animum applicare metris.

De METRIS LIBER.

Carmen heroicum & iambicum trimetrum alterna.

HEXAMETROS tradit genitos duo prima vetustas,
Herous ille est, hunc vocant iambicum:
Nam pedibus senis constare videmus utrunque:
Diversa quanquam lex sit ambobus pedum.
Additur hæc gemino non absona fabula metro:
Seu vera res est, spectet authorem fides.
Quum puer infestis premeret Pythona sagittis
Apollo, Delphici feruntur adcolæ
Hortantes acuisse animum bellantis: ut illos
Metus habebat, aut propinqua adorea,
Tendebat geminas pavida exclamatio voces,
Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν. ἰὴ παιάν.
Spondeis illum primo natum cernis sex,
Ex parte voces concitas læti dabant,
Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν.
Et hinc pedum tot ortus est iambicus.
Hæc sibi quæque priùs distinguere metra paramus:
Heroa primo, mox adire iambica:
Alternæ ne quem impediat confusio sylvæ.
Quæ lex sit ipsis, quæ sit his, quæ procreant,
Partibus adjectis, detractis quæ varientur
Pòst hinc: deinde quanta compages novos
Alternet, variétque modos: mutatio quantum
Commendet, etsi non valebo plurima,
Attingam vel pauca tamen: nam pendere prima
Prodest frequenter artium vestigia.
Vim propriam pedibus fidâ citò reddito mente,
Ne dum requiris, tarda sit delectio.
Spondeus (versum quo primum diximus ortum
Heroon) hexametris tuetur vim suam.
Nomine nunc proprio, nunc debita tempora reddens
Sub alterius consonat vocabulo.
Et geminis longam solvet si quando sequentem,
Fit dactylus, trissyllabis tempus manet.
Si prior in geminas solvetur longa minores,
Tum pes recurrit dactylo contrarius:
Tempora sed quanquam totidem defendat uterque,
Heroa fiunt pulchriora dactylo.
Hæc contrà vitiant incurrentes anapæsti,
Post dactylum ne quatuor jungas breveis,
Post spondeum autem veniens, sic mutet oportet,
Ut iste versus jam docet legem metri.
Ergo spondeus plerunque in dactylon ibit,
Nec interest vel quo loco, vel quàm frequens.
Nam sæpe alterni gemini nunc, sæpius alter,
Species reformant plurimas in versibus,
Quas longum credo perscribere, quum tibi cunctas
Legendo possit adnotare quilibet.
Hoc sat erit monuisse, locis quòd quinque frequenter
Jugem videmus inveniri dactylum.
Sed non & sextum pes hic tibi vendicat unquam,
Nisi quando rhythmum, non metrum compouimus.
Namque metrum certisque pedes, numerúsque coercent:
Dimensa rhythmum continet lex temporum.
Spondeus partem semper sibi vendicat imam:
Dat & trochæo quâ dissyllabo locum.
Nec damnum importat, tria qui sua tempora subdit,
Quæ quatuor spondeus impleret magís.
Debita nam spatii recipit quasi tempora versus,
Dum jungit imis consequens exordium.
Omnibus in metris hoc jam retinere momento,
In fine non obesse pro longâ brevem.
Præterea pes nullus erit quin rite locetur,
Laudem mereri si voles poeticam.
Hexametron dicunt, sed non heroicon omnem:
Nam sex pedes inesse non erit satis.
Leges quippe datas heroica carmina poscunt.
Queis aëta Homerus heroum quum scriberet,
Versibus ostendit: quas æquè sermo Latinus
Custodit omnes, & pedes solos probat,
Quos suprà posui: Græcis & creticus aptus,
Bacchius etiam ponitur pro dactylo.
Creticus in nostris, si lævia carmina pangas,
Rarò invenitur: qualis hic Maronis est.
Insulæ Ionio in magno quas dira Celæno.
Creticus offendit pes primus, & asperat aures,
Dabo & latentem, sed notandum creticum,
Solus hicc inflexit sensus, nam primus & istic
Pes longiorem tertiam dat syllabam:
C ę geminum quoniam sermonis regula poscit,
Ut fiat: hicce plena vox (excluditur
Vocalis) dabitur: nec consona pellitur ulla:
Nisi quæ duabus obstat una vocibus.
Quum venit in medium, vocésque oblimat adhærens;
Bissenus istam literam monstrat locus.
Aut geminum in tali pronomine si fugimus ec,
Spondeus ille non erit, qui talis est:
Hoc illud germana fuit; sed &, hoc erat alma:
Iambus ille fiet, iste tribrachus.
Has autem leges heroicus omnis habebit:
Quom post duos pedes relicta syllaba est,
Si plenum absolvet verbi, vel nominis instar,
Orationis ista vel quæ pars erit:
Hoc πενθημιμερὲς medium de quinque vocatur:
Hanc & tomen dixere: forma talis est,
Tityre tu patulæ, concludit syllaba nomen,
Duos pedes secuta, quæ fit semipes:
Talis in heroo laudatur regula versu,
Locúmque primum possidet, quia prima fit.
Nec minùs hanc laudant quæ dat mensura secundam,
Post tres pedes ut una nomen terminet:

Hanc

Hanc ἑφθημιμερὴν numeri de parte vocârunt,
Quia tres pedes & una, ſeptem dividunt:
Indè toro pater Æneas, exemplar habebis:
Poſt tres pedes reperta, nomen integrat.
Horum ſi nihil eſt, ſpecta ne fortè trochæus
Sit tertius, finémque dat vocabulo:
Jurandum regina, datur locus ecce trochæo,
Quem poſt duos pedes, videmus tertium.
Nec vitium medio in verſu deprenſus habebit,
Quem dactylum ſecuta faciet ſyllaba:
Nam ſequitur *regina jubas*: prior indè trochæum
Ju, brevis ſecuta reddit dactylum.
Bes hinc quæ remanet, connectit cætera verſus
Membra: at trochæus tantùm erit noviſſimus.
Et quartum tradunt ſimili ratione trochæum:
Exemplum at ejus vix ſed ipſi conlocant:
Namque ex prædictis penè eſt, ut regula quævis
Inventa verſum comprobet: quem (ſi vacet)
Quandoque ut quartum contingat habere trochæum,
Exemplar ejus tale confici poteſt:
Quæ pax longa remiſerat, arma novare parabant:
Quartus trochæus *arma* ſit, rarum eſt tamen.
Harum ſi nulla eſt ſpecies deprenſa, magiſtri
Verſum recuſant, nec vocant heroicum.
Sed fortaſſe putes nullum contingere verſum,
Quin ullam earum in regulam non incidat:
Rarum concedam, fieri non poſſe negabo:
Apud Maronem talis incurrit mihi,
Magnanimi Jovis ingratum aſcendere cubile:
Species in iſtum nulla prædicta incidit.
Magnanimi Jovis, eſt etenim tantùm geminus pes:
Sequiturque nullus qui probatur ſemipes:
Indè duas longas pes tertius efficit *ingra*,
Orationis plena nec pars editur.
Et quartus *s'aſcen* nec portio plena relicta eſt:
Et *de* ſequens longam priorem perficit.
Quintum nulla jubet lex obſervare trochæum:
Nec eſt notandus unus in tot millibus.
Hæ faciant formæ variari plurima metra:
Quæ potero tangam, tu mihi leges tene.

DE METRIS.

De pentametro verſu, qui & elegiacus dicitur.

PENTAMETRUM dubitant quis primus finxerit author,
Quidam non dubitant dicere Callinoum.
Hexametro quom quinque pedum ſubjungitur iſte,
Partes heroi dupliciter recipit,
Quas ἀνθημιμερὴς poſſit disjungere forma:
Has ſi quis geminet, pentametrum faciet.
Sed refert dùo ſint, an dactylus unus in illâ:
Quom duo ſunt, eadem bis repeti poterit.
Subjungam exemplum quo fiat planius iſtud:
Deſine Mænalios, deſine Mænalios.
Dactylus ut duplex, non bis ſententia currat:
Deſine Mænalios, Muſa referre jocos:
Hoc nec præpoſitum peccat, nec parte ſequenti:
Talis utrique loco convenit una tome.
Si primo ſpondeus erit, tum dactylus alter
Stabit, comma priùs non poterit repeti.
Talis erit verſûs hæc portio, quam modò tracto:
Poſtquam res Aſiæ, claudicat ut repetis.
Ut ſtet comma ſequens, bis dactylus adſit oportet,
Poſtquam res Aſiæ, deſine Mænalios.
Dactylus in primo poſitus, ſpondeus adhærens
Non oberit primis, officiet reliquis.
Exemplum ponam parti quod congruat iſti:
Muſa mihi cauſas, diſcrepat hoc iterum,
Dactylus ergo duplex redeat mihi parte ſequenti.
Muſa mihi cauſas, deſine Mænalios.
Spondeum duplicem quæ pars prior eſt, bene ſumet:
Peccat enim tantùm poſteriore tome.
Spondeos antè ergo dabis, pars cætera currat:
O fortunati, deſine Mænalios.
Pars prior ergo pedum admittet quencunque duorum,
Dactylus in reliquâ bis repetendus erit.
Scandunt pentametrum duo ſint quaſi commata) quidam
Ut pedibus binis ſemipedes ſuperent:
Hos ſibi conjunctos ſpondeum reddere quintum:
Poſtquam res Aſiæ, deſine Mænalios.
At quidam in medio ſpondeum reddere malunt,
Semipedem & primum cum capite alterius
Jungunt, dactylico quæ ſit de commate, longa:
Indè duas promptum eſt ſic remanere breves:
His longam adnectunt, quâ dactylus incipit alter:
Cernis & hinc alias tot remanere breves:
Has ad ſemipedem jungunt in fine relictum.
Ultima nec refert longa ſit, ſine brevis.
Sic ſpondeus erit medius, duo pòſt anapæſti:
Poſtquam res Aſiæ, deſine Mænalios.
Idcirco primo curabis commate ſemper,
Ne brevis incurrens ſyllaba ſemipedis,
Spondeum mediis nequeat conjungere longis:
Et fiat talis, incipe Mænalios:
Nam *lis* quæ brevis eſt, jungat ſibi ſive ſupremam
Os, vel quæ prima eſt, *in*: caput hoc etenim eſt.
Quia nec producta eſt, geminat nec conſona vires:
Spondeus minimè pes, ſed iambus erit.
Exemplum idcirco vocali à parte locavi.
Longa foret ne *lis incipe Mænalios*.
Quidam (quia gemino conſtat de commate verſus)
Cludere comma prius non timuere brevi:
Ut ſit pentameter talis, qualem modò nuper,
Hoc mihi tam grande munus habere datur:
Aut qualis ſuprà verſus peccare videtur,
Si fiet talis incipe Mænalios:
Namque referre nihil, ſit qualis ſyllaba fini,
Commatáque hoc ipſum juris habere volunt:
Idcirco & verbo nunquam uno cola ligari,
Ut conſtet parti finis utrique ſuus.
Nam vitioſus erit ſic pentameter generatus,
Inter noſtros gentilis oberrat equus:
Spondei duo ſunt, quos dixi commate primo
Poſſe dari: verùm ſyllaba quæ ſequitur
Nec ἀνθημιμερὴς verbi cum fine relinquit:
Quæ data pentametris regula prima ſonis:
Nec pòſt, dactylico debet quæ commate jungi,
Eſſe caput verſûs dactylici patitur.
Hoc ipſum meliùs mutatâ parte coibit,
Gentilis noſtros inter oberrat equus.
Tantam noſtra nequit menſura abſolvere litem:
Malo tamen longâ cludere comma prius.
Hos elegos dixere, ſolet quòd clauſula talis
Triſtibus (ut tradunt) aptior eſſe modis.

De epodo, qui & ſemielegiacus.

Nec tantùm hexametris geminam ſubjungere partem
Dactylicam mos eſt: ſæpe ſemel poſita,
Præmiſſo hexametro dulcem ſubnectit epodon:
Talis epodus erit.
Tibia docta precor tandem mihi dicere verſus
Deſine Mænalios.
Hoc doctum Archilochum tradunt genuiſſe magiſtri:
Tu mihi Flacce ſat es,
Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribúſque comæ.

De anapæſtico verſu catalectico ex ſecundâ parte heroici.

Cætera pars ſupereſt: Mea tibia dicere verſus.
Hæc juncta frequentiùs edet
Anapæſtica dulcia metra.
Cuicunque libebit ita iſtos
Triplices dare ſic anapæſtos,
Atque ille poëta phaliſcus,
Quom ludicra carmina pangit:
Uva uva ſum & uva phalerna:
Et ter feror, & quater anno.
Libro quoque dixit eodem.
Unde unde colonus eos
A flumine venit Oronti.
Erit ultima ſyllaba poſt tres,
Catalectica quæ perhibetur.
Nec non alias quoque binas,
Et tres ſuperare ſolere.
Pes ſit licet integer ipſe,
Si non hunc regula poſcet:
Catalecticon hoc genus omne,
Et ſemipedem vocitari,
Suprà quoque jam meminiſti.
Mirum tibi nec videatur
Spondeon ineſſe anapæſtis:
Rex, & dominus, prior, ipſe eſt:
Hic advena ſumptus; & hoſpes.
De fœdere temporis æqui
Quoties locus expetet, ultro
Reddet ſua jura priori.

Ana-

Digitized by Google

Anapæſticum junctum Ithyphallico.

Alias tamen hæc eadem pars
Quoties Ithyphallicon ăduit,
Metrum ſibi tale fit unum.
Mea tibia dicere verſus Deſtitit Latinos.
Jamdudum ſaucia curâ, Deſerit pudorem.
Priamſque evertere gentem, Fata jam parabant.
Ithyphallica porrò dicârunt, Muſici poëtæ:
Qui ludicra carmina Baccho, Verſibus petulcis,
Graio cum cortice phallo, Tres dabant trochæos.
Ut nomine ſit ſonus ipſo, Bacche, Bacche, Bacche.

Anapæſticum de hexametro.
Hexametrum.

Hexametrum quoties ita totum dactylus explet,
Ut nuſquam in medio, ſed ſit ſpondeus in imo,
Sive trochæus erit: quom dempta eſt ſyllaba prima:
Quæ demi poterit, reliqui ſient anapæſti:
Ultimáque ex illis catalectica, quæ remanebit.
Dactylico tali facile eſt hoc noſcere verſu:
At tuba terribilem ſonitum procul ære recurvo:
At conjunctio quæ ſolida eſt quom demitur indè,

Anapæſticum.

Ea formula fiet ut eſt anapæſticus iſte:
Tuba terribilem ſonitum procul ære recurvo:

Hexametrum.

Ultima ex remanet, quia dempta eſt ſyllaba prima:
Dactylon in primo reddens, ſpondeon in imo.

Choriambicum Phalecium ex pentametro Hexametrum.

Nec non dactylico qui commate conſtat utroque
Pentameter, metrum quod erit choriambicon edet:
Exemplum ponam, tunc fiat quatenus addam.

Pentametrum.

Nulla meo ſedeat turba profana loco.
Dactylicon colis eſſe vides geminis,
Primum ut ſemipedem poſt, cetur ſyllaba longa,
Sive eſt naturâ, ſeu fit ab adpoſitis,
Et quæ nunc brevis eſt, fiat penultima longa
Tempore producto, cætera permaneant?
Inſere *nulla meo*, *jam*, produc penè ſupremam,
Qui locus antè fuit, lucus ut eſſe queat:
Efficies metrum nomen cui dant choriambo,
Nulla meo jam ſedeat turba profana luco.
Præmonui chorion dici, quem ſæpe trochæum,

Pentametrum

Dicimus: hic prior eſt, alter iambon habet.

Hexametrum.

Nulla loco pes efficitur geminatus utroque,
Jam ſedeat choriambus item, mox *turba profa* pes
Tertius accedit ſimilis, pars illa *no luco*
Bacchius adverſus fiet pes, nam brevis antè eſt,
Et gemina longæ; fiet catalexis in iſtum,
Quia non ejuſdem generis deprenſus in imo eſt,
Ut docui, nec enim cludit choriambus honeſtè.
Hoc Cereri metro cantâſſe Phalecius hymnos
Dicitur, hinc metron dixere Phalæcion iſtud.
Nec non & memini pedibus quater his repetitis,
Hymnum Battiadem Phœbo cantâſſe, Joviſque,
Paſtorem Branchum: quom captus amore pudico,
Fatidicas ſortes docuit depromere Pæan.
Qui multos legere, negant hôc corpore metri
Romanos aliquid veteres ſcripſiſſe poëtas.
Dulcis Septimius qui ſcripſit opuſcula nuper,
Anciphem tali cantavit carmine Janum.

Choriambicum Phalecium.

Jane pater, Jane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum ſator, ô principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.
Ecce vides *ta mugiunt* eſſe duos iambos:
Temporibus namque pares ſæpe ſibi viciſſim
Cedere, vel tribrachyn admittere ſæpe poſſunt.
Tibi vetus ara caluit ab origineo facello:
Hîc quoque ſuccedere ſic tribrachyn adnotabis,
Longa quòd eſt in geminas prima breves ſoluta.
Tibi ſimilis nec minùs alter à pede conſequenti
Ra ca: monui jam ſatis has ſæpe ſolere ſolvi:
Pro chorio tribrachys hic bis datus invenitur.
Nec minùs hoc, *ra caluit ab origineo facello*
Ut chorius ſolvitur, & tribrachys eſt iambus.

Anapæſticus archebulicus.

Anapæſtus item quater, editus hexametro,
Ita clauditur ut choriambicus antibaccho.
Faciet tibi perſpicuum citò verſus idem.

Hexametrum.

Dactylicus, modò qui potuit dare quinque anapæſtos.
At tuba terribilem ſonitum dedit ære recurvo.

Anapæſticus.

Anapæſtus ineſt quater, ultimus antibacchos.
Similem dabo verſiculum magis ut probetur:
Tibi naſcitur omne pecus, tibi creſcit hœdus.

Hexametrum.

Prima reponatur, redeat quoque tertia ſini:
Dactylicus tibi qui fuerat modò, jam referetur:
Nam tibi naſcitur omne pecus, tibi creſcit & hœdus.

Anapæſticus.

Generi datur author huic vetus Archebulus.

De carmine miuro: hexametrum illibatum.

Dactylici finem verſûs ſi claudat iambus,
Hoc eſt pro longâ brevis ut penultima fiat.

Miurum.

Auribus acciderit novitas inopina, meliùs
Verſus ut hic reſonare poteſt, ita ſi cecineris:
Ite domum paturæ, venit heſperus, ite paturæ:
Nile pater propera, fitiunt pata, Nile propera,
Heus puer ut mea ſint tibi vilia carmina, vides.
Si nuſquam hoc aliquis lectum putat, ecce dabitur
Verſus homericus auſonio reſonans ita modo:
Quem *μιῆεν* Achaïca gens vocitare ſolita eſt:
Attoniti Troes viſo ſerpente pavitant.
Livius ille vetus Graio cognomine, ſuæ
Inſerit Inonis verſu puto tale docimen:

Hexametrum illibatum, miuro proximum.

Præmiſſo heroo ſubjungit namque *μιῆεν*.
Hymnum quando chorus feſto canit ore Trivix:
Et jam purpureo ſuras include cothurno,
Balteus & revocet volucres in pectore ſinus:
Preſſáque jam gravidâ crepitent tibi terga pharetrâ:
Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes.
Dactylicum tamen hoc meliùs reſonare poterit,

Hexametrum illibatum.

Si *πενθημιμερὲς* talis præmiſſa, tome ſit,
Quæ primo ſpondeon habet, mox dactylon addit:
Tum poſt ſemipedem veniant duo fine revulſi
Incolumi ſermone pedes, ſinè parte priorum:
Poſtquam res Aſiæ veluti: tunc primus ab oris,

De carmine Hendecaſyllabo ex penthemimeri & dipodiâ dactylicâ.
Hendecaſyllabon phalecion.

Fiet hendecaſyllabos, ſed alter:
Namque hic de genere eſt Phalæciorum,
Cujus mox tibi regulam loquemur,
Nunc hic talis erit verſus, ut hic eſt:

Canon ex penthemimeri & dipodiâ dactylicâ.

Poſtquam res Aſiæ, primus ab oris:
At regina gravi ſaucia curâ:
Sic fatur lacrymans, mittit habenas
Et tandem Euboicis, labitur oris:
Iſtum ſemipedem prima ſequentis
Spondeum medium reddit utrinque:
Quartus dibrachys eſt, quintus in imo
Spondeum faciet ſive trochæum.

De carmine ex dactylicâ hephthemimeri.
Hexametrum.

Quum autem hephthemimeres fuerit diviſio verſûs,
In tragicis plerunque choris deprenditur unus
Inſertus multis non unâ lege creatis.

Fabula

Fabula sic Euripidis inclyta monstrat Orestes:
Nam tali versu, (cunctis trepidantibus intus)
Argivum fugiens eunuchus flagitat ensem.
Cætera nam simili componit lege: sed aptos
Continuò trepidos plures connectit iambos.
Inserit hoc æquè Pomponius in choricis sic,
Rhœtæis procul à terris: mox dispare versu
Subjecto, Priamique aras damnare pias: tum,
Obrue nos Danaósque simul: parilem dedit illi.
Non equidem possum tot priscos nôsse poëtas,
Ut veterum exemplis valeam quæ tracto probare.
Maurus item quantos potui cognoscere Graios?
Quorum præcipuè studiis pars mutica constat.
Nemo tamen culpet si sumo exempla novella:
Nam meliùs nostri servârunt metra minores.
Septimius (docuit quo ruris opuscula libro)

Carmen ex dactylicâ hephthemimeri.

Hôc genere assiduè cecinit.
Ponere pauca mihi sat erit.
Inquit amicus ager domino,
Si bene mî facias: memini.
Pinea brachia cùm trepidant,
Audio canticulum zephyri.
Sic hephthemimeres servavit carmine utroque.
Hexametros facies ipsos si cætera reddas:
Inquit amicus ager domino, fere, plurima reddam,
Si bene mî facias, memini tibi solvere grates.
Pinea brachia quom trepidant stridentia fabris,
Audio canticulum zephyri modulante susurro.
Syllaba præterea numero superadditur isti:
Non refert qualis, quum sit suprema futura:
Hoc refert sanè, brevis ut penultima fiat:
Ultima quæ metro fuit hôc inventa Sereni.

Carmen phaliscum dactylicum tetrametrum.

Nam lyrici quoties sua volunt
Carmina per varios dare sonos:
Pluribus illa modis ita novant.
Dactylicum hoc fieri magis amat:
Vel si ponitur unus alius
Pes, modò tertius hunc retineat.
Talia docta phalisca legimus:
Nam mihi notius hoc genus erit,
Carmine si quid ab hôc posuero.
Quando flagella jugas, ita juga,
Vitis & ulmus uti simul eant.
Nam nisi sint paribus fruticibus,
Umbra necat teneras amineas.
Quod tamen ex isto remanebit commate, tale est:
Arma virúmque cano Trojæ Qui primus ab oris
Multa quoque & bello passus Dum conderet urbem:
Indè toro Pater Æneas Sic orsus ab alto.

Carmen Ionicum à majore qui fiat Hexametrum.

Comma ad posterius versus si do pariambum,
Ipsum & rursus comma loco, ac sic expleo versum:
Fiet ionicon hoc ἀπὸ μείζονος: ut modò cernes,
Si pariambus *ego* aut *modo* vel *puto* (quem dabimus) fit,

Ionicum à majore.

Qui primus ab oris, ego qui primus ab oris:
Dum conderet urbem, modò dum conderet urbem:
Sic orsus ab alto, puto sic orsus ab alto.
Jam porrò tenes quod tibi dico bis locandum,
Non verba eadem dicere, sed pedes eosdem.
Tres ergo pedes perspicis in commate primo,
Spondeon enim subsequitur pes pariambus,
Spondeus item clausula fit commatis hujus.
Hæc si repetens, talia cola copulabis,
Spondeus erit tertius, idem quoque quartus.
Dum conderet urbem, dum conderet urbem:
Cernis pariter quatuor adsonare longas:
Has si veniens in medium pes pariambus
Discriminet ipsas, (licèt ex se tamen ambas)
Non hic erit extrinsecus interfitus illis:
Sed qui medius jam sedet in commate primo
Dum conderet urbem, medius fit pariambus:
Fiátque necesse est, iterum commate junctio.
Ergo in medium rite datus cola ligabit.
Namque efficit ut quæ modò cola dissidebant,
Alterna simul tempora dent bina quaternis.
Nunc redde mihi quod volo te tenere semper:
Longam in geminas sæpe breves solere solvi.
Nam sæpe cadit dactylus hic, sæpe anapæstus:
Ut posterior syllaba, vel prior soluta est.
Cedit quoque vel longa brevi, brevisque longæ,
Nam quæ vicibus tempora commodant, retinunt:
Miscéntque trochæos sinè fraude sæpe plures:
Spondeon enim duo faciunt, & pariambon
Versóque dabunt ordine & hi duos trochæos.
Nec tres modò, sed quinque etiam videbis esse.
Dabo versiculos quò tibi res magis probetur:
Urbem tenuem fovent opum benignitate:
Hostem tegere est paratus, & stat ipse nudus:
Est unus lon hic datus, & quinque trochæi,
Vel quattuor insunt: quoniam suprema semper
Et longa brevi sufficitur brevisque longæ.
Nil autem officiet temporibus vicissitudo.
Nec enim numero pendere metra syllabarum,
Sua sed pedibus tempora sufficit referre.
Sic tribrachus intervenit in locum trochæi,
Nam quo fuerint crebriùs hi pedes minuti,
Vibrare sonum versiculos magis videmus.
Αὖ' ἰαδικοῦ autem ratione quâ regatur,
Quum de pedibus dissererem, satis probavi.

Ionicum à minore qui fiat' Ionicum à majore.

Sed quale metrum continuet, nunc referemus.
Dixi Diomedem pedis hujus esse formam.
In carmine sic est Diomedem modò magnum.

Ionicum à minore tetrametrum.

Dea fecit dea belli dominatrix Phrygas omneis
Ut in armis superaret, patulis agmina campis
Jacuerunt data leto: pavidi tergáque dantes.

A minore trimetrum.

Petierunt trepidæ mœnia Trojæ.

A minore Pentametrum.

Simili lege sonantes numeros & Neobolæ dedit uno

A minore trimetrum.

Modulatus lepidè carmine Flaccus:
Miserarum est neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere aut ex-

Ionicum à minore tetrametrum.

animari metuentes patruæ verbera linguæ.

A minore trimetrum.

Ita binæ variantur, neque cedunt

A minore tetrametrum.

Repetitâ vice longæ brevibus per synaphiam.

Ionicum à majore.

Spondeus autem metron hoc locatus ante
Permutat, & ex hoc facit ἀπὸ μείζονος edi:
Duntaxat ut ipsum referat clausula versûs,
Idémque caput præditas occupet sequentis:
Metron pedibus namque tribus semipedem aptat:
Ita si capiti demptus erit subinde solus:
Quem fecimus ex hôc ἀπὸ μείζονος videri:
Αὖ' ἰαδικοῦ illam revocabit synaphiam,
Binis brevibus quæ totidem jugare longas.
Ex ordine semper solet & tenere legem:
Non versus ut ullo numero pedum regatur,
Sed carminis orsum peragat debita finis.
Exemplar utrunque ex facili sumere possis:
Sic additur: ὁ quàm miserarum est neque amori,
Quom demitur autem *miserarum est neque amori*,
Ex hôc iterum (nos dare si breves volemus)
Ἀπὸ μείζονος idem modò qui fuit, redibit.
Rarum est neque amori dare ludum neque dulci.
Spondeus erit terminus hujus tibi versûs:
Spondeus & alter caput occupat sequentis.
Αὖ' ἰαδικοῦ immobilis omnis synaphia est.

Tetrametrus versus ex heroico qui fiat.

Hexametro duo quando pedes primi retrahuntur,
Ut sermo expletus, partes non occupet ambas,
Tetrametrus remanet versus, seu subdicus hic est:

Digitized by Google

Cantabunt mihi Damœtas & Lyctius Ægon.
Cantabunt mihi quom demptâ, pars cætera restat,
Damœtas & Lyctius Ægon.
Talis carminibus Flacci reperitur epodos:
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala tempe.
Namque pedes primos versu si reddo secundo,
Integer hexametrus stabit, nec fiet epodus:
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mytilenen.
Si proficiscêris aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Aspicies magis insignes, aut Thessala tempe:
Sic etiam ex versu partem quom demo Maronis,
Noscès unde tibi tales geminentur epodi:
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Damœtas & Lyctius Ægon.
At si quando pedes fini duo deminuentur,
Dum ne discidium verbi quarto pede fiat,
Hic quoque tetrameter similis remanere videtur:
Sed refert illo, versus quo portio prima est:
Ille sequens, aliâque simul quod lege tenetur:
Namque hæc sola potest carmen componere plenum:
Et subjecta aliis dulces absolvit epodos,
Ut mox ostendam: prior apta videtur epodis,
Ut dixi modò: Damœtas & Lyctius Ægon.

Carmen bucolicum.

Pastorale volet quom quis componere carmen,
Tetrametrum absolvat, cui portio demitur ima,
Quæ solido à verbo poterit connectere versum:
Bucolicum siquidem talem volvere vocari.
Plurimus hôc pollet Siculæ telluris alumnus:
Ne Græcum immittam versum, mutabo Latinum:
Dulce tibi pinus submurmurat, en tibi pastor
Proxima fonticulis, & tu quoque dulcia pangis.
Jugiter hanc legem toto propè carmine servant,
Noster rarus eo pastor Maro, sed tamen, inquit,
Dic mihi Damœta cujum pecus? an Meliboei?
Non, verùm Ægonis, nuper mihi tradidit Ægon:
In tragicis junxere choris hunc sæpe diserti,
Annæus Seneca, & Pomponius antè secundus.

Tetrametrum ex bucolico.

Talè dedit nobis Pomponius:
Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adsonet omne virens latè nemus,
Et tortis errans qui flexibus.
Reddo pedes binos (qui nunc desunt) tetrametro:
Rursus de mutilo redit integer.
Pendeat ex humeris dulcis chelys apta choreis,
Et numeros edat varios quibus ecce propinquum
Adsonet omne virens latè nemus, arvâque juxtà
Et tortis errans qui flexibus effugit amnis.

Æolicum carmen Sapphicum pentametrum qui fiat.

Hexametrum.

Æolicum ex isto genuit doctissima Sappho.

Æolicum.

Quod fit quinque pedum, velut hos modò perspicis:
Nam addit primum illa disyllabon ut libet:
Spondeum nec enim capiti locat omnium:
Sed quia mobilis hic locus, & chorion solet
Admiscere, dein quater addere dactylon:
Cordi quando fuisse sibi canit atthida
Parvam, florea virginitas sua quum foret,
Ille tetrametro datur antè disyllabus.
Cætera pars versûs pedibus finita duobus,
Tale solet colon subjungere, *primus ab oris*,
Continuâsse pedes istos in carmine solos
Dicitur hanc eadem præclara poetria Sappho.

Carmen Sapphicum, aliàs adonicum

Fingere nobis
Tale licebit,
Primus ab oris,
Troïus heros,
Perdita flammis
Pergama linquens,
Exul in altum
Velâ resolvit.
Sæpe repulsus
Austone terrâ
Mœnia fessis
Sera locavit.
Unde latinum
Pòst genus ortum,
Altâque magnæ
Mœnia Romæ.

Hexametrum.

Pluribus idcirco parvis (ut notius esset)
Versiculis carmen condi potuisse peractum.
Cætera tetrametris reddemus, quando duobus
Conferta heroo paritérque loquemur iambo.

De carmine iambico.

Trochaicum.

Nunc seorsa iambi si qua possim, colligam.

Iambicum.

Adesto iambe præpes & tui tenax
Vigoris: adde concitum celer pedem,
Nec alterius indigens opis veni;
Sed ipse verus, integrque gestiens,
Adulta felle qualis antè carmina
Dabas amarus, ultor impotens tui.
Vides ut icta verba raptet impetus:
Brevémque crebra consequendo longula
Citum subinde volvat arctius sonum:
Iambus ipse sex enim locis manet,
Et indè nomen inditum est senario.
Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur,
Scandendo binos quòd pedes conjungimus;
Quæ causa cogat, non morabor edere.
Nam mox poëtæ (ne nimis secans brevis
Lex hæc iambi verba pauca admitteret,
Dum parva longam semper alterno gradu
Urget, nec aptis exprimi verbis finit
Sensus, apertè dissidente regulâ)
Spondeon, & quos iste pes efficit creat,
Admiscuerunt, impari tamen loco.
Pedémque primum, tertium, quintùm quoque
Juvere paulo syllabis majoribus.
At qui cothurnis regios actus levant,
Ut sermo pompæ regiæ capax foret:
Magis magisque latioribus sonis
Pedes frequentant, lege servatâ tamen.
Dum pes secundus, quartus, & novissimus,
Semper dicatus uni iambo serviat:
Nam nullus alius ponitur, tantùm solet
Temporibus æquus non repelli tribrachys.
Quid? non trochæus temporum est æquè trium?
Est: sed trochæo longè prior syllaba,
Brevis autem iambo, longa pòst, cui non potest
Longam trochæus subdere, & brevem suam
Brevi sequentis, quâ fit hoc iambicum:
En cur iambo non trochæus serviat,
Qui metron ipse copulat trochaïcum:
Præbétque nomen, ut loquemur postmodum.
Habétque & ipse subditivum tribrachyn:
Qui jure utrique servit, & subjunctus est.
Ecquis creatur, qui creare non potest?
Nam non ita, ut est longa dissolubilis,
Breves vicissim contrahi in longam valent.
Quia solida, findi magnitudo non vetat:
Divisa, jungi rursum in unum non queunt.
Culpatur autem versus in tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus,
Ut ille contrà qui secundo & talibus,
Spondeon, aut quem comparem receperit.
Sed qui pedestres fabulas soceo premunt,
Ut quæ loquuntur sumpta de vitâ putes,
Vitiant iambon tractibus spondaicis:
Et in secundo & cæteris æquè locis:
Fidémque fictis cùm procurant fabulis,

In metra peccant arte, non inscitiā:
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulúmque rursus à solutis differant.
Magìs ista nostri (nam ferè Græcis tenax
Cura est iambi, vel novellis comicis)
Vel qui in vetustà præcluent comœdiā.
Aristophanis ingens micat solertia,
Qui sæpe metris multiformibus novis
Archilochon arte est æmulatus musicà.
Sed paulo abimus longiùs: nunc hoc magìs,
Heroicus quare pedes per singulos,
At iste binos scanditur: causam loquar.
Spondeon etenim quia recepit impari
Tantùm loco, vel dactylum, aut contrarium:
Secundo iambum nos necesse est reddere,
Qui sedis hujus jura semper obtinet:
Scandendo & illìc posuere adsuetam moram:
Quam pollicis sonore, vel plausu pedis
Discriminare, qui docent artem, solent.
Si primus ergo pes eam sumet moram:
Ubi jam receptum est subdere heroos pedes,
Versum videbor non tenere iambicum.
Sed quia secundo nunquam iambus pellitur,
Moram necesse est in secundo reddere,
Et cæteris qui sunt secundo compares:
Ubi non timebo nequis herous cadat:
Sic fit trimetrus qui fuit senarius.
Nunc ipsa metra quæ redegi, prosequar.
Jugi trimetro Flaccus usus est semel,
Ut non epodum subderet, vel demeret,
Aut adderet, quo legem iambi verteret:
Sed simplici carmen per omne evectus est:
Quod esse notum versibus primis potest:
Jamjam efficaci do manus scientiæ:
Supplex & oro regna per Proserpinæ:
Unúmque carmen lege tali pertulit.

Quadratus iambicus qui fiat,

Sed hic trimetrus quando duplicem pedem
A capite sumet: tunc quadratus dicitur.
Idémque dictus est & octonarius.
Ergo antè versum collocabo iambicum.
Phaselus ille quem videtis hospites:
Quadratus iste talis effici potest,
Adest celer Phaselus ille quem videtis hospites.

Trochaicus catalecticus qui fiat.

Si dempta prima syllaba adjecto pedi est,
Qui de duobus esse iambis perspicis:
Quod hinc remansit, Creticum reddit pedem:
Est celer phaselus ille quem videtis hospites.
Quia prima quum sit dempta iambo duplici,
Longam relinqui convenit: post alterum
Manere iambum, qui brevem & longam suas
Jungens priori perficit dictum pedem.
Sic creticum si quis velit disjungere,
Fiet trochæus, longa & una syllaba.
Præcedet ergo quando Cres iambicum,
Habet trochæum, longam & unam, quæ sibi
Primam ex iambo dum sequenti copulat
Brevem trochæos esse jam duos vides,
Et longam iambi: sic trochæi cæteri
Fient subinde, longa dum brevem sibi
Trahit ex iambo, longa & alia linquitur:
Quæ sibi vicissim copulans jungat brevem:
Volvendo totum cogat ordinem pedum:
Donec trochæis restet una in extimo:
Catalexis inquam fiet, ut jam diximus.
Nam Cretici tres syllabæ primo loco,
Bis sex iambi, quindecim fiunt simul:
Sic numerus impar post trochæos septies
Habeat necesse est extimam superstitem.
Sed quia trochæos tanquam iambos scandimus,
Ut fit trimetrum, tres erunt bini pedes.
Finem tenebit dactylus, vel Creticus:
Trochaicum autem permanebit liberum,
Dum erit trimetrus ex iambis omnibus.

Trochaicus.

Est celer phaselus ille quem videtis hospites.

Iambicus.

Spondeos autem si sequetur Creticum,
Habere primum quem potest iambicus
(Nam primus ipse est, separato Cretico)
Vel tertio locetur aut quinto pede:
Seriem trochæi jam labare perspicis:
Quia post trochæum longa superans Cretici,
Dum ex sequenti copulat longam sibi,
Vetat trochæos ire junctos ordine.
Sed quia recepit lex iambi dactylum,
Spondeon, aut qui dactylo est contrarius,
(Ut jam tenemus) impari tamen loco:
Nunc, versu iambi qui pedum primus fuit,
Erit secundus antecunte Cretico:
Ex quo trochæus tertium quia separat,
Hic de sequenti copulat longam alteram:
Spondeon esse post trochæum propatam est,
Qui sic secundus trochaicis datur,
Iambicis ut impari solet loco.
Nec culpa metri est, si vel hòc vel talibus
Pes inseratur temporum est qui quatuor:
Dum prius ipse qui trochaicum facit,
Et tertio locetur & quinto pede.
Nam pes uterque quia sibi est contrarius,
Gaudet locorum dispari custodiā.
Trochæus ergo semper impari loco:
Parique iambus rite conlocabitur:
Nihil nocebit quisque curret cæteris,
Ut quodque metron lege condatur suà.
Ergo qui versus parator integer trochaicus,
Cretico fiet remoto rectiùs idem iambicus.
Porrò si talis locetur, qualis hic noster modò est,
Ter tibi spondeum hic semper secundum suggeret:
Cretico dabit remoto jam tibi hunc, sed imparem:
Talis locetur, qualis hic noster modò est:
Simúlque iambos nunc suis reddet locis,
Quos in trochæos retrovertit Creticus.
Verum à magistris versus iste dicitur
Acephalus, idem qui trochaicus quoque:
Archilochus author traditur talis metri:
Sed jam pedum quam regulam distinguerem,
Longam resolvi per duas dixi breves:
Ipsúmque posse quinque totas Creticum
Breves habere, quando longas solveris:
Est ergo & ille versus integer meus
Quo quinque feci syllabarum Creticum:
Is erit anapæstus, quinque post spondeus est.
Exempla ponam quæ locâsse Cælium
Libro notavi, quem dedit metris super.
Beatus ille qui procul negotiis.
Est Creticus pes *Socrates*, & versus hic,
Socrates beatus ille qui procul negotiis:
Hinc solvo primam, tale fit, nec pes habet.
Diogenes beatus ille qui procul negotiis.
Quom tertiam: ne tum quidem quicquam perit,
Demophile, beatus ille qui procul negotiis.
Utrasque quando solveris, nil laditur,
Quod agis age, beatus ille qui procul negotiis.
Authore tanto credo me tutum fore,
Et pro iambo nemo culpet tribrachyn.
Archilochus autem Creticum ficus dedit:

Iambicus Hipponacteus claudicans qui fiat.

Æquè & trimetro junxit Hipponax pedem
Novissimum trisyllabum, ex primâ brevi,
Longis duabus; antibacchio nomen est.
Exemplar ejus tale possis fingere:
Phaselus ille quem videtis hospites Sabinus:
Quadratus ut sit, parte ab imâ claudicat:
Erit quadratus reddità novissimâ:
Phaselus ille quem videtis hospites Sabinus est.
Phaselus ergo quem videtis hospites Sabinus,
Æquè est & ipse syllabarum quindecim,
Ut ille primâ parte qui mulctatus est:
Sed iambicus manebit unde & natus est:
Ille enim (quia prima pars ex Cretico
Gignit trochæum) transit in trochaicum:
Hic ex iambis natus ad finem quoque
Manebit idem, veniat externus licèt
Pes antibacchus, non erit dispar tamen:
Namque est iambus tertiam longam trahens.
Sic ergo versus ex iambis profatus,
Suis iambis jungit indè septimum:
Et hunc & illum terminabit semipes:
Vel quia est trimetrus, antibaccho definet.
Frequens in usu est tale metron comicis vetustis:
Atella, vel queis fabulis actus dedit petulcos:

Quia

Quia fine molli, labile, atque deferens vigorem,
Sequm miniſtrat congruentem motibus jocoſis.

Alius iambicus Hipponacteus claudicans.

Claudum trimetrum fecit aliter Hipponax,
Ad hunc modum, quo claudicant & hi verſus:
Idcireo Græcè nuncupatus eſt *σκάζων*.
Hic non iambum reddidit pedem ſextum,
Penultimam ſed pro brevi trahit longam,
Novitate ductus, non ut inſcius legis.
Sed quia jugatos ſcandimus pedes iſtos,
Pæona fieri perſpicis pedem in fine:
Epitritos nam primus implet hanc partem:
Brevis locata quum ſit ante tres longas.
Quare cavendum eſt ne licentiâ ſuetâ
Spondeon, aut qui procreantur ex illo,
Dari putemus poſſe nunc loco quinto:
Ne deprehenſæ quatuor ſimul longæ
Parum ſonoro fine deſtruant verſum:
Nam dactylum parémve quid tibi dicam?
Quum tantùm iambus hôc loco probè poni,
Aliúſque nullus rite poſſit admitti.
Hôc mimiambos Mattius dedit metro:
Nam vatem eundem eſt Attico thymo tinctum
Pari lepore conſequutus, & metro.

Iambicus trimetrus acephalus qui fiat.

Sed & trimetrus, (ut quadratus) hic poteſt
Acephalos eſſe, prima quando demitur:
Fierique primus pes & iſtic Creticus.
Nam ſicut ille redditur trochaicus,
Sic verſus antè qui videtur integer,
Adeſt celer phaſelus ille quem vides:
Quom demo primam, quod relinquo tale ſit:
Eſt celer phaſelus ille quem vides:
Acephalus ergo, ſed trimetrus factus eſt.
Archilochus idem eſt uſus & tali metro.

Iambicus trimetrus claudicans qui fiat.

Viciſſim & ille qui quadratus claudicat,
Et in trimetro claudicare ſic poteſt:
Phaſelus ille quem vides Sabinus eſt:
Phaſelus ille quem vides Sabinus.
Similem locavit Flaccus uno in carmine:
Sed quia videtur alius antè præditus,
Ut verſus hic, epodus illius foret:
Ratione quem jam competenti diſtuli:
Simul hos loquemur, quando de vinctis metris
Et hinc & indè veniet aptior locus.

Iambicus dimeter qui fiat.

Necnon dimetrus ex trimetro redditur,
Quacunque partem tertiam ſi detrahas.
Stabitque verſus octo tantùm ſyllabis,
Niſi quando ſumet dactylum aut contrarium:
Loco vel iambi qui probatur tribrachys:
Talisque verſus hic erit:
Phaſelus ille quem vides.
Plerunque nec carmen modò,
Sed & volumen explicat:
Ut pridem Avitus Alphius
Libros poëta pluſculos
(Uſus dimetro perpeti)
Conſcripſit excellentium.
Tales trimetris ſubdidit Flaccus ſuis,
Ut carmina oſtendunt decem.
Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.
Archilochus iſto ſævit iratus metro
Contra Lycamben & filias.

Iambicus dimetrus acephalus qui fiat.

Et hic dimetrus non minùs
Ut ille acephalus eſſe, vel claudus poteſt.
Adeſt celer phaſelus eſt:
Quom prima dempta eſt, redditur,
Eſt celer phaſelus eſt.

Iambicus dimetrus claudus qui fiat.

Ac quom ſuprema claudicat,
Adeſt celer phaſelus.
Flaccus priorem ſic dedit,
Eſſet ut verſus prior
Eſt celer phaſelus eſt:
Poſt hunc veniret talis hic epodus:
Phaſelus ille quem vides Sabinus.
Sunt tales hôc uno in carmine,
Ad uſque finem permanent compares epodi.
Non ebur, neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar.
Non ebur pes Creticus,
Longa nam fit tertia
Conſonante ex alterâ.
Neque aureum, prima ex trimetro portio eſt.
Meâ renidet in domo, dimetrus eſt:
Et ut *Sabinus*, claudicat *lacunar*.
Pedem hinc iambum duplicem
Meâ reni, ſi dempſeris, relinquitur
Det in domo lacunar:
Adeſt celer phaſelus.
Et condere indè carmen
Multi ſolent poëtæ:
Horatium videmus
Verſus tenoris hujus
Nuſquam locâſſe juges.
At Arbiter diſertus
Libris ſuis frequentat:
Agnoſcere hæc poteſtis
Cantare quæ ſolemus,
Memphitides puellæ
Sacris deûm parata
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

De Saturnio carmine.

Aptum videtur eſſe
Nunc hôc loco monere,
Quæ ſit figura verſûs,
Quem credidit vetuſtas
(Tanquam Italis repertum)
Saturnium vocandum.
Sed eſt origo Græca,
Illiſque metron iſtud
Certo modo dederunt:
Noſtriſque mox poëtæ
Rudem ſonum ſecuti,
Ut quæque res ferebat,
Sic diſparis figuræ
Verſus vagos locabant:
Pòſt rectiùs probatum eſt,
Ut tale colon eſſet
Junctum tribus trochæis:
Ut ſi vocet Camœnas — Quis novem ſorores,
Et Nævio poëtæ — Sic ferunt Metellos
Cùm ſæpe læderentur — Eſſe comminatos:
Dabunt malum Metelli — Nævio poëtæ.
Dabunt malum Metelli — Claudæ pars dimetri.
Adeſt celer phaſelus,
Memphitides puellæ,
Tinctus colore noctis.
Poſt *Nævio poëtæ*, tres vides trocheos:
Nam nihil obſtat trocheo longa quòd ſuprema eſt.

Carmen Andreantium choriambicum.

At choriambus unus
Præditus antibaccho
Claudicat ut priores:
Videro ſi novelli
Verſus erit poëtæ:
Lex tamen una metri eſt.
Tinctus colore noctis.
Dabunt malum Metelli.
Inachiæ puellæ.
Seu bovis ille cuſtos.
Colon & hoc in uſu
Carminis eſt Horati.
Tu genus hoc memento
Reddere quom repoſcam.

De confuſione ſeu miſturâ heroici & iambici in aliis generibus.

Hexametron cui Iambicon comes.

Nunc quis quæ potui videor tractaſſe ſeorſûm
Heroico profecta, quæque Iambico:

Cætera quæ miſtis variantur partibus horum
(Ut quibo) metro nitar hinc attingere.
Sed quoniam ex uno poſſunt adjuncta referri,
Amplectar ultro quod datur compendium.

De verſu Phalæcio hendecaſyllabo.
Hendecaſyllabon.

Quem nos hendecaſyllabon ſolemus
Tanquam de numero vocare verſum,
Tradunt Sapphicon eſſe nuncupandum:
Namque & jugiter uſa ſæpe Sappho:
Diſperſóſque dedit ſubinde plures
Inter carmina diſparis figuræ.
Sed primi pedis antè lex tenenda eſt:
Spondeon ſiquidem videmus iſtìc
Tanquam legitimum ſolere poni
Poſt hunc dactylon, atque tres trocheos.
Cui nomen quoque Phalæco dederunt.
Verùm mobilis hic locus frequenter
Non ſolum recipit pedem (ut loquebar)
Spondeum: ſed & aptus eſt trochæo:
Nec peccat pede natus ex iambo.
Exemplis tribus hoc ſtatim probabis,
Docti carmine quæ legis Catulli,
Cui dono lepidum novum libellum,
Arido modò pumice expolitum?
Meas eſſe aliquid putare nugas.
Quos dixi modò jam pedes, videmus
Diverſos capiti trium locatos:
Spondeum *cui do*, trochæum *ari*:
Meas quis neget hunc iambon eſſe?
Hic per commata ſepties feritur,
Quales hexametron tomas habere
Jamdudum tibi diſſerens probavi:
Ex queis nunc duo metra copulari
In unum ſolidum videbis ortum.

De primâ tome hendecaſyllabi.

Quom componitur ex utroque metro,
Pars heroica tum prior, duobus
Spondeo pede, dactylóque conſtat:
Et quem ſemipedem eſt neceſſe linqui,
Ut ſit pentemimeres tome locata:
Exin cætera portio eſt iambi:
Quod non difficile eſt ſtatim notare,
Quum talis fuerit figura verſûs:
Carmen Pierides ſtruunt ſorores.
Hæc exordia verſuum duorum,
Carmen Pierides: quod hexametri eſt:
Atque iambicon hoc, *ſtruunt ſorores.*
Compleri poterunt utroque metro,
Carmen Pierides pangunt memorabile muſæ,
Struunt ſorores Atticæ dirum nefas.
Hæc diviſio *prima* computetur.

De ſecundâ tome hendecaſyllabi.

Atque nunc pedibus duobus orta
Sermonem cohibet, nec exit ultrà,
Sicut ſemipedem prior trahebat:
Conjungit ſibi Phalæcos trochæos,
Ut dixi modò, *Bacche*, *Bacche*, *Bacche*:
Tum verſum videas ſonare talem,
Pangunt carmina jam novem ſorores.
Nam ſi quatuor his pedes duobus
Addas, hexameter profectò fiet.
Pangunt carmina tergeminæ memoranda ſorores:
Poſt hoc Phalæca de tribus trochæis
Pars eſt cætera, *jam novem ſorores.*

De tertiâ tome hendecaſyllabi.

Exin tertia meliùs pateſcit:
Carmen Pierides dabunt ſorores:
Nam quum dempſero verſui, *ſorores*,
Carmen Pierides dabunt, manebit:
Carmen Pierides dabunt,
Hoc metrum choriambicum eſt,
Quod pars bacchiacum vocant.
Hinc primas capiti duas,
Nec non tóique itidem ultimas,
Excrementa magis putant,
Nec ducunt numero pedum,
Sunt hæc, *carmen*, itidem *dabunt*,
Solum *Pierides* manet,
Quod reddit geminum pedem,
Dicunt quem choriambicon:
Quia longam ſequitur brevis,
Claudit longa brevem alteram:
Nam *des* longa fit, alterâ
Junctâ pòſt ſibi conſonâ.
Sic ponunt medium pedem
Primas inter & ultimas,
Carmen Pierides dabunt.
Pars prima hìc variè ſolet
Spondeum modò ſumere:
Idem ſæpe & iambus eſt:
Hoc de Septimii potes
Junctis noſcere verſibus:
Geritque intus in oppidum
Anhelos Panope greges.
Alter conſimiles dedit:
Opima adpoſui ſenex
Amori arma feretrio.
Trochæum quoque ſic locat:
Purpuræ leguli ſenes
Intus hìc ubi conſitum eſt.
Utque eſt mobilis hic locus,
Immotus manet ultimus:
Namque hic ſemper Iambus eſt.
Tendunt latiùs hoc genus,
Duos ut choriambicos
Includant medios pedes:
Et ſit verſus ad hunc modum:
Carmen Pierides dulciſonum dabunt:
Duplex hic choriambus eſt,
Primus, *Pierides*, *dulciſonum*, ſequens:
Sic *carmen*, prius eſt: finis item, *dabunt.*
Ut pes hæc habuit prior,
Sunt qui tradiderint ultima verſui
Tanquam pentametro ſyllaba dempta ſit:
Quam ſi reſtituas, pentametrum fore
Carmen Pierides dulciſonum dabunt,
Carmen Pierides dulciſonum dabitis,
Ut verſus quoque ſic conſtet Horatii:
Mæcenas atavis edite regibus,
Mæcenas atavis edite principibus.
Uſque autem videas hoc procul à fide,
Ut metri genus hoc vatibus inclytis
Non uno, aut gemino conſtiterit pede,
Verùm in tres etiam conſimiles eat
Clauſos in medio partibus exteris,
Quod jam pentametri non patitur modus.
Nam ſic tres videas eſſe pedes datos,
Carmen Pierides dulciſonum ſi mereor dabunt.
His eſt omnibus in ſuis
Libris uſus Horatius.
Quo dicam, & quoties modo.
Nam primum minimè ſuo
Solum carmine protulit,
Ut vates alii ſolent.
Exemplum Senecæ dabo:
Thebis læta dies adeſt.
Aram tangite ſupplices:
Pingues cædite victimas:
Tales continuos legis.
Hunc præponit Horatius
Epodum, ex geminis ſubjicit alterum:
Exemplum ſat erit ſemel
Nos hoc ponere: cæterùm
Bis in carminibus ſuis
Hunc ſervat ſtabilem modum,
Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſidera.
Sic te diva potens Cypri,
Hic unus choriambus eſt:
Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
Hìc interpoſiti duo.
Talem quem geminis perſpicis effici,
Servat carminibus perpetuum tribus:
Quorum exordia quum prædita videris,
Stabit continuum conſimili modo,
Mæcenas atavis edite regibus.
Exegi monumentum ære perennius.
Donarem pateras gratáque commodus.
Nec non continuos tres pariles dedit
Verſus, & cecinit poſt alium brevem,
Ex uno ſimili pede:
Usûſque eſt genere hôc carminibus novem,
Quæ ſunt talia, quale eſt modò quod dabo.

Scriberis

Digitized by Google

Scriberis Vario fortis, & hoſtium
Victor Mæonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce geſſerit.
Tres binis pedibus cernimus editos:
Unum quartus habet pedem:
Hanc docti tetracolon vocitant ſtrophen
Nam poſt quatuor hos altera vertitur
Ad legem ſimilem conſimilis ſtrophe:
In quâ ſunt alii quatuor hoc genus
Verſus, ex quibus hi ſunt ſibi tres pares.
Præmiſi, binos qui capiant pedes,
Unum quartus in omnibus.
Jam quem perficiunt tres medii ſic choriambicum,
Tales continuos carminibus compoſui tribus.
Tu ne quæſieris: ſcire nefas, quem mihi, quem tibi.
Nullam Vare ſacrâ vite priùs ſeveris arborem.
O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens.
Binas hìc capiti, tótque itidem deme noviſſimas:
Fient in medio perſpicui tres choriambici.
At verſus meus eſt quem ſimilem compoſui ex tribus,
Carmen Pierides dulciſonum ſi mereor dabunt.
Et ſuprà poſiti ſic quoque ſunt duo,
Carmen Pierides dulciſonum dabunt,
Ex uno quoque ſic fuit,
Carmen Pierides dabunt:
Sic te diva potens Cypri.
Forſan longula viſa ſit
Hæc diviſio tertia
Versûs hendecaſyllabi:
Sed tot nos docuit metra:
Et ſunt quæ deceat magìs
Nunc connectere, dum recens
Hæc eſt regula, quæ dedit
Ex ſe tam varios modos:
Quam disjungere ſi velim,
Cogat (dum paro ſingulis
Certas reddere origines)
Jam tractata retexere.

Carmen bimembrum ex duabus tomis, ſeu Priapeum qui ſiat.

Ergo hinc naſcitur altera
Metri regula, ceu duas
Partes hexametri ſecans,
Quæ ternos dirimit pedes,
Quos ſi reddideris ſibi,
Hexametrum pedibus cernes conſtare receptis:
Qui tamen heroon factis indignus habetur.
Namque tome media eſt verſu non apta ſevero.
Fitque ſoluta magìs, quoties ſpondeus ineſt pes
Tertius, & quartus: nolunt hunc incolumem ergo,
Sed de commatibus tradunt conſtare duobus:
Ipſe etenim ſonus indicat eſſe hoc luſibus aptum:
Et ferme modus hic datur à pleriſque Priapo:
Inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus.

Priapeum carmen.

Hunc lucum tibi dedico, conſecróque Priape:
Quà domus tua Lampſaci ſita eſt, quáque Priape:
Nam te præcipuè in ſuis urbibus hæc colit ora
Helleſpontia, cæteris oſtreoſior oris.
Et ſimiles plures ſic conſcripſiſſe Catullum
Scimus. Uſque adeò hoc genus lex heroica pellit,
Ut ſit utraque portio cæpta ſæpe trochæis:
Nam diſcrimine nullo ponit hunc, vel iambum:
Nec mirabere ſyllabæ finem commate primo
Tanquam de pede dactylo fiat tertia longa:
Nam te præcipuè in ſuis, talis verſus & alter,
Helleſpontia cæteris, æquè eſt ultima longa:
Nam quia commata bina ſunt: ſumunt ambo ſupremas.
Verſus ergo magiſtri vocant hos Priapeos:
Et Maro dat tales: ſed quia diſtinctio verba
Diſſociat, nectítve aliter, nec partibus æquis
Diſtingui patitur pedes, ſonus effugit aurem:
Fronde ſuper viridi, ſunt nobis mitia poma:
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Turbabat cælo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.
Si diſtinctio ſeparet, *nobis mitia poma*,
Preſſi copia lactis, *terras ordine longo*,
Deſpectare videntur, fient ſic reſonantes
Ut verſus ſonat alter, quem diſtinctio nudat:
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos.

Si quis ſic quoque findat primum commatis inſtar,
Ex uno choriambico
(De quo diſſerui modò)
Verſus ſtare videbitur:
Cui non dictus Hylas puer:
Thebis læta dies adeſt:
Carmen Pierides dabunt.
Uſque autem duo commata
Poſſis credere rectiùs,
Hæc ipſa ut videas dari.
Non hôc (quo modò ſunt) ſitu,
Versâ ſed vice priſtinâ.
Namque his commatibus Flaccus Horatius
Metrum compoſuit, ſed choriambicos
Ex binis pedibus præpoſuit duos:
Tunc hos jungit epodos, partes (ut modò) duas:
Ipſo carmine jam tibi fiet regula plana.
Quis multâ gracilis te puer in roſâ
Perfuſus liquidis urget odoribus
Grato Pyrrha ſub antro?
Cui flavam religas comam?
Pergunt cætera pòſt conſimili ſtrophe.
Verſus hìc igitur ſunt pariles duo:
Quis multâ gracilis te puer in roſâ
Perfuſus liquidis urget odoribus.
Poſt hos quæ veniunt commata perſpicis
Grato Pyrrha ſub antro,
Cui flavam religas comam.
Cui flavam religas comam primâ parte locetur
Fiat comma ſecundum, *grato Pyrrha ſub antro:*
Verſum non dubium eſt fore quem dicunt Priapeum,
Cui flavam religas comam grato Pyrrha ſub antro.
Nec quòd definit in *comam* ſi ſit tertia longa
Dum G conſona jungitur, *grato Pyrrha ſub antro*,
Peccat dactylus illic, quum (ſicut modò dixi)
Primi commatis ultima fiat libera legis.
Sunt hæc alia Flacci vatis carmina quinque.

De quartâ tome hendecaſyllabi.

Jam diviſio quarta non moroſa:
Qualem fuggerimus tomen habebit.
Carmen ſuave dediſtis ò Camœnæ.
Nam quum ſuſtulerimus *ò Camœnæ*,
Pars heroica fiet hæc relicta,
Quæ poſt hos geminos pedes habebit
Cluſum nomine tertium trochæum;
Carmen ſuave dediſtis.
Hæc heroica jam tome probata eſt,
Infandum regina:
Nam versûs ſibi parte reſtitutâ,
Illæſum revocabit hexametrum:
Carmen ſuave dediſtis Olympiades mihi muſæ:
Infandum regina jubes renovare dolorem.

De quintâ tome hendecaſyllabi.

Et quintam breviter tamen loquemur:
Spondeum ſiquidem inter, & ſecundum
Quem ſcis dactylon hìc ſolere poni,
Si trudas anapæſtum, inſeráſque,
Jungas cætera, jam videbis ipſum
Conſueto pede Sotadem loquutum:
Carmen Pierides dabunt ſorores:
Si dicam *lepidæ*, palàm eſt profectò
Quòd ſit pes anapæſtus: infero ergo
Spondeo medium, atque conſequenti
Hoc nomen *lepidæ*, ſit omne tale.
Carmen lepidæ Pierides dabunt ſorores,
Idcirco genus hoc Phalæciorum
Vir doctiſſimus undecunque Varro
Ad legem redigens Ionicorum,
Hinc natos ait eſſe, ſed minores.

De ſextâ tome hendecaſyllabi.

Nunc diviſio quam loquemur, edet
Metrum quo memorant Anacreonta
Dulces compoſuiſſe cantilenas.
Hôc Petronius invenitur uſus:
Muſicum lyricum refert eundem
Conſonantia verba cantitâſſe:
Et plures alii: ſed iſte verſus
Quali compoſitus tome ſit, edam.
Juverunt ſegetes meum laborem:
Juverunt caput eſt id hexametri:
Si cures reliquos pedes referre:

Juverunt

Digitized by Google

Juverunt animum verſus ex carmine Flacci.
Quod reſtat, *ſegetes meum laborem*,
Tale eſt ceu, *triplici vides ut ortu*
Triviæ rotetur ignis:
Volucrique Phœbus axe
Rapidum pererret orbem.
Nonnulli metron hoc magìs putárunt
Quod ſit poſtera pars Ioniſcorum,
Quos dicunt ἀπὸ μείζονος vocandos,
Ut verſus reparetur indè plenus:
Segetes meum laborem,
O quàm relevárunt ſegetes meum laborem.
Triviæ rotetur ignis,
Cernis quoties hic Triviæ rotetur ignis.
Nec pars hæc anapæſton, atque iambos,
Necnon & cataleĉticam ſupremam,
Sed ſumat pariambon, & trochæos
Segetes meum laborem:
Quod metron ſoleant pedes Ione,
Hunc (longas brevibus, brevéſque contrà
Alternà vice commodando longis)
Verſum claudere ſæpe de trochæis.
Nec mirum puto, quando Varro verſus
Hos (ut diximus) ex Ione natos
Diſtinguat numero pedum minores.

Galliambus verſus qui ſint.

Hoc ſi ſic repetamus, ut ſecundo
Supremam dure ſyllabam negemus,
Junĉto commate Galliambos exit:
Segetes meum laborem, Segetes meum labo.
Sonat hoc ſubindè metro Cybeleium nemus,
Noménque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quòd eſſe Gallis habiles putant modos:
Adeò ut frequenter illum propè ab ultimo pedem,
Magè quo ſonus vibretur, ſtudeant dare tribrachyn:
Anapæſtus eſſe primus, ſpondeus & ſolet:
Duo pòſt erunt Iambi, tribrachyſve ſubjicitur·
Linquſtque comma primum cataleĉticam brevem.
Pariambus, & trochæi duo comma poſterum
Tribrachyſve continebunt: ſuperátque ſemipes,
Servâſſéque Catullum probat ipſe tibi liber,
Super alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium ut nemus citatò cupidè pede tetigit.

De ſeptimâ tome hendecaſyllabi.

At quæ ſeptima ſit tome, videtur
Hipponactis habere claudicantem,
Quem ſuprà poſui: quod ipſa jam nos
Verſûs formula poſita perdocebit:
Carmen nemo facit meo Sabino:
Carmen nemo, poteſt heroum reddere verſum:
Carmen nemo dabit magno quod par ſit Homero.
Claudum eſt porrò: *facit meo Sabino*:
Nam redde partes, ut quadratus claudicet, priores,
Partémque & iſtam verſus hic ad hunc modum ſonabit,
Quis carmen aut verſum novum facit meo Sabino?
Phaſelus ille quem vides, facit meo Sabino.

De compage & concinnatione quæ verſus alternet.

Hinc jam cætera metra proſequemur,
Quæ Flaccus variè ſuis epodis
Nunc unum recinens dato priori:
Nunc binos variè dedit ſonantes,
Ut ſit tertius atque quartus impar.

Quem tibi tetrametrum jam diximus, hunc tribus trochæis
Adjunctis pedibus talem dedit, ut dedi gemellos.
Solvitur acris hyems gratâ vice veris & favoni.
Huc differre ſuprà fuit utile, quòd ſequens epodus
Cum parte iambi tres habet trochæos:
Et nondum ſpecies miſtas ſimul ex utroque metro
Tractare adortus: aptius putavi
Huc differre, magìs poſtquam tibi tota lex Iambi
Diſtincta utrunque planiùs probaret.
Solvitur acris hyems gratâ vice veris & favoni,
Trahúntque ſiccas machinæ carinas.
Solvitur acris hyems gratâ vice, tetrametros hic eſt,
Et tres trochæi, *veris & favoni*:
Trahúntque ſiccas, portio eſt Iambi,
Cas hinc ſuperfit, ſemipes habetur.
Similes trochæi, *machinæ carinas*.
Poſſit videri claudus hic trimetrus,
Duos ut eſſe duplices primos pedes,
Trahúntque ſiccas machinæ, putemus
Claudum antibacchum qui facit *carinas*.
Sed talem epodum dicitur dediſſe
Callimachus antè, de tribus trochæis,
In fine verſum Phalæcis ſonantem,
Quem dico dudum Sapphicum vocandum:
Siccas ducite navitæ carinas:
Nam tale cernis *navitæ carinas*,
Ut finis ille eſt, *veris & favoni*:
Quanquam iambicum Flaccus antemiſit,
Trahúntque ſiccas·
Magìs putandum eſt tres datos trochæos
Quàm petat iambus ultimum antibacchum:
Uterque finis lege ut eſſet unâ,
Solvitur acris hyems gratâ vice veris & favoni:
Trahúntque ſiccas machinæ carinas:
Seméque metrum tale copulavit.
Heroo trimetrum ſemel idem ſubdidit unum,
Geminus ut iſte verſus oſtendit tibi:
Mella cavâ manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante lympha diſſilit pede:
Utrunque apertum eſt, immorari deſinam.
Et dimetrum heroo talem ſubjunxit epodum:
Bis uſus hôc, nec ampliùs:
Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem ſenſibus.
Nox erat & cælo fulgebat luna ſereno
Inter minora ſidera.
Necnon trimetro talem epodum comparat,
Pentametri partem dactylicam ſubicit.
Atque dimetron ad hoc: unúmque verſum reddidit:
Petti, nihil me ſicut anteà juvat
Scribere verſiculos, amore perculſum gravi:
Prior trimetrus eſt, tomen qui non habet:
Pentametri pars eſt, *ſcribere verſiculos*:
Ad hoc dimetrum perſpicis, *amore perculſum gravi*.
Seméque & iſtud functus eſt.
Itémque epodum non trimetrum edidit,
Sed verſum heroum voluit præmittere totum,
Dein dimetrum conlocat, commáque dactylicum,
Et hic (ut antè) verſus unus ut foret:
Horrida tempeſtas cælum contraxit, & imbres,
Nivéſque deducunt Jovem: nunc mare, nunc ſilvæ
Threïcio Aquilone ſonant: rapiamus amici
Occaſionem de die, dúmque virent genua,
Et decet, obductâ ſolvatur fronte ſenectus.



PALLADII RUTILII TAURI ÆMILIANI

DE

Insitione liber ad Pasiphilum virum Doctissimum.

Fabric. Biblioth. Lat.

Palladius Rutilius Taurus (Volaterrano Scaurus) Æmilianus fuit Vir illustris & Græcè doctus, patriâ, ut videtur, Romanus, etsi fundorum suorum in Sardiniâ in territorio Neapolitano meminit. Scripsit post Apuleium, cujus testimonio semel utitur, non itaque sub Hadriano, ut perperam affirmat Ludovicus Vives Libro 3°. operis doctissimi de tradendis disciplinis.

PASIPHILE ornatus fidei, cui jure fatemur,
Siquid in arcano pectoris umbra tegit,
Bis septem parvos opus agricolare libellos,
Quos manus hæc scripsit, parte silente pedum,
Nec strictos numeris, nec Apollinis amne fluentes,
Sed purâ tantùm rusticitate rudes,
Commendas, dignaris, amas, & rustica dicta
Affectu socii sollicitante colis.
Nunc ideo modicum crescens fiducia carmen
Obtulit arbitrio lætificanda tuo.
Est nostræ studium non condemnabile musæ,
Urbanum fari rusticitatis opus:
Sub thalami specie felices jungere sylvas,
Ut soboli mistus crescat utrinque decor:
Connexúmque nemus vestire affinibus umbris,
Et geminâ partam nobilitare comâ.
Fœderibus blandis dulces confundere succos,
Et lætum duplici fruge saporis ali.
Quæ quibus hospitium præstent virgulta docebo,
Quæ sit adoptivis arbor onusta comis.
Ipse poli rector, quo lucida sidera currunt,
Quo fixa est tellus, quo fluit unda maris,
Cùm posset mistos ramis inducere flores,
Et variâ gravidum pingere fronde nemus,
Dignatus nostros hôc intingoire labores,
Naturam fieri sanxit ab arte novam.
Non segne officium nostræ reor esse camœnæ,
Aut operis parvi gratia fiet inops.
Si velocis equæ pigro miscetur asello
Ardor, ut in sterilem res cadat acta gradum,
Fœcundúmque genus productus deleat hæres,
Et sibi defectum copia prolis agat:
Cur non arbor inops pinguescat ab hospite gemmâ,
Et decus externi floris adepta micet?
Incipiam, quicquid veteres scripsere cŏloni,
Sacráque priscorum verba labore sequar.
Principio multas species industria solers
Protulit, & doctam jussit inire manum.
Nam quæcunque virens alienis frondibus arbos
Comitur, his discit credita ferre modis.
Aut nova discreto figuntur germina libro,
Aut aliud summo robore fissa capit,
Aut virideis oculos extremi gemma tumoris
Accipit, & lento stringitur uda sinu.

De Vite.

Primus Echionii palmes se jungere Bacchi
Novit, & externo tenditur una mero.
Nexilibus gemmis fœcundos implicat artus
Vitis, & amplexum pascit adulta genus.
Degenerísque comæ vestigia mitis inumbrat
Pampinus, & pingui curvat onusta Deo.

De Olivâ.

Robora Palladii decorat sylvestria rami,
Nobilitat partus bacca superba feros.
Fœcundat sterilis pingues oleaster olivas,
Et quæ non novit munera ferre, docet.

De Pyro.

Germine cana pyrus, niveos haud invida flores
Commodat, & varium nectit amore nemus.
Nunc rapit hirsutis horrenda sororibus arma,
Et docet indomitas ponere tela pyros.
Nunc teretem pingui producit acumine malum,
Fraxineásque novo flectit honore manus.
Phyllida quin etiam grandi mitescere fructu
Instituens, duræ dat sua membra cuti.
Et steriles spinos, & inertem fœtibus ornum
Dotat, & ignotum cogit amare decus.
Hujus & immissi vertere cydonia rami,
Pomáque confusus blanda creavit odor.
Castaneæ septos aspro velamine fœtus
Exuit, & placido pondere mutat onus.
Mespiláque exarmat pugnacibus horrida membris,
Et mala tranquillo cortice vota premit.
Creditur in Libycis sua germina nectere ramis,
Lætáque puniceo posse decore frui.

De Malo Punico.

Punica non alios unquam dignata sapores
Mala, nec exteruis associata comis.
Ipsa suas augent mutato semine gemmas,
Et sibi cognato picta rubore placent.

De Pomo.

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat malus amica pyrum.
Séque feros sylvis hortatur linquere mores,
Et partu gaudet nobiliore frui.
Spina feras prunos, armatáque robora sentes
Levigat, & pulchris vestit adulta comis.
Exiguam sorbum dulci distendere succo
Novit, & ad cupidas flectere poma manus.
Stipitibus gaudet nomen mutare saligais,
Et gratum Nymphis spargere flore nemus.
Robora thyrsigero platani concordia Baccho
Fœtibus inflituit plena rubore novis.
Illius insolitas miratur persicus umbras,
Populeæque ferunt candida dona comæ.
Mespilus huic paret, lapidosáque viscera mutans
Tenditur, & niveo plena liquore rubet.
Pro sudibus fœtis, & pro prægnantibus armis
Castaneæ fulvum dant nova mala decus.

De Persico.

Ipse suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus.
Imponítque leves in stipite Phyllidis umbras,
Et tali discit fortior esse gradu.

De Malo Cydonio.

Cùm præstet cunctis se fulva cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum aspernata superbit,
Scit tantùm nullo crescere posse decus.

Sed

Sed propriis pandens cognata cubilia ramis,
Stat, contenta ſuum nobilitare bonum.

De Meſpilo.

Ænula dura pyri deſpecti mala ſaporis
Meſpilus admiſſo germine tuta ſubit.
Et geminis ſeſe violentior inſerit armis,
Atque avidas terrent robora ſæva manus.

De Malo Citrio.

Necnon & citrii patiuntur mutua rami
Pignora, quæ gravido cortice morus alit.
Pomáque paſturi blando redolentia ſucco
Armatis mutant ſpicula nota pyris.

De Prunis.

Pruna ſuis addunt felicia germina membris,
Donáque cognato corpore læta ferunt.
Exarmat fœtus, ſed brachia roboris armat
Caſtaneæ prunus juſſa tenere larem.

De Siliquâ.

Aſſueſcunt ſiliquæ viridi molleſcere ſucco,
Et gremio paſcunt cætera poma ſuo.

De Ficubus.

Perſuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus, & invaſis dat ſua jura comis.
Se quoque miratur pingui grandeſcere ſucco,
Et ſolitum gaudet vincere poma modum.
Inſignes foliis platanos, felicia mentis
Brachia gaudentes vitis honore comas.
Ingrediens pingui ſe cortice maxima ficus
Servat, & optatos implet adepta ſinus.

De Moro.

Mutua quin etiam moris commercia ficus
Præſtat, & oblatum robore germen alit.
Fraxinus huic avidæ confert ſua membra ſorori,
Et metuit fœtus ſparſa cruore novos.
Proceras fagos, & poma hirſuta virentis
Caſtaneæ, duris aſpera mala comis
Inficiens, monſtrat piceo nigreſcere partu,
Et ſucco paſcit turgida poma novo.
Obſequitur moris blando terebinthus odore,
Et geminis veniunt munera miſta bonis.

De Sorbis.

Sorba ſuos partus merito majoris honeſtant
Seminis, & pulchro curva labore nitent.
Hæc arbos ſpinæ duros mucronibus artus
Exuit, ac libris mitibus arma tegit.
Auceáque annexo miſcere cydonia fœtu
Gaudet, & externi dona coloris amat.

De Ceraſo.

Inſeritur lauro ceraſus, partúque coacto
Tingit adoptivus virginis ora pudor.
Umbrantes platanos, & iniquam robore prunum
Compellit gemmis pingere membra ſuis.
Populeáſque novo diſtinguit munere frondes,
Sic blandus ſpargit brachia cana rubor.

De Amygdalo.

Phyllis odoratos primævis floribus artus
Diſciſſi pruni cortice fixa tegit.
Pomáque permutat velamine perſica miſto;
Duritiémque docet tegminis eſſe locum.
In modicam tornat ſiliquâ tendente figuram,
Et frondes pulchro ditat odore feras.
Caſtaneámque trucem depulſis cogit echinis
Mirari fructûs levia poma ſui.

De Piſtaciis.

Quin & amygdaleos ſubeunt piſtacia ramos,
Et debitum majus de brevitate petunt.
Hæc & cognato cingens terebinthus amictu
Nutrit adoptivis nobilitanda comis.

De Caſtaneâ.

Flumineam ſalicem fœcundant ardua membra
Caſtaneæ, & multo paſta liquore vigent.

De Nuce.

Arbuteas frondes vaſtæ nucis occupat umbra,
Pomáque ſub duplici cortice tuta refert.
Cætera, quæ ſolers proceſſu temporis uſus
Exprimet, exemplis inſtituere novis.
Hæc ſat erit tenui verſu memoràſſe poetam,
Quem juvat effoſſi terga movere ſoli.
Carmina tu duros inter formata videntes
Aſpera, ſed miti ruſticitate leges.

M. A U-

Digitized by Google

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI, Poetæ Carthaginienſis, OPERA.

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI VITA,

EX PETRO CRINITO DESUMPTA.

AURELIUS OLYMPIUS NEMESIANUS, Afer genere, patriâ Carthaginienſis fuit, quod antiquiores codices teſtantur. Per ea tempora in urbe floruit, quibus Cæſ. Numerianus & Diocletianus imperârunt: Quantum præſtiterit in condendis poëmatis, copioſè relatum eſt à Flavio Vopiſco, qui hunc ipſum Nemeſianum nobiliſſimum fuiſſe poëtam refert, omnibúſque colonis atque urbibus magnopere illuſtratum. Calphurnius Siculus arctiſſimâ benevolentiâ proſecutus eſt Nemeſianum: eſque dicavit ſuum carmen bucolicum, veluti monumentum propriæ diligentiæ atque optimæ voluntatis. Leguntur adhuc ejuſdem Nemeſiani Æglogæ. Quibus manifeſtò apparet, eum meritò commendari inter præcipuos atque optimos poëtas ſui temporis. Quocirca veriſimile eſt à Numeriano Imperatore in maximo pretio habitum, qui & eloquentiâ & abſolvendis poëmatis excelluit. Idem Nemeſianus alia plura compoſuit: nam Cynegetica, Nautica, & Halieutica ſcripſit. Joannes Boccacius vir, ut illa tempora tulerunt, haud omnino indoctus, citat Nemeſiani poëtæ verſiculos. Hæc ſunt quæ legimus apud veteres autores de Nemeſiano.

CYNEGETICON.

VENANDI cano mille vias: hilaréſque labores,
Diſcurſúſque citos, ſecuri prœlia ruris,
Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab œſtro
Æſtuat, ingentes Helicon jubet ire per agros:
Caſtaliúſque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, & latè campos metatur apertos:
Imponítque jugum vati, retinétque corymbis
Implicitum, ducítque per avia, quà ſola nunquam
Trita rotis. juvat aurato procedere curru,
Et parere Deo: virideis en ire per herbas
Imperat: intacto premimus veſtigia muſco.
Et quamvis curſus ſe oſtendat tramite noto,
Obvia Calliope, facies inſiſtere prato
Complacito, rudibus quà luceat orbita ſulcis.
Nam quis non Nioben numeroſo funere mœſtam
Jam cecinit? quis non Semelen, ignémque jugalem
Letalémque ſimul novit de pellicis æſtu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Ut pater omnipotens maternos reddere menſes
Dignatus, juſti complêrit tempora partûs?
Sunt qui ſacrilego rorantes ſanguine thyrſos
(Nota nimis) dixiſſe velint; qui vincula Dirces,
Piſæſque tori legem, Danaïque cruentum
Imperium, Sponſáſque truces ſub fœdere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia tædis.
Biblidos indictum nulli ſcelus: impia Myrrhæ
Connubia, & ſævo violatum crimine patrem
Novimus; útque Arabum fugiens cùm carperet arva,
Ivit in arboreas frondes, animámque virentem.
Sunt qui ſquamoſi referant fera Sibila Cadmi,
Stellatúmque oculis cuſtodem virginis Ius;
Herculeóſque velint ſemper numerare labores,
Miratúmque rudes ſe tollere Terea pinnas
Poſt epulas, Philomela, tuas. ſunt ardua mundi
Qui malè tentantem curru Phaetonta loquantur,
Extinctáſque canant emiſſo fulmine flammas,
Fumantémque Padum, Cycnum, plumámque ſenilem,
Et flentes ſemper germani funere Sylvas.
Tantalidum caſus, & ſparſas ſanguine menſas,
Condentémque caput viſis Titana Mycenis,
Horrendáſque vices generis dixere prioris.
Colchidos iratæ ſacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchræque incendia Glauces:
Non crinem Niſi, non ſævæ pocula Circes,
Nec nocturna piè furantem buſta Sororem.
Hæc jam magnorum præcepit copia vatum,
Omnis & antiqui vulgata eſt fabula Sæcli.
Nos ſaltus, viridéſque plagas, campóſque patentes
Scrutamur, totſſque citi diſcurrimus arvis:
Et varias cupimus facili cane ſumere prædas.
Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audacéſque lupos, vulpem captare doloſam
Gaudemus. nos flumineas errare per umbras
Malumus, & placidis Ichneumona quærere ripis
Inter arundineas Segetes, felémque minacem
Arboris in trunco longis præfigere telis:
Implicitúmque ſinu ſpinoſi corporis Erem
Ferre domum: talíque placet dare lintea curæ;
Dum non magna ratis vicinis ſueta moveri
Litoribus, totóſque ſinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela notis, portúſque fideles
Linquit, & Hadriacas audet tentare procellas:
Mox veſtros meliore lyrâ memorare triumphos
Accingar, divi fortiſſima pignora Cari,
Atque canam noſtrum geminis ſub finibus orbis
Litus, & edomitas fraterno numine gentes,
Quæ Rhenum Tigrímque bibunt, Araríſque remotum
Principium, Niliſque bibunt ab origine fontem.
Nec taceam primùm, quæ nuper bella ſub arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipſo
Penè prior genitore Deo: útque intima frater
Perſidos, & veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina Regni.

Imbellémque fugam referam, clauſáſque pharetras
Parthorum, laxóſque arcus, & ſpicula nulla.
Hæc vobis noſtræ libabunt carmina Muſæ;
Cùm primùm vultus Sacros, bona numina terræ,
Contigerit vidiſſe mihi. jam gaudia nota
Temporis impatiens ſenſus, ſpretóque morarum,
Præſumit: videórque mihi jam cernere fratrum
Auguſtos habitus, Romam, clarúmque Senatum,
Et fidos ad bella duces, & milite multo
Agmina, queis fortes ánimat devotio mentes.
Aurea purpureo longè radiantia velo
Signa micant, ſinuátque truces levis aura dracones.
Tu modò quæ ſaltus placidos ſylváſque pererras
Latonæ, Phœbe, magnum decus, eia age ſuetos
Sume habitus, arcúmque manu; pictámque pharetram,
Suſpende et humeris; ſint aurea tela Sagittæ:
Candida puniceis aptentur crura cothurnis:
Sit chlamys aurato multùm ſubtegmine luſa,
Corrugéſque ſinus gemmatis balteus arctet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.
Tecum Naïades faciles, viridíque juventâ
Pubentes Dryades, Nymphæque, unde amnibus humor,
Adſint, & dócilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, diva, tuum frondoſa per avia vatem.
Te ſequimur, tu pande domos, & luſtra ferarum.
Huc igitur mecum, quiſquis percuſſus amore
Venandi damnas lites, avidóſque tumultus;
Civileſſque fugis ſtrepitus, belliſque fragores,
Nec prædas avidus ſectaris gurgite Ponti.
Principio tibi cura canum non ſegnis ab anno
Incipiat primo, cùm Janus temporis auctor
Pandit inocciduum biffenis menſibus ævum.
Elige tunc curſu facilem, facilémque recurſu,
Seu Lacedæmonio natam, ceu rure Moloſſo,
Non humili de gente canem. Sit cruribus altis,
Sit rigidis, multámque gerat ſub pectore lato,
Coſtarum ſub fine decenter prona carinam,
Quæ ſenſim rurſus ſiccâ ſe colligat alvo.
Renibus ampla ſatìs validis, diductáque coxas,
Cuſque nimis molles fluitent in curſibus aures.
Huic parilem ſubmitte marem, ſic omnia magnum:
Dum ſuperant vires, dum læto flore juventus,
Corporis & venis primævi ſanguis abundat.
Namque graves morbi ſubeunt, ſegnéſque ſenectus:
Invalidámque dabunt non firmo robore prolem.
Sed diverſa magìs fœturæ convenit ætas.
Tu bis vicenis plenum jam menſibus aerem
In Venerem permitte marem: ſit fœmina, binos
Quæ tulerit ſoles, hæc optima cura jugandis.
Sed non Spartanos tantùm, tantúmve Moloſſos
Paſcendum catulos: diviſa Britannia mittit
Veloces, noſtrſque orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannonicæ ſtirpis temnatur origo,
Nec quorum proles de ſanguine manat ibero.
Quin etiam ſiccæ Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non ſpreveris uſum.
Mox cùm ſe binâ formârit lampade Phœbe,
Ex quo paſſa marem genitalia viſcera turgent,
Fœcundos aperit partus matura gravedo
Continuò, largâque vides ſtrepere omnia prole:
Sed quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi ſi placitum populoſos paſcere fœtus,
Jam macie tenues, ſuccíque videbis inanes,
Pugnantéſque diu, quiſnam prior ubera lambat,
Diſtrahere invalidam laſſato viſcere matrem.
Sin verò hæc cura eſt, melior ne fortè necetur,
Abdatúrve domo, catulóſque probare voluntas,
Queis nondum greſſus ſtabiles, neque lumina paſſa
Luciferum videre jubar; quæ prodidit uſus
Percipe & intrepidus ſpectatis annue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibúſque leves gravibus prænoſcere curſu.
Quin & flammato ducatur linea longè
Circuitu, ſignétque habilem vapor igneus orbem.
Impune in medio poſſis conſiſtere circo.
Huc omnes catuli, huc indiſcreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honeſtos,
Judicio natos ſervans, trepidóque periclo.
Nam poſtquam concluſa videt ſua germina flammis,
Continuò ſaltu tranſcendens fervida zonæ
Vincla, rapit rictu primum, portátque cubili;
Mox alium, mox deinde alium. Sic conſcia mater
Segregat egregiam ſobolem virtutis amore.

Hos igitur genetrice ſimul, jam vere ſereno,
Molli paſce ſero; paſſim nam lactis abundans
Tempus adeſt, albent plenis & ovilia mulctris.
Interdúmque cibo Cererem cum lacte miniſtra,
Fortibus ut ſuccis teneras complere medullas
Poſſint, ut validas jam tunc promittere vires.
Sed poſtquam Phœbus candentem fervidus axem
Contigerit, tardáſque vias, cancríque morantis
Sidus init, tunc conſuetam minuiſſe ſaginam
Profuerit, tenuéſque magìs retinere cibatus:
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam cùm membrorum nexus nodóſque relaxant,
Infirmóſque pedes & crura natantia ponunt:
Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque concluſos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis, noceáſque futuris
Curſibus imprudens. Catulis nam ſæpe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, & teneros torquent conatibus artus;
Obtundúntve novos adroſo robore dentes,
Aut teneros duris impingunt poſtibus ungues.
Mox cùm jam validis inſiſtere cruribus ætas
Paſſa, quater binos volvens ab origine menſes,
Illæſis catulos ſpectaveris undique membris,
Tunc rurſus miſcere ſero Cerealia dona
Conveniet, fortémque dari de frugibus eſcam.
Libera tunc primùm conſueſcant colla ligari,
Concordes & ferre gradus, clauſique teneri.
Jam cùm bis denos Phœbe reparaverit ortus,
Incipe non longo catulos producere curſu;
Sed parvæ vallis ſpatio, ſeptóve novali.
His leporem præmitte manu, non viribus æquis,
Nec curſûs virtute parem; ſed tarda trahentem
Membra; queant jam nunc faciles ut ſumere prædas.
Nec ſemel indulge catulis moderamine curſûs;
Sed donec validos etiam prævertere ſueſcant,
Exerceto diu, venandi munere cogens
Diſcere, & emeritæ laudem virtutis amare.
Nec non conſuetæ nôrint hortamina vocis,
Seu curſus revocent, jubeant ſeu tendere curſus.
Quin etiam docti victam contingere prædam,
Exanimare velint tantùm, non carpere ſumptam.
Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, & in parvos iterum protendere curas.
Nam triſtes morbi, ſcabies & ſordida venis
Sæpe venit, multámque canes diſcrimine nullo
Dant ſtragem; tu ſolicitos impende labores,
Et ſortire gregem ſuffectâ prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide olivâ
Admiſcere decet; catulóſque canéſque maritas
Ungere profuerit, tepidóque oſtendere ſoli,
Auribus & tineas candenti pellere cultro.
Eſt etiam canibus rabies, letale periculum;
Quod ſeu cœleſti corrupto ſidere manat,
Cùm ſegnes radios triſti jaculatur ab æthrâ
Phœbus, & attonito pallens caput exerit orbe:
Seu magìs ignicomi candentia terga Leonis
Cùm quatit, hoc canibus blandis inviſerat æſtus:
Exhalat ſeu terra ſinus, ſeu noxius aer
Cauſa mali; ſeu, cùm gelidus non ſufficit humor,
Torrida per venas concreſcunt ſemina flammæ;
Quidquid id eſt, imas agitat ſub corde medullas,
Inque feros rictus nigro ſpumante veneno
Proſilit, inſanos cogens infigere morſus.
Diſce igitur potus medicos, curámque ſalubrem.
Tunc viroſa tibi ſumes, multúmque domabis
Caſtorea, attritu filicis lenteſcere cogens,
Ex ebore huc trito pulvis fectóve feratur,
Admiſcéntſque diu facies concreſcere utrumque:
Mox lactis liquidos ſenſim ſuperadde fluores,
Ut non cunctantes hauſtus infundere cornu
Inſerto poſſis, furiáſque repellere triſtes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.
Quin & Tuſcorum non eſt extrema voluptas
Sæpe canum: ſit forma illis licèt obſita villo,
Diſſimiléſque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen injucunda dabunt tibi munera prædæ.
Namque & odorato noſcunt veſtigia prato,
Atque etiam leporum ſecreta cubilia monſtrant,
Horum animos, moréſque ſimul, mareſque ſagaces
Mox referam: nunc omnis adhuc parranda ſupellex
Venandi, cultúſque mihi dicendus equorum.
Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocúmque notas referat generoſa propago:

Armata

Armata & palmis nuper grex omnis avorum.
Illis ampla satìs lævi sunt æquora dorso,
Immodicúmque latus, parvæque ingentibus alvi;
Ardua frons, aurésque agiles, capitisque decoro
Altus honos, oculíque vago splendore micantes:
Plurima se validos cervix resupinat in armos:
Fumant humentes calidâ de nare vapores:
Nec pes officium standi tenet: ungula terram
Crebra ferit, virtúsque artus animosa fatigat.
Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum latè fœcunda proborum.
Namque valent longos pratis intendere cursus.
Nec minor est illis Graio quàm in corpore forma.
Nec non terribiles spirabile lumen anheli
Provolvunt flatus, & lumina vivida torquent,
Hinnitúsque cient tremuli, frenisque repugnant.
Nec segnes mulcent aurea, nec crure quiescunt.
Sit tibi præterea sonipes, Maurusia tellus
Quem mittit, modò sit gentili sanguine firmus.
Quémque coloratus Mazax deserta per arva
Pavit, & assiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat quòd turpe caput, deformis & alvus
Est illis, quódque infrenes, quòd liber uterque,
Quódque jubis pronos cervix diverberet armos.
Nam flecti facilis, lasciváque colla secutus,
Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ.
Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera frœni.
Quin & promissi spatiosa per æquora campi
Cursibus acquirunt commoto sanguine vires,
Paulatímque avidos comites post terga relinquunt.
Haud secus effusis Nerei per cœrula ventis,
Cùm se Threicius Boreas super extulit antro,
Stridentíque sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cessêrunt flamina ponto:
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,
Conspicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereïdum mirata suo stupet æquore turba.
Horum tarda venit longi fiducia cursûs:
His etiam emerito vigor est juvenilis in ævo.
" Nam quæcunque suis virtus bene floruit annis,
" Non priùs est animo quàm corpore passa ruinam.
Pasce igitur sub vere novo farragine molli
Cornipedes, venámque feri, veteréque labores
Effluere aspectâ nigri cum labe cruoris.
Mox lætæ redeunt in pectora fortia vires,
Et nitidos artus distento robore formant.
Mox sanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latúmque fugâ consumere campum.
Indè ubi pubentes calamos duraverit æstas,
Lactentéque urens herbas siccaverit omnem
Messibus humorem, culmíque armârit aristas:
Hordea tum, paleásque leves præbere memento.
Pulvere quin etiam puras secernere fruges
Cura sit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plausu sonipes, lætúmque relaxet
Corpus, & altores rapiat per viscera succos.
Id curent famuli, comitúmque animosa juventus.
Nec non & casses fidem venatibus aptos,
Atque plagas, longóque meantia retia tractu
Addiscant rari semper contexere nodi,
Et servare modum maculis, linóque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare saltus
Quæ possit, volucréque metu concludere prædas,
Digerat innexas non unâ ex alite pinnas.
Namque ursos, magnósque sues, cervósque fugaces
Et vulpes, acréque lupos, ceu fulgura cœli
Terrificant, linique vetant transcendere septum.
Has igitur vario semper fucare veneno
Cura tibi, niveíque alios miscere colores,
Alternósque metus subtegmine tendere longo.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur;
Dat Libye magnarum avium fœcunda creatrix;
Dántque grues, cycnique senes, & candidus anser;
Dant, quæ fluminibus crassisque paludibus errant,
Pellitóque pedes stagnanti gurgite tingunt:
Hinc magè puniceas nativo munere sumes:
Namque illìc finè fine greges florentibus alis
Invenies avium, suavíque rubescere luto,
Et sparsos passim tergo vernare colores.
His ita dispositis, hyemis sub tempus aquosæ
Incipe veloceis catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum manè novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata fetis vestigia servant.

BUCOLICON.

ECLOGA I. EPIPHUNUS.

TIMETAS, TITYRUS.

DUM fiscella tibi fluviali Tityre junco
Texitur, & raucis resonant tua rura cicadis:
Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen
Compositum. nam te calamos inflare labello
Pan docuit, versúque bonus tibi favit Apollo.
Incipe, dum salices hœdi, dum gramina vaccæ
Detondent, viridíque gregem permittere campo
Et ros, & primi suadet clementia solis.
TIT. Hos annos canámque meam, mihi chare, senectam
Tu juvenis, charúsque deis, in carmina cogis?
Vixímus, & calamis versûs cantavimus olim,
Dum secura hilares ætas ludebat amores.
Nunc album caput, & veneres tepuere sub annis:
Jam mea ruricolæ dependet fistula Fauno.
Te nunc rura sonant: nuper nam carmine victor
Rifisti calamos & dissona flumina Mopsi,
Judice me. mecum senior Melibœus utrunque
Audierat, laudésque tuas sublimè ferebat.
Quem nunc emeritæ permensum tempora vitæ,
Secreti pars orbis habet, mundúsque piorum.
Quare age, si qua tibi Melibœi gratia vivit,
Dicat honoratos prædulcis tibia manes.
TIM. Et parere decet jussis, & grata jubentur.
Namque fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibúsque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri laudésque sonarent,
Sed quia tu nostræ musam deposcis avenæ,
Accipe quæ super hæc cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciso servans mea carmina libro.
TIT. Dic age; sed, nobis ne vento garrula pinus
Obstrepat, has ulmos potiùs fagósve petamus.
TIM. Hic cantare libet. vides nam suggerit herbas
Mollis ager, latéque tacet nemus omne. quiesci,
Aspice, ut ecce procul decerpant gramina tauri.
Omniparens æther, & rerum causa liquores,
Corporis & genitrix tellus, vitalis & aër,
Accipite hos calamos, atque hæc nostro Melibœo
Mittite, si sentire datur post fata quietis.
Nam si sublimes animæ cœlestia templa,
Siderasque colunt sedes, mundóque fruuntur;
Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno
Pectore fovisti, quos tu Melibœe probâsti.
Longa tibi, cunctíque diu spectata senectus,
Felicésque anni, nostríque novissimus ævi
Circulus, innocuæ clauserunt tempora vitæ.
Nec minùs hinc nobis gemitus lachrymæque fuere,
Quàm si florentes mors invida pelleret annos.
Nec tenuit tales communis causa querelas;
Heu Melibœe jaces letali frigore segnis,
Lege hominum, cœlo dignus canente senectâ
Concilióque deûm. plenum tibi ponderis æqui

Pectus erat, tu ruricolûm discernere lites
Assuêras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
Floruit: ambiguos signavit terminus agros.
Blanda tibi vultûs gravitas, & mite serenâ
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris, & jungere cerâ
Oratus, duras docuisti fallere curas.
Nec segnem passus nobis marcere juventam,
Sæpe dabas meritæ non vilia præmia musæ.
Sæpe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
Lætus Phœbeâ dixisti carmen avenâ.
Felix ô Melibœe vale. tibi frondis odoræ
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo.
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnisque ex arbore fruges.
Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte.
Mella ferunt Nymphæ. pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos. dant carmina Musæ:
Carmina dant Musæ. nos te modulamur avenâ.
Sylvestris nunc te platanus, Melibœe, susurrat,
Te pinus reboat, te quidquid carminis Echo
Respondent sylvæ, te nostra armenta loquuntur.
Namque priùs siccis Phocæ nascentur in arvis,
Hirsutúsque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confusis legibus anni,
Messem tristis hyems, æstas tractabit olivas,
Antè dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
Quàm taceat Melibœe tuas mea fistula laudes.
TIT. Perge puer; cœptum tibi jam ne desere carmen.
Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo
Provehat, & felix dominam perducat ad urbem,
Namque hic in sylvis præsens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.
Sed jam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus præbere liquores.

ECLOGA II. DONACE.

IDAS, ALCON.

FORMOSAM Donacen puer Idas, & puer Alcon
Ardebant, rudibúsque annis incensus uterque
In Donaces Venerem furiatâ mente ruebant.
Hanc, cùm vicini florcis in vallibus horti
Carperet, & molli gremium compleret acantho,
Invasere simul, Venerísque imbutus uterque
Tunc primùm dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor, & pueris jam non puerilia vota,
Queis anni ter quinque hyemes, & cura juventæ.
Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
Quòd non tam tenui filo de voce sonaret,
Sollicitúmque foret linguis onus, improba cervix,
Suffusúsque rubor crebrò, venæque tumentes;
Tum verò ardentes flammati pectoris æstus
Carminibus, dulcísque parant relevare querelâ:
Ambo ævo cantúque pares, nec dispare formâ,
Ambo genas leves, intonsi crinibus ambo:
Atque sub hâc platano mœsti solatia casûs
Alternant, Idas calamis, & versibus Alcon.
ID. Quæ colitis sylvas Dryades, quæque antra Napeæ,
Et quæ marmoreo pede Naiades uda secantes
Littora, purpureos alitis per gramina flores,
Dicite quo prato Donacen, quâ fortè sub umbrâ
Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi jam trini perierunt ordine soles,
Ex quo consueto Donacen expecto sub antro.
Interea, tanquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset tabidos medicare furores,
Nulla meæ trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nullóque biberunt amne liquores;
Siccáque fœtarum lambentes ubera matrum
Stant vituli, & teneris mugitibus æëra complent.
Ipse ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos, cogendi lactis in usus.
Quid tibi, quæ nôsti, referam? scis mille juvencas
Esse mihi, nôsti nunquam mea mulctra vacare.
Idas ille ego sum, Donace, cui sæpe dedisti
Oscula, nec medios dubitâsti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petîsti.
Heu heu nulla meæ te tangit cura salutis!
Pallidior buxo, violæque similimus erro.
Omnes ecce cibos, & nostri pocula Bacchi
Horreo, nec placido memini concedere somno.
Te sinè, væ misero mihi, lilia nigra videntur,
Pallentésque rosæ, nec dulcè rubens hyacinthus;
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores.
At tu si venias, & candida lilia fient,
Purpureæque rosæ, tum dulcè rubens hyacinthus;
Tunc mihi cum myrto laurus spirabit odores.
Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas,
Dum Bacchus vites deus, & sata poma Priapus,
Pascua læta Pales; Idas te diliget unam.
Hæc Idas calamis: tu, quæ responderit Alcon
Versu, Phœbe refer: sunt aurea carmina Phœbo.
AL. O montana Pales, ô pastoralis Apollo,
Et nemorum Sylvane potens, & nostra Dione,
Quæ juga celsa tenes Erycis, cui cura jugales
Concubitus hominum totis connectere sæclis,
Quid merui? cur me Donace formosa reliquit?
Munera namque dedi, nostet quæ non dedit Idas,
Vocalem longos quæ ducit aëdona cantus:
Quæ licèt interdum contexto vimine clausa,
Cùm parvæ patuere fores, ceu libera ferri
Novit, & agrestes inter volitare volucres:
Scit rursus remeare domum, tectúmque subire
Viminis, & caveam totis præponere sylvis.
Præterea tenerum leporem, geminásque palumbes,
Nuper quæ potui sylvarum præmia mihi.
Et post hæc, Donace, nostros contemnis amores?
Forsitan indignum ducis, quòd rullicus Alcon
Te cupiam, qui manè boves in pascua ducam.
Dii pecorum pavere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.
Quin etiam fontis speculo me manè notavi,
Nondum purpureos Phœbus cùm tolleret orbeis,
Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis:
Quod vidi, nullâ tegimur lanugine malas,
Pascimus & crinem. nostro formosior Idâ
Dicor, & hoc ipsum mihi tu narrare solebas,
Purpureas laudando genas, & lactea colla,
Atque hilares oculos, & formam puberis ævi.
Nec sumus indocti calamis: cantamus avenâ,
Quâ divi cecinere priùs, quâ dulcè locutus
Tityrus è sylvis dominam pervenit ad urbem.
Nos quoque te propter, Donace, cantabimururbi,
Si modò coniferas inter viburna cupressos,
Aut inter pinos corylum frondescere fas est.
Sic pueri Donacen toto sub sole canebant,
Frigidus è sylvis donec discedere suasit
Hesperus, & stabulis pastos inducere tauros.

ECLOGA III. BACCHUS.

Pan trium puerorum impulsu modulatur.

NYCTILOS, atque Mycon, nec non & pulcher Amyntas
Torrentem patulâ vitabant ilice solem,
Cùm Pan venatu fessus recubare sub ulmo
Cœperat, & somno lassatus sumere vires:
Quem super ex tereti pendebat fistula ramo,
Hanc pueri (tanquam prædam pro carmine possent
Sumere, fásque esset calamos tractare deorum)
Invadunt furto: sed nec resonare canorem
Fistula quem suevit, nec vult contexere carmen,
Sed pro carminibus malè dissona sibila reddit.
Tum Pan excussus sonitu stridentis avenæ,
Jámque videns, Pueri si carmina poscitis, inquit,
Ipse canam. nulli fas est inflare cicutas,
Quas ego Mænaliis cerâ conjungo sub antris,
Jámque ego Bacche tuos ortus, & semina vitis
Ordine detexam, debemus carmina Baccho.
Hæc fatus, cœpit calamis sic montivagus Pan.
Te cano, quæ gravidis hederatâ fronte corymbis
Vitea ferta plicas, qui comptos palmite tigres
Ducis odoratis perfusus colla capillis,
Vera Jovis proles. jam tunc post sidera cœli
Sola Jovem Semele vidit, Jovis ora professum.
Hunc pater omnipotens, venturi providus ævi,
Protulit, & justo produxit tempore partus.
Hunc Nymphæ, Faunique senes, Satyrique procaces,
Vos etiam Nysæ viridi nutrîstis in antro.
Quin & Silenus parvum veneratus alumnum,

Aut

Aut gremio fovet, aut reſupinis ſuſtinet ulnis,
Et vocat ad riſum digito, motúque quietem
Allicit, aut tremulis quatſat crepitacula palmis.
Cui deus arridens, horrentes pectore ſetas
Vellicat, aut digitis aureis aſtringit acutas,
Applaudítve manu mutilum caput, aut breve mentum,
Et ſimas tenero collidit pollice nareis.
Interea pueri floreſcit pube juventa,
Flaviáque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primùm lætas oſtendit pampinus uvas,
Mirantur Satyri frondes, & poma Lyæi.
Tum deus, ô Satyri maturos carpite fructus,
Dixit, & ignotos pueri calcate racemos.
Vix hæc ediderat, decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celeríque illidere planta
Concava ſaxa ſuper properant, vindemia fervet
Collibus in ſummis, crebro pede rumpitur uva,
Nudáque purpureo ſparguntur pectora muſto.
Tum Satyri, laſciva cohors, ſibi pocula quiſque
Obvia corripiunt. quod fors dedit, hoc capit uſus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmáſque in pocula vertit:
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Muſta labris: alius vocalia cymbala mergit:
Atque alius lætices preſſis reſupinus ab uvis
Excipit, ac potus ſaliens liquor ore reſultat,
Spumeus ſnque humeros & pectora diffluit humor.
Omnia ludus habet. cantúsque choróſque licentes,
Et Venerem jam vina movent. raptantur amantes
Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas,
Jam jámque elapſas hic crine, hic veſte retentat.
Tum primùm roſeo Silenus cymbia muſto
Plena ſenex avidè non æquis viribus hauſit.
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Heſternóque gravis ſemper ridetur Lacchо.
Quinetiam deus ille, deus Jove profatus ipſo,
Et plantis uvas premit, & de vitibus haſtas
Ingerit, & lynci præbet cratera bibenti.
Hæc Pan Mænaliâ pueros in valle docebat,
Sparſas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberibus ſuadens ſiccare liquorem
Lactis, & in niveas adſtrictum cogere glebas.

ECLOGA IV. EROS.

LYCIDAS, MOPSUS.

POPULEA Lycidas, nec non & Mopſus in umbrâ
Paſtores, calamis ac verſu doctus uterque,
Nec triviale ſonans, proprios cantabat amores.
Nam Mopſo Meroe, Lycidæ crinitus Iolas
Ignis erat; pariliſque furor de diſpare ſexu
Cogebat trepidos totis diſcurrere ſylvis.
Hos puer, ac Meroe multùm luſere furenteis:
Dum modò condictas vitant in vallibus ulmos,
Nunc fagos placitas fugiunt, promiſſáque fallunt
Antra, nec eſt animus ſolitos alludere fonteis.
Tum tandem ſeſſi, quos luſus adederat ignis,
Sic ſua deſertis nudárunt vulnera ſylvis:
Inque vicem dulceis cantu dixere querelas.
MOP. Immitis Meroe, rapidiſque fugacior Euris,
Cur noſtros calamos, cur paſtoralia vitas
Carmina? quémve fugis? quæ me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis, ac ſpem fronte ſerenans,
Tandem dura negas? non poſſum nolle negantem.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Reſpice me tandem puer ô crudelis Iola.
Non hoc ſemper eris. perdunt & gramina flores,
Perdit ſpina roſas, nec ſemper lilia candent,
Nec longùm tenet uva comas, nec populus umbras.
Donum forma breve eſt, nec ſe tibi commodat annus.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Cerva marem ſequitur, taurum formoſa juvenca,
Et venerem ſenſere lupæ, ſenſere leænæ,
Et genus æreum volucres, & ſquamea turba,
Et montes ſylvæque: ſuos habet arbor amores.
Tu tamen una fugis, miſerum tu perdis amantem.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Omnia tempus alit, tempus rapit. uſus in arcto eſt.
Ver erat, & vitulos vidi ſub matribus iſtos,
Qui nunc pro niveâ coiere in cornua vaccâ.
Et tibi jam tumidæ nares, jam fortia colla,
Jam tibi bis denis numerantur meſſibus anni.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Huc Meroe formoſa veni. vocat æſtus in umbram,
Jam pecudes ſubierè nemus, jam nulla canoro
Gutture cantat avis, torto non ſquamea tractu
Signat humum ſerpens: ſolus cano, me ſonat omnis
Sylva, nec æſtivis cantu concedo cicadis.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Tu quoque ſæve puer, niveum ne perde colorem
Sole ſub hôc. ſolet hic lucentes urere malas.
Hìc age, pampineâ mecum requieſce ſub umbrâ.
Hìc tibi levè fluens fons murmurat, hìc & ab ulmis
Purpureæ fœtis dependent vitibus uvæ.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Qui tulerit Meroes faſtidia longa ſuperbæ,
Sithonias ferat ille nives, Libycóſque calores,
Nerines potabit aquas, taxíque nocentis;
Non metuet ſuccos, Sardoáque gramina vincet,
Et ſua Marmaricos coget juga ferre leones.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Quiſquis amat pueros, ferro præcordia duret,
Nil properet, diſcátque diu patienter amare,
Prudentéſque animos teneris non ſpernat in annis,
Perferat & faſtus. Sic olim gaudia ſumet,
Si modò ſollicitos aliquis deus addit amantes.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Quid prodeſt, quod me pagani mater Amyntæ,
Ter vittis, ter fronde ſacrâ, ter ture vaporo
Luſtravit, cineréſque averſa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes ſulphure lauros,
Cùm ſic in Meroen totis miſer ignibus arſi?
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Hæc eadem nobis, variéque coloria fila,
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas;
Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt ſcopuli, migrant ſata, vellitur arbos.
Plùs tamen ecce meus, plus eſt formoſus Iolas.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.

T. CAL-

Digitized by Google

T. CALPHURNII SICULI
BUCOLICON CARMEN,

Ad Nemeſianum Carthaginienſem.

T. CALPHURNII SICULI VITA
A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

TITUS CALPHURNIUS, natione Siculus fuit, ut inſcriptiones veterum codic. probant. Inter eos poëtas relatus eſt, qui ſcripſerunt Bucolicum carmen: in hôc enim, judicio eruditorum, magnopere excelluit cùm gratiâ carminis, tum elegantiâ & proprietate. Per eadem tempora floruit, quibus Diocl. Cæſ. & Conſtantii principes Rom. Imperium moderati ſunt. Quæ res manifeſtè indicatur, ex commentariis Flavii Vopiſci qui Olympium Nemeſianum celebrat, ad quem poëta Calphurnius ſuum opus mittit, ut in vetuſtis exemplaribus legitur. Quo circa in magno errore verſantur, qui exiſtimant eum fuiſſe ætate Cæſ. Auguſti. Modicis facultatibus vixit: quod ex ipſo autore ſatis poſſumus colligere. Neque deſunt, qui putent, de Diocletiano imp. intelligi oportere, cùm ſcribit ſub perſonâ Ornithi:

Aurea ſecurâ cum pace renaſcitur ætas,
Et redit ad terras tandem ſqualore ſitúque
Alma Themis poſito; juvenémque beata ſequuntur
Secula, maternis cauſam qui luſit in ulnis.

Alii hoc ad Nemeſianum referunt, qui & ſcribendis carminibus & eloquentiâ præcipuè excelluit. Sunt qui malint ſcribere Calpurnium, ſublatâ aſpiratione, quòd à Calpo deducatur nomen Calpurnii, ſed hoc ut frivolum eſt, ita liberum relinquimus noſtris Grammaticis.

ECLOGA I. DELOS.
ORNITUS, CORYDON.

NONNE ſolis equos declivis mitigat æſtas,
Quamvis & madidis incumbant prela racemis,
Et ſpument rauco ferventia muſta ſuſurro.
COR. Cernis, ut ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ
Molle ſub hirſutâ latus explicuere geniſtâ?
Nos quoque vicinis cur non ſuccedimus umbris?
Torrida cur ſolo defendimus ora galero?
ORN. Hoc potiùs frater Corydon nemus, iſta petamus
Antra patris Fauni: gracileis ubi pinea denſat
Sylva comas, rapidóque caput levat obvia ſoli:
Bullantes ubi fagus aquas radice ſub ipsâ
Protegit, & ramis errantibus implicat umbras. [Leuce
COR. Quo me cunque vocas, ſequor, Ornite. nam mea
Dum negat amplexus nocturnáque gaudia nobis,
Pervia cornigeri fecit ſacraria Fauni.
ORN. Prome igitur calamos, & ſi qua recondita ſervas.
Nec tibi defuerit mea fiſtula, quam mihi nuper
Maturâ docilis compegit arundine Lygdon.
Et jam captatæ pariter ſucceſſimus umbræ.
Sed quænam ſacrâ deſcripta eſt pagina fago?
Quam modò neſcio quis properanti falce notavit.
COR. Aſpicis ut virides etiam nunc littera rimas
Servet? & arenti nondum ſe laxet hiatu?
Ornite fer propiùs tua lumina: tu potes alto
Cortice deſcriptos citiùs percurrere verſus.
Nam tibi longa ſatis pater internodia largus,
Procerúmque dedit mater non invida corpus.
ORN. Non paſtor, non hoc triviali more viator,
Sed deus ipſe canit: nihil armentale reſultat:
Non montana ſacros diſtinguunt jubila verſus.
COR. Mira refers. ſed rumpe moras, oculóque ſequaci
Quamprimum nobis divinum perlege carmen.
ORN. Qui juga, qui ſylvas tueor, latus æthere Faunus,
Hæc populis ventura cano. juvat arbore ſacrâ
Læta patefactis incidere carmina fagis.
Vos o præcipuè nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei. licet omne vagetur
Securo cuſtode pecus, nocturnáque paſtor
Claudere fraxineâ nolit præſepia crate:
Non tamen inſidias prædator ovilibus ullas
Afferet, aut laxis abiget jumentâ capiſtris.
Aurea ſecurâ cum pace renaſcitur ætas,
Et redit ad terras tandem ſqualore ſitúque
Alma Themis poſito, juvenémque beata ſequuntur
Secula, maternis cauſam qui luſit in ulnis.
Dum populos deus ipſe reget, dabit impia vinctas
Poſt tergum Bellona manus, ſpoliatáque telis
In ſua veſanos torquebit viſcera morſus:
Et modò quæ toto civilia diſtulit orbe,
Secum bella geret. nullos jam Roma Philippos
Defiebit, nullos ducet captiva triumphos.
Omnia tartareo ſubigentur carcere bella,
Immergéntque caput tenebris, lucémque timebunt.
Candida pax aderit, nec ſolùm candida vultu,
Qualis ſæpe fuit, quæ libera Marte profeſſo,
Quæ domito procul hoſte, tamen graſſantibus armis
Publica diffudit tacito diſcordia ferro.
Omne procul vitium ſimulatæ cedere pacis
Juſſit, & inſanos clementia condidit enſeis.
Nulla catenati feralis pompa ſenatûs
Carnificum laſſabit opus, nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia patres.
Plena quies aderit, quæ ſtricti neſcia ferri
Altera Saturni revocet Latialia regna,
Altera regna Numæ, qui primus ovantia cæde
Agmina, Romuleis & adhuc ardentia caſtris,
Pacis opus docuit, juſſítque ſilentibus armis
Inter ſacra tubas, non inter bella ſonare.
Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,
Nec vacuos tacitus faſces, & inane tribunal
Accipiet conſul; ſed legibus omne reductis
Jus aderit, morémque fori, vultúmque priorem
Redder, & afflictum melior deus auferet ævum.
Eruitet quæcunque Notum gens ima jacentem,
Erectúmque colit Boream, quæcunque vel ortu,
Vel patet occaſu, medióve ſub æthere ſervit.

Cernitis

Digitized by Google

Cernitis ut puro nox jam vigesima cœlo
Fulgeat? ut placidâ radiantem luce cometem
Proferat? ut liquidum mittat sinè vulnere sidus?
Non per utrumque polum, sicut solet, igne cruento
Spargit, & ardenti scintillat sanguine lampas.
At quondam non talis erat, cùm Cæsare rapto
Indixit miseris fatalia civibus arma.
Scilicet ipse Deus Romanæ pondera molis
Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,
Ut neque tralati sonitu fragor intonet orbis,
Nec priùs ex meritis defunctos Roma penates
Censeat, occasus nisi cùm respexerit ortus.
COR. Ornite, jamdudum velut ipso numine plenus
Me quatit, & mixtus subit inter gaudia terror:
Sed bona fœcundi veneremur numina Fauni.
ORN. Carmina quæ nobis deus obtulit ipse canenda,
Dicamus, teretisque sonum modulemur avenâ:
Forsitan Augustas feret hæc Meliboeus ad aureis.

ECLOGA II. CROTALE.

ASTACUS, IDAS, THYRSIS.

INTACTAM Crotalen puer Astacus, & puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,
Dilexere diu: formosus uterque, sed impar
Voce sonans. terras hi cùm gravis ureret æstas,
Ad gelidos fontes, & easdem fortè sub ulmos
Conveniunt, dulcisque simul contendere cantu
Pignoribúsque parant. placet, hic ut vellera septem,
Ille sui victus ne messem vendicet horti.
Et magnum certamen erat sub judice Thyrsi.
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quæcunque vagis alitum ferit aëra pennis.
Convenit umbrosâ quicunque sub ilice lentas
Pascit oves, Fanúsque pater, Satyrisque bicornes.
Adfuerunt sicco Dryades pede, Naiades udo,
Et tenuere suos properantia flumina cursus.
Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altáque per totos fecere silentia monteis.
Omnia cessabant, neglectáque pascua tauri
Calcabant: illis etiam certantibus ausa est
Dædala nectareos apis intermittere flores.
Jámque sub annosâ medius consederat ulmo
Thyrsis, & O, pueri me judice pignora, dixit,
Irrita sint moneo: satis hoc mercedis habeto,
Si laudem victor, si fert opprobria victus.
Et nunc alternos magìs ut distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus jactate micantes.
Nec mora, discernunt digitis: prior incipit Idas.
ID. Me Sylvanus amat, dociles mihi donat avenas,
Et mea frondenti circundat tempora tædâ.
Ille etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen,
Jam levis obliquâ crescit tibi fistula cannâ.
AS. At mihi Flora comas parienti gramine spargit,
Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.
Accipe, dixerunt Nymphæ, puer, accipe fontem,
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.
ID. Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger albæ
Terga maritus ovis nascenti mutet in agnâ,
Quæ neque diversi speciem servare parentis
Possit, & ambiguo testetur utrunque colore.
AS. Non minùs arte meâ mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, & nòn genitalia poma.
Ars mea nunc malo pira temperat, & modò cogit
Insita præcoquibus surrepere perfica prunis.
ID. Me teneras salices juvat, aut oleastra putare,
Et gregibus portare, novas ut carpere frondes
Condiscant, primóque recidere gramina morsu,
Ne depulsa vagos quærat fœtura parentes.
AS. Et mihi cùm fulvis radicibus arida tellus
Panditur, irriguo perfunditur area fonte,
Et satiatur aquâ, succos ne fortè priores
Languida mutatâ quærant plantaria terrâ.
ID. O si quis Crotalen deus adferat, hunc ego terris,
Hunc ego sideribus solum regnare fatebor.
Decernámque nemus, dicámque sub arbore numen
Hoc erit. ite procul (sacer est locus) ite profani.
AS. Urimur in Crotalen: si quis mea vota deorum
Audiat, huic soli, virides quà gemmeus undas
Fons agit, & tremulo percurrit lilia rivo,
Inter pampineas ponetur saginus ulmos.
ID. Ne contemne casas, & pastoralia tecta:
Rusticus est (fateor) sed non est barbarus Idas.
Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus,
Sæpe cadit festis devota Parilibus agna.
AS. Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo:
Roranteisque favos damus, & liquentia mella.
Nec fero grata minùs, quàm si caper imbuat aras.
ID. Mille sub uberibus palanteis pascimus agnas:
Tótque Tarentinæ præstant mihi vellere matres:
Per totum niveus premitur mihi caseus annum.
Si venias Crotale, totus tibi serviet hornus.
AS. Qui numerare velit, quàm multa sub arbore nostrâ
Poma legam, citiùs tenues numerabit arenas.
Semper olus metimus; nec bruma, nec impedit æstas.
Si venias Crotale, totus tibi serviet hortus.
ID. Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,
Sumo tamen calathos nutanti lacte coactos.
Vellera tunc dabimus, cùm primùm tempus apricum
Surget, & à tepidis fiet tonsura Kalendis.
AS. Et nos, quos etiam prætorrida munerat æstas,
Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,
Castaneásque nuces totidem, cùm sole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini. [annis?
ID. Num, precor, informis videor tibi? num gravis
Decipiórque miser, quoties mollissima tango
Ora manu? primisque sequor vestigia floris
Nescius? & gracili digitos lanugine fallo?
AS. Fontibus in liquidis quoties me conspicor ipse,
Admiror totiens. etenim sic flore juventæ
Induimus vultus, ut in arbore sæpe notavi
Cerea sub tenui lucere cydonia lanâ.
ID. Carmina poscit amor, nec fistula cedit amori.
Sed fugit ecce dies, revocátque crepuscula vesper,
Hinc tu Daphni greges, illinc age Alphesiboeus.
AS. Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbos.
I procul o Dorida, primúmque reclude canalem,
Et sine jamdudum sitientes irriget hortos.
Vix ea finierant, senior cùm talia Thyrsis,
Este pares, & ob hoc concordes vivite: nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociavit, & ætas.

ECLOGA III. EXORATIO.

IOLAS, LYCIDAS.

NUNQUID in hâc Lycidâ vidisti fortè juvencam
Valle meam? solet illa tuis occurrere tauris.
Et jam penè duas, dum quæritur, eximit horas;
Nec tamen apparet. duris ego perdita ruscis
Jamdudum, nullis dubitavi crura rubetis
Scindere, nec quicquam post tantum sanguinis egi.
LYC. Non satis attendi: neque enim vacat. uror Iolâ,
Uror, & immodicé. Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amátque novum post tot mea munera Mopsum.
IO. Mobilior ventis o fœmina. sic tua Phyllis?
Quæ sibi (nam memini) si quando solus abesses,
Mella etiam sinè te jurabat amara videri.
LY. Altiùs ista querar, si quando vacabis Iola.
Has pete nunc salices, & lævas flecte sub ulmos:
Nam cùm prata calent, illìc requiescere noster
Taurus amat, gelidâque jacet spatiatus in umbrâ,
Et matutinas revocat palearibus herbas.
IO. Non equidem Lycida, quamvìs contemptus abibo,
Tityre, quas dixit salices pete lætus, & illinc,
Si tamen invenies, deprehensam verbere multo
Huc age: sed fractum referas hastile memento.
Nunc age, dic Lycida, quæ vos tam magna tulere
Jurgia? quis vestro deus intervenit amori?
LY. Phyllide contentus (solus tu testis Iola es)
Calliroen sprevi, quamvìs cum dote rogaret.
En tibi cum Mopso calamos intexere cerâ
Incipit, & puero comitata sub ilice cantat.
Hoc ego cùm vidi (fateor) sic intimus arsi,
Ut nihil ulteriùs tulerim. nam protinus ambas
Diduxi tunicas, & pectora nuda cecidi.
Alcippen irata petit, dixítque, relicto

Improbe

Improbe te Lycida, Mopſum tua Phyllis amabit:
Nunc penès Alcippen manet, ac ne fortè vagetur
Ah vereor. nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quàm quòd Mopſo jurgetur anhelo.
IO. A te cœperunt tua jurgia: tu prior illi
Victas tende manus. decet indulgere puellæ,
Vel cùm prima nocet. ſi quid mandare juvabit,
Sedulus iratæ contingam nuntius aures.
LY. Jam dudum meditor, quo Phyllida carmine placem,
Forſitan audito poterit miteſcere cantu:
Et ſolet illa meas ad ſidera ferre camœnas.
IO. Dic age. nam cerâ ſi tua cortice verba notabo,
Et deciſa feram rutilanti carmina libro.
LY. Has tibi Phylli preces jam pallidus, hos tibi cantus
Dat Lycidas, quos nocte miſer modulatur acerbâ,
Dum flet, & excuſſo diſpergit lumina ſomno.
Non ſic diſtrictâ macreſcit turdus olivâ,
Non lepus extremas legulus cùm ſuſtulit uvas,
Ut Lycidas, dominâ ſinè Phyllide, tabidus erro.
Te ſinè, væ miſero mihi, lilia nigra videntur,
Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti.
At ſi tu venias, & candida lilia fient,
Et ſapient fontes, & dulcia vina bibentur.
Ille ego ſum Lycidas, quo te cantante ſolebas
Dicere felicem, cui dulcia ſæpe dediſti
Oſcula, nec medios dubitâſti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petîſti.
Ah dolor! & poſt hoc placuit tibi torrida Mopſi
Vox, & carmen inops, & acerbæ ſtridor avenæ?
Quem ſequeris? quem Phylli fugis? formoſior illo
Dicor, & hoc ipſum mihi tu narrare ſolebas.
Sum qdoque divitior. certaverit ille tot hœdos
Paſcere, quot noſtri numerantur veſpere tauri?
Quid tibi, quæ nôſti, referam? ſcis optima Phylli,
Quàm numeroſa meis ſiccetur buccula mulctris,
Et quàm multa ſuos ſuſpendat ad ubera natos.
Sed mihi nec gracilis ſinè te ſiſcella ſalicto
Texitur, & nullo tremuere coagula lacte.
Quòd ſi dura times etiam nunc verbera Phylli,
Tradimus ecce manus. licèt illæ & vimine torto
Scilicet, & lentâ poſt tergum vite domentur,
Ut mala nocturni religavit brachia Mopſi
Tityrus, & medio ſurem ſuſpendit ovili.
Accipe, ne dubita, meruit manus utraque pœnas.
His tamen, his inquam manibus tibi ſæpe palumbes,
Sæpe etiam leporem deceptâ matre paventem
Miſimus in gremium. per me tibi lilia prima
Contigerant, primæque roſæ. vix dum bene florem
Deguſtabat apis, tu cingebare coronis.
Aurea ſed forſan mendax tibi munera jactat,
Qui metere occiduâ ferales nocte lupinos
Dicitur, & cocto penſare legumine panem:
Qui ſibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,
Vilia cùm ſubigit manualibus hordea ſaxis.
Quòd ſi turpis amor precibus (quod abominor) iſtis
Obſtiterit, laqueum miſeri nectemus ab illâ
Ilice, quæ primùm noſtros violavit amores.
Hi tamen antè malâ figentur in arbore verſus.
Credere paſtores levibus nolite puellis.
Phyllida Mopſus amat, Lycidas habet ultima rerum.
Nunc age, ſi quicquam miſeris ſuccurris, Iola
Perfer, & exora modulato Phyllida cantu.
Ipſe procul ſtabo, vel acutâ carice tectus,
Vel propiùs latitans vicinâ, ut ſæpe, ſub arâ.
IO. Ibimus, & veniet (niſi me præſagia fallunt)
Nam bonus à dextrâ fecit mihi Tityrus omen,
Qui redit inventâ non irritus ecce juvencâ.

ECLOGA IV. CÆSAR.

MELIBOEUS, CORYDON, AMYNTAS.

QUID tacitus Corydon, vultúque ſubinde minaci
Quidve ſub hâc platano, quam garrulus adlirepit humor,
Infeſtâ ſtatione ſedes? juvat humida forſan
Ripa? levátque diem vicini ſpiritus amnis?
CO. Carmina jam dudum, non quæ nemorale reſultent,
Volvimus ô Meliboee, ſed hæc, quibus aurea poſſint
Sæcula cantari, quibus & deus ipſe canatur,
Qui populos urbéſque regit, pacémque togatam.
ME. Dulce quidem reſonas, nec te diverſus Apollo
Reſpicit ô juvenis, ſed magnæ numina Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.
CO. Quidquid id eſt, ſylveſtre licèt videatur acutis
Auribus, & noſtro tantùm memorabile pago:
Dum mea ruſticitas, ſi non valet arte politâ
Carminis, at certè valeat pietate probari.
Rupe ſub hâc eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Hæc eadem nobis frater meditatur Amyntas,
Quem vicina meis natalibus admovet ætas.
ME. Jam puerum calamos & odoræ vincula ceræ
Jungere nunc cohibes, levibus quem ſæpe cicutis
Ludere conantem vetuiſti fronte paternâ?
Dicentem Corydon te non ſemel iſta notavi:
Frange puer calamos, & inanes deſere muſas,
Et potiùs glandes rubicundáque collige corna:
Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem
Non tacitus porta. quid enim tibi fiſtula reddet,
Quo tutere famem? certè mea carmina nemo
Præterquam his ſcopulis ventoſa remurmurat echo.
CO. Hæc ego, confiteor, dixi Meliboee; ſed olim
Non eadem nobis ſunt tempora, non deus idem.
Spes magìs arridet. certè ne fraga rubóſque
Colligerem, viridíque famem ſolarer hibiſco,
Tu facis, & tua nos alit indulgentia farre.
Tu noſtras miſeratus opes, docilémque juventam
Hybernâ prohibes jejunia ſolvere ſago.
Ecce nihil querulum per te, Meliboee, ſonamus,
Per te ſecurâ ſaturi recubamus in umbrâ,
Et fruimur ſylvis Amaryllidos. ultima nuper
Littora terrarum, niſi tu Meliboee fuiſſes,
Ultima viſuri, trucibúſque obnoxia Mauris
Paſcua Geryonis, liquidis ubi curſibus ingens
Dicitur occiduas impellere Betys arenas.
Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,
Ah dolor! & pecudes inter conductus Iberas,
Irrita ſeptenâ modularer ſibila cannâ:
Nec quiſquam noſtras inter dumeta Camœnas
Reſpiceret: non ipſe daret mihi forſitan aurem
Ipſe deus vacuam, longéque ſonantia vota
Scilicet extremo non exaudiret in orbe.
Sed, niſi fortè tuas melior ſonus avocet aureis,
Et noſtris aliena magìs tibi carmina rident,
Vis hodierna tuâ ſubigatur pagina limâ?
Nam tibi non ſolùm venturos noſcere nimbos
Agricolis, qualémque ferat ſol aureus ortum,
Attribuere dei; ſed dulcia carmina ſæpe
Concinis, & modò te Baccheis Muſa corymbis
Munerat, & lauro modò pulcher obumbrat Apollo.
Quòd ſi tu faveas trepido mihi, forſitan illos
Experiar calamos, herè quos mihi doctus Iolas
Donavit, dixíſque, Truces hæc fiſtula tauros
Conciliat, noſtróque ſonat dulciſſima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in iſtis
Montibus, Hybleâ modulabile carmen avenâ.
MEL. Magna petis Corydon, ſi Tityrus eſſe laboras.
Ille fuit vates ſacer, & qui poſſet avenâ
Perſonuiſſe chelym, blandè cui ſæpe canenti
Alluſere feræ, cui ſubſtitit advena quercus,
Quem modò cantantem rutilo ſpargebat acantho
Naïs, & implicitos comebat pectine crines.
CO. Eſt (fateor) Meliboee deus: ſed nec mihi Phœbus
Forſitan abnuerit, tu tantùm commodus audi.
Scimus enim quàm te non aſpernetur Apollo.
ME. Incipe: nam faveo. ſed proſpice, ne tibi fortè
Tinnula tam fragili reſpiret fiſtula buxo,
Quàm reſonare ſolet, ſi quando laudat Alexim.
Hos potiùs calamos, magìs hos ſectare canales,
Per me qui dignas cecinerunt conſule ſylvas.
Incipe, ne dubita. venit en, & frater Amyntas
Cantibus iſte tuis alterno ſuccinet ore.
Dicite, ne mora ſit, vicibúſque reducite carmen,
Túque prior Corydon, tu proximus ibis Amyntas.
CO. Ab Jove principium, ſi quis canit æthera, ſumat,
Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi:
At mihi qui noſtras præſenti numine terras,
Perpetuámque regit juvenili robore pacem,
Lætus & Auguſto ſelix arrideat ore.
AM. Me quoque facundo comitatus Apolline Cæſar
Reſpiciat, montes neu dedignetur adire,
Quos & Phœbus amat, quos Jupiter ipſe tuetur:
In quibus auguſtos viſuráque ſæpe triumphos
Laurus fructificat, vicináque naſcitur arbos.
CO. Ipſe polos etiam qui temperat igne gelúque,
Jupiter ipſe parens, cui tu jam proximus ipſe

Cæſa

Cæſar abis, poſito paulìſper fulmine, ſæpe
Creſſia rura petit, viridíſque reclivis in antro
Carmina Dictæis audit Curetica ſylvis.
AM. Aſpicis, ut virides audito Cæſare ſylvæ
Conticeant? memini, quamvis urgente procellâ,
Sic nemus immotis ſubitò requieſcere ramis.
Et dixi: Deus hinc, certè deus expulit Euros.
Nec mora, Pharſaliæ ſolverunt fibila cannæ.
CO. Aſpicis, ut teneros ſubitus vigor excitet agnos,
Utque ſuperfuſo magìs ubera lacte graventur?
Et nuper tonſis exundent vellera fœtis?
Hoc ego jam (memini) ſemel hâc in valle notavi,
Et veniſſe Palem, pecoris dixiſſe magiſtros.
AM. Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat;
Diligitúrque deis, quem ſic taciturna verentur
Arbuta, cujus iners audito nomine tellus
Incaluit, floremque dedit: quo ſylva vocato
Denſat odore comas, ſtupefacta regerminat arbos.
CO. Illius ut primùm ſenſerunt numina terræ,
Cœpit & uberior, ſulcis fallentibus olim,
Luxuriare ſeges, tandémque legumina plenis
Vix reſonant ſiliquis: nec præfocata malignum
Meſſis habet lolium, nec inertibus albet avenis.
AM. Jam neque damnatos metuit jactare ligonas
Foſſor, & invento, ſi ſors dedit, utitur auro.
Nec timet, ut nuper, dum jugera verſat arator,
Ne ſonet offenſo contraria vomere maſſa:
Jámque palàm preſſo magìs ac magìs inflat aratro.
CO. Ille dat, ut primas Cereri dare cultor ariſtas
Poſſit, & intacto Bromium perfundere vino,
Ut nudus ruptas ſaliat calcator in uvas,
Ut quoque turba bono plaudat ſignata magiſtro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.
AM. Ille meis pacem dat montibus: ecce per illum
Seu cantare juvat, ſeu ter pede læta ferire
Gramina, non noſtras licet hìc cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro.
Turbida nec calamos exſurdant claſſica noſtros.
CO. Numine Cæſareo ſecurior ipſe Lycæus
Pan recolit ſylvas, & amœnâ Faunus in umbrâ
Securus recubat, placidóque in fonte lavatur
Naïs, & humanum non calcatura cruorem
Per juga ſiccato velox pede currit Oreas. [ab ipſo
AM. Dî, precor, hunc juvenem, quem vos (niſi fallor)
Æthere miſiſtis, poſt longa reducite vitæ
Tempora, vel potiùs mortale reſolvite penſum,
Et date perpetuo cœleſtia ſita metallo.
Sit deus, & nolit penſare Palatia cœlo.
CO. Tu quoque, mutatâ ſeu Jupiter ipſe figurâ
Cæſar ades, ſeu quis ſuperûm ſub imagine falſâ
Mortaliſque lates; vivas, atque hunc precor orbem,
Hos precor æternus populos rege: ſit tibi cœli
Vilis amor, cœptámque pater ne deſere terram.
ME. Ruſtica credebam nemorales carmina vobis
Conceſſiſſe deos, & obeſis moribus apta:
Verùm quæ imparibus modò concinuiſtis avenis,
Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim,
Quod Peligna ſolent examina, lambere nectar.
CO. O mihi quàm tenero decurrunt carmina verſu.
Tum Melibœe ſonent, ſi quando in montibus illis
Dicat habere Larem, ſi quando noſtra videre
Paſcua contigerit. vellit nam ſæpius aurem
Invida paupertas, & dixit, villa cura.
At tu, ſi qua modò non aſpernanda putabis,
Fer Melibœe deo mea carmina. nam tibi fas eſt
Sacra Palatini penetralia viſere Phœbi.
Tu mihi talis eris, qualis qui dulce ſonantem
Thyron è ſylvis dominam deduxit in Urbem,
Oſtendíſque deos, & ſpreto dixit ovili,
Tityre rura priùs, ſed pòſt cantabimus arma.
ME. Reſpiciat noſtros utinam fortuna labores
Pulchrior, & meritæ faveat deus ipſe juventæ.
Nos tamen interea tenerum mactabimus hœdum,
Et parìter ſubitæ peragemus fercula cœnæ.
Nunc ad flumen oves deducite: jam fremit æſtus,
Jam ſol contractas pedibus magìs admovet umbras.

Cùm juveni ſenior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris.
Quas errare vides inter dumeta capellas,
Canáque laſcivo concidere gramina morſu,
Canthe puer, quos ecce greges à monte remotos
Cernis in aprico decerpere gramina campo:
Hos tibi do ſenior juveni pater: ipſe tuendos
Accipe: jam certè potes inſudare labori,
Jam pro me gnavam potes exercere juventam.
Aſpicis, ut nobis jamdudum mille querelas
Afferat, & baculum premat inclinata ſenectus?
Sed quâ lege regas & amantes luſtra capellas,
Et meliùs pratis erranteis mollibus agnas,
Percipe. Vere novo, cùm jam tinnire volucres
Incipient, nidóſque reverſa lutabit hirundo:
Protinus hyberno pecus omne movebis ovili.
Tunc etenim toto vernanti gramine ſylva
Pullat, & æſtivas reparabilis inchoat umbras.
Tunc florent ſylvæ, viridíſque renaſcitur annus.
Tunc Venus, & calidi ſcintillat fervor amoris,
Laſcivúmque pecus ſalienteis accipit hircos.
Sed non antè greges in paſcua mittito clauſos,
Quàm fuerit placata Pales, tum cæſpite vivo
Pone focum, Genialémque lœti, Faunámque, Larémque
Salſo farre voca, tepidos tunc hoſtia cultros
Imbuat: atque etiam, dum vivit, ovilia luſtra.
Nec mora; tunc campos ovibus, dumeta capellis
Orto ſole dabis, ſimul hunc tranſcendere montem
Coperit, & primæ ſpatium tepefecerit horæ.
At ſi fortè vaces, dum matutina relaxat
Frigora ſol, tumidis ſpument tibi mulctra papillis,
Implebis quod meſſe fluat: rurſúſque premetur
Mane, quod occiduæ mulſura redegerit horæ.
Parce tamen fœtis: nec ſint compendia tanti,
Deſtruat ut niveos venalis caſeus agnos.
Nam tibi præcipuo fœtura colatur amore.
Te quoque non puderat, cùm ferus ovilia viſer,
Si qua jacebit ovis partu reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natóſque tepenti
Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare paratos.
Nec tu longinquas procul à præſepibus herbas,
Nec nimis amotæ ſectabere pabula ſylvæ,
Dum peragit vernum Jovis inconſtantia tempus.
Veris enim dubitanda fides: modò fronte ſerena
Blandius arriſit, modò cum caligine nimbos
Intulit, & miſeras torrentibus abſtulit agnas.
At cùm longa dies ſitienteis afferet æſtus,
Nec fuerit variante deo mutabile cœlum;
Jam ſylvis committe greges, jam longiùs herbas
Quære: ſed ante diem pecus exeat. humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Eois
Frigida nocturno tinguntur paſcua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ.
At ſimul argutæ nemus increpuere cicadæ,
Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas
Vel campos permitte ſequi. ſine, protegat illos
Interea veneres quæ porrigit eſculus umbras.
Verùm ubi declivi jam nonæ tepeſcere ſole
Incipiet, ſeræque videbitur hora merendæ;
Rurſus paſce greges, & opacos deſere lucos.
Nec priùs æſtivo pecus includatur ovili,
Quàm levibus nidis ſomnos captare volucris
Cogitet, & tremuli tremebunda coagula lactis.
Succida jam tereti conſtringere vellera junco,
Cùm jam tempus erit maternas demere lanas,
Hircorúmque jubas, & olentes cædere barbas:
Antè tamen ſecerne pecus, gregibúſque notatis
Conſimiles include comas; ne longa minutis,
Mollia ne duris coeant, ne candida fuſcis.
Sed tibi cùm vacuas poſito velamine coſtas
Denudabit ovis, circumſpice, ne ſit acutâ
Forfice læſa cutis; tacitum ne puſtula virus
Texerit occulto ſub vulnere. quæ niſi ferro
Rumpitur, ah miſerum fragili rubigine corpus
Corrodet ſanies, & putrida contrahet oſſa.
Providus (hoc moneo) viventia ſulphura recumi,
Et ſcyllæ caput atque intacta bitumina porta,
Ulceribus laturus opem: nec Brutia deſit
Dura tibi, & liquido ſimul unguine terga (memento)
Si ſint raſa, linas. vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentúmque bitumen aheno,
Impreſſurus ovi tuæ nomina. nam tibi lites
Auferet ingenteis lectus poſſeſſor in arvo.
Tunc etiam dum ſiccus ager, dum ſervida tellus;

ECLOGA V. MYCON.

FORTE Mycon ſenior, Canthúſque Myconis alumnus
Torrentem paulùm vitabant arbore ſolem,

Inter femineas ſpectabat turba cathedras.
Nam quæcunque patent ſub aperto libera cœlo,
Aut eques, aut nivei loca denſavere tribuni.
Qualiter hæc patulum contendit vallis in orbem,
Et ſinuata latus reſupinis undique ſylvis,
Inter continuos curvatur concava montes:
Sic tibi planitiem curvæ ſinus ambit arenæ,
Et geminis medium ſe molibus alligat ovum.
Quid tibi nunc referam, quæ vix ſuffecimus ipſi
Per partes ſpectare ſuas? ſic undique fulgor
Percuſſit. ſtabam defixus & ore patenti,
Cunctáque mirabar, nec dum bona ſingula nôram.
Tum mihi dum ſenior lateri qui fortè ſiniſtro
Junctus erat, quid te ſtupefactum ruſtice, dixit,
Ad tantas miraris opes? qui neſcius auri
Sordida tecta caſas & ſola mapalia nôſti.
En ego tam tremulus, tam vertice canus, & iſtâ
Factus in urbe ſenex, ſtupeo tamen. omnia certè
Vilia ſunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectavimus olim.
Balteus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant. nec non ubi finis arenæ
Proxima marmoreo peragit ſpectacula muro,
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rotulam, tereti quà lubricus axis
Impoſitos ſubitâ vertigine falleret ungues,
Excuterétque feras. auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus extant,
Dentibus æquatis; & erat (mihi crede Lycota,
Si qua fides) noſtro dens longior omnis aratro.
Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores, & non ſinè cornibus apros,
Manticoram ſylvis etiam quibus editur Alces
Vidimus, & tauros quibus aut cervice levatâ
Deformis ſcapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Jactantur per colla jubæ, quibus aſpera mento
Barba jacet, tremulíſque rigent palearia ſetis.
Non ſolùm nobis ſylveſtria cernere monſtra
Contigit: æquoreos ego cum certantibus urſis
Spectavi vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amni
Qui ſata riparum venientibus irrigat undis.
Ah trepidi quoties nos deſcendentis arenæ
Vidimus in partes, ruptâque voragine terræ
Emerſiſſe feras; & eiſdem ſæpe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.
LY. O felix Corydon, quem non tremebunda ſenectus
Impetit. ô felix, quòd in hæc tibi ſecula primos
Indulgente deo dimittere contigit annos.
Nunc tibi ſi propiùs venerandum cernere numen
Sors dedit, & præſens vultúmque habitúmque notâſti;
Dic age, dic Corydon, quæ ſit modò forma deorum?
CO. O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet,
Vidiſſem propiùs mea numina: ſed mihi ſordes,
Pulláque paupertas, & aduncо fibula morſu
Obfuerunt. utcunque tamen conſpeximus ipſum
Longiùs, ac niſi me decepit viſus, in uno
Et Martis vultus & Apollinis eſſe putavi.



DECII AUSONII GALLI BURDIGALENSIS

POETÆ CHRISTIANI

OPERA.

D. AUSONII VITA,

EX PETRO CRINITO DESUMPTA.

DECIUS AUSONIUS, genere Gallus, patriâ Burdigalenſis fuit. Quod apertè indicatur ex ipſius ſcriptis, locis cùm pluribus, tum præcipuè his verſibus:

Burdigala eſt natale ſolum: clementia cœli
Mitis: ubi & rigua larga indulgentia terræ.

Vixit, ut conſtat, imperantibus Valentino & Valentiniano Auguſtis, quibus magnoperè acceptus traditur, ob ingenium atque excellentem doctrinam: ſed longè nobilior factus eſt ſub Gratiano Cæſare, quem in Latinis literis atque honeſtis diſciplinis magnâ diligentiâ erudivit, ut paulò pòſt dicemus. Parentem habuit nomine Auſonium, profeſſione medicum, multiſque ac variis honoribus illuſtratum, quod ipſe Poëta Auſonius teſtatur eo carmine, quo pietatem ſuam profeſſus eſt in deplorando obitu patris.

Quidam imperitiſſimè faciunt, qui ad hunc poëtam ea referunt, quæ ad patrem Auſonii pertinent. Cæſar Valentinianus tantum conceſſit moribus atque doctrinæ Auſonii, ut eum præcipuè delegerit inter cæteros omnes qui Gratianum filium inſtrueret, ejuſque ingenium Latinis literis erudiret. Quocirca maximam nobilitatem adeptus eſt: adeò, ut paulò pòſt patrocinio Cæſ. Gratiani provectus fuerit ad Conſularem dignitatem, quàm honeſtiſſimis ſuffragiis: ut abunde percipitur ex illâ nobili gratiarum actione, quâ Imperatori optimo & diſcipulo humaniſſimo gratulatur. Permulta compoſuit, & proſâ oratione, & carmine. Librum Epigrammatum magnâ ex parte à Græcis poëtis acceptum in Latinos numeros convertit mirâ elegantiâ, parique ingenio. Fuit enim Græcè ac Latinè peritiſſimus, ut ejus opuſcula demonſtrant. De iis urbibus ſcripſit, quæ nobiliores atque clariores haberentur, vario & multiplici genere carminum. Ex quo poëmate, quædam adhuc veluti fragmenta leguntur, *Cæſares item Romanos, & Burdigalenſes profeſſores, carmine proſequutus eſt. Itémque Heroes, qui Trojano bello interfuerunt.* Puellam nomine Biſſulam multis carminibus celebravit, admiratus egregiam illius formam, ſingularémque venuſtatem. De fluvio Moſellâ, qui Lingonum fines prætergrediens in Rhenum influit, *multa cecinit.* In quo maximam laudem (ut eſt author Symmachus) jure optimo ſibi vindicavit. Siquidem incredibili elegantiâ utitur in eo deſcribendo. Faſtorum præterea libros abſolvit: opus certè maximi laboris, ac multarum vigiliarum. A principio enim urbis conditæ auſpicatus eſt, continuato ordine uſque ad ſuum conſulatum, ut ipſe iis verſibus teſtatur:

Urbis ab æterno deductam rege Quirino
Annorum ſeriem cùm Procula accipies,
Mille annos centúmque & bis fluxiſſe novenos
Conſulis Auſonii nomen adúſque leges.
Fors erit ut luſtrum cùm ſe cumulaverit iſtis,
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

Inter amicos præcipuè habuit Tetradium Gallum, Paulinum poëtam, & Heſperium: quorum ſtudium atque benevolentiam pluribus ac variis epiſtolis teſtatur. Symmachus autem vir conſularis, & apprime doctus, tantum poëtæ Auſonio detulit, ut aſſertum ab eo ſit, neminem eſſe omnium mortalium quem in officio amicitiæ illi compararet. Exſtant adhuc epiſtolæ ipſius Symmachi, velut optimi teſtes tam mutuæ, támque ſingularis inter ſe neceſſitudinis. Neque dubium eſt eundem Auſonium inter Chriſtianos relatum, quod illius opera multis locis demonſtrant. De obitu ipſius nihil certi haberi ex veterum lectione: etſi quidam tradant nonagenarium obiiſſe: in quo magno errore decipiuntur, cùm ad ipſius parentem pertineat. *Hæc Crinitus.* Plura vide apud Scalig. in lectionibus in hunc poëtam lib. 2. cap. ult.

PRÆFA-

PRÆFATIUNCULÆ TRES.

THEODOSIO AUGUSTO AUSONIUS.

AGRICOLAM si flava Ceres dare semina terræ,
Gradivus jubeat si capere arma ducem,
Solvere de portu classem Neptunus inermem,
Fidere tam fas est, quàm dubitare nefas:
Insanum quamvis hyemet mare, crudáque tellus
Seminibus, bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono. Mortalia quærunt
Consilium. certus jussa capesse Dei.
Scribere me Augustus jubet: & mea carmina poscit,
Penè rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed jussit: habebo.
Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidas vires ipse excitat: & juvat idem,
Qui jubet: obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse deo. Laudata pudoris
Sæpe mora est: quotiens contra parem dubites.
Quinetiam non jussa parant erumpere dudum
Carmina. Quis nolit Cæsaris esse liber?
Ne ferat indignum vatem, centúmque lituras,
Mutandas semper deteriore notâ.
Tu modò te jussisse, pater Romane, memento:
Inque meis culpis da tibi tu veniam.

Ausonius Syagrio suo S.

AUsonius genitor nobis. ego nomine eodem
Qui sim, quâ sectâ, stirpe, lare, & patriâ,
Adscipsi, ut nôsses, bone vir, quicunque fuissem,
Et notum memori me coleres animo.
Vasates patria est patri: gens Æduа matri
De patre: Tarbellis sed genitrix ab Aquis.
Ipse ego Burdigalæ genitus: divisa per urbes
Quatuor antiquas stirpis origo meæ.
Hinc latè fusa est cognatio, nomina multis
Ex nostrâ, ut placitum, ducta domo veniant
Derivata aliis: nobis ab stemmate primo
Et non cognati, sed genitiva placent.
Sed redeo ad seriem: genitor studuit medicinæ,
Disciplinarum quæ dedit una Deum.
Nos ad Grammaticen studium convertimus: & mox
Rhetorices etiam quod satis attigimus.
Nec fora non celebrata mihi: sed cura docendi
Cultior: & nomen Grammatici merui:
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Æmilium aut Scaurum, Berytiúmque Probum:
Sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
Collatus, non & subditus, adspicerem.
Exactíque dehinc per trina decennia fastis
Asserui doctor municipalem operam.
Aurea & Augusti Palatia jussus adire
Augustam sobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor: nec enim fiducia nobis
Vana, aut non solidi gloria judicii.
Cedo tamen fuerint famâ potiore magistri,
Dum nulli fuerit discipulus melior.
Alcides Atlantis, & Æacides Chironis,
Penè Jove iste satus, filius ille Jovis,
Thessaliam, Thebásque suos habuere penates:
At meus hic toto regnat in orbe suo.
Cujus ego comes, & Quæstor, &, culmen honorum,
Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio:
Et prior indeptus fasces, Latiámque curulem,
Consul, collegâ posteriore, fui.
Hic ego Ausonius: sed tu ne tempne, quòd ultro
Patronum nostris te paro carminibus.
Pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagri,
Communémque habitas alter ego Ausonium:
Sic etiam nostro præfatus habebere libro,
Differat ut nihilo, sit tuus, ánne meus.

Ausonius Latino Pacato Drepanio, Filio.

CUI dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poëta quondam:
Inventóque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum,
Burras, quisquilias, ineptiásque,
Credemus gremio cui fovendum?
Inveni, trepidè silete nactæ,
Nec doctum minûs, & magìs benignum,
Quàm quem Gallia præbuit Catullo.
Hôc nullus mihi carior meorum.
Quem pluris faciunt novem Sorores
Quàm cunctos alios, Marone demto.
PACATUM haud dubiè, Poëta, dicis.
Ipse est, intrepidè volate versus:
Et nidum in gremio fovete tuto.
Hic vos diligere, hic volet tueri.
Ignoscenda teget, probata tradet,
Post hunc judicium timete nullum.

EPIGRAMMATA.

I. *De Augusto.*

PHOEBE potens numeris, præses Tritonia bellis,
Tu quoque ab ærio præpes Victoria lapsu,
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens, quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
Bellandi fandíque potens Augustus, honorem
Bis meret: ut geminet titulos, qui prælia Musis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter Chunósque truces, furtóque nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clariis tantum inter castra Camœnis.
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas,
Musarum ad calamos fertur manus, otia nescit,
Et commutatâ meditatur arundine carmen.
Sed carmen non molle modis, bella horrida Martis
Odrysii, Thressaque viraginis arma retractat.
Exsulta Æacide, celebraris vate superbo
Rursum: Romanúsque tibi contingit Homerus.

II. *De ferâ à Cæsare interfectâ.*

CEdere quæ lato nescit fera saucia ferro,
Armatíque urget tela cruenta viri,
Quàm grandes parvo patitur sub vulnere mortes,
Et solam leti vim probat esse manum!
Mirantur cassúsque novos, subitásque ruinas:
Quæritur, & fallit lumina plaga recens.
Nec contenta ictos letaliter ire per artus,
Conjungit mortes una sagitta duas.
Plurima communi pereunt ut fulminis ictu,
Hinc quoque de cœlo vulnera missa putes.

III. *Dam-*

Digitized by Google

III. *Danubius Augg. alloquitur.*

ILlyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere Augustos jubeo, natúmque, patrémque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuncius Euxino jam nunc volo currere ponto.
Ut sciat hoc Superûm cura secunda Valens;
Cæde, fugâ, flammis stratos periisse Suevos:
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quòd si lege maris refluus mihi curreret amnis,
Huc possem victos indè referre Gothos.

IV. *Idem eosdem alloquitur.*

DAnubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestrâ jam ditione fluo.
Quà gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas quà seco Pannonias,
Et quà dives aquis Scythico solvo ostia ponto:
Omnia sub vestrum flumina mitto jugum.
Augusto dabitur, sed proxima palma, Valenti.
Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

V. *Sub Valentiniani Junioris signo marmoreo.*

NUnc te marmoreum pro sumptu fecimus: at cùm
Augustus frater remeaverit, aureus esto.

VI. *Pictura subditi, ubi Leo unâ à Gratiano sagittâ occisus est.*

QUòd leo tam tenui patitur sub arundine letum,
Non vires terri, sed ferientis agunt.

VII. *De matre Augusti.*

ANte omnes alias felix tamen hôc ego dicar:
Sive deum peperi femina, sive virum.

VIII. *Exhortatio ad modestiam.*

FAma est fictilibus cœnâsse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerâsse luto,
Fercula gemmatis quum poneret horrida vasis:
Et miscere opes pauperiémque sinui.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Siciniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

IX. *De suis poëmatis.*

EST jocus in nostris, sunt seria multa, libellis:
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum;
Ludat permistis sobria Musa jocis.

X. *In Eumpinam adulteram.*

TOxica zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti letalia pondera vivi:
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum.
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit letalis noxa salutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis quà via nota cibis.
Quàm pia cura deûm! prodest crudelior uxor.
Et quum fata volunt, bina venena juvant.

XI. *Echo ad pictorem.*

VAne; quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
Ignotámque oculis sollicitare deam?
Aëris & linguæ sum filia, mater inanis
Indicii, vocem quæ finè mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

XII. *In simulachrum Occasionis & Pœnitentiæ.*

CUjus opus? Phidiæ, qui signum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit. tertia palma ego sum.
Sum dea quæ rara, & paucis OCCASIO nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum. Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego, quum volui.
Crine tegis faciem. Cognosci nolo. Sed heus tu
Occipiti calvo es. Ne teneat fugiens.
Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic rogo quæ sis.
Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum dea, quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempe ut pœniteat, sic METANOEA vocor.
Tu modò dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet. hanc retinent, quos ego præterii.
Tu quoque, dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

XIII. *Ad Gallam puellam jam senescentem.*

DIcebam tibi: Galla, senescimus. effugit ætas.
Utere rene tuo; casta puella, anus est.
Sprevisti. obrepsit non intellecta senectus.
Nec revocare potes, qui periere, dies.
Nunc piget: & quereris, quòd non aut ista voluntas
Tunc fuit: aut non est nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus: oblitáque gaudia junge.
Da, fruar, & si non quod volo, quod volui.

XIV. *De Lepore capto à cane marino.*

TRinacrii quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus: In me omnis terræ, pelagíque rapina est,
Forsitan & cœli: si canis astra tenet.

XV. *De Pergamo scriptore fugitivo: qui captus ferrat.*

TAM segnis scriptor, quàm lentus Pergame cursor,
Fugisti: & primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerâsti Pergame vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

XVI. *In eundem Pergamum.*

PErgame, non rectè punitus: fronte subîsti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coërce.
Injustum falsos excruciare reos.
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram,
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

XVII. *De Myrone, & Laïde.*

CAnus rogabat Laïdis noctem Myron:
Tulit repulsam protinus.
Causámque sensit: & caput fuligine
Fucavit atrâ candidum.
Idémque vultu, crine non idem Myron,
Orabat oratum priús.
Sed illa formam cum capillo comparans,
Similémque non ipsum rata,
Fortasse & ipsum, sed volens ludo frui,
Sic est adorta calidum:
Inepte, quid me, quod recusavi, rogas?
Patri negavi jam tuo.

XVIII. *De se, & uxore.*

LAïdas, & Glyceras, lascivæ nomina famæ,
Conjux in nostro carmine quum legeret;
Ludere me dixit, falsóque in amore jocari.
Tanta illi nostrâ est de probitate fides.

XIX. *Ad uxorem suam.*

UXor, vivamus, quod viximus: & teneamus
Nomina, quæ primo sumpsimus in thalamo;
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in ævo;
Quin tibi sim juvenis, tûque puella mihi.
Nestore sim quamvis provectior, æmulâque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deïphoben;
Nos ignoremus, quid sit matura senectus.
Scire ævi incertum, non numerare decet.

XX. *In Meroën anum ebriosam.*

QUI primus MEROE nomen tibi condidit, ille
Thesidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare est, nomen componere, quod sit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.
Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt:
Victima quod Trojæ prima futurus eras.
Idmona quod vatem, medicum quod lapida dicunt:
Discendas artes nomina præveniunt.
Et tu sic, Meroe: non quòd sis atra colore,
Ut quæ Niliacâ nascitur in Meroe:

Infusum

Infuſum ſed quod vinum non diluis undis,
Potare immixtum ſueta merúmque merum.

XXI. *Nemeſis, è Græco.*

ME lapidem quondam Perſæ advexere, tropæum
Ut fierem bello: nunc ego ſum NEMESIS.
At ſicut Græcis victoribus adſto tropæum,
Punio ſic Perſas vaniloquos Nemeſis.

XXII. *De varietate fortunæ, è Græco.*

THeſauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum, quo perituros erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit: & periit.

XXIII. *Idem aliter.*

QUI laqueum collo nectebat, repperit aurum:
Theſaurſque loco depoſuit laqueum.
At qui condiderat, poſtquam non repperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit laqueum.

XXIV. *De Thraſybulo Lacedæmonio.*

EXcipis adverſo quòd pectore vulnera ſeptem:
Arma ſuperveheris quòd, Thraſybule, tua;
Non dolor hic patris: Pitanæ ſed gloria major.
Rarum, tam pulchro funere poſſe frui.
Quem poſtquam mœſto ſocii poſuere feretro,
Talia magnanimus edidit orſa pater:
Flete alios. natus lacrymis non indiget ullis,
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

XXV. *De Lacænâ matre.*

MAter Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hôc, inquit, aut in hôc redi.

XXVI. *In divitem quendam.*

QUidam ſuperbus opibus, & faſtu tumens,
Tantúmque verbis nobilis,
Spernit vigentis clara ſecli nomina,
Antiqua captans ſtemmata,
Martem, Remúmque, & conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veſte contexi jubet:
Hos cælat argento gravi,
Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata.
Credo, quòd illi nec pater certus fuit:
Et mater eſt verè lupa.

XXVII. *An tiſbenes Cynicus Philoſophus*

INventor primus Cynices ego. Quæ ratio iſtuc?
Alcides multo dicitur eſſe prior:
Alcidâ quondam fueram doctore ſecundus,
Nunc ego ſum Cynices primus, & ille deus.

XXVIII. *Idem.*

DIſcipulus nulli melior, meliórve magiſter,
Εἰς ἀρίστου σοφίαν, ἢ κυνικὴν τορίαν.
Dicere me verum novit, qui novit utrumque,
Καὶ θεὸν Ἀλκείδην, ἢ κυνία Διογένην.

XXIX. *Libero patri.*

Αἰγύπτιε μὲν Ὄσιρις ἐγὼ, Μυσῶν ἢ Φανάκης,
Βάκχῳ ἐπὶ ζωῇσιν, ἐπὶ φθιμένοις Ἀΐδωνεύς,
Πυγμαῖος, Νίκαιος, Τριετηρίτης, Διόνυσος.

XXX. *Myobarbum Liberi patris ſigno marmoreo in villâ noſtrâ omnium deorum argumenta habentis.*

OGygia me Bacchum vocat.
Osirin Ægyptus putat.
Myſi Phanacen nominant.
Dionyſon Indi exiſtimant.
Romana ſacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

XXXI. *In Corydonem marmoreum.*

Αἶξ, χίμαιρ᾽, οὐκέτι ποιμὼ, βαλὼν ἀγκῶνα, λιλαίῃ,
Εἰς λίθον. ἀλλ᾽ ἀεὶ πάντας λατρεύω ἐγὼ Κορύδωνα.

XXXII. *In ſimulacrum Sapphûs,*

LEsbia Pieriis Sappho ſoror addita Muſis,
Ἐν μέσαις ἑνάτη Δυσπόρου, Λεσβὶς ἑκάτη.

XXXIII. *Dea Veneris.*

ORta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo,
Æneadum genetris, hîc habito alma Venus.

XXXIV. *Ad libellum ſuum de Proculo.*

SI tineas, cariémque pati te, charta, neceſſe eſt,
Incipe verſiculis anteperire meis.
Malo, inquis, tineis. Sapis, arumnoſe Libelle,
Perfungi mavis qui leviore malo.
Aſt ego damnoſæ nolo otia perdere Muſæ,
Jacturam ſomni quæ parit, atque olei.
Utilius dormire fuit, quàm perdere ſomnum,
Atque oleum. bene ais. cauſa ſed iſta mihi eſt;
Iraſcor Proculo: cujus facundia tanta eſt,
Quantus honor. ſcripſit plurima, quæ cohibet.
Hunc ſtudio ulciſci: & prompta eſt hæc ultio vati:
Qui ſua non edit carmina, noſtra legat.
Hujus in arbitrio eſt, ſeu te juveneſcere cedro,
Seu jubeat duris vermibus eſſe cibum.
Huic ego, quod nobis ſupereſt ignobilis oti,
Deputo: ſive legat, quæ dabo, ſive tegat.

XXXV. *De nomine cujuſdam Lucii, ſculpto in marmore.*

LUcius una quidem, geminis ſed diſſita punctis
Littera: prænomen ſic L nota ſola facit.
Poſt M inciſum eſt: puto ſic M non tota videtur.
Diſſiluit ſaxi fragmine læſus apex.
Nec quiſquam, Marius, ſeu Marcius, ánne Metellus
Hîc jaceat, certis noverit indiciis.
Truncatis convulſa jacent elementa figuris,
Omnia confuſis interiere notis.
Miremur periiſſe homines? monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis, nominibúſque venit.

XXXVI. *De Sabinâ uxore.*

SIve probas Tyrio textam ſubtegmine veſtem:
Seu placet inſcripti commoditas tituli:
Ipſius hoc dominæ concinnat utrumque venuſtas,
Has geminas artes una Sabina colit.

XXXVII. *De eâdem Sabinâ.*

LAudet Achæmenias orientis gloria telas:
Molle aurum pallis Græcia texe tuis:
Non minùs Auſoniam celebret dum fama Sabinam,
Parcentem magnis ſumptibus, arte parem.

XXXVIII. *De eâdem Sabinâ.*

LIcia qui texunt & carmina; carmina Muſis,
Licia contribuunt caſta Minerva tibi.
Aſt ego rem ſociam non diſſociabo, Sabina:
Verſibus inſcripſi quæ mea texta meis.

XXXIX. *Qualem velit amicam.*

HAnc volo, quæ non volt; illam quæ volt, ego nolo.
Vincere volt animos, non ſatiare Venus.
Oblatus ſperno illecebras, detrecto negatas.
Nec ſatiare animum, nec cruciare volo.
Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere.
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.
Callida ſed mediæ Veneris mihi venditet artem
Femina, cui jungar, quod volo, nolo vocet.

XL. *De Chreſto & Acindyno fratribus.*

XΡῆς Θ᾽, Ἀκίνδυνος Θ᾽, ἀεὶν ἀδικοῦσι· κἀκίονα, καὶ τίτλον,
Moribus ambo malis, nomina falſa gerunt.
Οὐδ᾽ ἓν Θ᾽ χρηστὸν, ἀδ᾽ ἓν Θ᾽ ἀκίνδυνόν ἐστιν.
Una poteſt ambos littera corrigere.
Αἴκεν Χρῆστος ἦν, ἢ Ἀκίνδυνος ἄλφ᾽ ἀμείνων:
Κίνδυνος hic fiet: frater Ἄχρηστος erit.

XLI. *De iiſdem.*

GErmani fratres ſunt, Chreſtos, Acindynos alter.
Falſum nomen utrique; ſed ut verum ſit utrique,
Alpha ſuum Chreſto det Acindynos, ipſe ſinè alpha
Permanent, verum nomen uterque geret.

XLII. *De Pallade, & Venere armatâ.*

ARmatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.
Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus: Armatam tum me, temeraria, temnis,
Quæ, quo te vici tempore, nuda fui?

Idem

Digitized by Google

XLIII. *Idem aliter.*

ARmatam Pallas Venerem Lacedæmone visens,
Vsine, ut judicium sic incamus? ait.
Cui Venus arridens, Quid me galeata lacessis?
Vincere si possum nuda, quid arma geres?

XLIV. *Ad Philomusum grammaticum.*

EMptis quòd libris tibi bibliotheca referta est;
Doctum, & grammaticum te, Philomuse, putas?
Hôc genere & chordas, & plectra, & barbita conde.
Omnia mercatus, eras citharœdus eris.

XLV. *In statuam Rufi, rhetoris furiosi, & elinguis.*

RHetoris hæc Rufi statua est. nil verius. ipsa est.
Ipsa adeò lingoam non habet, & cerebrum.
Et riget, & surda est, & non videt. omnia Rufi.
Unum dissimile est. mollior ille fuit.

XLVI. *In tabulam, ubi erat picta imago Rufi rhetoris*

ELinguem quis te dicentis imagine pinxit?
Dic mihi, Rufe. taces. nil tibi tam simile est.

XLVII. *De eâdem tabulâ.*

HÆC Rufi tabula est. nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedrâ. Quid agit? Hoc, quod & in tabulâ.

XLVIII. *De eodem Rufo.*

REMINISCO Rufus dixit in versu suo:
COR ergo versus, imò Rufus non habet.

XLIX. *Idem.*

QUI REMINISCO putat se dicere posse Latinè:
Hic ubi CO scriptum est, legeret COR, si cor haberet.

L. *De eodem Rufo.*

RUfus vocatus rhetor olim ad nuptias,
Celebri (ut fit) convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis:
Et masculini, & feminini giguite,
Generisque neutri filios.

LI. *Imago Rufi rhetoris.*

ORE pulchro, & ore muto. scire vis quæ sim? Volo.
Imago Rufi rhetoris Pictavicæ.
Diceret sed ipse, vellem, Rhetor hoc mi. Non potest.
Cur? ipse rhetor est imago imaginis.

LII. *De eâdem Rufi statuâ.*

RHetoris hæc Rufi statua est. Si saxea, Rufi.
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

LIII. *De Diogene Cynico philosopho.*

PEra, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Namque cavis manibus cernens potare bubulcum,
Cur scyphe, te, dixit, gesto supervacuum?

LIV. *De Cræso, & eodem Diogene.*

EFfigiem, rex Cræse, tuam, ditissime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utque procul, solito majore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc prosunt, regum rex ô ditissime, quum te
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcunque habui, mecum fero: quum nihil ipse
Ex tantis tecum, Cræse, feras opibus.

LV. *Lais dicaus Veneri speculum suum.*

LAïs anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hôc usus: quia cernere talem,
Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

LVI. *De Castore, Polluce, & Helenâ.*

ISTos, tergemino nasci quos cernis ab ovo,
Patribus ambiguis & matribus assere natos.
Hos genuit Nemesis: sed Leda puerpera fovit,
Tyndareus pater his, & Jupiter. hic putat, hic scit.

LVII. *De imagine Veneris sculptâ à Praxitele.*

VEra Venus Gnidiam quum vidit Cyprida, dixit:
Vidisti nudam me, puto, Praxitele.
Non vidi, nec fas: sed ferro opus omne polimus.
Ferrum Gradivi Martis in arbitrio.
Qualem igitur domino scierant placuisse Cytheren,
Talem fecerunt ferrea cœla deam.

LVIII. *In buculam æream Myronis.*

BUcula sum, cœlo genitoris facta Myronis
Ærea: nec factam me puto, sed genitam.
Sic me taurus init: sic proxima bucula mugit:
Sic vitulus fitiens ubera nostra petit.
Miraris, quòd fallo gregem? gregis ipse magister
Inter pascentes me numerare solet.

LIX. *De eâdem buculâ.*

UBera quid pulsas frigentia matris aheno,
O vitule, & succum tactis ab ære petis?
Hunc quoque præstarem: si me pro parte parâsset
Exteriore Myron, interiore deus.

LX. *Ad Dædalum de eâdem buculâ.*

DÆdale, cur vanâ consumis in arte laborem?
Me potiùs clausis subjice Pasiphaæ.
Illecebras vacæ si vis dare, Dædale, vaccæ,
Viva tibi species vacca Myronis erit.

LXI. *Eadem de se.*

ERrâsti, attendens hæc ilia nostra, juvence.
Non manus artificis hæc dedit uberibus.

LXII. *Eadem.*

PAsce greges procul hinc, ne quæso, bubulce, Myronis
Æs, velut spirans cum bubus, exagites.

LXIII. *Eadem.*

ME vitulus cernens, immugiet. irruet in me
Taurus amans. pastor cum grege mittet agens.

LXIV. *De eâdem Myronis buculâ.*

ÆRea mugitum poterat dare vacca Myronis:
Sed timet artificis detuisse ingenium.
Fingere nam similem vivæ, quàm vivere, plus est;
Nec sunt facta dei mira, sed artificis.

LXV. *Eadem bucula de se.*

ÆRea bos fueram, mactata est vacca Minervæ,
Sed dea profiatam transtulit hæc animam.
Et modò sum duplex: pars ærea, pars animata.
Hæc manus artificis dicitur, illa dea.

LXVI. *Ad taurum eadem buculâ.*

QUid me taure paras, specie deceptus, inire?
Non sum ego Minoæ machina Pasiphaæ.

LXVII. *De eâdem Myronis bucula.*

NEcdum caduco sole, jam sub vespere,
Ageret juvencas quum demum pastor suas,
Suam relinquens, me minabat, ut suam.

LXVIII. *De eâdem buculâ.*

UNam juvencam pastor fortè amiserat.
Numerúmque jussus reddere,
Me defuisse conquerebatur: sequi
Quæ noluissem cæteras.

LXIX. *Quæ sexum mutârint.*

VAllebanæ (nova res, & vix credenda poëtis:
Sed quæ de verâ promitur historiâ)
Femineam in speciem convertit masculus ales:
Pavâque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum: sed mollior æqua
Adstitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem noto novitatis hebetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænida convertit proles Saturnia Consus:
Ambiguóque fuit corpore Tiresias.
Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum.
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum, quòd Campana in Beneventio
Unus epheborum virgo repentè fuit.

Nolo

Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ.
Ecce ego sum factus femina de puero.

LXX. *Ad Pythagoram, de Marco.*

PYthagora Euphorbi, reparas qui semina rerum,
Corporibúsque novis das reduces animas:
Dic, quid erit Marcus jam fata novissima functus,
Si redeat vitam rursus in aëriam?
Quis Marcus? Feles nuper pullaria dictus:
Corrupit totum qui puerile secus:
Perversæ Veneris postico vulnere fossor,
Lucilî vatis fabulo, pulliprema.
Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
Non caper, aut aries, sed scarabæus erit.

LXXI. *Subscriptum picturæ Crispæ mulieris impudicæ.*

PRæter legitimi genitalia fœdera cœtûs,
Repperit obscœnas veneres vitiosa libido.
Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas,
Quam toga facundi scenis agitavit Afrani,
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno,
Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam;
Ne quid inexpertum frustra morituta relinquat.

LXXII. *De Achillâ, qui dissecuit calvitium.*

ABjecta in triviis inhumati glabra jacebat
Tesla hominis, nudum jam cute calvitium.
Fleverunt alii: fletû non motus Achillas,
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo icto rediit lapis ultor ab osse:
Auctorisque sui frontem oculósque petit.
Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
Auctorem ut feriant tela retorta suum.

LXXIII. *De Alcone medico, & Diodoro haruspice.*

LAnguenti Marco dixit Diodorus haruspex,
Ad vitam non plus sex superesse dies.
Sed medicus divis fatisque potentior Alcon:
Falsum convicit illico haruspicium,
Tractavitque manum victuri, ni tetigisset.
Illico nam Marco sex periere dies.

LXXIV. *De signo Jovis, & Alcone medico.*

ALcon hesterno signum Jovis attigit. ille,
Quamvis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce hodie jussus transferri ex æde vetustâ
Effertur: quamvis sit Deus, atque lapis.

LXXV. *In Eunomum medicum.*

LAnguentem Cajum moriturum dixerat olim
Eunomus. evasit fati ope, non medici.
Paulo pòst ipsum videt, aut vidisse putavit
Pallentem, & multâ mortis in effigie.
Quis tu? Cajus, ait. Vivisne? hic abnuit. At quid
Nunc agis hìc? missu Ditis, ait, venio.
Ut, quia notitiam rerúmque hominúmque tenerem,
Accirem medicos. Eunomus obriguit.
Tum Cajus: Metuas nihil, Eunome. dico ego & omnes,
Nullum qui saperet, dicere te medicum.

LXXVI. *In hominem vocis absonæ.*

LAtratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenúmque pecus, lanigerósque greges
Balatu adsimilas: asinos quoque rudere dicas,
Quum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, & ovantes gutture corvos,
Et quicquid vocum bellua & ales habet.
Omnia quum simules ita verè, ut ficta negentur:
Non potes humanæ vocis habere sonum.

LXXVII. *Ad Crispam.*

DEformem quidam te dicunt Crispa: at ego istud
Nescio. mî pulchra es, judice me satis est.
Quinetiam cupio, junctus quia zelos amori est,
Ut videare aliis fœda, decora mihi.

LXXVIII. *Qualem velit habere amicam.*

SIT mihi talis amica, velim:
Jurgia quæ temere incipiat:
Nec studeat quasi casta loqui.
Pulchra, procax, petulante manu.
Verbera quæ ferat, & regerat.
Castáque ad oscula confugiat.

Nam nisi moribus his fuerit:
Casta, modesta, pudenter agens;
Dicite abominor, uxor erit.

LXXIX. *Ad Cupidinem, ex Græco.*

HOC quod amare vocant, misce, aut dissolve Cupido,
Aut neutrum flammis ure, vel ure duos.

LXXX. *Ad Dionen, de amore suo.*

AUT restingue ignem, quo torreor, alma Dione:
Aut transire jube: vel face utrimque parem.

LXXXI. *Ex Græco, ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.*

INcipe. dimidium facti est, cœpisse. superfit
Dimidium. rursum hoc incipe: & efficies.

LXXXII. *Ex Græco.*

Αἱ χάριτες ἀ ϛυδῶσαι ἀχάριτες χάριτες.

GRatia quæ tarda est, ingrata est. Gratianamque
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

LXXXIII. *Idem.*

SI bene quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.

LXXXIV. *In saltatorem ineptum.*

DEceptæ felix casus se miscuit arti.
Histrio, saltavit qui Capanea, ruit.
Idem qui Nioben saltavit saxeus, ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
In Canace, visus multo felicior ipsâ:
Quòd non hic gladio viscera dissecuit.

LXXXV. *De eodem.*

DAphnen & Nioben saltavit simius idem,
Ligneus ut Daphne, saxeus ut Niobe.

LXXXVI. *Dodralis potio.*

DOdra ex dodrante est. sic collige: jus, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

LXXXVII. *De eâdem.*

DOdra vocor. Quæ causa? Novem species gero.
Quæ sunt?
Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.

LXXXVIII. *De eâdem dodrâ potione.*

Δόδρα μὲν ἐγὼ ϛι λέγομαι· ἔχω μέλι, οἶνον, ἅλατα,
Ἄρτον, ἅλας, ϛορδὸν, ζωμὸν, ὕδωρ, πέπερι.

LXXXIX. *De Jurisconsulto, qui uxorem habebat adulteram.*

JUris consulto, cui nubit adultera conjux,
Papia lex placuit: Julia displicuit.
Quæritis, unde hæc sit distantia? semivir ipse
Scatinium metuens, non metuit Titiam.

XC. *Ad Zoilum, qui uxorem mœcham duxerat.*

SEmivir uxorem duxisti, Zoile, mœcham.
O quantus fiet quæstus utrinque domi!
Quum dabit uxori molitor tuus, & tibi adulter.
Quanti dèprensi damna pudoris ement!
Sed modò quæ vobis lucrosa libido videtur,
Jacturam senio mox subeunte feret.
Incipient operas conducti vendere mœchi,
Quos modò munifica lena juventa dabit.

XCI. *Ad Venerem, διάφορος.*

HAnc amo, quæ me odit: contrà, hanc, quoniam me amat, odi.
Compone inter nos, si potes, alma Venus.
Perfacile id faciam. mores mutabo, & amores.
Oderit hæc, amet hæc. Rursus idem patiar.
Vis ambas ut ames? Si diligat utraque, vellem.
Hoc tibi tu præsta, Marce: ut ameris, ama.

XCII. *Ad eandem.*

SUasisti, Venus ecce, duas dyseros ut amarem.
Odit utraque: aliud da modò consilium.
Vince datis ambas. Cupio: verùm arcta domi res.
Pellice promissis. Nulla fides inopi.

Atteſtare deos. Nec fas mihi fallere divos.
Pervigila ante fores. Nocte capi metuo.
Scribe elegos. Nequeo, Muſarum & Apollinis expers.
Frange fores. Pœnas judicii metuo.
Stulte ab amore mori pateris: non vis ob amorem.
Malo miſer dici, quàm miſer atque reus.
Suaſi quod potui: tu alios modò conſule. Dic quos?
Quod ſibi ſuaſerunt, Phædra & Eliſſa dabunt.
Quod Canace, Phyllíſque, & faſtidita Phaoni.
Hoc das conſilium? Tale datur miſeris.

XCIII. *Pulchrum dei reſponſum.*

DOctus Hylas cæſtu, Phegeus catus arte palæſtræ,
Clarus Olympiacis & Lycus in ſtadiis,
An poſſent omnes venturo vincere agone,
Hammonem Libyæ conſuluere deum.
Sed deus, ut ſapiens, Dabitur victoria vobis
Indubitata quidem, ſi caveatis, ait,
Ne quis Hylam cœtu, ne quis certamine luctæ
Phegea, ne curſu te, Lyce, prætereat.

XCIV. *De Hermiones zonâ.*

PUnica turgentes redimibat zona papillas
Hermiones: zonæ textum elegîon erat.
Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames me:
Exemplóque tuo neminem amare vetes.

XCV. *De Hylâ, quem Naiades rapuerunt.*

ASpice quàm blandæ necis ambitione fruatur,
Letifera experiens gaudia, pulcher Hylas!
Oſcula & infeſtos inter morituros amores,
Ancipites patitur Naiadas Eumenidas.

XCVI. *Ad Nymphas, Narciſſum perſequentes.*

FUritis procaces Naiades
Amore ſævo, & irrito.
Ephebus iſte flos erit.

XCVII. *De Narciſſo, qui ſui ipſius amore captus erat.*

SI cuperes alium, poſſes, Narciſſe, potiri.
Nunc tibi amoris adeſt copia: fructus abeſt.

XCVIII. *De eodem.*

QUid non ex hujus formâ pateretur amator,
Ipſe ſuam qui ſic deperit effigiem?

XCIX. *In Echo dolentem propter mortem Narciſſi.*

COmmoritur, Narciſſe, tibi reſonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitum reſecuta querelis,
Ultima nec etiam verba loquentis amat.

C. *De Hermaphrodito.*

MErcurio genitore ſatus, genitrice Cythere,
Nominis ut mixti, ſic corporis Hermaphroditus,
Concretus ſexu, ſed non perfectus, utroque:
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

CI. *De conjunctione Salmacis cum Hermaphrodito.*

SAlmacis optato concreta eſt nympha marito.
Felix virgo, ſibi ſi ſcit ineſſe virum.
Et tu formoſæ juvenis permixte puellæ,
Bis felix, unum ſi licet eſſe duos.

CII. *Ad Apollinem, de Daphne puellâ fugiente.*

POne arcum Pæan, celeréſque reconde ſagittas:
Non te virgo fugit, ſed tua tela timet.

CIII. *Ad corticem, quo Daphne tegebatur.*

INvide cur properas cortex operire puellam?
Laurea debetur Phœbo, ſi virgo negatur.

CIV. *In duas ſorores diverſorum morum.*

DElia, vos miramur: & eſt mirabile, quòd tam
Diſſimiles eſtis, túque ſorórque tua.
Hæc habitu caſto, quum non ſit, caſta videtur;
Tu præter cultum nil meretricis habes.
Quum caſti mores tibi ſint, huic cultus honeſtus:
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

CV. *Ad Gallum.*

VAdo, ſed ſinè me, quia te ſinè: nec niſi tecum
Totus ero; pars quum ſim altera Galla tui.
Vado tamen, ſed dimidius. vado minor ipſo
Dimidio: nec me jam locus unus habet.
Nam tecum fere totus ero, quocumque recedam.
Pars veniet mecum quantulacunque mei.
Separor unus ego: ſed partem ſumo minorem
Ipſe mei. tecum pars mea major abit.
Si redeam, tibi totus ero: pars nulla vacabit,
Quæ mox non redeat in tua jura. Vale.

CVI. *In Venerem anadyomenen.*

EMerſam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus:
Ut complexa manu madidos ſalis æquore crines
Humidulis ſpumas ſtringit utrâque comis.
Jam tibi nos Cypri, Juno, inquit, & innuba Pallas,
Cedimus, & formæ præmia deferimus.

CVII. *In puerum formoſum.*

DUM dubitat natura, marem, faceréne puellam:
Factus es ô pulcher penè puella puer.

CVIII. *In ſcabioſum Polygitonem.*

THermarum in ſolio ſi quis Polygitona vidit
Ulcera membrorum ſcabie putrefacta foventem,
Præpoſuit cunctis ſpectacula talia ludis.
Principio tremulis gannitibus æra pulſat,
Verbáque laſcivos meretricum imitantia cœtus
Vibrat: & obſcœnæ numeros pruriginis implet.
Brachia deinde rotat, velut enthea dæmone Mænas,
Pectus, crura, latus, ventrem, femora, inguina, ſuras,
Tergum, colla, humeros, luteæ Symplegadis antrum.
Tam diverſa locis vaga carnificina pererrat,
Donec marcentem calidi fervore lavacri
Blandus letali ſolvat dulcedine morbus.
Defectos ſic fama viros, ubi caſſa libido
Femineos cœtus, & non ſua bella laceſſit,
Irrita vexato conſumere gaudia lecto,
Titillata brevi quum jam ſub fine voluptas
Fervet, & ingeſto peragit ludibria morſu:
Turpia non aliter Polygiton membra reſolvit.
Et quia debentur ſuprema piacula vitæ,
Ad Phlegethonteas ſeſe jam præparat undas.

CIX. *De quodam Silvio Bono, qui erat Brito.*

SIlvius ille Bonus, qui carmina noſtra laceſſit,
Noſtra magis meruit diſticha Brito Bonus.

CX. *De eodem.*

SIlvius hîc Bonus eſt. Quis Silvius? Iſte Britannus.
Aut Brito hic non eſt Silvius, aut malus eſt.

CXI. *De eodem.*

SIlvius iſte Bonus fertur, ferturque Britannus:
Quis credat civem degenerâſſe bonum?

CXII. *De eodem.*

NEmo bonus Brito eſt. ſi ſimplex Silvius eſſe
Incipiat, ſimplex deſinat eſſe Bonus.

CXIII. *De eodem.*

SIlvius hic Bonus eſt. Sed Brito eſt Silvius idem.
Simplicior res eſt, credite, Brito malus.

CXIV. *De eodem.*

SIlvi, Brito, Bonus, quamvìs homo non bonus eſſe
Ferris: nec ſe quit jungere Brito Bono.

CXV. *In Furippum.*

PArs te Furippum vocitat, pars verò Furippum,
Altera producens, altera corripiens.
Elige utrum malis: aut tende, aut corripe nomen.
Conveniet quodvis, fur furioſe, tibi.

CXVI. *Epicuri opinio.*

QUod eſt beatum, morte & æternum carens,
Nec ſibi parit negotium, nec alteri.

CXVII. *De homine pigro.*

SAnus piger febriente multo eſt nequior.
Potat duplum, dapéſque duplices devorat.

CXVII. *In*

Digitized by G

CXVIII. *In Didûs imagines.*

ILlo ego sum Dido vultu, quem conspicis, hospes,
Assimilata modis pulchráque mirificis.
Talis eram: sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troïus unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma procacis barbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo: castus quòd perculit ensis,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat. vixi sinè vulnere famæ.
Ulta virum, positis mœnibus, oppetii.
Invida cur in me stimulâsti Musa Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magìs historicis, lectores, credite de me,
Quàm qui furta deûm concubitúsque canunt
Falsidici vates: temerant qui carmine verum:
Humanísque deos assimilant vitiis.

CXIX. *De tribus incestis.*

TRes uno in lecto. stuprûm duo perpetiuntur,
Et duo committunt, quatuor esse reor.
Falleris; extremis da singula crimina: & illum
Bis numeres medium, qui facit, & patitur.

CXX. *In Castorem.*

LAmbere quum vellet mediorum membra virorum
Castor, nec posset vulgus habere domi:
Repperit, ut nullum fellator perderet inguen.
Uxoris cœpit lingere membra suæ.

CXXI. *De amissâ puellâ.*

TRes fuerant Charites: sed dum mea Lesbia vixit,
Quatuor. ut periit, tres numerantur item.

CXXII. *In Faustulum statura brevis Aucii Probini.*

FAustulus insidens formicæ, ut magno elephanto,
Decidit, & terræ terga supina dedit.
Mórque idem ad mortem est multatus calcibus ejus,
Perditus ut posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus: Quid rides, improbe Livor,
Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaëthon.

CXXIII. *In Eunum liguritorem.*

EUne quid affectas vendentem Phyllida odores?
Diceris hanc mediam lambere, non molere.
Perspice, ne mercis fallant te nomina: vel ne
Acre Sepasiæ decipiare, cave.
Dum Castòn Costónque putas communis odoris,
Et Nardum & Sardas esse sapore pari.

CXXIV. *In eundem.*

DIversa infelix & lambit, & olfacit Eunus.
Dissimilem olfactum naris & oris habet.

CXXV. *In eundem Eunum.*

SAlgama non hoc sunt, quod Balsama. cedite odores.
Nec malè olere mihi, nec bene olere placet.

CXXVI. *In eundem Eunum.*

Αἰς, Ἔρως, & Ἴτυς, Χείρων, & Ἔρως, Ἴτυς alter;
Nomida si scribis, prima elementa adime:
Ut facias verbum, quod tu facis, Eune magister.
Dicere me Latium non decet opprobrium.

CXXVII. *In eundem.*

EUne, quòd uxoris gravidæ putria inguina lambis:
Festinas glossas non natis tradere natis.

CXXVIII. *Ad eundem pædagogum liguritorem.*

EUnus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magister (sic eum docet Phyllis)
Muliebre membrum quadriangulum cernit.
Triquetro coactu Δ litteram ducit.
De valle femorum altrinsecus parcis rugas,
Meditúmque fissi rima quà patet, callem,
Ψ dicit esse: nam trifissilis forma est.
Cui ipse linguam quum dedit suam, Λ est,
Verámque in illis esse Φ notam sentit.
Quid imperite Ρ putas ibi scriptum,
Ubi locari Ι convenit longum?

Miselle doctor, Ω tibi sit obscœno,
Tuúmque nomen Θ sectilis signet.

CXXIX. *In Medeæ imaginem.*

MEdeam vellet quum pingere Timomachi mens,
Volventem in natos crudum animo facinus.
Immanem exhausit rerum in diversa laborem,
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira subest lacrymis, miseratio non caret irâ.
Alterutrum videas, ut sit in alterutro.
Cunctantem satis est. nam digna est sanguine mater
Natorum; tua non dextera, Timomache.

CXXX. *In eandem.*

QUis te pictorum simulavit, pessima Colchis,
In natos crudum volvere mente nefas?
Usque adeóne sitis puerorum haurire cruorem,
Ut ne picta quidem parcere cæde velis?
Numnam te pellex stimulat? númne alter Jason,
Altera vel Glauce sunt tibi causa necis?
Quin ne picta quidem tis barbara? namque tui vim
Cera tenax zeli concipit immodicam.
Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ense
Cunctantem, prolis sanguine ne maculet.

CXXXI. *In quendam, qui levia sibi inguina faciebat.*

INguina quod calido levas tibi dropace, causa est:
Irritant vellas levia membra lupas.
Sed quòd & elixo plantaria podice vellis,
Et teris incusas pumice Clazomenas,
Causa latet: bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit: & tergo femina, pube vir es.

CXXXII. *In cæcum, & claudum.*

INsidens cæco graditur pede claudus utroque.
Quo caret alterutro, sumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo gressúmque ministrat:
At claudus cæco lumina pro pedibus.

CXXXIII. *Idem.*

AMbulat insidens cæco, pede captus utroque:
Atque alterna subit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat: ille vicissim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

CXXXIV. *De divite & paupere.*

NON est dives opum dives: nec pauper inópsque
Infelix: alio nec magìs alter eget.
Dives eget gemmis, cereali munere pauper,
Sed quum egeant ambo, pauper egens minùs est.

CXXXV. *De Penelope.*

INtemerata procis, & tot servata per annos,
Oscula vix ipsi cognita Telemacho.
Hinc mea virginitas facibus tibi luxit adultis:
Arsit & invidiâ principe verus amor.
Sæpe ego mentitis tremui nova femina somnis;
Lapsáque non merito sunt mihi verba sono.
Et tamen ignotos sensi experrecta dolores,
Stratáque tentavi ficca pavente manu.
Nam tibi anhelanti, súpremáque bella moventi,
Paruit indulgens & sinè voce dolor,
Dente nihil violare fero, nihil unguibus ausæ:
Fœdera nam tacitâ pace peregit amor.
Denique non aviam tremulo clamore vocavi:
Nec prior obsequio serva cucurrit anus.
Ipsa verecundo tetigi pallore puellas,
Impositum teneri fassa pudoris opus.

CXXXVI. *In grammaticum.*

FElix Grammaticus non est: sed nec fuit unquam:
Nec quisquam est felix nomine grammaticus.
At si quis felix præter fatum extitit unquam:
Is demum excessit grammaticos canonas.

CXXXVII. *De infausto matrimonio Grammatici.*

ARma virúmque docens, atque arma virúmque peritus
Non duxi uxorem, sed magìs arma domum.
Namque dies totos, totásque ex ordine nóctes
Litibus oppugnat méque, meúmque larem:
Atque ut perpetuis dotata à Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Jamque repugnanti dedam me; ut denique vidua
Jurget ob hoc solum, jurgia quòd fugiam.

Digitized by Google

CXXXVIII. *De Auxilio Grammatico.*

EMendata poteſt quænam vox eſſe magiſtri,
Nomen qui proprium cum vitio loquitur?
Auxilium te nempe vocas, inſcite magiſter,
Da rectum caſum: jàm Soliciſmus eris.

CXXXIX. *De fratribus Thebanis.*

NEC Stygiis lucis ineunt ſua fœdera fratres
Oedipodionidæ, de miſero ah miſeri.
Namque etiam ex uno ſurgentes aggere flammæ
In diverſa ſui diſſiliunt cineris.
Infandos juvenes! quos nec diſcordia caſſos
Luce, nec in ſemet linquit atrox animus.
Atque utinam & Thebas quiſſent partirier ipſas,
Regnorum & metas, ut cinerum nebulas!

CXL. *De ingratis, ex Menandro.*

NIL homine terra pejus ingrato creat
Vicinus, hoſpes, notus, ignotus, cliens,
Et ſi qua genera civium ſunt id genus,
Si quid petenti promptus opis impertias
Ut miſereare, gratia actutum perit.

CXLI. *De Demoſthene.*

DIſcere ſi cupis, à doctis quàm multa licebit.
Quæ nôlti, meditando velis inoleſcere menti.
Quæ didiciſti hauddum, dicendo adſumere tendas.

CLXII. *De uxore diformi.*

DEformis uxor cui ſit, ancilla elegans:
Uxorem habere, ſubigere ancillam velit.

CXLIII. *De fortunæ varietate.*

FOrtuna nunquam ſiſtit in eodem ſtatu.
Semper movetur: variat, & mutat vices.
Et ſumma in imum vertit, ac verſa erigit.

CXLIV. *In Stellam.*

STella priùs ſuperis fulgebas lucifer: at nunc
Extinctus, caſſis lumine veſper eris.

CXLV. *Ex Menandro.*

RE fruere, ut natus mortalis; dilige ſed rem,
Tanquam immortalis. ſors eſt in utroque verenda.

CXLVI. *Ad notarium velociſſimè excipientem.*

PUer notarum præpetum,
Soleis miniſter advola.
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
Punctis peracta ſingulis,
Ut una vox abſolvitur.
Evolvo libros uberes,
Inſtárque denſæ grandinis
Torrente linguâ perſtrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
Nec occupatur pagina.
Et mota parcè dextera
Volat per æquor cereum.
Quum maximè nunc proloquor
Circumloquentis ambitu,
Tu ſenſa noſtri pectoris
Ut dicta jam certis tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dediſſet mens mea,
Quàm præpetis dextræ fugâ
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Qui ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum abſolverit?
Doctrina non hæc præſtitit:
Nec ulla tam velox manus
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi,
Deúſque donum tradidit:
Quæ loquerer, ut ſcires priùs:
Idémque velles, quod volo.

EPIGRAMMATA IV,

Quibus Faſtorum a & digeſtorum meminit.

I. *Auſonius Heſperio filio ſalutem.*

IGnota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ,
Regibus, & patrum ducta ſub imperiis,
Digeſti Faſtos, & nomina perpetis ævi:
Sparſa jacent Latiam ſi qua per hiſtoriam.
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes.
Obſequitur ſtudio noſtra lucerna tuo.
Tu quoque venturos perlongùm confere Janos,
Ut mea congeſſit pagina præteritos.
Exemplum jam patris habes: ut protinus & te
Aggreget Auſoniis purpura conſulibus.

II. *Supputatio ab urbe conditâ in conſulatum noſtrum.*

ANnis undecies centum conjunge quaternos,
Undecies unúmque ſuper trieterida necte.
Hæc erit æternæ ſeries ab origine Romæ.

III. *De eodem, ad Proculum.*

URbis ab æternæ deductam rege Quirino
Annorum ſeriem quum, Procule, accipies;
Mille annos centúmque. & bis fluxiſſe novenos
Conſulis Auſonii nomen aduſque leges.
Fors erit, ut luſtrum quum ſe cumulaverit iſtis,
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

IV. *In fine ejuſdem libri additi.*

HActenus adſcripſi Faſtos. ſi ſors volet, ultrà
Adjiciam. ſi non, qui legis, adjicies.
Scire cupis, qui ſim? titulum qui quartus ab imo eſt
Quære; leges nomen Conſulis Auſonii.

EPHEMERIS,

Id eſt, Totius diei Negotium.

MANE jam clarum reſerat feneſtras.
Jam ſtrepit nidis vigilax hirundo.
Tu velut primam, mediámque noctem
Parmeno dormis.
Dormiunt glires hyemem perennem,
Sed cibo parcunt. tibi cauſa ſomni,
Multa quòd potas, nimiâque tendis
Mole ſaginam.
Indè nec flexas ſonus intrat aures:
Et locum mentis ſopor altus urget,
Nec coruſcantis oculos laceſſunt
Fulgura lucis.
Annuam quondam juveni quietem,
Noctis & lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt, cui Luna ſomnos
Continuârit.
Surge nugator, lacerande virgis.
Surge: ne longus tibi ſomnus, unde

Non

Digitized by Google

Non times, detur. rape membra molli
Parmeno lecto.
Fors & hæc ſomnum tibi cantilena
Sapphico ſuadet modulata verſu.
Lesbiæ depelle modum quietis,
Acer Iambe.

Item Paraclauſis.

PUer ocyus ſurge: & calceos,
Et linteam da ſindonem.
Da, quidquid eſt, amictus
Quod jam paratus, ut prodeam.
Da rore fontano abluam
Manus, & os, & lumina.
Pateátque, fac, ſacrarium,
Nullo paratu extrinſecus.
Pia verba, vota innoxia,
Rei divinæ copia eſt.
Nec tus crematum poſtulo,
Nec liba crufti mellei:
Foculúmque vivi cæſpitis
Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus eſt mihi,
Ac filius ſummi Dei
Majeſtas uniformis,
Sociata ſacro Spiritu.
Et ecce jam vota ordior:
Et cogitatio numinis
Præſentiam ſentit pavens.
Pavétne quidquam ſpes, fides?

Oratio.

OMnipotens, ſolo mentis mihi cognite cultu,
Ignoſce malis, & nulli ignote piorum,
Principio, extremóque carens: antiquior ævo,
Quod fuit, aut veniet: cujus formámque modúmque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem ſolus, corámque audire jubentem,
Fas habet, & patriam propter conſidere dextram:
Ipſe opifex rerum, rebus cauſa ipſa creandis,
Ipſe Dei verbum, verbum Deus, anticipator
Mundi, quem facturus erat: generatus in illo
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus antè,
Quàm jubar, & rutilus cœlum illuſtraret eous:
Quo finè nil actum: per quem facta omnia: cujus
In cœlo ſolium: cui ſubdita terra ſedenti,
Et mare, & obſcuræ chaos inſuperabile noctis:
Irrequies, cuncta ipſe movens, vegetator inertum:
Non genito genitore Deus, qui ſtrande ſuperbi
Offenſus populi, gentes in regna vocavit,
Stirpis adoptivæ meliore propage colendus:
Cernere quem licuit proavis: quo numine viſo,
Et patrem vidiſſe datum: contagia noſtra
Qui tulit: & diri paſſus ludibria leti,
Eſſe iter æternæ docuit remeabile vitæ:
Nec ſolam remeare animam, ſed corpore toto
Cœleſtes intrare plagas; & inane ſepulchri
Arcanum vacuis adopertum linquere teteis.
Nate patris ſummi, noſtróque ſalutifer ævo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidiâ retinens, plenúſque datorum,
Pande viam precibus, patriáſque hæc perfer ad aures.
Da, Pater, invictam contra omnia crimina mentem,
Vipereúmque nefas nocituri averte veneni,
Sit ſatis, antiquam ſerpens quòd perdidit Evam,
Deceptúmque adjunxit Adam: nos ſera nepotum
Semina, veridicis ætas prædicta prophetis,
Viterpus laqueos, quos letifer implicat anguis,
Pande viam, quæ me poſt vincula corporis ægri
In ſublime ferat: puri quà lactea cœli
Semita ventoſæ ſuperat vaga nubila Lunæ.
Quà proceres abiere pii, quáque integer olim
Raptus quadrijugo penetrat ſuper æthera curru
Helias, & ſolido cum corpore prævius Enoch.
Da, Pater, æterni ſperatam luminis auram:
Si lapides non juro deos, undúmque verendi
Suſpiciens altare ſacri, libamina vitæ
Intemerata fero: ſi te dominíque, deíque,
Unigenum cognoſco patrem, miſſúmque duobus,
Qui ſuper æquoreas volitabat ſpiritus undas.
Da, Genitor, veniam, cruciatáque pectora purga:
Si te non pectudum fibris, non ſanguine tuto
Quæro: nec arcanis numen conjecto ſub extis:
Si ſcelere abſtineo, errori obnoxius: & ſi
Opto magis, quàm fido, bonus, puráſque probari.
Confeſſam dignare animam: ſi membra caduca
Exſecror, & tacitum ſi pœnitet: altáque ſenſus
Formido excruciat, tormentáque ſera gehennæ
Anticipat, patitúrque ſuos mens ſaucia manes.
Da, Pater, hæc noſtro fieri rata vota precatu.
Nil metuam, cupiámque nihil, ſatis hoc rear eſſe,
Quod ſatis eſt. nil turpe velim, nec cauſa pudoris
Sim mihi. non faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nollem facta mihi. nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio. paulùm diſſare videtur
Sub pectus, verèque reus. malè poſſe facultas
Nulla ſit: at bene poſſe adſit tranquilla poteſtas.
Sim tenui victu, atque habitu. ſim carus amicis.
Et ſemper genitor, ſinè vulnere nominis hujus,
Non animo doleam, non corpore: cuncta quietis
Fungantur membra officiis: nec ſanctus ullis
Partibus amiſſum quicquam deſideret uſus.
Pace fruar. ſecurus agam. miracula terræ
Nulla putem. ſuprema mihi quum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conſcia vita, nec optet.
Purus ab occultis quum te indulgente videbor,
Omnia deſpiciam. fuerit quum ſola voluptas
Judicium ſperare tuum. quod dum ſua differt
Tempora, cunctatúrque dies, procul exige ſævum
Inſidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, ſed mœſto trepidantia vota reatu,
Chriſte, apud æternum placabilis aſſere patrem,
Salvator, deus, ac dominus, mens, gloria, verbum,
Filius, ex vero verus, de lumine lumen,
Æterno cum patre manens, in ſæcula regnans.
Conſona quem celebrant modulati carmina David:
Et reſponſuris ſerit aera vocibus, AMEN.

Egreſſio.

SAtis precum datum Deo.
Quamvis ſatis nunquam rei
Fiat precatu numinis.
Habitum forenſem da puer
Dicendum amicis eſt Ave,
Valéque, quod ſit mutuum.
Quod quum per horas quatuor *
Inclinet ad meridiem.
Monendus eſt jam Soſias.

Locus invitationis.

TEmpus vocandis namque amicis appetit;
Ne nos, vel illi, demoremur prandium:
Propere per ædes curre vicinas puer.
Scis ipſe, qui ſint, jámque, dum loquor, redi.
Quinque advocavi. ſex enim convivium
Cum rege juſtum: ſi ſuper, convicium eſt.
Abiit, relicti nos ſumus cum Soſiâ.

Locus ordinandi quoque.

SOſia, prandendum eſt. quartam jam totus in horam
Sol calet: ad quintam flectitur umbra notam.
An vegeto madeant condita obſonia guſtu,
(Fallere namque ſolent) experiundo proba.
Concute ferventes palmis volventibus ollas,
Tinge celer digitos jure calente tuos:
Vibranti lambat quos humida lingua recurſu.

* * *

Deſunt multa.

* * *

QUadrupedum, & volucrum, vel cum terrena marinis
Monſtra admiſcentur: donec purgantibus Euris
Diffluæ liquidum tenuentur in æra nubes.
Nunc fora, nunc lites, læti modò pompa theatri
Viſitur. & turmas equitum, cædéſque latronum
Perpetior: lacerat noſtros fera bellua vultus;
Aut in ſanguineâ gladio graſſamur harenâ.
Per mare navitragum gradior pedes: & freta curſu
Tranſilio, & ſubitis volito ſuper æra pinnis.
Infandas etiam Veneres, inceſtáque noctis
Dedecora, & tragicos patimur per ſomnia cœtus.
Perfugium tamen eſt, quotiens portenta ſoporum
Solvit rupta pudore quies, & imagine fœdâ
Libera mens vigilat: totum bene conſcia lectum
Pertractat ſecura manus. prodroſa recedit
Culpa ſori, & profugi minuiſcunt crimina ſomni;
Cerno, triumphantes inter, me plaudere; rurſum
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Templa Deûm, ſanctáſque foces, palatiáque aurea
Specto,

Specto, & Sarrano videor discumbere in ostro:
Et mox fumosis conviva accumbo popinis.
Divinum perhibent vatem, sub frondibus ulmi
Vana ignavorum simulacra locâsse soporum,
Et geminas numero portas: quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aëra formas:
Altera, quæ veros emittit cornea visus.
Quòd si de dubiis conceditur optio nobis:
Deesse fidem lætis melius, quàm vana timeri.
Ecce ego jam malim falli. nam, dummodo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis,
Quàm trepidare malis. satis est bene, si metus absit.
Sunt & qui fletus, & gaudia controversa
Conjectent: varióque trahant eventa relatu,
Ite per obliquos cœli mala somnia mundos,
Irrequieta vagi quà diffiant nubila nimbi.
Lunares habitate polos. quid nostra subitis
Limina, & angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me finite ignavas placidum traducere noctes,
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
Quòd si me nullis vexatum nocte figuris
Mollis tranquillo permulserit aëre somnus;
Hunc lucum, nostro viridis qui frondet in agro
Ulmeus, excubiis habitandum dedico vestris.

PARENTALIA.

PRÆFATIO.

Scio versiculis meis evenire, ut fastidiosè legantur, quippe sic meritum est eorum. Sed quosdam solet commendare materia: & aliquotiens fortasse lectorem solum lemma sollicitat tituli, ut festivitate persuasus & ineptiam ferre contentus sit. Hoc opusculum nec materiâ amœnum est, nec appellatione jucundum. Habet mœstam religionem: quâ carorum meorum obitus tristi affectione commemoro. Titulus libelli est, PARENTALIA. *Antiquæ appellationis hic dies, & jam inde ab Numâ cognatorum inferiis institutus. nec quicquam sanctius habet reverentia superstitum, quàm ut amissos venerabiliter recordetur.*

Item præfatio versibus adusque.

NOMINA carorum jam condita funere justo,
Fleta priùs lacrymis, nunc memorabo modis,
Nuda, sinè ornatu, fandique carentia cultu.
Sufficit inferiis exsequialis honos.
Nænia funereis satìs officiosa querelis,
Annua ne tacitus munera prætereas:
Quæ Numa cognatis solemnia dedicat umbris:
Ut gradus aut mortis postulat, aut generis.
Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis.
Voce ciere animas funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici.
Frontibus hoc scriptis & monumenta jubent.
Ille etiam mœsti cui defuit urna sepulchri,
Nomine ter dicto penè sepultus erit.
At tu quicunque es lector, qui fata meorum
Dignaris mœstis commemorare elegis,
Inconcussa tuæ percurras tempora vitæ:
Et præter justum funera nulla fleas.

I. *Julius Ausonius, Pater.*

PRimus in his pater Ausonius. quem ponere primum,
Et si cunctetur filius, ordo jubet.
Cura dei, placidæ functus quòd honore senectæ,
Undecies binas vixit Olympiadas.
Omnia quæ voluit, qui prospera vidit: & idem
Optavit quicquid, contigit, ut voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia: sed quòd
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem sua contendit septem sapientibus ætas:
Quorum doctrinam moribus excoluit:
Viveret ut potiùs, quàm diceret arte sophorum,
Quamquam & facundo, non rudis ingenio.
Præditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.
Indè & perfunctæ manet hæc reverentia vitæ,
Ætas nostra illi quòd dedit hunc titulum:
Ut nullum Ausonius, quem sectaretur, habebat:
Sic nullum, qui se nunc imitetur, habet.

II. *Æmilia Æonia, Mater.*

PRoxima tu genitrix Æonia, sanguine mixto
Tarbellæ matris, patris & Æduici.
Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis;
Fama pudicitiæ, lanificæque manus,
Conjugisque fides, & natos cura regendi,
Et gravitas comis, lætáque seriemas.
Æternùm placidos Manes complexa mariti,
Viva thorum quondam, functa fove tumulum.

III. *Æmilius Magnus Arborius avunculus.*

CUlta mihi est pietas, patre primum, & matre vocatis,
Dicere sed rea sit, tertius Arborius.
Quem primum memorare nefas mihi, patre secundo.
Rursum non primum ponere, penè nefas.
Temperies adhibenda.
Ante alios. quanquam patre secundus erit.
Tu frater genitricis, & unanimis genitoris:
Et mihi qui fueris, quod pater, & genitrix.
Qui me lactantem, puerum, juvenémque, virúmque
Artibus ornâsti, quas didicisse juvat.
Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ:
Te Narbonensis Gallia præposuit,
Ornâsti cujus Latio sermone tribunal:
Et fora Hiberorum, quæque Novempopulis.
Hinc tenus Europam, famâ crescente, perito
Constantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos, per mille oracula fandi
Doctus, facundus, tum celer, atque memor.
Tu postquam primis placui tibi traditus annis,
Dixisti, nato me, satìs esse tibi.
Me tibi, me patribus, clarum decus esse professus,
Dictâsti faris verba notanda meis.
Ergo vale, Elysiam sortitus avuncule sedem.
Hæc tibi de Musis carmina libo tuis.

IV. *Cæcilius Argicius Arborius, avus.*

OFficiosa pium ne desere pagina munus.
Maternum post hos commemoremus avum
Arborium, Æduico ductum de stemmate nomen,
Complexum multas nobilitate domus:
Quà Lugdunensis provincia, quáque potentes
Ædues, Alpino quáque Vienna jugo.
Invida sed nimiùm generisque, opibúsque superbis,
Ærumna incubuit. Namque avus & genitor
Proscripti, regnum quum Victorinus haberet
Victor: & in Tetricos recidit imperium.
Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturrus,
Tarbellíque furor perstrepit Oceani,
Grassantis dudum fortunæ tela paventem
Paupertis Æmiliæ conditio implicuit.
Mox tenuis multo quæsita pecunia usu,
Solamen fesso, non & opes tribuit.
Tu cœli numeros, & conscia sidera fati
Callebas, studium dissimulanter agens.
Non ignota tibi nostræ quoque formula vitæ:
Signatis quam tu condideras tabulis;
Prodita non unquam. sed matris cura retexit,
Sedula, quam timidi cura tegebat avi.
Tu novies denos vitam quum duxeris annos,
Expertus Fortis tela cavenda deæ,
Amissum flesti post trina decennia natum.
Saucius, atque uno lumine cassus eras:
Dicebas sed te solatia longa fovere;
Quòd mea præcipuus fata maneret honos.

Et

Digitized by Google

Et modò conciliis animarum mixte piorum
Fata tui certè nota nepotis habes.
Sentis quòd quæstor, quòd te prætectus, & idem
Consul, honorifico munere commemoro.

V. *Æmilia Corinthia Maura, avia.*

ÆMiliam nunc fare aviam, pia cura nepotis:
Conjux prædicto quæ fuit Arborio.
Nomen huic joculare datum: cute fusca quòd olim
Æquales inter Maura vocata fuit.
Sed non atra animo: qui clarior esset olore,
Et non calcatâ qui nive candidior.
Hæc non deliciis ignoscere prompta pudendis,
Ad perpendiculum sèque tuósque habuit.
Hæc me præreptum cunis, & ab ubere matris,
Blanda sub austeris imbuit imperiis.
Tranquillos aviæ cineres præstate quieti
Æternùm Manes, si pia verba loquor.

VI. *Æmilia Hilaria, matertera, virgo devota.*

TUque gradu generis matertera, sed vice matris,
Affectu nati commemoranda pio,
Æmilia in cunis Hilari cognomen adepta,
Quòd læta, & pueri comis ad effigiem,
Reddebas verum non dissimulanter ephebum,
More virum medicis artibus experiens.
Feminei sexûs odium tibi semper: & indè
Crevit devotæ virginitatis amor;
Quæ tibi septenos novies est culta per annos.
Quíque ævi finis, ipse pudicitiæ.
Hæc, quia utì mater monitis & amore fovebas,
Supremis reddo filius exsequiis.

VII. *Cl. Contentus, & Julius Calippio, patrui.*

ET patruos Elegêa meos reminiscere cantu;
Contentum, tellus quem Rutupina tegit.
Magna cui & variæ quæsita pecunia sortis,
Hæredis nullo nomine tuta perit.
Raptus enim lætis, & adhuc florentibus annis,
Trans mare, & ignaris fratribus oppetiit.
Julius in longam produxit fata senectam,
Affectus damnis innumerabilibus.
Qui comis, blandúsque, & mensâ commodus unâ,
Hæredes solo nomine nos habuit.
Ambo pii, vultu similes, joca seria mixti,
Ævi fortunam non habuere parem.
Discreti quamquam tumulis, & honore jacetis:
Commune hoc verbi munus habete, Vale.

VIII. *Attusius Lucanus Talisius, socer.*

QUI proceres, veterémque volet celebrare Senatum,
Claráque ab exortu stemmata Burdigalæ:
Téque, tuúmque genus memoret, Lucane Talisi:
Moribus ornâsti qui veteres proavos.
Pulcher honore oris, tranquillo pectore, comis,
Facundo civis major ab ingenio.
Venatu, & turis cultu, victúsque nitore,
Omne ævum peragens; publica despiciens.
Nosci inter primos cupiens, prior esse recusans.
Ipse tuo vivens segregus arbitrio.
Optabas tu me generum florente juventâ.
Optare hoc tantum, non & habere datum.
Vota probant superi: meritísque faventia sanctis
Implent fata, viri quod voluere boni.
Et nunc perpetui sentis sub honore sepulchri,
Quàm reverens natæ, quámque tui maneam:
Cœlebs namque gener nunc hæc pia munera solvo.
Nam & cœlebs nunquam desinet esse gener.

IX. *Attusia Lucana Sabina, uxor.*

HActenus ut caros, ita justo funere fletos
Functa piis cecinit nænia nostra modis.
Nunc dolor, atque cruces, nec contrectabile fulmen,
Conjugis ereptæ mors memoranda mihi.
Nobilis à proavis, & origine clara senatûs,
Moribus usque bonis clara Sabina magis.
Te juvenis primis luxi deceptus in annis,
Pérque novem cœlebs te fleo Olympiadas.
Nec licet obductum senio sopire dolorem.
Semper crudescit nam mihi pœna recens.
Admittunt alii solatia temporis ægri.
Hæc graviora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vitâ cœlibe genios:
Quóque magis solus, hôc magè mœstus ago.
Volnus alit, quòd muta domus filet, & thorus alget:
Quòd mala non cuiquam, non bona participo.
Mœreo, si conjux alii bona: mœreo contrà,
Si mala: ad exemplum tu mihi semper ades.
Tu mihi crux ab utrâque venis: sive est mala, quòd tu
Dissimilis fueris: seu bona, quòd similis.
Non ego opes cassas, & inania gaudia plango:
Sed juvenis juveni quòd mihi rapta viro.
Læta, pudica, gravis, genus inclyta, & inclyta forma,
Et dolor, atque decus conjugis Ausonii.
Quæ modò septenos quater impletura Decembres,
Liquisti natos, pignora nostra, duos.
Illa favore Dei, sicut tua vota fuerunt,
Florent, optatis accumulata bonis.
Et precor ut vigeant: tandémque superstite utroque
Nunciet hoc cineri nostra favilla tuo.

X. *Ausonius parvulus, filius.*

NON ego te infletum memori fraudabo querelâ,
Primus nate meo nomine dicte puer.
Murmura quem primis meditantem absolvere verbis,
Indolis ut plenæ, planximus exsequiis.
Tu gremio in proavi funus commune locatus,
Invidiam tumuli ne paterere tui.

XI. *Pastor, nepos ex filio.*

TU quoque maturos, puer immature, dolores
Irrumpis mœsti luctus acerbus avi,
Pastor chare nepos, spes cujus certa fuit res,
Hesperii patris tertia progenies.
Nomine, quod casus dederat: quia fistula primum
Pastorale melos concinuit genito.
Serò intellectum vitæ brevis argumentum:
Spiritus afflatis quòd fugit è calamis.
Occidis emissæ percussus pondere testæ:
Abjecit tecto quam manus artificis.
Non fuit artificis manus hæc. manus illa cruenti
Certa fuit fati, suppositura reum.
Heu quæ vota mihi! quæ rumpis gaudia, Pastor!
Illa meum petiit tegula missa caput.
Dignior ô, nostræ gemeres qui fata senectæ:
Et quereretur meas mœstus ad exsequias.

XII. *Julia Dryadia, Soror.*

SIqua fuit virtus, cuperet quam femina prudens
Esse suam, soror hâc Dryadia enituit.
Quinetiam multas habuit, quas sexus habere
Fortior optaret, nobilitásque virûm.
Docta satis vitámque colo, famámque tueri:
Docta bonos mores ipsa, suósque docens.
Et verum vitâ cui carius: unáque cura,
Nôsse Deum, & fratrem diligere ante alios.
Conjuge adhuc juvenis caruit: sed seria vitam
Moribus austeras æquiparavit anus.
Produxit celerem per sena decennia vitam,
Inque domo, ac tecto, quo pater, oppetiit.

XIII. *Avitianus, Frater.*

AVitianum, Musa, germanum meum
Dona querelâ funebri:
Minor iste natu me, sed ingenio prior
Artes paternas imbibit.
Verùm juventæ flore lato perfrui,
Ævique supra puberis
Exire metas, vetuit infesta Atropos.
Heu quanta vitæ decora!
Quem cultum spei, quem dolorem sanctis
Germane pubes deseris!
Germane carnis lege, & ortu sanguinis,
Amore penè filius.

XIV. *Val. Latinus Eurosius, gener.*

O Generis clari decus, ô mihi funus acerbum,
Euroni, è juvenum lecte cohorte gener,
Occidis in primæ raptus mihi flore juventæ,
Lactantis nati vix bene nôte pater.
Tu procerum de stirpe satus, prægressus & ipsos,
Unde genus claræ nobilitatis eras:
Ore decens, bonus ingenio, facundus, & omni
Dexteritate vigens, præcipuúsque fide.
Hoc præfecturæ sedes, hoc Illyris ora
Præside te experta est, fiscus & ipse cliens.
Nil ævi brevitate tamen tibi laudis ademptum.
Indole maturus, funere acerbus obis.

XV. *Pom-*

XV. *Pomponius Maximus, adfinis.*

ET te germanum, non ſanguine, ſed vice fratris,
Maxime, devinctum mœnia noſtra canet.
Conjux namque meæ tu conſociate ſorori
Ævi fruge tui deſtituis viduam.
Non domus hoc tantùm ſenſit tua: ſenſit acerbum
Saucia proh caſum curia Burdigalæ,
Te primore vigens, te deficiente relabens:
Inque Valentinum te moriente cadens.
Heu, quare nato, quur fruge & flore nepotum
Ereptus nobis, Maxime, non frueris?
Sed frueris: divina habitat ſi portio Manes:
Quæque futura olim gaudia, nôſſe datur.
Longior hic etiam lætorum fructus haberur,
Anticipâſſe diu, quæ modò participas.

XVI. *Veria Liceria, uxor Arborii ſororis filii.*

TU quoque vel nuruis mihi nomine, vel vice natæ
Veria, ſupremi carmen honoris habe.
Cujus ſi probitas, ſi forma & fama, fidéſque
Morigeræ uxoris, lanificæque manus,
Nunc laudanda forent: procul & de manibus imis
Arceſſenda eſſet vox proavi Euſebii.
Qui quoniam functo jam pridem conditus ævo,
Tranſcripſit partes in mea verba ſuas:
Accipe funereas neptis defleta querelas;
Conjux Arborii commemoranda mei.
Cui parva ingentis luctûs ſolatia linquens
Deſtituis natum: quò magis excrucias.
At tibi dilecti ne deſit cura mariti,
Juncta colis thalamo nunc monumenta tuo.
Hic, ubi primus hymen, ſedes ibi mœſta ſepulchri.
Nupta magis dici, quàm tumulata potes.

XVII. *Pomponius Maximus Herculanus, ſororis filius.*

NEC Herculanum genitum germanâ mei,
Modulamine nænia triſti
Tacitum ſinè honore relinquat:
Super indole cujus adulti
Magnæ bona copia laudis.
Verùm memorare magis, quàm
Functum laudare decebit.
Decus hoc matriſque, meúmque,
In tempore puberis ævi
Vis perculit invida fati.
Hehe quem, Maxime, fructum?
Facunde, & mulcæ, & acer,
Mentem bonus, ingenio ingens,
Volucer pede, corpore pulcher,
Linguâ catus, ore canorus,
Cape munus triſte parentum,
Lacrymabilis orſa querelæ,
Quæ funereum modulatus
Tibi mœſtus avunculus offert.

XVIII. *Fl. Sanctus, Maritus Pudentillæ quæ ſoror Sabinæ meæ.*

QUI joca lætitiámque colis, qui triſtia damnas,
Nec metuis quenquam, nec metuendus agis:
Qui nullum inſidiis captas, nec lite laceſſis,
Sed juſtam & clemens vitam agis, & ſapiens:
Tranquillos Manes, ſupremáque mitia Sancti
Ore pio, & verbis advenerare bonis:
Militiam nullo qui turbine ſedulus egit:
Præſide lætatus quo Rutopinus ager.
Octoginta annos cujus tranquilla ſenectus
Nullo mutavit deteriore die.
Ergo precare favens: ut, qualia tempora vitæ,
Talia & ad manes otia Sanctus agat.

XIX. *Namia Pudentilla, adfinis.*

TUque Pudentillam verbis adfare ſuprémis,
Quæ famæ curam, quæ probitatis habes.
Nobilis hæc, frugi, proba, læta, pudica, decora,
Conjugium Sancti jugiter hæc habuit.
Inviolata tuens caſtæ præconia vitæ,
Rexit opes proprias, otia agente viro.
Non ideo erprobrans, aut fronte obducta, marito,
Quòd gereret totam femina ſola domum.
Heu nimiùm juvenis, ſed læta ſuperſtite nato,
Atque viro, patiens fata ſuprema obiit.

Unanimis noſtræ & quondam germana Sabinæ,
Et mihi inoffenſo nomine dicta ſoror.
Nunc etiam Manes placidos pia cura retractat:
Atque Pudentillam tantis honore colit.

XX. *Lucanus Taliſius Curam filii.*

NEC tantùm matris ſpes unica, ephebe Taliſi,
Conſobrine, meis immemoratus eris.
Ereptus primis ævi florentis in annis;
Jam tamen & conjunx, jam properate pater.
Feſtinâſſe putes fatum: ne funus acerbum
Duceret hoc genitor, tam citò factus avus.

XXI. *Attuſia Lucana Taliſia. Erminiſcius Regulus, adfinis.*

NOtitia exilis nobis Attuſia tecum,
Cúmque tuo planè conjuge nulla fuit.
Verùm tu noſtræ ſoror es germana Sabinæ.
Adfinis quoque tu Regule, nomen habes.
Sortitos igitur tam cara vocabula nobis,
Stringamus mœſti carminis obſequio.
Quamvis Santonicâ procul in tellure jacentes
Pervenit ad Manes exſequialis honos.

XXII. *Severus Cenſor Julianus, conſocer.*

DEſinite, ô veteres, Calpurnia nomina, Frugi,
Ut proprium hoc veſtræ gentis habere decus.
Nec ſolus ſemper Cenſor Cato, nec ſibi ſolus
Juſtus Ariſtides his placeant titulis.
Nam ſapiens quicunque fuit, verúmque fidémque
Qui coluit, comitem ſe tibi Cenſor agat.
Tu gravis, & comis, cum juſtitiâque remiſſus,
Auſteris doctus jungere temperiem.
Tu non adſcito tibi me, nec ſanguine juncto,
Optâſti noſtras conſociare domos.
Nempe aliqua in nobis morum ſimulachra tuorum
Effigies noſtri præbuit ingenii.
Aut jam fortunæ ſic ſe vertigo rotabat,
Ut pondus fatis tam bona vota darent.
Si quid apud Manes ſentis, fovet hoc tibi mentem;
Quod fieri optâras, id voluiſſe Deum.

XXIII. *Paulinus & Dryadia, filii Paulini, & Megentiræ ſororis filiæ.*

QUI nomen vultúmque patris, Pauline, gerebas,
Amiſſi ſpecimen qui genitoris eras:
Propter quem luctus miſeræ decedere matris
Cœperat, offerret quum tua forma patrem:
Redderet & mores, & moribus adderet illud,
Paulinus caruit quo pater, eloquium.
Eriperis lætis, & pubeſcentibus annis:
Crudáque adhuc matris pectora ſollicitas.
Flemus enim raptam thalami de ſede ſororem,
Heu non maturo funere, Dryadiam,
Flemus: ego in primis, qui matris avunculus, & vos
Natorum tanquam diligo progeniem.
Illa manus inter genitricis, & oſcula patris
Occidit, Hiſpanâ tum regione procul.
Quàm tener, & primo, nove flos, decerperis ævo,
Nondum purpureas cinctus ephebe genas!
Quatuor ediderat nunc facta puerpera partus:
Funera ſed tumulis jam geminata dedit.
Sit ſatis hoc, Pauline pater. diviſio facta eſt.
Debetur matri cætera progenies.

XXIV. *Paulinus, Sororis gener.*

QUI lætum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quiſque fidem ſanctâ cum pietate colit:
Paulini manes mecum veneratus, amicis
Inroret lacrymis, annua liba ferens.
Æquævus Pauline mihi, natámque ſororis
Indeptus thalamo: ſic mihi penè gener.
Stirpis Aquitanæ mater tibi. nam genitori
Coſſio Vaſatum, municipale genus.
Scrinia præfecti meritus, rationibus indè
Præpoſitus Libycis, præmia opima capis.
Nam Correcturæ tibi Tarraco Hibera tribunal
Præbuit, adfectans eſſe clienta tibi.
Tu ſocrum pro matre colens, adfinis haberi
Non poteras, nati cùm fruerere loco.
Inter concordes vixiſti fidus amicos,
Duodeviginti functus Olympiadas.

XXV. *Æmilia*

itized by Google

XXV. *Æmilia Dryadia, Matertera.*

TE quoque Dryadiam materteram,
Flebilibus modulis,
Germanâ genitus, propè filius,
Ore pio veneror.
Quam thalamo, tædíſque jugalibus
Invida mors rapuit:
Mutavítque thorum feretri vice
Exequialis honor.
Diſcebas in me, matertera,
Mater utì fieres.
Unde modò hoc mœſtum tibi defero
Filius officium.

XXVI. *Julia Cataphronia, amita.*

QUin & funereis amitam impartire querelis
Muſa Cataphroniam.
Innuba devotæ quæ virginitatis amorem,
Parcáque anus coluit.
Et mihi quod potuit, quamvis de paupere ſummâ,
Mater utì, adtribuit.
Ergo commemorata, Ave: mœſtúmque vocata
Pro genitrice, Vale.

XXVII. *Julia Veneria, Amita.*

ET amita Veneria properiter obiit.
Cui brevia mea modifica recino.
Cinis utì placidula ſupera vigeat,
Celeripes & adeat loca tacita Erebi.

XXVIII. *Julia Idalia, Conſobrina.*

PArva etiam fuit Idalia.
Nomine prædita quæ Paphiæ,
Et ſpeciem meruit Veneris.
Quæ genita eſt, mihi penè ſoror.
Filia nam fuit hæc amitæ,
Quam celebrat ſub honore pio
Nænia, carmine funereo.

XXIX. *Æmilia Melania, Soror.*

ÆMilia hos, vix nota mihi ſoror, accipe queſtus,
Debent quos cineri mœſta Elegêa tuo.
Conjunxit noſtras æquæva infantia cunas:
Uno quamvis tu conſule major eras.
Invida ſed nimiùm Lacheſis properata peregit
Tempora: & ad Manes funera acerba dedit.
Præmiſſa ergo vale; Manéſque verere parentum,
Qui majore ævo, quíque minore venit.

XXX. *Pomponia Urbica, Conſocrus, uxor Juliani Cenſoris.*

UT generis clari, veterum ſic femina morum
Urbica, Cenſoris nobilitata thoro,
Ingenitis pollens virtutibus, auctáque & illis
Quas docuit conjux, quas pater, & genitrix:
Quas habuit Tanaquil, quas Pythagoræ Theano,
Quæque ſinè exemplo eſt in nece functa viri.
Et tibi ſi fatum ſic permutare dediſſet,
Viveret hôc noſtro tempore Cenſor adhuc.
Sed neque tu viduo longùm cruciata ſub ævo,
Protinus optato fine ſecuta virum.
Annua nunc mœſtis ferimus tibi juſta querelis,
Cum genero & natis conſocer Auſonius.

Commemoratio Profeſſorum Burdigalenſium.

PRÆFATIO.

VOS etiam, quos nulla mihi cognatio junxit,
Sed fama, & caræ religio patriæ,
Et ſtudium in libris, & ſedula cura docendi,
Commemorabo, viros morte obità celebres.
Fors erit, ut noſtros Manes ſic adſerat olim,
Exemplo cupiet qui pius eſſe meo.

I. *Tiberius Victor Minervius, Orator.*

PRimus Burdigalæ columen dicere, Minervi,
Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ.
Illuſtres quondam quo præceptore fuerunt
Conſtantinopolis, Roma, dehinc patria,
Non equidem certans cum majeſtate duarum;
Solo ſed potior nomine, quòd patria.
Adſerat uſque licet Fabium Calagurris alumnum:
Non ſit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Mille foro dedit hæc juvenes; bis mille ſenatus
Adjecit numero, purpureſque togis:
Me quoque. ſed quoniam multa eſt prætexta, filebo:
Téque canam de te, non ab honore meo.
Sive Panegyricos placeat contendere libros,
In Panathenaicis tu numerandus eris.
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia: quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volveret illuviem.
Et Demoſthenicum, quod ter primum ille vocavit,
In te ſic viguit, cedat ut ipſe tibi.
Anne & divini bona naturalia doni
Adjiciam, memori quàm fueris animo?
Audita ut, vel lecta ſemel, ceu fixa teneres:
Auribus & libris eſſet ut una fides?
Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant, enumeràſſe dolos;
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt exciſi per cava buxa gradus:
Narrantem fido per ſingula puncta recurſu,
Quæ data, per longas quæ revocata moras.
Nullo felle tibi mens livida, tum ſale multo
Lingua dicax, blandis & ſinè lite jocis.
Menſa nitens: quam non cenſoria regula culpet:
Nec nolit Frugi Piſo vocare ſuam.
Nonnunquam pollens natalibus, & dape feſtâ:
Non tamen anguſtas ut tenuaret opes.
Quamquàm hæredis egens, bis ſex quinquennia functus,
Fletus es à nobis, ut pater, & juvenis.
Et nunc, ſive aliquid poſt fata extrema ſuperſit,
Vivis adhuc, ævi quod periit meminens:
Sive nihil ſupereſt, nec habent longa otia ſenſus,
Tu tibi vixiſti: nos tua fama juvat.

II. *Latinus Alcimus Alethius, Rhetor.*

NEC me nepotes impii ſilentii
Reum ciebunt, Alcime.
Minúſque dignum, non & oblitum ferent
Tuæ miniſtrum memoriæ.
Opponit unum quem viris prioribus
Ætas recentis temporis.
Palmæ forenſis, & Camœnarum decus,
Exemplar unum in literis:
Quas aut Athenis docta coluit Græcia,
Aut Roma per Latium colit.
Moréſne fabor, & tenorem regulæ,
Aduſque vitæ terminum,
Quòd laude clarus, quod paratus literis,
Omnem refugiſti ambitum?
Te nemo gravior, vel fuit comis magis,
Aut liberalis indigis,
Dandâ ſalute, ſi forum res poſceret;
Studio docendi, ſi ſcholam.
Vivent per omnem poſterorum memoriam,
Quos tu ſacræ famæ dabas,
Et Julianum tu magis famæ dabis,
Quàm ſceptra, quæ tenuit brevi.
Salluſtio plus conferent libri tui,
Quàm conſulatus addidit.

Digitized by Google

VIII. *Grammaticis Græcis Burdigalenſibus.*

ROmulum poſt hos, prius, an Cosinthi,
An ne Sperchei, pariſque nati
Atticas Muſas memorem Meneſthei
Grammaticorum?
Sedulum cunctis ſtudium docendi;
Fructus exilis, tenuiſque ſermo:
Sed, quia noſtro docuere in ævo,
Commemorandi.
Tertius horum mihi non magiſter;
Cæteri primis docuere in annis,
Ne forem vocum rudis, aut loquendi:
Sed ſinè cultu.
Obſtitit noſtræ quia, credo, menti
Tardior ſenſus: neque diſciplinis
Appulit Græcis puerilis ævi
Noxius error.
Vos levis cæſpes tegat, & ſepulchri
Tecta defendant cineres opertos:
At meæ vocis titulus ſupremum
Reddat honorem.

IX. *Jucundo, Grammatico Burdigalenſi, fratri Leontii.*

ET te, quem cathedram temere uſurpâſſe loquuntur,
Nomen Grammatici nec meruiſſe putant:
Voce ciebo tamen, ſimplex, bone, amice, ſodalis;
Jucunde, hôc ipſo care magis ſtudio,
Quod quamvis impar nomen tam nobile amâſti,
Es meritos inter commemorande viros.

X. *Grammaticis Latinis Burdigalenſibus Philologis, Macrino, Phœbitio, Concordio, Sacroni, Ammonio Anaſtaſio Grammatico Pictaviorum.*

NUnc ut quemque mihi
Flebilis officii
Religioſus honor
Suggeret, expediam.
Qui, quamvis humili
Stirpe, loco, ac merito,
Introtulere tamen
Grammatices ſtudium
Ingeniis hominum
Burdigalæ rudibus.
Permaneat ſeries.
Sit Macrinus in his,
Sobrius in pueris,
Et puerorum *
Utilis ingeniis.
Huic mea principio
Credita puerities.
Nec reticebo ſenem
Nomine Phœbicium:
Qui Beleni adituus
Nil opis indè tulit.
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe ſatus Druidum,
Gentis Aremoricæ
Burdigalæ cathedram
Nati operâ obtinuit.
Et tu Concordi
Qui profugus patriâ,
Mutâſti ſterilem
Urbe aliâ cathedram,
Et libertina
Sucuro progenies,
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas.
Pange & Anaſtaſio
Flebile, Muſa, melum:
Et memora tenuem
Nænia Grammaticum.
Burdigalæ hunc genitum,
Tranſtulit ambitio,
Pictonicæque dedit.
Pauper ubi, & tenuem
Victum habitúmque colens,
Gloriolam exilem
Et patriæ, & cathedræ
Perdidit in ſenio:
Doctrinâ exiguus,
Moribus implacidis,
Proinde, ut erat meritum,
Famam habuit tenuem.
Sed tamen hunc noſter
Commemoravit honos.
Religioſum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ.
Ne pariter tumulus
Nomen & oſſa tegat.

XI. *Herculano, Sororis filio, Grammatico Burdigalenſi.*

HErculane, qui profectus gremio de noſtro & ſchola
Spem magis quam rem fruendam præbuiſti avunculo,
Particeps ſchola, & cathedræ penè ſucceſſor meæ,
Lubricæ niti te juventæ præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam:
Eſto placidus, & quietis Manibus ſedem fove;
Jam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

XII. *Thalaſſo, Grammatico Latino, Burdigalenſi.*

OFficium, noménque tuum, primæve Thalaſſe,
Parvulus audivi: vix etiam memini,
Quâ formâ, aut merito fueris, quâ ſtirpe parentum.
Ætas nil de te poſterior celebrat.
Grammaticum juvenem tantum te fama ferebat,
Tum quoque tam tenuis, quàm modò nulla manet.
Sed quicunque tamen, noſtro quia doctor in ævo
Vixiſti, hoc noſtrum munus habeto, Vale.

XIII. *Citario, Siculo Syracuſano, Grammatico Burdigalenſi Græco.*

ET Citari dilecte mihi memorabere, dignus
Grammaticos inter qui celebrere bonos.
Eſſet Ariſtarchi tibi gloria, Zenodotſque
Grajorum, antiquus ſi ſequeretur honos.
Carminibus, quæ prima tuis ſunt condita in annis,
Concedit Cei Muſa Simonidei.
Urbe ſatus Siculâ, noſtram peregrinus adiſti:
Excultam ſtudiis quam propè reddideras.
Conjugium nactus citò nobilis, & locupletis,
Invidiâ fati non genitor moreris.
At nos defunctum memori celebramus honore,
Fovimus ut vivum munere amicitiæ.

XIV. *Cenſorio Attico Agricio, Rhetori.*

ELoquii merito primis æquande, fuiſti
Agrici poſitus poſteriore loco:
Ævo qui quoniam genitus functúſque recenti,
Dilatus nobis, non & omiſſus eras.
Quocunque in numero, triſti memorabere threno.
Unus honos tumuli ſerus, & antè datus.
Tam generis tibi celſus apex, quàm gloria fandi.
Gloria Athenæi cognita ſede loci;
Nazario, & claro quondam delata Paterno,
Egregiè multos excoluit juvenes.
Conjuge nunc, natíſque ſuperſtitibus, generóque,
Majorum Manes, & monumenta foves.

XV. *Nepotiano, Grammatico, eidem Rhetori.*

FAcete, comis, animo juvenali ſenex,
Cui felle nullo, melle multo mens madens,
Ævum per omne nil amarum miſcuit:
Noſtri medela Nepotiane pectoris,
Tam ſeriorum quàm jocorum particeps,
Taciturne, Amyclas qui ſilendo viceris.
Te fabulantem non Ulixes linqueret,
Liquit canentes qui melodas virgines.
Probe, & pudice, parce, frugi, abſtemie,
Facunde, nulli Rhetorum cedens ſtylo,
Et diſputator ad Cleanthen Stoicon:
Scaurum Probúmque corde callens intimo:
Et Epirote Cineâ memor magis.
Sodalis, & convictor, hoſpes jugiter:
Parum quòd hoſpes; mentis agitator meæ.
Conſilia nullus monte tam purâ dedit,
Vel altiore conditu texit data.
Honore geſti præſidatûs inclytus,
Decies novenas functus annorum vices,
Duos relinquens liberos, mortem oppetis,
Dolore multo, tam tuorum, quàm meo.

XVI. *Æmilius Magnus Arborius, Rhetor Toloſa.*

INter cognatos jam ſietus, avuncule, Manes,
Inter Rhetoricos nunc memorandus eris.
Illud opus pietas, iſtud reverenda virorum
Nomina, pro patriæ religione habeant.

Bis meritum duplici celebremus honore parentem
Arborium, Arborio patre, & avo Argicio.
Stemma tibi patris Æduici: Tarbellica Mauræ
Matris origo fuit. ambo genus procerum.
Nobilis & dotata uxor, domus, & ſchola, cultæ
Principum amicitiæ contigerunt juveni.
Dum Conſtantini fratres opulenta Toloſa
Exſilii ſpecie ſepoſitos cohibet.
Byzanti indè arcem, Threiſæque Propontidis orbem
Conſtantinopolim fama tui pepulit.
Illìc dives opum, doctóque ibi Cæſare honorus
Occumbis, patribus Magne ſuperſtitibus.
In patriam ſed te ſedem, ac monumenta tuorum,
Principis Auguſti reſtituit pietas.
Hinc renovat cauſam lacrymis, & flebile munus,
Annuus ingratâ relligione dies.

XVII. *Exuperius, Rhetor Toloſæ.*

EXuperi memorande mihi, facunde ſinè arte,
Inceſſu gravis & verbis ingentibus, ore
Pulcher, & ad ſummam, motúque habitúque venuſto.
Copia cui fandi longè pulcherrima; quàm ſi
Auditu tenus acciperes, deflata placeret:
Diſcuſſam ſcires ſolidi nihil edere ſenſûs.
Palladiæ primùm toga te venerata Toloſæ,
Mox pepulit levitate pari. Narbo indè recepit.
Illìc Dalmatio genitos, fatalia regum
Nomina, tum pueros, grandi mercede docendi
Formâſti, Rhetor, metam prope puberis ævi.
Cæſareum qui mox indepti nomen, honorem
Præſidis Hiſpanúmque tibi tribuere tribunal.
Decedens, placidos mores, tranquilláque vitæ
Tempora prædives finiſti ſede Caduceâ.
Sed patriæ te jura vocant, & origo parentum,
Burdigalæ ut rurſum nomen de Rhetore reddas.

XVIII. *Marcelle, Marcelli filio, Grammatico Narbonenſi.*

NEC te Marcello genitum Marcelle filebo:
Aſpera quem genitrix urbe, domo pepulit.
Sed fortuna potens citò reddidit omnia, & auxit.
Amiſſam primùm Narbo dedit patriam.
Nobilis hìc hoſpes Clarentius indole motus,
Egregiam natam conjugio adtribuit.
Mox ſchola, & auditor multus, prætextáque pubes,
Grammatici nomen, divitiáſque dedit.
Sed nunquam jugem curſum fortuna ſecundat,
Præſertim pravi nacta virum ingenii.
Verùm oneranda mihi non ſunt: memoranda recepi
Fata. ſat eſt dictum, cuncta periſſe ſimul.
Non tamen & nomen, quo te non fraudo, receptum
Inter Grammaticos prætenuis meriti.

XIX. *Sedatus, Rhetor Toloſanus.*

RElligio eſt, tacitum ſi te, Sedate, relinquam,
Quamvìs docendi munus indepte es forſs.
Communis patria eſt tecum mihi: ſorte potentis
Fati Toloſam nactus es ſedem ſcholæ.
Illìc conjugium, natíque, opuléuſque ſenectus,
Et fama, magno qualis eſt par Rhetori.
Quamvìs externâ tamen à regione reducit
Te patria, & civem morte obitâ repetit.
Quúmque vagantem operam diviſæ impenderis urbi,
Arbitrium de te ſumit origo ſuum.
Eſt tua nunc ſuboles, moréinque ſecuta parentis,
Narbonem, ac Romam nobilitat ſtudiis.
* * * * Sed
Fama velit nolit, Burdigalam referet.

XX. *Staphylius, Rhetor, civis Auſcius.*

HActenus obſervata mihi lex commemorandi
Cives, ſive domi, ſeu docuere forſs.
Externum ſed fas conjungere civibus unum
Te, Staphyli, genitum ſtirpe Novempopulis.
Tu mihi quod genitor, quod avunculus: unus utrumque.
Alter ut Auſonius, alter ut Arborius.
Grammatice ad Scaurum, atque Probum, promptiſſime (Rhetor,
Hiſtoriam callens Livii & Herodoti.
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita: quantam
Condit ſexcentis Varro voluminibus.
Aurea mens, vox ſuada tibi, tum ſermo quietus.
Nec cunctator eras, nec properante ſono.
Pulchra ſenecta, nitens habitus, procul ira, dolúſque,
Et placidæ vitæ congrua meta fuit.

XXI. *Criſpus & Urbicus, Grammat. Latini & Graci.*

TU quoque in ævum, Criſpe, futurum
Mœſti venies commemoratus
Munere threni.
Qui primævos, fandſque rudes,
Elementorum prima docebas
Signa novorum.
Creditus olim fervere mero,
Ut Virgilii Flacciſque locis
Æmula ferres.
Et tibi, Latiis poſthabite orſis
Urbice, Graiis celebris, carmen
Sic ἐκλείσα.
Nam tu Criſpo conjuncte tuo
Proſâ ſolebas, & verſu loqui
Impete eodem;
Priſcos ut & Heroes olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres:
Dulcem in paucis ut Pliſtheniden,
Et torrentis ceu Dulichii
Ninguida dicta,
Et mellitæ ngctare vocis
Dulcia fatu verba canentem
Neſtora regem.
Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
Callentes mythum plaſmata, & hiſtoriam.
Liberi & ambo genus: ſed quos meruiſſe deceret
Nanciſci, ut cluerent patribus ingenuis.

XXII. *Victorio, Subdoctori, ſive Proſchola.*

VIctori ſtudioſe, memor, celer, ignoratis
Aſſiduè in libris, nec niſi operta legens;
Exeſas tineis, opicáſque evolvere chartas,
Major quàm promptis cura tibi in ſtudiis.
Quod jus Pontificum, quæ fœdera, ſtemma quod olim
Ante Numam fuerat ſacrificis Curibus:
Quod Caſtor cunctis de regibus ambiguis, quod
Conjugis è libris ediderat Rhodope:
Quod jus Pontificum, veterum quæ ſcita Quiritum,
Quæ conſulta patrum; quid Draco, quídve Solon
Sanxerit; & Locris dederit quæ jura Zaleucus;
Sub Jove quæ Minos, quid Themis ante Jovem;
Nota tibi potius quàm Tullius, & Maro noſtri,
Et quicquid Latiâ conditur hiſtoriâ.
Fors iſtos etiam tibi lectio longa dediſſet:
Supremum Lacheſis ni celerâſſet iter.
Exili noſtræ fucatus honore cathedræ,
Libato tenuis nomine Grammatici.
Longinquis poſthac Romæ defunctus in oris:
Ad quas de Siculo littore tranſieras.
Sed modò nobilium memoratus in agmine, gaude:
Pervenit ad Manes ſi pia cura tuos.

XXIII. *Dynamio, Burdigalenſi, qui in Hiſpaniâ docuit, & obiit.*

SED neque te mœſtâ, Dynami, fraudabo querelâ,
Municipem patriæ cauſidicúmque meæ.
Crimine adulterii quem ſaucia fama fugavit;
Parvula quem latebris fovit Ilerda ſuis.
Quem locupletavit conjux Hiſpana latentem;
Namque ibi mutato nomine, Rhetor eras.
Rhetor Flavinii cognomine diſſimulatus,
Ne poſſet profugum prodere culpa ſuum.
Reddiderat quamvìs patriæ te ſera voluptas,
Mox reſidem rurſum traxit Ilerda domus.
Qualiſcunque tuæ fuerit fuga, famáque vitæ,
Jungeris antiquâ tu mihi amicitiâ.
Officiúmque meum, ſenſus ſi manibus ullus,
Accipe jam verus morte obitâ Dynami.
Diverſis quamvìs jaceas defunctus in oris:
Commemorat mœſtis te pia cura elegis.

XXIV. *Acilio Glabrioni, Grammatico Jun. Burdigalenſi.*

DOctrinæ, vitæque pari brevitate caducum,
Glabrio, te mœſtis commemorabo elegis.
Stemmate nobilium deductum nomen avorum,
Glabrio Aquilini Dardana progenies.
Tu quondam puero compar mihi diſcipulo: mox
Me dehinc facto Rhetore, Grammaticus.
Inque foro tutela reis, & cultor in agris,
Digne, diu partis qui fruerere bonis.
Commode, læte, benigne, abſtemie, tam bone dandis
Semper conſiliis, quàm taciturne datis.

Tam

Digitized by Google

Tam decus omne tuis, quàm mox dolor, omnia acerbo
Funere præreptus, Glabrio, deſtituis:
Uxore & natis, genitore & matre relictis,
Eheu quàm multis perdite nominibus!
Flete diu nobis, nunquam ſatis, accipe acerbum,
Glabrio in æternum commemorate, VALE.

Coronis.

QUos legis à primâ deductos menide libri,
Doctores patriæ ſcito fuiſſe meæ.
Grammatici in ſtudio, vel Rhetoris, aut in utroque,
Quos memorâſſe mihi, morte obitâ, ſatis eſt.
Viventum inlecebra eſt laudatio. nomina tantùm
Voce ciere, ſuis ſufficiet tumulis.
Ergo qui noſtræ legis otia triſtia chartæ,
Eloquium tu ne quære, ſed officium;
Quo claris doctiſque viris pia cura parentat:
Dum decora egregiæ commeminit patriæ.

POETA.

VAlete manes inclytorum Rhetorum
Valete doctores probi.
Hiſtoria ſi quos, vel poëticus ſtylus,
Forúmve fecit nobiles:
Medicæ vel artis, dogma vel Platonicum
Dedit perenni gloriæ:
Et ſi qua cunctis cura viventum placet:
Juvátque honor ſuperſtitum:
Accipite mœſtum carminis cultum mei,
Textum querelâ flebili.
Sedem ſepulchris ſervet immotus cinis.
Memoria vivat nominum:
Dum remeat illud, judicis dono dei,
Commune cum dîs ſeculum.

EPITAPHIA HEROUM,

Qui Bello Troico interfuerunt.

AUSONIUS Lectori ſuo S.

AD rem pertinere exiſtimavi, ut vel vanum opuſculum materiæ congruentis abſolverem, & libello, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenſes peregre docuerunt, epitaphia ſubnecterem, ſcilicet titulos ſepulchrales HEROUM, *qui bello Troico interfuerunt. Quæ antiqua quum apud Philologum quendam reperiſſem, Latino ſermone converti, non ut inſervirent ordini perſequendi, ſed ut cohærerent liberè, nec aberrarent.*

I. *Agamemnoni.*

REX regum Atrides, fraternæ conjugis ultor,
Oppetii manibus conjugis ipſe meæ.
Quid prodeſt Helenes raptum puniſſe dolentem,
Vindicem adulterii quum Clytemneſtra necet?

II. *Menelao.*

FElix ô Menelae, Deûm cui debita ſedes,
Decretúmque piis Manibus Elyſium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti:
Conjugii vindex, ultor adulterii:
Æterno pollens ævo, æternâque juventâ,
Nec leti paſſus tempora, nec ſenii.

III. *Ajaci.*

AJacis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
Inlacrymans buſtis funeris ipſa mei:
Incomptas lacerata comas, quòd pravus Atrides
Cedere me ſtructis compulit inſidiis.
Jam dabo purpureum claro de ſanguine florem,
Teſtantem gemitu crimina judicii.

IV. *Achilli.*

NON una Æacidem tellus habet, oſſa teguntur
Littore Sigeo. crinem Lariſſa cremavit.
Pars tumuli .....
Orbe ſed in toto.....Homer.....

V. *Ulixi.*

COnditur hôc tumulo Laertâ natus Ulixes.
Perlege Odyſſean, omnia nôſſe volens.

VI. *Diomedi.*

COnditur hîc genitore bono melior Diomedes;
Crimen ob uxoris pulſus dotalibus agris.
Argyripam, claróſque viris qui condidit Arpos:
Clarior urbe novâ, patriæ quàm ſede vetuſtâ.

VII. *Antilocho.*

COnſiliis, bellóque bonus, quæ copula rara eſt,
Carus & Atridis, carus & Æacidis:
Præmia virtutis ſimul & pietatis adeptus,
Servato Antilochus Neſtore patre, obii.
Non hic ordo fuit: ſed juſtiùs ille ſuperſtes,
Troja capi finè quo perfida non poterat.

VIII. *Neſtori.*

HOC tegor in tumulo quarti jam prodigus ævi
Neſtor, conſilio clarus, & eloquio.
Objecit ſeſe cujus pro morte peremptus
Filius: & nati vulnere vivo pater.
Eheu! cur fatis diſponere ſic placet ævum,
Tam longum, ut nobis: tam breve ut Antilocho?

IX. *Pyrrho.*

ORbe tegor medio, major virtute paternâ,
Quòd puer, & regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Oreſtes.
Quid mirum? cæſâ jam genitrice furens.

X. *Euryalo.*

NEC me non dignum titulo Pleuronia credit:
Cui communis erat cum Diomede domus,
Euryalo, & Sthenelo. Nam tertius hoc ego regnum
Poſſedi: de quo nunc ſatis eſt tumulus.

XI. *Gunco.*

GUnea pontus habet, tumulus ſinè corpore nomen.
Fama homines inter; cœlum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune ſepulchrum.
Quæ? cœlum, & tellus, & mare, & ora virûm.

XII. *Proteſilao.*

FAtale adſcriptum nomen mihi Proteſilao.
Nam primus Danaûm bello obii Phrygio,
Audaci ingreſſus Sigeïa littora ſaltu,
Captus pellacis Laertiadæ inſidiis.
Qui ne Trojanæ premeret pede littora terræ,
Ipſe ſuper proprium deſiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen quum pater impoſuit.

XIII. *Deiphobo.*

PRoditus ad pœnam, ſceleratæ fraude Lacænæ,
Et deformato corpore Deiphobus,
Non habeo tumulum, niſi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, & Maro compoſuit.

XIV. *Hectori.*

HEctoris hic tumulus: cum quo ſua Troja ſepulta
Conduntur pariter, qui periere ſimul. [eſt.

XV. *Aſtyanacti.*

FLos Aſiæ, tantâque unus de gente ſuperſtes,
Parvulus, Argivis ſed jam de patre timendus,

Hîc

Hîc jaceo Aſtyanax, Scæis dejectus ab altis.
Prò dolor! Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

XVI. *Sarpedoni.*

SArpedon Lycius, genitus Jove, numine patris
Sperabam cœlum; ſed tegor hôc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis. prò ferrea fata!
Et patitur luctum, qui prohibere poteſt?

XVII. *Naſti & Amphimacho.*

NAſtes, Amphimachúſque, Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis & umbra ſumus.

XVIII. *Troilo.*

HEctore proſtrato, nec dîs, nec viribus æquis
Congreſſus ſævo Troïlus Æacidæ,
Raptatus bigis fratris conjungor honori.
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

XIX. *Polydoro.*

CEde procul, myrtúmque iſtam fuge neſcius, hoſpes,
Telorum ſeges eſt ſanguine adulta meo.
Confixus jaculis, & ab ipsâ cæde ſepultus,
Condor in hôc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius Æneas, & tu, rex impie: quòd me
Thracia pœna premit, Troïa cura tegit.

XX. *Euphemo.*

EUphemum Ciconum ductorem Troïa tellus
Condidit haſtati Martis ad effigiem.
Nec ſatis eſt titulum ſaxo incidiſſe ſepulchri:
Inſuper & frontem mole onerant ſtatuæ.
Ocyùs iſta ruunt, quæ ſic cumulata locantur.
Major ubi eſt cultus, magna ruina ſubeſt.

XXI. *Hippothoo, & Pylæo, in horto ſepultis.*

HIppothoum, Pyleúmque tenet gremio infima tellus.
Caulibus & malvis terga ſuperna virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos:
Dum parcente manu mollis olus excolitur.

XXII. *Ennomo, & Chromio.*

ENnomus hic, Chromiúſque jacent; queis Myſia regnum.
Queis pater Alcinus, Oceanúſque atavus.
Nobilitas quid tanta juvat? quo clarius illis
Eſt genus, hôc mortis conditio gravior.

XXIII. *Priamo.*

HIC Priami non eſt tumulus, nec condor in iſtâ
Sede: caput Danai diripuere meum.
Aſt ego quum lacerum ſinè nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illîc & natos, Trojámque, Aſiámque ſepultam
Inveni, & noſtrum quicquid ubique jacet.

XXIV. *Item Priamo.*

QUI tumulum Priami quærit, legat Hectoris antè.
Ille meus, nato quem priùs ipſe dedi.
Hectoris, & patris ſimul eſt commune ſepulchrum.
Amborum quoniam junctа ruina fuit.

XXV. *Hecubæ.*

QUÆ regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami conjux, Hectora quæ genui:
Hîc Hecuba injectis perii ſuperobruta ſaxis.
Sed rabie linguæ me tamen ulta priùs.
Fidite ne regnis, & prole, & ſtirpe parentum:
Quicunque hoc noſtrum σῆμα κυνὸς legitis.

XXVI. *Polyxenæ.*

TRoas Achilleo conjuncta Polyxena buſto
Malueram nullo cæſpite functa tegi.
Non bene diſcordes tumulos miſcetis, Achivi:
Hoc violare magis, quàm ſepelire fuit.

ALIQUOT ALIORUM EPITAPHIA.

XXVII. *Niobe, in Sipylo monte juxta fontem ſepultæ.*

THebarum regina fui, Sipyleïa cautes
Quæ modò ſum; læſi numina Latoïdum.
Bis ſeptem natis genitrix læta atque ſuperba,
Tot duxi mater funera, quot genui.
Nec ſatis hoc divis. duro circumdata ſaxo
Amiſi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obſtructis quamquàm vitalibus, hæret:
Perpetuáſque rigat fonte pio lachrymas.
Prò facinus! tantæne animis cœleſtibus iræ?
Durat adhuc luctus, matris imago periit.

XXVIII. *Eidem.*

VIveham. ſum facta ſilex. quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſinè ſenſu.
Hunc ego, quum læſi numina, non habui.

XXIX. *Eidem.*

HAbet ſepulchrum non id intus mortuum.
Habet nec ipſe mortuus buſtum ſupér.
Sibi ſed eſt ipſe hic ſepulchrum, & mortuus.

XXX. *Didoni.*

INfelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hôc pereunte fugis, hôc fugiente peris.

XXXI. *Diogeni Cynico, in cujus ſepulchro, pro titulo, Canis ſignum eſt.*

DIC, canis, hic cujus tumulus? Canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obiit? Non obiit, ſed abît.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia ſedes,
Ad manes abiit? Cerberus ire vetat.
Quónam igitur? Clari flagrat quà ſtella Leonis,
Additus eſt juſtæ nunc canis Erigonæ.

XXXII. *In tumulum ſedecennis matronæ.*

OMnia quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
Ante quater plenum conſumſit Anicia luſtrum.
Infans lactavit. pubes & virgo adolevit.
Nupſit, concepit, peperit. jam mater obivit.
Quis mortem accuſet? quis non accuſet in illo
Ætatis? meritis annus eſt, ætate puella.

XXXIII. *Glaucia, immaturâ morte prævento.*

LÆta bis octono tibi jam ſub conſule pubes
Cingebat teneras Glaucia adulte genas.
Et jam deſieras puer, ánne puella, videri:
Quum properata dies abſtulit omne decus.
Sed neque functorum ſocius miſcebere vulgo:
Nec metues Stygios flebilis umbra lacus.
Verùm aut Perſephonæ Cinyreïus ibis Adonis:
Aut Jovis Elyſii tu catamitus eris.

XXXIV. *Callicratea.*

VIginti atque novem genitrici Callicratea
Nullius ſexûs mora mihi viſa fuit.
Sed centum & quinque explevi bene meſſibus annos,
Intremulam baculo non ſubeunte manum.

XXXV. *Equo Admirabili, juſſu Auguſti.*

PHoſphore, clamoſi ſpacioſa per æquora Circi
Septenas ſolitus victor obire vias:
Improperanter agens primos à carcere curſus,
Fortis prægreſſis ut potereris equis.
Promptum & veloces erat anticipare quadrigas:
Victores etiam vincere, laus potior.
Hunc titulum vani ſolatia ſumme ſepulchri,
Et gradere Elyſios præpes ad alipedes.
Pegaſus hinc dexter currat tibi. lævus Arion
Funis eat. quartum det tibi Caſtor equum.

XXXVI. *In tumulo hominis felicis.*

SParge mero cineres, bene olentis & unguine nardi,
Hoſpes, & adde roſis balſama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrymabilis urna.
Et commutavi ſecula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ:
Seu meminiſſe putes omnia, ſive nihil.

XXXVII. *Sepulchrum Cari vacuum.*

ME ſibi, & uxori, & natis commune ſepulcrum
Conſtituit ſerus Carus ad exſequias.
Jámque diu monumenta vacant. ſitque iſta querela
Longior: & veniat ordine quiſque ſuo,
Naſcendi qui lege datus: placidúmque per ævum
Condatur, natu qui prior, ille prior.

XXXVIII. *Ex ſepulchro Latinæ viæ.*

NON nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mutus in æternum ſum, cinis, oſſa, nihil.
Non ſum, nec fueram: genitus tamen è nihilo ſum.
Mitte, nec exprobres lingula, talis eris.

AUSO-

AUSONII DE DUODECIM CÆSARIBUS,

Per Suetonium Tranquillum ſcriptis.

Auſonius Heſperio filio S. D.

CÆSAREOS proceres, in quorum regna ſecundis
Conſulibus dudum Romana potentia ceſſit,
Accipe bis ſenos. ſua quemque monoſticha ſignant,
Quorum per plenam ſeriem Suetonius olim
Nomina, res geſtas, vitámque obitúmque peregit.

Monoſticha de ordine XII. Imperatorum.

PRimus regalem patefecit JULIUS aulam
Cæſar, & AUGUSTO nomen tranſſcripſit, & arcem.
Privignus poſt hunc regnat NERO CLAUDIUS, à quo
CÆSAR, cognomen Caligæ cui caſtra dederunt.
CLAUDIUS hinc potitur regno. Poſt quem NERO ſævus
Ultimus Æneadum. Poſt hunc tres, nec tribus annis;
GALBA ſenex, fruſtra ſocio confiſus inerti:
Mollis OTHO, infami per luxum degener ævo:
Nec regno dignus, nec morte VITELLIUS ut vir.
Hisdecimus, fatóque accitus VESPASIANUS.
Et TITUS imperii felix brevitate. Secutus
Frater, quem CALVUM dixit ſua Roma NERONEM.

Tempus imperii XII Cæſarum.

JULIUS, ut perhibent, divus trieteride regnat.
AUGUSTUS poſt luſtra decem ſex prorogat annos.
Et ter ſeptenis geminos NERO CLAUDIUS addit.
Tertia finit hyems graſſantia tempora CAII.
CLAUDIUS hebdomadem duplicem trahit: & NERO dirus
Tantumdem: ſummæ conſul ſed deſuit unus.
GALBA ſenex, OTHO laſcive, & famoſe VITELLI,
Tertia vos Latiò regnantes neſciit æſtas,
Interitus dignos vitâ properante probroſâ.
Implet fatalem decadem ſibi VESPASIANUS.
Ter, dominante TITO, cingit nova laurea Janum:
Quindecies, ſævis potitur dum FRATER habenis.

De mortibus eorum.

JULIUS interiit CÆSAR graſſante ſenatu.
Addidit AUGUSTUM divis matura ſenectus.
Sera ſenex Capreis exſul NERO fata peregit.
Expetiit pœnas de CÆSARE Chærea mollis.
CLAUDIUS ambiguo concluſit fata veneno.
Matricida NERO proprii vim pertulit enſis.
GALBA ſenex periit ſævo proſtratus OTHONE.
Mox Otho famoſus, clarâ ſed morte potitus.
Prodiga ſuccedunt perimendi ſceptra VITELLI:
Laudatum imperium, mors lenis VESPASIANO,
At TITUS, orbis amor, rapitur florentibus annis.
Sera gravem perimunt, ſed juſta pincula, FRATREM.

EJUSDEM AUSONII TETRASTICHA,

A Julio Cæſare uſque ad tempora ſua.

NUnc & prædictos, & regni ſorte ſequentes
Expediam, ſeries quos tenet imperii.
Incipiam ab Divo, percurrámque ordine cunctos,
Novi Romanæ quos memor hiſtoriæ.

I. *Julius Cæſar.*

IMperium, binis fuerat ſolemne quod olim
Conſulibus, Cæſar Julius obtinuit.
Sed breve jus regni, ſolâ trieteride geſtum,
Perculit armatæ factio ſæva togæ.

II. *Octavianus Auguſtus.*

ULtor, ſucceſſórque dehinc Octavius, idem
Cæſar: at Auguſti nomine nobilior.
Longæva, & nunquam dubiis violata poteſtas,
In terris poſitum credidit eſſe deum.

III. *Tiberius Nero.*

PRænomen Tiberi nactus Nero prima juventæ
Tempora laudato geſſit in imperio.
Fruſtra dehinc ſolo Caprearum clauſus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

IV. *Cæſar Caligula.*

POſt hunc caſtrenſis caligæ cognomine Cæſar
Succeſſit ſævo ſævior ingenio:
Cædibus, inceſtíſque dehinc maculoſus, & omni
Crimine pollutum qui ſuperavit avum.

V. *Claudius Cæſar.*

CLaudius irriſæ privato in tempore vitæ,
In regno ſpecimen prodidit ingenii.
Libertina tamen, nuptarum & crimina paſſus,
Non faciendo nocens, ſed patiendo fuit.

VI. *Nero.*

ÆNeadum generis qui ſextus & ultimus hæres,
Polluit, & clauſit Julia ſacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitæ.
Diſce ex Tranquillo, me meminiſſe piget.

VII. *Sergius Galba.*

SPetn fruſtrate ſenex, privatus ſceptra mereri
Viſus; at imperio proditus inferior:
Fama tibi melior juveni: ſed juſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc, diſplicuiſſe priùs.

VIII. *Marcus Otho.*

ÆMula polluto geſturus ſceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit: qui morte decorâ
Hoc ſolum fecit nobile, quod periit.

IX. *Aulus Vitellius.*

VItæ ſors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæſar. ſic ſibi fata placent.
Umbra tamen brevis imperii: quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non niſi dignus habet.

X. *Divus Veſpaſianus.*

QUærendi attentus, moderato commodus uſu,
Auget nec reprimit Veſpaſianus opes.
Olim qui dubiam privato in tempore famam,
Rarum aliis, princeps tranſtulit in melius.

XI. *Titus Veſpaſianus.*

FElix imperio, felix brevitate regendi,
Expers civilis ſanguinis, orbis amor;
Unum dixiſti moriens te crimen habere.
Sed nulli de te, nos tibi credidimus.

XII. *Domitianus.*

HActenus edideras dominos gens Flavia juſtos:
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti eſt habuiſſe illos: quia dona bonorum
Sunt brevia: æternùm, quæ nocuere, dolent.

XIII. *Nervæ*

Digitized

XIII. *Nerva Tetrarcha.*

PRoximus exſtincto moderatus ſceptra tyranno
Nerva ſenex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro ſuboles, imitatur adoptio prolem,
Quam legiſſe juvet, quam genuiſſe velit.

XIV. *Trajanus.*

AGgreditur regimen viridi Trajanus in ævo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoque prole carens, ſociat ſibi ſorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

XV. *Ælius Hadrianus.*

ÆLius hinc ſubiit mediis præſignis in actis:
Principia & finem fama notat gravior.
Orbus & hic: ſociátque virum documenta daturum,
Adſciti quantum præmineant genitis.

XVI. *Antoninus Pius.*

ANtoninus abhinc regimen capit: ille vocatu
Conſultiſque PIUS, nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus: ſed lege ſuorum
A patriâ ſumſit, qui regeret patriam.

XVII. *Marcus Antoninus.*

POſt Marco tutela datur; qui ſcita Platonis
Flexit ad imperium, patre PIO melior.
Succeſſore ſuo moriens, ſed principe pravo,
Hôc ſolo patriæ, quòd genuit, nocuit.

XVIII. *Commodus.*

COmmodus inſequitur, pugnis maculoſus arenæ,
Threcidico princeps bella movens gladio.
Eliſo tandem perſolvens gutture pœnas;
Criminibus faſſus matris adulterium.

XIX. *Helvius Pertinax.*

HElvi, judicio & conſulto lecte ſenatûs,
Princeps decretis prodite, non ſtudiis.
Quòd doluit maleſida cohors; errore probato,
Curia quòd caſtris ceſſerat imperio.

XX. *Didius Julianus.*

DII bene, quòd ſpoliis Didius non gaudet opimis:
Et citò perjuro præmia adempta ſeni.
Túque Severe pater, titulum ne horreſce novantis.
Non rapit imperium vis tua, ſed recipit.

XXI. *Severus Pertinax.*

IMpiger egeſido movet arma Severus ab Hiſtro,
Ut parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi: ſed qui virtute probaret
Non obſtare locum, quam valet ingenium.

XXII. *Baſſianus Antoninus Caracalla.*

DIſſimilis virtute patri, & multo magis illi,
Cujus adoptivo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
Inriſu populi tu Caracalla magis.

XXIII. *Opilius Macrinus.*

PRincipis hic cuſtos, ſumptum pro Cæſare ferrum
Vertit in auctorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit. gravibus pulſare querelis
Ceſſet perfidiam. quæ patitur, meruit.

XXIV. *Antoninus Heliogabalus.*

TUne etiam Auguſtæ ſedis penetralia fœdas
Antoninorum nomina falſa gerens?

* * * *

Reliqua deſiderantur.

AUSONII Ordo nobilium Urbium.

I. *Roma.*

PRIMA urbes inter, divûm domus, aurea Roma.

II. *Conſtantinopolis, & Carthago.*

COnſtantinopoli aſſurgit Carthago priori,
Non toto ceſſura gradu: quia tertia dici
Faſtidit, non auſa locum ſperare ſecundum,
Qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens. Fuit hæc, ſubit iſta; noviſque
Excellens meritis, veterem præſtringit honorem:
Et Conſtantino concedere cogit Eliſſam.
Accuſat Carthago deos jam plena pudoris,
Nunc quoque ſi cedat, Romam vix paſſa priorem.
Componat veſtros fortuna antiqua tumores.
Ite pares, tandem memores, quòd numine divûm
Angultas mutâſtis opes & nomina: tu quum
Byzantina Lygos, tu Punica Byrſa fuiſti.

III. *Antiochia, & Alexandria.*

TErtia Phœbeæ lauri domus Antiochia,
Vellet Alexandri ſi quarta Colonia poni.
Ambarum locus unus: & has furor ambitionis
In certamen agit. Vitiorum turbida vulgo
Utraque, & amentis populi malè ſana tumultu.
Hæc Nilo munita quod eſt, penitúſque repoſtis
Inſinuata locis, fecunda & tuta, ſuperbit.
Illa quòd infidis opponitur æmula Perſis.
Et vos ite pares: Macetúmque attollite nomen.
Magnus Alexander te condidit: illa Seleucum
Nuncupat. Ingenuum cujus fuit anchora ſignum,
(Qualis inuſta ſolet) generis nota certa. per omnem
Nam ſubolis ſeriem nativa cucurrit imago.

IV. *Treveri.*

ARmipotens dudum celebrari Gallia geſtit:
Trevericæque urbis ſolium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in diæ gremio ſecura quieſcit:
Imperii vires quòd alit, quòd veſtit & armat.
Læta per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

V. *Mediolanum.*

ET Mediolani mira omnia. copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia & mores læti. tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populíque voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque arces, opulénſque Moneta,
Et regio Herculei celebris ſub honore lavacri,
Cunctáque marmoreis ornata periſtyla ſignis,
Mœniáque in valli formam circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romæ.

VI. *Capua.*

NEC Capuam pelago, cultúque, penúque potentem,
Deliciis, opibus, famâque priore ſilebo,
Fortunâ variante vices: quæ freta ſecundis,
Neſcivit ſervare modum. Nunc ſubdita Romæ,
Æmula tunc. Fidei memor, anne infida, ſenatum
Sperneret, an coleret dubitans, ſperare curules
Campanis auſa auſpiciis, undque ſuorum
Conſule: ut imperium diviſi attolleret orbis.
Quinetiam rerum dominam, Latiſque parentem
Appetiit bello, ducibus non freta togatis,
Hannibalis jurata armis: deceptáque in hoſtis
Servitium demens ſpecie tranſivit herili.
Mox ut in occaſum vitiis communibus acti
Corruerunt, Pœni luxu, Campania faſtu,
(Heu nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem!)
Illa potens, opibúſque valens, Roma altera quondam,
Comere quæ paribus potuit faſtigia conis,
Octavum rejecta locum vix penè tuetur.

VII. *Aqui-*

VII. *Aquileia.*

NON erat iſte locus: merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileja cieberis urbes,
Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus & portu celeberrima: ſed magis illud
Eminet, extremo quòd te ſub tempore legit,
Solveret exacto cui ſera piacula luſtro
Maximus, armigeri quondam ſub nomine lixa.
Felix, quæ tanti ſpectatrix læta triumphi
Puniſti Auſonio Rutupinum marte latronem.

VIII. *Arelas.*

PAnde, duplex Arelate, tuos blanda hoſpita portus,
Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam.
Per quem Romani commercia ſuſcipis orbis,
Nec cohibes: populóſque alios, & mœnia ditas:
Gallia quis fruitur, gremióque Aquitania lato.

IX. *Emerita.*

CLara mihi poſt has memorabere nomen Iberum
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota ſuos Hiſpania faſces.
Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certat,
Quæque ſinu pelagi jactat ſe Bracara dives.

X. *Athenæ.*

NUnc & terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados & Conſi quondam certaminis arcem.
Paciferæ primùm cui contigit arbor olivæ.
Attica facundæ cujus mera gloria linguæ.
Unde per Ioniæ populos, & nomen Achæum,
Verſa Graja manus, centum ſe effudit in urbes.

XI. *Catina, & Syracuſæ.*

QUis Catinam fileat? quis quadruplices Syracuſas?
Hanc ambuſtorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis & amnis.
Quam maris Ionii ſubter vada falſa meantes
Conſociant dulces placitâ ſibi ſede liquores,
Incorruptarum miſcentes oſcula aquarum.

XII. *Toloſa.*

NON unquam altricem noſtri reticebo Toloſam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens,
Pérque latus pulchro prælabitur amne Garumna:
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, & pinea Cæbennarum,
Inter Aquitanas gentes & nomen Iberum.
Quæ modò quadruplices ex ſe quum effuderit urbes,
Non ulla exhauſtæ ſentit diſpendia plebis:
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

XIII. *Narbo.*

NEC te Martie Narbo ſilebere: nomine cujus
Fuſa per immenſum quondam provincia regnum,
Obtinuit multos dominandi jure colonos.
Inſinuant quà ſe Sequanis Allobroges oris:
Excludúntque Italos Alpina cacumina fines:
Quà Pyrenaïcis nivibus dirimuntur Iberi:
Quà rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno,
Interiúſque premunt Aquitanica rura Cebennæ,
Uſque in Tectoſagos paganica nomina Volcas,
Totum Narbo fuit. Tu Gallia prima togati
Nominis attollis Latio proconſule faſces.
Quis memoret portúſque tuos, montéſque lacúſque?
Quis populos vario diſcrimine veſtis, & oris?
Quódque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non ſperneret olim
Tarquinius, Catulúſque iterum, poſtremus & ille,
Aurea qui ſtatuit Capitolî culmina Cæſar?
Te maris Eoi merces, & Iberica ditant
Æquora: te claſſes Libyci, Siculſque profundi:
Et quicquid vario per flumina, per freta curſu
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

XIV. *Burdigala.*

IMpia jam dudum condemno ſilentia, quòd te,
O patria, inſignem Baccho, fluviſque, virîſque,
Moribus, ingeniſque hominum, procerúmque ſenatu,
Non inter primas memorem: quaſi conſcius urbis
Exiguæ immeritas dubitem contingere laudes.
Non pudor hinc nobis. Nec enim mihi barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus eſt glacialis in Hæmo.
Burdigala eſt natale ſolum: clementia cœli
Mitis ubi, & riguæ larga indulgentia terræ;
Ver longum, brumæque breves, juga frondea ſubſunt.
Fervent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum ſpecies, ſic turribus altis
Ardua, ut aërias intrent faſtigia nubes.
Diſtinctas internè vias mirere, domorum
Diſpoſitum, & latas nomen ſervare plateas:
Tum reſpondentes directa in compita portas,
Per mediúmque urbis fontani fluminis alveum.
Quem pater Oceanus refluo quum impleverit æſtu,
Adlabi totum ſpectabis claſſibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi fervere freto? quanta umbra profundi!
Quantus in amne tumor! quanto ruit agmine præceps
Margine contenti biſſena per oſtia curſûs,
Innumeros populi non unquam exhauſtus ad uſus!
Hunc caperes, Rex Mede, tuis contingere caſtris,
Flumina conſumpto quum defecere meatu:
Hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes,
Unum per cunctas ſolitus portare Choaſpem.
Salve fons ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, illimis, opace.
Salve urbis genius, medico potabilis hauſtu,
DIVONA Celtarum linguâ, fons addite Divîs.
Non Aponus potu, vitreâ non luce Nemauſus
Purior; æquoreo non plenior amne Timavus.
Hic labor extremus celebres collegerit urbes.
Utque caput numeri Roma inclyta, ſic capite iſto
Burdigala ancipiti confirmet vertice ſedem.
Hæc patria eſt: patrias ſed Roma ſupervenit omnes.
Diligo Burdigalam: Romam colo. civis in hâc ſum,
Conſul in ambabus. Cunæ hic, ibi ſella curulis.

LUDUS SEPTEM SAPIENTUM.

Auſonius Conſul Latino Drepanio Pacato Proconſuli.

IGNOSCENDA iſthæc, an cognoſcenda rearis
Attento, Drepani, perlege judicio.
Æquanimus fiam te judice: ſive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus.
Nam primum eſt meruiſſe tuum, Pacate, favorem:
Proxima defenſi cura pudoris erit.
Poſſum ego cenſuram lectoris ferre ſeveri:
Et poſſum modicâ laude placere mihi.
Novit equus plauſæ ſonitum cervicis amare:
Novit & intrepidus verbera lenta pati.
Mœonio qualem cultum quæſivit Homero
Cenſor Ariſtarchus, normáque Zenodoti.
Pone obelos igitur ſpuriorum ſtigmata vatum.
Palmas, non culpas eſſe putabo meas:
Et correcta magis, quàm condemnata vocabo,
Apponet docti quæ mihi lima viri.

Interea arbitrii ſubiturus pondera tanti,
Optabo, ut placeam: ſin minùs, ut lateam.

PROLOGUS.

SEptem ſapientes, nomen quibus iſtud dedit
Superior ætas, nec ſecuta ſuſtulit,
Hodie in orcheſtram palliati prodeunt.
Quid erubeſcis tu togate Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum hoc, non & Atticis quoque:
Quibus theatrum curiæ præbet vicem.
Noſtris negotiis ſua loca ſortitò data:
Campus comitiis, ut Conſcriptis curia:
Forum, atque Roſtra ſeparatis civium.
Una eſt Athenis, atque in omni Græciâ,
Ad conſulendum publici ſedes loci:
Quam in urbe noſtrâ ſerò luxus condidit.
Ædilis olim ſcenam tabulatam dabat
Subitò excitatam nullâ mole ſaxea.
Muræna ſic, & Gallius. nota eloquar.
Poſt quam potentes, nec verentes ſumptuum,
Nomen perenne crediderunt, ſi ſemel
Conſtructa moles ſaxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum:
Cuneata crevit hæc theatri immanitas.
Pompeius hanc, & Balbus, & Cæſar dedit
Octavianus, concertantes ſumptibus.
Sed ego quid iſtæc? non hâc causâ huc prodii,
Ut expedirem, quis theatra, quis forum,
Quis condidiſſet privas partes mœniumſ:
Sed ut verendos, diſque laudatos viros
Prægrederer, ac referrem, quid vellent ſibi.
Pronunciare ſuas ſolent ſententias,
Quas quiſque providentium anteverterit.
Scitis profectò quæ ſint: ſed ſi memoria
Rebus vetuſtis cludit, veniet Ludius
Ediſſertator harum, quas teneo minùs.

LUDIUS.

DElphis Solonem ſcripſe fama eſt Atticum,
Γνῶθι σεαυτὸν, quod Latinum eſt, Noſce te.
Multi hoc Laconis eſſe Chilonis putant.
Spartane Chilon ſit tuum, nécne ambigunt,
Quod introfertur, ὄρα τέλος μακρῆ βίου,
Finem intueri longæ vitæ quo jubes.
Multi hoc Solonem dixe Cræſo exiſtimant.
Et Pittacum dixiſſe fama eſt Lesbium,
Γίγνωσκε καιρόν. Tempus ut nôris, jubet.
Sed καιρὸν iſte, tempeſtivum tempus eſt.
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί:
Quod eſt Latinum, Plures hominum ſunt mali:
Sed imperitos ſcito, quos dixit malos.
Μελέτη τὰ πάντα. Periandri eſt Corinthiis
Eſſe Meditationem totum qui putat.
Ἄριστον μέτρον eſſe dixit Lindius
Cleobulus. hoc eſt, Optimus cunctis modus.
Thales, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη protulit.
Spondere qui nos, noxa quod præ eſt, vetat.
Hoc nos monere, fœneratis non placet.
Dixi. recedam. legifer venit Solon.

SOLON.

DE more Græco prodeo in ſcenam Solon,
Septem Sapientum fama cui palmam dedit.
Sed fama non eſt judicii ſeveritas.
Neque me eſſe primum, veſtrum aut imum exiſtimo,
Æqualitas quòd ordinem neſcit pati.
Rectè olim ineptum Delphicus juſſit Deus
Quærentem, quiſnam primus ſapientum foret,
Ut in orbe tereti nomina eorum incideret:
Ne primus eſſet, ne vel imus quiſpiam.
Eorum è medio prodeo gyro Solon:
Ut quid dixiſſe Cræſo regi exiſtimor,
Id omnis hominum ſecta ſibi dictum putet.
Græcè coactum: ὄρα τέλος μακρῆ βίου:
Quod longius ſit, ſi Latinè ediſſeras:
Spectare vitæ jubeo cunctos terminum.
Proinde miſeros, aut beatos dicere
Evita: quòd ſunt ſemper ancipiti ſtatu.
Id adeò ſic eſt. ſi quicam, paucis loquar.
Rex, an tyrannus, Lydiæ Cræſus fuit
His in beatis, dives inſanum in modum,
Lateribus aureis templa qui divis dabat,
Is me evocavit. Venio dicto obediens,
Meliore ut uti rege poſſint Lydii.
Rogat, beatum prodam, ſi quem noverim;
Telana dico civem non ignobilem.
Pro patriâ pugnans iſte vitam objecerat.
Deſperit. alium quærit. inveni Aglaum:
Fines qui agelli proprii nunquam exceſſerat.
At ille ridens, Quo dein me ponis loco,
Beatus orbe toto qui ſolus vocor?
Spectandum dico terminum vitæ priùs:
Tum judicandum, ſi manet felicitas.
Dictum moleſtè Cræſus accepit. at ego
Relinquo regem. bellum ille in Perſas parat.
Profectus. victus. vinctus. regi deditus.

* * *

At ille captus, funeris ipſe inſtar ſui.

* * *

Quà flamma totum ſe per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æſtu globos.
At penè ſerò Cræſus ingenti ſono,
O vere vates; inquit: ô Solon, Solon.
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Quâ voce Cyrus motus, extingui jubet
Gyrum per omnem, & deſtrui ardentem pyram.
Et commodùm profuſus imber nubibus
Repreſſit ignem. Cræſus ad regem illico
Deductus lectam per miniſtrorum manum
Interrogatus, quem Solonem diceret:
Et quam ciendi cauſam haberet nominis,
Seriem per omnem cuncta regi ediſſerit.
Miſeratur ille: vimque fortunæ videns,
Laudat Solonem: Cræſum in amicis habet.
Vinctámque pedicis aureis ſecum jubet
Reliquum quod eſſet vitæ, totum degeret.
Ego duorum regum teſtimonio
Laudatus, & probatus ambobus fui.
Quódque uni dictum eſt, quiſque ſibi dictum putet.
Ego jam peregi, quâ de causâ huc prodii.
Venit ecce Chilon. Vos valete, & plaudite.

CHILON.

LUmbi ſedendo, oculiſque ſpectando dolent,
Manendo Solonem quoad ſeſe recipiat.
Hui, quàm pauca quàm diu loquuntur Attici:
Unam trecentis verſibus ſententiam
Tandem peregit; néque reſpectans abît.
Spartanus ego ſum Chilo, qui nunc prodeo.
Brevitate notâ, quâ Lacones utimur,
Commendo noſtrum γνῶθι σεαυτὸν, *Noſce te*,
Quod in columnâ jam tenetur Delphicâ.
Labor moleſtus iſte, fructi eſt optimi,
Quid ferre poſſis, quidve non, dignoſcere:
Noctu, diúque quæ geras, quæ geſſeris,
Adúſque puncti tenuis inſtar quærere.
Officia cuncta, pudor, honor, conſtantia,
In hôc: & illa ſpreta nobis gloria,
Dixi. Valete memores. Plauſum non moror.

CLEOBULUS.

CLeobulus ego ſum, parvæ civis inſulæ,
Magnæ ſed auctor, quâ clueo, ſententiæ:
Ἄριστον μέτρον quem dixiſſe exiſtimant.
Interpretare tu, qui orcheſtræ proximus,
Gradibus propinquis in quatuordecim ſedes:
Ἄριστον μέτρον an ſit *optimus modus*.
Dic. annuiſti. gratiam habeo. perſequar
Per ordinem. poëta dixe iſthôc loco
Aſer videtur veſter, UT NE QUID NIMIS.
Et noſter quidam, μηδὲν ἄγαν. Huc pertinet
Uterque ſenſus, Italus, ſeu Dorius:
Fandi, tacendi, ſomni, vigiliæ eſt modus,
Beneficiorum, gratiarum, injuriæ,
Studii, laborum. Vitâ in omni quicquid eſt,
Illum requirit optimæ pauſæ modum.
Dixi. recedam, ut ſit modus. venit Thales.

THALES.

MIleſius Thales ſum: AQUAM qui principem
Rebus creandis dixi, ut vates Pindarus.

* * * *

Dedere piſcatores extractum mari.
Namque hi jubente Delio me legerant:
Quod ille munus hoc ſapienti miſerat.
Ego recuſans non recepi: at reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.

Dein

Dein per omnes ſeptem ſapientes viros
Miſſum, ac remiſſum rurſus ad me referunt.
Ego receptum conſecravi Apollini.
Nam, ſi ſapientem deligi Phœbus jubet,
Non hominem quemquam, ſed deum credi decet.
Is igitur ego ſum. cauſa ſed in ſcenam fuit
Mihi prodeundi, quæ duobus ante me:
Aſſertor ut ſententiæ fierem meæ.
Ea diſplicebit; non tamen prudentibus,
Quos docuit uſus, & peritos reddidit.
Nos ἐσχύα, πάϱεστι δ' ἄτη, dicimus:
Latinum eſt, *Sponde: noxia eſt præſtò tibi.*
Per mille poſſum currere exempla, ut probem
Prædes vadéſque pœnitudinis reos.
Sed nolo quemquam nominatim dicere.
Sibi quiſque veſtrûm dicat, & ſecum putet,
Spondere quantis damno fuerit & malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.
Pars plaudite ergo: pars offenſi explaudite.

Bias.

Bias Prieneus dixi, *οἱ πλεῖονες κακοί.*
Latinè dictum ſuſpicor, *Plures mali.*
Dixiſſe nollem, VERITAS ODIUM PARIT.
Malos ſed imperitos dixi, & barbaros:
Qui jus, & æquum, & ſacros mores negligunt.
Nam populus iſte, quo theatrum cingitur,
Totus bonorum eſt. hoſtium tellus habet,
Dixiſſe quos me creditis, Plures malos.
Sed nemo quiſquam tam malus judex fuat,
Qui non bonorum partibus ſe copulet.
Sive ille verè bonus eſt, ſeu dici ſtudet,
Jam fugit illud nomen inviſum mali.
Abeo. Valete, & plaudite. plures boni.

Pittacus.

Mitylenâ oriundus Pittacus ſum Lesbius,
Γίγνωσκε καιϱόν, qui dixi ſententiam.
Sed iſte *καιϱὸς*, tempus ut nôris, monet:
Et eſſe *καιϱὸν*, tempeſtivum quod vocant.
Romana ſic eſt vox, *Venito in tempore*:
Veſter quoque ille comicus Terentius,
Rerum omnium primum eſſe tempus autumat,
Ad Antiphilam quo venerit ſervus Dromo
Nullo impeditam, temporis ſervans vicem.
Reputate cuncti, quoties offenſam incidat,
Spectata cui non fuerit opportunitas.
Tempus me abire, ne moleſtus. Plaudite.

Periander.

EPhyrâ creatus huc Periander prodeo,
Μελέτα τὸ πᾶν qui dixi: & qui dictum probo,
Meditationem id eſſe totum, quod geras.
Is quippe ſolus rei gerendæ eſt efficax,
Meditatur omne qui priùs negotium.
Adverſa rerum, vel ſecunda prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentius.
Locare ſedes, bellum gerere, aut ponere:
Magnas, modicáſque res etiam, parvas quoque
Agere volentem, ſemper meditari decet.
Nam ſegniores omnes in creptis novis,
Meditatio ſi rei gerendæ defuit.
Nihil eſt, quod ampliorem curam poſtulet,
Quàm cogitare, quid gerendum ſit. dehinc
Incogitantes fors, non conſilium regit.
Sed ego me ad partes jam recipio. Plaudite,
Meditati, ut veſtram rem curetis publicam.

Eorundem ſeptem Sapientum Sententiæ,

Septenis verſibus ab eodem Auſonio explicatæ.

Bias Prieneus.

QUÆNAM ſumma boni? Mens, quæ ſibi conſcia recti.
Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.
Quis dives? Qui nil cupiat. Quis pauper? Avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.
Quæ caſta eſt? de quâ mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Quum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? Non poſſe, & velle nocere.

Pittacus Mitylenæus.

LOqui ignorabit, qui tacere neſciet.
Bono probari malo, quàm multis malis.
Demens ſuperbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium
Pareto legi, quiſque legem ſanxeris.
Plures amicos re ſecundâ compara.
Paucos amicos rebus adverſis proba.

Cleobulus Lindius.

QUanto plus liceat, tam libeat minus.
Fortunæ invidiæ eſt immeritus miſer.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoſcas aliis multa: nihil tibi.
Pareit quiſque malis, perdere vult bonos.
Majorum meritis gloria non datur.
Turpis ſæpe datur fama minoribus.

Periander Corinthius.

NUnquam diſcrepat utile à decoro.
Plus eſt ſollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis ut libeat, quod eſt neceſſe.
Multis terribilis, caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Solon Athenienſis.

DIco tunc beatam vitam, quum peracta fata ſint.
Par pari jugator conjux. quicquid impar, diſſidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clàm coarguas propinquum, propalam laudaveris.
Pulchrius multo parari, quàm creari nobilem.
Certa ſi decreta ſors eſt, quid cavere proderit?
Sive ſint incerta cuncta, quid timere convenit?

Chilo Lacedæmonius.

NOlo minor me timeat, deſpiciátque major.
Vive memor mortis, uti ſis memor & ſalutis.
Triſtia cuncta exſuperans aut animo, aut amico.
Tu bene ſi quid facias, non meminiſſe fas eſt.
Quæ bene facta accipias, perpetuò memento.
Grata ſenectus homini, quæ parilis juventæ,
Illa juventa eſt gravior, quæ ſimilis ſenectæ.

Thales Mileſius.

TUrpe quid auſurus, te ſinè teſte time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere ſuſtuleris.
Crux eſt, ſi metuas, vincere quod nequeas.
Quum verè objurgas, ſic inimice juvas.
Quum falsò laudas, ſic & amice noces.
Nil nimium ſatis eſt. ne ſit & hoc nimium.

De iiſdem ſeptem Sapientibus, è Græco.

SEptenis patriam ſapientum, nomina, voces,
Verſibus expediam: ſua quemque monoſticha dicent:
Chilo, cui patria eſt Lacedæmon, Noſcere ſeipſum.
Periander, Trepidam moderare Corinthius iram.
Ex Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.
Menſuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Exſpectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures eſſe Bias pravos, quem clara Priene.
Mileti, fugiſſe Thales vadimonia, alumnus.

Digitized by Google

EDYLLIA.

VERSUS PASCHALES PROCODICTI.

EDYLLIUM I.

SANCTA salutiferi redeunt solemnia CHRISTI:
Et devota pii celebrant jejunia mystæ.
At nos æternum cohibentes pectore cultum,
Intemeratorum vim continuamus honorum.
Annua cura sacris, jugis reverentia nobis.
Magne pater rerum, cui terra, & pontus, & aer,
Tartaráque & picti servit plaga lactea cœli:
Noxia quem scelerum plebes treinit, almáque rursum
Concelebrat votis animarum turba piarum:
Tu brevis hunc ævi cursum, celerémque caducæ
Finem animæ donas æternæ munere vitæ.
Tu mites legum monitus, sacrósque prophetas
Humano impertis generi, servásque nepotes,
Deceptum miseratus Adam: quem capta venenis
Implicuit socium blandis erroribus Eva.
Tu verbum, pater alme, tuum, natúmque, deúmque,
Concedis terris totum, simílémque, parémque,
Ex vero verum, vivâque ab origine vivum.
Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum:
Ut super æquoreas nabat qui Spiritus undas,
Pigra immortali vegetaret membra lavacro.
Trina fides, auctore uno; spes certa salutis
Hunc numerum junctis virtutibus amplectenti.
Tale & terrenis specimen spectatur in oris
Augustus genitor, geminûm sator Augustorum.
Qui fratrem, natúmque, pio complexus utrumque
Numine, partitur regnum, neque dividit unum,
Omnia solus habens, atque omnia dilargitus.
Hos igitur nobis trinâ pietate vigentes,
Rectores terræ placidos, cœlíque ministros,
Christe apud æternum placabilis assere patrem.

EPICEDION in patrem suum Julium Ausonium.

EDYLLIUM II.

NOmen ego Ausonius, non ultimus arte medendi:
Et mea si nôsses tempora, primus eram.
Vicinas urbes colui patriâque domóque,
Vasates patriâ, sed lare Burdigalam.
Curia me duplex, & uterque senatus habebat
Muneris exsortem, nomine participem.
Non opulens, nec egens, parcus sinè sordibus egi.
Victum, habitum, mores semper eadem habui.
Sermone impromtus Latio: verùm Attica lingua
Suffecit culti vocibus eloquii.
Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ:
Officiúmque meum cum pietate fuit.
Judicium de me studui præstare bonorum:
Ipse mihi nunquam, judice me, placui.
Officia in multos diverso debita cultu,
Personis, meritis, tempore distribui.
Litibus abstinui: non auxi, non minui rem.
Indice me nullus, sed neque teste perît.
Invidi nunquam. cupere atque ambire refugi.
Jurare, aut falsum dicere, par habui.
Factio me sibi non, non conjuratio junxit.
Sincero colui fœdere amicitias.
Felicem scivi, non qui, quod vellet, haberet:
Sed qui per fatum non data non cuperet.
Non occursator, non garrulus, obvia cernens,
Valvis & velo condita non adii.
Famam, quæ posset vitam lacerare bonorum,
Non finxi: & veram si scierim, tacui.
Ira procul: spes vana procul: procul anxia cura;
Inque bonis hominum gaudia falsa procul.
Vitati cœtus, ejuratique tumultus,
Et semper fictæ principum amicitiæ.
Deliquisse nihil nunquam laudem esse putavi,
Atque bonos mores legibus antetuli.
Iracsci promptus, properavi condere motum;
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.
Conjugium per lustra novem, sinè crimine, concors,
Unum habui: gnatos quatuor edidimus.
Prima obiit lactans. at qui fuit ultimus ævi,
Pubertate rudi non rudis interiit.
Maximus ad summum culmen pervenit honorum,
Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio,
Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,
In genitore suo mente animóque pater.
Hujus ego & natum, & generum pro Consule vidi.
Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit.
Matronale decus possedit filia, cujus
Egregia & nuptæ laus erat, & viduæ;
Quæ nati, generíque & progeneri, simul omnium
Multiplici illustres vidit honore domos.
Ipse nec affectans, nec detrectator honorum,
Præfectus magni nuncupor Illyrici.
Hæc me fortunæ larga indulgentia suasit,
Numine adorato, vitæ abitum petere.
Ne fortunatæ spacium inviolabile vitæ
Fatali admorsu stringeret ulla dies,
Obtinui: auditæque preces: spem, vota, timorem,
Sopitus placido fine, relinquo aliis.
Inter mœrentes, sed non ego mœstus, amicos
Dispositis jacui funeris arbitriis.
Nonaginta annos baculo sinè, corpore toto
Exegi, cunctis integer officiis.
Hæc quicunque leges, non aspernabere fari:
Talis vita tibi, qualia vota mihi.

Quum de palatio post multos annos honoratissimus, quippe jam consul, redisset ad patriam, villulam quam pater reliquerat introgressus, his versibus lusit, Lucilliano stilo.

Ausonii VILLULA.

EDYLLIUM III.

SAlve hæredíolum majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam senior, properatâ morte, relinquit,
Heheu nolueram tam citò posse frui.
Justa quidem series patri succedere: verùm
Esse simul dominos, gratior ordo piis.
Nunc labor, & curæ meæ sunt. sola antè voluptas
Partibus in nostris. cætera patris erant.
Parvum hæredíolum, fateor. sed nulla fuit res
Parva unquam æquanimis: adde etiam unanimis.
Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re.
Cuncta cupit Crœsus, Diogenes nihilum;
Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum;
Aurea non satis est Lydia tota Midæ.
Cui nullus finis cupiendi, est nullus habendi.
Ille opibus modus est, quem statuas animo.
Verùm ager iste meus quantus sit, nosce: etiam me
Noveris, & nôris te quoque, si potis es:
Quamquam difficile est se noscere. γνῶθι σεαυτὸν,
Quàm properè legimus, tam citò negligimus.
Agri bis centum colo jugera. vinea centum
Jugeribus colitur, pratíque dimidium:
Sylva supra duplum quàm prata, & vinea, & arvum.
Cultor agri nobis nec superest, nec abest.
Fons propter, puteúsque brevis, tum purus & amnis.
Naviger hic refluus me vehit, ac revehit.
Conduntur fructus geminum mihi semper in annum.
Cui non longa penus, huic quoque prompta fames.
Hæc mihi nec procul urbe sita est, nec prorsus ad urbem:
Ne patiar turbas, útque bonis potiar.
Et quotiens mutare locum fallídia cogunt,
Transeo: & alternis rure, vel urbe fruor.

Ad

Ad nepotem Auſonium PROTREPTICON *de ſtudio puerili.*

EDYLLIUM IV.

SUnt etiam Muſis ſua ludicra. miſta Camœnis
Ocia ſunt, mellite nepos; nec ſemper acerbi
Exercet pueros vox imperioſa magiſtri.
Sed requie ſtudiſque vices rata tempora ſervant,
Et ſatis eſt puero memori legiſſe libenter.
Et ceſſare licet. Graio Schola nomine dicta eſt,
Juſta laboriferis tribuantur ut ocia Muſis.
Quò magis alternum certus ſuccedere ludum,
Diſce libens. longum delenitura laborem
Intervalla damus. Studium puerile fatiſcit,
Læta niſi auſteris varientur feſta profeſtis.
Diſce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Deteſtare nepos. nunquam horrida forma magiſtri.
Ille licèt triſtis ſenio, nec voce ſerenus,
Aſpera contractæ minitetur jurgia frontis,
Nunquam immanis erit placitâ aſſuetudine vultus,
Qui ſemel imbuerit. rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem. pappos, aviáſque trementes
Anteferunt patribus ſeri nova cura nepotes.
Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Theſſalico permixtus equo: nec pinifer Atlas
Amphitryoniadem puerum: ſed blandus uterque
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas: quamvis ſchola verbere multo
Increpet, & truculenta ſenex gerat ora magiſter.
Degeneres animos timor arguit: at tibi conſta
Intrepidus. nec te clamor, plagæque ſonantes,
Nec matutinis agitet formido ſub horis:
Quòd ſceptrum vibrat ferulæ, quòd multa ſupellex
Virgea, quòd fallax ſcuticam prætexit aluta:
Quòd fervent trepido ſubſellia veſtra tumultu.
Pompa loci, & vani fugiatur ſcena timoris.
Hæc olim genitórque tuus, genitrixque ſecuti
Securam placido mihi permulſere ſenectam.
Tu ſenium, quodcunque ſupèr labentibus annis
Fata dabunt, qui nomen avi geris indole primâ,
Prime nepos, vel re vel ſpe mihi porge fruendum.
Nunc ego te puerum, mox in juvenalibus annis,
Jámque virum cernam, ſi fors ita juſſerit; aut ſi
Invidia eſt, ſperabo tamen, nec vota ſatiſcent,
Ut patris, útque mei non immemor, ardua ſemper
Præmia Muſarum cupias: facundus & olim
Hâc gradiare viâ, quâ nos præceſſimus: & cui
Proconſul genitor, præfectus avunculus inſtant.
Perlege quodcunque eſt memorabile. priva monebo.
Conditor Iliados, & amabilis orſa Menandri
Evolvenda tibi. tu flexu & acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer.
Affectúſque impone legens. diſtinctio ſenſum
Auget, & ignavis dant intervalla vigorem.
Ecquando illa mea contingent dona ſenectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, tótque per ævum
Connexa hiſtoriæ, ſoccos aulæáque regum,
Et melicos, lyricóſque modos præfando, novabis,
Obductóſque ſeni facies pueraſcere ſenſus?
Te præeunte, nepos, modulata poëmata Flacci,
Altiſonúmque iterum fas eſt didiciſſe Maronem.
Tu quoque, qui Latium lecto ſermone Terenti
Comis, & adſtricto percurris pulpita ſocco,
Ad nova vix memorem diverbia coge ſenectam.
Jam facinus, Catilina, tuum, Lepidíque tumultum,
Ab Lepido & Catulo jam res & tempora Romæ
Orſus, bis ſenos ſeriem connecto per annos.
Jam lego civili miſtum mavorte duellum,
Movit quod ſocio Sertorius exul Ibero.
Nec rudis hæc avus admoneo, ſed mille docendo
Ingenia expertus. Multos lactantibus annis
Ipſe alui: gremióque fovens, & murmura ſolvens,
Eripui tenerum blandis nutricibus ævum.
Mox pueros molli monitu, & formidine leni
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem veſticipes motu jam puberis ævi,
Ad mores, artéſque bonas, fandíque vigorem
Produxi: quanquam imperium cervice negarent
Ferre, nec inſertis præberent ora lupatis.
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus, longo rerum ſpectatus ab uſu,
Ut regat indocilem mitis cenſura juventam.
Quæ tolerata mihi, donec jam ærumna juvaret,
Lenirétque uſu bona conſuetudo laborem.
Donec ad Auguſtæ pia munera diſcipline
Accirer, varióque accingerer auctus honore:
Aurea quum parere mihi palatia juſſum.
Abſiſtat Nemeſis: ferat & fortuna jocantem.
Præſedi imperio, dum prætextatus in oſtro,
Et ſceptro, & ſolio, ſibi præfert jura magiſtri,
Majoréſque putat noſtros Auguſtus honores.
Quos mox ſublimi maturus protulit auctu:
Quæſtor ut Auguſtis, patri, natóque crearer:
Ut præfecturam duplicem, ſellámque curulem,
Ut trabeam, pictámque togam, mea præmia, conſul
Induerer: faſtiſque meis prælatus haberer.
His ego quæſivi meritum quamgrande nepoti
Conſul avus: luménque tuæ præluceo vitæ.
Quamvis & patrio jamdudum nomine clarus,
Poſſes ornatus, poſſes honoratus haberi:
Acceſſit tamen ex nobis honor inclytus. hunc tu
Effice, ne ſit onus: per te ut connixus in altum
Conſcendas: ſperéſque tuos, te conſule, faſces.

GENETHLIACON ad eundem Auſonium nepotem.

EDYLLIUM V.

CArmina prima tibi quum jam puerilibus annis
Traderet aſſidui permulcens cura magiſtri,
Imbuerétque novas aureis, ſenſúſque ſequaces,
Ut reſpondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato,
Addidimus nil triſte ſenes: ne cura monendi
Læderet, aut dulceis guſtus vitiaret amaris.
At modò, quum motu vigeas jam puberis ævi,
Fortiáque à teneris poſſis ſecernere; & ipſe
Admonitor morúmque tibi, fandíque videri:
Accipe non præcepta quidem, ſed vota precantis
Et gratantis avi, feſtum ad ſollenne nepotis.

* * * *

Adnuito, ut reducem fatorum à fine ſenectam
Soſpes agam: feſtúmque diem, dubitatáque cernam
Sidera, depoſito propè conclamatus in ævo.
Hoc, mellite nepos, duplicato fœnere partum
Natali accedente tuo: munúſque ſalutis
Plenius hoc noſtræ, quòd jam tibi puberis ævi
Creſcit honos, juvenémque ſenex jam cerno nepotem.
Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno,
Septembres notis referens natalibus idus,
Idus alma dies, geniis quoque culta deorum.
Sextiles Hecate Latonia vendicat idus;
Mercurius Maias ſuperorum adjunctus honori.
Octobres olim genitus Maro dedicat idus.
Idus ſæpe colas biſſenis menſibus omnes,
Auſonii quicunque mei celebraveris idus.
Vale, nepos dulciſſime.

CUPIDO CRUCI AFFIXUS.

EDYLLIUM VI.

AEris in campis, memorat quos Muſa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroïdes, & ſua quæque,
Ut quondam occiderant; leti argumenta gerebant,
Errantes ſylvâ in magnâ, & ſub luce malignâ
Inter arundineáſque comas, gravidúmque papaver,
Et tacitos ſinè labe lacus, ſinè murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloſo lumine marcent
Fleti olim regum & puerorum nomina flores,
Mirator Narciſſus, & Oebalides Hyacinthus,
Et Crocus auricomans, & murice pictus Adonis,
Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia quæ lacrymis & amoribus anxia mœſtis
Exercent memores obitâ jam morte doloris:
Rurſus in amiſſum revocant Heroïdas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, & ambuſtas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, ſexu gaviſa virili,
Mœret in antiquam Cænis revocata figuram.
Vulnera ſiccat adhuc Procris: Cephaliſque cruentam
Diligit & percuſſa manum. Fert fumida teſtâ
Lumina Seſtiacâ præceps de turre puella.
Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur

Maſcula

Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis
Harmoniæ cultus Eriphyle mœsta recusat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aëriæ Minoïa fabula Cretæ,
Picturatum instar tenui sub imagine vibrat.
Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri.
Licia fert glomerata manu deserta Ariadne.
Respicit abjectas desperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit: hæc vanæ simulacra coronæ:
Dædaliæ pudet hanc latebras subiisse juvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas, vivi functique mariti.
Parte truces aliâ strictis mucronibus omnes
Et Thisbe, & Canace, & Sidonis horret Elissa.
Conjugis hæc, hæc patris, & hæc gerit hospitis ensem.
Errat & ipsa olim, qualis per Latmia saxa
Endymioneos solita affectare sopores,
Cum face, & astrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus & mœstis refovent tormenta querelis.
Quas inter medias furvæ caliginis umbram
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum: memorisque recursu
Communem sensere reum, quanquam humida circùm
Nubila & auratis fulgentia cingula bullis,
Et pharetram, & rutilæ fuscarent lampados ignem:
Agnoscunt tamen: & vanum vibrare vigorem
Occipiunt: hostémque unum loca non sua nactum,
Quum pigros ageret densâ sub nocte volatus,
Factâ nube premunt. trepidantem & cassa parantem
Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ.
Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
Invidiosa deum pœnis. cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.
Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, subtrictáque plamis
Vincula mœrentem, nullo moderamine Pœnæ
Affigunt. reus eit sinè crimine, judice nullo
Accusatus Amor. se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cunctæ exprobrantes tolerati insignia leti
Expediunt. hæc arma putant, hæc ultio dulcis,
Ut quo quæque perît, studeat punire dolore.
Hæc laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem
Ingerit: illa cavos amnes, rupémque fragosam,
Insanique metum pelagi, & sinè fluctibus æquor.
Nonnullæ flammas quatiunt, trepidóque minantur
Stridentes nullo igne faces. rescindit adultum
Myrrha uterum lacrymis lugentibus; snque paventem
Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.
Quædam ignoscentum specie ludibria tantùm
Sola volunt: stilus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Rosa nata, cruorem.
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus.
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites furias: natisque in crimina confert
Dedecus ipsa suum: quòd vincula cæca mariti
Deprenso Mavorte tulit: quòd pube pudendâ
Hellespontiaci ridetur forma Priapi.
Quod crudelis Eryx; quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis. roseo Venus aurea serto
Mœrentem pulsat puerum, & graviora paventem.
Olli purpureum mulcato corpore rorem
Sutilis expressit crebro rosa verbere: quæ, jam
Tincta priùs, traxit rutilum magis ignea fucum.
Indè truces cecidere minæ: vindictáque major
Crimine visa suo, Venerem factura nocentem.
Ipsæ intercedunt Heroïdes, & sua quæque
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia mater agit cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas.
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam cassо terrore quietem.
Quæ postquam multâ perpessus nocte Cupido
Effugit, pulsâ tandem caligine somni
Evolat ad superos, portâque evadit eburnâ.

AUSONIUS PAULO SUO S.P.D.

UT voluisti, Paule, cunctos Bissulæ versus habes:
Lusimus quos in Suëvæ gratiam virguncule,
Ocium magis foventes, quàm studentes gloriæ.
Tu molestus flagitator lege molesta carmina.
Tibi, quod intristi, exedendum est; sic vetus verbum jubet;
Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.

Ad lectorem hujus libelli.

CArminis incomti tenuem lectare libellum,
Pone supercilium.
Seria contractis expende poemata rugis.
Nos Thymelen sequimur.
Bissula in hôc schedio cantabitur, aut Erasinus.
Admoneo, antè bibas.
Jejunis nil scribo. meum post pocula si quis
Legerit, hic sapiet.
Sed magis hic sapiet, si dormiet: & putet ista
Somnia missa sibi.

BISSULA. EDYLL. VII.

Ubi nata sit Bissula, & quomodo in manus domini venerit.

BIssula trans gelidum stirpe & lare prosata Rhenum,
Conscia nascentis Bissula Danubii,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in ejus
Deliciis, cujus bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens, nescivit herai
Imperium.
Fortunæ ac patriæ quæ nulla opprobria sensit,
Illico inexperto libera servitio.
Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret
Ut facies, oculos cœrula, flava comas.
Ambiguam modò lingua facit, modò forma puellam,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.

De eâdem Bissulâ.

DElicium, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
Barbara, sed quæ Latias vincis alumna pupas,
Bissula nomen teneræ rusticulum puellæ,
Horridulum non solitis, sed domino venustum.

Ad pictorem, de Bissulæ imagine.

BIssula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo,
Naturale decus fictæ non commodat arti.
Sandyx, & cerussa, alias simulate puellas,
Temperiem hanc vultûs nescit manus. ergo age pictor,
Puniceas confunde rosas & lilia misce.
Quisque erit ex illis color aëris, ipse sit oris.

Ad eundem.

PIngere si nostram pictor meditaris alumnam,
Æmula Cecropias ars imitetur apes.

PRECATIO Ausonii consulis designati, pridie Kalendas Januarii fascibus sumtis.

EDYLLIUM VIII.

JAne, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol,
Consulis Ausonii Latium visure curulem.
Etquid ab Augustâ nunc majestate secundum,
Quod mireris, habes? Roma illa, domúsque Quirini,
Et toga purpurei rutilans prætexta senati,
Hôc capite æternis signat sua tempora Fastis.
Anne, bonis cœpte auspiciis, da vere salubri
Apricas ventorum animas, da roscida Cancro
Solstitia, & gelidum Boream Septembribus horis.
Mordeat Autumnas frigus subtile pruinas;
Et tenuata modis cesset mediocribus Æstas.
Sementem notus humificet. sit Bruma nivalis,
Dum pater antiqui renovatur Martius anni.
Spiret odorato florum nova gratia Maio,
Julius & segetes coquat, & mare temperet Eurus.
Sirius ardentem non augeat igne Leonem.
Discolor arboreos variet Pomona sapores.
Mitiget autumnus, quod maturaverit æstas,
Et genialis hyems partâ sibi dote fruatur.
Pacem mundus agat: nec turbida sidera regnent.
Nulla tuos Gradive offendat stella penates,
Quæ non æqua tibi. non Cynthia; non celer Arcas
Finitimus terris: non tu Saturne supremo
Ultime circuitu. procul à Pyroente remotus
Tranquillum properabis iter. Vos cominus ite
Stella salutigeri Jovis, & Cythereïe Vesper.
Nonunquam hospitibus facilis Cyllenius adsit.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Hostibus edomitis quà Francia mixta Suëvis

Certat

by Google

Certat ad obſequium, Latiis ut militet armis:
Quà vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chuni,
Quáque Geres ſociis Hiſtrum adſultabat Alanis.
Hoc mihi præpetibus victoria nuntiat alis.
Jam venit Auguſtus, noſtros ut cornat honores,
Officio exornans, quos participare cupiſſet.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Aurea venturo Sol porrige gaudia Jano:
Faſcibus Auſonii ſuccedet Cæſar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
Ecce ubi ſe cumulat mea purpura (mitibus auſi
Auribus hoc Nemeſis) poſt me dignatur oriri
Auguſtus conſul. plus quàm conferre videtur
Me ſibi: qui juſſit noſtros præcedere faſces.
Jane, veni, novus anne veni: renovate veni Sol;
Coge ſecuturos bis ſena per oſtia menſes,
Tu tropicum ſoli da cedere; rurſus & illum
Terga dare, ut duplex tropicus varietur ab aſtro,
Et quater à ternis properet mutatio ſignis.
Æſtivos impelle dies, brumámque morantem
Noctibus adceleret promiſſus Cæſaris annus.
Illum ego ſi cernam, tum térque quatérque beatus,
Tunc ero bis conſul, tunc tangam vertice cœlum.

Item PRECATIO calendis Januariis.

EDYLLIUM IX.

ANne, bonis cœpte auſpiciis, felicia cernis
Conſulis Auſonii primordia. prome coruſcum
Sol æterne caput: ſolitóque illuſtrior, almo
Lumine purpureum jubar exſere lucis eoæ.
Anne, pater rerum, quas Jani menſe bifrontis
Volvis in hybernum glaciali fine Decembrem,
Anne, veni, & feſtum veteris novus adſpice Jani.
Solennes pervade vias, biſſenáque mundo
Curricula æquatis varians per tempora ſignis,
Præcipitem æternâ perfer vertigine curſum;
Sic prono raptate polo, contraria Phœbus
Ut momenta ferat ſervatâ parte dierum,
Et novus hyberno reparet ſua lumina pulſu.
Menſtrua ter decies redeunt dum cornua Lunæ,
Exortus, obitúſque manu volvente rotabis,
Legitimum Phœbi cohibens per ſigna meatum.

MOSELLA. EDYLL. X.

TRanſieram celerem nebuloſo lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico:
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas:
Inſletæque jacent inopes ſuper arva catervæ.
Unde iter ingrediens nemoroſa per avia ſolum,
Et nulla humani ſpectans veſtigia cultûs,
Prætereo arentem ſitientibus undique terris
Dumniſſum, riguáſque perenni fonte Tabernas,
Arváque Sauromatum nuper metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conſpicor oris
Nivomagum, divi caſtra inclyta Conſtantini.
Purior hic campis aër: Phœbúſque ſereno
Lumine purpureum referat jam ſudus Olympum.
Nec jam conſertis per mutua vincula ramis
Quæritur excluſum viridi caligine cœlum:
Sed liquidum jubar, & rutilam viſentibus æthram
Libera perſpicui non invidet aura diei.
In ſpeciem quum me patriæ, cultúmque nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia viſu,
Culmina villarum, pendentibus edita ripis,
Et virides Baccho colles, & amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Moſellæ.
Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ:
Amnis odorifero juga vitea conſite Baccho,
Conſite gramineas amnis viridiſſime ripas:
Naviger, ut pelagus; devexas pronus in undas,
Ut fluvius; vitreóque lacus imitate profundo;
Et rivos trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu,
Omnia ſolus habes, quæ fons, quæ rivus, & amnis,
Et lacus, & bivio reſluus manamine pontus.
Tu placidis prolapſus aquis, nec murmura venti
Ulla, nec occulti pateris luctamina ſaxi.
Non ſuperante vado rapidos reparare meatus
Cogeris, exſtantes medio non æquore terras
Interceptus habes: juſti ne demat honorem
Nominis, excluſum ſi dividat inſula flumen.
Tu duplices ſortite vias, & quum amne ſecundo
Deſluis, ut celeres feriant vada concita remi:
Et quum per ripas nuſquam ceſſante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipſe tuos quoties miraris in amne recurſus,
Legitimóſque putas propè ſegniùs ire meatus?
Tu neque limigenis ripam prætexeris ulvis,
Nec piger immundo perfundis littora cœno,
Sicca ſed in primâ aſpergis veſtigia lymphâ.
I nunc, & Phrygiis ſola levia confere cruſtis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
Aſt ego deſpectis, quæ cenſus opéſque dederunt,
Naturæ mirabor opus, non, cura nepotum,
Lætáque jacturis ubi luxuriantur egeſtas.
Hìc ſolidæ ſternunt humentia littora harenæ,
Nec retinent memores veſtigia preſſa figuras.
Spectaris vitreo per levia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens. útque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aër,
Nec placidi prohibent oculos per inania venti:
Sic demerſa procul durante per intima viſu
Cernimus, arcanſque patet penetrale fluenti:
Quum vada lene meant, liquidarum & lapſus aquarum
Prodit cœruleâ diſperſas luce figuras:
Quòd ſulcata levi criſpatur harena meatu:
Inclinata tremunt viridi quòd gramina fundo.
Utque ſub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas: lucétque, latétque
Calculus: & viridem diſtinguit glarea muſcum.
Non Caledoniis talis pictura Britannis,
Quum virides algas, & rubra coralia nudat
Æſtus, & albentes concharum germina baccas,
Deliciáſque hominum locupletes, quæque ſub undis
Aſſimulant noſtros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ ſubter vada læta Moſellæ,
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen uſque oculos errore fatigant
Interludentes examina lubrica piſces.
Sed neque tot ſpecies, obliquatóſque natatus,
Quæque per adverſum ſuccedunt agmina flumen,
Nominâque, & cunctos numeroſæ ſtirpis alumnos,
Edere fas. haud ille ſinit, cui cura ſecundæ
Sortis, & æquorei ceſſit tutela tridentis.
Tu mihi flumineis habitatrix Naïs in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidóque ſub alveo
Diſſere cœruleo fluitantes amne catervas.
Squameus herboſas Capito inter lucet harenas,
Viſcere præ tenero factim congeſtus ariſtis,
Nec duraturus poſt bina trihoria menſis.
Purpureſque Salar ſtellatus tergora guttis,
Et nullo ſpinæ nociturus acumine Redo,
Effugiéſque oculos celeri levis Umbra natatu.
Tuque per obliqui ſauces vexate Saravi,
Quà bis terna fremum ſcopulofis oſtia pilis,
Quum defluxiſti famæ majoris in amnem,
Liberior laxos exerces Barbe natatus.
Tu melior pejore ævo; tibi contigit omni
Spirantum ex numero non inlaudata ſenectus,
Nec te puniceo rutilantem viſcere Salmo
Tranſierim, latæ cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio ſummas referuntur in undas,
Occultus placido cùm proditur æquore pulſus.
Tu loricato ſquamoſus pectore, frontem
Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupte morarum,
Præſignis maculis capitis: cui prodiga nutat
Alvus, opimatóque fluens abdomine venter.
Quæque per Illyricum, per ſtagna binominis Iſtri,
Spumarum indiciis caperis Mutella natantum,
In noſtrum ſubvecta fretum, ne lata Moſellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra ſupernè
Puncta notant tergum; quà lutea circuit Iris,
Lubrica cœruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium ſartim pingueſcis: at illinc
Uſque ſub extremam ſqualleſt cutis arida caudam.
Nec te delicias menſarum Perca ſilebo,
Amnigenos inter piſces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere mollis:
Nam neque guſtus iners; ſolidóque in corpore partes
Segmentis coëunt, ſed diſſociantur ariſtis.
Hìc etiam Latio riſus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infeſtiſſima ranis,
Lucius, obſcuros ulvâ, cœnóque lacunas

Obſidet.

Obsidet: hic nullos mensarum lectus ad usus,
Pervet fumosis olido nidore popinis.
Quis non & virides volgi solatia Tincas
Nôrit, & Alburnos prædam puerilibus hamis,
Stridentésque focis opsonia plebis Alausas?
Téque inter species geminas, neutrúmque, & utrumque,
Qui necdum Salmo, nec jam Salar, ambiguúsque
Amborum medio Fario intercepte sub ævo?
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes
Gobio, non major geminis sinè pollice palmis,
Præpinguis, teres, oviparâ congestior alvo:
Propexísque jubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure:
Quem velut Actæo perductum tergora olivo
Amnicolam Delphina reor. sic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina solvis,
Aut brevibus defensa vadis, aut fluminis ulvis.
At quum tranquillos moliris in amne meatus,
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ. diffunditur alveo
Æstus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam balæna profundo,
Quum vento motúve suo telluris ad oras
Pellitur, exclusum fundit mare: magnáque surgunt
Æquora, vicinsque timent decrescere montes.
Hìc tamen, hìc nostræ mitis Ballæna Mosellæ,
Exitio procul est, magnóque honor additus amni.
Jam liquidas spectâsse vias, & lubrica pisces
Agmina; multiplicésque satis numerâsse catervas.
Inducant aliam spectacula vitea pompam:
Solliciténtque vagos baccheïa munera visus:
Quà sublimis apex longo super ardua tractu
Et rupes, & aprica jugi, flexúsque, sinúsque,
Vitibus assurgunt, naturalísque theatro.
Gauranum hìc alma jugum vindemia vestit,
Et Rhodopen: proprióque nitent Pangæa Lyæo.
Sic viret Ismarius super æquora Thracia collis.
Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.
Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
Conseritur viridi fluvialis margo Lyæo.
Læta operum plebes, festinantésque coloni
Vertice nunc summo properant, nunc dejuge dorso,
Certantes stolidis clamoribus. indè viator
Riparum subjecta terens, hinc navita labens,
Probra canunt seris cultoribus. adstrepit ollis
Et rupes, & sylva tremens, & concavus amnis.
Nec solos hominum delectat scena locorum.
Hìc ego & agrestes Satyros, & glauca tuentes
Naïdas, extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cùm læta protervia Panas,
Insultántque vadis, trepidásque sub amne sorores
Terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.
Sæpe etiam mediis furata è collibus uvas
Inter Oreïadas Panope fluvialis amicas,
Fugit lascivos paganica numina Faunos.
Dicitur & medio quum sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum, Satyros, vitreásque sorores,
Consortes celebrare choros: quum præbuit horas
Secretas hominum cœtu flagrantior æstus.
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibúsque natandi
Per medias exire manus; dum lubrica falsi
Membra petunt, liquidósque fovent pro corpore fluctus.
Sed non hæc spectata ulli, nec cognita visu,
Fas mihi sit pro parte loqui: secreta tegatur,
Et commissa suis lateat reverentia rivis.
Illa fruenda palàm species, quum glaucus opaco
Respondet colli fluvius. frondere videntur
Fluminei latices, & palmite consitus amnis.
Quis color ille vadis, seras quum protulit umbras
Hesperus, & viridi profundit monte Mosellam?
Tota natant crispis juga motibus, & tremit absens
Pampinus, & vitreis vindemia turget in undis:
Adnumerat virides derisus navita vites,
Navita caudiceo fluitans super æquora lembo,
Per medium, quà sese amni confundit imago
Collis, & umbrarum confinia conserit amnis.
Hæc quoque quàm dulces celebrant spectacula pompas,
Remipedes medio certant quum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridésque per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis?
Puppibus, & proris alacreis gestire magistros,
Impubémque manum super amnica terga vagantem
Dum spectat transire, dein sua seria ludo
Posthabet: excludit veteres nova gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei quum per juga consita Gauri,
Pérque vaporiferi graditur vineta Vesevi:
Quum Venus, Actiacis Augusti læta triumphis,
Ludere lascivos fera prœlia jussit Amores,
Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces:
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ,
Innocuos ratium pulsus, pugnásque jocantes
Naumachiæ, Siculo quales spectante Peloro
Cæruleus viridi reparat sub imagine pontus.
Non aliam speciem petulantibus addit ephebis
Pubertásque, amnisque, & picti rostra phaselli.
Hos Hyperionio quum sol perfuderit æstu,
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas,
Et redigit pandas inversi corporis umbras.
Utque agiles motus dextrâ, lævâque frequentant,
Et communatis alternant pondera remis,
Unda refert alios simulacra humentia nautas.
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
Fallaces fluvio mirata redire figuras.
Sic ubi compositos ostentatura capillos,
Candentem latè speculi explorantis honorem,
Quum primùm caræ nutrix admovit alumnæ,
Læta ignorato fruitur virguncula ludo,
Germanæque putat formam spectare puellæ:
Oscula fulgenti dat non referenda metallo:
Aut fixas prætentat acus; aut frontis ad oram
Vibratis cœptat digitis extendere crines:
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falsísque figuris.
Jam verò accessus facileis quà ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo
Heu malè defensos penetrali flumine pisceis!
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodosis decepta plagis examina verrit;
Ast hic tranquillo quà labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia signis.
Ille autem scopulis subjectas pronus in undas,
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos escis jaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli postquam vaga turba natantum
Rictibus invasit, parulæque per intima fauces
Sera occultati senserunt vulnera ferri,
Dum trepidant, subit indicium: crispóque tremori
Vibrantis setæ nutans consentit harundo.
Nec mora: & excussam stridenti verbere prædam
Dexterâ in obliquum raptat puer. excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat, motóque adsibilat aëre ventus.
Exsultant undæ super arida saxa rapinæ,
Luciferque pavent letalia tela diei.
Quisque sub amne suo mansit vigor, aëre nostro
Segnis anhelatis vitam consumit in auris.
Jam piger invalido vibratur corpore plausus;
Torpida supremos patitur jam cauda tremores,
Nec coëunt rictus: haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos exspirans brachia flatus.
Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibétque foramine ventos
Lanea fagineis alludens parma cavernis.
Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
Collegisse animas: mox in sublime citatos,
Cernua subjectum præceps dare corpora in amnem,
Desperatarum potientes rursus aquarum.
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
Impetit, & stolido captat prensare natatu.
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus, carptas moribundis piscibus herbas
Sumsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
Ille hamis & rete potens, scrutator operti
Nereos, æquoream solitus converrere Tethyn,
Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia despectant longo per cærula tractu
Pendentes saxis instanti culmine villæ.
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis: & alternas comunt prætoria ripas.
Quis modò Sestiacum pelagus, Nepheleïdos Helles
Æquor; Abydeni freta quis miretur ephebi?
Quis Chalcedonio constratum ab littore pontum,
Regis opus Magni, mediis euripus ubi undis

Euro-

Europæque Aſiæque vetat concurrere terras?
Non hìc dira freti rabies, non ſæva furentum
Prælia Caurorum. licet hìc commercia linguæ
Jungere, & alterno ſermonem texere pulſu.
Blanda ſalutiferas permiſcent littora voces,
Et voces, & penè manus. reſonantia utrinque
Verba refert, mediis concurrit fluctibus Echo.
Qui potis, innumeros cultúſque habitúſque retexens,
Pandere tectonicas per ſingula prædia formas!
Non hoc ſpernat opus Gortynius aliger, ædis
Conditor Enboïcæ, caſus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrii pepulere dolores.
Non Philo Cecropius: non qui laudatus ab hoſte
Clara Syracoſii traxit certamina belli.
Forſan & inſignes hominúmque operúmque labores
Hìc habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas. hìc clari viguere Menecratis artes,
Atque Epheſi ſpectata manus: vel in arce Minervæ
Idæus; magico cui noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres, perimítque tuendo.
Conditor hic forſan fuerit Ptolemaïdos aulæ
Dinochares: quadro cui in faſtigia cono
Surgit, & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras,
Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris
Arſinoen Pharii ſuſpendit in aere templi.
Spirat enim tecti teſtudine vera Magnetis,
Affictámque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum ſimiles eſt credere dignum
Belgarum in terris ſcenas poſuiſſe domorum,
Molitos celſas fluvii decoramina villas.
Hæc eſt nativi ſublimis in aggere ſaxi.
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit, captúmque ſinu ſibi vendicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Uſurpat faciles per culta, per aſpera, viſus:
Utque ſuis fruitur dives ſpeculatio terris.
Quinetiam riguis humili pede condita pratis
Compenſat celſi bona naturalia montis,
Sublimíque minans irrumpit in æthera tecto,
Oſtentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Huic proprium eſt clauſos conſepto gurgite piſces
Apricas ſcopulorum inter captare novales.
Hæc ſummis innixa jugis labentia ſubter
Flumina deſpectu jam caligante tuetur.
Atria quid memorem viridantibus aſſita pratis?
Innumeríſque ſuper nutantia tecta columnis?
Quid quæ ſulphureâ ſubſtructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cùm Mulciber hauſtus operto,
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Incluſum glomeraus æſtu exſpirante vaporem?
Vidi ego defeſſos multo ſudore lavacri
Faſtidiſſe lacus, & frigora piſcinarum,
Ut vivis fruerentur aquis; mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepuliſſe natatu.
Quòd ſi Cumanis huc aſſoret hoſpes ab oris,
Crederet Euboïcas ſimulacra exilia Baias
His donâſſe locis: tantus cultúſque nitórque
Allicit, & nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere? dignandámque mari memorare Moſellam?
Innumeri quòd te diverſa per oſtia latè
Incurrunt amnes? quanquam differre meatus
Poſſent: ſed celerant in te conſumere nomen.
Namque & Pronææ Nemeſæque adjuta meatu
Sura tuas properat non degener ire ſub undas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobiliùs permixta tuo ſub nomine, quàm ſi
Ignoranda patri confunderet oſtia ponto:
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Feſtinant famulis quàm primùm adlambere lymphis.
Nobilibus Celbis celebratus piſcibus: ille
Præcipiti torquens cerealia ſaxa rotatu,
Stridentéſque trahens per levia marmora ſerras
Audit perpetuos ripâ ex utrâque tumultus.
Prætereo exiguam Leſuram, tenuémque Drahonum,
Nec faſtiditos Salmonæ uſurpo fluores.
Naviger undiſonâ dudum me mole Saravus
Totâ veſte vocat: longum qui diſtulit amnem,
Feſſa ſub Auguſtis ut volveret oſtia muris.
Nec minor hôc, tacitum qui per ſola pinguia labens
Stringit frugiferas felix Aliſontia ripas,
Mille alii, prout quemque ſuus magìs impetus urget,
Eſſe tui cupiunt. tantus properantibus undis
Ambitus, aut moles. Quòd ſi tibi dia Moſella
Smyrna ſuum vatem, vel Mantua clara dediſſet:
Cederet Iliacis Simoïs memoratus in oris,
Nec præferre ſuos auderet Tibris honores.
Da veniam mihi, Roma potens. pulſa, oro, faceſſat
Invidia: & Latiæ Nemeſis non cognita linguæ,
Imperii ſedem, Romæque tuere parentes.
Salve magne parens frugúmque virúmque Moſella.
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quinetiam mores, & lætum fronte ſeverâ
Ingenium, natura tuis conceſſit alumnis.
Nec ſola antiquos oſtentat Roma Catones:
Aut unus tantùm juſti ſpectator & æqui
Pollet Ariſtides, veteréſque illuſtrat Athenas.
Verùm ego quid laxis nimiùm ſpatiatus habenis
Victus amore tui præconia detero? conde
Muſa chelyn, pullis extremo carmine nervis.
Tempus erit, quum me ſtudiis ignobilis otî
Mulcentem curas, ſeniſque aprica foventem,
Materiæ commendet honos: quum facta viritim
Belgarum, patrióſque canam decora inclyta mores.
Mollia ſubtili nebunt mihi carmina filo
Pierides, tenuſque aptas ſubtegmine telas
Percurrent: dabitur noſtris quoque pupura fuſis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolas: legúmque catos, fandíque potentes,
Præſidium ſublime reis; quos curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriúmque ſenatum:
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
Quíque ſuas rexere urbes, purúmque tribunal
Sanguine, & innocuas illuſtravere ſecures;
Aut Italûm populos, aquilonigenáſque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.
Quíque caput rerum Romam, populúmque, patréſque
Tantùm non primo rexit ſub nomine: quamvis
Præfuerit primis. feſtinat ſolvere tandem
Errorem fortuna ſuum: libatáque ſupplens
Præmia, jam veri faſtigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modò cœptum
Detexatur opus: dilatâ & laude virorum,
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium, Rhenſque ſacremus in undis.
Cæruleos nunc Rhene ſinus, hyalóque virentem
Pande peplum, ſpatiúmque novi metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis. nec præmia in undis
Sola, ſed Auguſtæ veniens quòd mœnibus urbis
Spectavit junctos Natſque Patríſque triumphos,
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper, & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Hiſtri.
Hæc profligati venit modò laurea belli:
Mox alias aliáſque feret. vos pergite juncti,
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu vereare minor pulcherrime Rhene videri,
Invidiæ nil hoſpes habet. potiere perenni
Nomine. tu fratrem, famæ ſecurus, adopta.
Dives aquis, dives nymphis, largitor utrique
Alveus extendet geminis divortia ripis,
Communéſque vias diverſa per oſtia fundet.
Accedent vires, quas Francia, quáſque Chamaves,
Germaníque tremant: tunc verus habebere limes.
Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni.
Quúmque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
Hæc ego, VIVISCA ducens ab origine gentem,
Belgarum hoſpitiis nunc per nova fœdera notus,
Ausonius, nomen Latium, patriâque, domóque
Gallorum extremos, inter, celſámque Pyrenen,
Temperat ingenuos quà læta Aquitania mores,
Audax exiguâ fide concino. Fas mihi ſacrum
Perſtrinxiſſe amnem tenui libamine Muſæ.
Nec laudem affecto. veniam peto. ſunt tibi multi
Alme amnis, ſacros qui ſollicitare fluores
Aonidum, totámque ſolent haurire Aganippen.
Aſt ego quanta mei dederit ſe vena liquoris,
Burdigalam quum me in patriam, nidúmque ſenectæ
Auguſtus pater, & natus, mea maxima cura,
Faſcibus Auſoniis decoratum & honore curuli
Mittent, emeritæ poſt tempora diſciplinæ,
Latiùs Arctoi præconia perſequar amnis.
Addam urbes, tacito quas ſubterlaberis alveo:
Mœniáque antiquis te proſpectantia muris:
Addam, præſidiis dubiarum condita rerum,
Sed modò ſecuris non caſtra, ſed horrea Belgis.
Addam felices ripâ ex utrâque colonos,

Téque inter medios hominúmque boúmque labores,
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem.
Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps;
Matrona non, Gallos, Belgáſque interſita fines;
Santonico reſluus non ipſe Carantonus æſtu.
Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis: & auriferum poſtponet Gallia Tarnem.
Inſanúmque ruens per ſaxa rotantia latè
In mare purpureum, dominæ tamen antè Moſellæ
Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturrus.
Corniger externas celebranda Moſella per oras,
Nec ſolis celebranda locis, ubi fonte ſupremo
Exſeris auratum taurinæ frontis honorem:
Quáque trahis placidos ſinuoſa per arva meatus:
Vel quà Germanis ſub portubus oſtia ſolvis:
Si quis honos tenui volet adſpirare camœnæ,
Perdere ſi quis in his dignabitur otia muſis,
Ibis in ora hominum, lætóque fovebere cantu.
Te fontes, vivſque lacus, te cœrula noſcent
Flumina: te veteres pagorum gloria luci;
Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis,
Alpinſque colent fluvii, duplicémque per urbem
Qui meat, & Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te ſtagnis ego cœruleis, magnúmque ſonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

GRIPHUS Ternarii numeri.

EDYLLIUM XI.

TER bibe, vel totiens ternos; ſic myſtica lex eſt,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cœbum.
Juris idem tribus eſt, quod ter tribus. omnia in iſtis:
Forma hominis cœpti, pleníque exactio partûs,
Quíque novem novies fati tenet ultima finis.
Tris Ope progeniti fratres, tris ordine partæ
Veſta, Ceres, & Juno, ſecus muliebre ſorores.
Indè triſulca Jovis ſunt fulmina. Cerberus indè.
Indè Tridens: tripléxque Helenes cum fratribus ovum.
Ter nova Neſtoreus implevit purpura fuſos.
Et toties terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomeramem ſæcula tractûs
Vincunt æripedes ter terno Neſtore cervi,
Tris quorum ætates ſuperat Phœbeïus oſcen.
Quem novies ſenior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora rodo.
Tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ.
Tris Charites, tria Fata. triplex vox. trina elementa.
Tris in Trinacriâ Siredones; omnia terna:
Tris volucres, tris ſemideæ, tris ſemipuellæ:
Ter tribus ad palmam juſſæ certare Camœnis,
Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
Tris ſophiæ partes. tria Punica bella. trimeſtres
Annorum cœlíque vices: noctíſque per umbram
Tergemini vigiles. ter clara inſtantis eoi
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.
Et qui conceptus triplicatæ veſpere noctis,
Juſſa quater ternis adfixit opima tropæis.
Et lyrici vates numero ſunt Mnemonidarum,
Tris ſolus quondam tenuit quas dextera Phœbi:
Sed Citheron totiens ternas ex ære ſacravit
Relligione patrum, qui ſex ſpreviſſe timebant.
Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Tris primas Thracum pugnas tribus ordine bellis,
Juniadæ patrio inferias miſere ſepulchro.
Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent conſortia templo.
Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus quæ ſaxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ ſupremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii quadrantal, & hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hæc geminis tribus explicat uſus agendi.
In Phyſicis tria prima, Deus, mundus, data forma.
Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.
Per trinas ſpecies trigonorum regula currit,
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tris coit in partes numerus perfectus: ut idem
Congrege ter trino per ter tria diſſolvetur.
Tis primus, par, impar habet, mediúmque: ſed ipſe
Ut tris, ſic quinque, & ſeptem quoque dividit unus.
Et numero in toto poſitus ſub acumine centri,
Diſtinguit ſolidos cœbo pergente trientes,
Æquipares dirimens partes ex impare terno,
Et paribus triplex medium: quum quatuor & ſex
Biſque quaternorum ſecernitur omphalos idem.
Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, & populi commune quod uſquam eſt.
Interdictorum trinum genus: unde repulſus
Vi fuero, aut Utrobi fuerit, Quorúmve bonorum.
Triplex libertas, capitíſque minutio triplex.
Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Et tenui filo. triplex quoque forma medendi,
Quoi logos, aut methodos, cuſque experientia nomen.
Et medicina triplex, ſervare, cavere, mederi,
Tris oratorum cultus, regnata Coloſſo
Quem Rhodos, Actææ quem dilexiſtis Athenæ,
Et quem de ſcenis tetrica ad ſubſellia traxit
Proſa Aſiæ, in cauſis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flamma.
Triplex ſideribus poſitus, diſtantia, forma.
Et modus, & genitrix modulorum mutica triplex,
Mixta libris, ſecreta aliis, vulgata theatris.
Martia Roma triplex; equitatu, plebe, ſenatu.
Hôc numero tribus, & ſacro de monte Tribuni.
Tris equitum turmæ: tria nomina nobiliorum.
Nomina ſunt chordis tria: ſunt tria nomina menſi.
Geryones triplex: triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, commiſſa tribus, cane, virgine, piſce.
Gorgones, Harpyiæque & Erinnyes agmine terno.
Et tris fatidicæ nomen commune Sibyllæ:
Quarum tergemini fatalia carmina libri:
Quos ter quinorum ſervat cultura virorum.
Ter bibe. tris numerus ſuper omnia, tris Deus unus.
Hic quoque ne ludus numero tranſcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciéſque novenos.

TECHNOPÆGNION. EDYLL. XII.

Verſus monoſyllabis cœpti, & finiti, ita ut à fine verſûs ad principium recurrant.

RES hominum fragiles alit, & regit, & perimit fors.
Fors dubia, æternúmque labans: quam blanda fovet ſpes.
Spes nullo finita ævo: cui terminus eſt mors.
Mors avida, infernâ mergit caligine quam nox.
Nox obitura vicem: remeaverit aurea quum lux.
Lux dono conceſſa deûm: cui prævius eſt ſol.
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars.
Mars nullo de patre ſatus: quem Threſſa colit gens.
Gens infrena virum: quibus in ſcelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare ſacris: ferus iſte loci mos.
Mos ferus audacis populi: quem nulla tenet lex.
Lex naturali quam condidit imperio jus.
Jus genitum pietate hominum, jus certa dei mens.
Mens, quæ cœleſti ſenſu rigat emeritum cor.
Cor vegetum mundi inſtar habens, animæ vigor, ac vis.
Vis tamen hic nulla eſt: verùm eſt jocus & nihili res.

MONOSYLLABI tantum in fine poſiti.

ÆMula dis, naturæ imitatrix, omniparens ars,
Pacato ut ſtudeat ludus meus, eſto operi dux.
Arcta, inamœna licèt, nec congrua carminibus lex.
Judice ſub tanto fandi tamen accipiet jus.
Quippe & ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

De membris.

INdicat in pueris ſeptennia prima novus dens.
Pubentes annos robuſtior anticipat vox.
Invicta & ventis, & ſolibus, eſt hominum frons.
Edurum nervi cum viſcere conſociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.
Unde vigent ſenſus, dominatrix, quos vegetat mens,
Atque in verba refert modulatâ lege loquax os.
Quàm validum eſt, hominis quota portio, cæruleum fel!
Quàm tenue, & molem quantam fert corpoream crus!
Pondere ſub quanto noſtrum moderatur iter pes!

Inconnexa.

SÆpe in conjugiis ſit noxia, ſi nimia eſt dos.
Sexus uterque potens, ſed prævalet imperio mas.
Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, & fœdera diſſociat lis.

Incipe,

Incipe, quidquid agas: pro toto eſt prima operis pars.
Inſinuat cœlo, dîſque inſerit emeritos laus.
Et diſciplinis conferta eſt, & vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus eſt arx.
Auro magnus honos, auri pretium tamen eſt es.
Longa dies operoſa viro, ſed temperies nox,
Quâ caret Æthiopum plaga, pervigil, irrequies gens,
Semper ubi æternâ vertigine clara nitet lux.

De Deis.

SUnt & cœlicolûm monoſyllaba. prima deûm Fas,
Quæ Themis eſt Grajis. poſt hanc Rhea, quæ Latiis Ops.
Tum Jovis & Conſi germanus, Tartareus Dis.
Et ſoror & conjux fratris, regina deûm, Vis.
Et qui quadrijugo curru pater invehitur Sol.
Quſque truces belli motus ciet armipotens Mars:
Quem nunquam pietas, nunquam bona ſollicitat Pax.
Nec cultor nemorum reticebere, Mænalide Pan,
Nec Genius domuum, Larundâ progenitus Lar.
Fluminibúſque Italis præpollens ſulfureus Nar.
Quæque piat divûm perjuria, nocticolor, Styx.
Velivolſque maris conſtrator Leuconotos Libs.
Et nunquam in dubiis hominum bona deſtituens Spes.

De Cibis.

NEC noſtros reticebo cibos, quos priſcus habet mos,
Irritamentum quibus additur æquoreum ſal.
Olim communis pecori cibus, atque homini glans,
Antè equidem campis quàm ſpicea ſuppeteret frux.
Mox ador, atque adoris de polline pultificum far,
Inſtruxit menſas quo quondam Romulidûm plebs.
Hinc cibus, hinc potus, cùm diluceretur aquâ puls.
Eſt inter fruges morſu piper æquiparans git.
Et Peluſiaco de ſemine plana, teres lens.
Et duplici defenſa putamine quinquegenus nux.
Quódque cibo & potu placitum, labor acer apum, mel.
Naturæ liquor iſte novæ: cui ſumma natat fex.

De Hiſtoriis.

SOlamen tibi, Phœbe, novum dedit Oebalius flos.
Flore alio reus eſt Narciſſi morte ſacer fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus ſus.
Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs.
Ludit & Æacidem Parnaſſia Delphicolæ ſors.
Threïcium Libycum freta Cimmeriûmque ſecat bos.
Non ſinè Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
Quo generata Venus Saturnia deſecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicas ſtetit alitibus crux.
Unde Prometheo de corpore ſanguineus ros.
Adſpergit cautes, & dira aconita creat cos.
Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
Æacidæ ad tumulum mactata eſt Andromache glos.
Carcere in Argivo Philopœmena lenta adiit mors.
Tertia opima dedit ſpoliatus Aremoricus Lars.
Sera venenato potu abſtulit Hannibalem nex.
Res Aſiæ quantas leto dedit immeritas fraus!
Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.
Præpetibus pennis ſuper aëra vectus homo Cres.
Intulit inceſtam tibi vim Philomela ferus Thrax.
Barbarus eſt Lydus, ſervus Geta, femineus Phryx.
Fallaces Ligures: nullo ſitus in pretio Cæ.
Vellera depectit nemoralia veſtifluus Ser.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.
Nota & parvorum canis muliebre ſecus Strix.

De vere primo.

ANnus ab exortu cùm floriparum referat ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret: nitet auriconum rus:
Et fuſura umbras radicitus exigitur ſtirps.
Non denſo ad terram lapſu glomerata fluit nix.
Florum ſpirat odor, Libani ceu montis honor thus.

Per interrogationem & reſponſionem.

QUis ſubit in pœnam capitali judicio? vas.
Quid ſi lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.
Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Thuribula, & pateræ, quæ tertia vaſa deûm? lanx.
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? Cos.
Grex magis, an regnum Minoïda ſollicitat? grex.
Quid præter nubem Phæacibus impoſitum? mons?
Dic, ceſſante cibo, ſomno quis opunior eſt? glis.
Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat? glus.
Sponte ablativi caſus quis rectus erit? ſports.
Quadrupes oſcinibus quis jungitur auſpicils? mus.
Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio? pix.
Biſſenas partes quis continet æquipares? as:
Tertia deſuerit ſi portio, quod reliquum? bes.

De litteris monoſyllabis Græcis ac Latinis.

DUX elementorum ſtudiis viget in Latiis A.
Et ſuprema notis adſcribitur Argolicis Ω.
Hta quod Æolidum, quódque ε. valeo hoc Latiare E.
Præſto, quod E Latium ſemper breve, Dorica vox E.
Hoc tereti argutóque ſono negat Attica gens O.
Ω quod & O Græcum compenſat Romula vox O.
Litera ſum Iotæ ſimilis, vox plena jubens, I.
Cecropiis ignota notis ferale ſonans U.
Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.
Vocibus in Graiis nunquam ultima conſpicior M.
Zeta jacens, ſi ſurgat, erit nota, quæ legitur N.
Mæandrum, flexúſque vagos imitata vagor Ξ.
Dividuum Betæ monoſyllabon Italicum B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D.
Hoſtilis quæ forma jugi eſt, hanc efficiet Γ.
Auſonium ſi P ſcribas, ero Cecropium P.
Et Rho quod Græcum, mutabitur in Latium P.
Malus ut antemnam fert vertice, ſic ego ſum T.
Spiritus hic, flatu tenuiſſima vivificans H.
Hæc tribus in Latio tantùm addita nominibus K,
Prævaluit poſtquam Gammæ vice functa priùs C,
Atque aliam pro ſe titulo replicata dedit, Q.
Antis cincta duabus erit quum Iota, leges Φ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur Ψ.
Cappa fui quondam Bœotia, nunc Latium K.
Furca, tricornigerâ ſpecie, penè ultima ſum Ψ.

Grammaticomaſtix.

ELogodædalià ſtrides modò qui nimiùm trux,
Frivola condemnas? nequaquam. cum pretio eſt merx,
Ennius ut memorat, replet te lætificum gau.
Livida mens hominum concretum felle coquat pus.
Dic, quid ſignificent cataleĉta Maronis? in his at
Celtarum poſuit, ſequitur non lucidius tan.
Et quod germano miſtum malè letiferum min?
Imperium, litem, Venerem, cur una notet res?
Sitne peregrini vox nominis, an Latii ſil?
Lintribus in geminis conſtratus ponto ſit, an pons?
Bucolico ſepes dixit Maro, cur Cicero ſeps?
Vox ſolita, & cunctis notiſſima, ſi memores, lac,
Cur condemnetur ratio, magis ut faciat lact?
An Libyæ ferale malum, ſit Romula vox ſeps?
Si bonus eſt inſons, contrarius, & reus eſt ſons.
Dives opum cur nomen habet Jove de Stygio Dis?
Unde Rudinus ait, Divûm domus altiſonum cæl?
Et cujus de more, quod adſtruit, endo ſuam do?
Aut de fronde loquens, cur dicit populea frus?
Sed quò progredior? quæ finis, quis modus & calx?
Indulge Pacate, bonus, doctus, facilis vir.
Totum opus hoc ſparſum, crinis velut Antiphilæ, pax.

CENTO NUPTIALIS.

IDYLLIUM XIII.

A. 5. ACcipite hæc animis: lætaſque advertite mentes,
A. 11. Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis:
B. 7. Ambo florentes, * genus inſuperabile bello. A. 4
A. 6. Túque, prior. * nam te majoribus ire per altum A. 3
A. 3. Auſpiciis manifeſta fides. * quo juſtior alter A. 1
A. 1. Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
A. 4. Túque puérque tuus, * magnæ ſpes altera Romæ, A. 12
A. 8. Flos veterum, virtúſque virûm, * mea maxima cura, A. 1
A. 12. Nomine avum referens, animo, manibúſque parentem.
A. 6. Non injuſſa cano. * ſua cuique exorſa laborem, A. 10
A. 10. Fortunámque ferent. * mihi juſſa capeſſere fas eſt. A. 1

Cœna nuptialis.

A. 5. EExpectata dies aderat. * dignísque hy- A. 11
menæis
A. 6. Matres atque viri, * juvenésque ante ora G. 4
parentum
A. 1. Conveniunt: stratóque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, * onerántque A. 8
canistris
Dona laboratæ Cereris; * pinguíssque ferinæ A. 1
A. 8. Viscera tosta ferunt * series longissima re- A. 1
rum:
A. 8. Alituum, pecudúmque genus, * capreæque G. 1
sequaces
G. 3. Non absunt illis, * nec oves, hædíque petulci, G. 4
G. 3. Et genus æquorum, damæ, * cervíque fu- G. 3
gaces.
A. 11. Ante oculos, intérque manus sunt * mitia B. 1
poma.
A. 8. Postquam exempta fames, & amor compressus
edendi:
A. 1. Crateras magnos statuunt, * Bacchúmque A. 8
ministrant.
A. 2. Sacra canunt. * plaudunt choreas: & car- A. 6
mina dicunt.
A. 6. Nec non Threïcius longâ cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum. A. 9
A. 9. At parte ex aliâ, * biforem dat tibia cantum, A. 10
A. 4. Omnibus una quies operum; * cunctíque A. 8
relictis
Consurgunt mensis. * per limina læta frequentes A. 1
A. 9. Discurrunt, variántque vices * populúsque A. 9
patrésque,
A. 11. Matronæ, pueri, * vocémque per amplà A. 1
volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

Descriptio egredientis sponsæ.

A. 4. TAndem progreditur * Veneris justissi- A. 10
ma cura,
A. 7. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:
A. 1. Virginis os, habitúmque gerens. * cui plu- A. 12
rimus ignem
Subjecit rubor; & calefacta per ora cucurrit,
A. 7. Intentos volvens oculos: * uríque videndo. G. 3
A. 7. Illam omnis tectis, agrísque effusa juventus,
Turbáque miratur matrum, * vestigia primi A. 5
Alba pedis, * dederátque comam diffundere A. 1
ventis.
A. 3. Fert picturatas auri subtegmine vestes,
A. 1. Ornatus Argivæ Helenæ: * qualísque videri A. 2
A. 2. Cœlicolis, & quanta solet * Venus aurea A. 10
contrà:
A. 6. Talis erat species. * Talem se læta ferebat A. 1
A. 2. Ad soceros; * solióque altè subnixa resedit. A. 1

Descriptio egredientis sponsi.

A. 9. AT parte ex aliâ * foribus sese intulit A. 11
altis
A. 9. Ora puer primâ signans intonsa juventâ,
Pictus acu chlamydem auratam, * quam pluri- A. 5
ma circùm
Purpura Mæandro duplici Meliboea cucurrit,
A. 10. Et tunicam molli mater quam neverat auro:
A. 1. Os, humeróque deo similis, * luménque A. 2
juventæ.
A. 8. Qualis ubi oceani perfusus Lucifer undâ
Extulit os sacrum cœlo, * sic ora ferebat, A. 3
Sic oculos. * cursúque amens ad limina tendit. A. 2
A. 2. Illum turbat amor, figítque in virgine vultus.
A. 1. Oscula libavit. * dextrámque amplexus in- A. 8
hæsit.

Oblatio munerum.

A. 5. INcedunt pueri, paritérque ante ora paren-
tum
Dona ferunt, * pallam signis, auróque rigentem, A. 1
A. 11. Munera portantes, aurique eborísque talenta,
Et sellam, * & pictum croceo velamen acantho. A. 1
A. 1. Ingens argentum mensis, * collóque monile. A. 1
Baccatum, & duplicem gemmis auróque coronam.
A. 5. Olli serva datur, * geminíque sub ubere nati. A. 5
A. 10. Quatuor huic juvenes, * totidem innuptæ A. 2
que puellæ:
A. 5. Omnibus in morem tonsa coma. * pectore A. 5
summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Epithalamium utrique.

A. 12. TUM studio effusæ matres * ad limina A. 10
ducunt.
G. 4. At chorus æqualis, * pueri innuptæque A. 2
puellæ
G. 2. Versibus incomtis ludunt: * & carmina A. 6
dicunt.
B. 8. O digno conjuncta viro, * gratissima con- A. 10
junx,
A. 1. Sis felix, * primos Lucinæ experta labores. G. 4
G. 4. Et mater, Cape Mæonii carchesia Bacchi:
B. 8. Sparge marite nuces. * cinge hæc altaria B. 8
vittâ,
A. 8. Flos veterum, virtúsque virûm. * tibi duci- B. 8
tur uxor,
A. 1. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat: & pulchrâ faciat te prole parentem.
A. 9. Fortunati ambo. * si quid pia numina pos- A. 4
sunt.
A. 3 Vivite felices, * dixerunt, currite, fusis, B. 4
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Ingressus in cubiculum.

G. 4. POstquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, * lecto tandem sermone A. 8
fruuntur.
A. 8. Congressi jungunt dextras: stratísque re- A. 4
ponunt.
A. 1. At Cytherea novas artes, * & pronuba Juno A. 4
A. 11. Sollicitat: suadétque ignota lacessere bella.
A. 1. Ille ubi complexu * molli fovet, atque re- A. 8
pentè
Accepit solitam flammam, * lectúmque juga- A. 4
lem:
A. 6. O virgo nova mî facies, * gratissima con- A. 10
junx:
A. 6. Venisti tandem, * mea sola, & sera voluptas. A. 8
A. 2. O dulcis conjunx, non hæc sinè numine divûm
A. 12. Proveniunt. * placitóne etiam pugnabis A. 4
amori?
A. 4. Talia dicentem jam dudum aversa tuetur:
A. 12 Cunctatúrque metu: telúmque instare tremiscit.
A. 1. Spémque metúmque inter. * fundítque has A. 5
ore loquelas:
A. 10 Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
B. 2. O formose puer, * noctem non ampliùs A. 1.
unam
A. 9. Hanc tu, oro, solare inopem, * & miserere A 10
precantis.
A. 12. Succidimus. non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur.
A. 9 Ille autem, Causas nequicquam nectis inanes.
A. 12. Præcipitátque moras omnes, * solvítque A. 4
pudorem.

PARECBASIS.

HActenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale, ambitu loquendi, & circumitione velavi. Verùm quoniam & fescenninos amat celebritas nuptialis, verborúmque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit, cætera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: ut his erubescamus, qui & Virgilium faciamus impudentem. Vos, si placet, hic jam legendi modum ponite, cætera curiosis relinquite.

Imminutio.

A. 11. POstquam congressi * solâ sub nocte per A. 6
umbram,
G. 3. Et mentem Venus ipsa dedit, * nova prœlia A. 3
tentant.
A. 10. Tollit se arrectum; * conantem plurima A. 9
frustra,
A. 10. Occupat os, faciémque; * pedem pede A. 12
fervidus urget.
A. 7. Perfidus alta petens, * ramum qui veste A. 6
latebat
B. 10. Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentem,
A. 12. Nudato capite, * & pedibus per mutua nexis, A. 7
A. 3. Mon-

Digitized by Google

A. 3. Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
A. 10. Eripit à femore, & trepidanti ſervidus inſtat.
A. 1. Eſt in receſſu, *tenuis quò ſemita ducit, A. 11
A. 8. Ignea rima micans. *exhalat opaca, mephitim; A. 7.
A. 6. Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen.
A. 7. Hìc ſpecus horrendum. *talis ſeſe halitus atris A. 6
A. 6. Faucibus effundens, *nares contingit odore. A. 9
A. 11. Huc juvenis notâ fertur regione viarum,
A. 5. Et ſuper incumbens *nodis & cortice crudo A. 9
A. 9. Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam.
A. 11. Hæſit; *virgineúmque altè bibit acta cruorem.
A. 2. Inſonuere cavæ, gemitúmque dedere cavernæ.
A. 11. Illa mana moriens telum trahit: oſſa ſed inter
G. 3. Altiùs ad vivum perſedit *vulnere mucro. A. 11
A. 4. Ter ſeſe attollens, cubitóque innixa levavit.
Ter revoluta toro eſt. *manet imperterritus ille. A. 10
A. 3. Nec mora, nec requies. *clavúmque affixus, & hærens A. 5
Nuſquam amittebat: oculóſque ſub aſtra tenebat.
A. 6. Itque, redítque viam totiens. *uteróque recuſſo A. 2
A. 9. Tranſadigit coſtas. *& pectine pulſat eburno. A. 6
A. 5. Jámque ferè ſpatio extremo, feſsíque, ſub ipſam
Finem adventabant. *tum creber anhelitus artus, A. 5
Aridáque ora quatit. ſudor fluit undique rivis.
A. 11. Labitur exſanguis, *deſtillat ob inguine virus. G. 3

Contentus eſto, Paule mi,
Laſcivâ Paule paginâ.
Ridere nil ultrà expeto.

ROSÆ.

EDYLLIUM XIV.

VER erat: & blando mordentia frigora ſenſu
Spirabat croceo manè revecta dies.
Strictior Eoos præceſſerat aura jugales,
Æſtiferum ſuadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis,
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum ſtare cacuminibus:
Caulibus & patulis teretes colludere guttas,
Et cœleſtis aquæ pondere tunc gravidas.
Vidi Pæſtano gaudere roſaria cultu,
Exoriente novo roſcida lucifero.
Rara pruinoſis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperét ne roſis aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, & unum manè duorum.
Sideris, & floris, nam domina una Venus.
Forſan & unus odor: ſed celſior ille per auras
Diffluit: exſpirat proximus iſte magis.
Communis Paphiæ dea ſideris, & dea floris,
Præcipit unius muricis eſſe habitum.
Momentum intererat: quo ſe naſcentia florum
Germina comparibus dividerent ſpatiis.
Hæc viret anguſto foliorum tecta galero:
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi faſtigia celſa obeliſci,
Mucronem abſolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exſinuabat amictus,
Jam meditans foliis ſe numerare ſuis.
Nec mora: ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens incluſi ſemina denſa croci.
Hæc modò, quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapſis deſeritur foliis.
Mirabar celerem fugitivâ ætate rapinam,
Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.
Tot ſpecies, tantóſque ortus, varióſque novatus
Una dies aperit: conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quòd gratia florum eſt,
Oſtentata oculis illico dona rapis.
Quàm longa una dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcenteis juncta ſenecta premit.
Quam modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.
Sed bene, quòd paucis licèt interitura diebus,
Succedens ævum prorogat ipſa ſuum.
Collige virgo roſas, dum flos novus, & nova pubes,
Et memor eſto ævum ſic properare tuum.

Ex Græco, Pythagoricon DE AMBIGUITATE ELIGENDÆ VITÆ.

EDYLLIUM XV.

QUod vitæ ſectabor iter? ſi plena tumultu
Sunt fora: ſi curis domus anxia: ſi peregrinos
Cura domus ſequitur: mercantem ſi nova ſemper
Damna manent: ceſſare vetat ſi turpis egeſtas:
Si vexat labor agricolam, mare nautragus horror
Infamat: pœnæque graves in cœlibe vitâ,
Et gravior cautis cuſtodia vana maritis.
Sanguineum ſi Martis opus: ſi turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes uſura trucidat?
Omne ævum curæ: cunctis ſua diſplicet ætas.
Senſus abeſt parvis lactantibus: & puerorum
Dura rudimenta, & juvenum temeraria pubes.
Affligat fortuna viros per bella, per æquor,
Iráſque, inſidiáſque, catenatóſque labores
Mutandos ſemper gravioribus. Ipſa ſenectus
Exſpectata diu, votíſque optata malignis,
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præſentia. quoſdam
Conſtat nolle deos fieri. Juturna reclamat,
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta eſt
Conditio? ſic Cauciſeâ ſub rupe Prometheus
Teſtatur Saturnigenam, nec nomine ceſſat
Incuſare Jovem, data ſit quòd vita perennis.
Reſpice & ad cultus animi. ſic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
At contrà illecebris maculoſam ducere vitam
Quem juvat, adſpice & ad pœnas, & crimina regum,
Tereos inceſti, vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
Sed prohibet ſervare fidem deleta Saguntos.
Vive, & amicitias ſemper cole. crimen ob iſtud
Pythagoreorum periit ſchola docta ſophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole. crimen ob iſtud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
Diſſidet ambiguis ſemper mens obvia votis.
Nec voluiſſe homini ſatis eſt. optata recuſat.
Eſſe in honore placet. mox pœnitet. & dominari
Ut poſſit, ſervire volet. idem auctus honore,
Invidiæ objicitur. pernox eſt cura diſertis:
Sed rudis ornatu vitæ caret. Eſto patronus,
Et defende reos: ſed gratia rara clientis.
Eſto cliens: gravis imperii perſona patroni.
Exercent hunc vota patrum. mox aſpera curis
Sollicitudo ſubit. contemnitur orba ſenectus,
Et captatoris præda eſt hæredis egenus.
Vitam parcus agas: avidi lacerabere famâ.
At largitorem graviùs cenſura notabit.
Cuncta ſibi adverſis contraria caſibus. Ergo
Optima Graiorum ſententia. quippe homini aiunt
Non naſci eſſe bonum, natum aut citò morte potiri.

DE VIRO BONO, Πυθαγορικὴ ἀπόφασις.

EDYLLIUM XVI.

VIR bonus, & ſapiens, qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo,
Index ipſe ſui, totum ſe explorat ad unguem.
Quid proceres, vanſque ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi inſtar habens, teres, atque rotundus:
Externæ ne quid labis per levia ſidat.
Ille, dies quàm longus erit ſub ſidere Cancri;
Quantáque nox tropico ſe porrigit in Capricorno,
Cogitat, & juſto trutinæ ſe examine pendit,
Nequid hiet, nequid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nil ut deliret amuſſis.
Sit ſolidum quodcunque ſubeſt: nec inania ſubter
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non priùs in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.
Quæ prætergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus afuit; aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem,

Cur

Cur aliquem fractâ perſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honeſto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis, quàm
Diſciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortóque à veſpere cuncta revolvens,
Offenſus pravis, dat palmam & præmia rectis.

ΝΑΙ Ξ ΟΥ Πυθαγορικόν.

EDYLLIUM XVII.

EST & Non, cuncti monoſyllaba nota frequentant.
His demtis, nihil eſt, hominum quod ſermo volutet.
Omnia in his, & ab his ſunt omnia, ſive negoti
Sive oti quicquam eſt, ſeu turbæ, ſive quietis.
Alterutro pariter nonnunquam, ſæpe ſeorſis
Obſiſtunt ſtudiis: ut mores, ingeniúmque
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta eſt.
Si conſentitur, mora nulla, intervenit, Eſt, Eſt.
Sin controverſum, diſſenſio ſubjiciet, Non.
Hinc fora diſſultant clamoribus. hinc furioſi
Jurgia ſunt Circi. cuneati hinc læta theatri
Seditio: & tales agitat quoque curia lites.
Conjugia, & nati cum patribus, iſta quietis
Verba ferunt ſtudiis, ſalvâ pietate loquentes.
Hinc etiam placitis ſchola conſona diſciplinis
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba ſophorum.
Eſt lux, eſtne dies ergo? non convenit iſtuc.
Nam facibus multis, aut fulguribus quotiens lux
Eſt nocturna homini, non eſt lux iſta diei.
Eſt & Non igitur, quotiens lucem eſſe fatendum eſt,
Sed non eſſe diem. mille hinc certamina ſurgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluſo rabioſa ſilentia rodunt.
Qualis vita hominum, duo quam monoſyllaba verſant!

DE ÆTATIBUS animalium, Heſiodus.

EDYLLIUM XVIII.

TER binos deciéſque novem ſuper exit in annos,
Juſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos novies ſuperat vivendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis ſecula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus: & illum
Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.
Quam vos perpetuo decies prævertitis ævo
Nymphæ Hamadryades: quarum longiſſima vita eſt.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cætera ſecreti novit deus arbiter ævi
Tempora: quæ Stilbon volvat, quæ ſecula Phæthon,
Quos Pyrois habeat, quos Jupiter igne benigno
Circuitus: quali properet Venus alma recurſu:
Qui Phœben, quanti maneant Titana labores.
Donec conſumto, Magnus qui dicitur, anno
Rurſus in antiquum veniant vaga ſidera curſum:
Qualia diſpoſiti ſteterant ab origine mundi.

Monoſticha DE ÆRUMNIS HERCULIS.

EDYLLIUM XIX.

PRima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
Threïciam ſexto ſpoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeæ ſtabulis impenſa laboris.
Octava expulſo numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimo mala Heſperidum deſtricta triumpho.
Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

MUSARUM INVENTA, & munera.

EDYLLIUM XX.

CLIO geſta canens, tranſactis tempora reddit.
MELPOMENE tragico proclamat mœſta boatu.
Comica laſcivo gaudet ſermone THALIA.
Dulciloquos calamos EUTERPE flatibus urget.
TERPSICHORE affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens ERATO, ſaltat pede, carmine, vultu.
Carmina CALLIOPE libris heroica mandat.
URANIE cœli motus ſcrutatur, & aſtra.
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA geſtu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

ECLOGARIUM.

De ratione Libræ.

MIRARIS quicunque manere ingentia mundi
Corpora, ſublimi cœli circumdata gyro,
Et tantæ nullam moli intercedere labem:
Accipe quod mirere magis. Tenuiſſima tantis
Principia, & noſtros non admittentia viſus,
Parvarum ſerie conſtant connexa atomorum.
Sed ſolidum in parvis, nulliſque ſecabile ſegmen,
Unde vigor virëſque manent, æternáque rerum
Mobilitas: nullóque unquam ſuperabilis ævo.
Divinis humana licet componere. ſic eſt
As ſolidus, quoniam bis ſex de partibus æquis
Conſtat: & in minimis paribus tamen una manet vis.
Nam ſi quid numero minuatur, ſumma vacillat,
Convulſæque ruunt labefacto corpore partes.
Ut medium ſi quis vellat de fornice ſaxum,
Incumbunt cui cuncta, ſimul devexa ſequentur
Cætera, communémque trahent à vertice lapſum.
Non aliter libra eſt. ſi defuit uncia, totus
Non erit as: noménque deunx jam caſſus habebit.
Nec dextans retinet nomen, ſextante remoto.
Et dodrans, quadrante ſatus, auctore carebit.
Divulſóſque triens, prohibet perſiſtere beſſem.
Jam quincunx tibi nullus erit, ſi prima revellas.
Et ſemis, cui ſemis erit pereuntibus aſſis
Partibus: & cujus libræ pars ſeptima, ſeptunx?
Libra igitur, totum ſi nullâ in parte vacillet.
Ponderis, & numeri, morúmque, operúmque, & aquarum
Libra: nec eſt modulus, quem non hôc nomine ſignes.
Telluris, medio quæ pendet in aëre, libra eſt.
Et Solis, Lunæque vias ſua libra coërcet.
Libra dii, ſomnſque pares determinat horas.
Libra Caledonios finè littore continet æſtus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

De ratione PUERPERII maturi.

OMnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Aſtrorum dominatus agit. terreníque tantùm
Membra homini. è ſuperis fortuna, & ſpiritus auris,
Septeno moderanda choro: ſed præſidet ollis
Sortitus regimen nitidæ ſol aureus æthræ.
Nec ſola in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve ſolliciti ſpatium producimus ævi:
Creditur occultóſque ſatus, & tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo,
Et nondum exortæ leges componere vitæ.
Namque ubi conceptus genitali inſederit alvo,

Haud

Haud dubium ſolem cuicunque inſiſtere ſigno.
Qui quum vicini ſtationem ceperit aſtri,
Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
Aſt ubi converſis poſt menſtrua tempora habenis,
Scandit purpureo jam tertia ſidera curru:
Obliqua exilem dimittit linea lucem,
Adſpirans tenues per inertia pondera motus.
Quartâ in ſede viget primi indulgentia ſolis.
Suadet & infuſus teneros coaleſcere fœtus.
Fulgor tetragono adſpectu vitale coruſcat,
Clarum, & lenè micans: quinti qui cardine ſigni
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam ſexto vis nulla loco: quia nulla tuendi
Æquati lateris ſignatur regula Phœbo.
Aſt ubi ſigniferæ mediâ in regione cohortis
Septimus accepit limes rutilantia flammis
Recto caſtra ſitu: turgentis fœdera partûs
Jam plenâ ſub luce videt. nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fovet igne coronæ.
Hinc illud, quòd legitimos Lucina labores
Prævenit; & gravidos ſentit ſubrepere nixus
Ante exſpectatum feſtina puerpera votum.
Quòd niſi, ſepteno quum lumina fudit ab aſtro,
Impulerit tardi clauſtra oblu&tantia partûs;
Poſterior nequeat, poſſit prior: an quia ſexto
Æmulus octavi conſpectus inutilis aſtri
Neſcit compariles laterum formare figuras?
Sed nono incumbens ſigno, cunctantia matrum
Vota levat, trigono vires ſociante ſequenti.
At ſi difficilis trahit Ilythyia
Tetragono abſolvet dubiarum vincla morarum.

Signa cœleſtia.

AD Boreæ partes Arcti junguntur, & Anguis.
Poſt has Arctophylax, paritérque Corona, Genúque
Prolapſus, Lyra, Avis, Cepheus, & Caſſiopea,
Auriga, & Perſeus, Deltoton, & Andromedæ aſtrum,
Pegaſus, & Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenénſque.
Signifer indè ſubeſt. bis ſex & ſidera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & Urnam
Qui tenet, & Piſces. Poſt hos in partibus Auſtri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piſcis & ingens.
Hunc ſequitur Piſtrix, ſimul Eridanſque fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina ſeptem,
Luna & Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoque fulgens.
Hic Jovis & ſidus ſuper omnia ſidera lucens.
Celſior his Saturnus, tardior omnibus aſtris.

Ratio dierum anni vertentis.

NOnaginta dies & quatuor, ac medium Sol
Conficit, à tropico in tropicum dum permeat aſtrum,
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hôc ſpatio æſtivi pulſúſque, & meta diei.
Semidiémque, duóſque dies; deciéſque novenos,
A Cancro in Chelas, æquatæ tempora noctis
Atque dii, curſu peragit Sol aureus altero,
Autumni æſtatiſque ſimul confinia miſcens,
Unde autumnales tranſcurrens ordine menſes,
Ad tropicum pergit ſignum gelidi Capricorni,
Octo dies decies octonis inſuper addens,
Quadrantémque dii: quinto qui protinus anno
Menſe Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Indè ad Agenorei feſtinans cornua tauri,
Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus aſtrum,
Nonaginta dies decreto fine coërcens.
Hic tibi circus erit ſemper vertentibus annis,
Tercentum, ac ſenis decies & quinque diebus

De nominibus ſeptem dierum.

NOmina, quæ ſeptem vertentibus apta diebus
Annus habet; totidem errantes fecere planetæ.
Quos indefeſſâ volvens vertigine Mundus
Signorum obliquâ jubet in ſtatione vagari.
Primum, ſupremúmque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ ſuccedit Luna coronæ.
Tertius aſſequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti ſibi vendicat aſtra diei.
Inluſtrant quintam Jovis aurea ſidera zonam.
Sexta ſalutigerum ſequitur Venus alma parentem.
Cuncta ſupergrediens Saturni ſeptima lux eſt.
Octavum inſtaurat revolubilis orbita Solem.

Hic verſus ſine auctore eſt. Quid quoque die demi de corpore oporteat.

UNgues Mercurio, barbam Jove, Cypride crines.

Hoc ſic refellendum.

MErcurius furti probat ungues ſemper acutos,
Articuliſque aciem non ſinit imminui.
Barba Jovi, crines Veneri decor: ergo neceſſe eſt,
Ut nolint demi, quo ſibi uterque placet.
Mavors imberbes, & calvos Luna adamâſti.
Non prohibent comi tum caput atque genas.
Sol & Saturnus nihil obſtant unguibus. Ergo
Non placitum Divis tolle monoſtichium.

De menſibus, & quatuor anni temporibus.

ÆTernos menſes, & tempora quatuor anni,
Quatuor iſta tibi ſubjecta monoſticha dicent.
Martius, Aprilis, Maius ſunt tempora veris.
Julius, Auguſtus, nec non & Junius, æſtas.
Septembri, Octobri autumnus, totóque Novembri.
Brumales, Janus, Februarius, atque December.

De menſibus monoſticha.

PRimus Romanas ordiris Jane Kalendas.
Februa vicino menſe Numa inſtituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Majorum dictus patrum de nomine Maius.
Junius ætatis proximus eſt titulo.
Nomine Cæſareo Quinctilem Julius auget.
Auguſtus nomen Cæſareum ſequitur.
Autumnum Pomona tuum September opimat.
Triticeo October fœnere ditat agros.
Sidera præcipitas pelago intempeſte November.
Tu genialem hyemem feſte December agis.

Diſticha de iiſdem menſibus.

JAne nove, primo qui das tua nomina menſi,
Jane bifrons, ſpectas tempora bina ſimul.
Poſt ſuperûm cultus, vicino Februa menſe
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
Martius & generis Romani præſul, & anni,
Prima dabas Latiis tempora conſulibus.
Æneadum genetrix vicino nomen Aprili
Dat Venus. eſt Marti namque Aphrodita comes.
Maia dea, an major, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo: ſed menſi eſt auctor uterque bonus.
Junius hunc ſequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Juno, ſive Juventa dedit.
Indè Dionæo præfulgens Julius aſtro,
Æſtatis mediæ tempora certa tenet.
Auguſtus ſequitur cognatum à Cæſare nomen:
Ordine ſic anni proximus, ut generis.
Nectuntur poſt hos, numerúmque ex ordine ſignant:
September, Bacchi munere prela rigans:
Et qui ſementis per tempora, fœnere lætus,
October, cupidi ſpem fovet agricolæ:
Quique ſalo mergens ſolennia ſigna November
Præcipitat, cælo mox reditura ſuo.
Concludens numerum genialia feſta December
Finit, ut à brumâ mox novus annus eat.

Quoteni dies ſint menſium ſingulorum.

IMplent tricenas per ſingula menſtrua luces
Junius, Aprilisque, & cum Septembre November.
Unum ter denis cumulatius adde diebus
Per ſeptem menſes, Jani Martiſque Kalendis,
Et quas Maius agit, quas Julius, Auguſtúſque,
Et quas October, poſitúſque in fine December.
Unus erit tantum duodetriginta dierum,
Quem Numa præpoſito voluit ſuccedere Jano.
Sic tercentenis decies accedere ſenos,
Quadrantémque, & quinque dies ſibi computat annus.

De tribus menſtruis menſium.

BIS ſenas anno reparat Lucina Kalendas:
Et totidem medias dat currere Jupiter Idus.
Nonarúmque diem faciunt infra octo ſecundi.
Hæc ſunt Romano tantùm tria nomina menſi,
Cætera per numeros ſunt cognomenta dierum.

Quo

tized by Google

Quo menſe quota Nona, vel Idus ſint.

AT Nonas modò quarta aperit, modò ſexta refert lux.
Sexta refert Maii, Octobris, Martiſque recurſu,
Et qui ſoliſtitio ſua tempora Julius infert.
Cætera pars menſium quartis eſt prædita Nonis.
Omnes verò Idus octavâ luce recurrunt.

Quotæ Kalendæ ſint menſium ſingulorum.

POſt Idus, quas quiſque ſuas habet ordine menſis,
Diverſæ numero redeunt variante Kalendæ,
** Dum rurſúmque iterúmque vocantur,
Ut tandem optati procedant temporis ortus.
Ter ſenis, unóque die genialia feſta
Porrigit, ut Janum arceſſat nova bruma morantem.
Hôc numero menſíque Numæ redit, autumnſique
Principium refereus Bacchi September alumnus.
Julius, & Maius, poſitúſque in fine December,
Octobérque die revocatur tardiùs uno.
Indè die redeunt minùs uno quatuor ultra,
Quos numero adjiciam, Sextilis, Junius atque
Aprilis, poſt quos penultima meta November.
Ter quinis, unóque die Junonie Mavors,
Ut redeas, referáſque exordia prima, cieris.
Hôc numero, ad plenum vertens reparabitur annus.

In quo menſe quod Signum ſit ad curſum ſolis.

PRincipium Jani ſancit tropicus Capricornus.
Menſe Numæ in medio ſolidi ſtat ſidus Aquarî.
Procedunt duplices in Martia tempora Piſces.
Reſpicis Apriles, Aries Phryxee, Kalendas.
Maius Agenorei miratur cornua Tauri.
Junius æquatos cœlo videt ire Laconas.
Soliſtitio ardentis Caneri fert Julius aſtrum.
Auguſtum menſem Leo fervidus igne perurit.
Sidere Virgo tuo Bacchum September opimat.
Æquat & October ſementis tempore Libram.
Scorpion hybernus præceps jubet ire November.
Terminat Arcitenens medio ſua ſigna Decembri.

Q. Ciceronis verſus eò pertinent, ut quod ſignum quo tempore illuſtret ſit, noverimus, quod ſuperiùs quoque noſtris verſibus expeditur.

FLumina verna cient obſcuro lumine Piſces.
Curriculúmque Aries æquat noctiſque diſque.
Cornua quem comunt florum prænuncia Tauri.
Aridáque æſtatis Gemini primordia pandunt.
Longáque jam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificúſque Leo profiat ferus ore calores.
Pòſt, modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reſerat portas, æquátque diurna
Tempora nocturnis diſpenſo ſidere Libra.
Et fœtos ramos dinudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare ſpirat Capricorni.
Quam ſequitur nebulas rorans liquor altus Aquarî:
Tenta ſuprà, circáque vigent ubi flumina mundi.
At dextrâ, lævâque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, & Lunæ ſimulacra feruntur.
Squama ſub æterno conſpectu torta Draconis
Eminet. hunc inter fulgentem ſidera ſeptem
Magna quatit ſtellans: quam ſervans ſerus in altâ
Conditur Oceani ripâ cum luce Bootes.

A Soliſtitio in æquinoctium ratio.

SOL profectus à teporo veris æquinoctio,
Poſt ſemidiem póſtque totos nonaginta & quatuor,
Fervidis flagrans habenis pulſum æſtivum conficit.
Indè Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo & octoginta gœris, & ſuper trihorio.

* * * *

Indè floridum reflexis ver reviſit oreis
Additis ad hos priores gœros geminis orbibus.

De Feriis Romanis.

NUnc & Apollineos Tiberina per oſtia ludos,
Et Megaleſiacæ matris operta loquar.
Vulcanſque dies autumni exordia primi,
Quinquatrúſque Deæ Pallados expediam:
Et medias Idus, Maii, Auguſtíque recurſu,
Quas ſibi Mercurius, quáque Diana dicat.
Matronæ quæ ſacra colant pro laude virorum,
Mavortis primi quum redire dies.
Feſta Caprotinis memorabo celebria nonis.
Quum ſtola matronis demta teget famulas.
Quatuor illa etiam diſcretis partibus anni
Soliſtitia, & luces nocte diéque pares.
Nec Regifugium pulſis ex urbe tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.
Viſne Opis ante ſacrum, vel Saturnalia dicam,
Feſtáque ſervorum, quum famulantur heri?
Et nunquam certis redeuntia feſta diebus,
Compita per vicos quum tua quitque colit?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conſo conſiliſque vocant?
Feſta hæc, navigiis, aut quæ celebrata quadrigis,
Jungunt Romanos finitimóſque duces?
Adjiciam cultus, peregrináque ſacra deorum,
Natalem Herculeum, vel ratis Iſiacæ:
Nec non laſcivi Floralia læta theatri,
Quæ ſpectare volunt, qui voluiſſe negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.
Prima hæc Romanus nomina Circus habet.
Et Dionyſiacos Latio cognomine ludos
Roma colit, Liber quæ ſibi vota dicat.
Ædiles plebeii etiam, ædiléſque curules
Sacra Sigillorum nomine dicta colunt.
Et gladiatores funebria prœlia notum
Decertâſſe foro: nunc ſibi harena ſuos
Vendicat: extremo qui jam ſub fine Decembris
Falcigerum placant ſanguine Cœligenam.

De Luſtralibus agonibus.

QUatuor antiquos celebravit Achaïa ludos.
Cœlicolûm duo ſunt, & duo feſta hominum.
Sacra Jovis, Phœbíque, Palæmonis, Archemoríque:
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

De locis agonum.

PRima Jovi magno celebrantur Olympia Piſæ.
Parnaſſus Clario ſacravit Pythia Phœbo.
Iſthmia Portuno bimaris dicat acta Corinthi.
Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

De auctoribus agonum.

PRimus Olympiacæ ſacravit feſta coronæ
Jupiter Argivi ſtadia ad longiſſima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ ſacravit honorem.
Hæc quoque temporibus quinquennia ſacra notandis.
Iſthmia Neptuno data ſunt, & Pythia Phœbo,
Ancipiti cultu divorum hominúmque ſepultis.

Quòd iidem, qui ſacri agones ſunt, & funebres ludi habeantur.

TAntalidæ Pelopi mœſtum dicat Elis honorem.
Archemori Nemeæa colunt quinquennia Thebæ.
Iſthmia defuncto celebrata Palæmone, notum.
Pythia placando Delphi ſtatuere Draconi.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLARUM LIBER.

EPISTOLA I.

AUSONIUS ad PATREM de ſuſcepto filio.

CEDIDERAM nil poſſe meis affectibus addi,
Quo, venerande pater, diligerere magis.
Acceſſit (grates ſuperis, medióque nepoti,
Bina dedit noſtris qui juga nominibus.
Ipſe nepos te fecit avum. mihi filius idem.
Et tibi ego. hôc nato nos ſumus ambo patres.
Nec jam ſola mihi pietas mea ſuadet amorem:
Nomine te gemini jam genitoris amo.)
Acceſſit titulus, tua quo reverentia creſcat:
Quo doceam natum, quid ſit amare patrem.
Quippe tibi æquatus videor, quòd parvulus iſto
Nomine honoratum me quoque nobilitat;
Atque ætas quia noſtra eadem. nam ſupparis ævi
Sum tibi ego, & poſſum fratris habere vicem.
Nec tantum noſtris ſpatium interponitur annis,
Quanta ſolent alios tempora dividere.
Vidi ego natales fratrum diſtare tot annis,
Quot noſtros. ævum nomina non onerant.
Pulchra juventa tibi ſenium ſic jungit, ut ævum,
Quod prius eſt, maneat: quod modò, ut incipiat.
Et placuiſſe reor geminis ætatibus, ut ſe
Non feſtinato tempore utraque daret.
Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret,
Maturam frugem flore manente ferens.
Annos me neſcire tuos, pater optime, teſtor:
Tótque putare tuos, quot reor eſſe meos.
Neſciat hoc natus, numeret properantior hæres,
Teſtamenta magis, quàm pia vota fovens:
Exemplóque docens pravo juveneſcere natos,
Ut nolint patres ſe quoque habere ſenes.
Verùm ego primævo genitus genitore, fatebor
Supparis hæc ævi tempora grata mihi.
Debeo, quòd natus. ſuadet pia cura nepotis,
Addendum patri, quo veneremur avum.
Tu quoque, mî genitor, geminata vocabula gaude,
Nati primævi nomine factus avus.
Exiguum, quòd avus. faveant pia numina divûm,
Déque nepote ſuo fiat avus proavus.
Largiùs & poterunt producere fata ſenectam:
Sed rata vota reor, quæ moderata magis.

EPISTOLA II.

Pater ad filium; quum temporibus tyrannicis ipſe Treveris remanſiſſet, & filius à patre profectus eſſet. Hoc inchoatum neque impletum ſic de literariis ſcriptum.

DEbeo & hanc noſtris, fili dulciſſime, curis
Hiſtoriam: quamquam titulo non digna ſereno
Anxia mœſtarum fuerit querimonia rerum.
Jam ſuper egelidæ ſtagnantia terga Moſellæ
Protulerat te, nate, rates: mœſtíſque parentis
Oſcula & amplexus diſcreverat invidus amnis.
Solus ego; & quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram: profu[illegible]que dabam pia vota carinæ,
Solus adhuc te, nate, videns: celeríſque remulci
Culpabam properos adverſo flumine curſus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille eſt,
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Deſertus, vacuis ſoliſque exerceor Aris.
Nunc ego pubentes ſalicum deverbero frondes:
Gramineos nunc frango toros: virideſſque per ulvas
Lubrica ſubſtratis veſtigia libro lapillis.
Sic lux prima abiit: ſic altera meta diei.
Sic geminus alterna rotat vertigo tenebras,
Sic alias: totúſque mihi ſic annus abibit,
Reſtituant donec tua me tibi fata parentem.
Hæc ego conditione licet, vel morte paciſcar:
Dum decores ſuprema patris, tu nate, ſuperſtes.

EPISTOLA III.

AUSONIUS HESPERIO.

QUalis Picenæ populator turdus olivæ
Clunes opimat cereas:
Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,
Pendétque nexus retibus:
Quæ veſpertinis fluitant nebuloſa ſub horis,
Vel manè tenta roſcido:
Tales hybernis ad te de ſepibus, ipſos
Capi volentes, miſimus,
Bis denos. tot enim crepero ſub lucis eos
Præceps volatus intulit.
Tum quas vicinæ ſuggeſſit præda lacunæ,
Anates maritas junximus,
Remipedes, lato populantes cœrula noſtro,
Et crure rubras punico.
Iricolor vario pinxit quas pluma colore,
Collum columbis æmulas.
Defrudata meæ non ſunt hôc fercula menſæ.
Veſcente te, fruimur magís.
Vale bene, ut valeam.

EPISTOLA IV.

AUSONIUS, cujus ferulam nunc ſceptra verentur, PAGANUM MEDULIS JUBEO SALVERE THEONEM.

QUid geris, extremis poſitus telluris in oris,
Cultor harenarum vates? cui littus arandum,
Oceani finem juxta, ſolémque cadentem:
Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis:
Et tingit piceo lacrymoſa colonica fumo.
Quid rerum muſæque gerunt, & cantor Apollo?
Muſæ non Helicone ſatæ, nec fonte caballi:
Sed quæ fecundo de pectore Clementini
Inſpirant vacuos alienâ mente poëtas.
Jure quidem: nam quis malit ſua carmina dici,
Qui te ſecuro poſſit proſcindere riſu?
Hæc quoque ne noſtrum poſſint urgere pudorem,
Tu recita: & verè poterunt tua dicta videri.
Quam tamen exerces Medulorum in littore vitam?
Mercatúſne agitas, leviore nomiſmate captans,
Inſanis quod mox pretiis gravis auctio vendat?
Albenteis ſevi globulos, & pinguia ceræ
Pondera, Naryciámque picem, ſciſſámque papyrum,
Fumantéſque olim paganica lumina tedas?
An majora gerens, totâ regione vagantes
Perſequeris fures? qui te, poſtrema timentes,
In partem, prædámque vocent. tu mitis, & oſor
Sanguinis humani condonas crimina nummis,
Errorémque vocas, pretiúmque imponis abactis
Bobus, & in partem ſcelerum de judice tranſis?
An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, & multâ indagine pinnæ?
Aut ſpumantis apri curſum clamoribus urges,
Subſidíſque fero? Moneo tamen, uſque recuſes
Stringere fulmineo venabula cominus hoſti.
Exemplum de fratre time, qui veſte reductâ
Oſtentat fœdas prope turpia membra lacunas,
Perfoſſáſque nates vicino podice nudat.
Indè oſtentator volitat: mirentur ut ipſum
Gedippa, Urſinúſque ſuus, proléſque Jovini,
Taurinúſque, ipſum priſcis heroïbus æquans:
Qualis in Olenio victor Calydonius apro,
Aut Erymantheo pubes fuit Attica monſtro.

Digitized by Google

Sed tu parce feris venatibus, & fuge nota
Crimina ſylvarum: ne ſis Cinyreïa proles,
Accedáſque iterum Veneri plorandus Adonis.
Sic certè crinem flavus, niveúſque lacertos,
Cæſariem rutilam per candida colla refundis:
Pectore ſic tenero, planâ ſic junceus alvo,
Per teretes feminum gyros, ſuráſque nitentes
Deſcendis, talos à vertice pulcher ad imos.
Qualis floricomâ quondam populator in Ætnâ,
Virgineas inter choreas Deoïda raptam
Suſtulit emerſus ſtygiis fornacibus Orcus.
An quia venatus ob tanta pericula vitas,
Piſcandi traheris ſtudio? nam tota ſupellex
Dumnotoni tales ſolida eſt oſtendere gazas:
Nodoſas veſtes animantum Nerinorum,
Et jacula, & fundas, & nomina villica lini,
Coláque, & indutos terrenis vermibus hamos.
His opibus conſiſe tumes? domus omnis abundat
Littoreis dives ſpoliis, referuntur ab undâ
Corroco, letalis trygon, molléſque plateſſæ,
Urentes thynni, & malè tecti ſpina elegati,
Nec duraturi poſt bina trihoria corvi.
An te carminibus juvat inceſtare canoras
Mnemoſynes natas, aut tris, aut octo ſorores?
Et quoniam huc ventum, ſi vis cognoſcere, quid ſit
Inter doctrinam, derisendáſque camœnas:
Accipe congeſtas myſteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas dependere chartis,
Scillite decies non ſi purgeris aceto,
Anticipéſque tuo Samii Lucumonis acumen:
Aut adſit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum: quum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam filiam,
Notáſque furvæ ſepiæ,
Cnidiáſque nodos prodidit.
Nunc adſit: & certè modò
Præſul creatu litteris,
Enucleabit protinus,
Quod militantes ſcribimus.
Notos fingo tibi poëta verſus:
Quos ſcis hendecaſyllabos vocari:
Sed neſcis modulis tribus moveri.
Illos compoſuit Phalæcus olim,
Qui penthemimerin habent priorem:
Et poſt ſemipedem duos iambos.
Sunt quos hexametri creant revulſi:
Ut penthemimeris prior locetur.
Tum quod bucolice tome relinquit.
Sunt & quos generat puella Sappho:
Quos primus regit Hippius ſecundus:
Ut claudat Choriambon Antibacchius.
Sed jam non poteris, Theon, doceri:
Nec fas eſt mihi regio magiſtro
Plebeiam numeros docere pulpam.
Verum protinus ede, quod requiro.
Nil quæro, niſi quod libris tenetur:
Et quod non opicæ tegunt papyri.
Quas ſi ſolveris, ô poëta, nugas,
Totam trado tibi ſimul Vacunam,
Nec jam pòſt metues ubique dictum,
Hic eſt ille Theon poëta falſus,
Bonorum mala carminum taberna.

EPISTOLA V.

AUSONIUS Salve care mihi dico THEONI,
Verſibus experiens quod volo, quódve queror.

TErtia fiſſipedes renovavit Luna juvencas,
Ut fugitus noſtram dulcis amice domum.
Nonaginta dies ſinè te chariſſime traxi:
Huc adde æſtivos. hoc mihi penè duplum eſt.
Vis novies denos dicam, deciéſque novenos
Iſſe dies? anni portio quarta abiit.
Sexaginta horas ſuper & duo millia centum
Te ſinè conſumſi: quo ſinè & hora gravis.
Millia bis nongenta jubet demenſio legum
Adnumerata reos per tot obire dies.
Jam potui Romam pedes ire, pedéſque reverti,
Ex quo te dirimunt millia pauca mihi.
Scirpea Domnotoni tanti eſt habitatio vati?
Pauliacus tanti non mihi villa foret.
An quia per tabulam medico pugnante notatam,
Debita ſumma mihi eſt; ne repetamus, abes?
Bis ſeptem rutilos regale nomiſma Philippos,
Ne tanti fuerint, perdere malo, Theon:
Implicitum quàm te noſtris interne medullis
Defore tam longi temporis in ſpatio.
Ergo aut prædictos jam nunc reſcribe Darios;
Et redime, ut mora ſit libera deſidiæ:
Aut alios à me totidem dabo: dum modò cari
Conſpicer ora viri, pauperis uſque licét.
Puppe citus propera, ſinuoſáque lintea veli
Pande. Medullini te feret aura noti
Expoſitum ſubter paradas, lectóque jacentem:
Corporis ut tanti non moveatur onus.
Unus Domnotoni te litore perferet æſtus
Condatem ad portum: ſi modò deproperes.
Inque vicem venti, quotiens tua flamina ceſſant,
Remipedem jubeas protinus ire ratem.
Invenies præſtò ſubjuncta petorita mulis.
Villâ Lucani-mox potieris-aco.
Reſciſſo diſce componere nomine verſum.
Lucilî vatis ſic imitator eris.

EPISTOLA VI.

AUSONIUS Conſul vatem reſalute THEONEM.

AUrea mala, Theo, ſed plumbea carmina mittis.
Unius maſſæ quis putet has ſpecies?
Unum nomen utriſque: ſed eſt diſcrimen utriſque:
Poma ut mala voces, carmina verò mala.
Vale beatis nomen à divis Theon.
Metoche ſed iſta ſæpe currentem indicat.

EPISTOLA VII.

AUSONIUS THEONI, quum ei triginta Oſtrea, grandia quidem, ſed tam pauca miſiſſet.

OStrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis reſtui maris æſtus opimat,
Accepi dilecte Theon, numerabile munus.
Verùm quot fuerint, ſubjecta monoſticha fignat.
Quot ter luctatus cum pollice computat index.
Geryones quot erant, decies ſi multiplicentur.
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli.
Aut ter ut Æolidi menſis tenet ignicomus Sol.
Cornibus à primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot ſigna diebus.
Quótque annis ſublimis agit ſua ſecula Phœnon.
Quot numero annorum Veſtalis virgo miniſtrat,
Dardaniúſque nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, ſi bis deni retrahantur.
Biſque viros numeres, qui fata Amphryſia ſervant.
Quot genuit fœtus Albana ſub ilicibus ſus.
Et quot ſunt aſſes, ubi nonaginta trientes.
Vel quot habet unctos Vaſatica rheda caballos.
Quòd ſi figuras fabulis adumbratas,
Numerúmque doctis involutum ambagibus
Ignorat alto mens obeſa viſcere:
Numerare ſaltim more vulgi ut noverîs,
In ſe retortas explicabo ſummulas.
Ter denas, puto, quinquiéſque ſenas.
Vel bis quinque, dehinc decem, decémque.
Vel ſenas quater, & bis adde ternas.
Septenas quater, adde unam & unam.
Duc binas decies, ſemélque denas.
Aut ter quatuor adde bis novenis.
Octonas quater, hinc duæ recedant.
Binas terdecies, ſemel quaternas.
Et ſex adde novem vel octo ſeptem.
Aut ſeptem geminis bis octo junge.
Aut ne ſim tibi pluribus moleſtus,
Triginta numero fuere cunctæ.
Junctus limicolis muſculus oſtreis
Primo compoſuit fercula prandio,
Gratus deliciis nobilium cibus,
Et ſumtu modicus pauperibus focis.
Non hic navifrago quæritur æquore,
Ut creſcat pretium grande periculis:
Sed primore vado, poſt refugum mare,
Algoſo legitur littore concolor.
Nam teſtæ duplicis conditur in ſpecu,
Quæ ferventis aquæ fota vaporibus,
Carmen lacteoli viſceris indicat.
Sed damnoſa nimis panditur area.
Fac campum replices Mulæ papyrium:

Nec

Nec jam fiſſipedis per calami vias
Graſſetur Cnidiæ ſulcus arundinis,
Pingens aridulæ ſubdita paginæ,
Cadmi filiolis atricoloribus.
Aut cunctis pariter verſibus oblinat
Furvam lacticolor ſpongia ſepiam.
Parcamus vitio Dumnotinæ domûs:
Ne ſit charta mihi carior oſtreis.

EPISTOLA VIII.

AUSONIUS AXIO PAULO RHETORI S.

TAndem eluctati retinacula blanda morarum,
Burdigalæ molles liquimus illecebras.
Santonicámque urbem vicino acceſſimus agro.
Quod tibi ſi gratum eſt, optime Paule, proba.
Cornipedes rapiant impoſita petorita mulæ:
Vel ciſio trijugi, ſi placet, inſilias:
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum
Conſcendas, properè dum modò jam venias.
Inſtantis revocant quia nos ſollennia Paſchæ:
Libera nec nobis eſt mora defidiæ.
Perfer in excurſu vel ter juga millia epodon,
Vel falſas lites, quas ſchola veſtra ſerit.
Nobiſcum invenies nullus, quia liquimus iſtic
Nugarum veteres cum ſale relliquias

EPISTOLA IX.

AUSONIUS PAULO.

OStrea nobilium cœnis, ſumptúque neporum
Cognita, diverſóque maris defenſa profundo,
Aut refugis nudata vadis, aut ſcrupea ſubter
Antra, & muriceis ſcopulorum merſa lacunis,
Quæ viridis muſcus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ teſtis concreta ſuis, ceu ſaxa cohærent,
Quæ mutata loco, pingui mox confita limo,
Nutrit ſecretus concluſæ uliginis humor,
Enumerare jubes, vetus ô mihi Paule ſodalis,
Aſſuefacte meis joculari carmine nugis.
Aggrediar; quamvis curam non iſta ſenſilem
Sollicitent, frugíque viro dignanda putentur.
Nam mihi non ſaliare epulum, non cœna dapalis,
Qualem Penelopes nebulonum menſa procorum,
Alcinoíque habuit nitidæ cutis uncta juventus.
Enumerabo tamen, famam teſtéſque ſecutus,
Pro ſtudiis hominum ſemper diverſa probantum.
Sed mihi præ cunctis ditiſſima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalenſia nomen
Uſque ad Cæſareas tulit admiratio menſas,
Non laudata minùs noſtri quàm gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem
Omnibus ex longo cedentibus. iſta & opimi
Viſceris, & nivei, dulcíque tenerrima ſucco,
Miſcent æquoreum tenui ſale tincta ſaporem.
Proxima ſint quævis, ſed longè proxima multo,
Ex intervallo: quæ Maſſilienſia portu,
Quæ Narbo ad Veneris nutrit; cultúque carentia
Helleſpontiaci quæ protegit æquor Abydi:
Vel quæ Baianis pendent fluitantia palis:
Santonico quæ tecta ſalo: quæ nota Genonis:
Aut Eborum miſtus pelago quæ protegit amnis,
Ut multo jaceant algarum obducta receſſu:
Aſpera quæ teſtis, & dulcia farris opimæ.
Sunt & Aremorici qui laudent oſtrea ponti:
Et quæ Pictonici legit accola littoris: & quæ
Mira Caledonius nonnumquam detegit æſtus.
Accedunt, quæ (fama recens) Byzantia ſubter
Littora, & inſanâ generata Propontidis æſtâ,
Promoti celebrata ducis de nomine, laudant.
Hæc tibi non vates, non hiſtoricus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, ſed tradita multis:
Ut ſolitum, quotiens dextræ invitatio menſæ
Sollicitat lenem comi ſermone Lyæum.
Hæc non per vulgum mihi cognita, pérque popinas,
Aut paraſitorum collegia Plautinorum:
Sed, feſtos quia ſæpe dies partim ipſe meorum
Excolui, ſnque vicem conviva vocatus adivi,
Natalis ſi fortè fuit ſollennis amico,
Conjugióque dapes, aut ſuera repotia patrum,
Audivi: meminíque bonos laudare frequentes.

EPISTOLA X.

AUSONIUS PAULO.

SIqua fides falſis unquam eſt adhibenda poëtis,
Nec plaſma ſemper allinunt,
Paule, Camœnarum celeberrime Caſtaliarum
Alumne quondam, nunc pater,
Aut avus, aut proavis antiquior, ut fuit olim
Tarteſſiorum regulus:
Intemerata tibi maneant promiſſa memento.
Phœbus jubet verum loqui.
Et ſi Pierias patitur lirare ſorores,
Nunquam ipſe torquet κύλικα.
Te quoque ne pigeat conſponſi fœderis: & jam
Citus veni remo, aut rotâ.
Æquoris undoſi quà multiplicata recurſu,
Garumna pontum provocat.
Aut iteratarum quà glarea trita viarum,
Fert militarem ad Blaviam.
Nos etenim primis ſanctum poſt Paſcha diebus
Avemus agrum viſere.
Nam populi cœtus, & compita ſordida riſis
Faſtidientes, cernimus
Anguſtas ſervere vias, & congrege vulgo
Nomen plateas perdere.
Turbida congeſtis referitur vocibus Echo,
Tene, feri, duc, da, cave:
Sus lutulenta fugit, rabidus canis impete ſævo,
Et impares plauſtro boves.
Nec prodeſt penetrale domûs & operta ſubire:
Per tecta clamores meant.
Hæc, & quæ poſſunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia:
Dulcia ſecreti repetantur ut otia ruris
Nugis amœna ſeriis.
Tempora diſponas ubi tu tua: júſque tuum ſit,
Ut nil agas, vel quod voles.
Ad quæ ſi properas, totâ cum merce tuarum
Veni camœnarum citus.
Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,
Socci & cothurni muſicam,
Carpentis impòne tuis. nam tota ſupellex
Vatum piorum chartea eſt.
Nobiſcum invenies catenoplia, ſi libet uti,
Non Pœnâ, ſed Græcâ fide.

EPISTOLA XI.

AUSONIUS PAULO S.

VInum quum bijugo parabo plauſtro
Primo tempore Santonos vehendum,
Ovum tu quoque paſſeris marini,
Quod nunc promus ait procul relictum
In fundo patriæ Bigerritanæ.

EPISTOLA XII.

ΑΥΣΟΝΙΟΣ ΠΑΥΛΩ.

Ελλαδικῆς μιτίχων μίσης, Latineque camœnæ.
Ἄξιε Ἀυσόνι& ſermone alludo bilingui.
Muſæ quid facimus? τί κεναῖσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὖτως
Ludimus ἀρεσσάμενοι ἐν ἤματι γηρύσκοντες;
Σαρπηδονίοις campoiſin ἔνα κεύ& ἄκριτον ἦτορ.
Erramus gelido-τερμιεῖ rigidique poëtæ.
Πιειδέων τερπνοπλοκάμων ἀεκάοντες inertes.
Πάντα δ' ἔχει παγετός τε pedum καὶ ἀνυμὸς ἐόντων.
Θαλπωρὴ quia nulla πέλει χιονάδι χάρη.
Et duplicant frigus ψυχρᾷ carmina μιτιόωντες.
Ἀρχόμε& δ' ἄρα μῆνιν ἰώια.
Primitias Παύλῳ noſtro τίμφ μελισσᾶς
Μνημοσυνης κεκλημενοίμι πολὺ inclyta τίκτα
Ἐννία verboſæ, κεινοσίφαροί τε puellæ.
Ἐνθ' ἄρα μοι τολυπεύει ἔπη, κυρέδια μολπαὶ
Φοίτibus ἡμείοισι πτίσσειον preſerto libellum
Τματαρ. . . σίχον. . .
Παύλῳ ἰφαρμόζοντα μείμνηλθον. . . . ἐθέλω.
Οὐ γὰ μοι δίκις ἔστιν in hâc regione μένοντι
Ἄξιον ab noſtris ἐπιδέκια eſſe καμόντι.
Κεῖν& ἐμοὶ πάντων μέτοχ&. qui ſeria noſtra;
Qui joca παντοδαπῇ novit tractare παλαίστρῃ.
Καὶ νῦ ſepoſitus μυναγῷ ἐν rure κεῖθι τῳ.
Ἀταφύλῳ ἐν χάρῃ, habet ἀνμαλγέα λίχνῳ.
Οὔτε οἴλοις ἑτάροις, nec menſæ accommodus ulli.

Ὅτε δὲ ἀδελφιδοῦς. . . μ' φάτο μίσας.
Jam satis, ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀναπαυσώμεθα
Ἐν τε δορῷ σοφίας τε καὶ ἰαχήσασι καθίζειν,
Ῥητορικοῖς λύδοισι. καὶ ἵπλετο ἡδὺν ὄνειαρ.
Ἀλλ' ἴδε καὶ σὺ μὴν ἄπας juvenáliq; ἰδρὼς
Ἐκλέχυται μελίων, τερμιὴ λάβε ἕλιμμα senectus.
Καὶ mihi in sumtum ἀπαρὰς levis arca ministrat.
Οὐ γὰρ ἔχει ἀπάλαμνον ἀνὴρ. . .
Κλεινὸς δ' ὁ γέρων. . .
Æquanimus si quà fueris, ἐς πάντα μάλ' ἥδιον
Malueris, λάθη ἧ πόνος ἔστι. δὸς φρενί.
Κεῖνο ἧ παγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis
Σοὶ φίλοι ἢ σοὶ δίκαι συμποσίοισι μιγῆναι
Θυμῷ ἀκηχεμένῳ solatia blanda requiras.
Hìc erit & fructus δημήτερος ἀγλαοκάρπου.
Ἔνθα σοι ἄδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula δίντι
Κιρνᾶν, αἶκε φίλοις, νίκταρ vinoso bonoso.
Ambo igitur nostræ φιλίξομεν otia vitæ,
Dum res, & ætas, & sororum
Νήματα ποφυρέα πλέκονται.

EPISTOLA XIII.

ΑΥΣΟΝΙΟΣ ΠΑΥΛΩ.

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρτιαλίγκιος ἠδὲ ποιητὴς
Αὐσόνιος Παύλῳ σπουδῇ φίλος ἰδέσθαι.

EPISTOLA XIV.

AUSONIUS PAULO.

ÆQuoream liqui te propter, amice, Garumnam.
Te propter campos incolo Santonicos.
Congressus igitur nostros pete. si tibi cura,
Quæ mihi, conspectu jam potiere meo.
Sed tantùm adpropera, quantùm pote corpore, & ævo:
Ut salvum videam, sat citò te video.
Si post infaustas vigor integratus habenas,
Et rediit membris jam sua mobilitas:
Si riguam lætis recolis Pimpleïda Musis,
Jam vates, & non flagrifer Automedon:
Pelle soporiferi senium, nubémque veterni:
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sdcisium, aut pigrum cautus conscende veredum.
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.
Canteri moneo malè nota petorita vites.
Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.
Sic tibi sint musæ faciles, meditatio promta,
Et memor: & liquidi mel fluat eloquii.
Sic, qui venalis tam longâ ætate Crebennus
Non habet emtorem, sit tibi pro pretio.
Attamen ut citiùs venias, leviúsque vehare,
Historiam, mimos, carmina, linque domi.
Grande onus in musis. tot secula condita chartis,
Quæ sua vix tolerant tempora, nostra gravant.
Nobiscum invenies ἐπέων πολυμορφία πλανδὼς
Γεμμαλιχῶντε πλοκὰς ἠδὲ λογοδαιδαλίην,
Δάκτυλον ἡρῶον, ἠδ' ἀοιδοτέλον χοραμυσον.
Σοὶ Θαλίης τε χόρος σύμματα Τερψιχόρης.
Σατραδικόν τε κίναιδον, ἰαντικὸν ἀμφοτέρωθεν.
Ῥυθμοῖς Πινδαρικῶν ἔννομον ἐμπίνων.
Ἐλεγείδην παίζοντα, ἠδ' ἐ σπουδάζοντα τείμησον.
Ὀπὶ Θουκυδίδου, ἔντεα Ἡροδότου.
Ῥητορικῶν θαυμασὲ σοφῶν ἰσχύδρια θῦλα
Πάντα μάλ', αἶκε φίλοις, ἠδὲ πάλιν, αἶκε φίλοις.
Hoc tibi de nostris ἐκπαγλικὸν offero libris.
Vale, valere si voles me, jam veni.

EPISTOLA XV.

AUSONIUS TETRADIO SALUTEM.

O Qui venustos uberi facundiâ
Sales opimas, Tetradi:
Cavéque, ne sit tristis & dulci carens
Amara concinnatio:
Qui felle carmen atque melle temperans,
Torpere musas non finis;
Paritérque fucas, quæque gustu ignava sunt,
Et quæ sapore tristia:
Rudes camœnas qui Suessæ prævenis:
Ævóque cedis, non stylo.
Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, ut Lucas boves
Olim resumto præferoces prœlio
Fugit juventus Romula?
Non ut tigris te, non leonis impetu,
Amore sed caro expeto.
Videre alumni gestio vultus mei,
Et indole optatâ frui.
Invitus olim devoravi absentiæ
Necessitatem pristinæ,
Quondam docendi munere adstrictum gravi
Iculisma quum te absconderet.
Et invidebam devio, ac solo loco,
Opes camœnarum tegi.
At nunc frequentes, atque claros, nec procul,
Quum floreas inter viros:
Tibíque nostras ventus auras deferat,
Aurésque sermo verberet:
Cur me supino pectoris fastu tumens
Spernis poëtam consulem?
Tuíque amantem, téque mirantem, ac tua
Desiderantem carmina,
Oblitus alto negligis fastidio?
Plectendus exemplo tuo:
Ni stabilis ævo pectoris nostri fides
Quanquam recusantes amet.
Vale: valere si voles me: pervola
Cum scrinio, & mulis tuis.

EPISTOLA XVI.

AUSONIUS PROBO PRÆFECTO PRÆTORIO S.

Ad Librum: ut eat ad Probum.

PErge ô libelle Sirmium,
Et dic hero meo, ac tuo,
Ave atque salve plurimum.
Quis ille sit nobis herus,
Nescis libelle? an, quum scias,
Libenter audis, quod juvat?
Possem absolutè dicere:
Sed dulciùs circumloquar,
Diúque fando, perfruar.
Hunc dico, qui linguâ potens,
Minorem Atridam præterit,
Orando pauca, & mutica.
Qui grandines Ulixei,
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem & Tullium,
Qui solus, exceptis tribus
Heris, herorum primus est,
Prætorióque maximus
Dico hunc senati præsulem,
Præfectum eundem, & consulem,
(Nam consul æternùm cluet)
Collegam Augusti consulis,
Columen curulis Romulæ,
Primum in secundis fascibus.
Nam primus è cunctis erit
Consul, secundus principi.
Generi hic superstes aureo,
Satórque prolis aureæ,
Convincit Ascræum senem,
Quoi seculum omne ferreum:
Qui vincit ævi injuriam,
Stirpis novator Anniæ:
Paribúsque comit infulis
Aniciorum stemmata.
Probum loquor. scis optimè,
Quem nemo fando dixerit,
Qui non priùs laudaverit.
Perge ô libelle, & utere
Felicitate interminâ.
Quin & require, si finet
Tenore fari obnoxio:
Age vera proles Romuli,
Effare causam nominis.
Utrúmne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Qualem creavit moribus,
Jussit vocari nomine?

Nomen

Nomen datum præconiis,
Vitæque teſtimonio.
Libelle felix: quem ſinu
Vir tantus evolvet ſuo,
Nec occupari tempora
Grato queretur otio.
Quem mille cum vocis modis,
Leni aut ſuſurro impertiet:
Cuſque vigiles luminum
Vacare dignabunt coræ.
Quem mente, & aure conſciis,
Quibuſdam omiſſis, pelleget.
Quæcumque fortuna eſt tibi,
Perge, ô libelle, & utere
Felicitate interminâ.
Dic me valere, & vivere.
Dic vivere ex voto pio,
Sanctis precantem vocibus,
Ut quem Curulis proxima
Collegio nati dedit:
Hunc rurſus Auguſtus prior
Suis perennet faſcibus.
Subnecte & illud leniter:
Apologos, en, miſit tibi
Ab uſque Rheni limite
Auſonius, nomen Italum,
Præceptor Auguſti tui,
Æſopiam trimetriam:
Quam vertit exili ſtilo.
Pedeſtre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.
Ut hic avi ac patris decus
Mixto refulgens ſanguine,
Probianóque, ac Anicio;
(Ut quondam in Albæ mœnibus
Supremus Æneâ ſatus,
Silvios Iulis miſcuit:)
Sic iſte, qui natus tuus,
Flos floſculorum Romuli
Nutricis inter lemmata,
Lalliſque ſomniferos modos,
Sueſcat peritis fabulis
Simul jocari, & diſcere.
Et adde votum, quod pio
Concepimus rei Deo:
Ut genitor Auguſtus dedit
Collegio nati Probum:
Sic Gratianus hunc novum
Stirpi futuræ copulet.
Rata ſunt futura, quæ loquor.
Sic merita, ſic fatum jubet.
Sed jam ut loquatur Julias,
Fandi modum invita accipe
Volucripes dimetria.
Avéque dicto, dic, Vale.

EPISTOLA XVII.

Ad URSULUM Grammaticum Trevirorum: cui ſtrenas kalendis Januariis ab Imperatore non datas reddi fecit.

PRimus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Auguſtæ fanſtum munus habere manûs.
Proximus ex longo gradus eſt, Quæſtoris amici
Curam pro ſtrenis excubuiſſe tuis.
Ergo, interceptos regale nomiſma Philippos
Accipe tot numero, quot duo Geryones.
Quot terni bijuges: demióque triente Camœnæ:
Quótque doces horis, quótque domi reſides.
Oſtia quot pro parte aperit ſtridentia Circus:
Excepto, medium quod patet ad ſtadium.
Quot pedibus gradiuntur apes, & verſus Homeri:
Quótque horis pelagus profluit, aut refluit.
Protulit in ſcenam quot dramata fabellarum
Arcadiæ medio qui jacet in gremio.
Vel quot junéturas geometrica forma favorum
Conſerit extremis omnibus, & mediis.
Quot telios primus numeris, ſolidíque probatur;
Quot par, atque impar partibus æquiperat.
Bis ternos, & ter binos qui conſerit unus:
Qui ſolus totidem congeminatus habet,
Quot faciunt juncti tubérque ſupráque locati,
Qui numerant Hyadas, Pleiadáſque ſimul.
Urſule collegâ nobilis Harmonio,
Harmonio: quem Claranus, quem Scaurus, & Aſper,
Quem ſibi conferret Varro, priórque Crates,
Quíque ſacri laterum collegit corpus Homeri,
Quíque notas ſpuriis verſibus appoſuit:
Cecropiæ commune decus, Latiæque camœnæ,
Solus qui Chium miſcet, & Ammineum.

EPISTOLA XVIII.

AUSONIUS PONTIO PAULINO.

COndiderat jam ſolis equos Tarteſſia Calpe:
Stridebátque freto Titan inſignis Ibero:
Jam ſuccedentes quatiebat Luna juvencas:
Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.
Jam volucres, hominúmque genus ſuperabile curis,
Mulcebant placidi tranquilla oblivia ſomni.
Tranſierant idus, medius ſuprema december
Tempora venturo properabat jungere Jano.
Et nonas decimas ab ſe nox longa kalendas
Jugiter acciri celebranda ad feſta jubebat.

Neſcis, puto, quid velim tot verſibus dicere. medius fidius neque ipſe bene intelligo: tamen ſuſpicor. Jam prima nox erat ante diem nonumdecimum kalendarum Januariarum, quum redditæ ſunt mihi litteræ tuæ opidò quàm litteratæ. His longè jucundiſſimum poëma ſubdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coëgiſti, tantâ elegantiâ, ſolus ut mihi videare aſſecutus, quod contra rerum naturam eſt, brevitas ut obſcura non eſſet. In his verſibus ego iſta cognovi.

Europámque Aſiámque duo vel maxima terræ
Membra, quibus Libyam dubiè Salluſtius addit,
Europæ adjunctam: poſſit quum tertia dici:
Regnatas multis, quos fama obliterat: & quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,
Illibanum, Numidámque Avelim, Parthúmque Vononem,
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum.
Quíque magos docuit myſteria vana Neceſſus:
Et qui regnavit ſinè nomine mox Seſoſtris.

Hæc tu quàm peritè, & concinnè, quàm modulatè, & dulciter, ita juxta naturam Romanorum accentuum enuntiaſti, ut tamen veris, ac primigeniis vocibus ſua faſtigia non perirent. Jam quid de eloquentiâ dicam? liquidò adjurare poſſum, nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ juventutis æquari. Certè ita mihi videris, ſi erro, pater ſum, ſer me: & noli exigere judicium, obſtante pietate. Verùm quum piè diligam, ſincerè ac ſevere judico. Affice me, oro, tali munere frequenter: quo & oblector, & honoror. Acceſſit tibi ad partem poëticam mellea modulatio. Quid enim aliud agunt,

Audax Icario qui fecit nomina ponto,
Et qui Chalcidicas moderatè enavit ad arces,

niſi ut & vegetam, & ſublimem alacritatem tuam, temeritatem voces: me verò, & conſultum, & quem filius debeat imitari, ſalutari pium. enimverò præcaſtum dicas? Quod equidem contrà eſt. Nam tu ſumma ſic appetis, ut non decidas: ſenectus mea ſatis habet, ſi conſiſtat. Hæc ad te breviter, & illico, veſperis illius ſecuto mane dictavi. Ita enim tabellarius tuus, ut epiſtolam referret, inſtabat. Nam ſi mihi otium fuerit, obtectabile negotium erit ad te prolixiùs delirare, te ut eliciam, mihi ut ſatisfaciam. Vale.

EPISTOLA XIX.

PAULINO AUSONIUS. Metrum ſic ſuaſit, ut eſſes

Tu prior, & nomen prægrederere meum.
Quanquam & faſtorum titulo prior, & tua Romæ
Præceſſit noſtrum ſella curulis cour.
Et quæ jamdudum tibi palma poëtica pollet,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.
Longævæ tantum ſuperamus honore ſenectæ.
Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos, regie pave, tuos.
Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo.
Aſſurgit muſæ noſtra camœna tuæ.
Vive, vale: & totidem venturos congere Janos,
Quot tuus, aut noſter conſenuere patres.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

AUSONIUS PAULINO SUO S.D.

QUanto me affecit beneficio, non delata quidem, sed ſuſcepta querimonia mea, Paulине fili! veritus diſplicuiſſe oleum, quod miſeras, munus iteraſti. addito etiam Barcinonenſis muriæ condimento cumulatius præſtitiſti. Scis autem me id nomen MURIÆ, quod in uſu vulgi eſt, nec ſolere, nec poſſe dicere: quum ſcientiſſimi veterum, & Græca vocabula fuſtidientes, Latinum in GARI appellatione non habeant. Sed ego quocumque nomine loquar, liquor iſte SOCIORUM vocatur. Vale.

Jam patinas implebo meas, ut parcior ille
Majorum menſis applaria ſuccus inundet.

Quid autem tam amabile, támque hoſpitale, quàm quòd tu, ut me participes, delicias tuas in ipsâ primitiarum novitate defraudas? ô nulle dulcior, ô gratiæ venuſtate feſtivior, ô ab omnibus patrio ſtringende complexu! Sed hæc, atque alia hujuſmodi documenta liberalis animi, alicui fortaſſe, & aliquando, quamvis variè: illud de epiſtolarum tuarum eruditione, de poëmatis jucunditate, de inventione, & concinnatione, juro omnia, nulli unquam imitabile futurum, etſi fateatur imitandum. De quo opuſculo, ut jubes faciam. Exquiſitiùs univerſa limabo: & quamvis per te manus ſumma contigerit, cælum ſuperſtue expolitionis adhibebo: magìs ut tibi paream, quam ut perfectis aliquid adjiciam. Interea tamen, ne ſinè corollario poëtico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præludendum putavi: dum illud, quod à me heroïco metro deſideras, inchoatur. Iſti tamen, ita te & Heſperium ſalvos habeam, quòd ſpatio lucubratiuncule unius effuſi, quanquam hoc ipſi de ſe probabunt, tamen nihil diligentiæ ulterioris habuerunt. Vale.

Iambe Parthis, & Cydonum ſpiculis,
Iambe pinnis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magnâ ſonoræ grandinis vi denſior,
Flammis coruſci fulminis vibratior,
Jam nunc per auras Perſei talaribus,
Petaſóque ditis Arcados vectus, vola.
Si vera fama eſt Hippocrene, quam pedis
Pulſu citatam cornipes fudit fremens:
Tu fonte in ipſo procreatus Pegaſi,
Primus novorum metra junxiſti pedum:
Illiſque muſis concinentibus novem,
Cædem in draconis concitâſti Delium.
Fer hanc ſalutem præpes & volucripes
Paulini ad uſque mœnia. Hebromagum loquor.
Et protinus, jam ſi reſumtis viribus
Alacri refecti corporis motu viget,
Salvere juſſum mox repoſce mutuum.
Nihil moreris: jámque dum loquor, redi,
Imitatus illum ſtirpis auctorem tuæ:
Triplici furentem qui Chimæram incendio
Supervolavit, tutus igne proximo.
Dic & Valere: dic, Avere te jubet
Amicus, & vicinus, & fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingenî tui.
Dic & magiſter, dic parens, dic omnia
Blanda atque ſancta caritatis nomina.
Avéque dicto, dic Vale, & actutum redi.
Quòd ſi rogabit, quid ſuper ſcriptis novis
Maturus ævi, nec rudis dijudicem:
Neſcire dices, ſed paratum jam fore
Heroïcorum verſuum plenum eſſedum.
Cui ſubjugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali ſaxa volvunt pondere,
Tripedes caballos terga ruptos verbere:
His ut vehantur tres ſodales nuntii.
Fors & rogabit, quos ſodales dixeris
Simul venire: dic, Trinodem dactylum
Vidi paratum cruciauti canterio:
Spondeus illi lentipes ibat comes,
Paribus moratur qui locis curſum meum:
Mihíque ſimilis, ſemper adverſus tamen,
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.
Hæc fare curtim, nec moratus pervola,
Aliquid reportans interim munuſculi
De largitate mulici promtarii.

EPISTOLA XXI.

AUSONIUS PAULINO SUO.

PHilon, meis qui villicatus prædiis,
Ut ipſe vult, epitropos;
(Nam glorioſum Græculus nomen putat,
Quod ſermo fucat Doricus)
Suis querelis aſſerit noſtras preces:
Quas ipſe lentus proſequor.
Videbis ipſum, qualis adſtet comminus,
Imago fortunæ ſuæ,
Canus, comoſus, hiſpidus, trux, attubus,
Terentianus Phormio.
Horrens capillis ut marinus aſperis
Echinus, aut verſus mei.
Hic ſæpe falſus meſſibus vegrandibus,
Nomen peroſus villici,
Semente ſerâ, ſive multùm præcoquâ,
Et ſiderali inſcitiâ,
Cœlum laceſſens, ſéque culpæ ſubtrahens,
Reos peregit cœlites.
Non cultor inſtans, non arator gnaruris,
Promúſque, quàm condus magis,
Terram infidelem, nec feracem criminans,
Negotiari maluit.
Mercatur quoquo foro venalium.
Mutuatur ad Græcam fidem.
Sapiénſque ſupra Græciæ ſeptem viros,
Octavus acceſſit ſophos.
Et nunc paravit triticum caſco ſale,
Novúſque pollet emporus.
Adit inquilinos, rura, vicos, oppida.
Soli, & ſali commercio.
Acatis, phaſelis, lintribus, ſtlatis, rate,
Tarnim & Garumnam permeat.
Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
Se ditat, & me pauperat.
Is nunc ad uſque vectus Hebromagum tuam,
Sedem locavit mercibus.

* * *

Ut indè nauſo devehat

* * *

Noſtros in uſus, ut refert,
Hunc ego paucis, ne graveris hoſpitem.

* * *

Adjutus ut mox navis auxilio tuæ,
Ad uſque portus oppidi,
Jam jam Perufinâ, & Saguntinâ fame,
Lucaniacum liberet.
Hoc ſi impetratum munus abs te accepero,
Prior colére, quàm Ceres.
Triptolemon olim, ſive Epimenidem vocant,
Aut Bulianum Buzygen,
Tuo locabo poſtferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

EPISTOLA XXII.

AUSONIUS PAULINO.

PRoxima quæ noſtræ fuerat querimonia chartæ,
Credideram, quod te, Paulине, inflectere poſſet,
Elicerétque tuam blanda objurgatio vocem.
Sed tu juratis velut alta ſilentia ſacris
Devotus teneas, perſtas in lege tacendi.
Non licet: áſine pudet, ſi quis tibi jure paterno
Vivat amicus adhuc, maneáſque obnoxius hæres?
Ignavos agitet talis timor. at tibi nullus
Sit metus: & morem miſſæ, acceptæque ſalutis
Audacter retine. vel ſi tibi proditor inſtat,
Aut quæſitoris gravior cenſura timetur,
Occurre ingenio, quo ſæpe occulta teguntur.
Threïcii quondam quam ſæva licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit, & tacitis mandavit crimina telis.
Et pudibunda ſuos malo commiſit amores
Virgo, nec erubuit tacituro conſcia pomo.
Depreſſis ſcrobibus vitium regale miniſter
Credidit, ſdque diu texit fidiſſima tellus:
Inſpirata dehinc vento cantavit arundo.
Lacte incide notas: areſcens charta tenebit
Semper inadſpicuas: prodentur ſcripta favillis.
Vel Lacedæmoniam ſcytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno

Per-

Digitized by Google

Perpetuo inſcribens verſu; qui deinde ſolutus
Non reſpondentes ſparſo dabit ordine formas,
Donec conſimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras poſſum celandi oſtendere formas,
Et clandeſtinas veterum referare loquelas,
Si prodi Pauline times, noſtræque vereris
Crimen amicitiæ. Tanaquil tua neſciat iſtud.
Tu contemne alios; nec dedignare parentem
Adfari verbis. Ego ſum tuus altor, & ille
Præceptor primus, primus largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

EPISTOLA XXIII.

AUSONIUS PAULINO S.

DIſcutimus, Pauline, jugum, quod certa ſovebat
Temperies: leve quod poſitu, & tolerabile junctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis,
Quod per tam longam ſeriem volventibus annis
Fabula non unquam, numquam querimonia morit,
Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error,
Nec quæ compoſitis maleſuadæ credula cauſis,
Concinnat veritimilis ſuſpicio culpas.
Tam placidum, tam mite jugum: quod uterque parentes
Ad ſenium noſtri traxere ab origine vitæ:
Impoſitúmque piis heredibus, uſque manere
Optârunt, dum longa dies diſſolveret ævum.
Et manſit, dum læta fides, nec cura laborat
Officii ſervare vices: ſed ſponte feruntur
Incuſtoditum ſibi continuantia curſum.
Hoc tam mite jugum docili cervice ſubirent
Martis equi, ſtabulóque feri Diomedis abacti:
Et qui mutatis ignoti Solis habenis
Fulmineum Phaethonta Pado merſere jugales.
Diſcutimus Pauline tamen: nec culpa duorum
Iſta, ſed unius tantùm tua. namque ego ſemper
Contentâ cervice feram. conſorte laborum
Deſtituor. nec tam promtum geſtata duobus
Unum deficiente pari perferre ſodalem.
Non animus, viréſque labant: ſed iniqua ferendo
Conditio eſt oneri, quum pondus utrumque relicto
Ingruit; accedúntque alienæ pondera libræ.
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia ſanum
Corpus: & exigui quamvis diſcrimine membri,
Tota per innumeros artus compago vacillat.
Obruar uſque tamen, veteris ne deſit amici
Me durante fides: memorſque ut fixa ſub ævo
Reſtituant profugum ſolatia caſta ſodalem.
Impie, Pirithoo disjungere Theſea poſſis,
Euryalúmque ſuo ſocium ſecernere Niſo.
Te ſuadente fugam, Pylades liquiſſet Oreſtem;
Nec cuſtodiſſet Siculus vadimonia Damon.
Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum
Sperato fraudata bono? gratantia cuncti
Verba loquebantur. jam nomina noſtra parabant
Inſerere antiquis ævi melioris amicis.
Cedebat Pylades: Phrygii quoque gloria Niſi
Jam minor, & promiſſa obiens vadimonia Damon.
Nos documenta magis felicia: qualia magnus
Scipio, longævſque dedit ſapientia Læli.
Nos ſtudiis animiſque iſdem, miracula cunctis:
Hôc majora, pares fuimus quòd diſpare in ævo.
Ocyùs illa jugi fatalis ſolvere lora
Pellæum potuiſſe ducem reor, abdita opertis
Principiis, & utroque caput celantia nodo.
Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut ſe
Inferret nimiis vindex Rhamnuſia votis;
Arſacidæ ut quondam regis non læta triumphis
Grandia verba premens ultrix dea Medica belli
Siſtere Cecropidum in terris monumenta paranti
Obſtitit: & Graio jam jam figenda tropæo,
Ultro etiam victis Nemeſis ſtetit Attica Perſis.
Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido eſt?
In Medos, Arabáſque tuos per nubila, & arum
Perge chaos. Romana procul tibi nomina ſunto.
Illic quære alios oppugnatura ſodales:
Livor ubi iſte tuus, ferrugineúmque venenum
Opportuna tuis inimicat pectora ſucis.
Paulinum, Auſoniúmque, viros, quos ſacra Quirini
Purpura, & auratus trabeæ velavit amictus,
Non decet inſidiis peregrinæ cedere divæ.
Quid queror, coſque infector crimina monſtri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.
Mœnibus è patriis forſan quoque veſtis & oris,
Quémque ſuo longè dirimat provincia tractu
Trans montes, ſolémque alium, trans flumina & urbes,
Et quod terrarum, cœlſque extenditur inter
Emeritenſis Anæ, latæque fluenta Garumnæ.
Quòd ſi intervallis ſpatium tolerabile limes
Poneret exiguus, (quamvis longa omnia credant,
Qui ſimul eſſe volunt) faceret tamen ipſa propinquos
Cura locos, mediis jungens diſtantia verbis.
Santonus ut tibi Burdigalam, mox jungit Aginnum
Illa ſibi & populos Aquitanica rura colentes:
Utque duplex Arelas, Alpinæ tecta Viennæ,
Narbonémque pari ſpatio ſibi conſerit: & mox
Quincuplicem ſocias tibi Martie Narbo Toloſam.
Hoc mihi ſi ſpatium vicinis mœnibus eſſet,
Tunc ego te ut noſtris aptum complecterer ulnis:
Adflarémque tuas aures noſtræ aura loquelæ.
Nunc tibi trans Alpes, & marmoream Pyrenen
Cæſareæ Auguſtæ domus eſt. Tyrrhenica propter
Tarraco, & oſtrifero ſuperaddita Barcino ponto.
Me juga Burdigalæ, trino me flumina cœtu
Secernunt turbis popularibus: otiáque inter
Vitiferi exercent colles, lætúmque colonis
Uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris
Mobilibus, celebréque frequens eccleſia vico:
Tótque mea in Novero ſibi proxima prædia pago,
Diſpoſitis totum vicibus variata per annum;
Egelidæ ut tepeant hyemes, rabidóſque per æſtus
Adſpirent tenues frigus ſubtile aquilones.
Te ſinè ſed nullus gratâ vice provenit annus.
Ver pluvium ſinè flore fugit. canis æſtifer ardet.
Nulla autumnales variat Pomona ſapores.
Effuſâque hyemem contriſtat Aquarius undâ.
Agnoſciſſne tuam, Ponti dulciſſime, culpam?
Nam mihi certa fides, nec commutabilis unquam
Paulini illius veteris reverentia durat:
Quæque meo, atque tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixei,
Aut præter dominum vibrabilis ornus Achillei,
Nos quoque tam longo Rhamnuſia fœdere ſolvet.
Sed cur tam mœſto ſero triſtia carmina verſu?
Et non in meliora animus ſe vota propinquat?
Sit procul iſte metus. certa eſt fiducia nobis,
Si genitor natúſque Dei pia verba volentum
Accipiat, noſtro reddi te poſſe precatu:
Ne ſparſam raptámque domum, laceratáque centum
Per dominos, veteris Paullini regna fleamus.
Téque vagam toto quàm longa Hiſpania tractu,
Immemorem veterum, peregrinis údere amicis.
Accurre ô noſtrum decus, ô mea maxima cura,
Votis, ominibúſque bonis, precibúſque vocatus,
Adpropera: dum tu juvenis, dum noſtra ſenectus
Servat inexhauſtum tibi gratificata vigorem.
Et quando iſte meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paullinus adeſt. jam ninguida linquit
Oppida Iberorum, Turbellica jam tenet arva.
Hebromagi jam tecta ſubit; jam prædia fratris
Vicina ingreditur; jam labitur amne ſecundo;
Jámque in conſpectu eſt; jam prora obvertitur amni;
Ingreſſúſque ſui celebrata per otia portûs
Totum occurſantis populi prævertitur agmen:
Et ſua præteriens, jam jam tua limina pulſat.
Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

EPISTOLA XXIV.

AUSONIUS PAULINO SUO S.

QUarta tibi hæc notos detexit epiſtola queſtus,
Pauline: & blando reſidem ſermone laceſſit.
Officium ſed nulla pium mihi pagina reddit,
Fauſta ſalutigeris adſcribens orſa libellis.
Unde iſtam meruit non felix charta repulſam,
Spernit tam longo ceſſatio quam tua faſtu?
Hoſtis ab hoſte tamen per barbara verba ſalutem
Accipit: & Salve mediis intervenit armis.
Reſpondent & ſaxa homini. percuſſus ab antris
Sermo redit. redit & nemorum vocalis imago:
Littorei clamant ſcopuli, dant murmura rivi,
Hyblæis apibus ſepes depaſta ſuſurrat.
Eſt & arundineis modulatio muſica ripis:
Cúmque ſuis loquitur tremulum coma pinea ventis.
Incubuit foliis quotiens levis eurus acutis,
Dindyma Gargarico reſpondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit. non ærris ales,

Qua-

by Google

Quadrupedéſve ſilent, habet & ſua ſibila ſerpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictu ſonitum, dant pulpita ſaltu
Icta pedum. tentis reboant cava tympana tergis.
Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus.
Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus ictæ
Reſpondent dociles modulato verbere pelves.
Tu velut Oeballis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet,
Obnixùm Pauline taces. agnoſco pudorem:
Quod vitium fovet ipſa ſuum ceſſatio jugis.
Dúmque pudet tacuiſſe diu, placet officiorum
Non ſervare vices: & amant longa otia culpam.
Quis prohibet Salve atque Vale brevitate paratâ
Scribere? felicéſque notas mandare libellis?
Non ego longinquos ut texat pagina verſus
Poſtulo: multiplicſque oneres ſermone tabellas.
Una fuit tantùm, quâ reſpondere Lacones,
Littera: & irato regi placuere negantes.
Eſt etenim comis brevitas. ſic fama renatum
Pythagoram docuiſſe refert, quum multa loquaces
Ambiguis fererent verbis, contra omnia ſolum
Eſt, reſpondebat, vel Non. O certa loquendi
Regula! nam brevius nihil eſt, nec plenius iſtis:
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo ſilens placuit: multi brevitate loquendi.
Verùm ego quò ſtultè dudum ſpatioſa locutus
Provehor? ut diverſa ſibi viciníque culpa eſt,
Multa loquens, & cuncta ſilens! non ambo placemus:
Nec poſſum reticere, jugum quòd libera nunquam
Fert pietas, nec amat blandis poſtponere verum.
Vertiſti Pauline tuos dulciſſime mores?
Vaſconis hoc ſaltus, & ninguida Pyrenæi
Hoſpitia, & noſtri facit hoc oblivio cœli?
Imprecer ex merito quid non tibi Iberia tellus?
Te populent Pœni: te perfidus Annibal urat:
Te belli ſedem repetat Sertorius exſul.
Ergo meum, patriæque decus, columénque ſenati,
Bilbilis, aut hærens ſcopulis Calagorris habebit?
Aut quæ dejectis juga per ſcrupoſa ruinis
Arida torrentem Sicorim deſpectat Hilerda?
Hîc trabeam Pauline tuam, Latiámque curulem
Conſtituis, patrióſque iſtîc ſepeliis honores?
Quis tamen iſta tibi tam longa ſilentia ſuaſit?
Impius ut nullos hic vocem vertat in uſus:
Gaudia non illum vegetent: non dulcia vatum
Carmina, non blandæ modulatio fiexa querelæ,
Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,
Non quæ paſtorum nemoralibus abdita lucis
Solatur noſtras Echo reſecuta loquelas.
Triſtis, egens, deſerta colat: tacitúſque pererret
Alpini convexa jugi: ceu dicitur olim
Mentis inops, cœtus hominum, & veſtigia vitans,
Avia perluſtrâſſe vagus loca Bellerophontes.
Hæc precor. hanc vocem Bœotia numina Muſæ
Accipite: & Latiis vatem revocate Camœnis.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT

RUFI FESTI AVIENI

DESCRIPTIO ORBIS TERRÆ.

RUFI FESTI AVIENI VITA,

EX LILIO GYRALDO DESUMPTA.

RUFUS FESTUS AVIENUS, qui & in antiquis codicibus Abienus dicitur, & in Servii etiam commentariis. Hic ab aliquibus Hiſpanus eſt exiſtimatus: ego certè nihil habeo quo vobis id affirmare poſſim. Hic Dionyſii Punici de ſitu orbis verſus ex Græcis Latinos fecit, item Aratea Phænomena: quod utrunque opus exſtat carmine hexametro expreſſum. Et præter hæc de oris maritimis librum edidit, carmine trimetro iambico, ad Probum, virum conſularem: ad quem etiam CL. Claudianus ſcripſit; quo argumento ducor, ut Avienum Claudiani, hoc eſt, Theodoſii Imp. & filiorum temporibus floruiſſe credam: id quod & facilè Hieronymi verbis adſtruere poſſumus: qui quodam ſuarum epiſtolarum loco, nuper illum ſcripſiſſe dicit: alii Diocletiani Cæſaris, non ſatis firmo, ut mihi quidem videtur, argumento: alii utrumque inconfeſſum, parúmve compertum eſſe volunt. Servius grammaticus Avienum ait Virgilianas fabulas, & Livium iambicis verſibus deſcripſiſſe. Sunt qui hunc ipſum Avienum eſſe putent, quem Aurelius Macrobius in Saturnalibus cœnis loquentem induxit. Utcumque tolerabilis eſt poeta, & dignus, ſaltem ob rerum cognitionem, ut aliquando legatur. Sed nequid à me deſideretis, exſtat & libellus ad Theodoſium Imperatorem, hujus, ut putatur, Avieni, niſi nos fallat inſcriptio, in quo pleroſque Æſopi apologos elego carmine complexus eſt: qui an legitimus ſit, non multum eſſe pretium operæ, ut diſquiramus, exiſtimo.

QUA protenta jacent vaſtæ divortia terræ,
Et quà præcipiti volvuntur prona meatu
Flumina per terras, qua priſcis inclyta muris
Oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum
Quà colit, Aonii peraget ſtylus impiger oris,
Ardua res, Muſæ. deus, en deus intrat Apollo
Pectora fatidicæ quatiens penetralia Cirrhæ.
Pierides toto celeres Helicone venite,
Concinat & Phœbo veſter chorus, Oceanúmque
Carminis auſpicium primum memorate Camenæ.
Oceani nam terra ſalo præcingitur omnis,
Parva ut cæruleo caput effert inſula ponto:
Nec tamen extremo teres eſt ſinus undique in orbem
Quà colitur populis, quà tellus paret aratro:
Sed matutino quà cœlum ſole rubeſcit,
Latior, acciſi curvantur cæſpitis arva,
Cætera protentus. Tria ſunt confinia terræ
Unius: eſt primum Libyæ, Europæque, Aſiæque.
Æquore ab Heſperio quà ſe ſalis inſinuat vis,
Terrarúmque cavis inlabitur arduus Atlas,
Quà juga celſa tument, Libyæ ſeſe explicat ora:
Finis huic Gades, ſeptenáque gurgite vaſto
Ora procul Nili. Phariorum hìc gleba recumbit,
Et Peluſiaci celebrantur templa Canopi.
Europæque dehinc lævum eſt latus. & procul ambas
Una Aſia inclinans, geminis ſe cornibus urget
Deſuper, ac rupti divortia continet orbis.
Europam atque Aſiam Tanais diſterminat amnis.
Hic ſe Sarmaticis evolvens finibus arte
Sciſſus Araxeo priùs æquore, jam ſuus, undâ
Effluit in Scythiam: procul hinc Mæotida Tethyn
Intrat, & inſerto freta pellit vaſta fluento,
Iſmaricíque riget ſemper flabris Aquilonis.
At quà piſcoſi gurges ſtrepit Helleſponti,
Vis obliqua ſali tepidum procumbit in Auſtrum,
Terrarumque trium modus eſt mare, donec in altis
Ora procul Nili latè Thetis efflua ſerpat.
Altera pars orbem telluris limite findit.
Ceſpes terga jacens Aſiæ ſuccedit in oras,
Immenſúſque modi protenditur. hic latus artans
Caſpia contingit freta deſuper, atque tumenti
Proximus Euxino eſt. Aſiam conterminus iſte
Europámque ſecat. Tellus ſeſe altera in Auſtrum
Porrigit, inſertóque ſinus interjacet agro.
Nam ſinus hinc Arabum, ſinus hinc Ægyptius undâ
Æſtuat, & Libycis Aſiam diſcernit ab oris.
Sic diverſa fuit ſententia, rite quis orbi
Limes haberetur. Totum hoc circumlatrat æſtus,
Et maris infeſti moles ligat. una furenti
Natura eſt pelago, pelagi ſed nomina mille,
Æquor ut innumeris terrarum admoverit oris.
Quà ſe blanda ſatis intendunt flabra Favoni,
Heſperium Oceano mare terras intrat ab alto.
Axe Lycaoniæ rurſum facis, atque ubi dura
Belligeratores nutrit tellus Arimaſpas,
Nomine Saturni latè jacet æquoris unda.
Hìc denſata ſali ſtant marmora, pigraque ponti
Se natura tenet, nunquam ruit effluus humor.
Mortuus hic Graio perhibetur gurges in uſu.
Denique quàm lento ſtupeat plaga ſalſa profundo,
Vel quàm ſole carens pars orbis tetra rigeſcat,
Vix hebes has oras ardor Titanius adflat,
Vix evecta dies illuminat, omnéque latè
Pingue tenebroſâ cœlum ſubtexitur æthrâ.
At quà priùs dies rutilo ſuſtollitur ortu,
Aureus & tremulas latè rubor inficit undas,
Eoum pelagus, freta dicunt Indica. ponti
Propter Erythræi tenduntur dorſa profundi,
Æthiopúmque ſalum. diffunditur hìc Notus; æthram
Urit, & hìc æſtu radiorum Phœbus anhelo
Arva coquit. ſterilis regio eſt & inhoſpita latè,
Aret humus, caſſæque ſolo torrentur arenæ.
Oceanus ſic cuncta vago complectitur æſtu,
Undique ſic unus terras interminus ambit,
Innumeróſque ſinus cavat inlabentibus undis
Deſuper & multis: celebri ſub nomine tantùm

Digitized by Google

Quatuor infuſo latè ſale terga dehiſcunt.
Primus in orbe ſinus vaſti maris æquora cingit.
Gurgitis Heſperii procul hic protentus in oras
Faucibus à Libycis æſtum trahit, atque ubi lætam
Ceſpite ſub pingui pandit Pamphylia glebam,
Deficit, & curvâ ſinuatur littoris orâ.
Alter item eſt primo brevior, majórque duobus.
Hic prolapſus aquas Boreali fuſus ab alto
Terga procelloſo turgeſcit Caſpia fluctu.
Hyrcanum hoc pelagus pars nominat. Hinc duo rurſum
Ora patent ponti: geminus ſinus æquoris intrat
Telluréinque cavat, quà ſe Notus axe tepenti
Erigit. horum unus vada longè Perſica fundit,
Caſpia converſus procul in freta porrigitúrque.
Quartus Arabs tumet hìc rabido per aperta fluento,
Euxinúmque ſalum videt eminus. En tibi rurſum
Æquoris Heſperii tractus loquar: iſtius unda
Lambit terga ſoli quà ſe vagus explicat orbis.
Nam vel cæruleo loca circumplectitur æſtu,
Vel celſo dimiſſa jugo confinia radit,
Mœnia vel fuſi perſtringit gurgite ponti.
In Zephyrum tellus extenditur, oráque terræ
Ultima proceras ſubducit in aſtra columnas.
Hic modus eſt orbis: Gadir locus. hìc tumet Atlas
Arduus, hìc duro torquetur cardine cœlum,
Hìc circumfuſis veſtitur nubibus axis.
Et primùm ruptas ſe pontus Ibericus illinc
Inſerit in terras. caput autem principiúmque
Europæ & Libyæ eſt. mediis infunditur oris,
Intrepítque ſalum. ſcopuli ſtant ardui utrinque,
Unus in Europam, Libyam procul aſpicit alter.
Sic deſerta freto procera cacumina celſis
Emicuere jugis, ſic intrant ſaxa profundum,
Sic ſubeunt nubes, ſic cœlum vertice fulcit
Maura Anila, & dorſo conſurgit Iberica Calpe.
Gallicus hinc æſtus provolvitur. hìc ſupèr, urbem
Maſſiliam gens Graia colit, Ligurúmque tumeſcit
Æquor, & indomito tellus jacet Itala regno.
Auſonis hæc regio eſt; pubi genus ab Jove ſummo.
Quà ſe flabra trucis Boreæ per inhoſpita terræ
Eructant cœlo, populis caput Ænea clarum
Alba, dehinc cautes eſt terminus. hæc freta propter
Trinacriæ ſummo conſurgit littoris ora.
Evolvuntur item vada fuſi cærula ponti,
Inſula quà Cyrnus fluctu madet alludente
Littoris oſtriferi protendens latiùs undam.
Sardiniámque dehinc moles circumſua cingit
Æquoris, & cano ſpumant freta concita fluctu.
Hinc Tyrrhena ſali ſunt agmina, quà Notus axem
Humidus inclinat quà lux ſe rurſus eoa
Emergit pelago, Siculi maris æſtuat unda,
Obliquúmque quatit gurges protentior altum
Uſque in ſaxoſi Pachyni juga plurimus indè
In Cretam trahitur ponti tumor. hìcque procul ſe
Inclinat rupes ſeſe, obvia fluctibus altis.
Ingreditur pelagus Cortynia mœnia juxta,
Ac procumbentis ſola propter pinguia Sexti,
Prona maris cautes extenditur, ut ferus ora
Eſt aries, ultróque minans petit obvia fronte.
Denique ſic olli nomen prior indidit ætas:
Nec minùs Italiam cornu proſpectat acuti
Littoris, & rapidi perflatur Japygis ortu.
Hinc ſe rurſus aquis Adriatica marmora fundunt,
In Boream Zephyrúmque dehinc deflexa parumper.
Hìc ſinus Ionius curvatur littoris actâ,
Alta petunt ranco penitus repentia fluctu,
Ceſpitis & gemini tellus inrumpitur alto.
Nam quà cæruleis potus ſeſe inſerit undis,
Illyris in dextris pandit regionibus agros,
Æmathiámque ſuper ſulcat genus acre virorum.
Auſonidum læva eſt. hìc longo ceſpite tellus
Funditur, & variâ populorum pube domantur
Arva ſoli. trina hæc pelagi circumtonat unda.
Nam quà ſe Zephyri ſuſtollunt flabra, profundum
Tyrrheni eſt pelagi: quà ſe notus erigit æthræ,
Sicanum latè fluitat mare: quà procul autem
Spirat ab eois pulcher regionibus Eurus,
Ionii ſunt terga ſali. ſic Itala tellus
Ut circumfuſus latus amplum labitur undis.
Efflua pòſt Siculi moles evolvitur alti,
Inque Notum latè vada ponti cærula ſerpunt,
Donec harenoſas attollant æquora Syrtes,
Infidúmque rati tenuent mare. languida quippe
Æquore jam feſſo ſeſe trahit unda per ambas.

Montibus ab Siculis capit autem prona meatum
Cretæſique jugis, vix Syrtes inter oberrans,
Parcior & tenui prætexens ima fluento.
Rurſus ab Idæâ Salmonide porrigit æquor
Se geminum: nautæ Pharium dixere profundum,
Quod procul hinc Caſiæ vergit confinia cautis.
Sidoniſque dehinc latè ſalis æſtuat unda,
Iſſicus in modico donec ſinus ore pateſcit,
Æquoris & noſtri ſit terminus: æva ubi latè
Pinguia proceris Cilicum verſantur aratris.
Curva ſalo forma eſt: hinc ſeſe marmora ponti
In Zephyrum torquent, ac flexu lubricus errat
Gurges, & exeſas inlabitur unda lacunas.
Sic viroſarum prolixa volumina ſeſe
Sponte Ceraſtarum facili ſub viſcere curvant,
Sic ſpiras crebro ſinuat draco, ſéque vel orbe
Colligit inclinans, vel pronis agmina longè
Tractibus abſolvit: ſtridet nemus undique totum,
Peſtifero afflatu ſerpens vagus inquinat æthram.
Haut ſecus inlapſo penetrantur littora fluctu,
Et rurſum tellus init æquora: jugis ubique
Mugitus pelago eſt, gemitu loca cuncta reſultant.
Imminet hìc latè Pamphylia, ſubluit illìc
Unde Chelidonias inliſum murmurat æquor
Sæpius & crebrâ ſpumeſcunt æquora rupe.
Terminus hic cautes Patareidis eminet arcis,
Ac rurſum in Zephyrum vada ſemet cærula curvant.
Hìc ſalis Ægæi tractus tonat, ſuque Bootis
Plauſtra dehinc rapidi flectuntur marmora Nerei,
Saxoſis Sporadum ſæpe obluctantia ripis.
Non aliud tantâ conſurgit mole profundum:
Non ſic curva Thetis fluctu tumet. extimus olli
In Tenedum curſus, pelagi caput incipit Imbri.
Ceſpitis hìc proni protendens dorſa Propontis
Flatibus ex Boreæ tepidum procumbit in auſtrum,
Immenſæque Aſiæ populos alit ubere terræ.
Hic ætas inter fauces atque obvia ſaxa
Thracius anguſtas diſcludit Boſporus oras:
Boſporus Inachiæ ſubvector virginis olim.
Nam vicina ſibi ſtant littora, terráque parci
Faucibus oris hiat, pronâ ſinus evomit undâ:
Proxima non alibi tantùm divortia cernas
Ceſpitis. Hàc pecoris dorſo ſternacis in æquor
Inachis illata eſt. Sic pectus canduit iſtâ
Pellicis, & tanto divam dolor extulit igni.
Illìc inſtabili fama eſt ſale ſaxa moveri,
Inferíque ſibi flabris urgentibus oras.
Hìc rigidas errare ferunt per marmora cautes,
Et nunc ora ſoli vaſtas prætendere rupes,
Nunc aperire ſinum gemit amplo murmure pontus,
Seu quòd colliſas Theris indignata per arces
Sæviat objectis, ſeu quòd brevis exitus undas
Exerat, & ſtrictis eructet faucibus æquor.
Interiùs lato Pontus ſe gurgite fundit,
Undarúmque procul latus explicat, aurea Phœbi
Quà rota purpureo repetit convexa ſub ortu.
Sic obliqua maris panduntur denique dorſa,
Ut matutinis inclinet æquor habenis,
Longior aut Boreæ concedat gurges in axe.
Pontus enim noſtræ ſinus eſt ampliſſimus undæ.
Hic Aſiæ ab lævâ præcingitur, Europámque
Excipit, adverſúſque dehinc ſe Thracius artat
Boſporus, & tenui vix panditur oris hiatu.
At quà diducto pontus diſtenditur æſtu,
Et porrecta mari terræ juga longiùs intrant
In pelagus, tractúque vago ſua littora linquunt,
Ceſpite Paphiaco prodit ſaxoſa Carambis.
Altera ſe cautes ſimilis procul arietis ori,
Dura pruinoſo quà torpet Taurica cœlo,
Exerit, & tentâ latè premit æquora fronte.
Eminus iſta Notum videt, Arctos eminus illa.
Porrò inter fluctus ac fuſi marmora ponti
Proxima celſorum ſic ſunt ſibi dorſa locorum:
Quamvìs vaſta ſali moles interfluit arces,
Ut gemini ſit forma maris. ſed brachia Pontus
Finibus arctois eoæ lucis in ortum,
Et quà prona dies atris involvitur umbris,
Molliter inclinans Scythici ſpeciem facit arcûs:
At tepidi de parte Noti directitur ora,
Continuúmque jacens rigidi ſub imagine nervi
Tenditur. excedit confinia ſola Carambis
In Boream vergens. Boreali rurſus in arcto
Ore ſinus patulo Mæotidis arta plaudis
Æquora prorumpunt. Scytha latè barbarus oras

Inco-

Incolit, & matrem ponti cognominat undam.
Sola parens ponto, genitrix hæc ſola tuento eſt,
Hôc ſe fonte trahunt vaga glauci marmora ponti,
Cimmerio prolapſa ſinu. nam Boſporus illìc
Cimmerius fauces aperit. circúmque ſupérque
Cimmerii gens dura colunt. hìc ardua Taurus
In juga conſurgit, cœlúmque cacumine fulcit,
Verticis & celſis latè caput inſerit aſtris.
Huic, mirante ſalo, quondam ſeſe intulit agro
Thetſala, & innantem ſtupuerunt æquora cymbam.
Sic vaſti moles pelagi interfunditur oras:
Sic ſe forma maris toto procul explicat orbe.
Nunc tibi tellurem verſu loquar. incute docto
Phœbe chelym plectro. Mutis intermina vita
Permanet, & memori laus ſemper pullulat ævo.
Indefeſſa tuæ ſint mentis acumina, lector,
Sudorſque mei parulo bibe carmina rictu.
Dulcis in his hauſtus, meritum grave, gratia perpes.
Ergo ſolum terræque Libyſtidis ora per auſtrum
Tenditur, eoæ procul in confinia lucis.
Gades principium eſt, caput hujus ceſpitis autem
Artius anguſto conducit littora tractu,
Oceanſque ſalum cuneo ſubit iſtius oræ.
Terminus immenſis Arabum concluditur undis.
At latus hoc terræ diffuſius explicat agros,
Arváque tenta patent. hæc pingui ceſpite tellus
Æthiopum eſt nutrix, qui nigras propter Erembas
Extremi Libyæ curvo ſola vomere ſulcant.
Et rurſum Æthiopes ſoli ſubjecta cadenti
Arva tenent. ſic ſciſſa virûm gens ultima terræ
Incolit: hos adflant rutilæ incunabula lucis.
Hìc jam præcipitis terrentur ſolis habenis.
Propter proceras Zephyri regione columnas
Mauri habitant. his fluxa fides, & inhoſpita ſemper
Corda rigent, trahitur duris vaga vita rapinis.
Proxima ſe latè Numidarum paſcua tendunt,
Maſſaliſque ſuper populi per aperta locorum
Pallantes agitant. certi laris inſcia gens eſt:
Nunc in dumoſas erepunt denique rupes,
Nunc quatiunt campos, nunc ſylvas inter oberrant
Conjugibus natiſque ſimul. cibus aſpera glando
Omnibus: haud ullis ſulcatur ceſpes aratro:
Non his mugitus pecudum ſtrepit. Inclyta poſt hos
Mœnia conſurgunt Tyriæ Carthaginis, illa
Urbs Phœniſſa priùs, Libyci nunc ruris alumna,
Paci blanda quies, & bello prompta cruento.
Aſt hinc in Syrtim præceps ruit una minorem,
Ulteriúſque dehinc quà lux ſe reddit olympo,
Major vaſta ſibi latè trahit æquora Syrtis,
Infidúmque rati pelagus furit. ardua quippe
Undarum moles Tyrrheno cogitur æſtu,
Curvatúmque ſalum quatit amplo littora fluctu.
Ecce aliâ lento prorepit gurgite Nereus,
Undáque vix tenuis ſiccas prætexit harenas.
Immemor ergo modi ſemper natura duabus
Syrtibus & claſſem ſors crebrò cæca fatigat.
Ambarum medio procera Neapolis arcem
Subrigit. hanc rurſum gens latè priſca virorum
Lotophagi includunt. durósque Naſamonas indè
Accipe, queis quondam populorum examina multa
Verſavere ſolum, multos ſonuere per agros
Balatu pecudes; nunc lati jugera campi
Et grege nuda jacent, & ſunt cultoribus orba.
Auſonis hæc duro vaſtavit dextera bello:
Auſonis invicti gens roboris, una per orbem
Arma tulit, pubem Latiam ferus horruit Iſter,
Romanas aquilas Rhodanus tremit, Italidum vi
Mœſta paludivagos Germania flevit alumnos.
Illi cæruleas attingunt æquoris undas:
At quà navigero tellus diſcedit ab æſtu,
Innumeræ gentes, populorum examina mille
Arva tenent. hìc fata canit venerabilis Hammon,
Mugit arenoſis nemus illic denique lucis.
Adflat Cyrene proptèr vetus, erigitúrque
Urbs procera arces, & Apolline dives alumno.
Marmaridæ juxtà procul hìc tamen ultima regni
Ægypto inclinant, tergo Gætulia glebam
Porrigit, & patulis Nigretæ finibus errant.
Protinus hinc Garamas latè confinia tendit,
Trux Garamas, pedibus pernix, & arundinis uſu
Mobilis. At quantùm terrarum interna recedunt,
Ut procul Oceano tellus vicina madeſcat,
Æthiopum populos adit ampli ceſpitis ora.
Terminus Æthiopum populos adit ultima Cerne.

Pòſt Blemyes medii ſuccedunt ſolis habenæ,
Corpora proceri, nigri cute, viſcera ſicci,
Et circumvincti nervis extantibus artus.
Hi celeres molles currunt pede ſemper arenas,
Nec tamen impreſſæ lingunt veſtigia plantæ.
Eminus evolvunt hinc ſeſe pinguia Nili
Flumina, & intenti prolabitur æquoris unda.
Hìc quà ſecretis incidit flexibus agros,
Æthiopum in linguâ Siris ruit: útque Syene
Cærulus accedens diti loca flumine adulat
Nomine ſe claro Nilum trahit, ſinque jacentem
Ægyptum fuſus fluctu premit arva marito,
Fœcundátque ſolum. procul illìc agmina cogit
In Boream, ſciſſúſque vagis antractibus æquor
Proſerit, & ponto ſeptem ſerus explicat ora.
Non olli compar quiſquam fuit, inclyta quanquam
Undique ſe totis eructent flumina terris.
Nilus & immenſos ulnam diſpergit in agros,
Et fovet invecto ſata gurgite: Nilus honorem
Telluri reparat: Nilus freta maxima pellit.
Hic Aſiam ab Libyâ diſterminat, axe Favoni
Secernens Libyam, redeuntis ſolis ab ortu
Disjungens Aſiæ medio confinia fluctu.
Nec procul illa virûm gens incolit, actibus olim
Quæ prior humanas leges & jura notavit,
Vomere quæ duro, quæ longi pondere aratri
Sollicitavit humum, quæ rectis cædere ſulcis
Tellurem docuit, quæ cedens partibus æthram,
Prodidit obliquo ſolem decurrere cœlo.
Iſtius ergo tibi formam regionis & oræ
Expediam verſu. Blandus prætenditur aër,
Prodigus herbarum ceſpes jacet, aſpera nuſquam
Culmina conſurgunt, portus cavat ora frequentes,
Quicquid terra dehinc redeuntis ſufficit anni
Tempore, præ cunctis ſtuperas ſpecieſque modóſque.
Trina loco frons eſt, ſed latior axe Bootis,
Luce ſub eoâ conſtrictior, uſque Syenen
Tenditur, unde pii volvuntur flumina Nili.
Hic urbs eſt Thebæ, Thebæ quæ mœnibus altis
Præcinxere larem; Memnon ubi Tithonæus
Suſpectat roſeas Auroræ matris habenas.
Parſque coëan diſcedit ab æquore, ſeptem
Oppida ſuſtentat: Noti pars vergit in oram,
Et modus eſt olli Serbonidis alta paludis:
Altera pulſatur genitabilis ore Favoni.
Hìc urbem poſuit Pellæ dexterа gentis.
Hìc inter celſas latè ſurgentia nubes
Templa Sinope Jovis adſtabant nixa columnis,
Divite ſaxorum circumveſtita metallo,
Auro ſulta gravi, niveo radiantia dente.
Nec minùs hìc ſpeculæ vertex ſubducitur, ex quo
Cernere ſit longè Pallenidis intima terræ.
At quà ſurgenti terræ pars conſcia Phœbo eſt,
Aggere murorum Peluſia mœnia ſurgunt.
Gens hìc docta ſali tumido freta gurgite currit,
Inque procelloſos lembum convertere fluctus
Ludum habet, & raucâ vitam producit in undâ.
Talis forma jacet Libyæ, talíque receſſu
Ab Zephyro eoum tellus incumbit in axem.
Iſtius extenti ſala ceſpitis undique ſulcant
Gentes innumeræ, quæ ſparſæ littore longo
Oceani auſtralis vada latè cærula tangunt,
Et quæ multimodi mediâ tellure agitantes
Arva domant, & quæ Tritonidis alta paludis
Ut circumfuſo populorum examine tingunt.
Nunc tibi & Europæ ſabor latus. hæc ubi terras
Intrant Atlanti vis æquoris, accipit ortum.
Unus utramque ſalis fluxus ſecat, & procul unum
Diſtinet os ambas. eadem inſinuatio ponti
Europam & Libyam rapido diſterminat æſtu:
Sed prior illa tamen tepido perfunditur auſtro,
Hæc ſubit inſanos tergum curvata Aquilones.
Ambæ Aſiam rurſum ſimili ſub limite tangunt.
Æquus utrinque modus protenditur: ut ſimul ambas
Si conferre ſibi quiſquam velit, una parumper
Ut credatur humus, mediſque interfluus ponti
Subtrahat extemplo quali nux pinea formâ eſt.
Singula verſanti talis ſuccedat imago
Europæ & Libyæ. ſic nam latus explicat ambas
Unum, & utrinque caput, ſimilis quoque finis utrinque.
Sed tamen Heſperii quà ſpectant æquoris undam,
Ambæ producto coëunt ſibi ceſpite terræ.
Quà matutinus ſol iſtas ignibus adflat,
Latior ambabus ſpecies diſtenditur. Unum

Hoc

Hoc agili ſub mente tenas; velut obvia habebis
Cætera terrarum. Tellus Europa columnis
Proxima magnanimos alit æquo ceſpite Iberos.
Hi ſuper Oceani borealis frigida tangunt
Æquora, & excurſu diffuſi latiùs agri
Arva tenent. Auris nimiùm vicina Britannis
Flaváque cæſariem Germania porrigit ora,
Dumoſa Hercyniæ peragrans confinia ſylvæ.
Indè Pyrenæi turgeſcunt dorſa nivalis:
Gallorúmque truces populi per inhoſpita terræ
Vitam agitant. tum cæruleum Padus evomit antro
Flumen, & extento patulos premit æquore campos.
Hìc priùs Eridani propter nemoroſa fluenta
Fleverunt liquidæ lapſum Phaëthontа ſorores,
Mutatæque manus planxerunt pectora ramis.
Nec procul hinc rigidis inſurgunt rupibus Alpes,
Naſcentémque diem celſo juga vertice cernunt.
Portò inter cautes & ſaxa ſonantia Rhenus,
Vertice quà nubes nebuloſus fulcit Atulla,
Urget aquas, glaucóque rapax rotat agmine molem
Gurgitis Oceani, donec borealis in undas
Effluat, & celeri perrumpat marmora fluctu.
Quin & Danubium produnt ſecreta repentè
Barbara, ſed diſcors tamen eſt natura fluento.
Abnoba mons Iſtro pater eſt: cadit Abnobæ hiatu.
Flumen in eoos autem convertitur axes,
Euxinóque ſalo provolvitur: ora per æquor
Quinque vomunt amnem, quà ſe procul inſula Peuce
Exerit. Hinc rigidi quà ſpirant flabra Aquilonis,
Sarmata, Germani, Geta, Baſternæque feroces,
Dacorúmque tenent populi, tenet acer Alanus.
Incola Tauriſci Scytha littoris; indéque rurſum
Dira Melanchlæni gens circumfuſa vagatur.
Proxima Neurorum regio eſt, celerésque Geloni,
Præcinctíſque ſagis ſemper pictis Agathyrſi.
Indè Boryſthenii vis ſete fluminis effert
Euxinum in pelagus. tunc æquora Panticapæi
Ardeſcíque ibi cæſo de vertice ſurgunt.
Riphæi montes ibi durâ ſæpe ſub arcto
Denſa pruinoſos eructant nubila nimbos.
Hic dites venæ niveum gignunt cryſtallum,
Atque hìc indomito tellus adamante rigeſcit
Inter Riphæos & proceros Agathyrſos.
Hæ gentes Iſtrum, quà ſe plaga dura Bootis
Porrigit, incumbunt. Medii de parte diei
Per dumoſorum reptantes dorſa jugorum
Gerrhæ habitant. Gerrhas attingunt oppida latè
Norica. & immodicæ rurſum loca pinguis glebæ
Pannonia exercet. Boream ſubit altior agro
Mœſus, & extento poſt tergum ceſpite Thracas
Plurimus excedit. Tunc ipſi maxima Thraces
Vomere ſollicitant curvo loca. Denique longo
Quà porrecta jacet ſpatio piſcoſa Propontis,
Et ſe præcipiti fluctu furit Helleſpontus
Ægæum dehinc procul in mare; plurima Thraces
Arva tenent. Hìc melliſluis Pallena ſub antris
Lychnitis rutilæ flammas alit: hìc & iaſpis
Fulva micat ſtellis, quantùm convexa per æthræ
Ignea perpetuis ardeſcunt ſidera flammis.
Hìc rurſum occiduis Europam fabor ab oris.
Hæc tanquam ſpeculis adſurgens plurima trinis,
Spectat Achemeniæ lucis jubar. unus Iberos
Limes habet, limes tenet alter denique Graios,
Auſoniæ medius protendit latiùs arva.
Oceani vicina ſalo quà glauca recumbit,
Oceani Heſperii tum & illìc ardua Calpe,
Hìc Hiſpanus ager, tellus ibi dives Iberum:
Tarteſſúſque ſupèr ſuſtollitur: indéque Cempſi
Gens agit in rupis veſtigia Pyrenæ
Protendens populos medios è limite glebæ
Auſonis effundit. mediam ſecat Apenninus
Auſoniam. nam quà Boreali vertice ad æthram
Concreſcunt Alpes, ſurgit caput Apennino:
Et quà Sicanii tellus madet æquoris æſtu,
Ut protelatæ molis juga gurgite condit.
Hunc circa multæ ſola ſulcant proxima gentes;
Et tamen hàs omnes ſolers tibi Muſa loquetur.
Prima vetuſtorum gens eſt ibi Tyrrhenorum:
Indè Pelaſga manus, Cyllenæ finibus olim
Quæ petit Heſperii freta gurgitis, arva retentat
Itala. tum multâ tenduntur parte Latini,
Per quos flaventeis Tybris pater explicat undas,
Romanóſque lares lapſu prælambit alumno.
Hìc Campanus ager glebam jacit. hìc freta quondam
Parthenopen blando labentem in marmora ponti
Suſcepere ſinu. Tepidum ſi rurſus in auſtrum
Convertare oculis, nemoroſi maxima cernes
Culmina Picani. Coma largi palmitis illìc
Tenditur, ac fuſo Bacchus tegit arva flagello.
Tunc Lucanorum regio inſurgentibus altè
Cautibus horreſcit, ſcrupus ſola creber iniqua
Aſperat, & denſo cæcantur ſtipite ſylvæ.
Brutius hìc dumos acer colit inter & arces
Obſidet infidas, donec Sicana fluenta
Intendant pelagus, diſplosíſque æquora terris
Inſtabile inclinent ſemper mare, quà vel eois
Hadrias unda vadis largam procul expuit algam,
Vel quà Tyrrheni præceps involvitur æſtus.
Ab Zephyro hinc rupes dorſum tumet, ſinque Bootis
Plauſtra patens albo conſurgit vertice ſaxum.
Huc ſe priſca Locri gens intulit, & ſale longo
Eminus inveĉti, quà pontum gurgite rumpit
Flumen Alex, Graiæ texerunt lintea cymbæ.
Hinc Metapontini diſcurrunt latiùs arva.
Indè Croton priſcis attollit mœnia muris:
Æſarus hìc amnis ſalsâ convertitur undâ.
Et Junone calent hìc aræ præſule ſemper.
Nec minùs exciti poſt flumina dira tonantis
Infortunatæ Sybaris vicina ruinæ eſt.
Samnitæque truces habitant confinia. poſt hos
Gens Marſûm quondam tenuit loca, tùmque Tarentum
Surgit Amyclæi ſoboles prædura tyranni.
Hinc jacet in parulos projecta Calabria campos,
Et ſuper arenti tenduntur lapyges agro.
Huc ſe præcipiti cogit ferus Hadria ponto.
Hìc Aquileia decens celſis caput inſerit aſtris.
Tergeſtúmque dehinc curvi ſalis incubat oram,
Extimus Ionii quà ſe finus æquoris abdit.
Tot populi Auſoniam circumdant mœnibus altis,
Italiam cingunt tot diti ceſpite gentes.
In vuia r° eorum rurſum ſe caper via flectunt
Æquora, & Aſſyrium ſuſpectant eminus axem
Ionii freta glauca ſali, primóſque Liburnos
Præſtringunt; pelago gens Hylli plurima rurſum
Accolit: hìc tenui tellus diſcluditur æſtu.
Illyris ora dehinc diſtenditur: hìſque periclis
Sæpe carinarum famoſa Ceraunia ſurgunt.
Tunc prorepentis quà ſunt vada turgida Nerei,
Harmoniæ & Cadmi ſuſtentat gleba ſepulchrum
Barbara. nam longo jactati ſæpius orbe
Poſtquam liquerunt Iſmeni fluminis undam,
Hìc in cæruleos mutati membra draconis
Abſolvere diem, finémque dedere labori.
Nec minus hic aliud monſtri genus arbiter æthræ
Edidit. adſiſtunt ſcopuli duo, cúmque quid æri
Imminet eventus, ut vulgi corda fatiget
Sors rerum, & gentem terat inclementia fati,
Et motantur humo, & coëunt ſibi vertice ſaxa.
Sed quà mitis item ſpirat Notus, Oriciúmque
Pulſant flabra ſolum, Graiæ confinia terræ
Incipiunt aperire latus, prolixáque longis
Jugera producunt ſpatiis, præcincta duobus
Æquoris infuſi procurſibus. hanc freta quippe
Ægæi lambunt pelagi, citus Hadria rurſum
Subluit hanc fluctu. gemino ſic gurgite latæ
Graia manet tellus. ſortitáque marmora ventos
Quæque ſuos, imo turgeſcunt mota profundo.
Eurus in Ægæum contorquet flabra: latentis
Parte poli Zephyris Hadryatica terga tumeſcunt.
Inſula ſe rurſum Pelopis viſentibus offert,
Inſula quæ platani folio compar ſedet Iſthmi.
Quippe caput ſummum conducitur, artáque vergit
In Boream tellus, & Graios adjacet agros.
Cætera ſub folii ſpecie diſtenditur arva,
Ac per utrumque latus ſinuoſo ſæpe recedit
Ceſpite, ſed tepido quà tellus tenditur auſtro,
Graiorum Tripolis ſterili ſe porrigit orâ.
Hinc ſacer Alpheus flumen trahit, & vagus æquor
Influit Eurotas. Piſanos alter adſulcat,
Alter Amycælas celeri ſecat agmine terras.
Inſula quà curvas inclinat concava valles,
Arcades immenſum propter degunt Erymanthum.
Hìc diſtentus aquas ſata lambit pinguia Ladon.
Juxtà Argivus ager, juxtà ſunt culta Laconum.
Illos prima dies celer, iſtos aſpicit auſter.
Iſthmi terga dehinc geminus circum latrat æſtus;
Parte Ephyres piceas quà nox agit atra tenebras,
Et matutinus quà lucem proferit ortus.

Hìc

Hîc uſu Graio nomen tenet unda Saronis.
Atticus hanc ultra limes jacet, Attica tellus
Belligeratorum genitrix memoranda virorum.
Fertilis hæc herbas Iliſſum ſubvehit amnem.
Iliſſi Boreas ſtagno tulit Orithyiam.
Bœotúmque dehinc ſeſe confinia jungunt,
Et Locris, & patuli ſulcator Theſſalus agri,
Et Macetum præpingue ſolum tumet arduus Hæmus,
Threïciúmque caput ſubducitur. adjacet Hæmum
Partibus ab Zephyri Dodonæ vatis alumnus.
Axe Noti tritas ſubter rupes Aracynthi
Gens Ætola colit. campis ibi pulcher apertis
Labitur, & virides ſulcans terras Achelous
Intuit Hadriaci tergum maris. hîcque frequentes
Fluctibus attolluntur Echinades. Haud procul indè
Priſca Cephallenæ conſurgunt oppida terræ.
Delphica quinetiam miſcet confinia Phocis
Lucis in exortum protentior, ſinque Booten
Thermopylæ cedunt. Hîc ſe Parnaſia rupes
Erigit: hic celeri Cephiſſus volvitur undâ:
Hîc quondam Python tranſfactus arundine membra,
Sanguinis & caſſus prolixa volumina ſolvit.
Illîc ſæpe deum conſpeximus adridentem,
Inter thuricremas hîc Phœbum vidimus aras.
Nunc ut quæque vagos ſurrexerit inſula ponto,
Ordine quo ſteterint pelago circumflua ſaxa,
Expediam. Cymbæ ducatur curſus ad undam
Gurgitis occidui. precor aſpirate Camenæ,
Inter & oppoſitas intendite linea terras.
Gadir prima fretum ſolidâ ſuper eminet arce,
Attolliſtque caput geminis inſerta columnis.
Hæc Cotinuſſa priùs fuerat ſub nomine priſco,
Tarteſſúmque dehinc Tyrii dixere coloni.
Barbara quinetiam Gades hanc lingua frequentat,
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique ſeptum
Aggere præducto. Tyrii per inhoſpita latè
Æquora provecti tenuere ut ceſpitis oram,
Conſtituere domus: dant hi quoque maxima templa
Amphitryoniadæ, numénque verentur alumnum.
Inſula ſe proptèr Gymneſia tollit ab alto,
Ac dilecta vago pecori conſurgit Ebuſus,
Sardiniæque arces, & inhorrens Corſica ſylvis,
Æolidéſque dehinc tumidis ſe fluctibus edunt
Inſulæ, & inſerto caneſcunt undique ponto.
Has dudum tenuit rex Æolus. Æolus illîc
Hoſpita jactatis indulſit littora nautis.
Æolus imperio ſummi Jovis arbiter alto
Impoſitus pelago eſt, effundere carcere ventos,
Et ſedare ſalum ſeptem ſeſe æquoris æſtu
Emergunt arces ſeſe æquoris æſtu * * *
Hic habuit tunc. Auſoniam ſe pandit in oram
Tellus Trinacria, & patulo diſſenditur agro.
Hæc autem trinis laterum procurſibus adſtat,
Terníque cæruleis longè juga porrigit undis.
In matutinos Pachynos producitur ortus:
Pars tepet à Zephyro Lilybeia: celſa Peloris
Tota ſereniferæ pulſatur flatibus urſæ.
Hîc iter infidum pelagi, miſerandáque fata
Involvere ſalo, fluctúque hauſere voraci
Sæpe rateis. ſurgent anguſtæ marmora fauces
Arctam præcipitant properum confinia pontum.
Quâ ſe parte dehinc celſæ Notus erigit æthræ,
Vis latè Libyci furit æquoris. una ibi Syrtis,
Aſt aliam ulteriùs freta prolabentia tendunt:
Parváque cæruleo circumſonat æquore mixam.
Rurſus in Hadriacam lembum cogentibus undam,
Et lævum curvâ pelagus ſulcantibus alno,
Inſula ſe Graii Diomedis gurgite promit,
Italiam ſpectans & Iapygis arva coloni.
Huc illum motæ quondam tulit ira Dionæ,
Poſtquam per celeres extorrem traxit Iberos:
Conjugis huc diræ miſit fruor Ægialiæ.
Ionii ſi quis rate rurſum cærula currat
Æquora, & eoos cymbam producat in ortus,
Abſyrti cautes & crebras protinus arces
Inveniet. Colchus hunc quondam cura fidéſque
Extulit inſanam ſectantes & inent * *
Nec procul Ionii per terga Libyrnides adſtant.
Inque Notum poſt dura Ceraunia carbaſa ſi quis
Torquent, & tepidos lembum declinet in axes,
Ambraciotarum ſuccedunt protinus arces.
Alcinoſque domus pandetur Corcyra rurſum,
Corcyra compta ſolum, locupleti Corcyra ſulco.
Hanc ſuper eſt tellus Ithaci vetus aula tyranni,
Exulis & toto raptati ſæpe profundo.
Plurima præterea conſurgunt gurgite ſaxa,
Quæ protentus aquas Achelous pulcher oberrat.
Amniſúſque dehinc alias circumfluit undas,
Quæ tamen in Boream vergunt magis. Ægyla parva,
Et procera caput turgeſcunt pulchra Cythera.
Eminet hîc etiam ſaxoſa Calauria juxtâ.
Carpathus hîc rupes attollitur: hæc tamen axem
Reſpicit occiduum. nutrix hîc Creta tonantis,
Multa latus, glebáque ferax, & opima virentum,
Erigitur pelago. Cretam ſuper adſtitit Ida,
Ida procelloſis agitans Aquilonibus ornos.
Nec procul Ægyptum Rhodus adjacet, adjacet ora
Suniados. quâ ſe prætendit ceſpes Abantum,
Fertilis Æginæ tellus, & opima Salamis.
Lucis ab exortu Pamphylia quâ cavat æſtum
Prolabentis aquæ, Cyprus altâ cingitur undâ
Atque Dionæi pulſatur littoris actâ.
Indè Chelidoniæ treis ſeſe gurgite tollunt,
Quâ frons tenta ſalo Patereïdis eminet arcis.
Læta dehinc Aradus Phœnicum præjacet oram,
Multus ubi exeſæ ſinus eſt telluris ab alto,
Ac latus omne ſoli procul in diſpendia cedit
Littoris, & curvo prælambitur ora fluento.
Mirus & ille dehinc Ægæi gurges habetur,
Qui geminâ de parte ſali velut ordine juſto
Saxa mari profert circumflua, tenuia ſeſe
Quâ freta præcipitant Athamantidis inclyta leto.
Seſtus ubi atque Abydus parvo ſale diſcernuntur,
Et vicina ſibi lambit confinia pontus.
Pars procul Europæ lævum latus, altera porrò
Ditem Aſiam ſpectat: cunctæ tamen ordine facto
Inſulæ in Arctoï procedunt plauſtra Bootis.
Europam incumbit prolixus limes Abantum.
Scyrus ibi latè dorſum tumet. ac Peparethum
Protollit pelagus. juxtà Vulcania Lemnus
Erigitur, Cereríque Thaſus dilecta profundo
Proferit albenti ſe vertice. Prominet Imbrus,
Threſſáque conſurgit propter Samus. indéque rurſum
Cyclades accedunt Aſiam, Delúmque coronant.
Omnes fatidico curant ſolennia Phœbo.
Nam cùm vere novo tellus ſe dura relaxat,
Culminibúſque cavis blandùm ſtrepit ales hirundo,
Gens devota choros agitat, cratitúque ſacrato
Ludunt feſta die viſit ſacra numen alumnum.
Hinc Sporades crebro producunt ceſpite ſeſe,
Denſa ſerena toceus ſplendentia ſydera cœlo.
Nec minùs attolluntur Ionides inſulæ ab alto.
Hîc juxtà Caunus, Samus hîc, Saturnia juxtà,
Túmque Chius patulæ proſpectans arva Pelinæ.
Lesbus item, & Tenedus per aperti marmora ponti
Expediunt arces, & culmina nubibus indunt.
Hinc ſe piſcoſi pandit ſinus Helleſponti.
Hîc ſalis arctoi ſpumas vehit impiger æſtus,
Hîc protenta quatit latè freta glauca Propontis.
Si quis læva dehinc Euxini marmora ſulcat,
Ora Boryſthenii quâ fluminis in mare vergunt,
E regione procul ſpectabit culmina Leuces:
Leuce cana jugum, Leuce ſedes animarum.
Nam poſt fata virûm ſemper verſarier illîc
Inſontes aiunt animas, ubi concava vaſto
Cedit in antra ſinu rupes, ubi ſaxa dehiſcunt
Mollibus exeſis & curvo fornice pendent.
Hæc ſunt dona piis: ſic illos Jupiter imis
Exemit tenebris. Erebi ſic inſcia virtus.
Rurſum Cimmerius quâ Boſporus ora pateſcit,
Dexterior ponto ſubit inſula, vaſtáque latè
Excedit moles pelagus, ſedet eminus ingens
Phænagore, & muros attollitur Hermonaſſa.
Hæ maris infuſi conſurgunt inſulæ ab alto.
Exterior quas unda dehinc, circumfluus & quas
Æſtuet Oceanus, quibus illæ flatibus omnes
Culmine pulſentur, memori date carmina Muſæ.
Propter Atlantæi tergum ſalis Æthiopum gens
Heſperides habitat: dorſum tumet hîc Erytheia,
Hîcque Sacre, ſic terga vocat gens ardua montis.
Nam protenta jugum tellus trahit. hoc caput ampla
Proditur Europæ. Genitrix hæc ora metalli,
Albentis ſtanni venas vomit. acer Iberus
Hæc freta veloci percurrit ſæpe faſelo.
Eminus hîc aliæ gelidi prope ſtabra Aquilonis
Exuperant undas, & vaſta cacumina tollunt.
Hæ numero geminæ, pingueis ſola, ceſpitis amplæ,
Conditur occidui quâ Rheni gurgitis unda,

Dira

Dira Britannorum ſuſtentant agmina terris.
Hinc ſpumoſus item ponti liquor explicat æſtum,
Et brevis è pelago vertex ſubit. hìc chorus ingens
Fœminei cœtûs pulchri colit Orgia Bacchi:
Producit noctem ludus ſacer: æra pulſant
Vocibus, & crebris latè ſola calcibus urgent.
Non ſic Abſynthi prope flumina Thraces & almæ
Biſtonides, non quà celeri ruit agmine Ganges,
Indorum populi ſtata curant feſta Lyæo.
Longa dehinc celeri ſi quis rate marmora currat,
Inque Lycaonias cymbam procul urgeat arctos,
Inveniet vaſto ſurgentem vertice Thylen.
Hìc cùm plauſtra poli tangit Phœbeius ignis,
Nocte ſub inluſtri rota ſolis fomite flagrat
Continuo, clarúmque diem nox æmula ducit.
Nam ſol obliqui torquetur cardine mundi,
Directóſque ſuper radios vicinior axi
Occiduo inclinat, donec juga rurſus anhela
Devexo accipiat cœlo Notus. Indè fluenta
Tenduntur Scythici longè maris in facis ortum
* Eoa & ut coëaneis ſe repit ab undis
Inſula, quæ priſci ſignatur nominis uſu
Aurea, quòd ſulvo ſol hìc magìs orbe rubeſcat.
* Contemplator item ceu ſe mare in Auſtrum
Inque Notum Oceanus freta ponti cærula curvet:
Altáque Colindis mox hìc tibi dorſa pateſcent
Rupis, & intenti ſpectabis ceſpitis arces.
Pro quibus ingenti conſiſtens mole per undas
Inſula Taprobane gignit tetros Elephantos,
Et ſuper æſtiferi torretur ſydere cancri.
Hæc immenſa patet vaſtiſque extenditur oris
Undique per pelagus latus aut protinus olli
Agmina cetoſi pecoris vaga monſtra profundi
Adludunt. fervent Erythræi marmora ponti
Tota feris. hæc ut rigidi juga maxima montis
Nubibus attollunt latus omne, & terga tumeſcunt:
Inſtar in his rupis ſpinæ tenor arduus adſtat.
Molibus in celſis rupis quoque creber inhorret
An æquis rapidi ſubtectus gurgitis unda
Nec in terga ſalis lembum contorqueat unquam
Anne monſtrigenis hoſtem licet inferat æſtus
Fluctibus. immodicè latè patet oris hiatus
Quippe feris, antro panduntur guttura vaſto:
Protinus hæc ipſas abſorbent fauce carinas,
Involvúntque ſimul mox monſtra vorantia nantes.
Ogyris indè ſalo promit caput, aſpera rupes
Carmanidis quà ſe pelagi procul invehit undas.
Regis Erythræi tellus hæc nota ſepulchro
Tenditur, & nudis juga tantum cautibus horrent.
Perſicus hinc æſtus fauces hiat. Inſula rurſum,
Si tamen in Boream flectantur carbaſa cymbæ,
Icarus aërio conſurgit vertice in auras,
Icarus ignicomo Soli ſacra. namque Sabæi
Thuris ibi ſemper vaga fumum nubila volvunt.
Inſulæ in Oceani procurſibus hæ tibi tantùm
Carmine rundigenæ. Multas vehit undique pontus
Præterea parvas ſpecie famàque carentes.
Pars videt Europam: non has tamen aut modus oræ,
Aut interna cavi commendat vena metalli.
Harum aliæ diris reſerant vix littora nautis,
Et ſcaber in multis ſcrupus riget: undique iniquus
Subrigitur vertex, & inhoſpita ceſpitis ora eſt.
Harum quis valeat numeroſa ut nomina fari?
Pars Aſiam, Libyam pars adjacet altera ponto.
Si velit has ullus, velit idem ſcire quot alto
Curventur fluctus pelago, quot ſydera cœli
Elucent flammas, quot robora proferat Ida,
Quantus arenarum numerus verſatur ab Eurò.
Carmine nunc Aſiam formet ſtylus. Incute doctam
Phœbe chelyn, totis Helicon aſpiret ab antris.
Maxima pars orbis narrabitur, inclyta tellus
Prometur Muſis. Terrarum ſumma duarum
Unius eſt limes, quà ceſpite protegit ambas.
Vaſtius eſt Aſiæ diti caput, indéque ſenſim
In matutinos oram conducitur axes.
Hìc adſtare procul Bacchi fert fama columnas,
Ultimus Oceani quà terras adluit æſtus,
Indica quà rupes tumet extima, quà vaga Ganges
Ceſpite dorſa trahens Nyſſæum in Platamona
Porrigitur. Similis nequaquam eſt forma duabus,
Nec modus eſt compar. ſecat unus denique pontus
Europam & Libyam: multus circunſonat iſtam
Oceanus, trinóque ſinu vagus influit æſtus
Unam Aſiæ molem. ſinus iſtam Perſicus inſtat,
Maximus hanc Arabum ſcindit ſinus, & ſinus æquor
Inſerit Hyrcanus: duo nigri partibus auſtri
Curvantur, rigidam ſuſpectat tertius arctos.
Hic & in Euxini prorepit marmoris undam,
Et zephyrum tergo ſpectat procul. Adjacet ambos
Tellus multa dehinc, & longis tenditur arvis.
Aſt Aſiam incumbit vaſto mons aggere Taurus,
Interſtátque jugo mediam, Pamphylia campo
Quà jacet, incipiens ad verticis ardua ducit
Indorum pelagus: nunc autem ſubrigit idem
Obliquas arces, & flexilis æra pulſat:
Nunc directa ſolo tentus veſtigia figit.
Mille dehinc amnes unus vomit, exerit unus
Flumina per terras vel quà riget ora Bootis,
Vel quà lene Notus ſpirat, quà perſtrepit Eurus,
Et quà delecto Zephyrus ſuſtollitur axe.
Nec tamen hic uno ſignatur nomine ubique,
Sed dum flectit iter, novus emicat, utque tumenti
Gens vicina ſubeſt, peregrina vocabula mutat.
Accipe qui populi circundent denique Taurum.
Mæotæ primi ſalſam cinxere paludem.
Obverſatur item trux Sarmata, bellica quondam
Gentis Amazonidum ſoboles: nam cum priùs illæ
Egiſti vaſti prope flumina Thermodontis
Threïcio de Marte ſatæ, junxere profectæ
Concubitus. longas exercet Sarmata ſylvas:
Ex quibus elapſus Tanaïs procul arva pererrat
Barbara, & in ſalſam protendit terga paludem.
Hic Aſiâ Europam diſterminat. arduus iſtum
Caucaſus eructat. Scythicos hic fuſus in agros
Inpacatorum nutrit pubem populorum.
Hujus utrumque latus quatit amplis bruma procellis,
Conſtrictúmque tenent hunc frigora. Proxima rurſus
Cimmerii Sindíque colunt: Cercitia gens eſt
Atque Oretarum proptèr genus: indéque Achæi
Ab Xanthi ripis atque Idæo Simoente
Inter chauri crepaſſent ſcrupoſas convallis *
Tranſvexere larem. juxtà gens aſpera degit
* Iniochi perſque hinc, qui regna Pelaſgûm
Linquentes quondam tenuerunt proxima ponti.
Impiger hos propter Colchus colit. Iſte feraci
Exul ab Ægypto celſæ ferit aſpera rupis.
Caucaſus Hyrcanæ nimiùm conterminus undæ
* Hujus valle pro Faſis gemit iſtius antro
Agmina provolvit, Circæáque lapſus in arva
Incidit Euxinum borealis cardine cœli.
Rurſus in eoæ lucis confinia tellus
Inclinata jacet gemino vicina profundo.
Caſpinam latè terram ſuperabluit unda.
Euxinſque ſubeſt tergum ſalis. aſper Hiberus
Hic agit: hic olim Tyrrhenide pulſus ab orâ
Ceſpitis eoi tenuit ſola; ceu vaga ſæpe
Fors rapit exactos. Prima tenet æquora campi
Gens Canaritarum, qui poſt certamina Bacchum,
Indica Baſſaridum cùm duceret agmina victor,
Accepere catis, menſáſque dedere Lyæo,
Orgia ludentes & nebride pectora cincti
Deduxere choros Nyſæiludicra ritûs.
Hos ſuper in fluctus adſurgit Caſpia Tethys.
Hæc dicenda mihi. nec diri gurgitis unquam
Luſtravi pinu freta barbara, nec vagus orbem
Undique raptavi. ſic vaſti flumina Gangis,
Caucaſeas arces, & dumicolas Arienos
Incentore canam Phœbo, Muſiſque magiſtris
Omnia veridico decurrens carmine pandam.
Caſpia per teretes Tethys diſtenditur oras,
Et ſinuant curvis hanc totam littora terris:
Tantùm ſed fuſo Pontus jacet iſte profundo,
Ut ter Luna priùs reparet facis incrementa,
Quàm quis cæruleum celeri rate tranſeat æquor.
Gurgitis Oceanus pater eſt: namque iſte nivalis
Axe Helices inſert rapidi freta concita ponti,
Et ſinus indè tibi pelagus trahit, hic vada propter
Caſpia verſatur Scytha belliger: hicque feroces
Degunt Albani. trux illìc arva Caduſus
Dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Apyríque.
Ceſpite vicino Mardus fluit, & procul ipſos
Accedit Bactros, attingens denique atroces
Agmine Dercebios, medius diſterminat ambos,
Hyrcanſque ſalis tumido convolvitur æſtu.
Sed Bactrena ſalo vaſto procul arva recedunt;
Parnaſſíque jugi tegitur gens rupibus illa.
Dercebios aliud cohibet latus, & vada tangit
Caſpia, tum clari pharetris agiliſque ſagittâ

Maſſa-

Maſſagetæ glauci ſuccedunt flumen Araxis,
Durum ab ſtirpe genus, placidæ mens neſcia vitæ,
Ignorant flavæ Cereris commercia, Bacchi
Semper inexpertes animam traxere ferinam.
His cibus & potus ſimul eſt: nam ſanguinem equinum
Et lac concretum per barbara guttura ſorbent.
Nec procul ad Boream diri poſuere Choraſmi
Hoſpitia, & juxtà protendit Sugdias agros,
Sugdias ingenti quam flumine diſſicit Oxus.
Hic procul Emodi latè ruit aggere montis,
Et per prolixos evectus protinus agros
Caſpia propellit fluctu freta. quà petit hujus
Fluminis oſdibiripas habitant Jaxartæ.
Tendere non horum quiſquam certaverit arcus.
Ambitus hoc etenim multus trahit, & grave curvis
Pondus ineſt taxis, longo ſunt ſpicula ferro,
Et rigor in nervis velut obvius. indè cruenti
Sunt Tochari, Fruſque truces, & inhoſpita Seres
Arva habitant, gregibus permixti oviúmque boúmque
Vellera per ſylvas Seres nemoralia carpunt.
Ultima Epetrimos tellus habet: & procul iſta
Caſſa virûm eſt, nullis pecorum balatibus agri
Perſultant, herbæ viduus jacet undiquè ceſpes,
Fronde carens, nuſquam terras interſecat amnis.
Caſpia tot latè circumdant æquora gentes.
Nunc rurſum ab Colchis & glaucis Phaſidis undis
Occiduum ad ſolem populos memorate Camenæ,
Uſque in Threïcii fauces maris. Aſpera primùm
Byzerum eſt gens: diri ſunt indè Bechiri,
Macrones, Phyliríque, & pernix Durateûm gens.
Indè Tibareni, Chalybes ſupèr, arva ubi ferri
Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.
Poſt hos Aſſyriæ tenduntur jugera terræ,
Armenióque jugo latè ſurgens Thermodon
Gentis Amazonidum lambit fata. nec minùs illîc
Erigit excelſa in faſtigia priſca Sinope.
Hanc urbem quondam magni Jovis ardor Aſopis
Virgo locans ſævæ propter confinia terræ
Aulam habuit, plebémque ſuo de nomine dixit.
Nec procul hinc purus latice provolvitur Iris,
Et citus Armeniæ rurſum convallibus artis,
Quà vaſtum in pelagus vergit faxoſa Carambis,
Surgit Halys. Tum Paphlagonum fatæ longa pateſcunt,
Et Maryandinum gens incolit, unde triformis
Ora canis ſuperas quondam produxit in oras
Alcides erebo. propiùs Bithynia glebam
Exerit, hìc latè Rhebas extenditur amnis,
Rhebas cyanei qui diſſicit æquora ponti,
Rhebas argento ſimilem qui porrigit undam.
Hi pontum cingunt populi. Nunc illa canetur
Ora Aſiæ, glaucus pelagi quam ſubluit æſtus
Axe Noti in fauces rapidi procul Helleſponti,
Et freta quà ſpumant Ægyptia partibus Auſtri
Uſque Arabes & longa Syræ confinia terræ.
Dictus. n. quantus rigidas Scythæ degat ad arctos.
Chalcedon tumulus fluctu circundatus alto,
Eminus Europen proceráque mœnia Byzæ
Aſpicit, ab tergo tendit Bebrycia glebam,
Celſáque nubiferæ ſuſtollit culmina rupis
Myſus ager. Myſos tacitum diffuſus in æquor
Tergáque flaveſcens ſulcat Cius. hujus ad undam
Pulcher Hylas Nymphis quondam fuit anxia cura.
Hinc in cæruleum cedit ſinus Helleſpontum,
Explicat & Phrygiam tellus incurvat in orbem.
Major Sangario latè præſtringitur amni:
Hæc procul eoos procedit plurima in axes
Fertilis herbarum. quà cœlum rurſus in umbras
Inclinat vertex, panduntur terga minori,
Quæ jacet immenſæ latè ſub ropibus Idæ,
Infortunatam pertingens ceſpite Trojam.
Æolis indè patet vaſtum ſuper Helleſpontum.
Ægæi per terga ſali prolixus Ionum
Rurſus ager glebam protenditur. hunc ſecat ingens
Mæander, ſalſíque ruens vada gurgitis intrat.
Commmus hìc gelidi quà ſpirant flabra Aquilonis,
Urbs quà Epheſus tetræ ſuſtollit fana Dianæ,
Munus Amazonidum memorabile. nec minùs indè
Lydia procedens longum latus explicat Euro:
In quâ vitiferæ Tmolus juga proferit arcis,
Et Pactolus aquas agit auriger, æva canoris
Perſultans cygnis, curvas ſed & undique ripas
Creber ales. lætis aſſurgunt gramina campis,
Herbáque luxuriâ ſola ſemper pinguis veſtit.
Sed locupleto magìs Mæandria gleba recumbit
Ubere: nam blandi terram rigat unda Cayſtri.
Mœonis hìc etiam deducit turba choreas.
Aurea ſubnectunt hæ vincula, ritus Iaccho
Luditur, atque ſacris feriunt ululatibus æthram:
Virgineúſque chorus latè ſtrepit, exilit omnis
Cœtus, & inſtabilis vaga pendent corpora damæ.
Caurorum quoque flabra deo famulantia ludunt
Ritibus in vulgi; ſubeunt hæc ſerica ſæpe
Pallia, & impulſi zephyris agitantur amictus.
Hæc linquenda tamen læto reor omnia Lydo.
Quà ſe Xanthus agit, Lyciorum tenditur ora
Inclinata mari. ſurgunt ibi culmina Tauri
Pamphyliæ in fines. hìc idem Cragus habetur
Nomine ſub gentis. propè celſam ſurgit in arcem
*Priſcas idæ fomes calidis adoletur in aris
Sæpe Dionææ Veneri. ſtat Corycus alta,
Stat Perge propèr, ſtant ardua tecta Phaſelis
Eminus, & Phœbi radiis tremit æmulus ardor.
Indè Lycaoniæ tractus jacet. impiger agros
Incola decurrit, ſitit atrum dira cruorem
Gens hominum, & ſævo paſcuntur pectora bello.
Tum Piſida ferox exercet pinguia culta.
Termeſſúſque dehinc urbs eminet, arcem
Inclyta per nubes attollens mœnia Lyrbe,
Et Lacedæmoniæ ſurgunt faſtigia Selges.
Plurimus hinc terras intrat ſinus, undique longè
Vicina Euxino rupti ſola ceſpitis urget.
Hic diros cœli caſtrames tenet, ſnque diei
Tenditur exortum. ſulcant duo flumina terram:
Pyramus hìc undas, hìc volvit Pinarus æquor.
Cydnus item mediæ diſcernit mœnia Tarſi.
Pegaſus hôc olim ſuſpendit ceſpite ſeſe,
Impreſſæque ſolo liquit veſtigia calcis:
Eſſet ut inſignis revoluta in ſæcula ſemper
Nomen humo. Clari poſt ultima Bellerophontis
Hìc ceſpes latè producit Aleïus arva;
Horreſcítque comis nemorum, per inhoſpita cujus
Æquora ſecreto vitam protraxerat agro.
Lyrneſſúſque dehinc, hìc Malus & Anchialia,
Inluſtréſque Soli poſt carmina vatis alumni.
Commagenorum propèr diffunditur ora:
Et procul Heſperium curvatur limes in axem,
Donec piniferas Caſii prorepat ad arces.
Hinc ſolers Aſiam facili cape carmine totam.
Forma ſit hujus enim talis tibi. quatuor illa
In latera effuſa cordi dato. longior autem
Sit modus his rutili quæ ſpectant ſideris ortum.
Túmque tene primo quod carmine Muſa loquuta,
Totam Aſiam celſi præcingi vertice Tauri
Extima in Indorum. montis tamen accipe molem
Per latus id duci quo dat Cynoſura pruinas,
Solis ab occaſu vaſtum decurrere Nilum:
Indicum ab eois mare fervere, rurſus ab auſtro
Fluctibus immodicis rubri ſalis æquora volvi.
Ora Syrum curvi procumbens littoris acta
In Notum & eoi confinia tenditur Euri.
Hæc Cœle eſt Graio ſub nomine. namque duobus
Ut concluſa jugis vallis vice multa cavatur.
Ab Zephyro Caſius mons imminet: axe diei
Conſurgentis item Libanus premit arduus arva.
Pars procul à pelago terras colit, ſnque receſſu,
Gens agitat. ſalſo quidquid pulſatur ab æſtu,
Phœnicum regio eſt. hi rubro à gurgite quondam
Mutavere domus, primſque per æquora vecti
Luſtravere ſalum, primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia, ſydera primi
Servavere poli. populis Phœnicibus ergo
Urbs Iope, ſterilíſque dehinc habitatur Elais,
Gazáque proceris adſurgens undique muris.
Hìc Tyrus eſt opulens, & Berytus optima, Byblos;
Sidoniſque lares; ubi labens agmine amœno
Ceſpitis inrigui Boſtrenus jugera findit.
Nec minùs hìc Tripolis pingui ſola porrigit agro;
Ortoſíſque dehinc attollitur. hìc Marathus ſtat.
Littoris extremo caput altis turribus effert
Laodice, & glauci prælambitur æquoris undâ.
Hìc nemoroſa virent Daphnæ loca, celſa cupreſſus
Erigitur, ramis innectit laurus odora,
Crine Dionæo myrtus diffunditur, altæ
Conſurgunt pinus, & cœlum ſibila pulſant
Robora, mollicomis tellus inſternitur herbis.
Urbs medlis Apamena dehinc conſiſtit in arvis,
Et quà Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emeſus faſtigia celſa renidet.

Nam

Nam diffuſa ſolo latus explicat, ac ſubit auras
Turribus in cœlum nitentibus. incola claris
Cor ſtudiis acuit *amplius imbuit ordo.
Denique flamicomo devoti pectora ſoli
Vitam agitant. Libanus frondoſa cacumina turget,
Et tamen his celſi certant faſtigia templi.
Hìc ſe indit juxta tellurem glaucus Orontes,
Nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem,
Præſtringſtque undis Apamenæ jugera glebæ.
Fertilis hìc ceſpes protenditur, arváque amica
Sunt pecori, infeſtus facilis Pomona reſurgit,
Et fœcunda Ceres campo flaveſcit aperto.
Si rurſus tepidum via deflectatur in auſtrum,
Curva ſinûs Arabi ſuccedent æquora proptér.
Namque Arabas Syriæque ſolum ſinus itte fluentæ
Dividit, & tentis procul interfunditur undis:
Et tamen eoos paulùm inclinatur in axes
Uſque in belligeri confiniâ flexus Hanali.
Hinc tellus Arabum producit ceſpite campos,
Et latera ab gemino ſale tingitur: abluit æſtus
Perſicus hanc, Arabúmque ſinus rigat æquore terras.
Hìc ſua flabra polo ſpirant: nam Perſicus Euro
Turgeſcit vento, Zephyro ſinus æſtuat alter.
Pars alia in primos quà ſemet porrigit ortus,
Et Notus inſurgit cùm nubifer æquore rubri
Tangitur Oceani, fœlici terra recumbit
Tota ſolo. tellus hìc ſemper flagrat odoro
Ceſpite: prorumpit lacrymoſo ſtipite myrrha,
Myrrha furor quondam Memyreius. hìc ladani vim
Vellera defundunt, calami coma pullulat almi,
Gignit humus caſiam, concreſcunt thura per agros,
Longáque fœcundis pingueſcit odoribus ora.
Vera fides illìc ſemori ſub imagine partûs
Diſtrupiſſe Jovem penetralia; proderet ortus
Ut ſacer ætheriâ fulgentem fronte Lyæum.
Naſcenti Baccho riſit pater, undique fulſit
Cœlicolûm ſedes, convexáque pura tetendit
Feſta dies: tellus effudit dives odores,
Villoſum ſubitis tumuit pecus incrementis.
Ver habuere ſuum nova framina, flore frequenti
Pinxit terra linus, ac nymphis unda cucurrit
Largior: internis etiam procul undique ab oris
Ales amica deo largum congeſſit amomum.
Extemplo Liber ſubnectit nebride pectus,
Effuſáſque comas hederâ ligat, indè virenteis
Attollit thyrſos, & blandi luminis igne
Os hilarat, totâque celer diffunditur æthrâ.
Sed propter Libanum terram ſulcant Nabatæi,
Chaulaſiſque dehinc, Agreni rurſus, & indè
Lybdanus eſt tellus Cainæ vicina fluento.
Perſidis accedunt rutili contermina ponti
Minæi, Sabatæque tenent ſuperi. impiger ampla
Æquora deſulcat glebæ ditis Cletabenus.
Plurima præterea gens circumplectitur illìc
Oram Arabum, mutâ ſed degunt agmina famâ,
Et numerus cunctis inglorius. Indè Favonî
Quà plaga fœcundos alit almos fluctibus agros.
Barbara montivagos tellus extendit Erembas.
Hi vitam duris agitant in cautibus omnes,
Intectíque artus crepunt ardua ſemper
Culmina ſaxorum. non ollis pabula in uſum
Terra parit: glebas abrodunt more ferarum
Jejunas herbæ, nec amicas frugibus ullis.
Hinc ultra Libani rurſum faſtigia celſi
Lux Hyperionio quà ſe ſuſtollit ab ortu,
Alterius Syriæ limes jacet uſque Sinopen
Gurgitis attiguam. Mediis hìc impigra in arvis
Cappadocum gens eſt propter freta turgida. rurſus
Aſſyrii juxta ſunt oſtia Thermodoontis,
Et feſtina citis evolvitur unda fluentis.
Nec procul attollit quà ſe facis ardor eoæ,
Plurimus Euphratæ manat liquor. iſte feroci
Fuſus ab Armeniâ vaſtum caput exerit antro,
Inque Notum primæ protenditur agmine molis,
Et matutinos iterum converſus in axes
Dividit inſerto mediam Babylona fluento.
Indè Teredoniæ juga præter maxima rupis
Perſidis in pontum ſparſo cadit effluus amnis.
Hunc ſuper in ſeptem quantum via carpitur ortus
Ceſpitis extenti ſpatiis citus æquora Tigris
Prona rotans, & ſaxa jugis avulſa ſupremis,
Et totas latè celeri trahit agmine ſylvas.
Quin & vaſta palus medio diſtenditur agro:
Maximus hanc fluctu Tigris intrat: aperti
Terga lacûs ſtupet unda ſilens, tacitæque recumbunt
Æquora Thoſippes: ſolidarum denique more
Riparum ſtagni facies inſcia * quieſcit,
Invectúmque ſibi cohibens altrinſecus amnes
Stat diſcluſa palus. ſic Elidis incola pontum
Diſſicit Alpheus: pelago ſic inſerit undas
Illæſum optatæ flumen ducens Arethuſæ.
Ergo per & ſtagnum vehitur celer amnis apertum:
Hoc elapſus item vim proni gurgitis urget.
Non alium tantus rapit impetus; haud ita quiſquam
Spumeſcit fluctus, neque tentos ulla fragores
Unda ciet medio quæ tellus fünditur agro.
* Hos Interamnis nomen tenet. aut ſuus illam
Flumine præcinctam gemino per aperta locavit.
Non qui lanatum longo pecus educat agro,
Aut qui cornigeri dućtor gregis arva pererrat,
Gramina qui paſtor ſimis petit apta capellis,
Quíque cavo ſolers committit ſemina ſulco,
Quem Pomona juvat, quem ramis æſculus altis
Inlicit, & pingui dependens ſubere glando,
Brachia Nyſæi qui palmitis ordine juſto
Digerit, aut tectis ſi quis dolat impiger ornos,
Vel ſalis in fluctus qui cymbam navita rexit,
Si * terit hos ſaltus. nihil indiga ſubtrahit ora:
Dives humo tellus, dives jacet arbore ceſpes.
Iſtius in Boream quicquid protenditur agri,
Armenii & vitâ duri fulcant Matieni.
Quà ſunt flabra Noti, Babylon ſubducitur arce
Procera in nubes. hanc priſca Semiramis urbem
Vallavit muris, quos non abſumere flammæ,
Non aries penetrare queat. ſtat maxima Beli
Aula quoque argento, domus lado dente miteſcit,
Aurum tecta operit, ſola latè contegit aurum:
Ipſa dehinc tellus quæ circumplectitur urbem,
Et procerarum fluctu vernat palmarum,
Et ſplendente procul beryllo ferta renidet.
Hic tamen internis Ophietidis arcis in arvis
Inter gemmiferas excreſcit creber arenas.
Hinc Babylona ſuper geminæ pro finibus urſæ
Coſſi Marragatæque & Chalonita vagantur.
At rurſum Armeniæ ſi quis pede pergat ab arce
Rupis, & eoas greſſum producat in oras,
Medica prolixos ſpectabis regna per agros.
Horum qui gelidi ſuccedunt plauſtra Bootis,
Pinguia rura tenent. ſunt illìc Atropateni,
Sunt Gerri, & Mardæ. Tepidum qui rurſus ad auſtrum
Oram habitant, Scythicæ deducunt ſemina gentis.
Nam Medea ferox fuit ollis ſanguinis autor.
Hæc cùm Pandionis lectum componeret aulæ,
Attica quà pulchro tellus pingueſcit Iliſſo,
Proditur, ſnque fugam properè convertitur exul.
Has pòſt in terras pinu ſubivit Etine,
Inſedítque locos: veteres accedere Colchos
Nulla inerat menti fiducia: denique ab illâ
Medorum ſuboli magicæ furor artis inhæret.
Pars gentis rutilos Phœbi quæ ſpectat in ortus,
Saxa habitat: ſaxis excudit Narciſſiten.
Qui propter dumos nemoroſáque rura vagantur,
In pecus intenti, crebro grege paſcua tondent.
Medica ſe tantos effundit gleba per agros,
Caſpia ut extento contingat ceſpite clauſtra.
Hæc Aſiæ dixere fores, hiet ore quòd illo
Porta quaſi & longas * viam diſcedat in oras.
Quippe nivoſa poli quà cardine vertitur arctos,
Panditur Hyrcanis hinc janua: janua Perſis
Hìc patet, imbriferum quà vergit mundus in auſtrum.
Ecce ſub immenſo portarum vertice Parthi
Rura tenent. curvi nequicquam vomeris uſus,
Sollicitanda cibi non ollis cura, labórque
Æquora terrarum gravibus componere raſtris.
Exercent ſævi ſe ſemper Martis in arma.
Sica comes lateri eſt, manus aut haſtilia vibrat,
Demittunt pharetras humeris, & letifer arcus
Semper ineſt lævæ, neque per compendia diras
Producunt animas, non puppibus æquora ſulcant:
Non proni gregibus pecoris fera vita juvatur:
Sed quatit alipedum ſola ſemper curſus equorum:
Pulſáque terra gemit: diſcurrunt crebra per auras
Spicula, miſſilibus latè ſubtexitur æër.
Quin impactus amor * eſt ſi dicere Perſas
Conſimilis, ſolérſque trahit te cura per orbem,
Has quoque Muſa tibi formabit cardine terras.
Quæ liquidis amnis via debeat, utque jugorum
Conſurgat vertex, quibus oris arva recumbant

Barbara

Barbara Samoſum qui Perſam robur & uſus.
Quippe Alianarum primi degunt regionum.
Vita opulens genti, gazas quoque terra miniſtrat,
Omnibus & largum populis producitur ævum.
Dives in his mos eſt jam longi tempora ſæcli,
Ex quo Mæoniam bello trivere cruento.
Illudunt auro veſtes, & cuncta teguntur
Auro membra viris, auro veſtigia condunt.
Tantus Perſarum diſſolvit pectora luxus.
Ipſa autem tellus incluſa eſt montibus altis,
Undique in auſtralem latus inclinatior axem,
Ac Boream longè, longè quoque Caſpia clauſtra
Deſerit, atque Noti placidâ perfunditur aurâ.
Illius at ſpatiis finem dat Perſicus æſtus,
Incolitúrque ſolum populis tribus. una ſub arcto
Pars agit armigeris nimiùm contermina Medis:
Altera per mediæ telluris terga vagatur:
Fortè ad flabra Noti pelagus prope tertia degit.
Plurima præterea percurrunt flumina terram
Perſidis, & rigidas curvant labentia ripas.
Arva ſecat Cyrus, perrumpit rura Choaſpes
Indica provolvens procul æquora. cujus ad undam
Incola flaventem ſtudio ſectatur Achatem.
Nam cùm brumali ceciderunt ſydere nimbi,
Imbribus & cœlo fuſis furit auctior amnis,
Hos lapides latè flumen trahit: undique tellus
Circumvecta dehinc læti viret ubere campi.
Sed quà cæruleam ſinus infert Perſicus undam,
Gens Carmanorum latè colit. hanc facis ortus
Urit Phœbeæ. tanto quoque funditur agro,
Ut ſimul & glauci contingat gurgitis æſtum,
Et procul internæ perreptet jugera terræ.
Hos ſuper eſt tellus: tendit Gedroſia glebam
Oceani vicina fretis. & flumen ad Indum
Auroræque latus Scytha miti proximus Auſtro
Adcolit. auſtralis certè Scytha dicitur iſte.
Namque alii durâ pulſantur deſuper Arcto.
Indus Caucaſiæ prærumpens rupis ab antro
Adverſum pelago rubri procul æquoris amnem
Porrigit, ſnque Notum recto fluit agmine aquarum.
Ora dehinc Indo duo ſunt, mediúmque per agrum
Inſula ſe vaſto fundit tergo Patalene.
Innumeras idem diſpeſcit flumine gentes,
Oritas, Arabáſque, & veloces Arachotas,
Et Sagam infidum, vel qui per inhoſpita latè
Diſcreti populi, diſcreti finibus agri
Arva agitant, uno ſed nomine ſunt Arieni.
Hi quanquam ſteriles decurrant ſemper arenas,
Munera nec carpant Cerealia, nec nova prælo
Muſta premant, fulvo tamen invenere corallo
Pandere vivendi commercia, quærere pulchræ
Sapphiri latebras, & præduros adamantas.
Calliope Indorum populos & regna canamus.
Ultima terrarum tellus aſpergitur Indi
Fluctibus Oceani: primam coquit hanc radiis ſol,
Sol Hyperionius, ſol magni gratia mundi,
Aſtrorum genitor, lucis fator, & vigor æthræ.
Sed genti Indorum teter color: efflua ſemper
His coma liventes imitatur crine hyacinthos.
Pars ſubit abrupti ſola ceſpitis, aurea ut illis
Terrarum in latebris excludant caute metalla:
Pars telas ſtatuunt, & veſtimenta laborant
Lintea: pars Indi procurat ſegmina dentis,
Atque ebur invigilat: multi quà flumina nimbis
Auget hyems, vaſtum ut latè trahit agmen aquarum
Albens, & celſas evincant æquora ripas,
Pallantes obeunt beryllum prona fluenta.
Nec procul internis à finibus aut adamanta
Detulerint: his glauca dehinc tornatur iaſpis.
Nec minùs & baccas alii prope marmora curvis
Excudunt conchis: pars rurſum divite curâ
Herboſi lapidis venas fodit: hſque rubore
Suffuſas blando quærunt campis amethyſtos.
Horum dives enim tellus eſt Indica ſemper,
Et tali ſcrupo ceſpes tumet: amnibus autem
Fertilis inriguis crebrò prælambitur ora:
Extendunt celſi vaga latè brachia luci,
Et vernat nemorum ſemper coma. Nunc tibi formam
Terrarum expediam, nunc carmine flumina labor,
Nunc rigidos montes, nunc multæ denique gentis
Abſolvam populos. Latera agris undique in Indis
Quatuor eſſe tene: coeant tot & anguli ab omni
Parte ſibi obliquo claudentes extima terræ.
Ceu ſpecies rhombo eſt. Zephyri de partibus Indus
Gurgitis occurſu fit certæ terminus oræ:
Axe Noti rubri latè ſalis objacet unda:
Flumen item Ganges fit limes ceſpiti eoo:
Atque Lycaoniâ conſurgit Caucaſus arcto.
Æquore quà fuſo laticem producitur Indus,
Dardanidum gens eſt: ubi magnus ſorbet Hydaſpes
Delapſum ſummâ ſaxorum mole Aceſinen.
Tertius amnis item ſecat agri proxima Cophes.
In medióque Sabæ ſunt ceſpite: gens quoque Scodri
Propter agit: populique dehinc velut ordine facto
Hylleum longas exercent vomere terras.
Gargaridæ rurſum, gens hæc obnoxia Baccho,
Et glebam ſulcant, & ritibus orgia ludunt.
Hic Hypanis, latéque trahens vaga terga Cymander,
* Magnus utrunque modi dimittitur, Hermodoontis
Rupe procul fulvum provolvunt fluctibus aurum:
Nec minùs hi campos intrant Gangitidis oræ;
Quæ per flabra Noti fuſo diſtenditur agro
Uſque in celſa jacens confinia Colidis arcis.
Colis ipſa dehinc ceteſi vergit in æquor
Oceani, tantóque jugo ſubit ætheris auras,
Arceat alitum ſubductâ ut rupe volatum.
Sed circùm Gangem regio eſt devota Lyæo,
Perpetuſque ſacri talis narratur origo.
Indorum in populos fatalia Liber agebat
Prælia, vipereo latè Bellona flagello
Increpat, & magno tremuerunt regna pavore
Inſiſtente deo. venit ergo ad flumina Gangis,
Diſcurſúque ſacro præludit prælia Liber:
Mænades extemplo maculoſæ nebridis uſum
Permutant clypeis, viridſque haſtilia thyrſo
Succedunt, ſolvunt properantes lintea Bacchæ
Vincula, viroſo pectus vinxere dracone,
Pro molli vittâ prorepunt crine chelydri,
Excitóque ferus perſultat in agmine Mavors.
Dux aquilas in bella rapit, tremit Indica tellus
Preſſa pede, & toto tenuerunt claſſica cælo.
Ergo & Nyſæos diſcit gens rite receſſus,
Et ſtata ſollicito deducunt orgia ritu.
Ipſe dehinc diros ut Liber perculit Indos,
Emodi victor conſcendit verticis arces,
Effuſámque ſalo gentem procul aſpicit omnem,
Iama juga extantis veſtigia gurgite canent.
Oceani eoi prætento denique Bacchus
Littore, & extremâ terrarum victor in orâ
Ducit laurigeros poſt Indica bella triumphos,
Erigit & geminas telluris fine columnas,
Inviſtque dehinc Iſmeni fluminis undam.
Has tantùm gentes commendat fama per orbem:
Vile aliæ vulgus pecorum vice terga pererrant
Ceſpitis abjecti. non his aut gloria forti
Parta manu eſt, aut clara decus peperere metalla
Terrarum venis: habitant ignota locorum
Semper inexpertes famæ, per inhoſpita degunt
Arva procul, nullis ſunt dignæ denique Muſis.
At tu, Phœbe pater, vos clari turba, Camenæ,
Nominis, Aonio famam inſpirate labori.

Digitized by Google

INCIPIT

AVIENI ORÆ MARITIMÆ

LIBER PRIMUS.

QUÆSISSE temet ſæpe cogitans Probe
Animo atque ſenſu Tauruci ponti ſinus
Capi ut valeret his probabili fide
Quos diſtenerent ſpatia terrarum extima;
Subii libenter id laboris, ut tibi
Deſideratum carmine hôc clareſceret.
Fas non putavi quippe prolixâ die
Non ſubjacere ſenſui formam tuo
Regionis ejus quam vetuſtis paginis
Et quam per omnem ſpiritûs noſtri diem
Secretiore lectione acceperam.
Alii invidere namque quod diſpendio
Tibi haud ſit ullo, agreſtis & duri reor.
His addo & illud, * liberum temet locum
Mihi eſſet amor ſanguinſque vinculo.
Neque ſat ſit iſtud, ni ſciam te litteras
Hiantibúſque ſaucibus veſtarum abdita
Hauſiſſe ſemper, eſſe patuli pectoris
Senſu capacem, talium jugem ſitim
Tuo eſſe cordi, & eſſe te præ cæteris
Memorem intimati: cur inefficaciter
Secreta rerum in non tenacem effunderem?
In non ſequacem quis profunda ogganniat?
Multa ergo, multa compulere me Probe,
Efflagitatam rem tibi ut perſolverem.
Quin & * parent credidi officium fore
Deſideratum ſi tibi locupletius
Profutiúſque Muſa promeret mea.
Dare expetitum quippe non parci viri eſt;
Augere porrò muneris ſummam novi
Mentis benignæ ſátque liberalis eſt.
Interrogâſti, ſi tenes, Mæotici
Situs quis eſſet æquoris. Salluſtium
Nôram id dediſſe, dicta & ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam. ad ejus igitur inclytam
Deſcriptionem quâ locorum formulam
Imaginémque expreſſor efficax ſtyli
Et veritatis penè in obtutus dedit
Lepore linguæ, multa rerum junximus
Ex plurimorum ſumpta commentariis.
Hecatæus iſtic quippe erit Mileſius,
Hellanicúſque Lesbius, Phileus quoque
Athenienſis, Caryandæus Scylax,
Pauſimachus ille priſca quem genuit Samos,
Quin & Damaſtus nobili natus Sige,
Rhodóque Bacoris ortus, Eudemon quoque
Popularis urbis Atticæ, Siculus Cleon,
Herodotus ipſe Thyrius, tum qui decus
Magnum loquendi eſt Atticus Thucydides.
Hîc porrò habebis, pars mei cordis Probe,
Quidquid per æquor inſularum attollitur:
Per æquor illud ſcilicet, quod poſt cava
Hiantis orbis à freto Tarteſio
Atlanticíſque fluctibus procul ſitam
Inuſque glebam protulit noſtrum mare,
Sinúſque curvos atque prominentia,
Ut ſe ſupino porrigat littus ſitu,
Ut longè in undas inſerant ſeſe juga,
Celſæque ut urbes alluantur æquore:
Quis ortus amnes maximos effuderit,
Ut prona ponti gurgitem intrent flumina,
Ut ipſa rurſum ſæpe cingant inſulas,
Sinuéntque latè ut tuta portus brachia,
Ut explicentur ſtagna, ceu jaceant lacus,
Scrupoſum ut alti verticem montes levent,
Scringátque nemora ut unda cani gurgitis.
Laboris autem terminus noſtri hic erit,
Scythicum ut profundum, & æquor Euxini ſali,
Et ſi quæ in illo marmore inſulæ tument,
Ediſſerantur. reliqua porrò ſcripta ſunt
Nobis in illo pleniùs volumine
Quod de orbis oris partibúſque fecimus.
Ut aperta verò tibimet intimatio
Sudoris hujus & laboris ſit mei,
Narrationem opuſculi paulo altiùs
Exordiemur. tu ex intimum jecur
Prolata conde. namque fulcit hæc fides
Petita longè, & eruta ex auctoribus.
Terræ patentis orbis effuſæ jacent,
Orbíque rurſus unda circumfunditur.
Sed quà profundum ſemet inſinuat ſalum
Oceano abuſque, ut gurges hic noſtri maris
Longè explicetur, eſt Atlanticus ſinus.
Hîc Gadir urbs eſt dicta Tarteſſus priùs:
Hîc ſunt columnæ pertinacis Herculis,
Abila atque Calpe. læva dicti ceſpitis,
Libyæ propinquæ ſtalia duro perſtrepunt
Septentrione, ſed loco certæ tenent,
Et prominentis hîc jugi ſurgit caput,
(Oeſtrymnin iſtud dixit ævum antiquius)
Moléſque celſa ſaxei faſtigii
Tota in tepentem maximè vergit Notum.
Sub hujus autem prominentis vertice
Sinus dehiſcit incolis Oeſtrymnicus,
In quo inſulæ ſeſe exerunt Oeſtrymnides
Laxè jacentes, & metallo divites
Stanni atque plumbi. multa vis hîc gentis eſt,
Superbus animus, efficax ſolertia,
Negociandi cura jugis omnibus.
Noluſque cumbis turbidum latè fretum
Et beluoſi gurgitem Oceani ſecant.
Non hi carinas quippe pinu texere
Facere morem non abiete, ut uſus eſt,
Curvant faſello: ſed rei ad miraculum
Navigia junctis ſemper aptant pellibus,
Corióque vaſtum ſæpe percurrunt ſalum.
Aſt hinc duobus in Sacram, ſic inſulam
Dixere priſci, ſolibus curſus rati eſt.
Hæc inter undas multum ceſpitem jacit,
Eámque latè gens Hibernorum colit.
Propinqua rurſus inſula Albionum patet.
Tarteſſíſque in terminos Oeſtrumnidum
Negociandi mos erat, Carthaginis
Etiam colonis, & vulgus inter Herculis
Agitans columnas, hæc adibant æquora:
Quæ Himilco Pœnus mentibus vix quatuor,
Ut ipſe ſemet rem probâſſe retulit,
Enavigantem poſſe tranſmitti adierit.
Sic nulla latè flabra propellunt ratem,
Sic ſegnis humor æquoris pigri ſtupet.
Adjicit & illud, plurimum inter gurgites
Extare fucum, & ſæpe virgulti vice
Retinere puppim. dicit hîc nihilominus
Non in profundum terga dimitti maris,
Parvóque aquarum vix ſuperterei ſolum,
Obire ſemper huc & huc ponti feras,
Navigia lenta & languidè repentia
Inter natare beluas. Si quis dehinc
Ab inſulis Oeſtrymnicis lembum audeat
Urgere in undas axe quâ Lycaonis
Rigeſcit æthra, ceſpitem Ligurum ſubit
Caſſum incolarum. namque Celtarum manu
Crebríſque dudum præliis vacuata ſunt.
Liguréſque pulſi, ut ſæpe fors aliquos agit,
Venere in illa quæ per horrenteis tenent
Plerunque dumos: creber his ſcrupus locis,
Rigidæque rupes atque montium minæ
Cœlo inferuntur. & fugax gens hæc quidem

Dia

Diu inter arta cautium duxit diem,
Secreta ab undis: nam sali metuens erat
Priscum ob periculum: pòst quies & otium,
Securitate roborante audaciam,
Persuasit altis devehi cubilibus,
Atque in marinos jam locos descendere.
Post illa rursum quæ supèr fati sumus,
Magnus patescit æquoris fusi sinus
Ophiusam adusque rursum ab hujus littore
Internum ad æquor, quà mare insinuare se
Dixi antè terris, quódque Sardum nuncupant,
Septem dierum tenditur reditu viæ.
Ophiussa porrò tanta panditur latus,
Quantam jacere Pelopis audis insulam.
Graiorum in agro hæc dicta primò Oestrymnis,
Locos & arva Oestrymnicis habitantibus.
Post multa, serpens effugavit incolas,
Vacuámque glebam nominis fecit sui.
Procedit indè in gurgitis Veneris jugum,
Circumlatrátque pontus insulas duas
Tenue ob locorum inhospitas. Aryium
Rursum tumescit prominens in asperum
Septentrionem. cursus aut hinc classibus
Usque in columnas efficacis Herculis
Quinque est dierum. pòst Pelagia est insula
Herbarum abundans atque Saturno sacra:
Sed vis in illâ tanta naturalis est,
Ut si quis hanc in navigando accesserit,
Mox excitetur propter insulam mare,
Quatiatur ipsa, & omne subsiliat solum
Altè intremiscens, cætero adstanti vicem
Pelago tilente. prominens surgit dehinc
Ophiussa è moras, ábque Arvi jugo
In hæc locorum bidui cursus patet.
At qui dehiscit indè prolixè sinus,
Non totus uni facilè navigabilis
Vento recedit. nunquam medium aceris
Zephyro vehente, reliqua deposcunt Notum.
Et rursus indè si petat quisquam pede
Tartessiorum litus, exuperet viam
Vix luce quartâ: si quis ad nostrum mare
Malacæque portum semitam tetenderit,
In quinque soles est iter. Tum Cepresicum
Jugum intumescit: subjacet porrò insula
Achale vocata ab incolis. agresti fides
Narrationis præ rei miraculo;
Sed quam frequens auctoritas sat fulciat.
Aiunt in hujus insulæ confiniis
Nunquam esse formam gurgiti reliquo parem:
Splendorem ubique quippe inesse fluctibus
Vitri ad nitorem, & per profundum marmoris
Cœaneam in undis esse certum imaginem est.
Confodiat illìc æquor immunda luto
Memorant vetusti semper atque sordibus
Ut feculentos gurgites hæresceres.
Cempsi atque Sæses arduos colleis habent.
Ophiussæ in agro propter hos pernix lucis
Draganúmque proles sub nivoso maximè
Septentrione conlocaverant larem.
Pœtanion autem est insula * ad se fumum latet
Patulúsque portus indè Cempsis adjacent
Populi Cynetum Cyneticum jugum.
Quà syderalis lucis inclinatio est,
Altè tumescens ditis Europæ extimum
In belluosi vergit Oceani salum.
Ana amnis illìc per Cynetas effluit,
Sulcátque glebam. panditur rursus sinus,
Canúsque cespes in meridiem patet.
Memorato aliam in gemina sese flumina
Scindunt repentè, per quæ prædicti sinus
Crassum liquorem, quippe pinguescit luto
Omne hic profundum, lenta trudunt agmina.
Hìc insularum semet altè subrigit
Vertex duarum: nominis minor indiga est,
Aliam vocavit mos tenax Agonida.
Inhorret indè rupibus cautes sacra,
Saturni & ipsa, fervet inlisum mare,
Littúsque latus saxeum distenditur.
Hirtæ hìc capellæ & multus incolis caper
Dumosa semper intererrant cespitum.
Caltrorum in usum & nauticis velamina
Productiores & graves setas aiunt.
Hinc dictum ad amnem solis unius via est,
Genti & Cynetum hic terminus. Tartesius
Ager his adhæret, adlustque cespitem
Tartesus amnis. indè tenditur jugum
Zephyro sacratum: denique arcis summitas
Zephyris vocata, celsa sed fastigia
Jugo eriguntur, vertici multus timor,
Conscendit auras & super sydera quasi
Caligo semper nubilum condit caput.
Regio omnis indè maximè herboso solo est,
Nebulosa juge his incolis conveza sunt,
Coactus aër atque crassior dies,
Noctisque more ros frequens: nulla, ut solet,
Flabra inferuntur, nullus æthram discutit
Supernè venti spiritus, pigra incubat
Caligo terras, & solum latè madet.
Zephyridos arcem si quis excedat rate,
Et inferatur gurgiti nostri maris,
Flabris vehetur protinus Favonii.
Jugum indè rursus & sacrum inferna dea
Divésque fanum penetral abstrusi cavi
Aditúmque cæcum. multa propter est palus
Etrephæa dicta: quin & Herbi civitas
Stetisse fertur his locis prisca die,
Quæ præliorum absumpta tempestatibus
Famam atque nomen sola liquit cespiti.
An hyberus indè manat amnis, & locos
Fœcundat unda. plurimi ex ipso ferunt
Dictos Hyberos, non ab illo flumine
Quod inquietos Wasconas præterlabitur.
Nam quicquid amni gentis hujus adjacet
Occiduum ad axem, Hiberiam cognominant.
Pars porrò eoa continet Tartesios
Et Cilbicenos. Cartare pòst insula est,
Eámque pridem influxe, fatis est fides,
Tenuere Cempsi, proximorum postea
Pulsi duello, varia quæsitum loca
Se protulere. Cassius indè mons tumet:
Et Graia ab ipso lingua Cassiterum priùs
Stannum vocavit. indè fani est prominens,
Et quæ vetustum Græciæ nomen tenet,
Gerontis arx est eminus. namque ex eâ
Geryona quondam nuncupatum accepimus.
Hìc ora latè sunt finûs Tartesii.
Dictóque ab amni in hæc locorum, puppibus
Via est diei. Gadir hìc est oppidum.
Nam Punicorum lingua conseptum locum
Gadir vocabat. ipsa Tartessus priùs
Cognominata est. multa & opulens civitas
Ævo vetusto, nunc egena, nunc brevis,
Nunc destituta, nunc ruinarum ager est.
Nos hoc locorum præter Herculaneam
Solemnitatem, vidimus miri nihil.
At vis in illis tanta vel tantum decus
Ætate prisca sub fide rerum fuit,
Rex ut superbus omniúmque præpotens
Quos gens habebat fortè tum Maurusia,
Octaviano principi acceptissimus,
Et literarum semper in studio Juba,
Interfluóque separatus æquore,
Inlustriorem semet urbis istius
Duumviratu crederet. sed insulam
Tartessus amnis ex Ligustico lacu
Per aperta fusus undique ablapsu ligat.
Neque iste tractu simplici provolvitur,
Unúsve sulcat subjacentem cespitem.
Tria ora quippe parte eoi luminis
Infert in agros, ore bis gemino quoque
Meridiana civitatis adluit.
At mons paludem incumbit Argentarius,
Sic à vetustis dictus ex specie sui.
Stanno iste namque latera plurimo nitet,
Magísque in auras eminus lucem evomit,
Cùm sol ab igni celsa perculerit juga:
Idem amnis aut fluctibus stanni gravis
Ramenta volvit, invehítque mœnibus
Dives metallum. quà dehinc ab æquore
Salsi fluenti vasta per medium soli
Regio redit, gens Ermaneum accolit.
Atque indè rursus usque Cemporum fata
Ileates agro se feraci porrigunt.
Maritima verò Cibiceni possident.
Gerontis arcem & prominens fani, ut suprà
Sumus elocuti, distinet medium salum,
Intérque celsa cautium cedit sinus.
Jugum ad secundum flumen amplum evolvit.

Tartesiorum mons dehinc attollitur
Sylvis opacus. hinc Erythia est insula
Diffusa glebam & juris olim Punici.
Habuere primò quippe eam Carthaginis
Priscæ coloni, interfluóque scinditur
Ad continentem quinque per stadia modo.
Erythiâ ab arce, quà diei occasus,
Veneri marinæ consecrata est insula,
Templúmque in illâ Veneris, & penetral cavum,
Oraculúmque monte ab illo, quem tibi
Horrere sylvis dixeram, in Veneris*
Litus recline & molle harenarum jacet.
In quas Bætilus atque Cilbus flumina
Vergent fluentum. pòst in occiduum diem
Sacrum superbas erigit cautes jugum.
Locum hunc vocavit Herma quondam Græcia,
Est herma porrò cespitum munitio.
Interfluúmque altrinsecus munit locus,
Alisque rursus Herculis dicunt viam.
Stravisse quippe maria fertur Hercules,
Iter ut pateret facile captivo gregi.
Porrò illud Herma jure sub Libyci soli
Fuisse pridem, plurimi auctores ferunt.
Nec respuendus testis est Dionysius,
Libyæ esse finem qui docet Tarteffium.
Europæ in agro quod vocari ab incolis
Sacrum indicavi, prominens subducitur
Locus. utrosque interfluit tenue fretum,
Quod Herma porrò aut Herculis dictum est via.
Amphipolis urbis incola hoc Dæmon ait
Non plus habere longitudinis modò
Quàm porriguntur centum & octo millia,
Et distineri * * millibus tribus.
Hic Herculanæ stant columnæ, quas modum
Utriusque haberi continentis legimus.
Sunt parva porrò saxa prominentia
Abila atque Calpe. Calpe in Hispano solo,
Maurusiorum est Abila. namque Abila vocant
Gens Punicorum, mons quod altus Barbaro est,
Id est, Latino; dici ut auctor Plautus est.
Calpéque rursum in Græciâ, species cavæ
Teretésque visu nuncupatur, & jugi.
Athenienfis dicit Eudemon item
Non esse saxa, aut vertices adsurgere
Parte ex utràque. cespitem Libyci soli
Europæ & oram memorat insulas duas
Iter acervi: nuncupari has Herculis
Ait columnas; stadia triginta refert
Has distinere, horrere sylvis undique,
Inhospitásque semper esse nauticis.
Inesse quippe dicit ollis Herculis
Et templa & aras: invehi advenas rates,
Deo litare, abire festino pede:
Nefas putatum demorari in insulis.
Circùm atque juxtà plurimo
Manere tradit tenue prolixè mare.
Navigia onusta adire non valent locos
Breve ob fluentum & pingue littori lutum.
Sed si voluntas fortè quem subegerit
Adire fanum, propter ad Lunæ insulam
Agere carinam, eximere classi pondera,
Levisque cymbâ vix superferri salo.
Sed ad columnas quidquid interfunditur
Undæ æstuantis, stadia septem vix ait
Damastus esse. Caryandæus Scylax
Medium fluentum inter columnas adserit
Tantum patere, quantus æstus Bosphoro est.
Ultra has columnas propter Europæ latus
Vicos & urbeis incolæ Carthaginis
Tenuere quondam: mos at ollis hic erat
Ut planiore texerent fundo rates,
Quo cymba tergum fusior, brevius mare
Prælaberetur. Porrò in occiduam plagam
Ab his columnis gurgitem esse interminum,
Latè patere pelagus, extendi salum
Himilco tradit. nullus hæc adiit freta,
Nullus carinas æquor illud intulit,
Desint quòd alto flabra propellentia,
Nullúsque puppim spiritus cæli juvet.
Dehinc quòd æthram, quòd amictu vestiat
Caligo se per nebula condat gurgitem,
Et crassiorem nubilum perlet die.
Oceanus iste est, orbis effusi procul
Circum latratur iste pontus maximus.

Hic gurges oras ambiens, hic intimi
Salis irrigator, hic parens nostri maris:
Pleroíque quippe extrinsecus turbat sinus,
Nostrúmque in orbem vis profundi inlabitur.
Sed nos loquemur maximos tibi quatuor.
Prima hujus ergo in cespitem intimatio est,
Hesperius æstus, atque Atlanticum salum,
Hyrcana rursus unda, Caspium mare,
* Solo Indicorum terga fluctum Persici,
Arábsque gurges sub tepente jam Noto.
Hunc usus olim dixit Oceanum vetus,
Altérque dixit mos Atlanticum mare.
Longo explicatur gurges hujus ambitu,
Producitúrque latere prolixè vago.
Plerunque porrò tenue tenditur salum,
Ut vix arenas subjacentes occulat.
Exuperat autem gurgitem fusus frequens,
Atque impeditur æstus hic uligine,
Vis vel varium pelagus omne internatat,
Multúsque terror ex feris habitat freta.
Hæc olim Himilco Pœnus Oceano super
Spectásse semet & probásse retulit.
Hæc nos ab imis Punicorum annalibus
Prolata longo tempore, edidimus tibi.
Nunc jam recursus ad priora sit stylo.
Igitur columnæ, ut dixeram, Libystidis,
Europæ in agro adversa surgit altera.
Hic Chrysus amnis intrat altum gurgitem:
Ultrà citráque quatuor gentes colunt.
Nam sunt teroces hoc loci Libyphœnices,
Sunt Massieni, regna Selbyssina, sunt
Feracis agri & divitis Tartelii,
Qui porriguntur in Calacticum sinum.
Hos propter autem mox jugum Barbetium est,
Malachæque flumen, urbe cum cognomine,
Mœnace priore quæ vocata est sæculo.
Tartesiorum juris illic insula
Antistat urbem Noctilucæ ab incolis
Sacrata pridem; in insulâ stagnum quoque
Totúsque portus oppidum, Minace super.
Quà sese ab undis regio dicta subtrahit,
Sisurus alto mons tumet cacumine.
Adsurgit indè vasta cautes, & mare
Intrat profundum. pinus hanc quondam frequens
Ex se vocari sub sono Graio dedit.
Phanúmque aduíque Veneris ac Veneris jugum
Littus recumbit. porrò in isto littore
Stetere crebræ civitates antea,
Phœnisque multas habuit hos pridem locos.
Inhospitales nunc arenas porrigit
Deserta tellus, orba cultorum sola
Squalent jacéntque. Veneris abdito jugo
Spectatur Herma cespitis Libyci procul,
Quod antè dixi. littus hìc rursùm patet,
Vacuum incolarum nunc, & abjecti soli:
Porrò antè & urbes hìc stetere plurimæ,
Populíque multi concelebrárunt locos.
Nam natius indè portus * op pe
Se Massienum curvat alto ab æquore,
Sinúque in imo surgit altis mœnibus.
Urbs Massiena post jugum tracte eminet,
Brevisque juxtà Strongyle stat insula:
Dehinc in hujus insulæ confiniis
Immensa tergum latera diffundit palus
Theodorus illic. nec stupori sit tibi
Quòd in feroci barbaróque stat loco,
Cognomen hujus Græciæ accipis sono,
Prorepit amnis. ista Phœnices priùs
Loca incolebant. rursus hinc se littoris
Fundunt arenæ, & littus hoc tres insulæ
Cinxere latè. hic terminus quondam stetit
Tartesiorum, hic Herna civitas fuit;
Gymnetes istos gens locos insederant.
Nunc destitutus, & diu incolis carens
Sibi sonorus Alebus amnis effluit.
Post hæc per undas insula est Gymnesia,
Populo incolarum quæ vetus nomen dedit,
Adusque cani præfluentis alveum.
Pityussæ & indè proferunt sese insulæ
Balearicarum latè insularum dorsa sunt,
Et contrà Iberi in usque Pyrenæ jugum
Jus protulere propter interius mare
Latè locati. prima eorum civitas
Ilerda surgit. littus extendit dehinc

Steriles

Steriles arenas. Hemeroſcopium quoque
Habitata pridem hìc civitas, nunc jam ſolum
Vacuum incolarum languido ſtagno madet.
Attollit indè ſe Sitana civitas,
Propinquo ab amni ſic vocata Ibericis.
Neque longè ab hujus fluminis divortio
Præſtringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.
At quà recedit ab ſalo tellus procul,
Dumoſa latè terga regio porrigit:
Berybraces illìc, gens agreſtis & ferox,
Pecorum frequentes intererrabat greges.
Hi lacte ſemet atque pingui caſeo
Prædurè alentes proferebant ſpiritum
Vicem ad ferarum. pòſt Crapraſiæ jugum
Procedit altè, ac nuda littorum jacent
Ad uſque caſſæ Cherſoneſi terminos.
Palus per illa naccararum extenditur:
Hoc nomen iſti nam paludi mos dedit.
Stagníque medio parva ſurgit inſula
Ferax olivi, & hinc Minervæ ſat ſacra.
Fuere propter civitates plurimæ:
Quippe hìc Hylactes, Hyſtra, Sarna, & nobiles
Tyrichæ ſtetere: nomen oppido vetus,
Graiæ incolarum maximè memorabiles,
Per orbis oras. namque præter ceſpitis
Fecunditatem, quà pecus, quà palmitem,
Quà dona flavæ Cereris educat ſolum,
Peregrina Ibero ſubvehuntur flumine:
Juxtà ſuperbum mons Acer caput exerit,
Oleúmque flumen proxuma agrorum ſecans
Geminos jugorum vertices interfluit.
Mox quippe Sellus (nomen hoc monti eſt vetus)
Aduſque celſa nubium ſubducitur.
Adſtabat iſtum civitas Lebedontia
Priore ſæclo, nunc ager vacuus latè
Luſtra & ferarum ſuſtinet cubilia.
Poſt hæc arenæ plurimo tractu jacent,
Per quas Salauri oppidum quondam ſtetit,
In queis & olim priſca Callipolis fuit,
Callipolis ill mœnium
Proceritatem & celſa per faſtigia
Subibat auras, quæ laris vaſti ambitu
Latere ex utroque piſcium ſemper ferax,
Stagnum imprimebat. indè Tarraco oppidum
Et Barcilonum amœna ſedes ditium.
Nam pandit illìc tuta portus brachia,
Uvétque ſemper dulcibus tellus aquis.
Pòſt Indigetes aſperi ſe proferunt.
Gens iſta dura, gens ferox, venatibus
Luſtríſque inhærens. tum jugum Celebandicum
Inuſque ſalſam dorſa porrigit Thetim.
Hìc adſtitiſſe civitatem Cypſelam
Jam fama tantùm eſt: nulla nam veſtigia
Prioris urbis aſperum ſervat ſolum.
Dehiſcit illìc maximo portus ſinu,
Cavúmque latè ceſpitem inrepit ſalum.
Poſt quæ recumbit littus Indigeticum
Pyrenæ aduſque prominentis verticem.
Poſt littus illud quod jacere diximus
Tractu ſupino ſe Malodes exerit
Mons inter undas * tument ſco
Geminúſque ver *
Hos inter aut portus effusè jacet,
Nullíſque flabris æquor eſt obnoxium.
Sic omne latè, prælocatis rupibus,
Latus ambiere cautium cacumina,
Intérque ſaxa immobilis gurges latet,
Quieſcit æquor, pelagus incluſum ſtupet.
Stagnum indè Toni montium in radicibus,
Tononitæque attollitur rupis jugum,
Per quæ ſonorus volvit æquor ſpumeum
Anyſus amnis, & ſalum fluctu ſecat.
Hæc propter undas atque ſalſa ſunt freta.
At quicquid agri cedit alto à gurgite,
Cæretes omne, & Aucoceretes priùs
Habuere duri: nunc pari ſub nomine
Gens eſt Iberum. Cordus indè denique
Populus agebat inter avios locos
Ac pertinentes uſque ad interius mare;
Quà piniferæ ſtant Pyrenæ vertices
Inter ferarum luſtra duceba *
Et arva latè & gurgitem ponti premit.
In Sordiceni ceſpitis confinio
Quondam Pyrene Latera civitas ditis laris
Stetiſſe fertur: hìſque Maſſiliæ incolæ
Negociorum ſæpe verſabant vices.
Sed in Pyrenen ab columnis Herculis
Atlanticóque gurgite & confinio
Zephyris oræ, curſus eſt celeri rati
Septem dierum. poſt Pyrenæum jugum
Jacent arenæ littoris Cynetici,
Eáſque latè ſulcat amnis Roſchinus.
Hoc Sordicenæ, ut diximus, glebæ ſolum eſt.
Stagnum hìc palúſque quippe diffusè patet,
Et incolæ iſtam Fordicen cognominant:
Prætérque vaſti gurgitis crepulas aquas.
Nam propter amplum marginis laxæ ambitum,
Ventis tumeſcit ſæpe percellentibus.
Stagno hôc ab ipſo Sordus amnis effluit
Ru * effluentis hoſtiis.
* * *
Sinuatur alto, & propria per diſpendia
Ceſpes cavatur, eripit unda longior,
Moléſque multa gurgitis diſtenditur.
Treis namque in illo maximæ ſtant inſulæ,
Saxíſque duris pelagus interſonditur.
Nec longè ab iſto, ceſpitis rupti ſinus
Alter dehiſcit, inſuláſque quatuor
(At priſcus uſus dixit has omnis Piplas)
Ambit profundo. gens Eleſycum priùs,
Loca hæc tenebat, atque Naro civitas
Erat ferocis maximum regni caput.
Hìc falſum in æquor amnis Attagus ruit:
Helicéque rurſus hìc palus juſta, dehinc
Beſaram ſtetiſſe fama caſſa tradidit.
At nunc Heledus, nunc & Orobus flumina
Vacuos per agros, & ruinarum aggeres
Amœnitatis indices priſcæ meant.
Nec longè ab iſtis Thyrius alto evolvitur
* Cinorus agmen *
Num quà excitent fluctuum volumina,
Sternátque ſemper gurgitem Alcyonæ quies.
Vertex ad * hujus cautis è regione ſe
Illi eminenti porrigit, quod candidum
Dixi vocari. Blaſco propter inſula eſt,
Teretíſque formâ ceſpes editur ſalo.
In continenti & inter adſurgentium
Capita jugorum, rurſum harenoſi ſoli
Terga explicantur; ſéque fundunt littora
Orba incolarum. Setyus indè mons tumet
Procerus arcem, & piniſer Pecyl jugum
Radice fusâ inuſque Taurum pertinet.
Taurum paludem namque gentici vocant
Orani propinquam flumini, hujus alveo
Ibera tellus atque Ligyes aſperi
Interſecantur. hìc ſat anguſti laris
Tenuíſque cenſu civitas Polygium eſt,
Tum Manſa vicus, oppidúmque Nauſtalo;
Et urbs hælice gen ſale
* *
Ejúſque in æquor Claſſius amnis influit.
At Cimenice regio deſcendit procul
Salſo ab fluento, ſuſa multo ceſpite,
* Et à priſca ſylvis nominis porrò auctor.
Mons dorſa celſus: hujus imos aggeres
Stringit fluento Rhodanus, atque ſcrupeam
Molem imminentis intererrat æquore.
Ligures ad undam ſemet interni maris,
Secyenâ ab arce & rupe ſaxoſi jugi
Procul extulere. ſed quaſi expoſcit locus
Rhodani ut fluentum pleniùs tibi differam,
Styli immorantis patere tractatum Probe.
Quippe amnis ortum, gurgitis lapſum vagi,
Quas iſte genteis lambat undâ fluminis,
Quantóque manet incolis compendio,
Et oſtiorum fabimur divortia.
Nivoſum in auras erigunt alpes jugum
A ſolis ortu, & arva Gallici ſali
Interſecantur ſcrupeo faſtigio,
Et anhela ſemper flabra tempeſtatibus,
Effuſus ille & ore ſemet exigens,
Hiantis antri vi truci ſulcat ſola,
Aquarum in ortu & fonte primo naviger.
Ad rupis illud erigentis ſe latus
† Quod de ditamne gentici cognominant
Solis columnas. tanto enim faſtigio
Inuſque celſa nubium ſubducitur
Meridianus ſol, ut oppoſitu jugi

Con-

Conſpicuus haud ſit, cùm relaturus diem
Septentrionum acer ferit confinia.
Scis nam fuiſſe ejuſmodi ſententiam
Epicureorum, non occaſu premi,
Nullos ſubire gurgites, nunquam occuli,
Sed obire mundum, obliqua cœli currere,
Animare terras, alere lucis pabulo
Convexa cuncta, & in vicem regionibus
Cer * negari candidam Phœbi facem
Refi *
Meridianam cùm ſecuerit orbitam,
Cùm lumen axi Atlantico inclinaverit,
Ut in ſupremos ignem Hyperboreos agat,
Ac Hæmoniaco quà ſemet ortui ferat,
Diſcreta in æthræ flectitur curvo ambitu,
Metámque tranſit; cúmque noſtro obtutui
Jubar negârit, tetra nox cœlo ruit,
Cœcæque noſtra protinus tenebræ tegunt:
Dies at illos clara tunc inluminat
Septentrione qui ſuperpoſito rigent.
Cùm rurſus umbra noctis arctoos habet,
Genus omne noſtrum ſplendidum ducit diem.
* Meat amnis aut fonte per Tylangios,
Per Daliternos, per Clahilcorum ſata,
Temenicum & agrum, dura ſat vocabula,
Aurémque primam cuncta vulnerantia:
Sed non ſilenda tibimet, ob ſtudium tuum
Noſtrámque curam. Panditur porrò in decem
Vexis recurſu gurgitum ſtagnum grave
Plerique tradunt: inſerit ſemet dehinc
Vaſtam in paludem, quam vetus mos Græcis
Vocitavit Axcion, quæ præcipites aquas
Stagni per æquor egerit: rurſum efflens
Arctans quà teſe, fluminum ac forma, dehinc
Atlanticos in gurgites, noſtrum in mare
Et occidentem contuens evolvitur,
Patuláſque arenas quinque ſulcat oſtiis.
Arctatus illìc civitas attollitur,
Theline vocata ſub priore ſæculo
Græio incolente. Multa nos Rhodano ſuper
Narrare longo res ſubegerunt ſtylo.
At nunquam in illud animus inclinabitur,
Europam ut iſto flumine & Libyam adſeram
Diſterminari; Phileus hoc quanquam vetus
Putáſſe dicat incolas. deſpectui
Deriſuſque inſcitiæ hæc ſit barbara,
Et compete *
Curſus carinæ biduo & binoctio eſt.
Gens hinc Nearchi, Berginéque civitas,
Salyes atroces, oppidum priſcum Ramas,
Trabalæ paludes, terga celſum prominens,
Quod incolentes Cecyliſtrium vocant.
Maſſilia & ipſa eſt; cujus urbis hic ſitus:
Pro fonte littus præjacet, tenuis via
Patet inter undas, latera gurges adluit,
* Stagnum lambit urbem, & unda lambit oppidum.
Larémque fuſa civitas penè inſula eſt.
Sic æquor omne ceſpiti infudit manus,
Labos & olim conditorum diligens
Formam locorum & arva naturalia
Evicit arte; ſi quæ priſca te juvant
Hæc in novella nominum deducere.

* * * * *

Avieni Æſopicarum Fabularum Liber.

I. *Ruſtica & Lupus.*

RUSTICA defleuti parvo juraverat olim,
Ni taceat, rabido quòd foret eſca lupo.
Credulus hanc vocem lupus audiit, & manet ipſas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam laſſata puer nimiæ dat membra quieti,
Spem quoque raptori ſuſtulit indè fames.
Hunc ubi ſylvarum repetentem luſtra ſuarum
Jejunum conjux ſenſit adeſſe lupa,
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam:
Languida conſumtis ſed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude malignâ
Vix miſerum vacuâ delituiſſe fugâ:
Nam quæ præda rogo, quæ ſpes contingere poſſet,
Jurgia nutricis cùm mihi verba darent?
Hæc ſibi dicta putet, ſéque hâc ſciat arte notari,
Femineam quiſquis credidit eſſe fidem.

II. *Aquila & Teſtudo.*

PEnnatis avibus quondam teſtudo locuta eſt,
Si quis eam volucrum deſtituiſſet humi,
Protinus è rubris conchas proferret arenis,
Quis pretium nitido cortice bacca daret.
Indignans ſibimet tardo quòd ſedula greſſu
Nil ageret toto, perficerétque die.
Aſt ubi promiſſis aquilam fallacibus implet,
Experta eſt ſimilem perfida lingua fidem.
Et malè mercatis dum quærit ſidera pennis,
Occidit infelix alitis ungue fero.
Tum quoque ſublimes, cùm jam moreretur, in auras
Ingemuit, votis hæc licuiſſe ſuis,
Nam dedit exoſæ poſt hæc documenta quieti,
Non ſinè ſupremo magna labore peti.
Sic quicumque novâ ſublatus laude tumeſcit,
Dat meritò pœnas, dum meliora cupit.

III. *Cancri.*

CUrva retro cedens cùm fert veſtigia cancer,
Hiſpida ſaxoſis terga relifit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens præcedere greſſu,
Talibus alloquiis præmonuiſſe datur.
Ne tibi tranſverſo placeant hæc devia nate,
Rurſus in obliquos neu velis ire pedes:
Sed niſu contenta ferens veſtigia recto,
Innocuos prono tramite fiſte gradus.
Cui gnatus, faciam, ſi me præceſſeris, inquit,
Rectáque monſtrantem certior ipſe ſequar.
Nam ſtultum nimis eſt, cùm in praviſſima tendas,
Alterius cenſor ut vitioſa notes.

IV. *Boreas & Phœbus.*

IMmitis Boreas, placidúſque ad ſidera Phœbus
Jurgia cum magno conſeruere Jove;
Quis prior inceptum peragat: mediúmque per orbem
Carpebat ſolitum fortè viator iter.
Convenit hanc potiùs liti præfigere cauſam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulſus ventis circumtonat æther,
Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida ſummotos quà trahit aura ſinus.
Sed tenues radios paullatim creſcere Phœbus
Juſſerat, ut nimio ſurgeret igne jubar,
Donec laſſa volens requieſcere membra viator
Depoſitâ felſus veſte ſederet humi.
Tunc victor docuit præſentia numina Titan
Nullum præmiſſis vincere poſſe minis.

V. *Aſinus pelle leonis indutus.*

METiri ſe quemque decet, propriſſque juvari
Laudibus, alterius nec bona ferre ſibi.
Ne detracta gravem faciant miracula riſum,
Cœperit in ſolitis cùm remanere malis.
Exuvias aſinus Gætuli fortè leonis
Repperit, & ſpoliis induit ora novis,
Aptavítque ſuis incongrua tegmina membris,
Et miſerum tanto preſſit honore caput.
Aſt ubi terribilis animo circumſtetit horror,
Pigráque præſumptus venit in oſſa vigor:

Militibus

Mitibus ille feris communia pabula calcans,
Turbabat pavidos per ſua rura boves.
Ruſticus hunc magnâ poſtquam deprendit ab aure:
Correptum vinclis, verberibúſque domat,
Et ſimul abſtracto denudans corpora tergo
Increpat his miſerum vocibus ille pecus.
Forſitan ignotos mutato murmure fallis:
At mihi, cui quondam, ſemper aſellus eris.

VI. *Rana & Vulpes.*

EDita gurgitibus, oliſmque immerſa profundo,
Et luteis tantùm ſemper amica vadis,
Ad ſuperos colles, herbosáque prata recurrens
Mulcebat miſeras turgida rana feras,
Callida quod poſſet gravibus ſuccurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare ſuo.
Nec ſe Paonio jactat ceſſiſſe magiſtro,
Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc vulpes pecudum ridens altuta quietem,
Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida cæruleus cui notat ora color?
Ne ſibimet quiſquam de rebus inaniter ullis,
Quas nequit, imponat, iſta fabella monet.

VII. *Canis & Ruſticus.*

HAnd facile eſt pravis innatum mentibus, ut ſe
Muneribus dignas ſupplicióve putent.
Fortè canis quidam nullis latratibus horrens,
Nec patulis primùm rictibus ora trahens,
Mollia ſed pavidæ ſummittens verbera caudæ,
Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas ſimulata lateret,
Juſſerat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus & nexis crepitantia ſubligat æra,
Quæ facili motu ſigna cavenda darent.
Hæc tamen ille ſibi credebat munera ferri,
Et ſimilem turbam deſpiciebat ovans.
Tunc inſultantem ſenior de plebe ſuperbum
Alloquitur, tali ſingula voce monens.
Infelix, quæ tanta rapit dementa ſenſum,
Munera pro meritis ſi cupis iſta dari?
Non hoc virtutis decus oſtentatur in ære:
Nequitiæ teſtem ſed geris indè ſonum.

VIII. *Camelus & Jupiter.*

COntentum propriis ſapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius noſtra fabella monet,
Indignata cito ne ſtet fortuna recurſu,
Atque eadem minuat, quæ dedit antè, rota.
Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnum precibus ſollicitâſſe Jovem.
Turpe nimis cunctis, irridendúmque videri
Inſignes geminis cornibus ire boves;
Se ſolum nullâ munitum parte camelum,
Objectum cunctis, expoſitúmque feris.
Jupiter arridens poſtquam ſperata negavit,
Inſuper & magnæ ſuſtulit auris onus,
Vive minor merito, cui ſors non ſufficit, inquit,
Et tua perpetuum livide damna gemе.

IX. *Viatores & Urſa.*

MOntibus ignotis, curviſque in vallibus arctum
Cum ſocio quidam ſuſcipiebat iter,
Securus quodcumque malum fortuna tuliſſet
Robore collato poſſet uterque pati.
Dúmque per inceptum vario ſermone feruntur,
In mediam præceps convenit urſa viam.
Horum alter facili comprendens robora curſu
In viridi trepidum fronde pependit onus:
Ille trahens nullo jacuit veſtigia greſſu,
Exanimem fingens, ſponte relíſus humi.
Continuò prædam cupiens fera ſæva cucurrit,
Et miſerum curvis unguibus antè levat:
Verùm ubi concreto riguerunt membra timore,
(Nam ſolitus mentis liquerat oſſa calor)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver
Deſerit, & luſtris conditur urſa ſuis.
Sed cùm ſecuri paullatim in verba rediſſent;
Liberior juſto qui fuit antè fugax,
Dic ſodes, quidnam trepido tibi rettulit urſa?
Nam ſecreta diu multáque verba dedit.
Magna quidem monuit: tamen hæc quoque maxima juſſit,
Quæ miſero ſemper ſunt facienda mihi:
Ne facilè alterius repetas conſortia, dixit,
Rurſus ab infandâ ne capiare ferâ.

X. *Equus calvus.*

CAlvus equus capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas,
Ad campum nitidis venit conſpectus in armis,
Et facilem frenis flectere cœpit equum.
Hujus ab adverſo Boreæ ſpiramina perflant,
Ridiculum populo conſpiciente caput.
Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſitâ quæ fuit antè comâ.
Ille fugax, tantis quòd riſus milibus eſſet,
Diſtulit admotâ calliditate jocum.
Quid mirum, referens poſitos fugiſſe capillos,
Quem priùs æquævæ deſeruere comæ?
Ridiculo cuiquam cùm fis, abſolvere temet
Oppoſitâ veri cum ratione ſtude.

XI. *Ollæ æreæ & luteæ.*

ERipiens geminas ripis cedentibus ollas
Inſanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diverſa duas ars & natura creavit.
Ære prior fuſa eſt: altera ficta luto.
Diſpar erat fragili, & ſolidæ concordia motûs,
Incertúmque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen eliſam confringeret ærea teſtam,
Jurabat ſolitam longiùs ire viam.
Illa timens ne quid levibus graviora nocerent,
Et quia nulla brevi cum meliore fides,
Quamvis ſecuram verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo decutiendus erit.
Nam, me ſive tibi, ſeu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus ſubdita ſola malis.
Pauperior cavet ſeſe ſociare potenti;
Namque fides illi cum pari melior.

XII. *Ruſticus qui theſaurum invenerat.*

RUſticus impreſſo molitus vomere terram
Theſaurum ſulcis profiluiſſe videt.
Mox indigna animo properante reliquit aratra,
Semina compellens ad meliora boves.
Continuò ſupplex Telluri conſtruit aram,
Quæ ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus,
Ammonet indignam ſe quoque thure dolens.
Nunc inventa meis non profers munera templis,
Atque alios mavis participare Deos.
Sed cùm ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
Me primam lacrymis ſollicitabis inops.
Non me ridenti, ſed triſti cernere vultu
Fas erit, & vacua ſint tibi vota tua.
Unius accepto peccat grave quiſque talento,
Si, quod ab hôc ſumpſit, imputat hoc alii.

XIII. *Taurus & Leo.*

IMmenſum taurus fugeret cùm fortè leonem,
Tutáque deſertis quæreret antra viis:
Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat,
Cinyphii ductor qui gregis eſſe ſolet.
Pòſt ubi ſummiſsâ meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper;
Triſtis abit, longâque fugax de valle locutus:
Nam timor expulſum jurgia ferre vetat:
Non te depaſtis tetoſum putide barbis,
Illum qui ſupereſt, conſequiturque, tremo.
Nam ſi diſcedat, noſces ſtultiſſime quantùm
Diſcrepet à tauri viribus hircus olens.
Dum cupis illatum tibimet perſolvere damnum,
Abſque tui damno hocce caveto fore.

XIV. *Simia & Jupiter.*

JUpiter in toto quondam quæſiverat orbe,
Munera natorum quis meliora daret.
Certatim ad Regem currit genus omne ferarum,
Permiſtúmque homini cogitur ire pecus.
Sed nec ſquamigeri deſunt ad jurgia piſces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidæ ducebant pignora matres,
Judicio tanti diſcutienda Dei.
Tunc brevis informem traheret cùm ſimia natum,
Ipſum etiam in riſum compulit ire Jovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpiſſima vocem,
Dum generis crimen ſic abolere cupit.

Jupiter

Jupiter hoc nôrit, maneat victoria ſi quem,
Judicio ſupereſt omnibus iſte meo.
Ergo mos homini eſt, quidquid ſibi fecerit ipſe,
Vile licèt maneat, comprobat ipſe tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
Alterius niſi ſint ore probata priùs.

XV. *Grus & Pavo.*

THreïciam volucrem fertur Junonius ales
Communi ſociam continuiſſe cibo.
Namque inter varias fuerat diſcordia formas,
Magnáque de facili jurgia lite trahunt.
Quòd ſibi multimodo fulgerent membra decore,
Cæruleam facerent livida terga gruem.
Et ſimul erectæ circumdans tegmina caudæ,
Sparſerat arcanum rurſus in aſtra jubar.
Illa licèt nullo pennarum certet honore,
His tamen inſultans vocibus uſa datur:
Quamvis innumeros plumas variaverat ordo,
Merſus humi ſemper florida terga geris.
At ego deformi ſublimis in aëre pennâ,
Proxima ſideribus, numinibúſque feror.
Si quâdam virtute nites, ne deſpice quemquam,
Ex aliâ quâdam forſan & ille nitet.

XVI. *Quercus & Arundo.*

MOntibus è ſummis radicitus eruta quercus
Decidit, inſani turbine victa Noti.
Quam tumidis ſubtèr decurrens alveus undis
Suſcipit, & fluvio præcipitante rapit.
Verum, ubi diverſis impellitur ardua ripis
In fragiles calamos, grande reſedit onus.
Tunc ſic exiguo connectens cæſpite ramos,
Miratur liquidis quòd ſtet arundo vadis.
Se quoque tam vaſto nec dum conſiſtere trunco,
Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondit canna ſuſurro.
Séque magis tutam debilitate docet.
Tu rapidos, inquit, ventos, ſæváſque procellas
Deſpicis, & totis viribus acta ruis.
Aſt ego ſurgentes paullatim demoror Auſtros,
Et quamvis levibus provida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus:
Motibus aura meis ludificata perit.
Hæc nos dicta monent magnis obſiſtere fruſtra,
Paullatímque truces exſuperare minas.

XVII. *Tigris & Venator.*

VEnator jaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rabidas per ſua luſtra feras.
Tunc pavidis audax cupiens ſuccurrere tigris,
Verbere commotas juſſit adeſſe minas.
Ille tamen ſolito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi qualis eram nuntius iſte refert.
Et ſimul emiſſum tranſegit viſcera ferrum,
Perſtrinxíque citos haſta cruenta pedes.
Molliter affixum traheret cùm ſaucia telum,
A trepidâ fertur vulpe retenta diu.
Dic quis ille foret, qui talia vulnera ferret,
Aut ubi nam jaculum delituiſſet agens?
Illa gemens, fractóque loqui vix murmure cœpit:
Nam ſolitas voces ira dolórque rapit.
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,
Quæque oculis olim ſit repetenda meis:
Sed cruor, & validis in nos directa lacertis
Oſtendunt aliquem tela fuiſſe virum.
Bruta licèt ſoleant animalia jure timeri,
Omnibus eſt illis plùs metuendus homo.

XVIII. *Juvenci & Leo.*

QUatuor immenſis quondam per prata juvencis
Fertur amicitiæ tanta fuiſſe fides,
Ut ſimul emiſſos nullus divelleret error,
Rurſus & è paſtu turba rediret ovans:
Hos quoque collatis inter ſe cornibus ingens
Dicitur in ſylvis pertimuiſſe leo,
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et conjuratos horret adire boves.
Sed, quamvis audax, factíſque immanior eſſet,
Tantorum ſolus viribus impar erat.
Protinus aggreditur pravis inſiſtere verbis,
Colliſum cupiens diſſociare pecus.
Sed poſtquam dictis tauros disjunxit acerbis,
Invaſit miſerum, diripuítque gregem.
Tunc quidam ex ipſis, vitam ſervare quietam
Qui cupit, ex noſtrâ diſcere morte poteſt:
Néve citò admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deſerat antè fidem.

XIX. *Abies & Dumus.*

HOrrentes dumos abies pulcherrima riſit,
Cùm facerent formæ jurgia magna ſuæ.
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus conſociaret honor.
Nam mihi deductum ſurgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in aſtra comas.
Puppibus & patulis mediâ cùm ſede locamur,
In me ſuſpenſos explicat aura ſinus.
At tibi deformem quòd dant ſpineta figuram,
Deſpectum cuncti præteriere viri.
Ille refert: nunc læta quidem bona ſola fateris,
Et noſtris fueris imperioſa malis.
Sed cùm pulcra minax ſuccidet membra ſecuris,
Quàm velles ſpinas tunc habuiſſe meas!
Nemo ſuæ caruis nimiùm lætetur honore,
Ne vilis factus poſt ſua damna gemat.

XX. *Piſcator & Piſcis.*

PIſcator ſolitus prædam ſuſpendere ſetâ,
Exigui piſcis vile trahebat onus.
Sed poſtquam ſuperas captum perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit:
Parce precor lacrymis ſupplex ita dixit obortis:
Nam quanta ex noſtro corpore damna feres?
Nunc me ſaxoſis genitrix fecunda ſub antris
Fudit, & propriis ludere juſſit aquis:
Tolle minas, tenerúmque tuis ſine creſcere menſis:
Hæc tibi me rurſum littoris ora dabit.
Protinus immenſi depaſtus cærula Ponti,
Pinguior ad calamum ſponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens abſolvere piſcem:
Difficiles queritur caſibus eſſe vices.
Nam miſerum eſt, inquit, præſentem amittere prædam,
Stultius & rurſum vota diurna ſequi.
Incertâ pro ſpe non munera certa relinque,
Ne rurſus quæras, ſortè nec invenias.

XXI. *Ruſticus & Avis.*

PArvula progeniem terræ mandaverat ales,
Quà ſtabat viridi cæſpite flava ſeges.
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex fortè petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula nidos:
Suaſerat & Laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet diſcedere mater:
Nam, quid ab externis perficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis;
At genitrix rurſum tutior indè manet.
Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus & veram ſenſit adeſſe manum:
Nunc, ait, ô miſeri dilecta relinquite rura,
Cùm ſpem de propriis viribus ille petit.

XXII. *Invidus & avarus.*

JUpiter ambiguas hominum prædiſcere mentes,
Ad terras Phœbum miſit ab arce poli.
Tunc duo diverſis poſcebant munera votis;
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His ſeſe medium Titan ſcrutatus utrumque
Obtulit, & precibus ut peteretur, ait.
Præſtabit facilis: nam quæque rogaverit unus,
Protinus hæc alter congeminata feret.
Sed cui longa jecur nequeat ſatiare cupido,
Diſtulit admotas in nova damna preces:
Spem ſibi confidens alieno creſcere voto,
Séque ratus ſolum munera ferre duo.
Ille ubi captantem ſocium ſua præmia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit exſtinctus ut lumine degeret uno,
Alter ut hoc duplicans vivat utroque carens.
Tunc ſortem ſapiens humanam riſit Apollo,
Invidiæque malum rettulit ipſe Jovi.
Quæ dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Lætior infelix & ſua damna cupit.

XXIII. *Statuarius.*

VEnditor inſignem referens de marmore Bacchum,
Expoſitum pretio fecerat eſſe Deum.

Nobilis

Digitized by Google

Nobilis hunc quidam, funestâ in sede sepulcri,
Mercari cupiens, compositurus erat.
Alter adoratis ut ferret munera templis,
Redderet & sacro debita vota loco:
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Cùm spes in pretium munera dispar agit,
Et me defunctis seu malis tradere Divis,
Sive decus bulli, seu velis esse Deum.
Subdita namque tibi est magni reverentia fati,
Atque eadem retines funera nostra manu.
Convenit hoc illis, quibus est permissa potestas,
An præstare magis, seu nocuisse velint.

XXIV. *Venator & Leo.*

CErtamen longâ protractum lite gerebant
Venator quondam nobilis, atque leo.
Hi cùm perpetuum cuperent in jurgia finem,
Edita continuò fortè sepulchra vident.
Illîc docta manus flectentem colla leonem
Fecerat in gremio procubuisse viri.
Scilicet affirmans picturâ teste superbum
Se fieri: extinctam nam docet esse feram.
Ille graves oculos ad inania signa retorquens
Infremit, & rabido pectore verba dedit.
Irrita te generis subiit fiducia nostri,
Artificis testem si capis esse manum.
Quòd si nostra novum caperet sollertia sensum,
Sculperet ut docili pollice saxa leo:
Tunc hominem adspiceres oppressum murmure magno,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

XXV. *Puer & Fur.*

FLens puer extremam putei consedit ad oram,
Vana supervacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrymis postquam fur vidit obortis,
Quænam tristitiæ sit modò causa, rogat.
Ille sibi abrupti fingens discrimina funis,
Atque auri queritur desiluisse cadum.
Nec mora, sollicitam traxit manus improba vestem,
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immersus delituisse datur.
Sed post fallacis suscepta pericula votis
Tristior amissâ veste resedit humi.
Dicitur his sollers vocem rupisse querelis,
Et gemitu summos sollicitâsse Deos.
Perdita, quisquis erit, posthac bene pallia credat,
Qui putat in liquidis quòd natet urna vadis.
Nemo nimis cupidè sic res desideret ullas,
Ne plus cùm cupiat, perdat & id quod habet.

XXVI. *Leo & Capella.*

VIderat excelsâ pascentem rupe capellam,
Cominus esuriens cùm leo ferret iter.
Et prior, heus inquit, præruptis ardua saxis
Linque, nec hirsutis pascua quære jugis.
Sed cytisi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas salices, & thyma grata pete.
Illa gemens desiste precor fallaciter, inquit,
Securam placidis insimulare dolis.
Vera licèt moneas, majora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis esse fidem.
Nam quamvis rectis constet sententia verbis,
Suspectam hanc rabidus consiliator habet.
Ne citiùs blandis cujusquam credito dictis:
Sed, si sint fidei, respice quid moneant.

XXVII. *Cornix & Urna.*

INgentem sitiens cornix adspexerat urnam,
Quæ minimam fundo continuisset aquam.
Hanc enixa diu planis effundere campis,
Scilicet ut nimiam pelleret indè sitim.
Postquàm nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata novâ calliditate dolos.
Nam brevis immersis adcrescens sponte lapillis
Potandi facilem præbuit unda viam.
Viribus hæc docuit, quàm sit prudentia major,
Quâ cœptum volucris explicuisset opus.

XXVIII. *Rusticus & Juvencus.*

VIncla recusanti, dedignantisque juvenco
Aspera mordaci subdere colla jugo:
Rusticus obliquâ succidens cornua falce,
Credidit insanum defremuisse pecus.
Cautus & immenso cervicem innectit aratro:
Namque erat hic cornu promtior atque pede.
Scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
Néve ictus faciles ungula sæva daret.
Sed postquam irato detrectans vincula collo,
Immeritam vacuo calce fatigat humum:
Continuò eversam pedibus dispergit arenam,
Quam ferus in domini ora sequentis agit.
Tunc sic informi squalentes pulvere crines
Discutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturæ deerat iniquæ,
Quâ fieri posses cum ratione nocens.

XXIX. *Satyrus & Viator.*

HOrrida congestis cùm staret bruma pruinis,
Cunctâque durato stringeret arva gelu:
Hæsit in adversâ membrorum mole viator:
Perdita nam prohibet semita ferre gradum.
Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
Exceptum Satyrus continuisse suo.
Quem simul adspiciens ruris miratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus esse pavet.
Nam, gelidos artus vitæ ut revocaret in usum,
Afflatas calido solverat ore manus.
Sed cùm depulso cepisset frigore lætus
Hospitis eximiâ sedulitate frui:
Namque illi agrestem cupiens ostendere vitam,
Sylvarum referens optima quæque dabat:
Obtulit & calido plenum cratera Lyæo,
Laxet ut infusus frigida membra tepor.
Ille ubi ferventem labris contingere testam
Horruit: algenti rursus ab ore sufflat.
Obstupuit duplici monstro perterritus hospes,
Et pulsum sylvis longiùs ire jubet.
Nolo, ait, ut nostris unquam successerit antris,
Tam diversa duo qui simul ore ferat.
Qui bene colloquitur coràm, sed postea pravè:
Hic erit invisus, bina quòd ora gerat.

XXX. *Rusticus & Sus.*

VAstantem segetes, & pinguia culta ruentem
Liquerat abscisâ rusticus aure suem,
Ut memor accepti referens monumenta doloris,
Ulterius teneris parceret ille satis.
Rursus in excepti deprensus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora, prædictæ segeti caput intulit horrens,
Pœna sed indignum congeminata facit.
Tunc domini captum mensis dedit ille superbis
In varias epulas plurima frusta secans.
Sed cùm consumti dominus cor quæreret apri,
Impatiens fertur quod rapuisse cocus:
Rusticus hôc justam verbo compescuit iram,
Affirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum toties in damna redisset,
Atque uno demens posset ab hoste capi.
Hæc illos descripta monent, qui sæpius ausi,
Nunquam peccatis abstinuere manus.

XXXI. *Mus & Bos.*

INgentem fertur mus quondam parvus oberrans
Ausus ab exiguo lædere dente bovem.
Verùm ubi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in amfractus conditur indè suos.
Ille licèt vastâ torvum cervice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, ille videt.
Tunc indignantem justo sermone fatigans
Distulit hostiles calliditate minas:
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum constituere tuis.
Disce tamen brevibus quæ sit fiducia monstris,
Et faciat quidquid parvula turba cupit.

XXXII. *Rusticus & Hercules.*

HÆrentem luteo sub gurgite rusticus axem
Liquerat, & nexos ad juga tarda boves.
Frustra depositis confidens Numina votis
Ferre suis rebus, cùm resideret, opem.
Cui rector summis Tirynthius infit ab astris:
(Nam vocat hunc supplex in sua vota Deum)
Perge laborantes stimulis agitare juvencos,
Et manibus pigras disce juvare rotas.
Tunc quoque congressus, majoráque viribus ausus
Fac Superos animis conciliare tuis.
Disce tamen pigris non flecti Numina votis,
Præsentésque adhibe, cùm facis ipse, Deos.

XXXIII. *Anser & Rusticus.*

ANser erat cuidam pretioso germine fœta,
Ováque quæ nidis aurea sæpe daret.
Fixerat hanc volucri legem natura superbæ,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum sperans vanescere votum,
Non tulit exosas in sua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,

Qui tam continuo munere dives erat.
Postquam nuda minax egit per viscera ferrum,
Et vacuam solitis fœtibus esse videt:
Ingemuit tantæ deceptus crimine fraudis.
Nam pœnam meritis rettulit indè suis.
Sic qui cuncta Deos uno malè tempore poscunt,
Justiùs his etiam vota divina negant.

XXXIV. *Formica & Cicada.*

QUisquis torpentem passus transire juventam,
Nec timuit vitæ providus antè suæ:
Confectus senio, postquam gravis adfuit ætas,
Heu, frustra alterius sæpe rogavit opem.
Solibus obreptos hyemi formica labores
Distulit, & brevibus condidit antè cavis.
Verùm ubi candentes suscepit terra pruinas,
Arváque sub gelido delituere gelu,
Pigra nimis tantos non æquans corpore nimbos,
In propriis laribus humida grana legit.
Discolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arva sono.
Se quoque maturas cùm tunderet area messes,
Cantibus æstivos explicuisse dies.
Parvula tunc ridens sic est affata cicadam:
(Nam vitam pariter continuare solent.)
Mî quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi saltandi nunc ultima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

XXXV. *Simia & Gnati.*

FAma est, quòd geminum profundens simia partum
Dividit in varias pignora nata vices.
Namque unum caro genitrix eduxit amore,
Alterius odiis exsaturata tumet.
Cœperit ut fœtam gravior terrere tumultus,
Dissimili gnatos conditione rapit.
Dilectum manibus, vel pectore gestat amico,
Contemtum dorso suscipiente levat.
Sed cùm lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte relinquit onus.
Alter at hirsuto circumdans brachia collo
Hæret, & invitâ cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris
Servatus, vetulis unicus hæres avis.
Sic multos neglecta juvant, atque ordine verso
Spes humiles rursus in meliora refert.

XXXVI. *Vitulus & Bos.*

PUlcher & intactâ vitulus cervice resultans
Scindentem assiduè viderat arva bovem.
Nec pudet, heus, inquit, longævo vincula collo
Ferre, nec expositis otia nôsse jugis,
Cùm mihi subjectas pateat discursus in herbas,
Et nemorum liceat rursus opaca sequi.
At senior, nullam verbis compulsus in iram,
Vertebat solitam vomere fessus humum,
Donec deposito per prata liceret aratro
Molliter herboso procubuisse toro.
Mox vitulum sacris innexum respicit aris
Admotum cultro cominus ire propé.
Hanc tibi tristis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem nostri quæ facit esse jugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quàm tenerum mox peritura pati.
Est hominum sors ista, magis felicibus ut mors
Sit cita, cùm miseros vita diurna regat.

XXXVII. *Canis & Leo.*

PInguior exhausto canis occurrisse leoni
Fertur, & insertis verba dedisse jocis.
Nónne vides duplici tendantur ut ilia tergo,
Luxuriétque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis ducor post otia mensis,
Communem capiens largiùs ore cibum:
Sed quòd crassa, malum, circumdat guttura ferrum,
Nec custoditâ fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se sylvis obvia præda ferat.
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
Dum liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
At ferox animi nobile murmur agit.
Vade ait, & meritis nodum cervicibus infer,
Compensétque tuam vincula dura famem.
At mea cùm vacuis libertas redditur antris,
Quamvis jejunus quælibet arva peto.
Has illis epulas potiùs laudare merentto,
Qui libertatem postposuere gulæ.

XXXVIII. *Piscis fluviatilis & marinus.*

DUlcibus è stagnis fluvio torrente coactus
Æquoreas præceps piscis obibat aquas.
Illic squamigerum despectans improbus agmen
Eximium sese nobilitate refert.
Non tulit exemplum patrio de gurgite phoca,
Verbáque cum salibus asperiora dedit.
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quæque refutari te quoque teste valent.
Nam quis erit potior populo spectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur auro:
Te simul ære brevi debile vulgus emet.
Quisquis ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut velit esse prior.

XXXIX. *Miles & Lituus.*

VOverat attritus quondam per prælia miles
Omnia suppositis ignibus arma dare:
Vel quæ victori moriens sibi turba dedisset,
Vel quidquid prolixo posset ab hoste capi.
Interea votis sors adfuit, & memor arma
Cœperat accenso singula ferre rogo.
Tunc lituus rauco deflectens murmure culpam
Immeritum flammis se docet esse prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus affirmes quæ tamen acta meis.
Sed tantùm ventis & cantibus arma coegi,
Hoc quoque submisso testor & astra sono.
Ille resultantem flammis crepitantibus addens,
Nunc te major, ait, pœna, dolórque rapit.
Nam licèt ipse nihil possis tentare nec ausus,
Sævior hoc, alios quòd facis ipse malos.

XL. *Pardus & Vulpes.*

DIstinctus maculis & pulcro pectore pardus
Inter consimiles ibat in arva feras.
Et quòd nulla graves variarent terga leones,
Protinus his miserum credidit esse genus.
Cætera sordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo gaudentem vulpes amictu
Corripit, & vanas approbat esse notas.
Vade, ait, & pictæ nimiùm confide juventæ,
Dum mihi consilium pulcrius esse queat.
Miremúrque magis quos munera mentis adornant,
Quàm qui corporeis enituere bonis.

XLI. *Nimbus & Testa.*

IMpulsus ventis, & pressâ nube coactus,
Ruperat hybernis se gravis imber aquis.
Cúmque per effusas stagnaret turbine terras,
Expositum campis fictile pressit opus.
Mobile namque lutum tepidus priùs instruit aër,
Discat ut admoto rectiùs igne coqui.
Tunc nimbus fragilis perquirit nomina testæ.
Immemor illa sui, amphora dicor, ait.
Nunc me docta manus rapiente volumina gyro
Molliter obliquum jussit habere latus.
Hactenus hâc, inquit, liceat constare figurâ:
Nam te subjectam diluet imber aquis.
Et simul accepto violentiùs amne fatiscens,
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quæ magna sibi cognomina sumens
Ausa phatetratis nubibus ista loqui.
Hæc poterunt miseros post hæc exempla monere,
Subdita nobilibus ut sua fata gemant.

XLII. *Lupus & Hædus.*

FOrtè lupum melior cursu deluserat hædus,
Proxima vicinis dum petit arva casis.
Indè fugam recto tendens in mœnia cursu,
Inter lanigeros adstitit ille greges.
Impius hunc raptor mediámque secutus in urbem,
Tentat compositis sollicitare dolis.
Nónne vides, inquit, cunctis ut victima templis
Immeritâ pecudum morte cruentet humum?
Quòd nisi securo valeas te reddere campo,
Heu, mihi vittatâ tu quoque fronte cades.
Ille refert: modò, quam metuis, precor, exue curam,
Et tecum viles improbe tolle minas.
Nam sat erit sacrum Divis fudisse cruorem,
Quàm rapidi fauces exsaturare lupi.
Sic quoties duplici subduntur tristia casu,
Expedit insignem promeruisse necem.

CL. CLAU-

CL. CLAUDIANI OPERA.

CL. CLAUDIANI VITA,

Ex LILII GREGORII GYRALDI de Latinis Poetis Dialogo IV.

CL. CLAUDIANUS, Theodoſii & filiorum Arcadii & Honorii temporibus floruit. Patria ei fuit Alexandria Ægyptia. id quod & Suidæ, & aliorum teſtimonio facilè cognoſcimus. idem & ſuis ipſe carminibus comprobat, ut cùm cecinit:

——& noſtro cognite Nilo.

Quidam tamen inſulsè eum Hiſpanum, alii Florentinum exiſtimavere. Franc. Petrarcha, & Landinus, nullâ, ut reor, auctoritate nixi, ut in ejuſmodi re opus erat, Florentinum Claudianum arbitrantur fuiſſe, patre natum mercatore, qui ob Italiæ bella, quæ tum fortè erant, in Ægyptum ſeceſſit, quo in loco, ductâ uxore, Claudianum filium genuit. Quibus & Politianus, amore, ut puto, regionis, his verſibus aſſentitur:

Aut Peluſiaci miſſum de plebe Canopi,
Pulcra ſuum quem nunc Florentia jactat alumnum,
Gaudentem Stygio dominam junxiſſe marito.

Idem & Florentinorum olim ſcriba P. Collatius.

Ægypto genitum nova me Florentia civem
Legibus agnovit, magnis jam digna Poëtis:
Infernos raptus Cereris, pugnáſque Deorum,
Cæſareas laudes, nec non Stilichonis honores.

& reliqua. Et ex Ægypto illum ſcribit his Verſiculis Sidonius Apollinaris:

Non Pelufiaco ſatus Canopo
Qui ferrugineos toros mariti,
Et Muſâ canit Inferos ſuperná.

Florentino, viro clariſſimo, & inſigni in litterarum omne genus gratiſſimus fuit. Cujus quidem Florentini apud Græcos quædam in re ruſticâ leguntur, quæ ab Herone & Conſtantino afferuntur. ejus & inter legum ſcriptores non rara mentio. Ad hunc eundem Florentinum & Claudiani extat elegia, cujus eſt hoc principium:

Otia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectámque diu depoſuiſſet opus.

Non multis adhuc annis, Romæ, in ruinis vetuſtum marmor repertum fuit, quod ſtatuæ Claudiani ſuppoſitum fuiſſe Pomponius Lætus, aliique viri antiquitatis periti credidere, cum hujuſmodi inſcriptione, CL. CLAUDIANO V. C. Cl. Claudiano v. c. Tribuno, & Notario, inter cæteras ingentes artes præglorioſiſſimo Poëtarum, licèt ad memoriam ſempiternam carmina ab eodem ſcripta ſufficiant: attamen teſtimonii gratiâ, ob judicii ſui fidem D D. N N. Arcadius & Honorius, felicciſſ. & doctiſſ. Impp. Senatu petente, ſtatuam in foro Divi Trajani erigi, collocarique juſſerunt.

Ἐν ἐνὶ βιβλίῳ νέον ἐμ μιῶσαν Ὁμήρῳ
Κλαυδιανὸν, Ῥώμη ἐμ βασιλῆς ἔθεσαν.

Cognoſcite quanto in pretio fuerit Claudianus, cùm in eo uno & Virgilii mentem, & Homeri Muſam fuiſſe teſtentur doctiſſimi Imperatores. Hujus quidem ſtatuæ & epigrammatis meminit ipſe idem Claudianus in quâdam præfatione, cùm inquit:

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus æneam,
Oráque patricias noſtra dicavit domos.
Annuit his princeps, titulum poſcente Senatu.

& reliqua. Chriſtophorus Landinus Claudianum Chriſtianum

stianæ pietati addictum affirmat fuisse; illum enim scribit, primo quidem tempore Diis gentium initiatum, verùm mox mutatâ in melius sententiâ, Christianum factum, ob illud videlicet, ut reor, ipsius epigramma ad Christum Deum:

Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensúsque Dei: quem fudit ab altâ
Mente Pater, &c.

Idem & alii nonnulli asserunt, qui & alia Claudiani poëmata ad Christum asserunt, ut illud:

Proles vera Dei, cunctísque antiquior annis,
Nunc genitus, qui semper eras.

Et item alia, quæ paulò antè sunt in Germaniâ publicata. Sed enim qui eâdem ferme Claudiani ætate claruerunt, Aurel. Augustinus, & P. Orosius, id ex toto falsum esse docent. Ab illo enim in V. De Civitate Dei, Claudianus à Christi nomine alienus dicitur: ab hôc in Historiis, paganus, ut ejus verbis utar, & quidem pervicacissimus: cum quibus & hâc in re Paulus Diaconus convenit. Quibus usque adeò major est fides habenda, quàm Landino, & nostræ tempestatis cæteris. Illa etiam ego carmina vel alterius Claudiani putem, vel potiùs in Christianissimi Imperatoris gratiam composita. nam & Trebonianus, si Suidæ stamus, à Christi religione alienus, ex Justiniani Imperatoris sententiâ in Pandectis, de Christo & Trinitate admiranda scripsit. Composuit verò multa Claudianus, quæ in manibus habentur, inter quæ & nonnulla Græca, ut Gigantomachiam, ex quâ & Græcos versus legimus, ut hi sunt quos Arsenius in suis apophthegmatis adducit. quod argumentum & Latinè tractavit, vel potiùs inchoavit. Extant & Claudiani, in Græcorum epigrammatum volumine, de crystallo versus; quâ de re ejusdem & Latini leguntur. Extat item poëma de Ætnâ monte, quod an ipsius legitimum sit, nec probare, nec refellere ausim. ex antiquissimo certe & castigato codice, qui Francisci Petrarchæ fuisse creditur, illud ego ipse exscripsi. Hæc cùm dixissem, ratus de Claudiano haud me plura dicturum, sic Piso ait: Istius ego Poëtæ à primis usque annis studiosus fui: ejus enim mihi carmen non sonorum modò, & elegans, sed & floridum semper visum est. Idem dicere velle videbatur puer Picus: cùm ego: Nec equidem, puer, ego unquam Claudiani versus contempsi: sed cùm minimè numeros & lineamenta variet, idémque sit ubique, ab aliquibus eo nomine in ordinem redigitur. At si cui fortè illius numeri satis placeant, ejus certè flaccescit inventio. Nam cùm primo animi impetu, ut videmus, pulchre materiam apparet, & animosius feratur, mox tanquam ventus hominem deficit, nec principiis satis postrema respondent. Omnino tamen, ut Piso dicebat, est poëta canorus, volubilis, & valde dulcis: sed certè parum idoneus, dignúsque, ut tantopere illum imitari studeatis. Sunt quidem in eo, si cum delectu decerpantur, flores, qui mirum dictu est, quàm vobis prodesse possint. Sed de his satis, ne viribus majora tractemus.

Fuit & alter Claudianus Mamercus Viennensis ex Galliâ, quem miris laudibus effert Sidonius Apollinaris. eum enim excelluisse ait cùm in omni poëticâ, tum etiam in omni philosophiâ, & Theologiâ. De quo haud mihi in præsentiâ sunt vobis plura dicenda, cùm, si Sidonii epistolarum librum quartum legeritis, tertiam invenietis totam in laudes ipsius Claudiani esse compositam: undecimam verò in ejus jam defuncti commendationem, ejúsque epitaphium. Ejusdem præterea Gennadius in libro illustrium virorum meminit. Legi ego hujus Claudiani librum de statu animæ, in quo multa bonæ frugis documenta, ac doctrinæ reconditæ reperi. Sunt & qui ea, quæ de Christo carmina leguntur, non prioris Claudiani, sed hujus posterioris esse affirment, eâ in primis ratione persuasi, quòd & varius sit stylus, & quòd ille, ut diximus, à Christianâ pietate fuerit alienus. Doctiorum tamen esto hæc censura. Et hæc usque de utroque Claudiano.

In PROBINI & OLYBRII Fratrum Consulatum, Panegyris.

SOL, qui flammigeris mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu,
Sparge diem meliore comâ, crinémque repexi
Blandiùs elato surgant temone jugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.
Jam nova germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, lætíque petant exordia menses.
Scis genus Auchenium, nec te latuere potentes
Anniadæ: nam sæpe soles ductoribus illis
Instaurare vias, & cursibus addere nomen.
His neque per dubium pendet Fortuna favorem,
Nec novit mutare vices; sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos. quemcumque requires
Hâc de stirpe virum, certum est de Consule pasci.
Per fasces numerantur avi, semperque renati
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili servantia lege tenorem:
Nec quisquam procerum tentat, licèt ære vetusto
Floreat, & claro ciugatur Roma Senatu,
Se jactare parem: sed, primâ sede relictâ
Auchenìis, de jure licet certare secundo.
Haud secus ac tacitam Lunâ regnante per Arctos
Siderea cedunt acies, cùm fratre retuso
Æmulus adversis flagraverit ignibus orbis.
Tunc jubar Arcturi languet: tunc fulva Leonis
Ira perit: Plaustro jam rara intermicat Arctos
Indignata tegi: jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.
Quem priùs aggrediar? veteris quis facta Probini
Nesciat, aut nimias laudes ignoret Olybri?
Vivit adhuc, complétque vagis sermonibus aures
Gloria fusa Probi, quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas.
Illum fama vehit trans æquora, tránsque remotas
Tethyos ambages, Atlanteósque recessus.
Audiit &, gelido si quem Mæotica pascit
Sub Jove, vel calido si quis conjunctus in axe
Nascentem te, Nile, bibit. virtutibus ille
Fortunam domuit: numquámque levantibus altè
Intumuit rebus: sed mens circumflua luxu
Noverat intactum vitio servare rigorem.
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut densos currentia munera nimbos
Cernere semper erat: populis undare Penates:
Assiduos intrare inopes: remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens. sic quis tellure revulsâ
Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum:
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere decus: quanto pretiosa metallo
Hermi ripa micat: quantas per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.
Non, mihi centenis resonent si vocibus ora,
Multifidúsque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
Rexerit, ad summi quoties fastigia juris
Venerit, Italiæ latè cùm frena teneret,
Illyricósque sinus, & quos arat Africa campos.
Sed nati vicere patrem, solíque merentur
Victores audire Probi. non contigit illi
Talis honor, primâ cùm parte virescèret ævi.
Non consul cum fratre fuit. vos nulla fatigat
Cura, diu majora petens: non anxia mentem
Spes

Spes agit, & longo tendit præcordia voto.
Cœpistis, quà finis erat. primordia vestra
Vix pauci meruere senes: metásque tenetis
Antè, genas dulces quàm flos juvenilis inumbret,
Oráque ridenti lanugine vestiat ætas.
Tu precor, ignarum doceas, Paruassia, vatem,
Quis Deus ambobus tanti sit muneris auctor.
Postquam fulmineis impellens viribus hostem
Belliger Augustus trepidas laxaverat Alpes,
Roma Probo cupiens dignas persolvere grates,
Sedula pro natis dominum flexura rogando
Ire parat. famuli currum junxere volantem
Impetus, horribilísque Metus, qui semper agentes
Prælia cum fremitu Romam, comitantur anhelo,
Sive petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen.
Hic ligat axe rotas: hic sub juga ferrea mittit
Cornipedes, rigidísque docet servire lupatis.
Ipsa, triumphatis quà possidet æthera regnis,
Astitit, innuptæ ritus imitata Minervæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere cultu,
Colla nec ornatu patitur mollire retorto;
Dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos,
Audacem retegit mammam, laxúmque coërcens
Mordet gemma sinum. nodus, qui sublevat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulchérque severo
Armatur terrore pudor, galeæque minaci
Flava crocentarum prætenditur umbra jubarum,
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem totâ variârat Mulciber arte.
Hìc, patrius Mavortis amor, ferúsque notantur
Romulei. pius amnis inest, & bellua nutrix.
Electro Tiberis, pueri formantur in auro.
Fingunt æra lupam, Mavors adamante córuscat.
Jam simul emissis rapido velocior Euro
Fertur equis. stridunt Zephyri, cursúque rotarum
Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis:
Nec traxere moras, sed lapsu protinus uno,
Quem poscunt, tetigere locum; quà fine sub imo
Angustant aditum curvis anfractibus Alpes,
Claustráque conjectis scopulis durissima tendunt,
Non aliâ reseranda manu, sed pervia tantùm
Augusto, geminísque fidem mentita tyrannis.
Semirutæ turres, avulsáque mœnia fumant.
Crescunt in cumulum strages, vallémque profundam
Æquavere jugis. stagnant immersa cruore
Corpora. turbantur permisto funere manes.
Haud procul exacto lætus certamine victor
Cespite gramineo consederat, arbore fultus
Acclines humeros. dominum gavisa coronat
Terra suum, surgúntque toris majoribus herbæ,
Sudor adhuc per membra calet, crebérque recurrit
Halitus, & placidi radiant in casside vultus.
Qualis letiferâ populatus cæde Gelonos
Procubat horrendùm Getico Gradivus in Hæmo.
Exuvias Bellona levat, Bellona tepentes
Pulvere solvit equos, immensáque cornus in hastam
Porrigitur, tremulísque ferit splendoribus Hebrum.
Ut stetit ante duoem discussas Roma per auras,
Conscia ter sonuit rupes, & inhorruit atrum
Majestate nemus. prior hìc, O numen amicum,
Dux ait, & legum genitrix, longéque regendo
Circumfusa polo, consors adjuncta Tonanti,
Dic agedum, quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cœlúmque tuum? dic, maxima rerum.
Non ego vel Libycos cessem tolerare vapores,
Sarmaticósve pati medio sub frigore Coros,
Si tu, Roma, velis. pro te quaïcumque per oras
Ibimus, & nullâ sub tempestate timentes
Solstitio Meroën, bromâ tentabimus Istrum.
Tum regina refert; Non me latet, inclite rector,
Quàm tua pro Latio victricia castra laborent,
Nec quod servitium rursus, Furiæque rebelles
Edomitæ paribus sub te cecidere triumphis.
Sed precor hoc donum cum libertate recenti
Adjicias, si vera manet reverentia nostri.
Sunt mihi pubentes alto de semine fratres
Pignora cara Probi, festâ quos luce creatos
Ipsa meo fovi gremio. cunabula parvis
Ipsa dedi, cùm matris onus Lucina beatum
Solveret, & magnos proferrent sidera partus.
His ego nec Decios pulcros, fortésve Metellos
Prætulerim: non qui Pœnum domuere ferocem
Scipiadæ, Gallísque genus fatale Camillos.
Pieriis pollent studiis, multóque redundant
Eloquio. nec desidiis, dapibúsque paratis
Indulgere juvat: nec tanta licentia vitæ
Abripit, aut mores ætas lasciva relaxat:
Sed gravibus curis animum sortita senilem
Ignea longævo frenatur corde juventus.
Illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
Oramus præbere velis, annísque futurum
Devoveas venientis iter. non improba posco.
Non insueta dabis. domus hoc de more requirit.
Annue. sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhenus per utrumque latus: Medísque subactis
Nostra Semiramiæ timeant insignia turres;
Sic float attonitus Romana per oppida Ganges.
Ductor ad hæc: Optata jubes, ultróque volentem,
Diva, rogas: non hæc precibus tentanda fuissent.
Usque adeóne meam condunt oblivia mentem,
Ut pigeat meminisse Probi, quo vindice totam
Vidimus Hesperiam fessásque resurgere gentes?
Antè dabunt hyemes Nilum; per flumina damæ
Errabunt, glaciéque niger damnabitur Indus;
Antè Thyesteis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quàm Probus à nostro possit discedere sensu.
Dixerat, & velox jam nuntius advolat urbem.
Extemplo strepuere chori, collésque canoris
Plausibus impulsi septenâ voce resultant.
Lætatur veneranda parens, & pollice docto
Jam parat auratas trabeas, cinctúsque micantes
Stamine: quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera sylvæ:
Et longum tenues tractus producit in aurum.
Filáque concreto cogit squalere metallo.
Qualia purpureas præbebat candida vestes
Numinibus Latona suis, cùm sacra redirent
Ad loca nutricis jam non errantia Deli.
Illa feros saltus & desolata relinquens
Mænala, lassato certis venatibus arcu,
Phœbus adhuc nigris rorantia tela venenis
Extincto Pythone ferens. tunc insula notos
Lambit amica pedes, ridétque Ægæus alumnis
Lenior, & blando testatur gaudia fluctu.
Sic Proba præcipuo natos exornat amictu;
Quæ decorat mundum: cujus Romana potestas
Fetibus augetur. credas ex æthere lapsam
Stare pudicitiam, vel sacro ture vocatam
Junonem Inachiis oculos advertere templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Græca vetustas:
Conjuge digna Probo: nam tantùm cœtibus exstat
Femineis, quantùm supereminet ille maritos:
Ceu sibi certantes sexus quid possit uterque
Hunc legere torum. taceat Nereïda nuptam
Pelion, ô duplici secundam Consule matrem,
Felicémque uterum, qui nomina parturit annis:
Ut sceptrum gessere manu, membrísque rigentes
Aptavere togas, signum dat fumnus hiulcâ
Nube pater, gratámque facem per inane rotantes
Prospera vibrati tonuerunt omnia nimbi.
Accepit sonitus curvis Tiberinus in antris,
Imâ valle sedens, arrectísque auribus hæsit,
Unde repentinus cæli fragor. ilicet herbis
Pallentes thalamos, & structa cubilia musco
Deserit. ac Nymphis urnam commendat herilem.
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cæruleis infecta notis, reddentia patrem
Oceanum: crispo densantur gramine colla.
Vertice luxuriat toto crinalis arundo!
Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam
Æstivo candore mori: sed vivida frondet
Æquævum complexa caput. taurina levantur
Cornua temporibus raucos sudantia rivos.
Distillant per pectus aquæ. frons hispida manat
Imbribus. in liquidos fontes se barba repectit.
Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas.
Est in Romuleo procumbens insula Tibri,
Quà medius geminas interfluit alveus urbes
Discretas subeunte freto, paritérque minantes
Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripæ.
Hic stetit, & subitum prospexit ab æggere votum
Unanimes fratres, juncto stipante Senatu
Ire forum, strictáque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de limine fasces.

Obsta-

Obſtupuit viſu, ſuſpenſáque gaudia vocem
Oppreſſam tenuere diu; mox inchoat ore.
Reſpice, ſi tales jactas fuiſſe fluentis,
Eurota Spartane, tuis. quid protulit æquum
Faltus olor, valido quemvis decernere cæſtu
Nôrint, & ratibus ſævas arcere procellas?
En nova Ledæis ſoboles fulgentior aſtris.
Ecce mei cives: quorum jam Signifer optat
Adventum, ſtelliſque parat convexa futuris.
Jam per noctivagos dominetur Olybrius axes
Pro Polluce rubens, pro Caſtore flamma Probini.
Ipſi vela regent. ipſis donantibus auras
Navita tranquillo moderabitur æquore pinum.
Nunc pateras libare Deis, nunc ſolvere multo
Nectare corda libet. niveos jam pandite cœtus,
Naïdes, & totum violis prætexite fontem.
Mella ferant ſylvæ. jam profluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis. jam ſponte per agros
Sudent irriguæ ſpirantia balſama venæ.
Currat, qui ſociæ roget in convivia menſæ
Indigenas fluvios, Italis quicumque ſuberrant
Montibus, Alpináſque bibunt de more pruinas:
Vulturnúſque rapax, & Nar vitiatus odoro
Sulfure, tardatúſque ſuis erroribus Uſens:
Et Phaëthonteæ perpeſſus damna ruinæ
Eridanus, flavæque terens querceta Maricæ
Liris, & OEbaliæ qui temperat arva Galeſus.
Semper honoratus noſtris celebrabitur undis
Iſte dies: ſemper dapibus recoletur opimis.
Sic ait, & Nymphæ patris præcepta ſecutæ
Tecta parant peplis: oſtróque infecta coruſco
Humida gemmiteris illuxit regia menſis.
O bene ſignatum fraterno nomine tempus!
O conſanguineis felix auctoribus anne!
Incipe quadrifidum Phœbi torquere laborem.
Prima tibi procedat hyems, non frigore torpens,
Non canas veſtita nives, non aſpera ventis,
Sed tepido calefacta Noto. ver indè ſerenum
Protinus, & liquidi clementior aura Favoni
Pratis te croceis pingat. te meſſibus æſtas
Induat, autumnúſque madentibus ambiat uvis.
Omni nobilior luſtro, tibi gloria ſoli
Contigit, exactum numquam memorata per ævum,
Germanos habuiſſe duces; te cuncta loquetur
Tellus, te variis ſcribent in floribus Horæ,
Longáque perpetui ducent in ſecula faſti.

CL. CLAUDIANI IN RUFINUM

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

PHOEBEO domitus Python cum decidit arcu,
Membráque Cirrhæo fudit anhela jugo:
Qui ſpiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, ſanguineis tangeret aſtra jubis:
Jam liber Parnaſſus erat, nexúque ſoluto
Cœperat erectá ſurgere fronde nemus.
Concuſſæque diu ſpatioſis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas.
Et qui vipereo ſpumavit ſæpe veneno
Cephiſſos liquidis purior ibat aquis.
Omnis, Io Pæan, regio ſonat: omnia Phœbum
Rura canunt. Tripodas plenior aura rotat.
Auditóque procul Muſarum carmine ducti,
Ad Themidis coëunt antra ſevera Dei.
Nunc alio Domini telis Pythone peremto
Convenit ad noſtram ſacra caterva lyram.
Qui ſtabilem ſervant Auguſtis fratribus orbem,
Juſtitiâ pacem, viribus arma tegunt.

SÆPE mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptóſque mari fines, annoſque meatus,
Et lucis noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno juſſerit igni
Compleri, Solémque ſuo: porrexerit undis
Litora: tellurem medio libraverit axe.
Sed cùm res hominum tantâ caligine volvi
Adſpicerem, lætóſque diu florere nocentes,
Vexaríque pios: rurſus labefacta cadebat
Religio, cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnúmque novas per inane figuras
Fortunâ, non arte, regi: quæ Numina ſentu
Ambiguo vel nulla putat, vel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſolviſque Deos. jam non ad culmina rerum
Injuſtos creviſſe queror. tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant. vos pandite vati
Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.
Invidiæ quondam ſtimulis incanduit iræ
Alecto, placidas latè cùm cerneret urbes.
Protinus infernas ad limina terra ſorores
Conſilium deforme vocat. glomerantur in unum
Innumeræ peſtes Erebi, quaſcumque ſiniſtro
Nox genuit fetu: nutrix Diſcordia belli,
Imperioſa Fames, leto vicina Senectus,
Impatiéníque ſui Morbus, Livórque ſecundis
Anxius, & ſciſſo mœrens velamine Luctus,
Et Timor, & cæco præceps Audacia vultu,
Et luxus populator opum, quem ſemper adhærens
Infelix humili greſſu comitatur Egeſtas,
Fœdáque Avaritiæ complexæ pectora matris
Inſomnes longo veniunt examine Curæ.
Complentur vario ferrata ſedilia cœtu,
Torváque collectis ſtipatur Curia monſtris.
Alecto ſtetit in mediis, vulgúſque tacere
Juſſit, & obſtantes in tergum reppulit hydros,
Pérque humeros errare dedit: tum corde ſub imo
Incluſam rabidis patefecit vocibus iram.
Siccine tranquillo produci ſecula curſu,
Sic fortunatas patiemur vivere gentes?
Quò nova corrumpit noſtros clementia mores?
Quò rabies innata perit? quid inania proſunt
Verbera? quid ſacibus nequicquam cingimur atris?
Heu nimis ignavè, quas cælo Jupiter arcet,
Theudoſius terris. en aurea naſcitur ætas.
En proles antiqua redit. Concordia, Virtus,
Cúmque Fide Pietas altâ cervice vagantur,
Intiguémque canunt de noſtrâ plebe triumphum.
Proh dolor, ipſa mihi liquidas delapſa per auras
Juſtitia inſultat, vitiiſque à ſtirpe reciſis
Elicit oppreſſas tenebroſo carcere leges.
At nos indecores longo torpebimus ævo,
Omnibus ejectæ regnis? agnoſcite tandem
Quid furias deceat, conſuetas ſumite vires;
Conventúque nefas tanto decernite dignum.
Jam cupio Stygiis invadere nubibus aſtra,
Jam flatu violare diem, laxare profundo
Frena mari, ruptis fluvios immittere ripis,
Et rerum vexare fidem. ſic fata cruentum
Mugiit, & tortos ſerpentum erexit hiatus,
Noxiáque effudit concuſſo crine venena.
Anceps motus erat, vulgi pars maxima bellum
Indicit Superis: pars Ditis jura tuentur.
Diſſenſúque altur rumor. ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cùm flamine fracto

Durat

Durat adhuc fævítque tumor, dubiúmque per æſtum
Laſſa recedentis fluitánt veſtigia venti.
Improba mox ſurgit triſti de ſede Megæra,
Quam penès inſani fremitus, animíque profanus
Error, & undantes ſpumis furialibus iræ,
Non niſi quæſitum cognatâ cæde cruorem,
Illicitúmve bibit, patrius quem fuderit enſis,
Quem dederint fratres. hæc terruit Herculis ora,
Et defenſores terrarum polluit arcus:
Hæc Athamantheæ direxit ſpicula dextræ:
Hæc Agamemnonios inter bacchata penates
Alternis luſit jugulis: hâc auſpice tedæ
OEdipodem matri, natæ junxere Thyeſten.
Quæ tunc horriſonis effatur talia dictis.
Signa quidem, ô ſociæ, Divos attollere contra
Nec fas eſt, nec poſſe reor: ſed lædere mundum
Si libet, & populis commune intendere letum,
Eſt mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius fetâ, violentius Auſtris
Acribus, Euripi refluis incertius undis
Rufinus. quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio. reptávit parvus in iſto
Sæpe ſinu, teneróque per ardua colla volutus
Ubera quæſivit fletu, linguíſque triſulcis
Mollia lambentes finxerunt ora ceraſtæ.
Méque etiam tradente dolos, artémque nocendi
Et didicit ſimulare fidem, ſenſúſque minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere riſu,
Plenus ſævitiæ, lucríque cupidine fervens.
Non Tarteſſiacis illum ſatiárit arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli: totúmque exhauſerit Hermum,
Ardebit majore ſiti. quàm fallere mentes
Doctus, & unanimos odiis turbare ſodales!
Talem progenies hominum ſi priſca tuliſſet;
Pirithoum tugeret Theſeus; offenſus Oreſtem
Deſereret Pylades; odiſſet Caſtora Pollux.
Ipſa quidem fateor vinci rabidóque magiſtram
Prævénit ingenio: nec plùs ſermone morabor.
Solus habet quidquid ſcelerum poſſedimus omnes.
Hunc ego, ſi veſtræ res eſt accommoda turbæ,
Regalem ad ſummi producam principis aulam.
Sit licèt ille Numâ gravior, ſit denique Minos;
Cedet, & intidiis noſtri flectetur alumni.
Orantem ſequitur clamor, cunctæque profanas
Porrexere manus, inventáque triſtia laudant.
Illa, ubi cæruleo veſtes connexuit angue,
Nodavíſque adamante comas, Phlegethonta ſonorum
Poſcit, & ambuſto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo ſuccendit gurgite pinum,
Pigráque veloces per Tartara concutit alas.
Eſt locus, extremum quà pandit Gallia litus,
Oceani prætentus aquis, ubi fertur Ulyſſes
Sanguine libato populum moviſſe ſilentem.
Illìc umbrarum tenui ſtridore volantum
Flebilis auditur queſtus. ſimulacra coloni
Pallida defunctáſque vident migrare figuras.
Hinc Dea profiliit, Phœbíque egreſſa ſerenos
Infecit radios, ululatúque æthera rupit
Terrifico. ſeuſit ferale Britannia murmur,
Et Senonum quatit arva fragor, revolutáque Tethys
Subſtitit, & Rhenus projectâ torpuit urnâ.
Tunc in canitiem mutatis ſponte colubris
Longævum mentita ſenem, rugíſque ſeveras
Perſulcata genas, & ficto languida paſſu,
Invadit muros Eluſæ, notiſſima dudum
Tecta petens, occultíque diu liventibus hæſit,
Pejorem mirata virum. tunc talia fatur.
Otia te, Rufine, juvant? fruſtráque juventæ
Conſumis florem patriis inglorius arvis?
Heu neſcis quid fata tibi, quid ſidera donent,
Quid fortuna paret. toti dominabere mundo,
Si parere velis. artus ne ſperne ſeniles.
Namque mihi magicæ vires, ævíque futuri
Præſcius ardor ineſt. novi quo Theſſala cantu
Eripiat lunare jubar, quid ſigna ſagacis
Ægypti valeant, quâ gens Chaldæa vocatis
Imperet arte Deis. nec me latuere fluentes
Arboribus ſucci, funeſtarúmque poteſtas
Herbarum. quidquid letali gramine pollens
Caucaſus, & Scythicæ vernant in carmina rupes,
Quas legit Medea ferox, & callida Circe.
Sæpius horrendos Manes ſacríſque citavi
Nocturnis Hecaten, & condita funera traxi
Carminibus victura meis, multóſque canendo
Quamvis Parcarum reſtarent fila, peremi.
Ire vagas quercus, & fulmen ſtare coëgi,
Verſáque non prono curvavi flumina lapſu
In fontes reditura ſuos. neu vana locutum
Me fortaſſe putes, mutatos cerne Penates.
Dixerat: & niveæ (mirum) cœpere columnæ
Ditari, ſubitóque trabes lucere metallo.
Illecebris capitur, nimiúmque elatus avaro
Paſcitur intuitu. ſic Rex ad prima tumebat
Mæonius, pulcro cùm verteret omnia tactu.
Sed poſtquam riguiſſe dapes, fulvámque revinctos
In glaciem vidit latices; tum munus acerbum
Senſit, & inviſo votum damnavit in auro.
Ergo animi victus, Sequimur quocumque vocàris
Seu tu vir, ſeu Numen, ait: patriàque relictâ
Eoas juſſu Furiæ tendebat ad arces,
Inſtabiléſque olim Symplegadas, & freta remis
Inclita Theſſalicis quà celsâ Boſporus urbe
Splendet, & Odryſiis Aſiam diſtermiuat oris.
Ut longum permenſus iter, ductúſque maligno
Stamine fatorum claram ſubrepſit in aulam,
Ilicet ambitio naſci; diſcedere rectum;
Venum cuncta dari. profert arcana, clientes
Fallit & amoitos à principe vendit honores.
Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem
Nutrit, & exiguum ſtimulando vulnus acerbat.
Ac velut innumeros amnes accedere Nereus
Neſcit, & undantem quamvis hinc hauriat iſtrum,
Hinc bibat æſtivum ſepteno gurgite Nilum,
Par ſemper, ſimiliſque meat: ſic fluctibus auri
Expleri calor ille nequit. Cuſcunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent,
Rufino populandus erat, dominóque parabat
Exitium ſecundus ager; metuenda colonis
Fertilitas. Laribus pellit, detrudit avitis
Finibus, aut aufert vivis, aut occupat hæres.
Congeſtæ cumulantur opes, opibúſque rapinas
Accipit una domus, populi ſervire coacti,
Plenáque privato ſuccumbunt oppida regno.
Quò veſane ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Jungantur ſolium Cræſi, Cyríque tiara:
Numquam dives eris, numquam ſatiabere quæſtu.
Semper inops, quicumque cupit. contentus honeſto
Fabricius parvo ſpernebat munera Regum,
Sudabátque gravi Conſul Serranus aratro,
Et caſa pugnaces Curios anguſta tegebat.
Hæc mihi paupertas opulentior: hæc mihi tecta
Culminibus majora tuis. tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos. mihi donat ineruitas
Terrà dapes. rapiunt Tyrios ibi vellera fucos,
Et picturatæ ſaturantur murice veſtes:
Hìc radiant flores, & prati viva voluptas
Ingenio variata ſuo. fulgentibus illìc
Surgunt ſtrata toris: hìc mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura ſoporem.
Turba ſalutantum latas ibi perſtrepit ædes:
Hìc avium cantus, labentis munera rivi.
Vivitur exiguo melíus. natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.
Hæc ſi nota forent, frueremur ſimplice cultu:
Claſſica non fremerent: non ſtridula fraxinus iret:
Non ventus quateret puppes, non machina muros.
Creſcebat ſcelerata ſitis, prædæque recentis
Inceſtus flagrabat amor, nullúſque petendi
Cogendíve pudor, crebris perjuria nectit
Blanditiis: ſociat perituro fœdere dextras.
Si ſemel à tantis poſcenti quiſque negâſſet,
Effera prætumido quatiebat corda furore.
Quæ ſic Gætuli jaculo percuſſa leæna,
Aut Hyrcana premens raptorem bellua Parthum,
Aut ſerpens calcata furit! jurata Deorum
Majeſtas teritur: nuſquam reverentia menſæ,
Non conjux, non ipſe ſimul, non pignora caſa
Sufficiunt odiis: non extinxiſſe propinquos,
Non notos egiſſe fat eſt. exſcindere cives
Funditus, & nomen gentis delere laborat.
Nec celeri mittit leto: crudelibus antè
Suppliciis fruitur. cruciatus, vincla, tenebras,
Dilato mucrone parat. proh ſævior enſe
Parcendi rabies, conceſſáque vita dolori!
Mors adeóne parum? cauſis fallacibus inſtat:
Arguit attonitos ſe judice. cætera ſegnis,

Ad

Ad facinus velox: penitus regione remotas
Impiger ire vias. non illum Sirius ardens,
Brumáve Rhipæo ſtridens Aquilone retardat.
Effera torquebant avidæ præcordia curæ,
Effugeret ne quis gladios, neu perderet ullum
Auguſto miſerante nefas. non flectitur annis:
Non ætate labat. juvenum rorantia colla
Ante patrum vultus ſtrictâ cecidere ſecuri.
Ibat grandævus nato moriente ſuperſtes
Poſt trabeas exſul. quis prodere tanta relatu
Funera, quis cædes poſſit deflere nefandas?
Quid tale inmanes umquam geſſiſſe feruntur
Vel Sinis iſthmiacâ pinu, vel rupe profundâ
Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla?
O mites Diomedis equi: Buſiridis aræ
Clementes. jam Cinna pius, jam Sparthace lenis.
Rufino collatus eris. dejecerat amens
Occultis odiis terror, tacitſque ſepultos
Suſpirant gemitus, indignarſque verentur.
At non magnanimi virtus Stiliconis eodem
Fracta metu: medio ſolus ſed turbine rerum
Contra letiferos rictus, contráque rapacem
Movit tela feram, volucris non præpete curſu
Vectus equi, non Pegaſeis adjutus habenis.
Hic cunctis optata quies, hic ſola pericli
Turris erat, clypeúſque trucem porrectus in hoſtem.
Hic profugis ſedes, adverſáque ſigna furori,
Servandis hic caſtra bonis: hucuſque minatus
Hærebat, retróque fugâ cedebat inerti.
Haud ſecus hyberno tumidus cùm vortice torrens
Saxa rotat volvítque nemus, pontéſque revellit,
Frangitur objectu ſcopuli, quærénſque meatum
Spumat, & illisâ montem circumtonat undâ.
Quâ dignum te laude feram, qui penè ruenti,
Lapſuróque tuos humeros objeceris orbi?
Te nobis trepidæ ceu ſidus dulce carinæ
Oſtendere Dei, geminis quæ laſſa procellis
Tunditur, & victo trahitur jam cæca magiſtro.
Inachius rubro perhibetur in æquore Perſeus
Neptuni domuiſſe pecus; ſed tutior alis.
Te non penna vehit. rigidâ cum Gorgone Perſeus:
Tu non viperææ defenſus crine Meduſæ,
Illum vilis amor ſuſpenſæ virginis egit;
Te Romana ſalus. taceat ſuperata vetuſtas:
Herculeos conferre tuis jam deſinat actus.
Una Cleonæum paſcebat ſylva leonem.
Arcadiæ tantum vallabat dentibus unum
Sævus aper: túque ô compreſſâ matre rebellis
Non ultra Libyæ fines, Antæe, nocebas:
Soláque fulmineo reſonabat Creta juvenco,
Lernæámque virens obſederat Hydra paludem.
Hoc monſtrum non una palus, non una tremebat
Inſula: ſed Latiâ quidquid ditione ſubactum
Vivit, & à primis Ganges horrebat Iberis.
Hoc neque Geryones triplex, nec turbidus Orci
Janitor æquabunt, nec ſi concurrat in unum
Vis Hydræ, Scyllæque fames, & flamma Chimæræ.
Certamen ſublime diu, ſed moribus impar
Virtutum, ſceleréumque fuit. jugulare minatur:
Tu prohibes. ditem ſpoliat: tu reddis egenti.
Eruit: inſtauras. accendit præſia: vincis.
Ac velut infecto morbus crudeſcere cælo
Incipiens primos pecudum depaſcitur artus;
Mox populos urbéſque rapit, ventíſque peruſtis
Corruptos Stygiam peſtem defudat in amnes:
Sic avidus prædo jam non per ſingula ſævit;
Sed ſceptris inferre minas, omníque peremto
Milite, Romanas ardet proſternere vires.
Jam gentes Iſtrúmque movet, Scythiámque receptat
Auxilio, tradítque ſuas hoſtilibus armis
Reliquias. miſtis deſcendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Maſſagetes, cæſámque bibens Mæotida Alanus,
Membráque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus,
Rufino collecta manus. vetat ille domari,
Innectíque moras, & congrua tempora differt.
Nam tua cùm Geticas ſtraviſſet dextra catervas
Ulta Ducis ſocii letum, párſque una maneret
Debilior, facilíſque capi: tunc impius ille
Proditor imperii conjuratúſque Getarum
Diſtulit inſtantes eluto principe pugnas,
Hunnorum laturus opem: quos affore bello
Nôrat, & inviſis mox ſe conjungere caſtris.
Eſt genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaïn: quo non famoſius ullum
Arctos alit. turpes habitus, obſcenáque viſu
Corpora; mens duro numquam ceſſura labori.
Præda cibus, vitanda Ceres; frontémque ſecari
Ludus, & occilos pulcrum jurare parentes.
Nec plùs nubigenas duplex natura biformes
Cognatis optavit equis. acerrima nullo
Ordine mobilitas, inſperatique recurſus.
Quos tamen impavidus contra ſpumantis ad Hebri
Tendis aquas, ſic ante tubas ferrúmque precatus:
Mavors, pubifero ſeu tu procumbis in Æmo,
Seu te cana gelu Rhodope, ſeu remige Medo
Sollicitatus Athos, ſeu caligantia nigris
Ilicibus Pangæa tenent, accingere mecum,
Et Thracas defende tuos: ſi latior adſit
Gloria, veſtitâ ſpoliis donabere quercu.
Audiit illa pater, ſcopuliſque nivalibus Æmi
Surgit, & hortatur celeres clamore miniſtros.
Fer galeam, Bellona, mihi, nexúſque rotarum
Tende, Pavor: frena rapidos Formido jugales.
Feſtinas urgete manus. meus ecce paratur
Ad bellum Stilico, qui me de more tropæis
Ditat, & hoſtiles ſuſpendit in arbore crinas.
Communes ſemper hiti, communia nobis
Signa canunt, junctóque ſequor tentoria curru.
Sic fatus campo intiliit, latéque fugatas
Hinc Stilico turmas, illinc Gradivus agebant,
Et clypeis & mole pares. ſtat caſſis utrique
Sidereis hirſuta jubis, loricáque curſu
Æſtuat, & largo ſatiatur vulnere cornus.
Acrior interea voto, multóque Megæra
Luxuriata malo, mœſtâ deprendit in arce
Juſtitiam, diróque prior ſic ore laceſſit.
En tibi priſca quies, revocatáque ſecula rurſus,
Ut rebare, vigent. en noſtra potentia ceſſit,
Nec locus eſt uſquam Furiis. huc lumina flecte.
Adſpice barbaricis jaceant quot mœnia flammis,
Quas mihi Rufinus ſtrages, quantúmque cruoris
Præbeat, & quantis epulentur cædibus hydri.
Linque homines, ſortémque meam: pete ſidera: notis
Autumni te redde plagis, quâ vergit in Auſtrum
Signifer. æſtivo ſedes vicina Leoni
Jam pridem geminæque vacant confinia Libræ,
Atque utinam per magna ſequi convexa liceret.
Diva refert; Non ulteriùs bacchabere demens.
Jam pœnas tuus iſte dabit: jam debitos ultor
Imminet, & terras qui tunc, ipſúmque fatigat
Æthera; nec vili moriens condetur arenâ.
Jámque aderit læto promiſſus Honorius ævo.
Nec forti genitore minor, nec fratre coruſco:
Qui ſubigat Medos, qui cuſpide proterat Indos.
Sub juga venturi reges. calcabitur aſper
Phaſis equo, pontémque pati cogetur Araxes.
Túque ſimul gravibus ferri religata catenis
Expellere die, debellatáſque draconum
Tonſa jubas imo Barathri condere receſſu.
Tum tellus communis erit: tum limite nullo
Diſcernetur ager: nec vomere ſulcus aduncо
Findetur. ſubitis meſſor gaudebit ariſtis.
Rorabunt querceta favis: ſtagnantia paſſim
Vina fluent, oleſque lacus: nec murice tinctis
Velleribus quæretur honos: ſed ſponte rubebunt
Attonito paſtore greges, pontúmque per omnem
Ridebunt virides gemmis naſcentibus algæ.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

PANDITE defenſum reduces Helicona ſorores.
Pandite, permiſſis jam licet ire choris.
Nulla per Aonios hoſtilis buccina campos
Carmina mugitu deteriore vetat.
Tu quoque ſecuris pulsâ formidine Delphis,
Floribus ultorem Delie cinge tuum.
Nullus Caſtalios latices, & præſcia fati
Flumina polluto Barbarus ore bibit,
Alpheus latè rubuit, Siculúmque per æquor
Sanguineas belli rettulit unda notas.
Agnovítque novos abſens Arethuſa triumphos,
Et Geticam ſenſit telle cruore necem.

Im-

Immenſis, Stilico, ſuccedant otia curis,
Et noſtræ patiens corda remitte lyræ.
Nec pudeat longos interrupiſſe labores,
Et tenuem Muſis conſtituiſſe moram.
Fertur & indomitus tandem poſt prælia Mavors
Laſſa per Odryſias fundere membra nives,
Oblitúſque ſui, poſitâ clementior haſtâ,
Pieriis aures pacificare modis.

JAM poſt edomitas Alpes, defenſâque regna
Heſperiæ, meritâ complexus ſede parentem
Auctior adjecto fulgebat ſidere mundus,
Jámque tuis, Stilico, Romana potentia curis,
Et rerum commiſſus apex. tibi credita fratrum
Utraque majeſtas, geminæque exercitus aulæ.
Rufinus (neque enim patiuntur ſæva quietem
Crimina, polluteque negant areſcere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Inchoat, & ſolito pacem vexare tumultu.
Hæc etiam ſecum: Quânam ratione tuebor
Spem vitæ fragilem quâ tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odiis: hinc milite cingor.
Heu quid agam? non arma mihi, non principis ullus
Auxiliatur amor. matura pericula ſurgunt
Undique, & impoſiti radiant cervicibus enſes.
Quid reſtat, niſi cuncta novo confundere luctu,
Inſontéſque meæ populos miſcere ruinæ?
Everſo juvat orbe mori. ſolatia leto
Exitium commune dabit: nec territus antè
Decedam. cum luce ſimul liquenda poteſtas.
Hæc fatus, ventis veluti ſi frena remittat
Æolus, abrupto gentes ſic objice fudit,
Laxavítque viam bellis, &, ne qua maneret
Immunis regio, cladem diviſit in urbes,
Diſpoſuítque nefas. alii per terga ferocis
Danubii ſolidata ruunt, expertáque remos
Frangunt ſtagna rotis. alii per Caſpia clauſtra,
Armeniáſque nives inopino tramite ducti
Invadunt Orientis opes. jam paſcua fumant
Cappadocum, volucrúmque parens Argeus equorum.
Jam rubet altus Halys: nec ſe defendit iniquo
Monte Cilix. Syriæ tractus vaſtantur amœni:
Aſſuetúmque choris, & lætâ plebe canorum
Proterit imbellem ſonipes hoſtilis Orontem.
Hinc planctus Aſiæ: Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur, frondentis aduſque
Dalmatiæ fines: omnis quà mobile Ponti
Æquor, & Hadriacas tellus interjacet undas,
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Inſtar anhelantis Libyæ, quæ, torrida ſemper
Solibus, humano neſcit manſueſcere cultu.
Theſſalus ardet ager. reticet paſtore fugato
Pelion. Emathias ignis populatur ariſtas.
Jam plaga Pannoniæ, miſerandáque mœnia Thracum,
Arváque Myſorum. jam nulli flebile damnum,
Sed curſus ſolennis erat, campúſque furori
Expoſitus, ſenſúmque malis detraxerat uſus.
Heu quàm brevibus pereunt ingentia fatis!
Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners anguſto tempore vertit.
Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Chalcedonias contrà deſpectat arenas,
Jam non finitimo Martis terrore movetur;
Sed propiùs lucere faces, & rauca ſonare
Cornua, vibratſſque peti faſtigia telis
Adſpicit. hi vigili muros ſtatione tueri,
Hi junctis properant portus munire carinis.
Obſeſſâ tamen ille ferus lætatur in urbe,
Exſultátque malis. ſummóque è culmine turris
Impia vicini cernit ſpectacula campi.
Vinctas ire nurus, hunc in vada proxima mergi
Seminecem, hunc ſubito percuſſum vulnere labi,
Dum fugit, hunc animam portis efflare ſub ipſis,
Nec canos prodeſſe ſeni, puerſque cruore
Maternos undare ſinus. immenſa voluptas,
Et riſus plerumque ſubit. dolor afficit unus,
Quod feriat non ipſe manu. videt omnia latè
Exceptis incenſa ſuis, & crimine tanto
Luxuriat, carúmque ſibi non abnuit hoſtem.
Jactabátque ultro, quòd ſoli caſtra paterent,
Sermonúmque foret vicibus permiſſa poteſtas,
Egregii quoties exiſtet fœderis auctor.

Stipatur ſociis, circúmque armata clientum
Agmina privatis ibant famulantia ſignis.
Ipſe inter medios, ne quâ de parte relinquat
Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles,
Frenáque, & immanes pharetras, arcúſque ſonoros
Aſſimulat, mentémque palàm teſtatur amictu.
Nec pudet Auſonios currus & jura regentem
Sumere deformes ritus, veſtémque Getarum:
Inſignémque habitum Latii mutare coactæ
Mœrent captivæ pellito judice leges.
Quis populi tunc vultus erat? quæ murmura furtim?
Nam miſeris nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet. quónam uſque feremus
Exitiale jugum? diræ quis terminus unquam
Sortis erit? quis nos funeſto turbine rerum
Aut tantis ſolvet lacrymis? quos Barbarus illinc,
Hinc Rufinus agit: quibus arva fretúmque negantur.
Magna quidem per rura lues; ſed major oberrat
Intrà tecta timor. tandem ſuccurre ruenti
Heu patriæ, Stilico. dilecta hìc pignora certè,
Hìc domus: hìc thalamis primum genialibus omen.
Hìc tibi felices erexit regia tedas.
Vel ſolus ſperate veni. te prælia viſo
Langueſcent, avidſque cadet dementia monſtri.
Talibus urgetur diſcors Aurora procellis.
At Stilico, Zephyris cùm primùm bruma remitti
Et juga diffuſis nudari cœpta pruinis,
Partibus Italiæ tranquillâ in pace locatis,
Utraque caſtra movens, Phœbi properabat ad ortus,
Gallica diſcretis Eoáque robora turmis
Complexus. numquam tantæ ditione ſub unâ
Convenere manus, nec tot diſcrimina vocum.
Illinc Armeniæ vibratis crinibus alæ
Herbida collectæ facili velamina nodo.
Indè truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus,
Quóſque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æſtu.
Mens eadem cunctis, animíque recentia ponunt
Vulnera. non odit victus, victórve ſuperbit.
Et quamvìs præſens tumor, & civilia nuper
Claſſica, bellatríxque etiam nunc ira caleret,
In ducis eximium conſpiravere favorem.
Haud aliter Xerxen toto ſimul orbe ſecutus
Narratur rapuiſſe vagos exercitus amnes,
Et telis umbrâſſe diem, cùm claſſibus iret
Per ſcopulos, tectúmque pedes contemneret æquor.
Vix Alpes tranſgreſſus erat, nec jam ampliùs errat
Barbarus, adventúmque tremens, ſe cogit in unam
Planitiem, tutóque includit paſcua gyro.
Tum duplicem foſſam non exſuperabile vallum
Aſperat alternis ſudibus, murſque locata
In ſpeciem cæſis obtendit plauſtra juvencis.
At procul exſanguis Rufinum perculit horror:
Infectæ pallore genæ. ſtetit ore gelato
Incertus peterétne fugam, veniámne ſubactus
Poſceret, an fidos ſeſe transferret in hoſtes.
Quid nunc divitiæ, quid fulvi vaſta metalli
Congeries, quid purpureis effulta columnis
Atria, prolateve juvant ad ſidera moles?
Audit iter, numerátque dies, ſpatióque viarum
Metitur vitam. torquetur pace futurâ,
Nec recipit ſomnos, & ſæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnámque luit formidine pœnæ.
Sed redit in rabiem ſcelerúmque immane reſumit
Ingenium, ſacráſque fores prædivitis aulæ
Intrat, & Arcadium miſto terrore precatur.
Per fratris regale jubar, per facta parentis
Ætherii, floremque tui te deprecor ævi,
Eripe me gladiis. liceat Stiliconis iniquas
Evitare minas. in noſtram Gallia cædem
Conjurata venit. quidquid ligat ultima Tethys,
Extremos ultra volitat gens ſi qua Britannos,
Mota mihi: tantis capiendi credimur armis?
Tot ſignis unum petitur caput? unde cruoris
Iſta ſitis? geminum cæli ſibi vindicat axem,
Et nullum vult eſſe parem. ſuccumbere poſcit
Cuncta ſibi. regit Italiam, Libyéque coërcet:
Hiſpanis Galliſque jubet. non orbita Solis,
Non illum natura capit. quaſcumque paravit
Hic Auguſtus opes, &, quas poſt bella recepit,
Solus habet. poſſeſſa ſemel non reddere curat.
Scilicet ille quidem tranquillâ pace fruatur:

Nos premat obſidio? quid partem invadere tentat?
Deſerat Illyricos fines; Eoa remittat
Agmina; fraternas ex æquo dividat haſtas;
Nec ſceptri tantùm fueris, ſed militis, hæres.
Quòd ſi diſſimulas noſtræ ſuccurrere morti,
Nec prohibere paras: Manes & ſidera teſtor,
Hæc cervix non ſola cadet. miſcebitur alter
Sanguis, nec Stygias ferar incomitatus ad umbras,
Nec mea ſecurus ridebit funera victor.
Hæc ubi: dictatur facinus, miſſúſque repentè
Qui ferat extortas invito principe voces.
Interea Stilico jam lætior hoſte propinquo,
Nec multo ſpatii diſtantibus æquore vallis,
Pugnandi cupidas accendit voce cohortes.
Armeniis frons læva datur; per cornua Gallos
Dexteriora locat. ſpumis igneſcere frena,
Pulveris extolli nimbos, latéque videres
Surgere purpureis undantes anguibus haſtas,
Serpentúmque vago cælum ſævire volatu.
Implet Theſſaliam ferri nitor, antráque docti
Cornipedis, teneróque amnis raptatus Achilli,
Et nemus OEtæum radiat, clamore nivalis
Oſſa tonat, pulſóque fragor geminatur Olympo.
Intumuit virtus, & lucis prodigus arſit
Impetus. haud illos rupes, haud alta vetarent
Flumina. præcipiti ſtraviſſent omnia curſu.
His ſi tunc animis acies collata fuiſſet,
Prodita non tantas vidiſſet Græcia clades:
Oppida ſemoto Pelopeïa Marte vigerent:
Starent Arcadiæ, ſtarent Lacedæmonis, arces:
Non mare fumâſſet geminum flagrante Corintho:
Nec fera Cecropias traxiſſent vincula matres.
Illa dies potuit noſtris imponere finem
Cladibus, & ſceleris cauſas auferre futuri.
Invida, proh, quantum rapuit Fortuna triumphum.
Inter equos, intérque tubas mandata feruntur
Regia, & armati veniunt ductoris ad aures.
Obſtupuit. ſimul ira virum, ſimul obruit ingens
Mœror, & ignavo tantum licuiſſe nocenti
Miratur. dubios anceps ſententia volvit
Eventus: peragit pugnas, an fortia cœpta
Deſerat? Illyricis ardet ſuccurrere damnis:
Præceptis obſtare timet. reverentia frangit
Virtutis ſtimulos. hinc publica commoda ſaudent,
Hinc metus invidiæ. tandem indignatus ad aſtra
Extollit palmas, & ab imo pectore fatur:
Numina Romanis necdum ſatiata ruinis,
Si juvat imperium penitus de ſtirpe revelli,
Uno ſi placuit deleri ſæcula lapſu,
Sic piget humani generis; prorumpat in arva
Libertas effrena maris, vel limite juſto
Devius errantes Phaëthon confundat habenas.
Cur per Rufinum geritur? procumbere mundum
Hôc auctore pudet. mediis revocamur ab armis,
Proh dolor, & ſtrictos deponere cogimur enſes.
Vos arſuræ urbes, perituráque mœnia teſtor.
Cedo equidem, & miſerum permitto caſibus orbem,
Flectite ſigna, duces. redeat jam miles Eous.
Parendum. taceant litui. prohibete ſagittas.
Parcite contiguo, Rufinus præcipit, hoſti.
His dictis, omnes unà fremuere manipli:
Quantùm non Italo percuſſa Ceraunia fluctu:
Quantùm non madidis elidà tonitrua Coris.
Secerníque negant, ereptáque prælia poſcunt;
Inſignémque ducem populus defendit uterque,
Et ſibi quiſque trahit. magno certatur amore,
Alternámque fidem non illaudata laceſſit
Seditio, talſque ſimul clamore queruntur:
Quis mihi nudatos enſes, quis tela lacertis
Excutit, & ſolvi curvatos imperat arcus?
Quiſnam audet leges vibrato imponere ferro?
Inflammata ſemel neſcit miteſcere virtus.
Jam mihi barbaricos ſitientia pila cruores
Sponte volant, ultrúsque manus mucrone ruenti
Ducitur, & ſiccum gladium vagina recuſat.
Num patiar? ſempérne Getis diſcordia noſtra
Proderit? en iterum belli civilis imago..
Quid conſanguineas acies, quid dividis olim
Concordes aquilas? non diſſociabile corpus,
Conjunctúmque ſumus. te, quo libet ire, ſequemur.
Te vel Hyperboreo damnatam ſidere Thulen,
Te vel ad incenſas Libyæ comitabor arenas.
Indorum ſi ſtagna petas, rubríque receſſus
Litoris, auriferum veniam poturus Hydaſpen.

Si caleare Notum, ſecretáque litora Nili
Naſcentis jubeas, mundum poſt terga relinquam.
Et quocumque loco Stilico tentoria figet,
Hìc patria eſt. Dux indè vetat: Deſiſtite, quæſo,
Atque avidam differte manum. cadat iſte minacis
Invidiæ cumulus. non eſt victoria tanti,
Ut videar viciſſe mihi. vos, fida juventus,
Ite mei quondam ſocii. nec plura locutus
Flexit iter; vacuo qualis diſcedit hiatu
Impatiens remeare leo, quem plurima cuſpis,
Et paſtorales pepulerunt igne catervæ,
Inclinátque jubas, dimiſſáque lumina velat,
Et trepidas mœſto rimatur murmure ſylvas.
Ut ſeſe legio vidit disjuncta relinqui,
Ingentem tollit gemitum, galeáſque ſolutis
Humectat lacrymis, preſſámque morantia vocem
Thoracum validos pulſant ſuſpiria nexus.
Tradimur, heu, tantúmque ſequi prohibemur amorem,
Exclamant, ſpernſſque tuas Dux optime dextras,
Quas tibi victrices toties Bellona probavit?
Nos adeò viles? adeò felicior axis
Heſperius, meruit qui te rectore teneri?
Quid nobis patriam, quid cara reviſere tandem
Pignora, dilectóſve juvat coluiſſe penates?
Te ſinè dulce nihil. jam formidata tyranni
Tempeſtas ſubeunda mihi: qui fortè nefandas
Jam parat inſidias: qui nos aut turpibus Hunnis,
Aut impacatis famulos præſtabit Alanis.
Quamquam non adeò robur defecerit omne,
Tantáve geſtandi fuerit penuria ferri.
Tu licèt occiduo maneas ſub cardine Solis,
Tu mihi dux ſemper, Stilico, noſtrámque vel abſens
Experiere fidem. dabitur tibi debita pridem
Victima. promiſſis longùm placabere ſacris.
Triſtior Æmoniis miles digreſſus ab oris
Tangebat Macetum fines, muróſque ſubibat
Theſſalonica tuos. ſenſu dolor hæret in alto
Abditus, & tacitas vindictæ præſtruit iras,
Spectatúrque favens odiis locus, aptáque leto
Tempora, nec quiſquam tantâ de pube repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quæ non poſteritas, quæ non mirabitur ætas
Tanti conſilium vulgi potuiſſe taceri,
Aut facinus tam grande tegi? mentíſque calorem
Non ſermone viæ, non inter pocula rumpi?
Æqualis tantam tenuit conſtantia turbam,
Et fuit arcanum populo. percurritur Hebrus,
Deſeritur Rhodope, Thracúmque per ardua tendunt,
Donec ad Herculei perventum nominis urbem.
Ut ceſſiſſe ducem, propiùs veniſſe cohortes,
Cognita Rufino: magnâ cervice triumphat,
Omnia tuta ratus ſceptrúmque capeſſere fervet,
Et conjuratos accendit voce clientes:
Vicimus: expulimus. facilis jam copia regni.
Nullus ab hoſte timor. quis enim quem poſcere ſolum
Horruit, hunc tanto munitum milite vincat?
Quis ferat armatum, quem non ſuperavit inermem?
I nunc, exitium nobis meditare remotus
Incaſſum, Stilico. dum nos longiſſima tellus
Dividat, & mediis Nereus interſtrepat undis,
Alpinas tranſire tibi me ſoſpite rupes
Haud dabitur. jaculis illinc me figere tenta.
Quære ferox enſem, qui noſtra ad mœnia tendi
Poſſit ab Italiâ. non te documenta priorum,
Non exempla vetant? quis par conatus adire
His jactat vitâſſe manus? detruſimus orbe
Te medio, tantíſque ſimul ſpoliavimus armis.
Nunc epulas tempus, ſocii, nunc larga parare
Munera, donandúmque novis legionibus aurum.
Opportuna meis oritur lux craſtina votis.
Quod nolit, Rex ipſe velit, jubeárque coactus
In partem mihi regna dari. contingat in uno
Privati fugiſſe modum, crimenque tyranni.
Talibus acclamant dictis infame nocentum
Concilium, qui perpetuis crevere rapinis,
Et quos una facit Rufino cauſa ſodales,
Illicitum duxiſſe nihil. delicta fuere
Nexus amicitiæ. jam jam connubia læti
Deſpondent aliena ſibi, fruſtráque viciſſim
Promittunt quas quiſque petat, quas devoret urbes.
Cœperat humanos alto ſopire labores
Nox gremio, pigráſque ſopor diffuderat alas.
Ille diu curis animum ſtimulantibus ægrum
Labitur in ſomnos. vix toto corde quiérat,

Ecce

Ecce videt diras allodere protinus umbras,
Quas dedit ipſe neci: quarum, quæ clarior, una
Viſa loqui: proh ſurge toro: quid plurima volvis
Anxius? hæc requiem rebus finémque labori
Allatura dies. omni jam plebe redibis
Altior, & læti manibus portabere vulgi.
Has canit ambages: occulto fallitur ille
Omine, nec capitis ſentit præſagia fixi.
Jam ſummum radiis ſtringebat Lucifer Æmum,
Feſtinámque rotam ſolito properantior urget,
Tandem Rufini viſurus funera Titan.
Deſiluit ſtratis, denſæque capacia turbæ
Atria regifico juſſit ſplendere paratu
Exceptura dapes, &, quod poſt vota daretur,
Inſcribi propriis aurum fatale figuris.
Ipſe ſalutatum reduces poſt prælia turmas
Jam regale tumens, & principe celſior, ibat,
Colláque femineo jactabat mollia geſtu,
Imperii certus: tegeret ceu purpura dudum
Corpus, & ambirent ardentes tempora gemmæ.
Urbis ab anguſto tractu, quà vergit in Auſtrum,
Planities vicina patet. nam cætera Pontus
Circuit, exiguo dirimi ſe tramite paſſus.
Hic ultrix acies ornatu fulgida Martis
Explicuit cuneos. pedites in parte ſiniſtrâ
Conſiſtunt: equites illic poſcentia curſum
Ora reluctantur preſſis ſedare lupatis.
Hic alii ſævum criſtato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit, formátque chalybs. conjuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis viſu. credas ſimulacra moveri
Ferrea, cognatóque viros ſpirare metallo.
Par veſtitus equis. ferratâ fronte minantur,
Ferratóſque levant ſecuri vulneris armos,
Diviſo ſtat quiſque loco. metuenda voluptas
Cernenti, pulchérque timor; ſpiríſque remiſſis
Manſueſcunt varii vento ceſſante dracones.
Auguſtus veneranda prior vexilla ſalutat.
Rufinus ſequitur, quo fallere cuncta ſolebat
Callidus affatu, devotáque brachia laudat
Nomine quemque vocans: natóſque patréſque reverſis
Nuntiat incolumes. illi, dum plurima ficto
Certatim ſermone petunt, extendere longos
A tergo flexus inſperatóque ſuprema
Circuitu ſociare parant: decreſcere campus
Incipit, & clypeis in ſe redeuntia junctis
Curvo paulatim ſinuantur cornua ductu.
Sic ligat immenſâ viridis indagine ſaltus
Venator, ſic attonitos ad litora piſces
Æquoreus populator agit, raróſque plagarum
Contrahit anfractus, & hiantes colligit ores.
Excludunt alios. cingi ſe fervidus ille
Neſcit adhuc, gravitérque apprenſâ veſte morantem
Increpat Auguſtum: ſcandat ſublime tribunal:
Participem ſceptri, ſocium declaret honoris.
Cùm ſubitò ſtringunt gladios, vox deſuper ingens
Infremuit: Nobis etiam, deterrime, nobis
Speráſti famulas imponere poſſe catenas?
Unde redi neſcis? patiárne audire ſatelles,
Qui leges aliis, libertatémque reduxi?
Bis domitum civile nefas, bis rupimus Alpes.
Tot nos bella docent nulli ſervire tyranno.
Diriguit. ſpes nulla fugæ. ſeges undique ferri
Circumfuſa micat. dextrâ lævâque revinctus
Hæſit, & enſiferæ ſtupuit mucrone coronæ.
Ut fera, quæ montes nuper dimiſit avitos,
Altorúmque exul nemorum, damnatur arenæ
Muneribus, commota ruit: vir murmure contrà
Hortatur, nixúſque genu venabula tendit.
Illa pavet ſtrepitus, cuneóſque erecta theatri
Reſpicit, & tanti miratur ſibila vulgi.
Unus per medios audendi pronior enſis
Proſilit exerto, dictíſque, &. vulnere torvus
Hâc petit, hâc Stilico, quem jactas pellere, dextrâ
Te ferit: hôc abſens invadit viſcera ferro.
Sic fatur, meritóque latus tranſverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauſerit, & feſſi pœnam libaverit orbis.
Mox omnes fodiunt haſtis, artúſque trementes
Dilaniant, uno tot corpore pila tepeſcunt:
Et non infecto puduit mucrone reverti.
Hi vultus avidos, & adhuc ſpirantia vellunt
Lumina: truncatos alii rapuere lacertos.

Amputat ille pedes, humerum quatit ille ſolutis
Nexibus: hic fracti reſecat curvamina dorſi.
Hic jecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
Pulmonis latebras. ſpatium non invenit ira,
Nec locus eſt odiis, conſumpto funere vix tum
Deſeritur, ſparſíſque perit per tela cadaver.
Sic mons Aonius rubuit, cùm Penthea ferrent
Mænades, aut ſubito mutatum Actæona cornu
Traderet inſanis Latonia viſa Moloſſis.
Criminibúſne tuis ſperas fortuna mederi?
Et malè donatum certas æquare favorem
Suppliciis? unâ tot millia morte rependis?
Everſis agedum Rufinum divide terris.
Da caput Odryſiis, truncum mereantur Achivi.
Quid reliquis dabitur? nec ſingula membra peremtis
Sufficiunt populis. vacuo plebs obvia muro,
Jam ſecura, ruit. ſenibus non obſtitit ætas,
Virginibúſve pudor. viduæ, quibus ille maritos
Abſtulit, orbataque ruunt ad gaudia matres,
Inſultántque alacres. laceros juvat ire per artus,
Preſſáque calcato veſtigia ſanguine tingi.
Nec minùs aſſiduis flagrant elidere ſaxis
Prodigiale caput, quod jam de cuſpide ſummâ
Nutabat, dignâ rediens ad mœnia pompâ.
Dextera quinetiam ludo conceſſa vagatur
Æra petens, fraudéſque animi perſolvit avari
Terribili lucro, vivóſque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.
Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,
Inſtabiléſque Deos, ac lubrica Numina diſcat,
Illa manus, quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,
Cujus ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas, inhumata diu, miſeróque revulſa
Corpore feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Adſpiciat quiſquis nimiùm ſublata ſecundis
Colla gerit. triviis calcandus ſpargitur ecce,
Qui ſibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura ſuos extruxit culmina Manes,
Et, qui Sidonio velari credidit oſtro,
Nudus paſcit aves. jacet en, qui poſſidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, nuſquam totiéſque ſepultus.
Senſerunt convera necem, telláſque nefandum
Amolitur onus. jam reſpirantibus aſtris,
Infernos gravat umbra lacus. puter Æacus horret,
Intranténque etiam latratu Cerberus urget.
Tunc animæ, quas ille fero ſub jure peremit,
Circumſtant, nigríque trahunt ad judicis urnam,
Infeſto fremitu. veluti paſtoris in ora
Commotæ glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennáſque cient, & ſpicula tendunt,
Et tenuis ſaxi per propugnacula cinctæ
Rimoſam patriam, dilectáque pumicis antra
Defendunt, pronóque favos examine velant.
Eſt locus, infaustis quò conciliantur in unum
Cocytos Phlegethónque vadis: immanes uterque
Alveus. hic volvit lacrymas; hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, ſolitóque rigens adamante ſiniſtrum
Proluit igne latus. dextrâ Cocytia findit
Æquora, triſte gemens, & fletu concita plangit.
Huc poſt emeritam mortalia ſecula vitam
Deveniunt. ibi nulla manent diſcrimina fati,
Nullus honos, vanóque exutum nomine Regem
Proturbat plebeius egens. quæſitor in alto
Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos,
Et juſtis dirimit ſontes: quos nolle fateri
Viderit, ad rigidi tranſmittit verbera fratris.
Nam juxtà Rhadamantus agit. cùm geſta ſuperni
Curriculi, totóſque diu perſpexerit actus;
Exæquat damnum meritis, & mutua ferarum
Cogit vincla pati. truculentos ingerit urſis,
Prædonéſque lupis. fallaces vulpibus addit.
At qui deſidiâ ſemper vinóque gravatus
Indulgens Veneri voluit torpeſcere luxu,
Hunc ſuis immundi pingues detrudit in artus.
Qui juſto plùs eſſe loquax, arcanáque ſuevit
Prodere, piſcoſas fertur victurus in undas,
Ut nimiam penſent æterna ſilentia vocem.
Quos ubi per varias annis ter mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine; tandem
Rurſus ad humanæ revocat primordia formæ.
Tum quoque, dum lites, Stygiíque negotia ſolvit
Dura fori, veteréſque reos ex ordine quærit,

Rufinum procul ecce notat: visúque severo
Lustrat, & ex imo concussâ sede profatur.
Huc superûm labes, hùc insatiabilis auri
Proluvies, pretióque nihil non ause parato.
Quódque mihi summum scelus est, hùc improbe legum
Venditor, Arctoi stimulator perfide Martis,
Cujus ob innumeras strages angustus Averni
Jam sinus, & plenâ lassatur portitor alno.
Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago,
Nec sese commissa tegunt. genus omne dolorum
In te ferre lubet. dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu. volucer te torqueat axis.
Te refugi fallant latices, atque ore natanti
Aresçat decepta sitis, dapibúsque relictis
In tua mansurus migret præcordia vultur.
Quamquam omnes alii, quos hæc tormenta fatigant,
Pars quota sint, Rufine, tui; quid tale vel audax
Fulmine Salmoneus, vel linguâ Tantalus egit,
Aut inconcesso Tityos deliquit amore?
Conctorum si facta simul jungantur in unum,
Præcedes numero. cui tanta piacula quisquam
Supplicio conferre valet? quid denique dignum
Omnibus inveniam, vincant cùm singula pœnas?
Tollite de mediis animarum dedecus umbris,
Adspexisse fas est. oculis jam parcite nostris,
Et ditis purgate domos. agitate flagellis
Trans Styga, trans Erebum. vacuo mandate Barathro
Infra Titanum tenebras, infráque recessus
Tartareos, nostrúmque Chaos: quà noctis opacæ
Fundamenta latent, penitúsque immersus anhelet,
Dum rotet astra polus, feriant dum littora venti.

De Tertio Consulatu Honorii Augusti Panegyris.

PRÆFATIO.

Parvos non aquilis fas est educere fetus
Ante fidem Solis, judiciúmque poli.
Nam pater, excusso saliit cùm tegmine proles,
Ováque maternus rupit hiulca tepor,
Protinus implumes convertit ad æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, & luce magistrâ
Natorum vires ingeniúmque probat.
Degeneres refugo torsit qui lumine visus,
Unguibus hunc sævis ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem;
Nutritur volucrúmque potens & fulminis hæres,
Gesturus summo tela trisulca Jovi.
Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris
Audet magna suo mittere Roma Deo.
Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,
Et chelys Augusto judice nostra sonat.

Tertia Romulei sumant exordia fasces,
Térque suas ducat bellatrix pompa curules.
Festior annus erat, cinctúsque imitata Gabinos
Dives Hydaspeis augescat purpura gemmis.
Succedant armis trabeæ: tentoria lictor
Ambiat, & Latiæ redeant ad signa secures.
Túque, ô, qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre regis, procede secundis
Alitibus, Phœbíque novos ordire meatus,
Spes votúmque poli, quem primo à limine vitæ
Nutrix aula fovet: strictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
Ardua privatos nescit fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit cognata potestas.
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro,
Lustravítque tuos aquilis victricibus ortus
Miles, & in mediis cunabula præbuit hastis.
Te nascente ferox toto Germania Rheno
Intremuit, movítque suas formidine sylvas
Caucasus, & positis numen confessa pharetris
Ignavas meroë traxit de crine sagittas.
Reptásti per scuta puer, regúmque recentes
Exuviæ tibi ludus erant, primúsque solebas
Aspera complecti torvum post prælia patrem,
Signa triumphato quoties flexisset ab Istro
Arctoâ de strage calens, & poscere partem
De spoliis, Scythicóve arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, vel jaculum Daci, vel frena Suevi.
Ille coruscanti clypeo te sæpe volentem
Sustulit arridens, & pectore pressit anhelo
Intrepidum terri, galeæ nec triste timentem
Fulgur, & ad fulminas tendentem brachia cristas.
Tum sic lætus ait: Rex ô stellantis Olympi,
Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
Hyrcanas populatus opes, aut cæde superbus
Assyriâ. sic ense rubens, sic flamine crebro
Turbidus, & grato respersus pulvere belli,
Armáque gavisо referat captiva parenti.
Mox ubi firmâsti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed nova per duros instruxit membra labores,
Et crudâ teneros exercuit indole vires:
Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, tranare sonoras
Torrentum furias, adscensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles & concava saltu.
Nec non in clypeo vigiles producere noctes,
In galeâ potare nives; nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Balearî spargere fundâ.
Quóque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui numerabat avi, quem littus adustæ
Horrescit Libyæ, ratibúsque impervia Thule.
Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotúmque vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas,
Et geminis fulgens utroque sub axe tropæis
Tethyos alternæ refluas calcavit arenas.
Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,
Hæc exempla dabat. non ocyùs hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes,
Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.
Interea turbata fides, civilia rursus
Bella tonant, dubiúmque quatit discordia mundum.
Proh crimen superûm, longi proh dedecus ævi,
Barbarus Hesperias exul possederat urbes,
Sceptráque dejecto dederat Romana clienti.
Jam Princeps molitur iter, gentésque remotas
Colligit Auroræ, tumidus quascunque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halys; quas ditat Orontes.
Turiferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.
Quæ tibi tunc Martis rabies, quantúsque sequendi
Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas, campíque cruentâ
Tempestate frui, truncisque immergere plantas?
Ut Leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat
Uberibus solitum pasci, cùm crescere sensit
Ungue pedes, & terga jubis, & dentibus ora;
Jam negat imbelles epulas, & rupe relictâ
Gætulo comes ire patri, stabulisque minari
Æstuat, & celsi tabo sordere juvenci.
Ille vetat, rerúmque tibi commendat habenas,
Et sacro meritos ornat diademate crines.
Tantáque se rudibus pietas ostendit in annis,
Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes
Imperium tibi serò datum. victoria velox
Auspiciis effecta tuis. pugnâstis uterque:
Tu fatis, genitórque manu. te propter & Alpes
Invadi faciles. cauto nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis. spes irrita valli
Concidit, & scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis

Obruit

Obruit adverſas acies, revolutáque tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit haſtas.
O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes; cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.
Alpinæ rubuere nives, & frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbâque cadentum
Staret, ni rapidus paviſſet flumina ſanguis.
At ferus inventor ſcelerum trajecerat altum
Non uno mucrone latus, duplérque tepebat
Enſis, & ultrices in ſe converterat iras,
Tandem juſta manus. jam libertate reductâ,
Quamvis emeritum peteret natura reverti
Numen, & auratas aſtrorum panderet arces,
Nutarétque oneri venturo conſcius Atlas,
Diſtulit Auguſtus cupido ſe credere cœlo,
Dum tibi pacatum præſenti traderet orbem:
Nec mora; Biſtoniis alacer conſurgis ab oris,
Inter Barbaricas auſus tranſire cohortes
Impavido vultu. linquis Rhodopeïa ſaxa
Orpheis animata modis: juga deſeris Oetes
Herculeo damnata rogo: pòſt Pelion intras
Nereis illuſtre toris. te pulcher Enipeus
Celſáque Dodone ſtupuit, rurſúſque locutæ
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.
Illyrici legitur plaga littoris: arva teruntur
Dalmatiæ: Phrygii numerantur ſtagna Timavi.
Gaudent Italiæ ſublimibus oppida muris
Adventu ſacrata tuo. ſubmiſſus adorat
Eridanus, blandóſque jubet miteſcere fluctus,
Et Phaëthontæas ſolitæ deflere ruinas
Roſcida frondoſæ revocant electra ſorores.
Quanti tum juvenes, quantæ ſprevere pudorem
Spectandi ſtudio matres, puerſque ſeveri
Certavere ſenes, cùm tu genitoris amico
Exceptus gremio mediam veherere per urbem,
Velarétque pios communis laurea currus.
Quis non Luciferum roſeo cum Sole videri
Credidit, aut junctum Bromio radiare Tonantem?
Floret criſtatis exercitus undique turmis,
Quiſque ſuâ te voce canens. præſtringit ænea
Lux oculos, nudíque ſeges Mavortia ferri
Ingeminat ſplendore diem. pars nobilis arcu,
Pars longè jaculis, pars cominus horrida contis.
Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant, multúſque tumet per nubila ſerpens
Iratus ſtimulante Noto; viviſque receptis
Flatibus, & vario mentitur ſibila tractu.
Ut ventum ad ſedes; cunctos diſcedere tectis
Dux jubet, & generum compellat talibus ultro:
Bellipotens Stilico, cujus mihi robur in armis,
Pace probata fides. quid enim per prælia geſſi
Te finé? quem merui te non ſudante triumphum?
Odryſium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine, Sarmaticas pariter proſtravimus alas,
Rhipæâque ſimul feſſos porreximus artus
In glacie, ſtantémque rotâ ſulcavimus Iſtrum.
Ergo age, me quoniam cæleſtis regia poſcit,
Tu curis ſuccede meis, tu pignora ſolus.
Noſtra fove, geminos dextrâ tu protege fratres.
Per conſanguineos thalamos, nocténque beatum,
Per tedas, quas ipſa tuo Regina levavit
Conjugio, ſociâque nurum produxit ab aulâ,
Indue mente patrem, creſcentes dilige fetus,
Ut ducis, ut ſoceri. jam jam ſecurus ad aſtra
Te cuſtode ferar, ruptâ ſi mole Typhœus
Vinclis proſiliat, Tityos ſi membra reſolvat,
Si furor Enceladi projectâ mugiat Ætnâ,
Oppoſito Stilicone cadant. nec plura locutus,
Sicut erat, liquido ſignavit tramite nubes,
Ingreditúrque globum Lunæ, limenque reliquit
Arcados, & Veneris clementes advolat auras.
Hinc Phœbi permenſus iter, flammámque nocentem
Gradivi, placidúmque Jovem, ſtetit arce ſuprema,
Algenti quà zona riget Saturnia tractu.
Machina laxatur cæli, rutilæque pateſcunt
Sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes.
Auſtrales reſerat portas ſuccinctus Orion,
Invitántque novum ſidus, pendéntque viciſſim,
Quas partes velit ille ſequi, quibus eſſe ſodalis
Dignetur ſtellis, aut quâ regione morari.
O decus ætherium, terrarum gloria quondam?
Te tuus Oceanus natali gurgite laſſum
Excipit, & notis Hiſpania proluit undis.
Fortunate parens, primos cùm detegis ortus,
Adſpicis Arcadium: cùm te proclivior urges,
Occiduum viſus remoratur Honorius ignem.
Et quocunque vagos flectas ſub cardine curſus,
Natorum per regna venis, qui mente ſerenâ,
Maturóque regunt victas moderamine gentes;
Secula qui rurſus forment meliore metallo.
Luget avaritiæ Stygiis innexa catenis,
Cúmque ſuo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes: non corrumpentia ſenſus
Dona valent. emitur ſolâ virtute poteſtas.
Unanimi fratres, quorum mare terráque fatis
Debentur, quodcumque manus evaſit avitas,
Quod ſupereſt patri. vobis jam Mulciber arma
Præparat, & Siculâ Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exaſperat ægida ſignis:
Altum fulmineâ criſpare in cuſpide conum
Feſtinat Steropes: nectit thoraca Pyracmon;
Igniſluſque gemit Lipare famoſa cavernis.
Vobis Ionià virides Neptunus in algâ
Nutrit equos, qui ſumma freti per cærula poſſint
Ferre viam, ſegetémque levi percurrere motu,
Neſciat ut ſpumas, nec proterat ungula culmos.
Jam video Babylona rapi, Parthúmque coactum
Non fictâ trepidare fugâ: jam Bactra teneri
Legibus, & famulis Gangem palleſcere ripis,
Gemmatóſque humilem diſpergere Perſida cultus.
Ite per extremum Tanaïn, pigróſque Triones,
Ite per ardentem Libyam: ſuperate vapores
Solis, & arcanos Nili deprendite fontes.
Herculeum finem, Bacchi tranſcurrite metas.
Veſtri juris erit quidquid complectitur axis.
Vobis rubra dabunt pretioſas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaïa, vellera Seres.

De Quarto Conſulatu Honorii Auguſti Panegyris.

Auſpiciis iterum ſeſe regalibus annus
Induit, & notâ fruitur jactantior aulâ.
Limina nec paſſi circùm privata morari
Exultant reduces Auguſto Conſule faſces.
Cernis ut armorum proceres, legúmque potentes
Patricios ſumunt habitus, & more Gabino
Diſcolor incedit legio, poſitiſque parumper
Bellorum ſignis ſequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilæ, ridétque togatus
Miles, & in mediis effulget Curia caſtris
Ipſa Palatino circumvallata Senatu
Jam trabeam Bellona gerit, parmámque removit
Et galeam, ſacras humeris vectura curules.
Nec te laurigeras pudeat, Gradive, ſecures
Pacatâ geſtare manu, Latiâque micantem
Loricam mutare togâ, dum ferreus hæret
Currus, & Eridam ludunt per prata jugales.
Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti
Ulpia progenies, &, quæ diademata mundo
Sparſit, libera domus: nec tantæ vilior undæ
Promeruit gentis ſeriem. cunabulâ ſovit
Oceanus. terræ dominos, pelagíque futuros
Immenſo decuit rerum de principe naſci.
Hinc proceſſit avus: cui, poſt Arctoa frementi
Claſſica, Maſſylas annexuit Africa lauros.
Ille, Caledoniis poſuit qui caſtra pruinis,
Qui medios Libyæ ſub caſſide pertulit æſtus,

Ter-

Terribilis Mauro, debellatórque Britanni
Litoris, ac pariter Boreæ vastator & Austri.
Quid rigor æternus cœli, quid frigora prosunt,
Ignotúmque fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades. incaluit Pictorum sanguine Thule.
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.
Quis calor obstitit forti? per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxítque novis Atlanta maniplis.
Virgineum Tritona bibit, sparsósque venenis
Gorgoneis vidit thalamos, & vile virentes
Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.
Arx incensa Jubæ, rabies Maurusia ferro
Cessit, & antiqui penetralia diruta Bocchi.
Sed laudes genitor longè transgressus avitas
Subdidit Oceanum sceptris, & margine cœli
Clausit opes: quantùm distant à Tigride Gades,
Inter se Tanaïs quantùm Nilúsque relinquunt.
Hæc tamen innumeris per se quæsita tropæis:
Non generis dono, non ambitione potitus:
Digna legi virtus. ultro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.
Nam cùm barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, & misto turbine gentis
Jam deserta suis in nos transfunderet Arctos,
Danubii totæ vomerent cùm prœlia ripæ,
Cùm Geticis ingens premeretur Mysia plaustris,
Flaváque Bistonios operirent agmina campos:
Omnibus afflictis, & vel labentibus ictu,
Vel propè casuris, unus tot funera contra
Restitit, extinxítque faces, agrósque colonis
Reddidit, & leti rapuit de faucibus urbes.
Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus jam jam ruitura subisset
Pondera, turbatámque ratem; certâque levâsset
Naufragium commune manu. velut ordine rupto
Cùm procul insanæ traherent Phaëthonta quadrigæ,
Sævirétque dies, terrámque & stagna propinqui
Haurirent radii, solito cum murmure torvis
Sol occurrit equis: qui postquam rursus heriles
Agnovere sonos; rediit meliore magistro
Machina concentúsque poli, currúsque recepit
Imperium, flammæque modum. sic traditus illi,
Servatúsque Oriens. at non pars altera rerum
Tradita, bis possessa manu, bis parta periclis.
Per varium gemini scelus erupere tyranni
Tractibus occiduis. hunc sæva Britannia fudit:
Hunc sibi Germanus famulum delegerat exul:
Ausus uterque nefas, domini respersus uterque
Insontis jugulo. novitas audere priori
Suadebat, cautúmque dabant exempla sequentem.
Hic nova moliri præceps: hic quærere tuta
Providus. hic fusis, collectis viribus ille.
Hic vagus excurrens: hic intrà claustra reductus.
Dissimiles; sed morte pares. evadere neutri
Dedecus, aut mistis licuit procumbere telis.
Amissâ specie, raptis insignibus, ambo
In vultus rediere suos, manibúsque revinctis
Oblati gladiis submittunt colla paratis.
Et vitam veniámque rogant. proh damna pudoris!
Qui modò tam densas nutu movere cohortes,
In quos jam dubius sese libraverat orbis,
Non hostes victore cadunt; sed judice fontes.
Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos.
Amborum periere duces. hic sponte carinâ
Decidit in fluctus; illum suus abstulit ensis;
Hunc Alpes, hunc pontus, habet. solatia cæsis
Fratribus hæc ultor tribuit. necis auctor uterque
Labitur. Augustas par victima mitigat umbras.
Has dedit inferias tumulis, juvenúmque duorum
Purpureos merito placavit sanguine Manes.
Illi justitiam confirmavere triumphi;
Præsentes docuere Deos. hinc secula discant
Indomitum nihil esse pio, tutúmve nocenti.
Nuntius ipse sui longas incognitus egit
Prævento rumore vias. inopinus utrumque
Percolit, & clausos montes, ut plana, reliquit.
Extruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluviis, vastas opponite sylvas.
Garganum Alpinis, Apenninúmque nivalem
Permistis sociate jugis, & rupibus Æmum
Addite Caucasiis, involvite Pelion Ossa.
Non dabitis murum sceleri. qui vindicet, ibit.
Omnia subsident meliori pervia causæ,
Nec tamen oblitus civem cedentibus atrox
Partibus infremuit. Non insultare jacenti
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat. paci non intulit iram
Post acies. odiis idem, qui terminus armis.
Profuit hôc vincente capi, multósque subactos
Prospera laturæ commendavere catenæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum:
Pronus & in melius gaudens convertere fata.
Hinc amor, hinc validum devoto milite robur,
Hinc natis mansura fides. hôc nobilis ortu
Nasceris, æquævâ cum majestate creatus,
Nulláque privatæ passus contagia sortis.
Omnibus acceptis ultro te regia solum
Protulit, & patrio felix adolescis in ostro,
Membráque vestitu numquam temerata profano
In sacros cecidere sinus. Hispania patrem
Auriferis eduxit aquis. te gaudet alumno
Bosporus. Hesperio de limite surgit origo:
Sed nutrix Aurora tibi. pro pignore tanto
Certatur. geminus te civem vindicat axis.
Herculis, & Bromii sustentat gloria Thebas;
Hæsit Apollineo Delos Latonia partu;
Cretáque se jactat tenero reptata Tonanti.
Sed melior Delo, Dictæis clarior oris,
Quæ dedit hoc numen regio. non litora nostro
Sufficerent angusta Deo. nec inhospita Cynthi
Saxa tuos artus duro læsere cubili.
Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis,
In Tyrios enixa toros. ululata verendis
Aula puerperiis. quæ tunc documenta futuri?
Quæ voces avium? quanti per inane volatus?
Quis vatum discursus erat? tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere silentia Delphi,
Te Persæ cecinere Magi. te sensit Etruscus
Augur, & inspectis Babylonius horruit astris.
Chaldæi stupuere senes, Cumanáque rursus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.
Nec te progenitum Cybeleius ære sonoro
Lustrabat Corybas, exercitus undique fulgens
Adstitit. ambitus signis augustior infans
Sentit adorantes galeas, redditque ferocem
Vagitum lituis. vitam tibi contulit idem
Imperiúmque dies. inter cunabula Consul
Proveheris. signas posito modò nomine fastos;
Donatúrque tibi, qui te produxerat, annus.
Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare curules.
Uberibus sanctis, immortalísque Dearum
Crescis adoratus gremio. tibi sæpe Diana
Mœnalios arcus venatricésque pharetras
Suspendit, puerile decus. tu sæpe Minervæ
Lusisti clypeo, fulvámque impune pererrans
Ægida, tractâsti blandos interritus angues.
Sæpe tuas etiam jam nunc gaudente marito
Velavit Regina comas, festináque voti
Præsumptum diadema dedit. tum lævibus ulnis
Sustulit, & magno porrexit ad oscula patri.
Nec dilatus honos. mutatus principe Cæsar
Protinus æquari fratri: nec certius unquam
Hortati Superi, nullis præsentior æther
Affuit ominibus. tenebris involverat atra
Lumen hyems, densósque Notus collegerat imbres.
Sed mox, cùm solitâ miles te voce levâsset,
Nubila dissolvit Phœbus, paritérque dabantur
Sceptra tibi mundóque dies. caligine liber
Bosporus adversam patitur Chalcedona cerni.
Nec tantùm vicina nitent: sed tota repulsis
Nubibus exuitur Thrace. Pangæa renident,
Insuetósque palus radios Mæotia vibrat.
Non Boreas nimbos, non Sol ardentior egit.
Imperii lux illa fuit. præsagus obibat
Cuncta nitor: risítque tuo Natura sereno.
Visa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso
Languida, sed quantus numerator nocte Bootes.
Emicuítque plagis alieni temporis hospes
Ignis, & agnosci potuit, cùm Luna lateret.
Sive parens Augusta fuit, seu fortè relaxit
Divi fidus avi, seu te properantibus astris
Cernere Sol patiens cælum commune remisit.
Apparet quid signa ferant. ventura potestas
Claruit Ascanio, subitâ cùm luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygióque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

At tua cæleſtes illuſtrant omina flammæ.
Talis ab Idæis primævus Jupiter antris
Poſſeſſi ſtetit arce poli, famulóſque recepit
Naturâ tradente Deos. lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ convexa comæ. tum ſcindere nubes
Diſcebat, fulménque rudi torquere lacerto.
Lætior augurio genitor, natíſque ſuperbus
Jam paribus, duplici ſultus conſorte redibat,
Splendebátque pio complexus pignora curru.
Haud aliter ſummo gemini cum patre Lacones
Progenies Ledæa ſedent: in utroque relucent
Frater, utroque ſoror, ſimili chlamys effluit auro.
Stellati pariter crines. juvat ipſe Tonantem
Error, & ambiguæ placet ignorantia Matri.
Eurotas proprios diſcernere neſcit alumnos.
Ut domus excepit reduces, ibi talia tecum
Pro rerum ſtabili fertur ditione locutus.
Si tibi Parthorum ſolium fortuna dediſſet,
Care puer, terríſque procul venerandus Eois
Barbarus Arſacio conſurgeret ore tiaras:
Sufficeret ſublime genus, luxúque fluentem
Deſide nobilitas poſſet te ſola tueri.
Altera Romanæ longè rectoribus aulæ
Conditio. virtute decet, non ſanguine niti:
Major & utilior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus, quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit obſcuro? veluti ſinè remige puppis.
Vel lyra, quæ reticet; vel, qui non tenditur, arcus.
Hanc tamen haud quiſquam, qui non agnoverit antè
Semet, & incertos animi pacaverit æſtus,
Inveniet. longis illuc ambagibus itur.
Diſce orbi, quod quiſque ſibi. Cùm conderet artus
Noſtros, ætheriis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus Olympo
Continuit clauſtris, indignantémque revinxit.
Et, cùm non aliter poſſent mortalia fingi,
Adjunxit geminas. illæ cum corpore lapſæ
Intereunt: hæc ſola manet, buſtóque ſuperſtes
Evolat. hanc altâ capitis fundavit in arce
Mandatricem operum, proſpecturámque labori.
Illas inferiùs collo, præceptáque ſummæ
Paſſuras dominæ dignâ ſtatione locavit,
Quippe opifex, veritus confundere ſacra profanis,
Diſtribuit partes animæ, ſedéſque removit.
Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidámque nocendi,
Præcipitémque ſui. rabie ſuccenſa tumeſcit,
Contrahitur ſtupefacta metu. cúmque omnia ſecum
Duceret, & requiem membris veſana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidúmque furenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At ſibi cuncta petens, nil collatura cupido
In jecur, & tractus imos compulſa receſſit.
Quæ velut immanes reſerat dum bellua rictus,
Expleri paſcíque nequit: nunc verbere curas
Torquet avaritiæ, ſtimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœſta dolet. ſatiatáque rurſus
Exoritur, cæsâque redit pollentiùs Hydrâ.
Hos igitur ſi quis potuit ſedare tumultus,
Inconcuſſa dabit puræ ſacraria menti.
Tu licèt extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris irâ,
Servitii patiere jugum: tolerabis iniquas
Interiùs leges. tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris rex eſſe tui. proclivior uſus
In pejora datur, ſuadétque licentia luxum,
Illecebríſque effrena favet. tum vivere caſtè
Aſperius, cùm prompta Venus; tum duriùs iræ
Conſulitur, cùm pœna patet. ſed comprime motus:
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentémque domet reſpectus honeſti.
Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Ut te totius medio telluris in ore
Vivere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palàm; nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum vitiis. nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebráſque per omnes
Intrat, & obſtruſos explorat fama receſſus.
Sis pius in primis. nam cùm vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubiè ſuſpectus agas: neu falſus amicis,
Rumorúmve avidus. qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus nullâ non anxius horâ.
Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,
Quàm tutatur amor. non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.
Nónne vides, operum quo ſe pulcherrimus ille
Mundus amore liget, nec vi connexa per ævum
Conſpirent elementa ſibi? quòd limite Phœbus
Contentus medio, contentus litore pontus?
Et qui perpetuo terras ambítque vehítque,
Nec premat incumbens, oneri nec ceſſerit aër?
Qui terret, plus ipſe timet. ſors iſta tyrannis
Convenit. invideant claris, fortéſque trucident,
Muniti gladiis vivant ſeptíque venenis,
Ancipites habeant arces, trepidíque minentur.
Tu civem, patrémque geras. tu conſule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.
In commune jubes ſi quid, cenſéſve tenendum,
Primus juſſa ſubi; tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cùm viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. componitur orbis
Regis ad exemplum. nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutator ſemper cum principe vulgus.
His tamen effectis, neu faſtidire minores,
Neu pete præſcriptos homini tranſcendere fines.
Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores.
Non tibi tradidimus docites ſervire Sabæos.
Armeniæ dominum non te præfecimus oræ;
Non damus Aſſyriam, tenuit quam femina gentem,
Romani, qui cuncta diu rexere, regendi:
Qui nec Tarquinii faſtus, nec jura tulere
Cæſaris. annales veterum delicta loquentur.
Hærebunt maculæ. quis non per ſecula damnet
Cæſarem portenta domûs? quem dira Neronis
Funera, quem rupes Caprearum tetra latebit
Inceſto poſſeſſa ſeni? victura feretur
Gloria Trajani: non tam quòd Tigride victo,
Noſtra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quòd invectus fractis Capitolia Dacis;
Quàm patriæ quòd mitis erat. ne deſine tales,
Nate, ſequi, ſi bella tonant, priùs agmina duris
Exerce ſtudiis; & ſævo præſtrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula ſegnes
Enervent torpore manus. ponenda ſalubri
Caſtra loco: præbenda vigil cuſtodia vallo.
Diſce ubi denſari cuneos, ubi cornua tendi
Æquius, aut iterum flecti: quæ montibus aptæ,
Quæ campis acies, quæ fraudi accommoda vallis:
Quæ via difficilis. fidit ſi mœnibus hoſtis,
Tum tibi murali libretur machina pulſu.
Saxa rota. præceps aries protectáque portas
Teſtudo feriat. ruat emerſura juventus
Effoſſi per operta ſoli. ſi longa moretur
Obſidio; tum vota cave ſecura remittas,
Incluſúmve putes. multis damnoſa fuere
Gaudia. diſperſi pereunt, ſomnóve ſoluti.
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, néve imbelles ac ſigna maniplos
Luxuries armata trahat: neu flantibus Auſtris,
Neu pluviis cedas: neu defenſura calorem
Aurea ſummoveant rapidos umbracula Soles.
Inventis utere cibis: ſolabere partes
Æquali ſudore tuas. ſi collis iniquus,
Primus ini. ſylvam ſi cædere provocat uſus,
Sumptâ ne pudeat quercum ſtraviſſe bipenni.
Calcatur ſi pigra palus, tuus antè profundum
Prætentet ſonipes. fluvios tu protere curſu
Hærentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu.
Nunc eques in medias equitum te confere turmas:
Nunc pedes aſſiſtas pediti. tum promptiùs ibunt
Te ſocio: tum conſpicuus, gratúſque feretur
Sub te teſte labor. dicturum plura parentem
Voce ſubis: Equidem, faveant modò Numina cœptis,
Hæc effecta dabo: nec me fratríque, tibíque
Diſſimilem populi commiſſáque regna videbunt.
Sed cur non potiùs, verbis quæ diſſeris, uſu
Experior? gelidas certè nunc tendis in Alpes.
Duc tecum comitem. figant ſine noſtra tyrannum
Spicula palleſcat noſtro ſine barbarus arcu.
Italiámne feram furiis prædonis acerbi
Subjectam. patiar Romam ſervire clienti?
Uſque adeóne puer? nec me polluta poteſtas,
Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?

Per

Per ſtrages equitare libet. da protinus arma.
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cùm Pergama ſolus
Verteret, & patri non degeneraret Achilli.
Denique ſi princeps caſtris hærere nequibo,
Vel miles veniam. delibat dulcia nati
Oſcula, miratúſque refert; Laudanda petiſti:
Sed feſtinus amor. veniet robuſtior ætas.
Ne propera. necdum decimas emenſus ariſtas
Aggrederis metuenda viris. veſtigia magnæ
Indolis agnoſco. fertur Pellæus Eoum
Qui domuit Porum, cùm proſpera ſæpe Philippi
Audiret, lætos inter fleviſſe ſodales,
Nil ſibi vincendum patris virtute relinqui.
Hos video motus. fas ſit promittere patri.
Tantus eris: noſtro nec debes regna favori,
Quæ tibi jam natura dedit. ſic mollibus olim
Stridula ductarum pratis examina regem
Naſcentem venerantur apes, & publica meſſis
Jura petunt, tradúntque favos. ſic paſcua parvus
Vindicat, & necdum firmatis cornibus audax
Jam regit armentum vitulus. ſed prælia differ
In juvenem, patiénſque meum cum fratre tuere
Me bellante locum. Vos impacatus Araxes,
Vos celer Euphrates timeat, ſit Nilus ubique
Veſter, & emiſſo quidquid Sol imbuit ortu.
Si pateant Alpes, habeat ſi cauſa ſecundos
Juſtior eventus, aderis, partéſque receptas
Suſcipies, animoſa tuas ut Gallia leges
Audiat, & noſtros æquus modereris Iberos.
Tunc ego ſecurus fati, lætúſque laborum
Diſcedam, vobis utrumque regentibus axem.
Interea Muſis, animus dum mollior, inſta,
Et, quæ mox imitere, legas: nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve duces. aſſueſce futuræ
Militiæ. Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metî ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mucii te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendat Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullos meritis obliſiere caſus:
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regule. ſucceſſus ſuperant adverſa Catonis.
Diſcitur hinc quantum paupertas ſobria poſſit:
Pauper erat Curius, cùm Reges vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm ſperneret aurum.
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.
Luſtratæ lictore caſæ, faſcéſque ſalignis
Poſtibus affixi. collectæ Conſule meſſes,
Et ſulcata diu trabeato rura colono.
Hæc genitor præcepta dabat. velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem ſæpe procellis
Exploravit hyems. ponto jam feſſus & annis
Æquoreas alni nato commendat habenas,
Et caſus artéſque docet, quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus poſſint moderamine falli:
Quæ nota nimborum: quæ fraus infida ſereni:
Quid Sol occiduus prodat: quo ſaucia vento
Decolor iratos attollat Cynthia vultus.
Adſpice nunc, quacunque micas, ſeu circulus Auſtri,
Magne parens, gelidi ſeu te meruere Triones:
Adſpice, completur votum. jam natus adæquat
Te meritis, &, quod magis eſt optabile, vincit,
Subnixus Stilicone tuo: quem fratribus ipſe
Diſcedens clypeum defenſorémque dediſti.
Pro nobis nihil ille pati, nullúmque recuſat
Diſcrimen tentare ſui: non dura viarum,
Non incerta maris. Libyæ ſqualentis arenas
Audebit ſuperare pedes, madidâque cadente
Pleiade Gætulas intrabit navita Syrtes.
Hunc tamen in primis populos levitate feroces,
Et Rhenum pacare jubes, volat ille citatis
Vectus equis, nullâque latus ſtipante catervâ,
Aſpera nubiferas quà Rhetia porrigit Alpes,
Pergit, & hoſtiles, tanta eſt fiducia, ripas
Incomitatus adit. totum properare per amnem
Attonitos humili Reges cervice videres.
Ante ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pavidóque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo. juratur Honorius abſens,
Implorátque tuum ſupplex Alamania nomen.
Baiarnæ venere truces. venit accola ſylvæ
Bructerus Hercyniæ. latíſque paludibus exit
Cimber, & ingentes Albin liquere Cheruſci.
Accipit ille preces varias, tardéque rogatus
Annuit, & magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Druſos,
Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus empta.
Quis victum meminit ſolâ formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stiliconis iter. poſt otia Galli
Limitis, hortaris Graias fulcire ruinas.
Ionium tegitur velis, ventíque laborant
Tot curvare ſinus, ſervatúráſque Corinthum
Proſequitur facili Neptunus gurgite claſſes.
Et puer Iſthmiaci jam pridem littoris exul
Securâ repetit portus cum matre Palæmon.
Plauſtra cruore natant: metitur pellita juventus.
Pars morbo, pars enſe perit. non luſtra Lycæi,
Non Erymanthææ jam copia ſufficit umbræ
Innumeris exuſta rogis, nudatáque ferro
Sic flagrâſſe ſuas lætantur Mænala ſylvas.
Excutiat cineres Ephyre; Spartanus & Arcas
Tutior exangues pedibus proculcat acervos;
Feſſâque penſatis reſpiret Græcia pœnis.
Gens, quâ non Scythicos diffuſior ulla Triones
Incoluit, cui parvus Athos, anguſtâque Thrace,
Cùm tranſiret, erat; per te, viréſque tuorum
Fracta Ducum, lugétque ſibi jam rara ſuperſtes,
Et, quorum turbæ ſpatium vix præbuit orbis,
Uno colle latent. ſitiens, incluſáque vallo
Ereptas quæſivit aquas, quas hoſtibus antè
Irriguas alio Stilico deflexerat arcu,
Mirantémque novas ignota per avia valles
Juſſerat averſo fluvium migrare meatu.
Obvia quid mirum vinci, cùm Barbarus ultro
Jam cupiat ſervire tibi? tua Sarmata diſcors
Sacramenta petit. projectâ pelle Gelonus
Militat: in Latios ritus tranſîſtis Alani.
Ut fortes in Marte viros, animíſque paratos,
Sic juſtos in pace legis, longúmque tueris
Electos, crebris nec ſuccedentibus urges.
Judicibus notis regimur, fruimúrque quietis
Militiæque bonis; ceu bellatore Quirino,
Ceu placido moderante Numâ. non imminet enſis,
Nullæ nobilium cædes: non crimina vulgo
Texuntur: patriâ mœſtus non truditur exul:
Impia continui ceſſant augmenta tributi:
Non infelices tabulæ: non haſta refixas
Vendit opes: avidâ ſector non voce citatur:
Nec tua privatis creſcunt ærraria damnis.
Munificus largi, ſed non & prodigus, auri.
Perdurat non empta fides, nec pectora merces
Alligat. ipſa ſuo pro pignore caſtra laborant.
Te miles nutritor amat. quæ denique Romæ
Cura tibi? quàm fixa manet reverentia patrum?
Firmatur ſenium juris, priſcámque reſumunt
Canitiem leges, emendantúrque vetuſtæ,
Accedúntque novæ. talem ſenſere Solonem
Res Pandioniæ. ſic armipotens Lacedæmon
Deſpexit muros rigido munita Lycurgo.
Quæ ſub te vel cauſa gravis, vel judicis error
Negligitur? dubiis quis litibus addere finem
Juſtior, & merſum latebris educere verum?
Quæ pietas, quantúſque rigor, tranquilláque magni
Vis animi, nullóque levis terrore moveri;
Nec nova mirari facilis! quàm docta facultas
Ingenii, linguæque modus! reſponſa verentur
Legati, gravibúſque latet ſub moribus ætas.
Quantus in ore pater radiat! quàm torva voluptas
Frontis, & auguſti majeſtas grata pudoris!
Jam patrias imples galeas: jam cornus avita
Tentatur vibranda tibi. promittitur ingens
Dextra rudimentis, Romanáque vota moratur.
Quis decor, incedis quoties clypeatus, & auro
Squameus, & rutilus criſtis, & caſſide major!
Sic cùm Threïcîâ primùm ſudaret in haſtâ,
Flumina laverunt puerum Rhodopeïa Martem.
Quæ vires jaculis! vel cum Gortynia tendis
Spicula, quàm felix arcus, certíque petitor
Vulneris, & juſſum mentiri neſcius ictum!
Scis quo more Cydon, quâ dirigat arte ſagittas
Armenius, refugo quæ ſit fiducia Partho.

Sic

Sic Amphioniæ pulcher ſudore palæſtræ
Alcides pharetras, Dircæáque tela ſolebat
Prætentare feris, olim domitura Gigantas,
Et pacem latura polo: ſempérque cruentus
Ibat, & Alcmenæ prædam referebat ovanti:
Cæruleus tali proſtratus Apolline Python
Implicuit fractis moritura volumina ſylvis.
Cùm vectaris equo, ſimulacráque Martia ludis,
Quis molles finuare fugas, quis tendere contum
Acrior, aut ſubitos melior flexiſſe recurſus?
Non te Maſſagetæ, non gens exercita campo
Theſſala, non ipſi poterunt æquare bimembres.
Vix comites alæ, vix te ſuſpenſa ſequuntur
Agmina, ferventéſque tument poſt terga dracones.
Utque tuis primùm ſonipes calcaribus arſit,
Igneſcunt patulæ nares, non ſentit arenas
Ungula, diſcuſſæque jubæ ſparguntur in armos.
Turbantur phaleræ, ſpumoſis morſibus aurum
Fumat, anhelantes exundant ſanguine gemmæ.
Ipſe labor pulvíſque decet, confuſáque motu
Cæſaries. veltis radiato murice Solem
Combibit. ingeſto criſpatur purpura vento.
Si dominus legeretur equis, tua poſceret ultro
Verbera Nereïdum ſtabulis nutritus Arion,
Servirétque tuis contempto Caſtore frenis
Cyllarus, & flavum Xanthus ſpreviſſet Achillem.
Ipſe tibi famulas præberet Pegaſus alas,
Portaretque libens, melioráque pondera paſſus
Bellerophonteas indignaretur habenas.
Quin etiam velox Auroræ nuntius Æthon,
Qui fugat himnitu ſtellas, roſeóque domatur
Lucifero, quoties equitem te cernit ab aſtris,
Invidet, ſnque tuis mavult ſpumare lupatis.
Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus, Auſonio cùm jam ſuccinctus amictu
Per Ligurum populos ſolito conſpectior ires,
Atque inter niveas altè veherere cohortes,
Obnixíſque ſimul pubes electa lacertis
Siderum geſtaret onus! ſic numina Memphis
In vulgus proferre ſolet. penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem: ſed plurimus infrà
Liniger impoſito ſuſpirat vecte ſacerdos
Teſtatus ſudore Deum. Nilotica ſiſtris
Ripa ſonat, Pharióſque modos Ægyptia ducit
Tibia. ſubmiſſis admugit cornibus Apis.
Omnis nobilitas, omnis tua ſacra frequentant
Tibridis & Latii ſobóles. convenit in unum
Quidquid in orbe fuit procerum, quibus auctor honoris
Vel tu, vel genitor. numeroſo Conſule Conſul
Cingeris, & ſocios gaudes admittere patres.
Illuſtri te prole Tagus, te Gallia doctis
Civibus, & toto ſtipavit Roma Senatu.
Portatur juvenum cervicibus aurea ſedes,
Ornatúque novo gravior Deus. aſperat Indus
Velamenta lapis, pretioſáque fila ſmaragdis
Ducta virent. amethyſtus ineſt, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis in tali ſuffecit gratia textu:
Auget acus meritum, picturatúmque metallis
Vivit opus, multâque ornantur iaſpide cultus,
Et variis ſpirat Nereïa bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitioſa colus? vel cujus pectinis arte
Traxerunt ſolidæ gemmarum ſtamina telæ?
Invia quis calidi ſcrutatus ſtagna profundi
Tethyos invaſit gremium? quis divitis algæ
Germina flagrantes inter quæſivit arenas?
Quis junxit lapides oſtro? quis miſcuit ignes
Sidonii rubríque maris? tribuere colorem
Phœnices, Seres ſubtemina, pondus Hydaſpes.
Hôc ſi Mæonias cinctu graderere per urbes,
In te pampineos transferret Lydia thyrſos,
In te Nyſa choros. dubitáſſent Orgia Bacchi
Cui furerent. irent blandæ ſub vincula tigres.
Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, & Caſpia flectit eburnis
Colla jugis: Satyri circùm, crinémque ſolutæ
Mænades adſtringunt hederis victricibus ludos.
Ebrius hoſtilli velatur palmite Ganges.
Auſpice mox lætum ſonuit clamore tribunal,
Te faſtos ineunte quater ſollennia ludit
Omina libertas. deductum Vindice morem
Lex celebrat, famulúſque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato ſemeat ſecurior ictu.
Triſtis conditio pulſatâ fronte recedit.
In civem rubuere genæ, tergóque removit
Verbera perpeſſi felix injuria voti.
Proſpera Romuleis ſperantur tempora rebus
In nomen ventura tuum. præmiſſa futuris
Dant exempla fidem. quoties te curſibus ævi
Præfecit, toties acceſſit laurea patri.
Auſi Danubium quondam tranare Gruthungi
In lintres fregere nemus. ter mille ruebant
Per fluvium plenæ cuneis immanibus alni.
Dux Odothæus erat. tantæ conamina claſſis
Incipiens ætas & primus conſudit annus.
Submerſæ ſedere rates. fluitantia numquam
Largiùs Arctoos pavere cadavera piſces.
Corporibus premitur Peucè. per quinque recurrens
Oſtia Barbaricos vix egerit unda cruores.
Confeſſúſque parens Odothæi regis opima
Rettulit, exuviáſque tibi. civile ſecundis
Conficis auſpiciis bellum. tibi debeat orbis
Fata Gruthungorum, debellatúmque tyrannum.
Iſter ſanguineos egit te Conſule montes.
Sed patriis olim fueras ſucceſſibus auctor,
Nunc eris ipſe tuis. ſemper venere triumphi
Cum trabeis, ſequitúrque tuos victoria faſces.
Sis precor aſſiduus Conſul, Mariſque relinquas,
Et ſenis Auguſti numerum. quæ gaudia mundo,
Per tua lanugo cùm ſerpere cœperit ora,
Cùm tibi prodiderit feſtas nox pronuba tedas!
Quæ tali devota toro, quæ murice fulgens
Ibit in amplexus tanti Regina mariti?
Quænam tot Divis veniet nurus, omnibus arvis,
Et toto dotanda mari? quantúſque feretur
Idem per Zephyri metas Hymenæus & Euri!
O mihi ſi liceat thalamis intendere carmen
Connubiale tuis, ſi te jam dicere patrem!
Tempus erit, cùm tu trans Rheni cornua victor,
Arcadius captæ ſpoliis Babylonos onuſtus,
Communem majore togâ ſignabitis annum,
Crinitúſque tuo ſudabit faſce Suëvus:
Ultima fraternas horrebunt Bactra ſecures.

In Nuptias Honorii & Mariæ.

PRÆFATIO.

SUrgeret in thalamum ducto cùm Pelion arcu,
Nec caperet tantos hoſpita terra Deos;
Cùm ſocer æquoreus, numeroſáque turba ſororum
Certarent epulis continuare dies,
Præberétque Jovi communia pocula Chiron,
Molliter obliquâ parte refuſus equi;
Penëus gelidos mutaret nectare fontes,
OEtæis fluerent ſpumea vina jugis;
Terpſichore facilem laſcivo pollice movit
Barbiton, & molles duxit in antra choros.

Carmina nec ſuperis, nec diſplicuere Tonanti,
Cùm teneris nôſſent congrua vota modis.
Centauri, Fauníque negant, quæ flectere Rhœton,
Quæ rigidum poterant plectra movere Pholum.
Septima lux aderat cœlo, totiéſque renatus
Viderat exactos Heſperus igne choros.
Tum Phœbus, quo ſaxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine tentavit nobiliore lyram.
Venturúmque ſacris fidibus jam ſpondet Achillem.
Jam Phrygias cædes, jam Simoënta canit.
Frondoſo ſtrepuit felix Hymenæus Olympo.
Reginam reſonant Othrys & Oſſa Thetin.

HAUSERAT insolitos promissæ virginis ignes
Augustus, pronóque rudis flagraverat æstu.
Nec novus unde calor, nec quid suspiria vellent
Noverat incipiens, & adhuc ignarus amandi.
Non illi venator equus, non spicula curæ:
Non jaculum torquere libet. mens omnis aberrat
In vultus, quos fixit Amor. quàm sæpe medullis
Erupit gemitus! quoties incanduit ore
Confessus secreta rubor! noménque beatum
Injussæ scripsere manus! jam munera nuptæ
Præparat, & pulcros, Mariæ sed luce minores,
Eligit ornatus, quidquid venerabilis olim
Livia, Divorúmque nurus gessere superbæ.
Incusat spes ægra moras, longísque videntur
Stare dies, segnémque rotam non flectere Phœbe.
Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem,
Fraudis adhuc expers, bellatricésque docebat
Ducere fila manus, & mox, quos horruit Ide,
Thessalicos roseo pectebat pollice crines.
Hæc etiam queritur secum: Quónam usque verendus
Cunctatur mea vota socer? quid jungere differt
Quam pepigit, castásque preces implere recusat?
Non ego, luxuriem Regum, morémve secutus,
Quæsivi vultum tabulis, ut nuntia formæ
Lena per innumeros iret pictura penates:
Nec variis dubium thalamis lecturus amorem
Ardua commisi falsæ connubia ceræ.
Non rapio præceps alienæ fœdera tedæ,
Sed quæ sponsa mihi pridem: patriisque relicta
Mandatis uno materni sanguinis ortu
Communem partitur avum. fastigia supplex
Deposui, gelsique procum. de limine sacro
Oratum missi proceres, qui proxima nobis
Jura tenent. fateor, Stilico, non parva popossi:
Sed certè mereor princeps, hôc principe natus,
Qui sibi te generum fraternâ prole revinxit,
Cui Mariam debes. fœnus mihi solve paternum.
Redde suos aulæ, mater fortasse rogari
Mollior. ô patrui germen, cui nominis hæres
Successi, sublime decus torrentis Iberi,
Stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans,
Inque tuo crevi gremio, partúque remoto
Tu potiùs Flaccilla mihi. quid dividis ergo
Pignora? quid juveni natam non tradis alumno?
Optatúsne dies aderit? dabiturne jugalis
Nox unquam? tali solatur vulnera questu.
Risit Amor, placidéque volat trans æquora matri
Nuntius, & totas jactantior explicat alas.
Mons latus Ionium Cypri præruptus obumbrat,
Invius humano gressu, Phariúmque cubile
Proteos, & septem dispectat cornua Nili.
Hunc neque candentes audent vestire prainæ;
Hunc venti pulsare timent; hunc lædere nimbi.
Luxuriæ Veneríque vacat. pars acrior anni
Exulat. æterni patet indulgentia veris.
In campum se fundit apex. hunc aurea sepes
Circuit, & fulvo defendit prata metallo.
Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit
Mœnibus, & tales uxorius obtulit arces.
Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis
Perpetuùm florent Zephyro contenta colono:
Umbrosúmque nemus, quò non admittitur ales,
Ni probet antè suos Divâ sub judice cantus.
Quæ placuit, fruitur ramis: quæ victa, recedit.
Vivunt in Venerem frondes, omnisque vicissim
Felix arbor amat. notant ad mutua palmæ
Fœdera. populeo suspirat populus ictu;
Et platani platanis, alnóque assibilat alnus.
Labuntur gemini fontes. hic dulcis, amarus
Alter, & infusis corrumpunt mella venenis,
Unde Cupidineas arthavit fama sagittas.
Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, habitu similes, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea solum
Edidit. ille Deos cælúmque & sidera cornu
Temperat, & summos dignatur figere reges.
Hi plebem feriunt. nec cætera numina desunt.
Hic habitat nullo constricta licentia nodo,
Et flecti faciles iræ, vinóque madentes
Excubiæ, lacrymæque rudes, & gratus amantum
Pallor, & in primis titubans audacia furtis,
Jucundsque metus, & non secura voluptas;
Et lasciva volant levibus perjuria pennis.
Hos inter petulans altâ cervice Juventas
Excludit Senium luco. procul atria Divæ
Permutant radios, sylvâque obstante virescunt.
Lemnius hæc etiam gemmis extruxit & auro,
Admiscens artem pretio, trabibúsque smaragdis
Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, & iaspide lubrica surgunt
Limina, despectúsque solo calcatur achates.
In medio glebis redolentibus area dives
Præbet odoratas messes. hìc mitis amomi,
Hic casiæ matura seges, Panchaïa turgent
Cinnama, nec siccâ frondescunt vimina costo,
Tardáque sudanti prorepunt balsama ligno.
Quò postquam dilapsus Amor, longáque peregit
Penna vias; alacer, passúque superbior intrat.
Cæsariem tunc fortè Venus subnixa coruscо
Fingebat solio, dextrâ lævâque sorores
Sedant Idaliæ. largos hæc nectaris imbres
Irrigat: hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat: sed tertia retro
Dat varios nexus, & justo dividit orbes
Ordine, neglectam partem studiosa relinquens.
Plùs error decuit: speculi nec vultus egebat
Judicio. similis tecto monstratur in omni,
Et rapitur, quócunque videt, dum singula cernit,
Séque probat, nati venientis conspicit umbram;
Ambrosióque sinu puerum complexa ferocem,
Quid tantùm gavisus, ait? quæ prælia sudas,
Improbe? quis jacuit telis? iterúmne Tonantem
Inter Sidonias cogis mugire juvencas?
An Titana domas? an pastoralia Lunam
Rursus in antra vocas? durum magnúmque videris
Debellásse Deum. suspensus in oscula matris
Ille refert: Lætare, parens. immane tropæum
Rettulimus. nostrum jam sentit Honorius arcum.
Scis Mariam, patrémque ducem, qui cuspide Gallos
Italiámque fovet: nec te præclara Serenæ
Fama latet. propera. regalibus annue votis.
Junge toros. gremio natum Cytherea removit:
Et crines festina ligat, peplúmque fluentem
Allevat, & blando spirantem numine cestum
Cingitur, impulsos pluvils quo mitigat amnes,
Quo mare, quo ventos, iraque fulmina solvit.
Ut stetit ad litus, parvis hæc fatur alumnis:
Ecquis erit, pueri, vitreas qui lapsus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
Deferar? haud unquam tanto mihi venerit usu.
Sacri, quos petimus, thalami. pernicibs omnes
Quærite, seu conchâ Libycum circumtonat æquor,
Ogygias seu frangit aquas. quicunque repertum
Duxerit, auratâ donabitur ille pharetrâ.
Dixerat, & sparsâ diversi plebe feruntur
Exploratores. pelagi sub fluctibus ibat
Carpathii Triton, obluctantémque petebat
Cymothoën. timet illa ferum, seséque sequenti
Surripit, & duris elabitur ula lacertis.
Heus, inquit speculatus Amor, num vestra sub imis
Furta tegi potuere vadis? accingere nostram
Vecturus dominam. pretium non vile laboris
Cymothoën facilem, quæ nunc detrectat, habebis.
Hâc mercede veni. prorupit gurgite torvus
Semifer. undosi verrebant brachia crines.
Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
Quâ pristis commissa viro. ter pectora movit.
Jam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.
Umbratura Deam retro flnuatur in arcum
Bellua. tum vivo squalentia murice terga
Purpureis mollita toris. hôc navigat ostro
Fulta Venus. niveæ delibant æquora plantæ.
Prosequitur volucrum latè comitatus Amorum,
Tranquillúmque choris quatitur mare, serta per omnem
Neptuni dispersa domum. Cadmeïa ludit
Leucothoë, frenátque rosis delphina Palæmon.
Alternas violis Nereus interserit algas.
Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.
Nec non & variis vectæ Nereïdes ibant
Audito rumore feris. hanc piscе volutam
Sublevat Oceani monstrum Tarteffia tigris.
Hanc timor Ægæi rupturus fronte carinas
Trux aries. hæc cæruleâ suspensa lenâ
Innatat. hæc viridem trahitur complexa juvencum.

Certa-

Certatímque novis ornant connubia donis.
Cingula Cymothoë, rarum Galathea monile,
Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat
Intextum, rubro quas legerat ipſa profundo.
Mergit ſe ſubitò, vellítque coralia Doto.
Vimen erat, dum ſtagna ſubit. progreſſerat undis:
Gemma fuit. nudâ Venerem cinxere coronâ,
Plaudentéſque ſimul tali cum voce ſequuntur.
Hos Mariæ cultus, hæc munera noſtra precamur
Reginæ Regina feras. dic talia quamquam
Promeruiſſe Thetin, nec cùm ſævor Amphitrite
Noſtro nupta Jovi. devotum ſentiat æquor,
Agnoſcat famulam virgo Stiliconia pontum.
Victrices nos ſæpe rates, claſſémque paternam
Veximus, attritis cùm tenderet ultor Achivis.
Jam Ligurum terris, ſpumantia pectora Triton
Appulerat, laſſóſque fretis extenderat orbes.
Continuò ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeri ſuis oſtentantia pellem
Pervenit. adventu Veneris pulſata recedunt
Nubila. clareſcunt puris Aquilonibus Alpes.
Lætitiæ cauſas ignorat dicere miles.
Lætatúrque tamen. Mavortia ſigna rubeſcunt
Floribus, & ſubitis animantur frondibus haſta.
Illa ſuum dictis affatur talibus agmen:
Gradivum, noſtri comites, arcete paramper,
Ut ſoli vacet aula mihi. procul igneus horror
Thoracum, gladióſque tegat vaginа minaces.
Stent bellatrices aquilæ, ſævíque dracones.
Fas ſit caſtra meis hodie ſuccumbere ſignis.
Tibia pro lituis, & pro clangore tubarum
Molle lyræ, fauſtúmque canant. epulentur ad ipſas
Excubias, mediis ſpirent crateres in armis.
Lazet terribiles Majeſtas regia faſtus,
Et ſociam plebem non indignata poteſtas
Confundat turbæ proceres: ſolvantur habenis
Gaudia: nec leges pudeat ridere ſeveras.
Tu feſtas, Hymenæe, faces; tu, Gratia, flores
Elige; tu geminas, Concordia, nectе coronas.
Vos, pennata cohors, quócumque vocaverit uſus,
Diviſâ properate manu, neu marceat ulla
Segnities, alii funalibus ordine ductis
Plurima venturæ ſuſpendite lumina nocti.
Hi noſtrâ nitidos poſſes obducere myrto
Contendant: pars nectareis adſpergere tecta
Fontibus, & flammâ lucos adolere Sabæos.
Pars infecta croco velamina lutea Serum
Pandite, Sidoniáſque ſolo proſternite veſtes.
Attalii thalamum docto componite textu.
Stamine gemmato, picturatíſque columnis
Ædificetur apex: qualem non Lydia dives
Erexit Pelopi: nec quem ſtruxere Lyæo
Indorum ſpoliis & opaco palmite Bacchæ.
Illìc exuvias omnes cumulate parentum:
Quidquid avus ſenior Mauro vel Saxone victis,
Quidquid ab innumeris ſocio Stilicone tremendus
Quæſivit genitor bellis: quodcumque Gelonus
Armeniáſve dedit: quantum crinita ſagittis
Attulit extremo Meroë circumflua Nilo:
Miſit Achæmenio quidquid te Tigride Medus,
Cùm ſupplex emeret Romanam Parthia pacem.
Nobilibus gazis opibúſque cubilia ſurgant
Barbaricis. omnes thalamo conferte triumphos.
Sic ait, & ſponſæ petit improviſa penates.
Illa autem ſecura tori, tedáſque parari
Neſcia, divinæ fruitur ſermone parentis,
Maternóſque bibit mores, exemplóque diſcit
Priſca pudicitiæ: Latios nec volvere libros
Deſinit aut Graios, ipsâ genitrice magiſtrâ,
Mæonius quæcumque ſenex, aut Thracius Orpheus,
Aut Mitylenæo modulatur pectine Sappho.
Sic Triviam Latona manet: ſic mitis in antro
Mnemoſyne docili tradit præcepta Thaliæ.
Cùm procul augeri nitor, & jucundior æther
Attonitam luſtrare domum, fundíque comarum
Gratus odor. mox vera fides, numénque refulſit.
Conctatur ſtupefacta Venus, nunc ora puellæ,
Nunc flavam niveo miratur vertice matrem.
Hæc modò creſcenti, plenæ par altera Lunæ,
Aſſurgit ceu ſorte minor ſub matre virenti
Laurus, & ingentes ramos, olímque futuras
Promittit jam parva comas: vel flore ſub uno
Ceu geminæ Pæſtana roſæ per jugera regnant.
Hæc largo matura die, ſaturatáque vernis
Roribus indulget ſpatio: latet altera nodo,
Nec teneris audet foliis admittere ſoles.
Adſtitit, & blandè Mariam Cytherea ſalutat.
Salve ſidereæ proles Auguſta Serenæ,
Magnorum ſoboles Regum, parituráque Reges.
Te propter Paphias ſedes, Cyprúmque reliqui,
Te propter libuit tantos explere labores,
Et tantum tranâſſe maris, ne vilior ultrà
Privatos paterere lares, neu tempore longo
Dilatos juvenis nutriret Honorius ignes.
Accipe fortunam generis, diadema reſume,
Quod tribuas natis. & in hæc penetralia rurſus,
Unde parens progreſſa, redi. fac nulla ſubeſſe
Vincula cognatæ: quamvis aliena fuiſſes
Principibus, regnum poteras hôc ore mereri.
Quæ potior ſceptris facies? quis dignior aulâ
Vultus erit? non labra roſæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quàm junctо leviter ſeſe diſcrimine confert
Umbra ſupercilii! miſcet quàm juſta pudorem
Temperies! nimio nec ſanguine candor abundat.
Auroræ vincis digitos, humeróſque Dianæ.
Ipſam jam ſuperas matrem. ſi Bacchus amator
Dotali potuit cælum ſignare Coronâ,
Cur nullis virgo redimitur pulcrior aſtris?
Jam tibi molitur ſtellantia ſerta Bootes,
Inque decus Mariæ jam ſidera parturit æther.
I digno nectenda viro, tantíque per orbem
Conſors imperii! jam te venerabitur Iſter.
Nomen adorabunt populi. Jam Rhenus & Albis
Serviet. in medios ibis Regina Sicambros.
Quid numerem gentes, Atlanteóſque receſſus
Oceani? toto pariter dotabere mundo.
Dixit, & ornatus, dederant quos nuper ovantes
Nereides, collo membríſque micantibus aptat.
Ipſa caput diſtinguit acu, fubſtringit amictus:
Flammea virgineis accommodat ipſa capillis.
Ante fores jam pompa ſonat, pileatáque ſacram
Præradiant ductura nurum. calet obvius ire
Jam princeps, tardúmque cupit diſcedere ſolem.
Nobilis haud aliter ſonipes, quem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidus quatiénſque decoras
Turbatâ cervice jubas Pharſalia rura
Pervolat, & notos hinnitu flagitat amnes,
Naribus accenſis. mulcet fecunda magiſtrum
Spes gregis, & pulcro gaudent armenta marito.
Candidus interea poſitis exercitus armis
Exultat ſocerum circa: nec ſignifer ullus,
Nec miles pluviæ flores diſpergere ritu
Ceſſat, purpureóque ducem perfundere nimbo.
Hæc quoque velati lauro myrtóque canebant:
Dive parens, ſeu te complectitur axis Olympi:
Seu colis Elyſias animarum præmia valles,
En promiſſa tibi Stilico jam vota peregit.
Jam grata rediere vices. cunabula pendat,
Acceptum reddit thalamum, natóque reponit
Quod dederas, genitor. numquam te, ſancte, pigebit
Judicii. nec te pietas ſuprema teſellit.
Dignus quem legeres, dignus cui pignora tanti
Principis, & rerum commendarentur habenæ.
Dicere nunc poſſem quæ prælia geſta ſub Æmo,
Quæque cruentarent ſumantem Strymona pugnæ.
Quàm notus clypeo, quantâ vi fulminet hoſtem,
Ni prohiberet Hymen: quæ tempeſtiva relatu
Nunc canimus. quis conſilio, quis juris & æqui
Nôſſe modum meliorâ quod ſemper diffidet, in te
Convenit: ingenio robur, prudentia forti.
Fronte quis æquali! quem ſic Romana decerent
Culmina? ſufficerent quæ tantis pectora curis?
Stes licèt in populo, clamet, quicunque videbit,
Hic eſt, hic Stilico, ſic te teſtatur, & offert
Celſa poteſtatis ſpecies non voce feroci,
Non alto ſimulata gradu, non improba geſtu.
Affectant alii quidquid, fingíque laborant,
Hoc donat natura ſibi. pudor emicat unà,
Formoſúſque rigor, vultúſque auctura verendos
Canities feſtina venit conſorte remotâ.
Contingunt gravitáſque ſeni virétſque juventæ.
Utraque te cingit propriis inſignibus ætas.
Ornatur fortuna viro. non ulla nocendi
Tela, nec infecti jugulis civilibus enſes.
Non odium terrore moves, nec frena reſolvit
Gratia. diligimus pariter, paritérque timemus.
Ipſe metus te noſter amat, juſtiſſime legum
Arbiter,

Arbiter, egregiæ cuſtos fidiſſime pacis,
Optime ductorum, fortunatiſſime patrum,
Plus jam plus domino cuncti debere fatemur,
Quòd gener eſt, invicte, tuus. vincire coronâ:
Inſere te noſtris contento jure choreis.
Sic puer Encherius ſuperet virtute parentem:
Aurea ſic videat ſimiles Thermantia tedas:
Sic uterus creſcat Mariæ: ſic natus in oſtro
Parvus Honoriades genibus conſidat avitis.

In Nuptias Honorii Augusti & Mariæ, Feſcenina.

ALCAICUM.

PRINCEPS coruſco ſidere pulcrior
Parthis ſagittas tendere certior,
Eques Gelonis imperioſior,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit ignem?
Te Leda mallet quàm dare Caſtorem.
Præfert Achilli te proprio Thetis.
Victum fatetur Delos Apollinem.
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu cum per altas impiger ilices
Prædâ citatum cornipedem regas,
Ludántque ventis inſtabiles comæ;
Telis jacebunt ſponte tuis feræ,
Gaudénſque ſacris vulneribus leo
Admittet haſtam morte ſuperbior.
Venus reverſum ſpernat Adonidem,
Damnet reductum Cynthia Virbium.
Cùm poſt labores ſub platani voles
Virentis umbrâ, vel gelido ſpecu
Torrentiorem fallere Sirium,
Et membra ſomno feſſa reſolveris:
O quantus uret tum Dryadas calor!
Quot æſtuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oſcula Naïdes!
Quis verò acerbis horridior Scythis?
Quis beluarum corde furentior?
Quis, cùm micantem te prope viderit,
Non optet ultro ſervitium pati?
Quis non catenas arripiat libens,
Collóque poſcat vincula libero?
Tu ſi nivalis per juga Caucaſi
Sævas petiſſes pulcher Amazonas,
Peltata pugnas deſereret cohors,
Sexu recepto: patris & immemor
Inter frementes Hippolyte tubas
Strictam ſecarim languida poneret,
Et ſeminudo pectore cingulum
Forti negatum ſolveret Herculi,
Bellúmque ſolus conficeret decor.
Beata, quæ te nox faciet virum,
Primíſque ſeſe junget amoribus.

AGE cuncta nuptiali
Redimita vere tellus
Celebra toros heriles.
Omne nemus cum fluviis,
Omne canat profundum.
Ligures favete campi,
Veneti favete montes,
Subitíſque ſe roſetis
Veſtiat Alpinus aper,
Et rubeant pruinæ.
Atheſis ſtrepat choreis,
Calamíſque flexuoſus
Leve Mincius ſuſurret,
Et Padus electriferis
Admoduletur alnis.
Epulíſque jam repleto
Reſonet Quirite Tibris,
Dominíque læta votis
Aurea ſeptemgeminas
Roma coronet arces.
Procul audiant Iberi;
Fluit unde ſemen aulæ:
Ubi plena laurearum
Imperio feta domus,
Vix numerat triumphos.
Habet hinc patrem maritus,
Habet hinc puella matrem,
Geminíque parte ductum
Cæſareum flumineo
Stemma recurrit ortu.
Decorent vireta Batin,
Tagus intumeſcat auro,
Generíſque procreator
Sub vitreis Oceanus
Luxurietur antris.
Oriénſque regna fratrum,
Simul Occidénſque plaudat.
Placidæ jocentur urbes,
Quæque novo, quæque nitént
Deficiente Phœbo.
Aquilonia procellæ,
Rapidi tacete Cori.
Taceat ſonorus Auſter.
Solus ovantem Zephyrus
Perdominetur annum.

SOlita galea fulgere comas
Stilico molli necte corona.
Ceſſent lituli, ſævúmque procul
Martem felix teda reget.
Tractus ab aulâ rurſus in aulam
Redeat ſanguis patris officiis.
Junge potenti pignora dextrâ.
Gener Auguſti pridem fueras,
Nunc rurſus eris ſocer Auguſti.
Quæ jam rabies livoris erit?
Vel quis dabitur color invidiæ?
Stilico ſocer eſt, pater eſt Stilico.

ATtollens thalamis Idalium jubar
Dilectus Veneri naſcitur Heſperus.
Jam nuptæ trepidat ſollicitus pudor.
Jam produnt lacrymas flammea ſimplices.
Ne ceſſa, juvenis, cominus aggredi,
Impacata licèt ſeviat unguibus.
Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.
Creſcunt difficili gaudia jurgio,
Accenditque magis, quæ refugit, Venus.
Quod flenti tuleris, plùs ſapit, oſculum.
Dices ô quoties, Hoc mihi dulcius,
Quàm flavos decies vincere Sarmatas!
Adſpirate novam pectoribus fidem,
Manſurámque facem tradite ſenſibus.
Tam junctis manibus nectite vincula,
Quàm frondens hederâ ſtringitur æſculus,
Quàm lento premitur palmite populus.
Et murmur querulâ blandius alite
Linguis aſſiduo reddite mutuis.
Et labris animam conciliantibus,
Æternum rapiat ſomnus anhelitum.
Amplexu calcet purpura regio,
Et veſtes Tyrio ſanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor.
Tum victor madido profilias toro,
Nocturni referens vulnera prælii.
Ducant pervigiles carmina tibiæ,
Permiſſíſque jocis turba licentior,
Exultet tetricis libera legibus.
Paſſim cum ducibus ludite milites.
Paſſim cum pueris ludite virgines.
Hæc vox ætheriis intonet axibus.
Hæc vox per populos, per mare tranſeat:
Formoſus Mariam ducit Honorius.

DE BELLO GILDONICO LIBER.

REDDITUS imperiis Auſter, ſubjectáque rurſum
Alterni convexa poli. rectore ſub uno
Conſpirat geminus frenis communibus orbis,
Junximus Europen Libyæ. concordia fratrum
Plena redit. patriis quod ſolum defuit armis,
Tertius occubuit nati virtute tyrannus.
Horret adhuc animus, manifeſtáque gaudia differt,
Dum ſtupet, & tanto cunctatur credere voto,
Nec dum Cinyphias exercitus attigit oras,
Jam domitus Gildon. nullis victoria nodis
Hæſit, non terræ ſpatio, non objice ponti.
Congreſſum, profugum, captum vox nuntiat una,
Rumorémque ſui prævenit laurea belli.
Quo, precor, hæc effecta Deo? robuſta vetúſque
Tempore tam parvo potuit dementia vinci?
Quem veniens indixit hyems, ver perculit, hoſtem.
Exitii jam Roma timens, & feſſa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non ſolito viſu, nec qualis jura Britannis
Dividit, aut trepidos ſubmittit faſcibus Indos.
Vox tenuis, tardíque gradus, oculíque jacentes:
Interiùs fugere genæ. jejuna lacertos
Exedit macies. humeris vix ſuſtinet ægris
Squalentem clypeum. laxatâ caſſide prodit
Canitiem, plenámque trahit rubiginis haſtam.
Attigit ut tandem cælum, genibúſque Tonantis
Procubuit, tales orditur mœſta querelas:
Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci,
Jupiter, auguriis; ſi ſtant immota Sibyllæ
Carmina: Tarpeias ſi necdum reſpuis arces:
Advenio ſupplex, non ut proculcet Araxem
Conſul ovans, noſtræve premant pharetrata ſecures
Suſa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc antè dabas. nunc pabula tantùm
Roma precor, miſerere tuæ, pater optime, gentis.
Extremam defende famem. ſatiavimus iram,
Siqua fuit. lugenda Getis, & flenda Suëvis,
Hauſimus. ipſa meos exhorret Parthia caſus.
Quid referam morbíve luem cumulóſve repletos
Stragibus, & crebras corrupto ſidere mortes?
Aut fluvium, per tecta vagum, ſummíſque minantem
Collibus? ingentes vexi ſubmerſa carinas,
Remotúmque ſonos, & Pyrrhæ ſecula ſenſi.
Hei mihi, quò Latiæ vires, Urbíſque poteſtas
Decidit? in qualem paullatim fluximus umbram?
Armato quondam populo patriíſque vigebam
Conſiliis. domui terras, urbéſque revinxi
Legibus. ad Solem victrix utrumque cucurri.
Poſtquam jura ferox in ſe communia Cæſar
Tranſtulit, & lapſi mores, deſuetáque priſcis
Artibus in gremium pacis ſervile receſſi,
Tot mihi pro meritis Libyam Nilúmque dedere,
Ut dominam plebem, bellatorémque ſenatum
Claſſibus æſtivis alerent: geminóque viciſſim
Littore diverſi complerent horrea venti.
Stabat certa ſalus. Memphis ſi fortè negâſſet,
Penſabam Pharium Gætulis meſſibus annum.
Frugiferas certare rates, latéque videbam
Punica Niliacis concurrere carbaſa velis.
Cùm ſubiit par Roma mihi, diviſáque ſumpſit
Æquales Aurora togas, Ægyptia rura
In partem ceſſere novam. ſpes unica nobis
Reſtabat Libyæ, qua vix ægréque fovebat
Solo ducta Noto, nunquam ſecura futuri.
Semper inops ventíque fidem poſcebat, & anni.
Hanc quoque nunc Gildon rapuit ſub fine cadentis
Autumni. pavido metimur cærula voto,
Puppis ſi qua venit, ſi quid fortaſſe potenti
Vel pudor extorſit domino, vel prædo reliquit.
Paſcimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,
Sed ſua concedi jactat, gaudétque diurnos,
Ut famulæ, præbere cibos, vitámque ſumémque
Librat barbarico faſtu, vulgíque ſuperbis
Fletibus, & tantæ ſuſpendit fata ruinæ.
Romuleas vendit ſegetes, & poſſidet arva
Vulneribus quæſita meis. ideóne tot annos
Flebile cum tumidâ bellum Carthagine geſſi?
Iccirco voluit contemptâ luce reverti
Regulus? hoc damnis, genitor, Cannenſibus emi?
Incaſſum toties lituis navalibus arſit
Hiſpanum Siculúmque fretum? vaſtatáque tellus,
Tótque duces cæſi, ruptâque emiſſus ab Alpe
Pœnus, & attonitæ jam proximus Hannibal urbi?
Scilicet, ut domitis ſlueretur Barbarus Afris,
Muro ſuſtinui Martem, noctéſque cruentas
Collinâ pro turre tuli? Gildonis ad uſum
Carthago ter victa ruit? hoc mille gementis
Italiæ clades, impenſáque ſecula bellis,
Hoc Fabius fortíſque mihi Marcellus agebant,
Ut Gildo cumularet opes? haurire venena
Compulimus dirum Syphacem, fractúmque Metello
Traximus immanem Marii ſub vincla Jugurtham,
Et Numidæ Gildonis erunt? proh funera tanta,
Proh labor! in Bocchi regnum ſudavit uterque
Scipio. Romano viciſtis ſanguine Mauri.
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & ſceptra dabat, quem ſemper in armis
Horribilem gentes, placidum ſenſere ſubactæ,
Nunc inhonorus, egens, perfert miſerabile pacis
Supplicium, nullóque palàm circumdatus hoſte,
Obſeſſi diſcrimen habet. per ſingula letum
Impendet momenta mihi, dubitandáque pauci
Præſcribunt alimenta dies. heu proſpera fata,
Quid mihi ſeptenos montes, turbámque dediſti
Quæ parvo non poſſet ali? felicior eſſem
Anguſtis opibus. mallem tolerare Sabinos,
Et Vejos. brevior duxi ſecurius ævum,
Ipſa nocet moles. utinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.
Sufficerent Etruſca mihi, Campanáque culta,
Et Quincti, Curiſque ſeges, patriæque petenti
Ruſticus inferret proprias Dictator ariſtas.
Nunc quid agam? Libyam Gildo tenet, altera Nilum.
Aſt ego, quæ terras humeris, Pontúmque ſubegi,
Deſeror. emeritæ jam præmia nulla ſenectæ.
Di, quibus iratis crevi, ſuccurrite tandem,
Exorate patrem: túque ô, ſi ſponte per altum
Vecta Palatinis mutâſti collibus Idam,
Prælatóque lævas Phrygios Almone leones,
Maternis natum precibus jam flecte Cybele.
Sin prohibent Parcæ, falſíque eluſa vetuſtæ
Auſpiciis, alio ſaltem proſternite caſu,
Et pœnæ mutate genus. Porſenna reducat
Tarquinios. renovet ferales Allia pugnas.
Me potiùs ſævi manibus permittite Pyrrhi.
Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.
Cuncta fame leviora mihi. Sic fata, refuſis
Obticuit lacrymis. mater Cytherea, paréntſque
Flet Mavors, ſanctæque memor Tritonia Veſtæ.
Nec ſicco Cybele nec ſtabat lumine Juno.
Mœrent indigetes, & ſi quos Roma recepit
Aut dedit ipſa Deos. genitor jam corda remiſti
Cœperat, & ſacrum dextrâ ſedare tumultum,
Cùm procul infanis quatiens ululatibus axem,
Et contuſa genas, mediis apparet in aſtris
Africa, reſciſſæ veſtes, & ſpicea paſſim
Serta jacent. lacero crinales vertice dentes,
Effractum pendebat ebur. talíque ſupernas
Irrupit clamore fores. quid magne moraris
Jupiter, avulſo nexu, pelagíque ſolutis
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto. veniant prærupta Pachyno
Æquora. laxatis ſubſidant Syrtibus urbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
Me rape Gildoni. felicior illa peruſtæ
Pars Libyæ, nimio quæ ſe munita calore
Defendit, tantíque vacat ſecuritatis anni.
Creſcat zona rubens. medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat. meliùs deſerta jacebo

Vomeri-

Vomeris impatiens. pulsis dominentur aristis
Dipsades, & sitiens attollat glebas cerastas.
Quid me temperies juvit? quid mitior æther?
Gildoni fecunda fui. jam Solis habenæ
Bis senas torquent hyemes, cervicibus ex quo
Hæret triste jugum: nostris jam luctibus ille
Consenuit, regnúmque sibi tot vindicat annos:
Atque utinam regnum! privato jure tenetur,
Exigui specie fundi, quod Nilus & Atlas
Dissidet. occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quódque Paretonio secedit littore Ganges,
Hoc sibi transcripsit proprium. pars tertia mundi
Unius prædonis ager. distantibus idem
Inter se vitiis cinctus: quodcumque profundâ
Traxit avaritiâ, luxu pejore refundit.
Instat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies, oritur prædâ cessante libido,
Divitibúsque dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, vel pulcrâ conjuge notus,
Crimine pulsatur falso. si crimina desint,
Accitus conviva perit. mors nulla refugit
Artificem. varios succos spumásque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota novercis
Gramina. si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiúsve gemat, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacitâ formidine libat
Carnifices epulas, incertáque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumspicit enses.
Splendet Tartareo furialis mensa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, suspecta veneno.
Ut vino calefacta Venus, tum sævior ardet
Luxuries: mistis redolent unguenta coronis,
Crinitos inter famulos pubémque canorum
Orbatas jubet ire nurus, nupérque peremtis
Arridere viris. Phalarin, tormentáque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre juvenci,
Quàm tales audire choros. nec damna pudoris
Turpia sufficiunt. Mauris clarissima quæque
Fastidita datur. mediâ Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum
Ingerit. exterret cunabula degener infans.
His fretus sociis, ipso jam principe major
Incedit. peditum præcurrunt agmina longé.
Circumdant equitum turmæ, Regésque clientes,
Quos nostris ditat spoliis. proturbat avitâ
Quemque domo, veteres detrudit rure colonos.
Exiliis dispersa feror. nunquámne reverti
Fas erit, errantésque solo jám reddere cives?
Iret adhuc in verba dolor, nisi Jupiter alto
Cœpisset solio. voces adamante notabat
Atropos, & Lachesis jungebat stamina dictis.
Nec te, Roma, diu, nec te patiemur inultam
Africa, communem prosternet Honorius hostem.
Pergite securæ. vestrum vis nulla tenorem
Separat: & soli famulabitur Africa Romæ.
Dixit, & afflavit Romam meliore juventâ.
Continuò redit ille vigor, senisque colorem
Mutavere comæ, solidatam crista resurgens
Erexit galeam, clypeúsque recanduit orbis,
Et levis excussâ micuit rubigine cornus.
Humentes jam noctis equos, Letæáque Somnus
Frena regens, tacito volvebat sidera curru.
Jam duo Divorum proceres, majórque minórque
Theodosii pacem laturi gentibus ibant:
Qui Jovis arcanos monitus, mandatáque ferrent
Fratribus, & geminis sancirent fœdera regnis.
Sic cùm præcipites artem vicere procellæ,
Assiduóque gemens undarum verbere nutat
Descensura ratis, cæcâ sub nocte vocati
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones.
Circulus ut patuit Lunæ, secuere meatus
Diversos. Italas senior tendebat in oras.
At pater, intrantem Pontum quà Bosporus arctat,
Arcadii thalamis, urbíque illapsus Eoæ.
Quem simul ac vidit natus (nam clara nitebat
Cynthia) permisto tremuerunt gaudia fletu,
Complexúque fovens, quos non speraverat, artus,
O mihi post Alpes nunc primùm reddite, dixit,
Unde tuis optatus adeas? da tangere dextram,
Quâ gentes cecidere feræ. quis tale removit
Præsidium terris; ut te mortalia pridem
Implorant, lugéntque piam, fortémque requirant?
Cui pater in tales rupit suspiria voces.
Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur, & mundus germanáque dissidet aula?
Gildonísne salus tanti sit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnóque tuendus,
Et cujus meritis pietas à fratre recedat.
In primo genitore, vide, civile calebat ——
Dissidium. dubiò stabant Romana sub ictu.
Quis procul Armenius, vel quis Mæotide ripâ
Rex ignotus agit, qui me non juvit euntem?
Auxilio fovere Getæ, venere Geloni.
Solus at hic non puppe datâ, non milite misso
Subsedit fluitante fide. si signa petisset,
Obvia, detecto submissiùs hoste dolerem.
Restitit in speculis fati, turbâque reductus
Libravit geminas eventu judice vires,
Ad rerum momenta cliens, seséque daturus
Victori. fortuna simul cum Marte pependit.
Et si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandáque dumis
Impia divertis raptarem membra quadrigis.
Germani nunc usque tui responsa colebat.
En iterum calcat. tali te credere monstro
Post patrem fratrémque paras? sed magna rependit,
Inque tuam sortem numerosas transtulit urbes.
Ergo fas pretio cedet? mercede placebit
Proditio? taceo, læsi quòd transfuga fratris,
Quòd levis ingenio. quamvis discrimine summo
Proditor apportet suspensam morte salutem,
Nusquam gratus erit. damnamus luce repertâ
Perfidiam: nec nos patimur committere tali
Hoc genus emptori. cives cum mœnibus offert?
Hôc vendit patriam. plerique in tempus abusi
Mox odere tamen. tenuit sic Graia Philippus
Oppida, Pellæo libertas concidit auro.
Romani scelerum semper sprevere ministros.
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius Regi nudatâ fraude remisit,
Infesto quem Marte petit, bellúmque negavit
Per famuli patrare nefas. ductósque Camillus
Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi.
Traduntur pœnis alii, cùm prælia solvant;
Hic manet, ut moveat? quem respuit alter in hostem,
Suscipis in fratrem? longi proh dedecus ævi!
Cui placet, australes Gildo condonat habenas,
Tantáque mutatos sequitur provincia mores.
Quaslibet ad partes animus mutaverit anceps:
Transfundit secum Libyam, refluúmque malignus
Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
Tollite Massylas fraudes. removete bilingues
Insidias, & verba soli spirantia virus.
Ne consanguineis certetur cominus armis,
Ne, precor, hæc trucibus Thebis, hæc digna Mycenis;
In Mauros hoc crimen erat. quid noster iniquum
Molitur Stilico? quando non ille jubenti
Paruit? an quisquam nobis devotior exstat?
Ut fileam varios, quos mecum gesserit, actus,
Quæ vidi post fata, loquar. cùm Divus abirem,
Res incompositas, fateor, tumidásque reliqui.
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odiis, alternáque jurgia victi
Victoréque dabant. vix hæc amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiêsset.
Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
Militis auderet moles, cùm cæca remoto
Ferveret jam læta metu. dissensus acerbus,
Sed gravior consensus erat. tunc ipse paternâ
Successit pietate mihi, tenerúmque rudémque
Fovit, & in veros eduxit principis annos:
Rofinúmque tibi, quem tu tremuisse fateris,
Depulit. hunc solum memorem solúmque fidelem
Experior. volui si quid, dum vita maneret,
Aut visus voluisse, gerit: venerabilis illi
Ceu numénque vocor præsens. si tanta recusas,
At soceri reverere faces, at respice fratris
Connubium, pignúsque meæ regale Serenæ.
Debueras etiam fraternis obvius ire
Hostibus, ille tuis. quæ gens, quis Rhenus & Ister
Vos opibus junctos, conspirantésque tulissent?
Sed tantùm permitte, cadat. nil poscimus ultrà.
Ille licèt sese prætentis Syrtibus armet,
Oppositóque Atlante tegat: licèt arva referta
Anguibus, & Solis medios objecerit æstus:

Novi

Novi consilium, novi Stiliconis in omnes
Æqualem casus animum. penetrabit arenas:
Inveniet virtute viam. sic Divus, & indè
Sic natus. jussis genitor parebitur ultro.
Amplector præcepta lubens. nec carior alter
Cognato Stilicone mihi. commissa nefandus
Ille luat. redeat jam tutior Africa fratri.
Talia dum longo secum sermone retexunt,
Hesperiam pervenit avus, castúmque cubile
Ingreditur, Tyrio quo fusus Honorius ostro
Carpebat teneros Mariâ cum conjuge somnos.
Assistit capiti. tunc sic per somnia fatur.
Tantáne devictos tenuit fiducia Mauros,
Care nepos? iterum post me conjurat in arma
Progenies vesana Jubæ, bellúmque resúmit
Victoris cum stirpe sui? Firmúmne jacentem
Obliti? Libyam nostro sudore receptam
Rursus habent? ausus Latio contendere Gildo?
Germani nec fata timet? nunc ire profectò,
Nunc vellem, notúsque senex ostendere vultus.
Nónne meam fugiet Maurus, cùm viderit, umbram?
Quid dubitas? exurge toris. invade rebellem.
Captivum mihi redde meum. desiste morari.
Hoc generi fatale tuo. dum sanguis in orbe
Noster erit, semper pallebit Regia Bocchi.
Jungantur spoliis Firmi Gildonis opima.
Exornet geminos Maurusia laurea currus.
Una domus toties unâ de gente triumphet.
Dii, bene, quod tantis interlabentibus annis
Servati Firmúsque mihi, fratérque nepoti.
Dixit, & afflatus vicino Sole refugit.
At juvenem stimulis immanibus æmula virtus
Exacuit. jam puppe vehi, jam stagna secare
Fervet, & absentes invadere cuspide Mauros.
Tum jubet acciri socerum, dextrámque vocato
Conserit, & quæ sit potior sententia, quærit.
Per somnos mihi, sancte pater, jam sæpe futura
Panduntur, multæque canunt præsagia noctes.
Namque procul Libycos venatu cingere saltus,
Et juga rimari canibus Gætula videbar.
Mœrebat regio sævi vastata leonis
Incursu. pecudum strages, passímque juvenci
Semineces, & adhuc infecta mapalia tabo,
Sparsáque sanguineis pastorum funera campis.
Aggredior latebras monstri, mirúmque relatu
Conspicio. dilapsus honos. cervice minaces
Defluxere jubæ. fractos inglorius armos
Suppositit servile gemens, ingestáque vincla
Unguibus, & subitæ collo sonuere catenæ.
Nunc etiam paribus secum certare tropæis
Hortator me cogit avus. quónam usque morati
Cunctamur? decuit pridem complere biremes,
Et pelagi superare minas. transmittere primus
Ipse paro. quæcumque meo gens barbara nutu
Stringitur, adveniat. Germania cuncta feratur
Navibus, & socià comitentur classe Sicambri.
Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.
An patiar tot probra sedens, juvenísque relinquam
Quæ tenui rexíque puer? bis noster ad Alpes
Alterius genitor defensum regna cucurrit.
Nos prædæ faciles insultandíque jacemus?
Finierat Stilico, contrà cui talia reddit:
Adversíne tubam Princeps dignabere Mauri?
An feret ignavus clari solatia fati
Te bellante mori? decernet Honorius indè,
Hinc Gildo? priùs astra Chaos miscebit Averno.
Vindictam mandâsse sat est. plus nominis horror,
Quàm tuus ensis, aget. minuit præsentia famam.
Qui stetit, æquatur campo, collatáque nescit
Majestatem acies. sed quod magis utile factu,
Atque hosti gravius, sensus adverte, docebo.
Est illi patribus, sed non & moribus isdem,
Masezel; fugiens qui dira piacula fratris
Spésque suas, vitámque tuo commisit asylo.
Hunc ubi tentatis frustra mactare nequivit
Insidiis, patrias in pignora contulit iras;
Et quos ipse sinu parvos gestaverat, unà
Obtruncat juvenes, inhumatáque corpora vulgo
Dispulit, & tumulo cognatas arcuit umbras:
Naturámque simul, fratrémque, hominémque cruentus
Exuit, & tenuem cæsis invidit arenam.
Hoc facinus refugo damnavit Sole Mycenas,
Avertítque diem. sceleri sed reddidit Atreus
Crimen, & infandas excusat conjuge mensas.
Hic odium, non pœna fuit. te prodita jura,
Te pater ultorum, te nudi pulvere Manes,
Te pietas polluta rogat: si flentibus aram,
Et proprium miseris numen statuistis Athenæ:
Si Pandionias planctu traxere phalanges
Inachides, bellóque rogos meruere maritis:
Si mœstæ squalore comæ, lacrymísque Senatum
In Numidas pulsus solio commovit Adherbal:
Hunc quoque nunc, Gildo tanto quem funere mersit,
Hunc doleat veniisse ducem, sesèque minorem
Supplicibus sciat esse tuis. quem fede fugavit,
Hunc præceps fugiat: fregit quem clade, tremiscat;
Agnoscátque suum, trahitur dum victima, fratrem.
Hæc ubi sederunt genero; notissima Marti
Robora, præcipuos electâ pube maniplos
Disponit, portúque rates instaurat Etrusco.
Herculeam suus Alcides, Joviámque cohortem
Rex ducit Superûm: premitur nec signifer ullo
Pondere: festinant adeò vexilla moveri.
Nervius insequitur, meritúsque vocabula Felix,
Dictáque ab Augusto legio, noménque probantes
Invicti clypeóque animosi teste Leones.
Dictis antè tamen princeps confirmat ituros
Aggere conspicuus. stat circumfusa juventus
Nixa hastis, pronásque ferox accommodat aures:
Gildonem domitura manus, promissa minásque
Tempus agi. si quid pro me doluistis in armis,
Ostentate mihi. justo magnóque triumpho
Civiles abolete notas. sciat orbis Eous,
Sítque palàm, Gallos causâ, non robore, vinci.
Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
Terreat. an Mauri fremitus raucóque repulsus
Umbonum, & vestros passuri cominus enses?
Non contra clypeis tectos, galeísve micantes
Ibitis. in solis longè fiducia telis.
Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis.
Dextra movet jaculum. prætentat pallia læva.
Cætera nudus eques. sonipes ignarus habenæ.
Virga regit. non ulla fides, non agminis ordo.
Arma oneri, fuga præsidio; connubia mille.
Non ulli generis nexus, non pignora curæ;
Sed numero languet pietas. hæc copia vulgi.
Umbratus dux ipse rosis, & marcidus ibit
Unguentis, crudúsque cibo; titubánsque Lyæo,
Confectus senio, morbis, stupríque solutus.
Excitet incestos turmalis buccina somnos,
Imploret citharas, cantatricésque choreas
Offensus stridore tubæ, discátque coactus
Quas vigilat Veneri, castris impendere noctes.
Nónne mori satius, quàm vitæ ferre pudorem?
Nam quæ jam regio restat, si dedita Mauris
Regibus, Illyricis accesserit Africa damnis?
Jus Latium, quod tunc Meroë, rubróque solebat
Oceano cingi, Tyrrhenâ clauditur undâ.
Et cui non Nilus, non intulit India metas,
Romani jam finis erit Trinacria regni?
Ite receptori, prædo quem sustulit, axem,
Ereptúmque Notum. caput insuperabile rerum
Aut ruet in vestris, aut stabit Roma lacertis.
Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
Amissas. uno Libyam defendite bello.
Vestros imperium remos, & vestra sequatur
Carbasa. despectas trans æquora ducite leges.
Tertia jam solito cervix mucrone rotetur,
Tandem funereis finem positura tyrannis.
Omina convenium dicto, fulvúsque Tonantis
Armiger ad liquidam cunctis spectantibus æthram
Correptum pedibus curvis innexuit hydrum.
Dúmque reluctantem morsu partitur obunco,
Hæsit in ungue caput. truncatus decidit anguis.
Illicet auguriis alacres per saxa citati,
Torrentésque ruunt. non mons, non sylva retardat
Pendula. ceu parvis moturæ bella colonis
Ingenti clangore grues æstiva relinquunt
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo,
Ordinibus variis per nubila texitur ales
Littera, pennarúmque notis inscribitur aër.
Ut fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
Impetus. arripiunt naves, ipsíque rudentes
Expediunt, & vela legunt, & cornua summis
Associant malis. quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alphææ capiunt navalia Pisæ.
Sic Agamemnoniam vinder cùm Græcia classem
Solveret, innúmeris fervebat vocibus Aulis.

Non

Non illos ſtrepitus, impendentiſque procellæ
Signa, nec adventus dubii deterruit Auſtri.
Vellite proclamant, ſocii, jam vellite funem
Per vada Gildonem quamvis adverſa petamus.
Ad bellum nos trudat hyems. per devia Ponti
Quaſſatis cupio tellurem figere roſtris.
Heu nimiùm ſegnes, cautâ qui mente notatis,
Si revolant mergi, graditur ſi litore cornix.
Ora licèt maculis adſperſerit occiduus Sol,
Lunáque conceptis liveſcat turbida Coris,
Et contuſa vagos jaculentur ſidera crines,
Imbribus humeſcant Hædi, nimboſáque Taurum
Ducat Hyas, totúſque fretis deſcendat Orion:
Certa fides cæli, ſed major Honorius auctor.
Illius auſpiciis immenſa per æquora miles,
Non Plauſtris, Arctóve regor. contemne Booten
Navita. turbinibus mediis permitte carinas.
Si mihi tempeſtas Libyam ventíque negabunt,
Auguſti Fortuna dabit. jam claſſis in altum
Provehitur. dextrâ Ligures, Hetruria lævâ
Linquitur, & cæcis vitatur Corſica ſaxis.
Humanæ in ſpeciem plantæ ſe magna figurat
Inſula. Sardoam veteres dixere coloni,
Dives ager frugum. Pœnos Italóſve petenti
Opportuna ſitu. quæ pars vicinior Arctis,
Plana ſolo, ratibus clemens. quæ reſpicit Arctoũ,
Imminitis, ſcopuloſa, procax, ſubitíſque ſonora
Fluctibus. Inſanos infamat navita montes.
Hinc hominum, pecudúmque lues, hinc peſtifer aër
Sævit, & excluſis regnant Aquilonibus Auſtri.
Quos ubi luctatis procul effugere carinis;
Per diverſa ruunt ſinuoſæ litora terræ.
Pars adit antiquâ ductos Carthagine Sulcos:
Partem litoreo complectitur Olbia muro.
Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Caralis, tenuémque per undam
Obvia dimittit fracturum flamina collem.
Efficitur portus medium mare, tutáque ventis
Omnibus ingenti manſueſcunt ſtagna receſſu.
Hanc omni petiere manu, proríſque reductis
Suſpensâ Zephyros expectant claſſe faventes.

De Conſulatu MALLII THEODORI Panegyris.

PROLOGUS.

AUDEBISNE, precor, doctæ ſubjecta catervæ
Inter tot proceres, noſtra Thalia, loqui?
Nec te fama vetat, vero quam celſiùs actam
Vel ſervâſſe labor, vel minuiſſe pudor.
An tibi continuis crevit fiducia caſtris?
Totáque jam vatis pectora miles habet?
Culmina Romani majeſtatémque Senatûs,
Et, quibus exultat Gallia, cerne viros.
Omnibus audimur terris, mundíque per aures
Ibimus. ah nimius Conſulis urget amor.
Jupiter, ut perhibent, ſpatium cùm diſcere vellet
Naturæ, regni neſcius ipſe ſui,
Armigeros utrimque duos æqualibus alis
Miſit ab Eois Occiduíque plagis.
Parnaſſus geminos fertur junxiſſe volatus;
Contulit alternas Pythius axis aves.
Princeps non aquilis terram cognoſcere curat.
Certius in nobis æſtimat imperium.
Hoc ego conſilio collectum metior orbem,
Hoc video cœtu quidquid ubique micat.

IPSA quidem virtus pretium ſibi, ſolâque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſtibus ullis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, imnotáque cunctis
Caſibus ex altâ mortalia deſpicit arce.
Attamen invitam blandè vestigat, & ultro
Ambit Honos. docuit toties à rure profectus
Lictor, & in mediis quæſitus Conſul aratris.
Te quoque naturæ ſacris mundíque vacantem,
Emeritum pridem, deſudatíſque remotum
Judiciis, eadem rurſum complexa poteſtas
Evehit, & reducem notis imponit habenis.
Accedunt trabeæ. nil jam, Theodore, relictum,
Quo virtus animo ereícat, vel ſplendor honore.
Culmen utrumque tenes. talem te protinus anni
Formavere rudes, & dignum vita curuli
Traxit iter, primæque ſenes ceſſere juventæ.
Jam nunc canicies animi, jam dulce loquendi
Pondus, & attonitas ſermo qui duceret aures.
Mox undare foro victrix opulentia linguæ,
Totarſque teos. ipſa hæc ampliſſima ſedes
Orantem ſtupuit, bis laudatura regentem.
Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,
Quæ nunc tota probat. longi ſed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ. populúmque clientem
Publica manſuris teſtantur vocibus æra.
Indè tibi Macetum tellus, & credita Pellæ
Mœnia, quæ famulus quondam ditavit Hydaſpes.
Tantáque commiſſæ revocâſti gaudia genti
Mitibus arbitriis, quantùm bellante Philippo
Floruit, aut nigri cecidit cùm regia Pori.
Sed non ulteriùs te præbuit urbibus aula:
Maluit eſſe ſuum. terris edicta daturus,
Supplicibus reſponſa, venis. oracula Regis
Eloquio crevere tuo. nec digniùs unquam
Majeſtas meminit ſeſe Romana locutam.
Hinc ſacræ mandantur opes, orbíſque tributa
Poſſeſſi; quidquid fluviis evolvitur auri:
Quidquid luce procul venas rimata ſequaces
Abdita pallentis fodit ſollertia Beſſi.
Ac velut exertus lentandis navita tonſis
Præficitur lateri cuſtos; hinc ardua proræ
Temperat, & fluctus tempeſtatéſque futuras
Edocet, aſſiduo cùm Dorida vicerit uſu:
Jam clavum totámque ſubit torquere carinam.
Sic cùm clara diu rerum documenta dediſſes,
Non te parte ſui, ſed in omni corpore, ſumpſit
Imperium, cunctáque dedit tellure regendos
Rectores. Hiſpana tibi Germanáque Tethys
Paruit, & noſtro deducta Britannia mundo:
Diverſóque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanúſque ferox, & dives Iberus.
O quoties doluit Rhenus, quà barbarus ibat,
Quòd te non geminis frueretur judice ripis!
Unius fit cura viri, quodcumque rubeſcit
Occaſu, quodcumque dies devexior ambit.
Tam celer aſſiduos explevit curſus honores.
Una poteſtatum ſpatiis interfuit ætas,
Tórque gradus fati juvenilibus intulit annis.
Poſtquam parta quies, & ſummum nacta cacumen,
Jam ſecura petit privatum gloria portum;
Ingenii redeunt fructus, aliſque labores,
Et vitæ pars nulla perit. quodcumque recedit
Litibus, incumbit ſtudiis, animúſque viciſſim
Aut curam imponit populis, aut otia Muſis.
Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quod quiſque novum mandaverit ævo,
Quantáque diverſæ producant agmina ſectæ.
Namque aliis princeps rerum diſponitur aër:
Hic confidit aquis: hic procreat omnia flammis.
Alter in Ætnæas caſurus ſponte favillas
Diſpergit revocátque Deum, rurſúmque receptis
Nectit amicitiis quidquid diſcordia ſolvit.
Corporis hic damnat ſenſus, verúmque videri
Pernegat. hic ſemper lapſuræ pondera terræ
Conatur rapido cæli fulcire rotatu,
Accendíſque diem præruptі turbine ſaxi.
Ille ferox unóque tegi non paſſus Olympo,
Immenſum per inane volat, finémque peroſus
Parturiæ

Parturit innumeros angusto pectore mundos.
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis.
Numina constituunt alii, calúsque relegant.
Graiorum obscuras Romanis floribus artes
Irradias, vicibus gratis formare loquentes
Suetus, & alterno verum contexere nodo.
Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid
Docta Cleanthea sonuerunt atria turba,
Inventum quodcumque tuo, Chrysippe, recessu,
Quidquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras, uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit.
Ornantur veteres, & nobiliore magistro
In Latium spretis Academia migrat Athenis,
Ut tandem propiùs discat, quo fine beatum
Dirigitur: quæ norma boni, qui limes honesti;
Quænam membra sui virtus divisa domandis
Objectet vitiis, quæ pars injusta recidat,
Quæ vincat ratione metus, quæ frænet amores.
Aut quoties elementa doces, sempérque fluentis
Materiæ causas: quæ vis animaverit astra,
Impulerítque choros: quo vivat machina motu.
Sidera cur septem tetro nitantur in ortus
Obluctata polo: varissne meatibus idem
Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes:
Sine color proprius rerum, lucísque repulsu
Eludant aciem. tumidos quæ Luna recursus
Nutriat Oceani: quo fracta tonitrua vento.
Quid trahat imbriferas nubes; quo saxa creentur
Grandinis. unde rigor nivibus: quæ flabra per auras
Excutiant rutilos tractus: aut fulmina velox
Torqueat, aut tristem figat crinita cometen.
Jam tibi compositam fundaverat anchora puppim.
Telluris jam certus eras, fecunda placebant
Otia. nascentes ibant in secula libri.
Cùm subitò liquidâ cessantem vidit ab æthrâ
Justitia, & tanto viduatas judice leges:
Continuò frontem limbo velata pudicam
Deserit Autumni portas, quà vergit in Austrum
Signifer, & noctis reparant dispendia Chelæ.
Pax avibus, quácumque volant; rabiémque frementes
Deposuere feræ. lætatur terra reverso
Numine, quod prisci post tempora perdidit ævi.
Illa per occultum Ligurum se mœnibus infert,
Et castos levibus plantis ingressa Penates
Invenit æthereos signantem pulvere cursus;
Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis:
Quæ moveant monenta polum, quàm certus in astris
Error. quis tenebras Soli caussísque meantem
Defectum indicat numerus. quæ linea Phœben
Damnet, & excluso pallentem fratre relinquat.
Ut procul adspexit fulgentia virginis ora,
Cognovítque Deam: vultus veneratus amicos
Occurrit, scriptæque notas confundit arenæ.
Tunc sic Diva prior: Malli, sincera bonorum
Congeries, in quo veteris vestigia recti,
Et ductos vidéo mores meliore metallo:
Jam satis indultum studiis; Musæque tot annos
Eripuere mihi. pridem te jura reposcunt.
Aggredere, & nostro rursum te redde labori.
Nec tibi sufficiat transmissæ gloria vitæ.
Humanum curare genus quis terminus unquam
Præscripsit? nullas recipit prudentia metas.
Adde, quòd hæc multis potuit contingere sedes.
Sed meritis tantùm redeunt, actúsque priores.
Commendat repetitus honos, virtúsque reducit,
Quos fortuna legit. melius magnóque petendum
Credis, in abstrusâ rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis, quàm qui responsa secutus
Obruit Eoas classes, urbémque cornis
Vexit, & arsuras Medo subduxit Athenas?
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus, & sexum leges vicere severæ:
Civibus & vetitis ignavo credere muro
Tutiùs objecit nudam Lacedæmona bellis.
At non Pythagoræ monitus, annique silentes,
Famosum OEbalii luxum pressere Tarenti.
Quis verò insignem tanto sub principe curam
Respuat? aut quando meritis majora patebunt
Præmia? quis demens adeo, qui jungere sensus
Cum Stilicone neget? similem quæ protulit ætas
Consilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret
Vivere sub regno. tali succumberet aulæ
Fabricius. cuperent ipsi servire Catones.
Nónne vides, ut nostra soror Clementia tristes
Obtundat gladios: fratréque amplexa serenos
Assurgat Pietas. fractis ut lugeat armis
Perfidia, & laceris morientes crinibus hydri
Lambant invalido Furiarum vincla veneno?
Exultat cum Pace fides, jam sidera cunctæ
Liquimus, & placidas inter discurrimus urbes.
Nobiscum, Theodore, redi. subit ille loquentem
Talibus. agrestem dudum me, Diva, reverti
Cogis; & infectum longi rubigine ruris
Ad tua signa vocas? nam quæ mihi cura tot annos
Altera, quàm duras sulcis mollire novales?
Nósse soli vires, nemori quæ commoda rupes,
Quis felix olex tractus, quæ gleba faveret
Frugibus, aut quales tegeret vindemia colles?
Terribiles rursum lituos veteranus adibo,
Et desueta vetus tentabo cærula vector?
Collectámque diu, & certis utcumque locatam
Sedibus, in dubium patiar deponere famam?
Nec me, quid valeat naturâ fortior usus,
Præterit, aut quantum neglectæ defluat arti.
Desidis aurigæ non audit verbera currus:
Nec manus agnoscit, quem non exercuit, arcum.
Esse sed injustum fateor, quodcumque negatur
Justitiæ. tu prima hominem sylvestribus antris
Elicis, & fœdo detergis secula victu.
Te propter colimus leges, animósque ferarum
Exuimus. nitidis quisquis te sensibus hausit,
Irruet intrepidus flammis, hyberna secabit
Æquora: confertos hostes superabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluviis solabitur æstus:
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aër.
Sic fatus tradente Deâ suscepit habenas
Quatuor ingenti Juris temone refusas.
Prima Padum Tiberímque ligat, crebríque micantem
Urbibus Italiam: Libyas Pœnósque secunda
Temperat: Illyrico se tertia porrigit orbi:
Ultima Sardiniam, Cyrnon, trifidámque retentat
Sicaniam, & quidquid Tyrrhenâ tunditur undâ,
Vel gemit Ioniâ. nec te tot limina rerum,
Aut tantum turbavit onus. sed ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos hyemésque relinquit,
Perpetuum nullâ temeratus nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, audítque cuentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat:
Sic patiens animi per tanta negotia liber
Emergit, similísque sui; justísque tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet.
Nam spretas quis opes, intactáque pectore lucro
Commemoret? fuerint aliis hæc fortè decora:
Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.
Servat inoffensam divina modestia vocem.
Temperiem servant oculi. nec lumina fervor
Asperat, aut rabidas suffundit sanguine venas.
Nullaque mutati tempestas proditur oris.
Quin etiam fontes expulsâ corrigis irâ,
Et placidus delicta domas. nec dentibus unquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
Qui fruitur pœnâ, ferus est, legúmque videtur
Vindictam præstare sibi: cùm viscera felle
Candnerint; ardet stimulis, fertúrque nocendi
Prodigus, ignarus causæ. Dis proximus ille,
Quem ratio, non ira, movet; qui facta rependens,
Consilio punire potest. mucrone cruento
Se jactent alii, studeant feritate timeri,
Addictóque hominum cumulent ærraria censu.
Lenè fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
Utilior, nullas confessus murmure vires.
Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas. eadem clementia sani
Gurgitis immensum diducit in ostia Gangen.
Torrentes immanè fremant, lassísque minuentur
Pontibus: involvant spumoso vortice sylvas.
Pax majora decet. peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit; mandatáque fortiùs urget
Imperiosa quies. idem prædurus iniquas
Accepisse preces: rursus quæ digna petitu,
Largiri facilis: nec quæ comitantur honores,
Aula tuam leviter tentare superbia mentem.
Frons privata manet. nec te meruisse fatetur,
Qui crevisse putat: rigidi sed plena pudoris
Elucet gravitas fastu jucunda modesto.
Quæ non seditio, quæ non insania vulgi

Te viſo lenita cadat? quæ diſſona ritu
Barbaries, medii quam non reverentia frangat?
Vel quis non ſitiens ſermonis mella politi
Deſerat Orpheos blandâ teſtudine cantus?
Qualem te legimus teneri primordia mundi
Scribentem, aut partes animæ per ſingula, talem
Cernimus, & ſimiles agnoſcit pagina mores.
Nec dilata tuis Auguſto judice merces
Officiis. illámque habitum, quo jungitur aulæ
Curia, qui ſocio proceres cum principe nectit,
Quem quater ipſe gerit, perfecto detulit anno:
Depoſuſtque ſuas te ſuccedente curules.
Creſcite virtutes, fecundáque floreat ætas
Ingeniis. patuit campus, certúſque merenti
Stat favor. ornatur propriis induſtria donis.
Surgite ſopitæ, quas obruit ambitus, artes.
Nil licet invidiæ, Stilico dum proſpicit orbi,
Sidereúſque gener, non hìc violata curulis,
Turpia non Latios inceſtant nomina faſtos.
Fortibus hæc conceſſa viris, ſolíſque gerenda
Patribus, & Romæ nunquam latura pudorem.
Nuntia votorum celeri jam fama volatu
Moverat Aonios audito Conſule lucos.
Concinuit felix Helicon, fluxíſque Aganippe
Largior, & docti riſerunt floribus amnes.
Uranie redimita comas, quâ ſæpe magiſtrâ
Mallius igniferos radio deſcripſerat axes,
Sic alias hortata Deas: Patimúrne, ſorores,
Optato procul eſſe die? nec limina noſtri
Conſulis, & ſemper dilectas viſimus ædes?
[Notior eſt Stilicone domus. geſtare curules,]
Et faſces ſubiiſſe libet. miracula plebi
Colligite, & claris nomen celebrate theatris.
Tu Jovis æquorei ſubmerſam fluctibus aulam
Oratum volucres, Erato, jam perge quadrigas,
A quibus haud unquam palmam rapturus Arion.
Illuſtret circum ſonipes, quicumque ſuperbo
Perſtrepit hinnitu Bætin, qui ſplendida potat
Stagna Tagi, madidóque jubas adſpergitur auro.
Calliope liquidas Alcidem poſce paleſtras.
Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis
Adſit, & Eleo pubes laudata Tonanti.
Tu juga Taygeti, frondoſáque Mænala, Clio,
I Triviæ ſupplex. non aſpernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.
Audaces legat ipſa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certóque premant venabula niſu.
Ipſa truces fetus, captiváque ducat ab antris
Prodigia, & cædis ſitientem differat arcum.
Conveniant urſi, magnâ quos mole rudentes
Torva Lycaoniis Helice miretur ab aſtris:
Perfoſſíque ruant populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frenare Cybelle
Optet, & Herculei malint fregiſſe lacerti.
Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
Semine permiſto geniti, cùm fortè leænæ,
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter;
Hi maculis patres referunt, & robore matres.
Quidquid monſtriferis nutrit Gætulia campis,
Alpina quidquid tegitur nive, Gallica quicquid
Sylva timet, jaceat. largo diteſcat arena
Sanguine. conſumant totos ſpectacula montes.
Nec molles egeant noſtrâ dulcedine Indi.
Qui lætis riſum ſalibus moviſſe facetus,
Qui nutu manibúſque loquax; cui tibia flatu,
Cui plectro pulſanda chelys; qui pulpita ſocco
Perſonat, aut altè graditur majore cothurno:
Et qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces ſegetis moderatus ænæ
Intonet erranti digito, penitúſque trabali
Vecte laborantes in carmina concitet undas.
Vel qui more avium ſeſe jaculentur in auras,
Corporáque ædificent celeri creſcentia nexu,
Quorum compoſitam puer amentatus in arcem
Emicet, &, vinctus plantâ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat veſtigia ſaltu,
Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis,
Inque chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
Scena rotet. varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permiſſa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.
Laſcivi ſubito confligant æquore lembi,
Stagnáque remigibus ſpument immiſſa canoris,
Conſul per populos, idémque graviſſimus auctor
Eloquii, duplici vitâ ſubnixus in ævum
Procedat libris pariter faſtíſque legendus.
Accipiat patris exemplum, tribunátque nepoti
Filius, & cœptis ne deſit faſcibus hæres.
Decurrat trabeata domus, tradátque ſecures
Mutua poſteritas, ſervatóque ordine fati
Mallia continuo numeretur Conſule proles.

IN EUTROPIUM.

LIBER PRIMUS.

SEMIFEROS partus, metuendáque pignora matri,
Mœnibus è mediis auditum nocte luporum
Murmur, & attonito pecudes paſtore locutas,
Et lapidum diras hyemes, nimbóque minacem
Sanguineo rubuiſſe Jovem, puteóſque cruore
Mutatos, viſáſque polo concurrere Lunas,
Et geminos Soles mirari deſinat orbis.
Omnia ceſſerunt eunucho Conſule monſtra.
Heu cæli terræque pudor! trabeata per urbes
Oſtentatur anus, titulúmque effeminat anni.
Pandite Pontifices Cumanæ carmina vatis,
Fulmineos ſollers Etruria conſulat ignes,
Immerſúmque neſas fibris exploret haruſpex.
Quæ nova portendunt Superi! Nilúſne meatu
Devius, & noſtri tentat jam transfuga mundi
Se rubro miſcere mari? ruptóne Niphate
Rurſum barbaricis Oriens vaſtabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Reponſura ſeges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras jugulo placabimus aras?
Conſule luſtrandi faſces, ipſóque litandum
Prodigio: quodcumque parant hôc omine fata,
Eutropius cervice luat. ſic omnia volvis?
Hoc regni fortuna tenes? quænam iſta jocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?
Si tibi ſervili placuit fœdare curules
Crimine, procedat laxatâ compede Conſul.
Rupta Quirinales ſumant ergaſtula cinctus.
Da ſaltem quemcumque virum. diſcrimina quædam
Sunt famulis ſplendórque ſuus: maculámque minorem
Conditionis habet, domino qui vixerit uni.
Si pelagi fluctus, Libyæ ſi diſcis arenas,
Eutropii numerabis heros. quot jura, quot ille
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit!
Nudatus quoties, medicum dum conſulit emtor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem?
Omnes pœnituit pretii, venúmque redibat,
Dum vendi potuit. poſtquam deforme cadaver
Manſit, & in rugas totus defluxit aniles;
Jam ſpecie doni certatim limine pellunt,
Et fœdum ignaris properant obtrudere munus.
Tot tranſlata jugis ſummiſit colla veteſtum
Servitium, ſempérque novum, nec deſitit unquam.
Sæpe tamen cœpit. cunabula prima cruentis
Dedita ſuppliciis. rapitur caſtrandus ab ipſo
Ubere. ſuſcipiunt, matris poſt viſcera, pœnæ.

Advolat

Advolat Armenias certo mucrone reciſos
Edoctus mollire mares, damnóque nefandum
Aucturus pretium, fecundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis, unóque ſub ictu
Eripit officiúmque patris nomenque mariti.
Ambiguus vitæ jacuit, penitúſque ſupremum
In cerebrum ſecti traxerunt frigora nervi.
Laudemúſne manum, quæ vires abſtulit hoſti?
An potiùs fato cauſam tribuiſſe queramur?
Profuerat manſiſſe virum. felicior extat
Opprobrio. ſerviret adhuc, ſi fortior eſſet.
Indè per Aſſyrias trahitur commercia ripas.
Hinc fora venalis Galatâ ductore frequentat,
Permutátque domos varias; quis nomina poſſit
Tanta ſequi? miles tabulis Ptolemæus in illis
Notior. hic longo laſſatus pellicis uſu
Donat Arinthæo. neque enim jam dignus haberi,
Nec maturus emi. cùm faſtiditus abiret,
Quàm gemuit, quanto planxit divortia luctu!
Hæc erat heu, Ptolemæe, fides? hoc profuit ætas
In gremio conſumpta tuo, lectúſque jugalis,
Et ducti toties inter præſepia ſomni?
Libertas promiſſa perit, viduúmne relinquis
Eutropium? tantáſque premunt oblivia noctes,
Crudelis? generis proh ſors duriſſima noſtri!
Femina cùm ſenuit, retinet connubia partu,
Uxoríſque decus matris reverentia penſat.
Nos Lucina fugit, nec piguore nitimur ullo,
Cum formâ dilapſus amor. deſtorquit oris
Gratia. quâ miſeri ſcapulas turabimur arte?
Quâ placeam ratione ſenex? ſic fatus acutum
Aggreditur lenonis opus. nec ſegnis ad artem
Mens erat, officiſque capax, omnéſque pudoris
Hauſerat inſidias. cuſtodia nulla tuendo
Fida toro. nulli poterant excludere vectes.
Ille vel æratâ Danaen in turre latentem
Eliceret. fletus domini fingebat amantis.
Indomitáſque morâ, pretio lenibat avaras,
Laſciváſque jocis. non blandior ullus euntis
Ancillæ tetigiſſe latus, levitérque reductis
Veſtibus occulto crimen mandare ſuſurro.
Nec furtis quæſiſſe locum, nec fraude repertâ
Cautior eluſi fremitus vitare mariti.
Haud aliter juvenum flammis Ephyreïa Laïs
Et gemino dotata mari, cùm ſerta refundit
Canities, jam turba procax, noctiſque recedit
Ambitus, & raro pulſatur janua tactu,
Séque reformidat ſpeculo damnare ſenectus:
Stat tamen, atque alias ſuccingit lena miniſtras,
Dilectúmque diu quamvis longæva lupanar
Circuit, & retinent mores, quod perdidit ætas.
Hinc honor Eutropio. cúmque omnibus unica virtus
Eſſet in eunuchis, thalamos ſervare pudicos,
Solus adulteriis crevit. nec verbera tergo
Ceſſavere tamen, quoties decepta libido
Irati caluiſſet heri. fruſtráque rogantem,
Jactantémque ſuos tot jam per luſtra labores,
Dotalem genero nutritoréinque puellæ
Tradidit. Eous rector Confúlque futurus
Pectebat dominæ crines, & ſæpe lavanti
Nudus in argento lympham geſtabat alumnæ.
Et cùm ſe rapido feſſam projecerat æſtu,
Patricius roſeis pavonum ventilat alis.
Jámque ævo laxata cutis, ſulciſque genarum
Corruerat paſsâ facies rugoſior uvâ.
Flava minùs preſſo finduntur vomere rura:
Nec vento ſic vela tremunt. miſerabile turpes
Exedere caput tineæ. deſerta patebant
Intervalla comæ: qualis ſitientibus ævis,
Arida jejunæ ſeges interlucet ariſtæ:
Vel qualis gelidis plumâ labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.
Scilicet ut trabeis injuria creſceret olim,
Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ Fortuna ſuæ; cùm pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor & macies occurſu læderet omnes,
Aut pueris latrata metus, aut tædia menſis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen,
Et nihil exhauſto caperent in ſtipite lucri.
Sternere quippe toros, vel cædere ligna culinæ,
Membra negant. aurum, veſtes, arcana tueri
Mens infida vetat. quis enim committere vellet
Lenoni thalamum? tandem ceu funus acerbum,

Infauſtámque ſuis truſere penatibus umbram.
Contemptu jam liber erat. ſic paſtor obeſum
Lacte canem ferróque ligat, paſcíſque revinctum,
Dum validus ſervare gregem, vigilíſque rapaces
Latratu terrere lupos. cùm tardior idem
Jam ſcabie laceras dejecit ſordidus aures,
Solvit, & exuto lucratur vincula collo.
Eſt ubi deſpectus nimius juvat. undique pulſo
Per cunctas licuit fraudes impune vagari,
Et fatis aperire viam. proh, quiſquis Olympi
Summa tenes, tantóne libet mortalia riſu
Vertere? qui ſervi non eſt admiſſus in uſum
Suſcipitur regnis, &, quem privata miniſtrum
Dedignata domus, moderantem ſuſtinet aula.
Ut primùm vetulam traxere palatia vulpem,
Quis non ingemuit? quis non irrepere ſacris
Obſequiis doluit toties venale cadaver?
Ipſi quin etiam tali conſorte fremebant
Regales famuli, quibus eſt illuſtrior ordo
Servitii, ſociúmque ſibi ſprevere ſuperbi.
Cernite, quem Latiis poſcant annectere faſtis:
Cujus & eunuchos puduit. ſed vilior antè
Obſcuræ latuit pars ignotiſſima turbæ,
Donec abundanti furiis, qui rebus Eois
Exitium, primóque ſibi produxit, ab imis
Evectus thalamis ſummos invaſit honores.
Quàm bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis auctoribus inflet.
Sic multos fluvio vates arente per annos,
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inventas primus Buſiridis imbuit aras,
Et cecidit ſævi, quod dixerat, hoſtia ſacri.
Sic opifex tauri, tormentorúmque repertor,
Qui funella novo fabricaverat ære dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Senſit opus, docuítque ſuum mugire juvencum.
Nullius Eutropius, quàm qui ſe protulit, antè
Direptas poſſedit opes, nullúmque priorem
Perculit exilio, ſolúmque hoc rito peregit,
Auctorem damnare ſuum. poſtquam obſitus ævo
Senuit excelſam rerum ſublatus in arcem,
Quod nec vota pati, nec fingere ſomnia poſſent,
Vidit ſub pedibus leges, ſubjectáque colla
Nobilium, tantúmque ſibi permittere fata,
Qui nihil optâſſet plus libertate mereri;
Jam jam diſſimulat dominos, altéque tumeſcunt
Serviles animi. procerum ſqualore repletus
Carcer, & exulibus Meroë campíque gemiſcunt
Æthiopum. pœnis hominum plaga perſonat ardens.
Marmaricus claris violatur cædibus Ammon.
Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: deſævit in omnes,
Ut ſe poſſe putent. nec bellua terrior ulla
Quàm ſervi rabies in libera terga furentis.
Agnoſcit gemitus, & pœnæ parcere neſcit
Quam ſubiit, dominíque memor, quem verberat, odit.
Adde, quòd eunuchus nullâ pietate movetur,
Nec generi natíſve cavet. clementia cunctis
In ſimiles, animóſque ligant conſortia damni.
Ille nec eunuchis placidus: ſed pejus in aurum
Æſtuat. hôc uno fruitur ſuccíſa libido.
Quid nervos ſecuiſſe juvat? vis nulla cruentam
Caſtrat avaritiam. parvis exercita furtis
Quæ vaſtare penum, neglectáque ſueverat arcæ
Claustra remoliri, nunc uberiore rapinâ
Peccat in orbe manus. quidquid ſe Tigris ab Æmo
Dividit, hoc certâ proponit mercе locandum
Inſtitor imperii, caupo famoſus honorum.
Hic Aſiam villâ pactus regit. ille redemit
Conjugis ornatu Syriam. dolet ille paternâ
Bithynos mutâſſe domo. ſuffira patenti
Veſtibulo pretiis diſtinguit regula gentes.
Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuiſſe velis, tot millia ponas:
Si Phrygas, adde parum. propriæ ſolatia ſorti
Communes vult eſſe notas; & venditus ipſe
Vendere cuncta cupit. certantum ſæpe duorum
Diverſum ſuſpendit onus: eum pondere judex
Vergit, & in geminas nutat provincia lances.
Num pudet heu, Superi, populos venire ſub haſtâ?
Vendentis certè pudeat. quid jure ſepultum
Mancipium tot regna tenet, tot diſtrahit urbes?
Pollentem ſolio Cræſum victoria Cyri
Fregit, ut Eunucho ſineret Pactolus & Hermus?

Attalos

Attalus hæredem voluit te Roma relinqui,
Reſtitit Antiochus præſcripto margine Tauri,
Indomitos curru Servilius egit Iſauros,
Et Pharos Auguſto jacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæſtus numeroſior eſſet?
In mercem veniunt Cilices, Judæa, Sophene
Romanúſque labor, Pompeianſque triumphi.
Quò ſtruis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedunt opibus? nubas ducáſve licebit:
Nunquam mater eris, nunquam pater. hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat. te grandibus India gemmis,
Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres:
Nullus inops ideò, nullum ſic urget egeſtas,
Ut velit Eutropii fortunam & membra paciſci.
Jámque oblita ſui, nec ſobria divitiis mens,
In miſeras leges, hominúmque negotia ludit.
Indicat eunuchus. quid jam de Conſule miror?
Prodigium quodcumque gerit. quæ pagina lites
Femineas meminit? quibus unquam ſecula terris
Eunuchi videre forum? ſed ne qua vacaret
Pars ignominiâ, neu quid reſtaret inauſum
Arma etiam violare parat, portentáque monſtris
Aggerat, & ſecum petulans amentia certat.
Erubuit Mavors, averſáque riſit Enyo,
Dedecus Eoum: quoties intenta ſagittis
Et pharetrâ fulgens anus exercetur Amazon:
Arbiter aut quoties belli, pacíſque recurrit,
Alloquiturque Getas. gaudet, cùm viderit, hoſtis,
Et ſentit jam deeſſe viros. incendia fumant.
Muris nulla fides. ſqualent populatibus agri,
Et medio ſpes ſola mari. trans Phaſin aguntur
Cappadocum matres, ſtabulíſque abducta paternis
Caucaſias captiva bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argei pabula ſylvis.
Extra Cimmerias Taurorum clauſtra paludes
Flos Syriæ ſervit: ſpoliis nec ſufficit atrox
Barbarus. in cædem vertunt faſtidia prædæ.
Ille tamen (quid enim ſervum, mollémque pudebit?
Aut quid in hôc poterit vultu flagrare roboris?)
Pro victore redit. peditum vexilla ſequuntur,
Et turmæ ſimiles Eunuchorúmque manipli,
Helleſpontiacis legio digniſſima ſignis.
Obvius ire cliens, defenſorémque reverſum
Complecti. placet ipſe ſibi, laxáſque laborat
Diſtendiſſe genas, fictúmque inflatus anhelat,
Pulvere reſperſus tineas, & ſolibus ora
Pallidior, verbíſque ſonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis, & prælia narrat,
Pérque ſuam tremulâ teſtatur voce ſororem,
Defeciſſe vagas ad publica commoda vires:
Cedere livori, nec ſuſtentare procellas
Invidiæ, mergíque fretis ſpumantibus orat.
Exorétque utinam. dum talia fatur, ineptas
Detergit lacrymas, atque inter ſingula dicta
Flebile ſuſpirat. qualis venit arida ſocrus
Longinquam viſura nurum. vix laſſa reſedit,
Et jam vina petit. quid te, turpiſſima, bellis
Inſeris, aut ſævi pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ;
Tu telas, non tela, pati; tu ſtamina nêſſe;
Tu ſegnes operum ſollers urgere puellas,
Et niveam dominæ penſis involvere lanam.
Vel, ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybellen.
Rauca Celænæos ad tympana diſce furores.
Cymbala ferre licet, pectúſque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.
Arma relinque viris. geminam quid dividis aulam,
Conarísque pios odiis committere fratres?
Te magis, ah demens, veterem, ſi reſpicis, artem,
Conciliare decet. geſtis pro talibus annum
Flagitet Eutropius, ne quid non polluat unus;
Dux acies, judex prætoria, tempora Conſul:
Nil adeò fœdum quod non exacta vetuſtas
Ediderit, longíque labor commiſerit ævi.
OEdipodes matrem, natam duxiſſe Thyeſtes
Cantantur. peperit fratres Jocaſta marito,
Et Pelopea ſibi. Thebas ac funera Trojæ
Triſtis Erechthei deplorat ſcena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus ſe vertit in anguem.
Scylla novos mirata canes. hunc arbore figit,
Elevat hanc plumâ, ſquamis hanc fabula veſtit,
Hanc ſolvit fluvio. nuſquam ſpado Conſul in orbe,
Nec judex ductórve fuit. quodcumque virorum
Eſt decus, eunuchis ſcelus eſt. exempla creantur
Quæ ſocci ſuperent riſus, luctúſque cothurni.
Quàm pulcre conſpectus erat, cum tenderet artus
Exangues onerare togâ cinctúmque gravatos,
Indutóque ſenex obſcenior iret in auro!
Humani qualis ſimulator ſimius oris,
Quem puer arridens pretioſo ſtamine Serum
Velavit, nudáſque nates ac terga reliquit,
Ludibrium menſis: erecto pectore dives
Ambulat, & claro ſeſe deformat amictu.
Candida pollutos comitatur Curia faſces.
Forſitan & dominis præbet miracula lictor
Conſule nobilior, libertatémque daturus,
Quam necdum meruit, ſcandit ſublime tribunal;
Atque inter proprias laudes Ægyptia jactat
Somnia, proſtratóſque canit ſe vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum ſpado Tireſias, enervatúſque Melampus
Reptet, ab extremo referens oracula Nilo.
Obſtrepuere avium voces. exhorruit annus
Nomen, & inſanum gemino proclamat ab ore;
Eunuchúmque vetat faſtis accedere Janus.
Sumeret illicitos etenim ſi femina faſces,
Eſſet turpe minus. Medis levibúſque Sabæis
Imperat hic ſexus, reginarúmque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet. gens nulla probatur,
Eunuchi quæ ſceptra ferat. Tritonia, Phœbe,
Veſta, Ceres, Cybele, Juno, Latona coluntur.
Eunuchi quæ templa Dei? quas vidimus aras?
Indè ſacerdotes: hæc intrat pectora Phœbus:
Indè canunt Delphi. Trojanam ſola Minervam
Virginitas Veſtalis adit, flammáſque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, ſempérque profani,
Naſcitur ad fructum mulier, prolémque futuram.
Hoc genus inventum eſt, ut ſerviat. Herculis arcu
Concidit Hippolyte. Danai fugere bipennem
Penthefilea tuam. claras Carthaginis arces
Creditur, & centum portis Babylona ſuperbam
Femineus ſtruxiſſe labor. quid nobile geſſit
Eunuchus? quæ bella tulit? quas condidit urbes?
Illas præterea rerum natura creavit:
Hos fecere manus. ſeu prima Semiramis aſtu
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, levéſve genæ ſe prodere poſſent,
Hos ſibi conjunxit ſimiles: ſeu Parthica ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram,
Servatóque diu puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri ſervire juventam.
Fama priùs falſo ſimilis, vanóque videri
Ficta joco. levior volitare per oppida rumor.
Riderſque nefas: veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante liguſtris.
Atque aliquis gravior morum, Si talibus, inquit,
Creditur, & nimiis turgent mendacia monſtris;
Jam teſtudo volat, profert jam cornua vultur:
Prona petunt retro fluvii juga: Gadibus ortum
Carmani texere diem: jam frugibus aptum
Æquor, & advectum ſylvis delphina videbo:
Jam cochleis homines junctos, & quidquid inane
Nutrit, Judaïcis quæ pingitur India velis.
Subjicit & miſtis ſalibus laſcivior alter:
Miraris? nihil eſt, quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius. ſemper nova, grandia ſemper
Diligit, & celeri deguſtat ſingula ſenſu.
Nil timet à tergo: vigilantibus undique curis
Nocte diéque patet: lenis faciliſque moveri
Supplicibus, mediâque tamen molliſſimus irâ.
Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.
Quidlibet ingenio ſubigit, traditque fruendum.
Quidquid amas, dabit illa manus. communiter omni
Fungitur officio, gaudétque potentia tecti.
Hoc quoque conſiliis peperit meritóque laborum:
Accipit & trabeas argutæ præmia dextræ.
Poſtquam vera fides facinus vulgavit Eoum
Gentibus, & Romæ jam certiùs impulit aures:
Eutropiúmne etiam noſtrâ dignabimur irâ?
Hic quoque Romani meruit pars eſſe doloris?
Sic effata rapit cæli per inania curſum
Diva potens, unóque Padum tranſlapſa volatu
Caſtra ſui rectoris adit. tum fortè decorus
Cum Stilicone gener pacem implorantibus ultro
Germanis reſponſa dabat, legéſque Caïcis
Arduus, & flavis ſignabat jura Suëvis.
His tribuit reges, his obſide fœdera ſancit
Indicto: bellorum alios tranſcribit in uſus,

Militet

Militet ut noſtris detonſa Sicambria ſignis.
Læta ſubit Romam pietas, & gaudia penè
Moverunt lacrymas, tantoque exultat alumno.
Sic armenta ſuo jam defenſante juvenco
Celſiùs aſſurgunt erectæ cornua matri.
Sic jam terribilem ſtabulis dominúmque ferarum
Creſcere miratur genitrix Maſſyla leonem.
Dimovit nebulam, juvenſque apparuit ingens.
Tum ſic orſa loqui: Quantum te principe poſſim,
Non longinqua docent, domito quòd Saxone Tethys
Mitior, aut fracto ſecura Britannia Picto.
Ante pedes humili Franco triſtíque Suëvo
Perfruor, & noſtrum video, Germanice, Rhenum.
Sed quid agam? diſcors Oriens felicibus actis
Invidet, atque alio Phœbi de cardine ſurgunt
Crimina, ne toto conſpiret corpore regnum.
Gildonis taceo magnâ cum laude receptam
Perfidiam, & fretos Eoo robore Mauros.
Quàm ſuſpecta fames, quantum diſcriminis urbi!
Ni tua vel ſoceri nunquam non provida virtus
Auſtralem Arctois penſâſſet frugibus annum.
Invectæ Rhodano Tiberina per oſtia claſſes,
Cinyphiſſque ferax Araris ſucceſſit ariſtis.
Teutonicus vomer, Pyrenæíque juvenci
Sudavere mihi. ſegetes mirantur Iberas
Horrea; nec Libyæ ſenſerunt damna rebellis
Jam Tranſalpinâ contenti meſſe Quirites.
Ille quidem ſolvit meritas, ſcit Tabraca, pœnas.
Ut pereat quicumque tuis conflixerit armis.
Ecce recens clades ab eiſdem partibus exit,
Terroríſque minus, ſed plus habitura pudoris,
Eutropius Conſul. pridem tolerare fatemur
Hoc genus, Arſacio poſtquam ſe regia faſtu
Suſtulit, & noſtros corrupit Parthia mores.
Præfecti ſed adhuc gemmis, veſtíque dabantur
Cuſtodes, ſacróque adhibere ſilentia ſomno.
Militia eunuchi nunquam tranſgreſſa cubile,
Non vitâ ſpondente fidem, ſed inertia tutum
Mentis pignus erat. ſecretâ monilia ſervent,
Ornatus curent Tyrios: à fronte recedant
Imperii, tenero tractari pectore neſcit
Publica Majeſtas. numquam vel in æquore puppim
Vidimus eunuchi clavo parere magiſtri.
Nos adeò ſperni faciles? orbíſque carina
Vilior? Auroram certè, quæ talia ferre
Gaudet, & aſſuetas ſceptris muliebribus urbes
Poſſideant. quid belliferam communibus urant
Italiam maculis, nociturâque probra ſeveris
Admiſcent populis? peregrina piacula ſorti
Pellantur longè Latio, nec tranſeat Alpes
Dedecus. in ſolis, quibus extitit, hæreat arvis.
Scribat Halys, famæ ſcribat contemtor Orontes,
Per te, pérque tuos obteſtor, Roma, triumphos,
Neſciat hoc Tibris, numquam poſcentibus olim
Qui dare Dentatis annos Fabiíſque ſolebat.
Martius eunuchi repetet ſuffragia campus?
Æmilios inter, ſervatoréſque Camillos
Eutropius? jam Chryſogonis tua, Brute, poteſtas,
Narciſſíſque datur? natos hoc dedere pœnæ
Profuit, & miſero civem præponere patri?
Hoc mihi Janiculo poſitis Etruria caſtris
Quæſiit, & tantùm fluvio Porſenna remotus?
Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?
Viſceribus fruſtra caſtum Lucretia ferrum
Merſit, & attonitum tranavit Cloelia Tibrim?
Eutropio faſces adſervabantur ademti
Tarquiniis? quemcumque meæ vexere curules,
Laxato veniat ſocium averſatus Averno.
Impenſi ſacris Decii prorumpite buſtis,
Torquatíque truces, animoſáque pauperis umbra
Fabricii, túque ô ſi fortè inferna piorum
Jugera & Elyſias ſcindis, Serrane, novales,
Pœno Scipiadæ, Pœno præclare Lutati,
Sicaniâ Marcelle ferox; gens Claudia ſurgat,
Et Curii ſeries; & qui ſub jure negâſti
Vivere Cæſareo, parvo procede ſepulcro
Eutropium paſſure Cato, remeate tenebris
Agmina Brutorum, Corvinorúmque caterva.
Eunuchi veſtros habitus, inſignia ſumunt
Ambigui Romana maros. rapuere tremendas
Hannibali Pyrrhóque togas. fiabella peroſi
Adſpirant trabeis. jam non umbracula geſtant
Virginibus, Latias auſi vibrare ſecures.
Linquite femineas infelix turba latebras,
Alter quos pepulit ſexus, nec ſuſcipit alter.
Exacti Veneris ſtimulos, & vulnere caſti.
Miſta duplex ætas. inter puerúmque ſenémque
Nil medium. falſi complete ſedilia patres.
Ite novi proceres, infecundóque ſenatu
Eutropium ſtipate ducem, celebrate tribunal
Pro thalamis. verſo jam diſcite more curules,
Non matrum pilenta ſequi, neu priſca revolvam,
Neu numerem quantis injuria mille per annos
Sit retro ducibus: quanti fœdabitur ævi
Canities? unam ſubeant quot ſecula culpam?
Inter Arinthæi faſtus, & nomen herile,
Servus erit, dominóque ſuos æqualis honores
Inferet. heu, ſemper Ptolemæi noxia mundo
Mancipia! en alio lædor graviore Pothino,
Et patior majus Pharia ſcelus. ille cruorem
Conſulis unius Pellæis enſibus hauſit.
Inquinat hic omnes. ſi nil privata movebunt,
At tu principibus, noſtræ tu proſpice cauſæ,
Regaléſque averte notas. hunc aſpicit unum
Aula magiſtratum. vobis patribúſque recurrit
Hic alternus honos. in crimen euntibus annis
Parce, quater Conſul. contagia faſcibus oro
Defendas ignava tuis, neu tradita libris
Nomina, veſtitúſque meos, quibus omne, quod ambit
Oceanus, domui, tantâ caligine mergi
Calcarſque ſinas. nam quæ jam bella geramus
Mollibus auſpiciis? quæ jam connubia prolem,
Vel frugem latura ſeges? quid fertile terris,
Quid plenum ſterili poſſit ſub Conſule naſci?
Eunuchi ſi jura dabunt, legéſque tenebunt,
Ducant penſa viri, mutatóque ordine rerum,
Vivat Amazonio confuſa licentia ritu.
Quid trahor ulteriùs? Stilico, quid vincere differs,
Dum certare pudet? neſcis quòd turpior hoſtis
Lætitiâ majore cadit: piratica Magnum
Erigit: illuſtrat ſervilis laurea Craſſum.
Annuis. agnoſco fremitum, quo palluit Eurus,
Quo Mauri Gildóque ruit. quid Martia ſigna
Sollicitas? non eſt jaculis, haſtíſve petendus.
Conſcia ſuccumbent audito verbere terga.
Ut Scytha poſt multos rediens exercitus annos,
Cùm ſibi ſervilis pro finibus obvia pubes
Iret, & arceret dominos tellure reverſos,
Armatam oſtenſis aciem fudere flagellis.
Notus ab inceptis ignobile reppulit horror
Vulgus, & adductus ſub verba torpuit enſis.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

QUI modò ſublimes rerum flectebat habenas
Patricius, rurſum verbera nota timet;
Et ſolitos tardæ paſſurus compedis orbes,
In dominos vanas luget abiſſe minas.
Culmine dejectum vitæ fortuna priori
Reddidit, inſano jam ſatiata joco.
Scindere nunc aliâ meditatur ligna ſecuri,
Faſcibus & tandem vapulat ille ſuis.
Illatas Conſul pœnas ſe Conſule ſolvit.
Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Infauſtum populis in ſe quoque vertitur omen.
Sævit in auctorem prodigioſus honos.
Ablato penitus reſpirant nomine faſti,
Maturamque luem ſanior aula vomit.
Diſſimulant ſocii, conjuratíque recedunt.
Procumbunt pariter cum duce tota cohors,
Non acie victi, non obſidione ſubacti,
Ne pereant ritu, quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ.
Confecit ſævum littera Martis opus.
Mollis femineâ detruditur arce tyrannus,
Et thalamo pulſus perdidit imperium.
Sic juvenis nutante fide, veteríque reductâ
Pellice, deſertam linquit amica domum.
Canitiem largo raram de pulvere turpat,
Et lacrymis rugas implet anile gemens.
Supplicitérque pias humilis proſtratus ad aras
Mitigat iratas voce tremente nurus.

Innumeri

Innumeri glomerantur heri, sibi quisque petentes
Mancipium solis utile suppliciis.
Quamvis tœdus enim, mentémque obscenior ore,
Ira dabit pretium. pœna meretur emi.
Quas, spado, nunc terras, aut quem transibis in axem?
Cingeris hinc odiis, indè recessit amor.
Utraque te gemino sub sidere regia damnat.
Hesperius numquam, jam nec Eous eris.
Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
Ad propriam cladem, caca Sibylla, taces?
Jam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus.
Pervigilant vates nec, miserande, tui.
Quid soror? audebit tecum conscendere puppem,
Et veniet longum per mare fida comes?
An fortasse toros eunuchi pauperis odit,
Et te nunc inopem dives amare negat?
Eunuchi jugulum primus fecisse fateris.
Sed tamen exemplo non feriere tuo.
Vive pudor satis. en quem tremuere tot urbes!
En cujus populi sustinuere jugum!
Direptas quid plangis opes, quas nactus habebit?
Non aliter poteras principis esse pater.
Improbe quid pulsas molliebribus astra querelis,
Quòd tibi sub Cypri litore parta quies?
Omnia barbarico per te concussa tumultu.
Crede mihi, terris tutius æquor erat.
Jam non Armenios jaculis terrebis & arcu.
Per campos volucrem non agitabis equum.
Dilecto carum Byzantius ore senatus.
Curia consiliis æstuat orba tuis.
Emeritam suspende togam, suspende phasetram.
Ad Veneris partes ingeniúmque redi.
Non bene Gradivo lenonia dextera servit.
Suscipiet famulum te Cytherea libens.
Insula læta choris, blandorum mater amorum.
Nulla pudicitiæ cura placere potest.
Prospectant Paphiæ celsâ de rupe puellæ,
Sollicitæ, salvam dum ferat unda ratem.
Sed vereor ne te teneant Tritones in alto
Lascivas doctum fallere Nereïdas:
Aut idem cupient pelago te mergere veni,
Gildonis nuper qui tenuere fugam.
Inclyta captivo memoratur Tabraca Mauro.
Naufragio Cyprus fit memoranda tuo.
Vectorum moriens frustra delphina vocabit.
Ad terram solos devehit ille viros.
Quisquis adhuc similes eunuchus tendit in actus,
Respiciens Cyprum desinat esse ferox.

MYGDONII cineres, & si quid restat Eoi,
Quod pereat, regni, certæ non augure falso
Prodigii patuere mihi, frustráque peracto
Vulnere monstriferi præsagia discitis anni.
Cautior antè tamen violentum navita Corum
Prospicit, & tumidæ subducit vela procellæ.
Quid juvat errorem mersâ jam puppe fateri?
Quid lacrymæ delicta levant? stant omina vestri
Consulis. immotis hæsere piacula fatis.
Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas. veteri post obruta morbo
Corpora, Pæonias nequidquam admoveris herbas.
Ulcera possessis altè suffusa medullis,
Non leviore manu, ferro sanantur, & igni,
Ne coëat frustra mox eruptura cicatrix.
Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, & vacuis corrupto sanguine venis
Exundet fons ille mali. truncantur & artus,
Ut liceat reliquis securum degere membris.
At vos egregiè purgatam creditis aulam,
Eutropium si Cypros habet, vindictáque mundi
Semivir exul erit. quis vos lustrare valebit
Oceanus? tantum facinus quæ diluet undes?
Induerat necdum trabeas: mugitus ab alto
Redditus. infernas rabies arcana cavernas
Vibrat, & alterno confligunt culmina lapsu.
Bacchatus per operta tremor Chalcedona movit,
Pronus & in geminas nutavit Bosporus urbes.
Concurrere freti fauces. radice revulsâ
Vitant instabilem rursum Symplegada nautæ.
Scilicet hæc Stygiæ præmittunt signa sorores,
Et sibi jam tradi populos hôc contule gaudent.
Mox oritur diversa lues. hinc Mulciber ignes
Sparserat. hinc victâ proruperat objice Nereus.
Hæc flagrant, hæc tecta natant. quam, Numina, pœnam
Servatis sceleri, cujus tot cladibus omen
Constitit? incumbas utinam, Neptune, tridenti:
Pollutúmque solum toto cum crimine mergas.
Unam pro mundo Furiis concedimus urbem.
Utque semel patuit monstris iter, oruina tempus
Nacta suum properant. nasci tum decolor imber,
Infantúmque novi vultus, & dissona partu
Semina. tum lapidum fletus, armentáque vulgo
Ausa loqui, mediisque feræ se credere muris.
Tum vates sinè more rapi, lymphatáque passim
Pectora terrifici stimulis ignescere Phœbi,
Fac nullos cecinisse Deos. adeóne retusi
Quisquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
Affore fatalem castrati Consulis annum?
Sed quàm cæcus inest vitiis amor! omne futurum
Despicitur, suadéntque brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido.
Dum mora supplicii lucro, serúmque, quod instat,
Creditur. haud equidem contra tot signa Camillo
Detulerim fasces; ne dum, proh sexus! inerti
Mancipio, cui cuncta licèt responsa juberent,
Hortantésque licèt sponderent prospera Divi,
Turpe fuit cessisse viros. exquirite retro
Crimina continui lectis annalibus ævi,
Prisca recensitis evolvite sæcula fastis.
Quid senis infandi Capreæ, quid scena Neronis
Tale ferunt? spado Romuleo succinctus amictu
Sedis in Augustis laribus. vulgata patebat
Aula salutantum studiis. huc plebe senatus
Permistâ, trepidíque duces, omnisque potestas
Confluit. advolvi genibus, contingere dextram
Ambitus; & votum deformibus oscula rugis
Figere. præsidium legum, genitórque vocatur
Principis, & famulum dignatur regia patrem.
Posteritas, admitte fidem. monumenta petuntur
Dedecoris, multíque gemunt incudibus æra
Formatura nefas. hæc judicis, illa togati.
Hìc nitet armati species: numerosus ubique
Fulget eques: præfert eunuchi Curia vultus.
Ac veluti caveant, ne quo consistere virtus
Possit pura loco, cunctas hôc ore laborant
Incessare vias. maneant immota precamur,
Certáque perpetui sint argumenta pudoris.
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes: claro quòd nobilis ortu
Cùm vivant domini? quòd maxima prælia solus
Impleat, & patitur miles? quòd tertius urbis
Conditor, hoc Byzas, Constantinúsque videbunt?
Inter quæ tumidus leno producere cœnas
In lucem, fœtere mero, dispergere plausum
Emturas in vulgus opes, totóque theatris
Indulgere dies alieni prodigus auri.
At soror, &, si quid portentis creditur, uxor
Mulcebat matres epulis, & more pudicæ
Conjugis eunuchi celebrabat vota mariti.
Hanc amat, hanc summâ de re, vel pace vel armis,
Consulit, huic curas & clausa palatia mandat,
Ceu tabulam vacuámque domum. sic magna tueri
Regna nihil? patiéntque jugi deluditur orbis?
Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem
Senserat, & primi lasabant germina flores.
Jámque iter in gremio pacis solenne parabant
Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa subirent,
Sed vaga lascivis flueret discursibus æstas:
Unde tamen tantâ sublimes mole redibant,
Ceu vinctos traherent Medos, Indúmque bibissent.
Ecce autem flavis Gradivus ab usque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru.
Subsidunt Pangæa rotis, altæque sonoro
Stridunt axe nives, ut vertice constitit Æmi,
Femineásque togas pressis conspexit habenis.
Subrisit crudelè pater, cristísque micantem
Quassábat galeam. tunc implacabile numen
Bellonam alloquitur, quæ sanguine fœdida vestem
Illyricis pingues pectebat stragibus hydros.
Necdum mollitiæ, necdum, germana, mederi
Possumus Eoæ? numquam corrupta rigescent
Secula? Cappadocum tepidis Argeus acervis
Æstuat, infelix etiamnum pallet Orontes.
Dum pereunt, meminere mali. si corda parumper
Respirare sinas, nullo tot funera sensu
Prætereunt, tantique levis jactura cruoris.
Adspicis obscenum facinus? quid crinibus ora

Pro-

Protegis? en quales ſeſe diffundat in actus
Parva quies! quantùm nocuerunt otia ferri!
Qui caruit bellis, eunucho traditur annus.
Actum de trabeis eſſet, ſi partibus una
Mens foret Heſperiis: rueret deriſa vetuſtas,
Nullâque calcati ſtarent veſtigia juris,
Nî memor imperii Stilico, morúmve priorum
Turpe relegâſſet defenſo Tibride nomen,
Intactámque novo ſervâſſet crimine Romam.
Ille dedit portum, quò ſe pulſata referrent
Majeſtas Latii deformataeque ſecures.
Ille dedit faſtos, ad quos Oriente relicto
Confugeret ſparſum maculis ſervilibus ævum.
Quàm ſimiles hæc aula viros! ad mœnia viſus
Dirige. Num ſaltem tacitâ formidine muſſant?
Num damnant animo? plaudentem cerne Senatum,
Et Byzantinos proceres Graiósque Quirites.
O patribus plebes, ô digni Conſule patres!
Quid, quòd & armati ceſſant, & nulla virilem
Inter tot gladios ſexum reminiſcitur ira?
Huccine noſtrorum cinctus abiere nepotum?
Sic Bruti deſpectus honos? ignoſce parenti
Romule, quòd ſerus temeratis faſcibus ultor
Advenio. jam jam largis hæc gaudia faxo
Compenſent lacrymis. quid dudum inflare moraris
Tartaream, Bellona, tubam? quid ſtringere falcem,
Quâ populos à ſtirpe metas? molire tumultus,
Excute delicias. Thracem Macetúmque ruinæ
Tædet, & in gentes iterum ſævire ſepultas.
Damna minùs conſueta movent. trans æquora ſevas
Verte faces: aliis exordia ſume rapinis.
Non tibi Rhipæis hoſtis quærendus ab oris.
Non per Caucaſias accito turbine valles
Eſt opus. Oſtrogothis colitur miſtiſque Gruthungis
Phryx ager. hos parvæ poterunt impellere cauſæ
In ſcelus. ad mores facilis natura reverti.
Sic erat: in noſtro quando jam milite robur
Torpuit, & molli didicit parere magiſtro.
Vindicet Arctous violatas advena leges.
Barbara Romano ſuccurrant arma pudori.
Sic fatus, clypeo, quantum vix ipſe Deorum
Arbiter infeſto cùm pereutit ægida nimbo,
Intonuit. reſponſat Athos, Æmúſque remugit;
Ingeminat raucum Rhodope concuſſa fragorem.
Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
Hebrus, & exanguem glacie timor alligat Iſtrum.
Tunc adamante gravem noctiſque rigentibus haſtam,
Telum ingens nullíſque Deo jaculabile, torſit.
Fit latè ruptis via nubibus. illa per auras
Tot freta, tot montes, uno contenta volatu
Tranſilit, & Phrygiæ mediis affligitur arvis.
Senſit humus. gemuit Nyſæo palmite felix
Hermus, & auratâ Pactolus inhorruit urnâ:
Totáque ſubmiſſis fleverunt Dindyma ſylvis.
Nec Dea præmiſſo ſtridorem ſegniùs haſtæ
Conſequitur, centúmque vias meditata nocendi,
Tandem Targibilum (Geticæ dux improbus alæ
Hic erat) aggreditur. viſo tum fortè redibat
Eutropio vacuus donis, feritáſque dolore
Creverat, &, teneris etiam quæ crimina ſuadet
Ingeniis, Scythicum pectus flammabat egeſtas.
Huic ſeſe vultu ſimulatæ conjugis offert,
Mentitóque ferox incedens barbara greſſu,
Carbaſeos induta ſinus, poſt terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula veſtes:
Inque orbem tereti mitrâ redimente capillum
Struxerat, & virides flaveſcere juſſerat angues.
Advolat, ac niveis reducem complectitur ulnis,
Infunditque animo furiale per oſcula virus.
Principe quàm largo veniat, quas indè reportet
Divitias, aſtu rabiem motura requirit.
Ille iter ingratum, vanos deflere labores.
Quos ſuper eunuchi faſtus, quæ probra tuliſſet!
Continuo ſecat ungue genas, & tempore pandit
Arrepto gemitus: I nunc, devotus aratris
Scinde ſolum, poſitóque tuos mucrone ſidales
Ad raſtros ſudare doce, bene rura Gruthungus
Excolet, & certo diſponet ſidere vites.
Felices aliæ, quas debellata maritis
Oppida, quas magnis quæſitæ viribus ornant
Exuviæ: quibus Argivæ pulcræve miniſtrant
Theſſalides, famulas & quæ meruere Lacænas,
Me nimiùm timido, nimiùm junxere remiſſo
Fata viro, totum qui degener exuit Iſtrum,
Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria, conceſſóque cupit viviſſe colonus,
Quàm dominus rapto. quid pulcra vocabula pigris
Prætentas vitiis? probitatis inertia nomen,
Juſtitiæ formido ſubit. tolerabis iniquam
Pauperiem, cùm tela geras? & flebis inultus,
Cùm pateant tantæ nullis cuſtodibus urbes?
Quippe metus pœnæ. pridem mos ille vigebat,
Ut meritos colerent, impacatíſque rebelles
Urgerent odiis. at nunc, qui fœdera rumpit,
Ditatur: qui ſervat, eget. vaſtator Achivæ
Gentis, & Epirum nuper populatus inultam
Præſidet Illyrico. jam quos obſedit, amicus
Ingreditur muros, illis reſponſa daturus,
Quorum conjugibus potitur, natóſque peremit.
Sic hoſtes punire ſolent. hæc præmia ſolvunt
Excidiis. cunctaris adhuc? numerúmque tuorum
Reſpicis, exiguámque manum? tu rumpe quietem.
Bella dabunt ſocios. nec te tam prona monerem,
Si contrà pateretur viros. nunc alter in armis
Sexus, & eunuchis ſe defenſoribus orbis
Credidit. hos Aquilæ Romanáque ſigna ſequuntur.
Incipe barbaricæ tandem te reddere vitæ.
Te quoque jam timeant, admirentúrque nocentem,
Quem ſprevere pium. ſpoliis prædâque repletus,
Cùm libeat, Romanus eris. ſic fata, repentè
In diram ſe vertit avem, roſtróque recurvo
Turpis, & infernis tenebris obſcurior alas
Auſpicium veteri ſedit ferale ſepulcro.
Ille, pavor poſtquam reſoluto corde quievit,
Et rigidæ ſedere comæ, non diſſulit atrox
Juſſa Deæ; ſociis quæ viderit, ordine pandit,
Invitárque ſequi. conjurat barbara pubes
Nacta ducem, Latiíſque palàm deſcivit ab armis.
Pars Phrygiæ, Scythicis quocunque Trionibus alget
Proxima, Bithynios: Solem quæ condit, Ionas:
Quæ levat, attingit Galatas: utrimque propinqui
Finibus obliquis Lydi, Piſidæque feroces
Continuant auſtrale latus: gens una fuere
Tot quondam populi, priſcum cognomen & unum,
Appellata Phryges. ſed quid non longa valebit
Permutare dies? dicti poſt Mæona regem
Mæones. Ægæos inſedit Græcia portus.
Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.
Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis antè vagus tandem regionibus hæſit,
Geſâque depoſuit jam Graio mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halyn. dat cuncta vetuſtas
Principium Phrygibus; nec rex Ægyptius ultrà
Reſtitit, humani poſtquam puer uberis expers
In Phrygiam primùm laxavit murmura vocem.
Hîc cecidit Libycis jactata paludibus olim
Tibia, fœdatam cùm reddidit umbra Minervam.
Hîc & Apollineâ victus teſtudine paſtor
Suſpenſâ memores illuſtrat pelle Celænas.
Quatuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
Auriferi: nec miror aquas radiare metallo,
Quæ toties lavere Midan. diverſus ad Auſtrum
Curſus & Arctoum fluviis mare. Dindyma fundunt
Sangarium, vitrei qui puro gurgite Galli
Auctus Amazonii defertur ad oſtia Ponti.
Icarium pelagus Mycalæáque litora juncti
Marſya Mæandérque petunt: ſed Marſya velox
Dum ſuus eſt, flexúque carens, jam flumine miſſus
Mollitur, Mæandre, tuo, contraria paſſus,
Quàm Rhodano ſtimulatus Arar: quos inter aprica
Planities Cereríque favet, denſíſque ligatur
Vitibus, & glaucæ fructus attollit olivæ,
Dives equi, felix pecorum: pretioſáque picto
Marmore, purpureis cui cedit Synnada venis.
Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
Permiſere Dei. ſecuras barbarus urbes
Irrumpit, faciléſque capi. ſpes nulla ſalutis:
Nulla fugæ. patribus jam propugnacula ſaxis
Longo corruerant ævo, paciſque ſenectâ.
Interea gelidæ ſecretis rupibus Idæ
Dum ſedet, & thiaſos ſpectat de more, Cybelle,
Curetúmque alacres ad tympana ſuſcitat enſes;
Aurea ſanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, ſummóque volutus
Vertice crinalis violatur pulvere murus.
Obſtupuere truces omen Corybantes, & uno
Fixa metu tacitas preſſerunt Orgia buxos.
Indoluit genetrix. tunc ſic commota profatur:

Hoc

Hoc mihi jampridem Lacheſis grandæva canebat
Augurium; Phrygiæ caſus veniſſe ſupremos
Delapſus teſtatur apex. heu, ſanguine qualis
Ibit Sangarius, quantáſque cadavera lenti
Mæandri paſſura moras! immobilis hæret
Terminus. hæc dudum nato placuere Tonanti.
Paret finitimis luctus; fruſtráque Lyæi
Non defenſuros implorat Lydia thyrſos.
Jámque vale Phrygiæ tellus, perituráque flammis
Mœnia, conſpicuus quæ nunc attollitis arces,
Mox campi nudúmque ſolum. dilecta valete
Flumina; non veſtris ultrà bacchabor in antris:
Nec juga ſulcabit noſter Berecynthia currus.
Dixit, & ad triſtes convertit tympana planctus.
Labentem patriam ſacris ululatibus Atys
Perſonat, & lacrymis torvi maduere leones.
Eutropius, quamvis nequeat metuenda taceri
Clades, & trepidus vulgaverit omnia rumor,
Ignorare tamen fingit, regnſque ruinas
Diſſimulat. parvam latronum errare catervam:
In ſontes tormenta magis, quàm tela, parari:
Nec duce frangendas jactat, ſed judice, vires.
Vaſta velut, Libyæ venantum vocibus ales
Cùm premitur, calidas curſu tranſmittit arenas,
Inque modum veli ſinuatis flamine pennis
Pulverulenta volat; ſi jam veſtigia retro
Clara ſonent, oblita fugæ ſtat lumine clauſo
Ridendum revoluta caput, credítque latere,
Quem non ipſa videt. furtim tamen ardua mittit
Cum donis promiſſa novis, ſi fortè rogatus
Deſinat. ille ſemel notæ dulcedine prædæ
Se famulo ſervire negat: nec grata timentum
Munera, militiam nullam, nec prima ſuperbus
Cingula dignari. nam quis non Conſule tali
Vilis honos? poſtquam precibus miteſcere nullis,
Non auro ceſſiſſe, videt, crebérque recurrit
Nuntius incaſſum, nec ſpes jam foederis extat:
Tandem conſilium belli confeſſus agendi,
Ad ſua tecta vocat. juvenes venere protervi,
Laſcivíque ſenes, quibus eſt intignis edendi
Gloria, corruptáſque dapes variáſſe decorum:
Qui ventrem invitant pretio, tradúntque palato
Sidereas Junonis aves, &, ſi qua loquendi
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæſitos trans regna cibos: quorúmque profundam
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piſcibus æquent.
Veſtis adornatæ ſtudium, laus maxima riſum
Per vanos moviſſe ſales, miniméque viriles
Munditiæ, comti vultus, onerſque vel ipſa
Serica ſi Chunus feriat, ſi Sarmata, portas,
Solliciti ſcenæ, Romam contemnere ſueti,
Mirarſque ſuas, quas Boſporus alluit, ædes:
Saltandi dociles, aurigandíque periti.
Pars humili de plebe duces: pars compede ſuras,
Cruráque ſignati nigro liventia ferro
Jura regunt, facies quamvis inſcripta repugnet
Séque ſuo prodat titulo. ſed prima poteſtas
Eutropium prætert, Hoſio ſubnixa ſecundo.
Dulcior hic ſanè cunctis, prudénſque movendi
Juris, & admoto qui temperet omnia fumo
Fervidus; accenſam ſed qui bene decoquat iram.
Conſidunt apices gemini ditionis Eoæ,
Hic coquus, hic leno, defeſſi verbere terga,
Servitio, non arte, pares. hic ſæpius emtus,
Alter ad Hiſpanos nutritus verna penates.
Ergo ubi collecti proceres, qui rebus in arctis
Conſulerent, tantíſque darent ſolatia morbis;
Obliti ſubitò Phrygiæ, bellóque relicto
Ad ſolitos cœpere jocos, & jurgia Circi
Tendere. nequidquam magnâ conſligitur irâ.
Quis meliùs vibrata puer vertigine molli
Membra rotet? verrat quis marmora crine ſupino?
Quis magis enodes laterum detorqueat arcus?
Quis voci digitos, oculos quis motibus aptet?
Hi tragicos meminere modos; his fabula Tereus,
His necdum commiſſa choro cantatur Agave.
Increpat Eutropius: Non hæc ſpectacula tempus
Poſcere: nunc alias armorum incumbere curas.
Se ſatis Armenio feſſum pro limite cingi,
Nec tantis unum ſubſiſtere poſſe periclis.
Ignoſcant ſenio: juvenes ad prælia mittant.
Qualis pauperibus nutrix inviſa puellis
Aſſidet, & telâ communem quærere victum
Rauca monet. feſtis illæ luſiſſe diebus
Orant, & poſitis æquævas viſere penſis,
Iratæque operi jam laſſo pollice fila
Turbant, & teneros detergunt ſtamine fletus.
Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
Craſsâ mole Leo, quem vix Cyclopia ſolum
Æquatura fames, quem non jejuna Celæno
Vinceret. hinc homen fertur meruiſſe Leonis.
Acer in abſentes linguæ, jactator, abundans
Corporis exiguúſque animi, doctiſſimus artis
Quondam lanificæ, moderator pectinis uncti.
Non alius lanam purgatis ſordibus æquè
Præbuerit calathis: ſimilis nec pinguia quiſquam
Vellera per tenues ferri producere rimas.
Tunc Ajax erat Eutropii latéque fremebat,
Non ſeptem vaſto quatiens umbone juvencos:
Sed, quam perpetuis dapibus pigróque ſedili
Inter anus intérque colos oneraverat, alvum.
Exſurgit tandem, vocémque expromit anhelam:
Quis novus hic torpor, ſocii? quónam uſque ſedemus
Femineis clauſi thalamis, patimúrque periclum
Gliſcere deſidiâ? graviorum turbâ malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
Me petit hic ſudor, numquam mea dextera ſegnis
Ad ferrum. faveat tantùm Tritonia cœptis,
Inceptum peragetur opus, jam cuncta furore
Qui gravat, efficiam leviorem pondere lanæ
Targibilum tumidum, deſertoréſque Gruthungos
Ut miſeras populabor oves, & pace relatâ
Priſtina reſtituam Phrygias ad ſtamina matres.
His dictis iterum ſedit. ſit plauſus, & ingens
Concilii clamor. qualis reſonantibus olim
Exoritur caveis, quoties crinitus ephebus
Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada, fingit.
Protinus excitis iter irremeabile ſignis
Arripit, infauſtóque jubet bubone moveri
Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.
Pulcher & urbanæ cupiens exercitus umbræ,
Aſſiduus ludis, avidus ſplendere lavacris,
Nec ſoles imbréſve pati, multúmque priori
Diſpar, ſub clypeo Thracum qui ferre pruinas,
Dum Stilico regeret, nudóque hyemare ſub axe
Sueverat, & duris haurire bipennibus Hebrum.
Cum duce mutatæ vires. Byzantia robur
Fregit luxuries, Ancyranſque triumphi.
Non peditem præcedit eques: non commoda caſtris
Eligitur regio. vicibus cuſtodia nullis
Advigilat vallo. non explorantur eundæ
Vitandæque viæ. nullo ſe cornua flectunt
Ordine. confuſi paſſim per opaca vagantur
Luſtra, per ignotas anguſto tramite valles.
Sic vacui rectoris equi, ſic orba magiſtro
Fertur in abruptum caſu, non ſidere, puppis.
Sic ruit in rupes amiſſo piſce ſodali
Bellua, ſulcandas qui prævius edocet undas,
Immenſúmque decus parvæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto conjungit fœdera monſtro.
Illa natat rationis inops, & cæca profundi
Jam brevibus deprenſa vadis, ignara reverti
Palpitat, & vanos ſcopulis illidit hiatus.
Targibilus ſimulare fugam, ſtatúſque Leonis
Spe nutrire leves, improviſúſque repentè,
Dum gravibus marcent epulis, hoſtíque catenas
Inter vina crepant, largo ſopita Lyæo
Caſtra ſubit, pereunt alii, dum membra cubili
Tarda levant: alii leto junxere ſoporem:
Aſt alios vicina palus ſinè more ruentes
Excipit, & cumulis immanibus aggerat undas.
Ipſe Leo damâ cervóque fugacior ibat
Sudanti tremebundus equo: qui pondere poſtquam
Decidit implicitus limo, cunctantia pronus
Per vada reptabat cœno ſubnixa tenaci.
Mergitur, & pingui ſuſpirat corpore moles,
More ſuis; dapibus qui jam devota futuris
Turpè gemit, quoties Hoſius mucrone coruſco
Armatur, cingíque ſinus, ſecúmque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ fruſta calenti
Mandet aquæ, quantóque cutem diſtendat echino.
Flagrat opus: crebro pulſatus perſtrepit ictu.
Contexit variùs penetrans Chalcedona nidor.
Ecce levis frondes à tergo concutit aura:
Credit tela Leo. valuit pro vulnere terror,
Implevíque vicem jaculi, vitámque nocentem
Integer, & ſolâ formidine ſaucius, efflat.

Quis

Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enſes,
Quis ſolio campum præponere ſuaſit avito?
Quàm bene texentem laudabas carmina tutus,
Et matutinis pellebas frigora menſis!
Hìc miſerande jaces: hic, dum tua vellera vitas,
Tandem fila tibi neverunt ultima Parcæ.
Jam vaga pallentem denſis terroribus aulam
Fama quatit: ſtratas acies, deletа canebat
Agmina, Mæonios fœdari cædibus agros,
Pamphylos Piſidáſque rapi. metuendus ab omni
Targibilus regione tonat. modò tendere curſum
In Galatas, modò Bithynis incumbere fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto deſcendere Tauro,
Sunt qui correptis ratibus, terrâque marſque
Adventare ferant. geminantur vera pavoris
Ingenio. longè ſpectari è puppibus urbes
Accenſas, lucere fretum, ventóque citatas
Omnibus in pelago velis hærere favillas.
Hos inter ſtrepitus funeſtior advolat alter
Nuntius, armatam rurſus Babylona minari
Rege novo: reſides Parthos, ignava peroſos
Otia, Romanæ jam finem quærere paci.
Rarus apud Medos regum cruor, unáque cuncto
Pœna manet generi, quamvìs crudelibus æquè
Paretur dominis. ſed quid non audeat annus
Eutropii? ſocium nobis fidúmque Saporem
Perculit, & Perſas in regia vulnera movit;
Rupturáſque fidem, leto pars ne qua vacaret,
Eumenidum tædas trans flumina Tigridis egit.
Tum verò cecidere animi, tantiſque procellis
Deficiunt, ſepti latrantibus undique bellis
Infenſos tandem Superos & Conſulis omen
Agnovere ſui. nec jam revocabile damnum
Eventu rerum ſtolido didicere magiſtro.
Namque ferunt geminos uno de ſemine fratres
Japetionidas generis primordia noſtri
Diſſimili finxiſſe manu. quoſcumque Prometheus
Excoluit, multóque innexuit æthera limo;
Hi longè ventura notant, dubiſque parati
Caſibus occurrunt fabro meliore poliri.
Deteriore luto parvus quos condidit auctor,
Quem meritò Graii pethibent Epimethea vates,
Et nihil ætherii ſparſit per membra vigoris;
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res antè vident: acceptâ clade queruntur,
Et ſeri tranſacta gemunt. jam ſola renidet
In Stilicone ſalus, & cujus ſemper acerbum,
Ingratúmque ſibi factorum conſcius horror
Credidit adventum; quem ſi procedere tantùm
Alpibus adiſſent, mortem pœnáſque tremebant;
Jam cuncti veniſſe volunt; ſcelerúmque priorum
Pœnitet, hunc tantis bellorum fidus in undis
Sperant. hunc pariter juſti ſontéſque precantur.
Ceu pueri, quibus alta pater trans æquora merces
Devehit, intenti ludo, ſtudiſque ſoluti,
Lætiùs amoto paſſim cuſtode vagantur,
Si gravis auxilio vacuas invaſerit ædes
Vicinus, laribúſque ſuis proturbet inultos,
Tum demum patrem implorant, & nomen inane
Voce cient, fruſtráque oculos ad litora tendunt.
Omnes ſupplicio dignos letóque fatentur,
Qui ſe tradiderint famulis, Stilicone relicto.
Mutati ſtupuere diu, ſenſúque reducto
Paullatim proprii mirantur monſtra furoris,
Advertúntque oculos. projectis faſcibus horret
Lictor, & infames labuntur ſponte ſecures.
Quales Aonio Thebas de monte reverſæ
Mænades, infectis Pentheo ſanguine thyrſis,
Cùm patuit venatus atrox, matriſque rotatum
Conſpexere caput, greſſus caligine figunt,
Et rabiem deſiſſe dolent. quin protinus ipſa
Tendit ad Italiam ſupplex Aurora potentem,
Non radiis redimita comam, nec flammea vultum,
Nec croceum veſtita diem, ſtat livida luctu:
Qualis erat, Phrygio tegeret cùm Memnona buſto.
Quam ſimul agnovit Stilico, nec cauſa latebat,
Reſtitit. illa manum victricem amplexa moratur,
Altáque vix lacrymans inter ſuſpiria fatur.
Tantáne te noſtri ceperunt tædia mundi?
Sic me ludibrium famulis riſúmque relinquis,
Dux quondam rectórque meus, ſolámque tueris
Heſperiam? domiti nec te poſt bella tyranni
Cernere jam licuit? ſic te victoria nobis
Eripuit, Gallíſque dedit? Rufinus origo
Prima mali. geminas inter diſcordia partes
Hôc auctore fuit. ſed jam majora moventi
Occurrit juſtâ rediens exercitus irâ,
Fortis adhuc, ferrique memor. brevis indè relaxit,
Falſâque libertas. rurſum Stiliconis habenis
Sperabam me poſſe regi. proh cæca futuri
Gaudia. fraterno conjungi cœperat orbis
Imperio, (quis enim tanto terrore recentis
Exempli paribus ſeſe committeret auſis?)
Cùm ſubitò monſtroſa lues, turpiſque relatu
Fabula, Rufini caſtratus profilit hæres:
Et ſimiles iterum luctus fortuna reduxit,
Ut ſolum domini ſexum mutâſſe videret.
Hic primùm thalami clauſtris delicta tegebat,
Clam timidéque jubens: erat invidioſa poteſtas;
Sed tamen eunuchi. necdum ſibi publica jura
Sumere, nec totas audebat vertere leges.
At poſtquam pulſíſque bonis & face retentâ
Pejores legit ſocios, dignúſque ſatelles
Hinc Hoſius ſtetit, indè Leo: fiducia crevit,
Regnandíque palàm flagravit aperta libido.
Patricius Conſul maculat, quos vendit, honores.
Plùs maculat, quos ipſe gerit. jam ſigna tubæque
Molleſcunt. ipſos ignavia fluxit in enſes.
Inſultant meritò gentes, facilíſque volentum
Præda ſumus. jam Biſtoniis Æmóque nivali
Vaſtior expulſis oriens ſqualebit araſris.
Hei mihi, quas urbes, & quanto tempore Martis
Ignaras, uno rapuerunt prælia curſu!
Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
Terruit Antiochi muros, ipſúmque decorum
Penè caput Syriæ flammis hoſtilibus arſit.
Utque gravis ſpoliis, nullóque obſtante profundâ
Lætus cæde redit, ſequitur mucrone ſecundo
Continuum vulnus. nec jam mihi Caucaſus hoſtes,
Nec mittit gelidus Phaſis. naſcuntur in ipſo
Bella ſinu. legio pridem Romana Gruthungi,
Jura quibus victis dedimus, quibus arva domóſque
Præbuimus, Lydos Aſiæque uberrima vaſtant,
Ignibus & ſi quid tempeſtas prima reliquit,
Nec duce, nec numero, freti: ſed inertia nutrit,
Proditióque ducum, quorum per crimina miles
Captivis dat terga ſuis, quos teſte ſubegit
Danubio, partémque timet, qui reppulit omnes.
Aula choris epulíſque vacat, nec perdita curant,
Dum ſupereſt aliquid. ne quid tamen orbe reciſo
Venditor amittat, provincia quæque ſuperſtes
Dividitur, geminúmque duplex paſſura tribunal
Cogitur alterius pretium ſarcire peremptæ.
Sic mihi reſtituunt populos. hâc arte repertâ
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.
In te jam ſpes una mihi. pro fronde Minervæ
Has tibi protendo lacrymas. ſuccurre ruenti.
Eripe me tandem ſervilibus, eripe, regnis.
Néve adeò cunctos paucorum crimine damnes:
Nec nova tot meritis offenſa prioribus obſtet.
Jam jam flecte animum. ſuprema piacula ſemper
Dant veniam culpæ. quamvìs iratus & exſul
Pro patriæ flammis non diſtulit arma Camillus.
Non te ſubtrahimus Latio. defenſor utique
Sufficis. armorum liceat ſplendore tuorum
In commune frui, clypeus nos protegat idem,
Unáque pro gemino deſudet cardine virtus.

DE LAUDIBUS STILICONIS

LIBER PRIMUS.

CONTINUANT Superi pleno Romana favore
Gaudia, ſucceſſúſque novis ſucceſſibus urgent.
Connubii necdum feſtivos regia cantus
Sopierat, cecinit ſuſo Gildone triumphos;
Et calidis thalami ſucceſſit laurea ſertis,
Sumeret ut pariter princeps nomenque mariti,
Victorſíque decus. Libyæ poſt prælia crimen
Concidit Eoum, rurſúmque, Oriente ſubacto,
Conſule defenſæ ſurgunt Stilicone ſecures.
Ordine vota meant. equidem ſi carmen in unum
Tantarum ſperem cumulos advolvere rerum,
Promptiùs imponam glaciali Pelion Oſſæ.
Si partem tacuiſſe velim, quodcumque relinquam,
Majus erit. veteres actus, primámque juventam
Proſequar? ad ſeſe mentem præſentia ducunt.
Narrem juſtitiam? reſplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis:
Quòd floret Latium, Latio quòd reddita ſervit
Africa, vicinum quòd neſcit Iberia Maurum,
Tuta quòd imbellem miratur Gallia Rhenum.
An gelidam Thracen decertatóſque labores,
Hebro teſte, canam? magnum mihi panditur æquor,
Ipſáque Pierios laſſant proclivia currus
Laudibus innumeris. etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam ſincera bonorum
Sors ulli conceſſa viro. quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: animus quem pulcrior ornat,
Corpus deſtituit. bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis. hic publica felix,
Sed privata minùs. partitum ſingula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum ſollertia juris,
Hunc ſoboles caſtíque tori. ſparguntur in omnes,
In te miſta fluunt, &, quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes. quid facta revolvam
Militiámque patris? cujus producere famam,
Si nihil egiſſet clarum, nec fida Valenti
Dextera duxiſſet rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilico. mens ardua ſemper
A puero, teneríſque etiam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos. erectus & acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatíſque loqui jam digna futuris.
Jam tum conſpicuus, jam tum venerabilis, ibas:
Spondebátque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorúmque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis. quacumque altè gradereris in urbe,
Dedentes ſpatiis aſſurgentéſque videbas,
Quamvis miles adhuc. taciti ſuffragia vulgi
Jam tibi detulerant quidquid mox debuit aula.
Vix primævus eras, paci cùm mitteris auctor
Aſſyriæ. tantâ fœdus cum gente ferire
Commiſſum juveni. Tigrin tranſgreſſus & altum
Euphraten, Babylona petis. ſtupuere ſeveri
Parthorum proceres, & plebs pharetrata videndi
Flagravit ſtudio, defixæque hoſpite pulcro
Perfides arcanum ſuſpiravere calorem.
Turis odoratæ cumulis & meſſe Sabæâ
Pacem conciliant aræ. penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, ritúque juvencos
Chaldæo ſtravere Magi. Rex ipſe micantem
Inclinat dextrâ pateram, ſecretáque Beli,
Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.
Si quando ſociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilicone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longè virgatas figere tigres?
Flectenti faciles Medus tibi caſſit habenas.
Torquebas refugum Parthis mirantibus arcum.
Nubilis interea maturæ virginis ætas
Urgebat patrias ſuſpenſo principe curas:
Quem ſimul imperióque ducem, nataque maritum
Proſpiceret, dubius toto quærebat ab axe
Dignum conjugio generum thalamíſque Serenæ.
Judicium virtutis erat. per caſtra, per urbes,
Per populos animi cunctantis libra cucurrit.
Tu legeris, tantóſque viros, quos obtulit orbis,
Intrà conſilium vincis ſenſúmque legentis,
Et gener Auguſtis, olim ſocer ipſe futurus,
Accedis. radiis auri Tyriâque ſuperbit
Majeſtate torus. comitata parentibus exit
Purpureis virgo. ſtabat pater indè tropæis
Inclytus: indè pium matris Regina regebat
Obſequium, gravibus ſubnecteus flammea gemmis.
Tunc & Solis equos, tunc exultâſſe choreis
Aſtra ferunt, melliſſque lacus, & flumina lactis
Erupiſſe ſolo, cùm floribus æquora vernis
Boſporus indueret, rotciſque evincta coronis
Certantes Aſiæ tedas Europa levaret.
Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
Judicat, & primus cenſet quod cernimus omnes.
Talem quippe virum natæque adjunxit & aulæ,
Cui neque luxuries bello, nec blanda periclis
Otia, nec lucis fructus pretioſior unquam
Laude fuit. quis enim Myſos in planiſtra feroces
Reppulit, aut ſævâ Promoti cæde tumentes
Ballarnas unâ potuit delere ruinâ?
Pallantis jugulum Turno moriente piavit
Æneas, tractúſque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit vel quæſtus Achilli.
Tu neque veſano raptas venalia curru
Funera, nec vanam corpus meditatus in unum
Sævitiam, turmas equitum peditúmque catervas,
Hoſtiléſque globos tumulo proſternis amici.
Inferiis gens tota datur. nec Mulciber auctor
Mendacis clypei, fabricatáque vatibus arma,
Conatus juvere tuos. tot barbara ſolus
Millia jam pridem miſeram vaſtantia Thracen.
Finibus exiguæ vallis concluſa tenebas.
Non te terriſonus ſtridor venientis Alani,
Nec vaga Chunorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.
Exſtinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret Auguſtas occultus proditor aures,
Obſtruerétque moras, ſtrictúmque reconderet enſem.
Solveret obſeſſos, præberet fœdera captis.
Aſſiduus caſtris aderat, rariſſimus urbi,
Si quando trepidâ princeps pietate vocaret:
Víxque ſalutatis Laribus, vix conjuge viſâ,
Deterſo necdum repetebat ſanguine campum.
Nec ſtetit, Eucherii dum carperet oſcula ſaltem
Per galeam. patris ſtimulos ignéſque mariti
Vincit cura ducis, quoties ſub pellibus egit
Edonas hyemes, & tardi flabra Bootæ
Sub dio Rhipæa tulit: cúmque igne propinquo
Frigora vix ferrent alii, tunc triſtè rigentem
Danubium calcabat eques, nivibúſque profundum
Scandebat criſtatus Athon, latéque coruſco
Curvatas glacie ſylvas umbone ruebat.
Nunc prope Cimmerii tendebat litora Ponti:
Nunc dabat hybernum Rhodope nimboſa cubile.
Vos Æmi gelidæ valles, quas ſæpe cruentis
Stragibus æquavit Stilico, vos Thracia teſtor
Flumina, quæ largo mutâſtis ſanguine fluctus.
Dicite Biſaltæ, vel qui Pangæa juvencis
Scinditis, offenſo quantæ ſub vomere putres
Diffiliant glebis galeæ, vel qualia raſtris
Oſſa peremtorum reſonent immania Regum.
Singula complecti cuperem: ſed denſior instat

Geſto-

Geſtorum ſeries, laudúmque ſequentibus undis
Obruimur. Genitor cæſi poſt bella tyranni
Jam tibi commiſſis conſcenderat æthera terris.
Ancipites rerum ruituro culmine lapſus
Æquali cervice ſubis. ſic Hercule quondam
Suſtentante polum, meliùs librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit ſignifer aſtris,
Perpetuâque ſenex ſubductus mole parumper
Obſtupuit proprii ſpectator ponderis Atlas.
Nulli barbariæ motus, nil turbida rapto
Ordine tentavit novitas, tantóque remoto
Principe mutatas orbis non ſenſit habenas.
Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,
Auſa manus certé. nec tantis diſſona linguis
Turba, nec armorum cultu diverſior umquam
Confluxit populus. totam pater undique ſecum
Moverat Auroram. miſtis hìc Colchus Iberis,
Hìc mitrâ velatus Arabs, hìc crine decoro
Armenius, hìc picta Saces, fucatáque Medus,
Hìc gemmata niger tentoria fixerat Indus.
Hìc Rhodani procera cohors, hìc miles Alanus.
Oceani ductor Stilico tot gentibus unus,
Quot vel progrediens vel conſpicit occiduus Sol.
In quo tam vario vocum generúmque tumultu
Tanta quies, juriſque metus ſervator honeſti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis,
Vel ſeges exſectâ fraudârit meſſe colonum:
Ut nihil aut ſævum rabies, aut turpe libido
Suaderent: placidi ſervirent legibus enſes.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum;
Utque ducum lituos, ſic mores, caſtra ſequuntur.
Denique victrices aquilas quocumque moveres,
Arebant tantis epoti millibus amnes.
Illyricum peteres, campi montéſque latebant.
Vexillum navale dares, ſub puppibus ibat
Ionium. nullis ſuccincta Ceraunia nimbis,
Nec juga Leucatæ ferions ſpumantia fluctu
Deterrebat hyems. tu ſi glaciale juberes
Veſtigare fretum, ſecuro milite ducti
Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi.
Si deſerta Noti, fontem ſi quærere Nili,
Æthiopum medios penetrâſſent vela vapores.
Te memor Eurotas, te ruſtica Muſa Lycæi,
Te paſtorali modulantur Mænala cantu,
Partheniúmque nemus, quo te pugnante reſurgens
Ægra caput mediis erexit Græcia flammis.
Plurima Parrhaſius tunc inter corpora Ladon
Hæſit: & Alpheus Geticis anguſtus acervis
Tardior ad Siculos etiam num pergit amores.
Miramur rabidis hoſtem ſuccumbere bellis,
Cùm ſolo terrore ruant? num claſſica Francis
Intulimus? jacuere tamen. num Marte Suevos
Contudimus, queis jura damus? quis credere poſſit?
Ante tubam nobis audax Germania ſervit.
Cedant, Druſe, tui, cedant, Trajane, labores.
Veſtra manus dubio quidquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilico, totidémque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuiſtis in annis.
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, ſolus
Impiger à primo deſcendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, & juncta paludibus ora,
Fulmineum præſtrinxit iter. ducis impetus undas
Vincebat celeres, & pax à fonte profecta
Cum Rheni creſcebat aquis. ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges,
Qui nec principibus, donis precibúſve vocati,
Paruerant, juſſi properant, ſegniſque verentur
Offendiſſe morâ. tranſvecti lintribus amnem
Occurſant ubicumque velis. nec fama fefellit
Juſtitiæ. videre pium, videre fidelem,
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & fœdâ requiem mercede paciſci;
Natis obſidibus pacem tam ſupplice vultu
Captivóque rogant, quàm ſi poſt terga revincti
Tarpeias preſſis ſubeant cervicibus arces.
Omne, quod Oceanum fontéſque interjacet Iſtri,
Unius incurſu tremuit. ſinè cæde ſubactus
Servitio Boreas, exarmatíque Triones.
Tempore tam parvo tot prælia ſanguine nullo
Perficis, & Lunâ nuper naſcente profectus,
Antè redis, quàm plena fuit; Rhenúmque minacem
Cornibus infractis adeò miteſcere cogis,
Ut Salius jam rura colat, flexóſque Sicambri
In falcem curvent gladios, geminâſque viator
Cùm videat ripas, quæ ſit Romana requirat.
Ut jam trans fluvium non indignante Cattco
Paſcat Belga pecus, mediúmque ingreſſa per Albin
Gallica Francorum montes armenta pererrent.
Ut procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſylvæ
Venari tutò liceat, lucóſque vetuſtâ
Religione truces, & robora Numinis inſtar
Barbarici noſtræ feriant impune bipennes.
Ultro quinetiam devotâ mente tuentur,
Victorſque favent. quoties ſociare catervas
Oravit, jungſque tuis Alamania ſignis!
Nec doluit contempta tamen, ſpretóque receſſit
Auxilio laudata fides. provincia miſſos
Expellet citiùs faſces, quàm Francia Reges,
Quos dederis. acie nec jam pulſare rebelles,
Sed vinclis punire licet. ſub judice noſtro
Regia Romanus diſquirit crimina carcer.
Marcomeres, Sonnóque docent. quorum alter Etruſcum
Pertulit exilium: cùm ſe promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.
Res avidi concire novas, odióque furentes
Pacis, & ingenio ſceleríimque cupidine fratres.
Poſt domitus Arctos alio prorumpit ab axe
Tempeſtas, & ne qua tuis intacta tropæis
Pars foret, Auſtralis ſonuit tuba. moverat amens
Maurorum Gildo populos, quibus imminet Atlas,
Et quos interior nimio plaga ſole relegat:
Quos vagus humectat Cinyps, & proximus hortis
Heſperidum Triton, & Gir notiſſimus amnis
Æthiopum, ſimili mentitus gurgite Nilum.
Venerat & parvis redimitus Nuba ſagittis,
Et velox Garamas: nec quamvis triſtibus Ammon
Reſponſis alacrem potuit Naſamona morari.
Stipantur Numidæ campi. ſtant pulvere Syrtes
Gætulæ. Pœnus jaculis obtexitur aër.
Hi virgâ moderantur equos; his fulva leones
Velamenta dabant, ignotarúmque ferarum
Exuviæ, vaſtis Meroë quas nutrit arenis.
Serpentum geſtant patulos pro caſſide rictus.
Splendent viperæ ſquamoſa pelle pharetræ.
Non ſic intremuit Simoïs, cùm montibus Idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon:
Non Ganges, cùm, tela procul vibrantibus Indis,
Immanis medium vectaret bellua Porum.
Porus Alexandro, Memnon proſtratus Achilli;
Gildo nempe tibi. nec ſolum fervidus Auſtrum,
Sed partes etiam Mavors agitabat Eoas,
Quamvis obſtreperet pietas. his ille regendæ
Tranſtulerat nomen Libyæ, ſceleríque profano
Fallax legitimam regni prætenderat umbram.
Surgebat variâ geminum formidine bellum.
Hoc armis, hoc triſte dolis, hoc Africa ſævis
Cinxerat auxiliis, hoc conjuratus alebat
Inſidiis Oriens. illinc edicta meabant
Corruptura duces: hinc frugibus atra negatis
Urgebat, trepidámque fames obſederat urbem.
Exitiale palàm Libycum; civile pudoris
Obtentu tacitum. tales utrimque procellæ
Cùm fremerent, lacerúmque alternis ictibus anceps
Imperium pulſaret hyems, nil feſſa remiſit
Officii virtus, contráque minantia fata
Pervigil, eventúſque ſibi latura ſecundos,
Major in adverſis micuit; velut arbiter alni,
Nubilus Ægæo quam turbine vexat Orion,
Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera, nunc rectâ, nunc obliquante, carinâ
Callidus, & pelagi, cæliſque obnititur iræ.
Quid primum mirer, Stilico? quòd cautus ad omnes
Reſtiteris fraudes, ut te nec noxia furto
Litera, nec pretio manus inflammata laterent?
Quòd nihil in tanto rerum terrore locutus
Indignum Latio? reſponſa quòd ardua ſemper
Eois dederis, quæ mox effecta probâſti?
Securus, quamvis & opes, & rura tenerent,
Inſignéſque domos. levis hæc jactura: nec umquam
Publica privatæ ceſſerunt commoda cauſæ.
Dividis ingentes curas, téque omnibus unum
Objicis, inveniens animo quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu. dictare paratus,
Quæ ſcriptis peragenda forent. quæ brachia centum,
Quis Briareus, aliis numero creſcente lacertis,
Tot ſimul objectis poſſent confligere rebus?
Evitare dolos; veteres firmare cohortes,

Explo-

Explorare novas: duplices disponere classes?
Quæ fruges vel bella ferant, animæque tumultum,
Et Romæ lenire famem? quot nube soporis
Immunes oculi, per tot discurrere partes,
Tot loca sufficerent, & tam longinqua tueri?
Argum fama canit centeno lumine centum
Corporis excubiis unam servâsse juvencam.
Unde tot allatæ segetes? quæ sylva carinas
Texuit? unde rudis tanto tirone juventus
Emicuit, senióque iterum vernante resumpsit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego delectu, Tyrii sed vomere Cadmi
Tam subitas acies conceptas dente draconis
Exsiluisse reor. Dircæis qualis in arvis
Messis cum proprio mox bellatura colono
Cognatos strinxit gladios, cùm semine jacto
Terrigenæ galeâ matrem nascente ferirent,
Armiger & viridi floreret milite sulcus.
Hoc quoque non parvâ fas est cum laude relinqui,
Quòd non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quàm prisco censeret bella Senatus.
Neglectum Stilico per tot jam sæcula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres,
Decretóque togæ felix legionibus iret
Tessera. Romuleas leges remeâsse fatemur,
Cùm procerum jussis famulantia cernimus arma.
Tyrrhenum poteras junctis transmittere signis,
Et ratibus Syrtes, Libyam complere maniplis.
Consilio flevit ira minor; ne territus ille
Te duce, respecto Martis graviore paratu,
Aut in arenosos æstus zonámque rubentem
Tenderet, aut Solis fugiens transiret in ortus:
Missurúsve sibi certæ solatia mortis,
Oppida dirueret flammis. res mira relatu;
Ne timeare, times; &, quem vindicta manebat,
Desperare vetas. quantùm fiducia nobis
Profuit hostilis! salvæ Carthaginis arces,
Illæsis Tyrii gaudent cultoribus agri,
Quos potuit vastare fugâ: spe captus inani,
Nec se surripuit pœnæ, nostrísque pepercit
Demens: qui numero tantùm, non robore, mensus
Romanos, rapidis ibat ceu protenus omnes
Calcaturus equis; & quod jactare solebat,
Solibus effetos mersurus pulvere Gallos.
Sed didicit non Æthiopum geminata venenis
Vulnera, non fusum crebris hastilibus imbrem,
Non equitum Latiis nimbos obsistere pilis.
Sternitur ignavus Nasamon. nec spicula supplex
Jam torquet Garamas. repetunt deserta fugaces
Autololes. pavidus projectat missile Mazax.
Cornipedem Maurus nequidquam hortatur anhelum.
Prædonem lembo profugum, ventísque repulsum,
Suscepit merito fatalis Tabraca portu:
Expertum, quod nulla tuis elementa paterent
Hostibus, & lætæ passurum jurgia plebis,
Fracturúmque reos humili sub judice vultus.
Nil tribuat fortuna sibi, sic prospera semper
Illa quidem. sed non uni certamina pugnæ
Credidimus, totis nec constitit alea castris
Nutatura semel. si quid licuisset iniquis
Casibus, instabant alii post terga biremes.
Venturus dux major erat. victoria nulla
Clarior, aut hominum votis optatior unquam
Contigit. an quisquam Tigranen, armáque Ponti,
Vel Pyrrhum Antiochúsque fugam, vel vincla Jugurthæ
Conferat, aut Persen debellatúmque Philippum?
Hi propagandi ruerant pro limite regni:
Hìc stabat Romana salus. ibi tempora totas
Traxerunt dilata moras. hìc vincere tardè
Vinci penè fuit. discrimine Roma supremo
Inter supplicium populi deforme pependit;
Et tanto Libyam fructu majore recepit,
Quàm peperit, quanto graviorem amissa dolorem,
Quàm necdum quæsita, movent. quis Punica gesta,
Quis vos, Scipiadæ, quis te jam, Regule, nôsset?
Quis lentum caneret Fabium, si jure perempto
Insultaret atrox famulâ Carthagine Maurus?
Hæc omnes veterum revocavit adorea lauros.
Restituit Stilico cunctos tibi, Roma, triumphos.

LIBER SECUNDUS.

HACTENUS armatæ laudes. nunc qualibus orbem
Moribus, & quanto frenet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, fastíque suum concesserit annum,
Mitior incipias fidibus jam Musa remissis.
Principio magni custos Clementia mundi,
Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolûm, (nam prima Chaos Clementia solvit
Congeriem miserata rudem, vultúque sereno
Discussis tenebris in lucem sæcula fudit.)
Hæc Dea pro templis, & ture calentibus aris
Te fruitur, posuítque suas hoc pectore sedes.
Hæc docet, ut pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferúmque putes: ut ferrum Marte cruentum
Siccum pace, premas: ut non infensus alendis
Materiam præstes odiis: ut fontibus ultro
Ignovisse velis: deponas ocyùsi ram,
Quàm moveas: precibus nunquam implacabilis obstes.
Obvia prosternas, prostratáque more leonum
Despicias; alacres ardent qui frangere tauros,
Transiliunt prædas humiles. hâc ipse magistrâ
Das veniam victis. hâc exorante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Jurgia, contentus solo terrore, coërces;
Ætherii patris exemplo: qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula differt
In scopulos & monstra maris, nostríque cruoris
Parcus in OEtæis exercet fulmina sylvis.
Huic Divæ germana Fides, eadémque sorori,
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis
Inserit. hæc nullo docuit livescere fuco:
Numquam falsa loqui, numquam promissa morari,
Invisos odisse palám: non virus in alto
Condere, non lætam speciem prætendere fraudi,
Sed certum mentíque parem componere vultum.
Occulto sævire vetat, prodesse remittit.
Hæc & amicitias longo pòst tempore firmat;
Mansuróque adamante ligat: nec mobile mutat
Ingenium; parvæ strepitu nec vincula noxæ
Dissolvi patitur; nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, paritérque minoris
Officii magnique memor, superare laborat:
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.
Hæc fovet absentes; hæc longè sola remotis
Consulit; hæc nullis avidam rumoribus aurem
Pandit, ut ignarum nunquam læsura clientem
Insidiosa tuos alienent murmura sensus.
Nec vivis annexus amor meminisse sepultos
Desinit: in prolem transcurrit gratia patrum.
Hâc tu Theudosium, tenuit dum sceptra, colebas:
Hâc etiam post fata colis: nec pignora curas
Plùs tua, quam natos, dederat quos ille monendos
Tutandósque tibi. justos nimiúmque fideles
Fama putat, qui cùm possent commissa negare,
Maluerint nullo violati reddere quæstu.
At Stilico non divitias, auríque relictum
Pondus, sed geminos axes, tantúmque reservat
Depositum teneris, quantum Sol ignevs ambit.
Quid non intrepidus credas, cui regia tuto
Creditur? hôc clypeo munitus Honorius altum
Non gemuit patrem; vitaque & lucis in ipso
Limine, contemptus nunquam, dat jura subactis
Gentibus, & secum sentit crevisse triumphos
Quem tu sic placidâ formas, sic mente severâ,
Ut neque delidiæ tradas, dum pronus ad omne,
Quod libet, obsequeris; nec contrà nixus ovanem
Confringas animum; secretus consona regno
Ceu juvenem doceas, moles quid publica possit;
Ceu sanctum venerere senem, patriisque gubernes
Imperium monitis, dominum submissus adores;
Obsequiis moderere ducem, pietate parentem.
Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes,
Ordirísque virum non luxuriante juventâ,
Sed cum lege tori, casto cum fœdere vellet.
Principe tu felix genero: felicior ille
Te socero. fratrem levior nec cura tuetur

Arca-

ized by Google

Arcadium: nec, ſi quid iners atque impia turba,
Prætendens proprio nomen regale furori,
Audeat, adſcribis juveni: diſcordia quippe
Cùm fremeret, numquam Stilico ſic canduit irâ.
Sæpe laceſſitus probris, gladiſſque petitus,
Ut bello furias ultum, quas pertulit, iret
Illicito, cauſámque daret civilibus armis,
Cujus fulta fide mediis diſſenſibus aulæ
Intemeratorum ſtabat reverentia fratrum.
Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aſpera, gemmatáſque togas, viridéſque ſmaragdo
Loricas, geléaſque renidentes hyacinthis,
Geſtatóſque patri capulis radiantibus enſes,
Et vario lapidum diſtinctas igne coronas,
Dividis ex æquo; ne non Auguſta ſupellex;
Ornatúſque pares geminis hæredibus eſſent.
Mittitur & miles, quamvis certamine partes
Jam tumeant, hoſtem muniri robore mavis,
Quàm peccare fidem: permittis juſta petenti,
Idque negas ſolum, cujus mox ipſe repulsâ
Gaudeat, & quidquid fuerat deforme mereri.
Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt
Ore Deæ, junxere choros, unóque recepta
Pectore diverſos tecum cinguntur in uſus.
Juſtitia utilibus rectum præponere ſuadet,
Communéſque ſequi leges, injuſtáque numquam
Largiri ſociis: durum Patientia corpus
Inſtruit, ut nulli cupiat ceſſiſſe labori:
Temperies, ut caſta petas: Prudentia, ne quid
Inconſultus agas: Conſtantia, futile ne quid
Infirmúmque geras. procul importuna fugantur
Numina, monſtriferis quæ Tartarus edidit antris.
Ac primam ſcelerum matrem, quæ ſemper habendo
Plus ſitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Avaritiam: cujus fœdiſſima nutrix
Ambitio, quæ veſtibulis foribúſque potentum,
Excubat, & pretiis commercia paſcit honorum,
Pulſa ſimul. nec te gurges corruptior ævi
Traxit ad exemplum: quòd jam firmaverat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat uſus.
Denique non dives ſub te pro rure paterno,
Vel laribus pallet: non inſidiator oberrat
Facturus quemcumque reum: non obruta virtus
Paupertate latet. lectos ex omnibus oris
Evehis, & meritum, non quæ cunabula, quæris:
Et qualis, non unde ſatus. ſub teſte benigno
Vivitur: egregios invitant præmia mores.
Hinc priſcæ redeunt artes: felicibus indè
Ingeniis aperitur iter, deſpectáque Muſæ
Colla levant: opibúſque fluens, & pauper eodem
Nititur ad fructum ſtudio, cùm cernat uterque,
Quòd nec inops jaceat probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis. nec te jucundâ fronte fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus,
Membráque Circæis effeminat acriùs herbis.
Blanda quidem vultus, ſed quâ non totius ulla
Ultrices fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris torvos ære circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis:
Te numquam conata capit. non prava libido
Stupris advigilat: non tempora ſomnus agendi
Fruſtratur: nullo citharæ convivia cantu,
Non pueris laſciva ſonant. quis cernere curis
Te vacuum pôtuit? quis totâ mente remiſſum,
Aut indulgentem dapibus, nî cauſa juberet
Lætitiæ? non indecores æraria laſſant
Expenſæ: parvo non improba littera libro
Abſentum condemnat opes. à milite parcus
Diligeris; neque enim neglectas pace cohortes
Tunc ditas, cùm bella fremunt. ſcis nulla placere
Munera, quæ metuens illis, quos ſpreverit, offert
Serus, & incaſſum ſervati prodigus auri.
Antevenis tempus non expectantibus ultro
Munificus, menſæque adhibes, & nomine quemque
Compellas clari, quod ſub te geſſerit olim,
Admonitor facti; figendáque ſenſibus addis
Verba, quibus magni geminatur gratia doni.
Nec ſi quid tribuas, jactatum ſæpius idem
Exprobrare ſoles: nec quos promoveris, alto
Turgidus alloqueris faſtu: nec proſpera flatus
Attollunt nimios. quin ipſa ſuperbia longè
Diſceſſit, vitium rebus ſolemne ſecundis,
Virtutúmque ingrata comes. contingere paſſim,
Affarique licet. non inter pocula ſermo
Captatur, purâ ſed libertate loquendi
Seria quiſque jocis nullâ formidine miſcet.
Quem videt Auguſti ſocerum regníque parentem,
Miratur conviva parem; cùm tanta poteſtas
Civem lenis agat. te doctus priſca loquentem,
Te matura ſenex audit, te fortia miles:
Adſperſis ſalibus, quibus haud Amphiona quiſquam
Præferat Aonios meditantem carmine muros,
Nec velit Orpheo migrantes pectine ſylvas.
Hinc amor, hinc veris & non fallacibus omnes
Pro te ſolliciti votis: hinc nomen ubique
Plauſibus, auratis celebrant hinc ora figuris.
Quæ non incudes ſtreperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quantis ſuarent fornacibus æra
Effigies ductura tuas? quis devius eſſet
Angulus, aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent, talem ni ſemper honorem
Reſpueres? decus hoc rapiat, quem falſa timentum
Munera decipiunt, qui ſe diffidit amari.
Hoc ſolus ſprevitſe poteſt, qui jure meretur.
Undique legati properant, generíque ſub ore
In tua centenas optant præconia voces.
Grates Gallus agit, quòd limite tutus inermi,
Et metuens hoſtile nihil, nova culmina totis
Ædificet ripis, & ſævum gentibus amnem
Tibridis in morem domibus prævallet amœnis.
Hinc Pœni cumulant laudes, quòd rura tyranno
Libera poſſideant. hinc obſidione ſolutus
Pannonius, potórque Savi, quòd clauſa tot annis
Oppida laxatis auſos jam pandere portis
Rurſum cote novat nigras rubigine falces,
Exeſóſque ſitu cogit ſplendere ligones:
Agnoſcítque caſas, & collibus oſcula notis
Figit, & impreſſo glebis non credit aratro.
Exſectis, inculta dabant quas ſecula, ſylvis
Reſtituit terras, & opacum viribus ſtrunt
Conſerit, & patrium vectigal ſolvere gaudet,
Immunis qui clade fuit. te ſoſpite fas eſt
Vexatum laceri corpus juveneſcere regni.
Sub tot principibus quæcumque amiſimus olim
Tu reddis. ſolo poterit Stilicone medente
Creſcere Romanum vulnus tectura cicatrix,
Inque ſuos tandem fines redeunte colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.
Nec tamen humano cedit cœleſte favori
Judicium. cingunt Superi concordibus unum
Præſidiis, hoſtéſque tuos aut litore produnt,
Aut totum oppoſiti claudunt fugientibus æquor,
Aut in ſe vertunt furiis, aut militis enſe
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu.
Inſidias detegunt, & in ipſa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenerâ venantem nare moloſſi.
Ominibus ventura notant, aut alite monſtrant,
Aut monitos certâ dignantur imagine ſomnos.
Pro quibus innumeræ trabearum inſignia terræ
Certatim petiere tibi. poſcentibus ipſe
Reſtiteras, & mens aliorum prona favori,
Judex dura ſui, facibus ſuccenſa pudoris,
Tarda verecundis excuſat præmia cauſis.
Ergo avidæ, tantóſque novi ſpe Conſulis annos
Eluſæ, dominæ pergunt ad limina Romæ:
Si minùs annueris precibus, vel cogere certa
Cunctantem, votóque moras auferre parata
Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, ſulvâque intexta micantem
Veſte Tagum, tales profert Hiſpania voces:
Cuncta mihi ſemper Stilico, quæcumque poposci,
Conceſſit, tantúmque ſuos invidit honores.
Auguſti potuit ſoceri contemnere faſces:
Jam negat & genero. ſi non ut ductor, ab orbe,
Quem regit, accipiat ſaltem cognatus ab aulâ.
Exiguúmne putet, quòd ſic amplexus liberum
Progeniem noſtros immoto jure nepotes
Suſtinet, ut patrium commendet purpura Partin?
Quòd pulcro Mariæ fecundet germine regnum?
Quòd dominis ſperatur avus? Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctáque torque decoro,
Binâque geſta tenens, animoſo pectore fatur.
Qui mihi Germanos ſolus, Francóſque ſubegit,
Cur nondum legitur ſatis? cur pagina tantum

Neſcit

ized by Google

Neſcit adhuc nomen, quod jam numerare decebat?
Uſque adeóne levis pacati gloria Rheni?
Indè Caledonio velata Britannia monſtro,
Ferro picta genas, cujus veſtigia verrit
Cærulus, Oceanſque æſtum mentitur amictus,
Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Me juvit Stilico, totam cùm Scotus Iernen
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne litore tuto
Proſpicerem dubiis venturum Saxona ventis.
Tum ſpicis & dente comas illuſtris eburno,
Et calido rubicunda die, ſic Africa fatur:
Sperabam nullas trabeis Gildone perempto
Naſci poſſe moras. etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat faſces præbere triumpho?
Qui mihi Maurorum penitus lacrymabile nomen
Ignorare dedit, poſt has OEnotria lentis
Vitibus intorquens hederas, & palmite largo
Vina fluens, Si vos adeò Stilicone curules
Augeri flagratis, ait, quas ſola juvare
Fama poteſt: quanto me digniùs incitet ardor,
Ut præſente fruar, conſcendentémque tribunal
Proſequar, atque anni pandentem clauſtra ſalutem?
Talibus alternant ſtudiis. Romámque precantes
Pro cunctis hortantur eat. nec ſegniùs illa
Paruit officio, ſed raptis protinus armis
Ocyor excuſſo per nubila ſidere tendit.
Tranſvehitur Tuſcos, Appenninúſque volatu
Stringitur: Eridanus clypei jam fulgurat umbrâ.
Conſtitit ante ducem, tetricâ nec Pallade vultum
Deterior, nec Marte minor. tremit orbe coruſco
Jam domus, & ſummæ tergunt laquearia criſtæ.
Tum prior attonitum gratis affata querelis:
Servatas, Stilico, per te, venerande, curules,
Ornatas necdum, fateor. quid profuit anni
Servilem pepuliſſe notam? defendis honorem,
Quem fugis; & ſpernis, tantâ quem mole tueris;
Reſpuis oblatum, pro quo labente reſiſtis?
Quænam cauſa moræ? quo me cunctabere rurſus
Ingenio? nullus Boreæ metus, omnis & Auſtri
Ora filet. cecidit Mautus, Germania ceſſit,
Et Janum pax alta ligat. te Conſule necdum
Digna feror? titulúmve levem, parvíque nitoris
Credimus, Auguſti quem ſe decorare fatentur?
Sub juga quò gentes captivis Regibus egi?
Num, ſi prodigiis caſus natura futuros
Signat, polluimur maculâ? quod reris, Eois
Omen erat. quamquam nullis mihi cognita rebus
Fabula. vix tanto riſit de crimine rumor.
Opprobriis ſtat nulla fides, nec litera venit
Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus
Eſt tua, quòd, noſtros qui conſulis omnia Patres,
De monſtris taceas. pellendi denique nulla
Dedecoris ſanctum violant oracula cœtum.
Nec mea funeſtum verſavit Curia nomen.
Pars ſceleris dubitâſſe fuit. quæcumque profana
Pagina de primo veniſſet limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi, ne turpia caſtis
Auribus Italiæ fatorum exempla nocerent.
Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit. lætetur quiſquis Eous
Scribere deſierit: faſtos portenta Gabinos
Iſta latent. propriam labem terſiſſe laborent.
Cur ego, quem numquam didici ſenſíve creatum,
Gratuler exemtum? delicti pœnitet illos:
Nos nec credidimus. fuerit tamen omnibus unum
Crimen, & ad noſtras manaverit uſque ſecures:
Plus ideo ſumenda tibi faſtigia juris,
Ne pereat. tam priſcus honos, qui portus honorum
Semper erat. nullo ſarciri Conſule damnum,
Excepto Stilicone, poteſt. bene præſcia tempus
Mens tua diſtulerat. titulo tunc creſcere poſſes,
Nunc per te titulus. Conſul ſuccurre gravatis
Conſulibus. quicumque fuit, quicumque futurus,
Annum redde tuum, quem mox ſecura ſequatur
Poſteritas, nec jam doleat defenſa vetuſtas.
Sit trabeis ultor Stilico, Brutúſque repertor.
Libertas populi primo tunc Conſule Bruto
Reddita per faſces: hic faſcibus expulit ipſis
Servitium. inſtituit ſublimem Brutus honorem:
Aſſeruit Stilico. plus eſt ſervâſſe repertum,
Quàm quæſiſſe novum. quid tardiùs ore rubenti
Annuis, & ſolitus frontem circumfluit ignis?
Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo
Te certum eſt, mirare libens, ac ſuſcipe cinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine, tincta ſimul repetito murice fila
Contulimus penſis, & eodem nevimus auro,
Aurea quo Lachelis ſub te mihi ſecula texit.
Hîc ego promiſſam ſobolem, ſperatáque mundo
Pignora præluti. veram mox ipſe probabis
Me vatem, noſtræque fidem venientia telæ
Fata dabunt. dixit, gremióque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas. inſigne Minervam
Spirat opus. rutilis hìc pingitur aula columnis,
Et ſacri Mariæ partus. Lucina labores
Solatur: reſidet fulgente puerpera lecto.
Sollicitæ juxtà palleſcunt gaudia matris.
Suſceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lavant. teneros in ſtamine riſus,
Vagitúſque audire putes. jam creverat infans
Ore ferens patrem. ſed avus maturior ævi
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte aliâ ſpumis fucantem Serica frena
Sanguineis, primæ ſignatus flore juventæ,
Eucherius flectebat equum, jaculíſque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos
Aureus ipſe ferit. Venus hìc invecta columbis
Tertia regali jungit connubia nexu,
Pennatíque nurum circumſtipantur Amores
Progenitam Auguſtis, Auguſtorúmque ſororem.
Eucherius trepido jam flammea ſublevat ore
Virginis: arridet læto Thermantia fratri.
Nam domus hæc utroque petit diademata ſexu,
Reginaſque parit, Reginarúmque maritos.
Talibus invitat donis, dextræque gerendum
Diva ſimul porrexit ebur. ſolennibus urnam
Cominovet auſpiciis, avibúſque incepta ſecundat.
Tunc habiles armis humeros Dea veſtibus ambit
Romuleis. Latii ſederunt pectore cultus,
Loricæque locum decuit toga. talis ab Iſtro,
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Depoſito mitis clypeo, candentibus urbem
Ingreditur trabeatus equis: ſpatioſa Quirinus
Frena regit, currúmque patris Bellona cruentum
Ditibus exuviis, tendens ad ſidera quercum,
Præcedit: lictórque Metus cum fratre Pavore
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velati galeas lauro: propiúſque jugales
Formido ingentem vibrat ſuccincta ſecurim.
Vidit ut optato ſe Conſule Roma potitam,
Nunc, ait, Elyſii lucos irrumpere campi,
Nunc libet; ut tanti Curiis miracula voti
Fabriciíſque ferâm, famæ qui vulnere nuper
Calcatam flevere togam. jam prata choreis
Pulſent, nec rigidos pudeat luſiſſe Catones.
Audiat hoc ſenior Brutus, Pœníſque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quòd libera damnis
Unius auxilio faſces, Libyámque recepi.
Quod ſupereſt, unum precibus, fortiſſime Conſul,
Adde meis, Urbíque tuum largire parumper,
Quem rogat, adventum: quam tu bellóque faméque
Depulſam terris iterum regnare dediſti.
Splendida ſuſcipiant alium te Roſtra Camillum.
Ultorem videant ſervatorémque Quirites.
Et populus, quem ductor ames: quibus Africa per te,
Nec priùs auditas Rhodanus jam donat arillas:
Ut mihi vel Maſſyla Ceres, vel Gallica profit
Fertilitas, meſſéſque vehant nunc humidus Auſter,
Nunc Aquilo: cunctis diteſcant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam ſtipabunt millia vulgi!
Fallax ô quoties pulvis deludet amorem
Suſpenſum, venienſ omni dum crederis horâ!
Spectabunt cupidæ matres, ſpargentur & omnes
Flore viæ, ſuperes cùm Pythia culmina Conſul
Arduus, antiqui ſpecies Romana Senatûs.
Pompeiana dabunt quantos proſcenia plauſus?
Ad cælum quoties vallis tibi Martia ducet
Nomen, Aventino Pallanteóque receſſu!
Nunc te conſpiciam caſtris, permitte, relictis,
Mox & cum genero trabeis viſura ſecundis.
Hæc dum Roma refert, jam fama loquacibus alis
Pervolat Oceanum linguis, & mille citatos
Feſtinare jubet proceres: nulliſque ſenectus,
Non iter, hybernis obſtant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti priſcum, clariſque vetuſtis

Faſcibus ad ſocii properant & vindicis annum.
Sic ubi fecundâ reparavit morte juventam,
Et patrios idem cineres, collectáque portat
Unguibus oſſa piis, Niſique ad littora tendens,
Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro;
Conveniant aquilæ, cunctæque ex orbe volucres
Ut Solis mirentur avem. procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama buſti,
Nec minor in cœlo chorus eſt. exſultat uterque
Theudoſius, Divique tui. Sol ipſe quadrigis
Vere coronatis dignum tibi præparat annum.
Eſt ignota procul, noſtræque impervia menti
Vix adeunda Deis, annorum ſqualida mater,
Immenſi ſpelunca ævi, quæ tempora vaſto
Suppeditat revocátque ſinu. complectitur antrum,
Omnia qui placido conſumit numine, ſerpens,
Perpetuúmque viret ſquamis, caudámque reducto
Ore vocat, tacito relegens exordia lapſu.
Veſtibuli cuſtos vultu longæva decoro
Ante fores Natura ſedet, cunctiſque volantes
Dependent membris animæ. manſura verendus
Scribit jura ſenex, numeros qui dividit aſtris,
Et curſus ſtabiléſque moras, quibus omnia vivunt
Ac pereunt fixis cum legibus. ille recenſet
Incertum quid Martis iter, certúmque Tonantis
Proficiat mundo; quid velox ſemita Lunæ,
Pigráque Saturni: quantum Cytherea ſereno
Curriculo Phœbíque comes Cyllenius erret.
Illius ut Phœbus ad limen conſtitit antri,
Occurrit Natura potens, ſeniorque ſuperbis
Canitiem inclinat radiis. tunc ſponte recluſos
Laxavit poſtes adamas. penetrale profundum
Panditur, & ſedes ævique arcana pateſcunt.
Hîc habitant vario faciem diſtincta metallo
Secula certa locis: illîc glomerantur aëna.
Hîc ferrata rigent, illîc argentea candent.
Eximiâ regione domûs, contingere terris
Difficiles, ſtabant rutili grex aureus anni:
Quorum præcipuum pretioſo corpore Titan
Signandum Stilicone legit. tunc imperat omnes
Ponè ſequi, dictíſque ſimul compellat euntes.
En, cui diſtulimus melioris ſecla metalli;
Conſul adeſt. ite optati mortalibus anni,
Ducite virtutes, hominum floreſcite rurſus
Ingeniis, hilares Baccho frugúmque feraces.
Non inter geminos Anguis glaciale Triones
Sibilet, immodico nec frigore ſæviat Urſa.
Non torvo fremat igne Leo, nec brachia Cancri
Urat atrox æſtas, madidæ nec prodigus urnæ
Semina præcipto diſſolvat Aquarius imbre.
Phrixeus roſeo producat fertile cornu
Ver Aries: pingues nec grandine tundat olivas
Scorpios. autumni maturet germina Virgo.
Lenior & gravidis allatret Sirius uvis.
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallémque ſuam, quam flammeus ambit
Rivus, & irriguis largum jubar ingerit herbis,
Quas Solis paſcuntur equi. fragrantibus indè
Cæſariem ſertis, & lutea lora jubáſque
Subligat alipedum. gelidas hinc Lucifer ornat,
Hinc Aurora comas. juxtáque arridet habenis
Aureus, & nomen prætendit Conſulis, annus:
Inque novos iterum revoluto cardine curſus,
Scribunt æthereis Stiliconem ſidera faſtis.

Illi poſt lituos pedites favere canenti,
Laudavíſque novâ cæde cruentus eques.
Cúmque triumpharet geminâ Carthagine victâ,
(Hanc vindex patris vicerat, hanc patriæ.)
Cùm longi Libyam tandem poſt funera belli
Ante ſuas mœſtam cogeret ire rotas;
Advexit reduces ſecum victoria Muſas,
Et ſertum vati Martia laurus erat.
Noſter Scipiades Stilico, quo concidit alter
Hannibal, antiquo ſævior Annibale.
Te mihi poſt quinos annorum, Roma, recurſus
Reddidit, & votis juſſit adeſſe ſuis.

QUEM populi plauſu, procerum quem voce petebas,
Adſpice, Roma, virum. jam tempora deſine longa
Dinumerare viæ, viſóque allargere ſemper
Pulvere: non dubiis ultrà torquebere votis.
Totus adeſt oculis, aderat qui mentibus olim,
Spe major, famâ melior. venerare curulem,
Quæ tibi reſtituit faſces. complectere dextram,
Sub juga quæ Pœnos iterum Romana redegit.
Excipe magnanimum pectus, quo frena reguntur
Imperii, cujus libratur ſenſibus orbis.
Os ſacrum, quod in ære colis, miraris in auro,
Cerne libens. hic eſt felix bellator ubique,
Defenſor Libyæ, Rheni pacator & Iſtri.
Oſtentare ſuos priſco ii more labores,
Et gentes cuperet vulgo monſtrare ſubactas:
Certarent utroque pares à cardine laurus.
Hæc Alamanorum ſpoliis, Auſtralibus illa
Ditior exuviis. illinc flavente Sicambri
Cæſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.
Ipſe albis veheretur equis, currúmque ſecutus
Laurigerum, feſto fremuiſſet carmine, miles.
Hi famulos traherent Reges: hi facta metallo
Oppida, vel montes captiváque flumina ferrent.
Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes:
Indè catenato gemeret Germania Rheno.
Sed non immodicos proprii jactator honoris
Conſul, Roma, tuus. non illum præmia tantùm,
Quàm labor ipſe juvat. ſtrepitus faſtidit inanes,
Inque animis hominum pompâ meliore triumphat.
Non alium certè Romanæ clariùs arces
Suſcepere ducem, nec cùm cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cùm Capitolia curru
Pellæas domitos Paullus conſcenderet aulæ.
Nec ſimilis Latias patefecit gloria portas,
Poſt Numidas Mario, poſt claſſica Martis Eoi
Pompeio. nulli pars æmula defuit umquam,
Quæ gravis obtreperet laudi, ſtimulíſque malignis
Facta ſequebatur, quamvis ingentia, livor.
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanúmque modum. quis enim liveſcere poſſit,
Quòd numquam pereant ſtellæ? quòd Jupiter altum
Poſſideat cælum: quòd noverit omnia Phœbus?
Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Invidiæ menſura capit. ductoribus illis
Præterea divitis erat favor. æquior ille
Patribus, inviſus plebi: popularibus illi
Munito ſtudiis languebat gratia Patrum.
Omnis in hôc uno variis diſcordia ceſſit
Ordinibus. lætatur Eques, plaudíſque Senator,
Votáque patricio certant plebeia favori.
O felix, ſervata vocat quem Roma parentem!
O mundi communis amor, cui militat omnis
Gallia, quem Regum thalamis Hiſpania nectit,
Cujus & adventum crebris petiere Quirites
Vocibus, & genero meruit præſtante Senatus!
Non ſic virginibus flores, non frugibus imbres,
Proſpera non laſſis optantur flamina nautis,
Ut tuus adſpectus populo. quæ numine tanto
Litora fatidicas attollunt Delia lauros,
Venturi quoties affulget Apollinis arcus?
Quæ ſic aurifero Pactoli fonte tumeſcit
Lydia, cùm domitis apparuit Evius Indis?
Nónne vides, & plebe vias, & tecta latere
Matribus? ut, Stilico, cunctis inopina reluxit
Te victore ſalus! ſeptem circumſpice montes,
Qui ſolis radios auri fulgore lacteſunt,
Indutóſque arcus ſpoliis, æquatáque templa
Nubibus, & quidquid tanti ſtruxere triumphi.
Quantum protueris, quantam ſervaveris urbem,
Attonitis metire oculis. hæc fabula certè
Cuncta foret, ſi Pœnus adhuc incumberet Auſtro.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

MAJOR Scipiades, Italis qui ſolus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non ſinè Pieriis exerçuit artibus arma.
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus teſtes ſibi jungere Muſas.
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.
Ergo ſeu patriis primævus manibus ultor
Subderet Hiſpanum legibus Oceanum,
Seu Tyrias certâ fracturus cuſpide vires
Inferret Libyco ſigna tremenda mari;
Hærebat doctus lateri, caſtriſque ſolebat
Omnibus in mediis Ennius ire tubæ.

Mos erat in veterum caſtris, ut tempora quercu
Velaret, validis qui fuſo viribus hoſte
Caſurum morti potuit ſubducere civem.
At tibi quæ poterit pro tantis civica reddi
Mœnibus? aut quantæ penſabunt facta coronæ?
Nec ſolam populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis; ſed, quo jucundior eſſet
Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ
Pondus, & amiſſas vires & regna recepit.
Jam non prætumidi ſupplex Orientis ademtam
Legatis poſcit Libyam, famulóſve precatur,
Dictu turpe, ſuos: ſed robore freta Gabino
Te duce Romanâ tandem ſe vindicat irâ.
Ipſa jubet ſignis, bellaturóque togatus
Imperat, expectant aquilæ decreta Senatûs.
Ipſa tibi trabeas ultro dedit: ipſa curulem
Obtulit. hæc ultro faſtos ornare coëgit.
Nil perdit decoris priſci, nec libera quærit
Secula, cùm donet faſces, cùm prælia mandet.
Séque etiam creviſſe videt. quis Gallica rura,
Quis meminit Latio Senonum ſerviſſe ligones?
Aut quibus exemplis fecundâ Tibris ab Arcto
Vexit Lingonico ſudatas vomere meſſes?
Illa ſeges non auxilium modò præbuit Urbi,
Sed fuit indicio, quantum tibi, Roma, liceret.
Admonuit Dominæ gentes, inſtárque tropæi
Rettulit ignotum gelidis vectigal ab oris.
Hoc quoque majeſtas augeſcit plena Quirini,
Rectores Libyæ populo quòd judice pallent:
Et poſt emeritas moderator quiſque ſecures
Diſcrimen letale ſubit: quòd Pœnus arator
Intulerit, madidus quantum tranſmiſerit Auſter.
Ardua qui latè terris reſponſa dedere,
Hinc trepidant humiles. tremuit quos Africa nuper,
Cernunt Roſtra reos. cani virtutibus ævi
Materiem pandit Stilico, populúmque vetuſti
Culminis immemorem dominandi rurſus in uſum
Excitat, ut magnos caleat metuendus honores,
Pendat juſtitiâ crimen, pietate remittat
Errorem, puróſque probet, damnétque nocentes,
Et patrias iterum clemens exerceat artes.
Fallitur, egregio quiſquis ſub principe credit
Servitium. numquam libertas gratior extat,
Quàm ſub Rege pio. quos præficit ipſe regendis
Rebus, ad arbitrium plebis patrúmque reducit:
Concediſtque libens, meritis ſeu præmia poſcant,
Seu punire velint. poſito jam purpura faſto
De ſe judicium non indignatur haberi.
Sic docuit regnare ſocer: ſic cauta juventæ
Frena dedit: teneros his moribus induit annos
Verior Auguſti genitor, fiducia belli,
Pacis conſilium; per quem ſqualore remoto
Priſtina Romuleis infloruit arcibus ætas:
Per quem fracta diu, tranſlatáque penè poteſtas,
Non oblita ſui, ſervilibus exulat arvis;
In proprium ſed ducta Larem, victricia reddit
Fata ſolo, fruitúrque iterum, quibus hæſerat olim,
Auſpiciis, capitíque errantia membra reponit.
Proxime Dis Conſul, qui tantæ proſpicis Urbi,
Quâ nihil in terris complectitur altius æther:
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur Olympi,
Armorum legúmque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primíque dedit cunabula juris.
Hæc eſt, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvâque à ſede profectas,
Diſperſit cum Sole manus. hæc obvia fatis,
Innumeras uno gereret cùm tempore pugnas,
Hiſpanas caperet, Siculas obſideret urbes,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum,
Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas major Trebiámque fremebat;
Et cùm jam premerent flammæ, murúmque feriret
Hoſtis, in extremos aciem mittebat Iberos.
Nec ſterit Oceano: remíſſque ingreſſa profundum
Vincendos alio quæſivit in orbe Britannos.
Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanúmque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu: civéſque vocavit,
Quos domuit, nexúque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quòd veluti patriis regionibus utitur hoſpes:
Quòd ſedem mutare licet: quòd cernere Thulen
Luſus, & horrendos quondam penetrare receſſus:
Quòd bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quòd cuncti gens una ſumus, nec terminus umquam
Romanæ ditionis erit, nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiſſque ſuperbia, vertit.
Sic malè ſublimes fregit Spartanus Athenas:
Atque idem Thebis cecidit. ſic Medus ademit
Aſſyrio, Medóque tulit moderamina Perſes.
Subjecit Macedo Perſen, ceſſurus & ipſe
Romanis. hæc auguriis firmata Sibyllæ,
Hæc ſacris animata Numæ. huic fulmina vibrat
Jupiter, hanc totâ Tritonia Gorgone velat.
Arcanas huc Feſta faces, huc Orgia Bacchus
Tranſtulit, & Phrygios genitrix turrita leones.
Huc defenſurus morbos Epidaurius hoſpes
Reptavit placido tractu, vectúmque per undas
Inſula Pæonium texit Tiberina draconem.
Hanc tu cum Superis, Stilico præclare, tueris.
Protegis hanc clypeo matrem regúmque ducúmque,
Præcipuéque tuam. dedit hæc exordia lucis
Eucherio, puerúmque ferens hìc regia mater
Auguſto monſtravit avo: lætatus at ille
Suſtulit in Tyriâ reptantem veſte nepotem.
Romáque venturi gaudebat præſcia fati,
Quòd te jam tanto meruiſſet pignore civem.
Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Neſciat, hunc credas populum. ſi volvere priſcos
Annales libeat, quoties hic prælia ſumpſit
Pro ſociis, quoties dono conceſſit amicis
Regibus Auſonio quæſitas ſanguine terras!
Publica ſed numquam tanto ſe gratia fudit
Aſſenſu. quis enim princeps hoc omnibus egit
Obſequiis, dominum ſeſe patrémque vocari,
Quod tibi continuis reſonant convexa diebus?
Macte novis Conſul titulis, Mavortia plebes
Te dominum, Bruto non indignante, fatetur.
Et quod adhuc nullo potuit terrore ſubacta
Libertas Romana pati, Stiliconis amori
Detulit: exultant avidi quocumque decorus
Conſpiciare loco, noménque ad ſidera tollunt.
Nec vaga dilecto ſatiantur lumina vultu,
Seu circum trabeïs fulgentibus aureus intres:
Seu celebres ludos: ſolio ſeu fultus eburno
Cingas jure forum: denſi ſeu turbine vulgi
Circumfuſa tuæ conſcendant Roſtra ſecures.
Quæ verò procerum voces, quàm certa fuere
Gaudia, cùm totis exurgens ardua pennis
Ipſa duci ſacras Victoria panderet ædes!
O palmâ viridi gaudens, & amicta tropæis.
Cultos imperii virgo, quæ ſola mederis
Vulneribus, nullúmque doces ſentire laborem:
Seu tibi Dictææ placuerunt aſtra Coronæ:
Seu magìs æſtivo ſedes vicina Leoni:
Seu ſceptrum ſublime Jovis, ſeu Pallados ambis
Ægida: ſeu feſſi mulces ſuſpiria Martis:
Adſis perpetuùm Latio, votíſque Senatûs
Annue, Diva, tui. Stilico tua ſæpius ornet
Limina, téque ſimul rediens in caſtra reducat.
Hunc bellis comitare favens: hunc redde togatum
Conſiliis. ſemper placidis te moribus egit,
Servavítque piam victis, nec polluit umquam
Laurum ſævitiâ, cives nec fronte ſuperbâ
Deſpicit, aut trepidam vexat legionibus Urbem.
Sed verus patriæ Conſul, ceſſantibus armis,
Contentus lictore venit, nec inutile quærit
Ferri præſidium, ſolo munitus amore:
Magnarum nec parcus opum geminare profundas
Diſtulit impenſas, ſed poſt miracula caſtris
Edita vel genero, Romæ majora reſervat.
Auratos Rhodiis imbres, naſcente Minervâ,
Indulſiſſe Jovem perhibent, Bacchóque paternum
Jam pulſante femur, mutatus palluit Hermus
In pretium, votíque famem paſſurus avari
Ditabat rutilo, quidquid Mida tangeret, auro:
Fabula, ſeu verum, canitur; tua copia vincit
Fontem Hermi, tactúmque Midæ, pluviámque Tonantis.
Obſcurat veteres, obſcurabítque futuras
Par donis armíſque manus. ſi ſolveret ignis,
Quas dedit immanes vili ſub pondere, maſſas:
Argenti potuere lacus & flumina fundi.
Nec tibi, quæ pariter ſylvis dominaris & aſtris,
Exiguam Stilico movit, Latonia, curam.
Tu quoque nobilibus ſpectacula noſtra laboras

Illuſtrare

Illuſtrare feris, ſummóque in vertice rupis
Alpinæ ſocias arcu cellante pudicas,
Et pharetratarum comitum inviolabile cogis
Concilium. veniunt humeros & brachia nudæ,
Armataque manus jaculis, & terga ſagittis
Incomtæ, pulcræque tamen. ſudoribus ora
Pulverulenta rubent. ſexum nec cruda fatetur
Virginitas. ſinè lege comæ. duo cingula veſtem
Crure tenus pendere vetant. præcedit amicas
Flava Leontodame. ſequitur nutrita Lycæo
Nebrophone, telíſque domat quæ Mænala Thero.
Ignea Cretæâ properat Britomartis ab Idâ,
Et curſu Zephyris numquam ceſſura Lycaſte.
Jungunt ſe geminæ metuenda feris Hecaërge:
Et ſoror, optatum numen venantibus, Opis,
Progenies Scythiæ. Divas nemorúmque potentes
Fecit Hyperboreis Delos prælata pruinis.
Hæ ſeptem venere duces. exercitus alter
Nympharum incedunt, acies formoſa Dianæ
Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem caſto genuit quas flumine Ladon.
Has ubi collectas vidit, ſic Delia cœpit.
O ſociæ, mecum thalami quæ jura peroſæ
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Cernitis ut Latio Superi communibus ornent
Hunc annum ſtudiis? quantos Neptunus equorum
Donet ab orbe greges? laudi quàm nulla canendæ
Fratris plectra vacent: noſtram quoque ſentiat idem,
Quam meritis debemus, opem. non ſpicula poſcit
Iſte labor; maneant clauſis nunc ſicca pharetris:
Omnis & à ſolitis noſter venatibus arcus
Temperet, in ſolam cruor hic ſervetur arenam.
Retibus, & clathris dilatâ morte tenendæ
Ducendæque feræ. cupidas arcete ſagittas.
Conſulis in plauſum caſuris parcite monſtris.
Acceleret diviſa manus. mihi curſus anhelas
Tenditur ad Syrtes. mecum Dictæa Lycaſte
Et comes Opis erat. ſteriles juvat ire per æſtus.
Namque feras aliis tellus Mauruſia donum
Præbuit: huic ſoli debet, ceu victa, tributum.
Dum nos horribiles Libyæ ſcrutamur alumnos,
Europæ vos interea perquirite ſaltus,
Et ſcopulos. poſitâ ludat formidine paſtor,
Securiſque canat Stiliconem fiſtula ſylvis.
Pacet muneribus montes, qui legibus urbes.
Dixit, & extemplo frondosâ fertur ab Alpe
Trans pelagus. cervi currum ſubiere jugales,
Quos decus eſſe Deæ primi ſub limine cæli
Roſcida fecundis concepit Luna cavernis.
Par nitor intactis nivibus. frons diſcolor auro
Germinat, & ſpatio ſummas æquantia fagos
Cornua ramoſo ſurgunt procera metallo.
Opis frena tenet. fert retia rara Lycaſte,
Auratáſque plagas: immortaléſque Moloſſi
Latrantes mediis circùm juga nubibus ibant.
Quinque aliæ paribus (Phœbe ſic juſſerat) armis
Diversâ regione ruunt; ducúntque cohortem
Quæque ſuam. variæ formis & gente ſequuntur
Ingenióque canes. illæ gravioribus aptæ
Moribus: hæ pedibus celeres: hæ nare ſagaces;
Hirſutæque fremunt Creſſæ, tenuéſque Lacænæ,
Magnáque taurorum fracturæ colla Britannæ.
Dalmatiæ lucos abruptáque brachia Pindi
Sparſa comam Britomartis agit. tu Gallica cingis
Luſtra, Leontodame, Germanorúmque paludes
Eruis, & ſi quis defenſus arundine Rheni
Vaſtus aper nimio dentes curvaverit ævo.
Nubiferas Alpes, Apenninſque receſſus,
Garganſque nives Hecaërge promta fatigat.
Speluncas canibus Thero rimatur Iberas,
Informeſque cavis urſos detrudit ab antris,
Quorum ſæpe Tagus manantes ſanguine rictus
Non ſatiavit aquis, & quos jam frigore ſegnes
Pyrenæa tegit latebroſis frondibus ilex.
Cyrneis Siculiſque jugis venata virago
Nebrophone, cervos aliáſque in vincula cogit
Non ſævas pecudes, ſed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum: quodcumque tremendum
Dentibus, aut inſigne jubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum ſetis. capitur decus omne timórque
Sylvarum. non cauta latent: non mole reſiſtunt
Fortia: non volucri fugiunt pernicia curſu.
Hæc laqueis innexa gemunt: hæc clauſa feruntur
Ilignis domibus. fabri nec tigna polire
Sufficiunt. rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes caveæ. ratibus pars ibat onuſtis
Per freta, per fluvios. exanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longóque morantur
Ordine plauſtra vias, montani plena triumphi.
Et fera ſollicitis vehitur captiva juvencis,
Explebat quibus antè famem: quotiéſque reflexi
Conſpexere boves, pavidi temone recedunt.
Jámque pererratis Libyæ flagrantibus oris,
Legerat eximios Phœbi germana leones,
Heſperidas qui ſæpe fugant, ventóque citatis
Terrificant Atlanta jubis, armentáque longè
Vaſtant Æthiopum, quorúmque impune fragoſa
Murmura paſtorum numquam venere per aures,
Non illos tædæ ardentes, non ſtrata ſuperné
Lapſuro virgulta ſolo, non vocibus hœdi
Pendentis ſtimulata fames, non foſſa fefellit.
Ultro ſe voluere capi, gaudéntque videri
Tantæ præda Deæ. reſpirant paſcua tandem.
Agricolæ referant jam tuta mapalia Mauri.
Tum virides pardos & cætera colligit Auſtri
Prodigia, immanéſque ſimul Laconia dentes,
Qui ſecti ferro in tabulas, auróque micantes,
Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen
Per proceres & vulgus eant, ſtupor omnibus Indis.
Plurimus ereptis elephas inglorius errat
Dentibus. inſedit nigrâ cervice gementum,
Et fixum Dea quaſſat ebur, penitúſque cruentis
Stirpibus avulſis patulos exarmat hiatus.
Ipſos quinetiam nobis miracula velles
Ducere: ſed pigrâ cunctari mole veretur.
Tyrrhenas fœrus Libycos amplexa per undas
Claſſica turba ſonat, caudámque à puppe retorquens
In proram jacit uſque leo. vix ſublevat unum
Tarda ratis. fremitus ſtagnis auditur in imis,
Cunctáque proſiliunt cete, terrenáque Nereus
Confert monſtra ſuis: & non æquare fatetur.
Æquora ſic victor quoties per rubra Lyæus
Navigat, intorquet clavum Silenus, & acres
Aſſudant tonſis Satyri, taurináque pulſu
Baccharum Bromios invitant tympana remos.
Tranſtra ligant ederæ. malum circumſluus veſtit
Pampinus. antennis illabitur ebria ſerpens,
Pérque mero madidos currunt ſaliúntque rudentes
Lynces, & inſolitæ mirantur carbaſa tigres.

DE BELLO GETICO LIBER.

PRÆFATIO.

POST reſides annos longo velut excita ſomno
Romanis fruitur noſtra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina cœtus,
Perſonat & noto Pythia vate domus.
Conſulis hic faſces cecini, Libyámque receptam.
Hic mihi proſtratis bella canenda Getis.
Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oráque patricius noſtra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum poſcente Senatu,
Reſpice; judicium quàm grave, Muſa, ſubis!
Ingenio minuit merces properata favorem.
Carminibus veniam præmia tanta negant:
Et magis intento ſtudium cenſore laborat,
Quòd legimur medio conſpicimúrque foro.
Materies tamen ipſa juvat, ſolitúmque timoris
Dicturo magnâ ſedula parte levat.
Nam mihi conciliat gratas impentiùs aures
Vel meritum belli, vel Stiliconis amor.

INTACTI cùm claustra freti coëuntibus æquor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo,
Æetam Colchósque petens; propiore periclo
Omnibus attonitis solus post Numina Tiphys
Incolumem tenui damno servâsse carinam
Fertur, & ancipitem montis vitâsse ruinam,
Deceptóque vagæ concursu rupis in altum
Victricem duxisse ratem. stupuere superbâ
Arte viri domitæ Symplegades, & nova passa
Jura soli, cunctis faciles jam puppibus hærent,
Ut vinci didicere semel. quòd si ardua Tiphys
Navis ob innocuæ meritum sic gloria vexit;
Quæ tibi pro tanti pulso discrimine regni
Sufficiant laudes, Stilico? licèt omnia vates
In majus celebrata ferant, ipsâmque secandis
Argois trabibus jactent sudâsse Minervam;
Nec nemoris tantùm junxisse carentia sensu
Robora, sed cæso Tmarii Jovis augure luco,
Arbore præsagâ tabulas animâsse loquaces.
Plurima sed quamvis variis miracula monstris
Ingeminent teneras vincturo carmine mentes,
Harpyiásque truces, insopitísque refusum
Tractibus aurati custodem velleris anguem,
Et juga taurorum rapidis ambusta favillis,
Et virides galeis sulcos fœtásque novales
Martis, & in segetem crescentis semina belli:
Nil veris æquale dabunt. prohibere rapaces
Scilicet Harpyias, unâque excludere mensâ
Nobiliot titulus, quàm tot potuisse paratas
In Latii prædam Geticas avertere fauces?
Anne ego terrigenas potiùs mirabor in ipsis
Procubuisse satis, vitæ quibus attulit idem
Principium finémque dies, quàm cæsa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona tropæis,
Totáque sub galeis Mavortia canuit ætas?
Per te namque unum mediis exuta tenebris
Imperio sua forma redit, claustrísque solutæ
Tristibus exangues audent procedere leges.
Jámque potestates priscus discriminat ordo
Justitiæ, quas antè pares effecerat unâ
Nube timor. tua nos urgenti dextera leto
Eripuit, tectísque suis redduntur & agris
Damnati fato populi, virtute renati.
Jam non in pecorum morem formidine clausi
Prospicimus sævos campis ardentibus ignes:
Alta nec incertis metimur flumina votis
Excidio latura moram: non poscimus amnes
Undosam servare fidem, nubésque fugaces,
Aut conjuratum querimur splendere serenum.
Ipsa quoque internis furiis exercita plebis
Securas jam Roma levat tranquillior arces.
Surge, precor, veneranda parens, & certa secundis
Fide Deis, humilémque metum depone senectæ,
Urbs æquæva polo. tum demum ferrea sumet
Jus in te Lachesis, cùm sic mutaverit axem
Federibus natura novis, ut flumine verso
Irriget Ægyptum Tanaïs, Mæotida Nilus,
Eurus ab occasu; Zephyrus se prodat ab Indis,
Cancasiísque jugis calido nigrantibus Austro
Getulas Aquilo glacie constringat arenas.
Fatales hucusque manus, crebrísque notatæ
Prodigiis abiere minæ: nec sidera pacem
Semper habent, ipsúmque Jovem turbante Typhœo,
Si fas est, tremuisse ferunt, cùm brachia centum
Montibus armaret totidem, spirámque retorquens
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.
Quid mirum, si regna labor mortalia vexat?
Cùm gemini fratres, genuit quos asper Aloëus,
Martem subdiderint vinclis, & in astra negatas
Tentârint munire vias, steterítque revulsis
Penè tribus scopulis cælesti machina bello.
Sed caret eventu nimius furor. improba numquam
Spes lætata diu: nec pervenere juventæ
Robur Aloïdæ dum vellere Pelion Otus
Nititur, occubuit Phœbo, moriénsque Ephialtes
In latus obliquam projecit languidus Ossam.
Adspice, Roma, tuum jam vertice celsior hostem;
Adspice quàm rarum referens inglorius agmen
Italiâ detrusus eat, quantúmque priori
Dissimilis, qui cuncta sibi cessura ruenti
Pollicitus, patrii numen juraverat Istri,
Non nisi calcatis loricam ponere Rostris.
O rerum fatísque vices! qui fœda parabat
Romanas ad stupra nurus, sua pignora vidit
Conjugibus permixta trahi. qui mente profundâ
Hauserat Urbis opes, ultro victoribus ipse
Præda fuit. nostri quondam qui militis auro
Aggressus tentare fidem, desertus ab omni
Gente suâ manibúsque redit truncatus & armis.
Hoc quoque quòd veniam leti valuere mereri,
Si potitis pendas odiis, ignoscere pulcrum
Jam misero, pœnæque genus vidisse precantem.
Quæ vindicta prior, quàm cùm formido superbos
Flectit, & assuetum spoliis affligit egestas?
Sed magis ex aliis fluxit clementia causis,
Consulitur dum, Roma, tibi. tua cura coëgit
Inclusis aperire fugam, ne pejor in arcto
Sæviret rabies venturæ conscia mortis.
Nec tanti nomen stirpémque abolere Getarum,
Ut propiùs peterere, fuit. procul arceat altus
Jupiter, ut delubra Numæ, sedémque Quirini
Barbaries oculis saltem temerare profanis
Possit, & arcanum tanti deprendere regni.
Quamquam, si veterum certamina rite recordor,
Tunc etiam, pulcrâ cùm libertate vigerent,
Et proprio latè florerent milite Patres,
Semper ab his famæ petiere insignia bellis,
Quæ diversa procul tuto trans æquora vices
Exercere dabant. currus regúmque caterva
Inter abundantis fati ludibria ductæ.
At verò Italiam quoties circumstetit atrox
Tempestas, ipsúmque caput læsura pependit;
Non illis vani ratio ventosa favoris,
Sed graviter spectata salus: ductórque placebat,
Non qui præcipiti traheret simul omnia casu,
Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu nimius, spatiúmque morandi,
Vincendíque modum mutatis nôsset habenis.
Cautiùs ingentes morbos, & proxima cordi
Ulcera Pæoniæ tractat solertia curæ,
Parcendóque secat, ferro ne largiùs acto
Irrevocandus eat sectis vitalibus error.
Sublimi certè Curium canit ore vetustas,
Æaciden Italo pepulit qui littore Pyrrhum.
Nec magis insignis Pauli Mariique triumphus,
Qui captos niveis reges egere quadrigis.
Plùs fuga laudatur Pyrrhi quàm vincla Jugurthæ.
Et quamvis geminâ fessum jam clade fugârit,
Post Decii lituos, & nulli pervia culpæ
Pectora Fabricii donis invicta vel armis,
Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.
Quanto majus opus solo Stilicone peractum
Cernimus! hic validam gentem, quam dura nivosis
Educat Ursa plagis, non Chaonas atque Molossos,
Quos Epirus alit, nec Dodonæa subegit
Agmina, fatidicam frustra jactantia quercum.
Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compressit Fabius. campo pòst ausus aperto
Marcellus vinci docuit. sed tertia virtus
Scipiadæ Latiis tandem deterruit oris.
Unus in hôc Stilico diversis artibus hoste
Tres potuit superare duces, fregítque furentem
Cunctando, vicítque manu, victúmque relegat.
Atque hæc tanta brevi miscentem incendia Pyrrhum
Sustinuit toto mœrens OEnotria lustro.
Et propè ter senas Itali per graminis herbas
Massylus Pœno sonipes vastante cucurrit,
Hannibalémque senem vix ad sua reppulit arva
Vindex sera patrum post bellum nata juventus.
Hic celer effecit, brumâ ne longior unâ
Esset hyems rerum. primis sed messibus æstas
Temperiem cælo pariter bellóque referret.
Sed quid ego Hannibalem contra, Pyrrhúmque toot annis
Certatum memorem? cùm vilis Spartacus omne
Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni,
Consulibúsque palàm toties congressus, inertes
Exuerit castris dominos, & strage pudendâ
Fuderit imbelles aquilas servilibus armis.
Nos terrorum expers, & luxu mollior ætas
Deficimus queruli, si bos abductus aratro,
Si libata seges. non hanc ergastula nobis
Immisere manum, nec conjurantis arenæ

Turba

Turba fuit. qualem Stilico dejecerit hoſtem,
Thraces & Æmonii poterunt Muſique fateri.
Frigida ter decies nudatum frondibus Æmum
Tendit hyems vellire gelu; totidémque ſolutis
Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
Ex quo jam patrios gens hæc oblita Triones,
Atque Iſtrum tranſvecta ſemel veſtigia fixit
Threïcio funeſta ſolo, ſeu fata vocabant,
Seu gravis ira Deûm, ſeriem meditata ruinis.
Ex illo, quocumque vagos impegit Erinnys,
Grandinis aut morbi ritu per devia rerum
Præcipites, per clauſa, ruunt. nec contigit ullis
Amnibus, aut ſcopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vaſtus Athos, nil profuit Æmus
Odryſiis. facili contemtum Strymona ſiitu,
Et fruſtra rapidum damnant Aliacmona Beſſi.
Nubibus inuctum Macedo miratur Olympum
More pererratum campi. gemit irrita Tempe
Theſſalus, & domitis irriſam cautibus Oeten.
Sperchiúſque, & virginibus dilectus Enipeus
Barbaricis lavere comas. non objice Pindi
Servati Dryopes: nec nubifer Actia texit
Litora Leucates. ipſe, quà dariùs olim
Reſtiterant Medis, primo conamine rupes
Thermopylæ vallata mari Scironia rupes,
Et duo continuo connectens æquora muro
Iſthmos, & anguſti patuerunt claustra Lechæi.
Nec tibi Parrhaſios licuit munire colonos
Frondoſis, Erymanthe, jugis, equitatáque ſummi
Culmina Taygeti trepidæ vidiſtis Amyclæ.
Tandem ſupplicium cunctis pro montibus Alpes
Exegere Getas: tot tandem flumina victor
Vindicat Eridanus. docuit nunc exitus, aliò
Fatorum ſecreta tegi. quiſquámne reclusis
Alpibus ulteriùs Latii fore credidit umbram?
Nónne velut captâ rumor miſerabilis urbe
Trans freta, trans Gallos, Pyrenæúmque cucurrit;
Famáque nigrantes ſuccincta pavoribus alas
Secum cuncta trahens à Gadibus uſque Britannum
Terruit Oceanum, & noſtro procul axe remotam
Inſolito belli tremefecit murmure Thulen?
Mandemúſne Noti flabris, quoſcumque timores
Pertulimus, feſtæ doleant ne triſtibus aures?
An potiùs meminiſſe juvat, ſempérque viciſſim
Gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores?
Utque ſub occiduâ jactatis Pleiade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum;
Sic mihi tunc major Stilico, cùm læta periclis
Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
Nónne videbantur, quamvis adamante rigentes,
Turribus invalidis fragiles, procumbere muri,
Ferrataque Getis ultro ſe pandere portæ?
Nec vallum denſæque ſudes arcere volantes
Cornipedum ſaltus. jam jam conſcendere puppes,
Sardoóſque habitare ſinus, & inhoſpita Cyrni
Saxa parant, viámque freto ſpumante tueri.
Ipſa etiam diffiſa brevi Trinacria ponto,
Si rerum natura ſinat, diſcedere longè
Optat, & Ionium refugo laxare Peloro.
Fultáque deſpiciens auro laquearia dives,
Tutior Æoliis mallet viviſſe cavernis.
Jámque oneri creduntur opes, tandémque libido
Hæſit avaritiæ gravioribus obruta curis.
Utque eſt ingenióque loquax, & plurima fingi
Permittens crediſque timor; tum ſomnia vulgo
Narrari; tum monſtra Deûm, monitáſque ſiniſtri
Quid meditentur aves, quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.
Territat aſſiduus Lunæ labor, atráque Phœbe
Noctibus æriſonas crebris ululata per urbes.
Nec credunt vetito fraudatam Sole ſororem
Telluris ſubeunte globo: ſed caſtra ſecutas
Barbara Theſſalidas patriis junare venenis
Inceſſare jubar. tunc anni ſigna prioris,
Et ſi quod fortaſſe quies neglexerit omen,
Addit cura novis: lapidoſos grandinis ictus,
Molitáſque examen apes, paſsímque crematas
Perbacchata domus nullis incendia cauſis,
Et numquam cælo ſpectatum impune cometen,
Qui primùm roſeo Phœbi prolatus ab ortu,
Quà micat aſtrigerâ ſenior cum conjuge Cepheus,
Indè Lycaoniâ paullatim expulſus ab Arcto
Crine vago Getici fœdavit fidera plauſtri,

Donec in exiguum moriens vaneſceret ignem.
Sed graviùs mentes cæſorum oſtenta luporum
Horrificant. duo quippe lupi ſub principis ora,
Dum campis exercet equos, violenter adorti
Agmen, & excepti telis, immane relatu
Prodigium mirámque notam duxere futuri.
Nam ſimul humano geminas de corpore palmas
Utraque perfoſſis emiſit bellua coſtis:
Illo læva tremens, hôc dextera, venire latebant
Intentis ambæ digitis, & ſanguine vivo.
Scrutari ſi vera velis, fera nuntia Martis
Ora ſub Auguſti caſurum prodidit hoſtem.
Utque manus utero virides patuere retecto,
Romula poſt raptus ſic virtus emicat Alpes.
Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore viâ, truncatáque membra,
Nutricémque lupam, Romæ regnóque minari.
Tunc reputant annos, interceptóque volatu
Vulturis, incidunt properatis ſecula metis.
Solus erat Stilico, qui deſperantibus augur
Sponderet meliora manu: dubiæque ſalutis
Dux idem vatéſque fuit, durate parumper,
Inquit, &, excuſſis muliebribus ore querelis,
Fatorum toleremus onus. nil nautica proſunt
Turbatæ lamenta rati: nec ſegnibus undæ
Planctibus, aut vanis miteſcunt flamina votis.
Nunc inſtare manu, toto nunc robore niti
Communi pro luce decet; ſuccurrere velis,
Exhaurire fretum, varios aptare rudentes,
Omnibus & docti juſſis parere magiſtri.
Non ſi perfidiâ nacti penetrabile tempus
Irrupere Getæ, noſtras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio deſudant Marte cohortes,
Iccirco ſpes omnis abit. mirabile poſſet
Eſſe mihi, ſi fraude novâ, vel calle reperto
Barbarus ignotas invaderet inſcius Alpes.
Nunc verò geminis clades repetita tyrannis
Famoſum vulgavit iter. nec nota fefellit
Semita præſtructum bellis civilibus hoſtem.
Per ſolitas venere vias, aditúſque ſequendos
Barbarico Romana dedit diſcordia bello.
Sed nec præteritis hæc res incognita ſeclis.
Sæpe laceſſitam, ſed non impune, fatemur
Auſoniam. hæc Senonum reſtinxit ſanguine flammas.
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori
Colla catenati vidit ſqualentia Cimbri.
Vile decus, quod non erexit prævius horror.
Ingentes geminant diſcrimina magna triumphos.
Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura
Reſpicitis, Latióque libet poſt terga relicto
Longinquum profugis Ararim præcingere caſtris?
Scilicet Arctois conceſsâ gentibus Urbe
Conſidet regnum Rholano, capitíque ſuperſtes
Truncus erit. veſtros ſtimulant ſi pignora ſenſus,
Me quoque non impar naturæ cura remordet.
Nec ferro ſic corda rigent, ut nôſſe recuſem,
Quàm ſanctum ſoceri nomen, quàm dulce mariti,
Quantus prolis amor. ſed numquam oblita decoris
Obſcœnam latebram pietas ignava requiret.
Nec vobis fortis monitor, mihi cautior ani.
Hîc conjux, hîc progenies, hîc carior omni
Luce gener. pars nulla mei ſubducta procellæ.
Accipe tu noſtræ, tellus Œnotria, mentis
Vincula communes tecum ſubeuntia caſus.
Exiguámque moram muris impende tuendis,
Dum redeo lectum referens in claſſica robur.
His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
Pectora, migrantíſque fugam compeſcuit aulæ.
Auſáque tum primùm tenebris emergere pulſis
Heſperia, ut ſecum junxiſſe pericula vidit
Auguſtum, tantóque ſui ſtetit obtide fati.
Protinus, umbroſâ veſtit quà litus olivâ
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parvâ puppe lacum prætervolat. ocyùs indè
Scandit inacceſſos brumali fidere montes,
Nil hyemis æſtive memor. ſic ille relinquens
Jejunos antro catulos immanior exit
Hybernâ ſub nocte leo, tacitúſque per altas
Incedit furiale nives. ſtant colla pruinis
Aſpera. flaventes adſtringit ſtiria ſetas.
Nec meminit leti, nimbóſve aut frigora curat,
Dum natis alimenta parat. ſublimis in Arctos
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia ſylvæ:
Quæ ſe Danubii jactat Rhenſique parentem,

Utraque Romuleo prætendens flumina regno.
Primo fronte breves, alto mox gurgite regnant,
Et fluvios cogunt undâ coëunte minores
In nomen transire suum. te Cimbrica Tethys
Divisum bifido consumit, Rhene, meatu.
Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite.
Ambo habiles remis, ambo glacialia secti
Terga rotis; ambo Boreæ Martisque sodales.
Sed latus, Hesperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit astra jugis, panditque terendam
Vix ætate viam. multi ceu Gorgone visâ
Obriguere gelu. multos hausere profundæ
Vastâ mole nives, cúmque ipsis sæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.
Interdum glacie subitam labente ruinam
Mons dedit, & tepidis fundamina subruit Austris
Pendenti malefida solo. per talia tendit
Frigoribus mediis Stilico loca. nulla Lyæi
Pocula; rara Ceres. raptos contentus in armis
Delibâsse cibos, madidóque oneratus amictu
Algentem pulsabat equum. nec mollia fesso
Strata dedere torum. tenebris si cæca repressit
Nox iter, aut spelæa subit metuenda ferarum,
Aut pastorali jacuit sub culmine fultus
Cervicem clypeo. stat pallidus hospite magno
Pastor, & ignoto præclarum nomine vultum
Rustica sordenti genitrix ostendit alumno.
Illa sub horrendis prædura cubilia sylvis,
Illi sub nivibus somni, curæque labórque
Pervigil, hanc requiem terris, hæc otia rebus
Insperata dabant. illæ tibi, Roma, salutem
Alpinæ pepercre case. jam fœdera gentes
Exuerant, Latisque auditâ clade feroces
Vindelicos saltus, & Norica rura tenebant.
Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falso rumore resolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina chorósque
Persultat vacuis effrena licentia tectis;
Si reducem dominum sors improvisa revexit,
Hærent attoniti, libertatémque perosus
Conscia servilis præcordia concutit horror.
Sic ducis adspectu cuncti stupuere rebelles,
Inque uno princeps Latiúmque & tota refulsit
Roma viro. frons læta parum, non tristior æquo,
Non dejecta malis, mistâ sed nobilis irâ:
Qualis in Herculeo, quoties infanda jubebat
Eurystheus, fuit ore dolor: vel qualis in atram
Sollicitus nubem mœsto Jove cogitur æther.
Tantáne vos, inquit, Getici fiducia belli
Erigit? hinc animo frustra tumuistis inani?
Non ita Romanum fati violentia nomen
Opprimit; ut vestros nequeant punire tumultus
Parte sui. neu vos longè sermone petito
Demorer, exemplum veteris cognoscite facti.
Cùm ferus Ausonias perfringeret Hannibal arces,
Et Trebiam sævo geminâssent funere Cannæ,
Nequidquam Emathium pepulit spes vana Philippum,
Ut velut afflictos ferro tentaret inerti.
Romanos commovit atrox injuria Patres,
Urgerent majora licèt; gravitérque tulere
Urbibus inter se claris de culmine rerum
Congressis, aliquid gentes audere minores.
Nec pœnam differre placet; sed bella gerenti
Punica Levino Regis quoque prælia mandant.
Paruit imperiis Consul; fusúsque Philippus
(Vilia dum gravibus populis interserit arma,)
Prætereunte manu, didicit non esse potentum
Tentandas, mediis quamvis in luctibus, iras.
Hôc monitu pariter nascentia bella repressit,
Et bello quæsivit opes, legitque precantes
Auxilio, mensus numerum, qui congruus esset,
Nec gravis Italiæ, formidandúsve regenti.
Nec minùs accepto nostræ rumore cohortes
(Sic ducis urget amor) properantibus undique signis
Conveniunt; visóque animi Stilicone recepti,
Singultus varios lacrymosáque gaudia miscent.
Sic armenta boum, quæ vallis turbida sylvis
Spargit hyems, cantus ac sibila nota magistri
Certatim repetunt, & avitæ pascua vallis;
Inque vicem se voce regunt, gaudéntque fideles
Reddere mugitus; & quà sonus attigit aurem,
Rara per obscuras apparent cornua frondes.
Accurrit vicina manus. quam Rhætia nuper
Vindelicis auctum spoliis defensa probavit.

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferróque notatas
Perlegit exangues Picto moriente figuras.
Agmina quinetiam flavis objecta Sicambris,
Quæque domant Cattos, immansuetósque Cheruscos.
Huc omnes vertere minas, tutúmque remotis
Excubiis Rhenum solo terrore relinquunt.
Ullane posteritas credat? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus totâ poterat cum mole teneri,
Tam sese placidam præstat Stiliconis habenis,
Ut nec præsidiis nudato limite tentet
Expositum calcare solum, nec transeat amnem,
Incustoditam metuens attingere ripam.
Gelsior ô cunctis, unsque aquande Camillo!
Vestris namque armis Alarici fracta quievit
Ac Brenni rabies. confusis rebus uterque
Divinam tribuistis opem. sed tardior ille
Jam capto vindex patriæ; tu sospitis ultor.
O quantùm mutata tuo fortuna regressu!
Ut sese pariter diffudit in omnia regni
Membra vigor, vivúsque redit color urbibus ægris!
Creditur Herculeis lucem renovâsse lacertis
Femina dilecti fatis impensa mariti.
Et juvenem spretæ laniatum fraude novercæ
Non sinè Circæis Latonia reddidit herbis.
Cretáque, si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulcro:
Quem senior vates avium clangore repertum
Gramine restituit: mirâ nam munere sortis
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
Sed tot communi populos sub morte jacentes,
Totáque tartareis è faucibus oppida traxit.
Ipso Roma die, nec adhuc ostenditur auctor,
Personuit venisse ducem, lætíque Quirites
Vocibus auspicium certi plausere triumphi,
Muniti Stilicone suo. quis gaudia verò
Principis, amplexus alacris quis differat aulæ?
Pulveris ambiguam nubem speculamur ab altis
Turribus, incerti, socios apportet an hostes
Ille globus. mentem suspensa silentia librant:
Donec pulvereo sub turbine sideris instar
Emicuit Stiliconis apex, & cognita fulsit
Canities. gavisa repens per mœnia clamor
Tollitur, ipse venit. portas secura per omnes
Turba salutatis effunditur obvia signis.
Non jam delectus miseri, nec falce per agros
Depositâ jaculum vibrans ignobile messor.
Nec tentat clypeum projectis sumere rastris
Bellonâ ridente Ceres, humillsque novorum
Seditio clamosa ducum: sed vera juventus,
Verus ductor adest, & vivida Martis imago.
Prospera sed quantùm nostræ spes addita menti,
Tantùm exempta Getæ: qui vertice proximus astris
Post Alpes jam cuncta sibi promisit apertas,
Nil superesse ratus. postquam tot flumina pulsus,
Cinctáque fluminibus crebris tot mœnia cernit;
Tot subitos pedites, equitum tot conspicit alas,
Séque velut clausum laqueis, sub pectore furtim
Æstuat, & nimiùm prono fervore petitæ
Jam piget Italiæ, speratáque Roma teneri
Visa procul. magni subeunt jam tædia cœpti.
Occultat tamen ore metum, primósque suorum
Consultare jubet bellis annísque verendos.
Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia: quos plagis decorat numerosa cicatrix,
Et tremulos regit hasta gradus, & nititur altis
Pro baculo conis non exarmata senectus.
Hîc aliquis gravior natu, cui plurima dicti
Consiliísque fides, defixus lumina terræ,
Concutiénsque cómam, capulóque acclinis eburno,
Si numero non fallor, ait, tricesima currit
Bruma ferè, rapidum postquam tranavimus Istrum,
Romanámque manum tantis eludimus annis.
Sed numquam Mavors adeò constrinxit in arctum
Res, Alarice, tuas. per tot certamina ducto
Crede seni, qui te tenero vice patris ab ævo
Gestatum pavâ solitus donare pharetrâ,
Atque aptare breves humeris puerilibus arcus.
Sæpe quidem frustra monui, servator ut ictâ
Fœderis Emathiâ tutus tellure maneres.
Sed quoniam calidæ rapuit te flamma juventæ,
Nunc saltem; si cura tibi manet ulla tuorum,

His

His clauſtris evade, precor. dúmque agmina longè,
Dum licet, Heſperiis præceps elabere terris,
Ne nova prædari cupiens, & parta reponas,
Paſtorſque lupus ſcelerum delicta priorum
Intrà ſepta luas. quid palmitis uber Etruſci,
Quid mihi neſcio quam proprio cum Tibride Romam
Semper in ore geris? referunt ſi vera parentes,
Hanc urbem inſano nullus qui Marte petivit
Lætatus violâſſe redit. nec Numina ſedem
Deſtituunt. jactata procul dicuntur in hoſtem
Fulmina, divinſque volant pro mœnibus ignes:
Seu cælum, ſeu Roma, tonat. ſi temnis Olympum,
A magno Stilicone cave, qui ſemper iniquos
Fortunâ famulante premit. ſcis ipſe perolis
Arcadiæ quàm denſa rogis cumulaverit oſſa:
Sanguine quàm largo Graios calefecerit amnes.
Exſtinctúſque fores, nî te ſub nomine legum
Proditio regnſque favor texiſſet Eoi.
  Talia grandævum flammatâ fronte loquentem
Obſiquiſque tuens oculis non pertulit ultrà;
Sed rupit rabidas accenſa ſuperbia voces:
  Si non mentis inops fraudatáque ſenſibus ætas
Præberet veniam, numquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me ſoſpite ferret inultus.
Anne, tot Auguſtos Hebro qui teſte fugavi,
Te patiar ſuadente fugam, cùm ceſſerit omnis
Obſequiis natura meis? ſubſidere noſtris
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.
Non ita Dî Getici ſaxint Manéſque parentum,
Ut mea converſo relegam veſtigia curſu.
Hanc ego vel victor regno, vel morte tenebo
Victus humum. per tot populos urbéſque cucurri,
Fregi Alpes, galeſſque Padum victricibus hauſi.
Quid reſtat nîſi Roma mihi? gens robore noſtra
Tunc quoque pollebat, nullis cùm fideret armis.
At nunc Illyrici poſtquam mihi tradita jura,
Méque ſuum fecere ducem; tot tela, tot enſes,
Tot galeas multo Thracum ſudore paravi,
Inque meos uſus vectigal vertere ferri
Oppida legitimo juſſu Romana coëgi.
Sic me fata fovent. ipſi, quos omnibus annis
Vaſtabam, ſervire dati. nocitura gementes
Arma dabant, flammíſque diu mollitus & arte
In ſua dámna chalybs fabro lugente rubebat.
Hortantes his adde Deos. non ſomnia nobis,
Nec volucres; ſed clara palàm vox edita luco eſt:
Rumpe omnes, Alarice, moras. hôc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ab Urbem.
Huc iter uſque datur. quis jam poſt talia ſegnis
Ambigat, aut cælo dubitet parere vocanti?
Sic ait, hortatúſque ſuos bellóque viæque
Inſtruit. attollunt vanos oracula faſtus.
O ſemper tacitâ ſortes ambage maligna,
Eventúque patens & neſcia vatibus ipſis
Veri ſera fides! Ligurum regione ſuprema
Pervenit ad fluvium (miri cognominis) Urbem.
Atque illîc domitus vix tandem interprete caſu
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.
Nec non & Stilico pugnam poſcentia movit
Pleno caſtra gradu, dictíſque inſtigat euntes.
Nunc ô nunc, Socii, temeratæ ſumite tandem
Italiæ pœnas. obſeſſi Principis armis
Excuſate nefas. deploratúmque Timavo
Vulnus, & Alpinum gladiis abolete pudorem.
Hic eſt, quem toties campis fudiſtis Achivis;
Quem diſcors odiſſque anceps civilibus orbis,
Non ſua vis tutata diu, dum fœdera fallax
Ludit, & alternæ perjuria venditat aulæ.
Credite nunc omnes, quas dira Britannia, gentes,
Quas Iſter, quas Rhenus alit, pendere paratas
In ſpeculis, uno tot prælia vincite bello.
Romanum reparate decus, molémque labantis
Imperii fulcite humeris. hic omnia campus
Vindicat: hæc mundo pacem victoria ſancit.
Non in Threïciis Æmi decernimus oris:
Nec ſuper Alpheas umbrantia Mænala ripas
Conſtitimus. non hìc Tegeen Argóſque tuemur.
Viſceribus mediis, ipſóque in corde videtis
Bella geri. patrem clypeis defendite Tibrin.
Talia, nunc pediti, turmæ nunc miſtus equeſtri,
Dicta dabat: ſimul externis præcepta ferebat
Auxiliis. ibat patiens ditiónis Alanus,
Quà noſtræ juſſere tubæ: mortémque petendam
Pro Latio docuit gentis præclarus Alanæ;
Cui natura breves animîs ingentibus artus
Finxerat, immanſque oculos intecerat irâ.
Vulneribus pars nulla vacat, reſciſſáque comis
Gloria fœdati ſplendet jactantior oris.
Ille tamen mandante procul Stilicone citatis
Acceleravit equis, Italámque momordit arenam;
Felix, Elyſiſque plagis & carmine dignus,
Qui malè ſuſpectam nobis impenſiùs arſit
Vel leto purgare fidem: qui judice ferro
Diluit immeritum laudato ſanguine crimen.
Morte viri turbatus eques flectebat habenas:
Totáque præciſo nutâſſent agmina cornu,
Nî celer inſtructâ Stilico legione ſecutus
Subſidiis peditum pugnam inſtaurâſſet equeſtrem.
Quis Mutis ipſóque licèt Pæane recepto
Enarrare queat, quantum Gradivus in illâ
Luce ſuæ dederit fundator originis urbi?
Altiùs haud umquam toto deſcendimus enſe
In jugulum Scythiæ: tantâ nec clade ſuperbum
Contudimus Tanaïn, vel cornua fregimus Iſtri.
Inviſum miles ſitiens haurire cruorem
Per varias veſtes, oneratáque plaustra metallo
Tranſit, & argenti cumulos; & cædis avarus
Contemtas proculcat opes. pretioſior auro
Sanguis erat. paſſim neglecti prodiga lucri
Ira furens ſtrictis odium mucronibus explet.
Purpureos cultus, ablumptíque igne Valentis
Exuvias, miſerſque graves crateras ab Argis,
Raptáque flagranti ſpirantia ſigna Corintho
Callidus ante pedes venientibus objicit hoſtis
Incaſſum; neque enim feralis præda moratur,
Sed juſtos præbent ſtimulos monumenta doloris.
Aſſeritur ferro captivum vulgus, & omnes
Diverſæ vocis populi, quos traxerat hoſtis
Servitio, tandem dominorum ſtrage redempti
Blanda cruentatis affigunt oſcula dextris,
Deſertóſque Lares & pignora læta reviſunt.
Miratur ſua quemque domus, cladéſque renarrant
Ordine, tum grati referunt miracula belli.
Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cùm Marte perirent
Divitiæ, ſpoliſque diu quæſita ſupellex,
Pulſarétque tuas ululatus conjugis aures;
Conjugis invicto quæ dudum freta marito
Demens Auſonidum gemmata monilia matrum,
Romanáſque altâ famulas cervice petebat?
Scilicet Argolicas Ephyreïadáſque puellas
Cœperat & pulcras jam faſtidire Lacænas.
Sed Dea quæ nimiis obſtat Rhamnuſia votis,
Ingemuit flexítque rotam. domat aſpera victos
Pauperies, unóque die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amiſimus annis.
O celèbranda mihi cunctis Pollentia ſeclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum; memorabile buſtum
Barbariæ! nam ſæpe locis ac finibus illis
Plena laceſſito rediit vindicta Quirino.
Illîc Oceani ſtagnis excita ſupremis
Cimbrica tempeſtas, aliáſque immiſſa per Alpes
Hiſdem procubuit campis. jam protinus ætas
Adveniens geminæ gentis permiſceat oſſa,
Et duplices ſignet titulos commune tropæum:
Hic Cimbros fortéſque Getas, Stilicone peremtos
Et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus.
Diſcite veſanæ Romam non temnere gentes.

De

De Sexto Conſulatu HONORII AUGUSTI Panegyris.

PRÆFATIO.

OMNIA quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator deſeſſa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanáque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapſas quærit avarus opes.
Blandáque largitur fruſtra ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus aſſuetis ſollicitare ſolet.
Namque poli mediâ ſtellantis in arce videbar
Ante pedes ſummi carmina ferre Jovis.
Utque favet ſomnus, plaudebant numina dictis,
Et circumfuſi ſacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat, vinctúſque Typhœus:
Hic ſubit Inarimen, hunc gravis Ætna domat.
Quàm lætum poſt bella Jovem ſuſceperit æther,
Phlegræa referens præmia militiæ.
Additur ecce fides, nec me mea luſit imago,
Irrita nec falſum ſomnia miſit ebur.
En Princeps, en orbis apex æquatus Olympo.
En, quales memini, turba verenda Deos.
Fingere nil majus potuit ſopor; altáque vati
Conventum cælo præbuit aula parem.

AUREA Fortuna Reduci ſi templa priores
Ob reditum vovere ducum, num digniùs unquam
Hæc Dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes,
Quàm ſua cùm pariter trabeis reparentur & Urbi
Majeſtas? nec enim campus ſolennis & urna
Luditur in morem: ſpecies nec diſſona cœtu,
Aut peregrina nitet ſimulati juris imago.
Indigenas habitus nativa Palatia ſumunt,
Et, patriis plebem caſtris ſociante Quirino,
Mars Auguſta ſui renovat ſuffragia campi.
Qualis erit terris, quem mons Evandrius offert
Romanis avibus, quem Tibris inaugurat, annus?
Quamquam omnes, quicumque tui cognominis, anni
Semper inoffenſum dederint ſucceſſibus omen,
Sintque tropæa tuas ſemper comitata ſecures;
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu
Urbis & Auguſti geminato nomine felix,
Namque velut ſtellas Babylonia cura ſalubres
Optima tunc ſpondet mortalibus edere fata,
Cælicolæ cùm celſa tenent, ſummóque feruntur
Cardine, nec radios humili ſtatione recondunt:
Haud aliter Latiæ ſublimis ſignifer aulæ,
Imperii fidus propriâ cùm ſede locavit,
Auget ſpes Italas: & certiùs omina ſurgunt,
Victrici concepta ſolo. cùm pulcher Apollo
Luſtrat Hyperboreas Delphis ceſſantibus aras,
Nil tum Caſtaliæ rivis communibus undæ
Diſſimiles, vili nec diſcrepat arbore laurus:
Antráque mœſta ſilent, inconſultíque receſſus.
At ſi Phœbus adeſt, & frenis grypha jugalem
Riphæo tripodas repetens detorſit ab axe,
Tunc ſylvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,
Tunc ſacer horror aquis, adytíſque effunditur Echo
Clarior, & doctæ ſpirant præſagia rupes.
Ecce Palatino crevit reverentia monti,
Exſultátque habitante Deo, potioráque Delphis
Supplicibus latè populis oracula pandit,
Atque ſuas ad ſigna jubet revireſcere lauros.
Non alium certè decuit rectoribus orbis
Eſſe larem, nullóque magis ſe colle poteſtas
Æſtimat, & ſummi ſentit faſtigia juris.
Attollens apicem ſubjectis regia roſtris
Tot circùm delubra videt, tantíſque Deorum
Cingitur excubiis. juvat infra tecta Tonantis
Cernere Tarpeiâ pendentes rupe Gigantes,
Cælatáſque fores, mediſque volantia ſigna
Nubibus, & denſum ſtipantibus æthera templis,
Æráque veſtitis numeroſâ puppe columnis
Conſita, ſubnixáſque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu; ſpoliíſque micantes
Innumeros arcus. acies ſtupet igne metalli,
Et circumfuſo trepidans obtunditur auro.
Agnoſcíſne tuos, Princeps venerande, Penates?
Hæc ſunt, quæ primis olim miratus in annis,
Patre pio monſtrante, petis. nil optimus ille
Divorum toto meruit felicius ævo,
Quàm quòd Romuleis victor ſub mœnibus egit
Te conſorte dies, cùm ſe melioribus addens
Exemplis, civem gereret terrore remoto,
Alternos cum plebe jocos dilectáque paſſus
Jurgia, patriciáſque domos privatáque paſſim
Viſere depoſito dignatus limina faſtu.
Publicus hinc ardeſcit amor, cùm moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen.
Téque rudem vitæ, quamvis diademate necdum
Cingebare comas, ſocium ſumebat honorum,
Purpureo fotum gremio, parvúmque triumphis
Induit, & magnis docuit præludere fatis.
Te linguis variæ gentes, miſſíque rogatum
Fœdera Perſarum proceres, cum Patre ſedentem
Hâc quondam videre domo, poſitóque tiaram
Submiſere genu. tecum prælarga vocavit
Ditandas ad dona tribus: fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra Senatus,
Romano puerum gaudens offerre favori,
Ut novus imperio jam tunc aſſueſceret hæres.
Hinc tibi concretâ radice tenaciùs hæſit,
Et penitus totis inolevit Roma medullis,
Dilectæque urbis tenero conceptus ab ungue
Tecum crevit amor: nec te mutare reverſum
Evaluit propriâ nutritor Boſporus arce.
Et quoties optare tibi, quæ mœnia malles,
Alludens genitor regni pro parte dediſſet,
Divitis Auroræ ſolium ſortémque paratam.
Sponte remittebas fratri. regat ille volentes
Aſſyrios. habeat Pharium cum Tigride Nilum:
Contingat mea Roma mihi. nec vota ſefellit
Eventus. Fortuna novum molita tyrannum,
Jam tibi quærebat Latium; bellóque ſecundo
Protinus Eoâ velox accitus ab aulâ
Suſcipis Heſperiam patrio bis Marte receptam.
Ipſa per Illyricas urbes Oriente relicto
Ire Serena comes, nullo deterrita caſu,
Maternâ te mente fovens, Latióque futurum
Rectorem, genetrúmque ſibi. ſeniore ſupernas
Jam repetente plagas, illo ſub cardine rerum
Sedula ſervatum per tot diſcrimina pignus
Reſtitutit ſceptris patrui, caſtríſque mariti.
Certavit pietate domus, fidæque reductum
Conjugis officio Stiliconis cura recepit.
Felix ille parens, qui te ſecurus Olympum
Succedente petit. quàm lætus ab æthere cernit
Se factis creviſſe tuis! duo namque fuere
Europæ Libyæque hoſtes. Mauruſius Atlas
Gildonis furias, Alaricum barbara Peuce
Nutrierat: qui ſæpe tuum ſprevere profanâ
Mente patrem. Thracum venientem finibus alter
Hebri clauſit aquis; alter præcepta vocantis
Reſpuit; auxiliíſque ad proxima bella negatis
Abjurata palàm Libyæ poſſederat arva.
Quorum nunc meritam repetens non immemor iram
Suppliciis fruitur, natóque ultore triumphat.
Enſe Thyeſtiadæ pœnas exegit Oreſtes:
Sed miſtum pietate nefas, dubitandáque cædis
Gloria, materno laudem cum crimine penſat.
Pavit lupos inviſo ſanguine Manes
Auguſtus. ſed falſa pii præconia ſumſit,

In

In luctum patriæ civili strage parentans.
At tibi causa patris rerum conjuncta saluti
Bellorum duplicat lauros, Isdemque tropæis
Reddita libertas orbi, vindicta parenti.
Sed mihi jam pridem captum Parnassia Maurum
Pieriis egit fidibus chelys. arma Getarum
Nuper apud socerum plectro celebrata recenti.
Adventûs nunc sacra tui libet edere Musis,
Gratâque patratis exordia sumere bellis.
Jam Pollentini tenuatus funere campi,
Concessâque sibi (rerum sic admonet usus)
Luce, tot amissis sociis, atque omnibus unà
Direptis opibus, Latio discedere jussus
Hostis, & immenti revolutus culmine fati,
Turpe retexit iter, qualis piratica puppis,
Quæ, cunctis infensa fretis, scelerúmque referta
Divitiis, multâsque diu populata carinas,
Incidit in magnam bellatricémque triremem;
Dum prædam de more parat, viduatâque cæsis
Remigibus, scissis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi vento jactatur & undâ,
Vastato tandem pœnas luitura profundo.
Talis ab Urbe minas retro flectebat inanes
Italiam fugiens, & quæ venientibus antè
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reversis.
Clausa putat sibi cuncta pavor, retróque relictos,
Quos modò temnebat, rediens exhorruit amnes.
Undosâ tum fortè domo vitreisque sub antris
Rerum ignarus adhuc ingentes pectore curas
Volvebat pater Eridanus, quis bella maneret
Exitus: imperiúmne Jovi, legésque placerent,
Et vitæ Romana quies, an jura perosus
Ad priscos pecudum damnaret secula ritus.
Talia dum secum movet anxius, advolat una
Naïadum, resoluta comam; complexáque patrem,
En Alaricus, ait, non qualem nuper ovantem
Vidimus, exangues, genitor, mirabere vultus.
Percensere manum, tantâque ex gente juvabit
Reliquias numerâsse breves. jam desine mœstâ
Fronte queri, Nymphásque choris jam redde sorores.
Dixerat. ille caput placidis sublime fluentis
Extulit, & totis lucem spargentia ripis
Aurea rotanti micuerunt cornua vultu.
Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos. rami caput umbravere virentes
Heliadum, totisque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros, currúque paterno
Intextus Phaëthon glaucos incendit amictus:
Fultáque sub gremio cælatis nobilis astris
Æthereum probat urna decus. namque omnia luctûs
Argumenta sui Titan signavit Olympo,
Mutatúmque senem plumis, & fronde sorores,
Et fluvium, nati qui vulnera lavit anheli,
Stat gelidis auriga plagis: vestigia fratris
Germanæ servant Hyades, Cycnúsque sodalis
Lacteus extentas aspergit circulus alas.
Stelliger Eridanus sinuatis flexibus errans
Clara Noti conversa rigat, gladióque tremendum
Gurgite sidereo subterluit Oriona.
Hôc Deus effulgens habitu prospectat eunies
Dejectâ cervice Getas. tunc talia fatur.
Siccine mutatis properas, Alarice, reverti
Consiliis? Italæ sic te jam pœnitet oræ?
Nec jam cornipedem Tiberino gramine pascis,
Ut rebare, tuum? Tuscis nec figis aratrum
Collibus? ô cunctis Erebi dignissime pœnis,
Tune Giganteis urbem tentare Deorum
Aggressus fatiis? nec te meus, improbe, saltem
Terruit exemplo Phaëthon, qui fulmina præceps
In nostris effiavit aquis, dum flammea cæli
Flectere terrenis meditatur frena lacertis;
Mortalique diem sperat diffundere vultu?
Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
Adspirat Romæ spoliis, aut Solis habenis.
Sic fatus, Ligures Venetósque erectior amnes
Magnâ voce ciet. frondentibus humida ripis
Colla levant pulcher Ticinus & Addua visu
Cærulus, & velox Athesis, tardúsque meatu
Mincius, inque novem consurgens ora Timavus.
Insultant omnes profugo, pacatâque lætum
Invicant ad prata pecus. jam Pana Lycæum,
Jam Dryadas revocant, jam rustica numina Faunos.
Tu quoque non parvum Gatico, Verona, triumpho
Adjungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Astæ.
Hic rursus, dum pacta movet, damnisque coactus
Extremo mutare parat præsentia casu,
Nil sibi perjurum sensit prodesse furorem,
Converti nec fata loco; multisque suorum
Diras pavit aves, inimicâque corpora volvens
Ionios Athesis mutavit sanguine fluctus.
Oblatum Stilico violato fœdere Martem
Omnibus arripuit votis, ubi Roma periclo
Jam procul, & belli medio Padus arbiter ibat.
Jámque opportunam motu strepuisse rebelli
Gaudet perfidiam, præbénsque exempla labori
Sustinet accensos æstivo pulvere soles.
Ipse manu metuendus adest, inopináque cunctis
Instruit arma locis, &, quà vocat usus, ab omni
Parte venit. fesso si deficit agmine miles,
Utitur auxiliis damni securus, & astu
Debilitat sævum cognatis viribus Istrum,
Et duplici lucro committens prælia vertit
In se barbariem nobis utrimque cadentem.
Ipsum te caperet, letóque, Alarice, dedisset,
Ni calor incauti malè festinatus Alani
Dispositum turbâsset opus. propè captus anhelum
Verbere cogis equum. nec te vitâsse dolemus.
I potiùs genti reliquus, tantisque superstes
Danubii populis, i, nostrum vive tropæum.
Non tamen ingenium tantis se cladibus atrox
Dejicit: occulto tentabat tramite montes,
Si quà per scopulos subitas exquirere posset
In Rhætos Gallósque vias. sed fortior obstat
Cura ducis. quis enim divinum fallere pectus
Possit, & excubiis vigilantia lumina regni?
Cujus consilium non umquam repperit hostis,
Nec potuit texisse suum. secreta Getarum
Nôsse prior, celeríque dolis occurrere sensu.
Omnibus excluſus cœptis consîdit in uno
Colle tremens: frondésque licèt depastus amaras
Arboreo figat sonipes in cortice morsus,
Et tetris collecta cibis annisque vapore
Sæviat aucta lues, & miles probra superbus
Ingerat obsesso, captivâque pignora monstret:
Non tamen aut morbi tabes, aut omne periclum
Docta subire fames, aut prædæ luctus ademtæ,
Aut pudor, aut dictis movere procacibus iræ,
Ut malè tentato toties se credere campo
Cominus auderet. nulla est victoria major,
Quàm quæ confessos animo quoque subjugat hostes.
Jámque frequens rarum decerpere transfuga robur
Cœperat, inque dies numerus decrescere castris:
Nec jam seditio paucis occulta parari,
Sed canei totæque palàm discedere turmæ.
Consequitur, vanóque fremens clamore retentat,
Cúmque suis jam bella gerit: mox nomine supplex
Cum fletu precibúsque ciet, veterúmque laborum
Admonet, & frustra jugulum parcentibus offert;
Defixóque malis animo sua membra suásque
Cernit abire manus, qualis Cybeleïa quassans
Hyblæus procul æra senex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ sponte relictis
Descivere favis; sonitúque exhaustus inani
Raptas mellis opes, solitæque oblita latebræ
Perfida deplorat vacuis examina ceris.
Ergo ubi præclusæ voci laxata remisit
Frena dolor, notas oculis humentibus Alpes
Adspicit, & nimiùm diversi flamine fati
Præsentes reditus, fortunatósque revolvit
Ingressus. solo peragens tum murmure bellum;
Protento leviter frangebat mœnia conto,
Irridens scopulos: nunc desolatus & exspes
Debita pulsato reddit spectacula monti.
Tunc sic Ausonium respectans æthera fatur:
Heu regio funesta Getis, heu terra sinistris
Auguriis calcata mihi, satiare nocentum
Cladibus, & tandem nostris inflectere pœnis!
En ego, qui toto sublimior orbe ferebar,
Ante tuum felix aditum, ceu legibus exul,
Addictúsque reus flatu propiore sequentum
Terga premor. quæ prima miser, quæ funera dictis
Posteriora querar? non me Pollentia tantùm
Nec captæ cruciâstis opes. hoc aspera fati
Sors tulerit, Martísque vices. non funditus armis
Concideram. stipatus adhuc, equitúmque catervis
Integer, ad montes reliquo cum robore cessi,
Quos

zed by Google

Quos Apennínum perhibent. hunc esse ferebat
Incola, qui Siculum porrectus adusque Pelorum
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiæ, geminúmque latus stringentia longè
Utraque perpetuo discriminat æquora tractu.
Huc ego continuum si per juga tendere cursum,
Ut prior iratæ fuerat sententia menti,
Jam desperatâ valuissem luce, quid ultrà?
Omnibus oppeterem famâ majore peractis:
Et certè moriens propiùs te, Roma, viderem.
Ipsáque per cultas segetes mors nostra secuto
Victori damnosa foret. sed pignora nobis
Romanus, caráque nurus prædámque, tenebat.
Hoc magìs exertum raperem succinctior agmen.
Heu, quibus insidiis, quâ me circumdedit arte
Fatalis semper Stilico! dum parcere fingit,
Rettulit hostiles animos, bellúmque remensо
Evaluit transferre Pado. proh fœdera sævo
Deteriora jugo! tunc vis extincta Getarum.
Tunc mihi, tunc letum pepigi. violentior armis
Omnibus expugnat nostram clementia gentem.
Mars gravior sub pace latet, capiórque vicissim
Fraudibus ipse meis. quis jam solatia fesso
Consiliúmve ferat? socius suspectior hoste.
Atque utinam cunctos licuisset perdere bello!
Nam quisquis duro cecidit certamine, numquam
Desiit esse meus. meliùs mucrone perirent,
Auferrétque mihi luctu leviore sodales
Victa manus, quàm læsa fides. nullúsne clientum
Permanet? infensi comites: odere propinqui.
Quid moror invisam lucem? quâ fede recondam
Naufragii fragmenta mei? quæve arva requiram,
In quibus haud umquam Stilico, nimiúmque potentis
Italiæ nostras nomen circumsonet aures?
Hæc memorans iustante fugam Stilicone tetendit
Expertus horrens Aquilas. comitatur euntem
Pallor, & atra Fames, & saucia lividus ora
Luctus, & inferno stridentes agmine Morbi.
Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo nigróque bitumine fumat,
Circùm membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, & dira fugantibus herbis
Numina purificúmque Jovem Triviámque precatus,
Trans caput aversis manibus jaculatur in Austrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.
Acrior interea visendi Principis ardor
Accendit cum plebe patres, & sæpe negatum
Flagitat adventum. nec tali publica vota
Consensu tradunt atavi caluisse per Urbem,
Dacica bellipotens cùm fregerat Ulpius arma,
Atque indignantes in jura redegerat Arctos,
Cùm fasces cinxere Hyspanis, miratáque leges
Romanum stupuit Mæotis terra tribunal.
Nec tantis patriæ studiis ad templa vocatus
Clemens, Marce, redis, cùm gentibus undique cinctam
Exuit Hesperiam paribus Fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum: nam flammeus Imber in hostem
Decidit: hunc dorso trepidum flammante ferebat
Ambustus sonipes: hic tabescente solutus
Subsidit galeâ, liquefactáque fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.
Tunc contenta polo mortalis nescia teli
Pugna fuit: Chaldæi mago seu carmina ritu
Armavere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.
Nunc quoque præsidium Latio non deesset Olympi,
Deficeret si nostra manus, sed providus æther
Noluit humano titulos auferre labori,
Ne tibi jam, Princeps, soceri sudore paratam,
Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.
Jam toties missi proceres responsa morandi
Rettulerant, donec, differri longiùs Urbis
Communes non passa preces, penetralibus altis
Prosiliit, vultúsque palàm confessa coruscos
Impulit ipsa suis cunctantem Roma querelis:
Dissimulata diù tristes in amore repulsas
Vestra parens, Auguste, queror. quónam usque tenebit
Prælatus mea vota Ligus, vetitúmque propinquâ
Luce frui, spatiis discernens gaudia parvis,
Torquebit Rubicon vicino nomine Tibrin?
Nónne semel spreviisse sat est, cùm reddita bellis
Africa venturi lusit spe Principis Urbem?
Nec duras tantis precibus permovimus aures?
Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos, & nominis arcum
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere togâ, pugnæ monumenta dicabam,
Defensam titulo Libyam testata perenni.
Jámque parabantur pompæ simulacra futuræ
Tarpeio spectanda Jovi, cælata metallo
Classis ut auratos sulcaret remige fluctus,
Ut Massyla tuos anteirent oppida currus,
Palladiâque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis, & in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.
Ipse Jugurthinam subiturus carcere pœnam
Præberet fera colla jugo, vi captus & armis,
Non Bocchi Syllæve dolis. sed prima remitto.
Num præsens etiam Getici me laurea belli
Declinare potest? sedésne capacior ulla
Tantæ laudis erit? tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritísque tuis obnoxia virtus,
Quod servavit, amat. jam flavescentia centum
Messibus æstivæ derondent Gargara falces,
Spectandósque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus sæcula consul.
His annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
Nostra ter Augustos intrà pomœria vidi,
Temporibus variis: eadem sed causa tropæis
Civilis dissensus erat. venere superbi,
Scilicet ut Latio respersos sanguine currus
Adspicerem? quisquámne piæ lætanda parenti
Natorum lamenta putet? periere tyranni,
Sed nobis periere tamen. cùm Gallica vulgo
Prælia jactaret, tacuit Pharsalica, Cæsar.
Namque inter socias acies cognatáque signa
Ut vinci miserum, numquam vicisse decorum.
Restituat priscum per te jam gloria morem
Verior, & fructum tuncræ laudis ab hoste
Desuetæ jam redde mihi, fultósque furoris
Externi spoliis fontes absolve triumphos.
Quem, precor, ad finem Laribus sejuncta potestas
Exulat, imperiúmque suis à sedibus errat?
Cur mea, quæ cunctis tribuere Palatia nomen,
Neglecto squalent senio? nec creditur orbis
Illinc posse regi? medium non deserit umquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.
Segniùs an veteres Istrum Rhenúmque tenebant,
Qui nostram coluere domum? leviúsne tremebant
Tigris & Euphrates, cùm fœdera Medus & Indus
Hinc peteret, pacémque meâ speraret ab arce?
Hìc illi mansere viri, quos mutua virtus
Legit & in nomen Romanis rebus adoptans
Judicio pulcram seriem, non sanguine, duxit.
Hìc proles atavum deducens Ælia Nervam,
Tranquillíque Pii, bellatorésque Severi.
Hoc civis dignare forum, conspectáque dudum
Ora refer, pompam recolens ut mente priorem,
Quem tenero patris comitem susceperat ævo,
Nunc duce cum socero juvenem te Tibris adoret.
Orantem medio Princeps sermone refovit:
Numquam aliquid frustra per me voluisse dolebis,
O Dea, nec legum fas est occurrere matri.
Sed nec post Libyam (falsis ne perge querelis
Incusare tuos) patriæ mandata vocantis
Sprevimus. advectæ misso Stilicone curules,
Ut nostras tibi, Roma, vices pro principe consul
Impleret, generóque socer. vidistis in illo
Me quoque. sic credit pietas; non sanguine solo,
Sed claris potiùs factis, experta parentem.
Cuncta quidem centum nequeam perstringere linguis,
Quæ pro me mundóque gerit: sed ab omnibus unum,
Si famâ necdum patuit, te, Roma, docebo,
Subjectum nostris oculis, & cujus agendi
Spectator vel causa fui. populator Achivæ
Bistoniæque plagæ, crebris successibus amens,
Et ruptas animis spirans immanibus Alpes,
Jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,
Tutior auxilio bruma, quo gentibus illis
Sidere consueti favet inclementia cœli)
Méque minabatur calcato obsidere vallo,
Spem vano terrore fovens, si fortè, remotis
Præsidiis, urgente metu, quâ vellet, obirem
Conditione fidem: nec me timor impulit ullus,
Et duce venturo fretum, memorémque tuorum
Roma ducum, quibus haud unquam vel morte parata
Fœdus lucis amor pepigit dispendia fumæ.
Nox erat, & latè stellarum more videbam

Barbaricos

Barbaricos ardere focos. jam claſſica primos
Excierant vigiles, gelidâ cùm pulcher ab Arctо
Adventat Stilico. medius ſed clauſerat hoſtis
Inter me ſocerúmque viam, pontémque tenebat,
Addua quò ſciſſas ſpumoſior incitat undas.
Quid faceret? differret iter? diſcrimina nullas
Noſtra dabant adeunda moras. perrumperet agmen?
Sed pàucis comitatus erat. nam plurima retro,
Dum nobis properat ſuccurrere, liquerat arma
Extera, vel noſtras acies. hôc ille locatus
Ancipiti, longum ſocias tardúmque putavit
Expectâſſe manus, & noſtra pericula tendit
Poſthabitis pulſare ſuis, mediúmque per hoſtem
Flammatus virtute piâ, propriæque ſalutis
Immemor, & ſtricto proſternens obvia ferro,
Barbara fulmineo ſecuit tentoria curſu.
Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,
Quòd juncto fidens Ithaco patefacta Dolonis
Indicio, dapibúſque ſimul, religatáque ſomno
Thracia ſopiti penetraverit agmina Rheſi,
Graiáque rettulerit captos ad caſtra jugales.
Quorum, ſi qua fides augentibus omnia Muſis,
Impetus exceſſit Zephyros, candóreque pruinas.
Ecce virum, taciti qui nullâ fraude ſoporis
Enſe palàm ſibi pandit iter, remeátque cruentus,
Et Diomedeis tantùm præclarior auſis,
Quantùm lux tenebris, manifeſtáque prælia furtis.
Adde quòd & ripis ſteterat munitior hoſtis,
Et cui nec vigilem fas eſt componere Rheſum,
Thrax erat: hic Thracum domitor. non tela retardant,
Objice non hoſtit fluvii. ſic ille minacem
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens
Trajecit clypeo Tibrin, quo texerat Urbem
Tarquinio minante Cocles, mediſſque ſuperbus
Porſennam reſpexit aquis. celer Addua noſtro
Sulcatus ſocero. ſed cùm tranaret, Etruſcis
Ille dabat tergum, Geticis hic pectora, bellis.
Exere nunc doctos tantæ certamina laudis
Roma choros, & quanta tuis facundia pollet
Ingeniis, noſtrum digno ſonet ore parentem.
Dixit, & antiquæ muros egreſſa Ravennæ
Signa movet; jámque ora Padi, portúſque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æſtuat, & pronas puppes nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte, vehit; nudatáque litora fluctu
Deſerit, Oceani lunaribus æmula damnis.
Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetuſto,
Deſpicitúrque vagus præruptâ valle Metaurus,
Quà mons arte patens vivo ſe perforat arcu,
Admittítque viam ſectæ per viſcera rupis,
Exſuperans delubra Jovis, ſaxóque minantes
Apenninigenis cultas paſtoribus aras.
Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit. nec te miracula fontis
Prætereunt: tacito paſſu quem ſi quis adiret,
Lentus erat: ſi voce gradum majore citâſſet,
Commiſtis fervebat aquis. cúmque omnibus una
Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras
Oſtendant: hæc ſola novam jactantia ſortem
Humanos properant imitari flumina mores.
Celſa dehinc patulum proſpectans Narnia campum
Regali calcatur equo, rariſque coloris
Non procul amnis abeſt: urbi qui nominis auctor
Ilice ſub denſâ ſylvis arctatus opacis
Inter utrumque jugum totis anfractibus albet.
Indè, ſalutato libatis Tibride lymphis,
Excipiunt arcus, operoſáque ſemita vaſtis
Molibus, & quidquid tantæ præmittitur urbi.
Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori mater ſollertior ornat
Adveniente proco, veſtéſque & cingula comit
Sæpe manu, viridiſque angultat iaſpide pectus,
Subſtringítque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis, inſignior auctis
Collibus, & notâ major ſe Roma videbam
Obtulit. addebant pulcrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.
Profectque opifex decori timor, & vice mirâ,
Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus;
Erexit ſubitas turres, cinctóſque coëgit
Septem continuo montes juveneſcere muro.
Ipſe favens votis, ſolitóque decentior æſtu,

Quamvìs aſſiduo noctem fœdaverit imbri,
Principis & Solis radiis deterſa removit
Nubila. namque ideo pluviis turbaverat omnes
Antè dies, lunámque rudem madefecerat Auſter,
Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.
Omne, Palatino quod pons à colle recedit
Mulvius, & quantum licuit conſurgere tectis,
Una replet turbæ facies. undare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.
Exultant juvenes æquævi Principis annis:
Temnunt priſca ſenes, & in hunc ſibi proſpera fati
Gratantur duràſſe diem. moderatáque laudant
Tempora, quòd clemens aditu, quòd pectore, ſolus
Romanos vetuit currum præcedere Patres:
Cùm tamen Encherius, cui regius undique ſanguis,
Atque Auguſta ſoror, fratri præberet ovanti
Militis obſequium: ſic illum dura parentis
Inſtituit pietas in ſe vel pignora parci;
Quíque neget nato, procerum quod præſtet honori.
Hæc ſibi cura ſenum, maturáque comprobat ætas:
Idque inter veteris ſpeciem præſentis & aulæ
Judicat, hunc civem, dominos veniſſe priores.
Conſpicuas tum flore genas, diademate crinem,
Membráque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, & certatura Lyæo
Inter Erythræas ſurgentia colla ſmaragdos
Micari ſinè fine nurus: ignaráque virgo,
Cui ſimplex calet ore pudor, per ſingula cernens
Nutricem conſultat anum, quid fixa draconum
Ora velint, ventis fluitent, an vera minentur
Sibila ſuſpenſum rupturi faucibus hoſtem.
Ut chalybem indutos equites, & in ære latentes
Vidit cornipedes; quânam de gente rogabat
Ferrati venere viri? quæ terra metallo
Naſcentes informat equos? num Lemnius auctor
Addidit hinnitum ferro, ſimulacráque belli
Viva dedit? gaudet metuens, & pollice monſtrat,
Quòd picturatas galeæ Junonia criſtas
Ornet avis, vel quòd rigidos vibrata per armos
Rubra ſubaurato criſpentur ſerica dorſo.
Tum tibi magnorum mercem Fortuna laborum
Perſolvit, Stilico; curru cùm vectus eodem
Urbe triumphantem generum florente juventâ
Conſpiceres, illúmque diem ſub corde referres,
Quo tibi confuſâ dubiis formidine rebus
Infantem genitor moriens commiſit alendum.
Virtutes variæ fructus ſenſere receptos:
Depoſitum ſervâſſe Fides: Conſtantia parvum
Præfeciſſe orbi: Pietas foviſſe propinquum.
Hic eſt ille puer, qui nunc ad Roſtra Quirites
Evocat, & ſolio fultus genitoris eburno
Geſtarum Patribus cauſas ex ordine rerum,
Eventúſque refert: veterúmque exempla ſecutus
Digerit imperii ſub judice fata Senatu.
Nil cumulat, verbíſque nihil fiducia celat.
Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit. agnoſcunt proceres. habitúque Gabino
Principis, & ducibus circumſtipata togatis
Jure paludatæ jam curia militat aulæ.
Adfuit ipſa ſuis ales Victoria templis
Romanæ tutela togæ: quæ divite pompâ
Patricii reverenda fovet ſacraria cœtûs,
Caſtrorúmque eadem comes indefeſſa tuorum,
Nunc tandem fruitur junctis, atque omne futurum
Te Romæ ſeſéque tibi promittit in ævum.
Hinc te jam patriis Laribus via nomine vero
Sacra refert. flagrat ſtudiis concordia vulgi,
Quam non illecebris diſperſi colligis auri;
Nec tibi venales capiant æraria plauſus
Corruptura fidem. meritis offertur inemtus
Parâ mente favor. nam munera carior omni
Obſtringit ſua quemque ſalus. procul ambitus erret.
Non quærat pretium, vitam qui debet amori.
O quantum populo ſecreti muneris addit
Imperii præſens genius, quantámque rependit
Majeſtas alterna vicem, cùm regia Circi
Conversum gradibus veneratur purpura vulgus,
Aſſenſúſque cavæ ſublatus in æthera vallis,
Plebis adoratæ reboat fragor, unáque totis
Intonat Auguſtum ſeptenis arcibus Echo.
Nec ſolis hic curſus equis: aſſueta quadrigis
Cingunt arva trabes, ſubitæque adſpectus arenæ
Diffundit Libycos alienâ valle cruores.
Hæc & belligeros exercuit area luſus.

Armatos

Armatos hìc ſæpe choros, certâque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſóſque recurſus,
Et pulcras errorum acies, jucundáque Martis
Cernimus: inſonuit cùm verbere ſigna magiſter,
Mutatóſque edunt pariter tot pectora motus,
In latus alliſis clypeis, aut rurſus in altum
Vibratis. grave parma ſonat mucronis acuti
Murmure, & umbonum pulſu modulante reſultans,
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.
Unà omnis ſubmiſſa phalanx, tantæque ſalutant
Te, princeps, galeæ. partitis indè catervis
In varios docto diſcurritur ordine gyros,
Quos neque ſemiferi Gortynia tecta juvenci,
Flumina nec crebro vincant Mæandria flexu.
Diſcreto revoluta gradu torquentur in orbes
Agmina, perpetuſſque immoto cardine clauſtris
Janus bella premens, lætæ ſub imagine pugnæ,
Armorum innocuos paci largitur honores.
Jámque novum faſtis aperit felicibus annum
Ore coronatus gemino. jam Tibris in uno
Et Bruti cernit trabeas, & ſceptra Quirini.
Conſule lætatur poſt plurima ſecula viſo
Pallanteus apex. agnoſcunt Roſtra curules
Auditas quondam proavis, deſuetáque cingit
Regius auratis fora faſcibus Ulpia lictor:
Et ſextas Geticâ prævelans fronde ſecures
Colla triumphati proculcat Honorius Iſtri.
Exeat in populos cunctis illuſtrior annus,
Natus fonte ſuo: quem non aliená per arva
Induit hoſpes honos: cujus cunabula fovit
Curia: quem primi tandem videre Quirites:
Quem domitis auſpex peperit Victoria bellis.
Hunc & privati titulis famulantibus anni,
Et quos armipotens genitor, retróque priores
Diverſis geſſere locis, ceu Numen, adorent.
Hunc & quinque tui, vel quos habiturus in Urbe
Poſt alios, Auguſte, colant: licèt unus in omnes
Conſul eas, magno ſextus tamen iſte ſuperbit
Nomine, præteritis melior, venientibus auctor.

Laus Serenæ Reginæ, Uxoris Stiliconis.

DIC mihi, Calliope, cur tanto tempore differs
Pierio meritam ſerto redimire Serenam?
Vile putas donum, ſolitam conſurgere gemmis,
Et rubro radiare mari, ſi floribus ornes
Reginæ Regina comam? ſi floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Æſtibus, æterno ſed veris honore rubentes
Fons Aganippeâ Permeſſius educat undâ:
Unde piæ paſcuntur apes, & prata legentes
Tranſmittunt ſeclis Heliconia mella futuris.
Dignius an vates alios exercuit unum
Feminææ virtutis opus? conſorte redemto
Caſta maritali ſucceſſit Theſſala fato,
Inque ſuos migrare virum non abnuit annos.
Hoc Graii memorant. Latiis movet ora Camenis
Præſcia fatorum Tanaquil, rediénſque per undas
Cloelia Tibrinas, & eodem flumine ducens
Claudia virgineo cunctantem crine Cybellen.
Anne aliud toto molitur carminis actu
Mæonii mens alta ſenis? quòd ſtagna Charybdis
Armârit, quòd Scylla canes, quòd pocula Circe:
Antiphatæ vitata fames, ſurdóque carina
Remige Sirenum cantus tranſvecta tenaces:
Lumine fraudatus Cyclops, contemta Calypſo:
Penelopæ decus atque viri, cui tanta paratur
Scena pudicitiæ: terræ pelagſque labores,
Et totidem ſævi bellis, quot fluctibus, anni,
Conjugii docuere fidem. ſit Claudia felix
Teſte Deâ, caſtóſque probet ſub Numine mores,
Abſolvens puppíſque moras criménque pudoris:
Penelope trahat arte procos, fallátque furentes
Stamina nocturnæ relegens ſollertia telæ;
Non tamen audebunt titulis certare Serenæ.
Quòd ſi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in ſemina cauſæ:
Quis venerabilior ſanguis? quæ major origo,
Quàm regalis, erit? non hoc privata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere Numen
Anguſtis Laribus. patruo te Principe celſam
Bellipotens illuſtrat avus: qui ſigna Britanno
Intulit Oceano, Gætuláque reppulit arma.
Claram Scipiadum taceat Cornelia gentem,
Séque minùs jactet Libycis dotata tropæis.
Cardine tu gemino lauros prætendis avitas,
Indè Caledoniis, Auſtralibus indè parentum
Cingeris exuviis. necdum moderamina mundi
Sumſerat illa domus, cùm te Lucina beatis
Adderet aſtrorum radiis. ô maxima rerum
Gloria! poſt genitam didicit regnare Serenam.
Quid dignum memorare tuis, Hiſpania, terris
Vox humana valet? primo levat æquore Solem
India: tu feſſos exactâ luce jugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu.
Dives equis, frugum facilis, pretioſa metallis,
Principibus fecunda piis. tibi ſecula debent
Trajanum: ſeries his fontibus Ælia fluxit.
Hinc ſenior pater, hinc juvenum diademata fratrum.
Namque aliæ gentes, quas federe Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in uſus
Imperii: Phariæ ſegetes, & Punica meſſis,
Caſtrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis ſudant equitatibus alæ.
Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit Auguſtos. fruges, æraria, miles
Undique conveniunt, totóque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant, nec laude virorum
Cenſeri contenta fuit, niſi matribus æquè
Vinceret, &, gemino certatim ſplendida ſexu,
Flaccillam Mariámque daret pulcrámque Serenam.
Te naſcente ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undâſſe Tagum. Gallæcia riſit
Floribus, & roſeis formoſus Duria ripis
Vellera purpureo paſſim mutavit ovili.
Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
Expuit: effoſſis nec pallidus Aſtur oberrat
Montibus. oblatum ſacris natalibus aurum
Vulgò vena vomit. Pyrenæſſque ſub antris
Ignea fluminea legere Ceraunia nymphæ.
Quæque relabentes undas æſtúmque ſecutæ
In refluos venere palàm Nereïdes amnes;
Confeſtæ plauſu dominam, cecinere futuris
Auſpicium thalamis. alio tum parvus in axe
Creſcebat Stilico, votſque ignarus agebat,
Debita cui longè conjux, penitúſque remoto
Orbe parabatur tanti concordia fati.
Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.
Ubera prima dabant gremiis redolentibus Horæ,
Ternáque te nudis innectens Gratia membris
Afflavit docuſtque loqui. quácumque per herbam
Reptares, fluxere roſæ. candentia naſci
Lilia. ſi placido ceſſiſſent lumina ſomno,
Purpura ſurgebat violæ fractura cubile
Gramineum, vernánſque tori regalis imago.
Omina non audet genitrix tam magna fateri,
Succeſſúſque ſuos arcani conſcia voti
Spe trepidante tegit. geſtabat Honorius arcto
Te pater amplexu: quoties ad limina præceps
Theudoſius privatus adhuc fraterna veniret,
Oſcula libabat, téque ad ſua tecta ferebat
Lætior. in matrem teneris converſa querelis,
Quid me de propriis auferre Penatibus, inquis,
Imperat hic ſemper? præſagia luſerat error,
Et dedit augurium regnis infantia lingnæ.
Defuncto genitore tuo ſublimis adoptat
Te patruus, magnſque animo ſolatia luctûs
Reſtituens, propiùs, quam ſi genuiſſet, amavit
Defuncti fratris ſobolem. nec carior olim
Mutua Ledæos devinxit cura Laconas.

Addidit

Addidit & proprio germana vocabula nato:
Quáque datur, fratris ſpeciem ſibi reddit ademti.
Denique cùm rerum ſummas electus habenas
Suſciperet, non antè ſuis impendit amorem
Pignoribus, quàm te pariter fidámque ſororem
Litus ad Eoum terris acciret Iberis.
Deſeritur jam ripa Tagi, Zephyríque relictis
Sedibus Auroræ famulas properatur in urbes.
Incedunt geminæ proles fraterna puellæ;
Indè Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
Expertes thalami, quarum Cythereïa necdum
Sub juga cervices niveas Hymenæus adegit.
Utraque luminibus tumidum micat: utraque puleras
Excitat ore faces. qualis Latonia virgo,
Et ſolo Jove nata ſoror: cùm fortè reviſunt
Æquorei ſortem patrui, ſpumantia cedunt
Æquora, caſtarum greſſus venerata Dearum.
Non ludit Galatea procax, non improbus audet
Tangere Cymothoën Triton, totóque ſeveros
Indicit mores pelago pudor, ipſéque Proteus
Arcet ab amplexu turpi Neptunia monſtra.
Tales ſceptriferi viſuræ tecta Parentis
Limen Honoriades penetrant regale ſorores.
Ambas ille quidem patrio complexus amore:
Sed meritò pietas in te proclivior ibat.
Et quoties, rerum moles ut publica cogit,
Triſtior, aut irâ tumidus flagrante redibat,
Cùm patrem nati fugerent, atque ipſa timeret
Commotum Flaccilla virum, tu ſola frementem
Frangere, tu blando poteras ſermone mederi,
Alloquiis hærere tuis. ſecreta fideli *.
Priſca puellares reverentia tranſilit annos.
Non talem Triviæ confert laudator Homerus
Alcinoo genitam: quæ dum per litora veſtes
Explicat, & famulas exercet læta choreas
Auratam jaculata pilam, poſt naufraga ſomni
Otia, progreſſum foliis expavit Ulyſſem.
Pierius labor, & veterum tibi carmina vatum
Ludus erant: quos Smyrna dedit, quos Mantua, libros
Percurrens, damnas Helenen, nec parcis Eliſſæ.
Nobiliora tenent animos exempla pudicos.
Laodamia ſequens remeantem rurſus ad umbras
Phylaciden, & prona ruens Capaneïa conjux
Communes ardente viro miſtura favillas,
Et gravis incumbens caſto Lucretia ferro,
Vulnere quæ proprio, facinus teſtata tyranni,
Armavit patriæ juſtos in bella dolores,
Exule Tarquinio; memorandáque concidit uno
Ulta pudicitiam libertatémque cruore.
Talia facta libens non tu virtute minori,
Sed fato meliore, legis. jam nubilis ætas
Principe ſollicito votis erexerat aulam
Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
Antiquos loquitur Muſarum pagina reges,
Quod dirâ ſub lege procos certare juberent
Emturos thalamum dubii diſcrimine leti,
Et ſua crudeles gauderent pignora mortis
Ambitione peti. curru Piſæa marito
Fugit tela Pelops. nam perfidus objice regis
Prodidit OEnomai deceptuni Myrtilus axem.
Hippomenes trepidus curſu ferróque ſecutam
Aurato volucrem flexit Schœneïda pomo.
Herculeas vidit fluvio luctante palæſtras
Mœnibus ex altis Calydon, pretiúmque labori
Deïanira fuit, cùm pectora victor anhelo
Alcides premeret, retróque Acheloïus iret
Decolor. attonitæ ſtringebant vulnera nymphæ.
Saucia truncato pallebant flumina cornu.
Te non Heſperidum pomis, non amne ſubacto,
Non ſocerum fallente rotâ, ſed judice dignus
Auguſto, variis Stilico ſpectatus in armis
Accipit, & regni dotes virtute paravit.
Sæpe duces meritas bello tribuere coronas.
Hunc cingit muralis honos: hunc civica quercus
Nexuit: hunc domitis ambit roſtrata carinis.
Solus militiæ mirâ mercede jugalem
Promeruit Stilico, ſocero referente, coronam.
Agnovit patrui ſimilem Thermantia curam:
Nupſit & illa duci. ſed longè fata ſororis
Inferiora tuis. alio tibi lumine tedas
Accendit Romana Salus, magnúſque coronis
Conjugium ſit cura tuum. dilectus equorum,
Quos Phrygiæ matres, Argeáque gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt,
Primus honos. gemino mox idem culmine duxit
Agmina, commiſſóque labor ſic geſſit honores,
Ut ſemper merito princeps cùm magna dediſſet,
Deberet majora tamen. ſi bellica nubes
Ingrueret, quamvis annis & jure minori.
Cedere grandævos equitum peditúmque magiſtros
Adſpiceres, totúmque palàm permittere Martem.
Nec gradus ætatíve pudor ſenioribus obſtat,
Ne juveni parere velint. ceu flamine molli
Tranquilliſque fretis clavum ſibi quiſque regendum
Vindicat: incumbat ſi turbidus Auſter, & unda
Pulſet utrumque latus: poſito certamine nautæ
Contenti meliore manu, ſetéque ratémque
Unius imperiis tradunt, artémque pavore
Confeſſis finem ſtudiis fecere procellæ.
Haud aliter Stilico, fremuit cùm Thracia belli
Tempeſtas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor: ſuffragia quippe peregit
Judex vera timor. victus ratione ſalutis
Ambitus, & pulſus tacuit formidine livor.
Quis tibi tunc per membra tremor, quantæque cadebant
Ubertim lacrymæ, cùm ſæva vocantibus arma
Jam lituis, modido reſpectans limina vultu,
Optares reducem, galeæque inſerta minaci
Oſcula criſtati raperes feſtina mariti?
Gaudia quæ rurſus, cùm poſt victricia tandem
Claſſica ſidereas ferratum pectus in ulnas
Exciperes; caſtæ tuto per dulcia noctis
Otia pugnarum ſeriem narrare juberes?
Non illo nitidos umquam bellante capillos
Comere: non ſolitos gemmarum ſumere cultus.
Numinibus votíve vacas, & ſupplice crine
Verris humum. teritur neglectæ gratia formæ
Cum proprio reditura viro: nec deſide curâ
Segnis marcet amor. laudem prudentia belli
Femineâ pro parte ſubit. dum gentibus ille
Conſligit, vigili tu proſpicis omnia ſenſu:
Ne quid in abſentem, virtutibus obvia ſemper,
Audeat invidiæ rabies, neu rumor iniquus;
Ne qua procul poſitis furto ſubſederit armis
Calliditas nocitura domi. tu ſedula quondam
Rufino meditante nefas, cùm quæreret artes
In ducis exitium, conjuratóſque foveret
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis temebunda virum ſcriptíſque monebas.

* * *

Reliqua deſiderantur.

EPITHALAMIUM PALLADII & CELERINÆ.

PRÆFATIO.

CARMINA per thalamum, quamvis feſtina, negare
Nec volui genero, nec potui ſocero.
Hic ſocius, dux ille mihi; noſtríque per aulam
Ordinis hic conſors emicat, ille prior.
Hunc mihi conjungit ſtudiis communibus ætas;
Hunc mihi præponit vel ſenium, vel honos.
Carmen amor generi, ſoceri reverentia poſcit,
Officio vatis, militis obſequio.

FORTE Venus blando quæſitum frigore ſomnum
Denſáque ſidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo. criſpatur opaca
Pampinus, & mites undatim ventilat uvas.
Ora decet neglecta ſopor, faſtidit amictum
Æſtus, & exuto tranſlucent pectore frondes:

Idalia

Idaliæ juxtà famulæ; triplexque viciſſim
Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.
Pennati paſſim pueri, quò quemque vocavit
Umbra, jacent. fluitant arcus, ramiſque propinquis
Pendentes placido ſuſpirant igne pharetræ.
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur.
Scrutantur nidos avium, vel roſcida læti
Mala legunt donum Veneris, flexúſque ſequuntur
Palmitis, & ſummas pennis librantur in ulmos.
Defendunt alii lucum; Dryadáſque procaces
Spectandi cupidas & ruſtica Numina pellunt,
Sylveſtréſque Deos. longéque tuentibus antrum
Flammea laſcivis intendunt ſpicula Faunis.
Cùm ſubitò varius vicinâ clamor ab urbe,
Et fauſti juvenum plauſus, miſtæque choreis
Auditæ per rura lyræ, Celerina per omnes
Italiæ canitur montes, omniſque maritum
Palladium reſonabat ager. pervenit ad aures
Vox jucunda Deæ, ſtrepitúque excita reſedit,
Et reliquum nitido deterſit pollice ſomnum.
Utque erat interjecta comas, turbata capillos,
Mollibus exurgit ſtratis, intérque ſuorum
Agmen, & innumeros Hymenæum poſcit Amores.
Hunc Musâ genitum legit Cytherea, ducémque
Præfecit thalamis: nullum junxiſſe cubile
Hôc ſinè, nec primas fas eſt attollere tedas.
Conſpicitur tandem. platano namque ille ſub altâ
Fuſus inæquales cerâ texebat avenas,
Mœnaliósque modos, & paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, orſſque recurſu
Diſſimilem tenui variabat arundine ventum.
Reſtitit, ut vidit Venerem, digitiſque remiſſis
Ad terram tacito defluxit fiſtula lapſu.
Dulcè micant oculi. niveas infecerat igni
Sólque pudórque genas: dubiam lanuginis umbram
Cæſaries intonſa tegit. prior ipſa ſilentem
Compellat: Numquámne, puer, dilecta relinques
Carmina? maternis numquam ſatiabere domis,
Dedite Muſarum ſtudio, nimiúmque parentis
Æmule? quid medio tecum modularis in æſtu?
Jámne tibi ſordent citharæ? jam luſtra Lycæi,
Atque pecus cordi, redituráque rupibus Echo?
Huc ades, & tantæ nobis ediſſere cauſas
Lætitiæ. cui pompa toro tam clara reſultet.
Quæ nova doceatur virgo, patriámque genúſque
Pande, quibus terris orti, quo ſemine ducti.
Haud ignarus enim: nec te connubia fallunt
Ulla. tuo primæ libantur fœdere noctes.
Ille refert: Equidem dudum te, Diva, morantem
Mirabar, quòd adhuc tanti ſecura maneres
Conjugii. non parva tibi mandatur origo.
Faſcibus inſignes, & legum culmine fultæ
Convenere domus, & qui lectiſſimus orbi
Sanguis erat. rubris quæ fluctibus inſula latrat,
Quis locus Æthiopum, quæ ſic impervia famæ
Receſſit regio, quò non rumore ſecundo
Palladii penetravit amor, mentiſque benignæ
Temperies, doctſque ſales, & grata ſenectus?
Per cunctos iit ille gradus, aulæque labores
Emenſus, tenuit ſummæ faſtigia ſedis,
Eorum ſtabili moderatus jure Senatum.
Hic ſplendor juveni. cunabula prima puellæ
Danubius, veteréſque Tomi. Mavortia matris
Nobilitas ſpoliis armiſque exultat avitis,
Immenſámque trahit Celerini robore lucem,
Qui quondam Meroën juſſus Nilúmque tueri,
Cùm ſibi poſt domitas ad Parthica flumina Carras
Sceptra daret miles, rebúſque imponere vellet,
Deſpexit fremitus, & prætulit otia regno.
Reſpuit ingeſtum, quod vi, quod poſcere ferro
Poſthabitâ pietate ſolent. tum purpura primùm
Inferior virtute fuit, meruiſque repulſam
Obvia majeſtas. doluit Fortuna minorem
Se conceſſa viro. magnum delata poteſtas
Majorem contemta probat. cognomina ſumſit
Plena ducum genitor. paulatim vectus ad altum
Princeps militiæ, quâ non illuſtrior extat
Altera: cunctorum tabulas aſſignat honorum,
Regnorum tractat numeros, cuneóſque recenſet,
Sparſas imperii vires conſtringit in unum.
Diſpoſita quæ Sarmaticis cuſtodia ripis,
Quæ ſævis objecta Getis, quæ Saxona frenat
Vel Scotum legio. quantæ cinxere cohortes
Oceanum: quanto pacatur milite Rhenus.
Caſta domus, ſincera fides, induſtria ſollers.
Elegit Stilico. nihil ultrà laudibus addi
Judicióve poteſt. tali nubente puellâ
Nónne tibi ceſſare nefas? duc protinus omnes,
Duc age. marcentes cupio quaſſare coronas,
Et vibrare faces, & noctem ducere lùdo.
Hæc quoque non vilem mihi fiſtula commodat uſum,
Reſponſura choris. vix hæc Hymenæus. at illa
Fontibus abluitur gelidis, legémque capillo
Reddit, & ornatum formæ: præliſque ſolutæ
Mira Dionææ ſumit velamina telæ.
Floribus exſtruitur currus: juga floribus halant.
Florea purpureas adnectunt frena columbas.
Undique concurrunt volucres, quæcumque fremente
Permulcent Athefin cantu, quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
Mincius. ereptis obmutuit unda querelis.
Eridani ripas, & raucæ ſtagna Paduſæ
Diffugiens nudavit olor. lætantur Amores,
Frenatiſque truces avibus per nubila vecti
Oſtentant ſe quiſque Deæ, magnóque tumultu
Confligunt; proniſque manus in verbera tendunt,
Atque impune cadunt. lapſus meliore volatu
Conſequitur, vinciſque ſuos auriga jugales.
Ut thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Deſuper invertunt calathos, largóſque roſarum
Imbres, & violas plenis ſparſere pharetris
Collectas Veneris prato, quibus ipſe pepercit
Sirius, & teneras clementi ſidere fovit.
Gemmatis alii per totum balſama tectum
Effudere cadis, duro quæ ſaucius ungue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.
Aggreditur Cytherea nurum, flentémque pudico
Detraxit matris gremio. matura tumeſcit
Virginitas, ſuperátque nives ac lilia candor,
Et patrium flavis teſtatur crinibus Iſtrum.
Tum dextram complexa viri, dextrámque puellæ
Tradit, & his ultro ſancit connubia dictis:
Vivite concordes, & noſtrum diſcite munus.
Oſcula mille ſonent. liveſcant brachia nexu;
Labra ligent animas. neu tu virtute paternâ
Confidas, juvenis. non eſt terrore domanda,
Sed precibus pacanda tibi. concede marito
Tu quoque, neu Scythicas infenſis unguibus iras
Exercere velis. vinci patiare rogamus.
Sic uxor, ſic mater eris. quid lumina tingis,
Virgo? crede mihi, quem nunc horreſcis, amabis.
Dixit: & aligerâ geminos arcuque manuque
Præſtantes è plebe vocat. puer ilicet Æthon,
Et pyrois rutilas teſperſi murice plumas
Proſiliunt, puróque imbutis melle ſagittis,
Hic nuptam petit, ille virum. ſonuere reducta
Cornua, certa Notos pariter ſulcavit arundo,
Et pariter fixis hæſerunt tela medullis.

DE

Digitized by Google

DE RAPTU PROSERPINÆ

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

INventa ſecuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis ſollicitavit aquas:
Qui dubiis auſus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias.
Tranquillis primùm trepidus ſe credidit undis,
Litora ſecuro tramite ſumma legens:
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Aſt ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordáque languentem dedidicere metum:
Jam vagus exſultat pelago, cælúmque ſecutus
Ægeas hyemes loniáſque domat.

INperni raptoris equos, afflatáque curru
Sidera Tænario, caligantéſque profundæ
Junonis thalamos audaci prodere cantu
Mens congeſta jubet. greſſus removete, profani.
Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.
Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,
Adventum tellata Dei, jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templúmque remugit
Cecropium, ſanctáſque faces attollit Eleuſin.
Angues Triptolemi ſtridunt, & ſquamea curvis
Colla levant attrita jugis, lapſúque ſereno
Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.
Ecce procul ternas Hecate variata figuras
Exoritur, lenſſque ſimul procedit Iacchus
Crinali florens hederâ, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.
Ebria Mæonius firmat veſtigia thyrſus.
Di, quibus in numerum vacui famulantur Averni
Vulgus inſers, opibus quorum donatur avaris
Quicquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit
Interfuſa vadis, & quos fumantia torquens
Æquora vorticibus Phlegethon perluſtrat anhelis:
Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et veſtri ſecreta poli, quâ lampade Ditem
Flexit amor, quo ducta ferox Proſerpina raptu
Poſſedit dotale Chaos; quantáſque per oras
Sollicito genitrix erraverit anxia curſu.
Unde datæ populis leges, & glande relictâ
Ceſſerit inventis Dodonia quercus ariſtis.
Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras
Prælia moturus ſuperis, quòd ſolus egeret
Connubii, ſterilémſque diu conſumeret annos,
Impatiens neſcire torum, nullâſque mariti
Illecebras, nec dulce patris cognoſcere nomen.
Jam quæcumque latent ferali monſtra barathro
In turmas aciémque ruunt, contráque Tonantem
Conjurant Furiæ: crinitáque ſontibus hydris
Tiſiphone, quatiens infauſto lumine pinum,
Armatos ad caſtra vocat pallentia Manes.
Penè reluctatis iterum pugnantia rebus
Rupiſſent elementa fidem, penitúſque revulſo
Carcere laxatis pubes Titania vinclis
Vidiſſet cæleſte jubar, rurſúſque cruentus
Ægæon poſitis arcto de corpore nodis
Obvia centeno vexâſſet fulmina motu.
Sed Parcæ vetuere minas, orbíque timentes
Ante pedes ſolidúmque ducis fudere ſeveram
Canitiem, genibúſque ſuas cum ſupplice vultu
Admovere manus, quarum ſub jure tenentur
Omnia, quæ ſeriem fatorum pollice ducunt,
Longáque ferratis evolvunt ſecula penſis.
Prima fero Lacheſis clamabat talia regi,
Incultas diſperſa comas: O maxime noctis
Arbiter, umbrarúmque potens, cui noſtra laborant
Stamina; qui finem cunctis & ſemina præbes,
Naſcendſque vices alternâ morte rependis:
Qui vitam letúmque regis. nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debetúrque tibi, certſſque ambagibus ævi
Rurſus corporeos animæ mutantur in artus.
Ne pete firmatas pacis diſſolvere leges,
Quas dedimus, nevſtque colus: neu fœdera fratrum
Civili converte tubâ. cur impia tollis
Signa? quid inceſtis aperis Titanibus auras?
Poſce Jovem, dabitur conjux. vix illa: pepercit,
Erubuſtque preces, animúſque relanguït atrox,
Quamvis indocilis flecti. ceu turbine ranco
Cùm gravis armatur Boreas, glaciéque nivali
Hiſpidus & Geticâ concretus grandine pennas
Bella cupit, pelagus, ſylvas, campóſque ſonoro
Flamine rapturus: ſi fortè adverſus aënos
Æolus objecit poſtes, vaneſcit inanis
Impetus & fractæ redeunt in claustra procellæ.
Tum Maiâ genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius adſtitit ales,
Somniferam quatiens virgam, tectúſque galero.
Ipſe rudi fultus ſolio, nigráque verendus
Majeſtate ſedet. ſqualent immania fœdo
Sceptra ſitu; ſublime caput mœſtiſſima nubes
Aſperat, & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. tunc talia celſo
Ore tonat: (tremefacta ſilent dicente tyranno
Atria; latratum triplicem compeſcuit ingens
Janitor, & preſſo lacrymarum fonte reſedit
Cocytos, tacitſſque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegetonteæ requiêrunt murmura ripæ:)
Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et ſuperis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminóque facis commercia mundo,
I celeres proſcinde Notos, & juſſa ſuperbo
Redde Jovi. Tantúmne tibi, ſæviſſime fratrum,
In me juris erit? ſic nobis noxia vires
Cum cælo Fortuna tulit? num robur & arma
Perdidimus, ſi rapta dies? an fortè jacentes
Ignavóſque putas, quòd non Cyclopia tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus aures?
Nónne ſatis viſum, quod grati luminis expers
Tertia ſuprema patior diſpendia ſortis,
Informéſque plagas; cùm te lætiſſimus ornet
Signifer, & vario cingant ſplendore Triones?
Sed thalamis etiam prohibes? Nereïa glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Juno ſinu, quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem, magnámque Themin? tibi tanta creandi
Copia. te felix natorum turba coronat.
Aſt ego deſertâ mœrens inglorius aulâ
Implacidas nullo ſolabor pignore curas?
Non adeò toleranda quies. primordia teſtor
Noctis, & horrendæ ſtagna intemerata paludis,
Si dicto parere negas, pateſacta ciebo
Tartara. Saturni veteres laxabo catenas.
Obducam tenebris lucem, compage ſolutâ
Fulgidus umbroſo miſcebitur axis Averno.
Vix ea fatus erat, jam nuntius aſtra tenebat.
Audierat mandata pater, ſecúmque volutat
Diverſos ducens animos, quæ tale ſequatur
Conjugium, Stygióſve velit pro Sole receſſus.
Certa requirenti tandem ſententia ſedit.
Hennæa Cereri proles optata virebat
Unica: nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam,
Feſſáque poſt primos hæſerunt viſcera partus
Infecunda quidem; ſed cunctis altior extat
Matri-

Google

Matribus, & numeri damnum Proſerpina penſat.
Hanc fovet, hanc ſequitur. vitulam non blandiùs ambit
Torva parens; pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.
Jam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas: tenerum jam pronuba flamma pudorem
Sollicitat: miſtâque tremit formidine votum.
Perſonat aula procis. pariter pro virgine certant
Mars clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu.
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas,
Et Delon Clarióſque lares. hinc æmula Juno,
Hinc poſcit Latona nurum. deſpexit utramque
Flava Ceres; raptúſque timens (heu cæca futuri!)
Commendat Siculis furtim ſua gaudia terris,
Ingenio confiſa loci. Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit: ſed pontus & æſtus
Mutavere ſitum. rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes:
Parváque cognatas prohibent diſcrimina terras.
Nunc illam ſociâ raptam tellure triſulcam
Opponit natura mari. caput indè Pachini
Reſpuit Ionias prætentis rupibus iras.
Hinc latrat Gætula Thetis, Lilybæáque pulſat
Brachia conſurgens, hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum.
In medio ſcopulis ſe porrigit Ætna peruſtis:
Ætna Giganteos numquam tacitura triumphos,
Enceladi buſtum, qui ſaucia terga revinctus
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur.
Et quoties detrectat onus cervice rebelli
In dextrum, lævúmve latus: tunc inſula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Ætnæos apices ſolo cognoſcere viſu,
Non aditu tentare, licet. pars cætera frondet
Arboribus. teritur nullo cultore cacumen.
Nunc vomit indigenas nimbos, piceâque gravatum
Fœdat nube diem: nunc mollibus aſtra laceſſit
Terrificis, damnóſque ſuis incendia nutrit.
Sed, quamvis nimio fervens exuberet æſtu,
Scit nivibus ſervare fidem, paritérque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,
Arcano defenſa gelu, fumóque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Quæ ſcopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas
Vis glomerat? quo fonte ruit Volcanius amnis?
Sive quòd objicibus diſcurrens ventus opertis,
Offenſo per ſaxa furit rimoſa meatu,
Dum ſcrutatur iter, libertatémque repoſcens
Putria multivagis populatur flatibus antra.
Seu mare ſulfurei ductum per viſcera montis
Oppreſſis igneſcit aquis, & pondera librat.
Hic ubi ſervandum mater fidiſſima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit ſecura penates,
Turrigerámque petit Cybelen, ſinuoſa draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frena venenis.
Frontem criſta tegit: pingunt maculoſa virentes
Terga notæ: rutilum ſquamis intermicat aurum.
Nunc ſpiris Zephyros tranant: nunc arva volatu
Inferiore ſecant. cano rota pulvere labens
Sulcatam fecundat humum. flaveſcit ariſtis
Orbita, ſurgentes condunt veſtigia culmi.
Veſtit iter comitata ſeges. jam linquitur Ætna,
Totáque decreſcit refugo Trinacria viſu.
Heu quoties præſaga mali violavit oborto
Rore genas! quoties oculos ad tecta retorſit.
Talia voce movens; Salve, gratiſſima tellus;
Quam nos prætulimus cælo. tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & caros uteri commendo labores.
Præmia digna manent. nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi verſabere vomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager. ceſſante juvenco
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.
Sic ait, & fulvis ſerpentibus attigit Iden:
Hic ædes auguſta Deæ, templíque colendi
Religioſa ilex, denſis quam pinus opacat
Frondibus, & nullâ lucos agitante procellâ.
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.
Terribiles intus Thiaſi, veſanáque miſto
Concentu delubra gemunt. ululatibus Ide
Bacchatur. timidas inclinant Gargara ſylvas.
Poſtquam viſa Ceres, mugitum tympana frenant.
Conticuere chori. Corybas non impulit enſem.
Non buxus, non æra ſonant: blandáſque leones
Summiſere jubas. adytis gaviſa Cybelle
Exſilit, & pronas intendit ad oſcula turres.
Viderat hæc dudum ſummâ ſpeculatus ab arce
Jupiter, ac Veneri mentis penetralia nudat.
Curarum ſecreta tibi, Cytherea, fatebor:
Candida Tartareo nuptum Proſerpina regi
Jam dudum decreta dari. ſic Atropos urget:
Sic cecinit longæva Themis. nunc matre remotâ
(Rem peragi tempus) fines invade Sicanos,
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Craſtina puniceos cùm lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis; quibus urere cuncta,
Me quoque ſæpe, ſoles. cur ultima regna quieſcunt?
Nulla ſit immunis regio, nullúmque ſub umbris
Pectus inaccenſum Veneri. jam triſtis Erinnys
Sentiat ardores: Acheron, Ditiſque ſeveri
Ferrea laſcivis molleſcant corda ſagittis.
Accelerat præcepta Venus: juſſúque parentis
Pallas, & intexo quæ terret Mænala cornu,
Addunt ſe comites. divino ſemita greſſu
Clarêit. augurium qualis laturus iniquum
Præpes ſanguineo dilabitur igne cometes
Prodigialè rubens. non illum navita tuto,
Non impune vident populi: ſed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.
Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant
Cyclopum firmatâ manu. ſtant ardua ferro
Mœnia; ferrati poſtes: immenſâque nectit
Clauſtra chalybs. nullum tanto ſudore Pyracmon,
Nec Steropes, conſtruxit opus: nec talibus umquam
Spiravere notis animæ: nec flumine tanto
Incoctum maduit laſsâ fornace metallum.
Atria veſtit ebur: trabibus ſolidatur aënis
Culmen, & in celſas ſurgunt electra columnas.
Ipſa domum tenero mulcens Proſerpina cantu
Irrita texebat redituræ munera matri.
Hîc elementorum ſeriem ſedéſque paternas
Inſignibat acu: veterem quâ lege tumultum
Diſcrevit Natura parens, & ſemina juſtis
Diſceſſere locis. quidquid leve, fertur in altum:
In medium graviora cadunt. incanduit æther:
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color unus ineſt. ſtellas accendit in auro,
Oſtro fundit aquas, attollit litora gemmis,
Filáque mentitos jam jam cælantia fluctus
Arte tument. credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inſerpere murmur arenis.
Addit quinque plagas. mediam ſubtemine rubro
Obſeſſam fervore notat. ſqualebat aduſtus
Limes, & aſſiduo ſitiebant ſtamina ſole.
Vitales utrimque duas; quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris. tum fine ſupremo
Torpentes traxit geminas, brumâque perenni
Fœdat, & æterno contriſtat frigore telas.
Nec non & patrui pingit ſacraria Ditis,
Fataléſque ſibi Manes. nec defuit omen:
Præſcia nam ſubitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat & vitreis ſummo jam margine texti
Oceanum ſinuare vadis: ſed cardine verſo
Senſit adeſſe Deas, imperfectúmque laborem
Deſerit, & niveos infecit purpura vultus
Per liquidas ſuccenſa genas: caſtæque pudoris
Illuxere faces. non ſic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod femina tinxerit oſtro.
Merſerat unda diem. ſparſo nox humida ſomno
Languida cæruleis invexerat otia bigis.
Jámque viam Pluton ſuperas molitur ad auras
Germani monitu. torvos inviſa jugales
Alecto temone ligat, qui paſcua mandunt
Cocyti, ſpatiiſque Erebi nigrantibus errant,
Stygnáque tranquillæ potantes marcida Lethes
Ægra ſoporatis ſpumant oblivia linguis.
Orphnæus crudelè micans, Æthónque ſagittâ
Ocyor, & Stygii ſublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditiſque notâ ſignatus Alaſtor,
Stabant ante fores juncti, ſævúmque fremebant
Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

OTia ſopitis ageret cùm cantibus Orpheus,
Negle&túmque diu ſepoſuiſſet ebur;
Lugebant erepta ſibi ſolatia Nymphæ,
Lugebant dulces flumina mœſta modos.
Sæva ferís natura redit, metuénſque leonum
Implorat cytharæ vacca tacentis opem.
Illius & duri flevere ſilentia montes,
Sylváque Biſtoniam ſæpe ſecuta chelyn.
Sed poſtquam Inachiis Alcides miſſus ab Argis
Thracia pacifero contigit arva pede,
Diráque ſanguinei vertit præſepia Regis,
Et Diomedeos gramine pavit equos:
Tum patriæ feſto lætatus tempore vates
Defuetæ repetit fila canora lyræ,
Et relides lævi modulatus pe&tine nervos,
Pollice feſtino mobile duxit ebur.
Vix auditus erat: venti frenantur & undæ.
Pigrior adſtri&is torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope ſitientes carmina rupes,
Excuſſit gelidas pronior Oſſa nives.
Ardua nudato deſcendit populus Æmo,
Et comitem quercum pinus amica trahit:
Cirrhæáſque Dei quamvis deſpexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fovere Moloſſi,
Vicinúmque lupo præbuit agna latus.
Concordes variâ ludunt cum tigride damæ,
Maſſylam cervi non timuere jubam.
Ille novercales ſtimulos a&úſque canebat
Herculis, & forti monſtra ſubacta manu,
Qui tiniidæ matri preſſos oſtenderit angues,
Intrepidúſque fero riſerit ore puer.
Te neque Dictæas quatiens mugitibus urbes
Taurus, nec Stygii terruit ira canis:
Non leo ſidereos cæli rediturus ad axes,
Non Erymanthei gloria montis aper.
Solvis Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu
Appetis; occiduo ducis ab orbe greges:
Tergeminíque ducis numeroſos dejicis artus,
Et toties uno victor ab hoſte redis.
Non cadere Antæo, non creſcere profuit Hydræ:
Non cervam volucres eripuere pedes.
Caci flamma perit: rubuit Buſiride Nilus:
Proſtratis rubuit Nubigenis Pholoë.
Te Libyci ſtupuere ſinus: te maximus Atlas
Horruit, impoſito cùm premerere polo.
Firmior Herculeâ mundus cervice pependit.
Luſtrárunt humeros Phœbus & aſtra tuos.
Thracius hæc vates. ſed tu Tirynthius alter,
Florentine, mihi. tu mea plectra moves.
Antráque Muſarum longo torpentia ſomno
Excutis, & placidos ducis in orbe choros.

IMpulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies: tremulis vibravit in undis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
Jámque audax animi, fidæque oblita parentis,
Fraude Dionæâ riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ voluere) petit. ter cardine verſo
Præſagum cecinere fores. ter conſcia fati
Flebilè terrificis gemuit mugitibus Ætna.
Nullis illa tamen monſtris, nullóque tenetur
Prodigio. comites greſſum junxere ſorores.
Prima dolo gaudens, & tanti callida voti
It Venus, & raptus metitur corde futuros,
Jam durum flexura Chaos, jam, Dite ſubacto,
Ingenti famulos Manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis ſinuatur in orbes
Idaliâ diviſus acu. ſudata marito
Fibula purpureos gemmâ ſuſpendit amictus.
Candida Parrhaſii poſt hanc regina Lycæi,
Et Pandionias quæ cuſpide protegit arces,
Utraque virgo, ruunt: hæc triſtibus aſpera bellis;
Hæc metuenda feris. Tritonia caſſide fulvâ
Cælatum Typhona gerit, qui, ſumma peremtus,
Imâ parte viget, moriens & parte ſuperſtes.
Haſtáque terribili ſurgens per nubila gyro
Inſtar habet ſylvæ. tantùm ſtridentia colla
Gorgonos obtentu pallæ fulgentis inumbrat.
At Triviæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phœbíque genas & lumina Phœbi
Eſſe putes, ſolúſque dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent: levibus projecerat auris
Indociles errare comas, arcúque remiſſo
Otia nervus agit. pendent poſt terga ſagittæ.
Criſpatur gemino veſtis Gortynia cinctu
Poplite fula tenus, motóque in ſtamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua ponto.
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina paſſu,
Nec membris nec honore minor; potuíſque videri
Pallas, ſi clypeum, ſi ferret ſpicula, Phœbe.
Colle&æ tereti nodantur ialpide veſtes.
Pectinis ingenio numquam felicior arti
Contigit eventus. nullæ ſic conſona telæ
Fila, nec in tantum veri duxere figuram.
Hìc Hyperionio Solem de ſemine naſci
Fecerat, & pariter, ſed formâ diſpare, Lunam,
Auroræ noctíſque duces. cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio ſolatur anhelos,
Cæruleúſque ſinus roſeis radiatur alumnis.
Invalidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce gravem, nec pubeſcentibus altè
Criſtatum radiis. primo clementior ævo
Fingitur, & tenerum vagitu deſpuit ignem.
Lævâ parte ſoror vitrei libamina potat
Uberis, & parvo ſignatur tempora cornu:
Talia luxuriat cultu. comitantur euntem
Naïdes, & ſociâ ſtipant utrinque coronâ,
Quæ fontes, Criniſe, tuos, & ſaxa rotantem
Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi,
Concelebrant: quas pigra vado Camarina paluſtri,
Quas Arethuſæi latices, quas advena nutrit
Alpheus. Cyane totum ſupereminet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulcra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit poſt prælia turmas;
Seu flavos ſtravere Getas, ſeu fortè rigentem
Thermodontiacâ Tanaïn fregere ſecuri.
Aut quales referunt Baccho ſolennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit ripáſque paternas
Percurrunt auro madidæ; lætatur in antro
Amnis, & undantem declinat prodigus urnam.
Viderat herboſo ſacrum de vertice vulgus
Henna parens florum, curvâque in valle ſedentem
Compellat Zephyrum: Pater ô gratiſſime veris,
Qui mea laſcivo regnas per prata meatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum,
Reſpice Nympharum cœtus, & celſa Tonantis
Germina, per noſtros dignantia ludere campos.
Nunc adſis faveáſque, precor: nunc omnia fetu
Pubeſcant virgulta velis, ut fertilis Hybla
Invideat, vincíque ſuos non abnuat Hortos.
Quidquid turiferis ſpirat Panchaïa ſylvis,
Quidquid odoratus longè blanditur Hydaſpes,
Quidquid ab extremis ales longæva Sabæis
Colligit, optato repetens exordia buſto,
In venas diſperge meas, & flamine largo
Rura fove, merear divino pollice carpi,
Et noſtris cupiant ornari numina ſertis.
Dixerat. ille novo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fecundo rore maritat,
Quáque volat, vernus ſequitur rubor. omnis in herbas
Turget humus, medióque patent convexa ſereno:
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura ſinus? quæ vellera tantùm
Ditibus Aſſyrii ſpumis fucantur aëni?
Non tales volucer pandit Junonius alas.
Nec ſic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hyems, cùm tramite flexo
Semita diſcretis interviret humida nimbis.
Forma loci ſuperat flores: curvata tumore
Parvo planities, & mollibus edita clivis
Creverat in collem. vivo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina rivis!
Sylváque torrentes ramorum frigore ſoles
Temperat, & medio brumam ſibi vindicat æſtu.
Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,

Quercus

Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupreſſus,
Ilex plena favis, venturi præſcia laurus.
Fluctuat hic denſo criſpata cacumine buxus,
Hìc hederæ ſerpunt, hìc pampinus induit ulmos.
Haud procul indè lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoſo margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis. admittit in altum
Cernentes oculos, & latè pervius humor
Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite viſus,
Imáque perſpicui prodit ſecreta profundi.
Huc elapſa cohors gaudent per florea rura.
Hortatur Cytherea, legant. nunc ite, ſorores,
Dum matutinis præſudat ſolibus aër:
Dum meus humectat flaventes Luciſer agros.
Rotanti prævectus equo. ſic fata, doloris
Carpit ſigna ſui. varios tum cætera ſaltus
Invaſere cohors. credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cùm cerea reges
Caſtra movent, fagíque cavâ dimiſſus ab alvo
Melliſer electis exercitus obſtrepit herbis.
Pratorum ſpoliatur honos. hæc lilia fuſcis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur ſtellata roſis; hæc alba liguſtris.
Te quoque flebilibus mœrens, Hyacinthe, figuris,
Narciſſúmque metunt, nunc inclyta germina veris,
Præſtantes olim pueros. tu natus Amyclis:
Hunc Helicon genuit. te diſci perculit error:
Hunc fontes decepit amor. te fronte retusâ
Delius, hunc fractâ Cephiſſus arundine luget.
Æſtuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ ſpes una Deæ. nunc vimine texto
Ridentes calathos ſpoliis agreſtibus implet:
Nunc ſociat flores, ſeſéque ignara coronat.
Augurium fatale tori. quin ipſa tubarum
Armorúmque potens, dextram, quâ fortia turbat
Agmina; quâ ſtabiles portas & mœnia vellit,
Jam levibus laxat ſtudiis, haſtámque reponit,
Inſolitíſque docet galeam miteſcere ſertis.
Ferratus laſcivit apex, horrórque receſſit
Martius, & criſtæ pacato fulgure vernant.
Nec, quæ Partheniam canibus ſcrutatur odorem,
Aſpernata choros, libertatémque comarum
Injectâ tantùm voluit frenare coronâ.
Talia virgineo paſſim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronáque viberatis radicibus oppida verti.
Cauſa latet. dubios agnovit ſola tumultus
Diva Paphi, miſtóque metu perterrita gaudet.
Jámque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, gravibúſque gementem
Enceladum calcabat equis. immania findunt
Membra rotæ, preſsâque gigas cervice laborat,
Sicaniam cum Dite ferens, tentátque moveri
Debilis, & feſſis ſerpentibus impedit axem.
Fumida ſulfureo prælabitur orbita dorſo.
Ac velut occultus ſecurum prodit in hoſtem
Miles, & effoſſi ſubter fundamina campi
Tranſilit eluſos arcano limite muros,
Turbáque deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros: ſic tertius hæres
Saturni latebroſa vagis rimatur habenis
Devia, fraternum cupiens exire ſub orbem.
Janua nulla patet. prohibebant undique rupes
Oppoſitæ, durâque Deum compage tenebant.
Non tulit ille moras, indignatúſque trabali
Saxa ferit ſceptro. Siculæ tonuere cavernæ.
Turbatur Lipare, ſtupuit fornace relictâ
Mulciber, & trepidus dejecit fulmina Cyclops.
Audiit; & ſi quem glacies Alpina coërcet,
Et qui te, Latiis nondum præcincte tropæis
Tibri, natat, miſſámque Pado qui remigat alnum.
Sic, cùm Theſſaliam ſcopulis incluſa teneret
Peneo ſtagnante palus, & merſa negarent
Arva coli, trifidâ Neptunus cuſpide montes
Impulit adverſos. tum forti faucius ictu
Diffiluit gelido vertex Oſſæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractóque meatu
Reduntur fluviíſque mari tellúſque colonis.
Poſtquam victa manu duros Trinacria nexus
Solvit, & immenſo latè diſceſſit hiatu:
Apparet ſubitus cælo timor. aſtra viarum
Mutavere fidem. vetito ſe proluit Arctos
Æquore. præcipitat pigrum formido Bootem.
Horruit Orion, audito palluit Atlas
Hinnitu. ruttilos obſcurat anhelitus axes
Diſcolor; & longâ ſolitos caligine paſci
Terruit orbis equos. preſſis hæſere lupatis
Attoniti meliore polo; rurſúſque verendum
In Chaos obliquo pugnant temone reverti.
Mox ubi pulſato ſenſerunt verbera tergo,
Et ſolem didicere pati: torrentiùs amne
Hyberno, tortâque ruunt perniciùs haltâ.
Quantùm non jaculum Parthi, non impetus Auſtri,
Non leve ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.
Sanguine frena calent: corrumpit ſpiritus auras
Letifer: infectæ ſpumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proſerpina curru,
Implorátque Deas. jam Gorgonos ora revelat
Pallas, & intento feſtinat Delia cornu:
Nec patruo cedunt. ſtimulat communis in arma
Virginitas, criménque feri raptoris acerbat.
Ille, velut ſtabuli decus armentíque juvencam
Cùm leo poſſedit, nudatáque viſcera fodit
Unguibus, & rabiem totos exegit in armos,
Stat craſsâ turpis ſanie, nodóſque jubarum
Excutit, & viles paſtorum deſpicit iras.
Ignavi domitor vulgi, tetterrime fratrum,
Pallas ait, quæ te ſtimulis facibúſque profanis
Eumenides movere? tuâ cur ſede relictâ
Audes Tartareis cælum inceſtare quadrigis?
Sunt tibi deformes Divæ: ſunt altera Lethes
Numina: ſunt triſtes Furiæ te conjuge dignæ.
Fratris linque domos: alienam deſere ſortem:
Nocte tuâ contentus abi. quid viva ſepultis
Admiſces? noſtrum quid proteris advena mundum?
Talia vociferans avidos tranſire minaci
Cornipedes umbone ferit, clypeíque retardat
Objice, Gorgoneíſque premens affibilat hydris,
Prætentâque operit criſtâ. libratur in ictum
Fraxinus, & nigros illuminat obvia currus.
Miſſâque penè foret, ni Jupiter æthere vulſo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,
Confeſſus ſocerum. nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.
Invitæ ceſſere Deæ. compeſcuit arcum
Cum gemitu, taléſque dedit Latonia voces.
Sis memor, ô, longúmque vale. reverentia patris
Obſtitit auxilio. nec nos defendere contrà
Poſſumus. imperio vinci majore fatemur.
In te conjurat genitor, populóque ſilenti
Traderis, heu, cupidas non adſpectura ſorores,
Æqualémque chorum. quæ te fortuna ſupernis
Abſtulit, & tanto damnavit ſidera luctu?
Jam neque Partheniis innectere retia luſtris,
Nec pharetram geſtare libet, ſecurus ubique
Spumet aper, ſævúmque fremant impune leones.
Te juga Taygeti, polito te Mænala flebunt
Venatu, mœſtóque diu lugebere Cyntho.
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.
Interea volucri fertur Proſerpina curru
Cæſariem diffuſa Noto, planctúque lacertos
Verberat, & queſtus ad nubila rumpit inanes.
Cur non torſiſti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela, pater? ſic me crudelibus umbris
Tradere, ſic toto placuit depellere mundo?
Nullâne te flectit pietas? nihilúmne paternæ
Mentis ineſt? tantas quo crimine movimus iras?
Non ego cùm rapido ſæviret Phlegra tumultu,
Signa Deis adverſa tuli: non robore noſtro
Oſſa pruinoſum vexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas, aut cujus conſcia noxæ
Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas, alii quaſcumque tulere
Raptores! ſaltem communi ſole fruuntur.
Sed mihi virginitas pariter cælúmque negatur:
Eripitur cum luce pudor: terríſque relictis
Servitum Stygio ducor captiva tyranno.
O malè dilecti flores, deſpectáque matris
Conſilia! ô Veneris deprenſæ ſeriùs artes!
Mater, iò, ſeu te Phrygiis in vallibus Idæ
Mygdonio buxus circumſonat horrida cantu,
Seu tu ſanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & ſtrictos Curetum reſpicis enſes,
Exitio ſuccurre meo: compeſce furentem:
Comprime ferales torvi prædonis habenas.
Talibus ille ferox dictis fletúque decoro
Vincitur, & primi ſuſpiria ſentit amoris.
Tunc ferrugineo lacrymas detergit amictu,

Et

Et placidâ mœſtum ſolatur voce dolorem:
Deſine funeſtis animum, Proſerpina, curis,
Et vano vexare metu. majora dabuntur
Sceptra, nec indigni tedas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Servit & immenſum tendit per inane poteſtas.
Amiſſum ne crede diem. ſunt altera nobis
Sidera; ſunt orbes alii; luménque videbis
Purius, Elyſiúmque magìs mirabere ſolem,
Cultoréſque pios. illìc pretioſior ætas,
Aurea progenies, habitant: ſempérque tenemus,
Quod Superi meruere ſemel. nec mollia deſunt
Prata tibi. Zephyris illìc melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Eſt etiam lucis arbor prædives opacis,
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.
Hæc tibi ſacra datur. fortunatúmque tenebis
Autumnum, & fulvis ſemper ditabere pomis.
Parva loquor. quidquid liquidus complectitur aër,
Quidquid alit tellus, quidquid ſalis æquora verrunt,
Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis
Lunari ſubjecta globo, qui ſeptimus auras
Ambit, & æternis mortalia ſeparat aſtris.
Sub tua purpurei venient veſtigia reges,
Depoſito luxu, turbâ cum paupere miſti.
Omnia mors æquat. tu damnatura nocentes:
Tu requiem latura pìis; te judice fontes
Improba cogentur vitæ commiſſa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas.
Sit fatum quodcumque voles. Hæc fatus ovantes
Exhortatur equos, & Tænara mitior intrat.
Conveniunt animæ, quantas truculentior Auſter
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.
Cunctáque præcipiti ſtipantur ſecula curſu
Inſignem viſura nurum. mox ipſe ſerenus
Ingreditur facili paſſus molleſcere riſu,
Diſſimiliſſque ſui. dominis intrantibus ingens
Aſſurgit Phlegethon. flagrantibus hiſpida rivis
Barba madet, totóque fluunt incendia vultu.
Occurrunt properi lectâ de plebe miniſtri.
Pars altos revocant currus, frenſſque ſolutis
Vertunt emeritos ad paſcua nota jugales.
Pars aulæa tenent. alii prætexere ramis
Limina, & in thalamis cultas extollere veſtes.
Reginam caſto cinxerunt agmine matres
Elyſiæ, teneróque levant ſermone timores,
Et ſparſos religant crines, & vultibus addunt
Flammea ſollicitum prævelatura pudorem.
Pallida lætatur regio, gentéſque ſepultæ
Luxuriant, epulíſque vacant genialibus Umbræ.
Grata coronati peragunt convivia Manes.
Rumpunt inſoliti tenebroſa ſilentia cantus.
Sedantur gemitus. Erebi ſe ſponte relaxat
Squalor, & æternam patitur rareſcere noctem:
Urna nec incertas verſat Minoïa ſortes,
Verbera nulla ſonant, nullóque frementia luctu
Impia dilatis reſpirant Tartara pœnis.
Non rota ſuſpenſum præceps Ixiona torquet:
Non aqua Tantaleis ſubducitur invida labris.
[Solvitur Ixion, invenit Tantalus undas.]
Et Tityos tandem ſpatioſos erigit artus:
Squalentiſque novem detexit jugera campi.
Tantus erat. lateríſque piger ſulcator opaci
Invitus trahitur laſſo de pectore vultur,
Abreptáſque dolet jam non ſibi creſcere fibras.
Oblitæ ſcelerum formidatíque furoris
Eumenides cratera parant, & vina feroci
Crine bibunt. flexíſque minis jam lenè canentes
Extendunt ſocios ad pocula plena ceraſtas,
Ac feſtas alio ſuccendunt lumine tedas.
Tunc & peſtiferi pacatum flumen Averni
Innocuæ tranſiſtis aves, flatúmque repreſſit
Amſanctus: tacuit fixo torrente vorago.
Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes
Lacte novo tumuiſſe ferunt, hederíſque virentem
Cocyton dulci perhibent undâſſe Lyæo.
Stamina nec rupit Lacheſis, nec turbida ſacris
Obſtrepitant lamenta choris. mors nulla vagatur
In terris, nullæque rogum planxere parentes.
Navita non moritur fluctu, non cuſpide miles.
Oppida funerei pollent immunia leti.
Impexámque ſenex velavit arundine frontem
Portitor, & vacuos egit cum carmine remos.
Jam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.
Ducitur in thalamum virgo. ſtat pronuba juxtà
Stellantes Nox picta ſinus, tangénſque cubile
Omina perpetuo genitalia fedære ſancit.
Exultant cum voce pii, Ditíſque ſub aulâ
Talia pervigili ſumunt exordia plauſu.
Noſtra parens Juno, túque ô germane Tonantis
Et gener, unanimi conſortia diſcite ſomni,
Mutuáque alternis innectite colla lacertis.
Jam felix oritur proles: jam læta futuros
Expectat Natura Deos. nova numina rebus
Addite, & optatos Cereri proferte nepotes.

LIBER TERTIUS.

JUPITER interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire jubet, totóque Deos arceſſere mundo.
Illa colorato Zephyros prælapſa volatu
Numina conclamat pelagi, Nymphaſque morantes
Increpat, & fluvios humentibus evocat antris.
Ancipites trepidíque ruunt, quæ cauſa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu.
Ut patuit ſtellata domus, conſidere juſſi.
Nec confuſus honos. Cæleſtibus ordine ſedes
Prima datur. tractum proceres tenuere ſecundum
Æquorei, placidus Nereus, & lucida Phorci
Canities. Glaucum ſeries extrema biformem
Accipit, & certo manſurum Protea vultu.
Nec non & ſenibus fluviis conceſſa ſedendi
Gloria. plebeìo ſtat cætera more juventus,
Mille amnes. liquidis incumbunt patribus udæ
Naïdes, & taciti mirantur ſidera Fauni.
Tum gravis ex alto genitor ſic orſus Olympo:
Abduxere meas iterum mortalia curas,
Jam pridem neglecta mihi, Saturnia poſtquam
Otia & ignavi ſenium cognovimus ævi;
Sopitóſque diu populos torpore paterno
Sollicitæ placuit ſtimulis impellere vitæ,
Incultis ne ſponte ſeges grandeſceret arvis,
Undaret neu ſylva favis, neu vina tumerent
Fontibus, & totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidem invideo; (nec enim liveſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe Deos) ſed quid diſſuaſor honeſti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes?
Provocet ut ſegnes animos, rerúmque remotas
Ingenioſa vias paullatim exploret egeſtas?
Utque artes pariat ſollertia, nutriat uſus?
Nunc mihi cum magnis inſtat Natura querelis
Humanum relevare genus, durúmque tyrannum
Immitémque vocat, regnatáque ſecula patri
Commemorat, parcúmque Jovem ſe divite clamat.
Cur campos horrere ſitu, dumíſque repleri
Rura velim, & nullis exornem fructibus annum?
Se jam, quæ genitrix mortalibus antè fuiſſet,
In diræ ſubitò mores transiſſe novercæ.
Quid mentem traxiſſe polo, quid profuit altum
Erexiſſe caput, pecudum ſi more pererrant
Avia, ſi frangunt communia pabula glandes?
Hæccine vita juvat ſylveſtribus addita luſtris,
Indiſcreta feris? tales cùm ſæpe parentis
Pertulerim queſtus, tandem clementior orbi
Chaonio ſtatui gentes avertere victu.
Atque adeò Cererem, quæ nunc ignara malorum
Verberat Idæos torvâ cum matre leones,
Per mare, per terras avido diſcurrere luctu
Decretum, natæ donec lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, currúſque feratur
Avius, ignotas populis ſparſurus ariſtas,
Et juga cærulei ſubeant Actæa dracones.
Quòd ſi quis Cereri raptorem prodere Divûm
Audeat: imperii molem, pacémque profundam
Obteſtor rerum, natus licèt ille, ſorórve,
Vel conjux fuerit, natarúmve agminis una,
Se licèt ille meo, conceptum vertice jactet,
Sentiet iratam procul ægida, ſentiet ictum
Fulminis, & genitum divinâ ſorte pigebit,
Optabítque mori: tunc vulnere languidus ipſi
Tradetur genero, paſſurus prodita regna,
Et ſciet an propriæ conſpirent Tartara cauſæ.
Hoc ſanctum. manſura fluant hôc ordine fata.
Dixit,

Dixit, & horrendo concuſſit ſidera motu.
At procul armiſoni Cererem ſub rupibus antri
Securam placidámque diu jam certa peracti
Terrebant ſimulacra mali, noctéſque timorem
Ingeminant, omniſque perit Proſerpina ſomno.
Namque modò adverſis invadi viſcera telis,
Nunc ſibi mutatas horret nigreſcere veſtes,
Nunc ſteriles mediis frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos quæ quondam fronde pudicâ
Umbrabat thalamos. hanc imâ ſtirpe reciſam
Vidit, & incomtos fœdari pulvere ramos.
Quærentíque nefas Dryades dixere gementes,
Tartareâ furias debellaviſſe bipenni.
Sed nunc ipſa, ſui jam non ambagibus ullis
Nuntia, materno facies ingeſta ſopori.
Namque videbatur tenebroſo obtecta receſſu
Carceris, & ſævis Proſerpina vincta catenis,
Non qualem Siculis olim mandaverat arvis,
Nec qualem roſeis nuper convallibus Ætnæ
Suſpexere Deæ. ſqualebat pulcrior auro
Cæſaries, & nox oculorum infecerat ignes.
Exhauſtúſque gelu pallet rubor. ille ſuperbi
Flammeus oris honos, & non ceſſura pruinis
Membra colorantur picei caligine regni.
Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoſcere viſu
Evaluit: cujus tot pœnæ criminis? inquit.
Unde hæc informis macies? cui tanta facultas
In me ſævitiæ eſt? rigidi cur vincula ferri
Vir aptanda feris molles meruere lacerti?
Tu, mea tu proles? an vanâ fallimur umbrâ?
Illa refert: Heu dira parens, natæque peremtæ
Immemor, heu fulvas animo tranſgreſſa leænas,
Tantáne te noſtri tenuere oblivia? tantùm
Unica deſpicior? certè Proſerpina nomen
Dulce tibi, tali quæ nunc, ut cernis, hiatu
Suppliciis incluſa teror. tu ſæva choreis
Indulges, Phrygiáſque etiamnum interſtrepis urbes.
Quòd ſi non omnem pepuliſti pectore matrem,
Si tu nota Ceres, & non me Caſpia tigris
Edidit: his oro miſeram defende cavernis,
Inque ſuperna refer. prohibent ſi fata reverti:
Vel ſaltem viſura veni. Sic fata trementes
Tendere conatur palmas. vis improba ferri
Impedit, & motæ ſomnum excuſſere catenæ.
Obriguit viſis. gaudet non vera fuiſſe,
Complexu caruiſſe dolet. penetralibus amens
Proſilit, & tali compellat voce Cybellen.
Jam non ulterius Phrygiâ tellure morabor,
Sancta parens. revocat tandem cuſtodia cari
Pignoris, & cunctis objecti fraudibus anni.
Non mihi Cyclopum quamvis extructa caminis,
Culmina fida ſatis. timeo, nec fama latebras
Prodiderit, leviúſque meum Trinacria celet
Depoſitum. terret nimiùm vulgata locorum
Nobilitas. aliis ſedes obſcurior oris
Exquirenda mihi. gemitu flammiſque propinquis
Enceladi nequeunt umbracula noſtra taceri.
Somnia quinetiam variis infauſta figuris
Sæpe monent, nullúſque dies non triſte minatur
Augurium, quoties flaventia ſerta comarum
Sponte cadunt: quoties exundat ab ubere ſanguis:
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,
Injuſſæque manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt:
Tympana ſi quatiam, planctus mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri!
Heu longæ nocuere moræ! Procul irrita venti
Dicta ferant, ſubicit Cybele: non tanta Tonanti
Segnities, ut non pro pignore fulmina mittat.
I tamen, & nullo turbata revertere caſu.
Hæc ubi, digreditur templis. ſed nulla ruenti
Mobilitas. tardos queritur non ire jugales.
Immeritáſque movens alterno verbere pennas
Sicaniam quærit, cùm necdum abſconderit Iden.
Cuncta pavet, ſperátque nihil. ſic æſtuat ales,
Quæ teneros humili fetus commiſerit orno
Allatura cibos, & plurima cogitat abſens:
Ne fragilem ventus diſcuſſerit arbore nidum:
Ne furtum pateant homini, neu præda colubris,
Ut domus excubiis incuſtodita remotis,
Et reſupinati neglecto cardine poſtes,
Flebilis & tacitæ ſpecies apparuit aulæ;
Non expectato reſpectu cladis, amictus
Conſcidit, & fractas cum crine avellit ariſtas.
Hæſerunt lacrymæ: non vox, non ſpiritus oris
Redditur, atque imis vibrat tremor oſſa medullis.
Succidui titubant greſſus, foribúſque reclutis,
Dum vacuas ſedes & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas,
Atque interceptas agnoſcit pectinis artes.
Divinus perit ille labor, ſpatiúmque relictum
Audax ſacrilego ſupplebat aranea textu.
Nec deſiet, plangítve malum: tamen oſcula telæ
Figit, & abrumpit mutas in fila querelas.
Attritóſque manu radios, projectáque penſa,
Cunctáque virgineo ſparſa oblectamina ludo,
Ceu natam, preſſat gremio: caſtúmque cubile
Deſertóſque toros, &, ſicubi ſederit olim,
Perlegit. attonitus ſtabulo ceu paſtor inani,
Cui pecus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infeſtavere caterva:
Serus at ille redit, vaſtatáque paſcua luſtrans
Non reſponſuros ciet implorátque juvencos.
Atque ibi ſecretâ tectorum in parte jacentem
Adſpicit Electram, natæ quæ ſedula nutrix
Oceani priſcas inter notiſſima Nymphas.
Par Cereri pietas. hæc poſt cunabula dulci
Ferre ſinu, ſummóque Jovi deducere parvam
Sueverat, & genibus ludentem aptare paternis.
Hæc comes, hæc cuſtos, hæc proxima mater haberi.
Tum laceras effuſa comas & pulvere canos
Sordida ſidereæ raptus lugebat alumnæ.
Hanc aggreſſa Ceres, poſtquam ſuſpiria tandem
Laxavit frenóſque dolor, Quod cernimus, inquit,
Excidium? cui præda feror? regnátne maritus?
An cælum Titanes habent? quæ talia vivo
Auſa Tonante manus; rupítne Typhœia cervix
Inarimen? fractáne jugi compage Veſevi
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena cucurrit?
An vicina mihi quaſſatis faucibus Ætna
Protulit Enceladum? noſtros an fortè penates
Appetiit centum Briareïa turba lacertis?
Heu, ubi nunc, ubi nata mihi? quò mille miniſtræ,
Quò Cyane! volucres quæ vis Sirenas abegit?
Hæccine veſtra fides? ſic fas aliena tueri
Pignora? Contremuit nutrix, mœrórque pudori
Ceſſit, & aſpectus miſeræ non ferre parentis
Emtum morte velit, longúmque immota moratur
Auctorem dubium certúmque expromere funus.
Vix tamen hæc: Acies utinam veſana Gigantum
Hanc dederit cladem! leviùs communia tangunt:
Sed Divæ, multóque minus quod rere, ſorores
In noſtras nimiùm conjuravere ruinas.
Inſidias Superûm, cognatæ vulnera cernis
Invidiæ. Phlegrâ nobis infenſior æther.
Florebat tranquilla domus, nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Præceptis obſtricta tuis. telæ labor illi,
Sirenes requies; ſermonum gratia mecum,
Mecum ſomnus erat, cautíque per atria ſudi.
Cùm ſubitò (quonam dubium monſtrante latebras
Reſcierit) Cytherea venit, ſuſpectáque nobis
Ne foret, hinc Phœben comites, hinc Pallada junxit.
Protinus effuſo lætam ſe fingere riſu,
Nec ſemel amplecti, noménque iterare ſororis,
Et durâ de matre queri, quæ tale receſſu
Maluerit damnare decus, vetitóque Dearum
Colloquio patriiſque procul mandaverit aſtris.
Noſtra rudis gaudere malis, & nectare largo
Inſtaurare dapes. nunc arma habitúmque Dianæ
Induitur, digitíſque attentat mollibus arcum.
Nunc crinita jubis galeam laudante Minervâ
Implet, & ingentem clypeum geſtare laborat.
Prima Venus campos Hennæáque rura maligno
Ingerit afflatu. vicinos callida flores
Ingeminat, meritúmque loci, velut inſcia, quærit.
Nec credit, quòd bruma roſas innoxia ſervet,
Quòd gelidi rubeant alieno germine menſes,
Verna nec iratum timeant virgulta Booten.
Dum loca miratur, ſtudio dum flagrat eundi,
Perſuadet. teneris, heu, lubrica moribus ætas!
Quos ego nequidquam planctus, quas irrita fudi
Ore preces? ruit ille tamen confiſa ſororum
Præſidio. famulæ longo pòſt ordine Nymphæ.
Itur in æterno veſtitos gramine campos,

Et

Et primâ ſub luce legunt, cùm rore ſereno
Albet ager; ſparſóſque bibunt violaria ſucco.
Sed poſtquam medio Sol inſtitit altior axi,
Ecce polum nox fœda rapit, tremefactáque nutat
Inſula cornipedum ſtrepitu, pulſúque rotarum.
Nôſſe nec aurigam licuit: ſeu mortifer æſtus,
Seu mors ipſa fuit. furor permanat in herbas.
Deficiunt rivi. ſqualent rubigine prata,
Et nihil afflatum vivit. pallere liguſtra,
Expirare roſas, decreſcere lilia vidi.
Ut rauco reduces tractu detorſit habenas,
Nox ſua proſequitur currum; lux redditur orbi,
Perſephone nuſquam. voto rediere peracto,
Nec manſere Deæ. mediis invenimus arvis
Exanimem Cyanen. cervix redimita jacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.
Aggredimur ſubitæ, & caſus ſcitamur heriles
(Nam propior cladi ſteterat,) quis vultus equorum?
Quis regat? illa nihil: tacito ſed læſa veneno
Solvitur in laticem. ſubrepit crinibus humor.
Liquitur, in rorémque pedes & brachia manant,
Noſtráque mox lambit veſtigia perſpicuus fons.
Diſcedunt aliæ. rapidis Acheloïdes alis
Sublatæ Siculi latus obſedere Pelori,
Accenſæque malo jam non impune canoras
In peſtem vertere lyras. vox blanda carinas
Alligat. audito frenantur carmine remi.
Sola domi luctu ſenium tractura relinquor.
Hæret adhuc ſuſpenſa Ceres, & ſingula demens,
Ceu nondum tranſacta timet: mox lumina torquens
Ultro in cælicolas furiato pectore ferri.
Arduus Hyrcanâ quatitur ſic matre Niphates,
Cujus Achæmenio regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques. fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totámque virentibus iram
Diſpergit maculis, jamjámque hauſura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter toto genitrix bacchatur Olympo;
Reddite, vociferans: non me vagus edidit amnis:
Non Dryadum de plebe ſumus: turrita Cybelle
Me quoque Saturno genuit. quò jura Deorum,
Quò leges abiere poli? quid vivere rectè
Proderit? en audet noti Cytherea pudoris
Oſtentare ſuos poſt Lemnia vincula vultus.
Hos animos bonus ille ſopor caſtúmque cubile
Præbuit? amplexus hos promeruere pudici?
Nec mirum, ſi turpe nihil poſt talia ducit.
Quid vos expertes thalami? tantûmne rélictus
Virginitatis honos? tantùm mutata voluntas?
Jam Veneri, & ſociis junctæ raptoribus itis?
O templis Scythiæ, atque hominum ſitientibus aris
Utraque digna coli! tanti quæ cauſa furoris?
Quam mea vel dicto tenui Proſerpina læſit?
Scilicet aut caris pepulit te, Delia, ſylvis:
Aut tibi commiſſas rapuit, Tritonia, pugnas.
An gravis alloquio? veſtros an fortè petebat
Importuna choros? atqui Trinacria longè,
Eſſet ne vobis oneri, deſerta colebat.
Quid latuiſſe juvat? rabiem livoris acerbi
Nulla poteſt placare quies. his increpat omnes
Vocibus. aſt illæ (prohibet reverentia patris)
Aut reticent, aut nôſſe negant, reſponſáque matri
Dant lacrymas. quid agat? rurſus ſe victa remittit,
Inque humiles demiſſa preces, Ignoſcite, ſi quid
Intumuit pietas: ſi quid flagrantiùs actum
Quàm decuit miſeram. ſupplex, dejectáque veſtris
Advolvor genibus. liceat cognoſcere ſortem.
Hoc tantúm. licuit certos habuiſſe dolores.
Scire peto quæ forma mali: quamcumque dediſtis
Fortunam, ſi nota, feram, fatúmque putabo,
Non ſcelus. adſpectum, precor, indulgete parenti.
Non repetam. quæſita manu ſecurus habeto
Quiſquis es. affirmo prædam. deſiſte vereri.
Quòd ſi nos aliquo prævenit federe raptor;
Tu certè, Latona, refer. confeſſa Diana
Fortè tibi. nôſti quid ſit Lucina, quis horror
Progenitis, & quantus amor. partúſque tuliſti
Tu geminos: hæc una mihi. ſic crine fruaris
Semper Apollineo, ſic me felicior ævum
Mater agas. largis tunc imbribus ora madeſcunt.
Quid tantum eſt dignum fleri, dignúmque taceri?
Hei mihi, diſcedum omnes. quid vana moraris
Ulteriùs? non bella palàm cæleſtia ſentis?
Quin potiùs natam pelago terráſque requiris?
Accingar luſtrare diem. per devia rerum
Indefeſſa ferar. nullâ ceſſabitur horâ.
Non requies, non ſomnus erit, dum pignus ademtum
Inveniam, gremio quamvis mergatur Iberæ
Tethyos, & rubro jaceat vallata profundo.
Non Rheni glacies, non me Rhipæa tenebunt
Frigora: non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæque nivalem
Veſtigare domum. primo calcabitur Atlas
Occaſu, facibúſque meis lucebit Hydaſpes,
Impius errantem videat per rura per urbes
Jupiter. extinctâ ſatietur pellice Juno.
Inſultate mihi: cælo regnate ſuperbi.
Ducite præclarum Cereris de ſtirpe triumphum.
Sic fatur, notæque jugis illabitur Ætnæ,
Noctivago tedas informatura labori.
Lucus erat prope flavum Acin, quem candida præfert
Sæpe mari, pulcróque ſecat Galatea natatu:
Denſus, & innexis Ætnæa cacumina ramis,
Quà libet uſque, tegens. illìc poſuiſſe cruentam
Ægida, captivámque patet poſt prælia prædam
Adveniſſe datur. Phlegræis ſylva ſuperbit
Exuviis, totúmque nemus victoria veſtit.
Hìc patuli rictus, hìc prodigioſa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur;
Affixæ truncis facies, immaniáque oſſa
Serpentum paſſim cumulis exanguibus albent,
Et rigidæ multo ſuſpirant fulmine pelles,
Nulláque non magni ſe jactat nominis arbor.
Hæc centumgemini ſtrictos Ægeonis enſes
Curvatâ vix fronte levat. liventibus illa
Exultat Cœi ſpoliis. hæc arma Mimantis
Suſtinet. hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior at cunctis abies ambroſíque latè
Ipſius Enceladi fumantia geſtat opima
Summi terrigenûm Regis, caderétque gravata
Pondere, ni laſſam fulciret proxima quercus.
Indè timor numénque loco, nemoríſque ſenectæ
Parcitur, ætheriſſque nefas nocuiſſe tropæis.
Paſcere nullus oves, nec robora lædere Cyclops
Audet, & ipſe fugit ſacrâ Polyphemus ab umbrâ.
Non tamen hôc tardata Ceres. accenditur ultro
Religione loci, vibrátque incerta ſecurim,
Ipſum etiam per itura Jovem. ſuccidere pinus,
Et magìs enodes properat proſternere cedros,
Explorátque habiles truncos, rectíſque tenorem
Stipitis, & certo prætentat brachia niſu.
Sic qui vecturam longinqua per æquora merces
Molitur tellure ratem, vitámque procellis
Objectare parat; fagos metitur & alnos,
Et varium rudîbus ſylvis accommodat uſum.
Quæ longa eſt, tumidis præbebit cornua velis:
Quæ fortis, malo potior: quæ lenta, favebit
Remigio: ſtagni patiens aptanda carinæ.
Tollebant geminæ capita inviolata cupreſſus
Ceſpite vicino; quales non rupibus Idæ
Miratur Simoïs; quales non divite ripâ
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeò credas: ſic frontibus æquis
Adſtant, & ſocio deſpectant vertice lucum.
Hæ placuere faces. pernix invadit utrámque
Cincta ſinus, exerta manus, armata bipenni:
Alternáſque ferit, totíſque obnixa trementes
Viribus impellit. pariter traxere ruinam,
Et pariter poſuere comam, campóque recumbunt,
Faunorum Dryadúmque dolor. complectitur ambas,
Sicut erant, altéque levat, retróque ſolutis
Crinibus adſcendit faſtigia montis anheli,
Exuperátque æſtus, & nulli pervia ſaxa,
Atque indignantes veſtigia calcat arenas.
Qualis peſtiferas animare ad crimina taxos
Torva Megæra ruit; Cadmi ſeu mœnia poſcat;
Sive Thyeſteis properet ſævire Mycenis.
Dant tenebræ, Manéſque locum, plantíſque reſultant
Tartara ferratis: donec Phlegethontis ad undam
Conſtitit, & plenos excepit lampade fluctus.
Poſtquam perventum ſcopuli flagrantis in ora;
Protinus arſuras adversâ fronte cupreſſos
Faucibus injecit mediis, latéque cavernas
Texit, & undantem flammarum obſtruxit hiatum.
Compreſſo mons igne tonat, clauſúſque laborat
Mulciber. obducti nequeunt hærere vapores.
Coniferi micuere apices: crevítque favillis
Ætna novis. ſtridunt admiſſo ſulfure rami.

Tum

Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes,
Semper inoccíduos insopitósque manere
Jussit, & arcano perfudit robora succo;
Quo Phaëthon irrorat equos, quo Luna juvencos.
Jámque soporíferas nocturna silentia terris
Explicuere vices. laniato pectore longas
Inchoat illa vias, & sic ingressa profatur.
Non tales gestare tibi, Proserpina, tedas
Sperabam: sed vota mihi communia matrum
Et thalami festæque faces, cælóque canendus
Ante oculos Hymenæus erat. sic Numina fatis
Volvimur, & nullo Lachesis discrimine sævit?
Quàm nuper sublimis eram, quantísque procorum
Cingebar studiis! quæ non mihi pignus ob unum
Cedebat numerosa parens? tu prima voluptas,
Tu postrema mihi: per te secunda videbar.
O decus, ô requies, ô grata superbia matris:
Quâ gessi florente Deam: quâ sospite nusquam
Inferior Junone fui: nunc squalida, vilis.
Hoc placitum patri. cur autem adscribimus illum
His lacrymis? ego te, fateor, crudelis ademi,
Quæ te deserui, solámque instantibus ultro
Hostibus exposui. raucis secura fruebar
Nimirum thiasis, & læta sonantibus arvis
Jungebam Phrygios, cùm tu raperere, leones.
Accipe, quas merui, pœnas. en ora fatiscunt
Vulneribus, grandésque rubent in pectore sulci.
Immemor en uterus crebro contunditur ictu.
Quâ te parte poli, quo te sub cardine quæram?
Quis monstrator erit? quæ me vestigia ducent?
Quis currus? ferus ipse quis est? terræne marísne
Incola? quæ volucrum deprendam signa rotarum.
Ibo, ibo quócumque pedes, quócumque jubebit
Casus. sic Venerem quærat deserta Dione.
Efficiétne labor? rursus te, nata, licebit
Amplecti? manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? an infelix talem fortasse videbo,
Qualis nocte venis? qualem per somnia vidi?
Sic ait, & primâ gressus molitur ab Ætnâ;
Exitiísque reos flores, ipsúmque rapinæ
Detestata locum sequitur dispersa viarum
Indicia, & pleno rimatur lumine campos,
Inclinátque faces. omnis perit orbita ictu.
Omnibus admugit, quácumque it in æthere, sulcis.
Annatat umbra fretis, extremáque lucis imago
Italiam Libyámque ferit. clarescit Etruscum
Litus, & accenso relúcent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit, canibúsque reductis
Pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat.

* * * *

Reliqua desiderantur.

GIGANTOMACHIA.

TERRA parens quondam cælestibus invida regnis,
Titanúmque simul crebros miserata dolores,
Omnia monstrifero complebat Tartara fetu,
Invisum genitura nefas: Phlegrámque retexit
Tantâ prole tumens, & in æthera protulit hostes.
Fit sonus: erumpunt Erebo, necdúmque creati
Jam dextras in bella parant, superósque lacessunt,
Stridula volventes gemino vestigia lapsu.
Pallescunt subitò stellæ, flectítque rubentes
Phœbus equos, docuítque timor revocare meatus.
Oceanum petit Arctos, inoccidúsque Triones
Occasum didicere pati. tum fervida natos
Talibus hortatur genitrix in prælia dictis:
O pubes domitura Deos, quodcumque videtis,
Pugnando dabitur. præstat victoria mundum.
Sentiat ille meas tandem Saturnius iras.
Agnoscat, quid Terra potest. sic viribus ullis
Vincor? cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullus Telluris honos? cur semper acerbis
Me damnis urgere solet? quæ forma nocendi
Defuit? hinc volucrem vivo sub pectore pascit
Infelix Scythicâ fixus convalle Prometheus.
Hinc Atlantis apex flammantia pondera sulcit,
Et per canitiem glacies asperrima durat.
Quid dicam Tityon, cujus, sub vultore sævo,
Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis?
Sed vos, ô tandem veniens exercitus ultor,
Solvite Titanas vinclis; defendite matrem.
Sunt freta, sunt montes. nostris ne parcite membris.
In Jovis exitium telum non esse recuso.
Ite, precor; miscete polum, rescindite turres
Sidereas, rapiat fulmen sceptrúmque Typhœeus.
Enceladi jussis mare serviat, alter habenas
Auroræ pro Sole regat. Te Delphica laurus
Stringat Porphyrion, Cirrhæáque templa teneto.
His ubi contiliis animos elusit inanes;
Jam credunt victisse Deos, mediísque revinctum
Neptunum traxisse fretis. hic sternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros divellere crines.
Hic sibi promittit Venerem. sperátque Dianæ
Conjugium, castámque cupit violare Minervam.
Interea Superos prænuntia convocat Iris,
Qui fluvios, qui stagna colunt. cinguntur & ipsi
Auxilio Manes. nec te, Proserpina, longè
Umbrosæ tenuere fores. Rex ille silentum
Lethæo vehitur curru, lucémque timentes
Insolitam mirantur equi, trepidóque volatu
Spissas cæruleis tenebras è naribus efflant.
Ac, velut hostilis cùm machina terruit urbem,
Undique concurrunt arcem defendere cives:
Haud secus omnigenis coëuntia numina formis,
Ad patrias venere domos. tum Jupiter infit:
O nunquam peritura cohors. ô debita semper
Cælo progenies, nullísque obnoxia fatis;
Cernitis ut nostrum Tellus conjuret in orbem
Prole novâ, dederítque alios interrita partus?
Ergo, quot dederit natos, tot funera matri
Reddamus. longo maneat per secula luctu,
Tanto pro numero paribus damnata sepulcris.
Jam tuba nimborum sonuit: jam signa ruendi
His æther, his terra dedit: confusáque rursus
Pro domino Natura timet. discrimina rerum
Miscet turba potens. nunc insula deserit æquor:
Nec scopuli latuere mari. quot litora restant
Nuda? quot antiquas mutárunt flumina ripas?
Hic rotat Æmonium præduris viribus OEten:
Hìc juga connixis manibus Pangæa coruscat.
Hunc armat glacialis Athos: hôc Ossa movente
Tollitur. hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit,
Et socias truncavit aquas, summâque levatus
Rupe Giganteos humeros irrorat Enipeus.
Subsidit patulis tellus sinè culmine campis,
In mátos divitìa suos. horrendus ubique
It fragor, & pugnæ spatium discriminat aër.
Primus terrificum Mavors non segnis in agmen
Odrysios impellit equos, quibus ille Gelonos,
Sive Getas turbare solet. splendentior igni
Aureus ardescit clypeus, galeámque nitentes
Arrexere jubæ. tunc concitus ense Pelorum
Transfigit adverso, femorum quà fine volutus
Duplex semiferis connectitur ilibus anguis,
Atque uno ternas animas interficit ictu.
Tum superinsultans avidus languentia curru
Membra terit, multúmque rotæ sparsere cruorem.
Occurrit pro fratre Mimas, Lemnúmque calentem
Cum Lare Volcani spumantibus eruit undis.
Et propè torsisset, si non Mavortia cuspis
Antè revelato cerebrum fudisset ab ore.
Ille viro toto moriens, serpentibus imis
Vivit adhuc stridore ferox, & parte rebelli
Victorem post fata petit. Tritonia virgo
Prosilit, ostendens rutilâ cum Gorgone pectus,

Adspectu

Adſpectu contenta ſuo, non utitur haſtâ.
Nam ſatis eſt vidiſſe ſemel. primúmque furentem
Longiùs in faciem ſixi Pallanta reformat.
Ille, procul ſubitis fixus ſinè vulnere nodis,
Ut ſe letifero ſenſit durescere viſu,
(Et ſteterat jam penè lapis) Quò vertimur? inquit:
Quæ ſerpit per membra ſilex? qui torpor inertem
Marmoreâ me peſte ligat? vix pauca locutus,
Quod timuit, jam totus erat, ſævúſque Damaſtor,
Ad depellendos jaculum dum quæreret hoſtes,
Germani rigidum miſit pro rupe cadaver.
Hic verò interitum fratris miratus Echion,
Inſcius auctorem dum vult tentare nocendo,
Te, Dea, reſpexit, ſolam quam cernere nulli
Bis licuit. meruit ſublata audacia pœnas,
Et didicit cum morte Deam. ſed turbidus irâ
Palleneus oculis adversâ tuentibus atrox,
Ingreditur, cæcáſque manus in Pallada tendit.
Hunc mucrone ferit Dea cominus: ac ſimul angues
Gorgoneo riguere gelu, corpúſque per unum
Pars moritur ferro, partes periere videndo.
Ecce autem medium ſpiris dilapſus in æquor
Porphyrion trepidam conatur rumpere Delon,
Scilicet ad ſuperos ut torqueat improbus axes.
Horruit Ægæus: ſtagnantibus exilit antris
Longævò cum patre Thetis, deſertáque manſit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placidæ Cynthi de vertice Nymphæ:
Nymphæ, quæ rudibus Phœbum docuere ſagittis
Errantes agitare feras, primúmque gementi
Latonæ ſtruxere torum, cùm lumina cæli
Parturiens geminis ornaret fœtibus orbem.
Implorat Pæana ſuum conterrita Delos,
Auxiliúmque rogat. Si te gratiſſima fudit
In noſtros Latona ſinus, ſuccurre precanti.
En iterum convulſa feror.

* * *

Reliqua deſiderantur.

ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ

ἐκ τ̃ γιγαντομαχίας.

Κύπεις δ' ἔτι βίλῳ οἴεν ὑδ' ὅπλων ἀλλ' ἐκίμιζεν
Ἀγλαΐην θεμίτη χδ ἐπ' ὄμμασιν ἄγχιλον αὐδὴν,
Πρῶτα μ' ἀπλειτὰς σιερὸν διακείνατο χαίτας,
Καὶ πλικτὰς ἴσριγξε σιυκτῷ σιειπλίσμαῖι σιυρὰς,
Στίλβει δ' ὀφθαλμῶν ἐχλὶς ὑσπγεφλαλο παυδὸς,
Λεπτὰς εὐανίμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνας.
Πορφυρέων δ' ὑ κεύπλειν ὑῤ ὤμασιν ἀνθεα μάζων,
Ὅμμαλος ὡς ἄγχιν ἁπλισμένω ἴχε χδ αὐτὴ
Πλέξμα κόμης, δόμου μαζὸν, ἐσρῦν βίλος. ἀσπίδα κάλλῳ.
Ὅπλα μέλη, διλσπτεσν ἐν ἄλγεσιν· ὡ δέ τις αὐτῇ
Ὄμμα βάλη, δίδμηλο.

EPISTOLÆ.

Deprecatio ad Hadrianum, Præfectum Prætorio.

USQUE adeóne tuæ producitur impetus iræ?
Nullus erit finis lacrymis? ſubitíſne favorem
Permutas odiis? quò mens ignara nocendi,
Quò ſenſus abiere pii? tantúmne licebit
Invidiæ? tantum ſtrepitus valuere maligni?
Me dolor incautum, me lubrica duxerit ætas,
Me tumor impulerit, me devius egerit ardor:
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanæ Superos numquam tetigere querelæ,
Nec vaga ſecurum penetrant convitia cælum.
Exceſſit jam pœna modum. concede jacenti.
En adſum, & veniam, confeſſus crimina, poſco.
Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.
Ultrices Furias matris placavit Oreſtes.
Reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces.
Pellæum juvenem Regum flexere ruinæ;
Darium famulis manibus doluiſſe peremptum
Fertur, & ingenti ſolatus fata ſepulcro:
Tradita captivo ſpatioſior India Poro.
Conditor hic patriæ. ſic hoſtibus ille pepercit.
Hunc virtus tua digna ſequi. quemcumque Deorum
Læſimus, inſultet jugulo, paſcátque furorem.
Gratia defluxit. ſequitur feralis egeſtas.
Deſolata domus. caris ſpoliamur amicis.
Hunc tormenta necant: hic undique truditur exul.
Quid ſupereſt damnis? quæ ſæva pericula reſtant?
Prætereunt ſubjecta feræ: mortíſque facultas
Emollit rabiem prædæ: torvíque leones
Quæ ſtraviſſe calent, eadem proſtrata relinquunt.
Nec niti bellantis gaudet cervice juvenci
Nobiliore fames. ſecuit naſcentia fata
Livor, & ingeſto turbavit gaudia luctu.
Jam jam ſuppliciis feſſos, humiléſque ſerenus
Reſpice. quid tantâ dignaris mole clientem?
In brevibus numquam ſeſe probat Æolus antris:
Nec capit anguſtus Boreæ certamina colliſ.
Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina laſſat.
Incubuit numquam cæleſtis flamma ſalictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.
Hoc pro ſupplicibus ramis, pro fronde Minervæ,
Hoc carmen pro ture damus. miſerere tuorum.
Me, precor, heu me redde mihi! gravibúſque medere
Vulneribus, vitámque jube famámque reverti.
Quæ per te cecidit, per te fortuna reſurgat.
Sanus Achilleâ remeavit Telephus haſtâ;
Cujus pertulerat vires, & ſenſit in uno
Letalem placidámque manum. medicina per hoſtem
Contigit, & pepulit, quos fecerat ipſe, dolores.
Quòd ſi nec precibus, fletu nec frangeris ullo,
Eripe calcatis non proſpera cingula Muſis.
Eripe militiam. comitem me pelle ſodalis.
Scilicet inſignes de paupere vate triumphos!
Scilicet egregiis ornabere victor opimis!
Irruat in miſeros cognata potentia cives.
Audiat hoc commune ſolum, longéque carinis
Nota Pharos, flentémque attollens gurgite vultum
Noſtra gemat Nilus numeroſis funera ripis.

Ad Serenum.

ORphea cùm primæ ſociarent lumina tedæ,
Ruráque compleret Thracia feſtus Hymen:
Certavere feræ picturatæque volucres,
Dona ſuo vati quæ potiora darent.
Quippe antri memores, cautes ubi ſæpe ſonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ,
Caucaſeo cryſtalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondere fulva ſoli.
Furatæ Veneris prato per inane columbæ
Florea connexis ſerta tulere roſis,
Fractáque nobilium ramis electra ſororum
Cycnus oloriferi vexit ab amne Padi.
Et Nilo Pygmæa grues poſt bella remenſo
Ore legunt rubri germina cara maris.
Venit & extremo Phœnix longævus ab Euro,
Apportans unco cinnama rara pede.
Nulla avium pecudúmque fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale lyræ.
Tunc opibus, totóque Heliconis ſedula regno
Ornabat propriam Calliopea nurum.
Ipſam præterea dominam ſtellantis Olympi
Ad nati thalamos auſa rogare parens.
Nec ſprevit Regina Deum, vel matris honore,
Vel juſto vatis ducta favore pii.
Qui ſibi carminibus toties luſtraverat aras,
Junonis blandâ numina voce canens,

Pralia

Prœliáque altiſoni referens Phlegræa mariti,
Titanum fractas Enceladíque minas:
Ilicet adventu noctem dignata jugalem
Addidit augendis munera ſacra toris:
Munera mortales non admittentia cultus:
Munera, quæ ſolos fas habuiſſe Deos.
Sed quod Threïcio Juno placabilis Orphei,
Hoc poteris votis eſſe, Serena, meis.
Illius expectent famulantia ſidera nutum:
Sub pedibus regitur terra fretúmque tuis.
Non ego, cùm peterem ſolenni more procorum,
Promiſi gregibus paſcua plena meis:
Nec quòd mille mihi lateant ſub palmite colles,
Fluctuet & glaucâ pinguis oliva comâ:
Nec quod noſtra Ceres numeroſâ falce laboret,
Auratæque ferant culmina celſa trabes.
Suffecit mandâſſe Deam, tua litera nobis
Et pecus, & ſegetes, & domus ampla, fuit.
Inflexit ſoceros, & majeſtate petendi
Texit pauperiem nominis umbra tui.
Quid non perficeret ſcribentis voce Serenæ
Vel genius regni, vel pietatis amor?
Atque utinam ſub luce tui contingeret oris,
Conjugis & caſtris, & ſolio generi,
Optatum celebrare diem! me jungeret auſpex
Purpura; me ſancto cingeret aula choro!
Et, mihi quam ſcriptis deſponderat antè, puellam
Conjugiis eadem pronuba dextra daret!
Nunc medium quoniam votis majoribus æquor
Invidet, & Libycæ diffidet ora plagæ:
Saltem abſens, Regina, fave, reditúſque ſecundos
Annue ſidereo læta ſupercilio.
Terrarum tu pande vias: tu mitibus Euris
Æquora pacari proſperiora jube.
Ut tibi Pierides, doctúmque fluens Aganippe,
Debita ſervato vota cliente canant.

Ad Olybrium.

QUid rear, affatus quòd non mihi dirigis ullos,
Nec redit alterno pollice ducta ſalus?
Scribendíne labor? ſed quæ tam prona facultas
Carmina ſeu fundis, ſeu Cicerona tonas?
Cedere divitiis animi fortuna fatetur,
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui ſcripta ferat? quin tempore nullo
Ceſſant Flaminiæ pulverulenta viæ.
Cùm ſtuat ingenium, cùm ſit qui dicta reportet;
Quæ, niſi contemnor, cauſa relicta tibi?
Deſpicis ergo tuum, ſi fas eſt credere, vatem;
Perfidus & ſpatio debilitatur amor?
Excidimúſne tibi? lucem jam condet Hydaſpes,
Et Tarteſſiaco, Sol, oriere vado:
Candeſcet Geticis Meroë converſa pruinis,
Claráque ſe vetito prolnet Urſa mari:
Et ſi jam noſtros faſtidit Olybrius ignes,
Conſtat Oreſteam nil valuiſſe fidem.
Quin, age, rumpe moras, remoraturúſque ſodalem
Abſens eloquio fertiliore doce.
Crebráque ſecundos feſtinet littera curſus,
Labris atque animis inſinuanda meis.
Dignatus tenui Cæſar ſcripſiſſe Maroni
Et tibi dedecori non mea Muſa. Vale.

Ad Probinum, ut ſcribat.

QUem precor inter nos habitura ſilentia finem?
Quando dabit caras littera grata vices?
Me timidum, vel te potiùs diziſſe ſuperbum
Convenit? alterius crimen utrumque tenet.
Tranſfluxere dies, & dum ſcripſiſſe priorem
Pœnitet, æternas itur in uſque moras.
Sed quid agam? cœpiſſe vetat reverentia veſtri.
Hinc amor hortatur ſcribere. vincat amor.
Fors juvat audentes, Cæſi ſententia vatis.
Hâc duce non dubitem te reticente loqui.
Audax ut, ſiquidem penitus peccâſſe videbor,
Arguar, ingrati non ſubiturus onus.
Romanos bibimus primùm te Conſule fontes,
Et Latiæ ceſſit Graia Thalia togæ;
Incipiénſque tuis à faſcibus omnia cœpi,
Fatáque debebo poſteriora tibi.
Ergo laceſſitus tandem reſcribe roganti;
Et patriâ florens ſorte, Probine, vale.

Ad Gennadium ex Proconſule.

ITaliæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama ſecunda fori:
Graiorum populis, & noſtro cognite Nilo.
Utraque gens faſces horret, amátque tuos.
Carmina jejunas poſcis ſolantia fauces?
Teſtor amicitiam, nulla fuiſſe domi.
Nam mihi mox nidum pennis confiſa relinquunt,
Et Lare contento non reditura volant.

EIDYLLIA.

PHOENIX.

CEANI ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurúmque viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis, vicináque verbera ſentit,
Humida roranti reſonant cùm limina curru,
Unde rubet ventura dies, longéque coruſcis
Nox affata rotis refugo palleſcit amictu.
Hæc fortunatus nimiùm Titanius ales
Regna colit, ſolúſque plagâ defenſus iniquâ
Poſſidet intactas ægris animalibus oras;
Sæva nec humani patitur contagia mundi:
Par volucer Superis: Stellas qui vividus æquat
Durando, membríſque terit redeuntibus ævum,
Non epulis ſaturare famem, non fontibus allis
Aſſuetus prohibere ſitim: ſed purior illum
Solis fervor alit, ventoſáque pabula libat
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.
Arcanum radiant oculi jubar. igneus ora
Cingit honos. rutilo cognatum vertice ſidus
Attollit criſtatus apex, tenebráſque ſerenâ
Luce ſecat: Tyrio pinguntur crura veneno.
Antevolant Zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, ſparſóque ſuper diteſcit in auro.
Hic neque concepto fetu, nec ſemine ſurgit:
Sed pater eſt proléſque ſui, nullóque creante
Emeritos artus fecundâ morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.
Namque ubi mille vias longinqua retorſerit æſtas,
Tot ruerint hyemes, toties ver curſibus actum,
Quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras:
Tum multis gravior tandem * ſubjungitur annis,
Luſtrorum numero victus, ceu laſſa procellis
Ardua Caucaſio nutat de vertice pinus
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.
Pars cadit aſſiduo flatu: pars imbre pereſa
Rumpitur: arripuit partem vitioſa vetuſtas.
Jam breve decreſcit lumen, languétque ſenili,
Segnis ſtilla gelu: qualis cùm fortè tenetur
Nubibus, & dubio vaneſcit Cynthia cornu.
Jam ſolitæ medios alæ tranſcurrere nimbos,
Vix imâ tolluntur humo. tunc conſcius ævi
Defuncti, reduceſque parans exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretioſâ fronde Sabæum
Componit buſtúmque ſibi partúmque futurum.
Hic ſedet, & blando Solem clangore ſalutat
Debilior, miſcétque preces, ac ſupplice cantu
Præſtatura novas vires incendia poſcit.
Quem procul adductis vidit cùm Phœbus habenis,

Stat

Stat ſubitò, dictíſque piam ſolatur alumnam:
O ſenium poſiture rogo, falsíſque ſepulcris
Natales habiture vices, qui ſæpe renaſci
Exitio, proprióque ſoles pubeſcere leto,
Accipe principium rurſus, corpúſque coactum
Deſere. mutatâ melior procede figurâ.
Hæc fatus, properè flavis è crinibus unum
Concuſsâ cervice jacit, miſſóque volentem
Vitali fulgore ferit. jam ſponte crematur,
Ut redeat, gaudétque mori feſtinus in ortum.
Fervet odoratus telis cæleſtibus agger,
Conſumítque ſenem. nitidos ſtupefacta juvencos
Luna premit, pigróſque polus non concitat axes.
Parturiente rogo curas natura laborat,
Æternam ne perdat avem, flammáſque fideles
Amovet, ut rerum decus immortale remittant.
Continuò diſperſa vigor per membra volutus
Æſtuat, & venas recidivus ſanguis inundat.
Victuri cineres nullo cogente moveri
Incipiunt, plumâque rudem veſtire favillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc proſilit idem,
Succedítque novus. geminæ confinia vitæ
Exiguo medius diſcrimine ſeparat ignis.
Protinus ad Nilum Manes ſacrare paternos,
Auctorémque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre juvat. velox alienum tendit in orbem,
Portatis gamineo clauſum velamine funus.
Innumeræ comitantur aves, ſtipántque volantem
Alituum ſuſpenſa cohors. exercitus ingens
Obnubit vario laté convexa meatu.
Nec quiſquam tantis è millibus obvius audet
Ire duci: ſed regis iter fragrantis adorant.
Non ferus accipiter, non armiger ipſe Tonantis
Bella movent. commune facit reverentia fœdus.
Talis barbaricas flavo de Tigride turmas
Ductor Parthus agit: gemmis & divite cultu
Luxurians ſertis apicem regalibus ornat.
Auro frenat equum, perfuſam murice veſtem
Aſſyriâ fignatur acu, tumidúſque regendo
Celsâ per famulas acies ditione ſuperbit.
Clara per Ægyptum placidis notiſſima ſacris
Urbs Titana colit, centúmque accline columnis
Invehitur templum Thebæo monte revulſis.
Illìc, ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem, vultúmque Dei veneratus herilem
Jam flammæ commendat onus: jam deſtinat aris
Semina relliquiáſque ſui. myrrhata relucent
Limina. divino ſpirant altaria fumo.
Et Peluſiacas productus aduſque paludes
Indus odor penetrat nares, complétque ſalubri
Tempeſtate viros, & nectare dulcior aura
Oblia nigrantis Nili ſeptena vaporat.
O felix, hæréſque tui. quo ſolvimur omnes,
Hoc tibi ſuppeditat vires. præbetur origo
Per cinerem. moritur te non pereunte ſenectus.
Vidiſti quodcumque fuit. te ſecula teſte
Cuncta revolvuntur. nôſti quo tempore pontus
Fuderit elatas ſcopulis ſtagnantibus undas:
Quis Phaëthonteis erroribus arſerit annus.
Et clades te nulla rapit, ſolúſque ſuperſtes
Edomitâ tellure manes. non ſtamina Parcæ
In te dura legunt: non jus habuere nocendi.

HYSTRIX.

AUdieram, memorande, tuas, Stymphale, volucres
Spicula vulnifico quondam ſparſiſſe volatu:
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Viſa diu. datur ecce fides, & cognitus Hyſtrix
Herculeas affirmat aves. os longius illi
Aſſimilat porcum. mentitæ cornua ſetæ
Summâ fronte rigent. oculis rubet igneus ardor.
Parva ſub hirſuto catuli veſtigia dorſo.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præſidio dignata feram. ſtat corpore toto
Sylva minax. jaculíſque rigens in prælia creſcit
Picturata ſeges, quorum cute fixa tenaci
Altera ſubtraxit, alternantéſque colorum
Tincta vices, ſpatiis internigrantibus, exit
In ſolidæ ſpeciem pinnæ, tenuatáque furtim
Lævis in extremum ſeſe producit acumen.
Sed non hæc acies ritu ſylveſtris echini
Fixa manet. crebris propugnat jactibus ultro,
Et longè ſua membra tegit, tortúmque per auras
Evolat excuſſo nativum miſſile tergo.
Interdum fugiens Parthorum more ſequentem
Vulnerat. interdum, poſitis velut ordine caſtris,
Terrificum densâ mucronem verberat undâ,
Et conſanguineis haſtilibus aſperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibratáque ranco
Terga fragore ſonant. ſtimulis accenſa tuberum
Agmina collatis credas confligere ſignis.
Tantus in angusto ſtrepitus furit. additur armis
Calliditas, parcúque ſui tumor, iráque numquam
Prodiga telorum, cautè contenta minari,
Nec niſi ſervandæ jactus impendere vitæ.
Error abeſt, certum ſollertia deſtinat ictum,
Nil ſpatio fallente modum: ſervátque tenorem
Mota cutis, coactíque regit conamina nisûs.
Quid labor humanus tantum ratione ſagaci
Proficit? eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua. ſubjectis eadem lenteſcere cogunt
Ignibus. intendunt taurino viſcere nervos.
Inſtruitur pinnis, ferróque armatur arundo.
Ecce brevis propriis munitur bellua telis,
Externam nec quærit opem. fert omnia ſecum.
Se pharetrâ, ſeſe jaculo, ſeſe utitur arcu.
Unum animal cunctas bellorum poſſidet artes.
Quòd ſi omnis noſtræ paullatim induſtria vitæ
Fluxit ab exemplis; quidquid procul appetit hoſtem,
Hinc reor inventum: morem hinc traxiſſe Cydonas
Bellandi, Parthóſque retro didiciſſe ferire
Prima ſagittiferæ pecudis documenta ſecutos.

TORPEDO.

QUis non indomitam diræ Torpedinis artem
Audiit, & merito ſignatas nomine vires?
Illa quidem mollis, ſegnique obnoxia tractu
Reptat, & attritis vix languida ſerpit arenis.
Sed latus armavit gelido natura veneno.
Et frigus, quo cuncta rigent animata, medullis
Miſcuit, & propriæ hyemes per viſcera duxit.
Naturam juvat ipſa dolis, & conſcia ſortis
Utitur ingenio, longéque extenta per algas
Hâc confiſa jacet, ſucceſſu læta reſurgit,
Et vivos impune ferox depaſcitur artus.
Si quando veſtita cibis incautior æra
Hauſerit, & curvis frenari ſenſerit hamis;
Non fugit, aut vano conatur vellere morſu:
Sed propiùs nigræ jungit ſe callida ſetæ;
Et meminit captiva ſui, longéque per undas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per ſetam vis alta meat, fluctúſque relinquit,
Abſentem tentura virum. metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſecutus
Tranſit arundineos arcano frigore nodos,
Victricémque ligat concreto ſanguine dextram.
Damnoſum piſcator onus prædámque rebellem
Jactat, & amiſsâ redit exarmatus avenâ.

NILUS.

FElix, qui Pharias proſcindit vomere terras.
Nubila non ſperat tenebris condentia cælum;
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variatâ luce rubentem.
Ægyptos ſinè nube ferax, imbréſque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti:
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Nilóque redundant:
Qui rapido tractu mediis elatus ab antris,
Flammigeræ patiens zonæ Cancríque calentis,
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet; nec contigit ulli
Hoc vidiſſe caput: fertur ſinè teſte creatus,
Flumina profundens alieni conſcia cæli.
Indè vago lapſu Libyam diſperſus in omnem
Æthiopum per mille ruit nigrantia regna,
Et loca continuo Solis damnata vapore
Irrorat, populíſque ſalus ſitientibus errat,
Per Meroën, Blemyáſque feros, atrámque Syenen.
Hunc bibit infrenis Garamas, domitórque ferarum
Girrhæus, qui vaſta colit ſub rupibus antra,
Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos;
Et gens compoſitis crinem vallata ſagittis.
Nec verò ſimiles cauſas creſcentibus undis,
Aut tempus, meruit. glacie non ille ſolutâ,
Nec circumfuſo ſcopulis exuberat imbre.
Nam cùm triſtis hyems alias produxerit undas,
Tunc Nilum retinent ripæ. cùm languida ceſſant

Flumina

Flumina, tunc Nilus mutato jure tumescit.
Quippe quod ex omni fluvio spoliaverit æstas,
Hôc Nilo natura refert, totúmque per orbem
Collectæ partes unum revocantur in amnem.
Quóque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venásque calore
Compescit, radiisque potentibus æstuat axis;
Nilo bruma vehit contraria tempora mundo.
Defectis solitum referens cultoribus æquor
Effluit Ægeo stagnantior, acrior alto
Ionio, sesèque patentibus explicat arvis.
Fluctuat omnis ager. remis sonuere novales
Sæpius, æstivo jaceat cùm fortè sopore,
Cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

***

MAGNES.

QUisquis sollicità mundum ratione secutus
Semina rimatur rerum, quo Luna laborat
Defectu, quæ causa jubet pallescere solem,
Unde rubescentes ferali crine cometæ,
Unde fluant venti, trepidæ quis viscera terræ
Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
Unde tonent nubes, quo lumine floreat arcus:
Hæc mihi quærenti, si quid deprendere veri
Mens valet, expediam. lapis est cognomine Magnes,
Decolor, obscurus, vilis. non ille repexam
Cæsariem Regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec insigni splendet per cingula morsu:
Sed nova si nigri videas miracula saxi,
Tum pulcros superat cultus, & quidquid Eois
Indus litoribus rubrâ scrutatur in algâ.
Nam ferro meruit vitam, ferrique rigore
Vescitur. hoc dulces epulas, hoc pabula novit.
Hinc proprias renovat vires: hinc fusa per artus
Aspera secretum servant alimenta vigorem.
Hôc absente perit. tristi morientia torpent
Membra fame, venásque sitis consumit apertas.
Mavors, sanguineâ qui cuspide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una Deis: sed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more sacerdos.
Ducit flamma choros. festâ frondentia myrto
Limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt
Floribus, & thalamum dotalis purpura velat.
Hîc mirum consurgit opus. Cytherea maritum
Sponte rapit, cælisque toros imitata priores
Pectora lascivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum suspendit onus, galeæque lacertos
Implicat, & vivis totum complexibus ambit.
Ille laceffitus longo spiraminis actu
Arcanis trahitur gemmâ de conjuge nodis.
Pronuba fit natura Deis, ferrúmque maritat
Aura tenax. subitis sociantur Numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhela silex, & amicam saucia sentit
Mate.iam, placidósque chalybs cognoscit amores.
Sic Venus horrificum belli compescere Regem,
E vultu mollire solet, cùm sanguine præceps
Æstuat, & strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, solvítque tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur, pugnásque calentes
Deserit, & rutilas declinat in oscula cristas.
Quæ tibi, sæve puer, non est permissa potestas?
Tu magnum superas fulmen, cælóque relicto
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Jam gelidas rupes, vivóque carentia sensu
Membra feris. jam saxa tuis obnoxia telis,
Et lapides suus ardor agit, ferrúmque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

APONUS.

FOns, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi,
Fatáque vicinis noxia pellis aquis,
Cùm tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cùm tibi Phœbeus carmina dictet honos,
Et sit nulla manus, cujus non pollice ductæ
Testentur memores prospera vota notæ;
Nónne reus Musis pariter Nymphísque tenebor,
Si tacitus soli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas est tacitúmque relinqui
Hunc, qui tot populis pervolat ora, locum.
Alto colle minor: planis erectior arvis,
Conspicuo clivus molliter orbe tumet.
Ardentis fecundus aquæ, quácumque cavernas
Perforat, offenso truditur igne, latex.
Spirat putre solum, conclusáque subter anhelo
Pumice limosas perforat unda vias.
Humida flammarum regio, Vulcania terræ
Ubera, sulfureæ fervida regna plagæ.
Quis sterilem non credat humum? fumantia vernant
Pascua: luxuriat gramine cocta silex.
Et cùm sic rigidæ cautes fervore liquescant,
Contemtis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effosso marmore sulci
Saucia longinquo limite saxa secant.
Herculei (sic fama refert) monstratur aratri
Semita, vel casus vomeris egit opus.
In medio pelagi latè flagrantis imago,
Cærulus immenso panditur ore lacus,
Ingenti fusus spatio: sed major in altum
Intrat, & arcanæ rupis inane subit
Densus nube suâ, tactúque immitis, & haustu:
Sed vitreis idem lucidus usque vadis.
Consuluit natura sibi, ne mersa lateret,
Admisítque oculos, quò vetat ire calor.
Turbidus impulsu venti cùm spargitur aër,
Glaucáque fumiferæ terga serenat aquæ.
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi:
Tunc veteres hastæ regia dona micant:
Quas inter nigræ tenebris obscurus arenæ
Discolor abruptum flumen hiatus agit.
Apparent infrà latebræ, quas gurges opacus
Implet, & abstrusus ducit in antra sinus.
Tunc montis secreta patent; qui flexus in arcum
Æquora pendenti margine summa ligat.
Viva coronatos adstringit scena vapores,
Et levis exili cortice terra natat,
Calcantúmque oneri numquam cessura virorum
Sustentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas, sic leves circuit oras
Ambitus, & tenuis perpetuúsque riget.
Hærent stagna lacu plenas æquantia ripas,
Præscriptúmque timent transiluisse modum:
Quod superat, fluvius devexâ rupe volutus
Egerit, & campi dorsa recurva petit.
Devehit exceptum nativo spina meatu.
In patulas plumbi labitur indè vias.
Nullo cum strepitu madidísque infecta favillis
Despumat niveum fistula cana salem.
Multifidas dispergit opes, artémque secutus
Quà jussere manus, mobile torquet iter,
Et junctos rapido pontes subtermeat æstu,
Afflatósque vago temperat igne tholos.
Acrior interius rauci cum murmure saxi
Spumeus elisо pellitur amne vapor.
Hinc pingues repetunt fessi sudore lacunas:
Frigora aquis longæ blanda dedere moræ.
Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ:
Dardanii salve gloria magna soli:
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præsens numen, inemta salus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et nostro Phlegethon devius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus seu decidit amnis,
Accensúsque fluit, quod manifestat odor:
Sive pari flammas undarum lance rependens,
Arbiter in fedus mons elementa vocat:
Ne cedant superata sibi; sed legibus æquis
Alterius vires possit utrumque pati:
Quidquid erit causæ, quocumque emitteris ortu,
Non sinè consilio currere certa fides.
Quis casum meritis adscribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc statuisse Deos?
Ille pater rerum, qui secula dividit astris,
Inter prima poli te quoque sacra dedit,
Et fragilem nostri miseratus corporis usum
Telluri medicas fundere jussit aquas,
Precarúmque colos exoratura severas
Flumina laxatis emicuere jugis.
Felices, proprium qui te meruere, coloni,
Fas quibus est Aponon juris habere sui.
Non illis terrena lues, corrupta nec Austri
Flamina, nec sævo Sirius igne nocet.

Sed

Sed quamvis Lachesis letali ſtamine damnet,
Indè ſibi ſati proſperiora petunt.
Quod ſi fortè malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viſcera felle virent,
Non venas reſerant, nec vulnere vulnera ſanant,
Pocula nec triſti gramine miſta bibunt.
Amiſſum lymphis reparant impune vigorem,
Pacatúrque ægro luxuriante dolor.

De piis fratribus, & eorum ſtatuis, quæ ſunt apud Casinum.

ADſpice ſudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos ſemper honore coli.
Juſta quibus rapidæ ceſſit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces.
Complexi manibus fultos cervice parentes,
Attollant vultus, acceleréntque gradus.
Grandævi geminâ ſublimes prole feruntur,
Et carâ natos implicuere morâ.
Nónne vides, ut ſæva ſenex incendia monſtret?
Ut trepido genitrix invocet ore Deos?
Erexit formido comam, pérque omne metallum
Fuſus in attonito palluit ore tremor.
In juvenum membris animoſus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impavidúſque ſui.
Rejectæ vento chlamydes, dextram exerit ille,
Contentus lævâ ſuſtinuiſſe patrem.
Aſt illi duplices in nodum colligit ulnas
Cautior in ſexu debiliore labor.
Hoc quoque præteriens oculis ne fortè relinquas,
Artificis tacitæ quod meruere manus.
Nam conſanguineos eadem cùm forma figuret,
Hîc propior matri ſit tamen, ille patri.
Diſſimiles animos ſolertia temperat artis.
Alter in alterius redditur ore parens.
Et nova germanis paribus diſcrimina præbens,
Diviſit vultus cum pietate faber.
O bene naturæ memores, documenta ſuperne
Juſtitiæ, juvenum lumina, vota ſenum:
Qui ſpretis opibus medios properâſtis in ignes
Nil præter ſanctam tollere canitiem.
Haud equidem immerito tantâ virtute repreſſas
Enceladi fauces obriguiſſe reor.
Ipſe redundantem frenavit Mulciber Ætnam,
Læderet exempli ne monumenta pii.
Senſerunt elementa fidem. pater affuit æther,
Terráque maternum ſedula juvit onus.
Quòd ſi notus amor provexit in aſtra Laconas,
Æneam Phrygio raptus ab igne pater;
Si vetus Argolicos illuſtrat gloria fratres,
Qui ſua materno colla dedere jugo;
Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
Æternùm Siculus templa dicavit honos?
Plura licèt ſummæ dederit Trinacria laudi,
Noverit hôc majus ſe genuiſſe nihil:
Nec doleat damnis, quæ devius intulit ardor:
Nec gemat exuſtas igne furente domos.
Non potuit pietas flammâ ceſſante probari.
Emtum eſt ingenti clade perenne decus.

EPIGRAMMATA.

De Mulabus Gallicis.

ADSPICE morigeras Rhodani torrentis alumnas
Imperio nexas, imperióque vagas,
Diſſona quàm varios flectant ad murmura curſus,
Et certas adeant voce regente vias:
Quamvis quæque ſibi longis diſcurrat habenis,
Et pateant duro libera colla jugo;
Ceu conſtricta tamen ſervit, patiénſque laborum
Barbaricos docili concipit aure ſonos.
Abſentis longinqua valent præcepta magiſtri
Frenorúmque vicem lingua virilis agit.
Hæc procul anguſtat ſparſas, ſpargítque coactas,
Hæc fiſtit rapidas; hæc properare facit.
Læva jubet? lævo deducunt limite greſſum.
Mutavit ſtrepitum? dexteriora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
Exutæ laqueis, ſub ditione tamen.
Conſenſúque pares, & fulvis pellibus hirtæ
Eſſeda concordes multiſonora trahunt.
Miraris, ſi voce feras pacaverit Orpheus,
Cùm pronas pecudes Gallicaverba regant?

De ſene Veronenſi, qui ſuburbium unquam egreſſus eſt.

FElix, qui patriis ævum tranſegit in agris,
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem:
Qui baculo nitens, in quâ reptavit arenâ,
Unius numeret ſecula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claſſica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis
Adſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule, computat annum:
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idémque reducit,
Metitúrque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Æquævúmque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacúmque putat litora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmíſque lacertis
Ætas robuſtum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

De Apro, & Leone.

TOrvus aper, fulvúſque leo coïere ſuperbis
Viribus: hic ſetâ, ſavior ille jubâ.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat. dominatur uterque
Montibus. Herculeus ſudor uterque fuit.

Deſcriptio armenti; Fragmentum.

NON tales quondam ſpecies tulit armentorum
Tellus tergemino ſubdita Geryoni.
Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
Tarpeio referunt quos pia vota Jovi.
Non talis Tyrias ſpartiſſe juvencus arenas
Dicitur, optatum quando revexit onus.
Non Cretæus ager, nec amati conſcia tauri
Gnoſſos, nec ſimiles paverit Ida feras.
Ipſe & diſpariles monſtro commiſſus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore novo.
Cres puer haud talem potuiſſet reddere formam,
Præſtarent totum ſi fera membra patrem.

Concha.

TRanſferat hinc liquidos fontes Heliconia Naïs,
Et patulo conchæ divitis orbe fluat.
Namque latex, doctæ qui laverit ora Serenæ,
Ultra Pegaſeas numen habebit aquas.

De Cryſtallo, cui aqua inerat.

POſſedit glacies naturæ ſigna prioris:
Et fit parte lapis, frigora parte negat.
Sollers luſit hyems, imperfectóque rigore
Nobilior, vivis gemma tumeſcit aquis.

De eodem.

LYmphæ, quæ tegitis cognato corpore lymphas,
Et quæ nunc eſtis, quæque fuiſtis aquæ,
Quod vos ingenium vinxit? quâ frigoris arte
Torpuit, & maduit prodigioſa ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus clauſtris arcano mobilis æſtu
Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?

De eodem.

SOlibus indomitum glacies Alpina rigorem
Sumebat nimio jam pretioſa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam:
Sed medio manſit proditor orbe latex.
Auctus honos, liquidi creſcunt miracula ſaxi,
Et conſervatæ plus meruiſtis aquæ.

De eodem.

ADſpice porrectam ſplendenti fragmine venam:
Quâ trahitur limes lucidioro gelu.
Hic nullum Boream, nec brumam ſentit opacus
Humor, ſed varias ſtque redſtque vias.
Non illum conſtrinxit hyems, non Sirius ardens.
Ætatis ſpatium non tenuavit edax.

De eodem.

CLauditur immunis convexo tegmine rivus,
Duratiſque vagus fons operitur aquis.
Nónne vides, propriis ut ſpumet gemma lacunis,
Et refluos ducant pocula viva ſinus,
Udáque pingatur radiis obſtantibus Iris,
Secretas hyemes ſollicitante die?
Mira ſilex, mirúſque latex qui flumina vincit,
Nec lapis eſt meritò, quod fluit, & lapis eſt.

De eodem.

DUM cryſtalla puer contingere lubrica gaudet,
Et gelidum tenero pollice verſat onus;
Vidit perſpicuo deprenſas marmore lymphas,
Dura quibus ſolis parcere novit hyems:
Et ſiccum relegens labris ſitientibus orbem
Irrita quæſitis oſcula figit aquis.

De eodem.

MArmoreum ne ſperne globum. ſpectacula tranſit
Regia, nec rubro vilior iſte mari.
Informis glacies, ſaxum rude, nulla figuræ
Gratia: ſed raras inter habetur opes.

Ἐπι περὶ αὐλῶ.

Χιονίη κρύσταλλος ὑπ' ἀνέρος ἀσκηθῶσα
Δῶξεν ἀκηράσιον παγετώδεα κόσμον
Θερμὸν ἀγκὰς ἰχνεύσα βαρύκλυτον ἴνδοθι πόντου.

Ἐτι περὶ αὐτῶ.

Εἰτ' ἄγε μοι κρύσταλλε, λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ,
Τίς σῆξεν; Βορέης. ἢ τίς ἕλυσε, Νότος.

Εἰς μιμάδα γηράσασαν.

Μαχλὰς ἐυκρόταλοισιν ἀνυάζετα χορείαις,
Δίζυγα παλλομένοισι τυπάνμασι χαλκὸν ἀράσσῃ,
Τῆς μὲν ἀπωκλίπτων πολιὴν τείχα γείτονα μοίρης,
Ἡλεμάτοις ἀκτῖσι χαρίσσεται ὁμμαθ' αὕρῃ.
Ψευδομένων δ' ἱδρῶτα κατίγραφεν ἄχεος αἰδὼς,
Αγλαΐη σίψασα νόθῃ κεκαλυμμένα μῆλα.

Εἰς δῶλον τυπληθέντα παρ' αὐτῶ.

Ἔδρην χαλκεόπεζαν ἐπὶ στερφύγεσι λιπαῖνῶ
Ἑστήκει θεράπων τις ὑπὲρ νώτοιο μεμαρπώς,
Οὐδ' ἤθελε μογέουσι ποδῶν ἐπιδάδην ἀοιδάς.
Τύπτε μοι δώρηξεν ἰὼν πολύμηλις ἀνάγκη.

In Sphæram Archimedis.

JUpiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad Superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerúmque fidem, legéſque Deorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.
Jámque ſuum volvens audax induſtria mundum
Gaudet, & humanâ ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parva reperta manus.

De Polycaſte, & Perdice.

QUid non ſævus amor flammarum numine cogat?
Sanguinis affectu mater amare timet.
Pectore dum niveo puerum tenet anxia nutrix,
Illicitos ignes jam fovet ipſa parens.
Ultrices pharetras tandem depone Cupido.
Conſule jam Venerem, forſan & ipſa dolet.

De zonâ equi regii, miſſâ Honorio Aug. à Serenâ.

ACcipe parva tuæ, Princeps venerande, ſororis
Munera, quæ manibus texuit ipſa ſuis.
Dúmque auro phaleræ, gemmis dum frena renident,
Hâc uterum zonâ cinge frementis equi.
Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis;
Turbidus Argæâ ſeu nive lavit Halys;
Sanguineo virides morſu vexare ſmaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere toro.
O quantùm formæ ſibi conſcius erigit armos,
Spargit & excuſſis colla ſuperba jubis!
Angeſcit brevitas doni pietate Serenæ,
Quæ volucres etiam fratribus ornat equos.

De zonâ ab eâdem miſſâ Arcadio Aug.

STamine reſplendens, & mirâ textilis arte
Balteus alipedis regia terga liget,
Quem decus Eoo fratri, pignúſque propinqui
Sanguinis Heſperio miſit ab orbe ſoror.
Hôc latus adſtringi velox optaret Arion;
Hôc proprium vellet cingere Caſtor equum.

De chlamyde & fremis.

NON ſemper clypei metuendum gentibus orbem
Dilecto ſtudioſa parens fabricabat Achilli:
Lemnia nec ſemper ſupplex ardentis adibat
Antra Dei nato galeam factura comantem:
Sed placidos etiam cinctus, & mitis pacis
Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
Conſpicuus Reges inter fulgeret Achivos.
Ipſa manu chlamydes oſtro texebat & auro,
Frenáque, quæ volucrem Xanthum Baliúmque decerent,
Æquore quæſitis onerabat ſedula gemmis.
At tibi diverſis, Princeps altiſſime, certant
Obſequiis ſoceri. Stilico Mavortia confert
Munera, barbaricas ſtrages, Rhenſque triumphos.
Reginæ contenta modum ſervare Serena,
In tua ſollicitas urget velamina telas.

De freno, phaleris, & cingulo equi Honorii, à Serenâ miſſis.

OFelix ſonipes, cui tanti frena mereri
Numinis, & ſacris licuit ſervire lupatis:
Seu tua per campos vento juba luſit Iberos:
Seu te Cappadocum gelidâ ſub valle natantem
Argææ lavere nives: ſeu lata ſolebas
Theſſaliæ rapido perſtringere paſcua curſu:
Accipe regales cultus, & crine ſuperbus
Erecto virides ſpumis perfunde ſmaragdos.
Luxuriet tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos jam purpura veſtiat armos,
Et medium te Zona liget variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ.

Perſa-

Digitized by Google

Perſarum gentile decus. ſic quippe laborat
Maternis ſtudiis, nec dedignatur equeſtres
Moliri phaleras genero latura decorem

Deprecatio ad Alethium quæſtorem.

SIC non Æthiopum campos æſtate perarem,
Non Scythico brumam ſub Jove nudus agam:
Sic non imbriferam noctem ducentibus Hædis
Ionio credam turgida vela mari:
Sic non Tartareo Furiarum verbere pulſus
Irati lædam carmina grammatici:
Nulla meos traxit petulans audacia ſenſus,
Liberior ſolito nec mihi lingua fuit.
Verſiculos, fateor, non cautâ voce notavi,
Heu miſer ignorans quàm grave crimen erat!
Orpheos alii libros impune laceſſunt,
Nec tua ſecurum te, Maro, fama vehit.
Ipſe parens vatum princeps Heliconis Homerus
Judicis excepit tela ſevera noti.
Sed non Virgilius, ſed non accuſat Homerus,
Neuter enim quæſtor, pauper uterque fuit.
En moveo plauſus, en pallidus omnia laudo;
Et clarum repeto térque quatérque ſophos.
Ignoſcat placidus tandem, flatúſque remittat,
Et tuto recitet quod libet ore: placet.

In Curetium.

FAllaces vitreo ſtellas componere mundo,
Et vaga Saturni ſidera ſæpe queri,
Venturúmque Jovem paucis promittere nummis,
Cureti genitor noverat Uranius.
In prolem dilata ruunt perjuria patris,
Et pœnam merito filius ore luit.
Nam ſpurcos avido lambit meretricis hiatus,
Conſumens luxu, flagitiiſque domum.
Et quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refundit opes.

In eundem.

SI tua, Cureti, penitus cognoſcere quæris
Sidera, patre tuo certiùs ipſe loquar.
Quòd furis, adverſi dedit inclementia Martis:
Quòd procul à Muſis, debilis Arcas erat:
Quòd turpem pateris jam cano podice morbum,
Femineis ſignis Luna, Venúſque fuit.
Attrivit Saturnus opes. hôc prorſus in uno
Hæreo, quæ cunnum lambere cauſa facit.

In Jacobum, Magiſtrum equitum.

PER cineres Pauli, per cani limina Petri,
Ne laceres verſus, dux Iacobe, meos:
Sic tua pro clypeo ſuſtentet pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomæus eat:
Sic ope ſanctorum non barbarus irruat Alpes:
Sic tibi det vires ſancta Suſanna ſuas.
Sic quicumque ferox gelidum tranaverit Iſtrum,
Mergatur; volucres ceu Pharaonis equi:
Sic Geticas ultrix feriat rhomphæa catervas,
Romanáſque regant proſpera tela manus:
Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum,
Atque tuam vincant dolia fuſa ſitim:
Sic nunquam hoſtili maculetur ſanguine dextra.
Ne laceres verſus, dux Iacobe, meos.

Rimanti telum ira facit.

IN jaculum quodcumque gerit dementia mutat.
Omnibus armatur rabies pro cuſpide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera ſævit.
Pro telo geritur, quidquid ſuggeſſerit ira.

In Podagrum.

QUÆ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas?
Scandere qui neſcis, verſiculos laceras.
Claudicat hic verſus, hæc, inquit, ſyllaba nutat,
Atque nihil prorſus ſtare putat podager.

De Theodoro, & Hadriano.

MAllius indulget ſomno noctéſque diéſque.
In ſomnis Pharius ſacra, profana, rapit.
Omnibus hoc, Italæ gentes, expoſcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

Ad Æternalem.

QUidquid Caſtalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quidquid fatidico mugit cortina receſſu,
Carmina ſunt: ſed verba negant communia Muſæ.
Carmina ſola loquor. ſic me meus implet Apollo.

Ad Maximum, qui mel miſit.

DUlcia dona mihi tu mittis, Maxime, ſemper,
Et quidquid mittis, mella putare decet.

De Locuſtâ; Fragmentum.

HOrret apex capitis: medio fera lumina ſurgunt
Vertice. cognatus dorſo dureſcit amictus.
Armavit natura cutem, dumíque rubentes
Cuſpidibus parvis multos acuere rubores.

De Balneis Quintianis.

FOntibus in liquidis paullùm requieſce, viator,
Atque tuum rurſus carpe refectus iter.
Lympharum dominum nimiùm miraberis, hoſpes,
Inter dura vix balnea qui poſuit.

Deſcriptio Portûs Smyrnenſis.

URbs in conſpectu montana cacumina velat,
Tranquillo prætenta mari. ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Claditur, & placidam diſcit ſervare quietem.

Eſt in conſpectu longè locus.

EST procul ingenti regio ſummota receſſu
Inſula, quæ reſides fluctus miteſcere cogit,
In longum producta latus; fractáſque per undas
Ardua tranquillo curvantur brachia portu.

De Quadrigâ marmoreâ.

QUis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribúſque lupatis
Unanimes frenantur equi. quos forma diremit,
Materies cognata tenet, diſcrimine nullo.
Vir redit in currum: ducuntur ab axe jugales:
Ex alio ſe quiſque facit. quæ tanta poteſtas?
Una ſilex tot membra ligat, ductáſque per artem
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

Fragmentum.

SOrdidus ex humeris nodo dependet amictus,
Exercentur equis, & colla comantia pectunt.

De Paupere amante.

PAupertas me ſæva domat, diráſque Cupido.
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

De eodem.

ESuriens pauper telis incendor amoris,
Inter utrumque malum diligo pauperiem.

In ſepulcrum Speciosæ.

PUlcris ſtare diu Parcarum lege negatur.
Magna repentè ruunt: ſumma cadunt ſubitò.
Hic formoſa jacet Veneris ſortita figuram,
Egregiúmque decus invidiam meruit.

De Birro Caſtoreo.

NOminis umbra manet veteris. nam dicere Birrum,
* Si Caſtor niteat, Caſtoreum nequeo. *

Sex emtus ſolidis, quid ſit, jam ſcire poteſtis.
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

CARMEN PASCHALE.

CHriſte potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox ſummi ſenſúſque Dei: quem fudit ab altâ
Mente Pater, tantíque dedit conſortia regni.
Impia qui noſtræ domuiſti crimina vitæ,
Paſſus corporeâ mundi veſtire figurâ,
Affárſque palam populos, hominémque fateri:
Quémque utero incluſum Mariæ, mox numine viſo
Virginei tumuere ſinus, innuptáque Mater
Arcano ſtupuit compleri viſcera partu,
Auctorem paritura ſuum. mortalia corda
Artificem texere poli, mundíque repertor
Pars fuit humani generis; latuítque ſub uno
Pectore, qui totum latè complectitur orbem;
Et, qui non ſpatiis terræ, non æquoris undâ,
Non capitur cælo, parvos confluxit in artus.
Quin & ſupplicii nomen, nexúſque ſubiſti,
Ut nos ſubriperes leto, mortémque fugares
Morte tuâ: mox ætherias evectus in auras,
Purgatâ repetis lætum tellure parentem.
Auguſtum foveas, feſtis ut ſæpe diebus
Annua ſinceri celebret jejunia ſacri.

Εἰς τ̀ Σατὴρ.

Ὦ τυφὸς ἀνθρείοις σοφὸν ἀδῖνα φυλάσσων,
Ἐμβρίθειαν κλαυσὶν παλινδίνητον ἀνάγκαν,
Χειρὶ διαῤῥήτοιο βίᾳ συρίζοι πνοιὴ,
Πατρὸς ἀσημάντοιο θεῦ πρωτόσπορε φωνὴ,
Ὃς μέγα μητρώων ταμίης ἐλαύνετα φάρξαι,
Καὶ γόνῳ αὐτοτέλεστον ἀνυμρίδτων ὑμεναίων
Στήσας ἀτρυγέτης γενετῆς ἐτερόρρυτα λύσας,
Ὠγύγια δ' ἀῤῥώστων χειτῶν ψευδάνυμα λύσας,
Αἰθέρῳ ἀμφιβίβηκας ἰῷ ἐπλάζωτον ὀχῆα,
Ἀγγελικαῖς πλεύγεσσιν ἐν ἀῤῥήτοισι θαάσσων.
Ἰλαὸν παγγενέταο θεῦ πρεσβήϊον ὄμμα.
Φημὶ βίᾳ, σῶτερ μεγάτως, αἰῶνι ἀνάσσων.

Εἰς τ̀ Διαπότιον Χριστόν.

Ἀετιζωὶς πολιῆχι, παλαιγενὲς, ᾗ ῥεοτῆι,
Λαὸν ἐὸν περάσαντι, ὑπερτατε ὕδατι Χειτὶ
Ἀθανάτοιο πατῆρος, ᾧ ἀμύχανον πάμπαν ὕμνοις.

Laus Chriſti.

PRoles vera Dei, cunctíſque antiquior annis,
Nunc genitus, qui ſemper eras, lucíſque repertor
Antè tuæ, matríſque parens: quem milit ab aſtris
Æquævus Genitor, verbíque in ſemina fuſum
Virgineos habitare ſinus, & corporis arcti
Juſſit inire vias, parvàque in ſede morari:
Quem ſedes non ulla capit: qui lumine primo
Vidiſti quidquid mundo naſcente creâras.
Ipſe opifex, opus ipſe ſui, dignatus iniquas
Ætatis ſentire vices, & corporis hujus
Diſſimiles perferre modos, hominémque ſubire,
Ut poſſis monſtrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varii ſollertia mundi,
Pectora tam multis ſineret mortalia ſeclis
Auctorem neſcire ſuum. te conſcia partûs
Mater, & attoniti pecudum ſenſere timores.
Te nova ſollicito luſtrantes ſidera viſu
In cælo videre priùs, luménque ſecuti,
Invenere magi. tu noxia pectora ſolvis,
Elapſáſque animas in corpora functa reducis,
Et vitam remeare jubes. tu lege recepti
Muneris, ad Manes penetras, mortíſque latebras
Immortalis adis. naſci tibi nam fuit uni
Principium, finíſque mori: ſed nocte refuſâ,
In cælum, Patrémque redis, rurſúſque perenni
Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu ſolus, Patríſque comes: tu Spiritus inſons,
Et toties unus, tripliciſque in nomine ſimplex.
Quid, niſi pro cunctis, aliud? quis credere poſſit,
Te potuiſſe mori, poteras qui reddere vitam?

Miracula Chriſti.

ANgelus alloquitur Mariam, quo præſcia verbo
Concipiat, ſalvâ virginitate, Deum.
Dant tibi Chaldæi præruntia munera Reges,
Myrrham homo, rex aurum, ſuſcipe tura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Chriſtus:
Quo primùm facto ſe probat eſſe Deum.
Quinque explent panes, piſces duo, millia quinque:
Et Deus ex parvo plus ſupereſſe jubet.
Editus ex utero cæcus nova lumina ſenſit,
Et ſtupet ignotum ſe meruiſſe diem.
Lazarus è tumulo, Chriſto inclamante, reſurgit,
Et duræ mortis lex reſoluta perit.
Nutantem quatit unda Petrum: cui Chriſtus in alto
Et dextrâ greſſus firmat, & ore fidem.
Exanguis Chriſti contingit femina veſtem;
Stat cruor in venis: fit medicina fides.
Juſſus poſt multos graditur paralyticus annos,
Mirandum, lecti portitor ipſe ſui.

In Sirenas.

DUlce malum pelago Siren, volucréſque puellæ,
Scyllæos inter fremitus, avidámque Charybdin
Muſica ſaxa fretis habitabant dulcia monſtra.
Blanda pericla maris; terror quoque gratus in undis.
Delatis licèt huc incumberet aura carinis,
Implêſſéntque ſinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox una ratem: nec tendere certum
Delectabat iter reditus, odiúmque juvabat:
Nec dolor ullus erat. mortem dabat ipſa voluptas.

ANONYMI POETÆ
LAUDES HERCULIS.

PIERIDUM columen, cujus Parnaſſia magno
Numine templa ſonant, læto, precor, huc age, Phœbe,
Te conjunge choro penetralia facta ſororum,
Et nova Caſtalios latices per rura petentum
Hippocrenæum victorem inſiſtere fontem
Me fac. namque tuam non nunc novus advena turbam
Ingredior, lauróſque gerens, & florea ſertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum.
Teſtor adhuc veteres quamvis deſuetus honores.
Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi poſt viſcera Numen,
Semper ob immenſos invicti roboris æſtus.
Nec naſci potuiſſe vacat. nam lucis in ipſis,
Inclyte, principiis, tardo vix editus ortu
Feciſti de patre fidem. ſed cur mihi lentis
Ludis adhuc Cyrrhea modis, tenerúmque reſultans
Luxuriante leves impellis pollice chordas?
Pone habitum, quo mollis amas: & frondis amatæ
Linque nemus, molliſque exutus tempora lauro
Populeâ mecum carmen luctare ſub umbrâ.
Jam grave plùs etiam, quàm ventris tempora vellent,
Alcmenam tendebat onus. ſed regia Juno
Impedit, & partus prohibet, naſcíque vetabat,
Ut metus ipſe Deum monſtret. nec vivida cæli
Semina

Digitized by Google

Semina mortales nôrunt ſentire latebras,
Nec poſſunt ſufferre moras. datur indè noverca
Materies, gravibúſque odis augmenta miniſtras,
Quòd vinci cœpiſſe pudet. mox improba binos
In tua membra jubet, dum naſceris, ire dracones,
Incumbunt celeres illi, ſquamoſáque juſſus
Armat colla furor: nec quamvis maxima tractu
Tardantur ſpiris. ſequitur pars cætera pectus.
Triſtis Tartareâ vibratur ſibilus aurâ.
Morte rubent oculi, triſidíſque horrentia linguis
Ora ſonant, nigrúmque fremens levat ira venenum.
Quid nunc invictis fraudes innectere fatis,
Cælicolûm Regina, juvat? cur objicis angues?
Cur parvo geminos? ánne unum poſſe necari
Jam ſtrato Pythone times? licèt omnia mundi
Monſtra voces, ipſáſque armes ſerpentibus Hydram,
Defendet natura Deum, patrémque probabit,
Quod non vis conſtare, Jovem. jámque irrita tetri
Juſſa parant implere angues, miſeróque furore
In tua fata tument: cernit tua membra petentes,
Horreſcítque parens, numénque ignara creâſſe
Mortali pietate timet. Nil ſancta ſuperbæ
Pellicis inſidias cælo modò freta tremiſcas,
Néve hæc monſtra tibi faciant, Alcmena, pavorem.
Sic mater potes eſſe Dei, jam tolle ſerenum
Læta animum, tantóque libens hæc adſpice vultu,
Ut deceat genuiſſe Jovem. depone timorem
Indignum partu, natum quæ exemplar habebas.
Cui metuis, nil ipſe timet. nam numine recto
Rideba tu, Dive, trucéſque, animóſque ſuperbos
De genitore tues, votíſque aptiſſimus orbis
Gaudebas tantam jam tum meruiſſe novercam.
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et quamvis teneris, cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens prenſos tellure dracones.
Efferat ætherеum quantum volet orbis in axem
Latoïdas, veróique probet ſua fabula Divos,
Quòd Delo jam ſtare licèt. non æqua laborum
Gloria, nec parili ſerpentes ſorte necárunt.
Illi unum ferro: geminos hic inermis, & unus.
His cœptis non ulla parat cunabula partus
Diva tibi. ſed cùm totis jam bruma rigeret
Imbribus, & ſolidis hærerent flumina lymphis,
Nudum prægelidis durando firmat in undis.
Utque rudis primo tentâſti robore greſſus,
Frondoſæ deſerta vagus penetralia ſylvæ
Securâ jam matre petis, telíſque tremendis
Ludis, & ætherias adducto dejicis arcu,
Aut fundâ violenter aves, noctémque ſub aſtris
Exigis, & puram fractis bibis amnibus undam.
Immanem interea Nemeæ per luſtra leonem
Ipſa Chimæræâ cretum de gente noverca
In tua depaſtis armabat vota juvencis,
Augebátque fero vires, rabiémque juvabat,
Naturam minus eſſe putans. heu quanta virorum
Funera! quàm multos ſtravit cum dentibus apros!
Non illum magnæ viduatis montibus urbes
Armorum fregere minis, Martíque domando
Aſſuetas morſu fudit graviore catervas.
Hunc gravis Euryſtheus (nam, te quocúmque levares,
Imperium duri voluit ſufferre tyranni,
Sic mundo fortuna faveps) hunc ſternère leto
Imperat. At nullum virtus retiecnda per ævum,
Dignáque ſidereos poſt membra intrare receſſus
Poſſe mori quàm vile putat: namque impiger ultro
Vadis & immenſæ ſcrutatus devia ſylvæ
In nova ſanguineos armantem vulnera rictus,

* * * * * *

Admonitâ feritate, jubâ, viſúque cruentus
Excuſſis movet arma toris, dubiúmque reſidens
Infremit, invadis trepidum, ſolíſque lacertis
Grandia corripiens eliſo guttura morſu,
Imbellem fractis proſternis faucibus hoſtem.
Tunc & flavicomis radiantia tergora villis,
Cæu ſpolium fuſo victor rapis. emicat omnis
In laudes mox turba tuas, longóque relicta
Currit in arva metu. juvat ire, & libera rura,
Defenſóſque videre locos ſylvámque juvencis
Jam facilem, & nullis reſonantes fletibus agros.
Mænalium petis ipſe nemus, fletámque colonis
Arcadiam, & ſteriles raro jam robore ſylvas.
Namque hic immenſâ membrorum mole cruentus
Indomitus regnabat aper, ſolóque tremendus
Corpore lunatis fundebat dentibus ornos,
Sternebátque ſuos lugentia rura colonos.
Horrebant triſidis nigrantia corpora ſetis
Duratóſque armos ſcopulis, totóſque per artus
Difficilis potuiſſe mori. non ſpicula in illum,
Nodoſúmve rapis * gravato pondere robur.
Armati viduatur honos. nec vulnera virtus
Extemplo tibi facta timet. jámque arripis ultro
Spumantem, cogíſque diem ſufferre tuendo,
Atque ſupinato mirantem lumine vinci
Argolici victor portas ſub tecta Tyranni.
Fama celer toto victorem ſparſerat orbe,
Auxiliúmque Dei poſcebat Creta cruento
Victa malo. taurus medio nam ſidere Lunæ
Progenitus Dictæa Jovis poſſederat arva:
Rulmen ab ore venit, flammíſque furentibus ardet
Spiritus, & terram, non cæli flamma perurit,
Sed flatus monſtri. *dextro jam Siria ceſſent
Sidera, Sólque licet glaciali frigore victus
Abſtruſum mundo claudat jubar, aurea condens
Lumina, & igniſuo ſtupefactus in orbe tepeſcat.
Æſtus habet Cretam, pereunt ſylvæque, lacúſque,
Graminéque, & fontes ſacri, montéſque perurit
Flamma ferox. Idam Superis ſpectantibus ignis
Diſſipat, & magno cunabula grata Tonanti
Igne ſuum monſtrum, ſi fas eſt dicere, vincit.
Tandem fama celer Dictæa ad litora magnum
Duxerat Alciden, cùm Taurum dira minantem
Excipit, & ſævum cornu, flammáſque vomentem
Corripit, atque artus conſtringens fortibus ulnis
Igniſluos flatus, animámque in pectore clauſit.

* * * * * *

Digitized by Google

RUTILII CLAUDII NUMATIANI GALLI

Viri conſularis, præfecti urbis, Tribuni militum, præfecti prætorio,

ITINERARIUM.

VOSS. DE HISTOR. ET POET. LATIN.

HONORII ætate, poſt Stiliconis cædem & Romam ab Alarico captam, quod fuit anno Chriſti 410. fuit RUTILIUS CLAUDIUS NUMATIANUS (niſi malis Munatianus) GALLUS, vir ſummâ dignitate: quippe conſularis, præfectorius urbis, tribunus militum, & præfectus prætorio. Anno Romæ conditæ 1169 præfecturam urbis adminiſtravit; ut indicat ipſe, his verſibus Romam compellans:

Quamvis ſedecies denis & mille peractis
Annus præterea jam tibi munus erat.

Is annus eſt Chriſti 417, quo Honorius Aug. XI. & Fl. Conſtantius V. C. II. Coſſ. fuere. Hic de ſuo itinere carmine Elegiaco pangit libros duos ad Venerium Rufium. In eo carmine Situm locorum attentiùs conſideranti verſus quoſdam loco ſuo trajectos fuiſſe, non erit obſcurum. Carmen eſt elegans, etiam ſupra ætatem, quâ Poeta vixit. Sed in quo, jure optimo, culpes iniquum ac planè virulentum animum tum erga Chriſtianos, imprimis monachos Capriæ & Gorgoniæ inſulæ: tum Judæos, quorum Sabbatha homini in pietatis ac religionis negotio, planè cæco, videntur eſſe

——— Laſſati mollis imago Dei.

Vulgò Opus hoc *Itinerarium* appellant: at fortaſſe Author potiùs *de reditu* inſcripſerat. Sub ætate in cœnobio quodam ad Bobium Italiæ oppidum inventum eſſe ait Volaterranus.

LIBER PRIMUS.

AD VENERIUM RUFIUM.

VELOCEM potiùs reditum mirabere lector,
Tam citò Romulei poſſe carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus ævo?
Nil unquam longum eſt, quod ſinè fine placet.
O quantum & quoties poſſem numerare beatos,
Naſci felìci qui meruere ſolo,
Qui Romanorum procerum genitroſa propago
Ingenitum cumulant urbis honore decus!
Semina virtutum demiſſa & tradita cælo
Non potuere aliis digniùs eſſe locis.
Felices etiam qui proxima munera primis
Sortiti, Latias obtinuere domos.
Religioſa patet peregrinæ curia laudi,
Nec putat externos quos decet eſſe ſuos.
Ordinis imperio, collegarúmque fruuntur,
Et partem genii, quem venerantur, habent.
Quale per ætherios mundani verticis axes
Connubium ſummi credimus eſſe dei.
At mea dilectis fortuna revellitur oris,
Indigenámque ſuum Gallica rura vocant;
Illa quidem longis nimiùm deformia bellis;
Sed quàm grata minùs, tam miſeranda magis.
Securos leviùs crimen contemnere cives.
Privatam repetunt publica damna fidem.
Præſentes lacrymas tectis debemus avitis.
Prodeſt admonitus ſæpe dolore labor.
Nec fas ulteriùs longas neſcire ruinas
Quas mora ſuſpenſæ multiplicavit opis.
Jam tempus laceris poſt longa incendia fundis
Vel paſtorales ædificare caſas.
Ipſi quinetiam fontes ſi mittere vocem,
Ipſáque ſi poſſent arbuta noſtra loqui,
Ceſſantem juſtis poterant urgere querelis,
Et deſideriis reddere vela meis.
Jam jam laxatis caræ complexibus urbis
Vincimur, & ſerum vix toleramus iter.
Electum pelagus, quoniam terrena viarum
Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.
Poſtquam Tuſcus ager, poſtquámque Aurelius agger
Perpeſſus Geticas enſe vel igne manus,
Non ſylvas domibus, non flumina ponte coercet,
Incerto ſatius credere vela mari.
Crebra relinquendis infigimus oſcula portis,
Inviti ſuperant limina ſacra pedes.
Oramus veniam lacrymis, & laude litamus,
In quantum fletus currere verba ſinit:
Exaudi regina tui pulcherrima mundi,
Inter ſidereos Roma recepta polos,
Exaudi genetrix hominum, genetríxque deorum,
Non procul à cælo per tua templa ſumus.
Te canimus, ſempérque ſinent dum fata, canemus.
Soſpes nemo poteſt immemor eſſe tui.
Obruerint citiùs ſcelerata oblivia ſolem,
Quàm tuus ex noſtro corde recedat honos.
Nam ſolis radiis æqualia munera tendis:
Quà circumfuſus fluctuat Oceanus,
Volvitur ipſe tibi, qui continet omnia, Phœbus,
Eque tuis ortus in tua condit equos.
Te non flammigeris Libyæ tardavit arenis,
Non armata ſuo reppulit Urſa gelu.
Quantùm vitalis natura tetendit in axes,
Tantùm virtuti pervia terra tuæ.
Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis te dominante capi.
Dúmque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti quod priùs orbis erat.
Auctorem generis Venerem, Martémque fatemur,
Æneadum matrem, Romulidúmque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires:
Convenit in mores nomen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendíque voluptas:
Quos timuit ſuperat, quos ſuperavit amat.
Inventrix oleæ colitur, vinique repertor,
Et qui primus humo preſſit aratra puer:
Aras Pæoniam meruit medicina per artem,
Fretus & Alcides nobilitate deus:
Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis,
Fœdere communi vivere cuncta facis.

Te

Te dea, te celebrat Romanus ubique receſſus;
Pacificóque gerit libera colla jugo.
Omnia perpetuos quæ ſervant fidera motus,
Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid ſimile Aſſyriis? connectere contigit arma,
Medi finitimos cùm domucre ſuos.
Magni Parthorum reges, Macetúmque tyranni
Mutua per varias jura dedere vices.
Nec tibi naſcenti plures animæque manúſque,
Sed plus conſilii judiciſque fuit.
Juſtis bellorum cauſis, nec pace ſuperbâ
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.
Quòd regnas minus eſt, quàm quòd regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.
Percenſere labor denſis decora alta trophæis,
Ut ſi quis ſtellas pernumerare velit.
Confundúntque vagos delubra micantia viſus,
Ipſos crediderim ſic habitare deos.
Quid loquar aerio pendentes fornice rivos?
Quà vix imbriferas tolleret Iris aquas.
Hos potiùs dicas creviſſe in ſidera montes:
Tale giganteum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Conſumunt totos celſa lavacra lacus.
Nec minùs & propriis celebrantur roſcida venis,
Totáque nativo mœnia fonte ſonant.
Frigidus æſtivas hinc temperat halitus auras,
Innocuámque levat purior unda ſitim.
Nempe tibi ſubitus calidarum gurges aquarum.
Rupit Tarpeias hoſte premente vias.
Si foret æternus, caſum fortaſſe putarem,
Auxilio fluxit qui rediturus erat.
Quid loquar incluſas inter laquearia ſylvas?
Vernula queis vario carmine ludit avis.
Vere tuo nunquam mulceri deſinit annus;
Deliciáſque tuas victa tuetur hyems.
Erige crinales lauros, ſeniúmque ſacrati
Verticis in virides Roma recinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
Perpetuóſque ignes aureus umbo vomat.
Abſcondat triſtem deleta injuria caſum,
Contemptus ſolidet vulnera clauſa dolor.
Adverſis ſolemne tuis ſperare ſecunda,
Exemplo cæli ditia damna ſubis.
Aſtrorum flammæ renovant occaſibus ortus,
Lunam finiri cernis ut incipiat.
Victoris Breni non diſtulit Allia pœnam:
Samnis ſervitio fœdera ſæva luit.
Poſt multas Pyrrhum clades ſuperata fugâſti;
Flevit ſucceſſus Hannibal ipſe ſuos.
Quæ mergi nequeunt, nixu majore reſurgunt;
Exiliúntque imis altiùs acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata reſumit,
Clarior ex humili ſorte ſuperna petis.
Porrige victuras Romana in ſæcula leges,
Soláque fatales non vereare colos.
Quamvis ſedecies denis & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus erat;
Quæ reſtant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum ſtabunt terræ, dum polus aſtra feret.
Illud te reparat quod cætera regna reſolvit:
Ordo renaſcendi eſt creſcere poſſe malis.
Ergo age ſacrilegæ tandem cadat hoſtia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getæ.
Ditia pacatæ dent vectigalia terræ,
Impleat Auguſtos barbara præda ſinus.
Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricémque ſuam fertilis orbis alat.
Quin & fœcundas tibi conferat Africa meſſes,
Sole ſuo dives, ſed magìs imbre tuo.
Interea Latiis conſurgant horrea ſulcis,
Pinguiáque heſperio nectare præla fluant.
Ipſe triumphali redimitus arundine Tibris
Romuleis famulas ufibus aptet aquas,
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devehat hinc ruris, ſubvehat indè maris.
Rade precor gemino placatum Caſtore pontum,
Temperet æquoream dux Cytherea viam.
Si non diſplicui, regerem cùm jura Quirini,
Si colui ſanctos, conſuluſque patres,
(Nam quòd nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum;
Non ſit præfecti gloria, ſed populi)
Sive datur patriis vitam componere terris;
Sive oculis unquam reſtituere meis;
Fortunatus agam, votóque beatior omni,
Semper digneris ſi meminiſſe mei.
His dictis iter arripimus, comitantur amici:
Non poſſum ſiccâ dicere luce, Vale.
Jámque aliis Romam redeuntibus hæret euntî
Rufius Albini gloria viva patris:
Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,
Et reges Rutulos teſte Marone refert.
Hujus facundæ commiſſa palatia linguæ
Primævus meruit principis ore loqui.
Rexerat antè puer populos pro conſule Pœnos,
Æqualis Tyriis terror amórque fuit.
Sedula promiſit ſummos imitatio faſces:
Si fas eſt meritis fidere, conſul erit.
Invitum triſtis tandem remeare coegi:
Corpore diviſo mens tamen una fuit.
Tum demum ad naves gradior, quà fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora ſecat.
Lævus inacceſſis fluvius vitatur arenis,
Hoſpitis Æneæ gloria ſola manet.
Et jam nocturnis ſpatium laxaverat horis
Phœbus chelarum pallidiore polo:
Cunctamur tentare ſolum, portúque ſedemus,
Nec piget oppoſitis otia ferre moris,
Occidua infido dum ſævit gurgite Plias,
Dúmque procelloſi temporis ira cadit.
Reſpectare juvat vicinam ſæpius urbem,
Et montes viſu deficiente ſequi,
Quáque duces oculi gratâ regione frauntur,
Dum ſe, quod cupiunt, cernere poſſe putant.
Nec locus ille mihi cognoſcitur indice fumo,
Qui dominas arces & caput orbis habet:
Quanquam ſigna levis fumi commendat Homerus;
Dilecto quotiens ſurgit in aſtra ſolo.
Sed cæli plaga candidior, tractúſque ſerenus
Signat ſeptenis culmina clara jugis.
Illìc perpetui ſoles, atque ipſe videtur
Quem ſibi Roma facit, purior eſſe dies.
Sæpius attonitæ reſonant Circenſibus aures,
Nuntiat accenſus plena theatra favor.
Pulſato notæ redduntur ab æthere voces,
Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi terquinque diebus,
Dum melior Lunæ ſideret aura novæ.
Tum diſceſſurus ſtudiis urbíque remitto
Palladium generis ſpémque decúſque mei,
Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Miſſus Romani diſcere jura fori.
Ille meæ ſecum dulciſſima vincula cunæ
Filius affectu, ſtirpe propinquus habet.
Cujus Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc poſtliminium pacis amore docet,
Leges reſtituit, libertatémque reducit,
Et ſervos famulis non ſinit eſſe ſuis.
Solvimus auroræ dubio quo tempore primùm
Agnoſci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per littora proxima cymbis,
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Æſtivos penetrent oneraria carbaſa fluctus,
Tutior autumnus mobilitate fugæ.
Alſia prælegitur tellus, Pyrgíque recedunt;
Nunc villæ grandes, oppida parva priùs.
Jam Cerretanos demonſtrat navita fines:
Ævo depoſuit nomen Agylla vetus.
Stringimus exeſum & fluctu & tempore Caſtrum,
Index ſemiruti porta vetuſta loci.
Præfidet exigui formatus imagine ſaxi
Qui paſtorali nomina fronte gerit.
Multa licèt priſcum nomen deleverit ætas,
Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putant:
Seu Pan Tyrrenis mutavit Mænala ſylvis,
Sive ſinus patrios incola Faunus init,
Dum renovat largo mortalia ſemina fœtu,
Fingitur in Venerem pronior eſſe deus.
Ad Centumcellas forti defleximus auſtro.
Tranquillâ puppes in ſtatione ſedent.
Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
Anguſtóſque aditus inſula facta tegit.
Attollit geminas turres, biſidóque meatu
Faucibus arctatis pandit utrumque latus.
Nec poſuiſſe ſatis laxo navalia portu:
Ne vaga vel tutas ventilet aura rates,
Interior medias ſinus invitatus in ædes
Inſtabilem fixis æra neſcit aquis.

Qualis

Qualis in Euboïcis captiva natatibus unda
Sustinet alterno brachia lenta sono.
Nôsse juvat Tauri dictas de nomine thermas.
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic gustu latices vitiantur amaro,
Lymphâque fumifico sulphure tincta calet.
Purus odor, mollisque sapor dubitare lavantem
Cogit, quà meliùs parte petantur aquæ.
Credere si dignum famæ, flagrantia taurus
Investigato fonte lavacra dedit:
Ut solet excussis pugnam præludere glebis,
Stipite cum rigido cornua prona terit.
Sive deus faciem mentitus & ora juvenci;
Noluit ardentis dona latere soli:
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta virgineum sollicitavit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios:
Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas simili credamus origine nymphas:
Musarum latices ungula fodit equi.
Hæc quoque Pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messallæ nobilitatus ager:
Intrantémque capit, discedentémque moratur
Postibus affixum dulce poëma sacris.
Hic est qui primo seriem de consule ducit,
Usque ad Publicolas si redeamus avos.
Hic & præfecti nutu prætoria rexit:
Sed menti & linguæ gloria major inest.
Hic docuit qualem poscat facundia sedem,
Ut bonus esse velit, quisque desertus erit.
Roscida puniceo fulsere crepuscula cælo,
Pandimus obliquo lintea flexa sinu.
Paulisper littus fugimus Mynione vadosum,
Suspecto trepidant hostia parva solo.
Indè Gravisearum fastigia rara videmus,
Quas premit æstivæ sæpe paludis odor.
Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,
Pineâque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas nullo custode ruinas,
Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.
Ridiculam cladis pudet inter seria causam
Promere, sed risum dissimulare piget.
Dicuntur cives quondam migrare coacti
Muribus infestos deseruisse lares.
Credere maluerim Pygmeæ damna cohortis,
Et conjuratas in sua bella grues.
Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus.
Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia sermo retexit
Sardoam Lepido præcipitante fugam.
Littore namque Cosæ cognatos depulit hostes,
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis
Qui gessit sociis impia bella tribus:
Qui libertatem Mutinensi Marte receptam
Obruit auxiliis orbe pavente novis.
Insidias paci moliri tertius ausus
Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus Cæsareo dum vult irrepere regno,
Incesti pœnam solvit adulterii.
Nunc quoque, sed meliùs, de nostris fama queretur,
Judex posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores,
Moribus an potiùs nomina certa dari?
Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
Quod Lepidum toties recidit ense malum.
Necdum decessis pelago permittimur umbris,
Natus vicino vortice ventus adest.
Tenditur in medias mons Argentarius undas,
Ancipitique jugo cærula curva premit:
Transversos colles bis ternis millibus artat,
Circuitu ponti terduodena patet.
Qualis per geminos fluctus Ephyreius Isthmos
Ionias bimari littore findit aquas.
Vix circumvehimur sparsæ dispendia rupis;
Nec sinuosa gravi cura labore caret.
Mutantur totiens vario spiramina flexu,
Quæ non profuerant vela, repentè nocent.
Eminus Igilii sylvosa cacumina miror,
Quam fraudare nefas laudis honore suæ.
Hæc proprios nuper tutata est insula saltus,
Sive loci ingenio, seu domini genio:
Gargite cum modico victricibus obstitit armis,
Tanquam longinquo dissociata mari.
Hæc multos lacerâ suscepit ab urbe fugatos;
Hìc sessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populaverat æquora bello
Contra naturam classe timendus eques.
Unum, mira fides, vario discrimine portum
Tam propè Romanis, tam procul esse Getis.
Tangimus Umbronem, non est ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis semper patet alveus undis,
In pontum quotiens sæva procella ruit.
Hìc ego tranquillæ volui succedere ripæ,
Sed nautas avidos longiùs ire sequor.
Sic festinantem ventúsque diésque reliquit;
Nec proferre pedem, nec revocare licet.
Littoreâ noctis requiem metamur arenâ,
Dat vespertinos myrtea sylva focos.
Parvula subjectis facimus tentoria remis,
Transversus subito culmine contus erat.
Lux aderat, tonsis progressi stare videmur;
Sed cursum proræ terra relicta probat.
Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis,
Quâ nihil uberius Norica gleba tulit.
Non Bituris largo potior structura camino,
Nec quæ Sardonio cespite massa fluit.
Plus confert populis ferri fœcunda creatrix,
Quàm Tartessiaci glarea fulva Tagi:
Materies vitiis aurum letale parandis:
Auri cæcus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera tædas,
Virgineósque sinus aureus imber emit.
Auro victa fides munitas decipit urbes,
Auri flagitiis ambitus ipse furit.
At contrà ferro squalentia rura coluntur,
Ferro vivendi prima reperta via est.
Sæcula semideûm ferrati nescia Martis,
Ferro crudeles sustinuere feras.
Humanis manibus non sufficit usus inermis,
Si non sint aliæ ferrea tela manus.
His mecum pigri solabar tædia venti,
Dum resonat variis vile celeusma modis.
Lassatum cohibet vicina Faleriâ cursum,
Quamquam vix medium Phœbus haberet iter.
Et tum fortè hilares per compita rustica fagi
Mulcebant sacris pectora fessa jocis.
Illo quippe die tandem renovatus Osyris
Excitat in fruges germina læta novas.
Egressi, villam petimus, lutóque vagamur:
Stagna placent septo delicioſa vado.
Ludere lascivos inter vivaria pisces
Gurgitis inclusi laxior unda sinit.
Sed malè pensavit requiem stationis amœnæ
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Judæus agebat,
Humanis animal dissociale cibis.
Veratos frutices, pulsatas imputat algas,
Damnâque libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus obscœnæ convicia debita genti
Quæ genitale caput propudioſa metit.
Radix stultitiæ, cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius religione suâ est.
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tamquam lassati mollis imago dei.
Cætera mendacis deliramenta catastæ
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam numquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis, imperióque Titi.
Latiùs exitiæ pestis contagia serpunt,
Victoréſque suos natio victa premit.
Adversus surgit Boreas, sed nos quoque remis
Surgere certamus, cùm tegit astra dies.
Proxima securum referat Populonia littus,
Quà naturalem ducit in arva sinum.
Non illic positas extollit in æthera moles
Lumine nocturno conspicienda Pharos:
Sed speculum validæ rupis sortita vetustas
Qua fluctus domitos arduus urget apex,
Castellum geminos hominum fundavit in usus,
Præsidium terris, indiciúmque fretis.
Agnosci nequeunt ævi monumenta priori s
Grandia consumpsit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris,
Ruderibus latis tecta sepulta jacent.
Non indignemur mortalia corpora solvi,
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Lætior

Lætior hìc noſtras crebreſcit fama per aures,
Conſilium Romam penè redire fuit.
Hìc præfecturam ſacræ cognoſcimus urbis
Delatam meritis dulcis amice tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu Veneri cariſſime Ruſi;
Illo te dudum pagina noſtra canit.
Feſta dies, pridémque meos dignata penates,
Poſte coronato vota ſecunda colat;
Exornent virides communia gaudia rami:
Provecta eſt animæ portio magna meæ.
Sic mihi ſic potiùs placeat geminata poteſtas,
Per quem malueram, rurſus honore fruar.
Currere curamus velis Aquilone reverſo,
Cùm primùm roſeo fulſit Eous equo.
Incipit obſcuros oſtendere Corſica montes,
Nubiferúmque caput concolor umbra levat.
Sic dubitanda ſolet gracili vaneſcere cornu,
Defeſſiſque oculis Luna reperta latet.
Hæc ponti brevitas auxit mendacia famæ,
Armentale ferunt quippe natâſſe pecus,
Tempore Cyrnæas quo primùm venit in oras
Fortè ſecuta vagum femina Corſa bovem.
Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit:
Squalet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monachos Graio cognomine dicunt,
Quòd ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.
Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quæ nam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument:
Sic nimiæ bilis morbum affignavit Homerus
Bellerophonteis ſollicitudinibus.
Nam juveni offenſo ſævi poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.
In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
Ingreſſus dubii tramitis alta lego.
Deſpectat proræ cuſtos, clavúmque ſequentem
Dirigit, & puppim voce monente regit.
Incertus geminâ diſcriminat arbore fauces,
Defixáſque offert limes uterque ſudes.
Illis proceras mos eſt adnectere lauros,
Conſpicuas ramis & fruticante comâ.
Ut præbente algam denſi ſymplegade limi
Servet inoffenſas ſemita clara notas.
Illic me rapidus conſiſtere Corus adegit,
Qualis ſylvarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſævos toleravimus imbres.
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo ſubjunxit honori,
Per quem jura meæ continuata togæ.
Non expectatos penſavit laudibus annos
Vitæ flore puer, ſed gravitate ſenex.
Mutua germanos junxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Prætulit ille meas, cùm vincere poſſet, habenas:
Prædeceſſoris major amore fuit.
Subjectas villæ vacat aſpectare ſalinas:
Namque hôc cenſetur nomine ſalſa palus,
Quà mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidóſque lacus parvula foſſa rigat.
Aſt ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Cùm pallent herbæ, cùm ſitit omnis ager;
Tum cataractarum clauſtris excluditur æquor,
Ut fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum,
Et gravis æſtivo cruſta calore coit:
Haud aliter quàm cùm glacie riget horridus Iſter,
Grandiáque adſtricto flumine plauſtra vehit.
Rimetur ſolitus naturæ expendere cauſas,
Inque pari diſpar fomite quærat opus.
Juncta fluenta gelu conſpecto Sole liqueſcunt,
Et rurſus liquidæ Sole gelantur aquæ.
O quàm ſæpe malis generatur origo bonorum!
Tempeſtas dulcem fecit amara moram.
Victorinus enim noſtræ pars maxima mentis
Congreſſu explevit mutua vota ſuo.
Errantem Tuſcis conſidere compulit agris,
Et colere externos capta Toloſa lares.
Nec tantùm duris nituit ſapientia rebus,
Pectore non alio proſperiora tulit.

Conſcius Oceanus virtutum, conſcia Thule,
Et quicumque ferox arva Britannus arat.
Quà præfectorum vicibus frenata poteſtas;
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem diſceſſit in orbem,
Sed tanquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmæ eſt, illos inter voluiſſe placere,
Inter quos minor eſt diſplicuiſſe pudor.
Illuſtris nuper ſacræ comes additus aulæ,
Contempſit ſummos curis amore gradus.
Hunc ego complexus ventorum adverſa fefelli,
Dum videor patriæ jam mihi parte frui.
Lutea protulerat ſudos aurora jugales,
Antennas tendi littoris unda jubet.
Inconcuſſa vehit tranquillus apluſtria flatus,
Mollia ſecuro vela rudente tremunt.
Aſſurgit ponti medio circumflua Gorgon
Inter Piſanum Cyrcaïcúmque latus:
Adverſus ſcopulus, damni monumenta recentis;
Perditus hìc vivo funere civis erat.
Noſter enim nuper juvenis majoribus amplis,
Nec cenſu inferior, conjugiove minor,
Impulſus furiis homines divóſque reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuvie cœleſtia paſci,
Séque premit lætis ſævior ipſe deis.
Num rogo deterior Circæis fecta venenis:
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.
Indè Trituritam petimus, ſic vilia vocatur
Quæ latet expulſis inſula penè fretis.
Namque manu junctis procedit in æquora ſaxis,
Quiſque domum poſuit, condidit antè ſolum.
Contiguum ſtupui portum, quem fama frequentat
Piſarum emporio, divitiiſque maris.
Mira loci facies, pelago pulſatur aperto,
Inque omnes ventos littora nuda patent:
Non ullus tegitur per brachia tuta receſſus,
Æolias poſſit qui prohibere minas.
Sed procera ſuo prætexitur alga profundo
Molliter offenſæ non nocitura rati.
Et tamen inſanas cedendo, interrigat undas,
Nec ſinit ex alto grande volumen agi.
Tempora navigii clarus reparaverat Eurus,
Sed mihi Protadium viſere cura fuit.
Quem qui fortè velit certis cognoſcere ſignis,
Virtutis ſpeciem corde vidente petat.
Nec magìs efficiet ſimilem pictura colorem,
Quàm quæ de meritis miſta figura venit.
Aſpicienda procul certo prudentia vultu,
Formáque juſtitiæ ſuſpicienda micat.
Sit fortaſſe minus, ſi laudet Gallia civem;
Teſtis Roma ſui præſulis eſſe poteſt.
Subſtituit patriis mediocres Umbria ſedes,
Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
Pro parvis animo magna fuere ſuo.
Exiguus regum rectores celſes habebat,
Et Cincinnatos jugera pauca dabant.
Hæc etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani, Fabriciíque foco.
Puppibus ergo meis fidâ in ſtatione locatis,
Ipſe vehor Piſas quà ſolet ire pedes:
Præbet equos, offert etiam carpenta tribunus
Ex commilitio carus & ipſe mihi,
Officiis regerem cùm regia tecta magiſter
Armigeráſque Pii principis excubias.
Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Auſur aquis.
Conum pyramidis coëuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta ſolo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum ſolus ſcilicet Arnus adit.
Antè diu quàm Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus inſereret,
Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas,
Nominis indicio teſtificata genus.
Hìc oblata mihi ſancti genitoris imago,
Piſani proprio quam poſuere foro.
Laudibus amiſſi cogor lacrymare parentis,
Fluxerunt madidis gaudia mœſta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis,
Faſcibus & ſenis credita jura dedit.
Narrabat, gemini, multos emenſus honores,
Tuſcorum regimen plùs placuiſſe ſibi.

Nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum,
Nec jus quæsturæ grata fuisse magis.
Ipsam, si fas est, postponere præfecturam
Pronior in Tuscos non dubitabat amor.
Nec fallebatur, tam carus & ipse probatis,
Æternas grates mutua cura canit:
Constantémque sibi pariter mitémque fuisse
Insinuant natis qui meminere senes.
Ipsum me gradibus non degenerâsse parentis
Gaudent, & duplici sedulitate fovent.
Hæc eadem, cùm Flaminiæ regionibus irem,
Splendoris patrii sæpe reperta fides.
Famam Lachanii veneratur numinis instar
Inter turrigenas Lydia tota suos.
Grata bonis priscos retinet provincia mores,
Dignáque rectores semper habere bonos.
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
Per Coryti populos arva beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati
Felix tam simili posteritate pater.
Hujus valnificis satyrâ ludente camœnis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Instituit veterem censoria lima pudorem,
Dúmque malos carpit, præcipit esse bonos.
Non olim sacri justissimus arbiter auri
Circunsilientes reppulit Harpyias,
Harpyias quarum decerpitur unguibus orbis,
Quæ pede glutineo quod tetigere trahunt,
Quæ luscum faciunt Argum, quæ Lyncea cæcum;
Inter custodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareïa præda fefellit,
Tótque simul manibus restitit una manus.
Jámque Trituritam Pisæâ ex urbe reversus,
Aptabam nitido pendula vela noto,
Cùm subitis tectus nimbis insorduit æther,
Sparserunt radios nubila rupta vagos.
Subsitimus. Quis enim sub tempestate malignâ
Insanituris audeat ire fretis?
Otia vicinis terimus navalia sylvis,
Sectandísque juvat membra movere feris.
Instrumenta parat venandi villicus hospes,
Atque olidum doctas nôsse cubile canes.
Funditur insidiis & rarâ fraude plagarum,
Terribilísque cadit fulmine dentis aper:
Quem Meleagræi verentur adire lacerti,
Qui laxat nodos Amphitryoniadæ.
Tum responsuros persultat buccinâ colles,
Fítque reportando carmine præda levis.
Interea madidis non desinit Africus alis
Continuos piceâ nube negare dies.
Jam matutinis Hyades occasibus udæ,
Jam latet hyberno conditus imbre lepus,
Exiguum radiis, sed magnis fluctibus astrum,
Quo madidam nullus navita linquit humum.
Namque procelloso subjungitur Orioni,
Æstiferúmque canem roscida præda fugit.
Vidimus excitis pontum flavescere arenis,
Atque eructato vortice rura tegi.
Qualiter oceanus mediis infunditur agris,
Destituenda vago cùm premit arva salo,
Sive alio refluus nostro colliditur orbe,
Sive coruscа suis sidera pascit aquis.

LIBER SECUNDUS.

AD VENERIUM RUFIUM.

NONDUM longus erat, nec multa volumina passus,
Jure suo poterat longior esse liber:
Tædia continuo timuit cessura labori,
Sumere ne lector juge paveret opus.
Sæpe cibis affert serus fastidia finis;
Gratior est, modicis haustibus unda, siti.
Intervalla viæ fessis præstare videtur
Qui notat inscriptus milia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuscula bina rumorem,
Quam satius fuerat sustinuisse semel.
Tandem nimbosâ maris obsidione solutis
Pisano portu contigit alta sequi.
Adridet placidum radiis crispantibus æquor,
Et sulcata levi murmurat unda sono.
Incipiunt Apennini devexa videri,
Quà fremit aërio monte repulsa Thetis.
Italiam rerum dominam qui cingere visu,
Et totam pariter cernere mente velit,
Inveniet quernæ similem procedere frondi
Artatam laterum conveniente sinu.
Milia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniæ.
In latum variis damnosa anfractibus intrat
Tyrreni rabies, Hadriacíque sali:
Quà tamen est juncti maris angustissima tellus,
Triginta & centum milia sola patet.
Diversas medius mons obliquatur in undas,
Quà fert atque refert Phœbus uterque diem.
Urget Dalmaticos eoo vertice fluctus,
Cæruláque occiduis frangit Etrusca jugis.
Si factum certâ mundum ratione fatemur,
Consiliúmque dei machina tanta fuit:
Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Claustráque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura, parúmque putavit
Arctois alpes opposuisse minis.
Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec semel inclusit quæ pretiosa tulit.
Jam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitósque habuit Roma futura deos.
Quò magis est facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor:
Dúmque timet quidquid se fecerat ipse timeri,
Immisit Latiæ barbara tela neci:
Viscеribus nudis armatum condidit hostem
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva priùs quàm caperetur erat.
Nec tantùm Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam consumpti funere torris,
Nisæum crinem flere putantur aves:
At Stilico æterni fatalia pignora regni
Et plenas voluit præcipitare colos.
Omnia tartarei cessent tormenta Neronis,
Consumat stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille:
Hic mundi matrem perculit, ille suam.
Sed diverticulo fuimus fortasse loquaces,
Carmine proposito jam repetamus iter.
Advehimur celeri candentia mœnia lapsu:
Nominis est auctor Sole coruscа soror.
Indigenis superat ridentia lilia saxis,
Et lævi radiat picta nitore silex.
Dives marmoribus tellus, quæ luce coloris
Provocat intactas luxuriosa nives.

Reliqua desiderantur.

C. SOL-

Digitized by Google

C. SOLLII SIDONII APOLLINARIS

OPERA.

C. SOLLII SIDONII APOLLINARIS VITA

A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

CAIUS SOLLIUS SIDONIUS APOLLINARIS, genere Gallus fuit. Quidam Burdegalenſem faciunt. Ipſe verò de ſe ſcribens, pluribus locis atque epiſtolis Arvernum ſe dicit. Sunt enim Arverni populi finitimi Eduis, inter Celtas conſtituti. Honeſtis parentibus, & illuſtri familiâ ortus éſt, Latinſque literis à primâ ſtatim ætate magnâ diligentiâ inſtitutus. Nam ſub Flavio Nicetio (qui per ea tempora excellens Grammaticus habebatur) eruditionem accepit: cúmque ingenio & induſtriâ in proſequendis diſciplinis magnopere præſtaret, brevi effecit, ut eos omnes antecederet, qui paribus ſtudiis tenebantur. Permulta ſcripſit cùm ſolutâ oratione, tum vario genere carminum. Libros novem epiſtolarum ſecutus Plinium Secundum, ut ipſe refert: etſi tali opere magìs ingenium probatur Sidonii, quàm judicium, ut qui peregrinum & Gallicum redoleat, & ſimul ineptâ verborum affectatione ſupra modum laboret. Cujuſmodi accuſantur à noſtris Grammaticis Caſſiodorus, Enodius, Fulgentius, & Claudianus Mamercus, qui violatâ paſſim ac disjectâ Romani Imperii dignitate, minimè ſervârunt Latini ſermonis puritatem. Itaque multò majorem laudem adeptus eſt ex poëmatis, atque hendecaſyllabis, quòd in iis multum ingenii ſit, atque elegantiæ minimè vulgaris. In iis quoque Panegyricis commendatur, quos Anthemio atque Majoriano dicavit, viris conſularibus, atque clariſſimis. Idem Sidonius magnopere dilexit eruditorum ingenia, ſummiſque officiis ac ſingulari humanitate fovit, ut Lampridium, Tonantium, Tetradium, & alios plures: quam rem ipſius epiſtolæ atque epigrammata ſatìs oſtendunt. De ſacerdotio illius, cæteriſque dignitatibus nihil dicendum videtur, quod in pleriſque aliis omiſimus, qui collocati ſunt ab antiquis ſcriptoribus inter Chriſtianos Poëtas.

EPISTOLARUM

LIB. II. EPIST. VIII.

CEaſu celeri feróque raptam
Natis quinque patríque conjugíque,
Hoc flentis patriæ manus locárunt
Matronam Filimatiam ſepulchro.
O ſplendor generis, decus mariti!
Prudens, caſta, decens, ſevera, dulcis,
Atque ipſis ſenioribus ſequenda:
Diſcordantia quæ ſolent putari
Morum commoditate copulâſti.
Nam vitæ comites bonæ fuerunt,
Libertas gravis, & pudor facetus.
Hinc eſt quòd decimam tuæ ſaluti
Vix actam trieteridem dolemus.
Atque in temporibus vigentis ævi,
Injuſtè tibi juſta perſoluta.

EPIST. X.

QUiſquis pontificis patríſque noſtri
Collaudas Patientis hìc laborem:
Voti compote ſupplicatione
Conceſſum experiere quod rogabis.
Ædes celſa nitet, nec in ſiniſtrum
Aut dextrum trahitur, ſed arce frontis
Ortum proſpicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol ſic ſollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.
Diſtinctum vario nitore marmor,
Percurrit cameram, ſolum, feneſtras,
Ac ſub verſicoloribus figuris
Vernans herbida cruſta ſapphiratos
Flectit per praſinum vitrum lapillos.
Huic eſt porticus applicata triplex
Fulmentis Aquitanicis ſuperba,
Ad cujus ſpecimen remotiora
Claudunt atria porticus ſecundæ:
Et campum medium procul locatas
Veſtit ſaxea ſylva per columnas.
Hinc agger ſonat, hinc Arar reſultat.
Hinc ſeſe pedes atque eques reflectit.
Stridentum & moderator eſſedorum,
Curvorum hinc chorus helciariorum,
Reſponſantibus alleluia ripis,
Ad Chriſtum levat amnicum celeuma,
Sic ſic pſallite nauta vel viator:
Namque iſte eſt locus omnibus petendus,
Omnes quò via ducit ad ſalutem.

LIB. III. EPIST. XII.

EPITAPHIUM APOLLINARIS.

SErum poſt patruos patrémque carmen
Haud indignus avo nepos dicavi:
Ne fors tempore poſtumo viator
Ignorans reverentiam ſepulti
Tellurem tereres inaggeratam.
Præfectus jacet hìc Apollinaris,
Poſt prætoria recta Galliarum,
Mœrentis patriæ ſinu receptus.
Conſultiſſimus utiliſſimúſque,
Ruris, militiæ, forſque cultor.
Exemplóque aliis periculoſo
Liber ſub dominantibus tyrannis.
Hæc ſed maxima dignitas probatur,
Quòd frontem cruce, membra fonte pùrgans,

Digitized by Google

Primus de numero patrum ſuorum
Sacris ſacrilegis renuntiavit.
Hoc primum eſt decus, hæc ſuperba virtus,
Spe præcedere, quos honore jungas.
Quſque hìc ſunt titulis pares parentes,
Hos illìc meritis ſupervenire.

LIB. IV. EPIST. VIII.

PIſtrigero quæ concha vehit Tritone Cytheren,
Hìc ſibi collatâ cedere non dubitet.
Poſcimus inclina pauliſper culmen herile:
Et munus parvum magna patrona cape.
Enodiúmque libens non aſpernare clientem,
Quem faciens magnum tu quoque major eris.
Sic tibi cui rex eſt genitor, ſocer, atque maritus,
Gnatus rex quoque ſit cum patre, póſtque patrem.
Felices lymphæ, clauſæ quæ luce metalli,
Ora tamen Dominæ lucidiora fovent.
Nam cùm dignatur regina hìc tingere vultus,
Candor in argentum mittitur è facie.

EPIST. XI.

GErmani decus & dolor Mamerci,
Mirantum unica gemma epiſcoporum,
Hôc dat ceſpite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo mágiſtro,
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit:
Quam totam monachus virente in ævo
Secretâ bibit inſtitutione.
Orator, Dialecticus, Poeta,
Tractator, Geometra, Muſicúſque,
Doctus ſolvere vincla quæſtionum,
Et verbi gladio ſecare ſectas,
Si quæ Catholicam fidem laceſſunt.
Pſalmorum hic modulator & phonaſcus,
Ante altaria fratre gratulante,
Inſtructas docuit ſonare claſſes.
Hic ſolennibus annuis paravit,
Quæ quo tempore lecta convenirent.
Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce levans epiſcopali.
Nam de Pontificis tenore ſummi,
Ille inſignia ſumpſit, hic laborem.
At tu quiſque doles, amice lector,
De tanto quaſi nil viro ſuperſit,
Udis parce genis rigare marmor.
Mens & gloria non queunt humari.

EPIST. XVIII.

MArtini corpus totis venerabile terris:
In quo poſt vitæ tempora vivit honor,
Texerat hìc primùm plebeio machina cultu,
Quæ Confeſſori non erat æqua ſuo:
Nec deſiſtebat cives onerare pudore
Gloria magna viri, gratia parva loci.
Antiſtes, ſed qui numeratur ſextus ab ipſo,
Longam Perpetuus ſuſtulit invidiam:
Internum removens modici penetrale ſacelli,
Ampláque tecta levans exteriore domo.
Creverúntque ſimul valido tribuente patrono,
In ſpatiis ædes, conditor in meritis:
Quæ Salomoniaco potis eſt confligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
Nam gemmis, auro, argento ſi ſplenduit illud,
Iſtud tranſgreditur cuncta metalla fide.
Livor abi mordax, abſolvantúrque priores,
Nil novet, aut addat garrula poſteritas.
Dúmque venit Chriſtus, populos qui ſuſcitet omnes,
Perpetuò durent culmina Perpetui.

LIB. V. EPIST. XVII.

MAnè novo ſeu cùm ferventia balnea poſcunt,
Seu cùm venatu frons calefacta madet:
Hôc foveat pulcher faciem Filimatius udam,
Migret ut in bibulum vellus ab ore liquor.

LIB. VII. EPIST. XVII.

ABraham ſanctis meritò ſociande patronis,
Quos tibi collegas dicere non trepidem:
Nam ſic præcedunt, ut mox tamen ipſe ſequare:
Dat partem regni portio martyrii.
Natus ad Euphratem pro Chriſto ergaſtula paſſus,
Et quinquennali vincula laxa fame,
Elapſus regi truculento Suſidis oræ,
Occiduum properas ſolus aduſque ſolum.
Sed confeſſorem virtutum ſigna ſequuntur:
Spiritibúſque malis fers fugitive fugam.
Quáque venis, lemurum ſe clamat cedere turba:
Dæmonas ire jubes exul in exilium.
Expeteris cunctis, nec te capit ambitus ullus,
Eſt tibi delatus plùs onerolus honor.
Romuleos refugis Byzantinóſque fragores,
Atque ſagittifero mœnia fracta Tito.
Murus Alexandri te non tenet, Antiochſque:
Spernis Eliſſeæ Byrſica tecta domûs.
Rura paludicolæ temnis populoſa Ravennæ,
Et quæ lanigero de ſue nomen habent.
Angulus iſte placet, paupertinúſque receſſus,
Et caſa cui culmo culmina prelſa ſorent.
Ædificas hìc ipſe Deo venerabile templum,
Ipſe Dei templum corpore facte priús.
Finiti curſus iſtic vitæque viæque,
Sudori ſupereſt dupla corona tuo.
Jam te circonſtant paradiſi millia ſacri,
Abraham jam te comperegrinus habet.
Jam patriam ingrederis, ſed de quâ decidit Adam,
Jam potes ad fontem fluminis ire tui.

LIB. VIII. EPIST. IX.

QUid Cyrrham vel Hyanthias camœnas,
Quid doctos Heliconidum liquores
Scalptos alitis hinnientis ictu,
Nunc in carmina commovere tentas,
Noſtræ, ô Lampridius, decus Thaliæ?
Et me ſcribere qui ſubinde cogis,
Ac ſi Delphica Delio tuliſſem
Inſtrumenta tuo? novúſque Apollo
Cortinam, tripodas, chelym, pharetras,
Arcus, gryphas agam, dupleque frontis
Hinc baccas quatiam, vel hinc corymbos?
Tu jam, ô Tityre, rura poſt recepta,
Myrtos, & Platanona pervagatus
Pulſas barbiton, atque continentes
Ora & plectra tibi modos reſultant,
Chordâ, voce, metro ſtupende pſaltes,
Nos iſtìc poſitos, ſemélque viſos,
Bis jam menſtrua luna conſpicatur,
Nec multum domino vacat vel ipſi,
Dum reſponſa petit ſubactus orbis:
Iſtìc Saxona cærulum videmus
Aſſuetum antè ſalo, ſolum timere:
Cujus verticis extimas per oras
Non contenta ſuos tenere morſus,
Altat lamina marginem comarum.
Et ſic crinibus ad cutem reciſis
Decreſcit caput, additúrque vultus.
Hìc tonſo occipiti, ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.
Hìc glaucis Herulus genis vagatur,
Imos Oceani colens receſſus
Algoſo propè concolor profundo.
Hìc Burgundio ſeptipes frequenter
Flexo poplite ſupplicat quietem.
Iſtis Oſtrogothus viget patronis,
Vicinóſque premens ſubinde Chunos
His quod ſubditur, hinc ſuperbit illis.
Hinc Romane tibi petis ſalutem:
Et contra Scythicæ plagæ catervas,
Si quos Parthaſis urſa fert tumultus,
Theudorice tuæ manus rogantur:
Ut Martem validus per inquilinum
Defenſet tenuem Garumna Tybrim.
Ipſe hic Parthicus Arſaces precatur,
Aulæ Suſidis ut tenere culmen
Poſſit, fœdere ſub ſtipendiali.
Nam quòd partibus arma Boſphoranis
Grandi hinc ſurgere ſentit apparatu,
Mœſtam Perſida jam ſonum ad duelli
Ripâ Euphratide vix putat tuendam:
Qui cognata licèt ſibi aſtra fingens,
Phœbeâ tumeat propinquitate,

Mortalem

Digitized by Google

Mortalem hìc tamen implet obſecrando.
Hæc inter, terimus moras inanes,
Sed tu, ô Tityre, parce provocare.
Nam non invideo, magiſque miror,
Qui dum nil mereor, precéſque fruſtra.
Impendo, Melibœus eſſe cœpi.

EPIST. XI.

Dilectæ nimis & peculiari
Phœbus commonitorium Thaliæ.
Paulùm depoſitis, alumna, plectris
Sparſam ſtringe comam virente virtâ,
Et rugas tibi ſyrmatis profundi
Succingant hederæ expeditiores.
Soccos ferre cave, nec (ut ſolebat)
Laxo pes natet altus in cothurno.
Sed tales crepidas ligare cura,
Quales Harpalice, vel illa vinxit,
Quæ victos gladio procos cecidit.
Perges ſic meliùs volante ſaltu,
Si veſtigia faſceata nudi
Per ſummum digiti regant, citatis
Firmi ingreſſibus, atque vinculorum
Concurrentibus anſulis reflexa
Ad crus per cameram catena ſurgat.
Hôc pernix habitu meum memento
Orpheum viſere, qui cotidiana
Saxa, & robora, corneáſque fibras
Mollit dulciloquâ canorus arte:
Arpinas modò quem tonante linguâ
Ditat, nunc ſtylus aut Maronianus,
Aut quo tu Latium beas Horati,
Alcæo melior lyriſtes ipſo.
Et nunc inflat epos tragœdiarum,
Nunc comœdia temperat jocoſa,
Nunc flammant ſatyræ, & tyrannicarum
Declamatio controverſiarum.
Dic, Phœbus venit, atque poſt veredos
Remis velivolum quatit Garumnam.
Occurras jubet, antè ſed parato
Actutum hoſpitio, Leontióque
Priſco Liviæ quem dat è ſenatu.
Dic, jam nunc aderit ſatis facetum &
Solo nomine Ruſticum videto,
Sed ſi tecta negant ut occupata,
Perge ad limina mox epiſcoporum,
Sancti & Gallicini manu oſculatâ,
Tecti poſce brevis vacationem:
Ne ſi deſtituor domo negatâ,
Mœrens ad madidas eam tabernas:
Et claudens geminas ſubinde nares,
Propter fumificas gemam culinas:
Quà ſerpylliferis olet catenis
Baccas per geminas ruber botellus,
Ollarum aut nebulæ vapore juncto
Fumant cum crepitantibus patellis.
Hìc cùm feſta dies ciere ravos
Cantus cœperit, & voluptuoſam.
Scurrarum querimoniam crepare,
Tunc tunc carmina digniora vobis,
Vinoſi hoſpitis excitus camœnâ
Plùs illis ego barbarus ſuſurrem.

LIB. IX. EPIST. XIII.

Jamdudum teretes hendecaſyllabos
Attrito calamis pollice luſimus,
Quos cantare magis pro Choriambicis
Excuſſo poteras mobiliùs pede.
Sed tu per Calabri tramitis aggerem
Vis ut noſtra dehinc curſitet orbita,
Quà Flaccus Lyricos Pindaricum ad melos
Frænis flexit equos plectripotentibus,
Dum metro quatitur chorda Glyconio.
Necnon Alcaïco, nel Pherecratio
Juncto Lesbiaco, ſive anapæſtico,
Vernans per varii carminis eclogas,
Verborum violis multicoloribus.
Iſtud (da veniam) fingere vatibus
Priſcis difficile eſt, difficile & mihi,
Ut diverſa ſonans os epigrammata,
Nil crebras titubet propter epiſtolas,
Quas cantu ac modulis luxuriantibus
Laſcivire vetat maſcula dictio.
Illud vix Leo, rex Caſtalii chori,
Vix, hunc qui ſequitur, Lampridius queat,
Declamans gemini pondere ſub ſtyli
Coram diſcipulis Burdegalenſibus.
Hoc me téque decet, parce precor jocis,
Queſo pollicitam ſervet ad extimum
Oratoris opus cura modeſtiam:
Quo nil deterius, ſi fuerit ſimul
In primis rigidus, mollis in ultimis.

Age convocata pubes,
Locus, hora, menſa, cauſa
Jubet, ut volumen iſtud,
Quod & aure & ore diſcis
Studiis in aſtra tollas.
Petrus eſt tibi legendus,
In utráque diſciplinâ
Satìs inſtitutus auctor.
Celebremus ergo fratres
Pia feſta literarum.
Peragat diem cadentem
Dape, poculis, choreis
Genialis apparatus.
Rutilum toreuma byſſo,
Rutiláſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat unda,
Opulentet ut meraco
Bibulum colore vellus.
Peregrina det ſupellex
Tiſiphontis ac Niphatis
Juga texta, belluáſque
Rapidas, vacante panno,
Acuit quibus furorem
Bene ficta plaga cocco,
Jaculóque ſeu forante
Cruor incruentus exit.
Ubi torvus, & per artem
Reſupina flexus ora
It equo, redítque, telo
Simulacra beſtiarum
Fugiens, fugánſque Parthus.
Nive pulchriora lina
Gerat orbis, atque lauris,
Hederíſque, pampiníſque
Viridantibus tegatur.
Cytiſos, crocos, amellos,
Caſias, liguſtra, calthas
Calathi ferant capaces:
Redolentibúſque ſertis
Abacum, thorúſque pingant.
Manus uncta ſucco amomi
Domet hiſpidos capillos:
Arabúmque meſſe pinguis
Petat alta tecta fumus.
Veniente nocte necnon
Numeroſus erigatur
Laquearibus coruſcis
Cameræ in ſuperna lychnus.
Oleúmque neſcientes,
Adipéſque glutinoſos,
Utero tumente fundant
Opobalſamum lucernæ.
Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo
Epulas ſuperbiores
Humeris ferant onuſtis.
Pateræ, ſcyphi, lebetes,
Socient falerna nardo.
Tripodáſque, cantharóſque
Roſa ſutilis coronet.
Juvat ire per corollas
Alabaſtra ventilantes:
Juvat & vago rotatu
Dare fracta membra ludo:
Simulare vel trementes
Pede, veſte, voce Bacchas.
Bimari remittat urbe
Thymelen, Palénque doctas
Tepidas ad officinas
Citharíſtrias Corinthus:
Digiti quibus canentes
Pariter ſonante linguâ,
Vice pectinis fatigent

Ani-

Animata fila pulsu.
Date & æra fistulata
Satyris amica nudis.
Date ravulos choraulas
Quibus antra per palati
Crepulis reflanda buccis
Gemit aura tibialis.
Date carminata socco,
Date dicta sub cothurno,
Date quicquid advocati,
Date quidquid & Poëtæ
Vario strepunt in actu.
Petrus hæc & illa transit.
Opus editum tenemus,
Dimetrâ quod arte texens,
Iter asperum, viâsque
Labyrinthicas cucurrit.
Sed in omnibus laborans
Et ab omnibus probatus,
Rapit hinc & indè palmam,
Per & ora docta fertur.
Procul hinc & Hippocrenen,
Aganippicósque fontes,
Et Apollinem canorum,
Comitantibus Camœnis
Abigamus & Minervam
Quasi præsulem canendi.
Removete ficta fatu:
Deus ista præstat unus,
Stupuit virum loquentem
Diadematis potestas,
Toga, miles, ordo equester;
Populúsque Romularis:
Et adhuc sophos volutant
Fora, templa, rura, castra.
Super hæc, fragorem alumno,
Padus atque civitatum
Dat amor Ligusticarum.
Similis favor resultat
Rhodanitidas per urbes:
Imitabitúrque Gallos
Feritas Ibericorum.
Nec in hôc moratus axe
Citò ad arva perget Euri,
Æquilonibúsque, & Austris,
Zephyrísque perferetur.

EPIST. XIV.

Carmina recurrentia.

SIC *est illud antiquum:*
Roma tibi subito, motibus ibit amor.
Et illud:
Sole medere pede, ede perede melos.
Tali jocatus Epigrammate, bis pedibus per turbulenti terga torrentis incessi.
Præcipiti modò quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumptum jam citò deficiet.
Hos si recurras, ita legitur.
Deficiet citò jam consumptum tempore flumen,
Tramite decurrit quod modò præcipiti.
Et, Musa mihi causas memora, quo numine læso.

EPIST. XV.

JUbes, amice, nostra per volumina
Modis resultet incitatioribus
Ferox Iambus, & Trochæus hactenus,
Pigrásque bigas, & quaterna tempora
Spondæus addat, ut moram volucripes
Habeat parumper insita trimetria,
Resonétque mixtus ille pes celerrimus.
Bene nuncupatus quondam ab arte Pyrrichâ
Loco locandus undecunque in ultimo,
Spondam daturus & subinde versui
Modò in priore parte, nunc in extimâ,
Anapæstus, ipse quanquam & absolutiùs
Pronuntietur, cùm secuta tertia
Geminæ brevísque longa adhæret syllaba,
Quæ temperare vix valet gregarius
Poëta, ut ipse cernis esse Sollium.
In pectine errat, nec per ora concava
Vaga lingua flexum competenter explicat
Epos, sed istud aptius paraverit
Leo, Leonis aut sequutus orbitas
Cantu in Latino, cùm prior sit Attico,
Consentiorum qui superstes est patri,
Fide, voce, metris, ad fluenta Pegasi
Cecinisse dictus omniforme canticum,
Quotiésque verba Graia carminaverit,
Tenuisse celsa junctus astra Pindaro
Montémque victor isse per biverticem
Nulli secundus inter astra Delphica.
At uterque vatum si lyræ Poëticæ
Latiare carmen aptet absque Dorico,
Venusina Flacce plectra ineptus exeras.
Iapygísque verna cycnus Ausidi,
Atacem tonare cum suis oloribus,
Cana & canora colla victus ingemas.
Nec ista sola sunt perita pectora,
Licèt & peritis hæc peritiora sint.
Severianus ista Rhetor altiùs,
Afer vaférque Dumnulus politiùs,
Scholasticúsque sub rotundioribus
Petrus camœnis dictitâsset acriùs;
Epistolaris usquequaque nec stylus
Virum vetaret, ut stupenda pangeret,
Potuisset ista semper efficaciùs,
Humo atque gente cretus in Ligustide
Proculus, melodis insonare pulsibus
Limans faceta quæque sic poemata,
Venetam lacessat ut favore Mantuam:
Homericæque par & ipse gloriæ
Rotas Maronis arte sectans compari.
Ego corde, & ore, jure despicabilis
Quid inter hosce te rogante garriam,
Loquacitatis impudentiam probans,
Animíque vota destituta literis?
Sed quid negabo, nec pudore territus?
Amor timere nescit, indè parui.

EPIST. XVI.

JAM per alternum pelagus loquendi
Egit audacem mea cymba cursum;
Nec bipertito timuit fluento
Flectere clavum.
Solvit antennas, legit alta vela;
Palmulam ponit manus, atque transtris
Littori junctis petit osculandam
Saltus arenam.
Mussitans quanquam chorus invidorum
Prodat hirritu rabiem canino,
Nil palàm sanè loquitur, pavétque
Publica puncta.
Verberant puppem, quatiunt carinam,
Ventilant spondas laterum rotundas,
Arborem circa volitant sinistræ
Sibila linguæ.
Nos tamen rectam comite arte proram,
Nil tumescentes veriti procellas,
Sistimus portu, geminæ potiti
Fronde coronæ:
Quam mihi indulsit populus Quirini,
Blattifer vel quam tribuit senatus,
Quam peritorum dedit ordo consors
Judiciorum.
Cùm meis poni statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret;
Inter autores utriusque fixam
Bibliothecæ.
Quámque pòst visus, propè post bilustre
Tempus, accepi capiens honorem,
Qui patrum ac plebis simul unus olim
Jura gubernat.
Præter heroos joca multa multis
Texui pannis, elegos frequenter
Subditos senis pedibus rotavi
Commate bino.
Nunc per undenas equitare suetus
Syllabas, lusi celer: atque metro
Sapphico creber cecini citato
Rarus iambo.
Nec recordari queo quanta quondam
Scripserim primo juvenis calore,
Unde pars major utinam taceri,
Possit & abdi.

Nam

Digitized by Google

Nam ſenectutis propiore metâ
Quicquid extremis ſociamur annis,
Plus pudet ſi quid leve luſit ætas,
Nunc reminiſci.
Quod perhorreſcens ad epiſtolarum
Tranſtuli cultum genus omne curæ,
Ne reus cantu petulantiore,
Sim reus aſtu.
Neu puter ſolvi per amœna dicta,
Schema ſic artis phaleráſque jungam:
Clerici ne quid maculet rigorem
Fama poëtæ.
Denique ad quodvis epigramma poſthac
Non ferar pronus, teneróque metro
Vel gravi nullum citò cogar exhinc
Promere carmen.
Perſequutorum niſi quæſtiones
Forſitan dicam, meritóſque cœlum
Martyres, mortis pretio parâſſe
Præmia vitæ.
E quibus primùm mihi pſallat hymnus
Qui Toloſatum tenuit cathedram,
De gradu ſummo capitoliorum
Præcipitatum.
Quem negatorem Jovis ac Minervæ,
Et crucis Chriſti bona confitentem
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.
Ut per abruptum bove concitato
Spargeret curſus lacerum cadaver,
Cautibus tinctis calidâ ſoluti
Pulte cerebri.
Poſt Saturninum, volo plectra cantent
Quos patronorum reliquos probavi
Anxio duros mihi per labores
Auxiliatos.
Singulos quos nunc pia nuncupatim
Non valent verſu cohibere verba.
Quos tamen chordæ nequeunt ſonare,
Corda ſonabunt.

CARMINA.

PRÆFATIO in PANEGYRICUM dictum Anthemio Auguſto bis Conſuli.

CARMEN I.

CUM juvenem ſuper aſtra Jovem natura locaret,
Suſciperétque novus regna vetuſta Deus,
Certavere ſuum venerari numina numen,
Diſparibúſque modis par cecinere ſophos.
Mars clangente tubâ patris præconia dixit,
Laudavítque ſono fulmina fulmineo.
Arcas, & Arcitenens fidibus ſtrepuere ſonoris,
Doctior hic citharæ pulſibus, ille lyræ.
Caſtalidúmque chorus vario modulamine plauſit,
Carminibus, cannis, pollice, voce, pede.
Sed poſt cœlicolas etiam mediocria fertur
Cantica ſemideûm ſuſtinuiſſe deus.
Tunc Faunis Dryades, Satyríſque Mimallones aptæ,
Fuderunt lepidum ruſtica turba melos.
Alta cicuticines liquerunt Mænala Panes,
Póſtque chelym, placuit fiſtula rauca Jovi:
Hos inter Chiron ad plectra ſonantia ſaltans,
Flexit inepta ſui membra facetus equi:
Semivir audiri meruit, meruítque placere,
Quamvis hinnitum dum canit ille daret.
Ergo ſacrum dives & pauper lingua litabat,
Summáque tunc voti victima cantus erat.
Sic nos, ô Cæſar noſtri ſpes maxima ſæcli,
Poſt magnos proceres parvula thura damus,
Audacter docto coram victore canentes,
Aut Phœbi, aut veſtro qui ſolet ore loqui:
Qui licèt æternâ ſit vobis quæſtor in aulâ,
Æternùm nobis ille magiſter erit.
Ergo colat variæ te, Princeps, hoſtia linguæ,
Nam nova templa tibi pectora noſtra facis.

CARMEN II.

Panegyricus, quem Romæ Sidonius dixit Anthemio Auguſto bis Conſuli.

AUſpicio & numero faſces, Auguſte, ſecundos
Erige, & effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum, conſul vetus, ac ſinè faſtu
Scribere bis faſtis: quanquam diademate crinem
Faſtigatus eas, humeróſque ex more priorum
Includat Sarrana chlamys, te picta togarum
Purpura plùs capiat; quia res eſt ſemper ab ævo
Rara, frequens conſul. Túque, ô cui laurea Jane
Annua debetur, religa torpore ſoluto
Quâvis fronde comas, ſubitâ nec luce paveſcas
Principis, aut rerum credas elementa moveri.
Nil natura novat, ſol hìc quoque venit ab ortu.
Hic eſt, ô proceres, petiit quem Romula virtus,
Et quem veſter amor. cui ſic ceu victa procellis,
Atque, carens rectore ratis, reſpublica fractam
Intulit, ut digno meliùs flectenda magiſtro,
Nec tempeſtates, nec te, pirata, timeret.
Te prece ruricola expetiit, te fœdere junctus
Aſſenſu, te caſtra tubis, te curia plauſu,
Te punctis ſcripſere tribus, collegáque miſit
Te nobis, regnúmque tibi. ſuffragia tot ſunt,
Quanta legit mundus. fateor, trepidavimus omnes,
Ne vellet collega plus permittere voto
Publica vota tuo. credet ventura popago
In nos ut poſſint, Princeps, ſic cuncta licere,
De te non totum licuit tibi. Facta priorum
Exuperas, Auguſte Leo: nam regna ſuperſtat
Qui regnare jubet. meliùs reſpublica veſtra
Nunc erit una magìs, quæ ſic eſt facta duorum.
Salve ſceptrorum columen, regina orientis,
Orbis Roma tui, rerum mihi principe miſſo,
Jam non Eoo ſolùm veneranda Quiriti
Imperii ſedes, ſed plùs pretioſa, quòd extas
Imperii genitrix. Rhodopen quæ portat & Hemum,
Thracum terra tua eſt, heroum fertilis ora.
Excipit hìc natos glacies, & matris ab alvo,
Artus infantum molles, nix civica durat.
Pectore vix aliter quiſquam, ſed ab ubere tractus,
Plus potat per vulnus equûm; ſic lacte relicto,
Virtutem gens tota bibit. Crevere parumper:
Mox pugnam ludunt jaculis; hos ſuggerit illis
Nutrix plaga jocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant; rapto ditata juventus,
Jura colit gladii: conſummatámque ſenectam
Non ferro finire pudet. tali ordine vitæ
Cives Martis agunt. At tu circumflua ponto
Europæ atque Aſiæ commiſſam carpis utrinque
Temperiem; nam Biſtonios Aquilonis hiatus
Proxima Chalcidici ſenſim tuba temperat Euri.
Interea te Suſa tremunt, ac ſupplice vultu
Flectit Achæmenius lunatum Perſa tiaram.
Indus odorifero crinem madefactus amomo,
In tua lucra feris exarmat guttur alumnis:
Ut pandum dependat ebur; ſic truncа reportat
Boſphoreis elephas inglorius ora tributis.
Porrigis ingentem ſpaciosis mœnibus urbem,
Quam tamen anguſtam populus facit. itur in æquor
Molibus, & veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarchæ tranſlatus pulvis arenæ

In-

Intratis ſolidatur aquis: duratáque maſſa
Sullinet advectos peregrino in gurgite campos.
Sic te diſpoſitam, ſpectantémque undique portus,
Vallatam pelago terrarum commoda cingunt,
Fortunata ſatis, Romæ partita triumphos.
Et jam non querimur, valeat diviſio regni.
Concordant lancis partes, dum pondera noſtra
Suſcipis, æquâſti. Tali tu civis ab urbe
Procopio genitore micas: cui priſca propago
Auguſtis venit à proavis, quem dicere digne
Non datur eloquio, nec ſi modò ſurgat Averno
Qui cantu flexit ſcopulos, digitiſque canoris
Compulit auritas ad plectrum currere ſylvas:
Cùm ſtarent Hebri latices, curſúque ligato
Fluminis attoniti carmen magis unda fitiret.
Huic quondam juveni reparatio credita pacis
Aſſyriæ. ſtupuit primis ſe Parthus in annis
Conſilium non ferre ſenis. conterritus hæſit
Quiſque ſedet ſub rege Satraps, ita junxerat omnes
Legati genius; tremuerunt Medica rura,
Quæque Draconigenæ portas non clauſerat hoſti,
Tum demum Babylon nimis eſt ſibi viſa patere.
Partibus at poſtquam ſtatuit nova formula fœdus,
Procopio dictante Magis, juratur ab illis:
Ignis & unda Deus; necnon rata pacta futura,
Hic divos teſtatur avos. Chaldæus in extis
Pontificum de more ſenex arcana peregit
Murmura; gemmantem pateram rex ipſe retentans,
Fudit thuricremis carchefia cernuus aris.
Suſcipit hinc reducem duplicati culmen honoris,
Patritius, necnon peditúmque equitúmque magiſter
Præficitur caſtris, ubi Tauri clauſtra coërcens,
Æthiopáſque vagos belli terrore relegans,
Gurgite pacato famulum ſpectaret Orontem.
Huic ſocer Anthemius præfectus, conſul & idem,
Judiciis populos, atque annum nomine rexit.
Purpureos fortuna viros cùm murice ſemper
Proſequitur, ſolum hoc tantùm mutatur in illis,
Ut regnet qui conſul erat. ſed omittimus omnes.
Jam tu ad plectra veni, tritus cui caſſide crinis
Ad diadema venit, rutilum cui Cæſaris oſtrum
Depoſito thorace datur, ſceptróque replenda
Mucrone eſt vacuata manus; cunabula veſtra
Imperii fulſere notis, & præſcia tellus
Aurea converſo promiſit ſæcula fœtu.
Te naſcente, ferunt exorto flumina melle
Dulcatis cunctata vadis, oleſque liquores
Iſſe per attonitas baccâ pendente trapetas.
Protulit undantem ſegetem ſinè ſemine campus:
Et ſinè ſe natis invidit pampinus uvis,
Hybernæ rubuere roſæ, ſpretóque rigore
Lilia permixtis inſultavere pruinis.
Tale puerperium quotiens Lucina reſolvit,
Mos elementorum cedit, regnique futuri
Fit rerum novitate fides: veniſſe beatos
Sic loquitur natura Deos; cunctantis Iuli
Lambebant teneros incendia blanda capillos.
Aſtyages Cyro pellendus fortè nepoti,
Inguinis expavit diffuſum vite racemum.
Præbuit intrepido mamillas lupa fœta Quirino.
Julius in lucem venit, dum laurea fragrat.
Magnus Alexander, necnon Auguſtus, habentur
Concepti ſerpente Deo: Phœbúmque, Jovémque
Diviſere ſibi: namque horum quæſiit unus
Cynifiâ ſub Scyrte patrem: maculis genitricis
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi,
Pœonii jactans Epidauria ſigna draconis.
Multos cinxerunt aquilæ, ſubitúmque per orbem
Luſit venturas famulatrix penna coronas.
Aſt hunc, egregii proceres, ad ſceptra vocari
Jam tum nôſſe datum eſt, laribus cùm fortè paternis
Protulit exciſus jam non ſua germina palmes.
Imperii ver illud erat; ſub imagine frondis,
Dextra per arentem florebant omina virgam.
At poſtquam primos infans exegerat annos,
Reptabat ſuper arma patris: quanquam arcta terebat
Lamina cervicem, geminâ complexus ab ulnâ,
Livida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtinâ tractare manu, captóſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua trudere nervos.
Nunc tremulum tenero jaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutaſchalybum ſaltu transfetre catenas,
Inventas agitare feras, & fronde latentes
Quærere, deprenſas modò claudere caſſibus arctis,
Nunc torto penetrare vero, tum ſæpe fragore
Laudari comitum, frendens cùm beſtua terrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos.
Conde Pelethronios alacer puer & venator
Æacidæ titulos; quanquam ſubjecta magiſtri
Terga premens, & ob hoc ſecurus luſtra perertans,
Tu potiùs regereris equo. Non principe noſtro
Spicula direxit meliùs Pythona ſuperſtans
Pæan, cùm vacuâ turbatus penè pharetrâ,
Figeret innumeris numeroſa volumina telis.
Nec minùs hæc inter veteres audire ſophiſtas;
Mileto quòd crete Thales vadimonia culpas:
Lindie quod Cleobule canis, modus optimus eſto:
Ex Ephyrâ totum meditaris quòd Periander:
Attice quódve Solon finem bene reſpicis ævi:
Priennæe Bia, quòd plus tibi turba malorum eſt:
Noſcere quod tempus Lesbo ſate Pittace ſuades:
Quod ſe nôſſe omnes vis ex Lacedæmone Chilon.
Præterea didicit varias nova dogmata ſectas,
Quicquid laudatum eſt Scythicis Anacharſis in arvis,
Quidquid legifero profecit Sparta Lycurgo,
Quicquid Erichthæis Cynicorum turba volutat
Gymnaſiis imitata tuos Epicure ſodales:
Quidquid nil verum ſtatuens academia duplex
Perſonat, arroſo quicquid ſapit ungue Cleanthes:
Quicquid Pythagoras, Democritus, Heraclitus
Deflevit, riſit, tacuit: quodcunque Platonis
Ingenium, quod in arce fuit, docet: ordine terno
Quæ vel Ariſtoteles partitus membra loquendi,
Argumentoſis dat retia ſyllogiſmis:
Quicquid Anaximenes, Euclides, Archita, Zenon,
Arceſilas, Chryſippus, Anaxagoráſque dederunt,
Socraticúſque animus poſt fatum in Phædone vivus,
Deſpiciens vaſtas tenuato crure catenas,
Cùm tremeret mors ipſa reum, ferrétque venenum
Pallida ſecuro lictoris dextra magiſtro.
Præterea quicquid Latialibus indere libris
Priſca ætas ſtuduit, totum percurrere ſuetus:
Mantua quas acies pelagíque pericula luſit,
Smyrnæas imitata tubas, quamcumque loquendi
Arpinas dat conſul opem ſinè fine locutus:
Fabro progenitus, ſpreto cui patre polita
Eloquiis plùs lingua fuit: vel quicquid in ævum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis:
Quâ Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plaurus, quo fulmine Quintilianus:
Quâ pompâ Tacitus nunquam ſinè laude loquendus.
His hunc formatum ludiis, natalibus ortum,
Moribus imbutum, Princeps, cui mundus ab Euro
Ad zephyrum tunc ſceptra dabat, cui nubilis atque
Unica purpureos debebat nata nepotes,
Elegit generum: ſed non ut deſide luxu
Fortunâ ſoceri contentus, & otia captans,
Nil ſibi deberet: Comitis ſed jure recepto
Danubii ripas, & tractum limitis ampli
Circuit, hortatur, diſponit, diſcutit, armat.
Sic ſub patre Pius moderatus caſtra parentis,
Sic Marcus vivente Pio, pòſt jura daturi
Innumerabilibus legionibus imperitabant.
Hinc reduci datur omnis honor, & utrique magiſter
Militiæ: conſúlque micat: conjuncta poteſtas
Patritii, celeríque gradu privata cucurrit
Culmina, conſcendítque ſenum puer ipſe curulem,
Sedit & emerito juvenis veteranus in auro.
Jámque parens divos; ſed vobis nulla cupido
Imperii, longam diademata paſſa repulſam
Inſignem legere virum: quem deinde legentem
Spernere non poſſes. ſoli tibi contulit uni
Hoc fortuna decus, quamquam te poſceret ordo,
Ut lectus princeps magè, quàm videare relictus.
Poſt ſocerum Auguſtum regnas, ſed non tibi venit
Purpura per thalamos, & conjunx regia regno
Laus potiùs quàm cauſa fuit: nam juris habenis
Non generum legit reſpublica, ſed generoſum.
Fallor, bis gemino niſi cardine rem probat orbis.
Ambit te Zephyrus, rectorem deſtinat Eurus,
Ad Boream pugnas, & formidaris ad Auſtrum.
Antè tamen quàm te ſocium collega crearet,
Perſtrinxiſſe libet, quos Illyris ora triumphos
Viderit, exciſam quæ ſe Valameris ab armis
(Fortè ducis noſtri vitio) deſerta gemebat.
Haud aliter, cæſus quondam cùm Cæpio robur

Dedidit

Dedidit Auſonium, ſubitâ cogente ruinâ,
Electura ducem poſt guttura fracta Jugurthæ,
Ultum Arpinatem Calpurnia fœdera lixam
Oppoſuit rabido reſpublica territa Cimbro.
Hic primùm ut veſtras aquilas provincia vidit,
Deſiit hoſtiles confeſtim horrere dracones.
Ilicet edomiti bello prædâque carentes,
Mox ipſi tua præda jacent. ſed omittimus iſtos
Ut populatores: belli magìs acta revolvo.
Quod bellum non parva manus, neque carcere fracto
Ad gladiaturam tu Spartace vincte parâſti:
Sed Scythicæ vaga turba plagæ, feritatis abundans,
Dira, rapax, vehemens, ipſis quoque gentibus illic
Barbara barbaricis, cujus dux Hormidac atque
Civis erat, queis tale ſolum eſt, moríque, genúſque.
Albus Hyperboreis Tanais quà vallibus actus,
Riphæâ de caute cadit, jacet axe ſub urſæ
Gens animis membríſque minax; ita vultibus ipſis
Infantum ſuus horror ineſt: conſurgit in arctum
Maſſa rotunda caput, geminis ſub fronte cavernis
Viſus adeſt oculis abſentibus, acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux pervenit orbes,
Non tamen & clauſos. nam fornice non ſpacioſo,
Magna vident ſpacia, & majoris luminis uſu,
Perſpicua in puteis compenſant puncta profundis.
Tum ne per malas excreſcat fiſtula duplex,
Obtundit teneras circumdata faſcia nares,
Ut galeis cedant. Sic propter prælia natos
Maternus deformat amor, quia tenſa genarum
Non interjecto ſit latior area naſo:
Cætera pars eſt pulchra viris. ſtant pectora vaſta,
Inſignes humeri, ſuccincta ſub ilibus alvus.
Forma quidem pediti media eſt, procera ſed extat
Si cernas equites, ſic longi ſæpe putantur,
Si ſedeant. vix matre carens ut conſtitit infans,
Mox præbet dorſum ſonipes, cognata reare
Membra vitis, ita ſemper equo ſeu fixus adhæret
Rector. Cornipedum tergo gens altera fertur,
Hæc habitat. teretes arcus, & ſpicula cordi;
Terribiles certæque manus, jaculiſque ferendis
Mortis fixa fides: & non peccante ſub ictu,
Edoctus peccare furor. genus iſta repentè
Erumpens, ſolidúmque rotis tranſvecta per Iſtrum
Venerat, & ſectas inciderat orbita lymphas.
Hanc tu directus per Dacica rura vagantem
Contrahis, aggrederis, ſuperas, includis: & ut te
Metato ſpatio caſtrorum Serdica vidit,
Obſidione premis; quæ te ſic tempore multo
In vallo poſitum ſtupuit, quòd miles in agros
Nec licitis, nec furtivis excurſibus ibat:
Cui deeſſet cùm ſæpe Ceres, ſempérque Lyæus,
Diſciplina tamen non defuit. indè propinquo
Hoſte, magìs timuere ducem. ſic denique factum eſt,
Ut ſocius tum fortè tuus, mox proditor, illis
Fruſtra terga daret, commiſſæ tempore pugnæ;
Qui jam cum fugeret, flexo pede cornua nudans,
Tu ſtabas acie ſolus, te ſparſa fugaci
Expetiit ductore manus, te Marte pedeſtri
Sudantem repetebat eques: tua ſigna ſequutus
Non ſe deſertum ſenſit certamine miles.
I, nunc, & veteris profer præconia Tulli
Ætas cana patrum, quòd pulchro hortamine mendax
Occuluit refugi nutantia fœdera Meti.
Nil ſimile eſt, falliſque tuum tibi non placet hoſtem,
Tunc vicit miles, dum ſe putat eſſe juvandum.
Hic vicit, poſtquam ſe comperit eſſe relictum.
Dux fugit, inſequeris: renovat certamina, vincis:
Clauditur, expugnas: elabitur, obruis: atque
Sarmaticæ paci pretium ſua funera ponis.
Paretur, juſſum ſubiit jam transfuga lethum,
Atque peregrino cecidit tua victima ferro.
Ecce iterum, ſi fortè placet, conflige vetuſtas;
Hannibal ille ferox ad pœnam fortè petitus,
Etſi non habuit jus vitæ, ſine ſupremo
Certè habuit mortis: quem cæcus carcer, & uncus,
Et quem ſpectabat fracturus guttura lictor,
Hauſit Bebrycio conſtantior hoſpite virus.
Nam te qui fugit, mandatâ morte peremptus,
Non tam victoris periit, quam judicis ore.
Nunc ades, ô Pæan, lauro cui gryphas obuncos
Docta lupata ligant, quoties per frondea lora
Flectis penniferos hederis bicoloribus armos:
Huc converte chelym; non eſt modò dicere tempus
Pythona extinctum, nec bis ſeptena ſonare

Vulnera Tantalidum, quorum tibi funera ſervat
Cantus, & æterno vivunt in carmine mortes.
Vos quoque, Caſtalides, paucis, quo numine nobis
Venerit Anthemius gemini cum fœdere regni,
Pandite; pax rerum miſit, qui bella gubernet.
Auxerat Auguſtus naturæ lege Severus
Divorum numerum, quem mox Oenotria caſum
Vidit ut aërei de rupibus Apennini,
Pergit cœrulei vitreas ad Tybridis ædes,
Non galeâ concluſa genas, nec ſutilis illi
Circulus impactis loricam texuit hamis,
Sed nudata caput; pro crine racemifer exit
Plurima per frontem conſtringens oppida palmes,
Pérque humeros teretes, rutilantes pérque lacertos
Pendula gemmiferæ mordebant ſuppara bullæ.
Segnior incedit ſenio, venerandáque membra
Viticomam retinens baculi vice flectit ad ulmum:
Sed tamen ubertas ſequitur: quácunque propinquat
Inceſſu fœcundat iter, comitatáque greſſum
Læta per impreſſas rorat vindemia plantas.
Ilicet ingreditur Tyberini gurgitis antrum:
Currebat fluvius reſidens, & arundinis altæ
Concolor in viridi fluitabat ſylva capillo.
Dat ſonitum mento unda cadens, licèt hiſpida ſetis
Suppoſitis multum ſedaret barba fragorem.
Pectore ructabat latices, lapſúque citato,
Sulcabat madidam jam torrens alveus alvum:
Terretur veniente Deâ, manibúſque remiſſis
Remus, & urna cadunt; veniæ tum verba paranti,
Illa prior, venio viduatam præſule noſtro
Per te ſi placeat lacrymis inflectere Romam,
Expetat auroræ partes, faſtúque remoto
Hoc unum præſtet, jam plùs dignetur amari.
Inſtrue quas quærat vires, orbíque jacenti
Quo poſcat dic orbe caput; quemcunque creavit
Axe meo natum, confeſtim fregit in illo
Imperii fortuna rotas; hinc Vandalus hoſtis
Urget, & in noſtrum numeroſâ claſſe quotannis
Militat excidium: converſóque ordine fati
Torrida Caucaſeos infert mihi Byrſa furores.
Præterea invictus Ricimer, quem publica fata
Reſpiciunt, proprio ſolus vix Marte repellit
Piratam per rura vagum, qui prælia vitans,
Victorem fugitivus agit. quis ſufferat hoſtem,
Qui pacem pugnámque negat? nam fœdera nulla
Cum Ricimere jacit; quem cur nimis oderit, audi.
Incertum crepat ille patrem, cùm ſerva ſit illi
Certa parens; nunc ut regis ſit filius, effert
Matris adulterium. Tum livet, quòd Ricimerem
In regnum duo regna vocant: nam patre Suevus,
A genitrice Getes; ſimul & reminiſcitur illud,
Quòd Tarteſſiacis avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas, & junctì Martis Alanos
Stravit, & occidnam texere cadavera Calpen.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum?
Agrigentini recolit diſpendia campi.
Indè furit quòd ſe docuit ſatis iſte nepotem
Illius eſſe viri, quo viſo Vandale ſemper
Terga dabas. nam non Siculis illuſtrior arvis
Tu Marcelle redis, per quem tellure, maríque
Noſtra Syracuſios preſſerunt arma penates:
Nec tu cui currum curru ſuperare Metelle
Contigit, oſtentans nobis elephanta frequentem,
Grex niger albentes tegeret cùm mole jugales,
Autorémque ſuum celaret pompa triumphi.
Noricus Oſtrogothum quòd continet, iſte timetur.
Gallia quòd Rheni Martem ligat, iſte pavori eſt.
Quòd conſanguineo me Vandalus hoſtis Alano
Diripuit radente, ſuis hìc ultus ab armis.
Sed tamen unus homo eſt, nec tanta pericula ſolus
Tollere, ſed differre poteſt. modò principe noſtro
Eſt opus armato, veterum qui more parentum,
Non mandet, ſed bella gerat: quem ſigna moventem
Terra vel unda tremant, ut tandem jure recepto
Romula deſuetas moderentur claſſica claſſes.
Audiit illa pater, ſimul annuit. itur in urbem
Continuò, videt ipſe deam, ſummiſſus adorat,
Pectus & exertam tetigerunt cornua mammam,
Mandatas fert indè preces, quas Diva ſecuta
Apparat ire viam, laxatos torva capillos
Stringit, & incluſæ latuerunt caſſide turres.
Inſula laurus erat, bullis hoſtilibus aſper
Applicat à lævâ ſurgentem balteus enſem.
Interitur clypeo victrix manus, illius orbem

Marti-

Martigenæ, lupa, Tybris, amor, Mars, Ilia, complent.
Fibula mordaci refugas à pectore vestes
Dente capit; micat hasta minax, quercúsque tropæis
Curva tremit, placidóque deam sub fasce fatigat.
Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fornice pollex,
Quæ striogant crepidas, & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texant per crura catenas.
Ergo sicut erat liquidam transvecta per æthram,
Nascentis petiit tepidos Hyperionis ortus.
Est locus Oceani, longinquis proximus Indis
Axe sub Eoo, Nabathæum tensus in Eurum,
Ver ubi continuum est: interpellata nec ullis
Frigoribus pallescit humus: sed flore perenni
Picta peregrinos ignorant arva rigores.
Halant rura rosis, indescriptósque per agros
Fragrat odor: violam, cytisum, serpylla, ligustrum,
Lilia, narcissos, casiam, colocasia, calthas,
Costum, malobathrum, myrrhas, opobalsama, thura,
Parturiunt campi: necnon pulsante senectâ,
Hinc rediviva petit vicinus cinnama Phœnix.
Hìc domus auroræ, rutilo crustante metallo,
Baccarum præfert læves asprata lapillos.
Diripiunt diversa oculos, & ab arte magistrâ,
Hoc vincit quodcunque vides. sed conditur omnis
Sub dominâ præsente decor, nimióque rubore
Gemmarum varios perdit, quia possidet ignes.
Fundebat coma pexa crocos, flexóque lacerto
Lutea depressus comebat tempora pecten.
Fundebant oculi radios, color igneus illis,
Non tamen ardor erat: quamvìs de nocte recusâ
Excepti soleant sudorem fingere rores.
Pectora bis cingunt zonæ, parvísque papillis
Invidiam facit ipse sinus: pars extima pepli
Perfert puniceas ad crura rubentia rugas.
Sic regina sedet solio, sceptri vice dextram
Lampadis hasta replet; nox astat proxima Divæ,
Jam refugos conversa pedes: ac ponè tribunal,
Promit lux summum, vix intellecta, cacumen.
Hinc Romam liquido venientem tramite cernens,
Exiluit properè, & blandis prior orsa loquelis.
Quid caput ò mundi, dixit, mea regna revisis?
Quidve jubes? paulùm illa silens, atque aspera miscens
Mitibus, hæc cœpit: Venio (desiste moveri,
Nec multùm trepida) non ut mihi pressus Araxes
Impositò sub ponte fluat, nec ut ordine prisco,
Indicus Ausoniâ potetur casside Ganges,
Aut ut tigriferi pharetrata per arva Niphatis
Depopuletur ovans Artaxata Caspia consul.
Non Pori modò regna precor, nec ut hìsce lacertis
Frangat Hydaspeas aries impactus Erythras.
Non in Bactra feror, nec committentia pugnas
Nostra Semiramiæ strident ad classica portæ.
Arsacias non quæro domus, nec tessera castris
In Ctesiphonta datur. totum hunc tibi cessimus axem,
Et nec sic mereor nostram ut tueare senectam.
Omne quod Euphratem Tigrímque interjacet, olim
Sola tenes; res empta mihi est de sanguine Crassi:
Ad Charras precium scripsi, nec inulta remansi,
Aut periit sic emptus ager: si fallo, probâsti
Ventidio mactate Sapor. nec sufficit istud;
Armenias, Pontúmque dedi, quo Marte petitum,
Dicat Sylla tibi; forsan non creditur uni,
Consule Lucullum. Taceo jam Cycladas omnes.
Adquisita meo servit tibi Creta Metello.
Transcripsi Cilicas, hos Magnus fuderat olim.
Adjeci Syriæ, quos nunc moderaris, Isauros:
Hos quoque sub nostris domuit Servilius armis.
Concessi Ætolos veteres, Acheloïáque arva.
Transfudi Attalicum malè credula testamentum.
Epirum retines: tu scis cui debeat illam,
Pyrrhus. in Illyricum spectò te mittere jura,
Ac Macetûm terras: & habes tu Paule nepotes.
Ægypti frumenta dedi; mihi vicerat olim
Leucadiis Agrippa fretis. Judæa tenetur
Sub ditione tuâ, tanquam tu miseris illuc
Insignem cum patre Titum. Tibi Cypria merces
Fertur: pugnaces ego pauper laudo Catones.
Dorica te tellus & Achaïca jura tremiscunt:
Tendis & in bimarem felicia regna Corinthon.
Dic, Byzantinus quis rem tibi Mummius egit?
Sed si fortè placet veteres sopire querelas,
Anthemium concede mihi; sit partibus illis
Augustus, longúmque Leo; mea jura gubernet,
Quem petii: patrio vestìri murice natam
Gaudeat Euphemiam sidus divale parentis.
Adjice præterea privatum ad publica fœdus.
Sit socer Augustus genero Ricimere beatus,
Nobilitate micant; est vobis regia virgo,
Regius ille mihi; si concors annuls illud,
Mox Libyam sperare dabis; circunspice tædas
Antiquas: par nulla tibi sic copula præstò est.
Proferat hic veterum thalamos discrimine partos
Græcia, nì pudor est: reparatis Pisa quadrigis
Suscitet Oenòmaum: natæ quem fraude cadentem
Cerea destituit resolutis axibus obex.
Procedat Colchis priùs agnita virgo marito
Crimine, quàm sexu: spectet de carcere circi
Pallentes Atalanta procos, & poma decori
Hippomenis jam non pro solo colligat auro.
Deïanira tuas Achelous gymnade pinguis
Illustret tædas, & ab Hercule pressus anhelo
Lassatum foveat rivis rivalibus hostem.
Quantumvis repetam veteris connubia sæcli,
Transcendunt hic Heroas, Heroidas illa.
Hos thalamos, Ricimer, virtus tibi pronuba poscit,
Atque Dionæam dat Martia laurea myrtum.
Ergo age, trade virum non otia pigra foventem,
Deliciísque gravem: sed quem modò nauticus urit
Æstus, Abydensque sinus, & Sestias ora
Hellespontiacis circumclamata procellis:
Quas pelagi fauces non sic tenuisse vel illum
Crediderim, cui ruptus Athos, cui remige Medo
Turgida sylvosam currebant vela per Alpem.
Nec Lucullanis sic hæc freta cincta carinis,
Segnis ad insignem sedit cùm Cyzicon hostis,
Qui cogente fame, cognata cadavera mandens,
Vixit morte suâ: sed quid mea vota retardo?
Trade magís. Tum pauca refert Titonia conjunx.
Duc, age, sancta parens, quanquam mihi maximus usus
Invicti summíque ducis, dum mitior exres,
Et non disjunctas meliùs moderemur habenas.
Nam si fortè placet veterum meminisse laborum,
Et qui pro patriâ vestri pugnârit Iuli,
Ut nil plus dicam, prior hinc ego Memnona misi.
Finierat. geminas junxit concordia partes,
Electo tandem potitur quòd principe Roma.
Nunc aliquos voto simili, vel amore, vetustas
Te legisse crepa, nunquam non invida summis
Emeritísque viris. Brenni contra arma Camillum
Profer ab exilio: Cincinnatóque secures
Expulso Cæsone refer, flentémque parentem
A rostris ad rostra roga: miseróque tumultu
Pelle priùs, quos victa petas. si ruperit Alpes
Pœnus, ad afflictos condemnatósque recurre.
Improbus ut rubeat Barchinâ clade Metaurus,
Multatus tibi Consul agat: qui millia fundens
Hasdrubalis, rutilum sibi cùm fabricaverit ensem,
Concretum gerat ipse caput. longè altera nostri
Gratia judicii est. scit se non læsus amari.
At mea jam nimii propellunt carbasa flatus.
Siste, camœna, modos tenues portúmque petenti
Jam placido sedeat mihi carminis anchora fundo.
Attamen, ò Princeps, quæ nunc tibi classis & arma
Tractentur, quàm magna geras, quàm tempore parvo,
Si mea vota Deus produxerit, ordine recto,
Aut genero bis, mox aut te ter Consule dicam.
Nam modò nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.
Perge pater patriæ felix, atque omine fausto
Captivos vinctare novos, absolve vetustos.

CARMEN III.

Panegyrici Editio ad Petrum.

QUid faceret lætas segetes, quod tempus amandum
Messibus, & gregibus, vitibus, atque apibus,
Ad Mæcenatis quondam sunt edita nomen:
Hinc, Maro, pòst audes arma virúmque loqui.
At mihi Petrus erit Mæcenas temporis hujus,
Nam famæ pelagus fidere curro suo.
Si probat, emittit; si damnat, carmina celat.
Nec nos ronchisono rhinocerote notat.
I liber, hic nostrum tutatur, crede, pudorem.
Hôc censore etiam displicuisse placet.

Præfa-

CARMEN IV.

Præfatio Panegyrici Dicti Cæsar. Jul. Val. Majoriano Aug.

Tityrus ut quondam patulæ sub tegmine fagi
Volveret inflatos murmura per calamos,
Præstitit afflicto jus vitæ Cæsar & agri,
Nec stetit ad tenuem celsior ira reum;
Sed rus concessum dum largo in principe laudat,
Cœlum pro terris rustica Musa dedit.
Nec fuit inferius Phœbeia dona referre,
Fecerat hic dominum, fecit & ille deum.
Et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique secuto,
Carminis est autor, qui fuit & veniæ.
Sic mihi diverso nuper sub Marte cadenti,
Jussisti placido victor ut essem animo.
Serviat ergo tibi servati lingua poetæ,
Atque meæ vitæ laus tua sit pretium.
Non ego mordaci fodiam modò dente Maronem,
Nec civem carpam, terra Sabella, tuum.
Res minor ingenio nobis, sed Cæsare major:
Vincant eloquio, dummodo nos domino.

CARMEN V.

Panegyricus Julio Valerio Majoriano Augusto dictus.

Concipe præteritos, respublica, mente triumphos:
Imperium jam Consul habet quem purpura non plùs
Quàm lorica operit, cujus diademata frontem
Non luxu, sed lege tegunt, meritisque laborum
Post palmam palmata venit: decora omnia regni
Accumulant fasces, & princeps Consule crescit.
Personat ergo tuum cœlo, rure, urbibus, undis,
Exultans Europa sophos, quòd rector haberis,
Victor qui fueras; fateor, trepidaverat orbis,
Dum non vis vicisse tibi, nimióque pudore
Quòd regnum mereare doles, tristíque repulsâ
Non moderanda subis, quæ defendenda putâsti.
Sederat exerto bellatrix pectore Roma
Cristatum turrita caput, cui ponè capaci
Casside prolapsus perfundit terga capillus.
Lætitiam censura manet, terrórque pudore
Crescit, & invictâ superat virtute venustas.
Ostricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat: tum quicquid mamma refundit
Tegminis, hoc patulo concludit gemma recessu.
Hinc fulcit rutilus spatioso circite lævum
Umbo latus; videas hic crasso fusa metallo
Antra Rheæ, fœtámque lupam, quam fauce retectâ
Blandiri quoque terror erat, quanquam illa vorare
Martigenas & picta timet; pars proxima Tybrim
Exprimit; hic scabri fusus sub pumice tophi,
Proflabat madidum per guttura glauca soporem.
Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjunx,
Liquenti quæ juncta toro vult murmura lymphis
Tollere, & undosi somnum servare mariti.
Ista micant clypeo; cuspis trabe surgit eburnâ,
Ebria cæde virûm. propter Bellona tropæum
Extruit, & quercum captivo pondere curvat.
Consurgit solium saxis, quæ cæsa rubenti
Æthiopum de monte cadunt, ubi sole propinquo
Nativa exustas afflavit purpura rupes.
Jungitur hìc Sinnas, Numadum lapis additur isthìc
Antiquum mentitus ebur: pòst caute Laconum
Marmoris herbosi radians interviret ordo.
Ergo ut se mediam solio dedit, advolat omnis
Terra simul. Tum quæque suos provincia fructus
Exposuit; fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, Thura Sabæus,
Atthis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivum,
Arcas equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,
Pontus castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus,
Sardinia argentum, naves Hispania defert,
Fulminis & lapidem; scopulos jaculabile fulgur
Fucat, & accensam silicem fœcunda maritat
Ira Deûm. quoties cœlum se commovet illìc,
Plus ibi terra valet. subitò fletus Africa nigras
Procubuit lacerata genas, & cernua frontem
Jam malè fœcundas in vertice fregit aristas.
Ac sic orsa loqui est; Venio pars tertia mundi,
Infelix felice uno; famulâ fatus olim
Hic prædo, & dominis extinctis, barbara dudum
Sceptra tenet tellure meâ, penitúsque fugatâ
Nobilitate furens, quod non est, non amat hospes.
O Latii sopite vigor, tua mœnia ridet
Insidiis cessisse suis. non concutis hastam?
Non pro me vel capta doles? tua nempe putantur
Surgere fata malis, & celsior esse ruina.
Sed melius quòd terror abit. Jam vincere restat
Si pugnas, ut victa soles. Porsenna Superbum
Tarquinium impingens complevit milite Thusco
Janiculum quondam: sed dum perrumpere portas
Obsidione parat, totam te pertulit uno
Cocliti in Clypeo; pressêrunt millia solum
Multa virum, pendente viâ: nec ponte soluto,
Cùm caderet, cecidit. Rex idem denique morte
Admonitus scribæ didicit sibi bella moveri,
Non solùm cùm bella forent. mox pace petitâ,
In regnum rediit, non tam feriente fugatus,
Quàm flagrante viro: fleterat nam corde gelato
Scævola, & apposito dextram damnaverat igni,
Plùs felix peccante manu, cùm fortè satelles
Palleret constante reo, tormentáque capti
Is fugeret, qui tortor erat. Etennum tremuisti
Pòst melior, quodcunque tuum est, quodcunque vocaris,
Jam solus Tarpeius erat; sed reppulit unus
Tum quoque totam aciem, Senones dum garrulus anser
Nuntiat, & vigilat vestrum sinè milite fatum.
Me quoque (da veniam, quòd bellum gessimus olim)
Post Trebiam, Cannásque domas, Romanáque tecta
Hannibal antè meus, quàm nostra Scipio vidit.
Quid merui? fatis cogor tibi bella movere,
Cùm volo, cùm nolo; trepidus te territat hostis,
Sed tutus claudente freto, velut hispidus alta
Sus prope tesqua jacet, clausúsque cacuminat albis
Os nigrum telis gravidum, circumlatrat ingens
Turba canum, si fortè velit concurrere campo:
Ille per objectos vepres timet, atque superbit,
Vi tenuis, fortísque loco, dum proximus Eia
Venator de colle sonet; vox nota magistri
Lassatam reparat rabiem: tum vulnera cæcus
Fastidit sentire furor. Quid prælia differs?
Quid mare formidas? pro cujus sæpe triumphis
Et cœlum pugnare solet? Quid quòd tibi princeps
Est nunc eximius, quem præscia sæcula clamant
Venturum excidio Libyæ, qui tertius ex me
Accipiet nomen? debent hoc fata labori
Majoriane tuo, quem cur conscendere classem,
Ac portus intrare meos, urbémque subire
Si jubeas, cupiam, paucis ex ordine labor.
Fertur Pannoniæ quà Martia pollet Acincus,
Illyricum rexisse solum cum tractibus Istri
Hujus avus. nam Theudosius, quo tempore Sirmî
Augustum sumpsit nomen, per utramque magistrum
Militiam ad partes regni venturus Eoas
Majorianum habuit. Latiis sunt condita fastis
Facta ducis: quotiens Scythicis illata colonis
Classica pressêrunt Hypanim? Peucémque rigentem
Monte salutatis irrisit lixa pruinis?
Hunc socerum pater hujus habet vir clarus, & auo
Culmine militiæ semper contentus, ut unum
Casibus in dubiis junctus sequeretur amicum.
Non semel oblatis tentavit fascibus illum
Aëtio rapere aula suo, sed perstitit ille,
Major honoratis: cœpit pretiosior esse,
Sic precio non capta fides. Erat ille quod olim
Quæstor consulibus, tractabat publica jure
Æra suo: tantúmque modum servabat, ut illum
Narraret rumor jam rebus parcere nati.
Senserat hoc, sed fortè ducis jam livida conjunx
Augeri famam pueri, suffusáque bili,
Coxerat interuum per barbara corda venenum.
Ilicet explorat cœlum, totámque volutis
Percurrit mathesim numeris, interrogat umbras,
Fulmina rimatur, fibras videt, undique gaudens
Secretum rapuisse Deo. sic torva Pelasgum
Colchis in aplustri steterat trepidante marito,
Absyrtum spargura patri, facturáque cæsi
Germani plus morte nefas, dum funere pugnat,
Et fratrem sibi tela facit: vel cùm obruit ignem
Taurorum, plùs ipsa calens, texítque trementem
Frigida flamma virum, quem defendente veneno
Inter flagrantes perhibent alsisse juvencos.
Ergo animi dudum impatiens, postquam audiit isti

Imperium & longum ſtatui, laniata lacertos
Ingreditur quà ſtrata viri, vocémque furentem
His rupit. Secure jaces oblite tuorum,
O piger, & mundo princeps (ſic ſæcula poſcunt)
Majorianus erit; clamant hoc ſidera ſignis,
Hoc homines votis; iſti quid ſidera quæro,
Fatum aliud cui fecit amor? nil fortius illo.
Et puer eſt cupidus nunquam, ſed parcus habendi.
Pauper adhuc jam ſpargit opes, ingentia ſuadet
Conſilia, & ſequitur. totum quod cogitat, altum eſt.
Urget, quod ſperat. ludum ſi fortè retexam,
Conſumptit, quicquid jaculis feciſſe putaris,
Iſtius una dies. tribus hunc tremuere ſagittis
Anguis, cervus, aper. non ſic libravit in hoſtem
Spicula, qui nato ſerpentis corpore cincto
Plùs timuit dum ſuccurrit, dum jactibus iiſdem
Interitum vitámque daret, ſtabilémque teneret
Corde tremente manum, totámque exiret in artem
Spe propiore metus, dans inter membra duorum
Unius mortem. libeat decernere cæſtu,
Ceſſit Eryx Siculus, ſimili nec floruit arte
Sparta, Therapnæâ pugilem cùm gymnade pinguem
Stratum Bebryciis Amycum ſuſpexit arenis.
Qui vigor in pedibus? fruſtra ſibi natus Ophelte.
Sicaniam tribuit palmam, plantáſque ſuperbas
Haud ita per ſiccam Nemeen citus extulit Arcas,
Cujus in Æolo volitantem pulvere matrem
Horruit Hippomenes, multo qui ceſpite circi
Contempto præmiſſus erat, cùm carceris antro
Emicuit pernix populo trepidante virago,
Nil toto tactura gradu, cùm pallidus ille
Reſpiceret medium poſt ſe decreſcere campum,
Et longas ad ſigna vias, ſtatúque propinquo
Preſſus in hoſtili jam curreret anxius umbrâ,
Donec ad anfractum metæ jamjámque relictus
Concitu ter ſparſo fregit veſtigia pomo.
Qui videt hunc equitem, Ledæum ſpernit alumnum,
Ac juvenem Sthenobœa tuum, cui terga vetuſtas
Pennati largitur equi, Lyciámque Chimæram
Quem ſuperâſſe refert, vulnus cùm ſuſtulit unum
Tres animas. vitam tum ſi tibi fata dediſſent,
Majoriane ferox, vetuiſſes Caſtora frenos,
Pollucem cæſtus, Alconem ſpicula nôſſe,
Bellerophonteis inſultaturus opimis.
Si clypeum capiat, vincit Telamone creatum,
Qui puppes inter Graias contra Hectoris ignem
Ipſam etiam infidi claſſem defendit Ulyxis.
Miſſile ſi quanto jaculetur pondere quæris,
Segniùs inſertæ trepidans pro faſce Camillæ
Excuſſit telum Metabus, nec turbine tanto
Stridula Pelidæ per Troilon exiit ornus;
Nec ſic Heroum tardantem buſta Creontem
Auricus Ægides rupit Marathonide quercu:
Nec ſic intortum violare Phœbados ultrix
In Danaos fulmen jecit, cùm Græcia Trojæ
Noctem habuit ſimilémque facem, fixúſque Capharei
Cautibus inter aquas flammam ructabat Oileus.
Parva loquor. quid quòd quotiens tibi bella geruntur,
Diſcipulus non miles adeſt, & fingit alumnum,
Æmulus econtra ſpectat? Quòd viceris odit,
Et quos vincis amat. Totus dormitat ad iſtum
Magnus Alexander, patris quem gloria torſit.
Quid faciam infelix? nato quæ regna parabo,
Excluſa ſceptris Geticis, reſpublica ſi me
Præterit, & parvus ſuper hôc Gaudentius hujus
Calcatur fatis? iſtum jam Gallia laudat,
Quódque per Europam eſt. rigidis hunc abluit undis,
Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana, Ledus,
Clitis, Elaris, Atax, Vacalis, Ligerímque bipenni
Exciſum per fruſta bibit; cùm bella timentes
Defendit Turonos, aberas. pòſt tempore parvo
Pugnâſtis pariter, Francus quà Cloio patentes
Atrebatum terras pervaſerat: hìc coeuntes
Claudebant anguſta vias, arcúque ſubactum
Vicum Helenam, fluménque ſimul ſub tramite longo
Arctus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.
Illìc te polito pugnabat ponte ſub ipſo
Majorianus eques. fors ripæ colle propinquo
Barbaricus relonabat hymen: Scythicíſque choreis
Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, ſtravit. crepitabat ad ictus
Caſſis, & oppoſitis haſtarum verbera thorax
Arcebat ſquamis, donec converſa fugatus
Hoſtis terga dedit. plauſtris rutilare videres
Barbarici vaga feſta tori, conjectáque paſſim
Fercula, captiváſque dapes, cirróque madente
Ferre coronatos redolentia ſerta lebetas.
Illicet increſcit Mavors, thalamíque refringit
Plùs ardens Bellona faces. rapit eſſeda victor
Nubentémque nurum. non ſic Pholoëtica monſtra
Atque Pelethronios Lapithas Semeleïus Euan
Miſcuit, Æmonias dum flammant Orgia matres,
Et Venerem Martémque cient, ac prima cruentos
Conſumunt ad bella cibos, Bacchóque rotato
Pocula tela putant, cùm crudeſcente tumultu
Polluit Æmathium ſanguis Centauricus Othrym.
Nec plùs nubigenûm celebrentur jurgia fratrum.
Hic quoque monſtra domat, rutili quibus arce Cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudatáque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
Albet aquoſa acies, ac vultibus undique raſis,
Pro barbâ tenues perarantur pectine criſtæ.
Strictiùs aſſutæ veſtes procera coërcent
Membra virûm, patet his altato tegmine poples,
Latus & anguſtam ſuſpendit balteus alvum.
Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeóſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
Inque hoſtem veniſſe priùs. puerilibus annis
Eſt belli maturus amor. ſi fortè premantur
Seu numero, ſeu ſorte loci, mors obruit illos,
Non timor: invicti perſtant, animóque ſuperſunt
Jam propè poſt animam. Tales te teſte fugavit,
Et laudante viros. quiſnam ferat? omnia tecum,
Te ſinè multa facit. pugnant pro principe multi,
Quàm timeo, ne jam iſte ſibi. ſi regna tenebit,
Huic vincis quodcunque domas. nil fata relinquunt
Hìc medium. percuſſor enim ſi reſpuis eſſe,
Servus eris. certè recto ſi tramite ſervat
Sidera Chaldæus, novit ſi gramina Colchus,
Fulgura ſi Thuſcus, ſi Theſſalus elicit umbras,
Si Lyciæ ſortes ſapiunt, ſi noſtra volatu
Fata loquuntur aves, doctis balatibus Hammon
Si ſanctum ſub Syrte gemit, ſi denique verum
Phœbe, Themis, Dodona canis, poſt tempora noſtra
Julius hic Auguſtus erit: conjunctus amore
Præterea eſt juveni, grandis quem ſpiritus armat
Regis avi. quò te vertas? ad culmina mundi
Hic fatum fert, ambo animum. conſurge, ſimúlque
Aggredere ignaros. neutrum mactare valebis,
Si jubeas utrunque mori: ſed necte doloſas
Blanditias uni, ferro tamen iſte petatur.
Quid loquor incaſſum? nihil eſt quòd tanta cavemus;
Ut regnet, victurus erit. Commotus in iras
Aëtius, ſic pauca refert: Compeſce furentis
Impia vota animi. mortem mandare valebo
Infantis, taceam noſtri? quiſquámne precatur
Ut ſinè criminibus crimen fiat bene naſci?
Ad pœnam quis fata vocet? tua viſcera ferro
Majoriane petam? Phœbus ſi nocte refulget,
Luna die, duplex ponto ſi plauſtra novatur
Parrhaſis, Atlantem Tanais, ſi Bagrada cernit
Caucaſon, Hercinii nemoris ſi ſtipite lintris
Texta Nabathæum pro Rheno ſulcat Hydaſpem,
Si bibit Hiſpanus Gangem, tepidiſque ab Erythris
Ad Tarteſſiacum venit Indus aquator Iberum:
Si ſe Pollucis perfundit ſanguine Caſtor:
Theſea Pirithoi, Pyladem ſi ſtravit Oreſte
Vel furibunda manus, raperet cùm Taurica ſacra
Matricida pius. Sed ne ſpreviſſe dolorem
Fortè tuum videar, vivat, careátque parumper
Militiâ. Heu nobis potuit, niſi triſte putâſſes,
Fortunam debere ſuam. Sic fatur, & illum
Rure jubet patrio ſuetos mutare labores,
Fatorum currente rotâ, quo diſceret agro,
Quid poſſeſſorem maneat, quos denique mores
Jus civile paret, ne ſolam militis artem
Ferret ad imperium, ſuſpenderat ilicet arma
Emeritus juvenis, ſterilis jejunia terræ
Vomere fœcundans. ſic quondam conſule curvo
Vertebas campos, paulùm ſi pace ſequeſtrâ
Claſſica laxâſſes, fortis cui læva regebat
Stivam poſt aquilas, humili dum juncta camino
Victoris fumum biberet palmata bubulci.
Principis interea gladio lacrymabile fatum
Clauſerat Aëtius, cujus quo rutiùs ille
Magna Palatinis conjungeret agmina turmis,
Evocat hunc precibus: ſed non ſe pœna moratur

Sangui-

Sanguinis effuſi: numerum collegerat ergo,
Non animum populi. ferri mala crimina ferro
Solvit, & in noſtram plùs concidit ille ruinam.
Jam tunc imperium præſentis principis aureâ
Volvebant bona fata colu: ſed publica damna
Invidiam fugere viri. quicunque fuerunt
Nomen in Auguſtum lecti, tenuere relictum
Cæſaribus ſolium. poſtquam tu capta laboras,
Hic quod habet fecit. Trajanum Nerva vocavit,
Cùm pignus jam victor erat; Germanicus eſſet
Ut titulis, meritis fuerat: res ordine currit.
Hanc ambit famam, quiſquis ſic incipit: olim
Poſt Capreas Tiberi, poſt turpia numina Cæſi,
Cenſuram Claudi, citharam thalamóſque Neronis,
Poſt ſpeculi immanis pompam, quo ſe ille videbat
Hinc torpis, quòd pulcher Otho: poſt quina Vitelli
Millia famoſi ventris damnata baratro,
His titulis princeps lectus, ſimiliſque labore
Veſpaſianus erat. Sed ne fortaſſe latronis
Me clauſam virtute putes, conſumpſit in illo
Vim gentis vitæ vitium: Scythicam feritatem
Non vires ſed vota tenent, ſpoliiſque potitus
Immenſis, robur luxu jam perdidit omne,
Quo valuit, dum pauper erat. mea viſcera pro ſe
In me nunc armat. laceror tot capta per annos
Jure ſuo, virtute meâ: fœcundáque pœnis
Quos patiar pario. propriis nil conficit armis,
Getulis, Numidis, Garamantibus, Autololiſque,
Arzuge, Marmaridâ, Pſyllo, Naſamone timetur
Segnis: & ingenti ferrum jam neſcit ab auro.
Ipſi autem color exanguis, quem crapula verat,
Et pallens pinguedo tenet, ganeâque perenni
Preſſus aceſcentem ſtomachus non explicat æstum.
Par eſt vita ſuis: non ſic Barchæus opimam
Hannibal ad Capuam periit, cùm fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Baiæ,
Et ſe Lucrinas quà vergit Gaurus in undas,
Brachia Maſſylus jactaret nigra natator.
Atque ideo hunc dominum ſaltem poſt ſecula tanta
Ultorem mihi redde, precor, ne dimicet ultrà
Carthago Italiam contra. Sic fata dolore
Ingemuit, lacrymiſque preces adjuvit obortis.
His hæc Roma refert. Longas ſuccinge querelas,
O devota mihi vindex, tibi nomine divûm
Majorianus erit; ſed paucis pauca retexam.
Ex quo Theodoſius communia jura fugato
Reddidit autoris fratri, cui guttura fregit
Pòſt in ſe vertenda manus, mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis, ignaráque ſervit.
Ex illo multum periit, quia principe clauſo,
Quidquid erat miſeri diverſis partibus orbis,
Vaſtari ſolenne fuit: quæ vita placeret,
Cùm rector moderandus erat? contempta tot annos
Nobilitas jacuit. pretium reſpublica forti
Rettulit invidiam: princeps hæc omnia noſter
Corrigit, atque tuum vires ex gentibus addens
Ad bellum per bella venit. nam maximus iſſe eſt,
Non pugnáſſe labor. terimus cur tempora verbis?
Pervenit, & vincit. Tali ſermone peractum
Concilium eſt, verbíſque Deæ famulante metallo,
Aurea concordes traxerunt fila ſorores.
Hos me, quos cecini, Romæ Libyæque labores,
Vota hominum docuere loqui. jam tempus ad illa
Ferre pedem, quæ fanda mihi vel Apolline muto.
Pro Muſis Mars veſter erit. Conſcenderat Alpes,
Rhætorúmque jugo per longa ſilentia ductus,
Romano exierat populato trux Alamannus,
Pérque cani quondam dictos de nomine campos
In prædam centum novies dimiſerat hoſtes.
Jámque Magiſter eras, Burconem dirigis illò
Exiguâ comitante manu. ſed ſufficit iſtud,
Cùm pugnare jubes, certa eſt victoria noſtris
Te mandâſſe acies. peragit fortuna triumphum
Non populo, ſed amore tuo. nolo agmina campo
Quò mittis paucos: fœlix te reſpicit iſte
Eventus belli. certatum eſt jure Magiſtri,
Auguſti fato. Nuper pòſt hoſtis aperto
Errabat lentus pelago: poſtquam ordine vobis
Ordo omnis regnum dederat, plebs, curia, miles,
Et collega ſimul. Campanam flantibus auſtris
Ingrediens terram, ſecurum milite Mauro
Agricolam aggreditur; pinguis per transtra ſedebat
Vandalus, opperiens prædam, quam juſſerat illuc
Captivo capiente trahi; ſed veſtra repentè
Inter utrunque hoſtem dederunt ſeſe agmina planis,
Quæ pelagus collémque ſecant, portúmque reducto
Efficiunt flexu fluvii. Perterrita primùm
Montes turba petit, trabibus quæ clauſa relictis
Prædæ præda fuit; tum concitus agmine toto,
In pugnam pirata coit. pars littre cavatâ
Jam dociles exponit equos: pars ferrea texta
Concolor induitur, teretes pars explicat arcus,
Spiculáque infuſum ferro latura venenum,
Quæ feriant bis, miſſa ſemel. jam textilis anguis
Diſcurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit zephyris: paulo mentitur hiatu
Iratam pictura ſemem: pannóque furorem
Aura facit, quotiens craſſatur vertile tergum
Flatibus, & nimium jam non capit alvus inane.
At tuba terriſono ſtrepuit grave rauca fragore,
Reſponſat clamor littus, virtúſque repentè
Ignavis vel parva furit. cadit undique ferrum,
Huic tamen in jugulos. hunc torta falarica jactu
Præterit ad mortem vix ceſſatura ſecundam.
Hunc conti rotat ictus equo, ruit aclide foſſus
Ille, verúque alius. jacet hic ſimul alite telo,
Abſentem paſſus dextram. pars poplite ſecto
Mortis ad invidiam vivit, partémque cerebri
Hic galeæ cum parte rapit, fortíque lacerto
Difficit ancipiti miſerabile ſinciput enſe.
Ut primùm verſis dat tergum Vandalus armis,
Succedit cædes pugnæ. diſcrimine nullo
Sternuntur paſſim campis, & fortia quæque
Fecit iners trepidante fugâ; mare pallidus intrat,
Et naves pertranſit eques, turpíque natatu
De pelago ad cymbam rediit. Sic tertia Pyrrhi
Quondam pugna fuit: cæſis cùm mille bubus illum
Dentatus premeret, laceræ vix fragmina claſſis
Traxit in Epirum, qui Chaonas atque Moloſſos,
Qui Thracum Macetúmque manus per littora veſtra
Sparſerat, & cujus vires Oenotria pallens,
Ipſáque, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.
Hoſtibus expulſis, campum qui maximus extat
Jam luſtrare vacat. videas hic ſtrage ſub illâ,
Utrorumque animos. nullus non pectore cæſus
Quiſquis veſter erat. nullus non terga foratus
Illorum quiſquis. clamant hoc vulnera primi
Prædonum tum fortè ducis, cui regis avari
Narratur nupſiſſe ſoror, qui pulvere cæco
Clauſus, & eliſus pilis, veſtigia turpis
Geſtat adhuc probroſa fugæ. ſic agmina veſtra
Cum ſpoliis campum retinent, & Marte fruuntur.
Interea duplici texis dum littore claſſem
Inferno ſuperóque mari, cadit omnis in æquor
Sylva tibi, nimiúmque din per utrumque reciſus
Apennine latus, navalíque arbore dives,
Non minus in pelagus nemorum, quàm mittis aquarum.
Gallia continuis quanquam ſit laſſa tributis,
Hôc cenſu placuiſſe cupit, nec pondera ſenſit,
Quæ prodeſſe probat: non tantis major Atrides
Carpathium texit ratibus, cùm Doricus hoſtis
Sigæas rapturus opes, Rhœteïa clauſit
Pergama: nec tantæ Seſton junctura Abydo
Xerxes claſſis erat, tumidas cùm ſterneret undas,
Et pontum ſub ponte daret, cùm ſtagna ſuperbo
Irrupit temerata gradu, turmæque frequentes
Helleſpontiaco perſultavere profundo.
Nec ſic Leucadio claſſis Mareotica portu
Actiacas abſcondit aquas, in bella mariti
Dum venit à Pharios dotalis turba Canopo:
Cùm patrio Cleopatra ferox circundata ſiſtro
Milite vel piceo fulvas onerata carinas,
Dorida diffuſam premeret Ptolemaïde gazâ.
Hôc tu non cultu pugnas, ſed more priorum,
Dite magis ferro, meritò cui ſubjacet aurum
Divitis ignavi. tales ne ſperne rebelles;
Etſi non acies, decorant tamen iſta triumphos.
Nec me Legæam ſtirpem memorâſſe pigebit
Hoſtis ad exemplum veſtri. namque auguror iſdem
Regnis fortunam ſimilem, cùm luxus in illâ
Parte ſit æqualis, nec pejor Cæſar in iſtâ.
Ilicet aggrederis quod nullus tempore noſtro
Auguſtus potuit; rigidum ſeptemplicis Iſtri
Agmen in arma rapis. nam quicquid languidus axis
Cardine Sithonio ſub Parrhaſe parturit urſâ,
Hoc totum tua ſigna pavet. Baſtarna, Sïevus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites,
Biſaltæ,

by Google

Biſalta, Oſtrogothus, Procruſtes, Sarmata, Moſchus,
Poſt aquilas venere tuas. Tibi militat omnis
Caucaſus, & Scythicæ potor Tanaïticus undæ.
Quid faciat fortuna viri? quaſcunque minatur
Has tremuit jam Roma manus: modò principe ſub tu
Ne metuat, propè parva putat, niſi ſerviat illi
Quod timuit regnante alio. Jam caſtra movebas,
Et te diverſis ſtipabant millia ſignis.
Obſequium gens una negat, quæ nuper ab Iſtro
Rettulit indomitum ſolito truculentior agmen,
Quòd dominis per bella cavet, populóque ſuperbo
Tuldila plectendas in prælia ſuggerit iras.
Hic tu vix armis poſitis, iterum arma retractas.
Biſtonides veluti Ciconum cum fortè pruinas
Ogygiis complent Thyaſis, ſeu Strimonos arvis,
Seu ſe per Rhodopen, ſeu quà nimboſus in æquor
Volvit Hyperboreis in cautibus Iſmarus Hebrum,
Dat ſomno vaga turba, ſimul laſſata quieſcunt
Orgia, & ab biforem rebout nec tibia flatum.
Vix requies. jam ponte ligant, rotat enthea thyrſum
Baſſaris, & maculis Erythrææ Nebridos horrens
Excitat Odryſios ad marcida tympana myſtas.
Tu tamen hanc differs pœnam, ſed ſanguinis autor
Majoris, dum parcis, eras. non pertulit ultrà
Hoc pro te plùs cauta manus, veſtrúmque pudorem
Sprevit pro vobis. primi cadit hoſtia belli,
Quiſque rebellis erat. prædam quoque dividis illis,
Mens devota quibus fuerat, quæ territa ſervit
Exemplo, gaudet pretio. Pharſalica Cæſar
Arva petens, ſubitas ferro compeſcuit iras:
Sed ſua membra ſecans, & cauſæ mole coactus,
Flevit quos perimit. veſtris hæc proficit armis
Seditio. quodcunque jubes, niſi barbarus audit,
Hic cadit, ut miles timeat. Jam tempore brumæ
Alpes marmoreas, atque occurrentia junctо
Saxa polo, rupéſque vitri, ſiccámque minantes
Per ſcopulos pluviam, primus pede carpis, & idem
Lubrica præmiſſo firmas veſtigia conto.
Cœperat ad rupis medium, quæ maxima turba eſt,
Interno ſqualere gelu, quòd colle ſupino
Arctatis concluſa viis, reptare rigenti
Non poterat revoluta ſolo. fors unus ab illo
Agmine, canentem cujus rota triverat Iſtrum,
Exclamat, gladios malo, & ſolenne quietâ
Quod frigus de morte venit; mea torpor inerti
Membra rigore ligat. quondam mihi corpus aduſtum
Frigoris igne perit. ſequimur ſinè fine labori
Inſtantem juvenem. quiſquis fortiſſimus ille eſt,
Aut rex, aut populus, caſtris modo clauſus, aprica
Vel ſub pelle jacet. nos anni vertimus uſum.
Quod jubet hic, lex rebus erit. non flectitur unquam
A cœptis, damnúmque putat, ſi temporis iras
Vel per damna timet. quâ dicam gente creatum,
Quem Scytha non patior? cujus lac Tigridis infans
Hyrcanâ ſub rupe bibit? quæ ſuſtulit iſtum
Axe meo gravior tellus? en vertice ſummo
Algentes cogit turmas, ac frigora ridet,
Dum ſolus plùs mente calet. cùm claſſica regis
Arctoi ſequerer, Romani principis arma,
Cæſareúmque larem luxu torpere perenni
Audieram. dominos nil prodeſt iſſe priores,
Si rex hic quoque fortis erat. Majora parantem
Dicere de ſcopulo verbis accendis amaris.
Quiſquis es oppoſiti metuis qui lubrica clivi,
Frange cutem pendentis aquæ, ſcalpróque fluento
Sit tibi lympha gradus, turpes depone querelas,
Otia frigus habent. numquid mihi membra biformis
Hylæi natura dedit? num Pegaſus alis
Adjuvit quicquid gradior? pennáſque volanti
Dat Calais Zetúſque mihi, quem ninguida cernis
Calcantem jam dorſa jugi? vos frigora frangunt,
Vos Alpes. Jam jam ſtudeam penſare pruinas,
Æſtatem ſub Syrte dabo. Sic agmina voce
Erigis, exemplóque levas, primúſque labores
Aggrederis quoſcunque jubes; tum cætera paret
Turba libens, ſervit propriis cùm legibus autor.
Qui tibi præterea comites, quantúſque Magiſter
Militiæ, veſtrum poſt vos qui compulit agmen,
Sed non invitum? dignus cui cederet uni
Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fulvius, arte Camillus.
Si Præfecturæ quantus moderetur honorem
Vir quæras, tendit patulos qua Gallia fines;
Vix habuit mores ſimiles, cui, teſte ſenatu,
In ſe etiam tractum commiſerat Ulpius enſem:
Qui dictat modò jura Getis, ſub judice veſtro
Pellitus raucum præconem ſuſpicit hoſtis.
Quid loquar hìc illum, qui ferinia ſacra gubernat?
Qui quum civilis diſpenſet partis habenas,
Suſtinet armati curas, interprete ſub quo
Flectitur ad veſtras gens effera conditiones.
Quid laudare Petrum parvis temeraria Clio
Viribus aggrederis? cujus dignatur ab ore
Cæſar in orbe loqui? licèt & quæſtore diſerto
Polleat, attamen hic nuper, placidiſſime princeps,
Obſide percepto, noſtræ de mœnibus urbis,
Viſceribus miſeris inſertum depulit hoſtem.
Et quia laſſatis nimiùm ſpes unica rebus
Veniſti, noſtris petimus ſuccurre ruinis:
Lugdunúmque tuam, dum præteris, aſpice victor;
Ocia poſt nimios poſcit te fracta labores.
Cui pacem das, redde animum. laſſata juvenci
Cervix depoſito melìùs pòſt ſulcat aratro
Telluris glebam ſolidæ. bove, fruge, colono,
Civibus exhauſta eſt. ſtantis fortuna latebat,
Dum capitur, væ quanta fuit! poſt gaudia, Princeps,
Delectat meminiſſe mali. populatibus, igni
Etſi concidimus, veniens tamen omnia tecum
Reſtituis: fuimus veſtri quia cauſa triumphi,
Ipſa ruina placet. cùm victor ſcandere currum
Incipies, crinémque ſacrum tibi more priorum
Nectet muralis, vallaris, civica laurus,
Et regum aſpicient capitolia fulva catenas:
Cùm veſtles Romam ſpoliis, cùm divite cerâ
Pinges Cinyphii captiva mapalia Bocchi:
Ipſe per obſtantes populos raucóſque fragores
Præcedam, & tenui (ſicut nunc) carmine dicam,
Te geminas Alpes, te Syrtes, te mare magnum,
Te freta, te Libycas pariter domuiſſe catervas.
Antè tamen viciſſe mihi. Quod lumina flectis,
Quódque ſerenato miſeros jam reſpicis ore,
Exultare libet. memini, cùm parcere velles,
Hic tibi vultus erat. mitis dat ſigna venuſtas:
Annue, ſic veſtris reſpirent Byrſa tropæis,
Sic Parthus rectùm fugiat, Mauróſque timore
Albus eat: ſic Suſa tremant, poſitíſque pharetris
Exarmata tuam circumſtent Bactra tribunal.

CARMEN VI.

In Panegyricum, quem dixit Avito Auguſto ſocero ſuo, Romæ: Præfatio.

PAllados armiſonæ feſtum dum cantibus ortum
Perſonat Iſmario Thracia vate Chelys:
Et dum Mopſopium ſtipantur per Marathonem,
Qui ſteterant fluvii, quæque cucurrit humus:
Dulciſonum quæritur fidibus dum pectine murmur,
Has perhibent laudes laude probaſſe Deam.
Diva, Gigantei fudit quam tempore belli
Armatus partus vertice dividuo:
Quam neque Deliacis peperit Latona ſub antris,
Fixura errantem Cycladа pignoribus.
Nec quæ Cadmeis pariens Alciden in oris;
Suſpendit triplici nocte puerperium.
Nec cujus pluvio turris madefacta metallo eſt,
Cùm matrem impleret filius aurigena.
Sed te, cùm trepidum ſpectaret Phlegra tonantem,
Impulit excuſſam vertice ruptus apex.
Cúmque deos ſolæ traherent in prælia vires,
Confuſum valido te ſinè robur erat.
Protulit ut mox te patrius ſapientia vertex,
Tum magè vicerunt cùm te habuere Dei.
Te propter ceſſit manibus conſtructa tremendis,
Jam propè per rutilum machina tenſa polum.
Pindus, Othrys, Pholoë, dextris cecidere Gigantum:
Decidit & Rhœti jam gravis Oſſa manu.
Sternitur Ægæon, Briareus, Ephialtа, Mimáſque,
Arctoas ſueti lambere calce rotas.
Enceladus patri jacuit, fratríque Typhoëus,
Euboïcam hic rupem ſuſtinet, hic Siculam.
Hic ſeſe ad totam genitricem tranſtulit Orpheus,
Et docuit chordas dicere Calliopem.
Aſſurrexerunt Muſæ ſub laude ſororis;
Et placuit divæ carmine plus pietas.
Quòd ſi maternas laudes cantâſſe favori eſt,
Nec valeo priſcas æquiparare fides:
Publicus hic pater eſt, vovi cui carmen, Avitus,
Materia eſt major, ſi mihi Muſa minor.

CAR-

CARMEN VII.

Panegyricus, Avito Auguſto ſocero dictus.

PHœbe peragrato tandem viſurus in orbe,
Quem poſſis proferre parem, da lumina cœlo.
Sufficit hic terris, nec ſe jam ſignifer aſtris
Jactet, Marmaricus quem vertice conterit Atlas.
Sidera ſunt iſti, quæ ſicut merſa niteſcunt,
Adverſis ſic Roma micat; cui fixus ab orta
Ordo fuit creviſſe malis, modò principe ſurget
Conſule: nempe, Patres, collatos cernere faſces
Vos juvat, & ſociam ſceptris mandâſſe curulem.
Credite, plus dabitis currus. Jam nocte bifrontes
Anceps Jane comas, duplicíſque accingere lauro.
Principis anterior, jam Conſulis iſte coruſcat
Annus, & emerita trabeis diademata creſcunt.
Incaſſum jam Muſa paves, quòd propulit Auſter
Vela ratis noſtræ, pelago quia currere famæ
Cœpimus. en ſidus, quod nos per cœrula ſervet.
Fortè pater Superûm proſpexit ab æthere terras,
Ecce viget quodcunque videt. mundum reparâſſe
Aſpexiſſe ſuit. ſolus fovet omnia nutus.
Jamque ut conveniant Superi, Tegeaticus Arcas
Nunc plantis, nunc fronte volat. vix contigit arva,
Et toto deſcendit avo. mare, terra, vel aër,
Indigenas miſere Deos: Germane Tonantis
Prime venis, viridi qui Dorida findere curſu
Suetus, in attonita ſpargis citò terga ſerenum.
Humentes Nymphas Phorcus comitatur: ibíque
Glaucus Glauce venis: vatum & certiſſime Proteu
Certus eras. longo veniunt pòſt ordine Divi:
Pampineus Liber, Mars trux, Tirynthius hirtus,
Nuda Venus, fœcunda Ceres, pharetrata Diana,
Juno gravis, prudens Pallas, turrita Cybele,
Saturnus profugus, vaga Cynthia, Phœbus ephebus,
Pan pavidus, Fauni rigidi, Satyri petulantes.
Convenere etiam cœtum virtute tenentes,
Caſtor equo, Pollux cæſtu, Perſeius harpe,
Fulmine Vulcanus, Tiphys rate, gente Quirinus.
Quis canat hic aulam cœli, rutilantia cujus
Ipſa pavimentum ſunt ſidera? Jam pater aureo
Tranquillus ſeſe ſolio locat. indè priores
Conſedere dei. fluviis quoque contigit illo
Sed ſenibus reſidere loco. tibi maxime fluctu
Eridane, & flavis in pocula fracte Sicambris
Rhene tumens, Scythiæque vagis equitate catervis
Iſter, & ignotum plùs notus Nile per ortum;
Cùm procul erectâ cœli de parte trahebat
Pigros Roma gradus, curvato cernua collo
Ora ferens. pendent crines de vertice tecti
Pulvere, non galeâ: clypeúſque impingitur ægris
Greſſibus, & pondus non terror fertur in haſtâ:
Utque pii genibus primùm eſt affuſa Tonantis,
Teſtor, ſancte parens, inquit, te, numen & illud
Quicquid Roma fui, ſummo ſatis obruta fato,
Invideo abjectis, pondus non ſuſtinet ampli
Colminis arcta domus, nec fulmen vallibus inſtat.
Quid (rogo) bis ſeno mihi vulture Thuſcus aruſpex
Portendit? jaciens primæ cur mœnia genti
Ominibus jam celſa fui, dum collis Hetruſci
Fundamenta jugis aperis mihi, Romule pauper?
Plùs gladio ſecura fui, cùm turbine juncto
Me Rutulus, Veniens, paritérque Auruncus, & Æquus,
Hernicus, & Volſcus premerent. ſat magna videbar
Et tibi, dum rumpit vitiatum fœmina ferro
Corpus, & ad caſtum remeas pudor erute vulnus:
Jam cùm vallatam ſocio me clauſit Hetruſco
Tarquinius, proh Mutî ignes! proh Coclitis undæ!
Proh dolor! hic quinam eſt, qui ſub mea jura redegit
Samnitem Gurges? Volſci qui terga cecidit
Martius, & Senones fundens Dictator & exul?
Fabritii vitam vellem, mortes Deciorum:
Vel ſic vincentem, vel ſic victos. mea redde
Principia. heu quò nunc pompæ ditéſque triumphi,
Et pauper conſul? Libycum mea terruit axem
Cuſpis, & infido poſui juga tertia Pœno.
Indorum Ganges, Colchorum Phaſis, Araxes
Armeniæ, Gir Æthiopum, Tanaſſque Getarum,
Tibrinum tremuere meum. Me Teutone juncto
Quondam fracte ſubis Cimber, gladiſíque gravatas
Antè manus ſolas juſſi portare catenas.
Væ mihi qualis eram, cùm per mea juſſa juberent,
Sylla, Aſiagenes, Curius, Paulus, Pompeiusque,
Tigrani, Antiocho, Pyrrho, Perſæ, Mithridati,
Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum?
Sauromatem taceo, ac Moſchum, ſolitóſque cruentum
Lac potare Getas, ac pocula tingere venis:
Vel cùm diffugiunt, fugiendos tum magè Perſas.
Nec terras dixiſſe ſat eſt. fulgentibus armis
Tot maria intravi duce te, longéque remotas
Sole ſub occiduo gentes. victricia Cæſar
Signa Caledonios tranſvexit aduſque Britannos.
Fuderit & quanquam Scotum, & cum Saxone Pictum,
Hoſtes quærivit, quem jam natura vetabat
Quærere plùs homines. vidit te frangere Leucas,
Trux Auguſte, Pharon: dum claſſicus Actia miles
Stagna quatit, profugíſque bibax Antonius armis
Inceſtam vacuat patrio Ptolemaïda regno.
Cúmque priùs ſtricto quererer de cardine mundi,
Sum limes nunc ipſa mihi. Plùs ſumme Deorum,
Sum juſto tibi viſa potens, quòd Parthicus ultro
Reſtituit mea ſigna pavor, poſitóque tiarâ
Funera Craſſorum flevit, dum purgat. & hinc jam,
Proh dolor! excuſſo populi jure atque ſenatûs,
Quod timui incurri. tum tota in principe, tota
Principis, & fio lacerum de Cæſare regnum,
Quæ quondam regina fui: capreáſque Tiberî,
Et caligas Cai, Claudî cenſura ſecuta eſt.
Et vir morte Nero. triſti Piſone verendum
Galbam ſternis Otho, ſpeculo qui pulcher haberi
Dum captas, ego turpis eram, mihi fœda Vitellî
Intulit ingluvies ventrem, qui tempore parvo
Regnans ſerò perit. laſſam pòſt inclytus armis
Veſpaſianus habet: Titus hinc: poſt hunc quoque frater:
Poſt quem tranquillus vix me mihi reddere Nerva
Cœpit adoptivo factus de Cæſare major.
Ulpius indè venit, quo formidata Sicambris
Agrippina fuit, fortis, pius, integer, acer.
Talem capta precor. Trajanum neſcio ſi quis
Æquiparet, nî fors iterum tu Gallia mittas,
Qui vincat. Lacrymæ vocem clauſere precantis,
Et quicquid ſupereſt luctus rogat. Undique cœli
Aſſurgunt proceres, Mars, Cypris, Romulus, & qui
Autores tibi Roma Dei. jam mitior ipſa
Flectitur, atque iras veteres Saturnia donat:
Jupiter iſta refert: Fatum, quo cuncta reguntur,
Quóque ego, non licuit frangi. ſat celſa laborant
Semper, & elatas noſtro de munere vires
Invidit natura ſibi: ſed concipe magnos
Quanquam fracta animos. Si te Porſenna ſoluto
Plùs timuit de ponte tremens, ſi mœnia capta
Mox Brenni videre fugam, ſi denique dirum
Hannibalem juncto terræ cœlíque tumultu
Reppulimus, cùm caſtra tuis jam proxima muris
Starent, Collinâ fulmen pro turre cucurrit,
Atque illìc iterum timuit natura paventem
Pofi Phlegram pugnare Jovem. Torpentia tolle
Lumina, deterſam mentem caligo relinquat.
Te mirum eſt vinci; incipies cùm vincere, mirum
Non erit. útque tibi pareat quo ſurgere tandem
Feſſa modo poſſis, paucis cognoſce, docebo.
Eſt mihi, quæ Latio ſe ſanguine tollit alumnam,
Tellus clara viris, cui non dedit optima quondam
Rerum opifex natura parem. fœcundus ab urbe
Pollet ager, primo qui vix proſciſſus aratro,
Semina tarda ſitit, vel luxuriante juvenco
Arcana exponit piceam pinguedine glebam.
Aſſurrexit huic, cogit quod torridus Auſter,
Nitiacum, Libycúmque ſolum: collataque ſemper
Arida Mygdoniæ damnârunt Gargara ſalces.
Apulus & Calaber ceſſit. ſpes unica rerum,
Hanc Arverne colens; nulli pede cedis in armis,
Quoſvis vincis equo. teſtis mihi Cæſaris eſto
Hìc nimiùm fortuna pavens, cùm colle repulſus
Gergoviæ, caſtris miles vix reſtitit ipſis.
Hos ego tam fortes volui, ſed cedere Avitum
Dum tibi Roma paro, rutilat cui maxima dudum
Stemmata complexum germen: palmata cucurrit
Per proavos, gentíſque ſuæ, te teſte, Philagri,
Patritius reſplendet apex. Sed portio quanta eſt
Hæc laudum, laudare patres quos quippe curules
Et præfecturas conſtat debere nepoti?
Sunt alii, per quos ſe poſtuma jactet origo,
Et priſcum titulis numeret genus alter, Avite,
Nobilitas tu ſolus avos. Libet edere tanti
Geſta viri, & primam paucis percurrere vitam.

Sol-

Solverat in partum generosa puerpera casti
Ventris onus; manifesta dedi mox signa futuri
Principis, ac totam fausto trepidi patris aulam
Implevi augurio: licèt idem grandia nati
Culparet fata, & pueri jam regna videret.
Sed sibi commissum tanto sub pignore cernens
Mundi depositum, ne quid tibi Roma periret
Juvit fortunam studio. lacteutia primùm
Membra dedit nivibus, glaciémque irrumpere plantis
Jussit, & attritas parvum ridere pruinas.
Surgentes animi Musis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas. didicit quoque facta suorum
Antè ducum. didicit pugnas, libróque relegit
Quæ gereret campo. primus vix cœperat esse
Ex infante puer, rabidam cùm fortè cruentis
Rictibus, atque escas jejunâ fauce parantem,
Plus catulis stravit (fuerant nam fragmina propter)
Arreptam de caute lupam, tractúsque molari
Dissiluit vertex, & saxum vulnere sedit.
Sic meus Alcides Nemeæ dum saltibus errat
Occurrit monstro vacuus, non robora portans,
Non pharetras: stetit ira tremens, atque hoste propinquo
Consuluit solos virtus decepta lacertos.
Parva quidem, dicenda tamen. Quis promptior isto
Tensa catenati summittere colla molossi?
Et lustris recubare feras interprete nare
Discere, non visas & in aëre quærere plantas?
Jam si fortè suem latratibus improbus Umber
Terruit, albentes nigro sub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantisque lacerto
Vasta per adversas venabula cogere prædas.
Quàm pulchrum, cum fortè domum post lustra revertens
Horrore splenderet apri, virtúsque repugnans
Proderet invitum per fortia facta pudorem.
Sic Pandionii castæ Tritonidos arvis,
Hippolytus roseo sudum radiabat ab ore,
Sed simul à gemino flagrans cùm Cressa furore
Transiit affectu matres, & fraude novercas.
Quid volucrum studium, dat quas natura rapaces,
In vulgus propè cognatum? quis doctior isto
Instituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celerisque per æthera plausa
Hôc nulli meliùs pugnator militat unguis:
Nec minùs hæc inter, civilia jura secutus,
Eligitur primus, juvenis, solus, mala fracta
Alliget ut patriæ, poscátque informe recidi
Vectigal. procerum tum fortè potentior illic,
Pòst etiam princeps, Constantius omnia præstat,
Indole defixus tantâ, & miratus in annis
Parvis grande bonum, vel in ore precantis ephebi
Verba senis. ducis hinc pugnas & fœdera regum
Pandere Roma libet. variis inculsa procellis
Bellorum, regi Getico tua Gallia pacis
Pignora jussa dare est: inter quæ nobilis obses
Tu Theodore venis, quem pro pietate propinqui
Expetis in mediâ pelliti principis aulâ
Tutus Avite fide. probat hoc jam Theudoris altum
Exemplum officii. res mira & digna relatu,
Quòd fueris blandus regi placuisse feroci.
Hinc te paulatim prælibat sensibus imis,
Atque animis vult esse suum; sed spernis amicum
Plùs quàm Romanum gerere; stupet ille repulsam,
Et plùs indè places. Rigidum sic Pyrrhe videbas
Fabritium, ingestas animo cùm divite fugit
Pauper opes, regem temnens, dum supplice censu
Pignus amicitiæ vili mendicat ab auro.
Aëtium interea Scythico quia sæpe duello est
Edoctus, sequeris: qui quanquam celsus in armis,
Nil sinè te gessit, cùm plurima tu sinè illo.
Nam post Iuthungos & Norica bella, subacto
Victor Vindelico, Belgam, Burgundio quem trux
Presserat, absolvit junctus tibi. vincitur illic
Cursu Herulus, Chunus jaculis, Francúsque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus,
Vulnere vel si quis plangit, cui flêsse perîsse est,
Ac ferro perarâsse genas, vultúque minaci
Rubra cicatricum vestigia defodisse.
Illustri jam tum donatur celsus honore,
Squameus & rutilis etiam nunc livida cristis
Ora gerens, vix arma domum sordentia castris
Rettulerat: novâ bella iterum, pugnámque sub ipsis
Jam patriæ muris perituras commovet hostis.
Litorius Scythicos equites tum fortè subacto
Celsus Aremorico Geticum rapiebat in agmen
Per terras Arverne tuas; qui proxima quæque
Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis
Delebant, pacis fallentes nomen inane;
Hujus tum famulum quidam truculentior horum
Mox feriende feris. ruit ille, & tristia fata
Commendat domino absenti, partémque futuram
Vindictæ moriens Stygium spe portat ad amnem.
Et jam fama viro turres portásque tuenti
Intuitu pavidæ plebis pertert scelus actum.
Excutitur, restat, pallet, rubet, alget, & ardet,
Ac sibimet multas vultum variata per unum
Ira facit facies, vel qui mos sæpe dolenti,
Plùs amat extinctum: tandem prorumpit, & arma,
Arma fremit; pinguíssque etiamnum sanguine fertur
Lorica, obtusus per barbara vulnera contus,
Atque sub assiduis dentatus cædibus ensis.
Includit suras ocreis, capitíque micantem
Imponit galeam, fulvus cui crescit in altum
Conus, & iratam jaculatur vertice lucem.
Et jam scandit equum, vulsíque à cardine portis
Emicat. assistunt socio virtúsque, dolórque,
Et pudor: armatas pilo petit impiger alas,
Pugnando pugnam quærens, pavidúmque per agmen
Multorum interitu compensat, quòd latet unus.
Sic Phrygium Æmathiâ victorem cuspide posces
Æacides, cæso luctum frænavit amico,
Per mortes tot Troja tuas, jam vilia per se
Agmina contentus ruere, stricúmque per amplos
Exerere gladium populos. natat obruta tellus
Sanguine, dúmque hebetat turba grave cædua telum,
Ablens in cunéto sibi vulnere jam cadit Hector.
Proditus ut tandem tanti qui causa tumultûs,
Inquit Avitus, Age, Scythicâ nutrice sub Arcto,
Qui taris, & cæso tantum qui fidis inermi,
Congredere armato. multum tibi præstitit ira
Jam mea, concessi pugnam, jubeóque resistas:
Certantem mactâsse juvat. Sic fatur, & æquor
Prosilit in medium, nec non ferus advenit hostis.
Ut primùm pectus vel cominus ora tulere,
Hic irâ tremit, ille metu: jam cætera turbâ
Diversis trepidat votis, variósque per ictus
Pendet ab eventu, sed postquam prima, secunda,
Tertiáque acta rota est, venit ecce, & celsa cruentum
Perforat hasta virum, post & confinia dorsi
Cedit transfosso ruptus bis pectore thorax:
Et dum per duplicem sanguis singultat hiatum,
Dividua ancipitem carpserunt vulnera vitam.
Hæc post gesta viri, temet Styx livida testor,
Intemerata mihi Præfectus jura regebat:
Et caput hoc sibimet solitis defessa ruinis
Gallia suscipiens, Geticâ pallebat ab irâ.
Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aëtius: capto terrarum damna patebant
Litorio: in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum, nec erat pugnare necesse,
Sed migrare Getis: rabidam trux asperat iram
Victor, quòd sentit Scythicum pro mœnibus hostem,
Imputat, & nihil est gravius (si forsitan unquam
Vincere contingat) trepido. Postquam undique nullum
Præsidium, ducibúsque tuis nil Roma relictum est,
Fœdus Avite novas: sævum tua pagina regem
Lecta domat: jussisse sat est te quod rogat orbis.
Credant hoc unquam gentes, populique futuri?
Litera Romani catlat quod Barbare vincis.
Jura igitur rexit: namque hoc quoque par fuit, ut cùm
Assertor fieret legum, qui nunc erit auctor:
Ne dandus populis princeps, caput, induperator,
Cæsar, & Augustus solùm fera prælia nôsset.
Jam Præfecturæ perfunctus culmine tandem
Se dederat ruri: nunquam tamen otia, nunquam
Desidia imbellis; studiúmque & cura quieto
Armorum semper: subito cùm rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat arctos
Gallia; pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scerum Burgundio cogit,
Chunus, Bellonotus, Neurus, Baltarna, Toringus,
Bructerus, ulvosâ quem vel Nicer alluit undâ,
Prorumpit Francus. cecidit citò secta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos; vix liquerat Alpes
Aëtius, tenue & rarum sinè milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum malè credulus agmen
Incassum propriis præsumens adfore castris.

Nuntius

Nuntius ut poſtquam ductórem perculit, Hunnos
Jam propè contemptum propriis in ſedibus hoſtem
Expectare Getas, verſat vagus omnia ſecum
Conſilia, & mentem curarum fluctibus urget.
Tandem cunctanti ſedit ſententia, celſum
Exorare virum, collectíſque omnibus unà
Principibus, coràm ſupplex ſic talibus infit:
Orbis Avite ſalus, cui non nova gloria nunc eſt,
Quod rogat Actius; voluiſti, & non nocet hoſtis:
Vis? prodeſt. incluſa tenes tot millia nutu,
Et populis Geticis ſola eſt tua gratia limes.
Infenſi ſemper nobis pacem tibi præſtant.
Victrices, i, prome aquilas, fac optime Chunnos,
Quorum fortè prior fuga nos concuſſerat olim,
Bis victos prodeſſe mihi. ſic fatur, & ille
Pollicitus votum, fecit ſpem. Protinus indè
Advolat, & famulas in prælia concitat iras.
Ibant pellitæ poſt claſſica Romula turmæ,
Ad nomen currente Getâ: timet ære vocari
Dirutus; opprobrium, non damnum barbarus horrens.
Hos ad bella trahit jam tum ſpes orbis Avitus,
Vel jam privatus, vel adhuc. Sic cinnama buſto,
Collis Erythræi portans Phœbeïus ales,
Concitat omne avium vulgus, famulantia currunt
Agmina, & anguſtus pennas non explicat aër.
Jam propè fata tui biſſenas vulturis alas
Complebant (ſcis namque tuos, ſcis Roma labores)
Actium Placidus mactavit ſemivir amens,
Vſxque tuo impoſitum capiti diadema Petroni;
Illico barbaries: necnon ſibi capta videri
Roma Getis, telluſque ſuo ceſſura furori.
Raptores ceu fortè lupi, queis nare ſagaci
Monſtrat odor pinguem clauſis ab ovilibus auram,
Irritant, acuúntque famem, portántque rapinæ
In vultu ſpeciem, patulo jejunia rictu
Fallentes; jam jámque tener ſpe frangitur agnus,
Atque abſens avido crepitat jam præda palato.
Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum, Belgámque ſecundum
Sternebat, Rhenúmque ferox Alamanne bibebas
Romanis ripis, & utroque ſuperbus in agro
Vel civis, vel victor eras. Sed perdita cernens
Terrarum ſpatia princeps jam Maximus, unum
Quod fuit in rebus, peditúmque equitúmque Magiſtrum
Te ſibi Avite legit; collati rumor honoris
Invenit agricolam, flexi dum fortè ligonis
Exercet dentes, vel pando pronus aratro
Vertit inexcoctam per pinguia jugera glebam.
Sic quondam ad patriæ res fractas pauper arator
Cincinnate venis, veterem cùm te induit uxor
Ante boves trabeam, dictatorémque ſaligna
Excepere fores, atque ad ſua teſta ferentem
Quod non perſevit, turpíque è faſce gravata
Vile triumphalis portavit purpura ſemen.
Ut primùm ingeſti pondus ſuſcepit honoris,
Legas qui veniam poſcant, Alamanne, furori.
Saxonis incurſus ceſſat, Chattúmque paluſtri
Alligat Albis aquâ: vſxque hoc ter menſtrua totum
Luna videt: jámque ad populos ac rura feroci
Tenta Getæ protendit iter, quà pulſus ab æſtu
Oceanus refluum ſpargit per culta Garumnam,
In flumen currente mari; tranſcendis amarus
Blanda fluenta latex, fluviſque impacta per alveum
Salſa peregrinum ſibi navigat unda profundum.
Hìc jam diſpoſito laxantes frena duello
Veſorum proceres raptim ſuſpendit ab irâ
Rumor ſuccincto referens diplomate Avitum
Jam Geticas intrare domos, poſitâque paramper
Mole magiſterii, legati jura ſubiſſe.
Obſtupuere duces pariter Scythicúſque ſenatus,
Et timuere ſuam pacem ne fortè negaret.
Sic rutilus Phaëthonta levem cùm carperet axis,
Jam pallente die, flagrantíque excita mundo
Pax elementorum fureret, vel ſicca propinquus
Sæviret per ſtagna vapor, limúſque ſitiret
Pulvereo ponti fundo, tunc unica Phœbi
Inſuetum clemens extinxit flamma calorem.
Hìc aliquis tum fortè Getes, dum falce recoctâ
Jùgibus informat, ſaxóque cacuminat enſem,
Jam promptus caluiſſe tubis, jam jámque frequenti
Cæde ſepulturus terram, non hoſte ſepulto,
Claruit ut primùm nomen venientis Aviti,
Exclamat, periit bellum, date rurſus aratra.
Otia ſi replico priſcæ bene nota quietis,
Non ſemel iſte mihi ferrum tulit. ô pudor! ô Dî!
Tantum poſſe fidem? quid fœdera lenta mineris,
In damnum mihi fide meum? compendia pacis
Et præſtare jubes nos, & debere. quis unquam
Crederet? En Getici reges parere volentes
Inferiùs regnâſſe putant: nec dicere ſaltim
Deſidiæ obtentu poſſum te prælia nolle.
Pacem fortis amas: jam parteis ſternit Avitus;
Inſuper & Geticas præmiſſus continet iras
Meſſianus: adhuc mandâſti, & ponimus arma.
Quid reſtat, quod poſſe velis? quòd non ſumus hoſtes,
Parva reor: priſco tu ſi mihi notus in actu es,
Auxiliaris ero; vel ſic pugnare licebit.
Hæc ſecum rigido Veſus dum corde volutat,
Ventum in conſpectum fuerat. rex atque Magiſter,
Propter conſtiterant; hic vultu erectus, at ille
Lætitiâ erubuit, veniámque rubore popoſcit.
Pòſt hinc germano regis, hinc rege retento,
Palladiam implicitis manibus ſubiere Toloſam.
Haud ſecus inſertis ad pulvinaria palmis
Romulus & Tatius fœdus jecere, parentum
Cùm ferro & rabidis cognato in Marte maritis
Herſilia inſeruit palantes colle Sabinas.
Interea incautam furtivis Vandalus armis
Te capit, infidóque tibi Burgundio ductu
Extorquet trepidas mactandi principis iras,
Heu facinus! in bella iterum, quartóſque labores
Perfida Eliſſeæ crudeſcunt claſſica Byrſæ.
Nutritis quod fata malum? conſcenderat arces
Evandri Maſſyla phalanx, montéſque Quirini
Marmarici preſſere pedes, rurſúſque revexit
Quæ captiva dedit quondam ſtipendia Barche.
Exilium patrum, plebis mala, principe cæſo
Captivum imperium ad Geticas rumor tulit aures.
Luce novâ veterum cœtus de more Getarum
Contrahitur; ſtat priſca annis, viridíſque ſenectus
Conſiliis; ſqualent veſtes, ac ſordida macro
Lintea pingueſcunt tergo, nec tangere poſſunt
Altatæ ſuram pelles, ac poplite nudo
Peronem pauper nodus ſuſpendit equinum.
Poſtquam in concilium ſeniorum venit honora
Pauperies, pacíſque ſimul rex verba popoſcit:
Dux ait: Optâſſem patriis ſecurus in arvis,
Emeritam fateor ſemper foviſſe quietem,
Ex quo militiæ poſt munia trina, ſuperbum
Præfecturæ apicem quarto jam culmine rexi.
Sed dum me noſtri princeps modò Maximus orbis
Ignarum, abſentem, procerum poſt mille repulſas
Ad lituos poſt jura vocat, voluíſque ſonoris
Præconem mutare tubis, promptiſſimus iſtud
Arripui officium, vos quo legatus adirem.
Fœdera priſca precor, quæ nunc meus ille teneret,
Juſſiſſem ſi fortè, ſenex, cui ſemper Avitum
Sectari creviſſe fuit; tractare ſolebam
Res Geticas olim; ſcis te neſciſſe frequenter
Quæ ſuaſi niſi facta. Tamen fortuna priorem
Arripuit genium: periit quodcunque merebar,
Cum genitore tuo. Narbonem tabe ſolutum
Ambierat (ſu parvus eras) trepidantia cingens
Millia, in infames jam jámque coëgerat æſtus.
Jam triſtis propriæ credebat defore prædæ,
Si clauſus fortaſſe perit: cùm noſtra probavit
Conſilia, & refugo laxavit mœnia bello.
Téque ipſum (ſunt ecce ſenes) hôc pectore fotum
Hæ flentem tenuere manus, ſi forſitan altrix
Te mihi, cùm nolles, lactandum tolleret. Ecce
Advenio, & priſci repeto modò pignus amoris.
Si tibi nulla fides, nulla eſt reverentia patris,
I durus, pacémque nega. Prorumpit ab omni
Murmur conſilio fremitúſque, & prælia damnans
Seditioſa ciet concordem turba tumultum.
Tum rex effatur: Dudum, Dux inclyte, culpo
Poſcere te pacem noſtram, cùm cogere poſſis
Servitium, trahere ac populos in bella ſequaces.
Ne quæſo invidiam patrio mihi nomine inuras,
Quid mereor, ſi nulla jubes? ſuadere ſub illo
Quod poteras, modò velle ſat eſt, ſolúmque moratur,
Quod cupias neſciſſe Getas. mihi Romula dudum
Per te jura placent: parvúmque ediſcere juſſit
Ad tua verba pater, docili quo priſca Maronis
Carmine molliret Scythicos mihi pagina mores.
Jam pacem tum velle doces; ſed percipe, quæ ſit

Conditio obſequii, forſan rata pacta probabis.
Teſtor Roma tuum nobis venerabile numen,
Et ſocium de Marte genus, vel quicquid ab ævo,
(Nil te mundus habet melius, nil ipſa ſenatu)
Me pacem ſervare tibi, vel velle abolere
Quæ noſter peccavit avus, quem fuſcat id unum,
Quod te, Roma, capit; ſed Dî ſi vota ſecundant,
Excidii veteris crimen purgare valebit
Ultio præſentis: ſi tu, Dux inclyte, ſolùm
Auguſti ſubeas nomen. Quid lumina flectis?
Invitum plus eſſe decet: non cogimus iſtud,
Sed conteſtamur. Romæ ſum te duce amicus,
Principe te miles: regnum non præripis ulli:
Nec quiſquam Latias Auguſtus poſſidet arces.
Quà vacat, aula tua eſt. teſtor, non ſufficit iſtud,
Né noceam; atque tuo hoc utinam diademate fiat,
Ut proſim: ſuadere meum eſt; nam Gallia ſi te
Compulerit, quæ jure poteſt, tibi pareat orbis,
Ne pereat. Dixit, paritérque in verba petita
Dat ſanctam cum fratre fidem: diſcedis, Avite,
Mœſtus, qui Gallos ſcires non poſſe latere
Quid poſſint ſervire Getæ te principe; namque
Civibus ut patuit trepidis te fœdera ferre,
Occurrunt alacres, ignaróque ante tribunal
Sternunt: útque ſatìs ſibimet numeroſa coſſe
Nobilitas viſa eſt, quam ſaxa nivalia Cotti
Deſpectant, variis nec non quam partibus ambit
Tyrrheni, Rhenſque liquor, vel longa Pyrenei
Quam juga ab Hiſpano ſecluſam jure coërcent,
Aggreditur nimio curarum pondere triſtem
Gaudens turba virum; procerum tum maximus unus,
Dignus qui patriæ perſonam ſumeret, inſit:
Quàm nos per varios dudum fortuna labores
Principe ſub puero laceris terat aſpera rebus,
Fors longum, Dux magne, queri, cùm quippe dolentum
Maxima pars fueris, patriæ dum vulnera lugens
Sollicitudinibus vehementibus exagitaris.
Has nobis inter clades ac funera mundi,
Mors viviſſe fuit; ſed dum per verba parentum
Ignavas colimus leges, ſanctúmque putamus
Rem veterem per damna ſequi, portavimus umbram
Imperii, generis contenti ferre vetuſti
Et vitia, ac ſolitam veſtiri murice gentem
More magìs quàm jure pati: promptiſſima nuper
Fulſit conditio, proprias quâ Gallia vires
Exereret, trepidam dum Maximus occupat urbem:
Imò orbem potuit, ſi te ſibi tota Magiſtro
Regna reformâſſet. Quis noſtrûm Belgica rura,
Littus Aremorici, Geticas quis moverit iras,
Non latet: his tantis tibi ceſſimus, inclyte, bellis.
Nunc jam ſumma vocant; dubio ſub tempore regnum
Non regit ignavus: poſtponitur ambitus omnis,
Ultima cùm claros quærunt. poſt damna Ticini,
Ac Trebiæ, trepidans raptim reſpublica venit
Ad Fabium. Cannas celebres Varrone fugato,
Scipiadúmque etiam turgentem funere Pœnum
Livius electus fregit: captivus (ut aiunt)
Orbis, in urbe jacet, princeps perit, hìc caput omne
Nunc habet imperium. Petimus, conſcende tribunal,
Erige collapſos: non hoc modò tempora poſcunt,
Ut Romam plùs alter amet: ne fortè reare,
Te regno non eſſe parem: cùm Brennica ſigna
Tarpeium premerent, ſcis, tum reſpublica noſtra
Tota Camillus erat, patriæ qui debitus ultor
Texit fumantes hoſtili ſtrage favillas.
Non tibi centurias aurum populare paravit,
Nec modò venales numeroſóque aſſe redemptæ
Concurrunt ad puncta tribus; ſuffragia mundi
Nullus emit; pauper legeris, quod ſufficit unum.
Es meritis dives; patriæ cur vota moraris,
Quæ jubet, ut jubeas? hæc eſt ſententia cunctis.
Si dominus ſis, liber ero. Fragor atria complet
Ugerni, quo fortè loco pia turba, ſenatus
Detulerat vim, vota, preces. Locus, hora, diéſque
Dicitur imperio felix: ac protinus illìc
Nobilium excubias gaudens ſolertia mandat.
Tertia lux refugis Hyperiona fuderat aſtris:
Concurrunt proceres, ac milite circunfuſo
Aggere compoſito ſtatuunt, ac torque coronant
Caſtrenſi mœſtum, donántque inſignia regni.
Jam priùs induerat ſolas de principe curas.
Haud alio quondam vultu Tirynthius heros
Pondera ſuſcepit cœli, timul atque noverca,
Cùm Libycâ ſe rapo Gigas ſubduceret, & cùm
Tutior Herculeo ſediſſet machina dorſo.
Hunc tibi Roma dedi, patulis dum Gallia campis
Intonat Auguſtum plauſu, fauſtúmque fragórem
Portat in exanguem Boreas jam fortior Auſtrum.
Hic tibi reſtituet Libyen per vincula quarta;
Et cujus ſolum amiſſas poſt ſecula multa
Pannonias revocavit iter, jam credere promptum eſt,
Quid faciet bellis. ô quus tibi ſæpe jugabit
Inflictis gentes aquilis! qui maxima regni
Omina privatus fugit, cùm fortè vianti
Excuteret præpes plebeium motus amictum:
Lætior at tanto modo principe priſca deorum
Roma parens attolle genas; ac turpe veternum
Depone: en princeps faciet juveneſcere major,
Quam pueri fecere ſenem. Finem pater ore
Vix dederat, plauſere Dii, fremitúſque cucurrit
Concilio; felix tempus nevere ſorores
Imperiis Auguſte tuis, & Conſulis anno
Fulva volubilibus duxerunt ſecula penſis.

CARMEN VIII.

Ad Priſcum Valerianum virum præfectorium, editio Panegyrici.

PRiſce decus ſemper noſtrum, cui principe Avito
Cognatum ſociat purpura celſa genus,
Ad tua cùm noſtræ currant examina nugæ,
Dico, ſtate vagæ, quò properatis? amat.
Diſtrictus ſemper cenſor, qui diligit, exstat:
Durâ fronte legit mollis amicitia.
Nil votum prodeſt adjectum laudibus illud,
Ulpia quod rutilat porticus ære meo:
Vel quod adhuc populo ſimul & plaudente ſenatu
Ad noſtrum reboat concava Roma ſophos.
Reſpondent illæ, properabimus, ibimus: & nos
Non retines, tanto judice culpa placet.
Cognitor hôc nullus melior, bene carmina penſat,
Contemptu tardo, judicio celeri.
Et quia non potui temeraria ſiſtere verba,
Hæc rogo ne dubites lecta, dicare rogo.

CARMEN IX.

Excuſatorium ad V. C. Felicem.

Largam SOLLINUS hanc APOLLINARIS,
FELICI Domino, pióque fratri
Dicit SIDONIUS ſuus ſalutem.

DIC, die, quod peto, Magne, dic amabò
Felix nomine, mente, honore, formâ,
Natis, conjuge, fratribus, parente,
Germanis genitoris atque matris,
Et ſummo patruelium Camillo,
Quid nugas temerarias amici
Quas ſparſit teneræ jocus juventæ,
In formam redigi jubes libelli,
Ingentem ſimul & repentè faſcem
Conflari invidiæ & perire chartam?
Mandaris famulor, ſed antè teſtor
Lector, quas patieris hìc ſalebras.
Non nos currimus aggerem vetuſtum,
Nec quicquam invenies, ubi priorum
Antiquas terat orbitas Thalia.
Non hìc antipodas ſalúmque rubrum,
Non hìc Memnonios canemus Indos
Auroræ face civicâ peruſtos,
Non Artaxata, Suſa, Bactra, Carthas,
Non coctam Babylona perſonabo,
Quæ largùm fluvio patens alumno,
Incluſum bibit hinc & indè Tigrim.
Non hìc Aſſyriis Ninum priorem,
Non Medis caput Arbacem profabor;
Nec quàm divite, cùm refugit hoſtem
Arſit Sardanapalus in favillâ;
Non Cyrum Aſtyagis loquar nepotem
Nutritum ubere quem ferunt canino,
Cujus non valuit rapacitatem
Vel Lydi ſatiare gaza Crœſi:
Cujus nec feritas ſubacta tunc eſt,
Cæſis millibus antè cùm ducentis
In vallis Scythicæ coactus arctum,
Orbatæ ad Tomyris veniret utrem.
Non hìc Cecropios leges triumphos,
Vel ſi quo Marathon rubet duello,

Aut

Aut cùm millia mille concitarent
Inſanum numeroſitate Xerxem,
Atque hunc fluminibus ſatis profundis
Confeſtim ebibitis adhuc ſitiſſe:
Necnon Thermopylas & Hellis undas,
Spretis obicibus ſoli ſalſque
Inſanis equitâſſe cum catervis;
Admiſſóque in Athon tumente ponto
Juxta frondiferæ cacumen Alpis
Scalptas claſſibus iſſe per cavernas.
Non prolem Garamantici Tonantis,
Regnis principibúſque principantem,
Porrectas Aſin loquar paterno
Actum fulmine pervolâſſe terras,
Et primùm Darii tumultuantes
Præfectos, ſatrapáſque perculiſſe:
Mox ipſum ſolio patrum ſuperbum
Cognatóſque ſibi Deos erepantem,
Captis conjuge, liberis, parente,
In caſus hominis redire juſſum:
Qui cùm maxima bella concitâſſet,
Tota & Perſidis undique gregata
Uno conſtituiſſet arma campo,
Hoc ſolùm perhibetur aſſecutus,
Dormire ut meliùs liberet hoſtil.
Nec vectos Minyas loquente ſylvâ
Dicam Phaſiaco ſtetiſſe portu,
Formâ percita cùm Ducis Pelaſgi
Molliret rabidos virago tauros,
Nec dum territa, cùm ſuus colonus,
Poſt anguis domiti ſatos molares,
Armatas tremebundas inter herbas
Florere in ſegetem ſtuperet hoſtem,
Et pugnantibus hinc & hinc ariſtis
Supra belliferas madere glebas,
Culmoſos viridi cruore fratres.
Non hìc terrigenam loquar cohortem
Admixto magè vividam veneno,
Cui præter ſpeciem modo carentem
Angues corporibus voluminoſis
Altè ſquamea crura porrigentes
In veſtigia ſiuce definebant.
Sic formæ triplicis procax juventus
Tellurem pede proterens voraci
Currebat, capitum ſtupenda greſſu:
Et cùm claſſica numinum ſonabant,
Mox contra tonitrus relibilante
Audebat ſuperos ciere plantâ.
Nec Phlegræ legis ampliata rura,
Miſſi dum volitant per aſtra montes,
Pindus, Pelion, Oſſa, Olympus, Othrys,
Cum ſylvis, gregibus, feris, pruinis,
Saxis, fontibus, oppidis, levati
Vibrantum ſpatioſiore dextrâ.
Non hìc Herculis excolam labores,
Cui ſus, cerva, leo, Gigas, Amazon,
Hoſpes, taurus, Eryx, aves, Lycus, fur,
Neſſus, Libs, juga, poma, virgo, ſerpens,
Oeta, Thraces equi, boves Iberæ,
Luctator fluvius, canis triformis,
Portantúſque polus polum dederunt.
Non hìc Elida nobilem quadrigis,
Nec notam minùs amnis ex amore
Verſu proſequar, ut per ima ponti
Alpheus fluat, atque tranſmarina
In fluctus cadat unda conjugales.
Non hìc Tantaleam domum retexam,
Quâ mixtum Pelopea per parentem eſt
Prolis facta ſoror, novóque monſtro
Infamem genuit pater nepotem.
Nil mœſtum hìc canitur: nec eſculentam
Fletus pangimus ad dapem Thyeſtæ,
Fratris crimine qui miſer voratis
Vivum pignoribus fuit ſepulcrum:
Cùm poſt has epulas repentè flexis
Titan curribus occidens ad ortum
Convivam fugeret, diem fugaret.
Nec Phryx paſtor erit tibi legendus
Decreſcens cui Dindymon reciſo
Fertur vertice texuiſſe claſſem:
Cùm juſſu Veneris patrocinantis
Terras Oebalias, & hoſpitales
Raptor depopulatus eſt Amyclas,
Prædam trans pelagus petens ſequacem.

Sed nec Pergama, nec decennem bellum,
Nec ſævas Agamemnonis phalangas:
Nec perjuria perſequar Sinonis,
Arx quo Palladio dicata ſigno,
Pellaci reſerata proditore,
Portantem pedites equum recepit.
Non hìc Mæoniæ ſtilo camœnæ,
Civis Dulichiſque Theſſaliſque
Virtutem ſapientiámque narro:
Quorum hic Peliaco putatur antro
Venatu, fidibus, palæſtrâ, & herbis,
Sub Saturnigenâ ſene inſtitutus:
Dum nunc luſtra terens puer ferarum
Paſſim per Pholoën jacet nivoſam,
Nunc præſepibus accubans amatis,
Dormit molliùs in jubâ magiſtri:
Indè Scyriadum datus parenti
Falſæ nomina pertuliſſe Pyrrhæ,
Atque inter tetricæ choros Minervæ
Occultos Veneri rotâſſe thyrſos:
Poſtremò ad Phrygiæ ſonum rapinæ
Tractus laudibus Hectoris trahendi.
Aſt illum cui contigit paternam
Quartum poſt Ithacam redire luſtrum,
Nec Smyrnæ ſatis explicat volumen.
Nam quis continuare poſſit illos
Quos terrâ & pelago tulit labores?
Raptum Palladium, repertum Achillem!
Captum præpetibus Dolona plantis,
Et Rheſi niveas priùs quadrigas,
Xanthi quàm biberent fluenta, tractas?
Ereptam quoque quam Deus patronus,
Philocteta, tibi dedit pharetram?
Ajacem Telamonium furentem,
Quòd ſeſe ante rates agente cauſam,
Pugnacis tulit eloquens coronam?
Vitatum hinc Polyphemon, atque Circen,
Et Læſtrygonii famem tyranni?
Tum pomaria divitis Calypſo, &
Sirenas pereuntibus placentes,
Vitatas tenebras facémque Nauplî,
Et Scyllæ rabidum voracis inguen:
Vel Tauriminitana quòs Charybdis
Ructatos ſcopulos cavat profundo?
Non Divos ſpecialibus faventes
Agris, urbibus, inſuliſque canto,
Saturnum Latio, Jovémque Cretæ,
Junonémque Samo, Rhodóque Solem,
Ennæ Perſephonem, Minervam Hymetto,
Vulcanum Liparæ, Papho Dionem,
Argis Perſea, Lampſaco Priapum,
Thebis Euhion, Ilióque Veſtam:
Thymbræ Delion, Arcadem Lyceo,
Martem Thracibus, ac Scythis Dianam,
Quos fecere Deos dicata templa,
Thus, ſal, fur, mola, vel ſuperſtuarum
Conſecratio cærimoniarum.
Non cum Triptolemo verendam Eleuſin,
Qui primas populis dedere ariſtas
Paſtis Chaonium per Ilicetum.
Non Apin Mareoticum ſonabo
Ad Memphitica ſiſtra concitari.
Non dicam Lacedæmonis juventam
Unctas Tyndaridis dicâſſe luctas;
Doctos quos patriis palen Therapnis
Gymnas Bebrycii tremit theatri.
Non ſortes Lyciáſque, Cæritúmque,
Reſponſa aut Themidis priora Delphis.
Nec quæ fulmine Thuſcus expiato,
Septum numina quærit ad bidental.
Nec quos Euganeum bibens Timavum
Colle Antenoreo videbat augur
Divos Theſſalicam movere pugnam.
Nec quos Amphiaraus, & Melampus
Ex ipſis rapuit Deos favillis,
Per templum malè fluctuante flammâ,
Gaudens lumine perdito Metellus.
Non hìc Cinyphius canetur Ammon
Mitratum caput elevans arenis,
Vix ſe poſt Hecatombion litatum
Suetus promere Syrtium barathro.
Non hìc Dindyma, nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam ſonantes:
Non Bacchum Trieterica exerentem

Deſcribam, & tremulas furore feſto
Ire in Baſſaridas, vel infulatos
Aram ad thuricremam rotare myſtas.
Non hìc Heſiodea pinguis Aſcræ
Spectes carmina, Pindaríque chordas.
Non hìc ſocciferi jocos Menandri:
Non læſi Archilochi feros iambos,
Vel plùs Steſichori graves camœnas,
Aut quod compoſuit puella Lesbi.
Non quod Mantua contumax Humero,
Adjecit latialibus loquelis,
Æquari ſibimet ſubindè livens
Buſto Parthenopem Maroniano.
Non quod per ſatyras epiſtolarum
Sermonúmque ſales novúmque epodon,
Libros carminis, ac poëticam artem,
Phœbi laudíbus & vagæ Dianæ
Conſcriptis voluit ſonare Flaccus.
Non quod Papinius tuus meúſque
Inter Labdacios ſonat furores:
Aut cùm fortè pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata ſylvularum.
Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hìc putes legendum:
Quorum unus colit hiſpidum Platona,
Incaſſúmque ſuum monet Neronem.
Orcheſtram quatit alter Euripidis,
Pictum fœcibus Æſchylon ſecutus,
Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpin,
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebant olidæ marem capellæ.
Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæſaris, ut gener ſocérque
Cognata impulerint in arma Romam:
Tantùm dans lacrymas ſuis Philippis,
Ut credat Cremeræ levem ruinam,
Infrà & cenſeat Alliam dolendam,
Ac Brenni in trutinâ Jovem redemptum;
Poſtponat Trebiam gravéſque Cannas,
Stragem nec Thraſimenicam loquatur:
Fratres Scipiadas putet ſilendos
Quos Tarteſiacus retentat orbis:
Euphratem taceat malè appetitum,
Craſſorum & madidas cruore Carthas,
Vel quos Spartace conſulum ſolebas
Victrici gladios fugare ſicâ.
Ipſum nec fleat ille plùs duellum,
Quod poſt Cimbrica turbidus tropæa,
Et vinctum Naſamonium Jugurtham,
Dum quærit Mithridaticum triumphum,
Arpinas voluit movere Syllæ.
Non Gætulicus hìc tibi legetur,
Non Marſus, Pedo, Silius, Tibullus.
Non quod Sulpiciæ jocus Thaliæ
Scripſit blandiloquum ſuo Caleno.
Non Perſî rigor, aut lepos Propertî:
Sed nec centimeter Terentianus.
Non Lucilius hìc, Lucretiúſque eſt.
Non Turnus, Memor, Ennius, Catullus,
Stella, & Septimius, Petroniúſque,
Aut mordax ſinè fine Martialis.
Non qui tempore Cæſaris ſecundi
Æterno incoluit Tomos reatu.
Nec qui conſimili deinde caſu
Ad vulgi tenuem ſtrepentis auram
Irati fuit hiſtrionis exul.
Non Peluſiaco ſatus Canopo,
Qui ferruginei toros mariti
Et Musâ canit inferos ſupernâ.
Nec qui jam patribus fuere noſtris
Primo tempore maximi ſodales.
Quorum unus Bonifacium ſequutus,
Necnon præcipitem Sebaſtianum,
Natales puer horruit Cadurcos,
Plùs Pandionias amans Athenas:
Cujus ſi varium legas poëma,
Tum Phœbum vel Hyantias puellas
Potato madidas ab Hippocrene,
Tunc Amphiona, filiúmque Maiæ,
Tunc vatem Rhodopeium ſonare
Collato modulamine arbitreris.
Non tu hìc nunc legeris, tuúmque fulmen,
O digniſſime Quintianus alter,
Spernens qui Ligurum ſolum & penates
Mutato lare Gallias amâſti.
Inter claſſica ſigna, pila, turmas,
Laudans Aëtium, vacánſque libros,
In caſtris hederâ ter aureatus.
Sed nec tertius ille non legetur,
Bætin qui patrium ſolum relinquens,
Undoſæ petiit ſitim Ravennæ.
Ploſores cui fulgidam Quirites
Et charus popularitate princeps
Trajano ſtatuam foro locârunt.
Sed ne tu mihi comparare tentes,
Quos multo minor ipſe plùs adoro,
Paulinum, Ampeliúmque, Symmachúmque,
Meſſalam ingenii ſatis profundi,
Et nulli modò Martium ſecundum,
Dicendi arte novâ parem vetuſtis,
Petrum & cùm loquitur nimis ſtupendum,
Vel quem municipalibus poëtis
Præponit bene Villicum ſenatus.
Noſtrum aut quos retinet ſolum diſertos
Dulcem Anthedion, & mihi magiſtri
Muſas ſat venerabiles Hoeni:
Aerem Lampridium, catum Leonem,
Præſtantémque tubâ Severianum,
Et ſic ſcribere non minùs valentem,
Marcus Quintilianus ut ſolebat.
Nos valdè ſterilis modos camœnæ
Raræ credimus hos, brevíſque chartæ,
Quæ ſcombros meritò pipérque portet.
Nam quiſnam Deus hoc dabit rejectæ,
Ut vel ſuſcipiens bonos odores,
Nardum ac pinguia nicerotianis
Quæ flagrant alabaſtra tincta ſuccis,
Indo cinnamon ex rogo petitum,
Quo Phœnix juveneſcit occidendo,
Coſtum, malobatrum, roſas, amomum,
Myrrham, thus, opobalſamúmque ſervet?
Quapropter facinus meum tuere,
Et condiſcipuli tibi obſequentis
Incautum precor aſſeras pudorem.
Germanum tamen antè ſed memento
Doctrinæ columen Probum advocare:
Iſti qui valet exarationi
Diſtrictum bonus applicare theta.
Novi ſed bene, non refello culpam,
Nec doctis placet impudens poëta.
Sed nec turgida contumelioſi
Lectoris nimium verebor ora.
Si tanquam gravior ſeveriórque
Noſtræ Terpſichores jocum refutans,
Rugato Cato tertius ſabello
Narem Rhinoceroticam minetur.
Non te terreat hic nimis peritus;
Verùm ſi cupias probare, tanta
Nullus ſcit (mihi crede) quanta neſcit.

CARMEN X.

Epithalamii dicti Ruricio & Iberiæ, Præfatio.

FLucticolæ cùm feſta nurus Pegaſæa per antra
Rupe ſub Æmathiâ Pelion explicuit;
Anguſtabat humum ſuperûm ſatìs ampla ſupellex,
Certabant gazis, hinc polus, hinc pelagus.
Ducebátque choros viridi propè tectus amictu,
Cæruleæ pallæ concolor ipſe ſocer.
Nympha quoque in thalamos veniens de gurgite nudâ,
Veſtiti cœpit membra timere viri.
Tum divûm quicunque aderat terrore remoto,
Quo quis pollebat luſit in officio.
Jupiter emiſit tepidum ſinè pondere fulmen,
Et dixit, meliùs nunc Cytherea calet.
Pollux tum cæſtu laudatus, Caſtor habenis,
Pallas tum criſtis, Delia tum pharetris.
Alcides clavâ, Mavors tum luſit in haſtâ,
Arcas tum virgâ, Nebride tum Bromius.
Huc & Pimpliadas induxerat optimus Orpheus,
Chordis, voce, manu, carminibus, calamis.
Ambitioſus Hymen totas ibi contulit artes,
Qui non ingenio, fors placuit genio.
Feſcennina tamen non ſunt admiſſa, priuſquam
Intonuit ſolitâ noſter Apollo lyrâ.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN XI.

Epithalamium Ruricio & Iberiæ dictum.

INter Cyaneas Ephyræa cacumina cautes,
Quà ſuper Idalium levat Orithion in æthram
Exeſi ſale montis apex, ubi fortè vagantem
Dum fugit, & fixit trepidus Symplegada Typhis,
Atque recurrentem ructatum ad rauca Maleam,
Exit in Iſthmiacum pelagus claudentibus alis
Saxorum de rupe ſinus; quo ſæpe receſſu,
Sic tanquam toto coëat de lumine cœli,
Arctatur collecta dies, tremuláſque per undas
Inſequitur ſecreta vadi; tranſmittitur alto
Perfuſus ſplendore latex, miróque relatu
Lympha bibit ſolem, tenuſque inſerta fluento
Perforat arenti radio lux ſicca liquorem.
Profecit ſtudio ſpatium; nam Lemnius illìc
Ceu templum luſit Veneri, fulménque relinquens,
Hìc ferrugineus fumavit ſæpe Pyracmon.
Hìc lapis eſt de quinque locis, dans quinque colores,
Æthiops, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculoſus, eburnus & albus.
Poſſes Chryſolithi fulvus diffulgurat ardor,
Myrrhina, Sardoniches, amethyſtus, Iberus, iaſpis,
Indus, Chalcidicus, Scythicus, beryllus, achates,
Attollunt duplices argenti cardine valvas,
Per quas incluſi lucem vomit umbra ſmaragdi.
Limina craſſus onyx cruſtat, proptérque hyacinthi
Cærula concordem faciunt in ſtagna colorem.
Exterior non compta ſilex, ſed prominet altè
Aſper ab aſſiduo lympharum verbere pumex.
Interiore loco ſimulavit mulciber auro
Extantes latè ſcopulos, atque arte magiſtrâ
Ingenti cultu naturæ inculta fefellit,
Huic operi inſiſtens, quod necdum noverat illa,
Quæ pòſt Lemniacis damnavit furta catenis.
Squameus huc Triton, duplicis confinia dorſi
Quà coeunt, ſupra ſinuamina fortilis alvi,
Inter aquas calido portabat corde Dionem.
Sed premit adjecto radiantis pondere conchæ
Semiferi Galatea latus, quod pollice fixo
Vellit, & occulto ſpondet connubia tactu.
Tum gaudens torquente joco, ſubridet amator
Vulnere, jámque ſuam parcenti piſtre flagellat.
Ponè ſubit turmis flagrantibus agmen Amorum.
Hic cohibet delphina roſis, viridíſque juvenco
Hic vectus, ſpretis pendet per cornua frænis.
Hi ſtantes motu titubant, plantâque madenti
Labuntur, firmántque pedum veſtigia pinnis.
Illa recurvato dimiſerat ora lacerto
Mollia; marcebant violæ, graviórque ſopore
Cœperat attritu florum deſcendere cervix.
Solus de numero fratrum qui pulchrior ille eſt,
Deerat Amor, dum feſta parat celeberrima Gallis,
Quæ ſoeer Ommatius, magnorum major avorum,
Patritiæque nepos gentis, natæ, generóque
Excolit auſpiciis faustis; ſed fulſit ut ille
Fortè dies, matrem celeri petit ille volatu.
Cujus fax, arcus, corytus pendebat. at ille
Cernuus & lævæ pendens in margine palmæ
Libratos per inane pedes adverberat alis,
Oſcula ſic matris carpens, ſomnóque refuſæ
Semiſopora levi ſcalpebat lumina pennâ.
Tum prior his alacer cœpit. Nova gaudia porto
Felicis prædæ, genitrix. calet ille ſuperbus
Ruricius noſtris facibus, dulcíque veneno
Tactus, votivum ſuſpirat corde dolorem.
Eſſet ſi præſens ætas, impenderet illi
Lemnias imperium, Creſſa ſtamen labyrinthi,
Alceſte vitam, Circe herbas, poma Calypſo,
Scylla comas, Atalanta pedes, Medea furores,
Hippodame ceras, cygno Jove nata coronam.
Huic Dido in ferrum, ſimul in ſuſpendia Phyllis,
Evadne in flammas, & Sellias iſſet in undas.
His hæc illa refert. Gaudemus, nate, rebellem
Quòd vincis, laudáſque virum: ſed forma puellæ eſt,
Quam ſi ſpectâſſet quondam Sthenobœas heros,
Non pro contemptu domuiſſet monſtra Chimæræ.
Thermodontiacâ vel quî genitrice ſuperbus
Sprevit Gnoſiacæ temeraria vota novercæ,
Hâc visâ occiderat, fateor, ſed crimine vero.
Et ſi judicio forſan mihi quarta fuiſſet,
Me quoque Rhœteâ damnâſſet paſtor in Idâ.
Vincere vel ſi optas, iſtam da malo puellam,
Dixerat, hanc dederam formam pro munere formæ,
Tantus honor, genuſque genis. collata rubori
Pallida blatta latet, depreſſâque lumine vultus
Nigreſcunt vincto baccatum vulnera collo.
Te quoque multimodis ambiſſet Iberia ludis,
Axe Pelops, curſu Hippomenes, luctâque Achelous,
Æneas bellis, ſpectatus Gorgone Perſeus.
Nec minor hæc ſpecies, totiens cui Jupiter eſſet
Delia, taurus, olor, ſatyrus, draco, fulmen, & aurum.
Quare age, jungantur: nam cenſus, forma, genuſque
Conveniunt. nil hìc diſpar tua fixit arundo.
Sed quid vota moror? Dixit, currúmque popoſcit,
Cui dederant cryſtalla jugum, quæ frigore primo
Orbis adhuc teneri, glacies ubi Caucaſon auget,
Strinxit Hyperboreis Tanaïtica cruſta pruinis,
Naturam ſumens gemmæ, quia perdidit undæ.
Perforat hanc fulvo formatus temo metallo.
Miſerat hoc fluvius, cujus ſub gurgite Nymphæ
Mygdonium fovere Midam, qui pauper in auro
Ditavit verſis Pactoli flumina votis.
Splendet perſpicuo radios rota margine cingens
Marmaricæ de fauce feræ, dum bellua curvis
Dentibus excuſſis gemit exarmarier ora.
Miſit & hoc munus, tepidas qui nudus Erythras
Concolor Æthiopi, vel crinem pinguis amomo
Fluxus odoratis vexat venatibus Indus.
Illa tamen paſci ſuetos per Cyprou olores
Vittata ſtringit myrto, queis cætera tenùs
Lactea puniceo ſinuantur colla corallo.
Ergo iter aggreſſi. pendens rota ſulcat inanem
Aëra, & in liquido non ſolvitur orbita tractu.
Hìc triplex uno comitatur gratia nexu,
Hìc redolet patulo fortunæ copia cornu.
Hìc ſpargit calathis ſed flores Flora perennes,
Hìc Cererem Siculam Pharius comitatur Oſiris,
Hìc gravidos Pomona finus pro tempore portat,
Hìc Pallas madidis venit inter præla trapetis.
Hìc diſtincta latus maculoſâ Nebride Thyas
Indica Echionio Bromii rotat orgia thyrſo.
Hìc & Sigæis ſpecubus qui Dindyma ludit,
Jam ſectus recalet Corybas, cui gutture raueo
Ignem per biſores regemunt cava buxa cavernas.
Sic ventum ad thalamos. thus, nardus, balſama, myrrhæ
Hìc ſunt, hìc phœnix buſti dat cinnama vivi.
Proxima quin etiam feſtorum affiata calore,
Jam minùs alget hyems, ſpeciémque tenentia vernam
Hoc dant vota loco, quod non dant tempora mundo.
Tum juvenis dextram Paphie, dextrámque puellæ
Complectens, paucis cecinit ſolennia dictis,
Ne facerent vel verba moram. Feliciter ævum
Ducite concordes, ſint nati, ſintque nepotes,
Cernat & in proavo ſibimet quòd pronepos optet.

CARMEN XII.

Ad Catullinum V. C. quòd propter hoſtilitatem barbarorum Epithalamium ſcribere non valuerit.

QUID me, etſi valeam, parare carmen
Feſcenninicolæ jubes Dione,
Inter crinigeras ſitum catervas,
Et Germanica verba ſuſtinentem,
Laudantem tetrico ſubinde vultu,
Quod Burgundio cantat eſculentus,
Infundens acido comam butyro?
Vis dicam tibi, quid poema frangat?
Ex hôc barbaricis abacta plectris
Spernit ſenipedem ſtylum Thalia,
Ex quo ſeptipedes videt patronos.
Felices oculos tuos & aures,
Felicémque libet vocare natum,
Cui non allia, ſordidæque cepæ,
Ructant manè novo decem apparatu.
Quem non ut vetulum patris parentem,
Nutricíſque virum, die nec orto
Tot tantíque petunt ſimul Gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret.
Sed jam Muſa tacet, tenétque habenas
Paucis hendecaſyllabis jocata,
Ne quiſquam ſatyram vel hos vocaret.

CARMEN XIII.

Epigramma, quo ab Imperatore Majoriano triumphi capitum remedium poſtulavit Sidonius.

AMphitryoniaden perhibet veneranda vetuſtas,
Dum relevat terras, promeruiſſe polos.

Et

Et licèt in nudâ torvus confregerit ulnâ
Ille Cleonæ guttura rava feræ;
Et quanquam ardenti gladio vix ſtraverit hydram,
Cùm duplices pareret vulnera mors animas:
Captivúmque ferens ſylvâ ex Erymanthide monſtrum
Exarmata feri riſerit ora ſuis:
Colláque flammigenæ diſrumpens fumida furis,
Tandem directas juſſerit ire boves:
Taurus, cerva, gigas, hoſpes, luctator, Amazon,
Cres, canis, Heſperides ſint monimenta viri:
Nulla tamen fuſo prior eſt Geryone pugna,
Uni tergeminum cui tulit ille caput.
Hæc quondam Alcides; at tu Tirynthius alter,
Sed princeps magni maxima cura Dei,
Quem draco, cervus, aper, paribus ſenſere ſagittis,
Cùm dens, cùm virus, cùm fuga nil valuit.
Geryones nos eſſe puta, monſtrúmque tributum:
Hic capita, ut vivam, tu mihi tolle tria.

HAS ſupplex famulus preces dicavit,
Reſponſum opperiens pium ac ſalubre,
Ut reddas patriam, ſimúlque vitam,
Lugdunum exonerans ſuis ruinis.
Hoc te Sidonius tuus precatur,
Sic te Sidonio recocta fuco,
Multos purpura veſtiat per annos.
Sic luſtro imperii perennis acto,
Quinquennalia faſcibus dicentur.
Sic ripæ duplicis tumore fracto,
Detonſus Vachalim bibat Sicamber.
Quod ſi contoleris tuo poëtæ,
Mandem perpetuis legenda faſtis,
Quæcunque egregiis geris triumphis.
Nam nunc Muſa loquax tacet tributo,
Quæ pro Virgilio Terentióque,
Sextantes legit unciáſque fiſci,
Marſyæque timet manum ac rudentem,
Qui Phœbi ex odio vetuſtiore
Nunc ſuſpendia vatibus minatur.

CARMEN XIV.

Præfatio Epithalamii Polemio & Araneolæ dicti.

PRoſper connubio dies coruſcat,
Quem Clotho niveis benigna penſis,
Albus quem picei lapillus Indi,
Quem pacis ſimul arbor & juventæ,
Æternúmque virens oliva ſignet.
Eia Calliope nitente palmâ
Da ſacri laticis loquacitatem,
Quem fodit pede Pegaſus volanti,
Cognato madidus jubam veneno.
Non hìc impietas; nec hanc puellam
Donat mortibus ambitus procorum.
Non hìc Oenomai cruenta circo
Audit pacta Pelops, nec inſequentem
Pallens Hippomenes ad ima metæ
Tardat Schœnida ter cadente pomo.
Non hìc Herculeas videt palæſtras
Ætolâ Calydon ſtupens ab arce,
Cùm cornu fluvii ſuperbientis
Alcides premeret. ſubinde feſſum
Undoſo refovens ab hoſte pectus:
Sed doctus juvenis, decénſque virgo
Ortu culmina Galliæ tenentes
Junguntur. citò Diva necte chordas,
Nec quòd detonuit camœna major,
Noſtram pauperiem ſilere cogas.
Ad tædas Thetidis, probante Phœbo,
Et Chiron cecinit minore plectro:
Nec riſit pia turba ruſticantem,
Quamvis ſæpe ſenex biformis illic
Carmen rumperet hinniente cantu.

CARMEN XV.

Epithalamium Polemio & Araneolæ dictum.

FOrtè procelloſi remeans ex arce Capharei,
Phœbados Hiacæ raptum ſatìs ulta pudorem
Pallas, Erichthæo Xanthum mutabat Hymetto;
Aurato micat ære caput, majúſque ſerenum
De terrore capit; poſito nam fúlmine necdum
Cinyphio Tritone truces hilaraverat artus.
Gorgo tenet pectus medium, factura videnti
Et truncata moras; nitet inſidioſa ſuperbum
Effigies, viviſque animâ pereunte veruſtas.
Alta ceraſtarum ſpiris caput aſperat atrum
Congeries; torquet maculoſa volumina mordax
Crinis, & irati dant ſibila tetra capilli.
Squameus ad mediam thorax non pervenit alvum,
Poſt chalybem pendente pepło; tegit extima limo
Circite palla pedes, qui cùm ſub veſte moventur,
Criſpato rigidæ crepitant in ſyrmate rugæ.
Lævam parma tegit Phlegræi plena tumultûs.
Hìc rotat excuſſum vibrans in ſidera Pindum
Enceladus, rapido ſit miſſilis Oſſa Typhæo.
Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopénque Adamaſtor
Strymonio cum fonte levat, veniénſque ſuperuè
Intorto calidum reſtinguit flumine fulmen.
Hìc Pallas Pallanta petit, cui Gorgone viſâ
Invenit ſolidum jam lancea tarda cadaver.
Hìc Lemnum pro fratre Mimas contra Ægida torquet,
Impulſúmque quatit jaculabilis inſula cœlum.
Plurimus hìc Briareus populoſo corpore pugnat,
Cognatam portans aciem, cui vertice ab uno
Cernas ramoſis palmas fruticare lacertis.
Nec ſpecies ſolas monſtris, dedit arte furorem
Mulciber, atque ipſas timuit quas finxerat iras.
Haſtam dextra tenet, nuper quam valle Aracynthi
Ipſa ſibi poſitâ Pallas protraxit olivâ.
Hoc ſteterat genio, ſuper ut veſtigia Divæ
Lambentes teneat Marathonia bacca trapetas.
Hìc duo templa micant, quorum ſupereminet unus
Ut meritis, ſic ſede locus, qui continet altâ
Scrutantes ratione viros: Quid machina cœli,
Quid tellus, quid foſſa maris, quid turbidus aër,
Quid noctis luciſque vices, quid menſtrua lunæ
Incrementa parent, totidem cur damna ſequantur;
Ilicet hìc ſummi reſident ſeptem Sapientes,
Innumerabilium primordia philoſophorum.
Thales Mileto genitus vadimonia damnat.
Lyndie tu Cleobule jubes modus optimus ut ſit.
Tu meditans totum decoras Periandre Corinthon.
Atticus indè Solon, nequid nimis, approbat unum.
Prienæe Bia plureis ais eſſe malignos.
Tu Mitylene ſatus cognoſcis Pittace tempus.
Noſcere ſe ſeipſum Chilon Spartane docebas.
Aſſerit hìc Samius poſt docta ſilentia luſtri
Pythagoras, ſolidum princeps quòd muſica mundum
Temperet, & certis concentum reddat ab aſtris:
Signáque, zodiacus quæ circulus axe ſupremo
Terna quater retinet, proprio non currere motu,
Æquis inter ſe ſpaciis tamen eſſe locata.
Fixáque ſignifero pariter quoque cernua ferri.
Præcipuúmque etiam ſeptem vaga ſidera cantum
Hinc dare, perfectus numerus quòd uterque habeatur;
Hôc numero affirmans, hôc ordine cuncta rotari,
Falciferi Cronon ire ſenis per ſumma polorum,
Martis contiguum, medio Jove, pergere ſidus;
Poſt hos, jam quarto ſe flectere tramite Solem,
Sic placidam Paphien ſervare diaſtema quintum,
Arcadium ſexto, Lunam ſic orbe ſupremo,
Ter denas tropico propè currere climate miras.
Si quos ergo chelys, ſi quos lyra, tibia ſi quos
Ediderint cum voce modos, exemplar ad iſtud
Ponderibus poſitis, quantum proportio ſuadet,
Intervalla ſequi ſepteni ſideris edit.
Harmoniam dicens etiam, quòd quatuor iſtis
Sic ſedeant elementa modis, ut pondere magnis
Sit locus inferior. mediâ tellure quod autem
Perfectè medium eſt, imum patet eſſe rotundi.
Hinc fieri, ut terram levior ſuperemicet unda:
Altior his quoque ſit, qui purior eminet aër:
Omnia concludat cœlum levitate ſuprema,
Pendeat ut totum ſimul hoc ab origine centri.
Thales hìc etiam numeris inquirit & aſtris,
Defectum ut Phœbi necnon lunæque laborem
Nuntiet anteriùs; ſed rebus inutile ponit
Principium, dum credit aquis ſubſiſtere mundum.
Hujus diſcipuli verſa eſt ſententia, dicens
Principiis propriis ſemper res quaſque creari;
Singula qui quoſdam fontes decrevit habere
Æternùm irriguos, ac rerum ſemine plenos.
Hunc etiam ſequitur, qui gignere cuncta putabat.
Hunc aërem, paritérque Deos ſic autumat ortos.
Quartus Anaxagoras Thaletica dogmata ſervat:
Sed divinum animum ſentit, qui fecerit orbem.
Junior hunc junctus reſidet collega, ſed idem

Materi-

Materiam cunctis creaturis ære credens
Judicat indè Deum, faceret quo cuncta, tulisset
Post hos Arcesilas divinâ mente paratam
Conjicit hanc molem, confectam partibus illis,
Quas atomos vocat ipse leves. Socratica pòst hunc
Secta micat, quæ de naturæ pondere migrans
Ad mores hominum limandos transtulit usum.
Hanc sectam perhibent summum excoluisse Platona,
Sed triplici formâsse modo, dum primus & unus
Physica vel logico, logicum vel jungit ad ethos.
Invenit hinc princeps quid primæ essentia distet
A summo sextóque bono; cùm denique saxa
Sint tantùm, penitúsque nihil nisi esse probentur;
Proxima succedant, quibus esse & vivere promptum est,
Addere queis possis nil ampliùs arbore & herbâ.
Tertia sit pecorum, quorum esse & vivere motu
Non caret & sensu: mortales quarta deinde
Respiciat factura suos, quibus esse, moveri,
Vivere, cum sensu datur, & supereminet illud,
Quòd sapiunt, veróque valent discernere falsum:
Quinta creaturas superas substantia prodat,
Quas quidam dixere Deos, quia corpora sumant
Contemplanda homini, paulò pòst ipsa relinquant,
Inque suam redeant, si qua est tenuissima, formam:
Sic fieri ut pateat substantia summa creator,
Sexta tamen, supráque nihil, sed cuncta sub ipso.
Hôc in gymnasio Polemi sapientia vitam
Excolit, adjunctúmque suo fovet ipsa Platoni.
Obviet & quanquam totis Academia sectis,
Atque neget verum, veris hunc laudibus ornat.
Stoica post istos, sed concordantibus ipsis
Chrysippus, Zenónque docent præcepta tenere.
Excluti propè jam Cynici, sed limine restant.
Ast Epicureos eliminat undique virtus.
At parte ex aliâ textrino prima Minervæ
Pallas Jovis rutilat, cujus bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat stamina murex.
Ebria nec solùm spirat conchylia sandix:
Insertum non fulgur habet, filóque rigenti
Ardebat gravidum de fragmine fulguris ostrum.
Hìc viridis patrio Glaucus pandebat amictu:
Undabant hìc arte sinus, fictóque tumore
Mersabat pandas tempestas texta carinas.
Amphitryoniadi surgebat tertia vestis:
Parvulus hìc gemino cinctus serpente noverca,
Inscius arridet monstris, ludúmque putando
Insidias dum nescit amat, vultúque dolentis
Extingui deflet, quos ipse interficit angues.
Præterea sparsis sunt hæc subjecta figuris,
Sus, leo, cerva, gigas, taurus, juga, Cerberus, hydra,
Hospes, Nessus, Eryx, volucres, Thrax, Cacus, Amazon,
Cres, fluvius, Libs, poma, Lycus, virgo, polus, Oete.
Hoc opus, & si quid supereſt, quod nomina nescit,
Virgineæ posuere manus; sed in agmine toto
Inter Cecropias Ephyreïdásque puellas
Araneola micat. proprias conferre laborat
Ipsa Minerva manus, calathísque evicta recedens,
Cùm tenet hæc telas, vult hæc plùs tela tenere.
Hìc igitur proavi trabeas imitata rigentes,
Palmatam parat ipsa patri, quâ consul & idem
Agricolam contingat avum, docéatque nepotes,
Non abavi solum, sed avi quoque jungere fasces.
Texuerat tamen & chlamydes quibus ille magister
Per Tartesiacas conspectus splenduit urbes,
Et quibus ingestæ sub tempore Præfecturæ
Conspicuus, sanctas reddit se præsule leges.
Attamen in trabeâ segmento luserat alto,
Quod priscis illustre toris. Ithacesia primùm
Fabula, Dulichiíque lares formantur; & ipsam
Penelopen tardas texit distexere telas.
Tænaron hìc frustra, bis raptâ conjuge, pulsat
Thrax fidibus, legem postquam temeravit Averni,
Et prodesse putans, iterum non respicit umbram.
Hìc vovet Alceste prælato conjuge vitam
Rumpere; quam cernas Parcarum vellere in ipso
Nondum pernetam, fato præstante salutem.
Hìc nox natarum Dansi lucebat in auro,
Quinquaginta enses genitor quibus impius aptat,
Et dat concordem discordia jussa furorem.
Solus Hypermnestræ servatus munere Lynceus
Effugit: aspicias illam sibi parva paventem,
Et pro dimisso tantùm pallere marito.
Jámque Jovem in formas mutat, quibus ille tenere
Mnemosynem, Europam, Semelem, Ledam, Cynosuram,
Serpens, bos, fulmen, cygnus, Dictynna solebat.
Jámque opus in turrem Danaæ, pluviámque metalli
Ibat, & hìc alio stillabat Jupiter auro.
Cùm virgo aspiciens vidit Tritonida verso
Lumine, doctisonas spectare libentiùs artes:
Commutat commota manus, ac pollice docto
Pingere Philosophi victricem Laida cœpit,
Quæ Cynici per menta feri rugosáque colla
Rupit odoratam redolenti sorpice barbam.
Subrisit Pallas, castóque hæc addidit ore:
Non nostra ulteriùs ridebis dogmata, virgo,
Philosopho nuptura meo: magè flammea sumens,
Hoc mater sine texat opus: consurge sophorum
Egregium Polemi decus, ac nunc Stoica tandem
Pone supercilia, & Cynicos imitatus amantes
Incipias iterum parvum mihi ferre Platona.
Hærentem tali compellat voce magister:
Perge libens, neu tu damnes fortasse jugari
Quod noster jubet ille senex, qui non piger hausit
Numina condemnans Anyto pallente venenum.
Dixerat, ille simul surgit, vultúque modesto
Tetrica nodosæ commendat pallia clavæ.
Amborum tum diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat,
Nymphidius quæ cernat avus: probat Atropos omen,
Fulváque concordes junxerunt fila sorores.

CARMEN XVI.

Eucharisticum ad Faustum Reiensem Episcopum.

PHœbum & ter ternas decimâ cum Pallade Musas,
Orpheáque & laticem simulatum fontis equini,
Ogygiámque chelym, quæ saxa sequacia flectens
Cantibus, auritos erexit carmine muros,
Sperne fidis. magis ille vene nunc spiritus oro
Pontificem dicture tuum, qui pectora prisca
Intrâsti Mariæ, rapiens cùm tympana siccus
Israel appensi per concava gurgitis iret,
Aggeribus vallatus aquæ, mediásque per undas
Pulverulenta tuum clamaret turba triumphum.
Quíque manum Judith ferientem colla Holofernis
Juvilli, exciso jacuit cùm gutture truncus,
Et fragilis gravido latuit bene sexus in ictu.
Expresso vel qui complens de vulnere pellem,
Inficiénsque dehinc non tacto vellere terram,
Firmâsti Gedeona, tubis inserte canoris
Spiritus, & solo venit victoria cantu.
Quíque etiam adsumptum pecorosi de grege Jesse
Attâsti regem, plaustro cùm fœderis arcam
Imponens hostis, nullo moderante bubulco,
Proderet obscœnum turgenti podice morbum.
Quíque trium quondam puerorum in fauce sonâsti,
Quos in Chaldæi positos fornace tyranni,
Roscida combusto madefecit flamma camino.
Quíque volubilibus spatiantem tractibus alvi
Complêsti Jonam, resonant dum viscera monstri
Introrsum psallente cibo, vel pondera ventris
Jejuni, plenísque tamen vate intemerato,
Ructat cruda fames; quem singultantibus extis
Esuriens vomuit suspenso bellua morsu.
Quíque duplex quondam venisti in pectus Elisei,
Thesbiten cùm fortè senem jam flammeus axis
Tolleret, & scissam liquens pro munere pellem
Hispidus ardentes auriga intraret habenas.
Quíque etiam Eliam terris missure secundum,
Zachariæ justi linguam placate ligâsti,
Dum faceret serum rugosa puerpera patrem,
Edita significans jusso reticere prophetâ,
Gratia cùm fulsit, nôsset se ut lex taciturna.
Quíque etiam nascens ex virgine semine nullo,
Ante ullum tempus Deus, atque in tempore Christus,
Ad corpus quantum spectat tu te ipse creâsti.
Qui visum cæcis, gressum quoque reddere claudis,
Auditum surdis, mutis laxare loquelam
Suetus, ad hoc etiam venisti, ut mortua membra
Lecto, sandapilâ, tumulo consurgere possint.
Quíque etiam pœnas susceptâ in carne tulisti,
Sustentans alapas, ludibria, verbera, vepres,
Sortem, vincla, crucem, clavos, fel, missile, acetum:
Postremò mortem, sed surrecturus, adîsti,
Eripiens quicquid veteris migraverat hostis
Io jus per nostrum facinus, cùm femina prima
Præceptum solvens culpâ nos perpete vinxit:
Qui cùm te interitu petiit, nec reperit in te

Quod

Quod poſſet proprium convincere, perdidit omne
Quod lapſu dedit Eva ſuo. chirographon illud
Quo pervaſus homo eſt, hæc compenſatio rupit.
Expers peccati, pro peccatoribus amplum
Fis precium, veterémque novus vice fœnoris Adam
Dum moreris de morte rapis: ſic mortua mors eſt,
Sic ſeſe inſidiis quas fecerat ipſa fefellit.
Nam dum indiſcretè petit inſontémque reóſque,
Egit ut abſolvi poſſent & crimine nexi.
Quíque etiam juſtos ad tempus ſurgere tecum
Juſſiſti cineres, cùm tectis tempore longo
Irrupit feſtina ſalus, infaſtaque raptim
Excuſſit tumulis ſolidatas vita favillas:
Da Fauſtum laudare tuum, da ſolvere grates
Quas & pòſſe debere juvat. Te, magne Sacerdos,
Barbitus hic noſter, plectro licèt impare, cantat.
Hæc igitur prima eſt vel cauſa, vel actio laudum,
Quòd mihi germani dum lubrica volvitur ætas,
Servatus tecum domini per dona probatur
Nec famâ titubante pudor: te reſpicit iſtud
Quantumcumque bonum, merces debebitur illi,
Ille tibi; ſit laus (ſi labi noluit) ejus:
Nam quòd nec potuit, totum ad te jure redundat.
Præterea quòd me pridem Reios veniente,
Cùm Procyon fureret, cùm ſolis torridus ignis
Flexilibus rimis ſitientes ſcriberet agros,
Hoſpite te noſtros excepit protinus æſtus
Pax, domus, umbra, latex, benedictio, menſa, cubile.
Omnibus attamen his ſat præſtat, quòd voluiſti
Ut ſanctæ matris ſanctum quoque limen aditem.
Dirigui, fateor, mihi conſcius, atque repentè
Tinxit adorantem pavido reverentia vultum:
Nec ſecus intremui, quàm ſi me fortè Rebeccæ
Iſraël, aut Samuel crinitus duceret Annæ.
Quapropter te vel votis ſinè fine colentes,
Affectum magnum par carmina parva fateamur,
Seu te flammatæ Syrtes, & inhoſpita teſqua,
Seu cœno viridante palus, ſeu nigra receſſu
Incultum magè ſaxa tenent, ubi ſole remoto
Concava longævas aſſervant antra tenebras.
Seu te præruptis porrectæ in rûpibus Alpis,
Succinctos gelido libantem ceſpite ſomnos,
Anachoreta tremit, quæ quanquam frigora portet,
Conceptum Chriſti nunquam domat illa calorem.
Quà nunc Elias, nunc te jubet ire Joannes,
Nunc duo Macarii, nunc & Paphnutius heros,
Nunc Or, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunicâ nudus te Antonius illâ,
Quam fecit palmæ foliis manus alma magiſtri.
Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt,
Quà tu jam fractus pro magnâ ſæpe quiete
Diſcipulis ſervire venis, vſxque otia ſomni
Vix coctos capture cibos, abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia pſalmis:
Fratribus inſinuans, quantos illa inſula plana
Miſerit in cœlum montes: quæ ſancta Caprasî
Vita ſenis, juvenſſque Lupi: quæ gratia patrem
Manſit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus monachoſque antiſtes & abbas
Bis ſucceſſor agis: celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilarî.
Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio tumidos majorum temnere mores;
Seu tu ſolicitus curas, quâ languidus eſcâ,
Quâve peregrinus vivat, quid paſcat & illum,
Lubrica crura cui tenuat ſub compede carcer.
Seu magè funeribus mentem diſtractus humanis,
Livida defuncti ſi pauperis oſſa vireſcant,
Infaſtiditum fers ipſe ad buſta cadaver.
Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circunſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.
Quicquid agis, quocunque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

CARMEN XVII.

Invitat Ommatium ad natalem diem ſuorum.

QUatuor ante dies quàm lux Sextilis aduſti
Prima ſpiciferum proferat orbe caput:
Natalis noſtris decimus ſextúſque coletur,
Adventu felix qui petit eſſe tuo.
Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
Aſſyrius murex nec tibi ſigna dabit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas,
Argenti nigri pondera defodiam.
Nec ſcyphus hìc dabitur, rutilo cui fortè metallo
Cruſtatum ſtringat tortilis anſa latus.
Fercula ſunt nobis mediocria, non ita facta
Menſuræ ut grandis ſuppleat ars pretium.
Non panes Libycâ ſolitos flaveſcere Syrte
Accipiet Galli ruſtica menſa tui.
Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Serapteno palmite miſſa bibas.
Pocula non hìc ſunt illuſtria nomine pagi,
Quod poſuit noſtris ipſe triumvir agris.
Tu tamen ut venias, petimus. dabit omnia Chriſtus,
Hìc mihi qui patriam fecit amore tuo.

CARMEN XVIII.

De Balneis Villæ ſuæ ſupra lacum poſitæ.

SI quis Avitacum dignaris viſere noſtram,
Non tibi diſpliceat: ſic quod habes placeat.
Æmula Baiano tolluntur culmina cono,
Párque cothurnato vertice fulget apex.
Garrula Gauranis plus murmurat unda fluentis,
Contigui collis lapſa ſupercilio.
Lucrinum dives ſtagnum Campania nollet,
Æquora ſi noſtri cerneret illa lacûs.
Illud puniceis ornatur littus echinis,
Piſcibus in noſtris hoſpes utrumque videt.
Si libet & placido partiris gaudia corde,
Quiſquis ades, Baias tu facis hìc animo.

CARMEN XIX.

Tetraſtichon ſupra piſcinam.

INtrate algentes poſt balnea torrida fluctus,
Ut ſolidet calidam frigore lympha cutem,
Et licèt hôc ſolo mergatis membra liquore,
Per ſtagnum noſtrum lumina veſtra natant.

CARMEN XX.

Ad Sororium ſuum Ecdicium.

NAtalis noſter nonas inſtare Novembreis
Admonet, occurras non rogo, ſed jubeo.
Sit tecum conjunx; duo nunc properate; ſed illud
Poſt annum optamus tertius ut venias.

CARMEN XXI.

De Piſcibus Nocte captis.

QUatuor hæc primùm piſces nox inſuit hamis,
Indè duos tenui, tu quoque ſume duos.
Quos miſi ſunt majores; rectiſſimus ordo eſt,
Namque minæ noſtræ portio major eras.

CARMEN XXII.

Burgus Pontii Leontii.

BIſtonii ſtabulum regis, Buſiridis aras,
Antiphatæ menſas, & Taurica regna Thoantis,
Atque Ithaci genio fraudatum luce Cyclopem
Portantem frontis campo per concava montis
Par propè transfoſſi tenebroſum luminis antrum,
Hoſpes adi, ſiquis Burgum taciturus adîſti.
Et licèt in carmen non paſſim laxet habenas
Phœbus, & hìc totus non pandat carbaſa fandi,
Quiſque tamen tantos non laudans ore penates
Inſpicis, inſpiceris: reſonat ſinè voce voluntas.
Nam tua te tacitum livere ſilentia clamant.
Ergo age, Pierias Erato mihi percute chordas.
Reſponſent Satyri, digitúmque pedémque moventes,
Ludant, & tremulo non rumpant cantica ſaltu.
Quicquid fortè Dryas, vel quicquid Hamadryas unquam
Connexis ſibimet feſtum plauſere Napæis,
Dependant modò Burge tibi, vel Naïdas iſtic
Nereïdum chorus alme doce, cùm fortè Garumna
Hùc redeunte venis, pontúmque in flumine ſulcas.
Pande igitur cauſas Erato, laribúſque ſit ede
Quis genius, tantum non eſt ſinè præſule culmen.
Fortè ſagittiferas Euan populatus Erythras,
Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres:
Intrabat duplicem quà temo racemifer arcum.

Marci-

Marcidus ipſe ſedet curru: madet ardua cervix
Sudati de rore meri: caput aurea rumpunt
Cornua, & indigenam jaculantur fulminis ignem.
Sumpſerat hoc primùm naſcens, cùm tranſiit olim
In patrium de matre femur. fert tempus utrumque
Veris opes, rutilóſque ligat vindemia flores.
Cantharus & thyrſus dextrâ lævâque feruntur:
Nec tegit exertos, ſed tangit palla lacertos.
Dulcè natant oculi, quos ſi fors vertat in hoſtem,
Attonitos, ſolùm dum cernit, inebriat Indos.
Tum ſalebras ſaliens quoties ſe concutit axis,
Paſſim deciduo perfunditur orbita muſto.
Baſſaridas, Satyros, Panas, Faunóſque docebat
Ludere Silenus jam numine plenus alumno,
Sed comptus tamen ille caput: nam vertice nudo
Amiſſos ſertis ſtudet excuſare capillos.
Corniger indè novi fit Ganges pompa triumphi
Cernuus impexam faciem, ſtetit ore madenti, &
Arentes vitreis adjuvit fletibus undas.
Conjectas in vincla manus poſt terga revinxit
Pampinus: hìc ſenſim captivo humore refuſus
Sponte refrondeſcit per roſcida brachia palmes.
Necnon & rapti conjunx ibi victa mariti
It, croceas demiſſa genas, vetitâque recondi
Lampade cum ſolis radiis aurora rubebat.
Affuit hìc etiam poſt perdita cinnama phœnix,
Formidans mortem ſibi non ſupereſſe ſecundam.
Succedit captiva cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata ſuis. ebur hìc, hebenúſque, vel aurum,
Et niveæ piceo raptæ de pectore baccæ
Geſtantur. quicunque nihil ſuſtentat, odoros
Mittitur in nexus. Videas hìc ipſa placere
Supplicia, & virides violis halare catenas.
Ultima nigrantes incedunt præda elephanti;
Informis cui forma gregi. riget hiſpida dorſo
Vix ferrum paſſura cutis. quippe improba cratem
Nativam nec tela forant, contracta viciſſim
Tenſáque terga feris crepitant, uſúque cavendi
Pellunt excuſſis impactum miſſile rugis.
Jámque iter ad Thebas per magnum victor agebat
Aëra, & ad ſummas erexerat orgia nubes:
Cùm videt Aoniâ venientem Delion arce.
Gryphas & ipſe tenet: vultus his laurea curvos
Fronde lupata ligant, hederis quoque circumplexis
Pendula lora virent: ſenſim fera ſubvolat ales
Aërias terræque vias, ne fortè citato
Alarum ſtrepitu lignoſas frangat habenas.
Æternùm nitet ipſe genas. crevere corymbis
Tempora, & auratum verrit coma concolor axem.
Lævâ parte tenet vaſtâ dulcedine raucam
Cælato Pythone lyram, pars dextra ſagittas
Continet, atque alio reſonantes murmure nervos.
Ibant Pimpliades pariter, mediúmque noveno
Circunſiltentes umbrabant ſyrmate currum.
Pendet per teretes tripodas Epidaurius anguis
Diffuſus ſanctum per colla ſalubria virus.
Hìc & criniſatas jungebat Pegaſus alas,
Portans doctiloquo tacundum crure Creontem.
Ut ſeſe junxere chori, conſurgit uterque
Fratris in amplexus: ſed paulò ſegnior Euan,
Dum pudet inſtabiles ſi ſurgat prodere plantas.
Tum Phœbus, Quò pergis? ait; num fortè nocentes
Bacche petis Thebas? te cretus Echione nempe
Abnegat eſſe deum. linque his, rogo, mœnia, linque.
Et mecum magè flecte rotas. deſpexit Agave
Te colere, & noſmet Niobe. riget indè ſuperbùm
Vulnera tot patiens, quot ſpectat pignora ventris,
Optantémque mori graviùs clementia fixit.
Parcere ſæpe malum eſt, ſenſúmque inferre dolori.
Ipſa autem nato occiſo Pentheïa mater
Ampliùs ut furiat, nunquid veſana futura eſt?
Ergo nec Aonios colles habitare valemus,
Cùm patris extincti thalamis potiatur adulter,
Frater natorum, conjunx genitricis habendus,
Vitricus ipſe ſuus. Cordi eſt ſi jungere greſſum,
Dicam quâ pariter ſedem tellure locemus.
Eſt locus, irriguâ quà rupe Garumna rotatæ,
Et tu qui ſimili feſtinus æquora lapſu
Exis curvatâ Durani muſcoſe ſaburrâ,
Jam pigreſcentes ſenſim confunditis amnes.
Currit in adverſum hìc pontus, multóque recurſu
Flumina quas volvunt, & ſpernit & expedit undas.
At cùm ſummotus lunaribus incrementis
Ipſe Garumna ſuos in dorſa recolligit æſtus,
Præcipiti fluctu raptim redit, atque videtur
In fontem jam non refluus, ſed defluus ire.
Tum recipit laticem, quamvis minor ille, minore
Stagnanti de fratre ſuum, turgeſcit & ipſe
Oceano, propriáſque facit ſibi littora ripas.
Hos inter fluvios uni magè proximus undæ eſt
Æthera mons rumpens, altâ ſpectabilis arce,
Plùs celſos habiturus heros, veruámque ſenatum:
Quem generis princeps Paulinus Pontius olim,
Cùm Latius patriæ dominabitur, ambiet altis
Mœnibus, & celſæ tranſmittent aëra turres.
Quarum culminibus ſedeant communè micantes
Pompa vel auxilium. non illos machina muros,
Non aries, non alta ſtrues, vel proximus agger,
Non quæ ſtridentes torquet catapulta molares,
Sed nec teſtudo, nec vinea, nec rota currens,
Jam poſitis ſcalis unquam quaſſare valebunt.
Cernere jam videor, quæ ſint tibi Burge futura.
Diceris ſic. nanque domus de flumine ſurgunt,
Pendentéſque ſedent per propugnacula thermæ.
Hìc cùm vexatur piceis aquilonibus æſtus,
Scrupeus aſpratâ latrare crepidine pumex
Incipit, ac fractis ſaliens è cautibus altùm
Excutitur torrens, ipſiſque aſpergine tectis
Impluit, ac tollit nautas, & ſæpe jocoſo
Ludit naufragio. nam tempeſtate peractâ
Deſtituit refluens miſſas in balnea claſſes.
Ipſa autem quantis, quibus aut ſunt fulta columnis?
Cedat puniceo preciosùs livor in antro
Synnados, & Numadum qui portat eburnea ſaxa
Collis, & herboſis quæ vernant marmora venis.
Candentem jam nolo Paron, jam nolo Caryſton.
Vilior eſt rubro quæ pendet purpura ſaxo.
Et ne poſteritas dubitet, quis conditor extet,
Fixus in introitu lapis eſt. hìc nomina ſignat
Auctorum. ſed proptèr aqua, & veſtigia preſſa
Quæ rapit, & fuſo detergit gurgite cœnum.
Sectilibus paries tabulis cruſtatus ad aurea
Tecta venit, fulvo nimis abſcondenda metallo.
Nam locuples fortuna domos non paſſa latere,
Divitias prodit, cùm ſic ſua culmina celat.
Hæc poſt aſſurgit, duplicémque ſupervenit ædem,
Porticus ipſa duplex, duplici non cognita plauſtro:
Quarum unam molli ſubductam vertice curvæ
Obverſis paulùm reſpectant cornibus alæ.
Ipſa diem natum cernit ſinuamine dextro,
Fronte videns medium, lævo viſura cadentem.
Non perdit quicquam trino de cardine cœli,
Et totum ſolem lunato per atria ſervat.
Sacra tridentiferi Jovis hìc armenta profundo
Pharnacis immergit genitor. percuſſa ſecuri
Corpora cornipedum, certáſque rubeſcere plagas
Sanguineo de rore putes. ſtat vulneris horror
Verus, & occiſis vivit pictura quadrigis.
Ponticus hìc rector numeroſis Cyzicon armis
Claudit. at hinc ſociis conſul Lucullus opem fert:
Compulſúſque famis diſcrimina ſumma ſubire
Invidet obſeſſo miles Mithridaticus hoſti.
Enatat hìc pelagus Romani militis ardor,
Et chartam madido tranſportat corpore ſiccam.
Deſuper in longum porrectis horrea tectis
Creſcunt, atque amplis anguſtant fructibus ædes.
Huc veniet calidis quantum metit Africa terris,
Quantum vel Calaber, quantum colit Apulus acer,
Quanta Leontino turgeſcit meſſis acervo,
Quantum Mygdonio committunt Gargara ſulco,
Quantum quæ tacitis Cererem venerata choreis
Attica Triptolemo civi condebat Eleuſis,
Cùm populis hominum glandem linquentibus olim
Fulvâ fruge datâ jam ſæcula fulva perirent.
Porticus ad gelidos patet hinc æſtiva triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atque locum tempus mollit, quippe illa rigori
Pars eſt apta magis. nam quòd fugit ora leonis,
Indè Lycaoniæ rabiem malè ſuſtinet urſæ.
Arctus at in thermas longè venit altior amnis,
Et cadit in montem, patuliſque canalibus arctus,
Circunfert clauſum cava per divortia flumen.
Occiduum ad ſolem poſt horrea ſurgit opaca,
Quæ Dominis hyberna domus. ſtrepit hìc bona flamma
Appoſitas depaſta trabes. ſinuata camino
Ardentis perit unda globi, fractóque flagello
Spargit lentatum per culmina tota vaporem.
Continuata dehinc videas, quæ conditor auſus

Æmula Palladiis textrina educere templis:
Hìc celsi quondam conjunx veneranda Leonti
(Quâ non ulla magìs nurus unquam Pontia gaudet
Illustris pro sorte viri) celebrabitur æde
Vel Syrias vacuâsse colus, vel serica fila
Per cannas torsisse leves, vel stamine fulvo
Prægnantis fusi mollitum nêsse metallum.
Parietibus pòst hinc rutilat quæ machina junctis,
Fert recutitorum primordia Judæorum.
Perpetuùm pictura micat: nec tempore longo
Depretiata suas turpant pigmenta figuras.
Flecteris ad lævam? te porticus accipit ampla
Directis curvata viis, ubi margine summo
Pendet, & arctatis stat saxea sylva columnis.
Alta volubilibus patet hinc cœnatio valvis.
Fusilis euripus proptér. cadit unda supernè
Ante fores pendente lacu, venámque secuti
Undosa inveniunt nantes cœnacula pisces.
Cominus erigitur vel prima, vel extima turris.
Mos erit hìc dominis hybernum figma locare.
Hujus conspicuo residens in culmine, sæpe
Dilectum nostris mutis simul atque capellis
Aspiciam montem lauri. spaciabor in istis
Frondibus, hìc trepidam credam mihi credere Daphnem.
Jam si fortè gradus geminam convertis ad Arcton,
Ut venias in templa Dei, qui maximus ille est:
Deliciis redolent junctis apotheca, penúsque;
Hìc multus tu frater eris. Jam divide sedem,
Cessurus mihi fonte meo, quem monte fluentem
Umbrat multicavus spacioso circite fornix.
Non eget hic cultu, dedit huic natura decorem.
Nil fictum placuisse placet, non pompa per artem
Ulla, resultanti non comet malleus ictu
Saxa, nec exesum supplebunt marmora tophum.
Hìc fons Castaliæ nobis vice sufficit undæ.
Cætera dives habe: colles tua jura tremiscant.
Captivos hìc solve tuos, & per juga Burgi
Læta relaxatæ fiant vincta catenæ.
Confirmat vocem jamjam propè sobrius istam
Silenus, paritérque chori cecinere favontes.
Nysa vale Bromio, Phœbo Parnasse biverter.
Non illum Naxus, non istum Cyrrha requirat:
Sed magè perpetuò Burgus placitura petatur.

CARMEN XXIII.

NARBO.

Ad Consentium Clarissimum Civem Narbonensem.

CUM jam pro meritis tuis pararem,
Consenti, columen decúsque morum,
Vestræ laudibus hospitalitatis
Cantum impendere pauperis cicutæ;
Ultro in carmina tu tubam recludens,
Converso ordine, versibus citâsti
Suetum ludere sic magìs sodalem.
Paret Musa tibi, sed impudentem
Multo cautiùs hinc stylum movebit.
Nam cùm carmina postules diserté,
Suades scribere, sed facis tacere.
Nuper quadrupedante cùm citato
Ires Phocida, Sextiásque Baias
Illustres titulísque, præliísque
Urbes, per duo consulum tropæa:
(Nam Martem tulit ista Julianum,
Et Bruto duce nauticum furorem:
Ast hæc Teutonicas cruenta pugnas,
Erectum & Marium cadente Cimbro)
Misisti mihi multiplex poëma,
Doctum, nobile, forte, delicatum.
Ibant hexametri superbientes,
Et vestigia juncta, sed minora,
Per quinos elegi pedes ferebant.
Misisti & triplicis metrum trochæi,
Spondæo comitante, dactylóque,
Dulces hendecasyllabos, tuámque
Blando fœnore Sollium ligâsti.
Usuram petimúrque, reddimúsque.
Nam quod carmine pro tuo rependo,
Hoc centesima laudium tuarum est.
Quid primum venerer, colámque pro te?
Ni fallor, patriam, patrémque juxtá.
Qui quanquam sibi vindicare summum
Possit jure locum, tamen necesse est
Illam vincere, quæ parit parentes.

SAlve Narbo potens salubritate,
Urbe & rure simul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, tabernis,
Portis, proticibus, foro, theatro,
Delubris, capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.
Unus qui venerere jure divos,
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,
Spicis, palmite, pascuis, trapetis:
Solis fisse viris, nec expetito
Naturæ auxilio, procul relictis
Promens montibus altius cacumen.
Non te fossa patens, nec hispidarum
Objectu sudium coronat agger.
Non tu marmora, bracteam, vitrúmque:
Non testudinis Indicæ nitorem,
Non si quas eboris trabes, refractis
Rostris Marmarici dedere barri,
Figis mœnibus, aureásque portas
Exornas asaroticis lapillis:
Sed per semirutas superbus arces,
Ostendens veteris decus duelli,
Quassatos geris ictibus molares,
Laudandis pretiosior ruinis.
Sint urbes aliæ situ minaces,
Quas vires humiles per alta condunt,
Et per præcipites locata cristas
Nunquam mœnia cæsa glorientur.
Tu pulsate places, fidémque fortem
Oppugnatio passa publicavit.
Hinc te Martius ille rector, atque
Magno patre prior, decus Getarum,
Romanæ columen salúsque gentis,
Theudoricus amat: sibíque fidum
Adversos probat antè per tumultus.
Sed non hinc videare fortè turpis,
Quòd te machina crebra perforavit,
Namque in corpore fortium virorum
Laus est amplior, amplior cicatrix.
In castris Marathoniis merentem
Vulnus non habuisse, grande probrum est.
Inter Publicolas manu feroces,
Trunco Mutius eminet lacerto.
Vallum Cæsaris opprimente Magno,
Inter tot facies ab hoste tutas
Luscus Scæva fuit magìs decorus.
Laus est ardua dura sustinere.
Ignavis, timidis & improbatis
Multùm ringitur otiosa virtus.
Quid quòd Cæsaribus ferax creandis,
Felix prole, virum simul dedisti,
Natos cum genitore principantes?
Nam quis Persidis expeditionem,
Aut victricia castra præteribit
Cari principis, & perambulatum
Romanis legionibus Niphatem;
Tum, cùm fulmine captus Imperator
Vitam fulminibus parem peregit?
His tu civibus, urbe, rure pollens,
Consentî mihi gignis alme patrem,
Illum cui nitidi sales, rigórque
Romanus fuit Attico in lepore.
Hunc Milesius & Thales stupere
Auditum potuit, simúlque Lindi
Notus qui Cleobulus inter arces,
Et tu qui Periandre de Corintho es,
Et tu quem dederat Bias Priene,
Et tu Pittace Lesbius sophistes,
Et tu qui tetricis potens Athenis
Vincis Socraticas Solon palæstras,
Et tu Tyndareis satus Therapnis
Chilon legifero prior Lycurgo.
Non hic si voluit, vacante curâ,
Quis sit fideribus notare cursus,
Diversas Arato vias cucurrit.
Non hunc, cùm geometricas ad artes
Mentem composuit, sequi valebit
Euclides, spacium sciens olympi:
Non hunc, si voluit rotare rhythmos,
Quidquam proposito virum morari
Chrysippus potuisset ex acervo.
Hic cùm Amphionias studebat arti,

Plectro, pollice, voce, tibiisque,
Thrax vates, Deus Arcas, atque Phœbus,
Omni carmine posterant, & ipsas
Musas non ita musicas putares.
Hic si syrmate cultus & cothurno
Intrâsset semel Atticum theatrum,
Cessissent Sophocles, & Euripides.
Et si pulpita personare socco
Comœdus voluisset, huic levato
Palmam tu digito dares, Menander.
Hic cùm senipedem stylum polibat,
Smyrnææ incude doctus officinæ,
Aut cùm se historiæ dabat severæ
Primos vix poterant locos tueri
Torrens Herodotus, tonans Homerus.
Non isto potior fuisset olim,
Qui Pandionam movebat arte
Orator caveam tumultuosus,
Seu luscum raperetur in Philippum,
Causam seu Ctesiphontis æstuaret,
Vir semper popularitate crescens,
Et justè residens in arce fandi,
Qui fabro genitore procreatus,
Oris maluit expolire limam.
Quid vos eloquii canam Latini
Arpinas, Patavine, Mantuane?
Et te comica qui doces, Terenti?
Et te tempore qui satus severo
Graios Plaute sales lepore transis?
Et te multimodâ satis verendum
Scriptorum numerositate Varro?
Et te qui brevitate Crispe polles?
Et qui pro ingenio fluente nulli
Corneli Tacite es tacendus ori?
Et te Massilienstum per hortos
Sacri stipitis, Arbiter, colonum
Hellespontiaco parem Priapo?
Et te carmina per libidinosa
Notum Naso tener, Tomosque missum,
Quondam Cæsareæ nimis puellæ
Ficto nomine subditum Corinnæ.
Quid celsos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Hibericarum?
Quid quos duplicibus jugata tædis
Argentaria Polla dat poetas?
Quid multos varii styli retexam,
Arguti, teneri, gravis, dicacis?
Si Consentius affuit, latebant.
Huic summi ingenii viro, simúlque
Summæ nobilitatis atque formæ,
Juncta est fœmina, quæ domum ad mariti
Prisci insignia transferens Jovini,
Implevit trabeis larem sophistæ.
Sic intrà proprios tibi penates
Consenti, patriæ decus superbum,
Fastis vivit avus, patérque libris.
Hæc per stemmata te satis potentem,
Morum culmine sed potentiorem
Non possim meritâ sonare laude:
Nec si me Odrysio canens in antro,
Quà latè trepidantibus fluentis,
Cautes per Ciconum resultat Hebrus,
Princeps instituisset ille vatum,
Cùm dulces animata saxa chordæ
Ferrent per Rhodopen trahente cantu,
Et versâ vice fontibus ligatis
Terras currere cogerent anhelas.
Nec non Ismara solibus paterent,
Auritâ chelyn expetente sylvâ,
Et nulli resolubiles calori
Curvatâ ruerent nives ab Oetâ,
Stantem aut Strymona Bistones viderent,
Cùm carmen rapidus latex sitiret:
Nec si Peliaco datus bimembri
Ad Centaurica plectra constitisset
Hinnitum duplicis timens magistri:
Nec si me docuisset ille fari
Jussus pascere qui gregem est clientis
Amphrysi ad fluvium Deus bubulcus,
Qui ferrugineos Cyclopas arcu
Stravit, sub Liparensibus caminis,
Vibrans plùs grave fulmen in sagittâ.
Jam primo tenero calentem ab ortu
Excepere sinu novem sorores.
Et te de genitrice vagientem
Texerunt vitrei vado Hippocrenes:
Tunc hâc mersus aquâ loquacis undæ,
Pro fluctu magè literas bibisti,
Tunc tu jam puer aptior magistro,
Quicquid rhetoricæ institutionis,
Quicquid grammaticalis aut palæstræ est,
Sicut jam tener hauseras, vorâsti.
Et jam te aula tulit, pitísque princeps
Inter conspicuos statim locavit,
Consistoria quos habent, tribunos.
Namque & purpureus in arce regni
Præesse officiis tuis solebat,
Mores nobilitate quòd merebant.
Tantum culminis & decus stupendum
Scripti annalibus indicant honores.
Hinc tu militiam secutus amplam,
Castrensem licèt ampliare censum
Per suffragia justa debuisses,
Solennis tamen abstinens lucelli,
Famâ plùs locuples domum redisti,
Solum quod dederas tuum putando.
Tum si fortè fuit quod Imperator
Eous soceri venire in aures
Fido interprete vellet & perito,
Te commercia duplicis loquelæ
Doctum solvere protinus legebat.
O sodes, quotiens tibi loquenti
Byzantina sophos dedere regna?
Et te seu Latialiter sonantem
Tanquam Romuleâ satum suburrâ,
Seu linguæ Argolicæ rotunditate
Undantem, Marathone ceu creatum,
Plaudentes stupuere Bosphorani,
Mirati minùs Atticos alumnos?
Hinc si fœdera solverentur orbis
Pacem te medio darent feroces
Chunnus, Sauromates, Getes, Gelonus.
Tu Tuncrum, & Vachalim, Visurgin, Albin,
Francorum & penitissimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.
Tu Mæotida Caspiásque portas,
Tu fluxis equitata Bactra Parthis
Constans intrepidúsque sic adires,
Ut fastu posito tumentis aulæ,
Qui supra satrapas sedet tyrannus,
Ructans semideûm propinquitates,
Lunatum tibi flecteret tiaram.
Tu si publica fata non vetarent
Ut Byrsam peteres, vel Africanæ
Telluris Tanaiticum rebellem,
Confestim posito furore Martis,
Post Piratica damna destinaret
Plenas mercibus institor carinas:
Et per te bene pace restitutâ
Non ultrà mihi bella navigarent.
Jam si seria fortè terminantem
Te spectacula ceperant theatri,
Pallebat chorus omnis histrionum,
Tanquam si Arcitenens novémque Musæ
Propter pulpita judices sederent.
Coram te Caramallus aut Phabaton
Clausis faucibus, & loquente gestu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Toto in schemate vel semel latebit.
Sive Æetias & suus Jason
Inducuntur ibi, ferúsque Phasis,
Qui jactos super arva Colcha dentes
Expavit, fruticante cùm ducllo
Spicis spicula mixta fluctuarent:
Sive prandia quis refert Thyestæ,
Seu vestros Philomela torva planctus,
Discerptum aut puerum, cibúmque factum
Jam jam conjugis innocentioris:
Seu raptus Tyrios, Jovémque taurum
Spreto fulmine, fronte plùs timendum:
Seu turris Danaë refertur illic,
Cùm multùm pluvia rigata censu est,
Dans plùs aurea furta, quàm metalla.
Seu Ledam quis agit; Phrygémque ephebum
Aptans ad cyathos, facit tonanti
Succo nectaris esse dulciorem:

Seu Martem ſimulat modò in catenas
Miſſum Lemniacas, modò aut repulſo
Formam imponit apri, capútque ſetis
Et tergum aſperat, hiſpidiſſque malis
Læve incurvat ebur, vel ille fingit
Hirtam dorſa feram, repanda tela
Attritu aſſiduo cacuminantem:
Seu Perſeïa virgo vindicata
Illìc luditur harpe conjugali:
Seu quod carminis atque fabularum
Clauſa ad Pergama dat biluſtre bellum.
Quid dicam cithariſtrias, choraules,
Mimos, ſchœnobatas, gelaſianos,
Cannas, plectra, jocos, palen, rudentem,
Coram te trepidanter explicare?
Nam Circenſibus ipſe quanta ludis
Victor geſſeris intonante Româ,
Lætam par fuit exarare Muſam.
Janus fortè ſuas bifrons Calendas,
Anni tempora circinante Phœbo,
Sumendas referebat ad curules.
Mos eſt Cæſaris, hìc die bis uno,
(Privatos vocitant) parare ludos.
Tunc cœtus juvenum ſed aulicorum
Elæi ſimulacra torva campi
Exercet ſpaciantibus quadrigis.
Et jam te urna petit, ciétque raucæ
Acclamatio ſibilans corona.
Tum quà eſt janua, conſulúmque ſedes,
Ambit quam paries utrinque ſenis
Cryptis, carceribúſque fornicatus,
Uno è quatuor axe fortè lecto,
Curvas ingrederis premens habenas.
Id collega tuus, ſimúlque vobis
Pars adverſa facit. micant colores,
Albus, vel Venetus, virens, rubénſque:
Veſtra inſignia, continent miniſtri
Ora & lora manus, jubáſque tortas
Cogunt flexilibus latere nodis,
Hortantúrque obiter, juvántque blandis
Ultro plauſibus, & voluptuoſum
Dictant quadrupedantibus furorem.
Illi ad clauſtra fremunt, repaguliſque
Incumbunt ſimul, ac per obſeratas
Transfumant tabulas, & ante curſum
Campus flatibus occupatur abſens.
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardeſcunt, ſaliunt, timent, timentur,
Nec greſſum cohibent, ſed inquieto
Duratum pede ſtipitem flagellant.
Tandem murmure buccinæ ſtrepentis,
Suſpenſas tubicen vocans quadrigas,
Effundit celeres in arva currus.
Non ſic fulminis impetus triſulci,
Non pulſa Scythico ſagitta nervo,
Non ſulcus rapidè cadentis aſtri,
Non fundis balearibus rotata
Unquam ſic liquidos poli meatus
Rupit plumbea glandium procella.
Cedit terra rotis, & orbitarum
Moto pulvere ſordidatur aër.
Inſtant verberibus ſimul regentes,
Jámque & pectora prona de covinno
Extenſi rapiuntur, & jugales
Trans armos feriunt, vacante tergo;
Nec cernas citò, cernuos magiſtros
Temones magè ſufferant, an axes.
Jam vos ex oculis velut volantes,
Conſumpto ſpacio patentiore,
Campus clauſerat arctus arte factus,
Per quem longa humilem duplámque muro
Euripus ſibi machinam tetendit.
Ut meta ulterior remiſit omnes,
Fit collega tuus prior duobus,
Qui te tranſierant. ita ipſe quartos
Gyri conditione tum ſuiſti.
Curæ eſt id mediis, ut ille primus
Preſſus dexteriore concitatu,
Partem ſi patefecerit ſiniſtram,
Totas ad podium ferens habenas,
Curru prætereatur intus acto.
Tu conamine duplicatus ipſo
Stringis quadrijugos, & arte ſummâ
In gyrum bene ſeptimum reſervas.
Inſtabant alii manu atque voce,
Paſſim & deciduis in arva guttis
Rectorum alipedúmque ſudor ibat.
Raucus corda ferit fragor faventum,
Atque ipſis pariter viris equiſque
Fit curſu calor, & timore frigus.
Itur hic ſemel, itur & ſecundò,
Eſt ſic tertius atque quartus orbis:
Quinto circite, non valens ſequentum
Pondus ferre prior, retorquet axem:
Quòd velocibus imperans quadrigis,
Exhauſtos ſibi ſenſerat jugales.
Jam ſexto reditu perexplicato,
Jámque & præmia flagitante vulgo,
Pars contraria nil timens tuam vim
Securas prior orbitas terebat;
Tenſis cùm ſubito ſinu lupatis,
Tenſis pectoribus, pede antè fixo,
Quantùm auriga ſuos ſotebat ille
Raptans Oenomaum tremente Piſâ,
Tantùm tu rapidos teris jugales.
Hìc compendia flexuoſa metæ
Unus dum premit, incitatus à te
Elatas ſemel impetu quadrigas
Junctо non valuit plicare gyro:
Quem tu, quòd ſinè lege præteriret,
Tranſiſti remanens, ab arte reſtans.
Alter dum popularitate gaudet,
Dexter ſub cuneis nimis cucurrit.
Hunc, dum obliquat iter, diſúque lentus
Sero cornipedes citat flagello,
Tortum tramite tranſis ipſe recto.
Hìc te incautiùs aſſecutus hoſtis,
Sperans anticipâſſe jam priorem,
Tranſverſum venit impudens in axem.
Incurvantur equi, proterva crurum
Intrat turba rotas, quatérque terni
Arctantur radii, repleta donec
Intervalla crepent, volubiliſque
Frangat margo pedes. ibi ipſe quintus
Curru præcipitatus obruente,
Montem multiplici facit ruinâ,
Turpans prociduam cruore frontem.
Miſcet cuncta fragor reſuſcitatus,
Quantum non Cyparifſifer Lycæus,
Quantum non nemoroſa tollit Oſſa,
Crebras inrequieta per procellas:
Quantum nec reboant volutæ ab auſtro
Doris, Trinacris, aut voraginoſo
Quæ vallat ſale Boſphorum Propontis.
Hìc mox præcipit æquus Imperator,
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari,
Victis ire jubens, ſatis pudendis,
Villis verticoloribus tapetas.
Jam verò juvenalibus peractis,
Quem te præbueris ſequente in ævo,
Intrà aulam ſoceri mei expetitus,
Curam cùm moderatus es palati,
Chartis poſterioribus loquemur,
Si plus temporibus vacat futuris.
Nunc quam diximus hoſpitalitatem,
Paucis perſonet obſequens Thalia.
O dulcis domus, ô pii penates!
Quos res difficilis ſibíque diſcors
Libertas ſimul excolit pudórque.
O convivia, fabulæ, libelli,
Riſus, ſerietas, dicacitates,
Occurſus, comitatus unus idem!
Seu delubra Dei colenda nobis,
Sive ad pontificem gradus ferendi,
Sive ad culmina Martii Myronis,
Tecta illuſtria ſeu videnda Livî.
Sive ad doctiloqui Leonis ædes,
Quo bis ſex tabulas docente juris
Ultro Claudius Appius lateret
Claro obſcurior in decemviratu:
Ac ſi dicat epos, metrúmque rhythmis
Flectat commaticis, tonante plectro,
Mordacem faciat ſilere Flaccum;
Quamvis poſt Satyras lyrámque tendat
Ille ad Pindaricum volare cycnum.
Seu nos Magne tuus favor tenebat,
Multis prædite dotibus virorum,

Formi-

Digitized b

Formâ, nobilitate, mente, cenſu;
Cujus ſi varios eam per actus,
Centum & ferrea laſſet ora laude:
Conſtans, ingenioſus, efficáxque,
Prudens arbiter, optimus propinquus,
Nil fraudans geni ſibi, vel ulli,
Perſonas, loca, tempus intuendo.
Seu nos atria veſtra continebant,
Marcelline meus, perite legum;
Qui verax nimis & nimis ſeverus,
Aſper crederis eſſe neſcienti.
At ſi te bene quiſpiam probavit,
Noſcit quid velit ipſe judicare;
Nam nunquam metuis loqui quod æquum eſt.
Si te Sylla premat, ferúſque Carbo,
Si triſtes Marii, trucéſque Cinnæ,
Et ſi fortè tuum caput, latúſque
Circunſtent gladii triumvirales,
Seu nos Limpidii lares habebant
Civis magnifici, virſque ſummi,
Fraternam bene regulam ſequentis.
Seu nos eximii ſimul tenebat
Nectens officiolitas Marini,
Cujus ſedulitas ſodalitáſque
Æternâ mihi laude ſunt colendæ.
Seu quoſcunque alios videre fratres
Cordi utrique fuit, quibus vacâſſe
Laudandam reor occupationem.
Horum nomina cùm reterre verſu
Affectus cupiat, metrum recuſat.
Hinc nos ad propriam domum vocabas,
Cùm manè exierat novum, & caleſcens
Horam ſol dabat alteram ſecundam.
Hîc promens teretes pilas, trochóſque,
Hîc talos crepitantibus fritillis,
Nos ad verbera tractuum ſtruentes,
Tanquam Naupliades repertor artis,
Gaudebas hilarem ciere rixam.
Hinc ad balnea non Neroniana,
Nec quæ Agrippa dedit, vel ille cujus
Buſtum Dalmaticæ vident Salonæ;
Ad thermas tamen ire ſed libebat,
Privato bene præbitas pudori.
Poſt quas nos tua pocula, & tuarum
Muſarum medius torus tenebat:
Quales nec ſtatuas, imaginéſque,
Ære, aut marmoribus, coloribúſque,
Mentor, Praxiteles, Scopas dederunt;
Quantas nec Polycletus ipſe finxit,
Nec ſit Phidiaco figura cælo.
Sed jam te veniam loquacitati
Quingenti hendecaſyllabi precantur.
Tantum, & ſi placeat poëma, longum eſt.
Jam jam ſufficit, ipſe & impediris,
Multum in carmine perlegens amicum
Dormitantibus ocioſiorem.

CARMEN XXIV.

Propempticon ad Libellum.

EGreſſus foribus meis libelle,
Hanc ſervare viam precor memento,
Quæ noſtros bene ducit ad ſodales,
Quorum nomina ſedulus notavi.
Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per ſpacium ſatìs vetuſtis
Nomen Cæſareum viret columnis.
Sed ſenſim gradere, ut moras habendo
Affectum celerem noves amicis.
Ac primùm Domiti larem Severi
Intrabis, trepidantibus camœnis;
Tam Cenſorius haud fuit vel ille
Quem riſiſſe ſemel ferunt in ævo.
Sed gaudere potes rigore docto.
Hic ſi te probat, omnibus placebis.
Hinc te ſuſcipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet oſſa Juliani;
Quæ dum mortua mortuis putantur,
Vivens è tumulo micat poteſtas.
Hinc jam dexteriora carpis arva,
Emenſúſque jugum die ſub uno,
Flavum craſtinus aſpicis Triobrem.
Tum terram Gabalum ſatìs nivoſam:
Et quantum indigenæ volunt putari,
Sublimem in puteo videbis urbem.
Hinc te temporis ad mei Laconas
Juſtinum rapies, ſuúmque fratrem,
Quorum notus amor per orbis oras
Calcat Pirithoúmque Theſeúmque,
Et fidum rabidi ſodalem Oreſtæ.
Horum cùm fueris ſinu receptus,
Ibis Trevidon, & calumnioſis
Vicinum nimis heu jugum Rutenis!
Hîc docti invenies patrem Tonanti,
Rectorem columénque Galliarum,
Priſci Ferreolum parem Syagri,
Conjunx Papianilla quem pudico
Curas participans juvat labore;
Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa
Quam tu Tricipitine procreâſti,
Qualis nec Phrygiæ dicata Veſtæ,
Quæ contra ſatis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.
Hinc te Leſora Caucaſum Scytharum
Vincens aſpiciet, citúſque Tarnis,
Limoſum & ſolido ſapore preſſum,
Piſcem perſpicuâ gerens in undâ.
Hîc Zeti & Calais tibi adde pennas:
Nimboſúmque jugum fugax caveto:
Namque eſt aſſiduæ ferax procellæ.
Sed quamvis rapido ferare curſu,
Laſſum te Voroangus obtinebit.
Noſtrum hìc invenies Apollinarem,
Seu contra rabidi leonis æſtus
Veſtit frigore marmorum penates:
Sive hortis ſpatiatur in repoſtis,
Quales nielliferâ virent in Hybla:
Quales Coricium ſenem beantes
Fuſcabat picei latex Galeſi:
Sive inter violas, thymum, liguſtrum,
Serpyllum, caſiam, crocum atque caltham,
Narciſſos hyacinthinóſque flores
Sperait, quam pretii petitor ampli
Glebam Thurifer advehit Sabæus.
Seu fiſto potiùs ſpecu quieſcit,
Collis margine quà nemus reflexum
Nativam dare porticum laborans,
Non lucum arboribus facit, ſed antrum.
Quis pomaria priſca regis Indi
Hîc nunc comparet, aureáſque vites,
Electro viridante pampinatas,
Cùm Porus poſuit crepante gazâ
Fulvo ex palmite vineam metalli,
Gemmarum fluitantibus racemis?
Hinc tu Cottion ibis, atque Avito
Noſtro dicis, ave: dehinc valeto.
Debes obſequium viro perenne.
Nam dent hinc veniam mei propinqui,
Non nobis prior eſt parens amico.
Hinc jam te Fidulus decus bonorum,
Et nec Tetradio ſatìs ſecundus,
Morum dotibus aut tenore recti,
Sanctâ ſuſcipit hoſpitalitate.
Exin tende gradum, Tribúſque Villis
Thaumaſtum expete, quemlibet duorum:
Quorum junior eſt mihi ſodalis,
Et collega ſimul, gradúque frater.
Quòd ſi fors ſenior tibi invenitur,
Hunc pronus prope patruum ſalura.
Hinc ad conſulis ampla tecta Magni,
Felicémque tuum veni libelle.
Et te bibliotheca quæ paterna eſt,
Qualis nec tetrici fuit Philagri,
Admitti faciet Probus probatum.
Hîc ſæpe Eulaliæ meæ legeris,
Cujus Cecropiæ pares Minervæ
Mores, & rigidi ſenes, & ipſe
Quondam purpureus ſocer timebant.
Sed jam ſufficit, ecce, linque portum,
Ne te pondere plùs premam ſaburræ,
His in verſibus anchoram levato.

MAR-

Digitized by Google

MARTIANI MINEI FELICIS CAPELLÆ AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

Nuptiis Philologiæ & Mercurii.

JOH. ALB. FABRICIUS IN BIBLIOTH. LAT.

MARTIANUS MINEUS FELIX CAPELLA, Vir Proconſularis, fuit patriâ, ut Caſſiodori teſtimonio conſtat, Madaurenſis; etſi in Libri ultimi extremo ipſe prædicat ſe urbis Eliſæ alumnum, unde eum Carthagine educatum fuiſſe cognoſcimus. Scripſit Romæ, ut par eſt credere, temporibus Leonis Thracis, cùm jam ipſe ætate provectus eſſet. Sed ſcripſit, ut eſt mos Afrorum, dictione aſperâ, ſemibarbarâ quandoque & difficili, Satyram, proſâ oratione, interjectis paſſim varii metri carminibus, quod ſcribendi genus longè feliciùs poſtea imitatus eſt Boethius, etſi in Martiano quoque doctrinæ & ingenii veſtigia non proletaria offendantur. Satyra Capellæ novem Libris abſolvitur, quorum duo priores continent delectabilem fabulam de nuptiis Philologiæ & Mercurii; reliqui ſeptem, ſinguli ſingularum artium liberalium laudes ac præcepta complectuntur.

Voſſius in Lib. de Poet. Lat. ſcribit Capellam Mauritii temporibus, vel circiter, paulò ante tempora Cæſaris Heraclii vixiſſe.

LIBER PRIMUS.

TU, quem Pſallentem thalamis, quem matre Camœnâ
Progenitum perhibent copula ſacra deûm:
Semina qui arcanis ſtringens pugnantia vinclis,
Complexúque ſacro diſſona nexa foves:
Namque elementa ligas vicibus, mundúmque maritas:
Atque auram mentis corporibus ſocias:
Fœdere complacito, ſub quo natura jugatur
Sexus concilians, & ſub amore fidem.
O Hymenæe decens, Cypridis qui maxima cura es:
Hinc tibi nam flagrans ore cupido micat.
Seu tibi quòd Bacchus pater eſt, placuiſſe choreas,
Cantare ad thalamos ſeu genitricis habes:
Comere verniferis florentia limina ſertis,
Seu conſanguineo gratia trina dedit.
Connubium divûm componens Calliopea
Carminis auſpicio te probat annuere.

Orſus eſt Phœbus.

ANxia cùm trepidis natat ſententia rebus,
Fluctuat incertis aut ſors ignota futuris,
Conſultet mortale genus, quódque indaga veri
Cura facit dubium, vel ſpes incerta fatigat.
At præſcire Deis vacuum eſt, cunctatio nulla eſt,
Quod ſuperi voluere, licet de pectore fixis
Præoptare caret, ſi quod placet, atque neceſſe eſt.
Sed tibi quod nondum venit menſura voluntas:
Conſilium vis ferre meum, ſic ſemper ab omni
Velle capis ſocium, faciunt atque addita mentem.
Eſt igitur priſci generis doctiſſima virgo
Conſcia Parnaſo, cui fulgent ſydera cœtu,
Cui nec tartareos clauſtra occultare receſſus,
Nec Jovis arbitrium rutilantia fulmina poſſunt,
Fluctigena ſpectans quali ſub gurgite Nereus:
Quæque tuos nôrit fratrum per regna recurſus
Pervigil in modico penetrans arcana labore,
Quæ poſſit doctâ totum prævertere curâ,
Quod ſuperis præſcire datum, quin crebrius in nos
Jus habet illa deos urgens injuſſa cõactos.
Et quod nulla queat ſuperûm tentare poteſtas:
Invito ſcit poſſe Jove, ut ſtent ardua magno.
Alterutrum cumulat parilem meruiſſe jugalem.

Reſpondit Maiugena.

CErtum eſt lauripotens, decúſque divûm
Noſtrum ex contiguis venire pectus,
Et quicquid ſocium ciere numen
Junctus compererim probare rerum.
Sed nunquam magè velle diſparamus:
Et ſit collibitum manere juſſis,
Quàm cum Deliaco meare fatu
Curâ atque arbitrio monemur iſto.
Hunc quippe ambiguum netas putamus:
Et quæcunque fuit, perit voluntas,
Quocirca officio decentiore
Paret præcluibus libens profatis
Arcas in halamos venire juſſus.
Sed tu Delie, quo tonantis extet
Compar propoſitum, volénſque nutus,
Inſtes, nam ſolitus ciere pectus:
Et præverſa vigil monere ſenſa:
Illum contribuas manere juſſis:
Et cœptis ſacra fulſerit voluntas.

Phœbus fatur.

POſſem minore ambigens fiduciâ
Solum Tonantem pignoris pro fœdere
Pubeda vix dum vel paterna contremens
Præcepta adire, nî jugata cælitum
Omen pararent proſperum conſortia
Tabénſque divûm nunc moveret nexio:
Junone thalamos quis rogare conſciâ
Nolet deorum? cum futura pronuba
Eadem profectò quæque ſuffragabitur.
Jugalis ergo blanda nutus præſtruæ
Noſtriſque ſuada quo allubeſcat niſibus:
Te nunc parentem, principémque maximum
Fatúmque noſtrum, quippe Parcarum chorus
Humana penſat, túque ſortem cælitum:
Tuúmque velle eſt ante præſcientias:
Ac mente geſtas, quicquid inſtabit deis:

Cujuſ-

Digitized by

Cùjuſque nutu gignitur neceſſitas,
Futura cujus illigat decretio:
Inſtátque quicquid velle vel ferum potes.
Tene igitur illo quo benignus numine es
Depoſco cæli blanda temperatio:
Piúmque culmen jure qui divûm pater
Concede proli quo nepotum provehat
Numerum ſupernis, aſtra quem vibrant polis.
Maiæ tuúmque flagitat pignus ſacrum,
Thalamis jugetur virginis doctiſſimæ:
Sed te parentis cura ſi ſtringit pia:
Par eſt deorum convoces cœtum potens
Connubium ipſa ſanciens cum conjuge:
Quo prolis extent lege ſuperâ nuptiæ:
Perpéſque vinclum cælitum ſignet decor.
Tunc Jupiter cœpit:
Nî noſtra aſtrigeri nota benignitas
Conferre arbitrium cogeret intimum:
Et quicquid tacito velle fuit ſatis
Id terre in medium collibitum foret:
Poſſem certa meis promere ductibus.
Nec quiſquam illicitis tollere niſibus
Concertans cuperet juſſa Deûm patris.
Sed triſtis meliùs cenſio clauditur:
Atque infanda premit ſenſa ſilentium:
Ne vulgata ciant corda doloribus.
At cùm tata patrem promere gaudia;
Et certo deceat fœdere pignora
Palàm perpetuis jungere nutibus,
Caſſum eſt nolle loqui ſenſa decentia.
Vobiſcum ergo dî grata propinquitas
Conferre ſtudium eſt vota propaginis.
Æquum quippe puto fœdere cælitum
Quæ ſectanda forent orſa probarier.
Noſtri Maiugenam pignoris inclyti
In noſtris meritò degere ſenſibus:
Quæ nec fruſtra mihi eſt inſita charitas:
Ut ſuevit patria ſtringere pectora.
Nam noſtra ille, fides, ſermo, benignitas,
Ac verus Genius fida recurſio;
Interpréſque meæ mentis honos ſacer.
Hic ſolus numerum promere cælitum,
Hic vibrata poteſt noſcere ſydera.
Quæ menſura polis, quanta profunditas,
Qualis ſit numerus Marmoris hauſtibus:
Et quantos rapiat margine cardines.
Quæque elementa liget diſſona nexio:
Pérque hunc ipſe pater fœdera ſanctio.
Sed forſan pietas ſola recenſeat,
Quæ parens probitas munera penſitet,
Qui Phœbi antevolans ſæpe jugalibus
In ſortem famuli nónne relabitur?
Hic quoque ſic patruis ſervit honoribus:
Ut dubium proprium quis magè vendicet
Illum connubio rite jugarier:
Suadentem meritis ſæcla laboribus:
Et robur thalamo flagitat additum.
At Virgo placuit docta quidem nimis
Et compar ſtudio. Sed cui terreus
Ortus propoſitum in ſydera tendere
Plerumque & rapidis prævolat axibus:
Ac mundi exuperat ſæpe means globum.
Cunæ ergo officiant quo nihil editæ
Cenſendum ſuperi: quíque crepundia
Terris recolitis veſtra tenerier:
Quæ occultant adytis ſacra latentibus
Jungantur paribus; nam decet auſpicis;
Et noſtris cumulent aſtra nepotibus.

LIBER SECUNDUS.

SED purum aſtrificis cælum ſcandebat habenis.
Nox revocans merſo fulgentia ſydera Phœbo:
Ardua tunc ſenior ſuccendit plauſtra Bootes,
Et ſpiris torvo nituerunt aſtra Draconi.
Auratis etiam flagrans ſplendebat in armis,
Qui trahit æſtifero fulgentem Sirion ortu.
Hoc quoque Nyſiacis quod ſparſum floribus ardet,
Multiplici ambitum redimitur lumine ſertum.
Virginis interea ad trepidas perlabitur aures
Fama Jovis magno dum complet tecta boatu.

ET jam tunc roſeo ſubtexere ſydera peplo
Cœperat Ambroſium promens aurora pudorem:
Cùm creperum lux alma micat gemmata decore:
Cùm nitet aurato ſit & cùm Phoſphorus aſtro,
Tunc candens tenero glaciatur rore pruina:
Et matutina greges quatiunt in paſcua caulas,
Languida mordaces cùm pulſant pectora curæ:
Et fugit expulſus Lethea ad littora ſomnus.

Muſarum Chorus.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.]

Tunc Urania cæteris paululum reticentibus ſic cœpit.

SYdereos cœtus & culmina ſacra polorum
Nil jam conjiciens numine ſiſa vide.
Olim diſquirens nexos quid torqueat orbes:
Nunc præſul cauſas raptibus ipſa dabis.
Quæ circos textura liget, quæ nexio claudat:
Ambiat & quantos orbita curva globos.
Sydereos curſus quid cogat, quídve retardet,
Quis lunam flammet, vel minuat radius.
Qui cælum ſtellet fomes, & quanta revolvat.
Quæ ſit cura dies, vel modus aſpicies.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Tunc Calliope.

SEmper complacitis amica muſis:
Cui Magneſia poculum fluenta,
Et fons Gorgonei tulit caballi.
Vertex Aonidum virens choraulis
Cui frondet violas parante Cyrrha
Tu vatum mela dulcibus camœnis
Et ſcis Pindaream chelim referre.
Te dictante fides ſacrúmque plectrum
Movit Threïcium ſonare carmen.
O lux noſtra ſacros probare cantus
Sueſce, atque organicis beare circis.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Ac ſic Polymnia.

TAndem laboris fructus æthram fulgidam
Divúmque ſedes, ac Jovis conſortia.
Provecta carpis inclytóque numine,
Cruenta dudum quæ jugare rhythmica
Ac diſpari mixtâ ſueta regulâ,
Mox quid jacente, quid jugata linea
Trigonus recurvet, circulúſque torqueat,
Melos probare, ac tonos & cruſmata.
Artéſque cunctas ſolita, quæque cælitum
Poſſunt parare mente ad alta culmina.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Tunc Melpomene.

SUeta cothurnatos ſcenis depromere cantus,
Soccúmque ferre comicum.
Et reboare tuâ tulimus quæ carmina curâ
Mele favente rhythmico:
Nunc tibi Virgo cano ſpes atque aſſertio noſtri,
Tenore verſa carminis.
Nam thalamum redimire juvat, tu ſerta probato
Tuis placere ritibus.
Digna maritali ſemper videaris olympo:
Decentiórque cælitum.

Scande

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Ac ſic Clio.

TU quæ Rhetorico clangere fyrmate:
Atque reum rabido abſolvere pectore
Quæ nunc ſenſa ligans horrida nexibus:
Soritas cumuli acceſſibus aggerans.
Nunc quid grammatica ſtringere regula:
Quid fandi ambiguis conterat ordinem.
Solers docticanis ludere ſenſibus:
Nunc ſtellata poli conſpice limina:
Et candore ſacro ætheris utere:
Quem verò precium eſt noſcere lumine.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Mox Erato.

CAput artibus inclyta Virgo,
Cui panditur aula Tonantis:
Meritò tibi ſubditur Orbis
Rationibus antè repertus:
Sacra fulgura cur rutileſcant:
Fragor intonet unde reſultans:
Quid agat per aperta madorem
Modò nubibus imbrificatis.
Quid euntibus agmine nimbis
Revocet nitidiſſima verna,
Rotet omnia circulus anni
Properantia claudere ſæcla.
Quid habent rationis operta
Canimus tibi cognita ſoli.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Ac tunc Terpſichore.

LÆta honoris meritis aſtra Virgo conſpicis,
Hoc tibi ſollers parit ingenium labóſque:
Iſta peritis tribuit cura vigil lucernis.
Perdia pernóxque ſacris namque onerata chartis
Quicquid agentes ſtoaci præſcia dant futuris
Semper anhelis docilis fomitibus tuliſti.
Nam Sabæorum rapidis quid vapor edat aris.
Fumida quid thuricremis aura paret favillis
Omnia vel certa ferant vocibus auguratis
Intrepidis nec dubitans fatibus antevortis.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Debinc Enterpe.

VIrgo peritæ prævia ſortis:
Quæ potuiſti ſcandere cælum:
Sacráque caſtis dogmata ferre:
Noſcere ſemet quis valuere,
Quíque videntes lumine claro
Numina fati & geniorum
Cernere vultus.
Quæque Platonis, Pythagoræque
Eſſe dediſti ſydera mentes:
Túque caducis mortalibúſque
Nube remotâ cernere juſti
Numina cæli.
Jure ſenatum ſcande tonantis:
Quam decet unam Mercuriali
Fœdere jungi.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere:
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Deinde Thalia.

BEata Virgo tantis
Quæ ſyderum choreis
Thalamum capis jugalem,
Ac ſic favente mundo
Nurus adderis tonanti:
At cujus eſſe divi
Tibi contigit maritam?
Ejus meante pennâ
Qui ſolus aſtra mundi
Prætervolans perrexit
Rapidis vigil procellis:
Qui cùm ſuperna tranat
Freta, tartarum recurrit,
Qui ſolus ante currum
Et candidos jugales
Altipotens parentis
Memorem ciere virgam
Qui fata ſuccidentis
Separat libens Oſiris
Sationibus gravari
Genitalibus repertis,
Quem ſcit pater deorum:
Cui lacteam papillam
Gaudens dedit Noverca:
Cujus vigente virgâ
Dirum ſtupet venenum:
Cui virus omne ſanti
Orbem facit gemellum,
Eſt doctus ille divûm:
Sed doctior puella:
Nunc nunc beantur artes:
Quas ſic ſacratis ambo
Ut dent meare cœlo,
Referent caducis aſtra:
Ac lucidam uſque ad æthram
Pia ſubvolare vota:
Per vos vigil decénſque
Nus mentis ima complet:
Per vos probata lingua
Fert glorias per ævum:
Vos diſciplinas omneis
Ac nos ſacrate Muſas.

Philologia Deum deprecatur.

IGnoti vis celſa patris, vel prima propago,
Fomes ſenſificus, mentis fons, lucis origo,
Regnum naturæ decus, atque aſſertio Divûm:
Mundantúſque oculus, fulgor ſplendentis Olympi,
Ultramundanum fas eſt cui cernere patrem:
Et magnum ſpectare Deum, cui circulus Æthræ
Paret, & immenſis moderaris raptibus orbes.
Nam medium tu curris iter, dans ſolus amicam
Temperiem ſuperis, compellens, atque coërcens
Sydera ſacra Deûm, cùm legem curſibus addis.
Hinc eſt quòd quarto jus eſt decurrere circo:
Ut tibi perfectâ numerus ratione probetur:
Nónne hâc principio geminum tu das tetrachordon?
Solem te Latium vocitat, quòd ſolus honore
Poſt patrem iis lucis apex, radiſſque ſacrarum
Bis ſenis perhibent caput aurea lumina ferre:
Quod totidem menſes, totidem quòd conficis horas,
Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis.
Quòd ſolus domites, quam dant elementa quadrigam:
Nam tenebras prohibens, retegis quod cærula lucet.
Hinc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri.
Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa, & Iſeum
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.
Diſſona ſacra Mitram Ditémque ferúmque Typhonem,
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.
Salve vera deûm facies, vultúſque paternæ
Octo & ſexcentis numeris, cui littera trina
Conformat ſacrum nomen, cognomen, & omen.
Da pater æthereos mentis conſcendere cœtus:
Aſtrigerúmque ſacro ſub nomine noſcere cælum.
Augeat hæc pater inſignis memorandus ubique.

TRanſcurſa lector parte magnâ fabula:
Quæ tam morolis implicata ductibus

Tenui

Tenui lucernam palpitare lumine
Coëgit inſtans innitens crepuſculum:
Ac ni roſetis purpuraret culmina
Aurora primo convenuſtans habitu
Surgens feneſtras diſſecaret lumine:
Adhuc jugata compararet pagina
Quocunque ducta longiorem circulum.
Nunc ergo mythos terminatur, inſunt
Artes libelli qui ſequentes aſſerent.
Nam fruge verâ omne fictum dimovent:
Et diſciplinas annotabunt ſobrias
Pro parte multâ, nec vetabunt ludicra.
Habes quid inſtet, ſi poteſtas cœlitum
Faveántque Muſæ, & Chelis Latoïa.

LIBER III.

DE ARTE GRAMMATICA.

RUrſum camœna parvo
Phaleras parat libello:
Et vult amica fictis
Commenta ferre primùm:
Memorans frigente vero
Nil poſſe comere uſum:
Vitióque dat poëtæ,
Infracta ferre certa:
Laſciva dans lepori:
Et paginam venuſtans
Multo illitam colore.
At quin prioris ille
Titulus monet libelli
Mythos ab ore pulſans:
Artéſque vera fantes
Voluminum ſequentium
Præcepta comparare.
Adhæc jocante ſictu:
Nil mentiamur, inquit:
Et veſtiantur artes.
An tu gregem ſororum
Nondum dabis jugandis.
Et ſic petent notandis
In cœlitum ſenatum:
Aut ſi tacere cultum
Placet ordo quis probatur,
Certè loquentur illæ,
Quicquid erat docendum:
Habitúſque conſequentur
Aſomato in profatu.
Hæc nempe ficta vox eſt,
Et devius promiſſi es:
Cur ergo non fateris
Ni figminis figurâ
Nil poſſe comparari?
His me camœna vicit:
Fugis, jugabo ludum.

Præſtricta eſt curſim rationis regula prima:
Quæ multis tendi ſueta voluminibus.
In quâ junctûris quid nectat litera utriſque:
Quo admittat ſociam, vel faciat latere.
Quæ quo tranſiliat converſis legibus uſu:
Et transformatum nomen habere velit.
Quas oris ſonitus, vel quas modulatio linguæ
Gignant, & pulſu rupta labella ſuo.
Nunc jam compactis curſanda eſt ſyllaba formis:
Ut faſtigetur longa, breviſque fuat.
Hæc duo percurram, junctûras litera quippe
Præveniens docuit ſub ratione pari.
Hoc igitur ſubdens nectendum concipit ordo,
Si veſtrum ſuperi comprobat arbitrium.

Expleta curſim ſyllabarum pagina eſt.
Juganda demum verba, nam probabilis
Hic ordo rebus: quiſque diſgregabitur
In bina demum: prima nam proportio
Dicenda eſt, Graii Analogiam quam vocant:
Ac mox repulsâ quæ novantur regulâ
Vulgò docti quæque Anomala nominant.
Bis quarta fandi quis paratur portio:

Vel vulneratur ductus oris integer.
Quantúmque ſolo inditum libellulo,
Poteſt probare ſerium faſtidium.

LIBER IV.

DE DIALECTICA.

HÆC quoque contortis ſtringens effamina nodis,
Quâ ſinè nil ſequitur, niſque repugnat item.
In cœtum ſuperum veniens primordia fandi
Advenit, & ſcholicum præſtruit Axioma.
Ambiguis memorans vocem conſiſtere verſus,
Nil normale putans, ni ſuat aſſocium.
Sed licèt ipſe modos demum bis quinque profatus,
Pallens afflictim verſet Ariſtoteles:
Stoica circumeant: ludántque Sophiſmata ſenſus:
Perdita nec unquam cornua fronte ferant.
Chryſippus cumulet, proprium conſumat acervum,
Carneadéſque parem vim gerat helleboro.
Nullus apex tot prole virûm par accidit unquam:
Nec tibi tam felix ſortis honos cecidit.
Inter templa deûm fas eſt Dialectica fari:
Et Jove conſpecto jure docentis agis.

Pallas intervenit.

PErita fandi jam progreſſum comprime:
Ne inflexa tortos ſtringat intimatio:
Et multinodos perpetui amfractus diu
Hymen recuſet; editum eſt compendio
Quicquid decenter docta diſputatio
Multo aſtruendum contulit volumine.
Sat eſt profundæ frons decens ſcientiæ,
Quæ abſtruſa promit, nil moroſum differens,
Prætervolando, niſque ignotum deſerens:
Nam quæ ſuperſunt fraude multâ conſita,
Quis falſa captos circuit deceptio:
Dum ambage ficta præſtruis ſophiſmata
Captenſuliſve ludis illigantibus,
Pellex foritas cúmque ſenſim congeris:
Formáſve mendas comprobat quas veritas:
Nefas tonantis garriat ſub auribus
Facinúſque dirum; quippe ſummi cœlites
Odere turpis omne falſum fœminæ:
Nam ſi revolvas, quid cavillâ ſevius?
Dudum locuta circulatrix indecens,
Fies profectò decipula, ſi aſtruxeris.
Faceſſat ergo verſilis profunditas:
Reliquúmque tempus linqueris ſororibus.

Dialectica reſpondit.

VEnerándos mihi ſatus, reverendóſque ſecuta
Referam juſſa pedem, atque ilicet exorſa ſilebunt
Licet unam decuit juſſæ permittere culpam,
Ut honoris precio cederet inferre relatus,
Populum cecropidarum bene quo palliatarum
Bromius conciperet contumias nôſſe dolore,
Magè quàm crediderat vipéream noſcere poſſet.
Et iners Marſica dudum fieret præſtigiatrix:
Neque me conſpiceret ſomnificam vel temulentam
Loca paſſim blaterantem joviálibus ſuborſis,
Tamen uni famulandum eſt tibi Virgo, reticemus.

LIBER V.

DE RHETORICA.

INterea ſonuere tubæ, rauciſque per æthram
Cantus, & ignoto cœlum clangore remugit.
Turbati expavere Dei, vulgúſque minorum
Cœlicolûm trepidat, cauſarum & neſcia corda
Hærent, & veteris renovantur crimina Phlegræ.
Tunc Amnes, Fauníque, Pales, Ephialta, Napeæ,
Reſpectant proceres, nullóque aſſurgere motu
Cernunt attoniti, vicibúſque alterna profantes,
Mirantur placidam per pectora ſacra quietem.
Tunc primùm poſitâ Sylvanus fortè cupreſſo
Percitus, ac trepidans dextram tendebat inermem:
Belláque compoſcens, arcus, atque Herculis arma,
Portuni trifidam ſuſpirans flagitat haſtam,

Digitized by Google

Gradivi frameam non ausus poscere, falcem
Saturni bello suetus disquirit agresti,
Diffidénsque sui respectat tela Tonantis.

Tandem loquacis terminata paginæ,
Asserta cursim, quæ tamen voluminis
Vix umbilicum multa opertum fascia
Turgore pinguis insuit rubellulum.
Quòd si probatur, & caret fastidio
Nonnulla promet, quæ novella texuit,
Deditáque fient, quæ vetustas præterit.
Sin fauna typhi naris imum torseris:
Pigebit arma horruisse Cælites:
Formidinísque tunc locus movebitur
Sylvane falcem cùm petis Saturniam.
At tu reclamans Rhetorum sacrûm tuba
Clangore verso Tulliana percrepans
In castra abibis, quò nec osor invidens
Nec livor ater te sequatur præcisem.

LIBER VI.

DE GEOMETRIA.

VIrgo armata, decens rerum sapientia, Pallas,
Ætherius fomes, mens, & sollertia Fati,
Ingenium mundi, prudentia sacra Tonantis:
Ardor doctificus, nostræque industria sortis:
Quæ facis arbitrium sapientis prævia curæ:
Ac rationis apex, divûmque hominúmque sacer νοῦς
Ultra terga means rapidi ac splendentis Olympi:
Celsior una Jove, flammantis circulus æthræ,
Ἕπτὰς in numeris, prior igni, tertia luna,
Quam docto assimilant habitu, qui agalmata firmant.
Hinc nam tergeminæ rutilant de vertice cristæ:
Quòd dux sanguíneo, præfulque coruscа duello:
Vel tibi quòd fulget, rapitúrque triangulus ignis.
Hinc tibi dant clypeum, sapientia quòd regat orbem:
Vel rationis opem quòd spumea præsla poscant.
Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen:
Lymphaseum magìs est, & scutum circulus ambit.
Hinc jam vernicomæ frondent tibi munera olivæ:
Artes cura vigil per te quòd discat olivo.
Glaucam dant volucrem, quòd lumine concolor igni es:
Túque ignis flos es, cluis & γλαυκῶπις Ἀθήνη.
An magè nocti vidæ tibi traditur altis ulus:
Quòd vigil insomnes ducat sollertia curas.
Pectore saxificam dicunt horrere Medusam:
Quòd pavidum stupidet sapiens sollertia vulgus.
Arcibus urbanis veteres tibi templa dicárunt:
Quòd ratio amplificet, quódque est elatior, urbes.
Hinc de patre ferunt sinè matris fœdere natam
Provida consilia quod nescit curia matrum.
Consultísque virûm præsis, hinc dicta virago.
O sacra doctarum prudentia fontigenarum
Sola novem complens musis meis omnibus unâ,
Deprecor ad proprium dignata illabere munus,
Inspirans nobis Graias latialiter artes.

Constitit attonito spectans stellantia visu,
Et decuit crinis, pulvereique pedes.
Ipsa etiam lævâ sphærâ fulgebat honora,
Assimilis mundo, syderibúsque fuit.
Nam globus & circi, zonæque ac fulgida signa
Nexa recurrebant, arte locata pari.
Tellus, quæ rapidum consistens suscipit orbem,
Puncti instar medio hæserat una loco.
Hanc tener & vitreis circumvolitabilis auris
Aër complectens imbricabat aquis.
Quæ tamen immenso, quo cingitur illa profundo
Intervirata marmore tellus erat.
Texerat exterior qui fulget circulus orbis
Ætheris altrifico lumina multa peplo.
Hinc nitidus rutilum Titan succenderat orbem.
Móxque imitata pium lactea luna diem.
Hìc igitur furvæ oculos splendescere nostris
Cerneres ex auro, ut sacra flamma micat.
Sic Cypris oceani perfuso sydere lymphis
Lucifero annuerat lumina tota suo.

Omnia compar habet paribus sub legibus ordo:
Nec minùs hæc mira est quàm domus alta Deûm.
Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus
Archimedæâ astrificante manu.
O felix cura, & mentis prudentia major,
Corpore sub nostro æquiparâsse Jovem.

Dixerat: at Paphie pectò constrictior ore
Morâ intricante læditur.
Nixáque mox famulis marcentia terga reclinat,
Magìs quòd lassa pulchrior.
Hìc dudum roseas inter resoluta puellas
Voluptas inquit anxia:
Unde hæc tam duris immitis rustica membris
Peregit orbis circulum,
Et tantos montes, fluvios, freta, compita currens
Delere venit tædia?
Hanc ego crediderim sentis spinescere membris:
Neque hirta crura vellere;
Nanque ita pulverea est agresti & rubore fortis
Jure ut putetur mascula.

LIBER VII.

DE ARITHMETICA.

POstquam conticuit prudens permensio terræ:
Innuba sollertes curam quæ intrigat in artes:
Sic Abacum perstare jubet, sic regmine glauco
Pandere pulvereum formarum ductibus æquor.
Altera tunc etiam gerularum accire jubetur
Garmanam, doctæ mundum quæ admensa sororis:
Nec mora digreditur. Tunc rursus dia Voluptas
Ipsius æthereâ Cyllenî immurmurat aure:
Cùm doctas superis admirandásque puellas
Approbat omnipotens, tu optati lenitus amoris
Gaudia longa trahis? captúmque eludis honorem?
Seria marcentem stupidant commenta maritum.
Talia complacita spectat fastigia Virgo,
Nec te cura tori, nec te puer ambit herilis,
Nec mea mella rapis, quænam hæc hymenæa lex est?
In Veneris agro Pallas sibi vindicat usum,
Quàm meliùs thalamo dulcis petulantia fervet.
Casta maritalem reprimit Tritonia mentem,
Et nupta non æqua venit, polsenda Dione est,
Conveniénsque tibi potiùs celebrare Priapum.

Mercurius respondit.

LIcèt urgeas Voluptas
Thalamos inire suadéns,
Tamen exeret peritas
Brevis ambitus puellas
Demúmque nec jugalis
Cessator intricatus
Tardabo fulcra lecti:
Et si quid illa nostræ
Veneris ferat voluptas
Nec vobis abnegabo:
Furtis modò alludescat:
Ut clàm rosea parva,
Liliáque dot papillæ.
Ne nunc sexus jugalis
Cura ferale morsum:
Et vulsa pellis ære
Laceros trahat capillos.

Hos sat erit cursim numeros memorâsse, modósque:
Cætera Cecropias æquum perhibere cathedras:
Si tamen ullus inest nostris sudor hausus aris,
Aut rite in veterem cultum replicamur abollæ,
Me spacium admonuit jam claudere fatibus ortus:
Ne superûm nostri capiant fastidia cantûs,
Et vetus astrigero pellar Nemeæa cælo.
Sic ait, ac reticens propiori adjacta fotori est.

LIBER

LIBER VIII.

DE ASTRONOMIA.

TUNC vix ſenex recluſis
Creperum videns ocellis
Circunſpicit ridentes,
Lectúque ſuſcitante
Stupidum dolens tuetur,
Frictúque palmulari
Madida detergit ora.
Tunc motus increpante
Baculum rapit Lyæo.
Ac dum movere greſſum
Cupit advocante Lyde,
Tandem receptâ luce
Superûm videt ſenatum,
Percellitur repentè:
Silicerniúmque nutans
Tentat celerare curſum;
Tunc motibus negatis
Magis involutus aſtat,
Ceſſímque formidantes
Abeunt pedes tremore,
Titubánſque moliénſque,
Hæret, redit, recurrit.
Tunc victa palpitánſque
Turgens cadit ſenectus:
Fit major indè riſus.
Neſcit modum voluptas,
Donec jubente Baccho
Satyrus rapit jacentem,
Scapulíſque dat ſupinum,
Uvidúmque hiantimembrem
Collóque complicatum,
Utribus parem reportat.

Aſtrigeræ jam ſedis iter, curſúmque polorum,
Et ſacra multivagos quà tollunt ſydera flexus,
Dicere tempus adeſt; video ſplendeſcere pulſu
Icta coruſciferi ſubito laquearia cæli.
Illìc bis ſeptem ſolitus ſervare Triones
Plauſtro Hyperboreâ reſplendet luce Bootes.
Hinc quà devexo tellus ſubducitur axe,
Ignoto Canopos ſeſe infert fulgidus aſtro.
Phœbæos pariter currus, rapidóſque meatus,
Et toties variæ flammantis cornua lunæ.
Quinetiam medios quos nectunt culmina circos
Obliquè & rutilis quò ſe rapit orbita ſignis
Cernere jam videor, tu fingere ludicra præſtas,
Viliáque aſtriloquæ præfers commenta puellæ.

LIBER IX.

DE MUSICA.

JAM facibus laſſos ſpectans marcentibus ignes
Inſtaurare jubet tunc hymenæa Venus.
Quis modus, inquit, erit? quonam ſollertia fine
Impedient thalamos ludere gymnaſia?
Diriguit comis blandíſque aſſueta voluptas,
Et noſter pallens contrahit ora puer.
Ipſa etiam fulcris redimicula nectere ſueta
Flora decens triuâ anxia cum Charite eſt.
Nec melicum recinens modulatur tibia carmen,
Nec dulcis tentat pſallere Melpomene,
Omnia quæ tenero motis ferveſcere ludo
In cumulum doctæ vocis honore tacent.
Nec ſuada illecebris ſponſalis pectora mulcet,
Nec ſtimula incenſo allicit aculeo.
Quinetiam interulos gaudens diſſolvere nexus:
Blandificáque libens ſtringere corda face:
Nictantes oculos reprimit ſtupefacta vapore,
Nec perferre valet Gorgonos ora trucis,
Si erudita placent certè ſponſalia divi,
Saltem docta ferat carmina Calliope.
Nam ſimul oblectans vocis modulamine mentes
Tædia dulciſonis auferet illa tonis.
Quippe eſt ſcrupoſis, fateor, laſſata puellis
Inſuetis lætor mœſtificata modis.

Pronuba ſic volupe eſt hæc ſeria carpere Juno:
Nec cura aſtriferi te ſtimulat thalami.
Aſt ego ſuccubui, lepidíſque aſſueta choreis
Non valeo triſtes cernere Cecropidas.

Hymenæus ſic capit.

AUrea flammigerum cùm Luna ſubegerit orbem,
Roſis jugabo lilia.
Virgo deúſque ſacro ſociabunt fœdera lecto,
Fulcris parate cinnama.
Heſperus intactam ſervet licèt uſque puellam,
Nuptam videbis Phoſphore.
Nec matris lachrymæ, preſſi nec viribus ungues
Nexus valebunt rumpere.
Ne thalamos metuas, eris hoc, quod Juno Tonanti eſt,
Quæ nunc ſorore dulcior.
Si placuit docti Sollertia ſacra mariti:
Magìs placebunt oſcula.
Aurora exoriens roſeis ſpectabit ocellis
Floris reſecti præmia.
Ipſe ego pſallentem ſpeculabor luce puellam
Seſe occulentem viſibus,
Conſcia jam Veneris nova ſerta parate Napææ,
Crocúmque lecto ſpargite.
Inque thorum violas certatim fundite conchis,
Pulvinar almum comite.
Crinale ſpicum pharetris deprome Cupido
Libens capillum ſolvere.
Flammea virgineum, quæ obnubere ſueta pudorem,
Regina deme pronuba.
Te blandum teneri quæ conſcia ſola doloris
Venus decens ſolabitur:
Quæ nunc dura novo neſcis committere amori,
Parabit illa pectora.
Tu modò quæ mundo oculos delecta decoros
Reconde mentis intimo.
Doctiloquum charis juvenem complexa lacertis
Fœcunda redde pignora.

Muſicorum concentus.

NAM Thrax quo duri rumpere regna Erebi,
Quóque ſuam meruit immemor Eurydicen,
Quo cantu ſtupidæ tigridis ira ruit,
Quo fertur rabidas perdomuiſſe feras,
Quo vidit rigidas glandibus ire comas
Ilmaros & ſylvas currere monte ſuas;
Carmine quo Strymon continuit latices,
It Tanais verſis ſæpe reflatus aquis,
Quo impune accubuit rictibus agna lupi,
Et lepus immiti contulit ora cani:
Hôc nunc permulſit, inſonuſtque melo,
Accumulánſque magis carmina ſacra Jovi.
Amphion rigido in corpore mentis iter,
Quóque dedit montes ſumere poſſe animas,
Quo ſenſus duris cautibus inſeruit,
Et docuit rupes carmina velle ſequí:
Nam muros Thebis dulciſonis fidibus,
Præſidiúmque dedit carminis arbitrio.
Sed nec Arioniam marmora ſurda chelyn
Tempſere, extremam cùm flagitaret opem:
Et licèt indomiti dira procella noti
Spumea Scylłæi verteret ima maris;
Delphinas totis ſollicitavit aquis,
Et melicos cantus bellua grata tulit.
O verè antiſtans numina magna deûm,
Quæ iſtorum laudes protulit harmonia:
Quæ domitat Erebum, marmora, ſaxa, feras,
Hæc potuit rupes ſenſificare tonis.

Harmonia ſic capit.

TE nunc aſtriſonum carmine Jupiter,
Quo gemmata poli volvere ſydera
Suevit lege ratâ ſacra recurſio,
Præfandum veneror: quippe potiſſimo
Nectis ſceptrifero ſub diademate
Omnigenûm genitor regna movens deûm,
Mundum perpetuo dum rotat ambitu
Mens, quam ſydereo ſufficis impete,
Te nam flammigeri ſemina fomitis
Spargentem referunt aſtra micantia:
Te foveant ſacro munere lumina:
Terris purpureum dum renovant Jubar,
Teſtata ambroſium ſplendificant diem:
Sic tua noctis honos lampade menſtrua

Digitized by Google

Auratis crevit præmia cornibus:
Sub te plaustriluci lumina ignibus
Anguis Parrhasias difficiens feras.
Sic solidi tenerum corporis ambitum
Tellus non prohibens axibus inditur:
Alternisque regit, & regitur polis.
Sic Nerea freti noscere limitem,
Sicque ignem superum lambere pabula,
Ut nulli sciteant dissona litibus:
Atque ita perpes ament diffita vinculum,
Ut semper metuant fœdifragum chaos;
Tu rector superûm, tu pater optimus:
Complexúque pio sydera colligans:
Natos perpetuo corpore vividas:
Salve, nostra cui perficitur chelys:
Bis plenum omnisona cui recinunt mela.
Jam vos verenda quæso cœli germina:
Quæ multiforme scitis cire barbiton:
Affata nostris ferte corda cantibus:
Miscilla sacræ dum feruntur curiæ
Mulcere vestrum quæ velim consortium,
Jam vos vicissim próque lege fluminum,
Post has sonabit disgregato plasmate:
Susque cunctos allubescentes tonis
Deducit, urget, atque debebit locis
Stimulósque rursum lene permulcet melos.
Nunc igitur alma quæ Senarum lumina
Deûm verendo culminatis vertice,
Bissena quamvis vos Hetrusci numina
Ritus frequentent, atque opiment victimis,
Tamen gemellis quæ refulget cursibus,
Natura honoro protulit fastigio.
Phœbea verò præferens vocabula,
Pallas coruscа ac decens Latoïa.
Lunare quippe hac venit consortium,
Phætontos ardens scandet axem Delius:
Nunc vos pudici nostra fratres culmina
Precabor ipsa, ne verendos contrahant
Vultus jugandis quæ ferenda carmina:
Hyménque nostrum invehat fastidium
Psallente plectro concinentur nuptiæ:
Fidibúsque lux fescennina proderit.

Jam nunc blanda melos carpe Dione.
Durus quippe rigor cedit amori.
Novit nam tenerum promere carmen
Ipsum spumigenæ salum Cytheres:
Nerináque chelys movet camœnam:
Dum conchis Galathæa personante,
Nantes fluctigenas chorúmque Phorci
Flagrans cura trahit, nivalibúsque
Interstinctus aquis triumphat ardor.
Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.
Carmen Mænaliæ tulere pinus:
Percussáque modis sonat Lycæis
Sollers Arcadiâ nemus cicutâ
Pernix semiferi puella Panos.
Nam versâ in calamos sonat loquaces:
Quam dum fortè Deus premit labellis,
Suspirat velut osculis canorem.
Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.
Puer ipse versiformis
Facibus studet Cupido:
Arcúsque dulcinerves
Roseo ligans ramali
Feriato linquit arcu
Calamos parante musâ:
In carminis leporem
Curam negat sagittis:
Tenerúmque arundinetum
Nostrum in melos reliquit.
Nunc ergo corda mulcent
Vapor & canor jugati,
Placet ac decet vicissim
Cantemus, atque amemus.
Jam nunc blanda melos carpe Dione.
Durus quippe rigor cedit amori.
Prudens puella pulchræ
Mater fuit Lacænæ
Illecta sed canore
Nescit dolum cavere:
Nam candidus nivosis
Olor involutus alis
Argenteis minorem
Plumis videns decorem,
Nec posse purpuratis
Nimiùm placere ocellis:
Teneros ciere cantus,
Phætontiásque musas
Cœpit repentè fœtâ
Fraudem parans senectâ.
Sic admoveatur ori,
Roseúmque circumactæ
Rapit osculum puellæ:
Gremióque complicatus
Precium tulit pudoris.
Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit Amori.
Carmen Ladmiadeum
Lucis diva secundæ
Sacris prætulit astris.
Antrum quippe secuta,
Linquens culmina cœli,
Pastoralibus ardens
Palmam dedit cicutis:
Pulso & luminis auro
Pandit septa balantum,
Sordentisque adoperta
Pratis gaudet amictu.
Ac tunc conscia noctis,
Pascit monte capellas
Spectans sydera mundi
Magè percrepat flagello,
Nec curare deorum
Pensa, aut ferre susurros
Illex carminis ampli
Ægrum cura coëgit.
Temnit noctis honorem,
Præfert antra subulci,
Rupe & durâ quiescit:
Et post regna Tonantis
Stramen dulcius herbæ est.

Tandem senilem Martiane fabulam
Miscillo lusit quam lucernis flamine
Satyra, Pelasgos dum docere nititur
Artes creagris vix amicas Atticis:
Sic in novena decidit volumina.
Hæc quippe loquax docta indoctis aggerans,
Fandis tacenda farcinat, immiscuit
Musas, deásque disciplinas cyclicas:
Garrire agresti cruda finxit plasmate
Hæc ipsa nauci rupta conscientia,
Turgénsque felle ac bile, multâ chlamyde
Prodire doctis approbanda cultibus,
Possémque comes úque è Martis curiâ
Fœlicis, inquit, sed Capellæ flamine,
Indocta rabidum quem videre sæcula
Jurgîs caninos blateratus pendere,
Proconsulari verò dantem culmini,
Ipsóque dudum bombinatore flosculo
Decerptum falce jam canescenti rotâ,
Beata alumnum urbs Elisæ quem videt.
Jugariorum murcidam viciniam
Parvo obsidem, vixque respersum lucro,
Nictanti curâ somnolentum lucibus:
Ob hoc creatum Pegaseum gurgitem
Decente quando possem haurire poculo,
Testem ergo nostrum quo veternum prodidit
Secute nugis nate ignosce lectitans.

ANICII

Digitized by Google

ANICII MANLII TORQUATI SEVERINI BOETHII

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

LIBRI QUINQUE.

Voſſ. de Poet. Lat. & Joh. Alb. Fabric. Biblioth. Lat.

ANIC. MANL. TORQ. SEVER. BOETHIUS, Romanus, Scriptor Chriſtianus, ſæculo poſt Chriſtum ſexto ineunte, ſummis honoribus functus, cùm Theodorici Gothorum Regis Tyrannidem impedire conatus eſſet, Ticinum in exilium miſſus eſt. Ticini cum ſocero Symmacho in carcerem detruſus, poſtquam paulò ſupra ſemeſtre ſpatium in eo vitam produxiſſet, petens ſolatium à Philoſophiâ & literis, A. 524. juſſu ejuſdem Theodorici cum ſocero eſt interfectus. Illum in exilium comitata eſt uxor Elpis, quæ & ipſa literis, ac imprimis poeſi excelluiſſe dicitur. Vir fuit Conſularis, & filios duos Patricium & Hypatium conſules vidit.

LIBER PRIMUS.

METRUM I.

CARMINA qui quondam ſtudio florente peregi,
Flebilis, heu, mœſtos cogor inire modos.
Ecce, mihi laceræ dictant ſcribenda Camenæ,
Ecce veris elegi fletibus ora rigant.
Has ſaltem nullus potuit pervincere terror,
Ne noſtrum comites proſequerentur iter.
Gloria felicis olim viridiſque juventæ
Solatur mœſti nunc mea fata ſenis.
Venit enim properata malis inopina ſenectus,
Et dolor ætatem juſſit ineſſe ſuam.
Intempeſtivi fluuntur vertice cani,
Et tremit effeto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quæ ſe nec dulcibus annis
Inſerit, & mœſtis ſæpe vocata venit.
Eheu! quàm ſurdâ miſeros avertitur aure;
Et flentcis oculos claudere ſæva negat.
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
Penè caput triſtis merſerat hora meum.
Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem toties jactâſtis, amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

METRUM II.

HEU! quàm præcipiti merſa profundo
Mens hebet, & propriâ luce relictâ,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties ſtatibus acta
Creſcit in immenſum noxia cura?
Hic quondam cælo liber aperto,
Suetus in ætherios ire meatus,
Cernebat roſei lumina Solis,
Viſebat gelidæ ſidera Lunæ,
Et quæcunque vagus ſtella recurſus
Exercet varios flexa per orbeis,
Comprenſam numeris victor habebat.
Quinetiam cauſas, unde ſonora
Flamina ſolicitent æquora ponti,
Quis volvat ſtabilem ſpiritus orbem,
Vel cur Heſperias ſidus in undas
Caſurum rutilo ſurgat ab ortu,
Quis veris placidas temperet horas,
Ut terras roſeis floribus ornet,
Quis dedit ut pleno fertilis anno
Autumnus gravidis influat uvis,
Rimari ſolitus, atque latentis
Naturæ varias reddere cauſas.
Nunc jacet effeto lumine mentis,
Et preſſus gravibus colla catenis,
Declivémque gerens pondere vultum,
Cogitur, heu! ſolidam cernere terram.

METRUM III.

TUnc me diſcuſsâ liquerunt nocte tenebræ
Luminibúſque prior rediit vigor:
Ut cùm præcipiti glomerantur ſidera choro,
Nimboſſque polus ſtetit imbribus,
Sol latet, ac nondum cœlo venientibus aſtris,
Deſuper in terram nox funditur.
Hanc ſi Threïcio Boreas emiſſus ab antro
Verberet, & clauſum reſeret diem,
Emicat, & ſubito vibratus lumine Phœbus,
Miranteis oculos radiis ferit.

METRUM IV.

QUiſquis compoſito ſerenus ævo
Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum,
Fortunámque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum;
Non illum rabies, minæque ponti
Verſum funditus excitantis æſtum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Veſevus igneis,
Aut celſas ſoliti ferire turreis
Ardentis via fulminis movebit.
Quid tantùm miſeri feros tyrannos
Mirantur ſinè viribus furenteis:
Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas,
Exarmaveris impotentis iram.
At quiſquis trepidus pavet vel optat,
Quòd non ſit ſtabilis ſuſque juris,
Abjecit clypeum, locóque motus,
Nectit, quâ valeat trahi, catenam.

ME.

METRUM V.

O Stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus ſolio,
Rapido cœlum turbine verſas,
Legémque pati ſidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu
Totis fratris & obvia flammis,
Condat ſtellas Luna minores,
Nunc obſcuro pallida cornu,
Phœbo propior, lumina perdat:
Et qui primæ tempore noctis
Agit algenteis Heſperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.
Tu frondiſluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore morâ,
Tu, cùm fervida venerit æſtas,
Agileis noctis dividis horas.
Tua vis varium temperat annum,
Ut quas Boreæ ſpiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondeis,
Quæque Arcturus ſemina vidit,
Seirius altas urit ſegetes.
Nihil antiquâ lege ſolutum
Linquit propriæ ſtationis opus.
Omnia certo fine gubernans,
Hominum ſolos reſpuis actus
Merito rector cohibere modo:
Nam cur tantas lubrica verſat
Fortuna vices? Premit inſonteis
Debita ſceleri noxia pœnæ:
At perverſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctáque calcant
Injuſtâ vice colla nocentes.
Latet obſcuris condita virtus.
Clara tenebris, juſtúſque tulit
Crimen iniqui.
Nil perjuria, nil nocet ipſis
Fraus, mendacii comta colore.
Sed cùm libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudent ſubdere reges.
O jam miſeras reſpice terras,
Quiſquis rerum fœdera nectis:
Operis tanti pars non vilis
Homines quatimur fortunæ ſalo.
Rapidos rector comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immenſum
Firma ſtabileis fœdere terras.

METRUM VI.

CUM Phœbi radiis grave
Cancri ſidus inæſtuat,
Tum qui larga negantibus
Sulcis ſemina credidit,
Eluſus Cereris fide,
Quernas pergat ad arbores.
Nunquam purpureum nemus,
Lecturus violas, petas,
Cùm ſævis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit.
Nec quæras avidâ manu
Vernos ſtringere palmites,
Uvis ſi libeat frui:
Autumno potiùs ſua
Bacchus munera contulit.
Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus,
Nec, quas ipſe coërcuit,
Miſceri patitur vices.
Sic quod præcipiti viâ
Certum deſerit ordinem,
Lætos non habet exitus.

METRUM VII.

NUbibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auſter
Miſceat æſtum,
Vitrea dudum,
Párque ſerenis
Unda diebus,
Mox reſoluto
Sordida cœno,
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Objice ſaxi.
Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spémque fugato,
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt,
Vinctáque frænis,
Hæc ubi regnant.

LIBER SECUNDUS.

METRUM I.

HÆC cùm ſuperba verterit vices dextra,
Et æſtuantis more fertur Euripi,
Dudum tremendos ſæva proterit reges,
Humilémque victi ſublevat fallax vultum.
Non illa miſeros audit, haud curat fletus,
Ultróque gemitus, dura, quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, ſic ſuas probat vires:
Magnúmque ſuis monſtrat oſtentum, ſi quis
Viſatur unâ ſtratus ac felix horâ.

METRUM II.

SI quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas,
Aut quot ſtelliferis edita noctibus
Cœlo ſidera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu;
Humanum miſeras haud ideo genus
Ceſſet flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri,
Et claris avidos ornet honoribus,
Nil jam parta videntur.
Sed quæſita vorans ſæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ tam præcipitem frena cupidinem
Certo fine retentent?
Largis cùm potiùs muneribus fluens
Sitis ardeſcit habendi.
Nunquam dives agit, qui trepidus gemens
Seſe credit egentem.

METRUM III.

CUM polo Phœbus roſeis quadrigis
Lucem ſpargere cœperit,
Pallet albenteis hebetata vultus
Flammis ſtella prementibus.
Cùm nemus flatu Zephyri tepentis
Vernis irrubuit roſis,
Spiret inſanum nebuloſus Auſter,
Jam ſpinis abeat decus.
Sæpe tranquillo radiat ſereno
Immotis mare fluctibus.
Sæpe ferventeis Aquilo procellas,
Verſo concitat æquore.
Rara ſi conſtat ſua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Conſtat, æternâ potiúmque lege eſt,
Ut conſtet genitum nihil.

ME-

Digitized by Google

METRUM IV.

QUiſquis volet perennem
Cautus ponere ſedem,
Stabiliſque nec ſonori
Sterni flatibus Euri,
Et fluctibus minantem
Curat ſpernere pontum,
Montis cacumen alti,
Bibulas vitet arenas.
Illud protervus Auſter
Totis viribus urget,
Hæ pendulum ſolutæ
Pondus ferre recuſant.
Fugiens periculoſam
Sortem ſedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere ſaxo.
Quamvis tonet ruinis
Miſcens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
Duces ſerenus ævum,
Ridens ætheris iras.

METRUM V.

FElix nimiùm prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande:
Nec Bacchica munera nôrat
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miſcere veneno.
Somnos dabat herba ſalubres.
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altiſſima pinus.
Nondum maris alta ſecabat,
Nec mercibus undique lectis
Nova litora viderat hoſpes.
Tunc claſſica ſæva tacebant,
Odiis neque fuſus acerbis
Cruor horrida tinxerat arma.
Quid enim furor hoſtibus ulla
Vellet prior arma movere,
Cùm vulnera ſæva videret,
Nec præmia ſanguinis ulla?
Utinam modò noſtra redirent
In mores tempora priſcos!
Sed ſavior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
Heu! quis primus fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmáſque latere volentes,
Pretioſa pericula fodit?

METRUM VI.

NOvimus quantas dederit ruinas
Urbe flammatâ, patribúſque cæſis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuſo maduit cruore.
Corpus & viſu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, ſed eſſe
Cenſor extincti potuit decoris.
Hic tamen ſceptro populos regebat,
Quos videt condens radios ſub undis
Phœbus extremo veniens ab ortu;
Quos premunt ſeptem gelidi triones;
Quos Notus ſicco violentus æſtu
Torret, ardentes recoquens arenas.
Celſa num tandem valuit poteſtas
Vertere inſani rabiem Neronis?
Heu gravem ſortem, quoties iniquus
Additur ſævo gladius veneno!

METRUM VII.

QUicumque ſolam mente præcipiti petit,
Summámque credit gloriam,
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctúmque terrarum ſitum,
Brevem replere non valentis ambitum
Pudebit ſancti nominis.
Quid ô ſuperbi colla mortali jugo
Fruſtra relevare geſtiunt?
Licèt remotos fama per populos meam
Diffuſa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors ſpernit altam gloriam.
Involvit humile pariter & celſum caput,
Æquátque ſummis infima.
Ubi nunc fidelis oſſa Fabricii jacent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat ſuperſtes fama tenuis pauculis
Inane nomen litteris.
Sed quid decora novimus vocabula?
Num? ſcire conſumptos datur?
Jacetis ergo prorſus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quòd ſi putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aurâ nominis,
Cùm ſera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos ſecunda mors manet.

METRUM VIII.

QUòd mundus ſtabili fide
Concordes variat vices,
Quòd pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent,
Quòd Phœbus roſeum diem
Curru provehit aureo,
Ut quas duxerit Heſperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coërceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos;
Hanc rerum ſeriem ligat,
Terras ac pelagus regens,
Et cælo imperitans Amor.
Hic ſi frena remiſerit,
Quicquid nunc amat invicem,
Bellum continuò geret:
Et quam nunc ſociâ fide
Pulcris motibus incitant,
Certent ſolvere machinam.
Hic ſancto populos quoque
Junctos fœdere continet:
Hic & conjugii ſacrum
Caſtis nectit amoribus:
Hic fidis etiam ſua
Dictat jura ſodalibus.
O felix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur, regat!

LIBER TERTIUS.

METRUM I.

QUI ſerere ingenuum volet agrum,
Liberat arva priùs fruticibus,
Falce rubos filicémque reſecat,
Ut nova fruge gravis Ceres ſit.
Dulcior eſt apium magè labor,
Si malus ora priùs ſapor edat.
Gratiùs aſtra nitent, ubi Notus
Deſinit imbriferos dare ſonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit.
Pulchra dies roſeos agit equos.
Tu quoque falſa tuens bona, priùs
Incipe colla jugo retrahere;
Vera dehinc animum ſubierint.

METRUM II.

QUantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immenſum
Legibus orbem prôvida ſervet,
Stringátque ligans irreſoluto
Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.
Quamvis Pœni pulcra leones
Vincula geſtent, manibúſque datas
Captent eſcas, metuántque trucem
Solliti verbera ferre magiſtrum;
Si cruor horrida tinxerit ora,

Reddit

Reſides olim redeunt animi,
Fremitúque gravi meminere ſui,
Laxant nodis colla ſolutis,
Primúſque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.
Quæ cunit altis garrula ramis
Ales, caveæ clauditur antro:
Huic licèt illita pocula melle,
Largáſque dapes dulci ſtudio
Ludens hominum cura miniſtret;
Si tamen arcto ſaliens tecto
Nemorum gratas viderit umbras,
Sparſas pedibus proterit eſcas.
Sylvas tantùm mœſta requirit,
Sylvas dulci voce ſuſurrat.
Validis quondam viribus acta,
Pronum flectit virga cacumen:
Hanc ſi curvans dextra remiſit,
Recto ſpectat vertice cœlum.
Cadit Heſperias Phœbus in undas:
Sed ſecreto tramite rurſus
Currum ſolitos vertit ad ortus.
Repetunt proprios quæque recurſus,
Reditúque ſuo ſingula gaudent.
Nec manet ulli traditus ordo,
Niſi quod fini junxerit ortum,
Stabilémque ſui fecerit orbem.

METRUM III.

QUamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes,
Ornétque baccis colla rubri litoris,
Ruráque centeno ſcindat opima bove:
Nec cura mordax deſerit ſuperſtitem,
Defunctúmque leves non comitantur opes.

METRUM IV.

QUamvis ſe Tyrio ſuperbus oſtro
Comeret, & niveis lapillis,
Invitus tamen omnibus vigebat
Luxuriæ Nero ſævientis.
Sed quondam dabat improbus verendis
Patribus indecores curules.
Quis illos igitur putet beatos,
Quos miſeri tribuunt honores?

METRUM V.

QUI ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis ſummittat habenis.
Etenim licèt Indica longè
Tellus tua jura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miſeráſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

METRUM VI.

OMne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Unus enim rerum pater eſt,
Unus cuncta miniſtrat:
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ:
Ille homines etiam terris
Dedit, & ſidera cœlo:
Hic clauſit membris animos
Celsâ ſede petitos.
Mortaleis igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus, & proavos ſtrepitis?
Si primordia veſtra
Auctorémque Deum ſpectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deſerat ortum.

METRUM VII.

HAbet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruenteis,
Aſ ſimque par volantum,
Uni grata mella ſudit,
Fugit; & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

METRUM VIII.

EHeu! quàm miſeros tramite devio
Abducit ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vitæ gemmas carpitis,
Non altis laqueos montibus abditis,
Ut piſce ditetis dapes.
Nec vobis capreas ſi libeat ſequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipſos quin etiam fluctibus abditos
Norunt receſſus æquoris,
Quæ gemmis niveis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ,
Nec non quæ tenero pilce, vel aſperis
Præſtent echinis littora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Neſcire cæci ſuſtinent.
Et quod ſtelliferum trans abiit polum,
Tellure demerſi, petunt.
Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant,
Et cum falſa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoſcant bona.

METRUM IX.

OQui perpetuâ mundum ratione gubernas,
Terrarum cæliſque ſator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri,
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus; verùm inſita ſummi
Forma boni, livore carens. Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcerrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimiliſque in imagine formans,
Perfectáſque jubens perfectum abſolvere partes.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut merſas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam, per conſona membra reſolvis,
Quæ cùm ſecta duos motum glomeravit in orbeis,
In ſemet reditura meat, mentémque profundam
Circuit, & ſimili convertit imagine cœlum.
Tu cauſis animas paribus, vitáſque minores
Provehis, & levibus ſublimeis curribus aptans,
In cœlum terrámque ſeris, quas lege benignâ
Ad te converſas reduci facis igne reverti.
Da pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce repertâ
In te conſpicuos animi defigere viſus.
Diſjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica: Tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla piis: te cernere, finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus idem.

METRUM X.

HUC omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas hebetans libido menteis.
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placidâ manens quiete.
Hoc patens unum miſeris aſylum.
Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripâ,
Aut Indus calido propinquus orbi,
Candidis miſcens virides lapillos,
Illuſtrant aciem, magiſque cæcos
In ſuas condunt animos tenebras.
Hoc quicquid placet, excitátque mentes,
Infimis tellus aluit cavernis.
Splendor, quo regitur vigétque cœlum,
Vitat obſcuras animæ ruinas.
Hanc quiſquis poterit notare lucem,
Candidos Phœbi radios negabit.

METRUM XI.

QUiſquis profundâ mente veſtigat verum,
Cupítque nullis ille deviis falli,
In ſe revolvat intimi lucem viſûs,
Longóſque in orbem cogat inflectens motus,
Animúmque doceat, quicquid extrà molitur,
Suis retrutum poſſidere thelauris.

Dudum

Digitized by Google

Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipso perspicaciùs Phœbo.
Non omne namque mente depulit lumen,
Oblivioſam corpus invehens molem.
Hæret profectò ſemen introrſum veri,
Quod excitatur ventilante doctrinâ.
Nam cur rogati ſponte recta cenſetis,
Nî merſus alto viveret fomes corde?
Quòd ſi Platonis Muſa perſonat verum,
Quod quiſque diſcit, immemor recordatur.

METRUM XII.

FElix, qui potuit boni
Fontem viſere lucidum:
Felix, qui potuit gravis
Terræ ſolvere vincula.
Quondam funera conjugis
Vates Threïcius gemens,
Poſtquam flebilibus modis
Sylvas currere mobileis,
Amneis ſtare coëgerat,
Junxitque intrepidum latus
Sævis cerva leonibus,
Nec viſum timuit lepus
Jam cantu placidum canem,
Cùm flagrantior intima
Fervor pectoris ureret,
Nec, qui cuncta ſubegerant,
Mulcerent dominum modi,
Immiteis Superos querens,
Infernas adiit domos.
Illìc blanda ſonantibus
Chordis carmina temperans,
Quicquid præcipuis Deæ
Matris fontibus hauſerat,
Quod luctus dabat impotens,
Quod luctum geminans amor,
Deflet, Tænara commovens,
Et dulci veniam prece
Umbrarum dominos rogat.
Stupet ter geminus novo
Captus carmine janitor.
Quæ fontes agitant metu
Ultrices ſcelerum Deæ,
Jam mœſtæ lachrymis madent.
Non Ixionium caput
Velox præcipitat rota:
Et longâ ſite perditus
Spernit flumina Tantalus.
Vultur dum ſatur eſt modis,
Non traxit Tityi jecur.
Tandem, vincimur, arbiter
Umbrarum miſerans, ait.
Donemus comitem viro
Empeam carmine conjugem.
Sed lex dona coërceat,
Ne dum Tartara liquerit,
Fas ſit lumina flectere.
Quis legem det amantibus?
Major lex amor eſt ſibi.
Heu! noctis prope terminos
Orpheus Eurydicen ſuam
Vidit, perdidit, occidit.
Vos hæc fabula reſpicit,
Quicunque in ſuperum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui Tartareum in ſpecus
Victus lumina flexerit,
Quicquid præcipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

LIBER QUARTUS.

METRUM I.

SUnt enim pennæ volucres mihi,
Quæ celſa conſcendant poli:
Quas ſibi cùm velox mens induit,
Terras perosa deſpicit,
Aëris immenſi ſuperat globum,
Nubéſque poſt tergum videt.
Quſque agili motu calet ætheris,
Tranſcendit ignis verticem,
Donec in aſtriferas ſurgat domos,
Phœbóque conjungat vias;
Aut comitetur iter gelidi ſenis,
Miles coruſci ſideris;
Vel quocunque micans nox pingitur,
Recurrat aſtri circulum,
Atque ubi jam exhauſti fuerit ſatìs,
Polum relinquat extimum,
Dorſáque velocis premat ætheris
Compos verendi luminis.
Hic regum ſceptrum dominus tenet,
Orbíſque habenas temperat,
Et volucrem currum ſtabilis regit
Rerum coruſcus arbiter.
Huc te ſi reducem referat via,
Quam nunc requiris immemor,
Hæc, dices, memini, patria eſt mihi,
Hinc ortus, hìc fiſtam gradum.
Quòd ſi terrarum placeat tibi
Noctem relictam viſere,
Quos miſeri torvos populi timent,
Cernes tyrannos exules.

METRUM II.

QUos vides ſedere celſo
Solii culmine reges,
Purpurâ claros nitente,
Septos triſtibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos,
Detrahat ſi quis ſuperbis
Vani tegmina cultûs,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido verſat
Avidis corda venenis,
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens,
Mœror aut captos fatigat,
Aut ſpes lubrica torquet.
Ergo, cùm caput tot unum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit, quod optat, ipſe
Dominis preſſus iniquis.

METRUM III.

VEla Neritii Ducis
Et vagas pelago rates
Eurus appulit inſulæ,
Pulcra quâ reſidens Dea
Solis edita ſemine,
Miſcet hoſpitibus novis
Tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus,
Hunc apri facies tegit,
Ille Marmaricus leo
Dente creſcit, & unguibus.
Hic lupis ſuperadditus
Flere dum parat, ululat.
Ille, tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat,
Sed licèt variis malis
Numen Arcadis alitis
Obſitum miſerans ducem
Peſte ſolverit hoſpitis,
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant.
Jam ſues Cerealia
Glande pabula verterant.
Et nihil manet integrum,
Voce, corpore, perditis.
Sola mens ſtabilis ſuper
Monſtra, quæ patitur, gemit.
O levem nimiùm manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant licèt,
Corda vertere non valent!
Intus eſt hominum vigor
Arce conditus abditâ.
Hæc venena potentiùs
Detrahunt hominem ſibi
Dira, quæ penitus meant;

Nec nocentia corpori
Mentis vulnere sæviunt.

METRUM IV.

QUid tantos juvat excitare motus,
Et propriâ fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipsa
Sponte suâ, volucres nec remoratur equos.
Quos serpens, leo, tigris, ursus, aper,
Dente petunt, iidem se tamen ense petunt.
An, distant quia, dissidéntque mores,
Injustas acies, & fera bella movent,
Alternisque volunt perire telis?
Non est justa satis sævitiæ ratio.
Vis aptam meritis vicem referre?
Dilige jure bonos, & misereſce malis.

METRUM V.

SI quis Arcturi sidera nescit
Propinqua summo cardine labi,
Cur legat tardus plaustra Bootes,
Mergátque feras æquore flammas,
Cùm nimis celeres explicet ortus,
Legem stupebit ætheris alti.
Palleant plenæ cornua Lunæ
Infecta metis noctis opacæ,
Quæque fulgenti texerat ore
Confusa Phœbe, detegat astra.
Commovet genteis publicus error,
Lassántque crebris pulsibus æra.
Nemo miratur flamina Cori
Litus frementi tundere fluctu.
Nec nivis duram frigore molem
Ferventi Phœbi solvier æstu.
Hìc enim causas cernere promptum est,
Illìc latentes pectora turbant.
Cuncta, quæ rara provehit ætas,
Stupétque subitis mobile vulgus.
Cedat insciticæ nubilus error.
Cessent profectò mira videri.

METRUM VI.

SI vis celsi jura tonantis
Purâ solers cernere mente,
Aspice summi culmina cœli.
Illìc justo fœdere rerum
Veterem servant sidera pacem.
Non Sol rutilo concitus igne
Gelidum Phœbes impedit axem.
Nec quæ summo vertice mundi
Flectit rapidos Ursa meatus,
Nunquam occiduo lota profundo,
Cætera cernens sidera mergi,
Cupit Oceano tingere flammas.
Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nunciat umbras,
Revehítque diem Lucifer almum.
Sic æternos reficit cursus
Alternus amor, sic altrigeris
Bellum discors exulat oris.
Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, ut pugnantia
Vicibus cedant humida siccis,
Jungántque fidem frigora flammis,
Pendulus ignis surgat in altum,
Terræque graves pondere sidant.
Hisdem causis vere tepenti
Spirat florifer annus odores,
Æstas Cererem fervida siccat,
Remeat pomis gravis autumnus,
Hyemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit ac profert,
Quicquid vitam spirat in orbe:
Eadem rapiens condit, & aufert,
Obitu mergens orta supremo.
Sedet interea conditor altus,
Rerúmque regens flectit habenas,
Rex, & dominus, fons, & origo,
Lex, & sapiens arbiter æqui.
Et quæ motu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat.
Nam nisi rectos revocans ictus,
Flexos iterum cogat in orbeis,
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor,
Repetúntque boni fine teneri:
Quia non aliter durare queant,
Nisi conversо rursus amore
Refluant causæ, quæ dedit esse.

METRUM VII.

BElla bis quinis operatus annis
Ultor Atreides, Phrygiæ ruinis
Fratris amissos thalamos piavit.
Ille dum Graiæ dare vela classi
Optat, & ventos redimit cruore,
Exuit patrem, miserúmque tristis
Fœderat natæ jugulum sacerdos.
Flevit amissos Ithacus sodaleis,
Quos ferus, vasto recubans in antro,
Mersit immani Polyphemus alvo.
Sed tamen cæco furibundus ore,
Gaudium mœstis lachrymis rependit.
Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sævo spolium leoni,
Fixit & cervos volucres sagittis,
Poma cernenti rapuit draconi.
Aureo lævâ gravior metallo,
Cerberum traxit triplici catenâ:
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sævis dominum quadrigis.
Hydra combusto periit veneno.
Fronte turbatus Achelous amnis
Ora demersit pudibunda ripis.
Stravit Antæum Libycis arenis.
Cacus Evandri satiavit iras.
Quósque pressurus foret altus orbis,
Setiger spumis humeros notavit.
Ultimus cælum labor irreflexo
Sustulit collo, pretiúmque rursus
Ultimi cælum meruit laboris.
Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via, cur inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sidera donat.

LIBER QUINTUS.

METRUM I.

RUpis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax,
Tigris & Euphrates uno se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis.
Si coëant, cursúmque iterum revocentur in unum,
Confluat alterni quod trahit unda vadi,
Conveniant puppes, & vulsi flumine trunci,
Mistáque fortuitos implicet unda modos,
Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus,
Gurgitis & lapsi desluus ordo regit.
Sic quæ permissis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frenos, ipsáque lege ligat.

METRUM II.

PUro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus:
Qui tamen intima viscera terræ
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirmâ perrumpere luce.
Haud sic magni conditor orbis.
Huic ex alto cuncta tuenti,
Nullâ terræ mole resistunt,
Non nox atris nubibus obstat.
Uno mentis cernit in ictu,
Quæ sint, quæ fuerint, veniántque.
Quem quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

METRUM III.

QUænam discors fœdera rerum
Causa resolvit? Quis tanta Deus
Veris statuit bella duobus,
Ut

Digitized by Google

Ut quæ carptim singula, consient,
Eadem nolint mista jugari?
An nulla est discordia veris,
Sempérque sibi certa cohærent?
Sed mens, cæcis obruta membris,
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenueis noscere nexus.
Sed cur tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas?
Scitne, quod appetit anxia, nôsse?
Sed quid nota scire laborat?
Et si nescit, quid cæca petit?
Quis enim quidquam nescius optet?
Aut quis valeat nescita sequi?
Quóve invenist, quisve repertam
Queat ignarus noscere formam?
An cùm mentem cerneret altam;
Pariter summam & singula nôrat?
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum est oblita sui,
Summámque tenet, singula perdens?
Igitur quisquis vera requirit,
Neutro est habitu. nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nescit:
Sed qua retinens meminit, summam
Consulit, altè visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere parteis.

METRUM IV.

QUondam porticus attulit
Obscuros nimiùm senes,
Qui sensus & imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi.
Ut quondam celeri stylo
Mos est æquore paginæ
Quæ nullas habeat notas,
Pressas figere litteras.
Sed mens si propriis vigens
Nihil motibus explicat,
Sed tantùm patiens jacet
Notis subdita corporum,
Cassásque in speculi vicem
Rerum reddit imagines:
Unde hæc sic animis viget
Cernens omnia notio?
Quæ vis singula prospicit?
Aut quæ cognita dividit?
Quæ divisa recolligit?
Alternúmque legens iter,
Nunc summis caput inserit,
Nunc desidit in infima,
Tum sese referens sibi,
Veris falsa redarguit?
Hæc est efficiens magìs
Longè causa potentior,
Quàm quæ materiæ modò
Impressas patitur notas.
Præcedit tamen excitans,
Ac vires animi movens
Vivo in corpore passio,
Cùm vel lux oculos ferit,
Vel vox auribus instrepit:
Tum mentis vigor excitus
Quas intus species tenet,
Ad motus simileis vocans,
Notis applicat exteris,
Introrsúmque reconditis
Formis miscet imagines.

METRUM V.

QUàm variis terras animalia permeant figuris?
Namque alia extento sunt corpore, pulverémque verrunt,
Continuúmque trahunt vi pectoris incitata sulcum.
Sunt quibus alarum levitas vaga, verberétque ventos,
Et liquido longi spatia ætheris enatet volatu.
Hæc pressisse solo vestigia gressibúsque gaudent,
Vel virideis campos transmittere, vel subire sylvas.
Quæ variis videas licèt omnia discrepare formis:
Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens hominum celsum levat altiùs cacumen,
Atque levis recto stat corpore, despicítque terras.
Hæc, nisi terrenus malè desipis, admonet figura,
Qui recto cælum vultu petis, erectúsque frontem,
In sublime feras animum quoque, ne gravata pessum
Inferior fidat mens, corpore celsiùs levato.

Digitized by Google

FRAGMENTA
VETERUM POETARUM.

LIVII ANDRONICI *VITA*, *EX LILIO GIRALDO.*

PRIMUS inter Latinos scenæ poetas fuit, qui, ut Cicero & Gellius scribunt, apud Romanos primus fabulam docuit, Q. Claudio Cethego Appii Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano Coss. anno ipso antequam natus est Ennius. Attamen de Livii tempore ac annorum numero controversia est inter scriptores: scripsit autem varia poemata, ut puta Epos, composuit hymnos in Deos, scripsit & Odysseam. Sanè Livius cùm priùs servus esset, Andronicus vocabatur: donatus libertate, Andronicus ex nomine cognomen factus est: Ἀνδρόνικος enim Græca est dictio. Fuit & alter Andronicus poeta tempore Juliani Cæsaris Imperatoris, qui, ut Marcellinus scribit, studiis liberalibus & carminum splendore notus, nihilominus accusatus & in judicium deductus, cùm securâ & intrepidâ mente nullisque suspicionibus urgeretur, purgando se semper objecta diluendo fidentiùs, absolutus est. Fuit & Andronicus grammaticus celebris, qui Syrus cùm esset, Romæ docuit, dein Camis agens in otio vixit.

FRAGMENTA.

ACHILLE.

SI malos imitabo, tum tu pretium pro nocâ dabis.

ADONIDE.

Humum humidum pedibus ferit.

ÆGYSTHO.

Jámne oculos specie lætavisti optabili?

Nemo hæc nostra ruminabitur mulier?

. . . In sedes collocat se regias
Clytæmnestra juxtim; tertias nata occupat.

Ipse se in terram saucius fligit cadens.

Tum autem lascivum Nerei simum pecus
Ludens ad cantum classem lustratur . . .

Quin quòd parere vos majestas mea procat,
Toleratis? extemplóque illam deducitis?

Solennitus à dectitali laudet jubent.

. . . Nam ut Pergama
Accensa, & præda per participes æquiter
Partita est. . . .

AJACE.

Mirum videtur quòd sit factum jamdiu.

ANDROMEDA.

Confuges ubi conventum campum totum inhumigant.

ANTIOPA.

Ita septuosè dictio abs te datur,
Quod consecutum Sapiens ægre contulit.

CENTAURIS.

Ubi ego sæpe petris.

EQUO TROJANO.

Da mihi hasce opes quas peto, quas precor: porrige, opitula.

Serò sapiant Phryges.

ΕΡΩΤΟΠΑΙΓΝΙΟΙΣ.

Nocte diéque decretum & auctum.

Meminens Varro corde volutas.

Andromacha perdudum manu lascivulâ, tenellulâ, capiti meo trepidans, libens insolito plexit munere.

GLADIOLO.

Pulicésne, an cimices, an pedes, respondè mihi.

HELENA.

Tu qui permensus ponti maria alta velivola.

HERMIONA.

Obsecro te Anticile matri ne quid tuæ adversùs fuas.

IONE.

. . . Séque in alta maria præcipem.
Inops, ægra sanitatis herois. . . .

Et jam purpureo suras includ cothurno,
Balthcus & revocet volucres in pectore sinus:
Pressáque jam gravidâ crepitent tibi terga pharetrâ.
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

LAODAMIA.

. . . . . Aut
Nunc quæpiam alia te Ilio,
Asiatico ornatu affluens,
Aut Sardiano aut Lydio
Fulgens decore & gloriâ,
Pellicuit. . . . .

LYDIO.

Corruit quasi ictus scenâ, haud multo secus.

ODYSSEA.

Quæ hæc daps est? quis festus dies?

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.

Mea puera, mea puera, quid verbi ex tuo ore profugit?

Quoniam audivi paucis gavisi.

Fit quoque finem est.

Nexebant multa inter sese flexu nodorum dubio.

Simulac lacrymas de ore nogeo detersit.

Carnis ait, vinum quoque quod libabat, antlabatur.

Inferus aut superus tibi fert deus funera Ulysses.

Atque escas habemus mentionem.

Nam diva monetas filiam docuit.

Mercurius cúmque eo filius Latonas.

Neque

Neque enim te oblitus fum Laertie noſter.

Ibi denique vir ſummus adprimus Patroclus.

Parcentes prænodum.

Partim errant, neque nunc Graciam redire nequiunt.

Quam ſocios noſtros mandiſſet impius Cyclops.

Pater noſter Saturni filie.

Sancta puer Saturni filia regina.

POLYMETRIS.

Omnes ſunt denis ſyllabis verſi.

PROTESILAO aut PROTESILAODAMIA.

Cupidus miſerulo obito.

Claudritimum.

Ibid. CHORO PROSERPINÆ.

Inlicio.
Inlicius.

SERENO.

Cura nunc Laertie velle, para ire Ithacam.

TERENO.

Rarenter venio.

Nimis pol imprudenter ejus præſtolâras.

. . . Ego puerum
Interea ancillæ ſubdam lactantem meæ,
Ne fame perbitat. . . .

Credito cum illis ſoli meâ voluntate numquam limavit caput.

VIRGINE.

Ornamenta incenduut gnobili ignobiles.

Lib. 1. Juppiter ut muro fretus magis quàm de manus impe. . . . .

Secundo.
Quàm de tuas omnis legiones ac popularis.

Lib. 4. Quo Caſtalia per ſtruices faxeas lapſu accidit.

Lib. 6. Jam in altum expulsâ lintre.

Lib. 25. Profectò ſatis compotem menti ineſſe.

Lib. 35. Et bina equeſtria & arma.

Scabra in legendo redivioſâve offendens.

Matrem procitum plurimi venerunt.

Sed qui ſunt hi qui aſcendunt gitum Oerim?

Celſóſque Ocris, arváque patria, & mare magnum.

Namque Tanari celſos Ocris.

Haud ut quem Chiro in Pelio docuit Ocri.

Túmque mihi narrato omnia diſertim.

Argenteo polubro, & aureo, & glutro.

Impubes, libripens eſſe non poteſt, neque atteſtari.

Puerarum manibus confectum pulcherrimè.

Apud Nymphan Atlantis filiam Calypſonem.

Mulier, quiſquis es, te volumus.

Adfatim edi, bibi, luſi.

Florem antlabant Liberi ex catcheſiis.

Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.

Quinquertiones præco in medium vocat.

Vecorde & malefică vecordiâ.

Duſmoſo in loco.

Tu cornifrontes paſcere armentas ſoles.

Quantam iſta ſuavitas, quonam conſortio eſt?

Túncque remos juſſit religare ſtruppis.

Surregit. Sortus.

Ducimus. Dautia.

Demus: pro *dimum.*

Gauvigavit.

Q. ENNII FRAGMENTA.

Q. ENNII *VITA*,

EX LILIO GREGORIO GIRALDO deſumpta.

QUINTUS ENNIUS, ut Lucretius cecinit,

. . . . *Primus amœno*
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Quam ferme quoque ſententiam & Silius Italicus ſuo carmine retulit. Trigeſimâ verò ſextâ ſupra centeſimam Olympiadem, hoc eſt, Prioris Scipionis tempore floruit, ſub quo etiam ſtipendia meruiſſe traditur, ita Claudiano poetâ ſcribente:

Hærebat doctus lateri, caſtriſque ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Fuit verò Romam deductus ex Sardiniâ inſulâ, à M. Catone quæſtore ex Africâ decedente, ut ſcribit Probus Æmilius in Catonis vitâ, quæ falsò à quibuſdam Cornelio Nepoti adſcribitur. Meruiſſe & eum Q. Fulvio Nobiliore, cùm is à ſenatu contra Ætolos imperator miſſus eſt; teſtis eſt ante alios M. Cicero: à M. verò Fulvii filio civitate donatus, eâ tempeſtate, quâ III. Vir coloniam deduxit. Ennii quidem patria Rudiæ, quod Calabriæ oppidum eſt, ut Mela Pomponius & Plinius ſcribunt, & poeta Silius canit. Rhodias verò & Græcam urbem nuncupat Strabo. Hinc, puto, ab Auſonio Rudinus dicitur, & Rudius à M. Tullio, pro Archiâ, ſi fidis codicibus ſtamus: Eutropius tamen hiſtoricus, & Hieronymus in Chronico ex Euſebio, Tarentinum illum his verbis faciunt: Q. Ennius, aiunt, poeta Tarenti naſcitur, qui à Catone quæſtore Romam tralatus, habitavit in monte Aventino, parco admodum ſumptu contentus & unius ancillæ miniſterio. Sed enim de hâc Ennii ancillâ, ut puto, & Cicero in ſecundo de Oratore, cùm de ridiculis agit, mentionem fecit. Cùm enim, inquit, Scipio Naſica ad poetam Ennium veniſſet, eſque ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet domi non eſſe, Naſica ſenſit illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis pòſt diebus, cùm ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum à januâ quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: Quid? ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? Hìc Naſica: Homo es impudens. ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi? Natus verò eſt Ennius, ut ipſemet cecinit, ex ſtirpe Neptuni, à Meſſapo, qui, ut ait Virgilius, fuit

—— *Equûm domitor, Neptunia proles.*

Quod & adnotavit Servius. Idem Silius ſuo hôc carmine:

Ennius antiquâ Meſſapi ab origine regis.

Quòd

Digitized by Google

Quòd verò per palingeneſiam, quam vocant Pythagorici, Homeri animam ſortitus ſit, fabuloſius videtur, quàm ut hiſtoricâ fide comprobetur: id enim ſomnio contigiſſe & Lucretius poeta, & M. Cicero tradidere, eodem etiam ipſo Ennio canente,

—— Mihi viſus Homerus adeſſe Poeta.

Fuit verò vini appetentior:

—— Nec unquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda:

ut ait Horatius. Ingenio acri fuit, atque ad ſcribendum promptiſſimo, vehemens in ſententiis, in verbis rudis, ut qui non diſcederet à communi more verborum. Addit & Cicero, eum fide plenum, haud tamen magnâ cum re. Hinc eſt, ait Piſo, illud fortaſſe, quod P. Virgilium ſolitum dicere accepimus, aurum ſe ex Ennii ſtercore colligere. Rectè tu quidem, inquam. Trium quoque linguarum cognitionem habuit Ennius, unde poeticæ ſe tria corda habere dicebat, quòd Græcè, quòd Latinè, quòd Oſcè loqueretur, ut Gellius & Feſtus tradunt. Multa verò librorum volumina ſcripſit, inter quæ Annales, quos, ut refert Suetonius, Q. Varguteius diviſit in volumina, certiſque diebus in magnâ hominum frequentiâ pronunciabat. In hos M. Pompilius Andronicus librum compoſuit, quem Elenchorum nomine nuncupavit. Edidit & Ennius bella populi Romani, quorum librum duodecimum ſcripſit, annum natus ſextum & quadrageſimum, ut Varro & Gellius ſcribunt. Sed & Ennium Phagetica compoſuiſſe teſtis eſt L. Apuleius, quo libro, quæque eſui & gulæ magis celebrata eſſent, quóve loco, carmine complexus erat: id quod & apud Græcos Archeſtratus, aliſque complures, ut heſterno ſermone diximus. Et plures inſuper comœdias & tragœdias compoſuit, quibus ei propter vetuſtatem, decimum inter comicos locum dedit Volcatius Mortem verò obiit, Q. Martio & Cn. Servilio COSS. cùm Sulpitius Gallus prætor Apollini ludos faceret, ipſéque Ennius Thyeſten fabulam docuiſſet, annos natus, ut ſcribit Hieronymus, LXX. Periit verò articulari morbo, quem, ut Q. Serenus ait, nimio potu contraxerat, quo quidem tempore Crates Mallotes ab Attalo rege Romam miſſus, è regione palatii, in cloacæ foramine crus fregerat. Sepultus eſt in Scipionis monumento, viâ Appiâ intrà primum ab Urb. lapidem. Livius libro XLVIII. & Plinius libro VII. Africanum Q. Ennii ſtatuam ſuo ſepulchro imponi juſſiſſe tradunt. Idem M. Tullius in eâ, quæ eſt pro Archiâ, oratione. Hinc carmen illud Ovidii,

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Quidam ejus oſſa Rudias ex janiculo tralata affirmant. Ennii epitaphium celebrat M. Cicero.

De Ennio verò hoc profert judicium Fabius Quintilianus. Ennium, inquit, ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora, jam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem.

ANNALIUM LIB. I.

HOrrida Romoleûm certamina pango duellûm:

Audeire eſt operai precium, procedere rectè
Quei Rem Romanam Latiúmque augeſcere voltis

. . . . . Adeſte
Muſai, quai pedibus magnum polſatis olumpum;
Et quas commemorant Caſmoinas eſſe . .
Lunaï portum eſt operai cognoſcere ceives
. . . . . veiſus Homerus adeſſe poeta,
Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo!
Septingentei ſunt paullo plus vel minus annei,
Quom meminei fierei me pavom . . .
. . . . . ſcripſere alii Rem
Vorſibu', quos olim Faunei Vatéſque canebant,
Quom neque Muſarum ſcopolos quiſquam ſuperârat,
Nec dictei ſtudioſus erat . . . . .

. . . . . ante hunc
Nam latos popolos, res, atque poemata noſtra
Cluebat . . . . . .
Nos auſei referare . . . . . .
Nec quiſquam Sophiam, Sapientia quai perhibetur,
In ſomneis veidit priu', quàm ſam diſcere coipit.
. neque me decet hic cæſinantibus edere carteis.
Te nunc ſancta precor Venus & genetrix patri' noſtrei,
Ut me de coilo veiſas cognata parumper;
Téque Quireine pater veneror, Horámque Quireinei,
Téque pater Tibereine tuo cum flumine ſancto.
. . . . . Mavors . . . .
Daidala . . . . .
. . . Menerva
Quom veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo
Corpore Tartarino prognata Paluda virago,
Quoi par imber & Ignis, Spiritus, & gravi' Terra;
Quaſque freto cava coiroleo corteina recepit:
Quos omneis Erebo perhibent & Nocte creatos
. . . . . Saturno, quem Coilæ' genuvit
Aſſaraco natus Capus optumus; Hque pium ex ſe
Ancheiſen generat . . . . . .
Atque Ancheiſes doctu', Venus quem polcra Dearum
Farei donavit deiveinum pectus habere
. . . . . armeis
Conditur Alba potens . . . . .
Namque avidè pugnare ſues ſtolidei ſolitei ſunt
Eſt locus, Heſperiam quam mortales perhibebant,
Quam preimum Caſcei popolei tenuere Latcinei,
Quos homineis quondam Laurentis terra recepit
Excita quom tremolis anus attulit artubu' lumen,
Talia commemorat lacrumans, exterrita ſomno:
Eurudicâ prognata, pater quam noiter amavit,
Veires veitaque corpu' meum nunc deſerit omne.
Nam me veiſus homo polcer per amoina ſalicta
Et reipas raptare locóſque novos; ita ſola
Poſt-illa, germana ſoror, errare videbar,
Tardáque veſteigare & quairere te, neque poſſe
Corde capeſſere, ſemita nulla pedem ſtabileibat.
Exin compellare pater me voce videtur
Heis verbeis: *O gnata tibei ſont antè ſerundai*
Airumnai: pòſt ex flovio Fortuna reſiſtet.
Haic pater ecfatus, germana, repentè receſſit;
Nec ſeſe dedit in conſpectum corde cupeitus:
Quamquam molta manus ad coilei coirola templa
Tendebam lacrumans, & blandâ voce vocabam.
Vix, aigro tum corde meo, me ſomnu' reieiquit

Ilia in amnem Tiberim juſſu Amulii regis Albanorum præcipitata eſt

Ilia, Dia nepos, quas airumnas tetuliſtei
. . . . . cetera, quos peperiſtei
Ne coires . . . . . .
Haic ecfatus ibus, latrones dicta faceſſunt
Deſtituunt reivos, campóſque remant . . .
. . . . fortunas ecquas cepere, latrones
Inter ſe memorant
. . . . lupu' foeta . . . .
. . . . Geminoſque hinc ubera circùm
Ludunt pendentes puerei . . . .

Dolci-

Dolciferai feicei lactantes ubere toto
Endo tuetur ibus Lupu' femina, conſpicit omneis
In campo celerei paſſu praiſto eſſe parumper:
Conjicit in ſilvam ſeſe . . . . .

. . . Acca Larentia . .

Olli reſpondet rex Albai longei

Aſt hic, quem nunc tu tam torviter increpuiſtei

Naſcere quai popolos terrâque marique laceſſes
Bellei torbine praipropero, concuſſa tremiſcent
Cuncta acreis à te veireis . . . .

. . . . In Româ Troja revixſtei

Coirantes magnâ cum coirâ, concupientes
Regnei, dant operam ſimol auſpicio augurióque:
Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam
Solus Avem ſervat: At Romulu' polcer in alto
Quairit Aventeino, ſervans genus altivolantum.
Certabant urbem Romámne Remámne vocarent:
Omnis coira Vireis, uter eſſet Enduperator
Et ſpectant. Veluti Conſol quom mittere ſignum
Volt, omnes avidei ſpectant ad Carceris oras,
Quem mox emittat picteis ex faucibu' currus:
Sic exſpectabat popolus, atque ora tenebat
Rebus, utrei magnei victoria ſit data regnei.
Interea Sol albu' receſſit in infera Noctis:
Exin candida ſe radicis dedit icta foras Lux,
Et ſimol ex alto longe polcerruma praipes
Laiva volavit avis: ſimol aureus exoritur Sol;
Cedunt ter quatuor de coilo corpora ſancta
Avium, praipetibus ſeſe polcreſque loceis dant.
Conſpicit indè ſibei data Romulus eſſe priora,
Auſpicio regnei ſtabileitâque ſcamna ſolúmque

Auguſto augurio poſtquam incluta condita Roma'eſt

Juppiter! haut muro fretus magi', quam de manuum vei

Nec pol homo quiſquam faciet impune animatus
Hoc, niſi tu, nam mi calido dabi' ſanguine poinas

. . . . Saturnius illei
Nomen erat, de quo latè Saturnia terra' .

Exit per terras poſtquam celeriſſumu' rumor
Virgine' nam ſibi quiſque domos Romanu' capit fas

Quis pater aut cognatu' volet vos contrà tuerei?

Avorſabuntur ſemper vos voſtraque volsa

Occiduntur, ibus potitur ratu' Romola', praidam

Diſpertit . . . . . .

Quom ſuperſum lumen nox intempeſta teneret

Adgrettus farei:

Deivúmque hominúmque pater, rex,

. . . . Saturno ſancte oreate,

Quei collum vorſus ſtellais folgentibus aptum;

. . . . . quei folmine claro

Omnia per ſonitus aroes . . . .

. . . . . face vero, . . .

Quod te cum precibus pater oro . . . . .

. . . . . Rex deinde citatus

Convellit ſeſe . . . . . .

Flentes, plorantes, lacrumantes, obteſtantes:

. . . . . Neriene Mavortis

O Tite tute Tati tibi tanta turanne tulistei

Aſt te, non ut ſum, ſummam ſervare decet rem

Alterum ſeritote diem concorditer ambo

Accipe, dáque fidem, fidáſque ferei bene firmum

. . . . . Tatienſes

. . . . . quem ſuper ingens
Porta tonat coilei . . . . . .

Tranſnavit citu' per teneras caleiginis auras

Juno, Veſta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars, Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo

Conſtitit indè locei propter ſos Dia Dearum

Unus erit, quem tu tolles in coirola coilei
Templa . . . . . .

Reſpondet Juno Saturnia ſancta Dearum

Romulus in coilo cum Dis genetalibus aivom
Degat . . . . . .
. . . Hujus nate auſpiciis illa incluta Roma.

Incerto loco.

P-es du
. . . . . pe-de rais
. . . . . Ennius lib. 1. *Annalium* . . . . . .

FRAGMENTA LIB. II.

. . O Romole, Romole, dic o
Qualem te patriai cuſtodem Di genuerunt!
Tu produxiſtei nos endo luminis oras:
O Pater, o Genetor, o Sanguen Dîs oriundum

Ingens coira mi' cum concordibus aiquiparare

Ecquis exter erat, Romai regnare quadratai

Quom tonuit laivom bene tempeſtate ſerená,

Contramuit templum magnum Jovis akitonantis

Olli reſpondet ſuavis ſonus Aigeriai

Menſas conſtituit, Idemque Anceilia preimus,

Leibáque, Fictores, Argeos & Tutulatos

Me regat aequa Fides; Regno, Vobeſque, Qairetes,
Res fortunatim, feleiciter, ac bene vortat

Sei quid me fuvit humanitus, ut teneatis

. . . quianam legiones caiditu' ferro?

Quande tuas omneis legiones ac populareis

. . . Haic inter ſe tota vei tutidantes

Adnuvit ſeſe mecum decernere ferro

Et cecinit Curios fratres.

Ut datus eſt occaſus; Horatius incluta' ſaltu

Quei ferro minitaris, ut in te ningulu' modo
Ire queat. . . . . .

. . . . . Laitificum gau

Et Horatia pila

Ferro ſuccidam, quam, dicteis heis, tolerarem

Accedit, ſum quei dederat in luminis oras

Et ſimol ecfugit ſperes ita funditu' noſtras

. . . . . Metieo Fufetico

. . . . Tractatu' per aiquora campei:

Volturus in ſilvis miſerum mandebat hemonem
Heu quam crudelei condebat membra ſepolcro

At tuba terribilei ſonitu Taratantara dixit

Quomque caput caderet ſonitum tuba ſola peregit
Et pereunte viro, rauco ſonus aire cucurrit:

Oſcitat in campeis caput à cervice revolſum,

Semianimésque micant ocolei, lucémque requeirunt
Nequeiquam; reliquai carni nil est animai

At domus interior gemitu miseróque tumultu

. . . . . cairola prata

Oslia moenita est; Idem loca navibu' polereis
Munda facit, Nauteesque mari quaisentibu' veitam

Europam Libuámque rapax ubi deividit unda,

. . . Et Tiberis flumen vomit in mare salsum

FRAGMENTA LIB. III.

Hic densеis Aquila penneis obnixa volabat
Vento, quem perhibet Grajum genus aera lingua

Postquam lumina sis ocolis bonus Ancu' releiquit;

Tarquinio dedit imperium simol & sola regnei

Indè sibei memorat unum superesse laborem

Proletariu' poblicitus scutesque feróque
Ornatur ferro; moeros, urbémque, forúmque
Excubieis coirat . . . . . .

Postquam defessei sunt, stant & spargere sese
Hasteis, ansateis concurrunt undique teleis

Déque totondit agros laitos atque oppida cepit

Circum sos quai sunt magnai gentes opulentai

. . . . . Postúmque turannei
Tarquiniei corpus bona femina lavit & unxit

Prodeinunt famolei, tum candida lumina lucent

Olim de coilo laivom dedit incluta' signum

Hac noctu feilo pendebit Etruria tota

. . . . . Insomnia . . .

Haut temere'st, quod tu tristei cum mente gubernas

Deducunt habileis radios feilo gracilento

. . . . . Interea fax
Occidit . . . . . .

Coilum prospexit stelleis folgentibus aptum

Deiriu' supplicium sceleris violentia poscit

FRAGMENTA LIB. IV.

. . . . . Reges odisse superbos

At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta'st,
Corde suo trepidat, delicto Coclite . . .

Obsidionis famem exprimens, essum eripuisse plorantibus liberis patres commemorat.

Vos etenim Jovenes animos geritis moliebreis
Illa Virago Virei . . . . . .

Ova parire solet genu' penneis condecoratum

. . . . . Bellum
Aiqueis de manibus nox intempesta diremit

Nobeis unde forent fructus veitaisque propagmen

Romanei scaleis summâ neituntur opum vei

. . . . . Volscus perdidit Axur

Auferis & tutum voce fuisse Jovem

Tanteidem, quasi soita canes, sinè dentibu' latrat

FRAGMENTA LIB. V.

Moribus anteiqueis Res stat Romana virosque

Ceives Romanei tunc factei sunt Campanei

Romanei mureis Albam cinxerunt Longam

. . . . Divei hoc audeite parumper,

Ut pro Romano popolo prognariter armeis
Certando, prudens animam de corpore mitto:

Se tum; sicut equus, qui de praisepibus actus
Vincla sueis magneis animeis abrumpit, & endo
Fert sese campeis, per cairola laitáque prata,
Celso pectore, saipe jubam quassat simol altam,
Speiritus ex animâ calidâ spumas agit albas;

Injicit inreitatu', tenet occasu', juvat res

Disperge hosteis, distrahe, deidue, deivide, differ

Cogebant hostes lacrumantes, ut miserererent

. . . . . Ducuntur fortè ligatei
Minturnenses . . . . . .

Quod per amoinam urbem lenei fluit agmine flumen

Ansatas mittunt è turribus . . . . .

FRAGMENTA LIB. VI.

. . . intus in occolto mussa . . .

Q. Ennius T. Caecilium Dentrem, fratrémque ejus praecipuè miratus, propter eos sextum Annalem adjecit.

Navo' repertus homo, Grajo patre, Grajus homo, rex

Aimoni', Purrus, uti memorant, à stirpe supremo

. . . . . stolidum genus Aiacidarum,
Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes

Ecfundit voces proprio cum pectore sancto:

AIO TE AIACIDA ROMANOS VINCERE POSSE

Apta, dato signo, loca torreitis elefanteis
Explorant Numidae; totam quatit ungula terram

It nigrum campeis agmen . . . . .

Barreitu pecudum titubantes arma requeirunt

. . . . . Telo
Transfeigit corpus, saxo cere comminuit brum

. . . . . tetrósque elefantos
Ut primùm tenebreis abjectеis inalbabat
Dies . . . . .

Confidunt tectеis bipatentibus . . .

Vortitur interea coilum cum ingentibu' signeis;

Tum cum corde suo Deivom pater atque hominum rex

Nec mî aurum posco, nec mî precium dederitis,
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes;
Ferro, non auro, veitam cernamus utreique,
Vósne velit an me regnare Hera, quídve ferat Fors,
Virtute experiamur: & hoc simol accipe dictum:
Quorum Virtutei bellei Fortuna pepercit,
Horumdem me Leibertatei parcere certum'st.
Dono ducite, dóque volentibu' cum magneis Dis

Quo vobeis mentes, rectai quai stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai

Sed quid ego heic animo lamentor

Orator sinè pace redit, regeique refert rem

. . . . . Decretum est fossari corpora teleis

Dum quidem unus homo Romî totâ superesci t.

Quei potis ingenteis oras evolvere bellei

. . . . . Anionem

Brundisium polcro praicinctum praipete portu
Incerto loco

Solfureas posuit speiramina Naris ad undas

Lumen . . . . sceitus agaso.

Intus in occulto mussabant . . . .

FRAG-

Digitized by Google

FRAGMENTA LIB. VII.

. . . Poinos Didone orirundos

Poinei sunt solitei sos sacrificare puellos
Diveis . . . . . .

. . . . Poinei stipendia pendunt

. . . . . tunicata Joventus

Jupiter inducitur, promittens Romanis excidium Karthaginis.

Ruresçunt frondes . . . . . .

. . . . . longesque cupressei
Stant rectéis folieis, & amaro corpore buxum

Capitibus nutanteis pinus, rectósque cupressos

Incidunt, arbusta prealta securibu' caidunt;
Percellunt magnas quercus, exciditur Ilex,
Fraxinu' frangitur; atque abies consternitur alta;
Pinus proceras pervortunt; omne sonabat
Arbustum fremitu silvai frondosai . . .

Ut clavom rectum teneant, navimque gubernent

. . . tonsam arte tenentes
Parerent; observarent, Portisculu' signum
Quom dare coepisset

Poste recumbite, vostráque pectora pellite tonseis:

Ponè petunt, exin referunt ad pectora tonsas

Hortatore bono priu' quam jam feinibu' termo'st

Confertà polcre rate, inairatáque pereitè,
Per liquidum mare eunt, sudantes atque sedentes:

Labitur uncta carina per aiquora cana celonis

. . . . . Aplustra

Molta foro ponens, ageáque longa repletur

. . . una trabes remeis rostrata per altum

Ingentei vadit cursu, quà redditu' termo'st;

Molserat hunc navim compolsam fluctibu' pontus:

Impetus haut longè medieis regionibu' restat

Alter nare cupit, alter pugnare paratu'st

Dum censent terrere minais, hortantur eei sos:

Non semper vostra evortit, nunc Jupiter hac stat;

Fortibus est Fortuna Vireis data . . .

Africa terribilei tremit horrida terra tumoltu
Undique, moltimodis consumitur anxia coireis:
Omnibus endo loceis ingens apparet imago
Tristitias, ocolósque manúsque ad sudera lassas
Protendunt, exsecrando duci' facta reprendunt
Poinei, pervórtentes omnia, circumcursant

. . . Percolsei pectora Poinei

Tonsilleis rapidè confeigunt littus adunceis:

Navibus explebant sese terrásque replebant

. . . . . Evax'st

Aspis ab Attilio . . . . .

. . . . . ratibúsque fremebat
Imber Neptunei . . . . .

. . . . furentibu' venteis .

Denique vel magnâ quadrupes eques atque elefantei
Projiciunt sese . . . . . .

. quianam dicteis nostreis sententia flexa'st

Ampliùs exangere obsteipo lumine solis

. . . moltiplicant Romanei funera latè,

Qua Pollus furtim noctu summa arcis adortus
Moinia, concubia, vigilésque repentè cruentant

Hocce loquutu' vocat, queicum bene saepe libenter
Mensam, sermonésque suos, rerúmque suarum
Comiter impertit; magnâ quom lassu' dicei
Parti fuvisset, de summeis rebu' gerundeis
Consilio, endo foro lato, sanctóque Senatu:
Quoi res audacter magnas parvásque jocúmque
Eloqueretur: tincta maleis, & quai bona dicta
Evomeret, sei qua vellet tutóque locaret:
Queicum molta volutat gaudia clámque palámque;
Ingenio quoi nolla malum sententia suadet,
Ut faceret facinus levis aut malus; doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus,
Sceitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens, anteiqua, sepolta, vetusta;
Quai faciunt mores veterésque novósque tenentem;
Moltarum veterum legum, Divómque hominúmque
Prudentem, quei molta loquetve taceréve posset.
Hunc inter pugnas compellat Servilius sic

. . . . Postquam Discordia tetra
Bellei ferratos posteis portásque refregit

Illuriei restant seiceis sibunessque fodantes

Incerto loco.

. . . Legio reditus rumore ruinas
Mox auferre domos popoli rumore secundo.

At non quadrupedes equites . . . . .

. . . Dux ipse vias . . . .

Deducunt habileis gladios filo gracilento.

FRAGMENTA LIB. VIII.

Optuma Coilicolùm Saturnia magna Dearum

Marsa manus, Peligna cohors, festeina virûm vis

Debil homo . . . . .

Unus homo nobeis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem;
Ergo magisque magisque virei nunc gloria claret

Pellitur è medio Sapientia; Vei geritur Res;
Spernitur Orator bonus; horridu' Miles amatur;
Haut docteis dicteis certantes, sed maledicteis;
Miscent inter sese inimeicitias agitantes;
Non ex joure manu consertum, sed magè ferro
Rem repetunt, regnúmque petunt, vadunt solidâ vei

. . . . Praicox pugna'est. . .

Certare abnueo, metuo legionibu' labem

Hostem quei feriet mihi erit Karthaginiensis,
Quisquis erit, cujatis erit . . .

Consequitur, summam sonitu quatit ungula terram:

Jámque fere polvis ad coilum vasta videtur;
Volva volat . . . . . .

. . . . stant polvere campei:

Hastatei spargunt hastas, fit ferreus imber;

Densantur campeis horrentia tela virorum;

Horret ager, campesque armeis subleimibus ardent

Heis pernas succidit ineiqua superbia Poini

. . . . . crateribus ollei
Ex aurateis hauserunt . . . .

Nunc hostes veino domitei, somnóque sepultei

Aut occasus ubei tempúsve audere repressit

Brutates . . . . . bilingues

Quintu' pater quartum fit Consol

Cum magno strepitu Volcanum ventu' vegebat

Ob Romam noctu legiones ducere coipit

. . . de mœris res gerit Opscus

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter

Clamor ad cœlum volvendu' per æthera vagit.
. . . mortalem summum Fortuna repentè
Reddidit, ut summo regno famul infumus essit

. . . . molta dies in bello conficit unus,
Et rursus multai fortunai forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam semper Fortuna secuta'st
Incerto loco.

Rastros dente faber rasit causâ poliundei
Agrei . . . . . .

FRAGMENTA LIB. IX.

Livius indè redit magno mactatu' triumpo

Additur Orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cetegus Marcu' Tuditano conlega,
Marci filius: is dictus popularibus olleis,
Quei tum veivebant homines, atque aivom agitabant,
Flos delibatus popolei, Suadaique medolla

Sed quid ego haic memoro? dictum factúmque facit frux

. . . virei valideis cum viribu' luctant

. . . Libertatémque ut perpetuassint
Maxume . . . . . .

Vel tu Dictator, vel Equorum Equitúmque Magister
Esto, vel Consol . . . . .
Incerto loco.

Cuclopis venter velut olim turserat, alti
Carnibus humaneis . . . . .

. . . Luchnorum lumina bis sex

FRAGMENTA LIB. X.

Insece Musa, manu Romanorum endoperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Pilippo

. . . . affatur Flamininum,
Ille vir, haut magnâ cum re, sed pienu' fideei,

Egregiè cordatus homo, Catus Ailiu' Sextus:

O Tite, sei quid ego adjûro, coirámve levasso,
Quai nunc te coquit, & vorsat sub pectore fixa;
Et qua deprimeris frustra nocteisque diésque:
Ecquid erit praimî . . . . . .

Tunc coipit memorare simol cata dicta

Sollicitarei te Tite sic nocteisque diésque

. . . animáisque in pectore latrat:

Sic ut, si quando vinclo venatica æno
Apta, solet Cane', fortè feram sei nare sagace
Sentit, voce sua nictátque ululátque ibi acutè

Aigro corde comas passeis palmeis lacerantes,

Pinsceibant terram genibus

Insignita fere tum millia militum octo
Duxit, dilectos bellum tolerare potenteis

. . . . spectabat virtutem Legionis;
Suspectans, sei mussaret, quai denique causa
Pugnandi fieret, aut durei pausa laboris

Leucadem campsant . . . . .
Incerto loco.

Regnei . vorsatum summam vero columnam

. . . cursus quingentos saipe verutei

. . . . horitor Endoperator

Haic nox processit stelleis ardentibus apta

FRAGMENTA LIB. XI.

Tum clupeei resonunt, & ferrei stridit acumen;

Missique per pectus, dum transit, striderat hasta

Quippe solent reges omnes in rebu' secundeis

Contendunt Graicos, Graios memorare solent sos;
Quod Graicâ linguâ longos per tempori' tractus
Hos pavei . . . . . .

. . . . . & sei
Moulier erubuit ceu facte & purpura milta.

Pendent peniculamenta unum ad quemque pedum.

. . . . . malo cruce farum
Ut des Jupiter . . . . . .

Nunc est ille dies, quom gloria maxuma sese
Nobeis ostendat, sei veivimu' sive morimur
Incerto loco.

Rima . . . . . utrique

Altè elata specus, petresque ingentibu' tecta

FRAGMENTA LIB. XII.

Omneis mortaleis victores cordibu' viveis
Laitanteis, vino colratos somnu' repentè
In campo passim mollissumu' perculit acris

Quamde . . . . . .

FRAGMENTA LIB. XIII.

Annibal audacei dum pectore me dehortatur,
Ne bellum faciam, quem credidit esse meum cor
Suasorem summum, & studiosum robore bellei

Pontibus instrateis conjunxit littora Xerxes,

Isque Hellesponto pontem contendit in alto

Littora laita sonunt . . . . .

Matronai melos complent spectare faventes
Incerto loco.

. . . Satin' vates verant sitate in agundâ

FRAGMENTA LIB. XIV.

Quom procol adspiciunt hostcis accedere venteis
Navibu' velivoleis

Omnes occisei obcensesque in nocte serenâ

Verrunt extemplo placidè mare marmore flavo,
Cairoleum spumat sale confertâ rate pollum:

Labitur uncta carina, volat super impetus undas

Ut patefecerunt Fruges . . . .

O patria, o Divom domus Ilium, & incluta bello
Pergama . . . . . .

Quai neque Dardanieis campeis potuere perire,
Nec, quom capta, capei, nec, quom combusta, cremacei

Horrescit teleis exercitus asper utrinque

Insit: O cives, quai me fortuna ferox fic
Contudit? indigno bello confecit acervo
Incerto loco

Romphaia . . . . . .

FRAGMENTA LIB. XV.

Malos diffindunt, sunt tabolata falasque

. . . . succinctei corda machaireis,

Istri duo in obsidione erumpunt portam, & stragem de obsidentibus hostibus faciunt.

Occum-

Digitized by Google

Occumbunt moltei letum ferróque lapíque;
Aut intra moeros, aut extra praicipe casu

Folviu' Nobilior stravit certamine crebro
Aitolos . . . . . .
Regisque Aimiliâ vecta trophaea rate
. . . . . Cretenses . . .
Incerto loco.
Arcus ubi adspiciunt mortalibu' quai perhibentur

FRAGMENTA LIB. XVI.

Quippe vetusta virum non est fati' bella movere
Quo res sapía loco sese ostentátque jubétque
. . . . . se
Primus nec brades in regimen bellesque pereitus
Ingenio fortei dextrum latu' pertudit hasta,
Concidit, & sonitum simol insuper arma dederunt:
. . tamen endovolans summum abstulit hasta
infigue . . . . . .
Vim tua noluntas facit imperiosa, vetando,
Quem Consol meruit, quom res bene gesta, triumpum
Montibus obsipeis obstantibus, unde oritur nox
Reges per regnum statuásque sepolcráque quairunt,
Aidificant nomen, summâ nituntur opum vei
Hos pestis necuit, pars occidit illa duelli
Quos ubi Rex paullo sperit de collibu' celsteis
Tam timido manat ex toto corpore sudor
. . . . . Interea fax
Occidit, Oceanúmque rubra tractim obruit aithra:
Nox quando medieis signeis praicincta volabat
Spero, sei speres quidquam prodesse potes sint
Non in sperando cupidei rem prodere summam
Insidiantes heic vigilant, partim requiescunt,
Contecteí gladieis, sub scuteis, ore faventes
Qui clamos oppugnantis vagore volanti
Navorum imperium servare est Endoperantum
Aistatem Autumnus sequitur, post acer Hiems
. . . . . virósque valenteis
Contudit crudelis Hiems . . . .
Incerto loco.
Prostremai longinqua dies quom fecerit aitas
. . . . . Hebem . . .

FRAGMENTA LIB. XVII.

. . . . . Grumarei . . .
Concava sub montеis latè specus intu' patebat
. . . potes apte pigre sufferre laborem
Non possunt mussare bonei, qui facta labore
Nixei militiai peperere . . . . . .
Sei lucei, sei nox, sei mox, sei quom data sit frux
It eques, & plosu cava concutit ungula terram:
Tollitur in coilum clamos mortus utrimque;
Concurrunt, velutei ventei, quorum spiritus Austrei
Imbricitor, Aquilóque suo cum flamine contrà
Endo mari magno fluctus extollere certant:
Undique conveniunt, velut imber, tela Tribuno

Conscigunt parmam, tinnit hastilibus umbo
Airato sonitu galeai; sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro:
Semper abundanteis hastas frangítque quatítque:
Totum sudor habet corpus, moltúmque laborat;
Nec respirandei fit copia, praipete ferro
Istrei tela manu' jacientes sollicitabant
. . . . . magna ossa lacertesque
Apparent hominei . . . . . .
. . . . . neque corpora firma
Longiscunt quidquam . . . . . .

FRAGMENTA LIB. XVIII.

Quum septimum & sexagesimum annum ageret, duode-vicesimum Annalem scripsit, idque poëta in eo libro dicit.

Sic ut fortis equus, spatio quei saepe sepremo
Vicit Olumpia, nunc senio confectu' quiescit
Omnes mortalеs sese laudarier optant,
Adsectarei omnes cupiunt . . . . .
Nos sumu' Romanei, quei fuvimus ante Rodaiei
. . . . . alici Retorica tongent
. . . . . sanctósque poëtas
. . aire . . . . folva

FRAGMENTA *quae, meo certè dictu, ad certam sedem venire nequierunt.*

Eorum quatuor classes.

I. *Quae citata quidem ex Ennii Annalibus, non indicato tamen libro.*

Interea fugit albu' jubar Hyperioni' cursum
Atque atque accedit moeros Romana joventus
Hispanè non Romanè memoreti' loqui me
Sic mi si qui' ferat vas vini dimidiatum
. . . . . terrai frugiferai

II. *Quae citata quidem ex Ennio, non adjecto tamen opere; putata certè pertinere ad Annales.*

Pars ludicrè jactant saxa inter se licitantur
Nei metus ulla tenet, vias in virtute quiescunt
. . . . . pausam fecere fremendi
. . sagas . croiceas . therva . . .
. . . purpuréeis gemmavit pampinus uveis
. . . . coinacula maxima collei
. . . . . unus
Suru' furum terret tamen . . defendere possit
Omnes corde patrem praibent animóque benigno
Circumfusum . . . . . .
Indignas terreis . . . . . .
. . . . . Divom domus altisonum coil
. . . . . proterviter . . . .
Contra caipantes verba atque obscoena loquutus
Nec dico . nec facio . . . . . .
. . . . . rigido . . .
. . . . . ad illa reddita nuptam
In templeis ipsdem . . . . . .
Aut permaneret paries percussu' trifacei
. . . . . nec retrahei . . potestur
Imperieis . . . . . .

 . . fran-

Digitized by Google

. . . . . frande frutimei
Suaviter 30
Iracunditer . . . . . .
Indè Parum . . . . . ulabant
. . . . . topper quam nemo meliùs ſcit
Florens . . . . . .
Ollei cernebant magnis de rebus agentes 35
. . . . . ſuperbiter
Cum legionibu' quom proficiſcitur Endoperator
Ambactus . . . . . .
Jámque fere quatuor partum . . .
. . . . . ſoſpite liber 40
Indè locei lituus ſonitus ecfundit acutos
. . . . . bipatentibus
Illi eſt nugator nihilei non naucei homo
. . . . quem non virtutis egentem
Surremſit 45
Propter ſtagna, ubi lanigerum genu' piſcibu' paſcit
Armentas . . . . . .
. . . . . redinunt
. . . . . praiclariter . . .
. . . . . clamore bovantes 50
Dico quei hunc dicere cupit . . . . . .
Inluſtris ſublime iter . . . quadrupedantes,
Flammam halitantes . . . . .
Torrus . . . . . .
. . . . . Clodiu' Tuſcus 55
. . . . . ſeptemtrio . . . .
Quom ſaivo obſidio magnum Titana premebat
Crebriſuro . . . . . .
Incedit veles volgo ficilicibu' lateis
. . . ſtipes 60
Quei vicit non eſt victor, niſi victu' fatetur
Optuma cum polcreis animeis Romana joventus
Jam cata ſigna fere ſonitum dare voce parabant
. . . . Inimiciter . . . .
. . . decem coclites ques montibu' ſummeis 65
Ripeeis fodere . . . . . .
. . . . . vortunt crateras aenos
Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobeis
Conſiluere . . . . . .
Quom ſola eſt eadem faciunt longiſcere longè 70
Indè patefecit radicis rota candida coilum
. . . . . endo ſuam do
. . . patrem Divómque hominúmque
. . . . . quaſ ſcis
In volgum volgas, artémque expromis inertem 75
Saliſum humorem . . . . .
Idem campus habet textrinum navibu' longeis

. . . . bona . . . .
. . . . . popolus frus
Quom ſomno ſeſe erſiecat Romana joventus 80
. . . . . pilam vix
Sol mediam complere cohan terroribu' coili
. . . . . Iguaviter . .
. . . . . metari
. . . . quo tam temere iti' citae 85
Catomeraris . . . . . .
O pietas animei . . . . . .
. . . . . ſollil . . . .
. . . . fundúntque elateis naribu' lucem
. quom illud, quo jam ſemel eſt imbuta veneno
. . . . . telóque trabalim 90
Non . decet muſſare bonos . . .
. . . tergum igitur ſagu' pinguis operat
. . . . . noſtrei ceſſere paruinper
Vorſat mucronem . . . .
Proſperiter 95
Sed ſola terrarum poſtquam permenſa paraumper
Succinctei gladeis medià regione cracenes
Feſtinúmque diem feſtinant . . . . . .
.. quod minumum eſt, neque (ut aiunt) mu facere audet
Vocibu' concide . . . fac ſiet obrutus . . . 100
Conſiptum . . . . . .
. . . . . Irarúmque ecfunde quadrigas
Quai valido venit contorta falarica miſſu
Puriter . . . . . .
. . . . mille rotam volvere per annos
Pandite ſolti' genas & corde relinquite ſomnum 105
. . . . . levéſque ſecuntur in haſteis
. . . . . ſpiras legionibu' nexant
Ferro foidatei . . jacent . . . .
. . . . . tunata recedit
Imprimíſque genai genam 110
. . . remorbeſcat . . . . . .
Quis te perſuaſit . . . . . .
Contemſit fonteis, quibus exercit aquai vis
. . . . equitum celeriſſumus . .
. . . . . repoſtus 115
Forteis Romanei . quamquam Coilu' profundus
. . . . vita illa dignu' locóque
. . . vidén' . . . . . .
. . . . . Oratores
Doctiloquei 120
Quairunt in ſcirpo (ſolitei quod dicere) nodum
. . . . . eia machairas
Pérque fabam repunt & mollia craea reponunt
Iſta macella . . . . . .
. . . . . fluctu-

Digitized by Google

. . . . . fluctúsque natanteis

Porgite . . . . . .

. . . . . forum, Puteálque Libonis
Mandabo ficcis; adimam cantare severis.

Ad genua se prosternunt statim lacrumanteis.

O domus Aucei, heu quàm dispari domino dominatis.

. . . . Caput caderet, tuba sola peregit,
Et præeunte viro raucus sonus ære cucurrit.

Buteo, Sanqualis, Immusculus, Aequila, Vultur.

Gnateis parce tueis . . . . .

O Genitor noster Saturne maxime divûm.

. . . . . popoloi Romanoi . .

III. *Citata obliquis verbis, suis numeris restituta.*

. . . Pes premitur pede, & arma terruntur

Armeis . . . . . .

Insidit currum Dictator ubi, oppidum aduque
Pervehitur . . .

. . . Juno placata favere
Coepit Romaneis . . . .

. . . Libereis plorantibus offam
Eripuere Patres . . . .

IV. *Citata non adscripto quidem Auctoris nomine, existimata tamen Ennii.*

Massilei portant juvenes ad littora tanas

Unde habeas quairit nemo, sed oportet habere

Exspoliantur eos, & corpora nuda relinquunt

PHAGETICORUM FRAGMENTA.

OMnibus at Clupea præstat, Mustela marina;
Mures sunt Æni, sit aspra Ostrea plurima Abydi:
Est Mitylenæ Pecten, Apérque apud Ambraciæ amnem:
Brundusii Sargus bonus est: hunc, magnus erit si,
Sume. Apricum piscem scito primum esse Tarentei.
Surrentei fac emas Glaucum, & Cumas apud: at quid
Scarum præterii cerebrum Jovi' penè supremei?
(Nestoris ad patriam heic capitur, magnúsque bonúsque).
Melanurum, Turdum, Merulámq; Umbrámq; marinam?
Polypu' Corcyræ, Calvaria pinguia Atarnæ,
Purpura, Muriculei, Mures, dulces quoque Echinei.

EPIGRAMMATUM RELIQUIÆ.

Q. Ennii *Epitaphium ab ipsomet conditum.*

ADspicite, ô Ceiveis, senis Ennii imagini' formam,
Heic vostrûm panxit maxuma facta patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, nec funera fletu
Faxit. quur? volito vivo' per ora virûm.

P. Scipionis Africani Tumulus.

HEic est ille situs, quoi nemo ceivei', neque hostis
Quibit pro factheis reddere operæ pretium.

De eodem.

A Sole exoriente supra Mæoti' paludes
Nem' est, quei factheis me æquiparare queat.
Si fas cædendo cælestia scandere quoiquam est:
Mî solei cælei maxuma porta patet.

XII. selectorum Deorum nomina.

JUno, Vesta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

EX SCIPIONE.

MUndus cæli vastus constitit silentio,
Et Neptunus sævus undeis aspereis pausam dedit.
Sol equeis her repressit ungueis volantibus,
Constitere amneis perenneis, arbores vento vacant.

Quei propter Annibalis copias considerant.

* Scipiò invicte . . . .

* Define Roma tuos hosteis ---
* Nanque tibei monumenta mei peperere labores;
* Testeis sunt campoi magnei ---

Sparseis hasteis longeis campus splendet, & horret.

* Quantam statuam faciet populus Romanus,
* Quantam columnam, quæ res tuas gestas æquatur.

EX EPICHARMO.

NAM videbar somniare ego me'd esse mortuum

* Aqua, terra, anima, Sol,

Terra corpus est: at mentis ignis est.

Isteic de Sole sumptus ignis.

Isque actus mentis est ---

* Esse igitur dolpus terram, quæ deperit ipsam,
Et capit, & neque jam dispendei conficit hilum.

* Istæc terreis genteis omneis peperit, & resumit denuo,
Istæc dat cibaria; istæc omnibus fruges gerit.

* Frigori immiscet calorem, atque humori aritudinem.

* Omne corpus, ubei nimius ardor, aut humor viget.

* Isteic is est Juppiter, quem dico, Græcei vocant
Aëra; quique densus est, & nubes, imber postea,
Atque ex imbre frigus: ventus pòst fit, aër denno
Istæc propter Juppiter sunt illa, quæ dico tibei,
Qui mortaleis, urbeis, atque bellua omneis juvat,
Quod heic omneis, & sub hoc ---

Ova parire solet genu' penneis condecoratum
Noni adultas ---

Indè venit divinitu' pulleis insignens se
Ipsa anima ---

Proserpina.

EX ASOTO, vel SOTADICO.

IBant malacam viere Veneriam corollam.
Aliúsque in marei volt magno tenere sonsam

* Alii rhetoricam tongent ---
--- Cyprio bovi merendam.

Prope stagna, genus ubei lanigerum piscibus pascit.

* Tibicina maxumo clamore mugit.
* Subulo finitimas propter aflabat aquas.

EX SATYRARUM LIBRO I.

MAlo hercle suo magno convivæ finè modo
Dum quicquid das celere ---

EX SATYRARUM LIBRO II.

INdè locei liquidas, pilatásque atheris oras
Contemplo ---

Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obgannient.

EX SATYRARUM LIBRO III.

ENni poëta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus.

Nam is non bene volt tibei, qui falsò criminat

Apud

Apud te ---

--- teſteis ſunt
Latei eampei, quos gerit Africa terra politos.

EX SATTRARUM LIBRO IV.

NEque triſte queritat ſinapi, neque cepe mœſtum.

EX SATTRARUM LIBRO VI.

QUippe ſinè curâ lætus lautus quom adveniis
Inferteis maleis, & expedito brachio,
Alacer, celſus, lupino impetu exſpectans.
Mox dum alterius obligurrias bona,
Quid cenſes domineis eſſe animi? Prò dîvôm fidem
Ille triſtis cibum dum ſervat, tu ridens voras.

EX INCERTIS LIBRIS SATTRARUM.

NAM quei lepidè poſtulat alterum fruſtrari,
Quem fruſtratur: fruſtra eum dicit, fruſtra eſſe.
Nam ſeſe fruſtrari, quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra.

Hercle puto, hoc erit tibei argumentum ſemper in promptu ſitum,
Ne quid exſpectes amicos, quod tu agere poſſis.
Meum non eſt, at ſi me canis memorderit.

EX PROTREPTICIS.

Pannibus.

EX PRÆCEPTIS.

UBei vidit avenam, lolium creſcere
Inter triticum, ſelegit, ſecernit, aufert ſedulò,
Vei operam addit, quam tanto ſtudio ſeruit.

EX INCERTO LIBRO.

EO ego ingenio natus ſum, amicitiam
Atque inimicitiam in fronte promptam gero.

RELIQUIÆ EX TRAGOEDIIS

Medea,
Iphigenia,
Achillis,
Ajacis,
Telamonis,
Hectoris luſtrorum,
Alexandri,
Andromaches,
Hecuba,
Eumenidum,
Doloreſtis,
Erechthei,
Creſphontis,
Athamantis,
Andromedæ,
Telephi,
Thyeſtis,
Phœnicis,
Menalippes,
Alcmæonis,
Creſſarum,
Alceſtidis,
Nemeæ,
Ilionæ, ſive *Polydori,*
de Ansiopa.

EX COMOEDIIS

Amphithraſonis, Ambracia, Pancratiaſtæ.

Item

Fragmenta alia ex incertis Tragœdiis, & Comœdiis.

EX MEDEA.

NUT. UTinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.
Néve indè navis inchoandæ exordium
Cœpiſſet, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vectei Argivei delectei virei
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio Regis Peliæ per dolum.
Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore ſævo ſaucia.

PÆ. Antiqua, herilis fida cuſtos corporis,
Quid ſic, extra ædeis exanimata eliminas?

NUT. Cupido cepit miſeram nunc me proſequi
Cælo, atque terræ Medeaï miſeriæ.

CHO. Fluctus verborum aures aucupant.

CHO. Quà Pontus Helles ---
MED. Nam multei ſuam rem bene geſſere, & poplicam patriâ procul:
Multei, qui domei ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

MED. Nam ter ſub armeis malim vitam cernere,
Quàm ſemel modò parere ---

CR. * Animadverte, & dicto pare ---
Præter rogitatum ne querare ---

CR. * Si te ſecundo lumine hîc offendero,
Moriere ---

MED. Teneor confipta, undique venor.

MED. Quò nunc me vortam, quò iter incipiam ingredi?
Domum paternámne? anne ad Peliæ filias?

JAS. * Tu me amoris magis, quàm honoris ſervaviſti gratiâ.
MED. * Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus.

MED. --- ſalvete optuma corpora
Certe manus veſtras, meáſque accipite.

CHO. Juppiter, túque adeò ſumme Sol,
Quei res omneis inſpicis,
Queſque tuo lumine
Mare, terram, ac cælum
Contines, inſpice hoc facinus,
Priuſquam fiat, prohibe ſcelus.

EX ALTERA MEDEA.

--- quei ipſus ſibei
Sapiens prodeſſe nequit, nequidquam ſapit.

Adſta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum
Contempla; & templum Cereris ad lævam adſpice.

Utinam ne unquam me de cordis cupido
Corde pedem extuliſſes ---

Quis tu es mulier, quei me inſueto nuncupâſti nomine?

Sol, quei candentem cælo ſublimat facem.

EX IPHIGENIA.

AGA. QUid noctî videtur? SEN. In altiſono
Cæli clupeo temo ſuperat
Stellas, cogens ſublime etiam
Atque etiam noctis itiner.

AGA. Procede; gradum proferre pedum
Nitere. ceſſas?

Menelaus me objurgat: id meis rebus regimen reſtat.

* Ego projector, quòd tu peccas:
Tu delinquis, ego arguor pro malefacteis:
Helena redeat, virgo pereat innocens:
Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia.

AGA. Plebs in hoc Regi anteſtat loco: licet
Lacrumare plebei, regei honeſtè non licet.

IPHI. Acherontem obibo, ubi mortis theſauri objacent.

CHO. Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quàm cùm eſt negotium in negotio:
Nam quoi, quod agat, inſtitum eſt, in illo negotio
Id agit: ſtudet ibei, mentem, atque animum delectat ſuum.
Otioſo in otio animus neſcit, quid ſibi velit.
Hoc idem eſt, neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus:
Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
Incertè errat animus: præter propter vitam vivitur.

EX ACHILLE.

ITA mortaleis inter ſe pugnant, præliant.

Prolato ære adſtitit.

Serva ceiveis, defende hoſteis, cùm potes defendere.

Quò nunc incertâ re, atque inoratâ gradum
Regredere conare? ---

--- nam conſiliis obvarant, quibus

Tamen

Digitized by Google

Tamen concedit hic ordo ---

Nubes per ego Deûm ſubjices humidas,
Unde oritur imber ſonitus aërio ſpiritu.

Ea Thetis illi mater ---

EX AJACE.

ALiquod lumen, jubárve in cælo cerno.

Qui res cum Achiveis geſſerunt ſtatim.

Ajax miſſo ſanguine tepido tullii
Efflanteis volant ---

EX TELAMONE.

HIccine Telamon ille eſt, modò quem gloria ad cælum extulit;
Quem adſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua?

Pol mî fortuna magis nunc deſit, quàm genus:
Namq; regnum ſuppetebat mihi, ut ſcias quanto è loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna accidat.
Audibo, neque aureis tibi contrà utendas dabo.

Deûm me ſentit facere pietas, civium porcet pudor.

Eandem me in ſuſpicionem ſceleris partivit pater.

Ex eo futurum abnueant ---

Nam ita mihi Telamonis patris,
Atque facies prosvi Jovis gratia ea eſt,
Atque hoc lumen candidum claret mihei.

Scibas natum ingenuum Ajacem, cui tu obſidionem paras.

Ego quom genui, tum moriturum ſcivi, & ei rei ſuſtuli,
Præterea ad Trojam quom miſi ad defendendam Græciam,
Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

Strata terra, lavere lacrymis veſtem ſqualam, & ſordidam.

Ego Deûm genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.
Nam ſi curent, bene bonеis ſit, malè maleis; quod nunc abeſt.

Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Thiacos conjectores, non interpretes ſomniûm:
Non enim ſunt ii, aut ſcientiâ, aut arte divinei;
Sed ſuperſtitioli vates, impudentéque hariolei,
Aut inertes, aut inanei, aut quibus egeſtas imperat:
Qui tibei temitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam;
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſei petunt:
De his divitiis noi deducant drachmam, reddant cætera;
Qui ſui quæſtûs causâ fictas ſuſcitant ſententias.

EX HECTORIS LUSTRIS.

MElius eſt virtute jus: nam ſæpe virtute malei
Nanciſcuntur jus, atque æquom, ſe à malis ſpernit procul.

At ego omnipotens te expoſco, ut hoc conſilium
Achiveis auxilii ſint ---

Quid hoc hìc clamoris? quid tumulti eſt? nomen
Qui uſurpat meum? quid in caſtris ſtrepiti eſt?

Hector re ſummâ armatos educit foras,
Caſtriſque caſtra ultro jam fere occupat.

Hector quidem haud ceſſat obſidionem obducere.

--- & ſonit,
Franguntur haſtæ, terra fluxa ſanguine.

Qui cupiant dare arma Achillei, ut ipſei caneſcant.

Ecce caligo oborta eſt, omnem proſpectum abſtulit,
Derepentè contulit ſeſe in pedes.

Servos, & noſtrum imperium, & fidem Myrmidonum
Vigiles commiſereſcite ---

Inferûm vaſtos ſpecus ---

Conſtitit, credo, Scamander: arbores vento vagant.

Severiter fortuna ferri cernunt de victoriâ.

Quæ mea cominus machæra, atque haſta hoſtiris è manu.
Nos quieſcere æquom eſt, novimus ambo Ulyſſem.

Sublime iter quadrupedanteis, flammam halitanteis.

Ducet quadrupedem jugo invitum,
Domabit infrænum, & junget validè
Quoius tenacia infrænari nimis nequit.

EX ALEXANDRO.

VOlans de cælo cum coronâ, & tæniis,

Hominem adpellat: quid laſcivis ſtolide? non intelligit.

O lux Trojæ germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer?
Aut qui te ſic reſpectantibus tractavere nobis?

Jamdudum ab ludeis animus, atque aureis avent
Avidè exſpectanteis nuntium ---

Nam maximo ſaltu ſuperavit
Gravidus armateis equus,
Qui ſuo partu ardua perdat Pergama:

Multei alii adventant, paupertas quorum obſcurat nomina.

Purum putum ---

Quapropter Parim paſtores nunc Alexandrum vocant.

EX ANDROMACHA.

EXtemplo acceptum me necato, & filium.

Ex opibus ſummeis opis egens, Hector, tuæ.

—— quid petam
Præſidii? quid exſequar? quò nunc aut exilio, aut fugâ
Freta ſim? arce, & urbe ſum orba, quò accedam? quò applicem?
Quoi nec patriæ ara domi ſtant; fractæ, & disjectæ jacent:
Fana flamma deflagrata, toſti alti ſtant parietes,
Deformati, atque abiete criſpa ---
O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altiſono cardine templum:
Vidi ego te, adſtante ope barbaricâ,
Tectеis cælatis, laquеatis,
Auro, ebore, inſtructum regificè,
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vei vitam evitari,
Jovis aram ſanguine turpari.
Heu reliquias ſemiuſti regis, denudatis oſſibus
Per terram ſanie delibutam fœdè diverſarier.
Vidi, videréque paſſa ſum ægerrimè,
Curru Hectorem quadrijugo raptarier:
Hectoris natum de mœro jactarier.

Acheruſia templa alta Orci ſalvete infera.

Andromachæ nomen qui indidit, rectè indidit.

Malo torquetis cum ærumnis illum exanclari diem.

Hæc malos annos, multóſque longinquè ab domo
Bellum gerentes ſummum ſummâ induſtriâ.

Quid ſit ſeditio? tubes ne an numeros ſignificat ſuos?

Nam neque tubei, neque bombi quicquam ſincerè ſonant.

Nam ubei introducta eſt, puerúmque ut lavarent, collocant in clupeo.

Rapit ex alto naveis velivolas.

--- ſed quaſi
Ferrum, aut lapis dura, rarentur genitum
Conatur trahere ---

--- di..... m eſt, nam maſſire ſi.....

EX

EX HECUBA.

ADsum, atque adveiio Acherunte vix viâ altâ, atque arduâ,
Per ſpelancas ſaxeis ſtructas aſpereis pendentibus

Maxumeis; ubi rigida conſtat, & craſſa caligo inferûm;
Unde animæ excitantur obſcurâ umbrâ, aperto oſtio
Alti Acheruntis, falſo ſanguine imagines mortuorum.

O magna templa cælitum,
Commixta ſtelleis ſplendideis.

Hæc tu, etſi pervorsè dices, facilè Achivos flexeris.
Nam quom opulentei loquuntur pariter, atque ignobiles
Eadem dicta, eadémque oratio æqua non æquè valet.

Miſerete annuis, date ferrum quî
Me animâ privem ---

Senex ſum, utinam mortem oppetam priùs,
Quàm evenat, quod in pauperie meâ
Senex graviter gemam ---

Vide, hinc meæ inquam lacrumæ guttatim cadunt.

Etſi ſegetem ſunt in deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſæ ſuâpte naturâ enitent.

--- nimium bonei eſt, quoi nihil eſt mali.

Undantem ſalum ---

Nunquam ſcripſiſſis, quis parentem, aut hoſpitem
Necâſſet; quo quis cruciatu perbiteret.

Quæ tibi in concubio verecundè, & modicè
Morem gerit ---

Jupiter tibi ſumme tandem malè re geſtâ gratulor.

Heu me miſeram, interii: pergunt lavere ſanguen ſanguine.

EX EUMENIDIBUS.

NIſi patrem materno ſanguine exanclando ulciſcerem.
Id ego æquom aptiùs feciſſe expediho, atque eloquar.

--- tacere opino eſſe optumum,
Ut pro viribus ſapere, atque fabulari tutè noverint.

Areopagiticam eâ de re vocant petram.

Dico ego viciſſe Oreſtem, vos ab hoc faceſſite.

EX DULORESTE.

EXtemplo Ægiſthi fidem nuncupantes conciebant populum.

EX ERECHTHEO.

QUibu' nunc ærumnâ meâ libertatem paro?
Quibu' ſervitutem meâ miſeriâ deprecor?

Arma rigent, horreſcunt tela ---

--- lapideo
Sunt corde multei, quos non miſeret neminis.

EX CRESPHONTE.

INjuriâ abs te afficior indignâ, pater,
Nam ſi improbum Creſphontem exiſtimaveras;
Cur me huic locabas nuptiis? ſin eſt probus,
Cur talem invitum invitam cogis linquere?
Nullâ te indignâ, nata, afficio injuriâ:
Si probus eſt, bene te locavi: ſin eſt improbus,
Divortio te liberabo incommodis.

--- duxi probum,
Erravi, pòſt cognovi, fugio cognitum.

Duxit uxorem ſibei liberûm quæſendûmcausâ.

Audis, atque auditis, hoſtimentum adjungito.

An inter ſe ſortiunt urbem, atque agros?

O piè eam ſecum advocant, eunt ad fontem, nitidant corpora.

Ego quom meæ vitæ parcam, letum inimico deprecor.

Eho tu, Dii, quibus eſt poteſtas motus ſuperûm, atque inferûm,
Pacem inter ſeſe conciliant, conferunt concordiam.

Neque terram injicere, neque cruenta
Conveſtire mihi corpora licuit,
Neque miſeræ lavere lacrumæ ſalſum ſanguinem.

Nam nos decebat, cœtus celebranteis domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finiſſet graveis,
Omneis amicos laude, & lætitiâ exſequi.

EX ATHAMANTE.

ILis erat in ore Bromius, heis Bacchus pater,
Illeis Lyæus vitis inventor ſactæ.
Tum pariter Evan, Evhyus:
Ignotus juvenum cœtus alternâ vice
Inibat alacris, Bacchico inſultans modo.

EX ANDROMEDA.

QUÆ cava cæli ſignitenentibus
Conſicis bigeis ---

Filiis propter te objecta ſum innocens Nerei.

Scrupeo inveſtita ſaxo, atque oſtreis, quam excaperent:

Circùm ſeſe vruat ad pedes à terrâ quadringentos caput.

Rurſus prorſus reciprocat fluctus feram.

Corpus contemplatur, unde corporaret vulnere.

Alia fluctus differt, diſſupat viſceratim membra:
Maria falſa ſpumant ſanguine ---

Liberûm quæſendûm causâ familiæ matrem tuæ.

EX TELEPHO.

PAlam mutire plebeio, piaculum eſt.

Regnum reliqui ſeptus medici ſtolâ.

Cedo, & caveo veſtitus, ſqualidâ ſeptus ſtolâ.

Verùm, quorum liberei letho datei ſunt in bello,
Non lubenter hæc enodari audiunt.

Deûmque de conſilio hoc itiner credo constam modó.

Te ipſum hoc oportet profiteri, & proloqui,
Advorſum illam mihi ---

Et civitatem video Argivûm incendier.

Qui illum Dii, Deæque magno mactaſſint malo.

EX THYESTE.

--- adſpice hoc
Sublime candens, quem vocant omnes Jovem.

Et me Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus.

Quàm mihi maximè heic hodie contigerit malum.

Heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala!

Impetrem facilè ab animo, ut cernat vitalem Bæbium.

Inflaccebunt conditiones, repudiato, & reddito.

Sed ſonitus aures meas pedum pulſu increpat.

Ibei quid agat, ſecum cogitat, parat, putat.

Quemnam te eſſe dicam? qui tardâ in ſenectute.

--- ipſe ſummeis ſaxeis fixus aſpereis
Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie, & ſanguine atro ---

Neque

Digitized by Google

Neque ſepulchrum, quò ſe recipiat, habeat, portum corporis, ubei
Remiſſâ humanâ vitâ, corpus requieſcat à maleis.

Nolite hoſpites ad me adire, illicò iſtic
Ne contagio mea boneis, umbráve obſit,
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.

EX PHOENICE.

SED virom verâ virtute vivete animatum adjecit fortiter;
Eúmque innoxium vocare: adverſus adverſarios
Ea libertas eſt, qui pectus purum, & firmum geſtitat.
Aliæ res obnoxiæ nocte in obſcura latent.
Ibei tum derepente ex alto in altum deſpexit mare.
Severiter ſuſpectionem ferre falſam, futilium eſt.
Ut quod factum eſt futile amicei nos feramus fortiter.
Plus miſer ſum, ſi ſceleſtum faxim, quod dicam fore.
Stultus eſt, qui cupida cupiens cupienter capit.
Quam tibei ex ore orationem duriter dicteis dedit.

EX MELANIPPA.

REgnúmque noſtrum ut ſoſpitent, ſuperſtitémque
Mihei auſculta, nate, pueros cremari jube.
Certò hìc eſt nulla, quin monſtrum fiet:
Hoc ego tibei dico, & conjectura auguro.
Quòm ſarum ſciciderit ---
Lumine ſic tremulo terra, & cava cærula candent.
Stata forma ---

EX ALCMÆONE.

FActum eſt jamdiu ---
Multi' modis ſum circumventus morbo, exſulio atque inopiâ:
Tum pavor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.
Sed mihi neutiquam cor conſentit.
Unde hæc flamma oritur?
Incede, incede, adſunt, adſunt, me, me experent.
Fer mî auxilium, peſtem abige à me
Flammiferam, hanc vim quæ me excruciat.
Cæruleæ incinctæ igni incedunt,
Circumſtant cum ardentibus tædis.
Intendit crinitus Apollo
Arquum auratum Lunâ innixus:
Diana facem jacit à levâ.

EX CRESSIS.

POlvis oritur, omnem pervolgat cæli fretum.

EX ALCESTIDE.

TIbei vita, ſeu mors in mundo eſt.
Hanc anus admodum fringuit: nimirum ſe ſauciavit flore Liberi.

EX NEMEA.

PEcudi dare viva una marito.

EX ILIONA, ſive POLYDORO.

O Pietas animi ---
Mater, te adpello; tu quæ curam ſomno ſuſpenſo levas:
Neque te mei miſeret; ſurge, & ſepeli natum.
* Age, adſta, mane, audi, itera, dum eadem & iſta mihei.

EX AMPHITHRASONE.

PErvolaverem vitam, cladeſſque exanclarem intpatibiles.

EX AMBRACIA.

PER genteis eſſe cluebat omnium miſerrimus.
Agros audaces depopulant ſervei dominorum dominei.
Et æquora ſalſa veges ingentibus venteis.
Bene mones: tute ipſe cunctato: vide ſortem virum.

EX PANCRATIASTE.

QUem deſubito me orat mulier lacrumans, quæ ad genua accidit.
Quò nunc me ducis? ubei molarum ſtrepitum audibis maximum.
Quis eſt, qui noſtreis foribus tam proterviter?

EX INCERTIS TRAGOEDIIS, ET COMOEDIIS.

HOmo, qui errantî comiter monſtrat viam,
Quaſi de ſuo lumine lumen accendat, facit,
Nihilominus ut ipſi luceat, quòm illi accenderit.
Suarum rerum incertei, quos egò meâ ope ex
Incertis certos, compotéſque conſilii
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.
Amicus certus in re incertâ cernitur.
Quem metuunt, oderunt:
Quem quiſque odit, periiſſe expetit.
Benefacta malè locata malefacta arbitror.
Quòd nemò eſt tam firmo ingenio, aut tantâ confidentiâ,
Quin refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.
Salmacida ſpolia ſinè ſudore, & ſanguine.
Flagitii principium eſt nudare inter civeis corpora.
Tanto ſibilate ſant agmine tunc lapides.
Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.
Minimè nomine fieri pravum.
Animúſque æger ſemper errat, neque pati,
Neque perpeti poteſt, cupere nunquam
Deſinit ---
O fides alma, apta penneis, & jusjurandum Jovis.
Atque genua comprimit arta gena.
Philoſophandum eſt paucis, nam omnino hauti placet.
Quoi quod in me eſt, exſecrabor hoc, quo facet quicquid eſt.
Ut tibei Titanis Trivia dederit ſtirpem liberûm.
Quin indè invicteis ſumpſerunt perduellibus.
Si voles advortere animum, comiter monſtrabitur.
Frunde, frutimi, ſuaviter.
Atque priùs pariet locuſta lucam bovem.
Vos epulo poſtquam ſpexit.
Habet is coronam vitulam victoriæ.
Apud emporium in campo hoſtium per mœne.
Ille meæ tam potis pacis potiri.
Parentem & patriæ dii ſervate ſoſpitem.
* Quem incertum tu ibi credere, atque exercere lingeâ, ut argutarier poſſis.
Vivam, an moriar, nulla in me eſt metus.
Aut permaceret paries percuſſus trifax.
O terra trita, ubei Liberi fanum,
In cujus mœro locavi ---

Cubitis pinſibant humum.
Et quis illæc eſt, quæ lugubri ſuccincta eſt ſtolâ?
Labat, labuntur ſaxa, camentæ cadunt.
Nec retrahi poteſtur imperiis.
Eos deduci, quàm relinqui; evehi, quam deſeri malui.
An aliquid quod dono illi morares, ſed accipite.
Ira inſaniæ initium ---
Num non vis hujus me verſutiloquas malitias?
Hehe ipſe clupeus cecidit ---

Quicquam quiſquam cuiquam, quod conveniat, neget.
Feſtinant diem ---
Qui ſilentio noctis favent faucibus
Ruſſis, cantu, plaudque premunt alas.
--- quaſi in choro pilâ
Ludens, datatim dat ſeſe, & communem facit.
Aliam tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata, alii perpellit pedem,
Alii dat annulum ſpectandum à labris;
Aliam invocat, cum alio cantat: attamen
Aliis dat digito literas ---

PLAUTI FRAGMENTA.

ACARI STUDIUM.

QUAM ego tantâ pauperavi per dolum pecuniâ.

ABROICUS.

QUASI lupus ab armis valeo: clunes infractos gero.

ADDICTUS.

OPUS facere nimiò quàm dormire mavolo: veternum metuo.

ARTAMON.

Nunc mihi licet quidvis loqui: nemo adeſt ſuperſtes.
Unguentum quod naribus mulionum nauteam feciſſet.

ASTRABA Latinè CLITELLARIA.

SEQUERE, ſequere, Polybadiſce: meam ſpem te cupio conſequi.
POLYB. Sequor hercule quidem. nam lubenter, mea ſperata, conſequor.

Axitioſæ annonam caram è vili concinnant viris.
Quaſi tollenonem aut pilum reciproces planâ vîâ.
Terebrâ ea quidem pertundis.
Dare pedibus protinam ſeſe ab his regionibus.
Terebratus multùm ſit: & ſubſcudes addite.
Non quaſi, ut hæc ſunt heic limaces lividæ.
--- quaſi tolleno, vel
Pilum Græcum reciproces planâ viâ.
Quæ niſi hic biteris, nimiùm is vegrandi gradu.
Pol ad cubituram, mater, magè ſum exercita:
Reliquùm, ad curſuram ſum tardiuſcula.
Quid tuam amicam times, ne te manuleâ caiet?
Prohibet divitiis maximis, dote altili atque opimâ.
Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.
Quæ quaſi carnificis angiporta pergitans.
Intro ad bonam meretricem: adſtat ea in viâ
Sola: protibula ſanè eſt ---
Malum aufer: bonum mihi opus eſt.
Miminere officium ſuum.
Potin'es tu homo facinus facere ſtrenuum?

N. Aliorum eſt affatim qui faciant. ſanè ego
Me volo fortem perhiberier virum ---
Tún', túne igitur mea matercula?
Germana mea ſororcula.
Si quidem imperes pro copiâ, pro reculâ.
Datores belliſſimi negotioli ſenecis ſoletis eſſe.
Adhinnire equulam poſſim ego hanc, ſi detur ſola ſoli.

BACCHARIA.

Quis eſt mortalis tantâ fortunâ affectus unquam,
Quàm ego nunc ſum? cujus hæc ventri portatur pompa.
Vel nunc, qui mihi, in mari acipenſer latuit antehac,
Cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.

BIS COMPRESSA: BOEOTIA.

Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit,
Quiſque adeò primus hìc ſtatuit ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat ſolarium
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſimum.
Ubi iſte monebat eſſe: niſi cùm nihil erat.
Nunc etiam quod eſt, non eſt, niſi ſoli lubet.
Itaque adeò jam oppletum eſt oppidum ſolariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

CÆCUS, ſive PRÆDONES.

Nihil quicquam factum niſi fabre, nec quicquam poſitum ſinè luco, auro, ebore, argento, purpurâ, picturis, ſpoliis, tum ſtatuis.
Neque eam à me invito unquam abduces.
Spectari ludos magnificè atque opulenter.
Peregre eſt.
Plure altero tanto, quanto ejus fundus eſt, velim.
Ita ſunt prædones, prorſum parcunt nemini.
Velim te arbitrari factum. R. ſedulum eſt.
ſubmoventur hoſtes, removentur lapides.
Si non ſtrenuè fatetur, ubi ſit aurum, membra ejus exſecemus ferrâ.
Nihil feci ſecus, quàm me decet.
Quis tu es, qui ducis me? mu! perii hercle, Afer eſt.

CALCEOLUS.

MOLLUSCAM nucem ſuper ejus dixit impendere tegulas.

CAR-

Digitized by Google

CARBONARIA.

SECUNDUM ipſam aram aurum abſcondidi.

Eſto pernam, ſumen ſueris, ſpectile, callum, glandia.

Patibulus ferar per urbem, deinde affigar cruci.

COLAX.

Batiolam auream octo pondo habebat, accipere noluit.

COMMORIENTES.

—— Saliam in puteum præcipes.

CONDALIUM.

Tam crepuſculo fere, ut amens, lampadas accendit.

CORNICULARIA.

Facite olant ædes Arabicé.

Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.

Latrocinatus decem annos mercedem.

Pulcrum & luculentum hodie evenit prælium.

Te obſecro, Lyde, pileum meum, mi ſodalis, mea ſalubritas.

Quid ceſſamus ludos facere? Circus noſter ecce adeſt.

Qui amant ancillam meam Hedylium oculitùs

Mihi Laverna in furtis celebraſtis manus.

DYSCOLUS.

Virgo ſum: nondum didici verba nupta dicere.

FOENERATRIX.

Heus tu! in Barbariâ quod dixiſſe dicitur
Liberta ſuæ patronæ, id ego dico tibi:
Liberta ſalve: VAPULA Papyria.

FRETUM.

Hoc illud eſt
Quod arietini reſponſum magnis ludis dicitur:
PERIBO, SI NON FECERO: SI FAXO, VAPULAVERO.

FRIVOLARIA.

Commodò dictitemus.

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tuſſis, febris querquera.

--- ſequimini hàc
Sultis legiones omnes Lavernæ. ubi rorarii
Eſtis? en ſunt. ubi ſunt accenſi? ecce*
Agito, ſubſidite omnes, quaſi ſolent triarii.

Navè agere oportet, quod agas, non ductarié.

Superabóque omnes argutando præcas.

--- tunc papillæ primitus
Fraterculabant; illud volui dicere,
Sororiabant. quid opus eſt verbis? &c.

O amice, ex multis mihi unc Cephalio

Strebula agnina tene.

GASTRION, vel GASTRON.

Caro ſtrebula, vitellina eſt: cannabis.

HORTULUS.

Præco ibi adſit cum coronâ: quique licetat, veneat.

KAKISTUS.

--- malo hunc affigari ad oriam;
Ut ſemper piſcetur, etſi ſit tempeſtas maxima.

LENONES GEMINI.

Dolet hic puellus, ſeſe venam ducier.

MEDICUS.

In conſpicillo adſervabam: pallium obſervabam.

Paraſito cum virgis caſeum radi poteſt.

Domi reliqui exoletam virginem.

NERVOLARIA.

Scobinam ego limâ actutum adraſi.

Scrancæ, ſcrupedæ, ſtrictivellæ, tantulæ.

Prohibent, quom mœnia aliunde ego fungor mea.

Ocyſſimè nos liberi poſſimus fieri.

Polluctè prodigum eſſe amatorem addecet.

vinum ſubleſtiſſimum.

Inſanùm valdè uterque deamat.

PATINA, ſive PATINARIA.

Nam quid ille nunc tam diu intus remorantur rem eligines?

PARASITUS-PIGER, ſive LIPARGUS.

I DEM benè appotus primulo crepuſculo
Domum ire cæpi tramite rectâ viâ.

Ambo magnâ laude lauti: poſtremò ambo ſumus noti nauci.

Addite lepades, echinos, oſtreas,

Nihil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

PHAGON.

Honos ſynceraſto perit.

PLOCIONA.

Nam coloratam frontem habet, petilis labris.

SATURIO.

CATULINAM carnem efitaviſſe, *hoc eſt, comediſſe Romanos, Plautus in Saturione refert.*

Retrahi nequitur, quoquò progreſſa eſt ſemel.

Malo tibi eveniſſe video. qui glaber erat tanquam rien.

Succenturia; centum require, qui te delectent domi.

SCYTHA LITURGUS.

MULIER es, uxor. Caja, vir? ego novi, ſcio: axiosa es.

--- Sin ea mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut petum, aut brocchum filium.

TRIGEMINI.

Ni fugiſſem, medium credo præmorſiſſet.

VIDULARIA.

UBI quamque pedem videbat, ſuffurabatur omnis.

Nescio qui servus è myrteâ prosilait.

Paupera hæc res est.

Opposita est ciaxendix. at ego dicam signi quid sit.

Animum advortite ambo, si vultis, viduium hìc apponite.
Ego servabo, quasi sequestro detis: neutri reddibo, donicum
Res judicata erit hæc.

Haud fugio sequestrum.

Inopiam, luctum, mœrorem, paupertatem, algum, famem.

Ejusdem Bacchæ fecerunt nostram navim Pentheam.

Nunc, ut apud sequestrum viduium posivimus.

Nunc servus argentum à patre expalpabitur.

Imò id quòd hæc nostra est patria, & quòd hic meus
Est pater, illic autem Soterinis est pater.

Malim moriri meos, quàm mendicarier. boni ministrantur: illum nunc irrident mali.

Signum rectè comparebat: hujus contendi annulum.

Quid multa verba? plurimùm luctavimus.

--- Jube hunc insui culleo,
Atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

Ibi ut piscabar, fascinâ ici viduium.

Nam audivi fœminam ego leonem semel parire.

FRAGMENTA *ex Fabulis, quarum nomina amissa sunt.*

EPEUM fumificam, qui legioni nostræ habet coctum cibum.

Oggannuit odiosus omni totæ familiæ.

Licet vos abire curriculò.

Jam tibi tuis meritis crassus corius redditus est.

Dii bene vortant! tene cruminam: in eâ erunt triginta minæ.

Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quàm famam reor.

Stultus est adversùm ætatem & capitis canitudinem.

Numnam mihi oculi exsultant? éstne hic noster Hermio.

Ejuravit militiam.

Sic me subes cotidie, quasi fiber salicem.

Herbam do.

Iniit te unquam febris?

Neque muneralem Legem, neque Lenoniam;
Rogata fuerit nécne, floccid æstimo.

Perfidiosè captus, edepol nervo cervices probas.

Muriatica autem video in vasis stagneis:
Bonam naritam, & camarum, & tagenia:
Echinos fartos, conchas piscinarias.

Non ego te novi, navalis scriba, columbar impudens?

Nihil deconciliares illi, nisi quid Persibus sapis.

Sacrum an profanum habeas, parvipenditur.

Ulcerosam, compeditam, subverbustam, sordidam.

Glirium examina.

--- sed leno egreditur foras.

Hinc ex occulto sermonem ejus sublegam.

Nec, machæra, audes dentes frendere.

Floccipendo quid rerum geras.

Argentum hinc facite.

Clandestina ut celetur consuetudo.

Properant prandium.

Quam folles taurini habent, cùm liquescunt petræ, ferrum ubi sit.

Non hic ut possit, edit; sed posse cupit, ut edat.

Fortasse se amare suspicavere.

Instare factum.

Egóne illi venear?

Inimicus esto, donicam ego revenero.

Pedibus.

Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.

Nunquam ad civitatem venio, nisi cùm infertur peplum.

Scelerare manus.

Ipsa sibi avis mortem creat.

Pro larvato te circumferam.

Paupera hæc est mulier.

--- Si quæ fortè concio est,
Ubi eum hietare nondum in mentem venit.

Cilix, Lycisce, Sosia, Stiche, Parmeno,
Exite, & ferte fusteis privos in manu.

Anus hæc in pellis periculum protenditur.

Cedite mihi.

Mecum habet patagus, morbus, os.

Quid est hoc? rogat pallium. amictus non sum commodè.

--- exi tu Dave,
Age, sparge. mundum esse hoc vestibulum volo.
Venus ventura est nostra. non hoc pulveret.

Regiescit.

Pullaria.

Vesperus.

Neque ego ad mensam publicas res cliamo, neque leges crepo.

LOCI EX COMOEDIIS, quæ extant, citati: qui tamen in nostris hodie Codicibus nusquam comparent.

AMPHITRUONE.

OPTIMO jure infringatur aula cineris in caput.

Ne tu postules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.

Herus Amphitruo occupatus.

Quæse adveniente morbo nunc medicum tibi.
Enim tu certè aut larvatus aut cerritus es.
Ædepol hominem te miserum! medicum quærita.

Cuique, me absente, corpus vulgavit suum.

Exjuravisti te mihi dixe per jocum.

Qui nequeas nostrorum uter sit Amphitruo decernere.

Nisi hoc ita factum est, proinde ut factum esse autumo,
Non causam dico, verùm qui infimales probri?

Manifestum hunc obtorto collo teneo furem.

Ibi scrobes effodito duplos sexagenos in dies.

Ar

At ego certè cruce & cruciatu muctabo: exi ô foras, maſtigia.

ASINARIA.

Qui etiam me miſerum famoſum flagitiis facit ſuis.

Heic aderit, credo, congerro meus.

AULULARIA.

Nec noctu nec diu quietus unquam eam, nunc dormiam.

--- ſed leno egreditur foras.
Hinc ex occulto ſermone ſatus ſublegam.

Homo ebriolatus ſomno ſanari ſolet.

Qui mihi olera cruda ponunt, halec dant.

Ego ecfodiebam in die denos ſcrobes.

Hic quidem pervicus cuſtodem addidit.

Pro illis crocotis, ſtrophiis, ſumptu uxoris.

Ut admemordi hominem.

myrtam, myrtum.

CAPTEIVEI.

Fac fidele: cave fluxam fidem feras.

Pileum, quem habuit, deripuit, eámque ad cœlum tollit.

Auctionem facio paraſiticam.

CASINA.

Peril! illic habebit flocco jam homo lumbos meos.

Intro ad uxorem, ſufferámque meum tergum ob injuriam.

BACCHIDES.

ILLA mei cognominis fuit.

--- nam & mari timida ecce ego
Pavitare

Quibus in[illegible]ium animi utibile, eſt modicum & finè
Vernilitat[illegible]

Ecquis evoc[illegible] cum nafiternâ & cum aquâ illum impuriſſimum?

Quæ ſodalem atque me exercitos habet.

Nam tu quidem cuivis excantare cor facilè potes.

Vincla, virgæ, mole ſuavitudo mala ſit pejor.

Cor meum, ſpes mea, mel meum, ſuavitudo, cibus, gaudium.

Limaces viri.

Ne à quoquam alio acciperes mercedem annuam
Niſi ab ſeſe: nec cum quiquam limares caput.

Cupido te conficit, ſine amor?

Præneſtinum, opino, eſſe: ita erat glorioſus.

Sin lenocinium fortè collubitum eſt tibi,
Videas mercedis quid tibi eſt æquum dari,
Ne iſtâ ætate me ſectere gratiis.

Ulyſſem audivi fuiſſe rerumnoſiſſimum,
Qui annis viginti errans à patriâ abfuit:
Verùm hic adoleſcens multo Ulyſſem anteit,
Qui illico erat intrà muros civicos,

MOSTELLARIA.

SINE juxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia.

MILES.

ITA nos noſtrámque familiam habes exercitam.

Modicè ſapis.

PSEUDOLUS.

Ni carcerem aliquando effregeritis veſtram domum.

POENULUS.

IMPORTUNA avis venit veſperi.

RUDENS.

QUID murmurillas tecum, & te diſcrucias?

Aulas abſtulas.

STICHO.

Nónne hoc publicitus.

TRUCULENTUS.

BONA perdidi, mala repperi: factus ſum extimus à vobis.

CN. NÆVII FRAGMENTA.

CN. NÆVII *VITA*,

Ex Petro Crinito & Lilio Giraldo deſumpta.

CN. NÆVIUS Poëta Comicus illuſtris eſt habitus, Campanus fuit, ut à Gellio traditur in Atticis noctibus. Volcatius Sedigitus poſt Cæcilium & Plautum conſtituit illi tertium locum. Neque Licinio tantùm, verùm etiam Attilio, Terentio atque Turpilio præpoſuit. Eo maximè tempore in ſcenâ dicitur præſtitiſſe fabulis ad populum editis, quo Sp. Carbilius, cognomento Ruga, primus Romæ de amicorum ſententiâ divortium cum uxore fecit, quòd eſſet ſterilis, juravitque apud cenſores, uxorem ſe liberûm quærendorum causâ habere. Traditum eſt ab antiquis ſcriptoribus, Poëtam Nævium ſtipendia feciſſe bellis Punicis, idque ipſum teſtari Nævium eo carmine, quod à ſe ſcriptum eſt de bello Punico. Quâ in re nec illud eſt omittendum, quòd cùm eſſet unicum volumen Nævii, Octavius Lampadio, Grammaticus excellens, diviſit illud in VII. libros, ut alibi diligenter expoſuimus. Priſci enim Grammatici conſueverunt pro judicio ſuo, atque eruditione, omnium ſcriptorum opera, percenſere autoréſque ipſos aut numero eximere, aut in ordinem redigere. Scripſit Nævius præter Punicum bellum Comœdias ac Tragœdias ſtylo in primis erudito & gravi, ut veteres teſtantur. Comœdias aliquot exemplo Græcorum compoſuit probris atque maledicentiâ plenas, in quibus Romanæ civitatis principes acriter eſt inſectatus: ut qui Metellum conſularem virum, & P. Scipionem Africanum maledictis ſuis oneraverit. Sic enim de Scipione:

Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit gloriose,
Cujus facta viva nunc vigent: qui apud gentes ſolus
Præſtat: eum ſumpater cum pallio meâ ob amicâ abduxit.

Hinc

Hinc factum est, ut Poëta Nævius in vincula conjiceretur à Triumviris, propter immoderatam verborum petulantiam, ac mordacitatem. Et cùm aliquandiu haberetur in custodiis, tabulas aliquot composuit. Paulò mox à Tribunis plebis è carcere exemptus est, eâ conditione, ut delicta illa ac probra dilueret, quæ contra Romanos cives suis fabulis inseruerat. De quo scribuntur complura in Atticis commentariis. Qui de Nævii fabulis agunt, citant illum in Alceste, in Aureolo, Lycurgo, Tripholo, Leonte, in Colace, Ægistho, Tereo, & Zenone. Terentius Varro in libris de Latinâ linguâ ad M. Tullium, plures alias pro Nævianis commemorat, ut Esionam, Clastidium, Dolum, Demetrium, Persas, Lampadionem, Agedonem, Romulum, Stigmatiam. Ab hôc Nævio multa mutuatus est Pub. Virg. sicuti ab Ennio, Lucretio, Pacuvio & aliis: ut à Macrobio diligenti studio est observatum. Obiisse traditur Uticæ, cùm factione nobilium, præcipuéque Metelli, foret ex Urbe ejectus.

BELLO PUNICO.

INerant signa expressa quomodo Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes, Rhuncus atque Purpureus, filii terras.

Sylvicolæ homines bellique inertes.

Marcus Valerius consul partem exerciti in expeditionem ducit.

Blandè & doctè percontat Ennius quo pacto Trojam urbem reliquisset.

Prima incedit Cereris Proserpina puer.

Jámque ejus mentem fortuna fecerat quietem.

Deinde pollens sagittis inclytus arcitenens sanctúsque Delphis prognatus Pythius Apollo.

Hectore proficiscente tunc ipsos adoriant, nequis hinc Spartam referat nuntium.

Isque sursum ad cælum suas res Amulius gratulabatur divis.

Tarquinio dedit imperium simul & sola regni.

Virum prætor adveniet, auspicat auspicium prosperum.

Transit Melitam Romanus exercitus, insulam integram urit, populatur, vastat, rem hostium concinnat.

Eam carnem victoribus danunt.

Simul atrocia projecerunt exta ministratores.

Vicissatim volvi victoriam.

Superbiter contemptim conterit legiones.

Convenit regnum, simulátque locos ut haberent.

Septimum decimum annum illico sedent.

Censent eò venturum obviám.

Id quoque pacíscunt mœnia sint, quæ Luctatium reconciliant captivos plurimos.

Summe deûm regnator, quisnam genus isti?

Senex fretus pietate deûm, alloquutus summi deûm regis fratrem Neptunum, regnatorem marum.

Magnámque domum decorémque ditem vexerant.

Fames acer augescit hostibus.

Plerique omnes subjungunt sub suum judicium.

--- pulchrámque ex auro vestémque citrosam,
Quod bruti nec satis fardare queunt.

Res divas edicit, prædicit cuius.

Qui sequuntur loci, ex fabulis petiti sunt, quarum nonnullas non Nævio solùm, sed & Novio adscribunt grammatici. Nam tam Novium quàm Nævium in Colace, Danae, Exodio, Lycurgo, Pedio, & aliis, citant. Nos autem, nostrum de hac re suspendentes judicium, omnes qui ex unâ eâdemque fabulâ afferuntur loci, uno in loco ponendos censemus; sive ea diversitas nominis ab ipsimet grammaticis posita sit, sive ex nato librariorum incuriâ errore irrepserit. Siquidem non tantùm diversa est in diversis exemplaribus scriptura, sed in uno eodémque codice iidem versus ejusdem fabulæ ab eodem grammatico citati nomine Nævii, uno in loco, in altero, nomine Novii reperiuntur: & quædam quæ Gellius Nævio, Nonius Marcellus Novio adscribit, si quidem fides vulg. eorum editionibus adhibenda est. Quin & tertium quoddam nomen Navius pro Nævius alicubi legitur.

ACONTIZOMENO.

Acontizomenus fabula est primè proba.

Sulpitii noctu interfecit.

Hujus autem gnatus dicitur geminum alterum falsò occidisse.

AGITATORIA.

Age, ne tibi mihi adversari dicas, hunc unum diem de meo sequor: sinam ego illos esse tax pax, postea currentes ego illos vendam, nisi tu viceris.

Eho, an vicimus? vicistis volop: quomodo dicam tibi.

Secus si unquam quicquam feci, carnificem cedo.

Quasi dedità operâ, quæ ego volo, ea tu non vis: quæ ego nolo, ea cupis.

Ego semper pluris feci potiorémque habui multo quàm pecuniam.

Nimiò arte colligo, cur inquæsita colligor.

AGRICOLA.

Lernete duo verbis, etiam primò & postremó.

Quid ita? quia enim repueraseis, fugit has personas pater.

Ædepol paternam qui comest pecuniam.

ALCESTIDE.

Corpore pectoréque undique obeso, ac mente exsensa, tardigenulo senio oppressum.

* Oblitera gens. * Fœdifragi. * Aurora pudicolor. * Memnon nocticolor. * Fortè, dubitanter. * Loca silenta: pulverulenta: pestilenta. * Carendum tui est. * Magno impete. * Forteseere. * Dolentia. * Avens pro libens. * Curis intolerantibus. * Manciolis tenellis. * Quis tam filiceo? * Fuere impendio. * Accipitret. * Trisæclisenex, dulcioriloquus Nestor. * Multigrumis fluctibus. * Tegmine onychino flumina. * Subducti supercilii carptores.

Velata frondentes comas.

AGRYPNUNTIBUS.

Nam in scenâ vos nocturnos cupit præmiatores tollere.

APPELLA.

Cui cepe edendo oculus alter profluit.

Ut illum dii terant qui primùm olitor cepam protulit.

ARIOLO.

Quis herì apud te, Prænestini & Lanuvini hospites.
Suopte utrosque decuit acceptos cibo.
Alteris inanem bullam madidam dari,
Alteris nuces in proclivi profundere.

Deprandi autem leonis obdas oreas.

ASI

ASINIO.

Age nunc quando rhetoricâsti, reſponde quod te rogo.

ASSITOGIOLA, *fortè* AGITATORIA.

Ac ſibi proſpica ac deſpica.

AULULARIA.

Præciſum, omaſum, pernam, callum, glires, glandia.

BUBULCO CERDONE.

Quum ad lupam noſtram tam multi crebrò commetant lupi.

BUCCULA.

Quod editis nihil eſt: ſi vultis quod cacetis, copia eſt.

CARBONARIA.

Tibi ſervi multi apud menſam adſtant, ille ipſe adſtat quando edit. 56

CLASTIDIO.

* Vita inſepulta lectus in patriam reduxit.

COLACE.

Ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam me dedi.

Et aſſeri laudes ago cùm votis me multatis meis, quòd præter ſpem quem vellem audiebam: hoc mihi Ennius.

Qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibi à publicando Herculis decumas. 60

Et volo, & vereor, & facere in proluvio eſt.

COROLLARIA.

Nolo ego hanc adeò effictim amare. dia vivat volo, ut mihi prodeſſe poſſit.

Utinam naſum abſtuliſſet mordicus.

Quid ſalve at tat tat at at tatæ? Rivalis. Salve. quid iſtud à te advertiſti tam citò?

Se tale verbum cave faxis. 65

Nimis homo formidoloſus eſt.

DANAE.

Omnes formidant hominis ejus valentiam.

Animi jubeo fonte lavere nemini manum.

Contemplo placidè formam & faciem Virginis.

Excidit orationis omnis confidentia. 70

Indignè exigor patriâ innocens.

Quam quondam fulmine icit Jupiter.

Quia ut quiſque eſt meritus, præſens pretium pro factis ferat.

Deſubito famam tollunt, ſi quam ſolam videre in viâ.

Etiam minitas? mitte ea quæ tua ſunt magis quàm mea.

Manubias ſuppetat pro me. 76

Eam nunc eſſe inventam opprobriis compotem ſcis.

DECUMA.

Quid prophanari modò ſi treis menſes in æde, ut pariter diſpertiam. 80

Me non vocabit ob eam rem, hanc feci fallam.

Jam ego illi ſubiens ſublabrabo eſui illud ſinciput.

DOTATA.

Artivit lingam in palatum, cœpit labia fugere.

Meum in penum componam ſatius eſt.

DUOBUS DOSENNIS.

Sequimini, præmiuate, ſequere temeti timor. 85

DULORESTE.

Caperatâ fronte.

ECULEO.

Oleas, cepe, ficus.

EQUO TROJANO.

Nunquam hodie effugies quin meâ manu moriare.

EROTOPÆGNIOIS.

Nocte ut opertus amictu latibuletur.

EXODIO.

Quando ad ludos venit, alii quum tacerent, totum diem argutatur quaſi cicada. 90

Multùm ames, paulum des crebrò, venias rarenter.

Puerum mulieri præſtare nemo ſcit quanto melior ſit, cujus vox gallulaſcit, cujus jam ramus roboraſcit.

In molis non ludam, raptim pilo, datatim morſo.

Putidam poterunt antequam pugnum pilant.

FIGULO.

Nimis avarus. 95

FULLONIBUS FERIATIS.

Vortit ſe in omnes beſtias, comeſt quicquid tetigit tantùm.

Nihil eſt periculi. dabo tibi virum validum, virum animoſum.

Teſtis peſtinas piſtillos mihi cantent.

FUNERE.

Agite, exite, temulentiâmque tollite.

GALLINARIA.

O peſtifera Pontica fera, trux tolutiloquentia. 100

Mactatote hiſce verbenis. mactat villam infortunio.

Operæ coactor, cantor, curſor, ſeniam ſonticum.

GEMINIS.

O domus parata pulchræ familiæ feſtiviter.

GLAUCOMA.

Quod de eo obſonio ſtilo mihi in manum pupugit.

GYMNASTICO.

Saxa, ſylvas, lapides, montes disjicis, diſpulveras. 105

Utrum eſt melius? virginem an viduam uxorem ducere? virginem ſi muſta eſt.

Homines, pecua, belluáſque.

At enim tu minùs ſpiſſè atque tardè incedis.

Pol aut paraſitorum aliorum ſimile eſt.

Atque meis bonis omnibus ego te harem faciam.

In alto navem jubet deſtitui ancoris.

Ædepol Cupido quàm puſillus ſis, nimis multùm vales.

HECTORE.

--- Lætus ſum
Laudari me abs te, pater, laudato viro.

Proficiſcente tunc ipſos adoriant, ne quis hinc Spartam referat nuncium.

HESIONA.

Sine mihi morem gerere videar, haud lingulâ, verùm lingulâ.

HETÆRA.

Conatus artivit matri inter fœmina fortiter.

ILIADE CYPRIA.

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Fœcundo penetrat penitus thalamóque potitur.

IPHIGENIA.

Paſſo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras.

ITHYPHALLO.

Si unquam quicquam filium reſcivero
Argentum amoris causâ ſumpſiſſe mutuum,
Extemplo illò te ducam, ubi non deſpuas.

LIGARARIA LICINIARIA.

Quia ſupellex multa quæ non utitur, emitur tamen.

LIGNARIA.

Signare oportet frontem calidâ forcipe.

LUPO.

* Vel Veiens regem ſalutat jube Albanum milium comitem ſenem ſapientem contra redhoſtis Menalus.

LYCURGO.

Vos qui regalis corporis cuſtodias
Agitis, ite actutum in frondiferos lucos, ubi
Ingenio arbuſta nata ſunt, non obſita.
Ducite eò cum argutis linguis mutas quadrupedes:
Alii ſublimè alios ſaltus illicite, ubi
Bipedes volucres lino linquant lumina.
Ut in venatu vitulantes ex aviis
Locis nos mittant pennis decoratos feris.

Longè latéque trans noſtros fervere.

Tuos qui celſos terminos tutant.

Ignotæ iteris ſumus, tute ſcis.

--- oderunt dii homines injurios:
Egóne an ille injuriè facimus?

Sed quaſi amnis cis rapit, ſed tamen inflexa flectitur.

Jam ſolis æſtu candor cùm liqueſceret.

Pallis, patagiis, crocotis, malatiis, mortualibus.

Quáque incedunt, omnis arvas obterunt.

Pergite thyrſigeræ Bacchæ modò
Bacchico cum ſchemate. ---

Proin Dryante regem prognatum patre
Lycurgum * cette.

Sine ferro pœna manibus ut ad mortem meant.

Altè jugatos angues in ſeſe gerunt.

--- Cave ſis tuam
Contendas iram contrà cum irâ Liberi.

Suave ſummum melos.

Næ ille mei feri ingenii atque animi acrem acrimoniam.

Jam ibi nos duplicat advenientis timos
Vapóſque. ---

Ut videam Volcani operâ, hæc flammis fieri flora.

Dic quo pacto eam potiti, pugnâ an dolis?

Nam ut ludere lætantes inter ſe vidimus
Propter amnem, creterris ſumere aquam
Ex ponte. ---

Vos qui adſtatis obſtinati.

MACCHO EXULE.

Verberatio, populus homini labias pugnis cædere.

Pecunia quid bonum? Quid bonum, reſpondi, Sardis veniens calcum?

Scalpis dentes derepente in cavam ſi peccaveris.

Dixi iterum hominem in Thuſcos tolutim.

Curiſis, tunc vadimonia ſuum veſtimentum veſceris.

Limen ſuperum, quod mihi miſero ſæpe confregit caput: inferum autem, ubi ego omnes digitos detregi meos.

Actutum ſcribit cum in nervo nictabere.

MALEVOLIS.

Si perconctâſſem, malum hoc me præteriſſet.

Unde hoc tam repentè jucundum inaudivi malum?

MANIA. vide in MIMA.

MILITIBUS POMETINENSIBUS.

Inſtant mercaturam: Spero rem faciet. frugi eſt homo.

Tu pueri puſilli ſimile es: quia enim ad os fers quicquid nactus es.

Valgus, veternoſus, genibus magnis, talis turgidis.

MIMA MEDICA.

Lachrymæ cadent, calet piſtillus.

Medicatè volumus dona donare pulchra, præſente omnibus.

MORTIS & VITÆ JUDICIO.

Ita vobis otioſus ſum: mihi algebo & mihi eſuribo.

OPTIONE.

Qui me miſerum miſeriorem reddidit quàm panus puerum.

PACEVO.

Ut ſole horreſcit ſera, caſtra crebro catapultâ impulit.

PAPPO PRÆTERITO.

Dum iſtos invitaverio ſuffragatores, pater priùs in capulo quàm in curuli ſellâ ſuſpendit nates.

PARTU.

Quod magnopere quæſiérunt, id fruiſci non queunt.

Qui

Digitized by Google

Qui non par fit apud ſe, fructus eſt.

PATHICIS vel DEPATHICIS.

Primum quod dicebo, rectè; ſecundum quod dicebo, eo melius.

Tibi quum videbo, fidelis ero.

PAULO.

Nunc te obteſtor, celerè ſancto ſubveni cenſori.

PEDIO.

Quot res vis hunc privari pulchras, quas uti ſolet. 185

Mollicinam, crocotam, chirodotam, ricam,

Certanius ſi me diploïdi à rectâ graſſatur viâ.

Nunc me res ipſa reprimit, ſæpe hac eâdem graſſatus ſum viâ.

PELLICO.

Deſine ſocri tuo, fratri patrui meo.

PHILONICO.

Non multo pòſt honoram accepit, abſedet, conſequitur penularium, pſilothrum petit. 190

PHOENISSIS.

Sume arma, id eſt, jam te occidam clavâ ſcirpeâ.

PICO.

Quid ego facerem? otioſus rodebam rutabulum.

PRÆCONE POSTERIORE.

Ergo deditâ operâ te pater ſolum foras
Seduxi, ut nequis eſſet teſtis tertius
Præter nos, tibi quum tunderem labias lubens. 195

PROTECTO.

Quid moras?

Populus petit: tu patias modò.

PROTESILAO.

Vide gracilentis colorem, dum & quàm citò factus eſt gracilens.

Clàm incunt, irruunt, cachinnos, joca, dicteriis iratis.

Complexa ſomno corpora operiuntur, ac ſuavi quie dicantur. 200

PULLIS.

Ubi tu nequaquam cubares aſperiter.

Hic jure inops paulo da adſimile, ſimul aſſulatim vis aias ſumit cibum.

QUADRIGEMINIS.

Suo labori nullus parcuit.

SANNIONIBUS.

In licio cretam, ceruſſam, purpuriſſum.

SATYRA.

Quianam Saturnium populum populiſti. 205

SURDO.

Filias habeo temulentas, ſed eccas video incedere

TABELLARIA.

Qui habet uxorem ſinè dote, pannum poſitum in purpurâ eſt.

Dotem ad nos nullam attollat.

TARENTILLA.

Utribi canaturi eſtis? hiccine an in triclinio?

Vereor ſeriò. 210

Quæ ego in theatro hìc meis probavi plauſibus,
Ea non audere quenquam regem rumpere,
Quanto libertatem hanc hìc ſuperat ſervitus abſolutè.

Nam quippiam.

Ei ei, etiam ſe audenti ne cum unâ apparere. 215

At at tatæ cave cadas amabo.

Salvi & fortunati duo, duûm noſtrum patres.

Facetè & defricatè.

Nunquam quiſquam amico amanti amica
Nimis fiet fidelis, nec nimis erit 220
Morigera nota quiſque.

Primùm ad virtutem ut redeatis, abeatis ab ignaviâ, domo præſens patriam ut colatis potiùs quàm peregri probro.

Ubi iſti duo adoleſcentes habent, qui hìc antè parta patria peregre prodigunt? 225

Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet.

TELEPHO.

Studiúmque iteris reprime.

TOGULARIA.

Abi, deturba te ſaxo, quiſquilia; non homo.

TESTICULARIA.

Immo quo ſciſcidimus conſcindam atque abjiciam. 229

TRIPARTITA.

Poſtquam ſe vidit hæredem, deſubito divortium fecerunt.

TRIPERDITA.

Si autem pingue eſt, malè cubandum eſt putrem panticas.

TUNICULARIA.

Theodotum compellas, qui aras compitalibus
Sedens, in cellâ circumtectas tegetibus
Lares ludentes peni pinxit bubulo.

Ejus noctem manci ducere. 235

VINDEMIATORIBUS.

Cœpit unumquenque prælumbare faſtibus.

VIRGINE PRÆGNANTE.

Quando ego plus ſapivi, qui fullonem compreſſi quinquatribus.

Sequere me, puriter volo facias. igni atque aquâ volo hunc accipere.

ZONA.

Duriter me habere, vigiliſſe.

Aquæ facilitatem video uteris vulgariam. 240

Digitized by Google

Alii ejuſdem Nævii verſus, qui ab antheribus citantur, non adſcripto nomine operis unde petiti ſunt.

Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit gloriosè,
Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes ſolus
Præſtat, cum ſuus pater cum pallio uno ab amicâ abduxit.

An nata eſt ſponſa prægnans? vel ai, vel nega.

Salliturus iſtæc, mittam ſalem.

Siquidem loqui vis, non perdocere, multa longè promicanda oratio eſt.

Magni metûs tumultus pectora poſſidet.

Cor utrum ſcapulæ plus angulus colli habeat neſcio.

Ingurgitavit uſque ad imum gutturem.

Sicilienſes paciſcit obſides ut reddant.

Per deam ſanctam Lavernam, quæ cultrix queſtuis ſit.

Ficitores omnes capiunt ficitatem, iners eſt ſinè moleſtiâ.

Huic puellæ præcoquis libido ineſt.

Eſt pedis unus ingens in naſo.

Dubiis faventem per fretum intrò currimus.

Sanè à ſuo ſonitu claro fulgorivit Jupiter.

Conſponſi ſpondebatur pecunia, aut filia nuptiarum causâ.

Expirante vapore vides unde ignes eluet mortalibus dives.

Riſi egomet caſſabundum ire ebrium.

Eccum ire video ferme injuriâ.

Sed velatas frondentis comas cornua taurum.

Vel quæ ſperat ſe nupturum iri aduleſcentulo, ea licet ſenile tractet retritum rutabulum.

Petimine piſcino qui meruerat.

Peſſimorum peſſime, audax, ganeo, lurco, aleo.

Non hercle apiuda eſt hodie quàm tu nequior.

Bilbit amphora.

Burtubata.

Concipilaviſti.

Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem.

Liberâ linguâ loquemur ludis liberalibus.

Neminem vidi, qui numero ſciret, quiqui ſcit, id eſt opus.

An panurgus Antonius hæc ait numero nimiùm citò?

Malè parta malè dilabuntur.

Penitam offam.

Et qui fuerit Perſicus carpenti eſt ratio.

Piſatilem.

Simul alius aliunde rumitant inter ſe.

Merula Sandaracino ore.

Sonticam eſſe oportet cauſam quamobrem perdas mulierem.

Seſéque ii perire mavolunt ibidem, quàm cum ſtupro redire ad ſuos populares.

Sin illos deſerant fortiſſimos viros, magnum ſtuprum populo fieri pergetis.

Odſt ſummuſſos: proinde apertè dice quid ſit.

Qui, ſi taceat, dum videat, tam etiam ſciat quid ſcriptum ſit.

Titinnire & titinnabunt.

Tantùm ubi molle crepitum faciebant, titinnabant compedes.

Capeſſet flammam Volcani topper.

Namque nullum pejùs macerat humanum, quamde mare ſævum. vires cui ſunt magnæ topper contingent importunæ undæ.

Hæc quidem mehercle, opinor, præfica eſt, quæ ſic mortuum collaudat.

Jus ſacratum Jovis jurandum ſagmine.

Scapos atque verbenas ſagmina ſumpſerunt.

Mare interbibere.

Trionum hic moderator ruſticus.

In montes ubi venti frangebant locum.

Dictator ubi currum inſidit, pervehitur uſque ad oppidum.

Hoc ubi æthrâ cærulâ ſeptum ſtat hemiſphærium.

Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco.

Struïx malorum.

Hæc quà ſol vagus igneas habenas
Immittit propiùs, jugâtque terræ.

Cùm tu arciteneus ſagittis pollens dea.

Vos qui accolitis Hiſtrum fluvium, atque Algidum.

Quam nunquam vobis Graii, atque barbari.

NÆVII EPITAPHIUM,
à ſeipſo compoſitum.

Immortales mortales ſi foret fas flere,
Flerent divæ camœnæ Nævium poetam.
Itaque poſtquam orcio traditus eſt theſauro,
Obliti ſunt Romæ linguâ latinâ loquier.

M. PA-

M. PACUVII FRAGMENTA.

M. PACUVII *VITA*, *EX PETRO CRINITO DESUMPTA.*

MAR. PACUVIUS in ſcribendis tragœdiis nobilis, iiſdem ferme temporibus natus eſt, quibus Cato quæſtorius & Metellus clariores in urbe habebantur. Quidam tradunt illum fuiſſe ex Brundiſio Calabriæ urbe. Nepos fuit Quinti Ennii, quod Euſebius ac Plinius referunt. Romæ vixit in ſummâ claritate nominis. Commendatur maximè illius ingenium, & nativa quædam facilitas in capiendis liberalibus diſciplinis. Neque deſuit illi ſtudium pingendi, quod & C. Plinius indicat, qui Pacuvii Poëtæ opera in magno honore à veteribus habita affirmat, eáque in primis, quæ in æde Herculis foro Boario perfecit: quocirca clariorem fecit eam artem in urbe propter gloriam ſcenæ. Idem Pacuvius amplum ac ſonorum dicendi genus ſequutus eſt ut M. Varro teſtatur: quòd ſi durior alicubi ac propè horridus habitus eſt, id ipſum tamen non vitio illius, ſed temporum adſcribitur: nam Fabius Quintilianus apertè aſſerit, clariſſimum fuiſſe Pacuvium gravitate ſententiarum, verborum pondere, & autoritate perſonarum. In quâ ſententiâ & M. Cicero fuit: qui hunc ipſum ex cæteris omnibus in Tragœdiâ facilè præfert, carmenque illius magnopere commendat. Grammatici Veteres permultum Pacuvio conceſſerunt, ejúſque fabulas complures enumerant, in quibus non mediocrem laudem acceperit: ut Peribœam, Hermionam, Atalantam, Ilionam, Antiopam, Teucrum, & Medeam. Citatur etiam in Chryſe, in Niptris, in Paulo, in Oreſte, in Armorum judicio. Ex quâ fabulâ decantatum carmen traditur, cùm ludi celebrarentur in funere Julii Cæſaris, quò magìs commiſeratio, & invidia excitaretur contra ipſius interfectores. Horatius Flaccus in epiſtolâ ad Octavium Aug. cùm de antiquis Poëtis judicium facit, in Pacuvio doctrinæ famam locavit. Paulò ſenior fuit L. Accio, & in iiſdem ædibus, ut refert M. Cicero, Pacuvius atque Accius fabulas docuerunt, paucis quidem annis interpoſitis. Vixit ad extremam ſenectutem, & ut ſervatum eſt in Latinis annalibus, cùm tædio ſenectutis, ac morbo detineretur, Tarentum ſe contulit, ibique propè nonagenarius obiit, neque ſinè maximâ jacturâ ſtudiorum.

EX ANCHISE.

IN promontorium, cujus linguam in altum projicit.

ANTIOPA.

Salvete gemini, mea propages ſanguinis.

Frendere noctes miſera quas perpeſſa ſum.

Fruges frendo ſolas, ac ſic probo re.

Nónne hinc vos properè ſtabulis amoſſimini?

Sed cùm animum attendo ad quærendum quid ſiet.

Minitabilitérque increpare dictis ſævis incipit.

Flammeo vapore torrens terræ ferum exuſſerit.

Loca arida initas.

Perdita inluvie atque inſomniâ.

Cervicum floros diſpergite crines.

Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite brevi, cervice anguinâ, aſpectu truci,

Eviſcerata, inanima, cum animali ſono.

Non intelligimus, niſi apertè dixeris.

Teſtudo.

--- Ærumnis cor luctificabile fulta.

ARMORUM JUDICIO.

Qui ſeſe adfines eſſe ad cauſandum volunt,
De virtute iis ego ceruundi do poteſtatem omnibus.

Pro imperio agendum eſt. quis vetat, quiſve attollat?

Quod ego inuudivi, accipite; &, quid facto opus, decernite.

--- Et æquum eſt & rectum quod poſtulas;
Jurati cernant. ---

Dic quid faciam; quod me *moneris, effectum da.

Qui viget, veſcatur armis; ut percipiat præmium.

An quis eſt, qui te eſſe dignum quicum certetur, putet.

--- Prologo.

Nunc *pœnitebunt, libant liberi grato ex loco.

Nam canis quando eſt percuſſa lapide, non tam illum appetit
Qui ſe icit, quàm illum eum ipſum lapidem, quo ipſa icta eſt, petit.

Si non eſt ingratum reapſe, quod feci bene.

Tu te deſidere mavis reſidem, nos hìc eſſe in labore.

Feroci ingenio torvus, prægrandi gradu.

Quum recordor ejus ferocem & torvam confidentiam.

Séque ad ludos jam indè abhinc exercerent.

Men' ſervâſſe, ut eſſent qui me perderent.

Nihſine ad te de judicio armorum accidit.

ATALANTA.

Regi ut memorabis, nunc regnum potitur tranſmiſſu patris.

Dubito quam inſiſtam viam, aut quod primordium
Capiſſam ad ſtirpem exquirendum.

Grandem atque atrocem coerce confidentiam.

Nam quod conabar, quum interventum eſt, dicere
Nunc expedibo. ---

Habeo ego iſtam qui diſtinguam inter vos, geminitudinem.

Quas famulitas, vis, egeſtas, fama, formido, pavor.

Mortem oſtentant, regno expellunt, conſanguineam
Eſſe abdicant- ---

Parentum incertùm inveſtigandâm gratiâ.

Omnes qui, tanquam nos, ſub regno ſerviunt,
Callent domi cum imperio metuere.

Nil ſollicita ſtudio, obſtupida ſuſpenſo animo civitas.

Ubi ego me gravidam ſenio aggraveſcere
Propinquitate parti. ---

Dolet pigétque magìs magísque me conatum hoc nequicquam itiner.

Quæ ægritudo insolens mentem attentat tuam?

Super saìs agere, ut ne in mare animum occupes.

Magna te, ut vereor, eloqui porcet pudor.

Quid ísthuc est? vultum alligat quæ tristitas?

Quum incultos pervestigans inrimarer finus.

Consentire ac dissentire partem da cursum æquiter.

--- Is vestrorum uter sit, cui signum datum est, cette.

Extremum intra canterem ipsum prægradat Parthenoreum.

Et si metuo picta de plagà pallam.

Triplicem virili sexu partum procreat.

Suspensùm in lævo brachio ostendo ungulum.

Calydonia altrix terra exuberantium virûm.

Cepisti me ísthoc verbo; miseretur tui.

CHRYSE.

Dii monerint meliora, atque amentiam averruncassint.

Hoc vide circùm supráque, quod complexa continet
Terram; id quod nostri cœlum memorant, Graii perhibent æthera.
Quicquid est hoc, omnia is animat, format, auget, alit, ferat,
Sepelit, recipítque in sese omnia; omniúmque idem est patet:
Indidémque eadem quæ oriuntur, de integro æquè eodem occidunt.

Nàm istis qui linguam avium intelligunt,
Plúsque ex alieno jecore sapiunt, quàm ex suo,
Magìs audiendum quàm auscultandum censeo.

Cives antiqui, amici majorum meûm,
Consiliû n Socii, augurióm atque extûm interpretes.

Postquam prodigiûm horriferûm, portentûm pavor.

Est ibi sub eo saxo penitus strata arena ingens specus,
Solis quæ exortu capessit candorem, occasu nigret.
Illud incipio saxum tentans escendere verticem
In summum, deinde in omneis parteis prospectum aucupo.

--- Fugimus qui árte hac vescimur.

--- Adjutamini & defendite.

Propemodum animus conjecturâ de errore ejus augurat.

Sed cesso inimicitiam integrare.

Atque ut promeruit pater, mihi patriam populavit meam.

--- Interea loci
Fluctì flaccescunt, silescunt venti, mollitur mare.

Æsti fortè exarido.

Inveni *opino esse optumum, Orestes ut hæres sit, sed tamen.

--- Pérque nostram egregiam
Unanimitatem, quam memoria dejugat.

Si qua potestur investigari via.

Atque eccos, unde certissent.

Mater est terra, ea parit corpus, animam æther adjugat.

Ossum inhumatum, æstuosam aram.

--- Promerendæ gratiæ,
Simul cùm videam Graios nil mediocriter
Redamtruare, opibúsque summis persequi.

DULORESTE.

Hiccine hic est, *quæ famæ gratia ante omnes nobilitat viros?
Ampliùs; rubicundo colore & spectu protervo, ferox,
Caperatâ fronte?

--- Hymenæum fremunt
Æquales: aula resonit crepitu musico.

Nam te in tenebris sæpe lacerabo fame
Clausum, & fatigans artus torto distraham.

Macte esto virtute, operaque oménque approbo.

Gnatam despondit, nuptiis hanc dat diem.

--- Quid? quondam & mihi
Piget paternum nomen, maternum pudet
Profari. ---

Primum hoc abs te oro, nimis inexorabilem
Faxis, ne turpassis vanitudine ætatem tuam.

Ubi illic est? me miserum, quam clamor eliminat.

Nil conjecturâ quivi interpretarier,
Quorsum flexivicè contenderet.

Nonne officium fungar vulgi, atque ægre malefactum feram?

Responsa explanat; mandat ne mater suat
Cognoscendi unquam aut contuendi copia.

Non vetet animum ægritudine in re creperâ confici.

Vel cùm illam videas sollicitum orbitudine.

Delphos venum pecus *secundæ abstabula ac itiner contuli.

--- Is quis est?
Qui tunc si tu illum occupas, leto *dabis.

Nec grandiri frugum fetum posse, nec mitescere.

Oro mi, ne flectas fandi mi prolixitudinem.

Unde exoritur? quo præsidio fretus? auxiliis quibus?
Quo consilio consternatur? qua vi? cujus copiis?

Interea propè jam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbûm occæcat nigror:
Flamma inter nubes coruscat, cœlum tonitru contremit:
Grando missa imbri largifluo subita turbine precipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, sævi existunt turbines,
Fervet æstu pelagus. ---

Quidnam autem hoc soniti est, quòd stridunt fores?

Si quis hac me oratione inciter, quid respondeam?

Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem
Ulciscì queam. ---

Heu, non tyrannûm novi temeritudinem?

Me calvitur suspicio: hoc est illud quod fore
Occultè Ajax prædixit.

Aut hìc est, aut hìc adfore astutum autumo.

Illum quæro qui adjutetur.

Ut si ita sunt promerita vestra, æquiperare ut queam,
Vereor, si nunquam fatiscar facere quod quibo boni.

Nunc ne illum exspectes, quando amico amiciter
Fecisti. ---

Si Priamus adesset, & ipse ejus commiserescceret.

Allicui in Ægæo freto.

Ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus.

Pater Achæos in Caphareis saxis plures perdidit.

Sed ne incertet dictio, quam rem expedi.

Extemplo Ægisthi fidem nuncupantes conciebant populum.

Ani-

Animam quæ tum largitio multis ignota erat,
Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens.

ΕΡΩΤΟΠΑΙΓΝΙΟΙΣ.

Lib. 2. Hunc quòd meum amissum nocens hostit voluntatem tuam.

HERMIONA.

Regni alieni cupiditas pellexit.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent philosophi:
Saxóque instare eam globoso prædicant volubilem;
Ideo quò saxum fors impulerit, cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse memorant, quia nihil cernat quò se applicet.
Insanam autem illam aiunt; quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam autem; quia dignum atque indignum nequeat internoscere.
Sunt autem & alii philosophi, qui contrà fortunam negent
Esse ullam, sed temeritate omnia autument regi. Id magis
Verisimile aiunt; quod usus reapse experiundo edocet.
Velut hic Orestes modò fuit rex, modò mendicus factus est.
Naufragio res hæc contigit. nempe ergo haud fortunâ obrigit.

In turbâ Orestî cognita, agnota est soror.

Quantámque ex discorditate cladem importem familiæ.

Non tu te hinc è conspectu amolire?

Tyndareo fieri contumeliam, cujus à te veretur maximè.

Nihilne te populi veretur, qui vociferare in viâ?

Quod ego in acie celebro objectans vitam, bellando aptus sum.

Lamentas, fletus facere compendi licet.

Et obnoxiam esse, aut brutum, aut elinguem patet.

--- Priùs data est,
Quàm tibi dare dicta, aut quàm reditum est Pergamo.

Concorditatem hospitio adjunctam perpetem
Probitatem conservetis. ---

Quum neque me aspicere æquales dignarent meæ.

Quid benefaciam ei, patris cujus operâ te esse ultum autumat?

Tristitiâ atque animi intolerandâ anxitudine.

Habet hoc senectus in se, cùm pigra est ipsa, ut spissè omnia
Videantur confieri. ---

Corrum liquit, chlamyde contortâ astu clupeat brachium.

O flexanima, atque omnium regina rerum oratio.

--- Quod tamen ipsa orbitas,
Grandævitásque Pelei per penuriam
Stirpis sæpiret. ---

Sub judicio quoque omnes gradus tetinerim.

Paucis absolvit, ne moraret diutiùs.

Sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intelligo.

Nam solis Danais hic domutionem dedit,

Par fortitudo, gemina confidentia.

Aut non cernam, nisi tagam.

--- quas gloria & ---

Ibo atque dicam, frequentes ut eant gratatum hospiti.

ILIONA.

Cur illa hìc mecum altercata est?

Blandam hortatricem adjugat voluntatem.

Sed hæc cluentur hospitum infidelissimi.

--- Quis Deos
Infernos, quis cœlestes dignet decorare hostîs?

Dii me, etsi perdunt, tamen esse adjutam expetunt:
Quòd, priusquam intereo, spatium ulciscendi dabant.

Ne porrò te error qui nunc lactat, maceret.

Tu si conere, credo avitum sceptrum patienter poti.

Profectò aut inibi est, aut jam potiantur frugum.

Quos ego, ita ut volui, offendo incolumes.

Occidisti; ut multa paucis verba unosè obnuntiem.

Fac, ut cœpisti, hanc operam mihi des perpetem
Oculis traxerim. ---

--- Ab eo
Depulsum mammâ pædagogandum accipit
Repotialis Liber. ---

Repugnanti ego porrò hunc vi detraxi ungulum.

MEDO. [*al. MEDEA.*]

Possum ego istam capite cladem averruncassere.

Clamore & sonitu colles resonantes bount.

Quid tandem, ubi ea est? quòd recepta exul incerta vagat.

Diversi circumspicimus, horror percipit.

Illum amor quem dederat, qui plus pollet, potiórque est patre.

--- *MEDEA.* Atque eccum in ipso tempore
Ostentum senem. tuéorne te senex? proh Jupiter!
SEN. Quis tu es mulier, quæ me insueto nuncupâsti nomine?
MEDUS. Sentio, pater, te vocis *calvi similitudine.
Sed quid conspicor? nam me lactens calvitur avitus?
Cœlitum Camilla, exspectata advenis: salve hospita.

Populóque ut faustum sempiternè sospitent.

Qua super re interfectum esse Hippotem dixisti?

Cedo, quorsum itiner tetinisse aiunt?

Linguæ bisulcis actu crispo fulgere.

Quæ res te ab stabulis abjugat, certum est loqui.

Repudio auspicium. regrediundum est illico.

Mulier egregiissimâ formâ.

Accessi ad eam, & tonsillam pegi lævo in littore.

Te Sol invoco, ut mihi potestatem duis
Inquirendi mei parentis. ---

Ques sunt isti? ignoti, nescio ques ignobiles.

Custodite istum vos, ne eum qui attollat, néve qui attigat.

Ire si resto, pergit iter: jam si ire conor, prohibet beterè.

Inter se degustârunt omnia.

MERCATORE.

Non tibi isthuc magìs dividia est, quàm mihi hodie fuit.

NIPTRIS.

Barbari eam pestem navibus nostris obtulit
Novâ figurâ factam, commissam infacté.

Ætate

Ætate integrâ, feroci ingenio, facie procerâ virum.

Advenio in ſcrupoſam ſpecum.

Indè advenio montem Oetam ſcrupoſam ſpecum.

Pedetentim ite, & ſedato niſu, ne ſuccuſſu arripiat major dolor.

Tu quoque Ulixes, quanquam graviter cernimus ictum, nimis
Penè animo es molli, qui conſuetus in armis ævum agere.

--- Retinete, tenete, opprimite,
Ulcus nudate. heu miſerum me! excrucior.

Operite, abſcedite, jam jam mittite.
Nam attrectatu & quaſſu ſævum amplificatis dolorem.

Nec ulla ſubſcus cohibet compagem alvei,
Sed ſuta lino & ſparteis ſerilibus.

Vos hinc defenſum patriam in pugnam petite.

Pariter te eſſe erga illum video, ut illum te erga ſcio.

Cedo tamen pedem, lymphis flavis flavum ut pulverem
Manibus iſdem, quibus Ulyſſi ſæpe permulſi, abluam,
Laſſitudinémque minuam manuum mollitudine.

Conqueri fortunam advorſam, non lamentari decet:
Id viri eſt officium: fletus muliebri ingenio additus.

Spartam repedare inſtat, id ſi perpetrat.

Priuſquam oppeto malam peſtem hoſtili mandatam manu.

P A U L L O.

Pater ſupreme, noſtræ progenii patris.

Quamvis caprigeno pecori grandior greſſio'ſt.

Sagittis, plumbo, & ſaxis grandinat, nivit.

P E R I B O E A.

Neque tuum te ingenium moderat, neque fraternum ira exſulium levat.

Parum eſt quòd te ætas malè habet, ni etiam hìc ad malam
Ætatem adjungas cruciatum reticenti?

Sed neſcio quidnam eſt: animi horreſcit, gliſcit gaudium.

Nam me perbitere, illis opitularier,
Quovis exitio cupio, dum poſſum modó.

Thyaſantem fremitum concidi melum.

Ardua per loca agreſtia ac trepidante gradu nititur.

Scrupea ſaxa Bacchi templa prope aggreditur.

Hæc duo poſtrema fragmenta Scaliger conjectan. Varronian. ita concinnavit.

Ardua per loca agreſti
Nititur, ac trepidante gradu,
Saxáque ſcrupea Bacchi,
Altáque templa propè aggreditur.

* Conſternatæ animæ, ex pectore hæc, & volvere
Conſilium ſubit omnes, quod de natâ eſt modò;
Quo pacto inimicis mortem, & hæc vitam efferas.

Belluarum ac ferarum adventus ne tetret loca.

--- Precor veniam, petens
Ut quæ egi, ago, axim, [*Superi*] verruncent bene.

In triplici pertimefactus mœrore animi, incertè errans vagat.

Poſtquam eſt oneratus frugum & floris Liberi.

Tamen obfirmato animo miteſcit metus.

Patior facilè injuriam, ſi eſt vacua à contumeliâ.

Regnum potior, conjugem macto inferis.

Flexa, non falſa automare dictio Delphis ſolet.

Tu mulier tege & tuta templa Liberi.

Non poteſt, Menalippe, hic finè nâ operâ eranclari clavos.

Lapit cor cura, cerumna corpus conficit.

Corpúſque meum tabe, mœrore, errore, macore ſenet.

Metus, egeſtas, mœror, ſenium, exſuliúmque & ſenectus.

Ecfare quæ cor tuum timiditas territat.

--- Nam ſi te regeret pudor,
Sive adeò cor ſapientiâ imbutum foret.

--- Mane,
Expedibo: fac tu mihi contrà quod rogo reſpondeas.

Regnûm imperator, æternûm morum ſator.

Gnato ordinem omnem ut dederit, enodat patri.

O multimodis variè dubium, & proſperum copem diem!

Quanquam ætas ſenet, ſatis habeat rem virium ut te ab arâ arceam.

Ollis opitularier cupio.

P H I N I D I S.

Tacete, & tonſillas lævo in littore edite.

P S E U D O N E.

Ni ego te blaterantem aſpicerem, his nuncium indicâſſem.

T A N T A L O.

Extremum intra campterem, ipſum
Jam prægreditur parthenopæum.

T A R E N T I L L A.

Ab luce inluſtre.

T E U C R O.

Flexanima tanquam lymphata, & Bacchi ſacris
Cominota, in tumulis Teucrum commemorans meum,
Alcyonis ritu litus pervolgans feror.

Armamentûm ſtridor & rudentum ſibilus.

Qui ſtirpem occidit meum.

Segregare abs te auſus, aut finè illo Salmina ingredi?
Neque paternum aſpectum es veritus?

--- Quem ætate exactâ indigem
Liberûm laceraſti, orbâſti, extinxiſti: neque fratris necis,
Neque gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam eſt traditus?

Quæ deſiderio alumnûm, pœnitudine,
Squale, ſcapréque inculta vaſtitudine.

Nos illum interea perficiendo propitiaturos facul remur.

* Rapido, reciproco, percito, anguſto, citare, rectem, reciprocare unde, éque gremiis ſubjectare, adfigere.

Quanquam annîſque & ætate hoc corpus putret.

Ut ego, ſi quiſquam me tagit, & tagam.

Poſtquam defeſſus perrogitando advenas
De natis, neque quenquam invenit ſcium.

Periere Danai, plera pars peſſundata eſt.

Niſi coerceo protervitatem, atque hoſtio ferociam.

Aut

Aut me occide, illa hinc finè uſquam prodeam gradum.

Te repudio, nec recipio, naturam dico faceſſi.

Faceſſite hinc omnes, parumper tu mane.

Quàm te poſt multis tueor tempeſtatibus.

Ubi poetæ pro ſuâ parte falſa conficta canant,
Qui cauſam humilem dictis amplant.

Neque perpetrare precibus nec pretio quit ---

* Profuſus genitu murmuro oceiſtians ruat.

Nam Teucrum regi ſapſa res reſtibiliet.

Maxime Teu . . . nunquam . . .

Inſcitiâ, ferocitate, atque ferociâ.

--- Haud ſinam
Quicquam profari, priuſquam accepſo quod peto.

--- Mihi claſſem impetrat Theſſalam,
Noſtrámque in altum ut properiter deducerem.

Flictus navium.

Patria eſt, ubicunque eſt bene.

THYESTE.

Non illîc luteis aurora bigis.

TUNICULARIA.

Ecbolas quaſſant, ejiciunt.

INCERTIS EJUSDEM TRAGOEDIIS.

--- Piſcium laſciviam
Intuerentur, nec tuendi ſatias capere poſſiet?
Interea propè jam occidente ſole inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbûm occæcat nigror;
Flamma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru contremit,
Grando mixta imbri largifluo ſubita præcipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, ſævi exiſtunt turbines:
Fervit æſtu pelagus. ---

Segregare abs te auſus, aut finè illo Salamina ingredi?
Neque paternum aſpectum es veritus?

--- Ego ſum Oreſtes.
Imò enimvero ego ſum, inquam, Oreſtes.

Grajugena de iſto aperit ipſa oratio.

Ego odi homines ignavâ operâ, & Philoſophâ ſententiâ.

Nam ſi qui, quæ eventura ſunt, prodeant,
Æquiperent Jovi. ---

Filios ſibi procreâſſe eandem per Calypſonem autumant.

--- Nerei
Repandiroſtrum incurvicervicum pecus.

Sol ſi perpetuò ſit, aut nox, flammeo vapore aut frigore terræ fructus omnes interire.

Exhalat auram terra, atque aquoram humidam.

Paſtor exorto jubare, noctis decurſo itinere.

Calydonia altrix terra exuberantium virûm.

Liqui in Ægæo freto.

(Æges) ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus.

Flexanima tanquam lymphata. ---

Alcyonis ritu littus pervolgans furor.

Nulla res neque
Curare, neque mederier potis eſt, neque
Reficere. ---

Nunc primùm opacat flore lanugo genas.

Reprime incicorem iracundiam.

Conſilium cicur.

Ad manticulandum aſtu aggreditor. Scitè quid promo, erue.

Educ, i, manticulator. ita me facti oppreſſit jugo.

Aggreditur aſtu regem. manticulandum eſt hìc mihi.

Machinam ordiris novam manticulatam aſtu. ---
Sanctiora adigis juranda jura, quibus cotidie
Parvæ noxæ extergeantur. ---

Quid me obtuta terres, mulces laudibus?

Sed cùm contendi nequitum vi, clàm tendenda eſt plaga.

Obſtinati exorſus.

Quid eſt? nam me examinâſti prologio tuo.

--- Promerendæ gratiæ
Simul, cùm videam Graios nihil mediocriter
Redamperuare, opibúſque ſummis perſequi.

Paulùm repeda, gnate, à veſtibulo gradum.

. . . . pandite valvas . . . . complectar.

. . . Hinc fævitiam Salaciæ fugimus,
. . . . veſcimur . . . . mo . . .
. . . . ut me . . . . . um ſeptem . . .

Solatur, auxiliatur, hortatúrque me.

Quid ceſſatis, ſocii, ejicere ſpiras ſparteas?

Topper tecum ſit poteſtas, faxit ſi mecum velit.

Labitur trabica in alveos.

Quoniam ille interit, imperium Calefo tranſmiſſum eſt.

Quæ meûm venenis flexit ſociûm pectora.

--- Murmur maris.

Volucri currit axe quadriga.

Quæ ſunt ii ignoti, neſcio quos ignobiles.

Agite, ite, volvite, rapite, comâ tractate per
Aſpera ſaxa & humum: ſcindite veſtem ocyûs.

At accepiſti me iſto cum verbo, miſeretur tui.

Poſtquam calamitas plures annos arvas calvitur.

Miſeret me, lachrymis lingua debiliter ſtupet.

Voce ſuppreſsâ, innato fronte, vultu turpido.

Improbus, confidens, nequam, malus videatur.

Quæ te applicaviſti tamen erumnis obruta.

In turbâ Oreſti cognita, agnota eſt ſoror.

Hîc tibi ſtrepitus, fremitus, clamor, tonitru, rudentiſibilus.

Qui apud te, quaſi ſervos, eſt cànicium panem.

Non ego ſic fui, ut nunc ſunt meretrices diobolâ,
Quæ ſuam nummi causâ parvipendunt gratiam.

Omnivomo oceano Hyperion fulgurat euro,
Arrepto plauſtro Boreas bacchatur aheno,
Heſperio zephyro. ſed Orion volvitur auſtro,
Fulvo acríque noto vaga Cynthia proruit atro.

Epigramma Pacuvii verecundiſſimum & puriſſimum, dignúmque ejus elegantiſſimâ gravitate.

Adoleſcens, tamenetſi properas, hoc te ſaxum rogat
Uti ſe adſpicias: deinde, quod ſcriptum eſt, legas:
Heic ſunt poetæ Pacuvii Marci ſita
Oſſa. hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

S. CÆ-

Digitized by Google

S. CÆCILII FRAGMENTA.

S. CÆCILII *VITA*,

EX PETRO CRINITO desumpta.

STATIUS CÆCILIUS in Galliâ natus est, ut creditur, & ob id Mediolanensem quidam dixerunt, quod ex annalibus Hieronymi acceperunt. Illud pro certo haberi debet, in urbe Româ cum vixisse, & in scribendis Comœdiis principem locum tenuisse, ut à Volcatio Sedigito scriptum est, qui hunc ipsum Cæcilium non Terentio tantùm & Plauto, sed reliquis omnibus comicis sinè controversia præposuit. M. Cicero in eâdem sententiâ est, tantúmque Statio Cæcilio concedit, ut illius quidem carmen, ut constat, summis laudibus prosequatur. Fabius Quintilianus qui in omni antiquitate publicus censor est habitus, tres maximè nominat in describendis Comœdiis, hoc est, M. Plautum, P. Terentium, & Statium Cæcilium. Vixit summâ familiaritate cum Poëtâ Ennio, ut ab Eusebio refertur. Idem magnopere dilectus est à Terentio, qui tantum illius judicio tribuit, ut ad Poëtam Cæcilium, ceu ad optimum censorem, suas fabulas referret. Enumerantur supra XXX. Statii Comœdiæ à Grammaticis veteribus. Neque togatas minore studio composuit, quàm palliatas, unde singularem gratiam reportavit, judicio eruditorum. In pretio magno fuerunt, Nauclerus, Syracusæ, Pausimachus, Hypobolimæus, Epiclerus, Cratinus, Plocius, Asotus, Ephæstion. Citatur etiam in Subditivo, in Fallaciâ, in Andriâ, in Annalibus, in Fœneratore, in Venatorio, in Umbris, in Obolo, in Synaristusis, quarum partem à Menandro, Philemone, & Apollodoro transtulit. Neque defuerunt antiqui Grammatici, qui hunc Cæcilium accusaverint, quòd in vertendis à Menandro fabulis parum aptè aut concinnè quædam transtulerit. Mortuus est sequenti anno post obitum Quinti Ennii, & juxta Janiculum sepultus traditur.

ÆTHRIONE.

ORAM reperire nullam, quam expediam, queo.
Hei perii. quid ita? numerò venit: fuge domum.
Cum Mercurio capit consilium, postquam sentinat satis.

AMPHITRYONE.

De nocte ad portum sum provectus prosumi.

ANDROGYNO.

Sepulchrum plenum tæniarum, ita ut solet.
Sed ego stolidus: gratulatum me oportuit priùs.

ARIOLO.

Deprandi autem leonis obdas oreas.

ARISTOSIS.

Herì verò prospexisse eum expassum domi.

ASOTO.

Nihilne tibi esse quod edim?
Tu jam callebis, ille festus desidet.
Nam ego duabus vigiliis transactis duco desubitò domum.
Meritissimò hic me ejecit ex hac decuriâ.
Jamdudum depopulat macellum.

CALCHIS.

Sat hic vicinus, se autem peperisse, & vobis datum prudenter.
Nam quidnam fores fecere foniti?

CARINE.

Ut aurum & vestem, quod matris fuit,
Reluat, quod viva ipsi opposuit pigneri.

CHRYSIO.

Quanquam ego mercede hic conductus tuâ advenio,
Ne tibi me esse ob eam rem obnoxium reare:
Audibis malè, si malè dicis mihi.

CRATINO.

Modò sit obsequens, hilaris, comis, communis, concordis, dum id quod petit, potitur.
Ex aure ejus stalagmium domi habeo.

DARDANO.

Nihil ego spei credo: omnes res spissas facit.

DAVO.

Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrum.

DE MANDATIS.

Si unquam quisquam vidit quem catapulta aut balista icerit.

EMBONO.

Audire ignoti quod imperant soleo, non auscultare.

HEPHÆSTIONE.

Tum in senecta e hoc deputo miserrimum,
Sentire eâ ætate eum ipsum esse odiosum alteri.

EPICLERO.

An ubi vos sitis, ibi consilium claudeat?
Itáne, Antipho, juventus profluviâ fide?
Itáne est immemoris? itán' est madidâ memoriâ?

EPISATOMO.

Si properas, extende huc in meam navem, ita celeris est.

EPISTOLA.

Nam novus quidem Deus repertus est Jovis.

EXULE.

Non hæc putas? non hæc in corde versantur tibi?
Nam hic in tenebris intus sese abscondit.

FALLACIA.

Nam quàm duriter vos educavit atque aspere, non negat.
Velim paulisper experiri te, quantisper non plus triduum.

Nam

Digitized by Google

Nam ſi illi, poſtquam rem paternam amiſerant, egeſtate aliquantiſper jactati forent.

Officulatim Parmenonem de vitâ liceat legant.

Facilè ærumnam ferre poſſunt, ſi malè abeſt injuria: etiam injuriam, * niſi contra conſtant contumeliam.

Nullus ſum, niſi meam rem jam omnem propero incurſim perdere.

Niſi quidam qui ſe malit pugnitus peſſundari.

FOENERATORE.

Volat ſanguis, ſimul anhelat peniculamentum, & pallio datur.

Pelvim ſibi popoſcit.

GAMO.

Ut hom . . . toxico tranſegerit.

HARPAZOMENE.

Qui homo ineptitudinis cumulatus, cultrum oblitus eſt.

Hunc collum ludo præcidi jube.

Dii boni! quid illud eſt pulchritatis?

HYMNIDE.

Vide luculentitatem ejus & magnificentiam.

Sine ſuam ſenectutem ducat utique ad ſenium ſorbitio.

Prodigere eſt, quum nihil habeas, te irriderier.

Garrulis medentes jactent ſive nictentur perticis.

Quæ narrare inepti eſt ſcitras ferventis, quin machærâ licitari adverſum quum cœpiſti ſciens.

Deſine blaterare, nihil agit in amore inermis.

HYPOBOLIMÆO ÆSCHINO.

Ego illud minus nihilo exigor portorium.

Ærumnam pariter tetuliſti meam.

Abi hinc tu ſtolide, illic ut tibi ſit pater?

Mea raſtraria, quod proluvium, quæ voluptas, quæ te lactat largitas?

Filius in me incedit ſatis hilari ſchemâ.

HYPOBOLIRASTRARIA.

Obſorduit jam hæc in me ærumna miſeria.

Hos ſingulatim ſapere, vos minùs arbitror.

Jam voltu eodem in eâdem mantat malitiâ.

MERETRICE.

Qui pro gubernatore ſe gerens, propè evertit proſumiam.

Memini ibi candelabrum ligneum ardentem.

NAUCLERO.

Suppilatum eſſe eum, atque ornamenta omnia.

Ut te dii omnes infelicitent cum malè monitâ memoriâ.

Num ab eo audibis, præterea ſi dicis, filia redeat Pergamo.

NOTONICASIONE.

Habes, vide, tibi tradidi: in tuo collo eſt, decolles cave.

Illico ante oſtium hìc erimus.

OBOLOSTATE.

Ego perdidi te, qui omnes ſervos perdo populatim: quæſo ne ad malum hoc addas malum.

Iſtâ re depoſitus modò ſum animâ, vitâ ſepultus ſum.

Nunc enimvero eſt, quum meæ morti remedium reperibit nemo.

Si linguas decem habeam, vix habeam ſatis te qui laudem ache. Immo verò hìc antè ſolitus ſum delicat.

PAUSIMACHO.

Hoc à te poſtulo, ne cum meo gnato poſtìnac limaſſis caput.

Ædepol voluntas homini rarenter venit.

Carbaſina, molochina, ampelina.

Liber eſſem jamdiu, ſi habuiſſem ingenioſos coamatores mihi.

PERIBOEA RASTRARIA.

Aere obſcuro hercle deſinam, manè cœpiam.

PLOTIO.

Tu nurum non vis odioſam tibi eſſe, quam rarenter videas.

Dum ejus mortem inibo.

Placere occœpit graviter poſtquam eſt mortua.

Ædepol ſenectus ſi nihil quicquam aliud vitii
Apportet ſecum quum advenerit, unum id ſatis eſt,
Quòd diu vivendo, multa quæ non vult videt.

Abi intrò, atque iſta hæc aufer: tamen hodie extollat nuptias.

Quid hoc futurum obſonio, & ubi tantum ſumpti factum.

Inſanum hoſpitium aliter hiſtrionum eſt, atque ut magiſtratus publicè quum auſpicant.

Opulentitate noſtrâ ſibi injuriam faciam.

Ibo domum ad plebem: pergitur publicitus: defendendum eſt.

Ibo ad forum, & pauperi tutelam geram.

Conſequitur comes inſomnia, ea porrò inſaniam affert.

Patiere quod datur, quando optata non danunt.

Properatim in tenebris tunc confectum eſt opus.

S. Is demum miſer eſt, qui ærumnam ſuam nequit
Occultare. *M.* Ferre ita me uxor formâ & factis facit.
Si taceam, tamen indicium eſt: quæ niſi dotem, omnia
Quæ nolis, habet. qui ſapit, de me diſcet, qui quali
Ab hoſte captus, libere ſervio, ſalvâ urbe atque arce.
Quæ nihil quicquam placet, eo privatum, vin' me ſervatum?
Dum ejus mortem inhio, egomet viro mortuus
Inter vivos. Ea me, clam ſe, cum meâ ancillâ ait
Conſuetum: id me arguit: ita plorando, orando,
Inſtando, atque objurgando, me obtudit, uti eam
Venundarem. nunc credo inter ſuas æquales
Et cognatas ſermonem ſerit, Quæ noſtrûm fuit
Integrâ ætatulâ, quæ hoc itidem à viro
Impetrârit ſuo, quod ego anus modò
Effeci, pellice ut meum privarem virum?
Hæc erunt concilia hodie: differor ſermone miſer.

S. Sed tua moroſine uxor quæſo eſt?
M. Quam rogas?
S. Qui tandem? *M.* tædet mentionis: quæ mihi, ubi domum

Adveni,

Adveni, ac ſedi, extemplo ſuavium datat jejuna anima.
S. Nihil peccat de ſuavio: ut devomas volt quod foris potaveris.

Is demum infortunatus eſt homo pauper,
Qui educit in egeſtate liberos, cui fortuna
Et res eſt ut continuò pateat. nam opulento famam
Facilè occultat factio. . . .

Inſoléne mulier decimo menſe parere? Pol nono etiam, ſeptimo atque octavo.

AD POL.

Ego neque florem, neque floces volo mihi: vinum volo.

PUGILE.

Tum inter laudandum hunc timidum tremulis palpebris
Percutere nictu: hic gaudere & mirarier.

SUBDITITIO.

Nam il ſunt inimici peſſimi, fronte hilaro,
Corde triſti, quos neque ut adprehendas, neque ut mittas ſcias.

Quæſo ne temere hanc rem agas, & ne iracunditer.

SYMBOLO.

Deſtituit omnes ſervos ad menſam ante ſe.

SYNARISTUSIS.

Heri verò proſpexiſſe eum ſe ex tegulis
Hæc nuntiaſſe, & flammeum expaſſum domi.

SYNEPHEBIS.

Serunt arbores quæ alteri ſeculo proſint.

Ad reſtim res redit: imò collus, non res. nam ille argentum habet.

SYRACUSIS.

Vide, Demea, hominis quid ſert morum ſimilitas.

Hic amet, familiæ fame pereant, ager autem ſit ſentibus.

Tanta huic invaſit in corda indulcitas.

TITHE.

Hic dum abit, huc conceſſero.

TRIUMPHO.

Nunc meæ malitiæ aſtutiâ opus eſt ſuccenturiâ.

Hierocles hoſpes eſt mihi adoleſcens adprobus.

TYCHE.

Egón' vitam meam Atticam contendam cum iſthac ruſticanâ Syrâ?

Ubi adjicientem compitum.

Per myſteria hic inhoneſtè gravidavit probro.

VENATORE.

Satſne huîc ordine? etſi nihil egi quæſti, quia ſunt emuli.

Credo nimis tandem hoc ſit vernaliter.

UMBRIS.

Age, age, puere, duce me ad patrios fines, decoratum opiparé.

Mirum adeò niſi frater domi ebrius turbam aliquam dedit.

Quid mihi non ſunt balnea?

Nunc uter creſcit, non poteſt celari.

Et homini & pecudibus omnibus.

Sequentibus locis non adſcriptum eſt ab authoribus nomen comœdiæ ex qua ſumpti ſunt.

. . . Deum qui non ſummum putet,
Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtima.
Cui in manu ſit quem eſſe dementem velit,
Quem ſapere: quem ſanari, quem in morbum injici:
Quem contrà amari, quem accerſiri, quem expeti.

Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.

Advehuntur cum iligneâ coronâ & chlamyde.
Dii voſtram fidem. . . .

Mulierculam ego illam huic deſpondebo ex guato ſaltem obſopem.

Quid tibi aucupatio eſt argumentum, aut de meo amore verſificatio eſt patri?

Nam iſta quidem noxa mulieris eſt magìs quàm viri.

Cruento ita ore grundibat miſer.

Filium alta eorum fama occultabat & factio.

Quid narras barbare cum indomitis moribus, illiterate? illex es.

Quiſquilias volantis venti ſpolia memorant modò.

Quæſo igitur quiſquis es, mea mulier.

Proh dii immortales! unde hic prorepſit truo?

Tite præſertim quæ non peperit, lacte non habet.

Nomen Virginis, niſi mirum eſt, deintegravit.

Præterea ſi non farcire quitur.

Credidi ſilicernium ejus me eſſe eſurum.

Gramoſis oculis ipſa, stratis dentibus.

Nullæ nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi ſpatio datas arbitror quàm vobis.

Glubrum tapete.

Decora domi.

Tantam rem dilabare, ut pro nihilo habuerit.

Ex ſcriptis eorum qui veri arbitrantur.

Sequere me tu, qui mihi oſcitans hietánſque reſtis.

Mihi ſordido dormitum ſuadet ut eam quiſquam? etſi ego obdormiero, tute idem ibi eris expertectus.

Qui panis ſoli corbulam.

Cur depopulato gerræ.

Digitized by Google

L. ACCII FRAGMENTA.

L. ACCII *VITA*, *EX LILIO GIRALDO desumpta.*

L. Accius Serrano & Manlio Coss. parentibus libertinis natus, & ſene jam Pacuvio floruit. Fundus fuit Actianus ab eo, ut ait Euſebius, juxta Piſaurum vocatus, quia illuc ipſe cum aliis colonis deductus fuit. Actius ait, ut refert Cicero, iiſdem Ædilibus (non edibus, ut plerique ſcribunt) ſe & Pacuvium docuiſſe fabulam, cùm ille LXXX. ipſe XXX. annos natus eſſet. Sunt codices qui de numero evariant: quos ego emendatiores exiſtimo, ſum ſecutus, quando & Gellius ſcribit. Cùm Pacuvius grandi jam ætate & diutino corporis morbo affectus, Tarentum ex urbe Româ conceſſiſſet, Actius tunc haud parvò junior proficiſcens in Aſiam, cùm in oppidum veniſſet, divertit ad Pacuvium, comiterque ſuſceptus, pluſculiſque ab eo diebus retentus tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen fuit, deſideranti legit: tum Pacuvium dixiſſe aiunt, ſonora quidem eſſe quæ ſcripſiſſet & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora parùm & acerbiora. Ita eſt, reſpondit Actius, utì dicis: neque ejus ſanè me pœnitet: meliora enim fore ſpero quæ deinceps ſcribam. nam quod in pomis eſt, itidem, inquit, eſſe aiunt in ingeniis: quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiunt mitia & jucunda: ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque à principio ſunt vivida, non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendum igitur viſum eſt ingenio, quod dies atque ætas mitificet. Hæc utique totidem verbis ex Gellio, quibus præter hiſtoriam multâ notatione dignam, videtis Actium etiam Pacuvio longè juniorem. Fuit is quoque populo Romano gratus, adeò ut eum qui L. Actium contumeliosè nominaverat, P. Mutius condemnârit. Puſillæ inſuper & brevis ſtaturæ Plinius Actium fuiſſe ait, nihilominus ſibi in ede Camœnarum maximâ formâ ſtatuam poni curavit. Actium aiunt interrogatum, cur cauſas non ageret, cùm apud eum in Tragœdiis tanta vis eſſet: optimè hanc ſcribit Fabius reddidiſſe rationem, quòd illic ea dicerentur quæ ipſe vellet, ſed in foro eſſent dicturi adverſarii quæ ipſe minimè vellet. Amatus etiamnum in tantum Actius à Decio Bruto fuiſſe dicitur, ut Actianis verſibus templorum & monumentorum frontes & aditus exornare conſueverit, ut autor eſt Cicero: qui & alio loco ipſius Decii familiarem fuiſſe ſcribit, ſéque de Bruti eloquentiâ ab ipſo Actio didiciſſe: quæ quidem Ciceronis verba me de temporis ratione ambigere uſque adeò faciunt, ut aliquando alterum hunc Actium à priore fuiſſe autumârim, ut hìc vobis ſtatim ſubjiciam, id quod parum alii animadvertere. Sed, nì piget, & tu Piſo recita, quam de Pacuvio & Actio cenſuram fecit Fabius Quintilianus. Id quidem Lili, libenter agam, reſpondit Piſo, ſi tu nobis priùs de iſto Actio, quem alterum à priore aliquando putâſti, quæ te movebant, attuleris. Id agam ſcilicet, ut & vos eodem mecum errore ducamini, ſi vobis minùs tempora utrique convenire videbuntur. Alter igitur hic L. Actius à priore is mihi viſus, qui eodem quo Cicero & Cæſar floruit tempore, adeò ut de eo Val. Maximus libro tertio ſcribat: Actius, inquit, Julio Cæſari ampliſſimo ac potentiſſimo viro in collegium Poëtarum venienti, nunquam aſſurrexit, non majeſtatis ejus immemor, ſed quòd in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe confideret: quapropter inſolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur. & hæc quidem Valerius. Hujus præterea in nono meminit Vitruvius: meminit & Ovidius in tertio de Ponto, cum ait: *Autor opus laudat* (ad Brutum ſcribens) *ſi forſitan Actius olim, Therſiten facie dixerit eſſe bonâ.* Fuerunt & qui hunc eum exiſtimarent, quem Iliada ſcripſiſſe Perſius Flaccus ait: *Non hic eſt Ilias Acti Ebrio ſerratro.* Scripſit verò L. Actius præter fabulas, annales, ut in primo Saturnalium Aurelius Macrobius obſervat, ex quibus & verſus hos citat:

Maxima pars Graiûm Saturno & maximæ Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Cúmque diem celebrant per agros urbéſque fere omnes
Exercent epulis læti, famuléſque procurant
Quiſque ſuos, noſtrique itidem, & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Atque hæc quidem de Actio. Quæ cùm retuliſſem, penſum, quod pollicitus Piſo fuerat, exolvere jam paratus erat. Sic itaque cœpit: Fabius igitur Quintilianus lib. x. de Pacuvio & Actio ſic ait: Tragœdiæ, inquit, ſcriptores Actius & Pacuvius clariſſimi, gravitate ſententiarum, verborúmque pondere & autoritate perſonarum. Cæterùm nitor & ſumma in excolendis operibus manus, magìs videri poteſt temporibus, quàm ipſis defuiſſe, virium tamen Actio plus tribuitur. Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt. & hactenus Fabius. Et Piſo: Cæterùm in Pacuvio Cicero ait ornatos eſſe verſus & elaboratos. Sed & horum utriuſque plurimæ fuiſſe feruntur fabulæ, quæ paſſim à ſcriptoribus citantur, ex quibus pleræque ſententiæ circunferuntur. Ex Pacuvii quidem tragœdiâ, quæ inſcripta fuit Armorum judicium, decantatum carmen eſt, cùm ludi in Julii Cæſaris funere celebrarentur, ut eo carmine commiſeratio major & invidia contra conſpiratos cæſores commoveretur. Actii verò nobilis illa ſententia ex ejus Aſtyanacte in augures & divinatores dicitur, *Nihil*, inquit, *credo iſtis auguribus, qui aures verbis divitant alienas, ſuas ut auro locupletent domos.*

ACHILLE.

QUA re aliâ ex crimine inimicorum effugere poſſis, delica.

Ne tum cùm fervat pectus iracundiâ.

An ſceptra jam * flaccent, ferat.

ÆDILITIA.

Datum eſt aurum, exultat planipes.

Sed ſi pepugero, metuet.

ÆGISTHO.

Neque fera hominum pectora frageſcunt, donec vim perſenſerint imperii.

Heu cujatis ſtirpem penitus ſigi ſtudet.

Cùm manus materno ſordet ſparſa ſanguine.

Meliùs quàm viſi callent mulieres.

Celebri gradu greſſum adcelebrâſſe decet.

ÆNEADIS, ſeu DECIO.

Patrio exemplo & me dicabo, atque animam devorabo hoſtibus.

Te, ſancte, venerans precibus, invicte, invoco,
Portenta ut populo patriæ verruncent bene.

Vim Gallicam obduc contrà in acie, exercitu-
Ve patrum hoſtili fuſum ſanguen ſanguine.

Clamore & gemitu templum reſonit cœlitum.

Et nunc quòd eorum * ſeguitas ardet focus.

Fateor,

Faxor; ſed ſæpe ignavit fortem in ſpe expectatio.

Gallei voce canorâ fremitu peragrant minitabiliter.

Caſtra hæc veſtra eſt, optimè eſſis meritus à nobis.

* Dii ſumma tibi perduellum eſt, quorum aut quibus ſe à partibus
Gliſcunt. . . .

Nihil neque periculi neque tumulti eſt, quod ſciam.

Quòd periti ſamus in vitâ, atque uſu callemus magis.

Quibus rem ſummam, & patrium noſtram quondam adauctavit pater.

AGAMEMNONIDIS.

Inimicitias Pelopidarum extinctâ jam obliteratas memoriâ renovare.

Sic multi, animus quorum atroci junctus malitiâ eſt,
Compoſita dicta è pectore evolvunt ſuo,
Quæ cùm componas, dicta factis diſcrepant.

In altiſono cœli clupeo.

ALCESTIDE.

Cùm ſtrideret retracta rurſus inferis.

ALCMÆONE.

Tanta ut fruſtrando lactans vanans protrahit.

Quòd dii interdum inferam penitus depreſſum altis cluſere ſpecis.

Quia nec vos, nec illi impune irriderent meam grandævitatem.

Suos deſeruit liberos, ſuperſtites ſunt.

Atque eccos ſegnis ſomno & tarditudine.

Poſtremò ampiexa, fructum quem dii dant, cape.

Qui ducat, cùm te viderit ſocerum, generibus tantam eſſe impietatem.

Ut me repoſitum immerentem repentino nuntio alacrem
Reddidiſti, ac me excitâſti ex luctu in lætitudinem!

ALPHESIBOEA.

Quid hi tam obſcuri dicunt? eſtne tam inenodabile?

At vereor, cùm te eſſe Alcmæonis fratrem factis dedicat.

Sed anguſtitate incluſam, ac ſaxis ſqualidam.

. . . . Etſi eſt malis
Depoſitus animus meus, quæ ſcribi exinde audiet.

Ita territa membra
Animo ægroto
Cunctant ſufferre laborem.

Cum ipsâ fim, & miſeritudo eorum ulla eſt liberûm.

Si tui veretur te progenitoris, cedo.

* Odiorum hoſtificumque diem obvium turbam aſpectu atque horribilem.

Sed tibi cautim eſt adeundum ad virum.

AMPHITRUONE.

Si ſatis rectè, aut verâ ratione augurem.

Hoccine eſt, quòd tu tam temeriter meam benevolentiam
Iteriiſſe es ratus? aut tam obſtinato animo conſiſus tuo?

* Cedò ecquid te redhoſtitum cùm meiſſem objectet faciliùs.

* Quid hic redhoſtit viam: comitem obiet faciliùs.

An malâ ante mavis malè mulcari exemplis omnibus?

Quin meum ſenium cum dolore tuo conjungam & comparem.

Miſeret lachrymarum, luctuum, orbitudinis.

Sed quænam hæc eſt mulier, funeſtâ veſte, tonſu lugubri?

Ne, ſi fortè paulò, quàm tu, veniam ſeriùs.

Tametſi ſtaturæ gracilitudo & propemodum luctus facit
Ne dubitem. . . .

Cùm patre parvos patrum hoſtificè
Sanguine ſanguen viſcere ſuo.

. . Non parvam rem ordibor; ne retice, obſecro.

Pertolerarem vim tantam, cladéſque exanclarem impatibiles.

ANDROMEDA.

Miſera obvalla ſaxo, ſenio, pædore, algúque & fame.

Donec te auxilium, Perſeu, tetuliſti mihi.

Qui neque terræ eſt datus, nec cineris causâ exortus evaſit vapos.

Muliebre ingenium, prolubium, occaſio.

Alui, educavi; id facite gratum ut ſit ſeni.

Multi iniquo, mulier, animo ſibi mala auxere in malis,
Quibus natura prava magis, quàm fors aut fortuna obfuit.

Quam ainxerit cœleſtium molem mihi.

Niſi quòd tua facultas nobis tulat operam.

Namque ut dicam te metu aut ſegnitate addubitare, haut meum'ſt.

Nóſque ut ſeorſum dividos leto offeres.

Nam poſtquam parvos oppreſſit famulitas.

Vis atque egeſtas, fama, formido, pudor.

Quot luna circulos annuo in curſu inflitit.

Quod beneficium haut ſterili in ſegete, rex, te obeſſe intellegis.

Nec quî te adjutem invenio: hortari piget; non prodeſſe, id pudet.

Immane te habeat templum obvallatum oſſibus.

ANNALIBUS.

Maia nemus retinens gravido concepit in alvo.

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ
Conficiunt ſacra quæ Cronia eſſe iterantur ab illis:
Quúmque diem celebrant, per agros urbéſque fere omnes
Exercent epulas læti, famulóſque procurant
Quiſque ſuos: noſtríque itidem, & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Calones, famuliſque, metelliſque, caculæque.

Fraxinus fixa ferox infenſa infunditur oſſis.

Ut quàm frigidiſſimus alvus.

ANTENORIDIS.

Namque huc venio, ut meâ ope opes Troiæ integrem.

Fortaſſean ſint, quos hic non meret metus.

Quia aut illorum in campo fundam copias,
Aut navis uram, aut caſtra mactabo in mare.

. . Ad

Digitized by Google

. . . . Ad populum intellego
Referunda, quorum jam æquiter sententiæ
Fuere. . . . .

. . . . . Sed hic quis est,
Qui matutinum cursum hæc celeriter rapit?

ANTIGONA.

Ne istum numerò amittas subitum obitum.

At at, nisi me fallit in obitu sonitus.

Heu vigiles, properate, expergite
Pectora tarda sopore; exsurgite.

Quid agis? perturbas rem omnem, ac resupinas soror.

. . . Jam jam neque dii regunt,
Neque profectò deûm summus rex omnibus
Curat. . . .

Quanto magìs te istiusmodi esse intellego,
Tanto, Antigona, magìs me par est tibi
Consulere & parcere.

ARGONAUTIS.

Ex personâ pastoris qui primus vidit navem Argo.

. . . Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti sonitu & spiritu
Præ se undas volvit, vortices vi suscitat,
Ruit prolapsa, pelagus respergit, restat.
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublimè ventis expulsum rapi
Saxum aut procellis, vel globosos turbines
Exsistere ictos, undis concursantibus.
Nisi quas terrestres pontus itrages conciet.
Aut fortè Triton fuscinâ evertens specus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeum ad cœlum vomit.

Sicut cîti atque alacres rostris perfremunt
Delphini. . . .

. . . Sylvani melo
Consimilem ad aures cantum & auditum refert.

ARMORUM JUDICIO.

Cur vetera tam ex alto appetisti discidia,
Agamemno? . . .

Hera vereor, plus quàm fas est, captivum hisce.

Cedit, Achilli inclutis armis vesci studet,
Ut ea cuncta optimè is levia præ illis putet.

. . . . . Bene facis;
Sed nunc quid subiti mihi febris attulit mali?

Quid est cur componere ausis mihi te, aut me tibi?

Ocule, noxitudo obliteretur Pelopidarum, ac per nos sanctescat genus.

Inter quos sæpe & multo imbutos sanguine.

Hujus me dividia cogit plus quàm par est, loqui.

Major erit luctus, quum me damnatum audiet.

Sed pervico Ajax animo atque inorabili.
Nam non facilè, sinè Deûm operâ, propria humana sunt bona.

Ubi cura est, ibi anxitudo; acerba ibi cuncta consiliorum ratio & fortunæ.

* In quo salutis spes supremas, summam sibi habet exercitûs.

. . . Nam trophæum ferre me à forti viro,
Pulchrum est: sin autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum.

Virtuti sis par, dispar fortunis patris.

Apertè fatur dictio, si intelligar,

Tali dari arma, qualis qui gessit fuit,
Jubet, potiri si studeamus Pergamo.
Quæ ego profiteor esse mea: nam me æquum est frui
Fraternis armis, mihique adjudicarier,
Vel quòd propinquus, vel quod virtute æmulus.

Qua causâ accusem hunc, nequeo putando evolvere:
Nam si veretur, quid eum accusem, qui est probus?
Sin inverecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accusem, qui id parvi auditu existimet?

Nunc ego te ab summo jam deteram exordio.

Nihilne ad te de judicio armûm accidit?

Vidi te, Ulysses, saxo sternentem Hectora;
Vidi tegentem clupeo classem Doricam;
Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam.

ASTYANACTE.

Ista in quibus partibus (namque audire volo)
Si est quem exopto, & quo captus modo,
Fortunâne an forte reperitur.

Troja est testis; quære ex aliis, qui illius miseritudine
Nomen clarum in humili saxo multis memorant vocibus.

Nunc in concilio id reges Argivûm aucupant,
Id quærunt. . . .

Propter te tot tantósque habemus vastitates funerum.

. . . . In celsis montibus
Pecua, atque inter colles pascunt Danai in Phrygiæ & terminis.

Qui nostra per vim patriæ populavit bona.

Quorum crudelissem nulla unquam explet satias sanguinis.

Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas; suas ut auro locupletent domos.

Hic per matutinum lumen tardo properantem gradu,
Derepente aspicio ex nemore pavidum & properantem egredi.

Abducite intrò. nam mihi miseritudine
Commovit animum excelsa aspecti dignitas.

Utinam unicam mihi antistitam arcitenens suam
Tutetur. . . .

Ferum feroci contundendum vi permisit sæviter.

* Hunc altaispinem regionum fac, ac desistet exercitum morari, nec me ab domultione marceretur obscæno homine.

ATHAMANTE.

Cujus sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit.

Atque ita de illis merui, ut jure hæc nunquam misereret mala.

Ut profugiens hostem, inimici invadam in manus.

An dubito? vah, quid agis? cave ne in turbam te implices.

Beneficium grave in hostium peperisti gratiam.

Prinsquam infant facinus oculi vescuntur tui.

. . . Veritus sum arbitror,
Atque utinam possim memet obliviscier.

ATREO.

Ne cum tyranno quisquam epulandi gratiâ
Accumbat mensam, aut eandem vescatur dapem.

Sed quid tonitru turbida torvo
Concussa repentè æquora cæli
Sensimus' sonere? . . . .

Ego

Digitized by Google

Ego incipio, cœpta exſequar.

Concoquit partem vapore flammam tribuit verubus lacerata in focos.

Egóne Achivûm imperium attingam, aut Pelopis dignet domo?
Quoi me oſtendam? quod templum adeam? quem ore funeſto alloquar?

Simul & Piſæa præmia arrepta à ſocru poſſedit ſuo.

Epularum fictor ſcelerum, fratris delitor.

. . . Quanquam quod ad me attinet,
Nunquam iſtam imminuam curam inficiando tibi.

Multi iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni.

Fregiſtine fidem? Neque dedi, neque do infideli cuiquam.

Quis homo te exſuperavit unquam gentium impudentia?
N. Quis autem malitiâ te? . . .

Major mihi moles, majus miſcendum malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
Manderem natos. . . .

Oderint, dum metuant.

Natis ſepolchrum eſt ipſe parens.

Proinde ita parent ſe in vitâ, ut vinci neſciant.

Quod re in ſummâ ſummum eſſe arbitror
Periclum, matres coinquinari regias,
Contaminari ſtirpem, admiſceri genus.

Addo huc, quòd mihi portento cœleſtûm pater
Prodigium miſit regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aureâ clarum comâ,
Quondam Thyeſten clepere auſum eſſe è regiâ:
Qua in re adjutricem conjugem cepit ſibi.

AUTOMEDIA.

Immane te habeat templum, obvallatum oſſibus.

BACCHIS.

Lætum in Parnaſſo inter pinos, tripudiantem in circulis
Ludere, atque tædis fulgere. . .

Quod neque ſat fingi, neque ſatis dici poteſt
Pro magnitate. . . .

Quantâ in venando affecti lætitudine.

Agite modico gradu, jacite thyrſos leves.

Tum ſilveſtres exuvias lævo pictas lateri accommodant.

Ubi ſanctus Cithæron frondet viridantibus fœtis.

Quia neque vetuſtas, neque mors, neque grandævitas.

Formæ figurâ, nitiditate, hoſpes regius.

Splendet ſæpe, aſt idem nimbis interdum nigret.

Deinde omnes ſtirpe cum incluta Cadmeide
Vagant matronæ percitatæ tumultu.

Acre crepanteis melos.

Et nunc ſilvicolæ ignota inviſentes loca.

O Dionyſe pater, optime vitiſator, Semelâ genitus Euthuia.

* Præſens præſto irridetis nobis . . . ſtirpe ultro oſtentum obtulit.

Indecorabiliter alienos alunt.

Lanugo flora nunc genas demum irrigat.

Nam flori crines video, ut properi jacent.

Deinde ab jugulo pectus glauco pampino obnoxa obtexunt.

BRUTO.

Tarquinius ſuperbus de ſomnio ſuo.

Cùm jam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, ſopore placans artus languidos;
Viſum eſt in ſomnis paſtorem ad me appellere
Pecus lanigerum eximiâ polchritudine:
Duos conſanguineos arietes indè eligi,
Præclariorémque alterum involare me:
Deinde ejus germanum cornibus conitier
In me arrietare, eóque ictu me ad caſum dari:
Exin proſtratum terrâ graviter ſaucium,
Reſupinum; in cœlo contueri maximum
Ac mirificum facinus; dextrorſum orbem flammeum,
Radiatum ſolis, liquier curſu novo.

Conjectorum interpretatio ſuper eodem ſomnio Tarquinii.

Rex, quæ in vitâ uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitántque; ea ſi cui in ſomno accidunt,
Minus mirum eſt: ſed in re tantâ haud temere viſa offerunt:
Proin vide, ne, quem tu eſſe hebetem deputes æquè ac pecus,
Is ſapientiâ munitum pectus egregium gerat,
Téque regno expellat. Nam id quod de ſole oſtentum eſt tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore
Perpropinquam. hæc bene verruncent populo. Nam quòd ad dexteram
Cepit curſum ab lævâ ſignum præpotens, polcherrimè
Auguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore;

Qui rectè conſulat, conſuli ſuat.

Nocte intempeſtâ noſtram devenit domum.

Tullius, qui libertatem civibus ſtabiliverat.

CHRYSIPPO.

Melius pigrâſſe, quàm properâſſe eſt nefas.

Quid agam? vox illius eſt certé. idem omnes cernimus.

Æternabilem divitiam partiſſent.

Neque quiſquam à telis vacuus, ſed utì cuique obviàm fuerat ferrum, alius ſaxum, codum.

Quin huic, ſi ſupereſcit, Spartam atque Amyclas trado.

CLYTÆMNESTRA.

In pectore fulmen inchoatum, flammam oſtentabat Jovis.

Deûm regnator nocte cæcâ cælum è conſpectu abſtulit.

Sed valvæ reſonunt regiæ [domûs.]

Feras potiuntur plagas.

Matre meo jure factum incilas, genitorem injuſtum approbas.

Ut quæ tum abſentem rebus dubiis conjugem
Tetinerit, nunc prodat ultorem. . .

Omnes gaudent facere rectè, mali pigrent.

Cur me miſeram irridet magnis compotem & multis malis?

Scibam hanc mihi ſupremam lucem, & ſervitutis finem dari.

Fluctì immiſericordes jacere, & atra ad ſaxa allidere.

Aut ego illum eripiam, aut illi pœnas ſufferam.

CONCILIATRICE.

Urſum ſe memordiſſe autumat.

DEI.

Digitized by Google

D E I P H O B O.

Nos continuò ferrum eripimus omnibus, manicas nexi-
mus.

Vel hic qui in eâ parte effrenatâ impudentiâ
Præſentem præſens dictis mertare inſtitit.

* Aut infando homini gnatula erat, aut arena, ſi ex ſole,
Qui neque amico amicus unquam gravis, neque hoſtis
hoſti fuit.

Eo ante noctem, externa retia ut proveherem, & ſtatue-
rem,
Fortè aliquanto quàm ſolitus lembo ſum progreſſus
longiùs.

D E M E T R I O.

Huic colomenula geminis aptum cornibus.

D I O M E D E.

Fere exanclavimus tyranni ſævum ingenium atque ex-
ſecrabile.

Non genus virum ornat, generis vir fortis loco.

Simul aurem attendo, ut quirem exandire ampliùs.

Si unquam perpediar gnato, puer ne attenderis
Petere a me id, quod nefas ſit concedi tibi.

Adſum apud te, genitor.

Paſiſmque præda pecua balabant agris.

Benignè, & pro beneficio largè atque ampliter.

Et qualis fuerit, fama celebreſcat tua.

Multa amittuntur tarditie & ſocordiâ.

. . . Ita & fletu & tenebris obſtinatus
Speciem amiſſi luminis conſpiciant * inſolentiam.

Me Argos referam, nam hìc ſum nobilis,
Ne cui cognoſcar noto. . . .

Ogygia mœnia.

D U L O R E S T E.

Vereor, ſi nunquam fatiſcar facere quod quibo boni.

E P I G O N I S.

Qui, niſi genitores ulſo, nullum meis dat finem miſeriis.

Age, age, amolire, amitte, cave veſtem attigas.

Fateor: ſed cur propter te pigrem hæc, aut hujus du-
bitem parcere çapiti?

Sed jam Amphilochum huc vadere cerno, & nobis da-
tur bona pauſa loquendi.

Apud abundantem antiquam amnem, & rapidas undas
Inachi.

Quibus oculis quiſquam noſtrûm poterit illorum obtui
Voltus, quos jam ab armis anni porcent? . . .

Et nonne Argivos fremere bellum, & velle vi vulgum
videt?

* Maneas adhiſante exſulſo macte Pelopis externis.

Vidén' ut te impietas ſtimulat, nec moderat metus?

Quid ceſſo ire ad eam? hem præſtò eſt, camo collum
gravum.

Eloquere properè, ac pavorem hunc meum expectora.

E P I N A U S I M A C H E.

Martes armis duo congreſſos crederes.

Incurſio ita erat acris.

Luciferâ lampade exurat Jovis arietem.

Mors amici ſubigit, quæ mihi eſt ſenium multò acer-
rimum.

Et contrà, quantum obfueris, ſi victus ſies,
Conſidera, & quò revoces ſummam exerciti.

Ut nunc cùm animatus iero, ſatis armatus ſum.

Probis probatum potiùs, quàm multis fore.

Proin tu id cui fiat, non qui facias, compara.

Quod ſi procedit, neque te, neque quenquam arbitror
Tuæ pœniturum laudis; quam ut ſerves, vide.

Ubi non terricula tua ſunt?

Sanguine undam falſo ſanctam obtexui Scamandrium,
Atque acervos altâ in amni corpore explevi hoſtico.

Ab claſſe ad urbem tendunt, neque quiſquam poteſt
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

Nec perdoleſcit fligi ſocios morte, campos contegi.

Tamen haud fatiſcar, quin tuam implorem fidem.

Primores procerum revocarent nomina, niſi
Eſſet quis qui armis ſecum vellet cernere.

Item ad mœſtitiam mutam infantium quadrupedum.

* Eos mortalis fœnis. *lib. x.* miſeror ſæpe ſtudios volo?

E R I G O N A.

Sapimus animo, fruimur animâ: finè animo anima eſt
debilis.

* Tum autem Ægiſthus ſi me eſſe eodem loco comi-
tâſſet patri.

Quanquam exſangue hoc corpus mihi annis putret.

Ita imperitus ſtupiditatę erumpit ſe, impos conſilii.

Locrorum latè viridia & frugum ubera.

Aſſentio: age nunc tu tuam progeniem, & ordine.

Hoſpitem depoſita interimes.

Eâque hoc causâ, ut ne quis noſtra auribus verba cle-
peret.

Sed ubi ad finem ventum eſt, in quo illum fors expecta-
bat loco,
At quem Oreſtes gravis ſacerdos ferro prompto adflixit.

Nunc pergam, ut ſuppliciis placans Cœlitum aras ex-
pleam.

Quod utinam me ſuis arcitenens telis mactâſſet dea.

E R I P H Y L A.

Pallas bicorpor anguium ſpiras trahit.

E U R Y S A C E.

Super Oceani ſtagna alta patris,
Terrarum amfracta reviſam.

Nunc per terras vagus, extorris regno, exturbatus ma-
gi.

Tu autem, quod quæro abs te, enoda, & qui ſis explica.

Nam ea oblectat ſpes ærumnoſum hoſpitem,
Dum id, quod miſer eſt, clam eſſe cenſet alteros.

* Jam potero incipiam, & finè quid vi contendam ei
hinc
Comportet texum Salaminem habeam.
Sed atratus teterâ veſte, & vaſtitudine
Tam deformatus. . . .

Nunquam erit tam immanis, cùm meâ operâ extinctum
ſciet,
Quin flagitet. . . .

Apud

Apud ipſam adſtas.

* Diffidam autem ne cidere turbat vulgum ambigua accius evitat, mœros disjicit.

Perſuaſit mœror, anxitudo, error, dolor.

Heu me miſerum, cùm hæc recordor, cùm illos reminiſcor dies.

. . . . . opinione factum eſt, quanto minùs
Stirpem educabant, tanto ut reremur magìs
Eos eſſe. . . . .

Tot tropæa tranſdes, ſummam gloriam evorti fines
Tam deſubitó?

Reprime parumper vim citatûm quadrupedum.

Diſertim id unum incommodis deſit meis.

Prò dii immortales! ſpeciem humanam, inuſitatam, egregiam,
Indignam clade & ſqualitudine.

Sed memet calvor. vos iſtum, ut juſſi, ocyùs
Abſtrahite. . . . .

Quemadmodum imperum occupemus facere ultro in regem.

* Nihil eſt. ſi autem ad te retardat, ſotium in portu eſt, copiáque ſubſiſtat modò, tu te ipſe effirma & compara.

Heu mihi, ut etiam hæc ærumna mihi luctum addit luctibus!

N. * Quid miſerari id me Euryſacem tuam ſolitatem memoras, formidas tibi: te commiſerebar magìs, quàm miſerebar mei, & multis mei & aliquando vexata generibus.

. . . Ille orbus, exſpes liberûm.

Ilico inquam habitat * ovis quàm propitius.

Atque, ut vides, non tenui de loco.

H E C U B A.

Veter fatorum terminus ſic juſſerat.

H E L E N I B U S.

Signa extemplo canere, & tela ob mœnia offerre imperat.

Qui, niſi probrum, omnia alia indelicta æſtimant.

I L I O N A.

Aut ſtagnorum *humorem rimarentur loca.

Ibo ad eam, ut ſciſcam quid velint: valvæ ſonunt.

I O N E.

Quibuſnam te aibant ortum locis?

Ex taurigeno ſemine ortam fuiſſe, an humano eam?

Cuſtodem aſſiduum Ioni appoſuit virgini.

Topper, ut ſit, patris tunc eïcit iras.

M E D E A.

Ego me extollo in abietem, altè ex tuto proſpectans aucupo.

Primò ex immani victum ad manſuetum applicans.

. . . Fors dominatur, neque ulli vita propria
In vitâ eſt. . . . .

Principiò extiſpicum ex prodigiis congruens ars te arguit.

Niſi ut aſtu ingenium, linguâ laudem, dictis lactem lenibus.

Tán' dia Medea es, cujus aditum exſpectans pervixi uſque adhuc?

Niſi quas terreſtris pontus ſtrages conciet.

Vagent, pavore pecuda in tumulis deſerunt,
Qui nos paſcet poſtea?

Quî potis eſt repelli quiſquam, ubi nullus eſt cauſandi locus?

Par neci orbificor, liberorum leto & tabificabili.

Peritè in ſtabulis frenos immittens feris.

Ut triſtis turbinum toleraret hyemes, mare cùm horret fluctibus.

Lavere ſalſis vultum lacrymis.

Exſul, inter hoſtis, exſpes, expers, deſertus, vagus.

Apud vetuſtam turrem. . . . .

M E L E A G R O.

Vagent ruſpantes Sylvas, ſectantes feras.

Quæ vaſtitudo hæc, aut unde invaſit mihi?

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent,
Pro ſe quiſque, cum coronâ clarum conſtat caput.

Cujus exuvias & coronam huic muneravit virgini.

Erat virile iſtuc, ferre advorſam fortunam facul.

Frigit fricantem corpus aërium occultè abſtruſo in flumine.

Frigit æſtas rubore ex oculis fulgens flammeo.

Eum ſuum vitæ finem ac fati internecionem fore Meleagro, torris cùm eſſet interfectus flammeus.

Remanet gloria apud me; exuvias dignavi Atalantæ dare.

Quis erit, qui non me ſpernens, incilans probris,
Sermone indecorans, turpi famâ differet?

Quàm invita ancillans, dicto obediens viri.

Tum ut eliminor clamore, ſimul ac nota vox ad aures accidit.

Fruges perhibet grandeſcere.

Labore aut minuat itinere ingreſſum via.

Cave laſſitudo poplitum curſum levet.

Nunc ſi me matrem manſues miſericordia
Capſit. . . . .

Heu cor irâ fervit cæcum, amentiâ rapior, feror.

MENALIPPO, vel MELANIPPA.

Quiſnam florem liberûm invidit meûm?

Te eſſe huic noxæ obnoxium.

Neque ratum eſt quod dicas; neque quæ agitas, diſcendi locus eſt.

Conſtituit, cognovit, ſenſim conlocat ſe in celſum locum;
Hinc manibus rapere rodus Saxeum grande & grave.

Incurioſa itaque es, Menalippe, rejicis abs te religionem, ſcrupeam,
Imponas. . . . .

Credite amici morte me imbuturum manus.

Regina, erit tempus cùm hic torris quem amburi vides

* Obvia amens ſdque advorſum aptus, alter in prompru occupat.

En eum aliquis cette in conſpectum, aut nos, ubi eſt, ducite ad eum.

Eſt res aliqua, quæ præſente his priùs maturè inſtituit.

Paratus ſum ubivis petere peſtem, perniciem.

Egóne auxilio motus, temere ut hoſti me animato offeram?

Hic

Digitized by Google

Hic Melanippum interea trajectus nemorum in falti faucibus.

Prò Jupiter! . . . .

Revolso stipite. . . . .

MINOTAURO.

Taurigeno semine ortum fuisse, an humano.

MYRMIDONIBUS.

Tu pertinaciam esse, Antiloche, hanc prædicas;
Ego pervicaciam aio, & à me uti volo.
Nam pervicacem dici me esse, & vincere,
Perfacilè patior; pertinacem nil moror:
Hæc fortes sequitur; illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.

Ego me non peccâsse planè ostendam; aut pœnas sufferam.

Mea fata in acie obliti.

Nolo equidem; sed tu huic, quem scis quali in te fiet
Fidelitate, ob fidam naturam viri
Ignosce. . . .

Quòd si, ut decuit, stares mecum, haut me meus mœraret dolor;
Jam diu inflammarier naves vidissent suas.

Classes trahere in salum, & vela ventorum animis immittere.

Regnum tibi permitti malunt: cernam, tradam exercitus.

Iram infrenes, obstes animis, reprimas confidentiam.

Tua honestitudo Danaos decepit diu.

NEOPTOLEMO.

Ubi nihil contra rationem æquam habuit, assensit silens.

Vim, ferociam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam.

Satis jam dictum est, neque ego errantis animi pravè morigerabor.

Dolet, pudétque Graiûm me, & verò piget.

Sat in astu & fallendo callet.

Sed quem mihi jungent? cui, quæ cum illo fuerim, dignabor dari?

Atque adeò valvas sonere sensi regias.

Quid si ex Græciâ omne nomen Ilium par nemo reperiri potest?

Ita ut dixi, macte his armis; macte virtute patris.

Vis veritatis atque acritas.

Decorare est satius quàm urbem tæniis.

Haud quisquam ipotis est tolerare acritudinem.

Atque ego repercutio ratibus mare.

An pro me, Dane, quî te adjutem, invenio? hortari pudet, non prodesse, id piget.

Sed quæsdam. . . .

NIPTRIS.

Indè advenio montem Oetam, scruposam specum.

NYCTEGRESIA, al. NYCTEGERSIA.

Lubet nunc attentare, lubet nunc animo ruspari Phrygas.

Classis adit, clauditur, servit.

Cuncta expedibo; id modò jusjurandum date.

Illos sæpte induxit virtus; tu laudem illorum levas?

Cujus vos tumulti causâ accierim, & quid parem, advortite.

Scandit ora laterum texta volcani vorax.

Id quod facis, gratum & grave est.

Aut ego illum eripiam, aut illi pœnas sufferam.

Tùne, quod supereft, socium mittis leto, an lucti pœnitet?

An ego Ulyssem obliviscar unquam, aut quenquam præponi velim?

OENOMAO.

Vos ite actutum, atque opere magno edicite
Per urbem, ut omnes qui arcem astéamque accolunt
Cives, ominibus faustis augustam adhibeant
Faventiam. Ore obscœna dicta segregent.

Ferte ante auroram radiorum ardentum indicem,
Cum somno ia segetem agrestis cornutos cient,
Ut rorulentas terras ferro fidas
Proscindant glebas, arvóque ex molli excitent.

Ego ut essem adfinis tibi, non ut te extinguerem,
Tuam petii gnatam. numerò te expurgat timor.

Quemcunque insiteram grumum, aut præcisum jugum.

Saxum id facit angustitatem, & sub eo saxo exuberans
Scatebra fluvia eradit rupem.

Præstò etiam adsum; exprome quid fers; nam te longo itere cerno vadere.

Conjugium Tifis patere ad te itiner tendere.

Atque hanc postremò solis usuram cape.

Horrida honestitudo Europæ principium primum ex loco.

Atque ea conjecturâ auguro.

PARIDE.

Frena thesauri equorum accommodant.

PELOPIDIS.

Nam me ut credam ex tuo esse conceptum satu,
Ut argumenta redigunt animum & commovent.

. . . & te ut triplici latarem bono.

Cessò ire hinc, & rapere lucti vestem in leto conjugis?

Ejus serpentis squamæ squalido auro & purpurâ
Prætextæ. . . .

Nec tibi me in hac re gratari decet.

. . . . Stimulóve cor meum.

PERSIDIS.

Satín' ut quem cuique tribuit fortuna ordinem?
Nunquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum.

PHILOCTETE.

Inclute, parvâ prædite patriâ;
Nomine celebri, claróque potens
Pectore, Achivis classibu' ductor,
Gravis Dardaniis gentibus ultor,
Laërtiade . . .

Contrà est eundum cautim, & captandum mihi.

Quod ted' obsecro, ne isthæc aspernabilem
Tetritudo mea me inculta faxit.

Ubi habet? urbe, agróne?

Contempla hanc sedem, in qua ego novem hyemes saxo stratus pertuli.

. . . Ubi horrifer
Aquilonis stridor gelidas molitur nives.

Quod ejulatu, questu, gemitu, fremitibus,
Resonando multum flebiles voces refert.

Cui viperino morsu venæ viscerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.

. . . . jacet in lecto humido,
Qui ejulatu, questu, gemitu, fremitibus, &c.

Heu, quis salsis fluctibu' mandet
Me ex sublimi vertice saxi?
Jam jam absumor: conficit animam
Vis vulneris, ulceris æstus.

. . . Pinnigero, non armigero in corpore,
Exerceantur tela, abjectâ gloriâ.

Configo tardus celeres, stans volatiles,
Pro veste pennis membra textis contegens.

Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia
Et tesca te adportas loca?

. . . Qui Lemni aspera
Tesca tuere & celsa Cabirum
Delubra tenes, mysteriáque
Pristina castis concepta sacris.

Et Volcania templa sub ipsis
Collibus, in quos delatu' locos
Dicitur alto ab lumine cœli,
Ætnæâ vi spirante, vapor
Fervidus; unde ignis mortalibus
Divisse cluet doctu' Prometheus
Clepisse dolo, pœnásque Jovi
Fato expendisse supremo.

. . . Reciproca tendens
Nervo equino concita tela.

Quem neque tueri contrà, nec affari queas.

. . . . Heu Mulciber
Arma ignavo invicta ex fabricatus manu.

Caprigenûm trita ungulis.

Si imperâsses tibi, ego nunc non essem miser.

. . . Cui potestas si detur, tua
Cupienter malis membra discerpat suis.

Agite, ac, volnus ne succusset gressus, cautè ingredimini.

Phrygiam mitiorem esse immani Græciâ.

Loca aspera, saxa tesca tuor.

PHINIDIS.

Ac ubi curvo litore latrans
Unda sub undis labunda sonit.

Simul & circùm magna sonantibus
Excita saxis sæva sonando
Crepitu clangente cachinnat.

Aut sæpe ex humili sede sublimæ advolant.

Neque ulla curâs finis interea datur.

Salsis cruorem guttis lachrymarum lavit.

Abtorque proram, ac suppa tortas copulas.

Quæ vest grato tibi congenerat gentium aut generum affinitas.

Sevenis sterilem esse illius operâ, medicina autumans.

Tacete, & tonsillas littore in lævo edite.

PHOENISSIS.

Sol, qui micantem candido curru atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas,
Quianam tam adverso augurio & inimico omine
Thebis radiatum lumen ostendis tuum?

Vicissitatémque imperitandi tradidit.

Ne eorum divitiæ discordiæ dissupent

Et disturbent tantas & tam opimas civium
Divitias. . . .

Jussit proficisci exsulium quovis genium,
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri.

Egredere, exi, effer te ex urbe, elimina.

Obit nunc vestra mœnia, & omnis saucios
Convisit, ut curentur diligentiùs.

Delubra cœlitum, maris sanctitudines.

Incusant ultro, à fortunâ opibúsque omnibus
Desertum, abjectum, afflictum ex animo expectorant.

Gnatus virtute sceptrum potiretur patris.

Ibi fas, ibi cunctam antiquam castitudinem.

Ab dracontis stirpe armatâ exortus, genere antiquior.

Quæ ego cuncta esse fluxa in meâ re creperâ comperi.

Num pariter videor patris vesci præmiis?

PROMETHEO.

Prometheus ad Caucasum affixus.

Titanum soboles, socia nostri sanguinis,
Generata cœlo, adspicite relegatum asperis
Vinctúmque saxis; navem ut horrisono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitæ:
Saturnius me sic infixit Jupiter,
Jovisque numen Mulciberi adscivit manus.
Hos ille cuneos fabricâ crudeli inserens
Perrupit artus: qua miser solertiâ
Transverberatus, castrum hoc furiarum incolo.
Jam tertio me quoque funesto die,
Tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Jovis satelles pastu dilaniat fero:
Tum jecore opimo farta & satiata affatim,
Clangorem fundit vastum, & sublimè advolans
Pinnatâ caudâ nostrum adulat sanguinem.
Quum verò adesum inflatu renovatum est jecur,
Tum rursus tetros avida se ad pastus refert.
Sic hunc custodem mœsti cruciatûs alo,
Qui me perennivivum fœdat miseriâ.
Namque, ut videtis, vinclis constrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem à pectore.
Sic me ipse vidnus pestes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirens mali:
Sed longè à leto numine aspellor Jovis:
Atque hæc vetusta, sæclis glomerata horridis,
Luctifica clades nostro infixa est corpori;
Ex quo liquatæ solis ardore excidunt
Guttæ, quæ saxa assiduè instillant Caucasi.

Atqui, Prometheu, te hoc tenere existimo,
Mederi posse rationem iracundiæ.

Prometheus.

Si quidem qui tempestivam medicinam admovens
Non adgravescens volnus illidat manus.

. . . Tum profusus flamine hyberno gelus.

PUTATORIBUS.

Progredere, & ne quis latibuletur, prospice.

SOTADICORUM *lib.* I.

Non ergo aquila, ita ut hi prædicant,
Ceciderat pectus. . . .

STASIASTIS, *vel*, TROPÆO.

Corporare abs tergo es ausus.

* Tum sibi deloi de lore hoc anima corpus liquerit.

Volnere tetro deformatum suo sibi lautum sanguine tepido.

Non vides quam turbam, quósve fluctus concites?

TELE-

Digitized by Google

TELEPHO.

Jam jam ſtupida Theſſala ſomno
Pectora languéntque, ſenéntque.

His videntur continuò annectenda;

Jam jámque auroram
Rutilare procul cerno.

Nam ſi à me regnum fortuna atque opes
Eripere quivit, at virtutem non quiit.

. . . Quem ego ubi adſpexi, virum
Memorabilem intui viderer, ni veſtitus teter,
Mœſtitudo, vaſtitudo prædicarent hominem eſſe.

. . . Remiſque nixi, properiter navem in fugam
Tradunt, ſubter ſaxa ad lævam, quà mons moliebat mare.

Nunc tu in re creperâ tuâ quid capias conſilii, vide.

Proinde iſta hæc tua ſufer terricula, atque animum hu-
tum comprime.

. . . Studiúmque iæris reprime.

Pro certo arbitrabor ſortis oracla, adytis augura.

Profectò haudquaquam eſt ortus meliori ſatu.

Qui neque cujatis eſſet unquam potuimus multa ero-
gitantes ſciſcere.

Nam etſi opertus ſqualitate eſt, luctúque horrificali.

Ære atque ferro fervere, igni, inſignibus
Florere. . . .

Nam is demum miſer eſt, cujus nobilitas miſerias no-
bilitat.

Fluctì cruoris volverent mihi.

Quantam Tyndareo gnata, & Menelai domus
Molem excitâris belli, paſtórque illius.

TEREO.

Tereus indomito more atque animo barbaro
Conſpexit in eam, amore vecors, flammeus, &
Depoſitus: facinus peſſimum ex dementiâ
Confingit. . . .

Video ego te, mulier, more multarum utier,
Ut vim contendas tuam ad majeſtatem viri.

O ſuavem linguæ ſonitum, ô dulcitas conſpirantis animæ!

Deum Cadmo generatum Semelâ affare, & famulanter
pete.

Atque id ego ſemper mecum ſic agito & comparo,
Quo pacto magnam molem minuam. . . .

Alia hìc ſanctitudo eſt, aliud & nomen & numen Jovis.

Fama, non nobilitas altâ ex ſtirpe præclarè vagat.

Novus novo habitu, advena
Animo audaci in medium proripit ſeſe ferox.

*Sed ubi clamor is regem auferre ab reginâ occupo pue-
rum.

TRACHINIIS.

Herculis tunicati ejulatio.

O multa dictu gravia, perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exanclato atque animo pertuli!
Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit triſtis Euryſtheus mali,
Quantum una vecors Oenei partu edita:
Hæc me irretivit veſte furiali inſcium,
Quæ lateri inhærens morſu lacerat viſcera,
Urgéntique graviter pulmonum haurit ſpiritus:
Jam decolorem ſanguinem omnem exſorbuit.
Ipſe corpus clade horribili abſumptum extabuit.
Ipſe alligatus peſte interimor textili.
Hos non hoſtilis dextra, non terrâ edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo;
Non Graia vis, non barbara ulla immanitas,
Non ſæva terris gens relegata ultimis;
Quas peragraas, undique omnem hinc feritatem expuli:
Sed femineâ vi, femineâ interimor manu.
O nate, verè hoc nomen uſurpa patri,
Nec me occidentem matris ſuperet caritas:
Huc arripe ad me manibus abſtractam piis:
Jam germam, mène an illam potiorem putes.
Perge, aude, nate; illacruma patris pellibus:
Miſerere. gentes noſtras flebunt miſerias.
Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiſcentem malo!
Sic feminata virtus afflicta occidit?
Accede, nate; adſiſte. miſerandum adſpice
Eviſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti: túque cœleſtum ſator
Jace, obſecro, in me vim coruſcam fulminis.
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vortices:
Nunt ſerpit ardor. O ante victrices manus!
O pectora! ô terga! ô lacertorum tori!
Veſtróne preſſu quondam Nemæus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetrâ mactatâ excetrâ
Placavit? hæc bicorporem afflixit manum?
Erymanthiam hæc vaſtificam abjecit belluam?
Hæc, è Tartareâ tenebricâ abſtractum plagâ,
Tricipitem eduxit Hydrâ generatum canem?
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu obſervantem arborem?
Multa alia victrix noſtra luſtravit manus.
Nec quiſquam è noſtris ſpolia cepit laudibus.

Henr. Stephanus ſuperiores verſus, non uti Attianos, ſed Ciceronianos cum Sophoclis Trachin. verſibus contulit, in Lexic. Ciceron. Græco-Lat.

Rectè perfectis ſacreis volt accipi.

THEBAIDE.

Quin id Circæo fonte advenient mundulæ nitidantur
vulgò,
Pripendantur ſoni.

TROADIBUS.

Saxo fruges frendas.

*Nocturnam ſaxo fruges franges torridas.

Sed utrùm terræmotus, ſonitúſve Inferûm
Pervaſit auris inter tonitra & turbines?

—— Nam neque pretio,
Neque amicitiâ, neque vi impelli, neque prece quita ſum.

Ex Accio hæc quoque citantur, ſed eorum loci non indicantur.

Neque vi tantâ quiſquam eſt, neque tam abundans for-
tunis ferox.

Nullum eſt ingenium tantum, neque cor tam ferum,
Quod non labaſcatur linguâ, mitefcat malo.

Pars frena terſa ori equorum accommodant. *Vid. ſupra in* Paride.

. . . Pervade polum
Splendida mundi ſidera bigis
Continuis ſe cœpit ſpoliis.

Jámque auroram rutilare procul cerno.

Oblivio lavet, quod incidit invidendum.

Citiùs Orion parefit.

Myſtica ad dextram per vada vecti.

Multis nomen veſtrum numénque ciendo.

Rectè perfectis ſacris vult accipi.

Cum virginali mundo clam patre.

Sed jam propellunt rates ſolum.

Repudio ejecta ab Argis jam dudum exſulo.

Odi reſiduos, ſumno deditos atque inertes.

Si rite ad patriam ſalvus & ſoſpes perveniſſet.

Jam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus.

Quadrurbem Athenas.

Custodem assiduum Ioni appositit virgini.

Nam neque pretio, neque amicitiâ, neque vi impelli, neque prece quitus sum.

Unde omnia perdisci ac percipi queuntur.

Gradus eliminat.

Multa inventa expertáque ex hoc sunt bona.

Non calidâ latice lautus.

An hæc jam obliti sunt Phryges?

Quinam Tantalidarum internecioni modus Paretur? aut quænam unquam ob mortem Myrtili Pœnis luendis dabitur satias supplicii?

Quorum genitor fertur esse ops gentibus.

. . . . . Præfervido fulgore . . . .
Ardor injectus Junonis dexterâ ingenti incidit.

Unde estis nautæ hoc hyeme delati?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sun boni.

Fregistine fidem? N. Neque dedi, neque do infideli quoiquam.

Imò enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abitali.

Scindens dolore identidem intonsam comam.

Video sepolcra dua duorum corporum.

---- Mulier una duûm virûm.

Ecquis hoc animadvertit? vincite.

Evitat, mœros disjicit.

Personas distortas, oribus deformes, miriones.

Scrantiæ, scrupedæ, stritabillæ, tantalæ.

Reciproca tendens nervo equino concita tela.

Nocte intempestâ nostram devenit ad domum.

Veteres Casmenas, cascas res volo profari.

CAII LUCILII FRAGMENTA.

CAII LUCILII VITA

Ex PETRO CRINITO desumpta.

CAIUS LUCILIUS Satyrarum scriptor, iisdem propè temporibus floruit, quibus Poëta Accius, Sex. Turpilius, & Statius Cæcilius in Scenâ celebres habiti sunt. Ex Arunculâ urbe Ausoniæ fuit. Quocirca alumnus Aruncæ vocatus est à Junio Juvenale. Parentes habuit satis nobiles, &, ut quidam Grammatici tradunt, fuit avunculus Cnæo Pompeio. Illud in primis manifestum est, fuisse Lucilium ingenio acerrimo, & in scribendis versibus festivo, & urbano. Amicos habuit Q. Attam Poëtam Comicum, Albutium Lapathum, Albinum, & C. Persium, qui est appellatus ab antiquis doctissimus: ad quos scribere etiam consuevit. Præter alios omnes Q. Philocomum familiarissimè coluit. Idem Lucilius primus cœpit scribere Satyras, maximéque insectatus est Rutilium Lupum, Carbonem, L. Tubulum, & alios plures, quorum scelera atque flagitia ferre æquo animo non poterat. Fuit enim Lucilius optimis moribus, & alienæ iniquitatis acerrimus accusator. Satyrarum libros supra xxx. composuit, ut Varro & alii Grammatici ostendunt. Neque me præterit Q. Philocomum & Lælium Archelaum fuisse autores, ut Lucilii Satyræ in libros referrentur: quod à Suetonio scribitur. Nam Grammatici veteres censoriâ virgulâ utebantur, Poëtarúmque carmen in libros dividebant: ut C. Octavius Nævii opus de bello Punico, & Q. Varguntcius Ennianos annales. Horatius Flaccus Lutalentum vocat Lucilium, & in scribendis carminibus incompositum. Quâ in re magni autores ab eo dissentiunt: præcipuè Gellius & Fab. Quintilianus, cujus verba subjiciemus. "Satyra quidem tota nostra est, in quâ primus insignem "laudem adeptus est Poëta Lucilius, qui quosdam ita de- "ditos sibi habet amatores, ut eum non ejusdem modò "operis autoribus, sed omnibus Poëtis præferre non du- "bitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dis- "sentio, qui Lucilium fluere lutulentè, & esse aliquid "quod tollere possis, putat. Nam eruditio in eo mira, "libertásque, & acerbitas, & abundè salis." Hadrianus Imperator eundem Lucilium omnibus Poëtis præponebat, qui Satyram scripsissent. Metrophanem servum habuit, cujus fidem atque industriam in Satyris commendavit. Mortuus urbe Neapoli, eodem propè anno, quo Furius Bibaculus natalem habuit. Neque desunt autores qui scribant, publico funere Lucilium fuisse elatum, cùm annum ætatis sextum & quadragesimum implevisset.

SATYRIS.

LIBRO I.

HÆC ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.
Si non amplius ad lustrum hoc protolleret unum.

Serpere uti grangræna malo ad quem herpestica possit.

Psilæ atque amphitapæ villis ingentibus molles.

Prætextæ ac tunicæ Lydorum opus sordidum omne.

. . . ut contendere possem
Thestiadas Ledæ, atque Ixionas Archilochio.

Porrò chænopodas, clinopodas, lychnósque.

Diximus cenios ante pedes lecti atque lucernas.

Ad cœnam adducam, & primum hisce abdomina thyni
Advenientibus priva dabo, cephaleámque carnem.

Stultè saltatum te interveniisse cinædos.

Munus tamen fungi, & mores servare.

Per satyram ædilem factum qui legibus solvat.

Non vim, ætatem, tempestatem hanc scelerosi merentur.

Nodum in scirpo insanè facere vulgus.

Quo pacto populum atque urbem servare potis sit
Ampliùs Romanam.

Irritata canes quàm homo quam planiùs dicit.

Miracula ciet thelephantas.

Infamem honestam turpémque odisse popinam.

Vultus item ut facies mors citer morbus venenum.

Porrò quæcunque & cuicumque, ut diximus antè,
Obsliterit, primo hoc minuendi refert res.

Et mercede meret religiones.

LIBRO

LIBRO II.

Vivite luxuriosi, comedones, vivite ventres.

. . . quæ horis sublata duabus
Omnia sunt, sole occaso ductóque.

Succussatoris tetri tardíque caballi.

Hostilibus contra pestem perniciémque catax quam & Maulus nobis.

Tum facta omnia sunt circumlata.

Ricini aurati cicer & oraria mitra.

Quem ille quum vidissent Hortensius Posthumiúsque,
Ceteri item in cupulo hunc non esse, aliúmque cubare.

Homo impudicus, & impune est rapinator.

. . . vix vivo homine ac monogrammo.

. . . in vulgum penetrare pilosum.

Non dico, uncat & vagus exulet, erret exlex.

Homo impuratus & impuno est rapister.

Nunquid Mutio subjectóque huic opus signo,
Ut lurcaretur lardum, & carnaria furtim
Conficeret.

Quæ ego nunc Æmilio præcanto, atque exigo, atque excanto.

Sinuibus matricem impressit crassam & capitatam.

Injuriatum hunc in fauces involâsse, animámque elisse illi.

Nunc nomen jámque ex testibus ipse rogando
Exculpo, hæc dicam.

Quid dicis? cur est factum quòd conjicis istuc?

LIBRO III.

BRoncus novit lanius, dente adverso, eminulo. hic est rhinoceros.

Verùm hic ludus ibi fúsque omnia déque fuerunt.
Súsque & déque fuere, inquam, omnia, ludus jocúsque,
Illud opus durum, ut setinum accessimus finem.

Ut aiunt, montes Ætnæ omnes asperi Athones.

Illud ad incitas quum rediit atque internecionem.

Viámque degrumari vis, ut castris mensor facit olim.

Ostrea nulla fuit, non purpura nulla Pelori.

Malas tollimus animo, atque utimur ictu.

Non (ut opinor) id à lecto jam longiter rati.

Et somno pueros cùm manè expergitus clamat.

Exhalas tum acidos ex pectore ructus.

Præterea omne iter hoc est laborsum.

Caupona hìc tamen una Syria.

. . . & spatium curando corpore honestum
Sumemus.

Symmachus præterea jam tum depositus bubulcus,
Exhalans animam pulmonibus æger agebat.

Ad portam mille, à portâ est exinde Salernum.

Non peperit, verùm posticâ parte protudit,

Cernuus exemplo plantas convexit honestas.

Conturbare animam potis est quicunque adoritur.

Crebræ ut scintillæ in stricturis quod genus olim
Fervénti ferro,

Romanis ludis forus olim ornatus lacernis.

Asparagi nulli.

. . . studeat hi ligna videre.

LIBRO IV.

VErtitur œnopheris fundus sententia nobis.

Eserninus fuit flacco ore, una equidem
Samnis spurcus homo, vitâ illâ dignus, locóque,
Cum Pacidiano componier, optimus multo
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Tisiphone te pulmonibus adirem, unguentum excoctum attuli Eumenidibus sanctissima Erinnys.

Ne agitarem manu tu pessulus, & hunc vectem possis cuneis ipso.

Tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum partisses.

Assequitur nec opinantem, in caput insilit ipsum:
Commanducatur totum complexa, comésque.

Quúmque hic tam formosus homo, ac te dignus puellus.

Obrusi ebrius.

Longior hic quàm grus grue totâ cùm volat olim.

Concursaret agros, caulos, fœtúmque ferarum.

Hæret ventriculis adfixum in posteriore
Parte atque articulis, ut novis talus genúsque est.

Quòd si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero moveat succussa lacerto,
Atque manus uberi lactanti in sumine fidat.

Rhinocerus velut Æthiopus.

Sufficit huic dum fulmentas quatuor addit,

Qui edit se, hic comedit me.

. . . & divos thure precamur
Consilium fas si placent: túne impune superbis?

Possisne elabi, an porrò prodenda dies sit.

Quo me habeam pacto, tametsi non quæris, docebo.
Quando in eo numero mansi, quo in maxima non est
Pars hominum, ut periisse velis, quem nolueris, quum
Visere debueris, hoc nolueris, & debueris, te
Si minùs delectat quod ἀτεχνον Isocratium est,
Ὀνηστικὸν quæ simul totum ἐν σὺ μεσχιώδης
Non operam perdo. Si tu hic . . .

Lustratus, piatus.

. . . interea fiat sentibus pectus.

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

Flebile cæpe simul, lacrymosæque ordine talpæ.

Si tam corpus loco validum & regione maneret,
Scriptores quàm vera manet sententia cordi.

Sanute soli mihi in magno mœrore,
Tristitiâ in summâ, crepera juventus salutis.

Leviùs pauperiem sit se ingentia munera fungi.

Nam si quod satìs est homini, id satìs esse potesset,
Hoc sat erat: nunc quum hoc non est, quæ credimus porrò
Divitias ullas animum mihi explere potesse?

Lippus edenda, acria assiduè ceparius cepa lacrymosa.

Nec designati rostrum prætoris pedésque
Spectes.

Sicuti quum primos ficos propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Macte, inquam, virtute simúlque his versibus esto.

Urceus aut longâ geminus misturius ansâ.

Lascivire

Digitized by Google

Lascivire pecus jussit, caudasque repandam.

Dic quàm cogitas, vis ire minutim,
Per commissuras rimarum noctis nigrore.

Intybus præterea pedibus prætensus equinis.

. . . hic solus vigilavit, opinor,
Et quum id mihi visus facere est, tum retia nexit.

Custodem classis catapulta instilla sariissas.

LIBRO VI.

SI nôsti, non magnus homo est, nasutus, macellus.

Peccare impune rati sunt posse, & nolit à te facul propellere iniquos.

Atque ea vis omnis morborum, pestilitásque.

Salvere jubere.

Et id solum adversæ fortunæ rei quæ resistit.

Indè, venit Romam tener ipse etiam atque puellus.

Suam enim invadere atque innubere censent.

Zonatim circùm impluvium cinerarîs cludebat.

Quem neque Lucanis oriundi montibus sauri

Ducere protelo validis cervicibus possent.

Hortare illorum si possim capi sortiri.

Si hic vestimenta elevit luto, ab eo risum magnum ad cachinnum imprudens subjicit.

Pluma atque amphitapæ, & si aliud quid deliciarum.

. . . non te porrò procedere parcent.

Postquam præsidium castris eduoere crevi.

Hoc tu aptè, credit quenque latrina perisse.

Verùm & mercaturæ omnes & quæsticuli instituti.

Hæc, inquam, rudet è rostris, atque ejulitavit,
Concursans veluti arenarius, claréque quiritans.

Scutum ligneolam cerebro infixit.

Qui te bonus Jupiter, inquit, Crasso Mutium quum cœnabat dominum fortem.

Date bibere summo.

Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus,
Bulgam, & quicquid habet nummorum, secum habet ipse:
Cum bulgâ cœnat, dormit, lavit: omnes in unâ
Spes hominis bulgâ, hac devincta est cætera vita.

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitásque.

Thaunomeno, inquit, valva sororem lanificam dici siccam atque sibilamam ubi audit.

LIBRO VII.

QUinque hastæ aureolo cinctu rotantes velox.

Primùm fulgit uti caldum & fornacatum ferrum.

Simavit taxum ad nareis, delphinus ut olim.

Hunc molere, illa autem ut frumentum vannere tum vis.

Ne auriculam obsidat caries, ne vermiculíque.

Phryne nobilis illa ubi amatorem improbiùs quem.

Eodem pacto gannis.

Sador, subellor, desquamor, punicor, ornor,
Expilor, pingor . . .

Rate ad catulos accelerat inultum.

Qui te diligit, ætati faciéque tuæ se
Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur.

Hic est Macedo, si agron longiùs flaccet.

Ætatem & faciem ut saga & bona conciliatrix.

Tristes, difficiles sumus, fastidimus bonorum.

Aptari caput, atque comas fingere capronas
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

Solem auram adversam segetem immutâsse serúmque.

Muginamur, molimur, seducimur.

Hunc in ego unquam hyacintho hominem cortinipotentis deliciis contendi.

Quos oculi non sunt, neque nasum, & qualia sunt.

Caldissima ac bene plena insolorum atque anseris collus.

Dixi ad principium venio, vetulam atque virosam
Uxorem cædam potiùs quàm castrem egomet me.

LIBRO VIII.

QUOD gracila est, pernix, quòd pectore puro,
Quòd puero similis.

Quarum & abundemus rerum, & quarum indigeamus.

Gallinaceus quum victor se gallus honestè
Sustulit in digitos, primoréque erigit ungueis.

Unde parectato chlamydes ac barbula prima.

Quum vinulentus disceret vini, buas defigavit.

Hanc ubi vult malè habere, ulcisci procellæ, ejus testam sumit homo famiam. Ibi an uno telo inquit præcessit caulem testis, quæ una amputat ambo.

Fervit aqua, & fervet: fervit nunc, fervet ad annum.

Rerum flumen, atque uti ipso divortio ligneis pedibus cercurum concurret æquis.

Hiberam insulam fomenti omni colore collustra.

Pistrinum appositum, posticum, sella, culina.

Fervere ne longum vero hoc lictoribus tradam.

Lentet opus . . .

Non hæc quid valeat, quidve hoc interfiet illud,
Cognoscis primum hoc quod dicimus esse poëma,

Cum Plotio eodem obvio amplector, labra labellis
Compono. hoc est, cum ipso duco pœnas.

Sallere muræna, mercem in frigidaria ferre.

Intus verò stet rectus subtegmine pannus.

Gigerta sunt sive adeò bepeta.

Si omne iter evadit stadiúmque acclive tolutim.

LIBRO IX.

LAtere qui ducit, habet nihil amplius: nam quàm commune lutum à paleis cœnúmque aceroso.

Hinc ancilia, ab hoc apices capidásque repertas.

Arripio & rostrum labe, atque hoc referiat impercatio, dentésque adversos discutio omneis.

Quid? ego si cerno Ostrea, cognôrim fluvium, limum ac cœnum sapere ipsum?

Rugosi pasíque senes eadem omnia quærunt.

Scaberat ut porcus contritis arbore costis.

Tu milli nummûm potes uno quærere centum.

Discere

Digitized by Google

Discere labora, ne res te ipsa ac ratio ipsa refellat.

Quòd deformis senex appetitus ac podagrosus,
Quòd mancus, misérque exilis, ramice magno.

Frumentarius est, modium hic secum atque etiam rutellum unum affert.

Nec tutus spatio est elephas.

Eodem in poculo bibo, eodem amplector, labra labellis fingens compono.

Ut vulgus redandruet indé.

Foris subtegminis panus est.

Si nihil ad faciem, etsi olim lupa prostibulúmque,
Nummi opus, atque absit.

LIBRO X.

— HOnorum Judicium crassis est, ut describimus antè,
Hoc est, quid sumam, quid non, in quóque locemus.

Fluctibus à ventisque adversis firmiter essent.

Languor obrescitque pigror, torpórque quietis.

Tonsillas quoque validis in funibus aptas.

Ponè paludatus stabat rorarius velor,

Quanvis desubito trinis deducere scalis.

LIBRO XI.

CAssius Caius hic operarius, quem Cephalonem
Dicimus sectorem, Furiúmque hunc Tullius quem
Judex hæredem facit, & damnant alii omnes.

Cursavit, ut si frumentum clunibus vannat.

Lucius Cotta senex Crassi pater hujus Panæti
Magnus trico fuit nummarius, solvere nulli Lentus

Scipiadæ magno improbus objiciebat asellus.
Lustrum illo censore malum infelixque fuisse.

. . . & jam Conjicere in versus dictum præconis volebam Granii.
Hic ubi confessum pellésque in ordine tentæ.

Annos hic erat tam plures miles hyberna nobiscum meret.

Qui in latrinâ lacúque.

Conventus pulcher, bracæ, saga, fulgere torques
Magni . . . .

Prætor noster adhuc, quàm spurcus est ore, quòd omnes
Extra castra ut stercus, foras ejecit ad unum.

Viam struendam & jaciendum hic aggerem, & id genus rudus.

Quintus Opimius ille Jugurthini pater hujus,
Et formosus homo fuit & famosus, utrunque,
Primò adolescens, posteriùs directiùs esse.

LIBRO XII.

HUNC juga mulorum protelo ducere centum non possunt.

Assensus sum homini.

Firmiter hoc paritérque tuo sit pectore fixum.

Quibus fructibus me decollavi.

Huic homini quæstore aliquo esse opus atque chorago,
Publicius qui mî atque Episco præbeat aurum.

Rugosum atque famii plenum.

Insignis variis cruribus & petilis.

LIBRO XIII.

ADDE Syracusis sola, pascenlum, alutamen.

His itidem in cœnâ dabis ostrea millibus nummûm
Empta . . . . .

Cui parilem fortuna locum fatúmque tulit fors.

Aut fortè omnino ac fortunâ vincere bello,
Si forte ac temere omnino quid cursum ad honorem.

Ipse equus non formosus, gradarius, optimus victor.

Primùm domini atque sodalitia omnia tollantur.

LIBRO XIV.

ID ne ægri est magìs, an quod pane & viscere primo
Quod viscus dederas, tu quidem, hoc est viscera largi.

Naumachiam licet hæc inquam alveolúmque putare,
Et calces: delectes te, hilo non rectiùs vivas.

Non paucis malè ac si à sapientibus esse probatum,
Καὶ πᾶσιν νοεῖσθαι καλῶς ἐφάνησαν ἀνάγκην.

Ad regem legatus Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem
Ibo: cercurum sumam . . . .

Nam vetus ille Cato lacessisse appellari, quòd conscius ipse non erat sibi.

Publius Panus mihi Tubitanus quæstor Hiberâ
In terrâ fuit, lucifugus nebulo id genus sané.

Nam sumptibus magnis & structam ampliter, atque quum accumbimus mensam.

Si mihi non prætor fiet additus, atque agitet me:
Non malè sic ille, ut dico, me extenderat unus.

Quin potiùs vitam degat sedatus quietam,
Quam tu antiquius facere quàm hoc feciste videaris.

Caseus alâ molliet.

Quum illud quid faciat quod manducamur in ore.

Dilectum video studiosè vulgus habere.

Id epulo cibus atque epulatio Jovis omnipotentis.

Quem metuas sæpe, interdum quem utare libenter.

Et non pauper me uti Samio curtóque catino.

Macrósque palumbes.

LIBRO XV.

SCIT poeticon esse, videt tunicam, & toga quid sit.

Te primùm cum istis insanum homines & cerebrosum.

Quum tectum est, quid vis? satis est: visuri alieni
Sint homines, spiram, pallas, redimicula promit.

Non ergastulus unus & alius judicem appositi, ut nemo sententiam libere quasi ergastulus possit dicere.

Hic strigosus bovinatórque ore improbus duro.

In numero quorum nunc primus Trebellius multos
Titos Lucios marcescebat, febris, senium, vomitus, pus.

Hunc mili passim qui viderit atque duobus
Campanus sonipes succussor nullus sequetur
Majore in spatio, ac diversus videbitur ire.

Multa homines portenta in Homeri versificata
Monstra putant: quorum in primis Polypnemus ducentos
Cyclopas coclites, & porrò huic majus bacillum
Quàm malus navis in corbitâ maximus ullâ.

Dum miles hybernat ac meret tersâ ex ætate quasi annos.

Penulam si quæris, cantherius servus segester utilior mihi quam sapiens.

Addo

Adde istos facet illoto colso fax syro fenix, quid facere est solitus.

Truleus postomis huic ingens de naribus pendet.

Tintinnabulum abest hinc surpiculisque holerorum.

Subjicit huic humilem & suffectus posteriorem.

Nemo est halicarius posteriot te.

Præterquam in pretio: primus semisse, secundus
Numo: tertius jam plures quàm totus medimnus.

LIBRO XVI.

LYsippi Juppiter ista transvit quadraginta cubita, altus Tarento.

Cur tam ignaviter hoc præsertim tempore quæris?

Hoc aliud longè est, inquit qui cepe ferebat.

Legavit quidam uxori mundum omne penúmque.
Quod mundum, atque penum? nam qui dijudicet istuc?

Et hi quos divitiæ producunt, & caput ungunt
Horridulum.

Fundi delectat virtus te, villicus paulò
Strenuior si evaserit.

Medià è pistrinà ad tabernam referens.

Publicitus vendit tamen extrema liguris.

Fingere præterea afferri quod quisque volebat.
Illum fomina ducebant, atque altilium hanc,
Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

LIBRO XVII.

CÆtera contemnit, & in usurâ omnia ponit
Non magnâ: proprium verò nihil neminem habere.

Si messes facit, Musas: si vendis, Lavernæ.

Compernem aut varam fuisse Amphitryonis Conjugem.

Nupturum te nupta negas, quòd vivere Ulyssem Speras.

Sed non capito inquit eum, etsi calvitur ergo fur dominum.

LIBRO XVIII.

DEnique ut stulto nihil sit satis, omnia quum sint.

Æquè fruniscor ego ac tu.

In re jactandâ ipsa ridicula id atque adsederet.

LIBRO XIX.

NAM ut discrimen non facit, neque signat linea alba.

Sic singillatim nostrum unusquisque movetur.

Si tu illos fructus quæras adversâ hyeme olim
Queis uti possis hæc delectare domive.

Aurum vis, hominem habeas. hominem? quid ad aurum?
Quare ut dicimus, non video hic quidnam magnopere optem.

Sume diem qui est visus tibi pulcherrimus unus.

Tu naufragio expulsus uspiam, saxis fixus asperis,
Eviscceratus, latere penderes (*ut ait ille*) saxa spargens tabo,
Sanie, sanguine atro.

Peniculamentum verè reprehendere noli.

LIBRO XX.

NUgator quidam ac nebulo sit Maximus multo.

Pulmentariâ utentibus aut aliquod genus herbâ, & jus mœnarum bene habet se myctyris, hoc est meri.

Calphurnii savâ lege in Pisonis reprehendi, eduxique animam in primoribus naribus.

Terricolas lamias Fauni quas Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has, hìc omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere & esse homines, sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pertica pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Illuvies, scabies oculos, petigo conscendere.

Tum ephebum quendam, quem vocant parectaton.

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsus colubras
Disrumpit cantu, venas cùm extenderit omnes.

Prora despoliate, & detundite guberna.

Illi præciso atque epulis capiuntur opimis.

Purpureo tersi tunc latas gausape mensas.

LIBRO XXI.

DEligata ad patibulos deliganter & circumferuntur, cruci defiguntur.

LIBRO XXII.

SOpirion labia cædit utrinque secus.

Mercede quæ conducta flent alieno in funere præficæ,
Multò & capillos scindunt & clamant magis.

Nasum rectiùs nunc homini est, furæ nec pedes dici.

LIBRO XXIII.

CUpiditas ex homine, cupido ex stulto nunquam tollitur: quòd cupiditas pars quædam sit temperatior defluens ex cupidine.

Jucundáque puer qui lamberat ore placentas.

Quæ Gallam vivere, ac rugis conducere ventris,
Farre aceroso olei decumano, pane cumano Coegit.

Nisi portenta anguisque volucres ac pinnatos scribitis.

Solus jam vim de classe probibuit Vulcani.

Ut populus Romanus victus vi & superatus præliis sæpe est multis, bello verò nunquam, in quo sunt omnia.

Neque priusquam venas hominis tetigit ac præcordia.

Rem cognoscat simul & dictis animum attendat posinlo.

Quidni & tu idem illiteratum me atque idiotam diceres?

Munifici munésque amicis nostris videamur viri.

Ranco contentionem sonitu curvis cogant cornibus.

Ego ubi quem ex præcordiis effero versum.

Depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere, decalanticare, eburno speculo depeculassere.

Ut si illuviem facere per ventrem velis, curare omnibus distento corpore expiret vis.

Redisse ac repedâsse ut Roma vitet gladiatoribus.

Ita ut quisque nostrum è bulgâ est matris in lucem editus.

Curet ægrotum, sumptum homini probet, genium suum defraudet, alii parcat.

Hæc si tu voles, per aureis pectus irrigarier.

Qui sex menses vitam ducunt, orco spondent septimum.

Facilè deridemur, scimus capital esse irascier.

Tum doloribus confectum corpus animo obsistere.

Non te multitudinem tuorum, quam in alium inclyta dextra confici sibi.

Pretento tepido glutinator glutino.

Aggere

Digitized by Google

Aggere in jaciendo ſi quod eſt in vineis actis opus, primùm id dant operam ut quamprimum appellant.

Nunc itidem populum iſtum ſcriptoribus volumus capere animum illorum.

Quare hoc colere eſt ſatius quàm illam ſtudium omne hìc conſumere.

Pars diffluxit vento, pars autem obrigeſcit frigore.

Ferri tantum ſi roget me, non dem, quantum auri petit, ſi ſe tubit, ſi quoque à me quæ roget non impetret.

Summis niti naturæ opibus: at ego contrà ut diſſimilis ſiem.

Paucorum atque hoc pacto ſi nihil guſtat intet nundinum.

Depugnabunt pro te ipſi, & morientur ac ſe ultro efferent.

At enim dicis clandeſtinò tibi quod commiſſum foret, ne motires quicquam, neu mylteria hæc terres foras.

Quapropter deliro, & cupiendi officium fungor ruberum.

Rex Corus ille duos hos ventos Auſtrum atque Aquilonem noviſſimè aiebat, ſolos de magis iſtos ex nimbo auſtellos, nec nos ſeneces putare.

Siquod verum inuſitatum, aut zetematium offenderam.

Tuam probatam mihi & ſpectatam maximè adoleſcentiam.

Cùm ſtudio in gymnaſio dupilci, corpus ſiccaſſem pilâ.

Malis neceſſe eſt lautum è menſâ parè captaturus cibum.

Et quod tibi magnopere cordi eſt, mihi vehementer diſplicet.

Audivi quem febris una atque una *δυσψία*, vini inquam hiatus unus potuit tollere.

Nunc ignobilitas his mirum ac monſtrificabile.

Quid cavendum tibi cenſerem, quid evitandum maximé.

Hunc laborem ſumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.

Non idcirco extollitur, nec vitæ vegrandi datur.

Quam faſtidioſum ac veſcum cum faſtidio edendi vivere.

Mihi quidem non perſuaderat publicè ut morem meos.

Denique adeo malè me accipiant decimæ & proveniant malé.

Animóque ægrotat: vidimus corpore hunc ſignum dare.

Ut ego effutiam quod ego te in primis cupere adipiſci intelligo.

Luporum erudtorem malvanum, & fulgoritem arborum.

Percrepa paguam Pompili factam, Corneli cave.

Ut eleviem facere per ventum velis.

Contra flagitium neſcire bello vinci à barbaro viriato Annibale.

Si miſerantur ſe ipſi, vide ne illorum cauſa ſuperiore loco collocaverit.

Ducunt uxores, producunt quibus hæc faciam liberos.

Homines ipſi hanc ſibi moleſtiam ultro atque ærumnam offerunt, ducunt uxores.

Suſpendâne ſe, an in gladium incumbat, ne cælum videat.

Squalitas, ſummâ ſcabie, ſummâ ærumnâ obrutam, neque inimicis invidioſam, neque amicis exoptabilem.

Quódque te in tranquillum ex ſævis transfert tempeſtatibus.

Porrò amici eſt bene præcipere, tueri, bene prædicare.

Idcirco omnes evaſuros cenſent ægritudinem.

Sic autem hoc vident, bona ſemper petere ſapientem, & putant.

Quandoquidem reperi magnis combibonum ex copiis.

Publicanus verò, ut Aſiæ fiam ſcripturarius pro Luciſlio: id ego nolo, & in uno hoc non muto omnia.

Conjugem infidámque, flacitam familiam, impuram domum.

Illuc oculi deducunt ipſi, atque animum ſpes illuc rapit.

Nec minimo & proferatur pax quòd Caſſandram ſignò deripuit.

Evadat ſaltem aliquid aliquà quod conatur ſum.

Domationis cupidi, imperium regis penè imminuimus.

Ego ſi quis ſum, & quo folliculo nunc ſum indutus, non queo.

At libertinus Tricorius Syrus ipſe ad maſtigias, quicum verſipellis fio, & quicum commuto omnia.

Veterem hiſtoriam inductus ſtudio ſcribis ad amores tuos.

Principio Phyſici omnes homines ex animâ & corpore conſtare dicunt.

Veſtimentis frigus atque horrorem exacturum putet.

LIBRO XXVII. SATYR.

QUam mei me adeunt ſervuli, non dominam ego appellem meam?

Tamen aliti verruca, aut cicatrix medius papulæ diffe-runt.

Hymnis velim te id quod verum eſt credere.

Mordicus petere aurum è flammâ expediat, & à cœno cibum.

Cribrum, incerniculum, lucernam in laternam, in telam licium.

Nec ſi paulò minùs uſuras, & magna adjutagus diu.

Tu Lucilium credis conventurum, quum me ruperim, ſumma omnia fecerim.

Quæ pietas, monogrammi quinque adducti pietatem vocant.

Quum pacem peto, quum placo, quum adeo, & quum appello meam.

Modò ſurſum, modò deorſum, tanquam collus cernui.

Aut quod animum induxi ſemel, & ut ille omnino putat.

Conſilium patriæ, legúmque oriundus rogator.

Certa ſunt ſinè detrimento quæ inter ſeſe commodent.

Cocus non curat eandam inſignem eſſe illam, dum pingais ſiet:
Sic amici animum quærunt, paraſiti autem divitias.

Rem cognoſcas ſimul, & dictis animum attendas poſtula.

Si facies præſtat facie, ſi corpore corpus.

Quòd ſi pauliſper captare atque obſervare hæc voleris.

Paulò hoc melius quàm mediocre, hoc minus malum ut quampeſſimum.

Concedere unum, atque in eo dicere quo ſuperatur manus.

Parcat illi majus cui poſſit, cui fidem eſſe exiſtiment.

Quum ſciam nihil eſſe in vitâ proprium mortali datum.

Fuimus pernices, æternum id nobis ſperantes fore.

Lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet.

Viginti domi, an triginta, vel centum tibicinas alas.

In venis porrò est vitis, si irati seu cui propitii sunt, ut diutiùs unà maneant in sententiâ. nam cum benignitate sollicito propositus.

Salutem fictis verbis Lucilius quibus potest impertit, totúmque hoc studiosè & sedulò.

Nam hìc quidem reditum suum talem portendebant, neque aliâ in re ullâ offendere.

Proferat ergo jam noster ordo scelera quæ in se admiserit.

Potiùs quàm non magnum messem esse non proba vindemia.

Si tamen non ad te hoc redivit, hoc carebis commodo.

Trado ergo illius minimo, porrò quod mihi constat carius.

Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus destiner.

Metuo ut fieri possit, eo vivo ab Archilocho excidere.

Ardum, miserrimum atque infelix lignum sambocum vocant.

Dii maluerint meliora, atque amentiam averruncassint tuam.

Quam non solùm devorare se omnia ac deverrere.

Jam qua tempestate vivo certò fine ad me recipio.

Nulli me invidere, non strabonem fieri sæpius delicils me istorum.

Cæterùm quicquid sit, quid non sit, fero æquo animo ac fortiter.

Hos è fenestris in caput dejiciam qui propè ad ostium aspiraverint.

Etsi maximè quod spero mutuum hoc meum facias.

Primùm qua virtute servitutem excluserit.

Ille contra omnia inter plures sensim & pedetentim foris, ne quem lædat.

Nullo honore displetus, nullo funere.

Quanti vellet quàm canicas pulte & maconis manu.

At metuis porrò ne aspectu & formâ capiare alterâ.

Re in secundâ tollere animo, & in malâ demittere.

Quod si observas hominem qui pro commodo & regno gaudeat.

Facit idem quod illi qui inscriptum ex portâ exportant clanculum, ne portorium dent.

Nec sicubi Græci, ubi nunc Socratici charti, quicquid quæritis petimus.

Quibus potest impertit.

Rerum explicatorem mittam, miserum mendicum petam.

LIBRO XXVIII.

SUmmittas aliquos siquos possis censeas.

Hinc ad me, hinc licet anus rursum ad armillum.

Quproprer certum est facere contrà, & prosequi, & nomen deferre hominis.

Ne hoc faciat, atque ex hac erumnâ exeatis.

Quid me fiet, si quidem non vis te improbis committere?

Vel si aliqua opus sit, fortè hinc aliquò cesseris.

Polemon & amavit mortem, & huic transmisit suam stolam, quam ducunt.

Concedat homini id quod vult, deliniat, corrumpat prorsus, ac nervos omnes delicet.

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, presèc auferet omnis.

Quum cognoveris, vitam sinè curâ exigas.

Hæc tum conventus, tela, insidiásque locavi.

Hymnis ego animum sic induco, quòd te ab insano auferas.

Piscium magnam atque altilium vim interfeciti, u nego.

Cæde ostium, gnato urgere restant, perimus.

Adde eodem, tristis ac severus philosophus.

Agite, agite fures, mendacia argutamini.

Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.

Orationem facere compendi postes, dum salvo in tergo, & tergi non licet.

Quid sit? balistas jactas centenarias.

Primò redundat aurum, ac thesauri patent.

Persuade, & transi, vel da quamobrem transeas.

Pueri præterea nostris qui subeant, jubet.

Malo hercle vestro confectores cardinum.

Millia ducentûm frumenti tolles medimnûm,
Vini mille cadûm.

Sospitat impertit salutem plurimam & pleniſſimam.

Ut si progeniem antiquam qua est Maximus
Quintus vacax, qua varicosus vatrax.

Socrate ut quid dante tyranno misisse Aristippum autumant.

Utrùm anno ánque horno te abstuleris à viro.

Insanum vocant quem maltam ac fœminam dici volet.

Anno vertente dies tetri miseri ac religiosi.

Præterea hæc subsiciva quando voles operam.

Vitam ac fortunas cui crediderim meas.

Doctior cæteris ifafamitis mutes aliquò tecum sacra facta.

Fulmentas eis atque anois subducere.

Cui sæpe imposui mille plagarum in diem.

Sarcinatorem esse summum, suere centonem optumé.

Tanti se temporis montes & fœdera tollent.

Conjice te intrò, ac bono animo es.

Prospiciendum ergo in senectâ nunc adolescentia est.

Atque dolo attonitos vincere Epicuri volam.

Nec par vocat ullo pretio.

Chremes in medium, in summum iêre Addemanetus.

Verùm tu quid agis? interpella me ut sciam.

Aquam te in animo habere intercutem.

Quare pro facie, pro statuâ.

Hæc est ratio perversa, ærâ summa & subducta improbé.

Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

Corrumpat prorsus, ad nervos omnes eligat.

Nato quid actum est, depilati omnes sanus.

Dividant, differant, dissipent, distrahant.

Dissociat atque omnia ac nefantia.

Supplantare aiunt.

Si

Si Socrates in amore & in adoleſcentulis meliore paulò facie ſignat, nihilque amaret.

Præterea ut noſtros animos attendere dictis, atque adhibere velis.

Hic corpus ſolidum invenies, hic ſtare papillas
Pectore marmoreo. . . .

Colligere auxilium, tametſi eſt indigna ut feram.

Tyroneo & non mortifero adfectus vomica & vulnere.

Etſi retinere hunc voles, ſi longiùs te producturum & diutiùs.

Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes.

Eodem uno hic modo rationes ſubduceret.

Amicos hodie cum improbo illo audivimus Lucilio advocâſſe.

Ut nunc hac re mihi opem atque auxilium offeras.

Priùs non tollas quàm tali animum ex nomine, atque hominem ipſum interfeceris.

Hoc tum habebat, & fere omnem Appuliam.

Quòd te intromiſi, gratiam referat mihi.

Magno, non magnâ mercede, magno quidem conduxeris.

Vos interea lumen auferte, atque aulæa obducite.

Tum illud epiphoni, quod etiam tum nobile eſt.

Crus lapide, nihil eſt, credam ſi te offenderint.

Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.

Ventrem alienum, mœſtum, fovere ex molito hordeo, uti cataplaſmo.

Certùm ſcio eſſe ita ut dicis, nam mihi erant de illo explorata omnia.

Ætatem iſtuc tibi laturam, & bellum, ſi hoc bellum putas.

Apoloſt numen, qui te antiquis non ſinet deliciis maculam atque ignominiam imponere.

Hyemem unamquamque carpam.

Primùm ex adverſo ſi quod eſt cœnaculum quò recipiat te.

Hic me ubi videt, ſubblanditur, palpatur: caput ſcabit.

In melliſ ſpem eſſe omnem quovis poſſem emungi volo.

Quid mihi proderit? ſatias te jam omnium rerum tenet facta.

Plureos excutit, tectáque & teſtudines reddet.

Cujus ſi in periculo feceris periculum.

Adde alios omnes meo periculo ex ordine.

Cohibet & domi mœſtus ſe Albinus, repudium quòd filiæ remiſit.

In gymnaſio ut ſchema antiquo eſt peccatores retinerem.

Pauliſper cui medentis medem, hæc ſe ut polypus ipſa.

Non rediret ad ſe, atque illam exterminaret miſeram.

Nunc tu contrà venis, vel qui in nuptiis, vel ſe ſine-ces, nec ſinè pernicie.

Quiete poſcente minus, & præbeat rectiùs multo & ſinè flagitio.

Surge mulier, ducito filium non malum.

Dejerat enim ſcripſiſſe, & pòſt non ſcripturum: redi in conſortionem.

Perge, amabò, ac ſi potes, face dignam me ut vobis putem.

Ibi erat ſcorpios ejicere iſtum abs te quamprimum, & perdere amorem.

Huc, aliò quum iter haberet, præteriens venit.

Quid quas partiret ipſe pro doctrinâ boni?

Ut ſi id quod concupiſſet non aptus.

Nec ventorum flamina flando fœda ſecundent.

Sic inquam veteratorem illum, vetulum lupum Annibalem, acceptum.

Unde domum vix redeat, vixque hoc exuat ſe.

Cum manicis catulo, collaréque ut fugitivum
Deportem. . . .

Urget gravedo ſæpius culpa rea.

Deletionem noſtri ad unum exercitus.

Habeáſque animo, mihi admodum cauſam gravem fore quæ me ab illo commodo abducat tuo.

Detruſus totâ vi, dejectáque Italiâ.

Virum triſtis, contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

Age nunc ſummam ſumpràs, ducáſq; uni ſimul atq; alieni.

Tu qui iram indulges nimis, manus abſtinere à muliere melius eſt.

Quum ipſi in locum deſcendant, quum alios detrahant.

Habes omnem rem, timeo ne accuſer.

At non ſunt ſimiles, neque dant: quid ſi dare vellent? Acceperſine? doce.

Inſulta miſerum te quoque in me.

Quàm mihi quantum eſt inter humanum genus, rerámque inter ſe conjungat, communicat.

Primam Chryſcum negat ſignatam reddere.

Et amabat omnes. nam diſcrimen non facit, neque ſignat lineâ albâ.

Nihil parvi ac penſi uti literâ doceas lutum.

LIBRO XXX.

HIC ubi muſcipula tenta eſque ſcorpios candaſublata.

Deblaterat plenus bonus ruſticus, concinis unâ.

Quanto haurire animus muſarum è fontibus geſtit.

Neque barbam immiſeris iſtam.

Illo quid fiat lamia & pitto ixiodentes,
Quòd veniunt genua illæ, vetulæ, improbæ, inepte.

Nunc Cai quoniam incitans nos ludis viciſſim.

Et ſua percipere retro, relicta jacere.

Deducat hunc voce leo, Cur tu ipſa venire
Non vis huc?

Quantas quoque modò ærumnas, quantóſque labores Exanclaris.

Quàm me hoc tempore negotor cognoſcere non vis.

Sicuti te, qui ea quæ ſpeciem vitæ putamus eſſe.

Secus cum eo medio ac ludo bene potus receſſit.

Et ſævo ac duro in bello multo optimus hoſtis.

Lana opus omne perit, ſqualor, tineæ omnia cedunt.

Planta una eſt pedibus cariofis menſulibano.

Neminis ingenio quenquam confidere oportet.

Summatim tamen experiar reſcribere paucis.

Conficit ipſe comiſtque.

Omnia alia in quibus efferimur rebus, ne ego multis lo-

Quid quærimus ære inductum, cantu cuſtoditum.

Quòd tuas laudes culpes non profuis hilum.

Calcitræ accedunt prius concubitus binis.

Indè animo ritu, oculiſque involem.

Sed tamen hoc dicas, nemam moleſtum eſt.

Cuja opera troginus calix per caſtra clucbat.

Idque tuis ſevis factis & triſtibus dictis.

Gratia habetur utriſque illis, quæ ſibi quæ ſimitu.

Quid tu iſtuc curas ubi ego oblinar atque volutor?

Citò enim bene longinquum mortalibus morbum
In vino eſſe, ubi qui invitavit dapſiliùs ſe.

Si liceat facere etiam hoc, verſibus reddere quod do.

Quid verò eſt centum ac ducentum, poſſideas ſi millium,

Maximus ſi argenti ſexcentûm ac mille reliquit.

Maximus ſi argento in verbi Androgyni barbati mœcho cinædi.

Quid dare, quid ſumpti facere ac præbere potiſſet.

Tûne jugo jungas me antè, & ſuccedere aratro
Invitum & glebas ſubigas proſcindere ferro?

Quis totum ſcis corpus jam peroleſſe biſculis.

Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita eſt.

Non datur, admittit nemo, nec vivere ducunt,
Oreo ſpondent ſeptimum.

Sicubi ad aures fama tuam pugnam claram allatam diciſſet.

Gaudes quum de me iſta foris ſermonibus differs.

Et maledicendo multis ſermonibus differs.

Hoc tu me inſimulas, nonne antè in corde volutas?

Quid ſibi vult, quare ſit ut intrò verſus ut ad te
Spectent, atque ferant veſtigia ſe omnia prorſus?

Unus conſtarnit novis veros reſtibus aptus.

Quòdque adeò fuerunt qui temnere ſuperbum.

Speraus ætatem eadem hæc proferre poſſet, manſum ex ore daturam.

Neu quis te ignoret famulis ſubducere.

Cujus cum vultu, ac facie, lude, ac ſermonibus noſtris,
Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

Continuò ſimulac paulo vehementiùs aura
Inflârit, fluctus erexerit, extuleritque.

Multis inductis ſermonibus concelebrarunt.

Omnia timendo mucro videas ſervente micare.

Ipſo cum domino calce omnes excutiamus.

Ut ſemel in cœli pugnas invadere vidi.

Virtutis hæc tam artis monimenta locantur.

Calvus palantino quidam vir nobilis, bonus bello.

Producunt me ad te, tibi me hæc oſtendere cogunt.

Et his te verſibus interea contentus teneto.

Quanti nos faciant ſocii quum parcere poſſent.

Quem ſumptum facis in luſtris, circùm oppida luſtrum.

Hæc veſtimentis maculoſis aſpicit ipſe.

Juratam ſe uni cui ſit data adæquè dicata:

Accipiunt leges, populus quibus legibus exlex.

Hoc etiam accipe quod dico. nam pertinet ad rem.

Publicâ lege ut mereas præſtò eſt tibi quæſtor.

Quem ſcis ſcire tuas omnes maculáſque notáſque.

Præſervit, labra delicit, delinit amore.

Pulmentaria, ut intybus, aut aliqua id genus herbis.

Aut operat aliquo in celebri cum æqualibus ſano.

Cui ubi decimucia meæ epitegina appedi longè opera ante omnia alia.

Rois hæc & colligis omnia furtim.

Et virtute tuâ & claris conducere chartis.

Senſu nutricatum ſanè caput opprimit ipſe.

Quæ non ſpectans ſpectandi ſtudioſè, at hominis tetri impulſu ingreſſus

Quòd ſua committunt mortali clauſtra canorum.

Et circumvolitant ſicedulæ, turdi auratis oculi.

Euplocamo digitis diſcerniculúmque capillo.

Nolito tibi me maledicere poſſe putare.

Sed quid ego hæc animo trepidante dicta profundo.

Triſte & corruptum, ſcabie & porriginis plenum.

Perſtringat oculorum aciem in acie hoſtibus.

An ego te acuam atque animoſam Theſſalam, ut indomitam frænis ſubigam antè domémque.

Quin totum purges, debellas me atque deuras, exuites, ſolliciter.

Quæ quondam populi oris aures pectora rumpit.

Quid ſervas quò eam? quid agam? quid id attinet ad te?

Nemo iſtum ventrem pertundet, delicet uti atque videbis.

Hoc miſſum face, illomet utere libenter.

Sublatus pudor omnis, licentia fœnus refertur.

Et illud quoque mite malum blandum atque doloſum.

—curare domi ſint Gerdius, ancillæ, pueri, zonarius, rector.

Et Muſconis manu perſcribere poſſet Ajacem.

Contra hæc invitaſſe aut infligâſſe videntur.

Improbior multo quàm de quo diximus antè,
Quanto blandior, hoc tanto vehementiùs mordet.

Omnes formoſi, fortes: ergo improbus eſto.

Aut quum iter eſt aliquò & cauſam commentavi, ut apud aurificem, ad matrem, communem cognatam, ad amicam.

Vir mare metitur magnum fluctibus tradit.

Hic in ſtercore humi, fabuliſque ſimo atque ſucerdis.

Uti in pecudem tu, aſinúmque ut denique naſci præſtiterit.

LIBRO XXXVI.

EGO enim contemnificus fieri, & faſtidire Agamemnonis.

Quòd is intelligebat poſſe haud paucos, retuli.

Hic cruciatur fame, frigore, illuvie, invalnitie, impoſſundie, incuriâ.

LIBRO XXXIX.

HOC inveniſſet unum ad morbum illum homini vel belliſſimum.

Nemo hos ancipites ferro effringat cardines.

EPISTOLA.

QUævis non magna pars poëmæ eſt illa: poëſis opus totum, totáque illa ſumma eſt una Poëſis: ut Annales Ennii. At queſtus unum eſt, majus multo eſt quàm quod dixi antè poëma.

Quapropter dico, nemo qui culpat Homerum,
Perpetuò culpat, neque quod dixi antè poëſim,
In verſum unum culpat verbum embymemate malo cum
Var Parmenone.

Ex

Digitized by Google

Ex iisdem Satyrarum libris loci addendi superioribus.

LIBRO I.

VUlturius.

Arutune aquales.

LIBRO II.

DUceret has greges.

Nunc prætor tuus est, meus ſi diſceſſerit horno Gentili.

LIBRO III.

LOngè tria millia paſſuum.

. . . ille alter abundans. Cum ſeptem in locum Hiſpanus r. s. r. p.

LIBRO V.

ADipatam pultem.

LIBRO X.

NÆ in aree bovem diſcerpſi magnificé.

LIBRO XIV.

PUncto una hora . . . & qui quoque invaſit.

LIBRO XVII.

NUNC cenſes *καλλιπλόκαμον καλλίσφυρον* illam
Non licitum eſſe utrem aquæ etiam inguina tangere mammis,
Compernem aut varam fuiſſe Amphitryonis
Conjugem Alcmenam, atque alias, Ledam ipſam denique nolo
Dicere. tute vide, atque diſyllabon dilige quodvis.
Thù diastrigas aliquam rem infignem habuiſſe,
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

LIBRO XIX.

RAnſuro tragicus qui carmina perdit Oreſte.

Scalprorum forcipémque millia XX.

Quivis forcipibus dentes vellere.

LIBRO XX.

TEmpeſtate fuâ atque eodem uno tempore, & horæ
Dimidio & tribus confectis duntaxat eandem
Et quartam.

LIBRO XXV.

ARabus artemo.

LIBRO XXIX.

NEmo eſt, ideo dixit, quis tu homo es? nemo ſum homo ar . . .

Non laudare hominem quemquam, neque ma facere unquam.

Cui ſi cum jure populus vix totus ſatisfit.

Curarum retia nexit.

. . . ex facie florem delegeris.

Epodis Hymnis.

Sinè augio, ac deſtina.

Servio.

Cuſi nomine & ſalis fretus.

Ex incertis ejuſdem Lucilii libris, id eſt, quorum incertum eſt nobis nomen, quippe quod authores tacuerint. Videntur tamen eſſe ex Satyrarum volumine, quum cæteri omnes ſuſpecti ſint.

UTI eſurienti leoni ex ore exculpere prædam.

Flacci lege utris.

Si argenti indiges.

Tantalus laboſas pœnas.

Et ventrem & guttурem eundem.

Intereunt, labuntur, euntur omnia verſum.

Aſparagi molles, ſed viride cyma.

Pulchrè invitati, acceptique benignè.

Verna acer capit hæc.

Si tibi porrò iſthæc res idcirco eſt cordi: quòd ea utilem,

Durum molle voras, fragmenta interficis panis.

Nam in quibus mendæ omnibus in rebus fiunt, fierique potis ſunt.

Velle tolutim hic ſemper incepturus videtur.

Hærebat mucro gladium in pectore tantùm.

Nam tam algo atque nigrore majus.

Sanctam ego à Metello Romam repedabam munere.

Saxa & ſtridor ubi atque erant dum ſibilus inſtitis.

Caput colle ſuſtentatur, truncus ſuſtinetur à coxendicibus.

Armamenta tamen vel omnia ſervo. funis enim præciſus ciò, atque anchora ſolata.

Tertius hic mali ſuperat cerchefia ſumma.

. . . biſquinoctoginta videbis Commoda de Capuâ quinquaginta atque octo.

Tranſverſo ordine poſuit hippocampi elephanto camelos.

Hæc te imbubinat, & contra te imbulbitat.

Cariſſam.

Vinam crucium.

. . . palmiſque miſellam
Depuvit me.

Piſtricem validam, ſi nummi ſuppeditabunt,
Addas empleuron, mamphulas quæ ſciat omnes.

Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet agatur.

Indè Dicæarchum populos, Delúmque minorem.

Nequam aurum eſt, auris quodvis vehementiùs ambit.

Non omnibus dormio.

. . . agipes vocem mittere cœpit.

Ubi me videt, capet ſcabit, pedes legit.

Sicuti mechanici cum alto exiluere Petauro.

Ut petimen naſo, aut lumbos cervicibus tangat.

Pro obtuſo ore pugil, piſcinenſis res eſt.

Porrò homines nequam malus ut quærentius cippos
Colligere omnes.

Jactant me ut febris querquera.

Item alibi.

Querquera conſequitur febris, capitiſque dolores.

Præſul ut empiruet, indè vulgus redamplavit.

Quò

Quò facetior videare, & ſcire pluſquam cæteri, pertiſum hominem, non pertæſum dicere ferunt. nam genus . . .

Quænam vox ex te reſonans meo grada remoram facit?

Rhonde ſciadíonque.

Plumbi paxillum rodus liníque materam.

Quem præclarus helops, quem Ægypo ſargus moyebit.

Cornelius Publius noſter Scipiadas dicto, tempúſque interquet in ipſum
Otî, & deliciis luci effictus, atque cinedo.
Et ſectatori adeò ipſi ſuo, quo rectios dicat.
Ibat fortè domum, ſequimur multi atque frequentes.

Et pedibus lævâ ficyonia demit honeſta.

Suaſa quoque omnino dirimit non ſolla dupondi.

Tum ſpara, tum murices portantur, tragula porró.

Varronum, ac rupicum ſquarroſa incondita roſtra.

Pedibus ſtlembum

Ut veles bonus ſub vitem, qui ſummiſit haſtas.

Neque prodire in altum, præliari procul ſub vite.

Si verò das quod rogat, & ſi ſuggeri ſuppus.

Inguen ne exiſtat, papulæ, ſama, ne boa noxit.

Tapullam rident legem contere opimi.

Verticulas.

Nemo hic vindicias, neque ſacra, neque numen veretur.

Hæc odioſa mihi vitiligo eſt, non dolet, inquit.

Paſcali pecore & montano, hirto atque ſoloce.

Nam veluti intrò aliud longè eſſe atque intus, ſic apud ſe longè aliud eſſe, neque eadem valet. at tu intrò nos vocas, & fefe tenet.

Plura fora ſuenti.

Pedetentim hunc reſalutem.

Fici comeduntur & uvæ.

Plure foras vendunt.

Quum illa fora itant.

Tierei Leontado & Pemani & thermo Parnime.

Prætor ne ruſticus ſis.

Et ſuffocare conatus.

Vultis? empta eſt: noltis? non empta eſt.

Magna penus parvo ſpatio conſumpta peribit.

A me auxiliatus es.

Quin amplexetur qui velit, ego non finam me amplectier.

Vicimus ô ſocii, & magnam pugnavimus pugnam.

Lecti omnes. Atticon hoc eſt.

Myconi calva omnis juventus.

Carcer vix carcere dignus.

Animo ac virtutibus tuis.

Ut multos menſéſque diéſque.

Tuam ut memoriam retineas.

Ante fores autem & triclinii lumina quidam
Perditus Tireſia tuſſi grandævus gemebat.

Ecquem Pamphilum quæris.

Scinde calam, ut caleas.

Mihi neceſſe eſt loqui: nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe.

Conſilium ſummis hominum de rebus habebant.

Χίος τε Συνιὼν. *Vir. Georg.* 2. Sunt & amineæ vites, firmiſſima vina,
Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.

Reſultant ædéſque lacúſque!

Et velut in fabricam fervens quum marculus ferrum
Multorum magnis ictibus tundit.

Hanc cataporatem puer eodem defert, unctam plumbi pauxillum rudis liníque mataxam.

Centum genera ſolœciſmorum.

Thynno capto corvum excludunt foræ, occidúntque lupos à perdice, & jura fiuri. Sume rete atque amiam.

Terra abiit in nimbos imbréſque.

Quadrantis rapiti.

Vis eſt vita vides, quæ nos facere omnia cogit.

Ergo prætorum eſt antè præire.

Quum ad ſe cubitum venerit ſuâ voluntate, ſponte ipſam ſuapte adductam ut tunicam & cætera rejiceret.

Quid tibi ego ambages ambivi ſcribere coner?

Nequam & magnus homo, lanitorum immanis canes ut.

Cæcilius ne ruſticus ſis.

Hæc inquam rudet ex roſtris, atque hinnilitabat.

Quantum hinnitum atque equitatum.

Rhodos Carpathium in pelagus inclinat aperturn.

Judicis Hortenſi eſt, ad eam rem nata paleſtra.

Græcum te Albuti, quàm Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titi, Anni, centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum, ſigniferúmque,
Maluiſti dici. Græcè ergo prætor Athenis,
Id quod maluiſti te, quum ad me accedis, ſaluto.
Χαῖρε inquam Tite, lictores, turma omnis cohórſque,
Χαίρετε. hinc hoſtis Muti Albutius, hinc inimicus.

Quam lepidè lexeis compoſtæ ut teſſerulæ omnes,
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato,

Craſſum habeo generum: ne rhetoricæteros tu ſis.

Occidam illum equidem, & vincam, ſi id quæritis, inquit.
Verùm illud credo fore, in os priùs accipiam ipſe
Quàm gladium in ſtomacho, ſurâ ac pulmonibus fixo.
Odi hominem: iratus pugno: nec longiùs quicquam
Vobis, quàm dextræ gladium dum accommodet alter:
Uſque adeò ſtudio atque odio illius, efferor irâ.

. . . Tubulus ſi Lucius unquam,
Si lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius.

Quid Decius Naculani? an confixum vis facere, inquit?

. . . quanvis bonus ipſe
Samnis in ludo, ac rudibus cauſis ſatis aſper.

O Lapathe, ut jactare neceſſe eſt cognitus cui ſis:
In quo Lælius clamores σοβὸς ille ſolebat
Edere, compellans gumas ex ordine noſtros.

O Publi, ô gurges, Galloni es homo miſer, inquit.
Cœnâſti in vitâ nunquam bene, quum omnia in iſto
Conſumis, ſquillâ atque acipenſere cum decumano.

Luna alit oſtrea, & implet echinos, muribus fœtas
Et pecu addit.

Quidni?

Digitized by Google

Quidni? & ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Legem vitemus Licini.

Fanni centuſſiſque miſellos.

Et primùm facie honeſtas accedit.

Quòd ſumptum atque epulas victu præponis honeſto.

Uno oculo pedibúſque duobus dimidiatus
Ut porcus.

Queis hunc currere equum nos atque equitare videmus,
His equitat, currítque: oculis equitare videmus.
Ergo oculis equitat.

Virtus, Albine, eſt pretium perſolvere verum
Queis inverſamur, queis vivimus rebus poteſſe:
Virtus eſt homini, ſcire id quod quæque habeat res:
Virtus, ſcire homini, rectum, utile, quid ſit honeſtum,
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhoneſtum.

Virtus, quæreudæ rei finem ſcire, modúmque:
Virtus, divitiis pretium perſolvere poſſe:
Virtus, id dare quod re ipsâ debetur honori:
Hoſtem eſſe atque inimicum hominum morúmque malorum,
Contra defenſorem hominum morúmque bonorum.
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum.
Commoda præterea patriæ tibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam poſtremáque noſtra.

Ut nemo ſit noſtrum quin aut pater optimus divûm,
Aut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Janus, Quirinus pater, nomen dicatur ad unum.

Nunc verò à manè ad noctem, feſto atque profeſto
Totus item paritérque die populúſque patréſque
Jactare indu foro ſe omnes, decedere nuſquam,
Uni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere, & arti,
Verba dare ut cautè poſſint, pugnare doloſé,
Blanditiâ certare, bonum ſimulare virum ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Homini amico ac familiari non eſt mentiri meum.

SEX. TURPILII FRAGMENTA.

S. TURPILII VITA,

Ex PETRO CRINITO deſumpta.

SEX. TURPILIUS poëta Comicus ingenio facili fuit, & in fabulis componendis idoneo. Quocirca tantum nominis conſecutus eſt in ſcenâ, ut comœdiæ Turpilianæ magnopere probatæ ſint à Romanis. Invenio apud veteres Grammaticos hunc Turpilium ſummâ benevolentiâ conjunctum fuiſſe Pub. Terentio: & in iiſdem ludis utriuſque fabulas aliquando actas. Valcatius Sedigitus ſeptimum locum Turpilio dedit inter Comicos poëtas, cúmque Luſcio, Q. Ennio, & Trabeæ præponit. Nonius Marcellus in commentariis ad filium xv. Comœdias nominat, quæ à Turpilio compoſitæ fuerunt. In quibus legendis atque obſervandis diligentiam atque ſtudium probat. Citatur in Philopatro, in Lemniis, in Demetrio, in Bethonibus, in Pedio, in Epiclero, in Canephoro, in Thraſyleone, in Demiurgo, Hecyrâ, Paraterusâ, & Leucadiâ. Lyndia quoque in magno pretio habita eſt à Grammaticis. Auctores ſunt qui referant hunc Turpilium ad extremam penè ætatem acceſſiſſe: & in Sinueſſanâ urbe periiſſe iiſdem penè temporibus, quibus Furius Bibaculus natalem ſuum habuerit.

ACTA.

ATQUI ſcalis cum meretrice è noſtro ornatu per vias lupantur.

BETHONIBUS.

Qui verba venatur mea, peſtis ars cudat, & ſermonem hinc ſublegam.

Quæſo cogita ac delibera.

Non ago hoc per ſagam pretio conductam, ut vulgò ſolent.

Melixa intus ceſſat, credo hercle helluo tuburcinatur.

Eam derepente uxorem audio ducere.

Macte virtute eſto.

CANEPHORO.

Ita eſt: verùm haud facile eſt venire illi ubi ſpiſſa eſt ſapientia.

Satis fructi reddunt.

Teſtamentuſa ergo calabis logi.

Nôſti quàm ſit gracili corpore.

DEMETRIO.

Nunc me ex aliorum ingeniis judicat, intercapedo quorum amicitias levat.

Nam ſi iceris me poſthac, credas mihi velim, inquit: tum quid cenſes? dolebit ſcilicet.

Et me jam irrides peſſume ac ſacerrume?

Ab initio ut res ſit geſta, enoda mihi.

Nunquam nimis numerò quenquam vidi facere quàm facto eſt opus.

Homo unica eſt natura & ſingularia.

Pudet pigétque mei me.

Nec rectè dici mihi jamdudum audio.

In acta cooperta age inoras oſtreas.

Timere occœpit, interdum oſcitarier ineptus.
Quid mihi vellem ex inſolentiâ neſciebam.

Sandalio innixa digitis primoribus.

At etiam ineptus meus mihi eſt iratus pater, quia ſe talento argenti tetigi, veteri exemplo amantis.

Dolentis perſona meos parentes careo.

Vide mirum ingenium, ac delenificam mulierem: commôrat hominem lacrymis.

Antehac ſufflabat Aquilo, aut Auſter: inopia tum erat piſcenti.

DEMIURGO.

Ego adepol docta dico, quæ mulier volet ſibi;
Summum amicum eſſe, indulgentem & diutinum,
Modicè atque parcè ejus ſervi ad cupidines.

Apertâ ſuræ, brachia autem procera horrorem mihi ex corde ſuſcitabant.

Judicia, lites, turbas, tricas, contentiones maximas.

Quia enim odio ac ſenio mihi hæ ſunt nuptiæ,

Neque

Digitized by Google

Neque nauta, quum essent circumventi ventis, incerto itinere porti indigentes.

Mulier meretrix, quæ me quæsti causâ cognovit sui.

Quia non minùs res hominem quàm scutus tegit.

E P I C L E R O.

Quæso edepol quò ante lucem te subitò rapis,
Here, cum uno puero?
Nequeo esse intus Stephanio.
Quid ita? Præut solent me curæ somno segregant,
Foràsque noctis excitant silentio.

Currendo sic est, sic datur nimium ubi sopori servias
Potiùs quàm domino, & ubi severo imperio quæ imperata sunt.

Patrocinantem ubi factum audierit saucius.

Quam legere te optimum esse atque æquissimum, quæ cum ætas vegeta, & jubendum esse tibi.

Sperabam consilia nostra dividiæ tibi, quum ætas accessset, non fore.

In Caliphonis nunc te miserè liberum.

Sed vota ut familia nostra officia fungatur sua.

Non invitat plusculum hic sese, ut solet.

Quàm matris nunc patris me miseretur magis.

At enim scies quæ fuisti insçius.

Te quidam omnium jam pater copem causa rem facit.

Ecquis est qui interrumpit sermonem meum obitu suo?

H E T Æ R A.

Simulari me à se amari quæsti gratiâ.

Rhodiensis se istuc commigravit jamdiu.

Stupidus adstat: ita ejus aspectus repens cor torporavit homines amore.

Hæc si impetro abs te ut faciat, satis fructi cepero ex te.

Rus ad illas commigrat, habitamus hyemem totam cum mulierculis.

Sat me, ut meum cor voluptatibus dat, immortalitus se obtulit mihi hæc facultas.

Hortatur hominem quamprimum proficisceret.

Hic villicor ante urbem, nunc rus eo.

Meret me meritò ut diligare.

L E M N I I S.

Remulis sensim celox ab oppido processerat.

Lembi redeuntes domum duæ ad nos certam accelerârunt ratem.

Habet potestatem: nisi potestatem senis pretio contendas, ut redempto Phædriâ liceat redire antiquam in consuetudinem.

Nunquam unius me comparavi servire elegantiæ.

Propter peccatum pauxillum indignissimè patriâ protelatum esse, sævitiâ patris.

Neque durare possunt, ita hujus insçitia atque dementia extorrem facit.

L E U C A D I A.

Intercapedine interficior, desiderio differor, tua mihi cupiditas suavitudo, & mei animi expectatio.

Ne me attingas, atque auser manum. eja quàm ferocula est.

Quem olim oderat, sectatur ultro ac detinet

Ille insolens aut fastidiat carnifex.

Miseram terrent me omnia, maris scopuli, somnus, solitudo, sanctitudo Apollinis.

Vultu vecordi vagas insania.

* Hoc quæro ignoscere istic solent necis minoris noxia serum, si fortè quasi alias res vini cavo.

Antesacta in ignem committo, tristitias ante divortium.

Et ampliùs illam apparere condecet, quandoquidem voti condemnata est.

Vide, nunc fastidit mei.

Hortari nostros cœpi illico ut celerarent lembum.

Videtur frigus incessum, quàm est confidens, diis nunc perdant.

Sed quàm longè est cùm isti illico.

Veritus sum ne amoris causâ eum illâ limassis caput.

Utinam nunc apud ignem aliquem magnum assidam.

Invitavit plusculum hic sese in prandio.

Arripuit colubram mordicus.

Ciperi vident ut osculatur cariem. num illum illæc pudet?

Jam ego istam tibi tristitiam exorbebo.

L I N D I A.

Profectò ut quisque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maximè.
Ut philosophi aiunt isti, quidvis satis est.

Dii advenientem perdant. hic quidem nos perdit:
Factum esse diem hinc quartum hodie iterant ica conventum.

Consilium hoc cœpi. literas misi ad senem nostrum, prodesse nobis ex sententiâ mercaturam.

Abhinc triennium sacerrimum domicilium hoc quidem contulit leno.

Quibus senem rebus despoliâsti fœdum, in listris latet.

Me vis potiri, fac ergo potiar quod volo.

Quin moneam, quin clamem, & querar tua vitia, quæ te vilitant.

Ego interim in turbâ foras subduxi cum hac me, nequis ad numero mihi videbat currere.

Misero mihi mitigabat sandalio caput.

Comperce vobis velitare, ad rem dedi.

P A R A T E R U S A.

Quum antehac videbam flare tristes turbido vultu, subductis cum superciliis senes.

Ego nondum etiam hìc villicabar Phædria.

Dum ego connixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem.

Meritissimò te magnifacio.

O dic mihi, an oblita obsecro es ejus crebras mansiones ad amicam, & sumpti largitatem?

Caput ut offendit ad limen pol.

P E D I O.

Cujus adventu insula hodie claret Cypros.

Ut ille hac sese abstineret, ego supersederem nuptiis.

Quando equidem amorem intercapedine ipse lenivit dies,

Ego præstolabo illi, ut citante opicium.

Tamen

Digitized by Google

Tamen oculis longâ intercapedine appetunt, cupidè intui.

Quæso omittite ac deserite hanc meretricem, quæ te semel ut ell nacta, semper studuit perdere, detegere, spoliare, oppleréque adeò famâ ac flagitiis,

Nuptias abjeci, amicos utor primores viros.

Nec unquam vidit rostrum hæc tragœdia tantum uti.

Progredior foras visere quid hinc tumulti ante fores.

Quare esse dicat quisquam illum hominem, haud quicquam facere humanitus.

Age tu hymenæum increpa.

Neque virum educta ut par est, expers malitiis, mutuens sui.

Jam define meminisse illius formam.

PHILOPATRO.

Certum ac deliberatum est me illis obsequi.

Miserum puto si etiam istuc ad malam ætatem accessit mali.

Disperii misera. uterum cruciatur mihi.

Lucus ipse invitat hercle hìc Veneris.

Quum te salvum video ut volui, glisco gaudio.

Utinam possim tibi referre gratias ut de me meres.

Gemmeas fortunas mater. hem qua causa hæc opere maximo contendítur?

Deinde quum ad te redierit res olim post mortem patris.

Ecce autem tuo more, ut soles, videre mihi ægrè pati, quia hos dies compluículos intercapedo sumpti faciundi fuit.

Mirâ lenitudine ac suavitate abundas.

Fortè eo die meretrices ad me de levitate Attica, ut convenerat, quo dixerant quæ cœnam apud me, Thais atque Erotium, Antiphila, Pythias. ego extra cubni domine.

Simul circunspectat: ubi præter se neminem videt esse, tulit, aufert: ego clam consequor.

Me miseram, quid agam? inter vias epistola excidit mihi: infelix inter tuniculam ac strophium collocâram.

THRASTLEONE.

Quum interea nihil quicquam à me est promíi, neque erat tuæ benignitatis atque obsequelæ.

Dat ultro, ac munerat quod ab illo abstulit.

Non utilitate, factione fretus, intercedere.

Age, age, egredere: atque utinam istuc perpetuum itinur fit tibi.

Cesso occupare, & me in colloquium conferre borum?

Onera, mensam, talos, vinum, in hæc hujusmodi quibus rebus vitam amat tum invitari solem.

Videre cupio nostrum mercimonium.

Dii me divitant.

Non est mediocris, neque vulgaris fallacia hæc.

Nemo unquam vidit ebrium interdiu, neque turbam facere, neque fores exurere.

Hoc te oro, ut illius commisereíscas miseræ orbitudinis.

VELITERNA.

Ducit me secum: postquam ad ædem venimus, veneratur deos. Interea aspexit virginem gestantem in capite riculam, indutam ostrinam.

Loci alii ejusdem Turpilii, quibus adscripta non sunt fabularum nomina.

Et geleros, & neque offerre hunc diutiùs errari, & conqueri necesse sum obsequelm.

Quasi quum ventus fert navem in mare secundus, si quis propedon mittit ii veli sinistrum.

Glabrum tapete.

CN. MATII FRAGMENTA.

CN. MATII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

CN. Matius Mimorum scriptor, in magno pretio habitus est: quod cùm alii plures, tum Au. Gellius testatur in Atticis commentariis. Ingenio fuit eleganti & facili. In suis autem Mimis, quos vocavit Mimiambos, verba quædam nova, & perlepida posuit, ut Grammatici observárunt. Julianus Rhetor, vir multiplici eruditione ornatus, permultum delectatus traditur Matianis fabulis propter nativum quendam leporem, & mirificam illorum suavitatem, maximéque hos versus commendabat:

Jam tonsiles, &c.

Et item:

Sinu, &c.

Idem Matius, ut quidam existimant, composuit opus hexametris versibus, quod inscriptum est de Iliade. Cujus carmen M. Varro, & alii Grammatici, quandoque citant. Sed hâc in re parum consentiunt veteres auctores. Maurus Terentianus de Poëtâ Matio facit mentionem, ejúsque Mimiambos, ut elegantes & lepidos celebrat. Fuit alter Matius Romanus civis, & amicitiâ Octavii Cæsaris nobilis, qui primus Tonsilia nomen excogitavit.

FRAGMENTA.

MIMIAMBIS.

NUPER die quarto ut recordor, & certè
Aquariam urceum unicum domi fregit.

Jam jam albicascit Phœbus & recentatur,
Commune lumen hominibus voluptásque.

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curásque acerbas sensibus gubernare,
Sinúque amicam recipere frigidam caldo,
Columbatímque labra conferens labris.

Jam tonsiles tapetes ebrii fœco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

ILIADE.

An maneat specii simulacrum in morte silentum.

Altera pars Aeli vitiíit flúminis undas.

Corpora Graiorum mœrebar rapidior igni.

Obscœni interpres funestíque omnis auctor.

L. AFRANII FRAGMENTA.

L. AFRANII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

LUCIUS AFRANIUS Poëta Comicus, iisdem ferme temporibus in urbe claruit, quibus Poëta Terentius, & Sext. Cæcilius in senium vergebant. Vulcatius Sedigitus Afranium hunc non numerat inter cæteros Comicos. Operam suam, atque diligentiam posuit in togatis fabulis componendis. Sunt autem Togatæ illæ, in quibus de rebus Romanis ageretur, à togâ denominatæ. In his primum locum obtinuit, ut à veteribus traditur. Menandrum Poëtam præcipuè imitatus est stylo & orationis charactere: quocirca sic Horatius in Epistolâ ad Octavium Augustum:

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro.

Furius Albinus, & Macrobius asserunt, Afranium ipsum permulta à Menandro sumpsisse, quod ille etiam liberè, atque ingenuè professus est, ut omnibus apertè demonstraret, quàm modestus, atque ingenuus foret. Itaque in Compitalibus ita respondet suis obtrectatoribus:

Fateor, sumpsi non à Menandro modò,
Sed ut quisque habuit, quod conveniret mihi:
Quod me non posse melius facere credidi.

Cúmque ingenio ac talibus excelleret, sententias passim, & acutè dicta, inferebat suis fabulis, non finè summâ elegantiâ, & mirificâ venustate: quod cùm alii multi, tum M. Cicero testatus est. Culpatur à Quintiliano Afranius, quòd in suis argumentis amores proprios paulò imprudentiùs vulgaverit. In togatis, inquit, excellit Afranius, utinámque non inquinâsset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus. A. Gellius permultum Afranio tribuit, præcipuéque illud carmen putavit commendandum, in quo de Sapientiâ sic loquitur,

Usus me genuit, &c.

Citatur idem Afranius persæpe ab antiquis Grammaticis, in Augure, in Consobrinis, in Cinerario, in Compitalibus, Brundusinis, in Fratribus, in Homine, in Incendio, in Emancipato, in Prodito, in Patellâ, in Rosâ, in Suspectâ, in Sellâ, in Talione. De obitu ipsius nihil apud veteres legimus.

FRAGMENTA.

ABDUCTA.

QUAM senticosa verba perterquet turba.

Nescis num. Heri mei omnem meliùs callent rem quàm volo.

Dispartiantur patris bona pariter.

AQUALIBUS.

Iste, ut tu rem narras, dona comest hìc quotidie.

AUCTIONE.

Simul limen intrabo, illi extrabunt ilico.

Haud facul (ut ait Pacuvius) fœmina invenietur bona.

Si hàc absente nobis venerit puer.

AUGURIBUS.

Et fallaci aspectu paries pictus, putidus.

Quid est isthuc te blaterare atque obloqui?
Quanquam non istis exercetur in jocis hic noster delaborat quum puer statim.

BRUNDUSINIS.

Imò jamdudum obcubuisse, degulâsse oportuit.

Equidem nunc respui postquam pectus est lætitiâ honestum.

In parte inferiore hìc implicabatur caput fateor.

Quis tam sagaci corde atque ingenio unico?

CÆDO.

Itaque spissum videtur fieri, non possunt domi meum virum expectare, quem mihi studeo jamdudum dari.

CINERARIO.

Id me celabat cuccuru.

Quòd salvus venis melius est, gratulor diis.

Sexte frater mi salve, quum salvus venis, meliúsque tibi est, gratulor diis.

COMPITALIBUS.

Ut quicquid loquitur, sal merum est.

Si non verear, nemo vereatur tui.

Præterea corpus meum nunc pilare primùm cœpit.

CONSOBRINIS.

Non sum apud me: en lentus lentéque te rogabo.

Pol magìs istius temulentæ futilis.

Vaha retinet homo linguam mordicus.

Hem iste parentum est vitabilis liberis.
Ubi malunt metui, quàm vereri se à suis.

Scis habitum ita ut nunc obtinet præsiscine.

CRIMINE.

Quos impune depopulatur & dispoliatur dedecus.

Orbitatem senectuti tuo malam metui, quod in solum non venit cæco ac dementi.

Hæc jejuna jentavit.

DEDITIONE.

Quòd quadrati sunt sagi.

DEPOSITO.

Dii sunt irati tibi, qui conciere cogites tantum mali.

DIVORTIO.

Vigilans, ac solers, ficca, sana, sobria, virosa non sum. & si sim, non desunt mihi
Qui ultro dent. ætas integra est, formæ satis.

Qui coner noctu clanculum brusire dotem ne remittat vafer, honestè ut latites, & nos laudas diutiùs.

Quum testamento patria partîsset bona.

Imò

Digitized by Google

Imò illum nitem faxo faciant fuſtibus.

Mulier novercæ nomen hoc adde impium: Spurca gremio veſtigio haud dici poteſt.

O dignum facinus adoleſcentis, optumas, bene convenientes, concordes quum vires repentè viduas faciat ſpurcitia patris.

Diſperii, perturbata ſunt: jam flaccet fortitudo.

Letium genus cognominationis morborum cognominis.

O diem ſceleroſum & indignum!

Quàm perſpicace, quàm benigno, quàm cito,
Quàm blando, quàm miti eſt pectore!

Quod vult diſertè pactum aut dictum.

Et puncto averruncent cur Syriam ſimul.

Novis dictis quæſo ne ille inſaniat.

EMANCIPATO.

Quàm beatæ ſcenicæ videntur mihi mulieres,
Quæ jurgio & benevolentiâ tegrent deſubito viros!

Sollicito corde corpus non potitur nunc quie.

Vide ut facundè contra cauſaris patrem.

Optandum uxorem quæ non veretur viri.

Deos ego omnes ut fortunaſſint precor.

Principium hoc oro, in animo ut ſic tuo ſtatuas, officiis cogi ut abs te ſeorſus ſentiam de uxoriâ re.

Nudiuſtertius tute adveniſti quàm diluculo.

Idem es qui ſemper, ſdque ut rite intelligas te facere.

Ne tu ſummatim ratio putes.

Ut ſint repentinò apparandæ nuptiæ.

O quot clamas!

Idcirco hæc agere tecum ſecretò inſtiti.

Hem quid ais? mane ſerva quæſo, niſi moleſtum eſt, pauca ſunt tecum quæ volo.

An mî homo? immo edepol vos ſupremum meum concelebretis diem.

An quid me cenſes obſecro? non audiſti?

Te facere compactò omnia.

Paulò priùs hinc abiit.

Cur nimium adpetimus, ſi reſponderur nemini nimium, bene eſt.

Malo pudenter metientem.

Pòſt narravero: nunc eſt diſtentus animus ut negotiis. porrò autem propero.

Quàm lentè tractat me atque inludit.

Venit me ſinè mercede proſum paucis remeare in ludum.

EPISTOLA.

Jactavit ſeſe, jactet, mihi erit triſtior.

Naturâ triſtiori paululò.

Ita intricavit hujus hanc rem temeritas.

Nam proba & pudica quòd ſum, conſulto & parco mihi.

Quoniam comparatum eſt uno ut ſimus contenta viro.

Tace. puella non ſum, ſupparo ſi indutus ſum.

Amare, habere puerum depoſitum foris.

Ego miſera riſu clandeſtino rumpier, fere matera menſtra fervere.

Tum protinis rectà domum digredimur.

Quanquam iſta hæc malitioſa non tam calleo, tamen non feſelli.

Atque adeò extundo exitio datur mihi cuſtodiendus.

Huc venit fugiens tenebrionem Tyrum.

Hunc ſervum autem, maria Tyria conciet.

Me authore mater abſtinebis. quid niſi?

Non licet me quò contendiſſem ita pervenire.

EXCEPTO.

Etiam depellis mihi manum per palæſtricos.

Ubi hìc, neſcis, quæſo, habet meretrix Neapolitis?

Si ille hæc nunc ſentis, facere illi ſatis vis, quanta illius mors ſit maceries tibi.

Conchas, echinos, oſtreas marinas.

Meretrix cum veſte longâ, peregrino in loco ſolet tutandi causâ ſeſe ſumere.

Habitu appellant hunc ad molem noſtram naviculam.

Quod vitæ ſtudium, aut quod præſidium in poſterum mihi ſupponebas, mecum privis tui?

Conſimili graſſantur viâ à quibus eſt hic omnis cultus.

Tum conſcendo cymbam, interibi lucis piſcatoriam venio, jacitur anchora, inhibebat leviter.

Audite pueri panca, vos ſuccedite.

Fit opus luculentum, hoc diei herbam det.

De vitâ ac morte domini fabulavere advorsùm fratrem illius ac dominum ſuum.

Atque adeò nolo nudo pediolo es pus.

Proficiſcor, res, tempus, locus, ſimul otium hortabatur ut operatum illum Dianæ degerem ſanctum diem.

Jubeo hominem tolli & collocari & conſoveri, ſolvo operam Dianæ.

FRATRIIS.

Dat ruſtico neſcio cui vicino ſuo perpauperi, cui dicat dotis paululum.

Facilè manducari qui poteſt.

Formoſa virgo eſt, dotis dimidium vocant
Illi qui dotes negligunt uxorias.

Curre & nuntia venire, & mecum ſperatum addnce.
Videat puellam: curent, conformentur jube.

Speratum non odi tuum.

Interim merendam occurro: cautè quum veni juvat.

Nunc vide, hoc quo pacto eo aurum in medio proferam, tu Caſtalia cogita, tu finge, fabricare, uti libet.

Proin tutum queram, ne requiram te vide.

Equidem prandere ſtantem nobiſcum incincta togam.

Retinebitur vir ut voluntate unâ probabili prægnantem quod non exigat.

Piſtori novat cur non ſcribitari ut mittas fratris filio luculentulus.

Aquam ex cœno haurire, qui laverent manus.

FRATRIBUS.

Nullam profectò accessi ad aram quin Deos supplicis, sumptu vatis, donis, precibus, plorans, obsecrans nequicquam defatigarem.

O sacrum scurram & malum.

Dimittit adsestricem, me ad sese vocat.

Non potest qui in illas tacta longéque & multis olat.

Commemorabo, ostendam illius facta & spurca improbi.

Mea nutrix surge, si vis profer purpuram, præclavium, contextus.

Septembris herì calenda: hodie atri dies.

HOMINE.

Atque ille derepente in jumentum exilit, contendit oculos, derepente abit cælo.

Satìs fortiter paulò vestras scissidistis colus.

Amabit sapiens, cupient cæteri.

Ea memoriter quum venero confecta ut offendam.

Bacillum deligatum corneolum posset.

Datatim uxorem ut ludas.

Tertium diem præclavium unum texere.

Ipsi me velle vestimenta dicito.

IDA.

Nostrum in conventum, aut confessum ludum, lapsúmque petulcum.

IMIS.

Multa atque molesta res potis ut dicta facesses.

INCENDIO.

Non usquequaque idoneum invenias locum
Ubi derepente quum velis facias lutum.

O puere puere fine me prospicere mihi.

Illud memento, nequid imprimis blatteres.

Servus est mihi Nicasio, sceleratus, curiosus: is cum filio ei conjicere ad nescio quicquid de latrunculâ.

Atque hæc etiam incendit hoc, procul concussero.

Experjurabant, execrabant se ac suos.

INIMICIS.

Hæc obsecro igitur, agite & me adjutamini.

LIBERTO.

Nolo hic te videat, dominus est, puer facesse hinc.

MARITIS.

Meo ut obsequar amori, obedibo tibi.

MATERTERIS.

Quum is Balbum supra modum differere conantem laudaret, an tu eloquens ilicet.

Causam conjicere hodie ad te volo: ambo adestis, profuturos arbitror.

In quem plenam papulam, panum, tympanum.

Quod exspectans defessa domi sedi, quòd spissè venire visum est mihi.

Perii, lachrymæ linguam sepiunt.

Postquam se vidit inibi esse gignatam, parvulam sororibus commendat.

Quid istuc est? quid fles? quid lachrymas? largitus proloquere.

MEGALENSIBUS.

Adeste, assentio te amare, me adorare saniter.

NOMO.

Adpetis dominatum demens præmaturè præcocem.

PANTALEO.

Contemnens inquit liber natus est, ita mater ejus dixit in Galliâ, quum ambos emerem.

Sed eccos ambos.

Revocas nos ambo ad prælium.

POMPA.

Interim tua cliens.

Tene tu, in medio nemo est, magnificè volo fluctuatim ire ad illum, accipe hoc tegmen tu & sustine.

PRIVIGNO.

Silentio opus est: nulla inest poratio.

Uxorem quærit firmamentum familiæ, scias abesse ab iis lustris ingenium procul.

Et propter patruelem tuam constituit hilare anhelans dejecta coma.

Quæ festis nos facere solemus de quotidiano opere promiscuè atque profesto concelebras focum.

Videt ludos, huic auscultavi procul.

Quàm mihi sit grata illius obsequela.

Quod si fecissem paulò sapius, didicisset id ferre & non esse intolerabilis.

Dehinc temeritatem repudio vulgariam.

Nemo illâ vivit carie carioſior.

Vivax vetus, quàm duriter nunc consulito tergo meo.

Hoc potiùs, hoc non fervit minus, hæc volo.

Occasione certâ mulier involat in collum, plorat, orat, occurrit nepos pauxillus, nepis porrò de lecto frigit.

A fulicâ penè peristi: dii te malefiant malo.

Orbus virilis ferus adoptavit sibi.

Nì tantum amarem talem tam meritò patrem, miratus essem adquo licere.

Numerò inepei pertimuistis cassam terriculam adversarii.

Interea verba jactare, & labris inter se velitari velificarier.

Novi amicum atque æqualem eum.

Non ego te novi tristem? servum ferium?

Visilli tristis, durus, difficilis, tenax.

PRODIGO.

Nam me pudet ubi mecum loquitur Numerius: aliquid suffero, Græcè irridet me illico.

PRO-

Digitized by Google

PRODITO.

Remeligo à laribus missa sum hanc quæ cursum coit.

Tu senecionem hunc suis est si servas anus.

PROMO vel PRIMO.

Pro manibus credo habere ego illos tentipellium.

Cave ne pendeas si fuas in quæstione.

Ut scire possis adquo te expediat loqui.

REPUDIATO.

Quanto faciliùs ego, qui æquo venio, adducor ferre humana humanius.

Perdit ingens imbecillitas tuam æquo fecius me colligant ceciderit.

Sin, id quod non spero, ratio talis sequius ceciderit.

Pauxillo priùs me convenit.

Te istuc facere officiosè scio.

Age curre cursim ad Numisium occultó.

ROSA.

Gannire ad aurem nunquam didici.

SELLA.

Usus me genuit, mater peperit Memoria :
Σοφίαν vocant me Græci, vos Sapientiam.

Pomum, holus, ficum, uva.

SIMULANTE.

Sævum ferre hæc te simul, & gnatam ab illo abducere.

Tui veretur, me ad te misit oratum peteret.

Ne ego illos vel tantis ausculto libent.

Simulantem offendit, regit, rumpit, icit poculo.

Vellem interveniſſem anté. nam (ut signa indicant)
Hi conjecere verba inter se acrids.

Nolim matri me præsente cum patre conjicere, non si me non vis mei meum.

Enim sera numerò ac nequicquam egi gratias.

SORORIBUS.

Nunc se obsequentem atque hilarem dixi præbeas.

At puer est vesels imbecillus viribus.

SUSPECTA.

Perfalsum abs te creditum numerò nimis celeriter.

Adeò ut te satias caperet toti familiæ

Tamen animo ordire me oportet paula pautulum.

Non amatorem olim defensorem per eam volet.

Vident lavere lachrymis me tuum collum pater.

Tuam majestatem & nominis matronæ sanctitudinem.

Noli ex stultitiâ mulierum credere esse animum meum.

In Arpinos jam quantum potes explodam hominem ut villicetur.

Ut me esse in hac re ducat abs te extrarium.

TALIONE.

Vos quibus cordi est intrà tunicam manus læva, dextra in penum herile.

TEMERARIO.

Quis hic est simis qui me hodie ludificatus est?

THAIDE.

Et quæ ferme fedele melius consultoribus quàm restrictim cogitata omnibus rationibus.

VIRGINE.

Ne veniret quod non agitur insolum.

Verbis paucuis respondit, tristis voce deductâ, malléque se non quievisse dixit.

Quo tu commentas? ubi confisus delides?

Aliis de rebus cœpiti super.

VOPISCO.

Nam nutricatur oliva.

Excludat uxor sum confidenter virum? non faciet.

Deinde id quod dedità operà, controversiæ concinno.

Id est intus actum, perit opera nimiùm mea, ea alo fidelitatis.

Equidem te nunquam mihi parasitum, verum amicum, æqualem atque hospitem quotidianum, & lautum convivam domi.

Hem quid hoc? perii, pertimui : quid tumulti ciendi?

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta invenit.

Quoque nunc offendo sæpe procul nostra sit mala.

Quantâ vociferatione fervitur! heu misera mihi!

Voluptatem capio maximam cruciari tuâ te culpâ, qui det, & de illâ pessumâ quam deamas, promeres.

Non dolorum partionis veniet in mentem tibi, quos misera pertulisti, ut parvum projiceret pater?

Dum morigeram, dum morosam præbeo, deinde aliquid dedità operà controversiæ concinno, lædo interdum contumeliis.

Antiquitas petenda in principio est mihi, majores vestri incupidiores liberûm fuere.

Malè merentur de nobis heri, qui nos tantopere indulgent in puerilà.

Apage sis, civum tuum animum in naribus primoribus vix pertuli ædepol.

Cujus te fuscitat imago? cujus effigia cognatus patre?

Tu flagrionibus privigno jucunditatis plus inest in te mihi, quàm commeretis conquisitæ edulibus.

Novi non inscitam ancillulam vespere.

Tandem ut possimus nostra fungi munera.

Homo mulierosus confert me illico alió.

Sedit uterum non ut omnino semen.

Titionire janitoris impedimenta audio.

Dii tibi dent propria quæcunque exoptes bona.

Igitur quiescit quoniam inter nos nuptiæ sunt dictæ.

Amentes quibus animi non sunt integri, surdè audiunt.

Tumultuosè & cunctis copiis.

Memini memoriter.

Cecidit

Cecidit ſpes reducendi domum quam cupio: cujus ego in dies impendiò ex deſiderio magis magiſque maceror.

Quia ſcit me illam amare perditè.

Porrò paſſuros ſcio.

Præfeſtinamus quæ ſit cauſa ſciſcere, quod ſit neceſſum ſcire, præſertim in bre*

Ex Afranio hæc quoque citantur, ſed locis non indicatis.

INdignum verò dici ſolet teſtu.

Támne arcula tua plena eſt aranearum?

Hoſtiarii impedimenta tintinnire audio.

Muſtricolam in dentes impingam tibi.

Fratris facilè manducari qui poteſt.

Suſpecta ita ut huic hero adoleſcenti cui ſuſpirium tradidit, qui me eſt animi exercitus.

Bucone adoptato, jentare nulla invitat.

Palam facito Damea, & plagulam de lecto pellis dimitte ordine.

Aliber totius monilis poſſeſtricem, ita impulſatrix, ita curatrix, ita plauſtrix, ita aſſeſtrix.

Quis tu es, ventoſo in loco ſolentus, intempeſtâ nocte ſub divo, aperto capite, ſilicem quum findat gelus?

Virgini tam creſcit uterus quàm gravidæ mulieri.

Heu me miſerum! *Reſpondetur*, Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.

Nam quod vulgo prædicant aurito me parente natum, non ita eſt.

Neſcio qui noſtri miſeritus tandem Deus.

Q. TRABEÆ *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

QUINTUS TRABEAS Comœdiæ autor, in ordine Comicorum relatus eſt à Vulcatio Sedigito. Locum octavum obtinuit poſt Terentium, & Turpilium: de quibus commodè diximus. Mentio de hôc Trabeâ fit à veteribus Grammaticis, qui perſæpe citant ejus fabulas. M. Cicero minimè dubitavit commendare eundem Trabeam, carménque illius locis multis referre. Sunt qui credant, in ſcribendis Togatis præſtitiſſe, quod & Sext. Pompeius demonſtrat. Laudantur à Marco Tullio ii verſus Trabeæ, in quibus credulitas amantis, ac nimia geſtientis animi lætitia lepidè & eleganter deſcribitur.

FRAGMENTA.

TANTA lætitiâ auctus ſum, ut mihi non conſtem.

Nunc demum mihi animus ardet.

Lena delinita argento mutum obſervabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam. adveniens digito impellam januam:
Fores patebunt. deimproviſo Chryſis, ubi me aſpexerit,
Alacris obviàm mihi veniet, complexum exoptans meum:
Mihi ſe dedet.

Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.

Lena, &c.

C. LICINII IMBRICIS *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

CAIUS LICINIUS IMBREX inter eos Poetas refertur, qui comœdias ſcripſerunt. Vulcatius Sedigitus, cùm de Comicis ſcriptoribus judicium facit, Licinio multum tribuit, eúmque non Attilio tantùm, & Ennio præpoſuit, ſed & Turpilio atque Terentio. Grammatici veteres citant aliquot Licinii comœdias, ut Nævium & Nezram, de quâ Gellius in Atticis noctibus ſcribit, quo loco de compreca-tionibus Deorum differit. Sextus quoque Pompeius ita Licinium nominat ut Poetam maximè lepidum atque urbanum.

FRAGMENTA

EX NEÆRA.

NOLO ego Nezram te vocent, ſed Nerienem,
Cùm quidem Marti es in connubium data.

Q. NOVII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

QUINTUS NOVIUS Atellanarum ſcriptor illuſtris eſt habitus. Grammatici veteres, cùm de ipſius ingenio & doctrinâ diſſerunt, permultum illi concedunt. Aurelius Macrobius probatiſſimum Poetam hunc vocat inter eos auctores, qui Atellanas fabulas ediderunt. Quâ in re poſt Novium, inquit, Pomponius atque Mommius præclari habentur. Scripſit Novius complures Comœdias, in quibus magnopere probavit ingenium ſuum atque urbanitatem. Citatur maximè in his fabulis, hoc eſt, in Fullonico, in Exodio, in Virgine prægnante, in Pedio, in Dotatâ, in Gallinariâ, in Geminis, in Partu. De quibus multa leguntur in commentariis Nonii Marcelli. De obitu illius nihil apud antiquos auctores legimus.

ADMONITIO AD LECTOREM.

FRAGMENTA Q. Novii jam habes, amice lector, ſuprà, eam ob cauſam cum CN. Nævii fragmentis conjunctim deſcripta, ideo quòd fabulæ ex quibus petita ſunt, non Novio ſolùm, ſed & ipſi Nævio adſcribantur à Grammaticis.

LUCII

Digitized by Google

L. POMPONII BONONIENSIS FRAGMENTA.

L. POMPONII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

LUCIUS POMPONIUS, Atellanarum scriptor, iisdem ferme temporibus in Urbe præstitit, quibus Laberius, Publius, & Julius Calidius, ut in Latinis annalib. relatum est. Eusebius & alii, Bononiensem hunc faciunt. Ingenio perurbano dicitur fuisse, & in notandis hominum moribus maximè festivo. Sunt enim Atellanæ fabulæ ab Atellâ urbe appellatæ, in quibus Poetæ veteres solebant varios jocos atque sales vernili quâdam dicacitate admittere. De his Pomponii Atellanis M. Cicero & Annæus Seneca pluribus locis meminerunt, ingeniúmque Pomponii vehementer commendant. Non. Marcel. magnâ diligentiâ observavit has Pomponii fabulas: quod ipsum colligitur ex illius commentariis, in quibus supra xxx. ejus Comœdias nominat. Citatur Pomponius sæpe ab antiquis Grammaticis, in Aleonibus, in Prostibulo, in Pannuceatis, in Nuptiis, in Porcariâ, in Privigno, in Piscatoribus, in Ergastulo, in Patruo, in Asinariâ, in Rústico, in Dotatâ, in Decumâ Fullonis, in Præcone posteriore, in Buccone, in Macchis geminis, in Verre ægroto, in Pistore, in Syris, in Medico, in Maiaii, in Sarcularia, in Augure, in Petitore, in Annulo posteriore, in Præfecto, in Aritiâ, in Hirneâ, in Porariâ. Itidem in Marsupio, in Ædituno, in Auctorato, in Satyrâ, & in Gallis transalpinis. Gellius præterea, & Priscianus de Atellanis Pomponii sæpe agunt, pluréſque versiculos afferunt: ex quibus intelligi potest, quantum præstiterit gratiâ & salibus.

FRAGMENTA.

ADELPH.

QUOD ille dicit, tam datatim in lecto tecum lusi.

ÆDITUO.

Qui postquam tibi appareo, atque adituor in templo tuo,
Nec mortalibus, nec mortalium ullum in terrâ miserius est.

AGAMEMNONE.

Suppositio ne quis miraretur quum tam clarè tonuerit, ut si quis dormitaret expergisceret.

ALEONIBUS.

At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.

ANNULO POSTERIORE.

Id credo metuis, ne invidia desit, quum nemo qui à te recipiat reperibitur.

ARISTA.

Noli quæso irascere: more fit moriri suam quisque uxorem ut velit.

ARUSPICE.

Fac puriter, vel pectore rustico uti tractes. lavi jamdudum manus.

ASIA.

Atque auscultare disce, si nescis loqui.

ASINARIA.

Exitui de nocte ad molam fullone festinatim.

ATREO.

Nunc te obsecro stirpem ut evolvas, meorúmque genus notifices mihi.

AUCTORATO.

Ludit nimiùm insaniter.

Occidit taurum torviter, me amores amavit.

AUGURE.

Immo manè non esuribis diutiús. quare roga.

BUCCONE ADOPTATO.

Sæpe annuit, invenibit sæpe.

Clandestinò tacitus taxim perspectavi percautum.

Pergis properatim.

Si prægnans non es, paribis nunquam.

CALENDIS MARTIIS.

Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modò afferatur unus, ego vocem reddam tenuem & tinnulam.

Etiam nunc vocem deducam.

CAMPÀNIS.

Dat ordo senio & fullonibus publicitus cibaria.

Istic manet, eliminabo extra ædeis conjugem.

CAPELLA.

Clypeum in medio fixum est.

COLLEGIO.

Siquid expalpare possim ab illo.

CONDITIONIBUS.

Vix nunc quod edim invenio: quidnam fiet si duxero?

CRETULA.

Vel petitare bene eveniat. Ita fit, & tibi bene sit, qui rectè ominas.

DECUMA FULLONIS.

Et ubi insilui in cochleatum equuleum, ibi totutim torror.

Non multi temeti, sed plurimi.

DOGALI.

Unum penum quæ omnem cæterum aliam præberem penum.

DOTATA.

Possum exorare te ut recedas a me paulisper modò quantisper sat habes.

Scio pol te illam amare effictim.

ERGASTULO.

Longè ab urbe villicari, quò heros rarenter venit, non villicari sed dominari est, meâ sententiâ.

FULLONIBUS.

Quin ergo quando convenit, complectite. Mi frater salve, ô soror salve mea.

Facite, ut ignis fervat, ligna in stipite, far concidite.

GALLIS

Digitized by Google

GALLIS TRANSALPINIS.

Mars tibi voveo facturum, si unquam redierit, bidenti verre.

HIRNEA.

Pappi decimus mensis est, quum factum est, ita fit, ita semper solet, decumo mense demum turgens verminatur, parturit.

LARE FAMILIARI.

Oro te Basse, per lactes tuas.

LENONE.

Caseum molle.

MACCHIS GEMINIS.

Incepi contui, conspicio colestam cuspidem.

Bono animo es, video, eripuisti primitus de pannibus.

Perii, non puella est. nunquid absondisti inter nates?

Jam ego mihi adero, dum ego revortor, agamus, accinge ad molas.

Serò est, si tibi placet, venibo.

MACCO.

Quid futurum est, si pol ego hanc discere artem attenderim?

Virginem preteriens vidit duos senium in ludo, verecunditer non docentem discipulum, verùm scalpentem nates.

Conforisti me Diomedes.

MACCO SEQUESTRI.

Simile est quasi quum in cælo fulgit propter lunam lucifer.

MACHO MILITE.

Nam si cibaria vicem duorum solum me comesse condecet.

Cum contubernale pugnavi, quòd meam cœnam.

MÆVIA.

Dies hic sextus, quum nihil egi: die
Quarte moriar fame.

MAIALI.

Cœnam quæritat, si eum nemo vocat, revortit mœstus ad me nam miser.

Miseret me eorum qui finè frustis ventrem frustrarent suum.

Animos Venus veget voluptatibus.

MEDICO.

Dolâsti uxorem nunc, & propter me cupis concidere, & jam rhetorissas.

MUNDA.

Si calendis convivent, idibus cœnant forsi.

NUPTIIS.

Partem insipui, concinsi, condepsui.

PANNUCEATIS.

Dixi ego illud futurum. in primâ valvâ est, vix hæret misera. evannetur, & mea ocyùs opera ut fiat fecero.

Mulier ubi aspexit tam mirificè tutulatam trusim.

Nunc rogas quid fiat? restis est vilis, velet gulam.

Penulam in caput induce, ne te noscat.

Neque interim cacandi causâ unquam incoravi gute.

Quid dedi nebuloni, quem pertæsum pauperem.

Sarculum hinc illò profectus, illum redisti rutrum.

Sed meus frater major postquam vidit me indejectum domo, nupsit posteriùs dotatæ vetulæ, varicosæ, Afræ.

PAPPO AGRICOLA.

Nunc quando voluisti facere, fac voluptati sies ibus.

Domus hæc fervit flagitiis.

Nescio qui sellam urget quasi asinus uxorem tuam, ita opertis oculis simul manducatur ac molet.

Volo scire ex te cur urbanas res tam desubito deseris.

PATRUO.

Mirum facies fatuæ si studium mirabis diu.

Non erat quod corpus tremulum famula tutaret toga.

PETITORE HÆREDE.

Heu optate pueri mundè atque ampliter convivium.

Balnea, forus, macellus, fana, portus, porticus.

PICTORIBUS.

Mirum ni hæc Marsa est, in colubras callet canticulam.

Ipsus cum uno servo senex intestato proficiscitur.

Quæ tuleram mecum millia decem victoriata, Græci mercede, illico curavi ut occuparem.

Affide, si qua ventura est alia strena strenuè.

Magnus manducus Camillus canterius.

Numos certos dicas.

PISCATORIBUS.

Quid hoc est tumulti?

Nescio quid non est hoc merum, quod hic plorat.

Quid habes in scirpiculis calve? Omne piscati genus.

PISTORE.

Decipit vicinos, quod molendum conduxit, comest.

Nisi nunc aliquis subitò obviàm occurrit mihi, qui oquiniscar quo compingam terminum in tutum locum.

Nam plus quæsti facerem, quàm quadrinas si haberem molas.

Fit desubitò hilarus, tristis: saltat, ridens ringitur,

PITHONE GORGONIO.

Hominem beatum, quò illæ pervenibunt divitiæ.

PLACENTA.

Rustici edunt libenter pedibus tristeis acres intybos.

PORCARIA.

Hoc sciunt omnes quantum est qui ossium cacant.

PORTOPERIPOCONS.

Vepra est veprecula.

PRÆCONE POSTERIORE.

Calve apportas nuntium nobis disparem, divisum: huic seni senium & metum.

At te dii omnes cum consilio calve macrassint malo.

Sed me exercet senica nequam: neque illo quid faciam scio.

Post

Digitized by Google

Poſt tergum varium, linguam vafram.

Age modò Stagari, particulones producam tibi.

Ad Veneris profectus eſt manè vetulus, votum ut ſolveret: ibi nunc operatus eſt.

Quot lætitias inſperatas modò mihi irrepſere in ſinum.

Si ſciam quid velis quaſi ſervi comici commictilis.

Vis facere ut noverca vetulum derepente deſerat.

PRÆFECTO MORUM.

Pater at eſt, negato eſſe hìc me, ego operibo caput.

Ut ſi quis eſt amicus amici, gaudeat, ſi quid boni evenit cujus amicus eſt germanitus.

PROSTIBULO.

Ego rumorem parvifacio, dum ſit rumen qui impleam.

Jámne abierunt? jam non tondunt? jámne ego ſum in tuto ſatis? num quis hìc reſiſtit, qui nondum labeas lirarit mihi?

Si valebit plus in buccam vetet, ſi dicín' ſchema.

Ego quæro quod edim, has quærere qui parcant certum eſt.

Quæ peditibus nubere poterant, equites ſperant ſpurcæ.

Ut nullum civem prædicavi per dolum,
Niſi ipſus orans ultro qui ecquiniſceret.

Quis hìc eſt? quamobrem hìc proſtat? rictum & labeas quum conſidero.

Continùò ad te centuriatim current qui panem petent.

QUINQUATRIBUS.

Venit rogatum nos quando noſtræ eſſent ſeplaſiæ.

RUSTICO.

Quid nunc vis fieri? verrem ſume dapſilè ac dilucidé.

SARCULARIA.

Alteram apportat, prodigit patrem, ſuppilat ſemper.

SATYRA.

Blanda, fallax, impotens, ſuperbo, diſcordis.

Cujuſvis leporis liber diadema dedit.

SPONSA.

Papæ pol magìs ubi cognòrint omnes, unà aſſentiant

SYNEPHEBIS.

Incolume illo.

STRIS.

Lapitium nullum veſcebatur, lardum lurcabat lubens.

Quid eſt? apud forum præſente teſtibus mihi vendidit.

VACCA, vel MARSUPIO.

Simul intrò veni, acceſſi ad patrem,
Prehendi manum, in terrâ ut cubabat nudâ,
Ad eum ut conquexi, interim mulieres conſpiciunt.

VERNIONIBUS.

Aperibo, non poſſum civem pati: orcus eſt quem amare cœpi, pinguis non pulcher puer.

VERRE ÆGROTO.

Verùm illi valent qui luctantur cum leonibus, & te objectes fruſtatim paſſerinum prandium ſaturarum, non fruſtillatim, nec minutatim dari.

Jam iſtam colaphis comminuiſſem teſtatim tibi.

Salbeole, parciter tanquam frater mihi ſis, medium abdomen quum dividam.

EPIGRAMMATE.

Ridiculum eſt quum te Caſcam tua dicit amica,
Caſca Philotonis ipſa ſenex pueri.
Dic tu illam puſam, ſic fiet mutua muli.
Nam verè puſus tu, tua amica ſenexſt.

VITE, vide in ſequentibus.

Alii ejuſdem Pomponii loci ex fabulis, quarum adſcripta non ſunt nomina.

Quo palumbem unum ex ore tollit.

Conclavos iſtic manet, eliminabo extra ædes conjugem.

Metuo illum, jocari neſcit, ludit nimiùm infaniter.

Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi.

Magnus poeta placuit populatim omnibus.

Quum neque molis molui, neque palmis pinſui.

Heus ætate pueri mundè atque ampliter conviviam.

DECII LABERII FRAGMENTA.

DECII LABERII *VITA.*

DECIUS LABERIUS eques Romanus fuit, ſtudium atque operam poſuit in ſcribendis Mimis: quâ in re non mediocrem laudem conſecutus eſt. Moribus præclaris & ingenio urbano fuit: libertate tantâ in accuſandis vitiis, ut libertatis nomen excederet. Adeò Julius Cæſar eo delectatus eſt, ut Suetonio & Macrobio referentibus, eum in ſuorum ludorum fine, annulo aureo & quingentis ſeſtertiis donaverit, atque eveſtigio in quartum decimum ordinem adſpectandum tranſmiſerit. Traditum eſt à Sulpitio Apollinari, & Gellio in Atticis commentariis, Laberium ipſum in ſuis fabulis quæpiam poſuiſſe paulò duriora, ac minùs Latina, & ob id à quibuſdam Criticis in ordinem coactum. Sed Macrobius & Annæus Seneca plurimum Laberio concedunt: quòd in ejus Mimis non minus ſententiarum, quàm lepiditatis foret. Nonius Marcellus & alii veteres maximâ diligentiâ Poetam Laberium obſervârunt, eúmque citant ſæpiſſime in his Mimis: hoc eſt, in Virgine, in Gemellis, in Necromantiâ, in Compitalibus, in Lacu Averno, in Aquis calidis, in Coloratore, in Catulario, in Sororibus, in Tuſco, in Cophino, in Nuptiis, in Gallis, in Cacomnemone, in Saturnalibus, in Alexandreâ, in Ephebo. Illud quoque à ſcriptoribus proditum, Laberium invitatum à Cæſare, ut in ſcenam prodiret, & quos ſcribebat mimos ageret: ille ſenectutem excuſans renuebat: demum eſt à Cæſare compulſus, ut idem ipſe Laberius in prologo teſtatus eſt. Ad extremam ſenectutem acceſſit, corpore valido, & ſenſibus integris. Apud Puteolos deceſſit, menſe decimo poſtquam eſt occiſus C. Cæſar, id quod Hieronymus obſervat in Chronico Euſebii.

Digitized by Google

FRAGMENTA.

ALEXANDREA.

QUID eſt jusjurandum? emplaſtrum aeris alieni.

ANNALIBUS.

Petamus collabella oſculum.

AQUIS CALDIS.

Etiam hic me optimus ſomnus premit, opprimitur glis.

Podagricus.

ARIETE.

Vix ſuſtineo clunes ſcævolæ.

AUGURE.

Largiter lucri feci.

AUL--.

Homo ebriacus ſomno ſanari ſolet.

BELLO.

Inſtria domina noſtra privignum ſuum amat efflictim.

CACOMEMONE.

Hic eſt ille gurdus, quem ego
Me ab hinc duos menſes ex Africâ
Venientem excepiſſe tibi narravi.

CÆCULIS.

. . . te mauricatim ſcire.

CANCRO.

Nec Pythagoream dogmata doctus.

CARCERE.

Homo frugi, quod tibi relictum eſt miſerimonium retines.

CATULARIO.

Ego mirabar quomodo mammæ mihi deſcendiderant.

Neve aliter hunc prædicabis: quomodo video, adoleſcenti noſtro cædit hilla.

CENTENARIO.

Quare tam arduum aſcendis? an concupiſti cugium ſcindere?

CHARE.

Ebriulati mentem hilaram arripiunt.

CITHARA.

Nec palmarum pulſus, nec portiſculi.

COLACE.

Figura humana inimici ardore igneſcitur.

COLORATORE.

. . . itaque levi
Prùni percoctus, ſimul ſub dentes mulieris
Veni, bis ter memordit.

COPHINO.

Quum provincias diſpoliavit, columnas monolithas, labella lenis.

Manuatus eſt.

FULLONE. FULLONICIS.

Manuari pudorem perdidiſti.

Virum tu hunc gruem balearicum, an hominem putas eſſe?

Non ubi caput à foliis decidua folia pandit.

GALLIS.

. . . De integro patrimonio
Meo centum millia nummûm memordi.

GEMELLIS.

Non putavi hoc eam facturam.

IMAGINE.

Genius generis noſtri parens.

LACU AVERNO.

Scinde anam exoleto impatienti catullientem lupam.

Verſorum non numerum numero finduimus.

MARCO.

Mens incorrupta miſeriter corrumpitur.

MIMIS.

Mendicimonium. Mœchimonium.

Adulterionem, adulteritatémque.

Depudicavit. Ablavium.

NACCA.

L. Cippum.

Obbam.

Camelliam.

Indais capitium tunicæ piſtacium.

NECROMANTIA.

Dum diutiùs detinetur, noſtri oblitus eſt.

Duas uxores, hoc hercle plus negotii eſt,
(Inquit cocio) fex mulas videbat.

NUPTIIS.

Æquum animum indignanti iniquat contumeliâ.

ODYSSEA.

Déque manibus dexirabus.

PAUPERTATE.

Nihil refert mollem de lanitiâ Atticâ, an pecore ex hircorum veſtium geras.

Viſus hac nocte bidentes propter viam facere.

Licentiatus.

RECTORE.

Democritus Abderites phyſicus philoſophus clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere ut poſſet ſplendore æreo, ita radiis
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Eſſe ne videret civibus. Sic ego
Fulgentis ſplendore pecuniæ volo
Elucificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bonâ videam eſſe nequam filium.

RESTIONE.

Calabarrincutos.

SALINATORE.

Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, tron procax.

SATURNALIBUS.

Hominem leenam.

SCRIPTURA.

Caput finè lingua, pedaria ſententia eſt.

SCELACE.

Lubidinitate labitur.

SEDI-

SEDICITO.

Grunnientem aſpexi ſcropham.

SORORIBUS.

Hoc voluit clypeum contra pulvem projici.

Ædaſtor multùm ſomniculoſum.

Laus nomine gloriæ adoleſcit.

STAMINARIIS.

Tollet bonâ fide vos Orcus nudas in Charonium.

Et quid properas, & quid præcurris Calidonia?

Et elutriare linteo.

Labandria.

Collicior in fullonicam.

TUCCA.

Dominus noſter tuâ luculentitate captus.

Bipedem, bliteam, belluam.

TUSCO.

Concitatam mobilitate mœſtas.

VIRGINE.

Amore cecidi tamquam blatta in pelvim.

Alienum appetonibus viæ perditæ diverticulas.

Siquidem mea colluſtra fretus terris ſtudere feciſſet ſumere aquam ex fonte.

In prologo quodam.

Neceſſitas (cujus cursûs tranſverſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt)
Quò me detruſit penè extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla authoritas
Movere potuit in juventâ de ſtatu:
Ecce in ſenectâ, ut facilè labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita,
Submiſſa placidè blandiloquens oratio.
Etenim ipſi dii denegare cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare quis poſſet pati?
Ego bis tricenis annis actis ſine notâ,
Eques Romanus ex lare egreſſus meo,
Domum revertar mimus: nimirum hoc: die
Uno plus vixi, mihi quàm vivendum fuit.
Fortuna immoderata in bono æquè atque in malo,
Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere:
Cur quum vigebam membris prævridantibus,
Satisfacere populo & tali quum poteram viro,
Non flexibilem me concurvâſti, ut carperes?
Nunc me quo dejicis? quid ad ſcenam affero?
Decorem formæ, an dignitatem corporis?
Animi virtutem, an vocis jocundæ ſonum?
Ut hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas amplexu annorum necat.
Sepulchris ſimilis, nil niſi nomen retineo.

IN IPSA ACTIONE.

Porrò, Quirites, libertatem perdidimus.

Neceſſe eſt multos timeat quem multi timent.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.

Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Conſiſtes ægre, & citiùs quàm aſcendas, decides:
Cecidi ego, cadet qui ſequitur: laus eſt publica.

Ex incertis ejuſdem Laberii libris, id eſt, quorum incertum nobis eſt nomen, utpote ab authoribus non adſcriptum.

Quænam mens, quæ deliritas vos ſuppilatores facit cum cano Eugio velitari?

Lambit item hillam cocus: ſi lambum aduſſit, flagris cæditur.

Latè loquente qui pedem ex taberná tulimus, tantus quum ſtaret pluor.

Aliquâ parte prævulſerat.

Fruſtramur, irridemur.

Uxorem tuam & meam novercam à populo lapidibus conſectari video.

Q. CATULI *VITA.*

QUINTUS CATULUS ex Catulorum familiâ illuſtri natus, ingenio præclaro fuit, orator, epigrammatúmque jucundiſſimus ſcriptor. Sunt qui Catulum hunc eum falsò exiſtimant, qui inſtauratum Capitolium dedicavit, & impeditæ linguæ fuit. Dilectus eſt maximè à C. Cottâ, & L. Craſſo propter elegantiam ingenii, & morum ſuavitatem. Tam venuſtè atque egregiè luſit epigrammata, ut ab antiquis autoribus relatum ſit, nihil apud Latinos aut Græcos legi poſſe mundius, preſſius, aut venuſtius Q. Catuli epigrammatis. Traditum eſt fuiſſe illum facili animo, & proclivi ad amores ac delicias. Itaque Roſcium Gallum præcipuè dilexit, qui tum adoleſcens elegantí formâ, & indole optimâ florebat, etſi oculos perverſos habuit, ut M. Cicero & Diomedes Grammaticus teſtantur. Sunt præterea qui Catulum hunc familiarem Mario conſuli tradant, & cum eo de Cimbris triumphâſſe. A Marco Tullio magnopere laudatus eſt, quòd Archiam Licinium & amare, & probare poſſet. Appianus Alexandrinus & Plutarchus ſcribunt in bellis civilibus, cùm ei nuntiatum fuiſſet, mori oportere, illumſe domi in cubiculo concluſum, accenſis carbonibus eorum vapore ſuffocatum occubuiſſe: at Plinius in Naturali hiſtoriâ, ab Amphione occiſum ait.

FRAGMENTA.

IN ROSCIUM PUERUM.

CONſtiteram exorientem auroram fortè ſalutans,
Quum ſubitò à lævâ Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat cæleſtes dicere veſtrâ,
Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.

AD THEOTIMUM.

AUfugit mî animus; credo (ut ſolet) ad Theotimum
Devenit. ſic eſt, perfugium illud habet.
Quid ſi non interdixem, ne illuc fugitivum
Mitteret ad ſe intrò, ſed magìs ejiceret?
Ibimus quæſitum. verùm ne ipſi teneamur,
Formido. quid ago? da Venus conſilium.

Q. ATTÆ *VITA.*

QUINTIUS ATTA, Togatarum fabularum ſcriptor habitus eſt: & in his componendis magnopere à quibuſdam commendatur. Sunt qui referant eundem Romæ verſatum his temporibus fuiſſe quibus Pomponius Bononienſis in ſcenâ floruit, & Plotius Gallus in tradendis præceptis rhetorices præſtitit. Horatius Flaccus in eâ epiſtolâ, quâ loquitur de Latinis poëtis, videtur Attæ fabulas notare, indignáſque exiſtimare, ut à Romanis civibus tanto ſtudio atque attentione audirentur. Citantur ſæpè à Latinis Grammaticis comœdiæ Q. Attæ. Quocirca veriſimile eſt in magno pretio illas fuiſſe habitas. Traditum eſt cognomen Attæ illis eſſe impoſitum, qui eo vitio pedum laborant, ut videantur magis inniti plantis, quàm liberè ambulare. Is Romæ c. & LXX. Olympiade mortuus eſt, ut Hieronymus in Chronico Euſebii obſervat: ſepultus verò viâ Prænestinâ ſecundo ab urbe milliario.

FRAGMENTUM

IN SATYRIS.

VErtamus vomerem in ceram, mucronéque aremus oſſeo.

PUBLII SYRI FRAGMENTA.

PUB. SYRI *VITA,*

Ex PETRO CRINITO deſumpta.

PUBLIUS natione SYRUS, in ſcribendis Mimis operam poſuit, ac in magno pretio his temporibus habitus eſt, quibus M. Cicero, & Nigidius Figulus perierunt, ut in Latinis Annalibus notatum. Referuntur ab Avieno dicteria quædam Publii, in quibus mira feſtivitas atque incredibilis comitas apparet. Julius Cæſar palam profeſſus eſt, ſibi acceptiores fuiſſe Publii Mimos, quàm Laberii, propter ſententiarum gravitatem atque ſingularem elegantiam. Quocirca prælatus illi eſt: & in ſcenâ victor pronuntiatus. Caſſius quoque Severus tantum concedebat Publianis Mimis, ut ejus carmen diſertiſſimum vocaret. Neque illud omittendum eſt, quòd idem Publius in ludis Cæſaris omnes illos longè ſuperavit, qui carmen in ſcenam attulerint, in quorum numero Dec. Laberius fuit. De obitu ipſius Publii nihil apud veteres legimus.

FRAGMENTA.

De amore & femina.

AMOR animi arbitrio ſumitur non ponitur.
Amor extorqueri non poteſt, elabi poteſt.
Amare & ſapere vix Deo conceditur.
Amans quid cupiat ſcit, quid ſapiat non videt.
Amare juveni fructus eſt, crimen ſeni.
Amans quod ſuſpicatur vigilans, ſomniat.
Ab amante lachrymis redimas iracundiam.
Amans iratus multa mentitur ſibi.
In amore ſemper mendax iracundus eſt.
Blanditiâ, non imperio, fit dulcis Venus.
Amoris vulnus idem qui ſanat, facit.
Formoſa facies, muta commendatio eſt.
Aut amat aut odit mulier, nihil eſt tertium.
Apertè quum eſt mala mulier, tum demum eſt bona.
Mulier quum ſola cogitat, malè cogitat.
Malo in conſilio fœminæ vincunt viros.
Dediſcere flere fœminam, eſt mendacium.
Fœminæ naturam regere, deſperare eſt omnium.
Caſta ad virum matrona parendo impetrat.
Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.
Mulier quæ nubit multis, multis non placet.
Annus quum ludit, morti delicias facit.

De amicitiâ & concordiâ.

Benevoli conjunctio animi, maxima eſt cognatio.
Amicos res optimæ parant, adverſæ probant.
Ita crede amico, ne ſit inimico locus.
Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.
Cum inimico nemo in gratiam citò redit.
Diſcordiâ fit carior concordia.
Nimiùm altercando veritas amittitur.
Amici vitia ſi feras, facis tua.
Ames parentem ſi æquus eſt: ſi aliter, feras.
Auxilia humilia firma conſenſus facit.
Comes facundus in viâ pro vehiculo eſt.

De fortunâ & rebus adverſis.

Ex hominum quæſtu facta fortuna eſt Dea.
Fortunam citiùs reperias quàm retineas.
Excelſis multo faciliùs caſus nocet.
Fortuna quum blanditur captatum venit.
Levis eſt fortuna, citò repoſcit quæ dedit.
Malè geritur, quicquid geritur fortunæ fide.
Fortuna vitrea eſt, quæ quum ſplendet frangitur.

Fortuna

Fortuna nimiùm quem fovet, ſtultum facit.
Facit gratum fortuna, quem nemo videt.
Nulla tam bona eſt fortuna, de qua nihil poſſis queri.
Legem nocens veretur, fortunam innocens.
Fortuna nulli plus quàm conſilium valet.
Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.
Neſcis quid optes, aut quid fugias; ita ludit dies.
Bona nemini hora eſt, ut non alicui ſit mala.
Bonorum crimen eſt officioſus miſer.
Felix improbitas optimorum calamitas.
Miſerrima fortuna eſt quæ inimico caret.
Nil proprium ducas quod mutari poſſit.
Citò improborum læta in perniciem cadunt.
In miſeri vitâ nulla contumelia eſt.
Graviùs nocet quodcunque inexpertum accidit.
Heu quàm pœnitenda incurrunt homines vivendo diu!
Et deeſt & ſuperat miſeris cogitatio.
Cui nuſquam domus eſt, ſinè ſepulcro eſt mortuus.

De rerum viciſſitudine.

Quotidie eſt deterior poſterior dies.
Lucrum ſinè damno alteriùs fieri non poteſt.
Jucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.

De morte & vitâ.

Dum vita grata eſt, mortis conditio optima eſt.
Homo vitæ commodatus, non donatus eſt.
Lex univerſi eſt, quæ jubet naſci & mori.
Crimen relinquit vitæ qui mortem appetit.
Mori neceſſe eſt, ſed non quoties volueris.
Bis interimitur, qui ſuis armis perit.
Malè vivunt qui ſe ſemper victuros putant.
Mori eſt felicis antequam mortem invocet.
Nuſquam meliùs morimur homines quàm ubi libenter viximus.
O vita miſero longa, felici brevis!
Bona mors eſt quæ extinguit vitæ mala.
Heu quàm eſt timendus qui mori tutum putat!
Bis emori eſt, alterius arbitrio mori.
Homo toties moritur quoties amittit ſuos.
Hæredem ſcire utilius eſt, quàm quærere.

De otio & inertiâ.

Arcum intenſio frangit, animum remiſſio.
Se denegare patriæ, exilium eſt pati.
Nihil agere, ſemper infelici eſt optimum.

De beneficentiâ & largitate.

Fruſtra rogatur qui miſereri non poteſt.
Ingenuitatem lædit quum indignum rogas.
Bona comparat præſidia miſericordia.
Homo qui in homine calamitoſo eſt miſericors, memini ſui.
Habet in adverſis auxilia qui in ſecundis commodat.
Benignus etiam dandi cauſam cogitat.
Bis eſt gratum quod opus eſt, ultro ſi offeras.
Inopi beneficium bis dat qui dat celeriter.
Minùs decipitur cui negatur celeriter.
Pars beneficii eſt, quod petitur ſi benè neges.
Beneficium dando accepit qui digno dedit.
Beneficium dignis ubi das, omnes obligas.
Bonus animus nunquam erranti obſequium accommodat.
Eodem animo beneficium debetur quo datur.
Beneficium dare qui neſcit, injuſtè petit.
Fraus eſt accipere quod non poſſis reddere.
Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.
Beneficia plura recipit qui ſcit reddere.
Beneficium ſe dediſſe qui dicit, petit.
Beneficium ſæpe dare, docere eſt reddere.
Dives quod donat timeas: citò raptum venit.
Nihil prodeſt didiciſſe benefacere, ſi ceſſas.
Cui ſemper dederis, ubi neges, rapere impetes.
Damnare eſt objurgare, quum auxilio opus eſt.
Crudelis in re adversâ eſt objurgatio.
Dixeris maledictum, quum ingratum hominem dixeris.
Ingratus unus miſeris omnibus nocet.
Malignos fieri maximè ingrati docent.

De æquitate, fide, & bonâ conſcientiâ.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.
Fidem nemo unquam perdit, niſi qui non habet.
Fidem qui perdit, nihil poteſt ultrà perdere.
Fidem qui perdit, quò ſe ſervet in reliquum?
Fides (ut anima) unde abiit nunquam redit.
Etiam peccato rectè præſtatur fides.
Etiam hoſti eſt æquus qui habet in conſilio fidem
Magis hæres fidus naſcitur quàm ſcribitur.
Mala cauſa eſt quæ requirit miſericordiam.
Judex damnatur quum nocens abſolvitur.
In malis ſperare bonum, niſi innocens, nemo ſolet.

De injuriâ & ſuperbiâ.

Etiam qui faciunt, odio habent injuriam.
Multis minatur qui uni facit injuriam.
Mutat ſe bonitas, quum irrites injuriâ.
Malefacere qui vult, nuſquam non cauſam invenit.
Malevolus ſemper ſuâ naturâ veſcitur.
Grave crimen, etiam quum dictum eſt leviter, nocet.
Illo nocens ſe damnat quo peccat die.
Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior.
Mala eſt medicina, ubi aliquid naturæ perit.

Citò

Digitized by Google

Citò ignominia fit ſuperbi gloria.

Grave præjudicium eſt quod judicium non habet.

Heu quàm miſerum eſt ab eo lædi de quo non poſſis queri!

Miſerum eſt tacere cogi quod cupias loqui.

Inferior horret quicquid peccat ſuperior.

Malè imperando ſummum imperium amittitur.

De diſſimulatione, fictione & mendacio.

Bonitatis verba imitari, major malitia eſt.

Malus ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.

Timidus vocat ſe cautum, parcum ſordidus.

Falſum maledictum, malevolum mendacium eſt.

Ficta citò ad naturam reciderint ſuam.

Grave eſt malum omne quod ſub aſpectu latet.

Gravior inimicus qui latet ſub pectore.

Homo ſemper in ſeſe aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Hæredis fletus, ſub perſonâ riſus eſt.

Cujus mortem amici expectant, vitam oderant.

Nil peccent oculi, ſi animus oculis imperet.

Aſtutè dum celatur, ſe ætas indicat.

Invitat culpam qui peccatum præterit.

Bis peccas quum peccanti obſequium accommodas.

Bonis nocet quiſquis pepercerit malis.

Maledictum interpretando facies acrius.

De ſuſpicione.

Ad triſtem partem ſtrenua ſuſpicio.

In calamitoſo riſus etiam injuria eſt.

De conſuetudine & experientiâ.

Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.

Hominem experiri multa paupertas jubet.

Miſeriam neſcire eſt ſinè periculo vivere.

Mala eſt voluptas, alienis aſſueſcere.

Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.

Bonarum rerum nimia conſuetudo peſſima eſt.

De prudentiâ & ſagacitate in rebus agendis.

Bonum eſt fugienda aſpicere alieno in malo.

Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

Deliberandum eſt diu quod ſtatuendum eſt ſemel.

Deliberare utilia, mora eſt tutiſſima.

Diu apparandum eſt bellum, ut vincas celeriùs.

Ducis in conſilio poſita eſt virtus militum.

Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam.

Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi.

Aſpicere oportet quæ poſſis deperdere.

Cavendi nulla eſt dimittenda occaſio.

Honeſtè ſervit qui ſuccumbit tempori.

Quum vitia proſunt, peccat qui rectè facit.

Etiam obliviſci quod ſcis, interdum expedit.

Futura pugnant, ut ſe ſuperare ſinant.

Habet ſuam venenum blanda oratio.

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

De inimico ne loquare malum, ſed cogites.

De temeritate & ſtultitiâ.

Gravis animi pœna eſt quem poſt factum pœnitet.

Ad pœnitendum properat, citò qui judicat.

Bene perdit nummos, judici quum dat nocens.

Ridiculum eſt odio nocentis perdere innocentiam.

Malum conſilium eſt quod mutari non poteſt.

Contemni eſt levius quàm ſtultitiâ percuti.

Facilitas animi ad partem ſtultitiæ rapit.

Mortuo qui mittit munus, nihil dat illi, adimit ſibi.

Abſentem lædit qui cum ebrio litigat.

Fruſtra, quum ad ſenectam ventum eſt, repetas adoleſcentiam.

Malè ſecum agit æger, medicum qui hæredem facit.

Improbè Neptunum accuſat qui iterum naufragium facit.

Invitum quum retineas, exire incitas.

Malæ naturæ nunquam doctrinâ indigent.

De ambitione & cupiditate.

Alienum nobis, noſtrum plus aliis placet.

Alienum eſt quicquid optando evenit.

Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.

Cui plus licet quàm par eſt, plus vult quàm licet.

Inſtructa inopia eſt, in divitiis cupiditas.

Effugere cupiditatem, regnum eſt vincere.

Laſcivia & luxus numquam habent concordiam.

De avaritiâ.

Inopiæ pauca deſunt, avaritiæ omnia.

Luxuriæ deſunt multa, avaritiæ omnia.

Tam deeſt avaro quod habet quàm quod non habet.

Avarus damno potiùs quàm ſapiens dolet.

Avaro quid mali optes, nì ut vivat diù?

In nullum avarus bonus, in ſe peſſimus.

Avarus niſi quum moritur, nihil rectè facit.

Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ.

Avarum facilè capias, ubi non ſis idem.

Negandi cauſa avaro numquam deficit.

Malus eſt vocandus qui ſua cauſa eſt bonus.

De fortitudine animi.

Eſt honeſta turpitudo pro bonâ causâ mori.

Bona turpitudo eſt quæ periculum vindicat.

In rebus dubiis plurimi eſt audacia.

Gravis animus dubiam non habet ſententiam.

Nunquam periculum ſinè periculo vincitur.

Contumeliam non fortis poteſt nec ingenuus pati.

In-

Digitized by Google

Ingenuitas non recipit contumeliam.
Invidiam ferre aut fortis aut felix poteſt.
Aliena homini ingenuo acerba eſt ſervitus.
Veterem ferendo injuriam, invitas novam.
Inimicum occiſi, vitam accipere eſt alteram.
In vindicando criminoſa eſt celeritas.

De iracundiâ.

Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum.
Graviſſima eſt probi hominis iracundia.
Bonum apud virum citò moritur iracundia.
Conſilio meliùs vincas quàm iracundiâ.
Homo extra corpus eſt ſuum quum iraſcitur.
Iratus etiam facinus conſilium putat.
Iratum breviter vites, inimicum diu.
Furor fit læſa ſæpius patientia.
Fulmen eſt ubi cum poteſtate habitat iracundia.
Eripere telum, non dare irato decet.
Invidia tacitè, ſed minutè iraſcitur.

De ſeveritate.

Bono juſtitiæ proxima eſt ſeveritas.
Crudelem medicum intemperans æger facit.

De clementiâ & patientiâ.

Injuriarum remedium eſt oblivio.
Id agas ne quis tuo te merito oderit.
Ignoſcere humanum, ubi pudet cui ignoſcitur.
Vide ſi adhuc malus es, & ſimilibus parce.
Bis vincit qui ſe vincit in victoriâ.
Fer difficilia, ut facilia leviùs feras.
Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.
Dimiſſum quod neſcitur, non amittitur.
Bonum quod eſt ſupprimitur, nequaquam extinguitur.
Bene cogitata ſi excidunt, non occidunt.

De metu.

Quotidie damnatur qui ſemper timet.
Minus eſt quàm ſervus dominus qui ſervos timet.
Eheu quàm miſerum eſt fieri metuendo ſenem!
Metus quum venit, rarum habet ſomnus locum.
Multos timere debet quem multi timent.
Stultum eſt timere quod vitari non poteſt.
Non citò ruinâ perit vir qui ruinam timet.
Inimicum quamvis humilem docti eſt metuere.
Etiam capillus unus habet umbram ſuam.
Magno cum periculo cuſtoditur quod multis placet.
Fatetur facinus is qui judicium fugit.

De dolore.

Animo dolenti nihil oportet credere.
Cuivis dolori remedium eſt patientia.
Etiam innocentes cogit mentiri dolor.
Heu, dolor quàm miſer eſt, qui in tormento vocem non habet!
Homo neſcit ſi dolore fortunam invenit.
Læſo doloris remedium inimici dolor.

De famâ & gloriâ.

Ad calamitatem quilibet rumor valet.
Damnum appellandum eſt, cum malâ famâ lucrum.
Frugalitas miſeria eſt rumoris boni.
Laus ubi nova oritur, etiam vetus amittitur.
Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas.
Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.
Bona opinio homini tutior pecuniâ eſt.
Honeſtus rumor alterum eſt patrimonium.
Heu quàm difficile eſt gloriæ cuſtodia!

Ad Laberium.

Quicum contendiſti ſcriptor, hunc ſpectator ſubleva.

C. JUL. CÆS.

Favente tibi me, victus es, Laberi, à Syro.

PORCII LICINII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

PORCIUS LICINIUS etiam ex Liciniorum familiâ nobili ortus, vir clarus habitus eſt, tum ingenio facili & eleganti, præſertim in componendis Epigrammatis. Julianus rhetor (qui Hadriani principis temporibus vixit) Licinii carmen magnis laudibus extollit, adeò ut hunc ipſum præferre non dubitaverit poëtis omnibus Græcis. Afferuntur ejuſdem Licinii verſus complures à noſtris Grammaticis, ex quibus probari poteſt, quàm eleganter atque egregiè Poëtæ officium abſolverit. Sunt qui credant eundem Licinium ſcripſiſſe annales octonariis verſibus, ſed hoc non ſatis mihi compertum eſt. Illud pro certo haberi debet, Mercum Licinium fuiſſe autorem annalium Romanorum.

FRAGMENTA.

CUſtodes ovium teneræque propaginis agnum
Quæritis ignem? ite huc, quæritis! ignis homo eſt.
Si digito attigero, incendam ſylvam ſimul omnem.
Omne pecus flamma eſt, omnia quæ video.

ALIO LOCO.

Punico bello ſecundo muſa pennato gradu
Ivenit & bellicoſam in Romuli gentem feram.

VAL.

Digitized by Google

VAL. ÆDITUI *VITA*,

Ex PEERO CRINTO Deſumpta.

VALERIUS ÆDITUUS in ſcribendis epigrammatis Poëta inſignis habitus eſt, maximéque aptus ad exprimendas Veneres, ac delicias. In quo numero à Grammaticis noſtris relati præcipuè ſunt, Quintus Catulus, Porcius Licinius, & Val. Catullus. Magnopere commendatur Ædituus ab Aul. Gellio, tantúmque illius carmini conceſſit, ut affirmare auſus ſit, nihil ſe legiſſe vel apud Græcos Poëtas venuſtius, aut ſuavius: qui videri ſolent cæteris omnibus in hôc genere ſcribendi gratiores atque elegantiores. Laudatur idem Ædituus, cùm ab aliis multis, tum à M. Varrone, qui ejus verſiculos alicubi citavit. De moribus autem & vitâ ipſius nihil aliud legimus.

FRAGMENTA.

AD PAMPHILAM.

Dicere quum coner curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mî abs te quæram? verba labris abeunt.
Per pectus miſerum manat ſubitò mihi ſudor.
Si tacitus, ſubidus: duplo ideo pereo.

AD PUERUM PHILEROTA.

QUid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis? 5
Ibimus. hoc lucet pectore flamma ſatis.
Iſtam non potis eſt vis ſæva extinguere venti,
Aut imber cælo candidus præcipitans.
At contrà, hunc ignem Veneris, ſi non Venus ipſa,
Nulla eſt quæ poſſit vis alia opprimere. 10

C. LICINII CALVI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO & LILIO GIRALDO deſumpta.

CORNELIUS LICINIUS CALVUS C. Licinii Macri filius in Poëmatis ſcribendis perelegans habitus eſt, & apud veteres inter optimos poëtas relatus, ingenio lepido, & urbano fuit: cúmque ſuaviſſimis moribus præſtaret, præcipuè dilectus eſt à Val. Catullo, qui ſummâ familiaritate cum eo vixit, quod ex Catulli verſibus facilè poſſumus colligere. Dicitur fuiſſe brevi ſtaturâ, & exiguo corpore, ſed acer & vehemens in dicendo. Idem Calvus puellam Quintiliam incredibili amore dilexit, cujus præmaturam mortem quàm moleſto animo ferret, teſtatus eſt ſcriptis carminibus de obitu illius. Eruditionem Calvi atque elegantiam in componendis verſibus præcipuè commendavit Sentius poëta & M. Cicero, qui refert eum in ſcribendis iambicis præſtitiſſe. In iis enim minimè dubitavit principes etiam civitatis acerrimè inſectari, ut C. Cæſarem & Pompeium. Scribit Suetonius, C. Calvo poſt famoſa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac priorem ſcripſiſſe Cæſarem: clemens uſque adeò ubique Cæſar. Fuiſſe eundem oratorem egregium & diſertum oſtendunt Fabius Quintil. & Annæus Seneca qui hunc tradunt babuiſſe ſe ab iniquiſſimam litem cum M. Cic. de principatu eloquentiæ, & contra Vatinium in eo accuſando violentum ſe atque acerrimum præſtitiſſe. Perlit verò Calvus juvenis adhuc, ut ipſe Cicero videtur oſtendere.

FRAGMENTA.

DUrum rus fugis & laborioſum.

Pollentémque deum Venerem.

Et talis Curius pereruditus.

Vaga candida nympha quod ſecet ungui.

Mens mea dira ſibi prædicens omnia vecors. 5

Frigida jam celeris vergatur Veſtinis ora.

Heſperium ante jubar quatiens.

. . . . Digito caput uno
Scalpit: quid credas hunc ſibi velle virum?

C. HELVII CINNÆ *VITA*,

Ex PETRO CRINITO & LILIO GIRALDO deſumpta.

CAIUS HELVIUS CINNA, vel ut aliqui, Helvius Cinna, poëta & ipſe in epigrammatis & poematis deſcribendis nobilis habitus eſt: eidem ætate claruit, ut conſtat, quâ Catullus, Calvus, Hortenſius & Cornificius celebres fuerunt. Commendatur maximè illius ingenium atque diligentia in abſolvendis carminibus. Inter cæteros amicos poetam Catullum, & Valerium Catonem ſummâ benevolentiâ dilexit, qui Lydiam & Dianam compoſuit. Idem Cinna opus perfecit titulo Smyrne, in quo abſolvendo novennium conſumpſit, non ſinè magnâ laude ſui nominis. Gellius & alii grammatici perſæpe citant Helvii Cinnæ poemata. Ex quibus apertè colligitur, quam falſa ſit atque inepta illorum opinio, qui ſcripſerunt fuiſſe hunc poetam implicatum & perobſcurum. Sunt qui credant eundem eſſe qui occiſus fuerit à plebe Romanâ pro Cornelio Cinnâ ſimilitudine nominis deceptâ: quo tempore celebratum eſt funus C. Cæſaris, ac Romana plebs cum facibus ad ædes Bruti & Caſſii acceſſit.

FRAGMENTA.

NEC tam donorum ingentes mirabere acervos,
Innumerabilibus congeſtos undique ſeclis,
Jam indè à Belidis, natalſque urbis ab anno
Cecropis, atque altâ Tyrii ab origine Cadmi.

Te matutinus flentem conſpexit eous, 5
Et flentem paulò vidit pòſt heſperus idem.

Hæc tibi Aratæis multùm invigilata lucernis
Carmina, quis ignes novimus ætherios,
Levis in aridulo malvæ deſcripta libello
Proſiacâ vexi munera naviculâ.

At ſcelus inceſto Cinyræ creſcebat in alvo. 10

Secula permaneat noſtri Diana Catonis.

Lucida conſulgent alti carceris mali.

Atque anquina regit ſtabilem fortiſſima curſum.

At nunc me genii nana per ſalicta
Bigis rheda rapit citata mannis. 15

. . . . Miſeras audet galeare puellas.

M. FURII

Digitized by Google

M. FURII BIBACULI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO desumpta.

MARCUS FURIUS qui cognomine Bibaculus est appellatus, Cremonæ (ut quidam scribunt) natus est iisdem propè temporibus quibus poëta Lucilius & Sext. Turpilius Comœdiarum scriptor perierunt. Fuit ingenio summo & in primis lepido: adeò ut de suo quoque nomine jocatus dicatur: & bibaculus eram & vocabar. Quod est ab eo dictum imitatione poetæ Anacreontis, qui neque proprio nomini pepercit. Idem Furius Bibaculus in carmine Iambico versatus est, cujus acerbitatem tam doctè quàm egregiè expressit, ut non minorem laudem tulerit, quam Val. Catullus aut Horatius: quocirca verisimile est, Messalam Corvinum Pertimuisse ingenium & mordacitatem Bibaculi, cùm in epistolâ scripserit, nihil sibi esse cum poetâ Bibaculo. Amicos habuit Gallum poëtam & Val. Catonem, quorum ingenium ac doctrinam suis hendecasyllabis laudat.

FRAGMENTA.

SI quis fortè mei domum Catonis,
Depictas minio aulas, & illos
Custodes videt, hortulos Priapi,
Miratur quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus,
Quem tres calculi & felibra farris,
Racemi duo tegulâ sub unâ
Ad summam propè nutriant senectam.

Et idem rursus.

Catonis modò, Galle, Tusculanum
Totâ creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum grammaticum optimam poëtam,
Omnes solvere posse quæstiones,
Unum difficilè expedire pomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis,
Orbilius ubinam est, literarum oblivio!

PUBLII TERENTII VARRONIS ATACINI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO desumpta.

PUBLIUS TERENTIUS VARRO ATACINUS iisdem temporibus natus est quibus M. Cicero & Hortensius clari habebantur in eloquentiâ. Quidam ob id vocârunt Atacinum, quòd oriundus foret ab Atace vico provinciæ Narbonensis, vel ab Atoce fluvio, ut alii existimant. Ingenio præclaro fuit, & in componendis poëmatis mirifico studio incubuit. Idem Varro singulari diligentiâ, ut traditur, Græcas literas didicit, quò facilius posset illorum ingenia atque doctrinas imitari. Scripsit Argonautica sequutus Apollonium Rhodium: suumque opus libris quatuor absolvit, si antiquis authoribus credimus. Probus Valerius & alii Grammatici celebrant Argonautica Atacini, ac sæpe versiculos ex illis referunt. Scripsit etiam epigrammata & carmen Elegiacum, in quo decantavit puellam nomine Leucadiam quam præcipuè dilexit. Illud præterea relatum est ab antiquis authoribus, Publium Virgilium magnopere delectatum Varronis ingenio, ac illius carmen magno studio imitatum.

FRAGMENTA.

TUM liceat pelagi volucres tardæque paludis
Cernere inexpleto studio certare lavandi,
Et velut insolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et bos suspiciens cælum (mirabile visu)
Naribus aëriam patulis decerpsit odorem:
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Frigidus & sylvis Aquilo decussit honorem.

Desierant latrare canes, urbésque silebant.
Omnis noctis erant placidâ compostæ quiete.

Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

Cujus ut aspexit tortâ caput angue revinctum.

C. TICIDÆ *VITA*,

Ex PETRO CRINITO desumpta.

CAIUS TICIDA in scribendis epigrammatis claruit his maximè temporibus, quibus Cor. Cinna, Val. Catullus & Cornificius præstiterunt. Afferuntur à Grammaticis nostris Ticidæ versus, ex quibus colligitur, fuisse illum eleganti ingenio, & ad scribendum carmen accommodato. Non desunt apud nos qui tradant ab eodem Ticidâ dilectam fuisse Metellam, quam mutato nomine Petillam appellavit: quod etiam Catullus fecit, qui Lesbiam pro Clodiâ nominavit. Habuit inter principes amicos Val. Catonem, cujus poëmata illustravit editis versibus de Lydiâ illius. Priscianus Ticidam in Hymeneo citat. Ovidius quoque inter eos poëtas hunc enumerat qui amores decantârunt, ut Metellum, Cornificium, Hortensium, Catonem, Calvum, & alios. Hæc sunt quæ de C. Ticidâ apud veteres legimus.

FRAGMENTA.

IN LYDIA.

LYDIA, doctorum maxima cura, liber.

IN HYMENÆO.

Felix lectule talibus fide amoribus.

Lena delinita argento autum observabit nutum,
Quid velim, quid studeam advenienus digito impellam januam.
Foret patebunt. deinpeoviso Chrysis ubi me aspexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exceptans meum:
Mihi se dedet.

Fortunam ipsam anteibo fortunis meis,

FURII ANTIATIS *VITA*,

Ex PETRO CRINITO desumpta.

FURIUS ANTIAS poëta insignis habitus est, & inter vetustiores receptus. Macrobius Furium hunc, & alios complures enumerat, à quibus poëta Virgilius permulta (ut fit) mutuatus est: ut Ennium, Nævium, Accium, Lucretium, & Varium. Idem Furius Annales composuit hexametris versibus, & poëmata satìs eruditè, & eleganter. Neque probandus est Cesellius Vindex Grammaticus, qui reprehendere Furium ausus est, atque in ordinem redigere. Quâ in re parum prudenter se criticum professus est, ut A. Gellius testatur. Itaque petulantiæ simul atque insciticæ arguitur, quòd hanc verba damnaverit in Furii poëmatis, id est, terram lutescere, noctescere, increscere, purpurare, opulescere. Nonius Marcellus & alii Grammatici persæpe afferunt versus Furii Antiatis, ex quibus colligitur, non defuisse ingenium aut eruditionem.

FRAGMENTA.

ANNALIBUS.

. . . Mltémque rigat per pectora somnum.

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

Ille gravi subitò devinctus vulnere habenas
Misit equi, lapsúque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis sonitum.

LIBRO VI.

Quod genus hoc hominum Saturno sancte create?

LIBRO X.

Rumorésque ferunt varios, ac multa requirunt.

Nomine quenque ciet, dictorum tempus adesse
Commemorat.

Confirmat dictis, simul atque exsuscitat acres
Ad bellandum animos, reticítque ad prælia mentes.

POEMATIS.

Sanguine diluitur tellus, cava terra lutescit:
Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ:
Increscunt animi, virescit vulnere virtus.
Sicut fulica levis volitat super æquora classis,
Spiritus Eurorum vides quum purpurat undas,
Quò magìs in patriis possint opulescere campis.

LAUREÆ TULLII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO desumpta.

LAUREA TULLIUS, M. Tullii oratoris libertus fuit, & à patrono suo propter ingenium atque eruditionis elegantiam magnopere dilectus. Cicero enim Tironem ac Laurean libertos suos magni fecit, quod cùm alia multa tum illius epistolæ testantur. Ipse autem Laurea ingenio præstitit, ac in poëmatis scribendis claruit: quæ res Plinii testimonio patet, qui præcipuis laudibus carmen illius commendat. Inter alia epigrammata scripsit illud notum de laude Marci Ciceronis, ac de aquis in Academiâ viâ erumpentibus, quæ remedium ægris oculis afferrent. Leguntur & apud Græcos epigrammata Laureæ, in quibus par elegantia atque eruditio habetur. Mihi non satìs constat an idem sit qui fuerit Marci Tullii libertus.

FRAGMENTA.

QUOD tua, Romanæ vindex clarissime linguæ,
Sylva loco meliùs surgere jussa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparas cultu sub potiore vetus:
Hìc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant:
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope:
Ut quoniam totum legitur finè fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

T. VALGII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

TITUS VALGIUS inter eos poëtas refertur à Veteribus, qui Elegias & Poëmata scripserunt. Familiâ ortus est nobili & insigni, ut quæ confutares viros tulerit. Neque desunt, qui ejus ingenium atque elegantiam commendent in scribendis carminibus. Horatius Flaccus plurimum tribuit Valgio; & in eodem numero eum collocavit, in quo Plotium, Varium, Mecænatem, Asinium & Virgilium: ad quorum judicium sua scripta probari postulat. Messala item Corvinus (qui cùm rebus præclarè gestis tum eloquentiâ maximè præstitit) magnopere Valgium coluit propter ejus elegantiam & ingenium. Itaque præcipuè laudatus est à poëtâ Tibullo: qui eum dicit aptissimum ad canendas laudes Messalæ, & assurgere in carmine ad Homerum.

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius; æterno propior non alter Homero.

Relatum est à Senecâ de Valgio poëtâ, quòd is Ætnam Siciliæ montem nobilissimum imperite unicum vocavit, qui ignes evomeret, cùm alii plures tradantur, qui idem efficiant. Fuit in magno pretio & alter Valgius, qui inter Apollodoreos refertur, quoniam Apollodori Pergameni Sectam magno studio dicatur consecutus.

FRAGMENTA.

SED nos ante casam tepidi mulgaria lactis
Et sinum vini cessamus fundere Baccho.

Hìc mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitiis.

Situ rugosa rotunda margarita.

LUCII

LUCII VARII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

LUCIUS VARIUS iisdem temporibus floruit, quibus in eloquentiâ præclari habiti sunt Messala Corvinus, M. Callidius, Numatius Plancus, & Asinius Pollio. Relatum est ab antiquis eundem Varium inter epicos poëtas censeri; & in scribendis Tragœdiis maximè præstitisse. Quocirca magnopere dilectus est à principe Octavio, qui in studio poëtices magnâ voluptate versatus creditur. Tantum illi tribuit Horatius Flaccus, ut cùm scriberet ad M Agrippam consularem virum; unum dicat esse L. Varium, qui possit ejus gesta atque egregias virtutes præclarissimo carmine posteris commendare. Corn. Tacitus sub Materni personâ ita laudat Varii Thyestem & Ovidii Medeam, ut inter præcipua opera referat. Nullus, inquit, liber Pollionis Asinii aut Messalæ tam illustris est, quàm Medea Ovidii, aut Varii Thyestes. Sed & Fabius Quinctilianus author est, Varii Thyestem cum omnibus quidem Græcis potuisse conferri. Tantum sublimitate carminis & ingenii facilitate excelluit. Habuit inter amicos Horatium Flaccum, Pollionem Asinium, & Plotium Tuccam. Publium autem Virgilium familiarissimè coluit, ut in eodem contubernio versarentur. Neque desunt qui scribant fuisse dilectam à P. Virgilio uxorem Varii; eóque nomine dono illi datam tragœdiam à se compositam; ac deinde sub nomine ipsius Varii editam. Quæ res apertè refellitur authoritate doctiorum. Illud pro comperto habetur; relictos fuisse hæredes à P. Virgilio ex parte L. Varium & Plotium Tuccam: tum illis demandatum prudentiâ & authoritate Octavii principis, ut Æneam Virgilii emendarent; sed eâ conditione, ut nihil operi adderetur. Quidam ætate nostrâ imprudenter faciunt, qui cum L. Vario Quinctilium Varum confundunt: parum intelligentes quantum inter se differant & carminum genere & moribus.

FRAGMENTA.

VEndidit hic Latium populis, agrósque Quiritum
Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.

Incubet & Tyriis, atque ex solido bibat auro.

Quem non ille finit lentæ moderator habenæ
Quà velit ire, sed angusto priùs ore coërceus
Insultare docet campis, fingíque morando.

Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit cervæ comprendere lustra,
Sævit in absentem, & circùm vestigia lustrans
Æthera per nitidum tenues sectatur odores.
Non amnes illam medii, non ardua tardant,
Perdita nec feræ meminit decedere nocti.

Jam fero infandissima, jam facere cogor.

DOMITII MARSI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

DOMITIUS MARSUS poëta insignis est habitus in scribendis epigrammatis, ut veteres testantur. P. Ovidius & hunc ipsum nominat inter poëtas sui temporis; ut Corn. Severum, Montanum, Pedonem, Rabirium, & reliquos. Laudantur ejus epigrammata, cùm ab aliis, tum à Val. Martiale, qui, ad exemplum illius, lascivam verborum licentiam excusat in suis carminibus. Idem Marsus composuit bellum Herculis contra Amazonas: eóque argumento vocavit Amazonidem suum opus: in quo non magnam laudem adeptus est, ut ex antiquis authoribus possumus colligere; vulgatis versibus; in quibus poëtæ Persio postponitur. Melenin puellam dilexit, eámque celebravit longo carmine; ut Catullus Lesbiam. Quocirca sic de Marso Val. Martialis:

Nota tamen Marsi fusca Melenis erit.

FRAGMENTA.

SI quos Orbilius ferulâ scuticâque cecidit.

Eperota tenellorum nutricula vatum.

. . . . Callum sibi pectore quendam.

CÆSII BASSI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

CÆSIUS BASSUS inter poëtas lyricos relatus est. Floruit ætate Claudii principis; & usque ad Flaviorum imperium pervenit: quod ipsum Fabius Quinctilianus testatur: qui refert illum à se visum, quo tempore libros suos de oratoriâ institutione componeret. Fuit hoc observandum eâ ratione, ut facilius devitemus illorum errorem qui perperam prudenter de Cæsio Basso differunt. Item libros aliquot scripsit vario & multiplici carmine: ut Flaccus apud nos, & Pindarus apud Græcos. Veteres auctores cùm de poëtis lyricis agunt, Horatium Flaccum & Cæsium Bassum præcipuè enumerant, qui legi merentur. Diomedes quoque Grammaticus Molossicos numeros refert (quæ durissimi habeantur) à Cæsio Basso compositos. Amicos habuit P. Ovidium & Persium Satyrarum Scriptorem, qui ad hunc Bassum scribens ita illum alloquitur:

Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jámque lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse latinæ:
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes. . . . .

Neque desunt qui scribant eundem Cæsium cum villâ suâ conflagrâsse, ardente Vesevo monte, ignibus latè æstuantibus. Celebres fuerunt iisdem ferme temporibus Ausidius Bassus historiæ author, & Saleius Bassus poëta epicus.

FRAGMENTA.

CAlliope princeps sapienti psalterat ore.

Romani Gallis devicti sunt victores.

Digitized by Google

ÆMYLII MACRI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

ÆMylius Macer patriâ Veronenſis fuit, ut quidam exiſtimant. Ingenio & doctrinâ traditur præſtitiſſe: quod ejus carmen ſatis indicavit. Floruit his maximè temporibus, quibus Meſſala Corvinus & Aſinius Pollio in latinâ eloquentiâ clarueruut. Id quum aliis multis colligitur, tum ex Pub. Ovidio, qui comes illi fuit, dum iter faceret in Aſiam, ac Siciliæ regionem perluſtraret. Amicos præcipuè habuit Albium Tibullum & Ovidium ipſum: cum quibus propter ſuavitatem morum atque communia ſtudia, magnâ familiaritate verſatus eſt. Idem Macer præter opus de Bello Trojano ſcripſit etiam libros de venenatis animantibus, ac de herbis: ſecutus Nicandrum poëtam Colophonium. In quibus non mediocrem laudem tulit ſuæ diligentiæ atque laboris. Fabius Quintilianus elegantiam carminis in hoc poëta commendavit; ac legenda quidem eſſe illius opera refert; etſi ad eloquentiam oratoris non multum pertinere videantur. Obiit in Aſiâ paucis annis poſt Pub. Virgilium; ut ab Euſebio relatum eſt.

FRAGMENTA.

THEOGONIA.

Et nunc agreſtes inter Picumnus habetur.

THERIACIS.

. . . . Reſonantia ſibila colla.

Ejuſdem Macri loci alii, ſed ἀνάλογοι.

Inter præteritas numerabitur ocymus herbas.

Quale ſeges intubus herbas.

. . . . Fluviorum margine ſummâ.

. . . . Tum ſacræ veniunt cultoribus ibes.

. . . . Altis ex urbibus ibes.

Auxilium ſacræ veniunt cultoribus ibes.

C. RABIRII *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

CAius Rabirius poëta inſignis habitus eſt, ut à multis traditur. Fabius Quintilianus, cenſor omnium penè ſcriptorum, poſuit hunc Rabirium in eorum poëtarum numero, qui Epici appellantur: ſicuti Varronem Atacinum, Corvinum Severum, Saleium Baſſum, Lucanum, & alios. Laudatur maximè ab Annæo Senecâ & Ovidio, quòd in ſuis carminibus multum animi ac virium demonſtravit. Verba Senecæ hæc ſunt de Rabirio. "Egregiè mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam exclamare, quum fortunam ſuam ad alios tranſeuntem videt, nihilque aliud ſibi relictum præter jus mortis:

Hoc habui, quodcunque dedi. . . .

Parum mihi compertum eſt, an idem ſit hic Rabirius, qui Satyras ſcripſit: quod à Fulgentio refertur. Rabirius, inquit, in Satyris de Mecennià:

Abſtemium temulenta fugit Mecennia mamam.

Hæc ſunt quæ legimus de C. Rabirio apud veteres authores.

C. ASINII GALLI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

C. Asinius Gallus patrem habuit Aſinium Pollionem virum conſularem & in Romanâ eloquentiâ excellentem. Filius Aſinius diligentiâ & ſtudio parentis ſecutus eſt primò diſciplinam paternam: deinde in poëticâ ſuum ingenium præcipuè excoluit. Annæus Seneca & alii veteres oratorem & poëtam hunc faciunt. Afferuntur à noſtris grammaticis verſiculi aliquot Galli Aſinii: ex quibus apparet quantum valuerit in ſcribendis epigrammatis & acumine & gratiâ. Fecit inter cætera carmen de Pomponio grammatico; quem pugilem fuiſſe jocatur. C quoque Plinius de Aſinii epigrammatis meminit in epiſtolâ ad Pontium. Dicit enim ſcriptos libros à Gallo Aſinio de comparatione patris & Ciceronis: in quibus amores M. Tullii cum ſuo Tyrone retulerit. Itaque ſic Plinius de Gallo:

Cúmque libros Galli legerem, quibus ipſe parenti
Auſus de Cicerone daret palmámque decúſque;
Laſcivum inveni verſum Ciceronis: & illo
Spectandum ingenio, quo ſeria condidit, & quo
Humanis ſalibus, multo varióque lepore,
Magnorum oſtendit mentes gaudere virorum.

Celebrantur adhuc carmina quædam ſub nomine Galli Aſinii de puero Hippolyto; quem unicè dicitur dilexiſſe: Sed parum mihi compertum an hoc aſſeratur à probis authoribus. Quidam ſcripſerunt hunc Gallum Tiberio principi inviſum; & ob id magnis Suppliciis ab eo fuiſſe occiſum.

FRAGMENTUM.

Durum rus fugite, laborioſum.

CORNELII SEVERI *VITA*

Ex PETRO CRINITO.

Cornelius Severus inter poëtas epicos relatus eſt ab antiquis authoribus. Ingenio fuit magno, & in ſcribendis verſibus facili. Conſtat eundem diu fuiſſe verſatum in agendis declamationibus: qua in re ingenium ſuum atque eruditionem maximè probavit; quum in eodem officio forent alii complures, ut Aſinius Pollio, Pompeius Sylo, Aurelius Fuſcus, Sextilius Hena, Cæſtius Pius, Porcius Latro, & Aufidius Baſſus. A Fabio Quintiliano ita commendatur, ut verſificator quàm poëta melior habitus ſit. Scripſit inter alia multa opus de bello Siculo: quod ab eo abſolutum non eſt propter importunum obitum. Quòd ſi potuiſſet illud perficere ad exemplum primi libri, meritò ſibi ſecundum locum vendicâſſet; ut ab eodem Fabio relatum eſt, qui alia inquit Severi opera maximam indolem & admirabilem gratiam indicâſſe. Afferuntur verſus Corn. Severi à noſtris Grammaticis; ex quibus colligi poteſt quantum præſtiterit ingenio & doctrinâ. Sed apponemus carmen illud, in quo eleganter deflevit interitum M. Tullii: quod etiam ab Annæo Senecâ magnopere commendatum eſt.

Oráque

Digitized by Google

Oráque magnanimûm ſpirantia penè virorum
In roſtris jacuere ſuis. Sed enim abſtulit omnes,
Tanquam ſola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia conſulis acta,
Juratæque manus, deprenſáque fœdera noxæ,
Patriciúmque nefas etiam tum, & pœna Cethegi:
Dejectúſque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, ſacris & vita quid artibus acta?
Abſtulit una dies ævi decus, ictáque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ,
Unica ſollicitis quondam tutela ſalúſque,
Egregium ſemper patriæ caput: ille Senatûs
Vindex, ille fori, legum, ritúſque, togæque.
Publica vox ſævis æternùm obmutuit armis.
Informes vultus, ſparſámque cruore nefando
Caniciem, ſacráſque manus, operúmque miniſtras
Tantorum, pedibus civis projecta ſuperbis
Proculcavit ovans; nec lubrica fata, deóſque
Reſpexit. nullo luet hoc Antonius ævo.
Hæc nec in Emathio mitis victoria Perſe,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo.
Inque triumphato ludibria cuncta Jugurthâ
Abfuerant: noſtráquecadens ferus Hannibal irâ
Membra tamen Stygias tulit inviolata ſub umbras.

Ex aliis Severi carminibus.

Stabat apud ſacras Antiſtita numinis aras.

Ignea nam cœlo ducebat ſydera Phœbe,
Fraterni ſucceſſor equis . . .

Et ſua concordes dant fibila clara dracones.

. . . Flavo prætexerat ora galero.

Huc ades Aoniâ crinem circundata ſertâ.

Pinea frondoſi dum murmurat Apennini.

Luxuriantur opes, atque otia longa gravantur.

POMPONII SECUNDI *VITA,*

Ex PETRO CRINITO.

POMPONIUS SECUNDUS nobili ac illuſtri familiâ natus, iiſdem temporibus claruit in urbe, quibus optimi rhetores habiti ſunt Porcius Latro, Domitius Afer, & Albutius Sylo. Inter eos poëtas refertur qui tragœdias compoſuerunt; ut Accius, Pacuvius, & Attilius. Relatum eſt à Fab. Quintiliano, longè omnium excelluiſſe hunc Pomponium in eo genere carminis, quos ipſe viderit. Tantâ enim doctrinâ atque ſublimitate excelluit, ut vulgo ſit appellatus Pindarus Tragicus. Multa de Pomponio traduntur ab antiquis Scriptoribus; quæ copioſè indicant vixiſſe illum in ſummâ dignitate & gratiâ apud nobiliores civitatis. Quod & C. Plinius aſſerit, qui duos libros compoſuit de vitâ & moribus Pomponii Secundi: tantum illius nomini ſummiſſque virtutibus conceſſit. Germanico Cæſari gratiſſimus fuit, quem aliquando cœnâ accepit, ut notatum eſt ab antiquis. C. Plinius eundem Pomponium civem ac vatem clariſſimum vocat; quo loco de monumentis Tiberii & Caii Gracchorum diſſerit. Afferuntur verſus à Mauro Terentiano & aliis veteribus; ex quibus facilè intelligitur quantum jacturæ factum ſit ex amiſſione Tragœdiarum Pomponii. De obitu illius nihil apud authores legimus.

FRAGMENTA.

PEndeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adſonet omne virens latè nemus,
Et tortis errans qui flexibus.

Ex humile rege.

CN. GETULICI *VITA,*

Ex PETRO CRINITO.

CN. GETULICUS poëta nobilis habitus eſt in ſcribendis epigrammatis, ut Grammatici noſtri tradunt. Val. Martialis ad exemplum Getulici carmina ſua excuſat, ſi paulò laſcivior in illis videtur. Relatum eſt ab antiquis ſcriptoribus fuiſſe ab eo dilectam puellam nomine Ceſenniam, magnóque ſtudio celebratam: ut Corinnam ab Ovidio, Lesbiam à Catullo, Argentariam à Lucano: quod à Sidonio ſcribitur in epiſtolâ ad Heſperium. Valerius Probus affert hos verſus Getulici, cùm de cardinibus cœli loquitur:

Non aries illum verno ferat æëre cornu,
Gnoſia nec geminos præcedunt cornua tantum,
Sicca Lycaonius reſupinat plauſtra boötes.

Nominatur à Suetonio Tranquillo C. Lentulus Getulicus: ſed in dubio eſt, an idem haberi debeat; etſi temporum ratio ſatis congruit. Hæc ſunt fere quæ de poëtâ Getulico legimus.

SEXTILII HÆNÆ *VITA,*

Ex PETRO CRINITO.

SEXTILIUS HÆNA natione Hiſpanus, patriâ Cordubenſis fuit; ex eodem municipio quo Lucanus poëta, Annæus Gallio, & uterque Seneca. Traditum eſt de hoc Sextilio fuiſſe illum magis ingenioſum quàm eruditum; & in ſuo carmine peregrinum quoddam & inæquale retinuiſſe; ut eſt author Seneca. Inter alia opera carmen compoſuit de laude & interitu M. Tullii; quod ab eodem recitatum eſt in ædibus Meſſalæ Corvini. Qua in re non prætermittam referre hoc loco, quod acciderit ſatis urbanum ac lepidum de Aſinio Pollione. Is enim cùm eſſet convocatus ad audiendum Sextilium, non potuit ſibi temperare quò minùs indicaret quàm infenſus eſſet nomini M. Tullii, quámque iniquo animo illius laudes acciperet. Nam cùm principio Sextilius hoc carmen retuliſſet,

Defendus Cicero, Latiæque ſilentia linguæ;

Tum Pollio Aſinius vehementer eâ re permotus: Tu, inquit, Meſſala, videris quid tibi liberum ſit in domo tuâ: ego iſtum non ſum auditurus, cui videor mutus. Et ſimul conſurgens diſceſſit, ne cæteros verſus audiret. Permulta referuntur de hoc Sextilio & ejus ingenio, cùm alibi, tum apud Annæum Senecam in controverſiis.

C. PEDONIS

Digitized by Google

C. PEDONIS *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

C. Pedo Albinovanus inter eos poëtas relatus est à veteribus, qui epigrammata & jocos scripserunt. Præcipuè claruit temporibus Neronis principis, ac in tenerâ ætate operam & studium posuit in declamationibus; quod ex Annæo Senecâ facilè colligitur. Ovidius poëta enumerat hunc ipsum Pedonem cum illis qui suâ ætate carminum studio præstiterunt; ut Marsum, Rabirium, Macrum, Montanum, Sabinum, & alios plures. Ingenio eleganti & urbano fuit, versatúsque est in scribendis epigrammatis non sinè magnâ commendatione sui nominis. Itaque Val. Martialis refert se habere authores quos sequitur, Catullum, Pedonem, Marsum atque Getulicum; & in primis cupere ut sua carmina ad illorum existimationem atque gratiam accedant. Idem Pedo laudatur ab Annæo Senecâ, ut fabulator egregius & maximè festivus. P. Ovidium singulari benevolentiâ dilexit; cúmque eo in jocis & communibus studiis familiariter versatus est. Leguntur adhuc Pedonis versus quos dixit navigante Germanico in Alexandri deliberatione de transfretando Oceano cum exercitu. Nos eos subjiciemus, quo faciliùs judicari possit de illius ingenio.

Jampridem post terga diem solémque relictum,
Jampridem notis extorres finibus orbis,
Per non concessas audaces ire tenebras,
Hesperii metas, extremáque littora mundi.
Nunc illum pigris immania monstra sub undis,
Qui ferat Oceanum, qui sævas undique pistris
Æquoreósque canes ratibus consurgere pantis.
Accumulat fragor ipse metus, jam fidere limo
Navigia & rapido deserram flamine classem,
Séque feris tradunt; per inertia fata marinis
Tam non felici laniandos sorte relinqui.
Atque aliquis prorâ se dat sublimis ab altâ,
Aëra pugnaci luctatus rumpere nisu.
Ut nihil erepto valuit dignoscere mundo,
Obstructo tales effundit pectore voces:
Quò ferimur? ruit ipse dies, orbémque relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris.
Anne alio positas ultrà sub cardine gentes,
Atque alium libris intactum quærimus orbem?
Di revocant, rerúmque vetant cognoscere finem
Mortales oculos. aliena quid æquora remis
Et sacras violamus aquas, divûmque quietas
Turbamus sedes? . . .

VOLCATII SEDIGITI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO

Volcatius Sedigitus in poëticâ illustris est habitus, ut à C. Plinio refertur; qui hunc ipsum locis pluribus celebrat. Gellius complures versus ejusdem Volcatii repetit in Atticis noctibus: ex quibus facile colligitur præstitisse illum ingenio & multiplici doctrinâ. Neque desunt apud veteres qui asserant appellatum fuisse Sedigitum eâ ratione, quod singulis manibus senos digitos haberet. Unde & Horatii filiæ Sedigitæ nuncupatæ sunt: de quo scripsimus suo loco. Idem Volcatius librum composuit de poëtis Latinis senariis versibus; quo opere judicem se atque criticum probavit in adnotandis atque judicandis poëtis; quod & Lucilius & Horatius Flaccus fecerunt. Fuisse alterum Volcatium constat, qui Romæ nobilissimus est habitus, quique jus civile Cesellium edocuit. Quod & Caius Plinius commemorat.

Volcatius Sedigitus de poëtis comicis.

Multos incertò certare hanc rem vidimus,
Palmam poëtæ comico quoi deferant.
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi,
Ut contrà si quis sentiat, nil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico,
Plautus secundus facilè exuperat cæteros.
Dein Nævius, qui fervet, pretio in tertio est.
Si erit quod quarto detur, dabitur Licinio.
Pòst insequi Licinio facio Atilium.
In sexto consequetur hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facilè facio Luciam.
Decimum addo antiquitatis causâ Ennium.

SENTII AUGURIS *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

Sentius Augur Romæ natus atque honestis artibus eruditus, inter eos poëtas connumeratur qui epigrammata & poëmata scripserunt. Permulta de hoc referuntur à Plinio in Epistolis: quibus facilè colligitur quantum præstiterit elegantiâ ingenii & optimis moribus. vixit magnâ familiaritate cum Spurinâ & Antonino viris gravissimis: maximéque ab illis probatus est propter ingenii modestiam & egregiam vitæ probitatem. Secutus in scribendis epigrammatis Val. Catullum & Licinium Calvum: multáque composuit eleganter & lepidè; alia cum bile & stomacho, ut à Plinio refertur, qui non sinè magnâ admiratione solitus est audire poëmata ipsius Sentii. Leguntur adhuc versiculi aliquot; quibus apertè explicatur quantum in eo genere valuerit & gratiâ & sales. Sic enim scribit ad Plinium:

Canto carmina versibus minutis
His, olim quibus & meus Catullus
Et Calvus, veteréque: sed quid ad me?
Unus Plinius est mihi prior: is
Mavult versiculos foro relicto:
Et quærit quod amet, putátque amari
Ille Plinius, ille. Quid Catones?
I nunc, qui sapias, amare noli.

AULI SERENI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

Aulus Serenus inter poëtas Lyricos relatus est ab antiquis grammaticis: in quo genere apud Latinos præcipuè claruerunt Horatius Flaccus, Cæsius Bassus, & alii plures. Traditum est de hoc Sereno, eum fuisse ingenio eleganti & facili ad amores & jocos describendos. Maurus Terentianus cùm de eo loquitur, egregium ac nobilem poëtam facit. Poëmata scripsit vario & multiplici carmine, ut Hieronymus testatur, qui eandem inter veteres Lyricos enumerat. Nonius Marcellus & Martianus Capella pluribus locis citant Sereni poëtæ opuscula: quibus manifestò apparet illum præstitisse magnâ eruditione & elegantiâ.

FRAG-

Digitized by Google

FRAGMENTA.

QUando flagella jugas, ita juga
Vitis & ulmus uti simul eant.
Nam nisi sint paribus fruticibus,
Umbra necat teneras amineas.

Ad mercatum eo villice: ecquid vis indè vehi aut agi?

Callet senium arte bibendi.

Labiúmque infigne revellit.

Aut zonulam, aut acum, aut ricam.

Occatio occœcatio est.

Suave sibilum.

Cede testula irrita, sol occurret tibi per speculum Panope.

Anicula tenera propter iter obiit.

Qui navigium navicula aufers Picenæ marginis actâ.

Pingere calumbicum est graphidem dare pentemolata.

Quod si virgo fervens referet, curat claustra puerpe..i.

Perit abit avipedis animula leporis.

SEPTIMII AFRI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

SEPTIMIUS natione Afer inter eos poëtas relatus est, qui poëmatis scribendis operam atque studium posuerunt. De hoc mentio habetur cùm apud alios, tum apud Maurum Terentianum, qui per eadem tempora propemodum floruit; ut apertè indicavit his versibus:

Qui multos legere, negant hoc corpore metri
Romanos aliquid veteres scripsisse poëtas.
Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper,
Ancipitem tali cantavit carmine Janum.

Quibus colligitur compositum fuisse inventum à Septimio de laudibus Jani. Neque alienum fuerit ejus versus aliquot subjicere; quo facilius judicari possit de ipsius ingenio atque eruditione.

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis,
O cate rerum sator, ô principium deorum,
Stridula cui limina, cui caroinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi,
Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

Inquit amicus ager domino, Sere, plurima reddam:
Si bene mi facias, memini tibi solvere grates.
Pinea brachia quum trepidant stridentia flabris,
Audio canticulum Zephyri modulante susurro.

Gerítque intus in oppidum
Anhelos Panope greges.

EX MARCO TER. VARRONE.

ABORIGINIBUS.

SED neque vetulus cantherius quàm novellus melior, nec canitudini comes virtus.

Mugit bos, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat.

Grunnit lepido lacte satur molâ mactatus porcus.

Sublimis speribus jactato notio volitantis altos nitens trudito.

Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum & sigillorum veniebat.

AGATHONE.

Numnam calatus in manu dextrâ scyphus,
Cælo dolitus artem ostentat Mentoris.

Quid tristiorem video te esse, quam augit hac Lampadione? quid familiaris filius amat? hæc spes est argentaria, ideóque scapulæ metuunt virgideminiam.

Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures redurant.

Et pueri in ædibus sæpiùs pedibus offensant, dum recentes mustèos in carnario fluitare suspiciunt.

Quid multa? factus sum vespertilio, neque in moribus planè, neque in volucribus.

Neque auro aut genere aut multiplici scientiâ suffiatus quærit Socratis vestigia.

Virgo de convivioabdicatur, idem quod majores nostri virgines acerbæ aures Veneris vocabulis imbui voluerunt.

Hæc postquam dixit, cadit citus celsus tolutim.

Qui merita hominem & servum.

AJACE.

Stramentitio acre ager modicos exquisitim convocabas ut convalescceret.

AMOTMENEI ΣΕ. ΠΕΡΙ ΜΑΡΤΥΡΙΑΣ.

Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis antesignani, quadratis multis insignibus tecti.

ANDABATIS.

Candidum lacte papilla quum fluit, signum putant partuis,
Quòd hic sequatur mulierem è partu liquor.

Ædepol idem cæcus non luscioſus est.

Et me Jupiter, Olympia Minerva Athenis suis mista gotis vindicâssent.

Non mirum si cæcutis minùs: aurum enim non perstringit oculos

Nec manus viſco teriaci tinxerat viri casta.

Anima ut concluſa in vesicâ quando est arctè ligata, si perculeris, aëra reddet.

Aperiendam putat: idque alterum appellamus à calendo calorem, alterum à fervore febrim.

In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est anima: hinc animus ad intelligentiam tributus.

Sed quid vis potiùs, ô homo, quàm caruncula nostra.

Sed quod hæc loca aliquid genunt.

ΑΝΘΡΩΠΟΤΡΙΑ, Η ΠΕΡΙ ΤΕΝΕΘΑΙΩΝ.

Vulgóque avarus fœneratur spe lucri, sem scriptione duplicârat.

Non

Digitized by Google

Non ſit theſaurus non auro pectus ſolutum, non avaris demunt animis curas ac religiones, Perſarum montes non atria divitis Craſſi.

Et Hymenæus qui primo lavere alvum marſu pio ſolet.

Non modò vinum dare, ſed etiam (ut Plautus ait) murrhina, paſſum, defrutum.

Doti dato inſulam Chium, agrum cocubam, ſeplaſia Capuæ, macellum Romuli.

ANOPUTIO.

Nec daret, ne polliceres quid datum eſt.

ANTIQUOTETTI.

Quid eſt? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi?

ARMORUM JUDICIO.

Ille viros hortari ut rixarent præclari philoſophi.

Ut in littore cancri digitis primoribus ſtare.

BAIS.

Quòd non ſolùm innubæ fiunt communes, ſed etiam veteres puellaſcunt, & multi pueri puellaſcunt.

BIMARGO.

Ebrius es Marce. ἐρύγεσθαι enim Homeri ruminari incipis, quum ἀοιδὸν τελέειν ſcripturum te, ſcio, receperis.

Nautæ remivagam movent celocem.

Eſt enim vera cauſa, in candelabro pendet ſtrigilis.

Vulcanum nec quum novæ lagenæ ollarum franguntur, ter precatur.

Scena quem ſenem Latina vidit duriſſimum.

Qui non modò ignoràſſe me clamat, ſed omnino omnes heroas negat neſciſſe.

Quum tot comœdias ſinè ullâ fecerimus, ego ullum libellum non edolem, ut ait Ennius?

Non Hercules potes qui agebas, ſed conopion.

Quum noviſſimè mitteret quantum ſumpti fecerit.

* Ne me prædatus verſuum tardor, ne pœnet lacte cum prytimon certum.

Ut novum cribrum novo paxillo pendeat.

Tunc repentè cælitum altum tonitribus templum toneſcit.

Non te pudet, Mani, quum domi tuæ vides communilitonum tuorum cohortes ſervis tuis miniſtrare cæmenta.

Cohortes cocorum, atque hamiotarum, aucupúmque.

Ipſum propter vix liberti ſemiatrati exequiantur.

Quod utrùm ſit magnum an parvum, facul an difficul.

Levis tippula linifici frigidos tranſit lacus.

Et pater divûm triſulcum fulmen igni fervido actutum mittat in tholum Marcelli.

Avi & atavi noſtri, quum allium ac cepe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant.

Nos ergo nihil egimus quod legem luce claro latam ſcutulans.

Socius ex hoſtibus, ſocius bellum ita geris ut bella omnia domum feras.

BIMARGOPOLI.

Senſus, porio, verro, hydragogia, cloaca, inteſtini.

Senſiſtis dicite labdea, & vivos contemnite vivi: anticipate, atque addite calcar, ſtultos contemnite docti.

CAEI LIBRO II.

Gallica porta carros adcurat uſque politos.

CAVE CANEM.

Ubi rivus præcipitatur, in nemore deorſum rapitur, atque offenſus aliquo à ſcopulo lapidoſo albicatur.

ΚΕΝΟΔΟΞΙΑ. ΠΕΡΙ ΦΟΝΟΥ.

Vóſque in theatro, qui voluntatem auribus
Huc aucupatum concurriſtis domo,
Adeſte, & à me quæ feram ignoſcite,
Domum ut feratis è theatro literas.

COLUMNA. ΗΡΑΚΛΗΣ.

Itaque eas in ceram conſcribellavit Herculis ad litem.

COSMOGRAPHIA.

Singulos lectos ſtratos ubi habuimus, amiſimus propter cariem & tineam.

COSMOPHTHORO, vel COSMOPHTHORINE.

Phrygio qui pulvinar poterat pingere, ſoliarde vigebat.

Propter cunam capulum poſitum nutrix tradit pollinctori.

Africa terribilis contrà concurrere ibis,
Atque Æneæ miſceri ſanguine ſanguen.

Detis habenas animæ leni, dum ventus vos flamine ſuo ſuavem ad patriam perducat.

Atque Ægeus fluctus, quàm lavit antè Aquilo,
Sævus ubi poſuit Neptuni filius urbem.

Toga tracta eſt, & abolla data eſt ad turbam,
Ubi ſera militia in munera velli ut præſtarem.

Mulieres aliam cerneres cum ſtolâ holoſericâ.

CRAS CREDO, HODIE NIHIL.

Atque ut igni fervido medullitus aquiloniam intus ſervat frigedinem

Quibus inſtabilis animus, ardens mutabiliter, non habere faſtidiliter inconſtanti pectore.

CRONO.

Quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit ut comburerent, quàm Democritus, qui ut in melle ſervarent. quem ſi vulgus ſecutus eſſet, perem ſi centum denariis calicem multi emere poſſimus.

ΚΥΚΝΟΣ. ΠΕΡΙ ΤΑΦΗΣ.

Denique ſi veſtimenta ei opus ſunt quæ ſers, cur conſcindis? ſi non opus ſunt, cur ſers?

Tua templa ad alta fani properans citus itere.

CYNICO.

Si me hercule purgant, & deorum mucâ non ſatisfacitur reipublicæ.

DESULTORIO.

In aliis domini delicias faſelo nactum tonſili remo vilem ſictam ſolvit.

Fervere piratis vaſtarique omnia circùm.

ΕΚΑΤΟΜΒΗ. ΠΕΡΙ ΘΥΣΙΩΝ.

Pater ut cruore laveret terrarum aggerem.

At regis enſis ſanguine imbutus nigro.

Mea igitur hecatombe pura & puta.

Ubi illa phalera, gemmeſque ephippia, & arma margaritum?

ECCLESIAM.

In regiam arcam impanctarum.

END.

Digitized by Google

ENDYMIONIBUS.

Divitum aphuscaschias ad communem revocat matellam.

EPHEBO.

Die si possumus, quod debemus populo in foro medio, luci claro decoquere. 95

Crede mihi, plures dominos servi comedere quàm canes. Quòd si Actæon occupâsset, & ipse priùs suos canes comedisset, & non negâsset saltatoribus in theatro fieret.

EPHEMERIDE.

Navali Etesiæ diutiùs & uberiùs fluant, & autumnum ventosum faciant.

EST MODUS MATULÆ.

Cupas vinarias sirpare noli, adde cyathum vini in uxoriæ opicillum.

Manias hic theobegenes fuit scaturex.

Dolia atque apothecas triclinîares, mellcas calenas, obbas & cumanos calices. 100

Quis in omni vitâ *heliotropio* olfacit temetum?

Non quo pranû discedentes dicimus alius alii, vale.

Cui nihil jucundius quicquam venit, hæc ægritudinem ad medendam invenerunt, hoc hilaritatis dulce seminarium, hoc continet coagulum convivia.

ETRATIONE.

Aut frigidos nimbos aqua ista caduciter ruentes perimuerunt aquatulæ querquetulæ natantes.

EUDÆMONIBUS.

Animum mitto speculatum toto orbe, ut quid facerent homines quum experrecti sint, me faceret certiorem: si quisquis meliùs operam superet, ut ejus consilio potiùs vigilium adminicularem nostrum, qui videt alium curvantem extrema nostis tempora. 105

Capite aperto esse jubet, ante lucem suscitat.

Ubi dicatur primus Zeno novam hæresin novo paxillo suspendisse.

Quòd eâ die mea erat præbitio, in januam,
Cave canem, inscribi jubeo.

Postremò nemo ægrotus quicquam somniat. an quicquam somniat tam infandum quod non aliquis dicat philosophus? 110

Quid dubitatis utrùm nunc sitis cercopitheci, an columbæ, an belluæ, an de albo cibus labos Athenis.

Quum in eo essem occupatus, atque in scholâ curarent, inscribit Scantius horno per Dionysia.

Quæ res in somnum recideris, & *ἀνόρθωσις* eris iterum exporrectus.

Nunc corius ulmum tuus depuvit, pergis hera.

Propter eam porticum situm erat dolium. 115

Apage in directum à domo nostrâ istam insanitatem.

Quod tunc quæstus trichinus erat, nunc est uber, ut quæstus sit magnus.

Ut Mercurium Arcadum colonum.

Nam ut arquatis & veternosis quæ lutea non sunt, equè ut lutea videntur, sic insanis sani, & furiosis videntur esse insani.

Maximum cædit ferro, sed cædere Ulyssem: 120
Cum baccâ sylvam cædit, procósque trucidat.

Nam quæ vetustas hîc est gallantibus.

Forenses decernunt ut existimatio nomen meum in fanorum numerum referat.

Et ecce de improviso ad nos accedit cana veritas, Articæ philosophiæ alumna.

Sic ad nos citiùs opinionibus vertilabundus miser decidi.

Neque forentem equuleum damacrinum insanus equiso exhibebis maris fluctibus, educat unquam. 126

Cum illo vento video gallorum frequentiam in templo, qui dum essena hora nam ad latera imponeret ædilis signosiæ, & deam gallantes vario retinebant studio.

Contrà quum psaltria & cum flora lurcare adstrepis.

Vix vulgus confluit, non furiarum, sed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes. 129

Sonitu matris deûm tonimus tibinos tibi nunc semiviri.

Tibi tympana non inani sonitu matris deûm tonimus.

Discumbimus mussati, dominus mandere nos non committit.

Dum sermone cœnulam variamus, interea tonuit bene tempestate serenâ.

Propter crepas vocibus volitans aures vulgi.

Quia plus, inquit, merere debet, in quo est virtus. 135

Tu non insanis, quòd tibi vino corpus corrumpis mero?

Primùm iste qui meret sestertios vicenos.

Tibi nunc semiviri teretem comam volantem jactant tibi galli.

Priusquam responderem, foris nescio quis occupat res judicare.

Quum in eo esset occupatus, atque in scholâ curaret, ut scribit Scantius homo per Dionysia. 140

Simulac languido corpore solis calidior visa est aura.

Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.

Qui omnes me bimatrem agitare clamitantes, opinionem mihi insaniæ meæ confirmant.

Stolam calceósque muliebres propter positos capio.

Ubi vident se cantando ex arâ excantare non posse, deripere incipiunt. 145

In somnis venit, jubet me cepam esse & sesiminum.

EUMENIDIBUS.

Et cæteris scholasticis auribus scholicâ dape, quæ ebriis festicè *ἀνεγερτικὴ* consurgia consurgimus jejunis oculis.

Videmus populum furiis instinctum tribus,
Diversim ferri exterritum formidine.

Puditatem an pudorem Gallûm cœpit mihi videri. 150

. . . . . denique avarus
Quis sanus? cui si stet terra & traditus orbis,
Furando tamen, ac morbo stimulatus eodem,
Et sese ipse aliquid quærat cogátque peculi.

Capite operto esse jubet, ante lucem suscitat, frigore torret, venatum ejicit jejunis vellicem. 155

Tertia pœnarum infamia, stans nexa in vulgi pectore, fluctuanti intonsa coma, sordido vestitu, ore severo.

Quæ casta ætas, quæ vestis adolescentium, quæ teneris species.

Nunc de te, inquit, meliusculam spem habeo qui rem spurcissimam gustare nolueris.

Patella effusienti posita provocat Neapolitanas piscinas.

En domum præter matrem deûm audem exaudio cymbalorum sonitum. 160

Digitized by Google

Qui ut vigilacem maturè cœpisti, in eo retinueris.

Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit, luce locum afficiens.

Partum venustâ muliebri ornat stolâ.

Empedocles natos homines ex terrâ ait, ut blitum.

* Aurora ostrinam hic indutus supparum. 165

Item tragici prodeunt capite gibbero, cùm antiquâ lege ad frontem superficias accedebant.

Ego autem qui essem plenus vini & Veneris.

Sed nos simulâtque in summam speculam pervenimus, Videmus populum furiis incinctum tribus.

Ego medicinâ Seraphi utor; quotidie precantur: intelligo rectè scriptum esse Delphis, Theo hera. 170

Hospes, quid miras animo curare Serapin? quid? quasi non curat tantidem Aristoteles.

Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis?

Aut ambos mira, aut noli mirare de me, de eodem.

Ex his atque ejusmodi institutis ac vitâ, vel ad Herculis athletæ facti erant.

FLEXABULIS.

Nec dolorem adiaphoron esse, quòd philosophia commalaxarem ea patrem: neque irato mihi habenas dedi unquam, neque cupiditas non imposuit frænos. 175

Atque si addam quanta misericordia mea hæredibus meis fiet, quòd miseros sublevaverim.

Quare, ô Marce, pransum ac paratum esset hoc minimè oportet.

Domo exeo intrò, & pedes corriglis compedio.

Quid? tu non vides in vineis, quòd tria pala habeant, tripales dici?

Multi enim qui limina intrârunt integris oculis, strabones sunt facti. 180

FUNDANIO.

In mare aquam frigidam oriri.

GEMINIS.

Contrà lex Mœnia est in pietate, ne filii patribus luci claro fugillent oculos.

ΓΕΡΟΝΤΙ ΔΙΔΑΣΚΑΛΩ.

Ubi graves pascuntur atque alantur pavonum greges.

Ergo tum sacræ, religiosæ, castæque fuerunt res omnes.

Constuit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indicat. 185

Video quod habeat satis, si vix putant lautum.

In quibus libis sacrâ turri fasciis cingit forem.

Rapta an uescio quo mulione rapturis ramicis rumpit.

Sed simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis observare ollam poltis, ne aduratur.

Utrùm oculi mihi cæcutiunt, an ego vidi servos in armis contra dominos? 190

Quoties priscus homo ac rusticus Romanus inter nundinum barbam radebat.

Putas eas non citiùs trices Attellanas quàm id extricaturos.

Vehebatur enim cum uxore vehiculo, semel aut bis in anno cum arcerâ, si non vellet, non sterneret.

Noctu cultro coquinari se trajecit. nondum enim mihi iuventi erant cultelli empestatis Bithynia.

Hoc est magnum censorem esse, ac non studere multos erarios facere. 195

Vineis ubi amplâ cellâ torculum reponant.

Manius Curius consul in Capitolio, quum delectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem.

In quibus Libya citrus fasces cingit fores.

Vel decem mensis, ubi una sepiant granaria.

GLOBERITON.

Denique omnes cùm lucerna combusta est in lucubrando, olivitâsque consumpta est. 200

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

Ut crementa corpora fierent majora parvo ut fuctu candida lactis.

Nihil sunt nasæ pollicis nostræ quas erifice duxti.

Ut sydera cœli divûm circùm terram atque axem quæ volvuntur motu orbito.

Et rex miserius ille pauper amat, habétque ignem intus acrem, hic ephebetum mulieravit, hic ad medeca adolescentem cubiculum pudoris primus polluit.

Subsilis ac plaudis, & ab aratro poscas silvam, oro nunquid enim hoc mirum? 205

Qui sunt secundùm naturam perfecti homines, ut non modò eos spectemus, sed etiam imitemur.

Non videtis unus ut parvulus Amor ardi fœtâ lampade.

Deinde certè alii fuctu, ut ficum pararet mansum, quo venarum sanguine vivos compleret.

Non animadvertis cetarios, quum videre volunt in mari thunnos, ascendere in malum altè, ut penitus per aquam perspiciant pisces?

Candens corpore taurus trivio lumine lunæ. 210

Nonne non unum scribunt esse grandibus superciliis Silonem quadratum, quòd Silenus hirsutis superciliis fingeretur?

Age nunc contende alterum genus philotoreon, nequid ibi viderit melius.

HERCULE SOCRATICO.

Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis.

Cubo in Sardiniâ ista pedibus chlamyda, sed purpurea amicula. 215

In omnibus rebus bonis quotidianis cubo in Sardinianis tapetibus.

Tuam fidem procella frigida acte obruat celocem.

Tuam fidem per maritimas oras vagat, suffragantur.

Tuam fidem, noctu Annibalis quum fugavi exercitum Turanus, hoc Turanus Romæ nuncupor, hac propter omnes qui laborant, invocant.

Tuam fidem non Tutilinam quam ego ipse invoco, quòd meæ aures abs te oblidentur. 220

HEURENULO PASTOPONIA.

Ita uti soliti eramus Romæ in balneis, plodere cœpimus & murmurari.

Ego unus scilicet antiquorum hominum subductis superciliis dicam.

LATERENSI.

Parsurus pecuniis bene partis.

LEGE MÆNIA.

Si qui patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa quod facit pro suâ parte, is qui se eunuchat, aut aliquâ liberos producit.

Nemo est tam negligens, & quin summâ diligentiâ eligat asinum, qui suam saliat equillam. 225

Signata

Digitized by Google

Signata ſacra eſſe deſierunt, poſteaquam homines ſunt facti.

Neque in bonâ ſegete nullum eſt ſpicum nequam, neque in malâ non aliquod bonum.

Ad biviram venio: quum vellem oſtendere quid vellem, μετάμελ& inconſtantiæ filius me reprehendit.

Non hos Pactolus aureas undas agens
Eripiet unquam è miſeriis.

Admirantes quòd ſereno lumine conniviſſet oculis, cœli rimari plagas.

Exercebam ambulando, ut ſiti capacior ad cœnam veniret guttur.

AOTOMAXIA.

Hæc lanigeras detonderi docuit, tunicaréque homolum.

LONGE FUGIT QUI SUOS FUGIT.

Solus rex, ſolus rhetor, ſolus formoſus, fortis. ſecus vel ad ædilicium modius, purus, putis. Si adhuc characterа Cleophatus convenier, cave attigeris hominem.

Sed ut is erat, hæc legumina arte parva pauca, cicer, eruillam, ac paregia alia ſpicia cæteris.

MÆONIO AUTUMEDO.

Mens quod apud Photium rhetorem bubulcitare alteri dolori non defuit.

MAGNO TALENTO.

Detotonderat forcipibus vitarpiferis.

MANIO.

Nec ſumptibus finem lepidus ſtatues finémque modúmque.

Sternit juvencas quam labos mollem facit.

Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapi bene molli.

Et quem corrigia diruptas tenet aridum reliquum pede penula ſcortea pertegere.

Hunc Cereris tibi miniſtra frugibus ſuis porcet.

Nec natus eſt, nec morietur, viget veget utpote plurimúm.

Tum ad me fuerunt qui libellionem eſſe ſciebant.

Ager derelinqueretur, ac periret ſquale, ſcabréque, illuvie & vallitudine.

Lex neque innocenti propter ſimultatem obſtrigillat, neque nocenti propter amicitiam ignoſcit.

Quocirca oportet bonum civem legibus parere & deos colere, in patellam dare *μαγειρικὰς*.

Funere familiari commoto, avito ac patrito more precabamur.

Sedens altus alieno ſumptu, neque pòſt reſpiciens, neque antè proſpiciens.

Altus alieno ſciens, ſed limus intrà milites culinæ.

Habens ante poſitam alimoniam, ſedens altus alieno ſumptu.

Dulcem aquam bibat, ſilabis & ſebile cepe.

Manius manè ſuſcitat nos, tum in roſtra adfert, populum in forum conducit.

Harum ædium ſumma ædis confutabant architecti omnes.

Lecto ſtrato, matella, lucerna, cæteras res hujus ubique præ ſe portant.

Non maledicere, pedem in focum non imponere, ſacrificari.

Qui dum adminiſtrant in ſcrobe fodiendo, inveniunt arcam.

Hæc adventoribus accedunt, cellæ, claves, clauſtra, carnaria, dolia.

MARCIPORE.

In invidiam veniant in hoc ipſo rapinatores.

Peliam me, & permiſiſſe, ut ſeu eluvium degluberet dum madore puellum.

Hiccine nobis terne tudiculâſſe.

Ut eat, ac rempublicam adminiſtret, & quid pulli jentent.

Pinnas caduci naufragii.

Delime, bipennis, ut levis paſſerculus.

Spatulæ eviravit omnes venerivaga pueros.

Repentè noctis circiter meridiem,
Quum pictus aër fervidis latè ignibus,
Cœli oræ anaſtricm oſtenderent.

Utri ſunt magìs pueri, bi puſilli, nigri, qui ſpectant nundinam ut magiſter dimittat luſus.

Hîc in ambivio navem conſcendimus paluſtrem, quam nautici equiſones per viam conducerent loco.

Regi Medeam advectam per aëra in rhedam anguibus.

Altera exorat patrem libram ocellatorum, altera virum ſemodium margaritarum.

Propontis unda, quam liquanti cærulea natantem perfundat cape.

Aſtrologi non ſunt, qui conſcribellârunt pingentes cœlum.

Ventíque frigido ab axe erumpebant phrenetici, ſeptentrionum filii, ſecum ferentes tegulas, ramos, ſyrus.

Dein mitti virile veretrum in flumen, offendit buccam bolomnio.

Quicquid evidenter circumſtant, non rident, credo ridere hiantes.
Video hiantes, non audio.

Eodem conjeciſſe mera miracula neſcio quæ.

Et Diogenes qui amicos, qui ab Alexandro rege juſſus optare quid vellet, ſe facturum.

MARGOPOLI.

Mihíque divitum ſtylo noſtro papyrino levii ſcapos capitio novo partu poëtico.

Nam in humanis omnia ſunt paria: qui te plus urget piſces ut ſæpe minutos magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.

Nemini fortuna currum à carcere intimo miſſum levi, inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſibit.

Cui celer die nos lemnatos logos Antipatri ſtoici filius rutro caput diſplanat.

MEDEA.

Quid hic venator non cepit?

MELEAGRIS.

Sin autem delectationis causâ venamini, quanto ſatius eſt ſalvis cruribus in circo expectare, quàm his deſcobinatis in ſylvâ currere?

Si non malit vir viracium uxorem habere Arulanam.

Adde hydram Lernæam draconem
Heſperidum, quòd beſtiæ fuerunt immanes.

Quum etiam Thais Menandri tunicam dimiſſam habeat ad talos.

Quem ideirco terra non cepit, & cœlum recepit.

Quæro utrùm fructûs an delectationis causâ, fructus ut vendatis.

Aut ille cervum, qui volubile currus sparo secutus est, tragulâve trajicit.

Funus exequiasi laude ad sepulchrum antiquo more filicernium confecimus.

Non modò suris apertis, sed penè natibus apertis ambulas.

Currere, vigilare, esurire, quando hæc facere oportet, quam ad finem.

MODIO.

An qui gradu tolutili te meliùs quàm tute molliter vectus, citò relinquat.

Sed Cynicis involucrum & pallium luteum non est.

Omnes videmur nobis esse belli, festivi, saperdæ: quum simus κάπρῳ.

Hanc eandem voluptatem taciturnus taxim consequi lapathio & pissanâ possum.

Putat fore hoc quod hinc comedonibus convenit usu, quibus notâ voluntate comedunt dum taxat gula gaudet.

Ad se unum esse pulmentarium secundas, quo natura aurigatur, non necessitudo.

Si displicebit, tam tibi latum mare partis, quantum spongiam deletilem.

Quis poculis argenteum chorum introïbit popino.

Non eos optumè vixisse qui diutissimè vixerint, sed qui modestissimé.

Quære meas lubidines ac tibias bilingues.

Quàm istorum, quorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos.

In cubiculo dormire mallem, scilicet potiùs vinum meum cibarium, quàm ego dominus cubarem.

Quid aliud est quod Delphica canat columna literis suis, ἄγαν μηδὲν; viduam vos facere addit mortalem modum medioxime, ut quondam patres nostri loquebantur.

Capitis coronæ vaccitis linei face ut languore flatidi viridis premit.

Sed ñ Petrulle, ne meum taxis liberum.

Si te pepigat hæc modo scenatili.

Et hoc interest inter Epicurum & ganeones nostros, quibus modulus est vitæ culina.

Qui quum erant in Græciâ, coma promissa, rasa barba, pallia trahentes.

Tremodiam amphoramque eandem temeti à carris modium.

MUTUUM MULI SCABUNT.

Grallatores qui gradiuntur, perticæ ligneæ, ab homine isto qui in ista tangitantur ficili animi nostri sunt. Galeæ, crura ac pedes nostri effigiæ ἀψυχοι, sed ab animo moventur.

Itaque si plures dies inter medicos discessum & adventum pollinctores interfuerunt, & id ostiare videas.

Ut venalem tunicularn poneret quotidie, ut videret, totam denique etiam suis manibus lanam tractâ ministrâsset infectori.

Ubi lucus opacus teneris fruticibus aptus.

MYSTERIIS.

Nascimur enim spissiùs quàm emorimur. vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contrà una pestilentia, hostica acies puncto temporis immanes acervos facit.

Æs defraudâsse cauponem, bonam luto obleviſſe, tum portitores æra induxere.

Ivit virgo, fœmina ut auferatur: quæ mihi postea quam ad concordiam dicta est.

Prisca horrida silent oracla crepera in memoribus.

Vulpinare modò, & concussa qualubet.

Licet videre multos quotidie hyeme in sole apricari.

Sed tibi fortasse alius molit & depsit.

OCTOGESI.

In quo nobilius est philippeum quod accipimus, quàm quod bibimus: quum alterum addamus in balgam, alterum in vesicam.

Hoc erat incommodi, quod nesciebamus semel unum singulum esse.

Vive, néque ama mutuiter.

Non hæc res de Venere poëta strabam facit.

Postquam avida libido rapere ac concidere cœpit, seque opificè non probiter strepere.

OEDIPO THYESTE.

Per idem tempus OEdipus Athenas exul venire dicebatur, qui consolaret.

ΟΝΟΣ ΠΡΟΣ ΛΥΡΑΝ.

Si non plus testiculorum offenderit quàm in castrato pecore in Apuliâ, vincor non esse masculum ad rem.

Acerbus, qui nihil mali fecit, veratus pòst artem proclaram.

Fonicia sunt vocis suscitabulum, cantumiúmque gallus gallinaceus.

Quàm nobilem divûm lyram sol harmoge quadam gubernans motibus diis veget.

Quibus suam ipse delectet amasiam, & aviditatem ipsibus lactet suis.

Ut comici nitidi scenatici.

Non vidisti simulacrum leonis ad Idam è loco ubi quondam subitò eum quum vidissent, quadrupedem Galli tympanis adeò ferunt mansuem, ut tractarent manibus.

Tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus.

Nempe sues sylvaticos in montibus sectaris venabulo, aut cervos.

Valete, & me palmulis producite.

Merentis ut quietus ac demissior cinædus adsis.

Scientia doceat, quemadmodum in psalterio ea, quæ tendimus nervias.

Et id dicunt suam Briseidem producere, quæ ejus nervias tractare solebat.

Jurgare cœpit, dicens, Quæ facis atque in vulgum vulgas.

Voces Amphionem tragœdum, jubeas Amphionis agere partes, infantiorem quàm meus est nullo.

Qui

Qui fabularum collocant exordia.

Quàm mobile, neque orto pſalticium attulit pſalterium, quibus ſonant in Græciâ dicteria.

Sæpe totius theatri tibiis crebrò flectendo commutare mentes, frigi animos eorum.

Quibus ſuam delectet & ipſe amaſiam, & aviditatem ſperibus lactet ſuis.

Pacuvius diſcipulus bicorporis fuit, Ennius muſarum, Pompilius clueor tibicidas.

Homines ruſticos in vindemiâ incondita cantare ſarcinatricis in machinis.

Si quis melodinis tonos lyras præſepibus ſe retineat forenſibus.

Primùm eam eſſe fidicen, quòd ſi item ſitus ut ipſa vox balis ejus.

Equi colore diſpares, item nati, hic badius, iſte gilvus, ille murmus.

ORTHOGRAPHIA.

Ergo inter ſolis ſtationem & ſydera ſeptem
Exporrecta jacet tellus: huic extima fluctu
Oceani interior Neptuno cingitur ora.

ΠΑΠΠΙΑ ΠΑΠΠΩ. ΠΕΡΙ ΕΓΚΩΜΙΩΝ.

Ante auris modò ex ſobolibus parvuli intorti dimittebantur, ſed cincinni oculis ſubpætulis, nigellis pupillis. quam hilaritatem ſignificantes animi rictus parviſſimus, ut reſrænato riſu roſeo.

O mî optanti miniſterio invidum tabes.

Hoc Græcis renuntiato, ut facilè intelligeres nos ab his amari, commurmurantur.

Collum procerum fictum lævi marmore
Regillam tunicam diſtingitur purpura.

Sigilla in mento impreſſa ſinoris digitulo veſtigio demonſtrat mollitudinem.

Dum vixi, promiſcaris meis in chortibus pavit.

Quos calliſblepharon naturali palpebræ tinctæ vallato mobilis ſeptos tenent.

Ille ales gallus qui ſuſcitabat, ait, harum muſarum ſcriptores, an hic quia gregem rabularum.

Quî poteſt laus videri verſa, quum motus ſæpe furaces eſſemus, atque nequiſſimus ibis juxtà ac P. Africanus.

Dominum conviſii vinum aliúdve quid mî laudato.

Imperito nonnunquam concha videtur margaritam, ut amiſi margdos.

Prætor noſter eripuit mihi pecuniam, de eâ queſtum ad annum veniam ad novum magiſtratum, quam hic rapo umbram quoque ſpei devorâſſet.

Quare reſident, lingulacæ, obtrectatores tui jam nunc murmurantes dicunt, *μιμήσεται τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.*

Si & accuſator & reus erunt tenebriones, uterque utrunque vituperato.

PARMENONE.

Pudet me tui, & muſarum agnoſcere: piget currere, & unà ſequi.

In argumentis Cæcilius poſcit palmam, in ethefin Terentius, in ſermonibus Plautus.

Ferens ferreum humero bipennem ſecurem.

Cavo fonte ut quum irrigavit, cavata aurium anfracta in ſylvam vocans.

Lepuſculi timentes hoc quadrangulum dedit Diana rete, nexile aut viſcum fuge lineámque compedem.

Cedit velociùs juvenis membris levis, nitidus oleo.

Alia trabs pronis in humum accedens proximè frangit ramos cadens.

Dimittíſque acres pectore curas cantu caſtâque poéſi.

Micandum erit cum Græco, utrùm ego illius numerum, an ille meum ſequatur.

Alius caballum arboris ramo in humili alligatum reliquit.

Utendum eſt fortaſſe vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore.

Exeunt citi, ſtrepunt, bount.

Creditur lucos, alta frons decidit, platanus ramis.

Alius teneram abietem ſolus percellit.

Paci hujus naſcuntur pueri rhythmus & melos.

ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ.

Porrò indè ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, ex quibus ſingulæ exitum ac telos habent, proprium à primo compito dextimam viam munit.

Neque in pulvere mythico coquam carnes, quibus ſatullem corpora ac famem ventris.

ΠΕΡΙ ΑΜΟΤΟΥ ΦΙΛΑΡΓΥΡΙΑΣ.

Nos barbari, quod innocentes in gabalum ſuffigimus homines: vos non barbari, quòd noxios abſolvitis?

Etenim quibus ſeges præbeat domum, eſcam, potionem, quid deſideremus?

ΠΕΡΙ ΕΙΣΑΓΩΓΗΣ.

Quid puer rogâſſet & petaſatus capite annuiſſet, ac diſcedens numerò venire ait adoleſcentem.

Quam ſympathiam lubiat oculus haberet, quid imaginum intereſſet, puer utrùm eſſe devirginatum uiurus, an monuce *ῥώτας* purus dum cogito.

Et quærit ibidem ab Annibale cur biberit medicamentum. quia Romanis, inquit, me Pruſiades tradere volebat.

Quemnam te eſſe dicam ferum, qui manu corporis ſervidos aperis lacus ſanguinis, téque vitâ levas ferreo enſe?

Non vituperamus, quum ſciamus dictum præcidi oportere: ſi ob eam rem gangræna non ſit ad Bacchium ventura.

Andromeda junctа & propoſita citò non debuit pari ſuo homini ſtupidiſſima in os expuere vitam.

ΠΕΡΙ ΕΠΙΤΑΦΙΩΝ.

Pleni libri, inquam, ubi maneant tapeti eorum, quorum in ſepulchris nec vola nec veſtigium extat.

Donec foras nos intus evallaverunt.

ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ.

Cognitio enim tonitrum fulget, & tonitrum fulguris à tulmine orta.

ΠΕΡΙ ΛΕΞΕΩΝ.

Porrò indè ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, è quibus ſingulæ extumæ exitum ad cœlos habent proprium. Primo compito dextimam viam munit Epicurus.

Tum contremula aquilenta apud alta litora oriris ac nobilis omnibus reluces.

ΠΕΡΙ ΤΕΘΝΗΚΟΤΩΝ.

Cujus ibi annis multis maſculi veſtigium inventum eſt.

ΠΕΡΙ

ΠΕΡΙ ΤΥΧΗΣ.

Sapiens & bonum ferre poteſt modicè, & malum fortiter ac leviter.

Leges ruina ne jacentem ſubdealbet algo danti frigore.

Tela dextra vibrant, raſſatis emicant, atque inſignibus Martis torques aureas & ſcuta cælata Hibero argento gravi crebra fulgent.

ΠΕΡΙ ΠΡΩΝ.

Vitæ curſum ut cognoſcere poſſem, & quæ ſervitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ.

Non poſſe oſtrea ſe Romæ præbere & echinos.

ΠΕΡΙΠΑΟΥΣ. ΠΕΡΙ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ.

Itaque videas barbato roſtra illum commentari, & unumquodque verbum ſtaterâ auratâ pendere.

In hac civitate tum regnabat Dionyſius, homo garrulus & acer.

Erraremus extrophas eſſe multas, omnino totum eſſe ſed ſpiſſum iter.

PRÆLIO CAPRINO.

Captivos prædones non poſſes jam amplius perferre. tamen ſuadet ut notat.

Nam virtutem propriam mortalibus fecit, cætera promiſcuè voluit communia habere.

Ne vobis cenſeam ſi ad me referretis.

PRANSO PARATO.

Luna expectans Adria ſe itiner longum ſermone levare.

Contrà coactus cervus latratu canum
Fertur biſulcis ungulis nitens humo.

PROMETHEO.

In tenebris ac ſuillâ vivunt, niſi non forum, & hara, atque homines qui nunc plerique ſues ſunt exiſtimandi.

Levius menſum quàm ſomnorinas imagines affatur, non umbratur ſomno pupula.

Mortalis nemo exaudit, ſed latè incolens barathrum, inhoſpitalis campis vaſtitas.

Humanam quandam gentem ſtirpis inquit frigus calore atque humore aritudinem miſcet.

Id ut ſcias, audi hoc quod falſum dicis eſſe, nemini oculos opus eſſe, ſi habet.

Quum ſumere cœpiſſet voluptas retineret, quum ſat haberet, ſatias manum de mensâ tollere.

Retrimenta cibi quæ exierunt per poſticum vallem feci.

Chryſoſandalos vocat ſibi amiculum de lacte, & ceram Tarentinam; quam apes Mileſiæ coëgerint, ex omnibus floribus libantes, ſine oſſe & nervis, ſinè pelle, ſinè pilis, puram putam, proceram, candidam, teneram, formoſam.

Ego infelix non queam vim propulſare, atque inimicum unco nequicquam ſæpe æratas manus compedes conor refellere.

Aliæ mitram ricinam aut mitram melitenſem.

Atque exanguibus dolore evireſcat colos.

Tum viſus ſupernus cortex, aut cacumina morientum in quercu & arborum altitudinem.

Æmulum illius artis atque obtrigillatorem, quæ propter aliquot annos quæſti nihil fecerit.

Eburneis lectis & plagis ſigillatis.

PSEUDOLO APOLLINE.

Quum ſex puer & puellæ pariter ſex, aut ſeptem fuerо, quæ cum choro pari vagârunt.

Quod in ejus dei templa calceati introëunt. Nam in oppido quæ eſt ædes Apollinis, & quæ ibi ad Herculis introëat, nemo ſe excalceatur.

PSEUDONEA.

Per eviternam hominum domum tellurem propero gradum.

QUINQUATRIBUS.

Tu pleni contra caudes audes dicere, quum in eborato lecto ac purpueri operis toro cubare videas ægrotum, & ejus priùs album quàm tympen ſubducere malis?

An hoc præſtat hero filius Diogenis, quòd ille è ventre aquam mittit? an hoc te jactas? at hoc pacto utilior te Thuſcus aquilex.

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem, frondem Bromii autumnitatis.

Qui Tarentinum tuum ad Heraclidem Ponticum extenderit.

Quàm in teſtudineo lecto culcitâ plumeâ in die dormire.

Quàm lympham meliùs è lacunâ fontium allatam, nidos potili permiſceat.

Quid medico mihi eſt opus? nempe tuo, abſynthium ut̀ bibam gravem, & caſtoreum levémque robur.

Hic bipenſile forcipem dentarpage.

SATYRIS.

SATYRA QUÆ INSCRIBITUR TESTAMENTUM.

Siquis mihi filius, unus aut plures in decem menſibus gignuntur, ii ſi erunt ὄνοι λύραι, exhæredes ſunto. Quòd ſi quis undecimo menſe κατὰ Ἀριστοτέλην natus eſt, Accio idem quod Titio jus eſto apud me.

Sic ille puellus Veneris repentè vado cecidit cruentus olim.

Natis quos Menippe hæreſis nutricata, & tutores do, qui rem Romanam Latiúmque adſciſcere vultis.

Venio nunc ad alterum genus teſtamenti quod dicitur φυσικόν. in quo Græci belliores quàm Romani noſtri.

ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ.

Gravidáque mater peperit Jovi puellum.

ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ.

Si quantum operæ ſumpſiſti, ut tuus piſtor bonum faceret panem, ejus duodecimam philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus jam pridem eſſes factus. Nunc illum qui nôrunt, volunt emere millibus centum: te qui novit, nemo centuſſi.

HIPPOCTONE.

Apollonium ideo excuriant quia nihil habebat.

SATYRA MENIPPÆA.

Theanna, Perenna, Pranda, Celato, Pales,
Nerienes & Minerva, Fortuna ac Ceres.

Ego, inquit, eam ſuppetias, quæ tunc mihi nec res nec ratio eſt, diſſociat atque omnio nefantis.

SAT. MENIPP. DE OFFICIO MARITI.

Vitium uxoris tollendum eſt, aut ferendum:
Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præſtat:
Qui fert, ſeſe meliorem facit.

NESCIS

Digitized by Google

NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT.

Nam multos [convivas] esse non convenit, quòd turba plerumque est turbulenta, & Romæ quidem constat, sed & Athenis: nusquam autem plures cubabant. Ipsum deinde convivium constat ex rebus quatuor, & tum denique omnibus suis numeris absolutum est: si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Nec loquaces autem convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro & apud subsellia: silentium verò non in convivio, sed in cubiculo esse debet. *Paulò pòst*, Quod profectò eveniet, si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium. Dominum autem convivii esse oportet non tam lautum, quàm sinè sordibus. Et in convivio legi non omnia debent, sed ea potissimùm quæ simul sint διαγελᾶν, & delectent potiùs, ut id quoque videatur non superfuisse. Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. σύμμαχον enim & mala societas infida.

Capite permulso.

ΣΚΙΟΜΑΧΙΑ. ΠΕΡΙ ΤΥΦΟΥ.

Hoc dico compendiaria sinè ullâ sollicitudine ac molestiâ dicendi ad eandem voluptatem posse perveniri.

Postremò quæro, parebis legibus annon? anne exlex solus vives?

SERA PARECTE.

Purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante saniemas pueros pilâ expulsim ludere.

SERANO. ΠΕΡΙ ΑΡΧΑΙΡΕΣΙΩΝ.

Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem quòd autumnitas in anni tetrachordo messem præterierat.

Rostrum in protrudendum cesserant. 474

Occipitium arivo deo ostendo, ex oraculo elimino me.

Atticus rivalis homo iturus in curiam cùm macerabat.

Te consulem mihi pelum cedere subsilio & hostia, sed extispici disputanti relinquo.

Hunc vocas, sed & liquida victa incuriæ vestræ ferum.

Et petere imperium populi, & contendere honores.

SESQUIULYSSE.

Dum in agro studiosiùs ruror, aspicio Triptolemum sculpinatum bigas sequi cornutas. 480

Dormit alius, nimirum vigilant, clamant, calent, rixant.

Ipsum audivi non invitari poculis largè atque benignè.

* Pueri dum comésque tenet cata gelo putri montium laxa.

Qui se in ganeum accensum conjecit amicæ.

Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgo attico talento equum. 485

Vereor ne me quoque, quum domum ab Ilio cæsus revertero, præter canem cognoscat nemo.

Hic enim omnia erat, idem sacerdos, prætor, parochos, denique idem senatus, idem populi caput.

In Thespiadum ore derepente.

Vias stelligeras ætheris explicans ære cavo sonitum hic in cothurnis.

Diogenem postea pallium solum habuisse, & habere Ulyssem meram tunicam, pileum ideo non habere. 490

Navibus duodecim dum profectum decem annos solidos errâsset.

Antiquum initio subactum aliquid annis erat.

Suspendit laribus marines molles pilas, reticula ac strophia.

Ubi quòd lupam alumni fefellerunt olim.

Alteram viam deformâsse Carneadem virtutis è cupis acris aceti. 495

Quid enim est quod homo masculus lubentiùs videre debeat quàm bellam uxorem?

Ventus suo casu vehementiùs sufflare, & calcar admovere.

Quod Minerva propter est, & id significare eum propter doctrinam.

Unam veniam esse, non amovisse duce virtute hanc esse nobilem, alteram Carneadem defabulâsse, bona corporis sequutam.

Omnes irritans venos, omnésque procellas. 500

Quò quum ire vellemus, obvius flare ubi corpori ærinas compedes impositas video.

At in segetibus post messem colligebant stramenta, qui domicilia colerent.

Ubi nitidè Phœbi veste pullâ candidi modestè amictus pascunt pectore.

In castris permansi, indè caballum reduxi ad censorem.

Adversi venti ceciderunt, quòd si pergunt diutiùs mare volvere, vereor ne me quoque, quum domum ab Ilio casus revertero, præter canem cognoscat nemo.

Vigere volitans mulsus aquam è nùbibus tortam indicat fore ut tegillum pastor sibi sumat. 506

Itaque tu mecum mordacem calcitronem horridum miles ac vir non vitabat.

SEXAGESI.

Se circumspexe, atque invenisse, quum dormire cœpisset, tam glaber quàm Socrates Galbam esse factum ericium è pilis albis cum proboscide.

Ergo tum Romæ parcè puréque podentis vivere in patriam, nunc sumus in rutubâ.

Ultra intrà pectus dormitio vigilabilis, quæ me puellum impuberem cepisti. 510

Si canis fit è catello, sic è tritico spicam.

Nunc quis patrem decem annorum natus, non modò * aufert, sed tollit, nisi veneno?

Erat, inquit, Marce, accusare nos: ruminaris antiquitates.

Neque quas agi pennis anates tremspedas buxeis rostris pecudes paludibus nocte nigrâ ad lumina lampadis sequens.

In quarum locum subierunt inquilinæ, impietas, perfidia, impudicitia, impudentia. 515

Adest fax involuta incendii.

Qui nobis ministrârunt pueri diebus festis cicer viride, qui nos provocare cùm audeant, nos illos revocare timemus.

Eo ut viaticum ex arculâ adderem in vulgum.

Romam regressus, ibi nihil offendi quod ante annos quinquaginta quum primùm dormire cœpi, reliqui.

Quod leges jubent, non faciunt, faciant, dolóve fervit omnino. 520

Avidus judex rerum ducebat esse κορόν, hoc modo.

Ut nitens pavonis collus nihil extrinsecus humens.

Ubi tum comitia habebam, ibi nunc fit mercatus.

Invenisse se quum dormire cœpisset tam glaber quàm Socrates, calvum esse factum, ericium pilis albis cum proboscide. An

An si equam emisses quadrupedem, ut meo asino Restino admitteres, quantum poposcisses dedisses æquimenti. 525

Tunc nuptiæ videbant ostreas Lucrinas.

Senibus crassis hamuli non vidimus quid faciat.

Vix effatus erat quum more majorum ultro carnales arripiunt, de fonte in Tiberim deturbant.

SYNEPHEBO.

Quid te facere oportet literis imbutum solis Minervæ.

Verere ne manu non mittat, quum octo medicarios honestos audîssemus, dare possis, mittet. quòd si non mittet, fugies, si me audies. quum tempus revocat, ea præcox est fuga. 530

Hic narium sepiasiæ, hic hedycus Neapolis.

TANAQUILE.

Non modò absens quicquam de te sequius cogitavit, sed etiam ruminabitur humanitatem.

ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ. ΠΕΡΙ ΕΧΟΝΤΟΣ ΤΑΡΙΧΕΑΙΣ.

* Mihi facies mæandrata, & vermiculat, atque etiam adeò ingens orbem terræ.

Ut hirundines, figlino oblitas luto tegulas fingebant.

Sed quæ necessitas te juvet aquam effundere domi tuæ, si vasa habes pertusa, plumbum non habent: ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium? 535

Nec pinsorem ullum nôsset, nisi eum qui in pistrino pinsere farinam.

Aliquot Romæ sunt, qui cellas vinarias fructuis parant ut vendant.

Pavimenta & parietes crustati.

Illæ nobiles quondam canes, hic liquit homines omnes in terrâ pila.

Nihilo magis dicere muliebre, quàm de muliebri ricinio palliolum simplex. 540

In pavimento non audes facere lacunam, at in humo calceos facis Elixos.

Saltem infernus tenebrosus κακοδαίμονας tenet, atque habet homines sollicitos, quòd eum pejùs formidant quàm fullo ululat.

Indè putidas uvas acinis electis & comestis extendit in lectis quondam.

Hæc Noma Pompilius fieri si viderit, sciet suorum institutorum nec volam nec vestigium apparere.

Non vides in magnis peristylis, qui cryptas domi non habent, fabulum jacere à pariete aut cryptis, ubi ambulare possint? 545

Perrexit in interiores partes domuis.

Non vides in publicâ nocte te tabernas, quà populus ambulando perinde ut in arato porcas reddit.

Ubi lubet ire licet accubitum, accedo strenuosus, filiurus, quòd esurigo findebat costas.

Diogenem literas scîsse, dum usioni quod satis esset, nunc quod etiam acta bellorum hominum.

Sed ut canis finè codâ. 550

Romam ipsam in arcofice non qui in orbe inter nundinum calumniarentur.

In carteo stadio ἱππασίον lego, à quo qui certâsset animo, bellus homo magis delectatus Stoicorum pancratio quàm athletarum.

Quod cœperas modò in viâ narrare, ut ad erodium ducas.

Antiqui nostri domibus lateritiis paululum modò lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.

Edones Romam, ut turba, intendat annona: sed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, nisi volantem, non video. 555

TITHONO.

Quæ voluntatem ævitatis extima attigit mecum ævitas.

Mammam lactis sugentem pupum pascere.

Sic invitatam matura anima corporeum cornicem facilè relinquit.

Quam dereliquit multicupida juvenilitas.

ΤΟ ΕΠΙ ΤΗ ΦΑΚΗ ΜΥΡΟΝ. ΠΕΡΙ ΕΥΕΤΗΡΙΑΣ.

Legendo & scribendo vitam procudito. 560

Ac tu quidem ut jacias censeo, quoniam tu quoque adhuc adolescentiaris.

Nec multum numus piscis ex salo captus helops, neque ostrea illa magna capta quivit palatum suscitare.

ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ. ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΣ.

Liberos parare cui necesse sit, non est merum, nec te ædepol quid simulas tuis.

Etiam audîsset, reddere potuisset mulier tetricæ horrentis, ducat ad Appiam moribus bonis.

Quare si diu gens est ad amussim, per me licet assumas teneo. 565

TRIODITE. ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΗΣ ΚΑΙ ΦΥΣΕΩΣ.

Nec coruscus imber alto nubilo cadens multus, grandine implicatus albo.

Priusquam in orchestrâ Pythaules inflet tibias, domi suæ ramices rumpit.

Nam ut equus qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, ut equiso doceat tolutim.

Illud verò quondam meæ, ut ego non metuam fulmen, non haruspicem tristem, simulac dici non quæro.

TRIPHALO.

Ego nihil narro, adeò hic ita curat, qui nunc est nescio qui longurio. 570

VÆ VICTIS.

Libet me epigrammata facere, & quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit ponam.

Dicat pugil, spectatores, qui miserum putatis vinci, quæro à vobis si adversarius supercilia cestis discobinârit, num quis vestrum suam mihi est daturus?

Quis rotundam facere serram nequeat?

VINALIBUS. ΠΕΡΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΩΝ.

Nec enim sic vide utrùm mercedem accipit is qui meas venit segetes ut sarriat, an ego ab illo.
Sic ego centussim sartor, si tu plus laboras quam ego do.

VIRGULA DIVINA.

Oleum in lucubrationem servavimus, quod in sparagos totum legitimè vertamus. 575

Arabos quum volucres venit apud illos usque ad limina indica vilis. *aliter legitur:* Ad quos cum volucris ventus eos usque ad limina nitidabilis.

Primùm venit in urbem, atque intrà muros: deinde accedit propiùs, atque introit domum.

Sed pancarpineo cibo cocto libamenta legens caduca victus.

Et pullos peperit fritinienses. 580

Quos

Quos non jacta novo levata pascat.

Non quærenda est homini qui habet virtutem, penula in imbri.

Quum neque aptam mollis humeris fibulam fagus ferret.

Præsertim quum ventrem meum coercearn, nec murmurari patiamur.

Loci alii ab autoribus citati, non adscripto libri nomine.

Quum dixisset vitulus, ecce caldis pedibus quidam navicularius semiululatus irrupit se in curiam.

Cujus ibi anus multis masculi vestigium inventum est.

Itaque illa tergiversari non sinent, secúmque rapient.

Terra nitet galea.

Fulmentum lectum scandant.

Vitæ cursum ut cognoscere possem, & quæ servitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ.

Sicut pulli, sic incedunt, & in labellis morsicatim ludunt.

Quid mirum si ex agri depolitionibus ejiciantur, quum hìc in cœnaculo polito recipiuntur?

Quæro te utrùm hoc adduxerit cœli temperatura, an terræ bonitas.

Et religiones & castus id possunt ut ex periculo eripiant nostro.

Quid mihi somno, si dormitio tollitur?

Utile utamur potiùs quàm ab rege abutamur.

Ab amicis hortaretur.

Tribunitio auxilio adminiculati.

Paupertas enim hæc tum non ita nutricata ut nunc conspicatur.

* Vestales incesti compertas ansa petuntur, incognita, consequuta negliguntur.

Pecorina delitæ literæ.

Affectatus est regnum.

EX TITINNIO.

ARATRO, AUT FORTASSE BARATHRO, AUT BARBATO.

UBI ambitioni virtuti videas antecedere.

Lana soloci ad purpuram data.

Id necesse respondet edi pro edius fidius.

Nocta diúque sit.

Prinsquam auro privatæ purpuram quæ abteximus.

BARBATO.

Quod quidem pol mulier dicit. namque uni collegii sumus.

Phrygio fui primò, benéque id opus scivi: reliqui acus acisíque hero atque heræ nostræ.

Ita spurius animatur in prælium, veles equis recepit se, nec ferit quenquam hostem.

CÆCO.

Ita feminatim fugi atque effugi patrem.

DIVORTIO.

Cui exactâ ætate sponsa sit desponsa.

FERENTINATI.

Craticula, cerebellum lactis agnina.

FULLÓNIA.

Perii hercle verò Tiberi, nunc tectum obsecro ut mihi subvenias, ut ego malalis tuam.

Jampridem egressa ut perniteris.

Terra hæc est nova quæ ubi tu solitus argutari pedibus, cretam dum compescis, vestimentáque levas.

Specta formam, atque os contempla meum.

FULLONIBUS.

Quæ inter decem annos nequîlli unam togam deterere.

Ego me mandaram meo viro malè arbitror,
Qui rem disperdit, & meam dotem comest.

Formicæ pol perfimile est rusticus homo.

Nec noctu nec diu licet fullonibus quiescant.

Da pensam lanam, qui non reddet tempore putatam rectè, facite ut multetur malo.

Videam ego te virginem formosissimam esse, sponso esse superbam, formâ ferocem.

Ni nos texamus, nihil est, fullones, nobis quæsti.

Si quispiam hodie præter hanc, posticum nostrum pepulerit, patibulo hoc ei caput defringam.

Interea fœtida mimma nasum oppugnat.

GEMINA.

Parasitos amovi, lenonem ædibus abstrrui,
Desuevi ne quò ad cœnam iret extra consilium meum.

Everrite ædes, abstergite aranèas.

Symphonia odiosum tandem ut moribus placeam viro.

Simul ut pueras has nocte suspirare crevi.

Syrus cum scorto constituit ire: claves illico abstrudi jubeo, rusticæ togæ ne fit copia.

Postquam factus maritus, hanc domum abhorres, tuam etiam uxorem paucies video.

Tu autem, inquit, in urbem paucies venire soles.

At aliquis vestrorum nanciat gemina ut res suas procuret, ædibus facessat.

Longus sermo habetur, revertetur spissa.

Libram agebant satìs esse ambobus farris nutrire: plus comest sola uxor.

Mulier credo advorsùm illum res suas conqueritur.

Non execratis parasitum, nec virum aspellit domo.

Eum Castor, si morata fitis ambe ibus ut ego pro majoribus.

Nimiùm te patrocinari censeo benigniter.

Jucunda primùm blanditer comparamus colloquia.

Ædepol hominis ignavi functus officium.

ILARUBRA.

Laudor quòd osculavi privignæ caput.

PRÆLIA.

Dare illi biber, iracunda hæc est.

Tibíne comœdiam quam sciam, non delicem?

Verùm enim dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus ancillantur.

Magìs quæ fame objectarent, ne eam malefactis nobilitarent.

Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam expilatricem. pallia evallavit, ô pulchre.

Pernam totam diligit.

Tuburcinari finè me vultis reliquias.

Sed amabò, quid desubito tam repentè ad me venisti?

Næ tu istum edepôl inedià extulisti pariter ut dignus fuit.

Severiter hodie sermonem amica mecum contulit.

PRILLA. vel PALLA.

Rectiùs mecastor Picaletæ Postumæ lectum hodie stratum vidi scraptiæ muli.

PSALTRIA.

Ferentinatis populus Græca studet.

Gravisque obsonio convivas.

Manus lavite mulieris, & capita velate.

Farticula, cerebellum, lactes agninas.

Contemplari ancillas quam arbitrer illarum succubooneum esse.

Dicis tu quæso, quo à te avortisti mei fastidis, si meæ deliciæ.

QUINTO.

Item uti eum oportet libertatem qui sapit.

Quòd ea parasitus habeat, qui illum sciat delicere, & noctem facere possit de die.

Quid istuc est? aut quid istic sibi vult sermo? mater delica.

Nunc hoc uror, nunc hæc res me facit festinem.

Quantâ stultitiâ cupidinis petunt consilium, bona gratia ut parvifaciatur.

Ostè & volscè fabulantur: nam Latinè nesciunt.

SETINA.

An quia Pol edepol fabulare, edi, medi.

Stami statuam publicitus.

Paula mea amabò, pol tu ad laudem addito: præfiscini ne puella fascinetur.

Infensus architectoni.

Quò avolavit gallus gallinaceus?

Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatis in calceos.

Etsi tacebit, tamen gaudebit sibi permitti oreas.

Lassitudo conservum redivia flagri.

Et quem cumatilis colos decent.

Accede ad sponsum audaciter, virgo nulla est, tale etiam est.

Sapientia gubernator navem torquet, non valentia. cocus magnam abenum, quando fervit, paulâ confutat truâ.

Itum, gestum, amictum videbant ejus.

Ipsus quidem hercle ducere sanè nevult.

Quasi hermaphroditus fibriatum frontem gestas.

TIBICINA.

Ut hic legatus abit peregre publicè.

VARO.

Toto fit in foco de lignis mihi dapalis cœna.

Latiolentè flocci fiet & sucalator.

VELITERNA.

Quot pestes senio & jurgia sefernat diebus emigrarunt!

Atque duo postica, quæ loco mercede.

Unde thensam atque mulos finè eam pedibus grassari, quam fingere ejus superbiam.

Ergo occupa foras exire, ut præsit linteum.

Tunica & cingula obuncula adimetur, pannos possidebit fœtidos.

Hodie hostes fugavit, spolia placidè posteriùs leget.

Id ego aucupavi, planas aures affero.

Omnium vitiûm expertem, consilii plenum prohibui.

Atque illud ante partum eormedet, fandi stabunt sentibus.

Fortasse votum fuisse quo die liber foret: nunc ejus voti condemnatus est, immolavit hostiam.

Ejusdem Titinnii loci alii, ex fabulis quarum adscripta non sunt nomina.

Velim ego esse arare campum cereum.

Obstrudulenti aliquid quod pectam sedens,
Aut hic latastet, aut formastet frigidus.

Si erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses.

Cannensem cursorem.

Mirior inquam tibi videor.

Tentipellium inducis, rugæ in ore extenduntur.

Cave exporge frontem, habent semper fastos rictus.

Lenti calido duella trapula, romice.

Hæc quidem quasi osculana pugna est secus, quia hinc fugere impulsi, spolia colligunt.

Sed jam metuo hercle ne nimis stultè fecerim, qui ex tantâ factione atque opibus ea sum aulus aggredi.

Quod rogas neminem decet bonam.

Rus detrudetur pedicosus, squalidus.

Fœminina fabula, succrotilla vocabula.

Bene quam facimus, tam malè subimus, ut quidam perhibent viri.

Quanquam estis nihil, tam escator simul vobis consului.

Hominem improbum, nunc ruri pergræcatur.

Quid habes nisi unam arcam finè clavi? eò condis saccerdas.

EX SUEVIO.

ADMISCE tu Acca basilicis hæc: nux partim,
Partim Persica. quod nomen sic denique fertur
Propterea quòd qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prælia bello
In Persas tetulere suo: pòst indè revectum
Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis
Differuere, novos fructus mortalibus dantes.
Molluſca hæc nux est: ne quis fortè insciens erret.

. . . redeunt referúntque petita rumore secundo.

. . . . . volucrúmque volatile telum.

EX ALBINO.

ILLE cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte Deûm patuere, cui fretæ nulla repostos
Abscondere finus, non tutæ mœnibus urbes.

EX

EX ALPHEO AVITO.

TUM literator creditus
Ludo Faliſcûm liberos
Cauſatus in campi patens
Extráque muri ducere,
Spatiando paulatim trahit
Hoſtilis ad valli latus.

Seu tute malis hoſpites,
Seu tute captivos habes.

TRAGICORUM VARIORUM FRAGMENTA.

ILII.

Theutrante.

Flammeam per æthram altè fervidam ferri facem.

C. GRANII.

Peliadibus.

Sonat impulſa regia cardo.

MEMORIS, al. MEMMII.

Hercule.

Ferte ſuppetias optimi comites.

[C.] *JULII* [*CÆSARIS STRABONIS.*]

Adraſto.

Cùm capita viridi lauro velare imperant
Prophetæ, ſancta caſtè qui purant ſacra.

SEMPRONII GRACCHI.

Thyeſte.

Merſit ſequentis humidum plantis humum.

Atalanta.

O grata cardo regium egreſſum indicans.

VARII.

Thyeſte.

Jam ferre infandiſſima, jam facere cogor.

CILNII MÆCENATIS.

Octavia.

Pexiſti capillum naturæ muneribus gratum.

Incertum ex quo libro.

Ades, inquit, ô Cybele, fera montium dea;
Ades, & ſonante tympano quate flexibile caput;
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.

Hîc nympha cingit omnis Acheloïum ſenem.

P. OVIDII NASONIS.

Medea.

Feror huc illuc, ut plena deo.

Servare potui. perdere an poſſum rogas?

P. POMPONII SECUNDI.

Armorum judicio.

Tum præ ſe portant aſcendibilem ſemitam.

Atreo.

Nunc te obſecro, ſtirpem ut evolvas: meorum genus notifices mihi.

Choro incertæ tragœdiæ.

Rhætois procul à terris,
Priamíque aras damnare pias,
Obrue nos Danaóſque ſimul.

Incertum & illud.

Lamen color tatrici mutat; lacrumis
Se falſis lavitat, evitâ tundit dexterâ
Pectus. fati'ſt, ah blanda, fallax . . .

RUTILII GEMINI.

Aſſyamaſſe.

Meliùs ſuggrundarium miſero quæreres, quam ſepulchrum.

INCERTORUM TRAGICORUM FRAGMENTA.

CUju' ipſe princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulavit: ne coïret, inſtitit.
Quòd ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtiu' percepſet malitioſam audaciam,
Fide ſacratum jus perpetuò falleret.

Quia mater gravida parere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipſe Priamus, ſomnio mentis meto
Perculſus, curis ſumptus ſuſpirantibus,
Exſacrificabat hoſtiis halantibus.

Tum conjectorem poſtulat, pacem petens,
Ut ſe edoceret obſecrans Apollinem,
Quò ſeſe vortant tantæ ſortes ſomniûm.
Ibi ex oraculo voce divinâ edidit
Apollo; puerum, primus qui Priamo foret
Poſt-illa natus, temperaret tollere:
Eum eſſe exitium Trojæ, peſtem Pergamo.

Præſagibat animus fruſtra me ire, cum exirem domo.

Sed quid oculis rabere viſa es derepente ardentibus?
Ubi paulò antè ſapiens illa & virginali modeſtiâ?
Mater optuma, tum multo mulier melior mulierum,
Miſſa ſum ſuperſtitioſis hariolationibus;
Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vero æquales, patris mei, meum factûm pudet.
Optimi viri, mea mater, tui me miſeret, mei piget:
Optumam progeniem Priamo peperiſti extra me: hoc dolet,
Me obeſſe, illos prodeſſe: me obſtare, illos obſequi.

Adeſt, adeſt fax obvoluta ſanguine atque incendio:
Multos annos latuit: vos cives ferte opem, & reſtinguite.

Jámque mari magno claſſis cita
Texitur: exitium examen rapit;
Advenit, & fera velivolantibus
Navibu' complevit manu' littora.

Eheu, videte: judicavit inclutum
Judicium inter deas treis aliquis, quo judicio
Lacedæmonia mulier, Furiarum una, adveniet.

Nam ſapiens virtuti honorem, præmium, haud prædam petit.

Ecquid video? ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras.

Quò nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternámne? anne ad Peliæ filias?

Video, video te: vive, Ulyſſes, dum licet,
Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

. . . Nolite hoſpites adire ad me
Illico iſthic, ne contagio mea bonis umbráve obſit.
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.
N. Quidnam eſt, obſecro, quid te adire abnuntas?

Heu reliquias ſemiuſti regis, denudatis oſſibus,
Per terram ſanie delibutam fœdè divexarier.

Nemo pius eſt, qui pietatem cavet.

Probæ etſi in ſegetem ſunt deteriorum data
Fruges, tamen ipſæ ſuapte naturâ enitent.

O Patrocle, ad vos advenìens auxilium & veſtras manus peto,
Priuſquam oppeto malam peſtem, mandatam hoſtili manu.
Neque ſanguis ullo pacto eſt profluens conſiſtere.
Si qua ſapientiâ magis veſtrâ devitari mors poteſt:
Namque Æſculapii liberorum ſancii oppleut porticus:
Non poteſt accedi. . . .

. . . . Qui alteri exitium parat,
Eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, ut participet, parem.

Eloquere, res Argivûm prælio ut ſe ſuſtinet?

. . . Quieſce igitur, & volnus alliga.

. . . . Ubi fortunâ Hectoris
Noſtram acrem aciem inclinatam. . . .

Ob ſcelera, animiſque impotentiam & ſuperbiloquentiam.

Iterum Thyeſtes Atreum attractum advenit,
Iterum jam aggreditur me, & quietum exſuſcitat.
Major mihi moles, majus miſcendum eſt malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Proinde ita parent ſe, in vitâ ut vinci neſciant.

Nequaquam iſtuc iſtac ibit. magna ineſt certatio,
Nam ut illis ſupplicarem tantâ blandiloquentiâ.

Qui volt, quod volt; ita dat ſe res, ut operam dabit.

Ille tranſvorſâ mente mihi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo:
Mihi mœrores, illi luctum: exitium illi, exilium mihi.

. . . . Poſtquam pater
Appropinquat, jámque penè ut comprehendatur parat,
Puerum interea obtruncat, membráque articulatim dividit,
Pérque agros paſſim diſpargit corpus. Id eâ gratiâ,
Ut dum nati diſſipatos artus captaret parens;
Ipſa interea effugeret: illum ut mœror tardaret ſequi:
Sibi ſalutem ut familiari pareret parricidio.

Addo huc, quod mihi portenta cœleſtium pater
Prodigium miſit, regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aureâ clarum comâ,
Quondam Thyeſten elepere anſum eſſe è regiâ:
Qua in re adjutricem conjugem cepit ſibi.

Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis,
Eviſceratus, latere pendens, ſixa ſpargens tabo,
Sanie & ſanguine atro. . .

Quemnam te eſſe dicam? qui tardâ in ſenectute.

. . . : Neque me patiar iterum
Ad unum ſcopulum & telum claſſem Achivûm offendere.

Erras, erras: nam exſultantem te & præſidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque imperii inſiſtent jugo.

Segregare abs te auſus.

Equis hoc animadvertit? vincite.

Refugere oculi, corpus macie extabuit,
Lacrumæ peredere humore exſangueis genas,
Situ nidoris, barba pœdore horrida,
Atque intonſa, infuſcat pectus inluvie ſeborum.

Cœlum miteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lateſcere, pampinis pubeſcere,
Rami baccarum ubertate incurvéſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conreſtiri.

Audíſne hæc, Amphiarae, ſub terram abdite?

Inter ſe ſtrepere, apertéque artem obterere exiſtimant,
Solvere imperat ſecundo rumore, adverſáque evi.

. . . . Quo genere nil eſt arrogantius:
Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat: cœli ſcrutantur plagas.

Nihil horum ſimile apud Lacænas virgines;
Queis magi' palæſtra, Eurota, Sol, pulvis, labor,
Militia in ſtudio eſt, quàm fertilitas barbara.

. . . . Si telum manu fugit.

O Apollo, qui umbelicum certum terrarum obſides,
Unde ſuperſtitioſi primùm ſæva evaſit vox ſera.

Anguens ingentes alites, junctì jugo.

Cùm te expetebant omnes florentiſſimo
Regno, reliqui: nunc deſertum ab omnibus,
Summo periclo, ſola ut reſtituam, paro.

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.

Quà pontus Helles. . . .

Auratus aries Colchorum.

Frugifera & ferta arva Aſiæ tenet.

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis *ſui* junxit nuptiis,
Ego tum gravida *fui* expletis jam fere ad pariendum menſibus,
Per idem *propè* tempus Polydorum Hecuba partu poſtremo parit.

Habeo ego iſtam perterricrepam. . . .

Nam non vis hujus me verſutiloquas mutitis.

Impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Quà ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Urgetur iſthmos. . . .

Quòd niſi quiêris, Menelae, hac dextrâ occides.

Jove propagatus eſt (ut perhibent) Tantalus,
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem ſatus
Atreus; qui noſtrum portò propagat genus.

Si quidem ſit quiſquam Deus, cui ego ſum cara.

Heu me infelicem!

Sanúſne es qui temere lamentare?

Te, Apollo ſancte, fer opem, téque omnipotens Neptune invoco,
Vôſque adeò venite. Nam quid ego tergeminum, Veneri?

Sed mihi cùm tetulit coronam, ob collocandas nuptias,
Tibi ferebat; cùm ſimulabat ſeſe eam alteri dare,
Tum ad te ludibunda doctè & delicatè detulit.

Omnes Danai aut Mycenenſes, Attica pubes.

Vigilandum eſt ſemper: multæ in inſidiæ ſunt bonis.

Nam te id, quod multi inviſeant, multique expetant,
Inſcitia'ſt poſtulare, ſi tu laborem ſummâ cum curâ efferas
Nullum. . . .

Quid enim? qui reipublicam certo animo adjuverit,
Statuerit, ſteterit cum Achivis.

Re dubiâ nec dubitârit vitam offerre, nec capiti pepercerit.

Sentinum amicum ſummo in bello. . . .

. . . . Summo ingenio præditum.

O ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores beneſici!
Exſulare finitis: ſiviſtis pelli, pulſum patrimoni.

Ignoverunt Medeæ quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: quibus illa perſuaſit ne ſibi vitio illis verterent, quòd abeſſet à patriâ: Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam, patriâ procul: Multi qui domi otiosi agerent, propterea ſunt improbati.

Acherontia templa, alta orci, pallida
Leti, obnubila, obſita tenebris loca.

Horrifer Aquilonis ſpiritus gelidas molitur nives.

Nam nos decebat cœtus celebrantis domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantis mala:
At qui labores morte finiſſet graves,
Hunc omnes amicos laude & lætitiâ exequi.

Ex opibus ſummis opis egens, Hector, tuæ.

Nam facinus fecit maximum, cùm, Danais inclinantibus,
Summam rem perfecit manus, prælium reſtituit inſaniens.

Neque tam terribilis ulla fando oratio eſt,
Nec ſors, nec irâ cœlitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo efferat.

Tu me amoris magis quàm honoris ſervâſti gratiâ.

Nec verò tantâ præditus ſapientiâ
Quiſquam eſt; qui aliorum ærumnam dictis allevans,
Non idem, cùm fortuna mutata impetum
Convertat, clade ſubitâ frangatur ſuâ:
Ut illa ad alios dicta & præcepta excidant.

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quænam unquam ob mortem Myrtili,
Pœnis luendis dabitur ſatias ſupplicii?

Quandoquidem ille circumvellit dictis, ſepit ſeduló.

Sublatus eſt, atque inſanus quà conſtitit,
Ictu fulmini' deflagravit. . . .

Ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.

. . . Animadverte, & dicto pare. . . .

Præter rogitatum ſi quæraxe.

Si te ſecundo lumine hic offendero,
Moriere. . . .

Ita me deſtituit nudum.

Ænea, quis eſt qui meum nomen nuncupat?

. . . Cornua sumit,
Umbram jacit: icere paret.

In altiſono cœli clypeo.

Liber, qui auguſta hæc loca Cithæronis colis.

Erebo creata, fuſcis crinibus, Nox, te invoco.

Perſuaſit animo vinum, deus quo multo eſt maximus.

Sed jam de cœlo candens aurora obtinet ſuum patrem.

Theſprote, ſi quis ſanguine exortum tuo
Prolem inter aras ſacras ſacram immolet:
Quid meritus hic ſit, dubium an quoiquam ſiat?

Rite Theſprotum pudeat rei, quòd ipſe à Tantalo ducat genus.

Non memoro, quòd draconis ſævi ſopivi impetum;
Non, quòd viros domavi & ſegetis armata manus.

Matrem fatigat prodigus vitæ furor.

Struunt ſorores Atticæ dirum nefas.

Tela, famuli, tela properè, ſequitur me Thoas.

Arena Ponti per freta Colchos deinque deluet adhuc.

Ore beato lumine volitans, qui cœlum candidus equitas.

Quædam terribilis tua pectora turbat, terrifico ſonitu intulit.

Proinde & ego te regimen Argos, dum eſt poteſtas conſulendi.

Qui repens ſemipulſus onere gravi fores ſtrepitu terret.

Hæc bellicoſus cui mater patérve Minerva.

Quis meum nominans nomen excies,
Quamvis tumultu invocans incolarum fidem?

Cunctæ igitur Camœnæ
Fonticolæ puellæ,
Quæ canitis ſub antris
Melliſluos ſonores;
Quæ lavitis capillum
Purpureum Hippocrene
Fonte: ubi fuſus olim
Spumea lavit alnus
Ora jubis aquoſis
Pegaſus in nitentem
Pervolaturus æthram.

Nunc ego te ab ſummo jam detexam exordio.

Unde hæc flamma oritur?

Patria eſt, ubicunque eſt bene.

Ubi inſtiantur gentes orarum ultimæ.

Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum.

Si quidem ſit quiſquam deus cui ego ſum curæ.

Num non vis hujus me verſutiloquas malitias?

Quemnam te eſſe dicam qui tardâ in ſenectute.

Tûne Clytæmneſtræ fœdâſti viſcera ferro?

Cyclos Ætnæus cultor, Neptunia proles.

Tiphys aurigam celeres fecere carinæ.

Luna, deûm quæ ſola vides perjuria vulgi,
Seu Cretæa magis, ſeu tu Dictynna vocaris,
Huc deſcende. . . .

Hyberno pulvere, verno luto, grandia ſurra Camille metes.

Nam quid modi facturus riſu denique?
Niſi pictor fieri vult qui riſu mortuus eſt.

Sibi paſtores ludos faciunt cernui Conſualia.

VERSUS TRAGICI,

Interprete M. TULLIO CICERONE.

NAM ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem viro,
Futuras mecum commentabar miſerias:
Aut mortem acerbam, aut exilii mœſtam fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali:
Ut ſi qua invecta diritas caſu foret,
Ne me imparatum cura lacerâret repens.

Mortalis nemo eſt, quem non attingit dolor,
Morbúſque. multi ſunt humandi liberi,
Rurſum creandi: mórſque eſt finita omnibus,
Quæ generi humano angorem noquidquam adferunt.
Reddenda eſt terræ terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges. ſic jubet neceſſitas.

Si mihi nunc triſtis primùm illuxiſſet dies,
Nec tam ærumnoſo navigaviſſem ſalo,

Eſſet

Eſſet dolendi cauſa: ut injecto equulei
Freno repentè tactu exagitantur novo.
Sed jam ſubactus miſeriis obtorpui.

Vides ſublime fuſum, immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur?
Hunc ſummum habeto divum; hunc perhibeto Jovem.

Juravi linguâ, mentem injuratam gero.

ARATI SOLENSIS
PHÆNOMENA, ET PROGNOSTICA,
INTERPRETIBUS,
M. Tullio Cicerone, Rufo Feſto Avieno, & Germanico Cæſare.

DE M. T. CICERONE,

Ex GREGORII GYRALDI DIALOG. IV.

DE Marco Tullio Cicerone, quæ ad ejus poëticam tantùm attinent, afferemus. Puer igitur Marcus Tullius, ut Plutarchus ſcribit, poëticæ adeò operam impendit, ut plurimum omnium judicio in ea facultate profecerit, multáque in eâ ætate poëmata ſcripſerit: inter quæ illud ipſe Plutarchus celebrat, quod Pontius Glaucias inſcribitur, verſu tetrametro. Multa carmine ex Græco tranſtulit, ut tota Arati Phænomena, cujus etiam nunc pars extat, aliáque quæ ſparſim ſuis in dialogis inſeruit. Nunquid ideo, inquit Piſo, poëta Cicero? Nam tametſi Ciceronis Limonem, poëmatis id nomen, citat Donatus, ubi de Terentii poëtæ vitâ agit, illúdque Virgilii exiſtimetur à Cicerone ſumptum,

. . . . . *ſpes altera Romæ.* Et illud,
. . . . . *Corripuit tremulis altaria flammis.*

Id enim Ciceronis uxori, dum ſacrificâſſet, contigiſſe dicitur: id quod & ipſe Cicero quodam ſuo poëmate teſtatum reliquit: & ejus licèt elegiam, quæ Thalemaſtis inſcribitur, afferat Servius, ex qua carmen illud,

In mare Tyrrhenum longè, penitúſque palumbes
Reliquit:

Non ideo tamen ego illum poëtam crediderim. Tunc ego, poëta necne fuerit Cicero, non vobis dixerim, pictum tamen in tabulâ fuiſſe, multáque præter ea quæ tu modò attuliſti carmina & adhuc legi, & ab auctoribus citari aſſero, ut quæ de ipſius Conſulatu à Lactantio in tertio divinarum Inſtitutionum, & quæ in ſecundo ejuſdem Conſulatûs Urania Muſa pronunciat, in primo de Divinatione, ex verbis Quinti Ciceronis fratris.

Principio ætheris flammatus Jupiter igni
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum.

Et reliqua: uſque enim ad octoginta verſus ibi leguntur. Fabius quoque Quintilianus, Ciceronis quoſdam joculares libellos adducit, atque ex iis verſus. Quin & de ſuis temporibus tres ſe carmine libros ſcripſiſſe ipſemet ad Lentulum in Epiſtolis teſtis eſt, quos eoſdem eſſe exiſtimant aliqui, qui de ejus Conſulatu inſcribuntur. Sed num parum vobis teſtimonium videtur de poëmate, quod Marius inſcribitur, Scævolæ & Q. Ciceronis? Nam cùm in primo de Legibus Atticus Pomponius diciſſet de quercu in Mario lectâ, "Quale
" eſt iſtuc, quod poëtæ ferunt: mihi enim videris fra-
" trem laudando ſuffragari tibi: Tum Attico reſpondet
" Q. Frater, Sit ita ſané. veruntamen dum Latinè lo-
" quentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ
" Mariana dicatur, eáque, ut ait Scævola de fratris
" mei Mario, canescet ſeclis innumerabilibus. De
" eodem Mario poëmate idem Q. Frater in primo de
" Divinatione: Quid eſt illo auſpicio divinius, ait, quod
" apud te in Mario eſt, ut utar potiſſimùm te auctore?

Hic Jovis altiſoni ſubitò pennata ſagittis
Arboris è trunco, ſerpentis ſaucia morſu.

Et cætera quæ ibi leguntur. Sed & illud multis mirum videtur, quod de ipſo Marco Cicerone legitur, non pauciores unquam, cùm in urbe eſſet, quingentis verſibus quotidie, ſcribere ſolitum, niſi vos de proſæ verſibus intelligatis. Jure igitur, inquit Piſo, quiſquis ille fuit, inter poëtas Marcum Tullium repoſuit. Jure, inquam, Piſo, ut ais. Illud tamen de Ciceronis carminibus dixerim, quod à Caſſio Severo reſponſum ſui Seneca in tertio Declamationum ſcribit. Virgilium, inquit, illa felicitas ingenii, oratione ſolutâ reliquit, Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit. Et illud item, quòd eſt à Cornelio Tacito in oratoribus obſervatum, Carmina videlicet Ciceronis forum potiùs redolere, quàm Caſtaliam. Oratoris enim potiùs ſpiritus quàm poëticos habent, ut Silii Italici, & Plinii, Cæcilii, aliorúmque.

DE GERMANICO CÆSARE.

Ex PETRI CRINITI LIB. III.

CAius Germanicus Auguſtus ex nobiliſſimâ Claudiorum familiâ ortus eſt, patre Druſo, ac diligenti curâ in urbe eruditus. Tantum profecit ſub primam adoleſcentiam in optimis diſciplinis, ut incredibile dictu ſit, quantum ab antiquis ſcriptoribus commendetur. Suetonius, ac Fabius Quintilianus maximis laudibus ejus ingenium, atque opera extollunt, etſi paulò junior ea ipſa compoſuit. Idem Germanicus in Cauſis præterea verſatus eſt, & his quidem triumphalis. Inter alia ſtudia Græcas comœdias à ſe editas reliquit, & opus Arati de rebus cæleſtibus in Latinos numeros convertit, nihil commotus, quòd à M. Tullio forte interpretatum, ut obſervatum eſt ab Hieronymo. Quintilianus inter poëtas heroicos hunc conſtituit, quo loco enumerat Val. Flaccum, Saleium Baſſum, Rabirium, & Lucanum. Quid, inquit, Germanici operibus ſublimius, doctius, & omnibus denique numeris præſtantius? Quis bella canere meliùs potuit, quàm qui ſic egerit? Reliqua omittimus, ne videamur plura nunc repetere, quàm inſtitutum opus patitur. Cognomen Germanici à devictis Germanis reportavit, contra quos magno exercitu, ac ſummis viribus dimicavit. Uxorem Agrippinam habuit M. Agrippæ filiam, & ex eâ liberos plures procreavit. Traditum eſt eum obiiſſe in urbe Antiochiâ, quum quartum ac XXX. annum ageret: neque ſinè ſuſpicione veneni, Tiberio auctore talis facinoris, ut Suetonius putavit. Quæ res credita eſt, non modo propter livores, qui toto corpore exiſterunt: ſed ex ipſo etiam corde, quod igni admotum cremasi

cremari haud potuit. Publius Ovidius opus ſuum de Romanis Faſtis ad hunc Germanicum miſit, ejuſque doctrinam tanti fecit, ut inter egregios poëtas illius nomen retulerit. Nec defuerunt, qui exiſtimarent ab eodem Germanico compoſitum fuiſſe epigramma illud vulgatum de puero Thracenſi: quod equidem propter egregiam, ſingularémque in eo genere elegantiam ſubjiciendum exiſtimavi.

Thrax puer aſtricto glacie dum luderet Hebro, &c.

DE EODEM,

EX GYRALDI DIALOG. V.

GERMANICUS CÆSAR Druſi filius, qui à Tiberio adoptatus, ejuſdem, ut putatur, juſſu, veneno è medio ſublatus in Syriâ à Piſone fuit, ætatis ſuæ anno quarto & triceſimo. Veneni ſigna, ut ait Tranquillus, præter livores qui toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant, ejus quoque inter cineres cor incorruptum repertum eſt, cujus ea natura exiſtimatur, ut veneno tinctum non crematur. Fuit vero Germanicus cùm domi, tum foris excellentis ingenii & virtutis, cujus quando vita à Suetonio & à Cornelio Tacito deſcribitur, miſſis cæteris, ego ea tantùm quæ vel ad ejus eloquentiam vel poëticam pertinent, attingam. Omnes, inquit Tranquillus, Germanico corporis animíque virtutes, & quantas nemini cuiquam contigiſſe fatis conſtat, formam & fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens, benevolentiam ſingularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax ſtudium. Oravit cauſas etiam triumphalis, atque inter cætera ſtudiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Extant & in Græcis Epigrammatum voluminibus, quos legi, ipſius nonnulli verſus in Themiſtoclem. Doctis fere omnibus perſuaſum video, elegans illud epigramma, quod numeris omnibus eſt abſolutum, de puero Thrace, hujus eſſe Germanici, quod digniſſimum eſt, ut hic & ubique recitetur. hoc autem ipſum eſt:

Thrax puer aſtricto glacie dum ludit in Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abſcidit hen tenerum lubrica teſta caput:
Orba quod inventum mater dum conderet urnâ,
Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

Extat & in manibus habetur ejuſdem Cæſaris Germanici Aratea interpretatio, quam & D. Hieronymus poſt Ciceronianam agnovit. Celebrat Plinius Germanici carmen, quod in Cæſaris Auguſti equum compoſuit. Ovidius verò poëta ubique Germanicum poëtam facit, ſummiſque laudibus effert, ut in Faſtorum libris quos eidem dicavit: tametſi grammatici quidam malint Tiberio Cæſari dicatos. At vos videte quàm hæc Germanico conveniant, cùm ſic canit?

Quæ ſit enim vatis facundia, ſenſimus, orti
Cuvica pro trepidis cùm tulit arma reis.
Scimus & ad noſtras cùm ſe tulit impetus urbes,
Ingenii cecinit flumina quanta tui.

Sed id manifeſtius ad Suillium, cui nupta fuerat ipſius Ovidii privigna, quam omnem elegiam ne vos, quæſo, legere pigeat.

DE RUFFO FESTO AVIENO,

Ex LIB. V. EJUSDEM CRINITI.

RUFFUS FESTUS AVIENUS, poëta eruditus & elegans, per eadem tempora floruit, quibus Cæſ. Diocletianus imperator eſt appellatus: quæ res cùm multis aliis argumentis colligitur, tum ex commentariis Divi Hieronymi, qui (cùm loquitur de Arati Phænomenis) Avienum refert paſſo antè in Latinum ea converſiſſe, poſt M. Tullium, atque Germanicum. Quidam putant fuiſſe illum genere Hiſpanum: ſed hoc mihi non ſatis compertum eſt in tantâ rerum obſcuritate. Illud minimè dubium eſt, eum magnâ doctrinâ ac multiplici rerum ſcientiâ præſtitiſſe. Nam præter opus Arati (quo maximam laudem adeptus eſt) compoſuit etiam librum de Orbe terrarum iis verſibus, quos vocant hexametros, imitatus Dionyſium Græcum poëtam. De maritimis quoque ſcripſit Iambicis verſibus: intactum opus Latinis ingeniis, tantæque difficultatis, ut diu multúmque ibi elaborandum fuerit in eo abſolvendo. De hoc poëmate ſic Rufus Avienus refert:

Laboris autem terminus noſtri hic erit,
Scythicam ne profundam, & æquor Euxini ſalſi,
Et ſi quæ in illo marmore inſulæ tument,
Edifſerantur: reliqua parvi ſcripta ſunt
Nobis in illo pleniùs volumine,
Quod de Orbis oris, partibuſque fecimus.

Plura in hoc operè inſerit ex variis atque reconditis auctoribus: præcipuéque ſcentus eſt (ut ipſe teſtatur) Hecatæum Miletium, Hellanicum Lesbium, Philonem Athenienſem, Pauſimachum, Euſtemum, Cleonem Siculum, aliósque permultos: ut prætermittamus Annales Punicos, à quibus complura accepit. Neque deſunt qui exiſtiment fuiſſe alia complura ab eodem Avieno. Servius quidem grammaticus, cùm de cometis differit, Avienum ſcribit feciſſe Virgilianas fabulas Iambicis verſibus, & hiſtorias quaſdam ex libris Livianis. Quæ in re non ſatis habeo exploratum, an hæc ad eundem ſint referenda, etſi ratio temporum maximè congruit. Inter amicos præcipuè coluit Myrmecium Flavianum, virum clariſſimum, & probum: cujus vetuſtatem atque probitatem magnopere commendat, dicato illi volumine de Maritimis. Hæc ſunt quæ legimus de hoc Avieno apud veteres auctores. De Avieno poëta Græco (cujus leguntur Epigrammata) nihil dicendum eſt hoc loco.

DE EODEM,

EX GYRALDI DIALOG. IV.

RUFFUS FESTUS AVIENUS, in antiquis codicibus Abidnus dicitur, & in Servii etiam commentariis. Hic ab aliquibus Hiſpanus eſt exiſtimatus, ego certè nihil habeo, quo vobis id affirmare poſſim. Hic Dionyſii Punici de Situ orbis verſus ex Græcis Latinos fecit: item Aratea Phænomena, quod utrumque opus exte carmine hexametro expreſſum. Et præter hæc de Oris maritimis librum edidit, carmine trimetro iambico, ad Probum, virum conſularem, ad quem etiam Cl. Claudianus ſcripſit, quo argumento ducor, ut Avienum Claudiani, hoc eſt Theodoſii imperatoris, & filiorum temporibus floruiſſe credam: id quod & facilè Hieronymi verbis aſtruere poſſumus, qui quodam ſuarum epiſtolarum loco, nuper illum ſcripſiſſe dicit. Alii Diocletiani Cæſaris, non ſatis firmo, ut mihi quidem videtur argumento, alii utrumque inconfeſſum, parúmve compertum eſſe volunt. Servius Grammaticus Avienum ait Virgilianas fabulas, & Livium iambicis verſibus deſcripſiſſe. Sunt qui hunc ipſum Avienum eſſe putent, quem Aurelius Macrobius in Saturnalibus comis loquentem induxit. Utcunque tolerabilis eſt Poëta, & dignus ſaltem ob rerum cognitionem, ut aliquando legatur. Sed ne quid à me deſideretis, extat & libellus ad Theodoſium imperatorem, hujus, ut putatur, Avieni, niſi nos fallat inſcriptio, in quo pleroſque Æſopi apologos elego carmine complexus eſt, qui an legitimus ſit, non multum eſſe pretium operæ, ut diſquiramus, exiſtimo. cujus, quiſquis iſte fuit, hæc verba ſunt ex Præfatione, "Hujus, inquit, materiæ ducem nobis eſſe "Æſopum noverit, qui reſponſo Delphici Apollinis "monitus, ridiculo orſus eſt, ut legendo firmaret. Ve- "rum has pro exemplo fabulas, & Socrates divinis o- "peribus indidit, & poëmati ſuo Flaccus optavit, quod "in ſe, ſub jocorum communium ſpecie, vitæ argu- "menta continent: quas Græcis iambis Gabrias re- "petens, in duo volumina coarctavit. Phædrus etiam "partem aliquam quinque in libellos reſolvit. De "his ergo uſque ad XLII in unum redactas fabulas "edidi, quas rudi Latinitate compoſitas elegis ſum ex- "plicare conatus. Hæc ille totidem verbis, & ſimul de Avieno ſatis.

M. T.

M. T. CICERONIS ARATI PHÆNOMENA.

A Jove musarum primordia.

Cætera labuntur celeri cælestia motu,
Cum cælóque simul noctésque diésque feruntur.
Extremúsque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse Polus.

Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
Altera dicitur esse Helice.

Quas nostri Septem soliti vocitare triones.

Hac fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto.
Sed prior illa, magis stellis distincta refulget,
Et latè primâ confestim à nocte videtur.
Hæc verò, parva est, sed nautis usus in hac est:
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen
Torvus Draco serpit subter superáque revolvens
Sese, conficiénsque sinus è corpore flexos.

Huic non una modò caput ornans stella relucet,
Verùm tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibúsque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Ostipum caput & tereti cervice reflexum
Obtutum in candâ majoris figere dicas.

Quod caput hic paulùm sese subitóque recondit,
Ortus ubi atque obitus partem miscentur in unam.

Attingens defessa velut mœrentis imago.
Vertitur *
Ἐν γόνασιν vocitant, genibus quod nixa feratur.
Hîc illa eximio posita est fulgore corona.

* propter, caput Anguitenentis
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graii.
Huic superà duplices humeros affixa videtur
Stella micans tali specie, talisque nitore.
Hic pressa duplici palmarum continet Anguem
Ejus & ipse manet religatus corpore toto.
Nanque virum medium Serpens sub pectora cingit;
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectúsque Nepaï.

Arctophylax vulgò qui dicitur esse Bootes,
Quòd quasi temone adjunctam præ se quatit Arctou.

* Subter præcordia fixa tenetur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

Malebant tenui contenti vivere cultu.

Ferrea tum verò proles exorta repentè est:
Ausáque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitúmque juvencum.

Et natos Gemînos invises sub caput Arcti,
Subjectus medius est Cancer: pedibúsque tenetur
Magnus leo tremulam quatiens è corpore flammam.

Navibus assumptis finitimis quærere aplustra

Sub lævâ geminorum obductus parte feretur,
Adversum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra lævum humerum clara obtinet. *
Verùm hæc est magno atque illustri prædita signo.
Contrà, hœdi exiguum jaciunt mortalibus ignem.

Corniger est validò connixus corpore Taurus.

Has Graeci stellas ὑάδας vocitare suerunt.

Nanque ipsum ad tergum Cynosura vertitur arcti.

Obscurâ specie stellarum Cassiepeia.

Hanc autem illustri versatur corpore propter
Andromeda, sufugiens aspectum mœsta parentis.
Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summâ contingit caput alvo, stellâque jungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex astris cupiens connectere nodum.

Exin contortis Aries cum cornibus hæret...

E quibus hinc subter possis cognoscere solum.
Jam cæli mediam partem terit, ut priùs illæ
Chelæ, cùm pectus quod cernitur Orionis.
Et propè conspicies parvum sub pectore claro
Andromedæ signum, Δελτωτὸν dicere Graii
Quod soliti, simili quia formâ littera claret.
Huic spatio ductum simili latus extat utrunque,
At non tertia pars lateris, nam non minor illis,
Sed stellis longè densis præclara relucet.
Inferior paulò est Aries, & flamen ad austri
Inclinatior. Atque etiam vehementius illi
Pisces, quorum aker paulò prolabitur antè,
Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.
At quæ horum è caudis duplices velut esse catenæ
Dicuntur, sua diversæ per limitia serpunt,
Atque unâ tandem in stellâ communiter hærent,
Quem veteres soliti cælestem dicere Nodum.
Andromedæ lævo ex humero si quærere perges,
Adpositum poteris superà cognoscere piscem.
E pedibus natum summo Jove Persea viset,
Quos humeris retinet defixo corpore Perseus,
Quà summâ ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hîc dextram ad sedes intendit Cassiepeiæ,
Diversósque pedes vinctos talaribus aptis,
Pulverulentus uti de terrâ lapsus repentè,
In cælum victor magnum sub culmina portat.
At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ septem vulgò perhibentur more vetusto
Stellæ, cernuntur verò sex undique passim:
At non interiisse putari convenit unam,
Sed frustra temere à vulgo ratione sinè ullâ
Septem dicier, ut veteres statuere poëtæ,
Æterno cunctas ævo qui nomine dignant:
Alcyone, Meropéque, Celeno, Taygetéque,
Electra, Steropéque, simul sanctissima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent,
At magnum nomen signi clarúmque vocatur,
Propterea quòd ad æstatis primordia claret,
Et pòst hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet ut mandent mortales semina terris.
Indè Fides leviter posita & convexa videtur,
Mercurius parvus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in altâ sede locâsse.
Hæc genus ad lævum Nisi delapsa resedit,
Atque inter flexum genus & caput Alitis hæsit.
Nanque est Ales avis, lato sub tegmine cæli
Quæ volat, & serpens geminis secat æra pennis.
Altera pars huic obscura est & luminis expers,
Altera nec parvis nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre jacit quatiens è corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gestit. jam verò clinata est angula vehemens.
Fortis Equi, propter penenti corporis alam.
Ipse autem labens geminis Equus illa tenetur
Piscibus. huic cervix dextrâ mulcetur Aquarî.
* Serius hæc obitus terrai jussit equinis,
Quàm gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore semifero magno Capricornus in orbe,
Quem cùm perpetuo vestivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore cursum.
Hoc cave te ponto fludeas committere mense:
Nam non longinquum spatium labere diurnum:
Non hyberna cito volvetur curriculo nox:
Humida non sese vestris aurora querelis
Ocyùs ostendet, cleri præcuncia solis:
At validis æquor pulsabit viribus auster:
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus:
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
Atque etiam supero navi pelagoque vagato,
Mense, Sagittipotens solis tum sustinet orbem.
Nam jam, cùm minùs exiguo tex tempore prælò est,
Hoc signum veniens poterunt prænoscere nauta.

Jam

Jam propè præcipiti antè licebit viſere nocti,
Ut ſeſe ollendens emergat Scorpius altè,
Poſteriore trahens flexum vi corporis Arcum.
Jam ſuperà cernes Arcti caput eſſe minoris,
Et magis erectum ad ſomnum verſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto jam corpore condit
Extremà propè nocte, & Cepheus conditur antè
Lumborum tenus à palmâ depulſus ad undas,
Hìc miſſore vacans, fulgens jacet una ſagitta,
Quam propter nitens pennâ convolvitur ales,
Et clinata magis paulò eſt Aquilonis ad auras.
At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore, ſed grave mœſtis,
Oſtendit nautis perturbans æquora ſignum.
Tum magni curvus Capricorni corpora propter
Delphinus jacet, haud nimio luſtratus nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas diſterminat unum:
Cætera pars latè tenui cum lumine ſerpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore coruſco,
Sunt inter partes gelidas aquilone locatæ,
Atque inter ſpacium & læti veſtigia ſolis.
At pars inferior Delphini fuſca videtur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina venti,
Viribus erumpit quà ſummi ſpiritus Auſtri.
Exinde Orion obliquo corpore niteus,
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri.
Quem qui ſuſpiciet in cœlum nocte ſerenâ,
Latè diſperſum non viderit, abdita verò
Cætera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Nanque pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille Canis, ſtellarum luce refulgens.
Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia veſper.
Nec toto ſpirans rabido de corpore flammam,
Æſtiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans jacitur mortalibus ardor.
Hic ubi ſe pariter cum ſole in culmina cæli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens animâ vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos, & cortice troncos.
Hunc propter, ſubtérque pedes quos diximus antè,
Oriona, jacet levipes Lepus: hic fugit, ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti:
Nam Canis infeſto ſequitur veſtigia curſu,
Præcipitantem agitans, oriens jam denique paulùm,
Curriculum nunquam defeſſo corpore ſedans.
At Canis ad caudam ſerpens prolabitur Argo,
Converſam præ ſe portans cum lumine puppim:
Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Antè ſolent, roſtro Neptunia prata ſecantes,
Sed converſa retro cæli ſemper loca portat,
Sicut cum cœptant turos conſtringere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Adverſámque trahunt optata ad littora puppim:
Sic converſa verus ſuper æthera vertitur Argo,
Atque uſque à prorâ ad celſum ſinè lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur,
Indè gubernaculum diſperſo lumine fulgens,
Clari poſteriora Canis veſtigia condit.
Exin ſemotam procul in rutóque locatam
Andromedam, tamen explorans fera quæſere Piſtrix
Pergit, & uſque fitam validas aquilonis ad auras
Cærula veſtigat, finita in partibus auſtri.
Hanc Aries tegit, & ſquammoſi corpore Piſces,
Fluminis illuſtris tangentem corpore ripas.
Nanque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funeſtum magnis cum viribus amnem,
Quem lachrymis mœſtæ Phaëtontis ſæpe ſorores
Sparſerunt, letum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis ſub lævâ cernere plantâ
Serpentem poteris: procerâque Vincla videbis
Quæ retinent Piſces, caudarum parte locatâ,
Flumine mixta retro ad Piſtricis terga reverti.
Hìc unâ ſtellâ nectuntur, quam jacit ex ſe
Piſtrix è ſpinâ validâ cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Piſtricem fuſæ ſparſæque videntur
Atque gubernaclum ſtellæ, quas contegit omneis
Formidans acrem morſum Lepus. his neque nomen,
Nec formam veteres certam ſtatuiſſe videntur.

Nam quæ ſideribus claris Natura polivit,
Et vario pinxit diſtinguens lumine formas,
Hæc ille atrorum cultos ratione notavit,
Signáque ſignavit cælestia nomine vero:
Has autem quæ ſunt parvo ſub culmine fuſæ,
Conſimili ſpecie ſtellas pariſque nitore,
Non potuit nobis notâ clarare figurâ.
Exinde, Auſtralem ſoliti quem dicere Piſcem,
Volvitur inferior Capricorno verſus ad auſtrum,
Piſtricem obſervans, procul illis piſcibus hærens:
At propè conſpicies, experteis nominis omnes,
Inter Piſtricem, & Piſcem quem diximus Auſtri,
Stellas ſub pedibus ſtratas radiantis Aquarii.
Proptèr Aquarius obſcurum dextrâ rigat amnem,
Exiguo qui ſtellarum candore niteſcit.
E multis tamen his duo latè lumina fulgent.
Unum ſub magni pedibus cernetur Aquarii:
Quod ſupereſt, gelido delapſum lumine fontis,
Spiniferam ſubter caudam Piſtricis adhæſit.
Hæ tenues ſtellæ perhibentur nomine Aquaï.
Hìc aliæ volitant parvo cum lumine claræ,
Atque priora pedum ſubeunt veſtigia magni
Arcitenentis, & obſcuræ ſinè nomine condunt.
Indè Nepæ cernes propter fulgentis acumen,
Aram, quam flatu permulcet ſpiritus auſtri,
Exiguo ſuperûm quæ lumina tempore trahat:
Nam procul Arcturo eſt adversâ parte locata.
Arcturo magnum ſpacium ſuperà dedit, orbem
Jupiter hunc parvum inferiori in parte locavit.
Hæc tamen æterno inviſens loca curriculo Nox,
Signa dedit nautis, cunctì quæ noſcere poſſent,
Commiſerans hominum metuendos undique caſus.
Nam cùm fulgentem cernes ſinè nubibus atris
Aram ſub mediâ cæli regione locatam,
A ſummâ parte obſcurâ caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus auſtrum.
Quam ſi proſpiciens vitaveris, omnia cautè
Armamenta locans, totò labere per undas:
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celſos defixo robore malos:
Ut res nulla feras poſſit mulcere procellas,
Ni parte ex aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & ſubitis auris diduxerit Ara.
Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit,
Ipſéque cæruleâ contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans veſtiet umbrâ,
Ad ſignorum obitum vis eſt metuenda favoni.
Ille autem Centaurus in altâ ſede locatus,
Quà ſeſe clarum collucens Scorpios infert,
Hac ſubter, partem præportans ipſe virilem,
Cedit, equi partes properans conjungere Chelys.
Hinc dextram porgens, quadrupes quà vaſta tenetur,
Quam nemo certo donavit nomine Graiûm,
Tendit, & illuſtrem truculentus cedit ad Aram.
Hic ſeſe infernis de partibus erigit Hydra,
Præcipiti lapſu flexo cum corpore ſerpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepaï,
Convexóque ſinu ſubiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda.
In medióque ſinu fulgens Cratera relucet:
Extremum nitens plumato corpore Corvus,
Roſtro tundit. Et hic, Geminis eſt ille ſub ipſis
Ante canem, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc ſunt quæ viſens nocturno tempore ſigna,
Legitimo cernens cælum luſtrantia curſu.
Nam quæ per bis ſex Signorum labier orbes
Quinque ſolent ſtellæ, ſimili ratione notari
Non poſſunt: quia quæ faciunt veſtigia curſu,
Non eodem ſemper ſpacio portata feruntur.
Sic mâlunt errare vagæ per nubila cæli,
Atque ſuos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Cùm redeunt ad idem cæli ſub tegmine ſignum.
Quorum ego nunc nequeo totos evolvere curſus:
Verùm hæc quæ ſemper certo volvuntur in orbe
Fixa ſimul magnos edam * gentibus orbes.
Quatuor æterno luſtrantes lumine mundum,
Orbes ſtelligeri portantes ſigna feruntur,
Amplexi terrâ cæli ſub tegmine fulti,
E quibus annorum volitantia lumina noſces,
Quæ denſis diſtincta licebit cernere ſignis:
Tum multos orbes magno cum lumine latos
Vinctos inter ſe, & nodis cæleſtibus aptos:
Atque pari ſpatio duo cernes eſſe duobus.

Nam ſi nocturno cognoſcens tempore cælum,
Cùm neque caligans deterſit ſidera nubes,
Nec pleno ſtellas ſuperavit lumine Luna,
Vidiſti magnum candentem ſerpere Circum,
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
Hic non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed ſpacio multùm ſuperis præſtare duobus
Dicitur, & latè cæli luſtrare cavernas.
Quorum alter tangens aquilonis vertitur auras,
Ora petens Geminorum: illuſtratum genus ardens
In ſeſe retinens Aurigæ portat utrunque.
Hunc ſurâ lævâ Perſeus humeróque ſiniſtro
Tangit. ad Andromedam hic dextrâ de parte tenetur,
Imponſtque pedes duplices Equus, & ſimul ales
Ponit Avis caput, & clinato corpore tergum:
Anguitenens humeris connititur: illa recedens
Auſtrum conſequitur devitans corpore Virgo.
At verò totum ſpatium conveſtit & orbis
Magnus Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo conſiſtens convertit curriculum Sol
Æſtivus, medio diſtinguens corpore curſus.
Hic totus medius circo disjungitur ipſo:
Pectoribus validis atque alvo poſſidet orbem.

* * * *

Hunc octo in partes diviſum noſcere circum,
Si potes, invenies ſupero convertier orbe
Quinque pari ſpacio partes treis eſſe relictas.
Tempore nocturno quas vis inferna frequentet.
Alter ab infernis cancro connectitur auſtris.
Diſtribuens medium ſubter ſecat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquarî,
Cæruleæque feram caudam Piſtricis, & illum
Fulgentem Leporem, indè pedes Canis, & ſimul amplam
Argolicam retinet crebro cum lumine Navem:
Tergáque Centauri, atque Nepaï portat acumen:
Indè Sagittarî defixum poſſidet arcum.
Hunc à clariſonis auris aquilonis ad auſtrum
Condens poſtremum tangit rota fervida Solis:
Exinde in ſuperas brumali tempore flexu
Se recipit ſedes. huic orbi quinque tributæ
Noctúrnæ partes, ſuperâ tres luce dicantur.
Hoſce inter, mediam in partem retinere videtur
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis,
In quo autumnali atque iterum ſol lumine verno
Exæquat ſpacium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries ſubluoet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus connititur ingens:
Orion claro contingens pectore fertur,
Hydra tenet flexu Crateram, Corvus adhæret,
Et paucæ Chelys ſtellæ, ſimul Anguitenentis
Sunt genua, & ſummi Jovis ales nuncius inſtat:
Propter Equus capite & cervicum lumine tangit.
Hoſce æquo ſpacio dejunctos ſuſtinet axis,
Per medios ſummo cæli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine Circus,
Partibus, extremis extremos continet orbes,
Et ſimul à medio mediâ de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare catè contortos poſſiet Orbes,
Quàm ſunt in cælo divino lumine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſverſo retinentes ſydera ſulta.
Quatuor hi motu cuncti volvuntur eodem:
Sed tantum ſuperà terras ſemper tenet ille
Curriculum, obliquè inflexus tribus Orbibus unus,
Quanto eſt diviſus Cancer ſpacio à Capricorno,
Ac ſubter terras ſpacium par eſſe neceſſe eſt.
Et quantos radios jacimus de lumine noſtro,
Queis lunæ convexum cæli tangimus orbem,
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina pari ſpacio cæleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, noſtríque Latini
Orbem Signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis ſex ardentia ſigna.
Æſtifer eſt pandens ferventia ſidera Cancer:
Hunc ſubter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo.
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipſáque contequitur lucens vis magna Nepaï.
Indè Sagittipotens dextrâ flexum tenet arcum.
Poſt hunc ore fero Capricornus vadere pergit.
Humidus indè loci collucet Aquarius orbem.
Exin ſquammiferi ſerpentes ludere Piſces:
Queis comes eſt Aries obſcuro lumine labens,
Inflexóque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.
Hæc Sol æterno conveſtit lumine luſtrans,
Annua conficiens vertentia tempora curſu.
Hic quantum terris convexus pellitur orbis,
Tantundem ille patens ſuperà mortalibus exrat.
Sex omni ſemper cedunt labentia nocte:
Tot cælum juſſu fugientia ſigna reviſunt.
Hoc ſpacium tranans cæcis nox conficit umbris,
Quod ſuperà terras primâ de nocte relictum eſt.
Signifer ex orbe & ſignorum ordine ſultum.
Quòd ſi Solis aves certos cognoſcere curſus,
Ortus Signorum nocturno tempore viſes:
Nam ſemper Signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens ſignis mons obſtruet altus,
Aut adiment lucem cæcâ caligine nubes,
Certas ipſe notas cæli de tegmine ſumes,
Ortus atque obitus omneis cognoſcere poſſis.
Quæ ſimul exiſtant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum nocturno tempore noſces.
Jam ſimul ut ſupero ſe toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapſa Corona,
Et loca conviſit caudâ tenus ſiſera Piſcis.
Dimidiam retinens ſtellis diſtincta Corona
Partem etiam ſuperâ, atque aliâ de parte repulſa eſt:
Quam tamen inſequitur Piſcis, nec totus ad umbras
Tractus, ſed ſupero contectus corpore cedit.
Atque humeros uſque à genibus Cancrúmque recondit
Anguitenens, validis magnum à cervicibus Angoem.
Jam verò Arctophylax non æquâ parte ſecatur:
Nam brevior clarâ cæli de parte videtur,
Amplior infernas depulſus poſſidet umbras.
Quatuor hic obiens ſecum deducere ſigna
Signifero ſolet ex orbi, tum ſerius ille,
Cùm ſuperâ ſeſe ſatiavit luce, recedit,
Poſt mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obſcura tenens conveſtit ſidera tellus:
At parte ex aliâ claris cum lucibus errat
Orion humeris & lato pectore fulgens,
Et dextrâ retinens non caſſum luminis Enſem.
Sed cùm de terris vis eſt patefacta Leonis,
Omnia quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obſcurata, ſimul vis major Aëti
Pellitur: ac flexo conſidens corpore Niſus
Jam ſupero ferme depulſus lumine, cedit:
Sed lævum genuſ atque illuſtrem linquit in altum
Plantam. tum contrà exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui ſeſe fervidus infert
Ante cuem: indè Canis veſtigia prima videntur.
Non pauca è cælo depelleus ſigna repentè
Exoritur candens illuſtria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia: mergitur undâ
Delphinus, ſimul obtegitur depulſa Sagitta:
Atque Avis ad ſummam caudam, primáſque recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hìc Equus à capite & longâ cervice lateſcit.
Longiùs exoritur jam claro corpore Serpens,
Craterâque tenus lucet mortalibus Hydra.
Indè pedes Canis oſtendit jam poſteriores,
Et pòſt ipſe trahit claro cum lumine puppim:
Inſequitur labens per cæli numina Navis:
Hæc medium oſtendit radiato ſtipite malum:
Et jamjam toto proceſſit corpore Virgo.
At cùm procedunt obſcuro corpore Chelæ,
Exiſtit pariter largâ cum luce Bootes,
Cujus in adverſum eſt Arcturus corpore fixus,
Totáque jam ſuperâ fulgens prolabitur Argo,
Hydráque, quòd latè cælo diſperſa tenetur,
Nondum tota latet, non caudam contegit umbrâ.
Jam dextrum genus, & decoratam lumine ſuram
Erigit ille vagans vulgato nomine Niſus,
Quem nocte extinctum atque exortum vidimus unâ
Perſæpe, ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hìc genus & ſuram cùm Chelys erigit aliè:
Ipſe autem præceps obſcurâ nocte tenetur.
Dum Nepa & Arcitenens inviſant lumina cœli.
Nam ſecum medium pandet Nepa, tollere verò
In cælum totum exoriens conabitur Arcus.
Hìc tribus elatus cum ſignis corpore toto
Lucet: at exoritur mediâ de parte Corona,
Caudáque Centauri extremo candore refulget.
Hìc ſe jam totum cæcus Equus abdit in umbras,

Quem

Quem rutilâ fulgens plumâ prætervolat Ales:
Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Piſtrix
Labitur horribiles epulas funeſta requirens.
Hanc contra Cepheus non ceſſat tendere palmas:
Illa uſque ad ſpinam mergens ſe cærula condit:
At Cepheus caput atque humeros palmáſque reclinat.
Cùm verò vis eſt vehemens exorta Nepaï,
Latè fuſa volat. per terras fama vagatur,
Ut quondam Orion manibus violâſſe Dianam
Dicitur, excelſis errans in collibus amens,
Quos tenet, Ægæo defixa in gurgite Echineis,
Brachia cui viridi conveſtit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat,
OEnopionis avens epulas cœnare nitentes:
At verò pedibus ſubitò perculſa Dianæ
Inſula diſceſſit, diſjectáque ſaxa revellens
Perculit, & cæcas luſtravit luce lacunas:
E quibus ingenti exiſtit cum corpore præ ſe
Scorpios infeſtus præportans flebile acumen.
Hic valido cupidè venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens conſtravit corpore terram.
Quare cùm magnis ſeſe Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum verò fugit Andromeda, & Neptunia Piſtrix
Tota latet, cedit converſo corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput & ſuperas potis eſt demergere partes,
Infera lumborum nunquam conveſtiet umbra:
Nam retinent Arcti luſtrantes lumine ſuras.
Labitur illa ſimul gnatam lachrymoſa requirens
Caſſiepeia, neque ex cælo depulſa decorè
Fertur: nam verſo contingens vertice primùm
Terras, poſt humeros eversâ ſede refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereïdes almæ,
Cum quibus, ut perhibent, auſa eſt contendere formâ.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ eſt
Altera, cum caudáque omnis jam panditur Hydra.
At caput & totum ſeſe Centaurus opacis
Eripit è tenebris, linquens veſtigia parva
Antepedum contecta: ſimul cùm lumina pandit
Ipſe feram dextrâ retinet. Prolabitur indè
Anguitenens capite & manibus: profert ſimul Anguis
Jam caput & ſummum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur converſo corpore Niſus,
Alvum, crura, humeros, ſimul & præcordia luſtrans,
Et dextrâ radios læto cum lumine jactans.
Indè Sagittipotens ſuperas cùm viſere luces
Inſtitit, emergit Niſi caput: & ſimul effert
Seſe clara Fides, & promit corpore Cepheus.
Fervidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbrâ.
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapſu.
Indè obiens Capricornus ab alto, lumine pellit
Aurigam, inſtantémque Capram, parvos ſimul Hœdos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem,
Crus dextrúmque pedem linquens, obit infera Perſeus
In loca, tum cedens à puppi linquitur Argo.
Obruitur Procyon, emergunt Alites unà,
Et volucris terris exiſtit clara Sagitta.

* PROGNOSTICA.

* Ut cùm
Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæcâ caligine tecti.

Aſt autem tenui quæ candent lumine Phatnæ

Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpe futuros
Inflatum mare, cùm ſubitò penitúſque tumeſcit,
Saxáque cana ſalis niveo ſpumata liquore,
Triſtificas certant Neptuno reddere voces:
Aut denſus ſtridor cùm celſo è vertice montis
Ortus adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu.
Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud medicos tremulo fundens è gutture cantus.

Vos quoque ſigna videtis aquaï dulcis alumnæ
Cùm clamore paratis inanes fundere voces,
Abſurdóque ſono fontes & ſtagna cietis.
Sæpe etiam pertriſte canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas,
Cùm primùm gelidos rores aurora remittit.
Fuſcáque nonnunquam curſans per littora cornix,
Demerſit caput, & fluctum cervice recepit.
Mollipedéſque boves ſpectantes lumina cæli
Naribus humiterum duxere ex ære ſuccum.

Jam verò ſemper viridis ſempérque gravatâ,
Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Cætera Deſiderantur.

ARATI PHÆNOMENA,

RUFO FESTO AVIENO PARAPHRASTE.

CArminis inceptor mihi Jupiter: auſpice terras
Linquo Jove, excelſam referat dux Jupiter æthram:
Imus in aſtra, Jovis monitu: Jovis omine cælum,
Et Jovis imperio mortalibus æthera pando.
Hic ſtatio, hic ſedes primi patris, iſte paterni
Principium motûs, vis fulminis iſte coruſci,
Vita elementorum, mundi calor, ætheria ignis,
Aſtrorúmque vigor, perpes ſubſtantia lucis,
Et numerus celli modulaminis: hic tener aër,
Materiæque gravis concretio, ſuccus ab alto
Corporibus cælo, cunctarum alimonia rerum,
Flos & flamma animæ, qui diſcurrente meatu,
Mentis primigenæ penetralia dura reſolvens,
Implevit largo venas operatus amore,
Ordinis ut proprii fœdus daret iſte, calorem:
Quo digeſta capax ſolidaret ſemina mundus,
Inſeruit rite hunc primum, medium, atque ſecundum.
Vox ſecreta canit ſibi nam permixtus utrinque,
Et ſultus ſeſe geminum latus, unus & idem eſt
Auctor agendorum, propriſque patrator amoris.
Et mundi verè paſtor ſacer, hic chaos altum
Lumine perrumpit: tenebrarum hic vincula primus
Solvit, & ipſe parens rerum fluitantia fixit:
Hic diſperſa locis ſtatuit primordia juſtis:
Hic digeſtorum ſpeciem dedit, iſte colorem
Impoſuit rebus, ſertúque immixtus utroque,
Atque ævi paritet gemini, ſimul omnia luſtrans
Sufficit alterno res ſemine: rerum opifex hic,
Hic altor rerum, rex mundi, celſa poteſtas
Ætheris atque Erebi, pigra inclinatio nodi,
Inſociabilium diſcretio juſta deorum,
Cujus & extremum tellus opus, ignea cujus
Lumina ſunt latè, ſol, & ſoror: ille diei
Tendat ut infuſi rutilum jubar, altera noctis
Ut face flammanti tenebroſos rumpat amictus:
Nec deſit genitis pater ullo in tempore rebus.
Iſtius ille anni pulcher chorus, alta ut hebeſcat
Terra gelu, ver ut blandis adrideat arvis,
Pulverulenta ſiti tellurem ut torreat æſtas,
Et gravis autumni redeat fœtura parentis:
Hoc duce per tumidi ferimur freta gurgitis, iſto
Præceptore ſolum gravibus verſamus aratris:
Iſte modum ſtatuit ſignis, hic rebus honorem
Infundit, tenebris hic interlabitur æthræ:
Viſcera, & æternos animat genitabilis artus.
Denique ne longum marcentia corda jacerent,
Mundanſque ortûs mens immemor, omnia ſenſim
Vilia conciperet, neque ſe ſubduceret unquam,
Fontis in æterni primordia, quo velut amnis,
Quem feſtina citis urget Natura fluentis,
Lapſu continuo ruituræ in corpora noſtra
Prorumpunt animæ, ſeriémque per æthera nectunt.
Hic primum Cnidii radium ſenis intulit altris,
Mortalémque loqui docuit convexa deorum,
Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes,
Autumni reditu: cur ſub gelido Capricorno
Bruma pruinoſi juga triſtia ſolveret anni:
Cur ſpacium lucis, madidæ cur tempora noctis
Libra celérque Aries demerſo pondere Olympi
Æquarent, qua parte Polus ſublimior alto
Cardine cæruleas Thetidis non tangeret undas?
Quis Polus umbrifero lateat declivis in axe,
Et vaga pallanti cur ſigna errore ferantur:
Quæ rurſum ingenio numeriſque Solenſibus idem

Surgere nocturno jubet inter ſidera motu.
Hic ergo inſignes ardens venas Ophiuchus,
Hic rigidos artus formæ Anguitenentis honore
Arduus, hic tantos humeris vibrantibus ignes
Evomit, ut pleno cùm Luna niteſcit in orbe,
Menſtruáque ingenti jam tempora dividit ortu,
Nequaquam lentis obſcurior ex humeris lux
Marceat: at manibus non compar flamma rubeſcit.
Nam ſuffuſa levi reſplendent ultima luce:
Sed cerni ſunt prompta tamen: poſtremáque parco
Igne micant, ille angue manum conſertus utranque
Erigitur, ſerpénſque dehinc elabitur ambas
Flexilis, & medium cingit ſpiris Ophiuchum:
Quem ſuper hærentem plantarum mole duarum
Scorpios in geminas effuſus viſcera partes,
Afflictúſque oculos, maculoſáque pectora preſſus,
Sultinet. attignas evolvitur Anguis in auras,
Agmine non æquo, neque tanta volumina compar.
Nam quà dextra manus ſinuoſo affigitur Angui,
Parciùs ab domino terga explicat, altera porrò
Plurimus, ac multo per lævum pondere lapſus
Funditus: & rutilo quà lux ſedet ignea mento,
Uſque Ariadnææ ſeſe vicina coronæ
Lubricus inclinat. pòſt ſpreta brachia quondam
Formidata truci ſuſpexeris Orioni:
Hæc conceſſa etenim curvis mercatio velis.
Huc falcata Hiodii repſerunt cornua monſtri,
Siderea nimiùm facis indiga: nanque hebes ollis
Ignis & obtuſo marcent incendia crine.

B O O T E S.

Calliſto rutilat ſtellis, quibus atque ferinam
Prona ſit effigiem, quo cardine torqueat axem,
Semper in occiduis attollens lampada flammis
Arctophylax, ſive, ut veteres cecinere, Bootes,
Famoſa Arcadici teſtans commenta tyranni.
Et licèt inſtanti ſimilis, ſimilíſque minanti
Terga Helices juxtà premat arduus, haud tamen unquam
In picturatæ plauſtrum procurrere matris
Fas datur, antiqui quoniam contagio in illo
Criminis, & veterum prohibetur culpa malorum.
Nec minùs in membris lux olim maxima vibrat
Omnibus, ardet apex capiti, micat ignea latè
Dextera flammam, * humeri flammam movet inſtar
Inter utrunque femur, quà ſe confinia lucis
Diducunt pedibus, major quà luminis auras
Verberat, & rutilo ſidus magìs æſtuat aſtro.
Nam locus Arcturo ſacer * adſcribitur, illinc
Aurea quà ſummos adſtringunt cingula amictus,
Ebria flammanti conſurgit ſtella rubore.

V I R G O.

Quà protenduntur veſtigia ſumma Bootis,
Quáque per immenſum circumflagrantibus aſtris,
Circulus obliquo latè jacet Aſtriger orbe,
Contemplare ſacros ſubjectæ Virginis artus.
Quam te, quam memorem! ſive eſt genitor tibi ſummus
Jupiter ex Themide in terras demiſſa parente:
Seu patris Aſtræi clarum es genus, aurea cujus
Sidera ſunt proles, & qui pro munere morum
Inculpabilium nomen dedit omnibus aſtris:
Aut Peluſiaci magìs es dea littoris Iſis,
Digna Poli conſors, & cura latrantis Anubis:
Seu tu diva Ceres, ſic nam tibi flagrat ariſta,
Et ceu Siriaco torretur ſpica calore:
Protentata manu ter quæ pernicibus alis,
Nec ſat certa gradum, viduatáque vertice ſummo
Fluxipilæ veſtis veſtigia, lubricum ut ævum
Sors agat, & ſubitis obrepat mobile fatum
Temporibus, precor in terras procul æthere ab alto
Flecte oculos, placidámque meis venerabilis ora
Pande ſacris aurem. Tu cùm ſincera priorum
Vita hominum nullis ageret ſub legibus ævum,
Aureáque innocuos ſervarent ſecula mores
Sponte ſuâ, nec criminibus via prompta pateret,
Inter confuſos populorum libera cœtus
Verſabare libens, nullíque obnoxia culpæ
Corda inhibens media, caſto res more tenebas:
Nullus telluri limes datus, indice nullo
Culta ſecabantur, neque jam diſcretio campum
Metiri in dominos monſtraverat: omnia rerum
Uſurpantis erant, promiſcua thura per agros
Præſtiterant cunctis communia cuncta videri.
Denique cùm placidas crebrò Dea viſeret urbes,
Tectáque juſta virûm paſſim ſuccederet illa,
Ferventis latè pelagi natura, ſalúmque
Fluctibus inſtabile, & glauci vada turgida ponti,
Quà ſenior cano nutrit ſub gurgite Nereus
Delphinos virides, & phyſeteras anhelos,
Ignorata ſuo ſecluſáque fine jacebant.
Nulla fides undis, tumido commercia fluctu
Nulla petebantur: neque longis navita terris
Inſinuare ratem jus fecerat, exul ut oris
Omnibus externas veheret per inhoſpita gazas
Æquora, & inſano penderet ſæpe profundo
Omnia: ſed cunctis naſci dabat aurea terris
Juſtitia, & nullo diſcreverat æëre regna.
At poſtquam argento deformis viluit ætas,
Rariùs in terras os inclinabat honeſtum
Jam Dea, vix ſummos adlabens denique monteis,
Cùm cedente die Phœbus ſub nocte propinquâ
Occiduus pronos urgeret in æquora currus,
Uſurpandam oculis ſe dabat adcurrentum:
Non ut feſſa virûm repararet gaudia vultu,
Sed crepulâ ut latè vomeret convicia voce.
Parcite vile genus, lachrymis aiebat obortis:
Cauſa querelarum veſtrum eſt ſcelus, aurea quondam
Judice me veſtri vixerunt ſecla parentes.
Degener in vobis animus, ſolertia vobis
Pervigil, arte novâ vitam traducere mos eſt:
Omne ævum ſtudiis excuditis: hinc quoque rurſum,
Proh pudor atque dolor, naſcetur vilior ætas.
Et lacerata genas ibit Bellona per urbes
Sauc a, ut infidas agitent certamina mentes.
Hæc ubi permœſto rauco congeſſerat ore,
Alite procurſu ſeſe in convexa ferebat
Protinus, atque oculos fugiens exoſa ſequentum
Linquebat cœtus hominum. ruit hæc quoque rurſum
Vivendi ſeries, ac ſucceſſere pudendo
Ærea ſecla habitu: fraus ilicet, & furor ardens,
Atque cruentus amor chalybis, ſeguíque libido,
Et maleſuada lucri rabies ſubit omnia, terror
Degener, ac mœſtæ facies formidinis implet:
Secreti immodicus vada gurgitis ultima verſat
Tiphys; Agenoreo color hinc mentirier oſtro
Incipit, Aſſyriúmque bibunt nova vellera ſuccum,
Ebria ut extremo ſplendeſcat lana veneno,
Sic juſta in populos mox Virginis inculpatæ
Exarſere odia, & cælum pernicibus intrat
Diva alis, ſpaciúmque ſibi ſubvecta per auras,
Unde procul terras ſummâ vix cerneret æthrâ,
Propter anhela libens latè capit aſtra Bootis.
Iſtius extremis humerorum partibus urget
Stella facem, qualique rubent incendia flammâ,
Quæ ſubjecta procul caudam majoris ad Urſæ
Vertice brumalis circunvolvuntur Olympi:
Talis utrique modo ſimul & fulgore micat lux
Plurima: quippe procul clarè fax ardet in Arcton.
Nec contemplandi labor anxius, omnia primis
Obvia ceu vibrant obtutibus, unus ob ora
Quæ ſunt prima ferè veſtigia, præminet Ignis:
Altera quà pedibus regio eſt clunalibus, ardet
Stella itidem, genibúſque dehinc ſe tertia promit,
Æmula quà rutilæ flagrant confinia caudæ.
Non tamen his ſpecies, non ſunt cognomina certa,
Sed permixta ſimul vulgi vice convolvuntur.

G E M I N I.

Illa quidem ſupero conſerta relabitur axe,
Inſcia piſcoſi ſemper ſalis, ipſius autem
Subjectos capiti Geminos tibi cernere fas eſt,
Spartanam Geminos ſobolem, prolémque tonantis
Egregiam, & proprio pòſt reddita numina cælo.
Nam Lacedæmoniis Mars cùm calviſſet Aphidnis,
Caſtora Cecropii tulit inclementia belli:
At frater lucémque & fata ſuperſtitis ævi
Exoſus, ſortem lachrymis efflagitat æquam:
Protinus alternæ germanos tempore vitæ
Jupiter attollit, cælſque in celſa receptans
Æternæ flagrare facis jubet ignibus ambo.

C Á N C E R.

Alvo Helices Cancer ſubvolvitur: aſtráque Cancro
Juno novercales ut ſemper proderet iras,
Præſtitit. hic etenim Lernæi gurgitis Hydram
Ureret Alcides, cùm flammiger auſus in ipſum
Repere victorem, quà duro concava dorſo
Tegmina curvantur, geminus micat ardor in auras:

Hinc

Hos dixere Asinos, ortos Thesprotide terrâ,
Et sidus Lenæe tuum disterminat aër
Crassior. hos itidem qualis præsepibus esse
Forma solet, dispar Chelarum flamma coruscat.
Nanque tribus stellis adoletur dextera Cancro:
Læva duas pigro succendit fomite flammas.
Qui postrema pedum rutilant vestigia in Arcto,
Maxima flammigeri mundus trahit ore Leonis.
Membra dehinc longi quà sese semita cæli
Plurima protendit, torrentur fomite acuto
Singula, & assiduis ardet Leo viscera flammis.
Hic Hyperionii flagrat via solis, & isto
Se duce cærulei referunt momenta caloris.
Tunc succisa Ceres statim cum mergite culmi
Construitur, flavos tondentur semina crines
Omnia, & advectas latè coquit area messes.
Tunc & Threicii repetunt animosa aquilones
Flabra polo, tunc Oceanum stata flamina cæli
Propellunt pelagus: longis hoc tempore in anni
Ocia sunt remis: pontus vehit ipse carinas.

AURIGA.

Aurigatorem par sit quoque cura videre:
Nanque tuas aures implebit fabula soleis
Cretæi pecoris: hæc lac memoratur alumno
Infudisse Jovi Capra, nutrix dicta tonantis.
Stelligero subvecta polo est: illi impiger autem
Pulcher Erichthonius, currus & quatuor olim
Junxit equos, pronus qui non procul in Geminorum
Læva jacet, fusóque super se corpore tendit
Plurimus, atque Helices caput inclinatur ab ore.
Ille quidem in spacium membra explicat: at Capra lævo
Fixa humero clarè sustollitur: ipsius autem
Fine manus parvas Hœdorum suspice flammas.
Qui postquam Oceano sese expediere sonoro,
Sæva procellosis immittunt flabra fluentis,
Ut spumosa truci pulsentur littora fluctu,
Et vaga cæruleas involvant æquora puppes.

TAURUS.

Nec minùs Aurigæ quà sunt vestigia curvi,
Cornigeri latè tenduntur pectora Tauri.
Illic tetosam pecoris perquirere frontem
Esto memor: flexo jacet illic crure, minaces
In terram figens oculos: tum cætera signa
Flammarum similem procul inter sidera formam
Ostentare valent: gemino sic cornua ductu
Erigit ætherii rigor ignis & ignis utrinque.
Sic camuris ardet protractibus, haud tibi signis
Perquirenda aliis pecoris frons æqua refurget:
Oceano proprio Taurum deprenderis ore.
Cornua sic verâ sub imagine curva dehiscunt:
Sic mediam creber pecori frontem asperat ignis:
Sic Hyades Tauri toto procul ore coruscant.
At boream lævo quà Taurus acumine pulsat,
Desuper Aurigæ dexter pes imminet astro.
Una pedem Aurigæ dextrum cornúque sinistrum
Stella tenet pecoris: simul in convexa feruntur:
Sed prior occidui Taurus subit æquoris undas.

CEPHEUS.

Nec mea musa senem tacitum Cephea relinquet:
Iasidem quoque summa poli Cephea revolvunt:
Illum quinetiam rutilæ pater intulit æthræ,
Donavitque polo. tergum Cynosuridos Ursæ
Post habitat, geminásque manus à pectore tendit.
At diducta pedes tamen huic mensura senilem
Dividit, extremâ quantum pede distat ab Ursâ.
Non eget hujus enim sedes sacra numinis hilum.

CASSIEPEIA.

Rursum declivi si visum tramite vergas,
Prima tibi ut flexi linquatur spira Draconis,
Infortunatam spectabis Cassiepeiam.
Sed nec multa tamen, cùm cælum lumine toto
Luna replet, tetram ut superet fax aurea noctem,
Occurret genitrix oculis quærentibus: adsunt
Lucida mœrenti, tenuis rubet ignis, & ægre
Lux hebes est matri: vix qualem Caria quondam
Noverat intrantem per claustra tenacia clavem,
Formatur stellis distantibus: inque humeros vix
Tenditur angustos, natæ fera fata retundunt.

ANDROMEDA.

Nanque subest, teretisque poli simul orbe notatur
Andromeda incendi, quæ semper luce coruscans
Sponte oculos in membra rapit: face denique vertex
Ardet anhelanti, geminámque per æra fundunt
Lucem humeri, & summis lux æstuat ignea plantis:
Ignea quinetiam per cælum singula flagrant
Andromedæ, & toto vibrant in corpore flammæ.
Sed tamen hìc etiam vivax est pœna dolenti:
Nam diducta ulnas magnâ distendit in æthrâ,
Vinculáque in cælo retinent quoque tenuia, quippe
Brachia contortis adstringunt nubila nodis.

EQUUS.

Rursus odorato quæ vertex crine tumescit,
Andromedæ capiti succingitur indiga pleni
Alvus Equi, summo quam fax in vertice vibrat
Virginis, inque auras cornu vice surgit acuti.
Ipsa sub abscisso latè micat aurea ventre,
Cornipedis simul hunc lux indiscreta renectit,
Communsque rubent duo semper sidera flammâ.
Treis latus atque armos aliæ pecoris pinxere,
Et spatio disjuncta pari fax æmula flagrat.
Plurimus ignis inest, valto globus æstuat orbe.
Sed non & capiti similis rubor, ipsáque cervix
Quamvis procero surgat juba maxima collo,
Languida marcenti vix est spectabilis igne.
Ultima quæ mento sese explicat, haud minor illa
Quatuor est primis quæ formam lumine claro
Cornipedis simulant: non hinc Equus integer artus,
Non quadrupes cælo sustollitur, at tenus alvo
Erigitur, medià jam cætera ponè negantur,
Et quatit ætherias primis modò cruribus auras.
Nunc hunc Aonio quondam memorant Helicone
Inclyta post Lyciæ redeuntem bella Chimæræ,
Mystica quà rupes doctis obmurmurat antris,
Herbarum carpsisse comas, & gramine odoro
Expleviſſe famem, sed cùm sitis arida fauces
Ureret, ac nullo manaret gurges hiatu,
Illisisse pedem, cornúque excita repentè
Lympha camœnalem fudit procul Hippocrenen.
Aones hoc latici posuerunt nomen equino
Pastores: strepit hæc placido inter saxa susurro,
Atque Helicone cadens sese sitientibus herbis
Inserit, Ascræas donec vaga gurgite valles
Vivificet, rigat has animas & Thespia pubes
Semper, & in latices inhiat gens fontis alumni.
Ast Equus alterno redit inter sidera motu,
Oceanique salo caput exerit, haud tibi magni
Cura laboris erit cœlo spectare sereno
Cornipedem: micat ille procul flagrantibus astris,
Et perfusa recens educit pectora ponto.

ARIES.

Tunc celer ille Aries, longi qui limitis orbe
Æthera percurrens, nunquam Cynosuridos Ursæ
Segnior ablapsu convertitur, haud procul altro
Visus Equi, magno celsum secat æra motu.
Parcior hic rutilæ semper facis, indigus ignis
Spectatur justi. nam quanti luminis astra
Esse solent, aciem quibus aurea Luna retundit,
Marcida lanigeri tantum se forma sub auras
Exerit: in tenui quanquam primordia Phœben
Orbe habeant, nullóque decus dea proferat ore.
Sed licèt hunc oculis frustra sectere per æthram,
(Nam semper propriis caret ignibus) en tibi propter
Andromedæ claro rutilantia cingula in astro
Suspectanda patent. vocat ingens baltheus ultro
Quærentem, non longà Aries statione locatus,
In convexa redit parvo se tramite: subter
Distinet & medio cælum citus ordine currit,
Ultima Chelarum quà brachia, quáque corusco
Circulus axe means rutilum secat Oriona.

DELTOTON.

Est etiam Graio quod semper nomine nostri
Deltoton memorant: simile est latus illud utrunque:
Porrigitur summum signo caput: angulus arctat,
Et gemini suprema jugi vicinia mordet.
Tertia quæ stantes sustentat linea ductus,
Parcior, haud simili sese sub limite tendit,
Et contracta modum geminâ face flammigerarum

Stel-

Digitized by Google

Stellarum ſuperat. quin & quæ ſubter in aſtro
Lanati marcent pecoris, pluvióque tepeſcunt
Jam vicina noto, minor iſtic linea luce
Et fulgore facis prævertitur: at locus olli
Poſt tergum Andromedæ, ſic ſe tulit ordo dicatus.

PISCES.

Hinc ſi vicino flectaris lumina viſu,
Inque notum ſenſim boreali ab cardine doctus
Inclinere oculos, proles tibi tertia Piſces
Surgent Bombycii: ſedes data quippe duobus
Piſcibus, ingenti quà celſam circulus æthram
Orbe ſecat, tendit quà penna extrema ſiniſtræ
Ales equus, mundo quà pectora Laniger alto
Urget, & adverſo ſurgentem corpore Taurum
Reſpicit, hinc medio ſignantur ſidere Piſces:
Quorum alius rigidâ conſurgit in aëra formâ
Celſior, & boream propior ſapit alter aquarum,
Troïcus haurit aquas, fundítque ephebus ab urnâ:
Ponè avidus jacet in notiſia nubila pronus.
Sed tamen hi latè ſtellis ex ordine ſuſis
Nectuntur caudas, & lenta trahuntur utráque
Vincula, per cælum coeunt quæ cingula rurſum,
Et rutilo confixa quaſi ſuper igne tenentur,
Cæleſtem memorat quem ſolers Græcia Nodum.

PERSEUS.

Ex humero Andromedæ lævo quoque noſcere Piſcem,
Qui rigidum celſi ſuſpectat cardinis axem,
Perfacile eſt: ulnæ nam proximus iſte ſiniſtræ
Cærulus erigitur. Quin & veſtigia propter
Perſea ſub volucri par eſt tibi quærere formâ
In caput ſnque humeros rotat ægram machina mundi
Andromedam: Threïci nam ſub flabris aquilonis,
Nititur alato vindex pede, maxima cujus
Dextera mœrentis ſolium prope Caſſiepeiæ,
Tenditur, ingentíque dehinc veſtigia paſſu
Pulverulenta quaſi cano procul aëre pandit.

PLEIADES.

Pleïades ſemoris pariter ſub fine ſiniſtri
Perſeus protollit: locus has habet arctior omnes
Connexas * lentæ ſacis haud procul iſtas
Oſtentat rutili lux ſideris, ægra ſororum
Lumina, nec claro flagrat rubor aureus aſtro.
His genitor, vero ſi fluxit fabula fonte,
Pœnus Atlas, ſubiit celſæ qui pondera molis,
Cæliger, atque humero magnum ſuper æthera torquet.
Fama vetus ſeptem memorat genitore creatas
Longævo: ſex ſe rutila inter ſidera tantùm
Suſtollunt. ſeptem fert fabula priſca ſororum
Nomina, ſex ſeſe tenui ſub lumine reddunt,
Electra, Alcyone, Celæno, Taygetéque,
Et Sterope, Meropéque, ſimul famoſáque Maia.
Prole dei cerni ſex ſolas carmine Mynthes
Aſſerit: Electram cœlo abſceſſiſſe profundo
Ob formidatum memoras priùs Oriona.
Pars ait Idææ deflentem incendia Troïæ,
Et numeroſa ſuæ lugentem funera gentis,
Electram tetris mœſtam dare nubibus orbem,
Sæpius obſcuris caput ut ſit cincta tenebris:
Nonnunquam Oceani tamen iſtam ſurgere ab undis,
In convexa poli, ſed ſede carere ſororum:
Atque os diſcretum procul edere deſtitutam,
Germanóque choro ſobolis lacerata ruinis,
Diffuſámque comas cerni, criníſque ſoluti
Monſtrari effigiem: diros hos fama cometas
Commemorat tritti procul iſtos ſurgere formâ.
Vultum ardere diu, perfundere crinibus æthram,
Sanguine ſub pingui rutilóque rubere cruore.
Quin Merope addit poſtquam Siſyphëia vincla,
Et thalamos ſævo ſortita eſt omine divûm,
Indignam aërîâ credunt magè ſede fuiſſe.
Sic anceps numeri ſit fabula, ſéxque per æthram,
Vergilias cerni tenet uſus, ſed ſimul omnes
Arctavere globum: ter in auras angulus exit
Flammiger, & mixtis Atlantides ignibus ardent.
Nec tamen eſt famæ ſimilis vigor, ampla ſorores
Fabula nobilitat: modus ollis parcus, & ignis
Vix tenui longè face ſit ſpectabilis iſtas
Alterno redeunt cùm bina crepuſcula mundo,
Seu nox auſtrales adolet cùm cærula flammas,
Seu matutinus cùm ſidera diſjicit ortus,
Convolvi cælo ſummæ pater annuit æthræ.

Nec minùs arenti cùm crine attollitur æſtus,
Et cùm cana comas redit anno bruma rigenti,
Tempora deſignant. nam ſi ſe gurgite tollunt
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies: ſi condunt æquore flammas,
Tellurem preſſo proſcindere tempus aratro.

LYRA.

Eſt Chelys illa dehinc, tenero qua luſit in ævo
Mercurius, curvâ religans teſtudine chordas,
Ut Parnaſſeo munus memorabile Phœbo
Formaret nervis opifex deus. hanc ubi rurſum
Concentûs ſuperi complevit pulcher Apollo,
Orphea Pangæo docuit geſtare ſub antro.
Hic jam fila novem docta in modulamina movit,
Mutarum ad ſpeciem: Musâ ſatus ille repertor
Carmina Pleiadum numero deduxerat: at cùm
Impia Baſſaridum carpſiſſet dextera vatem,
Et devota virum tegeret Libethra peremptum,
Intulit hanc cælo miſeratus Jupiter artem
Præſtantis juvenis, pecudes qui & flumina vates
Flexerat: Adnixi quà ſemet ſidera porrò
Suſtollunt, lævum propter Chelys hæc femur adflat.
Advolat aſt aliud latus Ales, & ore canoros
Tenditur ad nervos, mediâ eſt [illegible]a ſede dicata
Cyneo capiti, curvo contermina ſigno.

CYCNUS.

Nunque & ſidereis Cycnus ſecat æthera pennis,
Donatus cælo, non claro lucidus aſtro,
Sed tamen os flagrans, & guttura longa coruſcans,
Grandibus haud equidem ſtellis, non his tamen atris
Obſcuríſve micat, trahit in convexa volarum
Perfacilem, & dextro latè Cepheïda dextram
Radens remigio, ſumma ad veſtigia lævam
Declinatur Equi: ſic magno præpes Olympo
Subvchitur, ſubit occidui ſic marmoris undas.

AQUARIUS.

Nam poſt Cornipedem flagrant duo ſidera Piſces,
Piſces Bombycii: caput autem ſubter equinum
Laomedontiadæ ſe dextera tendit ephebi.
Ipſe dehinc longos inſignis Aquarius artus,
Adſtat ad hirſuti caudam pulcher Capricorni.

CAPRICORNUS.

Imus ut auſtrali deſcendit circulus axe
Signifer, ſnque notum rutili cadit orbita ſolis,
Hiſpida ſetoſi marcet ſpecies Capricorni.
Huc cùm Threïcio veniens à cardine Phœbus,
Vertit iter, pulſúſque deum, mirabile dictu,
Brumalis redigit, non tum mihi longa phaſelis
Æquora tententur, non tum freta turbida pinu
Quis petat: anguſto decurrit tramite nanque
Parva dies, vaſtóque dehinc deprenſus in alto,
Nequicquam pigræ clamârit ſidera lucis:
Interea totis notus acer ſæviet undis,
Excitúmque ſalum verret notus. aurea ſolis
Cùm rota cornigeri ſidus pepulit Capricorni,
Tum dirum cælo frigus redit: aſpera nautis
Tunc ſunt fluctivagis: tamen iſti ſæpe malorum
Immemores, agitant totos in fluctibus annos,
Mergorum & focæ ſimiles: trahit unda patentes,
Ac retrahit: quærunt oculis diſtantia longè
Littora, & in pontum cogunt lucra ſemper hiantes.

SAGITTARIUS.

Par metus ex pelago tibi ſit quoque, ſole Sagitta
Cùm levis adflator, cùm lux in arundine flagrat,
Ignis mundani cùm tela extrema coquuntur,
Cúmque Sagittiferi torret vapor aureus Arcus.
Tum quoque ſi piceam ſpectâris ſurgere noctem,
Informem tetris tellurem ut veſtiat alis,
Littus ama, fuge ſolers cærula tegmina noctis,
Exitiúmque ſali, rabidíque pericula ponti
Anteveni, jam ſolve memor vaga carbaſa malo,
Jam prolixarum jaceat rigor antennarum.
Mentis at infanſti vel duri ſideris index
Scorpius exoriens ſit tempore noctis adultæ.
Hic matutino veniens procul æquore cælum
Exigit è pelago, telum trahit ultima cauda.
Conctatur pigro poſt tergum ſidera juxta,
Arcitenens tardos & gurgite liberat artus.
Tum Cynoſura & jam maturæ in tempore noctis

Altiùs

Altiùs in boream fuſtollitur, abditus autem
Orion redeunte die, tum brachia Cepheus,
Protentáſque manus, mediámque immergitur alvum.

SAGITTA.

Quin nôrunt alium ſuperûm convexa Sagittam:
Sed tamen hæc arcu tereti caret, inſcia nervi:
Inſcia nam domini eſt: cælum ſuper advolat ales,
Ales Olor, ſed Threïcio conterminus axi,
Cana pruinoſas extendit colla ſub Arctus.

AQUILA.

Armiger hanc etiam Jovis advolat, arbiter ignis
Ætherii, ſed membra minor: procul hic tamen alto
Cùm redit à pelago, & movet in convexa volatum,
Fine tenebrarum, ſummæque in margine noctis,
Spumoſum latè mare ſubruit, omnia cæli,
Omnia terrarum mox flabra procacia verrunt.

DELPHIS.

Tum curvus caudam ſubit inter ſidera Delphis,
Dux Neptune tui quondam ſuper æquor amoris.
Hic jam detruſæ in latebras procul Amphitrites,
Arduus occiduos humeris ubi ſuſtinet axes
Pleïadum genitor, præuperat hic vagus omni
Gurgite dilectam domino maris ultimo ab orbe.
Mollis dorſa tulit: breve ſigno corpus in aſtris,
Et ſuper auritum ponto ſurgit Capricornum:
Hic medios artus teter ſtupet, altera porrò
Quattuor illuſtrat facibus rubor aureus, atque
Bis gemino diſcreta ſitu micat ignipotens lux.
Omnia quæ ſoli & rigido intertuſa aquiloni,
Ætheris incurvi moles rotat, ſnque frequentes
Occaſus ortúſque trahit moderator Olympi,
Sunt digeſta mihi, quæ rurſum limite abuſque
Seſe Hyperionio pluvialis concava in auſtri
Dimittunt, tetram donec notus ambiat æthram,
Dicere Romuleo connitor carmine ſolers.

ORION.

Subtrahit obliquo quà ſeſe circulus orbe
Signifer, in boream auſtrales egerit umbras:
Ut medii jam mole poli fera pectora Tauri,
Suſcipit Orion: neque quiſquam nocte ſerenâ
Tranſierit, celſo latè ſe cardine pandit,
Auratúmque rubens dimittit baltheus enſem.

SIRIUS.

Talis & ipſe virum gemina ad veſtigia cuſtos
Inſequitur, ſic flammigero diſtinguitur aſtro
Ætheriæ Canis ille plagæ, cui plurimus ardor
Æſtuat in mento, multus rubor imbuit ora,
Stridit anhelanti face peſtifer aëra motu,
Torret & immodicis terras coquit ignibus aſtri.
Hic varios ardet ſtellis rutilantibus artus:
Sed non eſt ſimilis cunctis vigor: undique quippe
Alvus cyanea eſt, mento gravis effluit ardor,
Qui formidato ſub nomine Sirius æthram
Urit: huic rutilos ſi ſol adflexerit axes,
Quantus corporibus, quantus labor imminet agris!
Marcebunt ſata cuncta: diu nanque indiga ſucci
Si qua jacent, cedunt, valido penetrata calori,
Ac decoctorum languebunt germina florum:
Illa autem interno quæ ſunt animata vigore,
Si priùs attollit blandúſque illabitur herbas
Sirius, & dulci nutrit tepefacta ſereno,
Hunc hunc flammanti cùm primùm vibrat ab ortu,
Auribus atque animo capimus procul. altera ſi qua
Stellarum fulgent, rutilant quæ plurima, longi
Bellua fert lateris, neque multâ luce coruſcant,
Et deſignandis tantum ſunt addita membris.

LEPUS.

Parvulus in ſtellis Lepus eſt quoque: namque ubi
Emicat Orion gemina ad veſtigia ſubter [magnus
Urgetur curſu rutili Canis: ille per æthram
Effugit inſtantem, premit autem Sirius ore.
Auritum primis emittit gurges ab undis:
Ille minax pavidum ſupereditur, & procul idem
Cùm Lepus occiduum ſeſe inclinavit in æquor,
More latebrarum repetens freta, Sirius alto
Deſilit ab cælo, merſúmque per humida quærit.

ARGO.

Magnus Iaſoniam caudâ Canis extrahit Argo
Puppe refulgentem: neque enim ſe Theſſala cymba
Soleuni in faciem monſtro movet extima puppis.
Surgunt oceano velut alto à gurgite nautæ,
Cùm portum tenuere avidi, volitantia raptim
Sipara convertunt, tergóque in curva remulco
Littora certatim ſubeunt ſimul, illa marinas
Jam defuncta vias, procul imi littoris algas
Ponè ſubit, terrámque tenens ſecura quieſcit:
Sic Argo rutilam tantùm inter ſidera puppim
Ducitur, occultat rigido tenus altera malo.
Sponte gubernaculum puppis dimittit in undas,
Celſior, ac merſo deſcendit in æquora clavo.

CETOS.

Diſtantem Andromedam prolixi tramite mundi,
Perterret Cetos. nam Threïcii prope flabra
Andromedam borea celſo rotat æthere cardo,
Bellua dira noto vehitur: trahit auſter in arcto
Ora inimica ſalo: nam quà ſe laniger alto
Cælo Aries tollit, quà Piſcibus aſtra duobus
Augentur, rutilat ſubter Nereia Piſtrix,
Effiua percurrens non multi fluminis aſtra.
Illa memor longæ formidinis, illa duorum
Inter ſigna tenax, horret ſqualentia monſtri
Terga procul, pavidúmque ſuper caput inferit undis.

FLUMEN.

Quin & cæruleo flumen quoque gurgite manans
Aſtra inter ſedéſque deûm, pars æquoris eſſe
Credidit Auſonii: nanque hinc dixere priores
Eridanum, Venetos latè qui lapſus in agros,
Alpino Adriacos impellit gurgite fluctus.
Hic fuſum cælo quondam Phaethonta ſub undas
Excepit ſenior, leve cùm ſenſere jugales
Ætherii rectoris onus, cúmque igniferi axis
Tramite ſub mundi mortales ſprevit habenas,
Diis data tum latè texere incendia terras.
Aſtra vorax ignis, flammæ ſola cuncta coquebant,
Donec fata ſui miſeratus Jupiter orbis,
Redderet ætherii Phœbo moderamina curſûs.
Illum prolixis duræ Phaëtontides ulnis
Planxerunt, rediit ſupero pax aurea mundo.
Eridanúmque ſenem nutu Jovis omniparentis
Aſtra receperunt. Pharium pars altera Nilum
Commemorat, largo ſegetes quòd nutriat amne,
Arentéſque locos undâ fœcundat alumnâ:
Vel quòd de medii prolapſus parte diei,
Vaſtus in æquoreas pelagi ſeſe inferat undas.
Iſte pedem lævum rutili ſubit Orionis,
Fuſáque quæ geminos adſtringunt vincula Piſces,
Eridani coeunt anfractibus, ut procul ille
Tenditur effuſi vi gurgitis: hunc quoque criſtæ
Cedit apex, ſummâ quà lux Piſtrice coruſcat
Deſuper, & flammâ caudarum cingula figit.

PISCIS MAJOR.

Inter demiſſum procul in vada cærula clavum
Puppis Iaſoniæ depictáque terga carinæ,
Et Piſtrim undicolam, Leporis quà tenditur alvus
Stellarum creber rutilat rubor, haud tamen iſtis
Vel lux multa micat, vel ſit memorabile nomen:
Nullâ etenim formâ flammarum Jupiter ignes
Diſcrevit, nullos ſimulant hæc corporis artus,
Qualia digeſto mundus ſacer ordine volvit,
Semper in antiquum retrahens iter omnia ſecum
Seclorum ſerie longâ. iſtas denique ſignant
Intervalla faces, ſimilis quoque lux habet omnis,
Par modus, occaſu pariter referuntur & ortu,
Ne expectanda forent ponto quòd ſola carerent,
Cætera deſcriptis aptantur ſingula membris,
Formarum flagrans leporem, quà Sirius urget
Languida, nec certo ſub nomine cuncta feruntur:
Ultra ſetoſi rurſum ſpeciem Capricorni,
Cardinis immerſi quà ſunt auſtralia flabra,
In Piſtrim horrificam converſus viſcera piſcis
Subvehitur. notium vocat iſtum Græcia piſcem.
Stellæ aliæ mundo quà pulcher Aquarius inſtat,
Et quà criſtato conſurgit bellua dorſo,
Uſque ſub aërii rutilantia ſidera Piſcis,
Sunt mediæ flammæ ſterilis ac lucis egenæ:
Nam paſſim ignoti vice vulgi ſemet in æthram

Protollunt

by Google

Protollunt dextram, ſed tantum propter ephebi
Pocula, quem divûm menſis geſtare loquuntur,
Effluа ſe ſpecies liquidarum fundit aquarum
Partes in geminas: lux illic clara duabus
Eſt ſolum facibus, non hæ ſpacioſa per æthram
Intervalla tenent, neque lumen lumine fortè
Collidunt, uni Phrygium nam ſubter ephebum
Ardet apex, alii quà curvam bellua caudam
Terminat inſignis, lato vomitur globus igni.
Cunctis nomen Aqua eſt, quæ ſtellæ denique propter
Ora Sagittigeri, quà ſe veſtigia prima
Cornipedis ſimulant, circunvolvuntur Olympo
Queis face ſub tenui tenebroſus marceat ignis.

ARA.

Ecce venenatæ quà Scorpius agmine caudæ
Plurimus erigitur, tepidúmque ſupermicat auſtrum,
Parvulus hic Aram locus exprimit. hoc ſatis arcto
Tempore ſuſpicies mundo rutilante referri.
Nam polus adverſo qui tollitur axe Bootis,
Quantum ſuſpenſo vada linquit turbida cælo
Oceani, tantum in ſibimet contraria tendit.
Arcturum vertex levat arduus, imbrifer auſtri
Aram cardo premit: brevis olli ſemita cæli,
Occaſúſque celer, tamen iſto luciparens nox
Fata hominum miſerata priùs, miſerata labores,
Certa procellarum ſtatuit procedere ſigna,
Ne tibi cum denſo conducitur aëre cælum,
Inter nimbiferas nubes ſpectabilis extet
Ara poli, longa ut glomerent circúmque ſupráque
Fœta pruinarum ſe vellera, qualia triſti
Coguntur vento, terráque excita per æthram
Nubila conceptos effundunt deſuper imbres.
Non Aræ, non ſit tali ſub tempore vertex
Clarior hoc: nam ſæpe novum prænoſcere ſigno
Nox docuit, noctis ſiquis præcepta ſequatur,
Incaſſum zephyri volvunt mare: ſi quis at iſta
Reſpuat, incautas percellent flabra carinas:
Vix, ſcis, ſera Jovem ſubeat miſeratio rerum,
Pigra ſalus nautis redeat fluitantibus alto.
Certior aſt ollis veniet ſpes, axe ſupremo
Si boreæ ſtringat rutili coma fulguris auras.
His ſignis auſtri raptabunt flabra fluentum,
Donec de boreæ rutilum jubar emicet axe.
At ſi Centaurum medio ſub tramite cæli
Videris, ut fluctu tantum diſcedat eoo,
Quantum adit occaſum, ſit tectus deſuper autem
Nube humerum, & cælo ſint omnia ſigna priora,
Eurus erit, verret ſalſi vada gurgitis eurus.

CENTAURUS.

Contemplator enim geminæ rutilantia formæ
Viſcera, quæ ſignis ſubtexit membra duobus.
Nam qua parte hominem quadrupes ſuſtollit equino
Ventre ſuperſtantem, verſatur Scorpius ingens:
At qua cornipedem mediâ vi fundit ab alvo,
Curva venenati ſunt tantùm brachia ſigni.
Ille autem dextram protendere viſus ad Aram'
Cælicolûm, jùſtæ perſolvit munera vitæ,
Agreſtémque manu prædam gerit: hic ubi celſo
Pelion adſurgit dorſo, nemoroſáque latè
Inſerit ærtis juga nubibus, arbiter æqui
Egerat Alcidæ legum poſt bella magiſter.

HYDRA.

Deſuper ingenti ſeſe agmine porrigit Hydra,
Quæ prolata ſalo longè latus explicat æthra.
In Cancrum protenta caput, caudámque feroci
Centauro inclinat, tranſit ſpacioſa Leonis
Viſcera, & ingenti ſub Virgine ſumma quieſcit.
Quinetiam ſpirare putes, ſic agmina cælo
Lubrica convolvit, ſic ſpiras pendula torquet,
Sic & flammigero linguam jacit ore triſulcam.
Spirarum medio geſtat Cratera coruſcum,
Ultima cæruleum ſuſtentant agmina Corvum,
Ales ut intento fodiat vaga viſcera roſtro.

PROCTON.

Ultimus eſt Porcyon Geminorum ſubditus aſtro,
Ore micans rutilo, triplâ face viſcera lucens.
Iſta volutatos cernuntur cuncta per annos,
Hæc vehit Oceanus pater omnis, merſáque rurſus
Hauriet Oceanus, trahit ingens machina cæli,
Cuncta uperpingunt rutilam ſua ſidera noctem.

PLANETÆ.

Quinque itidem ſtellæ, ſimilis quibus haud ſit imago,
Nec quas formarum doctus notet adfixarum,
Per biſſena poli volitant rutilantia ſigna,
Nullus eas alio pacto deprendere certet:
Tam vaga per totam cunctis via deſuit æthram,
Semper & adverſo referuntur tramite mundi.
Mundus ab Eoo trahitur reparabilis alto,
Pronus Atlantei procul in vada cærula ponti:
Illæ in ſubjecti cogunt iter ætheris orbem,
Nitentes in ſumma poli, motúque feruntur
Adverſo Solis radiis, ceu cùm vada cymbam
Prona vehant, ſi quis prorâ nitatur ab altâ
In puppim proferre pedem, via carpitur olli
Curſibus inceptis contraria: vis tamen iſtis
Obvia, labenti ſemper ſuſtollitur æthræ,
Unicáque in Solis adolent incendia flammis.
Longa volutandis tamen ollis tempora currunt,
Pigráque ſe referunt, ſedes ſortita priores
Omnia: non illas animis audacibus ergo,
Carmine non cæco tentavimus, hoc ſatis unum
Muſa mihi, ſatis hoc longi labor egerit ævi,
Si defixarum curſus & ſigna retexam.

CIRCULI.

Quatuor aërios Zonæ cinxere meatus:
Quatuor has curſus & tempora nôſſe volentem
Scire ſat eſt. quin ſigna etiam ſunt quatuor iſtis
Plurima, quæ zonis hærentia convolvuntur.
Ipſæ inconcuſſâ retinentur ſede per annos,
Mutuáque implexa ſibimet conſortia mordent:
At modus in binis protenditur. Aëra, pepli
Sidera nocturni, ſi ſuſpectare libebit:
Nec ſcindunt medium Phœbeia lumina menſem,
Languet ut in ſtellis ſpecies hebes, omnia cæli
Illuſtrante deâ, ac flammas ſuperante minores.
Orbe ſed haud pleno ſinit igni fervere acuto
Sidera, candentis ſpeciem ſuper inſpice Lactis
Protendi cælo: color olli nomen ab ortu
Primigeno ſtatuit ſe, Zonam Græcia ſolers
Concelebrat, noſtro ſic Baltheus ore notatur.
Non iſti formâ ſimilis, ſimilſſve colore
Circulus eſt alius: modus & menſura duobus,
Eſt compar ſolis: alios duo parcior arctat
Linea, nec multâ trahit iſtos ambitus æthrâ.
Horum alius duri cùm ſolvunt flabra aquilones,
Et cùm præcipitant borealia flamina ſeſe,
Axe Lycaonio jacet obvius: hìc Geminorum
Sunt capita, hìc genua Aurigæ defixa quieſcunt:
Circulus hìc idem retinet pede Perſea lævo,
Atque ſiniſtro humero cubito tenus: hìc quoque dextram
Suſtinet Andromedæ manus extima, deſuper acri
Subrigitur boreæ, cubitoque inclinatur in auſtrum
Mœrens Andromeda: hìc celeris veſtigia ſumma
Præſtringuntur Equi, præſtringitur Ales ab ipſo
Verticis extremo; ſecat hìc humeros Ophiuchi
Circulus, & ſecum flagrantia dorſa revolvit:
Eirgone tepidum ſeſe ſummittit in auſtrum,
Virgineúſque pudens Zonæ ſuperimminet artus.
Sed Leo, ſed Cancer borealis tramite cæli
Viſcera protendunt, at circulus ima calentis
Pectora pérque alvum procul in poſtrema Leonis
Succedit: ſecat aſt alius per viſcera plana,
Et medio ſubter cava tegmina dividit orbem,
Lumina recludens altrinſecus. orbita porrò
Iſta poli partes ſi diſcernatur in octo,
Quinque ſupervolvit ſe partibus: at tribus alti
Intrat ſtagna ſali: ſol iſtinc flammiger æthram,
Jam relegit, pulſúſque deus ſemel ordine facto
Flectitur æſtivo, neque celſum ſemita in axem
Sideris erigitur, via rurſum nota jugales
Suſcipit, ſnque notum rutili redit orbita ſolis.
Circulus iſte quidem Cancro tenus adjacet axe.
Semper in occiduo procul alter cardine in auſtri
Dividit imbriferi corpus medium Capricorni,
Idæſque pedes pueri, poſtremáque caudæ
Cæruleæ, *brevis hìc lepus, hìc canis artus
Conditur extremos: hìc Theſſala cernitur Argo:
Hìc Centaureæ fera molis terga ſecantur:
Iſte venenatæ disjecta volumina caudæ
Amputat: hìc arcu protenditur ampla Sagitta.
Ultimus hìc Phœbo locus eſt, ubi lapſus in auſtrum
Pellitur, albenti cùm canent tempora brumâ:

Sideris hìc meta procul istuc cælite cursu,
Axe sereniferi descendit Sol aquilonis.
Partibus iste tribus tantùm se circulus effert,
Quinque latet, creperi succendens stagna profundi.
Inter utrumque dehinc quantus jacet ambitus illi
Zonarum, cani speciem quæ lactis in æthrâ
Cernitur, ingenti se tramite linea tendens,
Dividit ima noti, discernit & alta aquilonis:
Hic luci modus & tenebris sub lege magistrâ
Pensatur, nox æqua diem subit æmula, Phœbus
Lumina substituit paribúsque revolvitur horis,
Vel cùm summa situs coquit agri viscera hiantis,
Vel cùm floricomo jam tellus vere movetur.
Ast isti celsæ quâ tramite panditur æthræ,
Indicium est Aries: hunc totum linea quippe
Sustinet: hìc Tauri curvantur crura minacis,
Et rutilat stellis hic baltheus Orionis.
Spira Anguis levis hìc, cratérque tenacia corvi
Ora inhiant: hìc sunt flexarum denique flammæ
Chelarum: genua hìc rigidi vibrant Ophiuchi.
Nec Jovis armigero caret Alite: namque per ipsum
Fulva Aquila est caput. hìc Equus eminet, hìcque comanti
Cervice erigitur claræ dator Hippocrenes.
Treis omnes rectè contentos tramite cæli,
Distantésque pari spacio sibi tranligit axis,
Omnibus & mediis ut circumfunditur idem.
Desuper obliqua est aliis via, quartus & iste
Stringitur arctatus Zonarum mole duarum,
Quas ab diversâ mundi regione locatas
Scire repercussi momentum diximus astri.
Hunc alius medium medius secat, haud dea Pallas,
Vel licèt hæc cunctos præcellat acumine divos,
Compingat parili fic lubrica plaustra meatu,
Implicet ut spaciis sibimet distantibus orbes,
Qualia devexo nectuntur ab ordine cuncta,
Urgentúrque viam similem, noctésque diésque,
Lucis ab exortu procul in vada Calpetiana.
Nanque Titanco cum sunt elata profundo,
Rursus in occiduos merguntur singula fluctus
Ordine partito. similis nascentibus ortus:
Scandendi lex una movet. par denique lapsus
Omnibus, & simili conduntur sidera casu.
Ille autem oceani tantùm descendit in æquor,
Quantùm ab cæruleo distat Cancro Capricornus:
Et quàm multus item est ubi gurgite protulit ortum,
Tantus in adversas itidem est cùm labitur undas,
Signifer in spacium quantum deducitur oræ
Ambitus extremæ. puncti vice terra locanda est,
Unde acies oculis cùm tenditur, hæc quoque puncti
Sedem habet: hoc signo procurrit missa per auras
Signiferi in summum, medio de tramite si quis
Dirigat obtutus agilis procul, hótique locorum
Defessos longo spacio tener amputet aër,
Id quod contenti visus abscinditur ultro
Si qui in signiferi patulum circumferat orbem,
Sed olli partes magnæ dabit ambitus oræ.
Ast hæ dimensâ spacii sic lege locantur,
Binâque decisis includunt partibus astra.
Olli Cancer inest, Leo flammifer, Attica Virgo,
Brachia sunt itidem Chelarum, & Scorpius ipse,
Arcitenens: ferosa dehinc species Capricorni
Volvitur, auratam protendit Aquarius urnam.
Tum duo sunt Pisces, Aries, Taurus, Geminíque.
His se bissenis sol admovet, hísque recurrens
Omnibus absolvit totos reparabilis annos:
Quæ, cùm signiferi graditur sol aureus orbem,
Singula frugiparos attollunt tempora vultus.
Illius oceano quantùm submergitur alto,
Tantùm telluris supereminet, omnibus iste
Noctibus illabens pelago sex inserit astra,
Sex reparat: tanto nox humida tempore semper
Tenditur, extulerit quantùm se circulus undis.
At si scire velis, mora lucem quanta retemet,
Et quanto nox atra sibi trahat ocia lapsu,
Quæ procul oceano consurgunt signa notato:
Horum semper enim comes est Titanius uni:
Horum prima oculis memor incunabula quære
Lumjnis ipsa, vagi captans venatibus ipsa,
Ipsa notans mundo quæ sic se nubibus abdent.
Aut si consurgunt, ut tellus sæpe tumescit,
Occultata jugo, prætentáque rupe latebunt,
Prompta via est aliis venientúm tempora signis
Noscere. nanque ipso deprenderis indice cuncta
Oceano, magnam quà circùm amplectitur undis
Tellurem, curvet celando ut littora mundo,
Latiùs atque sinu pauli salis hauriat ultra,
Istius indicium præbebunt cornua semper,
Vel matutino quà perstrepit æra fluctu,
Acer Atlantei vel quà furit æquoris æstus.
Nam non obscuræ, cùm Cancer commovet ortum,
Oceano stellæ circumvolventur utroque
In freta labentes, aut quæ rursus ebi
Parte ferunt mundi: Minoa clara Corona
Serta cadent, austri tergo cadet incola Piscis
Hunc medium pendere tamen, medióque sub axis
Cedere per spinam rutili labente Coronâ
Semper suspicies: at tergi plurima rursum
Ventre tenus summo supera inter sidera cernes:
Os & colla dehinc & pectora vasta per æquor
Mersantur. premit ab genibus celsos Ophiuchum
Usque humeros Cancer: Cancer premit ortus & Anguem,
Agmine quà vasto fluit ad caput aspera cervix.
Quà tumet & spiris, quà turgent pectora, primis.
Parte nec Arcturus distabit multus utrâque:
Jam minor in superis, jam viscera plurimus alto
Conditur: hunc etenim consortem quatuor astris
Oceanus recipit. fatur hic vir luminis Amni
Cedit, & inspiciens tandem convexa relinquit.
Tum jam plus mediis nox inclinabitur horis,
Cùm labente die Phœbo comes ibit in undas,
Ista quidem vasti conduntur gurgitis alto:
Contrà autem nulli concedit sideris ortu
Orion rutilans ardentia cingula latè,
Et flagrans humeros, & splendens ense coruscos,
Eridanúmque trahens alio se littore promit.
Adveniente dehinc villoso colla Leone,
Omnia quæ Cancro sese emergente per æthram
Extulerant, abeunt: quin & Jovis Ales in undas
Conditur, & totis raptim petit æquora pennis.
Sed Nixus genibus replicato luce refidens
Poplite, jam superi celatur corporis artus.
Non tamen iste genu, non lævum gurgite pectus
Occulitur, non oceanus vorat omnia signi.
Proferit Hydra caput, claro Lepus exilit ortu,
Et Procyon, primíque pedes Canis ignicomantis.
Exigone falsis cùm vultum exegerit undis,
Aëris ut patuli jam conscia permeet æthram,
Astrorum numerosa premit. nam Virgine eâ
Consurgente, freto cedit Lyra Cyllenæa,
Cedit Delphinus pelago, cedítque Sagitta,
Primáque pennarum pars canum condit Olorem:
Vix jam cauda salum superat: vix lumine parco
Eminet Eridanus, ponti procul effluus tingit.
Cælatur Sonipes caput impiger, ardua cervix
Tethyos ima petit falsæ, jubar ora madescit:
Hydra superpositum procul in craters movetur:
Parte aliâ & liber vestigia Sirius ardet:
Ultima cæruleo prodnctus æquore puppim,
Illa micat, malóque tenus se exerit Argo,
Cùm jam virgineos æther vehit altior artus.
Nec cùm flagratas emittunt marmora Chelæ,
Sideris expertes & claræ luce carentes,
Non est nota dies, aut est ignobilis ortus:
Nanque his indicium proprio fert ore Bootes
Plurimus exoriens, Arcturúmque eminus alto
Cardine succendit: jam celso Thessala puppis
Æthere subrehitur: jam mundo fundítur Hydra
Longior, extremæque polum subit indiga caudæ:
Curva Chii cælo consurgunt brachia signi.
Inspice ceu dextrâ referatur ab æquore planta,
Inque Genu tantùm nixus pede proferat ortum.
Iste Lyræ rutilat conterminus, atque sub undis
Hic tenebris petit occidui vaga cærula ponti,
Et mox oceano reparatur clarus eoo.
Cum Chelis igitur pede tantùm promitur uno;
Ipse dehinc versus procul in caput, ultima mostrat
Terga manet, manet Arcitenens dum spicula cælo
Exerat, & superâ vibret hellator in æthrâ.
Hoc sidus revehunt Chelæ, crus Scorpius ipse,
Cætera cum medio, lævum, & caput, orsque rursus
Arcus agit. tribus hic tandem memorantia membra
Partibus erigitur, tria totum denique signa
Absolvunt pelago. medio tum serta Coronæ,
Ex qua Centauro diffunditur extima cauda,
Prima venenati cùm repunt brachia monstri,
Surgunt oceano jam gurglie, & ultima Cyoni,
Et caput actis Equi premis æquore: jam procul ista
Marmoris occidui penitus petiere profundum,

Hausta

Hausta salo: caput Andromedæ freta vasta receptant:
Ac formidatam devexi cardine mundi
Fluctigeni speciem monstri superinvehit auster.
Sed boreæ de parte trucis velut aggere ab alto
Prospiciens superi subjecto verticis axe,
Intentúsque procul specie, vaga brachia Cepheus
Exerit, & sævam pelagi monet adfore pestem.
Illa tamen versa in fluvium postrema profundo,
Tingitur ab spinâ capiti quæ proxima summo est,
Undéque succedens Cepheus, & verticem & ulnas
Mersatur patulus. Quin & tum Scorpius acer
Nascitur oceano, quicquid per sidera aquarum
Ad speciem Eridanus pater expuit, abditur alta
Tethye, & occidui tegitur Padus æquore ponti.
Scorpius ingentem perterritat Oriona,
Proserpens pelago. vetus, ò Latonia virgo,
Fabula, nec nostro struimus mendacia versu
Prima, neque obduri compegi germinis: ætas
Prima dedit populis. cæcus mos mentis acerbæ,
Immodicúsque furor sceleris penetraverat œstro
Impia corda viri: tabuerunt dira medullis
Protinus in mediis incendia: plurimus ardor
Pectore flegravit. téne improbus ille, procáxque,
Te dea, te durâ valuit contingere dextrâ?
Cùm sacrata Chii nemora, & frondentia latè
Brachia lucorum, cùm sylvæ colla comásque
Devotæ tibimet manus impia demolita est.
Audax haud facinus donum foret OEnopioni:
Digna sed immodico merces stetit ilicet ausu.
Nam dea nubiferi perrumpens viscera montis,
Dirum antris animal sævos vomit hostis in artus.
Ergo ut falcatis monstrum petit Oriona
Morsibus, & totas in membra ferocia chelas
Intulit, ille mali pœnas luit. ista furori
Præmia debentur, sunt hæc commercia læsis
Semper numinibus. metus hic, metus acer in astro
Permanet, & primo cùm Scorpius editur ortu,
Orion trepido terræ petit extima cursu.
Nec minùs Andromedæ quicquid volitabit in æthram,
Et si quid Pistrix reliquum convexa vehebant,
Hoc oriente ruunt: omnes procul in vada terror
Ingerit, & cunctos pavor unus in æquora cogit.
Cepheus ipse caput, distentáque brachia vasto
Induitur ponto: tellurem cingula radunt
Extima, & oceano mersantur pectora rauco
Sola senis, reliquum polus ast à littore versat.
Semper in occiduo genitrix quoque Cassiepeia
Sidera præcipitis sequitur labentia natæ,
Deformémque trahit procul in vada cæca ruinam,
Prona caputque solo, solio vestigia ab alto
Sustollit miseranda: superquatit ira furórque,
Doridos & Panopes post fata novissima matrum:
Ac memor has pœnas dolor exigit. omnia fluctus
Hæc simul occiduos subeunt. tamen altera in undis
Sufficit, sinque vicem lapsorum multa reportat.
Tempore namque isto reliquæ se serta Coronæ
Expediunt pelago, postremisque agminis Hydra
Erigitur caudam: caput, & turgentia membra
Centauro exuperant: manus effert dextera prædam
Sylvarum. nam prima feræ vestigia mollis,
Arcum sera manent: Arcu redeunte per æthram
Protulit, incipiunt reliquum Serpentis & artus
Anguitenentis: item fert primis fluctibus Arcus
Amborum capita, & primis geminas Ophiuchi:
Ac primam rutili spiram Serpentis eoo
Scorpius oceano surgens agitat. pede Nixi,
Quem procul aversum semper salis altera mittunt,
Tunc artus medii, tum pectora vasta humerúsque,
Dexteráque ulnarum spumosi gurgitis æstu
Procedunt. Pariter caput & manus altera porrò,
Tota sagittiferi cùm vibrant astra, feruntur:
Mercurialis item Lyra volvitur, altáque Cepheus
Cardine sustollens vestigia: gurgite nondum
Pectora liber agit, sed pectora mersus in undas,
Plaustra Lycaoniæ pulsat pede desuper Ursæ.
Tempore non alio magni Canis ignea cedunt
Sidera: protentum freta jam procul Oriona
Hauserunt pelago, toto Lepus occidit astro,
Tum quoque & oceano fugientem Sirius urget.
Sed non Aurigam, cùm gurgitis ille profundi
Ima petit, pedibus Capra mox, Hædive sequuntur:
Ista polo rutilant, illum vada livida condunt:
Hæc membris discreta aliis, extantiáque altè
Lævum humerum & summæ sese attollentia palmæ
Cernuntur, donec labenti congrada soli,
Sidere devexo freta latè cærula turbent.
Nanque manum Aurigæ, reliquum celsúmque coruscî
Verticis, & dorso quà spina attollitur alto,
Deprimit hirsuti sidus surgens Capricorni.
Membra Sagittigero cedunt postrema revecto.
Jam non alatus remoratur sidera Perseus
Aëris in spaciis, neque clavum vendicat Argo.
Alluvione sato Perseus pede denique dextro,
Atque genu libero, mersatur cætera ponto.
Argo quod curvis puppim superattrahit oris,
Tingitur, & duro tingit vada cærula dorso.
Ipsa dehinc manet exortum Cilicis Capricorni:
Totáque cum pelago cælo descendit ab alto,
Æquora cùm Procyon, gressum sectatus herilem,
Intrat, & oceano permutat celsa profundo.
Hæc habet occidui plaga gurgitis, ista sonoro
Supprimit unda salo. rursum procul erigit æthra
Cycnum, Aquilámque Jovis. surgunt flammata Sagittæ
Sidera, pérque notum rutila tum numinis Ara,
Delphinum parvas promit Capricornus in auras.
Et matutino cùm surgit Aquarius orbe,
Os Equus atque pedes novus exerit: ecce cadentis
Parte poli trahit occiduum nox atra sub æquor
Centaurum caudâ, sed non caput, aut humerorum
Vasta simul recipit: persistit pectore celso
Cornipedis species, & cælum vertice solcit.
Ora dehinc Serpens, & prima volumina tantùm
Conditur: Ingentis latè tamen agmina caudæ
Ponè trahit: subit ista solum, subit æquora rursum
Integer oceani, cùm se Centaurus in undas
Jecerit, atque novo vibrârint sidere Pisces.
His in summa poli surgentibus, ille per austrum
Piscis item plantâ, quem pulcher Aquarius urget,
Redditur, haud toto tamen hic se corpore promit:
Sed manet alterius venientis tempora signi:
Parte latet, partem supera in convexa sonoris
Fluctibus absolvit pelagi: sic brachia mœstæ
Andromedæ, sic crura dehinc humerique nitentes
Paulatim recavo sedeunt maris aurea cælo.
Postquam adolent Pisces incendia, denique Pisces
Cùm rutilant, mundo dextram hæc attollet in ulnam,
Læváque virginei rursum se corporis edunt.
Phrixei & postquam pecoris proruperit ortus,
Australem hic aries Aram procul admovet undis
Gurgitis occidui: quà lux redit, excitat idem
Persea proceri sustollere verticis astra,
Et claros fulgere humeros: ac cætera nondum
Sunt exempta solo, quin totum hoc invida veri
Natura ambiguâ rerum ratione reliquit,
Extimus an reliquos Aries produceret artus:
Perseos, an Tauro freta pelleret adsurgente
Hoc una cælum, subit integer haud ipse ulla
Viscera, nascentis nova Tauri deserit astra.
Quippe hujus flammis Aurigæ sidus inhæret:
Nec tamen hunc totum sustollit Taurus in æthram:
Aurigam falsis evolvunt fluctibus omnem
Surgentes Gemini, Tauro, Capra, plantáque læva
Nempe hœdi evadit, cùm primùm rursus ab undis
Cetosa in superum referuntur viscera cælum.
Nam caudæ & crustæ rigor arduus æëra celsum
Tunc repetunt, diri cùm sidera gurgite monstri
Volvit præcipitis teres inclinatio mundi,
Eminus ingentem condit pars prima Bootem.
Quatuor hic etenim signis surgentibus altum
Vix penetrat pelagus, neque summâ totus ab æthrâ
Labitur Arcturus. manus olli quippe sinistra
Juge manet, celsísque super subducitur Ursis.
At cùm jam pedibus repetit fluctus Ophiuchus,
Ut genua oceanus vasto procul æquore condat,
Signum erit eoâ Geminos procedere parte:
Nec lateri Pistrix cuiquam vicina videtur,
Sed jam tota super sustollitur: expuit æram
Jam pelagus speciem, nec adhuc tamen extima sorbent.
Quid ne nascentis suspectat navita ponto
Agmina prima Padi cælo tum fervere aperto?
Vicináque faces rutili manet Orionis,
Curricula ut solers vero mox indice discat
Certa tenebrarum, possítque fideliter astro
Explorare notos & tuto carbasa ponto?
Credo, ni deût magnorum congrua cura,
Prompta via est ipso cognoscere talia semper,
Præceptore Jove, & cælo tibi signa magistri
Omnia ducentur: monet altâ Jupiter æthrâ

Singula nos, facilis veram dedit arbiter artem,
Ne tempestatum primordia cæca latèrent.

PROGNOSTICA.

Nonne vides, primùm cùm Phœbe in cornua surgit
Tenuia, & angusto lumen jacit ore per æthram,
Decedente die, pronóque ab tramite solis,
Promat ut ingressus solers tibi tempora mensis?
Nanque facem quarti sibimet profitebitur ignis,
Corpora cùm primùm perfundens lumine nostra,
In subjecta soli tenuem porrexerit umbram.
Aut orbis medii si cedat Cynthia formam,
Octavos ortus, octavóque plaustra docebit.
Denique cùm toto dea jam surrexerit ore,
Integer ut magni resplendeat ambitus orbis,
Effluxisse sibi medii jam tempora mensis,
Monstrabit cælo: pleni cùm rursus egena
Oris eat, tanto procedens lumine formæ,
Inserit aëriis quantum dea nubibus ignes,
Esse senescentis sibimet dispendia mensis
Illa docet, quibus in rutili confinia fratris
Tertia vix mundo supereſt via: cùm minùs autem
Umbrarum excludit, sunt tales quatuor ortus
Marcentis Lunæ, quales sub mense renato
Quatuor exurgunt languentis luminis umbræ:
Atque his octonas includunt ordine luces.
Interjectorum numerum quoque nósse dierum
Prompta via est, proprio semper dea proditur ore,
Scandat quanta polum, quoties temone jugales
Strinxerit, & quanto jam tramite liquerit undas.
At decedentis postrema crepuscula noctis,
Bis sex signa tibi quæ versat Signifer orbis
Monstrabunt cursu: nam Phœbus singula mutat,
Semper & alterno succedit in omnia lapsu,
Conficiens iter ætherium: nunc igneus istud
Astrum adolet flammis, alii nunc aurea Titan
Lumina miscetur, vel cùm devexus in undas
Labitur, & rebus formam absumpsere tenebræ:
Vel matutino redit in cunabula linquens
Cùm pelago, & rebus suffudit luce colores.
Sic diversa diem comitantur sidera semper.
Non ego nunc longo redeuntia sidera motu
In priscas memorem sedes, habet ista priorum
Pagina, & incertâ rerum ratione feruntur.
Nam quæ Solem hiberna novem putat æthere volvi,
Ut Lunæ spacium redeat, vetus Harpalus ipsam
Ocyùs in sedes momentáque prisca reducit.
Illius ad numeros prolixa decennia rursum
Adjecisse Meton Cecropia dicitur arte,
Insedítque animis, tenuit rem Græcia solers,
Protinus & longos inventum misit in annos.
Sed primæva Meton exordia sumpsit ab anno,
Torreret rutilo cùm Phœbus sidere Cancrum,
Cingula cùm veheret pelagus procul Orionis,
Et cùm cæruleo flagraret Sirius astro.
Hoc ut fons est, unde & duxit tempora Lunæ
Navita, quo longum facili rate curreret æquor,
Æquora ruris amans, telluri farra parenti
Crederet: ingenti petat hæc indagine semper,
Seu qui vela salo, seu qui dat semina terræ.
Nec mora discendi, brevis hic labor, & breve tempus
Poscitur: innumeros habet autem industria fructus.
Utilitas te certa manet, prænoscere motus
Si libet aërios, & tempestatibus ipsis
Edere principium: te primum sponte procellis
Arcebis rabidis, te rursum principe fluctus
Vitabunt alii, si certis singula signis
Tempora discernas, nam mundi cardine verso,
Ut stata rauciſoni redit indignatio ponti.
Sæpe etenim quanquam tranquillæ noctis amictu
Mitia protenti requiescant terga profundi,
Doctus securam subducit ab æquore classem
Navita, & Actæa retinet statione phaselum,
Cùm matutinæ præsensit signa procellæ.
Nanque aliàs cælo cùm tertia lumina Phœbus
Exerit, ille sali fœit implacabilis horror,
Adfore quem pelagò comitem sibi dixerat astrum:
Crebrò quinta dehinc lux commovet Amphitriten:
Sæpe inopina mali clades ruit. omnia certis
Indiciis tibi Luna dabit, seu lucis utrinque
Cæsa facem, seu cùm teretem concreſcit in orbem
Sol quoque venturas aperit tibi sæpe procellas,
Sidera prpducens, & cùm sale sidera condit.
Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus
Æquoris, & magnos cæli callere tumultus,
Quos det certa dies, quæ longi tempora mensis,
Astrorúmque vice & mundi ratione trahantur,
Aëris immadidum quiddam tellure creatum
Spiramenta vomunt; vis hoc cùm fundit in auras
Venarum, occultè patulo prætexitur agro
In subjectum oculis, terrámque supernatat omnem,
Multáque materies, quam cùm calor igniconantum
Hausit stellarum, superas subducit in auras,
Et concreta diu compingit nubila mundo.
Si minor hæc madidi substantia cespite ab imo
Subeigitur, tenues nebulæ caligine fusâ
Tenduntur cælo: vis autem ficcior olli
Cùm fuit, in celeres dissolvit undique ventos,
Vicinúmque sibi flaberis dominantibus ultro
Aera propellit, si major protinus humor
Consurrexit humo, pluviasque nubila fundunt,
Et pluviis latè calor est pater. hic super imbres
Exprimit, & doctâ ferventis ut obice mundi
Respuit humorem: si mollis, magna utriusque
Occurset sibimet velut obvia, commus agris.
Compulsa aërio fragor intonat, ampláque latè
Murmura discurrunt pariter crepitantibus auris.
Hic inflictus item, diversorúmque per æthram
Sæpe superna furens, illisos fulguris ignes
Excludit, rutilis totámque volantibus æthram
Præstringit flammis, & cælum sulfure odorat.
Omnibus his genitrix tellus, & cespite ab imo
Ducuntur superi motus: ipsa ignea mundi
Lumina, flammigero Phœbus temone coruscans,
Et quæ noctivagos attollit Luna jugales,
His peperere malis exordia. nanque deorsum
Movit humum cùm forte calor, laxata repentè
Spiramenta soli venas procul altáque pandunt
Viscera telluris: bibit imum terra calorem
Desuper, & madidum tepefactus cespes anhelat.
Aëris hos motus, rabiémque volubilis undæ,
Flabra procellarum, mundani tramitis iras,
Præsentire decet. cape solers singula mente,
Præceptísque virûm fidentia pectora pande.
Cynthia cùm primùm cælo nova cornua premit,
Cautus utrinque dearn circunspice: nanque revectæ
Nequaquam semper similis lux imbuit ortum:
Sed species diversa trahit, varióque notatur
Formarum primi cùm surgit luminis igne,
Tertia cùm rutilat, cùm major sideris æthram
Scandit, & aërias quartâ face luminat oras,
Ingredientis erit plenè tibi nuncia mensis.
Hæc caligato si tertia fulserit ortu,
Pura fit, ut fœdis ab sordibus adsore dices,
Clara, serena diu. tenui surrexerit autem
Si face, & ignito suppinxerit ora rubore,
Turbida certantes converrent æquora cauri:
Luminis ista dehinc si crassior, atque retusis
Cornibus ingreditur, si quarti sideris ortu
Percussi ut tenuem prætendat corporis umbram,
Imbribus aut zephyris heberabitur, arguet ultro
Flabra noti, aut pluvias. nam crassus desuper aër
Cornua cæca premens, notus uvidus æra cogit.
Tertia si rursum protollat Cynthia currus,
Sic subrecta faces & acumina tenta coruscant,
Ut nec curva quasi declinet cornua, nec tum
Fusa supinatum diducat lumen in auras,
Occiduo zephyrum prædicet surgere mundo,
Aut Libyæ de parte notum. sin quatuor autem
Cynthia corriculis cælum subit, atque coruscis
Cornibus immodicè prostantibus uſerit ignes,
Vix prolixa salum ciet, ocyùs omnia cauri
Marmora convolvent, fera verrent flabra profundum:
Iftius in boream quòd se sustollit acumen
Si curvum specie velut ammat, adfore cælo
Sæva procellosi prædicet flabra aquilonis.
Nanque hoc urgeri sese adserit, hócque gravari
Indice: rursus eo ventet notus, hanc ubi partem
Pone supinari conspexeris, inque reclinem
Sponte habitum: pandi nam subrigit auſert acumen
Inferiore plagâ. si Lunam tertius ortus
Proferat, atque dee convolvat circulus oras,
Suffusus rutilo, mox tempestate sonorâ
Spumosum late pelagus cunescere cernes.
Major & hæc tanci versabit gurgitis undas,
Ipsa quoque immodicè si vultum Luna rubescat.
Contemplator item, seu plenum luminis orbem
Cynthia distendit, seu cùm tere ambitur ollis

Ceditur,

Ceditur, & mediæ velut indiga lucis, utrinque
Sustinet obductæ sibimet dispendia formæ.
Cornua prima replens, & cornua fessa dehiscens
Induit, & qualem procedens ore colorem
Hinc perpende oculis, ipso monitore dierum
Signa tene, ac totum discerne in tempora mensem.
Non unum deprensa diem tibi signa loquuntur,
Nec vulgò in cunctis adsunt præcepta diebus:
Sed quæ signa novo dederit nox tertia motu,
Quartáve sustollat medios dum Cynthia vultus,
Durabunt cœlo: medio quæ edixerit orè,
Ignes in plenos: hinc in dispendia rursus
Altera provisæ signantur tempora Lunæ.
Illa dehinc donec germani luminis ignis
Accedat Phœbæ, mensis postrema notabunt.
Hoc quod protento vehit ingens mundus inani,
Aëra nomen habet: quod spirat cespite tellus,
Nubila dicuntur: cælum supèr ardua deorum,
Axea compactum convolvitur. hìc sua certis
Sunt loca numinibus: borealis verticis alta
Regia Saturni: quà ficcior annus anhelat,
Æstatis rutilo, calidâ stat Jupiter æthrâ:
Immodicus terram quà desuper ignis adurit,
Gradivo incolitur: brumalis pulsus habenas
Quà Solis redigit, pulchro Venus obtinet astro.
Ast ubi demerso latet ater circulus orbe,
Cessit Mercurio locus imbrifer: his super amplas
Quinque tenens Zonas, certo via fervida Solis
Limite decurrit, cùm Lunam nubila propter,
Exhalantis humi quà spiramenta madescunt
Ima, vehunt cæli, luxit dum frustrà frequenter,
Desuper in nubes rutilantis lampade Lunæ.
Pascitur humore, & varias dea lumine formas
Exprimit incerto: sic crebro denique Phœbo
Nubibus ambiri cùm subsint nubila, Lunæ
Creditur, hanc quoties includere circulus ergo
Spectatur, proprio succedunt ordine signa:
Ille aliàs trino cùm volvit tramite Lunam,
Et geminis plerunque meat, solet unicus idem
Cingere. Si simplex circumversabitur orbis,
Signa procellarum certissima, signa sereni
Præferet: abruptus subitò prænunciat euros:
Marcescens tenui sensim caligine, & æthrâ
Digestus patulâ, docet undis adfore pacem.
Si duo se Lunæ circunfudere, repentè
Maxima vis pontum, vis verret maxima terras,
Majorésque dehinc agitabunt stagna procellæ.
Si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem,
Et magìs immodicâ formidine sæviet auster,
Zonarum teter fuerit ſi tractus in æthrâ,
Denique disrumpant ſi sese cingula Lunæ,
Ultima tempestas ruet imi gurgitis æstum.
Solis quinetiam, Solis tibi cura videndi
Sit potior, Solem meliùs præviſa sequuntur,
Astrorúmque duci monstrata tenaciùs hærent:
Sive ille occiduas vergat declivis in undas,
Seu se luciferis reparabilis exerat oris.
Istius ingentes radii, caliginis atrum,
Et nebulosarum tractus piceos tenebrarum
Lumine dispiciunt, cùm per chaos umbriferum vis
Flaminea pervasit, cùm semper noctis amictus
Inserit aëriæ fulgor facis: ille calore
Pigra movet, simulac rutilis torpentia flammis
Sol sopita animet, Sol dura obstacula primus
Curru adamanteo referat pater, effiua Phœbus
Igne inhibet, Phœbus radiis densata relaxat.
At cùm flammigeri cedit vis inclyta Solis
Lucis egens, crassæque deus latet obice nubis,
Et cœlo & pelago magnos ait adfore motus.
Non hìc cùm primos educet gurgite vultus,
Ceu picturato diversos ore colores,
Proferat: haud etenim tali tibi Sole revecto,
Mitia jam cœli fas expectare serena.
Et ſi tranquillo convexa cucurrerit austro,
Indidersique facem ponto deus integer, atrâ
Nube carens, purúsque comâ, & splendidius orbe,
Convenit eos faciem præsumere lucis.
Sed non ora cavo similis mediósque recedens
Orbe, quasi vel ſi radios discingitur ultro,
Figat ut australem porrecto sidere partem,
Aut boreæ rigidi jaculetur luminis igne,
Et vento & pluviis reparatâ in luce carebit.
Denique per flammas procul atque incendia, Solis
Ipsa dei cedunt blandi ſi lumina, solers
Tende oculos, certa hoc ducentur signa magistro.
Et ne sanguineus latè rubor induat ora,
Qualia protracto vaga nubila sæpe rubescunt:
Aut ne labenti piceus color abdat amictu
Lampada, quare diu, ſi tetro crassior orbe est,
Uvescet pluviis tellus, inflatáque celsas
Aggere devicto superabunt flumina ripas.
Ignea ſi fulgor præcurrit plurimus ora,
Flamina crebra salis quatient varia, flumina terras
Converrent omnes, & duri flabra aquilonis.
Sylvarúmque comas, & celsa cacumina flectent.
Vis simul amborum ſi vultum Solis oberret,
Cuncta noti quatient, imbres procul arva rigabunt.
Ecce aliàs primo nascentis Solis in ortu,
Vel cùm præcipites pelago deus inferit ignes,
Ut coëunt radii nebuloso: cætera quippe
Pars Hyperionie rutilat facis, hicque comarum
Vis confusa micans mundo sua lumina præstat:
Hic globus ater item liventia nubila cogit,
Nonnunquam crasso nebularum tectus amictu,
In convexa redit, tum cælo rursus aperto
Cùm ruit, oppositâ vultum caligine condit:
Omnibus his signis in terram defluit imber
Plurimus. Interdum tenuis prævertere nubes
Visa deum: hæc celeris ſi præsurrexerit ortum,
Ipséque ponè sequens radiorum luce carere
Cernatur, nimbis ingentibus arva madebunt.
At matutini ſi Phœbum in littoris aëtâ
Majorem solito produxerit, atque per æthram
Marcenti similis defluxerit extimus orbis,
Alta dehinc scandens minuat jubar igniferum Sol,
Pura serena aderunt: nanque olli gurgitis aër
Crassior in modicum surgens diffuderat orbem.
Et jam ſi tenero sustollens tramite cæli
Oblitum justi jubar attrahit, hic quoque magnis
Cùm madefacta die sub tempestatibus horret,
Pallidus ora cadens promittet pura serena:
Dissolutis etenim per apertam nubibus æthram
Ora laboranti similis languentia pallet:
Et dissectarum moles latè nebularum
Indicat exuti faciem clarescere mundi.
Quin nascente die venturos convenit imbres
Noscere, cùm proni procul ad confinia cæli
Deferri piceo spectaris nubila tractu.
Et cùm declinant radii ſe partem in utranque,
Lucis in occasu, nox ut ferat algida rores,
Imber erit. Puras ſi Phœbus condit habenas,
Et Calpetano tranquillum gurgite lumen
Tingat, ac in lapsu nubes ignita sequatur,
Nóxque diésque dehinc venturi rursus eoi
Nimborum expertes & tempestatibus atris
Durabunt. Sed cùm radiis marcentibus ardor
Languet, & in tenui tendantur acumine frustra
Phœbei crines, nimbos aget atra procella.
Talis & obducti cernetur forma diei,
Qualem fraternos subtexens Luna jugales
Lucem hebetat: subit hæc superi sacra lumina Solis
Inferior, mediæque inter stans lampadis orbe,
Arcet flammigeræ radium facis: aut tibi rursum
Cùm matutinos molitur lucifer ortus,
Ebria sanguineæ subvolvant vellera nubes:
Nanque gravis cælo fundetur protinus imber.
Nec ſi Sole procul rutila inter stagna, morante
Emineant radii, radios quoque crassior umbra
Contegat, ille dies pluviis ventóque carebit.
Quin erit imber item, ſi Solem circulus ater
Ambiat exortum: major se denique nimbus
Urgebit cælo, major sola perluet imber:
Circunfusa adeò ſi cingula nescia solvi
Servarent tetræ speciem torpentia molis.
Sæpe etiam Phœbo nubes percussa rubescit,
Et meditata dei formam, procul igne recepto
Concipit effigiem, simulato luminis orbe.
Id qua parte poli spectaveris, adfore ab ipsâ
Parte tene ventos: tamen hæc tamen omnia semper
Decedente die meliùs ventura docebunt.
Convenit hìc etiam parvum Præsepe notare:
Id nubi nomen, quæ Cancro obvolvitur alto:
Græcia docta dedit: duo propter denique Asellos
Suspice, quorum alius Septem vicina trioni
Astra adolet, tepidum procul ater spectat in austrum.
In medio quod nube quasi concrescit adactâ,
Id Præsepe vocant. porrò hoc Præsepe repentè
Si sese ex oculis procul auferet, ardent-ae-

Congruus

Congruus aëriis latè rubor ignis Aſellis,
Nequaquam tenues agitabunt ſtagna procellæ:
At ſi ſideribus ſimilis lux duret, & illi
Tetra ſit effigies, cadet altis nubibus imber
Lenior, & parco mox tellus rore madebit:
Sed borea ſi parte trucis velut indiga juſtæ
Stella facis, lento marceſcere cernitur igne,
Et procul alterius juba latè flagrat Aſelli,
Protinus Æthiopum ſurget convallibus auſter:
At regione noti ſi lucem ſtella ſeneſcat,
Segnis Riphæis aquilo crepitabit ab oris.
Quin & terrenis cape rebus certa frequenter
Signa procellarum: nam cùm traxere tumorem
Æquora prolixum, cùm littora curva reſultant
Sponte procul, neque cæruleus colliditur æſtus:
Aut cùm proceris vertex in montibus ultro
Perſtrepit aërium, ventos inſtare docebunt.
Et cùm parva fulix trepido petit arva volatu,
Stagna ſinens, longáſque iterat clangore querelas,
Indicat inſanis freta mox caneſcere ventis.
Denique cùm cælo tenduntur pura ſerena,
Sævitura polo ſunt flamina, primus in ipſa
Mox picturati convertit pectoris artus
Sturnus edax, premat ut tenues vis obvia plumas,
Et ne poſt tergum pateat penetrabilis euro.
Latipedémque anatem cernes excedere ponto
Sæpius, & ſummâ nebulam ſe tendere rupe:
Jámque ſuper latices florum volitare ſenectam,
Stellarúmque comas rumpi procul æthere celſo,
Decidere in terras, rutilarum ſpargere crines
Flammarum, & longas à tergo ducere tractus:
Indè etiam ventos mox adfore præmonet uſus.
Quòd ſi diverſis ſe paſſim partibus ignes
Excutiant, verret pelagus ſinè fine modóque
Turba procellarum, ſi duri limite ab euri,
Si regione noti, ſi lenis parte favoni,
Aut de Biſtonio mundi procul axe coruſcat.
Si repetunt veterem ranæ per ſtagna querelam,
Vellera ſi cælo volitent, ſi diſcolor iris
Demittat gemino ſe fornice, circulus album
Si ſtellam teter velut ambiat, æquora propter
Si crepitent volucres, ſi gurgite ſæpius alto
Pectora merſentur, ſi crebro garrula hirundo
Stagna adeat, rutilæ cùm ſint primordia lucis:
Si matutinas ululæ dant carmine voces,
Improba ſi cornix caput altis inſerit undis,
Flumine terga rigans, ſi ſævit gutture rauco,
Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.
Imber erit, totis cùm bucula naribus auras
Concipit: & latè pluviis ſola cuncta madebunt,
Cùm proprias ſolers ſedes formica relinquens,
Ova cavis effert penetralibus, aſpera quippe
Tempeſtas, gelidúſque dies, & frigidus æther,
Inſerit internis terrarum redditus æſtus,
Pectora cùm curvo purgat gallinula roſtro.
Agmine cùm denſo circumvolitare videtur
Graculus, & tenui cùm ſtridunt gutture corvi,
Cùm procera ſalum repetit clangore frequenti
Ardea; cùm parvæ defigunt ſpicula muſcæ,
Et ſi nocturnis ardentibus undique teſtis,
Concreſcunt fungi, ſi flammis emicet ignis
Effluus, aut lucis ſubſtantia languear ultro,
Convenit inſtantes præneſcire protinus imbres:
Denique cùm patulum torrens Vulcanus ahenum,
Scintillas flammâ circumlabente reliquit.
Si notus hamentes Libyco trahit æthere nubes,
Si nimiùm ad montem nebularum craſſus amictus
Tendatur, ſummo nudentur vertice ſaxa:
Et quà pontus item freta per diſtenta quieſcit,
Nubila ſi longo ſe procumbentia tractu
Diffundunt cælo, & Thetidi terriſque ſupinis
Pax aderit, nuſquam mundo ruet effluus imber.
Sed cùm tranquillo tenduntur craſſa ſerena
Sub Jove, venturæ prænoſcere ſigna procellæ
Convenit: & rurſum cùm perfurit aëris horror,
Inſpice quam referant terris pelagóque quietem.
Inter prima tamen parvum Præſepe notatur,
Arduus excelſo quod Cancer cardine volvit.
Hoc cùm concretus tenuati cœperit aër,
Diſcutit impoſitæ latè ſibi molis amictum.
Nanque ſereniferi patet hoc in ſtabra aquilonis,
Cùm minùs & primo purgatur flamine venti
Tempore, tum propior modulatur noctua carmen,
Tum veſpertinum cornix longæva reſultat,
Tum corvi crepitant, & ovantia gutture ranco
Agmina crebra vocant, tum nota cubilia lari
Succedunt pariter, tum pennis corpora plaudunt.
Tunc & Strymonias circumvolitare repemè
Suſpicies per aperta grues, ubi mitior annus
Sponte procelloſum disjecerit æra cuſi.
Tunc quoque cùm ſtellis hebes eſt lux omnibus ultro,
Nubila nec craſſos circumduxere meatus,
Ut jubar occulerent flagrantibus obvia flammis;
Nec caligo inhibet rutilantis lampados ignes,
Orbe nec expleto ſacra ſidera Luna recondit:
Sed jam ſponte ſuâ ſtellarum lumina marcent,
Convenit hibernæ prænoſcere ſigna procellæ.
Nubila ſi cælo conſiſtere, nubila ferri,
Si qua ſuperfundi ſibimet ſuſpexeris ultro:
Gramina ſi carpit ſemeſa petacius anſer:
Si nocturna tibi cornix canit, heſperus æthrâ
Cùm redit, innumero ſi cantu graculus inſtat,
Si matutino fringuilla reſultat ab ore,
Si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei,
Orchilos infeſtas ſi floricomis hymenæis
Ima petit, terræ ſi denique parvus erithrus
Succedit trepidæ ſcrupoſæ concava rupis,
Cecropias ſi paſtus apes vicinus ad ipſa
Caſtra inhibet, florúmque ſimul libamina mundæ
Proxima decerpunt: ſi Threïciæ per aperta
Sponte grues trepidant, nec ſeſe audaciùs æthere
Committunt, pinnis ut longos ſæpe volatus
Formavere ſupèr: ſi ſolvit aranea caſſes,
Tenuia ſi toto vehit auſter licia cælo,
Mox tempeſtates, & nubila tetra cientur.
Quid? majora canam: cinis, cinis ipſe repentè
Cùm coit, albenti nix tetras veſtit amictu,
Nix operit terras, rutilis ubi lumina prunis
Summa rubent, errántque brevi caligine craſſâ
Interiùs nebulæ, & denſo jam fomes in igni
Marceſcit penitus, pluvios mox arguet auſtros.
Induit immodicis cùm ſemet floribus ilex:
(Indiga nam ſuccî ligno natura rigenti eſt)
Et cùm flore novo, cùm brachia glande gravantur
Uventis cæli ſub nutrimenta latenter
Sponte operata docet. quin & lentiſcus amara,
Indicium eſt pluviis. Ter fœtum concipit arbos,
Térque novos genitrix fructus alit: ipſâque trino
Flore renideſcens tria tempora prodit arandi.
Ter prorumpentis ſcillæ teres erigitur flos,
Sulcandíque ſolum ter monſtrat tempus adeſſe.
Sic & crabronum rauca agmina, ſi volitare
Fine ſub autumni conſpexeris æthere longo,
Jam veſpertinus primo cùm commovet ortus
Vergilias pelago, dices inſtare procellas.
Sique ſues lentæ, ſi lanæ ſedula nutrix,
Si capra dumoſis errans in ſaltibus, ultro
In Venerem pergat: quippe ollis avidus aër
Excitat internum per viſcera mota furorem:
Et tempeſtates & nubila protinus atra
Adfore præcipies. Quin & gaudebit arator,
Quíque ſolum juſtis verſabit menſibus anni,
Plebe gravum primâ: gaudebit tardus arator
Agmine pigrarum: ſic quondam lege deorum
His comes eſt imber. Pecudes ſi denique terram
Lanigeræ fodiant, caput aut tendatur in arctos,
Cùm madidus per * marmora turbida condit
Pleiades occaſus, cùm brumæ in frigora cedit
Frugifer autumnus, ruet æthrâ concitus imber.
At ne perruptis terrarum dorſa lacunis
Infodiant pecudes: ſi vaſto viſcera hiatu
Diſcutiant terræ, veniet vis æthere toto
Dira procellarum, nix omnes veſtiet agros,
Nix herbas lædet teneras, nix uret ariſtas.
At ſi contigerit plures ardere cometas,
Invalidas ſegetes torrebit ficcior aër.
Nanque prorumpunt naturæ legibus ultro
Spiramenta ſoli, ſi juſtus defuit humor,
Arida per cælum ſergentia deſuper æthra
Igneſcunt flammis, mundíque impulſa calore
Excutiunt ſtellas, & crebro trine rubeſcunt.
Contemplator item, ſi longo plurima potito
Agmina feſtinant volucrum, ſolitámque frequenter
Succedunt terram, ſterilis deſeviet æſtas,
Ac ſitient agri: nam quà circumflua tellus
Adnitur pelago, coquit altum ficcior aër.
Celſpiris arentis ventis, ebiliſque calorem
Sentit humus ſic cincta ſalo: fuga protinus ergo

Eſt avium in terras: pavet hos ut viderit æſtus
Agricola, & ſicco jam deſiet margite culmos.
Sed ſi tam modico producant agmina ab undis,
Nec trepido paſſim verſant convexa volatu,
Lætitia eſt duris paſtoribus, adfore parcos
Præſumunt imbres: ſic in contraria ſemper
Vota homines agimur, noſtríque cupidine fructûs
Poſcimus alterius diſpendia: denique & ipſa
Soleis natura, & rerum genitabilis ordo,
Certa ſuis ſtudiis adfixit ſigna futuri.
Nanque & ovis cupido ſi gramina tondeat ore
Inſaturata cibi, decerpens latiùs agros,
Paſtor id indicium pluvialis frigoris edet.
Et ſi perſultans aries laſciviùs herbas
Adpetit, aut ſeſe ſuſtollant ſaltibus hœdi:
Vel ſi juge gregi cupiant herere, nec uſquam
Matribus abſcedant, & ſi finè fine modóque
Pabula delibent, cùm tutas veſper adire
Compellat caulas, monſtrabunt adfore nimbos.
Bubus arator item trahit atræ ſigna procellæ,
Lambere ſi linguâ prima hos veſtigia fortè
Viderit, aut dextrum proſternere corpus in armum.
Vel ſi prolixis auras mugitibus implent,
Paſcua linquentes vix veſpere, dat capta motî
Rurſum ſigna poli, cùm ſpinis ilicis atræ
Multa inhiat, docet hæc eadem ſus horrida, cœno
Gurgitis illuvie ſi ſæpius involvatur.
Martius ipſe lupus villarum proxima oberrans,
Affectánſque locos hominum, lectúmque larémque
Sponte petens, craſſo conſurgere nubila cælo
Præmonet. Id parvi cùm ſtringunt denique mures
Cùm geſtire ſolo, cùm ludere fortè videntur:
Protendit tibimet canis id præſentia, multam
Tellurem fodiens. tamen hæc tamen omnia rerum
Adfore vel primo nimbos mox ſole docebunt,
Vel cùm curriculis lux ibit cepta ſecundis,
Tertius aut verſo cùm venerit ortus Olympo.
Non ſpernenda tibi ſint talia, ſed memor uni
Adde aliud ſemper: ſi tertia denique ſigna
Proveniant, firmo venturum pectore fare:
Et tranſactorum ſoleis componere menſum
Signa laborabis, ſi ſic ſtuxere reperta,
Nequaquam trepidare pudor perſuadeat ullos
Aſtrorum lapſus, aſtrorum protinus ortus
Diſcute, ſi caſus ſimiles & ſtella per æthram
Prodidit: exacti jam ſumma crepuſcula menſis,
Et ſurgentis item primordia conſcius artis
Fare ſacræ. menſum confinia ſumma duorum
Cæca latent: luces hæc ſemper ſemet in octo
Ignſcia lunaris tendunt facis: ipſe fideli
Perquires ſtudio: & ſi quid tibi fortè repertum,
Pluribus indiciis ſoleis tulcire memento.

ARATI PHÆNOMENA

Per GERMANICUM CÆSAREM in Latinum conversa.

AB Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis: at nobis genitor tu maximus auctor:
Te veneror, tibi ſacra fero, doctíque laboris
Primitias. Probat ipſe deûm rectórque ſatórque,
Quantum etenim poſſint anni certiſſima ſigna,
Quà Sol ardentem Cancrum rapidiſſimus ambit,
Diverſáſque ſecat metas gelidi Capricorni:
Quave Aries & Libra æquant divortia lucis:
Si non parta quies te præſide, puppibus æquor,
Cultorique daret terras, procul arva ſilerent.
Nunc vocat audaces in cælum tollere vultus,
Sideráque & varios ali cognoſcere motus,
Novita quid caveat, quid vitet doctus arator,
Quando ratem ventis, aut credat ſemina terris.
Hæc ego dum lætis cogor prædicere muſis,
Par tua túque adſis nato, numénque ſecundes.
Cætera quæ toto fulgent vaga ſidera mundo,
Indefeſſa trahit proprio cum pondere cælum:
Axis at immotus ſemper veſtigia ſervat,
Librataſque tenet terras, & cardine firmo
Orbem agit extremum. Geminus determinat axem,
Quem Graii dixere polon: pars merſa ſub undas
Oceani, pars celſa ſub horrifero aquilone.
Axem Cretæa dextrâ lævâque tuentur,
Sive Arcti, ſeu Romani cognominis Urſæ
Plauſtrúmve: & facies ſtellarum eſt proxima vero,
Tres temone toſſque micant, ſublime quaternæ:
Si meliùs dixiſſe feras, obverſa refulgent
Ora feris, caput alterius ſuper horrida terga
Alterius lucet: pronas rapit orbis, in ipſos
Declivis humeros. veteris ſi gratia formæ,
Creſſia vos tellus alnit, moderator olympi
Donavit cælo: meritum cuſtodia fecit:
Quòd fidæ comites prima incunabula magni
Viderunt Jovis, attonitæ cùm furta parentis
Ærea pulſantes mendaci cymbala dextrâ,
Vagitus pueri patrias ne tangeret aures,
Dictæi exercent dominæ famuli Corybantes.
Hinc Jovis altrices, Helice Cynoſuráque fulgent.
Dat Graiis Helice curſus majoribus aſtris,
Phœnicas Cynoſura regit. ſed candida tota,
Et liquido ſplendore Helice nitet, haud priùs ulla,
Cùm ſol Oceano fulgentia condidit ora,
Stella micat cælo, ſeptem quàm Creſſia flammis.
Certior eſt Cynoſura tamen ſulcantibus æquor:
Quippe brevis totam ſido ſe cardine vertit,
Sidoniámque ratem nunquam ſpectata fefellit.
Has inter medias, abrupti fluminis inſtar,
Immanis ſerpens ſinuoſa volumnia torquet
Hinc atque hinc, ſuperátque illas mirabile monſtrum.
Cauda Helicen ſuperat, tendit ſimul ad Cynoſuram
Squammigero lapſu quà definit ultima cauda,
Hàc caput eſt Helices, flexu comprenditur alto
Serpentis: Cynoſuræ ille explicat ampliùs orbes,
Sublatúſque retro majorem reſpicit Arcton.
Ardent ingentes oculi, cava tempora claris
Ornantur flammis, mento ſedet unicus ignis,
Tempus dexterius quæ ſignat ſtella Draconis,
Quæque ſedet mento: lucet noviſſima cauda,
Extremúmque Helices ſidus micat, ac radiatur
Serpentis declive caput, quæ proxima ſigna
Occaſus ortúſque uno tanguntur ab ore,
Oceani tumidis ignotæ fluctibus Arcti,
Semper in occiduis ſervantes ignibus axem.
Haud procul effigies indè eſt defecta labore,
Non illi nomen, non magni cauſa laboris:
Dextro nanque genu nixus, diverſíque tendens
Brachia, ſuppliciter panſis ad numina palmis,
Serpentis capiti figit veſtigia ſæva.

CORONA.

Clara Ariadnææ propiùs ſtant ſigna Coronæ.
Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.

OPHIUCHUS.

Terga nitens ſtellis, à quo ſe vertice tollit,
Succiduis genibus lapſum & miſerabile monſtrum,
Hic Ophiuchus erit, longè caput antè nitendo
Et vaſtos humeros, tum cætera membra ſequuntur.
Illis languet honor humeris, manus integer audor.
Luna etiam menſem cùm pleno dividit orbe,
Lux tenuis manibus per quas elabitur Anguis
Preſſus utrâque manu, medium cingens Ophiuchum.
Scorpius ima pedum tangit, ſed planta ſiniſtra
In tergo reſidet, veſtigia dextera pendent.
Eſt impar manibus pondus, nam dextera parvam
Partem anguis retinet: per lævam attollitur omnis:
Quantúmque à lævâ diſtantia Serta notantur,
Erigitur tantùm Serpens, atque ultima mento
Stella ſub æthereâ lucet crinita coronâ,
Ad quam ſi dorſo pervadit lubricus Anguis,
Inſignes cælum perfundunt lumine Chelæ.

ARCTOPHYLAX.

Indè Helicen ſequitur ſenior, baculóq; minatus
Se velle Arctophylax, brachiorum munera cæſus
Icarus, ereptam penſavit munere ripam.
Non illi obſcurum caput eſt, non triſtia membra:
Sed proprio tamen una micat ſub nomine flamma,
Arcturum dixere, ſinus quâ vincula nodant.

VIRGO.

Fulget ſpica manu, maturiſque ardet ariſtis,
Quam te diva vocant: tangunt mortalia ſi te
Carmina, nec ſurdam præbes venerantibus aurem,
Exoſa heu mortale genus, medio mihi curſu
Sedunt quadrupedes, & flexis lætus habenis,

Téque

Téque tuúmque canam terris venerabile numen.
Aurea pacati regeres cùm ſecula mundi
Juſtitia, inviolata malis, placidiſſima virgo,
Seu genus Aſtræi fueris, quem fama parentem
Tradidit aſtrorum, ſeu verò intercidit ævo
Ortûs fama tui, mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata ſubire
Tecta hominum & puros mores ſinè crimine, diva
Jura dabas, cultúque novo rude vulgus in omnem
Formabas vitæ ſinceris artibus uſum.
Nondum veſanos rabies nudaverat enſes,
Nec conſanguineis fuerat diſcordia nota,
Ignotíque maris curſus, privatáque tellus
Grata ſatis, neque per dubios avidiſſima ventos,
Spes procul amotas fabricatâ nave petebat
Divitias, fructúque dabat placata colono
Sponte ſuâ tellus, nec parvi terminus agri
Præſtabat dominis ſigno tutiſſima rura.
At poſtquam argenti crevit deformior ætas,
Rariùs invitit maculatas fraudibus urbes,
Seráque ab excelſis deſcendens montibus, ore
Velato, triſtíſque genas abſcondita ripa,
Nulliúſque larem, nullos adit illa penates.
Tantùm cùm trepidum vulgus cœtúſque notavit,
Increpat, O patrum ſoboles oblita priorum,
Degeneres quæ habuit ſempérque habitura minores,
Quid me nunc habitus ſuper & mala vota vocatis?
Quærenda eſt ſedes nobis nova: ſecula veſtra,
Artibus indomitis tradent ſcelerſque cruento.
Hæc effata, ſuper montes abit alite curſu,
Attonitos linquens populos, graviora paventes.
Ærea ſed poſtquam proles terris data, nec jam
Semina virtutis vitiis demerſa reſiſtunt:
Quiſque priora tenet veſtigia, quiſque ſecunda:
Ferríque invento mens eſt lætata metallo,
Polluit & taurus menſas, aſſuetus aratro.
Deſeruit properè terras juſtiſſima Virgo,
Et cæli ſortita locum, quà proximus illi
Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra Bootes.
Virginis at placidæ præſtanti lumine ſignat
Stella humeros, Helicénque ignis non clarior ambit,
Quíque micat candâ, quíque armum fulget ad ipſum,
Quíque priora tenent veſtigia, quíque ſecunda
Clunibus hirſutis & qui ſua ſidera reddit:
Nanque aliæ quibus expletum cervíxque capútque,
Vatibus ignotæ priſcis, ſine honore feruntur.

GEMINI.

Quà media Helice, ſubjectum reſpice Cancrum:
At capiti ſuberunt Gemini.

LEO.

. . . Quà poſterior pes,
Horrentéſque jubas & fulvum cerne leonem.
Hunc ubi contigerit Phœbi violentior axis,
Accenſa in Cancro jam, tunc geminabitur æſtas.
Tunc lymphæ tenues, tunc eſt triſtiſſima tellus.
Et denſas lætus ſegetes bene condit arator.
Ne mihi tunc remis pulſet vaga cærula puppis:
Dem potiùs ventis excluſo vela rudente.
Excipiámque ſinu zephyris ſpirantibus auras.

ERICHTHONIUS.

Eſt etiam Aurigæ facies, ſive inclyta forma,
Natus Erichthonius, qui curru ſub juga duxit
Quadrupedes, ſeu Myrtoas demerſus in undas
Myrtilos hunc potiùs ſpecies in ſidera reddit.
Sic nulli curſus, ſic raptis mœſtus habenis,
Perfidiâ Pelopis raptam gemit Hippodamiam.
Ipſe ingens tranſverſus abit lævam Geminorum,
Majoríſque Urſæ contra delabitur ora.
Numina præterea ſecum trahit: una putatur
Nutrix eſſe Jovis, ſi verè Jupiter infans
Ubera Cretææ mulſit fidiſſima capræ:
Sidere quæ claro gratum te geſtat alumnum,
Hanc auriga humero totam gerit: at manus hœdos
Oſtendit, nautis inimicum ſidus in undis.
Orbis ab oceano celſus rapit. haud ſemel hœdi
Jactatam videre ratem nautáſque paventes,
Sparſáque per ſævos morientum corpora fluctus.

TAURUS.

Aurigæ pedibus trux adjacet ignea Taurus
Cornua fronte gerens, & lucidus igne minaci,
Quem Liber ignarum cæli formando docebat:
Et caput, & patulas nares, & cornua Tauri:
Fronte micant Hyades: quæ cornua flamma ſiniſtri
Summa tenet. ſub hæc eadem, veſtigia dextra
Aurigæ, mediâque ligant compagine divos.
Myrtilos exoritur ſummo cum Piſcibus ore,
Totus cum Tauro lucet, ruit oceano bos
Antè, ſuper terras cùm fulget Myrtilus ore.

CEPHEUS.

Jaſides etiam cælum cum conjuge Cepheus
Aſcendit, totâque domo: quia Jupiter auctor
Eſt generis: prodeſt majeſtas ſæpe parentis.
Ipſe brevem patulis manibus ſtat poſt Cynoſuram,
Ducto paſſim quantùm latus à pede dextro,
Cepheus extremam tangit Cynoſurida caudam:
Tantundem à lævo diſtat minor. utraque jungit
Regula. Cepheos veſtigia baltheus ambit.

CASSIEPEIA.

Quà latus afflexum ſinuoſi reſpicit Anguis,
Caſſiepeia virum reſidet ſublimis ad ipſum,
Clara etiam pernox cælo cùm Luna refulget,
Sed brevis & paucis decorata in ſidere flammis,
Qualis ferratos ſubicit clavicula dentes,
Succutit, & foribus præducit vincula clauſtri:
Talis diſpolitis ſtellis ipſa horrida vultu,
Sic tendit palmas ceu ſit planctura relictam
Andromedam, meritæ non juſta piacula matris.

ANDROMEDE.

Nec procul Andromede, totam quam cernere nondum
Obſcurâ ſub nocte licet, ſic emicat ore,
Sic magnis humeris candens nitet, ac media ambit,
Ignea ſubſtrictâ fulget quà zonula pallâ,
Sed penè facies remanet, diſtrictáque pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore ſaxi.

EQUUS DIMIDIUS.

Andromedæ verò radiat quà ſtella ſub ipſâ
Alvo, fulget equus: tres armo, ſed latera æquis
Diſtinguunt ſpatiis: capiti triſtiſſima forma,
Et cervix ſinè honore obſcuro lumine ſordet.
Spumanti mandit ſed quà ferus ore lupato,
Et capite & longè cervice inſignior exit
Stella nitens, armis lateríque ſimillima magno.
Nec totam ille tamen formam per ſingula reddit.
Primo præſtat equo, medio rapta ordine membra
Deſtituunt, viſus radiis hinc ſurgit imago.
Gorgonis hinc proles in Pierio Helicone,
Vertice cùm ſummo nondum decurreret unda,
Muſæos fontes dextri pedis ictibus hauſit.
Indè liquor genitus nomen tenet Hippocrenen.
Fontes nomen habent, ſed Pegaſus æthere ſummo
Veloces agitat pennas, & ſidere gaudet.

ARIES.

Indè ſubeſt Aries, qui longè maxima torrens
Orbis, & ad finem ſpaciis non tardior oram
Pervenit, & quando graviore Lycaonis Arctos
Axem vel tutor quem tanto gratior ille
Diſtantes cornu properat contingere metas.
Claráque non illi eſt facies, nec ſidera poſſunt,
Officiat ſi Luna, ſua virtute nitere.
Sed quæ rendus erit zonæ ratione micantis,
Ut chelæ, candens aut baltheus Orionis.

DELTOTON.

Eſt etiam propiore deum cognoſcere ſigno,
Deltoton, ſi quis donum hoc ſpectabile Nili,
Divitibus veneratum undis in ſede notârit.
Tres illi laterum ductus, æquata duorum
Sunt ſpacia, unius brevior. ſed clarior ignis.
Hinc Aries juxta medium Deltoton habebit.

PISCES.

Inter lanigeri tergum, & Cepheida mœſtam
Hinc ultra gemini Piſces, quorum alter in auſtrum
Tendit, Threïcium boream petit alter, & audit
Stridentes auras, niveus quas procreat Hæmus.
Non illis liber curſus, ſed vincula cauda
Singula utrunque tenent uno coëuntia nodo.
Nodum ſtella premit Piſcis qui reſpicit auras
Threïcias. dextram Andromedæ cernuntur ad ulnam.

PERSEUS

PERSEUS.

Tantus & ille micat, tantum occupat ab Jove cœli.
Dextrâ ſublatâ ſimilis, prope Caſſiepeiam:
Sublimis fulget pedibus: properare videtur,
Et velle aligeris purum æthera tangere palmis.

PLEIADES.

Sidera communem oſtendunt ex omnibus ignem.
Septem traduntur numero, ſed carpitur una,
Deficiente oculo diſtinguere corpora parva.
Nomina ſed cunctis ſervavit fida vetuſtas.
Electra, Alcyonéque, Celænóque Taygetéque,
Et Sterope, Meropéque ſimul, formoſáque Maia,
Cælifero genitæ, ſi verè ſuſtinet Atlas
Regna Jovis ſuperóſque, atque ipſo pondere gaudet.
Lumine non multo Pleias certaverit aſtris:
Præcipuo ſed honore oſtendit tempora bina:
Cùm primùm agricolam ventus ſupereminet auſter,
Et cùm ſurgit hyems portu fugienda peritis.

LYRA.

Tempora læva premit Parthi ſubjecta draconis,
Summa genu ſubverſa tenet quâ ſe Lyra volvit.

CYCNUS.

Contra ſpectat avem, vel Phœbi quæ fuit olim,
Cycnus de thalamis candens, qui lapſus adulter
Furta Jovis falsâ volucer ſub imagine texit.
Haud medii fulgoris erunt pennæ: utraque læta,
Dexterior juxta regalem Cepheos ulnam,
At læva fugit inſtantem ſibi Pegaſon ala.

AQUARIUS.

Oceano merſus, ſopitas condere flammas,
Imbres, occaſus ortúſque intercipit ora.
Et cùm terrores auget nox atra marinos,
Multum clamatos fruſtra ſpectaveris ortus.
Tunc rigor, aut rapidus ponto tunc incubat auſter,
Tarda miniſteria, & nautis tremor alligat artus,
Et rationem animi temeraria pectora ſolvent.
Nulla dies oritur, quæ jam vacua æquora cernat,
Puppibus & ſemper tumidis ratis innatet undis.
Interea tentare undas juvat, aſpera ſed cùm
Aſſultat lateri deprenſæ ſpuma carinæ,
Tunc alti curvos proſpectant littore portus:
Inventáſque alii terras pro munere narrant.
Interea exanimat pavidos inſtantis aquæ mons:
Aſt alii procul è terra jactantur in altum:
Munit & hos breve lignum, & fata inſtantia pellit,
Et tantum à leto, quantum rate fluctibus abſunt.

SAGITTARIUS.

Belligerum Titan etiam cùm contigit arcum,
Ducentémque ferunt ſinuato ſpicula nervo,
Jam clauſum ratione mare eſt, jam navita portu
Infeſtam noctem fugit, ad longáſque tenebras,
Signum erit exoriens nobis tum nocte ſuprema.
Scorpios ille micat ſuper freta cærula caudâ:
Inſequitur gravis Arcus, & in lucem magis exit.
Tunc altè Cynoſura repit, tunc totus in undas
Mergitur Orion, humeris & vertice Cepheus.

AQUILA.

Unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem
Et cælo appoſitos cuſtos quo Jupiter arſit:
In puero, luit excidio quem Troja furorem.

DELPHINUS.

Sidera quæ mundi pars celſior æthere volvit,
Quæque vident boream, ventis aſſueta ſerenis
Diximus: hinc alius declivis ducitur ordo,
Sentit & inſanos obſcuris flatibus auſtros.

ORION.

Tela, caput, magniſque humeris ſic balteus ardet,
Sic vagina enſis, pernici ſic pede fulget.

CANIS.

Cùm tetigit Solis radios, accenditur æſtas,
Diſcernítque: ortu longè ſata vivida firmat:
At quibus aſtatæ frondes, aut languida radix,
Exanimat: nullo gaudet majúſve minúſve

Agricola: & ſidus primo ſpeculator ab ortu.

DASYPUS.

Sic utrunque oritur, ſic occidit in freta ſidus:
Tu parvum Leporem perpende ſub Orione.

ARGO NAVIS.

At cùm decurrens inhibet jam navita remos,
Averſámque ratem votis damnatus ab ore,
Perlegit, optatam cupiens contingere terram:
Sed quia pars violata fuit coëuntia ſaxa,
Numina Junonis totus cùm fugit Iaſon,
Hæc micat in cælo lateri non amplior, actus
Quâ ſurgit malus, quâ debet reddere proram,
Intercepta perit nullâ ſub imagine forma:
Puppis demiſſo tantùm ſtat lucida clavo.

CETUS.

Diverſo poſita & boreæ vicina legenti,
Auſter piſtris agens duo ſidera, perlegit unum.
Nanque Aries ſupra Piſtrim Piſcéſque feruntur.
Bellua ſed ponti non multum præterit Amnem.

ERIDANUS FLUVIUS.

Planxere ignotis Aſiæ Phaëtontides undis.
Eridanus medius liquidis interjacet aſtris.
Hujus pars undæ lævum ferit Orionis
Lapſa pedem, procul à motis qui Piſcibus uſus,
Vincula conjectat nodus: criſtam ſuper ipſam,
Æquore Piſtris adit. ſunt illi libera cælo
Sidera, nonnullam ſpecie reddentia formam:
Sub Leporiſque latus, verſam poſt denique puppim,
Inter & Eridanum, flexúſque cavúmque carinæ.
Atque hæc ipſa notat, ſi nullam ferre figuram,
Sunt etiam toto ſparſi ſinè nomine mundi
Inter ſigna ignes etiam, quibus & ſua deſit
Forma, per oppoſiti noſcuntur lumina ſigni.

PISCIS.

Infimus Hydrochoos ſed quâ veſtigia figit,
Sunt aliæ ſtellæ, quâ caudam bellua flectit,
Quáque caput Piſcis, mediâ regione locatæ:
Nullum nomen habent, nec cauſam nominis ullam:
Sic tenuis cunctis jam penè evanuit ardor:
Nec procul hinc dextrâ diffundit Aquarius undas,
Atque imitata cadunt errantis ſigna liquoris.
Et quibus una magis ſub caudâ flamma relucet
Squammigeræ piſtris: pedibus ſubit altera ſigni
Fundentis latices: eſt & ſinè honore corona,
Ante Sagittiferi multùm pernicia crura.
Oceanum occaſu tangit tanto & magis arte,
Thuribulum metæ vim cælo ſuſcipit, & jam
Præcipiti tractu vaſtis dimittitur undis.
Multa dedit natura homini rata ſigna ſalutis,
Venturámque novis cladem depellere ſuaſit.
Inter certa licet numeres ſub nocte cavendâ
Thuribulum. nam ſi ſordebunt cætera cæli
Nubibus obductis, illo ſplendore timeto,
Ne pacem pelagi ſolvat violentior auſter:
Tunc mihi ſiccentur aſtricto cornua velo,
Erigat, emittátque latus per inane rudentes.
Quòd ſi deprenſa turbavit lintea puppis,
Incubuítque ſinu laxo, vel mergitur undis
Prona ratis, ſolvétque inimicum Nerea prora:
Vel ſi perſpexit ſervator Jupiter æger,
Ultima perſolvunt jactatæ vota ſalutis:
Nec metus antè fugit, quàm pars effluxerit orbis,
Quæ boream cælum ſpectantibus indicet ortum.

CENTAURUS.

Indè per ingentes coſtas, per crura, per armos,
Naſcitur intactâ Sonipes ſub Virgine dextra,
Seu prædam è ſilvis portat, ſeu dona propinqua
Placatura deos, cultor Jovis admovet aræ.
Hic erit ille pius Chiro, tutiſſimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.
Hic humero medium ſcindens iter ætheris alti,
Si tenuem traxit nubem ſtellâſve recondit,
Toto clarus equo, venientes nunciat euros.

HYDRA.

Hic primos ortus Crater premit ulterioris,
Vocalis roſtro Corvi, ſuper Hydráque lucet.

* * *

Ætherium venit thalamum super imbribus atrum,
Et tonitru, crebrâque abscondit grandine terras.
Temperat in Geminis annum, nec crede sereno,
Nubila nec diuturna putes cum ûdere Cancri
Fons erit ardentis, tamen hoc in littore certum
Flagrantis placidè lucens hic temperat annum.
Cùm posuit sedem Nemeæis finibus astrum,
Virginéque & Librâ, semper pendentia tantùm
Nubila continuâ magìs in statione manebunt.
Nunc quoque nulla fides cælum cùm Scorpion acer
Stat super: incertâ namque omnia lege feruntur:
Heu quantis terras tum Jupiter ignibus omnes
Obruet, aut glomerata cadet quàm densa per astra
Immitis grando cælo, quàm sæpe sonabit,
Cùm spatium attigerit tendentis singulíque ignis!
Non terris imbres, ponto non flamina deerunt,
Et cæli terret sonitus mortalia corda,
Cùm sedem Ægoceri Cythereius attigit ignis.
Horridus at gelidos portendit Aquarius ignes,
Hibernæque cadunt pluviæ, concretáque grando.
Piscibus à geminis sub prima recurrerit astra
Hesperus, hæc tibi signa feret, cùm lucifer ora
Ingreditur Venus alma polum, sed ubi Hesperus ignes
Provocat ætherios, & noctem ducere terris
Incipit, exoriens ecce hæc Cytherea movebit.
Vere caveto imbres, & fulmina culmine ab alto,
Phryxeum rutilo pecus irradiaverit astro
Nubila, commixtúsque fragor pluvialibus undis,
Flaminíque assiduo terris tum stantia pulsu.
E cælo diri dejecti grandinis ictus,
Vere magìs nitido Tauri cum sidere fulsit.
Appota Geminis eadem constantia præstat,
Cùm dederit soles, inducit nubila cælo:
Nubila cùm fuerint, subitos mirabere soles:
Et modò te vento gelido, modò protinus imber
Lucens alternâ superabit nube serena.
Sin levis ingressa est spacioti sidera Cancri,
Pacem mundus habet, nonnulli corpore soles
Pestiferi incendunt, non sidera densa solutos
Astringunt artus: alieno tempore lenis
Omnia pacato tum sidere temperat aër.
Ac rapidis idem ne solibus æstuet orbis,
Efficient magni conspectu signa Leonis.
Virgine erunt pluviæ, plerique in nube fragores,
Concava quos reddunt incluso nubila vento.
Detrahit autumno pluvias, eadémque repellit,
Nubibus assiduis, cælúmque ob frigora prima,
Extremum autumni superent glacialia terræ.
Scorpios at raris ne quis cava terra gravetur,
Horrebit pluviis. ad diros omnia nimbos,
Continuóque ruit, cùm per sinuosa tenetur
Cornua Centauri rapidâ distincta sagittâ.
Ægoceros imbres, & crebro lumine ruptos
Nubibus elidet sonitus, vernulóque nitore
Flagrantis teli mortalia numina vincent.
Hæc eidem fundens prædicit Aquarius imbrem.
Extremis sævis maria increbrescere ventis,
Ostendunt Pisces Veneris quos stella notârit.
Et quoniam certis extat via cognita signis,
Accipe quid moveat mundo Cyllenius ignis,
Si modò Phœbei flammas evaserit axis,
Matutina ferens solitos per sidera cursus.
Cum pecudum villis auratum fulserit astrum,
Ventorúmque graves, & diræ grandinis iræ,
Non interrupto patienti tempore surgent.
Quin pluvias alias etiam in regione notabis
Affore non omni: namque est tunc imber in arvis.
Aut ubi se Taurus sinuatis cornibus effert,
Grandine significat. Geminis tranquilla sereni
Et placidum nautis spondet cælúmque fretúmque,
Nubila atque imbres, æstus ac frigora miscet.
Certior ardor erit, quamvis juvet aura favoni,
Cùm vasti calidâ radiabit sede Leonis.
Templa sed ætherei simul ac possederit ignis,
Omnia mixta feret, pluvias meditabitur ingens,
Undique grando venit, rumpuntur culmina nimbis.
Centauri attigerit cùm jam Cyllenius arcus,
Aut ubi consurgit Capricornus & ipse biformis,
Aut subitos cælo deducet crebrius imbres
Fulminis, aut jactu magnum perrumpit Olympum.
Nulla serenato Capricornus nubila cælo
Comparat, aut gelidos flatus, cælíque fragores.
Non alio melius signo prædicere possis.
Piscibus hæc eadem quamvis cognoscere fas sit,
Quandoquidem exoritur mundo Cyllenius ignis.
Quid faceret primùm moto cum lumine Solis,
Tempus & occasus moneat quoque discere Phœbi.
Ver erit hibernis totum execrabile nimbis
Et crebro tonitru junget florentia rura,
Spésque novæ segetis quatientur grandinis ictu,
Uretur cælum, magni cùm regna tonantis
Ingrediens pecudis ingreditur aurea terga.
Hinc & Agenorei stellantia cornua Tauri,
Quídve ferant Gemini, rapido quid sidere Cancer,
Si penitus quæras: Taurum sævire videbis,
Grandine nec contrà ferri ratione probandâ,
Aut Cancro, aut Geminis: calidus vestigia servat
Hic quo dicta Leo sævíque caloribus ardet.
Flatus at Geminis miscet tranquilla serenis,
Spiciferæque manu tendenti libera nutu
Dissentit divæ, sed ut hæc ventura serena
Nunciat, & ventis cessat mare, cessat & aër.
Scorpios in pluvias rarus, sed nubibus atris
Creber agit nimbos: & sæva tonitrua portat,
Clara Sagittiferi tetigit cum lumina signi.
Ægocero semper cælo levis excidit imber.
Frigidus at rapidis horrebit Aquarius euris,
Brumalésque dabit pluvias, atque igne perenni
Cum sonitu quatiet nubes secura laboris,
Non frustrans animum certo me limite ducat.
Hæc eadem tibi signa dabunt non irrita Pisces.

POEMATIA

QUÆDAM

SENECÆ PHILOSOPHI

EX APOCOLOCYNTHOSI.

I.

JAM Phœbus breviore viâ contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant tempora somni;
Jámque suum victrix augebat Cynthia regnum:
Et deformis hyems gratos carpebat honores
Divitis Autumni, visóque senescere Baccho
Carpebat raras serus vindemitor uvas.
Jam medium cursu Phœbus diviserat orbem,
Et propior nocti fessas quatiebat habenas,
Obliquo flexam dedecens tramite lucem.

II.

Hæc ait: & turpi convolvens stamina fuso
Abrupit stolidæ regalia tempora vitæ.
At Lachesis redimita comas, ornata capillos,
Pierià crinem lauro frontémque coronans,
Candida de niveo subtemina vellere sumit,
Felici moderanda manu: quæ ducta colorem
Assumpsere novum. mirantur pensa sorores.
Mutatur vilis pretioso lana metallo.
Aurea formoso descendunt sæcula filo.
Nec modus est illis: felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus. sunt dulcia pensa.
Sponte suâ festinat opus: nullóque labore
Mollia contorto descendunt stamina fuso.
Vincunt Tithoni, vincunt & Nestoris annos.
Phœbus adest, cantúque juvat, gaudéque futuris:
Et lætus nunc plectra movet, nunc pensa ministrat,

Detinet

Detinet intentas cantu, fallíſque laborem.
Dúmque nimis citharam fraternáque carmina laudant,
Plus ſolito nevere manus: humanáque fata
Laudatum tranſcendit opus. Ne demite Parcæ,
Phœbus ait, vincat mortalis tempora vitæ:
Ille mihi ſimilis vultu, ſimilíſque decore,
Nec cantu, nec voce minor, felicia laſſis
Sæcula præſtabit, legúmque ſilentia rumpet.
Qualis diſcutiens fugientia Lucifer aſtra;
Aut qualis ſurgit redeuntibus Heſperus aſtris:
Qualis cùm primùm tenebris Aurora ſolutis
Induxit rubicunda diem, ſol aſpicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes:
Talis Cæſar adeſt, talem jam Roma Neronem
Aſpiciet. flagrat nitidus fulgore remiſſo
Vultus, & effuſo cervix formoſa capillo.

III.

Exprome properè, ſede quâ genitus ciuas,
Hôc ne peremtus ſtipite ad terram accidas.
Hæc clava reges ſæpe mactavit feros.
Quid nunc profato vocis incerto ſonas?
Quæ patria, quæ gens mobile eduxit caput,
Ediſſere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, unde ab Heſperio mari
Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,
Vidi duobus eminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt.
Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Arárque dubitans quò ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis,
Eſtne illa tellus ſpiritus altrix tui?

IV.

Fundite fletus,
Edite planctus,
Fingite luctus,
Reſonet triſti
Clamore forum:
Cecidit pulchre
Cordatus homo,
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe.
Ille citato
Vincere curſu
Poterat celeres,
Ille rebelles
Fundere Parthos:
Levibúſque ſequi
Perſida telis,
Certâque manu
Tendere nervum:
Qui præcipites
Vulnere parvo
Figeret hoſtes,
Pictáque Medi
Terga fugacis.
Ille Britannos
Ultra noti
Littora ponti,
Et cæruleos
Scotobrigantes
Dare Romuleis
Colla cærenis
Juſſit, & ipſum
Nova Romanæ
Jura ſecuris
Tremere Oceanum.
Deflete virum,
Quo non alius
Potuit citiùs
Diſcere cauſas,
Unâ tantùm
Parte auditâ,
Sæpe & neutrâ.
Quis nunc judex
Toto lites
Audiet anno?
Tibi jam cedet
Sede relictâ
Qui dat populo
Jura ſilenti,
Cretæa tenens
Oppida centum.
Cædite mœſtis
Pectora palmis,
O cauſidici,
Venale genus:
Vóſque Poëtæ
Lugete novi.
Vóſque in primis,
Qui concuſſo
Magna parâſtis
Lucra fritillo.

V.

Nam quoties miſſurus erat reſonante fritillo,
Utraque ſubducto fugiebat teſſera fundo:
Cúmque recollectos audebat mittere talos,
Luſuro ſimilis ſemper, ſempérque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitóſque per ipſos
Fallax aſſiduo dilabitur alea furto.
Sic cùm jam ſummi tanguntur culmina montis,
Irrita Siſyphio volvuntur pondera collo.

Ex Gratis Cleanthis.

Duc me, parens, celſíque dominator poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora eſt;
Adſum impiger. fac nolle, comitabor gemens:
Malúſque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

EX PETRONII ARBITRI SATYRICO.

ARTIS ſeveræ ſiquis amat effectus,
Mentémque magnis applicat, priùs mores
Frugalitatis lege poliat exactâ:
Nec curet alto regiam trucem vultu,
Cliéntſque cœnas impotentium captet:
Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem, neve plauſor in ſcenâ
Sedeat redemptus hiſtrionîæ addictus.
Sed ſive armigeræ rident Tritonidis arces,
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
Sirenúmque domus, det primos verſibus annos,
Mæoniúmque bibat felici pectore fontem;
Mox & Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.
Hunc Romana manus circumfluat, & modò Graio
Exonerata ſono mutet ſuffuſa ſaporem:
Interdum ſubducta foro det pagina curſum,
Et fortuna ſonet celeri diſcincta meatu.
Dent epulas, & bella truci memorata canore:
Grandiſque indomiti Ciceronis verba minetur.
His animum ſuccinge bonis, ſic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.

Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?
Ipſi qui Cynicâ traducunt tempora cœnâ,
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.
Ergo judicium nihil eſt niſi publica merces,
Atque Eques in cauſâ qui ſedet, empta probat.

Nolo quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria mî placet parata.
Contemni turpe eſt; legem donare, ſuperbum.
Hoc amo, quod poſſum qualibet ire viâ.
Nam ſanè ſapiens, contemptus, jurgia flectit;
Et qui non jugulat, victor abire dolet.

Huc huc convenite nunc ſpatalocinædi,
Pede tendite, curſum addite, convolate plantâ,
Femora facili, clune agili, & manu procaces,
Molles, veteres, Deliaci mane reciſi.

Heu, heu nos miſeros, quàm totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.

Quod non exſpectes ex tranſverſo fit,
Et ſuper nos fortuna negotia curat.
Quare da nobis vina falerna puer.

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia.
Tuo palato clauſus pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico:
Gallina tibi Numidica, tibi gallus ſpado,
Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exſul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita cara tibi bacca Indica?
An ut matrona ornata phaleris pelagiis
Tollat pedes indomita in ſtrato extraneo?
Smaragdum ad quam rem, viridem, pretioſum vitrum?
Quò Carchedonios optas ignes lapideos,
Niſi ut ſcintillent? probitas eſt carbunculos.
Æquum eſt induere nuptam ventum textilem?
Palàm proſtare nudam in nebulâ lineâ?

Qualis nox fuit illa, dii, deæque!
Quam mollis torus! hæsimus calentes,
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas. Valete curæ!
Mortalis ego tic perire cœpi.

Nomen amicitiæ, si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabulâ mobile ducit opus.
Quum fortuna manet, vultum servatis amici;
Quum cecidit, turpi vertitis ora fugâ.
Grex agit in scenâ mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & sicco concoquit ore famem.
* * * *

Qui pelago credit, magno se fenore tollit;
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro;
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro;
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat:
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi linguâ desertas invocat artes.

Jam decuma mœstos inter ancipites metus
Phrygas obsidebat messis; & vatis fides
Calchantis saro dubia pendebat metu:
Quum, Delio profante, cæsi vertices
Idæ trahuntur; scissâque in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum.
Aperitur ingens claustrum, & obducti specus,
Qui castra caperent. Hic decenni prælio
Irata virtus abditur, stipant graves
Equi recessus Danai, & in vero latent.
O patria! pallas mille credidimus tutet,
Solúmque bello liberum: hoc titulus fero
Inclusus, hoc ad fata compositus Sinon
Firmabat, & mendacium in damnum potens.
Jam turba portis libera, ac bello carens
In vota properant: fletibus manant genæ,
Mentisque pavidæ gaudium lacrumas habet,
Quas metus abegit. jámque Neptuno sacer,
Crinem solutus, omne Laocoon replet
Clamore vulgus; mox reductâ cuspide
Uterum notavit: fata sed tardant manus,
Ictúsque resilit, & dolis addit fidem.
Iterum tamen confirmat invalidam manum,
Altâque bipenni latera pertemptat. Fremit
Captiva pubes intus, &, dum murmurat,
Roborea moles spirat alieno metu.
Ibat juventus capta, dum Trojam capit,
Bellúmque totum fraude ducebat novâ.
Ecce alia monstra. Celsa qua Tenedos mare
Dorso repellit, tumida consurgunt freta,
Undâque resultat scissa tranquillo minor.
Qualis silenti nocte remorum sonus
Longè refertur, quum premunt classes mare,
Pultúmque marmor abiete impositâ gemit.
Respicimus, angues orbibus geminis ferunt
Ad saxa fluctus: tumida quorum pectora,
Rates ut altæ, lateribus spumas agunt:
Dant caudæ sonitum: liberæ ponto juba
Consentiunt luminibus, fulmineum jubar
Incendit æquor, sibilisque undæ tremunt,
Stupuere mentes. Infulis stabant Sacri
Phrygióque cultu gemina nati pignora
Laocoönte, quos repentè tergoribus ligant
Angues coruscî. parvulas illi manus
Ad ora referunt: neuter auxilio sibi,
Uterque fratri transtulit pias vices,
Mórsque ipsa miseros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberum funus parens;
Infirmus auxiliator; invadunt virum
Jam morte pasti, membráque ad terram trahunt.
Jacet sacerdos inter aras victima,
Terrámque plangit. Sic profanatis sacris,
Peritura Troja perdidit primùm Deos.
Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens astra radianti face,
Quum inter sepultos Priamidas nocte & meo

Danai relaxant claustra, & effundunt viros.
Tentant in armis se duces, ceu ubi solet
Duro remissus Thessali quadrupes jugo
Cervicem, & altas quatere ad excursum jubas.
Gladios retractant, commovent orbes manu,
Bellúmque sumunt. Hic graves alius mero
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos, ab axis alius accendit faces,
Contráque Troas invocat Trojæ sacra.

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non sunt faciles: at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis,
Plebeïum sapit. Ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis est: amica vincit
Uxorem: rosa cinnamum veretur.

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deûm, nec ab æthere numina mittunt;
Sed sibi quisque facit. Nam quum prostrata sopore
Urget membra quies, & mens liuè pondere ludit;
Quicquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas sævit in urbes;
Tela videt, versásque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent; legésque forúmque,
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal.
Condit avarus opes, defossúmque invenit aurum.
Venator saltus canibus quatit. Eripit undis,
Aut premit eversam perituras navita puppim.
Scribit amatori meretrix. Dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?
Quid nostræ metuere manus? non Troïus hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridæ;
Nec Medea furens fratemo sanguine pugnat.
Sed contemptus amor vires habet, & mihi fata
Hos inter fluctus quis raptis evocat armis?
Cui non est mors una satis? ne vincite pontum,
Gurgitibúsque feris altos immittite fluctus.

Quod summum formæ decus est, cecidere capilli:
Vernantésque comas tristis abegit hyems.
Nunc umbrâ nudata suâ jam tempora mœrent:
Areáque attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura Deûm! quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis.
Infelix, modò crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior, & sorore Phœbi:
At nunc lævior ære, vel rotundo
Horti tabere, quod crevit unda,
Ridentes fugis, & times puellas.
Ut mortem citiùs venire credas,
Scito jam capitis perisse partem.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terræ, quà sidus currit utrumque,
Nec satiatus erat. Gravidis freta pulsa carinis
Jam peragrabantur; si quis sinus abditus ultra,
Siqua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisque in tristia bella paratis,
Quærebantur opes, non vulgo nota placebant
Gaudia: non usu plebeio trita voluptas.
Assyriâ concham laudabat miles in undâ.
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidæ crustas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.
Ecce aliæ clades, & læsæ vulnera pacis.
Quæritur in sylvis Mauris fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur. ne desit bellua dente,
Ad mortes pretiosa suas, præmit advena classes
Tigris, & unusâ gradiens vectatur in aulâ,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu pudet effari, perituráque prodere fata!
Persarum ritu malè pubescentibus annis
Subripuere viros; exsectáque viscera ferrò
In venerem fregêre: atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta morâ properantes differat annos.
Quærit se natura, nec invenit. omnibus ergo

Scorta placent; fractíque enervi corpora gressu,
Et laxi crines, & toti nova nomina vestis,
Quæque virum quærunt. Ecce Atris erupta terris
Citrea mensa, gregis fervorum, ostrúmque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum.
Quæ turbant sensum, hostile ac malè nobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit: omníque orbis
Præmia, conceptis miles vagus exstruit armis.
Ingeniosa gula est. Sicalo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur, suque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cenas,
Ut renovent per damna famem. jam Phasidos unda
Orbata est avibus: murǽque in litore tantum
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitúmque lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum.
Est favor in precio: sanctis quoque libera virtus
Exciderat, sparsísque opibus conversa potestas,
Ipsáque majestas auro corrupta jacebat.
Pellitur à populo victus Cato: tristior illa est,
Qui vicit, facésque pudet capisse Catoni.
Namque hoc dedecus est populi, morúmque ruina.
Non homo pulsus erat; sed in uno victa potestas,
Romanúmque decus. quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sinè vindice præda,
Præterea gemino deprensam gurgite prædam
Fenoris ingluvies, usúsque exederat æris.
Nulla est certa domus, nullum sinè pignore corpus:
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intrà membra furens cœcis latentibus errat.
Arma placent miseris, detritáque commoda laxa
Vulneribus reparantur. inops audacia tuta est.
Hoc mersam cœno Romam somnóque jacentem
Quæ poterant artes sanâ ratione movere,
Ni furor, & bellum, sæcróque excita libido?
Tres tulerat Fortuna Duces, quos obruit omnis
Armorum ferax diversâ feralis Enyo.
Crassum Parthus habet, Libyco jacet æquore Magnus,
Julius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et, quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Divisit cineres. hos gloria reddit honores.
Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocyti perfusus aquâ. nam spiritus extra
Qui furit, effusus funesto spargitur æstu.
Non hæc autumno tellus viret, aut bibit herbas
Cespite lætus ager: non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos, & nigro squalentia pumice saxa
Gaudent feralí circùm tumulata cupressu.
Has inter sedes Ditis pater extulit ora,
Bustorum flammis, & canâ sparsa favillâ,
Ac tali volucrem Fortunam voce locutus:
Rerum humanarum, divinarúmque potestas,
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,
Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis;
Ecquid Romano sentis te pondere victam?
Nec posse ulteriùs perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes, malè sustinet. aspice latè
Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem.
Ædificant auro, sedésque ad sidera mittunt,
Expelluntur aquæ saxis; mare nascitur arvis;
Et permutatâ rerum statione rebellant.
En etiam mea regna petunt. perfossa debiscit
Molibus insanis tellus, jam montibus haustis
Antra gemunt: &, dum varios lapis invenit usus,
Inferni manes cœlum sperare jubentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in prœlia vultum
Romanósque cie, ac nostris da funera regnis.
Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes periulit artus
Ex quo Syllanus bibit ensis, & horrida tellus
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.
Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram
Conatus, rapto tellurem solvit hiatu.
Tum Fortuna levi defudit pectore voces:
O genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modò vera mihi fas est impune profari,
Vota tibi cedent. nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc, lævóve exurit flamma medullas.
Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi;
Muneribúsque meis iratcor: desinat iste
Idem, qui posuit, moles Deus. & mihi cordi
Quippe cremare viros, & sanguine pascere luxum.
Cerno equidem gemino jam stratos Marte Philippos,
Thessaliæque rogos, & funera gentis Iberæ:
Et Libyæ cerno, & tua nîle gementia claustra.
Jam fragor armorum trepidantes personat aures,
Actiacósque sinus, & Apollinis arma timentes.
Pande age terrarum sitientia regna tuarum,
Atque animas arcesse novas: Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virûm traducere cymbâ,
Classe opus est. túque ingenti satiare ruinâ,
Pallida Tisiphone, concisáque vulnera mande.
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis.
Vix dum finierat, quum fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisósque abscidit ignes.
Subsedit pater umbrarum, gremióque reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuò clades hominum venturáque damna
Auspiciis patuere Deûm; namque ore cruento
Deformes Titan vultus caligine texit.
Civiles acies jam tum spirare putares.
Parte aliâ plenos exstinxit Cynthia vultus,
Et lucem sceleri subduxit. rupta tonabant
Verticibus lapsis montis juga, nec vaga passim
Flumina per notas ibant morientia ripas,
Armorum strepitu cœlum furit, & tuba Martem
Sideribus tremefacta ciet: jámque Ætna voratur
Ignibus insolitis, & in æthera fulmina mittit.
Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis,
Umbrarum facies diro stridore minantur.
Fax stellis comitata novis incendia ducit;
Sanguineóque repens descendit Jupiter imbre.
Hæc ostenta brevi solvit Deus. Exuit omnes
Quippe moras Cæsar, vindictæque actus amore
Gallica projecit, civilia sustulit arma.
Alpibus æreis, ubi Graio nomine, vulsa
Descendunt rupes, nec se patiuntur adiri,
Est locus Herculeis aris sacer, hunc nive dura
Claudit hyems, canóque ad sidera vertice tollit,
Cœlum illinc cecidisse putes; non solis adulti
Mansuescit radiis, non verni temporis aura:
Sed glacie concreta rigens, hyemísque pruínis
Totum ferre potest humeris minitantibus urbem.
Hæc ubi calcavit Cæsar juga milite læto,
Optavísque locum, summo de vertice montis
Hesperiæ campos latè prospexit, & ambas
Intentans cum voce manus ad sidera, dixit:
Jupiter omnipotens, & tu Saturnia Tellus,
Armis lata meis, ollísque onerata triumphis:
Testor ad has acies invitum accessere Martem,
Invitas me ferre manus, sed vulnere cogor,
Pulsus ab urbe meâ, dum Rhenum sanguine tingo,
Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo: vincendo, certior exsul:
Sanguine Germano, sexagintáque triumphis,
Ecce nocens capi. quamquam quos gloria terret,
Aut qui sunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,
Ac viles operæ: quorum est mea Roma noverca,
Ut reor, haud impune; nec hanc sinè vindice dextram
Vinciet ignavus. victores ite furentes,
Ite mei comites, & causam dicite ferro.
Namque omnes unum crimen vocat, omnibus una
Impendet clades. reddenda est gratia vobis:
Non solus vici. quare, quia pœna trophæis
Imminet, & sordes meruit victoria nostra,
Judice Fortunâ cadat alea. sumite bellum,
Et tentate manus. certè mea causa peracta est.
Inter tot fortes armatus nescio vinci.
Hæc ubi personuit, de cœlo Delphicus ales
Omina læta dedit, pepulítque meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte sinistrâ
Insolitæ voces flammâ secuere sequenti.
Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.
Fortior ominibus movit Mavortia signa
Cæsar; & insolitos gressus prior occupat ausu.
Prima quidem glacies, & canâ vincta pruinâ
Non pugnavit humus, mitísque horrore quievit:
Sed postquam turmæ pimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere pixes, mox fluminis montibus altis
Undabant modò nata; sed hæc quoque justa putares:
Vinctáque mox stabant, fluctus stupuere pruinâ,
Et paulò antè lues jam concidenda jacebat.

Tum

Tum verò malefida priùs vestigia lusit,
Decepitque pedes. passim turmæque virique,
Armáque congestâ strue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concussæ flamine nubes
Eronerabantur, nec rupto turbine venti
Deerant, aut tumidâ confractum grandine cœlum:
Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,
Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti Tellus nive, victáque cœli
Sidera, victa suis hærentia flumina ripis;
Nondum Cæsar erat: sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.
Qualis Caucasea decurrens arduus arce
Amphitryoniades; aut torvo Jupiter ore,
Quum se verticibus magni demisit Olympi,
Et perituroram disjecit tela Gigantum.
Dum Cæsar tumidas iratus deprimit arces,
Interea volucer, motis conterrita pennis
Fama volat, summisque petit juga celsa Palati:
Atque hæc Romano attonito fert omnia signa:
Jam classes fluitare mari, totásque per Alpes
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
Arma, cruor, cædes, incendia, totáque bella
Ante oculos volitant. ergo pulsata tumultu
Pectora per dubias scinduntur territa causas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur;
Et patriâ est pontus jam tutior; est magis, arma
Qui tentata velit: fatisque jubentibus actus,
Quantum quisque timet, tantum fugit. ocior ipse
Hos inter motus populus, miserabile visu,
Quo mens icta jubet, desertâ ducitur urbe.
Gaudet Roma fugâ, debellatique Quirites
Rumoris sonitu mœrentia tecta relinquunt.
Ille manu trepidâ natos tenet: ille Penates
Occultat gremio, deploratúmque relinquit
Limen, & absentem votis interficit hostem.
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævósque patres: onerisque ignara juventus
Id, pro quo metuit, tantum trahit. omnia secum
Hic vehit imprudens, prædámque in prælia ducit.
Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auster;
Et pulsas evertit aquas, non arma ministris,
Non regimen prodest: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta sinu tranquillaque litora quærit:
Hic dat vela fugæ, Fortunæque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum Consule Magnus,
Ille tremor Ponti, sævi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus: modò quem ter ovantem
Jupiter horruerat; quem fracto in gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissâ Bosphorus undâ,
Prò pudor! Imperii deserto nomine fugit,
Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.
Ergo tanta lues Divûm quoque numina vidit;
Consensique fugæ Cœli timor. ecce per orbem
Mitis turba Deûm, terras exosa furentes
Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos
Abscondit galeâ victum caput, atque relicto
Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it submissa Fides, & crine soluto
Justitia, ac mœrens lacerâ Concordia pallâ.
At contrà, sedes Erebi quà rupta dehiscit,
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibúsque armata Megæra:
Letúmque, Insidiæque, & lurida Mortis imago.
Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis,
Sanguineam latè tollit caput, oráque mille
Vulneribus confossa cruentâ caside velat.
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis: atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutatáque sidera pondus
Quærivere suum. namque omnis Regia cœli
In partes diducta ruit: primúmque Dione
Cæsaris acta sui ducit. comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mavortius hastam.
Magnum cum Phœbo soror, & Cyllenia proles
Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.
Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superas Stygium caput. hujus in ore:
Concretus sanguis, contusique lumina flebant.
Stabant ærati scabrâ rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora:
Atque intertorto lacerata pectore vestem
Sanguineam tremulâ quatiebat lampada dextrâ.
Hæc ut Cocyti tenebras, & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
Unde omnes terras, atque omnia litora posset
Aspicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
Atque has erumpit furibundo pectore voces:
Sumite nunc gentes accensis mentibus arma;
Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.
Vincetur quicunque latet; non femina cesset,
Non puer, aut ævo jam desolata senectus.
Ipsa tremat Tellus, laceratáque tecta rebellent.
Tu legem Marcelle tene: Tu concute plebem
Curio: Tu fortem ne supprime Lentule Martem.
Quid porrò Tu Dive tuis cunctaris in armis?
Non frangis portas? non muris oppida solvis?
Thesauróque rapis? nescis tu, Magne, tueri
Romanas arces? Epidauria mœnia quære,
Thessaliæque sinus humano sanguine tinge.
Factum est in terris, quicquid Discordia jussit.

Qui factum est, quòd tu projectis Jupiter armis,
Inter cœlicolas fabula muta taces?
Nunc erat à torvâ summittere cornua fronte,
Nunc plumâ canos dissimulare tuos.
Hæc vera est Danaë, tenta modò tangere corpus,
Jam tua flammifero membra calore fluent.

Idæo quales fudit de vertice flores
Terra parens, quum se confesso junxit amori
Jupiter, & toto concepit pectore flammas:
Emicuere rosæ, violæque, & molle cyperon,
Albáque de viridi riserunt lilia prato:
Talis humus Venerem molles clinavit in herbas,
Candidióque dies secreto favit amori.

Nocte soporiferâ velut quum somnia ludunt
Errantes oculos, effossâque protulit aurum
In lucem tellus, versat manus improba furtum,
Thesauróque rapit, sudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne fortè gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri.
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veráque forma redit, animus, quod perdidit, optat;
Atque in præteritâ se totus imagine versat.

Dum vivis, sperare licet: tu rustice custos
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

* *

Nobilis æstivas platanus diffuderat umbras,
Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus,
Et baccis redimita Daphne, tremulæque cupressus.
Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo versabat rore lapillos.
Dignus amore locus teslis sylvestris ædon,
Atque urbana Progne: quæ circùm gramina fusæ,
Et molles violas, cantu sua rura colebant.

Ter corripui terribilem manu bipennem,
Ter languidior coliculi tepente thyrso,
Ferrum timui, quod trepido malè dabat usum.
Nec jam poteram, quod modò conficere libebat.
Namque illa metu frigidior tigente brumâ,
Confugerat in viscera mille operta rugis.
Ita non potui supplicio caput aperire:
Sed furciferæ mortifero timore lusus,
Ad verba, magis quæ poterant nocere, fugi.

Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quàm lentæ salices, lassóve papavera collo.

Quid me constrictâ spectatis fronte Catones,
Damnatisque novæ simplicitatis opus?
Sermonis puri non tristis gratia rider,
Quódque facit populus, candida lingua refert:
Nam quis concubitûs, Veneris quis gaudia nescit?
Quid vetat in tepido membra calere thoro?
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Nympharum, Bacchique comes, quem pulcra Dione
Divitibus sylvis numen dedit, inclyta paret
Cui Lesbos, viridisque Thasos, quem Lydus adorat
Vestifluus, templúmque tuis imponit Hypæpis:

Huc

Huc ades, ô Bacchi tutor, Dryadúmque voluptas,
Et timidas admitte preces: non sanguine tristi
Perfusus venio; non templis impius hostis
Admovi dextram, sed inops, & rebus egenus
Adtritis, facinus non toto corpore feci.
Quisquis peccat inops, minor est reus. Hac prece, quæso,
Exonera mentem, culpæque ignosce minori.
Et quandoque mihi fortuna adriserit horâ,
Non tinè honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
Sancte, tuas, hircus pecoris pater ibit ad aras
Corniger, & querulæ fetus suis, hostia lactens;
Spumabit pateris hornus liquor: & ter ovantem
Circa delubrum gressum feret ebria pubes.

Quicquid in orbe vides, paret mihi; florida tellus,
Quum volo, spissatis arescit languida succis,
Quum volo, fundit opes: Scopulisque, atque horrida saxa
Niliacas jaculantur aquas: Mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes. Mihi flumina parent;
Hyrcanæque tigres, & jussi stare dracones.
Quid leviora loquor? Lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis: Trepidúsque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris; Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutavit Ulyxis:
Proteus esse solet, quicquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluvios in summo vertice ponam.

Non Indum fulgebat ebur, quod inhæserat auro,
Nec jam calcato radiabat marmore terra,
Muneribus delusa suis: sed crate saligná
Impositum Cereris flavæ penus, & nova terræ
Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu.
Hinc mollis stillæ lacus, & de caudice lento
Vimineæ lances, maculatáque testa Lyæo:
At paries circa paleâ satiatus inani,
Fortuitóque luto: clavus numerabat agrestis,
Et viridi junco gracilis pendebat harundo.
Præterea quæ fumoso suspensa tigillo
Conservabat opes humilis casa mitia sorba
Inter odoratas pendebant texta coronas,
Et thymbræ veteres, & passis uva racemis.
Qualis in Aetná quondam fuit hospita terrâ,
Digna sacris Hecates, quam Musa loquentibus annis
Battiadæ veteris mirando tradidit ævo.

Tales Herculeâ Stymphalidas arte coactas
Ad cœlum fugisse reor, saniéque fluentes
Harpyias, quum Phineo maduere veneno
Fallaces epulæ. tremuit perterritus æther
Planctibus insolitis, confusáque regia cœli
Visa suas moto transcurrere cardine metas.

Hæc ait, & tremulo deduxit vertice canos,
Consecutique genas, oculis nec defuit imber.
Sed qualis rapitur per valles improbus amnis,
Quum gelidæ periere nives, & languidus Auster
Non patitur glaciem resolutâ vivere terrâ:
Gurgite sic pleno facies manavit, & alto
Insonuit gemitu turbatum murmure pectus.

Quisquis habet nummos, securâ naviget aurâ,
Fortunámque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsúmque licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omneis
Et perագat causſas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus, PARET, NON PARET, habeto,
Atque esto quicquid Servius, & Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet. clausum possidet arca Jovem.

Non solum me numen, & implacabile fatum
Persequitur; priùs Inachiâ Tirynthius irâ
Exagitatus onus cœli tulit: antè profanam
Junonem Pelias sensit: Tulit insscius arma
Laomedon; Gemini fatigavit numinis iram
Telephus: Et regnum Neptuni pavit Ulyxes.
Me quoque per terras, per cani Nereos æquor
Hellespontiaci sequitur gravis ira Priapi.

* * *

FRAGMENTA SUPERIORIS SATYRICI,

Quæ quibus in locis repanenda sint, incertum est.

CAndida fidereis ardescunt lumine flammis,
Fundunt colla rosas, & cedit crinibus aurum,
Melles purpureum depromunt ora ruborem,
Lacteáque admixtus sublimat pectora sanguis:
Ac totus tibi servit honor, formáque Deorum
Folgea, & Venerem cœlesti corpore vincis.
Argento fat facta manus, digitíque tenellis
Serica fila trahens precioso flamine ludis.
Planta decens modicos nescit calcare lapillos,
Et durâ lædi sceius est vestigia terrâ,
Ipsa tuos quum ferre velis per lilia gressus,
Nulli sternuntur leviori pondere flores.
Guttura nunc alia magnis monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti: tu sola placere
Vel spoliata potes. Nulli laudabile totum,
In te cuncta probat, si quisquam cernere possit.
Sirenum cantus, & dulcia plectra Thaliæ
Ad vocem tacuisse reor, quæ mella propagas
Dulcia, & in miseros telum jacularis amoris.
Cor grave vulnus alit, nullo sanabile ferro,
Sed tua labra meo sævum de corde dolorem
Depellant, morbúmque animæ medicaminis hujus
Cura fuget, nec tanta putres violentia nervos
Dissecet, atque tuæ moriar pro crimine causſæ.
Sed si hoc grande putas, saltem concede precanti,
Ut jam defunctum niveis, ambire lacertis
Digneris, vitámque mihi post fata reducas.

ALBUTIA.

Memphitides puellæ,
Sacris Deûm paratæ.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Ægyptias choreas.

Anus recocta vino,
Trementibus labellis.

Juverunt segetes meum laborem.

Triplici vides ut orta
Triviæ rotetur ignis,
Volucrísque Phœbus axe
Rapidum pererret orbem.

Non bene olet, qui bene semper olet.

Qui, vultur jecor intimum peretrat,
Et pectus trahit, intimásque fibras,
Non est, quem lepidi vocant poëtæ;
Sed cordis mala livor atque luctus.

. . . O maxima rerum,
Et meritò pietas homini tutissima virtus!

. . . Horrificóque infestant murmure tigres.

. . . Ineluctabile fatum.

. . . Tremebunda supervolat hasta.

Qui præesse cupit, prodesse recusat.
Magnus in exemplo est, cui non sufficerat orbis.

. . . Exciso defossâ marmore petrâ
Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus
Exiguâ requievit humo. . . .

Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.

Mille saporatam medicatis frugibus offam.

Non est forma satis; nec, quæ vult bella videri,
Debet vulgari more placere sibi.
Dicta, sales, lusus, sermonis gratia, risus,
Vincunt naturæ candidioris opus.

Condi

Condit enim formam, quidquid conſumitur artis,
Et, niſi velle ſubeſt, gratia tota perit.

Non ſatis eſt, quòd nos mergis furioſa juventus:
Tranſverſóſque rapit fama ſepulta probris?
Anne etiam famuli cognatâ fece ſepulti
In teſtâ merſas luxuriantur opes?
Vilis ſervus habet regni bona: celláque capti
Deridet feſtram, Romuleámque caſam.
Idcirco virtus medio jacet obruta cœno:
Nequitiæ claſſes candida vela ferunt.

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cœlo
Fulmina quum caderent, diſcuſſáque mœnia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phœbus ad ortus
Luſtratâ dejectus humo, Lunæque ſenectus,
Et reparatus honos: hinc ſigna effuſa per orbem,
Et permutatis disjunctus menſibus annus
Projecit vitium hoc: atque error juſſit inanis
Agricolas primos Cereri dare meſſis honores:
Palmitibus plenis Bacchum vincire: Palémque
Paſtorum gaudere manu. natat obrutus, omni
Neptunus demerſus aquâ: Palláſque cavernas
Vindicat. Et voti reus, & qui vendidit orbem,
Jam ſibi quiſque Deos avido certamine fingit.

Nolo ego ſemper idem capiti ſuffundere coſtum:
Nec toto ſtomachum conciliare mero.
Taurus amat gramen mutatâ carpere valle,
Et fera mutatis ſuſtinet ora cibis.
Ipſe dies ideo nos grato perluit hauſtu,
Quod permutatis hora recurrit equis.

Uxor legitimus debet quaſi cenſus amari:
Nec cenſum vellem ſemper amare meum.

Invenias quod quiſque velit. non omnibus unum eſt
Quod placet: hic ſpinas colligit, ille roſas.

Nam nihil eſt, quod non mortalibus afferat uſum.
Rebus in adverſis, quæ jacuere, juvant.
Sic rate demersâ ſulvum deponderat aurum,
Remorum levitas naufraga membra vehit.
Quum ſonuere tubæ, jugulo ſtat divite ferrum,
Barbara contemptu prælia pannus habet.

Linque tuas ſedes, alienáque litora quære,
O juvenis! major rerum tibi naſcitur ordo.
Ne ſuccumbe malis: te noverit ultimus iſter,
Te Boreas gelidus, ſecuráque regna Canopi,
Quiſque renaſcentem Phœbum, cernúntque cadentem.
Major in externas Ithacus deſcendat arenas.

Nam citiùs flammas mortales ore tenebunt,
Quàm ſecreta tegant: quidquid dimittis in aulâ,
Effluit, & ſubitis rumoribus oppida pulſat.
Nec ſatis eſt vulgâſſe fidem: ſimulatius exit
Proditionis opus, famámque onerare laborat.
Sic commiſſa ferens avidus reſerare miniſter
Fodit humum, Regiſque latentes prodidit aures;
Concepit nam terra ſonos, ca'a níque loquentes
Invenere Midam, qualem narraverat index.

Fallunt nos oculi, vagíque ſenſus
Oppreſſâ ratione mentiuntur.
Nam turris propè quæ quadrata ſurgit,
Adtritis procul angulis rotatur.
Hyblæum refugit ſatur liquorem,
Et naris caſiam frequenter odit.
Hoc illo magìs, aut minùs placere
Non poſſet, niſi lite deſtinatâ
Pugnarent dubio tenore ſenſus.

Jam nunc ardentes Autumnus fregerat umbras,
Atque hyemem tepidis ſpectabat Phœbus habenis:
Jam platanus jactare comas, jam cœperat uvas
Adnumerare ſuas defecto palmite vitis:
Ante oculos ſtabat quidquid promiſerat annus.

Sic & membra ſolent auras includere venis,
Quæ penitus merſæ, quum rurſus abire laborant,
Verberibus rimantur iter: nec deſinit antè
Erigidus ſtrictis qui regnat in oſſibus horror,
Quàm tepidus laxo manavit corpore ſudor.

Sic contra rerum naturæ munera nota
Corvus maturis frugibus ova refert:
Sic formet linguâ fetum quum portulit urſa,
Et piſcis nullo junctus amore parit.
Sic Phœbeia chelys vinclo reſoluta parentis
Lucinæ tepidis naribus ora fovet.
Sic ſinè concubitu textis apis excita ceris
Fervet, & audaci milite caſtra replet.
Non uno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

Naufragus ejectâ nudus rate, quærit eodem
Percuſſum telo, cui ſua fata legat.
Grandine qui ſegetes & totum perdidit annum,
In ſimili deflet triſtia fata ſinu.
Funera conciliant miſeros, orbíque parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoque confuſis ferieinus ſidera verbis;
Et fama eſt junctas fortiùs ire preces.

Omnia quæ miſeras poſſunt finire querelas,
In promptu voluit candidus eſſe Deus.
Vile olus, & duris hærentia mora rubetis
Pugnantis ſtomachi compoſuere famem.
Flumine vicino ſtultus ſitit; & riget Euro,
Quum calidus tepido conſonat igne rogus.
Lex armata ſedet circùm fera limina nuptæ,
Nil metuit licito ſuſa puella toro.
Quod ſatiare poteſt, dives natura miniſtrat,
Quod docet infrenis gloria, ſine caret.

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cœli ſummas advocet auriculas:
Nî tamen & ferro ſucciderit inguinis oram,
Et niſi nudatum ſolverit arte caput,
Exemptus populo, Grajam migrabit ad urbem,
Et non jejunâ ſabbatha lege premat.
Una eſt nobilitas argumentúmque coloris
Ingenui, timidas non habuiſſe manus.

Suſpecta iſthæc & Petronii putantur.

E U S C I U S.

FÆda eſt in coitu & brevis voluptas,
Et tædet Veneris ſtatim peractæ.
Non ergo ut pecudes libidinoſæ,
Cæci protinus irruamus illuc:
Nam langueſcit amor, perſíque flamma.
Sed ſic, ſic ſinè fine feriati,
Et tecum jaceamus oſculantes:
Hic nullus labor eſt, rubórque nullus;
Hoc juvit, juvat, & diu juvabit;
Hoc non deficit, incipíque ſemper.

Accuſare, & amare tempore uno,
Ipſi vix fuit Herculi ferendum.

. . . . Et ſcuta latentia condunt.

. . . . Torvâ ſolum ſub fronte latebat.

Delos, jam ſtabili revincta terrâ,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc & indè vento
Ibat fluctibus inquieta ſummis.
Mox illam geminis Deus catenis
Hac altâ Gyaro ligavit, illac
Conſtanti Mycono dedit tenendam.

Dividias mentis conficit omnis amor.

EPIGRAMMATA.

AD MARTIAM.

AUREA mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
Mittis & hirſutæ munera caſtaneæ.
Omnia grata mihi, ſed ſi magìs ipſa venires,
Ornares donum pulchra puella tuum.
Tu licèt adportes ſtringentia mala palatum,
Triſtia mandenti eſt melleus ore ſapor.
At ſi diſſimulas multùm mihi chara venire,
Oſcula cum pomis mitte, vorabo libens.

De Heſperie.

Hoc ſibi luſit opus de ſtamine floricolore
Heſperies teneræ officioſa manus.

Et pulchro pulchras ſtrophio producta papillas
Gaudet utrumque ſui pectoris eſſe decus!

De eâdem.

HEſperie lateri redimicula nectit eburno,
Facta ſuis manibus, pectore digna ſuo.
Jam veteres iras Venus & Tritonia ponit:
Pectora nam Veneris Palladis ambit opus.

De eâdem.

INtertexta roſâ Tyrii ſub tegmine fuci
Involvet quoties mobile zona latus:
Ambroſium gemino potabit ab ubere rorem,
Et verè roſeo fiet odore roſa.

De Neptuno marmoreo aquas fundente.

QUAM melior Neptune tuo ſors iſta tridente!
Poſt pelagus dulces heic tibi dantur aquæ.

De puteo excavato in montis jugo.

HUNC quis non credat ipſis dare Syrtibus amnes,
Qui dedit ignotas viſcere montis aquas?

De Amphitheatro vicino mari.

AMphitheatrales mirantur rura triumphos,
Et nemus inſignes cernit adeſſe feras.
Spectat arando novos agreſtis turba labores,
Nautáque de pelago gaudia juxta videt.
Fecundus nil perdit ager, plus germina creſcunt,
Dum metuunt omnes hìc ſua fata feræ.

Funambuli.

STupea ſuppoſitis tenduntur vincula lignis,
Quæ fido adſcendit docta juventa gradu:
Quæ ſuper aërius prætendit crura viator,
Vſque avibus facili tramite currit homo.
Brachia diſtendens greſſum per inane gubernat,
Ne lapſa è gracili planta rudente cadat.
Dædalus adſtruitur terras mutâſſe volatu,
Et medium pennis proſecuiſſe diem:
Præſenti exemplo firmatur fabula mendax,
Ecce hominis curſus funis & aura ferunt.

De cretatâ facie.

DUM ſumit creteam faciem Sertoria, cretam
Perdidit illa ſimul, perdidit & faciem.

De Narciſſo.

INvenit propriis Narciſſus frontibus ignes,
Et ſua deceptum torret imago virum.

De gallo gallinaceo.

CAndida Phœbæo præfulgent ora rubore.
Criſta riget radiis, ignea barba micat:
Alæ, colla, comæ, pectus, femur, ungula, cauda,
Præſtanis lucent floridiora roſis:
Flammea ſic rutilum diſtinguit pinna colorem,
Ut vibrare putes ignea membra faces.

De cato.

MOrdaces morſu ſolitus conſumere mures,
Inviſum & domibus perdere dente genus,
Catus in obſcuro cepit pro ſorice picam,
Multiloquúmque vorax ſorbuit ore caput.
Pœna tamen præſens prædonem plectit edacem,
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obſeſſis vitalis ſemita ceſſit,
Et ſatur eſcali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne:
Hoſtem pica ſuum mortua diſcruciat.

Vinum lymphatum.

INfantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum ſub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa eſt,
Sejunctus quòd ſit ignis, & urat adhuc.

Muſarum elogia.

CLIO ſecla retro memorat ſermone ſoluto:
Euterpæ geminis loquitur cava tibia ventis:
Voce Thalia ciuens ſoccis Dea Comica gaudet:
Melpomene reboans Tragicis ferveſcit iambis:
Aurea Terpſichore totam lyra perſonat æthram:
Fila premens digitis Erato, modulamina fingit:
Flectitur in facles varioſque Polymnia motus.
Uranie numeris ſcrutatur munera mundi:
Calliope doctis dat laurea ſerta Poëtis.

In imbellem jactatorem.

QUUM te Barbatæ referas de ſanguine cretum,
Ut tibi cognatus ſit Varitinna ferox:
Cur tua femineo cæduntur pectora ſocco,
Infamíque manu barbula vulſa cadit?
Deſine jam tibimet auctores fingere fortes,
Vſmque tuis membris ſtirpis ineſſe tuæ.
Illa ſed audaci magè ſit de ſtirpe creata,
Audet quæ proprium ſternere calce virum.

De orbis diviſione inter Saturni filios.

JUpiter aſtra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent; tres tria, quiſque ſuum.

De elephante.

MOnſtrorum princeps elephas proboſcidis armis
Horret mole nigrâ, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo quum bellua gliſcat,
Eſt tamen ex certis mors pretioſa feræ.
Nam quæ conſpicimus montani roboris oſſa,
Humanis veniunt uſibus apta ſuis.
Conſulibus ſceptrum, menſis decus, arma tabliſtris:
Diſcolor & tabulæ calculus indè datur.
Hæc eſt humanæ ſemper mutatio mortis,
Fit moriens ludus qui fuit antè pavor.

De electione conjugii.

MOribus & vultu mulier quæratur habenda.
Horrida nam facies multo celatur ab auro.
Si quis erit ſponſus talem qui ducat avarus,
Ipſe ſuam horrebit; feritas diſſolvet amorem.
Illa calens veniet, dorſum dabit iſte calenti,
Cogetúrque ſuo ſuras ſubmittere aſello,
Concubitu turpi monſtrum paritura biforme,
Quemque ſuum mulier timeat pertingere natum.
Diſcite formoſas aurum ſuperare puellas.

M. PETRONII VENUSTIANI EPIGRAMMA.

LIberta & conjunx Petronia cara patrono
Thalluſa hoc tumulo condita luce caret.
Quæ bis vicenos complêrat lucibus annos
Erepta eſt ſubitò conjugis è gremio.
Hanc ſic aſſiduè deflet Petronius ut jam
Deficiant oculos lumina cara ſuos.
Deſine per terras, infernas tendere ad arces:
Fata animam dederant, fata eadémque negant.

PETRONII ANTIGENIDIS PISAURENSIS EPIGRAMMATA.

De literarum æternitate, ad Appium.

HÆC urbem circa, ſtulti monimenta laboris,
Quáſque vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidáſque auſas vicinum attingere cœlum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mauſoleum miſeræ ſolatia mortis,
Intulit æternum quo Cleopatra virum:
Concutiet, ſternétque dies: quóque altiùs exſtat
Quodque opus, hoc illud carpet edétque magis.
Carmina ſola carent fato, mortémque repellunt.
Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

De Achille.

CAuta quidem genitrix, nocuant ne vulnere nato,
Confirmat Stygio fonte puerperium.
Sed quia fas nulli eſt humanam vincere ſortem,
In membris tincti dant ſibi fata locum.

De Telepho.

TElephus, excellens Alcidis pignus & Augæ,
Externæ ſortis bella inopina tulit.
Nam Graji Trojam peterent cùm mille carinis,
Tangeret & claſſis litus adacta ſuum;
Occurrens Danais forti dum pugnat Achilli,
Syria pugnanti percutit haſta femur.
Pro cujus curâ conſultus dixit Apollo,
Hoſtica quòd ſalubrem cuſpis haberet opem.
Mox precibus flexi Pelidæ robore ſacro
Injecto membris pulvere plaga fuit.

Monſtrant fata viri vario miracula caſu:
Unde datum eſt vulnus, contigit indè ſalus.

In Xerxem.

PErſes magnus adeſt, totus comitatur euntem;
Orbis quid dubitas, Græcia, ferre jugum?
Mundus juſſa facit: Solem texere ſagittæ:
Calcatur pontus: fluctuat altus Athos.

Item.

HIC, quem cernis, Athos, immiſſis pervius undis,
Flexibus obliquis circumeundus erat.
Accepit magno deductum Nerea fluctu,
Pérque latus miſit maxima bella ſuum.
Sub tanto ſubitæ ſonuerunt pondere claſſes,
Cæruleus canâ ſub nive pontus erat.
Idem commiſit longo duo litora ponte
Perſes, & fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum, mundo nova ponere jura?
Hoc terra fiat: hâc mare, dixit, eat.

C. PETRONII HILARI PISAURENSIS EPIGRAMMA.

Diis manibus Petronii Antigenidis.

TU, pede qui ſtricto vadis per ſenta, viator
Siſte rogo, titulúmque meum ne ſpreveris oro.
Bis quinos annos, menſéſque duos, duo' ſoles
In ſuperis feci, tenerè nutritus, amatus:
Dogmata Pythagoræ ſenſi, ſtudiúmque ſophorum,
Et libros legi, legi pia carmina Homeri,
Sive quot Euclides abaco præſcripta tuliſſet:
Delicias habui pariter luſúſque procaces.
Hæc Hilarus mihi contulerat pater ipſe patronus,
Si non infelix contraria fata habuiſſem.
Nunc verò infernas ſedes, Acherontis ad undas,
Tetráque Tartarei per fidera tendo profundi.
Effugi tumidam vitam. ſpes, forma valete.
Nil mihi vobiſcum eſt; alios deludite quæſo.
Hæc domus æterna eſt: hìc ſum ſitus, hìc ero ſemper.

PETRONII LEVITÆ EPIGRAMMA.

LEvitæ conjux Petronia, forma pudoris,
His mea diſcedens ſedibus oſſa loco.
Parcite vos lacrymis dulces cum conjuge nate,
Viventémque Deo credite flere nefas.

ALCIMI

De Virgilio & Homero.

MOEonio vati qui par aut proximus eſſet,
Conſultus Pæan riſit, & hæc cecinit.
Si potuit naſci quem tu ſequereris, Homere,
Naſcetur qui te poſſit, Homere, ſequi.

EUGENII V. C.

OCcumbunt fixi jaculo, mucrone, ſagittâ
Ora, latus, jugulum, Scæva, Rufinus, Atis.
Brutus Atim perimit, Milo Scævam, Cotta Rufinum:
Græcus Atis, Medus Scæva, Rufinus Arabs.
Jam vir Atis, ſed Scæva puer, juvenſíque Rufinus:
Dux Atis, armiger at Scæva, Rufinus eques,
Scæva nothus, generoſus Atis, de plebe Rufinus,
Magnus eques, medius dux, famulúſque minor.
Flavus Scæva, niger Atis, inter utrumque Rufinus,
Blandus Atis, patiens Scæva, Rufinus atrox.
Abſque modo largus, laſcivus, parcus, avarus
Laudis Atis, formæ Scæva, Rufinus opum.
Arcu Scæva bonus, Atis armis, jure Rufinus:
Voce Rufinus, Atis carmine, Scæva lyrâ:
Scæva pilâ, curſúque Rufinus, Atíſque palæſtrâ,
Ore Rufinus, Atis corpore, Scæva conâ.

DOMINI EVANTII V. C.

De Ambigenis.

HÆC ſunt ambigenæ, quæ nuptu diſpare conſtant.
Burdonem ſonipes generat commixtus aſellæ:
Mulus ab Arcadicis & equinâ matre creatus:
Tityrus ex ovibus oritur hircóque parente,
Muſinonem capra ex vervegno ſemine gignit:
Apris atque ſue ſetoſus naſcitur Ibris:
At lupus & catula formant coëundo lyciſcam.

Q. CICERONIS,

De mulierum levitate.

CRede ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namque eſt feminea tutior unda fide.
Femina nulla bona eſt: & ſi bona contigit ulla,
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

PENTADII,

De vitâ beatâ.

NON eſt (falleris) hæc beata, non eſt,
Quòd vos creditis eſſe, vita non eſt,
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut teſtudineo jacere lecto,
Aut plumâ latus abdidiſſe molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco.
Regales dapibus gravare menſas,
Et quidquid Libyco ſecatur arvo,
Non unâ poſitum tenere cellâ:
Sed nullos trepidum timere caſus,
Nec vano populi favore tangi,
Et ſtricto nihil æſtuare ferro.
Hoc quiſquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco ſuperbus.

P. VIRGILII MARONIS
CULEX ET CIRIS
POEMATA JUVENILIA,

Quæ mendoſa admodum ad nos pervenerunt.

LUſimus, Octavi, gracili modulante Thaliâ:
Atque ut araneoli tenuem formavimus orſum.
Luſimus: hæc propter Culicis ſint carmina dicta,
Omnis & hiſtoriæ per ludum conſonet ordo,
Notitiæque ducum voces. licèt invidus adſit,
Quiſquis erit culpare jocos Muſámque paratus,
Pondere vel culicis levior famâque feretur.
Poſteriùs graviore ſono tibi Muſa loquetur
Noſtra, dabunt cùm ſecuros mihi tempora fructus:
Ut tibi digna tuo poliantur carmina ſenſu.
Latonæ magnique decus Jovis aurea proles
Phœbus erit noſtri princeps & carminis auctor,
Et recinente lyrâ fautor: ſive educat illum
Alma Chimæreo Xanthus perfuſa liquore,
Seu nemus Aſteriæ, ſeu quà Parnaſſia rupes
Hinc atque hinc patulâ præpandit cornua fronte,
Caſtaliæque ſonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii lauicis decus, ite, ſorores
Naïdes,

Digitized by Google

Naïdes, & celebrate deum plaudente choreâ:
Et tibi, ſancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agreſtûm bona cura, ſequi ſit cura tenentis
Aërios nemorum tractus, ſylváſque virentes.
Te cultrice vagus ſaltus feror inter & arva.
At tu cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere cœptis,
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo ſparſa eſt quo ſanguine tellus:
Nec Centaureos Lapithas compellit in enſes:
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces:
Non perfoſſus Athos, nec magno vincula ponto
Jacta, meo quærent jam ſera volumine famam:
Non Helleſpontus pedibus pulſatus equorum,
Græcia cùm timuit venientis undique Perſas:
Mollia ſed tenui pede currere carmina verſu
Viribus apta ſuis Phœbo duce ludere gaudet.
Et tu, ſancte puer, venerabilis, & tibi certet
Gloria perpetuum lucis manſura per ævum:
Et tibi ſede piâ maneat locus, & tibi ſoſpes
Debita felicis memoretur vita per annos,
Grata bonis lucens. ſed nos ad cœpta feramur.
  Igneus ætherias jam Sol penetrârat in arcis,
Candidáque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roſeis tenebras Aurora fugârat:
Propulit è ſtabulis ad pabula læta capellas
Paſtor, & excelſi montis juga ſumma petivit:
Lurida quà patulos velabant gramina colles.
Jam ſylvis dumſque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora: jámque omni celeres è parte vagantes
Scrupea deſertæ perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morſu:
Pendula projectis carpuntur & arbuta ramis:
Denſáque virgultis avidè labruſca petuntur.
Hæc ſuſpenſa rapit carpente cacumina morſu
Vel ſalicis lentæ, vel quæ nova naſcitur alnus.
Hæc teneras fruticum ſentes rimatur: at illa
Imminet in rivi præſtantis imaginis undam.
  O bona paſtoris, ſi quis non pauperis uſum
Mente priùs doctâ faſtidiat, & probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera: ſi nitor auri
Sub laquearе domûs animum non tangit avarum,
Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ullâ
Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent Boetíque toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio eſt: at pectore puro
Sæpe ſuper tenero proſternit gramine corpus:
Florida cùm tellus gemmantis picta per herbas
Vere notat dulci diſtincta coloribus arva:
Atque illum calamo lætum recinente paluſtri,
Otiáque invidiâ degentem ac fraude remotâ,
Pollentémque ſibi viridi cum palmite lucens
Vitea pampineo ſubter coma velat amictu.
Illi ſunt gratæ rorantes lacte capellæ,
Et nemus, & fœcunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat eſſe beatior ævo,
Quàm qui mente procul purâ ſenſúque probando
Non avidas agnovit opes: non triſtia bella,
Nec funeſta timet validæ certamina claſſis?
Non, ſpoliis dum ſancta deûm fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem tranſcendit habendi,
Adverſum ſævis ultro caput hoſtibus offert.
Illi ſalce Deus colitur, non arte politus.
Ille colit lucos: illi Panchaïca tura,
Floribus agreſtes herbæ variantibus adſunt.
Illi dulcis adeſt requies, & pura voluptas,
Libera ſimplicibus curis: huc imminet, omnis
Dirigit huc ſenſus: hæc cura eſt ſubdita cordi.
Quolibet ut requie victu contentus abunder,
Jucundóque locet languentia corpora ſomno.
O pecudes, ò Panes, & ò gratiſſima Tempe
Fontis Hamadryadum! quarum non divite cultu
Æmulus Aſcræo paſtor ſibi quiſque poëtæ
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in ludiis baculo dum nixus aprico
Paſtor agit curas, & dum non arte canorâ
Compactâ ſolitum modulatur arundine carmen:
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidáque ætherio ponit diſcrimina mundo,
Quà jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.

Et jam compellente vagæ paſtore capellæ
Ima ſuſurrantis repetebant ad vada lymphæ,
Quæ ſubter viridem reſidebant cœrula muſcum.
Jam medias operum partis evectus erat Sol:
Cùm denſas paſtor pecudes cogebat in umbras:
Ut procul aſperit luco reſidere virenti,
Delia Diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctileum fugiens Cadmæis Agave
Infandas ſcelerata manus è cæde cruentâ:
Quæ gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Poſteriùs pœnam nati ſe morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herbâ,
Et Satyri Dryadéſque choros egere puellæ.
Naïadum cœtu, tantùm non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis, ſylváſque canendo:
Quantùm te, Peneu, remorantem dia chorea,
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu:
Ipſa loci natura domum reſonante ſuſurro
Quîs dabat, & dulci feſſas refovebat in umbrâ.
Nam primùm pronâ ſurgebant valle patentes
Aëriæ platanus: inter quas impia lotos,
Impia, quæ ſocios Ithaci mœrentis abegit,
Hoſpita dum nimiâ tenuit dulcedine captos.
At quibus inſigni curru projectus equorum
Ambuſtos Phaëthon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Poſteriùs, cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercûs:
Quercûs antè datæ, Cereris quàm ſemina, vitæ:
Illas Triptolemi mutavit ſulcus ariſtis.
Hic magnum Argoæ navi decus edita pinus
Proceras decorat ſylvas hirſuta per artus:
Appetit aëriis contingere montibus aſtra.
Ilicis & nigræ ſpecies, & læta cupreſſus:
Umbroſæque manent fagus, hederæque ligantis
Brachia: fraternos plangat ne populus ictus.
Ipſæque excedunt ad ſumma cacumina lentæ,
Pingúntque aureolos viridi pallore corymbos:
Quîs aderat veteris myrtus non neſcia fati.
At volucres patulis reſidentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt reſonantia cantus.
His fuberat gelidis manans è fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis ſonat orta liquorem.
Et quamquam geminas avium vox obſtrepit auris,
Hanc querulæ referunt voces, quîs nantia limo
Corpora lympha fovet: ſonitus alit aëris Echo:
Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa paſſim feſſæ cubuere capellæ,
Excelſíque ſuper dumis: quos leniter adflans
Aura ſuſurrantis poſſit confundere venti.
  Paſtor ut ad fontem denſâ requievit in umbrâ,
Mitem concepit projectus membra ſoporem,
Anxius inſidiis nullis: ſed lentus in herbis
Securo preſſos ſomno mandaverat artus.
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Nî ſors incertos juſſiſſet ducere caſus.
Nam ſolitum volvens ad tempus tractibus iſdem
Immanis vario maculatus corpore ſerpens,
Merſus ut in limo magno ſubſideret æſtu,
Obvia vibranti carpens gravis æra linguâ,
Squamoſos latè torquebat motibus orbis.
Tollebant auræ venientis ad omnia viſus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus: & ſe
Sublimi cervice rapit: cui criſta ſupernè
Edita purpureo lucens maculatur amictu:
Aſpectúque micant flammantia lumina torvo.
Metabat ſeſe circùm loca: cùm videt ingens
Adverſum recubare ducem gregis. acrior inſtat
Lumina diffundens intendere, & obvia torvo
Sæpius arripiens infringere, quòd ſua quiſquam
Ad vada veniſſet: naturæ comparat arma:
Ardet mente, furit ſtridoribus, intonat ore:
Flexibus everſis torquetur corporis orbis:
Manant ſanguineæ per tractus undique guttæ:
Spiritibus rumpit fauces, cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus:
Et mortem vitare monet per acumina. namque
Quâ deducta genas pandebant lumina gemmis,
Hâc ſenioris erat naturæ pupula telo
Icta levi. tum protiluit furibundus, & illum
Obtritum morti miſit: cui diſſitus omnis

Spiritus exceſſit ſenſus, tum torva tenentem
Lumina reſpexit ſerpentem comminus: indè
Impiger, exanimis, vix compos mente refugit:
Et validum dextrâ truncum detraxit ab orno:
Qui caſus ſociaret opem, numénve deorum
Namque illi dederſtne viam cafúlve deúlve
Prodere ſit dubium: voluit ſed vincere tales.
Horrida ſquamoſi volventia membra draconis,
Atque reluctantis crebris fœdéque petentis
Ictibus oſſa ferit, cingunt quà tempora criſtam:
Et quòd erat tardus, omni languore remoto,
Neſcius, aſpiciens, timor obcæcaverat artus:
Hoc minùs implicuit dirâ formidine mentem.
Quam poſtquam vidit cæſum langueſcere, ſedit.
Jam quatit, & bijuges oriens Erebo cit equos nox,
Et piger aurato procedit Veſper ab OEtâ:
Cum grege compulſo paſtor duplicantibus umbris
Vadit, & in feſſos requiem dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora ſomnus,
Languidáque effuſo requiérunt membra ſopore;
Effigies ad eum Culicis devenit: & illi
Triſtis ab eventu ceciuit convitia mortis.
Inquit: Quid meritus, ad quæ delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsâ
Vita fuit vitâ, rapior per inania ventis:
Tu lentus refoves jucundâ membra quiete
Ereptus tetris è cladibus. at mea manes
Viſcera Lethæas cogunt tranare per undas.
Præda Charontis agor. vidén' ut flagrantia tædis
Lumina collucent infeſtis omnia templis?
Obvia Tiſiphone ſerpentibus undique comta,
Et flammas & fœva quatit mihi verbera Pœna.
Cerberus & diris flagrans latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineſque micant ardorem luminis orbes.
Heu quid ab officio digreſſa eſt gratia, cùm te
Reſtitui ſuperis leti jam limine ab ipſo?
Præmia ſunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices, & rure receſſit
Juſtitiæ prior illa fides: inſtantia vidi
Alterius ſinè reſpectu, mea fata relinquens,
Ad parilis agor eventus: ſit pœna merenti,
Pœna ſit exitium: modò ſit dum grata voluntas,
Exiſtat par officium. feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter diſtantia lucos:
Quem circa triſtes denſentur in omnia Pœnæ.
Nam vinctus ſedet immanis ſerpentibus Othos,
Devictum mœſtus procul aſpiciens Ephialten:
Conati quondam cùm ſint incendere mundum:
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ
(Implacabilis ira nimis) jacet alitis eſca.
Terreor à tantis inſiſtere, terreor umbris
Ad Stygias revocatus aquas. vix ultimus amni
Reſtat, nectareas divûm qui prodidit eſcas
Gutturis arenti revolutus in omnia ſenſu.
Quid, ſaxum procul adverſo qui monte revolvit,
Contemtiſſe dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quærentem fruſtra? Vos ite puellæ,
Ite, quibus tædas accendit triſtis Erinnys.
Sicut Hymen præfata dedit connubia mortis,
Atque alias alio denſat ſuper agmine turmas:
Impietate ferâ vecordem Colchida matrem
Anxia ſollicitis meditantem vulnera natis:
Jam Pandionias miſerandâ prole puellas,
Quarum vox Ityn, & Ityn, quod Bilonius Rex
Orbus Epops mœret volucris evectus in auras.
At diſcordantes Cadmæo ſanguine fratres
Jam truculenta ferunt infeſtâque vulnera corpus
Alter in alterius: jámque adverſatus uterque
Impia germani manat quòd ſanguine dextra.
Heu mutandus numquam labor! auferor ultrà
In diverſa magis: diſtantia numina cerno:
Elyſiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Perſephone comites Heroïdas urget
Adverſas perferre faces. Alcestis ab omni
Inviolata vacat curâ, quòd fœva mariti
Ipſa ſuis fatis Admeti fata morata eſt.
Ecce Ithaci conjunx ſemper decus Icariotis
Femineum incorrupta decus manet, & procul illam
Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quin miſera Eurydice tanto mœrore receſſit,
Pœnáque reſpectûs & nunc manet Orpheus in te.
Audax ille quidem, qui miti Cerberon umquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen:
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mœſta obtentu diro & ferrugine regna,
Defoſſáſque domos, ac Tartara nocte cruentâ
Obſita, nec facilis Ditis ſinè judice ſedes,
Judice, qui vitæ poſt mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Jam rapidi ſteterant amnes, & turba ferarum
Blandâ voce ſequax regionem inſederat Orphei:
Jámque imam viridi radicem moverat altè
Quercus humo, ſteterántque amnes: ſylvæque ſonoræ
Sponte ſuâ cantus rapiebant cortice amarâ.
Labentes bijuges etiam per ſidera Luna
Preſſit equos: & tu currentis menſtrua virgo
Auditura lyram tenuiſti nocte relictâ.
Hæc eadem potuit Diris te vincere conjunx,
Eurydicémque ultro ducendam reddere: non fas,
Non erat in vitam divæ exorabile numen.
Illa quidem nimiùm Manes experta ſeveros
Præceptum ſignabat iter: nec rettulit intus
Lumina, nec divæ corrupit munera linguâ.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oſcula cara petens rupiſti juſſa deorum.
Dignus amor veniâ, parvum ſi Tartara nôſſent
Peccatum ignoviſſe: ſed & vos ſede piorum,
Vos manet heroum contrà manus: hìc & uterque
Æacides, Peleus namque & Telamonia virtus
Per ſecura patris lætantur numina: quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit ſerva: aſt illum Nereïs amavit.
Aſſidet hìc juvenis, ſociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcuſſus, referens à navibus ignis
Argolicis Phrygios torvâ feritate répulſos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quæ Trojæ videre viri, videréque Graii!
Teucria cùm magno manaret ſanguine tellus,
Et Simois, Xanthíque liquor, Sigæáque præter
Litora, cùm Troës fœvi vos Hectoris ira
Videre in claſſis inimicâ mente Pelaſgas
Volnera, tela, neces, ignis inferre paratos.
Ipſa jugis namque Ida potens feritatis, & ipſa
Æqua faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei litoris ora
Claſſibus ambuſtis flammâ ſuperante daretur:
Hinc erat oppoſitus contrà Telamonius heros,
Objectóque dabat clypeo certamina: & illinc
Hector erat Trojæ ſummum decus: acer uterque,
Fulminibus cælo veluti fragor editus alto:
Ignibus hic, teliſque ſuper, ſi claſſibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Vulcania ferro
Volnera protectus depellere navibus inſtet.
Hôc erat Æacides alter lætatus honore,
Dardaniæque alter fuſo quòd ſanguine campis
Hectoreo victor luſtravit copore Trojam.
Rurſus acerba fremunt, Paris hunc quòd lætat, & hujus
Alma dolis Ithaci virtus quòd concidit icta.
Huic gerit averſos proles Laërtia vultus,
Et jam Strymonii Rhœſi, victórque Dolonis,
Pallade jam lætatur ovans, rurſúſque tremiſcit
Jam Ciconas, jam jámque horret Læſtrygonas atros.
Illum Scylla rapax canibus ſuccincta Moloſſis,
Ætnæúſque Cyclops, illum metuenda Charybdis,
Pallentéſque lacus, & ſqualida Tartara terrent.
Hìc & Tantalei generis decus amplus Atrides
Addidet, Argivûm lumen: quo flamma regente
Doris Erichthonias proſtravit fundibus arces.
Reddidit heu graviùs pœnas tibi, Troja, ruenti,
Helleſpontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum teſtata eſt copia quondam:
Ne quiſquam propriæ fortunæ munere dives
Iret inevectus, cælum ſuper omne: propinquo
Frangitur invidiæ telo decus. ibat in altum
Vis Argoa petens patriam, ditatáque præda
Arcis Erichthoniæ: comes huic erat aura ſecunda
Per placidum curſu pelagus. Nereïs ad undas
Signa dabat: pars inflexis ſuperacta carinis:
Cùm ſeu cæleſti fato, ſeu ſideris ortu
Undique mutatur cæli nitor: omnia ventis,
Omnia turbinibus ſunt anxia. jam maris unda
Sideribus certat conſurgere: jámque ſupernè
Corruere & Sol iis & ſidera cuncta minantur.
At venit in terras cæli fragor: hic modò lætum
Copia nunc miſeris circumdatur anxia fatis:
Immoritúrque ſuper fluctus, & ſaxa Capharei,
Euboïcas & per cautes, Hæreaque laté

Litora:

Litora: cùm Phrygiæ passim vaga præda perennt
Fluctuat omnis in æquoreo jam naufraga tractu.
Hìc alii fidunt pariles virtutis honore
Heröes, mediisque siti sunt sedibus omnes,
Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hic Fabii, Decisque, hìc est & Horatia virtus:
Hic & fama vetus numquam moritura Camilli:
Curtius & mediis quem quondam sedibus urbis
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus:
Mutius & prudens ardorem corpore passus,
Legitimè cessit cui fracta potentia regis.
Hìc Curius claræ socius virtutis: & ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammæ.
Jure igitur talis sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude suâ vigeant: ego Ditis opaeos
Cogor adire lacus, viduos à lumine Phœbi:
Et vastum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conscelerata piâ discernit vincula sede.
Ergo jam causam mortis me dicere vinctæ
Verberibus sævo cogunt ab judice Pœnæ:
Cùm mihi tu tis causa mali; nec conscius adsis:
Nec tolerabilibus curis hæc immemor audis:
Quæ tamen ut vanis dimittens omnia ventis,
Digredior numquam rediturus. tu cole fontis,
Et viridis nemorum sylvas, & pascua lætus.
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit: & extremâ tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitæ,
Interiùs graviter mentem æger: nec tulit ultrà
Sensibus intusum Culicis de morte dolorem,
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles,
Quìs tamen intestum pugnans devicerat hostem.
Rivum propter aquæ viridi sub fronde latentem
Conformare locum capit impiger. hunc & in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus: atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circùm lapidem lævi de marmore formans
Conserit assiduæ curæ memor. hìc & acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ omne genus: hìc est & Spartica myrtus,
Atque Hyacinthus: & hìc Cilici crocus editus arvo:
Laurus item Phœbi surgens decus. hìc Rhododaphne,
Liliáque, & roris non avia cura marini,
Herbáque turis opes priscis imitata Sabinis,
Chrysanthúsque, hederæque nitor, pallente corymbo,
Et Bacchus Libyæ Regis memor: hìc amaranthus,
Buphthalmúsque virens, & semper florida pinus,
Non illinc Narcissus abest: cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus,
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super inseritur: tum fronte locatur
Elogium, tacità formal quod litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

CIRIS.

AD MESSALLAM.

ETSI me vario jactatum laudis amore,
Irritáque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suavis expirans hortulus auras
Florentis viridi sophiæ complectitur umbrâ:
Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen?
Longè aliud studium, atque alios accincta labores,
Altiùs ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est ascendere collem.
Non tamen abstitam cœptum detexere munus:
In quo jure meas utinam requiescere Musas,
Et leviter blandum liceat deponere morem.
Quòd si mirificum proferre valent genus omnes
Mirificum sæcli, modò sit tibi velle libido,
Si me jam summâ sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus est data consors,
Unde hominum errores longè latéque per orbem
Despicere, atque humilis possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali.
Non equidem: quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere versum:
Sed magno intexens (si fas est dicere) peplo:
Qualis Erichtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardáve confecto redeunt quinquennia lustro,
Cùm levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere cursum.
Felix ille dies, felix & dicitur annus:
Felices, qui talem annum videre diémque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ:
Magna Gigantéis ornantur pepla tropæis:
Horrida sanguineo pinguntur prælia cocco.
Additur auratâ dejectus cuspide Typho,
Qui priùs Ossæis consternens æthera saxis
Æmathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale Deæ velum sollemni in tempore portant:
Tali te vellem, juvenum doctissime, ritu
Purpureos inter Soles & candida Lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis:
Æternum sophiæ conjunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primùm nascimur artes,
Nunc primùm teneros firmamus robore nervos:
Hæc tamen interea quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta, & primos exegimus annos,
Accipe dona meo multùm vigilata labore,
Et præmissa tuis non magna exordia rebus.
Impia prodigiis ut quondam exterruit amplis
Scylla, novósque avium sublimis in aëre cœtus
Viderit: & tenui conscendens sidera pennâ
Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis;
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Próque patris solvens excisâ fonditus urbe.
Complures illam & magni, Messalla, poëtæ
(Nam verum fateamur, amat Polyhymnia verum)
Longè aliâ perhibent mutatam membra figurâ,
Scyllæum monstra in saxum conversa vocari:
Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Ulyxi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexâsse ratis, & gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerâsse marinis.
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ,
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgò finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.
Ipsi seu Laniæ mater sit, sive Cratæis,
Sive illam monstro genuit Persæa biformi,
Sive est neutra parens: atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium, & Veneris descripta libido:
Sive etiam exactis speciem mutata venenis
Infelix virgo. (quid enim commiserat illa?)
Ipse pater timidam sæva complexus arenâ
Conjugium carpe violaverat Amphitrites.
Attamen exegit longo pòst tempore pœnas,
Ut cùm cura sui veheretur conjugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.
Seu verò, ut perhibent, formâ cùm vinceret omnes,
Et cupidos quæstu passim spoliaret amantes;
Piscibus & canibus rabidis vallata repentè est,
Horribiles circum vidit sibi sistere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quòd est mulier numen fraudare Deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere pœnam.
Quam, mala multiplici juvenum quòd septa catervâ
Dixerat, atque animo meretrix agitata ferarum,
Infamem tali meritò rumore fuisse
Docta Palæphatiâ testatur voce papyrus,
Quicquid, & ut quisquis tali de clade locutus,
Omnia sint; potiùs liceat notescere Ciri:
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare & quæ cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis præmia, Divæ
Pierides, quarum castos altaria postes
Munere sæpe meo inficiunt, foribúsque hyacinthi
Deponunt flores, aut suavè rubens narcissus,
Aut crocus alternâ conjungens lilia calthâ,
Sparsáque liminibus floret rosa; nuncage, divæ,
Præcipuè nostro nunc adspirate labori,
Atque novum æterno prætexite honore volumen.
Sunt Pandionìis vicinæ sedibus orbes,
Actæos inter colliis, & candida Thesei

Purpu-

Purpureis latè ridentia litora conchis:
Quarum non ulli famâ concedere digna
Stat Megara, Actæi quondam munita labore
Alcathoi, Phœbique: deus namque adfuit illi:
Unde etiam citharæ voces imitantur acutas:
Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
Et veterem ſonitu Phœbi teſtatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis,
Fecerat infeſtam populator remige Minos:
Hoſpitio quâ ſe Niſus Pelopeus avito,
Carpathium fugiens, & flumina Cerataea,
Texerat. hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretmâ ſternebat rura ſagittâ.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipſe veretur
Infeſto ad muros volitantis agmine turmas
Ducere, & indomitâ virtute retundere mentis:
Reſponſum quoniam ſatis eſt meminiſſe deorum.
Nam capite à ſummo regis, mirabile dictu,
Candida cæſaries, florebant tempora lauro,
Et roſeus medio fulgebat vertice crinis:
Cujus quàm ſervata diu natura fuiſſet,
Tam patriam incolumem Niſi regnúmque futurum,
Concordes ſtabili firmârunt numine Parcæ.
Ergo omnis caro reſidebat cura capillo:
Aurea ſollemni comtum quoque fibula ritu
Mopſopio tereti nectebat dente cicadæ.
Nec verò hæc vobis cuſtodia vana fuiſſet,
Nec fuerat: niſi Scylla novo concepta furore
Scylla patris miſeri patriæque inventa ſepulcrum:
O nimium cupidis ſi non inhiâſſet ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec ſua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater, atque avus idem
Jupiter. ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires manſueſcere tigris.
Ille etiam divos. homines ſed dicere magnum eſt.
Idem tum ſuperis acuebat parvulus iras
Junonis magnæ, cujus perjuria divæ
Olim ſe meminiſſe diu perjura puellæ
Non ulli liceat. violaverat inſcia ſedem,
Dum ſacris operata deæ laſcivit, & extra
Procedit longè matrum comitúmque catervam,
Suſpenſam gaudens in corpore ludere veſtem,
Et tumidos agitante ſinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam caſtos agitaverat ignis honores,
Necdum ſollemni lymphâ perfuſa ſacerdos
Pallentis foliis caput exornârat olivæ,
Cùm lapſa è manibus fugit pila, cúmque relapſa
Procurrit virgo: quo utinam ne prodita ludo
Aurea tam gracili ſolviſſet corpora pallâ
Omnia, quæ retinere gradum, curſúmque morari
Poſſent: ò tecum vellem tua ſemper haberes
Non unquam violata manu ſacraria divæ:
Jurando infelix nequicquam jura piâſſes.
Et ſi quis nocuiſſe tibi perjuria credat,
Cauſa pia eſt: timuit fratri te oſtendere Juno.
At levis ille deus, cui ſemper ad ulciſcendum
Quæritur ex omni verborum injuria dicto:
Aurea fulgenti depromens tela pharetrâ,
Heu nimium tereti, nimiùm Thynthia viſu,
Virginis in tenerâ defixerat omnia mente.
Quæ ſimul ac venis hauſit ſitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in oſſâ furorem:
Sæva velut gelidis Ciconum Biſſonis in oris,
Idâve barbarico Cybeles antiſtita buxo,
Infelix virgo totâ bacchatur in urbe:
Non ſtorace Idæo flagrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia ſervans,
Non niveo retinens baccata monilia collo.
Multùm illi incerto trepidant veſtigia curſu.
Sæpe redit patrios adſcendere prodita muros:
Aëriáſque facit cauſam ſe viſere turres.
Sæpe etiam triſtis volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis cæli ſpeculatur amorem:
Caſtráque proſpectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit: earum nec reſpicit aurum.
Non arguta ſonant tenui pſalteria chordâ:
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.
Nullus in ore rubor: ubi enim rubor obſtat amori?
Atque ubi nulla malis reperit ſolatia tantis,
Tabidulámque videt labi per viſcera mortem,
Quò vocat ire dolor, ſubigunt quò tendere fata,
Fertur: & horribili præceps impellitur aſtro:
Ut patris ah demens crinem de vertice ferret
Furtim, atque arguto detonſum mitteret hoſti.
Namque hæc conditio miſeræ proponitur unæ.
Sive illa ignorans: quis non bonus omnia malit
Credere, quàm tanto ſcelere damnare puellam?
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodeſt?)
Niſe pater: cui direptâ crudeliter urbe,
Vix erit una ſuper ſedes in turribus altis,
Feſſus ubi extructo poſſis conſidere nido.
Tu quoque avis moriere: dabit tibi filia pœnas.
Gaudete ò celeres ſubnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides ſylvas lucóſque ſonantes
Incolitis: gaudete vagæ blandæque volucres.
Vóſque adeò humani mutatæ corporis artus,
Vos ò crudeli fatorum lege puellæ
Dauliades, (crudele) venit cariſſima vobis
Cognatos augens reges numerúmque ſuorum
Ciris, & ipſe pater: vos ò pulcherrima quondam
Corpora, cæruleas prævertite in æthera nubes:
Quà novus ad ſuperûm ſedes Caicheius, & quà
Candida conceſſos adſcendat Ciris honores.
Jámque adeò dulci devinctus lumina ſomno
Niſus erat: vigilúmque procul cuſtodia primis
Excubias foribus ſtudio jactabat inani:
Cùm furtim tacito deſcendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna ſilentia tentat,
Et preſſis tenuem ſingultibus aëra captat.
Tum ſuſpenſa levans digitis veſtigia primis
Egreditur; ferróque manus armata bidenti
Evolat; ac demtæ ſubitâ in formidine vires,
Cæruleas ſua furta priùs teſtantur ad umbras.
Nam quà ſe ad patrium tendebat ſemita limen,
Veſtibulo in thalami paulùm remoratur, & altum
Suſpicit ad culti nutantia ſidera mundi,
Non accepta piis promittens munera divis.
Quam ſimul Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere ſenſit anus: ſonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus ſtridens in limine cardo:
Corripit extemplo feſſam langnore puellam,
Et ſimul, ò nobis ſacrum caput, inquit, alumna:
Non tibi nequicquam viridis per viſcera pallor
Ægrotas tenui ſuffudit ſanguine venas.
Nec levis hoc facere (neque enim pote) cura ſubegit:
Haud fallor, quòd te potiùs Rhamnuſia fallit.
Nam quâ te cauſâ nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos Cereris dicam contingere fœtus?
Quæ cauſa ad patrium ſolam vigilare cubile,
Tempore quo ſeſſas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requieſcunt flumina curſus?
Die age nunc miſeræ ſaltem, quod ſæpe petenti
Jurabas nihil eſſe mihi, cùm mœſta parentis
Formoſos circùm virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaſerit artus,
Ille, Arabis Myrrhæ quondam qui cepit ocellos:
Ut ſcelere infando, quod nec ſinit Adraſtia,
Lædere utrumque uno ſtudeas errore parentem.
Quòd ſi alio quovis animo jactaris amore:
Nam te jactari, non eſt Amathuſia noſtri
Tam rudis, ut nullo poſſim cognoſcere ſigno:
Sin conceſſus amor noto te macerat igne,
Per tibi Dictynnæ præſentia numina juro,
Prima deûm quæ te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potiùs digna atque indigna laborum
Millia viſuram, quàm te tam triſtibus iſtis
Sordibus, & ſcorià patiar tabeſcere tali.
Hæc loquitur, molliſque ut ſe velavit amictu,
Frigidulam injectâ circumdat veſte puellam,
Quæ priùs in tenui ſteterat ſuccincta coronâ.
Dulcia deinde genis rorantibus oſcula figens,
Perſequitur miſeræ cauſas exquirere talis,
Nec tamen ante ullas patitur ſibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quàm retulit intrâ.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas noſtros noviſſe furores?
Non ego confueto mortalibus uror amore;
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
Nec genitor cordi eſt: ultro namque odimus omnis.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falſa tamen lateat pietatis imago;
Sed mediâ ex acie, mediis ex hoſtibus, heu heu,
Quid dicam? quóve ipſa malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem; quoniam quid tu tibi dicere, nutrix,
Non finis? extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, noſtris qui mœnibus adlidet hoſtis,
Quem pater ipſe deûm ſceptri donarit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo volucre lædi;

Dicendum

Dicendum eſt, fruſtra circumvehor omnia verbis:
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quòd te per divûm crebros obteſtor amores,
Pérque tuum memoris hauſtum mihi pectus alumnæ,
Ut me, ſi ſervare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatæ ſpes eſt inciſa ſalutis;
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam niſi te nobis malus, ò malus, optima Carme,
Ante hunc conſpectum caſûſve deúſve tuliſſet:
Aut ferro hôc (aperit ferrum, quod veſte latebat)
Purpureum patris demſiſſem vertice crinem,
Aut mihi præſenti peperillem volnere letum.
Vix hæc ediderat, cùm clade exterrita triſti
Intonſos multo deturpat pulvere crinis,
Et graviter queſtu Carme complorat anili:
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum noſtræ Minos inimice ſenectæ
Semper, & aut olim nata ò te propter eundem,
Aut amor inſanæ luctum portavit alumnæ.
Téne ego tam longè capta atque avecta nequivi,
Tam grave ſervitium, tam duros paſſa labores,
Effugere, ut tiſtam exitium crudele meorum?
Jam jam nec nobis ea, quæ ſenioribus, ullum
Copia vivendi vitæ genus. ut quid ego amens
Te erepta, ò Britomarti, meæ ſpes una ſalutis,
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam Cereri, nec tantùm grata Dianæ
Venatus eſſes virgo ſectata virorum;
Cnoſſia neu Partho contendens ſpicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Numquam tam obnixè fugiens Minoïs amores,
Præceps aëriis ſpeculâ de montibus iſſes,
Unde alii fugiſſe ferunt, & numina Phocæ
Virginis adſignant: alii, quo notior eſſes,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint hæc vera velim: mihi certè nata periſti:
Numquam ego te ſummo volitantem in vertice montis,
Hyrcanos inter comites agménque ferarum
Conſpiciam; nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verùm hæc tum nobis gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cùm ſpes integra maneret:
Et vox iſta meas nondum violaverat aures.
Téne etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Téne, ò ſola meæ vivendi cauſa ſenectæ?
Sæpe tuo dulci nequicquam capta ſopore,
Cùm premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me infelix, aut quæ me numina ſervant?
An neſcis, quâ lege patris de vertice ſummo
Edita candentis prætexat purpura canos?
Quæ tenui patriæ ſpes ſit ſuſpenſa capillo?
Si neſcis, aliquam poſſum ſperare ſalutem:
Inſcia quandoquidem ſcelus es conata nefandum.
Sin eſt, quod metuo: per me, mea alumna, tuámque
Expertum multis miſeræ mihi rebus amorem:
Per me, & ſacra precor per flumina Ilithyiæ,
Ne tantum in facinus tam nullâ mente ſequaris:
Non ego te incepto (fieri quod non pote) conor
Flectere, Amor: neque ſit cum dîs contendere noſtrum:
Sed patris incolumi potiùs te nubere regno,
Atque aliquos tamen eſſe velis tibi, alumna, penates:
Hoc unum exitio docta atque experta monebo.
Quòd ſi non aliâ poteris ratione parentem
Flectere: ſed poteris: quid enim non unica poſſis?
Tunc potiùs tamen ipſa, pio cùm jure licebit,
Cùm facti cauſam tempúſque doloris habebis:
Tunc potiùs conata tua atque incepta referto:
Méque deóſque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil eſt quod texas ordine longum.
His ubi ſollicitos animi relevaverat æſtus
Vocibus, & blandâ pectus ſpe vicerat ægrum;
Paullatim tremebunda genis obducere veſtem
Virginis, & placidam tenebris captare quietem,
Inverſo bibulum reſtinguens lumen olivo,
Incipit ad crebros inſani pectoris ictus
Ferre manum, aſſiduis mulcens præcordia palmis.
Noctem illam ſic mœſta ſuper morientis alumnæ
Frigidulos cubito ſubnixa pependit ocellos.
Poſtera lux ubi læta diem mortalibus almum
Et gelido veniens mani quatiebat ab Oëtâ,
Quem pavidæ alternis fugitant optántque puellæ;
Heſperium vitant, optant ardeſcere Solem;
Præceptis paret virgo nutricis, & omnis
Undique conquirit nubendi ſedula cauſas.
Tentantur patriæ ſubmiſſis vocibus aures,
Laudantúrque bonæ pacis bona: multus ineptæ
Virginis inſolito ſermo novus errat in ore.
Nunc tremere inſtantis belli certamina dicit,
Communémque timere deum: nunc regis amicos,
(Namque ipſo verita eſt orbari mœſta parente)
Cum Jove communis qui quondam habuere nepotes:
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, & divûm terret formidine civis:
Nunc alia ex aliis (nec deſunt omina) quærit.
Quin etiam caſtos auſa eſt corrumpere vates:
Ut, cùm cæſa pio cecidiſſet victima ferro,
Eſſent, qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere, & ancipites ſuaderent tollere pugnas.
At nutrix patulâ componens ſulfura teſtâ,
Narciſſum caſiámque herbas incendit olentis:
Térque novena ligat triplici diverſa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit, deſpue, virgo.
Deſpue ter, virgo: numero deus impare gaudet.
Indè Jovi geminat magno Stygialia ſacra,
Sacra nec Idæis ſenibus, nec cognita Graiis.
Pergit Amyclæo ſpargens altaria thallo,
Regis Iolchiacis animum defigere votis.
Verùm ubi nulla movet ſtabilem fallacia Niſum,
Nec poſſunt homines, nec poſſunt flectere divi:
(Tanta eſt in parvo fiducia crine cavendi:)
Rurſus ad inceptum ſociam ſe adjungit alumnæ,
Purpureúmque parat rurſus tondere capillum,
Cum longo quod jam captat ſuccurrere amori.
Non minùs illa tamen revehi, quòd mœnia creſcant,
Gaudeat: & cineri patriæ eſt jucunda ſepulto.
Ergo metu capiti Scylla eſt inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens ſuccinditur oſtro:
Tum capitur Megara, & divûm reſponſa probantur:
Tum ſuſpenſa novo ritu de navibus altis,
Per mare cæruleum trahitur Niſeïa virgo.
Complures illam Nymphæ mirantur in undis:
Miratur pater Oceanus, & candida Tethys,
Et cupidas ſecum rapiens Galatea ſorores:
Illa etiam, junctis magnum quæ piſcibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothoë, parvúſque deâ cum matre Palæmon.
Illi etiam alternas ſortiti vivere luces,
Cara Jovis ſoboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridæ niveos mirantur virginis artus.
Has adeò voces, atque hæc lamenta per auras
Fluctibus in mediis queſtu volvebat inani,
Ad cælum infelix ardentia lumina tollens:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Supprimite ô paulùm turbati flamina venti,
Dum queror: & divos, quamquam nil teſtibus illis
Profeci, extremâ moriens tamen adloquor horâ.
Vos ego, vos adeò, venti, teſtabor, & auræ:
Vos matutinâ ſi qui de gente venitis,
Cernitis, illa ego ſum cognato ſanguine vobis
Scylla, quod, ah, ſalvâ liceat te dicere Procne,
Illa ego ſum Niſi pollentis filia quondam,
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Quà curvus terras amplectitur Helleſpontus:
Illa ego ſum, Minos, ſacrato fœdere conjunx
Dicta tibi; tamen hæc, & ſi non accipis, audis.
Vinctáne tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot aſſiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio poſſum contendere dignam
Supplicio: quòd ſic patriam caróſque penates
Hoſtibus, immitſque addixi ignara tyranno.
Verùm eſto. hæc, Minos, illos ſcelerata putavi,
Si noſtra antè aliquis nudâſſet fœdera cælo,
Facturos: quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crûdelis! flammâ delubra petivi:
Te verò victore priùs vel ſidera curſus
Mutatura ſuos, quàm te mihi talia captæ
Facturum metui. jam jam ſcelus omnia vincit.
Tén' ego plùs patrio dilexi perdita regno?
Tén' ego? (nec mirum) vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!
Non equidem ex iſto ſperavi corpore poſſe
Tale malum naſci: formâ, vel ſidere fallor,
Non me deliciis commovit regia dives
Coralio fragili ac electro lacrymoſo,
Me non florentes æquali corpore Nymphæ,
Non metus incenſam potuit retinere deorum.
Omnia vincit amor. quid enim non vinceret ille?
Nec mihi jam pingui ſudabunt tempora myrrhâ,

Promabo

Pronuba nec caſtos accendet pinus odores,
Nec Libys Aſſyrio ſternetur lectulus oſtro.
Magna queror. nec & illa quidem communis alumna
Omnibus injectâ tellus tumulabit arenâ.
Méne inter comites, ancillarúmque catervas,
Méne alias inter famularum munere fungi,
Conjugis atque tuæ, quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penſo devolvere fuſos?
At belli ſaltem captivam lege necâſſes.
Jam ſeſſæ tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexâ lentum cervice recumbit:
Marmorea adductis labaſcunt brachia nodis.
Æquoreæ peſtes, immania corpora ponti,
Undique conveniunt, & glauco in gurgite circùm
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Jam tandem caſus hominum, jam reſpice, Minos.
Sit ſatis hoc, tantum ſolam vidiſſe malorum:
Vel fato fuerit nobis hæc debita peſtis,
Vel caſu incepto, meritâ vel denique culpâ.
Omnia nam potiùs, quàm te læſiſſe, putabo.
Labitur interea revoluta ab litore claſſis,
Magna repentino ſinuantur lintea Coro,
Flectitur in viridi remus ſale, languida ſeſſæ
Virginis in curſu moritur querimonia longo.
Deſerit anguſtis incluſum faucibus Iſthmon,
Cypſelidæ magni florentia regna Corinthi:
Præterit abruptas Scironis protinus arcis,
Infeſtúmque ſuis diræ teſtudinis exit
Spelæum, multóque cruentas hoſpite cautes.
Jámque adeò tutum longè Piræea cernit,
Et notas ſecum, heu fruſtra, reſpectat Athenas.
Jam procul è fluctu Minoïa reſpicit arva,
Florentiſque videt jam Cycladas hinc Strophadáſque:
Hinc ſinus, hinc ſtatio contrà patet Hermiona.
Linquitur ante alias longè gratiſſima Delos
Nereïdum matri & Neptuno Ægæo.
Proſpicit incinctam ſpumanti litore Cythnon,
Marmoreámque Patron viridémque adlapſa Donyſam:
Æginámque ſimul ſementiferámque Seriphum
Fertur, & incertis jactatur ad omnia ventis.
Cymba velut magnas ſequitur cùm parvula claſſis,
Afer & hyberno bacchatur in æquore turbo:
Donec tale decus formæ vexavit, & ægros
Non tulit, & miſeros mutavit virginis artus,
Cæruleo pollens conjunx Neptunia regno.
Sed tamen externam ſquamis veſtire puellam,
Infidóſque inter teneram committere piſcis
Non ſtatuit. nimiùm eſt avidum pecus Amphitrites.
Aëriis potiùs ſublimem ſuſtulit alis,
Eſſet ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclæo formoſior anſere Ledæ.
Ac velut in niveo teneræ cùm primitus ovo
Effigies animantis, & internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllæ circumfuſum æquore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos primùm & multis optata labella,
Et patulæ frontis ſpecies concreſcere in unum
Cœpere, & gracili mentum producere roſtro.
Tum, quà ſe medium capitis diſcrimen agebat,
Ecce repentè velut patrios imitatus honores,
Purpuream concuſſit apex in vertice criſtam.
At mollis varios intexens pluma colores,
Marmoreum volucri veſtivit tegmine corpus,
Lentáque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Indè alias partis minióque infecta rubenti
Crura novâ macies obduxit ſqualida pelli:
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.
Et tamen hoc demum miſeræ ſuccurrere facto
Vix fuerat placidâ Neptuni conjuge dignum.
Numquam illum poſthac oculi videre ſuorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas:
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo.
Nullæ illam ſedes (quid jam cum ſedibus illi?)
Quæ ſimul ut ſeſe cano de gurgite velox
Cum ſonitu ad cælum ſtridentibus extulit alis,
Et multum latè diſperſit in æquore rorem;
Infelix virgo nequicquam morte receptâ
Incultum ſolis in rupibus exigit ævum,
Rupibus, & ſcopulis, & litoribus deſertis.
Nec tamen hoc iterum pœnâ finé. namque deûm rex,
Omnia qui imperio terrarum millia verſat,
Commotus talem ad ſuperos volitare puellam,
Cùm pater exſtinctus cæcâ ſub nocte lateret,
Illi pro pietate ſuâ (nam ſæpe tepenti
Sanguine taurorum ſupplex reſperſerat aras,
Sæpe deûm largo decorârat munere ſedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit & in terris Haliæetus ales ut eſſet.
Quippe aquilis ſemper gaudet deus ille coruſcus.
Huic verò miſeræ, quoniam damnata deorum
Judicio natſque & conjugis antè fuiſſet,
Infeſti adpoſuitque odium crudele parentis.
Namque ut in ætherio ſignorum munere præſtans,
Unum quem duplici ſtellarum fidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugit Orionа:
Sic inter ſeſe triſtes Haliæetus iras,
Et Ciris memori ſervant ad ſæcula fato.
Quacumque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus. quà ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.

P. VIRGILII MARONIS
CATALECTA.

DE quâ, Tucca, tibi venit: ſed ſæpe videre
Non licet: occulitur limine clauſa viri.
De quâ ſæpe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur; longè eſt, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi, ſed jam jam mihi nuntius iſte
Quid prodeſt? illi dicite, quæ rediit.

Corinthiorum amator iſte verborum,
Iſte iſte rhetor. namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticæ febris,
Tau Gallicum ſpinæ ipſemet malè illiſit,
Iſta omnia, iſta verba miſcuit fratri.

Socer beate nec tibi, nec alteri,
Genérque Noctuine putidum caput,
Túque nunc puella talis, & tuo
Stupore preſſa rus abibit, & mihi
Ut ille verſus uſquequaque pertinet.
Gener, ſocérque perdidiſtis omnia.

Superbe Noctuine putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur,
Datur ſuperbe Noctuine, quam petis.
Sed, ò ſuperbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, & hanc, & alteram tibi dari.
Adeſte nunc, adeſte, ducit, ut decet,
Superbus ecce Noctuinus hirneam.

Jacere me, quòd alta non poſſim, putas,
Ut antè vectari freta:
Nec ferre durum frigus, aut æſtum pati,
Neque arma victoris ſequi.
Valent, valent mihi ira & antiquus furor,
Et lingua, quâ adſim tibi,
Et proſtitutæ turpe contubernium
Sororis. ò quid me incitas?
Quid, impudice, & improbande Cæſari?
Sed furta dicantur tua,
Et helluato ſera patrimonio
In fratre parſimonia:
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per ſomnum nates.
Et inſcio repentè clamatum ſuper,
Thalaſſio, Thalaſſio.
Quid palluiſti femina? an joci dolent?
An facta cognoſcis tua?
Non me vocabis pulchra per Coryttia
Ad feriatos faſcinos.
Nec dein movere lumbos in crocotulam
Prenſis videbo altaribus,
Flavum probè Thybrim & olentis nauticum
Vocare: ubi appulſæ rates
Stant in vadis cœno retentæ ſordido,
Macráque lactantes aquâ.
Neque in culinam, & unctia compitalia,
Dapéſque ducis ſordidas:

Quibus

by Google

Quibus repletus, ut fallvosis equis,
Obesam ad uxorem redis:
Et astuantes doctè solvis pantices,
Os usque lambis saviis.
Nunc læde, nunc lacesse, si quidquam vales:
Et nomen adscribo tuum.
Cinæde Luci, an te reliquerunt opes?
Faméque genuini crepant?
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres, & iratum Jovem,
Scissúmque ventrem, & hernioso patrui
Pedes inediâ turgidos.

Ad Venerem dedicatio Æneidos.

SI mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, ô sedes quæ colis Idalias:
Troïus Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modò, aut pictâ tua templa tabellâ
Ornabo, & puris serta feram manibus.
Corniger hos aries humilis, & maxima taurus
Victima sacratos tinget honore focos.
Marmoreúsque tibi, Dea, verticoloribus alis
In morem pictâ stabit amor pharetrâ.
Adsis, ô Cytherea: tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini litoris ora vocat.

Ite hinc inanes rhetorum manipli, *
Inflata rore non Achaico verba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varróque,
Scholasticorum natio madens pingui:
Ite hinc inanes cymbalon juventutis.
Túque ô mearum cura Sexte curarum
Vale Sabine: jam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Scironis,
Vitámque ab omni vindicabimus curâ.
Ite hinc Camenæ: vos quoque limite sævo, *
Dulces Camenæ: nam fatebimur verum,
Dulces fuistis: & tamen meas chartas
Revisitote: sed pudenter & raró.

De Sabino parodia Catulliana.

SAbinus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus:
Neque ullius volantis impetum citi
Nequîsse præterire: sive Mantuam
Opus foret volare, sive Briziam.
Neque hoc negat Triphonis æmuli domus
Negare nobilem, insulámve cæruli:
Ubi iste pòst Sabinus, antè Quinctio
Bidente dicit attondisse forcipe
Comata colla, nequa sordidum jugo
Premente dura vulnus ederet juba.
Cremona frigida, & lutosa Gallia
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima
Ait Sabinus. ultimâ ex origine
Tuâ stetisse dicit in voragine,
Tuâ in palude deposuisse sarcinas,
Et indè tot per orbitosa millia
Jugum tulisse: lævâ, sive dextrâ
* Stringere mulas, sive utrumque cœperat.
Neque ulla vota semitalibus Deis
Sibi esse facta, propter hoc, novissimum
Paterna lora, proximúmque pectinem.
Sed hæc priùs fuere, nunc eburneâ
Sedéque sede, séque dedicat tibi
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris.

Ad Varium.

SCilicet hoc sinè fraude, Vari dulcissime, dicam:
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem præcepta vetant me dicere: sanè,
Non dicam. sed me perdidit iste puer.

Ad villam Scironis.

VIllula, quæ Scironis eras, & pauper agelle,
Verùm illi domino tu quoque divitiæ:
Me tibi, & hos unà mecum, quos semper amavi,
Si quid de patriâ tristius audiero,
Commendo in primisque patrem. tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quódque Cremona priùs.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
Pauca mihi doctæ, dicite, Pegasides.
Victor adest magni magnum decus ecce triumphi.
Victor quà terræ, quáque patent maria:
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ,
Magnus ut Oenides, útque superbus Eryx.
Nec minùs idcirco nostros expromere cantus
Maximus, & sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis jactor magìs, optime, curis:
Quid de te possim scribere, quisve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum linguâ, tum sale Cecropio.
Carmina quæ Pylium sæclis accepta futuris,
Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hìc viridi patulæ sub tegmine quercûs
Mœris pastores & Melibœus erant;
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroïda Divæ,
Certatim Divæ munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam:
Alter non famam dixerit ipse prior.
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenen:
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo,
Non supero fulgens Cassiopea polo.
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam sibi quæque manus.
Sæpe animam generi pro quâ pater impius hausit:
Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus.
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti exspectant fulmine & imbre Jovem.
Cujus & ob raptum pulsi liquere penates
Tarquinii patrios, filius atque pater.
Illo, quo primùm dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa neque immeritis donavit præmia alumnis,
Præmia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra,
Tam procul hôc nato, tam procul hâc patriâ?
Immoderata pati nunc frigora, núncque calores?
Stertere vel durâ posse super silice?
Sæpe trucem adverso perlabi sidere pontum?
Sæpe audendo mare vincere, sæpe hyemem?
Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes:
Communem belli nec timuisse Deum?
Nunc celeres Afros, perituráque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex aliâ bellando quærere gentem?
Vincere & Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas adtingere laudes:
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum monumenta per orbem:
Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina Divi
Cynthius, & Musæ, Bacchus, & Aglaïe.
Si laudes adspirem, humili sed adire Camœnâ:
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus; optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

Aspice quem valido subnixum gloria regno
Altiùs & cæli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem:
Hic Reges Asiæ fregerat, & populos.
Hic grave servitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat:
Cætera namque viri cuspide conciderant:
Cùm subitò in medio rerum certamine præceps
Conruit, è patriâ pulsus in exilium.
Tale Deus numen, tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

Quocumque ire ferunt varias nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quósque videre homines:
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?
Cui Venus ante alios, Divi, Divûmque sorores,
Cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
Cuncta quibus gaudet Phœbus, chorus ipséque Phœbi:
Doctior ô quis te, Musa, fuisse potest?

O Quis te in terris loquitur jucundior uno?
Clio nam certè candida non loquitur.
Quare illud satis est si te permittis amari:
Non contrà ut sit amor mutuus indè mihi.

Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an quæ
Dicunt, ah nimio pocula dura mero?

Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
Fata: quod immeriti crimen habent cyathi.
Scripta quidem tua nos multùm mirabimur, & te
Raptum, & Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. perversi dicite Manes,
Hunc superesse patri quæ fuit invidia?

OVIDII HALIEUTICI INITIUM

Ex

Sertorio Quadrimano ex Vetustissimo codice descriptum.

TERTIA Phœbe refert hyberna jugalis,
Quùm magni Jovis imperiis te Roma reliqui,
Conjugis & vultu semper caritura amico
Exul in extremas adigor moriturus arenas:
Semper ubi immiti canescunt arva pruinâ,
Ætherelúsque ruit sublimi à vertice Corus,
Quando alibi radiis flammantibus arva perurit
Phœbus, & exhaustis ferveścunt flumina ripis.
Hìc ego Barbaricæ vitans commercia gentis,
Quum primùm noctis tenebras Aurora fugavit,
Desertos scopulos, & littora sola frequento:
Aspiciénsque ferox oculis lachrymantibus æquor,
Conqueror, heu superos nequidquam voce fatigans.
Exciti gemitu pisces è fluctibus imis
Emergunt, mecum forsan fera fata vocantes:
Et ni vox desit, vellent lenire dolentem.
Unquam nec latebris abducunt corpora cæcis,
Ni prius ipse abeam, Solis jam luce cadente.
Ergo equidem experiar, possim si digna referre
Præmia, & æternis inscribere nomina chartis,
Nomina, quæ nullis pereant fugientibus annis.
Quare ô magnorum pars non spernenda Deorum,
Quos tegit in gremio Tethys longæva virente,
Glauce, fluentisonis placidum caput effer ab antris,
Et mecum immensi percurras littora ponti:
Dum populos pelagi canimus, gentémque natantum.
Spero ego te mihi præsidio per cuncta futurum,
Ut qui squammigeræ gentis bene nomina nôris,
Ni mendax fuerit quæ de te fabula fertur:
Te quondam herboso projectos littore pisces
Obstupuisse maris rursus sub stagna reverti,
Extincti quum jam cœlesti luce carerent:
Gramine quum tacto patriæ sibi dulcia liquis,
Cana Amphitrites magno succensus amore.
Quare si veteris durant vestigia mortis,
Si precibus hominum flectuntur numina soliti,
Hunc adsis, dirigásque pedes, humerósque natantis.
Sicaniæ primùm quæramus marmora, non qua
Enceladus vastas volvit trans nubila flammas,
Et totis quatit assiduis succussibus urbes.
Aut ubi Neptunus magno ferit saxa tridente
Trudens, Italiam Siculis discindit ab arvis,
Forsan & indè tibi veniet peregrata voluptas;
Saxa videns ponti furiis nunc obvia sævis,
In quo, prò Circe! tenuia gramina! vultus
Dilectæ quondam Scyllæ mutástis amator.
Hìc tu non poteris fletum cohibere cadentem,
Sed longùm vereres etiam lugebis Amores,
Amplexúsque mala dura dabis oscula cauti;
Quamvis cæca fremant gemitu spelæa sonanti.
Atque obsessa gerat latitantibus inguina monstris.

Mitem lustantem Scarus in limine vidit,

Jactantémque manus rapitur diversa, nec unquam
Desinit infestare minores obvia Thynnos.

Adversi caudam morsu tenet.

At tu, quum vastas terras super aureus it Sol,
Plenáque vel tacito vectatur Cynthia cœlo,
Nequidquam insidias tendas sub nocte silenti.
Namque procul fluitantem hamum, vel rete timebit.
Candida nocturnas pellit quum Luna tenebras,
Idcirco, ponti subeat dum templa, morare.
Tunc verò nigris videas volitantibus umbris.

At Murena ferox dimotis *

Sæpia tarda fuga, necnon & Polypus hæret.

Fluctibus occiduis dicunt hoc monstra vagari,
Quæ miseros nautas, navesque moratur euntes.
At Mugil caudâ pendentem verberat hamum.

Auxiliúmque vagas Delphin latrare per undas
Nanque tuas persensit opes Diis carus Arion,
Quum tu subducto spumosa per æquora tergo,
Illæsum vectas, patriæque exponis in oris.

Nàm gaudent pelago, quales Scombrique Lupique,
Atque Boves patulâ captantes nare favillas.

Dicendum Illyricis volitat qui pisces in undis,

Quàm vastas habeat vires in corpore, quamvis
Arma haud ulla homini dederit Natura nocendi.
Ipse Lupo affimilis parvo, setæque comantes
Demissæ extremæ lambunt confinia caudæ,
Purpureóque micant tenuissima colla colore.
Si fortè adventante die caput extulit undis,
Atque recens orti lumen conspexit Eoi,
Pallidus extincto tabescit Cynthius orbe,
Nec lucem attonitis fundit mortalibus almam.
Vidi ego, quum nulli volitarent aëre venti,
Atque obscura novo cessissent nubila Soli,
Ardua turbinibus mundi convexa sonoris
Impelli, & crebris nubes fulgescere flammis.
Ac tempestatem mox advexisse serenam,
Postquam sub pelagi fluctus ferus ille refugit.

Parva Echeneis adest, mirum, mora puppibus ingens.

. . . . purpureo tellus quâ cuniculus arva.
Anthieris est tergo prorsus florente decorus:
Hujus in immensâ residet lapis abditus alvo
Cæruleus, stellásque gerit, velut aurea cæli
Tecta micant, postquam Phœbus cava Tartara solvit:
Nec curru nocturna volat Phœbeia nitente.
Hunc si Cecropiæ suffusum cæde volucris
Quis gerat, hic poterit medios impune vagari
Per populos, incedentem non ulla videbunt
Lumina, nigranti veluti res aëre septa.

At dùrus Xiphias ictu non mitior ensis,
Et pavidi magno fugientes agmine Thyni.

Qui semper spumas sequeris Pompile micantes,
Cercyróque ferox, & dvannes gutture cæri.
Orphus, & herbosâ natans Erythinus in unda,
Et Spariides, Sargúsque notis insignis opimis.
Chrysophrys imitata decoris & verba volantum.
Nàmque volat, scopulique latens in vertice acuti
Concinit, ut nunquam melius sub fronde virenti
Attica avis vernâ sub tempestate queratur.

. . . tum corporis Umbræ
Liventis, rapidíque Lupi Percæque Tragíque.
. . . candâ Melanurus acutâ.
Atque Canes, Leporéſque truces, Merulíque virentes,
Fœcundúmque genus Mænæ . . .
Ipſe & purpureo ſuffuſus ſanguine Mullus.
. . . & molles tergore Ranæ.

P. OVIDII NASONIS FRAGMENTA.

EX MEDEA.

SERVARE potui. perdere an poſſim rogas?

Item,

Feror huc illuc, ut plena Deo.

EX EPIGRAMMATIS.

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?

Item,

Ride, ſi ſapis, ô puella, ride.

Item,

Larte ferox cæſo Coſſus opima tulit.

EX PHÆNOMENIS.

Tot numero, talíque Deus ſimulacra figurâ
Impoſuit cælo: pérque altas ſparſa tenebras
Clara pruinoſæ juſſit dare lumina nocti.

Pleiades ante genu ſeptem radiare feruntur.
Sex tantum apparent: ſub opacâ ſeptima nube eſt.

ÆTNA CORNELII SEVERI.

ÆTNA mihi, ruptíque cavis fornacibus igneis,
Et quæ tam fortes volvant incendia cauſæ:
Quod fremat imperium, quid raucos torqueat æſtus,
Carmen erit: dexter venias mihi carminis auctor:
Seu te Cynthos habet, ſeu Delos gratior illâ,
Seu tibi Dodone potior: tecúmque faventes
In nova Pierio properent à fonte ſorores
Vota: per inſolitum Phœbo duce cautiùs itur.
Aurea ſecuri quis neſcit ſecula regis?
Cùm domitis nemo Cererem jactaret in arvis,
Venturíſque malas prohiberet frugibus herbas;
Anuua ſed faturæ complerent horrea meſſes,
Ipſe ſuo flueret Bacchus pede, melláque lentis
Penderent foliis, & pingui Pallas olivâ,
Secretos amneis ageret cùm gratia ruris.
Non ceſſit cuiquam meliùs ſua tempora nôſſe.
Ultima quis tacuit juvenum certamina Colchos?
Quis non Argolico deflevit Pergamon igni
Impoſitam, & triſtem gnatorum funere matrem,
Adverſúmve diem ſparſúmve in ſemine dentem?
Quis non perjuræ doluit mendacia puppis,
Deſertam vacuo Minoïda litore queſtus?
Quidquid in antiquum jactata eſt fabula carmen,
Fortiùs ignotas molimur pectore curas:
Qui tanto motus operi, quæ cauſa perenneis
Explicet in denſum flammas, & ructet ab imo
Ingenti ſonitu moles, & proxima quæque
Ignibus irriguis urat: mens carminis hæc eſt.
Principio, ne quem capiat fallacia vatum,
Sedes eſſe Dei, timidíſque è faucibus ignem
Vulcani ruere, & clauſis reſonare cavernis
Feſtinantis opus. non eſt tam ſordida Divis
Cura, neque extremas jus eſt dimittere in arteis
Sidera: ſubducto regnant ſublimia cælo
Illa, neque artificum curant tractare laborem.
Diſcrepat à primâ facies hæc altera vatum.
Iſtis Cyclopas memorant fornacibus uſos,
Cùm ſuper incudem numeroſa in verbera fortes,
Horrendum magno quaterent ſub pondere fulmen,
Armaréntque Jovem. turpe eſt ſinè pignore carmen.
Proxima vivaces Ætnæi verticis igneis
Impia ſollicitat Phlegræis fabula caſtris.
Tentavere, nefas, olim detrudere mundo
Sidera, captíſque Jovis transferre Gigantes
Imperium, & victo leges imponere cælo.
His natura ſua eſt alvo tenus: ima per orbeis
Squameus intortos ſinuat veſtigia ſerpens.

Conſtruitur magnis ad prælia montibus agger:
Pelion oſſa terit: ſummus premit Oſſan Olympus,
Jam coacervatas nituntur ſcandere moles:
Impius & miles metuentia cominus altra
Provocat infeſtus cunctos ad prælia Divos.
Provocat e * admotis *
Jupiter è cælo metuit: dextrámque coruſcâ
Armatus flammâ removet caligine mundum.
Incurſant vaſto primùm clamore Gigantes.
Hìc magno tonat ore pater, geminátque faventeis
Undique diſcordes comitum ſimul agmine ventos.
Denſa per attonitas funduntur fulmina nubes:
Quin & in arma ruit quæcunque potentia Divûm:
Et Mars ſævus erat, jam cætera turba Deorum.
Stant utrinque metus. validos tum Jupiter igneis
Increpat, & jacto proturbat fulmine monteis.
Illinc devictæ verterunt terga ruinæ,
Infeſtæ Divis acies, atque impius hoſtis
Præceps cum caſtris agitur, matérque jacenteis
Impellens victos. tum pax eſt reddita mundo:
Tum Liber celſa venit per ſidera cæli,
Defenſíque decus mundi nunc redditur aſtris.
Gurgite Trinacrio morientem Jupiter Ætnâ
Obruit Enceladum: vaſti qui pondere montis
Æſtuat, & patulis exſpirat faucibus igneis.
Hæc eſt mendoſæ vulgata licentia famæ.
Vatibus ingenium eſt: hinc audit nobile carmen,
Plurima pars ſcenæ, verùm eſt fallacia. vates
Sub terris nigros viderunt carmine maneis,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna:
Mentiti vates Stygias undáſque canéſque.
Hi Tityon ſeptem ſtravere in jugera fœdum.
Sollicitant magnâ te circùm Tantale pœnâ,
Sollicitántque Scinim. Minos tuáque Æace in umbris
Jura canunt, ſidémque rotant Ixionis orbem,
Quicquid & interiùs falſi ſibi conſcia terra eſt.
Non eſt terra ſatis. ſpeculantur numina Divûm:
Nec metuunt oculos alieno admittere cælo.
Nôrunt bella Deûm: nôrunt abſcondita nobis
Conjugia, & falsâ quoties ſub imagine peccent.
Taurus in Europen, in Ledam candidus ales:
Jupiter ut Danae pretioſus fluxerit imber.
Debita carminibus libertas iſta: ſed omnis
In vero mihi cura. canam quo fervida motu
Æſtuet Ætna, novóſque rapax ſibi congerat igneis.
Quacunque immenſus terræ ſe porrigit orbis,
Extremſque maris curvis incingitur undis:
Non totum eſt ſolidum. deſit namque omnis hiatu.
Secta eſt omnis humus ponitúſque cavata latebris,
Exiles ſuſpenſa vias agit, utque animantis
Per tota errantes percurrunt corpora venæ,

Ad vitam sanguisque omnis quà continet ibat,
Terra voraginibus conceptas digerit auras.
Scilicet aut olim diviso corpore mundi
In maria, ac terras & sidera, sors data cœlo
Prima: secuta maris, desedítque infima tellus:
Sed totis rimosâ cavis, & qualis acervus
Exsilit impariles jactis ex tempore saxis,
Ut crebro intorsus spatio vacuata corymbos
Pendeat in sese: simili quoque terra figurâ
In tenuem latata vias, non omnis in æquum
Nec stipata coit. sive illi causa vetusta est,
Nec nata est facies: seu liber spiritus intrà
Effugiens, molitur iter, seu lympha perennis
Edit humum limo, fluxísque obstantia mollit,
Aut etiam inclusi solidum exedere vapores,
Atque igni quæsita via est, sivè omnia certis
Pugnavere locis, non est hìc causa docendi.
Dum stet opus causæ. quis enim non credat inanis
Esse sinus penitus, tantos emergere fonteis
Cùm videt, ac torrentem imo se emergere hiatu?
Non ille ex tenui, vocémque agit acta necesse est,
Cùm fluit: errantes arcessant undique & undas,
Et trahat ex pleno quod fontem contrahat amne.
Flumina quinetiam latis currentia rivis
Occasus habuere suos: aut illa vorago
Direpta in præceps fatali condidit ore:
Aut occulta fluunt tectis adoperta cavernis:
Atque inopinatos referunt procul edita cursus.
Quòd si diversos emittat tetra canaleis
Hospitium fluviorum: aut semita nulla profectò
Fontibus & rivis constet via; pigráque tellus
Conferta, in solidum sequis sub pondere cessit.
Quòd si præcipiti conduntur flumina terra,
Condita si redeunt, si qua antè incognita surgunt:
Haud mirum clausis etiam si libera ventis
Spiramenta latent. certis tibi pignora rebus,
Atque oculis hausura vias dabit ordine tellus.
Immensos, pierumque sinus, & jugera possum
Intercepta leges, densaque abscondita nocti.
Prospectare procul Chaos ac sinè fine ruinæ
Cernis, & in sylvis spatiosa cubilia retro,
Antráque demissis pedibus fodisse latebris.
Incomperta vis est operum: tantùm instinxit intrà.
Argumenta dabunt ignoti vera profundi.
Tu modò subtilem animo duce percipe curas,
Occultámque fidem manifestis adstrue rebus.
Nam quo libertor, quóque est animosior ignis,
Semper & inclusus, nec vestus fervor irâ est
Sub terrâ, penitúsque novens: hoc plura necesse est
Vincla magis solvant, magìs hoc obstantia pellant.
Nec tamen in rigidos exit contenta canaleis
Vis animæ: flamma avertit quà proxima cedunt:
Obliquúmque secat, quà visa tenerrima causa est.
Hinc terræ tremor, hinc motus, ubi densus hiatu
Spiritus exagitat venas, cessantiáque urget.
Quòd si spissa foret, solidóque instaret inani;
Nulla daret miranda sui spectacula tellus:
Pigráque, & in pondus confestim mobilis esset.
Sed summis si fortè putas concredere causis
Tantum opus, & humanis alimentum viribus orbi,
Quæ valida in promptu cernis, validósque recessus,
Fallere: sed nondum tibi certa hæc lumine recto.
Nanque illud quodcunque vacat specus omnis hiatu,
Et res introitu solvunt, aditúque parenti
Conversæ languent vires, animósque remittunt.
Quippe ubi continuat ventos, quà quique morantes
In vacuo desint, cessat, tantúmque profundi
Explicat errantes, & in ipso limine tardat.
Angustis opus est turbare in faucibus illos.
Fervet opus, densique fremunt, premitáque ruina
Hinc furtim Boreâ, atque Noto: nunc unus uterque.
Hinc venti rabies, hinc sævo quassat hiatu.
Fundamenta solo trepidant, urbésque caducæ.
Indè, neque est aliud, si fas est credere, mundo
Venturam antiquam faciem, veracius omen.
Hæc primo species rerum, naturáque terræ,
Introrsus cessante solo trahit undique venas.
Ætna fuit manifesta fides, & proxima vero est:
Non illìc, duce me, occultas scrutabere causas:
Occurrent oculis ipsæ, coguntque fateri.
Plurima namque patent illi miracula montis.
Hinc vasti torrent ædibus, mergúntque profundo:
Corrigit hinc arctus, penitúsque quod exigit ultrà.
Hinc spissæ ropes obstant, discrimináque ingens
Inter opus: nectunt varias, mediúmque coërcent:
Pars igni domito, pars ignes ferre coacta,
Ut major species Ætnæ succurrat inanis.
Hæc illis sedes, tantarámque area rerum est.
Nunc opus artificem incendit causámque reposcit,
Non illam parvi, aut tenuis diserimine ignes
Mille sub exiguo ponent tibi tempore veras
Res, oculisque docent: res ipsæ credere cogunt.
Quin etiam tactu moneant contingere toto,
Si liceat: prohibent flammæ, custodíque ignis
Illi operum: arcent adita divináque aterna
Ut major species Ætnæ succurrat inanis,
Cura sinè arbitrio est: eadem procul omnia cernit.
Nec tamen est dubium penitus quis torqueat Ætnam,
Aut qui miscendus tantus faber imperet arti.
Pellitur exulto glomeratus nimbus arenæ:
Flagrantes properant moles: volvuntur ab imo
Fundamenta: fragor totâ nunc rumpitur Ætnâ.
Nunc fasci pallent incendia missa ruinâ.
Ipse procul magnos miratur Jupiter ignes,
Néve sepulta novi surgant in bella Gigantes,
Neu Ditem regni pudeat, neu Tartara cœlo
Vertat: in occulto tantùm premit omnia dextra.
Congeries operis, saxorum, & petris arenæ
(Quæ nec sponte sua faciunt, nec corpora alii
Sustentata cadunt robustis viribus) omnis
Exigitur: vertit vasa omnia vortice sævo:
In densum congesta rotant, volvúntque profundo.
Hâc causâ expectata ruunt incendia montis,
Spiritus inflatis nomen, languentibus æri.
Nam propè naturâ par est violentia semper
Ingenium velox illi motúsque perennis.
Verùm opus auxilio est, ut pellat corpora nullus
Impetus est ipsi: quâ spiritus imperat, audit.
Nunc princeps, magnúsque sub hâc duce militat ignis.
Nunc quoniam in promptu est operis natura, solique;
Una ipsi venti: quæ res incendia pascit,
Cùm subitò coërcetur: inest quæ causa silenti,
Subsequar. immensus labor est, sed fertilis idem
Digna laboranti respondent præmia curæ.
Non oculis solùm pecudum miranda fuere
More, nec effusis in humum gravè pascere corpus:
Nôsse fidem rebus, dubiásque exquirere causas
Sacra perurgentem, capitíque attollere cœlum:
Scire quot, & quo sint: cur magno talia motu
Principia occasus metuant, ad sæcula pergant:
Et firma æterno religata est machina mundo,
Solis scire modum, & quanto minor orbita lunæ
Cur illi brevior, cur isti pervolet orbi
Annus: ille monet, quæ certo sidera cursu
Ordine, quæve suâ careant incendia sede.
Scire vices etiam signorum & tradita patrum
Nubila cur cœlo terras denuntiet imbres,
Quo rubeat Phœbe, quo frater patiens ignis.
Tempora cur varient anni, primúsque juventâ
Ver præit æstatem: cur astas ipsa senescit,
Autumnóque obrepit hyems, & in orbe retorta,
Axem scire Helices, & cursum nôsse comantes:
Lucifer unde micet, quæve Hesperus, unde Bootes:
Saturni cur stella senax, cur Martis pugnax:
Quo rapiant nautæ, quo sidere linquere terram.
Scire vias maris, & cæli prædicere cursus.
Quo volet Orion, quo Scirius incubet index,
Et quæcunque jacent tanto miracula mundo.
Non digesta pati, nec acervo condita rerum,
Sed manifesta nobis certâ dispensare fide
Singula: divini est animi, ac jucunda voluptas.
Sed prior hæc hominis cura est cognoscere cœlum,
Et quæ nunc miranda tibi natura nostræ
Hæc nobis magna affinis cœlestibus astris.
Nam quæ, mortales, spes est, quæ amentia major,
In Jovis errantem regno perquirere vellet
Tantum opus ante pedes transire & perdere sequeis?
Torquemur miseri in parvis, premimúrque labore,
Dum sese pretio redimant verámque profitæ,
Tum demum vires taceant, inopésque relictæ
Noctes neque dies fessum sinunt urere colonum.
Callent rure manus: glebarum usu experiuntur
Fertilis hanc, segetísque feracior, alnea, vitis:
Hæc platanis humus, hæc herbis dignissima tellus.
Hæc diti melior pecori, sylvísque fidelis.
Aridiora tenent olea: succosos ulmis
Grata, leves cruciant animos, & corpora curæ,
Horrea quà saturent, vacuam si dolia pulsa,

Plenâ-

Plenáque defecto ſurgunt fenilia campo.
Sic avidi ſemper, quà viſum eſt carius iſtis,
Implendus ſibi quiſque bonis eſt artibus. Illæ
Sunt animi fruges: hæc rerum maxima merces,
Scire quid occulto naturæ terra coercet:
Nullam fallere opus, non multos cernere ſacros
Ætnæi montis fremitus, animámque furentis:
Non ſubito pallere ſono, non credere. ſubter
Scrutamur rimas, evertimus omne profundum.
Quæritur argenti ſemen, nunc aurea vena;
Torquentur flammâ terræ, ferróque domantur,
Cæleſteis migrâſſe minas ad Tartara mundi.
Nôſſe quid impediat ventos, quid nutriat igneis:
Unde repentè quies, & multo fœdere pax ſit.
Concreſcant animi penitus: ſeu fortè cavernæ,
Introitúſque ipſi fervent: ſeu terra minutis
Rara foraminibus, ne venis abſtrahat auras.
Plenius hoc etiam rigido quà vertice ſurgit,
Illinc infeſtus, atque hinc obnoxius, intus
Undique diverſas admittere cogitat auras,
Et conjuratis addit concordia vires:
Sive introrſus agunt nubes, & nubilus Auſter:
Seu forſan flexere caput, torgóque feruntur.
Præcipiti delata ſono premit una, fugáque
Torrentes curas, pulſatáque corpora denſat.
Nam veluti reſonante diu Tritone canoro,
Pellit opes collectus aquæ, victúſque movere
Spiritus, & longas emugit buccina voces,
Carminéque irriguo magni cortina theatri
Imparibus numeroſa modis canit arte regentis,
Quæ tenuem impellens animam ſubremigat undam:
Haud aliter ſubmota furens torrentibus aura
Pugnat in anguſto, & magnùm commurmurat Ætna.
Credendum eſt etiam ventorum exiſtere cauſas
Sub terris ſimileis harum quas cernimus extrà.
Ut cùm denſa crement inter ſe corpora turbâ
Eliſâ in vacuum fugiant: & proxima ſecum
Nomina tota trahunt, cutâque in ſede reſiſtunt.
Quòd ſi fortè mihi quædam diſcordia tecum eſt,
Principiſſque aliis credas conſurgere ventos:
Non dubium rupes aliquas penitúſque cavernas
Proruere ingenti ſonitu, caſúque propinquas
Diffugere impelliſque animas: hinc cernere ventos,
Aut humore etiam nebulas effundere largo:
Ut campis, agriſque ſolent, quos obruit amnis.
Vallibus exoriens caligat nubibus æër.
Flumina parva ferunt auras: vis proxima vento eſt.
Eminus adſpirat fortis, & verberat humor,
Atque hæc in vacuo ſi tanta potentia rerum eſt,
Hoc plura efficiant infrà clauſique neceſſe eſt.
His agitur cauſſis extrà, penitúſque conctis
Exagitant ventos, pugnant in faucibus arctè.
Pugnantes ſuffocant intus. ut unda profundo
Tèrque quatérque exhauſta graveis ubi perbibit Euros,
Ingeminat fluctus, & primos ultimus urget:
Haud ſecus adſtrictus certamine tangitur ictu
Spiritus, involvéníque ſuo ſibi pondere vires,
Denſa per ardenteis exercet corpora venas,
Et quacunque iter eſt properat, tranſítque morantem,
Donec conduvio revoluſis æſtibus amnis
Exſilit, atque furens totâ vomit igneus Ætnâ.
Quòd ſi fortè putas iſdem decurrere ventos
Faucibus, atque iſdem pulſos remeare: notandas
Res oculis locus ipſe dabit, cogérque negare.
Quamvis cæruleo ſiccus ſic frigeat æther,
Purpuréoque rubens ſurgat jubar aureus oſtro,
Illinc obſcurâ ſemper caligine nubes,
Pigráque defuſo circumſtupet humida vultu:
Proſpectat ſublimis opes, vaſtóſque receſſus.
Non illum videt Ætna, nec ullo intercipit æſtu:
Obſequitur quacunque jubet levis aura redítque.
Placanteis etiam cæleſtia numina thure,
Summo cerne jugo, vel quà liberrimus Ætna
In proſpectus hiat, tantarum ſemina rerum,
Si nihil irritet flammas, ſtupeátque profundum.
Huic igitur credis, torrens ut ſpiritus ille,
Qui rupes terrámque vorat, qui fulminat igneis,
Cur egit vires, & præceps flexit habenas.
Præſertim ipſa ſuo declivis pondere nunquam
Corpora diripiant: validóque abſolveret arcu.
Quod, niſi fallor, adeſt ſpecies: tantúſque ruinis
Impetus attentos oculorum tranſfugit ictus.
Nec levitas tantos igitur ferit aura, movétque,
Sparſa liquore manus ſacros ubi vanitur igneis:
Verbetat ore tamen, pulſatáque corpora noſtra
Incurſant: adeò tenuis vim cauſa repellit,
Non cinerem ſtipulámve levem, non arida ſorbet
Gramina: non tenuis plantis liquor exit iiſdem.
Surgit adoratis ſublimis fumus ab aris,
Tanta quies illi eſt & pax innoxia parti.
Sive peregrinis igitur propriſſve potentes
Conjurant animæ cauſis: ille impetus ignis
Et montis parteis atras ſubvertit arenâ,
Vaſtáque concurſu trepidantia ſaxa fragoris,
Ardenteſſque ſimul flammas, ac fulmina rumpunt.
Haud aliter, quàm cùm prono jacuere ſub Auſtro,
Aut Aquilone fremunt ſylvæ, dant brachia nodo
Implicitæ, hæc ſerpunt junctis incendia ramis.
Nec te decipiant ſtolidi mendacia vulgi,
Exhauſtos ceſſare ſinus: dare tempora rurſus,
Ut rapiant vires, repetántque in prælia victi:
Pelle nefas animo, mendacémque exue famam.
Non eſt divinis tam ſordida rebus egeſtas:
Nec parvas mendicat opes, nec corrogat auras.
Præſtò ſunt operi ventorum examina ſemper,
Cauſa latet, quærunt pariter, cogúntque morari.
Sæpe premit fauces magnis exſtructa ruinis
Congeries, claudítque vias luctamine ab imo,
Et ſciſſo veluti tecto ſub pondere præſtò eſt:
Haud ſecus ac teneros * cùm ſecum frigida montî
Deſidia eſt, tutóque licet diſcedere monteis:
Pòſt ubi continuere moram, velociùs urgent,
Pellunt oppoſitas moles, ac vincula rumpunt.
Quicquid in obliquum eſt, frangunt iter: acrior ictu
Impetus exoritur: magnis operata rapinis
Flamma micat, lætóſque ruens exundat in agros:
Si ceſſant à rare, ferunt ſpectacula venti:
Nunc ſuperant quæcunque regunt incendia ſylvæ,
Quæ flammas alimenta vocent, quid nutriat Ætna,
Incendi poterunt. illis vernacula cauſis
Materia, oppoſitámque igni genus utile terrent.
Uritur aſſiduè calidus nunc ſulfuris humor,
Nunc ſpiſſus crebro præbetur vimine ſuccus:
Pingue bitumen adeſt, & quidquid cominus auras
Irritat flammas: illius corporis Ætna eſt.
Atque hanc materiam penitus diſcurrere fontes,
Infectæ erumpant & aquæ radice ſub ipſâ.
Pars oculis manifeſta jacet: quæ corpore dura eſt,
Ac lapis: in pingui fervent incendia ſucco.
Quin etiam variè quædam ſinè nomine ſaxa
Toto monte liquant: illis cuſtodia flammæ
Vera, tenáxque data eſt: ſed maxima cauſa molaris
Illius incendî lapidis ſic vindicat Ætnam.
Quem ſi fortè manu teneas, & robore cernas,
Nec ſervare putes ignem, nec ſpargere poſſe.
Sed ſimul ac ferro quæras, reſpondet, & ictu
Scintillat calor. hunc multis circundare flammis,
Et potes extorquere animos. atque exue robur,
Fundetur ferro citiùs. nam mobilis illi,
Et metuens natura mali eſt, ubi cogitur igni.
Sed ſimul atque hauſit flammas, non tutior hauſta
Ulla domus ſervans aciem, durámque teneci
Septa fide: tutum eſt illi patientia victo,
Vix unquam redit in vires, atque evomit ignem.
Totus enim denſo ſtipatur robore: tarda
Per tenues admiſſa vias incendia nutrit,
Cunctantérque eadem, pigréque accepta remittit,
Nec tamen hoc uno quod montis plurima pars eſt,
Vincit, & incendî cauſam tenet: illa profectò
Miranda eſt lapidum vivax, animoſáque virtus.
Cætera materies, quæcunque eſt fertilis igni,
Ut ſemel accenſa eſt, moritur: nec reſtat in illâ,
Quod repetas: tantùm cinis, & ſinè ſemine terra eſt.
Hic ſemel atque iterum patiens, ac mille perhauſtis
Ignibus inſtaurat vires: nec deſinit antè,
Quàm levis excocto defecit robore pumex.
In cinerem, patreſque jacet delapſus arenas.
Cerne locis etiam ſimiles arſiſſe catervas.
Illic materiæ naſcentis copia major:
Sed genus hoc lapidis certiſſima ſigna coloris,
Quod nullas adjunxit opes, & langüit ignis.
Dicitur inſidiis flagrans Ænaria quondam,
Nunc extincta ſuper: teſtiſque Neapolin inter
Et Cumas locus eſt, multis jam frigidus annis:
Quamvis æternum pigueſcat ab ubere ſulfur,
In mercem legitur; tanto eſt fecundior Ætna
Inſula, cui nomen facies dedit ipſa rotunda.
Sulfur enim ſolum, nec obeſa cacumine terra eſt,

Et

Et lapis accretus regerendis ignibis aptus.
Sed rarò fumat, qui vix, si accenditur, ardet:
In breve mortaleis flammas quod copia nutrit,
Intùla durata Volcani nomine sacra.
Pars tamen incendî major refrixit, & alto
Jactatas recipit clatleis, portúque tuetur.
Quæ restat, minor & dives satis ubere terra est:
Sed non, Ætnæis vires quas conferat, illi.
Atque hæc ipsa tamen jam quondam extincta fuisset,
Ni furtim aggereret secretis callibus humor
Materiam, sylvámque suam, prelsóque canali
Huc illuc ageret ventos, & pasceret igneis.
Sed melius res nota ipsa est, spectatáque veris
Occurrit signis: nec tentat tallere pellem.
Nam circa latera, atque imis radicibus Ætna
Candenteis efflat lapides, disjectáque saxa
Intercunt venis, manifestò ut credere possis
Fabula, & ardendi causam lapidem esse molarem:
Cujus defectus jejunus colligit ignis.
Ille, ubi collegit flammas, jacit, & simul ictu
Materiam accendit, cogítque liquescere secum.
Haud equidem mirum factu, quod cernimus extrá.
Si lenitur opus, restat magis: uritur illic,
Sollicitátque magis vicina incendia saxum,
Certáque venturæ præmittit pignora flammæ.
Nam simul atque movet curis, turbámque minutus
Diffugit: extemplóque solum trahit, ictáque ramis,
Et grave sub terrâ murmur demonstrat, & igneis.
Tum pavidum fugere, & sacris tum credere rebus,
Parere, & tuto speculaberis omnia colli.
Nam subitò effervent onerosa incendia raptis:
Accensæ subeunt moles, truncæque ruinæ:
Provolvunt, atque atra sonant examina arenæ:
Nec recipit flammas, mons, hic defessus anhelat,
Atque aperit se hostis, decrescit spiritus illic.
Haud aliter, quàm cùm læto devicta tropæo
Prona jacet campis acies, & castra sub ipsa.
Tum si quis lapidum summo pertabuit igni,
Asperior sopita, & quædam sordida fax est:
Qualem purgato cernes discedere ferro.
Verùm ubi paullatim exsiluit sublata caducis
Congeries saxis, angusto vertice surgunt.
Sic veluti in fornace lapis torretur, & omnis
Exuitur penitus venis, subit altiùs humor
Amissis opibus, levis & sinè pondere pumex
Excoquitur: liquor ille magis servare magisque
Fluminis in speciem mitis procedere tandem
Incipit, & primis demittit collibus undas:
Illæ paullatim bis sena in millia pergunt,
Quippe nihil revocat, cursis nihil ignibus obstat:
Nulla tenet frustra moles: simul omnia pugnant.
Nunc sylvas, rupésque vorant hæc tela, solúmque.
Ipsa adjutat opes, facilesque sibi induit annos.
Quòd si fortè cavis cunctatus vasibus hæsit,
Utpote inæqualeis volvens perpascitur agros,
Ingeminat fluctus, & stantibus increpat undis.
Sicut cùm cervo rapidum mare cernitur æstu,
Ac primùm tenuis sinus agit ulteriores
Progrediens latè diffunditur, & succernens.
Flumina consistunt ripis, ac frigore durant,
Paullatímque ignes coëunt, ac flammea messis,
Exuitur facies tunc prima: ut quæque rigescit,
Effumat moles, atque ipso pondere tracta
Volvitur ingenti strepitu præcepsque sonanti.
Cùm solido infixa est, pulsanteis dissipat ictus,
Et quà discluía est, candenti robore fulget,
Et micat examen plagis: ardentia saxa
Scintillant. procul ecce fide, procul ecce ruentes
Incolumi fervore cadunt. verùm impetus ignes
Si fumant quondam ut ripas trajecerit amnis:
Vix cunctis quisquam fixo dimoverit illas.
Vicenos persæpe dies jacet obruta moles.
Sed frustra certis disponere singula caulis
Tentamus, si firma manet tibi fabula mendax,
Materiam ut credas aliam, furere igne favillam,
Plurima proprietate simul concrescere: sicque
Commistum vento flagrare bitumine sulfur.
Nam polit exhaustam cretum quoque robora fundit:
Et figulos huic esse fidem; quin frigoris usu
Duritiem revocare suam, & constringere venas.
Sed signum commune leve est, atque irrita causa,
Quæ trepidat: verum ubi certo pignore constat.
Nam velut arguti natura est æris & ignis,
Cùm domitum constat, eadémque & robore salvo,
Utramque ut possis eris cognoscere portam:
Haud aliter lapis ille tenet, seu fortè inadeneis
Effluit in flammas, seu sit securus ab illis:
Conservátque notas, nec vultu perdidit igneis.
Quin etiam externam multis color ipse resolvit,
Non odor aut levitas: putris magis ille, magisque
Una operis facies, eadem pérque omnia terra est.
Nec tamen inficior lapides ardescere certos,
Interiùs furere accensos: hæc propria virtus.
Quin ipsis quondam Siculi cognomina saxis
Imposuere: Fricas etiam ipso nomine signant
Fusilium esse notas: nunquam tamen illa liquescunt,
Quamvis materies foveat succosior intus,
Nec penitus venæ fuerint commissa molari.
Quòd si quis lapidis miratur futile robur:
Cogitet obscuri verissima dicta libelli
Heracleiti, & ibi nihil insuperabile gigni,
Omnia quæ rerum naturâ semina jacta.
Sed nimiùm hoc mirum: densissima corpora sæpe,
Et solido vicina, tamen compescimus igni.
Non animos æris flammis succumbere cernis?
Lentitiem plumbi non exuit? ipsáque ferri
Materies prædura, tamen subvertitur igni,
Spissáque suspensis fornacibus aurea saxa
Exsudant pretium. quædam fortasse profundo
Incomperta jacent, similíque obnoxia sorti.
Nec locus ingenio est: oculi te judice vincent.
Nec lapis ille riget percussus: & ignibus obstat,
Si parvis torrere velis: cælóque patenti
Candentem, pressúmque agedum fornace coërce:
Nec sufferre potest; nec sævum durat in hostem:
Vincitur, & solvit vires, captúsque liquescit.
Quæ majora putas autem tormenta moveri
Posse manu? quæ tanta putas incendia nostris
Sustentari opibus, quantis fornacibus Ætna
Uritur, à sacro nunquam non fertilis igne?
Sed non qui nostro fervet moderatior usu,
Sed cælo propior: vel quali Jupiter ipse
Armatus flammâ est, his viribus additus ingens
Spiritus, adstrictis elisus faucibus: ut cùm
Fabriles operæ rudibus contendere massis
Festinant, igneis quatiunt, follesque trementeis
Exanimant, pressósque instigant agmine ventos.
Hæc operis fama est, sic nobilis uritur Ætna.
Terra foraminibus vires trahit, urget in arctum,
Spiritus incendî vivit per maxima saxa.
Magnificas laudes, operosáque visere templa
Divitiis hominum, aut sacrâ memorare vetustâ
Traduce materiâ, & tetris per proxima faris
Currimus, atque avidi veteris mendacia famæ
Eruimus, cunctásque libet percurrere gentes.
Nunc juvat Ogygiis circumdata mœnia Thebis,
Cerneréque & fratres: ille impiger, ille canorus
Condere felices alieno interserit ævo.
Invitata pio nunc carmine saxa lyrâque,
Nunc gemina ex uno fumantia saxa vapore
Miramur, septémque Duces, raptúmque profundo.
Detinet Europæ illic & Sparta Lycurgi,
Et sacer in bellum numerus sua turba recenti.
Nunc hìc Cecropiæ variis spectantur Athenæ
Carminibus, gaudéntque suâ victrice Minervâ.
Excidit hìc reduci quondam tibi perfide Theseu
Candida sollicito permittere vela parenti.
Tu quoque Athenæum carmen jam nobile sidus
Erigone: sedes vestra en Philomela canoris
Evocat in sylvis, & tu soror hospita tectis
Acciperis: solis Tereus ferus exulat agris.
Miramur Trojæ cineres, & flebile victis
Pergamon, extinctósque suos Phrygas: Hectora primùm.
Conspicimus magni tumulum Ducis, hìc & Achillen.
Impiger, & victus magni jacet Hectoris ultor.
Quin etiam Graiæ fixos tenuere tabellæ,
Signáve, nunc Paphiæ rorantes parte capilli,
Sub truce nunc parvi ludentes Colchide gnati,
Nunc tristes circa subjectæ altaria cervæ,
Velatúsque pater, nunc gloria viva Myronis:
* Quin etiam illa manus operum, turbæque morantem
Hæc visenda putas terræ dubiúsque marisque?
Artificis naturæ ingens opus adspice, nullis
Cùm tanta humanis * Phœbus spectacula cernat,
Præcipuéque vigil, fervens, cùm Sothius ardens.
Insequitur mirauda tamen sua fabula montem:
Nec minùs ille pius, quanquam sors nobilis ignis.
Nam quando rupis excanduit Ætna cavernis,

Et

Et velut eversis penitus fornacibus, ignis
Evecta in longum rapidis fervoribus unda est:
Haud aliter sævo quàm cùm Jove fulgurat æther,
Et nitidum obscurâ cælum caligine torquet.
Ardebant arvis segetes, & mollia culta
Jugera cum dominis, sylvæ, collésque virentes.
Vix dum castra putant hostem movisse, tremebant:
Et jam finitimæ portas evaserat urbis.
Tum vero ut cuique est animus virésque, rapinâ
Tutari conantur opes. gemit ille sub auro:
Colligit ille arma, & stultâ cervice reponit.
Defectum raptis illum sua carmina tardant.
Hic velox nimiùm properat sub pondere pauper:
Et quod cuique fuit cari, fugit ipse sub illo.
Sed non incolumis dominum sua præda secuta est.
Cunctanteis vorat ignis, & undique rorret avaros,
Consequitur fugisse ratos, & præmia captis
Concrepat, ac nullis partura incendia pascunt,
Vel solis parsura piis. namque optima proles
Amphinomus fratérque pari sub munere fortes,
Cùm jam vicinis ferperent incendia tectis,
Adspiciunt pigrúmque patrem matrémque senémque,
Heu defessus posuule in limine membra.
Parcite avara manus dites attoliere prædas:
Illis divitiæ solæ, matérque patérque:
Hanc rapiunt prædam, mediúmque exire per ignem
Ipso dante fidem properant. ò maxima rerum,
Et meritò pietas, homini tutissima virtus!
Erubuere pios juvenes attingere flamma:
Et quacunque ferunt illi vestigia cedunt.
Felix illa dies, illa est innoxia terræ.
Dextrâ sæva tenent, lævâque incendia fervent.
Ille per obliquos igneis; fratérque triumphans,
Tutus uterque pio sub pondere sufficit illa:
Et circa geminos avidus sibi temperat ignis.
Incolumes abeunt tandem, & sua numina secum
Salva ferunt: illos mirantur carmina vatum.
Illéque se posuit claro sub nomine Ditis.
Nec sanctos juveneis attingunt sordida fata:
Sed verè cessere domus, & jura piorum.

MORETUM

INCERTI AUCTORIS.

JAM nox bybernas bis quinque peregerat horas,
Excubitórque diem cantu prædixerat alter,
Simulos exigui cultor cùm rusticus horti,
Tristia venturæ metuens jejunia luci,
Membra levat sensim viti demissa grabato,
Sollicitâque manu tenebras explorat inertes,
Vestigátque focum: læsus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obducta celabat lumina prunæ:
Admovet his pronam summissâ fronte lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat & crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt,
Oppositâque manu lumen defendit ab aurâ,
Et reserat clausâ, quæ prævidet, ostia clavi.
Fusus erat terrâ frumenti pauper acervus:
Hinc sibi depromit quantum mensura petebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Indè abit assistítque molæ: parvâque tabellâ,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat, geminos tunc veste lacertos
Liberat, & cinctus villosæ tegmine capræ
Perverrit caudâ silices gremiúmque molarum.
Admovet indè manus operi, partitus utrasque:
Læva ministerio, dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduis gyris, & concitat orbem.
Trita Ceres filicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori
Alternátque vices: modò rustica carmina cantat,
Agrestísque suum solatur voce laborem.
Interea clamat Scybale: hæc erat unica custos,
Afra genus, totâ patriam testante figurâ,
Torta comam, labróque tumens, & fusca colore:
Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosâ prodiga plantâ:
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsurâ focis imponere ligna
Imperat, & flammâ gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus justum versatile finem,
Transfert indè manu fatas in cribra farinas,
Et quatit, ac remanent summo purgamine dorso:
Subtidit sincera foraminibúsque liquantur
Emundatâ Ceres. lævi tum protinus illam
Componit tabulâ, tepidas superingerit undas:
Contrahit admistos tum fonteis, atque farinas
Transversat durata manu, liquidóque madefacto
Interdum grumos spargit sale, jámque subactum
Format opus, palmísque suum dilatat in orbem,
Et notat impressis æquo discrimine quadris.
Infert indè foco (Scybale mundaverat æstum
Antè locum) testúsque tegens superaggerat igneis.
Dúmque suas peragit Vulcanus, testáque partes,
Simulus interea vacuâ non cessat in horâ,
Verùm aliam sibi quærit opem: neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat escas:
Non illi suspensa focum carnaria juxta,
Durati sale terga suis, truncíque vacabant:
Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus aditricti fascis pendebat anethi:
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca,
Et calamo redimita levi munibat arundo:
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis,
Non illi deerat quod pauperis exigit usus:
Interdum locuples à paupere plura petebat.
Nec sumptus erat illud opus, sed regula curæ.
Siquando vacuum casula, pluviæve tenebant,
Festáve lux, si fortè labor cessabat arari,
Horti opus illud erat. varias disponere plantas
Nôrat, & occultæ committere semina terræ,
Vicinósque aptè curâ summittere rivos.
Hìc olus, hìc latè fundentes brachia betæ,
Fœcundúsque rumex, malvæque inulæque virebant.
Hìc cicer, & capiti nomen debentia porra.
Hìc etiam nocuum capiti, gelidúmque papaver,
Gratáque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissâ cucurbita ventrem.
Verùm hic non domini (quis enim contractior illo?)
Sed populi proventus erat, certísque diebus
Venaleis olerum fascis portabat in urbem:
Indè domum cervice levis, gravis ære redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cæpa rubens, fectísque famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vulsus nasturtia morsu,
Intubáque, & Venerem revocans eruca morantem.
Tunc quoque tale aliquid meditans intraverat hortum:
Ac primùm leviter digitis tellure resossâ,
Quatuor eduxit cum spissis allia fibris.
Indè comas apii gracileis, rutámque virentem
Vellit, & exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum consedit ad ignem:
Et clarâ famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numerosâ cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemptáque passim
Spargit humi, atque abicit: servatum gramine bulbum
Tingit aquâ, lapidísque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas, sale durus adesto
Caseus adjicitur, dictas superingerit herbas,
Et lævâ vellem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primùm fragrantia mollit
Allia: tum pariter misto terit omnia succo.
It manus in gyrum: paulatim singula vires
Deperdunt proprias, color est è pluribus unus.
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant:
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe vir unres acer jaculatur apertas
Spiritus, & limo damnat sua prandia vultu.
Sæpe manu summâ lacrymantia lumina tergit,
Immeritóque furens dicit convitia fumo.
Procedebat opus, non jam salebrosus, ut antè,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbeis.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguíque super vires infundit aceti,
Atque iterum commiscet opus, mistúmque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, finque globum distantia contrahit unum:
Constet ut effecti species, nominéque moreti.
Eruit interea Scybale quoque sedula panem:
Quem lotis recipit manibus, pulsóque timore
Jam famis, finque diem securus Simulus illam,

Ambit

Ambit crura ocreis paribat, teſtúſque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in ſegetes, & terræ condit aratrum.

DIRÆ

VALERII CATONIS.

BATTARE cycneas repetamus carmine voces:
Diviſas iterum ſedes, & rura canamus,
Rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Antè lupos rapient hædi, vituli antè leones,
Delphini fugient piſceis, aquilæ antè columbas,
Et converſa retro rerum diſcordia gliſcet
Multa priùs, fuerit quàm non mea libera avena.
Montibus, & ſylvis dicam tua facta, Lycurge,
Impia Trinacriæ ſterileſcant gaudia nobis,
Nec fœcunda ſenis noſtri, felicia rura,
Semina parturiant ſegetes, non paſcua colles,
Non arbuſta novas fruges, non pampinus uvas.
Ipſæ non ſylvæ frondes, non flumina montes.
Rurſus, & hoc iterum repetamus Battare carmen.
Effœtas Cereris ſulci condatis avenas:
Pallida flaveſcant æſtu ſitientia prata:
Immatura cadant ramis pendentia mala:
Deſint & ſylvis frondes & fontibus humor:
Nec deſit noſtris devotum carmen avenis.
Hæc Veneris vario florentia ſerta decore,
Purpureo campos quæ pingit avena colore.
Hinc auræ dulces, hinc ſuavis ſpiritus agri
Mittant peſtiferos æſtus, & tetra venena.
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
Sic precor: & noſtris ſuperent hæc carmina votis.
Ludimus, & multùm noſtris cantata libellis
Optima ſylvarum, formoſis denſa viretis
Tondemus virideis umbras, nec læta comanteis
Jactabis molleis ramos inflantibus auris,
Nec mihi ſæpe meum reſonabit Battare carmen.
Militis impia cùm ſuccedet dextera ferro,
Formoſæque cadent umbræ, formoſior illis
Ipſa cades. veteris domini felicia ligna
Nequidquam noſtris toties devota libellis:
Ignibus æthereis flagrabunt. Jupiter ipſe,
Jupiter hanc aluit: cinis hæc tibi fiat, oportet.
Thracis tum Boreæ ſpirent immania vires:
Eurus agit miſtam fulvâ caligine nubem:
Africus imminent nimbis minitantibus imbrem:
Cùm tua cyaneo reſplendens æthere ſylva
Noſcet iter, ducens Erebo tua Lydia Ditis.
Vicinæ flammæ rapiant ex ordine viteis:
Paſcantur ſegetes, diffuſis ignibus aura
Tranſvolet arboribus, conjungat & arbor ariſtas.
Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellos,
Quâ noſtri fines olim: cinis omnia fiant.
Sic precor, & noſtris ſuperent hæc carmina votis.
Undæ quæ veſtris palſatis litora lymphis,
Litora, quæ dulceis auras diffunditis agris,
Accipite has voces: migret Neptunus in arva
Fluctibus, & ſpiſſâ campos perfundat arenâ.
Quà Vulcanus agros paſtor Jovis ignibus arcet,
Barbara dicatur Libyæ ſoror altera Syrtis.
Triſtius hôc, memini, revocâſti Battare carmen.
Nigro multa mari dicunt portenta natare,
Monſtra repentinis terrentia ſæpe figuris;
Cùm ſubitò emerſere furenti corpora ponto.
Hæc agat infeſto Neptunus cæca tridenti,
Atrum convertens æſtum maris undique ventis,
Et fuſcum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare, nauta caveto
Rura quibus diras indiximus, impia vota.
Si minùs, hæc Neptune tuis infundimus aris,
Battare fluminibus tu noſtros trade dolores.
Nam tibi ſunt fontes, tibi flumina ſemper amica.
Nil eſt quod perdam ulteriùs, merita omnia dixi.
Flectite currenteis lymphas vaga flumina retro,
Flectite, & adverſis rurſum diffundite campis.
Incurrant amnes paſſim remeantibus undis,
Nec noſtros ſervire ſinant erroribus agros:
Dulcius hôc memini, revocâſti Battare carmen.
Emanent ſubitò ſiccâ tellure paludes,
Et metat hic juncos, ſpicas ubi legimus olim:
Occupet arguti grylli cava garrula rana.
Triſtius hôc rurſum dicat mea fiſtula carmen,
Præcipitent altis ſpumantes montibus imbres,
Et latè teneant diffuſo gurgite campos:
Queis dominis infeſta minantes ſtagna relinquam,
Unde relapſa meos agros pervenerit unda.
Piſcetur noſtris in finibus advena arator:
Advena civili qui ſemper crimine crevit.
O malè devoti pratorum crimine agelli,
Túque inimica tui ſemper diſcordia civis!
Exſul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funeſti præmia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura noviſſima viſam:
Hinc ibo in ſylvas: obſtabunt jam mihi colles:
Obſtabunt montes, campos nec adire licebit.
Dulcia rura valete, & Lydia dulcior illis,
Et caſti fontes, & felix nomen agelli.
Tardiùs, ah, miſeræ deſcendite monte capellæ:
Mollia non iterum carpetis pabula nota.
Túque reſiſte pater: en prima, noviſſima nobis.
Intueor campos: longùm manet hoſtis in illis.
Rura valete iterum; túque optima Lydia ſalve:
Sive eris, & ſi non, mecum morieris, utrumque
Extremum carmen revocemus Battare avenâ.
Dulcia amara priùs fient, & mollia dura:
Candida nigra oculi cernent, & dextera læva:
Migrabunt caſus aliena in corpora rerum,
Quàm tua de noſtris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, ſemper amabo.
Gaudia ſemper enim tua me meminiſſe juvabit.
Invideo vobis agri, formoſáque prata:
Hôc formoſa magis, mea quo formoſa puella
Eſt vobis. tacitè veſtrum ſuſpirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit.
Vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis,
Et mea ſummiſsâ meditatur carmina voce,
Cantat & interea, mihi quæ cantabat in aurem.
Invideo vobis agri: diſcetis amare,
O fortunati nimiùm, multúmque beati,
In quibus illa pedis nivei veſtigia ponet:
Aut roſeis digitis viridem decerpſerit uvam,
(Dulci namque tumet nondum viticula Baccho)
Aut inter varios Veneris ſtipendia flores
Membra reclinârit, tenerámque illiſerit herbam,
Et ſecreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt ſylvæ, gaudebunt mollia prata,
Et gelidi fontes, aviúmque ſitientia fient.
Tardabunt rivi labentes currere lymphæ,
Dum mea jucundas exponat cura querelas.
Invideo vobis agri: mea gaudia habetis.
Et vobis nunc eſt, mea quæ fuit antè, voluptas.
At mihi tabeſcunt morientia membra dolore,
Et calor infuſo decedit frigore mortis,
Quòd mea non mecum domina eſt. non ulla puella
Doctior in terris fuit, aut formoſior: ac ſi
Fabula non vana eſt, tauro Jove digna, vel auro.
Jupiter avertas aureis: mea ſola puella eſt.
Felix taure pater magni gregis, & decus: à te
Vaccula non unquam ſecreta cubilia captans,
Fruſtra te patitur ſylvis mugire dolore.
Et pater hœdorum felix, ſempérque beate:
Sive petis monteis præruptos ſaxa perertans:
Sive tibi ſylvis nova pabula faſtidire:
Sive libet campis: tecum tua læta capella eſt.
Et mas quocunque eſt illi ſua femina juncta,
Interpellatos nunquam ploravit amores.
Cur non & nobis facilis natura fuiſſet?
Cur ego crudelem patior tam ſæpe dolorem?
Sidera per viridem redeunt cùm pallida mundum,
Inque vicem Phœbe excurrens, atque aureus orbis
Luna tua eſt tecum: cur non eſt & mea mecum?
Luna dolor nôſti quid ſit, miſerere dolentis.
Phœbe gerens in te laurus celebravit amorem,
Et quem pompa Deum, non ſylvis fama locuta eſt.
Omnia vos eſtis: ſecum ſua gaudia getlat,
Aut inſperſa videt mundo, quæ dicere longum eſt.
Aurea quin etiam cùm ſæcula volvebantur,
Conditio ſimilis fuerat mortalibus illis.
Hæc quoque prætereo, notum Minoïdos aſtrum,
Quæque virum virgo, ſicut captiva ſecuta eſt.
Lædere Cœlicolæ potuit vos noſtra quid ætas?
Conditio nobis vitæ quo durior eſſet?
Auſus egón' primus caſtos violare pudores?
Sacratámque meæ vitam temare puellæ?

Immo-

Immatura meæ quoque noxæ ſolvere fata?
Iſtius atque utinam facti mea culpa magiſtra
Prima foret: lethum vitâ mihi dulcius eſſet.
Non mea, non ullo morereretur tempore fama,
Dulcia cùm Veneris furatus gaudia primus
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noſter foret error amoris.
Jupiter antè ſui ſemper mendacia furti
Cum Junone, priùs conjux quàm dictus uterque eſt,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem:
Et mecum tenerâ gaviſa eſt ludere in herbâ,
Purpureos flores, quos inſuper accumbebat,
Candida formoſo ſupponens brachia collo.
Tum credo, fuerat Mavors diſſentus in armis.
Nam certè Volcanus opus faciebat, & illi
Triſti, turpabátque malâ fuligine barbam.
Non aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roſeo celavit amictu?
Talia Cœlicolæ. nunquid minùs aurea promo?
Ergo quod Deus, atque Heros, cur non minor ætas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit. ſors ô mea læva
Naſcendi, miſerámque genus, quo ſera libido eſt!
Tanta meæ vitæ cordis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoſcere poſſis.

COPA

INCERTI AUCTORIS.

COPA Syriſca caput Graiâ redimita mitellâ,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus:
Ebria famoſâ ſaltat laſciva tabernâ:
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat æſtivo defeſſum pulvere abeſſe,
Quàm potiùs bibulo decubuiſſe toro?
Sunt cupæ, calices, cyathi, roſa, tibia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Eſt & Mœnalio quæ garrit dulce ſub antro,
Ruſtica paſtoris fiſtula in ore ſonans.
Eſt & vappa cado nuper diffuſa picato:
Eſt ſtrepitans rauco murmure rivus aquæ.
Sunt etiam croceo violæ de flore coronæ,
Sertáque purpureâ lutea miſta roſâ:
Et quæ virgineo libata Acheloïs ab amne
Lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt & caſeoli, quos juncea fiſcina ſiccat:
Sunt autumnali cerea pruna die,
Caſtaneæque nuces, & ſuavè rubentia mala:
Eſt hìc munda Ceres, eſt Amor, eſt Bromius.
Sunt & mora cruenta & lentis uva racemis:
Eſt pendens junco cæruleus cucumis.
Et tuguri cuſtos armatus falce ſalignâ:
Sed non & vaſto eſt inguine terribilis:
Huc Alibida veni: feſſus jam ſudat aſellus:
Parce illi: veſtrum delicium eſt aſinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbuſta cicadæ:
Nunc etiam in gelidâ ſede lacerta latet.
Si ſapis æſtivo recubans nunc prolue vitro,
Seu vis cryſtallo ferre novos calices.
Eia age pampineâ feſſus requieſce ſub umbrâ,
Et gravidum roſeo necte caput ſtrophio.
Candida formoſæ decerpes ora puellæ,
Ah pereat, cui ſunt priſca ſupercilia.
Quid cineri ingrato ſervas bene olentia ſerta?
Anne coronato vis lapide iſta legi?
Pone merum, & talos: pereat, qui craſtina curat.
Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.

C. PEDONIS ALBINOVANI

IN MÆCENATIS OBITUM ELEGEIA.

DEFLERAM juvenis triſti modò carmine fata:
Sunt etiam merito carmina danda ſeni.
Ut juvenis deflendus erat tam candidus, & tam
Longiùs annoſo vivere dignus avo.

Irreligata ratis nunquam defeſſa carina
It, redit in vatios ſemper onuſta lacus.
Illa rapit juvenes primâ florente juventâ:
Non oblita rapit ſed tamen illa ſenes.
Nec mihi Mæcenas tecum fuit uſus amici:
Lollius hoc ergo concilìavit opus.
Fidus erat nobis nam propter Cæſaris arma,
Cæſaris & ſimilem propter in arma fidem.
Regis eras genus Etruſci: tu Cæſaris almi
Dextera, Romanæ tu vigil urbis eras.
Omnia cùm poſſes tanto tam carus amico:
Te ſenſit nemo poſſe nocere tamen.
Pallade cum doctâ Phœbus donaverat arteis.
Tu decus, & laudes hujus & hujus eras.
Vincit vulgareis, vincit Berylius arenas,
Litore in extremo quas fimul unda movet.
Quòd diſcinctus eras animo quoque, carpitur annus:
Diluitur nimiâ ſimplicitate tuâ.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo:
Quæ bene præcinctos poſtmodo pulſa fugit.
Invide, quid tandem tunicæ nocuere ſolutæ?
Aut tibi ventoli quid nocuere ſinus?
Num minùs urbis erat cuſtos, & Cæſaris hoſpes?
Num tibi non totas fecit in urbe vias?
Nocte ſub obſcurâ quis te ſpoliavit amantem?
Quis tetigit ferro durior ipſe latus?
Major erat potuiſſe tamen, nec velle triumphos:
Major res, magnis abſtinuiſſe, fuit.
Maluit umbroſam quercum, Nymphaſque canentes,
Paucáque pomoſi jugera certa ſoli.
Pieridas, Phœbúmque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aves.
Marmora Mæonii vincunt monumenta libelli:
Vivitur ingenio: cætera mortis erunt.
Quid faceret? defunctus erat, comes impiger idem,
Miles & Auguſti fortis, & uſque pius.
Illum piſcoſi viderunt ſaxa Pelori
Ignibus hoſtilis reddere ligna ratis.
Pulvere in Emathio fortem videre Philippi.
Quàm tunc ille tener! quàm gravis hoſtis erat!
Cùm freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
Fortis erat circum, fortis & ante Ducem.
Militis Eoï fugientis terga ſecutus,
Territus ad Nili dum fugit ille caput,
Pax erat, hæc illos laxârunt otia cultus.
Omnia victores Marte ſedente decent.
Actius ipſe lyram plectro percuſſit eburno,
Poſtquam victrices conticuere tubæ.
Hic modò miles erat, ne poſſet femina Romam
Dotalem ſtupri turpis habere ſui.
Hic tela in profugos (tantùm curvaverat arcum)
Miſit ad extremos exorientis equos.
Bacche, coloratos poſtquam devicimus Indos,
Potâſti galeâ dulce juvante merum.
Et tibi ſecuro tunicæ fluxere ſolutæ:
Te puto purpureas tunc habuiſſe duas.
Sum memor, & certè memini tic ducere thyrſos
Brachia purpureâ candidiora nive.
Et tibi thyrſus erat gemmis ornatus & auro:
Serpentes hederæ vix habuere locum.
Argentata tuos etiam ſandalia talos
Vinxerunt certè: nec, puto, Bacche negas.
Molliùs es ſolito mecum tum multa locutus,
Et tibi conſulto verba fuere nova.
Impiger Alcide multo defuncte labore,
Sic memorant curas te poſuiſſe tuas.
Sic te cum tenerâ lætum luſiſſe puellâ
Oblitum Nemeæ, jámque Erymanthe tui.
Ultrà nunquid erat? torſiſti pollice fuſos:
Lenſiſti morſu lævia fila parum.
Percuſſit crebros te propter Lydia nodos.
Te propter durâ ſtamina rupta manu.
Lydia te tunicas juſſit laſciva fluentes
Inter lanificas ducere ſæpe ſuas.
Clava toroſa tibi pariter cum pelle jacebat,
Quam pede ſuſpenſo percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret cùm jam impiger infans
Hydros ingenteis vix capiente manu?
Cúmve renaſcentem terret velociter Hydram?
Frangeret immaneis vel Diomedis equos?
Vel tribus adverſis communem fratribus alvum,
Et ſex adverſas ſolus in arma manus?
Fudit Aloïdas poſtquam dominator Olympi,
Dicitur in nitidum procubuiſſe diem:

Atque aquilam miſiſſe ſuam, quæ quæreret ecquis
Poſſet amaturo vina referre Jovi:
Valle ſub Idæâ dum te formoſe ſacerdos
Invenit, & preſſo molliter ungue rapit.
Sic eſt: victor amet, victor potiatur in umbrâ,
Victor odoratâ dormiat ſnque rosâ.
Victorem victus metuat: metus imperet illi,
Membra nec in ſtratâ ſternere diſcat humo.
Tempora diſpenſant uſus, & tempora cultus:
Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aveis.
Lux eſt, taurus arat: nox eſt, requieſcit, arator
Liberat emerito fervida colla bovi.
Conglaciantur aquæ: ſcopulis ſe condit hirundo,
Verberat egelidos garrula vere lacus.
Cæſar amicus erat: poterat vixiſſe ſolutè,
Cùm jam Cæſar idem, quod cupiebat, erat:
Indulſit merito: non eſt temerarius ille.
Vicimus: Auguſto judice dignus erat.
Argo ſaxa pavens poſtquam Scylleia legit,
Cyaneóſque metus jam religanda ratis:
Viſcera diſſecti mutavit in arietis agnum
Ætias, & ſuccis omne perita ſuis.
His te Mæcenas juveneſcere poſſe decebat.
Hæc utinam nobis Colchidos herba foret!
Redditur arboribus florens revirentibus ætas:
Ergo non homini, quod fuit antè, redit?
Vivacéſque magis cervos decet eſſe paventeis,
Si quorum in torvâ cornua fronte rigent?
Vivere cornices multos dicuntur in annos:
Cur nos anguſtâ conditione ſumus?
Paſcitur Auroræ Tithonus nectare conjux:
Atque ita jam tremulo nulla ſenecta nocet.
Ut tibi vita foret ſemper medicamine ſacro,
Te vellem Auroræ complacuiſſe virum.
Illius aptus eras croceo recubare cubili:
Et modò puniceo rore levante torum:
Illius aptus eras roſeas adjungere bigas,
Tu dare purpureâ lora regenda manu:
Tu mulcere jubam, cùm jam torſiſſet habenas
Procedente die reſpicientis equi.
Quæſivere tori juvenem ſic Heſperon illum,
Quem nexum medio ſolvit in igne Venus.
Quem nunc in fuſcis placidâ ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.
Hic tibi Corycium, caſias hic donat olenteis:
Hic è palmiferis balſama miſſa jugis.
Nunc pretium candoris habes: nunc reddimus umbris.
Te ſumus obliti decubuiſſe ſenem.
Ter Pylium flevere ſui, ter Neſtora canum:
Dicebant tamen hunc non ſatis eſſe ſenem.
Neſtoris annoſi vixiſſes ſæcula, ſi me
Diſpenſata tibi ſtamina nente forent.
Nunc ego quid poſſum? tellus levis oſſa teneto,
Pendula librato pondus & ipſa tuum:
Semper ſerta tibi dabimus, tibi ſemper odores:
Non unquam ſitiens, floxida ſemper eris.

VERBA SUPREMA MECÆNATIS.

SIC eſt Mæcenas fato veniente locutus,
Frigidus, & jam jam cùm moriturus erat.
Mène, inquit, juvenis primævi Jupiter ante
Auguſtam Bruti non cecidiſſe fidem?
Pectore maturo fuerat puer, integer ævo,
Et magnum magni Cæſaris illud opus.
Diſcedo: velléque priùs, non omnia dixit,
Incidítque pudor, quàm propè dixit amor.
Sed manifeſtus erat moriens: quærebat amata
Conjugis amplexus, oſcula, verba, manus.
Si tamen hoc ſatis eſt, vixi te Cæſare amico:
Et morior, dixit, dum moriórque, ſatis.
Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor,
Cùm dicar ſubitâ voce fuiſſe tibi.
Hoc mihi contingat: jaceam tellure ſub æquâ:
Nec tamen hoc ultrà me potuiſſe velim.
Sed meminiſſe velim, vivam ſermonibus: illic
Semper ero: ſemper ſi meminiſſe volet.
Et docet, & certè vivam tibi ſemper amicus:
Nec tibi qui moritur, deſinit eſſe tuus.
Ipſe ego quidquid ero, cineres, interque favillas,
Tunc ego non potero non memor eſſe tui.
Exemplum vixi te propter molle beatè:
Unus Mæcenas téque ego propter eram.
Arbiter ipſe fui: volui, quod contigit eſſe:
Pectus eram verè pectoris ipſe tui.

Vive diu mî care ſenex: pete ſidera ſerò,
Eſt opus hoc terris: te quoque velle decet.
Et tibi ſuccreſcant juvenes bis Cæſare digni,
Et tradant porrò Cæſaris uſque genus.
Sit ſecura tibi cùm primùm Livia conjux,
Expleat amiſſi munera rupta gener.
Cùm Deus in terris Divis inſignis aviis,
Te Venus in patrio collocet alma ſino.

M. ANNÆI LUCANI

Ad Calpurnium Piſonem Panegyricum.

UNde priùs cœpti ſurgat mihi carminis ordo,
Quóſve canam titulos, dubius feror. hinc tua, Piſo,
Nobilitas, veteríſque citant ſublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes:
Hinc tua me virtus rapit, & miranda per omnes
Vita modos: quæ, ſi deeſſet tibi fortè creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuiſſet.
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti,
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in origine ſolâ.
Felix, qui tantis animum natalibus æquas,
Et partem tituli non ſummam ponis in illis.
Ipſe canendus eris: nam quid memorare neceſſe eſt,
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?
Claráque Piſonis tulerit cognomina prima,
Humida colloſâ cùm pinſeret hordea dextrâ?
Nec ſi cuncta velim, breviter decurrere poſſim:
Et priùs æthereæ moles circumvaga flavæ
Annua biſſenis revocabit menſibus aſtra,
Quàm mihi priſcorum titulos, operoſáque bella
Contigerit memorare: manus ſed bellica patrum
Armorúmque labor, veteres docuere Quirites,
Atque illos cecinere ſui per carmina vates.
Nos quoque pacatâ Piſonem laude nitentem
Exæquamus avis. tamen etſi bella quiérunt,
Non periit virtus: licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & ſinè ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movere.
Hinc quoque ſervati contingit gloria civis,
Altáque victrices intexunt limina palmæ.
Quin age majorum juvenis facunde tuorum
Scande ſuper titulos, & avitæ laudis honores,
Armorúmque decus præcede forenſibus actis.
Sic etiam magno jam tunc Cicerone vigente
Laurea facundis ceſſerunt arma togatis.
Quæque patrum claros quondam viſura triumphos
Olim turba vias impleverat agmine denſo,
Ardua nunc eadem ſtipat fora, cùm tua mœſtos
Defenſura reos vocem facundia mittit:
Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Et firmare jubet centeno judice cauſas:
Seu capitale nefas operoſâ diluis arte,
Laudibus ipſa tuis reſonant fora. tu quoque Piſo
Judicis affectum, poſſeſſáque pectora ducis
Victor, ſponte ſuâ ſequitur quocunque vocâſti:
Flet, ſi flere jubes: gaudet gaudere coactus:
Et te dante capit judex, quam non habet, iram.
Sic auriga ſolet ferventia Theſſalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modò non ſolùm rapido permittit habenas
Quadrupedi, ſed calce citat, modò torquet in auras
Flexibiles rictus, & nunc cervice rotatâ
Incipit effuſos in gyrum carpere curſus.
Quis non attonitus judex tua reſpicit ora?
Quis regit ipſe ſuam, nili per tua pondera, mentem?
Nam tu, ſive libet pariter cum grandine nimbos,
Denſáque vibratâ jaculari fulmina linguâ,
Seu juvat adſtrictas in nodum cogere voces,
Et dare ſubtili vivacia verba catenæ,
Vim Lærtiadæ, brevitatem vincis Atridæ.
Dulcia ſeu mavis, liquidóque fluentia curſu
Verba, nec incluſo, ſed aperto pingere fiore,
Inclyta Neſtorei cedit tibi gratia mellis.
Nec te Piſo tamen populo ſub judice ſola
Mirantur fora, ſed numeroſâ laude Senatus
Excipit, & meritas reddit tibi curia voces.
Quis dignè referat, qualis tibi lucet ſub illâ
Gloria conſurgit, quâ tu, reticente Senatu,
Cùm tua [illegible] numeretque purpura faſces,

Ce-

Cæsareum grato ceciniſti pectore numen?
Huc etiam totâ concurrit ab urbe juventus,
Auditura virum, ſi quando judice feſſo
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus:
Tunc etenim levibus veluti proluditur armis,
Compoſitiſque ſuas exercet litibus artes.
Quinetiam facilis Romano profluit ore
Græcia, Cecropiæque ſonat gravis æmulus urbi.
Teſtis Acidalia quæ condidit alite muros,
Euboïcam referens fœcunda Neapolis arcem.
Qualis iò Superi, qualis nitor oris amœnis
Vocibus! hinc ſolido fulgore micantia verba
Implevere locos: hinc exornata figuris
Advolat, excuſſo velox ſententia torno.
Magna quidem virtus erat, & ſi ſola fuiſſet,
Eloquio ſanctum modò permulcere Senatum,
Exonerare pios modò, nunc onerare nocentes:
Sed ſuper illa movet plenus gravitate ſerenâ
Vultus, & inſigni præſtringit imagine viſus.
Talis ineſt habitus, qualem nec dicere mœſtum,
Nec fluidum, lætâ ſed tetricitate decorum
Poſſumus: ingenitæ ſtat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora.
Additur huc & juſta fides, & plena pudoris
Libertas, animúſque malâ ferrugine purus:
Ipſáque poſſeſſo mens eſt opulentior auro.
Quis tua cultorum juvenis facunde tuorum
Limina pauper adit, quem non animoſa beatum
Excipit, & ſubito juvat indulgentia cenſu?
Quódque magis dono fuerit preciofius omni,
Diligis ex æquo: nec te fortuna clientum,
Nataléſve movent: probitas ſpectatur in illis.
Nulla ſuperborum patiuntur dicta jocorum:
Nullius ſubitos adfert injuria riſus.
Unus amicitiæ ſummos tenor ambit, & imos.
Rara domus tenuem non aſpernatur amicum,
Raráque non humilem calcat faſtoſa clientem:
Illic caſta licèt mens, & ſinè crimine conſtet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.
Sed lateri nullos comitem circundare quærit,
Quem dat purus amor, ſed quem tulit impia merces.
Nec quiſquam vero precium largitur amico,
Quem regat ex æquo, vicibúſque regator ab illo:
Sed miſerum parvâ ſtipe monerat, ut pudibundos
Exercere ſales inter convivia poſſit.
Iſta procul labes, procul hæc Fortuna refugit
Piſo tuam venerande domum, tu mitis, & acri
Aſperitate carens, poſitóque per omnia faſtu,
Inter ut æquales unus numeraris amicos:
Obſequiúmque doces, & amorem quæris amando.
Cuncta domus variâ cultorum perſonat arte,
Cuncta movet ſtudium. nec enim tibi dura clientum
Turba, rudiſve placet, miſero quæ freta labore
Nil niſi ſummoto novit præcedere vulgo:
Sed virtus numeroſa juvat. tu pronus in omne
Pectora ducis opus, ſeu te graviora vocârunt,
Seu leviora juvant, nec enim facundia ſemper
Adductâ cum fronte placet: nec ſemper in armis
Bellica turba manet: nec totâ claſſicus horror
Nocte diéque gemit: nec ſemper Gnoſius arcu
Deſtinat, exemto ſed laxat cornua nervo.
Et galeâ miles caput, & latus enſe reſolvit.
Ipſa vices natura ſubit, variatáque curſus
Ordinat, inverſis & frondibus explicat annum.
Non ſemper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terrificis obcæcat ſidera nimbis.
Ceſſat hyems, madidos & ſiccat vere capillos:
Ver fugit æſtates: æſtatum terga laceſſit
Pomifer autumnus, nimbis ceſſurus & undis.
Ignea quinetiam Superûm pater arma recondit,
Et Ganymedem repetens convivia menſæ,
Pocula ſumit eâ, quâ geſſit fulmina, dextrâ.
Temporibus ſervire decet: qui tempora certis
Ponderibus penſâvit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit: ſi pax, poſitis toga geſtiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra decebunt.
Felix illa dies, totúmque canenda per orbem,
Quæ tibi, vitales cùm primùm traderet auras,
Contulit innumeras intrà tua pectora dotes.
Mira ſubeſt gravitas inter fora: mirus omiſſâ
Pauliſper gravitate lepos, ſi carmina fortè
Nectere ludenti juvit fluitantia verſu,
Aonium facilis deduxit pagina carmen.
Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulſas,
Dulcis Apollineâ ſequitur teſtudine cantus,
Et te credibile eſt Phœbo didiciſſe magiſtro.
Nec pudeat pepuliſſe lyram, cùm pace ſerenâ
Publica ſecuris exultent otia terris.
Nec pudeat Phœbea chelys, ſi creditur illis
Pulſari manibus, quibus & contenditur arcus.
Ipſe fidem moviſſe ferox narratur Achilles,
Quamvis mille rates Priameïus ureret heros,
Et gravis obſtreperet modulatis buccina nervis.
Illo dulce melos Nereïus extudit heros
Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hoſtem.
Arma tuis etiam ſi fortè rotare lacertis,
Inque gradum clauſis libuit conſiſtere membris,
Et vitare ſimul, ſimul & captare petentem:
Mobilitate pedum celeres ſuper orbibus orbes
Flectis, & obliquis fugientem curſibus urges,
Et nunc vivaci ſcrutaris pectora dextrâ,
Nunc latus adverſum nec opino percutis ictu.
Nec tibi mobilitas minor eſt, ſi fortè volantem
Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem,
Et non ſperato fugientem reddere geſtu.
Hæret in hæc populus ſpectacula, totáque ludos
Turba repentè ſuos jam ſudabunda relinquit.
Te ſi fortè juvat ſtudiorum pondere feſſum,
Non languere tamen, luſúſque movere per artem,
Callidiore modo tabulâ variatur apertâ
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te Duce ceſſit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hoſtem?
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem
Dum fugit, ipſe rapit: longo venit ille receſſu,
Qui ſtetit in ſpeculis, hic ſe committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hoſtem.
Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato
Obligat ipſe duos: hic ad majora movetur,
Ut citus & fractâ prorumpat in agmina mandrâ,
Clauſáque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea ſectis, quamvis acerrima ſurgant
Prœlia, militibus, plenâ tamen ipſe phalange,
Aut etiam pauco ſpoliatâ milite vincis,
Et tibi captivâ reſonat manus utraque turbâ.
Sed priùs emenſo Titan verſetur Olympo,
Quàm mea tot laudes decurrere carmina poſſint.
Felix, & longâ juvenis digniſſime vitâ,
Eximiúmque tuæ gentis decus, accipe noſtri
Certus, & hoc veri complectere pignus amoris.
Quòd ſi digna tuâ minùs eſt mea pagina laude,
At voluiſſe ſat eſt: animum, non carmina jacto
Tu modò lætus ades, forſan meliora tenemus:
Et vires dabit ipſe favor, dabit ipſa feracem
Spes animum: dignare tuos aperire Penateis.
Hoc ſolum petimus: nec enim me divitis auri
Imperioſa fames, & habendi ſæva libido
Impulerit, ſed laudis amor. juvat, optime, tecum
Degere, cúmque tuis virtutibus omne per ævum
Carminibus certare meis. ſublimior ibo,
Si famæ mihi pandis iter, ſi detrahis umbræ.
Abdita quid prodeſt generoſi vena metalli,
Si cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta ferat, teretíque fluentia malo
Poſſit & excuſſo dimittere vela rudente?
Ipſe per Auſonias Æneïa carmina genteis
Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat Olympum,
Mæoniúmque ſenem Romano provocat ore,
Forſitan illius nemoris latuiſſet in umbrâ,
Quod canit, & ſterili tantùm cantâſſet avenâ,
Ignotus populis, ſi Mæcenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec ſua Virgilio permiſit nomina ſoli.
Mæcenas Tragico quatientem pulpita geſtu
Evexit Varium. Mæcenas alta Toantis
Eruit, & populis oſtendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam reſonantia chordis,
Auſoniámque chelyn gracilis patefecit Horati.
O decus, & toto meritò venerabilis ævo,
Pierii tutela chori, quo præſide tuti
Non unquam vates inopi timuere ſenectæ.
Quòd ſi quis noſtris precibus locus, & mea vota
Si mentem ſubiere tuam, memorabilis olim
Tu mihi Mæcenas teretî cantabere verſu.
Poſſumus æternæ nomen committere famæ:
Si tamen hoc ulli de ſe promittere fas eſt,

Et Deus ultor abest: superest animosa voluntas,
Ipsáque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum: tu Piso latentem
Exere. nos humilis domus & sincera parentum,
Sed tenuis Fortuna suâ caligine celat,
Possumus impositis caput exonerare tenebris,
Et lucem spectare novam, si quid modò laetus
Annuis, & nostris subscribis, candide, votis.
Est mihi, crede, meis animus constantior annis,
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, & nondum vicesima venerit aestas.
Quòd si tam validus mihi robur mentis inesset,
Et solidus primos impleret spiritus annos,
Auderem voces per carmina nostra referre
Piso tuas: sed fessa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadant succiso poplite membra.
Sed nec olorinos audet Pandionis ales
Parva referre sonos, nec, si velit improba, possit.
Sic & Aëdonià superantur voce cicadæ,
Stridula cùm rapido faciunt convicia soli.
Quare age Calliope, positâ gravitate forensi,
Limina Pisonis mecum pete: plura supersunt,
Quæ laudare velis inventa Penatibus ipsis.

Q. SERENI SAMONICI *VITA*,

Ex H. Steph. Medic. Princ.

Q. SERENUS SAMONICUS Gordiani junioris præceptor fuit, cujus meminit Spartianus in Caracallâ, his verbis: "Occisi sunt & "in balneis plures & in cœnis, inter quos Sa"monicus Serenus, cujus libri plurimi ad do"strinam extant." Macrobius quoque Saturnalium tertio carmina quædam de urbibus devovendis in libro quinto Reconditorum Samonici Sereni reperisse se ait.

Q. SERENI SAMONICI

De medicinâ praecepta saluberrima.

MEmbrorum series certo deducta tenore.
Ut stet, & assimilis medicinæ detinat ordo,
Principio celsâ de corporis arce loquamur.
Phœbe salutiferum, quod pangimus, assere carmen,
Inventúmque tuum prompto comitare favore.
Túque potens artis, reduces qui tradere vitæ
Nôsti, atque in cœlum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placidi tectus sub pelle draconis,
Tarpeias arces, atque indita templa petisti,
Depellens terros præsenti numine morbos,
Huc ades, & quicquid cupido mihi sæpe roganti
Firmâsti, cunctum teneris expone papyris.

II. *Capiti medendo.*

BAlsama si geminis instillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.
Vel quæ septenis censentur gramina nodis,
Utiliter nectes, vel corno ex arbore sertum
Pulegiúmve potens unà super aure locabis.
Aut illud misto recoquens clementer aceto,
Cautà nare trahes, seu viseo linteа nexo
Induces fronti, seu tritæ gramina mentæ.
Spongia cum tepidis adnexa liquoribus imbris
Profuit: aut hedera ex oleo colata vetusto.
Profuit & cochleis frontem tractare minutis.
Si nocuit cerebro violentia solis aperto;
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanavit. prosunt & amica papavera somno,
Si priùs in lento madefacta terantur olivo.

III. *Hemicranio medendo.*

POrtio si capitis morbo tentetur acuto,
Allia diversam lanâ contecta per aurem
Inducta prosunt, & eodem balsama pacto.
Allia vel ternis piperis terna addita granis,
Trita lines: certam dabit hæc tibi cura salutem.

IV. *Porrigini depellendæ.*

EST insensibilis morbus, sed noxia forma,
Cùm caput immensâ pexum porrigine mingit,
Copia farris uti frendentibus edita saxis.
Hanc poteris malvæ radix decocta levare.
Aut tu fœniculum, nitrúmque, & sulphura viva
Contere, deinde caput permixtis ablue cunctis.
Furfuribúsve novis durum miscebis acetum,
Ut varios crines tali des unguine puros.
Prodest & tardâ demptus testudine sanguis,
Et prodest cedro demissus ab arbore succus.
Desinet interea glomerari farrea nubes,
Cessabitque gravis crebræ porriginis imber.

V. *Capillo tingendo.*

QUos pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiant properos abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco simulare dolosо,
His prodest acri contrita cupressus aceto,
Vel frons lentiscі, vel tristia poma sabuci.
Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo,
Et juvenem præstant redivivo flore capillum.
Præterea niveum poterit depellere crinem
Resina ex facili cerâ viscóque coacta.
Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
Unguento cineris prædixit Tullius auctor.
Si prægnans artus captivi soricis edit,
Dicuntur fœtus nigrantia lumina fingi.

VI. *Phthiriasi arcendæ.*

NOxia corporibus quædam de corpore nostro
Progenuit natura, volens abrumpere somnos
Sensibus, & monitis vigiles intendere curas.
Sed quis non paveat Pherecydis fata tragœdi,
Qui nimio sudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci.
Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi:
Vel nitro ac sale permistis, acidóque liquore
Laxatis (ut sint simul allia) tangere corpus:
Aut lacrymis hederæ, aut succo perducere cedri.
Quin etiam furfur misto medicatur aceto.
Unda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quicquid crebri defendit sylva capilli.

VII. *Prurigini, papulis, ac scabiei arcendis.*

ILlotus sudor, vel copia nobilis escæ
Sæpe gravi scabie correptos aspernat artus.
Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,
Quod facit ex asino faecatus corporis humor.
Nec pudeat tractare simum, quem bucula fudit.
Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,
Sic pavidum corpus dextrâ parcente foveto.
Proderit ex oleo pulvis, quem congerit altè
Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.
Convenit hinc tepido lita tradere corpora soli.
Ferventes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miscebis farra lupini,
Atque hinc in calido percurres membra lavacro.
Prorsus autem salsos levat humor aceti,
Sive maris rabidi sudor, cochleæque minutæ,
Quarum contactu perimatur acerba libido.

VIII. *Phrenesi, & capiti purgando.*

EX vitio cerebri Phrenesis furiosa movetur,
Amissáque refert frendens amentia vires.
Sive calens febris jactatos exedit artus,
Sive meri gustus, seu frigoris effecit aestus;
Conveniet calidis pecudum pulmonibus aptè
Tempora languentis medicâ redimire coronâ.
Illotis etiam lanis suffire memento.
Ceritum. sæpe horrendi medicamina odores,

At-

Atque ideo ſanos etiam curarier eſt par.
Purgatur cerebrum manſâ radice pyrethri.
Ungitur & ſuccis, dederit quos parva ſabucus.
Expreſſúſque hederæ mandatur naribus humor.
Aut miſtum rutæ cerebro inſtillatur acetum.
Non ſemper præſens dolor eſt ſanabilis: ergo
Cura magìs prodeſt venturis obvia morbis.

IX. *De fluore capillorum, & maculis capitis tollendis.*

DEfluit expulſus morbo lætante capillus,
Si ratò lavetur, ſeu vis epota veneni,
Seu ſalamandra potens, nullíſque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.
Nonnunquam variant maculæ, parvíſque puellæ
Orbibus aſperſum ducit nova vulnera tempus.
Viperæ pellis cinerem his appoſito rebus,
Roboreáſve pilas urſino jungito fevo,
Vel teſtudineo mala permulceto cruore.

X. *Humoribus, & perfrictionibus mordendis.*

SÆPE ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus,
Ut vix quæſito medicamine pulſa recedat.
Si ranam ex oleo decoxeris, abjice carnem,
Membra fove. parili ſanat ratione rigorem
Urticæ ſemen, percepiáque frigora vincit.
Et cervina poteſt mulcere medulla rigorem.
Decoctum raphani ſemen cum melle vorabis.
Sive fel urſinum tepefactâ dilue lymphâ.
Proderit hoc potu. ſeu caſſis oſtrea teſtis
Uſta dabit cinerem, qui pro ſale ſumptus in eſcis
Decutiet gelidum calefacto vertice virus.
Nonnullus liquidum ſumit mulſúmque ſinapi,
Atque palato agitat pariter retinénſque, vomènſque.
Allia nonnulli mandunt, oleive liquore
Profundunt calido cerebrum, naſique latebras.
Quidam lactucæ credunt prodeſſe ſapores.
Curandi modus hic & ſuavis & utilis idem eſt.

XI. *Elephantiaſi propellendæ.*

EST elephas morbus, triſti quoque nomine dirus,
Non ſolùm turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funeſto fata veneno.
Huic erit adverſus cedri de cortice ſuccus,
Muſtelæque cinis, vel fuſus ſanguis ab illâ.
Nonnulli dixere ferum prodeſſe bibendo.
Mentaſtri folium potu, appoſitúque ſalubre eſt.
Nec fruſtra bulbos & ſulphura jungis aceto.
Præterea nitrum debes cum melle jugatum
Spargere lacte bovis, varias ſic ungere fronteſ.
Ceruſſam, & chartam, quam gens Ægyptia mittit,
Thura ſimul, miſcéque oleum, quod flore roſarum
Conditum eſt: line ſic faciem, ſic redde ſalutem.

XII. *Cutis & faciei vitiis propellendis.*

INvida ſi maculæ faciem lentigo decorem,
Nec prodeſſe valent naturæ dona benignæ,
Erucam atque acidum laticem ſimul illine malis.
Proderit & bulbus mellis dulcedine victus,
Crudáve dulcacido miſcebis rapa liquori.
Sanguine vel leporis morbus delebitur oris.
Frons ſalicis cum flore ſuo contrita medetur.
Sepiolæ cineres ex oſſibus omnia tollunt.
Cygneos adipes hilari miſceto Lyæo,
Omne malum properè maculoſo ex ore fugabis.
Horrebit ſi livor ater, aut nigra cicatrix,
Attrito ſapone genas purgare memento,
Rugarum ſulcos lentiſci maſtiche tendens.
Si verò vitium eſt quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutinâ poteris cohibere ſalivâ,
Seu folio platani, quod manſum manè vorabis.
Fœda fluunt curvi quæ pergamenta cunicli,
Urentur, cinerémque dabunt, jungentur aceto
Maſcula thura ſimul, divináque cura valebit.

XIII. *Aurium vitiis ſuccurrendis.*

CUM ſævus teneras dolor altè ſaucius aures,
Fraxinea in flammis fundit quem talea ſuccum
Inſtilles, ſive obſcœnos ex virgine rores,
Aut ſuccum ex folio, dederit quem populus alba.
Sæpe chelidoniæ rapidum ſociatur acetum,
Adjunctóque nitro procedit cura ſalubris.
Mentaſtri liquor expreſſus conducere fertur.
Infectum violis oleum bene conſulit auri.
Annoſâ rubros ſi legeris arbore vermes,
Ex oleo tere, ſic tepidos infunde dolenti.
Si verò obtuſâ ſenſus remanetur in aure,
Lumbricos terræ, ſevámque ex anſere rancò
Excoque: ſic veterem poteris depellere morbum.
Félque bovis ſurdis etiam prodeſſe loquuntur,
Si jungas olidæ grave quod mingere capellæ.
Si verò incautas animal penetraverit mureſ,
Proderit admiſto pavidi fel muris aceto.
At ſi lympha nocens pervaſerit, anſeris uptæ
Immiſceatur adeps ceparum non ſinè ſucco:
Qui gravis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget.
Vis & Phœbigenæ divinam diſcere curam,
Sîque vel annoſis confecta doloribus auris,
Allia tum ſeptem numero, ſeptémque lupinos
Gretaceam dubis in teſtam: tum Delphica frondis
Addatur, miſto totum ferveſcat aceto,
Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

XIV. *Oculorum dolori mitigando.*

SUmma boni eſt electes homini contingere viſus,
Quos quaſi cuſtodes, defenſoréſque periclì
Proſpiciens ſummâ natura locavit in arce:
Sic tamen ut nullos patrentur deſuper ictus,
Atque ſupercilio pavidi tegerentur opaco.
Sed dolor immeritum lumen ſi fortè laceſſit,
Lana madens oleo noctu connectitur aptè,
Viventíſve nepæ lumen geſtatur amicum.
Ex folio caulis cineres, contractáque thura,
Et laticem Bacchi, fœtæ cum lacte capellæ
Deſuper induces, atque unâ nocte probabis.
Hyblæi mellis ſucci cum felle caprino
Subveniunt oculis dirâ caligine preſſis.
Vettonicæ manſus ſiccabit lumina ſuccus.
Si tenebras oculis obducit pigra ſenectus,
Expreſſæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt, vel vulturis atri
Fella, chelidoniæ ſuerint quis gramina miſta:
Hæc etiam annoſis poterunt ſuccurrere morbis.
Fel quoque de gallo mollitum ſimplice lymphâ
Exacuet parcè demptâ caliginè viſus.
Sive columbarum ſimus miſcetur aceto,
Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.
Vina chelidoniæ ſimili ratione jugantur,
Efficiúntque ſuo præclaros unguine viſus.
Aſpera quinetiam mulcent & rupta reducunt.
Si genus eſt morbi miſerum quod lumen adurit,
Hic calor infuſo miſcebit lacte caninus.
Anguibus ereptos adipes aruginе miſce,
Hi poterunt ruptas oculorum jungere partes.
Si verò horrendum ducent glaucomata peplum,
Spiritus alterius prodeſt, qui grana cumini
Pallentis mandens viſus exhalat in ipſos.
Si tumor inſolitus typho ſe tollat inani,
Turgentes oculos viti circumline cœno.

XV. *Dentium vitio, & oris fœtori medendo.*

HAUD facile eſt acrem dentis tolerare dolorem,
Quo magìs eſt æquum medicam pernoctare curam.
Cum Baccho violas decoxeris, ore teneto.
Manſus item prodeſt ſuccis oleaſter acerbis:
Hinc oſcedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.
Cum vino piper & nitro tepidum inde dolenti.
Sæpe chelidoniæ ſuccо vel lacte capellæ
Saneſcunt dentes, aut auri felle juvantur.
Aut acidi latices clauſo volvuntur in ore.
Manditur apta rubus gingivis, & bona labris.
Lentiſcus myrtúſque emendant oris odorem.
Quod verò aſſumpſit nomen de dente fricando,
Corvino ex cornu cinis eſt, aut ungula porcæ
Torrida, vel cinis ex ovis, ſed non ſinè vino,
Muricis aut toſti, vel bulbi extincta favilla.
Ambitioſa putes, ſunt iſtæ ſalubria cuſtos.
Exeſos autem dentes ſi fortè quereris,
Ure ſimum muris, pecudis & hircibus addе,
Vel cinerem dentis cervini extinguere aceto
Convenit, atque ovis immittere partibus æpè.
Prodeſt & pulvis lumbrici corpore toſto.
Os ambuſta olus ſanabit lacte caninо.
Sæpe etiam gelidâ gingivas collue lymphâ,
Dentibus ut firmam poſſis ſervare vigorem.
Si verò infandum proſerpit ad intima vulnus,
Permiſceto ſalem parili cum pondere thuris,
Hinc traſtino locum, mirum experiere medelam.
Aut tu ſumo plum quæ coquis horæ ovilis:

Hæc

Hæc ficcata dabit molles & fracta farinas,
Hujus & attritis tetrum mulcebitur ulcus.

XVI. *Uvæ, faucibus, collo, & quæ mulcenda sunt, medendis.*

ÆGrescunt tenera fauces, cùm frigoris atri
Vis subiit, vel cùm ventis agitabilis aër
Vertitur, atque ipsos flatus gravis inficit undas:
Vel rabidus clamor fracto cùm fortè sonore
Planum radit iter. sic est Hortensius olim
Absumptus. causis etenim confectus agendis
Obticuit, cùm vox domino vivente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diserti.
Ergo omni studio quæres inhibere dolorem.
Simplicibus lymphis confunditur aërium mel,
Additur excussus nivei similagine furfur,
Decocta hæc clauso simul exercentur in ore.
Præterea fauces extrinsecus ungere prodest
Ursino & tauri sevo cerisque remissis,
Omnia quæ geminis æquabis lancibus anté.
Disce etiam miram ex humili medicamine curam.
Actiaco melli jungas agreste papaver,
Decoctúmque simul mandes, mansúmque vorabis.
Crinitæ porri radices quinque coquantur,
Hinc aqua non fervens volvatur fauce sonorâ,
Nec tamen in stomachum descendat gutta patentem.
Si verò afflictam languor dejecerit uvam,
Tunc horas aliquot pronus recubare memento,
Aut illam pulvis tosti relevabit anethi,
Aut cinis ex cochleâ, vel torrida brassica flammis.
Verùm angina sibi mistum sale poscit acetum,
Quod refert clauso versatum agitare palato.

XVII. *De rigore cervicis.*

AT si cervices, duratáque colla rigebunt,
Mira loquar, geminus mulcebitur unguine poples,
Hinc longum per iter nervos medicina sequetur:
Anseris aut pingui torpentia colla fovebis.
Illinitur valido multùm lens cocta in aceto,
Aut capræ simus, & bulbi, aut cervina medulla,
Hoc etiam immotos flectes medicamine nervos.
Quos autem vocitant Tolles, attingere dextrâ
Docebis, quâ gryllus erit prestante peremptus.

XVIII. *Tussi, & choleribus medendis.*

NOxia si penitus cholerum sævire venena
Perspicies, coctâ lactucæ fronde levabis.
Proderit & caules assumere sæpe madentes.
Interdum fauces tussi quatiuntur atroci,
Allia tum sumes decocta, & melle perunctæ.
Semina vel raphani permisto dulcia melle.
Aut si fraxineâ semen de fronde revellis,
Interiora vora vetitus contingere dente.
Ovum melle teres domitum ferventibus undis,
Marrubiúmve potens, hæc faucibus optima sumes,
Frænabisque gravem facili medicamine tussim.

XIX. *Digestioni, & stomacho mederde.*

QUI stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, verâ niti ratione videntur:
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra:
At contrà ejusdem franguntur cuncta dolore.
Quin etiam (nisi cura juvat) vitiare cerebrum
Fertur, & integros illinc avertere sensus.
Lactucæ semen nigræ, quod lignea pila
Triverit, admisto jejunus sumito melle:
Sed cochlear trinum gustu tibi sufficit uno.
Aut tritum semen raphani, mulsúmque juvabit:
Sive duæ partes absinthî, & tertia rutæ
Decoctis potentur aquis, sisúmque madentes,
Semina vel marathri fœtæ cum lacte capellæ.
Pulegium quoque decoctum curabit amicè.
Et potu, & fotu stomacho conducit acetum.
Seu cochleas undis calefactas ac propè victas
Suppositis torre prunis, vinóque garóque
Perfusas cape, sed prodest magis esse marinas.
At malè digestis si crapula sæviet escis,
Ex pipere & calidâ florem de rore marino
Ebibe: seu salibus piper adde, & tenue cuminum,
Quæ coctis tinges epulis, & rapta vorabis.
Aut cubitum pergens saccum cape tristis anethi.
Ventriculis mergi raptus sal tritus & ulmus
Tosto pone super, piperis quoque pulvere multo
Miscentur, capies divinum munus in istis.
Proderit hoc stomacho, victas & concoquet escas.
Grana peregrini piperis diffindito quinque,
Niliaco melli quæ manè inserta capelles.

XX. *Felli, vomitui, vel phthisi arcendis.*

LUtea si crescunt, & cunctis noxia fella,
Allia parva novem, piperis tot permole grana,
Quæ cyatho diluta gari mandésque bibésque.
Hæc iterum septena capis, post denique quina.
Præterea caules, frondet si parva fabucus,
Decoctos sale permisces, ac jungis olivo.
Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.
Prosunt & pelagi latices, quos pondere justo
Dulcibus associas lymphis, mellisque liquenti.
Et niveus prodest ex ubere succus asellæ,
Si tepido vino infundas, ac mella pipérque.
At vomitum radix narcissi pota movebit.
Si verò phthisis annoso sedet improba morbo,
Intritas vino cochleas hausisse juvabit.
Proderit & veteris sevi pila sumpta suilli.
Carne asinæ sevóque capræ medicina salubris.

XXI. *Mammis sanandis, vel stringendis.*

UBera fœcundo multùm lactantia succo
Sæpe sibi noxæ nimiùm manando fuerunt:
Fece igitur validâ duri reprimentur aceti.
Post partum tumidas injustè assurgere mammas
Interdum aspicies: harum mala commemorator
Murinus simus ex pluvio sedare liquore.
Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes ungue corymbos.
Si castigatas studium est prælibare papillas,
Ex hederâ sertis ambas redimire memento
Protinus, & raptas fumis mandare coronas.
Anseris aut sevum pariter cum lacte tepenti,
Aut ovum illinito tulerit quod garrula perdix.
Præterea pluvio decocta papavera rore
Hæresunt multis pòst dissolvenda diebus.
Vis & Phœbigenæ cœlestia sumere dona,
Ubera cum tetris laniata doloribus horrent?
Navis ramentum, & quæ nomine prasion herba est,
Et quæ vulgari sermone Infamia vocatur,
* Græcos hyoscyamon propriâ scito dicere linguâ,
Nec non & calami radix, lapathíque legúmen,
Mista dabunt miras (experto crede) medelas.

XXII. *Rejectioni cibi, aut sanguinis restringendæ.*

SI stomachus nondum concoctas expuit escas,
Et magis atque magis vitiis revomendo valescit,
Allia cædemus, crebrúmque trahemus odorem.
Sin etiam rutilus confertur pectore sanguis,
Sorbitium mentæ, raphanus vel cocta juvabit.
Sæpe lapis teritur (Specularem nomine dicunt)
Et mistis hauritur aquis, sistítque cruorem.
Uritur interdum raptus de subere cortex,
Et cinis ex calido prodest epota Lyæo.
Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique mellis,
Aut mansus salicum fructus prodesse putatur,
Aut platani pilulas acri infundemus aceto.
Nullus erit sanguis, quem non cibus ille moretur.

XXIII. *Jecoris, & lateris vitiis medendis.*

SI molles jecoris fibras dolor hauriet acer,
Protinus ex mulsâ potanda elelisphacus herbâ est:
Sumitur & semen, quod fraxinus alta profudit,
Vulturis atque jecur, vel jus perdicis apricæ.
Præterea simili drachmâ pix dura pipérque
Franguntur, sic in mollito pulvere junctæ
Egelidis miscentur aquis, recreántque bibentem.
Absinthî quoque decocti potabitur humor,
Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accensum tinges lapidem stridentibus undis.
Hinc bibis; aut aceris radicem tundis, & unâ
Cum vino capis. hoc præsens medicamen habetur.
Quid referam multis compostæ Philonia rebus?
Quid loquar antidotum variis? quis & ista requirat?
At nos pauperibus præcepta feramus amica.
Nec non & jecoris quæretur fibra lupini,
Jungentúrque simul costum, folisúmque, pipérque,
Quæ diluta mero dantur potanda Lyæo.
Est & vis morbi, quod telum commemoratur,
Cùm subitò dolor insanus furit ictus ictu,
Persicon huic potum è nuce traditur interiore,
Quæ mihi cura suis casa monstrante probata est.

XXIV. *Splenis*

XXIV. *Splenı curandı.*

QUando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Et plenum ſplenis demonſtrant membra rigorem,
Mollibus ex hederâ tornantur pocula lignis,
Hinc trahet affuetos ager quoſcunque liquores:
Aut viridis coctorum holerum potabitur unda.
Proderit exuſto fluvialis hirudo cruore,
Sive myrica potens, ſeu ros cum pane marinus,
Aut hederæ ſuccus potu appoſitúque juvabit.
Nec non intactam ferro quam videris alnum,
Huic liber eripitur ferro ſinè, decoquitúrque,
Donec victarum pars tertia ſubſit aquarum.
Hinc medico potu pulſus dolor omnis abibit.
Nonnulli memorant conſumi poſſe lienem,
Ervum ſi ſemper jejuno ſumpſerit ore.
Arida ficus item fervente domatur aceto,
Et trita illinitur, vel ſplen apponitur hœdi.
Marrubium in vino potum prodeſſe loquuntur.
Præterea piper, ac nepeta cum flore & anethum,
Capparis atque apium, buglóſſáque jungitur unà:
Horum decoctos latices potare ſalubre eſt.
Polegium, abrotonum nitidâ cum maſtiche coctum
Ac thymbræ ſpeciem quam commemorant cephalotem)
Prædixit ſpleni Deas Ide poſſe mederi.
Dulcia, Plautus ait, grandi minùs apta lieni.
Splen tumidus nocet, & riſum tamen addit ineptum,
Ut mihi Sardois videatur proximus herbis,
Irrita quæ miſeris permiſcent gaudia ſuis.
Dicitur exectus faciles auferre cachinnos,
Perpetuóque ævo frontem præſtare ſeverum.

XXV. *Præcordiis fovendis.*

LAnguida ſi duro turgent præcordia morbo,
Miſcetur mulſæ farris ſextarius unus,
Nec non & lini tunſum, ſiliquæque legumen.
Hæc decocta ſimul, nondúmque tepentia noctes.
Aut quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris,
Cocta lines, durum ut poſſis mollire tumorem.
Ocyma præterea, bulbíve linuntur amari.
Proderit & lymphis corpus merſare marinis.
Quin etiam caulum lactantem apponere membris
Convenit: omne malum tranſcurrere fertur in illum.
Cui tamen extincto munus debetur humandi.
Humanos quoque contactus mala tanta ſequuntur,
Et junctus vitium ducit de conjuge conjunx.
Quod ſupereſt thridaci junges ramenta carinæ,
Quódque decem ex rebus conſit ſimul atque vocatur,
Maſtichis addentur fractæ jam mollia farra.
Talibus auxiliis præcordia tuta reſident.

XXVI. *Lumbis, & renibus fovendis.*

CUM ſævit penitis hærens injuria lumbis,
Igne lapis candens datur exultantibus undis,
Hoc poteris potu triſtem ſuperare dolorem.
Aut pice cum melli nitrum ſulphúrque & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus iſdem,
Proderit hanc ægris crebrò perducere membris.
Aut caput aſpurgi cum vino ſume veruto,
Seu mavis appone: modus conducit uterque.
Aut adipi miſtum lumbis inducito ſulphur.
Sæpe chelidonium cum ſucco Palladis addes,
Farráque, quæ tremulis profluat ſudantia flammis.
Fertur amygdalinæ ſuccus nucis eſſe bibendus:
Pinſitur, ac tepidis ſorbebitur addita lymphis.
Aut tres ex vino cochleas ferveſcere coges,
Cúmque ſuis domibus franges, piperis quoque granа
Ter quinque adjicias, potúſque juvaberis illo.
Furfur item parcâ fuerit cùm fervidus undâ,
Pòſt oleo madidus ſuccis immittitur aptis,
Quæ vix paſſuris urentes addito membris.
Prodeſt cervinæ vehemens natura medullæ.
Nec nocuit cineris cocti potâſſe liquorem.
Aut miſtam teneris malvam contundito porris,
Contritúmque ſimul cum maſtiche confer anethum,
Quódque decem rebus componi ex nomine clarum eſt,
His continge locum: Deus hæc mihi certa probavit.

XXVII. *Ventris dolori mitigando.*

SI dolor inſanus totâ deſævit in alvo,
Heminis tribus in lymphâ tu decoque tritum,
In vino priùs hyſſopum, validam quoque rutam,
Aut apium, donec pars duplex deſit aquarum.
Potus erit medicus non detrectaſſe peſato.
Præterea nivei ſterilis toſta uritur ovi.
Quæ poſtquam in tetram fuerit converſa favillam,
Ex calidis potatur aquis, & pota medetur.
Nec non jugenda eſt utero nova virga myricæ,
Illæſa hæc ferro terràque intacta teratur.
Aut medio ventris prodeſt aſpergere terram,
Quam ſignaverunt veſtigia preſſa rotarum.
Proderit & pulvis facili ſub cardine raptus.
Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum
Conveniet, quod jam nobis documenta probárunt.
Mentha quoque hôc pacto medicos dabit hauſta ſapores.
Cœliacos autem recreabis pane ſalubri,
Quem madido farre efficies, ac mollibus ovis:
Quorum teſta fero priùs evaneſcere aceto
Refert, & teretes bulbos mollire terendo,
Cúmque his Lenæi durum potare fluentum.

XXVIII. *Hydropiſi depellendæ.*

COrrepti jecoris vitio, vel ſplenis, acerbus,
Creſcit hydrops, aut cùm ſiccatæ febre medullæ
Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem,
Tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.
Conveniet tenera radix decocta ſabuci
In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.
Nec non & tepidis convolves corpus arenis.
Appoſitúque leves nepetæ, guſtúque juvabunt.
Helleboro quoque purgatur lymphaticus error.
Aut hujus vice quod ſert ſemen lenta geniſta
Miſcetur, multis & cautis ducitur undis,
Sæpe & ſcyllino pelluntur noxia Baccho.
Eſt qui prævalidum trixo ſale miſcet acetum.
Atque olei ſucco refricant albentia membra.
Fraxineum ſemen cum Bacchi rore bibendum eſt.
Nec non appoſito curantur dropace membra.
Aut calido ſalicis radicem mollit laccho,
Qui ſolito raptos ventos, ſuccóſque revellit.
Unguine quo frangit vires languoris aquoſi.

XXIX. *Ventri molliendo.*

SÆpe cibi ſpecie, vitio vel corporis ipſo,
Potibus aut duris reſtricta morabitur alvus.
Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
Cujus aquam cocti minimo cum melle bibemus.
Prunáque conveniunt, quæ mittit clara Damaſcus.
Multos præterea medici componere ſuccos
Aſſuérunt: pretioſa tamen cùm veneris emptum,
Falleris, fruſtráque immenſa nomiſmata fundes.
Quin age, & in tenui certam cognoſce ſalutem.
Aut igitur tectum lanâ ſupponis alumen,
Aut edis in patinis teneræ decocta ſabuci,
Vel cum lacte capræ ſalſum mulſúmque capeſſas.
Crede tamen potum meliorem lactis equini.
Dicitur hic validos aſinæ pervincere ſuccos.
Sylveſtris fici lacrymam prodeſſe loquuntur.
Quódque ſatis meliùs verbis dicemus Horatî,
Mugilis, & viles pellent obſtantia conchæ.
Sed cochleas prius eſt urticâ aut furfure paſci:
Purior hinc guſtus noxâ ſinè moverit alvum.
Sæpe thalaſſomeli junctum cumulavimus imbri:
Hæc purgant, parili fuerint ſi pondere miſta.

XXX. *Solutioni ventris, & dyſenteriæ compeſcendæ.*

TAM varii caſus mortalia ſecla fatigant,
Ut ſint diverſis obnoxia corpora morbis.
Sæpe etenim nimio curſu fluit impetus alvi.
Frænat commiſto cùm fervet braſſica vino.
Aut cerafi victum longo jam tempore pomum,
Succus aminææ vitis cum pane medetur,
Vel bene permiſtum calidâ potatur acetum.
Vile quidem, facile factu, tamen utile opinor.
Si lædunt medicâ data purgatoria dextrâ,
Adjecto piperis medicetur pulvere calda.
Sin autem longo decurrens intima fluxu,
Atque immane malum multo jam tempore gliſcit,
Torridus ex vino cortex potabitur ovi.
Ramentum nivei credunt prodeſſe elephantis.
Arbore Pyramidâ cortex direpta coquatur
Axe ſub æthereo, ſic nigro miſta Lyæo
Immenſum poterit potu retinere fluorem.
Nominis aut juſſu cadrum cum maſtiche miſcet,
Mollitámque picem, & rufum de naribus unguen,
Languida quo fœdas medicamine membra foraibis.
Proderit & pueris quos dentis origo fatigat,

Caſtaneas

Caſtaneas coxiſſe nuces, & ſorba veruſta,
Atque apium, caulésque, rubus quos fundit acuta,
Potio quæ fluidam conſumpta morabitur alvum.

XXXI. *Lumbricis & teneis purgandis.*

QUID non adverſum miſeris mortalibus addit
Natura, interno cùm viſcere tinea ſerpens,
Et lumbricus edax vivant inimica creanti?
Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu:
Sæpe etiam ſcandens oppletis faucibus hæret,
Obſeſſáſque vias vitæ concludit anhelæ.
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus,
Vel nepetæ tritum ex vino vel lacte capellæ,
Nec non & ſuccus medici potatur aceti.
Prodeſt præterea cum Baccho perſica frondis.
Democritus memorat menthæ conducere potum.
Sumitur abrotonum, necnon & vile melanthum.
Allia per ſeſe ſanant, aut jus coriandri.
Quin & marrubium decoctum hauſtúmque juvabit.
Pulegiúmve potens, & agreſte jugatur anethum:
Synthetis hæc prodeſt undâ mollita calenti.

XXXII. *Colo ſedando.*

CUM colus inviſum morbi genus intima carpit,
Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt,
Aut pavidi leporis madefacta coagula pota.
Sive apio nepetas tereti cum maſtiche junges,
Nec non & ſpecies ambas redolentis anethi,
Quarum decoctos patiens haurito liquores.

XXXIII. *Veſicæ, & calculo purgando, & urinæ provocandæ.*

SI cui veſicæ tardus cunctabitur humor,
Hæc mora rumpetur vino pervicta veruſto.
Prodeſt ex parvis acinos potare ſabucis,
Aut hederæ ſuccum, aut lacrymoſi trita ſinapis.
Nec non reſinas ex Oriciâ terebintho
In ſpeciem ervilis parvos glomerabis in orbes,
Quos ternos tepidâ miſtos hauſiſſe medela eſt.
Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obſcœnóque inficit imbri:
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus,
Vel nepetæ ex vino tritum, vel lacte capellæ.
Tum leporis cerebrum ex vino potare decebit.
Si dolor internam veſicæ concoquit alvum,
Subveniet radix frondoſæ epota cypreſſi,
Pulegiúmve potens domitum ferventibus undis.
Si verò in lapides denſus convertitur humor,
Qui retinet curſus, gemitúmque dolore frequentat,
Saxifragam ſeu fontigenam ſuccurrere credunt.
Præterea ſemen myrti ſylveſtris laccho
Atque oleo miſtum bibitur, nec deſit acetum,
Vináque ſumantur fricto condita cumino.
Sive palumborum capitur ſimus acre ferorum
Dulcacidis ſparſum ſuccis tritúque ſolutum:
Necnon obſcœnus capræ potabitur humor.
Obruit hic morbum, labefactáque ſaxa remittit.

XXXIV. *Conceptioni & partui.*

IRrita conjugii ſterilis ſi munera languent,
Et ſobolis ſpes eſt multos jam vana per annos,
Fœmineo fiat vitio res, nécne ſilebo:
Hoc poterit quartus magni monſtrare Lucretî.
Sed natura tamen medicamine victa potenti
Sæpe dedit fœtus ſtudio curante paratos.
Aut igitur leporis conſumit fœmina vulvam,
Aut ovis in ſtabulis fractas cùm ruminat herbas,
Pendentem ſpumam molli deducit ab ore,
Atque illam meminit miſto potare falerno.
Mercurialis item capitur communiter herba:
Sic cubitum noctu conjunx feſtinet uterque.
Atque ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum,
Ut facili vigeat ſervata puerpera partu,
Dictamnum bibitur, cochleæ manduntur edules.
Atqui olim menſes minùs octo moratus in alvo,
Irrumpit thalamos, & nexus ſolvit inertes.
Pulegii quoque purgati tunc convenit imber,
Cujus opem veram caſus mihi ſæpe probárunt.
Quinetiam ſtercus ſupponunt vulturis atri,
Sentiat ut minimè partus quam proximus urget.
Ova etiam rutæ & fragili miſcentur anetho,
Quæ diluta ſimul vino, atque exhauſta medentur.

XXXV. *Profluvio cujuſque ſanguinis, & matrici ſubveniendæ.*

SI modicus pleno manat de corpore ſanguis,
Subvenit: at nimius cum vitâ funditur ipſâ.
Quapropter multo naris completa cruore
Cùm fluit, attritus cimex conducit odore.
Lana oleo madefit, ſed nondum lauta roſato,
Hæc datur in nares, vel claudet denſiùs aures.
Contritis prodeſt cochleis perducere frontem,
Aut galli cerebro, vel ſanguine tinge columbæ.
Quòd niſi ſupprimitur ſanguis, potandus & ipſa eſt.
Præterea Phariis caput emetire papyris.
Detrahe quod ſupereſt, alio genitalia necte.
Fœmineas prodeſt illinc vincire mamillas,
Menſtruus immenſo ſi profluit impete ſanguis.
Succida lana malos remoratur ſubdita curtus,
Mortua quinetiam producit corpora partu.
Sed quacunque fluit vis immoderata cruoris,
Subereus cortex calidis potatur in undis
Antè minutatim ſtudio vincente terendus.
Pulegii calido purgatur fœmina potu.
Sed ſi fortè cruor clauſâ cunctabitur alvo,
Aut molles nepetæ, aut rute quæcunque bibentur.
Aut ſi puniceos fundit veſica liquores,
Marrubium ex paſſo tritum perfunditur undis,
Hi poterunt hauſtus rutilum purgare colorem.
Reliquias partûs eadem tibi detrahit herba.
Quod ſi fœminei properabit ſanguinis imber,
Eſt qui fruſta molæ percuſſu decutit uno,
Quorum aliquot lanis tectum ad præcordia nectit,
Hæc ſimul incantans ſiſti debere cruorem,
Ut lapis ille viæ ſolitos jam deſtitit orbes.

XXXVI. *Internecandis, quæ oculos impediunt.*

MObilis hirſutas horret laſcivia ſetas,
Et gaudet rapto nudari flore pilorum.
Sed bona nonnunquam vellendi cauſa videtur,
Corpora cùm relevat, ratio manifeſta ſalutis.
Namque oculos infeſta pilorum tela laceſſunt,
Quódque illis dederat callum natura tuendis,
Indè inimica ſeges proprios defævit in orbes.
Ergo locum crinis vulſi continge cruore,
Quem dat avis, tremulis ſimulat quæ pellibus alas.
Præterea quaſcunque voles avertere ſetas,
Atque in perpetuum rediviva occludere tela,
Corporibus vulſis ſaniem perducito ranæ,
Sed quæ parva ſitu eſt, & rauco garrula queſtu.
Necnon quæ ſtagnis ceſſantibus hæſit hirudo,
Sumitur, & vivens Samiâ torretur in ollâ.
Hæc acidis jungit permiſta liquoribus artus,
Avulſámque vetat rurſus percreſcere ſylvam.

XXXVII. *Omnibus obſcœnis medendis.*

DIcendum & quæ ſit membris medicina pudendis.
Languidus antiquo purgatur penis laccho,
Ac ſuper illinitur fœcunda felle capellæ.
Manè novo myrti frondes commandere prodeſt
Cui dolet, atque illas in vulnus deſpuat ipſum.
Fece etiam vini genitalia lauta levantur,
Et tumidos teſtes Nereïa lympha coërcet,
Vel bulbi ex mulſo, vel cera immiſta cupreſſo,
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.
Ramicis immenſum fertur cohibere tumorem
Far madidum lymphâ, & ferali fronde cupreſſi,
Unde etiam potu frons hæc memoratur amica.
Sin autem exiſtit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.
Obſcœnos ſi ponè locos nova vulnera carpent,
Horrentum mansâ curantur fronde ruborum.
At ſi jam veteri ſuccedit fiſtula morbo,
Muſtelæ cinere immiſſo purgabitur ulcus,
Sanguine ſeu ricini quem bos geſtaverit anté.
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi,
Herbáque cum ſevo foliis de mille vocata.

XXXVIII. *Iſchie, & articulari morbo curando.*

SÆpius occultus victâ coxendice morbus
Perfurit, & greſſus diro languore moratur:
Populus alba dabit medicos de cortice potus.
Nec non & teneræ gracili de fronde geniſtæ
Arreptos caules, acioóque liquore madentes
Sumere conveniet, rubiam quoque ducere potu,
Aut in aminæo cochleas haurire Lyæo.

Si

Si verò articulos tabes inimica per omnes
Hæserit, ex ficu betas ac melle ligabis,
Vel pelagi latices timul & Baccheia dona
Sumere curabis, nimio sed parcito vino.
Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
Hôc vitio tales fertur meruisse dolores.

XXXIX. *Furunculo medendo.*

CUM sanguis nimius puri commistus atroci
Æstuat, & papulas altè sustollit acutas,
Resinam misces, & saxis hordea fracta.
Consperså hæc tepidis opponere convenit undis.
Vis & hyoscyamum ceræ sevóque jugarum
Nectere, non minùs hæc poterit medicina juvare.
Prætereáque fimum ex gallo quod legeris albo,
Imbribus ex acidis fidens appone dolenti.
Auribus aut pecudum molles expromito sordes,
Unguine quo fotis dabitur medicina papillis.

XL. *Carboni medendo.*

HOrrendus magis est, perimit qui corpora, carbo:
Urit hic inclusus, vitalia rumpit acerbus:
Hunc veteres quondam variis pepulere medelis.
Tertia namque Titi simul & centesima Livî
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exactum, aut poto raporum semine pulsum:
Infecti dicens vix septem posse diebus
Vitam produci: tanta est violentia morbi.
Dulcacidum laticémque cumini semine junges,
Atque fimum pariter Paphiæ compone columbæ.
Hinc line diruptas partes, & clausa venena.
Prætera triti referant & operta lupini,
Nonnullus calcem vivam dissolvit aceto,
Fumantémque nivem papulis apponit acerbis.
Est qui gallinæ perducat stercore corpus.
Allia vel piperi parcè commista linuntur.
Pythagoræ cognata levi condita cumino
Proderit, & madidâ fermentum polline turgens.

XLI. *Pavi, vomicæ, & strumæ depellendi.*

SUNT alii quos dura movet natura tumores
Non minùs horrendi, sed non ita perniciosi,
Vomica qualis erit, vel eidem proxima quædam.
Simplice resinâ miscebimus hordea tusa,
Et mulsos amnes, & purgamenta columbæ:
His bene decoctis languentia membra foventur,
Mollis odorato faba jungatur coriandro.
Proderit appositum, mollitque aperitque tumorem.
Aut de phasganio radix decocta palustri,
Quæ salis admisto tundetur condimento.
Proderit & mansum quod traxeris arbore viscum.
Gramen hyoscyami ceræ sevóque vetusto
Concilia, mistisque locos perduce dolentes.
Exercere etiam corpus medicina potens est.
Ovum defundes in fictile, deinde putamen
Marrubii succo implebis, pòst melle liquenti
Omnia consociata tepenti prospera potu
Sumuntur, referántque malum, purgántque levántque.

XLII. *Igni sacro demovendo.*

EST etiam morbi species, quæ dicitur ignis,
Languida quo multo torrentur membra calore.
Vel tu vicinum sevum bovis igne remittis,
Mollitúmque lines, vel oloris fecibus ova,
Sed non cocta dabis: sic torrida membra fovebis.
Lumbricus terræ misto inducetur aceto,
Aut parili nova ruta modò, sed jungis olivum,
Ováque cum betis prosunt sæpe illita tritis.
Allia dant cinerem, sociato oleóque garóque,
Unguine quo glisceus deponet flamma furorem.
Sæpe chelidoniæ pars candida jungitur ovi:
Quæ modico potu sed vili trita capesses,
Admiscere memor lymphas amnémque falerni.

XLIII. *Podagræ depellendæ.*

QUædam sunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas species Epidaurius ipse
Dixit inesse deus; requiem tamen indere morbo
Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem.
Ergo age & arreptum salicis frondémque librúmque
Cum vino tere, tic contractos perline nervos.
Aut cùm prima mali sese ostentabit origo,
Fervida non timidis tolera cauteria plantis,
Semineósve hirci referato pectore calces
Infere, sic diræ reprimes primordia pestis.
Aut si corruptus persederit altiùs humor,
Trita cupressus ibi Baccho jungetur acerbo,
Panibus & teneris, cohibebítque addita quæstus
Parva fabucus item hircino collita sevo,
Triticeæque acido manantes amne farinæ,
Aut nitidum ranæ decoctum viscus olivo,
Sive chelidoniæ succus sale mistus aceto.
Sunt quibus appositâ siccatur hirudine sanguis.
Non audita mihi sit fas, sed lecta referre,
Hôc quidam raptus morbo per tempora messis
Vicino plantas frumenti pressit acervo,
Evasítque gravem casu medicante dolorem.

XLIV. *Vulneribus ferro aut verberibus factis.*

NAturæ vitiis medicas objecimus artes.
Nunc & fortunæ jaculis obsistere par est.
Si cui fortè lapis teneros violaverit artus,
Necte adipes vetulos & tritam chamæcisson,
Nec pudeat luteæ stercus perducere porcæ.
Sin autem sævo laceratum est verbere corpus,
Tum lixiva cinis ceras dissolvit & ova,
Admistóque oleo vibices comprimit atras.
Si verò infrænus manat de vulnere sanguis,
Purpura torretur conchyli perlita fuco,
Hujus & atra cinis currentem detinet undam.
Verrucæ quoque defectæ frænare cruorem
Dicitur ambustus Tyrio de vellere pulvis.
Præterea nimios referati vulneris amnes
Peniculi cinis astringit, vel fimbria porri.
Sive fimus manni cum testis uritur ovi,
Et reprimit fluidos miro medicamine cursus.

XLV. *Vulneribus quibuscunque cæsibus factis.*

TAM variæ humanæ sunt vulnera conditionis,
Ut nequeam proprias cunctis ascribere curas.
Iisdem igitur monitis casus armabimus omnes,
Sic tamen ut nullus medicinam eluserit error.
Ergo modus quicunque obtingit vulneris atri,
Contritus cum melle dabit medicamina bulbus:
Herbáque quæ foliis nomen de mille recepit,
Appositu prodest adipi permista vetusto.
Succida cum tepido nectetur lana Lyæo,
Ambustæve cinis complebit vulneris ora.
Concludit verò vel frons vel ramus ab ulmo,
At succis hederæ pulchrescit fœda cicatrix.

XLVI. *Hominis ac simiæ morsui.*

SIVE homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum,
Betonicam ex duro prodest assumere Baccho.
Necnon & raphani cortex decocta medetur,
Si trita admortis fuerit circumlita membris.

XLVII. *Serpentium morsibus, & viperæ viru excludendis.*

CUspide non quisquam, longæ neque cæde sarissæ,
Fulmine non gladii, volucris nec felle sagittæ,
Quàm citò vipereo potis est affligier ictu.
Quare aptam dicamus opem, succósque medentes.
Quem nocuit serpens, fertur caput illius aptè
Vulneribus jungi, sanat quem saucial ipsa:
Utque Larissæâ curatur Telephus hastâ.
Proderit & caulem cum vino haurire sabuci,
Aut coctum raphani librum tritúmque ligare,
Sive etiam excelsâ folium de mole cupressi,
Manavit lactans caprifici succus ofellam,
Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit.
Cardnus est undum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix tepido potatur in amni.
Cervino ex fœtu commista coagula vino
Sumuntur, quæ res membris agit atra venena.
Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi,
Betonicæve leves, gallinæ aut jura vetustæ.
Si verò horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Urinam credunt propriam conducere potu,
Varronis fuit ista senis sententia: necnon
(Plinius ut memorat) sumpti juvat imber aceti.
Dicendum, & quæ sit præcox medicina timenti
Cautio: namque potest diros prævertere morsus,
Si jecur exectum tardo de vulture portes.
Erucis aut si totos perduxeris artus,
Quos priùs attritos vehementi spargis aceto.
Aut tu cervinâ per noctem in pelle quiesces,
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.

Toxica

Toxica præterea quâ ſint pellenda medelâ,
Expediam: ſanguis poterit prodeſſe caninus,
Qui facili potu antidotos imitatur honeſtas.
Vis & mirificos cautus prædiſcere odores,
Accenſis quibus arcetur teterrima ſerpens,
Aut ſtyracem torres, aut diri vulturis alam,
Vel nepetam, aut frondem rigidæ ſtirpémque myricæ.

XLVIII. *Ictibus Scorpii, & morſibus Muris cæci, vel Aranei.*

SUNT minimæ ſpecies, ſed diræ vulnere peſtes,
Quæ magìs in tenui latitantes corpore fallant,
Scorpius ut gravis eſt & araneus, hæc malè ſemper
Captant ſecuros multâ jam nocte ſopores,
Et documenta dedit nobis proſtratus Orion,
Magna quod exiguis perimantur ſæpe venenis.
Et quum vulnus atrox incuſſit ſcorpius ardens,
Continuò capitur, tunc dignâ cæde retuſus,
Vulneribúſque aptus, fertur revocare venenum.
Aut calidis pelagi lymphis loca læſa foventur,
Sive meri potu diſſolvitur improba peſtis.
Ad cunctos autem morſus ictúſque minorum
Caſeus aptus erit ſimæ de lacte capellæ,
Cúmque hôc abſumi debebit origanus herba:
Hæc duo mirificis curabunt icta medelis.
Necnon periculo calidum annectetur acetum,
Aut vivum ſulphur ſicci cum fece Lyæi.
Exiguo piperis cerebrum conſpergito galli,
Quo lita ſaneſcunt depulſo membra dolore.
Sin autem muris nocuit violentia cæci,
Quæ ſola ignavit volvendis orbita plauſtris,
Illine, mira datur vili de pulvere cura.

XLIX. *Subitaneo dolori, febri, atque oſtocopo.*

NOnnunquam exiſtit ſubiti nova cauſa doloris
Cujus origo latet, veris reprimenda medelis.
Namque chelidoniam miſto ſale nectere prodeſt,
Velleráque infuſo recalentia ſulphure ſanant.
Oſtocopon lento conducit melle perungi.
Sin autem calidæ depaſcent corpora febres,
Tunc apii ſuccus leni ſociatur olivo.
Membra lines, fotúque ferus mulcebitur ignis.
Nec ſpernendus adeps, dederit quem beſtia melis.
Seminecis cervi lacrymam miſcere liquori
Convenit, atque artus illinc mulcere calentes:
Sic lacerat morbum, bilémque revolvit in alvum.
Præterea chymum ſtomacho deficcat iniquum,
Quæ magìs atque magìs promittunt corpora claudi.
Febribus aut longis galli nova jura vetuſti
Subveniunt, etiam tremulis medicantia membris.

L. *Quartanæ typo medicando.*

NEC tu crede levem dilato tempore febrem,
Quæ ſpatium ſibi dat, magis ut ceſſando caleſcat,
Letali quæ graſſatur quartana calore,
Ni medicas adhibere manus curemus & herbas.
Allia non pudeat terno cum cimice trita,
Et diluto mero mediis haurire diebus.
Aut facilem jecoris murini ducere fibram,
Quatuor ut duri jungantur ſcrupula Bacchi.
Mira eſt abſinthî cum ſimplice potio lymphâ.
Sume tribus digitis apprenſum ſemen anethi,
Tantundem marathri, mulſum nec deſit aceti,
In cujus cyatho prædicta ſalubriter hauris.
Mæoniæ Iliados quarium ſuppone timenti,
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.
Prodeſt & potus, ſed mulſus Doridis humor.
Quidam etiam miranda ferunt, veniente calore,
Jurantes ludum Veneris munúſque petendum.
Sed prius eſt oleo partus ferveſcere ranæ,
In triviis, illóque artus perducere fuco.

LI. *Tertianæ typo medicando.*

EST etiam alternis febris rediviva diebus,
Tempora diſcernens quaſi juſtæ pondera libræ.
Ut potiis igitur talem prohibere furorem,
Involves cerâ pallentis grana cumini,
Puniceæque indes pelli, collóque ligabis.
Pulegii ramus lanæ velatus amictu
Tempore ſuſpecto medicos præbebit odores.
Præterea tritus cimex potatur in ovo,
Horridus attactu, ſed guſtu commodus apto.

LII. *Quotidianæ typo medicando.*

AT qui continuis non ceſſat adire diebus,
Sed tantùm certas morbus diſcriminat horas,
Triticeum metuit granum (ſi credere dignum eſt)
Quod latitans fracto fuerit ſub pane repertum,
Nec non oſſa juvant ſeptis inventa domorum.
Convenit hæc tereti pendentia ſubdere collo.
Multáque præterea verborum monſtra ſilebo:
Nam febrem vario depelli carmine poſſe
Vana ſuperſtitio credit, tremulæque parentes.

LIII. *Hemitritæo depellendo.*

MOrtiferum magìs eſt, quod Græcis hemitritæum
Vulgatur verbis, hoc noſtrâ dicere linguâ
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
Inſcribis chartæ, quod dicitur Abracadabra,
Sæpius & ſubtèr repetis, ſed detrahe ſummam,
Ex magìs atque magìs deſint elementa figuris
Singula, quæ ſemper rapies, & cætera figes,
Donec in angoſtum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodeſſe leonis.
Coralium verò ſi cocco nectere velles,
Nec dubites illis virides miſcere ſmaragdos.
Talia languentis conducent vincula collo,
Letaléſque abigent (miranda potentia) morbos.

LIV. *Fracturis, & luxis ſanandis.*

INfandum dictu cunctis procul abſit amicis,
Sed Fortuna potens omen convertat in hoſtes.
Vis indigna novo ſi ſparſerit oſſa fragore,
Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis,
Lintea deinde ſupérque inductas nectere lanas,
Sæpius & ſuccos conſpergere pinguis olivi.
Bis ſeptem credunt coaleſcere cuncta diebus.
Aut veteri Baccho capræ ſimus indè petulcæ,
Hoc aperit clauſum, trahit hærens, ſanat apertum.
Si verò caput infeſtus colliſerit ictus,
Ex oleo necti veſtis debebit arachnes,
Neſciet hæc illinc (niſi cùm ſanârit) abire.
Quòd ſi luxa ſuo decedent membra tenore,
Urere fœmineos crines, ac jungere ſevum
Congruet, ac tali medicamine mota ligare.
Aut malum ex pingui tritum appoſuiſſe juvabit.
Aut ſi concluſum ſervavit tibia vulnus,
Stercus ovis placidæ junges adipéſque vetuſtos,
Pandere quæ poterunt ulcus, patulóque mederi.

LV. *Nervis inciſis, & dolentibus, atque contractis.*

HAUD quiſquam credet diſſectos vulnere nervos
Ad ſolitum rurſus revocari poſſe vigorem.
Sed prodeſt terræ lumbricos indere tritos,
Quis vetus & ranæ ſociari axungia debet.
Si verò occultus nervos dolor urit inertes,
Vulturis exciſos adipes rutámque remitte,
Aut ceram, & tali recreabis languida fotu.
Convenit & pelagi calidis perfundier undis.
Carica, vel betis lento cum melle jugatur.
Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupreſſi,
Quo poteris potu recreare rigentia membra.
Sin autem ſubito replicantur corpora morbo,
Contractos revocat nervos caro ſumpta columbæ.

LVI. *Ægris ſomno adſciſcendo.*

NON ſolùm miſeros teterrima febris adurit,
Sed ſupèr optato pergit viduare ſopore,
Ne profint placidi cœleſtia munera ſomni.
Charta igitur, variis quam pinxit littera verbis,
Uritur, indè cinis calido potatur in amni.
Proderit & magnum capiti ſubſternere fulcrum,
Prodeſt & miſtam lymphis potare cupreſſum,
Palladiis itidem ſuccis, quos flore roſarum
Jungis, & immiſces madidum tritúmque papaver:
Quo lita frons facilem præbebit nocte quietem.
Necnon mandragoræ guſtu ſopor additur altus,
Dilue præterea glomeramina, quæ gerit intus
Clauſa aries inter geminæ coxendicis umbras,
Indè ſoporati ducentur gutture potus.

LVII. *Lethargiæ expellendæ.*

DIximus hanc ſortem miſeris mortalibus eſſe,
Ut ſint ſæpe mala inter ſe contraria morbi,
Denique nonnunquam ſomno ſic membra gravantur,
Ut conjungatur leto ſopor altus acerbo.
Ergo levi flammâ torrentur cornua captæ,
Quo nidore gravem depellent lumina ſomnum.
Aut veneris labrum, quæ dicitur herba, bibetur,

Quæ

Quæ teritur priùs, & vino confusa liquescit.
Conveniunt acidis euphorbia mista fluentis,
Gramina vel rutæ, geminâ si nare trahantur.
Quidam dira jubent, septeno cimice trito,
Ut vitientur aquæ, cyathúsque bibatur earum.
Hæc potiora putant, quàm dulci morte perire.

LVIII. *Comitiali morbo.*

EST subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.
Sæpe etenim membris atro languore caducis,
Consilium populi labes horrenda diremit.
Ipse deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.
Prodest cum veteri Baccho fel vulturis ampli,
Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit uno.
Aut cruor ex Progne mistus cum polline thuris,
Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni,
Marrubiúmve pari confusum pondere mellis,
Cui tu terna dabis gustu cochlearia in uno.
Aptus mustelæ cinis est & hirundinis unâ.
Præterea pluvias hominis quas calva supina
Excepit projecta unu, consumere prodest.
Aut lapis ex nido, vaga quem congessit hirundo,
Vellitur, & nexu fovet attollítque jacentem.
Pellitur (ut fama est) gustu quoque languor anethi.

LIX. *Regio morbo pellendo.*

REgius est vero signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsâ curatur in aulâ.
Huic rubia ex mulsâ fertur conducere lymphâ.
Allia trita dabis vino madefacta calenti.
Vellera cum vivo suffiri sulphure prodest.

LX. *Infantibus dentientibus, vel strige inquietatis.*

NUdum hominem primùm mater natura profudit,
Insuper excruciat, niveis cum dentibus armat.
Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci,
Aut teneris cerebrum gingivis illine porci.
Aut leporis niveum bibitur cum lacte caprino.
Præterea si fortè premit strix atra puellos
Virosa immulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Titini sententia necti,
Qui veteri claras expressit more togatas.

LXI. *Combustoris igne, vel frigore.*

SUNT diversa quidem mala frigoris atque caloris,
Sed tamen amborum simili nocet ulcere virus.
Illa quoque usta putes, quæ sunt nive læsa rigente,
Conversa in cinerem platani pila curat utrumque.
At verò ambustum flammis, qui candidus ovi
Succus inest, pennâ inductus sanare valebit.
Aut tu succosæ cinerem perducito lanæ,
Aut vivam ex oleo veteri componito calcem,
Hordea vel franges atque ovi candida junges,
Adsit adeps porcæ (mira est hæc forma medelæ)
Junge chelidoniis, ac sic line vulnera, succis.
Quódque recens uffit glacies, axungia simplex
Mulcet, & ex facili grata est medicamine cura.

LXII. *Venenis prohibendis.*

UT tutus fias infestæ fraude noverce,
Vel quicunque tuo carpetur lividus auctu,
Non expectatis erat obvia cura venenis.
Antè cibos igitur juglandis fœtus edatur.
Produnt electri rorantia pocula virus,
Præterea coctæ querno cum cortice lymphæ
Conveniunt potu, dimersáve ficus olivo.
Sæpe etiam raphanum prædixit numen edendum.
Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed Magnus scrinia regis
Cùm raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.
Bis denum rutæ folium, salis & breve granum,
Juglandésque duas, totidem cum corpore ficus,
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo,
Sumebat metuens, dederat quæ pocula matri.

LXIII. *Venenis datis.*

SI nequit infandum prævertere cautio virus,
Proximus ille gradus, data pocula pellere curâ.
Lac asinæ placidæque bovis prodesse loquuntur.
Betonicam ex parvo sumunt plerique Lyæo.
Quòd si hederæ succos, quæ truncos implicat altos,
Instilles pateris, poterunt haud ulla nocere
Pocula, quæ quisquam sævis vitiaverit herbis.
Si quis hyoscyamum gustârit, lacte capellæ
Exhausto, rabidos poterit mulcere furores.

LXIV. *Vulneribus ex re dubiâ curandis.*

VUlnera tabescunt spatio vitiata dierum,
Curáque nil prodest, nec ducitur ulla cicatrix.
Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
Ulceris annosi sinus ut coalescere possit,
Marrubium si tu recoquas, illóque liquore
Vulnus atrox foveas, cineres vel hirundinis altæ
Inducas, leporísve aspersa coagula vino,
Aut hederam Baccho decoctam, & semen anethi,
Aut cineres alni tardo cum melle ligentur.
Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus,
Aut facilis lapathi cumulario vulnera purgat,
Et commissus adeps, sed nonnullo sale tactus.
Pinea præterea vivo cum sulphure cortex,
Et pice cum spissâ jam perdita membra reponit.

LXV. *Verrucis tollendis.*

INterdum existit turpi verruca papillâ,
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit,
Qui solus patriæ cunctando restituit rem.
Id poterit vitium sanguis curare lacertæ,
Aut urina canis cum terrâ inducta madenti.
Aut herbæ succos, quæ fertur nomine lathyr.
Et tithymallus item tali satis apta medelæ.
Si rupta immensos fundit verruca cruores,
Purpureo triti cineres de vellere prosunt,
Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum.

LXVI. *Hemorrhoidibus medendis.*

EXcruciant turpes anum si fortè papillæ,
Agrestis prodest radix superaddita porri.
Ni violet, sanat juglandis fragmine clausa.
Sal niveum sumes, beticum quod nomine dicunt,
Dulcia cúmque nigrâ junges fuligine mella,
Apponésque supèr, pellit medicina dolorem.

PHOENIX

INCERTI AUCTORIS.

EST locus in primo felix oriente remotus,
Quà patet æterni janua celsa poli:
Nec tamen æstivos, hyemísque propinquus ad ortus,
Sed quà Sol verno fundit ab axe diem.
Illic planicies tractus diffundit apertos;
Nec tumulus crescit; nec cava vallis hiat.
Sed nostros montes, quorum juga celsa putantur,
Per bis sex ulnas eminet ille locus.
Hic solis nemus est; & consitus arbore multâ
Lucus perpetuæ frondis honore viret.
Cùm Phaetontæis flagrâsset ab ignibus axis;
Ille locus flammis inviolatus erat.
Et cùm diluvium mersisset fluctibus orbem;
Deucalioneas exsuperavit aquas.
Non huc exangues morbi, non ægra senectus,
Nec mors crudelis, nèc metus asper adit,
Nec scelus infandum, nec opum vesana cupido,
Aut Mars, aut ardens cædis amore furor:
Luctus acerbus abest, & egestas obsita pannis,
Et curæ insomnes, & violenta fames.
Non ibi tempestas, nec vis furit horrida venti;
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla super campos tendit sua vellera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.
Sed fons in medio est; quem vivum nomine dicunt;
Perspicuus, lenis, dulcibus uber aquis.
Qui semel erumpens per singula tempora mensûm,
Duodecies undis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero stipite surgens,
Non lapsura solo mitia poma gerit.
Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phœnix,
Unica, sed vivit morte refecta suâ.
Paret, & obsequitur Phœbo memoranda satelles.
Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea cùm primùm surgens aurora rubescit,
Cùm primùm roseâ sydera luce fugat;

Ter quater illa pias immergit corpus in undas;
Ter quater è vivo gurgite libat aquam.
Tollitur, ac ſummo contedit in arboris altæ
Vertice, quæ totum deſpicit una nemus,
Et converſa novos Phœbi naſcentis ad ortus,
Expectat radios, & jubar exoriens.
Atque ubi ſol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura levis:
Incipit illa ſacri modulamina fundere cantûs,
Et mirâ lucem voce ciere novam.
Quam nec Iuleæ voces, nec tibia poſſit
Muſica Cyrrhæis aſſimilare modis.
Sed neque olor moriens imitari poſſe putatur,
Nec Cyllenææ fila canora lyræ.
Poſtquam Phœbus equos in aperta reſudit olympi,
Atque orbem totum protulit uſque means;
Illa ter alarum repetito verbere plaudit
Non errabilibus nocte diéque ſonis.
Atque eadem celeres etiam diſcriminat horas;
Igniferúmque caput ter venerata ſilet.
Antiſtes nemorum, & luci veneranda ſacerdos,
Et ſola arcanis conſcia Phœbe tuis,
Quæ poſtquam vitæ jam mille peregerit annos,
Ac ſe reddiderint tempora longa gravem,
Ut reparet laſſum ſpatiis urgentibus ævum,
Aſſueti nemoris dulce cubile fugit.
Cúmque renaſcendi ſtudio loca ſancta reliquit;
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæva volatus;
Phœnices nomen cui dedit ipſa vetus.
Secretóſque petit deſerta per avia lucos;
Hic ubi per ſaltus ſylva remota latet.
Tum legit aërio ſublimem vertice palmam,
Quæ gratum Phœnix ex ave nomen habet.
Quam nec dente nocens animal perrumpere poſſit,
Lubricus aut ſerpens, aut avis ulla rapax.
Tum ventos claudit pendentibus Æolus antris,
Ne violent ſtabris aëra purpureum;
Neu concreta Noto nubes per inania cæli
Summoveat radios Solis, & obſit avi.
Conſtruit indè ſibi ſeu nidum, ſive ſepulchrum;
Nam perit, ut vivat; ſe tamen ipſa creat.
Colligit hinc ſuccos, & odores divite ſylvâ,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs:
Quos aut Pygmææ gentes, aut India carpit;
Aut molli generat terra Sabæa ſinu.
Cinnama dehinc, aurámque procul ſpirantis amomi
Congerit, & miſto baſſama cum ſolio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
Nec thuris lachrymæ, guttáque pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis.
Protinus in ſtrato corpus mutabile nido,
Vitalíque toro membra quieta locat.
Ore dehinc ſuccos membris circúmque, ſupráque
Injicit, exequiis immoritura ſuis.
Tunc inter varios animam commendat odores;
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum
Æſtuat, & flammas parturit ipſe calor;
Aërióque procul de lumine concipit ignem;
Flagrat, & ambuſtum ſolvitur in cinerem.
Hos velut in maſſam cineres in morte coactos
Conflat; & effectum ſeminis inſtar habet.
Hinc animal primùm ſinè membris fertur oriri,
Sed fertur vermis lacteus eſſe color.
Crevit in immenſum ſubitò cùm tempore certo,
Séque ovi teretis colligit in ſpeciem.
Indè reformatur, qualis fuit antè figura;
Et Phœnix ruptis pullulat exuviis.
Ac velut agreſtes, cùm filo ad ſaxa tenentur,
Mutari pennæ papilione ſolent.
Non illi cibus eſt noſtro conceſſus in orbe;
Nec cuiquam implumem paſcere cura ſubeſt.
Ambroſios libat cæleſti nectare rores,
Stellifero teneri qui cecidere polo.
Hos legit; his mediis alitur in odoribus ales,
Donec maturam proferat effigiem.
Aſt ubi primævâ cœpit florere juventâ;
Evolat ad primas jam reditura domos.
Antè tamen, proprio quicquid de corpore reſtat,
Oſſáque, vel cineres, exuviáſque ſuas,
Unguine baſſameo, myrrhâque, & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.
Quam pedibus geſtans contendit ſolis ad ortus,
Inque arâ refidens, ponit in æde ſacrâ,
Mirandam ſeſe præbétque videnti:
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.
Principio color eſt, qualis ſub ſydere cæli
Mitia quem croceo punica grana legunt.
Qualis ineſt foliis, quæ fert agreſte papaver,
Cum pendens vellit Sole rubente polus.
Hôc humeri pectúſque decens velamine fulgent;
Hôc caput, hôc cervix, ſummáque terga nitent.
Caudáque porrigitur fulvo diſtincta metallo;
In cujus maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, Iris
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.
Albicat inſignis miſto viridante ſmaragdo;
Et puro cornu gemmea cuſpis hiat.
Ingentes oculos credas, geminóſque hyacinthos;
Quorum de medio lucida flamma micat.
Æquatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus.
Crura tegunt ſquamæ flavo diſtincta metallo;
Aſt ungues roſeus pingit honore color.
Effigies inter pavonis miſta figuram
Cernitur, & miſtam Phaſidis inter avem.
Magniciem, terris Arabum quæ gignitur ales,
Vix æquare poteſt, ſeu fera, ſeu ſit avis.
Non tamen eſt tarda, ut volucres, quæ corpore magno
Inceſſus pigros per grave pondus habent.
Sed levis, & velox, regali plena decore,
Talis in aſpectu ſe exhibet uſque hominum.
Convenit Ægyptus tanti ad miracula viſûs;
Et raram volucrem turba ſalutat ovans
Protinus inſcalpunt ſacrato in marmore formam;
Et ſignant titulo rémque diémque novo.
Contrahit in cœtum ſeſe genus omne volantum,
Nec prædæ memor eſt ulla, nec ulla metûs.
Alituum ſtipata choro volat illa per altum,
Turbáque proſequitur munere læta pio.
Sed poſtquam puri pervenit ad ætheris auras:
Mox redit illa; ſuis conditur ille locis.
Hæc fortunatæ ſortis, fatíque volucris,
Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus.
Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum ſit magè, felix,
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi venus eſt; ſola eſt in morte voluptas;
Ut poſſit naſci, hæc appetit antè mori.
Ipſa ſibi proles; ſuus eſt pater, & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa quidem, ſed non eadem; quia & ipſa, nec ipſa eſt,
Æternam vitam mortis adepta bono.

MARCELLI. V. IL.

Ex Magiſtro officior. Theodoſii ſenioris Imp.

DE MEDICINA.

QUOD natum Phœbus docuit, quod Chiron Achillem,
Quod didicere olim Podalirius atque Machaon
A genitore ſuo, qui quondam verſus in anguem,
Templa Palatinæ ſubiit ſublimia Romæ:
Quòd Cous docuit ſenior, quódque Abdera ſuaſit,
Quod logos aut methodos ſimpléxque empirica paugit:
Hoc liber iſte tenet, diverſo è dogmate ſumptum.
Namque ſalutiferas diſponit pagina curas.
Illic repperies per nomina, pérque medelas,
Deſcriptas ſpecies & pondera menſurarum
Congrua, quæ ſapiens ſumes moderamine certo.
Ne fallare vide, neu quæ ſunt parta ſaluti,
Vertat in exitium non ſolers cura medentis.
Sume igitur medicos pro tempore, próque labore,
Ætatíque habitu, ſummâ ratione paratos.
Gramine ſeu malis ægro præſtare medelam,
Carmine ſeu potiùs: namque eſt res certa ſaluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.
Quæ curis hominum phyſicorum inventa patárint,
Quæque ſuis natura bonis terráque marique
Edidit, illa ſuis altrix ſimul atque creatrix
Fœtibus omnigenis quos parturit, ergo ſalubres
Suggerit impenſas ponto & tellure crearas,
Angue, feră, pecude, & fruge, alite, murice, piſce.

Lacte,

Lacte, mero, pomis, lymphis, ſale, melle, & olivo,
Succis, unguinibus, tædis, pice, ſulfure, cerâ,
Polline, farre, fabis, lino, ſcobe, vellere, cornu,
Baccis, & balanis, lignis, carbone, favillâ;
Floribus & variis herbis, olere atque metallis,
Sandice, & cretâ, plumbyto, pumice, gypſo,
Cadmiâ, chalciti, chalcantho, chalco, & aduſto,
Caſſitero molli, lepide cypriâ, atque atramento.
Prome etiam ſeu tunde prius ſeu contere gyro,
Quod viride hortus habet, vel quod carnaria ficcum,
Allia, ſerpyllúmque herbas, thymbrámque ſalubrem,
Braſſicáque & raphanos, ac longis intyba fibris,
Et mentham, & finapi, coriandrum, prototomúmque,
Erucam, atque apium, malvam, betámque ſalubrem,
Rutámque & naſturcum, & amara abſinthia miſce,
Pulegiúmque potens, necnon & lene cyminum.
Palmula nec deſint Idumes, nec pruna Damaſci.
Quæ cùm multiplici contriveris orbe terendo,
In patinis excocta dabis, aut grandibus ollis.
Verùm adoperta coques, ne fumida jura ſaporem
Corruptum reddant, quæ mox faſtidiat æger.
Adde & aromaticas ſpecies quas mittit Eous,
Vel quæ Judaïcis fragrant bene condita caſtis,
Thus, coſtum, folium, myrrham, ſtyracem, crocomagma,
Aſpalathum, gallam, helleborum, nigrúmque bitumen,
Et nardum, & caſias, & amoma, & cinnama rara,
Balſama, peucedanum, ſpicam, crocum atque bedellam,
Irim, caſtoreum, ſcillámque, opium, panaceam,
Reſinam, lepidum, euphorbium, git, atque pyrethrum.
Zingiber & calidum, mordax piper, & laſer algens,
Agaricúmque, aſarúmque potens, aloen, aconitum,
Galbana, tandracam, ſampſucum, pſoricum, alumen,
Acaciam, propoliſmque, & adarchen, cnicon, acanthum,
Andrachnen, acorónque, opopanaca, pompholygémque,
Cyperum, ladanum, ſagapenónque & tragacanthum,
Scammoniam, cypen, malabathron, ammoniacon.
Denique repperies illic quod lucis in ortu,
Indus, Arabs, Seres, Perſis divéſque Sabæus,
Vicino ſub ſole legunt, quod præbet Orontes,
Eximium ignoto mittit quod Nilus ab ortu,
Decerptum foliis, ramo, cute, cortice, virgâ;
Quódque ab Idumæis vectum ſeplalia vendunt,
Et quicquid confert medicis ſalagea cataplus.
Hæc quicunque leges poteris diſcernere tecum,
Agnoſcenda magis ſive exercenda rearis.
Quiſque tamen noſtrum hoc ſtudium dignabere, quæſo
Præſtes judicium purum, mentémque benignam.
Sic tua perpetuo vegetentur membra vigore,
Et peragas placidam per multa decennia vitam.
Sic non incuſes validam placitámque ſenectam.
Nec tibi ſit medicis opus unquam, nec tibi caſus,
Aut morbus pariant ullum quandoque dolorem:
Sed procul à curis & ſano corpore vivas,
Quotque hic ſunt verſus, tot agant tua tempora Janos.

VERSUS RUFFINI

DE

COMPOSITIONE ET METRIS ORATORUM.

MUSIGENÆ numeros vates & metra ſequuntur,
Orator numeros, hæc illi maxima virtus,
Ne vagus errando laudandam neſciat artem.
Rhetoras Auſonios & Graios dactylus armat.
Dactylus armavit Ciceronem, armavit iambus
Spondæúſque gravis, numeróque aptiſſime pæan.
Temporibúſque pares, quamvis & ſyllaba creſcat.
Continuos fugito multos (fit verſus) eoldem.
Optimus orator ſequitur ratione poëtas,
Cognatus virtute tuâ. metrúmque recuſans
Hic quoque vult numeris voces frenare vagantes.
Doctus Ariſtoteles pæanam laudat utrumque
A longâ incipiens, primordia pulchra locabit
Aſpicere ut verbum eſt, contrarius ille ſupremus,
Tullius hunc laudat, cui ſit penultima longa,
Eſſe trochæus adeſt, videatur, tertius ille
Quem pæana vocat, muſis devota vetuſtas,
Hic membris melior noſtris cui tertia longa.

Verſus ejuſdem de numeris & pedibus oratorum.

Rhetoricas pulchre ſtructuras dochimus ornat,
Principium bacchius erit, concludet iambus,
Aut vice mutatâ nomen mutabitur uni,
Primus iambus erit, cùm finem creticus explet,
Prima brevis, longæque duæ, brevis, ultima longa,
Exemplúmque artis dabitur res publica nobis,
Quam Cicero caſu genitivo ponere gaudet.
Hoc pede compoſito laudatur fama pedeſtris
Ut docet Auſonius orator Tullius ingens.
Omnibus iſte locis numerum pes efficit aptum,
Longa brevem ſequitur, longam brevis, adjice longam,
Syllaba prima brevis cùm ſyllaba longa ſecunda,
Tertia longa, brevis quarta, productáque quinta
Tullius orator, ceu multi dochimon ornat.
Creticus, atque trochæus erit qui claudere poſſunt.
Aut ſpondæus ineſt, nullo diſcrimine finis.
Principióque Trochæon habes, in fine moloſſum.
At finis bacchius erit, brevis ultima claudet.
Longa ſit anne brevis, nullum diſcrimen habetur,
Ut ſolet in metris doctus componere vates.
Aut adſit numeris pulcher, bis fine trochæus.
Sed magis erigitur ſpondæo clauſula fortis.
Hanc docet eloquium ſummi Demoſthenis artem.

Item Verſus Ruffini.

Spondæo narrare ſolent tibi rhetores acta,
Quod gravis & tardus, res geſtas mentibus affert,
Dactylicis certant pedibus, qui currere poſſunt.
Dicimus egregios Theopompi more labores,
Et vitam inſignem laudamus Iſocratis arte,
Hic ſtilus hiſtoriis, hic laudibus aptior hæret.

De Ambitu ſive Circuitu, quem græci περίοδον dicunt.

Dicere muſa jubet, me dicere juſſit Apollo
Circuitum orator quot membris reddere debet.
Vos Phœbi comites animis hæc condite veſtris,
Et memores doctis componite mentibus artem.
Non unum natura dedit nos ferre laborem.
Legibus alternis. quæ pulchras junxerat artes,
Quattuor è membris plenum formare videmus
Rhetora circuitum, ſic ambitus ille vocatur,
Quattuor ex metris hunc verſibus aſpicis æquum.

De genere judiciali.

Judiciis pæana refert tibi Tullius aptum.

De genere deliberativo.

Si quis rem dubiam deliberat, armat iambus.
Dactylus his cauſis tibi dicitur aptus utriſque.

De Theophraſto idem Ruffinus metro ſapphico ſic.

Rhetoras pulchros Theophraſtus ornat
Membra diſpergens bona dithyrambi
Fuſa per artes. Anapæſtus illâ
Floret in arte.
Longior fluxit numerus per artem,
Quem dedit nobis Anapæſtus ille.
Hinc pedes claros loca dithyrambi
Rhetores aptant.

Verſus Ruffini.

Creticus aut ſpondæus erit pæánve ſupremus,
Dactylus atque trochæus adeſt, vel curſor iambus,
Partibus in cunctis qui ponitur ante ſupremum,
Temporibúſve pares hos omnes reddere poſſunt,
Solvere ſeu longas malis ut ſyllaba creſcat,
Rhetoricis Aſiæ placuit bis fine trochæus.
Principia, & medium, & finem tibi dochimus ornat.

PRISCI-

Digitized by Google

PRISCIANI PERIEGESIS.

NATURÆ genitor, quæ mundum continet omnem,
Annue rex cæli positum telluris & undæ,
In quas imperium mortalibus ipse dedisti,
Materiam tantam me promere carmine digno.
Incipiens terræ tractus, pontique meatus,
Et fluvios canere, atque urbeis, populósque per orbem
Discretos: latè refluum memorare parabo
Oceanum; tellus quo cingitur æquore tota,
Insula ceu sese diffundens littore vasto.
Non tamen assiduo teres undique margine circùm.
Clauditur hæc, bifido sed brachia littore pandens
Arctatur rapidos cursus ad solis utrinque,
Assimilis fundæ. sed quamvìs corpore toto
Una sit hæc, homines tres dicunt esse diremptas:
Et primam Libyen, pòst Europen, Asiámque.
Sed Libyam Europæ discernit finibus amplis
Linea, quam obliquant Gades atque ostia Nili:
Quà boreæ excurrit Memphitis terra sub axeis,
Atque locum vovit Spartano fama Canopo.
Sed terras aquilo quà frigore damnat iniquo,
Europen Asiæ Tanais disjungit ab oris:
Sauromatas linquens Scythiam quo gurgite vasto
Perstringit, præcépsque ruit Mæotida poscens.
At medius finis, jam jam declinis ad Austrum est,
Quas Hellesponti fauceis dixere priores:
Sed magìs australis sunt terminus ostia Nili.
Par mare sic fluviósque duos discernitur orbis.
Ast alii terris malunt discernere terras.
Finibus est Asiæ latus arctum lingua supernis,
Caspia quam mediam faciunt atque æquora ponti
Euxini: locus hic discrimen dicitur esse
Europes Asiæ disjungens ruribus arva.
Ast alius finis longissimus exit in austros,
Qui secat Ægypti terras æquórque Sabæum:
Separat hic Libyen Asiæ confinia rumpens.
Talia mortales perhibent discrimina terræ.
Circuit oceani gurges tamen undique vastus,
Qui, quamvìs unus sit, plurima nomina sumit.
Finibus Hesperiis Atlanticus ille vocatur.
At boreæ quà gens fervens Arimaspa sub armis,
Dicitur ille piger, nec non Saturnius: idem
Mortuus est aliis, minimo quòd lumine Solis
Perfruitur: tardè radios nam suscipit ortus,
Nubibus & crassis premitur, nimbísque gravatur.
Unde tamen primo conscendit lumine Titan,
Eoúmque vocant atque Indum nomine pontum.
Sed quà devexus calidum polus excipit austrum,
Æthiopúmque simul pelagus Rubrúmque vocatur:
Quà deserta patet tellus ardore perusta.
Circuit oceanus sic totum maximus orbem,
Nominibus variis celebratus & æquore tanto.
Hinc atque indè sinus penetrabilis efficit ille
Exiguos multos, dirimens mare, quatuor amplos.
Persecat Hesperiam primus qui porgitur undis,
Pamphylúmque latus Libyæ portendit ab oris.
Hôc minor est, reliquis major, quem Caspia tellus
Suscipit intrantem vastis aquilonis ab undis,
Nomine Saturni quod Tethys possidet æquor.
Caspius iste sinus simul, Hyrcanúsque vocatur.
At duo, qui veniunt australis ab æquore ponti,
Hic suprà currens mare Persidis efficit altum,
E regione situs quà Caspia volvitur unda:
Fluctuat ast alter Panchæáque littora pulsat,
Euxini contra pelagus protentus in austros.
Hosce sinus perhibent, quos Tethyos efficit unda,
Majores: nam sunt alii multíque minores.
Nunc maris Hesperii lustrabo carmine tractus,
Flexibus in variis qui frangitur æquore pontus,
Has stringens pelago terras, circumfluus illis:
Montibus & radeos, suppostásque urbibus oras.
Adsis ô numen studiorum præsul & artis,
Ordine principium capiens Atlantis ab undâ.
Herculeo celebrant quà metæ munere Gades,
Cæliferáque tenens Atlas stat monte columnas.
Est primus vastis qui pontus Ibericus undis
Dividit Europen Libyâ, communis utrique.
Hinc atque hinc statuæ sunt. ambæ littora cernunt,
Hæc Libyes, hæc Europes, adversa tuendo.
Gallicus hunc gurges, qui Celtica littora pulsat,
Excipit, hinc sequitur Ligurum cognomine dictus.
Quà domini rerum terris crevere Latinis,
Ad Petram Leucen aquilonis ab axe reductis,
Quæ freta Sicaniæ concludit littore curvo.
Insula sed Cyrnos propriis pulsatur ab undis,
Inter Sardinium pelagus Celtúmque refusis.
Indè salis tumidus Tyrrheni volvitur æstus,
Ad parteis vergens australeis. excipit istum
Sicaniæ gurges, solis deflexus ad ortus:
Qui procul effusus Pachyni distenditur oris,
Ad Cretæ summam, quæ prominet æquore, rupem:
Quà Gortyna potens, mediis quà Phæstus in arvis.
Arietis hanc rupem simulantem vertice frontem,
Pro merito Graii Criu dixere metopon.
Hoc mare Gargani concludit Iapygis ora.
Illinc incipiens extenditur Adria vastus,
Ad boream penetrans pelago, solémque cadentem:
Ionius pariter sinus hic perhibetur ab orbe.
Dividit & geminas diversis partibus oras,
Quas tamen extremas conjungit terminus unus:
Ad dextram partem protenditur Illyris alma,
Post hanc Dalmatiæ populorum martia tellus.
At lævam Ausoniæ porrectus continet Isthmos,
Quem tria circundant maria undique littore curvo:
Tyrrhenum, Siculum, nec non simul Adria vastus:
Finibus at propriis exceptant singula ventos:
Tyrrhenum zephyro, Siculum sed tunditur austro,
Adria succurrens eoo frangitur euro.
At post Sicaniam tractu diffunditur alto
Ad Syrtin pelagus, Libycis quæ cingitur oris,
Majorem: post quam minor excipit æquora longé.
Atque sinu gemino resonantia littora pulsant.
Finibus à Siculis Cretæum provolat æquor,
Ad solis veniens ortus, Salmonida poscens,
Dicitur eous qui Cretæ terminus esse.
Post hanc est geminum mare vastum fluctibus atris,
Flatibus Ismarici boreæ quod tunditur acris,
Qui ruit adversus celsæ de partibus arctì.
Quod prius est, Pharium perhibent, hoc littora tangit
Præcipitis Casii montis. pòst unda secunda
Sidonium est pelagus: penetrat quà gurgite pontus
Ifficus, arctoas ad parteis æquore vergens,
Non longè rectus: Cilicum nam frangitur oris.
Hinc zephyros poscens veluti draco flectitur undis,
Qui juga montivagus vastat sylvásque fatigat.
Partibus extremis Pamphylia clauditur isto:
Atque Chelidoniæ rupes cinguntur eodem.
At procul hunc zephyrus finit Patareide summâ.
Post hæc arctoas ad parteis aspice rursus
Ægæum, superat qui fluctibus æquora cuncta,
Dispersas vasto qui gurgite Cycladas ambit:
Terminat hunc Imbros pariter Tenedóque coërcens,
Angustâ trahitur quà fauce Propontidis unda:
Asia quam supra populis distenditur amplis
Ad notiam partem, quà latus ducitur Isthmos.
Threïcius sequitur pòst Bosphorus, ostia ponti:
Hôc nullum perhibent terras angustius orbis
Esse fretum dirimens: hìc sunt Symplegades artæ.
Panditur hinc Ponti pelagus Titanis ad ortus;
Quod petit obliquo boream solémque meatu.
Hinc atque hinc medio percurrunt æquore colles.
Unus, qui veniens Asiæ de parte Carambis
Dicitur, australis: sed contrà finibus alter
Prominet Europæ, hunc Criu dixere metopon.
Ergo conveniunt adversi, gurgite tanto
Distantes quantum ternis transire diebus
Evalent navis. bimarem sic æquore pontum
Aspicias, similem cornu quo flectitur arcus
Nervo curvatus distento. dextera nervum
Assimilat: recto trahitur nam linea ductu,
Extra quam boream quod scandit sola Carambis:
Sed formam cornu geminatis flexibus edit

Littus

Littus quod Pontum cingit ſub parte ſiniſtrâ.
In quam Mæotis penetrans aquilonis ad axeis,
Quam Scythiæ gentes circundant undique ripis,
Et matrem Ponti perhibent Mæotidis undam,
Scilicet hinc Ponti vis exit gurgite multo
Cimmerium torrens per Boſporon: hìc ubi Taurum
Cimmerii gelidis habitant ſub finibus imum.
Hæc maris eſt ſpecies, ſplendens hæc forma profundi.
Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,
Ut cernas animo non viſas lumine terras,
Atque docens alios lauderis pectore docto,
Incipiens Libyæ, tenuiſque à Tethyos undis,
Oceanus Tyrias quà pulſat gurgite Gades,
Tenditur ad notias partes, & ſolis ad ortus.
Et menſæ formam reddit menſoribus artis,
Quam tradunt terræ non æquam margine cuncta.
Terminat hæc fineis Rubri prope littora ponti
Latos: Æthiopum populos quos poſſidet alter:
Quem calidis juxta terris paſcuntur Erembi:
Has pelli ſimiles pardi dixere priores.
Namque ſolum ſqualens urbeis diſtinguit opacas.
Hàc ſitis, bàc humor latos variatur in agros.
Sed ſummam Libyen habitant ad Tethyos undas,
Alcidæ quà ſunt ſtatuæ, Mauruſia plebes.
Poſt hos immenſæ Nomadum de ſemine gentes:
Atque Maſæſylii, nec non Maſylia proles.
Saltibus hos duris aſper ſylviſque vaganteis
Victus alit, ſævâ quæſitus cæde ferarum:
Scilicet ignaros terras perfindere raſtris,
Agricolâſque boveis plauſtris domitare ſonoris.
Nunque errant nemorum per dumos more ferarum.
Quos prope tenduntur fines Carthaginis altæ,
Perpetuas Tyriis celebrat quæ condita laudeis:
Quà regnans felix Dido per ſæcula vivit,
Atque pudicitiam non perdit carmine falſo.
Hanc minor inſequitur Syrtis, majórque ſecunda:
Quà tumor immenſus Tyrrheni pellitur æſtus,
Acceſſúſque furit, ſeceſſúque receſſus arenis.
Aſt inter Syrteis urbs eſt, quam nomine dicunt
Eſſe Nean polin: hanc ſupra juſtiſſima fertur
Hoſpitiis gaudens gens degere Lotophagorum.
Hos licet ad fineis deſertas cernere terras
Extinctis populis Naſamonum marte Latino.
Asbyſtæ poſt hos terrarum rura tenentes
In medio: ſummus Libycis & gentibus Hammon.
Nec non Cyrene clarorum mater equorum,
Urbis Amyclææ populus quam condidit olim.
Marmaridæ poſt hos Ægypti ad flumina vertunt:
Gætuliſque ſupèr ſunt, vicinſque Nigretes.
Continuò poſt hos ſequitur Phauruſia tellus.
Hanc habitant juxta Garamantes Debride clari:
Quæ ſuperat cunctas urbs miro munere fontis,
Frigore qui noctis fervet calefactus & umbris,
At ſolis friget radiis glacialis & igni.
Omnibus extremâ populis clauduntur in orâ
Æthiopes: Libyes ubi finit littora Cerne,
Oceanum nimio quæ pulſat ſole calentem.
Nec longè fervent Hemyorum collibus agri.
Hinc fluvii pinguis deſcendunt flumina Nili.
Partibus à Libycis qui currens ſolis ad ortus,
Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur:
Verſum cultores Nilum dixere Syenes.
Hinc boreæ currens ad parteis flumine pingui,
Fertilis Ægypti terras fœcundat opimas,
Septenóque ferit Pellæum gurgite pontum.
Non alius tantùm fluviorum ditat arenas,
Atque trahens limum complectitur ubere campos.
Hic latis Libyen Aſiæ diſterminat oris:
Hæc ortus cernit, videt auſtros illa calenteis.
Hunc habitant juxta ſapientum corda virorum,
Diſpoſuere vias qui vitæ mente potenti:
Et primi dederant ſulcos & ſemina terris,
Obliquos ſolis tractantes pectore curſus.
Horum telluris fineis nunc carmine dicam,
Et formam, celebrat quam gloria magna per orbem.
Hæc igitur latis diffuſa pateſcit in arvis
Fertilis, & ſuperans alias pinguedine glebæ.
Marginibus laterum formatur at undique ternis:
Lata quidem boreæ ſub littore tenditur oris:
Aſt ortus anguſta petit ſummámque Syenen:
Quà celſi mediam montes utrinque coërcent:
Irrigui per quam deſcendunt flumina Nili.
Hanc habitant homines multi, paritérque opulenti.
Qui veteris claræque colunt ſub mœnia Thebes,

Quam perhibent centum portas habuiſſe priores;
Filius Auroræ Memnon quà regna tenebat.
Hìc ſunt & ſeptem mediis in finibus urbes,
Quas celebrat totum diſcurrens fama per orbem.
Et quicunque maris vivunt prope littora valli,
Quà lacus eſt ingens liquidæ Serbonidis undæ.
Ad cujus zephyrum Macetum ſunt mœnia regis:
Et Pharos Idothees ſcopuli Pallenidis alti.
Pòſt urbs ſub Caſio Pelluſi vergit ad ortum:
Naviglis populus duris quam poſſidet aptus.
Non tamen eſt Libyes ponendus finibus iſte:
Scilicet eoas Nili qui continet oras.
Nili, quem circùm floret mirabilis arbor,
Extinguſtque ſitim pomo cui nomen adipſos.
Hæc facies Libyes: hic claudit terminus illam.
Sunt tamen huic aliæ gentes: quæ littore ſummo
Tethyos, aut mediis habitant telluris in arvis,
Et gratas circùm ripas Tritonidis undæ:
Hìc lapis, Heliotropius qui nomine vero
Dicitur, eſt: vertit radios nam ſolis in undâ,
Siquis eum fuſâ labris immergat aënis,
Sanguineâque rubens reſplendet luce coloris.
Purior at ſoli renitet nudatus ab undis.
Si placet Europes quoque me tibi dicere formam,
Haud taceam. ſimilis Libyæ eſt: ſed vergit ad arctos:
Finibus & pariter diſtentis pergit ad ortus.
Linea nanque Aſiâ ſimilis disjungit utramque.
Hæc notias ſpectat parteis: aquilonis at illa.
Aſt ambas unam ſi terras eſſe putemus,
Aſſimulent conum laterum compagibus æquis:
Cujus ad occaſus eſt ſummum, lata ſub ortu.
Sic Europa tibi facili dignoſcitur arte.
Ad cujus ſummum, prope metas Herculis alti,
Magnanimæ gentes, dederat queis nomen Iberus,
Ad ſpatium multum terrarum rura colentes,
Oceanum boreo contingunt frigore durum:
Scrutantúrque decus pulchrum ſapientibus auri.
Quos tamen haud maculat præſens, nec dejicit abſens.
Quà ſunt Germani bellaces, atque Britanni.
Saltibus Hercyniis Germania ſubjacet atrox:
Hæc tergo ſimilis taurino dicitur eſſe.
Et paſcit volucres, mirum, fulgentibus alis,
Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.
Pyrrhenes ſequitur mons. poſt hunc Celtica tellus,
Eridani fontis contingens rauca fluenta:
Hìc Phaëthonta ſuum caræ luxere ſorores:
Hìc electra legunt alnis ſtillantia Celtæ,
Succina quæ memorant, mellis vinſve colore,
Quæ paleas rapiunt tractu, frondeſſque caducas.
Poſt hos Tyrrheni. quos juxta ſolis ab ortu
Incipiunt Alpes: quibus exit gurgite vaſto
Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.
Hunc prope conſurgit fons Iſtri flumine longo:
Qui poſcens ortus Euxini pervenit undas,
Irriguam Peucen amplexus gurgite quino.
Cujus in arctoas eſt parteis barbara tellus,
Innumeras genteis gremio complexa reducto.
Cui finem faciunt Mæotidis oſtia vaſtæ.
Hìc ſunt Germaniſque truces, & Sarmata bellax,
Atque Getæ, nec non Baſternæ ſemina gentis,
Dacorúmque manus, & martia pectora Alani,
Atque dromon Tauri retinentes fortis Achilli,
Anguſtum & longum Mæotidis oſtia juxta.
Hos equites ſupra celeres funduntur Agavi:
Atque Melanchlænum populus, metuendus in arcu.
Pòſt Hippemolgi ſunt, Hippopodéſque potentes,
Atque Geloni cum Neuris, pictique Agathyrſi:
Hìc ubi deſcendit porrecta Boryſthenis unda,
Euxinúmque ſubit Criu prope tracta metopon.
In regione jacet locus hìc Symplegados artæ.
Hìc ſunt Aldeſci quoque, Panticapſque fluenta:
Dividui currunt Riphæis montibus ambo.
Immiſcent quà ſe ponti glacialibus undis,
Naſcitur electrum præfulgens luce nitenti,
Menſe ſolet primo qualis ſplendeſcere luna.
Hos adamanta legunt juxta fortes Agathyrſi.
Tot dirimit genteis aquilonis partibus Iſter.
Hujus ad auſtrales terras, Getræque feroces,
Noriciſque colunt bellaces, Pannoniſque,
Et Myſi Thracum boreis in finibus orti:
In quorum terris, quas ponti præfluit unda,
Ignipotens oleo commiſto gignitur herba,
Medica cui nomen: cujus compeſcere flammas
Si quis aquâ cupiat, plus ignem paſcit in illâ:

Pulveris

Pulveris hunc jactus potis eſt extinguere ſolus.
Thraces arant poſt hos latiſſima rura tenentes:
Quæ torrens ſtringit finiſtque Propontidis unda,
Atque Helleſponti fauces, Ægæus & altus.
Naſcitur hìc ſcopulis Pallenæ gemma refulgens,
Aſterium perhibent: ſtellis certare putatur:
Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.
Hi ripas Iſtri porrectas undique cingunt.
  Europæ reliquas nunc parteis aſpice ternas,
Phœbeos vergens quibus eminet illa ſub ortus.
Prima eſt Hiſpanum quæ frangit littore pontum,
Altera Tyrrhenum quæ pulſat molibus æquor,
Tertia quæ Graios circumflua gurgite paſcit.
Sed tamen Oceanum contingit Iberica tellus
Occiduum: Calpen quà ſummam ſuſtinet unam
Herculis è ſtatuis: quam ſupra dives & alta
Tarteſſus, Cempſique, ſedent qui collibus imis
Pyrrhenes, cælum qui tangit vertice ſummo.
Aſt ambas inter tellus jacet Auſonidarum:
Limite quam recto mediam ſecat Apenninus.
Qui mons, incipiens boreis ex Alpibus altus,
In freta Sicaniæ porrectas terminat oras.
Hunc urbes circùm, populi, gentéſque frequentant:
Quos breviter retegam noſtro tibi carmine cunctos.
Tyrrheni primùm ſortes: juxtáque Pelaſgi:
Cyllenes quondam propriâ qui ſede relictâ,
Tyrrhenis ſocias petierunt navibus arceis.
Hos prope ſunt omni ſuperantes laude Latini.
Quorum per terras decurrit in æquora Tybris
Regius, irriguo dirimit qui gurgite Romam:
Romam, quæ genitrix regum dominatur in orbem.
Poſt hos pingue ſolum ſequitur Campania dives.
Hìc ubi Parthenopes domus eſt caſtiſſima, frugum
Fertilis: hanc pontus propriis exceperat undis.
Ad notos eſt, longè ſupra Sirenida rupem,
Picentis Silari gurges ſpectabile flumen.
Hunc habitant prope Lucani, Brettſque coloni,
Ad Leucen petram longiſſima rura tenentes.
Hinc eſt ad Boream Zephyri quæ ſumma vocatur:
Sub quâ ſunt Locri celeres, qui tempore priſco
Iſtuc reginam propriam venere ſecuti:
Auſoniámque tenent quà currit flumen Alecis.
Mœnia cernuntur Metaponti deinde, Crotóque,
Quam pulcher gratam præterfluit Æſarus urbem.
Ulteriùs pergens hinc templa Lacinia cernes.
Poſt hæc eſt Sybaris, periit quæ numinis irâ,
Præponens hominum tumulos cæleſtibus aris:
Ponere qui priſcis auſi certamina ſoli.
Samniteis medio complectitur Itala tellus
In gremio: Marſóſque ſimul. tunc deinde Tarentum
Tangitur æquoribus, quod munivere Lacones.
Continuò Calabræ telluris rura ſequuntur.
Uſque Hyrii ſummam ſed tendit lapygis ora:
Quâ ſalis Adriaci trahitur vaſtiſſimus æſtus,
Atque ſinum penetrans Aquileium colligit undas.
Alta Tegeſtræon poſtremæ mœnia terræ,
Quà ſinus Ionius finitur gurgite laſſo.
Hi ſunt Auſoniæ populi gentéſque potentes.
Flexilis hinc pontus convertens vergit ad ortus,
Atque Liburnorum terras, Hylleſque feroceis,
Bulimeon pariter præſtringens littora currit:
Et venit Illyrias latè porrectus ad arceis:
Quà tollunt monteis excelſa Ceraunia ſummos.
Cernitur hìc tumulus, qui Cadmi dicitur eſſe
Harmoniæque ſimul: nanque hìc ſerpentibus illi
Corpora poſt tempus longum mutâſſe feruntur,
In ſenio: poſtquam patriam Thebáſque relinquunt.
Hìc illos aliud poſuerunt numina monſtrum:
Nanque duo tumuli concurrunt peſte futurâ,
Significant quoties ſæviſſima damna colonis.
Hæc regio fontem mirandæ concipit undæ,
Quem merito veteres dixerunt nomine ſacrum.
Nam gelidus ſuperat cunctarum frigus aquarum.
Accenſáque faceis ſi quis prope duxerit undam,
Extinguit flammas; recipit ſed rurſus eaſdem,
Admoveat dextrâ cùm extinctam lampada fonti.
Sed ſupra Thracen, nec non Epiron, ad auſtros,
Principium terræ doctiſſima Græcia ſumit:
Aſcendens multùm, geminatóque æquore cincta,
Ægæo Siculóque: movent quæ flamine venti
Diverſo: Siculum zephyrus tenet, eurus at altum
Ægæum. Sequitur Pelopis pòſt inſula lata,
Conſimilis platani ſolio; quod muris acutam
Æquiparat candam: cujus jacet iſthmos imago,
Hellados ad boream ſibimet confinia jungens:
Latior at tellus; ſolium ceu flexile, circum
Cingitur æquoribus. Zephyrúmque Triphyllidis arva
Excipiunt: per quam deſcendit flumine pulchro
Alphæus; qui Meſſeni diſcinditur undis
Eurotæ: terris ambo naſcuntur Aſeis:
Hic tamen Eleos, & dividit ille Laconas.
Hìc mediis habitant latè telluris in arvis
Arcades Apidanei, ſub ſcopulis Erymanthi:
Quà Melas, atque Crathis fluvii, quà currit Iaon,
Tenditur atque vetus quà longo gurgite Ladon.
Hìc merulos perhibent albos, mirabile dictu:
Hìc naſci lapidem, qui tacto accenſus ab igni
Extingui nequitur: quem Graii nomine vero
Aſbeſtum memorant. ferri nitet ille coloro.
Juxtà eſt Argivûm tellus, paritórque Laconum:
Ortus Argivi, vergúntque Lacones ad auſtros.
Æquoribus geminis iſthmos pulſatur utrinque:
Hoc Ephyren contra, Zephyrus ſed verberat; illud
Eurus, in immenſum quæ mergitur unda profundum,
Nomine quam Dami dixere Saronida priſco.
Attica ſed tellus poſt iſthmum ſolis ad ortum eſt.
Hinc Orithyiam Boreas rapuiſſe puellam
Traditur. hìc Iliſſos aquis devolvitur amnis.
Bœotum ſequitur finis: quo dicitur unda
Eſſe poteſtatis diverſæ. nanque duobus
Fluminibus mutat vervecum lana colorem:
Hoc fuſcat niveas; hoc albat gurgite nigras.
Locridis indè ſolum ſequitur regionis, & ora
Theſſalis, & tellus Macetum cum mœnibus altis:
Sub cujus ſcopulis, tangentes vertice cælum
Speluncæ veteris ſervant inſignia cladis:
Finibus in mediis terrarum nanque videntur
Oſtrea muricibus ficcata latentibus eſſe:
Diluvium latebras dederat quod piſcibus illas.
Concipit & parit hìc naturæ munere gemma,
Quam pæoniten perhibent, prægnantibus iſta
Auxilium conſert, facilis relevamine partûs.
Cernitur hinc, piceas attollens vertice rupeis,
Æmus Threïcius. quem contra tenditur agris
Ad Zephyrum regio Dodonea lata feracis.
Ad cujus notias parteis, ſub rupe Araeynthi,
Ætolæ gentis ſunt belli laude potentis
Campi: quos medios Acheloïa perſecat unda,
Et mare Trinacrium perrumpit Echinadas inter.
Regna Cephallenæ propè ſunt ſapientis Ulyſſei.
Iſta Galactiten ripis oſtendit in altis:
Uberibus prodeſt, nec non infantibus idem:
Et ſi quis terat hunc, albeſcit lacte liqueſcens.
Hunc fluvium juxta, præclaros ſolis ad ortus,
Phocis ad arctoos ventos extenditur ingens,
Donec contingat calida oſtia Thermopylarum,
Sub juga Parnaſſi: Cephiſos gurgite magno
Quam mediam dirimit, deſcendens murmure vaſto,
Quà templum Phœbi memorabile Delphica ſedes.
  Nunc magno nobis ſunt inſulæ ore canendæ,
Quas homines toto diſperſas æquore cernunt.
Eſt igitur ponto tellus circumflua prima,
Cui nomen Gadir. ſtatuas hæc Herculis inter
A Tyriis colitur. Cotinuſa vocata vetuſtis.
Continuóque jacent Gymneſiæ: has Baleares
Romani memorant. hinc frangitur æquor Eburo.
Sardiniæ poſt quam pelago circumflua tellus
Fontibus è liquidis præbet miracula mundo:
Quòd ſanant oculis ægros: damnántque nefando
Perjuros furto, quos tacto flumine cæcant.
Poſt quam non longè cernuntur littora Cyrni:
Corſida quam pariter geminato nomine dicunt.
Hanc ſolam perhibent catochiten gignere terram.
Corporibus lapis hic, ceu glutine, tactus adhæret.
Nulla tamen tellus altiſſima robora ſylvæ
Sic alibi generat. dehinc rupes Æolidarum:
Quas ſeptem numero perhibent cognomine Plotas,
Quippe viam ratibus pelago dant undique vaſto.
Trinacriæ poſt has moles diſtenditur ampla:
Cardinibus ternis laterum quam terminat actus;
Procurrens Pachyno longè, clauſtriſque Pelori,
Exterrénſque rateis Lilybæi cautibus aſpris.
Eminet ad zephyrum Lilybe: Pachynúſque ſub ortum:
Aſpicit Auſoniam, boreæque Pelorus ad axeis.
Quà mare vix ſuperant haud æquum mille periclis,
Anguſtum, rapido quod frangit gurgite fata.
Traditur hìc pelagi diruptas viribus olim
Excepiſſe fretum terras, cogente ruinâ.

Plurima

Plurima ſunt iſtîc totum memoranda per orbem.
Dianas fons eſt, Camerinâ gignitur undâ:
Quem ſi quis manibus non caſtis hauſerit unquam,
Lætifico triſtis non miſcet pocula Baccho.
Hæc eadem montem mirandum ſuſtinet Ætnam:
Vertice qui ſummo rigidâ nive temperat ignem,
Nec ſuperant flammæ frigus, nec frigora flammas.
At ſalis hîc Acragas miracula poſſidet unus,
Naturas in quo proprias mutare videntur
Ignis & unda: ſalem nanque illum ſolvere flamma,
Unda ſolet crepitus illi conjuncta movere.
Hîc & Haleſinus fons eſt, mitiſſimus undis:
Tibia quem extollit. cantu ſaltare putatur
Muſicus, & ripis lætans excurrere plenis.
Cernitur egregius lapis hîc, cui nomen Achates:
Hoc dederat fluvius cujus generatur ad undas:
Hanc ſimulachra vides venis oſtendere gemmam.
Æquoris at Siculi, quod vaſtis funditur undis,
Ad notoν, eſt pontus Libyæ, Syrtiſque vadoſa
Major: at ulteriùs ſi pergas, cerne minorem
Occiduam: juxta quam Meninx inſula fulget,
Et Cercina ſimul, Libycâ ſtatione patentes.
Agria quâ penetrat, venias ſi parte ſiniſtrâ,
Atque legas Calabrum litus; tunc inſula magni
Oſtendet ſeſe Diomedis nomine dicta:
Quò profugus quondam victor conceſſerat ille,
Conjugis inceſtæ per fraudeis Ægialeæ.
Ioniam pergens Abſyrtidas æquor ad ortus
Circuit: has olim Colchi tenuere feroces,
Laſſi dum fruſtra Medeæ furta ſequuntur.
Continuò poſt haſce Liburnidas aſpicis altas.
Ad notias parteis hinc, ſeva Ceraunia nautis
Inſulæ Ambraciæ contrà cernuntur in alto.
Et Corcyra potens: Ithaces atque aſpera tellus:
Et quas oblimat rivis Acheloïus amnis,
Flumine torrenti praceliam Chalcida linquens.
Sed multæ Amniſi boreæ ſub parte videntur,
Ægyláque, indè Cythera, Calauria dura colonis:
Ad radios vergit ſed Carpathus: hanc prope Crete
Pinguis, & ambroſis extendens collibus Iden,
Ante ortus ſolis perhibent quam fulgere ſole.
Gignitur hîc alimos: quam ſi quis mordeat herbam,
Compeſcit damnúmque famis rabiémque diarnam.
At Rhodos Ægyptum contra jacet, inſula dives,
Suniados contra quoque ſummum rupis, ad ortus:
Nubila quam nunquam vetuerunt lumine ſolis:
Nam purus cæræ potitur telluris. Abantas
Supra ſunt Salamis, nec non Ægina, ſed ortus
Cernentem Cyprum pontus Pamphylius ambit.
Poſthæc ſunt ternæ citra Patareida ſummam,
Fama Chelidonias celebrat quas nomine terras,
Nec procul eſt Arados Phœnices æquore cincta.
Ægæi verò divertis partibus alti,
Ad fauceis artas, multæ ſunt inſulæ, Abydi.
Confines Aſiæ dextræ: Européſque ſiniſtræ:
Ad boream tamen hæ pertendunt ordine longo.
Europes Macris agnoſcit Abantius oram,
Et celſa Scyrus, Peparethus, ſacráque Lemnos,
Fertilis atque Thaſos, ſimul Imbros, pòſt Corybantum
Mœnibus antiquis Samothracia cernitur alta.
Aſt Aſiæ partem quæ tangunt æquore primæ,
Delon circundant: has dicunt Cycladas eſſe.
Continuò Sporadas ceu ſtellas aſpicis almas,
Ioniáſque ſimul: quas inter Caunus, & altæ
Sunt Samus, atque Chius, celebratæ nomine claro.
Æolicæ pòſt, & Lesbus, Tenedúſque ſequuntur.
Et ſinus indè Melas Helles prorumpit in æquor.
Panditur hinc pelagus, tumidâque Propontide fervet
Ad boream: ſaxiſque viget Proconeſus in illâ.
Eſt etiam lævis Euxini partibus una,
Quam Leucen perhibent, adverſa Boryſthenis amni,
Paſcit aveis quoniam multas candore nivali.
Hîc animas perhibent Heroum, laude potenteis,
Degere ſecuras, virtutis munere pulchro.
Cimmerium rectà ſed ſi quis Boſporon ibit,
Cernitur huic dextrâ vaſtæ Mæotidis undâ
Inſula, mole gravi ſtans, Alopecea lata.
Poſt quam Phænagoren, Hermonaſſámque nepotes
Egregiæ quondam coluerunt gentis Ionum.
Inſulæ hæ celebres pelagi ſunt nomine claro.
Aſt alias refluum circundat Tethyos æquor:
Quarum demonſtrem poſitum regionis, & oras.
Æthiopes habitant Erythiam pectore juſti,
Atlantem juxta longævi. finibus olim
Venit Hyperboreis quæ gens, poſt fata perempti
Geryonis, domuit quem virtus Herculis ingens.
Sed ſummam contra ſacram, cognomine dicunt
Quam caput Europæ, ſunt ſtanni pondere plenæ
Heſperides: populus tenuit quas fortis Iberi.
Aſt aliæ Oceani juxta Boreptidas actas
Sunt geminæ, Rhenſque Britannides oſtia cernunt:
Hîc etenim laſſo perrumpit Tethya curſu.
Has tamen haud valeat ſpatio ſuperare per orbem
Inſula. perfulget nigro ſplendore Gagates
Hîc lapis, ardeſcens hauſtu perfuſus aquarum;
Aſt oleo perdens flammas, mirabile viſu:
Attritus rapit hic teneras, ceu ſuccina, frondeis.
Nec ſpatio diſtant Netidum littora longè:
In quibus uxores Amnitum Bacchica ſacra
Concelebrant, hederæ foliis tectæque corymbis.
Oceani tranans hîc navibus æquor apertum,
Ad Thulen venies: quæ nocte diéque relucet
Titanis radiis, cùm curru ſcandit ad axeis
Signiferi, boreas ſuccendens lampade parteis.
At navem pelago flectenti aquilonis ab oris
Ad ſolem calido referentem lumen ab ortu,
Aurea ſpectetur tibi pinguibus inſula glebis.
Hinc tepidos proram convertens navis ad auſtros,
Taprobanem venies: generat quæ magna elephantes,
Per ſineis Aſiæ: jacet hæc ſub ſidere Cancri.
Littoribus cujus ſaliunt denſiſſima cete,
Quæ paſcit vaſtum Mare rubrum, montibus æqua:
Tenditur horribilis quorum per terga, per armos,
Spina ferens cladem fatúmque ſub ore feroci:
Quippe ſolent pariter navem ſorbere virósque.
Nam mala tam pelagus quàm terra merentibus offert.
Ulteriùs pergas ſi poſt Carmanida ſummam,
Ogyris occurrat: quâ dicitur eſſe ſepulchrum
Regis Erythræi, dederat qui nomina ponto.
Perſicus indè ſinus penetratur, & Icaron offert:
Inſula quæ fertur nimiùm placare Dianam.
Tot ſunt ingentes, quas cingit Tethyos unda,
Inſulæ: aſt aliæ diverſis partibus orbis
Diſperſæ plures, famam latuere minores:
Duris difficiles nautis, vel portubus aptæ.
Quarum non facile eſt mihi promere nomina verſu.
Aſt Aliæ fines ambarum linea monſtrat,
Et formam contrà poſitarum in imagine coni.
Paulatim trahitur tamen hæc orientis ad oras:
Oceanus ſtatuas Bacchi quà tangere fertur,
Finibus Indorum poſtremis. gurgite torrens
Quà Ganges liquido Nyſſæos irrigat agros.
Non tamen eſt ſpatio ſimilis telluris apertæ.
Scilicet ambabus penetrabilis unus in illis
Funditur Oceani ſinus, diſterminat ambas:
Aſt Aſiæ gremio triplex mare confluit undis:
Hyrcanum pariter, Parthum ſimul, atque Sabæum,
Hæc noton, at boreos Hyrcanum vergit ad axeis,
Gurgitis Euxini vicinum: multa virorum
Millia quod circùm degunt, per littora Ponti.
Amborum medius campis diſtenditur Iſthmos.
Aſt Aſiam qui mons excelſus dividit omnem,
Incipit à mediis terræ Pamphylidis oris,
Et longis ſeſe ſpatiis producit ad Indos:
Nunc obliquâ means, nunc recto limite currens:
Vertice quem torvo perhibent cognomine Taurum.
Cornua nam ſummus ſcopulis imitatur acutis,
Multifidúſque ſuos huc colles ſpargit & illuc.
Ex hôc innumeri deſcendunt fontibus amnes:
In parteis eurì, zephyri, boreæque, vel auſtri.
Quis memorare queat fluviorum nomina cuncta?
Non tamen eſt unum montis cognomen ubique,
Sed varii flexus variantur nomine multo:
Singula ſed propriis ſunt nomina nota colonis.
Nunc igitur genteis illum populóſque tenenteis,
Qui celebres, memorem, ſed felix numen adeſto.
Mæotæ primi tangunt Mæotidis undas.
Sauromataque truces, gens aſpera Martis in armis:
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim,
Sauromatis mixtæ quæ, Thermodonte relicto,
Ingenteis genuere viros, bellóque potenteis:
Innumeras habitant qui ſylvas, gurgite vaſto
Inter quas Tanais Mæotidis intima pulſat,
Europen fluvio dirimens Aſiámque reflexo:
Europen zephyris, Aſiam ſub partibus ortûs.
Caucaſiis exit cujus fons montibus altis,
Murmure cum vaſto Scythiæ per plana refuſus.
Hunc tamen, immenſo torrentem flumine, vertit

In glaciem boreas horrendo flamine ſævus.
Heu miſeros homines, habitant qui finibus illis,
Aëre damnati triſti nimióque rigore,
Quo pereunt pecudes pariter, populíque virorum,
Nî properè linquant ſua rura furentibus euris.
Hi Tanain habitant fluvium prope Sauromatarum.
Cui ſunt vicini Sindi quoque, Cimmeríque.
Poſt hos Cercetii: juxta quos Axenus altis
Fluctuat æquoribus: nec non Oretæque feroces:
Et qui Trojanæ poſt prœlia gentis Achæi
Aſcalaphi regis victricia ſigna ſequentes,
Diſpuli ventis iſtas venere ſub oras.
Poſt hos Eniochi, genuit quos Græcia tellus:
Et Zygii juxtà vivunt regione ſub unà.
Intima ſed ponti, poſt fineis Tyndaridarum,
Ægypto miſſi Colchi tenuere coloni:
Caucaſii montis prope collem, & Caſpia ponti
Littora: quà celeres deſcendunt Phaſidos undæ,
Circæóſque ſecant campos atque æquora ponti:
Naſcitur Armenii fluvius qui vertice montis.
Ad cujus partes boreas, & ſolis ad ortus,
Euxinum dirimens & Caſpia littora latè,
Diffuſus ſpatium per longum panditur Iſthmos.
Quem juxta terras habitant Orientis Iberes:
Pyrrhenes quondam celſo qui monte relicto
Huc advenerunt Hyrcanis bella ferentes.
Hic Camaritarum gens eſt cariſſima Baccho.
Fluctibus hanc propter perſævit Caſpius æſtus:
Undique quem tereti concludit margine tellus.
Sed mare non valeat tribus illud menſibus ulla,
Scilicet immenſum, navis tranſire profundo.
Hoc tamen exacuit pars una ſub axibus æquor,
Quà tractum refugæ miſcetur Tethyos undæ.
Multa quidem generat vivis miracula rerum:
Sed tamen egregio cryſtalli pondere gemmam.
Atque, malos lemures quæ pellit munus, Iaſpin:
Nocturni manes fugitant quam membra tuentem.
Hoc igitur pelagus quæ gentes undique cingunt,
Incipiens numerem primis aquilonis ab oris,
Quæ vergunt Zephyro, quas Caſpia littora claudunt.
Primi ſunt Scythiæ populi, Saturnia juxta
Æquora viventes, Hyrcaníque oſtia ponti.
Quos ſupra gryphes ditiſſima rura ſmaragdo,
Qualem non aliud terrarum poſſidet orbis:
Atque aurum ſibimet defendunt pondere puro.
Omnia ſed duri ſuperans audacia lucri,
Adversùs volucres heu commovet arma virorum:
Prœlia nam faciunt Arimaſpi gryphibus hoſtes.
Hìc & cryſtalli perlucet maxima moles.
Hinc Thynus ſequitur. pòſt fortis Caſpia proles.
Hinc ſunt Albani bellaces marte feroci,
Unde canes nati ſuperant genus omne ferarum.
Magnus Alexander miſſum ſibi viderat indè
Victorem harríque canem, rapidíque leonis.
Poſt hos Caduſi duriſſima rura colentes:
Et propè ſunt Mardi. ſequitúrque Hyrcania plebes.
Hinc Apyri: per quos Mardus devolvitur amnis:
Dercebius bibit hunc præter Bactrúſque fluentem,
Per quos Hyrcanum currens deſcendit in æquor.
Sed Bactri mediis habitant telluris in arvis,
Parneſſum latè prope montem rura tenentes:
Dercebii verò ſub Caſpia littora vergunt.
Poſt hos Maſſagetæ trans flumen Araxis, ad ortum,
Hoſpitibus ſævi cunctis, bellóque feroces:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera nôrunt:
Sed lac commixtum potant cum ſanguine equino.
Hos juxta boream vergit Choraſmia proles.
Sugdias hanc ſequitur: rapidus quam dividit Oxus,
Emodum montem qui linquens Caſpida rumpit.
Indè Sacæ nimiùm certis gens mira ſagittis:
Flumen Iaxartem juxta quibus arva coluntur.
Et Tochari, Phruríque, & plurima millia Serum.
Illis nulla boum, pecoris nec paſcua curæ:
Veſtibus utuntur, texunt quas floribus ipſi,
Quos tenuant lectos deſertis finibus ipſi.
Aſt alia Scythiæ gens eſt extrema per arva,
Quos prope ſunt triſtes ventis & frigore terræ:
Namque nives ſemper pulſant has grandine mixtæ.
Caſpius his populis luſtratur pontus & oris.
Aſpice poſt Colchos nunc & poſt Phaſidis undas,
Occaſum versùs, populos in littore ponti
Euxini denſos uſque ad Chalcedonis arva:
Boſporus anguſtat ſcopulis quæ Thracius urgens.
Buzeres primi. quos juxta terra Vechirum.

Macrones poſt hos pariter, Phyliréſque ſequuntur:
Moſſyníque, domos præbent queis lignea tecta:
Turribus arboreis habitantes unde vocantur.
Hinc pecorum dives nimiùm gens eſt Tibarenum.
Hanc propè ſunt Chalybes, duriſſima rura colentes:
Quos labor exercet ſævus ferríque metalla.
Vicinos illis campos terrámque patentem
Aſſyrii complent populi: quà gurgite vaſto
Inter Amazonidas Thermodon, Martius amnis,
Armeniam liquens montem, deſcendit in æquor.
Huc Aſiæ quondam devenit alumna Sinope:
Ex quâ cognomen ceperunt mœnia clara.
Illius fluvii rigidas prope frigore ripas
Invenies lapidem cryſtalli, pondere puro,
Conſimilémque gelu, nec non ſplendore nitenti.
Gemma micans illìc perlucet Iaſpidis albæ.
Iris continuò liquidus decurrit in æquor.
Pòſt Halys eſt fluvius: boream qui currit in oras,
Atque Carambidis irrumpit prope littora pontum,
Armeniis primas qui montibus accipit undas.
Paphlagones poſt hos, Maryandiníque ſequuntur,
Bithyníque viri, pinguiſſima rura colentes:
Quà Rhebas pulcher gratiſſima flumina volvit,
Rhebas, qui rapidi decurrit ad oſtia Ponti.
Tot populi terras habitant per littora Ponti:
Nam priùs expoſitæ Scythiæ ſunt ſemina genteis.
Nunc Aſiæ regio contingens littora nobis
Dicatur: parteis calidas quæ currit ad auſtri,
Atque Helleſpontum tranſit Syriæque receſſus,
Poſcit & Arrabiam quæ florem ubere terræ.
Sunt Chalcedonii primi poſt oſtia Ponti,
Mœnia Byzantia qui cernunt optima contra,
Romaníſque piè regnis dominantia mundo.
Bebrycii poſt hos, & Mygia montibus alta;
Quà Cius egregiâ decurrens murmurat undâ:
Quâ nymphas comitem perhibent rapuiſſe potentis
Alcidæ puerum, triſtiſſima fata gementis.
Hinc Helleſpontum pertenditur angulus ingens,
Quà brevior Phrygiæ pars eſt: nam latior intus
Sangarii ripis fluvii vicina rapacis.
Tenditur hæc potiùs Titanis pinguis ad ortus:
Altera ad occaſus, altæ ſub montibus Idæ,
Altáque quà cecidit præclaro nomine Troja,
Ad Xanthi liquidas nec non Simoentis ad undas.
Poſt hæc Æoliæ tellus prætenditur oræ,
Fluctibus Ægæi primis quæ tenditur alti.
Indè tenet terras, pelagus prope, ſanguis ſonum:
Per quas Mæander pinguis deſcendit in æquor,
Inter Miletum currens latámque Prienen.
Ad latus iſtorum borearum ſunt mœnia clara:
Urbs Epheſus, claudit quam grato littore pontus.
Poſt has Mæoniæ tellus: quæ vergit ad ortus.
Et Tmoli colles; fluvius quibus aurifer exit
Pactolus: cujus prope ripas tempore verno
Si ſederis, dulci capiaris pectora cantu
Cygnorum, paſcunt quos herbæ flumina circùm.
Nam florent Aſiæ per campos plurima prata:
Sed magìs ad fluvium Mæandri, gurgite miti
Quem juxta volvens ſe murmurat unda Cayſtri.
Poſt hos ſunt Lycii: quos Xanthus dividit amnis,
Ad mare vergenteis: qui Tauri cornua cernunt,
Uſque ad Pamphylos, perhibent quem nomine Cragum.
Illìc aſpicies Aſpendum: mœnia cujus
Eurymedon amnis radit vicina profundo.
Continuóque jacent aliæ Pamphylides urbes:
Corycus, Pergéque calens, & celſa Phaſelis.
Hos ſupra mediis habitant telluris in arvis,
Ad partes ortus, gens dura Lycaones armis.
Poſt hos Piſidum pinguiſſima rura coluntur:
Telmeſſus, Lyrbe, nec non clariſſima Selge,
Gentis Amyclææ pulcherrima mœnia quondam.
Hinc ſinus eſt longus Cilicum, qui vergit ad ortus,
Euxini penetrans vicinas æquoris undas.
Hunc Aſiæ perhibent anguſtis partibus eſſe.
Cui tamen immenſo fluvii ſe gurgite miſcent,
Per longum Pyramus ſpatium, Pinarúſque voluti.
Flexilis & Cydnus, dirimit qui flumine Tarſon.
Hinc aliæ Cilicum ſunt celſis mœnibus urbes:
Lyrneſſus, Mallóſque ſimul vicina profundo,
Atque Soli medio terrarum fine locati.
Commagena dehinc regio, Syriæque ſequuntur
Urbes, diſpoſitæ per longi littora flexûs.
Nam Caſii montis quà prominet ora per æquor,
Vergit in occaſus diffuſis tractibus unda.

Nunc

Nunc reliquas Aſiæ parteis tibi carmine pandam,
Quadrati lateris quâ clauditur undique formâ.
Et ſpatiis campos longis protendit in ortum.
Scis etenim memoràſſe tibi, quòd collibus altis
Per totam medius mons ingens tenditur æſtu,
Qui fineis Aſiæ nigros producit ad Indos:
Hoc eſto laterum borearum tibi. Nilus ad oras
Heſperies finit. ſed Tethys ſolis ab ortu
Indica concludit. Rubrum mare terminat auſtrum.
Aſpice nunc igitur dum finem verſibus ortus
Pervenio, retegens tibi veris omnia rebus,
Incipiens Syriæ terris, quâ parte reliqui.
Quæ, pelagus ſupra, ſub ſolem, vergit ad auſtros:
Urbibus & multis habitatur: nomine priſco
Quæ cava vulgatur, mediam quia collibus altis
Atque humilem Libanus claudit protentus in ortum,
Occaſúmque petens Caſius: multiſque virorum
Incolitur populis locupletibus alma diremptis.
Nanque alii mediis habitant telluris in arvis,
Hóſque Syros propriè perhibent: ſed littora juxta
Phœnices vivunt, veteri cognomine dicti:
Quos miſit quondam Mare rubrum laudibus auctos,
Chaldæo nimiùm decoratam ſanguine gentem:
Arcaniſque Dei celebratam legibus unam.
Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
Disjunctas genteis docuerunt jungere mercem:
Et primi ſtellis numeros noménque dedere:
Atque oculis (mirum) voces ſentire figuris.
Hi muros ſopes, Gazam quoque Elaïda complent,
Antiquámque Tyrum, Beryti & mœnia gratæ,
Vicinámque mari Biblum, Sidonáque pulchram,
Quam juxta liquido Boſtrenus gurgite currit:
Et pinguem Tripolin, nec non Orthoſida ſacram,
Laodicen pariter poſitam prope littus amœnum,
Et Poſidi turreis, & Daphnes optima tempe.
Terrarum mediis Apameæ mœnia claræ:
Ad cujus parteis eoas currit Orontes,
Antiochi medius dirimit qui gurgite regnos.
Hæc omnis pingui tellus eſt ubere læta,
Arboribus pariter pecoríque & commoda viti.
Ad cujus fineis veniens quos terminat auſter,
Arrabii cernes extremi littora ponti:
Qui Syriam medius diſſerminat Arrabiámque,
Et tangit, vergens orientem verſus Elanos.
Dives Arabs poſt quos latiſſima poſſidet arva,
Quæ prorenta diu cinguntur ab æquore Perſo,
Arrabióque, ferit zephyrus quod flamine ſævo:
Perſica nam flatus eoi littora turbant.
Ora ſed hæc auſtro tendit ſubjecta per ortus,
Fluctibus Oceani pulſatur & undique rubri.
Hanc quoque deſcribam tenui ratione recenſens:
Nam populos paſcit feliceis divite terrâ,
Floribus & variis miracula præbet odoris.
Namque thyo, myrrhâque viget, cum thuris odore,
Et caſiâ, nec non & cannæ dulcis odore:
Cinnama præterea jucundæ naribus auræ
Fertilis hæc generat tellus, auríque metalla:
Veſtibus auratis quare gens utitur illa.
Hic, pueros ſervans, Molochites ſplendet arenis:
Androdamáſque lapis compeſcens pectoris iras.
Sed Libani montis ſunt poſt declivia primi,
Felices opibus, Nabatæi nomine dicti.
Chaulaſii poſt hos, atque Agrees indè propinquant:
Chatramis, atque Macæ contra ſunt Perſidis æquor:
Minnæíque maris prope rubri littora vivunt:
Atque Sabæ poſt hos, nec non habitant Cletabeni.
Arrabiæ populi celebres hi nomine claro.
Sunt tamen & plures alii, nam maxima tellus.
Trans iſtam, zephyri ſub parteis, degit Erembum
Speluncis genus infelix, & rebus egenum.
Qui ſolis radiis nigreſcunt corpus aduſti,
Diſperſíque dolent luſtrantes more ferarum:
Non Arabis ſimiles opulentis. ſcilicet æqua
Omnibus eſſe poteſt nunquam fortuna bonorum.
Poſt Libani monteis populi ſunt, ſolis ad ortus
Alterius Syriæ: quæ tendit aduſque Sinopen.
Cappadoces mediis habitant in finíbus hujus:
Terminus Aſſyrios ſed claudit Ponticus, ille
Thermodon pelagi quà pulſat gurgite fluctus.
Cujus ab eoo decurrit limite vaſtis
Viribus Euphrates, deſcendens montibus aſpris
Armeniæ, longúſque noton pertendit: & indè
Ad ſolem flexus, Babylonis dividit urbem:
Littora deinde ruens perrumpit Perſidis undæ,
Extremâ fluvii ſub parte Teredona radens.
Hujus ad auroram ripis devolvitur altis
Tigris, æquâ ſuperant quem flumina nulla rapacè
Sed tantùm diſtat, quantùm vix ſeptimus ortus
Conficiat pedibus ſpatii properantibus ire.
Atque lacu medius Thonites intrat, & exit:
Nec violatur aquâ quamvis penetrabilis illâ,
Ocyor atque vadis emergens cedit amaris.
Hoc tamen omne ſolum fluvius quod cingit uterque
Indigenæ populi pro re dixere Medamnam:
Quòd medias amnes has terras flumine cingunt,
Agricolis pariter paſtoribus atque feracem.
Ubere nam læto florent ibi ſemina cuncta,
Herbarúmque toris, & gramine læta vireſcunt:
Et variis rami complentur fructibus alti.
Gens quoque præfulget claris in laudibus illa.
Nam peperit multos celsâ virtute potenteis,
Atque deo ſimileis, licet ut mortalibus eſſe.
Armenii juxta quam ſunt aquilonis ad arcis,
Cominus & fortes quos tentit Mars Matieni:
Quos prope concludunt Euphraten collibus altis
Montes, divitiis pariter bellióque potenteis.
Ad parteis auſtri Babylon: quam mœnibus olim
Mirandis poſuit firmíſque Semiramis urbem.
Cujus in arce domum ſplendentem fecerat auro:
Quam ſimul argentum variè decoravit, ebúrque.
Hoc quoque pingue ſolum palmarum divite ſylvâ
Quod fert berylli munus, pretioſius auro,
Berylli lapidem liquidum, glaucíque coloris,
Per loca quæ tendunt Aſianæ ad mœnia petræ.
At ſupra Babylona vides & flumina vaſta
Ciſſos, Meſſabatáſque, Chalonitáſque feroceis.
Armenios montes ſi linquens ibis ab ortus,
Medica noſcetur tibi tellus: cujus ad arcis
Geli ſunt, Mardíque, viri ſimul Atropateni.
Ad notον indè habitant Medorum rura tenentes.
Medea hæc fugiens dederat cognomina terræ.
Hinc Medi varios uſus novere veneni.
Quorum per multas ſpatium diffunditur oras.
Hæc generat Narciſſiten oriente ſub ipſo,
Qui lapis eſt fuſcus: complent hanc undique ſylvæ,
Inter quas homines pecuaria ditia paſcunt,
Caſpiadas tangunt portas qui ſolis ab ortu:
Rupibus hæc celſis Aſiæ ſunt clauſtra potentis.
Quà via ſub boream duplex ſe ſcindit & auſtrum:
Hæc regit ad Perſas, Hyrcanos ducit at illa.
Sub colleis imos habitant, poſt Caſpia clauſtra,
Martia gens Parthi, telis arcúque potentes,
Vivere qui ſpoliis gaudent, raptúque nefando:
Quapropter bellis homines vexantur in orbe,
Atque optata perit multo pax ſanguine mundi.
Poſt hos eſt Perſis, circumdata montibus altis,
Aſſiduis florens regnis & divite cenſu,
Ex quo perdomuit Lydorum mœnia Sardeis.
Cingitur excelſis hæc undique collibus omnis,
Advergens auſtros, poſt Caſpia clauſtra: peténſque
Quod proprio pelagus celebrat cognomine latum.
Atque tripartitis habitatur finibus illa.
Nanque colunt alii, rigidæ ſub partibus arcti,
Terras quas Medi nemoroſis montibus umbrant:
Aſt alii mediæ vivunt regionis in arvis:
Littora poſtremi tangunt auſtralia Perſæ.
Primâ parte Sabæ, mediúſque Paſargada, poſt hunc
Taſcorum telis habitat gens fortis & arcu:
Quíque tenent populi diviſos Perſidis agros.
Amnibus hæc multis recreatur, & ubere pingui.
Hinc Coros immenſus perfunditur: indè Choaſpes
Fonte cadens Indo, qui ſtringit gurgite Suſas.
In cujus ripis præclarus fulget achates,
Pondere conſimilis volvit quos unda cylindris.
Fertilis hæc tellus fœcundis paſcitur auris:
Nam ventis ſemper floreſcunt rura ſecundis.
Hæc eadem gemmis nimiùm decoratur honeſtis,
Quarum quis varias vireis, quis nomina dicat?
Tecolithum memorem, juſto cognomine dictum,
Qui lapides rerum tritus potúſque reſolvit:
Myrrhitémque, bonum nardi cùm reddat odorem.
Hìc Aëtites eſt: ſonitum cui ſpiritus addit
Arcanum crepitans, prægnantibus utilis ægris.
Nec non Pyrites, digitos qui ſtrictus adurit.
Gemmáque quæ radios emittit candida ſolis.
Atque Seleuites, lunaris imagine lucis
Qui decus & minuit proprii ſplendoris & auget.
Reſpice nunc reliquas Aſiæ ſub finibus oras.

Perſidis ad pontum Carmani, ſolis ab ortu:
Littora pars habitant, mediæ pars limina terræ.
Gedroſi poſt hos tendunt orientis ad igneis,
Oceanum juxta: radiis propioribus indè
Eſt Scythiæ tellus auſtralis, flumen ad Indum,
Qui ponto rapidus rubro contrarius exit:
Gurgite nam celeri rectus decurrit ad auſtrum,
Caucaſiis oriens primùm de montibus altis:
Dividuâ cujus Patalene cingitur undâ,
Separat innumeras & vaſto gurgite genteis.
Ad parteis rapidi quà vergunt lumina ſolis,
Oritas, Aribáſque ſimul, linſque Arachotes
Utenteis lænis, & Satraïdas ſimul omneis,
Parpanei montis ſub celsâ rupe, Arienos
Nomine communi. qui terras ubere nullo
Florenteis habitant, ſqualent nam ſentibus aſpris:
Curalii lapidem qui rubrum littore carpunt,
Sapphirſque decus nigri flaviſque coloris
Saxorum cædunt venis, hâc merce beati.
Indorum terras hinc Tethyos æquora claudunt,
Quas primo Titan aſcendens lumine cernit.
Unde color populis niger eſt flagrantibus ortu,
Atque gerunt ſimileis Hyacintho fronte capillos.
Effodiunt alii terras, auriſque metallum:
Aſt alii texunt tenuiſſima tegmina lini:
Vel denteis ſtringunt elephantis ab ore revulſos:
Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Beryllı gemmas glauci, nitidúmque adamanta.
Atque aurâ viridi legitur quæ ſplendet laſpis,
Curaliſque decus liquidi, gratique topazi,
Purpureóque amethyſtos ideſt ſuffuſa colore.
Divitias magnas ſic tellus illa miniſtrat.
Aſſiduiſque rigant hanc totam fontibus amnes:
Arboribúſque viget variis, milióque frequenti,
Et pretio rubræ perfloret arundinis illa.
Hìc alii ſuperant procero corpore tantùm,
Inſiliant equitum faciles ut more Elephantos:
Aſt alii vivunt ſapienti pectore nudi,
Luminibúſque vident rectis, mirabile, ſolem:
Et radios oculis & ſacrâ mente retractant,
Signáque concipiunt arcanâ luce futuri.
Pſittacus hìc viridis, decoratus torque rubenti,
Naſcitur, humanæ ſimulat qui verbera linguæ.
Nunc age te fluvios, monteis, formámque docebo
Ipſius terræ, populos, genteſſque beatas.
Marginibus ternis tellus hæc clauditur omnis,
Obliquátque latus per cunctas linea parteis.
Heſperios fineis immanis terminat Indus:
At notios pelagus concludit gurgite rubrum.
Sed Ganges ortus, & Caucalus excipit arctum.
Hanc homines habitant multi ditéſque colendam,
Nominibus variis diſcreti & finibus amplis.
Dardanei ripas contingunt fluminis Indi:
Hic ubi præcipitem ſcopuli fundunt Aceſinem,
Hùncque capax claſſis venientem volvit Hydaſpes:
Tertius hos ſequitur ſplendenti gurgite Cophes.
Taxilus inter quos habitat, cum gente Sabarum.
Hinc Scodri poſt hos ſunt, Peucaleíque feroces,
Gargaridæque truces: auri quà pondus honeſtum
Devolvens Hypaniſque vehit, rapidúſque Magarſus:
Quos capit Emodo miſſos Gangetica monte
Tellus, porrigitur quæ ad terræ Colidis auſtros,
Oceani tangens pelagus ſub collibus altis,
Quos volucres metuunt celeri contingere pennâ,
Unde locis Graii poſuerunt nomen Aornin.
Hìc via quam celebrat nomen Dionyſia Bacchi,
Cui ſtatuas dederat victoria finibus illis.
Hic Tylos eſt, ſuperans vaſtæ miracula terræ,
Inſula. nanque viret cunctis in partibus annı:
Nec foliis nudat ramos autumnus in illâ:
Aſſiduéque tenet floreis genus arboris omne.
Hìc adamas fulget limphantia pectora ſanans,
Et prohibens miſeris occulti damna veneni:
Quem minimè valeat ferrum ſuperare nec ignis:
Frangitur hircino maceratus ſanguine tantùm,
Sed tepido, fractus multis incudibus anté.
Hic juxta poſitus magnetem viribus arcet
Occultis ferri raptu: vel tractibus antè
Admotum retrahit, defendens robore miro.
Hic lychnis lucem ſimulat ſplendore lucernæ:
Hinc meruit nomen præclaro lumine dignum.
Tot ſunt per terras vulgatæ nomine gentes.
Nam reliquas quæ mens valeat mortalis in orbe
Diſperſas numerare tibi, ſinè numine magno,
Quod bene diſpoſuit terras pontſque profundum,
Sideribus variis decorans cæleſtia templa,
Et multis recreans gratiſque coloribus arva,
Munera per populos tribuens diverſa virorum?
Sed vos terrarum tractus gaudete per ævum,
Et quæcunque mari circumdatur inſula vaſto,
Oceanúſque ſimul, nec non penetrabilis unda,
Quam gremio tellus ſinuoſo ſuſcipit alma:
Et fluvii, montéſque, lacus quos continet orbis.
Nam pelagi parteis percurri carmine vaſtas:
Et terræ pariter regiones finibus amplis.
Omnipotens pro quo genitor mihi præmia donet.

CARMEN DE PONDERIBUS ET MENSURIS,

Quod plures Priſciani, nonnulli Remi Favini, ſeu Q. Rhemnii Fannii Palæmonis eſſe volunt.

PONDERA Pæoniis veterum memorata libellis
Nôſſe juvat. Pondus rebus natura locavit
Corporeis. elementa ſuum regit omnia pondus.
Pondere terra manet. vacuus quoque pondere æther
Indefeſſa rapit volventis ſidera mundi.
Ordiar à minimis: poſt hæc majora ſequentur.
Nam majus nihil eſt aliud, quàm multa minuta.
Semioboli duplum eſt OBOLUS, quem pondere duplo
Γράμμα vocant: Scruplum noſtri dixere priores.
Semina ſex alii ſiliquis latitantia curvis
Attribuunt ſcruplo: lenteis veraciter octo,
Aut totidem ſpeltas numerant, triſtéſve lupinos
Bis duo. Sed ſi par generatim his pondus ineſſet,
Servarent eadem diverſæ pondera gentes:
Nunc variant. Etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ, ſed lege valent hominúmque repertis.
Scrupla tria drachmam faciunt: quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur nummus Athenis.
Holcéque à drachmâ non re, ſed nomine differt.
Drachmam ſi gemines, erit is, quem dicier audis,
Siciliicus. Drachmæ ſcruplum ſi adjecero, fiet
Sextula quæ fertur. nam ſex his uncia conſtat.
Sextula quum dupla eſt, veteres dixere puellam.
Uncia fit drachmis bis quatuor. Unde putandum
Grammata dicta, quòd hæc viginti & quatuor in ſe
Uncia habet. tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctémque diémque.
Unciáque in librâ pars eſt, quæ menſis in anno.
Hæc magno Latio libra eſt, gentiſque togatæ.
Attica nam minor eſt. Ter quinque hanc denique drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier unam.
Accipe præterea parvo quam nomine Graii
Μνᾶν vocitant, noſtríque Minam dixere priores.
Centum hæ ſunt drachmæ. Quod ſi decerpteris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram:
Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna.
Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe Talentum
Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas:
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.
Nam nihil his obolóve minus, majúſve talento.
Nunc dicam ſolidæ quæ ſit divitio libræ,
Sive aſſis. nam ſic legum dixere periti.
Ex quo quod ſoli capimus, perhibemur habere,
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus.
Uncia nam libræ ſi deeſt, dixere Deuncem.
At ſi ſextantem retrahas, erit ille Decuncis.
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit. neque enim eſt hujus ſeſcuncia triplex.
Dodrantem, reliquum vocitant, quadrante retracto.
Cúmque triens deſit, Beſſem dixere priores.
Iidem Septuncem dempto quincunce vocárunt.
Poſt hæc Semiſſis, ſolidi pars maxima fertur,
Nam quod dimidium ſuperat, pars eſſe negatur,
Ut docuit tenui ſcribens in pulvere Muſa.
Cætera dicta priùs, quibus eſt ſemuncia major.
Hæc de ponderibus. ſupereſt pars altera nobis,
Humida metiri, ſeu frugum ſemina mavis:
Cujus principio nobis pandetur origo.
Pes longo ſpatio, atque alto, latóque notetur:
Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex:
Quatuor & quadris medium cingatur inane:
Amphora ſit Cubus. Quam ne violare liceret,

Sacravere

Sacravere Jovi Tarpeio in monte Quirites.
Hujus dimidium fert Urna, ut & ipsa Medimni
Amphora: térque capit Modium. Sextarius istum
Sedecies haurit: quot solvitur in digitos pes.
At Cotylas, quas si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus.
Qui quater assumptus, Graio fit nomine χοῦς.
Adde duos, χοῦς fit: vulgò qui est congius idem.
E quo sextarî nomen fecisse priores
Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.
At Cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur.
Bis quinæ hunc faciunt drachmæ, si appendere velles.
Oxybaphum fiet, si quinque addantur ad istas.
At Mystrum cyathi quarta est: ac tertia mystri,
Quam vocitant Chemen. capit hæc cochlearia bina.
Quòd si mensuræ pondus componere fas est,
Sextarî cyathus pars est, quæ est uncia libræ.
Necnon oxybaphi similis sescuncia fiet.
Sicilicúmque tibi mystro similare licebit.
Cochlear extremum est, scrupíque imitabitur instar.
Attica præterea discenda est amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies, nostræ si adjeceris urnam.
Est &, bis decies quem conficit amphora nostra,
Culeus. hâc nulla est major mensura liquoris.
Est etiam terris, quas advena Nilus inundat,
Artaba: cui superat modii pars tertia post tres.
Namque decem modiis explebitur artaba triplex.
Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios servare liquores.
Nam libræ, ut memorant, bessem sextarius addit,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ liventis olivi;
Selibrámque ferunt mellis supereſſe bilíbri.
Hæc tamen assensu facili sunt credita nobis.
Nanque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent: non denique vina,
Quæ campi aut colles nupérve aut antè tulere.
Quod tibi mechanicâ promptum est depromere musâ.
Ducitur argento, tenuísve ex ære cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
Cui cono interiùs modico pars ima gravatur:
Ne totus sedeat, totúsve supernatet undis.
Lineáque à summo tenuis descendit ad ima,
Ducta superficie: tot quæque in frusta secatur,
Quot scruplis gravis est argenti æríssve cylindrus.
Hoc cujusque potes pondus spectare liquoris.
Nam si tenuis erit, majori immergitur undâ:
Sin gravior, plures modulos supereſſe notabis.
Aut si tantundem laticis sumatur utrimque,
Pondere præstabit gravior. si pondera secum
Conveniunt, tunc major erit, quæ tenuior unda est.
Quòd si ter septem numeros texisse cylindri
Hos videas latices, illos cepisse ter octo:
His drachmâ gravius fatearis pondus ineſſe.
Sed refert æqui tantum conferre liquoris,
Ut gravior superet drachma, quantum expulit undæ
Illius aut hujus, teretis pars mersa cylindri.
Hæc de mensuris: quarum si signa requires,
Ex ipsis veterum poteris cognoscere chartis.
Nunc aliud partum ingenio trademus eodem.
Argentum fulvo siquis permisceat auro,
Quantum id sit, quóve id possis deprendere pacto,
Prima Syracusii mens prodidit alta magistri.
Regem namque ferunt Siculum, quam voverat olim
Cœlicolûm regi, ex auro statuisse coronam:
Compertóque dehinc furto (nam parte retentâ,
Argenti tantundem opifex immiscuit auro)
Orâsse ingenium civis, qui mente sagaci,
Quis modus argenti fulvo latitaret in auro,
Repperit, illæso, quod dîs erat antè dicatum.
Quod te quale fiet, paucis, adverte, docebo.
Lancibus æquatis, quibus hæc appendere mos est,
Argenti atque auri, quod edax purgaverit ignis,
Impones libras, neutrum ut præponderet: háscque
Summittes in aquam. Quas pura ut ceperit unda,
Protinus inclinat pars hæc, quæ sustinet aurum.
Densius hoc nanque est, similari crassius undâ.
At tu siste jugum: mediscque è cardine centri
Intervalla nota, quantum discerpserit illinc,
Quótque notis distet suspenso pondere filum.
Fac drachmis distare tribus. Cognovimus ergo
Argenti atque auri discrimina. denique libram
Libra tribus drachmis superat, quum mergitur undâ.
Sume dehinc aurum, cui pars argentea mixta est,
Argentíque meri par pondus: itémque sub undâ
Lancibus impositum specta. propensior auri
Materies sub aquis fiet, furtúmque docebit.
Nam si ter senis superabitur altera drachmis,
Sex solas libras auri dicemus ineſſe,
Argenti reliquum, quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis quum mergitur undis.
Hæc eadem puro deprendere possumus auro,
Si par corrupti pondus pars altera gestet.
Nam quotiens ternis pars illibata gravârit
Corruptam drachmis sub aquâ, totidem esse notabis
Argenti libras, quas fraus permiscuit auro.
Pars etiam libræ quævis si fortè supersit,
Hæc quoque drachmarum similis tibi parte notetur.
Nec non & sinè aquis.

CÆLII SYMPOSII ÆNIGMATA.

HÆC quoque Symposius de carmine lusit inepto.

Sic tu Sexte doces, sic te deliro magistro.
Annua Saturni dum tempora festa redirent,
Perpetuo semper nobis sollemnia ludo:
Post epulas lætas, post pocula dulcia mensæ,
Deliras inter vetulas, puerósque loquaces,
Cùm streperet latè madidæ facundia linguæ:
Tum verbosa cohors, studio sermonis inepti
Nescio quas passim magno de nomine nugas
Est meditata diu, sed frivola multa locuta est:
Nec mediocre fuit magni certaminis instar
Ponere diversè vel solvere quæque vicissim.
Ast ego ne solus fœdè tacuisse viderer,
Qui nihil attuleram mecum, quod dicere possem,
Hos versus feci subito de carmine vocis.
Insanos inter, sanum non esse necesse est.
Ne veniam Lector, quòd non sapit ebria Musa.

I. *Graphium.*

DE summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor utrimque manu, diverso & munere fungor:
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

II. *Arundo.*

DUlcis amica Dei, semper vicina profundis,
Suave canens Musis, nigro perfusa colore,
Nuncia sum linguæ, digitis figurata magistris.

III. *Annulus cum gemmâ.*

COrporis extremi non magnum pondus adhæsi:
Ingenitum dicas, ita pondere nemo gravatur:
Una tamen facies, plures habitura figuras.

IV. *Clavis.*

VIrtutes magnas de viribus adfero parvis:
Pando domus clausas, iterum sed cludo patentes:
Servo dominum domino, sed rursus servor ab ipso.

V. *Carena.*

Digitized by Google

V. *Catena.*

NExa ligor ferro, multos habitura ligatos:
Vincior ipſa priùs, ſed vincio vincta viciſſim:
Et ſolvi multos, nec ſum tamen ipſa ſoluta.

VI. *Tegula.*

TErra mihi corpus, vires mihi præſtitit ignis:
Alta domûs quæro, ſedes eſt ſemper in imo:
Et me perfundit qui me citò deſerit humor.

VII. *Fumus.*

SUNT mihi ſunt lachrymæ, ſed non eſt cauſa doloris:
Eſt iter ad cœlum, ſed me gravis impedit aër:
Et qui me genuit, finè me non naſcitur ipſe.

VIII. *Nebula.*

NOX ego ſum facie, ſed non ſum nigra colore;
Inque die mediâ tenebras tamen adfero mecum:
Nec mihi dant ſtellæ lucem, nec Cynthia lumen.

IX. *Pluvia.*

EX alto venio longâ delapſa ruinâ,
De cælo cecidi medias tranſmiſſa per auras,
Sed ſinus excepit, qui me ſimul ipſe recepit.

X. *Glacies.*

UNda fui quondam, quod me cito credo futuram,
Nunc rigidi cæli duris connexa catenis,
Nec calcata pati poſſum, nec nuda teneri.

XI. *Nix.*

PUlvis aquæ tenuis, modico cum pondere lapſus,
Sole madens, æſtate fluens, in frigore ſiccus,
Flumina facturus, totas priùs occupo terras.

XII. *Flumen & piſces.*

EST domus in terris, clarâ quæ voce reſultat,
Ipſa domus reſonat, tacitus ſed non ſonat hoſpes:
Ambo tamen currunt, hoſpes ſimul & domus unâ.

XIII. *Navis.*

LOnga feror velox, formoſæ filia ſylvæ,
Innumeris pariter comitum ſtipata catervis,
Curro vias multas, veſtigia nulla relinquens.

XIV. *Pullus in ovo.*

MIra tibi referam noſtræ primordia vitæ:
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo,
Jam poſito partu, natum me nemo videbat.

XV. *Vipera.*

NON poſſum naſci, ſi non occidero matrem:
Occidi matrem, ſed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod jam mea fecit origo.

XVI. *Tinea.*

LIttera me pavit, nec quid ſit littera novi.
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior indè.
Exedi Muſas, nec adhuc tamen ipſa profeci.

XVII. *Aranea.*

PAllas me docuit texendi nôſſe laborem,
Nec pepli radios poſcunt, nec licia telæ.
Nulla mihi manus eſt, pedibus tantùm omnia fiunt.

XVIII. *Cochlea.*

POrto domum mecum ſemper migrare parata,
Mutatóque ſolo non ſum miſerabilis exſul:
Nam mihi concilium de cœlo naſcitur ipſo.

XIX. *Rana.*

RAuciſonans ego ſum, mediâ vocalis in undâ,
Sed vox laude ſonat, quâ ſe quoque laudet & ipſa:
Cúmque canam ſemper, nullus mea carmina laudat.

XX. *Teſtudo.*

TArda gradu lento, ſpecioſo prædita dorſo,
Docta quidem ſtudio, ſed ſævo prædita fato:
Viva nihil dixi, quæ ſic modò mortua canto.

XXI. *Talpa.*

CÆca mihi facies, atris obſcura tenebris.
Nec eſt ipſe dies, nec ſol mihi cernitur ullus:
Malo tegi terrâ, ſic me quoque nemo videbit.

XXII. *Formica.*

PRovida ſum vitæ, duro non pigra labori,
Ipſa ferens humeris ſecuræ prævia brumæ:
Nec gero magna ſimul, ſed congero multa viciſſim.

XXIII. *Muſca.*

IMproba ſum, fateor: quid enim gula turpe veretur?
Frigora vitabam, quæ nunc æſtate revertor:
Sed citò ſubmoveor, falſo conterrita vento.

XXIV. *Gurgulio.*

NON bonus agricolis, non frugibus utilis hoſpes,
Non magnus formâ, non recto nomine dictus,
Non gratus Cereri, non parvam ſumo ſaginam.

XXV. *Mus.*

PArva mihi domus eſt, ſed janua ſemper aperta,
Exiguo ſumptu, furtivâ vivo ſaginâ.
Quod mihi nomen ineſt, Romæ quoque conſul habebat.

XXVI. *Græ.*

LIttera ſum cæli, pennâ perſcripta volantis,
Bella cruenta gerens, volucri diſcrimine Martis,
Nec vereor pugnas, dum non ſit longior hoſtis.

XXVII. *Cervix.*

VIvo novem vitas, ſi me non Græcia fallit,
Utraque ſum ſemper, nullo compulſa dolore,
Et non iraſcens, ultro convitia dico.

XXVIII. *Veſpertilio.*

NOX mihi dat nomen primo de tempore noctis.
Pluma mihi non eſt, quam ſit mihi penna volantis,
Sed ſedeo in tenebris, nec me committo diebus.

XXIX. *Ericius.*

PLena domus ſpinis, parvi ſed corporis hoſpes,
Incolumi dorſo telis confixus acutis,
Suſtinet armatas ſegetes habitator inermis.

XXX. *Pediculus.*

EST nova noſtrarum cunctis captura ferarum,
Ut ſi quid capias, id tu tibi ferre recuſes:
Et quod non capias, tecum tamen ipſe reportes.

XXXI. *Phœnix.*

VIta mihi mors eſt; morior, ſi cœpero naſci:
Sed prius eſt fatum lethi, quàm lucis origo:
Sic ſolos manes ipſos mihi duco parentes.

XXXII. *Taurus.*

MOEchus eram regis, ſed lignea membra ſequebar:
Et Cilicum mons ſum, ſed non ſum nomine ſolo:
Et vehor in cœlis, & in ipſis ambulo terris.

XXXIII. *Lupus.*

DEntibus inſanguis ego ſum, qui vinco bidentes,
Sanguineas prædas quærens, victúſque cruentos,
Multâ cum rabie vocem quoque tollere poſſum.

XXXIV. *Vulpes.*

EXiguum corpus, ſed cor mihi corpore majus:
Sum verſuta dolis, arguto callida ſenſu:
Et fera ſum ſapiens, ſapiens fera ſi qua vocatur.

XXXV. *Capra.*

ALma Jovis nutrix, longo veſtita capillo,
Culmina difficili peragrans ſuper ardua greſſu,
Cuſtodi pecoris tremulâ reſpondeo voce.

XXXVI. *Porcus.*

SEtigeræ matris fœcundâ natus in alvo,
Deſuper ex alto virideis expecto ſaginas,
Nomine numen habens, ſi littera prima periret.

XXXVII. *Mula.*

DIſſimilis patri, matri diverſa figura:
Confuſi generis, generi non apta propago:
Ex aliis naſcor, nec quiſquam naſcitur ex me.

XXXVIII. *Tigris.*

A Fluvio dicor, fluvius vel dicitur ex me,
Junctáque ſum ventro, vento velocior ipſo:
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

Centaurus.

Digitized by Google

XXXIX. *Centaurus.*

QUatuor insignis pedibus, manibúsque duabus,
* Dissimilis mihi sum, quia non sum unus & unus:
Et vehor & gradior, quia me mea corpora portant.

XL. *Papaver.*

GRande mihi caput est, intus sunt membra minuta,
Pes unus solus, sed pes longissimus unus.
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

XLI. *Malva.*

ANseris esse pedes similes mihi nolo negare:
Nec duo sunt tantùm, sed plures ordine cernis:
Et tamen hos ipsos omnes ego porto supinos.

XLII. *Beta.*

TOta vocor Græcè, sed non sum tota Latinè:
Ante tamen mediam canponis scripta tabernam,
In terrâ nascor, lymphâ lavor, ungor olivo.

XLIII. *Cucurbita.*

PEndeo dum nascor, rursus dum pendeo nascor:
Pendens commoveor ventis, & nutrior undis,
Pendula si non sum, non sum jam jámque futura.

XLIV. *Cepa.*

MOrdeo mordentes, ultro non mordeo quenquam:
Sed sunt mordentem multi mordere parati.
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo ullos.

XLV. *Rosa.*

PUrpura sum terræ, pulchro perfusa rubore,
Septáque, ne violer, telis defendor acutis.
O felix, longo si possem vivere fato.

XLVI. *Viola.*

MAgna quidem non sum, sed inest mihi maxima virtus.
Spiritus est magnus, quamvis in corpore parvo:
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

XLVII. *Thus.*

DUlcis odor nemoris, flammâ fumóque frigor,
Et placet hoc superis, medios quæ mictor in ignes,
Cùm mihi peccandi vitium natura negârit.

XLVIII. *Myrrha.*

DE lacrymis & pro lacrymis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor,
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

XLIX. *Ebur.*

DENS ego sum magnus, populis cognatus Eois,
Nunc ego per partes in corpora multa recessi.
Nec remanent vires, sed formæ gratia mansit.

L. *Fœnum.*

HErba fui quondam viridi de gramine terræ,
Sed chalybis duro mollis præcisa metallo,
Mole premor propriâ, tecto conclusa sub alto.

LI. *Mola.*

AMbo sumus lapides, unâ sumus, ambo jacemus:
Quàm piger est unus, tantùm non segnis it alter:
Hic manet immotus, non definit ille moveri.

LII. *Farina.*

INter saxa fui, quæ me contrita premebant,
Vix tamen effugi totis collisa medullis:
Et nunc forma mihi minor est, sed copia major.

LIII. *Vitis.*

NOlo toro jungi, quamvis placet esse maritum.
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago est:
Nolo sepulchra pati, scio me submergere terræ.

LIV. *Hamus.*

EXiguum corpus ferri mucronis adunci,
Fallaces escas medio circumfero fluctu:
Blandior ut noceam, morti præmitto saginam.

LV. *Acus.*

LOnga, sed exilis tenui producta metallo,
Mollia duco levi comitantia vincula ferro,
Et faciem læsis, & nexum reddo solutis.

LVI. *Caliga.*

MAjor eram longè, quondam dum vita manebat.
At nunc exanimis, lacerata, ligata, revulsa,
Dedita sum terræ, tumulo sed condita non sum.

LVII. *Clavus.*

IN caput ingredior, quia de pede pendeo solo:
Vertice tango solum, capitis vestigia signo:
Sed multi comites casum patiuntur eundem.

LVIII. *Capillus.*

FIndere me nulli possunt, præcidere multi.
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger, minùs ultima fata verebor.

LIX. *Pila.*

NON sum cincta comis, & non sum compta capillis.
Intus enim crines mihi sunt, quos non videt ullus.
Méque manus mittunt, manibúsque remittor in auras.

LX. *Serra.*

DEntibus innumeris toto sum corpore plena,
Frondicomam sobolem morsu depascor acuto.
Mando tamen frustra, quia respuo præmia dentis.

LXI. *Ancbora.*

MUcro mihi geminus ferro conjungitur uno.
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo.
Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.

LXII. *Pons.*

STAT nemus in lymphis, fluit in alto gurgite sylva,
Et manet in mediis undis immobile robur:
Terra tamen mittit quod terræ munera præstat.

LXIII. *Spongia.*

IPsa gravis non sum, sed aquæ mihi pondus inhæret:
Viscera tota tument patulis diffusa cavernis,
Intus lympha latet, sed non se sponte profundit.

LXIV. *Tridens.*

TRES mihi sunt dentes, quos unus continet ordo,
Unus præterea dens est & solus in imo,
Méque tenet numen, ventus timet, æquora curant.

LXV. *Sagitta.*

SEpta gravi ferro, levibus circundata pennis,
Aëra per medium volucri contendo meatu,
Missáque discedens nullo mittente revertor.

LXVI. *Flagellum.*

DE pecudis dorso pecudes ego terreo cunctas,
Obsequium reddens memoratâ lege doloris.
Nec volo contemni, sed contrà nolo nocere.

LXVII. *Laterna.*

COrnibus apta cavis, tereti pellucida vitro,
Lumen habens intus divini sideris instar,
Noctibus in mediis faciem non perdo dierum.

LXVIII. *Specular.*

PErspicior penitus, nec luminis acceo visus,
Transmittens oculos intrà mea membra meantes.
Nec me transit hyems, sed sol tamen emicat in me.

LXIX. *Speculum.*

NUlla mihi cerna est, nulla est peregrina figura,
Fulgor inest intus, radianti luce coruscus,
Qui nihil ostendit, nisi si quid viderit antè.

LXX. *Clepsydra.*

LEX bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,
Jus avidæ linguæ, finis sinè fine loquendi,
Ipsa fluens dum verba fluunt, ut lingua quiescat.

LXXI. *Puteus.*

MErsa procul terris in cespite lympha profundo,
Non nisi perfossis possum procedere rimis,
Et trahor ad superos alieno ducta labore.

LXXII. *Tubus.*

TRuncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ,
Alveus est modicus, qui ripas non habet ullas:
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

Follis.

LXXIII. *Follis.*

NON ego continuò morior dum ſpiritus exit:
Nam redit aſſiduè, quamvis & ſæpe recedat:
Et mihi nunc magna eſt animæ, nunc nulla facultas.

LXXIV. *Lapis.*

DEucalion ego ſum crudelior hoſpes in undâ,
Affinis terræ, ſed longè durior illâ.
Littera decedat, volucris quoque nomen habebo.

LXXV. *Calx.*

EVaſi flammas, ignis tormenta profugi,
Ipſa medela meo pugnat contraria fato.
Frigeſco lymphis, calidis incendor ab undis.

LXXVI. *Silex.*

SEmper ineſt in me, ſed rarò cernitur ignis.
Intus enim latitat, ſed ſolos prodit ad ictus.
Nec lignis ut vivat eget, nec ut occidat undis.

LXXVII. *Rota, ſeu quadriga.*

QUatuor æquales currunt ex arte ſorores.
Sic quaſi certantes, quum ſit labor omnibus unus,
Et propè ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt.

LXXVIII. *Scopa.*

IN ſylvis genita, & laqueo connexa tenaci,
Juncta ſolo plano, manibus compreſſa duabus,
Ducor ubique ſequens, & me quoque cuncta ſequuntur.

LXXIX. *Tintinnabulum.*

ÆRE rigens curvo, patulum componor in orbem.
Mobilis eſt intus linguæ crepitantis imago.
Non reſonat poſitus, motus quoque ſæpe reſultat.

LXXX. *Lagena.*

MAter erat Tellus, genitor fuit ipſe Prometheus,
Auriculæque regunt, redimitæ ventre cavato,
Dum cecidi infelix, mater mea me ante divifit.

LXXXI. *Conditum.*

TRES olim fuimus, qui nomine jungimur uno.
Ex tribus eſt unus, tres commiſcentur in uno.
Quiſque bonus per ſe, melior qui continet omnes.

LXXXII. *Vinum converſum in acetum.*

SUblatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum.
Quod fueram, non ſum: cœpi quod non erat eſſe.
Nec tamen inveni quicquid priùs ipſe reliqui.

LXXXIII. *Malum.*

EST mihi nomen ovis, contentio magna dearum,
Fraus juvenis functi, multarum cura ſororum,
Excidium Trojæ: quæ bella cruenta peregi.

LXXXIV. *Perna.*

NObile duco genus magni de gente Catonis:
Una mihi ſoror eſt, plures licèt eſſe putentur.
De fumo facies mihi, de mare guſtus inhæſit.

LXXXV. *Malleus.*

NON ego de toto mihi corpore vindico vires,
Sed capitis pugnâ nulli certare recuſo.
Grande mihi caput eſt, totum quoque pondus in illo eſt.

LXXXVI. *Piſtillus.*

COntero cuncta ſimul virtutis robore magno.
Una mihi cervix, capitum ſed forma duorum.
Pro pedibus caput eſt. nam cætera corpora non ſunt.

LXXXVII. *Strigilis.*

RUpea, curva, capax, alienis humida guttis,
Luminibus falſis, auri mentita colorem,
Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.

LXXXVIII. *Balneum.*

PER totas ædes innoxius introit ignis.
Eſt calor in medio magnus, quem nemo veretur.
Non eſt nuda domus, ſed nudus convenit hoſpes.

LXXXIX. *Teſſera.*

DEdita ſum ſemper voto non certa futuro.
Jactor in ancipites variâ vertigine caſus:
Non ego mœſta malis, non rebus læta ſecundis.

XC. *Pecunia.*

TErra fui primùm, latebris abſcondita diris.
Nunc aliud pretium flammæ nomenque dederunt.
Nec jam terra vocor, licèt ex me terra paretur.

XCI. *Mulier quæ gemines parit.*

PLUS ego ſuſtinui quàm corpus debuit unum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Diſceſſere duæ, ſed tertia penè ſequuta eſt.

XCII. *Eques podagricus.*

BEllipotens olim ſævis metuendus in armis.
Sexque pedes habui, quod nunquam nemo negavit.
Nunc mihi vix duo ſunt, inopem me copia fecit.

XCIII. *Luſcus alium vendens.*

CErnere jam fas eſt quod vix tibi credere fas eſt.
Unus ineſt oculus, capitum ſed millia multa.
Qui quod habet vendit, quod non habet, unde parabit?

XCIV. *Funambulus.*

INter luciferum cælum, terraſque jacentes,
Aëra per medium doctâ meat arte viator.
Semita ſed brevis eſt, pedibus nec ſufficit ipſis.

XCV. *Umbra.*

INſidias nullas vereor de fraude latentis.
Nam Deus attribuit nobis hæc munera formæ,
Quòd me nemo movet, niſi quod priùs ipſe movetur.

XCVI. *Echo.*

VIrgo modeſta ſacri legem bene ſervo pudoris:
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria linguâ:
Ultro nolo loqui, ſed do reſponſa loquenti.

XCVII. *Somnus.*

SPonte meâ veniens, varias oſtendo figuras.
Fingo metus vanos, nullo diſcrimine veri:
Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.

XCVIII. *Monumentum.*

NOmen habens hominis poſt ultima fata remanſi.
Nomen inane manet, ſed dulcis vita profugit.
Vita tamen ſupereſt morti poſt tempora vitæ.

XCIX. *Scala.*

NOS ſumus ad cælum quæ ſcindimus alta petentes,
Concordi fabricâ quas unus continet ordo:
Ut ſimul hærentes per nos comitentur ad auras.

C. *De VIII. tollas VII. & remanent VI.*

NUNC mihi jam credes fieri quod poſſe negatur.
Octo tenes manibus, ſed me monſtrante magiſtro,
Sublatis ſeptem reliqui tibi ſex remanebunt.

POETÆ

Digitized by Google

POETÆ ECCLESIASTICI.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
CARTHAGINENSIS PRESBYTERI,
LIBRI CARMINE CONSCRIPTI.

JOH. VOSS. DE POET. LAT.

TERTULLIANUS Carthaginenſis Severi Imper. temporibus vixit. Inter cætera carmine ſcripſit libros quinque adverſùs Marcionem; ſed quos non abſolverit. Sibi enim ereptos queritur, & mendoſiſſimè editos. Et ſanè ſi ex iis, quæ nunc habemus, metiendus ſit Tertullianus, non meretur in Poetis locum. Sanè multoties in metrum peccat. Secundam in *Eccleſia*, nempe altero *c* exempto, corripere non dubitavit. Ut ſecundo adverſùs Marcionem:

Sic & Apoſtolico decurrit Eccleſia verbo.

Et in tertio:

Eſſe caput Chriſtum, ſunt cujus Eccleſia membra.

Quod exemplum in hâc ipsâ voce Paulinus & Venantius Fortunatus ſequi non dubitârunt. Credo eſſe ex eo, quòd iis temporibus ſimiliter pronuntiarent. Ejuſdem Tertulliani (quemadmodum ex vett. lib. cognoſcitur) eſt carmen de Sodomis, quod Cypriano tribui ſolet. Carmen etiam de Ionâ ac Ninive, ejuſdem eſt auctoris.

ADVERSUS MARCIONEM LIBER PRIMUS,
DE UNICO DEO.

ARGUMENTUM.

PRIMUS erit referens inimici ex ordine verba,
Quæ refuga illicitè molitus protulit amens;
Hinc etiam carnis ſpes & victoria Chriſti,
Et ſpecies breviter falſarum dicta viarum.

IMPIETAS profunda mali, mens invida vitæ,
Seductos homines ſpe poſtquam cepit inani,
Nudavit; ſuadendo, nefas, ſibi credere falſum.
Non impune quidem; facti nam protinus ille
Ut reus, & tanti ſceleris temerarius auctor
Accepit maledicta merens. Sic poſt ea demens
Ampliùs aggreſſus, deſperatiſſimus hoſtis,
Infudit mentes hominum caligine merſas;
Oblitos Dominum, docuit ſpem linquere certam,
Idola vana ſequi, turbam ſibi fingere divûm;
Sortes, augurias, ſtellarum nomina falſa;
Naſcentum geneſes conſtringere; poſſe videre
Extorum inſpiciis, réſque exſpectare futuras;
Terribilis magicæ refugarum audaciâ ductos;
Confictam molem mirantes, ſpernere vitam,
Impulit in præceps, ſceleratâ inſaniâ merſos,
Sanguine gaudentes, homicidia ſæva minari;
Corpore in alterius tunc carnis vulnus amare,
Ardentes etiam, calidâ dulcedine captos,
Fœdera naturæ tranſcendere, corpora munda
Complexu infando ſexum maculare virilem;
Fœmineos uſus vulgi contamine mixtos
Illicitos; caſtóſque ſinus, generíque dicatos,
In coitum obſcœnum pro luxu ſuaſit haberi.
Talia, præterito graſſatus tempore, geſſit
Per latebras animæ, ſepis manante veneno.
Non quia culparent homines, nam ſponte ſecuti;
Ille dolo ſuaſit, homo libertate peregit.
Hæc dum continuò per ſecula perfidus halat,
Conſiliúmque ſuum ſeductis cordibus infert;
Sperans (heu) ſceleríſque viam, ſe ſtultus habere,
Ignarus qualis maneat ſententia facti.
Turba Prophetarum tectis ſapientia verbis
Spiritu déque Dei præſagâ voce loquentum
Publicè non audens Dominum maledicere nudè,
Secreto ingenio ſperans ſe poſſe latere;
Tandem lux animæ carnis captiva tenetur,
Deſperatorum certat ſpes fortior hoſte.
Ipſe figurator, renovator corporis ipſe,
Gloria vera patris, Dei filius, unicus auctor,
Judex & Dominus venit, rex inclytus orbis,
Oppreſſis veniam dare promptus, ſolvere vinctos.
Cujus amicitiæ auxilio, patientiâ pœnæ,
Et Deus & renovatus homo miſcetur in unum.
Virgo ſancta parit, patefit nova janua vitæ;
Dicta Prophetarum factis impleta probantur;
Templa ſacerdotes linquunt; ſtellæ quoque ducta
Mirantur Dominum, tantum ſecernere partum.
In vinum vertuntur aquæ, memorabile viſu;
Lumina redduntur cæcis, juſſúque trementes
Dæmones expulſi clamant, Chriſtúmque fatentur.
Omnia ſanantur verbo jam tabida membra,
Jam graditur claudus, ſurdus ſpem protinus audit,
Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus;
Fit mare tranquillum juſſu, ventíque quieſcunt.
Omnia cognoſcunt Dominum; confunditur hoſtis,
Jámque triumphatus, ferus armis paret iniquis.
Omnia quum revocata videt, quæ ceperat ipſe
Cladis in interitum, merſam jam ſurgere carnem,
In cœlos hominem devictâ morte levari,
Signari populos, effuſo pignore ſancto,
Mirandæ virtutis opus, inviſáque facta;
Audit extremas flammarum in gurgite pœnas

Digitized by Google

A Domino ſibi perpetuas, tenebraſque paratas,
(Irrevocata Dei ſententia) nudus, inermis,
Damnatus, victus periturus morte perenni,
Jam reus, & nullam veniam ſe certus habere;
Protinus extremum nefas auſus, ſpargere paſſim
Auribus horrendum verbum, neque voce loquendum.
Abjectos à plebe Dei, ſinè luce vagantes,
Inventos ſinè mente viros, terrena ſequentes,
Aggreſſus pravi pravos docet eſſe magiſtros.
Prædicat his duos eſſe patres, diviſaque regna.
Eſſe mali cauſam Dominum, qui condidit orbem,
Quique figuravit carnem ſpiramine vivam,
Quique dedit legem, & vatum qui voce locutus;
Hunc negat eſſe bonum, juſtum tamen eſſe fatetur.
Crudelem, durum, belli cui ſæva voluptas,
Judicio horrendum, precibus manſueſcere nullis.
Eſſe alium ſuadens, nulli qui cognitus unquam,
Qui non eſt uſquam, falſum ſinè nomine numen.
Conſtituens nihil, & nulla præcepta locutus;
Hunc ait eſſe bonum, nullum qui judicat, æquè
Sed ſpargit cunctis vitam, non invidet ulli.
Judicium negat eſſe reis, dulceſque cruentum
Circumfert miſeris mixtum cum melle venenum.
Surgere poſſe negat carnem, cui cauſa ruinæ
Ipſe fuit; quam contemptam ſpoliavit iniquè,
Propterea maledictus habet ſinè fine dolorem;
Hoſtis huic ſemper, vario quia vulnere vitam
Nititur excutere, &, de qua ruit ipſe, ſalutem.
Inque hoc & Chriſtum terris veniſſe repentè,
Sed nullâ ſocium carnis compagine factum,
Spiritus at forma, & fictum ſub imagine corpus,
Fallere vult homines, quod non eſt, eſſe videri.
Hoc decet ergo Deum, caligine ludere ſuaſos,
Mentiri (nefas) aut hominem ſe dicere falſo?
Portatur, graditur, veſtitur, rite quieſcit,
Tractatur, patitur, ſuſpenditur, & ſepelitur;
Omnia ſunt hominis, quæ ſancto in corpore verſans
A patre vero Deo miſſus, qui cuncta creavit,
Perfecit propriè; ſua, non aliena requirens.
Cognitus ipſo opere, populis ſperantibus olim,
Pérque prophetarum vocem notiſſimus orbi;
Et nunc errantem manifeſto in limine mortis
Ignotum Dominum quærunt, notúmque relinquunt.
(Quorum falſa fides, falſus Deus irrita merces,
Falſa reſurrectio, mortis devicta falſa,
Martyria & vacua, & Chriſti quoque nomen inane.)
Quem magicæ nebulæ ſimilem veniſſe docentes,
Mendacem facti dementes eſſe fatentur;
Nequidquam paſſum, populum ſinè crimine fictum.
Sic verax Deus, hi Domino referuntur honores?
Heu miſeri, gratis ingratâ morte perempti,
Qui cæco duce præcipites in foſſa ruiſtis;
Et velut in ſomnis theſauri munere dives
Exultat, manibúſque tenet, ſpe luſus inani,
Decepti, vacuam ſperatis muneris umbram.
Ah tabidi, rictus, funeſtáve præda draconis,
Speratis pro pace truces homicidia blanda:
Audetis culpare Deum, qui tanta creavit;
In cujus terris, nimiâ pietate profuſâ,
Immemores, largè laudatis dona ruentes?
Ipſum factorem reprobatis, facta probantes,
Artificem mundi, cujúſve opus eſtis & ipſi?
Qui vobis magnos parvis donavit honores,
Proſevit fruges, animalia cuncta ſubegit,
Tempora cui certis fœcundat menſibus anni,
Dulcores, potus varios, pingues & odores,
Jucundos flores, nemorúmque umbracula grata,
Mirificos tribuit ſuccos pubentibus herbis,
Fontes & fluvios diffundit dulcibus undis,
Sideribus cœlum, totúmque illuminat orbem,
Immenſus ſolus Dominus, juſtúſque, bonúſque,
Cognitus ex opere, aſpectu non cognitus ulli.
Quem ſtultæ, quamvis gentes errore copertæ,
Florentes opibus, alieno nomine laudent,
Factorémque tamen gnari culpare verentur.
Nec quiſquam tantùm, niſi vos, nova porta gehennæ,
Ingrati eligitis Dominum maledicere veſtrum.
Hæc vobis per Marcionem Cerdone magiſtro,
Terribilis refuga adtribuit fera munera mortis.
Nec venit in mentem, quòd vos à nomine Chriſti
Seductos, ad Marcionis tulit infima nomen.
Dicite, de multis quid vobis diſplicet unum?
Quidve Deus fecit, quod non ſit laude vehendum?
Aut illud: quod vos nimiùm patientia larga
Indignos, dulcem permittit cernere lucem?
Qui legitis vera, & conciſa ea falſa docetis,
Quæ ſunt póſtque futura, priùs hæc facta probatis.
Aut incredibile, quid differt credere veſtrum?
Nec mirum ſi vos verſutus cepit inermes,
Perſuadens duos eſſe patres, damnatus ab uno,
Eſſe Deos; qui principio ſeduxerat omnes.
Poſt ea multiplici manantem vulnere peſtem
Diſtribuit multis; & inemendabile crimen.
Infandos omni magicæ dementiâ plenos
Pervaſit, ſeſe virtutem dicere ſummam.
Fingere cum meretrice, nefas peragrare, volare.
Namque Valentino Deus eſt inſanus, & ævo
Triginta tribuit cœlos, patrémque Profundum;
Bis docuit tingui, tranſducto corpore flammâ.
Tantos eſſe Deos Batillden credere juſſit,
Quantos & dies annus habet; tot denique mundos,
Marcus per numeros argumentatus acutè,
Tradidit in magicæ formam violare pudicam,
Offerri calicem, precibúſque in ſanguine verti.
Hebioni Chriſtum ſuafit de ſemine natum,
Et circumcidi docuit, legíſque vacare,
Fontibus amiſſis elementa reſumere legis.
Extremum facinus verbis extendere nolo,
Aut omnes cauſas, aut nomina dicere cuncta.
Eſt per pauca ſatis crudelia multa notare,
Infandóſque homines atque organa ſæva draconis,
Per quos nunc tantum ſceleris ſinè tetle locuti,
Semper factorum mundi culpare laborant.
Sed revocate pedem ſævi latronis ab antro,
Dum ſpatium datur, & patiens pietate perennis
Facta per errorem miſeris Deus omnia donat.
Credite verò patri vero, qui condidit orbem;
Verum qui Dominum miſit renovare ruinam
Imparibus legi, peccati in gurgite mortis,
Per vates olim promiſſam afferre ſalutem.
Qui mandata dedit, hic & peccata remittit.
Exigit hìc aliquid meritò, quia credidit antè,
Aut donat largè Dominus, quaſi debita ſervis.
Denique confuſos populos pœnámque merentes
Deleto elogio cunctos jubet ipſe lavari.
Ergo totus homo credit, totúſque lavatur.
Abſtinet aut patitur pro nomine vulnera verè,
Verus ſurgit homo, verè mors victa ſilebit;
Sed non pars hominis anima, ſuâ parte relictâ,
Percipiet palmam, ſociâ quam carne laborans
In ſtadio luctata, ſimul conjuncta merentur.
Grande nefas, portare duos per vincula pondus,
Quorum ſit locuples unus, atque alter egenus,
Et miſerum ſperni, fœlici præmia reddi.
Non facit hoc juſtus, mercedis redditor æquus,
Et bonus, & dives, quem credimus omnia poſſe,
Suavis in ingratos, miſerendi plena voluntas.
Quin potiùs, cui major inest mortalis egeſtas,
Poſſit ut æquari, ſocio prælatus, id ultrò
Quicquid eget, tribuet locuples, ſic credere juſſum.
Nec velle illicitè Dominum culpare docendo
Suſcitet, aut quam animam, tamquam ſit paſſa ruinam,
Liberet à morte, & viventi facta maneret
Copia de ſolo merito, quia fortiter egit.
Et caro, communem ſemper ſortita laborem,
Linquatur terræ, mortis ſit præda perennis.
Ergo hominis anima placuit Deo, fortibus actis?
Nullo ſola modo potuit ſinè carne placere.
Vincla tulit, pœnas, caro membris vincula geſſit,
Contempſit mortem, ſed carnem morte reliquit.
Illa dolens genuit, hæc vita à vulnere cæſa eſt.
Illa petit requiem; hæc ferro in pulvere fuſa,
Piſcibus, alitibus, tabo, cineríque relicta eſt.
Frangitur infœlix laniata, ſparſa liqueſcit,
Surgere non meruit? quid enim committere ſola
Exanimis potuit? quæ ſic cauſa invida vitæ
Impedit, aut prohibet Dei dona capeſſere carnem;
Cúmque ſuâ ſociâ conjunctam vivere ſemper?
Cernere quid fuerit converſa in pulvere quondam,
Poſt meritos renovata ferat Deo laudis honores;
Non ignara ſui, fragilis, mortalis, & ægra,
Certatis, magni poſſit quid vivida virtus,
Qui bonus atque potens vitam non invidet ulli.
Hæc captiva fuit mortis, hæc victa peribit,
Quam Dominus mirâ ſapientiâ fecit & arte?
Hanc virtute ſuâ mirandâ ſuſcitat ipſe,
Hanc revocat dux fortis, & hanc ſua gloria veſtit.
Ergo Dei aptavit ars & ſapientia corpus,

Quod

Quod cupit, his fieri; deeſt hoc virtute reduci?
Cauſa poteſt pietati nulla reſiſtere ſanctæ;
Ne major ſit cauſa mali, quàm ſumma poteſtas;
Ut cognoſcat homo, jam nunc Dei munere ſalvus,
Mortalis quondam, nunc inviolabile & ingens
Veſtitus lumen, vivus cum corpore totus,
Immenſum virtute Deum, pietate perennem,
Per Chriſtum regem, per quem via lucis aperta eſt;
Et jam luce novâ, jam dono plenus utroque,
Fructibus & vivæ paradiſi lætus amœnis
Laudet in æternum, cœleſti dives in aulâ.

LIB. II. ADVERSUS MARCIONEM,

De concordiâ veteris & novæ Legis.

ARGUMENTUM.

INDE *ſequens, conjuncta docet myſteria Legis,*
Inque novo Deus quæ fœdere tradidit unus.

POSTQUAM fracta fides refugis ſpirantibus hoſtis,
Et glomerata dolis, emerſit peſtis operta
Sponte ſuâ; mendax contempto numine ſenſus
Confixit plagas, fallaci tramite pallens
Sanctorum dictis ſua miſcuit impia verba,
Inque bonum ſemen lolium miſerabile ſevit.
Indè volens omnem cauſam conſtare ruinæ,
Scilicet ut ſua facta Deo ſubſignet iniqua
Ocyùs, & poſſit ſuaſos infigere pœnis;
Veris falſa tegens, & lenibus aſpera vertens;
Et roſeis ſertis haſtæ mucrone coperto,
Improvisè necans incautos morte ſuprema.
Supremum nefas, intantum dementia merſos
Abruptos homines, numen finè fine tremendum
Dividere in partes; Chriſti ſublimia facta
Falsâ laude ſequi, culparéque geſta priora;
Innumerata Dei miracula, viſa nec unquam,
Antè nec audita, contentáque corde nec ullo.
Tam temerè ſcelus illicitum componere verbis,
Adverſum ſeſe duo teſtamenta ſonare,
Contra Prophetarum, Domini committere verba;
Diſſimili longè ſententiâ velle probare,
Omnem Legis & infamem deducere cauſam;
Sanctorúmque patrum vitam reprobare priorem,
Quos in amicitiam adlexit Deus, ad ſua dona.
Accipitur finè principio pro parte minori,
Quatuor ex uno quum ſint, ex quatuor unum,
His tamen una placet, reprobat tres denique partes,
Auctorémque ſui Paulum per multa capeſſunt;
Necnon ex ipſo furiebat in extima verba;
Omnia quæ veteri de fœdere cumque locutus
Dura videntur eis; merito quia corde gravatis
Pondus Apoſtolicum, fulgentis gratia verbi,
Lumina præducit menti, neque cernere poſſunt;
Spiritu lata putant hebetes, animalia digna.
Sed vos, qui nondum penitus, duce nomine falſo,
Mente ipſa reprobi, penetrâſtis ad intimà mortis;
Diſcite de fonte fluvium manare perennem,
Qui nutrit lignum, biſſenos gratia fructus,
Exit & in terram, ventóſque in quatuor orbis,
Tot fluit in partes fontis color & ſapor unus.
Sic & Apoſtolico decurrit Eccleſia verbo,
Ex utero Chriſti, patris omnis gloria plena,
Sordes diluere, & fata mortua vivificare.
Quatuor in numero diffuſum in gentibus unum
Electàque fide ſuſceptum, doctor opimus
Tradit Evangelium Paulus finè crimine mundum;
Abque hoc & Galatas vetuit diſcedere ſanctos,
Quos falſi fratres ſe circumcidere ſuaſos,
Atque elementa ſequi, novâ libertate relictâ,
Umbra futurorum veteri ſervire docebant.
Has habuit Galatis cauſas conſcribere Paulus;
Non ut Evangelii partem pro corpore toto
Exciperent modicam, majori parte relictâ.
Atque adeò non verba libri, ſed miſſus in orbem
Ipſe Chriſtus, Evangelium eſt, ſi cernere vultis,
A patre qui venit, ſolus bona nuntia portans
Teſtificata priùs; cujus ingens gloria complet,
Oſtendens opere, quantus ſit conditor orbis.
Cujus facta, ſimul dictis conjuncta, fideles
Illi Matthæus, Marcus, Lucáſque, Joannes,
Conſcripſere, mera, non extera verba locuti,

Spiritu ſancta Dei, tanto præſente magiſtro.
Hic agnus Paſchæ ſuſpenditur hoſtia ligno;
Hunc Paulus phaſe, conſcribens decreta Corintho,
Occiſum tradit, vitámque, Deúmque futurum
Promiſſum, patribus quos illectaverat anté.
Cernite quid virtus, quid Paſchæ poſſit imago,
Sic verum quid ſit poteritis Paſcha videre.
Ne fidus pater, & vates, cui pignus & hæres
Carus erat, quem fortè Deus donaverat illi,
Hunc Deo mactaret, merito tentatus amore;
Supplicium magnum, ſanctus pro ſanguine ſanguis,
Connexus capite ſpinis oſtenditur agnus,
Hoſtia ſancta Deo. Cujus de morte piati
Eſſet ut in ſignum & vaſtatæ pignora gentis,
Sanguine ſignantur poſtes, & limina multa,
Immane auxilium, caro teſtis creditur eſca.
Ieſus tranſgreſſus Jordan, terràque potitus,
Lege dedit Paſcham, gaudens atque immolat agnum.
Et reliqui magni reges, ſanctíque Prophetæ,
Non ignorantes certæ promiſſa ſalutis,
Ingentémque, metu pleni, tranſcendere legem,
Venturam ſummæ virtutis imagine molem,
Inſpectam è ſpeculo celebrârunt ordine Paſcham.
Denique ſi celeri primordia mente recurras,
Invenies funeſta nimis, poſt impia verba.
Credulus, heu, facilè nudatus tegmine vitæ,
Pellibus ut tegeretur homo, ſuſpenditur agnus,
Aut peccata necat, aut ſanguine funera delet,
Aut coperit nudos, fovet aut ſuo vellere vultus.
Non pecoris ſanguis humano ſanguine pluris?
Ut pro peccatis oblatus dirimat iram,
Aut multæ plebis; veluti ſi carior agnus,
Auxilium immane, tantæ tutela ſalutis,
Oblatus potuit pretium ſatis eſſe ſalutis?
At Deus omnipotens, cœli terræque creator
Immenſus, vivus, perfectus, luce perennis,
His non placatur, pecudum neque ſanguine gaudet.
Omnia mactentur pecora, grex omnis in aras
Decremet, ut veniam vel peccati expiet unus;
Nequaquam Domini ſapiens maculata figura,
Tam vili pretio, caro fœda paravit honores;
Sed ſpes & promiſſa fides mortalibus olim,
Hæc operata tulit, magnæ rationis imago,
Præmeditata patris, nimiâ pietate parata
Venturum Chriſtum terris, hominémque futurum.
Quem viſum Joannes baptiſmi primus apertor,
Et vatum ſocius, necnon & Apoſtolus ingens,
Præcurſor miſſus certus, teſtiſque fidelis,
Auguſtus vitâ, ſublimi laude notatus,
Olim Paſcha Dei, verum quærentibus agnum,
Oſtendit tandem veniſſe, piacula facti
Qui delicta ſuo multorum ſanguine ſolvat,
Pro reprobis probus, & carus, pro vilibus unus
Corpore homo, vitâque Deus, mactatus ut agnus,
Acciperet nos, & nobis ſe effunderet ipſum.
Sic placuit Domino, mortem ſpoliare ſuperbam,
Sic poterit miſerandus homo ſperare ſalutem.
Hunc Paſcham Paulus mactatum prædicat agnum;
Nec ſpecies Domini pecoris ſublimis inertis
Conſimilis patitur, quapropter dicitur agnus;
Sed quia lanities renovata hæc corpora veſtit,
Dat tegimen multis, umquam nec deficit ipſe.
Sic Dominus virtute patris, quos morte redemit,
Exutos ſuâ luce tegit, quæ ſemper in illo eſt.
Ergo Paſtor ovem qui perdidit, ipſe requirit.
Is robur ſpináſque uvæ calcare paratus,
Aut rabiem ſuperare lupi, pecudúmque potiri,
Eripere fortis, contemptis dentibus ultro
Objectat ſeſe Leo, pelle obtectus ovili,
Decipiens habitu, rapturus ſanguine fauces.
Adam vi captum ſic quærit Chriſtus ubique,
Ipſe viam gradiens, qua mors operata ruinam eſt,
Omnia perluſtrans veterum monumenta virorum,
Singula perſpiciens, exemplis omnibus unus,
Ex utero incipiens inimicam expellere mortem,
Conceptæ ſimul in gremio cum ſemine carnis
Ætates omnes tacitâ ſapientiâ luſtrans,
Debita ſuſcipiens, cunctos mundare paratus,
Reddere factori multos, quos ſparſerat unus.
Et quia terribilis puteo demerſus iniquo
Vir cecidit, ſualit virgo ſubducta dracone;
Conſilio placuit, tegmen cœleſte reliquit;
Arguit hos lignum nudos, mors atra coëgit.
Ex eâdem maſſâ ſimili ratione refecta

Jam renovata, redit flos carnis, & hoſpita pacis
Virgine deſponsâ caro, non ex ſemine nato
Artûci conjuncta ſuo, ſinè debito mortis
Angelus hæc mandata patris, per ſidera defert
Lucida, ut angelica credantur nuncia famâ
Virginis ut virgo, carnis caro debita ſolvat.
Talibus ingreſſus ſequitur veſtigia mortis
Parvulus immanis, ſenior puer, & juvenis vir.
Pòſt ubi juſta viri completa eſt roboris ætas,
Paulatim ſolitus ſociâ deperdere vitâ;
In fœdas etiam rugas, & inertia membra
Mutari ſpecie vacuatis ſanguine venis
Conſtitit, haud habitum paſſus veteraſcere carnis,
Quâve manum extendit temere contingere lignum.
Qua die, quóve loco cecidit clariſſimus Adam,
Hac eâdem redeunte die volventibus annis
In ſtadio ligni, fortis congreſſus athleta;
Extendſtque manus, pœnam & pro laude ſecutus
Devicit mortem, quia mortem ſponte reliquit.
Exuit exuvias carnis, & debita mortis;
Serpentis ſpolium, devicto principe mundi
Adfixit ligno, refugerum immane tropæum.
In cujus ſignum Moſes ſuſpenderat anguem,
Et quotquot fuerant multis ſerpentibus icti,
Aſpicerent ipſum fictum fixúmque draconem.
Pòſt ubi ſecretas inferni venit ad undas;
Atque ſuum victor captivum luce retexit,
Aſtanti juſſúmque patris virtute peregit,
Sponte ſuum corpus quod liquerat, ipſe recepit.
Cauſa hæc mortis erat, eadem via facta ſalutis;
Nuncius ille doli, ſed pacis nuncius iſte;
Sponſa virum necuit, genuit ſed ſponſa leonem.
Virgo viro nocuit, ſed vir de virgine vicit.
Cujus in exemplum ſopito corpore lomno,
Sumitur ex latere mulier, quæ coſta mariti;
Quam carnem de carne ſuâ, déque oſſibus oſſa,
Evigilans dixit, præſagâ mente locutus.
Mira fides, meritò Paulus certiſſimus Auctor
Chriſtum de cælis Adam docet eſſe ſecundum.
Veritas ipſa ſuis exemplis uſa refulget,
Nec cupit ex alieno acres oſtendere greſſus;
Pauperis hoc opus eſt, propriæ virtutis egeni.
Hæc Paulus docuit magnus myſteria docta,
Scilicet in Chriſto eſſe decus, *tuum Eccleſia cernens
Hujus de latere, ligno pendentis in alto
Corporis exanimi ſanguis manavit & humor.
Fœmina ſanguis erat, aquæ erant nova dona lavacri,
Hæc populi vera eſt viventis Eccleſia mater,
De Chriſti novâ carne caro, déque oſſibus oſſum.
Golgotha locus eſt, capitis calvaria quondam;
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit;
Hìc medium terræ eſt, hìc eſt victoria lignum.
Os magnum hìc veteres noſtri docuere repertum,
Hìc hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum,
Hìc patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Pulvis Adæ ut poſſit veteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquæ virtute levari.
Hæc ovis eſt una, quam ſe per Sabbatha vivam
Inferni è puteo ſtatuit ſubducere paſtor.
Propterea cunctæ carnis præmortua membra
Curabat Sabbathis; aut cæci à germine nati
Lumina, quæ nondum dederat, cernendo peregit;
Aut hominem totum exanimem, per Sabbatha vivum,
Déque ſepulturâ præſenti plebe vocavit;
Ipſe novi factor, veteris bonus ipſe refector,
Aut quæ defuerunt ſupplens, aut perdita reddens.
Hæc ineunte die ſancto, ſperantibus in ſe
Facturus plenè pro pacto, poſſe docebat.
  Quid? Caro ſi moritur, nec ſpes datur ulla ſalutis;
Quas habuit cauſas, hominem ſe fingere Chriſtus,
Et medicare homines, aut curam carnis habere?
Corruptela potens liquefactum ſolvere corpus;
Non poterit virtus Domini revocare ſolutum?
Credunt interitu qui non ſua corpora ſolvi,
Non credunt Domino, ſua qui vult merſa levare,
Aut nolle præſtare bonum, neque poſſe potentem
Dicunt, ignari quanto de crimine lactent,
Infirmas auſi cauſas præponere morti.
In grano latet arbor, & hoc niſi terrâ ſepultum
Putreſcat, non dat decoratos arbore fructus.
Jam liquidæ ſtringentur aquæ; ſtridente rigore
Saxa fient, & ſemper erunt, niſi magna poteſtas
Solverit inducto molli ſpirante tepore,
Viticulæ in gracili latet ingens corpore botrus,
Si quæras, non eſt; quum vult Deus, eſſe videtur.
Arboribus folia, ſpinis roſa, germina campis
Mortua deficiunt, & rurſus viva reſurgunt.
Hæc homini Deus antè oculos revocata reformat,
Propter quem locuples, primus largè omnia fecit.
Omnia nuda cadunt, ſuo corpore ſingula veſtit.
Cur hominem ſolum, cui tantos fudit honores,
Non tantum revocet ſibi, quem ſuper omnia fecit?
Ergo caro & ſanguis Dei regno digna negatur,
Tamquam ſit Paulus propriè de carne locutus.
Ille quidem magna docuit, ſed inania corda
Carnali ſermone putent; nam priſtina facta
Sanguinis & carnis voluit ſub nomine dicta,
Cœleſtis magni memoratus verba magiſtri,
Qui per aquam de ſe genitis ſui nomen honoris
Donavit, pignúſque ſuo de ſpiritu fudit,
Ut cujus fuerant homines virtute redempti,
Hujus & acciperent, renovati nomen honoris.
Ergo quia populis nondum ſuo fonte renatis,
Sordibus antiquis tectis, & debito mortis
Ex veteri cauſâ regnum cœleſte negavit,
Dicens: humanum rurſus debere renaſci:
Quod natum eſt de carne, caro eſt, de ſpiritu vita:
Radicis veteris nova germina gloria mutans
Ablutum corpus jam non de carne vocari,
Hoc ſequitur Paulus, ſic eſt de carne locutus.
Denique dixit: Oportere ſuperindui veſtem,
Hunc habitum fragilem, mortalem contegi formam.
Non aliud corpus dari, ſed priùs illud inermem
Undique regno Dei lato circumdari totum,
Momento aſpectûs oculi mutabitur, inquit.
Ut rufæ ceræ facies diſpanditur herba,
Et mutat proprium candenti ſole colorem:
Sic eadem caro fulgenti de glorià ſumens,
Gaudebit, ſemper gaudens, & morte carebit,
Devictum clamans crudelem corporis hoſtem,
Glutitam mortem, fortis victoria Chriſtus,
Ingentes Deo ſumma ferens ad ſidera laudes.

LIB. III. ADVERSUS MARCIONEM,

De concordiâ patrum veteris & novi Teſtamenti.

ARGUMENTUM.

TERTIUS, *ingenuâ gentem de matre creatam,*
Vatibus & patribus ſacratos eſſe miniſtros.

JAM genuit, quondam ſterilis cognomine, mater,
Jámque novus gaudet populus de liberâ natus,
Expulsâ famulâ, meritò cum prole ſuperbâ;
Viventis quoque fontis aquas ingrata reliquit,
Et tepidis errans ardenti ſidere potat.
Jam poſſunt gentes Abraham clamare parentem,
Quæ vocem Domini ſimili ratione ſecutæ,
Omnia liquerunt peregre ſe ſiſtere vitæ.
Lætare ô ſterilis, promiſſam concipe plebem;
Erumpe & clama, quæ nullâ prole beata,
De qua dicebat per vates ſpiritus olim:
Hæc genuit gentem multis ex gentibus unam,
Cujus principio ſemper pia membra laborant.
  Hujus Abel juſtus, paſtor, pecudúmque magiſter,
Fraternæ occidit quem olim violentia dextræ.
Hujus Enoch, inſigne decus, de corpore membrum;
A Deo digreſſos populos, facinúſque ſequentes,
Dum furit in terris refugarum, turba latronum;
Sacrilegum genus ut fugeret crudele gigantum,
Conſilio revocabat; in omnibus ipſe fidelis.
Ingenti gemitu placuit, meritóque labore
Tranſlatum magno pignus ſervatur honore.
Perfectus laude & ſinè culpâ Noa repertus
Teſtificante Deo juſtus in adulterâ plebe,
Bis quinquagenis arcam qui texuit annis,
Venturum excidium factis & voce ferebat;
Promeruit tantis ereptus mortis ab undis,
Et cum prole ſuâ ſervatur. Gente ſequente
Eſt Abraham, cujus quatos vos eſſe negatis,
Qui primus genere & patriâ & genitore relicto,
Voce Dei ſuaſus receſſit in extera regna,
Tanto Dei meruit ſublimis dignus honores,
Gentibus ut pater & populis credentibus eſſet.
Cum patribus Jacob, quorum pater ipſe, per omne

Vita

Vitæ ſuæ ſpatium lætiſſima tempora Chriſti
Præcecinit verbis, actu, virtute, labore.
Hunc ſequitur Joſeph fœdæ ſine ſorde juventæ,
Carceris & duræ conficta calumnia pœnæ.
Gloria pòſt gemitus, regnúmque ſecunda corona,
Inque fame panis tribuendi larga poteſtas.
Tam propria Chriſti, tam lucida lucis imago
Omnibus eſt manifeſta, quibus ſunt lumina menti;
Ut ſpeculo vultus firmam ſpem cernere poſſint.
Judas ipſe pater, regalis ſortis origo,
Unde duces geniti, cujus de ſemine reges
Numquam defuerunt, donec ventura poteſtas
Gentibus exſpectata diu, promiſſa veniret.
Dux populi Moſes; qui limina regia liquit,
Spernens divitias florentes tempore parvo,
Maluit adflictus populi portare labores
Subnixâ cervice, minis non territus ullis,
Quàm ſibi delicias multáſque remittere pœnas;
Pro magnáque fide, pro tanto mirus amore,
Armatus virtute Dei, magnalia geſſit.
Percuſſit gentem plagis, terrámque reliquit,
Confundit regem, durum populámque reducit.
Calcavit fluctus, hoſtes demerſit in undis,
Fecit aquam dulcem per lignum, ſemper amaram.
Cum Chriſti populo manifeſtè multa locutus,
Cujus de facie lux, & nitor ore refulſit,
Acceptam legem per paucos fudit in orbem,
Exempla implicita propriorum certa laborum;
Percuſſit petram, juſſus quoque flumina fudit,
Extendítque manus, ut ſigno vinceret hoſtem.
Omnia de Chriſto, per Chriſtum cuncta loquuntur.
Hic probus & magnus cum laudis pace quievit.
At Jeſus Nave filius, Auſes antè vocatus,
(Spiritus hunc ſanctus ſocium ſibi nomine junxit.)
Hinc fluvium ſcidit, & populum tranſire coëgit;
Diſtribuit terram gratis, promiſſa paterna;
Solem cum lunâ ſtatuit, dum vinceret hoſtem;
Expulit externas gentes, prolémque gigantum,
Excidit lucos, aras & templa ſubegit;
Omnia legitimâ ſolemnia mente peregit,
Nominis exemplum Chriſti, virtutis imago.
Quid de judicibus populi per ſingula dicam?
Quorum virtutes, ſi conſcribantur in unum,
Verborum ſpatio numeroſa volumina complent.
Attamen ex multis paucorum dicere vitam,
Corporis explendi verborum poſtulat ordo.
Ex quibus ut Gedeon dux agminis, acer in hoſtem,
Non virtute ſuâ tutelam acquirere genti,
Firmatúſque fide ſignum petit excita menti,
Quo vel non poſſet, vel poſſet vincere bellum,
Vellus ut in noctem poſitum de rore maderet,
Et tellus omnis circum ſiccata jaceret,
Hoc inimicorum palmam coaleſcere mundo;
Atque iterum ſolo remanenti vellere ſicco,
Hoc eadem tellus roraret nocte liquore,
Hoc etenim ſigno prædonum ſtravit acervos.
Congreſſus populo Chriſti, finè milite multo,
Tercenteno equite, (numerus Tau littera Græca)
Armatis facibúſque & cornibus ore canentum.
Vellus erat populus ovium de ſemine ſancto.
Nam tellus variæ gentes, fuſæque per orbem;
Verbum quod nutrit, ſed nox eſt mortis imago,
Tau ſignum crucis, & cornu præconia vitæ,
Lucentéſque faces in lychno, ſpiritus ardens.
Scilicet hoc teſtamen erat virtutis imago,
Non priùs angelica mortis fera prælia vinci,
Quàm populo indocili meritò ſua culpa relicto,
Florentéique fide gentes in laude receptæ.
Debbora quin mulier ſuper omnem maxima famam,
Pro patriâ quæ belligero ſubnixa labori,
Stipite ſub palmæ populum viciſſe canebat;
Quapropter victi ſimul hoſtes terga dedere;
Siſara dux fugit, cui non vir, nec manus ulla
Reſtitit. Hic Baal Chriſti victoria ſigno
Exemplo refugæ, devicit fœmina ligno.
Jephtha fide firmâ, qui duro vulnere votum
Auſus, mercedem belli Deo dicere grandem;
Hic quia, quæ non vult Dominus, promiſerat amens,
Occurrit primò carum ſibi pectore pignus.
Nulli ſperatâ cecidit quod ſorte repente,
Promiſſum ut ſtaret, ſolvit pia jura parentis,
Peccati votum violentâ mente coperuit
Immanis timor, orbatæ ſolatia vitæ
Pro ſcelere obtinuit famam, pro crimine laudem.
Necnon Samſonis ſuper omnia corpora vires,
Spiritus hoc donum capiti conceſſa poteſtas,
Pro populo ſolus nullo mucrone, nec armis,
Os retinens aſini proſtravit corpora mille.
Vincula nulla virum vinctum potuere tenere;
Gloria ſed poſtquam captivi mota receſſit,
Occidit, atque hoſtes victus ſuâ morte redemit.
Mirificus Samuel; cui Reges ungere primùm
Præceptum, dare Chriſma, viros oſtendere Chriſtos;
Talibus in vitæ ſpatio laudabilis egit,
Ut quoque poſt requiem Prophetica jura teneret.
Pſalmographus David, magnus rex, atque Prophera,
Paſſurum Chriſtum ſubmiſſâ voce canebat;
Sponte quod ingratus populus ſinè lege peregit;
Cui Deus ex utero fructum promiſerat olim,
Prolem, ſublimi ſolio ſuo ponere ſanctam.
Fixa fides Domini quæ ſponderat, omnia fecit.
Æmulus Ezechias, populi corrector inertis,
Ablatis legem qui reſtauravit, iniquis,
Hæc olim mandata Dei prior omnia juſſit;
Qui precibus bellum, non ferri cuſpide ſolvit.
Hic moriens, lacrymis animos ac tempora vitæ
Accepit, meritò talem tulit actus honorem.
Ingenti zelo Joſias, rector & ipſe,
Tantum nemo ſuprà, nec poſtea taliter egit.
Idola deſtituit, deſtruxit templa nefanda,
Atque ſacerdotes ſuper aras igne cremavit;
Oſſa Prophetarum falſorum cuncta refodit,
Incendítque aras adolenda cadavera lignis.
Inſignis fidei in laudem (memorabile) tactus
Nobilis Helias, qui nondum debita mortis
Guſtavit, quoniam rurſum venturus in orbem eſt.
Ergo infracta fides, populum regémque furentem,
Militiam Domini qui deſeruere beatam,
Verberibus, flammis caſtigans hoſtes amaris;
Sidera concluſit, tenuítque in nubibus imbrem.
Eſſe Deum oſtendit cunctis, apparuit error.
Nam madidæ partes hoſtiæ, fluvio, ſuper aras
De cœlo precibus, veniens vi, flamma comedit;
Et quotiens voluit, toties ruit ignis ab alto.
Diviſit fluvium, tranſgreſſus & avia fecit;
Sublatus curru paradiſi vectus in aulam eſt.
Hujus diſcipulus, fortis ſucceſſor Heliſeus,
Qui duplicem Heliæ petiit ſibi ſumere ſortem,
Ad caſtigandam violento verbere plebem,
Tantum pro Domino & talem ſpiravit amorem.
Jordane percuſſo pedibus via facta regreſſûs;
Demerſam fluvio relevavit virga ſecurim;
Mortificúmque cibum in vitalem tranſtulit eſcam;
Detinuit pluvias iterato tempore duplo;
Mundavítque lepras; hoſtes caligine cepit.
Cujus poſt obitum jam condita membra ſepulcro,
Abjectus quidam, mactatus cæde latronum,
Mortuus, ut tetigit, revocatâ luce revixit.
Iſaias, locuples vates, cui fontis aperti
Tam manifeſta fides, verbum Dei ore profudit,
Largáque per Chriſtum patris eſt promiſſa voluntas,
Prætectata viam vitæ, atque probata per ipſum eſt.
Quem populus ſectum ligno, finè labe repertum,
Immeritum, demens crudeli morte peremit.
Sanctus Hieremias, quem gentibus eſſe Prophetam
Æterni virtus juſſit, dixítque futurum;
Qui quoniam plebis facta illaudanda revolvit,
Et fore captivam, niſi pœnituiſſet iniquos,
In famulos fieri præſagâ voce locutus;
Vincula dura tulit, ſqualenti carcere clauſus,
Inque luto putei fames haulit tabida membra.
Sed poſtquam quæ noluerant audire, probavit,
Atque hoſtes victum populum duxere triumphis,
Horrida vix tandem caruit ſua dextra cathenis;
Nullâ morte virum conſtat, neque cæde peremptum.
Ezechiel fidus, dives cui gratia verbi
Conceſſa eſt, peccatorum ſecreta videre,
Afflictus lugere ſuos, veniámque precari,
Cernere vindictam ſanctorum cæde futuram,
Sanctorúmque locum regni, carníſque ſalutem
Spiritu implicitus, greſſus aditúſque videre.
Oſea, Amos, & Micheas, Joël, Abdia, Jonas,
Atque Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæúſque,
Zacharias vim paſſus, & angelus ipſe Malachim;
Hi vates Domini, quorum chorus usque canentum,
Ac pariter laudis propriam meruere coronam.

Quàm

Quàm magnus Daniel, qualis vir, quanta poteſtas;
Qui falſos teſtes ipſorum prodidit ore,
Servavſtque animam damnatam crimine ficto;
Somnia ſecreta, & regis prior ore reſolvit,
Prævidit Chriſtum regnorum ſolvere membra;
Pro Domino reus eſt, factus quoque præda leonum,
Servatſſque palàm cunctis in pace quievit.
Hujus tres ſocii vix dignâ laude canendi,
Ex numero tanto decretum regis iniquum
Contempſere pii, quorum data corpora flammis,
Tradere ſe pœnis potiùs, pro nomine magno,
Quàm genibus nixi ſimulacro pandere palmas.
Jam præclara fides, jam ſpes ſuper omnia fulgens
Extinxit rabidos ignes, & vicit iniquos.
Eſdras vates, legis Doctor, & ipſe ſacerdos,
Qui populum captum poſt tempora plena reduxit,
Ignibus & multa conſumpta volumina vatum
Spiritu completus, memori omnia reddidit ore.
Grandis Joannes ſuper omnes femine natos,
Cujus difficilè poterimus dicere laudes,
Ablutor carnis, Domini præcurſor apertus,
Ablutor Chriſti, prior ipſe renatus ab illo,
Fœderis ille novi primus, veterſque ſupremus,
Próque viâ verâ, prior hoſtia cæſus obivit.
Ecce Deus Chriſtus; pariter biſſena juventus,
Omnibus una fides, amor unus, & una poteſtas,
Flos hominum, mundo lucentes lumine Chriſti,
Et comites & Apoſtolici, qui vera locuti,
Auribus audivere, oculis videre ſalutem,
Tractavere manu corpus de morte receptum,
Convixere cibo aſſiduè; teſtantur ut ipſi.
Hunc Paulus, prælectus Apoſtolus in vice miſſus,
In cœlos raptus vidit quoque; miſſus ab illo,
Barnabà cum comite, ſociſque prioribus, uno
Fœdere conjunctis, per gentes, tradit ubique,
Eſſe caput Chriſtum, ſunt cujus Eccleſia membra
Corporis ipſe ſalus, membrorum vita perennis;
Ipſe caro factus, pro cunctis ipſe peremptus,
Ipſe reſurrexit primus, ſpes una ſalutis;
Diſcipuliſque ſuis formam dedit; hi ſimul omnes
Indignas variè pœnas pro nomine paſſi.
Talia membra gerit ſpecioſo corpore mater
Libera, quòd numquam Domini præcepta reliquit,
Inque domo ſenuit Domino lectiſſima ſemper,
Invidiam, pœnas, ejus pro nomine paſſa.
Nam ſterilis quoniam, nondum ſecura futuri,
Ediderit populum cœleſti ſemine natum,
Atque ſuæ famulæ portavit ſpreta dolorem;
Hanc ſterilem quondam, nunc tempus cernere matrem
Hæredem natum ſuæ libertatis habere,
Non ſimilem famulæ, quamquam de ſemine cœli
Conceptum genuit, ſibi conditione jugatum.
Ablit ut illicitis verbis, temerariâ voce
Egregios homines, ardentia ſidera cœli,
Semine conjunctos tantùm, vel ſanguine plebi,
In ſolidum paſſim famulum dicatis atrocem,
Aut populum Domini legis mandata ſecutum,
Servili ſpecie quiſquam putet eſſe loquendum.
Sed peccatorum vacuam ſinè mente catervam,
Qui promiſſa Dei, dubiâ ſpe, corde locârunt,
Præſentis vitæ miſerâ dulcedine victos,
Debita ſervitio capitis ſua culpa ſubiſſet,
Si legem plebi peccati cauſa jugabit.
Nam ſervire Deo, totóque incumbere corde
Intemerata fides, libertas ſponte paratur.
Ergo patres juſti, ſancti, ſinè labe Prophetæ,
Adventum Domini multi cecinere futurum;
Teſtantúrque fide cœleſtia juſſa prophanis,
Cum quibus immanes ſatiati gloria Chriſti,
Conſortes virtutis, verba ſacrata replentes
Firmavere fidem, factis prædicta probando.
Quorum diſcipuli, qui ſucceſſere per orbem,
Conflati virtute viri, noſtrique magiſtri,
Conjunctos operis nobis tribuere honores.
Ex quibus electum magnum, plebíque probatum
Hac cathedrâ, Petrus qua ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum, primum contidere juſſit.
Poſtquam Cletus & ipſe gregem ſuſcepit ovilis.
Hujus Anacletus ſucceſſor ſorte locatus.
Quem ſequitur Clemens; Is Apoſtolicis bene notus.
Euariſtus ab hoc rexit ſinè crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ovile.
Poſt expleta ſui qui luſtri tempora tradit
Teleſphoro; excellens hìc erat, martyrque fidelis;
Pòſt illum ſocius legis, certúſque magiſter;
Quum veſtri ſceleris ſocius præcurſor & auctor
Advenit Romam Cerdo, nova vulnera geſtans,
Derectus, quoniam voces & verba veneni
Spargebat furtim; quapropter ab agmine pulſus,
Sacrilegum genus hoc genuit, ſpirante dracone.
Conſtabat pietate vigens Eccleſia Romæ
Compoſita à Petro, cujus ſucceſſor & ipſe,
Jámque loco novo cathedram ſuſcepit Higinus.
Poſt hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater,
Angelicus paſtor, quia tradita verba locutus,
Aque Pio ſuſcepit Anicetus ordine ſortem.
Sub quo Marcion hìc veniens, nova Pontica peſtis,
Nondum ſecretum facinus ſuo corde recluſum,
Paſſim vulgo loquens lateroſâ perfidus arte.
Sed poſtquàm cœpit mortis proferre ſagittas,
Abjectus meritò tam ſævi criminis auctor,
A ſanctis reprobus; patuit mirabile monſtrum.

LIB. IV. ADVERSUS MARCIONEM,

De Marcionis Antitheſibus.

ARGUMENTUM.

QUARTUS & ipſe refert obſcura piacula Legis
Eſſe typum veteris, quæ parvis hoſtia verè,
Jamdudum exſpectata piis cum femine ſancto.

HÆC populo juveni, qui dives, liber, & hæres
Poſſidet æternam ſpem laudis jure dicatam,
Non ut doctores (ſolus daret omnia Chriſtus)
Sed famulos Chriſti, jubet inviolata poteſtas
Ingenti zelo flagrantes, pacis amore
Armatos, molem belli deducere terræ
Excelſas turres, & mœnia ſeva malorum,
Surgentéſque minas, populi contra agmina ſancti
Detrahere, vacuas voces diſſolvere vento.
Quapropter meritò nos æmulamenta locuti
Ipſius ex verbis, etiam monumenta ſalutis
Nitimur exprimere, quæ gratia larga profudit,
Prædonſſque plagam ſanctis aperire copertam,
Ex improviſo ne quis rudis, inſcius, audax
Incidat, & captus cœleſtia dona relinquat.
Ergo Deus cunctis mortalibus unus ubique eſt,
Æternum regnum, profundæ lucis origo,
Fons vitæ, potus ſapientiâ conditus omni.
Protulit ipſe orbem, cujus ſinus omnia cingit.
Nulla illum regio, nullus locus ambitu claudit;
Materies nulla eſt facta, ut ſit ſponte perennis,
Quæ fuerit ſemper, nullo facto recreata;
Cœlorum, terræ, maris, inferuſque locator.
Spiritus, aëris eſt diviſor, conditor, auctor,
Solus perpetuus Deus eſt, immenſa poteſtas.
Hunc lex eſſe Deum populo monſtraverat unum,
Cujus vox Moſi pollens in monte locuta eſt.
Illius hæc virtus, ſapientia, gloria, verbum,
Filius, immenſo genitum de lumine lumen,
Per vatum voces hunc unum clamitat eſſe.
Ordine ſuſcipiens Paulus, ſic tradit & ipſe
Unum hunc eſſe patrem, per quem ſunt omnia facta,
Atque unum Chriſtum, per quem Deus omnia fecit,
Ad quem ſe curvare genu planè omne fatetur,
Ex quo omnis patria in cœlo terràque vocatur,
Qui zelat populum ſummo pietatis amore
Ut pater, & ſanctè vult omnem vivere carnem,
Apparere ſibi mundam ſine crimine plebem.
Hoc zelo noſtram cuſtodit lege ſalutem,
Legitimos monet eſſe, jubet, caſtigat, & inſtat,
Corripiens Galatas fratres, & Apoſtolus idem
Talem ſe Paulus zelum ſe ſcripſit habere.
Reddidit ergo Deus gratis peccata paterna,
In cataclyſmo enecans pariter cum prole parentes;
Gentéque jam quartâ genitos de ſtirpe nepotes,
Quum ferè nongentos hos tunc adjuverit annos.
Judicium durum, ſententia ſæva videtur,
Parvulus & Sodomis adhuc inſons, mollis, inermis,
Ut careat vitâ, quid enim peccaverat infans?
Quod crudele putes, hoc eſt pietatis honeſtum.

Auctores

Auctorés ſceleris (facinus ne creſceret ultrà)
Exſtinxit, ſobolémque patrum peccata ſequentum.
Sed non cum patribus pœnas innoxius infans
Perpetuas luit; ignarus, neque criminis auctus;
Ne fieret ſceleris, conſors ætatis adultæ,
Sponte futura mala, mors immatura reſolvit.
Cur Deus ergo jubet pecorum ſibi ſanguine fundi?
Legéque conſtringit, ne quis tranſcenderet errans
In populo, lapidum præſenti morte minatus.
Atque iterum hæc reprobat, negat hæc ſibi munera grata,
Corripiens plebem peccati examine preſſam.
Ipſe jubet verax, juſtus ſimul ipſe repellit?
Si quæris cauſas, errans deſiſte moveri;
Cauſa etenim fidei, rationis imagine major.
Aſpice per ſpeculum fulgentis luminis umbram,
Quid vituli ſanguis, vitulæ cinis, hircus uterque;
Hic dimiſſus abit, cadit alter at hoſtia templo.
Sanguine nam vituli populum, ſimul omnia vaſa,
Atque ſacerdotes, & ſcripta volumina legis,
Sparſit aquæ mixto, vates hic juſſus ab alto;
Non propriam ſpem, nec ſpeciem virtute vacantem,
Exemplo vituli paſſurum in corpore Chriſtum;
Qui juga dura ferens humeris, temonis aratro
Fortiter abrupit ſua pectora vomere ferri,
Infundens ſulcis animæ ſui ſanguinis undam.
Nam templi vaſa hæc deſignant corpora noſtra.
Ipſe Dei templum verum, non antè dicatum.
Namque ſuo ſocios homines ſibi ſanguine fecit,
Atque ſacerdotes voluit ſui corporis eſſe,
Ipſe patris ſummi perfectus jure ſacerdos.
Auditum, viſum, greſſum mundavit inertem,
Aſperſítque libro teſtes præſaga locutus,
Demonſtrans legem ſuo vinctam ſanguine ſancto.
Hanc & per vitulam manifeſtat victima cauſam;
Sanguine de cujus pro plebe piacula ſumens
Intra velamen primus Levita ferebat,
Caſtrorum extra fores corpus juſſúque cremavit,
Cujus de cinere mundabat corpora lapſa.
Hoc Dominus noſter, qui nos ſuâ morte redemit
Extra caſtra, volens, populi vim paſſus iniqui,
Implevit legem factis prædicta probando,
Qui verè mundat plebem contamine plenam,
Omnia concedens, quaſi dives corporis auctor,
Intrà velamen cœli cum ſanguine greſſus,
Effudit quem pro multorum mortibus unus.
Ergò ſacerdotem magnum decet hoſtia ſancta,
Quam dignè perfectus habens, offerre probetur;
Corpus habet, hæc eſt mortalibus hoſtia viva,
Hanc dignam magnis, pro cunctis obtulit unam.
Hircorum ſpecies homines dicat eſſe repulſos
Ex duobus populis ſteriles, ſinè fructibus ambos,
Quo in Evangelio Dominus quoque dixit, & hædos
Abs ovibus cerni ſtantes in parte ſiniſtrâ,
Eſſe quidem quoſdam Domini pro nomine paſſos.
Sic actum ſterilem, fructum velâſſe ſupremo
Hos merito dignos aræ, decet eſſe Prophetas;
Abjectos alios, Lazaro ut dives iniquus,
In ſuâ duricie qui permanſere repulſi.
Nam velum in medio pendens cernebat utroſque,
Inque duas partes eadem diviſerat unam.
Interiora quidem ſanctorum ſancta vocata.
Iſthic ara fita effulgebat nobilis auro,
Teſtamenta ſimul, tabularum legis & arca;
Pellibus agnorum cœli contecta colore,
Interiùs veſtita auro, media omnia ligno.
Hìc tabulæ legis, hìc mannâ eſt urna repleta;
Hìc Aaron eſt virga, crucis quæ germina profert,
Ipſi diſſimilis, Styracis tamen arbore nata.
Atque ſuper Cherubîm per formam quatuor unam
Pandebant pennas, & ſagmina juſſu tegebant.
Exteriùs velum, pars adis aperta patebat.
In faciem; lato gravis aris ſtabat aheno,
Et candelabrum bis ternis undique ramis
Connexis medio calamo, totidémque lucernæ.
Aurea materies complebat lumine templum.
Ergo prior templi facies communis; aperta,
Declarat ritum populi ſub lege morantis,
In cujus tenebris ſeptemplex ſpiritus, unus.
Lucebat ſanctus ſemper plebémque tegebat,
Hoc candelabrum verum, vivæque lucernæ.
Per legem & vates perlucens corde ſubactis.
Inque typum terræ facta ara creditur eſſe;
Hic operæ populi, quæ non ſinè ſanguine ſemper
Obtulit, effuſo, vitam ſinè lege, cruore
In populo paſſim comparuit omnibus olim;
Iſthìc & Dominus pro cunctis hoſtia factus
Totam deſignat terram, ſpecialiter aram.
Fœderis hinc etiam novi inenarrabilis auctor,
Diſcipulus Joannes animas pro numine paſſas,
Teſtatur tali ſeſe vidiſſe ſub arâ.
Clamantes Dei vindictam pro cæde potentis.
Iſthìc interdum requies; ſub corpore terræ
In parte ignotâ quidam locus exſtat apertus,
Luce ſuâ fretus; Abrahæ ſinus iſte vocatur,
Altior à tenebris, longè ſemotus ab igne,
Sub terrâ tamen. Hæc ara vocatur ahena,
In qua velamen pullum memoravimus eſſe.
Dividit hæc partes ambas, unámque recludit
Diſſitam ab æternâ, culturâ & temporis uſu.
Non inimica ſibi quamvis diſtantis amoris,
Tempore diviſa & ſpatio, & ratione ligata
Una domus, quamvis velo partita videtur,
Atque adeò paſſo Domino velamine rupto,
Cœleſtes patuere plagæ, cœlatáque ſancta,
Atque duplex quondam, facta eſt domus una perennis.
Interius templum, populum de nomine Chriſti
Cœleſti cultu, ipſa Dei mandata ſequentem,
(Perſonæ hìc propriæ verè non umbra ligatur)
Perfectis rebus completum tradidit ordo.
Arca ſub exemplo, corpus venerabile Chriſti
Oſtendit, ſacro per lignum ſpiritu junctum.
Aeriæ pelles, caro, non ex ſemine nata,
Extenſa in ligno; ſimul intus ſpiritus ardens
Aurigerâ ſpecie conflatus, jungitur illi,
Ut caro pace datâ, cum ſpiritu mixta vigeret.
Carnis, & urna, typum Domini fert, aurea plena;
Fœderis ipſa novi Dominum declarat apertè,
Manna, quod eſt panis cœleſtis, verus, in illum
Traditus à patre, quem tribuit pro pignore ſanctis,
Perfectè dabit hunc illis, qui vincula pacis
Semper amatores operum tenuere bonorum.
Et tabulæ duplices conſcriptæ legis, in arcâ,
Significant ſimul hæc in Chriſto condita ſemper,
Qui vetus atque novum mandatum pertulit ipſe,
Arca patris ſummi, per quem dedit omnia dives.
Et virga Styracis fructus nucis adtulit ipſa.
(Virginis hæc ſpecies, genuit quæ ſanguine corpus)
Conjuncta in ligno, ſedabit mortis amarum
Interiùs fructum dulcem, de ſpiritu ſancto.
Sicut Iſaias virgam de ſemine Jeſſæ
Prædixit Mariam, de qua flos exit in orbem.
Ara nitens auro cœlum declarat in alto,
Quo ſanctæ ſubiere preces, ſinè crimine miſſæ.
Hanc aram Dominus dixit, qua munera ſiquis
Offert, ut primùm pacem cum fratre retractet,
Sic demum flagrare preces ad ſidera poſſunt.
Hoc Chriſtus victor ſolus, primúſque ſacerdos,
Obtulit incenſum, precibus non arbore natum.
Nam Cherubim quum ſit bis binis vultibus unum,
Eſt unum verbum, per quatuor ordine ductum,
De patre quæ Chriſtus pleniſſima pertulit ipſe
Mandata ſperata novi, ſolatia vitæ.
Aſt quater ala ſex, veteris præconia verbi,
Teſtificantis ea quæ poſtea facta docemur,
His alis volitant cœleſtia verba per orbem,
His etiam Chriſti ſanguis contectus habetur,
Obſcuræ vatum præſago dictus ab ore.
Alarum numerus antiqua volumina ſignat,
Eſſe ſatis certa viginti quatuor iſta,
Quæ Domini cecinere vias, & tempora pacis.
Hæc cohærere novo cum fœdere cuncta videmus.
Sic quoque Joannes, ſic pandit ſpiritus illi
Tot numero ſolio ſenioribus inſuper albis,
Atque coronatis cohibentibus omnia mitra;
Ad ſolium Domini, vitreum & mare, ſtare ſub igne,
Quatuor aligera atque oculis animalia plena
Intus & exteriùs, quæ ſunt arcana patere;
Significat verbo ſimul omnia clauſa videri;
Nam vitreum flammæ mixtum mare, dona lavacri
Spiritu conflato credentibus eſſe tributa.
Quæ pietas Domini? quis tantum dicere poſſit,
Ante tribunale, ante pavimentúmque paravit,
Ut fora judiciúmque ſibi anticipare volentes,
Et fugerent, eſſet properanti copia lata.
Sic igitur lex, & miri cecinere Prophetæ;
Omnia ſic conjuncta vigent, veteriſque noviſque
Fœderis,

Fœderis, illa ſacra & verborum immania dicta.
Sic & Apoſtolicæ voces teſtantur ubique,
Nec quidquam veteris non eſt novo denique junctum,
Sic errant, & dictorum ſic facta retorquent,
Qui falſas finxere vias; Dominúmque Deúmque
Æternum regem, qui tantum protulit orbem,
Detrectant, aliud quærunt ſub nomine ficto;
Mentibus orbati, quas amiſere furentes,
Externum legi Chriſtum affirmare volentes,
Nec mundi Dominum, carnis neque velle ſalutem,
Nec virtute patris, factorem corporis ipſum;
Quos obturatis fugiendum eſt auribus ultro,
Ne ſermone ſuo maculent innoxia corda.
Nos igitur, quos tanta Dei perfudit honeſtas,
Veráque doctoris cœleſtia verba magiſtri
Inſtituere bonis, recta & monumenta dedere;
Semper honoremus Dominum, ſinè fine canamus,
Gaudentes puráque fide, certâque ſalute
(Nati verò Deo nutrimur pane perenni)
Æternam toto ſperantes pectore vitam.

LIB. V. ADVERSUS MARCIONEM,

De variis ejus Hæreſibus.

ARGUMENTUM.

HIC *quinctus multos nexus nodóſque reſolvit,*
In planum mala convolvit quæcumque latebant.

PRIMUS erat referens inimici ex ordine verba,
Quæ refuga illicitè molitus protulit amens,
Hinc etiam carnis ſpes & victoria Chriſti,
Et ſpecies breviter falſarum dicta viarum.
Indè ſequens conjuncta docet myſteria legis,
Inque novo Deus quæ fœdere tradidit unus.
Tertius ingenuâ gentem de matre creatam,
Vatibus & Patribus ſacratos eſſe miniſtros,
Quos numero bis ſex de cunctis Chriſte legebas;
Majorum natu cum nomine tempora, luſtri
Tempora ſervati, ſceleris cui paruit auctor
Ignotus, ſinè lege, vagus, cum prole relictus.
Quartus & ipſe refert obſcura piacula Legis
Eſſe typum veteris, quæ paruit hoſtia verè,
Jamdudum exſpectata piis cum ſemine ſancto.
Hic quintus multos nexus nodóſque reſolvit,
In planum mala convolvit quæcumque latebant.
Argumenta trahens, ſed non ſinè teſte Propheta.
Et quamvis hoſtes muniti fortibus armis,
Vincamus; tamen illicita, polluta, nefanda,
Commaculata ſimul, ſic miſcuit omnia ſerpens,
Cæcorum ſinè luce viam, contamine vocem;
Ut dum factorem mundi contendimus ipſum
Eſſe Deum ſolum, vatum quoque voce locutum,
Ignotúmque alium quemquam non eſſe probamus;
Vix mundum linguam ſermonis culpa reſervet,
Complexu vario notum dum laude ſequentes
Culpamúſque alias ignoti tempora ſera;
Sed cogunt nos multa doli cælata venena,
Ancipiti quamquam cum crimine, pandere verba.
Quiſnam ergo Deus? quem verum dicitis eſſe,
Ignotum populis, alienum denique mundo?
Hunc quem nemo priùs nôrat, hic venit ab alto?
Si ſua, cur tam ſera petit? ſi non ſua, quare
Ut prædo rapit, & populum ſub lege morantem
Ignotis toties per legem vocibus opplet?
Si miſereri etiam venit, & ſuccurrere cunctis,
Et relevare gravi devictos funere mortis,
Carnis & obſcœno ſpiramen ſolvere vinclo,
Qui cohibetur homo interior, conciſus iniquè;
Cur tam ſerò pius vigilans, ſempérque benignus?
Qui numquam priùs omnino ſe præbuit ulli,
Tranſmiſſis numero alienos ore requirens,
Numquam exſpectatus, non notus, miſſus in orbem.
Paſtor ovem quærens, quam non amiſerat antè,
Debuit exutus carnem, quaſi victor & ipſe
Spiritus, ut fuerat ſemper, taléſque volebat,
Omnes expulſas animas ſinè corpore paſſim
Eripere, & carnem ſpoliatam linquere terræ;
Unâ die pariter complere cadavere mundum,
Evacuare orbem, atque animas adtollere cœlo?
Progenies hominum naſci ceſsâſſet in unum,
Et nulla poſthac generis proſapia veſtri
Nata foret, peſtémque novam fudiſſet in orbem.
Vel quia nunc nihil ex his factum oſtenditur eſſe,
Debuerat finem generi ſtatuiſſe futuro.
Connubii ſolido complexus corde replêſſet.
Feciſſet torpere viros, ſinè germine fructus,
Fœminei ſexûs cubitus tædere dediſſet,
Clauſiſſet penitus carnis genitalia membra,
Nulla voluntas noſtro animo, neque poſſe facultas.
Poſthæc poſſet & interior homo ſanguine junctis
Hærere infuſus carni, ſempérque periret.
Semper ovis perit, ergo nec eſt ſervare poteſtas?
Quum ſemper naſcatur homo, ſub crimine mortis
Quod paſtoris opus, ſi ſic inventa docentur?
Inquæſita ergo, ſed non erepta probatur.
Nunc verò delectus adeſt connubia adire.
Ut ſemper fuit, quem junxit certa propago,
Naſcuntur gentes, & vix numerabile vulgus,
Accipiunt animas naſcentum corpora viva;
Nec Paulum decuit, quamvis pro tempore, quoſvis
Hortari, velut ipſe fuit, pare ſorte manere,
Temporis anguſti cernens inſtantia multa;
Nam teneras aliàs ætates nubere juſſit,
Nec ſe fraudari, ſed debita reddere pacto.
Vos autem aſtutâ quis ſuaſit fraude manere,
Diviſio prolis ſecuros degere amore,
Crimen adulterii comittere, perdere vitam?
Et quamquam perit, id falſare agnomine verbi?
Quapropter vocis tam dulcia cuncta profundit
Impavidi quidquid placet, ut faciatis oportet,
In faciem caſti, maculati crimine furtim,
Hac causâ vos connubio privavit honeſto.
Sed quid plura? bene eſt disjunctos, ſcilicet, eſſe
Expedit & mundo, ne veſtri germinis ullus
Naſcatur, tandem ceſſabunt organa mortis.
Partem hominis, dum ſperatis retinere ſalutem;
Totus homo veſter deperdit mente prophanâ,
Interior, ſimul & veterem quem dicitis hoſtem;
Sed & homo ſolum ſpiramen dicitur eſſe;
Nec vetus eſt homo dicta caro, nec ſunt inimica
Spiritus & caro, verus homo ſociatus in uno;
Nec ſibi privatos ſenſus cernuntur habere.
Hæc regitur, regit ille; gemit, gaudétque, dolétque;
Diligit, ipſe ſuæ carni cariſſimus idem,
Per quam paret homo, cum qua commixtus habetur;
Vulneribus curas adhibet, lacrymáſque profundit,
Nutrimenta cibi cupidè per membra reſumit,
Hanc optat ſecum immortalem ſemper habere,
Quam frangi gemit, & dolet evacuare per artus;
Illi mors miſeræ dominatur tempore certo,
Quo renovata levi de pulvere mors inimica
Deficiat tandem, caro quum reſoluta reſurgit.
Hæc erit exſpectata diu victoria ſumma,
Quam fecit virtute patris, venerandus in ævum
Factus verus homo, hominis qui membra redempta
In cœlos tulit, atque aditus ſpe dives aperuit.
Principio gentis in linguis omnibus, indè
Hic ubi ſemper opus, patriâ pietate miniſter.
Viſus ab inciſo, miſſus patiendo peregit.
Quid nunc infandæ voces, quid perdita turba?
Si non ipſe dedit leges, Deus ipſe creator,
Ægypti de calle viam qui ſtravit in undis,
Et ſedes gratis dedit has, quas dixerat olim;
Ipſa cur in gente venit, terráque dicatâ?
Non alios populos, aut altera regna petivit?
Cur jam per vates, prædicto nomine toto,
Non proprio ſuo, ſe vocitatum tradidit eſſe?
Unde etiam potuit baptiſmi dona benigna
Promiſſa abs alio tamquam ſua promere facta?
Hæc mandata Dei tranſgreſſi, ſorde reperti
Optabant, veniámque ferâ de morte petebant;
Exſpectata diu meritò venere, ſed illis
Quæ priùs audita, at nunc agnovere reperta,
Hoc det vera manus Chriſti, pater ipſe creator
Semper ab æterno monet, & piâ voce requirit,
Quódque figuravit, fovet, atque figurat, & armat,
Et jam deſpectum victor ſuâ luce reveſtit,
Ut maneat virtutis opus cum laude perenni.
Quid præſtare Deus, quid poſſit homo pati, ut omnes
Agnoſcant, vivant, quod fecit viva poteſtas;
Sed quia nec prædicta priùs, nec facta ſuprema

Demen-

by Google

Dementes homines poſſunt ſuadere furentes;
Eſſe hominem factum Deum, paſſúmque, ſepultum,
Surrexiſſe, ut eis tantis clamantibus olim
Cœleſti verbo complexis teſtibus, ambo
Terreſtri ſaltem rationi credere diſcant.
Quum Dominus Chriſtus caro naſci, venit in orbem
Auguſti Regis Romani tempore, primùm
Decreto gentes cenſu numerantur ubique;
Idem Rex hoc fortè tulit, quia ſumma volèntas
In cujus manu, regnantis cor, legibus eſſet,
Fecit primus, & in numerum ſcriptura redacta eſt.
Tunc etiam Joſeph, Mariâ cum conjuge fœtâ,
Cœleſti pariter gmto numerantur, & ipſi.
Hinc inſtrumentis humana aſtutia niſa
Qui teſtes ſancti verbi, præbere probantes
Inquirant, vel ſic invento poſt ea victi
Pœniteant, veniámque rogent, dum tempus habetur.
Judæi grave qui ſcelus admiſiſſe fatentur,
Dum detrectantes ardent, nobiſque reſiſtunt,
Nec genus ignotum dicunt, neque dicere poſſunt,
Suſpenditſe hominem ſe ligno, vera locutum
Ignari Domino carnem ſinè femine victam.
Sed pro parte quidem reticent, pro parte triumphant;
Namque Deum populis hominem vulgare laborant.
Aſpicite errorem qui vos expugnat utroſque;
Pro nobis hic erit, dum vobis certa probamus.
Illi Deum, vos falsò hominem ſine corpore corpus
Dicitis, & varia heu mentis veſania mergit.
Quod qui præſumpſit, mergentes ſpargitis ambo;
Namq; hominem paritérque Deum, tunc facta probabunt
Commixtum, nec pauca dabit ſignacula mundus.
Filius ipſe Dei dum carnis membra requirit,
Jam prætextatus palmarum ſuſtinet ictus;
Conſpuitur vultus; ſpinis innexa corona
Compungit caput; & ligno ſuffigitur ipſe;
Portatur ſcriblita, & fel miſcetur aceto,
Dividitur veſtis, ſortes mittuntur in illa;
Quod rapuit ſibi quiſque tenet; caligine multâ,
Exſpirante Deo tacitè de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum ſole refugit;
Bis fuit una dies, mediam nox atra coperuit.
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota eſt tellus, patuére ſepulcra piorum,
Cunctáque quem nôrunt, paſſum timuêre videre.
Exanimum telo miles latus haurit aperto.
Profluit & ſanguis, nec aqua minus indè ſecuta.
Hæc illi pacto celant, nolúntque fateri
Admiſſi factum, nefas occultare volentes.
Spiritus ergo poteſt gerere ſinè corpore veſtem,
Aut pœnam capit, aut fert violentia vulnus?
Aut moritur, ſurgítque, & ſanguis funditur indè
De qua carne, quia illum vos habuiſſe negatis?
Aut finxit potiùs, ſi vos dicere tutum eſt?
Quamquam præcipites dicatis, plura tacendo.
Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa?
Ante diem, quam quum pateretur paſcha celebrans,
Diſcipulíſque ſuis tradens memorabile factum,
Acceptum panem pariter vitiſque liquorem,
Corpus, ait, ſanguiſque meus, qui funditur, hic eſt
Pro vobis; fieri ſemper quod poſt ea juſſit,
Quáve creaturâ panem vinúmque putatis
Eſſe ſuum corpus cum ſanguine? quæque fatenda?
Non ſe factorem mundi per facta probavit,
Et portare ſimul de carne & ſanguine corpus?
Hic Deus, hic & homo verus, verúmque locutus;
De patre principium, genitum de lumine lumen;
Spiritus & verbum, Patris ſub imagine virtus;
Cum patre ſemper erat, unitus gloriâ & ævo;
Omnitenentis enim ſolus quia verba miniſtrat,
Quem capit in terris, & per quem cuncta creavit.
Filius ipſe Dei, cariſſimus ipſe miniſter.
Hinc genus, hinc & nomen habet, hinc denique regnum,
De Domino Dominus, fluvius de fonte perenni.
Hic Patribus ſanctis parens ab origine mundi,
Teſte Deo, quicumque Deum vidiſſe fatetur,
Promiſſa & memoranda patris pateſecit ab alto.
Eduxit populum, gentem percuſſit iniquam;
Ipſe columna fuit lucis, nubíſque rigoris;
Siccavítque mare, & populos jubet ire per undas
Hoſtibus implicitis, fluctúque fretóque copertis;
Per deſerta viam fecit ſua juſſa ſecutis;
De cœlo populo panem dimiſit in umbris;
Eruptíque petram, ſitientes unda rigavit;
A Deo mandatum Legis Moſíque locutus
Cum tonitru cantúque tubæ, flammæque columnâ,
Terribili viſu, tremebundo corde virorum.
Poſt bis vicenos completis menſibus annos,
Jordane diviſo, patuit via, conſtitit unda;
Partirſque tribus terram promiſſa paterna.
Ipſe Prophetarum verbum patris ore locutus,
Eſſéque venturum terris, hominémque futurum
Prædixit, Chriſtum terris manifeſtè profatus.
Exſpectatus in auxilium, ſpes unica vitæ,
Mundator carnis ſeræ, mortíſque fugator:
Tandem venit ab imperio patris omnipotentis,
Humanis ſeſe veſtivit & artubus ille.
Adam, virgo, draco, lignum, quæ cauſa ruinæ,
Et via qua nos mors temeraria vicerat omnes,
Hac eadem gradiens paſtor, pecudémque requirens,
Angelo, virgine, carne ſuâ, ligníque medelâ,
Ex quo victus homo, victos periturus obibat;
Hic interpoſitus pro captis omnibus unus,
Suſtinuit patiens inimicam in corpore pœnam;
Morte ſuâ ſpolians mortem, fit cauſſa ſalutis,
Nec non in terris ſuo poſtquàm corpore ſancto
Omnia perpeſſus, perſolvit debita noſtra;
Infernum petit; hìc animas pro crimine vinctas,
Quæ ſinè præſidio, concluſæ pondere legis,
Olim promiſſa, & ſperata, & tarda rogabant,
Sanctorum in requiem dedit, & cum luce retraxit.
Tertiâ namque die ſubiens cum corpore victor,
Immani virtute patris, via facta ſalutis,
Inque creaturâ portans hominémque Deúmque,
Conſcendit cœlos, captivas ille reducens
Primitias, munus Domino carámque figuram;
Conſedítque patri lucis virtute receptâ,
Gloriâ qua munitus erat, dum vinceret hoſtem,
Spiritu conjunctus, de nobis carne ligatus.
Hunc pater, & Dominũ & Chriſtum, Regémque, Deúmq;
Judicio regnóque dato miſſurus in orbem eſt.

DE JUDICIO DOMINI LIBER.

QUIS mihi ruricolas aptabit carmine Muſas?
Et verni roſeas titulabit floribus auras?
Æſtivæque graves maturas meſſis ariſtas?
Quis dabit & tumidas autumni vitibus uvas?
Quíſve hyemi placidas ſemper laudabit olivas?
Recludétque ipſis renovatas fontibus undas?
Frondentéſque vago cædet de gramine flores?
Protinus ætherei modulabor luminis auras.
Jam mihi luciferas liceat contingere Muſas,
Pandere ſecretas fluviali vertice lymphas;
Et lætas aliò poſitas ſubſidere ſylvas,
Æternáque ſimul modulabor carmine flammas,
Unde mare tumidum immenſâ fluctuet undâ,
Quæ virtus ſolidas moveátque tremiſcere terras,
Et lux unde novo præfulſerit aurea mundo;
Quíſve hominem læto potuiſſet fingere limo,
Unde genus vacuo potuiſſet creſcere ſeclo;
Et quæ vivendi populo ſit multa cupido,
Quæve creata malo, moriendi, quæve propago,
Unde bonus roſeis ſit odórque rubórque coronis.
Quid faciat lætis ut vitis abæſtuet uvis,
Et plena è teneris tendantur ut horrea culmis,
Arbor ut in glacie nigris pubeſcat olivis.
Germinibus quis det varii incrementa vigoris,
Mollibus & matrem pullorum protegat umbris.
Omnia nôſſe bonum quæ ſint miracula rerum,
Ut Dominum liceat per cuncta agnoſcere verum;
Qui lucem, maria, & cœlum, terrámque paravit,
Ornavítque novum variato ſidere mundum;
Et pecudes primùm, & volucres, procedere juſſit,
Et dedit æquoreas compleri piſcibus undas,
Et fœcundatas animabus cogit harenas.
Talia compoſitis deducam carmina Muſis,
Atque ſalutares exponam fontibus undas,
Et lætum placidis venientem nubibus imbrem,
Inque animas hominum penitus, ultróque fluentem,
Excipiat plenis in noſtra novalia rivis.
Nunc age, ſecuram vivámque adtingere lympham,
Et celeres vitam amiſſam reparare per undas
Si velit, æternæ & pœnas evadere flammæ,
Ignarúſque Dei, venturſque inſcius ævi,
Et potiùs venturæ adipiſci præmia vitæ;
Hunc unum meminiſſe Deum, ſolúmque precandum,
Qui

Qui totum in libra posuit sub limine mundum,
Æternúmque manens, sempérque futurus in ævum,
Sæcula cuncta tenens, ante omnia sæcula solus
Ingenitus, sinè fine Deus, sedémque supernam
Solus habens, solus cœlos supereminet altos,
Omnipotens solus, cui parent omnia rerum;
Qui sibi complacitum hominem formavit in ævum,
Pastorem pecudum, & dominum dedit esse ferarum;
Qui sermone tenus potuit protendere cœlum,
Et solidam verbo potuit suspendere terram,
Et dicto citiùs disjunxerat æquoris undam,
Ac manibus caram dilexit fingere formam,
Atque suam voluit faciem quoque inesse decoram,
Spiritúque adflavit vivendi vultibus auram.
  Immemor ille Dei, temerè committere tale
Non ultra monitum quidquam contingeret unum
Unde malum sciret pariter dignosceret æquum.
Protinus illicitum vetuit contingere pomum.
Quanta Deus homini permisit munera mundi?
Et prædulce sui signavit pignus amoris?
Jústque dedit volucrũ, pontúmque solúmque domandum,
Utilia & caræ tribuit mandata salutis.
Sub ditione dedit terras, animásque volantum,
Pennatúmque genus, pecudum genus omne ferarum,
Et genus æquoreum, & deformia monstra natantum.
Sed quoniam primo transgressus crimine legem,
Jamjam primus homo Domini mandata reliquit;
Conjuge quæ mala cuncta suasit, morte peribat,
Peccatíque malum commisit fœmina primum,
Transgressáque suum decepit lege maritum;
Eva inducta dolo patefecit limina letho,
Et sibi cum genere procreavit funera toto.
Hinc nefas incautum, mors hinc quasi semen in ævum
Spargitur; indè magis facinus percrebuit atrox,
Atque labor corruptum agitavit sævior orbem.
Callidus hoc zelo serpens illexit in ipso,
Indè magis populi accerstint commissa malorum,
Atque nefanda malis pepererunt semina factis.
  Idcirco Dominus solus, cui summa potestas,
Et super alta tenens summi fastigia cœli,
Altum in præcelsis habitans in secula lumen;
Præsentíssque memor, quoque præscius antè futuri,
Progeniem meriti decretum servat in ævum;
Et cunctas animas, tum corpora tarda gubernans,
Quæ ratione movent hominem, per multa vagantem.
Ut primùm positi membrorum pondera cedunt,
Terreníque leves resolutis nexibus ibunt,
Ac proprias capient diversis partibus oras.
Ast alias lætis revocari protinus auris,
Servari penitus decretæ ad præmia legis,
Dum motis iterum revirescant corpora membris.
Illic occultis claudentur prava tenebris.
Tunc homines primæ pensare præmia vitæ
Incipient, crimínque suum culpáque putare,
Et pœnis retinere, procul de morte futuris,
Judicisque Dei memores astare piorum.
Exspectare suam suorúmque ex crimine pœnam;
Funditùs aut pecorum sine nomine vivere vitam,
Incassúmque Deo jam surdo fundere fletum.
  An Deus omnipotens, cujus sub lege reguntur
Omnia, non valeat post mortem reddere vitam?
Aut aliquid Dominus rerum non posse videtur?
Si potuit tenebris pulsis extendere lucem,
Atque omnem verbo subito componere molem,
Omnia de nihilo quoque voce potente parare:
Cur non ex aliquo possit componere, notam,
Quæ fuerat quondam, quam finxerat antè, figuram?
Assimilémque sibi jubeat resurgere formam?
Quum sint cuncta Dei; reddit magis omnia tellus;
Jussa retexet enim quidquid contexerat olim.
Si quem fortè rogis abolevit flamma sepultum,
Aut aliquem cæcis disjecerit æquor in undis,
Si cujusque fame satiârunt viscera pisces,
Aut fixêre feræ crudelia funera membris,
Alitibus jacuit raptato corpore sanguis;
Ultima non Domino rapient sua munera magno.
Apparere Deo vivos de morte necesse est,
Resumptíque suis homines adstare figuris.
Arida sic vacuis redduntur semina terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis;
Nónne animatur & hinc reparatis culmus aristis,
Atque iterum vivis flavescunt fortia granis,
Consurgúntque novæ vario cum fœnore messes?
Sidera cuncta cadunt, iterúmque renata nitescunt.

Et dies in densâ moritur cum lumine nocte;
Occidit & jam nox rebus mox luce retectis;
Jámque suis alia atque alia dies surgit ab astris,
Sólque cadit, splendorifero qui lumine clarus,
Lux perit umbrato venienti vespere mundo;
Et renovata suo vivit fuligine Phœnix,
Et sua mox volucris (mirum) post busta resurgit.
Tempore nuda suis foliis quoque fruticat arbor,
Pomorúmque iterum curvantur germine rami.
  Ad vocem ergo Dei mundo per cuncta tremente,
Et motis penitus virtutibus aëris alti,
Tunc fragor insolitus, tunc maxima murmura cœli,
Adveniente Deo, totius judice mundi.
Protinus innumeri concurrunt ire ministri,
Convallántque Deum cum majestate supernâ;
Angelica in terras descendent agmina cœlo;
Omnes, tuba Dei, quibus est divina facultas,
Vultibus & formâ virtutis spiritus omnes.
Igneus his vigor est, rutilantia corpora, cœli
Vis divina nitet, hinc totus murmurat orbis,
Hinc trepidans penitùs, vel quanta est, terra remugit,
Parturiens homines, quos reddere jussa decebit.
Omnes mirantur, turbantur denique, nimbi
Altráque mota pavent, subitæ virtutis ab alto.
Sic veniente Deo, sonitus cum voce potentis;
Omnia continuò ruptis per regna sepulcris,
Omnis humus latis effundit hiatibus ossa,
Viventéque patens populos eructat harena,
Hærent membra comis, nectuntúrque ossa medullis,
Consertíque regunt spirantia corpora nervi,
Et simul infuso motantur sanguine venæ,
Dimissíque cavis, animæ redduntur apertis.
Organa quæque suâ repetunt surgentia parte.
Proh, miranda fides; hinc omnis pullulat ætas,
Pullulat antiquo mortuorum pulvere turba;
Matres atque patres repetitâ luce resurgunt,
Magnanimi juvenes, pueri, innuptæque puellæ,
Defunctíque senes animis viventibus adstant,
Infantúmque gemens resonat vagitibus orbis.
Tam variæ gentes venient de sedibus imis,
Eoúmque manus, & quas videt ultima tellus,
Quæque colunt medii devexo in climate mundi,
Rhiphæásque tenent algentis sideris arces.
Omnis adest, pavidus finis cujusque; colonus,
Rusticus, Atrides posito diademate regni,
Pauperibus mixtus cœqualis in agmine dives.
Altus ubique tremor, precibus tunc ingemit orbis,
Tendentéque manus populi clamore stupescunt.
  Ipse sedens Dominus, sublimi lumine clarus,
Atque potens cunctis micat in virtutibus ignis,
Excelsóque throno cæletti sede coruscat;
Martyribus septus, numero candente virorum,
Dilectíque suis comitatus vatibus exstat,
Clara quibus niveis effulgent corpora stolis.
Jámque sacerdotes nitidis in vestibus adstant,
Gestantes rutilas insigni fronte coronas;
Submissíque omnes genibus veneranter adorant.
Hagie, hagie, sancte Deus; vox omnibus una est.
Hìc Dominus geminam mandabit sistere plebem;
Imperat & juxta numerum discernere pravos,
Appellans placidis verbis sua jussa sequutos,
Indutósque jubet, devictâ morte, vigorem,
Semper inextinctas habitare ad luminis auras;
Ire per antiquum semper florentia regna,
Promissas per opes, per semper amœna vireta,
Degere perpetuam præclaro in corpore vitam.
  Est locus Eois Domino dilectus in oris,
Lux ubi clara, nitens, spirátque salubrior aura,
Æternúsque dies, atque immutabile tempus;
Est secreta Deo regio, ditissima campis,
Atque beata nimis, sudæque in cardine sedis.
Aër lætus ibi, sempérque in luce futurus,
Lenis & aspirans vitalia flamina ventus.
Omnia fert fœcunda, solo prædivite, tellus;
Flores in pratis fragrant, & purpura campis
Omnia prærutilâ nitet non invida luce.
Flos alium lætus suo lumine vestit amictus,
Roscidáque hìc multo variantur semine rura,
Et roseis nivea crispantur floribus arva.
Nescitur quibus usque locis felicior aura,
Quæ melior specie, vel plus præcellat honore.
Talia florigeris numquam nascuntur in hortis
Lilia, nec nostris efflorent talia campis,
Nec sic nata rubent, mox ut rosa panditur aurâ;

Purpura nec Tyrio ſic eſt intincta rubore.
Gemma coloratis fulget ſpecioſa lapillis;
Indè nitet pratinus, illinc carbunculus ardet,
Herbosâque viret prægrandis luce ſmaragdus;
Hîc & odoriferis naſcuntur cinnama virgis,
Et ſpiſſo lætum folio conflagrat amomum.
Hîc jacet ingenitum radiantis luminis aurum,
Et nemora alta tenent florenti tempore cœlum,
Virentéſque gravant uberrima germina ramos.
Porrexit ſimiles non illis India lucos,
Non ita denſa levat in monte cacumina pinus,
Nec ſic alticomâ eſt umbrâ criſpata cupreſſus;
Nec vernus meliùs floret cum tempore ramus.
Hîc abietes celſo florent in vertice nigræ,
Æternúmque virent ſolæ ſine grandine ſylvæ.
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore defit.
Flos quoque floret ibi rubeus, ceu purpura Tarſi,
Flos hic, credo, roſa eſt, rubor atque odor acer in ipſo,
Sic foliis ſpeciem præfert, ſic ſpirat odorem.
Arbos ſtat cum flore novo, pulcherrima pomis,
Vitalem & frugem felicia robora denſant.
Mella viridanti conflagrant pinguia cannâ,
Lac etiam plenis manat potabile rivis;
Vitam aſpirat ibi quidquid pia terra vireſcit,
Et pulcrè redolet munus medicabile Cretæ.
Fons illic placidis levi fluit agmine campis;
Quattuor indè rigant partitas flumina terras.
Ver puto ſemper agit veſtitus floribus hortus,
Non frigus variat hiberni ſideris auram,
Et reficit fœtam meliori flamine terram.
Nox ibi nulla, ſuas defendunt aſtra tenebras;
Iræque inſidiæque abſunt, & dira cupido,
Excluſúſque metus, pulſæ de limine curæ.
Hic malus extorris dignas exivit in oras,
Nec vetitos umquam datur huic contingere lucos;
Illic priſca fides electâ in ſede quieſcit,
Inſiſtit gaudens æterno in fœdere vita,
Et ſecura ſalus placidis lætatur in arvis,
Semper victura, ſempérque in luce futura.
Hîc quicumque pius, æquſque bonſque colonus,
Quſque Deum metuit ſincerâ mente Tonantem,
Atque ſuos coluit ſacrâ pietate parentes,
Et degit reliquam ſemper ſinè crimine vitam,
Aut inopem fidis opibus ſolatus amicum eſt,
Atque laboranti nimiùm ſubvenit egeno,
Pauperis adjutor, pupillorúmque patronus,
Eruit innocuos, ſubvenit crimine preſſis,
Hoſpitibus largæ tribuit ſua pignora menſæ;
Omnia divinè geſſit, pia munera juſſit,
Non alicui nocuit, non umquam aliena cupivit;
Illi exultantes divinis laudibus omnes,
Hortantéſque ſimul referunt ad ſidera voces,
Pſallentes Domino celebraut per gaudia grates,
Innocuámque viam nunciis comitantibus ibunt.
Hæc poſtquam Dominus felicia dona peregit,
Et pariter juſtos æterna in regna remiſit;
Tum miſeranda venit, lugens ſua crimina turba,
Effundit gemitus lacrymis arentibus omnes,
Et ſua teſtatur crebris ululatibus acta.
Flammas pro meritis, ſtagnantia tela tremiſcunt.
Corripit angelicus cœtus, prohibétque precari,
Et prohibet feras clamando fundere voces;
Sublatâ veniâ fundùm jaciuntur in imum.
O miſeri, quoties majeſtas cognita vobis!
Audîſtis ſonitus, vidiſtis fulgura cœli,
Aſſiduas pluvias, ventorum & grandinis iras
Experti; quoties noctéſque diéſque ſereni
Tempora fœcundant pulcris Dei munera donis,
Vernabántque roſæ, frugum nec defuit æſtas,
Autumnus variè fundebat mollia poma,
Aſpera hyems quamvis glaciales fregit olivas;
Cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit ejus.
Terra Deum tremuit, pontus de voce pependit,
Et fluvius ſiccas trepidus refugit harenas;
Et genitura Deum quævis per cuncta fatetur;
Vos miſeri Dominum cœli terræque negâſtis,
Præconéſque Dei (horrendum) ſæpè fugâſtis,
Et juſtos potiùs crudeli cæde necâſtis,
Et fraus in vobis poſt crimen ſemper inhæſit.
Ergò ſementis fructum capietis iniquæ:
Noſcitis eſſe, Deúmque tamen ridere ſoletis;
Ibitis in tenebras ignis & ſulphuris altas,
Paſſuri ardentes juſtas cruciatibus iras;
Æternæ Deus oſſa jubet deſcendere pœnæ,

Ire ſub ardorem rabidæ ſinè fine gehennæ,
Urgeri molem per ſtagna rotantia flammæ,
In flammámque jubet converti elementa minantem,
Atque omnem cœli deſcendere nubibus ignem.
Tunc avidus rapido eſt incluſus tartarus igne,
Atque procelloſis flamma intus fluctuat undis,
Totáque vertentes confundit terra favillas.
Flammeus eſt ſulcus, dentes vertuntur acuti,
Omnibus & torrens armabitur igneus annis.
Impetu tartareo frendent incendia mundo,
Illic præcipiti curſu torrentur in æſtu,
Hinc fugiunt, illinc curſu referuntur acuto;
Obvia ſit ſævæ flammæ fugientibus ira,
Agnoſcúntque ſuam jam tum de crimine pœnam.
Jámque vaga à nullo tellus poſſeſſa colono
Æquoris extremo preſſa & ſub fine profundo,
Quà ſol emenſo radio diſterminat orbem,
Et quà tranſacto conduntur ſidera mundo;
Æther gliſcit, atris obſtrusâ luce tenebris,
Ultima ſecretis ſtagnant flammantia rivis.
Eſt natura loci ſignatis ignea pœnis,
Infernúſque palus candens ardoribus atrox.
Intonat horrificis facinus pœnale caminis,
Æſtuat, & rapitur lato de vortice flammæ,
In tormenta ruens, fluctúque & gurgite ſævo,
Turbida cœnoſo fundo miſcetur harena.
Huc captiva gemens mittetur turba malorum,
Arſurúmque nefas, ſcelerati corporis agmen.
Magnus plangor ibi, luctus ſociante boatu,
Et ſtridor rabidus, ululatus & indè dolentum.
Exurgent flammæque procul, artúſque ſonori,
Ignis inardeſcet, gemitúſque feretur ad auras.
Tunc humana mali pendet commiſſa propago,
Incipiétque ſuas ad cœlum tendere palmas,
Et Dominum tunc nôſſe volet, quem nôſſe volebat
Antea non, quum nôſſe illis foret utile tempus;
Illic quiſque ſuæ profitebitur effera vitæ,
Injuſtáſque manus, & ſævæ crimina mentis,
Horreſcétque ſuæ quæ noverit impia vitæ.
Jam primùm quicumque Deum malè ſenſerit antè,
Et vaga mentito coluiſſet numine ſaxa,
Atque cruentiferis ſignis ſacraverit aras,
Et picturatas timuit ſine voce figuras,
Ac falſi tenues veneratus numinis umbras,
Et quoſcumque malus ſeduxit protinus error:
Siquis adulter erat, ſi natos enſe necârat,
Si raptor graſſatus erat, ſi fraude clientes
Diſtulerat, ſi mente parum verſatus amicâ;
Sive ſuas hominum maculârat ſanguine palmas,
Miſcuerátve latebroſâ ſi morte venenum;
Aut ſi veſtitus ſcelerato pectora fuco,
Sive malo alterius, lucro & gaudebat iniquo;
Admiſit quicumque nefas quodcumque malorum;
Ingens ardor eum, atque ignis torquebit amarus,
Suppliciúmque dabunt peracerbo funere cuncti.
Plurima ſic hominum mœrentum turba jacebit.
Hoc quoties olim ſancti cecinêre Prophetæ,
Flatu & ſæpe Dei moniti dixere futura;
Nemo ſuas (miſerùm) nemo eheu præbuit aures.
Sed Deus omnipotens voluit ſua præmia noſci,
Atque minas poſitæ per plurima talia legis.
Mittendo ſtatuit plures, & verba ſonantes
Divina; excitóſque jubet prodire ſepulcris
Secum, quum fracto ſurrexerat ipſe ſepulcro.
Obſtupuêre quidem plures, patuiſſe ſepulcra,
Et cerni in clarâ præmortua corpora luce;
Miratſque pios ſermones, dulcia dicta,
Ipsâ voce ſuas tendunt ad ſidera palmas,
Gratantúrque Deo, & victori talia Chriſto.
Illos non tumulos certum eſt repetiſſe ſilentes,
Ampliùs aut terræ retineri viſcere clauſos;
Relliqua ſed recubat nunc turba cubilibus imis,
Illa dies donec, completo tempore, magnus
Adveniat. [Cuncti Dominum jam agnoſcite verum,
Qui ſolus facit hanc animam ſuâ cernere luce,
Eandémque poteſt in tartara ſubdere pœnis,
Et cui cuncta patet vitæ mortiſque poteſtas.
Poſſe Deum, nam velle ſat eſt, factúmque loquendo
Implet, & obſtando planè nihil impedit illum.
Ille meus ſolus, cui credo ſenſibus imis.
At quoniam letho curſus concluditur omnis,
Quicunque hodie, ſecum putet omnia mente;
Atque ideo dum vita manet, dum cernere lucem,
Dum vitam mutare licet; quàm terminus ævi

Obruat incautos, & neſcia lumina ſolvat
Ultimus ille dies, mortis quia lege tenetur;
Quod pretium ſupereſt, caræ invigilate ſaluti,
Et faciles certſque bonum decurrite curſum.
Abſtergete piis commiſſa piacula ſacris,
Atque vagas nimium mundi vitate procellas;
Tum rectas & adite vias, & ſancta tenete.
Hinc lætis animis pravum depellite crimen,
Et concreta diu proluatur pectore culpa;
Commiſſâſque mali labes abolete nefandas,
Æterniſque Deum precibus placate tremendum.
Peſſima cuncta bonis cedant mortalia vivis,
Et ſervate novam jamjam ſinè crimine vitam,
Incipiántque bonis verſſque aſſueſcere mentes,
Laudibus & faciles divinis reddite voces.
Sic meliora piis flagrabunt omnia vobis,
Sic quoque cœleſtis capietis munera vitæ,
Cúmque Deo longum ſemper vivetis in ævum,
Aurea ſiderei cernentes gaudia regni.

SENATORI APOSTATÆ.

ARGUMENTUM.

SENATOREM *graviter increpat, quòd antea Chriſtianus & Conſul, Iſidis ſeu Matris Deûm ſacerdos fieri non ſit veritus; hortatur itaque ut ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Porrò quum etiam hic quædam ſint Tertullianica, ego illi aſcribere malui quàm B. Cypriano.*

QUUM te diverſis iterum vanſſque viderem
Inſervire ſacris, priſcóque errore teneri;
Obſtipui monitus; quia carmina ſemper amâſti,
Carmine reſpondens, properavi ſcribere verſus;
Ut te corriperem, tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim, te Matrem credere magnam
Poſſe Deam dici, rurſúſque putare colendam,
Cujus cultores infamia turpis inurit?
Namque ſacerdotes tunicis muliebribus idem
Interiùs ritum cultu interiore fatentur;
Idque licere putant, quod non licet; unde per orbem
Leviter incedunt, mollitâ voce loquentes,
Lapſatóſque tenent extenſo pollice lumbos,
Et proprium mutant vulgato crimine ſexum.
Cúmque ſuos celebrant ritus, his eſſe diebus
Se caſtos memorant; at ſi tantummodò tunc ſunt,
Ut perhibent, caſti; reliquo jam tempore quid ſunt?
Sed quia coguntur ſaltem ſemel eſſe pudici,
Mente fremunt, lacerant corpus, fundúntque cruorem.
Quale ſacrum eſt verò, quod fertur nomine ſanguis?
Nunc etiam dicis, quòd te non fecerit ætas,
Sed tua relligio calvum, caligáque remota
Gallica, ſit pedibus molli redimita papyro.
Res miranda ſatis dejectáque culmine ſummo.
Siquis ab Iſiaco Conſul procedat in urbem,
Riſus oris erit; quis te non rideat autem,
Qui fueris Conſul, nunc Iſidis eſſe miniſtrum?
Quódque pudet primò, te non pudet eſſe ſecundò;
Ingeniúmque tuum turpes damnare per hymnos
Reſpondente tibi vulgo & lacerante Senatu.
Téque domo propriâ pictum cum faſcibus antè,
Nunc quoque cum ſiſtro faciem portare caninam.
Hæc non humilitas, ſed humilitatis imago eſt.
Ædibus illa tuis ſemper monumenta manebunt.
Rumor & ad noſtras pervenit publicus aures,
Te diviſſe: Dea erravi, ignoſce, redivi.
Dic mihi ſi valeas, quum talia ſæpe rogares,
Et veniam peteres; quæ tecum verba locuta eſt?
Verè mente cares, ſequeris qui mente carentes.
Hæc iterum repetis, nec te delinquere ſentis.
Quid mereare vide; minus eſſes fortè notandus,
Si tantùm hoc ſcires, & in hoc errore maneres.
At quum vericolæ penetraveris oſtia legis,
Et tibi nôſſe Deum paucis acceſſerit annis;
Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
Nſique culis, dum cuncta colis; nec corde retractas
Vera quid à falſis, quid ab umbris lumina diſtent.
Philoſophum fingis, quum te ſententia mutet;
Nam tibi ſi ſtomachum popularis moverit aura;
Et Judæus eris, totúſque Incertus haberis.
Indulge dictis, ſapientia non placet alta;
Omne quod eſt nimium, contrà cadit; unum operantur
Et calor & frigus; ſic hoc, ſic illud adurit;
Sic tenebræ vitium, ſic ſol contrarius aufert;
Et pariter lædunt gelidum fervénſque lavacrum;
Eſcâ, alitur corpus, corpus corrumpitur eſcâ;
Vſmque ſuam minuit, ſi quid protenditur ultrà.
Denique ſi ſedeas, requies eſt magna laboris;
Si multum ſedeas, labor eſt. Maro namque Poëta
Pro pœnâ poſuit; ſedet, æternúmque ſedebit
Infœlix Theſeus; ſemper nocet utile longum;
Prandia longa nocent, jejunia longa fatigant;
Sic nimium ſapere ſtultum facit improba ſecta.
Me dea ſic docuit, moderamen amabile, dixit.
Sed tu nec ſectam modò, nec moderamina curas;
Mens autem ſtabilis nullo pervertitur æſtu,
Ipſâque ſimplicitas numquam mala cogitat ulla.
Hinc ſincera fides æternâ fide fruetur;
Et contrà dolus longo cruciabitur igni.
Elige quid velis, ut digna piacula vites.
Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam;
Ut leve crimen erit, ſi nolis noſcere vera;
Non leve crimen erit, ſi cognita vera relinquas.
Sed te correctum forſan matura ſenectus
In melius revocat ſatiatum erroribus iſtis;
Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.
Tunc igitur cùm te conſulta reduxerit ætas,
Diſce Deo ſervare fidem, ne fortè bis unum
Incurras lapſum; quia verè dicitur illud:
Qui pedis offenſi lapidem vitare ſecundò
Neſcit, & incautus iterum vexaverit artus;
Imputet ipſe ſibi, nec caſibus imputet ullis.
Corrige delictum fidamine, corrige mentem.
Suffecit peccare ſemel, deliſſe vereri;
Non erit in culpâ, quem pœnitet antè fuiſſe.

CARMEN DE JONA ET NINIVE.

POST Sodomum & Gomorum viventia funera in ævum,
Et cinerum ſenſo ſignata incendia, pœnæ,
Et fruſtra ſolis oculis naſcentia poma,
Et pariter facti mortem maris, & ſalis illic
Si quid homo eſt pœnam mutato corpore ſervans:
Penè alios ignes ſuperi decuſſerat imbris,
Urbs æqui juſtíque * fuerant tranſgreſſa Ninive.
Nam quis ſubverſæ menti metus? omnia vulgò
Pœnarum documenta vacant, ubi poſſidet error.
At bonus & noſtri patiens, & plectere ſerus
Omnipotens dominus nullam jaculabitur iram,
Nſi priùs admoneat, duratáque pectora pulſet
Præſagos agitans auguſtâ mente, prophetam
Namque Ninivitum meritis mandârat Ionam
Præfari exitium Dominus, ſed conſcius ille,
Parcere ſubjectis, & debita cedere pœnæ
Supplicibus, facilémque boni, ceſſabat obire,
Ne vanum caneret, ceſſurâ pace minarum.
Mox fuga conſilium, ſi qua eſt tamen iſta facultas
Evitare Deum, dominíque evadere dextram,
Quâ ſubter totus trepidans compeſcitur orbis.
At ratus eſt quod agit ſancto de corde prophetes.
Littoris in labio portu celeberrima fido
Urbs, ora eſt Cilicum, contra libratur Ioppen.
Indè igitur Tharſus properus rate ſcandit Ionas.
Ejuſdem fert acta Deus, nec denique mirum
Si dominum in terris fugiens, invenit in undis.
Parvula nam ſubitò maculaverat aëra nubes,
Vellere ſulfureo de ſemine concita venti,
Paullatímque globus pariter cum Sole cohæſit,
Deceptúmque diem caliginis agmine cluſit.
Fit ſpeculum cæli pelagus, niger ambitus undas
Inficit, in tenebras ruit æther, & mare ſurgit.
Nequicquam medios fluctus dum nubila tangunt,
Gloria ventorum quos omnes turbine miſcet.
Diverſus furor in profugum frendebat Ionam.
Una ratis certamen erat, cælóque, freto que,
Tunditur hinc illinc, tremit omnis ſylva ſub ictu
Fluctifrago, ſubtèr concuſſa eſt ſpina carinæ.
Palpitat antemna ſtridens, labor horret ab alto,
Ipſa etiam infringi dubitans inflectitur arbor.
Nauticus interea geminus clamor omnia tentat,
Pro rate próque animâ, ſpiras mandare morantes
Oblaqueare mithram, clavorum ſtringere niſus,
Vel reluctantes impellere pectore gyros:
Pars maris interni puteum graveolere viciſſim.
Egregias rapiunt tunc merces, atque onus omnes
Præcipitant, certántque pericula vincere damnis.

Sunt

Sunt miſeræ voces ad ſingula fragmina Ponti,
Expendúntque manus nullorum ad lumina Divûm,
Quos maris & cæli vis non timet, haud minùs illos
Puppibus obtruſos irato turbine mergens.
Neſcius hæc reus ipſe cavo ſub fornice puppis
Sternentem inflatâ reſonabat nare ſoporem,
Jam tunc in ſomno domini formando figuram.
Hunc ſimul undiſecæ qui cogit munia proræ,
Pace ſoporatum placidâ, requiete ſuperbum
Inſtitit impulſans, quid, ait, diſcrimine in iſto
Somnia re * capit, tantâque in turbine portum
Solus habes? non unda operis, ſpes unica divûm eſt,
Tu quoque, quiſque tibi Deus eſt, dic vota precéſque.
Exin quis culpæ propriæ, quis cauſa procellæ
Diſcere ſorte placet, nec ſors mentitur lonam. (rerum,
Tunc rogitant, quis, & unde hominum, quis denique
Quo populo, quâ ſede cluis? famulum ille fatetur
Prætimidum fidúmque Dei, qui ſuſtulit altum,
Qui terram poſuit, qui totam corpore fudit.
Ipſius ſeſe profugum, cauſáſque revelat.
Diriguere metu. quid nos igitur tibi culpæ, *
Quid fore nunc, quonam placabimus æquora facto?
Namque magis multóque magis freta ſæva tumebant.
En ego tempeſtas, ego tota inſania mundi,
In me, inquit, vobis æther ruit, & mare ſurgit.
In me terra procul, mors proxima, nulla Dei ſpes.
Quin date præcipitem cauſam, navémque levantes,
Unum onus hoc magnum pelago jactate volentem.
Aſt illi fruſtra nituntur vertere curſum
In reditum, nec clavus enim torquere ſinebat,
Dura nec antemnæ mutari libra volebat.
Poſtremò ad dominum, Ne nos in mortis hiatum
Unam animam propter dederis, ne ſanguine juſti
Reſperſiſſe velis, ſi tic tua dextera ducit.
Jámque illic imo exoriens de gurgite cetus
Squamoſum è conchis evolvere corporis agmen,
Urgebat proprios concuſſo marmore fluctus,
Sponte ſuâ prædam rapiens, quam puppis ab arce
Provolutatam limoſis faucibus hauſit,
Viventémque dapem longam percepit in alvum,
Cúmque viro, cæli rabiem, pelagíque voravit.
Sternitur æquoris unda, reſólvitur ætheris umbra.
Hinc fluctus, illinc flatus redduntur amici,
Securámque viam placidâ ſignante carinâ,
Candida cæruleo florent veſtigia ſulco.
Nautæ tunc Domino læti venerando timorem
Sacrificant grates. ********
Navigat & vates alio ſuſceptus lonas
Navigio, fluctúmque ſecat ſub fluctibus imis,
Viſcera velificans, animâ inſpirata ferinâ,
Concluſus, neque tinctus aquis, maris intimus exter *
Inter ſemeſas claſſes, reſolutáque corpora putri *
Digeſtu, ſuæ jam velut * funera diſcens.
In lignum ſed enim domini quandoque futurus,
Non erat exitio, ſed cæli gloria factus.

CYPRIANI GENESIS ET SODOMA

Joh. Voſſ. de Poet. Lat.

Cæcilius Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus eſt factus ſub Philippo Imperatore anno Chriſti CCL. Ac porrò eâ in dignitate fuit cùm ſub Decio, Gallo & Voluſiano, tum Valeriano & Gallieno: ſub quibus perſecutione contra Chriſtianos octavâ anno Chriſti CCLX. coronam martyrii accepit. Quatuor ei carmina tribuuntur. Primùm Geneſis. Tum Sodoma. Sed Tertulliani creduntur à Sixto Senenſi. Hinc carmen in Senatorem Apoſtatam. Quod ut Cypriani non ſit, antiqui tamen eſt Scriptoris. Ac poſtremò Hymnus de Paſchâ Domini. Verùm nonnulli Codd. præferunt nomen Victorini Pictavienſis.

GENESIS.

Principio Dominus cælum terrámque creavit:
Namque erat informis fluctúque abſcondita tellus:
Immenſúſque Deus ſuper æquora vaſta meabat,
Dum chaos & nigræ fuſcabant cuncta tenebræ.
Has dum disjungi juſſit de cardine, fatur,
Lux fiat, clarè & nituerunt omnia mundo.
Cùm Dominus primi complêſſet facta diei,
Condidit albentem nebulis naſcentibus axem,
Accipit immenſus verrentia littora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum ſulva retexit:
Arida mox poſito narratur nomine terra:
Florea ventoſis conſurgunt germina campis,
Pomiferſque ſimul procurvant brachia rami.
Quarta dies generat ſolis cum lampade lunam,
Et ſtellas tremulo radiantes lumine fingit.
Hæc elementa dedit ſubjecto inſignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
At quintâ accipiunt liquentia flumina piſces,
Et volucres varias ſuſpendunt corpore pennas.
Sexta prægelidos in ſpiras lubricat angues,
Quadrupedúmque greges totos diffundit in agros:
Cunctáque multiplici mandavit creſcere paſtum
Germine, & immenſis errare & paſcere terris.
Hæc ubi conſtituit divina potentia juſſu,
Rectorem inſpiciens mundanis deſore rebus,
Hæc memorat, Noſtris hominem faciamus ad unguem
Vultibus adſimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licèt hunc uno poſſet componere verbo,
Ipſe tamen ſanctâ dignatus ducere dextrâ,
Inſpirat brutum divino à pectore pectus.
Quem poſtquam effigie formatum ceu ſuâ vidit,
Metitur ſolum mordaces volvere curas.
Ilicet irriguo perſundit lumina ſomno,
Molliùs ut vulsâ formetur fœmina coſtâ,
Atque artus mixtu gemino ſubſtantia firmet.
Inditur & nomen vitæ, quod dicitur Eva.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Conjugibúſque ſuis poſitis cum ſedibus hærent.
Septima, quando Deus factorum fine quievit,
Sacrata, ſtatuens venturi gaudia ſeculi.
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet, indit
Adami à Domino donata prudentia ſolers.
Quem Deus alloquio, junctam dignatur & Evam:
Creſcite multimodo ventura in tempora partu,
Ut polus & plenæ veſtro ſint germine terræ:
Hæredéſque mei, varios decerpite fructus,
Quos nemora & pingui reddunt de cæſpite campi.
Hæc ubi diſſeruit, lætâ paradiſus in aulâ
Inſtruitur, primſque aſpectat lumina ſolis.
Gignitur hæc inter pomis lætalibus arbos,
Conjunctum generans vitæ mortiſque ſaporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quod rigat inſignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidóſque ſecat undante ex fonte meatus:
Phiſon auriferis prædives fluctuat undis,
Conſpicuáſque terit rauco de gurgite gemmas:
Pratinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens:
Perſpicuúſque vadis terram prælambit Evilat.
Poſt hunc Æthiopas Gæon adlapſus opimat.
Tertius eſt Tigris Euſrati adjunctus amœno,
Aſſyriam celeri diſcretim flumine ſulcans.
Hic poſitus cuſtos Adamus cum conjuge fidâ
Atque opifex, tali formatur voce Tonantis:

Digitized by Google

Ne trepidate simul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonsum tanto frondente creavit,
Solliciti ne fortè malum noxale legatis,
Quod viret ex gemino discreta ad munia succo.
Nec minùs interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modò formatos vestis nec texerat artus.
Has inter sedes & baccis mitibus ortus,
Spumeus astuto vincens animalia sensu,
Serpebat tacitè spiris frigentibus anguis,
Livida mordaci volvens mendacia sensu,
Fœmineo tentat sub pectore mollia corda:
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Nunquid poma Deus non omnia nota sacravit?
E queis si studeas mellitos carpere victus,
Aureus astrigero remeabit cardine mundus.
Illa negat, vetitósque timet contingere ramos:
Sed tamen infirmo vincuntur pectora sensu.
Ilicet ut niveo jam mitia dente momordit,
Adfulsit nullâ maculatum nube serenum:
Tum sapor illecebram mellitis faucibus indens,
Compulit insueto munus deferre marito.
Quod simul ac sumpsit, detersâ nocte nitentes
Emicuere oculi mundo splendente sereni.
Ergo ubi nudatum prospexit corpus uterque,
Cúmque pudenda vident, ficuluis frondibus umbrant.
Fortè sub occiduo Domini jam lumine solis
Agnoscunt sonitum, trepidíque ad devia tendunt:
Tum Dominus cæli mœstum compellat Adamum:
Dic ubi nunc degas? respondit talia supplex,
O Domine affatus pavido sub corde tremisco
Magne tuos, nudúsque metu frigente fatigor.
Tum Dominus, Quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promptim
Candenti perfusa die, liquidúmque serenum
Affulsisse sibi, solémque & sidera cæli.
Protinus ira Dei turbatam territat Evam,
Auctorem vetiti dum quærit maximus acti:
Illa sub hæc pandit, Serpentis suasa loquentis
Accepi fallente dolo blandóque rogatu.
Nam sua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narravit dulcia pomis.
Ilicet omnipotens condemnat gesta draconis,
Præcipiens cunctis invisum visere monstrum:
Pectore mox fuso prorepere, tum sola morsu
Pandere, mansuro quæcunque in tempora bello
Humanos inter sensus ipsúmque labantem,
Vertice ut abjecto pronus post crura virorum
Serperet, ut calcet dum labens comminus instat.
Fœmina fraudigeris miserè decepta loquelis,
Præcipitur duro discrimine ponere partum,
Servitiúmque sui studio perferre mariti.
Tu verò cui visa fuit sententia verax
Conjugis, immiti cessit quæ victa draconi,
Deflebis miserum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ surget pro germine messis
Carduus, & spinis multùm paliurus acutis,
Ut cum visceribus lassis & pectore mœsto,
Plurima sollicitos præstent suspiria victus,
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Unde geris corpus, terræ reddare jacenti.
His actis dominus trepidis dat tædia vitæ,
Dejectóque procul sacratis dimovet hortis,
Obversóque locat, medióque eliminat igni,
In quo perceleri Cherubin evolvitur æstu,
Dum calidus defervet apex, flammáque volutat.
Queis dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Consuit evulsas pecudum de viscere pelles,
Operiens nudos calidis de vestibus artus.
Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus
Esse virum sensit, nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori, bino qui germine factus
Continuò genitor, diversis nuncupat orsis.
Atque Cain hic nomen habet, cui junctus Abelus:
Innocuas hujus servabat cura bidentes,
Ast alius curvo terram vertebat aratro.
Hi cùm perpetuò ferrent sua dona tonanti,
Dissimiles fructus sensu suadente dedere.
Nam prior uberibus fuerant quæ prosatâ glebis
Obtulit: ast alius miti se devovet agno,
Exta manu sincera gerens adipémque nivalem.
Confestímque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelidâ Cain incanduit irâ,
Quem Deus alloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, si rectùm vivas, & noxia cernas,
Degere non possis contracto à crimine purus?
Define mordaci fratrem disperdere sensu,
Qui tibi ceu domino subjectus colla daturus.
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arva,
Atque ubi deprensum deserto in gramine vidit,
Elidit geminis fraudans pia guttura palmis.
Quod factum Dominus cælo speculatus ab alto,
Disquirit quónam terrarum degat Abelus:
Ille negat positum custodem se fore fratris.
Cui Deus effatur, Nónne vox sanguinis ejus
Ad me missa sonat, celsúmque ascendit ad axem?
Nosce igitur mansura tibi pro crimine tanto..
Nam modò quæ maduit germani sanguine terra,
Invíso maledicta tibi commissa negabit
Semina, & adsumptis fructum non proferet herbis.
Torpidus ut multo collidens membra tremore

* * *

SODOMA.

JAM Deus omnipotens primævi tempora sæcli,
Vindice diluvio, cunctis aboleverat undis,
Quas cælum spartit terræ, maris expuit æquor:
Hactenus haud liquido pœnas decernere pactus
Excidio, quoties hyemes induceret aër,
Frænandis varium pluviis mandaverat arcum,
Purpureo & viridi signantem nubila limbo.
Iridis huic nomen, propria est quæ fibula nimbis.
Sed recidiva hominum pariter cum gente secundâ
Impietas, iterúmque mali nova pullulat ætas,
Excidio jam non imbrem sortita, sed ignes.
Sic Sodomûm meruit tellus ardentibus uri
Flammis, & finis portendere signa futuri.
Effera luxuries illic, inimica pudoris,
Instar legis erat, fugeret quam præscius hospes,
Antè vel ad Scythicas, vel apud Busiridis aras
Exoptans per sacra necem, cæsúsque cruorem
Fundere Bebrycium, & Libycas satiare palæstras:
Antéque vel Circæa novas per pocula formas
Sumere, quàm læsum Sodomis amittere sexum.
Pulsabant cælum invidiâ, connubia mixta
Incestu parili, generis natura rebellis
In sese, læsúmque viri cum corpore nomen.
Tempore sed certo Deus omnia prospeculatus,
Judicat injustos patiens, ubi criminis ætas,
Cessandi spacium vis nulla coegerit iræ.
Jámque dies ultrix aderat: duo de grege missi
Angelico, formâ juvenes, qui spiritus ambo
Diva ministerio Domini mandata ferebant,
Succedunt Sodomis: illic de stirpe piorum
Transvena Loth aderat, sapiens, justíque colonus,
Unus erat, meminisse Deum. solet utilis arbor
In sylvis latitare feras velut hóspita fructu.
Is tunc pro portâ residens (vix mœnia adibant
Cælicolæ) quanquam divinos nescius, ultro
Advocat, appellat, patrio veneratur honore,
Hospitióque vocat, longè stabulare parantes;
Enisus longis precibus, pia pignora mensâ,
Officiísque probis studio dispungit amicos.
Nox requiem dederat, lux solverat altera noctem,
Et Sodoma in foribus strepitat conquesta rudendum.
Loth contrà supplex, Ne vos nunc pacta libido
Incendat juvenes ipsam fœdare juventam:
Quò luxûs genitura vocat? quò semina frustra?
Quò nullæ nuptant animæ, non lustra colentes,
Non stabulis reduces, non undis subter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent,
Nec quæ per terram protracto corpore manant.
Omne genus luxu genus est; sed fœmina conjux
Omnibus, & nunquam cuiquam nisi fœmina mater.
Nunc si fas juvenilis habet vastare pudorem,
Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas,
Virginitas in flore tumet, jam dedita messi,
Digna cupido viris, tulerit quam vestra voluptas,
Cedo pater, próque hospitibus pensabo dolorem.
Vulgus ad hæc demens, quisnam tu, quantus, & unde,
Qui nobis domineris, ait, legétque recondas?
Transvena, corrector Sodomorum? duplicat iras:
Nunc igitur tute ipse lues, quod nostra cupido est,
Pro natis, próque hospitibus: satis unus in omnes.
Dicta & facta simul: vulgi mora nulla furentis.

Turbi-

Turbidus hyberno ut dum volvitur impete torrens,
Rivorum numeros uno pede fertur in omnes,
Si qua illic arbor rapidis offenditur undis,
Haud manſura diu, quantum radice licebit
Crinitas durare moras, ubi ſubter adeſam
Perdit humum circunfoſſo cum caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam:
Haud aliter Loth in medià vertigine vulgi
Nutabat vinci propè jam: ſed diva poteſtas
Subvenit: angelici juvenes de limine raptum
Reſtituunt tectis: demens ſed vulgus ibidem
Pœnarum auſpiciis multantur lumine diro.
Tunc decreta Dei referant, dignam fore pœnam
De cælo Sodomis: ipſum meruiſſe ſalutem
Juſtitiæ titulo. quin ergo accingeris illhinc
Feſtinare fugam, paritérque educere ſi quid
Gentis habes? nos exitium jam inducimus urbi.
Loth generos citus adloquitur: ſed dura hominum mens
Credere deſpexit monitum, riſitque timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conſcendere tentat,
Et bicolor cæli facies de nocte diéque eſt,
Inſtabant juvenes Chaldæam educere gentem
Ex Sodomis, juſtamque domum donare ſaluti:
Eia age Loth exurge, tuámque adſume jugalem,
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito,
Præveniens Sodomûm pœnas (manibus quoque amicis
Producunt trepidos) atque hæc tibi cætera mando,
Serva Loth animam, ne viſum in terga retrorſum
Vertere fortè velis, cœptum vel ſiſtere greſſum.
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cæleſtes ne priùs iræ
Opprimerent: alios igitur depoſcere portus
Adgreditur, parvam quam contrà aſpexerat, urbem.
Huc, inquit, contendo fugas: vix mœnibus extat,
Nec longè, nec magna, mihi favete petenti.
Urbis & ipſius pariter geſſere ſalutem.
Indè Segor vico nomen vox barbara novit.
Tunc Loth ingreditur Segor, ſimul exoritur ſol,
Ultimus ille quidem, in Sodomámque incendia fervens
Infert. nam totos radios armaverat igni:
Æmula ſubſequitur caligo, includere lucem
Cœptans, atque globos confuſo intexere cælo:
Fumantes coëunt nubes, novus irruit imber,
Sulphura cum flammis flagrantibus æſtuat æther,
Exuſtus crepitat liquidis ardoribus æther.
Hinc habet in falſo de vero fabula famam,
Solis progeniem currus optâſſe paternos,
Nec valuiſſe levem puerum frænare ſuperbos
Ignis equos, arſiſſe orbem, tunc fulmine raptum
Aurigam, inlicitum planctum mutâſſe ſorores.
Viderit Eridanus, ſi qua illic populus albet,
Aut ſi quis plumat ſenio modulatior ales.
Hìc aliter verſæ mœrent miracula formæ.
Namque comes conjux, heu me, malè tum quoque legis
Fœmina non patiens, divina ad murmura cæli
Audaces oculos nequicquam ſola retorſit,
Non habitura loqui quod viderit, & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſâque imago ſibi, formam ſinè corpore ſervans.
Durat adhuc etenim nudâ ſtatione ſub æthram,
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quinetiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio jam corpore, ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.
Nuſquam ſunt Sodomi, nuſquam illorum impia lucent
Mœnia, cum dominis domus omnis inops ita nuſquam:
Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore favillæ,
Hinc que ſitu cano cineres incendia ſignant.
Occidit illa prior feritas, quam proſpiciens Loth
Nullus arat fruſtra piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam ſi qua illic jugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima ſeſe
Promittunt oculis, pira, perſica, & omnia mala,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactu,
Solvitur in cinerem, fit vana favilláque pomum.
Sic igitur cælo pariter terràque ſepultis,
Nec inare vivit ibi, mors eſt maris illa quieti,
Idque animat nullus per anhela volumina fluctus,
Quódque etiam patrio nunquam ſuſpirat ab auſtro,
Quódque cavet proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, lævſve cuti vel cortice ſeptam,
Vel criſpam concham, aut duplici compagine clauſam.
Solum illìc propriâ mentitur fruge bitumen,
Exuſti fuligo maris, quod vividus ardor
Subter ſtagna coquens de ſulphuris & ſalis æſtu,
Temperat, ſuque picem dat terræ hærere marinam.
Invehitur proprio cùm tempore pingue crematæ
Virus aquæ, ſpumíſque cutis ſuper æquora nigra
Texitur, appellunt queis eſt ea captio mercis:
Adclinant læves laterum libramine lembos,
Ut ſemel impoſitam doceant conſcendere venam.
Nam ſe ſponte levans adnabit mercis ad ora
Navigii, preciúmque dabit pro munere largo,
Nî plaga contigerit quam menſis fœmina veſtit.
Ecce aliud monſtrum pelagi de clade notatur:
Cuncta illìc immiſſa natant: natura receſſit
Mergendis data corporibus. ſi denique teſtæ
Luciferam narem inſiſtens, quà ſpiritus igni eſt,
Velificavit apex, flammæ ſi flamma perempta eſt,
Ibit ſubter aquas deſtructio naufraga lucis.
Hæ Sodomûm & Gomorûm ſignatæ in ſecula pœnæ
Gentibus injuſtis, queis corpora dura timorem
Deſeruere dei, de cælo jura tueri,
Inque unum rerum dominum ſpectare docebunt.

JUVENCI PRESBYTERI
DE
HISTORIA EVANGELICA,
LIBRI TRES.

JUVENCI HISPANI VITA
A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

JUVENCUS poëta natione Hiſpanus familiâ inſigni maximéque illuſtri natus eſt, ut ab Hieronymo traditur. Præcipuè floruit imp. Conſtantio & Conſtante. Quâ tempeſtate in eloquentiâ apud Latinos clari fuerunt Tiberianus Nazarius, & Flavius Vopiſcus qui de geſtis Romanorum principum libros compoſuit. Inter alia Poëmata, quæ dicuntur ab eo edita, ſcripſit quatuor Evangelia hexametris verſibus, quâ in re majori diligentiâ uſus eſt in ſervandâ rerum hiſtoriâ quàm in demonſtrandâ ingenii ſui elegantiâ. Idem Juvencus aliquot hymnos fecit, quibus facilè indicavit, ſe optimè meritum de religione Chriſtianâ. Neque dubium eſt fuiſſe illum relatum inter ſacerdotes Chriſtianos, ut veteres autores teſtantur. Divus Hieronymus alicubi repetit Juvenci carmina, eúmque ut eruditum & elegantem Poëtam commendat.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGUS.

IMmortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cæli.
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma ultima mundum.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et virtutis honos, in tempora longa frequentant,
Accumulant quorum famam, laudésque poëtæ,
Hos celsi cantus Smyrnæ de fonte fluentes,
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum decurrit gloria vatum,
Quæ manet æternæ similis, dum secla volabunt,
Et vertigo poli terras atque æquora circùm,
Æthera sydereum justo moderamine volvet.
Quòd si tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ veterum gestis hominum mendacia nectunt,
Nobis certa fides æternæ in secula laudis
Immortale decus tribuet, meritúmque rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta,
Divinum in populis falsi sinè crimine donum.
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus, hoc etenim forsan me subtrahet igni,
Tunc, cùm flammivomâ descendet nube coruscans
Judex altithroni genitoris gloria Christus.
Ergo age sanctificus adsit mihi carminis auctor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
Dulcis Jordanis, ut Christo digna loquamur.

LIBER PRIMUS.

Lucæ primo.

REX fuit Herodes Judæâ in gente cruentus,
Sub quo servator justi templique sacerdos
Zacharias, vicibus cui templum cura tueri
Digesto instabat lectorum ex ordine vatum.
Hujus inhærebat thalamis dignissima conjunx,
Cura iis ambobus parilis moderaminis æqui,
Ambos annexos legis præcepta tenebant.
Nec fuit iis soboles, jam tunc vergentibus annis,
Gratius ut donum jam desperantibus esset.
Sed quum sorte adytis arcisque inferret odores
Zacharias, visus cælo descendere aperto
Nuntius, & soli jussas perferre loquelas.
(Cætera nam foribus plebes astrata rogabat)
Quid tibi terribilis concussit corda pavore
Visus, cùm læti sermonis gratia placet?
Nam me propitius rerum pater unicus, alto
A cæli solio tibi nunc in verba venire
Præcipit, & charâ tibi mox de conjuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria reflat,
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternùm, clausum quem spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro,
Istius hic partem populi pleramque docendo
Ad verum convertet iter, dominúmque Deúmque
Continuò primus noscet, plebémque novabit.
Nomine Joannem quem tu vocitare memento.
Olli confusâ respondit mente sacerdos:
Æmula promissis obstitit talibus ætas,
Nec senibus soboles poterit contingere fessis,
Quam Deus avertens primævo in flore negavit.
Hæc trepidans vates. cui talia nuntius infert:
Si tibi mortalis sobolem promitteret ullus,
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens instistere verbis.
Nunc ego, quem dominus cæli terræque creator
Ante suos vultus voluit parêre ministrum;
Auribus ingratis hominis, visúque receptus,
Summi jussa Dei non contemnenda peregi.
Quare promissis manet irrevocabile donum.
Sed tibi claudetur rapidæ vox nuntia mentis,
Donec cuncta Dei firmentur munera vobis.
Hæc ait, & sese teneris immiscuit auris.
Interea populum miracula longa trahebant,
Quid tantùm in templo vellet cessare sacerdos.
Egressus trepidè numen vidisse supernum
Nutibus edocuit, miseræ & dispendia vocis.
Indè domum remeat completo ex ordine vates
Officio, amissámque levant promissa loquelam,
Nec dilata diu venerunt munera prolis.
Anxia sed ventris celabat gaudia conjunx,
Donec quinque cavum complerent lumina Lunam.
Tunc majora dehinc idem mandata minister
Detulit ad Mariæ demissus virginis aures.
Hæc desponsa suo per tempora certa propinquo
Abdita virgineis castè pubescere tectis,
Et servare diem justis permissa parentum.
Ad quam tranquillum sermonem nuntius infit:
Salve progenie terras jutura salubri,
Desine conspectu mentem turbare verendo:
Nam tua concipient cælesti viscera jussu
Natum, quem regnare Deus per secula cuncta
Et propriam credi sobolem, gaudétque jubétque.
Huic, ubi sub lucem dederis, sit nomen Jesus.
Ad quem virgo dehinc pavido sic inchoat ore:
Nullos conceptus fieri sinè conjuge dicunt,
Unde igitur sobolem mihi nunc sperabo venire?
Nuntius hæc contrà celeri sermone profatur:
Virtus celsa Dei circumvolitabit obumbrans,
Spiritus & veniet purus, lectissima virgo,
Ac tibi mox puerum casto sermone jubebit
Magnificum gigni, populis quem credere sanctum
Supremsque Dei natum vocitare necesse est.
Sic cognata tibi, sterilis quæ credita cunctis
Zachariæ conjux, mortali germine nuper
Ævo defessis auxit miracula membris.
Sextus adest mensis, parent sic omnia jussis.
Virgo dehinc: Domino famulam nunc ecce jubenti,
Ut tua verba sonant, cernis servire paratam.
Nuntius abscedens vacuis se condidit auris.
Illa dehinc rapidis Judæam passibus urbem,
Zachariæque domum penetrat, gravidámque salutat
Elisabeth: clausæ cui protinus anxia prolis
Membra uteri gremio motu majore resultant,
Et simul exiliit mater concussa tremore,
Divinæ vocis completa afflamine sancto:
Et magnùm clamans, Felix ô fœmina salve;
Felicem gestans uteri sinuamine fœtum.
Unde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illustrare domum, quam mater numinis alti
Viseret? Ecce meo gaudens in viscere proles
Exultat, Mariæ quum prima affamina sensit,
Felix quæ confisa fidem mox affore verbo,
Quod Deus ad famulos, magnum dignando, locutus.
Illa trahens animum per gaudia mixta pudore
Suppresso, vocis pavitantia dicta volutat:
Magnificas laudes animus, gratésque rependit
Immenso domino mundi. vix gaudia tanta
Spiritus iste capit, quòd me dignatus in altum
Erigere ex humili celsam, cunctísque beatam
Gentibus & seclis voluit Deus æquus haberi.
Sustulit ecce thronum sævis fregítque superbos.
Largifluis humiles opibus ditavit egentes.
Tunc illic mansit ternos ex ordine menses,
Ad propriámque domum repedat jam certa futuri.
Jámque aderat tempus, quo sarcina deferat alvum
Elizabeth, liquidas solvenda in luminis auras,
Ad partus famâ tantos collecta cucurrit
Turba propinquorum, tum gaudia mira frequentes
Concelebrant, norténque jubent genitoris habere.
Abnuit hoc genitrix, sed Joannes vocitetur,
Ingeminat: placuit muti tunc jussa parentis
Consulere, scriptóque rogant edicere nomen.
Sed proh mira fides, tabulis quum scribere tentat
Implicitam solvit per verba sonantia linguam.
Mox etiam afluetam penetrant spiracula mentem,
Completúsque canit venturi conscia dicta:
Concelebrent cuncti laudes gratésque frequentent
Astrorum & terræ, pontíque hominúmque parenti,
Visere quòd voluit propriámque absolvere plebem.
En, beat antiquam gentem, cornúque salutis
Erecto, indulget Davidis origine lumen.
Hoc est quod prisci cecinere ex ordine vates:
Hæc est illa salus, quæ nos ex hostibus atris
Eripit, ut justè justo servire queamus.
At tu parve puer, sanctus dignúsque Propheta
Dicere, & dominum mox prægrediere viando,

Illius

Digitized by Google

Illius & populum duces per lumen apertum,
Errorem per te ſpernent, mortiſque tenebras
Abrumpent omnes, tua qui præcepta ſequentur.
Exin ſecretis in vallibus abdita ſemper
Vita fuit puero, donec poſcentibus annis
Vatis ad officium pleno pubeſceret ævo.

Matthæi 1.

Interea Mariæ ſponſo miracula mentem
Sollicitant, manifeſta uteri quòd pondera vidit,
Et ſecum volvit, quânam ratione propinquæ
Dedecus oppreſſum celet, thalamóſque recuſet.
Talia tractanti torpeſcunt membra ſopore.
Mox ſtertente, Dei vox eſt audita monentis,
Accipe conjugium nullo cum crimine pactæ,
Spiritus implevit ſancto cui viſcera fœtu.
Hanc cecinit vates venturam ex virgine prolem,
Nobiſcum Deus, eſt cui nomen. protinus ille
Hæc præcepta ſequens, ſervat ſponſalia pacta.

Lucæ 2.

Sed tum fortè novus, capitum diſcuſſio, cenſus
Cæſaris Auguſti juſſu per plurima terræ
Deſcribebatur Syriæ, quam jure regebat
Cyrinus, proprii cui tota per oppida fines
Addebant populi vires, noménque genúſque.
Urbs eſt Judææ Bethleem, Davida canorum
Quæ genuit, generis cenſum quæ jure petebat.
Obtulit hic illum, genus hinc quòd uterque trahebat,
Deſponſámque ſibi ſcribens, gravidámque profeſſus:
Hoſpitium amborum Bethleem ſub mœnibus urbis
Anguſti fuerant perparva habitacula ruris.
Illic virgo novum completo tempore fœtum
Edidit, & leni pannoſo tegmine fotu
Texit, cui durum cunas præſepe miniſtrat.
Circà ſollicitæ pecorum cuſtodia noctis
Paſtores tenuit vigiles per paſcua læta:
Ecce Dei monitu juſſus deſcendere cælo
Nuntius, ac ſubito terror tremefacta pavore
Proſtravit viridi paſtorum corpora terræ.
Talis & attonitis cælo vox miſſa cucurrit:
Ponite terrorem mentis, mea ſumite dicta
Paſtores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
Nam genitus puer eſt, Davidis origine clarâ,
Qui populis lucem mox lætitiámque propaget.
Hoc ſignum dicam, puerum quòd cernere vobis
Jam licet, implentem gracili præſepia voce.
Talia dicenti junguntur millia plebis
Cæleſtis, cunctíque Deum laudántque rogántque.
Talis & uniti vox agminis æra complet:
Gloria ſupremum comitetur debita patrem;
In terris juſtos homines pax digna ſequatur.
Et ſimul his dictis, cæli ſecreta reviſunt,
Paſtores properè veniunt, puerúmque jacentem
Præſepis gremio cernunt, pòſt indè frequentes
Diſpergunt latè celebris vaga ſemina famæ,
Mirantes laudant, lætantes conſtupuerunt,
Omnia nocturnis monitis quòd vera recurrant.
Viderat octavam lucem puer, ecce recidi
Ad morem legis, noménque aptare neceſſe eſt,
Impoſitámque illi eſt (monitis cæleſtibus olim
Quod Mariæ vox miſſa Deo præcepit) Ieſus.
Scripſerat antiquæ Moſes moderamina legis,
Inter quæ primos priſco de ſanguine natum
Obſervare dedit fœtus offerre ſacrandos,
Impluméſque ſimul ferre ad delubra columbas.
Hæc ubi per Mariam templo ſervata feruntur,
Ecce ſenex Simeon dignus comprendere ſenſum
Cæleſtis vocis, cui quondam præſcia rerum
Virtus prodiderat, quòd carcere corporis ægri
Depoſito, mortem liber requiémque videret,
Cùm primùm cæli laudem terræque ſalutem
(Omnia quem vatum ſpondent oracula) Chriſtum
Vidiſſet templo ſolennes ferre palumbos.
Iſque ubi curvato deſeſſus corpore templum
Jam gravior penetrat, monuit quod ſpiritus auctor,
Ecce ſimul parvum gremio genitricis Ieſum
Ad templum ſenſit veniſſe, trementibus ulnis
Accepit puerum, lætúſque hæc dicta profatur:
Nunc nunc me famulum dominus, nunc liberet arctis
Corporis è vinclis, finémque imponere verbis
Dignetur cum pace ſuis, en ſplendida noſtros
Lux oculos tua circumſtat radiſſque refulget,
Quam cunctis hominum luſtratis gentibus addet
Iſraëlitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait, Hæc quid virgo tibi tam mira videntur?
Quid tantùm Mariæ ſtupuerunt pectora matris?
Hic puer ad populi caſum datur; iſte renaſci
Concedet populis, illi ſignum eſſe negabunt
Fœderis, hi contrà cælo veniſſe tenebunt.
Livor edax faciet, lethum ut percurrat amarum;
Atque animam matris ferro fulgente macherâ:
Quo pateant tecti tenebroſa volumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus, vox ecce Prophetæ
Fœmineam ſancto complet ſpiramine mentem.
Anna fuit natu gravior, quam in flore juventæ
Deſtituit viduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur caſtâ charo pro conjuge vitâ,
Continuóque Dei cultu quæ numine ducta
Cognovit Chriſtum, & ſimili ſermone locuta eſt.
Indè ubi ſolennem pueri pro nomine legem
Complevit genitrix, & Joſeph omnia mirans,
Ad patriam læti repedant, puerúmque reportant.

Matth. 2.

Gens eſt Eoi, Phœbo orto, proxima regni,
Aſtrorum ſollers ortúſque obitúſque notare.
Hujus primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti proceres Solymas per longa viarum
Deveniunt, regémque adeunt, oránteque doceri,
Quæ regio imperio puerum Judæa teneret
Progenitum, & ſeſe ſtellæ fulgentis ab ortu
Admonitos veniſſe viam, quo ſupplice dextrâ
Exortum terris venerabile numen adorent.
Territus Herodes vatum legúmque peritos,
Quſque Prophetarum veterum præſagia noſcunt,
Imperio accitos jubet omnia quærere legis,
Quo poteſt quæ ſint genitalia mœnia Chriſto,
Omnia venturum ſpondent quem oracula vatum.
Tunc manifeſtatur, Bethleem quòd mœnibus illum
Progigni maneat, cui ſacram ducere plebem
Iſraëlitarum ſacrâ virtute neceſſe eſt.
Tunc jubet Herodes Perſas pertendere greſſum,
Inventúmque ſibi puerum monſtrare colendum.
Ecce viæ medio ſtellam præcurrere cernunt
Sulcantem flammis auras, quæ in culmine ſummo
Reſtitit, & pueri luſtrata habitacula monſtrat.
Gaudia magna Magi gaudent, fidúſque ſalutant.
At poſtquam puerum videre ſub ubere matris,
Dejecti prono texerunt corpore terram:
Submiſíque ſimul mox myſtica munera promunt,
Aurum, thus, myrrham, regíque deóque hominíque
Dona ferunt: totam mox horrida ſomnia noctem
Sollicitant, ſævúmque jubent vitare tyrannum:
Denique diverſis Herodis callibus nullam
Diffugiunt, patriámque Magi redierę latentes.
Ipſum etiam puerum monitis cæleſtibus actus
Ægyptum cum matre ſimul tranſportat Joſeph.
At ferus Herodes ſibimet ſuccedere credit,
Quem callens aſtris quæſiſſet cura Magorum.
Quorum præcauto diſceſſu ſollicitatus,
Crudeli tinxit Bethleemica compita cæde,
Infantes mandans, teneróque ſub ubere plebem
Innocuam in ſinubus rigido ſuccumbere ferro.
Hæc etiam cædes olim præſcripta manebat.
Nam pius hanc vates divino numine doctus
Complorat, miſero ſobolis pro funere matres
Horrendis graviter cælum pulſare querelis.
Aſt ubi ſopitus furor eſt, & ſæva tyranni
Infantum horribili feritas ſatiata cruore,
Extinxiſſe putat cunctos, quos unus & alter
Annus lethiferi miſerè ſuppreſſerat ævi.
Mirandis rurſus devinctus membra ſopore
Joſeph urgetur monitis, Mariam puerúmque
Ægypto ad patriam vectare, ubi Nazara fœlix
Olim prædictum puero dedit addere nomen.
Dixit & alterius quondam prænuntia vatis
Vox inſtincta Deo, Veniet, veniet mea proles
Ægypto ex altâ, terris luménque ſalúſque.
Creſcebat rapidis annorum greſſibus infans,
Præcurrens ævum ſapientia præveniebat,
Gratiáque in vultu, & verbis veneranda micabat.

Lucæ 2.

Et jam biſſenos ævi comprenderat annos,
Cùm paſchæ ritum ſervando ex more parentes
Ad templum lætis puerum perducere feſtis
Omnibus annorum vicibus de more ſolebant.
Ergo aderant paſchæ pariter, cunctíſque diebus
Feſtorum impletis, patriam remeare parabant.
Tum puer in populo comitis veſtigia matris
Deſeruit, templúque libens ſecreta petivit.

Illum per vicos urbísque per abdita tecta
Pérque viæ ſtratas, per notos pérque propinquos
Quærebat genitrix: ſed lux ubi tertia venit,
Ad templum properè remeat, vatúmque coronæ
Invenit inſertum, legúmque obſcura ſenili
Tractantem cœtu. vix admiratio digna
De pueri verbis ſenibus fuit: at pia mater,
Nate, ait, amiſſum lacrymis te quæro profuſis
Anxia, cum genitore gemens: quæ cauſa parentum
Secrevit greſſu, templíque in ſede retentat?
Ille autem, Quid me tantùm, quid quæritis, inquit?
An nondum ſentis genitrix quòd jure paternis
Ædibus atque domo natum inhabitare neceſſe eſt?
Hæc ait, & greſſum ſociat, patriámque revisit,
Nec genitrix tanti perſenſit pondera verbi,
Ordine cuncta tamen cordis ſecreta reſervat.
At puer obſequiis aptè prædulcibus ambos
Ad proprium ſemper cogens nectebat amorem.
Matthæi 3. *Marci* 1. *Lucæ* 3. *Joannis* 1.
Interea veteris ſcripti per debita currens
Omnia ſeclorum ſeries promiſſa trahebat.
Zachariæ ſoboles deſertis vallibus omnes
Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lavacra,
Quîs animæ ſpecies ablutâ ſorde niteret.
Eſaias vates ceciuit quod numine juſſus:
Vox latè reſonat, deſertis vallibus amplas
Sternite jam ſtratas, omnis ſit recta viarum
Semita, quæ domini dignè veſtigia geſtet.
Subſident colles, vallis complebitur omnis:
Corriget anfractus callis bona linea recti,
Corporeſſque oculis lumen tractare ſerenum
Omnibus indulget genitor, dominúſque ſalutis.
Ergo aderant populi, paſſímque hinc indè ruentes
Complebant ripas, avidíque lavacra petebant.
Tecta camelorum fuerant velamina ſetis,
Et zonæ pellis medium cinxere Prophetam,
Arvis qui ſolitus ruralibus eſſe locuſtas
Et tenuem victum ſylveſtria mandere mella.
Iſque ubi tot populos diverſis ſedibus ortos
Irruere ad fluvium cernit, ſic increpat ore:
Viperææ gentis ſoboles, quis debita vobis
Supplicia, urgentéſque iras evadere monſtrat?
Sed facite ô miſeri fructum (ſi pœnitet) aptum,
Nec generis veſtri tollat fiducia mentes.
Nam potis eſt durâ ſuperûm rex cauſe creare
Progeniem, quando ſoboles ſua degener errat.
Proxima roboreis jamjam radicibus inſtat
Cunctorum ante oculos acies ſublata ſecuris.
Cædentur ſylvæ ſteriles, ignémque fovebunt.
Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere inſtitui: veniet ſed fortior alter,
Cujus vincla pedum non ſum contingere dignus.
Abluet ille homines ſancto ſpiramine mergens,
Flammarúmque globis purgabit noxia corda.
Illius & manibus ruralis pala tenetur,
Et propria ipſius purgabitur area frugum,
Horreáque implebit ſecreti copia farris,
Æternúſque leves paleas populabitur ignis.
Hæc ait: & properis per ſylvam paſſibus ipſum
Cernit Jordanis veneranda lavacra petentem.
Sed vetat increpitans vates, & talia fatur:
Túne meis manibus digneris mergier undis,
Cùm tua me meliùs poſſint mundare lavacra?
Dixit Joannes: cui talia reddit Ieſus:
Nunc ſine, nam decet hoc: ſic ſancta per omnia nobis
Juſtitiæ conſectandus complebitur ordo.
Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas,
Surgenti manifeſta Dei præſentia claret.
Scinditur auricolor cæli ſeptemplicis æthra,
Corporéamque gerens ſpeciem, deſcendit ab alto
Spiritus aëream ſimulans ex nube columbam.
Et ſancto flatu corpus perfudit Ieſu.
Tunc vox miſſa Dei longum per inane cucurrit,
Ablutúmque undis Chriſtum, flatúque perunctum
Alloquitur: te nate hodie per gaudia teſtor
Ex me progenitum; placet hæc mihi gloria prolis.
Matthæi & Lucæ 4. *Marci* 1.
Tum petit umbroſos montes, & luſtra ferarum,
Obſequiúmque illi patris præbere miniſtri
Certabant. rabidi mox livor dæmonis ater
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Chriſtum verſutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine ſoles,
Ex quo nulla cibi potûſque alimenta dabantur,
Sed contexta ſimul firmi jejunia cordis,
Terrarum ad regnum mentis ſecreta tenebant.
Tunc epulas demum monuit conquirere: corpus
Horrendi interea ſceleris ſallacia tentans,
Si te pro certo genuit Deus, omnibus, inquit,
His poteris ſaxis forti ſermone jubere
Viſum triticei, formámque capeſſere panis.
Chriſtus ad hæc fatur: Nil me jam talia terrent.
Nam memini ſcriptum: quoniam non ſola tenebit
Vitam credentis facilis ſubſtantia panis,
Sed ſermone Dei complet pia pectora virtus.
Rurſus at ille dolos verſutis artibus aptans
Nectere tentator properat: nam mœnibus urbis
Mox inferre pedem ſuaſit, & livida Chriſtum
Culmine marmorei ſuaſit conſiſtere templi.
Tunc ſic aggreditur vocis fallente veneno:
Si Deus eſt verè genitor tibi, culmine templi
Aëra per vacuum ſaltu jaculabere corpus.
Teſtis erit ſcriptura tibi, quæ ſpondet apertè
Mandatum ſummi genitoris tale miniſtris,
Ut lapſum ſtudeant caſu defendere corpus,
Et famulis manibus curent tua membra levare,
Ne lapidis lædat ſummas offenſio plantas.
Reddidit his Chriſtus dictis contraria dicta:
Me meminiſſe magis ſcripti cæleſtis oportet,
Ne vires Domini fidens audacia tentet.
Rurſus in abrupti montis conſiſtere celſis
Mox furibunda jugis ſuaſit fallacia Chriſtum.
Oſtendens olli fulgentia regna per orbem,
Cernis, ait, quæ ſit tantarum gloria rerum?
Cuncta tibi poſſum jamjam concedere regna,
Talia donantem ſi me veneratus adores.
Tum ſic inſtantem dictis rejecit Ieſus.
Effuge peſtiferi rabies veſana veneni,
Hæreat ut ſemper nobis immobile juſſum,
Ut juſtus cæli Dominum devotus adoret,
Unius & famulans veneretur nomen in ævum.
Talibus excuſſus fugit per devia dæmon.
Indè ubi Joannem cognovit carceris umbris
Submerſum, triſti compreſſit corda dolore,
Finibus & ſtatuit Zabulonum ponere ſedes,
Ut dictum Iſaiæ concurreret ordine ſecli:
Terra Zabulon, & regio cui Nephthala nomen,
Et via trans pelagus longè Galilæáque rura,
Trans & Jordanem gentes, populíque tenebris
Incluſi magnum lumen ſubitúmque videbunt.
In mortíſque illis umbrâ reſidentibus, alma
Exoritur fidei reſplendens luce voluntas.
Ergo inſtare Dei regnantis munera Chriſtus
Nunciat, increpitans præconia larga ſalutis.
Præteriénſque videt geminos per littora fratres,
Præſolidum Simonem, dignum cognomine Petri,
Andreámque ſimul, ſinuoſa volumina lini
Piſcibus inſidias diſponere marmoris undis:
Nunc, inquit, piſces capitis maris æſtibus altis,
Sed me ſi libeat ſectari, fortia vobis
Provenient hominum præpulchrâ indagine lucra.
Illi confeſtim firmato pectore certi
Retibus abjectis pariter præcepta ſequuntur.
Pòſt fratres Jacobum Joannémque marinis
Inſidias gregibus maculoſo innectere textu
Ut vidit, ſimilémque dedit de littore vocem;
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt,
Illico ſectantes pulcherrima juſſa ſalutis.
Matth. 4. *Marc.* 3. *Joannis* 6.
Exin per terram Galilææ ſancta ferebat
(Inſinuans populis) regni præconia Chriſtus.
Donabátque citam invalidis ægríſque medelam.
Et mox crebra procul Syriam jam fama tenebat,
Mille ſonans linguis præſentia munera Chriſti.
Denique certatim languoris tabe peresos
Diverſíſque malis nexos, quis longa dolore
Abſumpſit populans membrorum robora tabes,
Monſtrabant Chriſto: facili ſed munere cunctos
Reddebat properè miranda ad gaudia ſanos.
Jámque animæ ipſius morbi lævíque furores,
Et lunæ curſum comitata inſania mentis
Diſceſſere gravi ſermonis pondere juſſa:
Illum ſtipantes miracula magna moventem
Mixtæ ſectantur turbæ, Solymíque Syríque
Et Judæa frequens populis, Galilæáque plebes,
Et quos Jordanis dirimit ſtagnante fluento.

Matth.

Matth. 5. Luc. 6.

Hos populos cernens, præcelsâ in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit:
Felices humiles pauper quos spiritus ambit;
Illos nam cæli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat,
Quorum debetur juri pulcherrima tellus.
Hic modò lugentes, solatia digna sequentur;
Pabula justitiæ qui nunc potúsque requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ.
Felix qui miseri doluit de pectore sortem,
Illum nam domini miseratio larga manebit.
Felices, puro cælum qui corde tuentur,
Visibilis deus iis per secula cuncta manebit:
Pacificos deus in numerum sibi prolis adoptat.
Felices nimiùm, quos insectatio frendens
Propter justitiam premit, iis mox regia cæli
Pandetur: Gaudete operum quos justa tenentes
Urgebit præceps stimulis injuria sævis,
Plurima nam merces vobis servatur in æthrâ,
Namque Prophetarum fuit insectatio talis.
Discite vos hâc in terrâ salis esse saporem.
Hic sapor amissâ si jam virtute senescit,
Quæ talis ablumptos acuet substantia gustus?
Nec quisquam fatui post hæc supereſt salis usus,
Ni longè abjecti cuncta ut vestigia calcent.
Vos estis mundi clarum (ne abscondite) lumen.
Nam quis præcelsis impostam rupibus urbem
Occultare queat? vestrum sed lumen ad omnes
Perveniat, verúmque decus sub luce serenâ
Ponatur; cunctis genitoris gloria vestri
Laudetur, celsi thronus est cui regia cæli.
Non ego nunc priscas leges dissolvere veni,
Vertere nec veteres ponunt quæ jussa Prophetæ.
Omnia nam vobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec cæli terræque marisque,
Interitus veniat, legis ne littera saltem
Aut apicis parvi gracilis distinctio deerit,
Omnia quin fiant digesta ex ordine secli.
Si quis enim minimam mandati solvere partem
Ausus erit, paritérque homines suadendo docebit,
Hic minimi nomen cælesti in sede tenebit.
At quicunque operis proprii moderamina servans,
Inviolata simul tradet præcepta piorum:
Magnus erit, magnsque feret trans sidera nomen.
Audistis veteris jussum moderamine legis,
Humano si quis maculârit sanguine palmas,
Ille reus ferro persolvet vindice pœnas.
Ast ego præcipiam, ne quis consurgere in iras
Audeat, atque odio fratris fervente moveri.
Nam reus hic æquo pœnas sub judice pendet.
Nec minor illorum convitia flamma sequetur,
Qui fatui miserive cient sub nomine fratrem.
Sin offerre voles, venerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tanget,
Quòd tibi sit cum fratre domi susceptа simultas,
Munera cuncta adytis illis admota relinque,
Et priùs ad pacem properans transcurre petendam.
Fraterno demum jam conciliatus amori,
Offer grata Deo tranquillo pectore dona.

Luc. 12.

Est tibi præterea virtus contraria semper,
Corporis hæc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita vitæ:
Accusabit enim polluti corporis usus,
Et te sublimi statuet sub judice vinctum.
Damnatum rapient ad vincula sæva ministri,
Nec priùs è tenebris solveris carceris atri,
Ultima quàm minimi reddatur portio nummi.
Haud ignota, reor, vobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens: sed nunc mea jussa
Occulta internæ frænent molimina mentis:
Nec minùs optati quàm facti pœna luenda est.

Matth. 5.

Si te fortè oculi dextri laqueaverit error:
Auctorem miseræ properans convellito labis,
Et jaculare procul: nam membrum perdere præstat
Exiguum, flammis quàm totum dedere corpus,
Perpetussque animam pariter convolvere pœnis.
Et si dextra manus mentem per devia ducit,
Erroris causam præstat decidere ferro,
Quàm totum æternis corpus concedere flammis.
Præcipiunt veteres, si quis connubia rumpit,
Scribere dissidium juris feralia verba:
Sola viri rectè discedet adultera tectis.
Ast aliæ maneant: nam casti jura pudoris
Auctore amittet mulier delerta marito.
Antiquæ leges prohibent perjuria linguis,
Sed nostris cedat jurandi audacia jussis.
Nec fas est homini cælum jurare per altum,
Quòd sedes Domini, nec quæ vestigia gestat
Terra Dei, Solymæve urbis venerabile nomen,
Quòd regis magni patria est, jurabitur unquam.
Nec caput in proprium cuiquam jurare licebit,
Namque potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, albúmve, aut nigrum mutare colorem.
Est est, sufficiat; quod non est, dicite non est.
Quod superest istis, totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.
Pervulgata diu legis præcepta teneris,
Lædentem semper similis vindicta sequatur.
Sed tranquilla malum melius patientia vincet.
Ac si quis partem palmâ percusserit oris,
Mox aliam vultûs partem præbere memento.
Auferat aut tunicam si quis vi judicis instans,
Cede libens, paritérque ferat tua pallia secum.
Si te fortè aliquis passus per mille jubebit
Ire viam, gravis atque oneris perferre laborem,
Mox perges, aliúdque viæ comitabere duplum.
Si quis egens poscet, vel se simulabit egentem,
Ex animo miserans largire: aut mutua si quis
Orabit, tribue, & mitem ne subtrahe vultum:
Nec tibi sit placitum solis succurrere amicis,
Aut cæcis odiis inimicos ducere dignos.
Quin ego præcipiam semper blando esse per omnes
Obsequio, precibúsque Deum mollire benignis
Pro vitâ ipsorum, qui vos excindere gaudent,
Adversisque truces animis, odisque sequuntur.
Nam genitor vester communia lumina solis,
Communésque dedit pluvias, justisque malisque.
Quòd si conjunctos tantùm veneramur amicos,
Quis locus hìc justæ poterit mercedis haberi?
Servit amicitiæ tantùm gens dedita lucris.
Sed vos perfecto similes estote parenti.

Matth. 6.

Sic ubi justitiæ pandetur justa facultas,
Devitate oculos hominum: nam nulla manebit
Merces in cælo, quæ factum tale sequatur.
Applaudet tantùm sterilis jactatio vulgi.
Sed quod dextra facit, facias nescire sinistram:
Cùm veniet, justis meritis tunc digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.
Sunt quos prætumidæ tollit jactatio mentis,
Et precibus propriis gaudent assistere turbas,
Multisluisque diem verbis ducendo fatigant:
His votis pompæ fructus succedit inanis.
Sed secreta domûs precibus penetralia castis
Claudantur, paucisque Deum venerabere verbis.
Scit pater ipse, tui quæ sit trepidatio cordis.
Nil absente Deo loquimur, nil abdita clausum
Pectoris antra tegunt: præsens Deus omnia cernit;
His igitur votum placeat concludere verbis,
Sydereo Genitor residens in vertice cæli,
Nominis oramus veneratio sanctificetur
In nobis, Pater alte, tui: tranquilláque mundo
Adveniat, regnisque tui lux ampla patescat.
Sic cælo ut terris fiat tua clara voluntas.
Vitalisque hodie sancti substantia panis
Proveniat nobis: tua mox largitio solvat
Innumera indulgens erroris debita pravi:
Et nos haud aliter concedere fœnora nostris.
Tetri sæva procul tentatio dæmonis absit,
Eque malis tua nos in lucem dextera tollat.
Tunc etenim Genitor populis delicta remittet,
Si vestra alterni vobis peccata velitis
Cedere, nec durum erratis intendere pectus.
Sunt etiam pergrata Deo jejunia plebis;
Sed propriam multi faciem fœdare laborant,
Quo vanam capiant hominum jejunia famam.
Tu verò & grato crinem nitefactus olivo,
Lætantem puris de fontibus abluc vultum:
Ut solus genitor devoti pectoris aptum
Servitium cernens, laudem, meritúmque rependat.
Vanum est defossis terrâ invigilare talentis:
Illic ærugo & tineæ dominantur edaces,
Cunctáque diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros vobis in vertice cæli:
Non ærugo illos tineæve aut horrida furum

Factio dirſpiet: vobis ubi condita res eſt,
Illic corda etiam ſimili ditione tenentur.
Corporis eſt lumen, quo publica lumina cernis:
Sed ſi pura acies oculis ſimplexque nitebit,
Clarè totius ſplendebunt corporis artus.
Sin verò nequam fuerit parvúmque videbit,
Obſcuræ incumbent ſuper omnia membra tenebræ:
In nigras lumen ſed ſi convertitur umbras,
Ipſis horror erit quantus ſinè luce tenebris?
Nemo poteſt dominis æquè ſervire duobus.
Unius aut odiis cedet, vel cedet amori.
Nec pariter dominum ſervus patietur utrumque.
Haud unquam poterit quis divitiisque Deóque
Inſervire ſimul: ſed vos hæc juſſa tenete,
Sollicitet proprio ne vos pro corpore vellis,
Non faciles victus ægrâ diſquirite curâ.
Nónne animam pluris facimus quàm corporis eſcas?
Aut dubitat corpus quiſquam præponere velli?
Aëreas ſpectemus aves, non vomere preſſo
Terga ſoli ſubigunt, jaciunt nec ſemina farris,
Aut ſegetum culmos incurvâ falce recidunt:
Provenit & tamen his ſatias potûſque cibique.
Nónne Deo magis eſt hominum curatio cordi?
Nec dignum fuerat, vellis ſuſpendere curam
Pectoribus noſtris: num ſicubi talia poſſunt
Incrementa ſuis homines imponere membris?
Cernite per pingues agros ut lilia florent,
Non ulli tamen his unquam incubuere ligones.
Nec Solomona gravem, quum regni divitis aula
Afflueret, talis contexit gratia vellis.
Quòd ſi pratorum fruticúmque virentia læta
Ipſe Deus veſtit noſtris obnoxia flammis:
Cur vobis potior non eſt fiducia patris?
Ergo cibum, potum, veſtémque & inania cuncta,
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potiùs dignè cælestia quærite regna,
Juſtitiámque Dei: ſpontanea cætera current.
Craſtina nec vobis curetur copia rerum:
Quiſque dies ſibimet ſatis eſt pro fraude diurnâ.
Matth. 7. *Luc.* 6.
Judicium veſtrum fugiat damnatio ſæva.
Nam dominus veſtri juris documenta ſequetur.
Quæ vos in terris ſtatuetis, tempore capti,
Hæc eadem vobis genitor ſervabit in æthrâ.
Menſuram tibi quam ponis, portare neceſſe eſt.
Cernis adhærentem feſtucam in lumine fratris,
Nec tamen in proprio tignum conſiſtere ſentis,
Atque oculum priùs alterius purgare laboras?
Diripe ſed proprio fallax de lumine tignum,
Tum minimam alterius curabis demere ariſtam.
Ne canibus ſanctum dederitis: néve velitis
Turpiter immundis jactare monilia porcis,
Namque illa in cœno pedibus ſubjecta jacebunt:
Converſique canes vaſto vos vulnere rumpent.
Poſcenti dabitur, quærens inventa tenebit:
Pulſanſque aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poſcentibus omnes
Num lapidem dabitis? piſcémve petentibus, anguem?
Vos inquam rigidi, quibus altè eſt inſita cordi
Durities, veſtris dabitis ſemper bona natis:
Indulgens hominum genitor bona mitia dignè,
Quàm præſtare magis gaudet poſcentibus æquis?
Quæ cupitis vobis hominum benefacta venire,
Hæc eadem veſtro cunctis præſtate favore:
Hæc legis ſumma eſt, hoc jus dixere prophetæ.
Ite per angustam, juſti, ſuper æthera portam.
Quàm lata & ſpatioſa via eſt, quæ limite lævo
Præruptum convolvit iter caligine mortis!
Innumeræque illam penetrant per prona caterva.
Vitalis vallis ſtipatur ſemita ſaxis,
Celſáque vix paucos ducit per ſcrupea virtus.
At ſi quos nimiùm fallax, illéxque malorum
Planicies ſuaſit, deformi lubrica lapſu
Arripit hos, pronóſque trahit velut impetus amnis,
Aut alacer ſonipes ruptis effrenus habenis,
Aut rectoris egens ventoſa per æquora puppis.
Obſervate illos, falſo qui nomine vobis
Inſidias faciunt, appellantúrque prophetæ:
Hos ovium ſpecies veſtit, ſed ſæva luporum
Pectora fraude tegunt, lacerántque incauta trahentes
Agmina credentum, ſævus quos decipit error.
Fructibus è propriis noſcuntur talia monſtra:
Quémque petat finem fallax doctrina, videndum eſt.
Quapropter rerum molitio perſpiciatur.
Nam neque de tribulis ficus, nec ſentibus uvas
Provenille unquam ruris per terga notâſtis.
Utque arbor proprio veſtitur germine pomi,
Sic dolus illorum fructu monſtrante pateſcit.
Non ego palpantum verbis & honore movebor,
Nec me quòd dominum præblanda adulatio dicit,
Præmia cæleſtis capiet ſpontanea ſedis:
Illi ſed meritò gaudebunt munere regni,
Qui faciunt noſtri genitoris juſſa volentes.
Adveniet mox ſumma dies, quæ jure ſevero
Præmia juſtitiæ tribuet, ſcelerſque gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus:
Nónne tuo quondam nobis ſub nomine virtus
Extitit, & noſtris parebant omnia juſſis?
Sæpe etiam noſtra eſt vox annumerata prophetis,
Serviſtque tuo nobis ſub nomine dæmon?
Tunc jurabo illis, quòd talis cognita nunquam
Vita mihi eſt hominum, geſtis quæ ſordet iniquis.
Quiſque meis monitis aurésque & facta dicabit,
Hunc æquabo viro, ſolidis fundamina ſaxis
Ponenti, librata ſuper quæ mœnia ſurgent:
Illa domus pluviis ventiſque illæſa manebit,
Torrentúmque minas firmato robore vincet:
Hærent immotæ quoniam fundamine petræ.
Qui verò auditu tantùm mea juſſa tenebit,
Diverſique procul factis per lubrica perget,
Huoc ſimilem faciam volucri qui fulcit arenâ
Fundamenta domûs, cui mox ut flamina venti,
Et pluvia effuſis cœpere incumbere rivis,
Omnis ſubverſo procumbit pondere moles,
Inſequitúrque gravi tectorum ſtrage ruina.
Talia dicentem magna admiratio plebis
Immensùm ſtupuit, quoniam tranſcenderet altè
Doctrinam veterum Chriſto conceſſa poteſtas.
Matth. 8. *Marc.* 1. *Lucæ* 5.
Denique linquentem celſi faſtigia montis
Stipabat gaudens populorum turba ſequentum.
Ecce ſed horrendâ confixus viſcera tabe,
(Quem toto obſeſſum fœdârat corpore lepra)
Procubuit venerans juvenis, Chriſtúmque precatur,
Ut careat tandem languoris pondere tanti.
Sufficiat voluiſſe tuum: tum dextera Chriſti
Attactu ſolo purgavit lurida membra,
Incolumſque dehinc celare hæc gaudia juſſit,
Et legi parens offerri munera templo.
Indè recedenti ſupplex ſe protinus offert
Centurio, & precibus projectus talibus orat:
Impubis pueri cruciatur ſpiritus æger:
Cujus cuncta tepens membrorum munia languor
Diſſolvit, vitámque tenet jam pœna ſuperſtes.
Sed juſſu miſerere precor: nam tecta ſubire
Crimina noſtra vetant vitæ luceſque parentem.
Nunc verbo ſatis eſt jubeas remeare ſalutem.
Subjectos mihi ſæpe viros ſic noſtra poteſtas
Officiis verbo juſſis parere coëgit.
Dixerat. Ille viri motus precibúſque fidéque,
Talia converſus populo dat dicta ſequenti:
Haud unquam talem memini me gentis avitæ
Inveniſſe fidem: ſed veris diſcite dictis,
Quòd multos homines diverſis partibus orbis
Progenitos cœli regnum ſublime vocabit
Cum patribus noſtris vitali accumbere menſæ:
Progenies quorum cæcis demerſa tenebris,
Dentibus horrendùm ſtridens, fletúmque frequentans,
Perpetuis pœnam cruciatibus acta ſubibit.
At tibi jam juvenis mentis virtute fidelis,
(Ut credis) veniet fructus cum luce ſalutis.
Dixerat, & dicto citiùs cum voce loquentis
Ad puerum celeris tranſcurrunt munera verbi,
Ingreſſúſque domum miles properante recurſu,
Prævenille Dei lætatur dona medentis.
Ædes indè Petri ſanctus penetrabat Ieſus,
Cujus anhela ſocrus æſtu, febríque jacebat:
Utque illi dextram tetigit ſalvator Ieſus,
Sana miniſterium præbebat fœmina menſis.

LIBER SECUNDUS.

Matth. 8. *Luc.* 9.

JAmque dies prono decedens lumine pontum
Contigerat, furvámque ſuper nox æmula pallam
Sydereis pictam flammis per inane trahebat,

Cùm

Cùm multos homines, mentis languore ruentes,
Deviétásque animas ſceleratâ dæmonis arte
Certatim populi cæcâ jam nocte ferebant:
Sed verbum Chriſti tanto languore remoto,
Omnibus indulgens, præbebat munera patris.
Ecce ſed exortâ major cum luce tumultus
Gratántis populi, cùm turbis anxius ille
In mare velivolum cellam deducere juſſit
Diſcipulis puppim: precibus tum ſcriba profuſis
Navigio ſancti pariter poſcebat abire.
Olli Chriſtus ait, quò me tu Scriba ſequeris?
Vulpibus in ſaltu rupes exciſa latebram
Præbet, & aëreis avibus dat ſylva quietem,
Aſt hominis nato nullis ſuccedere tectis
Eſt licitum; genus hic ſunt molimina veſtra.
Tunc è diſcipulis unus hic ore rogabat:
Ultima defuncto debentur munera patri,
Hinc ſpatium tribuat nobis tua ſancta voluntas,
Ut liceat miſeri genitoris condere corpus.
Chriſtus ad hæc: itiner melius comitabere noſtrum,
Et ſine defunctis defunctos condere terrâ.
Conſcendunt navem, ventóque inflata tumeſcunt
Vela ſuo, fluctúque volat ſtridente carina.
Poſtquam altum tenuit puppis, conſurgere in iras
Pontus, & immiſſis hinc indè tumeſcere ventis
Cœpit, & ad cælum rapidos ſuſtollere montes,
Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine proram:
Illiſóſque ſupèr laterum tabulata receptant
Fluctus, diſſectóque aperitur terra profundo.
Interea in puppi ſomnum carpebat Jeſus.
Illum diſcipuli pariter nautæque paventes
Evigilare rogant, pontíque pericula monſtrant.
Ille dehinc: quàm nulla ſubeſt fiducia vobis!
Infidos animos timor irruit: indè procellis
Imperat, & placidam ſternit ſuper æquora pacem.
Illi inter ſeſe timidis miracula miſcent
Colloquiis: quæ tanta illi permiſſa poteſtas,
Quódve ſit imperium, cui ſic freta concita ventis
Erectæque nimis ſubmittant colla procellæ.
Jam Geraſenorum ſteterat ſub littore puppis:
Ecce ſed egreſſo juvenis (mirabile dictu)
Occurrit, miſeram cui mentem ſpiritus ater
Horrendâ implebat lacerans virtute furoris.
Illi grata domus tetris habitare ſepulchris,
Nec poterat rabidum quiſquam retinere furorem,
Ferrea quin etiam rumpebat vincula membris,
Scindebárque graves, ut lanea fila, catenas.
Et jam compedibus levis inſultare ſolutis
Ludus erat, ſaxíſque ferum concidere pectus.
Iſque ubi pergentem Chriſtum per littora vidit,
Cum clamore ruit, longéque accurrit adorant,
Regnantis ſemper Domini certiſſima proles,
Oramus, ſolitæ ne nos regionis ab oris
Excutias longè tormentis excruciatos.
Nam nomen legio eſt nobis, multóſque ſub uno
Nomine conſociat ſtatus vis ſola nocendi:
Cernis ut immundi ſubigant hæc paſcua porci:
His ſaltem liceat rabiem ſatiare repulſam,
Per patris altithroni nomen ſublime rogamus.
Imperat iis hominis mentem dimittere Chriſtus,
Porcorúmque ſinit gregibus finire furores.
Jámque hominis ſtupidum diſcuſſo dæmone pectus
Iuſperata ſuæ veneratur dona ſalutis:
Et jam præcipites ſcopulorum margine porci
In mare dejecti, properant diſperdere vitas.
At verò è ſpeculis miracula tanta paventes
Diffugiunt, urbíſque ruunt ad tecta ſubulci,
Et famam accendunt, populóſque ad littora cogunt.
Inſanum juvenem poſtquàm reſipiſſe videbant,
Credere cernentum populorum turba coacta eſt:
Orabant pavidi regionem linqueret illam.

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. Joannis 5.

Indè domum repedat terrarum lumen Jeſus.
Ecce revertenti juvenis torpentia membra
(Officium quorum morbus diſſolverat acer)
Ante pedes ponunt tepido recubantis lecto.
Quem miſerans animo verbis compellat Jeſus:
Adſit certa tuæ juvenis conſtantia menti,
Nam tibi præteritus vitæ donabitur error.
Hoc dictum Scribæ mentis per operta maligno
Carpebant, quòd verba Dei virtute ferenda
Protulerat Chriſtus: ſed pectora talia cernens,
Hoc, inquit, verbum Scribarum dicta retractant.
Quod quanto levius fuerit dixiſſe, ſequentis
Et dicti & facti pariter virtute probabo,
Ut mihi conceſſum peccata remittere cernant:
Quapropter, juvenis, firmato corporis uſu
Surge vigens, ſtratúmque tuum ſub tecta referto.
Surrexit, lectúmque humeris jam fortibus aptat,
Per mediúmque vigens populi mirantis abibat.
Tunc timor & laudes domini per pectora plebis
Concelebrata, ſimul miracula læta frequentant.
Progrediens tunc indè ad vectigalia, vidit
Conſeſſu in medio Matthæum, protinus ergo
Diſcipulis hærere jubet: nil ille recuſans
Imperio Chriſti paret, gaudétque ſequutus.

Joannis 1.

Indè iter ingrediens, ſimili ſermone Philippum
Hortatur, comitémque ſuis aſcivit amicis.
Ille ubi cognovit Chriſti virétſque viámque,
Tum primùm juſto concurrit Nathan ëli,
En noſtris, inquit, conceſſum eſt viſere ſectis,
Quem voces veterum, & ſancti cecinere prophetæ.
Hunc genuit veniens Davidis origine Joſeph,
Nazara cui felix patria eſt, & nomen Jeſus.
Ille refert, genuit quicquam ſi Nazara (miror)
Quod dignum tantis unquam virtutibus eſſet.
Indè Philippus ait: cernes, dubitare quieſce,
Progrediénſque vide: ham oculis ſpectare licebit.
Illum ubi tendentem longè reſpexit Jeſus,
Verè, ait, hic juſtus, cui pectora neſcia falſi
Virtutem puram ſervant ſinè fraude maligná.
Ille ſub hæc: Ubinam, vel quo me tempore nôſti?
Cui dominus dicta hæc divino pectore promit:
Cùm te diffuſæ tegerent umbracula ficûs,
Antè etiam quàm te vocitarent verba Philippi,
Vidit, & elegit comitem te ſpiritus auctor.
Talibus attoniti ſequitur vox Nathanaëlis:
Progenies veneranda Dei, rex inclyte gentis,
Tu populis terræque ſalus, vitæque magiſter.
Chriſtus ad hæc: Facilis ſuaſit tibi credere virtus
Arboreâ quòd te vidi recubare ſub umbrâ,
Sed majora dehinc rerum miracula reſtant,
Cernetis pariter totum ſe ſciſſdere cælum,
Atque Dei celeres æthram penetrare miniſtros,
Indè hominis nato claram deterre coronam.

Joannis 2.

Interea thalamis connubia feſta parabant
In regione Chanan, ubi mitis mater Jeſu
Cum nato pariter convivia concelebrabat.
Vina ſed interea convivis deficiebant.
Tunc mater Chriſtum per talia dicta precatur:
Cernis lætitiæ jam defeciſſe liquorem?
Adſint nate bonis ex te data munera menſis.
Olli reſpondet terrarum gloria Chriſtus:
Feſtinas genitrix, nondum me talia cogit
Ad victus hominum tempus concedere dona.
Menſarum tunc indè vocat lætata miniſtros
Mater, & imperiis nati parere jubebat.
Sex illìc fuerant ſaxis præpulchra cavatis
Vaſcula, quæ ternis aperirent ilia metris;
Hæc jubet è ſortis gremio complere miniſtros.
Præceptis parent juvenes, undáſque coronant
Completis lapidum labiis, tum ſpuma per oras
Commixtas undis auras ad ſumma volutat.
Hinc jubet ut ſummo tradant guſtanda miniſtro.
Ille ubi præcepit venerandi dona ſaporis,
(Neſcius in vini gratum tranſiſſe liquorem
Egeſtas nuper puris de fontibus undas)
Increpat ignarum ſponſum, quòd pulchra reſervans,
Deteriora prius per menſas vina dediſſet.
His ſignis dignè credentum diſcipulorum
Perpetuam ſtabili firmavit robore mentem.
Indè ubi Judæis aderant ſolemnia paſchæ,
Ad Solymos direxit iter, templúmque ſubibat.
Repperit hìc populum venalia multa locantem:
Pars vendebat oves, pars corpora magna juvencûm,
Pars inhians nummis, menſas oneraverat ære.
Neſtibus hic Chriſtus connectit verbera flagri,
Et tales populos ſanctâ proturbat ab æde,
Et mentas vertens, ærſique profudit acervos,
Et ſuperincrepitans: procul hæc auferte prophani,
Ut meus hìc genitor, non ſordida lucra colantur.

Joann. 2 Matth. 16. Marc. 8.

Tunc poſcens ſignum plebes Judæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta levaret;
Ventura obſcuris tunc Chriſtus talia miſcet.
Solvite pollutis manibus venerabile templum

Hoc,

Hoc, ego reſtituam, cùm tertia lumina ſolis
Incipient rutilam terris infundere lucem.
Illi inter ſeſe tractantes murmure cæco,
Hoc, aiunt, vix ſex & quadraginta per annos
Conſtructum veteris regni molimine templum,
Tu poteris tribus in ſpatiis renovare dierum?
Hoc verbum quondam poſt tempora debita digni
Cognovere viri, proprio de corpore Chriſtum
Delubrum dixiſſe Dei, ſed ſigna videntes,
Tùm multi cepere fidem, ſanctúmque ſecuti.

Joannis 3.

Nocte ſub obſcurâ, celſo ſublatus honore,
Primorum procerum Judæi nominis unus
Venit, & ad Chriſtum ſubmiſsâ voce profatur:
Haud dubium eſt, quin larga Dei te ſancta voluntas
Humanis lucem conceſſit ſurgere rebus.
Nec quiſquam tantis tribuit miracula ſignis,
Ni comitata Dei jubeat ſplendeſcere virtus.
Chriſtus ad hæc, callis juſti ſi culmina quæris,
Nullus ad excelſum poterit conſcendere regnum,
Reddita ni penetret naſcendi exordia rurſus,
Atque novam capiat divino munere vitam.
Ille autem tantis ſtupefactus corda loquelis,
Hoc, inquit, noſtræ non eſt comprendere mentis.
Quis poterit cœptæ revocare exordia vitæ?
An rurſum ſenior matris correptet in alvum,
Ut novus in lucem veniat vitámque reſumat?
Ille ſub hæc; liquido ſi quis de fonte renatus,
Et flatu ſancto rudibus conſiſtere membris
Cœperit, æthéream liber conſcendet in aulam.
Terrenum corpus terreno corpore natum eſt.
Spiritus haud aliter ſimilem generat tibi flatum.
Spiritus hic Deus eſt, cui parent omnia mundi.
Hic, ubi vult, quocumque volat, vocémque per auras
Jactat, ſed neſcis quæ ſint exordia vocis,
Quámque petant ejus currentia flamina partem.
Quiſque igitur juſtæ repetit primordia vitæ,
Hunc ſimilem ſancti flatu reviviſcere certum eſt.
Et Judæus ad hæc: nil horum cernere poſſum.
Talia cùm Chriſtus, Solymorum magne magiſter,
Iſraëlitarum ſublimis gloria gentis,
Túne etiam mentem vitæ de lumine raptam
Demergis præceps ſurvis miſerande tenebris,
Nec potes obtuſo comprendere talia ſenſu?
Ecce fides nulla eſt, tantùm terreſtria dixi:
Quid ſi cæleſtis vires conſcendere ſermo
Cœperit, & ſuperas rerum comprendere formas?
Quis veſtrûm duram poterit mihi pandere mentem?
Accipe ergo novis quæ ſit ſententia rebus:
Sydercum nullus poterit conſcendere cælum,
Ni ſolus cæli qui miſſus venit ab aulâ.
Idem hominis natus, cæli qui in ſede moratur.
Ut ſerpens olim regionibus in deſertis
Moſeis manibus ſummo ſublatus honore eſt:
Sic hominis natum tolli in ſublime neceſſe eſt,
Ut quicunque fidem mentis penetralibus altis
Illius ad numen ſtatuet, ſub turbine ſecli
Proculcet pedibus lethum, & trans ſydera ſurgens
Sublimis capiat donum inviolabile vitæ.
Namque Deus mundum tanto dilexit amore,
Ejus ut in terras deſcenderet unica proles,
Credentes domino vitæ junctura perenni.
Nec Deus hunc natum diſquirere jure ſevero,
Judicióve truci terras expendere miſit,
Mitia ſed populis veniant ut munera vitæ.
Namque ubi certa fides fuerit complexa ſalutem,
Non erit ulla illic anceps agitatio juris.
At ubi dona procul fuerint excluſa medelæ,
Jam propria ipſorum mentem damnatio torquet,
Unica nam domini fuit iis non cognita proles.
Adventum lucis miſeri fugere ſupernæ,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras.
Sic quicunque malis mentem maculaverit actis,
Ad tenebras pavidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis.
At quicunque piæ tenuit veſtigia vitæ,
Ad medium properat, lucémque niteſcere gaudet,
Splendeat ut claris virtutis gloria factis.

Joannis 4.

Indè Galilæam repetit ſalvator Jeſus:
Præteriens ſed fortè venit Samaritida Sichem.
Illic fundus erat, Jacob de nomine pollens,
Et puteus gelido demerſus in abdita fonte:
Sederat hìc rapido Servator anhelus in æſtu,
Diſcipulíque eſcas mercantes mœnibus urbis,
Paſſim diſperſi, ſolum liquere magiſtrum.
Mœnibus egrediens Samaritis fœmina venit
Hauritura cavis putei penetralibus undas.
Illam depoſcit potum ſibi tradere Chriſtus.
Reſpondens mulier, mirum mihi præcipis, inquit,
Ut tibi Judæo mulier Samaritica potum
(Diſpernens veterum Samaritûm juſſa) miniſtrem.
Tunc Salvator ait: Domini ſi munera nôſſes,
Et quis te litiens putealia pocula poſcat,
Tu potiùs peteres, vivam tibi traderet undam.
Illa ſub hæc, Puteus gremium ſinuatur in alvum,
Urceus eſt nullus, nec ſunt tibi vincula funis,
Unde igitur poteris undam mihi tradere vivam?
Num tu major eris noſtri virtute parentis?
Hoc Jacob etenim puteo cum prole bibebat,
Et proprios huc ſæpe greges ad pocula duxit.
Olli reſpondit mundi regnator Jeſus:
Ex iſtâ plenè nullus ſatiabitur undâ,
Nam rurſus ſitiet: ſed noſtri dona liquoris
Ardorem excludent æterna in ſecla bibendi.
Dulcia proveniunt noſtri cui pocula fontis,
Largior indè fluet vitalis gratia fluctûs.
Sed deſiderium noſtræ ſi te capit undæ,
Excitus veniat tecum mox urbe maritus.
Conjugio ſeſe mulier negat eſſe revinctam.
Tunc ſic proſequitur mentis proſpector Jeſus:
Fœmina, veridicis loqueris de conjuge verbis.
Nam tu connubiis nexa es jam quinque virorum,
Nunc aliena ſuper thalamorum vincula tollis.
Tum mulier: ſanctum te certum eſt eſſe prophetam.
Sed noſtri iſtius venerandum montis in arce
Præceptum nobis quondam liquere parentes.
At vos in Solymis orandum dicitis oris.
Talia dicenti, mox talia reddit Jeſus:
En aderit tempus, montis cùm vertice veſtri,
Omnibus & Solymis aberit veneratio longè.
Sed nunc certa ſalus Judæis ſurgit ab oris.
Et nùnc inſtantis curſus jam temporis urget,
Cùm veri ſanctum genitorem errore remoto
Cultores juſtis armati legibus orent.
Spiritus iis ac plena fides erit, & pater altus
Talia conquirit cultorum pectora terris.
Illa dehinc, Scimus quòd Chriſtus nuncius orbi
Adventu proprio vitalia ſecula pandet.
Et nunc peccatum largus miſerator Jeſus
Se lumen terris Chriſtum veniſſe fatetur.
Et jam diſcipuli reduces ſtupuere magiſtrum,
Quòd ſecreta illis poteretur fœmina verbis.
At properans uruam mulier fontem propè liquit,
Et populum totis eduxit mœnibus urbis.
Omnia nam memorat ſibimet ſermone prophetæ,
Geſſerat ipſa priùs quæcunque, ex ordine dicta.
Tum properè Chriſtum ſuæ petiere catervæ.
Diſcipuli interea rogitant, ut ſumeret eſcas.
Ille ſatis ſibi pulchrorum ſupereſſe ciborum
Reſpondit: ſed tum mirantum diſcipulorum
Inter ſe occultis currebat ſermo loquelis:
Fortè aliquis prior hic epulas dedit antè magiſtro,
Noſtras ut meritò ſatiatus reſpuat eſcas.
Ille ſed internæ cernens molimina mentis,
Hæ mihi ſunt epulæ, pectus ſatiabitur illud,
Si faciam magni genitoris juſſa per orbem.
Quatuor hinc menſes latæ ad primordia meſſis
Frugiferæ æſtati certè ſupereſſe putatis.
Erigite ergo oculos, albentes cernite campos,
Cunctáque maturam jam rura expoſcere meſſem.
Nunc quicunque metet, pulchri mercede laboris,
Vitalſque dehinc gaudebit fruge redundans,
Et ſator excipiet meſſorum gaudia lætus.
Vos ego nunc miſi gravidam ſuccidere meſſem,
Quæ non eſt veſtro ſalcis inſerta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquiis comitum dum pectora complet,
Ecce Samaritum populi venire rogantes,
Exorántque illic geminos expendere ſoles.
Jámque fides multos plebis fundaverat alta,
Nec jam fœmineis tantùm concredere verbis
Ipſos, ſed coràm virtus manifeſta docebat,
Veniſſet ſecli quòd jam ſalvator Jeſus.
Jámque Galilæam remeaverat in regionem,
Quondam ubi fontanas vino mutaverat undas.
Regius hìc juvenis (cui natum morbus anhelo
Ardore extremis vitæ torrebat in oris)

Com-

Comperit ut Chriſtum certo remeâſſe recurſu,
Advolat, & precibus ſobolis pro ſorte profuſis
Orabat, celeris depoſcens dona ſalutis,
Ne pius ad lethum natus traheretur acerbum
Chriſtus ad hæc, Signis niſi ſuadeat omnia virtus,
Non erit ulla fides, ſed perge, & ſoſpite vitâ
Ædibus in veſtris dulcem complectere natum.
His verbis fructum mox perceptura ſalutis
Pulchra fides, animum lætanti in pectore firmat.
Jámque iter ingreſſo properantibus obvia ſervis
Nuntia fama venit, puerôque in luminis oras
Limine de mortis ſubitam remeâſſe ſalutem.
Ille ubi cognovit certum concurrere tempus
Sanantis Chriſti verbis, ſeſéque domúmque
Mancipat, amplexus fidei venerabile donum.

Matthæi 9. *Marci* 2.

Fortè dies epulis multos ſatiaverat una,
Publica conductis qui vectigalia lucris
Profeſſi rapiunt alieno nomine prædam:
Hos cum diſcipulis ſimul accipiebat Ieſus.
Ecce Phariſæi occulto reprendere riſu,
Quòd legis doctor convivia talia iniret.
Ille ſed inſpiciens quid pectora ſæva tenerent,
Non, inquit, medicis opus eſt, ubi fortia membra
Intemerata ſalus vegetat, virétſque miniſtrat.
Ægris ſed meritò miſerans adhibenda medela eſt.
Diſcite nunc ſaltem jubeant quid verba Prophetæ:
Non ego ſacra magìs quàm mitia pectora quæro.
Haud etenim juſtos veni ad directa viantes,
Sed revocare malos peccantum à limite greſſus.
Ecce ſed è numero mirantum munera Chriſti
Unus Joannis quærebat diſcipulorum:
Cur ipſi legis jejunia crebra tenerent,
Nullâque ſub Chriſto plebes jejunia ferret?
Chriſtus ad hæc contrà placido ſic ore profatur:
Qui ſponſi lætis comitantur vota choreis
Non præſente illo jejunia triſtia portant:
Jámque dies aderit, cùm ſponſus turbine ſecli
E medio comitum rapietur, triſtibus illi
Túncque dabunt animos lacrymis, horrore ciborum
Languida concipient animis jejunia flentes.
Quàm ſtultum eſt rudibus veteres ſubtexere pannos,
Veſtibus ut turpis pejùs ſciſſura pateſcat?
Utribus aut calidum tritis committere muſtum,
Quis ruptis totum ſequitur diſperdere vinum?
Utribus eſt rectum rudibus ſpumantia multa
Condere, ſic vinum conſervant fortia vaſa.
Talia tractanti, perculſus pectora luctu,
Ecce ſacerdotum princeps procumbit adorans,
Et ſibi defunctam (funus miſerabile) natam
Deplorat lacrymans, certámque venire ſalutem
Defunctæ vitâ poſcebat munere Chriſti.
Haud mora conſurgens graditur ſalvator Ieſus.
Progreſſi mulier ſequitur veſtigia ſervans,
Quam languore gravi bis ſex labentibus annis
Carpebat fluxus (macerans ſinè fine) cruoris,
Torquebátque gravi morbus pallore virentem.
Viribus abſumptis, & toto corpore feſſa,
Pectoris hæc tacitam volvebat credula mentem,
Arcanâ ſecúmque fide jam certa tenebat,
Actutum ſeſſo fugeret quòd corpore tabes,
Extremam Chriſti poſſet ſi tangere veſtem.
Hæc ubi per populum ſummi pendentia pepli
Fila manu trepidâ tractavit, protinus ille
Et cauſas morbi, & credentia pectora cernens
Conceſſit celerem tali cum voce ſalutem:
Accipe quod meruit fidei conſtantia munus.
Et mox conſtricto viguerunt ſanguine venæ.
Poſtquam perventum eſt, ubi funera virginis ingens
Plangentis populi fremitus, clangórque tubarum
Ultima ſupremæ celebrabant funera pompæ:
Abſcedant, inquit, tectis hæc triſtia veſtris.
Namque puella jacet placido demerſa ſopore:
Defunctam retur flentum quam neſcia plebes.
Talia dicentem ridentum turba reliquit,
Quòd morte abreptam dixit dormire puellam:
Sed Chriſtus lethi victor, vitæque repertor,
Frigentis dextram dignatus prendere dextrâ,
Surgere mox juſſit miranda ad gaudia patris.
Indè revertenti clamor ſe protinus offert,
Lumine captorum greſſu labente duorum.
Illis Chriſtus ait: Quid credunt pectora veſtra?
Num virtute meâ ſe reddet lumen ademptum?
Illi firmato ſe credere corde fatentur.
Tunc Chriſtus fatur: credentes cernite lucem,
Nec cuiquam noſtrum poſt hæc edicite nomen.
Dixit: ſed properè per gaudia tanta videntum
Ardor inexpletus famam per cuncta ferebat.
Offertúrque dehinc juvenis cui rapta ſonoræ
Dæmonis incurſu fuerat ſubſtantia vocis.
Aſt ubi propulſus fugit de pectore dæmon,
Confeſtim ſanæ redierunt munera linguæ.
Talia mirantis populi ſtipante tumultu
Vallatur: cernens ſed millia tanta virorum,
Ingemit, ut ruris dominus, cui paſcua læta
Innumeræ tondent pecudes rectoris egentes.
Tunc ad diſcipulos depromit talia dicta:
En latè ſegetes ruris per terga pateſcunt:
Sed rarus meſſor frugis ſuperatur acervo.
Jam ſupereſt dominum ſegetis depoſcere tantæ,
Ut ſua rura velit numero complere colentum.

Matthæi 10. *Marci* 3. & 6. *Lucæ* 9.

Hæc fatus, populo ex omni delecta ſeorſum
Fortia conglomerat biſſeno pectora cœtu.
Hos ubi delegit, præceptis talibus implet:
Devitate itiner, quod gentes perfidioſæ,
Et Samaritarum fraudis veſtigia calcant:
Pergite, quà patrii pecoris cuſtodia balat.
Pergentes verò ſimilem mihi ſumite mentem,
Ut vobis ſubigat virtutem dæmonis atri
Sancta fides, curámque piam languoribus aptet.
Hæ vires nullâ vocis mercede dabuntur,
Et vos haud aliter cunctis impendite dona.
Non auri argentíve domet poſſeſſio mentem,
Nec vos nummorum ſubigat ſcelerata cupido.
Non geminas veſtes, nec plantis tegmina bina,
Virtuti nudæ cupiat ſervire miniſter.
Ingreſſi muros, vobis, perquirite ſemper,
Hoſpitio quorum par ſit ſuccedere juſtis:
Ingreſſíque dehinc pacem ſub tecta vocate.
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit.
Sin erit indignis habitantum moribus horrens,
Diffugiet, veſtrúmque abitum pax veſtra ſequetur.
Excludet quicunque ferox vos limine tecti,
Auribus aut duris ſpernet vitalia verba:
Sive adverſa Dei famulos ſuccedere tectis,
Hoſpitiſque focos miſcere gravata vetabit,
Excutite egreſſi domibus veſtigia veſtra,
Hæreat injuſtæ ne vobis portio vitæ.
Illos deterior Sodomorum pœna manebit
Supplíciis, veniet mundo cùm terminus ómni.
Pergitis en ut oves ſævorum præda luporum,
Sed vos arguto ſerpentum corde vigete,
Simplicitate tamen puras ſuperate columbas.
Nam ſæpe incumbet vobis injuria præceps,
Conciliſque hominum ſtatuentur corpora veſtra.
Vos flagris, vinclíſque feris, durſque tyrannis
Frendens urgebit pro me violentia ſecli.
Cùm vos prodiderint, verborum ponite curam:
Sponte fluens dabitur ſermonis gratia vobis.
Spiritus in vobis pro vobis digna loquetur.
Prodet enim fratrem ſcelerata inſania fratris,
Ad lethúmque dabunt genitorum corpora nati.
Vos odia urgebunt ſemper pro nomine noſtro,
Sed finem fidei comitatur gloria vitæ.
Profugite è tectis, quæ vos ſectabitur, urbis.
Indè aliam, mox indè aliam conquirite ſedem,
Nam vobis urbes ſemper ſupereſſe neceſſe eſt,
Iſraëlitarum quæ dent ſub nomine plebem.
Diſcipulus nunquam tranſcendat celſa magiſtri
Culmina, nec Dominum tentet præcellere ſervus:
Diſcipulos ſatis eſt vires æquare magiſtri,
Vel Domini ſimilem virtutem prendere ſervo.
Pectoribus veſtris ſemper timor omnis aberret,
Nam nudata ſuis promentur cuncta latebris.
In tenebris taciturè vobis quæcunque jubentur,
Dicite præclaro nitidi ſub lumine ſolis.
Auribus & veſtris dicam quæcunque ſuſurrans,
Excelſo in populos ſpargantur culmine tecti.
Deſpicite illorum rabiem, qui corpora veſtra
Proſternent ferro: non eſt iis ulla poteſtas
Vivacem letho pariter demittere mentem;
Illum ſed potiùs cordis ſecreta paveſcant,
Corporis eſt animæque ſimul cui cuncta poteſtas.
Paſſeribus pretium nummi vix portio parva
Proveniet, non eſt tamen unum credere dignum,
Nî juſſu Domini, laqueos incurrere veſtros.
Quis dubitet ſapiens Domini ſub pectore multis

Credere

Credere pennatis hominem pro millibus unum?
Qui me confessus fuerit sub judice terræ,
Hunc ego non aliter coram genitore fatebor.
Sic itidem coram genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere veni,
Sed gladium, patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem matris dirimat qui pectore natam.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri sobolive meum postponet amorem,
Sentiet horribilem nostrâ de sede repulsam.
Contemnet quicunque animam pro nomine nostro,
Inveniet lætâ florentem fruge salutis.
Qui vos suscipiet, me suscepisse benignis
Obsequiis, idem me pro genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete vitâ.
Matth. 11. *Luc.* 7.
Talia discipulis bis sex cùm jussa dedisset,
Justus Joannes cæci de carceris umbris
Sectantum è numero delectos talia dicta
Ad Christum portare jubet, verúmque referre:
Túne piis animis requies, quam regia cœli
Largitur terris, nostro sub tempore fulges?
Anne aliam superest posthac sperare salutem?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit:
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliúmque vigent firmato robore membra,
Lurida discutitur squamoso corpore lepra,
Aëriæ vocis penetrat surdas sonus aures,
Redditur amissâ lethi post funera vitâ
Ad corpus remeans animæ jam libera virtus,
Depositum repetens animæ substantia corpus;
Pauperibúsque suis non dedignata patescit,
Fulgentis splendens adventûs gloria terris.
Ille beatus erit, quem non deceperit error.
Talia discipuli referunt mandata magistro,
Hæc super ad populum depromit talia Christus:
Cur in desertis voluistis visere nuper
Stramen arundineum vento vibrante moveri?
Cur etiam molli vestitum veste videre?
In domibus regum, molli cùm veste tenentur.
Ille prophetarum solus transcendere vires
Indicio veteris scripti promittitur olim.
Hunc etenim memorat venerandæ lectio vocis.
En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus, genuit nec fœmina quenquam
Major Joannis nostri qui viribus esset.
Sed minor hôc cæli fiet sublimior aulâ.
Hujus ab exortu vim cæli regia sensit.
Et cæli regnum violentia diripit atrox.
Lex omnis summam Baptistæ à tempore cœpit,
Atque prophetarum finis concluditur idem.
Si vultis volucris penetralia noscere secli,
Ipse est Elias, felix venturus in ævum.
Corpus Joannis felix habitabile sumpsit
Elias quondam, quem turbine jussa coruscо
Flammipedem rapuit simulatio quadrijugorum.
Audiat hæc, dictis pandens vitalibus aures.
Nunc tibi profitetur genitor, cui gloria servit
Fulgentis cæli, & terrarum frugiferarum,
Namque abscondisti sapientibus ista superbis,
Parvulâque infantum vis hæc comprendere corda.
Jam mihi regnantis sunt omnia tradita patris,
Nec quisquam poterit Domini cognoscere natum,
Nisi solus genitor: genitorem mente videbit
Filius, aut idem pandet cui talia natus.
Huc omnes veniant, oneris quos sarcina vasti
Comprimit, iis poterit virtus mea munere patris
Antiquas vires hilari reparare quiete.
Sumite forte jugum, levis est mea sarcina justis,
Namque humili dulcem largibor corde salutem.
Matth. 12. *Marc.* 2. *Luc.* 6.
Hæc ubi dicta dedit, messis per culta gravatæ
Præterit, & populus sectantum discipulorum
Spicarum gravidam carpebat in ordine frugem.
Ille dies veteri poscebat lege quietem:
Sabbata nam priscis repetebant otia justis.
Ecce Pharisæi coràm reprehendere Christum,
Quòd sanctæ legis calcarent jussa merentes
Discipuli: legum sed tunc completor Jesus
Incipit, iis veteris scripti monimenta retexens:
Legistis certè in templo Davida canorum
Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos,
Et propriam comitúmque famem sedâsse, sed illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes,
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos.
Ejusdem scriptum est justo moderamine legis,
Sabbata prophanent templo sinè crimine vates.
Nec minor est illic vestræ glomeratio turbæ,
Quàm templi virtus: caperent si pectora vestra,
Quòd non sacra Deus, sed mansit mitia corda,
Non tam sæpe viros damnâsset factio vestra,
Expertes culpæ. sed nunc ego sabbata cuncta
Sponte meâ dominans, legis sub jure tenebo.
Tunc conventicula ipsorum post talia dicta
Ingreditur; mox hìc juvenem pro lumine cernit,
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat: sed tum dictis tentando dolosis,
Ægris an liceat per sabbata ferre medelam,
Quærunt, calcatæ ut legis vindicta maneret.
Christus ad hæc: foveam si fortè pecuscula vestra
Inciderit, certè transibitis otia legis,
Et pecus abrupto tolletis vile profundo:
Quantò igitur nobis hominum curatio major
Ad benefacta animos tollens accendere debet?
Ergo age tu juvenis redivivam extendito dextram.
Cum dicto palmas sanas porrexit utrasque.
Istis pro signis quæ vix veneratio posset
Mirantis digno populi sustollere cultu,
Conciliis trucibus conclamant deripiendum.
Talia prospiciens procerum molimina Christus
Discessit, variis hominum languoribus aptat
Concessam in populos patriâ virtute medelam.
Oblatúsque illi est, quem dæmonis horrida virtus
Et linguâ & visu truncatum vivere pœnæ,
Et propriis escam cruciatibus esse volebat.
Hunc ubi curatum, visúque & voce vigentem
Cæca pharisæa cognovit factio gentis,
Dæmonis auxilio (qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ vires ditione teneret)
Hæc illum feciſſe ferunt: sed talia Christus
Veridicis aperit convincens pectora verbis;
Si geminâ regnum distractum parte dehiscat,
Et scissa adversùm sese divisio pugnet;
Disruptis properè labentur cuncta medullis.
Horridus & dæmon si dæmone pellitur atro,
Adversâ sibimet scissus virtute repugnat.
Quis poterit prædam tectis auferre virorum,
Ni priùs aggressor custodum brachia nodis
Vinciat, ut facilis veniat direptio prædæ?
Quisque meis aberit discretus miles ab armis,
Hostis in adversâ consistet fronte duelli,
Quisque meis gregibus cogendis liber oberrat,
Disjicit ille mihi pecoris per devia pastus.
Sed quicunque hominum fuerit, super omnibus error
Dimitti poterit, tantùm ne Spiritus unquam
Vocibus insanâ laceretur mente profusis.
Sive furens hominis nato convitia quisquam
Ingerit, hæc etiam poterunt peccata remitti.
Spiritus at sanctus tantùm, cuicunque prophanâ
Verborum rabie violabitur, irrevocatis
Suppliciis nunc & semper torrebitur ignis.
Quando veneniferi serpentis sæva propago,
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia justis,
Et mala lethifero procedunt ore venena.
Verborum meritis veniet sub judice pœna.
Joan. 5.
Quæ genitor faciet, sectabitur omnia natus,
Namque idem nato manifestat cuncta videnda:
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.
Sicut enim genitor demortua corpora reddit
Ad clarum vitæ lucem, sic omnia natus
Quæ volet ad superos surgentia corpora ducet.
Nec genitor quenquam vestrûm se judice quæret:
Sed dedit hæc nato quærendi jura per orbem:
Gloria quò maneat similis natóque patríque.
Nanque repulsus erit vestro si natus honore,
Improbitate pari genitorem despicietis:
Sed cui nostra fidem sermonis gratia figet,
Mox me mittentis genitoris dona videbit,
Æternúmque dabit præsens constantia vitam.
Judiciúmque illi non est, sed migrat ab atrâ
Morte procul, lucísque vigens ad lumina tendit.
Adveniet tempus, cùm mortua corpora vocem
Accipient nostram, & vitam cum voce tenebunt.
Nam sicut genitor vitam sibi possidet in se,
Sic tribuit nato vitam, & jus dicere jussit
In terris, hominis quoniam cum corpore venit.

Nec vobis mirum videatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum propriis exurgere buſtis,
Juſtorúmque animas redivivo corpore necti,
Judicióque gravi miſeros exurgere pravos.
Nec mihi judicium tribuit mea ſola poteſtas,
Arbitrio quoniam genitoris cuncta jubentur,
Qui me juſtitiam terris diſquirere juſſit.
Namque ego ſi proprio teſtis pro nomine ſurgam,
Falſa loqui poſſem: aſt alius quia teſtis habetur
Pro nobis, rectè mihi talia temnere fas eſt.
Nam veris operum lignis manifeſtior omni
Luce nitet præſens noſtris teſtatio factis.
Talia concedens, genitor mihi teſtis adhæret,
Qui me demiſit terris ſua ponere juſſa.
Hujus enim vocem nunquam comprendere quiſtis,
Nec ſpeciem propriam conceſſit viſere vobis.
Nec ſermo ipſius poterit per veſtra ſedere
Pectora, credendi quoniam ſubſtantia nulla eſt.
Quæratur veterum ſcriptorum lectio vobis,
Perpetuam cunctis vitam quam ferre putatis:
Hæc etiam noſtrum teſtatur lectio donum.
Nec tamen audetis propiùs conſiſtere nobis,
Ne veræ vobis contingant gaudia vitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis:
Namque ego, qui ſummi genitoris nomine veni,
Reſpuor à vobis: veniet ſed diſcolor alter,
Nomine quem fultum proprio gens veſtra ſequetur.
Alternæ in vobis captatur gloria famæ,
Unius & ſolam fugitis diſquirere laudem.
Nec vos arguerim coram genitore, ſed illic
Accuſator erit, quem ſpes modò veſtra celebrat,
Moſes: quem fidei nullo ſervatis honore.
Ejus enim ſcriptis veſter ſi crederet error,
Crederet & nobis, Moſis quem ſcripta frequentant.
Matt. 11. *Luc.* 11. *Marc.* 8.
Talia tum contrà Scribarum verba ſequuntur:
Vocibus indubitata fides comitabitur illis,
Si virtus certis firmet miracula ſignis.
Ille dehinc: polluta magis generatio quærit
Signa ſibi, rebus ſtabunt ſed ſigna futuris.
Namque propheta cavo quantum ſub pectore ceti
Temporis abſumſit, terræ in penetralibus altis
Progenies hominis tantum demerſa manebit.
Adveniet tempus, quum ſurget reddita vitæ
Gens hominum propriis in fletum dedita geſtis:
Hæc iſtam digno damnabit crimine gentem,
Quòd maris è fundo ſurgentis voce prophetæ,
Commonita in lacrymas dominum projecta reflexit.
Hìc & lonæis monitis potiora jubentur,
Contemnſtque feris animis gens impia lucem.
Et regina Noti vitales ſurget in oras,
Illius ad ſpecimen damnabitur effera plebes,
Finibus extremis Libyæ quòd venerat illa,
Et Salomona pium præceptis dedita juſtis
Audiret, potior nunc eſt Salomone poteſtas,
Et tamen obtuſæ cæcantur pectora plebis.
Expulſus ſi quando fugit de pectore dæmon
Quem turbat ſanctus purgato corpore ſpiritus,
Ille venenatis colluſtrat paſſibus oras,
Qua nulla excurrit fontani gurgitis unda,
Si requiem placidæ ſedis non repperit ardens,
Tum repetit ſuetæ ſitiens habitacula mentis.
At ſi fortè ſuis obnoxia corda venenis,
Ornatúque levi ridentia limina cernit,
Aſſociat ſeptem ſimiles glomerando furores
Vis inimica homini, penetrátque in viſcera ſerpens:
Sic genus hoc vero ſenſu cùm degener errat,
Vincula perpetuis deflebit ſubdita pœnis.
Atque ea cùm populis vitalia dicta frequentat,
Pro foribus mater cum fratribus aſtitit illic:
Et miſcere foris ſermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit:
Hìc mecum genitrix, mecum germana reſidunt
Corpora, nam patria impletur cuicunque voluntas,
Ille meo proprium connectit ſanguine corpus,
Et matris generiſque mei ſub nomine habetur.
Matth. 13. *Marc.* 4. *Luc.* 8.
Progreditur templo terrarum lumen Ieſus,
Et maris extremâ terræque reſedit in orâ,
Innumeræque illuc plebis fluxere catervæ.
Ille ſed excelſam ſcandens, quæ proxima, puppim,
Littora complectit, depromit talia plebi:
Ecce ſator proprio commendat ſemina ruri,
Illa cadunt diverſa ſolo, ſortémque locorum
Pro virtute ferunt: nam ſicubi trita viarum
Sub pedibus ſolido denſetur limite tellus,
Aëriis avibus dant nudam ſemina prædam.
Aſt ubi pertenui velantur pulvere ſaxa,
Farra quidem viridem depromunt germinis ortum:
Sed quia nulla ſubeſt ſiccis ſubſtantia glebis,
Inſerto areſcunt radicum fila calore,
Cunctáque mox apicum labuntur acumina letho.
Seminibúſque aliis contingunt aſpera rura.
Sentibus hìc ſpinſſque feris velocius exit
Roboris augmentum, frugémque internecat angens.
Uberibus verò quæ dantur ſemina glebis,
Illa ferunt pulchram ſegetem, cui læta frequentat
Incrementa ſui centeno copia fœtu.
Audiat hæc, aures mentis qui geſtat apertas.
Talia diſcipuli mirantes dicta requirunt
Implicitis populo cur clauderet omnia verbis.
Ille ſed admotâ credentum plebe profatur:
Vobis, qui firmo robuſtam pectore mentem
Ad capienda Dei penetralia conſtabiliſtis,
Conceſſum eſt adytis penitus conſiſtere regni:
Illis pro merito clauduntur lignina vitæ.
Si quis habet dignus, capiet potiora redundans:
Qui verò expertes cæleſtis muneris errant,
Amittent etiam proprium quodcunque retentant.
Idcirco obſcuris cooperta ambagibus illum
Perſtringit populum ſermonis gratia noſtri,
Ut dictum Eſaiæ meritâ de plebe recurrat,
En populi mentes velantur ad omnia craſſis
Obicibus, ſenſu ne tangant munera vitæ:
Auribus affiſtunt clauſis, oculiſque gravatis,
Ne converſa bono ſanetur noxia plebes.
Quàm veſtræ nunc ſunt aures oculiſque beati,
Nam multi veterum juſti ſanctiſque prophetæ,
Quæ vobis clarent, orârunt cernere dona.
Accipite ergo animis quis ſit de ſemine ſenſus.
Quiſque meum verbum ſummas demittit in aures,
Nec ſenſus recipit ſtabili præcepta vigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon:
Hìc agro eſt ſimilis, duro qui germina calle
Exponit rapidis avibus ſinè fruge rapinam.
Sunt alii, læto qui pectore noſtra receptant,
Sed brevis eſt illis perceptæ gratia frugis.
Nam ſi dura premat mentem ſtrictura coërcens,
Continuò trepidi prodeunt ſibi credita farra,
His ſaxoſus ager ſimili levitate vireſcit.
At ſpinoſus ager, curarum mole gravatis
Reſpondet, preſſant quos pondera divitiarum:
Semina ſic noſtri ſermonis preſſa gravantur,
Nec fructus ſequitur ſpinarum horrore necatus.
Pinguia ſic itidem paribus ſtant viribus arva
Illis qui clarè capiunt præcepta ſalutis,
Quæ penetrant animum, ſenſu tractante tenaci,
Centuplicémque ferunt virtutis robore frugem.
Hæc tum diſcipulis, plebíque hæc inſuper addit:
Agricolæ ſimile eſt regnum ſublime tonantis:
Ille jacit proprio mandans bona ſemina ruri:
Sed pòſt ſubripiens (hominum inſidiando ſopori)
Trux inimicus adit, loliúmque inſpergit amarum,
Ecce ſed ad fructum culmus cùm ſpiceus (horror)
Proceſſit lolio, meſſis maculata redundat.
Tum domino famuli mirantes talia fantur:
Nónne bonum terræ ſemen per terga dediſti?
Unde igitur lolio turpi tua rura gravantur?
Sed jam ſi jubeas meſſem purgabimus omnem,
Triticeúſque nitor ſelectâ ſorde nitebit.
Tum dominus miti contrà ſermone profatur,
Hic dolus eſt inimicæ tuus: ſed farra ſinamus
Creſcere cum lolio, pleno nam tempore meſſis
Secretum lolium connexo faſce jubebo
Ignibus exuri: at noſtro de ſemine meſſor
Horrea noſtra dehinc purgatâ fruge replebit.
Haud aliter ſimile eſt (cordis ſi panditis aures)
Præparvi grano regnum cæleſte ſinapis,
Quod proprio inſinuans diſponit cultor agello,
Seminibúſque illud minus omnibus eſſe virentum
Creditur, ac juſti mox ut crementa vigoris
Sumpſerit, erecto tranſcendit vertice cunctas
Agrorum fruges, ramis ut plumea turba
Conſidat, poſſitque umbras habitare virentes.
Fermento par eſt munus cæleſte ſalubri,
Quòd magnâ condit mulier ſub mole farinæ.
Illa dehinc modico fermenti mixta calore,
Conducto unius coaleſcit corpore maſſæ.

Talia tum populo perplexis condita verbis
Promebat, veteris quò possent dicta prophetæ
Ordine seclorum justis concurrere rebus.
Os aperire meum dignabor, condita mundi
Convolet ructans varii sermonis imago.
Indè domum repetit serò, turbásque relinquit.

LIBER III.

Matth. 13. *Marc.* 6. *Luc.* 3. *Joannis* 4.

Fuderat in terras roseum jubar ignicomus Sol,
Discipuli rogitant, lolii quid quæstio vellet,
Et segetis? Christus quibus hæc depromit Iesus:
Optima qui farris commendat semina glebis,
Filius est hominis: mundum sub nomine ruris
Accipite, atque homines puro pro semine justos.
At lolium infelix cooperti dæmonis arte
Sunt homines, inimicus erit vis horrida dæmon,
Extremus mundi finis pro tempore messis.
Messores patrii venient per rura ministri:
Quos hominis natus proprii de corpore regni
Colligere erroris laqueos labémque jubebit,
Collectósque simul rapidis exurere flammis.
Dentibus his stridor semper fletúsque perennis,
Secretisque piis veniet lux aurea vitæ:
Sedibus ut cæli vibrantur lumina solis.
Hæc docuit, patriámque redit Salvator in urbem:
Illic expediens populis (mirabile dictu)
Justitiæ leges, vitæque salubria jussa,
Virtutes patrias simul insinuando docebat.
Tunc livore gravi plebes commota suorum,
Præsentisque simul domini miracula volvens,
Et generis noti reputans ex ordine gentem:
Hæc inter sese mussanti voce susurrant:
Nónne hic est soboles fabri cui nomen Ioseph?
Non Maria est genitrix, non fratrum nota propago est?
Unde igitur legis doctor, tantæque minister
Virtutis, cedit cui labes victa malorum?
Nazara sic plebes: cui talia reddit Iesus:
Temnuntur propriis miracula semper in oris,
Et sinè honore manent patriâ sub sede Prophetæ,
Talibus indignans præfit sua munera Christus.

Matth. 14. *Marci* 6. *Luc.* 9.

Interea ad regem volitabat fama superbum,
Quòd mala cuncta illic virtus divina domaret,
Sed putat Herodes lethi quòd lege remissus,
Tanta ut Joannes virtutis dona teneret.
Nam quondam cernens liventi pectore dæmon
Erroris labem, puris quòd solveret undis
Justus Joannes, damnis accensa malorum,
Tunc petit Herodem pestis sævissima regem,
Et facilè injusti penetrans habitacula cordis,
Accumulare sceris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore
In thalamos fratris, casto quòd jure vetabat
Sanctus Joannes: feritas sed nescia recti
Subjecit leges pedibus, fruitúrque nefandis
Connubiis, ipsúmque super (quia prava vetabat)
Carceris immersit tenebris, vinclisque gravavit.
Sanguine nam justi primo compressa timore
Abstinuit sitiens feritas, quia magna Prophetam
Plebis Joannem veneratio suspiciebat.
Natali sed fortè die quum læta tyrannus
Herodes celsis strueret convivia tectis,
(Luxuriæ quoniam conjuncta superbia gaudet)
In medio juvenum reginæ filia virgo,
Alternos laterum celerans linuamine motus,
Compositas citharâ jungit modulante choreas.
Ipse sed imprimis (mirată virginis arte)
Attonitus stupuit: tunc præmia cuncta patere
Juratus spondet, quæcumque puella petisset.
Illa sed horrendæ servans scelera impia matris,
Urget Joannis caput à cervice revelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentûm Herodes procerum sub pondere tristis,
Jurandique memor juris, tamen imperat ægrè
Insontis caput inferri, tradique puellæ.
Illa nefas matris scelerata ad gaudia portat.
Corporis at lacerum flentes sinè nomine truncum
Discipuli condunt terræ, Christúmque sequuntur.
Ille ubi cognovit justi miserabile lethum:
Deserit insontis pollutam sanguine terram,
Frondosâque latet secretæ vallis in umbrâ.
Sed populi immensæ virtutis dona sequuntur.
Ille ubi credentum turbas in valle remotâ
Convenisse videt, morborum tabe repulsâ,
Corpora subjecit miseratus multa medelæ.
Jamque sub extremo labentis lumine Solis,
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Ut sibi quisque paret quærens per compita victum:
Ille jubet cunctis ibidem convivia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum,
Ni pisces geminos & farris fragmina quinque.
Hoc, inquit, satis est, tunc mox discumbere plebem,
Gramineisque toris jussit componere membra.
Suspiciénsque dehinc cælum genitore precato,
Ipse duos pisces & quinque ex ordine panes
Dividit, & dapibus mensas oneravit opimis.
Jámque expleta jacet (dictu mirabile) plebes:
Reliquiásque dehinc mensis legere ministri,
Bis senósque sinus cophinorum fragminis implent.
Cœnantum numerus tum millia quinque virorum,
Præterea populus matrum fuit & puerorum.
Discipulis tunc indè jubet conscendere navim,
Et transire fretum, donec dimitteret omnes
In sua quémque viros: tunc montis celsa petivit,
Secretúsque dehinc genitoris nomen adorat.
Jámque soporatâ torpebant omnia nocte,
Quum puppis medio sulcabat in æquore fluctus,
Jactata adverso surgentis flamine venti.
Ast ubi jam vigilum quartâ statione premebat
Noctis iter, rapidos attollens lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis sicco vestigia gressu
Suspensus carpebat iter (mirabile visu,)
Jámque propinquabat puppi, sed nescia nautæ
Attoniti tremulo vibrabant corda pavore,
Clamorémque simul confusâ mente dederunt.
Tum pavidis Christus loquitur: timor omnis abesto,
Credentúmque regat vegetans constantia mentem:
En ego sum, vestræ doctorem noscite lucis.
Olli confidens respondet talia Petrus:
Si tua nos verè dignatur visere virtus,
Me pariter permitte tuo super æquora jussu
Fluctibus in liquidis immersos figere gressus.
Annuit his dominus: navem mox linquere Petrus
Audet, & innixus figit vestigia ponto.
Verùm ubi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant, ventíque minas crebrescere cernit,
Paulatim cedunt dubio liquefacta timore,
Quæ validum fidei gestabant æquora robur.
Jámque Simon medio submersus corpore clamat:
Fluctibus horrendis pereuntem deripe Christe.
Dextera confestim protenditur obvia Petro,
Et dubitata fides verbis mulcetur amaris,
Ascensæque rati contraria flamina cedunt.
Præsentémque Dei sobolem stupuere rogantes
Cuncti, navigio socios quos casus habebat.
Transierat tandem sulcans freta fervida puppis,
Optatúmque gravis comprenderat anchora portum.
Conveniunt populi rapido per littora cursu,
Portantes ægros, vestisque attingere fila
Extrema exoptant: mirúmque, hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.

Matth. 15. *Marc.* 7.

Ecce Pharisæi, Scribæque hinc indè dolosi
Captantes Christum, promunt fallacia dicta:
Cur tua discipulos patitur doctrina labare
Præceptis veterum? manibus nam cura lavandis
Præterit, assumúntque simul cum sordibus escas.
Ille sub hæc fatur: magis hoc est quærere dignum,
Transgressi præcepta Dei quòd proditis omnes.
Namque Deus mortem defixâ lege minatur,
Si genitor cuiquam verbo lædatur amaro,
Vel genitrix nati dictis pulsetur acerbis.
Irrita vos isthæc facitis, perversa docendo.
Quàm manifesta vigent de vobis dicta prophetæ:
Me populus summis labiis sublimat honore,
Sed diversa procul cordis secreta pererrant.
Accipite ergo omnes, aurésque advertite cordis:
Non illata homini fuerint quæcunque pudendis
Sordibus aspergent, vitæve animóve sedebunt:
Erumpunt hominum sed quæ penetralibus oris,
Internam miserè maculabunt edita mentem.
Discipuli Christo memorant, quòd verba loquentis
Occulto traherent scribarum pectora risu.

Ille

Ille dehinc, genitor plantarum fœmina noſter,
Quæ non ipſe ſui conſevit in æquore ruris
Abjiciet, penitus radicibus eruta longè.
Cæcus fortè ducem cæcum ſi nactus oberret,
Decidet in foveam pariter demerſus uterque.
Tum petit abſolvi Petrus, quid quæſtio vellet,
Ipſe Phariſæis quam mox Scribíſque dediſſet.
Tum ſator æternæ reſpondit talia vitæ:
Vos etiam duro diſcludite omnia corde
Juſſa, nec admittit mentis dubitatio lucem.
Nam quæcunque hominum veniunt extrinſecus ori,
In ventrem cedunt, animóque incognita currunt.
Quæ verò interno concepta è pectore promunt
Ora hominum, mentem poſſunt aſpergine labis
Polluere, immundóque hominem maculare piacło.
Secreto cordis promuntur noxia vitæ
Conſilia, & cædes, & furta nefanda tororum,
Et fraudes, falláxque hominum pro teſtibus error,
Et rabidæ cælum pulſans inſania vocis.
Hæc ſunt, quæ maculant hominem, quæ ſordibus implent:
Illotis autem manibus non polluit unquam
Corporis arbitrio terrenum ſumere victum.
Hæc ubi dicta dedit, pulcherrima rura Syrorum
Sidonem, Tyrúmque petit, cùm fœmina ſuſis
Crinibus & precibus natam cauſata jacentem,
Volvitur, & tacitam non deſerit anxia Chriſtum
Orare, ut mentem vexatam dæmone ſævo
Redderet, & miſero tandem reſipiſſe liceret.
Tunc etiam precibus ſectantum diſcipulorum
Reſpondit, proprias genitoris malle bidentes
Cogere, quas vanus latè diſperſerat error.
Crebrìs inſtanti tum talia fatur Ieſus:
Natis quiſque ſuis panem non detrahet unquam,
Et canibus jaciet. tum talia fœmina fatur;
Micarum ſaltem canibus ſua portio menſæ
Decidit, & nihilo dominorum cœna grávatur.
Tum dominus loquitur; veniant tibi digna fidútis
Præmia, quæ fidei meruérunt robora tantæ.
Talia Salvator verbis cæleſtibus edit;
Virginis & mentem (diſcluſo dæmone) virtus
Complexam implevit donis fœcunda ſalutis.
Indè Galilæas repedat Salvator in oras,
Præcelſíque procul montis conſcendit in arcem.
Haud mora conveniunt populi, ſecúmque trahebant
Pars captos oculis, & crurum debile vulgus,
Elinguéſque alios, morbíque vocabula mille.
Omnibus ille tamen languores demplit amaros,
Viribus & validis venerando munere donat.
Tum populi pariter miracula tanta frequentant,
Æternóque patri laudes gratéſque celebrant.
Diſcipulos Chriſtus cogens in vertice montis,
Secretè alloquitur: plebis miſeratio multa eſt,
Tertia nam terris remeant jam lumina ſolis,
Ex quo nulla ſibi ſumunt alimenta ciborum.
Jejunam nolim tantùm dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa viantes.
Diſcipuli Chriſto oſtendunt ſeptem ſibi panes
Eſſe, & piſciculos alimenta ad proxima paucos.
Tum populum juſſit terræ per tergà cubare,
Quódque fuit, totum propriis decerpere palmis,
Et cunctis curat menſatim tradere plebi.
Diſcipuli ponunt epulas, populúſque repletur
Ad ſatiem dapibus, relegunt mox fragmina panis,
Et ſportas referunt cumulatò pondere ſeptem.
Quatuor ex omni fuerant tum millia plebe,
Nec numero quiſquam matres puerósque notavit.
Matth. 16. *Marci* 8. *Joannis* 6. *Lucæ* 12.
Indè Magedarum navi tranſcurrit in oras:
Ecce Phariſæi Sadducæíque doloſi
Poſcere tentantes inſtant cæleſtia ſigna.
Sed Chriſtus cernens fallacia pectora, fatur:
Converam quotiens chaudit nox humida cælum,
Si ruber aſtriſero procedit veſper olympo,
Dicitis, adveniet venturâ luce ſerenum.
Jámque ſub exortu ſolis ſi triſtia rubro
Nubila miſcentur confuſâ luce calori,
Dicitis agricolis, nautíſque venire fragoſam
Ventorum rabiem, tempeſtatúmque furores.
Fallaces, nôſtis faciem diſcernere cæli,
Sæclorum verò neſcitis tempora ſignis
Explorare ſuis? ſed vobis ſigna dabuntur,
Quæ marſis immenſo quondam venere profundo,
Bellua cùm tenuit ventris ſub carcere vatem.
Hæc ait, & properè puppis retinacula ſolvens

Trans freta contendit rapido comprendere curſu
Arva Philipporum, ſociſque hæc talia fatur:
Sollicitè vobis vitentur noxia farra,
Fermentúmque ferox veſtris avertite menſis.
Illa Phariſæi Sadducæíque doloſi
Admiſcent eſcis, fallúntque in nomine panis.
Cur vobis tacitas volvit cunctatio mentes?
Proh, quam parva fides ſenſu torpente fatiſcit?
Dicitis adverſi, navi quod tollere panes
Non fuerit vobis vacuum, farriſque cavendas
Inſidias jubeam: meminiſſe, & ſcire putabam
Quòd panes quini plebis mihi millia quinque
Implêrint dapibus, cophinuſque ſuperflua tantis
Fragmenta ad cumulum fuerint collecta ciborum:
Quatuor & rurſum cœnantum millia panes
Quod facilè implêrint ſeptem, ſportáſque referri
Vidiſtis rurſus completas relliquiarum.
Sed moneo iſtorum ſemper fermenta cavenda.
Diſcipuli tandem vitalia verba ſequuti,
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.
Indè ubi perventum eſt liquidi per terga profundi,
Clara Philippæo quà pollent nomine rura,
Cogit concilium ſectantum diſcipulorum,
Et quærit quem ſe populorum fama putaret.
Reſpondent multæ plebis tunc eſſe loquelas:
Crebrìs audiſſe, & multos firmare, quòd eſſet
Juſtus Joannes, populos qui flumine lavit.
Pars memorat volucris famæ ſibi cognita verba,
Pars trepidat memori ſervans oracula mente,
Heliam veniſſe iterum, quem præpete curſu
Turbine cæleſti quondam ſimulata quadrigis
Aſtris inſeruit rapidæ vis fervida flammæ:
Jeremiam dixere alii, pars eſſe prophetam.
Tunc Chriſtus cunctis arridens pectore blando,
Conquirit quæ ſit ſententia diſcipulorum.
Sed ſtabilis Petrus; Tu ſancti Filius, inquit,
Chriſtus, magnifico terras qui lumine complet.
Tum dominus forti reſpondet talia Petro,
Petre beatus eris: nam talia pandere certè
Humanus ſanguis, vel terræ portio corpus,
Haud unquam poterit: genitoris munera ſola
Poſſunt tam validum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri dignâ virtute tueris,
Hac in mole mihi faxíque in robore ponam
Semper manſuras æternis mœnibus ædes.
Infernis domus hæc non exuperabile portis
Clauſtrum perpetuo munitum robore habebit:
Cæleſtíſque tibi claves permittere regni
Eſt animus, terríſque tuo quæ nexa relinques
Arbitrio, cælo pariter nodata manebunt:
Solverit & rurſus tua quæ ſententia terris,
Haud aliter venient cæli ſub ſede ſoluta.
Sed vos diſcipuli Chriſtum me dicere cunctis
Parcite, quò ſoli cognoſcant talia digni.
Jam lux adveniet properis mihi curſibus inſtans,
Mœnibus in Solymis rabies cùm prona furore
Eximios vatum ſaturabit ſanguine noſtro.
Aſt ubi luciſuum reddet ſol tertius ortum,
Conſurget radiis pariter redimita ſalutis
Vita mihi, cunctíſque dabit ſua munera terris.
Tunc Petrus magno perculſus corda dolore,
Abſint, Chriſte, tuis, inquit, tam triſtia ſanctis
Monſtra procul membris: nec fas eſt credere tantum,
Nec tibi tam durus poterit contingere caſus.
Chriſtus ad hæc: Procul hinc, inquit, procul effuge dæmon,
Nil divina tibi mentem prudentia tangit,
Sed terrena ſapis, molliſque timore tremiſcis.
Sed ſi quis veſtrûm veſtigia noſtra ſequetur,
Abneget hic ſeſe, corpúſque animámque recuſans,
Atque crucem propriam comitatibus addere noſtris
Gaudeat, amiſſam redimit cui gloria vitam.
Nam ſervata perit terris poſſeſſio lucis.
Sed quid proficient ſecli mortalia lucra,
Si damnum pariant vitæ lucíſque perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis veniet ſub nomine patris,
Cæleſtéſque illum fremitu comitante miniſtri
Stipabunt, reddétque homini ſua debita vitæ.
Vera loquor, certos iſtic ſub limine lucis
Inveniam, cæli fulgens cùm regna capeſſam.
Matthæi 18. *Marci* 9. *Lucæ* 9.
Hæc ubi dicta dedit, paſſus bis terna dierum
Lumina converſo terras tranſcurrere cælo,
Tum ſecum jubet abruptum conſcendere montem
Petrum

Petrum Zebedeſque duos per devia natos.
Indè ubi perventum eſt ſecreti montis in arcem,
Continuò Chriſtus faciem fulgore coruſco
Mutatur, veſtiſque nivis candore niteſcit.
Reſpiciunt comites, mediúmque aſſiſtere ſanctis
Heliæ, Moſſque vident. tum talia Petrus,
Reſpice num nobis potius diſcedere longè:
Anne iſtìc tantæ ſpectacula cernere molis
Conveniat? trina attamen hìc tentoria vobis,
Si jubeas, frondis faciam diverſa paratu,
Singula ſub noctem quæ vos aulæa receptent.
Talia dum loquitur, cælo perfulgida nubes
Circumjecta oculis veſtibat lumine montem,
Et vox è medio lucis manifeſta cucurrit:
Unicus hic meus eſt natus, mea ſumma voluptas:
Hujus juſtitiam juſto comprendite corde.
Diſcipuli pavido preſſerunt corpore terram,
Nec priùs è prono vultus ſuſtollere caſu
Audebant, ſancto Chriſti quàm dextera tactu
Demulcens blandis firmàſſet pectora verbis:
Surgite, & abjectum fortes calcate timorem,
Horomatis hujus expertes vos reddite cunctos:
Nec cuiquam præſens pandatur vitio vobis,
Ni priùs huc hominis ſoboles ſpecioſa reportet
In lucem referens mortis de ſede trophæa.
Conſurgunt, ſolúmque vident & voce requirunt,
Cur ſcriptis veterum Scribarum factio certet,
Heliam primùm cæli de ſede reverti
In terras, Chriſtíque dehinc conſurgere lucem?
Chriſtus ad hæc: veniet, certo ſub tempore juſtus
Helias, reddens mox omnia debita ſeclo.
Sed ſi quis credit, jam venerat antè renaſcens,
Ignotum veluti rabies quem cæca furoris
Demerſit letho: mox ſævior altera cædes
En hominis nato trucibus laniatibus inflat.
Hæc ait: & populum repetit, montémque relinquit.
Ecce ſed inflexis genibus, flentúque ſolutus
Vir ſenior, precibus Chriſtum veneratus adorat:
Davidis ſoboles, hominum lumenque ſalúſque,
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Proturbes, reddáſque ſeni ſolatia vitæ:
Nam curſus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, & in liquidas dejectum projicit undas?
Aut miſerum medio projectum volvit in igni.
Nam tua diſcipuli ſectantes juſſa frequenter
Conniſi, nulla in ſolidum mihi dona dederunt.
Tum Chriſtus magno commotus corda dolore:
O gens nullius fidei, gens effera ſemper,
En etiam patiar vobiſcum me fore terris?
Sic ait, & puerum mandat perferre parenti
Ante ſuos vultus: tum vocis pondere multo
Incubuit, mentiſque imul convulſa venena
Dæmonis horrendi, purgato corde fugavit.
Diſcipuli rogitant, cur non ſucceſſerit illis
Ejuſdem pueri totiens tentata medela?
Reſpondit dominus: titubat quia pectore veſtro
Inſtabilis fidei nutans per lubrica greſſus:
Sed ſi tanta foret credendi portio vobis,
Inſtar quæ minimi poſſet præſtare ſinapis,
Iſtius hinc montis poſſetis vellere verbo,
Inque alias ſedes cunctam tranſvolvere molem.
At genus hoc morbi duntaxat vota precéſque
Multáque robuſti jejunia pectoris arcent.
Matthæi 17.
Indè Capharnaum gradiens pervenit ad oras:
Convenere Petrum quibus inſtat cura tributi,
Solvere poſcentes ſolitum pro nomine Chriſti.
Ille ſed ad Petrum converſus talia fatur:
Dic, inquit, reges, quorum dependere natos,
Externos propriónne tibi juſſere tributa?
Reſpondit Petrus, alienos ſolvere certum eſt.
Cernis, ait Chriſtus, natum non ſolvere regis?
Sed ne quem lædam, præceptum ſuſcipe noſtrum:
En maris undiſoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi ſummna, Simon, hamúſque profundo
Stan ine ſetarum connexus præcipitetur:
Hæſerit & curvo qui primus acumine piſcis,
Hujus pandantur ſciſſi penetralia ventris,
Illic invento duplex diſſolve tributum.
Matth. 18. *Marc.* 9. *Luc.* 9. & 7. & 15.
Diſcipuli poſt indè rogant, quis maximus alto
In cæli regno, meritis pro qualibus eſſet?
Tum Chriſtus medio puerum conſiſtere cœtu
Præcipit, & placido doctor ſermone profatur:
En hujus ſimilem pueri ſe reddere certet,
Quiſque cupit celſam cæli conſcendere ſedem,
Erroris laqueos ſectis increſcere certum eſt:
Sed tamen infelix per quem generabitur error.
Qui verò è parvis illis deceperit ullum,
Si ſapiat, nectat ſaxo ſua colla molari,
Præcipitémque maris ſeſe jaculetur in undas.
Nec quiſquam faſtu parvos contempſerit iſtos.
Horum cuſtodes cæleſti in ſede tuentur
Altithroni vultum genitoris ſydera ſupra.
Sed ſi quis paſtor, cui paſcua credita tondent
Centum balantes, unam cùm fortè ſeorſum
Neſcius error habet, quæſitor deſerit omnes,
Unius & totis luſtrat veſtigia ſylvis:
Illam ſi magno poſſis reperire labore,
Lætitia inventæ major tum naſcitur agnæ,
Quàm pro cunctarum numero quòd nulla reſedit.
Ex iſtis parvis genitor ſic perdere quenquam
Non patitur, gaudétque ſuis increſcere regnis.
Si fratrem proprio delicto commaculatum,
Cernis, ſecretò mox dictis corripe ſolus.
Si tua verborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua ſolius contemnet verba reluctans,
Tunc alius pariter monitor pia juſſa frequentet.
Sed ſi decutiet doctorum frena duorum,
Tunc ad concilium referantur crimina plenum,
Ut populi ſaltem ſanetur pondere victus.
Sin & multorum contempſerit efferus ora,
Sit tibi diviſæ mulctatus nomine gentis.
Namque in concilium ſemper præſentia noſtra
Adveniet, mediúmque duûm me ſtare neceſſe eſt,
Sive trium fuerit cœtus ſub nomine noſtro.
Tum Petrus quærit quot fratri errata remittat,
An ſeptem lapſus homini indulgere liceret.
Chriſtus proſequitur. Non ſeptem crimina tantùm,
Sed decuplata ſuper donentur vulnera fratri.
Nam cæli regnum domino prædivitis aulæ
Conſimile eſt, nummi rationem qui ſibi poni
Juſſerit, & ſervum debentem multa talenta.
Præcipit abreptum cum conjuge progenièque,
Atque opibus cunctis venali nomine iſti.
Tum ſervus dominum proſtrato corpore adorat,
Et ſpondet ſpatii ſibi ſi foret ulla facultas,
Omnem nummorum domino diſſolvere ſummam.
Commovit dominum famuli miſeratio flentis,
Cunctáque trans meritum conceſſit debita ſervo.
Ille ſed egrediens, conſervum limine in ipſo
Nactus conſtringit; tum debita fortior urget
Perſolvi, precibúſque locum truculentus abegit,
Carceris & merſum tenebris pœníſque premebat.
Quæ poſtquam dominus famulorum noſcere verbis
Incipit, adducto ingeſſit juſtiſſima ſervo
Dicta dolens, irámque movet, juſſíſque ſeveris
In tormenta ferum detruſit, cuncta revolvens
Debita, dum dignis lueret per vincula pœnis.
Sic vobis faciet genitor, qui culmina cæli
Poſſidet, immites ſævo ſi pectore fratrum
Peccata orantum durè punire voletis.
Matth. 19. *Marc.* 10.
Talia dicta dedit, Galilæáque rura reliquit,
Judæámque petit, quà pinguia rura ſilenter
Agmine Jordanis viridis prorumpit amœno.
Nec minùs in ſtratis ægris donare ſalutem,
Sublimíſque patris concedere munera perſtat.
Ecce Phariſæi tentantes querere pergunt,
Conjugis an liceat rejectum ſcindere vinclum,
Quicquid erit, læſi tanget quod corda mariti.
Hæc ubi percepit, depromit talia Chriſtus:
Principio Deus in terris par diſpare ſexu
Conſtituit, juſſítque uno de corpore necti,
Amborúmque animos junctis inoleſcere membris.
Quod Deus ergo jubet proprio concreſcere verbo,
Illicitum eſt hominum fœdo ſecernere luxu.
Moſes præcepit (quòd pectora dura videret)
Scribere diſſidium quo ſaxea corda revinci
Per proprios apices poſſint ſub judice flammâ.
Nam temere exolvet caſti qui jura cubilis,
Alteráque illius thalamis ſociabitur uxor,
Crimen adulterii populo ſub teſte ſubibit.
Diſcipuli referunt: urget lex iſta virorum,
Servitiſque premit non æquo pondere partem,
Ut melius fuerit thalamis caruiſſe peroſis.
Reſpondit dominus, non omnes pondere tanto

Subji-

Digitized by Google

Subjicient humeros, lectæ sunt talia dona
Virtutis: trino truncantur corpora more,
Quæ nullâ gaudent genitali lege tororum.
Namque alios tales progigni in luminis oras
Comperimus, pleroſque hominum vis ferrea ſexu
Exuit, atque alios ipſis ſibi demere conſtat
Pro cæli regnis pronum de pectore amorem.
Quiſque capax fuerit celsâ virtute capeſſat,
Quod paucis lectiſque Deus vult pandere munus.
Hæc ait, & pueros, quos gaudens cura parentum
Cum precibus lætis certatim hinc indè ferebat,
Suſcipit, & plebem ſectantem quòd prohiberet,
Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cæleſtis, ſanctas his ordine palmas.

Matth. 19.

Ecce ſed à populo juvenis cui rura domúſque,
Et gazæ, & rerum ſtabat poſſeſſio fulgens,
Accedit, Chriſtúmque palam ſubmiſſus adorat.
O bone præceptor, dic nunc quæ facta ſequamur,
Ut mihi perpetuam liceat comprendere vitam.
Huic auctor vitæ tum talia reddit Ieſus:
Nunc demum quæris veteri quæ lege tenentur?
Non hominis perimes vitam, non furta tororum
Invades, quæſtúmve alienis noxia rebus
Mens, aut dextra leget: non teſtis falſa loqueris.
Sit genitor genitrixque tuo ſublimis honore,
Proximus & puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc: iſta hæc ſemper mihi perpete curâ
Obſervata reor, ſed ne quid fortè relictum
Deſit, præſenti liceat me voce moneri.
Tunc Chriſtus fatur: nunc ſi perfecta requiris
Prendere præcelſis meritis veſtigia vitæ,
Omnia quæ proprio retines ſolus dominatu,
Diſtrahe, & ad miſeros confer ſecurus egentes:
Tunc theſaurus erit cæli tibi conditus arce,
Virtutiſque tenax veſtigia noſtra ſequeris.
Hæc adoleſcenti veniunt ubi dicta per aures,
Dejecit vultum, triſtiſque in tecta refugit.
Tum ſic diſcipulis vitæ ſpes unica fatur.
Difficile eſt terris affixos, divite gazâ
Avelli, cæliſque leves in regna venire.
Nam citiùs tenuis per acûs tranſire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,
Quàm queat ut dives cæleſtia regna videre.
Talibus attoniti comites, ſtupidiſque ſilebant,
Volventes, quæ tanta foret ſub pectore virtus
Humano, talem poſſit quæ prendere vitam.
Reſpicit æternæ juſtorum gloria vitæ,
Atque ait: Hæc homini forſan videantur acerba,
Sed Deus electis facilem præpandit in æthra
Poſſibilémque viam, virtus quam celſa capeſſat.
Tunc Petrus fidei munitus mœnibus, inſit,
Omnia noſtrorum projecta reliquimus olim,
Et tua juſſa ſequi nobis ſpes unica reſtat.
Quid noſtris animis ſupereſt? dic Chriſte, precamur.
Talibus ad Petrum verbis reſpondet Ieſus:
Vos quicunque meum mentis penetralibus altis
Credentes ſervatis iter, cùm ſederit altè
Progenies homini celſo quem cinget honore
Majeſtas, bis ſex illic pulcherrima virtus
Conſtituet vobis ſublimi in vertice ſedes:
Judiciúmque hominum pariter tractare licebit.
Hìc quicunque ſui linquet generiſque domúſque
Gazas, affectúſque omnes pro nomine noſtro,
Centuplicata dehinc capiet, vitámque perennem.
Primorum meritum poſtremi tranſgredientur,
Ultima præteriti capient vix præmia primi.

Matth. 20.

Sedulus ut ruris dominus, cui dulcia fundum
Pinguibus in campis latè vineta coronant,
Hic ubi progreſſus primo cum lumine ſolis
Conduxit juvenum fortiſſima robora, pactus
Unius in lucis certâ mercede laborem,
Et ſua tum juſſit cultu vincta poliri.
Ipſe ſed egrediens, ubi tertia venerat hora,
Invenit ecce alios, operiſque adoleſcere juſſit,
Pro meritis operum promittens præmia digna.
Illi non aliter læti præcepta ſequuntur.
Aſt ubi ſexta dehinc lucis tranſfluxerat hora,
Haud ſecus hinc alios juvenes conducere pergit.
Horáque nona dehinc ubi ſolis curſibus acta eſt,
Tunc alios pariter conductos juſſit adire.
Ultima labentis reſtabat portio lucis,
Egreſſus cernit juvenes, cauſáſque requirit,
Cur pigris manibus torperent otia lenta.
Aiunt conductoris quòd præcepta fuiſſent
Nulla: ſibi dominus mox hos inſiſtere ruri
Tunc etiam juſſit: ſed veſpere protinus orto,
Præcipit ut cuncti caperent mercedis honorem,
Æqualíſque omnes portarent præmia nummo.
Tunc manus illa virûm, primâ quæ luce laborem
Suſtulerat, factíſque diem toleraverat æquum,
Indignans ſecum tali cum murmure fatur.
Injuſtum eſt, iſtos ſimilem ut nos quærere nummum,
Ultima quos operi ſerò conduxerat hora.
Tum dominus ruris ſedato pectore fatur:
Illibata tibi mercedis portio ſalvæ
Redditur, & pacti ſervantur jura fidelis.
Iſtis de noſtro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomeravit portio ruri.
Nam multos homines dignatio ſancta vocavit.
E quis perminimam dignum eſt ſecernere partem.
Hæc ait, & Solymos repetit, comitéſque ſeorſum
Alloquitur, ſolitíſque iteris regionibus infit,
Ingredimur gnari, truculentáque mœnia adimus,
Filius hìc hominis tradetur ad ultima mortis,
Scribarum procerúmque ferens ludibria membris,
Affixúmque cruci poſt tertia lumina ſurget.
Hìc tum Zebedei conjux ſubmiſſa rogabat,
Ut Chriſto medio cæli ſublimis in arce
Felices nati dextrâ lævâque ſederent.
Tum quærit Chriſtus calicem ſi ſumere poſſent,
Quem ſibi præceptis inſtaret ſumere patris.
Reſpondent ſe poſſe ſimul. Tum talia Chriſtus:
Vos noſtrum calicem fas eſt potare, ſed altis
Sedibus æquali meoum conſidere honore,
Non hoc noſtra dabit cuiquam pro munere virtus.
Hæc certis genitor ſublimia dona reſervat.
Exin diſcipulos dictis pro talibus omnes
Commotos, tali ſermonis mulcet honore:
Gentibus infidis celsâ ditione poteſtas
Imponit, quemcunque ſuper dominantur eorum,
Exercéntque trucem ſubjectis urbibus, iram.
Vos hìc ſed longè tranquillior æquora vitæ
Concordi ſternit mitis moderatio pace.
Magnus & obſequiis creſcit ſuper alta miniſter,
Nec primus quiſquam, niſi cunctis ſerviat unus,
Eſſe poteſt, hominis natus ſic cuncta miniſtrat,
Obſequio ſolus proprio pia munera geſtans,
Pro multíſque animam pretioſo ſanguine ponit.
At vos ex minimis opibus tranſcendere vultis,
Et ſic à ſummis lapſi comprenditis imos.
Si vos quiſque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in ſummis devitet ponere membra
Quiſque ſapit, veniet forſan ſi nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu.
Quem tumor inflati cordis per ſumma locârat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiórque dehinc ſi mox conviva ſubibit,
Ad potiora pudens tranſibit ſtrata tororum.

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Joannis 12.

Proxima tum Solymis conſcendit culmina montis,
Ordinibus lucent quæ glaucicomantis olivæ.
Hinc lectis juſſit ſectantum diſcipulorum,
Obvia caſtelli monſtrans habitacula Chriſtus,
Indè aſinam pariter fœtu comitante reperiam,
Ducere, vel ſi quis cauſam diſquirere vellet,
Cur ſua tam ſubitò quoquam jumenta trahantur
Dicere tunc, operam dominum ſibi ſumere velle.
Diſcipuli celeri complent præcepta paratu,
Adducunt, molliſque ſuper velamina veſtis
Inſternunt, placidum pullum præbéntque ſedendum.
Hinc veteris quondam fluxit vox nuntia vatis,
Ecce venit placidus tibi rex, quem terga ſedentem
Præmitis geſtant aſinæ pullíque ſequentis.
Tum populi ſtratas præterunt veſtibus omnes,
Quáque iter eſt Chriſto ſubnixâ fronde coronant.
Proxima tunc alii ſpoliant palmeta virore,
Conclamántque omnes Davidis origine creto,
Oſanna, excelſis ſit gloria læta trophæis.
Sic adeò ingreditur Solymorum mœnia Chriſtus.
Ingreſſo occurrit primo ſub lumine templi
Cruribus atque oculis certatim debile vulgus.
Quos ubi tam ſubitò greſſu viſúque vigentes
Cuncta ſacerdotum cognovit factio mirans,
Et pueros templi complentes tecta canore
Oſanna egregia Davidis ſtirpe creato:
Tunc percontantur cuncti quæ cauſa tumoris

Im-

Impubem tantam tollat per gaudia plebem.
Chriſtus ad hæc: legis ſanctæ vos ſcripta tenere
Creditis, infantum quæ dicit ab ore venire
Lactentum, & linguis juſti conſargere laudem.
Hæc ait, ingratam linquens cum civibus urbem,
Bethaniámque petit, redíeuſque in margine cernit
Stratæ tendentem diffuſa umbracula ficum.
Illìc fortè cibi pertentans corda voluntas,
Arboris attrectat ramos, ſed nulla facultas
Pomorum, ſterilis frondis concreverat umbra.
Olli Chriſtus ait, non ſit tibi fructibus umquam
Copia promendis: tum protinus aruit arbos.
Diſcipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Chriſtus ſtupidis aſſiſtens talia fatur,
Nunc ligni iſtius noſtro ſtupuiſtis honore
Deſiſſe ad vires terrenos ducere ſuccos,
Sed veris verbis iterúmque iterúmque monebo.
Namque fides ſi certa animi conſiſtet in arce,
Nec dubiis nutans vitiis tremebunda jacebit,
Arboris iſtius vobis ſubſtantia cedet.
Nec tantùm iſtius, ſed montis celſa revelli
Credentum verbis poterunt, undíſque profundi
Cum ſylvis pariter, ſaxíſque ferſque recondi.
Et quæcunque fides robuſto pectore poſcet
Credentum, ſemper dignâ virtute tenebit.
Hæc ubi dicta dedit, templi ſe mœnibus infert.
Confeſtim proceres populi miracula rerum
Collecti inquirunt, virtus quæ tanta dediſſet.
Illis Chriſtus ait: Quærentibus omnia vobis
Dicere jam facile eſt, ſi nobis veſtra vicíſſim
Percontata priùs paucis ſententia ſolvat.
Nuper Joannis, puro qui gurgite lavit
Sordentes populi maculas, divina poteſtas,
An ne hominis potiùs vobis fallacia viſa eſt?
Hæc ait, ancipiti verborum pondere claudens
Captantum procerum mentem: Nam magna prophetam
Plebis Joannem veneratio ſuſpiciebat,
Nec poterant ejus fallacem dicere vitam.
Rurſus ſublimem dixiſſent ſi eſſe prophetam,
Occidiſſe illum traheret confeſſio culpam.
Se neſcire igitur reſpondit factio fallax.
Tum Chriſtus: Non eſt injuſtum claudere vocem,
Cùm mihi claudantur procerum reſponſa ſuperba.
Nam genitæ prolis genitor, majoris in aures
Talia dicta dedit, vitis mihi portio major
Semiputata jacet, ſed perge & robore forti
Nunc ſcrobibus, nunc falce premens, vineta retunde.
Tum juvenis ſeſe tam ſordida vincla laboris
Nolle pati memorat: poſt omnia juſſa parentis
Exequitur, damnánſque ſibi reſponſa coërcet.
Poſt alium natum ſimili ſermone jubebat
Ad vineta ſui dependere juſſa laboris.
Annuit his juvenis: nec dictis facta repenſat.
Dicite quis potiùs genitoris juſſa ſequatur?
Olli collaudant nati reſponſa prioris,
Proſequitur Chriſtus: Nunc vera advertite dicta:
Jam magis hinc cæli ſedem comprendere certum eſt
Corporis è vitiis, quærentes ſordida lucra,
Quàm veſtrûm quemquam. vobis nam venerat antè
Juſtus Joannes, ſed non eſt credere veſtrum.
Namque fidem potius meretricum pectora certam
Hauſerunt, ſordéſque animi poſuere pudendas.
At vos tantorum ſcelerum nil pœnitet unquam.
Sic quidam dives, cui jugera multa nitentis
Vineti ſepes circumdenſata coërcet,
In medio turrem prælúmque & dolia fecit,
Cultoréſque dedit, fructúſque locavit habendos,
Impoſitum ſtatuens mercedis ſolvere legem.
Tum longinqua petit, ſed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, quis portio ſalva
Cultorum certâ ruris mercede daretur.
Ecce colonorum rabies hos verbere ſævo,
Aſt alios lapidum proterrent undique telis.
Denique lethali proſternunt vulnere multos.
Tum dominus ruris plures incedere ſævos
Præcipit, & rurſum mercedis pacta repoſcit.
Major at in plures audax injuria ſurgit.
Ultima jam domino natum dimittere mens eſt,
Quòd ſobolem partémque ſui vis digna pudoris
Cultorum cordi venerandam poſceret eſſe.
Sed contrà illorum jam mens maculata cruore,
Progenie extinctâ domini ſibi poſt dominatum
Cedere credentes, crudeli vulnere fixum
Obtruncant, jaciúntque foras trans ſepta cadaver.
Poſt hæc, jam dominus veniet, pœnáſque repoſcet
Tantorum ſcelerum. ſed vobis tradita quondam
Fulgentis regni ſedes, tranſlata feretur
Ad gentem dignos quæ poſſit reddere fructus.
Matth. 22. *Luc.* 14. *Apocal.* 19.
Ut rex qui nato thalamorum vincula nectens
Præcepit, proceres convivia læta frequentent,
Accitos famulos voti regalis honorem
Concelebrare ſimul: cuncti ſed adire recuſant
Regales thalamos, regalis pocula menſæ.
Pòtè alios mittit, ſeſe largiſſima cuncta
Magnificáſque dapes, convivia læta paráſſe.
Illi neglectis dapibus, diverſa petebant:
Hic ædes proprias, hic ruris tecta propinqui,
Aſt alius potiùs merces ac lucra revilit.
Multi præterea miſſos qui ad læta vocarent,
Inſontes famulos rapiunt, & corpora ferro
In mortem cruciant: tum rex ubi comperit acta,
Millibus armatis cives cum mœnibus ipſis
Subruit, effuſi famulorum ſanguinis ultor.
Tunc ſervis fatur: Nunc feſta jugalia cœnæ
Prælargis dapibus quæcunque inſtruximus illi,
Contempſere meis proceres contingere menſis.
Ite igitur properè per publica ſepta viarum,
Et quoſcunque illic caſus glomeraverit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete vocantes.
Progreſſi famuli per compita læta viarum,
Inventos duxere ſimul. Jam denique cunctæ
Complentur menſæ mixtæ ſinè nomine plebis.
Hic juſti injuſtíque ſimul cubuere vocati.
At rex ingreſſus convivia læta reviſit.
Hic videt indutum pollutæ veſtis amictu,
Lætitiæ thalami fuerat quæ diſſona longé.
Iſque ubi regalis ſermonis pondere cauſas
Reddere pro veſtis maculis, & labe jubetur,
Oppreſſo tacuit non puri pectoris ore.
Et tunc converſus famulis rex præcipit illum
Connexis manibus pedibúſque & corpore toto,
In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illìc ſtridor erit vaſti ſinè fine doloris,
Et ſemper fletus, multis jam ſæpe vocatis,
Paucorum feliz hominum ſelectio fiet.

LIBER IV.

Matth. 24. *Marc.* 12. *Luc.* 20.

TALIA dicentem confeſtim factio frendens
Tentare aggreditur verbis cum fraude malignis:
Certum eſt veridicum te nunc veniſſe magiſtrum,
Nec quenquam metuens, domini veſtigia ſervas.
Dic ergo, an liceat noſtræ diſſolvere genti
Cæſaris urgentis ſemper ſub lege tributum?
Ille ſed inſpiciens ſævi penetralia cordis,
Cur tentatis, ait, nunc me concludere verbis?
Fallacis mentis prodit fallacia fructum.
Adſpicite en nummum, ſculptíque nomiſmatis æra,
Cæſaris expreſſum proprium eſt tibi cernere vultum.
Solvite nunc illi proprium ſub lege tributum,
Atque Deo proprium legis ſervetis honorem.
Pòſt Sadducæi tali cinxere latratu:
Moſea, qui legum poſſit præcepta, jubere,
Si quis conjugium properatâ morte relinquet,
Pignoribus mediis nondum de germine cretis,
Hujus germano rurſus ſociabile vinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapſi.
Finibus in noſtris ſeptem germana fuerunt
Corpora, ſed major natu cùm vincula nuptæ
Sumpſit, præceleri cecidit ſub acumine mortis.
Pòſt alius frater thalami ſinè fructibus æquè
Concidit, & cuncti jacuere ex ordine fratres:
Unius & cunctos fletus gemuere maritæ.
Pòſt ipſam rapuit gelidæ inclementia mortis.
Si venient igitur cuncti ſub lumina vitæ,
Cujus connubiis mulier reddenda reſurget?
Illis Chriſtus ait, errori obnoxia pravo,
Legibus, & juſſis Domini mens dura reſiſtit:
Neſcia virtutum & legum mens decolor errat.
Namque ſequenda dehinc lætæ reparatio vitæ,
Non thalamos novit, non terræ gaudia vana:
Sed ſimiles levibus genitoris juſſa miniſtris
Conſtituet regni virtus ſublimis in aulâ.

Nec

Nec Deus illorum dominum ſe ponere mavult,
Qui tetram proni meruerunt ſumere mortem,
Sed potiùs vitæ poſſunt qui prendere lucem.
Ecce alii rogitant, quæ ſit firmiſſima legis
Regula, quod ſummum comprendat cætera verbum.
Ille indefeſſus nulli reſponſa negabat.
Sublimem cæli dominum devotio cordis
Diligat, eſt iſthæc virtus firmiſſima legis.
Conſimile eſt illi, magno teneantur amore
Ad jus fraternum juſtæ penetralia mentis.
His etenim geminis dependent omnia juſſis.
Sed vobis cujus ſoboles ventura videtur
Chriſtus, quem cuncti ſpondent in ſecla prophetæ?
Reſpondent illum Davidis germine naſci.
Proſequitur Chriſtus: Cur illum dicere David
Divino ſtatu ſcriptum eſt dominúmque Deúmque,
Quod proprio patrem non æquum eſt dicere nato?
Talia ſalvator: cuncti obſtupuere ſilentes.
Ille ſed accità credentum plebe profatur,
Adſpicite ſcribas ſublimi ſede ſuperbos:
Hi quæcunque docent, juſtum eſt comprendere cordis
Obſequio, maculas ipſorum temnite vitæ.
Abrupta imponunt humeris nam pondera veſtris,
Ipſi quæ digito ſaltem contingere nolunt.
Accubitu primo cœnæ, faſtúque ſuperbo,
Atque ſalutantum vano tolluntur honore,
Et nomen ſublime volunt geſtare magiſtri.
Sed vos noluerim præcelſi nominis arcem
Affectare, tamen vobis eſt una magiſtri
Impoſita æternum cæli de lege poteſtas,
Vos eadem fratrum parili conjunxit amore.
Unus item pater eſt, cæli qui in culmine regnat.
In vobis, ſi quis ſublimia colla levabit,
Decidet, & baratri mergetur ad ultima cœno.
Aſt humilis claram conſcendet liber in æthram.
Deflendi ſemper ſcribæ, & lachrymabilis ævi
Cæca Phariſæe cunctis fallacia plebis.
Nam vobis itiner clauſum quia jure negatur,
Non finitis quenquam penetrare per ardua lucis.
Et cunctos trahitis ſævæ ad conſortia flammæ.
Vos ſimiles dicam tectis ſplendore ſepulchris,
Queis facies nitida eſt, internáque turpia buſtis.
Sic vox velatur juſtæ ſub imagine vitæ,
Atque adytis mentis celantur ſordida corda.
O Solymi Solymi, ferro qui ſæpe Prophetas
Ad veſtram miſſos vitam ſinè fine necâſtis,
Quàm volui veſtram gentem populúmque tueri,
Ales utì molli ſolita eſt ſub corpore pullos
Obice pennarum circùm complexa fovere!
Sed vobis ſemper cæleſtia munera ſordent.
Deſeritur jam nunc domus hæc vaſtata ruinis,
Nec vobis noſtrum fas ultra eſt cernere vultum.
Egreditur templo, cujus præcelſa notantes
Mœnia diſcipulos, tali ſermone docebat:
Hæc operum vobis miracula, digna videntur
Obtuſu ſtupido, veris ſed diſcite dictis,
Quòd mox cuncta ſolo paſſim disjecta jacebunt.
Hæc ad Oliveti dicens pervenerat arcem.
Diſcipuli ſolum poſtquam videre, rogabant
Ut ſibi venturi tempus diſtingueret ævi,
Promiſſa ipſius quem poſcant prendere finem,
Cujus & adventus terræ conſumeret orbem.
Quærentum verbis reſpondet talia Chriſtus.
Obſervate dolum, falſo ne nomine capta
Credulitas, laqueis errantum præcipitetur.
Diſcurrent cunctis bellorum incendia terris.
Sed vos prævalido conſiſtite robore cordis,
Ne mens accepto jaceat turbata tumultu.
Non etenim prima imponent mox prælia finem.
Gentibus & gentes, & regibus obvia reges
Signa ferent, nec tunc morbi corrumpere tractum
Aëris, aut peſtes proſternere corpora parcent.
Fiſſa etiam ſolido per inania pondere tellus,
Per diverſa loci, motu quaſſante tremiſcet.
Hæc in primitiis tentamina parva manebunt.
Prodentur multi veſtrum, lethóque dabuntur,
Próque meo vobis incumbere nomine gentes
Tormentis pœnſſque feris, odiſſque neceſſe eſt.
Livor erit terris, erroribus omnia plena,
Et falſi ſurgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter, ſi quis protectum à vulnere pectus
Ad finem ſervare queat, ſublimia lucis
Æternis vitæ ſertis redimitus adibit.
Regnorum cæli celebratio pervolitabit
In cunctas terræ metas: gens omnis habebit
Teſtem luciſluo ſanctæ ſermone ſalutis.
Et tunc finis erit, currentia ſecula ſolvens.
Adveniet jam tunc triſtis deflctio terris,
Quæ Danielis habet juſſam veriſſima vocem.
Hæc dignus tantum poterit cognoſcere lector.
Judæi longè fugient, montéſque capeſſent,
Nec quiſquam domibus repetet ſuſtollere ſecum
Quæ fuga conſocict, veſtémve aut mobile quicquam.
Deflendæ tum ſunt uteri cum pondere matres,
Et miſeros fœtus dulci quæ lacte rigabunt.
Poſcite jam precibus triſtis ne frigore brumæ
Adveniat fuga veſtra, aut ne tunc ſabbata feſta
Anceps præcipiti turbet trepidatio curſu.
Nam cunctis venient ſæviſſima pondera terris.
Tale malum non ſecla priùs, nec poſtera nôrunt.
Et ni ſublimis genitor decerpere tempus,
Et numerum miſeræ vellet breviare dierum,
Nulla dehinc trepidæ ſuperarent corpora vitæ.
Sed propter lectos veniet miſeratio juſtos.
Nomine fallentes Chriſti, falſíque prophetæ
Exurgent terris, & monſtra potentia fingent,
Quæ forſan lectos capient miracula juſtos.
En prædicta patent inſtantia ſecula vobis.
Deſertis ſi quis Chriſtum peragrare loquetur,
Occulteſque procul penetralibus eſſe repoſtum,
Longè credulitas abſit vaniſſima vobis:
Sicut enim fulgur cælum tranſcurrit apertum,
Et cerni facilè eſt cunctis orientis ab oris
Uſque ſub occiduum cæli vergentis in orbem:
Sic rapido adventu clarebunt lumina Chriſti.
Sol rutilus furvis radios abſcondet in umbris,
Amittet curſum Lunaris gratia lucis,
Ignicomæque ruent ſtellæ, cælúmque relinquent.
Omnis item virtus cæli commota ſuperni
Signa dabit, proles hominis quîs vertice cæli
Clareat, omnigenáſque tribus defectio lucis
Urgebit, venict cum nubibus ignicoloris,
Majeſtate potens hominis per ſydera natus.
Tum tuba terrifico ſtridens clangore vocatos
Juſtos, quadrifido mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præſens generatio ſecli,
Donec cuncta ſequens claudat ſibi debita finis.
Hæc tellus cælúmque ſuper ſolventur in ignes,
Sed mea non unquam ſolventur ab ordine dicta.
Quis ſit at ille dies, neſcire eſt omnibus æquum,
Nî ſoli rerum domino, qui ſydera torquet.
Ut quondam terras undæ involvere furentes,
Et diverſa ſibi tractantes munia cunctos
Diluvii rapuit ſubito violentia tractu:
Sic ſubitas flammas volvens deſcendet ab æthrâ
Adventus noſter, nec cunctos ille ſub unâ
Conditione premet. nam tunc ubi jugera lata
Infindent duo depreſſis ſub vomere ſulcis,
Unus correpto tolletur corpore arator,
Ignarúſque alius vaſto linquetur in agro.
Uno quinetiam recubantes ſtramine lecti,
Diſpar judicium diverſâ ſorte ſubibunt.
Unus enim ſocium quæret per ſtrata relictus.
Idcirco famuli vigilent, quia neſcius illis
Adventus domini ſubitas deſcendet in horas.
Præmonitum furis tempus ſi inſiſtere ſciret,
Quiſque domûs cuſtos vigilaret, & obvia ferret
Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes.
Sed vos intentis animis aſſiſtite ſemper:
Namque repentinus vobis ſubitúſque recurret
Filius hic hominis, juſtis ſua præmia ſervans.
Ille fidelis erit ſervus, cui credere cunctas
Ædes & famulos voluit per longa profectus
Vir pater ipſe domûs: ſapiens nimiúmque beatus,
Quem veniens dominus ſervantem juſſa videbit,
Illum majori famulum cumulabit honore.
Aſt ille infelix, qui obſcœnè luxuriatus
Tardantem contemnit herum famulóſque fatigat
Verberibus, feguſſque indulgens ebrietati
Luxurioſorum convivia concelebrabat.
Adveniet dominus, ſervúmque incauta furentem
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet.
Illum perpetuus fletus ſtridórque manebit.

Matth. 25.

Conferri poſſunt cæleſtia regna puellis
Bis quinis: quarum pars eſt ſapientior una.
Altera præſtupido pars eſt ſtolidiſſima corde:
Occurrere illi votis ſponſalibus omnes

Ornatu

Ornatu accinctæ tedarum flammicomantium.
Sed ſapiens pars illa, ſibi quo lumina flammæ
Suſciperet, portare ſimul curabat olivum.
Stultarum verò non eſt prudentia talis.
Cúmque moraretur ſponſus, tum membra ſopore
Solvuntur cunctis per compita lata viarum.
Jam noctis medio clamor crebreſcere magnus
Incepit, lætóque dehinc occurrere voto
Admonuit, tedíſque vias ornare coruſcis.
Surgere tunc properant, & claro lumine tedas
Inſtruere, & flammas pingui componere olivo.
Tum ſtolidæ rogitant olei ſibi cedere partem
Prudentes, ſecum quod tum geſtare videbant.
Sed quoniam ſapiens pavitat chorus, omnibus æquè
Ne deſint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Ex parvo æqualis ſi detur portio cunctis.
Tum pergunt ſtultæ, liquidum ut mercentur olivum.
Dum pergunt, lætæ tranſcurrunt omina pompæ,
Et ſponſo tantùm comitatur factio prudens.
At veniunt fatuæ ſero poſt tempore ſegnes,
Et ſponſi pulſare fores, & limina clauſa
Nequicquã ingeminant, precibúſque ingrata frequentant,
Ut liceat miſeris penetrare in limina læta.
Illas non comitum ſponſi cognoſcere quiſquam,
Non ſponſus voluit. quare vigilate timentes,
Adventûs vobis quòd non eſt certior hora.
Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens ſervis tractanda talenta,
Uni quinque dedit, duo cepit & alter habenda:
Tertius unius curam tractare talenti
Suſcepit, vires quoniam diverſa merentur.
Sed major quibus eſt concredita portio nummi,
Certatim duplis auxerunt munera donis.
Ille ſed unius cui credita cura talenti eſt,
Telluri infodiens condit ſinè fructibus æra.
Jámque aderat præſens dominus: tum primus & alter
Se geminâſſe illi pariter concredita monſtrant.
Illos laudat herus, potioráque credere tantæ
Promittit fidei: ſed tertius ille refodit,
Reddidit & domino tali cum voce talentum:
Quòd ſcirem domino memet ſervire ſevero,
Qui meteret ſegetes alieno ſemine cretas,
Extimui, argentúmque tuum concredere terræ
Malui, utì ſemper ſalvum tibi reddere poſſem.
Tum dominus famulo reſpondens, talibus infit:
Si neſcire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ veniam concedere poſſem.
Hoc igitur gnarum potiùs præſtare decebat,
Ut fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter ſegni tollatur portio noſtra,
Prudentíque dehinc detur poſſeſſio major,
Quem duplis cumulâſſe lucris mea quinque talenta
Inveni: namque eſt certum potiora mereri,
Cui res uberior cumulatæ ſortis abundat.
At cui parva ſubeſt ſegni ſubſtantia corde,
Id minimum penitus juſtè tolletur ab illo.
Et nequam ſervus tenebras demerſus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ ſtridore frequentet.
En hominis natus veniet, patríſque miniſtris
Stipatus, celsâ judex in ſede ſedebit:
Tunc gentes cunctæ diverſis partibus orbis
Convenient, juſtóſque omni de labe malorum
Secernet, dextráque libens in parte locabit.
At pravos lævâ deſpectos parte relinquet.
Ut paſtor pecoris diſcernit paſcua mixti,
Lanigeris dextræ permittens mollia parti:
At lævos hirtis dumos tondere capellis.
Sed rex ad dextros converſus talia dicet:
Huc veniant ſancti, jamdudum debita ſumant
Dona patris, mundo quæ ſunt æquæva nitenti,
Et juſtis primo promiſſa parantur ab ortu.
Namque fame feſſum quondam me grata refecit
Hæc plebes, potúque ſitim mihi ſæpe removit,
Hoſpitiúmque domûs patuit mihi ſæpe vocato:
Et nudus veſtis blandiſſima tegmina ſumpſi:
Carceris & pœnis horum ſolatia cœpi.
Tum Domino tali reſpondent voce beati.
Non meminit noſtrûm quiſquam te viſere nudum,
Nec famis oppreſſum durâ ditione notavit,
Carceris aut pœnis meminit vidiſſe revinctum.
Reſpondens illis dicet tum talia judex:
Fratribus iſta meis, humiles miſerando labores,
Qui fecit, certum eſt dulcem mihi ponere fructum.
At vos injuſti, juſtis ſuccedite flammis:
Et pœnis ſemper mentem terrete malignam,
Quas pater horrendis barathri per ſtagna profundi
Dæmonis horrendi ſociis, ipſque paravit:
Namque ſitim paſſo quondam mihi pocula nulla
Nec famis in pœnâ parvi mihi fragmina panis,
Aut peregrina mihi tecti, veſtíſve parumper
Tegmina de magnis gracili pro parte dabantur.
Carceris haud ſepto clauſtris morbíſve jacenti
Unquam viſendi ſolatia veſtra fuerunt.
His damnata dehinc reſpondet factio verbis.
Haud equidem noſtrûm meminit te viſere quiſquam,
Aut ſitis aut ſævæ famis ægrum agitare laborem,
Hoſpita vel feſſis errare per oppida rebus,
Carceris aut merſum pœnis, morbóve gravatum:
Ut tibi ſollicito fieret miſeratio juſta.
His rerum dicet dominus: cùm veſtra ſuperbo
Anguſtis rebus feritas ſub corde tumebat,
Calcavíſque humiles minimos, me ſprevit in illis.
Hæc ubi dicta dabit, meritis ſua præmia reddet:
Æternùm miſeri pœnâ fodientur iniqui:
Æternúmque ſalus juſtis conceſſa manebit.

Joannis II.

Talia dum loquitur, ſciſſos lacerata capillos
Pro fratris morbo juſtis ſoror anxia curis,
Hortatur juvenem rapido præcurrere greſſu,
Talibus ut tantis Chriſtus ſervaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
Obſequio cujus fratrémque domúmque merentem
Complexus pleno Chriſtus retinebat amore.
Nuntius adveniens narrat ſub agone jacere
Dilectum Chriſto juvenem, per triſtia morbi,
Et lethi & vitæ confinia ſumma tenere.
Lazarus hic habuit nomen, ſed Chriſtus amaris
Perculſus verbis: Non eſt, ſi creditis, inquit,
Ad lethum ducens illhæc violentia morbi:
Sed Deus ut digno juſtis celebretur honore,
Et ſoboles hominis ſanctâ virtute niteſcat.
Tunc ad diſcipulos, dormit jam Lazarus, inquit,
Sed charum juvenem faciam conſurgere rurſus.
Reddunt diſcipuli: ſomno ſuccedere plena
Et remeare ſalus poterit: nec mente ſequuntur
Quod mortem ſomni dixit ſub nomine Chriſtus.
Errorem quorum tali ſermone removit:
Lazarus in lethum cecidit, ſed gaudia menti
Hinc veniunt, veſtrámque fidem mihi fortiùs armant.
Cernitis abſentem longè quoque cuncta videre.
Sed properemus, ait. Didymus tunc talia fatur:
Pergamus, paritérque omnes procumbere letho
Cogamur, toties quod gens Judæa minatur.
Hæc ait, & cuncti Chriſto præeunte ſequuntur.
Jámque aderat Chriſtus. fuerat ſed fortè ſepulto
Quarta dies, merſáſque atris de morte tenebris
Germanas, luctus lacrymoſáque tecta tenebant.
Convenere illuc ſolatia debita dantes
Judææ gentis proceres, charíque propinqui.
Sed Martha audito Chriſtum veniſſe, cucurrit
Obvia, deſeruítque domum, mœſtámque ſororem:
Et procul, ô utinam præſens nobis tua virtus
Afforet, haud morti frater ceſſiſſet acerbæ.
Nam quicquid poſcis, certum eſt tibi poſſe venire.
Quam dominus tali ſolatur voce gementem.
Robuſtam mentem mulier virtute reſume,
Lazarus hæc vitæ rediviva in lumina ſurget.
Et mulier, certè ſurgent in munera vitæ
Mortales cuncti, veniet quum terminus orbi.
Chriſtus item ſancto depromit pectore vocem:
En ego ſum claræ vobis reparatio vitæ,
In me qui credit mortem deponere ſumptam,
Et vitam poterit jugi comprendere ſecla:
At quicunque fidem vivo ſub pectore ſumet,
Horrida non unquam continget limina mortis.
Iſthæc num credis puro de pectore Martha?
Illa dehinc: hæc una fides mea corda tenebat,
Sublimis veneranda Dei quòd venerit, in te
Cæleſtis ſoboles celſo ſub nomine Chriſti.
Hæc ait, & Mariam curſu monitura ſororem
Interiora petit ſanctum veniſſe magiſtrum:
Et pariter luctu oppreſſam vocitare ſororem,
Admonuit tacito deſignans omnia nutu.
Proſilit illa foras, audito nomine Chriſti,
Proſequitúrque ſimul Solymorum turba gementem,
Credentum tumulo fletus inferre ſorores.
Illa ſalutiferum poſtquam conſpexit Ieſum,
Procidit antè pedes, rupítque hanc pectore vocem:

Si

Si mihi germanum potuiſſes viſere vivum,
Lazarus haud poterat duræ ſuccumbere morti.
Fletibus hìc Chriſtus ſocians de corde dolorem,
Inquirit tumuli ſedem, quo condita nuper
Membra forent, animæ volucris ſpoliata calore.
Haud mora, demonſtrant flenti mœſtóque ſepulchrum
Rupe ſub excisâ, lapidis quod pondere clauſum
Ut vidit ſanctus, multo mox vecte moveri
Præcipit. At Marthæ talis vox verberat aures:
Quatuor en luces, totidémque ex ordine noctes
Prætereunt, quo membra ſolo compoſta quieſcunt.
Crediderim corpus motu fugiente caloris,
Fœtorem miſerum liquefactis reddere membris.
His dictis contra depromit talia Chriſtus:
Jam totiens dictum eſt, magnis conſiſtere rebus
Credentum virtute fidem, ſed gloria ſummi
Jam genitoris adeſt, fidei ſi robur habetis.
Hæc ubi dicta dedit, ſaxúmque immane revulſis
Obicibus patuit, virtus mox conſcia cælum
Suſpicit, & tali genitorem voce precatur:
Eximias grates genitor tibi ſancte fatemur:
Me placidus ſemper venerandis auribus audis.
Sed populus præſens me miſſum credere diſcat.
Hæc ubi dicta dedit, tumuli mox limine in ipſo
Reſtitit, adverſo complens cava ſaxa canore.
Lazare ſopitis redeuntem ſuſcipe membris
En animam, túque ipſe foras te prome ſepulchro.
Nec mora: connexis manibus pedibúſque repentè
Procedit tumulo: vultum cui linea texta,
Et totum gracilis connectit faſcia corpus.
Tum ſolvi juſſit lætúmque ad tecta remittit.
Judæi poſtquam factum venerabile cernunt,
Qui tantùm Mariam fuerant Marthámque ſecuti,
Pars credens ſequitur tantæ virtutis honorem:
Aſt alii repetunt urbem, procerúmque ſuperbis
Gunda Phariſæis rerum miracula narrant.
Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Joannis* 11.
Ergo ad concilium ſcribæ, plebíſque vocatur
Jam gravior numerus, quà vatum principis altè
Pulchra Caïphæ collucent atria ſedis.
Illìc complacuit Chriſtum proſternere letho.
Sed vitare dies paſchæ, ne plebe frequenti
Diſcordes populi raperent in bella furorem.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra
Virtute ipſius diffugerat: ecce cubanti
Accedit mulier propiùs, frangénſque alabaſtrum,
Quo pretioſa inerant latè fragrantis olivi
Unguenta, ab ſummo perfudit vertice Chriſtum.
Diſcipuli increpitant, fantes potuiſſe juvari
De pretio unguenti miſerorum corpora egentum.
Has dominus prohibet voces, factúmque probavit,
Deſinite obſequio juſto prohibere puellam:
Pauperibus ſemper dabitur ſuccurrere tempus,
Sed me non ſemper tribuetur viſere vobis.
Funeris iſta mei multum laudanda miniſtrat
Officio, mundúmque implebunt talia facta.
Tunc è diſcipulis unus ſe ſubtrahit amens
Judas, & ad proceres tali cum voce cucurrit:
Quod pretium ſperare datur, ſi prodere vobis,
Quæſitúmque diu poſſim monſtrare magiſtrum?
Argenti ter dena illi mox pollicebantur
Pondera, dehinc Judas ſceleri ſe ſubdidit alto.
Jámque dies paſchæ primo proceſſerat ortu,
Diſcipuli quærunt, ubi cœnam ſumere paſchæ
Vellet, at ille ſibi quendam ſinè nomine quæri,
Ultima qui domini caperet mandata, jubebat.
Veſpere mox trino bis ſex recubantibus unà
Diſcipulis, tali divinat voce magiſter:
En urget tempus, Chriſtum cùm tradere morti
E vobis unus ſcelerato corde volutat.
Continuò cuncti quærunt quis talibus auſis
Inſano tantum cepiſſet corde venenum.
Ille dehinc, epulis mecum nunc veſcitur inquit:
Sed ſoboles hominis quondam præſcripta ſubibit
Supplicia ad tempus, miſerabilis ille per ævum
Qui juſtum trader, quantò felicior eſſet
Si nunquam in terris tetigiſſet limina vitæ!
At Judas graviter tum pectora conſcia preſſus,
Nunquid, ait, Judam talis ſuſpicio tangit?
Reſpondit Dominus, te talia dicere cerno.
Hæc ubi dicta dedit, palmis ſibi frangere panem,
Diviſúmque dehinc tradit, ſanctéque precatus
Diſcipulos docuit proprium ſe tradere corpus.
Hinc calicem ſumit dominus, vinóque repletum
Magnis ſanctificat verbis, potúmque miniſtrat,
Edocuitque ſuum ſe diviſiſſe cruorem.
Atque ait: Hic ſanguis populi delicta remittet:
Hunc potate meum: nam (veris credite dictis)
Poſthac non unquam vitis guſtabo liquorem,
Donec regna patris melioris munere vitæ
In nova me rurſus concedent ſurgere vina.
Exin cantato ſanctis concentibus hymno
Montis Oliveti conſcendunt culmina cuncti.
Talia tum Chriſtus depromit pectore verba:
Omnes præſentis noctis vos tempore longè
Diſperget miſerè deſerto principe terror.
Sic etenim ſcriptum eſt, paſtoris caſibus omnes
In diverſa fugam capient per rura bidentes.
Pòſt ubi vita novos cæli mihi reddet honores
Præveniam, veſtróſque choros genitalibus arvis
Grata Galilææ volitans per rura docebo.
Reſpondit Petrus, cunctos ſi credere fas eſt
Quòd tua labentes poſſint præcepta negare,
Sed mea non ullus mutabit pectora caſus.
Ille dehinc: Nox hæc quæ lucida ſydera terris
Inducet, lucémque premens nunc incubat undis,
Audiet, ut trinis pavidus mendacia verbis
Dices, & Chriſtum fortiſſime Petre negabis,
Et priùs alitibus reſonent quàm tecta domorum.
At Petrus: Duram mortem mihi ſumere malim,
Vox oblita ſuum quàm deneget iſta magiſtrum.
Has vires cordis perſtant promittere cuncti.
Nominis hebræi ſunt Gethſemaneida rura,
Illò progreditur vitæ luciſque repertor,
Quem mox diſcipuli Judâ fugiente ſequuntur,
Atque illìc reliquos juſſit reſidere miniſtros.
Ille ſed aſſumpto longè procedere Petro,
Zebedeſque ſimul natis, per devia tendit:
Tunc angore gravi mœſtus ſic voce profatur:
Triſtia nunc volvens animus mihi pectora turbat
Morte tenus, ſed nunc vos ſegnem excludite ſomnum,
Sollicitámque ſimul vigilando ducite noctem.
Hæc ait: & paulùm procedens corpore terram
Deprimit, & tali projectus voce precatur:
Si fas eſt genitor, calicis pertranſeat hujus
Incumbens valido nobis violentia tractu.
Sed tua jam veniat potiùs quàm noſtra voluntas,
Quæ tibi decreta eſt tantis ſententia rebus.
Tunc ad diſcipulos repedat: ſed ſomnus anhelis
Proſtratos terrâ membris diſſolverat omnes.
Tunc ait ad Petrum: Non eſt tibi ponere virtus
Unam pervigilem tantis ſub caſibus horam?
Sed vigilate precor, ne vos tentatio raptos
Horrida præcipitet ſævæ per lubrica mortis.
Spiritus iſte viget, ſed corpus debile lapſat.
Receſſit rurſus ſecreti montis in arcem,
Orabátque patrem: Rerum mitiſſime rector,
Hunc quoniam calicem non eſt tranſire facultas,
Jam tua præveniat noſtrâ de ſorte voluntas.
Rurſus diſcipulos ſomni ſub pondere preſſos
Invenit, & rurſus per idem genitore precato,
Alloquitur feſſo nexos languore quietis:
Jam dormire licet, ſociósque reviſere veſtros,
Nam venit ecce meum qui dedat in omnia corpus,
Quæ maculata meis imponet factio membris.
Cum dicto, Judas numero ſtipante catervæ
Advenit procerum juſſu populíque ferocis.
Pars ſtrictis gladiis, pars fidens pondere clavæ
Signa ſequebantur Judæ promiſſa furentis.
Oſcula nam pepigit ſeſe contingere Chriſti,
Quò facilè ignotum caperet miſerabile vulgus.
Ille ibi diſſimulans blandâ cum voce ſalutat,
Attigit & labiis juſti miſerabilis ora.
Continuò Chriſtus: Totum complere licebit,
Huc veniſſe tuo quæcunque eſt cauſa paratu.
Injecere manum turbæ, Chriſtúmque prehendunt.
Tunc è diſcipulis unus fulgente machærâ
Occurrit vatis famulo ſublatus in iram,
Tempore & exciſam rapuit vi vulneris aurem.
Olli Chriſtus ait, gladium tu ponito noſter:
Nam quicumque ferox confidit vindice ferro,
Hunc juſti ſimilis ferri vindicta manebit.
An ego non poſſum cæleſtia caſtra vocare,
Et patris innumeras in prælia ducere turmas?
Sed ſcriptura meis complenda eſt debita rebus.
Vos autem ſtricto quid me comprendere ferro,
Fuſtibus & gladiis concurritis? En ego vobis
Occurro, templi mediâ qui ſemper in arce
Vobiſcum

Vobiſcum reſidens docui, nec talia quiſquam
Inſonuit, tantis circumlatratibus audax.
Diſcipuli paſſim Chriſto fugere relicto.
  Jámque Caïphæâ ſteterat ſalvator in aulâ,
Convenere omnes ſcribæ procerésque vocati.
At Petrus longè ſervans veſtigia ſolus,
Occultè mœſtus ſedit cum plebe miniſtrâ
Extremum opperiens tanto ſub turbine finem.
Ecce ſacerdotes falſos conquirere teſtes
Incumbunt, fictáſque volunt contexere cauſas,
Quîs mortem inſonti poſſent imponere Chriſto.
  Sed nullus tanto viſus ſatis eſſe furori.
Tandem proſiliunt teſtes, qui dicere Chriſtum
Audîſſent, templum quòd ſolus vertere poſſet,
Et verſum trinis iterum inſtaurare diebus.
Ipſe ſacerdotum princeps urgere tacentem
Inſiſtit fervens furiis, ac talia fatur:
Cur nihil ad tantas nunc reſpondere querelas
Convictus veris procerum ſub teſtibus audes?
Adjurabo tamen ſummi per regna tonantis,
Ut fateare palam, ſi fas te credere Chriſtum.
Ille dehinc tali compellat voce ſuperbum:
Iſthæc ſola tibi procedunt pectore verba,
Vera tamen veniet vobis viſenda per auras
Majeſtas, proles hominis virtutis ad altæ
Cùm ſedeat dextram, per nubes ignicolores.
Talibus auditis, ſcindit de pectore veſtem,
Inſultat furiis & cæco corde ſacerdos,
Atque ait: Audîſtis pugnantis fœda prophani
Verba Deo: polluta malis conſurgat in iras
Relligio, & veſtram cuncti jam pandite mentem.
Conclamant omnes, mortſque addicere certant.
Tunc ſanctam Chriſti faciem ſputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphíque in vertice crebri
Inſultant, verbíſque omnes illudere certant:
Chriſte, prophetabis cujus te palma cecidit.
  At Petrum mulier triſtem quòd viderat intus,
Tûne etiam juvenis fueras comes additus, inquit,
Iſti, quem ludens procerum ſententia damnat?
Ille negat, tectíſque foras ſe promere tentat.
Ecce ſed egreſſum primo ſub limine cernens
Altera, conſimili prodebat voce miniſtris.
Rurſus perjurans illum ſe nôſſe negavit.
Tunc percontantem multi acceſſere ſequentes,
Déque ſono vocis ſeſe cognoſcere dicunt,
Cuncta Galilæam ſtreperent quòd verba loquelam.
Et Petrus juratus devotis omnia verbis
Neſcire affirmat, quiſquis foret ille negando.
Hanc vocem, plauſum quatiens ſub culmine tecti
Ales proſequitur cantu, mentémque Simonis
Circumſtant triſtem verbis præſagia Chriſti,
Egreſſúſque dehinc ploratus fudit amaros.
  Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Joann.* 18.
  Sidera jam luci concedunt, & rapidus ſol
Progreditur, radiis terras crepitantibus implens,
Jámque è concilio Chriſtum poſt terga revinctum
Prælidis ad gremium magno clamore trahebant.
Interea celſum Dominus ſtans ante tribunal,
Talibus exceptum Pilatus vocibus urſit:
Tu rex Judææ gentis (quod dicitur) aſtas?
Reſpondit Chriſtus, Veſtris hæc audio verbis.
Exin terribilis juſti accuſatio ſurgens
Infremit, & ſanctum mendax facundia preſſat.
Reſpondere nihil trucibus dignatur Ieſus.
Pilatus quærit quænam ſit cauſa tacendi.
Ille magis perſtans miranda ſilentia ſervat.
Solemni ſed fortè die concedere leges
Unum damnati capitis de more jubebant.
Et fuit in vinclis famoſo nomine latro,
Quem Chriſto infenſus populus dimittere vitæ
Ardebat: trucibus ſomno, ſed territa viſis
Pilati conjunx juſti decedere pœnâ
Mandatis precibúſque virum ſuſpenſa rogabat.
Tum judex iterum procerum diſquirere mentem
Tentat, & inſtanti cuperent quem ſolvere pœnâ,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
Sed proceres populum fusâ ambitione rogabant,
Latronem legi peterent, Chriſtúmque necarent.
At poſtquam procerum incendit ſententia vulgus,
Latroníſque petit potiùs ſibi cedere vitam,
Conſuluit præſes populum, quid vellet Ieſu?
Plebs incenſa malo, ſævos miſcere tumultus,
Et crucis ad pœnas iterúmque iterúmque petebat,
Qui regis nomen cuperet, qui Cæſaris hoſtem
Confeſſus ſeſe proprio damnaverit ore.
Denique vi victus, deteſtatúſque cruentum
Officium, increpitans ſe libera ſanguine ab hujus
Corda tenere ſibi, corámque à crimine palmas
Abluit, ut genti tantùm macula illa maneret:
Hoc magìs inclamant: nos nos cruor iſte ſequatur,
Et genus in noſtrum ſcelus hoc, & culpa redundet.
Pilatus donat plebi legíque Barabam,
Et crucis ad pœnam vinctum concedit Ieſum.
  Proditor at Judas poſtquam ſe talia cernit
Accepto ſceleris pretio ſignâſſe furentem,
Infelix ægris damnans ſua geſta querelis,
Argentum & culpans ſacram projecit in ædem:
Exorſúſque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficûs de vertice mortem.
Indè ſacerdotes (precium quòd ſanguinis eſſet)
Illicitum fantes adytis jam condere templi:
Quod dare tum licitum dum ſanguis diſtraheretur,
Credebant, agrum mercati nomine vero
Sanguinis, horrendo ſignant ſcelera impia facto.
Hæc quondam cooperta canens vox vera prophetæ,
Eventum rerum patefecit in ordine ſecli:
Argenti triginta minas poſuere prophani,
Hoc pretium pretioſi corporis inſtituentes,
Quod mox ad figuli rurſus transfertur agellum.
  Traditus at trucibus juſtus, ſcelerîſque miniſtris
Innocuus, ſceleratæ opprobria corpore perfert,
Purpureámque illi tunicam, chlamydémque rubentem
Inducunt, ſpinſſque caput cinxere cruentis,
Inque vicem ſceptri dextram comitatur arundo.
Tunc genibus nixi, regem dominúmque ſalutant
Judææ gentis, faciem lavere ſalivis,
Vertice & in ſancto plagis luſere nefandis.
  Hæc ubi tranſegit miles ludibria demens,
Indutum propriæ ducebant tegmine veſtis,
Et crucis ad pœnam ſanctum juſtúmque trahebant.
Ecce ſed egreſſi quendam cepere Simonem
Cyrene genitum, & lignum deferre jubebant,
Quo dominum lucis duris ſuffigere clavis
Inſtans urgebat ſecli immutabilis ordo.
At poſtquam ventum eſt, ubi ruris Golgotha nomen,
Permixtum felli vinum dant pocula Chriſto;
Ille ſed in ſummo guſtu tractata recuſat,
Ut ſatis antiquis fieret per talia dictis:
Nec tamen inſultans hominum furor omnia poſſet.
Jamque cruci affixum pendebat in arbore corpus,
Intactámque dedit tunicam ſub ſorte per omnes
Militis unius ſervans poſſeſſio textum.
Et ſcriptum cauſæ titulum meritſque locárunt:
Quòd rex Judææ gentis plebíſque fuiſſet.
Accidit ut pariter pœnæ conſortia ferrent
Latrones hinc indè duo, ſed cæca furentis
Inſultat plebis fixo veſania Chriſto:
Hic eſt qui templum poterat diſſolvere ſolus,
Hic eſt qui trino lucis reparare meatu:
Sed nunc deſcendat proles veneranda tonantis,
Et crucis è pœna corpúſque animúmque reſolvat.
Hæc vulgi proceres vecordis dicta ſequuntur,
Atque Phariſæi Scribæque & factio demens
Illudunt, motúque caput linguáſque loquelis
Inſanis quatiunt, æternæ ad vincula pœnæ.
Nónne alios quondam trucibus ſervare ſolebat
Morborum vinclis? ſeſe cur ſolvere pœnis
Non valet? En regem noſtræ quem credere gentis
Debemus, ſolvat lignis de robore corpus,
Tunc ſanctis dignè poterimus credere ſignis.
Confidit genitore Deo, dimittere pœnâ
Cur propriam non vult ſobolem veneranda poteſtas?
Nec minùs increpitant, dextrâ lævâque gementes
Affixi crucibus ſcelerum pro ſorte latrones.
  Jam medium curſus lucis conſcenderat orbem,
Cùm ſubitò fugit ex oculis, furvíſque tenebris
Induitur, trepidúmque diem ſol nocte recondit.
Aſt ubi turbatus nonam tranſiverat horam,
Conſternata ſuo redierunt lumina mundo.
  Et Chriſtus magna genitorem voce vocabat,
Hebrææ in morem linguæ, ſed neſcia plebes
Heliam vocitare putat: tunc concitus unus
Cogebat ſpongo turpi, calamóque revincto
Impreſſum labiis acidum potare ſaporem.
  Cætera turba furens tali cum voce cachinnat:
Spectemus pariter cælo ne fortè remiſſus
Helias veniat, celsâ qui ſede quieſcit,
Liberet & miſero confixum ſtipite regem.

Tum

Tum clamor Domini magno conamine miſſus,
Æthereis animam comitem commiſcuit auris.
Scinduntur pariter ſancti velamina templi,
Carbaſáque in geminas partes dirupta dehiſcunt,
Et tremebunda omni concuſſa eſt pondere tellus,
Diſſiliúntque ſuo raptæ de corpore cautes.
Tum veterum monumenta virûm patuere repulſis
Obicibus, vivæque animæ per membra reverſæ
Et viſum paſſæ populi per mœnia latè
Erravere urbis: ſic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pavore,
Dedita qui ſævæ ſervabant corpora pœnæ,
Et ſoboſem dixere Dei, Chriſtúmque fatentur.
E ſpeculis matres miracula tanta tuentur
Omnes, obſequium Chriſto quæ ferre ſolebant.
Jámque recedenti veſper ſuccedere ſoli
Cœperat, & procerum ſolus tum juſtior audet
Corpus ad extremum munus depoſcere Chriſti:
Hic ab Arimathiâ nomen geſtabat Joſeph,
Qui quòndam verbis aures præbebat Jeſu.
Pilatum tunc iſte rogat ſibi cedere membra,
Quis nuper tulerat vitam vis horrida pœnæ.
Conceſſit præſes: ſed corpus fulgida lino
Texta tegunt, ſaxíque novo componitur antro.
Limen conclúdunt immenſa volumina petræ,
E ſpeculis ſervant matres, & cuncta tuentur.
Jámque dies rutilo complebat lumine terras,
Otia qui ſemper priſcâ de lege jubebat:
Nulla ſed immitis procerum furor otia ſervat.
Conveniunt, onerántque ſimul ſic judicis aures:
Erroris laqueos juſtiſſima pœna reſolvit;
Nunc meminiſſe decet, quoniam planus ille ſolebat
Vulgari ſemper jactans promittere plebi,
E mortis ſeſe tenebris ad lumina vitæ
Cum terno ſolis pariter remeare recurſu.
Sed petimus, cuſtos miles nova funera ſervet,
Ne fera diſcipulis furandi audacia corpus
Conſurgat, turbétque recens inſania plebem.
Et Pilatus ad hæc: miles permittitur, inquit:
Servate, ut vultis corpus tellure ſepultum.
Conveniunt ſaxíque ingentia pondera volvunt,
Et limen ſignis, & ſaxum milite ſervant.
Matt. 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Joan.* 20.
Sidera jam noctis venturo cedere ſoli
Incipiunt, tumuli matres tum viſere ſeptum
Concurrunt, motus ſed terram protinus omnem
Concutit, & cælo lapſus deſcendit aperto
Nuntius, & ſaxum tumuli de limine volvit.
Illius & facies ſplendet ceu fulguris ignis,
Et nivis ad ſpeciem lucent velamina veſtis.
Militibus terror ſenſum diſcluſerat omnem,
Et jacuere ſimul ceu fuſa cadavera letho.
Ille ſed ad matres tali cum voce profatur:
Veſtra pavor nullus quatiens nunc corda fatiget,
Nam manifeſta fides ſanctum vos quærere corpus
Quod crucis in ligno ſcelerata inſania fixit:
Surrexit Chriſtus, æternáque lumina vitæ
Corpore cum ſancto devictâ morte recepit.
Viſere jam vobis licitum eſt, quod ſede ſepulchri
Nulla iſtìc jaceant, fuerant quæ condita membra.
Dicite præterea celeri properóque recurſu
Diſcipulis Chriſtum remeâſſe in luminis oras,
Inque Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis viſíſque, animos perfuderat ardens
Lætitia attonitos, ſtupido ancipitíque pavore.
Denique præcipiti celebrantes gaudia curſu,
Talia diſcipulis referunt, tumulúmque relinquunt.
Ecce viæ medio clarus ſe oſtendit Jeſus,
Et fidas matres blandè ſalvere jubebat.
Occurrunt illæ, & genibus plantíſque prehenſis,
Victorem lethi pavidæ venerantur Jeſum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat,
Mentibus abſiſtat fidei pavor omnis, & iſthæc
Fratribus hinc noſtris properè mandata referte,
Noſtri conſpectus ſi curæ eſt: ite volentes,
Inque Galilæam properè tranſcurrite terram.
Interea tumuli cuſtodum exterrita corda
Mittunt è numero partem quæ tanta referret
Judæis rerum miracula: ſed manus amens
Jam ſemel inſano penitus devota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit,
Et famam argento redimit, quòd limine rupto
Furtim ſuſtulerit corpus defenſa tenebris
Occultè rapiens audacia diſcipulorum.
Jámque Galilæos conſcenderat anxia montes
Mandatis Chriſti concurſans turba ſuorum,
Cernitur ecce ſuis proles veneranda tonantis,
Illum procumbens ſanctè chorus omnis adorat,
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus virtus, nam pars dubitabat eorum.
Tunc ſic diſcipulos clarus compellat Jeſus:
In cælo & terris genitor mihi cuncta ſubegit,
Me pater eſt vobis dignatus mittere lucem.
Gentibus haud aliter nunc vos ego mittere cunctis
Inſtitui. veſtrum eſt cunctas mihi jungere gentes.
Pergite, & ablutos homines purgantibus undis
Nomine ſub ſancto Patris Natíque lavate,
Vivifici pariter currant ſpiramina flatûs,
Ablutíſque dehinc noſtra inſinuate docentes
Præcepta, ut vitam poſſint agitare perennem:
Nec vobis unquam noſtri præſentia deerit,
Donec conſumens diſſolvat ſecula finis.
Has mea mens fidei vires ſanctíque timoris
Cepit, & in tantum luxit mihi gratia Chriſti,
Verſibus ut noſtris divinæ gloria legis
Ornamenta libens caperet terreſtria linguæ.
Hæc mihi pax Chriſti tribuit, pax hæc mihi ſecli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
Conſtantinus, adeſt cui gratia digna merenti,
Qui ſolus regum ſacri ſibi nominis horret
Imponi pondus, quò juſtis dignior actis
Æternam capiat divina in ſecula vitam,
Per Dominum lucis Chriſtum, qui in ſecula regnat.

HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI

GENESIS, AD LEONEM PAPAM.

JOH. VOSS. DE POET. LAT.

SUB Conſtantio principe Arriano fuit Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, qui primus hymnorum gloriâ claruit.

PARUIMUS monitis, tua dulcia juſſa ſecuti,
Antiſtes Chriſti quæ dabat ore pio.
An ego non canerem tanti præconia patris,
Munus opúſque dei, dum mihi lingua foret?
Rauca quidem, ſtridens, & nullis digna coronis,
Ingeniúmque jacens: ſed libet alta loqui.
DIG Num opus & juſtum eſt ſemper tibi dicere grates,
Omnipotens mundi genitor, quo principe cuncta
Natalem ſumpſere diem, atque exorta repente
Poſt tenebras ſtupido ſpectárunt lumina cælo.
Gens hominum, pecudéſque feræ, mille atque volucres,
Et quæ per liquidos diſcurrunt agmina campos,
Omnia per temet, per te qui maxima condis,
Ex te nata, pater, nec jam patris eſt pater alter.
Tu caput es primíque caput, tu fontis origo,
Primus apex rerum, primus ſator, omnia condens:
Nec tamen ex alio ducis genus, ipſe perennis
Spiritus, antiquo vivens per ſecula motu.
Semper eris, quia ſemper eras: non mortis egenus,

Qui natalis inops, nec finem noveris ævi:
Ex te principium cui contigit: haud manet alter
Auctorem casus, nascentia terminus urget.
Omnia cum tegeret nigrum chaos, altáque moles
Desuper urgeret informis corpora mundi,
Atque caliganti premerent serotina nocte,
Nec species, nec forma foret, Deus intus agebas
Corporibus tectis mixtus, secreta potestas,
Jam tumidi ponens nascentia mœnia mundi,
Et varias rerum facies animásque futuras.
Utque caput prompsit victâ ipse caligine noctis,
Sublimem attollens vultum, sensere tenebræ.
Mox Dominus rerum somnos discussit inertes,
Pigráque materies trepidavit nomine pulsa,
Commotâque simul naturâ, conscia partu:
Scinditur ingentis cumuli per plurima corpus,
Membra locósque simul metantur semina jussu,
Et jam confusæ descendunt viscera molis,
Sectáque per partes formas spectantia frusta,
Jam calor intus alit, & blando suscitat igni.
Ac primum cæli patsus liber, omnia mundi
Complectens spacio, celso suspenditur orbe:
Terra gravis pigro descendit pondere ad imum,
Ac semet defixa, salo fundata, resedit.
Effétque ut spacium vacuæ regionis apertum,
Quà tener incedens mortalia pasceret æther,
Quóve exire patris possent tot munera rerum,
Ortáque ferrentur nullo per inane labore,
Diffusæ coguntur aquæ: mox limine certo
Linquuntur maria, ac finem non transilit unda.
Tunc oritur lux alma, dies quæ jussa vocari,
Nascentem tenero perfudit lumine mundum,
Munus opúsque tuum prodens, tua maxima dona,
Condere quæ genitor patriâ pietate parabas:
Utque hominum soler posset clarescere vita,
Artibus æthereis quæ totas ducere luces
Gaudet, & ingenium diversâ laude fatigat.
Insequitur nox atra diem, densæque tenebræ
Corporibus somnos quæ ferrent, ocia fessis,
Et cunctis unam faciem similémque figuram.
Namque dies varié rerum discriminat ora,
Et dat cuique suum disjectâ nocte colorem,
Instigátque animos opera ad majora calentes,
Exacuens variis mortalia pectora curis:
Quo magè forma dies vitæ, nox mortis imago.
Tunc condens pater astra, polos quoq; lumine donans,
Sidera distinguit variis perfecta figuris.
Lucifer exurgit, roseúsque & fulgidus ore
Vesper, puniceos spargit aurora capillos,
Anguis agit sudum, ast important pleiades imbres:
Sunt juga, sunt plaustra, gemmantes flore coronæ,
Signáque bissenis annum volventia formis.
Multáque præterea celsæ ornamenta domûs sunt,
Queis seclum sulcis signis, & regia summa
Picta, parens, variâ stellarum luce coruscat.
Sed soli lux major inest, quem munere largo
Excultum genitor pleno dignaris honore.
Igneus ille jubar præcelso vertice tollit,
Ore rubens patulo, cæli per mœnia fertur,
Astrorum ductor, mundi vigor atque elementa.
Ecce aliud mirum, mirum decus, en nova cursum
Mutat luna suum: quos perdit, colligit ignes,
Cornuáque extinguens, perturbat limite frontem:
Mox tamen ardescit completo circulus orbe,
Noctilucum lumen pascit sata sidera luce.
Nec tamen æterno quæ machina volvitur æthere,
Non tantum pictura poli est, nec celsa voluntas,
Mens ratióque subest, & rebus commodus ordo.
Hinc doctrina venit terris, hinc denique cunctis
Consilium agricolis, & qui maria alta pererrant,
Ut se, quáque ferant, luces prædicere possint:
Venturos nôrint imbres, siccúmque serenum:
Tempore quo tauros campis inducat arator,
Et dubium tentet securus navita pontum.
Ignibus instructo cælo, pater optime, terras
Excolere adgrederis, donas & munere opimo
Regna hominũ, pecudũmq; larem, requiémq; volucrum.
Planescunt campi, colles tumor arduus effert,
Subsidunt valles, florentia prata virescunt,
Saxáque durantur, pinguis se gleba resolvit:
Rumpuntur fontes, fluviis cunctis genus unde est:
Herbarum variis conturgunt gramina campis.
Jámque seges tenerâ fructum fundebat aristâ,
Cùm juga nulla forent, nec vomer, nullus aratri
Mugitet, nullus prosciffis taurus in arvis.
Ecce etiam vitis madido jam plena racemo,
Expers falcis adhuc, & duri nescia ferri,
Pampineas celsis texebat collibus umbras.
Diversa exoritur variarum forma ferarum:
Quadrupedes animæ, necnon repentia terris,
Nascuntur pictis volucres per nubila pennis.
His ubi perfectis genitor jam divite mundo,
Cuncta videt magni curam deposcere regis,
Qui mare, qui terras, atque omnia nata gubernet,
Quisque altum spectet cælum, laudétque potentis
Munera magna Dei, ne sint hæc condita frustra:
Tunc faciamus, ait, hominem. Dic optime cum quo
Nunc loqueris? clarum est, jam tum tibi filius alto
Adsidet in solio, & terras respectat amicas:
Sed faciamus, ait, hominem cui vultus imago
Noster erit, manibúsque meis procedat in ævum.
Indè opifex rerum, adsumis tibi mollia terræ,
Atque virum formas: cujus mox costa cupito
Fit mulier vultù: mulier nam costa viri fit,
Quo magè chara viro, & lateri sit conjugis apta.
O felix animal, summi cui dextra tonantis
Est pater: ô felix nimiùm qui ducis olympo
Et genus & formam: si te non noxia terræ
Decipiant vitia, & non blandus subruat error,
Numen eris, cælóque redux mirabere regna,
Quæ promissa bonis fido pater exhibet ore.
Nam tibi multa Deus nascenti contulit ultro,
Ætheream faciem primùm vultúmque paternum,
Incessúmque pedum rectum, sublimia colla,
Ne qua mora in cælos oculis spectantibus esset:
Tunc alacrés promptásque manus vitæque ministras,
Atque domum divæ pectus rationis, & alti
Sedem consilii, fundendæ vocis honorem.
Hæc soli concessa homini: nam cætera motum,
Ut pecus, obtinuit, ventrem, præcordia, nervos,
Venarum rivos, & sparsum corpore sanguen,
Lætitiæque sinus, duri sentúsque doloris.
Tu verò omnipotens, privato munere largus
Erga hominem manibúsque tuis, operísque favore,
Impendens, patriâ pignus pietate colendo,
Ne quid divinis modò desit vultibus, ignem
Ætheris inspiras, & sacræ mentis opimam
Indulges partem, permiscens corpore totam.
Tunc meminisse licet veterum, præsentia nôsse
Hinc datur, atque animæ fas est ventura videre: (cũcta,
Hinc loquimur canimúsque Deum, hinc quoque sidera
Terrarúmque viget cultus, pontúsque movetur:
Hinc artes noménque, pudor, prudentia, justum:
Hinc animi surgunt fortes, hinc pergit honestum,
Virtus, quæ ducit castos ad limina cæli.
Ergo hominem pleno perfectum munere, terris
Præponis, genitor, rerum cui tradis habenas:
Cuncta habeat subdátque sibi, vivátque perennis
Telluris dominus, famulus tuus: omnia mundi
Possideat, tantùm domino tibi serviat uni.
Postquam primus homo vetito se pascere ligno
Non timuit, captúsque dolis se præbuit angui,
Stat reus & nudus, dejecto lumine, vestem
Implorans, dominúmque fugit, vultúmque recondit:
Culpa comes sequitur, peccato obnoxia vita,
Debilitant vires cælo venientia dona,
Æthere demissus paulatim deficit ignis,
Frigore peccati torpentia corda rigescunt:
Cura cibi ventrísque subibat, cura tegendi
Corporis, & sacrum subeunt mortalia pectus.
Nascitur hinc proles peccati, germinat indè
Deterior soboles multo, pejórque priori
Progenies sequitur, gradibus ad crimina crescens,
Crimina quæ stimulis acuunt dementia corda,
Téque pater variis armante.
Tum primùm venienti operas incumbere terris,
Intempestivus descendit nubibus imber:
Fulmina tum primùm cælo dejecta sereno,
Horrida tum grando turbatos verberat agros,
Et tonitru altisono confractus murmurat æther:
Nec tamen ista malos revocant: furor impius orbem
Obsidet, & laxis rabies defertur habenis:
Bella placent cædésque, simul perjuria, fraudes,
Mentirique libet, rapere est amor, abdere furta:
Nulla fides populis, nulla est jam veritas usquam:
Diluvio abluitur terrarum crimen & undis:
Virque unus residet generis populique refector.
Arca tegit paucos, castorum semina servans,

Jamjam

Jamjam venturi facies monſtrata lavacri
Atque unus multis per quem data lance renati
Sed ſeptos ſervans eccleſia partim
Poſtquam diluvii cecidit tumor, unda reſedit,
Ales paciferæ folium portavit olivæ,
Jam ticcis revolans pennis, dedit omina pacis.
Tum populus ſurgit melior, tum purior undis,
Gens hominum magnos terris paritura nepotes:
Indè ſacerdotis in cælum dedita conda.
Hinc inter flammas pueri cantare parati,
Et puer impaſti quem non tetigere leones:
Tum reges cecinere Deum, tum vera prophetis
Ora ſonant cœli ſobole ſplendentia terris:
Quamvis cuncta Deo ſervirent crimine victo,
Attamen antiquos etiam nunc gutta veneni
Spargebat populos, & erant veſtigia fraudis,
Quæ bonus ablueret doctor melioribus undis.

MARII VICTORINI RHETORIS AFRI,

D E

FRATRIBUS MACHABÆIS

INTERFECTIS AB ANTIOCHO EPIPHANE.

JOH. VOSS. DE POET. LAT.

SUB Conſtantio, Romæ Rhetoricam docuit Marius Victorinus Afer, B. Hieronymi in Rhetoricis præceptor, cujus carmen hexametrum ſupereſt de ſeptem fratribus Maccabeis cum matre ab Antiocho Epiphane interemptis.

REX fuit Antiochus Syriæ ditiſſimus olim,
In cujus regno mater natiſque fuiſſe
Septem (ut fama refert) de ſanctâ gente creati:
Quos cura aſſidui generis meminiſſe jubebat,
Et legi ſervire datæ: ſic namque volentes
De populo meliore Dei ſua jura tenebant.
Rex avidus mutare fidem, mutare timorem
Volvit, & ut populo pariter miſceret iniquo,
Præmia promittit matri, promittit & illis,
Et quicquid poſſet totum perquirere regnum,
Si demutaret mentes, ſenſúſque priores,
Cogeret, & natos alios ſibi fingere mores.
Illa negat, tacitúmque premit ſub corde dolorem.
Hanc poſtquam nullâ potuit compellere prædâ,
Tentavit primùm tormentis vincere ſævis.
Pertulit illa tamen gemitus, & triſtia regis
Verbera non timuit. victum ſe vidit ut ille,
Heu quid agam? dixit: vincor, quid plura? dolendo
Non tamen effugies: plus eſt, quod plura dolebis.
In natos ſævibo tuos, licèt improba perſtes,
Hac certè ratione meum ſanabo dolorem.
Suſtulit illa manus, cælúmque inſpexit in altum
Emittens gemitus, & talia verba locuta eſt:
Tu licèt & gazas tradas, & regna tyranne,
Non capimur regum donis, nec munera ſanctis
Eripies promiſſa Dei: ſpes certior illa eſt,
Quæ vitam nobis promittit tempore longo:
Hanc ſequor, hanc didici, non lubrica tangere regna.
Sumere divitias facile eſt, & perdere vitam.
Sed licèt & flammas poſt verbera ſæva minaris,
Nil mutare potes: primis accepimus annis
Virtutem cum lege datam: mihi linquere certum eſt
Quicquid ſæve jubes. Natis, quòd dura minaris,
Hoc ſolùm poteris matrem turbare timore:
Eſt mihi namque Deus ſpes, eſt mihi certa meorum,
Per quem jam ſperem te nullum vincere poſſe.
* fave, cælſque Parens, te juſta rogamus.
Rex furit Antiochus, turbatáque corda tumebant,
Concutit & ſævos teſtatus lumine vultus,
Miratúrque diu poſſit quòd fœmina tantum.
Miles, ait, pace regi, paréque fatelles,
Vos famuli parete mini, data regna furenti
Fœmineo tormenta malo, ſævire furentem
Fœmina me cogit, quod plus eſt, fœmina vincit
Regis juſſa ſui, ſed non impunè locuta eſt,
Membratim pereat: ſeptem nam perfida natos
Intrà regna tenet, quorum qui primus habetur,
Hic primus pereat: pereant ſic ordine cuncti,
Cratibus impoſitos ſubjectis urere flammis
Cernat ut ipſa ſuos, ſic cernat ut aſpera natos
Pœna aut quem maneat, celeres decet eſſe miniſtros.
Interea fœcunda parens, jam crine ſoluto,
Aſtitit hortanti ſimilis, jam pectore nudo
Ubera protendens, natorum alimenta ſuorum,
Non confuſa ſtetit, natúmque ut vidit ad ignes
Inconſtante gradu timidum procedere, dixit:
Tu mea progenies, tu primus reſpice matrem,
Tu nunc certè meus, matris tu nate memento,
Te primum peperi, tu nunc imitare parentem,
Sume meos mores, & regem vince tacendo,
Tum poteris durare diu, ſic tempora vinces
Perfida, ne ſuperet ſanctos violentia regis.
Utere conſilio, regis ne damna timete,
Fortior eſt iſto, faxóque potentior ipſo:
Ingredere ut juvenis, patienter vince dolorem.
Ille modò ad matrem vultus, modò tollit in altum.
Dúmque tacet, tacitúſque rogat quem debet, & orat,
Non ſenſit rapidos ſubjectos cratibus ignes,
Corpus inane fuit, mater gaviſa dolore eſt,
Et dixit: Vici, vincam ſi ſæpius orem,
Duret natorum virtus incognita regi,
Sed jam nota Deo populi qui pectora novit.
Finierat primi partûs fœcunda dolorem,
Sed remanente metu, pro pluribus anxia mater:
Diſſimulátque tamen, ne regem gaudia tangant.
Rex ſtupet Antiochus, nec credit poſſe ſequentes
Pœnæ tale genus ſimiles pervincere natos,
Cœpta jubet peragi, mater non territa manſit.
Sed tamen ut vidit pallentem aſſiſtere natum,
Hæc ſecum volvens, aliquâ jam parte levata:
Ecce ſecunda mihi partûs producitur ætas,
Quàm ſimilis fratri formoſo pectore, dura
Si ſequeris primi partûs veſtigia noſtri,
Eſſe meus poteris, & ſic reparare ſalutem,
Quam jam frater habet, matris præcepta ſecutus,
Pone metus, regiſque minas contemne furentis,
Regnáque quæ parvo labitantia tempore dantur.
Non potuit poſt iſta tibi rex iſte nocere,
Temporis ecce levis accenſus cogitur ignis,
Virtutis locus eſt, languentem pone timorem,
Sume animos, noſtri generis ſi ſenſus inhæret,
Hic qui ſceptra tenet, regno qui ſævit in iſto,
Tempus inane regit: regnum vitámque cremari,
Damnárique nocens æternos ſentiet ignes:
Tu ſecurus eris, turbâ comitante piorum.
Accipe nate meos vultus, & reſpice cælum,
Auctorémque Deum, per quem tibi vita paratur
Hæc melior, fratriſque tui veſtigia calca.
Non quod rex juſſit, ſed quod Deus imperat, audi.

Sicut

Digitized by Google

Sicut erat monitus matrem cælúmque videre,
Conſtitit, atque hilari vultu contemnere regem
Cœpit: & ut ridens ardentes irruit ignes,
Collapſúſque jacens animâ ſuperante quievit.
Mater ut hoc vidit, rigido ſic ore locuta eſt:
Felix parte aliquâ, cùm jam vis, nec potes omnes
Sæve tyranne meos trucidando vincere natos.
Te gravior nunc pœna manet, crudelis, in igne
Quam patiere brevi: Deus hic namque omnia cernit.
Jam duo ſecuri contempto rege manebant.
Spes melior jam matris erat, jam tertius inſtat
Ecce locus pœnæ, ſi pœna eſt vincere regem,
Et ſervire Deo: laus eſt, non pœna furentis.
Tertius attrahitur juvenis mandante tyranno,
Qui nondum ſatiatus erat: furor intus & iræ
Sævibant pariter, quòd fortia pectora fratrum
Viderat impavidi regis ſuperâſſe furorem.
Conſtitit antè pedes juvenis florentibus annis,
Egregius formâ: diro qui regna teneret
Dignior Antiocho, & ſic meliora ſecutus
Regna, vocante Deo. Mater cui talia fatur:
Accipe nate tuæ ſecurus dicta parentis,
Accipe, ne ſegnis reddas virtutis honorem.
Sunt tibi jam fratres pietatis fide manentes,
Jam locus eſt melior quàm regna labentia regis:
Quorum ſi proprios attingis pectore ſenſus,
Victor apud populos regem ſuperâſſe ferentis,
Sicut fama tuos jam milit in ardua fratres:
Huc accede precor: ſunt hæc, ſunt apta dolenti
Contemptiſſe nefas, & jura relinquere regis
Indomiti, quem nulla manet poſt iſta voluptas.
At juvenis tacito mittebat murmure vocem,
Oranti ſimilis, palmas tendebat in altum,
Subnixóque genu matris figebat in ore,
Quà licet aſpectum corpus, quà turba tenebat.
Qui ſimul admonitus, cratem conſcendit, in ignemque
Intrepidus, certâque fide ſua membra locavit,
Sanctâque quæ ſupereſt anima inviolata receſſit.
Conciderant flammæ tepidâ remanente favillâ,
Illæſum corpus tellus adaperta recepit.
At mater dubitans gemitus an gaudia ſumat,
Hæſitat, & querulo ſic eſt ſermone locuta:
Quid nunc dire paras? juſſis paremus, & omnes
Munera, ſed partus cultos ne ſubtrahat ulla,
Sed licèt ipſe velis, non ſum paſſura tyranne:
Omnes nam pariter pereant certamine tanto,
Temporis ipſe tui mutes licèt horride pœnam,
Duráque quæ ſanctis eadem ſententia natis.
Sed graviora paras, ſi ſunt graviora, minari,
Quódque meos cernis vultus horrore teneri,
Gauderes partem quoties decernis in iſtam.
Ardet at ipſe magìs rapidâ rex concitus irâ,
Contemnſque putat, ne ſicut cætera fratrum
Turba ferat pœnas, matrem hoc quoque quærere ſentit,
Duráque in exitium quartum producere natum
Penè manu voluit: laſſati namque miniſtri
Nec regis furias, nec regem ferre volebant.
Proh pudor, erubuit vultus oſtendere matri
Natus, & attonitam mentem confundere cœpit.
Hunc poſtquam ſtantem ſummiſſo lumine vidit,
Talibus aggreditur dictis, monitura timentem:
A primo quartus partus, mihi quartus ab imo,
Quæ nunc verba tibi, quæ poſſum dicere nate?
Hoc niſi, quòd cæli durata potentia tecum
Sit ſimul & virtus, & ſanctus originis auctor.
Illi debemus regi, quodcunque rogamur.
Ille dedit nobis Abraham cum ſemine ſancto,
Per quem nobilitas, per quem genus omne probatur,
Quod manet in Dominum: ſanctus cui naſcitur Iſac
Tunc cùm jam nullum natum ſperare ſenectus
Sponte ſuâ poterat, ſterilis quia Sarra manebat:
Attamen hæc peperit, generſque propagine cœptâ
Ex inſperato remanent tibi Sarra nepotes,
Eſaus & patriam deductus Jacob in unam,
Quos certum eſt partu gemino peperiſſe Rebeccam:
Hinc ſumus, hinc orimur, genus hoc tibi nate petendum,
Tu tibi pande viam generis, quis in arce piorum,
Quorum progenies totum diſperſa per orbem,
Invidiam patitur? Dominum quia ſola potentem
Mente colit, mixtæ nec turbæ acceſſit iniquæ.
Quid tibi cum triſti vultu? quid lumina terræ
Fixa tenes? cœlum potiùs cælíque parentem
Conſpice: nec dubita, mater tibi proſpera monſtrat.
Quicquid id eſt, patienter adi, conſentibus auge
Turbam nate meam, numerúmque hortare ſequentum.
Nec decreta parens luctus & gaudia mixta
Finierat claros monitus, tum luminis orbes
Ipſe levat, matrémque oculis attendere cœpit,
Nil jam triſte gerens: habitus, vultúſque fatentur
Se timuiſſe nihil, niſi triſtia vulnera matris
Per partus diviſa ſuos: ſed & ipſe citatò,
Elapſus manibus, curſu conſcendit in ignes.
Mira loquar, non flamma comas, non contigit ora:
Exanime ut corpus flammæ ſuperaverat ignis,
Ore patente tamen, tacitè quà ſpiritus iret,
Unde acceptus erat, pariter cum ſanguine fugit.
Hoc ipſo eſt gaviſa parens, quòd qui modò triſti
Conſtiterat vultu, fretus quòd pectore tuto
Paruerit monitis, regis contemptor & iræ.
Sic exorſa parens, cùm rex dubitaret in illos
Qui ſuperant gemitúſque daret, pia turba miniſtri
Regem execrantur, tanto ſermone querentes:
Protrahe, quid dubitas? nulli jam parcere debes,
Nec potes, ut cupias, decretum rumpere nulli:
Appello Regem, totum qui temperat orbem,
Qui mare, qui cælum, cæli cui ſidera parent:
Quòd niſi producis, timor eſt, jam ſegniùs inſtas,
Jam ſentis quem pœna petat, jam gloria nobis
Parte in utráque manet, liceat producere nullis.
Nam quoſcunque tuum juſſiſti excedere regnum,
Forſitan hoc morem credas furioſe tyranne,
Longa magìs vita eſt, regnóque potentior iſto
Quod regis, extremâ hujus jam parte moraris?
Hos quoque ſi metuis, ſuperant ætate minores,
Contemptúque ſimul vincunt tua regna ſuperbe.
Sed perage imperium, nec partus divide noſtros,
Hos quoque da flammis, & viribus utere regni:
Mortalis tamen es, nec in ævum regna tenebis.
Concipit Antiochus furias, ſævúſque tyrannus
Exhibet, & gemitus intrà ſua pectora volvit:
Conſentit cum mente color, triſtíſque gravatos
Attollit vultus, & talia verba profatur:
Hæc tua libertas, & dira potentia linguæ,
Atque hic quem tumidâ portas cervice rigorem
Sentiet irati regis quid vulnera poſſint.
Si nondum es ſatiata malis, & fingere tentas
Lætitiam, luctúſque tuos in gaudia vertis,
Non mutabo necem, gaude, lætare, triumpha,
Dummodò ſic vincas, ut ſis ſuprema tuorum.
Sic furioſa nimis natorum funere gaudes?
Hoc quoque do flammis, hoc, nec mutare poteſtas
Ulla poteſt decreta, modo: tu vive ſuperſtes
Natis orba tuis, & ne mea juſſa morentur,
Ordo ſuos peragat curſus. Producite natum,
Nec vano pereant ignes, dubiúſve videre
Rex poſt iſta reor, timor eſt mihi fœmina nullus.
Præcipuus de gente tuâ produceris index,
Quàm ſpecie mirande puer, cui pectore virtus
Firma manet, jam quæ poterat vel vincere regem.
Ad quem ſic placido mater ſermone locuta eſt:
Si dare complexus matri tibi nate liceret,
Confitetor ſoli poſt vulnera nate dediſſem.
Sed me dura vetat, triſtíſque potentia regis:
Sed neget amplexus, dum ſit vox libera nobis,
Et liceat meminiſſe Dei, legémque tenere
Non à rege datam, ſed quam Deus arbiter orbis
Tradidit, & mundi rector, Moſéſque petitam
Accepit, populóque dedit: quàm maxima laus eſt
Nôſſe Deum, meritò cui nos tribuamus honorem.
Tu modò ne dubita monitis parère parentis:
Sed vigor & virtus, penitúſque in pectore toto
Mens maneat jam plena Deo: ſit fortior ætas
Quàm regi ſperare fuit, ſperare jubentis.
O quanta eſt virtus, quanta eſt fiducia fortis!
Sed tu quid dubitas medias evincere flammas?
Victor eris (mihi crede) puer, victórque redibis.
Oſſibus & validis miſcebit corpora nervus,
Servatáſque animas iterum in nova viſcera reddet.
Sed ne fortè tamen rapidus te terreat ignis,
Fratrum ſume animos, æternúmque inſpice numen.
Juſſa facit, tacitúſque Deum teſtatus, & orat
Murmure quo poterat, puerum non impedit ætas,
Ampliùs haud timet ille necem, matríque volenti
Paruit, & dicto citiùs ſuperirruit ignis.
Ceſſerunt flammæ, ceſſit dolor omnis, & unà
Corpus & ignis erat, corpus ſuperaverat ignem,
Spiritus antè tamen placidas ſuperaverat auras.
Læta dolet tacitè mater, preſſítque dolorem

Lætitiæ,

Lætitiâ, luctúſque ſuos in gaudia vertit,
Non de præteritis, ſed de puerilibus annis
Qui ſuperant, ne fortè negent, ne fortè timorem
Concipiant animis, regſque accedere malint.
Quò minor eſt ætas, major metus, anxia ſecum
Dividit & curas, & ſpes, & ſic timor unà
Luctantur, matríſque piæ per viſcera curſant.
Spes tamen eſt melior, natum ut producere vidit,
Et procul intrantem: Videam quid poſſit in iſto
Spes conferre mihi, vultus agnoſcere noſtros
Debet & hic, fratrum & numero parere ſuorum.
Forſitan hunc ſolum puerilia pectora tangent,
Indignéque feret quòd ſic velut hoſtia detur.
Alloquar, & paucis conabor dicere verbis,
Sit memor ut potiùs generis, quàm temporis hujus.
Si te nobilitas generis, ſi tangit origo,
Reſpice nate tuos, & nos quoque reſpice nate.
Noli annos memorare tuos, puer incipe verum
Pectore ferre Deum, tradent hoc ſecula ſeclis,
Quod tu fortè petis: des nunc exempla futuris
Temporibus, mundo quod ames nil amplius hoc eſt:
Reſpice quæ fugias, & quàm meliora petantur.
Nec te ſolliciter miſeri fallacia regis:
Sed creſcas ipſi nunc in contraria victor.
Spiritus extinctus flammis, ſic deinde receſſit:
Quod dederat corpus, tellus adaperta recepit,
Sanctáque quæ ſupereſt anima inviolata receſſit.
Quamvis laſſa parens per tot ſua vulnera, regem
Pertulit, aſt animo pariter manibúſque ſupinis
Has habuit voces, & talia verba locuta eſt:
Qui regis imperium cæli, terræque, marſque,
Sidera qui cælis, qui das animantia terris,
Æquoribus piſces, ventum qui verberat auras,
Ad te prima mei cupidæ fiducia ſurgit,
Qui chaos implicitum cæcâ caligine miſcens
Dividis in partes, & das noctémque diémque,
Lunámque & rapidum ſolem, qui tempora ſervent,
Et poſt hæc hominem, cujus de ſemine mundus
Completur, mortale genus, tum lingua liqueſcit
Diſſona per gentes, ſapor eſt tamen omnibus unus:
Sed qui mutavit meritis hominúmque loquelas.
Longa referre mora eſt, cœptis inſiſtere certum eſt:
Tu mare diviſum virgâ volviſque tenéſque,
Dum pede per ſiccum populus tranſcenderet æquor,
Ægypti effugiens mortem, regémque Pharaon,
Qui ſibi ſanctorum numerum ſervire jubebat,
Quem tua majeſtas Moſe duce tranſtulit omnem,
Servatúmque tuâ totum virtute redemit.
Terra dabat fructus, quos te cogente ferebat,
Occupat & totis quæſitam lympha latebris:
Humor erat nullus, cuncti clamore querentes
Poſcebant Moſen, daret ut ſitientibus undas,
Ad quos ille brevi ſic eſt ſermone locutus:
Credite poſſe Deum, quicquid petieritis illum,
Sed tamen hanc virgam durum diffindere ſaxum,
Ut veniant fontes totâ regione morati.
Percuſſítque ſimul: dicto velociùs, amnis
Emiſit ſaxum fontes dulcedine primâ.
Confiteor, totus cùm ſit tibi debitor orbis,
Tu quicquid poſſunt gentes, potes omnia ſolus:
Tu mortale genus curas, oneráſque leváſque,
Te precor, attonitâ confirma mente timentem,
Ne deſit fratrum numero meus infimus infans,
Ignarúſque ſui, quem jam procul ecce teneri
Conſpicio, turbâ circumveniente frequenti.
Hunc propter ſolum lacrymas, quas commovet ætas,
Unus enim ſupereſt, de quo mihi maxima cura eſt,
Ne tener ignoret qua ſit de gente creatus.
Hunc ego ſi poſſim ſecretò apprendere ſolum,
Blandirer, patriúmque genus patriámque docerem:
Sed quæcunque tamen potero, ſolatia mittam.
Parve puer, tenerſſque tuis mihi carior annis,
Carior es regno, vitâ quoque carior ipsâ:
Tu potes in totum victricem reddere matrem,
Tu finis parvus, finſſque future malorum:
Si te cura mei tangit, ſi matris odorem
Mente create tenes: quamvis & carus, & infans,
Hoc magis aure piâ dictis attende parentis.
Primùm diſce puer, quid ſis poſt iſta futurus,
Si patiens fueris: tunc te mihi care futurum
Facta docent, fratrum ſanctorum in parte locatus
Et requie ſecurus eris, dum ſecula curſus
Sæva ſuos peragunt, finito tempore certo
Hanc lucem repetes, æternáque regna videbis.
Non maculata malis, ſed erit concordia ſanctis,
Nec morti locus ullus erit, nec bella citatis
Exercentur equis, ſed pax æterna manebit.
Matrem crede tuæ ſemper cupidam eſſe ſalutis,
Hæc mihi cur triſti vultu ſic dicta repellis?
Quid refugis? miſerere mei, miſerere tuſque.
Si liceat, prior ire velim: vetor ecce, ſed ibo
Tunc, cùm victorem cernam te nate malorum.
Quid ſperare jubes? ſolus mea dicta moraris?
Solus adhuc æquum renovas mihi nate dolorem?
Annuis, an damnas quoque me fratréſque genúſque?
Quod ne fortè velis oro te, & deprecor audi:
His ego te parvum nutrivi nate papillis,
Te per ego has precor, & fletus lacrymáſque meorum,
Ut remeare velis, remeabis ſolus & hujus
Non tibi jam fratres dederint ſolatia vitæ:
Dedecoras fratrum ſanctiſſima nomina, matrem,
Et genus & patriam, ſi talia dicta recuſas.
Heu quanto meliùs vitam ſervabis in ævum,
Si facias tandem, quicquid fecere priores?
Audenter depone metus, depone timorem:
Concipe mente Deum, vires dabit ille viriles.
Hæc dum mater agit, puer ad præcepta parentis
Reſpicit, & ſolum ſe vidit ut eſſe relictum,
Suſtulit ad cælum vultus, palmáſque ſupinas,
Et ſic voce petens æternum numen adorat,
Senſu & ſic pariter ſecum nutúque rogabat:
Vinceret ut regem, ſævos & vinceret ignes.
Atque ita non ſegnis, nec pro puerilibus annis
Profilit intrepidus, medios delapſus in ignes,
Vicit quicquid erat, ſic ut vitam iret in altam
Spiritus, & fratrum peteret ſecreta piorum.
Dum puer iſta gerit, ſolverunt gaudia matrem:
Jámque ut erat laſſata malis, jam voce negatâ
Suſpirans, intérque manus collapſa ſuorum,
Concidit exanimis, reſolutáque membra quiêrunt,
Sic ipſa & nati ſanctorum in parte recepta eſt.

AMBROSII HYMNI.

JOH. VOSS. DE POET. LAT.

GRATIANI ac Theodoſii temporibus fuit Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus. Septem fecit hymnos de opere Creationis, quorum meminit B. Auguſtinus lib. IX. Confeſſionum: ac duo cola recitat ex hymno ſeptimo: quod & à Bedâ factum lib. de re Metricâ.

Deus creator omnium, &c.

Hymnus ad nocturnum officium concinendus.

AETERNE rerum conditor,
Noctem diémque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves faſtidium.
Præco diei jam ſonat,
Noctis profundæ pervigil:
Nocturna lux viantibus
A nocte noctem ſegregans.
Hôc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine.

Hôc omnis errorum chorus (.)
Viam nocendi deſerit.
Hôc nauta vires colligit,
Pontſque miteſcunt freta.
Hôc ipſa petra eccleſiæ
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergo ſtrenuè, (.)
Gallus jacentes excitat,
Et ſomnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente ſpes redit,
Ægris ſalus refunditur, (.)
Mucro latronis conditur,
Lapſis fides revertitur.
Ieſu labentes reſpice,
Et nos videndo corrige:
Si reſpicis, lapſus cadunt,
Fletúque culpa ſolvitur.
Tu lux refulge ſenſibus,
Mentiſque ſomnum diſcute:
Te noſtra vox primum ſonet, (.)
Et vota ſolvamus tibi, Amen.
Deo patri ſit gloria,
Ejúſque ſoli filio,
Cum ſpiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum.

Hymnus ſub finem laudum dicendus.

SPlendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens,
Lux lucis, & fons luminis,
Dies diem illuminans,
Verúſque ſol illabere,
Micans nitore perpeti: (.)
Jubárque Sancti ſpiritûs
Infunde noſtris ſenſibus.
Votis vocemus & patrem,
Patrem perennis gloriæ:
Pater potentis gratiæ
Culpam releget lubricam.
Confirmet actus ſtrenuos,
Dentem retundat invidi,
Caſus ſecundet aſperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet & regat
Caſto, fideli corpore:
Fides calore ferveat,
Fraudis venena neſciat.
Chriſtúſque nobis ſit cibus,
Potúſque noſter ſit fides:
Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritûs.
Lætus dies hic tranſeat:
Pudor ſit ut diluculum:
Fides velut meridies:
Crepuſculum mens neſciat.
Aurora curſus provehit,
Aurora totus prodeat:
In patre totus filius,
Et totus in verbo pater.
Deo patri ſit gloria.

Ad primam diei horam.

JAM lucis orto ſidere
Deum precemur ſupplices,
Ut in diurnis actibus
Nos ſervet à nocentibus.
Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror inſonet:
Viſum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Abſiſtat & vecordia:
Carnis terat ſuperbiam
Potûs cibíque parcitas.
Ut cùm dies abſceſſerit,
Noctémque ſors reduxerit:
Mundi per abſtinentiam,
Ipſi canamus gloriam.
Deo patri ſit gloria,
Ejúſque ſoli filio,
Cum ſpiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Ad tertiam diei horam.

NUnc ſancte nobis ſpiritus
Unum patri cum filio,
Dignare promptus ingeri
Noſtro refuſus pectori.
Os, lingua, mens, ſenſus, vigor
Confeſſionem perſonent:
Flammeſcat igne charitas,
Accendat ardor proximos.
Præſta pater piiſſime,
Patríque compar unice,
Cum ſpiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Ad ſextam diei horam.

REctor potens verax Deus
Qui temperas rerum vices,
Splendore qui manè inſtruis,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer ſalutem corporum,
Verámque pacem cordium.
Præſta pater, &c.

Ad nonam diei horam.

RErum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Succeſſibus determinans.
Largire clarum veſpere,
Quo vita nuſquam decidat: (.)
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.
Præſta pater, &c.

Hymnus ad veſperas dicendus.

DEus creator omnium,
Políque rector veſtiens
Diem decoro lumine,
Noctem ſoporis gratiâ. (.)
Artus ſolutos ut quies
Reddat laboris uſui,
Mentéſque feſſas allevet,
Luctúſque ſolvat anxios.
Grates peracto jam die,
Et noctis ex ortu preces, (.)
Voti reos ut adjuves,
Hymnum canentes ſolvimus.
Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat caſtus amor,
Te mens adoret ſobria. (.)
Ut cùm profunda clauſerit
Diem caligo noctium:
Fides tenebras neſciat,
Et nox fide reluceat.
Dormire mentem ne ſinas,
Dormire culpa noverit:
Caſtos fides refrigeret, (.)
Somni vaporem temperet.
Exuta ſenſu lubrico
Te cordis alta ſomnient:
Ne hoſtis invidi dolo
Pavor quietos ſuſcitet.
Chriſtum rogemus, & patrem
Chriſti, patríſque ſpiritum:
Unum potens per omnia
Fove precantes Trinitas. Amen.

Hymnus B. Ambroſii per adventum domini dicendus ad veſperas.

COnditor alme ſiderum,
Æterna lux credentium,
Chriſte redemptor omnium,
Exaudi preces ſupplicum.
Qui condolens interitu
Mortis perire ſeculum,
Salvâſti mundum languidum
Donans reis remedium.
Vergente mundi veſpere,
Uti ſponſus de thalamo,
Egreſſus honeſtiſſimâ
Virginis matris clauſulâ.

Cujus

Digitized by Google

Cujus forti potentiæ
Genu curvantur omnia,
Cœlestia, terrestria,
Fatentur nutu subdita.
Occasum sol custodiens,
Luna pallorem retinens,
Candor in astris relucens,
Certos observat limites.
Te deprecamur hagie
Venture judex seculi,
Conserva nos in tempore
Hostis à telo perfidi.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo patri cum filio,
Sancto simul paracleto
In sempiterna secula. Amen.

Hymnus die dominici natalis concinendus.

VEni redemptor gentium,
Ostende partum virginis:
Miretur omne seculum,
Talis decet partus Deum.
Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine
Verbum Dei factum est caro,
Fructúsque ventris floruit.
Alvus tumescit virginis,
Claustra pudoris permanent:
Vexilla virtutum micant:
Versatur in templo Deus.
Procedens è thalamo suo,
Pudoris aula regia
Geminæ gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.
Egressus ejus à patre,
Regressus ejus ad patrem:
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.
Æqualis æterno patri
Carnis trophæo accingere:
Infirma nostri corporis
Virtute firmâ perpeti.
Præsepe jam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox interpolet,
Fidéque jugi luceat.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre & sancto spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Hymnus quadragesimali jejunio consecratus.

AUdi benigne conditor
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenariò.
Scrutator alme cordium
Infirma tu scis virium:
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.
Multùm quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis. (.)
Sic corpus extrà conteri
Dona per abstinentiam:
Jejunet ut mens sobria
A labe prorsus criminum.
Præsta beata trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

Hymnus dominicâ in passione concinendus, cujus de authore à multis controvertitur. Sunt qui tribuant Theodulpho Aurelianensi episcopo. Alii Sedulio ascribunt, rursus alii Fortunato vel Prospero. In tantâ rei caligine sequutus judicium Dionysii nostri, viri in ejusmodi ecclesiasticis literis longè eruditissimi, refero in nostrum hunc Ambrosium, palinodiam cantaturus si quis rectiora docuerit.

VExilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
Confixa clavis viscera,
Tendens manus, vestigia,
Redemptionis gratiâ
Hic immolata est hostia.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diræ lanceæ, (.)
Ut nos lavaret crimine,
Manavit unda sanguine.
Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens, In nationibus
Regnavit à ligno Deus.
Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite (.)
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis
Secli pependit precium,
Statera facta est corporis,
Prædámque tulit tartaris.

Quidam à sexto mox versu subnectunt & interserunt duos hosce quaternarios nihil indignos cæterii.

ARoma fundis cortice,
Vincis saporem nectaris,
Jucunda fructu fertili,
Plaudis triumpho nobili.
Salve ara, salve victima,
De passionis hostia,
Quæ vita mortem pertulit,
Et morte vitam reddidit.
O crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.
Te summa Deus trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per secula. Amen.

Hymnus tempore paschali dicendus.

CHorus novæ Hierusalem
Novam meli dulcedinem
Promat, colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis.
Quo christus invictus leo
Draconе surgens obruto,
Dum voce vivâ personat,
A morte functos excitat.
Quam devorârat improbus
Prædam refudit tartarus,
Captivitate libera
Iesum sequuntur agmina.
Triumphat ille splendidè,
Et dignus amplitudine,
Soli polisque patriam
Unam facit rempublicam.
Ipsum canendo supplices
Regem precemur milites,
Ut in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.
Per secla metæ nescia
Patri supremo gloria,
Honórque sit cum filio
Spiritui paracleto.

Hymnus alter prædictæ celebritati consentaneus.

HIC est dies verus Dei
Sancto serenus lumine,
Quo diluit sanguis sacer
Probrosa mundi crimina.
Fidem refundens perditis,
Cæcósque visu illuminans.
Quem non gravi solvit metu
Latronis absolutio?
Qui Præmium mutans cruce,
Iesum brevi quærit fide,
Justósque prævio gradu
Prævenit in regnum Dei.
Opus stupent & angeli
Pœnam videntes corporis,
Christóque adhærentem reum
Vitam beatam carpere.

Myſterium mirabile,
Ut abluat mundi luem,
Peccata tollat omnium
Carnis vitia mundans caro.
Quid hôc poteſt ſublimius,
Ut culpa quærat gratiam?
Metúmque ſolvat charitas,
Reddátque mors vitam novam?
Hamum ſibi mors devoret,
Sutſque ſe nodis liget?
Moriatur vita omnium, (.)
Reſurgat vita omnium?
Cùm mors per omnes tranſeat,
Omnes reſurgant mortui?
Conſumpta mors ictu ſuo,
Periſſe ſe ſolam gemat? *(.)
Gloria tibi Domine,
Qui ſurrexiſti à mortuis,
Cum patre & ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

Hymnus in celebritate dominicæ aſcenſionis decantandus.

OPtatus votis omnium
Sacratus illuxit dies,
Quo Chriſtus, mundi ſpes Deus
Conſcendit cœlos arduos.
Aſcendens in altum Dominus
Propriam ſedem remeans,
Gaviſa ſunt cœli regna, (.)
Reditu unigeniti.
Magni triumphum prælii,
Mundi perempto principe,
Patris præſentans vultibus
Victricis carnis gloriam.
Eſt elevatus nubibus,
Et ſpem fecit credentibus, (.)
Aperiens paradiſum
Quem protoplaſtus clauſerat.
O grande cunctis gaudium,
Quòd partus noſtræ virginis
Poſt ſputa, flagra, poſt crucem,
Paternæ ſedi jungitur.
Agamus ergo gratias
Noſtræ ſalutis vindici, (.)
Noſtrum quòd corpus vexerit,
Sublimem ad cœli regiam.
Sit nobis cum cœleſtibus
Commune manens gaudium:
Illis, quòd ſe præſentavit:
Nobis, quòd ſe non abſtulit.
Nunc provocatis actibus
Chriſtum expectare nos decet,
Vitâque tali vivere,
Quæ poſſit cœlos ſcandere.
Gloria tibi Domine,
Qui ſcandis ſupra ſydera
Cum patre & ſancto ſpiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

Hymnus ad horam completorii recitandus.

CHriſte qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucíſque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
Precamur ſancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.
Ne gravis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat:
Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.
Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es:
Memento noſtri Domine
In gravi iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis domine.

ORATIO.

SPes mea Chriſte Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, ſalus, pax, & decus omne tuorum:
Omnia pro quorum voluiſti ferre ſalute,
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortémque, ſepulchrum.
Poſt tres indè dies (devictâ morte) reſurgens,
Diſcipulis viſus nutantia corda reformans,
Luce quaterdenâ cœlorum regna petiſti
Vivus in æternum nunc & per ſecula regnans.

DIsjice terrenæ nebulas & pondera mentis,
Siſte vagam mentem per devia multa ruentem,
Et da cœleſtem mentem conſcendere ſedem.

Diſticha de diverſis rebus quæ Baſilicâ Ambroſianâ ſcripta ſunt.

MAJESTATE ſuâ rutilans ſapientia vibrat,
Diſcipuliſque Deum, ſi poſſint, cernere monſtrat.

Aſpice Joannem recubantem in pectore Chriſti,
Unde Deum Verbum aſſumpſit pietate fateri.

Angelus affatur Mariam, quæ parca loquendi,
Ora verecundo ſolvit ſuffuſa rubore.

Præſtolatur oves ſponſæ de gentibus Iſaac,
Ecce Rebecca venit ſublimi vecta camelo.

Jacob fraude bonâ, patri dum ſuggerit eſcas,
Præcipit eulogiam: ſed dulcia fructa lucratur.

Ecce feri nôrunt ſanctis deſerre Leones,
Atque famem cohibere metu, vatémque vereri.

Joſeph manipulus Chriſti Crux, ſtelláque Chriſtus,
Quem Sol, Luna Deum, ſtellæ cœli quoque adorant.

Fœta quidem Jacob natis, ſed vera loquutus:
Beſtia Germano quod ſit mens invida fratri.

Prælati invidiâ fratrum quoque pectora novit:
Servitióque datus patrio dilectus amore.

Nil ſtatus inferior præclaris moribus obſtat,
Deformem Domino condemnat ſervus amorem.

Ætherium ſpectare polum Patriarcha jubetur,
Stellarúmque modò ſubolem ſperare micantem.

Offert progeniem ſanctis altaribus Habran,
Patris ei eſt pietas, caro non parcere nato.

Hoſpitio ſargus Chriſtum quoque ſuſcipit Habran:
Sarra pudore laris, fidâ pietate miniſtrat.

Paſcit oves Jacob varias, vos dicite, vates,
Diverſo populos virtutum adſueſcere cultu.

Zacheus in ramo eſt rapti jam prodigus auri,
Fœminéque immundum miratur ſtare cruorem.

Diſparibus victum populis prænunciat unum
Iſaias vates, ſocians armenta Leoni.

Hic eſt Hieremias ſacratus matris in alvo,
Hoſtia cui Dominus ſæpe monſtratur ut agnus.

Helias aſcendit equos currúſque volantes
Raptus in ætheriam, meritis cœleſtibus, aulam.

Arca Noë noſtri typus eſt, & ſpiritus, ales
Qui pacem populis ramo prætendit olivæ.

Pendet Abiſalon ſtrictus in arbore guttur,
Ne cælum patricida ferus macularet humúmque.

Excipit innocuo viventem bellua morſu
Cetus, & ad terras Jonam gravis adtulit alvo.

CLAU-

CLAUDII MARII VICTORIS,

ORATORIS MASSILIENSIS,

COMMENTARII IN GENESIN.

JOH. VOSS. DE POET. LAT.

SUB Zenone claruit CLAUDIUS MARIUS VICTOR, Rhetor Maſſilienſis, qui in Geneſin carmine hexametro ſcripſit libris IV. ad Æthereum filium. Item carmen ad Salmonem Abbatem de perverſi ſæculi moribus. Fuiſſe literaturæ ſæcularis quam ſacrarum literarum peritiorem, Gennadii judicium eſt.

PRÆFATIO *ad Deum omnipotentem.*

SUMME & ſancte Deus, cunctæ virtutis origo,
Omnipotens, quem nec ſubtili indagine rerum
Mentibus humanis ſenſu comprendere fas eſt,
Et neſcire nefas (nam te ratione profundâ
In tribus eſſe Deum, ſed tres ſic credimus unum,
Unica perſonas ut tres ſubſtantia reddat,
Indiſcreta pio conſervans fœdera nexu)
Tu ſinè principio, pariter ſinè fine perennis,
Solus es atque idem, nulliſque obnoxius ævo.
Tu ſpacium rerum, mentis quocunque receſſus
Tenditur, excedis, ſpacio neque cingeris ullo.
Nec te qui capiat locus eſt, immenſus enim es tu,
Quinetiam humanæ nec fas contingere menti
Qualis imago tua eſt, oculis ignara videri,
Ni cui cernendam ſpeciali numine ſeſe
Exhibeat: nec verò eſt qui virtute creatâ
Te vegetet motus, per quem ſumus atque movemur.
Tu mens, & ſacræ penitus ſubſtantia mentis,
Tu ratio, & plenæ prudens rationis origo.
Tu virtus, virtutis apex, atque ipſa profectò
Tu vita, & genitor vitæ, lucíſque profundæ.
Tu lux vera Deus, tu rerum cauſa, vigórque:
A te principium traxit, quodcumque repentè
Ex nihilo emicuit, tantóque auctore repletum
Vel vim mentis habet, vel formam in membra recepit.
Te Dominum natura probat ſervata caducis
Partibus, & juſſam ſeriem datus ordo fatetur.
Tu dociles numeros diſtinguens, pondera librans,
Menſuras varians, modulos motúmque gubernans,
Alternas ſervare vices, jugémque recurſum
Rerum ſtare jubes, & mentis imagine plenum
Edere nota tibi jam ſecula, volvere mundum.
Non uno tu contentus dotare creata
Munere, quicquid agis varios largiris in uſus.
Quinimo nil non causâ Deus alme tuorum
Efficis: ipſa licèt nobis ignota tuorum
Factorum ratio atque modus: contraria nempe
Quæ putat humanæ ſolers ignavia mentis,
Dum certant, plus pacis habent, ſic omnia dives
Conditor adverſis etiam cognata elementis
Nectis, & effuſis à te virtutibus imples.
Et tamen hæc cum ſint in majeſtate creandi,
Nil horum quæ gignis eges, mundíque peracti,
Et per te ſtabili rerum compage manentis,
Nil prorſum indigus es: nec in hoc tua gloria tantum,
Quòd præſtanda facis bonus auctor, ſed quòd & ipſa
Efficere ut poſint, cauſſis præbere ſecundis
Non dedigneris: quæ qui tua munera ſentit,
Munus & ipſe tuum eſt: tibi ut uni accepta referre
Omnia, homo meritò poſſítque & debeat unus.
Nam tibi ſola Deus gigni quòd cuncta juberes,
Cauſa fuit bonitas: cùm juſſis vivere primùm
Spiritibus, mundóque frui quem mente gerebas,
Atque omnes in te rerum cognoſcere cauſas,
Et ſuprà terras & aquas volitare dediſti.
Certa quibus cælum ſedes, queis libera corda,
Arbitriúmque ſui largitus es omnibus, ut jam,
Alterutram in partem vellent, ſe vertere poſſent:
Ut fieres juſtis merces, meritíſque piorum,
Hoc quoque conferres præſtando, ut debitor eſſet.
Nam quòd de primis cæleſti in ſede creatis,
Unus (dum lucis Domino vitæque, ſuóque
Invidet auctori, titulúmque hunc appetit) auctor
Maluit eſſe mali, primámque inducere mortem
Cum ſcelerum ſociis celſo dejectus Olympo,
Virtuti nihil indè tuæ præjudicat: illud
Cui ſatis eſt, feciſſe bonum: ſed copia laudis
Hæc eſt ſumma tuæ, quòd cùm ſe extollere ſuprà
Divini virtutem apicis ſcelus eſſet, & ingens
Relligio nullâ prorſum delebilis undâ:
Non tamen ingratis vitam ſenſúmque negâſti.
Quinetiam arbitrio mentis gaudere dediſti,
Nec tamen arbitrii natura, in utrumque valentis
Accuſanda venit nobis: namque indè perire
Poſſe datum eſt cunctis, ut vivere dulcius eſſet,
Mutuáque alterni compar menſura pericli
Cederet ad meritum: cùm judice digna ſevero
Præmia ſanctorum geminaret pœna malorum.
Porrò etiam mihi ſi fas eſt hoc dicere ſalvâ
Pace tuâ genitor (majus fortaſſis apud te eſt,
Non peccâſſe bonum) per lubrica tempora vitæ,
Quàm miſeris peccâſſe malum: ſed videris ut ſe
Hoc habeat, cauſas uni cui credimus omnes.
Interea ſatis eſt nobis, quòd vilia terræ
Pondera, dum ſacrâ inſpiras ratione, tuáque
Informas virtute, tuſque effingis ad inſtar,
Nobiliora facis: dum lato in ſidera vultu
Erexiſti hominem, quem ſævi fraude tyranni
In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum,
Unigenæ redimis profuſo ſanguine nati,
Déque imis erebi, dona ad majora petitum,
Reſtituis, quàm factus erat, vitæque perenni
Reddis, & in cælum diro vehis hoſte ſubacto.
Jamjam nemo patrem temerarius arguat Adam,
Quòd leve præſcriptum violatâ lege reſolvens,
Ad lethum patefecit iter, nam culpa parentis
Compenſata ſatis: quia plus eſt vincere mortem,
Quàm neſciſſe mori. cæli nunc lætus ab aulâ
Deſpicit ætherios axes, & ſidera calcat,
Diſpoſitóſque vocat ventura in regna nepotes:
Quos iterum formavit aquis, iterúmque renaſci
Æterni docuit dives ſapientia Patris:
Tete igitur Deus alme precor, qui numine prono
Das ſentire animis: & te chariſſime Patris
Nate tui, da melliſluum in præcordia verbum
Noſtra tuum, & linguas nobis infunde diſertas,
Dum teneros formare animos & corda paramus
Ad veræ virtutis iter puerilibus annis.
Inclyta legiferi jam pandito ſcrinia Moſi,
Quæ ſit origo poli, vel quæ primordia mundi,
Arcanámque fidem, quid toto excuſſerit orbe
Mentibus ambiguis, quà vires traxerit aucta
Peſtis, & in vitium mores ceſſere vetuſti.
Da Deus æternæ deſcribere myſtica vitæ,
Da ſimul & mentem, da congrua tempora menti,

Da ſtudium, tanto ne deſit cura labori,
Succeſſúmque bonum ſtudii, quódque omnia vota
Jure ſupercurrit (ſcribenti candida mens eſt)
Ne damnes tantum, quod nunc reus audeo munus,
Criminibúſque meis connive & parce benignus.
Quòd ſi lege metri quicquam peccaverit ordo,
Peccârit ſermo impropriùs, ſenſúſque vacillans,
Hinc nullum fidei ſubeat menſura periclum.
Per Dominum Chriſtum, qui tecum natus eâdem
Majeſtate viget, pariter qua Spiritus almus,
Incomprenſa animis ſeclorum in ſecula vivit.

LIBER PRIMUS.

ANTE polos, cælſque diem, mundſque tenebras,
Antè operum formas, & res, & ſemina rerum,
Æternum ſinè præteriti, ſinè fine futuri
Eſſe ſubeſt: cui ſemper erat Deus unus, apud quem
Vivebat genitus Verbum Deus, & ſimul almus
Spiritus, arcani vitalis ſumma vigoris.
Una trium, quos concordi ſubſtantia nexu
Conjungens ſumma æternum virtute beabat,
Regnabátque potens in majeſtate creandi
Jam res, & cauſas rerum, caſúſque futuros
Et facienda videns, gignendáque mente capaci
Secula diſpiciens, & quicquid tempora volvunt
Præſens ſemper habens: immenſum mole beatâ
Regnum erat ipſe ſuum, regni nec teſte carebat,
Virtus trina Deus, qui primùm ſemine nullo
Corpora dans rebus, dum res exiſtere cogit,
Jam noſtrum effecit munus, quod ſolus habebat.
Utque iſtum faceret dives ſapientia mundum,
Cuncta ſimul genuit; ſed poſt hæc ſemina rerum
Ornavit ſuper inductis informia formis,
Temporáque in ſeriem bene conditus ordo redegit.
Nam non (ſacrilegi ſenſit quod lingua furoris)
Caſus mentis inops, dum neſcia ſemina volvit,
Tam prudens contorſit opus: nec dicere factum
Ante ævum fas eſt, quia tempore nata moventur.
Nec porrò æternum mundum, ſuperíſque coævum
Credere fas, ſtabilem ſemper tenuiſſe vigorem:
Nam quod corporibus conſtet, cæpiſſe fatendum eſt.
Corpus enim quod plaga terit, quod tempora ſolvunt
Atque abolent, ipſo qui tendit in ultima fine,
Principium oſtendit: quod quæ ſortita probantur,
Aut facta hæc credi par eſt, aut nata putari.
Factum igitur conſtat mundum, quod quiſque ſubactus
Annuit, & vero convictus dogmate credit,
Concedens fecitſe Deum: qui numine Verbi
Et virtute potens, quicquid natura putatur,
Diſpoſuit, juſſit, movit munúſque creatum
Succiduis vicibus (ſemper fugitiva reformans)
Suſtinet, ac volucrem retrahens circùm rotat orbem.
Qui ſi cuncta etiam mavult diſſolvere raptim,
Confeſtim in ſimiles formas redeuntia redder.
Tanta Patris vis eſt, & tanta eſt gloria Verbi.
Ut verò ſemel attingam primordia rerum,
Excelſi convexa poli terráſque jacentes,
Pars prima eſt operis: ſed terras unda tegebat,
Aëráque in medio ſordenti nube madentem,
Et tenebris ſe vaſta nigris velabat abyſſus:
Et ſacer extenſis impendens ſpiritus undis
Altrices animabat aquas, ac ſemina rerum
Nondum compoſitis fundenda ad germina terris
Inſinuanda dabat: cùm lux immiſſa ſupernè
Emicuit dicente Deo, diſcretáque nigrum
Umbra peplum retrahens, ſummo diſceſſit Olympo.
Tum divina diem appellans prudentia lucem,
Indidit & tenebris obſcuræ nomina noctis:
Sic facta una dies de mane ac veſpere primo.
Rurſus manè novum, primo jam veſpere pulſo
Reddita lux fecit, cùm ſe firmiſſima moles
Fluctibus è mediis concreto corpore cedens
Extulit, ac latè duro ſolidata rigore,
Diviſas ſuſpendit aquas, gelidúmque profundum
Axibus objecit caſtdis, ſéque æquore ſepto
Nixa ſuperfudit rebus, quas circite vaſto
Contegit æthereum, deducto hinc nomine, cælum.
Forſitan hìc aliquis ſic ſecum errore perito
Differat, æthereis ne deſint pabula flammis,
Et nimius calor ima petens, alimenta ſequendo
Exuat mortale genus, cæléſque coruſcum
Non poſſint terrena pati, ſubjecta deorſum eſt
Machina firma poli: quæ dum nos protegit umbra,
Interea ſuperimpoſitis frigeſcit ab undis.
Numinis at verò divini quærere cauſas
Mens fuge noſtra procul: plus ſit tibi credere ſemper
Poſſe Deum, quicquid fieri non poſſe putatur,
Et magnum pelagus ſuper aſtra & ſidera ferri,
Ipſorum ratione proba qui credere nolunt,
Et mundum pendere volunt, quem conditor ipſe
Geſtet, & immenſo conſtantem pondere volvat.
Tertia lux humidos ſtupuit diſcedere fluctus,
Cùm Deus impulſis reliqui jam gurgitis undis,
Aëriis magnum ſpaciis patefecit inane:
Arida tunc primùm mundi pars ima retectam
Oſtendit faciem, tremefactáque numine Verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.
Quas vario raptim juſſas fructeſcere fœtu,
Luxuriola novo texerunt germina limo.
Et rudis, & tenero proru ipens ceſpite lætis
Jactavit ſe ſylva comis, ſpeciémque ſecundum
Edidit una ſuam quæque arbor & herba virescens
Et fructum & ſemen, veſtiúque gramine terra eſt.
Jam tribus exactis, motu ſuccenſa citato,
In flammas, igniſque globum ſe cogere juſſa eſt
Solis prima dies, ſundatáque ſemina lucis
Puniceos roſeo ſparſerunt fomite crines:
Lunáque noctis honor, quæſito lumine fulgens,
Inferiore viâ ſoli ſubjecta pependit,
A quo ſuſceptos radios percuſſa refudit,
Aſtráque diſtinctis cælum pingentia zonis,
Floribus æthereis varios vibrare colores,
Et magis ornatis ſe reſplendere tenebris,
Cærula mox ſtupuit rutilis dum ſpicula flammis
Fuſa micant, urgéntque alacres nova ſidera jactus,
Quæ ſolare jubar radiis obducit apertis,
Tempora quadrifidi menſurans quatuor anni.
Sol quoque cùm curſus lunæ ſit menſtruus, uno
Contentus curſu revolutum conficit annum,
Artificémque ſacrum mirâ compage fatetur.
Quinta dies movit ſpirantia corpora ponto,
Quæ liquor humectans genuit, ſparſéque profundum
Delicias pelagi, vario quas germine miris
Formavit natura modis, educere juſſa
E toto partes, formáſque ex corpore inani.
Quinetiam in brutas animam dedit ire figuras,
Quæque ſalis tumidi ſqualentia gurgite terga
Cete vaſta levant, molli differa ſaginâ,
Edidit & qui horum conſervat corpora, noſtris
Corporibus nocet ipſe liquor, genitalis alumnus
Piſcibus, ipſa etiam terræ qui germina nutrit.
Hinc volucres quoque molle genus traxere vigorem,
Nam liquidas dum format aquas, immiſſáque pontum
Vita ſubit, fervent multo tumida æquora partu:
Nec ſatis eſt piſces genus omne exurgere, quódque
Squammea turba ſalo ſummas evadit in undas,
Ni volitans in aquis, ſenſim natet æthere puro,
Æthereos volucris contingere docta receſſus.
Ergo materies avibúſque & piſcibus una eſt.
Jam bis terna dies claro radiabat olympo,
Tertia poſt calidi genitalia munera ſolis:
Jámque tepens tellus gravidos laxaverat artus,
Cùm majora agitans juſſit Deus edere terram
Omne animal, vegetat ratio quod ſola movendi:
Cui ſervire datum, quo rerum poſtulat uſus.
Nec mora, prorumpunt fœtis vitalia terris
Pignora, quæque tui generis ſortita figuras.
Hìc mihi jam fas ſit quædam perſtringere, quædam
Sollicito trepidum penitus tranſmittere curæ,
Mutatâ quædam ſerie tranſmiſſa referre.
Poſtquam cuncta datus generatim protulit ordo,
Veris plena bonis, & multâ dote referta,
Quæ Deus in longam ſeriem mantura foverat:
Auctori perbella ſuo tum machina viſa eſt.
Sed quid id eſt, quod mundus erat, quod ſidera & ortus,
Ætheráque & vitreum pelagus, terræque virentes,
Ni ſpectator adeſt, tantæ quem gloria molis
Impleat, atque oculis avidum per ſingula ducat?
Quorſum tam lati fines, poſſeſſióque ampla,
Si rerum poſſeſſor abeſt? Hæc rector Olympi
Secum animo verſans, & Verbi pondere librans:
Stat dare ſumma operi, bona ſunt quæcunque creavi,
Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et ſit imago Dei, ſimilem decet eſſe creanti,
Liber ad arbitrium, fruitur qui mente creatis.

Dixerat

Dixerat hæc, & factus homo eſt, ſeu corpore toto,
Sive animâ ac ſpecie, forſan quo more futura,
Quo facienda facit, quo factum ſen per habebat,
Et ſi præteritum jam nondum acceſſerat ævum.
Ergo hunc præpoſitum rebus, cum conjuge juſſit
Creſcere per ſoboleſ, terráſque replere vacantes.
Tum natura ſemel rebus conceſſa creatis,
Præſertim quas vita movens animare videtur,
Multiplicat quæcunque ſuis primùm edita formis.
  Septima lux magnum ut vidit ceſsâſſe Parentem,
Sed generum tantum numeros desîſſe creare,
Et requiem tenuiſſe ſuam, tum jure ſacrata eſt [eſt
Perfectum quæ vidit opus: namque hoc quoque plenum
Virtutis, ceſsâſſe Deum, poſuiſſe labores.
Nam genitis formam Patris quam dextra pararet,
Bis ternis Dominum ſatis eſt patrâſſe diebus.
Septima lux docuit venerandæ exempla quietis,
Quam cæleſti omnes ſperare jubemur in aulâ,
Si modò non deſint operum bona facta piorum.
Hæc quoque lux illam ſignat, qua tartara Chriſtus
Solvit, & evicto reditum patefecit averno:
Cum patriam ille ſemel victor rediturus in aulam,
Jámque malorum expers, humanâ in carne quieſcit.
Sic ceſſare Deus, ſic otia ſumere novit,
Plus ut agat ceſſans, pariter ſinè fine quieſcens,
Ac ſinè fine operans, ſeriémque & tempora miſcens
Ceſſando conſummat opus, quodcunque creârat.
Sed qualem, qualíque Deus formaverit Adam
Materiâ, hìc paucis cum Moſe reſumere fas eſt.
  Primus enim meritis, poſtremus in ordine toto
Factus homo, ut ſeſe rebus præſtare creatis
Nôſſet, & hinc laudes Domino perſolveret æquas.
Ergo hominem factura Dei manus optima ſummi,
Tractatu facilem ac bene gnarum cedere limum,
Et flexum formámque ſequi qua ducitur arte,
Sumit, & humanam qualem jam mente gerebat
Explicat in ſpeciem, tum flatu immiſſa vaporo
Vita rigavit humum: tellus mollita liquore
Vertitur in carnem: & ſanguis, qui lubricus humor
Diſtendit molles per nota foramina venas.
Tunc mentis jam plenus homo, tellure relictâ
Exilit, ac Dominum prudens rationis adorat.
Haud aliter buſtis mandata reſurgere apertis
Corpora, cùm Chriſti cælo delapſa patenti
Majeſtas gravidæ reſerabit viſcera terræ,
Exilient, Dominúmque colent terræque polique.
Nam quod non habuit cùm ſic è pulvere vili
Humanum in formam compactum eſt corpus honoram,
Perfacile eſt rurſum integrum ut de pulvere reddat,
Quod jam habuit multos cælatum terra per annos.
Sic ex antiquis prodibunt juſſa ſepulcris
Corpora quæque ſuas rurſum aſſumentia partes.
Sic nil præteriti eſt, quod non ſit forma futuri,
Sed jam hominis tempus, ſedem atque habitacula primi
Pandere, ubi toto acceptum pro ſemine vulnus.
  Eoos aperit felix quà terra receſſus
Editiore globo, nemoris Paradiſus amœni
Panditur, & teretis diſtinguitur ordine ſilvæ.
Hic ubi jam ſpatiis limes diſcernitur æquis
Solis, & æternum paribus ver temperat horis.
Illìc quæque ſuis dives ſtat fructibus arbor,
Pomáque ſucciduis pelluntur mitia pomis:
Quæ jucunda epulis, & miri plena vigoris,
Membra animóſque fovent, paſcúntque ſapore & odore.
Sideros hìc terra vibrat diſtincta colores,
Semper flore novo frondens, fructúque recenti.
Hìc fragiles ſolvunt calamos, animata vigore
Muneris amœnoſi, ſpirantis cinnama odores.
Sed nec quod Medus redolet, vel crine ſoluto
Fragrat Achæmenius, quod molli dives amomo
Aſſyrius, meſsíſque rubens Mareotica nardo,
Quod Tarteſſiaci frutices, quod virga Sabæi,
Quódque Paleſtinus lacero flet vulnere ramus.
Omnia certatim hunc congeſta putabis in hortum.
Namque hæc cuncta Deus pariter, quæ ſingula certis
Accepit natura locis, conferta regeſſit:
Motáque dum leni vibrat nemus aura meatu,
Unum ex diverſo nectar permiſcet odore,
Fitque novum munus, ſibi nulla quod afferat arbor,
Quáque tremens blando ſenſim jactata fragore,
Commotis trepidat ſollis, ſonat arbore cunctâ
Hymnum ſylva Deo, modulatáque ſibilat aura
Carmina, nec vacuus vanum quatit æëra motus.
Quippe apud auctorem, qui totum mole ſub unâ,
Res rebus nectens, alternâ lege retentat,
Nil temere fieri vel frustra credere par eſt.
Quinetiam ſpecioſa, nemus ſylvæque coruſcæ,
Argumenta operum ſunt, & plantaria rerum.
Nec dubium primi quin delicta ante parentis,
Hìc ſua fixiſſent pariter tentoria ſecum,
Gloria, ſimplicitas, ſtudium, ſapientia, veri
Diva tenax, prudentia, gratia, honórque, ſalúſque,
Præclaríque animæ affectus, atque inclyta virtus,
Et quicquid pulcrum orbis habet: quid denique pauçis
Enumerare velim quàm plurima munera verbis?
Jam ſatìs hoc fidei eſt, læto quòd ſemine ſurgens
Hinc arbor vitæ, celſis petit æëra pomis:
Illinc diverſo nocitura peritia fructu,
Notitiam rerum ſuſpendit ab arbore legis.
  Ad gremium ſacri nemoris, quod ſylva coronat,
Fons ſcatet, & diti prolem virtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput amne reſolvens,
Ditior oceano: jungi nam gurgite pronus
Ille ſuos donat latices, ille accipit omnes,
Nec turget tamen: at minor eſt, qui creſcere tantis
Fluctibus infuſis, quàm qui decreſcere neſcit
Amnibus effuſis: quorum primo ordine Phiſon
Proſilit exultans, fontis pars quarta beati:
Edens naturæ quas dat prudentia dotes,
Gangetíſque replet populos, atque Indica regna
Diſtendit limo, terráſque & ſemina volvens
Quæ facit arva ſerit, nudis quà ſqualleat arenis
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hic ubi fulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus.
Nec minor inde Geon, placidis ſed mitior undis
Niliacas attollit aquas, arſuráque latè
Diluvio tegit arva pio, cælóque repugnans
Temperat Æthiopum ſtagnis refluentibus undas.
Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tigris
It comes Euphrati junctâ quos mole ruentes
Tellus victa cavo ſorbet patefacta baratro:
Donec in Armeniæ ſaltus ac Medica tempe,
Quos non ſuſtinuit, nec jam capit, evomat amnes.
Sed Tigris, nigro tanquam indignatus averno,
Proſilit æthereas motu majore ſub auras,
Et rurſum ſpelæa ſubit, merſúſque caverni
Intus agit fremitus, & fortior obice factus
Multiplicatur aquis, atróque citatior antro
Exit, & Aſſyrios celeri ſecat agmine campos.
Juſtior Euphrates, diti qui gurgite largus
Irrigat arentes ſubjectæ Perſidis agros,
Mollibus elicitus rivis, atque omnibus æquè
Servit, & humanos totum ſe præbet in uſus:
Donec ſiccus aquis, nomen quoque prodigus ipſum
Conſummat terris, pelagi quod debuit undis.
  Hæc igitur cuncto naturæ ditia ſœtu
Imperia, & tantâ virtutum dote refertæ
Deliciæ, prima eſt hominis poſſeſſio primi:
In quam deductus, vitâ exulare perenni
Accola juſſus erat, tales ergo ille locatus
Inter delicias, & longè pinguia Tempe:
Dum ſit adhuc dignus, diſcíſque labore mereri,
Expers mœrorum, curæque ignarus agebat.
Tantum apud auctorem eſt, meriti pro nomine ſummi,
Nondum aliquid meruiſſe mali. Quantum ergo putamus,
Solvere poſſe patrem rediturа in tempora vitæ:
Cujus apud famulos jam tum largitio pura,
Non merces Paradiſus erat? quódque illa ſeveræ
Legis ſcita tulit, libertatíſque periclum
Facturus, vitam, ſervanti juſſa, recepit:
Spondet adhuc majora bonis, & præmia ſervat,
Qui cauſam meritis ſtatuit: dum Veſcere, dixit,
Arboribus cunctis, hanc tantùm horrere memento,
Quæ diverſarum geſtans examina rerum,
Notitiam recti atque mali ſub cortice geſtat:
Nam tranſgreſſores mors cruda & dira ſequetur.
  Tali lege datâ, rario docet optima, quòd non
Mortalem Deus in primævo tempore fecit
Primum hominem, quin ille ſibi mortem attulit ultrò.
Namque & in hoc eſt magna Dei indulgentia ſummi,
Dum quod non meritis, ſed tantùm ſponte benignâ
Largitur famulis, noſtri cupit eſſe laboris:
Et ſe, quod donat, mavult debere videri.
At tu quem ſacri nectit cuſtodia juris,
Ne quærere anguſtis quòd clauſa licentia metis
Parte ſit orba ſui: nil hac tibi lege reciſum eſt.
Antè poteſtatem tantùm terræque maríſque

Nactus eras, nunc jam regni vitæque perennis,
Porrò & mortis habes: tunc ut sibi cuncta parentem
Indulsisse pium rudis incola crederet orbis,
Omne animal, quod jam tellus dare jussa creârat,
Effundens tacito vernans è corpore semen,
Jussit adesse Deus, proprióque obedire tyranno:
Scilicet ut cunctis bene congrua nomina rebus
Inderet, atque suo factum unum quodque vocaret
Nomine, naturâ quod natum est suapte moveri.
Nec mora, viventum parendi haud nescia sistit
Omne genus natura Deo: quacunque vocantur
Mundi parte novi, coëunt animalia in ipso
Temporis articulo modici: sive illa fuissent
Molli lenta gradu, aut rapido promptissima cursu,
Impete vel subito consueta per aëra labi,
Aut innare undis, aut pondere lubrica ferri,
His Deus omnipotens Adam præsente vocatis,
Unumquodque suo donavit munere largus,
Armavitque manu, cornu, pede, dente, veneno,
Atque aliis, quibus artis inops animisque minoris
Et ratione carens animal se protegat, & se
Servet ab adversis rebus: sed nullum animantum
Æquâ homini specie vultúque habitúque vigebat.
Ast homini propè divinos addebat honores,
Tóque inter duplici vitam illustrantia sexu
Impar solus erat, dudum qui conjugis aptam
In se materiam gignendæ ignarus habebat.
Ergo opus aggreditur notum Deus, jactáque raptim
Corda viri, tanto dissolvit languida somno,
Mentis ut experti costam subduceret unam,
Indè caro fit jussa sequi, nam sponte recedens
Pellis, iter planum costæ præbebat eunti,
Illæsis prorsum membris, & corpore sano.
Quæ varios operante Deo digesta per artus,
Accepit formam, calidisque animata medullis
Versa in opus vitæ est, sexu jam grata secundo.
Sic permissa suo formata est Eva marito.
Hoc nunc turba loco stolidissima desine tandem
Quæsitis animum vanis torquere, nec isthic
Quærere, cur hominis confecta est fœmina membris,
Cùm jam à principio molli de pulvere fingi
Posset, & ex nihilo, causas delitle latentes
Scrutari: quanquam si conjectare licebit
Ex homine effecta est mulier, cognatio quædam
Mutuum & alternum inter se ut misceret amorem,
Semet in alternis cogens agnoscere membris.
Hinc Evam partem esse sui, mox protinus Adam,
Sensit ut exultans, tetigit nova gratia mentem,
Mentis & affectus in viscera nota receptus
Irruit, & tanto penetravit in ossa calore:
Ut jam scire daret, quid conjunx esset, & uxor,
Quid dulces nati, postponendíque parentes
Conjugibus, quidnam una ambos in carne manere,
Æternam pariter vitam ducentibus esset.
Porrò dum mundi vitiis & labe carebant
Divinis vigeti animis, nullius egeni,
Cùm penes hos esset mundi substantia, & omnes
Quas dabat orbis opes: nec prorsum obnoxia morbis
Corpora gestabant, non hos cogebat ad esum
Paulæ ignara fames: qui si mandata supremi
Servâssent integra Dei, crudelia mortis
Imperia & diros nescissent usque dolores.
Callidus at serpens Domini perfringere legem,
Talibus incautam persuasit fraudibus Evam:
O vitæ melioris inops, rerúmque bonarum
Gens ignara hominum: neque enim bona nôsse putandus
Qui prava ignorans, etiam distinguere nescit
Quo diversa bonis inter se limite distent.
Atque ideo angustos homini fas carpere fructus
Noluit esse Deus: ne mentis nube remotâ
Immittant in cælum oculos, atque optima noscant,
Sintque deis similes. Hic nunc excurrere paulùm
Fas fuat, & turpes veterum deflere ruinas.
Ah nimiùm miseri gentiles, quos furor egit
In varios ritus cognomina multa Deorum
Fingere, pluraléinque Deo vocem addere soli.
Serpentis primam hanc sonuit vox impia diri,
Qui mortis tum causa fuit, nam credula postquam
Rupit sacrilegis præscriptum mortibus Eva,
Experti jam docta mali, consortia culpæ
Quærit, & incautum fraudis malè gnara maritum
Qua periit prior arte petit: sic hoste subactus
A gemino, cedit sceleri miserabilis Adam,
Pomáque degustat sacri plenissima succi:
Sed quia legis in his suberant præscripta severa,
Plusquam vipereo mortem allatura veneno.
Ut primùm illicito violárunt ora sapore,
Confestim sensere nefas, facinúsque peractum
Crevit, & ignaro percussit pectora sensu.
Hinc timor, indè pudor, sumpserunt primitus ortum.
Nam dum corda homines celsarum conscia rerum,
Et cælo tantùm rectóque intenta gerentes
Pectora ad excelsum ferrent conversa parentem:
Dum secretorum miracula divinorum
Claro incorporeæ mentis splendore notarent:
Nondum contigerat membrorum cura suorum.
Quos ubi deseruit vitæ vigor ille perennis,
Jam morte affectos, demum frigúsque calórque
Aëriæ subiere vices, ac vestis egenos
Se primùm sensere homines, sexúque latenter
Erubuere suo, taciti miserabilè questi.
Idcirco umbrosæ è foliis nova tegmina fici
Decerptis texunt, post culpam, mente receptum
Corpore velato denudatura pudorem.
Nec satìs, ignorant, quid agant, quâ crimen inustum,
Séque ipsos fugiant: cuperent si fortè pateret,
Condere se barathro, usque adeò contermina pœnæ
Culpa suæ est, ut jam miseros mortale paventes
Mortis imago juvet, sylvas umbrosáque lustra
Obtendunt, vanis solatia falsa tenebris.
Nam quò te timidum fas est subducere corpus?
Tete inquam, quæ vox vili de pulvere fecit,
Virtus viva patris, mundi occultissima, præsens
Implet, & in penitos exit diffusa recessus.
Túne potes Dominum fugiens evadere, túne
Omnia cernentem sperâsti posse latere?
Ut vastis jaceas tenebris, celabere nunquam.
Ergo ubi peccati genitus pudor attigit Adam
Quærentem latebras, mox audiit: Heus ubi es Adam,
Quid verò est quòd te quærit Deus, inscius anne id
Fortè rogat? cui te Domino subducere summo
Nec mors ipsa potest, fragili quam mente subisti,
Cur ubi sis quærit, nisi quòd te morte doloris
Lapsum sponte tuâ, secum non esse fatetur,
Et cælo cecidisse sacro, sed sancta parentis
Desperare vetat pietas, clementia cujus
(Fas dixisse mihi, fas sit quoque dicta probâsse)
Justitiam excedit: nec tam me voce severâ
Corripiens, ubi sis, trepido quid pectore quæras,
Terret: quam recreat, quòd adhuc post crimina lapsum
Immersúmque metu, latebris ac penè sepultum,
Evocat & revocat: ne verò exempla petantur
Longiùs, ostendit culpæ donatio mitem.
Postquam excussa reos manifestat causa parentes,
Incepêre Deo cælum, mare, terra loquente
Contremere, & vastos concussa aperire recessus.
Dúmque reos punit sententia; tartara condit,
Quandoquidem nostris visum est decedere justis,
Jam mihi justa novos feriet censura nocentes.
Principio inter totius viventia mundi
Tu maledictus eris, & pejor quam tegis intus
Invida mens coluber: qui cælum intrare creatos
Dejecisti homines, vetitáque attingere fruges
Fraude tuâ impulsis, præduræ mortis origo es.
Ergo ut digna nefas pœnæ mensura sequatur,
Ex quo hominem terræ immersti, tu stratus iniquo
Membra solo, duram sulcabis pectore terram,
Et vetitos tentare cibos quia feceris, hinc jam
Vilis semper edes squallentia viscera terræ.
Et quia te dignæ placuit tibi primus ut esses
Inventor mortis pœnâ moriere perenni,
Humanísque odium generis specialiter in te,
Ac genus omne tuum bello experiere potenti,
Perpetuúmque tui, mors ut tibi longa, timorem
Esse dabo: pedibus repes, & pectore prono:
Téque tuo mulier perimet cum semine, cujus
Callidus extremis tantùm insidiabere plantis,
Ut trepidans etiam capiti vestigia figat.
Dixit, & exsanguem sic est exorsus in Evam
Et tu quæ minimo solam te perdere fructu
Non contenta, virum similes temeraria in ausus
Traxisti: instar eris famulæ, subjectáque duros
Arbitrium sensura viri patiere labores.
Casibus & verò (inceptum quoniam prior ausa es
Multiplicare nefas) semper versabere multis.
Tum pariens crebris adeò torquebere natis,
Ut quos mortales faciet tua culpa creari,
Mortis nonnunquam laceræ sint causa parenti.

Tu

Tu quóque cui monitus noſtros, & prima ſalutis
Vincula fœmineis poſtponere fraudibus auſo,
Sponte mori placuit: talem reus excipe ſortem,
Criminibus tellus, quam tu ſulcabis aratro,
Sit maledicta tuis, ſpinas tribulóſque minaces
Culta ferat, fallátque tuum ſpes improba votum,
Nec tibi terra fidem ſervet: tu vivere lætus
His in deliciis, & cunctis vivere ſeclis
Sponte recuſáſti: duro nunc vive labore,
Perpetuum quoque vive miſer, dum lenta ſenectus
In terram te reſtituat, terræque recondat.
Dixit, & ignaros ne cæli injuria lædat,
Veſte tegit pecudum miſerans, vitámque tueri
Edocet: & ne iterum ſimiles exiret in auſus,
Infauſtum mortis formidine percutit Adam.
At ne perpetuam vitali ex arbore vitam
Prótraherent, miſeróſque reos graviora manerent
Supplicia, in tantis nimíùm diuturna periclis
Tempora ducentes, diriſque obnoxia pœnis:
Continuò ſacris juſſos decedere lucis
Expellunt venti, nemoris quos ſylva profundi
Concitat, atque illos librauti turbine nexos
Aura vehens, ſacrâ Paradiſi ab ſede repellit.
Ergo hinc ejecti juvenes, terriſque relati,
Perdita dimiſſi ſuſpirant gaudia luci,
Expertes tanti ſpacii, expertéſque periclí:
Sed non expertes, agitat qui corda, doloris.
Quò ruerint, quid perdiderint, quæ vita ſequatur,
Quæ fuerit tacitâ triſtes in mente volutant.
Porrò etiam quid ſe ſupremo in fine futurum eſt,
Hærent ſollicitî: ſibi num graviora ſuperſint,
Nullâne ſpes ſupereſt miſeris, num morte perenni
Perdant, quod ſupereſt: an cùm vis mortis amaræ,
Per lignum ingruerit mundo pupulíſque futuris,
Poſſit adhuc aliquod per lignum vita redire.

LIBER SECUNDUS.

HActenus arcanam ſeriem, primordia mundi,
Ut ſincera fides docuit, ſinè fraude cucurri,
Dum digitis lecto vitiis terrena carerent:
Nunc hominum mores, & jam mortalia verſu
Aggreſſo, omnipotens vires Deus adde poëtæ.
Poſtquam ſacratis decedere juſſus uterque
Sedibus ac regnis, genitalia contigit arva,
Inque ſuâ ſterit exul humo: mirabile quàm
Ore, rudes ſtupéant tam barbara rura coloni,
Quæ non frugiferâ diſtinctâque arbore vernant.
Nec ſpecies placet ulla ſoli: nam mixta coacto
Pondere congeries confuſâ mole locatur,
Ardua cautè rigent, ſylvis depreſſa laborant
Plana, carénteque herbis, horreſcunt edita dumis.
Heu quibus hæc ſpectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis Paradiſus inèſt, quæ cauſa doloris
Una ſubeſt, dum cunctorum jam plena malorum
Se pandit facies longè triſtiſſima, poſt tot
Delicias Paradiſi tuas, & amœna locorum
Gaudia fertilium: quorum vaniſſima præſens
Semper adeſt, triſtéſque animos idea fatigat.
Nunc honor illé ſacri nemoris majore ſereno
Irradiat, nunc divitias ſuccurrit ademptas
Sylva beata tuas: nunc pomi dulcior uſus,
Nectareúſque ſapor: vivis nunc floribus halatis
Tellus, abſenti triſtes contriſtat odore.
O quàm non eadem (exclamant) Paradiſe tependit,
Immò etiam quanto præ illis hæc dona beatis
Deliciis, pejora facis. ſic triſtibus illis
Jam vitæ perit almus amor, penuria rerum
Inſinuat jam dulce mori, nè major egeſtas
Occurrat graviore málo, nam viſcera terræ
Scrutari veſana fames, & quærere cogit
Quà ſteriles dat ſylva dapes, adeò uſque malignis
Herbarum dubias paſſim radicibus eſcas
Explorare juvat, ventrémque explere latrántem.
Tandem cunctarum, quibus indiget uſus, egenos
Atque inopes rerum, docuit ſors ultima ſummi
Auxilium ſperare Patris: tum ſtrátus uterque
Membra ſolo, lacrymis tantùm mutóque dolore
Quæ nequeunt verbis, poſcunt ſolatia votis,
Dum pudor internis ſubducit verba querelis.
Ergo ubi cognovit mutæ ſibi reddita linguæ
Munera, conſurgens tali prece ſupplicat Adam.

Omnipotens, auctor mundi rerúmque creator,
Quem mihi labe mali infenſum atque audacibus auſis
Conſtitui, felix olim, dum vita maneret,
Et celeres animos viſu ſuper aſtra daretur
Poſſe ſequi, latè circùm pérque omnia fuſo:
Hos ego cur oculos tua quondam arcana tuentes,
Vel jam non habeo, vel magnâ ex parte minutos,
Et retro clauſos terreni carceris antro?
Ut jam nil veri præter mortalia quædam, &
Fluxa videre datum, ac mundum in pejora labantem.
Atque ideo Omnipotens, qui ſemper totus ubique es,
Ad te confugimus, trepidâ te mente precamur,
Exaudi miſeros, quos ſemper cernis & audis,
Cùm me olim parti damnatæ annectere vellet
Ille caput ſcelerum, mundi infenſiſſimus hoſtis,
Nil per ſe ſolum, ne victus cederet, auſus,
Serpentis formam accipiens, & conjugis illa
Arma meæ, duro contecit vulnere, ſic nos
Artificis ſcelerum fraus improviſa ſubegit.
Cúmque ego damnarer juſtâ pro crimine pœnâ,
Agnovit culpam tanto mens icta dolore,
Ut mihi me de me pœnam præbere putarem.
Ideirco & gemitus pœnæ, lacrymáſque negavi,
Amplexúſque animo ſolátia dulcia pœnæ,
Hanc ipſam poſthæc ſacra inter munera ponens
Pro venià ſceleris: non jam detrecto labores,
Quoſcumque addideris, tamen interea optime judex
Si juvat, exaudi nil in tua juſſa precantes.
Nec jam iſtud lacrymis & mœſtâ voce precamur,
Judicii cenſura tui quòd ſe illa reſolvat,
Totâ ſed ut plenas teneat ſententia vires.
Juſſiſti motâ victum me quærere glebâ,
Et ſteriles ſpinas ſparſâ pro fruge levandas
Dixiſti; & tribulos pro fructibus: ergo ſerenda eſt
Ut fallat mea vota ſeges, quæſita labore.
Noſcere da quæ ſint ſegetes, quo more ſerendæ,
Fructiferæ quæ ſint herbæ, quæ forma laboris.
Da Pater auxilium miſerans, hiſque imbue ſenſus:
Tunc erit ut rerum compos; & certa ſalutis
Serviat Eva mihi, ſævúmque experta parentis
Supplicium, pariat populos ut crimine noſtro
Plectantur, purgétque patrum peccata, nepotum
Mortibus æternam faciens ſucceſſio pœnam.
Interea dum ſic orant, ſerpentis imago
Indice viſa metu tacito ſe trámite ferre
Leniter, ad molles ſpiris reptantibus herbas,
In ſe convertit trepidos, diriſque doloris
Excuſſo ſenio cognatas traxit in iras.
Et prior Eva viro: Si te ſuprema malorum
Cauſſa movet, rupe ſaxa manu, datur ecce facultas
Auctorem lethi letho dare: callidus ille
Suppliciis doceat propriis, & morte cruentâ,
Quàm ſit triſte mori, qui me malè perdidit, & te.
Dixit, & elapſum curſu petriſque ſequuta eſt
Miſſilibus: quin & duras per robora cautes,
Qho ſe reptando condebat callidus anguis,
Ambo projiciunt: quarum rigido una lacerto
In nudum caſu ſilicem dimiſſa reſultat,
Scintillámque ciet: ſicco quæ è ſormite nata
Exiit in flammam, & crinita incendia latè
Extendens totâ jam ſylvâ ardebat adepta.
Hìc horrent, latebráſque gradu trepidante requirunt,
Sed pavidos ſtupor ipſe tenet, cùrámque ſagacem
Injicit inſolitæ flammæ: quam cerniere rurſum,
Et timidi ſpectare volunt: paulùm ergo remoti
Telluris dorſo ſterilis mirantur opacas
Defluxiſſe comas, nemorúmque horrere favillas,
Fuſcarique diem, totas ſplendeſcere terras,
Et lucem ſub ſole novam: nec mente quietâ
Accipiunt crepitus ſtridentibus undique ſylvis,
Undantéſque globos flaminarum in ſidera latos,
Nec quod radices immerſus tendit in imas
Ignis edax penitùs: ſumpto quo victa calore
Terra ſuas pandit generoſa ad munera venas.
Quæ cùm jam cuncto ſiccata liquore fuiſſet,
Mox fieri liquor incepit, riviſque metalla
Fundere quæque ſuis, fulvo hinc torrente coruſcat
Auri ſummus honos, candenti lacte renidens
Effluit argentum, rigor æris lubricus errat,
Et cogit in mollem reſoluto corpore maſſam.
Vis brevibus formam ardentis comprendere ſylvæ?
Sulfureæ volitant nemoris per opaca favillæ,
Non aliter quàm dum ruptis ſicca Ætna caminis,
Egerit immixtis ſtridentia ſulfura flammis:

Tum

Tum ſe decoctis tellus pinguiſſima glebis
In fœtus movit varios, quos imbre marito
Parturiens putri diſſolvit rura meatu,
Quà tumidi crepuere ſinus, elatâque meſſis
Extitit, & motis undans trepidavit ariſtis,
Diſceret ut ſpeciem ſegetis novus accola cultæ.
Nil tamen hinc longus quicquam ſibi vendicet uſus,
Nil caſus virtutis inops, Deus omnia nôſſe
Quæ bona ſunt cum luce dedit, mundóque minori,
Quidquid major habet, ſacro innoteſcere ſenſu,
Séque per hæc voluit: quòd ſi illibata maneret,
Ut data mens homini eſt, nullíque obnoxia culpæ:
Non illam ſpecies, non illam corpora rerum,
Non modus aſtrorum, numerus nec mollis arenæ
Falleret, aut quantis cum magno terra profundo
Extenſa eſt ſpatiis, aut quæ menſura peracta eſt
Molis: quid reſonet motu ſeptemplicis axis
Harmoniæ vocale melos, nunc diſcitur uſu
Aſſiduíſque datur ſtudiis: quanquam arte vel uſu
Quod capimus, Domino ſemper donante tenemus.
At verò ad primos ut ſe digreſſa parentes
Noſtra chelys referat, jam quæſo attendite paucis.
Pulſus ab auguſtis Paradiſi ſedibus Adam,
Nullum habuit prius officium, quàm conjugis uſum,
Atque omnem natis operam navare creandis:
Ergo ubi prima domus natis jam plena duobus,
Inter jam varios ſolatia multa labores
Attulit, atque novum ſe vidit uterque parentem,
Multiplicata graves relevavit cura dolores:
Et ſpes jam ſubiit propriis gaudere miniſtris
Ruris in officio, quorum qui maximus ævo,
Arva Cain duris vertebat pinguia raſtris.
At vivo gaudere lucro digniſſimus Abel,
Collibus in nudis & ſicci germine campi
Innocuas paſcebat oves, & lacte parentes.
Verùm expectati ſenſere ut gaudia fructûs,
Divino intuitu vinci ſua vota favore:
Mox decrevit uterque ſui libamina fructûs
Prima dicare Deo, ſacras prior impedit aras
Frugibus ille novis, niveo magis hic litat agno.
Prima ſacerdotum ſpecies, mox hoſtia fratris
Impia, ſed Chriſtum longè tamen antè figura
Signans, perpetuus nam cùm foret ille ſacerdos,
Summi Melchiſedech ex ordine: protinus in ſe
Conflata invidia, & fratrûm livore ſuorum eſt,
Hoſtia ſalvificâ dum pendet ab arbore factus.
Sic olim antè ſui præſenſit candidus Abel
Invidiam fratris: nam cùm de fruge litâſſet
Iſte ſuâ, niveo ille agno, mox protinus altum
In cælum aſcendit combuſto fumus ab agno.
At contrà per inane volans de frugibus illis
In terram rediit fugienti fumus Olympo:
Aut quòd pejores Domino ſacraverat, aut quòd
Illi non gratum eſt, animo quod prodit avaro.
Indè Cain tamen inſanas flammatur in iras,
Invidiæ ducens illo de fonte venenum,
Unde propinârat ſerpens, fratrémque cavendi
Ignarum, ſævâ mactatum cæde trucidat.
Heu facinus! Quò non miſeros furioſa libido,
Quò non ira, recens odium, & vis improba cogit?
Quid meret innocuus frater? num ſanctior ille
Quòd fuit, interimi meruit? jam facta parentum
Non eſt poſteritas quòd quicquam accuſet, & ipſi
Flagitium addidimus: jámque eſt quod callidus anguis
Objiciat, ſi fors illum accuſare velimus,
Quòd morimur: namq; ad cumulum prima illa propago
Criminis, adjecit mortem, culpámque parentum
Inductam mundo (horrendum eſt id dicere) fecit
Impietas ſcelus eſſe novum, ſic impie, ſic tu
Dire Caïn primore novum cæde inficis orbem:
Pro qua perpetuas pœnas jam morte ſolutus
Æternúmque dabis, longè ſerpente nefando
Deterior, tua metimur ſic crimina: namque
Attulit ille necem nobis, non intulit: at nos
Cepimus allatam, tu verò hanc primitus infers.
Tantò illo pejor, vitari publicus hoſtis
Quòd potuit: tu privatus nullâ arte caveri
Jam poteras: Quis enim dilecto à fratre timeret?
At verò nulla eſt hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modò pœnituit facti: quod teſte Caïno
Accipimus, quem tunc fraternâ cæde madentem
Non indignum habuit (tanta eſt clementia, ſeſe
Correptore Deus, quin blandâ voce rogatum,
Frater ubi ſuus ille foret, facinúſque negantem
Arguit, & leviter tanto pro crimine punit.
Nam profugum tantùm atque extorrem ab utroque parente
Longiùs amandat, vaſtáſque relegat in oras,
Et jubet à patriis confeſtim excedere terris.
Hæc etiam longè miſero feliciter in re
Gratificans: gravior nam multo eſt pœna videri
Inter felices, & purâ mente beatos
Victuro, poſt ſupplicium, factíque pudorem.
Utque ſit exilium levius, comes additur uxor
Fida reo forſan, ne deſperatio ſolum
Arriperet: tum etiam quæ duras pectoris ægri
Mollíret curas, & moto corpore fractum
Siſteret amplexu: nullíque obnoxia culpæ,
Et Dominum votis, & purâ mente colendo,
Eliceret quicquid poſſet ſatis eſſe duobus.
Sic multa extorres comitatur gratia, quorum
Auxit multiplicans per nomina mille nepotum
Progeniem Deus omnipotens, regémque Caïnum
Eſſe dedit populis, quos cingere mœnibus urbes
Erudiit, prælonga videns in tempora natos.
Interea mœſto rurſum gravis Eva marito
Penſârat primum ſancto jam pignore damnum,
Reddiderátque iterum natâ jam prole parenti
Multiplices animi curas, & mixta labore
Gaudia: Seth puero nomen fecere, vice Abel
Quem dedit omnipotens illis Deus: unde ſecuta eſt
Poſteritas, cujus de ſemine prodiit Enos,
Qui primus tacitâ lectus virtute ſacerdos
Poſſe ciere piis precibus, votóque potentem
Speravit, meruíſque Deum, populúmque ſecutum
Imbuit, æterni cultum ſervare Parentis.
Cujus de ſerie pollens virtutibus Enoch
Deſcendens, meritis etiam non impar avitis,
Redditus in ſedes patrias orbémque beatum,
Vivit adhuc, & habet vitæ jam regna futuræ.
Hic juſti proavus Noë ſub tempora cujus
Infecit totum ſtudiis concordibus orbem
Culpa frequens, vitiíſque ſequens adjunxit avitis
Poſteritas vitium: quapropter mille per annos,
Aut propè majores cùm vivere conſueviſſent,
Ne perverſi hominum mores creſcentibus annis
Augmentum acciperent, vitiis ut terminus eſſet,
Maxima vita hominum luſtra ad duodena redacta eſt.
Namque Caïnigenûm cùm ſe conjuncta prophanis
Damnâſſet Thalamis in pejus prona juventus;
In varium facinus, ſuperûm deſerta favore,
Proſilit, ſnque omnes currit temeraria lapſus.
Tum Deus averſo tam multa ob crimina mundo
Confeſtim infenſus, voces erumpit in iſtas:
Nequaquam poſt hæc humanâ in gente manebit
Spiritus ille meus, vitam nec proferet ultrà:
Vivere biſſenos decies contenta per annos
Vita nocens hominum: quoniam terrena ſequuti
Plus carnis quàm mentis habent, ſic ergo ſevera
Ævi conſtituit tempus ſententia certum
Judicis immoti, longæ ne tempora vitæ
Criminis augendi cauſam præſtare valerent.
Flagitii quid enim jam non auderet iniqui
Impia gens hominum? nam magnâ mole Gigantes
Mouſtra horrenda hominum, vario de ſemine nati,
Nil non audebant: quîs una & maxima virtus,
Non fore ad extremum pravos, quos dira libido
Crimen in omne trahens, nullas ſinè ſanguine noctes,
Aut ſinè cæde dies unquam ductare ſinebat:
Immemores juris divini, hominúmque, ſuíque,
Affectúſque pii, matrúmque, patrúmque ſuorum,
Auctoríſque Dei: tantúmque in crimina ſumma
Proceſſum eſt, homines Dominum ut formâſſe pigeret,
Ut perverſa etiam Deus ob peccata nocentum,
Criminis expertes animas convolvere vellet,
Atque ſuperfuſis terras immergere lymphis,
Rurſus in antiquam mundo redeunte figuram.
Unus erat Noë juſtus, quem propter in iras
Differret prodire Deus: quem vita fidelis
Jam per quingentos immunem criminis annos
Duxerat, & ſanctâ degentem in lege probârat.
Cui ſic ſancta Deus pandens arcana revelat,
Jámque hominum vitiis infectam turpibus omnem
Aëra cum terris in deteriora relapſis
Eluere, & tumido viſum eſt ſubmergere ponto:
Et dum cuncta ruens operit, juſſúſque reſidit
Gurgite præcipiti, pollutum diluat orbem,
Implicitóſque homines, & quicquid vivere juſſum eſt

Cauſa

Causâ hominum, inflati convolvat labe profundi.
Sed quia tu solus cui cordi nostra voluntas,
Devotum sanctis duxilli legibus ævum,
Perversis semper voto meliore repugnans:
Sic decretorum moderabor jura meorum,
Ut mihi cùm justas luerit gens impia pœnas,
Purgatæque orbis fæces: tum dignius à te
Incipiat mortale genus, summumque parentem
Te numerent populi, post hæc qui tempora vivent.
Quadratis igitur trabibus contexta paretur
Arca tibi, cubitis sed quæ sit longa trecentis,
Lata quaterdenis denos super: ærea in altum
Terdenis surgens, cubitali ornata fenestrâ.
Insuper à lævâ ponatur janua parte,
Tunc calidum bibulâ spirans compage bitumen
Exploret, tenues & vestiat undique rimis.
Cúmque triplex spatium discreverit area duplex,
Sic discernantur propriis animantia nidis,
Ne violent permixta genus, commissíque pugnent,
Confundántque cibos, quorum te condere par est
Tantam materiem: nam dispensata receptis
Ne desint, præstare meum est. Hæc mente fideli
Noë concipiens (sensum ipse animúmque ministrans,
Velle & posse dabat famulo, quodcunque jubebat)
Jussum opus aggreditur, densos prosternere sylvas
Incipiens, atque annosas proscindere quercus.
Admittunt luti radios, umbrísque levatur
Campus, & æquævo spoliantur robore valles.
Sed cùm tam multo fuerit properata labore,
Summa operis cœpti centum differtur in annos,
Ut bona vita sequens, vitæ delicta prioris
Emendet, mutétque feros gens impia mores.
O miseri, quos tam justæ dilatio pœnæ
Plus facit esse reos: nec jam pro crimine tantùm
Præterito, at longè gravius plectentur ob ipsum
Temporis indulti spacium, veniámque neglectam:
Cùm testaretur se parcere malle reversis,
Tempore dilato Dominus. Jam mole peractâ,
Machina constabat laterum compage capaci,
Diffugium quod supremum pater ipse parârat
Naufragiis natura tuis, rapidísque fluentis.
Tum Deus è celso famulum dignatus Olympo,
Voce monet Noë, summum jam tempus adesse,
Condere se latebris, natos cum uxore, nurúsque
Eripere instanti exitio, mortísque tenebris,
Cunctáque vivificis animalia reddere claustris:
Sive ea terra fovet, seu clarus sustinet aer:
Singula de mundis septena, & singula bina
Ex iis quæ sacris minùs apta, immunda vocantur.
Nec mora fit, quicquid converso cardine cœli
Nascitur, ignotum diversis partibus orbis,
Quod stupet Eous, quod pallidus horret Iberus,
Australis Libyæ calidis quod nutrit arenis,
Scindit Hyperboreas miro quod lumine noctes,
Festinat trepidans & apertæ immergitur arcæ.
Diluvium dicas jam præsensisse, Deóque
Auctori parere suo, & pecudes ratione carentes
Plus quàm imprudentes homines ratione valere,
Etsi nil sapiunt. Ergo omni semine vitæ
Prævalidam ut primùm claudi Deus imperat arcam,
Nox ruit, & subitæ cælum obduxere tenebræ,
Effusóque cadens terras ferit aëre nimbus,
Et furit, & toto pariter desævit in orbe.
Nec satis excidio est qui nubibus effluit imber,
Antiquæ laxantur aquæ, jámque æthere aperto
In nubes vacuas cælum pluit, & reseratâ
Defluit in lymphas mundus cœlestis abyssо,
Atque novos pandit fontes, torrentibus æquos.
Dúmque uno immixtum raptim se gurgite jungit,
Quod cælum, quod terra vomit, quod nubila fundunt
Involvit mersos mixtis cultoribus agros,
Implicitósque greges stabulis, cum civibus urbes,
Obruit inter aquas: populísque natante ruinâ,
Nulla manet rerum facies: tegit omnia flumen,
Crescendóque suum perdunt & flumina nomen.
Mox etiam cursu, nullis satiabilis unquam
Amnibus Oceanus, tam magnâ mole ruentes
Jam præsentit aquas: auctо quas gurgite major
Pellit, & in cumulum redeuntes surgere cogit.
Donec contractis æstum attollente profundo
Undique littoribus summo se circite jungit
Fluctus, & oppressis concurrunt æquora terris.
Et jam ter quinis super omnia celsior ulnis
Arca ferebatur (namque hæc mensura supremos
Excessit montes) cùm quadraginta diebus
Unius pluviæ furor, & mors una fuisset.
Ter quinquagenis dehinc solibus aëre sudo
Consimilis ponti modus & mensura remansit.
Dum Pater omnipotens jamdudum in carcere gentis
Conclusæ miserans, terris abscedere magnum
Paulatim jussit pelagus, sensimque relabi:
Ne rapiim fugiens terras subverteret omnes,
Et stabilem in sedem tellus ut sicca maret.
Denique diffuso planus mox aëre vertex
Prodere se cœpit pedetentim, & summa videri
Posse juga, ac planos scopulis descendere fluctus,
Cúmque residenti sensim prorumpere sylvas
Æquore, & occultos paulatim surgere colles.
Jámque niger patulâ speculator missus ab arcâ,
Aëra repperterat placidum, prædáque repertâ
Non jam curabat consueta in claustra reverti:
Ergo emissa semel vitali è sede columba,
Nil referens certi, rursum dimissa reportat
Pacifera frugis parvum libamen olivæ.
Tantus ad indicium hoc, magni cum laude parentis,
Clausorum fletus, quo se gaudere revelant,
Exoritur: quantus muris cùm victor acerbus
Insultat, subitum obsessis si fortè feratur
Auxilium: quantus cùm judice missa modesto
Addictos rursum vitæ sententia reddit:
Quantus in ambiguum sonus cùm vita recurrit
Inter lugentum lacrymas & gaudia fletus.
Postеaquam rursum speculatrix arva patere
Nunciat, hoc ipso terris quòd missa receptis
Non rediit, tædet pigras perferre latebras,
Et juvat ad cæli ventos spirare patentis,
Atque animam æthereo laxatam pascere sensu:
Sed nulli claustro fas est exire patenti,
Donec relliquias illuc qui jusserat orbis
Ingredier, jubeat sacris excedere claustris.
Cælitùs admonitum fidâ cum conjuge Noë,
Cúmque domo, & natis pariter, nuribúsque pudicis,
Et nova deductis iterum dare rura colonis,
Cunctáque succiduæ servata animantia proli,
Jam captiva diu claustris emittere apertis,
Quæ bonus humanos opifex servârat in usus.
Quæ postquam data porta, ruunt: pars aëra pennis,
Pars saltus, sylvásque petunt: pars mersa cavernis
Insoditur patulis: terræ pars libera campis
Exultat siccis, & prato vernat aperto,
At verò mundi sortitus regna secundi
Cuncta oculis Noë lustrans, ac mente capaci
Accipiens, animúmque volens saturare replendo,
Cuncta haurit, rapido perlustrans omnia visu,
Ut nova miratur: noto fulgentior ortu,
Et magè sol rutilus ridet: majore sereno
Læta poli facies, & desperata viresсunt
Fœtibus arva novis: sed adhuc versatur imago
Ante oculos, tantæ semper memoranda ruinæ.
Inter aquas quid pertulerint, quid munere sacro
Non etiam tulerint, fremeret cum verbere sævo
Pontus, & illisas contemneret arca procellas.
Cúmque suis Noë quàm prompta & læta revolvit,
Si circùm summi fuerit largitio Patris:
Cogit & attonitos mirari ac volvere secum,
Unde tot esca animis toto sufficerit anno,
Quis potus, namque hoc constat, si cætera vitæ
Suppeterent, clausos, dum fluctuat arca, perire
Inter aquas potuisse siti: nisi rector Olympi
Depositos, hominum auxilio donóque carentes,
Subtinuisset, eo quo condidit omnia nutu.
Ille animas longæ perituras carcere noctis
Affectu lucis spolians, virtute replevit.
Ille ut tam segnem possint perferre quietem,
Infudit pigri placidum torporis amorem:
Omnipotens quid enim non ejus dextera possit,
Qui gelidi raptim mersos sub gurgitis undas
Cùm visum est ardere, facit, flammásque sub ipsas
Algere invectos? & qui nunc tempore parvo
Posse perire homines docuit mergentibus undis,
Ostendet flammis atque undis posse renasci.

LIBER TERTIUS.

TALIA mente gerens, venturáque sæcula cernens,
Non priùs officii quicquam servatus inire
Constituit: quàm sacra Deo laudésque rependat,

Gratéſque evaſo referat diſcrimine Noë.
Mox niveo ſacra exurgunt altaria ſaxo,
Agnovítque hæc prima recens altaria mundus.
Antea totus enim convexo tramite cæli,
Templum mundus erat, tum dudum ad ſacra paratis
Affluit è gregibus ſeptenis hoſtia præceps:
Seu volucrum ex ſpecie, mollis quas ſuſtinet aër:
Sive ex his quæ terra parit: nam ſeptima quæque
Aris ſternuntur devota animalia ſacris.
Æthereo tum mox ignis demiſſus Olympo,
Libat odoratos ad ſacra altaria fœtus,
Ambroſiúmque Deo flagrant holocauſta vaporem.
Et quamquam noſtri nil muneris indiget, ille
Totius mundi Dominúſque Deúſque: ſuorum
Attamen officiis venerari, & munere gaudet.
Qui lymphis tandem ſic Noë affatur ademptis.
Etſi parva fuit, tanto pro crimine, pœnæ
Ultio, vindicibus pluviis, cælóque refuſo
Tot ſcelerum damnàſſe reos, fedémque nocentem
Terrarum, magè diffuſo purgâſſe profundo:
Non tamen offenſi feriemus verbere tali
Ulteriùs mortale genus: quamvis ruituras
Per varium facinus, per crimina priſtina rurſus
Humanas mentes videam, gentéſque profanas,
Non tamen interea ceſſabit dextera vindex,
Supplicia injuſtis quæ reddat, præmia juſtis.
Vos igitur, quos vita probat juſtiſſima nobis,
Creſcite, ſecuri & fœcundâ prole referte
Arva, novóſque greges longis diſtendite terris.
Servabunt elementa vices, cunctíſque diebus
Sparſis ſeminibus reddetur debita meſſis.
Curret opus mundi compar, diſcordibus horis.
Æſtati certabit hyems, ac tempora librans
Veris & autumni fugiens replicabitur annus.
Vóſque (quibus regnum ſolidi permitimus orbis)
Tota tremet, metuétque ampli ſubſtantia mundi.
Imperium ecce damus vobis res prorſus in omnes;
Tótque inter ſpecies rerum: quæ ſponte moventur
Carnea membra quidem veſtros largimur in uſus,
Quamquam * interdum vobis à ſanguine vivi
Eſſe volo: quem ſi quiſquam ederit, haud ſecus acris
Illum judicii plectet ſententia, quàm ſi
Hauſerit humanâ fluidum de cæde cruorem:
Quem repetam ſemper vindex, adeóque requiram,
Ut mihi non ſolus pendat rationis abundans
Supplicium, ſed bruta etiam: cruor omnibus æquè
Sit ſacer humanus. Verùm ne poſtea quiſquam
Diluvium metuat, tali ſit fœdere tutus.
Cùm levis in nebulas pendens ſe verterit humor,
Et nigras cumulárit aquas in concava nubes,
Effundam radios, & pulcrum circite ſummo
Arcum componet mihi ſolis imago recurvum,
Pingentem convexa poli, qui luce colores
Exhibeat varios, & in aëra diſſipet imbres,
Ignis plus habeat ratilans, & jam minùs imbris:
Quod ſibi venturi ſpecimen præſumere ſigni
Poſteritas ſecura poteſt, ut fœdere tali
Poſthæc diluvium credat non eſſe timendum.
Talibus attenti imperiis cum conjuge Noë,
Poſt habitas Domino grates, laudéſque repenſas,
Certatim & limo dulcéque uligine læta
Arva pater natíque ſimul, quis firmius ævum,
Mox ſubigunt raſtris, & ſemine rura maritant.
Tum vere effuſis latè denſiſſima campis
Herba virens, flavat cùm duraviſſet ariſtas,
Solis ob ardores in frugem lacte gelato
Reddit multiplicem cumulato fœnore meſſem:
Et nova prægravido jam palmite vinea diti
Luxuriat fructu, tortâque ex arbore nectar
Parturit, & duro naſcentia pocula ligno.
Fortè Deo Noë celebrabat lætus honores,
Indulgens ſacris epulis, Vinúmque propinans
Primâ è vite novum: quo demum largiùs hauſto,
Hinc alto gravidus ſomno, membríſque ſolutis,
Non bene compoſitâ cùm veſte jaceret, humíque
Proſtratus, ſpectanda daret genitalia natis
Membra ſuis, uni tibi Cham teterrime riſum
Movit origo tui, nec jam peccâſſe ſat uni
Eſſe tibi credens, fratres aſpergine culpæ
Contendis maculare tuæ: ſententia multo
Quos melior, meliórque animus, detecta parentis
Objectâ docuit celare virilia palliâ:
Nam patrium averſis manibus texere pudorem.
Sed ſimul atque Japhe, tali dignìſſima patre
Pignora, quos ideo fratris dedit eſſe minoris
Jure pater dominos, ſomno vinóque ſolutus.
Qui mox natorum evigilans beneſacta ſuorum,
Et Cham demeritum tali mercede rependit.
Cham tu, inquit, maledictus eris, ſervúſque tuorum
Æternum fies ventura in ſecula fratrum.
Sem verò benedictus erit, fratrémque minorem
Participem ſecum communi ſede bonorum
Efficiet, quorum latè poſſeſſio currat.
Hæc fatus ſenior, cùm jam decurreret annos
Mille minùs decies quinos, in pace quievit.
Interea Domini dum ſanctâ in lege vigeret
Poſteritas, multis jámque aucta nepotibus, & ſe
Cælorum ac terræ Domino committeret uni:
Tunc ſanctis hominum parebant omnia juſſis,
Terra gravis, liquidum pelagus, vegetabilis aër,
Non opus arte illis, cæleſti namque magiſtro
Omnia diſcebant: ſed poſtquam in crimina mundus
Exiit, & latè vitiis ſeſe abdidit imis,
Perdidit inſigne hoc munus damnata propago,
Oblitámque Dei plures effingere divos
Non puduit: tanti eſt ſupremi oblivio Patris.
Tum gravis inventor lethi ceſſare capacem
Fraudis materiam non paſſus, cuncta maligno
Subdidit arbitrio, quò fatum induceret orbi,
Suaderétque Deum vel jam non eſſe, vel iſta
Inferiora hujus contemnere munia mundi.
Ergo res hominum cunctas, eventáque rerum
Quæ Domino fuerat par aſſignare ſupremo:
Aſſignare vagis perſuaſit ſubdolus aſtris,
Atque avium ſpectare fibras, motúſque volantum,
Et ſtudio ingenti magicæ ſcelus intulit artis,
Et plures orare Deos, idolóque muta
Aut magicis idolis latitantem ſemet, in ipſis
Suaſit adorari, multo magè dignus aduri.
Inque nefanda prior deſcendit crimina Nimroth,
Impietatis apex Cham ſervo è ſemine natus,
Mole & mente Gigas, Babylonia regna gubernans.
Perſarum hic animos capiens, venator iniquus,
A veris Domini ſacris traduxit ad ignem.
Nec modò plus æquo cupidis, hac arte ſagaci
Ille caput ſcelerum, mundi infenſiſſimus hoſtis,
Illuſit curis hominum, ſed mentibus ipſis
Irruit, & ſenſus penitus deſcendit in omnes,
Mox & in affectus: nam cùm patri unica proles
Spem generis letho ſecum traxiſſet acerbo,
Infelix Nimroth, lacrymas noctéſque diéſque
Continuans, hebetíque trahens clangore querelas
Dum furit, & raptum quærit per ſingula natum:
Effictâ mœſtum ſolatur imagine luctum,
Et Pario effectam filii de marmore formam
Credidit infelix incluſo vivere ſenſu,
Et queſtus audire ſuos: mox indè dicatis
Erectíſque aris divinos addit honores,
Inque loco jubet eſſe Dei: tum protinus omnes
Amplexæ gentes ſcelus hoc, criménque ſequutæ,
Pro diis quæque ſuis charos habuere parentes,
Poſt etiam ſimili reges in honore locárunt,
Dixerúntque Deos, quorum ſub nomine mendax
Græcia, dum veris falſa inſinuare laborat,
Addidit obſcuras vanis rationibus umbras,
Excuſans tumulos atque indita nomina buſtis.
Donec per ſpecies ſeſe dementia cunctas
Proderet, & rebus minimis membríſque pudendis
Nomen inane Dei mundo ridente daretur.
Talibus errorum ſalebris fomenta daturus,
Ambigua inventor lethi reſponſa ciebat:
Uſus ad inſidias aut igni, aut fonte calenti,
Aut terrâ ex antris ventos ſpirante loquaces,
Et falſum vani ſibi nomen Apollinis indens.
Talibus à Domino gentes trux ille remotas
Captabat laqueis quo ducens cunque volebat:
Tanti eſt à ſancto Domini diſcedere cultu.
At verò egreſſi unde ſumus, redeamus ad illam
Majorem ſeriem, quæ paucos aucta per annos,
Uſque adeò excrevit, quòd mox Oriente relicto,
Indè novas alibi compulſi quærere ſedes,
In campum (Sennaar veteres dixere) patentem
Perveniunt: cúmque his etiam diſcedere terris
Cogitur, in varias partes ſpargenda juventus
Cœpit in hæc mœſtas triſtiſſima verba querelas:
Heu quam non certus vitæ ſtatus ordine cœpto
Fert homines? quámque ignaros vel proſpera fallunt
Per varios caſus? quàm voti ſumma petiti

Tendit

Tendit in adverſum? jam non (ſi dicere fas eſt)
Quòd ſperata patrum precibus numeroſa nepotum
Crevit turba, piget: ſpargenda eſt quippe per orbem
Exilio cumulata manus, peregréque longè
Finibus à patriis: nos ergo ſiccine tandem
Longâ pauperie defecta, inhonoráque membra,
Ignoti dabimus paſſim tumulanda ſepulcris?
Nèc ſaltem miſeri tumulis claudemur avitis?
Nulláque erit noſtri poſt mortem fama ſuperſtes?
Quare agite ô juvenes, dùm vires turba miniſtrat,
Quæ vobis ſupereſt, quæ finem neſciat ullum,
Egregiam æternis famam dimittite factis.
Urbem condamus, cujus ſub mœnia turrem
Uſque attollamus, donec pingentia cælum
Sidera & excelſi convexa attingat Olympi,
Neſcia poſteritas ut noſ hinc orbe relicto
In cælum migráſſe putet: ſic mota juventus
Contemnunt cautes, & quicquid monte reciſo
Defluit, ac domitæ fictos de viſcere terræ
Conſtringant igni lateres, operiſque futuri
Materiam proprio malunt debere labori:
Hanc inter ſtratum ſic nexit utrimque bitumen,
Ut ſolidas ſimulent circundata mœnia cautes.
Mox turris properata ſubit, mox vertice nubes
Tranſilit, ac fruitur cæli proſpore ſereno.
Tum Pater omnipotens cæleſti voce ſenatum
Congregat angelicum, turbaque infana ſuperbæ
Facta ſtupens, iſthæc regni conſortibus infit:
En terrena phalanx quo jam temeraria pergat,
Cernitis, & quantos imprudens tendit in auſus.
Mortali quæ ſtructa manu contingere cælos
Credit poſſe polos, & ad æthera ducere noſtrum.
Cùm nemo inductus terreno corpore, cælum
Aſcendat, niſi qui cælo deſcenderit alto.
Sed quia gens una eſt, eadem quoque forma loquendi,
In componendâ perſiſtent turre, nec antè
Deſiſtent, quàm mirus opus conſenſio cœptam
Finierit: tanta eſt humanæ inſania mentis.
Ergo agite (ut veritum vôrint, quod poſſe negatû eſt)
Jam deſcendamus, tumefactáque corda ſuperbo
Conſenſu, varii turbemus vocibus oris,
Ut quod peccárunt concordis crimine mentis,
Confuſæ damnet melior diſcordia linguæ.
Dixit, & intentos operi, molémque levantes
Mentibus attonitis, ſubjecta oblivio primùm
Intrat, & ignotæ ſubit imperfectio linguæ.
Increpitant operis ſtudio ceſſante magiſtri
Cunctantes ſocios, ſed vocem nemo remittit,
Non intellectis: quòd ſi quis tentat, inane
Sibilat, aut rapti fremitu ſermonis anhelat.
Sic vanum pravè ſuſceptum mente laborem
Deſtituit fruſtrata manus: jam nemo propinquum,
Nemo patrem ſequitur: quem quiſque intelligit, addit
Agglomerátque ſibi, ſociúmque adjungere curat.
Dumque perit diviſa hujus cognatio gentis,
Gentem lingua facit: ſparguntur claſſibus æquis,
Diducáſque petunt vario ſub ſidere terras.
Haud aliter volucres campi per mollia pleni,
Quas gregibus mixtis errare & quærere victum
Perſuadit ſecura dies, cùm noctis propinquæ
Frondea tecta petunt, exempto cùm grege turbâ
Vulgus quæque ſuum ſequitur, rapidóque volatu
Miſcentur, ſimilis quâ duxerit aut color aut vox:
Sic tunc in partes populos ſe diſſecat unus,
Et ſpecies fit quæque genus, longéque remotis
Conſidunt terris, atque orbem gentibus implent.
Nec tamen hoc ſacri (cùm ſit ſua pœna nocentum)
Muneris eſt vacuum: nam quamvis ultrò juſta
Hæc fuerit, quos non refugit reverentia cæli,
Quæ ſedes propria eſt mundi, rerúmque parentis,
Ut nec ſe agnoſcant, verba inconſueta loquentes:
Attamè id multum quòd rupto hoc fœdere cautum eſt,
Ne, quam paucorum attulerat perſuaſio culpam,
Cunctorum aſſenſu rurſus contingeret omnes,
Et faceret communem noxa: ne prælia dura,
Et rabido populis mors arceſſenda furore
Bellum illis civile foret: ſic profuit illis,
Inque bonum verſa eſt primæ diſtractio linguæ,
Quamquam nec prorſum ſubiere Ebræa loquendi
Conſuetudo fuit: cùm tunc permanſerit oris
Ebræi ſonitus, ſermóque antiquus, in illis
Qui culpæ expertes, pars non injuſta fuerunt
Natorum quos Sem genuit, cuſtodia juſti
Quos tenuit, Dominique ſuam reverentia texit.

Sed poſtquam toto dementiâ percitâ mundo,
(Ut taceam magici ſcelus inteſtabile monſtri)
In truncos & ſaxa etiam duríque metalli
Arte cavas ſpecies, & caſſas luce figuras,
Impegit mortale genus mentéſque ſuperni
Intentas fregit, terræque adduxit inerti,
Convolvítque ſimul fœdæ contagio labis,
Non ſecus Æthiopum ferventibus excita terrâ
Nubila morborum, corrupto tramite cæli
Dum currunt, quiſquis percuſſum fulmine lethi
Ingemuit, ſimul ipſe ruit, quicunque cadentem
Conſpexit cecidit, congeſtáque funera paſſim
Dira lues ſtravit, campóſque reliquit inanes:
Sic tunc præcipiti complexos mole furoris,
Ne nihil infectum toto dimitteret orbe,
Comprendit reperens, quos jam dimiſerat error.
Donec Chaldæi generis, de ſemine Thare,
Vir juſtos, metuéníque Dei, cum ſtirpe ſuorum
Urbem aliam, moréſque novos, ſedémque requirens,
Manſit in Aſſyriis demum novus accola Carrhis.
Qui quadragenis luſtris ubi vixit, & uno,
Infauſtam hanc vitam felici morte redemit.
Huic, meritis patrem, & ſanctis virtutibus æquans
Aut longè ſuperans, ſucceſſit filius Abram,
Vir cælo dignus, nam primo à limine vitæ,
Verum mente Deum venerans, gentilia verò
Averſatus erat, quem poſtquam morte parentis
Juſſa ſequi jam poſſe Dei, ſinè fraude liquebat,
His Dominus famulum meritis dignatus adire eſt.
Quandoquidem toto te ſolum invenimus orbe
Quem ſyncera fides juvat & reverentia noſtri:
Linque procul ſedes patrias, terrámque nocentem,
Pollutámque domum: cognatio tota prophana eſt,
Et fugienda tibi: terræ melioris in agros
Me duce pervenies: ne ſis par gentis iniquæ,
Qui ſanctæ caput eſſe potes, tum ſacra dicabo
Quæ maneant benedicte tibi, nomenque per omnes
Magnificum reddam populos, bona cuncta rependens,
Et benedictus erit, tibi qui benedixerit, atqui
Qui maledicta tibi conviciáque ingeret, ille
Confeſtim maledictus erit: benedictio per te
Spargetur tribubus cunctis, ævóque futuro.
Dixit, & imperiis mentem quæ pareat indit,
Promiſiſſque piis credat, mora nulla repentè
Dicto intercedit Domini, ſed protinus Abram
Cum gregibus varii generis, famuliſque paternis,
Conjuge cum fidâ, chari cum pignore fratris,
(Cui Loth nomen erat) digreſſus, limite recto
Ignotum ſibi carpit iter: molliſſima lætas
Præbent arva vias, blandúmque faventibus auſtris
Arridens, nullis turbatur motibus aër,
In Chanaam terras, & regna uberrima Sichem,
Donec perveniens, didicit, ſoboliſque ſibíque
Iſthæc in ſortem impetii ceſſura futuri.
Unde Deo ſuppleX devotas extruit aras,
Et veteres revocans, cultor novus, auget honores.
Indè petit Bethleem, ſedes quæ lecta beati
Hoſpitiis ſacrata viri, cunctáſque ſuperbis
Exceſſit meritis terras, quandoque ſecundo
Poſt cælum numeranda loco, nam ſede ſuperná
Dignior iſta Dei, quæ pignus lege ſalutis
Emiſſum mundo tantùm miratur paratum
Exciperet, viſa eſt, hominémque remitteret aſtris.
Hìc quoque ſolennes Abram pater extruit aras,
Et linquenda novis habitacula ponit in arvis.
Namque fame rurſum ſedem mutare coactus
Caſtra movet totámque domum, famulóſque gregéſque
Secum agit, & rebus commercia juſta rependens
Intrat in Ægyptum, & Sarai appellate ſororem
Mavolt quàm uxorem, ne barbara pectora ſancti
Hoſpitis in cædem ſtimulet furioſa libido.
Unde & mox Pharao radiantis imagine formæ
Lætus inardeſcit, thalamóſque & fœdera certa
Lege parat: longos iſthæc connubia ſi annos
Ducturus, ni longè aliter diſponeret ille
Auctor conjugii, cui cùm minùs iſta placerent,
Ecce pavor regi meræ formidine mixtus
Ingruit, & ſubito quatit improba corda tumultu,
Exterrétque animos niger horror, & implicat artus:
Ut rex ſacrilegæ gentis tam triſtia vota
Sentiret damnáſſe Deum, qui tale profectò
Contilium infudit famulis, ut barbarus hoſtis
Eſſe virûm Sarai ſecurum agnoſceret Abram:
Cùm foret expertus, quàm doh impunè prophanò

Appeteret

Appeteret ferro, quem nec viduare liceret.
Sponte igitur, nullâ violatam labe, marito
Reddit, & ingenti cumulatum fruge remittit
In Sichem, Bethleémque ſuam: quò deinde recepti
Cum gregibúſque domóque pater, cum conjuge ſalvâ,
Exercent campos, & pinguia paſcua latè
Immixtis carpunt gregibus: dum jurgia crebra
Inter paſtores patrui nata atque nepotis,
Dum non ſufficerent capiendis arva duorum
Armentis anguſta nimis, pleniſſimus ergo
Abram juſtitiæ atque obſervantiſſimus æqui,
Quo dirimat lites, & jurgia tollat avara,
Ut natu major, conceſſos dividit agros:
Junior elegit, quà dulcibus undique fuſis
Rura maritat aquis, ripiſque umbrantibus inter
Labitur, & teretes ſaltus Jordanis amœnat.
Ergo quo fugiat paſtorum jurgia, ab Abram
Declinans, junctos Sodomæ Loth migrat in agros.
  Cùm Deus hac Abram mœſti ſpe pectora firmans,
Ne moveariſ, ait, fratris quod prole relictâ
Nunc ſolus videare tibi: innumerabile vulgus
Tu mihi ſolus eris, populíque idem auctor amici.
Suſpice quadrifidi partes intentus ad orbis,
Inſpice nunc auſtrum verſus, ſeptémque triones,
Quà ſol exoritur, quà veſpere concidit imo:
Hæc tibimet, prolíque tuæ, populíſque tuorum
Concedam, æternos illis habitanda per annos:
Quis tu etiam terris longè latéque fruaris,
Surge, & quà pateant greſſu priùs hoſpite luſtra.
Hæc ait: ille libens paret, ſedémque relinquens
Emigrat, Cnebrónque ſubit, ſub ilice nigrâ
Ad Mambre querceta pater tentoria figit:
Hìc quoque ſolemnes Domino ſtruit ut colat aras.
  Interea magno circùm turbante tumultu
Hoſtis adeſt avidus, variâ quem dote referta
Sollicitat tellus, campis illiſa reſultat
Ungula, & effuſis errat populator habenis,
Adverſum Sodomæ pinguiſſima paſcua gentis.
Loth verò portis cum rege erumpit apertis,
Et vicina manus regum ſocia arma ferentum,
Secum equites peditéſque trahunt: diſtenditur agmen,
Confligunt acies pariter, ſternúntque cadúntque.
Sed turpis Sodomæ luxu emollita juventus,
Ut rurſum exarſit repetitus clamor in iras,
Vertunt terga metu: rapido pars mœnia curſu,
Pars montes ſylváſque petunt, pars ſepta catervis
Porrigit ignavas ad triſtia vincula palmas.
  Ut verò patruus captum Loth audiit Abram,
Non fletu (quid enim fletus conferret inanis?)
Sed virtute parat fratri ſuccurrere capto.
Inſtructos igitur tercentum deligit omni
De grege biſque novem famulos, quos antè præuntes
Inſequitur ſenſim, quà tendere prodidit hoſtem
Lentum præda gravis: quorum de nocte ſilenti
Corpora (confli ctu dum jam languentia duro
Irrigat, & feſſos dulcis ſopor alligat artus)
Aggreditur, nil venturum ſibi tale putantium:
Ut cùm jejuni rabies veſana leonis,
In pecudum ſaltu penetravit ſepta volucri,
Et dente atque pede exanimat, cupidámque vorandi
Ira famem ſuperat, dum meta doloris acerbi
Jámque ovibus vacuas effecerit ultima caulas.
Haud ſecus ille duces ſomno vinóque ſepultos,
Stertentéſque Abram populos, regéſque trucidat,
Sic tamen ut nullus confundat caſtra tumultus.
Nemo gradum ſentit, niſi quem mens deficit & vox,
Nemo ſonum cædis, niſi quem mors excitat, audit.
Sanguine cuncta madent: ſicco reſoluta ſereno
Tellus tabe coit, greſſúmque morante cruore
Lubrica ſtagnanti titubant veſtigia campo.
Nec tamen omne animans gladiis occumbit apertis,
Servantur prædæ: tanta eſt moderatio juſti
Victoris, reliquos ſparſit fuga turpis, & agros
Utque Damaſcenos inſtans formido ſequuta eſt.
  At Victor tanti nil motus laude triumphi,
Inter equos, pecudúmque greges, populúmque receptum,
Aut captum, gazáſque avido quæ pondere victos
Victorétque movent) nil prorſus concupit horum
Magnificus: ſed enim tanta inter gaudia mitis,
Et varios hominum reputans ſub pectore caſus,
Omnes omnino prædas, & præmia belli
Direptis paſſim populis, regíque reſervat:
Non ſibi ſe pugnâſſe docens, decimam tamen offert
Hoſtibus excuſſa, quæ vera eſt hoſtia, præda:
Melchiſedech vinúmque & panem ab cæde reverſo
Obtulerat, rex ille Salem, qui munere tali
Myſtica præmiſit ſummi libamina Chriſti:
Cujus de manibus ſumens Eccleſia corpus
Vivificum panem, cæleſti pota cruore eſt.
At verò hoſtili redeuntem è funere laſſum,
Omnipotens verbis ſolatur talibus Abram.
  Quandoquidem nullis cupidum te præda ſubegit
Illecebris, precium fidei, mercéſque laborum
Mecum plena tibi eſt, téque & tua cuncta tuebor
Hæredi ſervanda tuo, quem germine ſero
Progenitum, magè multo etiam pius auctor amabis.
Nil eſt quòd metuas: hæres tuus ille Damaſcus
Ut fuat, ipſe tuo cernes de ſemine natum,
Accendat cujus patrios infantia ſenſus,
Suſpice, convexum quàm denſo lumine cælum
Piâ nocte micat: quantis congeſta premantur
Sidera ſideribus, numerum quæ objecta recuſent:
Seminis hoc exemplar habes, ſtirpíſque futuræ
Multiplicis formam. Sic fatus, finit: at ille
Credidit, & nudæ fidei conſenſio ſola
Plenam ad juſtitiæ & meriti reputata coronam eſt.
Atque adeò hinc Abram tantâ mercede docemur,
Quanti ſit meriti divino credere Verbo.
Demeriti contrà quanti non credere: namque ut
Credidit, hac rurſum divinâ voce meretur
Solari, omnipotens dum verbis incipit illis.
  Ille ego ſum Deus ac Dominus, qui téque tuóſque
Chaldæâ de gente tuli, tandemque paternis
Exceptum vitiis, tertâ meliore locavi:
Ut de te genitus populus meus arva beata
Incolat, & ſeriem longè latéque propager,
Gentibus expulſis, quas fœdo errore parentum
Sacrilegos ritus olim fecere prophani:
Quod cunctabundus nimiùm quia credere differs,
Trimam ſume mihi torvâ jam fronte juvencam,
Cum qua par annis blando grege lecta capella,
Æquævúſque aries noſtro mactetur honori,
Caſta quoque humanæ turtur conjuncta columbæ.
At verò volucrum non ſentiat hoſtia ferrum,
Tantùm inter medias pecudes diſcindere cura:
Quas ſic diductas mundis diſtinguito arenis,
Ut membris coëant altrinſecus æmula membra.
Dixit, at ille Dei monitus ſervare libenter
Aſſuetus, raptim properat mandata patrare:
Sed cùm diſpoſitam, quo juſſerat ordine, terram
Straviſſet ſeriem, ſubitò manus ingruit atra
Importunarum prædam infectata volucrum,
Quæ ne contactu violarent ſacra prophano,
Undique ſollicitus cavet, & circumſpicit Abram.
Sed cùm opere attonitum tanto, nec ſole cadente,
Vinceret officii moles tam magna recepti:
Ecce niger terror, tremor horridus, & ſopor intrat
Nuncia juſſa ferens, venturáque ſecula formans.
Credo, videbatur ſeptum ſibi cernere Nilum
Ebreæ gentis populo, ſeróſque nepotes,
Ingentéſque ſupra numerum cognoſcere turbas:
Indè truces motus, deductáque caſtra ſuorum,
Tranſiniſſum pelagus ſicco pede, merſa profundo
Agmina, naufragium nullâ cum claſſe ſequutum,
Ereptóſque mari Hebræos, dehinc tota beatæ
Regna Paleſtinæ populo patuiſſe reverſo.
  Talibus attonito viſis non defuit almus
Interpres: Prænoſce tuos, ſobolémque tuorum,
Inquit, in externis per ſecula quatuor agris
Niliaci illius ſenſuram dira tyranni
Imperia: at cum tot peregrina expleverit annos,
Servitio eripiam, gentémque ulciſcar iniquam:
Et reddam terris, blando quas gurgite cingunt
Nilus & Euphrates: ſed cùm peccata nocentum
Gentis Amorrhææ, populíque hæc regna tenentis,
Explêrint ſummam ſcelerum, dignique paternis
Sedibus expelli fuerint: attamen antè
Longævo felix decedens limite vitæ,
Ploratus natis cum pace & munere noſtro
Ad ſanctos migrabis avos. Sic fatus, & alto
Cùm jam nox terris denſas induceret umbras,
Signum è monte dedit: confeſtim fumeus illìc
Apparet clibanus, lampáſque ignita videtur:
Tum ſacras epulas, mediúmque invecta paratum,
Præcipiti curſu delibans flamma voravit.
  Interea certus regni, proliſque futuræ,
Munus adire patris cupit Abram: caſta ſed uxor
Abnuit officium, quòd inanem effœta ſenectas

Jámque

Jámque uterum ſibi feciſſet: ſed dulce mariti
Pignus, ſpémque novam quacunque ex pellice fuſam,
Eſſe ſuam credens, famulam cui junior ætas,
Agar nomen erat, tellus Nilotica origo)
Subrogat in thalamos, precibúſque aggreſſa maritum
Servili ſemen concredere perpulit alvo.
Proh ſervile nefas, ut primùm vivere ſenſit
Agar ventris onus, faſtu tumefacta ſuperbo,
Deſpexit dominam, & dominam cui matris amorem
Debebat, cauſámque ſui furioſa tumoris.
Rectè igitur flagris hanc vir juſtiſſimus Abram
Conjugis addixit: quorum magis acta pudore,
In deſerta procul ſecretáque luſtra ferarum
Abditur indignans, quam exul nec ſpernere ceſſat,
Sed rurſum obſequio privans, quod debuit, illam
Contemnit, quo more poteſt, mavúltque pericla
Deſertæ perferre viæ: ni miſſus Olympo
Angelus occurrat, famuláque ad priſtina rura
Reſtituat miti dominæ, blandóque refectam
Hortatu, melius jubeat ſperare reverſam,
Et nomen nati doceat, morésque manúſque,
Innumeróſque greges tali de ſtirpe futuros.
Quo majore redit voto jam certa futuri,
Et partu dominum fecit prior ipſa parentem.
  Cùm jam decurſi ſpaciis felicibus ævi
Supra octoginta bis ternos clauderet annos,
Ad quos biſſenas cùm juſtus & inſuper unam
Adderet ætates: ſolito hunc rurſum Pater almus
Alloquio dignatus adit, juſſítque ſenectam
Ducere felicem: ſimul & promiſſa revolvit,
Et quum mercedem expectet: tum corpore prono
Abram ſuppliciter Dominum proſtratus adorat.
A quo mox audit firmatâ voce, futurum
Se patrem innumeræ gentis, lateque patentis,
Et cujus veniant etiam de ſemine reges.
Hoc tamen à reliquis juſſus diſcernere ſigno
Hebræam gentem populis, ut ſponte reſectâ
Carne ſupervacuâ ſe circumcideret, & omnem
Maſculei ſexûs præſentémque atque futuram
Progeniem: juſſus pueros à matre recentes
Atque rudes vitæ, dum mens ignara dolendi eſt,
Præputio exutos, octavâ luce ſacrare.
Quòd qui tam ſanctum corrumpere teſtamentum
Auderet, ceſſans legi inſervire rogatæ,
Exhæres fieret regni, vitæque futuræ.
  At ſimul ut vero ſibi crederet argumento,
Venturas aliquando ſuo de ſemine gentes
Innumeras, nomen Dominus commutat utrique:
Non Sarai tibi, ait, ſed Sarra vocabitur uxor:
Et tu non Abram, ſed nomine clarior aucto
Venturæ Abraham poſthac vocitabere genti.
Quod commune ideo tibimet cum conjuge verâ eſt,
Promiſſi quoniam (nihil eſt re certius illâ)
Mater erit generis, téque annum ſole remenſo
Eſſe patrem faciet, quamvis ridenda puteris
Virtutis promiſſa meæ: nec veſtra ſenectus
Impediet, quin divini ſententia juris
Æternos ſemper maneat ſtabilita per annos.
Sed tamen ignoſcam dubiis, pueróque futuro
Imponam nomen, quod culpam hanc arguat, Iſac:
Qui noſtri indubiè ſervato fœdere pacti
Hæres certus erit, cunctâ cum ſtirpe ſuorum.
Nec tamen Iſmael, Agar de ſemine natus,
Expers dotis erit: noſtro nam munere fultus
Millia multa virûm de ſe ventura potentum,
Biſſenis pariter ducibus regnanda creabit.
  Dixit: at ille avidus pactum accelerare receptum,
Jam centum pulſans annos jam pubere nato,
Se primùm gnatúmque ſuum, cunctóſque clientes
Ac famulos omnes, quo juſſum eſt, ſtigmate ſignat,
Et populum facit eſſe novum, fontémque piorum,
Unâ cádémque viâ, tanta eſt devotio, legem
Accipiens, explétoque fidem. Quid non meret ergo
Tam præſens velócique fides? nam non timor illud,
Sed ſincerus amor, famulíque probatio juſti eſt
Quodlibet imperium placidâ ſic mente ſubire.
Unde Deum ſibi promeruit: ſtempe antea tantum
Audiri ſolitus, meritum poſt talis miniſtri
Jam patitur cerni: cúmque indignatio juſta
Ultorem ſtimulet, mortales non tamen ille
Reſpuit aſpectus, nam cùm damnare pararet
Crimina terrarum, flammíſque abolere nocentes:
Aut verum, aut qualem nôrat ſe poſſe videri,
Et nomen numerúmque Abrahàm prodidit ipſi.

  Illi namque domi Mamre in convalle ſedenti,
Tres ſubitò apparent auguſtâ luce micantes.
Abraham tanti ſtimulatus imagine viſûs
Procurrit, Dominúmque ſolo proſtratus adorat;
Tréſque etiam ſuppliex formâ veneratur in unâ:
Queis ut mente piâ liceat ſervire, precatur,
Et refici, in medios æſtus tendentibus horis,
Non dedignentur famuli menſíſque cibíſque.
Uſque adeò viſus inter ſenſúſque vigentes,
Errabat dubitans, hominis ſubſtantia an eſſet,
Quem nôrat mens eſſe Deum: tamen annuit ille,
Officiúmque pii non aſpernatus alumni,
Oblatóſque cibos, menſáſque ſacravit amícas.
Ut verò ablatis epulis menſíſque remotis,
Hoſpitibus viſum eſt illinc diſcedere, tum mox
Indè movens greſſus, lateri comes hæret euntum
Hoſpes ovans, triſtíque quatit concuſſa pavore
Pectora, & attonitum venerabilis attrahit horror.
Quippe videt vultus tacitos, viſúſque ſeveros
In Sodomam Dominum junctâ vibrâſſe Gomorrhâ,
Pacis & emiſſos famulos, iræque miniſtros.
Et cùm cognôſſet tantâ quid mole pararet,
Arcanum pandente Deo cauſámque docente,
Ultro audet Dominúm ſcrutari, an perderet urbem
Errantis populi per crimina cuncta nocentem,
Si quinquaginta morum probitate piorum
Spectatos aleret. cúmque ipſi diceret: illis,
Si numerum talem invenio, mihi parcere certum eſt:
Quid ſi quinque minus fuerint? tum ſubdidit. Et, quid
Si quadraginta ſoli? quid ſi minus illo
Fortè decem numero? quid ſi bis quinque dabuntur
Innocui? num & tu urbi Deus optime parces?
Cúmque etiam numero ſe velle ignoſcere tali
Dixiſſet, famulúmque in medio ſermone reliquit,
Tendentem ulteriùs: ſéque in ſua regna recepit.
  Dimiſſi interea cives è ſede ſuperná
Angelici, in Sodomæ terras, Loth fortè ſedentem
Antè fores urbis, jam terris ſole propinquo,
Inveniunt: qui cùm miro ſplendore videret
Angeliços radiare viros, deſcendere ſummo
E cœlo ratus, in terram proſtratus adorat,
Invitátque domum, noctémque avertere tecto
Evincit precibus, ſimul & convivere ſuadet,
Intactoſque cibos & pocula parca miniſtrat.
Dúmque epulis ſumptis ſomno indulgere pararent,
Ecce ſub occaſum lucis, noctíſque recurſum,
Fœda manus vulgi, ſi fas dixiſſe, virilis
Proſilit, & juvenum inſanis puerſque ſenéſque
Ignibus urantur: Lothque ut ſibi tradat aduri
Hoſpitibus, cogunt: quid non veſana libido
Auſit? at ille, volens populi mollire furorem
Inſani, natas, quibus illibata manebat
Virginitas, offert, quoſcunque optárit in uſus.
Aſt effrena cohors, in deteriora profundi
Lapſa mali, vitio ſeſe immiſcere minori
Vile putat, niſi ſe ſummis etiam implicet: ergo
Infandum ut patret facinus, Loth opprimit: & jam
Vi majore agitant, quàm quæ virtute repelli
Humanâ valeat: cùm protinus hoſpes uterque
Angelicas nudant mentito corpore vires,
A populóque ſenem cæcatâ mente furente
Loth retrahunt, ſuque ipſa domûs ſecreta receptum
Perdendâ hortantur confeſtim abſcedere terrâ.
Qui ſint, quid veniant, & quæ præcepta ferentes
Mox explere velint, nil jam ſermone patenti
Diſſimulant: & ab hac ſe clade evadere ſalvum
Poſſe, domúmque ſuam dicunt, generóſque ſuóſque
Colligere affines, & ſecum abducere mandant.
Aſt illos ſimili cum vulgo crimine tactos
Involvit ſimilis ſententia, ſana monenti
Credere dum nolunt, quanquam quod credere nolunt
Non eſt ut multum mirere, abſcedere cùm Loth
Id quoque ridiculum quod conſuluere putaret:
Quem lentum pigráſque moras ſinè fine trahentem,
Hoſpes uterque videns, manibus cum conjuge raptum,
Virginibúſque ſuis procul extra mœnia ducit,
Et celerare jubet, montéſque evadere in altos.
Tali lege datâ: nec cœleſti igne flagrantes
Poſt ſe reſpiciat quiſquam malè cautus in urbes.
  Loth verò metuens, montes ne tardiùs altos
Aggreſſum, velox cœli præverteret ira:
Ipſe Segor lacrymis petiit, ſecura receſſus
Antra ſui, lacrymas autem non ſenſit inanes,
Conceſſúmque ſibi donum ſpeciale ſalutis

Plari-

Pluribus impertit, meritúmque è munere fecit.
Et jam non ſolitas raptim obducentia cælum,
A patriâ virtute Deo miſcente, coacta
Nubila densârant nebulas: ſed quas rotat Ætna,
Quas vomit Inarime, atque Aponus ferventibus undis
Exhalat, quas vicino concuſſa Veſevo
Eructat tellus, Lyciæ quas ſæva Chimæræ
Ora, ſinu vàllo trinæ fornacis anhelat:
Et quocunque loco fallentia ſulfura velox
Spiritus inflammans, angusto tramite futus,
Effluit in lucem ruptâ tellure vaporans.
Non quòd non poſſit pluvias quoque vertere in ignes,
Totum de nihilo potuit qui condere mundum:
Sed majore bonus judex damnare paratu
Mâvult, quos miſerans urbis morûmque ruinæ
Punit in exemplum: mox duram elementa minantur,
Concurrúntque undante globo, ſtipatâque flatu
Quæque ſuo, coëunt flammarum pabula in unum
Corpus, & infandas terras urbéſque nocentes
Sulfurei teſtudo tegit curvata metalli:
Quàm citus & vires angusto tramite ſumens
Spiritus incuſſam, tanto crepitare fragore
Compulit, & crebro tonitrus agitante conuſco
Conſternare animos, quotquot ſpectacula cernunt
Talia, quinetiam Loth, heu, miſerabilis uxor,
Seu tanto ſtupefacta metu, ſeu ſtulta cupido
Illa fuit, vetitum contra conſurgere pactum
Fœmineis innata animis, quæ denique cunque
Cauſa fuit: Sodomam inſpectans ſe pone ruentem,
Confeſtim pœnas violatâ lege ſubivit,
In ſtatuam converſa ſalis, ſpoliatâque luce,
Sic animam infelix cum corpore perdidit omni,
Ut nullum extaret formâ remanente cadaver,
Ocyor indè Segor, luctum prohibente timore,
Horrificóque malo ſtupidus, mox ingreditur Loth.
Tum ſol exoritur toto ferventior igne,
Irarum fulgore micans, radiósque ſeveros
Dirigit in Sodomam: qui poſtquam lumina flammis
Involvere ſuis, reſolutâque ſulfura, nexos
Secùm præcipitant ignes, liccóque liquore
Diſpenſata ſuis ſtillant incendia tædis,
Fulmineus denſo præceps cadit æthere nimbus,
Involvítque urbes, & totis ſævit in agris,
Ac mixto ſtridore donat, vincíque querelas
Flammea tempeſtas, quæ poſtquam pabula terris
Repperit incenſa, ipſíque inſedit arenis:
Erigit immenſam conjuncto fomite metam
Ignis, & à terris redeunt in ſidera flammæ,
In cineres donec cautes tellúsque reſultans
Tranſeat, ac penitus merſæ ſolvantur arenæ,
Depreſsíſque cavos conſumpto ceſpite campis
Pandunt arva ſinus venſíque effuſus apertis
Conſocians vires qui terras ſtrinxerat humor
Privatum gignit pelagus, quidnam eſſe putemus,
Quòd raptim lacus eſt, mirâ virtute refertus,
Qui fuit antè rogus? ſic omnipotentia ſummi
Judicis in gelidas ignem convertere lymphas,
Ac rurſum lymphas ardentem poſſit in ignem:
Nec tamen hîc occulta vacant myſteria, nam quòd
Undæ hîc ſunt, ubi flamma fuit, quòd flammea miſſis
Deſuper extinxit lymphis: forſaſſe notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentáque primi
Peccato contracta patris, cæleſtibus undis
Extinctum quandoque iri: próque ignibus acris
Juſtitiæ, quibus illa olim lex dura vigebat,
Salvificis purgatum iri, & luſtralibus undis.

Nunc primùm illæſus turbato fundere vitæ
Barbarus incumbit: nec longæ ad ſæcula vitæ,
Conſtructæ proſunt ſolido de marmore villæ,
Abſumptæque omnes vana in proſcenia rupes.
At verò interior peſtis, bellúmque profundum
Olim nos densâ telorum nube fatigat:
Sævior & tamò, quantò eſt occultior hoſtis:
Et tamen (heu) ſi quid vallavit Sarmata, ſi quid
Vandalus incendit, velóxque abduxit Alanus,
Ambiguis ſpebus licèt & conatibus ægris,
Conamur, quandam in ſpeciem reparare priorem.
Illa autem noſtro quæ ſunt amiſſa periclo
Negligimus, longóque ſitu ſqualeſcere mentis
Ignavi patimur, ſubjectâque colla catenis
Dedimus, & manicis peccati præda ligamur.
Et priùs eſt vitem purgare, abſcindere ſentes,
Oſtia convulſa ac tractum renovare fenestram:
Quàm latos campos animæ, & præcordia cordis
Excolere, & captæ collapſum mentis honorem.
Nil hoſtis, nil dira fames, nil denique morbi
Egerunt: fuimus qui nunc ſumus, hiſque periclis
Tentati nihilo meliores reddimur unquam,
Sub vitiis nullo culparum fine manentes.
Nil ſanctum eſt nobis niſi quæſtus: & illud honeſtum eſt,
Utile quod fuerit: vitiíſque vocabula recti
Indimus, & parci cognomen ſumit avarus.
At qui & confeſſis vitiis, & crimine aperto,
Non potuere ſuas virtutis imagine fraudes
Obtegere, occulto foverunt vulnere plagas,
Quos terrena trahit ſapientia, neſcia veri.
Quoſdam infelices qui decipit, incitat error,
Dum cauſam inquirunt rerum, allorúmque motus,
Quæ ſit forma poli, cur longo flumina curſu
Non pereant, latus jaceat quo limite pontus:
Quæque Deo tantùm ſunt nota, recondita cunctis,
Scire volunt (heu grande nefas) & ſcire videntur.
Iſta quidem Salmon ſunt noſtri crimina ſexus.
Sed levis eſt veſtrâ vitiorum morbus in urbe,
Si non fœminei magis exarſere furores,
Antè diem Salmon tenebris nox humida condat,
Quàm poſſim mores hujus percurrere turbæ,
Quæ cum lege Dei vivant ſub lege virorum,
Proh pudor! haud unquam ſinè noſtro crimine peccant.
Nam niſi delictis faciles traherentur earum,
Haud illas vitiis vellemus vivere noſtris:
Nec rigidas auro veſtes, nec vellera Serum,
Nec lapides toto quos fert mercator ab orbe,
Fundorum preciis emerent ſuſpiria mœſta.
Jungimus at vanas, non eſt pudor, addere curas
Si gravis ignotis proceſſit Lesbia gemmis,
Et decies Paſſina novo radiavit in oſtro:
Confeſtim ornatum ſibi quæque expoſcit eundem.
Ergo quod variis ſtudeant occurrere formis,
Atque viris alios aliósque opponere vultus,
Nónne hæc culpa viri eſt? quid agunt in corpore cuſto
Ceruſſa & minium, contúmque venena colorum?
Mentis honor, morûmque decus ſunt vincula ſancti
Conjugii: ſi forma placet, venientibus annis
Cedet amor: ſola eſt, ſenium quæ neſcit, honeſtas.
Nam quòd perpetuis diſcurſibus omnia luſtrant,
Quòd paſcunt, quòd multa gerunt, quòd multa loquuntur
Non vitium noſtrum eſt: Paulo & Salmone relicto,
Quòd Maro cantatur Phœniſſæ, & Naſo Corynnæ,
Quòd plauſum accipiunt lyra Flacci, aut ſcena Terentî,
Nos, horum nos cauſa ſumus: nos turpiter illis
Nutrimenta damus flammis: culpâne caremus?
Nam velut acceptas referunt ſpecula optima formas,
Sic exempla virûm uxores accepta ſequuntur.
Sed cur infelix in culpâ eſt fœmina tantùm,
Cùm placeat ſtolido conjunx vitioſa marito?
Unus ubique hoſtis diffuſo turbine ſævit:
Nec mirum eſt vinci belli terrore ſubactos.
Quod ſi correcti ſanum ſaperemus, & aëris
Libera nem nebulis Chriſto purgata patēret,
Si falcem verbi cordi imprimeremus, & illinc
Vellemus veterum vitiorum abſcindere nodos,
Adverſus Chriſti famulos vis nulla valeret:
Nec nos Riphæi proſternoret arcus Alani,
Nec ſervile etiam ſubverteret omnia bellum,
Et qui nunc noſtrâ graſſantur cladè ſuperbi.
Attamen in veſtro populo non rara bonorum
Turba viget, multóſque pios Eccleſia nutrit.
Sunt plurè inſontes multi, Pater optime, quorum
Eſſe velim ſimilis: nec deſunt in grege noſtro

Victrices

CLAUDII MARII VICTORIS

De perverſis ſuæ ætatis moribus Epiſtola, Ad Salmonem Abbatem.

SI Domini templum ſupplex orator adiſti,
Immò & Cuſtodem templi, populíque magiſtrum,
Quot tu iſthîc homines, tot Chriſti altaria cernis:
Sed ſi collatis juvat indulgere loquelis,
Hîc habitat tuus ille hoſpes, inea viticeta Theſboa,
Cui fratrum ad requiem frondoſæ vitis in antro
Herbida ceſpitibus ſunt ſtructa ſedilia vivis.
Dic igitur Salmon, quæ rerum nunc tibi ſors eſt?
Quis patriæ ſtatus eſt? quid te delectat in illâ?
Namque agris, opibúſque hominum, terræque colonis.

Victrices reddat quas sexus uterque coronas.
Ac si quid patriam commendat, si quid in illâ est,
Quod juvat: hoc unum est, hæc sunt solatia vitæ.
Nunc age chare Pater, cupido mihi fare vicissim,
Quæ te digna satis requies susceperit: ex quo
Te corde hinc gestans abii, tecúmque refelli,
Non equidem invitus recolam mea gaudia Salmon,
Nec te taurorum indicio laudabo bonorum.
Sed jam concluſi nos admonet hora dici
Surgere, & ad sacros sanctorum occurrere cœtus.
Crastina lux verbis accedet libera nostris.

S. DAMASI PONTIFICIS MAXIMI ALIQUOT SANCTORUM ELOGIA.

DAMASI HISPANI VITA.

DAMASUS natione Hispanus, nobili atque claræ familiæ ortus est, ut veteres scribunt. Iisdem temporibus in Urbe floruit, quibus in scribendâ historiâ nobiles habiti sunt Paulus Orosius, & Eutropius, qui de rebus Romanis libros plures composuit. Laudatur ingenium Damasi atque eruditio in faciendis carminibus, cùm ab aliis multis, tum præcipuè ab Hieronymo: qui complura opera à se compositâ huic Damaso dicavit. Adeò modestus fuit, támque excellenti virtute ornatus, ut ingenti studio cresens Romæ fuerit Pontifex maximus, repulsis atque improbatis illorum accusationibus, qui nomine adulterii conabantur famam atque innocentiam ejus insimulare. Plura de Poëtâ Damaso relata sunt apud illos autores qui de gestis Pontificum scribunt. Poëmata edidit non vulgari elegantiâ, & hymnos complures, ut Prudentius, Ambrosius, & alii ejusdem ordinis autores. Item librum de Romanis Pontificibus solutâ oratione, quem ad Hieronymum misit: eúmque liberè & amicè hortatur ad exponendam, atque illustrandam Hebræorum doctrinam. Putabat enim lectionem ipsam parum quidem conferre sinè stylo: neque posse aliquem satis proficere in studiis literarum, atque antiquis disciplinis, sinè magno ac diligenti usu scribendi. Neque desunt, qui referant, ipsum Damasum perveniſſe ad extremam senectutem, ac sub Theodosio Augusto periisse, cùm octogesimum annum ageret: quod etiam Hieronymus tradit.

De PAULO Apostolo.

JAMDUDUM Saulus procerum præcepta secutus,
Cùm Domini patrias vellet præponere leges,
Abnueret sanctos Christum laudâsse prophetas,
Cædibus assiduis cuperet dissorpere plebem,
Cùm lacerat sanctæ matris pia fœdera cæcus,
Post tenebras verum meruit cognoscere lumen.
Tentatus sensit possit quid gloria Christi.
Auribus ut Domini vocem lucémque recepit,
Composuit mores, Christi præcepta secutus.
Mutatus postquam placuit de nomine Paulus;
Mira fides rerum! subitò trans æthera vectus,
Noscere promeruit possint quid præmia vitæ.
Conscendit raptus martyr penetralia Christi:
Tertia lux cœli tenuit Paradisus euntem,
Colloquiis Domini fruitur, secretáque servat
Gentibus & populis jussus prædicere vera;
Profundum penetrare maris, noctémque diémque
Visere, quam magnum satis est vixisse latentem.
Verbera, vincla, famem, lapides, rabiémque ferarum;
Carceris illuviem, virgas, tormenta, catenas,
Naufragium, lacrymas, Serpentis dira venena,
Stigmata non metuit portare in corpore Christi.
Credentes docuit, possent quî vincere mortem.
Dignus amore Dei vivit per sæcla magister.
Versibus his breviter fateor, sanctissime doctor
Paule, tuos Damasus volui monstrare triumphos.

De AGNETE Martyre.

FAMA refert sanctos dudum genuisse parentes
Augmentum lugubris cantûs: tuba cùm crepuisset,
Nutricis gremium subitò liquisse puellam,
Sponte truces calcâsse minas rabiémque tyranni,
Urere cùm flammis voluisset nobile corpus.
Viribus immensum parvis superâsse timorem:
Nudam perfusos crines & membra dedisse,
Ne Domini templum facies peritura videret.
O Agnes, verum decus, alma pudoris imago:
Ut Damasi precibus faveas, precor, inclyta virgo.

De eâdem.

CONstantina, Deum venerans, Christóque dicata,
Omnibus impensis devotâ mente paratis,
Numine divino multùm Christóque juvante,
Sacravit templum victricis virginis Agnes.
Templorum quod vincit opus, terrenáque cuncta:
Aurea nam rutilant summi fastigia tecti,
Nomen enim Christi celebrantur sedibus istis,
Tartareum solus potuit qui vincere mortem,
Invictum solus cœlis inferre triumphum.
Dignum Agnes munus, martyr devotáque Christo,
Ex opibus nostris per sæcula longa tenebis,
O felix virgo, memorandi nominis Agnes!

De ANDREA Apostolo.

DEcus sacrati nominis,
Vitámque nomine exprimens:
Hoc te decorum prædicat,
Crucis beatæ gloria.
Andrea Christi Apostole,
Hoc ipso jam vocabulo:
Signaris isto nomine,
Decorus idem mysticé.
Quem crux ad alta provehit,
Crux quem beata diligit;
Cui Crux amara præparat
Lucis futuræ gaudia.
In te Crucis mysterium
Cluit gemello stigmate,
Dum probra vincis per Crucem,
Crucísque pandis sanguinem.
Jam nos foveto languidos,
Carámque nostri suscipe,
Quo per Crucis victoriam
Cœli petamus patriam.

De AGATHA Martyre.

MArtyris ecce dies Agathæ,
Virginis emicat eximiæ,
Christus eam sibi qua sociat,
Et diadema duplex decorat.
Stirpe decens, elegans specie,
Sed magis actibus atque fide:

Terrea

Terrea proſpera nil reputans,
Juſſa Dei ſibi corde ligans.
Fortior hæc trucibúſque viris,
Expoſuit ſua membra flagris,
Pectore quàm fuerit valido,
Torta mamilla docet patulo.
Deliciæ cui carcer erat,
Paſtor ovem Petrus hanc recreat:
Lætior indè magíſque flagrans,
Cuncta flagella cucurrit ovans.
Ethnica turba rogum fugiens,
Hujus & ipſa meretur opem,
Quos fidei titulus decorat,
His Venerem magìs ipſa premat.
Jam renidens quaſi ſponſa polo,
Pro miſero rogita Damaſo:
Sic ſua feſta coli faciat,
Sc celebrantibus ut faveat.

De FELICE.

COrpore, mente, animo pariter te nomine Felix
Sanctorum in numero Chriſti ſacrate triumphis,
Qui ad te ſollicitè venientibus omnia præſtas,
Nec quemquam pateris triſtem repedare viantem.
Te duce ſervatus, mortis quod vincula rupi,
Verſibus his Damaſus ſupplex tibi vota rependo.

De nomine IESU.

In rebus tantis trina conjunctio mund
Erigit humanum ſenſum, laudare venuſt
Sola ſalus nobis, & mundi ſumma poteſta
Venit peccati nodum diſſolvere fruct
Summa ſalus cunctis nituit per ſecula terri

De eodem.

Iure pari regnant, communis conditor æv
Et cum patre piâ regnat ſublimis in arc
Sidereo ſanctis inſidit numine regni
Unde mare & terras ſolo videt omnia nut
Suggerit humanis & donat munera rebu

De CHRISTO.

CHriſte potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox ſummi ſenſúſque Dei, quem fundit ab altâ
Mente pater, tantſque dedit conſortia regni,
Impia tu noſtræ domuiſti crimina vitæ,
Paſſus corporeâ mundum veſtire figurâ,
Affarſque palam populos, hominémque fateri
Quem verbo inclutum Mariæ, mox numine viſo
Virginei tumuêre ſinus, innuptáque mater
Arcano obſtupuit compleri viſcera partu,
Auctorem paritura ſuum: mortalia corda
Artificem texere poli: mundíque repertor
Pars fuit humani generis, latuſtque ſub imo
Pectore, qui totum latè complectitur orbem:
Et qui non ſpatiis terræ, non æquoris undis,
Nec capitur cælo, parvos confluxit in artus.
Quin & ſupplicii nomen nexúſque ſubiſti,
Ut nos ſurriperes letho, mortémque fugares
Morte tuâ: mox æthereas evectus in auras,
Purgatâ reparans lætum te luce, parentem
Auguſtum foveas: feſtis ut ſæpe diebus
Annua ſinceri celebret jejunia ſacri.

De Aſcenſione CHRISTI.

AD ſedem propriam Deus exule morte reſurgit,
Ut vitam doceat credentibus eſſe futuram.
Angelus hoc verbum cecinit, quod uterque reportans
Sic venturus erit, ſi Chriſtum credere fas eſt.

De cognomentis Salvatoris.

SPes, & vita, ſalus, ratio, ſapientia, lumen,
Judex, porta, gigas, rex, gemma, propheta, ſacerdos,
Meſſias, Zebaoth, Rabbi, ſponſus, mediator,
Virga, columna, manus, petra, filius, Emanuélque,
Vinea, paſtor, ovis, pax, radix, vitis, oliva,
Fons, paries, agnus, vitulus, leo, propitiator;
Verbum, homo, rete, lapis, domus, omnia Chriſtus Ieſus.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS,

VIRI CONSULARIS,

OPERA.

AURELII PRUDENTII VITA.

AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS in Latinis literis magnâ diligentiâ parſque ſtudio inſtitutus, ut Gennadius & Iſidorus teſtantur: quibus potiſſimum parentibus ortus fuerit, haud ſatis mihi compertum eſt ex lectione veterum authorum. Quidam exiſtimant fuiſſe illum genere Hiſpanum. Primam ætatem agendis cauſis poſuit, & in civilibus officiis verſatus eſt: deinceps ad majores ampliorésque dignitates provectus ad præfecturam militiæ perductus eſt, ſtudiis atque ſuffragio Cæſaris Theodoſii. Leguntur adhuc ipſius poemata multiplici ac vario genere carminum compoſita: quibus facilè probari poteſt, eum quidem pro conditione temporum maximè præſtitiſſe inter Chriſtianos poëtas: non modò eruditis verborum figuris, ſed etiam gravitate ſententiarum. Sidonius Apollinaris haud omnino contemnendus autor in legendis atque obſervandis antiquis ſcriptoribus, cùm loquitur de poëtâ Prudentio, minimè veritus eſt illum Horatio adjungere. Præcipuam laudem conſecutus eſt judicio doctiorum ex eo poëmate, quo proſequitur illorum probitatem atque conſtantiam, qui ſeipſos devoverunt pro Chriſtianâ religione, cujuſmodi ab eo celebrantur divus Laurentius, Vincentius, Romanus, Hippolytus, Coſſianus, & alii complures. Commendantur præterea ejuſdem carmina de natali Domini, & geſtis & miraculis Chriſti, de expiandis animis, de conflictu vitiorum ac virtutum. Inſectatus eſt acri animo, ac plurimis verſibus hoſtes Chriſtiani nominis, maximéque Symmachum virum conſularem, cujus ſententias atque eruditionem longo opere accuſat. Minimè autem obſcurum eſt, eundem Prudentium perveniſſe ad ſummam ſenectutem, ac plurimis dignitatibus perfunctum periiſſe.

PSYCHO-

Digitized by Google

PSYCHOMACHIA,

Id eſt de Compugnantiâ Animi.

PRÆFATIO.

SENEX fidelis, prima credendi via eſt
Abram, beati ſeminis ſerus pater:
Adjecta cujus nomen auxit ſyllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo.
Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docens, ad aram cùm litare quis velit,
Quod dulce cordi eſt, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare noſmet cum prophanis gentibus
Suaſit, ſuúmque ſuaſor exemplum dedit,
Nec ante prolem conjugalem gignere
Deo placentem, matre virtute editam,
Quàm ſtrage multâ bellicoſus ſpiritus
Portenta cordis ſævientis vicerit.
Victum feroces fortè reges ceperant
Loth, immorantem criminoſis urbibus
Sodomæ & Gomorrhæ, quas fovebat advena
Pollens honore patruelis gloriæ.
Abraham ſiniſtris excitatus nuncis
Audit propinquum ſorte captum bellicâ
Servire diris barbarorum vinculis:
Armat trecentos térque ſenos vernulas,
Pergant ut hoſtis terga euntis cædere,
Quem gaza dives, ac triumphus nobilis
Captis tenebat impeditum copiis.
Quin ipſe ferrum ſtringit, & plenus Deo
Reges ſuperbos mole prædarum graves
Pellit fugatos, ſauciatos proterit,
Frangit catenas, & rapinam liberat,
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vaſa, veſtem, buculas.
Loth ipſe ruptis expeditus nexibus
Attrita baccis colla liber erigit.
Abraham triumphi diſſipator hoſtici
Redit, receptâ prole fratris inclytus,
Ne quam fidelis ſanguinis profapiam
Vis peſſimorum poſſideret principum.
Adhuc recentem cæde de tantâ virum
Donat ſacerdos ferculis cœleſtibus,
Dei ſacerdos, & Rex & idem præpotens,
Origo cujus fonte inenarrabili
Secreta, nullum prodit autorem ſui,
Melchiſedech, qua ſtirpe, quis majoribus
Ignotus, uni cognitus tantùm Deo.
Mox & triformis Angelorum trinitas
Senis revifit hoſpitis mapalia.
Et jam vieta Sarra in alvo fertilis
Munus juventæ mater exſanguis ſtupet,
Hærede gaudèns, & cachinni pœnitens.
Hæc ad figuram prænotata eſt linea,
Quam noſtra recto vita reſculpat pede,
Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnémque noſtri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ ſerviat libidini,
Domi coactis liberandam viribus.
Nos eſſe largè vernularum divites.
Si quid trecenti, bis novenis additis
Poſſint, figurâ noverimus myſticâ.
Mox ipſe Chriſtus, qui ſacerdos verus eſt,
Parente natus alto & ineffabili,
Cibum beatis offerens victoribus,
Parvam pudici cordis intrabit caſam,
Monſtrans honorem trinitatis hoſpitæ.
Animam deinde ſpiritus connexibus
Piè maritam, prolis expertem diu,
Facier perenni fertilem de ſemine.
Tum ſera dotem poſſidens puerpera,
Hærede digno patris implebit domum.

PSYCHOMACHIÆ LIBER.

CHRISTE, graves hominum ſemper miſerate labores,
Qui patriâ virtute cluis, propriâque, ſed unâ:
Unum namque Deum colimus de nomine trino,
Non tamen & ſolum, quia tu Deus ex patre Chriſte.
Diſſere rex noſter, quo milite pellere culpas
Mens armata queat noſtri de pectoris antro,
Exoritur quoties turbatis ſenſibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat,
Quod tunc præſidium pro libertate tuendâ,
Quæve acies furiis inter præcordia mixtis
Obſiſtat meliore manu: nec enim bone ductor
Magnarum virtutum inopes, nervíſque carentes
Chriſticolas vitiis populantibus expoſuiſti.
Ipſe ſalutiferas obſeſſo in corpore turmas
Depugnare jubes, ipſe excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
Oppugnanda potens tibi dimicat, & tibi vincat.
Vincendi prætens ratio eſt, ſi cominus ipſas
Virtutum facies, & colluctantia contrà
Viribus infeſtis liceat portenta notare.

Fidei & Idololatriæ pugna.

Prima petit campum dubiâ ſub ſorte duelli
Pugnatura Fides, agreſti turbida cultu,
Nuda humeros, intonſa comas, exerta lacertos.
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi:
Pectore ſed fidens valido, membríſque retectis
Provocat inſani frangenda pericula belli.
Ecce laceſſentem collatis viribus audet
Prima ferire Fidem, veterum cultura deorum.
Illa hoſtile caput, phaleratáque tempora vittis
Altior inſurgens labefactat, & ora cruore
De pecudum ſatiata ſolo applicat, & pede calcat.
Eliſos in mortem oculos, animámque malignam
Fracta intercepti commercia gutturis arctant,
Difficilémque obitum ſuſpiria longa fatigant.
Exultat victrix legio, quam mille coactam
Martyribus regina Fides animárat in hoſtem:
Tunc fortes ſocios partâ pro laude coronat
Floribus, ardentíque jubet veſtirier oſtro.

Pudicitiæ & Libidinis pugna.

Exin gramineo in campo concurrere prompta
Virgo Pudicitia, ſpeciotis fulget in armis.
Quam patrias ſuccincta faces Sodomita libido
Aggreditur, piceámque ardenti ſulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundáque lumina flammis
Appetit, & tetro tentat ſuffundere fumo.
Sed dextram furiæ flagrantis, & ignea diræ
Tela lupæ ſaxo ferit imperterrita virgo,
Excuſſáſque ſacro tedas depellit ab ore.
Tunc exarmatæ jugulum meretricis adacto
Transfigit gladio, calidos vomit illa vapores,
Sanguine concretos cœnoſo: ſpiritus indè
Sordibus exhalans vicinas polluit auras.
Hoc tibi habe, exclamat victrix regina, ſuprémus
Hìc tibi finis erit. ſemper proſtrata jacebis,
Nec jam mortiferas audebis ſpargere flammas
In famulos famuláſve Dei, quibus intima caſti
Vena animi ſolâ fervet de lampade Chriſti.
Téne, ô vexatrix hominum, potuiſſe reſumptis
Viribus extincti capitis recaleſcere flatu?
Aſſyrium poſtquam thalamum cervix Olopherni
Cæſa, Cupidineo madefactum ſanguine lavit:
Gemmatúmque torum mœchi ducis aſpera Judith
Sprevit, & inceſtos compeſcuit enſe furores:
Famoſum mulier referens ex hoſte tropæum
Non trepidante manu vindex mea cœlitus audar.
At forſaſſe parum fortis matrona ſub umbrâ
Legis adhuc pugnans, dum tempora noſtra figurat,
Vera quibus virtus terrena in corpora fixit,
Grande per infirmos caput exciſura miniſtros.
Nunquid & intactæ poſt partum virginis ullum
Fas tibi jam ſupereſt? poſt partum virginis, ex quo
Corporis humani naturam priſca propago
Deſeruit, carnémque novam vis ardua ſevit,
Atque innupta Deum concepit fœmina Chriſtum,
Mortali de matre hominem, ſed cum patre numen.
Indè omnis jam diva caro eſt, quæ concipit illum,
Naturámque Dei conſorti fœdere ſumit:
Verbum quippe caro factum, non deſtitit eſſe
Quod fuerat verbum, carnis dum glutinat uſum,
Majeſtate quidem non degenerante per uſum
Carnis, ſed miſeros ad nobiliora trahente.
Ille manet quod ſemper erat, quod non erat eſſe
Incipiens. nos, quod fuimus, jam non ſumus, auctì
Naſcendo in melius: mihi contulit, & ſibi mauſit.

Nec Deus ex noſtris minuit ſua, ſed ſua noſtris
Dum tribuit, noſmet dona ad cœleſtia vexit.
Dona hæc ſunt, quis victa jaces lutulenta libido,
Nec mea poſt Mariam potis es perſtringere jura.
Tu princeps ad mortis iter, tu janua lethi,
Corpora commaculans, animas in tartara mergis.
Abde caput triſti jam frigida peſtis abyſſo,
Occide proſtibulum, manes pete, claudere averno,
Inque tenebroſum noctis detrudere fundum.
Te volvant ſubter vada flammea, te vada nigra,
Sulphureúſque rotet per ſtagna ſonantia vortex?
Nec jam Chriſticolas furiarum maxima tentes,
Ut purgata ſuo ſerventur corpora Regi.
Dixerat hæc, & lætus libidinis interfectæ
Morte Pudicitia, gladium Jordanis in undis
Abluit infectum, ſanies cui rore rubenti
Hæſerat, & nitidum maculârat vulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
Victricem victrix, abolens baptiſmate labem
Hoſtilis juguli, nec jam contenta piatum
Condere vaginâ gladium, ne tecta rubigo
Occupet ablutum ſcabroſâ ſorde nitorem,
Catholico in templo divini fontis ad aram
Conſecrat, æternâ ſplendens ubi luce niteſcat.

Patientiæ & Iræ congreſſus.

Ecce modeſta gravi ſtabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, varióſque tumultus,
Vulneráque, & rigidis vitalia pervia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens ſpumanti fervida rictu,
Sanguinea intorquens ſuffuſo lumina felle,
Ut belli exſortem, telóque & voce laceſſit,
Impatiénſque moræ conto petit, increpat ore,
Hirſutas quatiens galeato in vertice criſtas.
En tibi Martis, ait, ſpectatrix libera noſtri,
Excipe mortiferum ſecuro pectore ferrum:
Nec doleas, quia turpe tibi gemuiſſe dolorem.
Sic ait, & ſtridens ſequitur convicia pinus
Per teneros criſpata notos, & certa ſub ipſum
Defertur ſtomachum, rectóque illiditur ictu,
Sed reſilit duro loricæ excuſſa repulſu.
Provida nam Virtus conferto adamante trilicem
Induerat thoraca humeros, ſquamoſáque ferri
Texta per intortos commiſerat undique nervos.
Indè quieta manet Patientia fortis ad omnes
Telorum nimbos, & non penetrabile durans.
Nec mora eſt jaculo monſtri ſinè more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus iram.
Scilicet indomitos poſtquam ſtomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, & jaculorum
Nube ſupervacuam laſſaverat irrita dextram,
Cùm ventoſa levi cecidiſſent tela volatu,
Iſtibus & vacuis haſtilia fracta jacerent;
Vertitur ad capulum manus improba, & enſe coruſco
Connixa in plagam, dextrâ ſublimis ab aure
Erigitur, mediúmque ferit librata cerebrum.
Ærea ſed coctо caſſis formata metallo
Tinnitum percuſſa refert, aciémque retundit
Dura reſultantem. frangit quoque vena rebellis
Illiſum chalybem, dum cedere neſcia caſſis
Excipit aſſultus, ferienti & tuta reſiſtit.
Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes enſem crepuiſſe minutas,
Jam capulum retinente manu ſinè pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorſíque pudendi
Perfida ſigna abicit, monimentáque triſtia longè
Spernit, & ad proprium ſuccenditur effera lethum.
Miſſile de multis, quæ fruſtra ſparſerat, unum
Pulvere de campi perverſos ſumit in uſus,
Ratile figit humi lignum, ac ſe cuſpide versâ
Perfodit, & calido pulmonem vulnere tranſit.
Quam ſuper aſſiſtens Patientia; Vicimus, inquit,
Exultans vitium ſolitâ virtute ſinè ullo
Sanguinis ac vitæ diſcrimine: lex habet iſtud
Noſtra genus belli, furias, omnémque malorum
Militiam & rabidas tolerando extinguere vires.
Ipſa ſibi eſt hoſtis Veſania, téque furendo
Interimit, moritúrque ſuis ira ignea telis.
Hæc effata, ſecat medias impune cohortes
Egregio comitata viro. nam proximus Iob
Hæſerat invictæ dura inter bella magiſtræ,
Fronte ſeverus adhuc, & multo funere anhelus:
Sed jam clauſa truci ſubridens ulcera vultu,
Pérque cicatricum numerum ſudata recenſens
Millia pugnarum, ſua præmia, dedecus hoſtis.
Illum Diva jubet tandem requieſcere ab omni
Armorum ſtrepitu, captis & perdita quæ ſunt
Multiplicare opibus, nec jam peritura referre.
Ipſa globum legionum, & concurrentia rumpit
Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres,
Omnibus una comes virtutibus aſſociatur,
Auxiliúmque ſuum ſortis Patientia miſcet.
Nulla anceps luctamen init Virtute ſinè iſtâ
Virtus: nam vidua eſt, quam non patientia firmat.

Superbiæ & Humilitatis pugna.

Fortè per effuſas inflata Superbia turmas,
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & validos villis oneraverat armos.
Quo ſe ſulta jubis jactantiùs illa ferinis
Inferret, tumido deſpectans agmina faſtu,
Turritum tortis caput accumulârat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsúmque apicem frons ardua ferret.
Carbaſea ex humeris ſummo collecta coibat
Palla ſinu, teretem nectens à pectore nodum.
A cervice fluens tenui velamine limbus
Concipit infeſtas textis turgentibus auras.
Nec minùs inſtabili ſonipes feritate ſuperbit,
Impatiens madidis frenarier ora lupatis.
Huc illuc frendens obvertit terga, negatâ
Libertate fugæ, preſsiſque tumeſcit habenis.
Hoc ſeſe oſtentans habitu ventoſa virago
Inter utramque aciem ſupereminet & phaleratum
Circumflectit equum, vultúque & voce minatur,
Adverſum ſpectans cuneum quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coegerat armis
Mens humilis: Regina quidem, ſed egens alieni
Auxilii, proprio nec ſat confiſa paratu.
Spem ſibi collegam conjunxerat, edita cujus
Et ſuſpenſa ab humo eſt Opulentia divite regno.
Ergo humilem poſtquam maleſana Superbia mentem
Vilibus inſtructam nullo oſtentamine telis
Aſpicit, in vocem dictis ſe fundit amaris:
Non pudet, ô miſeri, plebeio milite claros
Attentare duces? ferróque laceſſere gentem
Inſignem titulis? veteres cui bellica virtus
Divitias peperit? lætos & gramine colles
Imperio calcare dedit? nunc advena nudus
Nititur antiquos (ſi fas eſt) pellere reges.
En, qui noſtra ſuis in prædam cedere dextris
Sceptra volunt! en qui noſtros ſulcare novalet,
Arváque capta manu populariter hoſpite aratro
Contendunt, duros & pellere marte colonos!
Nempe ô ridiculum vulgus, natalibus horis
Totum hominem, & calidos à matre amplectimur artus,
Vimque poteſtatum per membra recentis alumni
Spargimus, & rudibus dominamur in oſſibus omnes.
Quis locus in noſtrâ tunc vobis ſede dabatur,
Congenitis cum regna ſimul ditionibus æquo
Robore creſcebant? nati nam luce ſub unâ
Et domus, & domini paribus adolevimus annis,
Ex quo plaſma novum de conſepto paradiſi
Limite progrediens amplum transfugit in orbem,
Pellitóſque habitus ſumpſit venerabilis Adam,
Nudus adhuc, ni noſtra foret præcepta ſequutus.
Quiſnam iſte ignotis nunc hoſtis ſurgit ab oris
Importunus, iners, infelix, degener, amens?
Qui ſibi tam ſerum jus vindicat, hactenus exul.
Nimirum vacuæ credentur frivola famæ.
Quæ miſeros optare jubent, quandoque futuri
Spem fortaſſe boni, lenta ut ſolatia mollem
Deſidiam pigro rerum medicamine palpent.
Quidni illos ſpes palpet iners, quos pulvere in iſto
Tirones Bellona truci non excitat ære,
Imbelléſque animos virtus tepefacta reſolvit?
Anne pudicitiæ gelidum jecur utile bello eſt?
An tenerum pietatis opus ſudatur in armis?
Quàm pudet ô Mavors & virtus conſcia, talem
Contra ſtare aciem, ferróque laceſſere nugas,
Et cum virgineis dextram conferre choreis!
Juſtitia eſt nam ſemper egens, & pauper Honeſtas,
Arida Sobrietas, albo Jejunia vultu,
Sanguine vix tenui Pudor interfuſus, aperta
Simplicitas, & ad omne patens ſinè tegmine vulnus.
Et proſtrata in humum, nec libera judice ſeſe
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.

Fare

Faxo ego ſub pedibus ſtipularum more teratur
Invalida iſta manus: neque enim perſtringere duris
Dignamur gladiis, algenti & ſanguine ferrum
Imbuere, & fragili vires fœdare triumpho.
Talia vociferans rapidum calcaribus urget
Cornipedem, laxſique volat temeraria frenis,
Hoſtem humilem cupiens impulſu umbonis equini
Sternere, dejectámque ſuper calcare ruinam.
Sed cadit in foveam præceps, quam callida fortè
Fraus interciſo ſuffoderat æquore furtim.
Fraus deteſtandis vitiorum è peſtibus una,
Fallendi verſuta opifex, quæ præcia belli
Planiciem ſcrobibus violaverat inſidiotis,
Hoſtili de parte latens, ut foſſa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina merſa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere poſſet
Clara acies, virgis adopertas texerat oras,
Et ſuperimpoſito ſimulârat ceſpite campum.
At regina humilis, quamvis ignara manebat
Ulteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foveæ calcârat furta maligna:
Hunc eques illa dolum dum fertur præpete curſu
Incidit, & cæcum ſubitò patefecit hiatum.
Prona ruentis equi cervice involvitur, ac ſub
Pectoris impreſſu fracta inter crura rotatur.
At Virtus placidi moderaminis, ut levitatem
Perſpicit obtritam monſtri ſub morte jacentis,
Intendit greſſum mediocriter, os quoque parcè
Erigit, & comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti Spes fida comes ſuccurrit, & offert
Ultorem gladium, laudiſque inſpirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hoſtem
Protrahit, & faciem lævâ revocante ſupinat.
Tunc caput orantis flexâ cervice reſectum
Eripit, ac madido ſuſpendit colla capillo.
Extinctum vitium ſancto Spes increpat ore:
Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premantur.
Diſce ſupercilium deponere, diſce cavere
Ante pedes foveam, quiſquis ſublime minaris.
Pervulgata viget noſtri ſententia Chriſti:
Scandere celſa humiles, & ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animiſque Goliam
Invalidâ cecidiſſe manu, puerilis in illum
Dextera fundati torſit ſtridore lapillum,
Transjectámque cavo penetravit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
Dum ſeſe oſtentat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid poſſint ludicra parvi,
Succubuit teneris bellator turbidus armis.
Me tunc ille puer virtutis probe ſequutus,
Florentes animos ſurſum in mea regna tetendit,
Servatur quà certa mihi domus omnipotentis
Sub pedibus Domini, méque ad ſublime vocantem
Victores cæsâ culparum labe capeſſunt.
Dixit, & auratis perſtringens æra pennis
In cœlum ſe virgo rapit: mirantur euntem
Virtutes, tollúntque animos in vota volentes
Ire ſimul, ni bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis, ſéque ad ſua præmia ſervant.

Luxuriæ & Sobrietatis pugna.

Venerat occiduis mundi de finibus hoſtis
Luxuria, extinctæ jamdudum prodiga famæ,
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita deliciis, vitæ cui cauſa voluptas,
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
Haurire illecebras, & fractos ſolvere ſenſus.
Et nunc pervigilem ructabat marcida cœnam,
Sub lucem quia fortè jacens ad fercula raucos
Audîerat lituos, atque indè tepentia linquens
Pocula, lapſauti per vina & balſama greſſu
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes, ſed curru invecta venuſto
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi ſpecies, non ales arundo
Nervo pulſa fugit, nec ſtridula lancea torto
Emicat amento, frameâ nec dextra minatur.
Sed violas laſciva jacit, foliiſque rotarum
Dimicat, & calathos inimica per agmina fundit.
Indè ebullandiis virtutibus, halitus illex
Inſpirat tenerum labefactis per oſſa venenum.
Et malè dulcis odor domat ora, & pectora, & arma,

Ferratóſque toros oblito robore mulcet.
Dejiciunt animos ceu victi, ſpicula ponunt
Turpiter: heu dextris lenguentibus obſtupefacti,
Dum currum variâ gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et ſolido ex auro pretioſi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus; & radiorum
Argento albentem ſeriem, quam ſumma rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et jam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte ſuâ verſis tranſibat perfida lignis,
Luxuriæ ſervire volens, dominæque fluentis
Jura pati, & laxâ ganeorum lege teneri.
Ingemuit tam triſte nefas fortiſſima virtus,
Sobrietas, dextro ſocios decedere cornu,
Invictámque manum quondam ſinè cæde perire.
Vexillum ſublime Crucis, quòd in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixâ cuſpide ſiſtit,
Inſlaurátque levem dictis mordacibus alam,
Extimulans animos nunc probris, nunc prece mixtâ:
Quis furor inſanas agitat caligine mentes?
Quò ruitis? cui colla datis, quæ vincula tandem
Proh pudor, armigeris amor eſt perferre lacertis?
Lilia luteolis interlucentia ſertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas,
His placet aſſuetas belle jam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier ulnas?
Ut mitra cæſariem cohibens aurata virilem
Combibat infuſum croceo religamine nardum.
Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, térque
Unguentum regale datum eſt, & chriſma perenne.
Ut teneat inceſſus veſtigia fyrmate verrat,
Sericáque infractis fluitent ut pallia membris
Poſt immortalem tunicam, quam pollice docto
Texit alma Fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipſa renaſci.
Ite ad nocturnas epulas, ubi cantarus ingens
Deſpuit effuſi ſpumantia damna falerni,
In menſam cyathis ſtillantibus, uda ubi multo
Fulcra mero, veterſque torcumata rore rigantur.
Excidit ergo animis heremi fitis, excidit ille
Fons patribus de rupe datus, quem myſtica virga
Elicuit ſciſſi ſalientem è vertice ſaxi?
Angelicúſve cibus prima in tentoria noſtris
Fluxit avis, quem nunc ſero felicior ævo
Veſpertinus edit populus de corpore Chriſti?
His vos imbutos dapibus jam crapula turpis
Luxuriæ ad madidum rapit importuna lupanar,
Quóſque viros non ira fremens, idoláque bello
Cedere compulerant, ſaltatrix ebria flexit.
State precor veſtri memores, memores quoque Chriſti,
Quæ ſit veſtra tribus, quæ gloria, quis Deus, & rex,
Quis dominus, meminiſſe decet. Vos nobile Judæ
Germen adúſque Dei genitricem, qua Deus ipſe
Natus homo, procerum veniſtis ſanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima David
Gloria, continuis bellorum exercita curis.
Excitet & Samuel, ſpolium qui divite ab hoſte
Attrectare vetat, nec victum vivere regem
Incircumciſum patitur, nec præda ſuperſtes
Victorem placidum rediviva in prælia poſcat.
Parcere jam capto crimen putat ille tyranno:
At nobis contra vinci & ſuccumbere votum eſt.
Pœniteat per ſi qua movet reverentia ſammi
Numinis, hoc tam dulce malum voluiſſe nefandâ
Proditione ſequi, ſi pœnitet, haud nocet error.
Pœnituit Jonathan jejunia ſobria dulci
Conviolâſſe favo ſumpto, melliſque ſapore
Heu malè guſtato, regni dum blanda voluptas.
Oblectat juvenem, juratáque ſacra reſolvit:
Sed quia pœnituit, nec ſors lachrymabilis illa eſt,
Nec tinxit patrias ſententia ſæva ſecures:
En ego Sobrietas (ſi conſpirare paratis)
Pando viam cunctis virtutibus, ut malè ſuada
Luxuriès multo ſtipata ſatellite pœnas
Cum legione ſuâ Chriſto ſub judice pendat.
Sic effata, crucem Domini ferventibus offert
Obvia quadrigis, lignum venerabile in ipſos.
Intentans frenos: quod ut expavêre feroces
Cornibus expanſis & ſumuſâ fronte coruſcum,
Vertunt præcipitem cæcâ formidine fuſi
Per præcipta fugam, fertur reſupina reductis
Nequicquam loris auriga, comáſque madentes
Pulvere fœdat humi. tunc & vertigo rotarum

Implicat

Implicat excuſſam dominam: nam prona ſub axe
Labitur, & lacero tardat ſuſtiamine currum.
Addit Sobrietas vulnus lethale jacenti,
Conjiciens ſilicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferæ, quoniam ſors obtulit, ictum
Spicula nulla manu, ſed belli inſigne gerenti
Caſus agit ſaxum, medii ſpiramen ut oris
Frangeret, & recavo miſceret labra palato.
Dentibus introrſum reſolutis lingua reſectam
Dilaniata gulam fruſtis cum ſanguinis implet.
Inſolitis dapibus crudeſcit guttur, & oſſa
Colliquefacta vorans revomit, quas hauſerat offas.
Ebibe jam proprium poſt pocula multa cruorem,
Virgo ait increpitans: ſint hæc tibi fercula tandem
Triſtia præteriti nimis ſub luxibus ævi.
Laſcivas vitæ illecebras guſtatus amaræ
Mortis, & horrifico ſapor ultimus aſperat hauſtu.
Cæde ducis diſperſa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies. locus & Petulantia primi
Cymbala projiciunt: bellum nam talibus armis
Ludebant, reſono meditantes vulnera fiſtro.
Dat tergum fugitivus Amor, lita tela veneno,
Et lapſum ex humeris arcum pharetrámque cadentem
Pallidus ipſe metu ſua poſt veſtigia linquit.
Pompa oſtentatrix vani ſplendoris, inani
Exuitur nudata peplo, diſciſſa trahuntur
Serta venuſtatis, collíque ac verticis aurum
Solvitur, & gemmas diſcordia diſſona turpat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire voluptatem: quoniam vis major acerbam
Compellit tolerare fugam, formido pericli
Prædurat teneras iter ad cruciabile plantas.
Qua ſe cumque fugax trepidis fert curſibus agmen,
Damna jacent, crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, ſtrophium, diadema, monile.
His ſe Sobrietas, & totus Sobrietatis
Abſtinet exuviis miles, damnatáque caſtis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte ſeveros
Connivente oculos prædarum ad gaudia flectit.

Avaritiæ & Largitatis pugna.

Fertur Avaritia gremio præcincta capaci,
Quicquid edax luxus precioſum liquerat, uncâ
Corripuiſſe manu, pulchra ad ludibria vaſto
Ore inhians, auríque legens fragmenta caduci
Inter arenarum cumulos: nec ſufficit amplos
Impleviſſe ſinus, juvat infarcire crumenis
Turpe lucrum, & gravidos furtis diſtendere fiſcos,
Quos lævâ celante tegit, lateríſque ſiniſtri
Velat oprimento, velox nam dextra rapinas
Abradit, ſpoliíſque ungues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, inſomnia, ſordes,
Eumenides, furiæ, monſtri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina perſultant toto graſſantia campo,
Matris Avaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito: non timet enſem
Exerere, atque caput ſocio mucrone ferire,
De conſanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius extinctum belli ſub ſorte cadaver
Aſpexit ſi fortè patris, fulgentia bullis
Cingula, & exuvias gaudet rapuiſſe cruentas.
Cognatam civilis agit diſcordia prædam,
Nec parcit propriis amor inſatiatus habendi
Pignoribus, ſpoliátque ſuos fames impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Avaritia, ſternens centena virorum
Millia vulneribus variis: hunc lumine adempto,
Effoſſíſque oculis velut in caligine noctis
Cæcum errare ſinit, pérque offenſacula multa
Ire, nec oppoſitum baculo tentare periclum.
Porrò alium capit intuitu, fallíſque videntem,
Inſigne oſtentans aliquid, quo dum petit ille,
Excipitur zelo incautus, cordíſque ſub ipſo
Saucius occulto ferrum ſuſpirat adactum.
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
Nec patitur vitare focos, quibus æſtuat aurum,
Quod petit arſurus pariter ſpeculator avarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu: neque enim eſt violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnéque gehennæ.

Quin ipſos tentare manu (ſi credere dignum eſt)
Aufa ſacerdotes Domini, qui prælia fortè
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnóque implebant claſſica flatu.
Et ſors innocuo tinxiſſet ſanguine ferrum,
Nî Ratio armipotens gentis Levitidis una
Semper fida comes, clypeum objectâſſet, & atræ
Hoſtis ab incurſu claros texiſſet alumnos.
Stant tuti Rationis ope, ſtant turbine ab omni
Immunes, fortéſque animi: vix in cute ſummâ
Perſtringens paucos tenui de vulnere lædit
Cuſpis Avaritiæ. Stupuit lues improba, caſtis
Heroum jugulis longè ſua tela repelli.
Ingemit, & dictis ardens furialibus inſit:
Vincimur, heu ſegnes, nec noſtra potentia perfert
Vim ſolitam, languet violentia ſæva nocendi,
Sueverat invictis quæ viribus omnia ubique
Rumpere corda hominum: nec enim tam ferrea quenquâ
Formavit natura virum, cujus rigor æra
Sperneret, aut noſtro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus, tenera, aſpera, dura,
Docta, indocta ſimul, bruta, & ſapientia, necnon
Caſta, inceſta meæ parverunt pectora dextræ.
Sola igitur rapui quicquid Styx abdit avaris
Gurgitibus. nobis ditiſſima tartara debent
Quos retinent populos: quòd volvunt ſecula, noſtrum eſt,
Quòd miſcet mundus veſana negocia, noſtrum eſt.
Quî ſit prævalidas quòd pollens gloria vires
Deſerit, & caſſos ludit fortuna lacertos?
Sordet Chriſticolis rutilantis fulva monetæ
Effigies, ſordent argenti emblemata, & omnis
Theſaurus nigrante oculis vileſcit honore.
Quid ſibi docta volunt faſtidia? nónne triumphum
Egimus è Scarioth? magnus qui diſcipulorum,
Et conviva Dei, dum fallit fœdere menſæ
Haud quaquam ignarum, dextrámque paropſide tingit,
Incidit in noſtrum flammante cupidine telum.
Infamem mercatus agrum de ſanguine amici
Numinis, obliſo luiturus jugera collo.
Viderat & Jericho propria inter funera, quantum
Poſſet noſtra manus, cùm victor concidit Achan,
Cædibus inſignis, murali & ſtrage ſuperbus,
Succubuit capto victis ex hoſtibus auro,
Dum vetitis inſigne legens anathema favillis,
Mœſta ruinarum ſpolia inſatiabilis haurit.
Non illum generoſa tribus, non plebis avitæ
Juvit Juda parens, Chriſto quandoque propinquo
Nobilis, & tali felix Patriarcha nepote.
Quîs placet exemplum generis, placeat quoque forma,
Exitii ſit pœna eadem, quibus & genus unum eſt.
Quid moror aut Judæ populares, aut populares
Sacricolæ ſummi (ſummus nam fertur Aaron)
Fallere fraude aliquâ Martis congreſſibus impar?
Nil refert, armis contingat palma, doliſve.
Dixerat, & torvam faciem, furialiáque arma
Exuit, ſnque habitum ſeſe transformat honeſtum.
Fit Virtus ſpecie, vultúque & veſte ſevera,
Quam memorant frugi, parcè cui vivere cordi eſt:
Et ſervare ſuum, tanquam nil raptet avarè,
Artis adumbratæ meruit ceu ſedula laudem.
Hujus ſe ſpecie mendax Bellona coaptat.
Non ut avara lues, ſed virtus parca putetur:
Necnon & tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguinos, ut candida palla latentem
Diſſimulet rabiem, diróque obtenta furori,
Quòd rapere & clepere eſt, avidéque abſcondere parta,
Natorum curam dulci ſub nomine jactet.
Talibus illudens, malè credula corda virorum
Fallit imaginibus, monſtrúmque ferale ſequuntur,
Dum credunt virtutis opus, capit impia Erinnys
Conſenſu faciles, manicíſque tenacibus arctat.
Attonitis ducibus, perturbatíſque maniplis
Nutabat virtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans quid amicum credat in illo,
Quídve hoſtile vocet lethum, verſatile & anceps
Lubricat incertos dubiâ ſub imagine viſus.
Cùm ſubitò in medium frendens miſeratio campum,
Proſilit auxilio ſociis, pugnámque capeſſit
Militiæ poſtrema gradu, ſed ſola duello
Impoſitura manum, ne quid jam triſte ſuperſit.
Omne onus ex humeris rejecerat, omnibus ibat
Nudata exuviis, multo & ſe faſce levârat,
Olim divitiis, gravibúſque oppreſſa talentis,
Libera nunc miſerando inopes, quos larga benignè

Fove-

Foverat, effundens patrium benè prodiga cenſum:
Jam loculos ditata Fide ſpectabat inanes,
Æternam numerans redituro fœnore ſummam.
Horruit invictæ Virtutis fulmen, inópſque
Mentis Avaritia ſtupefactis ſentibus hæſit,
Certa mori: nam quæ fraudis via reſtat, ut ipſa
Calcatrix mundi mundanis victa fatiſcat
Illecebris, ſpretóque iterum ſeſe implicet auro?
Juvadit trepidam virtus fortiſſima duris
Ulnarum nodis: obliſo & gutture frangit
Exanguem ficcámque gulam: compreſſa ligantur
Vincla lacertorum ſub mentum, & faucibus arctis
Extorquent animam, nullo quæ vulnere rapta
Palpitat, atque aditu ſpiraminis intercepto
Incluſam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibúſque & calcibus inſtans
Perfodit & coſtas, atque ilia rumpit anhela,
Mox ſpolia extincto de corpore deripit, auri
Sordida fruſta rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem. tineis etiam martupia crebris
Exeſa, & virides obductâ ærugine nummos
Diſpergit ſervata diu victrix, & egenis
Diſſipat, ac tenues captivo munere donat.
Tunc circumfuſam vultu exultante coronam
Reſpiciens, alacris media inter millia clamat:
Solvite procinctum julli, & diſcedite ab armis,
Cauſa mali tanti jacet interfecta lucrandi,
Ingluvie perenne: licet requieſcere ſanctis.
Summa quies, nil velle ſuper quàm poſtulet uſus
Debitus, ut ſimplex alimonia, veſtis & una
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletúmque modum naturæ non trahat extra.
Ingreſſurus iter peram ne tollito, néve
De tunicæ alterius geſtamine providus eſto.
Nec te ſollicitet res craſtina, ne cibus alvo
Defuerit, redeunt eſcæ cum ſole diurnæ.
Nónne vides ut nulla avium cras cogitet? ac ſe
Paſcendam, præſtante Deo, non anxia credat?
Confidunt volucres victum non defore viles,
Paſſeribúſque ſubeſt modico venalibus aſſe
Indubitata fides, Dominum curare potentem
Ne pereant. Tu cura Dei, facies quoque Chriſti,
An dubitas ne te tuus unquam deſerat autor?
Ne trepidate homines: vitæ dator, eſt dator eſcæ,
Quærite luciferum cœleſti dogmate paſtum,
Qui ſpem multiplicans alat inviolabilis ævi
Corporis immemores: memor eſt, qui condidit illud,
Suppeditare cibos, atque indiga membra fovere.
His dictis curæ emotæ, metus, & labor, & vis,
Et ſcelus, & placitæ Fidei fraus inficiatrix
Depulſæ vertere ſolum. Pax indè fugatis
Hoſtibus alma sbigit bellum: diſcingitur omnis
Terror, & avulſis exfibulat ilia zonis.
Veſtis aduſque pedes deſcendens deſluit imos,
Temperat & rapidum privata Modeſtia greſſum,
Cornicinum curva æra ſilent. placabilis implet
Vaginam gladius, ſedato & pulvere campi
Suda redit facies, liquidæ ſinè nube diei
Purpuream videas cœli clareſcere lucem.
Agmina caſta ſuper vultum ſenſere Tonantis
Arridere hilares pulſo certamine turmæ,
Et Chriſtum gaudere ſuis victoribus, arcem
Ætheris, ac portum famulis aperire profundum.
Dat ſignum felix Concordia, reddere caſtris
Victrices aquilas, atque in tentoria cogi.
Nunquam tanta fuit ſpecies, nec par Deus ulli
Militiæ, cùm diſpoſitis bifida agmina longè
Duceret ordinibus, peditum pſallente catervâ,
Aſt aliâ de parte equitum reſonantibus hymnis.
Non aliter cecinit reſpectans victor hiantem
Iſrael rabiem ponti poſt terga minacis,
Cùm jam progrediens calcaret littora ſicco
Ulteriora pede, ſtridénſque per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigróſque relapſo
Gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,
Ac refluente ſinu jam redderet unda natatum
Piſcibus, & nudas præceps operiret arenas.
Pulſavit reſono modulantia tympana plectro
Turba Dei, celebrans mirum ac memorabile ſeclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus inciſis, & ſubliſtente procellâ
Creſcere, ſuſpenſóſque globos potuiſſe teneri.
Sic expugnatâ vitiorum gente, reſultant
Myſtica dulcimodis virtutum carmina pſalmis.

Ventum erat ad fauces portæ caſtrenſis, ubi arctum
Liminis introitum bifori dant cardine clauſtra.
Naſcitur hìc inopina mali lachrymabilis æſtu
Tempeſtas, placidæ turbatrix invida Pacis,
Quæ tantum ſubitâ vexavit clade triumphum.

Concordiæ & Diſcordiæ pugna.

Inter confertos cuneos Concordia fortè,
Dum ſtipata pedem jam tutis mœnibus infert,
Excipit occultum vitii laritantis ab ictu
Mucronem lævo in latere, ſqualentia quamvis
Texta catenato ferri ſub tegmine corpus
Ambirent, ſutis & acumen vulneris hamis
Reſpuerint, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum ſinerent penetrare in viſcera telum.
Rara tamen chalybem tenui tranſmittere puncto
Commiſſura dedit, quà ſeſe extrema politæ
Squama ligat tunicæ, ſinus & fibi conſerit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix ſubdola victæ
Partis, & incautis victoribus inſidiata eſt.
Nam pulſâ culparum acie Diſcordia noſtros
Intrârat cuneos, ſociam mentita figuram.
Sciſſa procul palla, ſtrictum & ſerpente flagellum
Multiplici, mediâ camporum in ſtrage jacebant.
Ipſa redimitos oleâ frondente capillos
Oſtentans, feſtis reſpondit læta choreis.
Sed ſicam ſub veſte tegit, te maxima Virtus,
Te ſolam tanto è numero, Concordia triſti
Fraude petens. Sed non vitalia rumpere ſacri
Corporis eſt licitum, ſummo tenus extima tactu
Læſa cutis, tenuem ſignavit ſanguine rivum.
Exclamat Virtus ſubitò turbata: Quid hoc eſt?
Quæ manus hìc inimica latet? quæ pectora noſtra
Vulnerat, & ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid juvat indomitos bello ſedâſſe furores,
Et ſanctum vitiis pereuntibus omne receptum,
Si Virtus ſub pace cadit? Trepida agmina mœſtos
Convertere oculos: ſtillabat vulneris index
Ferratâ de veſte cruor, mox & pavor hoſtem
Comminus aſtantem prodit: nam pallor in ore
Conſcius audacis facti, dat ſigna reatûs,
Et deprenſa tremit languens manus, & color albens.
Circumſtat properè ſtrictis mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens fervente tumultu
Et genus, & nomen, patriam, ſectámque, deúmque,
Quem colat, & juſſu cujatis venerit. illa
Exſanguis, turbante metu, Diſcordia dicor,
Cognomento hæreſis. Deus eſt mihi diſcolor inquit.
Nunc minor, aut major, modò duplex, & modò ſimplex:
Cum placet, æreus & de phantaſmate viſus,
Aut innata anima eſt: quoties volo ludere numen.
Præceptor Belial mihi ſit, domus eſt plaga mundi.
Non tulit ulteriùs capti blaſphemia monſtri
Virtutum regina Fides, ſed verba loquentis
Impedit, & vocis claudit ſpiramina pilo,
Pollutam rigidâ transfigens cuſpide linguam.
Carpitur innumeris feralis beſtia dextris:
Fruſtatim ſibi quiſque rapit quod ſpargat in auras,
Quod canibus donet, corvis quod edacibus ultrò
Offerat, immundis cæno exhalante cloacis
Quod tradat, monſtris quod mandet habere marinis.
Diſciſſum fœdis animalibus omne cadaver
Dividitur, ruptis perit hæreſis horrida membris.
Compoſitis igitur rerum morámque ſecundis
In commune bonis, poſtquam intra tuta morari
Contigit, ac ſtatione frui, vallóque foveri
Pacificos ſenſus, & in ocia ſolvere curas;
Extruitur mediâ caſtrorum ſede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in ſpeculam, ſubjecta unde omnia latè
Liber inoffenſo circumſpicit æthere viſus.
Hunc ſincera Fides, ſimul & Concordia ſacro
Fœdere juratæ Chriſti ſub amore ſorores,
Conſcendunt apicem, mox & ſublime tribunal
Par ſanctum, carúmque ſibi, ſupereminet æquo
Jure poteſtatis, conſiſtunt aggere ſummo
Conſpicuæ, populóſque jubent aſtare frequentes.
Concurrunt alacres caſtris ex omnibus omnes,
Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis ullo
Intercepta ſinu per conceptacula ſeſe
Degeneri languore tegat, tentoria apertis
Cuncta patent velis, reſerantur carbaſa, ne quis
Marceat obſcuro ſtertens habitator operto.
Auribus intentis expectat concio, quidnam

Victores

Victores post bella vocet Concordia princeps,
Quam velit atque fides virtutibus addere legem.
Erumpit primam in vocem Concordia, tali
Alloquio. Cumulata quidem jam gloria vobis
O patris, ô Domini fidissima pignora Christi,
Contigit: extincta est multo certamine sæva
Barbaries, sanctæ quæ circumsepserat urbis
Indigenas, ferróque viros, flammâque premebat.
Publica sed requies privatis rure, foróque
Conflat amicitiis: scissura domestica turbat
Rem populi, titubátque foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete viri, ne sit sententia discors
Sensibus in vestris, ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis, quia scissa voluntas
Confundit variis arcana biformia libris.
Quod sapimus conjungat amor: quod vivimus, uno
Conspiret studio, nil dissociabile firmum est.
Utque homini atque Deo medius intervenit Jesus
Qui sociat mortale patri, ne carnea distent
Spiritui æterno, sitque ut Deus unus utrumque;
Sic quicquid gerimus, mentisque & corporis actu,
Spiritus unimodis texat compagibus unus.
Pax plenum virtutis opus, Pax summa laborum,
Pax belli exacti precium est, precióque pericli.
Sidera pace vigent, conticuit terrea pace.
Nil placitum sinè pace Deo: non munus ad aram
Cùm cupias offerre, probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro:
Nec si flammivomis Christi pro nomine martyr
Ignibus insilias, servans inamabile votum
Bile sub obliquâ, preciosam profit JESU
Impendisse animam, meriti quia clausula pax est.
Non inflata tumet, non invidet æmula fratri.
Omnia perpetitur patiens, atque omnia credit.
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat.
Occasum lucis venià præcurrere gestit
Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis,
Offerat in primis pacem, nulla hostia Christo
Dulcior. hoc solo sancta ad donaria vultum
Munere convertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen & niveis tradit Deus ipse columbis
Pennatum tenerâ plumarum veste colubrum
Rimante ingenio doctè internoscere mixtum
Innocuis avibus: latet & lupus ore cruento
Lacteolam memitus ovem sub vellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hæc sese occultant Photinus & Arrius arte,
Immanes feritate lupi: discrimina produnt
Nostra, recéntsque cruor, quamvis de corpore summo,
Quid possit furtiva manus. gemitum dedit omnis
Virtutum populus, casu concussus acerbo.
Tunc generosa Fides hæc subdidit: Imò secundis
In rebus cesset gemitus: Concordia læsa est,
Sed defensa fides. quin & Concordia sospes
Germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
Hæc mea sola salus, nihil hac mihi tristè receptâ.
Unum opus egregium restat post bella labori,
O proceres, regni quod tandem pacifer hæres
Belligeri, armatæ successor inermis & aulæ
Instituit Solomon: quoniam genitoris anheli
Fumârat calido regum de sanguine dextra.
Sanguine nam tersо templum fundatur, & ara
Ponitur auratis Christi domus ardua tectis.
Hierusalem templo tunc illustrata quieto
Suscepit jam diva Deum, circumvaga postquam
Sedit marmoreis fundata altaribus arca.
Surgat & in nostris templum venerabile castris,
Omnipotens cujus sanctorum sancta revisat.
Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalanges
Culparum prodest, hominis si filius arce
Ætheris illapsus, purgati corporis urbem
Intret inornatam, templi splendentis egenus?
Hactenus alternis sudatum est comminus armis,
Munia nunc agitet tacitæ toga candida pacis,
Atque sacri sedem properet discincta juventus.
Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
Desiliit, tantsque operis Concordia consors
Metatura novum jacto fundamine templum:
Aurea planiciem spaciis percurrit arundo
Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
Ne commissuris distantibus angulus impar
Argutam mutilet per dissona tympetra normam.
Auroræ de parte tribus plaga lucida portis
Illustrata patet, triplex aperitur ad Austrum
Portarum numerus, tres occidualibus offert
Janua trina fores, toties Aquilonis ad axem
Panditur alta domus: nullum illic structile saxum,
Sed cava per solidum, multóque forata dolatu
Gemma relucenti limen complectitur arcu,
Vestibulúmque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in postibus auro
Nomina Apostolici fulgent bisdena senatûs.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, & electos vocat in præcordia sensus.
Quáque hominis natura viget, quà corpore toto
Quadrua vis animæ, trinis ingressibus aram
Cordis adit, castisque colit sacraria votis.
Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Incendat nimius, seu consummabilis ævi
Perficiat lux plena viros, sive algida Borræ
Ætas, decrepitam vocet ad pia sacra senectam.
Occurrit trinum quadrina ad compita numen,
Quod bene discipulis disponit rex duodenis.
Quin etiam totidem gemmarum insignia textis
Parietibus distincta micant, animásque colorum
Viventes liquido lux evomit alta profundo.
Ingens chrysolithus nativo interlitus auro,
Hinc sibi sapphirum sociaverat, indè beryllum,
Distantésque nitor medius variârat honores.
Hinc Chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino: nam fortè cyanea propter
Stagna lapis cohibens, ostro fulgebat aquoso.
Sardonycben pingunt amethystina, pingit iaspis
Sardonium juxta appositum, pulchérque topazon.
Has inter species smaragdina gramineverno
Prata virent, volvítque vagos lux herbida fluctus.
Te quoque conspicuum structura interserit ardens
Chrysoprase, & sidus saxis stellantibus addit.
Stridebat gravidis funalis machina vinclis,
Immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
Crystalli algentis, vitreâ de rupe recisis
Construitur, quarum tegit edita calculus albens
In conum cælus capita, & sinuamine subter
Subductus conchæ in speciem, quod mille talentis
Margaritum ingens opibúsque & viribus arte
Adductis animosa Fides mercata parârat.
Hoc residet solio pollens Sapientia, & omne
Consilium regni celsâ disponit ab aulâ,
Tutandíque hominis leges sub corde retractat.
In manibus dominæ sceptrum, non arte politum,
Sed lignum vivum est, viridi quod stirpe recisum
Quamvis nullus alat terreni cespitis humor,
Fronde tamen viret incolumi, tum sanguine tinctis
Interexta rosis candentia lilia miscet,
Nescia marcenti florem submittere collo.
Hujus forma fuit sceptri gestamen Aaron
Floriferum, ficco quod germina cortice tradens,
Explicuit tenerum ipe pubescente decorem,
Inque novos subitò viruit virga arida fœtus.
Reddimus æternas indulgentissime doctor
Grates Christe tibi, meritóque sacramus honores
Ore pio: nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantisque animæ voluisti agnoscere casus.
Novimus ancipites nebuloso in pectore sensus
Sudare alternis conflictibus, & variato
Pugnarum eventu, nunc indole crescere dextram,
Nunc inclinatis cervicibus ad juga vitæ
Deteriora trahi, sesèque addicere noxis
Turpibus, & propriæ jacturam ferre salutis.
O quoties animam vitiorum peste repulsâ
Sensimus incaluisse Deo, quoties tepefactum
Cœleste ingenium post gaudia candida tetro
Cessisse è stomacho! fervent bella horrida, fervent
Ossibus, atque inclusa fremit discordibus armis
Non simplex natura hominis. nam viscera limo
Effigiata premunt animum. Contrà ille sereno
Editus afflatu nigrantis carcere cordis
Æstuat, & sordes arcta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux atque tenebræ,
Distantésque animat duplex substantia vires,
Donec præsidio Christus Deus adsit, & omnes
Virtutum gemmas componat sede piatâ:
Atque ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria constituens, texat spectamine morum
Ornamenta animæ: quibus oblectata decoro
Æternùm solio dives Sapientia regnet.

ΚΑΘΗΜΕΡΙΝΩΝ LIBER.

PRÆFATIO.

PER quinquennia jam decem
Nî fallor, fuimus, ſeptimus inſuper
Annum cardo rotat, dum fruimur ſole volubili.
Inſtat terminus, & diem
Vicinum ſenio jam Deus applicat.
Quid nos utile tanti ſpacio temporis egimus?
Ætas prima crepantibus
Flevit ſub ferulis. Mox docuit toga
Infectum vitiis falſa loqui, non ſinè crimine.
Tum laſciva protervitas,
Ac luxus petulans, heu pudet, ac piget,
Fœdavit juvenem nequitiæ ſordibus, ac luto.
Exin jurgia turbidos
Armârunt animos, & malè pertinax
Vincendi ſtudium ſubjacuit calibus aſperis.
Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium,
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Evectum pietas principis extulit,
Aſſumptum propiùs ſtare jubens ordine proximo.
Hæc dum vita volans agit,
Irrepſit ſubitò canicies ſeni
Oblitum veteris me Saliæ conſulis arguens.
Sub quo prima dies mihi,
Quàm multas hyemes volverit, & roſas
Pratis poſt glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Nunquid talia proderunt
Carnis poſt obitum vel bona, vel mala:
Cùm jam quicquid id eſt quod fueram, mors aboleverit?
Dicendum mihi, quiſquis es,
Mundum quem coluit, mens tua perdidit,
Non ſunt illa Dei, quæ ſtuduit, cujus habeberis.
Atqui fine ſub ultimo
Peccatrix anima ſtultitiam exuat:
Saltem voce Deum concelebret, ſi meritis nequit.
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin dominum canat,
Pugnet contra hæreſes, catholicam diſcutiat fidem.
Conculcet ſacra gentium,
Labem Roma tuis inferat idolis,
Carmen martyribus devoveat, laudet apoſtolos.
Hæc dum ſcribo, vel eloquor,
Vinclis ô utinam corporis emicem
Liber, quo tulerit lingua ſono mobilis ultimo.

Hymnus ad Galli cantum.

ALES diei nuncius
Lucem propinquam præcinit,
Nos excitator mentium
Jam Chriſtus ad vitam vocat.
Auferte clamat lectulos,
Ægros ſopores, deſides,
Caſtíque, recti, ac ſobrii
Vigilate, jam ſum proximus.
Poſt ſolis ortum fulgidi
Serum eſt cubile ſpernere,
Nî parte noctis additâ
Tempus labori adjeceris.
Vox iſta, qua ſtrepunt aves
Stantes ſub ipſo culmine
Paulo antè quàm lux emicet,
Noſtri figura eſt Judicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratíſque opertos ſegnibus,
Suadet quietem linquere
Jam jámque venturo die.
Ut cùm coruſcis flatibus
Aurora cœlum ſparſerit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad ſpem luminis.
Hic ſomnus ad tempus datus,
Eſt forma mortis perpetis:
Peccata ceu nox horrida
Cogunt jacere, ac ſtertere.
Sed vox ab alto culmine
Chriſti docentis præmonet,
Adeſſe jam lucem propè,
Ne mens ſopori ſerviat.
Ne ſomnus uſque ad terminos
Vitæ ſocordis, opprimat
Pectus ſepultum crimine,
Et lucis oblitum ſuæ.
Ferunt vagantes dæmonas
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparſim timere, & cedere.
Inviſa nam vicinitas
Lucis, ſalutis, nominis,
Rupto tenebrarum ſitu
Noctis fugat ſatellites.
Hoc eſſe ſignum præſcii
Nôrunt repromiſſæ ſpei,
Qua nos ſoporis liberi
Speramus adventum Dei.
Quæ vis ſit hujus alitis,
Salvator oſtendit Petro,
Ter antè quàm gallus canat,
Seſe negandum prædicans.
Fit namque peccator priùs
Quàm præco lucis proximæ
Illuſtret humanum genus,
Finémque peccandi ferat.
Flevit negator denique
Ex ore prolapſum nefas:
Cùm mens maneret innocens,
Animúſque ſervaret fidem.
Nec tale quicquam poſtea
Linguâ loquutus lubricâ eſt:
Cantúque galli cognito,
Peccare juſtus deſtitit.
Indè eſt quod omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,
Chriſtum redîſſe ex inferis.
Tunc mortis oppreſſus vigor,
Tunc lex ſubacta eſt tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coegit cedere.
Jam jam quieſcant improbi,
Jam culpa furva obdormiat,
Jam noxa lethalis ſuum
Perpeſſa ſomnum, marceat.
Vigil viciſſim ſpiritus
Quodcunque reſtat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.
Jeſum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, ſobrii:
Intenta ſupplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Sat convolutis artubus
Senſum profunda oblivio
Preſſit, gravavit, obruit
Vanis vagantem ſomniis.
Sunt nempe falſa & frivola,
Quæ mundiali gloriâ
Ceu dormientes egimus:
Vigilemus, hic eſt veritas.
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, proſpera,
Quæcunque nos inflant mala,
Fit manè, nil ſunt omnia.
Tu Chriſte ſomnum diſjice,
Tu rumpe noctis vincula:
Tu ſolve peccatum vetus,
Novúmque lumen ingere.

Hymnus Matutinus.

NOX, & tenebræ, & nubila
Confuſa mundi, & turbida,
Lux intrat, albeſcit polus,
Chriſtus venit, diſcedite:
Caligo terræ ſcinditur
Percuſſa ſolis ſpiculo:
Rebúſque jam color redit,
Vultu nitentis ſideris.
Sic noſtra mox obſcuritas,
Fraudíſque pectus conſcium,
Ruptis retectum nubibus
Regnante palleſcit Deo.
Tunc non licebit claudere,
Quod quiſque fuſcum cogitat,
Sed

Sed manè clarescent novo
Secreta mentis prodita.
Fur ante lucem squalido
Impune peccat tempore,
Sed lux dolis contraria
Latere furtum non finit.
Versuta fraus, & callida,
Amat tenebris obtegi,
Aptámque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.
Sol ecce surgit igneus,
Piget, pudescit, pœnitet:
Nec teste quisquam lumine
Peccare constanter potest.
Quis manè sumptis nequiter
Non erubescit poculis,
Cùm sit libido temperans,
Castúmque nugator sapit?
Nunc nunc severùm vivitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes sua
Vultu colorant serio.
Hæc hora cunctis utilis,
Quæ quisque, quod studet, gerat,
Miles, togatus, navita,
Opifex, arator, institor.
Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum,
Mercator hinc, ac rusticus
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli ac fœnoris,
Fandíque prorsus nescii,
Nec arte fortes bellicâ,
Te Christe solum novimus.
Te mente purâ & simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curvato genu
Flendo & canendo discimus.
His nos lucramur quæstibus,
Hac arte tantùm vivimus,
Hæc inchoamus munera,
Cùm sol resurgens emicat.
Intende nostris sensibus,
Vitámque totam dispice:
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tuâ.
Durare nos tales jube,
Quales remotis sordibus
Nitere pridem jusseras,
Jordane tinctos flumine.
Quodcunque nox mundi dehinc
Infecit atris nubibus,
Tu rex Eoi sideris
Vultu sereno illumina.
Tu sancte, qui terram picem
Candore tingis lacteo,
Ebenóque crystallum facis,
Delicta terge livida.
Sub nocte Iacob cærulâ
Luctator audax angeli
Eò usque dum lux surgeret
Sudavit impar prælio.
Sed cùm jubar clarescceret,
Lapsante claudus poplite,
Femúrque victus debile
Culpæ vigorem perdidit.
Nutabat inguen faucium,
Quæ corporis pars vilior,
Longéque sub cordis loco,
Diram fovet libidinem.
Hæ nos docent imagines
Hominem tenebris oblitum,
Si fortè non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum, & tabidum
Dies oborta invenerit.
Tandem facessat cæcitas
Quæ nosmet in præceps dia
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.
Hæc lux serenum conferat,
Purósque nos præstet sibi.

Nihil loquamur subdolum:
Volvamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies.
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculíve peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actúsque nostros prospicit
A luce primâ in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quicquid est
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

Hymnus ante cibum.

O Crucifer bone, lucisator,
Omniparens pie, verbigena,
Edite corpore virgineo,
Sed priùs in genitore potens,
Astra, solum, mare quàm fierent.
Huc nitido precor intuitu
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus, & inradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sinè dulce nihil, Domine,
Nec juvat ore quid appetere,
Pocula ut priùs, atque cibos
Christe tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.
Fercula nostra Deum sapiant,
Christus & influat in pateras:
Seria, ludicra, verba, jocos,
Denique quod sumus, aut agimus,
Trina superna regat pietas.
Hic mihi nulla rosæ spolia,
Nullus aromate fragrat odor,
Sed liquor influit ambrosius,
Nectareámque fidem redolet
Fusus ab usque patris gremio.
Sperne camœna leves hederas,
Cingere tempora quis solita es,
Sertáque mystica dactylico
Texere docta, liga strophio,
Laude Dei redimita comas.
Quod generosa potest anima,
Lucis & ætheris indigena,
Solvere dignius obsequium,
Quàm data munera si recinat
Artificem modulata suum?
Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus, dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus,
Aëre, gurgite, rure creant,
Hæc mihi subdidit, & sibi me.
Callidus inlaqueat volucres
Aut pedicis dolus, aut maculis,
Inlita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt, & abire vetant.
Ecce per æquora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt:
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristiferæ segetis,
Hic ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna ubi bacca viret.
Hæc opulentia Christicolis
Servit, & omnia suppeditat.
Absit enim procul illa fames,
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum:
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino lactices,
Pérque coagula densa liquor

Digitized by Google

In ſolidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia
Nectare ſudat olente favus,
Hæc opifex apis aërio
Rore liquet, tenuſque thymo,
Nexilis inſcia connubii.
Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt,
Arbor onus tremefacta ſuum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceóſque jacit cumulos.
Quæ veterum tuba, quæve lyra
Flatibus incita, vel fidibus,
Divitis omnipotentis opus,
Quæque fruenda patent homini,
Laudibus æquiparare queat?
Te pater optime manè novo,
Solis & orbita cùm media eſt,
Te quoque luce ſub occiduâ
Sumere cùm monet hora cibum,
Noſtra Deus canit harmonia.
Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremit,
Pulſat & incita quod reſonam
Lingua ſub ore latens caveam,
Laus ſuperi patris eſto mihi.
Os igitur tua ſancta manus
Ceſpite compoſuit madido,
Effigiem meditata ſuam:
Utque foret rata materies
Flavit & indidit ore animam.
Tunc per amœna vireta jubet
Frondicomis habitare locis:
Ver ubi perpetuum redolet,
Pratáque multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.
Hæc tibi nunc famulentur sit,
Uſibus omnia dedo tuis.
Sed tamen aſpera mortifero
Stipite carpere poma veto,
Qui medio viret in nemore.
Hic draco perfidus indocile
Virginis inlicit ingenium,
Ut ſocium maleſuada virum
Mandere cogeret ex vetitis,
Ipſa pari peritura modo.
Corpora mutua, nôſſe nefas,
Poſt epulas inoperta vident,
Lubricus error & erubuit.
Tegmina ſuta parant foliis,
Dedecus ut pudor occuleret.
Conſcia culpa Deum pavitans,
Sede piâ procul exigitur:
Innuba fœmina quæ fuerat,
Conjugis excipit imperium,
Fœdera triſtia juſſa pati.
Autor & ipſe doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat:
Sic coluber muliebre ſolum
Suſpicit, atque virum mulier.
His ducibus vitioſa dehinc
Poſteritas ruit in facinus:
Dúmque rudes imitatur avos,
Fáſque nefáſque ſimul glomerans
Impia crimina morte luit.
Ecce venit nova progenies,
Æthere proditus alter homo,
Non luteus, velut ille priùs:
Sed Deus ipſe gerens hominem,
Corporeſſque carens vitiis.
Fit caro vivida ſermo patris,
Numine quem rutilante gravis
Non thalamo, neque jure tori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aſpidis atque hominis
Digladiabile diſſidium,
Quòd modò cervua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita
Omnia virgo venena domat,
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Quæ feritas modò non trepidat,
Territa de grege candido?
Impavidas lupus inter oves
Triſtis obambulat, & rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.
Agnus enim vice mirificâ
Ecce leonibus imperitat,
Exagitánſque truces aquilas
Per vaga nubila, pérque notos
Sidere lapſa columba fugat.
Tu mihi Chriſte columba potens,
Sanguine paſta cui cedit avis:
Tu niveus per ovile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub juga tigridis ora premens.
Da locuples Deus hoc famulis
Ritè precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent:
Neu piger immodicis dapibus
Viſcera tenta gravet ſtomachus.
Hauſtus amarus abeſto procul,
Nec libeat tetigiſſe manu
Exitiale quid, aut vetitum,
Guſtus & ipſe modum teneat,
Soſpitet ut jecur incolume.
Sit ſatis anguibus horrificis,
Liba quòd impia corporibus
Ah miſeram peperêre necem.
Sufficiat ſemel ob facinus
Plaſma Dei potuiſſe mori.
Oris opus, vigor igneolus
Non moritur, quia flante Deo
Compoſitus, ſuperóque fluens
De ſolio patris artificis,
Vim liquidæ rationis habet.
Viſcera mortua, quin etiam
Pòſt obitum reparare datur,
Eque ſuis iterum tumulis
Priſca renaſcitur effigies,
Pulvereo coeunte ſitu.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora vivere more animæ:
Nam modò corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad ſuperos remeâſſe Deum.
Spes eadem mea membra manet,
Quæ redolentia funereo
Juſſa quieſcere ſarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Chriſtus ad aſtra vocat.

Hymnus poſt cibum.

PAſtis viſceribus, cibóque ſumpto,
Quem lex corporis imbecilla poſcit,
Laudem lingua Deo patri rependat:
Patri, qui Cherubin ſedile ſacrum,
Necnon & Seraphin ſuum ſupremo
Subnixus ſolio tenet, regítque.
Hic eſt, quem Sabaoth Deum vocamus,
Expers principii, caréníque fine,
Rerum conditor, & repertor orbis.
Fons vitæ liquidâ fluens ab arce,
Infuſor fidei, ſator pudoris,
Mortis perdomitor, ſalutis autor.
Omnes quod ſumus, aut vigemus, ind' eſt.
Regnat ſpiritus ille ſempiternus,
A Chriſto ſimul & parente miſſus.
Intrat pectora candidus pudica,
Quæ templi vice conſecrata rident,
Poſtquam combiberint Deum medullis.
Sed ſi quid vitii, dolíve naſci
Inter viſcera jam dicata ſenſit,
Ceu ſpurcum, refugit celer ſacellum.
Tetrum flagrat enim vapore craſſo
Horror conſcius æſtuante culpâ,
Offenſúmque bonum niger repellit.
Nec ſolus pudor, innocénſque votum
Templum conſtituunt perenne Chriſto
In cordis medii ſinu ac receſſu:
Sed ne crapula ferveat cavendum eſt,
Quæ ſedem fidei cibis refertam

Usque ad congeriem coartet intus.
Parcis victibus expedita corda
Infusum meliùs Deum receptant:
Hic pastus animæ est, sapórque verus.
Sed nos tu gemino fovens paratu,
Artus atque animas utroque pastu
Confirmas pater, ac vigore comples.
Sic olim tua præcluens potestas,
Inter rauciſonos situm leones
Illapsis dapibus virum refovit.
Illum fusile numen execrantem,
Et curvare caput sub expolitâ
Æris materiâ nefas putantem:
Plebs diræ Babylonis ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicârant,
Sævis protinus hauſtibus vorandum.
O semper pietas, fidésque tuta:
Lambunt indomiti virum leones,
Intactúmque Dei tremunt alumnum.
Astant comminus, & jubas reponunt,
Mansuescit rabies, famésque blanda
Prædam rictibus lambit incruentis.
Sed cùm tenderet ad superna palmas,
Expertúmque sibi Deum rogaret,
Clausus jugiter, indigénsque victu,
Jussus nuncius advolare terris,
Qui pastum famulo daret probato,
Raptim desilit, obsequente mundo.
Cernit fortè procul dapes inemptas,
Quas messoribus Abacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Hujus cæsarie manu prehensâ,
Plenis sicut erat gravem canistris
Suspensum rapit & vehit per auras.
Tum raptus simul ipse, prándiúmque
Sensim labitur in lacum leonum,
Et quas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus, ait, libénsque carpas
Quæ summus pater, angelúsque Christi
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumptis, Danielus excitavit
In cœlum faciem, cibóque fortis
Amen reddidit, Alleluia dixit.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, & sacramus hymnos.
Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos, regis, & feram repellis.
Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes,
Cùm te summe Deus precemur unum.
Vexamur, premimur, malis rotamur,
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt,
Juncta est suppliciis Fides iniquis.
Nec defit tamen anxiis medela:
Nam languente trucis leonis irâ,
Illapsæ superingeruntur escæ.
Quas si quis sitienter hauriendo
Non guttu tenui, sed ore pleno,
Internis velit implicare venis:
Hìc sancto satiatus ex prophetâ,
Justorum capiet cibos virorum,
Qui fructum domino metunt perenni.
Nil est dulcius ac magis saporum,
Nil quod plus hominem juvare possit,
Quàm vatis pia præcinentis orsa.
His sumptis licèt insolens potestas
Pravum judicet, inrogétque mortem:
Impasti licèt inruant leones,
Nos semper Dominum patrem fatentes,
In te Christe Deus loquemur unum,
Constantérque tuam crucem feremus.

Hymnus ad incensum cerei Paschalis.

INventor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem Christe tuis redde fidelibus.
Quamvis innumero sidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Hoc signas opere conditor inclyte,
Lumen veridicum mentibus omnium
In Christo Domino quærere jugiter,
Quem petram loquitur doctor egregius.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram;
Nostris igniculis unde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut facibus pascimus aridis,
Quin & fila favis scirpea floreis,
Presso melle priùs collita fingimus.
Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lachrymis stillat alentibus,
Ambustum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus pater
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentémque diem lux agit æmula
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
Sed quis non rabidi luminis arduam,
Manantémque Deo cernat originem?
Moses nempe Deum spinifero in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.
Felix, qui meruit sentibus in sacris
Cœlestis solii visere principem,
Jussus nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum.
Hunc ignem populus languinis inclyti
Majorum meritis tutus, & impotens,
Suetus sub dominis vivere barbaris,
Jam liber sequitur longa per avia.
Quá gressum tulerant, castráque cerulæ
Noctis per medium concita moverant,
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.
Sed rex Niliaci littoris invido
Fervens felle, jubet prævalidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratásque acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, téque minacibus
Accingunt gladiis: triste canit tuba:
Hic fidit jaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Gnosiis.
Densetur cuneis turba pedestribus,
Currus pars, & equos & volucres rotas
Conscendunt celeres, signáque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
Hinc jam servitii nescia pristini
Gens Pelusiacis usta vaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris littoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert & validis prælia viribus.
Moses porrò suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
Præbent rupta locum stagna viantibus,
Riparum in faciem pervia sistitur
Circumstans vitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore.
Pubes quinetiam decolor asperis
Irritata odiis, rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sanguinem
Audet se pelago credere concavo.
Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia.
Sed confusa dehinc unda, revolvitur
In semet revolans gurgite confluo.
Currus tunc, & equos, teláque naufraga,
Ipsos & proceres, & vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis justicium trille tyrannicæ.
Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes Christe tuas? qui domitam Pharon
Plagis multimodis cedere præsuli,
Cogis justitiæ, vindice dexterâ.
Qui pontum rabidis æstibus invium
Perfultare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat te duce transitus,
Et mox unda rapax ut voret impios.
Cui jejuna viæ saxa madentibus

Erun-

Exundant ſcatebris, & latices novos
Fundit ſciſſa ſilex, quæ ſitientibus
Dat potum populis axe ſub igneo.
Inſtar fellis aqua triſtifico in lacu
Fit, ligni veniâ, mel velut Atticum,
Lignum eſt, quo ſapiunt aſpera dulcius,
Nam præfixa cruci ſpes hominum viget.
Implet caſtra cibus tunc quoque pinguidus,
Illabens gelidâ grandine denſiùs,
His mentas epulis, hac dape conſtruunt,
Quam dat ſidereo Chriſtus ab æthere.
Nec non imbrifero ventus anhelitu
Craſsâ nube leves invehit alites,
Quæ diffiata in humum, cùm ſemel agmina
Fluxerunt, reduci non revolant fugâ.
Hæc olim patribus præmia contulit
Inſignis pietas numinis unici,
Cujus ſubſidio nos quoque veſcimur,
Paſcentes dapibus pectora myſticis.
Feſſos ille vocat per freta ſeculi,
Diſciſſis populum turbinibus regens:
Raptaráſque animas mille laboribus
Juſtorum in patriam ſcandere præcipit.
Illic purpureis tecta rotariis
Omnis fragrat humus, cultáque pinguia
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis unda fugacibus.
Illic & gracili balſama ſuccolo
Deſudata fluunt, raráque cinnama
Spirant, & ſolium ſonte quod abdito
Prælabens fluvius portat in exitum.
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili ſuave ſonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant & pedibus lilia candidis.
Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ,
Illâ nocte ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis.
Non ſicut tenebras de face fulgidâ
Surgens Oceano lucifer imbuit,
Sed terris Domini de cruce triſtibus
Major ſole novum reſtituens diem.
Marcent ſuppliciis tartara mitibus,
Exultátque ſui carceris ocio
Umbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec ſervent ſolito flumina ſulphure.
Nos feſtis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votáque proſpera
Certatim vigili congerimus prece,
Extructóque agimus liba ſacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ ſuffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perſpicuo flamma jacit vitro.
Credas ſtelligeram deſuper aream
Ornatam geminis ſtare trionibus,
Et qua Phoſphoreum temo regit jugum
Paſſim purpureos ſpargier heſperos.
O res digna, Deus, quam tibi roſcidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil precioſius;
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque ſenſibus,
Intus tu ſpeculum, tu ſpeculum foris:
Lumen quod famulans offero, ſuſcipe,
Tinctum pacifici chriſmatis unguine.
Per Chriſtum genitum ſumme pater tuum,
In quo viſibilis ſtat tibi gloria:
Qui noſter dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde paracletum.
Per quem ſplendor, honos, laus, ſapientia,
Majeſtas, bonitas, & pietas tua
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis ſecula ſeculis.

Hymnus antè ſomnum.

ADes pater ſupreme,
Quem nemo vidit unquam;
Patríſque Sermo Chriſte,
Et ſpiritus benigne.
O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque miſſus.
Fluxit labor diei,
Redit quietis hora;
Blandus ſopor viciſſim
Feſſos relaxat artus.
Mens æſtuans procellis,
Curíſque ſauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale poculum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miſeris doloris ægri
Patitur manere ſenſum.
Lex hæc data eſt caducis
Deo jubente membris,
Ut temperet laborem
Medicabilis voluptas.
Sed dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectúſque feriatum
Placat rigante ſomno:
Liber vagat per auras
Rapido vigore ſenſus,
Variáſque per figuras
Quæ ſunt operta cernit.
Quia mens ſoluta curis,
Cui eſt origo cœlum,
Purúſque fons ab æthrâ
Iners jacere neſcit.
Imitata multiformes
Facies ſibi ipſa fingit,
Per quas repentè currens
Tenui fruatur actu.
Sed ſenſa ſomniantum
Diſpar fatigat horror,
Nunc ſplendor intererrat,
Qui dat futura nôſſe.
Plerumque diſſipatis
Mendax imago veris,
Animos pavore mœſtos
Ambage fallit atrâ.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux ſerena vibrans
Res edocet latentes.
At qui coinquinatum
Vitiis cor impiavit,
Luſus pavore multo
Species videt tremendas.
Hoc patriarcha noſter
Sub carceris catenâ
Geminis ſimul miniſtris
Interpres adprobavit.
Quorum reverſus unus
Dat poculum tyranno:
Aſt alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipſum deinde regem
Perplexa ſomniantem,
Monuit famem futuram
Clauſis cavere acervis.
Mox præſul ac tetrarches
Regnum per omne juſſus
Sociam tenere virgam
Dominæ reſedit aulæ.
O quàm profunda juſtis
Arcana, per ſoporem
Aperit tuenda Chriſtus,
Quàm clara, quàm tacenda!
Evangeliſta ſummi
Fidiſſimus magiſtri,
Signata quæ latebant
Nebulis videt remotis.
Ipſum Tonantis agnum
De cæde purpurantem,
Qui conſcium futuri
Librum reſignat unus.
Hujus manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrinque
Duplicem minatur ictum.
Quæſitor ille ſolus
Animæque corporíſque:
Enſíſque bis timendus

Prima ac ſecunda mors eſt.
Idemtamen benignus
Ultor, retundit iram,
Paucóſque non piorum
Patitur perire in ævum.
Huic inclytus perenne
Tribuit pater tribunal:
Hunc obtinere juſſit
Nomen ſupra omne nomen.
Hic præpotens cruenti
Extinctor antichriſti,
Qui de furenti monſtro
Pulchrum refert trophæum.
Quam beſtiam rapacem,
Populóſque devorantem,
Quam ſanguinis Charybdim,
Joannes execratur.
Hæc nempe quæ ſacratum
Præferre nomen auſa,
Imam petit gehennam,
Chriſto perempta vero.
Tali ſopore juſtus
Mentem relaxat heros,
Ut ſpiritu ſagaci
Cœlum peragret omne.
Nos nil meremur horum,
Quos creber implet error,
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat eſt quiete dulci
Feſſum fovere corpus,
Sat ſi nihil ſiniſtrum
Vanæ minentur umbræ.
Cultor Dei memento
Te fontis & lavacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te chriſmate innotatum.
Fac, cùm vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locúmque cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.
Procul ô procul vagantum
Portenta ſomniorum,
Procul eſto pervicaci
Prodigiator æſtu.
O tortuoſe ſerpens,
Qui mille per meandros
Fraudéſque flexuoſas
Agitas quieta corda:
Diſcede, Chriſtus hic eſt,
Hic Chriſtus eſt, liqueſce:
Signum quod ipſe nôſti,
Damnat tuam catervam,
Corpus licèt ſatiſcens
Jaceat recline paulùm,
Chriſtum tamen ſub ipſo
Meditabimur ſopore.

Hymnus Jejunantium.

O Nazarene dux Bethlem, verbum patris,
Quem partus alvi virginalis protulit,
Adeſto caſtis Chriſte parſimoniis,
Feſtúmque noſtrum rex ſerenus aſpice,
Jejuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profectò purius myſterio,
Quo libra cordis expiatur lividi,
Intemperata quo domantur viſcera,
Arvina putrem ne reſudans crapulam
Obſtrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc ſubjugatur luxus, & turpis gula,
Vini atque ſomni degener ſocordia,
Libido ſordens, inverecundus lepos,
Variæque peſtes languidorum ſenſuum,
Parcam ſubactæ diſciplinam ſentiunt.
Nam ſi licenter diffluens potu & cibo,
Jejuna rite membra non coerceas;
Sequitur frequenti marcida oblectamine,
Scintilla mentis ut tepeſcat nobilis,
Animúſque pigris ſternat ut præcordiis.
Frenentur ergo corporum cupidines,
Deterſa ut intus emicet prudentia:
Sic excitato perſpicax acumine,
Libérque flatu laxiore ſpiritus,
Rerum parentem rectiùs precabitur.
Helias tali crevit obſervantiâ
Vetus ſacerdos, ruris hoſpes aridi:
Fragore ab omni quem remotum & ſegregem
Spreviſſe tradunt criminum frequentiam,
Caſto fruentem Syrtium ſilentio.
Sed mox in auras igneis jugalibus,
Currúque raptus evolavit præpeti,
Ne de propinquo ſordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum
Olim probatis inclytum jejuniis.
Non antè cœli principem ſeptemplicis
Moſes tremendi fidus interpres throni
Potuit videre, quàm decem recurſibus
Quater volutis ſol peragrans ſidera
Omni carentem cerneret ſubſtantiâ.
Victus precanti ſolus in lachrymis fuit,
Nam flendo pernox, irrigatum pulverem
Humi madentis ore preſſit cernuo.
Donec loquentis voce perſtricti Dei,
Expavit ignem non ferendum viſibus.
Joannes hujus artis haud minùs potens,
Dei perennis præcucurrit filium,
Curvos viarum qui retorſit tramites,
Et flexuoſa corrigens diſpendia,
Dedit ſequendam calle rectò lineam.
Hanc obſequelam præparabat nuncius
Mox affuturo conſtruens iter Deo,
Clivoſa planis, confragoſa ut lenibus
Converterentur, néve quicquam devium
Inlapſa terris inveniret veritas.
Non uſitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis jam vieto in pectore
Matris tetendit ſerus infans ubera:
Nec antè partu de ſemili effuſus eſt,
Quàm prædicaret virginem plenam Deo.
Pòſt in patentes ille ſolitudines,
Amictus hirtis beſtiarum pellibus,
Setſve tectus, hiſpidâ & languine,
Seceſſit, horrens inquinari & polluî
Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicatâ parcus abſtinentiâ
Potum cibúmque vir ſeveræ induſtriæ
In uſque ſerum reſpuebat veſperum,
Parvum locuſtis & favorum agreſtium
Liquore paſtum corpori ſuetus dare.
Hortator ille primus & doctor novæ
Fuit ſalutis, nam ſacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas:
Sed tincta poſtquam membra defecaverat,
Cœlo refulgens influebat ſpiritus.
Hoc ex lavacro labe demptâ criminum,
Ibant renati, non ſecus quàm ſi rudis
Auri recocta vena pulchrum ſplendeat,
Micet metalli ſive lux argentei,
Sudum polito præuitens purgamine.
Referre prifci ſtemma nunc jejunii
Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruendæ civitatis incolis
Fulmen benigni manſuefactum patris
Piè repreſſis ignibus pepercerit.
Gens inſolenti præpotens jactantiâ
Pollebat olim, quam fluentem nequiter
Corrupta vulgò ſolverat laſcivia,
Et indè bruto contumax faſtidio,
Cultum ſuperni negligebat numinis.
Offenſa tandem jugis indulgentiæ
Cenſura, juſtis excitatur motibus.
Dextram perarmat rhomphæali incendio,
Nimbos crepantes & fragoſos turbines
Vibrans, tonantum nube flammarum quatit.
Sed pœnitendi dum datur diecula,
Si fortè vellent improbam libidinem
Veterémque nugas condonare ac frangere,
Suſpendit ictum terror exorabilis,
Paulúmque dictâ ſubſtitit ſententiâ.
Ionam prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuncius:
Sed nôſſet ille cùm minacem judicem
Servare malle, quàm ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharſos fugam.

Celſam

Digitized by Google

Celsam paratis pontibus scandit ratem,
Udo revincta tunc puppis solvitur.
Itur per altum, sit procellosum mare.
Tum causa tanti quæritur periculi,
Sors in fugacem missa vatem decidit.
Jussus perire solus è cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expresserat,
Præceps rotatur, & profundo immergitur.
Exceptus indè belluinis faucibus,
Alvi capacis vivus hauritur specu.
Trantinissa raptim præda cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
Impune linguam, ne retentam mordicus
Ossam molares dissecarent vividi,
Os omne transit, & palatum præterit.
Ternis dierum ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture.
Errabat illic per latebras viscerum,
Ventris recessus circumibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.
Intactus exin tertiæ noctis vice,
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Quà murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsóque caudens spuma tundit pumices,
Ructatus exit, séque servatum stupet.
In Ninevitas se coactus percito
Gressu reflectit, quos ut increpaverat
Pudenda censor imputans opprobria:
Impendet, inquit, ira summi vindicis,
Urbémque flamma mox cremabit, credite.
Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus indè conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis & diræ struem,
Tectus flagellis multinodi germinis,
Nato & repentè perfruens umbraculo.
Sed mœsta postquam civitas vulnus novi
Hausit doloris, heu supremùm palpitat:
Currunt per ampla congregatim mœnia
Plebs, & senatus, omnis ætas civium,
Pallens juventus, ejulantes fœminæ.
Placet frementem publicis jejuniis
Placare Christum, mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, próque gemmâ & serico
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.
Squalent recinctâ veste pullati patres,
Setásque plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus,
Nigrante vultum contegit velamine,
Jacens harenis & puer provolvitur.
Rex ipse, Coos æstuantem murices
Lænam revulsâ dissipabat fibulâ,
Gemmas virentes, & lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditus pulvere.
Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
Jejuna mensas pubes omnes liquerat:
Quin & negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ,
Succum papillæ parca nutrix denegat.
Greges & ipsos claudit armentalium
Solers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis néve fontis hauriat,
Vacuis querelæ personant præsepibus.
Mollitus his, & talibus, brevem Deus
Iram retrenat, temperans oraculum
Prosper sinistrum: prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Solvit reatum, fitque fautrix flentium.
Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cùm gravatus artubus
Jesus, dicato corde jejunaverit,
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emanuel est, sive nobiscum Deus?
Qui corpus istud molle naturaliter
Captúmque laxo sub voluptatum jugo,
Virtutis arctâ lege fecit liberum,
Emancipator servientis plasmatis,
Regnantis antè victor & cupidinis.
Inhospitali namque secretus loco
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum vendicavit gratiam,
Firmans salubri scilicet jejunio
Vas appetendis imbecillum gaudiis.
Miratus hostis posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere ac perpeti,
Explorat arte scisscitator callidâ
Detúsne membris sit receptus terreis:
Sed increpatâ fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu magister dogmatis
Tuis dedisti Christe sectatoribus,
Ut cùm vorandi vicerit libidinem,
Latè triumphet Imperator spiritus.
Hoc est quod atri livor hostis invidet,
Mundi polisque quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat ægram pectorum rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe & illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus,
Unam, paremque sortis humanæ vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus, quisque dextram porrigit,
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cujus sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complent opes,
Ditátque fructus fœnerantem centuplex.

Hymnus post Jejunium.

CHriste servorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frenas, facilsque septos
Lege coerces.
Ipse cùm portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Major exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.
Nona summissum rotat hora solem,
Partibus vixdum tribus evolutis,
Quarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicatâ
Solvimus festum, fruimúrque mensis
Adfatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus æterni favor est magistri,
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, levis obsequela ut
Mulceat artus.
Addit & ne quis velit invenusto
Sordidus cultu lacerare frontem,
Sed decus vultûs, capitísque pexum
Comat honorem.
Terge jejunans, ait, omne corpus,
Néve subducto faciem rubore
Luteus tingat color, aut notetur
Pallor in ore.
Rectiùs læto tegimus pudore
Quicquid ad cultum patris exhibemus,
Cernit occultum Deus, & latentem
Munere donat.
Ille ovem morbo resídem, gregísque
Perditam sanat malè dissipantem
Vellus adfixis vepribus per hirtæ
Devia sylvæ.
Impiger pastor revocat, lupísque
Gestat exclusis humeros gravatus,
Inde purgatam vehemens aprico
Reddit ovili.
Reddit & pratis viridísque campo,
Vibrat implexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen fudibus perarmat
Carduus horrens.
Sed frequens palmis nemus, & reflexa
Vernat herbarum coma, tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi fide pastor,
Servitus quænam poterit rependi?
Nulla compensant precium salutis

Vota precantum.
Quamlibet ſpreto ſinè more paſtu
Sponte confectos tenuemus artus,
Téque contemptis epulis rogemus
Nocte, diéque.
Vinclum ſemper minor obſequentum
Cura, nec munus genitoris æquat,
Frangit & cratem luteam laboris
Grandior uſus.
Ergo ne limum fragilem ſolutæ
Deſerant vires, & aquoſus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus enervans:
Laxus ac liber modus abſtinendi
Ponitur cunctis, neque nos ſeverus
Terror impellit, ſua quenque cogit
Velle poteſtas.
Sufficit quicquid facias vocato
Numinis nutu priùs, inchoare;
Sive tu menſam renuas, cibúmve
Sumere tentes.
Annuit dexter Deus, & ſecundo
Proſperat vultu, velut hoc ſalubre
Fidimus nobis fore, quod dicatas
Carpimus eſcas.
Sit bonum ſupplex precor, & medelam
Conferat membris, animúmque paſcat
Sparſus in venas cibus obſecrantum
Chriſticolarum.

Hymnus omni horâ.

DA puer plectrum, choreis
Ut canam fidelibus,
Dulce carmen, & melodum,
Geſta Chriſti inſignia.
Hunc camœna noſtra ſolum
Pangat, hunc laudet lyra.
Chriſtus eſt, quem rex ſacerdos
Adfuturum protinus
Infulatus concinebat
Voce, chordâ, & tympano,
Spiritum cœlo influentem
Per medullas hauriens.
Facta nos etiam probata
Pangimus miracula.
Teſtis eſt orbis, nec ipſa
Terra quod vidit negat,
Comminus Deum docendis
Proditum mortalibus.
Corde natus ex parentis,
Antè mundi exordium,
Alpha & - cognominatur,
Ipſe fons, & clauſula
Omnium quæ ſunt, fuerunt,
Quæque pòſt futura ſunt.
Ipſe juſſit, & creata:
Dixit ipſe, & facta ſunt.
Terra, cœlum, foſſa ponti
Trina rerum machina,
Quæque in his vigent ſub alto
Solis & lunæ globo.
Corporis formam caduci,
Membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret
Primoplaſti ex germine,
Merſerat quem lex profundo
Noxialis tartaro.
O beatus ortus ille,
Virgo cùm puerpera
Edidit noſtram ſalutem
Fœta ſancto ſpiritu,
Et puer redemptor orbis
Os ſacratum protulit.
Pſallat altitudo cœli,
Pſallant omnes angeli,
Quicquid eſt virtutis uſquam
Pſallat in laudem Dei:
Nulla linguarum fileſcat,
Vox & omnis conſonet.
Ecce quem vates vetuſtis
Concinebant ſeculis,
Quem prophetarum fideles
Paginæ ſpoponderant,
Emicat, promiſſus olim,
Cuncta collaudent eum.
Cantharis infuſa lympha
Fit falernum nobile,
Nuntiat vinum miniſter
Eſſe promptum ex hydriâ,
Ipſe rex, ſapore tinctis
Obſtupeſcit poculis.
Membra morbis ulceroſa,
Viſcerum putredines
Mundo ut abluantur, inquit:
Fit ratum quod juſſerat.
Turgidam cutem repurgant
Vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris
Jam ſepulta lumina
Inlinis limo ſalubri,
Sacri & oris nectare:
Mox apertis hac medelâ
Lux reducta eſt orbibus.
Increpas ventum furentem,
Quòd procellis triſtibus
Vertat æquor fundo ab imo,
Vexet & vagam ratem.
Ille juſſis obſecundat,
Mitis unda ſternitur.
Extimum veſtis ſacratæ
Furtim mulier attigit:
Protinus ſalus ſecuta eſt,
Ora pallor deſerit:
Siſtitur rivus, cruore
Qui fluebat perpeti.
Exitu dulcis juventæ
Raptum ephebum viderat,
Orba quem mater ſupremis
Funerabat fletibus:
Surge, dixit: ille ſurgit,
Matri & aſtans redditur.
Sole jam quarto carentem,
Jam ſepulchro abſconditum
Lazarum jubet vigere
Reddito ſpiramine.
Fœtidum jecur reductus
Rurſus intrat halitus.
Ambulat per ſtagna ponti,
Summa calcat fluctuum,
Mobilis liquor profundi
Pendulam præſtat viam.
Nec ſatiſcit undaſanctis
Preſſa ſub veſtigiis.
Suetus antro buſtiali
Sub catenis ſtrendere,
Mentis impos efferatis
Percitus furoribus
Proſilit, ruſtque ſupplex
Chriſtum adeſſe ut ſenſerat.
Pulſa peſtis lubricorum
Milleformis dæmonum,
Corripit gregis ſuilli
Sordida ſpurcamina,
Séque nigris mergit undis,
Ut pecus lymphaticum.
Fértque qualus ter quaternus
Ferculorum fragmina.
Affatim referta jam ſunt
Accubantum millia,
Quinque panibus pereſis
Et gemellis piſcibus.
Tu cibus, panſſque noſter,
Tu perennis ſuavitas,
Neſcit eſurire in ævum
Qui tuam ſumit dapem,
Nec lacunam ventris implet,
Sed fovet vitalia.
Clauſus aurium meatus,
Et ſonorum neſcius,
Purgat ad præcepta Chriſti
Craſſa quæque obſtacula,
Vocibus capax fruendis
Ac ſuſurris pervius.
Omnis ægritudo cedit,
Languor omnis pellitur:
Lingua fatur, quam veterna
Vinxerant ſilentia:
Geſtat & ſuum per urbem

Lætus

Lætus æger lectulum.
  Quin & ipſum, ne ſalutis
Inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat,
Fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulſis
Cardo diſſolubilis.
  Illa prompta ad irruentes,
Ad revertentes tenax,
Obice retrorſum pulſo
Porta reddit mortuos
Lege versâ, & limen atrum
Jam recalcandum patet.
  Sed Deus dum luce fulvâ
Mortis antra inluminat,
Dum ſtupentibus tenebris
Candidum præſtat diem,
Triſtia ſqualentis æthræ
Palluerunt ſidera.
  Sol refugit, & lugubri
Sordidus ferrugine
Igneum reliquit axem,
Séque mœrens abdidit.
Fertur horruiſſe mundus
Noctis æternæ chaos.
  Solve vocem mens ſonoram,
Solve linguam mobilem:
Dic trophæum paſſionis,
Dic triumphalem crucem:
Pange vexillum, notatis
Quod refulget frontibus.
  O novum cæde ſtupendâ
Vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluxit unda,
Lympha parte ex alterâ:
Lympha nempe dat lavacrum,
Tum corona ex ſanguine eſt.
  Vidit anguis immolatam
Corporis ſacri hoſtiam,
Vidit, & fellis peruſti
Mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo
Colla fractus ſibilat.
  Quid tibi profane ſerpens,
Profuit rebus novis
Plaſma primum perculiſſe
Verſipelli altutiâ?
Diluit culpam recepto
Forma mortalis Deo.
  Ad brevem ſe mortis uſum
Dux ſalutis dedidit,
Mortuóſque olim ſepultos
Ut redire inſueſceret,
Diſſolutis priſtinorum
Vinculis peccaminum.
  Hunc patres, ſanctíque multi
Conditorem prævium
Jam revertentem ſecuti,
Tertio demum die
Carnis indumenta ſumunt,
Eque buſtis prodeunt.
  Cerneres coire membra
De favillis aridis,
Frigidum venis reſumptis
Pulverem tepeſcere:
Oſſa, nervos, ac medullas
Glutino cutis tegi.
  Pòſt ut occaſum reſolvit,
Vitæ & hominem reddidit,
Arduum tribunal alti
Victor aſcendit patris,
Inclytam cœlo reportans
Paſſionis gloriam.
  Macte judex mortuorum,
Macte rex viventium:
Dexter in parentis arce
Qui cluis virtutibus,
Omnium venturus indè
Juſtus ultor criminum.
  Te ſenes, & te juventus,
Parvulorum te chorus,
Turba matrum, virginúmque,
Simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis
Perſtrepant concentibus.
  Fluminum lapſus & undæ,
Littorum crepidines,
Imber, æſtus, nix, pruina,
Sylva, & aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent
Seculorum ſeculis.

Hymnus in Exequiis Defunctorum.

DEUS ignee fons animarum,
  Duo qui ſocians elementa,
Vivum ſimul ac moribundum
Hominem pater effigiâſti.
  Tua ſunt, tua rector utraque,
Tibi copula jungitur horum.
Tibi dum vegetata cohærent,
Spiritus ſimul & caro vivit.
  Reſciſſa ſed iſta ſeorſum
Proprios revocantur in ortus,
Petit halitus æthera fervens,
Humus excipit arida corpus.
  Quia cuncta creata neceſſe eſt
Tabefacta ſeneſcere tandem,
Compactáque diſſociari,
Et diſſona texta retexi.
  Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inviolabile monſtras,
Quo perdita membra reſurgant.
  Ut dum generoſa caducis
Cen carcere clauſa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit:
  Si terrea fortè voluntas
Luteum ſapit, & grave captat,
Animus quoque pondere victus
Sequitur ſua membra deorſum.
  Ac ſi generis memor ignis
Contagia nigra recuſet,
Vehit hoſpita viſcera ſecum,
Paritérque reportat ad aſtra.
  Nam quod requieſcere corpus
Vacuum ſinè mente videmus,
Spacium breve reſtat, ut alti
Repetat collegia ſenſus.
  Venient citò ſecula, cùm jam
Socius calor oſſa reviſat,
Animatáque ſanguine vivo
Habitacula priſtina geſtet.
  Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
  Hinc maxima cura ſepulchris
Impenditur: hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
  Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſáque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.
  Quid nam ſibi ſaxa cavata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quòd niſi creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno?
  Hoc provida Chriſticolarum
Pietas ſtudet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus ſopor urget.
  Qui jacta cadavera paſſim
Miſerans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Chriſto pius omnipotenti.
  Quin lex eadem monet omnes
Gemitum dare ſorte ſub unâ,
Cognatáque funera nobis
Alienâ in morte dolere.
  Sancti ſator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus jam rite paratis
Jus prætulit exequiarum.
  Jam ſtantibus ille miniſtris,

Cythos

Cyathos & fercula liquit,
Studióque accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro.
Veniunt mox præmia cœlo,
Preciúmque rependitur ingens:
Nam lumina nescia solis
Deus inlita felle serenat.
Jam tunc docuit pater orbis
Quàm sit rationis egena,
Mordax & amara medela,
Cùm lux animum nova verat.
Docuit quoque non priùs ullum
Cœlestia cernere regna,
Quàm nocte & vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.
Mors ipsa beatior ind'est,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua justis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere novit.
Hæc quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit ora,
Tunc flore venustior omni,
Sanguis cute tinget amœnâ.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neque ficca lacerto
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoque pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus ære ab alto
Victrix caro, jámque perennis
Cernet sinè fine gementem
Quos moverat ipse dolores.
Quid turba superstes inepta
Plangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita jura,
Luctu dolor arguit amens?
Jam mœsta quiesce querela,
Lacbrymas suspendite matres,
Nullus sua pignora plangat:
Mors hæc, reparatio vitæ est.
Sic femina sicca virescunt,
Jam mortua jámque sepulta,
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fovendum,
Gremióque hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa & fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ,
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor & autor,
Propriisque ænigmata vultus.
Veniant modò tempora justa,
Cùm spem Deus implent omnem,
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.
Non si cariosa vetustas
Dissolverit ossa favillis,
Fuerítque cinisculus arens,
Minimi mensura pugilli;
Nec si vaga flumina, & auræ
Vacuum per inane volantes,
Tulerint cum pulvere nervos,
Hominem periisse licebit.
Sed dum resolubile corpus
Revocas Deus, atque reformas,
Quánam regione jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut illa Lazari,
Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta redemptor,
Quibus atrâ è morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi,
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis,
Illic precor optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul, & errans.
Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulúmque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Hymnus Octavo Calendas Januarias.

QUID est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christúsne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quàm fugacem gratiam
Festina volvebat dies,
Quàm penè subductam facem
Sensim recisa extinxerat!
Cœlum nitescat lætiùs,
Gratetur & gaudens humus,
Scandit gradatim denuò
Jubar priores lineas.
Emerge dulcis pusio,
Quem matris edit castitas,
Parens & expers conjugis,
Mediator & duplex genus.
Ex ore quamlibet patris
Sis ortus, & verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas priùs.
Quæ prompta cœlum condidit,
Cœlum, diémque, & cætera,
Virtute verbi effecta sunt
Hæc cuncta: nam verbum Deus.
Sed ordinatis seculis,
Rerúmque digesto statu,
Fundator ipse & artifex
Permansit in patris sinu.
Donec rotata annalium
Transvolverentur millia,
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.
Nam cæca vis mortalium
Venerans inanes nenias,
Vel æra, vel saxa algida,
Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum sequuntur, perfidi
Prædonis in jus venerant,
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impune, ne forsan sui
Patris periret fabrica.
Mortale corpus induit,
Ut excitato corpore
Mortis catenam frangeret,
Hominémque portaret patri.
Hic ille natalis dies,
Quo te creator arduus
Spiravit, & limo indidit,
Sermone carnem glutinans.
Sentísne virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partûs crescere?
O quanta rerum gaudia
Alvus pudica continet,
Ex qua novellum seculum
Procedit, & lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit,
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor

Rus

Rus omne denſis floribus,
Ipſáſque arenas Syrtium
Fragráſſe nardo & nectare.
Te cuncta naſcentem, puer,
Senſere dura & barbara,
Victúſque ſaxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Jam mella de ſcopulis fluunt,
Jam ſtillat ilex arido
Sudans amomum in ſtipite,
Jam ſunt myricis balſama.
O ſancta præſepis tui
Æterne rex cunabula,
Popliſque per ſeclum ſacra,
Mutis & ipſis credita!
Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba ſcilicet,
Adorat excors natio
Vis cujus in paſtu ſita eſt.
Sed cùm fideli ſpiritu
Concurrat ad præſepia
Pagana gens, & quadrupes,
Sapiátque quod brutum fuit:
Negat patrum proſapia
Perofa præſentem Deum,
Credas venenis ebriam,
Furiſve lymphatam rapi.
Quid prona per ſcelus ruis?
Agnoſce, ſi quicquam tibi
Mentis reſedit integræ,
Ducem tuorum principum.
Hunc quem latebræ & obſtetrix,
Et virgo fœta, & cunulæ,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus.
Peccator intueberis
Celſum coruſcis nubibus,
Dejectus ipſe & inritis
Plangens reatum fletibus.
Cùm vaſta ſignum buccina
Terris cremandis miſerit,
Et ſciſſus axis cardinem
Mundi ruentis ſolverit;
Inſignis ipſe, & præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis uſum perpetis,
Illis gehennam & tartarum.
Judæa, tunc fulmen crucis
Experta, qui ſis ſenties,
Quem te furoris præſule
Mors hauſit, & mox reddidit.

Hymnus Epiphaniæ.

QUicunque Chriſtum quæritis,
Oculos in altum tollite,
Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ.
Hæc ſtella, quæ ſolis rotam
Vincit decore ac lumine,
Veniſſe terris nunciat
Cum carne terreſtri Deum.
Non illa ſervit noctibus,
Sequuta lunam menſtruam:
Sed ſola cœlum poſſidens,
Curſum dierum temperat.
Arctos quamvis ſidera
In ſe retortis motibus
Obire nolint, attamen
Plerunque ſub nimbis latent.
Hoc ſidus æternum manet,
Hæc ſtella nunquam mergitur,
Nec nubis occurſu abdita
Obumbrat obductam facem.
Triſtis cometa intercidat,
Et ſi quod aſtrum Sirio
Fervet vapore, jam Dei
Sub luce deſtructum cadat.
En Perſici ex orbis ſinu,
Sol unde ſumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.
Quod ut refulſit, cæteri
Ceſſere ſignorum globi,
Nec pulcher eſt auſus ſuam
Conferre formam lucifer.
Quis iſte tantus, inquiunt,
Regnator, aſtris imperans,
Quem ſic tremunt cœleſtia,
Cui lux & æthra inſerviunt?
Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum,
Antiquius cœlo & Chao.
Hic ille rex eſt gentium,
Populíque rex Judaici,
Promiſſus Abrahæ patri,
Ejúſque in ævum ſemini.
Æquanda nam ſtellis ſua
Cognovit olim germina,
Primus ſator credentium,
Nati immolator unici.
Jam flos ſubit Davidicus
Radice Jeſſeâ editus,
Sceptríque per virgam virens
Rerum cacumen occupat.
Exin ſequuntur perciti
Fixis in altum vultibus,
Quà ſtella ſulcum traxerat,
Clarámque ſignabat viam.
Sed verticem pueri ſupra
Signum pependit imminens,
Pronáque ſubmiſſum face
Caput ſacratum prodidit.
Videre quod poſtquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratíque votis offerunt
Thus, myrrham, & aurum regium.
Agnoſce clara inſignia
Virtutis ac regni tui,
Puer, ô cui trinam pater
Prædeſtinavit indolem.
Regem, Deúmque adnunciant,
Theſaurus & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Pulvis ſepulchrum prædicet.
Hoc, hoc ſepulchrum quo Deus,
Dum corpus extingui finit,
Atque id ſepultum ſuſcitat,
Mortis refregit carcerem.
O ſola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem ſalutis cœlitus
Incorporatum gignere!
Altrice te ſummo patri
Hæres creatur unicus,
Homo ex Tonantis ſpiritu,
Idémque ſub membris Deus.
Hunc & prophetis teſtibus,
Idémque ſignatoribus,
Teſtator & ſator jubet
Adire regnum, & cernere.
Regnum quod ambit omnia
Dia, & marina & terrea,
A ſolis ortu ad exitum,
Et tartara, & cœlum ſuprà.
Audit tyrannus anxius
Adeſſe regum principem,
Qui nomen Iſraël regat,
Teneátque David regiam.
Exclamat amens nuncio,
Succeſſor inſtat, pellimur,
Satelles i, ferrum rape,
Perfunde cunas ſanguine.
Mas omne infans occidat,
Scrutare nutricum ſinus,
Intérque materna ubera
Enſem cruentet puſio.
Suſpecta per Bethlem mihi
Puerperarum eſt omnium
Fraus, nequa furtim ſubtrahat
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergo carnifex
Mucrone diſtricto furens
Effuſa nuper corpora,
Animáſque rimatur novas.
Locum minutis artubus
Vix interemptor invenit,
Quò plaga deſcendat patens,
Jugulóque major pugio eſt.
O barbarum ſpectaculum!

Inliſa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculóſque per vulnus vomit.
Aut in profundum palpitans
Merſatur infans gurgitem,
Cui ſubter arctis faucibus,
Singultat unda & halitus.
Salvete flores martyrum,
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit,
Ceu turbo naſcentes roſas.
Vox prima Chriſti victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipſam ſimplices
Palmâ & coronis luditis.
Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera
Impune Chriſtus tollitur.
Inter coævi ſanguinis
Fluenta ſolus integer:
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit virginis.
Sic ſtulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,
Chriſti figuram præferens
Moſes, receptor civium.
Cautum & ſtatutum jus erat
Quo non liceret matribus,
Cùm pondus alvi abſolverent,
Puerile pignus tollere.
Mens obſtetricis ſedula
Piè in tyrannum contumax
Ad ſpem potentis gloriæ
Furata ſervat parvulum.
Quem mox ſacerdotem ſibi
Aſſumpſit orbis conditor,
Per quem notatam ſaxeis
Legem tabellis traderet.
Licétne Chriſtum noſcere
Tanti per exemplum viri?
Dux ille cæſo Ægyptio
Abſolvit Iſraël jugo.
At nos ſubactos jugiter
Erroris imperio gravi,
Dux noſter hoſte ſaucio
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in tranſitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
Hic præliante exercitu,
Paſſis in altum brachiis,
Sublimis Amalech premit
Crucis quod inſtar tunc fuit.
Hic nempe Jeſus verior,
Qui longa poſt diſpendia,
Victor ſuis tribulibus
Promiſſa ſolvit jugera.
Qui ter quaternas denique
Refluentis amnis alveo
Fundavit, & fixit petras,
Apoſtolorum ſtemmata.
Jure ergo ſe Judæ ducem
Vidiſſe teſtantur Magi,
Cùm facti priſcorum ducum
Chriſti figuram pinxerint.
Hic rex piorum judicum,
Rexere qui Jacob genus,
Dominæque rex eccleſiæ,
Templi & novelli & priſtini.
Hunc poſteri Effraim colunt,
Hunc ſancta Manaſſæ domus,
Omnéſque ſuſpiciunt tribus
Biſſena fratrum ſemina.
Quin & propago degener
Ritum ſequuta inconditum,
Quæcunque dirum fervidis
Baal caminis coxerat:
Fumoſa avorum numina,
Saxum, metallum, ſtipitem,
Raſum, dolatum, fictile,
In Chriſti honorem deſerit.
Gaudete quicquid gentium eſt,
Judæa, Roma, & Græcia,
Ægypte, Thrax, Perſa, & Scytha,
Rex unus omnes poſſidet.
Laudate veſtrum principem
Omnes beati, ac perditi,
Vivi, imbecilli, ac mortui.
Jam nemo poſthac mortuus.

ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ, id eſt, De CORONIS.

PRÆFATIO.

IMMOLAT Deo Patri,
Pius, fidelis, innocens, pudicus,
Dona conſcientiæ,
Quibus beata mens abundat intus:
Alter & pecuniam
Recidit, unde victitent egeni.
Nos citos iambicos
Sacramus & rotatiles trochæos
Sanctitatis indigi,
Nec ad levamen pauperum potentes:
Adprobat tamen Deus
Pedeſtre carmen, & benignus audit.
Multa divitis domo
Sita eſt per omnes angulos ſupellex.
Fulget aureus ſcyphus,
Nec ære deſit expolita pelvis:
Eſt & olla fictilis,
Graviſque & ampla argentea eſt parapſis,
Sunt eburna quæpiam;
Nonnulla quercu ſunt cavata & ulmea:
Omne fas ſit utile,
Quod eſt ad uſum congruens herilem:
Inſtruunt enim domum,
Ut emta magno, ſic parata ligno.
Me paterno in atrio,
Ut obſoletum vaſculum, caducis
Chriſtus aptat uſibus;
Sinſtque parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
Inimus intra regiam ſalutis:
Attamen vel infimam
Deo obſequelam præſtitiſſe prodeſt.
Quidquid illud accidet,
Juvabit ore perſonâſſe Chriſtum.

Hymnus in Honorem Sanctorum Martyrum, Hemitrii & Cheledonii Calagurritanorum.

SCRIPTA ſunt cœlo duorum
Martyrum vocabula,
Aureis quæ Chriſtus illic
Annotavit literis.
Sanguinis notis eadem
Scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem
Terra Hibera ſtemmate.
Hic locus dignus tenendis
Oſſibus viſus Deo,
Qui beatorum pudicus
Eſſet hoſpes corporum.
Hic calentes hauſit undas
Cæde tinctus duplici:
Illitas cruore ſancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obſecrantes
Voce, votis, munere.
Exteri necnon & orbis
Huc colonus advenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hic patronos eſſe mundi
Quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando
Fruſtra congeſſit preces,
Lætus hinc terſis revertit
Supplicator fletibus.
Omne quod juſtum popoſcit
Impetratum ſentiens:
Tanta pro noſtris periclis
Cura ſuffragantium eſt.
Non ſinant, inane ut ullus
Voce murmur fuderit,

Audi-

Digitized by Google

Audiunt, ſtatimque ad aurem
Regis æterni ferunt.
Indè larga fonte ab ipſo
Dona terris influunt,
Supplicum cauſas petitis
Quæ medelis irrigant.
Nil ſuis bonus negavit
Chriſtus unquam teſtibus:
Teſtibus quos nec catenæ,
Dira nec mors terruit.
Unicum Deum fateri
Sanguinis diſpendio,
Sanguinis ſed tale damnum
Lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum eſt,
Hoc probis dignum viris,
Membra morbis exedenda,
Texta venis languidis,
Hoſtico donare ferro,
Morte & hoſtem vincere.
Pulchra res ictum ſub enſe
Perſequutoris pati.
Nobilis per vulnus amplum
Porta juſtis panditur.
Lota mens in fonte rubro
Sede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris
Ante vitam duxerant
Milites, quos ad perenne
Cingulum Chriſtus vocat.
Sueta virtus bello & armis
Militat ſacrariis,
Cæſaris vexilla linquunt,
Eligunt ſignum crucis.
Próque ventoſis draconum
Quos gerebant palliis,
Præferunt inſigne lignum,
Quod draconem ſubdidit.
Vile cenſent expeditis
Ferre dextris ſpicula,
Machinis murum ferire,
Caſtra foſſis cingere,
Impias manus cruentis
Inquinare ſtragibus.
Fortè tunc atrox ſecundos
Iſraelis poſteros
Ductor aulæ mundialis
Ire ad aram juſſerat,
Idolis litare nigris,
Eſſe Chriſti defugas.
Liberam ſuccincta ferro
Peſtis urgebat fidem:
Illa virgas & ſecures
Et biſulcas ungulas
Ultrò fortis expetebat,
Chriſti amore interrita.
Carcer inligata duris
Colla boiis impedit.
Barbaras forum per omne
Tortor exercet manus,
Veritas crimen putatur,
Vox fidelis plectitur.
Tunc & enſe cæſa virtus
Triſte percuſſit ſolum,
Et rogis ingeſta mœſtis,
Ore flammas ſorbuit.
Dulce tunc juſtis cremari,
Dulce ferrum perpeti.
Hìc duorum chara fratrum,
Concaleſcunt pectora;
Fida quos per omne tempus
Junxerat ſodalitas,
Stant parati ferre, quicquid
Sors tuliſſet ultima.
Seu foret præbenda cervix
Ad bipennem publicam,
Verberum poſt vim crepantum,
Poſt cataſtas igneas.
Sive pardis offerendum
Pectus, aut leonibus,
Nóſne Chriſto procreati
Mammonæ dicabimur?
Et Dei formam gerentes
Serviemus ſeculo?
Abſit ut cœleſtis ignis
Se tenebris miſceat.
Sit ſatis, quòd capta primo
Vita ſub chirographo,
Debitum perſolvit omne,
Functa rebus Cæſaris.
Tempus eſt Deo rependi,
Quicquid eſt proprium Dei,
Ite ſignorum magiſtri,
Et vos tribuni abſiſtite.
Aureos auferte torques,
Sanctorum præmia,
Clara nos hinc angelorum
Jam vocant ſtipendia.
Chriſtus illìc candidatis
Præſidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames Deos.
Vóſque qui ridenda vobis
Monſtra divos fingitis,
Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis martyres.
Nexibus manus utraſque
Flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla
Gravibus ambit circulis.
O vetuſtatis ſilentis
Obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis,
Fama & ipſa extinguitur.
Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita ſecula,
Ordinem, tempus, modúmque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.
Hoc tamen ſolum vetuſta
Subtrahunt ſilentia,
Jugibus longum catenis
An capillum paverint,
Quo viros dolore tortor,
Quáve pœnâ ornaverit.
Illa laus occulta non eſt,
Nec ſeneſcit tempore,
Miſſa quòd ſurſum per auras
Evolârunt munera,
Quæ viam patere cœli
Præmicando oſtenderent.
Illius fidem figurans
Nube fertur annulus:
Hic ſui dat pignus oris,
Ut ferunt, orarium:
Quæ ſuperno rapta flatu
Lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem
Fulgor auri abſconditur.
Ac diu viſum ſequacem
Textilis candor fugit:
Subvehuntur uſque in aſtra,
Nec videntur ampliùs.
Vidit hoc conventus adſtans,
Ipſe vidit carnifex:
Et manum repreſſit hærens,
Ac ſtupore obpalluit.
Sed tamen peregit ictum,
Ne periret gloria.
Jámne credis bruta quondam
Vaſconum gentilitas,
Quàm ſacrum crudelis error
Immolârit ſanguinem?
Credis in Deum relatos
Hoſtiarum ſpiritus?
Cerne quàm palàm feroces
Hic domantur dæmones,
Qui lupino rapta ritu
Devorant præcordia.
Strangulant mentes & ipſas,
Séque miſcent ſenſibus.
Tunc ſuo jam plenus hoſte
Siſtitur furens homo,
Spumeas effians ſalivas,
Cruda torquens lumina,
Expiandus quæſtione
Non ſuorum criminum.

Audias, nec tortor adſtat,
Ejulatus flebiles:
Scinditur per flagra corpus,
Nec flagellum cernitur,
Creſcit & ſuſpenſus ipſe
Vinculis latentibus.
His modis ſpurcum latronem
Martyrum virtus quatit.
Hæc coërcet, torquet, urit,
Hæc catenas incutit:
Prædo vexatus relictis
Se medullis exuit.
Linquit illæſam rapinam,
Faucibus ſiccis fugit,
Ungue ab imo uſque ad capillum
Salva reddit omnia.
Confitens ardere ſeſe,
Nam gehennæ eſt incola.
Quid loquar purgata longis
Alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros
Horror artus concutit,
Hic tumor vultum relinquit,
Hic color verus redit.
Hoc bonum Salvator ipſe,
Quo fruamur, præſtitit,
Martyrum cùm membra noſtro
Conſecravit oppido.
Soſpitant quæ nunc colonos
Quos Hiberus alluit:
State nunc hymniſtæ matres
Pro receptis parvulis.
Conjugum ſalute læta
Vox maritarum ſtrepit:
Sit dies hæc feſta nobis,
Sit ſacratum gaudium.

Hymnus in honorem Dei Laurentii, conſtantiſſimi martyris.

ANtiquæ fanorum parens
Jam Roma, Chriſto dedita,
Laurentio victrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Reges ſuperbos viceras,
Populóſque frenis preſſeras:
Nunc monſtruoſis idolis
Imponis imperii jugum.
Hæc ſola deerat gloria
Urbis togatæ inſignibus,
Feritate capta gentium
Domaret ut ſpurcum Jovem.
Non turbulentis viribus
Coſſi, Camilli, aut Cæſaris,
Sed martyris Laurentii
Non incruento prælio.
Armata pugnavit fides,
Proprii cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac ſemet impendit ſibi.
Fore hæc ſacerdos dixerat
Jam Xiſtus, adfixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis ſub ipſo ſtipite:
Deſiſte diſceſſu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo frater, tu quoque
Poſt hoc ſequeris triduum.
Extrema vox epiſcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit, nam dies
Prædicta palmam præſtitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo paſſionem carmine
Dignè retexens concinam?
Hic primus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,
Levita ſublimis gradu,
Et cæteris præſtantior:
Clauſtris ſacrorum præerat,
Cœleſtis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votáſque diſpenſans opes.
Verſat famem pecuniæ
Præfectus urbis regiæ,
Miniſter inſani ducis,
Exactor auri & ſanguinis.
Qua vi latentes eruat
Nummos, operta exiſtimans
Talenta ſub ſacrariis,
Cumulóſque congeſtos tegi.
Laurentium ſiſti jubet,
Exquirit arcam ditibus
Maſſis refertam, & fulgida
Montes monetæ conditos:
Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos juſto ampliùs,
Cum Chriſtiana corpora
Plus quàm cruentè ſcindimus.
Abeſt atrocioribus
Cenſura fervens motibus:
Blandè & quietè efflagito
Quod ſponte obire debeas.
Hunc eſſe veſtris orgiis
Morémque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent ut auro antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auróque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.
Tunc ſumma eſt cura fratribus
Ut ſermo teſtatur loquax,
Offerre fundis venditis
Seſtertiorum millia.
Addicta avorum prædia
Fœdis ſub auctionibus
Succeſſor exhæres gemit
Sanctis egens parentibus.
Hæc occultantur abditis
Eccleſiarum in angulis,
Et ſumma pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome theſauros, malis
Suadendo quos præſtigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis ſpecu.
Hoc poſcit uſus publicus,
Hoc fiſcus, hoc erarium,
Ut dicta ſtipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma veſtrum eſt audio,
Suum quibuſque reddito.
En Cæſar agnoſcit ſuum
Numiſma nummis inditum.
Quod Cæſaris ſcis, Cæſari
Da: nempe juſtum poſtulo:
Nî fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm veniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta ſed verbis dedit
Inanis à marſupio.
Implete dictorum fidem,
Quam vos per orbem venditis:
Nummos libenter reddite,
Eſtote verbis divites.
Nil aſperum Laurentius
Refert ad iſta, aut turbidum:
Sed ut paratus obſequi,
Obtemperanter annuit.
Eſt dives, inquit, non nego,
Habétque noſtra eccleſia
Opúmque & auri plurimum,
Nec quiſquam in orbe ditior.
Is ipſe tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Auguſtus, arcem poſſidens,
Cui nummus omnis ſcribitur.
Sed nec recuſo prodere
Locupletis arcam numinis,
Vulgabo cuncta, & proferam
Precioſa quæ Chriſtus tenet.
Unum ſed orans flagito,
Induciarum paululum,
Quo fungar efficaciùs
Promiſſionis munere.
Dum tota digeſtim mihi
Chriſti ſupellex ſcribitur:
Nam calculanda primitus,

Tunc

Tunc ſubnotanda eſt ſummula.
Lætus tumeſcit gaudio
Præfectus, ac ſpem devorat:
Aurum velut jam conditum
Domi maneret geſtiens.
Pepigere tempus triduì:
Laudatus indè abſolvitur
Laurentius ſponſor ſui,
Et ſponſor ingentis lucri.
Tribus per urbem curſitat
Diebus, infirma agmina,
Omnéſque qui poſcunt ſtipem,
Cogens in unum, & congregans.
Illic utriſque obtutibus
Orbes cavatos præferens
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco ſemipes,
Breviórve plantâ ex alterâ,
Greſſum trahebat imparem.
Eſt ulceroſis artubus
Qui tabe corruptâ fluat:
Eſt cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, aſſuetos ali
Eccleſiæ matris penu,
Quos ipſe promus noverat.
Recenſet exin ſingulos,
Scribens viritim nomina,
Longo & locatos ordine
Adſtare pro templo jubet.
Præſcriptus & jam fluxerat
Dies, furebat fervido
Judex avarus ſpiritu,
Promiſſa ſolvi efflagitans.
Tum martyr: aſſiſtas velim,
Coràmque diſpoſitas opes
Mirere, quas noſter Deus
Prædives in ſanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vaſis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet ſequi.
Ventum ad ſacratam januam,
Stabant catervæ pauperum,
Inculta viſu examina.
Fragor rogantum tollitur:
Præfectus horreſcit ſtupens,
Converſus in Laurentium,
Oculiſque turbatis minax.
Contrà ille: Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid diſplicet?
Num ſordida hæc, aut vilia?
Num deſpuenda exiſtimas?
Aurum, quod ardenter fitis,
Effoſſa gignunt rudera,
Et de metallis ſqualidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat:
Quod terrulentum ac ſordidum,
Flammis neceſſe eſt decoqui.
Pudor per aurum ſolvitur,
Violatur auri integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipſæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis, & magni putas?
Si quæris aurum verius,
Lux eſt, & humanum genus.
Hi ſunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Nec per ſalutem viſcerum
Mens inſoleſcat turgida.
Quum membra morbus diſſecat,
Animus viget robuſtior:
Membris viciſſim fortibus
Vis fauciatur ſenſuum.
Nam ſanguis in culpam calens
Minus miniſtrat virium,
Si fervor effœtus malis
Eluvie virus contrahat.
Si fortè detur optio,
Malim dolore aſperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas peſtium,
Et confer alternas lues,
Carniſne morbus fœdior
An mentis, & morum ulcera?
Noſtri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Senſum venuſti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Veſtros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errórque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veſte & ore prænitent,
Magis probabo debilem,
Quàm quis meorum eſt pauperum.
Hunc qui ſuperbit ſerico,
Quem currus inſlatum vehit,
Hydrops aquoſus lucido
Tendit veneno intrinſecus.
Aſt hic avarus contrahit
Manus recurvas, & volam
Plicans aduncis unguibus
Laxare nervos non valet,
Iſtum libido fœtida
Per ſcorta tractum publica
Luto & cloacis inquinat,
Dum ſpurca mendicat ſtupra.
Quid ille fervens ambitum,
Sitimque honoris æſtuans,
Merſiſne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quiſquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, & ſcalpit jecur,
Scabiémque cordis ſuſtinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta & livida,
Malignitatum vulnera?
Tute ipſe qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum ſordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi quos ſuperbus deſpicis,
Quos execrandos judicas,
Brevi ulceroſos exuent
Artus, & incolumes erunt.
Quin carne corruptiſſimâ
Tandem ſoluti ac liberi,
Pulcherrimo virûm ſtatu
In arce lucebunt patris,
Non ſordidati aut debiles,
Sicut videntur interim,
Sed purpurantibus ſtolis
Clari, & coronis aureis.
Tum ſi facultas ſuppetat,
Coràm tuis obtutibus
Iſtos potentes ſeculi
Velim recenſendos dari.
Pannis videres obſitos,
Et muculentis naribus,
Mentum ſalivis uvidum,
Lippóſque palpebrâ putri.
Peccante nil eſt tetrius,
Nil tam leproſum aut putridum.
Cruda eſt cicatrix criminum,
Oblétque ut antrum tartari.
Animabus inversâ vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aſpectus priùs
In corpore obleſtaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proximè ſpoponderam,
Quos nec favillis obruat
Ruina, nec fur ſubtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Chriſtum putes,
Gemmas coruſci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis ſacratas virgines,

Mireris intactas anus,
Primisque post damnum thori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ,
His illa gemmis comitur:
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.
Eccum talentum suscipe,
Ornabis urbem Romulam,
Ditabis & rem principis,
Fies & ipse ditior.
Ridemur, exclamat furens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput?
Impune tantas, forcifer,
Strophas cavillo mimico
Tu nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
Tractare nosmet ludicris?
Ergón' cachinnis venditus
Acroma festivum fui?
Adeón' nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeón' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis, libenter oppetam,
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens languent,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet,
Semustulati corporis.
Bene est quòd ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit,
Hic solus exemplum dabit
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum,
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante præfecto, truces
Hinc indè tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, & tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgórque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs aureo
Bove inquinata, & decolor
Expavit, & faciem retrò
Detorsit impatiens Dei.
Talémque & ille prætulit
Oris coruscì gloriam,
Stephanus per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recèns piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ cùm tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet,
His nidor, illis nectar est.
Idéinque sensus dispari
Variatus aurâ, aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus:
Nam Christus ignis verus est,
Is ipse complet lumine
Justos, & urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro è catastâ judicem
Compellat affatu brevi:
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat,
Cælum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat
Miseratus urbem Romulam.
O Christe numen unicum,
O splendor, ô virtus patris,
O factor orbis, & poli
Atque autor horum mœnium:
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locâsti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, & armis cedere.
Ut discrepantum gentium
Mores & observantiam,
Linguásque, & ingenia, & sacra
Unis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus,
Idem loquuntur disloni
Ritus, idipsum sentiunt.
Hoc destinatum quo magis
Jus Christiani nominis
Quodcunque terrarum jacet
Uno illigaret vinculo.
Da Christe Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas,
Per quam dedisti ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia
Hinc indè membra in symbolum:
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat & summum caput.
Advertat adjunctas plagas
Coire in unam gratiam,
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam:
Veneratur occultis focis
Phrygum penates exules.
Janum bifrontem & Sterculum
Colit senatus, horreo
Tot monstra patrum dicere,
Et festa Saturni senis.
Absterge Christe hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iüli cæcitas.
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei:
Hìc nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede adulter Jupiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebémque jam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id quod ipse armaverat

Factum

Factum Neronis officit.
  Video futurum principem
Quandoque, qui servus Dei
Terris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
  Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburnas obstruat,
Nefasta damnet limina,
Obdens ahenos pessulos.
  Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora:
Stabunt & æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
  Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis: erupit volens
Vocem sequutus spiritus.
  Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres,
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
  Repèns medullas indoles
Afflârat, & coegerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
  Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium,
Plebs in sacellis rarior,
Christi ad tribunal curritur.
  Sic dimicans Laurentius
Non ense præcinxit latus:
Hostile sed ferrum retro
Torquens in autorem tulit.
  Dum dæmon invictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternùm jacet.
  Mors illa sancti martyris,
Mors vera templorum fuit:
Tunc Vesta Palladios lares
Impune sensit defuel:
  Quicquid Quiritum fuoverat
Orare simpuvium Numæ,
Christi frequentans atria,
Hymnis resultat martyrum.
  Ipsa & senatûs lumina,
Quondam Luperci, aut Flamines,
Apostolorum & martyrum
Exoseulantur limina.
  Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberûm.
  Vittatus olim pontifex
Accitur in signum crucis,
Ædémque, Laurenti, tuam
Vestalis intrat Claudia.
  O ter quatérque, & septies
Beatus urbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat offium.
  Cui propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.
  Nos Vasco Hiberos dividit,
Binis remotos alpibus
Trans Cottianorum juga,
Trans & Pyrenas ninguidos.
  Vix fama nota est abditis
Quàm plena sanctis Roma sit,
Quàm dives urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.
  Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coràm possumus,
Cœlum intuemur eminus.
  Sic, sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus:
Est aula nam duplex tibi,
Hìc corporis, mentis polo.
  Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.

  Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.
  Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
  Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè,
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud ullus redit.
  Ceu præstò semper adfies,
Tuósque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
  Hos inter, ô Christi decus,
Audi & poëtam rusticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
  Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
  Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinclis seculi.

Hymnus in Laudem Eulaliæ virginis.

GErmine nobilis Eulalia,
  Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
  Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples,
Sed magè sanguine martyrii,
Virgineóque potens titulo.
  Curriculis tribus atque novem
Tres hyemes quater attigerat,
Cùm crepitante pyrâ trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
  Jam dederat priùs indicium,
Tendere se patris ad solium:
Nec sua membra dicata toro
Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
  Spernere succina, flare rosas,
Fulva monilia respuere:
Ore severa, modesta gradu,
Moribus & nimiùm teneris,
Canitiem meditata senum.
  Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolásque cruenta jubet
Thura cremare, jecur pecudis
Mortiferis adolere Deis.
  Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingeniique ferox
Turbida frangere bella parat;
Et rude pectus anhela Deo
Fœmina provocat arma virûm.
  Sed pia cum parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure & ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in precium
Mortis amore puella ruat.
  Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare morâ,
Nocte fores sinè teste movet,
Septáque claustra fugax aperit,
Indè per invia carpit iter.
  Ingreditur pedibus lacertis,
Per loca senta situ & vepribus,
Angelico comitata choro:
Et licèt horrida nox fileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
  Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte viam face perspicuâ
Præstitit, intereunte Chao.

Non aliter pia virgo viam
Nocte ſequuta diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cùm fugeret,
Et ſuper aſtra pararet iter.
Illa gradu cita pervigili,
Millia multa priùs peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum,
Manè ſuperba tribunal adit,
Faſcibus adſtat & in mediis,
Vociferans, rogo, quis furor eſt
Perdere præcipites animas,
Et malè prodiga corda ſui
Sternere rafilibus ſcopulis,
Omnipatrémque negare Deum?
Quæritis, ô miſeranda manus,
Chriſticolûm genus? En ego ſum
Dæmonicis inimica ſacris,
Idola protero ſub pedibus,
Pectoré & Deum fateor.
Iſis, Apollo, Venus nihil eſt,
Maximianus & ipſe nihil.
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum quia facta colit:
Frivola utraque, & utraque nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipſe cliens lapidum,
Proſtituat, voveátque ſuis
Numinibus caput ipſe ſuum.
Pectora cur generoſa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine paſcitur innocuo:
Corporibúſque piis inhians,
Viſcera ſobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age, tortor, adure, ſeca
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile eſt,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait: Rape præcipitem
Lictor, & obrue ſuppliciis:
Sentiat eſſe Deos patrios,
Nec leve principis imperium.
Quàm cuperem tamen, ante necem,
Si potis es revocare tuam
Torva puellula, nequitiam!
Reſpice gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lachrymis labefacta domus
Proſequitur, generiſque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quòd occidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.
Non movet aurea pompa tori?
Non pietas veneranda ſenum,
Quos temeraria debilitas?
Ecce parata miniſteria
Excruciabilis exitii.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris:
Aut facibus data fumificis,
Flebilitérque ululanda tuis
In cineres reſoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor eſt fugere?
Si modicum ſalis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Pœna gravis procul abfuerit.
Martyr ad iſta nihil: ſed enim
Infremit, inque tyranni oculos
Sputa jacit: ſimulachra dehinc
Diſſipat, impoſitámque molem
Thuribulis pede proſubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Juncea pectora dilacerant,
Et latus ungula virgineum
Pulſat utrinque, & ad oſſa ſecat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi domine,
Quàm juvat hos apices legere,
Qui tua Chriſte tropæa notant,
Nomen & ipſa ſacrum loquitur
Purpura ſanguinis eliciti.

Hæc finè fletibus & gemitu
Læta canebat & intrepida,
Dirus abeſt dolor ex animo,
Membráque picta cruore novo
Fonte cutem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica
Crate tenus, nec arata cutis,
Flamma ſed undique lampadibus
In latera ſtomachúmque furit.
Crinis odorus ut in jugulos
Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineúſque lateret honos,
Tegmine verticis oppoſito.
Flamma crepans volat in faciem,
Pérque comas vegetata caput
Occupat, exuperátque apicem:
Virgo citò copiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.
Emicat indè columba repèns,
Martyris os nive candidior
Viſa relinquere, & aſtra ſequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte animâ,
Et rogus igneus emoritur,
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ovans,
Templáque celſa petit volucer.
Vidit & ipſe ſatelles avem
Fœminæ ab ore meare palám.
Obſtupefactus, & attonitus
Proſilit, & ſua geſta fugit,
Lictor & ipſe fugit pavidus,
Ecce nivem glacialis hyems
Ingerit, & tegit omne forum:
Membra tegit ſimul Eulaliæ
Axe jacentia ſub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lachrymantum hominum,
Qui celebrare ſupremæ ſolent,
Flebile cedat & officium:
Ipſa elementa, jubente Deo,
Exequias tibi virgo ferunt.
Nunc locus Emerita eſt, tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lavat.
Hìc ubi marmore perſpicuo
Atria luminat alma nitor,
Et peregrinus, & indigena
Reliquias cineréſque ſacros
Servat humus veneranda ſinu.
Tecta coruſca ſuperrutilant
De laquearibus aureolis,
Saxáque cæſa ſolum variant;
Floribus ut roſulenta putes
Prata rubeſcere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineóſque crocos metite:
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arva tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
Iſta comantibus è foliis
Munera, virgo puérque date:
Aſt ego ſerta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, feſta tamen.
Sic venerarier oſſa libet:
Oſſibus altar & impoſitum:
Illa Dei ſita ſub pedibus
Proſpicit hæc, populóſque ſuos
Carmine propitiata fovet.

Hymnus in laudem decem & octo martyrum Cæſarauguſtanorum.

BIS novem noſter populus ſub uno
Martyrum ſervat cineres ſepulchro;
Cæſarauguſtam vocitamus urbem,
Res cui tanta eſt.
Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot ſinu geſtans ſimul offerenda
Munera Chriſto.

Quam

Quum Deus dextram quatiens coruſcam
Nube ſubnixus veniet rubente,
Gentibus juſtam poſiturus æquo
Pondere libram;
Orbe de magno caput excitata
Obviàm Chriſto properanter ibit
Civitas omnis precioſa portans
Dona caniſtris.
Afra Carthago tua promet oſſa,
Ore facundo Cypriane doctor:
Corduba Aciſclum dabit, & Zoellum,
Tréſque coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Chriſto genitrix piorum
Tarraco, intexit cui fructuoſus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ ſtrophio illigatum eſt,
Emicant juxtà lapides gemelli,
Ardet & ſplendor parilis duorum
Igne coruſco.
Parva Felicis decus exhibebit
Artubus ſanctis locuples Gerunda,
Noſtra præſtabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.
Barcinon claro Cucufate freta
Surget, & Paulo ſpecioſa Narbo,
Téque præpollens Arelas habebit,
Sancte Geneſi.
Luſitanorum caput oppidorum
Urbs, adoratæ cineres puellæ
Obviàm Chriſto rapiens, ad aram
Porriget ipſam.
Sanguinem Juſti, cui paſtor hæret,
Ferculum duplex, geminúmque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis ſua Caſſianum,
Feſta Maſſylûm monumenta regum,
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad juga Chriſti.
Singulis paucæ, tribus aut duobus
Forſan, & quinis aliquæ placebunt
Teſtibus Chriſti, priùs hoſtiarum
Pignore functæ.
Tu decem ſanctos reveles, & octo
Cæſarauguſta ſtudioſa Chriſti,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honore.
Sola in occurſum numeroſiores
Martyrum turbas domino paràſti,
Sola, prædives pietate, multâ
Luce frueris.
Vix parens orbis populoſa Pœni,
Ipſa vix Roma in ſolio locata,
Te, decus noſtrum, ſuperare in iſto
Munere digna eſt.
Omnibus portis ſacer immolatus
Sanguis exclufit genus invidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Urbe piatâ.
Nullus umbrarum latet intus horror:
Pulſa nam peſtis populum refugit.
Chriſtus in totis habitat plateis,
Chriſtus ubique eſt.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam ſacris: chorus unde ſurgens
Tendit in cœlum niveus togatæ
Nobilitatis.
Indè Vincenti tua palma nata eſt,
Clerus hinc tantum peperit triumphum:
Hinc ſacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Sævus antiquis quoties procellis
Turbo, vexatum tremefecit orbem,
Triſtior templum rabies in iſtud
Intulit iras.
Nec furor quiſquam ſinè laude noſtrûm
Ceſſit, aut clari vacuus cruoris
Martyrum ſemper numerus ſub omni
Grandine crevit.
Nónne, Vincenti, peregre necandus
Martyr, his terris tenui notâſti
Sanguinis rore ſpeciem futuri
Morte propinquâ?
Hoc colunt cives, velut ipſa membra
Ceſpes includat ſuus, & paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris oſſa.
Noſter eſt quamvìs procul hinc in urbe,
Paſſus ignotâ dederit ſepulchri
Gloriam victor, prope littus altæ
Fortè Sagunti.
Noſter, & noſtrâ puer in paleſtrâ,
Arte virtutis, fideſque olivo
Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hoſtem.
Noverat templo celebres in iſto
Octies partas, deciéſque palmas,
Laureis doctus patriis eâdem
Laude cucurrit.
Hic &, Encrati, recubant tuarum
Oſſa virtutum, quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecorâſti.
Martyrum nulli remanente vitâ
Contigit terris habitare noſtris,
Sola tu morti propriæ ſuperſtes
Vivis in orbe.
Vivis, ac pœnæ ſeriem retexis,
Carnis & cæſæ ſpolium retentans,
Tetra quàm ſulcos habeant amaros
Vulnera narras.
Barbarus tortor latus omne carpſit,
Sanguis impenſus, lacerata membra,
Pectus abſciſâ patuit papillâ
Corde ſub ipſo.
Jam minus mortis precium peractæ eſt,
Quæ venenatos abolens dolores
Concitam membris tribuit quietem
Fine ſupremo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæſit ardens,
Dum putreſcentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Invidus quamvìs obitum ſupremum
Perſequutoris gladius negârit,
Plena te martyr tamen ut peremptam
Pœna coronat.
Vidimus partem jecoris revulſam
Unguibus longè jacuiſſe preſſis,
Mors habet pallens aliquid tuorum,
Te quoque vivâ.
Hunc novum noſtræ titulûm fruendum
Cæſarauguſtæ dedit ipſe Chriſtus,
Jugè viventis domus ut dicata
Martyris eſſet.
Ergo ter ſenis ſacra candidatis
Dives Optato, ſimul & Luperco
Perge conſcriptum tibimet ſenatum
Pangere pſalmis.
Ede Succeſſum, cane Martialem,
Mors & Urbani tibi concinatur,
Juliam cantus roſonet, ſimúlque
Quintilianum.
Publium pandat chorus, & revolvat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus, Euoti, tua bella ſanguis
Tinxerit, quantus tua, Primitive,
Tum tuos vivax recolat triumphos
Laus, Apodemi.
Quatuor poſthinc ſupereſt virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Priſca vetuſtas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit, & loquendi
Cura de ſanctis vitioſa non eſt,
Nec rudis unquam.
Plenus eſt artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Chriſto,
Quas tenet cœli liber, explicandus
Tempore juſto.
Octo tunc ſanctos recolet decémque
Angelus, coram patre, filióque:
Urbis unius regimen tenentes
Jure ſepulchri.
Quin ad antiquum numerum trahentur
Viva poſt pœnæ ſpecimen puella,

Mórſque Vincenti, cui ſanguis hinc eſt,
Fons & honoris.
Additis Caio, (nec enim ſilendi,)
Téque, Crementi, quibus incrementum
Ferre provenit decus ex ſecundo
Laudis agone.
Ambo confeſſi Dominum, ſteterunt
Acriter contra fremitum latronum,
Ambo guſtárunt leviter ſaporem
Martyrlorum.
Hæc ſub altari ſita ſempiterno,
Lapſibus noſtris veniam precatur
Turba, quam ſervat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum ſulcos, quibus eſt operta
Spes, ut abſolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generoſa ſanctis
Civitas mecum tumulis, deinde
Mox reſurgentes animas & artus
Tota ſequeris.

Hymnus in Laudem Vincentii martyris.

BEate martyr, proſpera
Diem triumphalem tuum,
Quo ſanguinis merces tibi,
Corona, Vincenti, datur.
Hic te ex tenebris ſeculi,
Tortore victo & judice,
Evexit ad cælum dies,
Chriſtóque ovantem reddidit.
Nunc angelorum particeps,
Conluces inſigni ſtolâ,
Quam teſtis indomabilis
Rivis cruoris laveras.
Quum te ſatelles idoli
Præcinctus atris legibus,
Litare divis gentium
Ferro & catenis cogeret.
Ac verba primùm mollia
Suadendo blandè effuderat;
Captator ut vitulum lupus
Rapturus, alludit priùs.
Rex, inquit, orbis maximus,
Qui ſceptra geſtat Romula,
Servire ſanxit omnia
Priſcis deorum cultibus.
Vos Nazareni aſſiſtite,
Rudémque ritum ſpernite.
Hæc ſaxa quæ princeps colit,
Placate fumo & victimâ.
Exclamat hìc Vincentius,
Levita de tribu ſacrâ,
Miniſter altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis.
Tibi iſta præſint numina,
Tu ſaxa, tu ligna colas,
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum pontifex.
Nox lucis autorem patrem,
Ejúſque Chriſtum filium,
Qui ſolus ac verus Deus,
Datiane, confitebimur.
Hic ille jam commotior:
Audéſne non felix, ait,
Jus hoc deorum & principum,
Violare verbis aſperis?
Jus & ſacratum & publicum,
Cui cedit humanum genus,
Nec te juventæ fervidæ
Inſtans periclum permovet?
Hoc namque decretum cape,
Aut ara, thure, & ceſpite
Precanda jam nunc eſt tibi,
Aut mors luenda eſt ſanguine.
Reſpondit ille altrinſecus:
Age ergo, quicquid virium,
Quicquid poteſtatis tibi eſt,
Palàm reluctor, exere.
Vox noſtra quæ ſit, accipe:
Eſt Chriſtus & pater Deus:
Servi hujus & teſtes ſumus.
Extorque ſi potes fidem.
Tormenta, carcer, unguleo,
Stridéntſque flammis lamina,
Atque ipſa pœnarum ultima,
Mors Chriſtianis ludus eſt.
O veſtra inanis vanitas,
Scitúmque brutum Cæſaris!
Condigna veſtris ſentibus
Coli jubetis numina,
Exciſa fabrili manu,
Cavis recocta & ſollibus,
Quæ voce, quæ greſſu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His ſumptuoſa ſplendido
Delubra creſcunt marmore.
His colla mugientium
Percuſſa taurorum cadunt.
At ſunt & illic ſpiritus.
Sunt; ſed magiſtri criminum,
Veſtræ & ſalutis aucupes,
Vagi, impotentes, ſordidi:
Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vaſtare juſtos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Nôrunt & ipſi ac ſentiunt
Pollere Chriſtum, & vivere,
Ejuſque jam jámque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulſi è latebris viſcerum,
Virtute Chriſti & nomine:
Diviſque & idem dæmones.
His intonantem martyrem
Judex profanus non tulit,
Conclamat: Os obtrudite,
Ne plura jactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptíſque lictores date,
Illos reorum carnibus
Paſtos, manúque exercitos.
Jam faxo jus prætorium
Conviciator ſentiat,
Ne impune, ne noſtris ſibi
Diis deſtruendis luſerit.
Tibi ergo ſoli contumax
Tarpeia calcentur ſacra?
Tu porrò ſolus obteras
Romam, Senatum, Cæſarem?
Vinctum retortis brachiis,
Surſum ac deorſum extendite:
Compago donec oſſium
Divulſa membratim crepet.
Fòſſ hinc hinlcis ictibus
Nudate coſtarum abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quòd fixa non profundiùs
Intraret tus ungula.
Ac jam omne robur fortium
Eviſcerando ceſſerat,
Niſúſque anhelus ſolverat
Feſſos lacertorum toros.
Alt ille tanto lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem ſerenam luminat,
Te Chriſte præſentem videns.
Quis vultus iſte, proh pudor!
Datianus aiebat furens,
Gaudet, renidet, provocat,
Tortore tortus acrior.
Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in iſto proficit,
Ars & dolorum vincitur.
Sed vos alumni carceris,
Par ſemper invictum mihi,
Cohibete paulùm dexteras,
Reſpiret ut laſſus vigor.
Præſicca rurſus ulcera,
Dum ſe cicatrix colligit
Refrigerati ſanguinis,
Manus refulcans diruet.
His contrà *Levites* refert:

Si jam tuorum perſpicis
Languere virtutem canum,
Age ipſe major carnifex,
Oſtende quo pacto queant
Imos receſſus ſcindere,
Manus & ipſe interſere,
Rivóſque ferventes bibe.
Erras cruente, ſi meam
Te rere pœnam ſumere,
Quum membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Eſt alter homo intrinſecus,
Violare quem nullus poteſt,
Liber, quietus, integer,
Exors dolorum triſtium.
Hoc quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas eſt ſolutum ac fictile,
Quocunque frangendum modo.
Quin imò nunc enitere
Illum ſecare ac plectere,
Qui perſtat intus, qui tuam
Calcat tyranne inſaniam.
Hunc laceſſe, hunc diſcute
Invictum, inſuperabilem,
Nullis procellis ſubditum,
Soliſque ſubjectum Deo.
Hæc fatur, & ſtridentibus
Laniatur uncis denuo.
Cui prætor ore ſubdolo
Anguina verba exſibilat:
Si tanta callum pectoris
Prædurat obſtinatio,
Pulvinar ut noſtrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librósque opertos detege,
Quò ſecta pravum ſeminans
Juſtis cremetur ignibus.
His martyr auditis ait:
Quem tu malignè myſticis
Minitaris ignem literis,
Flagrabis ipſe hôc juſtiùs.
Romphæa nam cœleſtium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem,
Linguam perurens fulmine.
Vides favillas indices
Gomorrheorum criminum,
Sodomita nec latet cinis,
Teſtis perennis funeris.
Etemplar hoc, ſerpens, tuum eſt,
Fuligo quem mox ſulphuris,
Bitumen & miſtum pice,
Imo implicabunt tartaro.
His perſequutor ſaucius
Palleſcet, rubeſcit, æſtuat,
Inſana torquens lumina,
Spumáſque frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu,
Decernit extrema omnium
Igni grabato, & laminis
Exerceatur quæſtio.
Hæc ille ſeſe ad munera
Gradu citato proripit,
Ipſóque pernix gaudio,
Pœnæ miniſtros prævenit.
Ventum ad palæſtram gloriæ;
Spes certat, & crudelitas:
Luctamen anceps conſerunt,
Hinc martyr, illinc carnifex.
Serrata lectum regula
Dente frequenti exaſperat,
Cui multa carbonum ſtrues
Vivum vaporat halitum.
Hunc ſponte conſcendit rogum
Vir ſanctus ore interrito:
Ceu jam coronæ conſcius,
Celſum tribunal ſcanderet.
Subter crepante aſpergine
Scintillat excuſſus ſalis,
Punctiſque fervens ſtridulis,
Spartim per artus figitur.
Arvina poſthinc igneum
Impreſſa cauterem lavio-

Vis unde roris fumidi
In membra ſenſim liquitur.
Hæc inter immotus manet
Tanquam dolorum neſcius,
Tendítque in altum lumina,
Nam vincla palmas preſſerant:
Sublatus indè fortior,
Lugubre in antrum truditur,
Ne liber uſus luminis
Animaret altum ſpiritum.
Eſt intus imo ergaſtulo
Locus tenebris nigrior,
Quem ſaxa mœrti fornicis
Anguſta clauſum ſtrangulant.
Æterna nox illic latet,
Expers diurni ſideris:
Hìc carcer horrendus ſuos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum conjicit
Truculentus hoſtis martyrem,
Lignóque plantas inſerit
Divaricatis cruribus.
Quin addit & pœnam novam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam
Nec fando compertam retro.
Fragmenta teſtarum jubet
Hirta impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo jacentis ſternerent.
Totum cubile ſpiculis
Armant dolores anxii,
Inſomne qui ſubter latus
Mucrone pulſent obvio.
Hæc ille verſutus vafrâ
Meditatus arte ſtruxerat:
Sed Belzebulis callida
Commenta Chriſtus deſtruit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morſus ſtipitis
Ruptis cavernis diffilit.
Agnoſcit hìc Vincentius
Adeſſe quod ſperaverat,
Tanti laboris præmium,
Chriſtum datorem luminis.
Cernit deinde fragmina
Jam teſtularum, mollibus
Veſtire ſemet floribus,
Redolente nectar carcere.
Quin & frequentes angeli
Stant, ac loquuntur comminus,
Quorum unus ore auguſtior
Compellat his dictis virum:
Exurge martyr inclyte,
Exurge ſécurus tui:
Exurge, & almis cœtibus
Noſter ſodalis addere.
Decurſa jam ſatìs tibi
Pœnæ minacis mœnia,
Pulchróque mortis exitu
Omnis peracta eſt paſſio.
O miles invictiſſime,
Fortiſſimíſque fortior,
Jam te ipſa ſæva & aſpera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Chriſtus Deus
Compenſat ævo interminо,
Proprizque collegam crucis
Largâ coronat dexterâ.
Pone hoc caducum vaſculum
Compage textum tertеâ,
Quod diſſipatum ſolvitur,
Et liber in cœlum veni.
Hæc ille. ſed clauſas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuiſque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hoc cùm ſtuperet territus
Obſeſſor atri liminis,
Quem cura pernox manſerat
Servare feralem domum:
Pſallentis audit inſuper
Prædulce carmen martyris,
Cui vocis inſtar æmula

Conclave reddit concavum.
Pavens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per arctas cardinum
Intrare junctoras potest.
Vernare multis floribus
Stramenta testarum videt,
Ipsúmque vulsis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo:
Flet victus, & volvit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemptus, inquit, carcere,
Paulùm benignis fotibus
Recreetur, ut pastum novum
Pœnis refectus præbeat.
Coïre toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem lineam
Stillante cingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.
Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Ut fert vetustas conscia,
Repentè Christum credidit.
Hic obseratis vectibus
Densæ specum caliginis
Splendore lucis advenæ
Micuisse clausum viderat.
At verò postquam lectuli
Martyr quietem contigit,
Æger morarum tædio,
Et mortis incensus siti:
Si mors habenda hujusmodi est,
Quæ corporali ergastulo
Mentem resolvit liberam,
Et reddit autori Deo:
Mentem piatam sanguine,
Mortis lavacris elutam,
Quæ semet ac vitam suam
Christo immolandam præbuit.
Ergo ut recline mollibus
Rejecit aulæis caput,
Victor relictis artubus
Cœlum capessit spiritus.
Cui recta celso tramite
Reseratur ad patrem via,
Quam fratre cæsus impio
Abel beatus scanderat.
Stipant euntem candidi
Hinc indè sanctorum chori,
Parsque missus carcere
Baptista Joannes vocat.
At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Fellis venena, & lividum
Cor efferata exusserant.
Sævire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Evasit exultans, ait,
Rebellis, & palmam tulit?
Sed restat illud ultimum,
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadaver tradere,
Canibúsve carpendum dare.
Jam nunc & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris.
Quod plebs gregalis excolat,
Titulúmque figat martyris.
Sic frendit, & corpus sacrum
Profanus, (ah dirum nefas!)
Nudum negato tegmine
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames,
Aut bestiarum aut alitum,
Audet trophæum gloriæ
Fœdare tactu squalido.

Quin si qua clangens improbè
Circumvolârat eminus,
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
Nam corvus Heliæ datus
Olim, ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulò,
Et irremotus excubat.
Hic ex frutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculósque pennis verberans
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?
Ibat malignùm murmurans,
Levi volatu exterritus,
Prædámque visam fugerat
Custodis imbellis minis.
Quis audienti talia,
Daciane, tunc sensus tibi!
Quantis gementem spiculis
Figebat occultus dolor!
Quum te perempti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipsis & impar ossibus,
Vacuisque jam membris minor.
Sed quis, tyranne pertinax,
Hunc impotentem spiritum
Determinabit exitus?
Nullúsne te franget modus?
Nullus, nec unquam desinam:
Nam si ferina immanitas
Mansuescit, & clementia
Corvos voraces mitigat,
Mergam cadaver fluctibus.
Insana nunquam naufragis
Ignoscit unda, & spumeum
Nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
Incerta per ludibria
Vagis feretur flatibus,
Squamosa pascens agmina:
Aut sub fragosis rupibus
Scabri petrarum murices
Inter recessus scrupeos
Discissa rumpent viscera.
Ecquis virorum, strenuè
Cymbam peritus pellere
Remo, rudente & carbaso,
Secare qui pontum queat?
Rapias palustri è cespite
Corpus, quod intactum jacet,
Levísque vectum lembulo
Amplum per æquor auferas.
Sed complicatum sparteus
Claudat cadaver culleus,
Quem funè connexus lapis
Præceps in altum deprimat.
At tu per undas emices
Rorante præpes palmulâ,
Donec relictum longior
Abscondat aspectus solum.
Hæc jussa quidam militum,
(Eumorphio nomen fuit)
Violentus, audax, barbarus,
Furore fervens arripit.
Funale textum conserit,
Suto quod implet corpore,
Emensus & multum freti,
Inter procellas excutit.
O præpotens virtus Dei,
Virtus creatrix omnium!
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Christo itraverat,
Ut terga calcans æquoris
Siccis mearet passibus,
Plantas nec undis tingeret
Vasti viator gurgitis.
Hæc ipsa virtus jusserat
Rubrum salum dehiscere,
Patente dum profundo aridum
Secura plebs incesserit.
Nec non & ipsa nunc jubet

Servire

Servire ſancto corpori
Pontum quietis lapſibus
Ad curva pronum littora.
Saxum molaris ponderis,
Ut ſpuma candens, innatat,
Tantiſque cuſtos pignoris
Fiſcella fertur fluctibus.
Cernunt ſtupentes navitæ
Vectam remenſo marmore,
Labi retrorſum leniter
Æſtu ſecundo & flamine.
Certant & ipſi concito
Pontum phaſelo ſcindere,
Longè ſed artus prævolant
Telluris ad mollem ſinum.
Priùs relatos denique
Humus quieta ſuſcipit,
Quàm pulſa ſummis nitibus
Carina portum tangeret.
Felix amœni littoris
Receſſus ille, qui ſacra
Fovens arenis viſcera
Vicem ſepulchri præbuit!
Dum cura ſanctorum pia
Deſiens adornat aggerem,
Tumuloque corpus creditum
Vitæ reſervat poſteræ.
Sed mox ſubactis hoſtibus
Jam pace juſtis redditâ,
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus.
Subjecta nam ſacrario,
Imámque ad aram condita,
Cœleſtis auram muneris
Perfuſa ſubtus hauriunt.
Sic corpus: aſt ipſum Dei
Sedes receptum cóntinet,
Cum Maccabæis fratribus
Sectóque Iſaiæ proximum.
Simplex ſed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præſtitit
Mortis ſupremus exitus.
Quid tale ſector auſus eſt?
Truncata nunquid corporis,
Segmenta poſt ferram feris
Objecit, aut undis dedit?
Num Maccabæi martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptámve pellem verticis
Avibus creuntis obtulit?
Tu ſolus, ô bis inclyte,
Solus brabei duplicis
Palmam tuliſti: tu duas
Simul parâſti laureas.
In morte victor aſperâ,
Tum deinde poſt mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adeſto nunc, & percipe
Voces precantum ſupplices,
Noſtri reatûs efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem,
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carceralem ſtipitem,
Per fragmen illud teſteum,
Quo parta crevit gloria,
Per, quem trementes poſteri
Exoſculamur, lectulum:
Miſerere noſtrarum precum,
Placatus ut Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si rite ſolemnem diem
Veneramur ore & pectore:
Si ſub tuorum gaudio
Veſtigiorum ſternimur:
Pauliſper hunc illabere,
Chriſti favorem deferens,
Senſus gravati ut ſentiant
Levamen indulgentiæ.
Sic nulla jam reſtet mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem reſumat ſpiritus,
Virtute perfunctam pari.
Ut quæ laborum particeps
Commune diſcrimen tulit,
Sic & cohæres gloriæ
Cunctis in ævum ſeculis.

In honorem Beatiſſimorum Martyrum, Fructuoſi Epiſcopi Eccleſiæ Tarraconenſis; & Auguri, & Eulogii diaconorum.

FELIX Tarraco, Fructuoſe, veſtris
Attollit caput ignibus coruſcum,
Levitis geminis procul relucens.
Hiſpanos Deus aſpicit benignus,
Arcem quandoquidem potens liberem
Trino martyre Trinitas coronat.
Ardens Augurius capeſſit ethram,
Necnon Eulogius ſimul ſupernam
Chriſti lucidus ad ſedile tendit.
Dux & prævius & magiſter illis
Ad tantum decus, ex Epiſcopali
Clarus nomine Fructuoſus ibat.
Accitus quia præſidis repentè
Juſſu, venerat ad forum ſacerdos
Levitis comitantibus duobus.
Indè ad carceream viros catenam
Paſtus ſanguine carnifex trahebat.
Gaudet currere Fructuoſus ultrò:
Ac, ne quis ſocios timor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
Incenditque fidem calore Chriſti.
Mecum ſtate, viri: vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei miniſtros.
Ne mors terreat, eſt parata palma.
Carcer Chriſticolis gradus corona eſt,
Carcer provehit ad ſuperna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt ſpecum reorum,
Exercent ibi myſticum lavacrum,
Et purgamen aquæ ſtupent tenebræ.
Sex hîc continuis latent diebus.
Tandem ſtant trucis ad tribunal hoſtis.
Fratres tergeminos tremunt catenæ.
Judex Æmilianus imminebat,
Atrox, turbidus, inſolens, profanus,
Aras dæmonicas coli jubebat.
Tu qui doctor, ait, ſeris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos deſtituant, Jovem relinquant:
Damnes, ſi ſapias, anile dogma.
Juſſum eſt Cæſaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
Hæc fanti placidus refert ſacerdos:
Æternum cœlo principem, dierum
Factorem, dominúmque Gallieni:
Et Chriſtum patre profatum perenni,
Cujus ſum famulus, gregiſque paſtor.
Subridens ait ille: Jam fuiſti.
Nec differt furor aut refrenat iram,
Sævis deſtinat ignibus cremandos.
Exultant, prohibéntque flere vulgum.
Quoſdam de populo videt ſacerdos
Libandam ſibi poculum offerentes:
Jejunamus, ait; recuſo potum.
Nondum nona diem reſignat hora:
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſolvet.
Sic Chriſtus ſitiens crucis ſub hora
Oblatum ſibi poculum recuſans,
Nec libare volens, ſitim peregit.
Intrant interea locum rotundæ
Concluſum cavea, madens ferarum
Multo ſanguine quem furor frequentat.
Quum ſpectacula perfruunt cruenta,
At vilis gladiator enſe duro
Percuſſus cadit, & fremit voluptas.
Hîc flammante pyrâ, niger miniſter
Ardens ſupplicium parare juſſus,
Conſtruxit facibus rogum ſupremis.
Qui dum corpora concremata ſolvit,
Ferventes animas amore lucis
Fracto carceris expedirat intro.
Certant officiis pii fideles:
Plantis calceamenta diſſolutis
Pronus detrahere ſtudebat unus.

Digitized by Google

Sed ſanctus vetat ora Fructuoſus
Inclinata premi. Faceſſite, inquit,
Ne noſtram gravet obſequela mortem.
Atquin ipſe meos pedes reſolvam,
Ne veſtigia præpedita vinclis
Tardis greſſibus inruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur veſtri memor ut fiam rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Chriſtum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipſe
Indumenta pedum, velut Moyſes
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare ſacram cremationem,
Aut adſtare Deo priùs licebat,
Quàm veſtigia pura figerentur.
Stabat calce merâ, reſultat ecce
Cœlo ſpiritus, & ferit loquelam,
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non eſt, credite, pœna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citata tranſit:
Nec vitam rapit illa, ſed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celſa ſcandere contigit Tonantis!
Quas olim fugiet perennis ignis.
Hæc inter, rapidis focos crepantes
Intrant paſſibus, & minantur ipſis
Flammarum trepidantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorſus
In tergum revocaverant revinctas,
Intactâ cute decidunt aduſti.
Non auſa eſt cohibere pœna palmas
In morem crucis ad patrem levandas:
Solvit brachia quæ Deum precentur.
Priſcorum ſpecimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes ſtupuit tremens tyrannus.
Illis ſed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore paſſionis apto,
Nec mortis decus inchoante Chriſto.
Hos quum defugeret vaporus ardor,
Orant, ut celer ignis advolaret,
Et finem daret auxiis periclis.
Exorata ſuos obire tandem
Majeſtas famulos jubet caducis
Miſſos corporibus, ſibique reddi.
Vidit Præſidis ex domo ſatelles
Cœlum martyribus patere apertum,
Inſignéſque viros per aſtra ferri.
Quin & filiolæ monens herili
Oſtendit ſceleris notam paterni,
Cœlo vivere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palàm videre
Per ſudum meruit, patente cœlo,
Ut crimen domini domus timeret.
Tum de corporibus ſacris faviliæ,
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.
Fratrum tantus amor, domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu fidele pignus.
Sed ne relliquias reſuſcitandas,
Et mox cum Domino ſimul futuras,
Diſcretis loca dividant ſepulchris:
Cernuntur niveis ſtolis amicti,
Mandant reſtitui, cavóque claudi
Mixtim marmore pulverem ſacrandum.
O triplex honor, ô triforme culmen,
Quo noſtræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Hiberis!
Exultare tribus libet patronis,
Quorum præſidio foventur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumſtet chorus ex utroque ſexu,
Hæres, virgo, puer, ſenex, anicla,
Veſtrum pfalite rite Fructuoſum.
Laudans Augurium reſultet hymnus,
Miſtis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares camœnas.
Hinc aurata ſonent in arce tecta,
Blandum littoris extet indè murmur,
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo,
Quum te, Tarraco, Fructuoſus ærî
Solvet ſupplicio, tegens ab igni.
Fors dignabitur & meis medelam
Tormentis dare, proſperante Chriſto,
Dulces Hendecaſyllabos revolvens.

In honorem Quirini Martyris, Epiſcopi eccleſiæ Siſciane.

INſignem meriti virum,
Quirinum placitum Deo
Urbis mœnia Siſciæ
Conceſſum ſibi martyrem
Complexu patrio fovent.
Hic ſub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos ſinus
Urgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illuſtrâſſe per exitum.
Non illum gladii rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluvialibus
Gurges dum rapit, abluit.
Nil refert vitreo æquore,
An de flumine ſanguinis
Tingat paſſio martyrem;
Æquè gloria provenit
Fluctu quolibet uvida.
Summo pontis ab arduî
Sanctæ plebis Epiſcopus
In præceps fluvio datur,
Suſpenſum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Dejectum placidiſſimo
Amnis vertice ſuſcipit,
Nec mergi patitur ſibi,
Miris vaſta natatibus
Saxi pondera ſuſtinens.
Spectant eminus è ſolo
Doctorem pavidi greges:
Nam Chriſti populus frequens
Riparum ſinuamine
Stipato agmine ſepſerat.
Sed Quirinus ut eminens
Os circuntulit, heu ſuos
Extemplo trepidos videt,
Nil ipſe proprii memor
Inter ſtagna periculi.
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talis terreant,
Neu conſtans titubet fides,
Aut pœnam putet emoti.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vadis,
Nec ſubſtrata profunditas
Saxóque & laqueo & viro
Audet ſponte dehiſcere.
Senſit martyr Epiſcopus
Jam partam ſibi præripi
Palmam mortis & exitûs,
Aſcenſúmque negarier
Æterni ad ſolium patris.
Jeſu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc eſt inſolita, aut nova,
Calcare fremitum maris,
Prona & flumina ſiſtere.
Scimus diſcipulum Petrum,
Quum veſtigia tingeret
Mortali trepidus pede,
Dextræ ſubſidio tuæ
Subjeciſſe ſalum ſolo.
Jordanem quoque novimus
Tortis vorticibus vagum,
Dum fertur rabido impetu,
Ad fontem refluis retro
Confugiſſe meatibus.
Hæc miracula ſunt tuæ
Virtutis Domine; ut modò
Suſpendor, leve prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cùm collo ſcopulum traham.
Jam plenus titulus tui eſt,
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis habet ſtupor:
Abſolvas, precor, optime,

Hujus

Hujus nunc animæ moras.
Quid poſſis, probat amnicus,
Qui vectat ſilicem liquor.
Hoc jam quod ſupereſt, cedo,
Quo nil eſt pretioſius
Pro te, Chriſte Deus, mori.
Orantem ſi nul halitus
Et vox deſerit, & calor,
Scandit ſpiritus ardua:
Fit pondus grave ſaxeum,
Corpus ſuſcipiunt aquæ.

Locus ubi Martyres paſſi ſunt, quod nunc Baptiſterium appellatur.

ELectus Chriſto locus eſt, ubi corda probata
Provehat ad cœlum ſanguine, purget aqua.
Hìc duo purpureum, Domini pro nomine cæti,
Martyrium pulchrâ morte tulere viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne novo.
Qui cupit æternum cœli conſcendere regnum,
Huc veniat ſitiens, ecce parata via eſt.
Antè coronati ſcandebant ardua teſtes
Atria, nunc lotæ celſa petunt animæ.
Spiritus æterno ſolitus deſcendere lapſu,
Ut dederat palmam, ſic tribuit veniam.
Hauſit terra ſacros aut fonte, aut ſanguine rores,
Exundátque ſuo jugiter unda Deo.
Ipſe loci eſt dominus, laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effuſus fluxit, & indè latex.
Ibitis hinc, ut quiſque poteſt, per vulnera Chriſti,
Evectus gladiis alter, & alter aquis.

Paſſio Caſſiani Martyris in foro Cornelium.

SYLLA forum ſtatuit Cornelius, hoc Itali urbem
Vocitant ab ipſo conditoris nomine.
Hic mihi quum peterem te rerum maxima Roma,
Spes eſt oborta proſperum Chriſtum fore.
Stratus humi tumulo advolvebar, quem ſacer ornat
Martyr, dicato Caſſianus corpore.
Dum lachrimans mecum reputo mea vulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cœlum faciem, ſtetit obvia contrà
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miſerabile viſu,
Confoſſa parvis membra figebant ſtylis.
Unde pugillares ſoliti percurrere cæras,
Scholare murmur adnotantes ſcripſerant.
Ædituus conſultus, ait: Quod proſpicis hoſpes,
Non eſt inanis aut anilis fabula.
Hiſtoriam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetuſti temporis monſtrat fidem.
Præfuerat ſtudiis puerilibus, & grege multo
Septus, magiſter literarum ſederat.
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
Raptímque punctis dicta præpetibus ſequi.
Aſpera nonnunquam præcepta, & triſtia viſu
Impube vulgus moverant irâ & metu.
Doctor amarus enim diſcenti ſemper ephebo,
Nec dulcis ulli diſciplina infantiæ eſt.
Ecce, fidem quatiens tempeſtas ſæva, premebat
Plebem dicatam Chriſtianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu è medio moderator alumni
Gregis, quod aris ſupplicare ſpreverat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nôſſet, alto tam rebellis ſpiritu;
Reſpondent, agmen teneorum ac puerile gubernat,
Pictis notare verba ſignis imbuens:
Ducite, conclamat, captivum ducite, & ultro
Donetur ipſis verberator parvulis.
Ut libet illudant, lacerent impune, manúſque
Tingant magiſtri feriatas ſanguine.
Ludum diſcipulis volupe eſt ut præbeat ipſe
Doctor ſeverus, quos minis coercuit.
Vincitur poſt terga manus, ſpoliatus amictu,
Adeſt acutis agmen armatum ſtilis.
Quantum quiſque odii tacitâ conceperat irâ,
Effudit ardens felle tandem libero.
Conjiciunt alii lapides, ſuque ora tabellas
Frangunt, relisâ fronte lignum diſſilit.
Buxa crepant cerata, gemis impacta cruentis,
Rubétque ab ictu cuncta & hæmeos pagina.

Indè alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur.
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.
Hinc foditur Chriſti confeſſor, & indè ſecatur,
Pars viſcus intrat molle, pars ſcindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,
Totidémque guttæ vulnerum ſtillant ſimul.
Major tortor erat, qui ſumma pupugerat infus,
Quàm qui profunda perforârat viſcera.
Ille levis, quoniam percuſſor morte negatâ
Sævire ſolis ſcit dolorum ſpiculis.
Hic quanto interiùs vitalia condita pulſat,
Plus dat medelæ, dum necem propè applicat.
Eſte precor fortes, & vincite viribus annos:
Quod deſit ævo, ſuppleat crudelitas.
Sed malè conatus tener, infirmúſque laborat,
Tormenta creſcunt dum fatiſcit carnifex.
Quid gemis? exclamat quidam: tute ipſe magiſter
Iſtud dediſti ferrum, & armâſti manus.
Reddimus ecce tibi tam millia multa notarum,
Quàm flando, flendo, te docente, excepimus.
Non potes iraſci quòd ſcribimus, ipſe jubebas,
Nunquam quietum dextera ut ferret ſtilum:
Non petimus toties te præceptore negatas
Avare doctor, jam ſcholarum ferias.
Pangere puncta libet, ſulciſque intexere ſulcos,
Flexas catenis impedire virgulas.
Emendes licet inſpectos longo ordine verſus,
Mendoſa fortè ſi quid erravit manus.
Exerce imperium: jus eſt tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notavit ſegniùs.
Talia ludebant pueri per membra magiſtri,
Nec longa feſſum pœna ſolvebat virum.
Tandem luctantis miſeratus ab æthere Chriſtus,
Jubet reſolvi pectoris ligamina.
Difficiléſque moras animæ, ac retinacula vitæ
Relaxat, artas & latebras expedit.
Sanguis ab interno venarum fonte patentes
Vias ſequutus, deſerit præcordia.
Tótque foraminibus penetrati corporis exit
Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Hæc ſunt quæ liquidis expreſſa coloribus, hoſpes,
Miraris, iſta eſt Caſſiani gloria.
Suggere ſi quod habes juſtum vel amabile votum,
Spes ſi qua tibi eſt, ſi quid intus æſtuas.
Audit, crede, preces martyr proſperrimus omnes,
Ratáſque reddit, quas videt probabiles.
Pàreo, complector tumulum, lachrymas quoque fundo,
Altar tepeſcit ore, ſaxum pectore.
Tunc arcana mei perconſeo cuncta laboris,
Tunc quod petebam, quod timebo murmuro.
Et poſt terga domum dubiâ ſub ſorte relictam,
Et ſpem futuri ſorte notantem boni.
Audior, urbem adeo, dextris ſucceſſibus auor:
Domum revertor, Caſſianum prædico.

Romani Martyris Supplicium.

ROmane, Chriſti fortis adſertor Dei,
Elinguis oris organum ſantor move,
Largire comptum carmen infantiſſimo.
Fac ut tuarum mira laudum concinam:
Nam ſcis & ipſe poſſe mutos eloqui.
Plectrum palati, & faucium ſævus tibi
Tortor revulſit: nec tamen ſilentium
Indixit ori, quo fateberis Deum,
Vox veritatis extingui nequit,
Nec ſi reciſis palpitet meatibus.
Hic noſter hæreas ſermo linguæ debilis
Balbutit, & modis laborat abſonis:
Sed ſi ſuperno rore reſpergas jecur,
Et ſpiritali lacte pectus imriges,
Vox impeditos rauca laxabit ſonos.
Evangeliſta ſcripſit, ipſum talia
Præcepta Meſſiam dediſſe Apoſtolis:
Nolite verba, quam ſacramentum meum
Erit canendum, providenter quærere:
Ego imparatis, quæ loquamur, ſuggeram,
Sum motus ipſe, ſed potens facundiæ
Meâ lingua Chriſtus loculenter differet,
Ipſe explicabit quos ſupremo ſpiritu
Dæmon tumultus, dum domatur, moverit,
Furore petlis pejor in noviſſimo.
Sic vulneratus anguis ictu ſpiculi

Ferrum

by Google

Ferrum remordet, & dolore ſævior,
Quaſſando preſſis immoratur dentibus:
Haſtile fixum ſed manet profundiùs,
Nec caſſa ſentit morſuum pericula,
Galerius urbis fortè Romanæ ſtatum
Ductor regebat, ut refert antiquitas,
Immitis, atrox, aſper, implacabilis:
Edicta latè mundum in omnem miſerat,
Chriſtum neguet, quiſque mallet vivere.
Hæc ille ſerpens ore dictat regio,
Qui mortuorum de ſepulchris exiens
Clamat: Quid antè tempus adventu cito
Mea regna ſolvis? parce, fili altiſſimi,
Vel poſſidere corda porcorum jube.
Præfectus iſtis imminens negotiis
Aſclepiades, ire mandat milites
Ecclefialten uſque de ſacrariis
Raptare plebem, mancipandam vinculis,
Ni diſciplinam Nazarenam reſpuat.
Mox ipſe templum cogitans irrumpere,
Et diſſipare ſancta ſanctorum ſtudens,
Armis profanus præparabat impiis
Altaris aram funditus peſſundare,
Foréſque & ipſas in ruinam ſolvere.
Præcurrit index his repentè cognitis
Romanus, ſacræ heros excellentiæ,
Venire in armis perduelles nunciat,
Animos paventum præſtruens hortatibus,
Stent ut parati, néve cedant turbini.
Conſpirat uno fœderatus ſpiritu
Grex Chriſtianus, agmen imperterritum
Matrum, virorum, parvulorum, virginum:
Fixa & ſtatuta eſt omnibus ſententia
Fidem tueri, vel libenter emori.
Refert repulſus miles ad ſubſellia,
Plebis rebellis eſſe Romanum ducem,
Flagrare cunctos pervicaci audaciâ,
Jugulos retectos obſtinatè opponere,
Quò glorioſâ morte fortes oppetant.
Præceps jubetur indè Romanus rapi,
Solúſque, ut incitator & fax omnium,
Pro contumaci plebe cauſam dicere.
It non reſiſtens, ſéque vinciri petit,
Flexas & ultro torquet in tergum manus.
Amor coronæ penè prævenit trucem
Lictoris artem, ſponte nudas offerens
Coſtas biſulcis exſecandas ungulis:
Irrumpit altum limen, & præconibus
Stupore mutis, ipſe tortorem trahit.
Aſtanti ob ora ſic tyrannus incipit:
Infame monſtrum, vilis, inteſtabilis,
Tu ventilator urbis, & vulgi levis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne ſe imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam ſub colore gloriæ
Inliterata credidit frequentia,
Ut ſe per ævum conſecrandos autument,
Si bella divis ceu gigantes inferant,
Victíque flammis obruantur montium.
Hoc tu parâſti, perdite, ſpectaculum
Cladis cruentæ de necandis civibus,
Quos ut profanos, impiati & ſeculi
Reos, neceſſe eſt te magiſtro interfici:
Tu cauſa mortis, tu malorum ſignifer.
Ni fallor, æquum eſt, ut quod autor improbus
Tolerare multos compuliſti, carnifex
In te recurrat, próque tantis cædibus
Quæ mox futuræ, primus exitium luas,
Feras & ipſe quod ferendum ſuaſeras.
His ille contrà reddit ore libero:
Amplector, ô præfecte, nec me ſubtraho,
Ut pro fideli plebe ſolus immoler,
Dignus ſubire cuncta, ſi me conſulis,
Quæcunque veſtra juſſerit crudelitas.
Intrare ſervis idolorum ac dæmonum
Sanctam ſalutis non licet noſtræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus:
Confido ſancto in ſpiritu nunquam tibi
Dandum, ut beatum limen attingas pede.
Ni fortè noſter factus, in noſtrum gregem
Mereare ſumi: quod pater fecit Deus.
Incenſus his Aſclepiades, juſſerat
Eviſcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & uncis, vinculiſque creſcere.
Apparitores ſed furenti ſuggerunt
Illum vetuſtâ nobilem proſapiâ
Meritíſque multis eſſe primum civium.
Jubet amoveri noxialem ſtipitem,
Plebeiâ clarum pœnâ ne damnet virum.
Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumbóque cervix verberata extuberet:
Perſona quæque competenter plectitur,
Magníque refert vilis, an ſit nobilis.
Gradu reorum forma tormentis datur.
Pulſatus ergo martyr illâ grandine,
Poſtquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus iuſit: Abſit ut me nobilem
Sanguis parentum præſtet, aut lex curiæ.
Generoſa Chriſti ſecta nobilitat viros.
Si prima noſtris quæ ſit incunabulis
Origo textu ſtemmatis recenſeas:
Dei parentis eſſe ab ore cœpimus.
Cui quiſque ſervit, ille verè eſt nobilis,
Patri rebellis, invenitur degener.
Honos deinde ſtemmati accedit novus,
Et ſplendor ingens, ut magiſtratus venit;
Si confitendi nominis teſtem probum
Signent inuſta ferri & ignis vulnera,
Et vim dolorum mors ſequatur inclyta.
Cave benignus eſſe perverſè velis,
Nec mî remiſſus leniter peperceris,
Incumbe membris tortor, ut ſim nobilis:
His ampliatus ſi fruar ſucceſſibus,
Genus patris matríſque flocci fecero.
Hæc ipſa veſtra dignitatum culmina
Quid eſſe cenſes? nónne curſim tanſeunt
Faſces, ſecures, ſellæ, prætextæ, togæ,
Lictor, tribunal, & trecenta inſignia
Quibus tumetis, móxque detumeſcitis?
Quum conſulatum initis, ut vernæ ſolent,
(Pudet fateri) farre pullos paſcitis,
Aquilâ ex eburnâ ſumit arrogantiam
Geſtator ejus, ac ſuperbit bellua
Inflatus oſſe, cui figura eſt alitis.
Jam ſi ſub aris ad ſigillorum pedes
Jacentis, infra ſectilem quercum ſiti,
Quid eſſe vobis æſtimem projectius?
Nudare plantas, ante carpentum ſcio
Proceres togatos, matris Ideæ ſacris.
Lapis nigellus evehendus eſſedo,
Muliebris oris clauſus argento ſedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis
Almonis uſque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos eſſe monſtrat, quum luperci curritis,
Quem ſervulorum non rear viliſſimum,
Nudus plateas ſi per omnes curſitans,
Pulſet puellas verbere ictas ludicro?
Miſeret tuorum me ſacrorum, & principum,
Morúmque, Roma, ſeculi ſummum caput.
Age explicemus, ſi placeat, myſteria
Præfecte veſtra. jam neceſſe eſt audias,
Nolis velis, nequid colatis ſordium.
Nec terret iſta qua tumes veſania,
Quòd vultuoſus, quòd ſupinus, quòd rigens,
Tormenta lethi comminaris aſperi:
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.
Jubes, relictis patris & Chriſti ſacris,
Ut tecum adorem fœminas, ac mille mares,
Deos, deáſque, déque ſexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Ac tot ſtuprorum ſordidam proſapiam.
Nubunt puellæ, ſæpe luduntur dolis,
Amaſionum comprimuntur fraudibus:
Inceſta fervent, furta mœchorum calent,
Fallit maritus, odit uxor pellicem,
Deos catenæ colligant adulteros.
Oſtende quæſo, quas ad aras præcipis
Vervece cæſo fumet ut ceſpes meus:
Delphóſne pergam? ſed vetat palæſtrici
Corrupta ephebi fama, quem veſter Deus
Effœminavit Gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occiſum gravi
Diſco, & dicavit florulentum ſuccubam.
Conductus idem pavit alienum pecus,
Furem deinde perditi paſſus gregis

Segnis bubulcus, tela & ipsa perdidit.
An ad Cybeles ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem,
Per triste vulnus, pérque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ:
Per multa matri sacra plorandus spado.
Sed credo magni limen amplectar Jovis,
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat severam vinctus & Scatiniam,
Te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat malum.
Quem si beatè vivere audit Jupiter,
Piectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius.
Junonis iram sentiet, quisque ut Deum
Signo, ac sacello consecrârit Herculem.
Dicis, licenter hæc Poëtas fingere,
Sed sunt & ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati: quódque describunt, colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris te vidente id plauditur?
Cycnus stuprator peccat inter pulpita,
Saltat tonantem tauricornem Lydius,
Spectator horum pontifex summus sedes,
Ridétque & ipse, nec negando diluis,
Quum tama tanti polluatur numinis.
Cur tu sacrate per cachinnos solveris
Quum se maritum fingit Alcmenæ Deus?
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam,
Nec te lupanar Cypridis sanctum movet?
Quid quòd sub ipsis veritas signis patet,
Formata in ære criminum vestigiis?
Quid vult sigillum semper adfixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recinctâ veste prætendit Ceres.
Cur, si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil,
Fusos rotantem cernimus Tiryuthium?
Cur si Neæræ non fuit ludibrio?
Quid rusticorum monstra detestor Deûm?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolásque aquatiles,
Sitas sub alto more ranarum lacu,
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas censor bone?
Poténe quicquam tale, si sanum sapis,
Sanctum putare? nónne pulmonem movet
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
At, si quid usquam vanitatis mysticæ
Nobis colendum est, ipse primus incipe,
Pronúsque adora quicquid in terris sacri est,
Deos Latinos, & deos Ægyptios,
Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare & simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, Ibis, & canes cur displicent?
Adpone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata holuscula:
Aut unde major esse majestas focis,
Quàm nata in hortis sarculatis creditur,
Si numen ollis, numen & porris inest?
Sed pulchra res est forma in ære sculptilis.
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultos deos?
Forcept Myronis, malleus Polycliti
Natura vestrûm est atque origo cœlitum:
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, & corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat,
Injecit atram territis formidinem,
Ut tulmen æris, ceu Tonantis horreant:
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ.

Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire Thyrso posse, quum sit ebrius.
Tum quòd Dianam mollè succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis,
Si forte vultum tristioris Herculis
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat,
Junonis iram si politè expresserit?
Velut retortis intuens obturibus,
Avertat ora de litantis hostiâ,
Lapis severâ fronte mentitur minas.
Miror quòd ipsum non sacratis Mentorem,
Nec templum & aras ipse Phidias habet,
Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segniùs,
Non esset ullus Jupiter conflatilis.
Non erubescis stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia,
Quæ diis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
Fracta & liquata contulerunt vascula?
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolor in stipite,
Quos sæpe falsus circulator decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
Edentularum cantilenæ suaserint.
Vos eruditos miror, & doctos viros,
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina vel mortalia
Quo jure constent: quanta majestas regat,
Quicquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur.
Excedit omnem mentis humanæ modum:
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extráque & intus implet ac superfluit.
Intemporalis antè quàm primus dies
Esse & fuisse semper unus obtinet.
Lux ipse vera, veri & autor luminis:
Quum lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus hic est filius.
Vis una patris, vis & una est filii,
Unúsque ab uno lumine splendor fatus,
Pleno refulsit claritatis lumine,
Natura simplex pollet unius Dei:
Et quicquid usquam est, una virtus condidit.
Cœlum solúmque vim marini gurgitis,
Globos dierum noctiúmque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, & metalla, & flumina,
Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecua, subjugales belluas,
Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore & arte molitus Deus,
Sed jussione quam potestas protulit.
Mandavit esse, facta sunt quæ non erant,
Verbo creavit omniformem machinam,
Virtus paterna semper in verbo fuit.
Cognóstis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum, modúmque, quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
Vivam, serenam, sensualem, fabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis inlitam coloribus.
Illìc sacerdos stat sacrato in limine,
Forésque primas virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo, & patri
Quas scit placere, candidatas, simplices:
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiæ,
Jejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper & largam manum.
Ex his amœnus hostiis surgit vapor

Vincens odorem balſami, thuris, croci,
Auras madentes Perſicorum aromatum:
Sublatus indè, cœlum adusque tollitur,
Et proſperatum dulcè delectat Deum.
Hanc diſciplinam quiſquis infenſus vetat,
Vetat probatum vivere, & ſanctum ſequi,
Vetat vigorem mentis altè intendere:
Noſtrique acumen ingenî ad terram vocat,
Nec excitari vim ſinit prudentiæ.
O merſa limo cæcitas gentilium,
O carnulenta nationum pectora,
O ſpiſſus error, ô tenebroſum genus!
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subjecta ſemper intuens, nunquam ſuprà.
Furórne ſummus, ultima & dementia eſt
Deos putare, qui creantur nuptiis?
Rem ſpiritalem terrulentè quærere,
Elementa mundi conſecrare altaribus,
Id quod creatum eſt conditorem credere?
Deaſciato ſupplicare ſtipiti:
Verris cruore ſcripta ſaxa ſpargere,
Aras ofellis obſecrare bubulis:
Homines fuiſſe quum ſcias, quos conſecras,
Urnas reorum morticinas lambere?
Deſiſte judex ſeculi, tantum nefas
Viris jubere, fortibúſque & liberis:
Nil eſt amore veritatis celſius,
Dei perennis numen aſſerentibus:
Nihil eſt pavori, mors & ipſa ſubjacet.
Dudum coquebat differente martyre
Aſclepiades intus iram ſubdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum ſilet,
Bilémque tectis concipit præcordiis,
Tandem latentis vim furoris evomit:
Prò Jupiter! quid eſt, quod ex hoc audio?
Stat inter aras & deorum imagines,
Et quod fateri cogor in medio foro,
Tacente memet hic perorat perditus,
Quicquid ſacrorum eſt ore fœdans impio.
O fas priorum, moris ô priſci ſtatus!
Inventa regum pro ſalute publicâ
Pompiliorum noſtra carpunt ſecula:
Quis hos ſophiſtas error invexit novus,
Qui non colendos eſſe divos diſputent?
Nunc dogmâ nobis Chriſtianum naſcitur,
Pòſt evolutos mille demum Conſules
Ab urbe Româ: ne retexam Neſtoras.
Quicquid novellum ſurgit, olim non fuit.
Vis ſumma rerum nôſſe? Pyrrham conſule.
Ubi iſte veſter tunc erat ſummus Deus,
Divûm favore quum puer Mavortius
Fundaret arcem ſepticollem Romulus?
Quòd Roma pollet auſpicatò condita,
Jovi Statori debet, & diis cæteris.
Hoc ſanctum ab ævo eſt, hoc ab avis traditum,
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, fauſtus ut ſecundet gloriam
Procinctus, utque ſubjugatis hoſtibus
Ductor quietum frenet orbem legibus.
Accingere ergo, quiſquis es nequiſſime,
Pro principali ritè nobiſcum deos
Orare vitâ: vel quòd hoſtem publicum
Pati neceſſe eſt, ſolve pœnam ſanguine.
Spreviſſe templa, reſpuiſſe eſt principem.
Tunc ille: Nunquam pro ſalute, & maximis
Fortiſſimiſque principis cohortibus
Aliter precabor, quàm fidelè ut militent,
Chriſtique lymphis ut renaſcantur patri,
Capiant & ipſum cœlitùs paraclitum.
Ut idolorum reſpuant caliginem,
Cernant ut illud lumen æternæ ſpei,
Non ſuccolentis influens obtutibus,
Nec corporales per feneſtras emicans,
Puris ſed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis craſſa craſsùm perſpicit,
Et res caduca quod reſolvendum eſt videt,
Liquidus videndis aptus eſt animæ liquor,
Natura fervens ſola ferventiſſimæ
Divinitatis vim coruſcantem capit.
Hoc opto lumen Imperator noverit
Tuos, meúſque, ſi velit fieri meus:
Nam ſi reſiſtit Chriſtiano nomini,
Meus ille talis Imperator non erit.
Scelus jubenti, crede, nunquam ſervium.
Statis, miniſtri, clamitans judex ait,
Statis, manúſque continetis vindices?
Non rupta ſulcis diſſecatis viſcera?
Animam nec intus abditam rimamini,
Erumpit unde vox profana in principem?
Scindunt utrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco penſilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta tranſverſis ſecant,
Et jam retectis pectus albet oſſibus.
Nitendo anhelant, diffluunt ſudoribus:
Quum ſic quietus heros in quem ſæviunt,
Hæc inter addit ſponte Romanus loqui:
Si quæris ô præfecte, verum noſcere,
Hoc omne quicquid lancinamur, non dolet.
Dolet quòd error pectori inſidet tuo,
Populos quod iſtos tecum trahis perditos.
Currunt frequentes undique ad ſpectaculum
Gentile vulgus, heu gemenda corpora,
Crudúmque noſtræ ſortis exemplum tremunt.
Audite cuncti, clamo longè, ac prædico,
Emitto vocem de cataſtâ celſior:
Chriſtus paternæ gloriæ ſplendor, Deus
Rerum creator, noſter idem particeps
Sponsor ſalutem perpetem credentibus:
Animæ ſalutem, ſola quæ non occidit,
Sed juge durans, diſpares caſus ſubit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur.
Chriſtum ſequuta patris intrat gloriam;
Disjuncta Chriſto mancipatur tartaro.
Curanda mercis qualitas quænam mihi
Contingat olim perpetis ſubſtantiæ:
Nam membra parvi pendo quo pacto cadant,
Caſura certè lege naturæ ſuæ.
Inſtat ruina, quod reſolvendum eſt ruat.
Nec diſtat, ignis & fidiclæ ſæviant,
An corpus ægrum languor aſper torqueat,
Quum ſæpe morbos major armet ſævitas.
Non ungularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanto dira pulſat pleureſis.
Nec ſic inuſta laminis ardet cutis,
Ut febris atro felle venas exedit,
Vel ſumma pellis ignis obductus coquit,
Papuláſque fervor æſtuoſus excitat,
Credas cremari ſtridulis cauteribus.
Miſerum putatis, quòd retortis pendeo
Extentus ulnis, quòd revelluntur pedes,
Compago nervis quòd ſonat crepantibus:
Sic ejulantes oſſa clamant dividi,
Nodoſa torquet quos podagra & arthriſis.
Horretis omnes haſce carnificum manus,
Num mitiores ſunt manus medentium?
Laniena quando ſævit Hippocratica?
Vivum ſecatur viſcus, & recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.
Putatur ferrum triſte chirurgos meis
Inferre coſtis, quod ſecat ſalubriter,
Non eſt amarum, quo reformatur ſalus:
Videntur iſti carpere artus tabidos,
Sed dant medelam rebus intus vividis.
Quis neſcit autem quanta corruptela ſit
Contaminatæ carnis ac ſolubilis?
Sordet, tumeſcit, liquitur, fœtet, dolet,
Inflatur irâ, ſolvitur libidine:
Plerumque felle tincta livores trahit.
Aurum regeſtum nonne carni adquiritur?
Inſuſa veſtis gemmâ, bombyx, purpura,
In carnis uſum mille quæruntur dolis,
Luxus vorandi carnis arvinam fovet,
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere quæſo carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum,
Fac ut refecto debilis carnis ſitu
Dolore ab omni mens ſuperſit libera,
Ne geſtet ultrà quòd tyrannus amputet.
Nec terrearis turbâ circumſtantium,
Hoc perdo ſolum quòd peribit omnibus
Regi, clienti, pauperique & diviti:
Sic vernularum, ſic ſenatorum caro
Tabeſcit, imo cùm ſepulchro condita eſt.
Jactura vilis mordet & damnum leve,
Si quo carendum eſt, perdere extimeſcimus:
Cur quod neceſſe eſt non voluntas occupat?
Natura cur non vertit in rem gloriæ?

Legale damnum deputamus præmiis.
Sed prærnlorum forma qua sit sortibus
Videamus: illa nempe quæ nunquam perit.
Cœlo refusus subvolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Christo stans in arce regiâ.
Quandóque cœlum ceu liber plicabitur,
Cadet rotati solis in terram globus,
Sphæram ruina mensirualem destruet,
Deus superstes solus, & justi simul
Cum sempiternis permanebunt angelis.
Contemne præsens utile ô prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi
Omitte corpus, rem sepulchri & funeris:
Tende ad futuram gloriam: perge ad Deum:
Agnosce qui sis, vince mundum & seculum.
Vix dum eloquutus martyr hanc peregerat
Orationem, quum furens interfeci
Asclepiades, vertat ictum carnifex
In os loquentis, finque maxillas manum,
Sulcósque acutos & fidicula transferat:
Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientes perdat ut loquacitas
Sermonis usus, perforatis follibus,
Quibus sonandi nulla lex ponit modum.
Ipsa & loquentis verba torqueri volo.
Implet jubentis dicta lictor improbus.
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis,
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum adusque vultus omnis scinditur.
Martyr fluentem fatur inter sanguinem:
Grates tibi ô præfecte magnas debeo,
Quòd multa pandens ora, jam Christum loquor:
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei.
Rimas patentes invenit vox edita,
Multisque fusa rictibus reddit sonos
Hinc indè plures, & profatur undique
Christi patrisque sempiternam gloriam:
Tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.
Tali repressus cognitor constantiâ,
Cessare pœnam præcipit. tunc sic ait:
Per Solis ignes juro, qui nostros dies
Reciprocatis administrat circulis,
Cujus recursu lux & annus ducitur;
Ignis parandus jam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud devoret,
Quod perseverans tam resistit nequiter
Sacris vetustis, nec dolorum spiculis
Victum fatiscit, fitque pœnis fortius.
Quis hunc rigorem pectori injecit stupor?
Mens obstinata est, corpus omne obcalluit,
Tantus novelli dogmatis regnat furor:
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse suffixum cruci.
Hæc illa crux est omnium nostrûm salus,
Romanus inquit, hominis hæc redemptio est,
Scio incapacem te sacramenti impie,
Non posse cæcis sensibus mysterium
Haurire nostrum: nil diurnum nox capit.
Tamen in tenebris proferam claram facem.
Sanus videbit, lippus oculos obteget,
Removete lumen, dicet insanabilis:
Injuriosa est nil videnti claritas.
Audi profane quod gravatus oderis.
Regem perennem Rex perennis protulit,
In se manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet: nam fons retrò
Exordiorum est, & dierum & temporum,
Ex patre Christus, hoc pater quod filius.
Hic se videndum præstitit mortalibus,
Mortale corpus sumpsit immortalitas:
Ut dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum posset ad cœlestia:
Homo est peremptus, & resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo,
Dum nostra tentat, cessit immortalibus.
Stultum putatis hoc sophistæ seculi:
Sed stulta mundi fuminus elegit pater,
Ut stultus esset seculi, pudens Dei.
Antiquitatem Romuli, & Mavortiam
Lupam renarras, primum & omen vulturum.
Si res novellas respuis, nil tam recens:

Vix mille fastis implet hanc ætatulam
Cursus dierum, conditore ab augure.
Sexcenta possum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, si sit otium,
Multò antè clara, quàm capellam Gnossiam
Suxisse fertur Jupiter, Martis pater.
Sed illa non sunt, hæc & olim non erunt.
Crux ista Christi, quam novellam dicitis,
Nascente mundo factus ut primùm est homo
Expressa signis, expedita est literis,
Adventus ejus mille per miracula
Prænunciatus ore vatum consono.
Reges, prophetæ, judicésque & principes
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stilo,
Non destiterunt formam pingere crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata est priùs,
Crucem vetusta combiberunt secula.
Tandem retectis vocibus propheticis,
Ætate nostrâ comprobata antiquitas,
Coràm refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret veritas dubiâ fide,
Si non pateret teste visu comminus.
Hinc nos & ipsum non perire credimus
Corpus sepulchro quod vorandum traditur:
Quia Christus in se mortuum corpus cruci
Secum excitatum vexit ad solium patris,
Viámque cunctis ad resurgendum dedit.
Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus,
Nobis peremptus Christus, & nobis Deus
Christus reversus, ipse qui moriens homo est:
Natura duplex: moritur, & mortem domat,
Redítque in illud quod perire nescist.
Dixisse pauca sit satis de mysticis
Nostræ salutis, déque processu spei:
Jamjam filebo, margaritas spargere
Christi vetamur inter immundos sues,
Lutulenta sanctum ne terant animalia.
Sed quia profunda non licèt luctarier,
Ratione tecum consulamus proxima:
Interrogetur ipsa naturalium
Simplex sinè arte sensuum sententia,
Fuci imperitus fac ut adsit arbiter.
Da septuennem circiter puerum, aut minus,
Qui sit favoris liber, & non oderit
Quemquam, nec ullum mentis in vitium cadat,
Periclitemur quid recens infantia
Dicat sequendum, quid novus sapiat vigor.
Hanc ille sancti martyris vocem libens
Amplexus, unum de catervâ infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum, capi,
Captúmque adesse præcipit: quid vis roga,
Inquit, sequamur quod probârit pusio.
Romanus ardens experiri innoxiam
Lactantis oris indolem: Filiole, ait,
Dic quid videtur esse verum, & congruens,
Undúmne Christum colere, & in Christo patrem,
An comprecari mille formarum deos?
Arrisit infans, nec moratus retulit:
Est quicquid illud quod ferunt homines Deum,
Unum esse oportet, quod uni est unicum.
Quum Christus hoc sit, Christus est verus Deus,
Genera deorum multa nec pueri putant.
Stupuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec vim decebat innocenti ætatulæ
Inferre legis, nec loquenti talia
Furor sinebat efferatus parcere:
Quis autor, inquit, vocis est hujus tibi?
Respondit ille: Mater, & matri Deus:
Illa ex parente spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula:
Ergo ut gemellis uberum de fontibus
Lac parvus hausi, Christum & hausi credere.
Ergo ipsa mater adsit, exclamat, cedò
Asclepiades, disciplinæ & exitum
Tristem suæ magistra spectet impia,
Malè eruditi torqueatur funere
Infantis orba: quémque corrupit, fleat.
Absit ministros vilis ut muliercula
Nostros fatiget: quantulus autem dolor
Vexabit artus, mortis auxilio brevis?
Oculi parentis punientur acriùs,
Quàm si cruentæ membra carpant ungulæ.
Vix hæc profatus, pusionem præcipit
Sublimè tollant, & manu pulsent nates,

Mox & remotâ veſte virgis verberent,
Tenerúmque duris ictibus tergum ſecent,
Plus unde lactis quàm cruoris defluat.
Quæ cautes illud perpeti ſpectaculum,
Quis ferre poſſit æris aut ferri rigor?
Impacta quoties corpus attigerat ſalix,
Tenui rubebant ſanguine uda vimina,
Quem plaga ferat roſcidis livoribus.
Ferunt minaces verberantium genas
Inlachrymâſſe, ſponte demanantibus
Guttis per ora barbarûm frementia,
Scribas & ipſos & coronam plebium,
Proceréſque ſiccis non ſtetiſſe viſibus.
At ſola mater hiſce lamentis caret,
Soli ſereno frons renidet gaudio,
Stat in piorum corde pietas fortior,
Amore Chriſti conſumax doloribus,
Firmátque ſenſum mollis indulgentiæ.
Sitire ſeſe parvus exclamaverat,
Animæ æſtuantis ardor in cruciatibus
Hoc exigebat, lymphæ ut hauſtum poſceret,
Quem torva mater eminus triſtè intuens
Vultu, & ſeveris vocibus ſic increpat:
Puto imbecillo nate turbaris metu,
Et te doloris horror afflictum domat:
Non hanc meorum viſcerum ſtirpem fore
Deo ſpopondi, non in hanc ſpem gloriæ
Te procreavi, cedere ut letho ſcias.
Aquam bibendam poſtulas, quum ſit tibi
Fons ille vivus præſto, qui ſemper fluit,
Et cuncta ſolus irrigat viventia,
Intus foriſque ſpiritum & corpus ſimul,
Æternitatem largiens potantibus.
Venies ad illud mox fluentum, ſi modò
Animo ac medullis ſolus ardor æſtuet
Videre Chriſtum, quod ſemel potum affatim
Sic ſedat omnem pectoris flagrantiam,
Vita ut beata jam ſitire neſciat.
Hic hic bibendus nate nunc tibi eſt calix,
Mille in Bethleem quem biberunt parvuli,
Oblita lactis, & papillarum immemor
Ætas, amaris, mox deinde dulcibus
Refecta poclis, mella ſumpſit ſanguinis.
Exemplum ad iſtud nitere, ô fortis puer,
Generoſa proles matris, & potentia,
Omnes capaces eſſe virtutum pater
Mandavit annos, neminem excepit diem,
Ipſis triumphos annuens vagitibus.
Scis, ſæpe dixi, quum docenti adluderes,
Et garrulorum ſigna verborum dares,
Iſaac fuiſſe parvulum patri unicum,
Qui quum immolandus aram & enſem cerneret,
Ultro ſacranti colla præbuerit ſeni.
Narravi & illud nobile ac memorabile
Certamen, unâ matre quod ſeptem editi
Geſſere pueri, ſed tamen factis viri,
Hortante eâdem matre, in ancipiti exitu
Pœnæ & coronæ, ſanguini ut ne parcerent.
Videbat ipſos apparatus funerum
Præſens ſuorum, nec movebatur parens,
Lætata quoties aut olivo ſtridula
Sartago frixum torruiſſet puberem,
Dira aut cremâſſet laminarum impreſſio.
Comam, cutémque verticis revulſerat
A fronte tortor, nuda teſta ut tegmine
Cervicem aduſque dehoneſtaret caput.
Clamabat illa: Patere, gemmis veſtiet
Apicem corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari juſſerat
Uni ex ephebis, mater aiebat: Satis
Jam parta nobis gloria eſt, pars optima
Deo immolatur, ecce noſtri corporis
Digna eſt fidelis lingua quæ ſit hoſtia.
Interpres animi, enunciatrix ſenſuum,
Cordis miniſtra, præco operti pectoris,
Prima offeratur in ſacramentum necis,
Et ſit redemptrix prima redemptorum omnium,
Ducem dicatam mox ſequentur cætera.
His Maccabæos incitans ſtimulis parens,
Hoſtem ſubegit ſubjugatum ſepties,
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta.
Me partus unus ut feracem gloriæ
Mea vita præſtet, in tuâ eſt ſitum manu.
Per hujus alvi fida conceptacula,
Per hoſpitalem menſe biſquino larem:
Si dulce noſtri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata ſi crepundia,
Perſille, & horum munerum autorem adſere.
Quánam arte nobis vivere intus cœperis,
Nihilúmque & illud, unde corpus, neſcio;
Novit animator ſolus, & factor tui:
Impendere ipſi, cujus ortus munere es:
Bene in datorem quod dedit, refuderis.
Talia canente matre, jam lætus puer
Virgas ſtrepentes, & dolores verberum
Ridebat: hic tum cognitor pronunciat
Claudatur infans carcere, & tanti mali
Romanus autor torqueatur acriùs.
Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant, quáque acutum traxerant
Paulò antè ferrum, mox recrudeſcentibus
Plagis apertas perſequebantur notas,
Quos jam ſuperbus victor ignavos vocat.
O non virile robur, ô molles manus,
Unam labantis diſſipare tandiu
Vos non poteſſe fabricam corpuſculi?
Vix jam cohæret, nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citiùs cadaver dentibus carpunt canes,
Longéque morſus vulturum efficacior
Ad devorandas carnis offas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiſcitis:
Gula eſt ferina, ſocors eſt edacitas.
Exarſit iſtis turbida ira judicis,
Séque in ſupremam concitat ſententiam:
Si te morarum pœnitet finem citum
Subeas licebit, ignibus vorabere
Damnatus, & favilla jam tenuis fies.
Abiens at ille, quum foro a riperent virum
Truces miniſtri, ponè reſpectans ait:
Appello ab iſtâ perfide ad Chriſtum meum
Crudelitate, non metu mortis trepidans,
Sed ut probetur eſſe nil quod judicas.
Quid differo, iniquit ille, utrolque perdere.
Puerum ac magiſtrum, complices tectæ impiæ?
Gladius recidat vile vix hominis caput
Infantis, iſtum flamma vindex concremet.
Sit his ſub uno ſine diſpar exitus
Perventum ad ipſum cædis implendæ locum,
Natum gerebat mater amplexu & ſinu,
Ut primitivum crederes fœtum geri
Deo offerendum ſancti Abelis ſerculo,
Lectum ex ovili puriorem cæteris.
Puerum popoſcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata eſt fletibus, tantum oſculum
Impreſſit unum. Vale, ait, dulciſſime,
Et quum beatus regna Chriſti intraveris,
Memento matris, jam patrone ex filio.
Dixit: deinde dum ferit cerviculam
Percuſſor enſe, docta mulier pallere,
Hymnum canebat carminis Davidici:
Preciosa ſancti mors ſub aſpectu Dei,
Tuus ille ſervus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens explicabat pallium:
Manúſque tendebat ſub ictu & ſanguine,
Venarum ut undam profluam manantium,
Et palpitantis oris exciperet globum:
Excepit, & charo applicavit pectori.
At parte campi ex alterâ, immanem pyram
Texebat uſtor tumidus pinu aridâ,
Sarmenta miſtim ſubdita & fœni ſtruem
Spargens, liquato rore ferventis picis,
Quo flamma paſtu creſceret ferociùs.
Etiam retortis brachiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo:
Scio, inquit ille, non futurum ut concremer,
Nec paſſionis hoc genus datum eſt mihi.
Sed reſtat ingens quod fiat miraculum.
Hæc ejus orſa ſequitur immenſus fragor,
Nubis ruentis: nimbus undatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit.
Aiunt olivo ſemicombuſtas faces;
Sed vincit imber jam madentem fomitem.
Trepidare tetet carnifex, rebus novis
Turbatus, & qua poſſet arte inſiſtere,
Verſare torres cum favillis humidis,
Prunas maniplis confovere ſtupeis,
Et ſemen ignis inter undas quærere.

Quod

Quod quum tumenti nunciatum eſt judici,
Commovit iram fellis implacabilis:
Quouſque tandem ſummus hic nobis magus
Inludit, inquit, Theſſalorum carmine
Pœnam peritus vertere in ludibrium?
Forſitſe cervix, ſi ſecandam juſſero
Flecti ſub enſem, non patebit vulneri:
Vel amputatum plaga collum dividens,
Rurſus coibit, ac reglutinabitur,
Humeriſque vertex eminebit additus.
Tentemus igitur antè partem quampiam
Truncare ferro corporis ſuperſtitis,
Ne morte ſimplâ criminoſus multiplex
Cadat, vel unâ perfidus cæde oppetat:
Quot membra geſtat, tot modis perire volo.
Libet experiri Lerna, ſicut traditur,
Utrum renatis pullulaſcat artubus,
Ac ſe imminuti corporis damnis novum
Inſtauret: ipſe præſto tunc erit Hercules,
Hydrina ſuetus uſtum ire vulnera.
Jam nunc ſecandi doctus adſit artifex,
Qui cuncta nôrit viſcerum confinia,
Vel nexa nervis diſparare vincula.
Date hunc revulſis qui medetur oſſibus,
Aut fracta nodis farciens compaginat.
Linguam priorem detrahat radicitus,
Quæ corpore omni ſola vivit nequior:
Illa & procaci peſſima in noſtros deos
Invecta motu, fas profanavit vetus,
Audax & ipſi non pepercit principi.
Ariſto quidam medicus accitus venit,
Proferre linguam præcipit: profert ſtatim
Martyr retectam, & pandit ima facium:
Ille & palatum tractat, & digito exitum
Vocis peterrans, vulneri explorat locum.
Linguam deinde longè ab ore protrahens,
Scalpellum in uſque guttur inſertans agit.
Illo ſecante fila ſenſim ſingula,
Nunquam momordit martyr, aut os dentibus
Compreſſit arctis, nec cruorem ſorbuit.
Immotus & patente rictu conſtitit,
Dum ſanguis extrà deſluit ſcaturiens,
Perfuſa pulcher menta ruffo ſtemmate
Fert, & cruenti pectoris ſpectat decus,
Fruiturque & oſtro veſtis ut jam regiæ.
Præfectus ergo ratus elinguem virum
Cogi ad ſacrandum poſſe, quum verbis careus
Nil in deorum oblatraret dedecus,
Jubet reduci jam tacentem & debilem,
Multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo,
Et thus, & ignem vividum in carbonibus,
Taurina & exta, vel ſuilla abdomina:
Ingreſſus ille, ut hos paratus perſpicit,
Inſufflat, ipſos ceu videret dæmonas.
Irridet hoc Aſclepiades lætior:
Addit deinde: Nunquid inclementius,
Sicut ſolebas, es paratus dicere?
Effare quodvis, ac per ora ediſſere,
Permitto vocem liberè ut exerceas.
Romanus alto corde ſuſpirans diu,
Gemitu querelam traxit, & ſic orſus eſt:
Chriſtum loquenti lingua nunquam defuit,
Nec verba quæras quo regantur organo,
Quum prædicatur ipſe verborum dator.
Qui fecit ut vis vocis expreſſa intimo
Pulmone, & oris torta ſub teſtudine,
Nunc ex palato det repercuſſos ſonos,
Nunc temperetur dentium de pectine,
Sitque his agendis lingua plectrum mobile.
Si mandet idem, faucium ſic fiſtulas
Spirare flatu concinentes conſono,
Ut verba in ipſis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier,
Nunc preſſa parcè labra, nunc hiantia:
Dubitáſne verti poſſe naturæ ſtatum?
Cui facta forma eſt, qualis eſſet primitus,
Hanc nempe factor vertere, ut libet, poteſt,
Poſitáſque leges texere ac retexere,
Linguam loquela ne miniſtram poſtulet.
Vis ſcire noſtri numinis potentiam?
Fluctus liquentis æquoris preſſit pede,
Natura fluxa ac tenuis in ſolidum coit.
Quàm diſpar illis legibus, quis condita eſt!
Solet natatus ferre, ſert veſtigia.
Habet uſitatum munus hoc divinitas,
Quæ vera nobis colitur in Chriſto & patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare cæcis lucis inſuetæ diem.
Hæc ſi quis amens fabuloſa exiſtimat,
Vel ipſe tute, ſi parum fidelia
Rebare pridem, vera cognoſcas licet:
Habes loquentem, cujus amputaveras
Linguam, probatis cede jam miraculis.
Horror ſtupentem perſequutorem ſubit,
Timórque & ira pectus in caliginem
Vertere: neſcit vigilet anne ſomniet,
Miratur hærens quod ſit oſtenti genus.
Formido frangit, armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrenæ poteſt,
Nec quò furoris tela vertat invenit.
Poſtremò medicum ſævus inſontem jubet
Reum citari, nundinatum hunc arguit,
Mercede certâ pactus ut colluderet.
Aut ferrum in ore nil agens, & irritum
Verſâſſe fruſtra, ſeu retuſis tactibus,
Aut arte quadam vulnus illatum breve,
Quod ſauciatâ parte linguam læderet,
Nervos nec omnes uſque quaque abſcinderet:
Manere ſalvam vocis harmoniam probæ,
Non poſſe inani concavo verba exprimi,
Quæ concrepare lingua moderatrix facit:
Eſto ut reſultet ſpiritus vacuo ſpecu,
Echo ſed extat indè, non oratio.
Veris refutat medicus hanc calumniam,
Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
Intráque dentes curioſum pollicem
Circunfer, hauſtus vel patentes inſpice,
Lateátne quicquam quod regat ſpiramina.
Quanquam foràſſem fortè ſi puncto levi,
Tenuſve linguam contigiſſem vulnere,
Titubante plectro fatus eſſet debilis.
Nam quum magiſtra vocis in vitium cadit,
Uſus neceſſe eſt eloquendi intercidat.
Fiat periculum, ſi placet, cujuſmodi
Edat querelam quadrupes, lingua erута,
Elinguis: & quem porca grunnitum ſtrepat,
Cui vox fragoſa, clamor eſt inconditus:
Probabo mutam nil ſonare ſtridulum.
Teſtor ſalutem principis, me ſimplici
Functum ſecantis arte, judex optime,
Serviſſe juſſis abſque fraude publicis.
Sciat hic quis illi verba ſuggillet Deus:
Ego unde mutus ſit diſertus neſcio.
His ſeſe Ariſto purgat. At contrà impium
Nil hæc latronem Chriſtianorum movent,
Magìs magíſque fertur in veſaniam,
Quærit num alienus ſanguis illum aſperſerit
Virum, ſuóne fluxerit de vulnere.
Reſpondit his Romanus: Ecce me præſto ſum,
Meus iſte ſanguis verus eſt, non bubulus:
Agnoſcis illum, quem loquor miſerrime
Pagane, veſtri ſanguinem ſacrum bovis,
Cujus litatâ cæde pertnadeſcitis.
Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Actâ in profundum conſecrandus mergitur,
Mitrè infulatus, feſta vittis tempora
Nectens, coronâ tum repexus aureâ,
Cinctu Gabino ſericam tultus togam.
Tabulis ſupernè ſtrata texunt pulpita,
Rimoſa rari pægmatis compagibus,
Scindunt ſubinde vel terebrant aream,
Crebróque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens fronte torvâ & hiſpidâ,
Sertis revinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur:
Necnon & auro frons coruſcat hoſtiæ,
Setáſque fulgor bractealis inficit.
Hìc ut ſtatuta eſt immolanda beſtia,
Pectus ſacrato dividunt venabulo,
Eructat amplum vulnus undam ſanguinis
Ferventis, ſinque texta pontis ſubditi
Fundit vaporum flumen, & latè æſtuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapſus imber, tabidum rorem pluit,
Deſoſſus intus quem ſacerdos excipit,

Guttas

Guttas ad omnes turpe subjectans caput,
Et veste & omni putrefactus corpore.
Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labra, nares objicit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus,
Nec jam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadaver sanguine egesto rigens,
Compage ab illâ flamines retraxerint,
Procedit indè pontifex visu horridus,
Ostentat udum verticem, barbam gravem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant atque adorant eminus,
Vilis quod illum sanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem sub cavernis laverint.
Addamus illam, vis, hecatomben tuam?
Centena ferro quum cadunt animalia,
Variâque abundans cæde restagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus
Possint meare per profundum sanguinem.
Sed quid macellum pingue pulvinarium,
Quid maximorum lanicinatores gregum,
Evisceratâ carne crudos criminor?
Sunt sacra, quando vosmetipsi exciditis,
Votivus & quum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque Matrem brachiis placat deam,
Furere ac rotari jus putatur mysticum,
Parta ad secandum dextra fertur impia,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine,
Offert pudendum semivir donum deæ:
Illam revulsa masculini germinis
Vena effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus sanctitati displicet,
Medium retentat inter alternum genus,
Mas esse cessat ille, nec fit fœmina,
Felix deorum Mater imberbes sibi
Parat ministros levibus novaculis.
Quid quum sacrandus accipit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt formacibus:
His membra pergunt urere, ut igniverint:
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmârit, hanc sic consecratam prædicant.
Functum deinde quum relinquit spiritus,
Et ad sepulcrum pompa fertur funeris,
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ,
Insignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo quod perustum est ignibus.
Has ferre pœnas cogitur gentilitas,
Hac dii coërcent lege cultores suos:
Sic dæmon ipse ludit hos, quos ceperit,
Docet execrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
At noster iste sanguis ex vestrâ fluit
Crudelitate, vos tyrannide impiâ
Exulceratis innocentum corpora.
Si vos sinatis, incruentè vivimus:
At si cruentè puniamur, vincimus.
Sed jam silebo, finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria:
Jam non licebit improbe, ut licuit modò,
Torquere nostra, vel secare viscera:
Cedas necesse est victus, & jam desinas.
Cessabit equidem tortor & sector dehinc,
Judex minatur, sed peremptoris manus
Succedet illis strangulatrix faucium,
Aliter silere nescit oris garruli
Vox inquieta, quàm tubam si fregero.
Dixit, torôque protrahi jussit virum,
Trudi in tenebras noxialis carceris,
Elidit illic fune collum martyris
Lictor nefandus. sic peracta est passio:
Anima absoluta vinculis, cœlum petit.
Gesta intimâsse cuncta fertur principi
Præfectus, addens ordinem voluminum,
Seriémque tantæ digerens tragœdiæ:
Lætatus, omne crimen in fastos refert
Suum tyrannus, chartulis vivacibus.
Illa sed ætas conficit diutina,
Fuligo fulcat, pulvis obducit situ,
Carpit senectus, aut ruinis obruit:
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit ullus in cœlis apex.
Excepit adstans angelus corum Deo,
Et quæ loquutus martyr, & quæ pertulit:
Nec verba solùm differentis condidit,
Sed ipsa pingens vulnera expressit stylo,
Laterum, genarum, pectorisque, & fauciam.
Omnis notata est sanguinis dimensio,
Ut quamque plagam sulcus exaraverit,
Altam, patentem, proximam, longam, brevem,
Quæ vis doloris, quive segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in regestis liber est cœlestibus,
Monimenta servans laudis indelebilis,
Relegendus olim sempiterno judici
Libramine æquo, qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.
Vellem sinister inter hœdorum greges
Ut sum futurus, eminus dignoscerer:
Atque hoc precante diceret rex optimus,
Romanus orat, transfer hunc hœdum mihi,
Sit dexter agnus, induatur vellere.

Passio Hippolyti Martyris ad Valerianum Episcopum.

INnumeros cineres sanctorum Romulâ in urbe
Vidimus, ô Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quæris
Nomina, difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Quum coleret patrios Troja Romana deos.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nôsse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub unâ
Reliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, & sicubi fortè latentes
Rerum apices veterum per mònumenta sequor:
Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans,
Usque ad martyrii provectum insigne tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicii.
Nec mirere senem perversi dogmatis olim
Munere ditatum catholicæ fidei.
Quum jam vesano victor raperetur ab hoste
Exultante animâ carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat,
Consultus, quænam secta foret melior,
Respondit: Fugite ô miseri execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam Paulus retinet, quámque cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget: venerabile martyr
Cerno, quod à cultu rebar abesse Dei.
His ubi detorsit lævo de tramite plebem,
Monstravitque sequi quà via dextra vocat:
Séque ducem recti spretis anfractibus idem
Præbuit, erroris qui priùs autor erat:
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc
Ostia vexanti per Tyberina viros.
Illo nanque die Româ secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret populos.
Non contentus humum celsæ intra mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis:
Janiculum quum jam madidum, fora, rostra, suburram
Corneret eluvie sanguinis affluere:
Protulerat rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
Quæque loca æquoreus proxima portus habet.
Inter carnifices, & constipata sedebat
Officia, extructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandsque rebelles
Idolii, ardebat dedere perfidiæ:
Carcereo crinita situ stare agmina contra
Jusserat horrendis excrucianda modis.
Indè catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Ungula fixa cavis costarum cratibus altos,
Pandere secessus, & lacerare jecur.

Ac

Digitized by Google

Ac jam laſſatis judex tortoribus ibat
In furias, caſsâ cognitione fremens.
Nullus enim Chriſti ex famulis per tanta repertus
Supplicia, auderet qui vitiare animam.
Inde furens quæſitor ait: Jam tortor ab uno
Define: ſi vana eſt quæſtio, morte agito.
Huic abſcinde caput, crux iſtum tollat in auras,
Viventéſque oculos offerat alitibus.
Hos rape præcipites, & vinctos conjice in ignem,
Sit pyra quæ multos devoret una reos.
En tibi quos properes rimoſa imponere cymbæ,
Pellere & in medii ſtagna profunda freti.
Quos ubi ſuſceptos rapidum maleſuta per æquor
Vexerit, & tumidis cæſa labârit aquis,
Diſſociata petrem laxent tabulata carinam,
Conceptémque bibant undique naufragium.
Squamea cœnoſo præſtabit ventre ſepulchrum
Bellua conſumptis cruda cadaveribus.
Hæc perſultanti, celſum ſubitò ante tribunal
Offertur ſenior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore ferebant,
Ipſum Chriſticolis eſſe caput populis.
Si foret extinctum properè caput, omnia vulgi
Pectora Romanis ſponte ſacranda deis.
Inſolitum lethi poſcunt genus, & nova pœna
Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille ſupinatâ reſidens cervice: Quis, inquit,
Dicitur? affirmant, dicier Hippolytum.
Ergo fit Hippolytus, quatiat, turbétque jugales,
Interéatque feris dilaceratus equis.
Vix hæc ille: duo cogunt animalia freni
Ignara inſueto ſubdere colla jugo,
Non ſtabulis, blandíve manu palpata magiſtri,
Imperiúmque equitis antè ſubacta pati.
Sed campeſtre vago nuper pecus è grege captum,
Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Jámque reluctantes ſuciârant vincula bigas,
Oráque diſcordi fœdere nexuerant.
Temonis vice funis ineſt, qui tergа duorum
Dividit, & medius tangit utrumque latus.
Déque jugo in longum ſe poſt veſtigia retrò
Protendens trahitur, tranſit & ima pedum,
Hujus ad extremum, ſequitur quà pulvere ſummo
Cornipedum refugas orbita trita vias,
Crura viri innectit laqueus, nodóque tenaci
Aſtringit plantas, cúmque rudente ligat.
Poſtquam compoſito ſatis inſtruxere paratu
Martyris ad pœnam, verbera, vincla, feras:
Inſtigant ſubitis clamoribus, atque flagellis,
Illiſque infeſtis perfodiunt ſtimulis.
Ultima vox audita ſenis venerabilis hæc eſt:
Hi rapiant artus, tu rape Chriſte animam.
Prorumpunt alacres, cæco & terrore feruntur,
Quà ſonus atque tremor, quà furor exagitant.
Incendit feritas, rapit impetus, & fragor urget,
Nec rurſus volucer mobile ſentit onus.
Per ſylvas, per ſaxa ruunt, non ripa retardat
Fluminis, aut torrens oppoſitus cohibet.
Proſternunt ſepes, & cuncta obſtacula rumpunt,
Prona, fragroſa petunt, ardua tranſiliunt.
Sciſſa minutatim labefacto corpore fruſta
Carpit ſpinigeris ilurpibus hiatus ager.
Pars ſummis pendet ſcopulis, pars ſentibus hæret:
Parte rubent frondes, parte madeſcit humus.
Exemplar ſceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes ſaxorum apices vidi optime Papa,
Purpureáſque notas vepribus impoſitas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
Luſerat è minio ruſſeolam ſaniem.
Cernere erat, ruptis compagibus, ordine nullo
Membra per incertos ſparſa jacere ſitus.
Addiderat charos greſſu lachrymáſque ſequentes,
Devia quà fractum ſemita monſtrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant,
Implebántque ſuos viſceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli contovet in gremio.
Hic humeros, truncáſque manus, & brachia, & ulnas,
E genua, & crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibula ſiccantur harenæ,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.

Si quis & in ſudibus recalenti aſpergine ſanguis
Inſidet, hunc omnem ſpongia preſſa rapit.
Nec jam denſa ſacro quicquam de corpore ſylva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.
Quúmque recenſitis conſtaret partibus, ille
Corporis integri qui fuerat, numerus:
Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, exterſis frondibus & ſcopulis,
Metando eligitur tumulo locus, Oſtia linquunt:
Roma placet, ſanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo cultæ ad pomeria vallo
Merſa latebroſis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractos luce latente docet.
Primas namque fores ſummo tenus intrat hiatu,
Illuſtrátque dies limina veſtibuli.
Indè ubi progreſſu facili nigreſcere viſa eſt
Nox obſcura, loci per ſpecus ambiguum,
Occurrunt celſis immenſa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc indè receſſus,
Arcta ſub umbroſis atria porticibus:
Attamen exciſi ſubter cava viſcera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem, luminibúſque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi appoſita eſt ara dicata Deo.
Illa ſacramenti donatrix menſa, eadémque
Cuſtos fida ſui martyris appoſita,
Servat ad æterni ſpem Judicis oſſa ſepulchro,
Paſcit item ſanctis Tybricolas dapibus.
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara,
Spes hominum placidâ proſperitate juvat.
Hic corruptellis, animíque & corporis æger
Oravi quoties ſtratus opem merui.
Quòd lætor reditu, quòd te venerande ſacerdos
Complecti licitum eſt, ſcribo quòd hæc eadem,
Hippolyto ſcio me debere, Deus cui Chriſtus
Poſſe dedit, quod quis poſtulet, annuere.
Ipſa, illas animæ exuvias quæ continet intus
Ædicula, argento fulgurat ex ſolido.
Præfixit tabulas dives manus æquore lævi,
Candentes, recavum quale nitet ſpeculum.
Nec Parîis contenta aditus obducere laxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Manè ſalutatum concurritur. omnis adorat
Pubis. eunt, redeunt, ſolis aduſque obitum.
Conglobat in cuneum Latios ſimul, ac peregrinos
Permiſtim populos religionis amor.
Oſcula perſpicuo ſigunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, ſtatibus ora rigant.
Jam cùm ſe renovat decurſis menſibus annus,
Natalémque diem paſſio feſta refert:
Quanta putas ſtudiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs Auguſta ſuos vomit effundítque Quirites,
Unà & Patritios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx umbonibus æquis
Diſcrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minùs Albanis acies ſe candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc indè viarum,
Indigena & Picens, plebs & Etruſca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
Campanus Capuæ, jámque Nolanus adeſt.
Quiſque ſuâ lætus cum conjuge, dulcibus & cum
Pignoribus, rapidum carpere geſtit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis denſa cohors ſpatiis.
Anguſtum tantis illud ſpecus eſſe catervis,
Haud dubium eſt, ampla fauce licèt pateat.
Stat ſed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celſum ſublimibus, atque ſuperbâ
Majeſtate potens, muneribúſque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Suſtinet, auratis ſuppoſitus trabibus.
Addunatur graciles tecto breviore receſſus,
Qui laterum ſeriem jugiter exſinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exurgens editiore apice.
Fronte ſub adverſâ gradibus ſublime tribunal
Tollitur, antiſtes prædicat unde Deum.

Plena

Plena laborantes ægre domus accipit undas,
Arctáque confertis æstuat in foribus,
Maternum pandens gremium, quo condat alumnos,
Ac foveat fœtos accumulata sinus.
Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat,
Prisco more diem: quem te quoque, sancte magister,
Annua festa inter dinumerare velim.
Crede, salutigeros fert hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia restituens.
Inter solennes Cypriani, vel Chelidoni,
Eulaliæque dies, currat & iste tibi.
Sic te pro populo, cujus tibi tradita vita est,
Orantem Christus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ovili,
Agna nec ulla tuum capta gregem minuat.
Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam pastor ovem referas.
Sic cum lacteolis caulas compleveris agnis,
Raptus & ipse sacro fis comes Hippolyto.

Passio beatorum Apostolorum Petri & Pauli.

PLus solito coeunt ad gaudia: dic amice quid sic
Romam per omnem cursitant, ovántque.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno
Vidit superbâ morte laureatum.
Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo
Binis dicatum cespitem trophæis.
Et crucis & gladii testis, quibus irrigans eadem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
Pendere jussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam magistri:
Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen.
Hoc mente major, quo minor figurâ.
Noverat ex humili cœlum citiùs solere adiri,
Dejecit ora, spiritum daturus.
Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diémque eundem Sol reduxit ortus:
Evomit in jugulum Pauli Nero fervidum furorem,
Jubet feriri gentium magistrum.
Ipse priùs sibimet finem citò dixerat futurum:
Ad Christum eundum est, jam resolvor, inquit.
Nec mora protrahitur, pœnæ datur, immolatur ense,
Non hora vatem, non dies fefellit.
Dividit ossa duûm Tybris, sacer ex utrâque ripâ,
Inter sacrata dum fluit sepulchra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Canens olivâ, & murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus, excitavit
Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc preciosa ruit per marmora, lubricátque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est ubi, lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura supernè tingit undas,
Musci relucent, & virescit aurum.
Cyaneúsque latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves adit, ipse illic gelidi rigore fontis
Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte aliâ titulum Pauli via servat Ostiensis,
Quà stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est: princeps bonus has sacravit arces
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo insigni varié cucurrit arcus,
Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo patre conferente dotes,
Urbi colendas quas dedit togatæ:
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulteriùs, quà fert via pontis Hadriani,
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtyberina priùs solvit sacra pervigil sacérdos,
Mox huc recurrit, duplicátque vota.
Hæc didicisse sat est Romæ tibi: tum domum reversus
Diem bifestum sic colas, memento.

Passio Cypriani martyris & Episcopi Carthaginensis.

PUnica terra tulit, quo splendeat omne quicquid usquam est:
Indè domo Cyprianum, sed decus orbis & magistrum,
Est proprius patriæ martyr, sed amore & ore noster.
Incubat in Libyâ sanguis, sed ubique lingua pollet:
Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit.
Dum genus esse hominum Christus sinet, & vigere mundum,
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra literarum,
Te leget omnis amans Christum, tua Cypriane discet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat autor in prophetas,
Fontibus eloquii te cælitus actus irrigavit.
O nive candidius linguæ genus, ô novum saporem,
Ut liquor ambrosius, cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fovet, & pererrat artus.
Sic Deus interius sentitur, & induitur medullis.
Unde bonum subitum terris dederis, pater, revela.
Deerat Apostolicis scriptis opulentus executor,
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quo magè cruda hominum præcordia perpolita nôssent,
Sive timoris opus, seu mystica vel profunda Christi:
Unus erat juvenum doctissimus, artibus siniſtris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulchra,
Quo geniale tori jus solveret æstuante nuptâ.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repentè Christus,
Discutit & tenebras de pectore, pellit & furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti.
Jámque figura alia est, quàm quæ fuit oris & nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in severam,
Desua cæsaries compescitur ad breves capillos:
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Vivere justitiam Christi, & penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus usque episcopale
Provehitur solium doctor, capit & sedile summum.
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus,
Constituêre simul pœnam capitis Deum fatenti.
Millia terrigenûm spurcissima jusserant sacrari.
Contrà animos populi doctor Cyprianus incitabat,
Ne quis ab egregiæ virtutis honore discreparet,
Neu fidei precium quis sumere degener timeret:
Esse levem cruciatum, si modò conferas futura,
Quæ Deus ipse viris intermina sortibus spopondit:
Merca doloris emi spem luminis, & diem perennem,
Omne malum volucri cum tempore transvolare curſim,
Nil grave quod peragi finis facit, & quiete donat:
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris,
Séque caput gladio submittere, sanguinem dicare:
Qui sociare animam Christo velit, ut comes sequatur.
His ubi corda virûm Christo calefacta præparavit,
Ducitur ante alios, Proconsule perfurente, victus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis, altiùs reposta,
Conscia tartareæ calignis, abdicata soli.
Clausus in his specubus sanctus Cyprianus, & catenâ
Nexus utrâque manu, nomen patris invocat supremi:
Omnipotens genitor, Christi decus, & creator orbis,
Christe parens hominis, quem diligis & vetas perire:
Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
Criminibus variis tinctum miseratus abluisti,
Jámque tuum fieri mandas, fio Cyprianus alter,
Et novus ex veteri, nec jam reus, aut nocens, ut antè,
Si luteum facili charismate pectus expálsti:
Vise libens tenebris ergastula cæca dissipatis,
Eripe corporeo de carcere, vinculisque mundi
Hanc animam: liceat fuso tibi sanguine immolari,
Ne qua ferum reprimat clementia judicem tyranni,
Neu sciat invidia mitescere, gloriam negare.
Da quoque ne quis iners sit de grege, quem tuum regebam:
Ne cadat impatiens pœnæ, titubétve quis tuorum,
Incolumem ut numerum reddam tibi, debitúmque solvam.
Vocibus his Dominum permoverat: influebat indè
Spiritus in populum Carthaginis, autor acrioris
Ingenii, stimulis ut pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum,
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere, & fidem tueri.
Fama refert, foveam campi in medio patere jussam,
Calce vaporiferâ summos propè margines refertam:

Saxa

Saxa recocta vomunt ignem, nivéuſque pulvis ardet,
Urere tacta potens, & mortifer ex odore flatus,
Appoſitam memorant aram foveâ ſtetiſſe ſummâ
Lege ſub hac, ſalis aut micam, jecur & ſuis litarent
Chriſticolæ, aut mediæ ſponte inruerent in ima foſſæ.
Proſiluere alacres curſu rapido ſimul trecenti,
Gurgite pulvereo merſos liquor aridus voravit,
Præcipitémque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes,
Candida maſſa dehinc dici meruit per omne ſeclum:
Lætior interea jam Thaſcius ob diem ſuorum,
Siſtitur indomiti Proconſulis eminus furori.
Edere juſſus erat, quid viveret: Unicultor, inquit,
Servo ſalutiferi myſteria conſecrata Chriſti.
Ille ſub hæc: Satis eſt jam criminis, ipſe confitetur
Thaſcius, ipſe Jovis fulmen negat. expedite ferrum,
Carnificis gladio pœnam luat hoſtis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, & canit triumphans.
Flevit obire virum mœſta Africa, quo docente facta eſt
Cultior, eloquio cujus ſibi docta gloriatur. [vit.
Mox tumulum lachrymans ſtruxit, cineréſque conſecra-
Deſine flere bonum tantum: tenet ille regna cœli,
Nec minùs involitat terris, nec ab hoc recedit orbe,
Diſſerit, eloquitur, tractat, docet, inſtruit, prophetat.
Nec Libyæ populos tantùm regit, exit uſque in ortum
Solis, & uſque obitum. Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præſidet Heſperiæ, Chriſtum ſerit ultimis Hiberis.
Denique doctor humi eſt, idem quoque martyr in ſupernis,
Inſtruit hìc homines, illinc pia dona dat patronus.

Paſſio Agnetis martyris.

AGnis ſepulchrum eſt Romuleâ in domo
Fortis puellæ, martyris inclytæ.
Conſpectu in ipſo condita turrium
Servat ſalutem virgo Quiritium:
Nec non & ipſos protegit advenas,
Puro ac fideli pectore ſupplices.
Duplex corona eſt præſtita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt jugali vix habilem toro
Primis in annis fortè puellulam
Chriſto calentem, fortiter impiis
Juſſis reniſam, quo minus idolis
Addicta, ſacram deſereret fidem.
Tentata multis nam priùs artibus,
Nunc ore blandi judicis illice,
Nunc ſævientis carnificis minis,
Stabat feroci robore pertinax,
Corpúſque duris excruciatibus
Ultrò offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus, ſi facile eſt, ait,
Pœnam ſubactis ferre doloribus,
Et vita vilis ſpernitur, at pudor
Charus dicatæ virginitatis eſt.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum eſt, ad aram ni caput adplicat,
Ac de Minervâ jam veniam rogat,
Quam virgo pergit temnere virginem.
Omnis juventus inruat, & novum
Ludibriorum mancipium petat.
Haud, inquit Agnes, immemor eſt ita
Chriſtus ſuorum, perdat ut aureum
Nobis pudorem, nos quoque deſerat.
Præſtò eſt pudicis, nec patitur ſacra
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis ſanguine, ſi voles,
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocutam, publicitus jubet
Flexu in plateæ ſiſtere virginem.
Stantem refugit mœſta frequentia,
Averſa vultus, ne petulantius
Quiſquam verendum conſpiceret locum.
Intendit unus fortè procaciter
Os in puellam, nec trepidat ſacram
Spectare formam lumine lubrico:
En ales ignis, fulminis in modum
Vibratur ardens, atque oculos ferit:
Cæcus coruſco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt ſodales ſeminecem ſolo,
Verbíſque deflent exequialibus.
Ibat triumphans virgo, Deum patrem
Chriſtúmque ſacro carmine concinens,
Quòd ſub profani labe periculi
Caſtum lupanar nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam retulerint preces
Fudiſſe Chriſto, redderet ut reo
Lucem jacenti: tum juveni halitum
Vitæ innovatum viſibus integris.
Primum ſed Agnes hunc habuit gradum
Cœleſtis aulæ; mox alius datur
Aſcenſus, iram nam furor incitat
Hoſtis cruenti: Vincor, ait gemens,
I, ſtringe ferrum, miles, & exere
Præcepta ſummi regis principis.
Ut vidit Agnes ſtare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quòd potiùs venit
Veſanus, atrox, turbidus, armiger,
Quàm ſi veniret languidus, ac tener,
Molliſque ephebus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic, hic amator jam fateor placet:
Ibo inruentis greſſibus obviàm,
Nec demorabor vota calentia:
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectúſque ad imum vim gladii traham.
Sic nupta Chriſto tranſiliam poli
Omnes tenebras, æthere celſior.
Æternæ rector, divide januas
Cœli obſeratas terrigenis priùs,
Ac te ſequentem Chriſte animam voca,
Quum virginalem, tum patris hoſtiam.
Sic fata, Chriſtum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus ut imminens
Cervix ſubiret prona paratiùs.
Aſt ille tantam ſpem peragit manu,
Uno ſub ictu nam caput amputat.
Senſum doloris mors cita prævenit.
Exutus indè ſpiritus emicat,
Libérque in auras exilit. Angeli
Sepſere euntem tramite candido.
Miratur orbem ſub pedibus ſitum,
Spectat tenebras arduas ſubditas,
Ridétque ſolis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit & implicat,
Rerum quod atro turbine vivitur,
Quod vana ſecli mobilitas rapit:
Reges, tyrannos, imperia, & gradus,
Pompáſque honorum ſtulta tumentium,
Argenti & auri vim rabida ſiti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo ſtructa habitacula.
Illuſa pictæ veſtis inania,
Iram, timorem, vota, pericula.
Nunc triſte longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigreſcit unde ſpes hominum & decus:
Et quod malorum tetrius omnium eſt,
Gentilitatis ſordida nubila.
Hæc calcat Agnes, ac pede proterit,
Stans, & draconis calce premens caput;
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit & inferis.
Nunc virginali perdomitus ſolo,
Criſtas cerebri deprimit ignei,
Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ,
Unam decemplex edita ſexies
Merces perenni lumine conficit:
Centenus extat fructus in alterâ.
O virgo felix, ô nova gloria,
Cœleſtis arcis nobilis incola,
Intende noſtris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate,
Cui poſſe ſoli cunctipareus dedit
Caſtum vel ipſum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, noſtrum ſi jecur impleas,
Nil non pudicum eſt, quod pia viſere
Dignaris, almo vel pede tangere.

ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ, id est, DE DIVINITATE.

EST tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus.
Corde patris genita est Sapientia, Filius ipse est.
Sanctus ab æterno subsilit Spiritus ore,
Tempore nec senior Pater est, nec numine major:
Nam sapiens retro semper Deus, edidit ex se
Per quod semper erat gignenda ad secula Verbum.
Edere sed verbum Patris est: at cætera Verbi,
Adsumptum gestare hominem, reparare peremptum,
Conciliare Patri, dextráque in sede locare.
Spiritus ista Dei complet, Deus ipse fideles
In populos charisma suum diffundere promptus,
Et Patris & Christi virtutem in corpora transfert.

Hymnus in infideles.

EST vera secta? te, magister, consulo,
Rectáne servamus fidem?
An viperina non cavemus dogmata?
Et nescienter labimur?
Arctam salutis vix viam discernere est
Inter reflexas semitas.
Tam multa surgunt perfidorum compita,
Tortis polita erroribus,
Obliqua quà se conferunt divortia,
Hinc indè textis orbitis.
Quas si quis errans ac vagus sectabitur
Rectum relinquens tramitem,
Scrobis latentis pronus in foveam ruet,
Quam fodit hostilis manus,
Manus latronum, quæ viantis obsidet
Iter, sequentis devium.
Quid non libido mentis humanæ struat?
Quid non malorum pruriat?
Stratum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus,
Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque linguâ nequior.
Solvunt, ligántque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis sycophantarum strophis,
Væ versipelli astutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta differtantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica.
Déque imbecillis subjugavit fortia,
Simplex ut esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem vanitas.
Signum caventi, non caventi scandalum:
Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat cæcus incerto gradu,
Incurrit id quod obvium est.
Fax sola fidei est præferenda greffibus,
Ut recta sint vestigia.
Quis in tenebris hostis errantes tamen
Pulsat, trahítque & proterit.
Qui sparsa ad ipsum commeantem transitum
Frumenta sævus devorat.
Qui læta Christi culta fur interpolat,
Addens avenas æmulas,
Quas de veneni lacte in herbam fertilem
Patitur colonus crescere:
Ne fortè culmum fibra inanis spiceum
Simul revulsa internecet.
Expectat ergo dum dolosa & ferrea
Fervens coquat maturitas.
Det ventilabro lecta quæque ut horreis
Urat recrementum focis.
Refert sed ipsa nôsse, quæ messem necant,
Zizaniorum semina.

Contra hæresin quæ Patrem passum affirmat.

PLurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculent malè prodita linguam.
Ille patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec pavet ipsum
Objectare neci, duróque adfigere ligno.
Passibilisne Deus? cujus species, & imago
Nulli visa unquam: nec enim comprendier illa
Majestas facilis sensúve, oculísve, manúve.
Joannis magni celebris sententia præstò est,
Haud unquam testata Deum potuisse videri.
Ille pater, quem nulla acies violenta tuendo
Eminus, ardentis penetravit acumine vistis,
Qui se formâ hominis non induit, & deitatis
Immensum adsumpto non temperat ore, modóve.
Aut Evangelici pietas spernenda libelli
Jam blaspheme tibi est: aut nunquam visa beati
Vis intacta patris, non admiscenda caducis:
Sed tamen & patris est specimen, quod cernere fas sit
Humanis aliquando oculis concurrere promptum.
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco
Humentíque acie potuit nebulosus adire,
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit gnatum: nam filius hoc est,
Quod de patre micans se præstitit inspiciendum
Per species quas posset homo comprendere visu.
Nam mera majestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo ni se moderamine formet.
Hoc vidit princeps generosi seminis Abram,
Jam tunc dignati terras invisere Christi
Hospes homo, in triplicem numen radiâsse figuram:
Hoc conluctantis tractârunt brachia Jacob.
Ipse dator legis divinæ accedere coràm
Jussus, amicitiæ conlato qui stetit ore
Comminus, & sacris conjunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit.
Sed majora petens, animum per vota tetendit
Inconcessa homini, plus quam mortale laborans
Ipsum quantus erat sinè corpore visere Christum.
Denique post multi sermonis mutua, póstque
Conspectum præsentis heri, & consortia longa,
Quæso, ait, ut liceat te nunc Deus optime nôsse.
Respondit Dominus: Mea, non me cernere, juslis
Posteriora dabo: quid apertius, absque alienâ
Quàm sumat facie verbum non posse videri?
Posse tamen, quum malit idem, nunquam patre viso
Terrenis oculis, habitu se ostendere nostro:
Sæpe & in angelicas vel mortales moderatum
Induci species, queat ut sub imagine cerni.
Hoc Verbum est, quod vibratum patris ore benigno
Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.
Indè figura hominis, nondum sub carne Moysi
Objecta, effigiem nostri signaverat oris:
Quod quandoque Deus verbi virtute coactum
Sumpturus corpus, faciem referebat eandem.
Sed tamen & sentum visa est excita cremare
Flamma rubum. Deus in spinis volitabat acutis,
Vulnificásque comas innoxius ignis agebat,
Esset ut exemplo, Deus inlapsurus in artus
Spiniferos, sudibus quos texunt crimina densis,
Et peccata malis hirsuta doloribus implent.
Inculto nam stirpe frutex vitiosus iniquis
Luxuriem virgis inhonesto effundere succo
Cœperat, & nodos per acumina crebra ligabat.
Cernere erat steriles subitò splendescere frondes,
Accensúsque citum foliis magno impete latè
Conlucere Deum, nec spinea lædere texta,
Lambere sanguineos fructus, & poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.
Quandoquidem tristes purgantur sanguine culpæ,
Quem contorta rubus densis cruciatibus edit.
Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum
Lumen, imago Dei, Verbum Deus, & Deus ignis,
Qui sentum nostri peccamen corporis implet:
Nam lucis genitor, Verbi sator, auctor, & ignis
Creditur extra oculos, ut Apostolus edocet, autor,
Qui negat intuitu fontem Deitatis adiri:
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons
Visibilis. cerni potis est qui nascitur, at non
Innatus cerni potis est: latet os patris illud,
Unde Deus, qui visibilem se præstitit olim,
Tale aliquid formans in sese, quale sequuta est
Passio, quæ corpus sibi vendicat: ardua nam vis
Est impassibilis, quoniam natura superni
Ignis ad horrificas nescit descendere pœnas,
Nec capit humanis angoribus excruciari,
Pura, serena, micans, liquido prælibera motu,
Subdita nec cuiquam, dominatrix utpote rerum:
Cui non principium de tempore, sed super omne
Tempus, & antè diem majestas cùm patre summo,
Inò

Imò animus patris, & ratio, & via conſiliorum,
Quæ non facta manu, nec voce creata jubentis,
Protulit imperium patrio ruĉtata profundo.
Hanc igitur non flagra ſecant, non ſputa ſalivis
Aſpergunt, alapis non vexat palma relidis:
Nec perfoſſa cruci clavorum vulnera figunt.
His affecta caro eſt hominis, quam fœmina prægnans
Enixa eſt ſub lege uteri ſinè lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, & haurit acetum,
Ille pavet mortis faciem, tremit ille dolorem.
Dicite ſacrilegi doctores, qui patre ſummo
Deſertum jacuiſſe thronum contenditis, illo
Tempore quo fragiles Deus eſt inlapſus in artus:
Ergo pater paſſus? quid non malus audeat error?
Ille puellari conceptus ſanguine crevit,
Ipſe verecundæ diſtendit virginis alvum,
Et jam falſiloqua eſt divini pagina libri,
Quæ verbum in carnis loquitur fluxiſſe figuram?
At non, qui verbi pater eſt, caro factus habetur:
Fige gradum ſcriptura tuum, nil mobile & anceps
Adfirmâſſe decet: pater eſt, quem cernere nulli
Eſt licitum; pater eſt, qui nunquam viſus in orbe eſt.
Nec mundana inter radiavit lumina coram.
Verbum conſpicuum miſit, miſſúmque recepit
Quum voluit, verbo præſtrinxit viſcera puræ
Virginis, & verbo ſtruxit puerilia membra.
Ipſe quidem in terris virtute & numine præſens
Semper adeſt quocunque loci, nec pars vacat ulla
Majeſtate patris, nuſquam eſt genitor Deus abſens,
Per verbum ſed ſemper adeſt: atque indè Philippo
Chriſtus ait: Tanto tecum jam tempore verſor,
Et patrem te nôſſe negas, quem perſpicis in me?
Eſt invifibilis donum patris, edere natum
Viſibilem, per quem valeat pater ipſe videri.
Nec ſolis ſanctorum oculis, ſed lumine caſſis,
Cæcorum cæcos loquor, atra ſocordia quorum
Corde tenebroſo verum perpendere neſcit,
Quem ſi perſpicuum mortalibus inficiaris,
Fare age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus
Innocuus inter flammas procul exſpaciantem,
Calcantem rapidos inaduſtis fratribus ignes:
Nempe ait, ô proceres, tres vaſta incendia anhelis
Accepere viros fornacibus, additus unus
Ecce vaporiferos ridens interſecat ignes,
Filius ille Dei eſt, fateor, quem victus adoro:
Inriſas removete faces, tedâque tepentes
Subtrahite, en friget ſuccenſi ſulphuris ardor.
Filius, haud dubium eſt, agit hæc miracula rerum,
Quem video: Deus ipſe, Dei certiſſima proles,
Imperat immenſis ardoribus, & domat iras,
Inſultans famulante rogo, piceóſque furores
Comprimit, & rabiem flammarum algeſcere cogit:
Barbaricos calida aura ſinus non tangere juſſa
Præterit, & tenues ſtridens tranſcurrit amictus.
Ipſe per Aſſyrias metuit vapor ire tiaras,
Ne coma fuſa humeris fumo obſordeſcat amaro.
Hæc ait, & varios jubet obmuteſcere cantus,
Organa, ſambucas, citharas, calamóſque, tubáſque.
Stulta ſuperſtitio tacuit, vox feſta quievit,
Quæ malè conſpicuæ celebrabat imaginis aurum.
Carmina ſanctorum reſonant jam ſola virorum,
Concentu triplici regem laudantia cœli:
Qui mare, qui terras, qui lucida ſidera fecit,
Ignibus & mediis ſecuros texit alumnos.
Semper in auxilium ſermo patris omnipotentis
Deſcendit ſervando homini, mortalia ſemper
Admiſcenda ſibi proprio curavit amore,
Ut ſocianda caro, dominóque implenda perenni,
Degenerem vitam, quam tunc animalis agebat,
Exemplo mutaret heri, ſimiléſque per artus
Cernere conſortem terreni adſueſceret oris,
Participémque ſuum viſu velut obſide nôſſe,
Et conſanguineo paulatim accedere Chriſto.
Ergo animalis homo quondam, nunc ſpiritus illum
Tranſtulit ad ſuperi naturam ſeminis, ipſum
Infundendo Deum, mortalia vivificantem.
Nunc nova materies ſolidata intercute flatu,
Materies ſed noſtra tamen de virgine tracta,
Exuit antiquæ corrupta exordia vitæ,
Immortale bonum proprio ſpiramine ſumens.
Filius ille hominis, ſed filius ille Tonantis,
Jam ſolus vultum patris aſpicit, & videt ipſum.
Nemo patrem novit niſi filius, & cui monſtrat
Filius, & noſtri mediator, & omnipotentis.

Denique concludam brevis ut compendia ſummæ:
Non pater in carnem deſcendit, ſed patris arcem
Sumpta caro aſcendit: natus per utrumque cucurrit.

Contra Unionitas, id eſt, Sabellianos hæreticos.

CEde profanator Chriſti, jam cede Sabelli,
Depolitórque patris, natſque inſane negator.
Nónne patrem violas, dum natum ſcire recuſas?
Quandoquidem non eſt genitor, niſi filius extet:
Nec vocitare patrem potis es, quem germine fraudas.
Sed fortaſſe velis patriæ pietatis honore
Deſpoliare Deum, contentus nomine nudo,
Quod Deus eſt, adimáſque decus patris, & generis vim.
Et quis in idolio recubans, inter ſacra mille,
Ridiculóſque deos venerans ſale, ceſpite, thure,
Non putat eſſe Deum ſummum, & ſuper omnia ſolum?
Quamvis Saturnis, Junonibus, & Cytheræis,
Portentiſque aliis fumantes conſecret aras:
Attamen in cœlum quoties ſuſpexit, in uno
Conſtituit jus omne Deo, cui ſerviat ingens
Virtutum ratio variis inſtructa miniſtris.
Quæ gens tam ſtolida eſt animis, tam barbara linguis?
Quæve ſuperſtitio tam ſordida, quæ caniformem,
Latrantémque throno cœli præponat Anubim?
Nemo Cloacinæ, aut Eponæ ſuper aſtra deabus
Dat ſolium, quamvis olidam perſolvat acerram,
Sacrilegiſque molam manibus rimetur & exta.
Conſule barbati deliramenta Platonis,
Conſule & hircoſus Cynicus quos ſomniat, & quos
Texit Ariſtoteles tortâ vertigine nervos:
Hos omnes quamvis anceps labyrinthus & error
Circumflexus agat, quamvis promittere & ipſi
Gallinam ſoleant, aut gallum, clinicus ut ſe
Dignetur præſtare Deus morientibus æquum,
Quum ventum tamen ad normam rationis & artis
Turbidulos ſenſus & litigioſa fragoſis
Argumenta modis concludunt numen in unum,
Cujus ad arbitrium ſphæra mobilis atque rotunda
Volvatur, ſervéntque ſuos vaga ſidera curſus.
Non recipit natura hominis, modò quadrupes ille
Non ſit, & erecto ſpectet cœleſtia vultu:
Non recipit, neget ut regimen pollere ſupremum.
Iſtud & ipſe Numæ tacitus ſibi ſenſit aruſpex,
Semifer & Scotus ſentit cane milite pejor.
Sed nos qui Dominum libeis, & corpore jam bis
Vidimus, antè fide, mox carne, & ſanguine coràm,
Quinque voluminibus vatum, cruce teſte, probatis
Rimantes digitos coſtarum in vulnera cruda
Merſimus, & manuum viſu dubitante lacunas
Scrutati, æternum regem cognovimus Ieſum,
Abjurare Deo titulum noménque paternum
Credimus eſſe nefas, qui regem protulit ex ſe:
Non regem populi Parthorum aut Romulidarum,
Sed regem ſummæ & mediæ rationis & imæ,
Atque ideo rerum dominum, & ſuper omnia regem.
Carnis habet medium, ſummum patris, & Stygis imum,
Defluit his gradibus, rurſúſque revolvitur in ſe.
Eſt Deus, eſt & homo: ſit mortuus, & Deus idem eſt,
Omnia percurrit naturæ munia pronæ,
Ut rurſum patris in gremium replicata reportet
Mortua quæ fuerant, ipſos quoque ſubvehat artus.
Hæc fore quum veterum cecinilſent organa vatum,
Nos oculis, manibus, congreſſu, voce, loquelâ
Experti, heroum tandem intelleximus orſa
Priſcorum, & viſo patefacta oracula Chriſto.
Hæc eſt noſtra ſalus, hinc vivimus, hinc animamur,
Hoc ſequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare patrem, patris & ſinè nomine nunquam
Natum nôſſe Deum, nunquam niſi ſanctus & unus
Spiritus interſit, natúmque patrémque vocare:
Sic tamen hæc conſtare tria, ut ne ſepare ductu
Tres faciam, tribus his ſubſiſtat ſed Deus unus.
Nec pater ipſe autem qui filius, ut quia natum
Scimus ab ingato, verè pater, & ſata verè
Sit ſoboles, nec ſit genitor ſibi filius ipſe.
Perquam ridiculum eſt & futile, natus ut ex ſe;
Sive ſupernatus fuerit ſibi, ipſe repentè
Naſcendi nova materies, ac ſe Deus ultro
Ediderit, natúmque ſibi ſe fecerit ipſum.
Nil falſum aut mendax divina vocabula fingunt.
Qui pater eſt, gignendo pater: tum filius ex hoc
Filius, autore ut genitus qui ſit patre ſummo,
Summus & ipſe tamen: nec enim minor aut patre diſpar.
Unde in utroque operis forma indiſcreta, niſi omnem

Vim majestatis patriæ generosus haberet
Filius, Idque Deus genitor, quod filius, esset?
Pergunt altrorsùs scrutantes, quid sit idipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta, diésque
Prævenit antiquos, & principium super ipsum
Eminet, & quodcunque potest homo quærere, transit,
Quum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina, cui dubitur mortali exquirere, quidnam
Ultrà principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit verbum, quod principio caret omni?
Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus, quem
Non genitus genitor generaverit, unus & unum,
Integer integrum: non cœptum, sed tamen ortum,
Et conperpetuum retro patris, & patre natum.
Sed nec decisus pater est, ut pars patris esset
Filius, extendens nec se substantia tractim
Produxit, minuitve aliquid de numine pleno;
Dum mutata novum procudit portio natum.
Non convertibilis, nec demutabilis unquam
Est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit: atqui
Totus & ex toto Deus est, de lumine lumen.
Quando autem lumen sinè lumine? quando refulgens
Lux fulgore caret? quando est ut proditus ignis
Ignem deminuat? quando pater & Deus & lux,
Non lucis Deus & pater est? qui si pater olim
Non fuit, & ferum genuit post tempora natum,
Fit novus, inque novum jus profich: abit ut unquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
Et Deus, & genitor, lumenque & gloria semper
Ille fuit, nec post sibi contulit ut pater esset.
Sic fit ut æternum credamus cum patre Christum,
Illo autore satum, cui nullus præfuit autor.
Hæc tu si dubitas nati mysteria Christi,
Perdite, catholicâ non es de plebe, sed unus
De grege thurifero veterator, Deucalionum
Devotus cippo, ficulni & stipitis unctor.
Quin potiùs scrutare Dei signacula in ipso
Fonte vetustatis, percurre scrinia primi
Scriptoris, quem non barbus pater, aut avus auctor,
Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec sagò clangore loquax & stridula coemix
Rem docuere Dei: sed coram proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mittis amico
Imbuit alloquio: séque ac sua summa retexit.
Nimirùm meminit scriptor doctissimus illo
Orbis principio non solùm, nec sinè Christo
Informâsse patrem facturæ plasma novellæ:
Fecit, ait, condens hominem Deus, & dedit olli
Ora Dei. quidnam est aliud, quàm dicere, solus
Non erat? atque Deo Deus adstitebat agenti,
Quum Dominus faceret Domini sub imagine plasma?
Christus forma patris, nos Christi forma & imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paternâ,
Venturo in nostram faciem post sæcula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,
Ni refugis, quæ te doceant, non in patre solo
Vim majestatis positam, sed cum patre Christum
Esse Deum, velut ille ait genealogus idem:
A Domino Dominus flammas pluit in Sodomitas.
Quis Dominus? de quo Domino? si solus ab æde
Siderea spectat pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam Domini patris ignibus iram
Spargebat Dominus: sunt unum fulmen utrumque.

Adversus Judæos.

HÆC si Judaicos sic intellecta rigâssent
Auditus, stupidas ut possent tangere fibras,
Audissent Dominum virturum, qui pereuntes
Venerat ut servaret oves: sed ab auribus omnis
Fluxerat ornatus, caput & jam coctile Bahal
Finxerat, auriculâsque suo spoliârat honore.
Dux populi peccantis adest de monte coruscî
Luminis, alloquióque Dei, tabulâsque tremendo
Incisas digito cæca ad tentoria defert.
Sed cadit in faciem plebs, non visura profundo
Legis in effigie scriptum per ænigmata Christum:
Infelix, quæ luce oculos perstricta paventes
Texerit, & presso faciem velârit amictu.
At nos rejecto Christum velamine coràm
Cernimus, atque Deum vultu speculamur aperto:
Nec sub lege gravi deprelsâ fronte jacemus,
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.
Heu frondosa priùs ramis felicibus arbor,
Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis!
Ecce tibi inserto revirescit nunc oleastro
Truncus, & externi vestitur cortice libri.
Jam miserere tui. non se sylvestris olivi
Surculus, exultans alieno stipite jactat:
Sed monet ut generis proprii memor, unguine amaro
Contristare comas delicescas, stirpe nec imo
Invideas missis in celsa cacumina virgis.
Blasphemas dominum gens ingratissima Christum.
Pascha tuum dic, dic cujus de sanguine festum
Tam solenne tibi est? quis tandem cæditur agnus
Anniculus, sacer ille tibi redeuntibus annis?
Sed sacer in pecude. stultum est sic credere sacrum
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lascivire choris, similaginis azymon esse,
Quum fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis imprudens nostrum te effingere pascha?
Legis & antiquæ præductis pingere sulcis,
Omne sacramentum, retinet quod passio vera,
Passio quæ nostram defendit sanguine frontem,
Corporesimque domum signato collinit ore.
Hanc fugit exclusis Ægyptia plaga flagellis,
Hæc regis Pharii regnum ferale resolvit,
Déque potestatis mundanæ grandine densa
Eripit Abraham cum stirpe & gente fideli.
Abrahæ genus est verum, cui languis in ore
Creditus, inscriptúsque rubet: cui visus in orbe,
Haud dubitante fide Deus est, Deus ex patre verus.
Ille Deum vidit, visum mox credidit. At tu
Posteritas carnis, carnaliter omnia cernens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus impet
Interior: nec enim lex cælo carnem sluxit,
Quam tu carne colis: sed Christo sita, melinque
Spem paritura utero. quam spem? nisi numinis almam
Lumen, & adventum Domini, quem viderat Abra
Prima fides, nostrisque parer promiserat olim
Perspiciendum oculis, & legis voce probandum:
Nec solùm legis: nam quæ jam lucra Christum
Non habet, aut quæ non scriptorum armaria Christi
Laude referta, novis celebrant miracula libris?
Hebræus pangit filius, Attica copia pangit,
Pangit & Ausoniæ facundia tertia linguæ.
Pilatus jubet ignorans: I, scriba, tripertis
Digere versiculis, quæ sit suffixa potestas,
Fronte crucis: titulus sit triplex triplice linguâ.
Agnoscat Judæa legens, & Græcia nôrit,
Et venerata Deum percenseat aurea Roma.
Quicquid in ore cavo rebomus tuba cerva remugit,
Quicquid in arcano vomit ingens spiritus hausta,
Quicquid casta chelys, quicquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddant vocibus antra,
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam, fidibus sanctis animata, loquuntur.
O nomen prædulce mihi, lux, & decus, & spes,
Præsidiúmque meum, requies ô certa laborum,
Blandus in ore sapor, flagrans odor, intimus æstus,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas.
Si gens surda negat sibi tot præconia de te,
Tam multas rerum voces, elementáque tanta
Nuncia lætitiæ stolidas intrare per aures,
Audiat insanum bacchantis energima monstri,
Quod rabidus clamat capra inter viscera dæmon,
Et credat miseranda suis. torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini: Fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solve latentes.
Mancipium Christi fur corruptissime vexas:
Desine, Christus adest humani corporis ultor:
Non licet ut spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus jubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Ejulat, & notos suspirat Jupiter ignes.
Ecce Gerasenos legio ruit effera porcos,
Et post multiplices busti sub rupe catenas,
Pœnarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamârat, sed ab ore hominis: Cognoscimus, Iesu
Nate Deo, nate sceptris & germine David,
Quis sis, quid venias: qua nos virtute repellas
Novimus, adventúsque tui terrore jacemus.
Hæc, Judæa, tuas vox non pervenit ad aures?
Pervenit: mentem sed non penetravit egenam

Lucis,

Lucis, & à primis foribus diſcluſa refugit.
Audiit adventum domini, quem ſolis Hiberi
Veſper habet roſeus, & quem novus excipit ortus.
Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox Evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas
Solvit, ut exutus glacie jam mollior amnis
Caucaſeâ de cote fluat Rhodopeius Hebrus.
Manſuevere Getæ, feritáſque cruenta Geloni
Lacte mero ſitiens exanguia pocula miſcet,
Libatura ſacros Chriſti de ſanguine potus.
Novit & Atlantis pridem plaga perfida Mauri,
Dedere crinitos ad Chriſti altaria reges.
Ex quo mortalem præſtrinxit ſpiritus alvum,
Spiritus ille Dei; Deus & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit.
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodas Cortina regit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores,
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec reſponſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon:
Ipſa ſuis Chriſtum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, deſtructáque templa
Imperio cecidiſſe ducum. jam purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Chriſti,
Vexillúmque crucis ſummus dominator adorat.
Principibus tamen è cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortiſſimus armis,
Conditor & legum, celeberrimus ore manúque,
Conſultor patriæ, ſed non conſultor habendæ
Religionis, amans tercentum millia divûm.
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus urbi,
Auguſtum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, & ſoleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incerare Dianæ.
Quin & Apollineo frontem ſubmittere gypſo,
Aut Pollucis equum ſuffire ardentibus extis.
Fortè litans Hecaten placabat ſanguine multo:
Pontificum feſtis ferienda ſecuribus illic
Agmina vaccarum ſteterant, vitulíſque revinctis
Fronte coronatas umbrabat torta cupreſſus.
Jámque inſertano reſerabat viſcera cultro
Vittatus de more ſenex, manibúſque cruentis
Tractabat trepidas Lethali frigore fibras,
Poſtremóſque animæ pulſus in corde tepentî
Callidus interpres numeris & fine notabat:
Quum ſubitò exclamat media inter ſacra ſacerdos
Pallidus: Ea quid ago? majus, rex optime, majus
Neſcio quod numen noſtris intervenit aris,
Quàm ferre queant ſpumantia cymbia lacte,
Cæſarum ſanguis pecudum, verbena, coronæ.
Accitas video longè diſpergier umbras,
Territa Perſephone vertit veſtigia retro,
Extinctis facibus, fracto fugitiva flagello.
Nil agit arcanum murmur, nil Theſſala prôſunt
Carmina, turbatos revocat nulla hoſtia manes.
Nónne vides ut thuribulis frigentibus ignis
Marceat? ut canis pigreſcat pruna favillis?
Ecce Palatinas pateram retinere miniſter
Non valet, eliſâ deſtillant balſama dextrâ.
Flamen & ipſe ſuas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum fruſtratur victima ferrum.
Neſcio quis certè ſubrepſit Chriſticolarum
Hic juvenum, genus hoc hominum tremit inſula & omne
Pulvinar divûm: totus procul abſit, & unctus.
Pulchra reformatis redeat Proſerpina ſacris.
Dixit, & exanguis conſabbat: ac velut ipſum
Cerneret exerto minitantem fulmine Chriſtum,
Ipſe quoque examinis poſito diademate princeps
Pallet, & ſtantes circumſpicit: ecquis alumnus
Chriſmatis inſcripto ſignaret tempora ligno,
Qui Zoroaſtreos turbáſſet fronde ſuſurros.
Armiger è cuneo quorumdam flavicomantum
Purpurei cuſtos lateris deprenditur unus.
Nec negat, & gemino gemmata haſtilia ferro
Projicit, ac ſignum Chriſti ſe ferre fatetur.
Proſiluit pavidus dejecto antiſtite princeps,
Marmoreum fugiens nullo comitante ſacellum.
Dum tremefacta cohors, dominoſque oblita, ſupinas
Erigit ad cœlum facies, atque invocat Jeſum.
Jámne piget facti? jam pœnitet? en tibi Chriſtum,
Infelix Judæa, Deum, qui ſabbata ſolvens
Terrea, mortales æterna in ſabbata ſumpſit.
Gentibus emicuit, prafulſit regibus, orbem
Poſſidet, imperii dominam ſibi cedere Romam
Compulit, & ſimulachra deûm Tarpeia ſubegit.
Diſce tuis miſeranda malis, quo vindice tandem
Vana ſuperſtitio, lex & carnaliter acta
Plectatur, cujus virtus te proterat ultrix.
Deſtructóne jacent Salomonia ſaxa metallo
Ædificata manu? jacet illud nobile templum.
Cur jacet? artificis quia dextra ſolubilis illud
Cementum ſtruxit reſolubile: jure ſolutum eſt,
Et jacet, in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.
Si noſtrum contrà, quod ſit, vis diſcere templum:
Eſt illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Compoſuit, quod nulla abies pinúſve dolata
Texuit, exciſo quod nunquam marmore crevit.
Cujus onus nullis fultum ſublime columnis
Fornice curvato tenui ſuper arce pependit:
Sed verbo factum Domini, non voce ſonorâ:
Sed verbo, quod ſemper erat, verbum caro factum eſt.
Hoc templum æternum eſt, hoc finem non habet, hoc tu
Expugnare volens, flagris, cruce, felle petiſti.
Deſtructum jacuit pœnis vexantibus: eſto.
Matris enim ex utero, quod deſtrueretur, habebat.
Sed quod morte brevi maternâ ex parte ſolutum eſt,
Majeſtate patris vivum lux tertia reddit.
Vidiſti angelicis comitatum cœtibus altè
Ire meum, cujus ſervor munimine, templum?
Illius æternæ ſuſpendunt culmina portæ,
Ac per inacceſſus ſcalarum gloria turres
Tollitur, & gradibus lucet via candida ſummis.
At tua congeſta tumulant holocauſta ruinæ:
Quid mereare, Titus docuit; docuere rapinis
Pompeianæ acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum pelagíque plagas tua membra feruntur.
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patriâ de ſede revulſus,
Supplicium pro cæde luit, Chriſtíque negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.
En quo priſcorum virtus defluxit avorum?
Servit ab antiquis dilapſa fidelibus hæres
Nobilitas, ſed jam non nobilis: illa recentem
Suſpectat captiva fidem: vis tanta novellæ
Credulitatis ineſt. Chriſtum confeſſa triumphat
Gens infida priùs; Chriſti ſed victa negatrix
Subditur imperio, dominos ſortita fideles.

Contra Hominicinitas.

SUNT qui Judaico cognatum dogma furori
Inſtituunt, mediâ Chriſtum ratione ſequuti.
Hoc tantùm quòd verus homo eſt, at cœlitus illum
Adfirmant non eſſe Deum, pietate fatentur,
Majeſtate negant. morum pro laude ſacratum
Concelebrant, adimunt naturæ ſummæ ſuperno.
Omne opus egregium, per quod ſolertia pollens
Emicat, ingenii eſt, aut roboris: illud acuto
Corde viget; duris excellit viribus iſtud.
Mortale eſt ſed utrunque homini: nam cana ſeneſcunt
Ingenia, & validos conſumunt ſecla lacertos.
Hæc nos in Domini virtute & laude perenni
Non ſequimur: ſequimur, nullo quod ſemine terra
Germinat: inviandum quod non de labe virili
Sumit principium, tener illum ſeminat ignis:
Non caro, nec ſanguis patrius, nec fœda voluptas.
Intactam thalami virtus divina puellam
Sincero affiatu per viſcera caſta maritat:
Incomperta ortûs novitas jubet ut Deus eſſe
Credatur Chriſtus ſic conditus. inuuba virgo
Nubit ſpiritui, vitium nec ſentit amoris.
Pubertas ſignata manet, gravis intus, & extrà
Incolumis, florens de fertilitate pudicâ.
Jam mater, ſed virgo tamen, maris inſcia mater.
Quid renuis? quid inane caput, non credule, quaſſas?
Angelus hoc ſancto pronunciat ore: placétne
Credere, & angelicis aurem referare loquelis?
Ipſa coruſcantis monitum ſacra virgo miniſtri
Credidit, atque ideo concepit credula Chriſtum:
Credentes nam Chriſtus adit, dubitabile pectus
Sub titubante fide, refugo contemnit honore.
Virginitas & prompta fides Chriſtum bibitalvo
Cordis, & intactis condit penitura latebris.
Crede quod emiſſus ſolio patris angelus inſit.
Vel ſi concretus liquidam de fidere vocem
Non capit auditus, mulier quid conjuge prægnans
Clamet unus, credens & eandem ſobrius audi.

Mira

Mira fides! utero puer interceptus anili,
Virgineum Dominum materno ex ore ſalutat,
Primus & infantem non natus nunciat infans
Jam noſtrum vagire ſibi: nam pullo nondum
Nôrat, & ora Deo referabat garrula Chriſto.
Promite ſecretos fatus: date, pandite librum,
Evomuit ſpirante Deo quem ſanctus Eſaias,
Percenſere libet, calamíque reſolvere ſulcos,
Sidereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc dum rutilos apices ſubmiſſus adoro,
Dum lachrymans veneror, dúmque oſcula dulcia figo,
Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum.
Advenit promiſſa dies, quam dixerat iſte
Adfore verſiculus, quum virgo puerpera teſte
Haud dubiè ſponſo, pacti cui cura pudoris
Edidit, Emanuélque meum me cernere fecit.
Eſtne Deus jam noſter homo? verſatur & adſtat
Nobiſcum, noménque probat, verſúmque vetuſtis
Obſcurum ſeclis præſenti inluminat ore.
Eſtne Deus, cujus cunas veneratus Eous
Lancibus auratis regalia fercula ſupplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pennatus, rapidóque ſimillimus auſtro
Nuncius, Auroræ populos atque ultima Bactra
Attigit, inluxiſſe diem lactantibus horis,
Qua tener innupto penderet ab ubere Chriſtus?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per ſidera ferri,
Et ſuper antiquos ſignorum ardeſcere tractus.
Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Aſtrologus, ceſſiſſe anguem, fugiſſe leonem,
Contraxiſſe pedes lateris manco ordine cancrum;
Cornibus infractis domitum mugire juvencum,
Sidus & hircinum laceris marceſcere villis.
Labitur hinc pulſus puer Hydrius, inde ſagittæ,
Palantes geminos fuga ſeparat, improba virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quíque alii horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere novum: rota lurida ſolis
Hæret, & excidium ſenſit jam jámque futurum,
Séque die medio velandam tegmine glauco,
Splendoréinque poli periturum nocte diurnâ
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.
Hunc ego non cumulem myrrhæque & thuris & auri &c
Muneribus? ſcio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer? qui cælo viſus, humíque
Inventus rex atque Deus moderatur utrunque
Naturæ ſpecimen, tumulóque inferna refringens
Regna, reſurgentes ſecum jubet ire ſepultos:
Cælum habitat, terris intervenit, abdita rumpit
Tartara: vera fides; Deus eſt, qui totus ubique eſt.
Nunquid vana viros aut mens. aut lingua fefellit;
Nunquid fortuitis fruſtramia dona dederunt
Caſibus? aut cæco votum ſub honore dicârunt?
Quæ porrò cauſa aut ratio ſubmittere colla
Ante pedes Mariæ, puerſque crepundia parvi;
Si tantùm mortalis erat, nec ſumma poteſtas
Implebat teneros divinis flatibus artus?
Sed jam tolle Magos, thus, aurum, myrrhea dona,
Quæ verum docuere Deum: præſepia, pannos,
Matris adoratum gremium. face ſideris ardens
Ipſa Deum virtus, factorum & mira loquantur.
Inſanos video ſubitò muteſcere ventos,
Quum jubeat Chriſtus: video luctantia magnis
Æquora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Chriſti: video, calcatus eundem
Quum patitur gurges tergum ſolidante liquore,
Ipſe ſuper fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, & preſſo firmat veſtigia fluctu.
Increpat ipſe notos, & flatibus ocia mandat.
Quis jubeat ſævis Aquilonibus, Ite, ſilete,
Carceribus veſtris, ampióque faceſſite ponto:
Sit niſi cœlipotens Aquilonum conditor idem?
Ninguidus agnoſcit Boreas, atque imbrifer Eurus
Nimborum Dominum tempeſtatúmque potentem,
Excitámque hyemem verrunt ridente ſereno.
Quis pelagi calcârit aquas? quis per vada glauca
Greſſibus impreſſis ſpaciatus triveritudum
Non ſubmerſus iter, ſola pendulus, & pede ſicco,
Æquoreæ niſi factor aquæ? qui ſpiritus olim
Ore ſuperfuſus patrio volitabat in undis
Nondum diſcretis, nec certo littore clauſis.
Suſtinuit greſſum domini famulus liquor, ac ſe
Mobilitate carens ſolidos ſubitrinxit ad uſus.
Quid diverſa Dei memorem facta inclyta Chriſti?
Altiùs inſpectâ quem majeſtate negator
Haud dubitans hominem, tute ipſe fatebere numen.
Illevit cæcos oculos, & lumina limo
Reddidit, humectam ſacro ſputamine terram
Contrectans digitis, luteum medicamen operta
Nox habuit, tenebras obducta uligo removit.
Inſuper oſtendit quonam caligo lavacro
Expurganda foret, variis Siloa refundit
Momentis latices, nec fluctum ſemper anhelat:
Sed vice diſtinctâ largos lacus accipit hauſtus.
Agmina languentum ſitiunt ſpem fontis avari,
Membrorum maculas puro ablutura natatu.
Certatim interea roranti pumice rancas
Expectant ſcatebras, & ſicco margine pendent.
Hoc limum jubet impoſitum de fonte lavari
Chriſtus, & infusâ vultum ſplendeſcere luce.
Nôrat enim limo ſeſe informâſſe figuram
Ante tenebroſam, proprii medicamen & oris
Adjeciſſe novo, quem primum finxerat, Ædæ.
Nam ſinè divino Domini perflamine ſummi
Arida terra fuit, nulli priùs apta medelæ.
Sed poſtquam liquido cœleſtis ſpiritus ore
Virgineam reſperſit humum, medicabilis illa eſt.
Indè trahit ſuccum, lentóque humore ſalutem
Inlinit, infundſtque diem baptiſmate lota.
Cæcus adeſt oculis jam Chriſti ex ore retectis,
Seque luto & nitidis lucem ſumpſiſſe fluentis
Clamat, & autorem ſtupefacta per oppida monſtrat:
Autorem lucis, largitorémque dierum,
Non dedignatum medicæ purgamen aquæ
Corpore ſub proprio monſtrare errantibus ægris.
Millibus ex multis pauciſſima quæque retexam,
Summatim relegens, totus quæ non capit orbis.
Quinque in deſerto panes jubet, & duo piſces
Adponi in paſtum populis, qui fortè magiſtrum
Non revocante fame ſtipabant undique ſeptum,
Immemoréſque cibi, vicos, caſtella, macellum,
Oppida, mercatus, & conciliabula & urbes
Reſpuerant, largo contenti dogmate veſci.
Multa virûm ſtrato ferveut convivia fœno.
Centenos ſimul accubitus inière ſodales,
Séque per innumeras infundunt agmina menſas,
Piſciculis (jam crede Deum) ſaturanda duobus,
Et paucis creſcente cibo per fragmina cruſtis.
Ambeſis dapibus cumulatim aggeſta redundant
Fercula, biſſenos micarum molibus implent
Poſt cœnam cophinos: crudus conviva reſudat
Congeriem ventris, gemit & ſub faſce miniſter.
Quis cumulare poteſt epulas in gaudia parvas?
Quis, niſi qui corpus, paſtúmque & corporis omnem
Condens ex nihilo nullâ exiſtente creavit
Mundum materiâ? non ſicut ſculptor ab æris
Rudere decoctam conſueſcit fingere maſſam.
Sed Deus omnipotens orbem ſine ſemine finxit.
Nil erat, omne quod eſt: nil id, procedere & eſſe,
Atque novum fieri, mox & grandeſcere juſſum eſt.
Parvum de nihilo primum fuit, addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis.
Ergo ego quum videam manibus ſic creſcere Chriſti
Parva alimenta hominum, poſſum dubitare per ipſum
Exiguas rerum ſpecies, elementáque mundi
Ex nihilo primùm modica, & mox grandia ſenſim
Creviſſe ex modicis quæ conſummata videmus?
Ac ne poſt hominum paſtus calcata perirent,
Néve relicta lupis, aut vulpibus, exiguiſve
Muribus in prædam nullo cuſtode jacerent:
Bis ſex appoſiti, cumulatim qui bona Chriſti
Servarent gravidis procul oſtentata caniſtris.
Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo,
Indignus qui ſancta canem? Procede ſepulchro
Lazare, dic cujus vocem tellure ſub imâ
Audieris, quæ vis penetraverit intima lethi:
Quòd quum te Chriſtus penitus nigrante profundo
Immerſum vocat, ut redeas, ceu proximus audis,
Nec remoratus ades? quæ tam vicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui diſtantia fine
Conjungit ſuperis? ubi Tænara triſtia vaſto
In præceps dejecta Chao? latebroſus & ille
Amnis inexpletis volvens incendia ripis.
Ante fores tumuli, quas ſaxa immania duro
Objice damnârant, ſcopulis ſubſtructa cavatis,
Stat Dominus, noménque ciet frigentis amici.
Nec mora, funereus revolutis rupibus horror
Evomit exequias gradiente cadavere vivas.

Solvite

Solvite jam latæ redolentia vincla sorores,
Solus odor sparti spiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert, oculos sanie stillante solutos
Pristinus in speculum decor excitat, & putrefactas
Tincta rubore genas paulatim purpura vestit.
Quis potuit fluidis animam suffundere membris?
Nimirum qui membra dedit, qui fictilis ulvæ
Perflavit venam madidam, cui tabida gleba
Traxit sanguineos infecto humore colores.
O mors, auditis jam mitis legibus! ô mors
Surda priùs, jam docta sequi quacunque jubetur,
Cui tantum de te licuit? convicta fatere
Esse Deum, solus qui me tibi præripit, Iesum.
Abde negatores Christi: nemo invidet, abde,
Utere sorte tuâ. blasphemis nocte tenendis
Perpetuâ, plebem justorum capta resolve,
Qui nôrunt hominem atque Deum sic dicere Christum,
Ut verus summúsque Deus mortalia gestet.
Ipse gerit quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor quod peperit: corpus loquor, atque animæ vim.
Finxerat hoc digitis, animam sufflaverát ore:
Totum hominem Deus adsumit, quia totus ab ipso est,
Et totum redimit quem sumpserat; omne reducens
Quicquid homo est, istud tumulis, ast illud abysso.

De naturâ Animæ.

Occurrit dubitans hic dissertator, & illud
Objicit: ánne fides capit, ut substantia flante
Inspirata Deo cruciatum sentiat, atque
Inferni petat ima poli, barathróque coquatur?
Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Majorem cunctis, ipsam quoque crede creatam:
Formata est namque ore Dei, quæ non erat antè,
Sed formata habitu pulcherrima pictáque rebus
Divinis, & plena Deo, similíssque creanti:
Non tamen ipsa Deus, quoniam generatio non est,
Sed factúra Dei est: solus de corde parentis
Filius emicuit, verus, verus Deus ille.
Conlatum est animæ subitò, ut quæ non erat, esset.
Ille coæternus patri est, & semper in ipso est,
Nec factus, sed natus, habet quodcunque paternum est.
Hæc similis, velut umbra Dei est. sic ipse loquutus
Factor, utroque hominem meditans de figmine junctum
Ædificare sui similem. sed non habet umbra
Quod corpus solidum, cujus imitatio in umbrâ est,
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sectis quod non consumitur ullis,
Quod sapiens, justíque capax, reginâque rerum
Imperat, antè videt, perpendit, præcavet, infit,
Verborum, rerúmque opifex, instructáque mille
Artibus, & cœlum sensu percurrere docta.
His animam similem sibi conditor effigiavit,
Cætera dissimilem, quippe hanc comprendere promptum
Quam modus & species determinat: ac Deus ingens
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat, sensúve teneri.
Incomprensa manet virtus, cui linea defit
Ultima, quam spacium non mensurabile tendit.
Ergo animam factam, magno & factore minorem,
Majorémque aliis, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfusam
Participat de fœce suâ, fit mista deinde
Peccandi natura luto cum simplice flatu.
Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore
Compositam, factámque neges, velut ipsa Dei pars,
Quod dictu scelus est, tetras trahat oblita culpas,
Et prestum damnata ruens chaos intret opertum.
Sit res illa Dei, non abnuo: pars tamen illa
Haudquaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit.
Nec prior aut senior, quàm primum plasma, putanda est.
Tunc etenim factam video, quum cordis amici
Intravit germana domum, limíque recentis
Hospita, & ipsa recens fraternâ sedit in aulâ.
Illa quidem flatus Domini est, sed spiritus & vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth:
Sed speculum deitatis homo est. in corpore discas
Rem non corpoream solers interprete Christo,
Qui patrem proprium mortali in corpore monstrat.
Perspice quàm varios fundamus ab ore vapores,
Spiramus quoties animæ sufflabilis auras.
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat,
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans:
Quum libet, in gelidum flabrali frigore ventum
Spiritus exsilit tenuis, & sibilat aër.
Adde & distinctum quem musica tibia flatum
Concipit: aut ille est presso modulamine parcus,
Aut tumidum largo sublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum sublidit voce minutâ.
Hæc quum te videas mortali in copore posse,
Cur non æternum potuisse infundere credas
Qualem animam voluit? præscriptis quam quia condens
Efflavit fundítque modis, sit facta necesse est.
Denique multa sapit, sed non sapit omnia nostræ
Vis animæ, certum sapere ac prænoscere jussa.
Jam cui certus ineit modus, & cui nosse negatum est
Omnia, factura est: nam condita & nucta probatur.
Collige de simili, sitne hæc factura, creavit
Nempe manus Domini corpus mortale, lutúmque
Composuit digitis. nunquid manus articulatim
Est digesta Dei? nunquid vola? nunquid & ungues
Claudere flexibiles? patulam seu tendere palmam?
Ista figura manûs nostræ est, quam non habet in se
Incircumscriptus Dominus: sed tradita forma est,
Humanis quæ nota animis daret intellectum:
Ut per corpoream speciem plasmâsse feratur
Corporis effigiem: sic est plasmata vicissim
Flatu incorporeo res flabilis, oris & esse
Fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit
Forma animæ, atque rudi factam se munere sensit.
Si non est factura manus caro nostra, nec oris
Est factura anima, flatu & spiramine cœpta,
Inque locum deducta aliquem: namque omne quod hora
Natalis profert, locus accipit: & locus ullus
Quod cohibere potest, modicum est, nec in omnia fusum:
Et quod tam modicum est, ut certâ sede locetur,
Jam titubare potest: & quod titubaverit, intra
Naturam vitii est: vitiosum denique tristem
Recidit in pœnam: Deus hoc, mihi credite, non est.
Aut si majestas animæ est, ostendite quid sit,
Quod lapsam Christíque inopem nova gratia mundat.
Spiritus & sanctus baptismate justificatam
Nobilitat, famulæque decus quod defuit, addit.
Quod quia præstatur meritis, meritísque negatur,
Absurdè fertur Deus, aut pars esse Dei, quæ
Divinum summúmque bonum de fonte perenni
Nunc bibit obsequio, nunc culpâ aut crimine perdit,
Et modò supplicium recipit, modò libera calcat.
Miraris peccare animam, quæ carne coactam
Sortita est habitare domum, quum peccet & ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabiflux. peccat quia factus & ipse est,
Non genitus: quocunque modo sit factus, id unus
Scit factor Dominus, factum mihi credere sat sit.
Solus labe caret peccati conditor orbis,
Ingenitus, genitúsque Deus, pater, & patre natus,
Solus & exceptus tormentum admittere triste,
Inviolatus agit, nec quicquam sentit acerbi.
Exortem dic esse animam crucis atque doloris,
Si culpæ immunem, vacuámque à crimine nôsti,
Quæ peccare valet, valet & succumbere pœnæ.
Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,
Quæ conlata rudem fecit vivescere limum:
Utpote de liquido naturæ semine primos
Accipiens habitus, superóque expressa sereno.
Sed mox ut gravido jussa est innectier arvo,
Suavibus inlecebris nimiùm blandita refrixit,
Déque volutabris precioſum polluit ignem,
Dum transgressa Dei positum fas improba calcat.
Hæc prima est natura animæ: sic condita simplex
Decidit in vitium per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ,
Infecit genus omne hominum quod pullulat indè,
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.
Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quod parvula anhelent
Vascula, vitalísque adsit scintilla coactis:
Quæ quamvis infusa novum penetret nova semper
Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum

Ducitur,

Ducitur, illoto quoniam concreta veterno eſt.
Indè ſecunda redit generatio, & indè lavatur
Naturæ iluvies, iterúmque renaſcimur intus
Perfuſi, ut veterem ſplendens anima exuat Adam.
Quæ quia materiam peccati ex fomite carnis
Conſociata trahit, nec non ſimul ipſa ſodali
Eſt incentivum peccaminis, implicat ambas
Vindex pœna reas, peccantes mente ſub unâ,
Peccandíque cremat ſocias cruciatibus æquis.
His crucibus Chriſtus nos liberat, incorruptæ
Matris, & innocui geſtator corporis, unus
Naturam pœnæ expoſitam, ſed non vitiorum
Naturam expoſitam contactibus induit Ieſus.
Atque ideo pœnæ nil debuit intemeratus,
Fraude carens, omni culparum aſpergine liber.
Quid peccatorum proſapia corpore in illo,
Quid Chriſti in membris peccati ſæva ſatelles
Pœna ageret? quid mors hominis ſinè crimine poſſet?
Nimirum caſſis conatibus, & ſinè nervis
Concideret ſterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpâ: culpam qui non habet, ipſo
Paſtus defectu mortem conſumit inanem.
Sic mors in domini conſumpta eſt corpore Chriſti,
Sic periit ſolitum dum non habet arida paſtum.
Suſpice quapropter ſolum inculpabile numen,
Virtutem patris, & Chriſti: & jam deſine noſtræ
Invidiam conflare animæ, quod ſit Deus, aût quod
Portio parva Dei, quum Chriſto abſcindere quicquam,
Et reſecare Deo partem, vel carpere tantùm
Numen non liceat, plenum ſibi ſemper, & in ſe.

Adverſus Phantaſmaticos, qui Chriſtum negant verum hominis corpus habuiſſe.

EST operæ pretium nebuloſi dogmatis umbram
Prodere, quam tenues atomi compage minutâ
Inſtituunt: ſed caſſa cadit, ventóque liqueſcit
Aſſimilis, fluxu nec ſe ſuſtentat inani.
Aerium Manichæus ait ſinè corpore vero
Pervolitâſſe Deum, mendax phantaſma, cavámque
Corporis effigiem, nil contrectabile habentem.
Ac primòm ſpecta an deceat quicquam ſimulatum
Adſignare Deo, cujus mera gloria falſi
Nil recipit, membris hic ſe fallacibus aptans
Fingeret eſſe hominem ventoſâ ſubdolus arte?
Mentitus toties, quum diceret: Inveteratis
Do veniam morbis, ſimul & peccata remitto.
Filius eſt hominis, peſtem qui pellere carnis,
Et ſcelerum nexus laxare, & ſolvere poſſit.
Surge valens, ſurge innocuus, jam tolle grabatum,
Filius hoc hominis jubeo: dignúſne videtur
Qui teſtis ſibi ſit, ſéque ac ſua carnea nôrit?
Quid? quum diſcipulos hominis, quid filius eſſet
Paſſurus, fido jam præſcius ore monebat,
Nónne fatebatur ſe cum virtute paternâ
Eſſe hominem verum? quod ſi non, credo fefellit.
Si natura Dei quæ ſit, Manichæe, requiris,
Omne quod eſt, verum eſt: nam ſi mendoſus agit quid,
Nec Deus eſt, mendum divinus non capit uſus:
Objicis æterno Domino, quod lubricus ad nos
Venerit, adſimulans aliud quàm verus habebat.
Obmuteſce furor, linguam, canis improbe, morde
Ipſe tuam, lucero conſumens verba palato.
Latranti obſiſtet Mattheus, rabiémque refellet,
Qui notat omne genus carnalis ſtirpis, aduſque
Corporeum Chriſtum, per ſex ſeptena virorum
Nomina deſcendens, & venam ſanguinis alti
Ex atavis longo texens per ſtemmata filo.
Septimus hebdomadi venit ſuperaddere ſextæ
Hunc numerum Chriſtus, placidum qui conficit annum
Cuncta remittentem contractibus inlaqueata
Multimodis, hominémque hominis de morte levantem:
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc:
Vir ſolus perfectus adeſt, atque integer Ieſus,
Cui nihil ex ſeptem ſeptenis defuit, ex quo
Perficeret mortale genus virtute perenni.
Hic ille eſt, nobis qui ſeptima ſabbata complet,
Ut caro noſtra Deo tandem ſociata quieſcat,
Quam bis terna malis vexabant ſabbata noxis.
Curramus notis gradibus, regúmque ſequamur
Progeniem: Chriſtum invenies de carne parentum
Effluxiſſe hominum, qui ſit de ſemine David,
Stirpe recenſitâ numerandus ſanguinis hæres.
Quid quum ſanctiloquus revoluto ſanguine Lucas
Surſum verſus agit ſeriem, ſcandente nepotis
Corpore, pérque atavos curſum relegente vetuſtos,
Septenos decies conſcendit Chriſtus in ortus,
Et duo: nam totidem doctores miſit in orbem:
Deſcenſos naſcendo gradus, redeundo retexit
Actus aduſque apicem terreni corporis Adam.
Indè parens deitas recipit ſua, noſtráque miſtim,
Fíte Dei ſummi per Chriſtum filius Adam.
Reſtat ut aëriam pingas ab origine gentem,
Aërios proceres, Levin, Judam, Simeonem,
Aërium David, magnorum corpora regum
Aëria, atque ipſam fœcundæ virginis alvum
Aëre fallaci, nebuliſque & nube tumentem.
Vaneſcat ſanguis perflabilis, oſſa liqueſcant
Mollia, nervorum pereat textura volantum.
Omne quod eſt geſtum Notus auferat irritus, aura
Diſpergant tenues, ſit fabula quod ſumus omnes.
Et quid agit Chriſtus ſi me non ſuſcipit? aut quem
Liberat infirmum, ſi dedignatur adire
Carnis onus, manuúmque horret monimenta ſuarum?
Indignúmne putat luteum conſciſcere corpus?
Qui non indignum quondam ſibi credidit ipſum
Pertractare lutum, quum vas componeret arvo,
Nondum viſcereo, ſed inertis glutine limi,
Impreſſóque putres ſub pollice duceret artus.
Tantus amor terræ, tanta eſt dilectio noſtri.
Dignatur præpinguis humi comprendere mollem
Divinis glebam digitis, nec ſordida cenſet
Hærentis maſſæ contagia, juſſerat ut lux
Conſieret, facta eſt ut juſſerat, omnia juſſu
Imperitante novas traxerunt edita formas:
Solus homo emeruit Domini formabile dextrâ
Os capere, & fabro deitatis figmine naſci.
Quorſum igitur limo tanta indulgentia noſtro
Contigit, ut Domini manibus tractatus honorâ
Arte ſacer fieret, tactu jam nobilis ipſo?
Decrêrat quoniam Chriſtum Deus incorrupto
Admiſcere ſolo, ſanctis quod fingere vellet
Dignum habuit digitis, & charum condere pignus.
Deſtituit natura quidem deſtructa coactæ
Telluris formam, mortíque obnoxia ceſſit:
Sed natura Dei numquam ſolvenda, caducam
Tellurem noſtro vitiatam primitus uſu
Eſſe ſuam voluit, ne jam vitiabilis eſſet.
Chriſtus noſtra caro eſt, mihi ſolvitur, & mihi ſurgit:
Solvor morte meâ, Chriſti virtute reſurgo.
Quum moritur Chriſtus, quum flebiliter tumulatur,
Me video: è tumulo quum jam remeabilis adſtat,
Cerno Deum: ſi membrorum phantaſma meorum eſt,
Et phantaſma Dei eſt: mendax in utraque neceſſe eſt
Sit Chriſtus ſpecie, ſi Chriſtus fallere novit.
Si non verus homo eſt, quem mors hominem probat ipſa,
Nec verus Deus eſt, operis quem gloria prodit
Eſſe Deum. vel crede mori, vel adeſſe refelle,
Et geminâ verum Chriſtum ratione negato.
Nam quid magnificum, ſi non eſt mortuus Ieſus?
Et redit? illa Dei virtus memorabilis eſt, ut
Occiſus redeat ſuperis, ſurgátque ſepultus.
Quiſque Deum Chriſtum vult dicere, dicat eundem
Eſſe hominem, ne majeſtas ſua fortia perdat.

De Reſurrectione Carnis humanæ.

NOſco meum in Chriſto corpus conſurgere. quid me
Deſperare jubes? veniam, quibus ille revenit
Calcatâ de morte viis. quod credimus hoc eſt:
Et totus veniam. nec enim minor, aut alius quàm
Nunc ſum reſtituar. vultus, vigor & color idem
Qui modò vivit, erit: nec me vel dente vel ungue
Fraudatum revomet patefacti foſſa ſepulchri.
Qui jubet ut redeam, non reddet debile quicquam:
Nam ſi debilitas redit, inſtauratio non eſt.
Quod caſus rapuit, quod morbus, quod dolor hauſit,
Quod truncavit edax ſenium populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude ſepulchri
Reddat curtum aliquid, quamvis jam curta vorârit
Corpora: debilitas tamen & violentia morbi
Virtus mortis erat: reddet quod particulatim
Sorbuerat, quocunque modo: ne mortuus omnis
Non redeat, ſi quid pleno de corpore deſit.
Pellite corde metum mea membra, & credite voſmet
Cum Chriſto reditura Deo. nam vos gerit ille,
Et ſecum revocat. morbos ridete minaces:
Inflictos caſus contemnite, & atra ſepulchra
Deſpuite: exurgens quò Chriſtus provocat, ite.

AMAPTI-

ΗΑΜΑΡΤΙΓΕΝΕΙΑ, id eſt,

DE ORIGINE PECCATORUM.

FRATRES ephebi foſſor & paſtor duo,
Quos fœminarum prima primos procreat,
Siſtunt ad aram de laborum fructibus,
Deo ſacranda munerum primordia:
Hic terrulentis, ille vivis fangitur.
Certante voto diſcrepantes immolant,
Fœtum bidentis alter, aſt alter ſcrobis.
Deus minoris comprobavit hoſtiam,
Rejecit illam quam paravit grandior.
Vox ecce ſummo miſſa perſultat throno:
Cain quieſce, namque ſi rectè offeras,
Oblata nec tu lege rectâ dividas,
Perverſa nigram vota culpam traxerint.
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ ſanctitatis æmulus,
Germana curvo colla frangit ſarculo,
Mundum recentem cæde tingit impiâ.
Serò expiandum jam ſeneſcentem ſacro
Cruore Chriſti, quo peremptor concidit,
Mors prima cœpit innocentis vulnere,
Ceſſit deinde vulnerato innoxio,
Per crimen orta, diſſoluta eſt crimine:
Abel quod antè perculit, Chriſtum dehinc,
Finita & ipſa eſt, finis exortem petens.
Ergo ex futuris priſca cœpit fabula,
Factóque primo res notata eſt ultima,
Ut ille mortis inchoator ruſticus
Inſulſa terræ deferens libamina,
Deúmque rerum mortuarum deputans
Raſtris redacta digna ſacris crederet,
Viventis atrox æmulator hoſtiæ.
Agnoſco nempe quem figura hæc denotat,
Quis fratricida, quis peremptor invidus
Pravè ſacrorum diſciplinam dividit,
Mactare dum ſe vota cenſet rectiùs.
Marcion arvi formâ corruptiſſimi,
Docet duitas diſcrepare à ſpiritu,
Contaminatæ dona carnis offerens,
Et ſegregatim numen æternum colens.
Qui ſi quieſcat, nec monentem negligat,
Pacem quietis diligat germanitas,
Unum atque vivum falſa vivorum Deum.
Hic ſe caduco dedicans myſterio,
Summam profanus dividit ſubſtantiam,
Malum bonúmque ceu duorum ſeparans
Regnum Deorum, ſceptra committit duo,
Deum eſſe credens quem fatetur peſſimum.
Cain cruentus, unitatis invidus,
Mundi colonus, immolator ſqualidus,
Cujus litamen ſordet & terram ſapit,
Terram caduci corporis, venam putrem,
Humore denſo conglobatam & pulvere,
Natura cujus fraude floret fertili,
Fœcunda fundens noxiorum crimina,
Animæque vitam labe carnis enecat.
Caro in ſororem tela mentem dirigit,
Mens in cerebro ventilatur ebrio,
Ex quo furores ſuccolentos colligit
Madens veneno corporis lymphatico.
Deúm perennem findit in duos deos:
Audet ſecare numen inſecabile.
Cadit peremptor denegans unum Deum,
Cain triumphat morte fratris oblitus.

Adverſus Marcionitas, qui Duos deos eſſe affirmant.

QUO te præcipitat rabies tua perfide Cain?
Diviſor blaſpheme Dei? tibi conditor unus
Non liquet, & bifidæ caligant nubila lucis.
Infincera acies duo per divortia ſemper
Spargitur, in geminis viſum fruſtrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Dividuum regnare Deum ſuper æthera credas.
Bina boni atque mali glomerat diſcrimina ſordens
Hic mundus, Domino ſed cœlum obtemperat uni.
Non idcirco duos retinent cœleſtia reges,
Quòd duo ſint opera humanas agitantia curas:
Exterior terrenus homo eſt, qui talia cernens
Conjicit eſſe duo variarum numina rerum,
Dum putat eſſe Deum, qui prava effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat eſſe deos naturâ diſpare ſummos.
Quæ tandem natura poteſt conſiſtere duplex?
Aut regnare diu? quam fons diviſus ab arce
Separat, alternâque apicum ditione recidit.
Aut unus Deus eſt, rerum cui ſumma poteſtas:
Aut quæ jam duo ſunt, minuuntur diſpare ſummâ.
Porrò nihil ſummum, niſi plenis viribus unum:
Diſtantes quoniam proprium dum quiſque revulſo
Vindicat imperio, nec ſumma, nec omnia poſſunt.
Jus varium non eſt plenum, quia non habet alter
Quicquid diſpar habet. cumulum diſcretio carpit.
Nos plenum ſinè parte Deum teſtamur, & unum,
In quo Chriſtus ineſt, idem quoque plenus, & unus,
Qui viget & viguit ſuper omnia, quiſque vigebit.
Participem nullum conſato fœdere paſſus,
Summa poteſtatum, ſimplex dominatio rerum,
Virtutum ſublime caput, fons unicus orbis,
Naturalis apex, generiſque & originis auctor,
Ex quo cuncta ſtaunt, & lux, & tempora, & ævi,
Et numerus, qui poſt aliquid dedit eſſe ſecundum:
Unus enim princeps numeri eſt, nec dinumerati
Tantùm unus potis eſt. ſic quum pater, ac Deus alter
Non ſit, item Chriſtus non ſit genitore ſecundus,
Anterior numero eſt, cui filius unicus uni eſt.
Ille Deus, meritóque Deus, quis primus & unus,
In virtute ſuâ primus, tum primus in illo
Quem genuit, quid enim differt generatio ſimplex?
Unam ſemper erit gignens, atque unus ab uno
Antè Chaos genitus, numeróque & tempore liber.
Quis dixiſſe duos rem majeſtate ſub unâ
Regnantem, propriámque ſibi, retróque perennem
Auſit, & unius naturæ ſcindere vires?
Nunquid adoptivum genitor ſibi ſumpſit, ut alter
Externi generis numerum præſtare duorum
Debeat, & geminum diſtans inducere numen?
Forma patris veri verus ſtat filius, ac ſe
Unum rite probat, dum formam ſervat eandem:
Non amor adſcitus ſociat, nec jungit utrunque
Conjurata fides; pietas ſed certa, genúſque
Unum, quod Deus eſt, ſummam revocatus ad unam.
Hæc tibi, Marcion, vita diſplicet, hæc tua damnat
Secta fidem, dominis cœlum partita duobus.
Quæ te confundunt nebulæ? quis ſomnus inerti
Incubat ingenio? cui per phantaſmata duplex
Occurrit ſpecies, bivio diſperſa ſuperno.
Si vim mentis hebes ſtupor obſidet, aſpice fabrum
Obvia terrenis oculis elementa, quibus ſe
Res occulta Dei dignata eſt prodere ſignis.
Hanc hæreſin præſaga patris præviderat olim
Majeſtas fore, quæ rectorem lucis & orbis
Scinderet in partes geminatum ſegrege regno.
Idcirco ſpecimen poſuit ſpectabile noſtris
Exemplúmque oculis, ne quis duo numina credat
Imperitare vagis mundi per inania formis.
Una per immenſam cœli cavearn revolutos
Præbet flamma dies: texit ſol unicus annum.
Triplex ille tamen nullo diſcrimine trinâ
Subnixus ratione viget, ſplendet, volat, ardet,
Motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe ſimul, lux & calor, & vegetamen,
Una eadémque tamen rota ſideris indiſcretis
Fungitur his, uno ſervat tot munera ductu:
Et tribus una ſubeſt miſtim ſubſtantia rebus.
Non conferre Deo velut æquiparabile quicquam
Auſim, nec Domino famulum componere ſignum:
Ex minimis ſed grande ſunm voluit pater ipſe
Conjectare homines, quibus ardua viſere non eſt.
Parvorum ſpeculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quærere verum.
Nemo duos ſoles, niſi ſub glaucomate, vidit:
Aut ſi fuſca polum ſuffudit palla ſerenum,
Oppoſitur quoties radiorum ſpicula nimbus
Igne repercuſſo mentitos ſpargit in orbes.
Sunt animis etiam ſua nubila, craſſus & aër:
Eſt glaucoma, aciem quod tegmine velet æquoſo,
Libera ne teneram penetret meditatio cœlum,
Néve Deum rapidis comprendat ſenſibus unum.
Spargitur in bifidas maleſana intentio luces,
Et duplices geminis autoribus extruit aras.

Si duo ſunt igitur, cur non ſunt multa deorum
Millia? cur numero deitas contenta gemello eſt?
Annon in populos diſperſa examina divûm
Fundere erat melius, mundúmque implere capacem
Semideis paſſim nullo diſcrimine monſtris?
Quis fera barbaries perituros mactat honores,
Diſſona diſcretum retinent ſi numina cœlum:
Convenit & nebulis, & fontibus, & reboanti
Oceano, & ſylvis, & collibus, & ſpeluncis,
Fluminibus, ventis, fornacibus, atque metallis
Adſignare deos proprios, ſua cuique jura:
Vel ſi gentiles ſordet venerarier umbras,
Et placet eſſe duos ſceptris ſocialibus æquos,
Dic age, quis terras ditionis ſorte retentet?
Quis regat æquoreas æternâ lege procellas?
Ede cohæredum diſtinctum jus dominorum.
Unus, ais, triſti reſidet ſublimis in arce,
Autor nequitiæ, ſcelerum Deus, aſper, iniquus,
Qui, quodcunque malum vitioſo fervet in orbe,
Sevit, & anguino medicans nova ſemina ſucco,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipſe opifex mundi, terram, mare, ſidera fecit,
Condidit ipſe hominem, lutulenta & membra coëgit,
Effigians quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, informi tumulus quod tabe reſolvat.
Aſt alii pietatis amor, placidúmque medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia ſervans:
Teſtamenta duo fluxerunt principe utroque,
Tradidit iſte novum melior, vetus illud acerbus.
Hæc tua, Marcion, gravis & dialectica vox eſt:
Imò hæc attoniti phreneſis manifeſta cerebri.
Novimus eſſe patrem ſceterum: ſed novimus ipſum
Haudquaquam tamen eſſe Deum, quin imò gehennæ
Mancipium, Stygio qui ſit damnandus averno.
Marcionita Deus, triſtis, ferus, inſidiator,
Vertice ſublimi cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput & fumo ſtipatur, & igni:
Liventes oculos ſubfundit felle peruſto
Invidia, impatiens juſtorum gaudia ferre,
Hirſutos juba denſa humeros errantibus hydris
Obtegit, & virides allambunt ora ceraſtæ.
Ipſe manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum revocat, facilique ligamine tortas
Innectit pedicas, nervóſque in vincula tendit.
Ars olli captare feras, animalia bruta
Irretire plagis, retinacula denique cæcis
Indeprenſa locis erranti opponere prædæ.
Hic ille eſt venator atrox, qui cæde frequenti
Incautas animas non ceſſat plectere Nembroth.
Qui mundum curvis anfractibus, & ſylvoſis
Horrentem ſcopulis, verſuto circuit aſtu,
Fraude alios, tectíſque dolis innectere adortus:
Porrò giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos latè exercere triumphos.
Improba mors, quid non mortalia pectora cogis?
Ipſe ſuam (pudet heu, contemto principe vitæ!)
Perniciem veneratur homo, colit ipſe cruentum
Carnificem, gladiíque aciem jugulandus adorat.
In tantum miſeris peccati nectare captis
Dulce mori eſt: tanta in tenebris de peſte voluptas.
Qui mala principiò genuit, Deus eſſe putatur,
Quíque bona infecit vitiis, & candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Conſecrâſſe deas Febrem Scabiémque ſacellis.
Inventor vitii non eſt Deus, angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit:
Qui priùs auguſtum radiabat ſidus, & ingens
Ex nihilo ſplendor nutrito ardebat honore.
Ex nihilo nam cuncta retro, factúmque quod uſquam eſt.
At non ex nihilo Deus, & ſapientia vera,
Spiritus & ſanctus, res ſemper viva, nec unquam
Cœpta, ſed aërios etiam molita miniſtros.
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Majeſtate ferox, nimiis dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens ſeſe altiùs effert,
Oſtentátque ſuos licito jactantiùs ignes,
Perſuaſit propriis genitum ſe viribus, ex ſe
Materiam ſumpſiſſe ſibi, qua primitus eſſe
Inciperet, naſcíque ſuum ſinè principe cœptum.
Hinc ſchola ſubtacitam meditatur gignere ſectam,
Quæ docet è tenebris ſubitum micuiſſe tyrannum,
Qui velut æternâ latitans ſub nocte, retrorſum
Vixerit, & tecto ſemper regnaverit ævo.

Æmulus, ut memorant, opera ad divina repemè
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio ſed noſtra negat, cui non licet unam
Infirmare fidem, ſacro quæ tradita libro eſt.
Nil, ait, abſque Deo factum, ſed cuncta per ipſum,
Cuncta, nec eſt alius quiſquam niſi factus ab ipſo.
Sed factus de ſtirpe bonus, bonitatis in uſum
Proditus, & primo generis de fonte ſerenus:
Deterior mox ſponte ſuâ, dum decolor illum
Inficit invidia, ſtimulíſque inſtigat amaris:
Arſit enim ſcintilla odii de fomite zeli,
Et dolor ingenium ſubitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, ſimulacrum & ſtructile, ſtatu
Concaluiſſe Dei, Dominum quoque conditioni
Impoſitum: natura ſoli, pelagíque políque,
Ut famulans homini locupletem fundere partum
Noſſet, & effuſum terreno addicere regi.
Inflavit fermento animi ſtomachante tumorem
Beſtia, déque acidis vim traxit acerba medullis,
Beſtia ſorde carens, cui tunc ſapientia longi
Corporis exodem ſervabat recta juventam,
Complicat ecce novos ſinuoſo pectore nexus,
Involvens nitidam ſpiris torquentibus alvum.
Simplex lingua priùs, variâ micat arte loquendi,
Et diſciſſa dolis reſonat ſermone triſulco.
Hinc natale caput vitiorum, principe ab illo
Fluxit origo mali, qui ſe corrumpere primum
Mox hominem didicit, nullo informante magiſtro
Ultimus exitium ſubverſo præſide mundus
Sortitur, mundíque omnis labefacta ſupellex.
Non aliter quàm quum incautum ſpoliare viantem
Fortè latro adgreſſus, prædæ priùs immemor, ipſum
Enſe ferit dominum, pugnæ nodúmque, morámque,
Quo pereunte trahat captivos victor amictus,
Jam non obſtanti locuples de corpore prædo:
Sic homini ſubjecta domus, ditiſſimus orbis
Scilicet in facilem domino peccante ruinam
Lapſus, herile malum jam tunc vitiabilis hauſit.
Tunc lolium, lappáſque leves per adultera culta
Ferre malignus ager glebis malè pinguibus auſus,
Triticeam vacuis ſegetem violavit avenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum ſanguine paſci,
Jámque jugo edomitos rictu laniare juvencos
Occiſo paſtore truces didicere leones:
Nec non & querulis balatibus irritatus
Plenas nocte lupus ſtuduit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens ſolertia furti
Imbuit, & tortos acuit fallacia ſenſus.
Quamvis macteries florentes ambiat hortos,
Sepibus & denſis vallentur vitea rura,
Aut populator edit gemmantia germina bruchus,
Aut avibus diſcerpta feris lacerabitur uva.
Quid loquar herbarum fibras, medicante veneno
Tinctas, lethiferi fudiſſe pericula ſuci?
Noxius in teneris ſapor æſtuat ecce frutetis,
Cùm priùs innocuas tulerit natura cicutas,
Roſcidus & viridem qui veſtit flos rhododaphnen
Pabula laſcivis dederit ſincera capellis.
Ipſa quoque oppoſitum deſtructo fœdere certo
Tranſcendunt elementa modum, rapiúntque, ruúntque
Omnia, legirupis quaſſantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos Aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis ſylva extirpata procellis.
Parte aliâ violentus aquis torrentibus amnis
Tranſilit objectæ præſcripta repagula ripæ,
Et vagus evertis latè dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem naſcentibus ipſe
Conditor inſtituit, ſed laxa licentia rerum
Turbavit placidas rupto moderamine leges.
Nec mirum, ſi membra orbis concuſſa rotantur,
Si vitiis agitata ſuis mundana laborat
Machina, ſi terras luis incentiva fatigat.
Exemplum dat vita hominum, quo cætera peccent:
Vita hominum, cui quicquid agit, veſania, terror
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffluat, impuro ferveſcat ut igne libido,
Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges avaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggeſtis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit major ab auro:
Indè ſeges ſcelerum, radix & ſola malorum.
Dum ſcatebras fluviorum omnes & operta metalla
Eliquat ornatus ſolvendi leno pudoris:

Dum

Dum venas ſqualentis humi ſcrutator inepta
Ambitio, ſcalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foveis radiantes fortè lapillos
Rimata inveniat: nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur fœmina formam.
Ac velut artificis domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacynthis
Pingere ſutilibus redimitæ frontis in arce,
Colla vel ignitis fincera incingere ſertis,
Auribus aut gravidis virides ſuſpendere baccas,
Nectitur & nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureoliſque riget coma texta catenis.
Tædet ſacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei, quæ plaſmata fuco
Inficiunt, ut pigmentis cutis inlita perdat
Quod fuerat, falſo non agnoſcenda colore.
Hæc ſexus malefortis agit, cui pectore in arcto
Mens fragilis, facili vitiorum fluctuat æſtu.
Quid quòd & ipſe caput muliebris corporis & rex
Qui regit invalidam propriâ de carne reſectam
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum? cernas molleſcere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aſpera membra
Finxerat, & rigidos duraverat oſſibus artus.
Sed pudet eſſe viros: quærunt vaniſſima quæque
Queis niteant: genuina levet, ut robora ſolvant,
Vellere non ovium, ſed Eoo ex orbe petitis
Ramorum ſpoliis fluitantes ſumere amictus
Gaudent, & durum ſcutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis ſaturata recoctis
Inludant varias diſtincto ſtamine formas.
Ut quæque eſt lanugo feræ molliſſima tactu,
Pectitur. hunc videas laſcivas præpete curſu
Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis:
Illum pigmentis redolentibus, & peregrino
Pulvere fœmineas ſpargentem turpiter auras.
Omnia luxus habet noſtræ vegetamina vitæ,
Senſibus in quinque ſtatuens quæ condidit autor.
Auribus atque oculis, tum naribus, atque palato
Quæritur infectus vitioſis artibus uſus.
Ipſe etiam toto pollet qui corpore tactus,
Palpamen tenerum blandis ex fotibus ambit.
Prò dolor! ingenuas naturæ occumbere leges,
Captiváſque trahi regnante libidine dotes!
Perverſum jus omne viget, dum quicquid habendum
Omnipotens dederat, ſtudia in contraria vertunt.
Idcircóne, rogo, ſpeculatrix pupula molli
Subdita palpebræ eſt, ut turpia ſemivirorum
Membra theatrali ſpectet vertigine ferri,
Inceſtans miſeros fœdo oblectamine viſus?
Aut ideo ſpirant, mediáque ex arce cerebri
Demittunt geminas ſociata foramina nares,
Ut bibat inlecebras malè conciliata voluptas,
Quas pigmentato meretrix jacit improba crine?
Num propter Lyricæ modulamina vana puellæ,
Nervorúmque ſonos, & convivale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures?
Pérque cavernoſos juſſit penetrare meatus
Vocis iter? nunquid madido ſapor inditus ori
Vivit ob hanc cauſam, medicata ut fercula pigram
Ingluviem, vegetámque gulam ganeonis inſcent?
Per varios guſtus inſtructa ut prandia ducat
In noctem? laſſétque gravem ſua crapula ventrem?
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum, gelidúmve, Deus cognoſcere noſmet
Attactu voluit palpandi interprete ſenſu.
At nos delicias plumarum, & linea texta
Sternimus, atque cutem fulcro attenuante polimus.
Felix qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcúmque modum ſervare fruendi.
Quem locuples mundi ſpecies, & amœna venuſtas,
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit, ut puerum, nec inepto addicit amori:
Qui ſub adumbratâ dulcedine triſte venenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis ſanctúmque bonúmque
Principio rerum, Chriſtus quum conderet orbem:
Vidit enim Deus eſſe bonum, velut ipſe Moyſes
Hiſtoricus mundi naſcentis teſtificatur:
Vidit, ait, Deus eſſe bonum quodcunque creavit.
Hoc ſequar, hoc ſtabili conceptum mente tenebo;
Inſpirante Deo, quod ſanctus vaticinator
Prodidit, antiquæ recolens primordia lucis,

Eſſe bonum quicquid Deus & ſapientia fecit.
Conditor ergo boni pater eſt, & cum patre Chriſtus.
Nam Deus, atque Deus pater, eſt & filius unum:
Quippe unum natura facit, quæ conſtat utrique
Una voluntatis, juris, virtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices: quoniam generis diſſenſio nulla eſt.
Atque ideo nulla eſt operis diſtantia, nulla
Ingenii. peperit bona omnia conditor unus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Naſcitur, aut primæ violatur origine venæ:
Sed dum liventes liquor incorruptus arenas
Prælambit, putrefacta inter contagia ſordet.
Nunquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, olivum,
In ſe vim ſceleris, cùm formarentur, habebant?
Quòd jugulatur homo, non ferrum cauſa furoris,
Sed manus eſt: nec equum veſania fervida circi
Autorem levitatis habet, rabidſve fragoris.
Mens vulgi rationis inops, non curſus equorum
Perfurit, infami ſtudio perit utile donum.
Sic Lacedæmonias oleo maduiſſe palæſtras
Novimus, & placidum ſervire ad crimina ſuccum.
Indè per aërium pendens audacia funem,
Ardua ſecuris ſcandit proſcenia plantis.
Indè feras volucri temeraria corpora ſaltu
Tranſiliunt, mortiſque inter diſcrimina ludunt.
Sanguinis humani ſpectacula publicus edit
Conſenſus, legéſque jubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum diſcerpta cruentis
Morſibus oblectent hilarem de funere plebem.
Mille alia ſtolidi bacchantia gaudia mundi
Percenſere piget, quæ veri oblita Tonantis
Humanum miſeris volvunt erroribus ævum.
Nemo animum ſummi memorem genitoris in altum
Excitat, ad cœlum mittit ſuſpiria nemo:
Nec recolens apicem ſolii natalis, ad ipſum
Reſpicit autorem, nec ſpem ſupra æëra librat.
Sed mentem gravidis contentam ſtertere curis
Indigno ſubdit domino, periturâque pronus
Diligit, & curvo quærit terreſtria ſenſu.
Hoc pulchrum quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica, commendat quod pernicioſa voluptas,
Quod velut excitus diffiato pulvere ventus
Præterit, exemplo tenuis quod tranſvolat umbræ.
His ægras animas morborum peſtibus urget
Prædo potens, tacitis quem viribus interfuſum
Corda bibunt hominum. ſerit ille medullitus omnes
Nequitias, ſpargítque ſuos per membra miniſtros.
Namque illìc numeroſa cohors ſub principe tali
Militat, horrendiſque animas circumſidet armis,
Ira, ſuperſtitio, mœror, diſcordia, luxus,
Sanguinis atra ſitis, vini ſitis, & ſitis auri,
Livor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
Informes horrent facies, habitúque minaces:
Ambitio ventoſa tumet, doctrina ſuperbit,
Perſonat eloquium, nodos fraus abdita nectit.
Indè canina foro latrat facundia toto,
Hinc gerit Herculeam vilis ſapientia clavam,
Oſtentátque ſuos vicatim gymnoſophiſtas.
Incerat lapides fumoſos idololatrix
Religio, & ſurdis pallens advolvitur aris.
Heu quantis mortale premit genus improbus hoſtis
Armigeris! quanto ferrata ſatellite ductor
Bella gerit, quantâ victos ditione triumphat!
Surgit in auxilium Chananeus, atque agmina denſet
Caſſide terribilis, ſetarum pondera mento
Concutiens, dextrámque gravi cum cuſpide quaſſans.
Aſt aliâ de parte furens exercitus ardet
Regis Amorrhæi: tum millia Gergeſeorum
Effundunt aciem toto volitantia campo:
Eminus hi feriunt, confligunt comminus illi.
Ecce Jebuſaïcæ fervent ad prælia turmæ,
Aurea tela quibus de ſanguine tincta draconis
Mortifero ſplendore micant, radiántque micántque.
Nec non terrificas pilis armare catervas
Te Chettæe juvat: ſed gens Pherezæa ſagittis
Inſultat virtute pari, ſed diſpare ferro.
Poſtremum cuneum rex præmovet Evæorum,
Squamoſum thoraca gerens de pelle colubri.
His ſubnixa viris ſcelerum perverſa poteſtas
Edomat invalidas mentes, quæ ſimplicitate
Indociles, belliſque rudes ſub fœdere falſo
Triſtis amicitiæ primùm ſocia agmina credunt,
Mammonemque fidem pacis ſub amore ſequuntur.

Mox faciles ad vincla rapi, juga dura volentes
Addictis ſubeunt cervicibus, & nebulonum
Spirituum juſſis ſervire ferocibus optant.
Ille ſupervacuis augens patrimonia fundis,
Finitimiſque inhians contempto limite agellis,
Ducitur innexus manicis, & mille catenis
Ante triumphales currus poſt terga revinctus,
Nec ſe barbaricis addictum ſentit habenis.
Hic qui ventoſæ ſcandit faſtigia famæ,
Inflatúrque cavo pompæ popularis honore,
Qui ſummum ſolidúmque bonum putat, ambitionis
Creſcere ſucceſſu, præconum voce tremontes
Exanimare reos, miſerorum in corpore faſces
Frangere, terribiles legum exercere ſecures:
In laqueum jam colla dedit, jam compede dirâ
Nectitur, & pedibus ſervilia vincula limat.
Credite captivi mortales, hoſtica quos jam
Damnatos cohibent ergaſtula, quos famulatu
Pœnarum virtus non intellecta coercet.
Hæc illa eſt Babylon, hæc tranſmigratio noſtræ
Gentis, & horribilis victoria principis Aſſur:
Carmine luctifico quem deflens Hieremias,
Orbatam propriis ululavit civibus urbem.
Num latet, aut dubium eſt animas de ſemine Jacob
Exilium gentile pati, quas Perſica regna
Captivas retinent, atque in ſua fœdera cogunt?
Illic natali deſuescunt vivere ritu:
Moribus & patriis exutæ, in barbara jura
Degenerant, linguámque novam, veſtémque ſequuntur,
Déque profanato diſcunt ſordeſcere cultu,
Nutricémque abolent petulanti è pectore Sion.
Jam patriæ meminiſſe piget, jam myſtica frangunt
Organa, & externi laudant anathemata regni.
Nónne fuit melius ſævum Memphitidis aulæ
Imperium tolerâſſe patres, penitúſque ſiniſtris
Adtediſſe locis? potitos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo & paleis ſervire paratos,
Carnis & immodicæ ſpurco ructamine crudos?
Quò tantum auxim per prodigialia ſigna
Effudit dominus, populum dum fortè rebellem
Servat ope immeritâ, vinclis dum ſubdita colla
Solvit, & Ægyptum virgâ ſerpente coercet?
Quid juvat æquoreum pelago cedente profundum
Pulverea calcâſſe viâ, quum conſcia ponti
Saxa ſub ignoto patuerint prodita cœlo,
Aruit & medio ſitiens ſub gurgite limus?
Si victor virtute Dei, mediáſque tenebras
Luce columnari ſcindens exercitus olim,
Peroidit inventi vallem botryonis opimam?
Si neſcit verſare ſolum, cui melle perenni
Gleba fluens niveos permiſcet lactea rivos?
Si domitam Hierichon lituis, atque ære canoro
Rurſus in antiquos paritur conſurgere muros?
Si ripis reſlui Jordanis pellitur, & jam
Deſerit adſcriptam dimenſa in jugera ſortem?
Denique ſi ſtructam tantis ſudoribus urbem,
Et quæ nubigenas tranſcendunt culmina nimbos,
Defenſare nequit? ſi neſcit, quis lapis ille eſt
Hoſtibus obſiſtens, ut inexpugnabile turris
Præſidium, quem non ærato machina roſtro
Arietat inſiliens, nec ferrea verbera quaſſant?
Angulus hic portæ in capite eſt, hic continet omnem
Saxorum ſeriem, conſtructáque limina firmat,
Quem qui rite ſuis per propugnacula muris
Noverit inſertum, ſéque ac ſua mœnia vallo
Præcingat triplici, celsâ ſtant eminus arce
Fretus amore petræ, callis & pervigil armis;
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus
Tempora pennatis redimitus nigra ſagittis.
Quin, ſi fulmineos cogens ad bella gigantas
Allophylus tua caſtra velit delere tyrannus,
Tutus eris, nec te firmâ ſtatione movebit
Ipſe Charon mundi numen Marcionis: ipſe,
Qui regit aërio vanas ſub ſole tenebras.
Nam vanum quicquid ſol aſpicit, ex elementis
Cuncta ſolubilibus, fluxóque creamine conſtant.
Fallo, creaturam niſi doctor Apoſtolus omnem
Subjectam vanis non ſponte laboribus orſus,
Perjuro ingemuit miſerans ſervire latroni:
Errat, ait, qui luctamen cum ſanguine nobis,
Et carne, & venis ferventibus, & vitioſo
Felle putat, calidiſque animam peccare medullis.
Non mentem ſua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat ſenſus liquidos, bellóve laceſſit:
Sed cum ſpiritibus tenebroſis, nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus ille
Et pigris denſus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cœlum inter, & infima terræ,
Quod pater, ac vacuo nubes ſuſpendit hiatu,
Frena poteſtatum variarum ſuſtinet, ac ſub
Principe Belial rectoribus horret iniquis:
His conluctamur prædonibus, ut ſacra nobis
Oris Apollolici teſtis ſententia prodit.
Nemo habitum naturæ, aut jnritamina peccens
Corporis accuſet: facile eſt frenare rebelles
Affectus carnis, nimióſque retundere pultus
Materiæ fragilis, & viſcera victa domare:
Quippe animus longè præſtantior, utpote ſummo
Æthere demiſſus, ſubjectos ſi velit artus
Imperio quaſſare gravi, juſſiſque leveris
Dedere, regnanti Domino vis nulla reſiſtet.
Major ineſt vis illa homini, quæ flatile virus
Ingerit, & tenuem tenui ferit aëre mentem:
Parthica non æquè ventos tranſcurrit harundo,
Cujus iter nullus potis eſt comprendere viſus.
Præpes enim volucres dum pennis tranſvolat auras,
Improviſa venit, nec ſtridor nunciat ante
Adventum lethi, quàm pectoris abdita rumpat,
Securam rapiens medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera eſt, magis & medicata ſagitta,
Quam jacit umbroſi dominatio lubrica mundi,
Etudens excuſſa oculos, calamíque volantis
Præpete tranſcurſu cordis penetralia figens.
Nec ſegnis natura animæ eſt, aut tarda cavendi
Vulneris: ignitum quoniam Deus indidit illi
Ingenium purum, ſapiens, ſubtile, ſerenum,
Mobile, ſollicitum, velox, agitabile, acutum.
Factorem modò caſta ſuum veneretur, & ipſi
Militet, ac victum proculcet ſobria mundum:
Nil de peſtiferis opibus, aut falſificatis
Terrarum ſpoliis ſtulto oblectamine libans,
Nec ſub faſce jacens, alieno & dedita regno,
Non queat argutas hoſtis vitare ſagittas. [maligni
Sed quid ego omne malum mundíque hominúmque
Hoſtis ad invidiam detorqueo? quum mala noſtra
Ex noſtris concreta animis, genus, & caput, & vim,
Quid ſint, quid valeant, ſumant de corde parente?
Ille quidem fomes noſtrorum, & cauſa malorum eſt.
Sed tantum turbare poteſt, aut fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito ſuggeſta leoni
Armamenta damus. friget fera tutile frendens,
Humani generis ni per ſuffragia gliſcat.
Gignimus omne malum proprio de corpore noſtrum,
Ut genuit David, aliàs pater optimus, unum
Crimen Abeſſalon: tetrum pater ille, ſed unum
Innocuas inter ſoboles genuit patricidam:
Auſus in autorem generis qui ſtringere ferrum.
Ah pietas! ſignis contraria ſigna paternis
Egit, & unius commiſit ſanguinis arma.
Noſtrâ itidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt, verſis qui protinus in nos
Morſibus inſuescunt gignentum vivere pœnis:
Depopulantur enim nimium fœcunda parentum
Viſcera, & interitu genitalis ſtirpis aluntur.
Progeniem verùm ille ſuam, rex utpote ſummus,
Atque Dei vates, partiuræ & virginis autor,
Triſtibus atque piis variaverat, at Salomonis
Frater Abeſſalon miſceret crimina juſtis
Pignoribus, dulcémque domum turbaret amaris.
Nos dignum Salomone nihil, nos degener implet
Solus Abeſſalon, lacerans pia viſcera ferro.
Si licet ex Ethicis quicquam præſumere, vel ſi
De phyſicis exempli aliquid: ſic vipera (ut aiunt)
Dentibus emoritur fuſæ per viſcera prolis.
Mater morte ſuâ, non ſexu fertilis, aut de
Concubitu diſtenta uterum: ſed cum calet igni
Percita fœmineo, morituram obſcœna maritum
Ore ſitit patulo: caput inſerit ille trilingue
Conjugis in fauces, atque oſcula fervidus intrat,
Inſinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta voluptatis vi ſaucia, mordicus hauſtum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur;
Infulâſque bibit, caro pereunte, ſalivas.
His pater inlecebris conſumitur, ac genitricem
Clauſa necat ſoboles: nam poſtquam ſemine adulto
Incipiunt

Incipiunt callidis corpuſcula parva latebris
Serpere, motatúmque uterum vibrata ferire,
Æſtuat interno pietatis crimine mater,
Carnificémque gemit damnati conſcia ſexûs,
Progeniem ſepti rumpentem obſtacula partûs.
Nam quia naſcendi nullus patet exitus, alvus
Fœtibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis, prodit grex ille dolorum,
Ingreſſum vitæ vix eluctatus, & ortum
Per ſcelus exculpens. lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles dum naſcitur, orba,
Haud experta diem, miſere nili poſthuma matris.
Non diſpar noſtræ conceptus mentis, ab ore
Vipereo infuſum ſic combibit illa venenum
Conjuge Beliade, ſic oſcula devorat hauſtu,
Interiúſque rapit, ſic felle libidinis ardens
Impletur vitiis, periturо miſſa marito.
Tunc prægnans lethale genus concepta maligni
Fert opera ingenii, de ſemine complicis hydri,
Quem pœnis penſare priùs ſua facta neceſſe eſt
Corruptæ pro ſtupro animæ, próque orbe perempto.
Ipſam porrò animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperiis, ſoboles dum parturit, ex ſe
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, & partos materno funere natos.
Hinc illa eſt Domini juſta objurgatio Chriſti:
Nónne pater Dæmon, vos increpo peccatores,
Concubitu carnis, ſemen ſitientis iniquum,
Vos genuit? ſanctum lector perconſe volumen,
Quod loquor invenies dominum dixiſſe profanis
Vera objectantem mortalibus: ex patre nam vos
Eſſe meo genitos, pietas ait ipſa probaret,
Ac pietatis opus. prò cæca libido! quid hoc eſt?
Quòd quum ſe thalamis deſponſam mens bona juſtis
Noverit, inque torum regis nuptura vocetur,
Et regis ſemper juvenis, ſenióque repulſo
Divinum decus æterno ſervantis in ore,
Malit adulterium, ſurvo & ſe munere vilem
Vendat noctícolæ ſpurcis complexibus Indi,
Aſpernata Dei fuſam per virginis artus
Progeniem, dulcéſque vocans in fornice natos?
Sentio quam contrà moveat pellacia litem,
Quo dente obnitens ſpinoſa calumnia pugnet,
Nóſque laceſſito vocet ad luctamina vero.
Si non vult Deus eſſe malum, cur non vetat? inquit.
Nil refert autor fuerit, fautórve malorum:
Anne opera in vitium ſceleris pulcherrima verti,
Quum poſſit prohibere, ſinat? quòd ſi velit omnes
Innocuos agere omnipotens, nec ſancta voluntas
Degeneret, nec ſe facto manus inquinet ullo.
Condidit ergo malum Dominus, quod ſpectat ab alto
Et patitur, fierique probat, tanquam ipſe creârit.
Ipſe creavit enim, quod quum diſcludere poſſit,
Non abolet, longóque ſinit graſſarier uſu.
Damna aures pater alme meas, & claude meatus
Obbruteſcentis capitis, ne pervia tales
Concipiat flexura ſonos. eſt perdere tanti
Extinctum vitæ officium de parte cerebri.
Immunem modò ſeſe anima, experténque nefandi
Auditûs feliz, ſtolidâ conſervet ab aure.
Quis ferat hæc injecta Deo convicia? qui ſe
Divinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? multa ut taceam, vel ſola benignum
Res probat eſſe Deum, vetiti quod amore peremptos
Excitat è tumulis homines, regnúſque per ævum
Participes jubet eſſe ſui: qui ſi foret autor,
Servatórque mali, nunquam poſt damna ſalutis,
Peccantúmque obitus, redivivam ferre medelam
Vellet, & amiſſos opere inſtaurare ſecundo.
Labi hominis, ſervare Dei eſt: meritis perit iſte,
Ille abolet pereuntis opus, meritúmque reſolvit.
Argumentum ingens, dominum qui talia præſtet,
Nolle malum, nec quod pòſt abluit, antè probare.
Invitóne aliquis potis eſt peccare Tonante?
Cui facile eſt in corde hominis componere ſenſus
Quos libeat, fibráſque omnes animare pudicis
Pulſibus, & totum venis infundere honeſtum.
Neſcis ſtulte tuæ vim libertatis ab ipſo
Formatore datam? neſcíque ab origine quanta
Sit conceſſa tibi famulo ſuper orbe poteſtas?
Et ſuper ingenio proprio, laxéque ſolato
Jure voluntatis, liceat cui velle, ſequíque
Quod placitum, nulliſque animum ſubjungere vinclo?
An quum te dominum cunctis quæcunque creâtur
Præficeret, mundúmque tuis ſervire juberet
Imperiis, quúmque æva, polum, mare, flumina, ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
Nollet ut indigno, libertatémque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut eſſet,
Non rex ipſe ſui curto fœdatus honore?
Nam quis hopos domini eſt, cujus mens libera non eſt,
Una ſed impoſitæ ſervit ſententia legi?
Quæ laus porrò hominis, vel quod maritum, ſinè certo
Inter utramque viam diſcrimine vivere juſſit?
Non ſit ſponte bonus, cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud, flexóſque animi convertere ſenſus.
Atqui nec bonus eſt, nec conlaudabilis ille
Qui non ſponte bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, ſordéque ingloria virtus.
Nec tamen eſt virtus, ni deteriora refutans
Emicet, & meliore viam petat indole rectam.
Vade, ait ipſe parens, opifexque, & conditor Ada,
Vade homo, & adflatu noſtri prænobilis oris,
Inſubjecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et judex mentis propriæ, mihi ſubdere ſoli
Sponte tuâ: quo ſit ſubjectio & ipſa ſoluta
Libera judicio. non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo injuſtum fugias, juſtúmque ſequaris.
Lux comes eſt juſti, comes eſt mors horrida iniqui.
Elige rem vitæ, tua virtus temet in ævum
Provehat, æternùm tua damnet culpa viciſſim,
Præſtet & alterutram permiſſa licentia ſortem.
Hac pietate vagus, & tanto munere abundans,
Tranſit propoſitum fas, & lethalia prudens
Eligit, atque volens illud magìs utile retur,
Quod prohibente Deo perſuaſit callidus anguis.
Perſuaſit certè hortatu, non impulit acri
Imperio. hoc mulier rea criminis exprobranti
Reſpondit domino; ſuadelis ſe malefabris
Illectam, ſuaſiſſe viro. vir & ipſe libenter
Conſenſit. licuítne hortantem ſpernere recti
Libertate animi? licuit. namque & Deus antè
Suaſerat, ut meliora volens ſequeretur. at ille
Spernens conſilium, ſævo plus credidit hoſti.
Nunc inter vitæ dominum, mortiſque magiſtrum
Conſiſtit medius: vocat hinc Deus, indè tyrannus
Ambiguum, atque ſuis ſe motibus alternantem.
Accipe geſtarum monimenta inſignia rerum:
Præluſit quibus hiſtoria ſpectabile ſignum.
Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia ſecum
Pignora chara domûs properabat, ſede relictâ,
Nubibus urbicremis ſubducere, ſulphure quam jam
Nimboſo ignitus cœlum ſubtexeret aër,
Flagrantémque diem crepitans incenderet imber.
Angelus hanc hoſpes legem præſcripſerat illis,
Emiſſus virtute Dei ſub imagine duplâ:
Omnis ut è portis iret domus, utque in apertum
Dirigeret conſtans oculos, nec ponè reflexo
Lumine regnantes per mœnia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma cremandi eſt,
Ut ſemel è muris greſſum promoverit, ore
Poſt tergum verſo, reſpectet funera rerum.
Loth monitis ſapiens obtemperat: at levis uxor
Mobilitate animi, torſit muliebre retrorſus
Ingenium, Sodomíſque ſuis revocabilis hæſit.
Traxerat Eva virum diræ ad conſortia culpæ.
Hæc peccans ſibi ſola perit, ſolidata metallo
Diriguit fragili, ſaxúmque liquabile facta.
Stat mulier ſicut ſteterat priùs, omnia ſervans,
Caute ſigilleti longum ſalis effigiatâ,
Et decus, & cultum, frontémque, oculóſque, comámque,
Et flexam in tergum faciem, paulúmque relata
Menta retro, antiquæ monimenta rigentia noxæ.
Liquitur illa quidem ſaltis ſudoribus uda,
Sed nulla ex fluido plenæ diſpendia formæ
Sentit deliquio, quantúmque arventa ſaporum
Attenuant ſaxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritámque cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix femina ſiſti,
Infirmum fluidúmque animum per lubrica ſolvens
Conſilia, & fragilis juſſa ad cæleſtia voti.
Propoſitum contrà non commutabile ſervat
Loth ingreſſus iter, nec mœnia reſpicit, alto
In cinerem conlapſa rogo, populúmque peruſtum,
Et mures populi, tabularia, jura, forúmque,

Balnea,

Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,
Et circum cum plebe ſuâ, madidáſque popinas.
Quicquid agunt homines Sodomorum, incendia juſtis
Ignibus involvunt, & Chriſto judice damnant.
Hæc fugiſſe ſemel ſatis eſt. non reſpicit ultrà
Loth noſter: fragilis ſed conjunx reſpicit, & quæ
Fugerat, inverſo mutabilis ore reviſit,
Atque inter patrias perſtat durata favillas.
En tibi ſignatum libertatis documentum,
Quo voluit nos ſcire Deus, quocumque ſequendum eſt,
Sub noſtrâ ditione ſitum, paſsímque remiſſum,
Alterutram calcare viam. duo cedere juſſi
De Sodomis: alter ſe proripit, altera muſſat,
Ille gradum celerat fugiens, contrà illa renutat:
Liber utrique animus, ſed diſpar utrique voluntas.
Dividit hùc illuc rapiens ſua quemque libido.
Talem multa ſacris ſpeciem notat orbita libris.
Aſpice Ruth gentis Moabitidis, & ſimul Orphan,
Illa ſocrum Noemin fido comitatur amore,
Deſerit hæc: atqui thalamis & lege jugali
Exutæ, Hebræíſque thoris, ſacríſque vacantes,
Jure fruebantur proprio. ſed priſtinus Orphæ
Fanorum ritus præputia barbara ſuaſit
Malle, & ſemiteri ſtirpem nutrire Goliæ.
Ruth dum per ſtipulas agreſti amburitur æſtu,
Fulcra Booz meruit, caſtóque adſcita cubili
Chriſtigenam fœcunda domum, Davidica regna
Edidit, atque Deo mortales miſcuit ortus.
Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Perveniſſe ſimul bivium, nutante juventâ,
Et dubitâſſe diu bifido ſub tramite, quodnam
Eſſet iter melius: cùm dextrum ſpinea ſylva
Sentibus arctaret, ſcopuloſáque ſemita longè
Duceret ærium clivoſo margine callem:
At lævum, nemus umbriferum per amœna vireta
Ditibus ornaret pomis, & lenè jacentem
Planicies daret ampla viam, ſqualentibus unum
Contentum ſpinis reptâſſe per ardua ſaxa.
Porrò alium campo ſeſe indulſiſſe ſiniſtro:
Illum ſideribus caput immiſcere propinquis,
Hunc in cœnoſas ſubitò cecidiſſe paludes.
Omnibus una ſubeſt natura: ſed exitus omnes
Non unus peragit, placitorum ſegrege formâ.
Haud ſecus, ac ſi olim per ſudum lactea fortè
Lapſa columbarum nubes, deſcendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentóque inlevit vimina viſco,
Sparſit & inſidias ſiliquis, vel farre doloſo:
Inliciunt alias fallentia grana, gulámque
Innectunt avidam tortæ retinacula ſetæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Aſt aliæ, quas nullus amor prolectat edendi,
Greſſibus innocuis ſterili ſpatiantur in herbâ,
Suſpectámque cavent oculos convertere ad eſcam.
Mox ubi jam cælo revolandum, pars petit æthram
Libera ſydeream, plaudens ſuper ærа pennis:
Pars captiva jacet, laceris & ſaucia plumis
Pugnat humi, & volucres nequicquam ſuſpicit auras.
Sic animas cœli de fontibus unicoloras
Infundit natura ſolo: ſed ſuavibus iſtìc
Devinctæ inlecebris retinentur, & æthera pauca
Conſcendunt reduces, multas viſcoſus ineſcat
Paſtus, & ad ſuperas percurrere non ſinit auras.
Præſcius indè Pater liventia tartara plumbo
Incendit liquido, piceáſque bitumine foſſas
Infernalis aquæ, furvo ſuffodit averno,
Et Phlegethonteo ſub gurgite ſanxit edaces
Perpetuis ſcelerum pœnis inoleſcere vermes.
Nôrat enim flatu ex proprio vegetamen ineſſe
Corporibus noſtris, animámque ex ore perenni
Formatam non poſſe mori, non poſſe viciſſim
Pollutam vitiis ſurſum ad convexa reverti,
Merſandam penitus puteo ferventis abyſſi.
Vermibus, & flammis, & diſeruciatibus ævum
Immortale dedit, ſenio ne pœna periret
Non pereunte animâ: carpunt tormenta fovéntque
Materiem ſinè fine datam. mors deſerit ipſa
Æternos gemitus, & flentes vivere cogit.
At diverſa procul regionibus in Paradiſi
Præmia conſtituit majeſtas gnara futuri
Spiritibus puris, & ab omni labe remotis,
Quíque Gomorrhæas non reſpexêre ruinas,
Averſis ſed rite oculis poſt terga tenebras

Liquerunt miſeri properanda pericula mundi,
Ac primùm facili referuntur ad aſtra volatu:
Unde fluens anima ſtructum vegetaverat Adam.
Nam quia naturam tenuem declivia vitæ
Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes,
Concretum celeri relegens ſecat aëra lapſu,
Exuperátque polum fervens ſcintilla remenſum,
Carcereos exoſa ſitus, quibus hæſerat exul.
Tunc poſtliminio redeuntem ſuſcipit alto
Cana fides gremio, teneríſque oblectat alumnam
Deliciis, multos poſt diverſoria carnis,
Ore renarrantem querulo quos paſſa labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus æternis ſpirantes libat odores,
Ambrotiúmque bibit roſeo de gramine rorem.
Ditibus, & longo fumantibus intervallo,
Flumináque & totos cœli ſitientibus imbres,
Implorata, negat digitum inſertare palato,
Flammarúmque apices humenti extinguere tactu.
Nec mirere locis longè diſtantibus inter
Damnatas juſtáſque animas concurrere viſus
Conſpicuos, meritáſque vices per magna notari
Intervalla, polus medio quæ dividit orbe.

De integritate viſionis animæ.

ERrat, quiſque animas noſtrorum fine oculorum
Æſtimat, involvit vitreo quos lucida palla
Objice, quis ſpeculum concretâ coagula texunt,
Impediúntque vagas obducto humore feneſtras.
Núnne animarum oculis denſo vegetamine gutta
Volvuntur teretes? aut palpebralibus extrà
Horreſcunt ſetis? cilióve umbrante teguntur?
Illis viva acies, nec pupula parva, ſed ignis
Trajector nebulæ, vaſti & penetrator operti eſt.
Nil ferrugineum, ſolidúmve tuentibus obſtat,
Noctúrnæ cedunt nebulæ, nigrantia cedunt
Nubila, prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantùm ærios viſu tranſmittit hiatus
Spiritus: oppoſitos ſed tranſit lumine montes,
Oceani fines, atque ultima littora Thules
Tranſadigit, volucréſque oculos in tartara mittit.
Noſtris nempe omnes pereunt ſub nocte colores
Viſibus, & cæco delentur tempore formæ.
Nunquid & exuti membris, ac viſcere, perdunt
Agnitione notas rerum, vel greſſibus errant?
Una animas ſemper facies habet, & color unus
Aëris, ut cuique eſt meritorum ſumma, ſiniſtri
Seu dextri, alternas nec commutabile tempus
Convertit, variátque vices. longum atque perenne eſt
Quicquid id eſt: unus volvit ſua ſecula curſus.
Expertus dubitas animas percurrere viſu
Abdita corporeis oculis? cùm ſæpe quietis
Rore ſoporatis, cernat mens viva remotos
Diſtantéſque locos, aciem per rura, per aſtra,
Per maria intendens: nec enim ſe ſegregat ipſa
Ante obitum vivis ex artubus, aut fugit exul
Sanguinis & carnis penetralia, ſéque medullis
Exuit, abductámve abigit de pectore vitam:
Viſcereâ ſed ſede manens, ſpeculatur acutis
Omnia luminibus: & quâ circumtulit aerem
Naturæ levis intuitum, nullo objice rerum
Diſcluſa, ante oculos ſubjectum proſpicit orbem,
Atque orbis ſub mole ſitum ſordens elementum.
Objacet interea tellus, nec viſibus obſtat,
Quin ſi ſtelligerum vultus convertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Pervigilis animæ, quamvis denſata graventur
Nubila, & oppoſito nigreſcat vellere cœlum.
Sic arcana videt tacitis cooperta futuris,
Corporeus Joannes adhuc: nec carne ſolutus,
Munere ſed ſomni, pauliſper carne ſequeſtrâ
Liber ad intuitum, ſenſúque oculiſque peragrans,
Ordine diſpoſitos venturis ſolibus annos,
Procinctum videt angelicum, jam jámque cremandi
Orbis in excidium, raucos & percipit aure
Mugitus, gravium mundi ſub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere ſeptus
Secedente animâ, non diſcedente videbat.
Nónne magis flatus ſinè corpore cuncta notabit,
Corporis involucris tumulo frigente repoſtis?
Certa fides, rabidos ſub tetrâ nocte caminos,
Qui pollutam animam per ſecula longa perenni

Igne

Igne coquunt, oculis longum per inane remotis
Pauperis expoſitos: nec ſecius aurea dona
Juſtorum dirimente Chao, rutiláſque coronas
Eminus oſtendi pœnarum carcere merſis.
Hinc paradiſicolæ poſt ulcera dira beato
Proditur in felix ululans in peſte reatûs
Spiritus, ſuque vicem meritorum mutua cernunt.

Peroratio Poëtæ.

O Dee cunctiparens, animæ dator, ô dee Chriſte,
Cujus ab ore Deus ſubtiliit ſpiritus unus,
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio, fore quicquid ago veniabile apud te,
Quamlibet indignum venià faciámque loquárque,
Confiteor, dimitte libens, & parce fatenti:
Omne malum merui, ſed tu bonus arbiter aufer
Quod merui, meliora favens largire precanti.
Dona animæ quandoque meæ, quum corporis hujus
Liquerit hoſpitium, nervis, cute, ſanguine, felle,
Oſſibus extructum, corrupta quod incola luxu
Heu nimiùm complexa fovet, quum flebilis hora
Clauſerit hos orbes, & conclamata jacebit
Materies, oculiſque ſuis mens nuda fruetur,
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem, rabidum, vultúſque & voce minaci
Terribilem, qui me maculoſum aſpergine morum
In præceps, ut prædo, trahat, nigriſque ruentem
Immergat ſpecubus, cuncta exacturus aduſque
Quadrantem minimum damnoſæ debita vitæ.
Multa in theſauris patris eſt habitatio, Chriſte,
Diſparibus diſcreta locis. non poſco beatâ
In regione domum: ſint illic caſta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia cenſum
Divitias petiere tuas: ſit flore perenni
Candida virginitas, animum caſtrata reciſum.
At mihi Tartarei ſatis eſt, ſi nulla miniſtri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, merſam fornacibus imis.
Eſto, cavernoſo quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporeâ, triſtis me ſorbeat ignis averno,
Saltem mirificos incendia lenta vapores
Exhalent, æſtúque calor languente tepeſcat:
Lux immenſa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent, me pœna levis clementer adurat.

LIBRI contra SYMMACHUM, Præfectum urbis.

PRÆFATIO.

PAULUS, præco Dei, qui fera gentium
Primus corda ſacro perdomuit ſtylo,
Chriſtum per populos ritibus aſperis
Immanes, placido dogmate ſeminans,
Immanſueta ſuas ut ceremonias
Gens pagana Deo ſperneret agnito,
Actus turbinibus fortè nigerrimis
Hybernum pelagus jam rate debili,
Et vim naviſragi pertulerat noti.
Sed cùm cærulei prælia gurgitis
Juſſiſſet Domini dextra quieſcere:
Ad portum fluitans cimba relabitur,
Expoſitque ſolo littoris uvidi
Contractos pluvio frigore remiges.
Tunc de litoreis ſcpibus algidi
Arentum properè brachia palmitum
Convectant, rapidos unde focos ſtruant:
Faſcem quiſque ſuum congerit ignibus,
Expectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragiles cogere ſurculos,
Et denſare foci congeriem ſtudet,
Incautam cumulis inſeruit manum,
Torpebat glacie pigra ubi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans:
Quæ poſtquam intepuit fomite fumeo,
Laxaviſque ferox colla rigentia,
Jam flecti facilis, rettulit ad manum
Vibrato capite ſpicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicus,
Pendentémque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alii, quòd cute lividâ
Virus mortiferum ſerpere crederent.
At non intrepidum terret Apoſtolum
Triſtis tam ſubiti forma periculi,
Attollens oculos ſidera ſuſpicit,
Chriſtum ſub tacito pectore murmurans,
Excuſſúmque procul decutit aſpidem.
Abjectus coluber verberat aëra,
Atque oris patuli ſolvit acumina.
Mox omnis ſanies deſerit & dolor,
Ceu nullo laceram vulnere dexteram,
Siccatúſque perit vipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arſurum mediis intulit ignibus.
Sic nunc poſt hyemem, vimque trucis freti,
Quo jactata ratis tunc ſapientiæ eſt,
Quum ſub ſacricolis territa regibus,
Vix panſo poterat currere carbaſo,
Afflictóſque ſuos turbine ſeculi
Vectârat, rabidis fluctibus innatans,
Morſum vulnificum lex pia pertulit:
Occultabat enim ſe priùs abditum
Virus, nec gravidum protulerat caput,
Contentum involucris atque cubilibus,
Subter comprimere clauſa ſilentia.
Sed dum fortè latens impietas riget,
Dextram juſtitiæ pigra momorderat
Succenſi ſtomacho fellis inæſtuans.
Heu quàm catholicam nil propè profuit
Puppim naſſe ſacri remigio ſtyli,
Quem Paulus variis gentibus edidit:
Vix portu placido tuta quieverat
Victrix, edomitis mille furoribus:
Vix adſtricta ſuis jam retinaculis
Vectores ſtabili condiderat ſolo,
Erumpit ſubitò triſte periculum.
Nam dum præcalidos igniculos ſibi
Solvendis adolent, & ſenio & gelu,
Dum virgas ſteriles, atque ſuperfluas
Flammis de fidei palmite concremant,
Ut concreta vagis vinea crinibus
Sylvoſi inluviem poneret idoli,
Palpavit nimius perniciem tepor,
Spes inſueta ſubit, ſerpere flexibus,
Et vibrare ſagax eloquii caput.
Sed dextra impatiens vulneris, incitos
Oris rhetoricî depulit halitus,
Effuſum ingenii virus inaniter,
Summa Chriſticolis in cute ſubſtitit.
Salvator generis Romulei, precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum ſtatuis non operis tui
Mortalem, facili quem releves manu:
Hujus, ſi potis eſt, jam miſereſcito,
Præruptam in foveam præcipitis viri.
Spirat ſacrilegis flatibus inſcius,
Errorémque ſuos indocilis fovet.
Obteſtor, jubeas, ne citus impetus
Arſurum mediis inferat ignibus.

LIBER PRIOR.

CREDEBAM vitiis ægram gentilibus urbem
Jam ſatis antiqui peculiſſe pericula morbi,
Nec quicquam reſtare mali, poſtquam medicina
Principis immodicos ſedârat in arce dolores.
Sed quoniam renovata lues turbare ſalutem
Tentat Romulidum, patris implorauda medela eſt,
Ne ſinat antiquo Romam ſqualere veterno,
Néve togas procerum fumóque & ſanguine tingi.
Inclytus ergo parens patriæ, moderator & orbis,
Nil egit prohibendo, vagas ne priſtinus error
Crederet eſſe Deum nigrante ſub aëre formas?
Aut elementorum naturam, quæ patris ars eſt
Omnigeni, ſummâ pro majeſtate ſacraret?
Vir ſolus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga, cicatricem ſummâ leviter cute clauſam
Duceret, & latebram tabentis vulneris altè
Impreſſam, penitúſque putri de pure pereſam,
Juncta ſuperficies medico fallente foveret.
Sed ſtuduit quò pars hominis generoſior intus
Viveret: atque animam lethali peſte piatam
Nôſſet ab interno tutam ſervare veneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, videre

Qui

Qui ſtatus antè oculos præſentibus ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris:
Heu malè de populo meriti, malè patribus ipſis
Blanditi! quos præcipites in tartara mergi
Cum Jove fiverunt, multâ & cum plebe deorum.
Aſt hic imperium protendit latius ævo
Poſteriore, ſuis copiens ſancire ſalutem.
Nimirum pulchre quidam doctiſſimus: Eſſet
Publica res, inquit, tunc fortunata ſatis, ſi
Vel reges ſaperent, vel regnarent ſapientes.
Eſtne ille è numero paucorum, qui diadema
Sortiti, ætheriæ coluerunt dogma ſophiæ?
Contigit ecce hominum generi, gentiſque togatæ
Dux ſapiens, felix noſtræ Reſpublica Romæ
Juſtitiâ regnante viget: parete magiſtro
Sceptra gubernanti: monet ut deterrimus error,
Utque ſuperſtitio veterum procul abſit avorum,
Nec patet eſſe Deum, niſi qui ſuper omnia ſummus
Emineat, magnique immenſa creaverit orbis.

De Saturno.

NUM melius Saturnus avos rexiſſe Latinos
Creditur? edictis qui talibus informavit
Agreſtes animos, & barbara corda virorum?
Sum Deus, advenio fugiens: præbete latebras,
Occultate ſenem, nati feritate tyranni
Dejectum ſolio. placet, hìc fugitivus & exul
Ut lateam, genti atque loco Latium dabo nomen:
Vitibus incurvum, ſi qua eſt ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon & mœnia veſtri
Fluminis in ripâ ſtatuam Saturnia vobis.
Vos nemus, appoſitâſque meo ſub honore ſacrantes,
(Sum quianam cœlo genitus) celebrabitis aras.
Ipsè deos, quorum patria ſpectata ſepulchra
Scimus, in ære hebetes informavere minores,
Advena quos profugus gignens, & equina libido
Intulit Italiæ: Thuſcis namque ille puellis
Primus adhinnivit ſimulato numine mœchus.

De Jove.

MOX patre deterior ſylvoſi habitator olympi
Jupiter incœſtâ ſpurcavit labe Lacœnas:
Nunc bove ſubvectam rapiens ad crimen amatam,
Nunc tenerâ plumâ levior, blandóſque ſuſurros
In morem recinens ſuave immorientis oloris,
Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem.
Nunc foribus ſurdis, ſera quas, vel peſſulus arctis
Firmârat cuneis, per tectum dives amator
Imbricibus ruptis, undantis deſuper auri
Infundens pluviam, gremio excipientis amicæ,
Armigero modò ſordidulam curante rapinam,
Compreſſu immundo miſerum cupiens catamitum,
Pellice jam puero magis indignante furore.
Hæc cauſa eſt, & origo mali, quòd ſecla vetuſto
Hoſpite regnante, crudus ſtupor aurea finxit:
Quódque novo ingenio verſutus Jupiter, aſtus
Multiplices varióſque dolos texebat, ut illum,
Vertere quum vellet pellem faciémque, putarent
Eſſe bovem, prædari aquilem, concumbere cycnum,
Et nummos fieri, & gremium penetrare puellæ.
Nam quid ruſticitas non crederet indomitorum
Stulta virûm, pecudes inter rictúſque ferinos,
Dedere ſueta animum divæ rationis egenum?
In quamcumque fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.

De Mercurio.

SUcceſſit Jovis imperio corruptior ætas,
Quæ docuit rigidos vitiis ſervire colonos
Expertes furandi homines. hac imbuit arte
Mercurius Maiâ genitus: nunc magnus habetur
Ille Deus, cujus dedit experientia fures:
Necnon Theſſalicæ doctiſſimus ille magiæ
Traditur extinctas ſumptæ moderamine virgæ
In lucem revocâſſe animas, Cocytia lethi
Jura reſignâſſe, ſurſum revolantibus umbris.
Aſt alias damnâſſe neci, penitúſque latenti
Immerſiſſe Chao. facit hoc ad utrumque peritus
Ut fuerit, geminóque armârit crimine vitam:
Murmure nam magico venues excire figuras,
Atque ſepulchrales ſcitè incantare favillas,
Vitâ itidem ſpoliare alios, ars noxia novit.
Artificem ſcelerum ſimplex miratur vetuſtas
Supra hominem coluit, ſimulans per nubila ferri,
Aligeríſque leves pedibus tranſcurrere ventos.

De Priapo.

ECCE Deûm in numero formatus, & amœnus adſtat
Graius homo, auguſtíque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quondam fuit agri,
Hortorúmque opibus memorabilis. hic tamen idem
Scortator nimius, multâque libidine ſuetus
Ruſticolas vexare lupas, intérque ſalicta
Et denſas ſepes obſcœna cubilia ſtrire:
Indomitum intendens animum, ſempérque paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat ocia venis.
Hic Deus è patrio præclarus Helleſponto
Venit adúſque Italos ſacris cum turpibus hortos,
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris ſervat vineta Sabini.
Turpiter adfixo pudeat quem viſere ramo.

De Hercule.

HErculeus mollis pueri famoſus amore
Ardor, & in tranſtris jactata efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemeæâ pelle fovere
Concubitus, & Hylan pereuntem quærere cælebs:
Nunc Saliis, cantúque domus Pinaria templum
Collis Aventini convexâ in ſede frequentat.

De Libero, qui & Bacchus.

THebanus juvenis ſuperatis ſit Deus Indis,
Succeſſu dum victor orans laſcivit, & aurum
Captivæ gentis revehit, ſpoliíſque ſuperbus
Diffluit in luxum cum ſemiviro comitatu,
Atque avidus vini, multo ſe proluit hauſtu
Gemmantis pateræ ſpumis, muſtóque falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides diſcindunt ore chelydros
Qui Bromium placare volunt: quòd & ebria jam tunc
Ante oculos regis Satyrorum inſania fecit:
Et feciſſe reor ſtimulis furialibus ipſas
Mœnadas, inflammante mero in ſcelus omne rotatas.
Hoc circumſaltante choro, temulentus aduiter
Invenit expoſitum ſecreti in littoris actâ
Corporis egregii ſcortum, quod perfidus illic
Liquerat, inceſto juvenis ſatiatus amore.
Hanc jubet aſſumptam, fervens poſt vina, Neæram
Secum in deliciis fluitantis ſtare triumphi,
Regalémque decus capitis geſtare coronam.
Mox Ariadnæus ſtellis cœleſtibus ignis
Additur: hoc precium noctis perſolvit honore
Liber, ut ætherium meretrix illuminet axem.
Tantum poſſe omnes illo ſub tempore reges,
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Ut tranſire ſuis cum ſordibus induperator
Poſſet in æternum cœli ſuper ardua regnum.
Regia tunc omnis vim majeſtatis, & omnis,
Parva licet, cœli imperium retinere poteſtas
Credita: thure etiam ducibus, parvóque ſacello
Impertitus honos. quem dum metus, aut amor, aut ſpes
Accumulant, longum miſeris proceſſit in ævum
Mos patrius. cœpit falſæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloſo errore nepotes:
Tum quia, quæ vivis veneratio regibus antè
Contigerat, functis eadem jam munere lucis
Ceſſit, & ad nigras ajaria tranſtulit urnas.
Indè puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtivus amor juvenum, & deprenſa jugalis
Corruptela tori: quoniam regalibus aula
Fervere nunc vitiis ſolita eſt, nec perdita luxu
Divorum ſoboles ſancti meminiſſe pudoris.

De Marte, Venere, Junone, & Cybele.

ATque ut, Roma, tuos cœleſti ex ſede parentes,
Quos te ſemideam jactant auctoribus ortam,
Perſtringam breviter, Gradivum, vel Cytheream.
Ille ſacerdotem violat: contrà illa marito
Succumbit Phrygio. coitus fuit impar utrique.
Nec terreſtre deam decuit mortalis obire
Conjugium, nec cœlicolam deſcendere ephebum
Virginis ad vitium, furtivóque igne calere:
Sed Venus auguſto de ſanguine femina, vili
Privatóque viro vetitum per dedecus hæſit.
Et ſi Rhea ſacram laſcivi Martis amore

Laſa

Luſa pudicitiam fluviali amiſit in ulvâ:
Crediderim generoſæ aliquem ſtirpis, ſed eundem
Moribus infamem, compreſsâ virgine per vim,
Se dixiſſe Deum, ne ſtuprum numinis ullus
Objicere auderet turpi miſeræque puellæ.
Hæc Italos induxit ævos vel fama, vel error,
Martia Romuleo celebrarent ut ſacra campo,
Utque Palatinis Capitolia condita ſaxis
Signarent titulo proavi Jovis, atque Pelaſgæ
Palladis, & Libycâ Junonem ex arce vocarent.
Cognatos de Marte deos, Veneris quoque nudum
Accirent proceres Erycino è vertice ſignum:
Utque deûm mater Phrygiâ veheretur ab Idâ,
Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo,
Facta eſt terrigenæ domus unica majeſtatis,
Et tot templa deûm Romæ, quot in urbe ſepulchra
Heroum numerare licet: quos fabula manes
Nobilitat, noſter populus veneratus adorat.
Hos habuere deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus:
Talia Pergameas fugerunt numina flammas.
Sic Veſta eſt, ſic Palladium, ſic umbra penatum,
Talis & antiquum terror ſervavit aſylum.

Unde error invaluerit.

UT ſemel obſedit gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus. tener horruit hæres,
Et coluit quicquid ſibimet venerabile cani
Monſtrârant atavi. puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit: guſtaverat inter
Vagitus, de farre molæ ſaxa inlita ceris
Viderat, unguemóque lares humeſcere nigros.
Formatum fortunæ habitum cum divite cornu,
Sacratúmque domi lapidem conſiſtere parvas
Speculârat, matrémque illic pallere precantem.
Mox humeris poſitus nutricis, trivit & ipſe
Impreſſis filicem labris, puerilia vota
Fudit, opéſque ſibi cæcâ de rupe popoſcit,
Perſuaſúmque habuit, quid quis velit, indè petendum.
Nunquam oculos, animúmque levans rationis ad arcem
Rettulit, inſultum tenuit ſed credulus uſum,
Privatos celebrans agnorum ſanguine divos:
Jámque domo egrediens, ut publica feſta, diéſque,
Et ludos ſtupeat, celſa & Capitolia vidit:
Laurigeróſque deûm templis aſtare miniſtros,
Ac ſacram reſonare viam magitibus ante

De ſimulachro Romæ.

DElubrum Romæ, colitur nam ſanguine & ipſa
More dea, nomenque loci cœu numen habetur.
Atque urbis Veneriſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura deabus;
Vera ratus, quæcunque fiunt auctore ſenatu;
Contulit ad ſimulachra fidem, dominóſque putavit
Ætheris, horrifico qui ſtant ex ordine vultu.
Illic Alcides, ſpoliatis Gadibus hoſpes
Arcadiæ fulvo ære riget: gemini quoque fratres
Corruptâ de matre nothi, Ledeia proles,
Noctúrnique equites, celſæ duo numina Romæ
Impendent reſtante vetu, magníque triumphi
Nuncia, ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.
Aſſiſtunt etiam pritcorum inſignia regum,
Tros, Italus, Janúſque bifrons, genitórque Sabinus,
Saturnúſque ſenex, maculoſo & corpore Picus,
Conjugis ejectum ſpartus per membra venenum.
Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuique ſordens
Arula. Jano etiam celebri de menſe litatur
Auſpiciis, epuliſque ſacris, quas inveterato,
Heu miſeri, ſub nomine agitant, & gaudia ducunt
Feſta calendarum: ſic obſervatio crevit,
Ex atavis quondam malè cœpta: deinde ſequutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta,
Traxerunt longam cordâ inconſulta catenam,
Mœſque tenebroſus vitioſa in ſecula fluxit.

De ſimulachro Auguſti.

HUnc morem veterum docili jam ætate ſequuta
Poſteritas, mente atque adytis, & flamine, & aris
Auguſtum coluit, vitulo placavit, & agno.
Strata ad pulvinar jacuit, reſponſa popoſcit.
Teſtantur tituli, produnt conſulta ſenatus,
Cæſareum Jovis ad ſpeciem ſtatuentia templum.

De ſimulachro Liviæ Auguſtæ.

ADjecere ſacrum, fieret quo Livia Juno,
Non minùs infamis thalami ſortita cubile,
Quàm quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptámque viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur,
Jam ſponſus, ſalienſe utero nubentis, amicos
Advocat, haud ſterilem certus fore jam ſibi pactam.
Vitricus antè venit tardum præfervidus ortum
Privigni nondum geniti: mox editur inter
Feſcenninа novo proles aliena marito.
Idque deûm ſortes, id Apollinis antra dederunt
Conſilium: nunquam meliùs nam cedere tædas
Reſponſum eſt, quàm cùm prægnans nova nupta jugatur.
Hanc tibi Roma deam titulis, & honore ſacratam
Perpetuò Floras inter, Veneréſque creâſti.
Nec mirum: quis enim ſapiens dubitaverit illas
Mortali de ſtirpe ſatas vixiſſe, & eaſdem
Laude venuſtatis claras, in amoribus uſque
Ad famæ excidium formæ nituiſſe decore?

De cultu Hadriani, & cotumiti ejus.

QUid loquar Antinoum cœleſti ſede locatum?
Illum delicias nunc divi Principis, illum
Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili,
Adrianſque Dei Ganymedem, non cyathos dis
Porgere, ſed medio recubantem cum Jove fulcro,
Nectaris Ambroſii ſacrum potare Lyæum,
Cúmque ſuo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auſpicibus, Trajanus, Nerva, Severus,
Et Titus, & fortes geſſerunt bella Nerones:
Quos terrena viros illuſtres gloria fecit,
Et virtus fragilis provexit in ardua famæ
Aſcitæ terris, ſub religione jacentis.
Quàm pudet hoc illis perſuaſum, talibus ut ſe,
Romanáſque acies cenſerent Martis amore
Poſſe regi, dum ſe Paphiæ malè blandus adulter
Venditat, Æneadáſque ſuos ſucceſſibus auget?
Felices, ſi cuncta Deo ſua proſpera Chriſto
Principe diſpoſita ſciſſent! qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorúmque triumphis
Creſcere, & impletis voluit ſe infundere ſeclis.
Sed caligantes animas, & luce carentes,
In Jovis, Auguſtique adytis, templiſque duarum
Junonum, Martiſque etiam, Veneriſque ſacellis
Mactatas, tetro lethi immerſere barathro,
Supremum regimen craſſis in partibus orbis
Eſſe rati, merſóque poli conſiſtere fundo.

De cultu elementorum ſub ſpecie quorundam non deorum, ſed dæmonum.

QUicquid humus, quicquid pelagus mirabile giguunt,
Id duxere deos: colles, freta, flumina, flammas.
Hæc ſibi per varias formata elementa figuras
Conſtituere patres, hominúmque vocabula mutis
Scripſerunt ſtatuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel Cyaneas cava flumina Nymphas,
Vel ſylvas Dryadas, vel devia rura Napæas.
Ipſe ignis, noſtrum factus qui ſervit ad uſum,
Vulcanus perhibetur, & in virtute ſuperná
Fingitur, ac delubra Deus & nomine & ore
Aſſimulatus habet, necnon regnare caminis
Fertur, & Æoliæ ſummus faber eſſe, vel Ætnæ.

De cultura Solis, quem credunt Apollinem.

EST, qui conſpicuis ſuperos quæſivit in aſtris,
Auſus habere Deum ſolem, cui tramite certo
Conditio impoſita eſt, vigilem tolerare laborem,
Viſibus objectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretſque globo per inane volantem,
Et, quod nemo negat, mundo cæloque minorem.
Area major enim, quàm qui percurrit in illa:
Et longè campi ſpacium diffutius, in quo
Emicat, ac volucri fervens rota volvitur axe.
Quamvis nonnullis placeat, terram breviorem
Dicere circuitu, quàm ſit pulcherrimus ille
Circulus, & flammas immenſi ſideris ultra
Telluris normam porrecto extendere gyro.
Núnne etiam cœli minor & contractior orbis,
Cujus planiciem longo tranſmittere tractu
Circinus excurrens metâ interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non eſt grandior ulla

Materies, qui fine caret, qui præfidet omni
Naturæ, qui cuncta fimul concludit & implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus variis diftinguitur: aut fubit ortu,
Aut ruit occafu, latet aut fub nocte recurrens:
Non torquere facem potis eft ad tigna Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec folitum converfus iter revocare retrorfum.
Hic erit ergo Deus præfcriptis lege fub unâ
Deditus officiis? Libertas laxior ipfi
Conceffa eft homini, formam cui flectere vitæ
Atque voluntatis licitum eft, feu tramite dextrò
Scandere, feu lævo malit decurrere campo,
Sumere feu requiem, feu continuare laborem,
Seu parere Deo, five in contraria verti.
Ifta miniftranti regimen folemne dierum
Haudquaquam foli datur à factore poteftas:
Sed famulus fubjectus agit quodcunque neceffe eft.
Hoc fidus currum, rapidáfque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,
Et frenos, phaleráfque, & equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Juffernnt nitido fulgere polita metallo.
Poft trabeas, & eburnam aquilam, fellámque curulem,
Cernuat ora fenex barbatus, & ofcula figit
Cruribus æripedum, fi fas eft credere, equorum:
Immotáfque rotas & flecti nefcia lora,
Aut ornat redimita rofis, aut thure vaporat.

De cultu Lunæ, quam & Dianam credunt.

HOC tamen uteunque eft tolerabile. quid, quòd & ipfæ
Dant tibi, Roma, deos inferni gurgitis umbræ!
Enmenidum domina Stygio caput exerit antro,
Rapta ad tartarei thalamum Proferpina regis.
Et fi quando fuos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ fterilis cervice refectâ,
Et regnare fimul cœlóque erebóque putatur:
Nunc bigas frenare boves, nunc fæva fororum
Agmina vipereo fuperis immittere flagro.
Nunc etiam volucres caprearum in terga fagittas
Spargere, térque fuas eadem variare figuras.
Denique quum luna eft, fubluftri fplendet amictu:
Quum fuccincta jacit calamos, Latonia virgo eft:
Quum fubnixa fedet folio, Plutonia conjunx
Imperitat Furiis, & dictat jura Megeræ.
Si verum quæris: Triviæ fub nomine dæmon
Tartareus colitur, qui te modò raptat ad æthram,
Siderecóque Deum venerandum fuadet in aftro:
Per fylvas modò mortiferi difcurrere mundi,
Errorélque fequi fubigit, nemorúmque putare
Effe deam, quæ corda hominum pavitantia figat,
Quæque feras perimat lethali vulnere mentes.
Depreffos modò fubter humum formidine fenfus
Obruit, implorent ut numina lucis egena,
Séque poteftati committant noctis opertæ.

In fpectaculis quos fint venerati.

RESpice terrifici fcelerata facraria Ditis,
Cui cadit infaufta tufus gladiator arenâ.
Heu malè luftratæ Phlegetontia victima Romæ!
Nam quid vefani fibi vult ars impia ludi?
Quid mortes juvenum? quid fanguine pafta voluptas?
Quid pulvis caveæ femper funebris? & illa
Amphitheatralis fpectacula triftia pompæ?
Nempe Charon, jugulis miferorum fe duce dignas
Accipit inferias, placatus crimine facro.
Hæ funt delicia Jovis infernalis, in iftis
Arbiter obfcuri placidus requiefcit averni.
Nónne pudet regem, populis fceptrífque potentem
Talia pro patriæ cenfere litanda falute?
Religionis opem fubternis pofcere ab antris?
Evocat heu pœnis tenebrosâ ex fede miniftrum
Interitûs, fpecioſa hominum cui funera folvat.
Incaffum arguere jam Taurica facra folemus:
Funditur humanus latiari in munere fanguis,
Confeffúfque ille fpectantum folvit ad aram
Plutonis fera vota fui? quid fanctius aræ,
Quæ bibit egeftum per myftica tela cruorem?
Anne fides dubia eft tibi, fub caligine cæcâ
Effe Deum, quem tu tacitis rimeris in umbris?
Ecce deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipfa patrum monumenta probant, diis Manibus illic
Marmora fecta lego, quacunque Latina vetuftos
Cuftodit cineres, denfifque falaria buftis.

Romam alloquitur.

DIC quibus hunc fcribis titulum? nifi quòd trucis orci
Imperium, veræ ceu majeftatis, adoras?
En quibus implicita fqualebat regia fummi
Imperii, tractis majorum ab origine facris.
Quum princeps gemini bis victor cæde tyranni
Pulchra triumphali refpexit mœnia vultu,
Nubibus obfeffam nigrantibus afpicit urbem,
Noctis obumbratæ caligine. turbidus aër
Arcebat liquidum feptenâ ex ace ferenum.
Ingemuit miferans, & fic ait: Exue triftes,
Fida parens, habitus. equidem prædivite cultu
Illuftrata cluis, fpoliífque infigne fuperbis
Attollis caput, & multo circumfluis auro.
Sed nebulis propter volitantibus obfitus alti
Verticis horret apex: ipfas quoque livida gemmas
Lux hebetat, fpiffúfque dies & fumus ab orâ
Suffufus, rutilum frontis diadema retundit.
Obfcuras video tibi circumferrier umbras,
Cæruleáfque animas, & nigra idola volare.
Cenfeo fublimem tollas fuper æëra vultum,
Sub pedibúfque tuis nimboſa elementa relinquas.
Omne quod ex mundo eft, tibi fubjacet: hoc Deus ipfe
Conftituit, cujus vultu dominaris, & orbi
Imperitas, & cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, ut fubmiffa oculos regina caducum
Contemplere folum, majeftatémque requiras
Circa humiles rerum partes, quibus ipfa fuperftas.
Non patiar veteres teneas ut me duce nugas,
Ut carioforum venereris monftra deorum.
Si lapis eft, fenio diffolvitur, aut crepat ictu
Percuffus tenui: mollis fi bractea gypfum
Texerit, infido rarefcit glutine tenfim.
Si formam ftatuæ laminis commifit ahenis
Lima terens, aut in partem cava membra gravato
Pondere curvantur, fcabra aut ærugo perelam
Conficit effigiem, crebróque foramine rumpit,
Nec tibi terra Deus, cœli nec fit Deus altrum,
Nec Deus Oceanus, nec vis quæ fubter operta eft,
Infernis triſte ob meritum damnata tenebris:
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spiritúmve, vagæ tenui fub imagine formæ.
Abfit ut umbra Deus tibi fit, geniúve locúlve,
Aut Deus æërias volitans phantafma per auras.
Sint hæc Barbaricis gentilia numina pagis, [dum
Quos penes omne facrum eft, quicquid formido tremen-
Suaferit, horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monftra Deos, quos fanguinolentus edendi
Mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, vifceribus multa inter vina vorandis.
At te, quæ domitis leges ac jura dedifti
Gentibus, inftituens; magnus quà tenditur orbis,
Armorum, morúmque feros manfuefcere ritus,
Indignum ac miferum eft, in religione tenendâ
Id fapere, immanes populi de more ferino
Quod fapiunt, nullâque rudes ratione fequuntur.
Seu nos procinctus maneat, feu pace quietas
Dictemus leges, feu debellata duorum
Colla tyrannorum medià calcemus in urbe,
Agnofcas regina libens mea figna neceffe eft,
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis folido ex auro præfertur in haftis.

De potentiâ crucis.

HOC figno invictus tranfmiffis alpibus ultor
Servitium folvit miferabile Conftantinus.
Quum te pefliferâ premeret Maxentius aulâ,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Ut fcis ipfa, patres: aut fponfus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diróque fatellite rapta,
Immerfus tenebris, dura inter vincula flebat:
Aut fi nupta thorum regis confcendere juffa,
Cœperat impurum Domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patrúmque ergaftula fævi
Principis, abductâ genitor fi virgine muffans
Triftiùs ingemuit, non ille impunè dolorem
Prodidit, aut confeffa animis fufpiria traxit,
Vim libertatis nimiæ, patriúmque dolorem.
Teftis Chriſticolæ ducis adventantis ad urbem
Mulvius, exceptum Tyberina in ſtagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majeftate regi, quod ſignum dextera vindex

Præto-

Prætulerit, quali radiârint stemmate pila.
Christus, purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexúsque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens. Tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christíque verendum,
Nomen adorsvit, quod collucebat in armis.
Ergo cave, egregium caput orbis, inania posthac
Prodigia & larvas stolido tibi figere cultu,
Atque experta Dei virtutem spernere veri.
Deponas jam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantóque indigna sacraria regno.
Marmora tabenti respergine tincta lavate,
O proceres, liceat statuas contiltere puras
Artificum magnorum opera. hæ pulcherrima nostræ
Ornamenta cluant patriæ, nec decolor usus
In vitium versæ monimenta coinquinet artis.
Talibus edictis urbs informata refugit
Errores veteres, & turbida ab ore vieto
Nubila discussit, jam nobilitate paratâ
Æternas tentare vias, Christúmque vocantem
Magnanimo ductore sequi, & spem mittere in ævum.
Tunc primùm senio docilis, sua secula Roma
Erubuit: pudet exacti jam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
Mox ubi contiguos fossis muralibus agros
Sanguine justorum innocuo maduisse recordans,
Invidiosa videt tumulorum millia circùm,
Tristis judicii magè pœnitet, ac ditionis
Effrenis, pimiæque sacris pro turpibus iræ:
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Justitiæ, sero obsequio, venisque petendâ,
Ne tanto imperio maneat, pietate repulsâ,
Crimen sævitiæ monstrata piacula quærit,
Inque fidem Christi pleno transfertur amore.
Lauren victoris Marii minùs utilis urbi,
Cùm traheret Numidam populo plaudente Jugurtham.
Nec tantum Arpinas consul tibi, Roma, medela
Contulit, extincto justa inter vincla Cethego,
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Præscripsit, tribuítque boni: multos Catilinas
Ille domo pepulit: non sæva incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus,
Internóque hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanúmque forum & Capitolia celsa tenebant,
Qui conjuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno
Consueraut tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitante ex hoste togatus,
Clara trophæa refert sinè sanguine, rémque Quirini
Adsuescit supero pollere in secula regno.
Denique nec metas statuit, nec tempora ponit:
Imperium sinè fine docet, ne Romula virtus
Jam sit anus, nôrit ne gloria parta senectam.

Romanorum senatum conversum ad Christum.

EXultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliúmque senum gestire Catonum,
Candidiore togâ niveum pietatis amictum
Sumere, & exuvias deponere pontificales.
Jámque ruit, paucis Tarpeiâ in rupe relictis,
Ad sincera virûm penetralia Nazareorum,
Atque ad Apostolicos Evandria curia fontes,
Anniadum soboles, & pignora clara proborum.
Fertur enim antè alios generosus Anicius urbis
Illustrâsse caput: sic se Roma inclyta jactat.
Quin & Olybriaci generisque & nominis hæres,
Adjectis fastis, palmatâ infignis abollâ,
Martyris antè fores, Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Prompta fides dare se Christo, stirpémque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.
Jam quid plebicolas percurram carmine Gracchos,
Jure potestatis fultos, & in arce senatûs
Præcipuos, simulachra deûm jussisse revelli,
Cúmque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrâsse regendos?
Sercentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet, ad Christi signacula versas,
Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
Si persona aliqua est, aut si status urbis, in his est:
Si formam patriæ facit excellentior ordo,
Hi faciunt, junêta est quoties sententia plebis,
Atque unum sapiunt plures simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est ubi publica, cellam,
Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
Ingenia, obtritos ægrè retinentia cultus.
Et quibus exactas placeat servare tenebras,
Splendentémque die medio non cernere solem.

Plebem Romanam in Christum credidisse.

POst hinc ad populum converte oculos: quota pars est,
Quæ Jovis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quisque terit silicem variis discursibus aram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc, Romam tibi Christe dicatam
In leges transisse tuas? omnisque volentem
Cum populo & summis cum civibus, ardua magni
Jam super astra poli terrenum entendere regnum?
Nec moveor, quòd pars hominum ratissimâ clausos
Non aperit sub luce oculos, & gressibus errat.
Quamlibet illustres meritis, & sanguine clari,
Præmia virtutum titulis & honoribus aucti
Ardua rettulerint, fastorúmque arce potiti
Annales proprio signârint nomine chartas,
Atque inter veteres cerâ numerentur & ære:
Attamen in paucis, jam deficiente catervâ,
Nec persona sita est patriæ, nec curia constat;
Et quodcunque fovet studii privata voluntas,
Ac jam rara tenet: sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic consulta Patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quàm si
Ter centum sensisse senes legerentur in unum:
Servemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, parvâque in parte filescat.

Apostrophe ad Symmachum.

ASpice quàm pleno subsellia nostra senatu
Decernant infame Jovis pulvinar, & omne
Idolium, longè purgatâ ex urbe fugandum:
Quà vocat egregii sententia principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia transit.
Nec locus invidiæ est, nullum vis aspera terret;
Antè oculos sic velle patet, cunctíque probatum,
Non jussum, solâ capti ratione sequuntur.
Denique pro meritis terrestribus æqua rependens
Munera sacricolis, summos impertit honores
Dux bonus, & certare finit cum laude suorum,
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet, quoniam cœlestia nunquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.
Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
Contulit, auratúmque togæ donavit amictum,
Cujus relligio tibi displicet, ô pereuntum
Adsertor divûm, solus qui restituendos
Vulcani, Martísque dolos, Venerísque per orat,
Saturnique senis lapides, Phœbíque furores,
Iliacæ matris Megalesia, Bacchica Nysi,
Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica, ridendáque suis solemnia calvis,
Et, quascunque solent Capitolia claudere, larvas.
O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat & ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Prætulit, & liquidam temeravit crimine vocem.
Haud aliter, quàm si rastris quis tentet eburnis
Cœnosum versare solum, limóque madentes
Excolere aureolis si fortè ligonibus ulvas,
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et preciosa acies squalenti sordet in arvo.
Non vereor ne me nimiùm confidere quisquam
Arguat, ingeniíque putet luctamen inire.
Sum

Sum memor ipſe mei, ſatis & mea frivola novi,
Non autim conferre pedem, nec ſpicula tanto
Indoctis fandi conjecta lacesſere linguæ.
Illæſus maneat liber, excellénſque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.
Sed liceat tectum ſervare à vulnere pectus,
Oppoſitâque volans jaculum depellere parmâ.
Nam ſi noſtra fides ſeclo jam tuta quieto,
Viribus infeſtis, hoſtiliſque arte petita eſt:
Cur mihi fas non ſit lateris ſinuamine flexi
Ludere ventoſas jactu pereunte ſagittas?
Sed jam tempus, iter longi cohibere libelli,
Ne tractum ſinè fine ferat faſtidia carmen.

CONTRA SYMMACHUM

LIBER POSTERIOR.

PRÆFATIO.

SIMON, quem vocitant Petrum,
Summus diſcipulus Dei,
Lucis fortè ſub exitu,
Quum veſper croceus rubet,
Curvam vulſerat ancoram,
Captans flamina linteis,
Et tranſnare volens fretum,
Nox ventum movet obvium
Fundo qui mare miſceat,
Jactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens, atque ululans ferit,
Cum ſtridore rudentium:
Nec quicquam ſuberat ſpei,
Mergendis propè naufragis.
Quum Chriſtum procul aſpicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare,
Ac ſi per ſolidam viam
Siccum littus obambulet.
Hæc miracula cæteri
Vectores pavidi ſtupent.
Solus non trepidus Petrus
Agnoſcit Dominum poli,
Terræque, & maris invii:
Cujus omnipotentiæ eſt
Plantis æquora ſubdere.
Tendit ſuppliciter manus,
Notum ſubſidium rogat.
Aſt ille placidè annuens,
Puppi ut deſiliat jubet.
Juſſis obſequitur Petrus;
Sed veſtigia fluctibus
Summis tingere cœperat,
Et lapſante gradu pedes
Peſſum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Qui ſit non ſtabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Chriſtum valeat ſequi.
Tum dextrâ famulum levat,
Siſtitque, & docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me tuta ſilentia
Egreſſum dubiis loquax
Infert lingua periculis:
Non ut diſcipulum Petrum
Fidentem & merito & fide:
Sed quem culpa frequens, levem
Volvat per freta naufragum.
Sum planè temerarius,
Qui noctis mihi conſcius,
Quam vitæ in tenebris ago
Puppem credere fluctibus
Tanti non timeam viri:
Quo nunc nemo diſertior,
Exultat, fremit, intonat,
Ventiſque eloquii tumet.
Cui merſare facillimum eſt
Tractandæ indocilem ratis:
Ni tu, Chriſte potens, manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris ut impetus
Non me fluctibus obruat:
Sed ſenſim gradiens, vadis
Inſiſtam fluitantibus.

LIBER.

HACTENUS & veterum cunabula prima deorum,
Et cauſas quibus error hebes conflatus in orbe eſt,
Diximus, & noſtro Romam jam credere Chriſto.
Nunc objecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Unde igitur cœpiſſe ferunt, aut ex quibus orſum,
Quò magè ſancta ducum corda illice flecteret arte?

ARmorum dominos, vernantes flore juventæ
Inter caſtra patris genitos, ſub imagine avitâ
Eductos, exempla domi congeſta tenentes,
Orator carus inſtigat, ceu claſſica belli
Clangeret, excuſtque animos, & talia jactat:
Si vobis vel parta, viri, victoria cordi eſt,
Vel parienda dehinc: templum dea virgo ſacratum
Obtinet, vobis regnantibus: ecquis amicus
Hoſtibus, hanc ſanctè veſtro negat eſſe colendam
Imperio? cui ſemper adeſt, quod laudibus implet.
Hæc ubi dicta dedit, reddunt placidiſſima fratrum
Ora ducum: Scimus quàm ſit Victoria dulcis
Fortibus, Auſoniæ vir facundiſſime linguæ:
Sed quibus illa modis, qua ſit ratione vocanda
Novimus: hac primùm pueros pater imbuit arte,
Hanc genitore ſuo didicit puer ipſe magiſtro:
Non aris, non farre molæ Victoria felix
Exorata venit: labor impiger, aſpera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
Quæ ſi defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis ſurgat formata metallis,
Non aderit, verſique offenſa videbitur haſtis.
Quid, miles, propriis diffitus viribus, optas
Irrita fœmineæ tibimet ſolatia formæ?
Nunquam pennigerum legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? ſua dextera cuique eſt,
Et Deus omnipotens: non pexo crine virago,
Nec nudo ſuſpenſa pede, ſtrophióque reciucta,
Nec tumidas fluitante ſinu veſtita papillas.
Aut vos pictorum docuit manus, aſſimilatis
Jure poëtarum numen componere monſtris:
Aut lepida ex veſtro ſumpſit pictura ſacello,
Quod variis imitata notis, cerâque liquenti
Duceret in faciem, ſociſque poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere ſucis.
Sic unum ſectantur iter, ſic inania rerum
Somnia concipiunt & Homerus & acer Apelles,
Et Numa: cognatúmque malum pigmenta, Camœnas,
Idola conflavit fallendi trina poteſtas.
Hæc ſi non ita ſunt, edatur, cur ſacra vobis
Ex tabulis, ceriſque poëtica fabula præſtat?
Cur Berecynthiacus perdit truncata ſacerdos
Inguina, quum pulchrum poëſis caſtraverit Atyn?
Cur etiam templo Triviæ luciſque ſacratis
Cornipedes arcentur equi, cùm muſa pudicum
Raptârit juvenem volucri per littora curru?
Idque etiam paries tibi verſicolorus adumbret?
Deſine, ſi pudor eſt, gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas fimulatis fingere membris.
Deſine, terga hominis plumis obducere: fruſtra
Fertur avis mulier, magnúſque eadem dea vultur.
Vis decorare tuum, ditiſſima Roma, Senatum?
Suſpende exuvias armis & ſanguine captas:
Congere cæſorum victrix diademata regum,
Frange ſepulſorum fœda ornamenta deorum:
Tunc tibi non terris tantùm victoria parta,
Sed ſuper aſtra etiam mediâ ſervabitur æde.
Talia principibus dicta interſantibus, ille
Proſequitur, magnúſque tubam concentibus inflat:
Allegat morem veterum, nil dulcius eſſe
Adfirmat ſolitis, populóſque hominéſque teneri
Lege ſuâ. Sicut variæ naſcentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ: ſic urbibus adfert
Hora diéſque ſuum, quum primùm mœnia ſurgunt,
Aut fatum, aut genium, cujus moderamine regnent.
Addit & arcanum rerum, verique latebras
Proſperitate aliquâ deprendi poſſe, ſecundi

Per

Per documenta boni, ſi ſint felicia, quæ quis
Experiendo probet, ceſſiſſe parentibus omne
Idolium ſemper feliciter, & pede dextro.
Enumerat longi vim temporis, excitat ipſam
Crinibus albentem niveis, & fronte vietam,
Ore repoſcentem querulo ſua numina Romam.
Libera ſum, liceat proprio mihi vivere more.
Et quis erit, qui mille meos reprehenderit annos?
Uno omnes ſub ſole iti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viventibus aura.
Sed qui ſit, qualiſque Deus, diverſa ſequuti
Quærimus, atque viis longè diſtantibus unum
Imus ad occultum. proprius genti cuique eſt mos;
Per quod iter properans, eat ad tam grande profundùm.
His tam magnificis, tantâque fluentibus arte,
Reſpondet vel ſola fides, doctiſſima primum
Pandere veſtibulum veræ ad penetralia ſectæ.
Nam quum divinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quiſque Chao anterior fuerit, mundúmque creârit,
Conjectare animo contendimus, exigua eſt vis
Humani ingenii, tantóque anguſta labori:
Quippe minor natura, aciem ſi intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi:
Quis dubitet victo fragilem laceſſere viſu,
Vimque fatigatæ mentis ſub pectore parvo
Turbari, invalidiſſque hebetem ſuccumbere curis?
Sed facilis fidei via provocat omnipotentem
Credere, qui bona non tantùm præſentia donat,
Sed ventura etiam, longiſque interminа ſeclis
Promittit, ne totus eam reſolutus inane
In nihilum, pereámque brevem poſt luminis uſum.
Muneris autores ipſo de munere pendas.
Æterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis, divina Deus, peritura caducus.
Omnia quæ tempus peragit, quæque exitus aufert,
Vilia ſunt brevitate ſui, nec digna perenni
Largitore, cui propria eſt opulentia, nunquam
Deſinere, ſdque homini dare, quod non deſinet unquam.
Nam ſi corruptum, corrumpendúmve Deus quid
Præſtat, habétque nihil quod ſit preciosius iſtis:
Pauper, & infirmus, & ſummo indignus honore,
Et non omnipotens, ſed inanis numinis umbra eſt.
Hac ratione fides ſapienter conjicit, imò
Non dubitat verum eſſe Deum, qui quod ſumus, & quod
Vivimus, illæſum ſemper fore, ſi mereamur,
Nos ſperare jubet: Cœleſtia ſi placet, inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantùm ſubjecta ſitu tellus jacet infrà,
Dividitúrque ab humo convexi regia cœli,
Tantùm veſtra meis diſtant mundana futuris,
Dira bonis, ſcelerata piis, tenebroſa ſerenis.
Quicquid obire poteſt, fugitis cenſeo: quicquid
Naturæ ratione capit vitium, atque ſeneſcit,
Pro nihilo, in nihilum quia ſunt reditura, putetis.
Cuncta quidem quæ gignit humus, quæ continet, ipſe
Principiò inſtitui, nitidóque inſignia mundo
Ornamenta dedi, ſpecioſáque ſemina finxi.
Sed tamen eſſe modum volui, parciſſque fruenda
Moribus indulſi, quantum moribundus & æger
Corporis & vitæ volucris ſibi poſceret uſus:
Non ut captus homo ſtudiis, & inaniter ardens,
Duceret omne bonum poſitum in dulcedine rerum,
Et ſpecie tenui, quas currere tempore juſſi.
Atque ævum ſtatui, ſub quo generoſa probarem
Pectora: ne torpens, & non exercita virtus,
Robur enervatum gereret ſinè laude palæſtræ.
Illecebroſus enim ſapor eſt, & peſtifer horum,
Quæ dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas, vinctáſque tenent. Vincenda voluptas,
Elaqueanda animi conſtantia, ne retinaclis
Mollibus ac lentis nexa & captiva prematur.
Nitendum ſummis conatibus, inter acerba
Sectandum virtutis iter, ne ſuavia fluxæ
Conditionis amet nimiùm: ne congerat aurum,
Nec varios lapidum cupidè ſpectare colores
Ambitioſa velit, nec ſe popularibus auris
Oſtentet, pulchróque inflata tumeſcat honore:
Ne natale ſolum, patrii ne jugera ruris
Tendat, & externos animum diffundat in agros:
Et ne corporeis addicat ſenſibus omne
Quod vult, aut quod agit: ne præferat utile juſto,
Spémque in me omnem ſtatuat; nunquam peritura

Quæ dedero ſunt, æternùm mea dona manebunt.
Hæc igitur ſpondente Deo, quis fortis & acer,
Virtutiſque capax, breve quidque perennibus in ſe
Prætulerit? vel quis ſapiens potiora putârit
Gaudia membrorum, quàm vivæ præmia mentis?
Nonne hominem ac pecudem diſtantia ſeparat una;
Quòd bona quadrupedûm ante oculos ſita ſunt? ego contrà
Spero, quod extra aciem longum ſervatur in ævum.
Nam ſi tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit ſupereſſe meum poſt funera quicquam,
Quis mihi regnator cœli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ jam meritò metuenda poteſtas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus,
Inceſtabo thoros, ſacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod ſinè teſte propinqui
Depoſitum, tenues avidus ſpoliabo clientes:
Longævam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilatâ morte ſecundum.
Nec formido malum, falluntur publica jura.
Lex armata ſedet, ſed neſcit crimen opertum:
Aut ſi res pateat, judex corrumpitur auro.
Rara reos juſtâ percellit pœna ſecuri.
Sed quid ego hæc meditor? revocat Deus ecce ſeverâ
Majeſtate minax, negat interitura meorum
Per mortem monimenta operum. Non occidet, inquit,
Interior qui ſpirat homo: luet ille perenne
Supplicium, quòd ſubjectos malè rexerit artus.
Nec mihi difficile eſt liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More Noti: capiam tamen, & tormenta adhibebo
Ipſe incorporeus, ac ſpirituum ſator unus.
Quin & corporibus parilis conſortia pœnæ
Decernam: poſſum quoniam renovare favillas!
Antiquam in faciem, nec deſperanda poteſtas:
Qui potui formare novum, reparabo peremptum.
Non deſunt exempla meæ virtutis in ipſis
Seminibus. natura docet revireſcere cuncta
Poſt obitum. ſiccantur enim pereunte vigore
Quo vixêre priùs. tunc ficca & mortua ſulcis
Aut foveis mandata latent, & more ſepulchri
Obruta, de tumulis redivivo germine ſurgunt.
Nunquid nôſſe potes, vel conjectare, quis illud
Tam ſolers opifex ſtruat? aut quæ vis agat intùs?
Nil vos, ô miſeri, Phyſicorum dogmata fallant.
En ego gignendi Dominus, ac reſtituendi
Quod periit, fluxíque potens: ſicciſſima quæque
In veteres formas aut flore aut fronde reduco.
Idque ipſum quandoque homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, ſtructuráque priſtina conſtet,
Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel ſummæ virtutis in arce coruſcet,
Non peritura dehinc quacunque in ſorte manebit.
Interea, dum miſta viget ſubſtantia in unum,
Sit memor autoris proprii, veneretur & oret
Artificem ſubmiſſa ſuum. Non condidit alter
Halantis animæ figmentum, & corporis alter:
Nec bona præſentis vitæ numeroſa gubernant
Nomina, non alius ſegetes & ſpicea farra
Suppeditat Deus, haud alius dat muſta racemis,
Purpureúmque gravi fundit de palmite ſuccum.
Ipſe ego ſum, viridis oleas pingueſcere baccis
Qui facio, Graiâ quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo naſcentibus horas.
Duplex lege meâ per mutua fœdera ſexus
Gignere amat ſobolem, generiſque propagine gaudet,
Quem vos laſcivis violatis amoribus ignem.
Et ſtupra veſtra deæ Veneris prætexitis umbrâ.
Unus ego elementa rego, nec mole laboris
Ut miſer, infirmúſve aliquis, fragiliſve fatigor.
Lux immenſa mihi eſt, nec morte ſolubilis ætas,
Senſibus & veſtris haud intellecta vetuſtas.
Indè miniſteriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes, ſocióſve requiro.
Porrò autem angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nôſſe meum eſt, & quæ natura creatis
Subſiſtat, qualéſque mihi ſerventur ad uſus.
Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Quæ ſimules parere meis virtutibus, ut me
Per varias partes minuas, cui nulla recidi
Pars aut forma poteſt: quia ſum ſubſtantia ſimplex,
Nec pars eſſe queo. ſolis divilio rebus
Compoſitis, factiſque ſubeſt: me nemo creavit,
Ut ſcindi valeam, cunctorum conditor unus.

Crede,

Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non eſt.
Quare age mortalis, ſoli mihi conſtrue templum,
Méque unum venerare Deum: cæmenta remitto,
Et quæ ſaxa Paros ſecat, & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculoſáque Synnas.
Nativum nemo ſcopuli mihi dedicet oſtrum:
Templum mentis amo, non marmoris. aurea in illo
Fundamenta manent fidei, ſtructura nivali
Conſurgit pietate nitens: tegit ardua culmen
Juſtitia: interius ſpargit ſola picta rubenti
Flore pudicitiæ pudor almus, & atria ſervat.
Hæc domus apta mihi eſt, hæc me pulcherrima ſedes
Accipit, æterno cœleſtique hoſpite digna.
Nec novus hic locus eſt: fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei. Deus illuſtravit alumnam
Materiem, corpúſque parens habitabile fecit
Ipſe ſibi, placito ut poſſet requieſcere templo.
  Condideram perfectum hominem, ſpectare ſuperna
Mandâram, totis converſum ſenſibus in me
Recto habitu, celſóque ſitu, & ſublime tuentem:
Sed deſpexit humum, ſéque inclinavit ad orbis
Divitias, pepulítque meum de pectore numen.
Reſpuendus erat mihimet: ſubmiſſus in illum
Spiritus ipſe meus deſcendit, & edita limo
Viſcera divinis virtutibus informavit.
Jámque hominem adſumptum ſummus Deus in deitatem
Tranſtulit, ac noſtro docuit recaleſcere cultu.
  Scire velim præcepta patris quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ cenſor doctiſſime gentis.
An veterem tantùm morem ratione relictâ
Eligis? & dici patitur ſapientis acumen,
Ingeniúmque viri: potior mihi priſtinus eſt mos,
Quàm via juſtitiæ, pietas quàm prodita cælo,
Quámque fides veri, rectæ quàm regula ſectæ.

SI quicquid rudibus mundi naſcentis in annis
  Mos habuit, ſanctè colere ac ſervare neceſſe eſt:
Omne revolvamus ſua per veſtigia ſeclum
Uſque ad principium: placeat damnare gradatim
Quicquid poſterius ſucceſſor repperit uſus.
Orbe novo nulli ſubigebant arva coloni,
Quid ſibi aratra volunt? quid cura ſuperflua raſtri?
Illignis meliùs ſaturatur glandibus alvus.
  Primi homines cuneis ſcindebant fiſſile lignum:
Decoquat in maſſam fervens ſtructura ſecures
Rurſus, & ad proprium reſtillet vena metallum.
Induvias cæſæ pecudes, & frigida parvas
Præbebat ſpelunca domos: redeamus ad antra,
Pellibus inſutis hirtos ſumamus amictus.
Immanes quondam populi feritate ſubactâ
Edomiti, jam triſte fremant, iterúmque ferinos
In mores redeant, atque ad ſua priſca recurrant.
Præcipitet Scythicâ juvenis pietate vietum
Votivo de ponte patrem, ſic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia ſacra,
Flebilibúſque truces reſonent vagitibus aræ.
  Ipſa caſus fragili texat gens Romula culmo,
Sic tradunt habitâſſe Remum. regalia fœno
Fulcra ſuperſternant, aut pelle Libyſtidis urſæ
Compoſitam chlamydem villoſo corpore geſtent.
Talia Trinacrius ductor vel Tuſcus habebant.
Roma antiqua ſibi non conſtat, verſa per ævum
Et mutata ſacris, ornatu, legibus, armis:
Multa colit, quæ non coluit ſub rege Quirino:
Inſtituit quædam meliùs, nonnulla refugit:
Et morem variare ſuum non deſtitit, & quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
  Quid mihi tu ritus ſolitos Romane Senator
Objectas? quam ſcita patrum, populíque frequenter
In tabulis placiti ſententia fixa novârit?
Nunc etiam quoties ſolitis decedere prodeſt,
Præteritóſque habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandémque retectum,
Quod latuit: tardis ſemper proceſſibus aucta
Creſcit vita hominis, & longo proficit uſu.
Sic ævi mortalis habet ſe mobilis ordo,
Sic variat natura vices, infantia repit,
Infirmus titubat pueri greſſúſque animúſque:
Sanguine præcalido fervet nervoſa juventa:
Mox ſtabilita venit maturi roboris ætas.
Ultima conſiliis melior, ſed viribus ægra,
Corpore ſuccumbit, mentem purgata ſenectus.
  His genus humanum per diſſona tempora fluxit
Carriculis ævum mutabile: ſic hebes inter
Primitias, merſúmque ſolo, ceu quadrupes, egit.
Mox tenerum docili ingenio, jámque artibus aptum
Noſcendis, variâ rerum novitate politum eſt.
Indè tumens vitiis, calidos adolevit in annos,
Donec decocto ſolidaret robore vires.
Tempus adeſt, ut jam ſapiat divina, ſerenæ
Mentis conſilio, vivacius abdita ſolers
Quærere, & æternæ tandem invigilare ſaluti.
Quanquam ſi tantum ſtudium eſt, & cura vetuſti
Moris, & à miſco placet haud diſcedere ritu,
Extat in antiquis exemplum nobile libris,
Jam tunc diluvii ſub tempore, vel priùs, uni
Inſerviſſe Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, vacuóque habitavit in orbe.
Unde genus ducit noſtræ porrecta propago
Stirpis, & indigenæ pietatis jura reformat.
  Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipſum
Sanguinis Hectorei populum probo, tempore longo
Non multos coluiſſe deos, rariſque ſacellis
Contentum, paucas poſuiſſe in collibus aras.
Innumeros pòſt deinde deos virtute ſubactis
Urbibus, & claris peperit ſibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris ſimulachra hoſtilia cepit,
Et captiva domum venerans ceu numina vexit.
  Hoc ſignum rapuit bimaris de ſtrage Corinthi,
Illud ab incenſis in prædam ſumpſit Athenis.
Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies: quaſdam, domitis Ammonis arenis
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plauſibus excepit, toties altaria divûm
Addidit, & ſpoliis ſibimet nova numina fecit:
Numina, quæ patriis cum mœnibus erута nullum
Prætidium potuere ſuis afferre ſacellis.
  Cernis ut antiqui ſemper veſtigia moris
Greſſibus incertis variè titubâſſe probentur,
Aſciſcendo deos majoribus incompertos,
Séque peregrinâ ſub religione dicâſſe,
Nec ritus ſervâſſe ſuos? quodcunque ſacrorum eſt,
Exulat, æternúmque inimicam venit in urbem.
Fruſtra igitur ſolitis, prava obſervatio, inhæres.
Non eſt mos patrius quem diligis, improba, non eſt.
  At ſolers orator ait: Fataliter urbem
Sortitam, quoniam Genio proprium exigat ævum.
Cunctis nam populis, ſeu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut Genius noſtrarum more animarum,
Quæ ſub diſparili ſubeunt nova corpora ſorte.

PRUDENTIUS.

JAM primùm qui ſit Genius, vel qui ſtatus illi
  Competat, ignoro, & quid poſſit, & unde oriatur,
Spiritus informis, ſinè corpore; formáve, & ulla
Sit ſpecies, & quid ſapiat, quæ munera curet:
Contrà, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfuſas intelligo, ſanguis ut ex his
Accipiat motúmque levem, tenerúmque vaporem,
Unde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida ſuccendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis vitam ſibi temperat atque gubernat
Vivida mens, quam tu ficto componere tentas
Murorum Genio, qui nuſquam eſt, nec fuit unquam.
Quin & corporibus verſat mens viva regendis
Summum conſilium, fida ut tutacula nudis
Invalidíſque paret, metuenda pericula vitet:
Utile proſpiciat, varias agitetur ad artes,
Conſultet cui ſe domino ſubmittat, & orbis
Quem putet autorem, quem rerum ſumma ſequatur.
At tuus hic urbis Genius, dicas volo, quando
Cœpit adhuc parvæ primùm ſe infundere Romæ,
Fluxit ab uberibus nemoroſâ in valle lupinis,
Infantéſque aluit, dum naſcitur ipſe, gemellos?
An cum vulturibus volitans ignota per auras
Umbra, repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus ſummis ſedet, an penetralia ſervans,
Inſtituit mores, & jura forenſia condit?
An caſtrorum etiam foſſis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hoſtem?
Quæ quis non videat ſapientum digna cachinno?
  Fingamus tamen eſſe aliquam, quæ talis curet
Umbram ſive animam, per quam Reſpublica fatum
Hauſerit, & calidis animetur tota medullis:
Cur non hæc eadem de religione colenda

Conſultat?

Conſultat? cur non ſuſpectat libera cœlum?
Cur ſibi præſcriptum non commutabile fatum,
Ut captiva, putat? geneſis cur vincula fingit?
Cur jam nolle licet, quod tunc voluiſſe licebat,
Erroréſque abolere ſuos, ac flectere ſenſus?
Sic ſeptingentis erravit circiter annis,
Lubricáque & ſemper dubitans, quæ forma placeret
Imperii, & quæ regnandi foret æqua poteſtas.
Regius exortam jam tunc habuit ſtatus urbem,
Non ſinè grandævis curarum in parte locatis,
Mox proceres de ſtirpe ſenum tractâſſe videmus
Clavum conſilii: plebeias indè catervas
Collatas patribus, miſtim ditionibus æquis,
Imperitâſſe diu, bellóque & pace regendis.
Conſule nobilitas viguit, plebs ſiſa Tribuno eſt.
Diſplicet hic ſubitò ſtatus, & bis quina creantur
Summorum procerum faſtigia, quos duodeni
Circumſtant faſces, ſimul & ſua quemque ſecuris.
Rurſus ſe geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, & Conſulibus dat condere faſtos.
Ultima ſanguineus turbavit ſecla triumvir.
Fluctibus his olim Fatum, Geniúſve, animúſve
Publicus erravit: tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput auguſtum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atque Senatûs
Rectorem, qui militiæ ſit ductor, & idem
Dictator, Cenſórque bonus, morúmque magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.
Quòd ſi tot rerum gradibus toties variatis
Conſiliis, ægre tandem pervenit ad illud
Quod probet, ac ſancto reverentia publica ſervet
Fondere: quid dubitat divina agnoſcere jura,
Ignorata priùs ſibimet, tandémque retecta?
Gratemur, jam non dubitat: nam ſubdita Chriſto
Servit Roma Deo, cultus exoſa priores.
Romam, dico viros, quos mentem credimus urbis,
Non Genium, cujus fruſtra ſimulatur imago.
Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Quum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios? pérque omnia membra
Urbis, pérque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne proprià vacet angulus ullus ab umbrâ.
Reſtat ut & fatum ſimilis dementia cunctis
Ædibus imponat, paries ut quiſque ſub aſtro
Fundatus ſtructúſque ſuo, qua ſorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Adſcribunt ſaxis, Lacheſis malè fortia fila,
Tectorúmque trabes fatis pendere rotatis
Credunt, atque ipſis tribuunt decreta tigillis:
Ceu diſtet, cujus ſtellæ ſit fraxinus ortu
Erota, quæ ſummum conſcenderet ardua culmen.
Denique nulla hominum res eſt, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere ſortem.
Quæ quia conſtituunt, dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis: aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & inevitabile mergunt.
Quin & velle adigunt, pravum inſinuantia votum,
Ne liceat miſeris vetitum committere nolle.
Cedite, ſi pudor eſt, gladiúmque retundite veſtrum:
Aſpera nil meritos pœnis plectentia jura:
Antrum carcereum diſſolvite, corpora ſub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens ſi fata regunt quod vivitur, ac ſit:
Imò nocens, quicunque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle ſuum eſt, nec fata reatum
Imponunt homini, ſed ſit reus ipſe ſuopte
Arbitrio, placitúmque nefas & facta rependit
Impia ſuppliciis, merito, non ſorte peremptus.
Quiſque fato putat eſſe locum, ſciat omniparentem
Eſſe Deum nulli vetitum fatalibus aſtris,
Nec matheſis præſcripto aliquo pia vota repelli.
Spirat enim majora animus, téque altiùs effert
Sideribus, tranſíque vias & nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quæcunque putantur
Figere propoſitam natali tempore ſortem.
Huc ades, omne hominûm genus, huc concurrite & urbes,
Lux immenſa vocat, factorem noſcite veſtrum,
Libera ſecta patet. nil ſunt fatalia, vel ſi
Sunt aliqua, oppoſito vaneſcunt irrita Chriſto.

SED multi duxere Dei per proſpera Romam,
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age, bellatrix, quæ vis ſubjecerit, ede,
Europam, Libyámque tibi: dic nomina divûm,
Jupiter ut Cretæ domineris, Pallas ut Argis,
Cynthius ut Delphis, tribuerunt omine dextro.
Iſis Nilicolas, Rhodios Venus alma reliquit.
Venatrix Epheſum virgo, Mars dedidit Hebrum,
Deſtituit Thebas Bromius, conceſſit & ipſa
Juno ſuos Phrygiis ſervire nepotibus Afros:
Et quam ſubjectis dominam dea gentibus eſſe,
Si quà fata ſinant, jam tum tendítque fovétque,
Juſſit Romuleis addictam vivere frenis:
Perfidiâne Deûm indigenûm cecidere tot urbes?
Deſtructæque jacent ipſis prodentibus aræ?
O pietas, ô ſancta fides, traduxit alumnos
Majeſtas infida locos, & creditur iſtis
Numinibus, quæ transfugio meruere ſacrari?
An voluit ſervare ſuos, luctatáque multùm
Religio infeſtas tentavit pellere turmas
Romanis obnixa globis? ſed fortior illam
Virtus luctifico camporum in pulvere fregit.
Imò ita eſt: armis & viribus indiga veri
Victa ſuperſtitio eſt, & inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut ſatis ardua genti
Natæ ad procinctus victoria, frangere inertes,
Molliáque omnigenûm colla inclinare deorum.
Nunc cum Dictæis bellum Corybantibus aſper
Samnitis, Marſúſque levi ſudore gerebat.
Tum Maſtigophoris, oleóque & gymnadis arte
Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruſcus,
Nec petaſo inſignis poterat Lacedæmone captâ
Mercurius ſervare ſuas de clade palæſtras.
Apenninicolam peditem, Cybeleius hoſtis
Congreſſu excipiens Aſiam, defendere & Idam
Qui potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Idalias niſi fortè roſas, laurum citharœdi
Vatis, Sylvicolæ calamos arcúmque puellæ
Dedere ſervitio, calcatáque ſacra domare
Difficilis operis fuit immenſíque laboris.
Fluctibus Actiacis ſignum ſymphonia belli
Ægypto dederat, clangebat buccina contrà.
Inſtiterant tenues cymbæ, fragiléſque faſeli
Inter turritas Memphitica roſtra liburnas:
Nil potuit Serapis Deus, & latrator Anubis.
Stirpis Julem ductore, exercitus ardens
Prævaluit, Boreæ quem miſerat algidus axis.
Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva
Venere auxilio, non divûm degener ordo,
Et patriâ extorris, Romanis adfuit armis,
Victus & ipſe priùs, inimica nec agmina juvit,
Si tamen antiquum nôrat retinere dolorem.
Sed dicis, legiſſe deos, ubi ſanctior uſus
Templorum, cultu celebri, ſinè fine maneret.
Æneadúmque ultro victricia ſigna virorum
Regis amore Numæ, nullo cogente, ſecutos.
Num Diomedis item tentoria, & acris Ulyſſis
Caſtra volens Pallas, cæſis cuſtodibus arcis,
Legit, ubi humenti ſudaret mœſta ſigillo?
Aut quoties ductor Macedum fortiſſimus altos
Templorum cineres victis cumulavit Amyclis:
Optârunt prædis Domini ſe numina capta
Miſceri, Aſſyriæque vehi Babylonis ad arcem?
Non fero Romanum nomen, ſudatáque bella,
Et titulos tanto quæſitos ſanguine carpi.
Detrahit invictis legionibus, & ſua Romæ
Præmia diminuit, qui quicquid fortiter actum eſt,
Adſcribit Veneri, palmam victoribus aufert.
Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadrijuges, ſtantéſque duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Druſos, indè Camillos,
Sub pedibúſque ducum captivos poplite flexo
Ad juga depreſſos, manibúſque in terga retortis,
Et ſuſpenſa gravi telorum fragmina trunco:
Si Brennum, Antiochum Perſen, Pyrrhum, Mithridatem,
Flora, Matuta, Ceres, & Larentina ſubegit.
His tamen auſpicibus ſucceſſus dextra dederunt
Omina lætificos, & felix adfuit ales.
Quid ſibi vult virtus? quid gloria? ſi Corvinum
Corvus Apollineus pennâ vel gutture juvit?
Sed tamen hic corvus cur defuit exitiali
Fortè die, infauſtas regerent quum funera Cannas,
Oppeterétque ſuper congeſta cadavera Conſul?
Cur Cremeræ in campis, cornice vel oſcine parrhâ,
Nemo Deûm monuit perituros Marte ſiniſtro
Tercentum Fabios, vix ſtirpe ſuperſtite in uno?
Nullâne triſtificis Tritonia noctua Carris

Advoli-

Advolitans, præstò esse deam prænuncia Crasso
Prodidit? aut Paphiam niveæ vexere columbæ,
Cujus inauratum tremeret gens Persica limbum?
Sed video quæ te moveant exempla vetustæ
Virtutis: dices domitum terràque marique
Orbem: res lætas & prospera quæque retexis,
Millie triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductáque per mediam spoliorum fercula Romam.
Vis dicam quæ causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? quîs gloria fotibus aucta
Sic eluat, impositis ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos, & dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subjungier uni
Imperio quicquid tractabile moribus esset,
Concordíque jugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Religionis amor: nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Sola Deum novit concordia, sola benignum
Ritè colit tranquilla patrem, placidissimus illum
Fœderis humani consensus prosperat orbi,
Seditione fugat, sævis exasperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quietâ.
Omnibus in terris, quas continet occidualis
Oceanus, roseóque aurora inluminat ortu,
Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armârátque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus îsdem,
Romanósque omnes fieri, quos Rhenus & Ister,
Quos Tagus auriftuus, quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidíque lavant septem ostia Nili.
Jus fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito,
Distantes regione plagæ, divisáque ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum,
Et commune forum, nunc per commercia & artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam sanguine misto
Texitur alterutis ex gentibus una propago.
Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii, Christo jam tunc venienti
Crede parata via est, quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.
Nam locus esse Deo quis posset in orbe ferocî,
Pectoribúsque hominum discordibus, & sua jura
Dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disjunctásque animi turbato fœdere partes,
Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat.
At si mentis apex regnandi jure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus fibrásque rebelles
Frenet, & omne jecur ratione coërceat unâ,
Fit stabilis vitæ status, & sententia certa
Haurit corde Deum, Domino & subjungitur uni,
En ades omnipotens, concordibus insue terris:
Jam mundus te Christe capit, quem congrege nexu
Pax & Roma tenent: capita hæc & culmina rerum
Esse jubes, nec Roma tibi sinè pace probatur.
Et pax ut placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios simul & ditione coërcet,
Et terrore premit: nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec secula sensit,
Nec tremulis quum bella vocant capit arma lacertis:
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quàm vult prænobilis ille Senator,
Orandi arte potens, & callida fingere doctus,
Mentitúmque gravis personæ inducere pondus:
Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.

SI vocem simulare licet, nempe aptior ista
Vox Romæ est, quam nunc ejus sub nomine promam.
Quæ quia turpe putat templorum flere repulsam,
Ægidáque in dubiis pro se pugnâsse periclis
Dicere, séque gravem senio inclinante fateri,
Doctores complexa suos, sic læta profatur:
O clari salvete duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Caniciem. nam quum mortalia cuncta vetustas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit ævum,
Quæ vivendo diu didici contemnere finem.
Nunc nunc justa meis reverentia competit annis,
Nunc meritò dicor venerabilis, & caput orbis,
Quum galeam sub fronde oleæ, crista'sque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto,
Atque armata Deum sinè crimine cædis adoro.
Crimen enim, piget heu, crimen persuaserat atrox
Jupiter, ut sacro justorum sanguine tincta
Assuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu primus Nero matre peremptâ
Sanguinem Apostolicum bibit, ac me strage piorum
Polluit, & proprium facinus mihi sævus inussit.
Post hunc & Decius jugulis bacchatus apertis
Insanam pavit rabiem: mox hæc sitis arsit
Multorum similis, per vulnera tristia flagrans,
Extrahere insignes animas, ac ludere pœnis,
Undantésque meum in gremium diffundere mortes,
Et sub jure fori non noxia colla secare.
Hac me labe ream modò tempora vestra plârunt:
Vivo piè vobis autoribus, impia pridem
Arte Jovis fateor: quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi, placidúmve poposcit?
Qui dum præmetuit cultus inolescere Christi,
Sæviit, ac miserum fœdavit sanguine sectum.
Et sunt, qui vobis bella exprobrare finistra
Non dubitent, postquam templorum sprevimus aras,
Affirméntque Libyn Collinæ à cardine portæ
Annibalem Jovis imperio, Martísque repulsum:
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Quum súper è celso pugnarent numina saxo.
Qui mihi præteritam cladem, veterésque dolores
Inculcant iterum: videant me tempore vestro
Jam nil tale pati. nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit: non armis, veste, comísque
Ignotus, captâ passim vagus errat in urbe,
Transalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam patrio veniens juratus ab Istro,
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Solvere, mastrucis proceres vestire togatos.
Jámque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
Et Ligurum vastârat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Thuscúmque solum victo amne premebat.
Depulit hos nimbos equitum non pervigil anser,
Proditor occulti tenebrosâ nocte pericli:
Sed vis cruda virûm, præfractáque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
Pro patriâ, & pulchram per vulnera quærere laudem.
Nunquid & ille dies Jove contulit auspice tantum
Virtutis precium? dux agminis, imperisque
Christipotens nobis juvenis fuit, & comes ejus
Atque parens Stilico: Deus unus Christus utrique
Hujus adoratis altaribus, & cruce fronti
Inscriptâ, cecinere tubæ. prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic terdenis gens exitiabilis annis
Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta jacent: mirabere seris
Posteritas sectis inhumata cadavera latè,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.
Si potui manibus Gallorum excisa levare
De cinerum squalore caput, redeunte Camillo
Signa renitendi fumans si fronte recepi:
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et malè pendentes lauro præcingere turres,
Quo te suscipiam gremio fortissime princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quæ festis suspendam pallia portis?
Immunis tanti belli, ac te stante sub armis
Libera, & auræ tenus Geticos experta tumultus.
Scande triumphalem currum, spoliisque receptis
Huc Christo comitante veni: date, vincula demam
Captivis gregibus. manicas deponite longo
Tritas servitio, matrum juvenúmque catervæ.
Dedicat servire senex laris exul aviti,
Discat & ad patrium limen genitrice reversâ
Ingenuum se nôsse puer. timor omnis abesto.
Vicimus: exultare libet. quid tale repulso
Pœnorum quondam duce contigit? ille petitæ,
Postquam perculerat tremefacta repagula portæ,
Baianis resolutus aquis durissima luxu
Robora

Robora deſtituit, ferrúmque libidine fregit.
At noſter Stilico congreſſus comminus ipſâ
Ex acie ferrata virûm dare terga coegit.
Hìc Chriſtus nobis Deus adfuit, & mera virtus:
Illìc laſcivum, Campania fertilis, hoſtem
Deliciæ vicere tuæ: non Jupiter acrem
Protexit Fabium, ſed vicit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependam
Non habeo. membra ſtatuis effingere vile eſt.
Virtutem nil vile decet: nam vile, quod ætas
Eripit. æra cadunt, aut fulvum deſinit aurum;
Aut candor perit argenti, ſi defuit uſus,
Et fuſcata ſitu corrumpit vena colorem.
Viva tibi princeps debetur gloria, vivum
Virtutis precium, decus immortale ſequuto.
Regnator mundi Chriſto ſociabere in ævum,
Quo ductore meum trahis ad cœleſtia regnum.
Nil te permoveat magni vox Rhetoris, oro,
Qui ſub legati ſpecie ſacra mortua ploraus,
Ingenii telis & fandi viribus audet
Heu noſtram tentare fidem: nec te videt ac me
Devotos, Auguſte, Deo, cui ſordida templa
Clauſimus & madidas ſanie dejecimus aras.
Unus noſtra regat, ſervétque palatia Chriſtus.
Ne quis Romuleas dæmon jam noverit arces,
Sed ſoli pacis domino mea ſerviat aula.
Sic affata pios Roma exoravit alumnos,
Spernere legatum non admittenda petentem,
Legatum Jovis ex adytis ab aruſpice miſſum:
At non à patriâ: patriæ nam gloria Chriſtus.
Perſiſtit tamen affirmans iter eſſe viandi
Multifidum, variúmque Deus quum quæritur unus.
Hinc alios, aſt indè alios properare ſeorſim
Quemque per anfractus proprios: ſed compita eodem
Fine coarctari, ſimul & concurrere in unum.
Quin etiam cœlum, atque ſolum, ventos, mare, nubes
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te
Chriſte, vel exta litant ſculptis qui tabida ſaxis.

NON nego, communem cunctis viventibus uſum
Aëris, aſtrorum, pelagi, telluris & imbris.
Imò etiam injuſtus pariter, juſtúſque ſub uno
Axe habitant, unas capit impius & pius auras,
Caſtus & inceſtus, meretrix & nupta: nec alter
Ore ſacerdotis, quàm mirmillonis anhelat
Spiritus, aërio vitam qui temperat hauſtu.
Nubes verna pluit Zephyro impellente, ſed æquè
Furis & innocui fœcundat rura coloni.
Gorgitis æſtivi ſic pura fluenta viator,
Ut latro feſſus, adit: ſic piratis mare ſervit,
Ut mercatori: nec fluctus ſecius hoſti
Obſequitur, quàm cùm licitæ fert tranſtra carinæ.
Ergo capax utriúſque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet diſcernere diſpar
Viventum meritum, quos tantùm paſcere juſſa eſt.
Servit enim mundus, non indicat: hoc ſibi ſummus
Naturæ Dominus præſcripta in tempora ſervat.
Nunc adſunt homini data munera legibus iſdem,
Quîs conceſſa ſemel. fons liquitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,
Et res naturæ fit publica, promptáque cunctis,
Dum ſervant elementa ſuum famulantia curſum.
Sic probus, atque reus capitalis criminis iſdem
Sideribus, facilíſque poli bonitate fruuntur.
Vivere commune eſt, ſed non commune mereri.
Denique Romanus, Daha, Sarmata, Vandalus, Hunnus,
Getulus, Garamas, Alemannus, Saxo, Galaulas,
Unâ omnes gradiuntur homo, cœlum omnibus unum eſt,
Unus & Oceanus, noſtrum qui continet orbem.
Addo aliud: noſtros potant animalia fontes:
Ipſo rore mihi ſeges eſt, quo gramen onagris.
Sordida ſus noſtro amne natat, noſtra intrat & ipſos
Aura canes, animátque levi fera corpora flatu.
Sed tantum diſtant Romana & barbara, quantum
Quadrupedes bipedi abjunctæ, mutæve loquenti:
Quantum etiam qui rite Dei præcepta ſequuntur,
Cultibus à ſtolidis, & eorum erroribus abſunt.
Non facit ergo pares in religione tenendâ
Aëris & cœli communio: corpora tantùm
Gignit, alit, reparat, recidiváque ſemina ſervat.
Nec refert cujus generis, cujúſve figuræ,
Aut cujus meriti: modò ſint ut corpora terrâ
Edita, terrenis quibus eſt vigor ex elementis:
Artificis quia patris opus diſcrimine nullo
Influit in medium, nec avaro munere currit,
Antè datum, quàm primus homo ſordeſceret Adam.
Nec vitio utentum reſtrictum deficit, aut ſe
Subtrahit indignis, nec fœda & turpia vitat.
Haud aliter ſolis radius, quum luminat omnes
Diffuſo ſplendore locos, ferit aurea tecta,
Sed ferit & nigro ſordentia culmina fumo:
Intrat marmoribus Capitolia clara: ſed intrat
Carceris & rimas, & tetra foramina clauſi
Stercoris, & ſpurcam redolenti in fornice cellam.
Sed non illud erunt obſcura ergaſtula, quod ſunt
Regia gemmato laquearia fulva metallo:
Nempe magìs non illud erunt, qui numen in urnis
Quærunt, ac tumulis, & larvas ſanguine placant,
Quot ſunt qui ſummum cœli Dominum venerantur,
Juſtitiámque litant, & templum pectoris ornant.
Secretum ſed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quàm ſi ſparſis via multiplicetur
Tramitibus, & centenos terat orbita calles
Quæſitura Deum variatâ indage latentem:
Longè aliud verum eſt: nam multa ambago viarum
Anfractus dubios habet, & perplexiùs errat:
Sola errore caret ſimplex via, nelcia flecti
In diverticulum, biviis nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Quum dubitant, quónam ferat ignorantia greſſum.
Altera multifida eſt: at ſimplex altera, & unum
Una Deum ſequitur; divos colit altera plures,
Et tot ſunt ejus divortia, quot templorum
Signa, quot aëreis volitant phantaſmata monſtris.
Aut hos thyrſigeri rapit ad Dionyſia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia feſta.
Aut docet, occultus quæ ſacra Dieſpiter infans
Inter tinnitus ſolvi ſibi poſcat aënos.
Jámque ſupercales ferulæ, nudíque petuntur
Diſcurſus juvenum: Megaleſius hinc ſpado diris
Incenſus furiis, cæca ad reſponſa vocatur.
Sunt qui quadriviis brevioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis,
Porrum & cepe deos imponere nubibus auſi,
Alliáque & Serapin cœli ſuper aſtra locare.
Iſis enim, & Serapis, & grandi ſimia candâ,
Et crocodilus idem quod Juno, Laverna, Priapus.
Hos tu Nile deos colis, & tu Tybris adoras:
Una ſuperſtitio eſt, quamvis non concolor error.
Hinc alia exoritur tenebroſis tecta frutetis
Semita, quam pecudes & muta animalia carpunt,
Quæque latens ſylvis operitur. neſcia cœli
Mens hominum, ſævo vivens captiva tyranno!
Hæc putat eſſe Deum nullum: námque omnia verti
Caſibus, & nullo ſub præſide cœla rotari.
Hoc iter haud quaquam magno diſcrimine diſtat
Hiſce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta, Deum ſummum, numeroſa putatis.
Simplicis ergo viæ dux eſt Deus, ille per unam
Ire jubet mortale genus, quam dirigit ipſe
Sublimi dextro celſam ad faſtigia clivo.
Prima viæ facies inculta, ſubhorrida, triſtis,
Difficilis, ſed fine ſui pulcherrima, & amplis
Prædita divitiis, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos poſſit penſare labores.
Multiplici dæmon ſed adeſt, qui parte ſiniſtrâ
Centifidum confundit iter, trahit indè ſophiſtas
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes,
Illicit & volucrum linguis, & aruſpice fallit,
Inſtigat bacchantis anûs ambage Sibyllæ.
In magicas artes trahit, involvítque matheſin,
Omine ſollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis ut una via eſt multis anfractibus errans,
Talem paſſa ducem, qui non ſinat ire ſalutis
Ad dominum, ſed mortis iter per devia monſtrat?
Devia, pieta bonis brevibus, ſed fine ſub ipſo
Triſtia, & in ſubitam præceps immerſa charybdim.
Ite procul, gentes, conſortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei. diſcedite longè,
Et veſtrum penetrate chaos, quò vos vocat ille
Prævius infernæ perplexa per avia noctis.
At nobis vitæ dominum quærentibus unum
Lux iter eſt, & clara dies, & gratia ſimplex.
Spem ſequimur, gradimúrque fide, fruimúrque futuris,

Ad quæ non veniunt præsentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta & capienda voluptas.

ULtima legati defleta dolore querela est,
Palladiis quòd farra focis, vel quòd stipis ipsis
Virginibus, castisque toris alimenta negentur:
Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes.
Hinc ait & steriles frugescere rariùs agros,
Et tristem sævire famem, totúmque per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.
Quæ tanta extiterit præsenti tempore, támque
Invidiosa fames, quam Triptolemi, Cereríque
Moverit ira, penu pro virginis ulciscendo.
Non memini, nec tale aliquid vel fama susurrat.
Audio per Pharios Nilum discurrere campos
More suo, viridísque sata stagnare Canopi.
Haud venit à sicco qui flumine nuncius affert
Jejunam squalere siti sub pulvere Memphim,
Nec Pelusiacæ limum sudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit? & tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit præstringere ripas
Amnis, & exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bubulus vorat alveus undam
Fluminis, & subito stagna absorbentur hiatu?
Ne sulcos operire vadis, néve arida possint
Ægypti per plana trahi, glebásque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis,
Unde seges latè crinitis fluctuet agris,
Densiùs & gravidis se vestiat æquor aristis?
Respice num Libyci desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad ostia Tybris
Mittere triticeos in pastum plebis acervos?
Númne Leontini sulcator solvere campi
Cesset frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis.
Ergo pyris mensas sylvestribus implet arator
Pœnus, & avulsas Siculus depascitur herbas?
Jámque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, jam corna cibus lapidosa Quiritum?
Quis venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ Janiculo mola muta quiescit?
Quantos quæque ferat fructus provincia, quámque
Ubere fœcundo largè fluat orbis opimus,
Indicio est annona, tuæ quæ publica plebi,
Roma, datur, tantaque manus longa ocia pascit.
Sit fortasse aliquis paulò infœcundior annus:
Nil mirum, nec in orbe novum didicere priores,
Perpessi plerumque famem, si tabidus aër
Siccavit tenues ardenti sidere nubes.
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge novâ & viridi: si messis adulta, priusquam:
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Jejunósque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ, sterilis stipularum sylva fefellit.
His (ni fallor) ager vitiis corruptus, & antè
Subjacuit, quàm Palladium, quàm Vesta, penates
Sub lare Pergameo servarent igne repostо,
Quàm Priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret, quàm virgo suas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam Vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumpta est,
Sacrarúntque focos, aut Phryx, aut Graius alumnos?
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerumque feruntur
In casus alios, quàm lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aëris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Post zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambustúmque caput culmi fuligine tingit.
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri adfigere fibram:
Mox ejecta solo glacie fidente superfit,
Nudáque subducto radix avellitur arvo.
Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens:
Hos fert ficca sitis, hunc ebrius educat humor,
Temperies effusa minùs, vel plus, agit istos
Terrarum morbos, & mundum vulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis usus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
Perstat, & excessu moderaminis adsicit artus:
Unus enim status est mundique & corporis hujus
Quod gerimus: natura eadem sustentat utrumque.
Edita de nihilo crescunt, nihilúmque futura,
Aut tituhant morbis, aut tempore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
Semper, crede, polus variis proventibus annos
Texuit: hos multâ ditavit fruge fluentes:
Quosdam infelices astris damnavit iniquis,
Spe cassâ, & sterili curam frustratus agrestem.
Sed si Vestales ulciscitur ista puellas
Pestis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Christicolûm tantùm populatur agellos,
Per quos virginibus vestris stata dona negantur?
Utimur & ruris reditu, & ratione colendi:
Exercere manum non pœnitet: & lapis illic
Si stetit, antiquus quem cingere soleverat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis:
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperet aut pluvius qui culta novalia ventus.
Sed nec magno opus est frugi viventibus, & quum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudia censu
Solvimur, inque lucrum studio exultamus avaro.
Nam quibus æternum spes informatur in ævum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit ætas.
O felix nimiùm sapiens, & rusticus idem,
Qui terras, animúmque colens, impendit utrisque
Curam pervigilem, quales quos imbuit autor
Christus, & adsumptis dedit hæc præcepta colonis:
Semina quum sulcis committitis, arva cavete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic,
Quod seritur: primò quoniam præfertile germen
Luxuriat, succo mox deficiente sub æstu
Sideris igniferi fitiens torretur, & aret.
Néve in spinosos incurrant semina vepres:
Aspera nam segetem surgentem vincula terunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis.
Et ne jacta viæ spargantur in aggere grana,
Hæc avibus quia nuda patent, passímque vorantur,
Immundísque jacent fœda ad ludibria corvis.
His deus agricolam confirmat legibus. ille
Jus cœleste patris non summâ intelligit aure,
Sed simul & cordis segetem disponit, & agri,
Ne minùs interno niteant præcordia cultu,
Quàm cùm læta suas ostentant jugera messes.
Extirpamus enim sentos de pectore vepres,
Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem segetémque animæ spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis jejunis siccet arenis
Marcentem sub corde fidem: ne pectoris æstus
Flagret, & affectis urat charismata venis.
Denique ne jecoris detritâ in parte relinquat
Vilis cura Deum, ne spem qua vescimur intus
Deserat, obscœnisque avibus permittat edendum,
Et projecta fides hosti sit præda volucri.
Talis nostrorum solertia centuplicatos
Agrorum redigit fructus: quibus acriùs instat,
Nec metuit ne congestum populetur acervum
Curculio, vel nigra cavis formica recondat.
Sunt & virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, & sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honos, nec nota & publica forma,
Et raræ tenuésque epulæ, & mens sobria semper,
Léxque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.
Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non unquam obnoxia furi.
Nam cœlum fur nullus adit, cœlestia nunquam
Fraude resignantur: fraus terris volvitur imis.
Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primùm parvæ teneris capiuntur in annis,
Antè voluntatis propriæ quàm libera secta
Laude pudicitiæ fervens, & amore deorum,
Justa maritandi condemnet vincula sexûs.
Captivus pudor ingratis addicitur aris:
Nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
Corporis intacti: non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla toris, quibus innuba cæcum
Vulnus, & amissas suspirat fœmina tædas.

Tum,

Tum, quia non totum ſpes ſalva interficit ignem:
Nam reſides quandoque faces adolere licebit,
Feſtáque decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præſcripto membra intemerata requirens
Tandem virgineam faſtidit Veſta ſenectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, inrita nullus
Fœcundavit amor materno viſcera partu.
Nubit anus veterana ſacro perfuncta labore,
Deſertíſque focis quibus eſt famulata juventas,
Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas,
Diſcit & in gelido nova nupta tepeſcere lecto.
Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fataléſque adolet prunas innupta ſacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
Pilento reſidens molli, ſéque ore retecto
Imputat attonitæ virgo ſpectabilis urbi.
Indè ad conſeſſum caveæ, pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentos
Congreſſus, mortéſque & vulnera vendita paſtu
Spectatura ſacris oculis. ſedet illa verendis
Vittarum inſignis phaleris, fruitúrque laniſtis.
O tenerum, mitémque animum! conſurgit ad ictus:
Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectúſque jacentis
Virgo modeſta jubet converſo pollice rumpi,
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altiùs impreſſo dum palpitat enſe ſequutor.
Hoc illud meritum eſt, quod continuare feruntur
Excubias, Latii pro majeſtate palati,
Quòd redimunt vitam populi, procerúmque ſalutem:
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.
Et quia ſubter humum luſtrales teſtibus umbris
In flammam jugulant pecudes, & murmura miſcent:
An quoniam podii meliore in parte ſedentes
Spectant ætatam faciem, quam crebra tridenti
Impacto quatiant haſtilia, faucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ,
Quum fugit, & quanto veſtigia ſanguine lignet?
Quod genus ut ſceleris jam neſciat aurea Roma,
Te precor, Auſonii dux Auguſtiſſime regni,
Et tam triſte ſacrum, jubeas ut cætera, tolli.
Perſpice, nónne vacat meriti locus iſte paterni?
Quem tibi ſupplendum Deus, & genitoris amica
Servavit pietas: ſolus ne præmia tanto
Virtutis caperet? partem tibi nate reſervo,
Dixit, & integrum decus intactúmque reliquit.
Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
Quódque patri ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille urbem vetuit taurorum ſanguine tingi:
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.
Nullus in urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas,
Nec ſua virginitas obſcœnet cædibus ora.
Jam ſolis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit devota Deo, ſit tanto principe digna,
Et virtute potens, & criminis inſcia Roma,
Quémque ducem belli ſequitur, pietate ſequatur.

ΈΓΧΕΙΡΙΔΙΟΝ VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

ADAM & EVA. I.

EVA columba fuit tunc candida, nigra deinde
Facta per anguineum maleſuadâ fraude venenum,
Tinxit & innocuum maculis ſordentibus Adam:
Dat nudis ficulna draco mox tegmina victor.

Abel & Cain. II.

Fratrum ſacra Deus nutu diſtante duorum
Æſtimat, accipiens viva, & terrena refutans.
Ruſticus invidiâ paſtorem ſternit. in Abel
Forma animæ exprimitur: caro noſtra in munere Cain.

Arca Noë. III.

Nuncia diluvii jam decreſcentis ad aream
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim inglevie per fœda cadavera captus
Hæſerat: illa datæ revehit nova gaudia pacis.

Ilex Mambræ. IV.

Hoſpitium hoc Domini eſt, ilex ubi frondea Mambræ
Armentale ſenis protexit culmen: in iſtâ
Riſit Sarra casâ, ſobolis ſibi gaudia ſera
Ferri, & decrepitum ſic credere poſſe maritum.

Monumentum Sarræ. V.

Abraham mercatur agrum, quo conderet oſſa
Conjugis, in terris quoniam peregrina morator
Juſtitia atque fides. hoc illud millibus emptum
Spelæum, ſanctæ requies ubi parta favillæ eſt.

Somnium Pharaonis. VI.

Bis ſeptem ſpicæ, vaccæ totidem Pharaoni
Per ſomnum viſæ, portendunt diſpare formâ,
Uberis atque famis duo per ſeptennia tempus
Inflare: hoc ſolvit patriarcha, interprete Chriſto.

Joſeph à fratribus agnitus. VII.

Venditus inſidiis fratrum puer, ipſe viciſſim
Cratera in fratris ſacco clàm præcipit abdi.
Utque reos furti Joſeph tenet, auctio fallax
Proditur: agnoſcunt fratrem, veniâque pudeſcunt.

Ignis in rubo. VIII.

Sentibus involitans Deus igneus ore coruſco
Compellat juvenem, pecoris tunc fortè magiſtrum:
Ille capit juſſus virgam: fit vipera virga.
Solvit vincla pedum: properat Pharaonis ad arcem.

Iter per mare. IX.

Totus agit vir juſtus iter vel per mare magnum.
Ecce dei famulis ſciſſim freta rubra dehiſcunt,
Quum peccatores rabidos eadem freta mergant.
Obruitur Pharao, patuit via libera Moſi.

Moyſes accipit legem. X.

Fumat montis apex divinis ignibus, in quo
Scripta decem verbis ſaxorum pagina Moſi
Traditur. ille ſuos ſuſceptâ lege revifit:
Forma ſed his viruli ſolus Deus, & Deus aurum.

Manna & coturnices. XI.

Panibus angelicis albent tentoria patrum:
Certa fides facti, tenet urceus aureus exin
Servatum Manna. ingratis venit altera nubes,
Atque avidos carnis ſaturat congeſta coturnix.

Serpens æneus in eremo. XII.

Fervebat vis ficca eremi ſerpentibus atris:
Jámque venenati per livida vulnera morſus
Carpebant populum: ſed prudens ære politum
Dux cruce ſuſpendit, qui virus temperet, anguem.

Lacus myrrhæ in eremo. XIII.

Aſpera guſtatu populo ſitiente lacuna
Triſtificos latices ſtagnanti felle tenebat.
Moſes ſanctus ait: Lignum date, gurgitem in iſtum
Conjicite, in dulcem vertentur amara ſaporem.

De XII. *fontibus, &* LXX. *palmis.* XIV.

Devenere viri, Moſe duce, ſex ubi fontes;
Et ſex fortè alii vitreo de rore rigabant
Septenas decies palmas, qui myſticus helim
Lucus Apoſtolicum numerum libris quoque pinxit.

XII. *Lapides in Jordane.* XV.

In fontem refluo Jordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada ſicca relinquit:

Teſtes bis ſeni lapides, quos flumine in ipſo
Conſtituere patres, in formam diſcipulorum.

Domus Raab meretricis. XVI.

Procubuit Hiericho: ſola aſtant atria Raab:
Hoſpita ſanctorum meretrix (tanta eſt fidei vis)
Incolumi ſecura domo ſpectabile coccum
Ignibus adverſis in ſignum ſanguinis offert.

Samſon leonem necat. XVII.

Invictum virtute comes leo frangere Samſon
Aggreditur. necat ille feram: ſed ab ore leonis
Mella fluunt: maxilla aſinæ fontem vomit ultrò,
Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

Samſon vulpes capit. XVIII.

Tercentum vulpes Samſon capit, ignibus armat,
Ponè faces caudis circumligat, in ſata mittit
Allophylûm, ſegetéſque cremat. Sic callida vulpes
Nunc hereſis flammas vitiorum ſpargit in agros.

David Goliam ſternit. XIX.

David parvus erat, fratrum ultimus, & modò Jeſſe
Cura gregis, citharam formans ad ovile paternum,
Indè ad delicias regis: mox horrida bella
Conſerit, & fundâ ſternit ſtridente Goliam.

Regnum David. XX.

Regia mitifici fulgent inſignia David,
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, & purpura, & æra:
Omnia conveniunt Chriſto, chlamys, atque corona,
Virga poteſtatis, cornu crucis, altar, olivum.

Ædificatio templi. XXI.

Ædificat templum ſapientia per Solomonis
Obſequium: regina Auſtri grave congerit aurum.
Tempus adeſt, quo templum hominis ſub pectore Chriſtus
Ædificet, quod Graia colant, quod barbara ditent.

Filii prophetarum. XXII.

Fortè prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripâ, excidit diſcuſſa bipennis.
Gurgite ſubmerſum eſt ferrum: ſed mox leve lignum
Injectum ſtagnis, ferrum revocabile fecit.

Captivitas Iſrael. XXIII.

Gens Hebræorum peccamine capta frequenti,
Fleverat exilium diræ Babylonis ad amnes:
Tum patrios cantare modos præcepta recuſat,
Organáque in ramis ſalicis ſuſpendit amare.

Domus Ezechiæ regis. XXIV.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
Præſcriptum proferre diem, legémque obeundi
Tendere, tot gradibus quot veſperæ texerat umbram,
Lumine perfuſis, docuit ſol verſus in ortum.

Novum teſtamentum. Adventus Domini. XXV.

Adventante Deo deſcendit nuncius alto
Gabriel patris ex ſolio, ſedémque repentè
Intrat virgineam: Sanctus te ſpiritus, inquit,
Implevit Mariæ: Chriſtum paries, ſacra virgo.

Civitas Bethlem. XXVI.

Sancta Bethlem caput eſt orbis, quæ protulit Jeſum
Orbis principium, caput ipſum principiorum.
Urbs hominem Chriſtum genuit, qui Chriſtus agebat
Antè Deus, quàm ſol fieret, quàm lucifer eſſet.

Magorum munera. XXVII.

Hic pretioſa Magi, ſub virginis ubere, Chriſto
Dona ferunt puero, myrrhæque & thuris & auri.
Miratur genitrix tot caſti ventris honores,
Séque Deum genuiſſe hominem, regémque ſupremum.

Paſtores ab angelis admoniti. XXVIII.

Pervigiles paſtorum oculos vis luminis implet
Angelici, natum celebrans ex virgine Chriſtum.
Inveniunt tectum pannis: præſepe jacenti
Cuna erat: exultant alacres, & numen adorant.

Occiduntur infantes in Bethleem. XXIX.

Impius innumeris infantum cædibus hoſtis
Perfurit Herodes, dum Chriſtum quærit in illis:
Fumant lacteolo parvorum ſanguine cunæ,
Vulneribúſque madent calidis pia pectora matrum.

Chriſtus in Jordane baptizatur. XXX.

Perfundit fluvio paſtus Baptiſta locuſtis,
Sylvarúmque favis, & amictus veſte cameli,
Tinxerat & Chriſtum: ſed ſpiritus æthere miſſus
Teſtatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

Pinna templi. XXXI.

Excidio templi veteris ſtat pinna ſuperſtes:
Structus enim lapide ex illo manet angulus, uſque
In ſeclum ſecli, quem ſpernunt ædificantes,
Nunc caput eſt templi, & lapidum compago duorum.

Vinum ex aquâ factum. XXXII.

Fœdera conjugii celebrabant auſpice cœtu
Fortè Galilæi: jam deerant vina miniſtris.
Chriſtus vaſa jubet properanter aquaria lymphis
Impleri: indè meri veteris defunditur unda.

Piſcina Siloa. XXXIII.

Morborum medicina latex, quem ſpiritus horis
Eructat variis, fuſum ratione latenti,
Siloam vocitant: ſputis ubi conlita cæci
Lumina Salvator juſſit de fonte lavari.

Paſſio Joannis. XXXIV.

Præmia ſaltatrix poſcit funebria virgo
Joannis caput, abſciſſum quod lance reportet
Inceſtæ ad gremium matris. fert regia donum
Pſaltria, reſpertis manibus de ſanguine juſto.

Per mare ambulat Chriſtus. XXXV.

It mare per medium Dominus, fluctúſque liquentes
Calce terens, jubet inſtabili deſcendere cymbâ
Diſcipulum: ſed mortalis trepidatio plantas
Mergit: at ille manum regit, & veſtigia firmat.

Dæmon miſſus in porcos. XXXVI.

Vincla ſepulchrali ſub carcere ferrea dæmon
Fregerat: erumpit, pedibúſque advolvitur Jeſu.
Aſt hominem Dominus ſibi vindicat, & jubet hoſtem
Porcorum raptare greges, ac per freta mergi.

Quinque panes, & duo piſces. XXXVII.

Quinque Deus panes fregit, piſcéſque gemellos,
His hominum largè ſaturavit millia quinque.
Implentur nimio micarum fragmine corbes
Bis ſeni: æternæ tanta eſt opulentia menſæ.

Lazarus ſuſcitatus à mortuis. XXXVIII.

Conſcius inſignis facti locus in Bethaniâ,
Vidit ab infernâ te Lazare ſede reverſum.
Apparet ſciſſum fractis foribus monumentum,
Unde putreſcentis redierunt membra ſepulti.

Ager ſanguinis. XXXIX.

Campus Acheldemach ſceleris mercede nefandi
Venditus, exequias recipit tumulatoſus humandas.

Sanguinis

Sanguinis hoc pretium eſt Chriſti. Juda eminus arctat
Infelix collum laqueo, pro crimine tanto.

Domus Caiphæ. XL.

Impia blaſphemi cecidit domus ecce Caïphæ,
In qua pulſata eſt alapis facies ſacra Chriſti.
Hic peccatores manet exitus, obruta quorum
Vita ruinoſis tumulis ſinè fine jacebit.

Columna, ad quam flagellatus eſt Chriſtus. XLI.

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque columnis
Adnexus tergum dedit, ut ſervile, flagellis.
Perſtat adhuc, templúmque gerit veneranda columna,
Nóſque docet cunctis immunes vivere flagris.

Paſſio Salvatoris. XLII.

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
Chriſtus agit. ſanguis, victoria: lympha, lavacrum eſt.
Tunc duo diſcordant crucibus hinc indè latrones
Contiguis: negat ille deum: fert ille coronam.

Mons Oliveti. XLIII.

Montis oliviferi Chriſtus de vertice ſurſum
Ad patrem rediit, ſignans veſtigia pacis
Frondibus æternis: præpinguis liquitur humor,
Qui probat infuſum terris de chriſmate donum.

Paſſio Stephani. XLIV.

Primus init Stephanus mercedem ſanguinis, imbri
Affictus lapidum: Chriſtum tamen ille cruentus
Inter ſaxa rogat, ne ſit lapidatio fraudi
Hoſtibus. ô primæ pietas miranda coronæ!

Porta ſpecioſa. XLV.

Porta manet templi, ſpecioſam quam vocitárunt,
Egregium Solomonis opus: ſed majus in illâ
Chriſti opus emicuit: nam claudus ſurgere juſſus
Ore Petri, ſtupuit laxatos currere greſſus.

Viſio Petri. XLVI.

Somniat illapſum Petrus alto ex æthere diſcum,
Confertum omnigenis animalibus. ille recuſat
Mandere: ſed dominus jubet omnia munda putare.
Surgit, & immundas vocat ad myſteria gentes.

Vas electionis. XLVII.

Hic lupus antè rapax veſtitur vellere molli:
Saulus qui fuerat, ſit adempto lumine Paulus,
Mox recipit viſum, fit apoſtolus, ac populorum
Doctor, & ore potens corvos mutare columbis.

Apocalypſis Joannis. XLVIII.

Bis duodena ſenum ſedes, citharis paterſque,
Totque coronarum fulgens inſignibus, agnum
Cæde cruentatum laudat: qui evolvere librum,
Et ſeptem potuit ſignacula pandere ſolus.

PONTII PAULINI VIRI CONSULARIS

OPERA.

PONTII PAULINI VITA,

A PETRO CRINITO DESCRIPTA.

PONTIUS PAULINUS nobili genere natus, inter eos poëtas refertur, qui ſub Imperio Cæſ. Gratiani floruerunt, ut Fauſtus, Tetradius, & Auſonius Burdigalenſis fuit, ac in poëticâ facultate magnopere excelluit. Quidam putárunt fuiſſe nepotem Auſonii, quòd eum gratâ ac benevolâ quadam appellatione filium nominet: ſed hoc non ſatis conſtat in tam variâ, & ancipiti rerum obſcuritate. Inter alia opera, ſcriptum eſt à Paulino poëma hexametris verſibus, de regibus ex Suetonio Tranquillo collectis, in quo maximam laudem adeptus eſt, ut ab Auſonio refertur. Leguntur adhuc quædam ipſius Paulini carmina, in quibus mirifica eruditio, incredibilis elegantia apparet. Idem Paulinus præclaris atque honeſtiſſimis dignitatibus perfunctus eſt, & inter principes viros atque nobiliſſimos habitus. Fuit iiſdem temporibus alter Paulinus Pontifex Nolanus, moribúſque & ſingulari continentiâ clariſſimus: cujus epiſtolæ atque epigrammata vulgò leguntur. Quidam exiſtimant eundem eſſe habendum, parum diligenter conſiderantes, quantum inter ſe differant & profeſſione vitæ & carminum elegantiâ.

DE S. JOANNE BAPTISTA,

Chriſti præcone & legato.

SUMME pater rerum, cæliſque æterna poteſtas,
Cum quo noſtra ſalus, Sanctorum gloria Chriſte,
Spiritus & patri pariter natóque cohærens,
Qui mentes linguáſque regis virésque miniſtras,
Promeruit quas ſola fides: cui plena poteſtas,
Brutis ingenium, vocémque infundere mutis:
Præſta Evangelico ductum de fonte Joannem,
In noſtra arenti decurrere carmina rivo.
Ille quidem tantus, quantum potuit dare mundo,
Qui naſci talem nova per miracula juſſit:
Sed licitum magnis tenues impendere curas,
Nec dedignantur vilem cæleſtia laudem:
Pars etiam meriti, meritum celebrare priorum:
Nec nova nunc aut noſtra canam: dixere Prophetæ
Cuncta priùs, ſanctíque viri ſermone ſoluto,
Promiſſum exortum, vitam mortémque ſacrárunt:
Si mors illa fuit, meruit quæ ſanguine cælum.
Nos tantùm modulis evolvere dicta canoris
Vovimus, & verſu mentes laxare legentum.
Sic nam magna licet parvis, antiqua novellis,
Perfecta indoctis conferre, æterna caducis,
Inſpirante Deo quicquid dixere priores:
Aptavit citharis nomen venerabile David,
Conſona cæleſti pangens modulamina plectro:
Nos quoque fas meminiſſe Dei: quamquam obſita multis
Pectora criminibus cæleſtem admittere ſenſum.
Zacharias Syriâ quondam de gente ſacerdos,
Credita ſolenni curabat templa paratu.
Vita viri, pietate, fide, gravitate, pudore,
Obſequio condigna Dei. conjunx huic alma
Eliſabeth, priſcâ ſanctorum ſtirpe virorum
Progenita, & tanto virtutibus æqua marito.
Sed quod in opprobrio matrum poſuere priores,
Prole carens, ſterilem ducebat mœſta ſenectam,
Spémque omnem ſobolis tranſacta excluſerat ætas.
Fortè ſacrum ſolenne Deo plebs cuncta ferebat,
Et priùs antiſtes ſacros adoleverat ignes,
Intima divinis decorans altaria flammis:
Ecce ſacram propter cæleſtis nuncius aram
Aſtitit, ac veſte inſignis, venerabilis ore,
Se cælo miſſum vultúque habitúque probavit.
Tum ſancta in tales laxavit pectora voces.
Accipe, cæleſti domino dilecte ſacerdos,
Æterni mandata Dei, cui cura piorum

Perpetua

Digitized by Google

Perpetua eſt, jugis qui puro pectore cuſtos
Emeritum ſanctis impendere ſcivit amorem.
Ac primùm genus hic extincto ſemine non vult
Interiiſſe tuum: fœcundáque viſcera fecit
Conjugis, effœto quæ jam ceſſabat in ævo.
Cur tamen addubitas mortali tu quoque ſenſu,
Omnia poſſe Deum? ſed credes: ille probabit.
Naſcetur dignus tanto ſponſore beatus
Perpetuúſque puer, qui primo protinus ævo
Te major, ſacras invicto in pectore vires
Auctoris dono plus quàm genitoris habebit.
Nec ſanè nato quæ prima vocabula ponas,
Arbitrii juriſque tui eſt: Deus ipſe profectò
Qui naſci jubet, hunc idem jubet eſſe Iohannem:
Nominis hic titulus, meritorum immenſa propago,
Quæ nec dum genito potuit prænoſcere ſolus,
Qui dabit, & tanto tribuet tibi gaudia nato:
Nec verò tribuet tantùm tibi (gloria parva eſt
Intra unam concluſa domum) ſed quantus ab ortu
Tenditur in ſeræ finita crepuſcula lucis,
Totus prole tuâ tecum lætabitur orbis.
Quid mirum? cunctâ vitiorum fæce carebit,
Cœleſtem ducens ſinè labe & crimine vitam,
Veſano ſervans abſtemia pectora vino,
Omniáque evitans maleſuadi pocula ſucci:
Cúmque hominum generi vel poſt errata ſalutem
Spondeat, ab ſanctâ quiſquis renovabitur undâ,
Ipſe in ſe nihilum quo purificetur habebit.
Ac ne plura tibi variis ambagibus edam,
Eliæ meritum doctus neſcire ſacerdos
Non potes, exoſæ qui mortis lege remiſſâ,
Æternam degit proprio cum corpore vitam.
Igneus excelſum quem vexit ad æthera currus,
Flammantum rapido niſu glomeratus equorum:
Hunc tuus æquabit meritorum ſtemmate natus,
Tantundem & laudis ſimul & virtutis habebit.
Ergo ad condignas tanto pro munere grates,
Nec dubiam ſuſpende fidem, ne mota faventis
Ira dei, meritam ſtatuat poſt præmia pœnam.
Hæc ait, & tenues elabitur ales in auras,
Fragrantémque ſacro procul æëra fundit odore.
Diriguit trepidâ confuſus mente ſacerdos,
Ac dum promiſſum cunctantia corda volutant,
Dum ſe diffidit tantum meruiſſe favorem,
Ut ſummi ſit cura dei, dimiſſus ut alto
Nuncius è cælo famulo tam clara referret,
A domino mandata ſuo, ludíque veretur,
Somniáque illa putat: mores dum parciùs æquo
Æſtimat ipſe ſuos, nec ſe meruiſſe fatetur:
Infidum facit ipſa fides, dum credere dignum
Se non vult, pœnas incredulitate meretur.
Protinus aſtricta eſt dubitanti lingua palato,
Et motûs oblita ſui, molitáque vocis
Articulare ſonum, pigro torpore cohæſit:
Dúmque cupit narrare ſuæ miracula plebi,
Conatus fruſtra, defixo obmutuit ore.
Mœſtus abit, verſátque inclusâ mente dolorem,
Et veniam erratis arcano in corde precatur.
Quanta Dei pietas, quámque exorabile numen!
Pœnituiſſe ſat eſt, rata qui dat, temporis ordo
Volvitur, & gravidâ (mirum) diſtenditur alvo
Eliſabeth, ſanctúmque gerunt pia viſcera pondus,
Et venit effœto munus juvenile ſub ævo.
Indè aliud: ſanctus Gabriel qui nuncius idem
Zachariæ fuerat, multo majora volutans,
Ad Mariam molitur iter: quæ ſponſa marito,
Sed magè lecta Deo, mundi paritura ſalutem,
Virgo illibatum ſervabat caſta pudorem:
Cui poſtquam inſignis cœlesti forma decore
Conſtitit ante oculos, vultus demiſſa pudicos,
Tinxit ſuffuſo rutilantes ſanguine malas.
Ille ait; ô toto quem ſolis circulus ambit,
Quæque fuere priùs, quæ ſunt, quæ deinde ſequentur,
Virginibus cunctis felicior orbe puella,
Magno lecta deo, mater dicaris ut ejus,
Cujus & ille pater; felix age, concipe pondus,
Impolluta viro, coitúque immunis ab omni,
Verbo fœta Dei: corpus tua viſcera præſtent
Illi qui cœlum, terras, mare, ſidera fecit:
Qui ſemper fuit, & nunc eſt, & tempore in omni
Semper erit, mundi dominus lucíſque creator,
Et lux ipſe poli, per te mortalia membra
Induet, atque oculos hominum cœtúſque ſubibit.
Imperturbatos tantarum in præmia laudum
Tolle animos: dabit ille tibi virésque fidémque,
Qui voluit (nam cuncta regit nutúque gubernat)
Filius eſſe tuus, Domini cùm filius eſſet.
Dixerat, & viſus pariter terráſque reliquit,
Aſſuetúmque ſibi facili petit æthera niſu:
Implentur præcepta Dei, creditque puella
Protinus, atque auget meritum vitámque priorem
Prompta fides: tactis elementa latentia cauſis
Divinum informant corpus, ſacrandáque creſcit
Sarcina, cæleſtem dominum pia confovet alvus.
Interea gravidam ſoboles, quanquam edita necdum,
Inſtigat Mariam ſanctam, ut progreſſa reviſat
Eliſabeth, longo quæ jam venerabilis ævo,
Dilectum domino puerum partura gerebat.
Auſcultat nato genitrix (vis tanta fidei:)
Et quò juſſa? venit: movit materna Johannes
Viſcera, & implevit divino pectora ſenſu,
Jam vates, nec dum genitus, concluſus in alveo,
Jámque propheta pius geſta & ventura videbat.
Illa ubi concepto fulgentem lumine longè
Conſpexit Mariam, celeri procul incita greſſu
Obvia progreditur, veneratáque brachia tendens,
Salve ô mater, ait, Domini, ſalve pia virgo,
Immunis thalami, coitúſque ignara virilis,
Sed paritura Deum: tanti fuit eſſe pudicam
Intactæ ut ferres titulos & præmia nuptæ.
Cur mihi non meritæ, nec tanto munere dignæ,
Officii defertur honos? cur gloria cœli
In noſtros delata lares & vilia tecta,
Obſcuris tantum lumen penetralibus infert?
Sed mitis placidúſque ſuis cultoribus adſit:
Præſtitit hunc genitus, quem præſtitit antè, favorem.
Dixit, & amplexus ulnis circundata junxit,
Jámque deum venerata, pio dedit oſcula ventri.
Dic age nunc Judæa nocens, & ſanguine regis
Commaculata tui, verbis ſi nulla priorum
Eſt adhibenda fides, ſacros ſi fallere vates
Creditis, & Moſen ipſum, ſi fallere David,
Impia perverſæ putat inclementia gentis,
Credite non genitis: maternâ clauſus in alvo,
Quid videat, ſancto matris docet ore Iohannes.
Quis precor hunc docuit, quem caſto viſcere virgo
Contineat, quantus maneat nova ſecula partus?
Sed ſanctis abſtruſa patent, nec viſa profanis.
Verùm egreſſa modum latos petit orbita campos,
Atque oblita mei procurrere longiùs audet.
Spero, erit ut poſſim firmato robore quondam
Hoc quoque per ſpatium fortes agitare quadrigas.
Huc cœptum repetamus iter, mortalia dicat
Pagina mortalis, Dominum divina loquantur.
Jámque adeò exacto quantum natura jubebat
Tempore, maturâ puer inclytus editur alvo,
Et promiſſa Dei magnâ non credita pœnâ
Implet certa fides, & natus comprobat infans.
Conveniunt contingentes de more propinqui,
Ut puero veterum de nomine ducta parentum
Aptent collatis quæſita vocabula cauſis:
Sed negat arbitrium cognatis eſſe relictum,
Cœleſtis juſſi per natum conſcia mater.
Ergo placet dudum præclusâ voce ſilentem
Conſuluiſſe patrem: promendi ſola facultas
Indicii, quod lingua nequit, ſi littera ſignat.
Conſulitur: ſumit tabulas, ſcribítque Johannem.
Mirantur cuncti, nullúmque habuiſſe priorum
Præſcriptum nomen recolunt de ſtirpe parentum.
Quantum fera fides valuit! quia dextra notavit,
Quod mens crediderat, peccati pœna remiſſa eſt.
Solvuntur vinctæ laxata repagula linguæ:
Reſpondet jam voce ſenex, proditque propinquis
Tecta diu mandata Dei, ſpondétque futura,
Dum tranſacta probat, talem fore quis dubitaret,
Quem domini juſſis, naturæ lege remiſſâ,
Inſolito exortu naſci potuiſſe videret?
Exemplum cunctis celebrandum incredulitatis
Ante oculos cunctis poſuit, ut pœnâ parentis,
Vel venia: atque animis inſtat ſimul hinc metus, hinc ſpes.
Labitur interea cunarum tempus, in ipſis
Extat divini ſpecies manifeſta vigoris.
Blanditiæ riſúſque ſilent incertáque ceſſant
Murmura, ſeriemas laicivi prævia ſenſûs,
Jam tenera informat venturis moribus ora.
Indè ubi prima puer ſtabili veſtigia niſu
Fixerat, & certam ſignarent verba loquelam:
Mos erat, aut ſancti dicta auſcultare parentis,

Aut

Aut antiquorum præclara ediſcere facta,
Vel quas ipſe Deus leges, interprete Moſe,
Condiderat, ſacri quas ſervat pagina ſaxi.
Hæc & quæ teneram firmarent cætera mentem
Tractabat recolens: neque enim ignorâſſe priora
Credendus, dederat Dominus cui nôſſe futura.
At poſtquam robur membris acceſſit ab ævo
(Nam mens plena deo tardos prævenerat annos)
Illa ſibi jam tum ſtatuit diſcenda, docere
Quæ nequeunt homines: ſimul effugienda ciborum
Et potûs ſanctæ contagia noxia vitæ.
Tecta igitur ſancti, quamquam immaculata, parentis
Deſerit, ac turbas hominum cœtúſque nocentes
Effugit, ac ſolas loca tendit ad invia terras,
In quîs ſe tantùm mens impolluta videret,
Liberáque à curis, ſacra ad præcepta vacaret.
Veſtis erat curvi ſetis conſerta cameli,
Contra luxuriem molles duraret ut artus,
Arcerétque graves compuncto corpore ſomnos.
Hunc vilis rigidos ad lumbos zona ligabat:
Præbebant victum facilem ſylveſtria mella,
Pomáque, & incultis enatæ cautibus herbæ,
Arentémque ſitim decurrens unda levabat.
Quis locus hìc vitiis? aditum quem prava cupido
Invenit hæc inter ſacra ad penetralia mentis?
Quo peccet, qui nil cupiat? quò tendat iniqui
In latebras ſenſus, quiſquis non indiget ullo?
Sic primi vixere homines, mundóque recenti
Hos auctor dederat ventura in ſecula mores:
Inſeruit donec ſeſe maleſuada voluptas,
Ac ſecum luxus & amorem invexit habendi:
Hinc odia, hinc lites, hinc fraus, hinc livor & iræ,
Cædes, arma, cruor, conflictus, prælia, mortes,
Hinc offenſa Dei, quam tartara ſæva piabunt.
Verùm ego cur nimiùm communes arguo culpas,
Immemor ipſe mei, quem non commiſſa gravare,
Sed veniam ſperare decet? mirabimur immo
Rectiùs, invictum, nulliſque imitabile priſci
Exemplum ſecli, tranſgreſſum humana labore,
Semideúmque virum, qui labe immunis ab omni
Cùm ſua tam ſævis cruciârit corpora pœnis,
Præſcripſit, quid nos vel poſt peccata deceret.
At poſtquam invictam firmans per talia mentem,
Exegit largum tempus, ſtatuítque reperta
Quæ fuerant quærenda, ſibi vox edita cælo eſt.
Jam ſatìs impenſum ſpacii, dilecte propheta,
Quo tibi prodeſſes, tempus tibi, quæ data ſentis,
Ut profint aliis, & quæ jam perdita, ſervent.
Perge igitur ſanctas puri Jordanis ad undas.
Hìc quicunque hominum vitæ commiſſa prioris
Pœnitet, & tandem ſenſu meliora volutat,
Ablue confeſſum: quiſquis tibi mente fideli
Crediderit, delere piò commiſſa lavacro:
Ille renatus erit, talis modò vita ſequatur,
Quæ probet ablutos vitam damnâſſe priorem.
Paruit auditis famulanti mente Johannes,
Protinus & ripas juſſi deſcendit ad amnis.
Prædicat hìc præcepta Dei ſermone verendo,
Infundítque novam credentum in corda ſalutem,
Diluit infuſis credentum crimina lymphis,
Abſolvítque metus hominum, pœnáſque remittit,
Atque ignem reſtinguit aquis, oblivia ſuadet
Errorum, præſtátque novæ nova corpora vitæ.
O pater, ô hominum rerúmque æterne creator,
Quot gradibus parcit pietas tua? quis pater unquam
Suſtinet erranti toties ignoſcere nato?
Das genti ſenſum, quo vel bona vel mala noſcant:
Non ſatìs innectis ſervandæ vincula legis,
Proponísque malis pœnas, & præmia juſtis.
Hæc quoque quis ſprevit? redeat quandoque libebit,
In promptu venia eſt: ſanctum patet eſſe lavacrum,
Quod renovet vitam, veteréſque obliteret actus,
Quódque novos homines faciat. quid quærimus ultra?
Et tamen ulterior venia eſt: violaverit ullus
Hoc quoque polluto prolapſus corpore donum,
Quamquam jam nimius longè proceſſerit error,
Deſinat & redeat: cùm ſe damnaverit ipſe,
Abſolvi meruit: ſi pœnitet, irrita culpa eſt.
O verè, quod ais, pondus leve, quódque cohæret,
Suave jugum, toties homini cùm ignoſcitur uni.
Et tamen erramus, finis nec criminis ullus
Humano generi: ſed creſcit laus tua. nam quo
Major culpa rei, parcentis gloria major.
Grates ergo tibi referat mens omnis, & omnis
Lingua canat, quantúmque poteſt humana propago,
Si placuiſſe nequit, fieri vel grata laboret.
Panditur immenſum, ſi demus vela, profundum
In laudes, pater alme, tuas: ſed conſcia tanti
Mens oneris trepidat, propriáſque haud inſcia vires
Conſulit, & dignis potiùs dicenda relinquit.
Reddamur cœptis: opus hoc tibi, ſancte Johannes,
Quo renoves puras abluto corpore mentes,
Non hæc prima dedit Domini ſententia, qua te
Admonuit claram mittens per nubila vocem:
Secula multa priùs ſancti Deus ore locutus
Iſaiæ vatis, veteris qui maximus ævi:
Mittam, ait, ante tuos oculos, ô nate, miniſtrum,
Qui ſentoſarum purgans concreta viarum
Greſſibus ille tuis, celſos ſubſidere montes,
Idem depreſſos faciet conſurgere valles.
Diriget hic quæ prava, & leniet aſpera, dura
Molliet, & totum coget planeſcere mundum.
Tûne precor donum ſummi patris, alme Johannes,
Cum Chriſto promiſſe venis? téque imputat ille
Qui miſit natum? tunc ô prædicte prophetis
Nominis angelici tu participatus honore!
Per te prima Dei ſeſe clementia profert,
Prima tibi dandæ veniæ permiſſa poteſtas.
Te cùm multa novæ peterent miracula plebis,
De te Chriſtus ait, conceſſum eſt viſere talem
Qualem nulla priùs viderunt ſecla prophetam:
Dico ego, qui ſolus quæ geſta gerendáque novi,
Inter mortales dederit quos fœmina partus,
Quóſque dabit ſolenni hominum de more creatos:
Nullus erit, poſſit qui ſe præferre Johanni.
Hæc de te ille refert, qui quælibet intima cordis
Humani, & cunctos ſeclorum ex ordine tractus
Pervidet, ut quæ ſunt oculis ſubjecta, videmus.

EPISTOLÆ Tres ad AUSONIUM RESCRIPTÆ.

EPISTOLA I.

Auſonio Paulinus.

QUARTA redit duris hæc jam meſſoribus æſtas,
Et totiens cano bruma gelu riguit,
Ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore:
Nulla tuâ vidi ſcripta notata manu:
Antè ſalutifero felix quum charta libello
Dona negata diu multiplicata daret.
Trina etenim vario florebat epiſtola textu:
Sed numeroſa triplex pagina carmen erat.
Dulcia multimodis quædam ſubamara querelis
Anxia cenſuræ miſcuerat pietas.
Sed mihi mite patris pluſquam cenſoris acerbum
Sederit, & blandis aſpera penſo animo.
Iſta ſuo retegenda loco tamen, & graviore
Vindicis heroi ſunt agitanda ſono.
Interea levior paucis præcurrit iambus,
Diſcreto referens mutua verba pede.
Nunc elegi ſalvere jubent, dictâque ſalute,
Ut fecere aliàs, orſa gradúmque ſilent.

QUID abdicatas in meam curam, pater,
Redire muſas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Chriſto pectora.
Fuit iſta quondam non ope, ſed ſtudio pari
Tecum mihi concordia,
Clere ſurdum Delphicâ Phœbum ſpecu,
Vocare Muſas numina:
Fandíque munus munere indultum Dei,
Petere fonte, nemoribus, jugis.
Nunc alia mentem vis agit, major deus:
Alióſque mores poſtulat,
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum:
Vivamus ut vitæ patri.
Vacare vanis otio aut negotio,
Et fabuloſis litteris,
Vetat: ſuis ut pareamus legibus,
Lucémque cernamus ſuam.
Quamvis ſophorum, callida árſque rhetorum, &
Figmenta vatum nubilent,

Qui

Qui corda falsis atque vanis imbuunt,
Tantúmque linguas instruunt,
Nihil adferentes, ut salutem conferant:
Quod veritatem detegat.
Quod enim tenere vel bonum, aut verum queant,
Qui non tenent summum caput,
Veri bonique fomitem & fontem Deum?
Quem nemo nisi in Christo videt.
Hic veritatis lumen est, vitæ via,
Vis, mens, manus, virtus patris,
Sol æquitatis, fons bonorum, flos dei,
Natus deo, mundi fator,
Mortalitatis vita nostræ, & mors necis.
Magister hic virtutium,
Deúsque nobis, atque pro nobis homo,
Nos induendo, se exuit,
Æterna jungens inter homines & Deum,
Intérque se commercia.
Hic ergo nostris ut suum præcordiis
Vibraverit cælo jubar,
Absterget ægrum corporis pigri situm,
Habitúmque mentis innovat.
Exhaurit omne, quod juvabat antea
Cassæ voluptatis vice:
Totóque nostra jure domini vindicat
Et corda, & ora, & tempora.
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se vult timeri, & diligi.
Æstus inanes, quos movet vitæ labor,
Præsentis ævi tramite,
Abolet futuræ cum deo vitæ fides.
Quæ, quas videmur spernere,
Non ut profanas abjicit, aut viles opes,
Sed ut magìs caras monet
Cælis reponi creditas Christo deo:
Qui plura promisit datis,
Contempta præsens, vel magè deposita sibi,
Multo ut rependat fœnore.
Sinè fraude custos, aucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor.
Multáque spretam largior pecuniam
Restituet usura Deus.
Huic vacantem, vel studentem, & deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne, quæso, segnem, néve perversum putes:
Neu crimineris impium.
Pietas abesse Christiano qui potest?
Namque argumentum mutuum est
Pietatis, esse Christianum; & impii
Non esse Christo subditum.
Hanc quum tenere discimus, possum tibi
Non exhibere, id est patri?
Cui cuncta sancta jura, cara nomina
Debere me voluit Deus.
Tibi disciplinas, dignitatem, litteras,
Linguæ, & togæ, & famæ decus,
Provectus, altus, institutus, debeo
Patrone, præceptor, pater.
Sed cur remotus tamdiu degam, arguis:
Pióque motu irasceris.
Conducit istud, aut necesse est, aut placet.
Veniale, quicquid horum erit.
Ignosce amanti, si geram, quod expedit.
Gratare, si vivam, ut libet.

EPISTOLA II.

Paulinus Ausonio.

CONTINUATA meæ durare silentia linguæ,
Te nunquam tacito, memoras, placitámque latebris
Desidiam exprobras: neglectæque insuper addis
Crimen amicitiæ: formidatámque jugalem
Objicis: & durum jacis in mea viscera versum.
Parce, precor, lacerare tuum: nec amara paternis
Admiscere velis, ceu melli absinthia, verbis.
Cura mihi semper fuit, & manet, officiis te
Omnibus excolere, affectu observare fideli.
Non unquam tenui saltem tua gratia nævo
Commaculata mihi est, ipso te lædere vúltu
Semper, & incautà timui violare figurà.
Quótque tua accessi venerans, mea cautiùs ora
Composui: & læto formavi lumine frontem:
Ne qua vel à tacito contractam pectore nubem
Duceret in sanctum suspicio falsa parentem.
Hoc mea te domus exemplo coluítque, colétque.
Inque tuo tantus nobis consensus amore est,
Quantus & in Christum connexà mente colendum.
Quis tua, quæso, tuis obduxit pectora livor?
Quo rumore pias facilis tibi fama per aures
Irrupit, pepulítque animum? contráque vetustam
Expertà pietate fidem nova vulnera movit,
Læderet ut natis placidum malesuada parentem?
Sed mihi non fictæ mens conscia simplicitatis:
Nec patris inculti pietas rea, respuit omne
Immeritum: & falso perstringi crimine non fert.
Immunis merito graviùs violatur iniquo.
Vulnera tam tenera offensæ, quam libera culpæ.
Discussisse jugum quereris me, quo tibi doctis
Junctus eram studiis. hoc nec gestàsse quidem me
Asséro. namque pares subeunt juga. nemo valentes
Copulat infirmis: neque sunt concordia fræna,
Si sit compulsis mensura jugalibus impar.
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
Si confers fuilicas cycnis, & aëdona parræ,
Cattaneis corylos æquas, viburna cupressis,
Me compone tibi. vix Tullius, & Maro tecum
Sustineant æquale jugum. Si jungar amore,
Hoc tantùm tibi me jactare audebo jugalem,
Quo modicum sociis magno contendit habenis
Dulcis amicitia æterno mihi fœdere tecum
Et paribus semper redamandi legibus æqua.
Hoc nostrâ cervice jugum non læva resolvit
Fabula: non terris abientia longa diremit,
Nec perimet. Toto licèt abstrahar orbe vel ævo,
Nunquam animo divisus agam. priùs ipsa recedet
Corpore vita meo, quam vester pectore vultus.
Ego te per omne, quod datum mortalibus
Et destinatum sæculum est,
Claudente donec continebor pectore,
Discernar orbe quolibet.
Nec orbe longum, nec remotum lumine
Tenebo fibris insitum.
Videbo corde, mente complectar piâ
Ubique præsentem mihi.
Et quum solutus corporali carcere
Terráque provolavero,
Quo me locárit axe communis pater,
Illìc quoque te animo geram.
Neque finis idem, qui meo me corpore,
Et amore laxabit tui.
Mens quippe lapsis quæ superstes artubus,
De stirpe durat cæliti,
Sensus necesse simul & affectus suos
Teneat æquè, ut vitam suam.
Et ut mori, sic oblivisci non capit
Perenne vivax, & memor.

EPISTOLA III.

Paulinus Ausonio.

DEFORE me patriis totâ trieteride terris,
Atque alium legisse vagis erroribus orbem,
Culta priùs vestræ oblitum consortia vitæ,
Increpitas sanctis notâ pietate querelis.
Amplector patrios venerando pectore motus,
Et mihi gratandas salvis affectibus iras:
Sed reditum indè meum, genitor, te poscere mallem,
Unde dari possit. Revocandum me tibi credam,
Quum steriles fundas, non ad divina, precatus,
Castalidis supplex averso numine Musis?
Non his numinibus tibi me, patriæque reduces.
Surda vocas, & nulla rogas. levis hoc feret aura,
Quod datur in nihilum sinè numine nomina Musas.
Irrita ventosæ rapiunt hæc vota procellæ.
Quæ non missa deo, vacuis in nubibus hærent:
Nec penetrant superi stellantem regis in aulam.
Si tibi cura mei reditús, illum aspice, & ora,
Qui tonitru summi quatit ignea culmina cæli:
Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet:
Quique satis cælo Soles largitur, & imbres:
Qui super omne quod est, & in omni totus ubique
Omnibus infuso rebus regit omnia Christo:
Quo mentes tenet, atque movet: quo tempora nostra
Et loca disponit. Quòd si contraria votis
Constituat nostris, prece deflectendus in illâ est,
Quæ volumus. Quid me accusas? si displicet actus
Quem gero agente deo, priùs est, fiat reus auctor,
Cui placet aut formare meos, aut vertere sensus.

Nam

Nam mea si reputes, quæ prisina, quæ tibi nota,
Sponte fatebor, eam modò me non esse, sub illo
Tempore qui fuerim: quo non perversus habebar,
Et perversus eram, falsi caligine cernens
Stulta dei sapiens, & mortis pabula vivens.
Quo magis ignosci mihi fas: quia promptius ex hoc
Agnosci datur à summo genitore novari,
Quod non more meo geritur, non arbitror isthis
Confessus dicar mutasse in prava notandum
Errorem mentis: quoniam sim sponte professus,
Me non mente meâ vitam mutâsse priorem.
Mens nova me, fateor, cepit; mens non mea quondam,
Sed mea nunc, auctore deo: qui si quid in actu
Ingenióve meo sua dignum ad munia vidit,
Gratia prima tibi, tibi gloria debita cedit,
Cujus præceptis partum est, quod Christus amaret.
Quare gratandum magis est tibi, quam queritandum,
Quòd tuus ille tuis studiis & moribus ortus
Paulinus, (cui te non inficiare parentem,
Nec modò quum credis perversum) sic mea verti
Consilia, ut sim promeritus Christi fore, dum suum
Ausonii. feret ille tuæ sua præmia laudi:
Déque tuâ primum tibi deferet arbore fructum.
Unde, precor, meliora putes: nec maxima perdas
Præmia, detestando tuis bona fontibus orta.
Non etenim mihi mens vaga: sed neque participantum
Vita fugax hominum, Lycim qua scribis in antris
Pegaseum vixisse equitem. Licèt avia multi
Numine agente colant, clari velut antè sophorum
Pro studiis mussisque suis, ut nunc quoque castis
Qui Christum sumpsere animis, agitare frequentant:
Non inopes animi, neque de feritate legentes
Desertis habitare locis: sed in ardua versi
Sidera, spectantésque deum, versque profunda
Perspicere intenti, de vanis libera curis
Otia amant, strepitúsque fori, rerúmque tumultus,
Cunctáque divinis inimica negotia donis,
Et Christi imperiis, & amore salutis abhorrent.
Spéque fidéque deum sponsâ mercede sequuntur,
Quam referet certus non desperantibus auctor,
Si modò non vincant vacuis præsentia rebus:
Quæque videt, spernat: quæ non videt, expetat ut mens.
Namque caduca patent: nostris æterna negantur
Visibus. & nunc spe sequimur quod mente videmus,
Spernentes varias rerum spectacula formas,
Et malè corporeos bona sollicitantia visus.
Attamen hæc sedisse illis senteptia visa est,
Tota quibus jam lux patuit verique, bonique,
Venturi æternum sæcli, & præsentis inane.
At mihi non eadem cui gloria, cur eadem sit
Fama? fides voti par est, sed amœna colenti,
Nunc etiam & blandâ posito locupletis in actâ
Litoris. unde hæc jam tam festinata locorum
Invidia est? utinam justus me carpere livor
Incipiat, Christi sub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerum mens numine firma pudorem,
Et laus hìc contempta redit mihi judice Christo.
Ne me igitur, venerande parens, his ut malè versum
Increpites studiis: neque me vel conjuge carpas,
Vel mentis vitio. Non anxia Bellerophontis
Mens est: nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux.
Nec mihi nunc patrii est, ut vis, oblivio cæli,
Qui summum suspecto patrem. quem qui colit unum,
Hic verè memor est cæli. Crede ergo, pater, nos
Nec cæli immemores, nec vivere mentis egentes,
Humanisque agitare locis. Studia ipsa piorum
Testantur mores hominum. nec enim impia summum
Genus poterit novisse deum. Sint multa locorum,
Multa hominum studiis inculta, expertia legum.
Quæ regio agresti ritu caret? aut quid honestis
Improbitas aliena nocet? Quid tu mihi vastos
Vasconiæ saltus, & ninguida Pyrenæi
Objicis hospitia? in primo quasi limine fixus
Hispanæ regionis agam: nec sit locus usquam
Rure vel urbe mihi, summum qua dives in orbem
Usque patet, mersos spectans Hispania Soles.
Sed tuerit fortuna, jugis habitâsse latronum:
Non lare barbarico rigui, mutatus in ipsos
Inter quos habui sociâ feritate colonos.
Non recipit mens pura malum: neque levibus hærent
Insperse fibris maculæ. sic Vascone saltu
Quisquis agit, purus sceleris, vitam inter iniquos,
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hospite. Sed mihi cur sit ab illo nomine crimen

Qui diversa colo, ut colui, loca juncta superbis
Urbibus, & lætis hominum celeberrima cultis?
Ac si Vasconicis mihi vita fuisset in oris,
Cur non more meo potiùs formata ferinos
Poneret, in nostros migrans gens barbara ritus?
Nam quod in eversis habitacula ponis Iberis
Urbibus, & deserta tuo jacis oppida versu,
Montanámque mihi Calagorrim, & Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collémque jacentis Ilerdæ
Exprobras, velut his habitem latis exul & urbis,
Extra hominum tecta atque vias: an credis Iberæ
Has telluris opes? Hispani nescius orbis,
Quo gravis ille poli sub pondere constitit Atlas,
Ultima nunc ejus mons portio, metáque terræ,
Discludit bimarem celso qui vertice Calpen.
Bilbilis huic tantùm, Calagorris, Ilerda notatur,
Cæsarea est Augusta cui, cui Barcino amœna,
Et capite insigni despectans Tarraco pontum.
Quid numerem egregias terris, & mœnibus urbes?
Quà geminum felix Hispania tendit in æquor,
Quà Betis Oceanum, Tyrrhenúmque auget Iberus,
Latáque distantis pelagi divortia complet
Orbe suo finem ponens in limite mundi.
An tibi me, domine illustris, si scribere fit mens,
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malis describere Boios?
Quúmque Maroialicis tua prodigis otia thermis,
Inter & umbrosos donas tibi vivere lucos,
Læta locis & mira colens habitacula tectis,
Nigrantésne casas, & tecta mapalia culmo,
Dignáque pellitis habitas deserta Bigerris?
Quisque superba tuæ contemnis mœnia Romæ,
Consul arenosas non dedignare Vasatas.
Vel, quia Pictonicis tibi fertile rus viret arvis,
Romanum Ausonias huc devexisse curules
Conquerar, & trabeam veteri sordescere fano?
Quæ tamen augustâ Latiaris in urbe Quirini
Cæsareas inter patili titulo palmatas
Fulget nativo longè venerabilis auro,
Florentem retinens meriti vivacis honorem.
Aut quum Lucani retineris culmine fundi,
Æmula Romulcis habitans fastigia tectis,
Materiam præbente loco, qui proxima signat,
In Condatino diceris degere vico?
Multa jocis pateant: liceat quoque ludere fictis:
Sed linguâ mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, & malè dulces
Fermentare jocos satyræ mordacis aceto,
Sæpe poëtarum, nunquam decet esse parentum.
Namque fides pietásque petunt, ut quod mala nectens
Insinuat castis fama auribus, hoc bona noti
Mens patris affigi, fixúmque hæresceret cordi
Non sinat, ut vulgus savo rumore malignum,
Ante habitos mores, non semper flectere vitam
Crimen habet. namque est laudi bene vertere. Quum me
Immutatum audis, studium officiúmque require.
Si pravo rectum, si relligiosa profanis,
Luxurie parcum, turpi mutatur honestum,
Segnis, iners, obscurus ago, miserere sodalis
In mala perverti. blandum licèt, ira parentem
Excitet, ut lapsum rectis instauret amicum
Moribus, & monitu reparet meliora severo.
At si fortè id idem, quod legi, & quod sequor, audis,
Cordæ pio vovisse deo, venerabile Christi
Imperium docili pro credulitate sequentem,
Persuasúmque Dei monitis æterna parari
Præmia mortali damnis præsentibus empta,
Non reor id sano sic displicuisse parenti,
Mentis ut errorem credat hic vivere Christo,
Ut Christus sanxit. Juvat hoc, nec pœnitet hujus
Erroris. stultus diversa sequentibus esse
Nil moror, æterno mea dum sententia regi
Sit sapiens. breve, quicquid homo est, ut corporis ægri,
Temporis occidui, & sinè Christo pulvis & umbra.
Quod probat aut damnat, tanti est quanti arbiter ipse.
Ipse obit, atque illi suus est comitabilis error:
Cúmque suo moriens sententia judice transit.
At nisi dum tempus præsens datur, anxia nobis
Cura sit ad Domini præceptum vivere Christi,
Sera erit exutis homini querimonia membris:
Dum levia humanæ metuit convicia linguæ,
Non timuisse graves divini judicis iras.
Quem patris æterni solio dextràque sedentem,
Omnibus impositum regem, & labentibus annis

Venturum, ut cunctas æquato examine gentes
Judicet, & variis referat sua præmia gestis,
Credo equidem: metuens studio properante laboro,
Si qua datur, ne morte priùs, quàm crimine solvar.
Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt: gestitque anima, id jam cauta futuri
Præmetuens, ne vincta ægris pro corpore curis,
Ponderibúsque gravis rerum, si fortè recluso
Increpitet tuba vasta polo, non posset in auras
Regis ad occursum levibus se tollere pennis,
Inter honora volans sanctorum millia cælo.
Qui per inane leves, neque Mundi compede vinctos,
Ardua in astra pedes facili molimine tollent:
Et teneris vecti per sidera nubibus ibunt,
Cœlestem ut medio venerentur in æthere regem,
Claráque adorato conjungant agmina Christo.
Hic metus est, labor iste: dies ne me ultimus atris
Sopitum tenebris sterili deprendat in actu
Tempora sub vacuis ducentem perdita curis.
Nam quid agam? lentis si dum conniveo votis,
Christus ab æthereâ mihi proditus arce coruscet,
Et subitis Domini cælo venientis aperto
Præstrictus radiis, obscura & tristia noctis
Suffugia in lato confusus lumine quæram!
Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,
Vel præsentis amor vitæ rerúmve voluptas,
Curarúmve labor, placuit prævertere catus
Propositо, & curas finire superstite vitâ,
Commissísque Deo ventura in sæcula rebus,
Expectare trucem securo pectore mortem.
Si placet hoc, gratare tui spe divite amici:
Si contrà est, Christo tantum me linque probari.

Eidem Paulino & hæc inscribebat antiquus codex: quæ inter alia ejus scripta à Badio Ascensio Lutetiæ formis primùm edita, non invenias.

Domino merito suspiciendo Gessidio Paulinus.

INJURIA quidem est patrifamilias, maritimis deliciis abundanti terrenum aliquid, & agreste præbere: sed ego, ut & causa mihi esset apud unanimitatem tuam aliquid conloquendi, & aliquod sermoni huic obsequium videret adjungere, piuculas de pauciſſimis, quas pueruli vespere inferunt, ficedulas misi. Quarum quum erubescerem paucitatem, plura etiam versiculis verba subtexui, quasi vero numerum loquacitate factu-rus. Sed quia utraque culpabilia sunt, tu utrisque benignè & familiariter ignoscendo, facies ut nec inhumana videatur paucitas, nec odiosa garrulitas.

Sume igitur pastas dumoso in rure volucres:
Quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps,
Dum simili mentitur aves, fallítque susurro,
Agmina viscatis suspendit credula virgis.
Tunc referens tenuem non parvo munere prædam,
Digerit aucupium tabulis. & primus opimis
Ordo nitet, lentim tenuatus ad ima tabellæ:
Ut minùs offendat macies prælata saginæ,
Gratia prævenias pingui juvat alite visus.

Ad eundem.

PAuperis ut placeat carum tibi munus amici,
Munera nec reputes, quæ mittis dicta nobis.
Nam tibi quid dignum referam pro piscibus illis,
Quos tibi vicinum locupleti gurgite littus
Suppeditat, miros specie, formáque direptos?
At mihi via alto vada per saxosa profundo
Rarus in obscurâ generatur sphondylus algâ.
Hinc te participans, bis quinque & bis tibi ternas
Transmitti æquoreo redolentes nectare testas,
Quas vitreus prædulce replet bicolore medullâ.
Oro libens sumas: nec villa dedigneris,
Quæ sunt parva modo, magno metitus amore.

Oratio ad Deum, ejusdem Paulini.

OMnipotens genitor, rerum cui summa potestas,
Exaudi, si justa precor, ne sit mihi tristis
Ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.
Nec placeant aliena mihi: quin & mea prosint
Supplicibus. nullúsque habeat mihi vota nocendi,
Aut habeat nocitura mihi. Malè velle facultas
Nulla sit: at bene posse adsit tranquilla potestas.
Mens contenta suo, nec turpi dedita lucro,
Vincat corporeas, casto bene conscia lecto,
Inlecebras, turpésque jocos, obscenáque dicta,
Oderit illa nocens, & multùm grata malignis
Auribus, effuso semper rea lingua veneno.
Non obitu adfligar cujusquam, aut funere crescam.
Invideam nunquam cuiquam, nec mentiar unquam.
Adsit læta domus: epulisque adludat inemptis
Verna satur, fidúsque comes, nitidúsque minister,
Morigera & conjux, carâque ex conjuge nati.
Moribus hæc caſtis tribuit Deus. hi tibi mores
Perpetuam spondent ventura in secula vitam.

PROBÆ FALCONIÆ

Fœminæ Clarissimæ, Excerptum è Virgilii Carminibus, ad Testimonium Veteris & Novi Testamenti, Opusculum.

Joh. Voss. de Poet. Lat.

HONORII & Theodosii junioris ætate fuit Proba Falconia seu Faltonia, uxor Adelphi proconsularis Viri, mater Julianæ, S. Demetriadis avia. Hæc Christi vitam conscripsit centone Virgiliano. Ambigunt alii, quia Isidorus eos vel iis similes factos dicat a Pomponio nobili Poetâ. Malè audiit Proba, quasi ea urbem Romam Alarico prodidisset: sed eam ab hôc crimine purgat Cæsar Baronius.

JAM dudum temerâsse duces pia fœdera pacis,
Regnandi miseros tenuit quos dira cupido:
Diversáſque neces, regum crudelia bella,
Cognatáſque acies pollutas cæde parentum:
Insignes clypeos, multóque ex hoste trophæa:
Sanguine conspersos tulerat quos fama triumphos
Innumeris totiens viduatas civibus urbes
Confiteor scripsi, satis est meminisse malorum.
Nunc Deus omnipotens, sacrum precor accipe carmen,
Æternúmque tui septemplicis ora resolve,
Spiritus, atque mei resera penetralia cordis:
Arcana ut possim vatis proba cuncta referre.
Non nunc Ambrosium cura est mihi quærere nectar,
Nec libet Aonio de vertice ducere musas.
Non mihi saxa loqui vanus persuadeat horror,
Laurigeróſque sequi tripodas, & inania vota,
Jurgantéſque deas procerum, victóſque penates:
Nullus enim labor est verbis extendere famam,
Atque hominum studiis parvam disquirere laudem.
Castalio sed fonte madens imitata beatos,
Quæ sitiens hausi sanctæ libamina pacis,
Hinc canere incipiam. præsens Deus erige mentem.
Virgilium cecinisse loquar pia munera Christi:
Rem nulli obscuram repetens ab origine pandam,
Si qua fides animo, si veros fusa per artus
Mens agitat molem, & toto se corpore miscet
Spiritus, & quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundáque membra.

Depre.

ed by Google

Deprecatio ad Deum.

O pater, ô hominum, rerúmque æterna poteſtas,
Da facilem curſum atque animis illabere noſtris:
Túque ades, inceptúmque unà decurre laborem,
Nate patris ſummi, vigor & cælestis origo:
Quem primum colimus, meritóſque novamus honores,
Jam nova progenies, omnis quem credidit ætas.
Munera vera cano, ſatis eſt potuiſſe videri.
Jampridem memini veterum monumenta virorum
Moſeum antè omnes totum cecinisſe per orbem
Quæ ſint, quæ fuerint, & quæ ventura trahantur.
Omnia, ut ipſe tener mundi concreverit orbis.
Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Undè hominum, pecudúmque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Et ſi quid ſimul ignis habet vel mobilis humor,
Haud aliter primâ creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim, major rerum mihi naſcitur ordo,
Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas.
Namque (fatebor enim) levium ſpectacula rerum
Semper equos, atque arma virûm, pugnáſque canebam,
Et ſtudio incaſſum volui exercere laborem,
Omnia tentanti potior ſententia viſa eſt
Pandere res altâ terrâ & caligine merſas.
Inque dies aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placidâ contenta quiete eſt.
Ore favete omnes, lætáſque advertite mentes
Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ.

De creatione Mundi.

Principio cælum, ac terras campóſque liquentes
Lucentémque globum Lunæ, ſolisque labores
Ipſe pater ſtatuit: vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æther,
Sed nox atra polum bigis ſubvecta tenebat,
Et chaos in præceps tantum tendebat ad umbras,
Quantus ad ætherium cæli ſuſpectus olympum.

De diviſione lucis à tenebris.

Tunc Pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Aëra dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem.
Sidera cuncta notat, tacito labentia cælo,
Intentos volvens oculos, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Obliquus qua ſe ſignorum verterit ordo.

De quatuor temporibus anni.

Poſtquam cuncta videt cælo conſtare ſereno
Omnipotens, ſtellis numeros & nomina fecit,
Temporibúſque parem diverſis quatuor annum,
Æſtúſque, & pluvias, & agentes frigora ventos.
Atque hæc ut certis poſſemus diſcere ſignis.
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt:
Ac medio toſtas æſtu terit area fruges,
Et varios ponit fœtus autumnus, & atra
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Tempore jam ex illo fœcundis imbribus æther
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Dies Primus.

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras,
Ducebátque diem ſtellis aurora fugatis.
Tunc durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Incipit, & rerum paulatim ſumere formas,
Et variæ pelagi facies, immania cete
Æquora verrebant caudis, æſtúmque ſecabant,
Nec non & vaſti circuibant æquora ponti.
Jam ſole infuſo, jam rebus luce retectis
Exultans, rorémque ſimul diſpergit amarum.

Dies Secundus.

Poſtera jámque dies primo ſurgebat Eoo,
Fudit humus flores, & frondes explicat omnes,
Sanguineſſque inculta rubent aviaria baccis,
Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ.

Dies Tertius.

Tertia lux gelidam cælo dimoverat umbram,
Avia tunc reſonant avibus virgulta ſonoris,
Et liquidas corvi preſſo dant gutture voces,
Nec gemere aëriâ ceſſabat turtur ab ulmo.

Dies Quartus.

Quarto terra die variarum monſtra ferarum,
Omnigenúmque pecus, nullo cuſtode per herbam
Educit ſylvis: ſubitò (mirabile viſu)
Tunc demum movet arma leo, tunc peſſima tigris,
Squamoſúſque draco, & fulvâ cervice leæna
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum.
Cætera paſcuntur virides armenta per herbas,
Nec gregibus liquidi fontes, nec gramina deſunt.

Dies Quintus & Sextus.

Jámque dies, altérque dies proceſſit, & omne
Hoc virtutis opus divinæ mentis & artis
Proſpiciens genitor perfectis ordine rebus
Expleri mentem nequit, ardeſcítque tuendo
Terrarum tractúſque maris, cælúmque profundum,
Alituum, pecudúmque genus: ſecúmque volutat
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Neu ſegnes jacerent terræ, juvat uſque morari.

De formatione primi hominis.

Talia verſanti ſubitò ſententia ſedit,
Felicémque trahit limum, fingítque premendo
Pingue ſolum primis extemplo à menſibus anni.
Jámque improviſò tantæ pietatis imago
Proceſſit, nova forma viri pulcherrima rerum,
Os humeróſque Deo ſimilis, cui mentem, animúmque
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.

De formatione Evæ.

Quæritur hinc alius, nec quiſquam ex agmine tanto
Audet adire virum, ſociúſque in regna vocari.
Haud mora, continuò placidam per membra quietem
Dat juveni, & dulci declinat lumina ſomno.
Atque illi medio in ſpatio jam noctis opacæ
Omnipotens genitor coſtas & viſcera nudat.
Harum unam juveni, laterum compagibus actis,
Eripuit, ſubitóque oritur mirabile donum,
Argumentum ingens clarâ cum luce refulſit
Inſignis facies, & pulcro pectore virgo
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Olli ſomnum ingens rupit pavor, oſſáque & artus
Conjugium vocat, & ſtupefactus numine preſſit,
Exceptíque manu, dextrámque amplexus adhæſit.

Deum protoplaſtum & Evam benedixiſſe.

His demum exactis, torquet qui ſidera mundi
Juſſit: eo dicente premit placida æquora pontus,
Et tremefacta ſolo eſt tellus, ſilet arduus æther.
Vivite felices, interque virentia culta
Fortunatorum nemorum ſedéſque beatas.
Hæc domus, hæc patria eſt, requies ea certa laborum.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium ſinè fine dedi, multóſque per annos
Non raſtrum patietur humus, nec vinea falcem.
At genus immortale manet, nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutátque vigorem.

Quid prohibitum primis parentibus.

Vos contrà quæ dicam animis advertite veſtris;
In medio ramos, annoſáque brachia tendens
Eſt in conſpectu ramis felicibus arbor,
Quam neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro,
Relligione ſacrâ nunquam conceſſa moveri.
Hac quicunque ſacros decerpſerit arbore fœtus,
Morte luet meritâ: nec me ſententia vertit:
Nec tibi jam prudens quiſquam perſuadeat author
Commaculare manus, liceat te voce moveri
Fœmina, nec te ullius violentia vincat,
Si te digna manet divini gloria juris.

De deliciis paradiſi.

Poſtquam cuncta pater, cæli cui ſidera parent,
Compoſuit, legéſque dedit, campóſque nitentes
Deſuper oſtentat, tantarum gloria rerum:
Ecce autem primi ſub limine ſolis & ortûs
Devenere locos, ubi mollis amaracus illos
Floribus, & dulci aſpirans complectitur umbrâ.
Hìc ver purpureum, atque alienis menſibus æſtas,
Hìc liquidi fontes, hìc cæli tempore certo
Dulcia mella premunt, hìc candida populus antro

Imminet, & lentæ texunt umbracula vites:
Invitant croceis halantes floribus horti
Inter odoratum lauri nemus, ipsáque tellus
Omnia liberiùs nullo poscente ferebat.
Fortunati ambo, si mens non læva fuisset
Conjugis infandæ, docuit pòst exitus ingens.

Tentatio per Serpentem.

Jámque dies infanda aderat per florea rura:
Ecce inimicus atrox immensis orbibus anguis
Septem ingens gyros, septena volumina versat,
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Obliquâ invidiâ ramo frondente pependit
Vipeream inspirans animam, cui tristia bella
Iræque invidiæque, & noxia crimina cordi.
Odit & ipse pater, tot sese vertit in ora,
Arrectisque horret squamis, & ne quid inausum
Aut intentatum scelerisve dolive relinquat,
Sic prior aggreditur dictis, séque obtulit ultro:
Dic, ait, ô virgo, (lucis habitamus opacis,
Riparúmque toros, & prata recentia rivis
Incolimus) quæ tanta animis ignavia venit?
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma,
Pocula sunt liquidi fontes, cælestia dona.
Attrectare nefas, id rebus defuit unum.
Quis prohibet causas penitus tentare latentes?
Vana superstitio, rerum pars altera adempta est
Conditio, mea si non irrita dicta putares,
Author ero audendi sacrata resolvere jura.
Tu conjunx, tibi fas animum tentare precando.
Dux ego vester ero, tua si mihi certa voluntas,
Extruimúsque toros, dapibúsque epulamur opimis.

Eva seducta seducit virum.

Sic ait, & dicto citiùs, quod lege tenetur
Subjiciunt epulis oculi venerabile lignum,
Instituúntque dapes, contactúque omina fœdant.
Præcipuè insistit pesti devota futuræ,
Miratúrque novas frondes, & non sua poma.
Causa mali tanti, summo tenus attigit ore,
Majus adorsa nefas, majorémque orsa furorem.
Heu misero conjunx alienâ ex arbore germen
Objicit, atque animum subitâ dulcedine movit.

Vident se nudos, & faciunt sibi perizomata.

Continuò nova lux oculis effulsit. At illi
Terrentur visu subito, nec plura morati,
Corpora sub ramis objectu frondis inumbrant,
Consertum tegmen, nec spes opis ulla dabatur.
At non hæc nullis hominum sator, atque deorum
Observans oculis, cædes & facta tyranni
Præsensit, notúmque furens quid fœmina possit.
Continuò invadit, procul, ô procul este profani,
Conclamat, cœlum ac terras qui numine firmat.

Adam abscondit se.

Atque illi longè gradientem, & dira frementem,
Ut videre, metu versi retróque ruentes
Diffugiunt, silvásque & sicubi concava furtim
Saxa petunt. piget incœpti, lucémque nec auras
Respiciunt, tædet cæli convexa tueri.

Increpat Adam Dominus.

Nec longum in medio tempus, cùm creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus, genitórque per umbram
Talibus affatur dictis, atque increpat ultro:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Quis furor ille novus? quò nunc, quò tenditis? inquit.
Regnorum immemores, quæ mentem insania mutat?
Dicite, quæ lucis miseris tam dira cupido?
Maturate fugam, totóque absistite luco,
Nec revocare gradum, si quando adversa vocârint,
Est licitum, flammis ambit torrentibus amnis
Per medium stridens, torquéntque sonantia saxa,
Attollítque globos flammarum, & sidera lambit.

Adam se excusat.

Ille sub hæc: Tua me genitor, tua tristis imago
His posuere locis. merui, nec deprecor, inquit,
Omnipotens, sonitúmque pedum, vocémque tremisco
Conscius audacis facti, monitísque sinistri.
Fœmina fert tristes succos, tardúmque saporem,
Illa dolos, dirúmque nefas sub pectore versans,
Insontem infando indicio, moritura puella
Dum furit, incautum crudeli morte peremit.
Suasit enim, scis ipse, nec est te fallere cuiquam,
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error,
Contigimúsque manu quod non sua seminat arbos.

Maledictum Serpenti.

Tunc pater omnipotens solio sic infit ab alto:
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta:
Túque prior, scelere ante alios immanior omnes,
Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Horrator scelerum coluber, mala gramina pasces
Desidiâ, latámque trahens inglorius alvum.
Cede locis, nullis hominum cogentibus, ipse
Tenuis ubi argilla, & dumosis calculus arvis.

Maledictum Adam.

At tibi pro scelere (exclamat) pro talibus ausis,
Omne ævum ferro teritur, primúsque per artem
(Heu miserande puer) terram intractabere rastris,
Et sonitu terrebis aves. horrebit in arvis
Carduus, & spinis surget paliurus acutis,
Lappæque, tribulique, & fallax herba veneni.
At si triticeam in messem, robustáque farra
Exercebis humum, frustra expectabis acervum,
Concussâque famem in silvis solabere quercu.
Insuper his subeunt morbi, tristísque senectus,
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

Maledictum Evam.

Hæc tibi semper erunt, túque ô sævissima conjunx
Non ignara mali, caput horum & causa malorum,
Magna lues commissa tibi, heu perdita nescis,
Nec quæ circunstant te deinde pericula cernis.
Nunc morere, ut merita es, quod totâ mente petisti.
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.

Expulsos Adam & Evam è paradiso.

At juvenem primùm sævus circumstetit horror,
Diriguere oculi, nec se celare tenebris
Ampliùs, aut notas audire & reddere voces.
Haud mora, festinant, rapidis jussíque feruntur
Passibus, & pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium, ilménque relinquunt
Flentes, & paribus curis vestigia figunt.
Tum victum in silvis baccas, lapidosáque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.

Evam peperisse duos filios.

Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Matri longa decem tulerat fastidia menses,
Unde homines nati, durum genus. indè per artem
Haud herbæ campo apparent, aut arbore frondes,
Inque novos soles audent se gramina tuto
Credere, & in lentis uvam demittere ramis
Instituunt, udóque docent inolescere succo.

Abel à fratre occiditur.

Tunc gemini fratres adolent dum altaria tedis,
Alter & alterius prælato invidit honori,
(Horresco referens) consanguinitate propinquum
Excipit incautum, patriásque obtruncat ad aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.

Post occisum Abel Deus irascitur humano generi.

Tunc genitor virus serpentibus addidit atris,
Melláque decussit foliis, ignémque removit,
Prædarísque lupos jussit, pontúmque moveri.
Et passim rivis currentia vina repressit.
Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset rubigo, & victum seges ægra negaret.
Tunc laqueis captare feras, & fallere visco
Inventum, & duris urgens in rebus egestas
Movit agros, curis acuens mortalia corda.
Deterior donec paulatim decolor ætas
Ferrea progenies durum caput extulit arvis,
Et belli rabies, & amor successit habendi.
Justitia excedens terris vestigia fecit.
Nec longum in medio tempus: furor iráque mentem
Præcipitant, gaudent perfusi sanguine fratrum.
Condit opes alius, defossóque incubat auro,
Nec doluit miserans inopem, dextrámque tetendit.

De

De Diluvio.

Tunc pater omnipotens graviter commotus, ab alto
Æthere se mittit, tellurem effundit in undas
Diluvio miscens, cœlúmque in tartara solvit.
Sternit agros, sternit fata læta, boúmque labores
Diluit, implentur fossæ, & cava flumina crescunt.
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.

Noë servatur.

Tum pietate gravem, ac meritis, mirabile dictu,
Qui fuit in terris & servantissimus æqui,
Eripuit leto, tantis surgentibus undis,
Ut genus unde novæ stirpis revocaret, haberet.

Post diluvium Deus legem dat hominibus: Judæi bello agitantur.

Diluvio ex illo, patribus dat jura vocatis
Omnipotens, magnisque agitat sub legibus ævum.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni?
Nesciáque humanis precibus mansuescere corda?
Ægyptum, virésque orientis, & ultima bella,
Magnanimósque duces, totásque ex ordine gentes,
Quo cursu deserta petiverit & tribus & gens
Magna virûm meriti tanti non immemor unquam.
Quisque sacerdotes adsint altaria juxta,
Quisque pii vates pro libertate ruebant.
Qui bello exciti reges, quæ littore rubro
Complêrint campos acies, quibus arserit armis
Rex genus egregium magno inflammante furore
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas.
Cætera facta patrum, pugnatáque in ordine bella
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

DE NOVO TESTAMENTO,

Et de Salvatoris Nativitate.

NUNC ad te, & tua, magne pater, consulta revertor.
Majus opus moveo, vatum prædicta priorum
Aggredior, quamvis angusti terminus ævi
Accipiet, tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, & nomen famâ tot ferre per annos,
Quòd tua progenies cælo descendit ab alto,
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventúmque Dei: cùm fœmina primùm
Virginis os habitúmque gerens, mirabile dictu,
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edit.
Sed quia terrifico cecinerunt omine vates
Adventare virum populis terrísque superbum
Semine ab æthereo, qui viribus occupet orbem,
Imperium oceano, famam qui terminet astris.

De nativitate Jesu Christi.

Jámque aderat promissa dies, quo tempore primùm
Extulit os sacrum divinæ stirpis origo
Missa sub imperio, venítque in corpore virtus
Mista Deo, subiit cari genitoris imago.

De stellâ & magis.

Haud mora, continuò cæli regione serenâ
Stella facem ducens magnâ cum luce refulsit.
Agnovere Deum proceres, cunctísque repentè
Muneribus cumulant, & sanctum sydus adorant.
Tum verò manifesta fides, clarúmque paternæ
Nomen virtutis, Christíque agnoscere vultum
Flagrant, & quæ dent divini signa Decoris.

Metuisse Herodem nato Christo.

Protinus ad regem magno clamore furentem
Fama volat, magnásque acuit rumoribus iras,
Incendítque animum, matrísque allabitur aures.
Illa dolos, dirúmque nefas haud inscia rerum
Præsensit, motúsque excepit prima futuros
Præscia venturi, furtim mandavit alendum,
Dum curæ ambiguæ, dum mens exæstuat irâ.

Herodes jubet occidi infantes.

At rex sollicitus, stirpem & genus omne futurum
Præcipitare jubet, subjectísque urere flammis,
Multa movens, mittítque viros qui certa reportent.
Haud secus ac jussi faciunt, rapidíque feruntur
Passibus, & magnis urbem terroribus implent.
Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantúmque animæ flentes, ante ora parentum
Corpora natorum sternuntur limine primo.

Fugit Virgo cum filio in Ægyptum.

At mater gemitu non frustra exterrita tanto,
Ipsa manu præ se portans, turbante tumultu,
Infantem, fugiens plena ad præsepia tendit.
Hic natum angusti subter fastigia tecti
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Hæc tibi prima, puer, fundent cunabula flores,
Mixtáque ridenti passim cum baccare tellus
Molli paulatim colocasia fundet acantho.

Christus disputat in templo in medio seniorum.

Et jam finis erat, perfecto temporis orbe,
Ut primùm cessit furor, & rabida ora quiêrunt,
Ante annos animum gestans cælestis origo

Mirantur omnes Christum.

Per medias urbes graditur, populósque propinquos.
Illum omnis tectis, agrísque effusa juventus
Attonitis inhians animis prospectat euntem,
Turbáque miratur matrum, quis spiritus illi,
Quis vultus, vocísve sonus, vel gressus eunti est.

Testimonium Joannis de Christo.

Continuò vates, namque hic certissimus author,
Ut procul à gelido secretum flumine vidit,
Tempus, ait, Deus, ecce Deus, cui maxima rerum
Verborúmque fides: tu non eris alter ab illo,
Fortunate puer, cæli cui sidera parent.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Expectate venis, spes & solatia nostrî.

Christus baptizatur à Joanne, & Spiritus Sanctus descendit de cælo.

Hæc ubi dicta dedit, fluvio mersare salubri
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis,
Exultántque vada, & subitò commota columba
Devolat, atque super caput astitit, indè repentè
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Multos baptizates cum Christo.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Certatim largos humeris infundere rores.

Vox de cælo audita est, hic est &c.

Tunc genitor natum dictis compellat amicis:
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Et prædulce decus magnum redituræ parenti,
A te principium, tibi desinit. accipe, testor,
O mea progenies: quà sol utrumque recurrens
Aspicit oceanum, perfecto lætus honore
Omnia sub pedibus vertísque regísque videbis.
Tu regere imperio populos, matrésque virósque
Jampridem resides animos, desuetáque corda,
Ignaróque viæ mecum miseratus inertes
Aggredere, & votis jam nunc assuesce vocari.
Dixerat, ille patris magni parere parabat
Imperiis, instans operi, regnísque futuris.
Heu pietas, heu prisca fides, quas dicere grates
Incipiam? si parva licet componere magnis.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec spes libertatis erat, nec cura salutis.

Omnia rident, adveniente Domino.

Hìc mihi responsum primus dedit ille petenti,
Concretam exemit labem, purúmque reliquit
Æthereum sensum, méque in mea regna remisit.
Illum ego per flammas, agerem si syrtibus exul,
Per varios casus, per mille sequentia tela,
Quo res cunque cadant, unum pro munere tanto
Exequerer, strueremque suis altaria donis.
Hujus in adventu tantarum munera laudum
Ipsi lætitiâ voces ad sidera jactant
Intonsi montes, respondent omnia valles.

Tentatur Christus.

Tempore non alio magnum & memorabile nomen
Serpentis furiale malum meminisse necesse est.

Ausus

Auſus quinetiam, (fama eſt obſcurior annis)
Compellare virum, & veniendi poſcere cauſas.
Hunc ubi tendentem adverſum per gramina vidit,
Subſtitit, infremuſtque ferox, dictúque potentem
Saucius ac ſerpens affatur voce ſuperbâ:
Veráne te facies? Verus mihi nuncius affers?
Qui genus? unde domo? qui noſtra ad limina tendis?
Fare age quid venias, nam te dare jura loquuntur.
Aut quis te juvenum confidentiſſime noſtras
Juſſit adire domos? pacíque imponere morem?
Non equidem invideo, miror magis: accipe porrò
Quid dubitem; & quæ nunc animo ſententia ſurgat.
Eſt domus alta: voca Zephyros, & labere pennis
Ardua tecta petens auſus te credere cœlo,
Si modò quem memoras, pater eſt, cui fidera parent.

Chriſtus Diabolum alloquitur.

Olli ſubridens ſedato pectore fatur,
Haud vatum ignarus, venturíque inſcius ævi:
Diſſimulare etiam ſperâſti, perfide ſerpens?
Ne dubites, nam vera vides: opta ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſúmque cavâ te condere terrâ.
Quò peritura ruis? majoríque viribus audes?
Cede Deo, toto projectus corpore terræ?

Diabolus fugit audito Chriſto.

Nec plura his: ille admirans venerabile donum,
Fronte premit terram, & ſpumas agit ore cruento,
Contentúſque fugâ cæcis ſe condidit umbris.

Dominum elegiſſe diſcipulos, & ſtatim ſecutos populos.

Interea magnas volitans it fama per urbes,
Convenere viri, mens omnibus una ſequendi
In quaſcunque velit pelago deducere terras.
Multi præterea, quos fama obſcura recondit,
Concurrunt fremitu denſo, ſtipántque frequentes,
Exultántque animis, medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantem ſuſcipit altis.
Quos ubi confertos audere in prælia vidit,
Incipit, & dictis divinum inſpirat amorem,
Diſcite juſtitiam moniti, & ſuccurrite feſſis,
Pro ſe quiſque viri, quæ cuique eſt copia, læti,
Communémque vocate Deum, meliora ſequamur,
Quóque vocat, vertamus iter, via prima ſalutis
Intemerata fides, & mens ſibi conſcia recti:
Vobis parta quies perfecto temporis orbe.
Nam qui divitiis ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis, dum vita maneret,
Pulſatúſve parens, & fraus innexa clienti,
Tunc cum frigida mors animâ ſeduxerit artus,
Incluſi pœnam expectant, quæ maxima turba eſt,
Infernúſque ciet tenebris, veterúmque malorum
Supplicia expendunt: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Turbidus hic cœno, vaſtáque voragine gurges
Æſtuat, atque omnem cocyto eructat arenam.
Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera, tum ſtridor ferri, tractæque catenæ
Semper, & obtentâ denſantur nocte tenebræ.

Præcipitur ne colantur idola.

Præterea quæ dicam animis advertite veſtris:
Non ego vos poſthac cæſis de more juvencis
Religione patrum, truncis & robore natas,
Mortalíve manu effigies, nec templa deorum
Audire, & repetens iterúmque iterúmque monebo:
Sed periiſſe ſemel ſatis eſt, natúmque patrémque
Profuerit meminiſſe magis, ſi credere dignum eſt.
Sed fugit interea, fugit irrevocabile tempus,
Flammarúmque dies, & vis inimica propinquat.

De judicio venturo.

Attonitis hæſere animis: nec plura moratus
Hic aliud majus miſeris mortalibus ægris
Judicium canit, & triſtes denuntiat iras,
Venturum excidium, vaſtâ convulſa ruinâ
Omnia tunc pariter rutilo miſcerier igni,
Palantéſque polo ſtellas, cæliſque ruinam.
Tunc verò tremefacta novus per pectora cunctis
Inſinuat pavor, & taciti ventura videbant.

Quid ſibi faciendum foret, ut vitam æternam poſſideret, petiit quidam à Domino.

Hæc ſuper adventu cùm dicta horrenda moneret
Ora puer primâ ſignans intonſa juventâ,
Dives opum, ſtudiis florens ignobilis oct.
Quinque greges illi balantum, & bina redibant
Armenta, & dapibus menſas onerabat opimis.
Continuò palmas ales utraſque tetendit,
Et genua amplectens, ſic ore affatus amico eſt.
O Deus, ô famæ meritò pars maxima noſtræ,
Ad te confugio, & ſuppler tua numina poſco:
Omnia perfeci atque animo mecum antè peregi.
Eripe me his invicte malis. quid denique reſtat,
Quídve ſequens tantos poſſim ſuperare labores?
Accipe dáque fidem, mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Reſpondit ei Dominus.

Atque huic reſponſum paucis ita reddidit heros,
O præſtans animi juvenis, abſiſte precando,
Nec te pœniteat, nihil ô tibi amice relictum eſt.
Hoc etiam his addam, tua ſi mihi certa voluntas,
Diſce puer contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus.
Da dextram miſero, & fratrem ne deſere frater,
Si jungi hoſpitio properat, conjunge volentem,
Caſta pudicitiam ſervet domus. en age ſegnes
Rumpe moras, rebúſque veni non aſper egenis.
Dixerat hæc, ille in verbo veſtigia torſit
Triſtior, ora modis attollens pallida miris,
Multa gemens, ſeſéque oculis avertit, & aufert.

Chriſtus inſedit aſello.

Tunc etiam tardi coſtis agitatus aſelli
Inſedit nimbo effulgens, tum plurima circùm
Matres atque viri, pueri velamina nota
Subjiciunt, funémque manu contingere gaudent.
Jámque propinquabat portis, templúmque vetuſtis
Antiquâ ex cedro centum ſublime columnis
Ingreditur, magnâ medius comitante catervâ.

Chriſtum ementes & vendentes flagello è templo expuliſſe.

Horrendum ſylvis, hoc illis curia templum,
Hæ ſacræ ſedes, miro quod honore colebant.
Namque ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo,
Horreſcit viſu ſubito: inſonuſtque flagello,
Significátque manu, & magno ſimul intonat ore:
Quæ ſcelerum facies, quæve æra micantia cerno,
Cæſaris & nomen? quæ mentem inſania mutat?
Hæ nobis propriæ ſedes, hìc tempore certo
Perpetuis ſoliti patrum confidere menſis.
Obſtupuere animis, gelidúſque per ima cucurrit
Oſſa tremor, menſáſque metu liquere priores.

Diſcipuli periclitantur in mari.

Indè ubi prima fides pelago, tranquilla per alta
Deducunt ſocii naves, atque arte magiſtrâ,
Hìc alius fundâ latum tranſverberat amnem
Alta petens, pelagóque alius trahit humida lina.
Poſtquam altum tenuere rates, nec jam ampliùs ullæ
Occurunt terræ, crebris micat ignibus æther,
Eripiunt ſubitò nubes cælúmque diémque:
Conſurgunt venti, & fluctus ad ſidera tollunt.
At ſociis ſubitâ gelidus formidine ſanguis
Diriguit, cecidere animi, cunctíque repentè
Portum aſpectabant flentes, vox omnibus una,
Spémque metúmque inter dubii, ſeu vivere credant,
Sive extrema pati, lethi diſcrimine parvo,
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.

Chriſtum ambuláſſe ſuper aquas.

Ecce Deus magno miſceri murmure pontum,
Emiſſámque hyemem ſenſit, cui ſumma poteſtas
Par levibus ventis, & fluminis ocyor undis.
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto,
Nec longo diſtat curſu præeunte carinâ.
Agnoſcunt longè regem, dextrámque potentem
Nudati ſocii, & magno clamore ſalutant.
Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit,
Hìc verò horrendum, ac viſu mirabile, fortes
Subſidunt undæ, remo ut luctamen abeſſet,
Collectáſque fugat nubes, graditúrque per æquor
Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tingit.
At mediâ ſocios incedens nave per ipſos,
Ecce gubernacio rector ſubit ipſe magiſter,
Intremuit malus, gemuit ſub pondere cymba.
Vela cadunt, puppíque Deus conſedit in altâ,
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.

De cœnâ Domini.

Devexo interea propior fit vesper olympo,
Tunc victu revocant vires, fusique per herbam,
Ut dapibus mentis onerant, & pocula ponunt.

Docet Sacramentum.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Ipse inter primos genitori instaurat honores
Suspiciens cœlum, tunc facta silentia linguis.
Dat manibus fruges, dulcésque à fontibus undas;
Implevitque mero pateram, ritúsque sacrorum
Edocet, immiscétque preces, ac talia fatur:

Prædicit ab uno se traditum iri.

Audite ô proceres, ait, & spes discite vestras:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit,
Promissíque patris, vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, & palmam movet ordine nemo:
Et lux cùm primùm terris se crastina reddet,
Unus erit tantùm in méque, exitiúmque meorum,
Dum medium paci se offert de corpore nostro.
Namque dies (nî fallor) adest, secludite curas:
Mecum erit ille labor, nec me sententia fallit,
Unum pro multis dabitur caput. hæc ita fatus,
Conticuit, fessámque dedit per membra quietem.

Apostolos fugisse.

Diffugiunt comites, & nocte teguntur opacâ;
Multáque dura suo tristi cum corde volutant.
Quid faciant? hærent infixi pectore vultus,
Verbáque, nec placidam membris dat cura quietem.

Conquestio Petri ad condiscipulos.

Tunc senior tales referebat pectore voces,
Multa putans: ubi nunc nobis Deus ille magister? 270
Quem sequimur? quóve ire jubes? ubi ponere sedem?
O dolor, atque decus tantarum gloria rerum!
Jam jam nulla mora est, & nos rape in omnia tecum
Oramus, téque aspectu ne subtrahe nostro.

Sacerdotes cum populo contra Christum.

Oceanum interea surgens aurora reliquit,
Jámque sacerdotes latè loca quæstibus implent,
Cum populo & Patribus, fertúrque per agmina murmur;
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara
Permittit patria? pœnas cum sanguine poscunt [morem
Undique collecti, & magno clamore sequuntur
Insontem, sævíque animis ignobile vulgus.

Christus horâ sextâ deducitur, ut crucifigatur.

Sol medium cæli conscenderat igneus orbem,
Tunc subitò hunc acciri omnes populúsque Patrésque
Exposcunt; farique jubent, quo sanguine cretus,
Quídve petat, quídve ipse ferat: prædámque tuentes
Facta viri, mistus dolor & stupor urget inertes.
Nescia mens hominum! certant illudere capto.
Tum verò captis concurrunt undique telis:
Tollitur in cœlum clamor, cunctíque repentè
Corripuere sacram effigiem, manibúsque cruentis
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituunt, spiníque ligant ingentibus illum.
Tendebátque manus, pedibus per mutua nexis,
Triste ministerium! sequitur quos cætera pubes,
Ausi omnes immane nefas, ausóque potiti.
Ille autem impavidus, Quò vincula nectitis? inquit.
Tantáne vos generis tenuit fiducia vestri?
Pòst mihi non simili pœnâ commissa luetis.
Talia perstabat memorans, fixúsque manebat.

Fit terræ motus, & sol obscuratur.

Interea magno misceri murmure cælum
Incipit, & rebus nox abstulit atra colorem,
Impiáque æternam timuerunt sæcula noctem.
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda;
Pergentes humilis stravit pavor: indè repentè
Dat tellus gemitum, & cælum tonat omne fragore.

Christum descendisse ad inferos.

Extemplo comites Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues: tellus quoque & æquora ponti
Signa dabant, sistunt amnes, terræque dehiscunt.
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, & umbrosæ penitus patuere cavernæ.
Sol quoque & exoriens (cuncti se scire fatentur)
Tunc caput obscurâ nitidum ferrugine texit.

Christum tertiâ die resurrexisse.

Hóscque inter motus, medio inter talia verba
Tertia lux gelidam cælo dimoverat umbram.
Jámque pedem referens superas veniebat ad auras,
Cùm subitò ante oculos ingenti mole sepulchrum,
Corpus ubi exanimum positum nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent, avulsáque saxis
Saxa vident, laxis laterum compagibus arctis.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus,
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Foribus clausis apparuisse Christum Discipulis.

Ecce autem primi volucrum sub culmine cantus:
Ingreditur, linquens antrum, spoliisque superbus
Ibat ovans, pulsúque pedum tremit excita tellus,
Vulneráque illa gerens foribus sese ingerit arctis.
Atque hinc ingentem comitum affluxisse novorum
Invenit admirans numerum, cunctíque repentè
Improvisus sit: coràm quem quæritis adsum:
Vicit iter durum pietas, & vivida virtus.
Præcipites vigilate viri, timor omnis abesto.

Instruit Apostolos.

Hi nostri reditus, expectatique triumphi,
Hæc mea magna fides. ô térque quatérque beati,
Quæ vobis, quæ digna viri pro laudibus istis
Præmia posse reor solvi? quæ dona parari?
Accipite ergo animis: quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet. revocate animum, mœstúmque timorem
Mittite, jam vosmet rebus servate secundis.

Christum Apostolis pacem reliquisse.

Quod superest, læti bene gestis ordine rebus,
Pacem optate manu, pacem laudate sedentes
Magnanimi: pacis solum inviolabile pignus.
Et simul his dictis faciem ostendebat & ora,
Ora manúsque ambas, populatáque pectora ferro:
Immiscéntque manus manibus, pavidéntque tuentes,
Nec vidisse semel satis est, juvat usque morari,
Et conferre gradum, & dextræ conjungere dextram.

De Ascensione Christi.

His demum exactis, spirantes dimovet auras
Aëra per tenerum, cœlóque invectus aperto
Mortales visus medio in sermone reliquit.
Infert se septus nebulâ, mirabile dictu.
Ast illum solio stellantis gloria cæli
Accipit, æternúmque tenet per sæcula nomen.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, tot jam labentibus annis.
I decus, i nostrum, tantarum gloria rerum,
Semper honos, nomenque tuum, laudésque manebunt.
Et nos & tua, dexter, adi pede sacra secundo,
Annua quæ differre nefas: celebrate faventes
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
O dulcis conjux, & si pietate merentur,
Hæc cælî maneant in religione nepotes.

C. SEDULII

Digitized by Google

C. SEDULII PRESBYTERI

PASCHALE OPUS, seu MIRABILIUM DIVINORUM,

LIBRI QUINQUE.

Joannes Tritenheym Abbas Spanhemensis, in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, de Vitâ Sedulii.

SEDULIUS presbyter natione Scotus, Hildeberti Scotorum Archiepiscopi ab incunte ætate discipulus, vir in divinis scripturis exercitatus; & in secularibus litteris eruditissimus, carmine excellens & prosâ, amore discendi Scotiam relinquens, venit in Franciam: deinde Italiam perlustravit, & Asiam: postremò Achaiæ finibus excedens, in urbe Româ mirabili doctrinâ clarus effulsit. Hic tandem, ut Sigebertus scribit, Episcopus ordinatus fuit, sed Ecclesiam vel urbem ubi, non exprimit. Claruit sub Theodosio, Anno CCCC. XXX.

PRÆFATIO.

PASCHALES quicunque dapes, conviva, requiris,
Dignatus nostris accubitare thoris,
Pone supercilium, si te cognoscis amicum:
Nec quæras opus hìc codicis artificis:
Sed modicæ contentus adi solennia mensæ,
Plúsque libenti animo, quàm satiare cibo.
At si magnarum caperis dulcedine rerum,
Divitiásque magìs delicioſus amas,
Nobilium nitidis doctorum vescere cœnis,
Quorum multiplices nec numerantur opes.
Illìc invenies, quicquid mare nutrit edendum,
Quicquid terra creat, quicquid ad astra volat.
Cerea gemmatis flavescunt mella canistris,
Collucéntque suis aurea vasa favis.
At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
Rubra quod appositum testa ministrat, olus.

AD THEODOSIUM AUGUSTUM,

DEDICATIO.

ROMULIDUM ductor, clari lux altera solis,
Eoûm qui regna tenes moderamine justo,
Spes orbis, fratrísque decus; dignare Maronem
Mutarum in melius, divino agnoscere sensu,
Scribendum famulo quem jussisti. Hic tibi mundi
Principium formámque poli. hominémque creatum,
Expediet limo: hic Christi proferet ortum,
Insidias regis, magorum præmia, doctos
Discipulos, pelagíque minas, gressúmque per æquor.
Hic fluctum famulare jugum, vitámque reductam
Unius crucis auxilio, reditúmque sepultæ
Mortis, & ascensum pariter sua regna petentis.
Hæc relegas servésque diu, tradásque minori
Arcadio: hæc ille suo generi: hæc tua semper
Accipiat doceátque suos augusta propago.

LIBER PRIMUS.

CUM sua gentiles studeant figmenta Poëtæ
Grandisonis pompare modis, tragicóque boatu
Ridiculóve Getæ, seu qualibet arte canendi,
Sæva nefandarum renovent contagia rerum,
Et scelerum monimenta canant, ritúque magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego Davidicis assuetus cantibus, odas
Chordarum resonare decem, sanctóque verenter
Stare choro, & placidis cœlestia psallere verbis,
Clara salutiferi taceam miracula Christi?
Cùm possim manifesta loqui, Dominúmque tonantem
Sensibus & toto delecter corde fateri,
Qui sensus & corda dedit, cui convenit una
Facturam servire suam, cui jure perenni
Arcibus æthereis una est cum patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Æquus honor, virtus eadem, sinè tempore regnum,
Semper principium, sceptrum juge, gloria consors,
Majestas similis. hæc est via namque salutis,
Hæc firmos ad dona gradus Paschalia ducit.
Hæc mihi carmen erit: mentes huc vertite cuncti.
Hanc constanter opem læsis adhibete medellis,
Quos lethale malum, quos vanis dedita curis
Attica Cecropii sepit doctrina veneni,
Sectantéque magis vitam spirantis odorem
Legis, Athenæi pædorem linquite pagi.
Quid labyrinthea Thesidæ erratis in antro,
Cæcáque Dædalei lustratis limina tecti?
Labruscam placidis quid adhuc præponitis uvis,
Neglectíque rosis saliuncam sumitis agri?
Quid lapides atque æra coli, quid fana profanis
Proderit, & mutis animas damnare metallis?
Párcite pulverei squallentia jugera campi,
Et steriles habitare plagas, ubi gignere fructus
Arida nescit humus: nec de tellure cruentâ
Livida mortiferis vellatis toxica succis,
Tartareo damnata cibo: sed amœna vireta
Florentum semper nemorum, sedésque beatas
Per latices intrate pios, ubi semina vitæ
Divinis animantur aquis, & fonte superno
Lætificata seges spinis mundatur ademptis,
Ut messis queat esse Dei, mercésque futuræ
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.

Omnipotens æterne Deus, spes unica mundi,
Qui cæli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere vicinæ prohibes confinia terræ:
Qui Solem radiis, & Lunam cornibus implens,
Inque diem ac noctem lumen metiris utrumque:
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nósti,
Qui diversa novam formásti in corpora terram,
Torpentíque solo viventia membra dedisti:
Qui pereuntem hominem vetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo, potúque sacrati
Sanguinis, infusum depellis ab angue venenum:
Qui genus humanum (præter quos clauserat arca)
Diluvii rabidâ spumantis mole sepultum
Unâ iterum de stirpe creas, ut mystica virtus
Quod carnis delicta necam, hoc præsule ligno
Monstraret liquidas renovari posse per undas:
Totum namque lavas uno baptismate mundum.
Pande salutarem, paucos quæ ducit in urbem,
Angusto mihi calle viam, verbísque lucernam
Da pedibus lucere meis, ut semita vitæ
Ad caulas me ruris agat, qua servat amœnum
Pastor ovile bonus, qua vellere prævius albo
Virginis agnus ovis, grégxque omnis candidus intrat.
Te duce difficilis non est via, subditur omnis
Imperiis natura ducis: ritúque soluto

Transit

Transit in adversas jussu dominante figuras.
Si jubeas medils segetes arere pruinis,
Messorem producet hyems: si currere mustum
Vernali sub sole velis, florentibus arvis
Sordidus impressas calcabit vinitor uvas,
Conctáque divinis parebunt tempora dictis.
Indicio est antiqua fides, & cana priorum
Tellis origo patrum, nullisque abolenda per ævum
Temporibus, constant virtutum signa tuarum.
Ex quibus audaci perstringere pauca relatu
Vix animis committo meis, sylvámque patentem
Ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.
Nam centum licèt ora movens, vox ferrea clamet,
Centenóque sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet? quorum nec lucida cæli
Sidera, nec bibulæ numeris æquantur arenæ.

Primus ab usque chao meritis vivacibus Enoch
Multa per innumeros jam secula contigit annos,
Naturâ perdente modum, quem jure creandi
Terra tulit, genitum sed mors miratur ademptum.

Sancia jam vetulæ marcebant viscera Sarræ
Grandævo consumpta situ, prolémque negabat
Frigidus annoso moriens in corpore sanguis,
Cùm seniore viro, gelidi præcordia ventris
In partum tumuere novum, tremebundáque mater
Algentes onerata sinus, spem gentis opimæ
Edidit, & serum suspendit ad ubera natum.
Mactandúmque Deo pater obtulit; at sacer ipsam
Pro pueri jugulis, aries mactatur ad aram.
O justi mens sancta viri! pietate remotâ
Plus pietatis habens contempsit vulnera nati,
Amplexus præcepta Dei, typicisque cruoris
Auxilio ventura docet, quòd sanguine fuso
Humanâ pro gente pius succumberet agnus.

Loth Sodomæ fugiente chaos dum respicit uxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad pœnam conversa suam: quia nemo retrorsum
Noxia contempti vitans discrimina mundi,
Respiciens salvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec juncta calori
Materies alimenta dabat, nec torrida vivens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.

Mitis in immitem virga est animata draconem
Per flexos sinuata globos, linguisque trisulcis
Squamea colla tumens, inimicos ore chelydros
Sorbuit, & proprii redit in virgulta rigoris.

Pervia divisi paruerunt cærula Ponti
In geminum revoluta latus, nudatáque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, pérque profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutavit natura viam, mediúmque per æquor
Ingrediens populus, rude jam baptisma gerebat.
Cui dux Christus erat: clamat nam lectio, multæ
Vox domini super extat aquas, vox denique verbum est,
Verbum Christus adest, geminæ qui consona legis
Testamenta gerens, veterem patefecit abyssum,
Ut doctrina sequens planis incederet arvis.

Quid referam innumeras cœlesti pane catervas
Angelicos sumpsisse cibos, nimbisque superni
Nectaris, aëriâ populum dulcedine pastum,
In pluviis habuisse dapes, & in imbribus escas?

Rursus in exustis sitiens exercitus arvis,
Quà nimiùm loca sicca diu, quà terra negatis
Ægra jacebat aquis, quà spes ablata bibendi
Vivendique fuit, subitas arente metallo
Hausit aquas, sterilisque latex de rupe cucurrit,
Et jejuna novum vomuerunt marmora potum.
His igitur tam sacra tribus dans munera rebus,
Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis.

Angelicis tremefacta minis affatur aselta
Sessorem per verba suum, linguâque rudenti
Edidit humanas animal pecuale loquelas.

Sol stetit ad Gabaon, mediisque cacumine cæli
Fixit anhelantem dilato vespere lucem,
Insolitus frenare diem, nec luna cucurrit
Ordine pigra suo, donec populantibus armis
Fervidus ingentem gladius consumeret hostem,
Conjurante polo: jam tunc famulata videbant
Sidera venturum præmisso nomine Jesum.

Heliam corvi quondam pavere ministri,
Præbentes finè more dapes, alésque rapinis
Delitus, atque avido saturans cava guttura rostro,
Tradidit illæsam jejunis morsibus escam.
Nunc bonus Heliæ, qui perfidus antea Noë,
Abluit in terris quicquid deliquit in undis.
Plenus at illè Deo postquam miracula terris
Plura dedit, meritisque suis succedere dignum
Herodem propriæ fecit virtutis amicum,
Aurea flammigeris evectus in astra quadrigis,
Quà levis æthereos non exprimit orbita sulcos,
Siderum penetravit iter, currúque coruscо
Dexteriora petens, spatio majore triumphum
Duxit, & humani metam non contigit ævi.
Quàm bene fulminei prælucens semita cæli
Convenit Heliæ, merito qui & nomine fulgens
Æthere dignus erat; nam si sermonis Achivi
Una per accentum mutetur littera, sol est.

Ultima labentis miseratus tempora lucis,
Ter quinos quondam regi Deus addidit annos
Usus jure suo, patefactáque limina claudens
Mortis, ab occasu vitam convertit in ortum.

Jonas puppe cadens, ceto sorbente voratus
In pelago non sensit aquas, vitale sepulcrum,
Ne moreretur, habens, tutúsque in ventre ferino
Depositum, non præda fuit, vastúmque per æquor,
Venit ad ignotas inimico remige terras.

Cùm spirante Deo Babylonia sacra negarent
Tres unâ cum mente viri, durúmque subirent
Exitium, sævi Chaldæâ lege tyranni,
Cujus Achæmeniam rabies accenderat iram
Plus fornace suâ, medios truduntur in ignes,
Nil urente rogo, tantóque ardore calentes
Cordis, imagineæ vincunt incendia pœnæ
Igne animi. O quanta est credentum gloria! flammis
Ardentis fidei restincta est flamma camini.
Digna sed immitem mox perculit ultio regem.
Nam quòd ab humanâ vecors pietate recessit,
Agrestes consors pecudum fuit ille per herbas,
Aulica depasto mutans convivia fœno.
Pronus ab amne bibit, septenáque tempora lustrans,
Omnibus hirsutus sylvis, & montibus errat.

Nec minùs & Darii furuerunt jussa tyranni.
Ecce etenim sceleri scelus addidit ira furentis,
Hebræúmque decus Daniel decernitur insons
Jejunis cibus esse feris: sed bellua justo
Mitis facta viro, sanctos ne laederet artus,
Cœpit amare famem: rabies mollita furorem
Deposuit, sævisque in faucibus ira quievit,
Et didicere truces prædam servare leones.

Dic ubi sunt, natura, tuæ post talia leges?
Quis toties tibi jura tulit? qui tartara jussit
Translatum nescire virum, sterilémque marito
Fœcundavit anum, sacram præcepit ad aram
Sponte venire pecus, muliebres transtulit artus
In simulacra salis: ramos incendia passos
Non ardere dedit: virgultum solvit in anguem.
Per pelagus siccavit iter: mirabile nimbis
Manna pluit, saxo latices produxit ab imo;
Quadrupedem fari pleno sermone coëgit.
Suspensis rapidas elementis distulit horas:
Per volucres hominem pasci dedit, atque coruscis
In cœlum transvexit equis: jam morte gravato
Adjecit tris lustra viro: prædonis in ore
Navifrago fundavit opem: flagrante camino
Servavit sub rore pios: per pascua regem
Pavit, ut hirsutam pecudem, rictúsque leonum
Instimulante fame jussit nescire furorem:
Nempe creatori (cujus quæcunque videntur

Seu quæcunque latent & rerum machina sermo est)
Omne suum famulatur opus, sequitúrque jubentis
Imperium, quocunque trahit sententia nutu.

Heu miseri, qui vana colunt, qui corde siniſtro
Religiosa sibi sculpunt simulacra, suúmque
Factorem fugiunt, & quæ fecere verentur!
Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit,
Ut volucrem, turpémque bovem, tortúmque draconem,
Semihominémque canem supplex homo pronus adoret?
Aſt alii solem, cæcatis mentibus acti,
Affirmant rerum esse patrem, quia rite videtur
Clara serenatis infundere lumina terris,
Et totum lustrare polum: cùm constet ab istis
Motibus instabilem rapidis discursibus ignem
Officium, non esse Deum, quisque ordine certo
Nunc oritur, nunc occiduus demissus in oras
Partitur cum nocte vices, nec semper ubique est.
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi,
Cùm geminum sinè sole diem novus orbis haberet.
Sic lunæ quoque vota ferunt, quam crescere cernunt
Ac minui, sacrisque litant, quæ luce fugantur.
Hic laticem colit, ille larem, sed jungere sacris
Non audent inimica suis, ne lite propinquâ
Aut rogus exiguas deficcet fortior undas,
Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.
Arboreis alius ponit radicibus aras,
Institutsque dapes, & ramos flebilis orat,
Ut natos charámque domum, dilectáque rura,
Conjugisque fidem, famulos, censúmque gubernent.
Lignee, ligna rogas, surdis clamare videris,
A mutis responsa petis, quæ jura domorum
Hac ratione regunt, si cæsa securibus actis
Ardua pendentis sustentent culmina tecti,
Aut subjecta focis dapibus famulentur edendis.
Nonnulli venerantur olus, mollésque per hortos
Numina sicca rigant, versque hac arte videntur
Transplantatorum cultores esse Deorum.
Plura referre pudet, sanctóque in carmine longum,
Vel damnare nefas, ne mollia sentibus uram
Lilia, purpurei neu per violaria campi
Carduus, & spinis surgat paliurus acutis.

Jam satis humanis erroribus addita monstra
Risimus, aut tales potiùs deflevimus actus.
Nunc cœptam juvat ire viam, montémque per altum
Nitentes firmare gradus, properemus in urbem
Libertatis ope, radians ubi regia sulvis
Emicat aula tholis, ubi dantur digna petenti,
Quærenti spes certa manet, clausisque remotis
Pervia pulsanti referantur limina cordi.
Hic est ille lapis, reprobus quem vertice gestat
Angulus, atque oculis præbet miracula nostris,
Est leve cujus onus, cujus juga ferre süave est.

Per digesta priùs veteris miracula legis
Rettulimus, sancti conjuncto spiritus actu
Quæ genitor sociâ nati virtute peregit:
Per digesta rudis nec non miracula legis
Dicemus sancti conjuncto spiritus actu,
Quæ natus sociâ patris virtute peregit.
Semper ut una manens Deitatis forma perennis
Quod simplex triplicet, quódque est triplicabile implet.
Hæc est vera fides, hanc sprevit habere salutem
Arrius infelix, qui curva per avia rectum
Flectere nisus iter, foveam delapsus in atram
Corruit, & tetri mersus petit ima profundi.
Tam vacuus sensu, justæ quàm tempore pœnæ
Viscera fusis, vacuus quoque ventre remansit.
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Jura, caducorum gradibus simulavit honorum.
Namque homines inter natum genitore minorem
Lex carnalis habet, quoniam pater ipse parentis
Filius antè fuit; mox & qui filius est nunc,
Adforet esse pater, sic per genus omne nepotum
It nova progenies, & avi numerantur avorum.
At dominus, verbum, virtus, sapientia, Christus,
Et totum commune Patris de lumine lumen,
De solo solus, cui nec minus est Patre quicquam,
Nec quo crescat habet, genitus non quippe creatus,
Ipse est principium: nam sicut clarus habetur,
In genitore manens, genitor quoque clarus in ipso
Permanet, & rerum caput est Deus unus ubique.
Non quia qui summus Pater est, & filius hic est,
Sed quia quod summus Pater est, & filius hoc est.
Sic ait ipse docens: Ego in Patre & Pater in me est.
Rursus: ego atque Pater unum sumus. Arrius unum
Debet scire, sumúsque Sabellius esse fatendum.
Iste fidem trinam, ast hic non amplectitur unam.
Ambo errore pares, quanquam diversa sequantur.
Qualiter assueti varias producere sectas,
Impugnant sua dicta viri, qui brachia nudis
Ostentant exerta humeris, nil tradere docti:
Sed tantùm certare cati, prudentia quorum
Stulta jacet, quia vana Deo est sapientia mundi.
Hic loquitur nimis, ille tacet: hic ambulat, hic stat:
Alter amat fletus, alter crispare cachinnum,
Diversisque modis par est vesania cunctis.

Interea dum rite viam sermone levamus,
Spésque fidésque meum comitantur in ardua gressum,
Blandiùs ad summam tandem prevenimus arcem.
En signo sacrata crucis vexilla coruscant.
En regis pia castra micant, tuba clamat heroa,
Militibus sua porta patet, qui militat intret,
Janua vos æterna vocat, quæ janua Christus.
Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ.
Arma quibus domini totâ virtute geruntur,
Et fixum est in fronte decus. decus armáque porto,
Militiæque tuæ, bone Rex, pars ultima resto.
Hic proprias sedes, hujus mihi mœnibus urbis
Exiguam concede domum, tuus incola sanctis
Ut merear habitare locis, albóque beati
Ordinis extremus conscribi in secula civis.
Grandia posco quidem: sed tu dare grandia nôsti,
Quem magis offendit, quisquis sperando tepescit.

Christe fave votis, qui mundum in morte jacentem
Vivificare volens, quondam terrena petisti
Cœlitus, humanam dignatus sumere formam,
Sic aliena gerens ut nec tua linquere posses.
Hoc Matthæus agens hominem generaliter implet,
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis,
Jura sacerdotis Lucas tenet ore juvenci,
More volans aquilæ verbo petit astra Joannes.
Quatuor hi proceres una te voce canentes,
Tempora cen totidem latum sparguntur in orbem.
Sic & Apostolici semper duodenus honoris
Fulget apex numero, menses imitatus & horas,
Omnibus ut rebus totus tibi militet annus.
Hinc igitur veteris recolens exordia mortis
Ad vitam properabo novam, lacrymásque serendo
Gaudia longa metam: nam qui deflemus in Adam
Semina mittentes, mox exultabimus omnes,
Portantes nostros, Christo veniente, maniplos.

LIBER SECUNDUS.

EXPULERAT primogenitum sæviſſimus anguis
Florigerâ de sede virum, blandsque saporis
Illecebris lethum misero portârat amarum.
Nec solus meritam præsumptor sensérat iram
Mortali sub lege jacens, sed prorsus ab ipso
Humanum simul omne genus. heu noxia conjunx!
Noxia tu conjux magis an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoque noxia conjunx.
Proh dolor! æterni fuerant duo. Crescere postquam
Cœpit origo, perit, cladémque à semine sumpsit.
Quid numerosa dies, quid tempore proderat illo
Cernere nongentos ultra feliciter annos,
Progeniémque senum decimam expectare nepotum,
Jámque suum nescire genus, cùm victa supremis
Curſibus, extremæ sors irreparabilis horæ
Sera licèt, ventura foret, longúmque per ævum
Vita brevis nihil esse diu cum fine doceret?
Nec reducem spes ferret opem, primsque sepulcrum
Terrigenæ, cæcâ sorberet fauce nepotes:
Ni pius ille sator culpas ignoscere promptus,
Reddere difficilis, sua ne tactura periret,
Quæque Deo similis vivens astabat imago
Dissimilis de morte foret, veniale misertus
Instauraret opus, pomisque vetaret acerbis,
Quæ mandere patres, natorum horrescere dentes,
Donarétque suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret indè salutem.

Et

Et velut è ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matrémque obſcurat honore:
Sic Evæ de ſtirpe ſacrâ veniente Maria
Virginis antiquæ facinus nova virgo piaret:
Ut quoniam natura prior vitiata jacebat
Sub ditione necis, Chriſto naſcente, renaſci
Poſſet homo, & veteris maculam deponere carnis.

Hæc ventura ſenes poſtquam dixere Prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ.
Et dictum comitata fides, uterúmque puellæ
Sidereum mox implet onus, rerúmque creator
Naſcendi ſub lege fuit: ſtupet innuba tenſos
Virgo ſinus, gaudétque ſuum parituta parentem.

Jámque novem lapſis decimi de lumine menſis
Fulgebat ſacrata dies, cùm virgine fœtâ
Promiſſum complevit opus: verbum caro factum
In nobis habitare volens, tum maximus infans
Intemerata ſui conſervans viſcera templi,
Illæſum vacuavit iter: pro virgine teſtis
Partus adeſt, clauſa ingrediens & clauſa relinquens.
Quæ nova lux mundo, quæ toto gratia cælo?
Quis fuit ille nitor Mariæ cùm Chriſtus ab alvo
Proceſſit ſplendore novo? Velut ipſe decoro
Sponſus ovans thalamo, formâ ſpecioſus amœnâ
Præ natis hominum, cujus radiante figurâ
Blandior in labiis diffuſa eſt gratia pulcris.
O facilis pietas! ne nos ſervile teneret
Peccato dominante jugum, ſervilia ſummus
Membra tulit Dominus, primíque ab origine mundi
Omnia qui propriis veſtit naſcentia donis,
Oblitus exiguis habuit velamina pannis:
Quémque procelloſi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne ſolum, ſpatioſáque lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Manſit, & angusto Deus in præſepe quievit.
Salve ſancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cælum terrámque tenes per ſecula, cujus
Numen & æterno complectens omnia gyro
Imperium ſinè fine manet; quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem,
Sola ſinè exemplo placuiſti fœmina Chriſto.

Tunc priùs ignaris paſtoribus ille creatus
Emicuit, quia paſtor erat, gregibúſque reſulſit
Agnus, & angelicus cecinit miracula cœtus.
Talia Bethlæis dum ſigna geruntur in oris,
Eoi venere Magi, ſævúmque tyrannum
Grandia ſolliciris perturbant nuntia dictis,
Judaicis nuper populis Orientis ab axe
Progenitum ſultiſſe ducem, hoc cælitus aſtra,
Hoc ſtellam radiare novam, ferus arbiter aulæ
Æſtuat Hebrææ, ratus hunc ſuccedere poſſe
Mox ſibimet, qui primus erat. tunc fronte ſerenâ
Nubila mentis alens, clàm mandat ubique requiri,
Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.
Quid furis Herodes? Chriſtum ſermone fateris,
Et ſenſu jugulare cupis, legémque legendo
Negligis, & regi regum tua regna minaris.
Ne tamen inſano careant tua nomina facto,
Patrandum ſub honore crucis (ſed crimine gentis)
Herodes alius, quod tu molire videbit.

Ergo alacres ſummo ſervantes lumina cælo
Fixa Magi, fidúſque micans regale ſecuti,
Optatam tenuere viam, quæ lege futurâ
Duxit adorantes ſacra ad cunabula gentes:
Theſauríſque ſimul pro religione ſolutis,
Ipſæ etiam ut poſſent ſpecies oſtendere Chriſtum,
Aurea naſcenti luderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulcro.
Cur tria dona tamen? quoniam ſpes maxima vitæ eſt,
Hunc numerum confeſſa fides, & tempora ſummus
Cernens cuncta Deus, præſentia, priſca, futura,
Semper adeſt, ſempérque fuit, ſempérque manebit
In triplici virtute ſui. Tunc cælitus illi
Per ſomnum moniti contemnere juſſa tyranni,
Per loca mutati gradientes devia callis,
In patriam rediere ſuam. Sic nos quoque ſanctam
Si cupimus patriam tandem contingere, poſtquam
Venimus ad Chriſtum, jam non repetamus iniquum.

Ergo ubi deluſum ſe comperit, impius iram
Rex aperit, ſi jure queat Rex ille vocari
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram,
Ereptúmque gemens facinus ſibi, ceu leo frendens,
Cujus ab ore tener ſubitò cùm labitur agnus,
In totum movet arma gregem, mandíſque trahíſque
Molle pecus, trepidæque vocant ſua pignora fœtæ
Nequicquam, & vacuas implent balatibus auras:
Haud ſecus Herodes Chriſto ſtimulatus adempto
Sternere colliſas parvorum ſtrage catervas,
Immeritò non ceſſat atrox. Quo crimine ſimplex
Turba perit? Cur qui vix dum potuere creari,
Jam meruere mori? Furor eſt in rege cruento,
Non ratio, primóſque necans vagitus, & audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Millia, plangorémque dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato vertice rupit,
Illa genas ſecuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus, & infelix mater (nec jam modò mater)
Orba ſuper gelidum fruſtra premit ubera natum.
Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia ſenſus?
Quóſve dabas fremitus, cùm vulnera fervere latè
Proſpiceres arce ex ſummâ, vaſtúmque videres
Miſceri antè oculos tantis plangoribus æquor?
Extinctíſque tamen quamvis infantibus abſens,
Præſens Chriſtus erat, qui ſancta pericula ſemper
Sulpicit, & pœnas alieno in corpore ſentit.

Aſt ubi biſſenos ætatis contigit annos,
Hoc ſpatium de carne trahens, ævíque meatus
Humanâ pro parte tulit; ſenioribus eſſe
Corde videbatur ſenior, legíſque magiſtros
Inter, ut emeritus reſidebat jure magiſter.

Nec mora (quas etenim volitans per tempora mundus
Novit habere moras?) uſus majore juventâ
Sex quaſi luſtra gerens placidam Jordanis ad undam
Venit, ut acciperet hoc quod dare venerat ipſe.
Hunc Baptiſta potens ut vidit ab amne Joannes,
Quem matris dum ventre latet, nondúmque creatus
Senſerat, obſtruſo jam tunc ſermone Prophetes,
Ut muto genitore ſluens (cui munera linguæ,
Poſt noni taciturna diu ſpiramina menſis
Parto redduntur nato) mox prædicat: Agnus
Ecce Dei veniens peccatum tollere mundi!
Tollere cùm dicit, quod non habet, hoc mihi tollit:
Non mala ut ipſe gerat, ſed ut ipſe nocentia perdat.
Qualiter in medias dum lux præclara tenebras
Funditur, & proprio non obfuſcata ſereno
Decutit; expulſas illæſis vultibus umbras
Sic delicta fugans ſalvator noſtra gerendo
Terſit, & à tactu procul evaneſcere juſſit.
Tunc vada torrentum ſimplex ingreſſus aquarum,
In ſe cuncta lavat noſtræ contagia vitæ,
Ipſe nihil quod perdat habens, ſanctóque liquentes
Corpore mundavit latices, lymphâſque beavit
Gurgitis, & propriis ſacravit flumina membris.
Senſerunt elementa Deum, mare fugit, & ipſe
Jordanus refluas curſum convertit in undas. [inquit,
Namque propheta canens, Quidnam eſt, mare, quòd fugis,
Et tu Jordanis retro quid tubtrahis amnem?
Ergo ubi flumineum poſt myſtica dona lavacrum
Egrediens, Dominus ſiccas calcavit arenas,
Confeſtim patuere poli, ſanctúſque columbæ
Spiritus in ſpecie Chriſtum veſtivit honore,
Manſuetúmque docet, multúmque incedere mitem,
Per volucrem, quæ felle caret, natóque vocato
Voce Patris, triplici Deus ex ratione probatur,
Quòd pater & natus, quòd ſpiritus eſt ibi ſanctus,
Quo manet indignus, qui non numeraverit unum.

Indè quaterdenis jam noctibus atque diebus
Jejunum dapibus, ſacro ſpiramine plenum
Inſidiis tentator adit, doctúſque per artem
Fallaces offerre dapes: Si filius, inquit,
Cerneris eſſe Dei, dic ut lapis iſte repentè
In panis vertatur opem. Miracula tanquam
Hæc non ſemper agat Dominus, qui ſaxea terræ
Viſcera fructiferis animans fœcundat ariſtis,
Et panem de cute creat. Hac ergo repulſus
Voce priùs, hominem non ſolo vivere pane,
Sed cuncto ſermone Dei, labefactus, & amens,
Altera vipereis inſtaurans arma venenis,
Cum Domino montana petit, cunctáſque per orbem

Regnorum monſtravit opes: hæc omnia, dicens,
Me tribuente feres, ſi me proſtratus adores.
Quantum perverſus, tantum perverſa locutus:
Scilicet, ut fragilis regni affectaret honores,
Qui populis æterna parat, monſtrúmque nefandum
Pronus adoraret, cujus ſuper æthera ſedes,
Terra pedum locus eſt, quem nullus cernit, & omnis
Laudat in excelſis ſummiſsâ voce poteſtas.
Chriſtus ad hæc: tantùm Dominum ſcriptura Deúmque
Juſſit adorari, & ſoli famularier uni.
His quoque deficiens congreſſibus, audet iniquus
Ter ſeſe attollens animo perſtare ſuperbo,
Térque volutus humo, fragili confidere bello.
Tunc aſſumpſit eum ſanctam ſceleratus in urbem,
Et ſtatuens alti ſupra faſtigia templi,
Si natum genitore Deo tete aſſeris, inquit
Impiger è ſummo demiſſus labere tecto.
Nam ſcriptura docet, de te mandâſſe tonantem
Angelicis ſubvectus eas ut tutior ulnis,
Ad lapidem ne fortè pedem collidere poſſis.
O quàm cæca gerit nigro ſub pectore corda
Mens tenebris obſcura ſuis! hunc ardua templi
Culmina, & erectæ quamvis faſtigia pinnæ
Credidit in præceps horreſcere, maxima ſummi
Curvavit qui membra poli, cælóſque per omnes
Vectus in extremæ deſcendit humillima terræ,
Inferiora petens, ſed non excelſa relinquens.
Dixerat, & validi confoſſus cuſpide verbi,
Quòd tentare ſuum Dominúmque Deúmque nequiret,
Victoris fugit ora gemens. Tunc hoſte repulſo
Cælicolæ aſſiſtunt proceres, cœtúſque micantes
Angelici Chriſto famulantur ritè miniſtri.

Protinus ergo viros ex piſcatoribus aptos
Humanas piſcari animas, quæ lubrica mundi
Gaudia ſectantes, tanquam vada cærula ponti,
Cæcáque præcipites tranant incerta profundi,
Diſcipulos jubet eſſe ſuos, talésque ſupernæ
Conciliat vitæ, quos non ventoſa loquendi
Gloria, nec vanâ de nobilitate ſuperbus
Sanguis alat, ſed forma tacens, humilſque refulgens
Mente nitor, cælo faciat de plebe propinquos.
Nam quæ infirma potens elegit, & infima mundi,
Fortia confringens Deus & ſapientia perdens.

Quinetiam celerem cupiens conferre ſalutem,
Orandi præcepta dedit, judéxque benignus
Indulgenda peti breviter jubet, ut citò præſtet.
Sic dicens: Orate patrem baptiſmate noſtrum,
Jure ſuum propriúmque homini conceſſit honorem,
Et quod ſolus habet, cunctos permiſit habere.
Qui Dominum cæli patrem memoramus, in ipſo
Jam fratres nos eſſe decet, nec origine carnis
Germanum geſtare odium, ſed ſpiritus igne
Flagrantes abolere doli monimenta vetuſti,
Atque novum geſtare hominem, ne forſan ab alto
Degenerent terrena Deo, cui nos duce Chriſto
Fecit adoptivos cæleſtis gratia natos.

Sanctificetur ubi Dominus, qui cuncta creando
Sanctificat, niſi corde pio, niſi pectore caſto?
Ut mereamur eum nos ſanctificare coſendo,
Annuat ipſe prior, ſicut benedicier idem
Se jubet à nobis, à quo benedicimur omnes.

Adveniat regnum jamjam quoque ſcilicet illud
Morte vacans, & fine carens, cui nulla per ævum
Tempora ſuccedent, quia neſcit tempus habere,
Continuus ſinè nocte dies: ubi principe Chriſto
Nobile perpetuâ caput amplectente coronâ,
Victor opima ferens gaudebit præmia miles.

Jugibus hoc votis, hoc nocte diéque precemur,
Illius ut fiat cælo terráque voluntas,
Qui nuſquam vult eſſe nefas, hoſtémque nocentem
Utque polo, ſic pellat humo, ne corpora noſtra
Tanquam vile ſolum, ſævus ſibi vendicet hydrus.
Sed qui cuncta fovet plenâ pietate redundans
Omnipotens, animas pariter conſervet & artus:
Altera pars etenim cæli ſumus, altera terræ.

Annonam fidei ſperemus pane diurno,
Ne mens noſtra famem doctrinæ ſentiat unquam
A Chriſto jejuna ſuo, qui corpore & ore
Nos ſaturat ſimul ipſe, manens verbúmque, cibúſque.
Dulcia nam Domini noſtris in faucibus hærent
Eloquia, exuperántque favos atque omnia mella.

Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
Nos quoque laxemus. proprii nam cautio verbi
Spondentes manifeſta tenet, graviúſque ſoluti
Nectimur, alterius ſi ſolvere vincla negamus.
Incipiétque pius decies millena talenta
Dimittens dominus, ſi nos affligere propter
Denarios centum conſervum ſenſerit ullum,
Tradere confeſtim tortoribus, ſinque feroci
Carcere conſtricti non permittemur abire,
Donec cuncta brevem reddamus aduſque quadrantem.

Non quia nos Dominus, lucis via, ſemita pacis
In laqueos tentantis agat, ſed cùm mala noſtra
Deſerit, ire ſinit: nam quiſquis retia mundi
Delicioſa ſequens, luxus & gaudia blandæ
Perditionis amat: Deus hunc, virtutis amator,
Linquit, & ingreditur quà ſe tentatio ducit.
Jugibus hanc igitur ſtudiis vitemus, & arctum
Corde petamus iter, tenuis quà ſemita monſtrat
Ire per anguſtam regna ad cæleſtia portam.

Si cupimus vitare malum, debemus adire
Sectarique bonum; hic quia liberat, ille trucidat:
Hic alit, ille necat: nam quantum ſidera terris,
Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis,
Vita ſepulturis: tantum bona longiùs abſunt
Diſſociata mâlis: dextrum, cuicunque neceſſe eſt,
Aut lævum gradiatur iter. Sed dextra bonorum
Semita conſpicuos vocat in ſua gaudia juſtos,
Inque tuos, Patriarcha, ſinus: At læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Ergo agnis ovibúſque Dei eſt hæc ſola voluntas,
Et bona libertas evadere torva cruenti
Ora lupi, vitáque frui per paſcua Chriſti.

LIBER TERTIUS.

Prima ſuæ dominus, thalamis dignatus adeſſe,
Virtutis documenta dedit, conviváque præſens
Paſcere, non paſci veniens, (mirabile) ſuſas
In vinum convertit aquas, amittere gaudent
Pallorem latices, mutavit læta ſaporem
Unda ſuum, largita merum, menſáſque per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula muſto.
Implevit ſex ergo lacus hoc nectare Chriſtus,
Quippe ſerax qui vitis erat, virtute colonâ
Omnia fructificans, cujus ſub tegmine blando
Mitis inocciduas enutrit pampinus uvas.

Regulus hinc nato quidam moriente rogabat
Flebilis, & ſupplex Dominum quò viſeret ægrum
Febre laborantem puerum, trepidámque vetaret
Labi animam de ſede ſuâ. Tunc larga poteſtas
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat
Velocem comitata fidem, ſermone ſalutem
Concedens facili, Vivit jam filius, inquit,
Perge, tuus: Quantum imperii fert juſſio Chriſti?
Non dixit, victurus erit, ſed jam quia vivit,
More Dei, qui cuncta priuſquam nata videndo
Præteritum cernit, quicquid vult eſſe futurum.

Indè ſalutiferis incedens greſſibus urbes,
Oppida, rura, caſas, vicos, caſtella peragrans
Omnia, depulſis ſanabat corpora morbis.

Ecce autem mediæ clamans ex agmine turbæ
Leproſus poſcebat opem, varióſque per artus
Plus candore miſer, Si vis, domine, inquit, ab iſtis
Me maculis mundare, potes: volo, Chriſtus ut inquit,
Confeſtim redit una cutis, proprióque decore
Læta peregrinam mutârunt membra figuram,
Inque ſuo (magis eſt) vix agnitus ille colore.

Fortè Petri validæ torrebat lampadis æſtu
Febris anhela ſocrum, dubióque in funere pendens
Saucia ſub gelidis ardebat vita periclis,
Immenſúſque calor frigus lethale coquebat.

At

At poſtquam feſſus Domini manus attigit artus,
Igneus ardor abit, totiſque extincta medullis,
Fonte latentis aquæ cecidit violentia flammæ.

Quinetiam rabidas nigrorum depulit iras
Spirituum, ne ſtatus atrox laceraret iniquâ
Peſte homines, operiſque Dei vexaret honorem,
Quem nôrat non eſſe Dei, paſsímque catervas
Ut priùs, innumeras pulſo languore ſaluti
Reddidit, & variâ populos à clade levávit.

Indè marina petens, arentes greſſibus algas
Preſſit, & exiguæ conſcendens robora cymbæ
Æquoreas intravit aquas, Dominúmque ſequentes
Diſcipuli placido librabant carbaſa ponto.
Jam procul à terris fuerat ratis, actáque ſtabris
Sulcabat medium puppis ſecura profundum,
Cùm ſubito fera ſurgit hyems, pelagúſque procellis
Vertitur, & trepidam quatiunt vada ſalſa carinam.
Perculerat formido animos, ſeſéque putabant
Naufraga littoreis jam tendere brachia ſaxis.
Ipſe autem placidum carpebat pectore ſomnum
Majeſtate vigil, quia non dormitat in ævum,
Qui regit Iſraël, neque prorſus dormiet unquam:
Ergo ubi pulſa quies cunctis clamantibus unâ
Voce timul, miſerere citus, miſerere, perimus,
Auxilio ſuccurre pio: nil vota moratus
Exurgens Dominus, validis miteſcere ventis
Imperat, & dicto citiùs tumida æquora placat.
Non erat illa feri pugnax audacia ponti,
In dominum tumidas quæ ſurgere cogeret undas,
Nec metuenda truces agitabant flamina vires,
Sed lævum exiliens Chriſto mare compulit imum
Obſequio ſervire fretum, rapidóque volatu
Moverunt avidas ventorum gaudia pennas.

Interea placido tranſvectus marmore puppim
Liquerat, & medios luſtrabat paſſibus agros,
Cùm procul è tumulis gemino ſtridore ruentes
Proſiluere viri, quos non mala dæmone pauco,
Sed legio vexabat atrox, nexúque cruento
Sæva catenatis geſtabant vincla lacertis.
Angebat quoque pœna duplex: heu dira furoris
Conditio! qui vim patitur, magìs ille ligatur.
Tunc domini præcepta tremens exire jubentis
Spiritus infelix, hominem non audet adire,
Effigiem fugiens quam Chriſtum cernit habere.
Sed pecus immundâ gaudens lue, ſemper amicum
Sordibus atque olido conſuetum vivere cœno,
Pro meritis petiere ſuis, triſtéſque phalanges
Porcinum tenuere gregem: niger, hiſpidus, horrens,
Talem quippe domum dignus fuit hoſpes habere.

Hinc alias dominus pelagi delatus in oras
Intravit natale ſolum, quo corpore naſci
Se voluit, patriámque ſibi pater ipſe dicavit.
Ecce aderant vivum portantes jámque cadaver
Bis binâ cervice viri, lectóque cubantem
Vix hominem, cui vita manens ſinè corporis uſu
Mortis imago fuit, reſolutáque membra jacebant
Officiis deſerta ſuis, fluxóſque per artus
Languida demiſſis pendebant vincula nervis.
Hunc ubi virtutum Dominus conſpexit egentem
Robore, peccatis primùm mundavit ademptis,
Quæ generant augmenta malis: miſero indè jacenti
Surge, ait, & proprium ſcapulis attolle grabatum,
Inque tuam deſcende domum. nil juſſa moratus
Cui fuerat conceſſa ſalus, veſtigia linquens
Tandem aliena, ſuis lætatur vadere plantis,
Vectorémque ſuum gratâ mercede revexit.

Principis interea ſynagogæ filia, clauſo
Functa die ſuperas moriens amiſerat auras:
At genitor, cui finis edax ſpem prolis adultæ
Suſtulerat, ſanctos Domini lacrymáſque geméſque
Corruit antè pedes, vix verba precantia fari
Singultu quatiente valens; Miſerere parentis,
Orbati miſerere ſenis, modò filia, dicens,
Unica virgineis nec adhuc matura ſub annis
Occidit, & miſero patris mihi nomen ademit:
Affer opem, lapſámque animam per membra refunde,
Qui totum præſtare potes. Hæc inquit: & auctor
Lucis ad extinctæ pergebant funera, greſſum
Vix populo ſtipante movens, permiſtáque turbis
Ibat inundantem mulier perpeſſa cruorem,
Quæ magnas tenuârat opes, ut ſanior eſſet,
Exhauſtàque domo, nec proficiente medelâ,
Perdiderat proprium pariter cum ſanguine cenſum.
Aſt ubi credentis jam ſano in pectore cœpit
Dives adeſſe fides, mediis immerſa catervis
Nititur averſi vel filum tangere Chriſti.
Poſteriúſque latens ſubitam furata ſalutem
Extremâ de veſte rapit, ſiccíſque fluentis
Damnavit patulas audax fiducia venas.
Senſerat iſta Deus, cujus de fonte cucurrit
Quod virtus ſecreta dedit, furtúmque fidele
Laudat, & egregiæ tribuit ſua vota rapinæ.

Ventum erat ad mœſti lugentia culmina tecti,
Defientémque domum, moriens ubi virgo jacebat
Extremum ſortita diem, trepidúſque tumultus
Omnia lamentis ululatus implebat amaris,
Funereóſque modos cantu lacrymante ferebat
Tibicen, plangórque frequens confuderat ædes.
Ponite ſollicità conceptos mente dolores,
Hic ſopor eſt, Salvator ait, nec funus adeſſe
Credite, nec ſomno poſitam lugete puellam.
Dixerat, & gelidâ conſtrictum morte cadaver
Spiritus igne fovet, verbóque immobile corpus
Suſcitat, atque ſemel genitam bis vivere præſtat.
Obſtupuere animis, inopináque vota parentes
Aſpiciunt, verſíſque modis per gaudia plaudunt.

Indè pedem referens geminos videt ecce ſequentes
Cæcatos clamare viros, fili inclyte David
Diſcute nocturnas extinctis vultibus umbras,
Et clarum largire diem. Quàm credere tutum,
Quàm ſanum eſt cognôſſe Deum! jam corde videbant
Qui lucis ſenſere viam, tunc cæca precantum
Lumina diffuſo ceu torpens ignis olivo
Sub domini micuere manu, tactúque ſereno
Inſtaurata ſuis radiârunt ora lucernis.

His ita dimiſſis alius producitur æger,
Multiplici languore miſer, qui voce relictus,
Auditu vacuus, ſolo per inania membra
Dæmone plenus erat: hunc protinus ordine ſacro
Curavit verſis Deus in contraria cauſis,
Dæmonio vacuans, auditu & voce reformans.

Nec minùs interea proprios jubet omnia poſſe
Diſcipulos, totiſque ſimul virtutibus implens;
Ite ait, & triſtes morborum excludite peſtes,
Sed domui Iſraël (quia necdum nomine gentes
Auxerat hoc omnes) cælorum dicite regnum,
Dæmoniis auferte locum, depellite lepram;
Functáque ſubductæ revocate cadavera vitæ:
Sumpliſtis gratis, cunctis impendite gratis.
Ac velut hoc dicens, ego vobis quippe miniſtris
Servandos committo greges, ego denique paſtor
Sum bonus, & proprios ad victum largior agros.
Nemo meis ovibus quæ ſunt mea paſcua vendat.
Hæc in Apoſtolicas ideo priùs edidit aures
Omnipotens, ut ab his jam ſeſe auctore magiſtris
In reliquum doctrina fluens, decurreret ævum.
Qualiter ex uno paradiſi fonte leguntur
Quatuor ingentes procedere curſibus amnes,
Ex quibus in totum ſparguntur flumina mundum.
[Quiſquis enim deitatis opus, quod non habet ex ſe
Sed domino tradente gerit, ſub nomine puro
Suſcipiet, puro diſpenſet munere, poſſit
Ut diſpenſator, non ut mercator haberi,
Davidíſque modis vitam cantare futuram,
Intrabo in domini requiem: quia neſcio mercem.]

Exin conſpicuam ſynagogæ ingreſſus in aulam,
Aſpicit invalidum, demiſſo corpore mancum,
Seminecem membris, non totum vivere, cujus
Arida torpentem damnârat dextera partem,
Imperióque medens, gelidam recaleſcere palmam
Præcipit, & reddi divino more ſalutem,
Sicut ſemper agit, nil tollit, & omnia reddit.

En iterum veteres inſtaurans lubricus artes
Ille chelydrus adeſt, nigri qui felle veneni
Lividus humano gaudet pingueſcere tabo.
Quódque per alternos totiens diſperſerat ægros
Virus, in unius progreſſus viſcera fudit.

Cui

Cui vocem luménque tulit, triplicíque furore
Saucia membra tenens, mutum quatiebat, & orbum.
Tunc Dominus mundi, lux vera, & sermo parentis
Sordibus exclusis, oculos atque ora novavit,
Verbáque per verbum, per lumen lumina surgunt.

Venerat & mulier morbo contracta vetusto,
Non senio, tremebunda, gemens, incurva, caducis
Vultibus, & solam despectans cernua terram.
Quæ, miserante Deo, juges post octo decémque
Membra levat messes, cælúmque & sidera tandem
Cernit, & ardentem solis reminiscitur orbem.
Totum erecta videns, quia quos malus opprimit hostis,
Ima petunt: quos Christus alit, sinè labe resurgunt.

Cúmque dehinc populum sese in deserta sequutum
(Ut typicus Moses, verúsque Propheta) videret
Antiquam sentire famem, majoribus actis
Antiquam monstravit opem. Tunc alite multo
Carnis opima dedit, geminis modo piscibus auxit.
Sufficiens tunc manna pluit: modò panibus amplum
Quinque dedit victum per millia quinque virorum.
Cætera turba latet, numero nec clauditur ullo
Maxima parvorum legio, vel maxima matrum.
Quódque magìs stupeas, cophinos ablata replêrunt
Fragmina bissenos, populisque vorantibus aucta
Redditáque à cunctis non est data copia mensis.

Jámque senescentem gelidi sub cærula ponti
Oceano rapiente diem, cùm pallor adesset
Noctis, & astriferas induceret Hesperus umbras,
Discipuli solo terris residente magistro,
Undosum petiere salum, fluctúque tumente
Torva laborantem jactabant æquora puppim:
Adversus nam flatus erat. tunc noctis opacæ
Tempore calcatas Dominus superambulat undas,
Et vasti premit arva freti, glaucíque fluentis
Circumfusa sacras lambebant marmora plantas.
Miratur stupefacta cohors, sub calle pedestri
Navigeras patuisse vias: at Petrus amicam
Doctus habere fidem, Christúmque agnoscere semper,
In medias descendit aquas, quem dextra levavit
Labentem Domini, nil tanto in gurgite passum.
Cui portus fuit illa manus, pelagíque viator
Libera per vitreos movit vestigia campos.

Genesar indè soli, Domino veniente, coloni
Infirmos traxere suos, ut fimbria saltem
Vix attacta Dei, morbis medeatur acerbis,
Senserunt jugem, quotquot tetigere, salutem.
Quàm pretiosa fuit quæ nunquam vendita vestis!
Ipsa omnes modici redimebat munere fili.

Hinc Tyrias partes Sidoniáque arva petentem
Anxia pro natæ vitio (quam spiritus atris
Vexabat stimulis) mulier Cananæa rogabat,
Se canibus confessa parem, qui nare sagaci
Semper odoratæ recubant ad limina mensæ,
Assueti reflua dominorum lambere micas.
Vox humilis, sed celsa fides, quæ sospite natâ
De cane fecit ovem, gentísque in sentibus ortam
Compulit Hebræi de germine vescier agri.

Alta dehinc subiens montis juga, plebe sequente,
Millia cæcorum, claudorum millia passim,
Leprosos simul & populos, surdásque catervas,
Invalidásque manus, & quicquid debile vulgi
Venerat, in priscum componit motibus usum,
Et revocata suis attemperat organa nervis.

Dúmque medens ægrum refovet virtute tumultum,
Tertia lux aderat, sterilsque in cespite nullum
Contigerat plebs tanta cibum, nimiósque labores
Nutribat geminanda fames, si saucia callem
Turba per ingentem dapibus jejuna rediret.
Qua flexus pietate Deus, qui semper egentum
Panis adest, victúmque locis sinè frugibus infert,
Piscibus paucis, & septem panibus agmen
Pavit enorme virûm, prætérque infirma secundi
Sexûs, & ætatis, saturavit quatuor illic
Millia vescentum, plus ut mireris, & auctas
Disce fuisse dapes, epulas nutrivit edendo
Vulgus, & attritæ creverunt morsibus escæ.
Reliquiásque suas sportarum culmina septem
Expavit fugitiva fames, ubi fragmine sampto
Vidit abundantem modico de semine messem.

Nec tamen, humano quamvis in corpore, Christum
Matris ab occasu mortalia membra gerentem
Clàm fuit esse Deum, quia non absconditur unquam
Urbs in monte sedens, modio nec subditur ardens
Lychnus, anhelantem sed spargens altiùs ignem,
Cunctis lumen agit: radians nam testibus amplo
Discipulis fulgore tribus, velut igneus ardor
Solis, in æthereum versus splendore figuram,
Vicerat ore diem, vestémque tuentibus ipsam
Candida forma nivis Domini de tegmine fulsit.
O meritum sublime trium, quibus illa videre
Contigit in mundo, quæ non sunt credita mundo!
Quid? quòd & Heliam, & clarum virtute Moysen,
Ignotos oculis viderunt lumine cordis,
Ut major sit nostra fides, hunc esse per orbem
Principium ac finem, hunc Alpha viderier hunc Ω,
Quem medium tales circumfulsere Prophetæ:
Alter adhuc vivens, alter stans limine vitæ.
Sidercóque sono, meus est hic filius, aiens,
Ostendit verbo genitum vox patria Christum.

Postquam corporeos virtus regressa per artus
Texit adoratam carnis velamine formam,
Séque palàm dominus populis dedit, ecce repentè
Vir humilis mœsto dejectus lumina vultu
Procedit, supplérque manus & brachia tendit,
Implorátque gemens, Unus mihi filius, inquit,
Est, Domine: horrendâ lacerat quem spiritus irâ,
Nec linquit, nisi mergat aquis, aut ignibus atris
Opprimat, atque animam dubiâ sub morte fatiget.
Hunc precor, expulso miseratus utrunque furore,
Redde mihi, vel redde sibi, nec cæca potestas
Expellat trepidam subtracto lumine vitam.
Dixerat, & genua amplectens, genibúsque volutans
Hærebat, Dominúsque pio jam pectore votis
Annuerat. tunc prædo furens, ac noxius hostis,
Cui possessa diu est alieni fabrica juris,
Pervasâ migrare domo compulsus, in iram
Tollitur accensam, correptáque carpere membra
Nititur, & frustra, domino prohibente, laborans
Fugit in obscuras, puero vivente, tenebras.

Rex etiam solus regum, & dominus dominorum
Non dedignatus, Petro piscante, tributum
Solvere Cæsareum, medii de gurgite ponti
Hamum terre jubet gerulum didrachmatis aurei.
Incola mox pelagi pendentia fila momordit,
Jussa tributa ferens, gravióque onerante metallo,
Vilis honor piscis pretio majore pependit.

Discipulisque suis se percontantibus, aulâ
Cælestis regni major quis possit haberi;
Ut Deus & doctor mirabilis, omnibus, inquit,
Celsior est humilis, cunctisque potentior ibit
Qui cunctis subjectus erit, seséque minorem
Demissâ cervice feret: velut iste videtur
Parvulus, & monstrat puerum constistere parvum.
Scilicet ingenium teneri sectemur ut ævi,
Non annis sed mente jubet, quia mollior ætas
Nil pompæ mortalis amat, non ambit honorem,
Nec resupina tumet: sic puræ semita vitæ
Quantum prona solo, tantum sit proxima cælo:
Mens etenim vergens, altum petit, altáque vergit,
Inferiórque gradus, quò vult descendere, surgit.
Ecce humilem dominus de stercore tollit egenum,
Et facit egregios inter residere tyrannos:
At contrà tumidum pugnaci mente rebellem
Præcipitem cælo sub tartara jussit abire.
Parva loquor si facta Dei per singula curram,
Et speciale bonum, cùm sit generale, revolvam.

LIBER QUARTUS.

JAM placidas Jordanis item transgressus arenas,
Judææ sectatus iter, sinè nomine mixtum
Vulgus & innumeras relevans à cæde catervas,
Suscipit infirmos, & dat discedere sanos.
Nil igitur summo de se sperantibus unquam

Difficile eſt conferre Deo, cui prona facultas
Ardua planare, & curva in directa referre,
Et quicquid natura negat, ſe judice præſtat.
Namque foramen acûs ſicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit, ſic dives opimâ
Fertilitate tumens, tenuem non poſſit adire
Cæleſtis regni ducentem ad limina callem,
Ni genitor rerum (qui mundum lege coërcet,
Et nullâ ſub lege manet, cui condere velle eſt,
Quem frons nulla videt, ſed totum conſpicit ipſe)
Hoc impoſſibile eſt homini, dixiſſet, & alto
Poſſibile eſt jus omne Deo, multiſque moleſtum
Divitibus tandem faceret miteſcere cenſum.
Nam propria bene tractat ôpes, cælóque recondi
Theſauros vult ille ſuos, ubi quicquid habetur
Non mordax ærugo vorat, non tinea ſulcat,
Nec malè defoſſum famulatur furibus aurum,
Jejunis quicunque cibum, ſitientibus haustum,
Hoſpitibus tectum, nudis largitur amictum,
Solatur nexos in carcere, pertovet ægros,
Atque aliis largus, ſibi tantùm conſtat egenus.
Nec dubiè in cælum ſubſtantia pervenit illa,
Quæ Chriſto collata datur ſub paupere formâ,
Quæ damnis augmenta capit, quæ ſpargitur ut ſit,
Quæ perit ut maneat, quæ vitam mortua præſtat.

Præterea Dominus geminos conſidere cæcos,
Dum quoddam tranſiret iter, comitante caterva,
Conſpicit, extinctæ poſcentes munera formæ,
Flebilibúſque vagas implentes vocibus auras.
Nec conclata ſolens pietas inferre ſalutem,
Quæ ſentit flagrare fidem, mox lumina tangens
Evigilare jubet, quæ ſomnus preſſerat ingens,
Atque diu clauſas reſeranS ſub fronte feneſtras,
Ingrediente die fecit diſcedere noctem.

Hinc repetita ſacri gradiens per mœnia templi
Lumina cæcatis dedit, & veſtigia claudis.
Talia Davidicam poſt facta reliquerat urbem,
Bethaniæ vicina petens, eadémque reverſus
Clareſcente die properabat viſere tecta:
Ecce autem mediis aſtans ſublimis in arvis
Frondea ficus erat, cujus in robore nullum
Repperit efuriens luſtrato ſtipite pomum,
Arboreſque comis. Jam nunc ex germine vaſto
Nullus, ait, fructus reliquum generetur in ævum.
Confeſtim viduata ſuis ficulnea ſuccis
Aruit, & ſocia permanſit mortua ramis.
Omnis enim quicunque Deo nil fertile nutrit,
Ceu ſterilis truncus, lignis æquabitur aſtis.
At juſtus palmæ ſimilis florebit amœnæ,
Semper habens frondes, & tanquam Libana cedrus,
Multiplicandus adeſt, & ſidera vertice tangit.

Póſt oblatus ei, virtutem ſenſit herilem
Inſanus ſermone carens, quem faucibus arctis
Angebat vis clauſa mali, vitiúmque tacendo
Prodiderat. Sed cuncta ſolens infirma levare
Conditor obſeſſâ pepulit de fauce latronem,
Et voci patefecit iter, nexúque ſoluto
Muta diu tacitas effudit lingua loquelas.

Póſt Dominus Phariſæa petens convivia cœnæ,
Orantis dapibus ſeſe impertivit amici.
Tunc mulier (quam fama nocens, & plurima vitæ
Mordebant delicta ſuæ) clementia ſupplex
Corruit amplectens veſtigia, quæque profuſis
Irrigat incumbens lacrymis, & crine ſoluto
Nec tergere ſacras, nec ceſſat lambere plantas,
Unguento fragrante fovens, ſententia donec
Læta Dei (quem ferre manum non pœnitet unquàm,
Si nos pœnitear veterem quæriſſe ruinam)
Vade, fides mulier, tua te ſalvavit ab omni,
Dixiſſet, quodcunque malum geſſiſſe videris.
Utére pace meâ. Magna eſt medicina fateri,
Quod nocet abſcondi; quoniam ſua vulnera nutrit
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata receſſit
Per gemitum, propriíque lavans in gurgite fletûs,
Munda ſuis lacrimis redit, & deterſa capillis.

Jámque Capharnæum ſynagogam intraverat urbis
Rite docens populos, quem cùm vidiſſet iniquus
Humano ſub corde latens, clamore potervo
Spiritus infremuit; Quid nobis & tibi, dicens,
Perdere nos heu Chriſte venis? Scio denique qui ſis,
Et ſanctum cognoſco Dei. nec plura locutus
Imperio terrente tacet, hominémque reliquit
Pulſus, & in vacuas fugiens evanuit auras.
Hic etiam variis finem languoribus eſſe
Fecit, & excluſos ſemper reticere coëgit
Dæmonas, ac talem prohibet ſe pandere teſtem.
Olim quippe ferox, & nigræ mortis amator
Ille nocens anguis, dejectus culmine cæli
Cum pompis ſociſque ſuis, omníque nefandæ
Agmine militiæ, Chriſtum quem noverat illic
Conſpicit in terris, velamine carnis opertum,
Et gemit eſſe homini dominum virtutis amicum.

Dúmque Tyri tranſgreſſus iter, Sidonia rurſus
Arva legens placidas Dominus calcaret arenas,
Curavit gemino miſerum ſpiramine clauſum,
Qui vocem non ore dabat, non aure trahebat,
Siderœque manus ruptis penetralibus omnes
Attactu patuere fores, lætúſque repentè
Audirique loquens, meruſtque audire loquentes.

Tu quoque virtutis ſenſiſti munus herilis
Procumbens oculis, in cujus lumina Chriſtus
Expuit, & ſpeciem ſimulatæ mortis ademit.

Hinc majora docens populos cæleſtia, verum
Se referat ſermone Deum, turbáſque frequentes,
Quæ nimis irruerant, cupiens vitare parumper,
Stagna petit, parvâque ſedens in Simonis alno,
Littore ſiſtentem firmabat ab æquore plebem.
Et dictis jam finis erat, tunc altiùs actam
In pelagus jubet ire ratim, vaſtóque profundo
Retia demitti piſcantia, quæ nihil omnem
Claudere per noctem vacuo potuere labore.
Simon paret ovans, & aquoſis gentibus inſtans
Linea clauſtra jacit, tantúmque immanis apertos
Implevit captura ſinus, ut præda redundans
Turbaret geminas cumulato piſce carinas,
Nam ſocia iſtic puppis erat. ſic maxima ſæpe
Gaudia non ferimus, propenſáque vota tenemus:
Quódque Deo facile eſt, homines optare nec audent.

Talibus inſignis virtutibus ibat in urbem,
Quæ ſit dicta Naim, populo vallatus opimo,
Et grege diſcipulûm; miſerum tunc cominus ecce
Conſpicit efferri juvenem, gelidúmque cadaver,
Pluribus exequiis, & inani funere paſſum
Triſte miniſterium, cujus ſors invida matrem
Jamdudum viduam, geminâ viduaverat urnâ.
Nec remorata diu pietas, inimica doloris
Auxilium vitale tulit, tactóque feretro
Surge, ait, ô juvenis: parénſque in tempore dicto
Mortuus aſſurgit, reſidénſque loquénſque revixit,
Atque comes genitricis abit. nam funere torpens
Ilicet amiſſæ paſſus diſcrimina vitæ,
Non poterat famulus Domino clamante tacere,
Nec vitâ præſente mori: mox agmine verſo,
Deponens trepidum recidivo tramite luctum,
Candida felicem revocavit turba parentem.

Nec tibi parva ſalus, Domino medicante, Maria,
Multiplici læſum curavit vulnere ſenſum,
Quam fera ſeptenis rabies invaſerat armis,
Dæmonico cuneata globo; ſed ſquameus anguis
Imperioſa ſacri fugiens miracula verbi
Corde tuo depulſus abit, volucréſque per auras
In chaos infernæ lapſus penetrale gehennæ
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit.

Néve redundantem cumulato germine meſſem
Exiguis Dominus ſineret languere colonis,
Diſcipulos alios, quorum mens conſcia recti,
Puráque ſimplicitas, numero meritóque refulgens
Aurea libra fuit, velut agnos præcipit inter
Sanguineos properare lupos: aſſumite, dicens,
Jura poteſtatis, nullum metuatis ut hoſtem,
Viperéſque minas, & ſcorpion, atque inimica
Omnia virtutis ſenſu calcate fideli.
Nulla meis feritas famulis adverſa nocebit.
Nec tantùm hoc gaudete viri, quòd ſpiritus ater
Subjaceat vobis, quantùm quòd nomina veſtra
Scripſit in æterno cæleſtis littera libro.

Jus

Jus eſt quippe Dei, vitam præponere factis.
Nam merito ceſſante bono, miracula nil ſunt,
Quæ faciunt plerumque mali, quibus arbiter orbis,
Neſcio vos, dicturus erit, diſcedite cuncti
Artifices ſcelerum, rebus qui ſemper iniquis
Divinum ſimulâtilis opus. ſic tempore Moſi
Carminibus quidam vanis Memphitis in oris
Signa dabant non ſponte Dei, ſed imagine falsâ,
Vilibus humanis magicas tribuere figuras.

Pòſt Phariſæorum cujuſdam principis intrat
Clarificare domum, non eſcam ſumere tantùm,
Ad quam tunc facili convenerat ille precatu.
Hic homo perſpicuo diſtentus ventre tumebat
Plenus aquæ, gravidámque cutem ſuſpenderat alvus
Incluſam paritura necem, jam membra fluebant
Accreſcente ſinu, miſeróſque infuſa per artus
Turgida per flatum macies tenuaverat ægrum,
Inque uteri ſpatium totus convenerat hydrops.
Non tulit hanc ſpeciem mundi Pater, & ſua tranſit
Sabbata non curans, hominem curare paratus,
Quem voluit magis eſſe ſuum: nam ſabbata propter
Condita ſunt hominem, ſed non homo ſabbata propter.
Tunc pius humentem ſiccatâ corporis undâ
Juſſit abire luem: fluidus mox viſcera morbus
Deſerit, & vacuæ relident in pectore fibræ,
Carnaléмque lacum peſtis lymphata relinquit.

Cœperat interea Dominus Galilæa per arva
Tranſgrediens ſancto quoddam pede tangere caſtrum.
Hunc procul ut videre decem maculoſa gerentes
Leproſi portenta viri, quos corpore ſœdo
Diſcolor obſcœnis turpabat pœna figuris,
Præceptor miſerere, potes namque omnia IESU,
Clamantes dixere ſimul, tunc flexa poteſtas
Quæ nunquam pietate vacat, clementior inſit:
Ite, ſacerdotum conſpectibus ora referte.

Cúmque viam peterent, ſubitò mundata viciſſim
Mirantur ſua membra viri, variúmque tuentes
Explorant proprias alterno lumine formas.
Ex quibus ut grates ageret pro munere tanto
Vix unus reduci converſus tramite, pronus
Sternitur ad terram, Dominum virtutis adorans,
Atque ſacerdoti vero ſua protulit ora.
Denique pontificum princeps ſummúſque ſacerdos
Quis niſi Chriſtus adeſt, gemini libaminis auctor
Ordine Melchiſedech, cui dantur munera ſemper
Quæ ſua ſunt, ſegetis fructus, & gaudia vitis?

Cùm reſidens cæcus Timæi filius illud
Propter iter, Dominum per quod cognoverat ire,
Vociferans crebro lumen clamore petiſſet,
Nec populo prohibente tacens, accedere juſſus
Ad Dominum, palpante manu viſúmque recepit,
Et nullo ducente redit. quàm fortiter inſtat
Importuna fides? quicquid res dura negârit,
Sola frequens votis oratio præſtat honeſtis.

Unanimum panem ſic ille petebat amicum,
Qui foribus clauſis per opaca ſilentia noctis,
Obnixéque diu confidentérque neganti,
Vocibus aſſiduis precibúſque extorſit anhelis.

Præteriénſque viæ Dominus loca Samaritanæ
Humanam flagrante ſitim collegerat æſtu,
Fónſque perennis aquæ modicam deſiderat undam.
Ut biberet, quà corpus erat. tunc accola gentis
Stans mulier, parvum puteo quæ traxerat hauſtum,
Cum dare cunctatur perituræ munera lymphæ,
Agnoſcens propriam numeroſo conjuge vitam,
Orat inexhauſti tribui ſibi dona fluenti
Æternam poſitura ſitim, qua nemo carere
Dignus erit, Domini niſi merſus gurgite Chriſti
Percipiat placidas animæ, non corporis, undas.

Dúmque ſui media reſidens teſtudine templi
Ore tonans patrio, directi ad pervia callis
Errantem populum monitis convertit amicis,
Ecce trahebatur, magnâ ſtipante catervâ,
Turpis adulterii mulier lapidanda reatu,
Quam Phariſæa manus placido ſub judice ſiſtens
Dum damnare parat, plus liberat. omnibus illis
Nam ſimul è turbis, proprio ſinè crimine nullus
Accuſator erat, ſaxum qui miſſile primus
Sumeret obſcenæ ferions contagia mœchæ.
Nec poterat quiſquam feſtucam evellere parvam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret ineſſe trabem, profugus ſic ille receſſit
Impetus, & clemens donat ſententia culpam,
Jam non peccandi ſub conditione ſolutam.
Nam vomitum quicunque ſuum canis ore relambit,
Nec veterem ſtudet hic veniam, nec habere futuram,
Hujus damna tenens, hujus compendia perdens.

Indè means genitum cernit conſidere cæcum,
Qui malè prægnantis dilapſus ventre parentis
In lucem ſinè luce ruit: tunc ſanguinis ille
Conditor humani, mundíque orientis origo
Imperfecta diu proprii non paſſus haberi
Membra operis, natale lutum per claustra genarum
Illiniens, hominem veteri de ſemine ſupplet.
Nec viſum tamen antè capit, quàm voce jubentis
Acceptâ Domini Siloam veniſſet ad undam,
Et conſanguinei fotus medicamine limi
Purâ oculos foviſſet aquâ. mox ergo gemellæ
Vultibus effulgent acies, tandémque merentur
Ignotum ſpectare diem. cognoſcite cuncti
Myſtica quid doceant animos miracula noſtros.
Cæca ſumus proles miſeræ de fœtibus Evæ,
Portantes longo natas errore tenebras:
Sed dignante Deo mortalem ſumere formam
Tegminis humani, facta eſt de virgine nobis
Terra ſalutaris, quæ fontibus oblita ſacris,
Clara renaſcentis reſerat ſpiramina lucis.

Bethaniæ indè ſolum reperens, intrârat, ibíque
Lazarus occiduâ tumulatus ſorte jacebat
Jam quarto finè luce die, clauſúſque ſepulcri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem.
Flebant germanæ, flebat populatio præſens,
Flebat & omnipotens, ſed corpore, non deitate,
Exaniméſque artus, illâ pro parte dolebat
Qua moriturus erat, lacrymíſque implevit amicum
Majeſtate Deum. quid credere Martha moraris?
Quídve Maria gemis? Chriſtus dubitatis, an unum
Poſſit ab infernis hominem revocare cavernis,
Qui dabit innumeras poſt funera ſurgere turbas?
Ergo ubi clamantis Domini ſonuit tuba dicens:
Lazare perge foras, magno concuſſa pavore
Tartara diſſiliunt, Erebi patuere receſſus,
Et tremuit lethale chaos, mortíſque profundæ
Lex perit, atque animâ proprias repetente medullas
Cernitur ante oculos vivens aſtare cadaver.
Póſtque ſepulcralem tandem recreatus honorem
Ipſe ſibi moriens, & poſthumus extat & hæres.

Utque, caduca vagi contemnens culmina ſeculi,
Monſtraret ſe rite Deum, non curribus altis
(Qui pompæ mortalis honor) rapidíſque quadrigis
Pulvereum ſulcavit iter, nec terga frementis
Ardua preſſit equi, phaleris qui pictus & oſtro
Ora cruentatum mandentia concutit aurum.
Sed lento potiùs geſtamine vilis aſelli
Rectori ſuffecit honos, levis ungula cujus,
Ut tanto ſeſſore decus mirabile portans,
Nobilior ſub faſce foret, non illius impar
Qui patulo Chriſtum licèt in præſepe jacentem
Agnovit tamen eſſe Deum. plebs omnis adorans
In ſolido molles ſubjecit tramite veſtes.
Dicite, gentiles populi, cui gloria regi
Talis in orbe fuit, cui palmis compta vel unquam
Frondibus arboreis, laudem cœleſtibus hymnis
Obvia turba dedit, Domino niſi cum patre Chriſto,
Qui regit æthereum princeps in principe regnum?
[Cui ſanctus ſemper conregnat ſpiritus æquè.]

LIBER QUINTUS.

HAS inter virtutis opes, jam proxima Paſchæ
Cœperat eſſe dies, Domini cùm gloria vellet
Ponere mortalem, vivámque reſumere carnem,
Non aliam: ſed rurſus eam quam munere plenam
Lucis ab infernis relevans ad ſidera vexit,
Exclamánſque palàm: Pater iſtâ memet ab horâ
Salvifica; ſed in hanc ideo veni tamen horam.

Clarifica,

Clarifica, dixit, nomen tuum: magnáque cœlo
Vox resonans venit per nubila: Clarificavi,
Clarificabo iterum. Quid apertius est patre teste,
Cœlo assertore? At nec sic cognoscere Christum
Gens voluit Judæa Deum. pars esse ferebat
Hoc tonitrum. pars Angelicam crepuisse loquelam.
O gens cæca oculis, ô gens durissima corde.
Non tonitrus potuit Christum, sive Angelus ullus,
Auctorem generâsse suum, qui nomine Patris
Audito responsa daret, sed ab ore tonantis
Natum agnoscentis, populus quo crederet, astans,
Vox emissa suo respondit consona verbo.

Annua tunc sacra celebrans per munera cœnæ
Paschales ex more dapes, humilémque ministrum
Se faciens, & grata suis exempla relinquens
Assurgit, famulisque libens famulatur, & omnem
Linteolo accinctus tantum inclinavit honorem,
Discipulis ut ipsorum lavans vestigia cunctis,
Nec Judam excluderet, quem proditionis iniquæ
Noverat auctorem. sed nil tibi gloria, sæve
Traditor, illa dabat pedibus consistere mundis,
Qui sensu pollutus eras, velut omne sepulcrum
Exteriora gerens albæ velamina formæ,
Sordibus interiùs fœdóque cadavere plenum.

Nec dominum latuere doli, scelerisque futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat: nam corporis atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera fanxit,
Atque cibum potúmque dedit, quo perpete nunquam
Esurient, sitiéntque animæ sinè labe fideles;
Protinus in Judam, sedes ubi livor habebat,
Spiritus intravit teterrimus, armáque sumens
In Dominum servile dedit consurgere bellum.
Pactus grande nefas parvâ mercede: neque illi
Culpa datur pretio, sed inhærent crimina facto.
Tantondem sceleris, terdena numismata sumens
Argenti, parvo cæcatus munere gessit,
Quantum cuncta simul terrarum regna, marisque
Divitias, omnémque vagis cum nubibus æthram
Si caperet, gesturus erat: neque enim bona mundi
Sufficerent, magni fuso pro sanguine Christi,
Qui pater est mundi, qui fecerat hunc quoque nasci.
Atque utinam sterili damnatus matre nequisset
Natalem sentire diem, nec luminis hujus
Hausisset placidas flabris vitalibus auras
Æterno torpore latens, miseróque fuisset
Sors melior nescire datam, quàm perdere vitam,
Aut malè fusus humo, confestim munera lucis
Perderet, ut pulvis quem ventus projicit ingens
A facie terræ, rapidisque volatibus actus
Spargitur in vacuas nebulis obscurior umbras.

Túne cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis, fere proditor, impie latro,
Prævius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegámque aciem, gladiis, fustibúsque minacem
Cùm moveas, ori ora premis, mellisque venenum
Inseris, & blandâ Dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas, & amicâ fraude salutas?
Nunquid terribiles aut pax conjurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno?

Traditus ergo viris operator sanctus iniquis
Consuetam non liquit opem, puerόque revulsam
Ense Petri (ne qua pius à pietate vacaret)
Reddidit auriculam: nec enim vindicta tonanti
Conveniens humana fuit, qui millia patrem
Angelicas sibimet legiones poscere posset
Plus duodena dari, si mallet sumere pœnas
De meritis, quàm sponte suas ignoscere plagas.
Tunc parci mucrone jubet, quia venerat ipse
Ponere pro cunctis animam, non tollere cuiquam.

Jámque Petro clarâ jamdudum voce fatenti
Cum Domino se velle mori: Priùs aliger, inquit,
Quàm gallus cantet, hac me ter nocte negabis;
Non reprobando fidem, sed prædicendo timorem.

Continuò ad tristes Caïphæ deducitur ædes.
Ille Sacerdotum fuerat tunc denique princeps,
Et princeps scelerum. namque hoc residente cathedra

Pestifera, falsis agitarum testibus ardet
Concilium, jamjámque volant mendacia mille
In Dominum, vanis hominum conflata cavillis,
Quæ pereunt levitate sui, velut ignis oberrans
Arentes stipulas, vires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, victóque furore
Labitur invalidæ deformis gloria flammæ.

Postquam nulla dolis patuit via, brachia tollit
Armat in insontem sævus furor: heu mihi quamvis
Impedior lacrymis rabidum memorare tumultum.
Sacrilegas movisse manus, non denique passim
Vel colaphis pulsare caput, vel cædere palmis,
Aut spuere in faciem plebs execranda quievit.
Ille tamen patiens subjecto corpore totum
Sustinuit, nostræque dedit sua membra saluti.
Namque per hos colaphos, caput est sanabile nostrum,
Sputa hæc per Dominum nostram lavere figuram,
His alapis nobis libertas maxima plausit.

At senior cui cuncta potens prædixerat auctor
Quæ ventura forent (quoniam transire nequibat
Infectum quod Christus ait) se prorsus adesse
Ipsius ex sociis, semel ac bis térque negavit.
Ut gallus cecinit, completa est sanctio Christi,
Et sensus rediere Petro: memor ille malorum
Immemoris damnavit opus, gemitúque sequente
Culpa fugit, cedunt lacrymis delicta profusis,
Et dulcem veniam fletus generâstis amari.

Jámque dies aderat nocturnâ mœstior umbrâ,
Flagitium visura novum, tenebrisque remotis
Pandebat populis Judææ crimina gentis.
Mox igitur Dominum Pilati ad mœnia duci
Nexibus astrictum Judas ut vidit iniquus,
Diriguit, scelerisque sui commercia reddens
Incassum facti pretium, non facta reliquit.
Quidnam etenim prodest, illic trepidare timore
Nullus ubi timor est? aut quæ confessio tetro
Lucet in inferno, cùm jam demissa securis
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina vertat
Funditus, & dignis pereant mala róbora flammis?
Continuóque trucis correptus mente furoris,
Se quoque morte petit, tanquam tunc sanior esset
Cùm scelus ulcisci præcurreret, ipsáque dira
Guttura vocis iter, cuncti quæ vendere mundi
Ausa redemptorem, nodatis faucibus angens
Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.
Lenior ira quidem tanto pro crimine culpæ,
Cunctorum cui nulla foret par pœna malorum.
Exitus hic mortis tamen & sublime cadaver
Ostendit populis, quanto de culmine lapsus
Pridem discipulus, qui nunc reus, alta relinquens
Sidera, tartareum descendit adusque profundum:
Tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus.

At Dominus patiens cùm præsidis ante tribunal
Staret, ut ad jugulum ductus mitissimus agnus,
Nil inimica cohors insontis sanguine dignum
Comperiens, regem quòd se rex dixerat esse,
Objicit, & verum mendax pro crimine ducit.
Nec mirum, si jura Dei gens perfida vitet,
Imperiúmque neget, lucos quæ semper amavit,
Idola dilexit. simili nam more furentes
Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam,
Damnatóque pio, conservatóque protervo,
Mutavit per utrumque viam sententia justam.
Auctor mortis erat, jussus qui sumere lucem,
Auctor lucis erat, jussus qui sumere mortem.
Credite jam Christum, pro cunctis credite passum.
Quid dubitatis adhuc? en sectus terga flagellis,
Subditus opprobriis, pœnas amplectitur omnes,
Nec dignus sentire necem vel latro periret.

Heu falx torva patrum, segetem cæsura nepotum!
Heu facinus Pilate tuum! quot gesseris uno
Crimina judicio vigili si mente notares,
Non solas laviisse manus, sed corpore toto
Debueras sacrum veniæ sperare lavacrum.
Corripis insontem, sistis sub præside regem,
Præponisque humana Deo, qua morte teneris
Qui Dominum numerosa cruci per vulnera figis?

Cúmque datus ſævis ad pœnam ſanctus abiret
Militibus, rubri vilem ſub tegmine cocci
Veſtitur chlamydem, ſpecies ut cuncta cruenta
Mortis imago foret, ſpinis circundedit amplum
Nexa corona caput, quoniam ſpineta benignus
Omnia noſtrorum ſuſceperat ille malorum:
Implet harundo manum, ſceptrum quod mobile ſemper,
Invalidum, fragile eſt, vacuum, leve: móxque alienos
Deponens habitus, proprium ſuſcepit amictum.
Scilicet humanæ poſiturus tegmina carnis,
Et ſumpturus item, nil jam ut mutabile ferret
Poſt mortem propriâ cum majeſtate reſurgens,
Humano ponens mortalem tegmine carnem.

Nec ſinè divino conſtat moderamine geſtum,
Quòd vinum cum felle datum, triſtémque ſaporem
Suſcipiens tetigit labiis, & ab ore removit.
Quippe necem parvo deguſtaturus amaram
Tempore, quam reduci contemnere carne pararet.

Protinus in patuli ſuſpenſus culmine ligni
Religione piâ mutans diſcriminis iram,
Pax crucis ipſe fuit, violentáque robora membris
Illuſtrans propriis pœnam veſtivit honore,
Suppliciúmque dedit ſignum magis eſſe ſalutis,
Ipſáque ſanctificans in ſe tormenta beavit,
Néve quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam,
Quæ Dominum portavit ovans ratione potenti,
Quattuor indè plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo ſacræ lambuntur ſidera plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem,
Cunctáque de membris vivit natura creantis,
Et cruce complexum Chriſtus regit undique mundum.

Scribitur & titulus, hic rex eſt Judæorum,
Quo nihil à deitate vacet: nam cœlitus actum
Hoc Hebræa refert, hoc Græca, latináque lingua,
Hoc docet una fides unum ter dicere regem.

Hujus in exuviis ſors mittitur, ut ſacra veſtis
Intemerata manens à Chriſto ſchiſma vetaret.
Quinetiam inſontis latere ex utroque cruentos
Conſtituere viros, meritum licèt omnibus unum
Non faciat, ſimilis quamvis ſententia. namque
Inter carnifices ſanctо pendente latrones
Par eſt pœna trium, ſed diſpar cauſa duorum.
Hi mundo ſunt quippe rei, pro crimine multo,
Huic reus eſt mundus, ſalvatus ſanguine juſto.
Suppliciſque tamen rerum dominator in ipſis
Jura poteſtatis non perdidit: æquus utrumque
Judex namque tuens, hunc eligit, hunc reprobavit,
Amborum merita præcelſo examine penſans.
Unus enim, quem vita ferox nec morte reliquit,
In Dominum ſcelerata movens convitia, dictis
Mordebat propriis, & tanquam ſetiger hircus
Ore venenoſo vitem lacerabat amœnam:
Alter, adorato per verba precantia Chriſto,
Saucia dejectus flectebat lumina, tantùm
Lumina: nam geminas arcebant vincula palmas.
Quem Dominus ceu paſtor ovem deſerta per æva
Colligit errantem, ſecúmque adducere gaudet
In campos, paradiſe, tuos, ubi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorúmque voluptas
Irriguis nutritur aquis, intérque benignè
Conſpicuos pomis non deficientibus hortos
Ingemit antiquum ſerpens habitare colonum.
Ambo igitur varium diverſo calle latrones
Aggreſſi facinus, violentum grande patrârunt;
Infernas adit ille fores, adit iſte ſupernas,
Ille profunda petens penetravit claustra gehennæ,
Abſtulit iſte ſuis cælorum regna rapinis.

Interea horrendæ ſubitò venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœſtiſque nigrantem
Exequiis texere diem. ſol nube coruſcos
Abſcondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, triſtémque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa ſibi meruerunt cernere vultum
Auxiliis orbata patris, lætata per ortum,
Mœſta per occaſum. Nam lux ut tempore fulſit
Naſcentis Domini, ſic hoc moriente receſſit,
Non abſens manſura diu, ſed myſtica ſignans
Per ſpatium ſecreta ſuum, quippe ut tribus horis
Cæca tenebroſi latuerunt ſidera cæli.
Sic Dominus clauſi triduo tulit antra ſepulcri.

Nec tellus ſinè clade fuit, quæ talia cernens
Funditus intremuit, dubióque in fine ſupremum
Expavit natura modum, ne cogeret omnem
Summus apex inferna petens ſuccumbere molem,
Auctorémque ſequens per tartara mundus abiret.
Sed pietas immenſa vagas properabat ad umbras,
Perdita reſtituens, non conſiſtentia perdens.

Nulla tamen tanti metuerunt ſigna periclí,
Qui dominum fixere cruci, quin inſuper hauſtum
Cùm peteret ſitiens, unus de plebe nefandâ
Peniculo infuſum calamo porrexit acetum.
Manzeribus populis in deteriora volutis
Conveniens liquor ille fuit: nam dulcia vina
Sicut in horrendum dum convertuntur acetum,
A menſis projecta jacent: ſic tempore priſco
Gens accepta Deo, nunc eſt odiota propago.

Ergo ubi cuncta boni completa eſt paſſio Chriſti,
Ipſe animam proprio dimiſit corpore ſanctam,
Ipſe iterum ſumpturus eam, qui mortuus idem,
Idem vivus erat, membris obeuntibus in ſe
Non obeunte Deo, cujus virtute retrorſum
Internæ patuere viæ, ruptæque fatiſcunt
Divisâ compage petræ, rediviva jacentum
Corpora ſanctorum, fractis abiere ſepulcris
In cineres animata ſuos, ſubitóque fragore
Illud ovans templum, majoris culmina templi
Procubuiſſe videns, ritu plangentis alumni,
Saucia diſciſſo nudavit pectora velo,
Interiora ſui populis arcana futuris
Jam reſeranda docens, quia lex velamine Moſi
Tecta diu, Chriſto nobis veniente pateſcit.

Dic ubi nunc triſtis victoria, dic ubi nunc ſit
Mors ſtimulus horrenda tuus, quæ ſemper opimis
Inſtaurata malis, cunctas invadere gentes
Pœnali ditione ſoles. en peſſima, non tu
Pervenis ad Chriſtum, ſed Chriſtus pervenit ad te:
Cui licuit ſinè morte mori, quique omnia giguens,
Omnia conſtituens, te non formavit, ut eſſes
Semine vipereo: culpâ genitrice crearis,
Et venià regnante peris.

—— Jam ſpiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo jam frigida ligno
Viſcera pendebant, & adhuc furor arma miniſtrans
Cuſpide perfoſſum violat latus: ecce patenti
Vulnere purpureus cruor, & ſimul unda cucurrit.
Hæc ſunt quippe ſacræ pro religionis honore,
Corpus, ſanguis, aqua, tria vitæ munera noſtræ,
Fonte renaſcentes, membris & ſanguine Chriſti
Veſcimur, atque ideo templum Deitatis habemur.
Quod ſervare Deus nos annuat immaculatum,
Et faciat tenues tanto manſore capaces.

Ergo ubi depoſiti theſaurum corporis amplum
Nobilis accepit Domino locus ille jacente,
Nobilior ſurgente tamen: generatio fallax
Audebat ſub corde nefas, quòd nocte ſilenti
Diſcipuli Chriſtum raperent, & ab iſſe referrent
Ter redeunte die, ſicut prædixerat ipſe.
Quo ſtimulante metu, vigilum munimina poſcunt
Plura dari, ſævâque locum obſidione teneri.

Si nondum poſt vincla crucis, poſt vulnera ferri,
Poſt obitum mortis, numeroſâ cæde cruentum,
Carnifices implêſtis opus, nec creditis illum
Qui totiens imis animas produxit ab umbris
Poſſe ſuam revocare magis, pejoribus aptos
Conſiliis armate dolos, ſignate ſepulcrum,
Ponite cuſtodes, monumento advolvite ſaxum.
Quis poterit ſervare Deum, cui cardine rerum
Cuncta patent, undis habitat, per tartara regnat,
Et cæli de nube tonat? Quid ſæve tumultus
Excubiis deperdis opus? quid niteris illam
Explorare fidem, cui non vis credulus eſſe?

Cœperat interea poſt triſtia ſabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primúſque videre

Prome-

Promeruit mihi mundum, atque resurgere Christum.
Septima nam Genesis cum dicit sabbata, claret
Hunc orbis caput esse diem, quem gloria regis
Nunc etiam proprii donans fulgore trophæi
Primatum retinere dedit. hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæque simul cum munere matres
Messis aromaticæ, notum venere gementes
Ad tumulum, vacuúmque vident jam corpore factum,
Sed plenum virtute locum. Nam missus ab astris
Angelus, amoti retidebat vertice saxi,
Flammeus aspectu, niveo præclarus amictu,
Qui geminâ specie terrorem & gaudia portans,
Cunctáque dispensans custodibus igne minaci
Venerat, in formâ Christum quærentibus albâ.
Illæ igitur Dominum calcatâ vivere morte,
Angelicâ didicere fide: perterritus autem
Miles in ancipiti retinet discrimine vitam,
Desertâ statione fugax, testísque timoris
Vera refert gratis, sed post data munera fallit:
Discipulûmque globum placidi sub tempore somni
Clam tibi nocturnâ Christum abstraxisse rapinâ
Compositus simulator ait. Fare improbe custos,
Responde scelerata cohors, si Christus (ut audes
Dicere) concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cujus jacet intus amictus,
Cujus ad exuvias sedet Angelus, anne beati
Corporis ablator, velocius esse putavit
Solvere contectum, quàm devectare ligatum,
Cùm mora sit furtis contraria? cautiùs ergo
Cum Domino potuere magìs tua lintea tolli.
Mentita est vox vana sibi: tamen ista figuram
Res habet egregiam: Judæis constat ademptum,
Quem nos devoto portamus pectore Christum.

Plange sacerdotes perituros, plange ministros,
Et populum, Judæa, tuum pro talibus ausis.
Non tuba, non unctus, non jam tua victima grata est.
Quænam bella tibi clanget tuba rege perempto?
Quis tuus unctus erit, quæ verum amiseris unctum?
Victima quæ dabitur, cùm victima pastor habetur?
Discedat synagoga suo fuscata colore,
Ecclesiam pulcro Christus sibi junxit amore.
Hæc est conspicuo radians in honore Mariæ,
Quæ cùm clarifico semper sit nomine mater,
Semper virgo manet: hujus se viribus astans
Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater
Grandia divulgans miracula, quæ fuit olim
Advenientis iter, hæc sit redeuntis & index.

Mox aliis conviva potens in fragmine panis
Agnitus enituit, qui verus panis apertis
Semper adest oculis, fidei quos gratia claros
Efficit, ut Dominum viventem cernere possint.
Sæpe dehinc proprios diversi temporis horis
Discipulos manifestus adit, vescentibus illis,
Extemplo nunc ora ferens, nunc pisces obusti
Atque favi mandens epulas, quò rite doceret
Corporeas res esse dapes, seséque videri
In membris, quibus antè fuit. Formidine rursus
Plebis apostaticæ, Dominum quæ cæca negâsset,
Cùm foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace salutatis sese intulit, atque foratas
Expandens palmas, nudat latus. Ast ibi Thomas
Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus unà
Non fuerat; dubiámque fidem sub corde gerebat.
Donec rursus eo pariter residente veniret,
Qui nunquam subtractus erat. Tunc limine clauso
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus, tactúque probari
Vulneris, & mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius, quòd sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices cæcâ sub imagine fraudis
Instruit, & vanas cupit exercere figuras,
Non vult agnosci, non vult sua facta requiri,
Ut lateant sub nube doli, nebulâque recludens
Omnia sollicitos odit simulator amicos.

Gnarus item Dominus Petro piscante per æquor
Cum sociis coptum esse nihil, demittere lina
In dextras hortatur aquas: mox gurgite clauso
Pendula fluctivagam traxerunt retia prædam,
Per typicam noscenda viam: nam retia dignis
Lucida sunt præcepta Dei, quibus omnis in illâ
Dextrâ parte manens concluditur, ac simul ulnis
Fertur Apostolicis, Domini ad vestigia Christi.

Nec pisces, prunæque vacant, & panis in uno
Discipulis inventa loco. quisnam ambigat unam
His rebus constare fidem? quippe est aqua pisces,
Christus adest panis, sanctus quoque spiritus ignis.
Hinc etenim abluimur, hoc pascimur, indè sacramur.
Tunc præceptor eos epulis invitat edendis,
Alloquiis de more piis, mensámque petentes
Unanimes notâ Domini bonitate fruuntur,
Et Christum sensere suum, modicóque paratu
Postquam victa fames, & surrexere relictis
Rite toris, an corde Petrus se diligat alto
Explorat Dominus: Petrus annuit: ergo nitentes
Pastor amans augere greges, operario in omni
Parte bono commendat oves, commendat & agnos.
Hoc terno sermone monens, ut terna negantis
Culpa recens, parili numero purgata maneret.

Indè sequenda docens, pacem omnes, inquit, habete,
Pacem ferte meam, pacem portate quietam,
Pacem per populos monitis dispergite sanctis,
Et mundum vacuate malis: gentésque vocari
Finibus è cunctis, latus quà tenditur orbis,
Jussis mando meis, omnésque in fonte lavari.

Hæc ubi dicta pio Dominus sermone peregit,
Bethaniæ mox arva petit: corámque beatis
Qui tantum meruere viris spectare triumphum
Æthereas subvectus abit sublimis in auras.
Ad dextram sedet ipse patris, mundúmque gubernat
Jure suo, qui cuncta tenens excelsáque & ima,
Tartara post cælum penetrat, post tartara cælum.
Illi autem lætis cernentes vultibus altas
Ire super nubes Dominum, tractúsque coruscos
Vestigiis calcare suis, venerantur, adorant,
Sidereásque vias alacri sub corde reportant,
Quas cunctos doceant. Testes nam jure fideles
Divinæ virtutis erant, qui plura videntes,
Innumerabilium scripserunt pauca bonorum.
Nam si cuncta sacris voluissent tradere chartis
Facta redemptoris, nec totus cingere mundus
Sufficeret densos per tanta volumina libros.

Veteris & Novi Testamenti Collatio, in qua Carmine reciproco dimidium versûs primi finem complectitur versûs secundi.

Cantemus socii, Domino cantemus honorem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.
Primus ad ima ruit magnâ de luce superbus,
Sic homo cùm tumuit primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti periere minores,
Salvantur cuncti unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit quâ janua letho,
Et qua vita redit, sola fuit mulier.
Frater iniquus erat, justum qui perculit olim,
Damnator Christi frater iniquus erat.
Transitus ille monet, quid prima amisit origo,
Quid ventura parent transitus ille monet.
Arca levatur aquis, homines ne perderet æquor,
Ne pereant homines, arca levatur aquis.
Sume pater populos, pro nati vulnere cunctos,
Cùm Christum tradis, sume pater populos.
Hostia summa patris, tacitis signata figuris,
Quam referat Christus, hostia summa patris.
Claudicat ecce videns Dominum, dum prævalet, heros,
Aspera gens Christum claudicat ecce videns.
Reppulit ille famem, venitus crimine fratrum:
Venditus à Judâ, reppulit ille famem.
Perfide corde peris, dum vastant omnia plagæ:
Dum cessant plagæ, perfide corde peris.
Agnus ab hoste sacer, revocavit sanguine patres,
Sanguine nósque refert agnus ab hoste sacer.
Obruit unda nefas populo gradiente per æquor,
Nunc mundi populis obruit unda nefas.
Murmurat impietas, manná veniente, refectis,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat,
Abstulit heu Christum plebs sibi dura caput!

Lex dedit indicium veteris de crimine pœnæ,
Quóque ſalus veniat, lex dedit indicium.
En lapis irriguus! ſatiare, incredule, fonte,
Qui Chriſtum reprobas, en lapis irriguus!
Carpitur igne ſacro munus votúmque piorum,
Seditioſa tribus carpitur igne ſacro.
Regna beata patris legis non contigit hæres,
Chriſtus diſpenſat regna beata patris.
Deſtruit arca Dei muros dum circuit hoſtis,
Sic hoſtem mundi deſtruit arca Dei.
Arca vellus habet, madido ſed vellere ſicca eſt,
Siccum tota madens arca vellus habet.
Vincis honore Dei promiſſo in munere gentes,
Affectum natæ vincis honore Dei.
Tu decus omne tuis, qui ſternis cæde Goliam,
Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Maxima dona Dei cuncti cecinere Prophetæ,
Implevit Chriſtus maxima dona Dei.
Pondera dura tulit, mandatum legis & iram.
Gratia mandati pondera dura tulit.
Virgo Maria nitet nullo temerante pudorem,
Poſt partum pueri virgo Maria nitet.
Filius hic hominis fit maxima quæſtio mundi,
Nobiſcum Deus eſt filius hic hominis.
Gaudia magna Dei mundus percepit, & ambit,
Reſpuit heu mundus gaudia magna Dei.
Signa movent populos, cernunt magnalia cæci,
Nulla tamen duros ſigna movent populos.
Aſpera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno aſpera mors populis.
Ipſe tulit Dominus pro ſervis munera pœnas,
Pro ſervis pœnas ipſe tulit Dominus.
Vita beata necem miſeris avertere venit,
Pertulit à miſeris vita beata necem.
Lumen adeſſe Dei perſenſit tartarus ingens,
Nec cernunt homines lumen adeſſe Dei.
Mors fera per hominem miſerum ſibi ſubdidit orbem,
Subdita contremuit mors fera per hominem.
Suſcitat ecce genus morti pater ille prophanus,
Ad vitam Chriſtus ſuſcitat ecce genus.
Hic populus Dominum durâ cervice negavit,
Suſcepit primus hic populus Dominum.
Sanguine læta redit fuſo gens impia Chriſti,
Guſtato Chriſti ſanguine læta redit.
Crimina cuncta ſuis terrenus contulit auctor;
Diſſolvit Chriſtus crimina cuncta ſuis.
Libera corda ſibi facinus devinxerat olim,
Nunc reficit Chriſtus libera corda ſibi.
Fortia vincla dedit peccati ſæva poteſtas,
Dulcis amor Chriſti fortia vincla dedit.
Jam ſuper aſtra ſedet, cuncti exultate fideles.
Perfide quid ſævis? jam ſuper aſtra ſedet.
Mortuus ille tonat, cælum terrámque ſubegit:
Quid facient hoſtes? mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die, Chriſto veniente, figura,
Chriſtus adit gentes, pellitur umbra die.
Te properare docent & ſigna & ſecula prima,
Nos ſacra quæ gerimus, te properare docent.
Unicus adveniens firmavit vota piorum,
Vota dedit nobis unicus adveniens.
Paſſio Chriſte tui complevit munera legis,
Munera noſtra replet paſſio Chriſte tui.
Hic homo qui Deus eſt, ſpes eſt antiqua piorum,
Spes in fine piis hic homo, qui Deus eſt.
Munus erat fidei toto credentibus ævo,
Qui dedit ut credat, munus erat fidei.
Te veniente, Deus, mundanus concidit error,
Occidet hic mundus, te veniente, Deus.
Gratia plena Dei eſt, quæ totis gentibus extat,
Abſcedant ſectæ, gratia plena Dei eſt.
Sola columba redit, quæ totum circuit orbem,
Diſcedant corvi, ſola columba redit.
Adveniet Dominus dare digna piis, mala pravis,
Credite jam miſeri, adveniet Dominus.
Viſio Chriſte tui tormentum & pœna malorum eſt,
Gloria cuncta bonis viſio Chriſte tui.
Gloria magna patri, ſemper tibi gloria nate,
Cum ſancto ſpiritu, gloria magna Patri.

Hymnus Iambicus dimeter de Chriſto, ſuccinctè ab Incarnatione uſque ad Aſcenſionem, ejus opera complectens.

A Solis ortus cardine
Ad uſque terræ limitem
Chriſtum canamus principem
Natum Mariâ virgine.
Beatus auctor ſeculi
Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit.
Clauſæ parentis viſcera
Cæleſtis intrat gratia,
Venter puellæ bajulat
Secreta quæ non noverat.
Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei,
Intacta, neſciens virum,
Verbo concepit filium.
Enixa eſt puerpera
Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris alvo geſtiens
Clauſus Joannes ſenſerat.
Fœno jacere pertulit,
Præſepe non abhorruit,
Parvóque lacte paſtus eſt,
Per quem nec ales eſurit.
Gaudet chorus cæleſtium,
Et Angeli canunt Deo,
Palámque fit paſtoribus
Paſtor creator omnium.
Herodes hoſtis impie,
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.
Ibant Magi quam viderant
Stellam ſequentes præviam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Caterva matrum perſonat
Colliſa deflens pignora,
Quorum tyrannus millia
Chriſto ſacravit victimam.
Lavacra puri gurgitis
Cæleſtis agnus attigit,
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo ſuſtulit.
Miraculis dedit fidem,
Habere ſe Deum patrem,
Infirma ſanans corpora,
Reſuſcitans cadavera.
Novum genus potentiæ,
Aquæ rubeſcunt hydriæ,
Vinúmque juſſa fundere
Mutavit unda originem.
Orat ſalutem ſervulo
Flexus genu centurio,
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
Petrus per undas ambulans
Chriſti levatur dexterâ:
Natura quam negaverat,
Fides paravit ſemitam.
Quartâ die jam fœtidus
Vitam recepit Lazarus,
Mortiſque liber vinculis
Factus ſuperſtes eſt ſibi.
Rivos cruoris horridi
Contacta veſtis obſtruit,
Fletu rigante ſupplicis
Arent fluenta ſanguinis.
Solutus omni corpore
Juſſus repentè ſurgere,
Suis viciſſim greſſibus
Æger vehebat lectulum.
Tunc ille Judas carnifex
Auſus magiſtrum tradere,
Pacem ferebat oſculo
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius,
Crucique fixus innocens
Conjungitur latronibus.
Xeromyrrham poſt ſabbatum
Quædam vehebant corpori,
Quibus definit Angelus
Vivum ſepulcro non tegi.
Hymnis venite dulcibus,
Omnes canamus ſubditum
Chriſti

Chriſti triumpho tartarum,
Qui nos redemit venditos.
Zelum draconis invidi,
Et os leonis peſſimi
Calcavit unicus Dei,
Seſéque cælis reddidit.

Cælii Sedulii Epigramma, quod ex ſcripto codice Caſp. Barthius Lib. 10. *Adverſar. cap.* 9. *protulit.*

Hæc tua perpetuæ quæ ſcripti dogmata vitæ,
Corde rogo facias, Chriſte, manere meo:
Ut, tibi quæ placeant, tete fautore, requirens,
Gaudia cælorum te duce, Chriſte, metam.

D. Liberii Poetæ de Sedulio Acroſtichis.

S edulius, Domini per culta novalia pergen
E n; loca conſpexit multo radiantia flor
D iſcurrit per prata libens; quo gramine Davi
V idit divino modulantem carmina cant
L audato pſallente viro refluit Cytharæ me
I lle ubi grandiſono, captus dulcedine plectr
U titur, & celeri graditur per lilia paſſ
S acratóſque iterum latè proſpexit amœno
A eterna Chriſti fluvios quos abluit und
N ec paſſus torpere diu Doctoris acume
T unc ſua Davidico delectu plectra popoſci
I rrita polluti contemplit numina mund
S igna Crucis fronti ponit, brevitérque triumpho
T angit, Chriſte, tuos: numeroſáque prælia liba
E rgo, his dum vario decorat ſua rura color
S tabunt hi, gracili ducti teſtudine, verſu

Beliſarii Poetæ de Sedulio Acroſtichis altera.

S edulius Chriſti miracula verſibus eden
E micat, invitans parvæ ad ſolennia menſæ
D ignum convivam: non hunc qui carperet illu
V ix quod nobilium triplici fert aula parat
L ætum quod ponſtque ſub aurea tecta tribuna
I n quo gemmiferi tótque aurea vaſa canistr
V ivida pro modico portant ſibi gaudia vict
S ed quod olus vilis producit pauperis hortu

A e poſt delicias properant qui ſumere magn A
N ituntur parvum miſerorum ſpernere grame N,
T antum quod nihil eſt dum nil cum ventre tumeſci T
I nſidias membríſque movens animæque luent I,
S i tamen his dapibus veſci dignantur egeni S
T emnat divitias animus, pauciſque quieſca T
E xemplo aſſumpto Domini, qui millia quinqu E
S emotis cunctis, modicis ſatiavit ab eſci S.

D. Honorii, I. P. Maximi, de Apoſtolis in Chriſti ad cælos Aſcenſione obſtupeſcentibus, Epigramma.

Luce videt Chriſtum Petrus, quem nocte negavit;
Et cecinit Dominum pergere ad Aſtra ſuum.
Territus Andreas, orat: miſerere magiſter,
In regnum patris collige diſcipulum.
Jacobus expavit, hominem per nubila ferri;
Supponit ſcapulas, dat pia vota Deo.
Hæret ab aſpectu tremulus per membra Joannes;
Et turbatus, adhuc ſic ſtetit ut placeat.
Quin ſequimur te, Chriſte? vocat ſinè voce Philippus;
Num projectus ego, liber & implicitus?
Bartholomæe, pedes Chriſti pendere tremiſcis;
Et vis (ſi capias) tendere pace manus.
Thomas, ex toto nondum fariatus amore,
Se palpare putat vulnera, membra, latus.
Matthæus, muto ſimilis, per ſcripta loquutus:
Nam timor invaſit, nota tacere ſenem.
Jacobus Alphæi pallet, ſinè morte ſepultus:
Datis comites oculos; reddere quod potuit.
Hîc ſtupet attonitus Simon, migrâſſe Tonantem;
Et fugit affectans, fulgura velle pati.
Matthias, portæ Cæli defixus inhæret;
Omnia, cum Chriſto teſte, abiiſſe putans.
Judas, è cunctis, corpus ſinè fronte levatus;
Conſpicit, occiſum vivere in orbe Deum.

ALCIMI AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS
POEMATA.

ALCIMI ECDICII AVITI *VITA,*

Ex Adonis Viennenſis Archiepiſcopi Chronico.

AVITUS Viennenſis Epiſcopus, eloquentiâ & ſanctitate præcipuus, & ejus frater Apollinaris Valentiæ Epiſcopus, miraculis inſignis, Iſicii, ſenatorii primùm viri, poſtea Viennenſis epiſcopi, duo lumina, clariſſimi filii. Hic B. Avitus adverſus hæreſin Arianam, quæ tunc non ſolùm Africam, ſed & Galliam Italiámque magnâ ex parte occupaverat, magno ſudore decertavit, quod clariſſima ejus opera teſtantur. Scribit enim dialogum, hæreſin illam oppugnans, fideliſſimo & doctiſſimo immortalíque ingenio, ad Gundebadum Burgundionum regem, filium Gundovei. Item alios libellos duos contra Neſtorium & Eutychem, auctores erroris, luculentiſſimo & caſtigato ſatìs ſermone. Fuerunt & alia illius plura eximia opera in Chriſti eccleſiâ probatiſſima. Hic Sigiſmundum regem in fide pietatis erudivit: qui, agente illo, poſtmodum monaſterium ſanctorum martyrum Agaunenſium, Mauritii ſociorúmque ejus, conſtruxit. Quem poſtmodum captum & à Francis occiſum vehementer doluit. Quantus autem in eccleſiâ Chriſti vixerit, quiſquis ſcire ad plenum vult, poſt ejus innumera in divinis laboribus opera, epitaphium ejus legat.

Epitaphium B. Aviti Epiſcopi Viennenſis.

QUiſquis mœſtificum tumuli dum cernis honorem,
Deſpite concludi totum deflebis Avitum,
Exúe ſollicitas triſti de pectore curas.
Nam quem plena fides, celſæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil ſocium cum morte tenet. Quin proſpice Sancti
Geſta viri. primùm floreſcens indole quantâ
Spreverit antiquo demiſſos ſtemmate faſces,
Maturum teneris animum dum præſtat in annis,
Et licitum mundi voti virtute relegat.
Nec mora, pontificis ſic digna inſignia ſumit,
Augeat ut ſoliti felicia cœpta laboris.
Nec tamen ob ſummi culmen tumefactus honoris
Erigitur, ſéque ipſe aliis plus æſtimat, immo
Subjicitur magnus, ſervat mediocria ſummus.
Diſtribuit parcus, paſcit jejunus, amando
Terret, & auſteris indulgentiſſima miſcet.
Cunctantes ſuaſu juvit, ſolamine mœſtos,
Jurgia diſſolvit, certantes fœdere junxit.
Diſſona veridicam inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritíſque ſubegit.

Unus

Unus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus similis, nullúsque poeta:
Clamant quod sparsi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, pérque omnia sæcula vivet.

LIBER PRIMUS.

De initio Mundi.

QUICQUID agit varios humanâ in gente labores,
Unde brevem carpunt mortalia tempora vitam,
Vel quòd polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum facta parentum,
Addatur quanquam nostrâ de parte reatus,
Quòd tamen amisso dudum peccatur honore,
Adscribam tibi, prime pater, qui semine mortis
Tollis succidnæ vitalia germina proli.
Et licèt hoc totum Christus persolverit in se,
Contraxit quantum percussâ in stirpe propago;
Attamen auctoris vitio, qui debita lethi
Instituit, morbósque suis ac funera misit,
Vivit peccati moribundâ in carne cicatrix.
Jam pater Omnipotens librantis pondere verbi
Undique collectis discreverat arida lymphis,
Littoribus pontum constringens, flumina ripis:
Jam proprias pulchro monstrabat lumine formas,
Obscuro cedente die, varióque colore
Plurima distinctum pingebat gratia mundum.
Temporibus fortita vices tum lumina cœlo
Fulsere alterno solis lunæque meatu.
Quin & sidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras.
Actutum suavi producens omnia fœtu,
Pulchra repentino vestita est gramine tellus.
Accepere genus sinè germine jussa creari,
Et semen voluisse fuit. Sic ubere verbi
Frondescunt sylvæ: teneris radicibus arbor
Duravit valtos parvo sub tempore ramos.
Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, & vacuum discurrunt bruta per orbem.
Elatæ in altum volucres, motúque citato
Pendentes secuere vias, & in aere sudo
Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Pòst etiam clausi vasto sub gurgite pisces
Respirant lymphis, flatúsque sub æquore ducunt,
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam.
Nec minùs in pelago vivisc unt grandia cete,
Accipiúntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monstra solet rarus nunc prodere pontus,
Aptat ad informes condens solertia formas.
Quódque hominum falsò credit mens nescia fœdum,
Per propriam speciem naturâ judice pulchrum est.
Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus,
Ornatúque suo perfectus constitit orbis;
Tum pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras sublimi ex æthere vultum,
Illustrans quodcunque videt: placet ipsa tuenti
Artifici factura suo, laudátque creator
Dispositum pulchro quem condidit ordine mundum.
Tum demum tali sapientia voce locuta est:
En præclara nitet mundano machina cultu:
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulteriùs nullo cultore teneri?
Sed ne longa novam contristent otia terram,
Nunc homo formetur, summi quem tangat imago
Numinis, & nostrum, celso donatus honore,
Induat interiùs formosâ in mente figuram.
Hunc libet erectum vultu præponere pronis,
Qui regat æterno subjectum fœdere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Astra notet, cœlique vias & sidera nórit,
Discat & inspectis discernere tempora signis:
Subjiciat pelagus fœvum, ingenióque tenaci
Possideat quæcunque videt; cui bellia frendens
Serviat, & posito discant mansueta furore
Imperium jumenta pati, jussíque ligari
Festinent trepidi consueta in vincla juvenci.
Quóque magis natura hominis sublimior extet,
Accipiat rectos in cœlum tollere vultus:
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.
Hæc ait, & fragilem dignatus tangeré terram,
Temperat humentem conspersò in pulvere limum,
Molitúrque novum dives sapientia corpus.
Non aliter quàm nunc opifex, cui artis in usu est
Flectere laxatas per cuncta sequacia ceras,
Et vultus implere manu, seu corpora gypso
Fingere, vel segni speciem componere massâ.
Sic pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, & in lento meditatur viscera cœno.
Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustúque potentem.
Tactus erit solus, toto qui corpore judex
Sentiat, & proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis artatur recavo sic lingua palato,
Pressus ut in camerâ pulsantis verbere plectri
Percusso resonet modulatus in aere sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.
Dividuam partem femur excipit, aptiùs ut se
Alternus moveat duplicato poplite gressus.
At parte ex aliâ, fingit quam conditor unus,
Occipiti submissa suo descendere cervix
Incipit, & valtos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad usus,
Naturale parant tegmen vitalia cordi,
Massáque congestis pendens absconditur extis.
Additur his tenui pascendus ab aere pulmo,
Qui concepta trahens lenti spiramina flatûs,
Accipiat reddens, reddat quas sumpserit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus haustu.
Dextra tenet jecoris vegetandum sanguine fontem,
Quo clausum venæ spargunt per viscera flumen.
Lienis lævam sortitur regula partem,
Quâ crines perhibent unguésque recrescere sectos.
Nec concisa dolent. hinc nunc augmenta resumunt
Quæ vivunt sensúque carent in corporis usu.
Postquam perfectæ jacuit novitatis imago,
Formatúmque lutum speciem pervenit in omnem;
Vertitur in carnem limus, duratíque molles
Viscéribus mediis traxerunt ossa medullas.
Inseritur venis sanguis, vivóque colore
Inficit ora rubor, toto tum corpore pallor
Pellitur, & niveos depingit purpura vultus.
Indè ubi perfectis consuescit vivere membris
Totus homo, & sumant calefacta ut viscera solam
Expectant animam, puro quam fonte creator
Promat, & erectos rectutam mittat in artus:
Lenem perpetuò flatum profundit ab ore,
Inspirátque homini. quem protinus ille receptum
Attrahit, & crebri ducit spiraminis auras.
Postquam nascentem soler s prudentia sensum
Imbuit, & puro rationis lumine fulsit,
Surgit, & erectis firmat vestigia plantis.
Tum varias mundi species, cœlique figuras
Mirantem, tali compellat voce creator:
Hæc quæ mundanis cernis pulcherrima rebus
Incrementa novis, ornatum tensa per orbem,
Solus habe, totsque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur. maximus ordo est,
Te parere pio qui subdidit omnia patri.
Non species ullæ, nec numina vana colantur,
Non si quid cælo sublime novúmque coruscat,
Non quæ vel terris vivunt formata, vel undis,
Nec quod fortè premens prohibet natura videri.
Utibus illa tuis, non cultibus, esse memento,
Præcellens factis factorem pronus adora.
Interea sextus noctis primordia vesper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem:
Dúmque petunt dulcem spirantia cuncta quietem,
Solvitur & somno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens pressum per corda soporem
Jecit, & immenso tardavit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitam solvere mentem.
Non si fortè fragor securas verberet aures,
Nec si commoto cælum tunc intonet axe,
Sed nec pressa manu rupissent membra quietem.
Tum verò cunctis costarum ex ossibus unam
Subducit lævo lateri, carnémque reponit.
Erigitur pulchro genialis forma decore,
Inque novum subitò procedit fœmina vultum.

Quam

Quam deus æternâ conjungens lege marito,
Conjugii fructu penſat diſpendia membri.
Iſtius indicium ſomni mors illa ſecuta eſt,
Sponte ſuâ ſubiit ſumpto quam corpore Chriſtus.
Qui cùm paſſurus ligno ſublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum ponderet orbis,
In latus extenſi defixit miſſile lictor.
Protinus exiliens manavit vulnere lympha,
Quâ vivum populis jam tum ſpondente lavacrum,
Fluxit martyrium ſignans & ſanguinis unda.
Indè quieſcenti, geminâ dum nocte jaceret,
De lateris membro ſurgens Eccleſia nupſit.
Principio rector tanti ſacrare figuram
Diſponens vîncli, nectit connubia verbo:
Vivite concordi ſtudio, mundúmque replete,
Creſcat longævum felici ſemine germen,
Non annis numerus, vitæ nec terminus eſto.
Progeniem ſinè fine dedi, quam tempore toto
Aſpicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos ſpargens per ſæcla nepotes
Viventes numeret proavos, ſnque ora parentum
Ducant annoſi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata ſuo ſervabitur ordine cunctis.
Femina perſiſtat, de viſcere ſumpta virili,
Conjugio ſervare fidem: nec ſeparet alter
Quod jungit ſociátque deus: patrémque relinquat
Et matrem juſto conſtrictus amore maritus.
Iſta parentales non rumpant vincula curæ,
Vita ſed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Feſtivum dicebat hymen, caſtóque pudori
Concinit angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradiſus erat, mundúſque dabatur
In dotem, & lætis gaudebant ſidera flammis.
Eſt locus Eoo mundi ſervatus in axe
Secretis natura tuis, ubi ſolis ab ortu
Vicinos naſcens aurora repercutit Indos.
Hîc gens ardentem cæli ſubterjacet axem,
Quam candor fervens albenti ex æthere fuſcat.
His ſemper lux pura venit, cælóque propinquo
Nativam ſervant nigrantia corpora noctem.
Attamen in tetris ſplendentia lumina membris
Captivo fulgore micant, viſúque nitente
Certior accreſcit pullatis vultibus horror:
Cæſaries incompta riget, quæ crine ſupino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed magnum noſtros quicquid defertur ad uſus,
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quicquid odoratum pulchrúmque adlabitur, indè eſt.
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus
Surgit, & hîc eboris munus quæ porrigit orbi,
Informis pulchros deponit bellua dentes.
Ergo ubi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Quò perhibent terram confinia jungere cælo,
Lucus inacceſsâ cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno concluſus limite, poſtquam
Decidit expulſus primævi criminis auctor:
Atque reis dignè felici à ſede revulſis,
Cæleſtes hæc ſancta capit nunc aula miniſtros.
Non hîc alterni ſuccedit temporis unquam
Bruma, nec æſtivi redeunt poſt frigora ſoles,
Excelſus calidum cùm reddit circulus annum,
Vel denſante gelu caneſcunt arva pruinis.
Hîc ver aſſiduum cæli clementia ſervat,
Turbidus auſter abeſt, ſempérque ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt jugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuò viret omne ſolum, terræque tepentis
Blanda nitet facies. Stant ſemper collibus herbæ,
Arboribúſque comæ: quæ cùm ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri confortant germina ſucco.
Nam quicquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illîc tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole,
Nec tactus violat violas, roſeúmque ruborem
Servans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic cùm deſit hyems, nec torrida ferveat æſtas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Hîc quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama naſcuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cùm fine perit, nidóque peruſta
Succedens ſibimet quæſitâ morte reſurgit:
Nec contenta ſuo tantùm ſemel ordine naſci,
Longa veternoſi renovatur corporis ætas,
Incentámque levant exordia crebra ſenectam.
Illîc deſudans fragrantia balſama ramus
Perpetuum promit pingui de ſtipite fluxum.
Tum ſi fortè levis movit ſpiramina ventus,
Flatibus exiguis, lenſque impulſa ſuſurro,
Dives ſylva tremit foliis, ac flore ſalubri,
Qui ſparſus latè ſuaves diſpenſat odores.
Hîc fons perſpicuo reſplendens gurgite ſurgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec chryſtalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illîc ſaxa jacent: varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eductum leni fontis de vertice flumen
Quattuor in largos confeſtim ſcinditur amnes.
Euphratem, Tigrímque vocant, qui limite certo
Longa ſagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius indè Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur, ignoto cunctis plus nobilis ortu.
Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda,
Ditatura ſuam certo ſub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, & nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aquâ, cælóque vacante
Terreſtrem pluviam diffuſus porrigit amnis.
Tunc incluta latet lato ſub gurgite Memphis,
Et ſuper abſentes poſſeſſor navigat agros.
Terminus omnis abeſt, æquatur judice fluctu
Annua ſuſpendens contectus jurgia limes.
Gramina nota videt lætus ſubſidere paſtor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora piſces.
Aſt poſtquam largo fœcundans germina potu
Lympha maritavit ſitientis viſcera terræ,
Regreditur Nilus, ſparſáſque recolligit undas:
Fit fluvius pereunte lacu; tum redditur alveo
Priſtina riparum concluſis fluctibus obex;
Donec dividuum ſpargens per devia finem
Gurgite ſepteno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? Nam qui neſciris ab ortu,
Non ſolus, ſed quartus eras, diffuſus ab illo
Deſpicit excelſo qui flumina cuncta meatu,
Ipſius atque pater pelagi ſupereminet omnes,
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lymphas.
Quartus Phyſon erit, quem poſſidet India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulchro quas ſpargunt flumina loco,
Prælambens foratur opes, & gurgite noſtrum
Ducit in exilium. Nam ripâ largus utrâque
Amnibus ut noſtris enodes ferre papyros,
Aut ſcirpos algáſque leves deducere mos eſt.
Excrementa trahens magnus ſic ditis Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.
Interea primi, ſummus quos junxerat auctor,
In paradiſiacâ ponuntur ſede parentes.
Tum rector tali proponit præmia lege:
O ſummum factoris opus, quos ſola creavit
Noſtra manus, naſci cùm cætera voce juberem!
Aſpicitis quanto pulcherrimus ubere lucus
Per multas famuletur opes? hæc cuncta dabuntur
Ad veſtros finè fine cibos, hinc eſca petatur:
Sumite conceſſas fruges, & carpite poma.
Hîc operis dulci ſtudio ſecura quieſcat
Delitiſſque fruens longævo in tempore vita.
Eſt tamen in medio nemoris quam cernitis arbor,
Notitiam recti pravſque in germine portans:
Hujus ab acceſſu vetitum reſtringite tactum.
Nec vos fortè premat temeraria diſcere cura
Quod doctor prohibet: melius neſcire beatis
Quod quæſiſſe nocet. teſtor quem fecimus orbem,
Quòd ſi quis vetitum præſumpſerit arbore pomum,
Audax commiſſum mortis diſcrimine pender.
Non immenſa loquor, facilis cuſtodia recti eſt,
Servatur vitam, finem temerator habebit.
Accipiunt juvenes dictum, lætíſque ſequuntur,
Spondentes cuncto ſervandam tempore legem:
Sic ignara mali novitas, nec conſcia fraudis
Incautas nullâ tetigit formidine mentes.
At pater inſtructos ſacratâ in ſede relinquens,
Lætus in aſtrigeram cæli ſe ſuſtulit aulam.

LIBER SECUNDUS.

De originali peccato.

UTITUR interea, venturi nescia casûs,
Libertas secura bonis, fruitúrque beatâ
Ubertate loci. largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin alter opimi
Sumitur assiduus tenui de cespite fructus.
At si curvati fœcundo pondere rami
Mitia submittunt sublimi ex arbore poma,
Protinus in florem vacuus turgescere palmes
Incipit, suque novis fœtum promittere gemmis.
Jam si prædulces delectat carpere somnos,
Mollibus in pratis, pictâque recumbitur herbâ.
Cúmque voluntati sacrum nemus offerat omnes
Delicias, opibúsque novis se præbeat amplum:
Sic epulas tamen hi capiunt, escámque requirunt,
Compellit quòd nulla fames, nec lassa fovendo
Indigus hortatur compleri viscera venter.
Et nisi concessum libuisset noscere pastum,
Esuries ignota cibos non poscoret ullos,
Nullâque constantem fulcirent pabula vitam.
Corpora nuda vident, & mutua cernere membra
Non pudet, atque rudis fœdum nil sentit honestas.
Non natura hominis, vitium sed causa pudori est.
Nam quæcunque bonus formavit membra creator,
Ut pudibunda forent, carnis pòst compulit usus.
Tunc mens intactos servabat candida visus,
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos: qualémque redemptis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus,
Queis neque conjugium curæ, nec fœdere turpi
Mitcebit calidos carnalis copula sexus.
Cessabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, discordia, livor.
Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub unâ
Sufficiet cunctis sanctorum gloria Christus.
His protoplastorum sensum primordia sacra
Continuere bonis: donec certamine primo
Vinceret oppressos fallacem culpa per hostem.
Angelus hic dudum fuerat, sed crimine postquam
Succensus proprio, tumidos exarsit in ausus,
Se semet fecisse putans, suus ipse creator
Quòd fuerit, rabido concepit corde furorem,
Auctorémque negans: Divinum consequar, inquit,
Nomen, & æternam ponam super æthera sedem,
Excelso similis, summis nec viribus impar.
Talia jactantem præcelsa potentia cælo
Jecit, & ejectum prisco spoliavit honore.
Quisque creaturæ præfulsit in ordine primus,
Primas venturo pendet sub judice pœnas.
Quandoquidem gravior talem sententia punit,
Quem mirum cecidisse putes. Nam crimen acerbat
Auctor: in ignaro minor est peccante reatus;
Durius atque malum, quod major fecit, habetur.
Sed quòd vivaces pertendit in abdita sensus,
Quódque futura videt, rerúmque arcana relignat,
Angelici fervens supereat natura vigoris.
Horrendum dictu, figuisque notabile monstrum.
Nam quicquid toto dirum committitur orbe,
Iste docet, scelerúmque manus ac tela gubernat,
Pugnat & occultus per publica crimina latro.
Et nunc sæpe hominum, nunc ille in sæva ferarum
Vertitur ora, novos varians fallentia vultus.
Alitis interdum subitò mentita volantis
Fit species, habitúsque iterum confingit honestos.
Apparens nec non pulchro ceu corpore virgo,
Pertrahit ardentes obscena in gaudia visus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruscat,
Accendítque animos auri fallentis amore,
Delatos fugiens vano phantasmate tactus.
Nulli certa fides constat, vel gratia formæ:
Sed quo quemque modo capiat, tencátque nocendo,
Opportuna dolis, clausæque accommoda fraudi
Sumitur exterior simulatâ fronte figura.
Major adhuc etiam sævo permissa potestas,
Ut sanctum vincat: dudum collata creato
Sic natura valet, rectam quam condidit auctor,
Sed pòst ad pravos subversor transtulit usus.
Vidit ut iste novos homines in sede quietâ
Ducere felicem nullo discrimine vitam,
Lege sub acceptâ domino famulantes orbis,
Subjectíque frui placida inter gaudia rebus:
Commovit subitum zeli scintilla vaporem,
Excrevítque calens in sæva incendia livor.
Vicinus tunc fortè fuit, quo concidit alto,
Lapsus, & innexam traxit per prona catervam.
Hoc recolens, casúmque premens in corde recentem,
Plus doluit periisse sibi, quod possidet alter.
Tunc mixtus cum felle pudor sic pectore questus
Explicat, & tali suspiria voce relaxat.
Prò dolor, hoc nobis subitò consurgere plasma,
Invisúmque genus nostrâ creviisse ruinâ!
Me celsum virtus habuit, nunc ecce rejectus
Pellor, & angelico limus succedit honori.
Cælum terra tenet, vili compage levata
Regnat humus, nobísque perit translata potestas.
Non tamen in totum periit: pars magna retentat
Vim propriam, summâque cluit virtute nocendi.
Nec differre juvat. jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima salus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit.
Et meliùs soli capientur fraude, priusquam
Fœcundam mittant æterna in sæcula prolem.
Immortale nihil terrâ prodire sinendum est;
Fons generis pereat, capitis dejectio victi
Semen mortis erit. pariat discrimina leti
Vitæ principium. cuncti feriantur in uno:
Non faciet vivum radix occisa cacumen.
Hæc mihi dejecto tandem solatia restant.
Si nequeo clausos iterum conscendere cælos,
His quoque claudentur. leviùs cecidisse putandum est,
Si nova perdatur simili substantia casu,
Si comes excidii subeat consortia pœnæ,
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes.
Sed ne difficilis fallendi causa putetur,
Hæc monstranda via est, dudum quam sponte cucurri
In pronum lapsus: quæ me jactantia regno
Depulit, hæc hominem paradisi limine pellet.
Sic ait, & gemitus vocem clausere dolentis.
Fortè fuit cunctis animantibus altior astu
Æmulus arguto callet qui pectore serpens:
Hujus transgressor de cunctis sumere formam
Eligit, aerium circundans tegmine corpus,
Inque repentinum mutatus tenditur anguem:
Fit longâ cervice draco, splendentia colla
Depingit maculis, teretísque volumina dorsi
Asperat, & squamis per terga rigentibus armat.
Qualis vere novo, primis cùm mensibus æstas
Præmittit lætos post frigora pigra tepores,
Evadens veterem reparatis motibus annum,
Et ficcum nitido discingens corpore tegmen,
Procedit coluber, terrarúmque abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma decorem.
Dira micant oculi: tum lumine visus acuto
Lætior optatum discit consuescere solem.
Nunc simulat blandum, crebro ceu carmine fauces
Ludunt, & trifidam dispergunt guttura linguam.
Ergo ut viperam malesuadâ fraude figurum
Induit, & totum fallax processit in anguem,
Pervolat ad lucum. Nam fortè rubentia læti
Carpebant juvenes viridi de palmite mala.
Tum veritus serpens, firmâ ne mente virili
Non queat injecto subvertere corda veneno,
Arboris erectæ spiris reptantibus alto
Porrigitur, tractúmque suum sublimibus æquans,
Auditum facilem leni sic voce momordit:
O felix, mundíque decus pulcherrima virgo,
Ornat quam roseo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Expectat matrem: tu prima & certa voluptas
Solaménque viri, finè qua non viveret ipse,
Ut major, sic jure tuo subjectus amori
Prædulcis conjunx, reddes cui fœdere prolem.
Vobis digna datur paradisi in vertice sedes,
Vos subjecta tremit famulans substantia mundi:
Quod cælum, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, vestros confertur in usus.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta potestas.
Non equidem invideo, miror magis. ut tamen unâ
Contineat liber dulci super arbore tactus,
Scire velim quis dira jubet, quis talia dona
Invidet, & rebus jejunia miscet opimis.
Hæc malè blanditam finxerunt sibila vocem.
Quis stupor, ô mulier, mentem caligine clausit
Cum serpente loqui? verbum committere bruto

Non

Non pudet, ut veſtram præſumat bellua linguam,
Et monſtrum pateris, reſpondúmque inſuper addis?
  Ergo ubi mortiferum ſeductilis Eva venenum
Auribus accipiens cladi conſenſit iniquæ,
Tunc ad ſerpentem vano ſic ore locuta eſt.
Suavibus ô pollens coluber dulciſſime dictis,
Non, ut rere, Deus nobis jejunia ſuaſit,
Nec prohibet largo curari corpora paſtu.
Ecce vides epulas totus quas porrigit orbis:
Omnibus his licitò genitor promptiſſimus uti
Præſtitit, & totas vitæ laxavit habenas.
Hæc ſola eſt, nemoris medii quam perſpicis, arbor
Interdicta cibis; hæc tantùm tangere poma
Non licitum. dives prætumit cætera victus.
Nam ſi libertas temerârit noxia legem,
Jurans terribili prædixit voce creator
Quondam nos ſtatim luituros morte reatum.
Quid vocitet mortem, tu nunc, doctiſſime ſerpens,
Pande libens, quoniam rudibus non cognita res eſt.
  Callidus indè draco, & leti tum ſponte magiſter
Interitum docet, & captas ſic fatur ad aures:
Terroris vacuum formidas femina nomen.
Non veniet vobis rapidæ ſententia mortis:
Sed pater inviſus ſortem non contulit æquam,
Nec vos ſcire dedit, ſibimet quæ ſumma reſervat.
Quid juvat ornatum comprendi aut cernere mundum,
Et cæcas miſero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter ſenſus oculóſque patentes
Sic brutis natura creat. Sol omnibus unus
Servit, & humano non diſtat bellua viſu.
Conſilium magè ſume meum, mentémque ſupernis
Inſere, & erectos in cælum porrige ſenſus.
Namque hoc quod vetitum formidas tangere pomum,
Scire dabit quæcunque pater ſecreta reponit.
Tu modò ſuſpenſos tantùm ne contine tactus,
Ne captiva diu frænetur lege voluptas.
Namque ubi divinum libaveris ore ſaporem,
Mox purgata ſuo facient te lumina viſu
Æquiparare deos, ſic ſancta ut noxia nôſſe,
Injuſtum recto, falſum diſcernere vero.
  Talia fallaci ſpondentem dona ſuſurro
Credula ſubmiſſo miratur femina vultu.
Et jam jámque magìs cunctari ac flectere ſenſum
Incipit, & dubiam leto plus addere mentem.
Ille ut vicino victam diſcrimine ſenſit,
Atque iterum nomen memorans arcémque deorum,
Unum de cunctis letali ex arbore malum
Detrahit, & ſuavi pulchrum perfundit odore,
Conciliat ſpeciem, nutantíque inſuper offert.
Nec ſpernit miſerum mulier malè credula munus,
Sed capiens manibus pomum letale retractat:
Naribus interdum labiſſque patentibus ultro
Jungit, & ignorans ludit de morte futurâ.
  O quoties ori admotum compuncta retraxit,
Audaciſque mali titubans ſub pondere dextra
Ceſſit, & effectum ſceleris tremefacta refugit!
Dîs tamen eſſe cupit ſimilis, ſerpíque venenum
Ambitione nocens. rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, indè metus: pulſat jactantia legem,
Interdúmque etiam lex ſubvenit. æſtuat anceps
Dividui cordis dura inter prælia fluctus.
Nec tamen incentor delîlit fallere ſerpens:
Oſtentátque cibum dubiæ, queritúrque morari,
Et juvat in lapſum pendentis prona ruinæ.
  Ut tandem victæ gravior ſententia ſedit,
Æternam tentare famem per criminis eſcam,
Serpentem ſatiare cibo, quem ſumeret ipſa,
Annuit inſidiis, pomúmque vorata momordit.
Dulce ſubit virus, capitur mors horrida palatu.
Continet hìc primùm ſua gaudia callidus anguis,
Diſſimulátque ferum victoria ſæva triumphum.
  Ignarus facti diversâ parte revertens
Adam, diffuſi lætus per gramina campi
Conjugis amplexus atque oſcula caſta petebat.
Occurrit mulier, cui tunc audacia primùm
Flabat femineos animoſa in corda furores.
Et ſic ortâ loqui (ſemeſum namque gerebat
Aſſervans miſero pomum exitiale marito.)
Sume cibum dulcis, vitali ex germine, conjunx,
Quod ſimilem ſummo faciet te fortè tonanti,
Numinibúſque parem. non hoc tibi neſcia donum,
Sed jam docta fero. primus mea viſcera guſtus
Attigit, audaci diſſolvens pacta periclo.
Crede libens: mentem ſcelus eſt dubitâſſe virilem,

Quod mulier potui. præcedere fortè timebas,
Saltem conſequere, atque animos attolle jacentes.
Lumina cur flectis? cur proſpera vota moraris?
Venturóque diu tempus futuris honori?
  Hæc effata dabat victuræ fercula mortis,
Intereunte animâ letum dum crimina paſcunt.
Accipit infelix maleſuadi verba ſuſurri,
Inflexóſque retro dejecit ad ultima ſenſus.
Non illum trepidi concuſſit cura pavoris,
Nec quantum guſtu cunctata eſt femina primo:
Sed ſequitur velox, miſeræque ex conjugis ore
Conſtanter rapit inconſtans dotale venenum,
Faucibus & patulis inimicas porrigit eſcas.
Vix uno pomum libârat ſuccida morſu
Ingluvies, ſumtnúmque dabat vix eſca ſaporem;
Ecce repentinus fulgor circumflitit ora,
Lugendóque novos reſperſit lumine vitus.
Non cæcos natura dedit, nec luminis uſu
Privatam faciem peperit perfectio formæ.
Nunc magè cæcus eris, cui jam non ſufficit illud
Noſcere, quod tantus voluit te nôſſe creator.
Ad vitam vobis cernendi facta facultas:
Vos etiam letum, veſtrâ ſed ſponte, videtis.
Tum paruiſſe gemunt oculos. nam culpa rebellis
Fulſit, & obſcenos ſenſerunt corpora motus.
Tunc primùm nudos (dubium quid dicere poſſim)
Extinctus natúſque pudor circumſpicit artus.
Erubuit propriæ jam mens ſibi conſcia culpæ,
Regnavítque ſuis carnis lex indita membris.
  Namque hinc poſteritas vitiato germine duxit
Artibus illicitis cognoſcere velle futura,
Arcaníſque ſacris tardos immittere ſenſus:
Edita vel cælo, vel tetro merſa profundo
Rimari, & cautas naturæ rumpere leges.
Quærere nunc aſtris quo quiſquam ſidere natus,
Proſpera quàm ducat reſtantis tempora vitæ,
Diſſimilem paribus proventum diſcere ſignis.
Nec non & geminos uno ſub tempore fuſos,
Quos indiſcretus luci produxerit ortus,
Motibus adverſis varià ſub ſorte notare.
Indigetes quoſdam ſtellis adſcribere divos,
Junior antiquis ætas quos prætulit aſtris:
Atque infernali jam dudum nocte ſepultis
Vana per immenſum diſponere nomina cælum.
  Jam magicam dignè valeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore vires,
Divinis jungi virtutibus & cupientem?
Legifer ut quondam vates, ſub rege ſuperbo,
Dum nova monſtraret juſſi miracula ſigni,
Commovit livore magos, ut talia tentent,
Accumulémque ſuas zelo ſervente ruinas.
Illis ſuppeteret recta ſi fortè poteſtas,
Demere, non etiam feſtinent addere monſtra.
Æmula ſed ſignis tantùm, non viribus æqua,
Quod removere nequit, duplicavit juſtiùs ira.
Hinc eſt laudato quod poſſunt carmine Marſi,
Quum tacitâ ſævos producunt arte dracones,
Abſentes & ſæpe jubent confligere ſecum.
Tunc ut quiſque gravem bello prælenſerit hydrum,
Aſpidis aut duræ clauſas cognoverit aures,
Concutit interiùs ſecreti carminis arma:
Protinus & laſſis verbo luctante venenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermis,
Et morſus tantùm, non virus, in angue timetur.
Interdum perit incantans, ſi callida furdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.
Hoc quoniam de matre trahunt, & origine primâ,
Anguineæ fraudis quòd ſic, linguæque periti,
Mutua per ſpeciem reddunt commercia fandi.
Nec minùs his pulſat contraria cura ſalutis,
Angit præſcitus ducti quos terminus ævi:
Cùm tamen eductas infernis ſedibus umbras
Colloquium miſcere putent, & nota referre.
Spiritus erroris ſed qui bacchatur in illis,
Ad conſulta părat vanis reſponſa figuris.
Et ne porrecto dicantur ſingula verbo,
Præſenti illuſus, damnabitur ille perenni
Judicio, quiſquis vetitum cognoſcere tentat.
  Nec jam ſola fuit ſcrutatrix Eva malorum:
Dicam nunc aliam, tali quæ peſte laborans,
Et conjuncta viro, proprium non vicerit Adam.
Peccandi quaſdam fervor ſuccenderat urbes,
Civica permittens laxatis crimina frænis.
Inceſtus pro lege fuit, totúmque libido

Jus habuit, regni ſedem métata voluptas
Indigenas populos dominâ ſub carne tenebat:
Et ſceleratu ſtudio, fidâ quod plebe localis
Dudum parendi promptis reſpublica juſſit,
Abſtinuiſſe nefas, & non peccâſſe pudendum
Credebant omnes, facinus quos junxerat unum.
Talibus offenſus judex atque arbiter orbis
Cum fureret, flammáſque loco, finémque pararet,
Quendam diſſimilem cunctis, tectóque latentem,
Qui tunc fortè fuit propriâ peregrinus in urbe,
Atque inter multos ſolum ſic alloquitur Loth:
Oppida laſcivo jamdudum plena furore
Reſpergunt cœlum maculis, noſtráſque fatigant
Quamvis obſtructas ſcelerum clamoribus aures.
Imminet éxitium: tellus ſuccenſa reatu
Ignibus ardebit; reſtinguet fulminis imber
Quæ non extinxit ferventia crimina fletus.
Ipſa in perpetuas ſolvetur terra favillas,
Quæ vivos cineres & poſt incendia ſervans,
Sîcque ſolum fingens, leviter ſi calce teretur,
Ad minimum fugiens diſcedet pallida tactum.
Tu nunc linque domum, perituras defere terras,
Et tea cum dignis ſubſidant arva colonis.
Nec tete impendens letum conjunxerit illis,
Non junxit quos vita. Tibi ſolatia conjunx
Præbeat; hac tantùm ſociâ contentus abito.
Accelerate fugam; tendatur tramite recto,
Neu ſubvertendas quiſquam reſpexerit urbes.
Vos neſcite malum. pœnas quicunque ſubibit,
Aſpiciat, mortíſque ſuæ ſpectacula ſecum
Qui meruere, ferant. Salvandis terror abeſto.
Hæc pater. aſt illi properant abſcedere terrâ,
Incidúntque moras, crudeliáque arva relinquunt.
Cœperat obduci victum caligine denſâ,
Atque ignota priùs demittere murmura cœlum.
Nec ſic ut tonitru crebro cùm percitus æther
Oſtentat pavidis innoxia fulmina terris:
Sed prorſus finale malum ſtridore minaci
Tetra per aerios mittebant ſigna tumultus.
Tendebant moniti ſimul, & mandata tenentes
Conceſſam rectis ad ſedem vultibus ibant.
Callidus alta petens ſed qui ſubverterat Evam
Serpens, femineam conſuetus tangere mentem,
Hic quoque formidans animum tentare virilem,
Conjugis inſpirat votis, ut nôſſe ruinas
Vellet, & evaſas viſu deprendere clades.
O demens animi, cui jam non ſufficit unam
Succubuiſſe dolo: caruit jam parte bonorum
Quæ mala cognovit. Si non exempla priorum
Terrent, exemplum fies. noſtróque timori
Vel poſt te pereat ſecreti dira cupido.
Illicitum quod ſcire fuit, vetitúmque tueri,
Reſpicies tantùm, nec narratura videbis.
Ergo ubi majorem vicinâ ex urbe tumultum
Accepit mulier, vultum deſiexa retortum,
Vix primo in viſu reſtrictis motibus hæſit,
Cernere deſiſtens cùm ceperat. indè gelato
Sanguine marmoreus perfudit viſcera torpor,
Diriguere genæ, pallor novus inficit ora.
Lumina non clauſit, non ſaltem concidit illo
Pondere, quo poſſant demiſſa cadavera terram.
Sed ſtetit horrendo perlucens maſſa nitore,
Servavítque ſuam ſpecies decepta figuram.
Nec facilè ut nôſſes, vitrum, lapis, anne metallum
Succedens homini, ſi non ſal fauce notetur.
Ex tunc inſipido mulier præventa reatu
Plus ſalſum ſinè mente ſapit, quæ pungere ſenſus,
Exemplíque poteſt ſalibus condire videntes.
Hoc tamen hîc magnum, quòd non infœcitur iſte,
Nec ſequitur ſociam, fortis nec vincitur Adam.
Credo equidem melius, quòd non occurrerit uxor
Enarrare viro. nam ſi comperta referret,
Forſan & hanc viſu ſuaſiſſet temnere juſſa,
Cen proprium guſtu fecit primæva virago:
Quæ poſtquam ſeſe pariter comitémque refellit,
Et nondum natam percuſſit vulnere prolem.
Tum victor ſerpens certamine lætus ab ipſo,
Puniceam criſpans ſquamoſo in vertice criſtam,
Jam non diſſimulans, quem preſſerat antè, triumphum,
Acriòr inſultat victis, & talibus inſit.
En divina manet promiſſæ gloria laudis.
Quicquid ſcire meum potuit, jam credite veſtrum eſt:
Omnia monſtravi, ſenſúmque per abdita duxi;
Et quodcunque malum ſolers natura negabat,
Inſtitui, dextríſque dedi conjungere levam.
Iſthinc perpetuâ voſmet mihi ſorte dicavi.
Nec deus in vobis, quamquam formaverit ante,
Jam plus juris habet: teneat quod condidit ipſe;
Quod docui, mecum eſt: major mihi portio reſtat.
Multa creatori debetis, plura magiſtro.
Dixit, & in mediâ trepidos caligine linquens,
* Confictam periit linquens per nubila corpus.

LIBER TERTIUS.

De ſententiâ Dei.

Tempus erat, quo ſol medium tranſcenderat axem,
Pronus & excelſi linquens faſtigia cœli,
Vicinâ jam nocte leves præmiſerat auras.
Illis ſed major curarum volvitur æſtus,
Ferventéſque tenent malè conſcia corda dolores.
Utque pudor capto detorſit lumina ſenſu,
Reppulit & miſeros alterno à corpore viſus,
Nec jam ſecurâ præſtatur luce tueri
Signatam fixo peccati ſtigmate carnem,
Indumenta petunt, foliis ut mollibus ambo
Membra tegant, nudúmque malum de veſte pateſcat.
Umbroſis propter ſtabat ficulnea ramis,
Frondentes diffuſa comas; quas protinus Adam
Humentem capiens raſo de cortice librum,
Aſſuit, & viridi ſolatur veſte ruborem.
Induitur ſimili mulier lachrymabilis arte, &
Quos pavit miſero fallax inſania pomo,
Veſtivit folio: ſævâ quos arbore nudos
Reddidit, hos graviùs tenui ſuper arbore texit.
Et tamen adveniet tempus, cùm crimina ligni
Per lignum ſanet purgétque noviſſimus Adam,
Materiámque ipſam faciat medicamina vitæ;
Quâ mors invaluit, leto delebere, letum.
Æreus excelſo pendebit ſtipite ſerpens,
Cúmque venenatum ſimulaverit, omne venenum
Purget, & antiquum perimat ſua forma draconem.
Interea genitor viridis per mollia luci
Rorantes ſudo capiebat ab aere ventos.
Protinus attonitis ſenſerunt auribus ambo
Præſentem dominum. triſti tum luce perofam
Expavere diem detecto in crimine teſtem.
Illos nam vaſtis ſpecubus ſi fortè barathrum
Panderet, aut ſubitum tellus monſtraret hiatum,
Non pigeat prono trepidos deſcendere ſaltu.
Et ſi ſuppeteret jam tum ſententia leti,
Hanc etiam raperet ſolandi cura pudoris.
Seu flammis lymphíſve darent, vel pectora ferro
Appeteret vindex crudeli vulnere dextra.
Sic miſeri mortem nondum diſcrimine notam,
Cùm primùm meruere, volunt. exordia ſæcli
Signant, & ſimiles prædicunt aſſore luctus,
Ultima cùm mundi ſenium conſumpſerit ætas,
Cúmque repentinus percuſſerit omnia fulgur
Cœlorum, clangente tubâ, qua nuncius anè
Judicis adventu concuſſum terreat orbem.
Tunc cùm ſinceros paſtor diſcreverit agnos,
Hœdis diſparibus diversâ in parte locatis,
Per medium dirimente chao, quod ſluctibus impleat
Sulphureis volvens undoſa incendia gurges,
Flammarum ſtagnante lacu, quo ſervida quondam
Dicitur attracto nubes ſodomitica nimbo
Guttatim ſparſum fudiſſe in crimina fulmen,
Cùm placeret nox tetra locos, cœlóque caduca
Aera per calidum illiarent undique mortes.
Taliter ignifero miſſi de fonte gehennæ
Fluxerunt triſtes aliena in ſæcula rivi.
At quos terribili judex decreverit horâ
Vivere poſt mortem, pœnâque ardore perenni,
Subtrahet optato gravior ſententia leto.
Cúmque foret melius, diſperſis corpora membris
Carpere perpetuum durâ ſub morte ſoporem,
Invitos tamen urna vomet, queis ſola voluntas
Rurſus poſſe moti, ſenſúque carere dolendi.
Sed ſic accipiet ferventis flamma camini,
Ambuſtura ſuas ut nunquam finiat eſcas.
At primi interea juvenes conamine caſſo
Per deſerta ruunt, tutóque abſcondita ſorte.
Facta putant, cæcis optant latuiſſe tenebris.
Quid juvat, infelix, oculos à judice flaſſi?

Te

Te judex cernit: nolis cur ipſe videre,
Cùm videare palám? Solem non fuſcat amœnum,
Si depreſſa gravem formidant lumina lucem,
Debilis & clarum viſus non ſuſtinet orbem.
Tum ſic terribili primùm deus increpat ore,
Atque ubi ſit miſerum noſcens interrogat Adam.
Qui trepidam pavido producens pectore vocem,
Vix hæc pauca refert. Tuus, ô celſiſſime, terror
Mentibus inlidens latebram tentare coegit.
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris,
Erubui, fateor, cœlúmque per abdita fugi.
Et quis, ait, ſubitum concuſſit corde pudorem?
Viſus & unde novus? nam te nec vellera dudum,
Nec contexta priùs velavit tegmine veſtis.
Forma rudis, proprio meliùs contenta decore,
Judice ſe placuit. ſed poſtquam fœdere rupto
Interdicta tuus perſtrinxit germina guſtus,
Naturale tibi tegmen non ſufficit unum;
Hactenus & nudis nunc denudata pateſcunt,
Arguit obſcenus quia turpia corpora motus.
Ille ubi convictum claro ſe lumine vidit,
Prodidit & totum diſcuſſio juſta reatum,
Non prece ſummiſsâ veniam pro crimine poſcit,
Non votis lachrymiſve rogat, nec vindice fletu
Præcurrit meritam ſupplex confeſſio pœnam.
Jámque miſer factus, nondum miſerabilis ille eſt,
Erigitur ſenſu, tumidiſque accenſa querelis
Fertur in inſanas laxata ſuperbia voces.
Heu malè perdendo mulier conjuncta marito!
Quam ſociam miſero primâ ſub lege dediſti,
Hæc me conſiliis vicit devicta ſiniſtris,
Et ſibi jam notum perſuaſit ſumere pomum.
Illa mali caput eſt; crimen ſurrexit ab iſtâ.
Credulus ipſe fui, ſed credere tu docuiſti,
Connubium donans, & dulcia vincula nectens.
Atque utinam felix, quæ quondam ſola vigebat,
Cœlebs vita foret, talis nec conjugis unquam
Fœdera ſenſiſſet, comiti non ſubdita pravæ.
Hac igitur rigidi commotus mente creator
Mœrentem celſis compellat vocibus Evam.
Cur miſerum labens traxiſti in prona maritum?
Nec contenta tuo deceptrix femina caſu,
Sublimi ſenſum jeciſti ex arce virilem?
Illa pudens, triſtíſque genas ſuffuſa rubore,
Auctorem ſceleris clamat decepta draconem,
Qui pomum vetito perſuaſit tangere morſu.
Poſt hæc finalem promit ſententia legem,
Serpentémque reum primâ ſic voce notavit.
Tu coluber, cujus peccavit femina fraude,
Erroríſque virum conſortem reddidit ipſa,
Propter utrumque reus pendes quod fecit uterque:
Nec tibi ſublimi conſtabit pectore vertex,
Callida ſed pronus per terram pectora volves:
Utque fugâ trepido ſinuoſa volumina currant,
Non greſſus ſed lapſus erit, téque ipſe ſequeris
Flexibus, & ſpiras viventia vincula nectens.
Tum propter ſuaſam miſerorum cordibus eſcam,
Tellurem captans paſtu veſceris inani:
Menſibus & certis ſupero depulſus ab orbe,
Incluſus terris communi ſole carebis.
Inter cuncta replent quæ nunc animantia mundum
Auctor mortis eris, fies gravis omnibus horror.
Præcipuè infelix mulier cum prole futurâ,
Sic inimicitias odio currente reponet,
Semina ſeminibus mandent ut vota nocendi.
Inſiſtens ſemper pavidæ ſectabere calcem:
Conterat illa caput, victorémque ultima vincat.
Poſt hæc attonitam judex commotus in Evam;
At tu quæ primam violâſti femina legem,
Accipe ſucciduum vitæ quod reſtat in ævum.
Imperium patiere tori, dominúmque timebis,
Quem ſocium dederam: parebis ſubdita juſſis,
Et curvata caput libitus aſſueſce viriles.
Móxque ubi concipiens fœtum præſenſerit alvus,
Ventris onus gemitu teſtaberis, ac tibi clauſum
Anxia creſcentem portabunt viſcera faſcem:
Donec tranſacto faſtidia tempore complens,
Naturale malum partu ſub vindice pendat
Producens vitam proles ſic pœna parentis.
Quid diverſa loquar poſt jam diſcrimina matris?
Nam cùm præduro mulier confecta labore
Optatam ſobolem tali produxeris ortu,
Lugebis vacuos nonnunquam orbata dolores.
Interea trepidus jam dudum ſuſtinet Adam
Quid ſibi terribilis tandem ſententia ſervet.
Cui pater, attentis, inquit, nunc auribus & tu
Accipe quid mereare, levis quem femina vicit.
Impolluta priùs pulchro ſub germine tellus,
Non jam fida ſatis, nec puro ſemine ſimplex,
Priſtina monſtrabit corruptum terga per orbem;
Exemplóque tuo ſemper tibi terra rebellans
Vepribus ac tribulis armata reſiſtere diſcet.
Aut ſi frangenti cedens ſuccumbet aratro,
Vomeris & fixo mordaci dente ſubacta eſt,
Pinguia decipient mentito germine culta.
Nam pro triticeo lolium conſurgere fructu,
Et fictas ſegetes, vacuáſque dolebis avenas.
Sic vix extortum producent jugera panem,
Sudore aſſiduo nitens quem ſumat egeſtas,
Illecebrámque cibi pœnalis vindicet eſca.
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam,
Et ſimul herbarum ſuccos paſtúmque requirens,
Stercore conſimili depreſſa gravabitur alvus.
Ærumnoſa diu volvetur talibus ætas,
Donec præſcriptum ponant tibi ſæcula finem,
Et compacta luto ſolvantur tempore membra.
Limo formatus rurſus redigeris in arvum.
Antè tamen proprium nati præcurrere letum
Conſpicies, pœnáſque tuas in prole videbis,
Ut metuenda magis cernatur mortis imago,
Peccâſſe agnoſcas quid ſit, quid mortua fieri,
Quídve mori. ac ne quid deſit tibi fortè malorum,
Quæ caſtigandis corruptus parturit orbis,
Acrior immenſo miſcebitur ira dolori.
Nam cùm prima tibi producent tempora natos,
Livor edax arcto certabit limite mundi:
Nec jam ſufficiet vacuus quà tenditur orbis,
Totáque germanis ſtringetur terra duobus.
Alter in alterius conſurget funera frater,
Tellurémque novam cognato ſanguine tinguet.
Exin poſteritas varios paſſura labores,
Cæſibus in multis mortalia debita pendet,
Dum veterem ductus diſſolvat terminus orbem,
Occidat omne vigens, finíſque redarguat orta.
Audierat, metúmque dedit conterrita tellus.
His pater exactis hœdorum pellibus ambos
Induit, & ſanctâ paradiſi ab ſede rejecit.
Tunc terris cecidere ſimul, mundúmque vacantem
Intrant, & celeri perluſtrant omnia curſu.
Germinibus quanquam variis, & gramine picta,
Et virides campos, fontéſque & flumina monſtrans,
Illis fœda tamen ſpecies mundana putatur,
Poſt, paradiſe, tuam; totum cernentibus horret,
Utque hominum mos eſt, plus, quod ceſſavit, amatur.
Anguſtatur humus, ſtrictúmque gementibus orbem
Terrarum finis non cernitur, & tamen inſtat.
Squalet & ipſe dies, cauſantur ſole ſub ipſo
Subductam lucem, cælo ſuſpenſa remoto
Aſtra gemunt, tactúſque priùs vix cernitur axis.
Tunc inter curas permixti felle doloris,
Affectus ſenſere novos, & pectora pulſans
Nondum compertas prorumpit fletus in undas,
Attentíſque genis injuſſus defluit humor.
Haud aliter vivax deceptus mole caducâ
Spiritus, impleto venit cùm terminus ævo,
Poſt obitum peccata dolet; tum quicquid iniquum
Geſſerit, ad mentem revocat; tum pœnitet omnis
Errorum lapſus, ſemet quos judice damnat:
Et ſi præteritæ reddatur copia vitæ,
Sponte ferat quoſcunque dabunt mandata labores.
Sanctus namque refert de quodam divite Lucas,
Quem nimio luxu diſſolvens vita fovebat.
Ipſe cothurnatus gemmis, & fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis:
Indè ut bacchantem ſuaſiſſent tempora menſam,
Currebant epulæ, totus quas porrigit orbis.
Cúmque peregrinus frugem miſiſſet acervus,
Fervebat priſcum cryſtallo algente falernum.
Uvida quinetiam miſcebant cinnama thuri,
Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.
Quod pelagus, quod terra creat, quod flumina gignunt,
Certatim menſis cedentibus undique laſſus
Portabat pallens auri cum faſce miniſter.
Languidus ante fores pauper tunc fortè jacebat
Divitis, obſtrictis reſoluto corpore membris,
Et ſupplex poſcebat opem, non munera captans,
Reliquias tantùm ſed ſi quas copia jecit,
Has tunc opperiens alvus jejuna rogabat.

Sed proclamanti dives non addidit aurem,
Nullâque languentem pietas respexit egenum.
Nec quæ completis cecidere superflua mensis,
Pauperis ad victum quisquam dedit. Insuper ægri
Despicitur facies, & putria vulneris horrent.
Cúmque canes miti perlambant ulcera linguâ,
Blandior & fesso feritas medicabilis adsit,
Sola hominum nescit mens semper dura moveri.
Hæc sed diversâ penitus dum sorte geruntur,
Impendens obitus pariter pulsavit utrumque,
Divite prævento, nunquam qui credidit istud.
Pauper ad optatam longo vix tempore mortem
Pòst venit, & victor morbos artúsque reliquit.
Ille quidem, celsâ qui dudum floruit arce,
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur,
Auratóque datur conditus membra sepulchro,
Et pretiosa tegunt elatum lintea marmor.
Spiritus abstrusò sed mox demissus averno,
Incidit æternas per sæva incendia pœnas.
E quarum medio sublimi in sede locatum
Haud procul (hoc certè censetur, nam procul indè,
Ut docet eventus) finibus conspexit ovantem
Abrahæ justi mutatum in paupere vultum,
Nec ejus similem, quem dudum luce receptum,
Quarto fortè die vix quisquam largus humandi,
Ne citò dispersum naturæ lege cadaver
Dira frequentatæ contagia mitteret urbi,
Obtectum laceris tenui velamine pannis,
Naribus adstrictis nudâ tellure locavit.
Angelicis manibus tunc in sublime levatus,
Jam dives, jam sanus erat: contráque superbi,
Qui congesta tenens opibus diffluxerat amplis,
Arida sic flammis mendicant guttura guttas.
O pater, electas animas qui sede beatâ
Colligis, & meritis dispensas præmia justis,
Hæc ego non mereor: sed saltem deprecor unum,
Lazarus ut missus veniat, digitóque levatum
Adferat huc labris ardentibus indè liquorem,
Quisque refrigerio, si non extinxerit omnes,
Ad tempus saltem tantos vel mitiget æstus,
Donec tetlâ brevi respirent membra quiete.
Taliter immixto lacrymis stridore rogantem
Magnanimus tandem compellat sic patriarcha.
Desine jam feras incassum fundere voces,
Et vacuas mittere preces. haud talia dudum
Dicta dabas, foribus cùm te prandente jaceret
Ipse ignotus, egens, æger, jejunus, inanis;
Cùm tua non caperet congestos mensa paratus,
Pauperis atque tuas non iret clamor ad aures.
Quapropter tandem, librato examine veri,
Præteritæ vitæ sortem dependit uterque,
Permutátque vices. & te jam sufficit amplis
Exondâsse bonis: lætetur fine malorum
Qui doluit cœptis. Non est jam terminus ultrà.
Insuper horrendo cingit qui tramite limes,
Et chaos objectum lato distinguit hiatu,
Non sinit abjunctas miscerì fœdere partes,
Accessúmque negat, sic vobis semper, ut istis.
Ille gemens vanùm repetitâ voce precatur,
Si nil post obitum prodest commissa fateri,
Nec tua mutatur fixis sententia verbis,
Hoc concede mihi, nullî quod lege vetatur.
Fratres quinque modò discedens luce reliqui;
His peto mittatur qui vivos corrigat, antè
In tormenta cadant quàm talia carne soluti.
Nam quamvis duro persistant corde rebelles,
Si tamen obstrictâ quisquam de morte rediret,
Credent experto, pœnásque intrare timebunt.
Ille quidem poscens effectum non capit ullum.
Nos autem, dum vita manet, dum luce vigemus,
Olim defuncti perterret nuntius Adam:
Dum locus est flendi, dum non injusta petuntur,
Non obturatis pulsatur janua serris.
Novimus en cuncti, quid primus planxerit ille,
Qui pulsus priscâ nescivit sede reverti.
Namque obitum quendam casu tum pertulit ipso,
Perdita ne precibus lachrymísve reduceret ullis.
Ex tunc paulatim retro sublapsa referri
Vita prior, corpítque malis laxata potestas.
Tum tristes morbi, & varii subiere dolores,
Et corrupta satis dirâ pinguedine tellus
Letali quædam suffudit germina succo.
Indè truces sævire feræ, dudúmque timentes
Excitat ad pugnam tum primùm conscia virtus,
Reddit & armatas unguis, dens, ungula, cornu.
Ipsa etiam leges ruperunt tunc elementa;
Et violare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur ventis pelagus, volvuntur & undæ,
Excitúsque novum turgescit pontus in æstum.
Tunc primùm tectis tetrâ caligine cœlis,
Ingratos hominum castigatura labores,
Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos,
Atque polus discors invidit germina terris.
Quin magis ipsa sibi tellus adversa negavit,
Seminis excepti verteus mentita nitorem.
Hæc gemini primùm senserunt tunc protoplasti:
Posteritas nam quanta ferat dispendia rerum,
Non cui vel centum linguæ, vel ferrea vox est,
Enumerare queat: nec si quem Mantua misit
Mæoniúsve canant diversâ voce poetæ.
Quis tales referat motus? quis denique fando
Evolvat totos, qui volvunt secula, luctus?
Arma fremunt, crebrâ quatitur formidine mundus,
Funditur irriguus sanguis, majórque fatitur.
Quid dicam celsas præclaris cœtibus urbes
In deserta dari? populos populante ruinâ
Dispergi, & lacerum vacuari partibus orbem?
Servitio subdi dominos, famulósque vicissim
Præfegri dominis, & belli sorte perire,
Sors generis claro quondam quos sanguine misit?
At si fortè brevi requiescant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina lites,
Jus anceps pugnare foro, quo jurgia fratrum
Non leviùs votis feriunt, quàm prælia telis?
Sed quis vota notet, clament cùm facta nocentum?
Quis fraudes & furta gemat gaudente rapinâ?
Quisve minora fleat? stringi nec maxima possunt.
Indè minora tamen, si summis juncta notentur:
Nam per se nullum facinus sub judice parvum est.
Nec refert cunctas percurri carmine causas:
Hoc parvo sermone loquar. post damna priorum
Nil superesse mali, quod non vel perpetret orbis,
Vel toleret, plenus scelerum, paritérque laborum,
In casu discrimen habens, & crimen in actu.
Sed tu, Christe potens, cui semper parcere promptum est,
Tu figulus massam potis es reparare caducam,
Et confracta diu resolutáque fingere vasa.
Qui dudum multo latitantem pulvere drachmam
Invenis accensis verbi virtute lucernis.
Linquentem caulas, turpíque errore vagantem,
Pastor ovem celeri dignatus quærere gressu,
Subvehis, utque suo gaudens reddatur oviti,
Sarcina fit quæ cura fuit. Sic filius ille
Junior, exhaustos postquam dispersit acervos,
Vitáque consumpto mutata est prodiga censu,
Turpia porcorum dignè convivia sectans,
Optavit siliquis compleri vilibus alvum,
Donec sæva fames longo discrimine victum
Cogeret offenso tandem se reddere patri,
Confessúmque reum laxato crimine solvi.
Denique prostratum mitis pater allevat ultro,
Et trepidum blandâ solatur voce pudorem.
Ornatus reduci vestis dat prima secundos,
Lætáque sollennis celebrat convivia cœtus,
Quòd rediviva suis quodam de funere proles
Surgat, & orbato redeant nova lumina patri.
At tu, præpollens hominum rerúmque creator,
Quanquam cuncta velis fidæ constare saluti,
Nulla tamen pateris nostræ dispendia mortis,
Nec quoquam pereunte tuis contingere damnum
Divitiis poterit. nescis decrescere, nescis
Augeri, & pleno perstat tibi gloria regno.
Sed famulis tu redde tuis quod perdidit Adam,
Quódque tulit primùm vitiatæ stirpis origo,
Orto restituat melior jam vita secundo.
Sorduerit nimium lacero circumdata peplo
Forma vetus, scissum ponens cum crimine vestem,
Pallia prima pater redeunti porrige proli,
Seminecem quondam miserans qui fortè repertum
Projectúmque viâ, quem sævi cæde latrones
Impositis cuncto spoliárant tegmine plagis.
Sed tu, sancte, viam sumpto dum corpore curris,
Invenis allisum, nec præteris: insuper ægrum
Jumento carnis propriæ tùb tecta reportas.
Nos fuimus quondam rabido data præda furori:
Sed si nunc medico percurrat vulnera fotu,
Gratia producens oleum, sapientia vinum,
Commendet stabulo Samaritidis cetera curæ.

Pellitur

y Google

Pellctur validus medicato corpore languor.
Suſcipe, qui non vis moriendi creſcere cauſas,
Quos confeſſa tibi gemitus pia pectora fundunt.
Ut quondam tecum, paſſa ſub tempore carnis,
Proximus immani dependens ſtipite prædo,
Quem non culpa tibi ſimilem ſed pœna tenebat:
Ille tamen nexus membris, nec corde ligato,
Et ſi confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.
Sicque reus ſcelerum dum digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit. cui fine ſagaci
Maxima cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuit ſcandens aditum, cælóque levandus
Ardua ſublimi tenuit compendia ſaltu.
Porrige ſic nobis celſam, pater inclyte, dextram.
Nos quoque perpetuæ conquirat vita ſaluti,
Atque profanati deceptis fraude latronis,
Ceu tibi compaſſo miſerans ſuccurre latroni.
Livida quos hoſtis paradiſo depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia ſedi.

LIBER QUARTUS.

De Diluvio mundi.

INFECTUM quondam vitiis concordibus orbem,
Legitimúmque necis laxatâ morte piacum
Diluvio repetam: ſed non quo fabula mendax
Victuros lapides mundum ſparſiſſe per amplum
Deucalionæ refert, durum genus unde reſumpti
Deſcendant homines, cunctíſque laboribus apti
Saxea per duram monſtrent primordia mentem.
Sed veri compos, fluctus nunc proſequar illos,
Per quos immiſſus rebus vix penè creatis
Lactentem velox prævenit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus autis
Ingentes animos: licitum quod cuique liberet
Credidit, & propriâ valuit pro lege voluntas.
Jus adeò nullum, ſic nil diſſure putarunt
Fáſque nefáſque inter, recti cuſtodia nuſquam,
Non judex, non teſtis erat, non denique rector,
Arbiter aut morum, vel qui ſuaderet honeſtum,
Sed princeps ſibi quiſque fuit virtute nocendi,
Nec meritis ſed mole potens, qui fortior eſſet
Hic melior ſibimet, ſed ſe centore, placebat.
Sic hominum vitam brutorum more tenebat
Motibus addicens mens inclinata ferinis.
Sanguine potus erat, cæſorum viſcera paſſim
Indomitis laceras præbebant faucibus escas.
Inſuper & quadrupes, propriâ qui morte necatur,
Sævior aut certè quem vincens beſtia cepit,
Paſtus erat, quem nulla fides, lex nulla vetabat.
Ut verò pecorum ritu permiſſa voluptas,
Et diffuſa palàm ruptis laſcivia frenis,
Luxuriæque forum, atque obſceni nundina mundi
Ferveret, caſto fas non eſt dicere cantu.
Talibus ac tantis hominum gens improba geſtis
Sylveſtres animos, naturæ fœdere rupto,
Induerat, pulſáque ſimul ratione furebat,
Et deſerta jacens domini cæleſtis imago
Omne decus mentis turpi dejecerat actu.
Haud ſecus ac pulchri cùm fertilis area campi,
Quam ſuccifa dedit purgato robore ſylva,
Dum colitur, juſto paret fœcunda labori,
Subjicitur raſtris, reſpondet frugibus, ac ſe
Servat compoſito ruralis gratia vultu.
Agricola oblitus ſi brachia fortè remiſit,
Laxavíſque manus, feſſóque quievit aratro,
Pigreſcit primùm durato ceſpite tellus,
Mox rudibus ramis atque aſpera palmite crebro
Diſciplinatos diſſueſcit promere fructus,
Effundit frutices varios, ſylvámque minatur:
Quam ſi nec ferâ ſucciſor falce repurget,
Non jam virgultis, ſed denſo ſtipite lucus
Texitur, & ſteriles diffundit in æra frondes:
Donec concluſâ ramis currentibus umbrâ,
Mox opportunæ depulſo ſole tenebræ
Jam ſecura feras invitent credere luſtra.
Taliter humani generis, non ordine recto,
Perdita mandatæ jam poſt primordia legis,
In pravum labens paulatim vita tetendit.
Proficiens pejore viâ, conſtantior ipſo
Jam paribus ſtudiis nutriti criminis uſu.
Et tamen auctorem vitii, culpæque magiſtrum,
Doctior errorum, laptáque peritior omni,
Succiduæ prolis creſcens audacia vicit.
Ut fluvius parvâ primùm diffuſus ab urnâ,
Perſpicuum leni promit cùm gurgite fontem,
Tramite quem ſummo facili tranſmittere ſaltu
Quiſque poteſt, mox irriguo deductus ab ortu
Viribus augetur ſubitis, ripáſque retrorſum
Pellens, creſcentes tendit per plana liquores,
Occupat & ſpatium, pereuntíſque imminet arvo:
Tum circumfuſos vicinis vallibus amnes
Sorbet præteriens, externáſque incipit undas
Augmento finire ſuo, mixtáſque ſub uno
Nomine, conratis diffuſo gurgite terris,
Cum trabibus, ſtabulíſque boum, luſtriſque ferarum,
Sævior acceſſu, longóque furore potitus,
Tandem deſiltens pelagi tranſportat in undas.
Hos inter motus, ſimiliſque ad turbinis iuſtar,
Humanum vitiis ibat genus: & tamen ipſa
Longior inſanas mentes diſſolverat ætas.
Centenos novies crebrò cùm duceret annos
Vita tenax, tanto ſuſpenſi tempore læti
Nullus terror erat. ſors ſi quem ſera tuliſſet,
Ceu qui nec natus fuerit, nunquámque levandus
Morte putabatur. ſic cunctis nulla futuri
Spes inerat, ſoláſque ſibi fundaverat omnem
Sentibus in cæcis periturus mundus amorem.
Tempore quinetiam peccatrix terra ſub ipſo
Nutribat ſævos immania monſtra gigantes.
Nec tamen effari licitum quo ſemine cretos.
Communem cunctis ortum de matre ferebant,
Qui genus, unde patres, prohibent arcana fateri.
Si ſpeciem quæras, humani corporis illis
Plùs vultus, quàm forma fuit: ſic linea membris
Conveniens hominem monſtrabat, diſſona molem.
Quam propter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum maſſis informibus auxit,
Et portentoſis deſcripſit corpora membris:
Pube tenus quòd forma viris, cùm corporis ima
Supplerent valli mixto pro crure dracones.
Artus ſemihominum patulis qui faucibus atri
Ferrent, & verſo præberent vertice greſſus.
Tunc etiam ſolitos, juſſo terrore tonanti,
Blaſphemis cælo convitia mittere plantis,
Mordacéſque pedes motu fremuiſſe veneni.
His ſimiles mendax Phlegræi fabula belli
Excuſſas finxit jeciſſe per æra rupes,
Pro telis ſpatioſa manus quòd turbine montes
Sparſerit, & miſſis cælum quaſſaverit arvis.
Hæc ſunt priſcorum quæ de terrore gigantum
Carmine mentito Graii cecinere poëtæ.
Et tamen audaci voluit contendere pugnâ
Quiſque rebellis erat. qui cùm contigere telis
Non potuit, ſævis concepit prælia votis.
Montibus impoſitos fas non eſt credere montes,
Hoc tamen & deinceps illos tentâſſe putabo,
Qui coctos lateres, lentóque bitumine junctos,
In ſublime rati manibus ſic poſſe ſuperbis
Suſtolli, & celſas in ſidera ſurgere moles:
Cùm fureret mortale genus, caſtóque labore
Irrita tranſcenſis cementa inferret in altum
Nubibus, & refugum ſequeretur machina cælum,
Non priùs abſiſtens, ſubitas diſcordia linguas
Quàm daret, & varius confunderet omnia ſermo.
Hinc ſparſum fœdus, ſciſſâ ſic lege loquendi
Conſenſum ſceleris turbata ſuperbia rupit,
Dum ſe quiſque ſuis, poſſit quæ noſcere, verbis
Aggregat, atque novas ſequitur gens quæque loquelas.
Sic interruptæ perierunt culmina maſſæ,
Effectúque carens ceſſavit in æthere turris.
Hæc poſt diluvium. Nam quantas tempore priſco
Preſſa gigantæas tellus produxerit arces,
Atque laceſſitis contemptum immiſerit aſtris,
Abſtergente Deo ſat noſtra ſilentia damnant.
Cernebat patiens jam dudum inſana frementes
Terrarum populos hominum rerúmque creator,
Expectans ſi quem vani contortia mundi
Linquentem melior moneat relipiſcere cura.
Sed conjuratus poſtquam percurrere cœptum
Perditionis iter ſtatuit, ſenſúmque per omnem
Obtinuit victor peccati inſignia mundus,
Nec revocare gradum quiſquam, greſſúmque referre
Præcipiti jam mente poteſt, exhorruit auctor,

Pœni-

Pœnituítque, videns totum quòd fecerit orbem.
Tum tales tonuiſſe minas commotus ab alto
Fertur, & excitas laxâſſe his vocibus iras.
O nullis adtracta bonis, nulliſque repreſſa
Legibus, antiquo tantùm ſubmiſſa draconi,
Effera gens hominum, ducto corruptior ævo.
Non Evam cecidiſſe ſat eſt, tranſcenditur omni
Inventor leti lapſu: nec ſufficit illud,
Vicit inexpertum quòd ſerpens priſtinus Adam.
Non contenta ſuo fœdari vita parente,
Affectat mortem propriâ virtute mereri.
Expectâſſe diu non profuit. inſuper omne
Conceſſum veniæ rapuerunt crimina tempus.
Jam nimiùm longas patientia preſſerit iras,
Vindictæ jam tempus adeſt. Non fulmina cælo
Flammeus ardor aget: vaſto nec cedet hiatu
Quæ premitur nimio ſuccumbens terra tumultu:
Sed ſordens vitiis fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum ſpecies mundana recurrat,
Inque ſuas redeant undarum pondera ſedes.
Arida decedat lymphis, rurſúſque ſepultas
Terrarum ſpecies informis contegat humor.
Hæc clades vivis, caruſque hic terminus eſto.
Sic pater æternus diſponens funera rerum
Diluvium dextrâ terras vibrabat in omnes.
Interea pleno vivebat juſtus in orbe
Unus homo, & mentem ſolus ſervabat honeſtam.
Nullus vota Deo donis precibúſque ferebat
Hunc præter, dignum quem ſummus laude creator
Nôſſet & exceptum vitæ ſervare pararet.
Stemmatis hic ſancti: nam claro nobilis ibat
A proavo, quem priſca fides & conſcia virtus
In cælum ſinè morte tulit, ſic celſa petenti
Succeſſit magno non impar pronepos actu.
Nec plus eſt illum ſalvi cum corporis uſu
Terrenas liquiſſe domos, intrâſſe ſupernas.
Denique quo priſcus quondam conſcenderat Enoch,
Elias curru poſt tempora longa ſecutus,
Scribitur ignitis ſcandens penetrâſſe quadrigis,
Cùm ſuſpenſa leves tranſmitteret orbita ventos,
Ungula vel premeret calcatas pondere nubes,
Vallatúmque ferens ſanctum non ureret ignis,
Et motus ſervans neſciret flamma calorem.
Hos igitur ſatis eſt cælum potuiſſe mereri
Membrorum ſub lege ſitos: ſed non tamen illud
Segniùs admirer, ſancti quòd tempore Noë
Unius ob meritum, natis nuribúſque tuendis
Orbis in exitio potuerunt ferre ſalutem,
Eſt ille in cælis, numero præſtantior omni,
Angelicus ſinè fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebrátque Deum, famulantia ſuetus
Ferre miniſteria, & juſſis parere ſupernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,
Concipitur dignis ſacro quod pectore votis,
Quicquid larga manus collectis ſpargit egenis,
Excipiunt, ſanctóque ferunt ſuper aſtra volatu.
Quinetiam juſtos, fragilis dum vita fatigat,
Tutantur, mundíque inter diſcrimina ſervant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæque Dei quo diſpenſante miniſtro
Res geritur, ſummíſque parat myſteria cauſis.
Hic dominum cæli venturum corpore ſumpto
Virginis intactam juſſus prædixit in alvum,
Sacráque dotali complevit viſcera verbo.
Hic & Baptiſtæ præcurrens nuntius ortum,
Deſperata diu dum ferret germina patri,
Inter ſacra virum conterruit, & dubitantes
Protinus ingrato reſtrinxit in ore loquelas,
Donec prædicto fœcundam redderet ortu
Prolis unum, multos ſterilis quæ tenta per annos,
Fudit diffidens effœta puerpera fœtum.
Hic rerum ſolers ſummúſque Archangelus, alto
Aëra per liquidum, levibus circundatus auris,
Vibratáſque movens ignito in corpore pennas,
Nulli conſpectis ad terram motibus ibat:
Et tum fortè gemens cunctorum crimina Noë
Inflexis ſtratus genibus, cum ſupplice planctu
Mundanis veniam mundo nolente petebat:
Cùm ſubitò clauſis foribus tunc aliger intrat
Conſpicuus, claro reſplendens nuncius orc.
Horreſcit viſu tanto perterritus heros,
Mortaliſque oculus perſonam ferre ſupernam
Vix valet; & pavidi detorquet lumina vultus.
Ille ſalutiferis primùm mulcere timentem
Aggrediens verbis, cæli mandata ferebat:
Pax tibi, juſte virûm, pacem tibi miſſus ab alto
Imprecor, ut pulſo capias mea dicta pavore.
Hæc mandat ſummus terræ pelagíque creator.
Inſperata quidem cunctis ſententia leti
Imminet. hanc ſolus ſed qui tranſire mereris,
Et præſcire potes. Nam te calcata voluptas
Jampridem rectum toto diſcrevit ab orbe.
Unica ſed quoniam ſævum depellere letum
Vita tibi poterit, tantos evadere caſus
Qualiter incipias paucis ex ordine fabor.
Finis erit rerum, permiſſis undique lymphis,
Atque relaxatâ vaſtabitur orbis abyſſo.
Nunc age, congeſtis creſcat fortiſſima lignis
Machina, quæ ſurgens fluctus ſuperemet omnes.
Tercentum cubitos per longum ducta tenebit,
Bis quinis latè claudetur, biſque vicenis.
In triginta illi conſtabit culminis altum.
Per medium per ter longo cœnacula tractu
Edita ſuſpenſis domibus tabulata levabunt:
Ut generis proprii ſervans conſortia manſor
Componat pareis diſperſa cubilia cellis.
Tum ne rimoſi compagum fortè meatus
Accipiant inimicum imbrem, linire memento
Junctúras laterum, pigrúmque infunde bitumen.
Taliter effectam cùm conſummaveris ædem,
Protinus ingredere, ac mundum dimitte cadentem:
Exclulit quem culpa frequens, includere vita
Incipiat, circúmque fremant te ſoſpite mortes.
Quinetiam lateris ſociam ſuccedere tecto,
Et cum conjugibus natos intrare jubeto.
Túque ſecundus eris deleti germinis auctor,
Ut te poſt primum repleatur terra parente.
Sed quia perfecto divinis viribus orbe,
Poſt operis finem, poſt leges, póſtque ſacrata
Sabbata, formari quicquam non convenit ultra:
Ne penitùs ceſſans intercidat omne creatum,
Spirantum è cunctis pecorum, celerúmque volucrum,
Sylvarúmque feris, & quæ jumenta vocantur,
Vel quæ per tacitos repiant labentia motus,
Bina cape, & tecum clauſtro victura reconde.
Sic tamen ut proprios teneant ſua vincula ſexus,
Unde genus rurſum tellus implenda reſumat.
Ne timeas ne fortè feros animantia motus
Servent, aut ſubitis præſumant rictibus iras.
Fœdus erit totis, quæ diſcordantia profert
Per varios natura modos, & pace fideli
Parebit juſſis quicquid concluſeris illic.
Serpentis tantùm ſemper figmenta caveto.
Vertice ſubmiſſo blandum licèt ille triſulcis
Finxerit abſcondens per dulcia ſibila linguis
Immortale odium, nunquam tu credulus illi,
Quem nimis expertus vitandum præmonet Adam.
Hoſtis namque ſemel voluit quicumque nocere,
Hic ſemper ſuſpectus erit, penitúſque cavendum eſt,
Ne jam mentito conjungat fœdera prudens.
Tu poſt exemplum juſſis ſervire memento.
Hæc fatus, vacuum levibus ſecat aëra pennis,
Mortalem fugiens aciem, cælóque relatus
Heroem trepidum mandatâ lege reliquit.
Ipſe tamen tali manibus cum voce levatis,
Quiſquis, ait, nobis tantam ſpondere ſalutem,
Seu miſſus, ſeu ſponte tuâ, ſuper æthere celſo
Veniſti, & placidum ſacrâſti fœdere pactum,
Sis fautor, firmémtque tuas promiſſa loquelas,
Auxiliúmque tuum conatibus inſere noſtris,
Ut tenuis tantam valeat manus edere molem.
His breviter dictis, vitæ ſpem corde reponit,
Aggreditúrque celer ſacri præcepta laboris.
Quis tantos capiat ſenſus? quis denique ſermo
Explicet, advectis fuerit quæ copia liguis?
Nudati colles, ſpoliatæ robore ſylvæ,
Mons ut quiſque fuit, famulo placuere paratu.
Pelion immenſas cùm mittat vertice quercus,
Inſuper exponit multâ virtute reciſum
Oſſa nemus, Pindóque abies ſubducitur alta.
Atlas ipſe novas ictu reſonante ſecures
Senſit, & annoſas dedit ad navalia pinus.
Invictum tunc ſurgit opus, contexta levantur
Porrectis trabibus præcelſi culminis ædes.
Hæc inter, diſcors varii ſententia vulgi.
Nam multi lymphis obſtacula tanta parantem
Irriſere virum, moles quòd clauſa moveri
Fluminibúſque dari nequeat, quam fortè vel ampli

Euphra-

Euphrates Nilúſque queant vix claudere ripis.
Humani generis quid mens incredula reris
Mortalem non poſſe manum conjungere ponto
Ædem longinquam? pontus namque obvius ultro
Curret, & adductum tanget ſtans fabrica littus.
Aſt alios celſam compacto robore maſſam,
Ignaros quanquam cladis, cauſæque latentis,
Mirari novitas & formidare coëgit.
Haud aliter ſtudium jam tunc diviſerat omnes,
Quàm nunc mundus agit. Sunt qui compuncta fideli
Corda dicant operi, rebúſque inſtare ſupremum
Diſcrimen nôrunt, corpus quo concidat omne,
Bacchatámque diu conſumant ſæcula carnem.
Effugiet tunc ille malum, quicumque paratus
Conſtruat ut validam præduri tegminis arcam,
Per lignum vitale crucis ſervatus ab undis,
Tunc cernet quanto contempſerit otia fructu.
  Haud procul attentum contemplans hunc operantem
Nonne piger quiſquam lucri, tædéſque laboris,
Inſanire putet, curâ quòd ſolus inani
Æſtuet, & rebus nolit pereuntibus uti?
Sic epulans parcum, ſic largum quiſquis avarus,
Sic nudum raptor, ſic caſtum ridet adulter,
Sic circumſcribens illuſo ſimplice gaudet.
Sic ſapuiſſe dolet dives, cùm congregat aurum,
Spargentem nummos, utróque in paupere cenſu
Conſumptis opibus miſerum ratus eſſe beatum.
  Indè repentinum judex cùm cerneret orbi
Adventare diem, finis ſic protinus, inquit,
Imminet, ut juſti quondam ſub tempore Noë,
Diluvium varios mundi cùm repperit actus,
Et carnem conſumptit aquis, opitéxque ſalutis
Evaſit parto diffuſa pericula claustro.
Hæc evangelicis ſunt inclamata figuris.
  Providus interea conſummat conditor arcam.
Tunc juſſæ accurrunt volucres, tunc beſtia quæque
Conſuetum linquens ſylvoſo tegmine luſtrum,
Depoſitâ feritate venit, ſeſéque tenendam
Ingerit occurrens, & libertate relictâ
Includi gaudet. tamùm decreta futuri
Vis valet. occultus brutis in ſenſibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine vitam.
Aſt homines, quos ſors certi diſcriminis urget,
Vicinâ nec morte pavent. ſatis undique conſtat
Vitali indicio præcedere ſæpe timorem.
Securos lætóſque reos tellure Gomorræ
Jam prope ſub flammis ſententia dicta videbat.
Ninivæ contrà populis terrore ſalubri
Prævaluit pro pace metus. Nam venerat illuc
Juſſus, multùm ille & terris jactatus & alto,
Qui clamaturus tantæ diſcrimina plebi
Diluvium timuit mundo conſtante propheta.
Hauſerat hunc valido pervadens beſtua rictu,
Immerſúmque mari ventris concluſerat arcâ.
Deglutire virum, faucéſque implere capaces,
Ardenti monſtro cùm ſit permiſſa poteſtas,
Non licuit mordere tamen, nil dentibus actum.
Intravit cupidum deludens præda vorantem,
Invaſúſque cibis jejunâ vixit in alvo,
Dum tres luce dies unâ ſub nocte prophetæ
Sol ageret, litúſque novum vacuanda viderent,
Et caſtigatum vomerent ergaſtula paſtum.
  Ut monſtro exutus vates, cælúmque recepit
Contingens terras, magnam tunc percitus urbem
Terribili cum voce potens, quid criminis, inquit,
Ardetis flammis? reſtringent omnia pœnæ.
Jámque venit finis, lentum eſt hoc dicere, venit.
Non plùs fatus erat, totus conjurat in omne
Lamentum populus: procurrunt undique fletus,
Pectora tunduntur, cælum ſuſpiria pulſant.
Mollibus abjectis Cilicum dant tegmina ſetæ,
Inque cibos cinerem, lacrymáſque in pocula fundunt.
Ipſe etiam, dignus tali qui tempore princeps
Ante aciem flentum portet vexilla ſalutis,
Atque novum dictu metuens diſcrimina vincat,
Projicit hinc ſceptrum, linquit ſublime tribunal,
Pallia blattarum ſpreto diffibulat auro,
Serica deſpiciens, atque aſpera tegmina ſumens.
  At pius ex alto contemplans talia rector
Exertas revocat ſedatis motibus iras,
Vibratúmque tenens reſtinxit miſſile fulmen.
Temporibus propriis juſtus ſic conditor arcæ
Securo ſolus timuiſſe pericula mundo
Gaudebit, finem cunctis, ſibi ferre ſalutem,
Diverſam cernens meriti diſcrimine ſortem.
Ergo ubi ſylveſtres ſexu collegit utroque
Incluſitque feras, pecudum tunc eligit illa
Sumere, quæ licitum eſt mandi, vel munda vocantur.
Hinc tantùm ſeptena dedit viventia claustro,
Ut ternis paribus ſervato ſemine ſalvis,
Septima quæ fuerint ſacris quandoque litentur.
Et jam vitalis concluſerat omnia carcer.
Tunc Juſtum, cunctóſque ſuos, natóſque, nurúſque
Accipit expectans clauſtrum, vitæque reponit.
Nam ſervos nondum dederat natura vocari,
Nec dominos famulis diſcernere noverat ordo.
Primus enim maculam ſervili nomine ſenſit
Hujus natorum medius, qui fortè cachinno
Diſtectum petiit miſero ſpectamine patrem,
Materiámque ſui riſit deformior ortus,
Et plùs jam turpis nudato ſimplice nequam.
Quod poſtquam ſanctus potuit cognoſcere Noë,
Natum germanis famulum dedit. indè repertum
Tale jugum. cuncti nam ſemine naſcimur uno.
Servitii certè cauſam feciſſe reatus
Cernitur, & liber peccans ſit crimine ſervus:
Si rurſum nexu famulus ſtringatur honeſti,
Natales faciens ſibimet, jam nobilis hic eſt.
  Nuntius interea, dudum qui miſſus ab alto
Detulerat Juſto cœleſtis munera verbi,
Protinus ut clauſum vidit, rebúſque paratis
Expectare diem, rurſus deſcendere cælo
Feſtinans, laxos firmavit cardine poſtes,
Incluſitque viros, atque oſtia fortia traxit,
Confeſtímque levans ſupero ſe rettulit axi.
Ævo ſexcentos ſenior tranſcenderat annos,
Lunáque bis plenos addebat menſtrua curſus,
Septimus & decimus qui pòſt illuxerat orbi,
Ultimus ille dies jam nunc dabit omnia leto.
  Ilicet obtegitur cælum, nimiſſque tenebris
Victa repelluntur fuſcati lumina ſolis.
Inſanas hominum mentes vix tangere terror
Cœperat, inſuetus mox profluit æthere nimbus,
Et valido primùm ſimilis demittitur imbri.
Arida terrarum pariter maduere per orbem,
Una fuit toto facies & nubila cælo.
Ægyptus tunc ipſa novas expavit ad undas,
Allit & infuſus Garamas, dudúmque calentes
Humida Maſſylas tetigerunt frigora Sirtes.
Nec longùm pluviæ ſpecies, non denique guttæ
Stillant, ſed rupto funduntur flumina cælo.
Non aliter Tanaïs, nivibus cùm paſcitur albis,
Riphæo de monte ruens illiditur amni,
Præcipitátque ſimul longo quod tramite ducit.
Undarum tali quatitur certamine tellus,
Fítque lacus inſtar compreſſus fluctibus aër.
Nec tamen hìc lymphas tantùm fudere ſuperna,
Terreſtres etiam mundus conſurgit in iras.
Rumpitur omne ſolum, crebros dant arva meatus,
Proſiliunt fontes, ignotáque flumina manant.
Vergitur in ſurſum mutato pondere nimbus,
Indè cadens cælis, hinc terris undique ſurgens,
Occurrit mox unda ſibi, junctóque furore
Conjurant elementa neci. tranſcenditur omnis
Riparum limes fluviis, atque obice ruptâ
Sævit laxatis diſcurrens humor habenis.
Sed cùm diffuſæ ſpatium concludere terræ
Omnia certarent, mundúmque implere capacem,
Suſpendi forſan potuit ſententia læti,
Atque morâ majore trahi, quo tardiùs omnem
Concedens ſpatium rapiat ſors ultima carnem:
Oceanus vertex rerum ni fervidus uno
Littore, quo tantùm terras atque æquora cingit,
Exiret, rumpénſque fidem perfunderet arva.
Diſſipat æternas leges, & ſede relictâ
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.
  Ut diros primùm pelagi ſenſere furores
Illuſtres fluvii, magnos quos inclyta curſu
Fama refert, motáſque novos ſtupuere parumper,
Ut credas ſapuiſſe fugam, ſic verſa retrorſum
Per terras ſpargunt ſublata volumina ponto.
Inſequitur tamen Oceanus, refugíſque fluentis
Imminet, & falſis impellit molibus amnes.
Tunc major ſtrepitu tanto mortalibus agris
Fit metus, aſcendunt turres, & celſa domorum
Culmina, præſentémque juvat vel tempore parvo
Sic differre necem. multos dum ſcandere tentant
Creſcens unda trahit, quoſdam moutana potentes

Con-

Conſequitur, letóque fugam deprendit inanem.
At alii longo jactantes membra natatu,
Defeſſi exſpirant animas, aut pondere nimbi
Obruta fluminea commixta per æquora lymphas
In quocumque bibunt morientia corpora monte.
Ædibus impulſis alii periere ruinâ,
Inque undas venere timul dominſque domúſque.
It tragor in cælum ſonitu collectus ab omni,
Quadrupedúmque greges humanâ in morte cadentum
Augent confuſos permixtâ voce tumultus.
Hæc inter miſeri ſerventia funera mundi,
Prægravis inſanis pulſatur motibus arca,
Compagéſque treinunt, ſtridens junctura laborat.
Non tamen obſtructam penetrat vis improba, quanquam
Verberet, & ſolidam fluctu feriente fatiget.
Non aliter crebras Eccleſia vera procellas,
Suſtinet, & ſævis ſic nunc vexatur ab undis.
Hinc gentilis agit tumidos ſinè more furores,
Hinc Judæa fremit, rabidóque illiditur ore,
Provocat indè furens hereſum veſana charybdis:
Turgida Graiorum ſapientia philoſophorum
Inter ſe tumidos gaudet committere fluctus.
Obloquiis vanos ſuſtlant mendacia ventos,
Sed clauſam vacuo pulſant impunè latratu.
Jam medium creſcens arcæ contexerat unda,
Commovítque cavam ſuſpendens undique molem,
Et meliùs tutam facili portante natatu,
Quóque vocant undæ, ſequitur jam mobile pondus.
Cedamus mundo, dum ducimur: omne refiltens,
Si flecti neſcit, metuat vel pondere fraugi.
Sed ſic cedamus, fluxum ne ſentiat intus,
Peccatúmve trahat mens impenetrabilis ullum.
Navigat interea clauſtro commiſſus eunti
Fons vitæ, ſervátque furens ſuper omnia pontus
Orbis depoſitum, fido quod tegmine promat,
Cùm pax terrarum reddi ſibi debita poſcet.
Ergo ibant undæ, tellus ſubducitur omnis,
Collibus impoſitæ vicerunt edita lymphæ.
Delituit tectus ponto tum piniſer Othris,
Parnaſſi vertex cautem non protulit altam,
Ipſa cupreſſiferi latuerunt ſaxa Lycæi,
Subductæ rupes, æquatæ fluctibus Alpes,
Omnibus excluſis totus jam denique mundus
Axis & unda fuit. Nam cunctis morte ſubactis
Regnabant pelagi ſylvoſo in gurgite monſtra.
Et jam vicinum pulſabant humida cælum,
Jámque quaterdenis manabat noctibus imber,
Complérátque necem, nec jam quod tolleret ultrà
Mors habuit, preſsítque natantia funera pontus.
Frænantur tandem pluviæ, reſplenduit æther,
Redditur & cælis vultus. Sol ipſe reductus,
Sed non inventis queis reddat lumina terris,
Tantùm luxit aquis. triſtis videt æquora fulgor,
Quámque breves radios admotas frangit in undas,
Tam conſumendis fervens ac proximus inſtat.
Nec minùs & patuli terræ clauduntur hiatus,
Quæque priùs vomuit letali ex ore fluenta,
Obicibus propriis conſtricta reſorbet abyſſus.
Nec tamen ut venit, breviter ſic unda recedit:
Siccant non pauci longo ſed tempore menſes,
Quod pauci ſudere dies. jam ducta natatu
Armeniæ celſis inſtabat montibus arca,
Et nondum nudis fundo conſedit in arvis.
Ut ſtabilem ſenſit ſenior, motúque carentem,
Nec fluitare natans ventoſa per æquora lignum,
Credidit abductis nituiſſe liquoribus orbem.
Tunc reſerat ſummam ſublimi à fronte feneſtram,
Emiſsâ refluos exploret ut alite fluctus.
Illa volans longo diverberat æra plauſu,
Atque quatit vacuas pennarum motibus auras.
Cúmque diu feſſis undas perſtringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet ullus,
Conſuetum repetit protpecto ex æquore clauſtrum.
Exceptam ſenior manibus tunc colligit intus,
Advertens nullas patuiſſe per humida terras.
Interea magnâ pontus te mole movendo
In chaos antiquum linquens mundana redibat.
Excelſi tandem proferre cacumina primùm
Incipiunt, poſt quos tenues crebreſcere montes.
At verò ut pelagus cinxerunt littora priſcum,
Oceanúſque ſacer notas collectus in oras,
Contentus ſolito labentia flumina tractu
Sorbuit, & cunctis diſtinxit ſæva fluentis,
Torrenteſque ſuæ clauſerunt undique foſſæ,
Libera ſubductis nituerunt arida lymphis.
Tunc interpoſito producens tempore corvum,
Scire cupit ſenior, vacuúmque interrogat orbem.
Ales ut extenſis nitidum petit æra pennis,
Aſpiciens plenis ſtipata cadavera terris,
Carnibus incumbens, & mox oblita reverti,
Rectorem placidum communi in ſede reliquit.
Sic neſcis, Judæe, fidem ſervare magiſtro,
Sic carnem dimiſſus amas, ſic gratia nunquam
Cuſtodi vitæ dominóque rependitur ulla.
Mente vagâ ſic laxus abis, ſic fœdera legis
Rupiſti, & primùm violâſti perfide pactum.
Temporis ut ſpatio ſenior collegit inertem
Jam potuiſſe ſatis corvum ſe reddere clauſtris:
Ignarus tardi reditûs, cauſæque morandi,
Ne fors innexis feſſum conſumpſerit alis,
Junxerit & cunctis pereuntibus unda recurrens:
Protinus albentem mittit de ſede columbam.
Illa memor juſſi rapido petit arva volatu,
Paciferæque videns ramum viridantis olivæ,
Decerpit, mitſque refert ad condita roſtro.
Tali legatus firmavit fœdera ſimplex
Indicio, parúmque pius ſic comperit orbem.
Integer emenſum vertebat circinus annum,
Quo felix clauſtrum ſpirantia cuncta tenebat:
Tum pater ablatis obducta repagula ferris
Pandit, & incluſis deſuetum reddere ſolem
Incipit, effato redeunt ut ſemina mundo.
Antè tamen Juſtus jubeat quàm ſparſa vagari,
Singula de ſeptem, quæ dudum claudere munda
Curavit, natis pariter, nuribúſque vocatis,
Ceſpite conſtructâ diſponens immolat arâ,
Accendens ſanctos his primùm altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numeroſa levat præpinguem victima fumum:
Suavis odor lætum tetigit trans æthera cælum,
Primáque purgati ſuſcepta eſt hoſtia mundi.
Tunc igni permixta ſacro vox intonat iſta:
Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat regnâſſe nefas: mundata lavando
Perpetuò niteat tellus, vultúſque reductos
Contineant elementa ſuos: haud ampliùs ullis
Perturbata malis moles mundana fatiſcat.
Vos quoque, quos leti ſalvavit tempore vita,
Intactóique tenens caſu defendit ab omni,
Ducite ſecurum ſervatis legibus ævum,
Vóſque caput generis fœcundo ſemine prolem
Spargite, diffuſum latè quæ compleat orbem,
Deletum inſtauret numerum, dominetur & orbi.
Fertile quinetiam reddent animantia germen,
Quod tamen inflexum famulabitur ordine priſco.
Inſuper & terris ex hoc jam non erit ultrà
Diluvium regnans, carnem quod conterat omnem.
Unum quod fuerit, ſigno monſtrabitur uno.
Nec ſimilem repetita necem peccata videbunt:
Et ſi crimen erit, terror non deforet alter.
Sic unum genitor jurans baptiſma ſacrabat,
Ut ſemel ablutum lymphis purgantibus orbem,
Sic ſperare reos lavacrum non poſſe ſecundum.
Vix tribus exactis cæli jam partibus ibat
Pronus in occaſum radius, cùm ſortè remotam
Axe ſub Eoo juſſus contingere nubem,
Protulit excuſſum madefacto ex aëre ſignum,
Arcus & emicuit, quem nunc Thaumantida Graio,
Irim Romuleo vocitant ſermone poetæ.
Pendulus obliquum ſolem cùm ſenſerit humor,
Ancipites vario mittit ſplendore colores:
Nec numerare queas, ſic mixtos lumine viſus
Illudunt dubii diverſis vultibus orbes,
Sapphirúſque virens, maculoſus, cærulus, albus.
Purpureum de nube trahit, de ſole coruſcum,
De cælo nitidum, de terrâ ſumit & atrum:
Et tamen abjunctis quæ conſtant hæc elementis,
Sic diverſa putes, ut concordantia cernas.
Hanc formam ſigno trepidis mortalibus arctis
Præſtitit eſſe Deus, promittens nube ſerenum,
Nullâque jam terris debere pericula cæium.
Nunc quicumque cupis veram ſervare ſalutem,
Illud ſuſpicies ſignum, quod ſigna figurant.
Namque dator vitæ præmiſit talia Chriſtus,
Et geminata dedit ſubſtantia ſalvatorem.
In terris ſumptæ nitidâ de virgine carni
Naturalis ineſt patrio de germine fulgor:
Et medius quidam mediator in æthere celſo

Munere

Munere multimodo varius, sed fulgidus omni,
Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum.
Illum corde vide, quisquis baptismate lotus
Ad cælum liber culpis pereuntibus exis.
Nam legis formâ vos, inquit Apostolus, illâ
Salvabit lavacrum, prisci cùm tempore Noë
Conclusas lignis animas describeret octo.
Comparat ille datum, tu servans dilige donum,
Hoc votis precibúsque gerens, hoc fletibus optans,
Ne redeant peccata tibi, ne mersa leventur,
Mortua ne surgant, ne debellata rebellent,
Ne post ablutum valeant discrimina crimen,
Et flammam timeas, quia jam non suppetit unda.

LIBER QUINTUS.

De transitu maris rubri.

HACTENUS in terris undas patuisse canenti,
Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
Illic diluvium quos perderet antè petivit,
Nunc ad diluvium pleno succensa furore
Sponte suâ current peritura millia gentis.
Si non ut dignum tanti præconia facti
Eloquium captent, divinâ in laude voluntas
Sufficit, & famulo monstrari munere votum.
Quòd si quis nequeat verbis persolvere grates,
Non minimum virtutis habet vel credere gestis,
Signa per electos quæ perrexere priores.
In quibus excellit longè præstantius illud,
Quod pelago gestum rubro celeberrima perfert
Scriptorum series, in cujus pondere sacro
Causarum magè pignus erat, pulchrámque relatu
Pulchrior exsuperat præmissæ forma salutis,
Historiis quæ magna satis, majórque figuris,
Conceptam gravido peperit de tegmine vitam.
Sustinuit duros externâ in sede labores,
Dum Pelusiacæ serviret subdita genti,
Plebs oppressa diu: densi quam pondere cæni,
Et laterum numeris, operis mensura diurni
Afflictam sævi vexabat fraude tyranni.
Invisam sibimet frendens qui crescere turbam,
Augeri doluit famulos. Nam jusserat ut lux
Vidisset quoscumque mares, mox docta necaret
Omnis anus, natúmque premat sollertia sexum.
Sed tamen aversæ fugerunt talia matres,
Atque interdictos detrectant perdere fœtus,
Pertistente Deo plebem diffundere sanctam:
Quóque magis mens cæca trahit crudelia vota,
Hoc plus accrescunt teneræ primordia gentis.
Viderat interea genitor de sede supernâ,
Afflictámque manum placido prospexerat ore:
Jam sacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo viridis permanserat æstu:
Quo signo spinas nostræ fervescere mentis,
Et lucere pio qui non consumeret igne,
Devotus nôsset sanctis in cordibus ardor.
Illicet electi vates mandata ferebant,
Depromit regi cùm primus talia Moses:
Servitii longo lassatam pondere plebem,
Oppressos cophinis humeros, attritáque colla,
Quásque opus assiduum fecit durescere palmas,
Laxandi jam tempus adest: dimitte precantes
Tandem cœlesti domino persolvere vota,
Et complere datos patrio moderamine ritus.
Ille fremens inquit, quæ tanti causa tumultûs,
Quisve novus populum Deus exigit omine misso?
Scilicet hæ vacuæ tangunt cœlestia curæ,
Ut dominus dominis famulos nunc tollere priscos
Vellet, & ad tumidos mittat mandata rebelles.
Quis Deus ille foret, cui me parere necesse est?
Aut sceptris celso quid formidabile regi?
Sed vestras nimiùm seducunt otia mentes:
Et nisi laxatos requies concessa foveret,
Nulla supervacuis tererentur tempora verbis.
Quæ si castigans restringet sarcina major,
Illicitus vetitum conari desinet ausus.
At vos, signifero qui talia vota ducatu
Instruitis, vâno & plebem subvertitis ore,
Conspectus vitate meos, vultúmque cavete.
Ditem namque Pharon, vel pollentissime cursus
Testor Nile tuos, & divæ vocis Anubem
Cùm rabidus latrat, jam non impune futurum,
Si nostrum rursus repetant hæc dicta tribunal.
Virgam fortè manu gestabat legifer heros,
Quo baculo nitens gressum dum dextra regebat,
Excutit hanc valido projectam comminus ictu.
Tum mirum dictu, commotum serpere lignum,
Non insentibiles ceu promit palmite ramos
Vita movens tantùm quos præstat crescere fructus:
Sed flexu reptans, mutati & corporis usu
Sensum animámque gerens, cœpit decurrere virga,
Mox anguem formata refert. conterritus hæsit,
Æternúmque niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confusum tali succumbere signo
Cerneret assistens vultu nutante satelles,
Dissimulat summo rem gestam credere jussu,
Nec divina volens, hominum sed facta putari,
Tum mandat quoscunque magos, vel carmina doctos,
Illicitam diris tentantes fraudibus artem
Ægypti, longinqua darent habilia, cogens
Murmure funereo faciat monstrata minister.
Undique tunc jussi concurrunt, & medicatas
Armant quique suas noto medicamine virgas.
Dant jactæ vanas species, anguésque putati
Illusos terrent oculos fallente figurâ.
Nec longùm tumuere magi: consumitur omne
Quod fecisse rati. fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta.
Postquam virtutis clausit spectacula Moses,
Victorisque tenens caudam tellure levavit,
Decedit serpens ligno, vultúsque recedit,
Diriguêre vagi durato corpore flexus.
Quid multis? fit virga prior, qua deinde sacerdos
Plurima succiduo monstravit tempore signa.
Hinc dirùm frendens Pharaonis conscius ardor,
Divinæ incipiens per cuncta resistere dextræ,
Et quæ cognoscens, nolens tamen ipse fateri,
Protinus expulsos jussit discedere vates.
Illi divinas pulsant cum fletibus aures,
Ut fremitus gentis tandem frænetur iniquæ,
Quam gravius sævam monitus fecere superni,
Ipsis quinetiam cælestibus arma minantem.
Tum pater, accipiens gemitus lacrymásque precantum,
Taliter hortatu blando solatur amaros.
Ne tantùm vacuo submittite corda timori
Plebs mea, quam toto mundi de corpore sumptam
Elegi, & propriâ solam mihi sorte dicavi.
Jam nunc cernetis quanto primordia vestra
Prosequar auxilio, sævos ac persequar hostes.
Ducam sublimem portenta per omnia dextram,
Nec volet in paucis Pharius rex cedere signis,
Longiùs ut duram vincant miracula mentem.
Post hæc laxatos quin & discedere coget,
Expellétque solo: quod nunc negat, ingeret ultro.
Ibitis ad magnas post fortia prælia sedes,
Quò vocat expectans præfertilis ubere terra,
Et claras victis condetis gentibus urbes.
Vos modò promissis tantùm confidite donis,
Et quos deposcent ingentia facta labores,
Læta ferat virtus, seséque ad prospera servet.
Talibus auditis melior spes accipit illos.
Attollunt animos, palmásque ad sidera tendunt,
Concipiúntque fidem votis, gratésque rependunt.
Postera lux dubios primùm præmiserat ortus,
Et successorem depulsâ nocte ferebat
Insistens aurora diem: tum flumina sanguis
Imbuit, & subitò maduerunt arva cruore.
Sed non hoc minimis portentum contigit undis,
Fluviorum rex ipse rubet, nec lumine prisco
Nilus agit proprium quem sumpsit fonte nitorem.
Quin magis, averso ne tangat pristina limo,
Sanguis in externum certans manare canalem,
Carnosus non carnis erat, nec corpore fusus,
Aut strages quæ multa simul, quo vulnere possit
Lympharum damnum proprio supplere cruore.
Naribus obstructis pressi, victóque natatu,
Interiere simul peregrini in gurgite crasso
Auxerúntque suo saniem de funere pisces.
Et fortasse rear cladis mortisque futuræ
Sanguinis indicio jam præcessisse ruinam,
Hoc ipsum ni pœna foret. Nam scilicet omne
Ægypti spatium, vel quò patet ampla Canopus,
Mox inter pingues sitiens defecerat undas,
Si non omnipotens celerem super arva medelam
Spargeret, & nitidos revocaret vallibus amnes.

Tum verò ut requiem peſtis ſubducta reduxit,
Effertur rurſus dilatâ morte tyrannus,
Et vix evaſum contemnens mente flagellum,
Innocuam ſtagris perſiſtit ſubdere gentem.
At quid per cunctam ſtylus æſtuet ire ſuperbi
Perfidiam, cæſi numerans perjuria regni?
Sed tamen extorquent varium mendacia monſtrum,
Undáque vicino vixdum purgata cruore,
Ranarum fœdis texit cantatibus urbes.
Complentur cellæ, ſtrati, penetralia, menſæ,
Suſtinet innumeros regalis purpura ſaltus,
Atque premens homines frendet ſuccumbere ranis,
Quarum mox cumulis flammâ tonitrúque ſubactis,
Congeſtiſque, ſonans muſcarum nubis ad auras
Exiit, infectum corrumpens æëra flatu.
Illic quas ſcinifes vocitant, quantóſque volatus
Pendula committunt levibus corpuſcula ventis,
Pennarúmque vices peragunt ſtridentibus alis?
Funduntſe pariter, turbatáque mœnia complent.
Et licèt immerſis defigant vulnera roſtris,
Plus horror quàm pœna movet, ſed tollit & iſtam
Ventus agens, ceſſat laxata moleſtia paulùm.
Confeſtim ceſſante metu, nec longiùs ira
Sentitur quàm plaga calet. Sed peſte remotâ
Succedunt aliæ graviùs. conſumitur omne
Jumentum, cunctóſque greges nox abſtulit una.
Nec tantùm damnoſa reos portenta fatigant:
Vertitur ad carnem quæ ſuſcitat ira dolores.
Inſidunt penitus turgentia vulnera membris,
Et ſacer incubuit percuſſis artubus ignis.
Creditur hic etiam caſu contingere languor:
Sed morbus mentis diſcrimina corporis urget.
Præterit ille dies: tum demum luce ſecutâ
Concutitur cælum tonitru, nubéſque coactæ
Terribili ſplendore micant: ferit omnia fulgur,
Fulmina agens, totas uno ſub tempore mortes
Æthere turbato terris elementa minantur.
Ignibus inferitur prægrandis corpore grando,
Non ut nube ſolet terris nimboſa venire:
Sed quocumque cadens ut deprimat, atque ruinam
Pondere vel ſolo faciat. conjungitur ergo
Grandinem flammis ferventibus æëre ſtrigus,
Et natura neci ſervans adſignat utrumque.
Hic primus ſtragem ſparſis dat mortibus imber:
Exin reſtantem ſurgit conſumere fructum
Bruchus, & excuſſo confidens crure locuſta.
Hoc ſed docta malis, & jam diſcrimine crebro
Tanquam lene ſatis calloſa ſuperbia duxit.
Inſequitur velox graviùs quæ vindicet ira.
Cæcas manè novo ſurgens ſol ſparſerat umbras,
Et lætus juvaris ſplendebat fronte ſereni,
Cùm ſurgens mediam nubes ſe porrigit atra,
Naſcentémque diem depulſo lumine claudit.
In molem nox denſa coit, perit obrutus aër,
Palpantéſque manus denſas ſenſere tenebras,
Atque repercuſſus vexatur anhelitus ager:
Et ſi ſopitos flando quis ſuſcitet ignes,
Aut flammas excire velit, compreſſa necantur
Lumina, nec vibrant reſtricti pondere motus.
Quo quemcumque loco tenebroſus repperit horror,
Continuit, vidit nullum, nec viſus ab ullo eſt.
Squallentes pariter viventia millia credas
Infernas intrâſſe domos, aut fortè revulſâ
Obice terrarum patriam ſordentis abyſſi
Migrâſſe in ſuperos, ac mundum luce fugatâ
Sub leges miſiſſe ſuas. tres perdidit iſtâ
Nocte dies, dignè pendens perjuria tellus
Iſthæc damna tulit. nam cetera fulgidus orbis
Continet, & ſolitos diſtinguunt tempora curſus.
Moſes interea lacrymas, jejunia, vota
Continuat, precibúſque frequens ac pervigil inſtat,
Majoris natu fultus ſolamine fratris.
Inſtruit hos ſacris ſimul, informátque creator
Myſtica ſolennem quæ pandat victima ritum.
Cernitis ut multâ deſudans clade reatum
Ægyptus contrita gemat ſatis undique tacta,
Sed tamen immotâ perſtans cervice rebellis?
Nec portanda diu præcedunt iſta ruinam.
Ægrotat quodcumque tumet, nec ſana ſuperbo
Cauſa ſubeſt, junctum monſtrat mens turgida letum.
Unus adhuc reſtat qui vindicet omnia luctus,
Póſtque novem decimâ percellat cæde merentes.
Vos modò perpetuos ſacrorum diſcite mores,
Cultibus & propriis manſurâ lege tenete.
Menſibus in cunctis, orbis quos circuat anni,
Iſte caput princépſque foret, quem nomine belli
Gentiles vocitant, vos tantùm dicite primum:
Lunáque bis ſeptem cùm fecerit addita noctes,
Veſpere tum ſero dabitis primordia ſacris.
Sumite manſuetum perfecti temporis agnum,
Qui careat maculâ, & purum det corpore vellus.
Hoc animal feſtis mactabitis. hujus utrumque
Signabit ſanguis nitido de corpore poſtem,
Hoc dabit indicium ſervandæ cura ſalutis,
Cùm percuſſor aget tacitam ſinè vulnere cædem,
Perſpiciet ſacro limen maduiſſe cruore,
Hoc tantùm tranſire volens. diſtantia tolis
Cuſtodit veſtras ſparſis à mortibus ædes.
Sic nos, Chriſte, tuum ſalvet ſuper omnia ſignum
Frontibus impoſitum: ſic ſanguis denique ſanctus,
Tunc præmonſtrati dudum qui funditur agni,
Oribus infuſus poſtes luſtrâſſe tuorum
Inter labentis ferventia ſunera mundi
Credatur, caſúque tuos diſcernat ab omni.
Dum non ſignatos percurrit ſunere mucro,
Tu cognoſce tuam ſalvandâ in plebe figuram.
Ut quocumque loco ſanctus mactabitur agnus,
Atque cibo ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Rite ſacrum, celebret vitæ promiſſa ſequentis.
Fermento nequam duplici de corde revulſo,
Sincerum nitidæ conſpergant azyma mentes.
Finierat rector leges & fœdera feſti
Paſchalis mandare viris, quod protinus omnes
Arripuere ſimul. peragunt convivia læti,
Sollemniſque novo cultu diſponitur eſus,
Tranſeat ad ſeros quæ condita forma nepotes.
Nox erat, & mediam carpebant cuncta quietem,
Umbráque libratas jamjam diviſerat horas:
Ecce venit tacito per dira ſilentia motu
Angelus, exerto miſſus qui ſæviat enſe:
Nec confuſa datur ſubiti ſententia leti,
Omne malum ſed forte cadit, longéque videtur,
Quem petat in tenebris præfixi tuneris ordo:
Majores natu pereunt, ſolíque leguntur
Ad mortem primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis famuli pereunt, natíque potentum
Permixtâ cum plebe cadunt. ſic vilis, ut ille
Quem celli tenuit morientem purpura fulcri.
Hæc nudâ tellure jacent, hæc ſerica velant,
Diſparibus ſtratis ſternuntur corpora leto.
Non quenquam mors æqua timet, non excipit ullos
In vivis tantùm qui diſcernuntur honores.
Pauperis ad fletum nullâ pietate movetur,
Ditibus ut parcat nullo corrumpitur auro.
Ægrotum ſanus, longævum junior ante
Migrat. huic ſoli debet confidere nemo.
Hoc tantùm tamen eſt ſibimet quo mortua diſtent,
Vivunt ut meritis qui complent tempora ſorte.
Hæc nunquam penitus morti liceat auferat, & ſi
Jure poteſtatis luteâ compage creatum,
Semine mortali genitum, terræque reductum,
Juſtorum in ſactis leto nil creditur ulli.
Ergo ut percuſſas ſoboles confuſa repentè
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crinéſque revellunt
Unguibus, & nigras feſtinant ſcindere malas.
Nec dominos planxere diu, mox occupat omnes
Luctus quemque ſuus, ſonat unus in æthere clamor
Non uno ex fletu. confundit voce tumultum
Nulla vacans à morte domus. tum lumine nullo
Omni curatur populorum funus in urbe.
Judicium juſtum cogit mœrere merentes.
Et dum quis proprio ſervat lamenta dolori,
Exequias tardant luctus, inhumatáque turba
Dilatâ jacuit tantiſper ſorte ſepulcri:
Et niſi jam tandem vacuos & honore carentes
Vel nudâ tellure locet, vel concremet igni,
Vix collecta manus quæ tantos claudere urnâ.
Tum regem circùm commoto murmure filiæ
Mœſta cohors, humiles depromens voce querelas,
Heu nimiùm noſtris adverſa potentia rebus
Hebræi populi, toties cui vindice dextrâ
Militat omne malum, totus cui denique mundus
Pugnat, & iraro ſuccedunt proſpera cælo!
Vis quædam ſecreta Dei, majórque poteſtas,
Hæc in ſceptra furit, gentémque ulciſcitur ipſam
Urbis jacturâ: ſolos pereuntia ſalvant
Victores elementa ſuos, redimúntque cadendo.

En jacet Ægyptus, nec jam reparabilis ultrà.
Atque utinam pœnas vivis, damnúmque per arva
Ferret adhuc divina manus, nec funere tanto
Deceptam subitâ vacuâsset cæde Canopum:
Tandem parce solo, causásque expelle ruinæ,
Dum levior strages, dum quisquam luce tenetur,
Dum supereſt qui terga premat, qui limite trudat,
Et ne quem, si fortè velint ex corde morari,
Non linat ejecto depellens hospite cladem,
Permoveat noster natorum funere luctus,
Permoveat te fortè tuus: vel pauca superstent
Pignora, quæ tantos tergant servata dolores,
Et detruncatæ reparent dispendia gentis.
His dictis lacrymas populus dedit. ipse superbus
Frangitur ad fletum princeps, victúmque fatetur.
  Hæc perturbatâ sed dum tractantur in aulâ,
Hebræi vatum studio, monitísque supernis,
Optima quæque sacris fingunt, epulísque requirunt,
Vasáque solemnes quæ poscunt plurima cultus.
Ornamenta etiam, vestésque, monilia, gemmas,
Ut reddenda petunt, nec tardus commodat hospes,
Ditat & ignorans trepidam manus æmula plebem.
Quæ jam digna tuis pandantur laudibus ora,
Summe pater, qui tam sævo sic uteris hoste?
Annuit adversus, largitur munera nolens,
Quæ secum dimissa ferant: nec solvere tantùm
Sufficit oppressos, opibus ditantur euntes,
Thesaurósque novos libertas reddita sumit.
Inter ferventes inimicâ in sede furores
Prædatur dominum fugiens, fallítque videntem,
Præsentem vacuat, ne tam discedere pulsos
Quàm lætos migrâsse putes. portantur avari
Sic Pharaonis opes: quem tunc mercede solutâ
Servitii longum credas taxâsse laborem.
Nonnunquam rectis & quæ contraria prosunt,
Et quæ læva malus volvit, mutata recurrunt,
In dextram vertente Deo, solósque nocentes
Vis odii perimens meditata in vulnera ducit,
Et partos fratri laqueos incurrere cogit.
  Egressi interea trepido de rege ministri
Compellunt celerare fugam, cogúntque volentes,
Præcipitant alacres, & festinantibus instant,
Pellendásque putant pulsâ cum gente ruinas.
Jam propè centenum compleverat advena lustrum
In regnis Ægypte tuis, ex tempore quondam
Quo priscus Patriarcha Jacob perduxerat illuc
Bis senâ cum prole domum, carósque nepotes,
Quo per fœcundum creverunt millia patrem.
Procedit tandem populus, móxque agmine juncto
Diram linquit humum tenebris ac luctibus orbam.
Nam vicina dies nondum produxerat ortus,
Hæc nox festa Deo redeuntibus annua sacris,
Hæc gentis solennis erit, quæ solvitur hoste.
  Primo conspicuus fulgebat in ordine ductor
Legifer, adjuncto præcedens agmina fratre.
Post quos belligeræ disponunt arma cohortes,
Ducunt & validas instructo robore turmas.
Arma ferunt humeris, enses per singula lævo
Dependent lateri, presso tum vertice cassis
Fulget, & albenti certat lux ferrea lunæ.
Nituntur jaculis alii, clypeósque sinistris
Volvunt, & rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris, volucrésque sagittas
Hostis in occursum mittendis mortibus aptat.
Aut si fortè virûm fugientia terga sequatur,
Ut pennata leves transmittant spicula ventos.
  Incedit pavidum postrema per agmina vulgus,
Non impar numero, cælum cùm pingitur altris,
Æstuat aut motus pelagi crispantibus undis,
Littore vel quantas converrit fluctus arenas,
Vel quantis stillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharii satrapæ, nec credere tantùm
Se potuisse vident: placet ejecisse tot hostes.
Sed non hac acie duri salvabere ferri.
Quamlibet innumeris peditum stipere catervis,
Unus pugnabit cunctis pro millibus auctor.
At populus lento moderatus tramite gressum
Arreptum carpebat iter, præcedere tantùm
Aggressis ducibus, quantùm vel tarda senectus
Vel rudibus reptans infantia sustinet annis,
Ne præmaturis fragilem contristet eundo
Ætatem sexúmque labor. Sic cuncta supernus
Dispensat nutus, plebique assistit ovanti.
  Ergo ubi signatis sederunt millia castris,
Armatúsque pedes vulgus vallavit inerme,
Vespere tum primo stanti adsimulata columnæ
Insistens puro resplenduit æthere flamma:
Non tamen ut noto dirum micat ignis in axe,
Prodita cùm terris cæli portenta minantur,
Seu morbis tristem, bellísque aut cladibus annum:
Sed radiis fulgens, & lumine candida læto,
Ostendit nitidum castris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ, vicináque sidera cedunt.
Obstupuere viri primùm, perterruit omnes,
Incussítque metum novitas, tum luminis usus
Paulatim cæleste jubar commendat amori.
  Maxima nocturnos jam pars exegerat horas,
Et volvenda dies instabat forte propinquâ:
Cunctorum antè oculos per cælum vila moveri,
Arripuítque viam populo spectante columna.
Protinus hanc patres sancti sensere sequendam,
Esse ducémque ducum: læti mox prælule tantâ
Abrupere moras, castris excedere certant.
Tunc ut quæque tribus primum sortita laborem
Ordine carpit iter, sequitur tum cetera pubes.
  Hæc inter clarum rediens lux pandit olympum,
Flammea pallescit conspecto Sole columna.
Vertitur in nubem totus qui fulserat ignis,
Sed species perstat tenuæ super æthera formæ.
Tertia nocturnos deterserat hora liquores,
Et matutinas scandens sol vicerat umbras:
Ecce novum dictu, cælo servata sereno
Frigida ferventi jussa est opponere nubes
Se radio, densúmque parat tenuissima tegmen.
Sic circumjectis, tellus quæ sis ardet Eoa,
Æstibus ignorat genuinum turba calorem,
Vesperis ut credas leni respergere flatu,
Blanda vel humentes diffundere frigora ventos.
Nec tamen hanc nubem tetro suffusa colore
Forma dabat, nec concreto sic horrida vultu,
Ut terrent validos cùm promunt nubila nimbos:
Sed qualis madidus solem cùm viderit arcus,
Tanta fuit pulchræ species extenta columnæ.
Noctibus ignis erat, luménque accensa ferebat,
Cùm sol torreret, gelidi dabat humida roris.
Has alternantem ducens cum tempore sortem
Mutavit natura vices, substantia discors
Muneribus propriis concordem reddidit usum.
Si mansit, mansêre viri: si mota, secuti.
Si multis etiam visa est pendere diebus,
Subdita defixo tardabant agmina vallo.
  Ista quaterdenis pietas percrebuit annis,
Dum vastos eremi curris, Judæa, recessus,
Vincla pedum firmante viâ, dum tempore tanto
Non attrita suum servarent tegminâ pondus,
Mollitiéque novâ prisci durantur amictus.
Sic longæva foret, quòd non damnosa vetustas,
Dum sacrum populo victum candentia manna
Ferrent, & cæli frugem terrena viderent.
Per quam sublimis prædiceret antè figura
Edendum ex utero purum sinè semine corpus,
Quo caperet pascenda salus de sede supernâ
Illabente Deo sanctis altaribus escas.
Hoc signo summus percussâ rupe sacerdos
Protulit irriguos populis sitientibus haustus.
Christum namque vides stabilem consistere petram,
Percussus jaculo largas qui præbuit undas,
Porrexítque suis sacro de vulnere potum.
  Hebræi interea læti ducente columnâ
Per terras gressu, per cælum visibus ibant.
Ecce iterum Phariis insedit mentibus ira,
Et populus sinè more ferox his vocibus armat
Tandem postremos vicinâ morte furores.
O nimiùm stultis illudens mentibus error,
Præstigiæque satis nebulosâ in fraude peractæ!
Nónne pudet famulam nullo certamine gentem
Sic impune rapi, quòd nemine præsule tantus
Deseruit vacuas discedens accola terras?
Rura vacant, cœptis desistunt oppida muris.
Non solitum consurgit opus, non cultor in agris
Exercet validos attrito dente ligones.
Turbidus exactor siluit, nullóque tumultu
Fervida consuetos repetunt suspendia census.
Quin potiùs sumptis exercitus irruat armis,
Imbellémque manum, profugósque reducat alumnos.
Quos si servilis tantùm succenderit ausus,
Ut telis certare velint, mox occidat omnis.
Confusâ cum plebe manus: ferventibus armis

Permixtæ pereant confosso pectore matres,
Uberibus junctos configant spicula natos.
Prolem quisque suam cernens ante ora cadentem,
Oblatis optet jugulis succurrere morti.
Orbatum nostros faciat libare dolores
Utima sors populum: sic vivens omnia perdat,
Tum pereat. densâ campi sub strage jacentes
Tristi committant inhumata cadavera culo.
Indè ubi jam totos satiaverit ense furores,
Thesauros revocet fugientes dextera victrix.
  Talibus excitus acuebant flatibus iras,
Irridente Deo, solus qui despicit omnem
Conatum rigido meditantem vana timore,
Consiliúmque ducum cassato dissipat actu.
Ergo bella rogant, fervens rapit arma juventus,
Spumantes ducuntur equi, phaleristque potentes
Suspendunt alacres splendentia fræna jugales.
Pugnax pompa nitet, subjectus curribus axes
Aurato temone trahunt: tum cetera pubes
Induitur chalybe, aut fulvo circumdatur ære.
Hi loricarum vasto sub tegmine gaudent,
Intexti creber sibimet quas circulus hærens,
Atque catenosi crepitant per corpora panni.
Ast aliis tenui concurrens lamina ferro,
Quà se succiduas junctim scandente per oras
Flectitur, adsuti crates compacta metalli
Horrentes habitus diversâ fecerat arte.
Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum
Terribilis plus forma fuit, quis namque furentes
Spectet, quos lætos vix possit cernere vultus?
Inclusæ galeis facies, & ferrea vestis
Cinxerat iratas armorum luce tenebras.
Progreditur collecta manus: rex ipse frementes
Curru cogit equos, telis tamen undique septus
Delituit, densam reddunt hastilia sylvam.
Concutitur pulsata rotis & pondere tellus,
Angustavit humum latam stipata juventus.
Conclusitque vias quicquid virtutis habere
Ægyptus potuit, totum mors proxima ducit.
  Junxerat interea, ponto quà Magdalus instat,
Hebræus populus rubranti castra profundo,
Evasos credens securis mentibus hostes.
Dum residunt, fixóque parant requiescere vallo:
Cernunt pulvereas in cælum surgere nubes.
Cunctatis primùm mox agmina sæva patescunt,
Non tamen infensas patitur committere partes
Sole sub occiduo vicinus prælia vesper.
Diffulit in lucem vallatus bella tyrannus,
Et fors ardentes nondum compesceret iras,
Nec servare furor potuisset fœdera nocti,
Auroràmque velit nioxis præcedere signis,
Flammea nî retro subsistens fortè columna
Objecta medio gentes discerneret ambas.
Contemplans rex ipse tamen mirabile lumen,
Sic ignem metuit, quòd sensu fervidus ardet.
Paulatimque mori non profuit. itur ad unam
Quæ claudat cunctos pelago pendente ruinam.
  Plebs trepidat conclusa loco, finémque sequenti
Expectat pavefacta die, non tela, nec ullas
Bellorum molita vices, sed voce levata
Vatibus insistens: ô térque quatérque beati,
Ægyptus quos morte tulit, tellure vel amplâ
Urnam defunctis supremâ sorte paravit!
Digni qui tantos nequeant sentire dolores,
Nec stragem prolis, vel pignora capta videre.
Alitibus nos esca dati, nec sede sepulcri
Condita deserto solventur corpora vasto.
Talia voce viri: respondit luctibus omne
Vulgus, & accenso persultat tuba tumultu.
  Tum sancti cœpere duces promissa referre,
Solarique metum, fletúque abstergere dictis.
Quæsumus ingratos deponite mente timores,
Experti multùm nec desperanda putetis
Quæ tantis spondent cœlestia munera signis.
Infidissne potest elabi cordibus unquam
Ægyptus tot cæsa malis, intérque flagella
Succumbens quæ sensit humus, vos, cunctáque vestra
Afflicto regno salvos vixisse sub hoste?
Quid de transactis dicatur? nempe videtis
Ut mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab adversâ liceat nos fraude vereri.
Quin magìs erectas firmâ spe tollite mentes.
Ultima namque dies defixa est crastina genti,
Quæ nunc bella crepans sumptis confidit in armis.

Non sic pugna foret, nec telis tela ferocia
Obvia, nec vestro vobis sudore triumphus
Hac vice proveniet, cæli pugnabitur irâ.
Qua vobis placido peragentur prælia nutu.
  Talibus intenti vates dejecta levabant
Corda virûm, sanctâ sedantes voce timorem.
At pontum validus ferventi flamine ventus
Urebat, totâ consumens nocte profundum,
Contra naturam genitor dum fulminat undas,
Ardet & afflatus percusso in gurgite fluctus.
Jam matutinum perveneral horrida tempus
Vix acies, primóque nitens auroca rubore
Spargebat mundo, tetris dum protinus omnes
Erumpunt castris, fremit undique mota juventus.
At pavidæ plebis postquam pervenit ad aures,
Clangentisque tubæ percussit pectora terror,
Arripiunt carpántque viam, quà proxima ponti
Littora sollicitant rubro infecta liquore.
  Ut summas pelagi populus pervenit ad oras,
Cessit confestim ductî reverentia fluctûs,
Expanditque viam, cui terram clauserat hostis.
Machina, pendentis struxit quam scena liquoris,
Frænatas celso suspenderat aëre lymphas.
Aggreditur medium fugiens vincénsque sequentes
Gens electa Dei, figens vestigia terris
In regione maris. calcantur saxa profundi,
Conterit & nudum percurrens orbita limum.
Torridus aspectum sciffis sol inserit undis,
Ignotámque novo contingit lumine terram:
Longior & radius spatium descendere tantum
Certavit, fessúmque jubar vix intulit imis.
  Credidit exclusos primùm, fluctúque repulsos,
Inque fugam versos Pharius dare terga tyrannus.
Præcipitare moras tali jubet agmina verbo:
Ecce iterum fugitiva cohors pendentia bella
Deserit, auxilióque pedum confisa recedit:
Vos armis premite, & claudis insistite tantùm;
Cetera pontus aget. Vix hæc perdixerat, illi
Prosiliunt, cursúque ruunt attingere littus.
Ut venere, vident arentis vasta profundi
Insolitam præbere viam, pansóque recessu
Ceu trepidas fugisse piis calcantibus undas.
Hos quoque per siccum tutos descendere callem
Securos pelagi atque sui, non arma, nec ipsum
Formidare satis patientem vincula pontum.
Subsitit ad modicum restrictis motibus agmen,
Frænáque suspensos tenuerunt ducta jugales.
Atque aliquis, cui vel tenuem mutata calorem
Tunc scintilla dabat cordi, sic fortè locutus:
Quis Deus à prisco detorquet cardine mundum
Lege novâ, mutátque vices, & condita turbat?
Nam si servatur rebus natura creatis,
Monstrifera quæ causa vias? quid denique restat,
Si mare transitur gressu, nisi navibus arva
Suleentur, cælúmque suo decurrat ab axe,
In superos inferna levent, plaga fervida cæli
Algeat, afflatam succendat scorpius ursam?
Hæc nisi confusus rerum subverterit ordo,
Non duce me quisquam sævum descenderit æquor,
Sit suspecta mihi quæ semita dirigit hostem.
Nam si bella velit librans æqualia numen,
Obice servatâ fugitivum clauserat agmen.
Nunc abeant, tantúmque vagos sua monstra sequantur.
Nec satis amplector, siccum circumvenit altè
Quòd pelagus, nudo celans discrimina fundo.
Excipit hæc ardens cum seditione tumultus,
Instantisque latens urget sententia leti.
  Vicerat æquoream pedibus plebs inclyta vallem,
Gurgitis & vacui convexa volumina linquens,
Post barathrum superas scandebat littore terras.
Effertur nigri dux agminis, & Pharaonem
Ira subit, proprio vocitatum nomine Cenchrem.
Arripiunt pariter referati concava ponti,
Invadúntque viam. Quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit, pars indè citatis
Ire jubet stimulis rapidas super arva quadrigas.
Ut medium venit frendens equitatus in æquor,
Accusátque moras tam læti gurgitis ardens
Ira virûm, tremit artato pars altera mundo:
Tum per sublimem splendenti nube columnam
De cælo vox missa tonat, verbísque superni
Interpres, sanctum compellans nomine Mosen,
Venit, ait, tempus, mea quo mandata probentur:
Ægypto jam finis erit, jam clade supremâ

Tot

Tot caſtigatam vicibus ſententia mentem
Puniet expugnans, cuſus ſuccede flagellis.
Tu modò diviſum virgâ jam percute fluctum,
Atque reducta ſuos aſſumant æquora vultus.
  Ille genu fixo ſiccati marginis oras,
Et littus cui fluctus abeſt, mox juſſus adeſſe,
Percutit, inſigni credens myſteria ligno.
Hinc ſubitus crepitare fragor, tonat undique circùm
Lympha ruens, primúmque illic commiſcetur unda,
Quà monſtrabat iter Phario ſors ultima regi.
Poſtquam clauſa via eſt, fluctúſque repellit euntem,
Pœnitet intrati jam gurgitis, & fuga ferum
Molitur reditum: trepidæ dant terga cohortes,
Armáque projiciunt. pontus fugientibus inſtat,
Occurſúque ſequens: perit undique circumjectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.
Ille ferus ſemper, jam mitis morte ſub ipſâ,
Non hæc humanis cedit victoria bellis,
Expugnamur, ait, cælóque evertimur hoſte.
Effuge quiſque potes, victúſque evade ſatelles,
Nec jam tela Deo conatibus ingere caſſis.
O ſi compunctas humana ſuperbia mentes
Ante obitum mutare velit! quid denique prodeſt
Tunc finem poſuiſſe malis, cùm terminus urget?
Præſentis vitæ ſpatium cùm ceditur ævo?
Confiteare, ait, ſanus, ſcriptura, valénſque.
Si tunc peccatum quiſquam dimittere vovit
Cùm peccare nequit, luxu dimittitur ipſe.
  Ergo exaltatis pendens ſuſtollitur undis
Mox mergenda phalanx: lympharum monte levata,
Pondere telorum premitur, fundóque tenaci
Indutum revehunt morientia corpora ferrum.
Pars ex armatis cùm primùm libera membris
Implicuit nantes miſeris complexibus artus,
Auxilio decepta perit, paritérque tenentes
Æterno ſub faſce ruunt, nexique necantur.
Alt alii, laſſata diu dum brachia jactant,
Incurrunt enſes, jaculiſque natantibus hærent,
Concolor & rubro miſcetur ſanguine pontus.
  Quin & conſpicuus princeps Memphitidis aulæ,
Candentes ducens nigro rectore jugales,
Inſpectat cladis propriæ, gentiſque ſuperſtes
Ultimus ingreſſis per currum naufragat undis.
Bella vacant pugnante ſalo, vinctíque quietos
Iſraël ſolo peragens certamina vitu.
Tum vallis completa perit, fluctúque reverſo
Ducitur extentum plauſtri gurgitis æquor.
Littore jactantur tum tetra cadavera toto,
Expoſitúque ſuum pelagus ſuper æra triumphum.
  Inclytus egregium ſolenni carmine ductor
Deſcribit factum, toto quod pſallitur orbe,
Cùm purgata ſacris deletur culpa fluentis,
Emittítque novam parientis lympha lavacri
Prolem, poſt veteres quos edidit Eva reatus.
De qua ſermonem præmiſſo carmine ſumpſit,
Luctificos replicat tenuis dum pagina lapſus.
Si quid triſte fuit, dictum eſt quod paupere verſu,
Terſerit hoc ſacri memorabilis unda triumphi,
Gaudia quo reſonant, crimen quo tollitur omne
Per lavacrum, vivíſque novus perenne veterno:
Quo bona conſurgunt, quo noxia facta necantur,
Iſraël verus ſacris quo tingitur undis.
Conſona quo reſonat perſultans turba trophæum,
Quo præcurrentis complentur dona figuræ,
Quæ pius explicuit per quinque volumina vates,
Noſque tubam ſtipati ſequimur, numerúmque tenentes
Ponimus hoc tenui cymbæ nunc littore portum.

Atque fatigatam meditando abſolvere mentem.
Non hìc fallaci tingetur barbytos undâ,
Pegaſus unde leves prævertens motibus auras
Fingitur aſſumpto pendens hinnitile volatu,
Dum ferretur equi gravis ungula præpete pennâ.
Sed nec Pierio ducent hìc cantica ludo,
Quas tibi ter ternas mentitur fama ſorores.
Dat tibi germanum ſed verax muſica plectrum,
Et Chriſtum reſonans claudetur tiſtula Phœbo.
  Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Téque dedit generi partu fœcunda ſupremo:
Confeſtim parcam promittit ducere vitam,
Ac deinceps paribus caſtum ſervare cubile
Conſtituit votis earorum cura parentum.
Et quia principium tam ſancti fœderis eſſes,
Tu ſimul offerris Chriſto, qui protinus ipſis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Sic quondam, cùm prima novo ſplendeſceret ortu
Terra nitens, pulchráſque darent ſua ſemina fruges,
Vivantem ducens ad ſancta altaria fœtum,
Innocuis ſonuiſſe Deo balantibus agnum,
Intimante fide juſtus cognoverat Abel,
Et capite oblato placuit grex totus ab uno.
Ergo ubi vitalis fovit te lympha lavacri,
Jámque ſuum peperit cœleſtis gratia pignus:
Non tibi geminato poſuere monilia collo,
Nec te contexit, noto quæ fulgurat auro
Veſtis ductilibus concludens fila talentis.
Nec te Sidonium bis cocti muricis ollrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura fuco,
Mollia vel tactu quæ mittunt vellera Seres.
Nec tibi transfoſſis fixerunt auribus aurum,
Quo dependentes ornarent vulnera baccæ,
Et pretioſa quidem mala ſed ſaxa gravarent.
Latiùs hæc verò ſanctus deſcribit Eſaïas,
Ornatúſque refert varios, qui membra venuſtant,
Quæ mox paſcendis præbebunt vermibus eſcam,
Et forſan dum vita manet. percurrere verbis
Morborum tot ſæva poteſt diſcrimina nemo,
Ante obitum cunctì quæ formidare docemur.
Singula vel totis obnoxia mortibus eſſe,
Omnia dum proprio ſolvantur corpora fine,
Atque unus præſtet reliquos deſiſtere caſus.
Et quid quiſque cupit perituram comere vultum,
Interior dum ſordet homo, ac ſe crimine turpat?
  Sed tibi cùm geminum tetigerant tempora luſtrum,
Mox ſtola ſincero velat te candida ortu,
Virginis os habitúmque decus, & concipit omnem
Floribus in primis jam mens matura pudorem.
Haud ſecùs exultans ſterilis, poſt damna juventæ
Fœcundata novum cùm ferret femina fœtum,
Veſtem læta ſuo parvam texebat alumno,
Diſceret ut Samuel jam tum puer eſſe ſacerdos.
Sic te læta domus ſanctis altaribus aptans,
Aſſueto docuit dignam concreſcere templo,
Scribens in thalamos ac magni fœdera regis.
Et cupit electam ſpeciem ſibi jungere Chriſtus,
Ornatu vario ditat quam gratia pollens.
  Hæc ubi reſpirans prævenit gaudia mater,
Ac tibi collatum parvo conſpexit in ævo
Grande bonum, teneris dum virtus creditur annis,
Téque reparturiens meliùs quàm corporis alvo,
Spémque metúmque inter, quanquam jam libera voto,
Fert tamen attonitas ſic læta quòd anxia curas,
Inſinuans cauſam lacrymis, tum talia mandat.
Ortu quarta quidem, ſacro ſed munere prima,
Dulcis nata mihi, cælo quam carne fidéque
Bis genui, Chriſtóque eadem de ventre dicavi,
Hactenus hoc noſtrum fuerat, ſed tempore ducto
Jam decet eſſe tuum: nam quòd ſervabere virgo,
A me principium, tibi pervenit. omnia poſſe
Incipies, cùm velle ſubeſt. veſtigia ſervent,
Per quæ ſectato conſcendas tramite cælum:
Nec deſunt exempla domi. Nam reſpice quantas
Virginibus florens jam noſtrum ſtemma coronas
Miſerit in cælum, ſancto quas dogmate mater
Severiana levans, & te conjungier optat.
Nec multò ſenior nunc gaudens Aſpida, quondam
Sacratum velata caput, tua munia ſumpſit,
Biſſenos jungens ſanctis altaribus annos.
Quam licèt hinc celeri tulerit ſors ultima leto,
Nil tamen eſt ſubitum ſemper migrare paratis.
Aſpice nunc columen, geminâ quod virgine fulget,
Eximiúmque decus, cujus tu jure propinqua

Falcinia

LIBER SEXTUS.

De Conſolatricâ laude caſtitatis, ad Falcinam ſororem virginem Deo ſacratam.

SUSCIPE complectens Chriſto digniſſima virgo,
  Alcimus iſta tibi quæ mittit munera frater,
Inque levi calamo cauſarum reſpice pondus,
Et tenuis fortem commendet cantus amorem.
Nam quoties ſanctum compleveris ordine curſum,
Alternos recinens dulci modulamine pſalmos,
Quos vivens in corde chelys, virtute canorâ,
Interiore ſono caſtis concentibus aptat:
Tum licet exemplo libeat tibi ludere verſu,

Digitized by Google

Fuscinam Fuscina refers: nec segniùs illam,
Quæ pietate potens, Graiâ si voce sonetur,
Significat propriam sumpto de nomine mentem.
Queis licèt emeritum cedant sua sæcula culmen,
Vitâque sublimi cunctis præpolleat arce,
Has generosa tamen matres si corde sequaris,
Gaudebunt vinci dum proficis, ac tibi summam
Sponte dabunt palmam superanti vota magistræ.
Hæc dicens teneros sancto exhortamine sensus
Impulit, accendens ad virginitatis amorem.
Sic mater fœcunda utero, fœcundior actu,
Machabæa potens, & prolis funere felix,
Orbari gaudens, animo vincente senectam,
Edocet hortando sobolem non cedere mundo,
Inflammátque pios ad fortia facta furores.
Quid tua nunc repetam, tenero quæ fortior ævo,
Antè annos animúmque gerens, responsa dedisti?
Non hæc parva tuam suscepit pagina laudem.
Exitus impleto veniet cùm tempore victor,
Laus meliùs canitur, cum jam clamante triumpho,
Consummata tuis reddentur præmia factis.
Nunc decet attonitos cautâ te voce monere,
Sollicitas tecum partiri ac volvere curas,
Atque juvare tuos hortantia dicta labores,
Dum pugnat varius per crebra pericula casus,
Lubrica dum fragili currit sub tramite vita,
Dum tua calcatus captat vestigia serpens,
Ascendens dextro quem conterat aggere planta.
Nil non intentum præsentia sæcula ducunt,
Nec secura datur requies in carne caducâ.
Vertuntur nam sæpe boni, perit obruta virtus,
Partáque transactæ decedunt præmia laudis:
Ac plerumque solet, subito succensa calore,
Frigida quæ nuper fuerat, mens linquere mundum,
Atque repentino restringere crimina freno.
Sic alternantem commutant fata rotatum,
Impius ut speret veniam, justúsque timendo
Proficiens, cumulum magnis virtutibus addat.
Nam studium sancti laxet si fortè laboris,
Pigráque consuetas dissolvant otia curas,
Labitur in præceps damnosæ gloria vitæ.
Stare nequit meritum, si non acquirit eundo,
Amittit rediens: nitendum est viribus amplis,
Ut satìs angustum observent vestigia callem.
Nam qui diffusam spatio laxante plateam
Mundanis ludens facili nunc aggere currit,
Strictior hunc carcer crudeli sorte ligabit.
Tu modò da veniam qui te exhortatur amori,
Currentémque monet, cùm vix tamen ipse sequatur,
Suadet veloci tardus compendia gressus.
Namque ad doctrinam, canimus quam pauper versu,
Tu meliùs jam docta venis, quæ junior ortu,
Religione prior, vivendi jura dicâsti,
Annorúmque sequens, meritorum sorte superstas.
Quòd si consequimur, jam nostrum fortè putetur:
Quod sequimur, tamen hoc tuum est: conversio fratrum
Exemplo debenda pio, te respicit auctor,
Primitiásque in te sacris de fructibus offert:
Indicit sed sancta fides, ut corde propinquo
Participata levet fraternum sarcina pondus.
Tu germana, pium quæ ducis ab ubere fascem,
Non carnis, sed legis habes cervice fideli
Subdita ferre jugum, nec vincla in conjugis ire:
Mundanas odisse vias, percurrere mundas:
Illinc nolle toros, hinc sponsum quærere Christum,
Sic tædas tempsisse, pio quòd amore calere,
Pigra voluptati ferveſcere corda labori,
Ignorare virum, fœtus tamen edere tales,
Quos tristis nunquam possit tibi tollere casus.
Non orbata gemes fœcundæ pignora vitæ,
Nec viduam sponso metues superesse perenni,
Expers ipsa mali: nec te sententia tanget,
Qua prolis mortísque parens compellitur Eva,
Occisam pariens soboiem vivente reatu.
Quæ subjecta viro, dominum passura cubilis,
Servit in obsceno tolerans connubia lecto.
Sic captiva tori, cùm portet nomen inane,
Conjugis & vanâ dicatur imagine consors,
Sola jugo premitur non æquam ducere sortem.
Et cùm longa decem tulerint fastidia menses,
Perfectóque gravis fœtu distenditur alvus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Nam cùm luctato solvuntur viscera partu,
Una luit, tanto carnis discrimine pendens
Quòd coiere duo. spes palpat fortè dolentem,
Editus in lucem si vivat filius: atqui
Contingit plerumque gemens ut mortua fundat.
Sæpe etiam soboli nec mortis tempore natæ
Dant geminum matris commortua membra sepulcrum.
Illud jam levius quoties intervenit, ipsa
Ut pereat tum sola parens, ac pondere fuso
Emittat cum prole animam? quid fortè levatum
Nutritúmque diu rapitur si funere pignus,
Unica quòd crebro spes respicit, & perit omne
Quod sibi conceptis spondebant gaudia votis?
Omnibus his illud gravius, si fortè carentem
Cælesti lavacro tenerum mors invida natum
Præripiat duræ generatum sorte gehennæ.
Quisque, genitricis cessat cùm filius esse,
Perditionis erit. tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantùm genuerunt, membra parentes.
Quis memorare queat tanti discrimina casûs,
In quæ pertrahitur dilectæ gloria carnis?
At latè longéque tuam discernere sortem
Libertas cum lege potest qua necteris, ut te
Impia fallentis non stringant vincula mundi.
Tu Mariam sequeris, dono cui contigit alto
Virginis & matris geminâ gaudere coronâ,
Conciperet cùm carne Deum, cœlíque creator
Intraret clausum reserans mysteria ventrem.
A genitrice satus, sed quam formaverat ipse,
Elegit nitidam de qua procederet alvum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum,
Præscitéque diem longè, tempúsque videret
Quo pariendus erat. præcessit membra voluntas.
Ipse Deus Verbum, vestitum viscere sumpto,
Qui cum patre jubet, materno in corpore servit,
Suscipit & famulum dominus, qui jusserat ævum.
Tempora per patrem, per matrem semina nescit.
Illa quidem fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, dominúmque perennem
Edere promeruit. sed nec tibi gloria tanti
Defuerit facti, Christum si credula corde
Concipiens, operum parias pia germina cœlo.
Si quis, ait, nostram compleverit ordine legem,
Hic mihi semper erit frater, matérque, sorórque.
Aspicis ut sexu careat cælestis imago,
Interior fortius homo quam mente retentat?
Præbuit exemplum surgens à morte redemptor,
Femineum maribus cùm sic præponit honorem.
Gustavit sumptam nostro pro crimine mortem,
In crucis excelso pendens sinè crimine Christus.
Atque animam, vivos quæ mox remearet in artus,
Fixus adhuc sancto clavis efflaverat ore.
Deseruit populi spectacula talia cœtus,
Signáque ferre nequit, cœlum quæ triste minatur.
Nam sol obductus, vultúmque retortus ab orbe,
Cesserat injustas nocturnis luctibus horas,
Atque peregrinis aditum dedit ipse tenebris,
Temporibus magno mutatis ordine rerum.
Nox erat in superis, lucémque inferna videbant,
Contremuit tellus, & nisu mœnia magno
Concussis summo nutabant vertice cristis.
Senserunt motum priscis descendere sara
Jussa locis, sonitúsque novos collisa dederunt.
Hos inter strepitus, cunctis fugientibus, illæ
Decernunt, quanquam trepidæ, persistere matres,
Pervigil ut sancto sic vivens cura sepulcro
Serviat, & voto præsens persolvat honorem.
Pinguia fragranti componunt illita succo,
Quæ salvans salvum servarent lintea corpus.
His amor expensis lugubria dona parabat,
Supremum credens semet persolvere munus.
Et cùm sic breviter prævenerit ista resurgens,
Quod credebatur servandum poscere munus,
Quo non indiguit, placatur munere Christus.
Pro quo respondens confestim gratia, præstat
Angelicos cernant humana ut lumina vultus.
Splendida candebat cælesti in corpore vestis,
Et vultum rutilus resperserat undique fulgur,
Matribus ut dignis verbum cæleste sonaret,
Angelus alloquitur sancto quas taliter ore:
Femineo sexu mentes transite viriles,
Nec trepidate novo fortissima corda tumultu.
Adversos hæc signa ferunt, vos nulla timendi
Causa manet, quos cura pii confirmat amoris.
Quæritis, agnoſco, pretiosâ in sede sepulcri

So-

Solenni nuper tumulatum funere Iesum.
Sed meminisse decet quid præscius ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius ulla
Servandum se nocte, & jamjam tertius hic est
Qui complet promissa dies. patet ecce sepulcrum,
Deseruit vacuum victâ quod morte resurgens.
Taliter excelsus justo sermone minister,
Sparsurus mundo vitalis dona triumphi,
Has primùm gaudere dedit, luctúque levavit.
Ibant impavidæ jam pectore mœrens,
Credula concepta servantes corda salute,
Cùm medium sese Christus gradientibus offert,
Agnoscique jubet, blando & sermone salutat.
Ite, ait, & nostris hæc jam mandata referte
Discipulis, nôrint ut surrexisse magistrum.
Illæ complexis defigunt oscula plantis,
Atque ad discipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctorésque docent, & quæ spargenda per orbem
Primùm femineis instructi discere verbis,
Agnoscunt animam potiùs quàm virere sexum.
Communis virtus jungit, commune periclum
Matribus atque viris, nulla est distantia cordis,
Rectum velle sibi est, si gratia conflet utrique,
Cui tamen attento desudet vita labore.
Aut quid dona juvant hominum, si mente soluta
Turpia nullatum disperdant otia munus?
Auxilium conatus amat. quis namque vacantem
Adjuvet, aut summo virtutem jungat inerti?
Cœlestis rex ille, paratus discedere terris,
Argentum famulis, ut quis virtute valebat,
Quinque minas primo, duplicem dat forte secundo,
Atque impar magnis suscepit tertius unam.
Tunc sic discedens famulos fimul instruit omnes:
Nunc si quis vestrûm devotâ monte fidelis
(Experiar) fuerit, quæsitu nascendus ab illo
Qua quis sit virtute potens, qua præditus arte.
Thesaurus geminate meos, usúque politus,
Livida ne faciem pullâ rubigine tinguat
Accipitis nitidum puræ quod fronte metallum.
Si redeam, meritis addentur præmia justis.
Dixit, & abscessu cœlestia regna petivit.
Incubuere duo studii certamine veri.
Fœnerat ille citus partem splendentis acervi,
Pauperibus largo dispensans plurima dono,
Crescit & in cumulos quicquid conferter egenis.
Exponens alter sacri mysteria verbi,
Usuras sancto gaudet concrescere lucro,
Et cupidus recti vitam dum prædicat addit.
At solus minimo sumpsit qui pondere libram,
Defossis scrobibus marsupia mersa locavit,
Degnerique fluens elegit vivere luxu.
Sed judex tandem finito tempore mundi
Regreditur, cujúsque moram despexerat, ecce
Contemnit servus reditum. tunc omnibus ille
Ut doceant ratione jubet quem tempore tanto
Poscenti reddant operata negotia fructum.
Argentum gemini geminatâ mole ministri
Promunt, & lato referunt commercia vultu.
Tertius ille piger drachmam tellure latentem
Promit, quæ juncti sorbens contagia cœni
Perdiderat proprios inclusо lumine vultus,
Illum terribili dominus tunc increpat ore,
Tantáne te nostri tenuere oblivio segnem,
Serve piger, redituíque mei sic cura refugit?
Argentum, nitidâ quod purum luce tuliti,
En tetrum pressúmque refers. Nam cognita quondam
Delituit, nec respondens, ut sæpe solebas,
Forma mihi, vultúsque mei non paret imago
Assignata tibi. sed si ferremur ad usus,
Altarísque mei tetigissent credita mensam,
Creverat inscriptus nostro de nomine nummus.
Nunc igitur famuli vos totum ferte fideles,
Addat ut utilibus sors ultima, tollet inerti.
Improbus in pœnis hic dignus non erit ullis:
Quisque voluntatem noscens contemnit herilem,
Creditur hic multis, pœnis qui noscitur errat.
Ergo age, succinctis ad fortia pectora lumbis
Armatâ cum mente veni, nec femine bellum
Formides quod meus peragit. unus gloria dudum
Sexûs ista tui nota est tibi sæpe legendo.
Nec dubium te nôsse reor, cùm Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros, quos ipsa ducatu,
Exemplo, verbóque monens accendit in hostem.
Sed postquam ducens princeps animosa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus: dissolvitur omnis
Hostilis virtus, & qua se femina monstrat,
Palantes dant tergа viri, latebrásque petentes
Si vivant, vicisse putant. Tunc maximus ipse,
Forma gigantæa junxit quem corpore molis,
Immensámque levans produxit verticis arcum,
Rex Sisara fugam, telorum fasce rejecto,
Incomitatus agit, metuens sublime notari
Corpus & excelsâ fugitivum prodere mole.
Sed postquam lassisse putans, tectóque receptus,
Mollia perpetuo dimisit lumina somno,
Hunc etiam sternit mulier, tertâque jacentem
Malleus infixo transfodit tempora clavo.
Femineus sic ille fuit per cuncta triumphus.
At tu virgo Dei, sanctis quam moribus ornant
Hinc pudor, indè fides, internis fortior armis
Bella geris, justis sævus quem commovet hostis.
Spes tibi fida foret felix in vertice cassis,
Contineat lumbos pretiosi zona pudoris,
Justitiæ lorica tuos constringat amictus,
Pro gladio verbum semper tuearis acutum.
Has virtutis opes, hæc sic solatia belli
Describens, mentis varias cum corpore pugnas
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.
Namque ibi bellatrix, & pleno robore pollens,
Virginitas armata venit: quam fœda libido
Appetit, & cassо vocat in certamina risu.
Sic bellatricem te sentiat æmulus anguis,
Cúmque lacessitæ concedent prælia palmam,
Læta feras summum calcato ex hoste trophæum.
Nam quicquid sacræ divina voluminа legis
Eloquio sentíque docent, quod prædicat ipse
Antiquus mundi replicans exordia vates,
Sive ille historias texat, seu fortè figuras,
Quod diversa retro malorum tempora regum
Post Ruth succedunt gessisse ordine magnum:
Vel quos post reprobum Davidica regna Salomon
Ter quinquageno scripserunt carmine psalmos.
Pacificus quicquid lata inter sceptra Salomon
Obscurum sensu per clara proverbia dixit:
Quódque his octoni post se videre prophetæ,
Quod clausum Job mitis ait cum vulnere aperto.
Heûer quid memorem, & casta mendacia Judith,
Orneti cùm fraude Satraps accendimur iris,
Cùm meat illudens obscenum femina lectum,
Defectóque feros compescit vertice visus?
Quod melius cernens cæcato in corpore Tobi,
Quæ secreta videns perscripsit conditor Esdras.
Quicquid post priscam succedens gratia legem
Intonat, atque novi miracula Testamenti.
Hinc hominis clamat facies, vox indè leonis,
Et pernix aquila, & fortis certamine taurus.
Indè quater terni patris quod mentibus agni
Egerunt toto sparsentes semina mundo.
Bis septena pii quod spargit epistola Pauli,
Quod Petrus docetque docent, quod Judas, & ipse
Qui conspecta refert cæli secreta Joannes.
Quin & veridici quæ plurima tractatores
Exposuere tuis mysteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.
Nec si quid sacrum nostri cecinere poëtæ
Te latet, agnóscisque legens, & condita servas,
Atque aliena tuo commendas carmina cantu.
Quid totum replicem? tu sensibus utere doctis,
Et quæ nota tibi, vel quæ percursa legendo,
Ad virtutis opus studio converte virili.
Nam nisi doctrinæ jungatur vita fidelis,
Agnosci gravius non observanda nocebit.
Esuriit postquam dominus, cùm fortè viantі
Conspicitur diffusa levi ficulnea fronde,
Nec jam maturum prædictâ ex arbore fructum
Carpere tempus erat, quam mox ut repperit illo
Indotam tantùm foliis, sed germine nudam,
Prorsus inane virens ornatus inutilis horret:
Percutitur subitò radix afflata calore,
Aruit & posito ramorum tegmine truncus.
Instruimur tali legem cognoscere signo,
Ne Christi famulo, solo sermone tacenti,
Nomine confesso vivens operatio desit.
Nam si Christicolas nosmet sanctósque putamus,
Aggravat hoc crimen, nil dictum facta sequantur.

Sic

Sic & virginitas ſacro devota pudori,
Indiget adjunctis virtutibus: & niſi mentem
Intactam ſervans caſto cum corpore jungat,
Succumbit vitiis, nec caſtam dicere carnem
Jure poteſt, animus quam ſic corrumpit adulter.
Ira, furor, mœror, livor, diſcordia, luxus,
Lingua duplex, conſtricta manus, laxata voluptas,
Mœchantur cum corde hominis, tum ſemina mortis
Fœtus mortis alunt. en quò perducitur omnis,
Nomine virgineo quæ ſe dum jactitat, intus
Criminibus gravidam neſcit turgeſcere mentem!
Ecce tibi è multis unum, quo cetera noſcas,
Exemplum. Dominus plebem cùm fortè doceret
Pervigili curâ ſupremum noſcere tempus,
Expectare diem quo judex imminet orbi,
Virginibus ſancto ſignatos chriſmate confert,
Háſque decem nobis documenti in vertice monſtrat,
Quarum quinque tamen ſapientia dives adornat,
Aſt aliis ſtolidum lentavit inertia ſenſum.
Sopitas pariter requies complectitur una,
Atque obitum ſignans depreſſit lumina ſomnus.
Tranſierat medium vix fortè quietis, & illud
Tempus erat noctis, quo Chriſtus carne receptâ
Fregerat obſtructas, perrupto cardine leti,
Jam portas inferne tuas, ſpretóque ſepulcro
Devictis latâ remeabat luce tenebris.
Perſtrepuit ſubitus rumpítque ſilentia clamor,
Tandem ſponſus adeſt, nocturnus corpore torpor
Abſcedat, ſapidæ raptim properate puellæ.
Protinus exiliunt omnes, ſtratíſque relictis,
Aptavere ſuas quæſito lumine flammas.
Tunc ſed quinque, quibus cordi ſolertia major,
Quamvis feſtinant, oleum tamen addere ſumptis
Sollicitudo fuit vaſis, pinguíque liquore
Ignibus armatis ſqualentem rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera ſuccum,
Sumens flammigeras nequicquam ſuſtulit haſtas.
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deſerit, & ſiccam percurrit flamma papyrum,
Atque inter picei nebuloſa volumina fumi
Vaneſcunt nigrâ creſcentes mole favillæ.
Ut ſeſe indignas tali videre paratu,
Occurrant ſponſo quæ comminus advenienti,
Tarda movet lentis pudibundum cura laborem.
Quæ prece ſubmiſsâ ſtultis tum vocibus orant,
Ut porrecta manus torpentes ſuſcitet ignes,
Dividat & proprium ſapientia pinguis olivum.
Reſpondent pariter tali ſermone ſorores:
Eſt miſeranda quidem veſtrorum cauſa malorum;
Sed tamen hìc oleum non plus quàm ſufficit affert
Unuſquiſque ſibi, conſtat quia copia vaſis,
Et perfecta ſuum ſervat menſura liquorem.
Nec fas quæſitum partiri aut perdere ſuccum,
Ne diſperſa cavis deſint fomenta lucernis;
Cúmque lucrum vobis diſpendia noſtra parabunt,
Tota ſimul feſſis torpeſcant lumina flammis.
Talibus abjectæ dictis, triſtíque repulsâ,
Perluſtrant quocumque loci commercia fervent,
Venaléſque manus: ſed dum diſceditur, ecce
Introiit ſponſus thalamum, induxítque paratas,
Atque vagas linquens excluſit porta ſorores.
Cernis virginei peream quòd nomen honoris,
Ni ſertur ſanctus thalamis cœleſtibus ignis.
Felix illa manus, largis quæ provida donis
Accenſum purâ fovit pinguedine lumen.
Tantum namque olei vaſis diffunditur amplis,
Quantum poſcenti miſerans porrexit egeno.
Hinc dominus palmis ardentes ferre lucernas
Admonet, hoc opus eſt, hæc claræ gloria vitæ.
Suppetat ergo tibi pietas, patientia, virtus,
Sed virtus animi. fragiles nam carne puellas
Protulit interdum cœlo conſtantia mentis.
Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, dum dat Chriſti pro nomine vitam.
Antè tamen mulier fortes proceſſit in actus,
Cùm ſtipante choro ſanctorum fieret Abbas,
Atque patrem complens celaret tegmine matrem.
Sed poſtquam ſancto cunctis perclaruit ore,
Et meritis annísque graves, longáque verendos
Religione ſenes juvenili rexit in ævo:
Impatiens recti, toto qui tempore ſerpens
Mille nocendi artes, ſtimulíſque inflammat amoris,
Quo famam violare cupit, dedit indè coronam.

Commovet inſano qui fingat amore puellæ
Accendi Eugeniam, motúque ardere virili.
Turba ſenum turbata coit, quòd crimine tanto
Tam rigidam nuper potuiſſet ſolvere vitam
Mens dejecta viri, viduatáque præſule ſummo
Nil non poſſe dolet titubans perfectio carnem.
Ducitur iſte foro juvenis, ſævúmque tribunal
Intrat adhuc monachus. vincit concordia fraudis,
Et jam jámque reum ſecreti ignara tenebat
Publica vis, odio tantùm flammata ſiniſtro.
Conſcia tum ſexûs proprii, cordíſque pudici,
Vincitur ut vincat jam prodens femina fraudem,
Quamvis exteriùs carnem compulſa fateri,
Interiore tamen ſervato permanet heros.
Semper tuta fuit caſti cuſtodia voti,
Quamlibet impugnet miſeri fraus callida mundi,
Extendátque dolis laqueos, mendacia nectat,
Non venit ad pronam mens culpæ ignara ruinam.
Quóſque fremens hoſtis fallaci tribulat aſtu,
Purgandos ſancto patientia diſcutit igni.
Vendiderat quondam juvenem manus æmula fratrum,
Et famulum Joſeph tellus Memphitis habebat:
Pertulit ille quidem dominum, cùm crimine falſo
Confictus voluiſſe nefas, quod triſte refugit,
Suſtinuit tolerans ergaſtula, vincla, catenas,
Dum ſpatium replicans geminos ſol junxerat annos.
Oblitus jam lucis erat, jam crine fluenti
Nutritus macie tangebat terga capillus.
Sed vegetante Deo mens nullis clauſa tenebris
Prævidet arcanum quicquid pòſt exitus implet.
Denique producto certatim gloria fertur,
Non tantùm venia: & precibus tunc ipſe rogatus,
Ut diadema libens captivo in vertice ſumat,
Exilium regno commutat, principe ſervum.
Præmia ſervati cordis ſic percipit iſte.
Suſannam poſt hunc dignis quis laudibus unquam
Excolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota ſenum, conjuratóſque furores?
Primum disjuncto quos cepit cauſa viritim
Conſilio, ſolóſque ſibi promiſit uterque
Spem culpæ, ſed turpè calens in cordibus ignis
Conflavit mentem ſceleris fornace duorum.
Conveniunt, nam fortè die ſic contigit unâ,
Abſceſſu fícto diversâ ut parte redirent.
Inque nemus venere ſimul, vulgata viciſſim
Panditur alterno flagrans in corde voluptas.
Ilicet incautam fallentes fraude puellam
Appetiere ſimul: poſcunt conſentiat antè
Dedecoris tantum moveat quàm fama rebelli,
Mórque retorquendum facinus, ni cedat, in ipſam.
Confeſſi ardorem pariter mendacia produnt
Diſpoſita, & laqueos pandunt, quos nectere vellent.
Anceps illa diu ſecum luctatur, & hærens
Fluctuat incertæ quò vergant pondera mentis:
Lex peccare vetat, rurſúſque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, & obſcenas lacrymis reſtinguere flammas.
Sed poſtquam nullis precibus monitíſque remotos
Obſtrictóſque ſenes vicit cognata libido:
Femina præclaro mentem ſuccenſa pudore
Decrevit tunc caſta mori, ne crimine tanto
Ambirent miſeram carnis commercia vitam.
Cælum teſte vocat, famámque recuſat inanem
Judicio contenta ſuo: cùm conſcia corda
Commendat ſuperæ fidei, ſervátque futuris.
Maluit ille tamen ſecreti inſpector apertum
Examen præſtare loco, facinúſque recluſum
Pandere, & objectas laqueis producere fraudes.
Spectabat vanis commotam fletibus urbem
Junior ille puer, pueris tribus ipſe futurus
Pòſt comes, undanti quos jecit Parthica flammæ
Contempto imperio flammis ferventior ira.
Arſit contracto pariter creſcente calore
Hinc furor, indè fides, ſanctis dum mollior ignis
Serviit, & tepido conluſit pruna rubore:
Donec miratus ceſſare incendia Satraps
Juſſit, & adſtantes flammarum copia cinxit.
Hos meritis æquans Danielis proxima virtus
Horrida frendentum compeſcuit ora leonum,
Dum priùs accenſi ſtimulis famis atque furoris,
Frænatóque ſimul ſternentes corpora rictu,
Incolumem lambunt inter jejunia paſtum,
Cùm ſumat tamen iſte cibos, quos vertice pendens
Angelicâ libratæ manu per inane citatus,

Sub-

Subjectas calcans immotis greſſibus auras,
Intulit illatus faſcis cum faſce propheta.
Excepit Daniel tranſmiſſas deſuper eſcas.
Fercula longinquis migrant ferventia terris,
Aſſervántque ſuos peregrinâ in ſede ſapores.
Hic ergo impubes Suſannam fortè videbat
In tormenta rapi, veri quam neſcius antè
Vulgus inauditam damnaverat, & ſimul omnes
Inſontis fontem certabant cernere mortem:
Cùm ſubitò in medium juvenis ſe proripit agmen,
Accenſum tenerâ caſtigans voce tumultum:
Cur tanto ex cœtu nullus rem judicat, ac ſe
Liber ad injuſtum clamat non currere letum?
Protinus ad verbum pueri permota repreſſit
Turba ſequax animos: judex decernitur ipſe,
Conſultórque ſenum, per quem via vera pateſcat.
Conſulit avulſos quiſnam ſit criminis ordo:
Sed dum diſcordans reſponſum præbet uterque,
Conjunctum facinus diſjunctâ voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit. undique clamor
Tollitur, auctores ſceleris plebs obruit omnis,
Laudatúrque Deus, qui nunquam vota bonorum
Deſerit, auxiliúmque ſuum pro tempore monſtrat.
Et tamen his prior eſt quæ virginitate pudicâ
Intactum præfert ad vota perennia corpus.
Nam ſi terrenâ nubentem lege puellam
Aſſervâſſe toros, atque unum nôſſe cubile,
Mortali tantùm laudatur judice cœtu,
Conjice virgineis quantum diſponitur illic
Quò Chriſtus vocat hinc meritis, ubi ſede ſupernâ
Humanum in partes dirimet genus arbiter orbis,
Agnos dextra levans lævos contemnet ut hœdos.
Stabunt Angelici mirantes facta bonorum
Laudantéſque chori, cunctis commune patebit,
Decurſæ carnis meritum: fraus nulla tenebris
Abdere, vel notas poterit ſubducere culpas.
Illic nota tibi ſubſiſtens vita petatur,
Quò juſtus ditat diſpenſans præmia judex.
Quondam ſuccinctè quod dictum eſt ore magiſtri,
Dum viget officio famulans ſolertia Marthæ,
Attentámque tenet verbi virtute ſororem
Cura cibo melior, paſtu quæ digna perenni.
Tunc vacuas domino depromens Martha querelas,
O doctor non cernis, ait, quòd ſola paratu
Vexor, & hæc nullum confert germana levamen?
Cui Chriſtus ſic fortè refert: Sunt plurima quæ te
Obſtrictam retinent, melior ſed cauſa quietis,
Lectáque nec poterit Mariæ pars optima tolli.
Sic, germana, ſuis dum flagrant ſæcula curis,
Electam ſervare tibi non deſine partem.
Te meruit primam cognatio tota patronam,
Jam te ſigniferam ſequimur, vexilláque Chriſti
Te portante libens ſectatur ſtemma parentum:
Quos licèt antiquo mundus donâſſet honore,
Et titulis monſtret generoſo ſemper ab ortu:
Plus tamen ornavit divinum inſigne gerentes,
Ordine quòd proprio ſanctas meruere cathedras.
Non atavos jam nunc tibimet proavóſque retexam,
Vita ſacerdotes quos reddidit inclyta dignos:
Pontificem ſacris adſumptum reſpice patrem.
Cúmque tibi genitor vel avunculus undique magni
Poſt faſces placeant populorum ſumere faſcem,
Suſcipe quos humiles patrum ad conſortia fratres
Officio ſimiles nectens Eccleſia junxit.
Pro quibus aſſiduas Chriſto perſolvere grates,
Fundere vel fletus non tædeat: ut tibi nullos
Fratrum de numero deſit, cùm præmia ſumes
Factis digna tuis, matérque effecta parentum
Virgineæ victrix ſociabere lætæ coronæ.

VENANTII HONORII FORTUNATI,

PICTAVIENSIS EPISCOPI,

OPERA.

VENANTII HONORII *VITA*, *A PETRO CRINITO Deſcripta.*

VENANTIUS HONORIUS FORTUNATUS inter Chriſtianos poëtas relatus eſt, & cùm ingenio atque moribus longè præſtaret, Ravennæ eruditus traditur, magnâque diligentiâ in Latinis literis inſtitutus. De hoc Fortunato referuntur permulta apud eos autores, qui de geſtis Gallorum annales compoſuerunt. Neque deſunt, qui ſcribant, illum, diu verſatum in Gallia, & ob egregiam eruditionem, optimúmque ingenium Pontificem Pictavorum factum. Plura ac varia opera edidit, quibus ingenii facilitatem, miniméque vulgarem doctrinam demonſtrat. Leguntur adhuc ejus poëmata, & hymni complures, qui magnopere commendati ſunt à noſtris Grammaticis. Sed & libros quatuor fecit de geſtis divi Martini, verſibus hexametris, præfatus tali opere ſe imitari Chriſtianos poëtas, ut Alcymum, Prudentium, Juvencum, Paulinum; & alios plures. Idem Fortunatus maximo affectu ſingulariſque benevolentiâ proſecutus Gregorium Pontificem, Emphronium, atque Felicem, ut alios omittamus. In pervetuſtis exemplaribus additum eſt nomen Clementiani, quod ab his probari poterit qui paulò accuratiùs antiquitatem perſcrutari voluerint.

DE PARTU VIRGINIS.

LIBER PRIMUS.

LINGUA prophetarum cecinit de virgine partum,
Nuncia fert terris Angelus iſta poli.
Conſona vox hominum memorat hoc ferre puellam,
Quod daret abſque viri germine virgo virum.
Hoc Evangelio concordans pandit Eſaias,
Quæ Deus inſpirat, hæc canit ipſe tubâ,
Eloquio torrens, & rite profunda locutus,
Emanuel noſtrum virgine dante canens.
Prædicens olim ut de matre, tonantis honore,
Radicis florem Jeſſea virga daret.
Virgo hæc virga fuit, de qua flos Chriſtus obortus,
Cujus odor vivax membra ſepulta levat.
Laxus morte jacens, de cujus aromate tactus,
Poſtque diem quartum Lazarus ore reflat.
Hanc Jeremias utero ipſo ſanctificatus,
Monſtrans voce pari ſic quoque vatis ait,
Ecce dies venient, & David ſuſcito germen,
Et regnabit rex, atque erit hic ſapiens.
Hoc germen juſtum virgo eſt, & rex ſuus infans,
Judicium faciens arbiter, orbis herus.
Pſalmographi plectro cantata eſt iſta virago,
Cùm daret arte melos vox, lyra, chorda, chorus,
Mater Sion dicit homo, & homo tactus in illâ eſt,
Ipſe hanc fundavit, factus in ipsâ & homo eſt.

gitized by Google

Sic quoque qui fundavit eam, eſt altiſſimus ipſe,
Nec Sion mater, virgo Maria fuit.
Hic tanquam ſponſus thalamo procedit ab alto,
Exultátque gigas Chriſtus, eundo viam.
O uteri thalamus, nova junctio facta ſalutis,
Qua Deus atque caro nupſit honore novo.
Quòd deus amplexus carnem eſt, caro juncta cohæſit,
Sed deus, atque homo fit, Chriſtus utrumque genus.
Non deus in carnem eſt verſus, Deus accipit artus,
Non ſe permutans, ſed ſibi membra levans.
Cujus non poterat deitas per aperta videri,
Velamen ſumpſit carne videndus homo.
Unus in ambabus naturis, verùs in ipſis,
Æqualis matri hinc, par deitate patri.
Non ſua confundens, ſibi noſtra ſed omnia nectens,
Quem ſinè peccato gignit uterque virum.
De patre natus habens divina, humanáque matre,
De patre ſublimis, de genitrice humilis.
Quando incorporeus ſibi corporis induit artus,
Æqualis matri fit, minor indè patri.
Carnem, animam, oſſa, cutem, nervos, ventrem, femur,
Servus ut aſſumens, eſt minor indè patri.
Sed redeo, qua virgo trahit, mihi laude canenda,
Qualis nulla fuit, nulla futura venit.
Quémque pluunt nubes juſtum de rore ſuperno,
Hæc ſalvatorem germine Terra dedit.
Hæc porta eſt clauſa, in quam intrat vir nemo, nec exit,
Nî dominus ſolus, cui quoque clauſa patent.
Cujus in adventu exiluit de ventre Joannes,
Infans perſonuit munere præco novus.
Trans uterum matris, quaſi per ſpecularia cernens,
Materna & puero membra feneſtra fuit.
Quando exultavit ventrem de ventre ſalutans,
Dum pede non potuit, motibus exit iter.
Credo & proſtratus jacuit: palmáſque tetendit,
Ante redemptorem parvula membra movens.
Corrigiámque pedum quoniam eſt non ſolvere dignus,
Pronus adoravit credo tremente genu.
Nobilis Elizabeth, de qua canit alta prophetans,
Hæc operante Deo germina læta refert.
O benedicta inter mulieres, unde mihi hoc, me
Ut mater domini viſitet alma mei?
Hanc Gabriel vocitat benedictam laude puellam,
Et meritò extollit quæ nova dona gerit:
Quæ genitura foret benedictum germine fructum,
Quem Jeremias voce tonante refert.
Hic Deus eſt noſter, non abſque illo alter habetur,
Poſt hoc in terris viſus, homo eſt habitus.
Quem Daniel ſanctum ſanctorum prædicat unum,
De monte exciſus qui angulus & lapis eſt.
De quo Moſes ait, Deus excitat ecce prophetam
Vobis, ex veſtris fratribus, orbis opem.
Si qua anima hunc non audierit, qui exterminat illum,
De populo vindex ipſe propheta ſuo eſt.
David dixit: adorabunt hunc munere reges,
Servibunt gentes, & Saba dona dabunt.
Accipiens Simeon manibus quem juſtus utriſque,
Annis decrepitus hæc pia verba dedit:
Nunc dimitte in pace tuum ſervum, auctor ab alto,
Viderunt oculi jam quia vota mei.
Quando ſalutare hoc merui, tua verba ſecundùm,
Ferre manu, & viſu cernere jure deum.
O ſacra virgo Dei talem generando Maria,
Per quem lumen habet plebs tenebroſa priùs.
In regione umbræ mortis lux ipſa refulſit,
Admirabilis hic, conſiliarius hic.
Qui Deus eſt fortis pater atque in ſecula princeps,
Imperii cujus pax ſinè fine manet.
Rorârunt cœli nubes, juſtúmque pluerunt,
Quem ſalvatorem germine virgo dedit.
Ægyptus, labor Æthiopum, ditéſque Sabæi,
Ad quem tranſibunt, mente ſequendo Deum.
Eſt in quo tantùm deus, & non eſt deus abſque hoc,
Hic Deus abſconſus, qui Deus Iſrael eſt.
Cujus Juſtitia eſt lumborum cingulum, & idem
Ejus renis adeſt cinctoriúmque fides.
Reguli & aſpidis auſa manus penetrare foramen
Ablactatus agens, nec nocet ullus ei.
Aſtans in ſignum populorum, ejúſque ſepulchrum
Nobile, adorandum gloria quanta tegit!
Quem dominatorem terræ miſit Moabitis,
Petrâ ex deſerti qui pius agnus adeſt.
De quo Zacharias: exulta filia Sion,
Juſtus ſalvator, rex tuus ecce venit,
Aſcendens aſinam ſuper, aut aſinæ quoque pullum,
Et currus perdens ex Etraimo, & equum.
Unde & Micheas, Et tu, inquit, Bethleem Ephrata,
Parvis in Juda millibus ipſa manes.
Egredietur, qui dominatur in Iſrael, ex te,
Egreſſúſque potens ejus ab initio.
Lumen ſanctorum in ſplendoribus, ex utero quem
Ante & luciferum progenuítque pater.
Livores ſanans noſtros livore beato,
Et veteres maculas ſanguinis amne lavans.
O virgo inſignis, mater pia, nobile ſemen,
Quam deus implevit totius orbis ope,
Quæque creatorem meruiſti ventre tenere,
Et generare deum concipiente fide.
Mundatura novo partu de crimine mundum,
Atque ſacro fœtu progenitura Deum.
Humano generi genuit quos Eva dolores,
Curavit genitus, virgo Maria, tuus.
Peccati jaculo defixa in ſtirpe cicatrix,
Ulcera nulla gerit, nec ſua ſigna patent.
Succus amarus enim vetiti de cortice ligni,
Stante redemptoris de cruce dulce ſapit.
Sub pomi ſpecie mors tunc de fronde pependit,
Nunc tuus eſt uterus, hinc cibus, indè ſalus.
Fructu ſancta pio renovâſti tempora rerum,
Lucidiórque dies te generante niter.
Poſt tenebras ſolem tua revocat alvus in orbem,
Cùm domini jubaris irradiavit apex.
In te habitans mundi lumen ſtatione coruſcâ,
Floruit interiùs per tua membra deus.
Nunc vivax fulgor penetrans & ad ima profundi,
Orbem alit, aſtra regit, tartara luce replet.
Cujus mundi uno eſt hæc machina tecta pugillo,
Clauditur in fibris caſta puella tuis.
Supportans fabricata fabrum, atque humana tonantem,
Virgula radicem facta creantis opem.
Qualiter illa novum tenuerunt viſcera lumen,
Quod decus intus erat, quſive honor indè foras?
Gaudia quanta ſinus hilaris tuus ille vehebat,
Cum tua membra premens plus relevabat onus?
Tum genitrix de faſce levis, de prole ſalubris
Rem ſplendoris habens, lux neque pondus erat.
Auxilium de flore gerens, de fruge levamen,
Et cæli panem ſpica novella ferens.
Cujus ſtella erat, & ſol matutinus in alvo,
Infra arcam abſcondens fulgida luna jubar.
Anniculum portans agnum, antiquúmque gigantem,
Déque tribu Juda qui leo fortis erat.
Cornua producens vitulus ceu Rhinocerotis,
Arduus, elatis naribus alta fremens.
Regulus atque aſpis, cedunt cui cuncta venena:
Vipera, cherſydros, ſeps, draco, cenchris, hydra.
Parvulus ipſe puer perſona vetuſta dierum,
Egreſſus cujus ſtat ſinè principio.
Cujus diffuſa in labiis eſt gratia florens,
Inſignis formâ præ genitis hominum:
Cujúſque eſt oriens ex alto nomen honoris,
Qui nos, lumen agens, viſitat in tenebris.
Qui venit de Edom, de Boſra veſte cruentâ,
Pulcher, ſanguineus, candidus, atque ruber,
Calcaturus erat qui torcularia ſolus,
In cruce pendendus, membra cruore lavans.
Unde ſibi miſta eſt ſtola candida, tincta rubore,
Quem poſt, antéve quem, non deus ullus erit.
Cujus tranſcendit ſacra magnificentia cœlos,
Cuncta tegens palmâ ſidera, rura, freta.
Quis te tunc ſenſus, domini pia mater, habebat,
Cùm tibi talis erat fœtus honore novus?
Præmia quanta uterum implebant & gaudia pectus,
Cœlorum artificem cùm tua ferret humus?
O formâ radians, dic virgo, putáſne videbas
Angelicos curſus ire redire novos?
Militiam cœli cùm te ſervare viciſſim
Sentires animo, ſæpe levata manu.
Quæ circa te acies, vel quando iter ire pararet,
Millia prægreſſus concomitando tuos?
Quid Michael faceret ductor, ſub principe celſo,
Quid gereret Gabriel nuncius ille ſacer?
Qualiter aut Raphaël occurſum impenderet almæ,
Te portante, Dei dum putat eſſe thronum.
Credo alter cuperet plantis ſubſternere palmas,
Ille excuſsâ alâ ſolveret ipſe viam.
Duceret iſte auras, ne te gravis ureret æſtus,
Ille levans pinnas, vertat ut imber aquas.

Ille

Iſte ad frena manum retinens, ne ſarcina lapſet,
Neu pes offendat, pendula turba volat.
Quot vigiles turmæ, cùm te ſopor altus haberet,
Solâque dormitans tot vigilare dares?
Sidereo obſequio meritis digniſſima virgo,
Cùm te divinis cingeret ala choris.
Cujus honore ſacro ſol ipſe tremiſceret ortum,
Lunáque ſub pedibus quæreret eſſe tuis,
Artificíque ſuo ſe machina ſubderet orbis,
Ac miraretur per tua membra Deum.
O Virgo excellens, vincens ſuper omnia matres,
Quam genus erexit, cui deus alta dedit!
Cujus fructus adeſt, & flos non perdit honores,
Quæ nato es genitrix, & tibi virgo manes.
Felix quæ generi humano ſub tartara lapſo,
Ad cælos facta es ſors, via, porta, rota.
Aula Dei, ornatus paradiſi, gloria regni,
Hoſpitium vitæ, pons penetrando polos.
Arca nitens, & theca potens gladii bis acuti,
Ara dei aſſurgens, luminis alta Pharos.
Celſa ſuper cedros, & vaſta cacumina montis,
Súbque tuis plantis & rota ſolis adeſt.
Virgineo cœtu dux, ſexu prima ſecundo,
Prælata aſtrigeris ſola puella choris.
Figmentum figuli ſuper omnia vaſa decorum,
Atque creaturæ fulgida maſſa novæ.
Candelabrum pulchrum verbi capiendo lucernam,
Quam formam ſculpſit tam ſuper aſtra faber.
Ornans Hieruſalem ſanctam ſpecioſa venuſtas,
A facie templi vas in honore Dei.
Exoperans portas Sion ſplendore coruſco,
Stans merito fidei, gemma ſuperba throni.
Ore diem jaculans, radios à fronte, ſagittas
Luminibus rutilis, lumen honore rotans.
Sidereum ſpeculum, illuſtris domus omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.
Nomen honoratum benedicta Maria per ævum,
Ad laudem artificis nobilis artis opus.
Dulcis & angelico pretioſa puella relatu,
Omnes ultra homines dona decoris habens.
Indè rubore roſas, candore hinc lilia vincens,
Flos novus è terrâ, quem polus arce colat. [ragdus,
Chryſtallum, electrum, aurum, oſtrum, concha alba, ſma-
Quò tua forma nitet, cuncta metalla jacent.
Nix premitur candore tuo, ſol crinis honore,
Pallescunt radii, virgo, decore tui.
Lychnites hebes eſt, cedit tibi lucifer ardens,
Omnibus officiis lampade major ades.
Occulti in terris ſacramenti conſcia ſummi,
Et ſecreta poli ſunt patefacta tibi.
Dignus ager domini generans ſinè ſemine frugem,
Et ſinè caſta leges meſſe repleta places.
Sola ſinè exemplo fœcunda & libera nexu,
Ignara amplexus, mater opima ſinu.
Virgo intacta manens, fidei ubertate marita,
Inſcia conjugio fœta negante viro.
Accipis, ut neſcis: ſic reddis, ut integra conſtes.
Nec violata paris, nec pariendo doles.
Et tamen eſt genitus Deus atque homo, verus & unus,
Spiritus atque caro Chriſtus, utrumque genus,
In deitate pari æqualis, ſed corpore matri,
Et ſinè peccato de genitrice caro.
Factor dans legem, factus ſub lege miniſter,
Ipſe pater mundi, filius ipſe tibi.
Unde tuum, mater, generas natum atque parentem?
Hinc ptolem, indè patrem: hoc deus, illud homus.
Cujus honore ſacro genitrix tranſcendis Olympum,
Et ſuper aſtrigeros erigis ora polos.
Conderis in ſolio felix regina ſuperbo,
Cingeris & niveis lactea virgo choris.
Nobile nobilior circumſiſtente senatu,
Conſulibus celſis celſior ipſa ſedes.
Sic juxta genitum regem regina perennem,
Ornata ex partu mater opima tuo.
Occurrunt proceres, & gloria magna Joannes,
Notus & antè Deum quàm pateretur homo.
Fratribus adſcitis, Paulo reliquiſque beatis,
Doctor apoſtolicus fulgida palma Petrus.
Diligit has portas Sion ſuper omnia Jacob,
Pro patribus genitos quos in amore Deus.
Qui omnes obryzo ornati, ſuper aſtra coruſcant,
Si ſic diſcipuli, quid pia mater erit?
Hinc patriarcharum numero ſociante prophetæ
Conveniunt celſo munera ferre throno.
Martyrii hinc atque indè cohors redimita coronis,
Principe cum Stephano civica turba poli:
Primitiæ florum, Bethlemitica paſſio lactans,
Quæ meruit naſcens vivere morte magis.
Italiæ mundíque caput quos Roma retentat,
Urbs vel Alexandri, aut Antiochenus ager:
Quos Hieroſolymis, aut quos Byzantion oris,
Quos Patra, quos Epheſus, Naddaver arce tenet.
Quos oriens, occaſus habet, quos Africa, & Arctos,
Quóſque ſepultat humus, cingit & oceanus.
Natio, gens, populus, regiones, agmina, reges,
Undique currentes ad nova dona patris.
Æthiopes, Thraces, Arabes, Dacus, Indus, Alanus,
Aurora & Veſper. Perſa, Britannus adeſt.
Intrantes in regna Dei pietate redempti,
Gaudia viſuri regis in arce poli.
Quos recipit ſacra porta Petri, quos janua Pauli,
Poſtis ad Andreæ limen Achaia patet.
Matthæus Æthiopes, Epheſinos valva Joannis,
Et quem quiſquis amat, hunc ſua porta rogat.
Horum antè adventum te qualiter ornat amator,
Portavit quem uterus virgo beata tuus?
Dans tibi larga poli, cui tu domus arcta fuiſti,
Ventris pro hoſpitio reſtituendo thronum.
Componendo caput niveum diademate fulvo,
Et gemino rutilam comit honore comam,
Annectens niveo preciosa monilia collo,
Fulgore & vario pectora pura tegens.
Quàm ſpecioſum humeris imponit honoris amictum,
Splendore ardeſcens purpura tincta nitet!
O quoties coctum zonæ micat aura per aurum,
Pallida nec pallæ eſt fimbria luce nitens!
Quis tibi digna canat, quantum decus exeat ore,
Aut de veſte tui gemina virore micet?
Quando ſtrata jacet pedibus ſpecioſa ſmaragdus,
Quando pavimentis alba tophazus ineſt.
Quæque oculus non vidit ageus, non audiit auris,
Ornamenta tibi hæc pia virgo nitent.
Cùm regio ergo poli, totúſque exercitus aſtri
Te ornatam inſpiciet, laudibus ora movent.
Incipiens Michael præconia ferre beata,
Cúmque ſuis turmis hæc tibi virgo refert.
O decus excellens, ô fœmina fama ſalutis,
Partûs fruge potens, virginitate placens.
Per quam eſt ſe naſci dignata redemptio mundi,
Et reparare genus, quod tulit Eva ferox.
Hanc tibi mater opem legionum millia mille,
Per claſſes reſonant carmine, voce, lyrâ.
Angelus indè tuos repetit paranymphus honores,
Qui tibi de cœlis nuncia ſancta vehit.
Dicens, ô felix imitari neſcia virgo,
Cujus & agnus ovis conterit ora lupi.
Tartara diſrumpens, patriæ captiva reducens,
Et libertati poſt juga preſſa refers:
Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,
Perſtrepit & cunctis vox revoluta choris.
Incipit indè alios producere terra favores,
Zachariæ genitus vox, tuba, præco, ſonus,
Cum Petro, & Stephano ducibúſque in millibus amplis
Agminibus, mixtis plauſibus alta canens.
O Virgo inſignis benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terræ, fulgor honórque poli.
Ecce tuus florens uterus quæ præſtitit orbi,
Te patiente, fide nos paradiſus habet.
Quid ſumus aut fuimus? quos merſerat Eva profundo,
De limo in cœlum nos facis ire ſinu.
Laudibus his domini genitrix fragor intonat aſtris,
Militiæque poli hæc tibi clangor agit.
Aſt ego ferre volens, videor ſubducere laudes:
Nam tibi quiſque cupit voce favere ſacræ.
Mens oret genitum, ſic matri digna loquatur,
Cujus amore pio vivis honore novo.
Pulchra ſuper gemmas ſplendorem ſolis obumbrans,
Alta ſuper cœlos & ſuper aſtra nitens.
Vellere candidior niveo, rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore favo.
Suavior & roſeo nimium rubicundior oſtro,
Vincis aromaticas mentis odore comas.
Cara, benigna, micans, pia, ſancta, verenda, vetuſta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.
Omnes nam fines terræ meruere ſalutem
Per Chriſtum, genitum virgo Maria tuum.
A patre perpetuò, certo tibi tempore natum:
Qui mihi ſpes veniæ, cauſa ſalutis. Amen.

DE VITA SANCTI MARTINI.

PROOEMIUM.

NAUTA rudis tumido cum vult dare vela profundo,
Atque procellosas nescius intrat aquas.
Rauciſono latrante ſalo cùm perſtrepit æquor,
Et vaga terrifico murmurat unda freto,
Exiliens pelagus colles ubi volvit aquoſos,
Planáque dorſa maris mobile rupe tument,
Naufragii cumulos rapiens per confraga pontus
Quà crepitat rubidus monte natante liquor,
Certatim implicitam quatiunt vada cærula cymbam,
Cùm liquidi campi penſile tranſit iter;
Si fera creſcat hyems ut ſpumis verberet auras,
Et mare cæruleum tollat ad aſtra caput:
Fluctibus excuſſus per nubila navita currit,
Intrat & aërias pendula prora vias.
Pars ſubit una ratis, pars altera vergit arenis,
Nutat & in dubio lubrica libra freto.
Nunc ſurſum inſpicitur pelagi furibunda ruina,
Pontus & iratas deſuper armat aquas.
Nunc quoque profiliens Zephyri pelagſque repulſu
Fluctibus ex imis evolat acta ratis.
Afficitur tremulis temerarius arbiter undis,
Et ſtupet implicitas quas petat arte vias.
Attonitus, trepidus, hebetans, vagus, anxius, inceps,
Confuſo ingenio mox ope nauta caret.
Jámque gubernaclum amittens ratione gerendi
Pondere victus aquæ neſcius arte jacet.
Sic ego de modicis minimus, venerabilis Agnes,
Cum Radegunde ſacrâ quas colo ſorte piâ:
Tendere pollicitum quia cogor ad ardua greſſum,
Imperiis tantis viribus impar agor.
Fluctuat ingenium cui non natat unda camœnæ,
Senſus arenoſus non rigat ore lacus.
Nam celſum meritis Martinum ad ſydera notum,
Cùm ſint vota mihi, non valet arca loqui.
Poſcendum eſt vobis ne naufraga prora laboret,
Flatibus ille ſuis ſed mea vela juvet.
Credere tunc potero ad portum mea carbaſa ferri,
Aſpirante fide ſi ſua flabra favent.
Ferte precanter opem, & de Verbo poſcite verba;
Si fons ille rigat, rivulus iſte meat.
Vos date quod vobis cum fœnore reddat alumnus,
Addam & theſauris parva talenta ſuis.

INCIPIT LIBER I.

ALITHRONUS poſtquam repedavit ad æthera Chriſtus,
Carne triumphali victricia ſigna reportans,
Inclytus inferni ſpoliato carcere dives,
Tartarei reprimens feralia jura tyranni,
Et Stygis omnipotens adamantina claustra revellit,
Sede ferâ populi longâ caligine tecti,
Captivum retrahens foribus bipatentibus agmen
Millibus ereptis. ergo eſt ut redditus aſtris,
Et patris in ſolio ſedit ſua dextera dexter,
Quæ converſatus dederat miracula terris
Multa Evangelici reſerante volumine libri,
Hebraicus cecinit ſtylus, Atticus atque Latinus,
Proſaïco digeſta ſitu, commune rotatu:
Primus enim docili diſtinguens ordine carmen,
Majeſtatis opus metri canit arte Juvencus.
Hinc quoque conſpicui radiavit lingua Sedulî,
Paucáque perſtrinxit florente Orientius ore,
Martyribúſque piis ſacra hæc donaria mittens
Prudens prudenter Prudentius immolat actus.
Stemmate, corde, fide pollens Paulinus & arte
Verſibus explicuit Martini dogma magiſtri,
Sortis Apoſtolicæ quæ geſta vocantur & actus
Facundo eloquio vates ſulcavit Arator.
Quod ſacrâ explicuit ſerie genealogus olim
Alcimus egregio digeſſit acumine præſul.
Aſt ego ſenſûs iners Italæ quota portio linguæ,
Face gravis, ſermone levis, ratione pigreſcens,
Mente hebes, arte carens, uſu rudis, ore nec expers,
Parvula Grammaticæ lambens refluamina guttæ,
Rhetorici exiguum prælibans gurgitis hauſtum
Cote ex juridicâ, cui vix rubigo receſſit,
Quæ priùs addidici dediſcens, & cui tantùm
Artibus ex illis odor eſt in naribus iſtis:
Non prætexta mihi rutilat toga, penula nulla.
Jam mea nuda fames ſupereſt de paupere linguâ.
Scilicet inter tot Sanctorum culmina Vatum
Fulmina Doctorum & gemmantia prata loquentum
Nullo flore virens ego tendam texere ſertum,
Mellis & irrigui hæc auſtera abſynthia miſcam:
Quod tamen ut facerem, fieri res illa coëgit,
Quo minùs ipſe reus pro crimine redderer amplo:
Convenienter enim ratio quia plena popoſcit
Hujus Pontificis ſolvi præconia verbis,
Cujus cauſa fuit hac me regione venire.

Ubi veſtivit pauperem chlamyde.

Ergóne dignus ero Martini geſta beati
Pannoniâ geniti, qua clara Sabaria vernat,
Attrectare manu trepidâ, vel pangere linguâ?
Non eget ille meis tenebris, quia luce coruſcans
Gallica celſa Pharus fulgorem extendit ad Indos:
Qui puer in teneris vix pubeſcentibus annis
Frigore ſub gelido terras criſpante pruinâ,
Cùm undas triſtis hyems fræno glaciale ligâſſet,
Et vaga libertas fluviorum incluſa lateret
Aſperiore gelu de ſe ſibi vincula nectens,
Plus aqua frigidior tunicâ veſtita rigoris.
Occurrenti igitur portæ Ambianenſis egeno,
Qui ſibi reſtiterat, chlamydis partitur amictum,
Et fervente fide membris algentibus offert:
Frigoris iſte capit, partem capit ille teporis;
Inter utroſque inopes partitur fervor & algor,
Et nova mercandi fit nundina frigus & æſtus,
Unáque paupertas ſatis eſt diviſa duobus.
Hac ſe veſte tamen tectum obtulit ipſe Creator,
Martinſque chlamys texit velamine Chriſtum:
Nulla Auguſtorum meruit hunc veſtis honorem;
Militis alba chlamys plus eſt quàm purpura Regis.
Prima hæc virtutum fuit arra & pignus amoris.

De Baptiſmo & hoſtibus ſuperatis.

Pòſt fera barbaries peteret cùm Gallica claustra,
Ac propè Vangionum premeret loca fervidus hoſtis,
Militiæ Sanctus cuncta emolumenta recuſat.
Hic cùm cæſareas fremuit Julianus in iras;
Imperat ut clauſum teneat cuſtodia juſtum,
Ac veniente die primus properaret in agmen.
Quo tamen antè aciem facer ire fatetur inermis.
Venerat ergo dies belli, pacem expetit hoſtis,
Atque orante uno cecidit furor omnibus armis,
Innumeráſque acies ſolus ſinè ſanguine vicit.

Ubi latronem ad fidem Chriſti convertit.

Hinc loca latronum incedens, ratus ire per Alpes,
Vinctis poſt tergum manibus, deductus ab uno,
Tempore ſub mortis hoſtis compendia tractans,
Credit latro Deum, dum prædicat iſte, colendum:
Et dare qui voluit mortem, capit ore ſalutem.
Ducitur ille ferox à religione ligatus,
Atque ſuus prædo Martini præda fit ultro.
Quàm bonus ille iſti! ſed plus pius hic fuit illi:
Servantur ſimul; ille fide, hic corpore vivens:
Ambo valent, dum nemo cadit, ſic vicit uterque.

Ubi Dæmonem à ſe repulit.

Hinc loca præteriens pulcherrima Mediolani,
Florea rura terens per amœna virêta viator,
Obvius occurrit vetus & temerarius hoſtis,
Mentitus ſpeciem humanæ ſub imagine formæ,
Falſiloquax pereunte fide, malè doctus in arte,
Quod peteretur iter, quærit: Cui cominus ille
Huc properare refert quà ſe Deus ire vocaret:
Cui ferus hoſtis ait: Quacunque accedere tendes
Tecum pergo nocens, vota in contraria currens:
Voce prophetali Sanctus cui protinus inſit;
Eſt meus adjutor Dominus, mala nulla verebor,
Ne timeam timidum, timor eſt. Deus arma timentum;
Tutus in adverſis gradior rectore ſuperno:
Inſidiis via nulla patet ſub tegmine divo.
Hæc ait; & validi transfixus cuſpide verbi
Dæmon abeſt. Sic umbra fugit quam Chriſtus obumbrat.

Ubi matrem ſuam baptizavit.

Interea matrem gentili errore reſolvens,
Illa iſtum mundo, hic illam generavit Olympo,
Decrepitámque ſenem ſancto facit amne renaſci,
Et meliore ſiuu generant ſua viſcera matrem.

De

De Arianâ hereſi.

Dogmáque ſacrilego quod fuderat Arius ore,
Tempeſtate gravi totum populaverat orbem,
Per magìs Illyricum malè naufraga lingua natabat.
Hinc quoque cœperunt naſci nova prælia juſto,
Fortior ut fieret reparatis belliger armis,
Ad virtutis opus per multa pericula creſcens.
Vir pius ergo ſagax, fideſque athleta fidelis
Sparſa venena hereſis reprimendo dimicat hoſti,
Suppliciis lacerus, flagris datus, urbe repulſus.
Nam Patris ac Geniti æqualem vel Spiritus almi
Vim, genus & ſpecimen, virtutem, lumen, honorem,
Unum velle trium ſua per tormenta fatetur:
Dulcia membra viri per amara flagella cavantur,
Et Chriſti juvenem veterata piacula torquent:
Sed gravior ſit pœna levis per nomen amantis.

De exilio S. Hilarii & cellâ conſtructâ.

Et quia ſummus apex fidei, virtutis, honoris,
Hilarius famæ radios jactabat in orbem,
Rite Sacerdotii penetralis jura gubernans,
Buccina terribilis, tuba legis, præco tonantis,
Pulchrior electro, ter cocto ardentior auro,
Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Uberior Nilo, generoſo ſparſior Hiſtro,
Cordis inundantis docilis ructare ſinenta,
Fontibus ingenii ſiticentia pectora rorans.
Mens Evangelici bis bini plena libelli,
Quatuor ore ſuo manans nova flumina mundo,
Ornatum Eccleſiæ pollens diadema coruſcum
In membris Chriſti capitis velut infula fulgens,
Pectore belligerans, adamantinus arte topazos,
Ad virtutis opus mens inconcuſſa palæſtris,
Gemmifer eloquiis, radiantior ore lapillis,
Doctor Apoſtolicus vacuans ratione Sophiſtas,
Dogmate, luce, fide, informans virtute ſequaces.
Hoſtibus hic quoniam gravis inſuperabilis eſſet,
Ducitur exilio quà longa Seleucia tendit,
Regis & auxilio petit hinc ſua præmia miles.
Cujus in abſceſſu errori vaga Gallia cedit,
Et regio titubat tantâ ſe turre movente.
Hoc ubi perpropere Martinus comperit, indè
Conſtituit cellam ſub vertice Mediolani,
Expulit unde virum tum Auxentius auctor iniquus.

Ubi Gallinariam inſulam expetiit.

Hinc pius erul adit quà Gallinaria turget
Inſula, frugis inops vivens radicibus herbæ:
Ergo venenatum elleborum mox ſumpſit ab ore,
Incipit indè mori quà vivere credidit eſcis;
Sed grave virus agens oratio ſola fugavit,
Et vivente viro intrà ſe ſua mortua mors eſt.

De reditu S. Hilarii, & mortuo reſuſcitato.

Rurſus ut Hilario redeundi eſt ceſſa facultas,
Excurrit properus ſua poſt veſtigia juſtus;
Excipit hic cupidum cupiens, & amator amantem,
Fitque monaſterium Pictavâ comminus urbe.
Jungitur indè ſacro catechumenus ore docendus,
Atque abſente viro rapuit grave funus amicum.
En ſubitò Martinus adeſt, qui defuit abſens:
Ecce redit pietas, redit & ſimul arra ſalutis.
Ergo ubi conſpexit gelidum de febre cadaver,
Flet, gemit, accurrit, dolet, ejulat, uritur, angit,
Concipiénſque fidem cellâ omnes juſſit abire,
Excluſitque foras foribus, ſinè teſte relictus:
Tunc ſuper algentis corpus proſternitur ardens
Judicis exactor, revomant ut Tartara functum.
Interea geminis ſpatio temorante ſub horis,
Ecce redit facies, ſaliunt per membra vapores:
Stat rubor indè genis, oculos pupilla repingit;
Rurſus & inſertus renovat ſpecularia viſus:
Vena tumet rivis animato fonte cruoris,
Paulatim aſſurgit fabricâ titubante columna,
Erigitúrque jacens pariter domus & ſuus hoſpes;
Ipſe iterum poſt ſe vivens idem auctor & hæres:
Qui redivivus ait ſe judicis ante tribunal,
Doctum damnandum Martino orante reductum.

De ſervo Lupicini ſuſcitato.

Lupicini demum celerans dum præterit agrum,
Comperit heu famulum crudeli funere raptum
Elidendo ſuum fera per ſuſpendia collum:
Acceſſitque ubi ſic malè pendula præda jacebat;
Expulit hinc cunctos, ſolus ſolita arma requirens.
Incubuit ſuper exanimis pallentia membra,
Et premit arca ſacri, hunc ne deprimat arca ſepulcri:
Mox tamen ore precem ut defuncti miſit in aurem,
Mors pede verſa retro prædam fugitiva reliquit,
Evomuſque vorax avidâ de fauce rapinam.
Protinus exiluit lento conamine functi
Jam levior ſe terra movens, animata calore,
Languida colla levans oculóſque ex morte ſoporos,
Vix referans gravido vigilantia lumina viſu;
Mortis odoréque adhuc remanente in naribus illis:
Sed præſtante manu totos ſimul erigit artus,
Et ſtetit intrepidis membrorum machina plantis:
Vivificatus enim greſſum meditando rediſcens
Reddidit obſequium vitæ pro munere ſancto,
Uſque ad veſtibulum domûs illum ducere tendens,
Defunctum eripuit ſubito qui ex limine mortis;
Pro mercede manens hæc compenſatio juſto,
Gloria Chriſte tibi, facis hæc qui mira per orbem.

De ordinatione Epiſcopatûs.

Accidit ut Turonum præſul peteretur ad urbem,
Nec tamen educi poſſit de limine cellæ:
Ruricius quidam, ſimulatâ febre jugalis,
Obtinet egreſſum ſancta ad veſtigia ſupplex:
Urbibus ex reliquis nova conciliabula currunt,
Lætificata ſimul ſanctam ſe ferre rapinam.
Nec tamen effugiat, juſſum cuſtodia vallat.
Interea, paucis tunc obſtantibus, inſons
Eligitur, trahitur, ſacratur, & arce locatur.
Æmulus unus erat Defenſor Epiſcopus, obſtans
Ne Martinus oves paſtor curaret alendas.
Nec mora, judicio Domini, lectore canente
Verſiculo pſalmi Defenſor ſponte notatur.
Ex ore infantum & lactentum perfice laudem.
Nunc Defenſorem qui ſic bene deſtruis, inquit.
Mox fragor aſtra petit, clamor vagus atria complet,
Et docet ille favor de Defenſore reatum,
Addictóſque vir eſt, ſe judice, teſte Prophetâ.

De monaſterio ſub altâ rupe conſtructo.

Indè monaſterium ſibi condit rupe ſub altâ
Vir monachus præſtans in pontificatûs honore,
Plurima conveniunt ubi ſancta examina fratrum.
Ergo aderat propiùs locus & celeberrimus olim,
Ampla vetuſtatis cùm tempora tranſiluiſſent,
Martyris eſſe pium ſpargebat opinio cultum:
Qua ſacer exorans tumulo ſalit umbra ſepulcri
Lævâ ex parte loquens meritis, res ipſa ſiniſtra:
Imperat ut nomen fatetur imago, vel actum:
Nil cum Martyribus ſibi participare beatis,
His quia palma manet, cùm ſe malè pœna teneret.
Omnibus auditur, Martino cernitur uni.
Illa ſuperſtitio tali ſub ſorte vetatur.
Sic altare ſimul removetur, larva fugatur.

De gentilibus in ſuo loco fixis.

Pòſt iter arripiens comitatu religioſo
Exequiis ſubitò gentilibus obvius exit,
Dum putat indè vehi cultu ſimulacra profano,
Pingit in adverſos ſignum Crucis: illa cucurrit
Ante virum ſua bella gerens pietatis amica.
Obvia turba riget, greſſúque extorpuit ægro,
Ante immota gradu vertigine rapta rotatur.
Additur illud onus, deponunt colla cadaver,
Nec jam ferre valent, & mors in pondere creſcit.
Tunc ſacer inſpiciens opus hoc eſſe exequiarum,
Juſſit abire procul, digitis crucis arma repingens;
Unde ligavit iter, miſeratus indè reſolvit,
Unâ eâdémque manu mandata per æëra mittens,
Hoc mirum faciens de ſuſpicione Sacerdos.

De pino ſigno crucis à ſe repulſâ.

Protinus antiquum cupiens exurere fanum
Juſſit, & acclivem propiùs ſuccidere pinum;
Obvia congreditur cui ruſtica concio pugnax
Ne ſuccidatur res nata & debita flammis.
Proinde paciſcuntur hac lege excidere pinum,
Si Martinus eam valeat retinere ruentem.
Annuit hoc populus, hoc ſpondet ſponte Sacerdos:
Mollia ſubduntur rigido ſub ſtipite membra,
Et ſuſpectatur pini peritura ruina.

Interea

Interea rapidis ſonat icta bipennibus arbor,
Atque ſubincrepitans caſura cacumine nutat:
Paulatim inclinans jam victa ſecure ruebat:
Turbati monachi ſpectant extrema magiſtri,
Credentes ramis transfigere viſcera juſti:
Vir tamen intrepidus perſtat, pinóque cadenti
Obtulit arma crucis, cumulans ſua bella triumphis.
Eximuit fugitiva virum repedabilis arbor,
Et ruitura procul ſuſpendit in aëra lapſum.
Excutiens retro verſa comas, ſinè morte caducum
Continuit ſaltum ſeſe per inania librans
Contra naturam ſucciſa & curva repugnans.
Mox petit illud iter, quà non ſua pondera torquent.
Hinc ad ruricolas vertigo infeſta rotatur,
In montem exiliens vindex ut puniat hoſtes;
Réſque parata neci fuit ultio facta ſalutis.
Fit fragor in partes: monachi per gaudia deflent:
Gentiles ſtupidi nova per miracula pallent.
Judicio ligni eſt hominum mollita voluntas:
Expetit arma crucis converſa errore repulſo;
Et timor hic pini Martinum fecit amari:
Majorem generans fructum cùm decidit arbor.

Ubi fano incenſo ignem à domo repulit.

Hinc jubet alterius ſuccendere culmina Fani:
Vicinámque domum cùm flammea ligna vorarent,
Viribus ardor agens totis, laxatus habenis,
Obvius ipſe volat quantum globus igneus ibat,
Scandens tecta domûs: Hinc verba precantia mittit:
Mox tota in ventos revoluta incendia fervent,
Et contra Boream Vulcanius ardor anhelat,
Seditione movent elementa domeſtica rixas.
Adverſis zephyris videas pugnare favillas.
Hinc furor Auſtralis premit, hinc velocibus alis
Flamma volans Borinas mordebat in aëre pennas,
Oblucta diu, tandémque evicta per auras,
Quas armare ſolens, fugiebant flamina flammas,
Conditione novâ, ſatis eſt res mira per orbem:
Flabra timent ignem, timet ignis ligna vorare,
Atque avidæ flammæ ſua nutrimenta paveſcunt,
Paulatímque ſocis elanguida ligna reſorbet:
Urere qui ſolet à ſeipſo conſumitur ignis;
Martinſque fides ſinè nubibus intulit imbres.

De Angelorum auxilio.

Rurſus ut hinc aliud cuperet ſubvertere templum,
Ruſtica turba vetat divelli Fana profana,
Unde repulſus adit loca proxima: Sed biduano
Contectus cinere & ſetis jejunia ducens,
Numinis auxilium ad templa imminuendo precatur.
Militiæ Angelicæ coràm duo protinus adſunt
Syderei proceres, haſtas & ſcuta tenentes:
Comminus hi Sanctum compellunt vocibus ultro:
Præſidiis Martine tuis delabimur aſtris:
Squalidus ipſe ſedes, ſed ſit tua cura Tonanti,
Suffragiſſque tuis cæli fremit arduus axis,
Belliger & totis conſpirat Olympus in armis,
Ut cœpta efficias, per nos tibi militat æther;
Mittimur à Domino gemini tua caſtra regentes;
Hac pro parte duces melior qua cauſa laborat.
Nunc age rumpe moras, ne ruſtica turba rebelles,
Arma miniſtra vides, noſtrum eſt ſuperare ſuperbos.
Irrue; ne trepides, ope noſtrâ, ad templa ruenda,
Nec titubare decet, favor eſt ubi numinis almi.
Tum Sacer aggrediens properus diſſolvere templum
Idola comminuit, Fana eruit, obruit aras,
Totáque ſublimis jacuit ſub pulvere moles.
Ruſticitas inimica priùs, favet ipſa ruinæ:
Inſtat & excidio quæ defendebat iniquum,
Idola projiciens, numen confeſſa Tonantis,
Uno eodémque ictu hoc reſpuit, eligit illud.

De percuſſore oratione ſuperato.

Pòſt Eduorum dum templum divellere tentat,
Obſtant inculti cultores ruricolares,
Ne colerent meliùs, ſua ſi cultura periret:
Ex quibus audaci niſu malè fortior unus,
Dum cuperet gladio caput obtruncare ſacratum.
Cui nudâ cervice patet ſeſe obtulit ultro:
Aſt ubi mente ferox totas collegerat iras,
Exacuens rabiem, ſed cordis acumine tonſus,
Acriùs inſiliens totos ſuſpenderat artus,
Bis furor armatus juguli ruiturus in ictum,
Tam graviùs feriens quantùm altè educitur enſis,
Aſtrictis capulo digitis dum temperat ungues
Noxius horrificâ meditatus vulnera dextrâ;
Mortis amicus, amans facinus, crudeliter auſus:
Jam ferro incumbens capiti mucrone reducto
Sternitur ipſe ſolo, qui ſic pendebat in ictum,
At reſupinat humo qui pronior ibat in auſum;
Mittit & ore precem, cùm membra ſuperba jacerent,
Juſto ſtante cadens, quo credit ſtare cadente;
Dum vice diversâ ſtat inops, ruit ille ſuperbus.

Ubi gladius percuſſoris excuſſus non comparuit.

Rurſus opus peragens dum verteret Idola pernix,
Vir quidam tractans Martini de nece, cultrum
Dum rapit, eripitur rapienda rapina rapaci,
Excuſſúmque fugit ſinè more volatile ferrum
Jam leviore viâ, neque poſt comparuit uſquam.
Sic cultro ablato manibus, latro extitit inſons,
Redditur & mitis, poſtquam ſit nudus ab armis,
Nec furor antè animi periens, ni tela periſſent:
Invita hæc pietas quæ perdidit unde noceret.

Ubi contradicentibus Paganis fana deſtruebat.

Sæpe Beatus idem contradicentibus ipſis
Agricolis, præſtante fide, ſe orante jubebat,
Ut malè culta ſuis caderent fera Fana miniſtris:
Sic quoque Pontificem ſoliti impugnare rebelles,
Dum templa evertunt, ipſi ſunt arma Beato,
Hoſtilíſque manu Martini bella geruntur,
Partibus atque ſuis alieno millite vincit.

De paralyticâ, quam curavit Trevirís.

Quinetiam fuerit curatio quanta patrono,
Quanta medelifero manavit gratia tactu,
Laudibus in tantis muta eſt facundia mundi,
Quem cunctis vidiſſe, fuit meruiſſe ſalutem.
Eſt ſatis ipſe ſuus teſtis generoſus & auctor,
Qui quondam ingrediens Trevirorum mœnia mitis
Quà reſoluta diu per viſcera fluxa rigebat
Tabida paralyſis gelido languore puella,
Flatibus extremis quaſi jam de funere vivens;
Cujus erant oculi vigiles cuſtodia mortis,
Funeris exequias reddentia lumina membris,
Solvere feſtinans animatæ vincula carnis;
Spiritus arcano vix mobilis ibat anhelo,
Fine trahens dubio perituram naribus auram:
Pes, manus, ora, genæ recubabat imago ſepultæ,
Nec tumulata quidem, ſed portio tota ſepulcri.
Cujus amore pio patris exanimata ſenectus,
Dilacerata genis, niveis malè compta capillis
Cùm impatiens ageret, nec adeſſet cura medelæ,
Comperit ut Sanctum advectum dignanter ad urbem,
Advolat indè ſenex vetulis juveniliter annis,
Impiger exiliens, curſu ſua tempora vincens.
Pontificum vallante choro, populóque fremente
Irruit in medios clamoribus inverecundus:
Nam dolor inſignis non reſpicit arma pudoris.
Corruit ergo ſenex Sancti ad veſtigia pronus
Genua, manus plantáſque per oſcula mollia lambens:
Vix gemitu laxante, loqui ſic incipit æger.
Vir Martine Dei, populi patrone ſalutis,
Vir cunctis bonitate parens, tibi ſuggero luctus,
Ne miſeri pereant lacrymæ pietatis amicæ,
Quem mea cauſa trahit loca tam longinqua venire,
Ut labor iſte viæ tribuat compendia vitæ:
Eſt mihi nata domi decumbens vulnere morbi
Exequiis vicina ſuis, ſinè ſorte medelæ,
Quæ quondam incolumis ſtabat mea ſola voluptas,
Obſequiis intenta piis, placabilis, in qua
Vita mihi; hæc quæ dulcis erat ſolando ſenectam,
Ecce perit, ſecumque trahit mea viſcera letho,
Canitiémque patris miſerandi in tartara ducit:
Ire ſed ipſe prior cuperem ſi fortè liceret.
Quæ nam vita ſeni, vel quo mihi vita parenti,
Spe pereunte patris cum nomine prolis ademptæ?
Qua nubente viro, per dona futura nepotum
Aridus in ramis poteram revireſcere prolis;
Cùm magis hæc reputem præſentis damna ſaluris
Me ſpectante, rapi natam mea lumina luci:
Ordine diſpoſito meliùs cui cauſa placeret,
Ut ſenis illa patris oculorum clauderet orbes.
Unde, Sacer, dignare avidam ſuſpendere moram;
Atque miniſter opis rapiendæ occurre puellæ:
Si mora fit, mea cauſa perit; ſuccurre duobus:
Nam me cura necat, ſi illi curatio ceſſat.

Qua

Qua Sacer erubuit confuſus voce Sacerdos,
Indignum ſeſe tali virtute miniſtrum.
Sed pater inſtabat compellans vocibus iſdem;
Debitus inſanis medicus venis, exere curas:
Sentiat adventum medici purgatio morbi.
His impulſus adit quà laſſa puella jacebat.
Turbâ aſtante foris, faceret quid paſtor ovili?
Hinc ſua bella gerens orator ad arma recurrit,
Sternens membra ſolo, ſenſu ſuper aſtra reducto.
Hinc ubi conſurgens faciem conſpexit alumnæ,
Illico vox rediit peregrinis ſedibus hoſpes,
Et rediviva ſuæ cecinerunt organa linguæ:
Paulatimque actus liquor ut penetravit olivi,
Vivificata pedum geminis ſtetit arca columnis,
Et fundata ſuo viguerunt culmina greſſu.

De ſervo Tetradii à Dæmone liberato, & ipſo liberato. XXI.

Pòſt quoque Tetradii famulus Proconſulis exſpes,
Mancipium alterius ſub hoſpite Dæmone factus
Dentibus ut rabies alienis frenderet armis,
Nec ſua ſed hoſtis fieret ſe milite pugna:
Quem dominus famulum ſupplex purgare precatur,
Sed duci ad Sanctum vetuit ferus hoſpes & hoſtis,
Tetradius rurſus juſti veſtigia lambens,
Supplicat ut pergat ubi ſævus latro latebat.
Sed Sacer ipſe domum gentilis adire recuſat.
Spondet Tetradius humilis cum faſcibus altis,
Hoſti ſi famulum eripiat ſe credere Chriſtum:
Impoſita ergo manu puero fera larva recedit,
Et mala jucundum paſtorem beſtia fugit.
Tetradius pariter catechumenus eſſe meretur,
Atque ſalutiferi baptiſmatis amne novatur.
Sic puer & dominus maculis purgantur ademptis:
Iſte hoſtis laqueis; erroribus ille ſolutus:
Ille carens animæ pœnis, hic carnis erumnis;
Liber uterque manens gemino micuere triumpho.
Conditio famuli libertas facta patroni,
Accipit iſte fidem, cùm de illo perfidus exit.

Ubi Dæmoniaco furenti digitos in os intulit.

Nec longo ſpatio ſub eodem tempore Sanctus
Fortè domum ingrediens in limine ſubſtitit ipſo
Terribilem referens ſe cernere Dæmonis umbram,
Arreptóque coco vexat fera bellua prædam,
Dentibus armatis lacerans ſe, ſive ſodales.
Terga dabant ſocii, nec quiſquam ire obvius audet.
Vix loca tuta fugæ capientes præpete ſaltu.
Hoc ſatis eſſe ſuum vel ſe ſubducere morſu.
Martius ergo chalybs, Martinus belliger armis
Nec pede diffugit, nec ſivit abire fugacem,
Peſtem ſtare jubens; acuit qui fauce molares:
Cui digitos vir Sanctus in os dum mitteret, infit:
Si potes, ecce vora oblatam, lupe noxie, prædam,
Quam peteres alibi datur ultro dentibus eſca.
Quo dicto, fauces geminæ revocantur utrimque,
Non mordet digitos, ſuſpendit Bellua rictus,
Et manibus tangi timuit, qui eſt dente voraci.
Qui dum intrà obſeſſum pœnis ageretur acerbis;
Nec tamen ob digitos exire per ora liceret;
Fœda miniſterii fœdus veſtigia linquens,
Sordidus egreditur qua ſordibus eſt via fluxu.
Tale iter arreptum ſic te decet ire, viator.

Ubi civitatem de metu Barbarorum liberavit.

Hinc cùm barbariem ſparſiſſet fama per urbem,
Proventúmque trucem crudelia ſemina ferrent,
Paſtor adeſſe jubet quendam ex grege dæmonis, illi
Imperat ut prodat, ſi nuncia vera vagarent,
Ore reus tortus veluti ſub judice miſſus
Greſſibus humanis advectus larva fatetur
Hanc famam populo bis quino Dæmone fuſam,
Ut cogente metu Martinus abiret ab urbe.
Barbara tempeſtas tranquillâ lege quieſcit,
Formidanda tibi nulla eſt irruptio Gentis,
Nec cauſam armorum verearis pacis amator.
Martino præſente aditum fallacia perdit,
Mendax vera refert, & certum nunciat error.
Inſatiata malis quæ ſic fremit ore cruento
Beſtia bella movens revocavit munera pacis.

Ubi leproſum oſculo ſuo purgavit.

Indè Pariſiacam Sacer intrans concite portam
Obviat in faciem leproſum verſus euntem,
Qui ſibi diſpar erat; nec jam à ſe cognitus ibat.
Vir maculis varius, cute nudus, vulnere tectus,
Tabe fluens, greſſu æger, inops viſu, aſper amictu,
Mente hebes, ore putens, lacerus pede, voce refrictus:
Induerat miſerum peregrino tegmine pallor,
Improviſus enim hunc ſanctus ſua ad oſcula traxit,
Aſtringénſque virum ſuſo medicamine laxat.
Nam ſimul ut tetigit benedictas ore ſalivas,
Effugit unguiferum languoris ſarcina tactum;
Merſa figura redit, faciem cutis advena veſtit,
Ad ſpeculum remeat peregrinâ fronte caracter,
Et deleta diu reſcribitur oris imago,
Virtutum quam celſa fides ubi concite ſancti
Pacis ab officio perierunt prælia morbi,
Complexu res dira fugit languoris iniqui,
Peſte cadente novam geſſerunt oſcula pugnam.
Inclyta religio Martini, cujus honore,
Fœdere, ficta fides formoſat fœda, fidelis.
O felix regio, Sancti pede, lumine tacta!
Illuſtris luſtrante viro loca, luſtra, liguſtra,
Urbes, rura, domos, templa, oppida, mœnia, villas,
Quæque viri inſignis tam inſignia ſigna mereris,
Cujus ab ore ſacro magnalia cætera vincens,
Leproſi ad curam Jordanis in oſcula fluxit,
Et fontem fluidæ maculæ lavat unda ſalivæ.

INCIPIT LIBER II.

PENDULA jamdudum laxavi carbaſa pinu,
Dum pelagus componit iter, dum nauta reſumit,
Et reſtricta ſemel leviùs ſe ſarcina ducit.
Me quoque jam primi finità parte libelli
Ad curſum levis aura vocat, paro linteu ventis.
Spiritus altevolans imple mea vela ſecundus,
Ne trepidam claſſem contraria flabra flagellent.
Martinum mea prora vehat, ſancta emptica nantæ,
Dulcis apex, ſpes fida ratis, leve pondus amantis,
Mercis onus ſuave eſt, & ſi veheretur in ulnis,
Qui tetigit quodcunque manu, vel tactus ab illo eſt,
A digitis ſalit alta ſalus, fluit unguen ab ungue.
Fimbria quinetiam quod nobilis attigit unquam
Sparſit abundantem modicâ de veſte ſalutem,
Fontis & hujus aquis reſtricta eſt unda cruoris,
Siccavitque ſuo reſluamina fluxa fluento,
Sumens æger opem per tuta ſalubria fili:
Dum neſcit medicus, finit diſcrimina morbus:
Arbiter Arborius, vir præfectorius idem,
Quartano genitam graviter cruciante camino,
Plurima dum faceret, neque cura mederet alumnæ,
Miſſa beata viri reſtinxit epiſtola febrem,
Quæ ſuper impoſità chartâ recubante puellâ,
Mox ſudoris aquas ubi littera ſicca rigavit,
Febris ab internis reſtincta eſt arida membris,
Axe ſerenato madidans ſinè vellere nimbi,
Rore atramenti reſtincta eſt flamma camini,
Iſraëlitarum veluti Moyſiticus alter,
Ne vapor excruciet, protendit pagina nubem.
Cur mirum, artificem dantem per ſcripta ſalutem,
Sic operabatur, præſens ubi non erat ipſe,
Quæ patre ab Arborio Martino offertur opimo
Conſecranda manu qua ſalva facta ſit ipſa.
Quàm bene bis ſanam cum virginitate puellam
Reddidit iſte patri proprio, pater ille ſuperno:
Sic meruit geminam ſolo curante medelam,
Dum caram ſobolem morti ſubduxit utræque.
Paulinſque oculum tetrâ caligine merſum,
Impoſitis manibus radius penetravit acutus,
Atque ſerena dies detersâ nube refulſit,
Lumen & emicuit facies non luſca gemellum,
Martini digitis oleo manante lucerna
Cuncta ſalutifero ſuperans collyria tactu.
Ipſe etiam caſu ſcalarum vertice lapſus,
Dinumeránſque cadendo gradus, capite, ore, reliſus,
Attritus membris deſcendens ſaltibus altis,
Multorum medicus quàm plurima vulnera portans,
Dum cellæ recubat graviter ſub nocte ſoporâ,
Pervigilis domini venit Angelus aëre ſultus,
Ulcera quæque viri tractans dum ſingula palpat,
Tangens membra manu ſolidat veſtigia greſſu,
Excutitúrque lues fugitivo tabida ſaltu,
Et ſudibus laceros rediit cutis una per artus,
Craſtinus incolumi proceſſit corpore comptus,
Angelicámque fidem teſtis præſentia fecit.

Nec

Nec perferre piùm longinqua flagella decebat,
Quando flagellari graviter non pertulit ullum.
Præterennda mihi neque sunt hæc maxima rerum,
Maximus Augustus nec regis maximus armis,
Imperium indeptus civili clade superbus,
Dum regit insolitas frenorum infrenus habenas.
Pontificum cui tunc adulatio læva favebat
Principis, & nutu cleri tum circulus ibat.
Martino veniente tamen rex ipse precatus,
Ut sanctum ad mensam habeat, qui sæpe repulsus
Tandem promeruit fieri conviva beati,
Imperio plaudente simul sedet urbe favente,
Convivam cæli quòd terrena excipit aula.
Conveniunt proceres, præfectus, consul, honores,
Certatim, acciti regalia festa colentes,
Principe postposito miraturi acta sacrati.
Augusti obsequiis fremit undique concitus orbis,
Divitias pariter producens delitiásque,
Quas habet Indus, Arabs, Geta, Thrax, Persa, Afer, Hiberus.
Quod fert meridies, Arctos, occasus & ortus,
Quod Boreas, Aquilo, Libs, Circius, Auster & Eurus,
Quod Geon, & Phison, Tigris, Euphratésque redundant,
Rhenus, Atax, Rhodanus, Tibris, Padus, Hister, Orontes,
Quod mare, terra, polus, pisce, alite, fruge ministrat,
Emblema, gemma, lapis, toreumata, thura, falerna,
Gazáque Creta, Samos, Cyprus, Colophona, Sareptis,
Lucida perspicuis certantia vina lapillis,
Vix discernendis crystallina pocula potis,
Indè calix niveus variat per vina colores,
Hinc mentita bibunt paterâ fucante falerna,
Hic abacum picto bombycina flore decorant,
Arte laborata & vel qualia pénsat Arachne,
Serica purpureis sternuntur vellera velis,
Intùa blatta toris, aurúmque intermicat ostro,
Totáque permixtis radiant velamina gemmis.
Indè pari pariter rutilant ætate ministri,
In cunctis varius habitus, nitor omnibus unus,
Quod valet ore loqui potuit sub principe ferri.
Ordine cæsareo Martino hæc pompa paratur,
Qui modicis contentus erat satiandus in uno.
Accubat interea princeps, simul ordo senatus,
Presbyter indè thoro venerandâ accelinat in ulnâ.
At juxta regem sellâ sacer adsidet artâ,
Porriget hinc regi mox pocula prima minister,
Qui sancto jubet antè dari, quo possit ab ipso
Augustus calicem excipere & potare secundus.
Martinus paterâ oblatâ ut bibit ore parumper,
Divino sitiens potius se fonte rigari,
Principe postposito, partem libaminis imam
Presbytero tribuit, noscens quòd dignior esset.
Miratur princeps, proceres, conviva, ministri,
Judicióque suo se pensavere minores.
Illico percurrit res gesta palatia complens,
Hoc quòd apud sanctum fuit ordine presbyteratus,
Augustus conviva minor, vox una per urbem
Martinum fecisse canit sub principis ora,
Judicis in minimi mensâ quod nemo valeret.
Erubuitque aliud hinc dicere turba fatelles,
Si quid enim voluit pro supplice fortè precari,
Imperatori Martinus & imperat ipsi.
Qui tamen Augusto prædixit sorte futura,
Prospera quæ meteret, quæ mox contraria ferret,
Motibus Italiæ pugnante Valentiniano,
Maximus ut cecidit post bella secunda tyrannus,
Qui grave succubuit Aquileiâ protinus urbe,
Martini dictis & verbo libra pependit.
Cætibus angelicis visus sæpe atque locutus,
Miscuit humanas turmis cælestibus aures,
Voce salutatus, vel nutibus ipse salutans
Aligeros proceres tenuata per æra lapsos,
Mitibus alloquiis ageret, quid sæpe monerent,
Qui cælo expeterent terrenâ sede parentem,
Et consanguineum quasi longa in sæcula civem,
Voce requirentes & amore perenne vocantes.
Quid faceret terris anima hæc tam libera culpis,
Ut subeat cælis peregrinus & hospes ab arvis?
Dæmonicas etiam species, falsáque figuras
Quaslibet in formas se verteret inliciator
Perspicuas habuit penetralis acumine visus,
Martinique oculos neque falsa fefellit imago.
Nam quamvis variâ tegeretur larva figurâ,
Sancto nuda fuit, cùm non se absconderet umbra:
Et quia perfectis illusio nulla valebat,
Prensus in arte ferox jaculabat probra beato,
Et cùm fraus cessat, hostis convicia jactat:
Tempore nam quodam cornu bovis ecce cruentum,
Ipse cruentus habens infert ad tecta sacrati,
Irruit in cellam, causámque exponit iniquum:
Quò virtus, Martine, tua est? hoc aspicis, inquit,
Unum namque tuum nuper hac cæde peremi,
Et mihi præda jacet pecuali capta ministro,
Injunctúmque nefas sceleris hoc armiger implet,
Damno cresco tuo congaudens ubere fletu.
Protinus his dictis fratres sacer advocat omnes,
Et pater ore refert quicquid ferus indicat hostis,
Sollicitus ne quid lupus abripuisset ovili.
Perquirunt socios monachi, numerúmque recensent,
Sed grege de niveo modicus neque defuit agnus,
Conductus mercede tamen deest rusticus unus
Ligna trahenda focis nemorum vectore bubulco,
Quò propero jubet ire gradu, causámque requiri:
Semianimem inveniunt missi suprema gementem,
Indicat atque necem, dum adhuc super halitus errat,
Quòd sua laxato taurus foret inguina cornu,
Explicitáque fide vitam cum voce reliquit.
Nec sanctum hoc errare facit, quod fecerat error.
Additur hinc etiam rerum mirabilis ordo,
Mille nocendi artes dum perfidus exerit hostis:
Nunc Jovis in faciem, nunc se mentitus Anubim,
Sæpe habitu Veneris, sæpissime fronte Minervæ
Sedulus insidiis sancto sua seria rumpens,
Diversis formis, ut terror crescceret, offert,
Et varius generet specie variante timorem,
Qui virtute nequit, superatus ut arte rebellet.
Sed tamen intrepidus persistit inania temnens,
Semper in adversis jaculans crucis arma beatus,
Belliger hoc clypeo hostilia tela relidens,
Qua penetrante acie se machina falsa resolvit.
Sæpe etiam in sanctum vacuos acuere tumultus
Inficiatores, falso minitante flagello.
Sed fremitus fragilis per inania cymbala tinnit,
Oppositísque minis interritus ipse resistit,
Nec fundata decet contra evacuata moveri.
Hinc quoque lætiferi suffusus felle veneni
Perfidus, horribilis, trux, lubricus, invidus anguis
Ore cruentatis Martinum provocat armis,
Cur habeat monachos onerosó crimine pressos,
Cur maculosa cohors habitet pia septa magistri,
Ne rea turba malis violet consortia justi,
Morbida neu reliquos vicii contagia fricent,
Qui malè polluerint lavacri venerabilis undam,
Ac sua perdiderint baptismata crimine mersi,
Nec redeat miseris ultrà indulgentia Christi,
Nec vis fit veniæ, perlit quibus orbita lapsis,
Cùm semel in foveam vix est revocare ruentem,
Ac neque restitui vastato in corpore florem.
Tunc Martinus ait hæc contra dæmonis iram:
Perfide detipiens, quia non tua commoda cernis,
Hostis inique tibi, tibi noxie te perunte,
Si nunc pœniteas, si nunc resipiscere velles,
Præcipitare animas ut jam per crimina nolles,
Nec tua sævirent alienæ tela ruinæ,
Errorésque tuos damnares, ultime judex.
De pietate Dei fidens promittere possim
Ut tibi tam misero misereri Christus haberet,
Et citò donaret scelerata piacula culpæ.
Ob hoc arce poli descendit ad arva redemptor
Perdita ut eriperet, peritura nec ipsa perirent.
Immaculatus enim maculas detergere venit.
Vulneribúsque suis curaret ut ulcera mundi.
Funeris ordo sui nostræ fuit arra salutis,
Sputa, flagella, chlamys, fel, acetum, lancea, clavi,
Crux pia, mors, tumulus, lapis, inferus, umbra, tyrannus,
Victa simul triduo premit & redit auctor ad astra,
Descensúsque suus meus est ascensus in altum,
Nec peccatoris mortem magis eligit ultor.
Quando suis pœnis nobis dedit arma salutis,
Sic pius indomitam pestem mansuescere tentat,
Promisitque lupo bona pastor ovilia reddi.
Quantò magis homini referari præmia Christi,
Propter quem ipse Deus homo fit, jacet atque resurgit!
O pietas & celsa fides; præsumptio dulcis,
Quæ promittit opem deceptori & perituro!
Explicuit vorum, si non valet ire, juvandum,
Cui minùs in posse est, satis est offendere velle,
Nam totum impendit qui non abscondit amorem.
Hinc clarus placidis adolescens moribus expers
Martinum amplectens, patrem & sua cuncta relinquens,

Tempore

Tempore quisque brevi micuit virtute fidéque,
Cùm propè pontificem habitacula conſtituiſſet,
Ac ſua complures peterent conſortia fratres,
Huic ſe tunc monachus tocians Anatolius addit:
In commune priùs humilis cenſura ſodalis,
Qui rudis ingenii verſuto illuſus ab hoſte
Pòſt ait, ad ſeſe quod cælitus angelus iret,
Ac reſerare ſibi myſteria cauſa tonantis,
Et citò ſidereâ volitent ſua nuncia pennâ,
Atque remiſſa viri reſponſio nubila tangat
Inter ſe & dominum memorans iter eſſe propinquum,
Ac ſibi contigui jactat confinia cæli,
Se ſecreta Dei ſciendo jam eſſe prophetam,
Sed clarum, ut credat, nec opinio falſa movebat,
Tunc ſinè more furens Anatolius aſſerit audax
Quòd ſibi de cælo dominus tranſmittat amictum,
Induat ac veſtem delatam nocte ſilenti,
Ut ſigna ſtupeant cujus modò verba cavillant.
Elevat hìc varium monachorum turba tumultum,
Et ſuſpenſa tenet ſpectatio vana ſodales.
Interea medias quaſi nox tranſcurreret horas,
Et rota flexa æquo gyrabat cardine metam.
Fit ſubitò ſtrepitus, quatitur locus, æva moventur,
Et concuſſa ſimul vario fremit aula ſuſurro,
Murmure rauciſono frangente lepore loquelas
Credas pugnaces volitare per aſtra phalanges,
Et videas rapidas diſcurrere turbine turmas.
Hìc ubi concuſſis redierunt ocia turbis,
Motáque tempeſtas tranquilla ſilentia ſumpſit,
Advocat ex monachis confeſtim Anatolius unum,
Cominus & tunicam oſtentat jactantior albam,
Qui vacuo tumidus falſo umbrabatur honore,
Candidus exuviis, ſed nigri dæmonis arte,
Indè ciet reliquos, occurrit Clarus & ipſe,
Palpat molliciem veſtis candore nivali,
Serica confingunt tenuato ſtamina filo,
Nec contacta manu diſcerni vellera poſſunt.
Ducitur interea monachis nox pervigil hymnis,
Et compacta choris Davidica canna reſultat,
Ut coràm altithronus velamina viſa revelet.
Jam ſpumabat equis auroræ auriga rubores,
Sol quoque lucifluas curru flectebat habenas,
Atque renata dies revocabat in arva labores:
Mox Clarus monachum Martino oſtendere tendit,
Noſcens pontificem phantaſmata nulla latere,
Cùm ſancti ante oculos vario fuit una figura,
Decipulámque ſuam deceptor perdit in illum.
Cœperat his demens Anatolius ergo reniti,
Interdicta ſibi Martini occurrere ovili,
Dum tamen invitis traheretur paſſibus hærens;
Tegmina falſiloqui vaneſcunt alba nigelli,
Et malè deſtituunt monachum vaga pallia nudum,
Nec ſtat imagineis ſimulatilis umbra figuris,
Territa Martini ſic nomine larva refugit.
Hoſtis iners majora ſuis dehinc viribus audens,
Perfidus, & totiens eliſus, nec ſibi credens,
Debilis arma movens, & degener ardua tentans,
Ut ſua laus fieret vel ſollicitâſſe potentem,
Creſceret, & titulis fortem pulsâſſe ſagittis,
Denique cùm ſanctus recubaret in aggere fuſus,
Inſinuando preces domino pro plebe ſacerdos,
Conſtitit ante oculos deformis forma rebellis,
Sulphureâ ſub luce micans radiatilis umbra,
Lumine mentito tenebroſus, & atra vorago,
Fulgidus exuviis, regali veſte ſatelles,
Tectus bracteolis, vacuo diademate pulcher,
Ordine gemmarum numeroſâ luce coruſcus,
Falsâ veſte potens, cui calceus illitus auro,
Lætior & tumido jactans ſe pompa triumpho,
Cujus ad aſpectum ſanctus habet ore repreſſo
Mutuáque ambo diu tenuere ſilentia faſtu,
Mirans ille virum, dum deſpicit iſte ſuperbum.
Quem prior alloquitur reus & temerarius hoſtis:
Quæ dudum, Martine, cupis penetrante precatu,
Jam pia vota tenes, ego ſum tua gloria Chriſtus.
Exigis ut veniam varios recreare labores,
Et ſudata tuis ut ſolers bella triumphis,
Debita militiæ dare oportet munera regem:
Deſcenſurus enim ad terras huc dirigo greſſum,
Ut tua ſollicitis requieſcant pectora curis,
His ſacer intrepidus nolens reſponſa referre.
Diſpicit & reticet, tractat, neque verba relaxat,
Mens ſolidata manens, rimans alta atque profunda,
Cardine nec tremulo, vento neque flante rotatur,

Lubricus hinc repetit mordacia ſibila ſerpens.
Credete quid dubitas proprio quod lumine cernas:
En ego ſum Chriſtus tecum qui confero voces,
Et loquor hæc ſecreta palàm dignando futura.
Neu de me trepides, tellis mihi fulgida lux eſt,
Spiritus, ut verax Martini ignivit acumen,
Ac patefecit iter, ne clauſa venena latèrent,
Hoſtis & anguinei poſſit diſcernere fraudem,
Libertate potens ſanctis ſermonibus inquit:
Non ita ſe dominus venturum dixit in orbem,
Se neque purpureum, nec ſic diademate fultum
Pandit apoſtolicis voce inſinuante columnis,
Cùm ſua carnalis ruperetur ad aſtra figura,
Atque piis plantis ſtraverunt flamina pennas,
Cùm pede preſſa ſacro ſervirent aëra regi.
Angelicis vectus manibus celer æthera calcans,
Ingrediens teneras, neque frangens greſſibus auras,
Pendula planta volans, cùm nubila findèret intrans,
Remige pennigero qua non facit aula figillum:
Cùm Galilæis tunc ſpectantibus angelus aſtans,
Sic ait, altithronum rediturum qualiter iret,
Undè probanda probo, reprobo reprobantia probra.
Non ſunt ſigna mei regis, ſed caſtra tyranni.
Aſt ego tranſfixas clavis niſi videro palmas,
Atque beata crucis tum ſtigmata carne gerentem,
Ac latus & foſſas trajecto miſſile coſtas,
Unde cruentati pariunt baptiſmata rivi,
Et ſacra purpureo maculas lavat unda fluento,
Quæ dedit in precio generoſa talenta redemptor,
Inque crucis trutinâ precii numiſmata penſans,
Tantum auctor redimens theſauro corporis orbem,
Cùm gemma una fuit quæ cuncta in vaſa valeret.
Hac nisi veſte tegi videam qua pertulit auctor,
Indicio ſinè hoc Chriſtum venisſe negabo:
Nam decet ut victor doceat per ſigna triumphum,
Plagáque fixa poteſt laudem accumulare tropæi,
Mox inimicus iners vibratus verbere verbi.
Peſtifer aërius tenuata per æthera lapſus,
In propriam ſpeciem rediens ad inane ſolutus,
Effugit ex oculis liquidas quaſi fumus in auras,
Et levis umbriferæ volitavit imago figuræ,
Viſibus excluſis cellam pædore cruminans
Agnitus indiciis ſua per veſtigia ſordens,
Et fætore ſibi comitante ſatellite fugit,
Martiníque fidem nec fulgida forma feſellit,
Nec radium mentis deluſit ſplendor inanis,
Luce ſuperfuſâ qua ſe nox tetra tegebat.
Nunquid non poterat humilis ſuperare ſuperbum?
Aut non dejiceret tam mente benignus iniquum?
Pacificis armis doctus domitare rebelles,
Cujus dulcis erat favor, & honor altus amoris,
Non ſolùm abluere alterius, ſed lambere plantas,
Hoſpitis atque novi veſtigia tergere linguâ.
Semper aquam manibus tribuens venientibus ipſe,
Cæleſti cupiens homini ſervire miniſter,
Et manus alma pedes de peccatore luebat,
Cùm ſua porrigeret vel fimbria tacta ſalutem,
Qui illecebras mundi fugiendas inſtituebat,
Et ſeclo ſua lucra dari, nil quærere terris,
Ut cenſum fugeret, qui aſcendere vellet olympum,
Ut grave pondus quæ vel nummi nullus haberet,
Nec retineret opes, qui cælo occurreret hæres:
Namque onus aſcenſum vetat, & deſcendere præſtat.
Imum verſa trahunt, nec in altum pondera ducunt,
In montem gradiens titubat ſub faſce columna,
Deficit & fragilis valido ſub pondere planta,
Mergit in undoſum cumulatam ſarcina proram,
Ut petat ad portum rerum facit emptica jactum.
Qui pater illuſtris Paulini geſta beabat,
Floruit Italiæ quo pòſt antiſtite Nolâ
Quæ regio campana ſedet rectore ſupremo,
Dives agris, opulens famulis, locupletius acervis,
Vir cenſu vaſtus, lare celſus & ore rotundus,
Ditior ipſe fide, pro Chriſto ſit ſibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos,
Cujus ſparſa ſolo migravit ad aſtra facultas.
Fecit & in cælum pigras aſcendere terras
Uno ſtando loco, & dant bruma ad ſidera ſaltum.
Ergo Evangelicum Paulino implente relatum,
Martinus monitat cunctis talem eſſe ſequendum,
Tramite difficili potuit quia pergere dives,
Depoſitóque onere aſcendit qui liber in arcem,
Exemplóque monens vocat altiùs ire ſequaces:
Jam quoque Martini quæ fabula fluxerat ore,

Quæ gravitas fuerit, quàm acer de lege diſertus,
Quæſtio nec latuit cæleſti jure peritum,
Vir reſerare valens quodcumque ænigma negaret,
Ingenii dulcis prudentia larga redundans,
Fonte perenne bibens, quod rivulus ille rigaret,
Sermo pius, promptus, placidus, catus, aptus, amandus,
Intentis animis cæli poſſeſſor in arvis,
Pervigil orator mandando negotia Chriſto,
Judicis in vultus inopum querimonia pandens,
Doctus in arte ſacrâ miſerorum exponere cauſas,
Aſſertor validus, ſuperans fora, jura togatos,
Nobilis aſtructor, facundus concionator,
Qui prece profusâ domini vadimonia placans,
Quantum voce valens viduis atque orphanotrophis,
Cujus & ipſa polum taciturna ſilentia pulſant,
Mens fundata Deo ſinè fuco proxima cælo,
Ocia nulla terens, & nulla negocia carnis.
Quicquid agendum eſſet, totum velociter implens,
Sed mora Chriſtus erat, famulans ſibi nocte diéque,
Nam cibus & ſomnus, niſi quod natura neceſſat,
Tardus edax, velox, vigilans ſopor, eſca ſub ictu,
Nec faceret niſi quod ſinè iis caro vivere neſcit,
Tempus utrumque dicans cauſis repetendo duabus.
Lectio nunc reſonans ſibi, nunc oratio currens,
Cujus erat requies tantùm mutare labores.
Si foris iſſet, erat homo jugiter intimus orans,
Cælo non carnis ſed tendens lumina cordis,
Nec dolus incluſus latuit, nec ab ore refluxit.
Vir ſinè mundanis, domini poſſeſſio munda,
Nullum judicio damnans, mala nulla repenſans,
Hæc ſua fortè fuit ſi facta injuria fratri eſt:
A minimis laſo nonnunquam erat ultio dulcis,
Déque gradu proprio neque reppulit officialem,
Carus & adverſis, pius æquis, blandus iniquis,
Ira, tumor, riſus, mœror ſtetit exul ab illo,
Non in fronte tenens nubem, nec in ore cachinnum.
Idem ſemper erat facie, cute, corde, colore.
Nec variabat opus vir adhuc in corpore conſtans,
Immortale aliquid mortali ab imagine promens,
Ora Deus, ſenſum pietas, pax corda tenebat,
Pro ſe parva gerens aliena miſertus agebat,
Naturæ ut ſeriem poſtponens Angelus eſſet,
Alta ſupergrediens, mente ultra nubila tendens,
Liber ab humanis intrabat ſidera curis,
Inclyta ſigna gerens, & multa futura prophetans,
Stabat adhuc terris, cæleſtibus intimus hæres,
Noſcens clauſa Dei, quaſi conciliator amici,
Cùm ſua participat caro ſe certa clienti.
Vir cui Chriſtus amor, Chriſtus honor, omnia Chriſtus,
Hujus in affectu, inſertus, ſolidatus, adultus,
Ac velut arbor agri, ſecus eſt ubi curſus aquarum,
Flore, comis, foliis, & fructu præpete gaudens,
Ornata æternæ fert poma perennia vitæ,
Inter Apoſtolicas acies ſacróſque prophetas,
Martyriſque choros atque agmina fulgida cæli,
Rege ſub invicto quà exercitus ille coruſcat
Per turmas, proceres, legiones atque cohortes,
Milite ſeu comite, & gradibus duce, conſule creſcens,
Lacteus iſte togâ, rutilus micat ille coronâ:
Hunc prætexta nitens, illum diadema facetum,
Hos chlamys, aſt illos armilla topaza decorat.
Balteus hinc radiat, hinc infula crine coruſcat,
Alter palmatæ, trabeæ nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byſſus,
Nec videt hoc oculus, quod habet ſuper aſtra ſenatus.
His frueris, Martine, bonis ſub principe cæli,
Cœtibus Angelicis ſociabilis, & Patriarchis,
Compar Apoſtolicis meritis, æquande prophetis,
Addite martyribus rubricat quibus unda cruoris,
Fulgide confeſſor candentia lilia vincens,
Lumine purpureo redimite, decore, coruſce,
Liberiùs gradiens per celſa palatia regis,
Vir tranſcripte potens, æterna in ſecula civis,
Signifer arma crucis fers nobilitata triumphis,
Dulcis, adorande, & mihi pectore, voce colende,
Cujus proſaicus cecinit priùs acta Severus.
Verſibus intonuit Paulinus deinde beatus,
Æquiparare valens illuſtris uterque relator,
Materiâ victi, ſed & ipſi carmine cedunt,
Luminibus tantis ego nubilus inferor audax,
Ex minimis minimus, de magnis maxima tentans,
Qui pede ſubtitubo, balbutio faucis anhelo,
Et rudis eloquio carpo quod condere certo.
Da veniam, quia te cecinit res lingua relatu.
Fer pietatis opem miſero, miſerando miſertor,
Rector ut altithronus cùm venerit arbiter orbis,
Tum memor obtineas delicti oblivia noſtri,
Inter me ac dominum mediator adeſto benigne,
Quem ſua culpa ligat, tua ut interventio ſolvat.
Spes Fortunati ſit fida ſalutis egeni,
Suppliciter humilem tibi ſe ſtraviſſe patrone,
Qui lepræ maculas medicata per oſcula purgas,
Mortis & extremæ revocas in origine finem,
Carnis adhuc fragilis quondam ſub imagine conſtans,
Nunc opus ut mites pietas tua commodet aures:
Nam prece poſſe vales apud illum, cujus haberis,
Quod peto tu poteris, quia totum præſtat amicis,
Sic tibi quæque petis tribuat præſentia regis.

INCIPIT LIB. III.

HACTENUS in bibulis fixa ſtetit anchora terris
Ocia lenta trahens, & inerti dente quieſcens,
Leviter alludens dum ſibilat aura ſoporem,
Et nos umbra tegit viridante crepidine ripæ,
Ecce ſerena dies rutilata crepuſcula profert,
Et pelagus rate nauta petit, jam ſolvo rudentes,
Littus arundineum linquens levo carbaſa ventis.
Antè per Hadriacas ſpumas dare vela videbar,
Turbine raptus aquæ per murmura rauca fragoris
Cum duce Sulpitio, bene cujus ab ore venuſto
Martini ſacros dulcis ſtilus edidit actus.
Quos ego ſub geminis claudo pede curro libellis,
Infimus egregii contexens geſta patroni.
Rurſus in oceani video mihi tendere fluctus,
Majus iter gradiens ubi ſe vada glauca relidunt,
Et creſcit terrore timor, rate, nube, profundo:
Dum tamen alta peto, reſonet mihi gallus in aure
Geſta beata viri, qua mitiget unda tumorem,
Et ſermone viam relevet ſale fabula dulcis:
Deferor ecce freto, fugiunt & littora viſum,
Remiget hic Gallus, Martinus vela gubernet,
Flamina Chriſtus agat, portum quibus unda reducat,
Nunc quoque geſta ſacri, dum navigo, nauta loquatur.

Incipit Liber Tertius ejuſdem. Quia intra amphibolum ſibi tunicam latenter induxit, & pauperem veſtivit.

MENſibus hybernis dum boſphorus alligat undas,
Et liquidos campos vetat imber arare carinis,
Oceanúſque negat commercia ferre Britannis:
Cùm fata ſub rigido ſua germina frigore celant,
Ac penetrante gelu riget unda, & herba liqueſcit,
Aſtitit antè fores orans veſtem æger egenus,
Lingua ligata gelu nec ſolveret ore loquelas,
Ut tegeretur inops, ſacer imperat ergo miniſtro,
Ipſe remota petens, populi caret arte tumultu.
Comperit ut ſanctus nihil accepiſſe trementem,
Exuitur tunicâ, algentémque obtexit amictu,
Quam ſinè teſte dedit latitans, & abire coëgit.
Ecce miniſter adeſt rogitans procedere ſanctum,
Sed ſacer antè monet veſtiri tegmine nudum.
Hoc memorante pio, ſtupidus hebet archidiacon,
Quid faceret nudum dum non ibi cerneret ullum,
Noſcere nec poterat reſidente antiſtite nudum,
Qui tunicæ interius non inſpiciebat amictum,
Amphibali exteriùs dum membra obtecta lærent.
Angit in ancipiti, quid hoc ænigma beati
Quæſtio tanta ligat, neque problema ſolvat egenti.
Tunc ait ipſe ſacer, mihi tegmen defer abollæ,
Nec pauper deſit qui veſtibus indiget illis.
Succenſus graviter tegmen fert vile miniſter,
Ante pedes jactans ait, en ſinè paupere veſtem,
Induitur ſancto hirſuta bigerrica palla,
Vix cui digna foret ſtola lactea, & aurea fulva,
Proceſſit tum ſummus honor, ſed pauper amictu
Deſpectus tunicâ cæleſti in ſede ſenator.
Interea populis cerimonia ſancta retractans,
Cùm holocauſta ſacræ manibus benediceret aræ,
Protinus à capite emicuit globus ignis amici
Lambens colla, comas, & flamma benigna volabat
Tactu mollis, honore potens, ſplendore coruſcans,
Crinem ornans, meritum prodens, pro tegmine fulgens,
Præbuit obſequium, minùs impendente miniſtro,
Geſta occulta index in lucem lumine mittens:
O dives pauper, tunicâ contente nec unâ,
Qui nec habes aliam, neque vis retinere vel ipſam,

Dum

Dum ſupereſſe putas veſtitum ſimplicis uſûs,
Cui gravis eſt vel palla levis, dum clamat egenus
Tegmine pro nudi cupiens procedere nudus.
Nec partiris opem, ſed totum cedis egenti,
Hæc tua ſola putans petitus ſi nulla negâſſes,
Ut magìs eſſes inops inopi dum cuncta dediſſes,
Nec puduit, verecunde pater, finè veſte ſedentem.
Sed nihil erubuit pietas impenſa fidelis,
Nec minimam retinens fuerit quo major honore
Eſt mihi velle loqui ſpecioſa negocia nudi,
Sed rapiunt avidum reliquarum inſignia rerum.
Dum recubaret humo fluitans Evantius, æger,
Feſſus, & extremus cùm jam ſuper halitus iret,
Pontificem precibus celer evocat ut properaret,
Et via cœpta ſacri fieret ſibi vita reducti.
Nec cunctatus iter Martinus adire viator.
Vix medio ſpacio emenſus gradiente ſenectâ,
Antè ſalutis opem miſit quàm viſus adeſſet,
Atque medela ægro data nunciat ire beatum.
Significans etiam curſor medicina ſequentem
Dum pede tardat heros, præceſſit cura volatu,
Adventúſque pii fert aura ſalubris odorem,
Ut ciùò ſuccurrant, unguenta per æëra fumant,
Sol veluti radiis dat longiùs ore calores,
Sic Martinus opem, & quo non eſt, exhibet arte.
Admiranda nimis res eſt, ubi peſte fugatâ,
Antea quàm medicus pulſum tenet, exilit æger
Obvius occurrens ſancto, obſequiúmque rependit.
Duxit & ipſe domum, qui ſe ſibi luce reduxit,
Nunc alacer ſaltu recubans paulò antè grabato.
Interea miris Evantius actibus expers
Supplicat incolumis domui ut mora craſtina tardet,
Hoſpitis & tanti tenet una diecula vultum:
Sed mora tum fuit hæc occaſio danda ſalutis.
Ilico percutitur puer atro dente chelydri,
Membráque percuſſi diſtenderat ira veneni,
Cùm ſpatium vitæ mors importuna negaret
Flebile, & in toto regnaret corpore virus.
Expoſuit puerum antè pedes Evantius almi,
Omnia confiſus Martinum poſſe mereri;
Sanctus enim tactu mox ſingula membra pererrat,
Atque manu medicâ morientia viſcera palpat,
Indè ſuper vulnus, quà beſtia fixerat ictum,
Ut poſuit digitum, ſtuit undique vena veneni,
Et repedavit iter, dederat quà vipera virus.
Hinc ſacer inſpiciens collectâ tabe tumorem,
Pollice ſubducto, quam fuderat ulcere ſerpens
Cuncta veneni vis per hiatum vulneris exit,
Sanguine concreto ſtillans velut ubere capræ.
Turgida plaga necem vomuit de vulnere fluens,
Concretam ſaniem venâ ſaliente relaxans.
Effert virus iners refluentem carne liquorem,
Et data letiferum revocat retro fiſtula rivum,
Expugnante fide morſus vim perdidit anguis.
Et quia non perimunt, perierunt arma veneni.
Stat puer incolumis, remanet neque pallor in ore,
Miratur famulum, dominus ſtupet & domus omnis,
Currere ſervitio, quem crederet ire ſepulcro.
Hinc pius antiſtes loca ſingula more requirens,
Hiſpidus occurrit rhedæ fiſcalis amictu,
Quò jumenta, ſacri dum pallia pendula cernunt,
Fervida ſubductum rapuere per invia currum.
Dimiſſis auriga rotis, & miles habenis,
Martinum flagris & fuſtibus urget iniquis,
Sed de cæde viri pecudi datur ultio triſtis,
Ipſe tamen patiens jaculorum grandine preſſus,
Atque flagellantum dum debacchatur Erinnys
Vulnera nulla refert manibus, nec ab ore ſuſurros.
Hinc graviùs cruciat cædentem ignobilis ira.
Hic quia dum tolerat, ſe irrideri putat alter,
Et magìs ille furit, dum ſuſtinet iſte libenter.
Interea ad rhedam redeunt graſſante querelâ.
Dum ſatiat vindicta famem lymphatilis iræ,
Mulas ire movent quà publicus advocat agger,
Voce premunt & fuſte dolant lacerántque flagello.
Sed neque compulſæ rapiunt juga lora quadrigæ,
Fixa manent, nec feſſa movent velut ærea ſigna,
Ceu liquefacta novo ſe glutine terra ligâſſet,
A patre ut credas animalia pulvere nexa.
Agnovere viri ſe numinis arte teneri,
Accurrunt celeres, inquirunt nomen eunti,
Martinum inveniunt à ſe crudeliter actum.
Confuſi, flentes rubicante pudore reclivi,
Ante pedes ſancti ſternuntur, & ore precantur

Ut veniam errori tribuat, ſinat ire ligatos.
Quos tamen antè ſacer prædixerat eſſe retentos,
Rem probat, ulcus amat, veniam dat, abire perorat,
Quos virtus vinxit, pietas mollita reſolvit,
Ore pependit iter, verbo arctant, verbo relaxant,
Et juga, frena, rotas, mulas auriga recepit.
Carnotum hinc etiam dum prætereundo veniret,
Ethnica per campos paſſim obvia turba fluebat,
Excita amore ſacri, licèt hoc non crederet ipſa,
Ad ſpeculare novum concurrens undique viſum,
Cùm necdum his Chriſti radiaret honore character,
Nec ſacra verbigenæ flueret ſupèr unda tonantis.
At Martinus ovans, domino referante profunda,
Senſit adeſſe locum quo fertile ſurgeret arvum,
Incipit alloquiis fera pectora cultor arare,
Ore ſacer nitido dumoſa novalia purgans,
Proſcindens, iterans, bis térque quatérque reſulcans,
Paulatim ad fructus ſtupidos animaverat agros.
Hinc rudibus populis Chriſti nova ſemina jactat,
Sepſſbus humanis lactantia germina ſurgunt
Leniter, & rigidis coaleſcunt gramina ſulcis.
Quid faceret ſanctus, turbis coeuntibus amplis,
Meſſe in tam multâ veniens operarius unus?
Excolit, includit, ſerit, inſerit, alligat, ambit.
Interea mulier defuncto pendula nato
Brachia diſtendens offert ante ora cadaver,
Funeris increpitans miſero fera cantica planctu,
Dum dolor ad lacrymas trahit, hæc vix explicat ore.
Fortis amice Dei, toto venerabilis orbe,
Quem ſemper lamenta movent pietate propinquâ,
Ardens quid cupiam, corpus tibi nunciet algens,
Ecce obiit miſeræ mihi filius ubere raptus,
In quo mater eram: nec ſpes neque reſtitit hæres,
Occubuit genitus, cecidit domus, & mihi fructus,
Nulla remanſerunt uteri ſolatia duri,
Nec ſupereſt quod dulce vocem, quo feſſa reclinem,
Ubere quod recreem, totus perit ordo parentis.
Qui reſtas, precor, affer opem medicamine verbi,
Redde genus, ne ſit matris mihi nomen inane;
Nì ſoboles redeat, ſecum mea funera ducat.
Adjuvat hanc populus clamans, Sacer annue votis,
In cunctis vox una ſonat, miſerere precanti.
Tunc pius antiſtes genibus profuſus in arvis
Sternitur ante oculos domini pro plebe ſatagens.
Ut mereretur ovem per quam grex plurimus eſſet,
Annuit omnipotens famulo dans culmen honorum.
Mox bonus ore preces orator miſit in aures.
Ordine diſpoſito poſtquam ſe oratio complet,
Erigitur ſenior, ſimul infans vivificatur;
Porrigitúrque ſuæ populo ſub teſte mamillæ.
Fit fragor, & populi nova pectore vota volutant,
Mirantes hominem latè mutâſſe vigorem,
Et qui in morte manet, morti ſua jura tuliſſe.
Indè catervatim Chriſtum dominúmque Deúmque
Confeſſi exorant fieri ſe lege beatos.
Fit ſubitò in campo populus catechumenus omnis:
Non templa exſpectant nec clauſtra dicata ſacelli,
Eccleſiæque typum campus generoſior explet,
Quódque ſolet tectis, pratis adhibetur apertis.
Unica mors pueri ſic vitæ parturit agmen,
Dúmque unus terræ rediit, plebs aſtra recepit;
Sub duce Martino felix exercitus hic eſt.
Dum regeret princeps data jura Valentinianus,
Romuleis opibus mundo famulante ſuperbus,
Tum pia cauſa ſacrum ad comitatum compulit ire,
Quem quia præſenſit ſe poſci talia Cæſar
Quæ nollet præſtare, viro jubet arce repelli,
Et vetat à foribus penetrare palatia juſtum.
Inſtat ad hæc uxor, cui tunc erat Arius auctor.
Sed ſacer ut vidit tali ſe fraude repelli,
Hinc aulâ excluſus, redit arma domeſtica ſumens.
Contegitur ſetis, reſpergitur atque faviſſis,
Ordine miles agens removet potúmque cibúmque,
Nocte diéque vacans orandi jugiter uſu.
Septimus ergo dies aderat, quo ſanctus amore,
Fortia caſtra movens his deſudabat in armis
Angelus aſſiſtens jubet ire palatia juſtum,
Fretus in auxilio Martinus pergit ad arcem.
Limine nullus obeſt, ad principis ora perintrat,
Qui ſanctum inſpiciens quòd adeſſet, frenduit ore,
Atque aſtante pio, ſolio neque ſurgit ab alto,
Regalem ſellam mox ignibus ardor oberrat,
Et vaga flamma natat, quà molle ſedile coruſcat,
Undique fuſa furens, ſed culpæ Cæſaris ultrix,

Cervicis duræ solvens ardore rigorem,
Indè flagella coquunt, hinc regem incendia cœdunt,
Vapulat & rapidis flammis augusta potestas.
Hinc celer exiluit rapiens se Cæsar & ardens
Martini genua amplectens, pedibúsque volutans,
Sícque superbum hominem se agnoscere pœna coëgit,
Vilia regna probans, & celsa cacumina curvans,
Imperiale caput sancti ad vestigia subdens.
Nec spectare preces patitur reverentia justi;
Præstitit antè tumens quàm supplex danda rogâsset,
Regia rite parans convivia sæpe beato.
Obtulit indè favens abeunti munera princeps;
Paupertate potens sed reppulit omnia sanctus,
Donáque despiciens merult plus principe ab ipso,
Tantum majus habens, quantùm minus ambit avarus:
Omnia sunt soli qui nulla requirit habendi.
Hinc quoque Romuleam regeret cùm maximus arcem
Vir capiens apicem per publica gesta triumphis,
Sæpius hic sanctum per celsa palatia duxit,
Hoc toto sermone loquens de luce futurâ,
Quis sit honor justis, laus, gloria, palma, corona.
Nec regina pedes cessat lacrymosa rigare,
Sternens membra solo, suspendens gaudia voto,
Indè precatur ovans convivia ut ipsa pararet.
Obtinet hoc bonitas quod non valet alta potestas,
Ipsa manu sellam posuit mensámque paravit,
Dans manibus lymphas, rursus regina ministrat
Læta modesta suis palmis quas coxerat escas.
Quo residente sacro, stetit illa immobile plantâ,
Fercula subducens, & pocula porrigit ipsa.
Una ministra viro sufficit ad omnia soli.
Cœnula finitur, sed adhuc regina satagit
Fragmina, reliquias, crustas & frusta recondens,
Omnia præponens hæc imperialibus escis.
Hoc Martinus agit, quo clausos carcere laxet,
Exilio ductos laribúsque reducat avitis.
Sed tibi, sancte pater, minus est Augusta quod explet:
Hoc magis obsequio crevit regina peracto.
Est locus in Turonum fine & confine Biturgum,
Incola quem vicum vocitavit Claudio magum,
Manso fortè fuit Martino prætereunti,
Ecclesiæ domini qua secretaria pollent,
Virgineique chori sancto abscedente requirunt,
Quo stetit, aut sedit, jacuit genua atque reflexit,
Lambunt cuncta simul vel ad oscula singula ducunt.
Divisere sui venerandi stramina lecti,
Atque leves paleas virtutis pondere pensant,
Quam tetigit stipulam sanctus non ibat inanis:
Denique pòst fragilis confregit fortia culmus.
Nam graviter quendam ut rabies invaserat hostis,
Et truculentus agens erroris spiritus iret,
Dum rapiendo rotat vesano cardine prædam,
Hunc suspensa viri collo festuca fugavit,
Immanémque hostem palearis arista removit.
Tibia fruge ferax larvam jaculata sagittat,
Et stipula exilis quasi dura falarica fixit:
Nec sic ullius ferri expavisset acumen,
Spicula nec tantum timuisset missa per arcum
Lubrica pennigero venientia tela volatu,
Parthica seu timidum si transfodisset arundo,
Plaga & vicino graviùs lacerâsset ab ictu,
Stramina sic metuit trepidans adamantinus hostis,
Ac velut ex stipulis coqueret se flamma camini,
Vir stetit incolumis fugiente volucriter umbra,
Deserit & prædam lupus ingens & leo frendens.
Indè revertenti Trevirorum ex urbe beato,
Obvia fortè datur medio fera bucula campo,
Quam dæmon dorso incumbens agitabat anhelo
Pendulos aërio quatiens auriga flagello.
Pestifer arte novâ cursu bove nempe veredo
Cornigeri pecudis propulsor mulio tristis,
Exagitatur iners residens per terga bubulcus.
Hic ubi millimodas animalis adegerat iras,
Ibat ubique fero furibunda juvenca ministro,
Sub tortore gravi per curva, per invia cursans.
Accessit propiùs sancto furiatile cornu,
Elatáque manu pecudem consistere mandat;
Quæ stetit affixo minùs improba bucula gressu,
Quem sacer instantem mox vidit comminus, inquit:
Perge ferox, fuge sæve, redi male, cede cruente,
Innocuam pecudem desiste agitare nocive.
Tunc animalis enim linquit fera bellua tergum,
Et recipit proprium mitissima bucula sensum.
Sternitur ante pedes sancti veneranter adorans,
Flexit & ipsa genu quæ non habet intellectum,
Contra naturam discernens gesta beati,
Obsequiúmque dedit, meriti quæ nescit honorem:
Indè magis humilis, quia libera colla gerebat
Antè ligata tumens à peste soluta reclivis.
Quæ stetit ore fremens, cecidit post vincula supplex,
Et sinè voce favet armo jactata priore.
Tum sacer antistes pecudem præcepit abire,
Móxque gregem repetit pastoris voce revincta.
Id gestum est illo sub tempore, quando beati
Per medias flammas nec fimbria senserat ignis.
De minimis etiam referantur maxima rerum:
Tempore nam quodam dum vicos circuit almus,
Obvia venandi studio volat agmen equorum;
Nare sagace canum sit præda reperta frutetis,
Transiliunt campos equites & voce sequuntur.
Intendunt leporem fugitivum agitare molossi
Saltibus excussi, latratu & dente minaci:
Diffusi excurrunt celeres in amore rapinæ.
Alter in alterius miscent vestigia saltus,
Iste sequax tacitus petit, hic clamoribus auras,
Hic frutice in vacuo delusus odore rotatur
Motibus arboreis, saltu suspenditur alter,
Capturæ unius cunctorum frendet hiatus.
Sæpe super leporem morsu deceptus inani
Unguibus injectis dum præda volubilis exit,
Ac se turba premit, sic lubrica bestula fugit.
Non erat interea quo calle lepusculus iret,
Mons, vallis, petra, sylva, frutex defecerat omnis
Per patulos campos, fugienti tegmine nudo,
Poplite defecto, pede lasso, nare reclivâ,
Totus ab ore canis per singula murmura pendens.
Sensit adesse tamen Martini signa beati,
Flexit iter trepidus hirsutas fraude per herbas,
Auribus acclivis, vagus, exagitatus, anhelus
Corruit antè pedes titubans lepus advena supplex.
Si non voce potest, fletu pro voce precatur,
Sic fera parva jacet Martini tegmine tuta,
Et recubat dulci defensa sub arboris umbrâ.
Tunc sacer ex solito miseratus more salubri
Imperat, ut catuli cessent abeunte fugace.
At sacer ille canum mox sermo cucurrit in aures,
Torpescunt agiles, verbo figente lyciscæ
Gressibus instabiles pendentes saltibus ipsis,
Et rediere canes quasi per vestigia cancri,
Effugit incolumis per aperta lepuscalus arva,
Et cane sepositò tutus terit alta viator,
Hic fugit, ille redit, nullus perit, ecce salutem:
Sic quoque bestiolis pacem sacer intulit ipsis,
Debilitásque canum facta est pietatis imago,
Qui potiùs vetito didicerunt parcere morsu:
Et quia defuerant homines, ubi mira faceffit,
Nil de laude perit, miracula bestia sensit.
Quanta etiam sancti sermonis gratia fulsit,
Qui cùm nuper ovem vidisset vellere tonsam,
Hæc Evangelii dicens mandata peregit:
Namque duas tunicas gestans, unam obtulit insons,
Et nudata suo de tegmine texit egentem.
Inspiciens itidem sanctus per rura subulcum
Nudum pellicea tantùm sub veste trementem,
Ecce Adam, quondam paradisi sede repulsus,
Exul ab elysio pascit gregis ora suilli:
Depositò veteris Adam carnalis amictu,
Adam nempe novi nos induere instar oportet.
Hinc iterum cernens vernantia prata beatus,
Pars pastus, pars fossus erat, pars floreus agris,
Sed sue confossus, bove pastus, flore comatus,
Comparat ergo tribus sanctus tria nomina rebus:
Turpis adulterii species est fossa carectis,
Herbáque conjugii retinet detonsa figuram.
Est par virginibus violis quæ vernat imago,
Herbis luxurians, fœno apta & flore decora,
Digna Deo, gemmis gratior, radiantior astro.
Miles item monachum professus singula linquens
Conjuge cum propriâ cuperet quia degere vitam,
Mutavit meliore viâ transcurrere metam,
Jure sacerdotum monitor hoc ordine discens,
Belligeratori valeat ne fœmina jungi,
Sola aciem melius componit mascula virtus,
Debilior teneat murorum claustra caterva,
Et sexus fragilis sese intrà septa recondat.
Hoc satis ut mulier timeat res ipsa timori,
Miles ad arma potens pergat galeatus in agmen
Loricæ tripticis squamâ radiante coruscus,

Thoraca

Thoraca ex humeris indutus, nisus in hastâ,
Assuetus clypeo, trantinittens vulnus ab arcu.
Hinc capulum vibrans, hinc torquens mittile telum,
Ferratæ tunicæ rivos sub pondere sudans.
His dictis mulcens juvenem resipiscere cogit,
Conjuge postpositâ, & repetit eremita coronam.
Jugiter interea quia salta, & sancta canebat,
Nec terie recipi, neque possunt scripta teneri.
Quænam vita sacri fuerit, quis singula currat,
Quanta fides animi, quàm celsa & pura voluntas?
Ad quem non solùm homines longo orbe venirent,
Verùm etiam cælestis honor visebat amanter,
Angelicúsque chorus properabat ad ora frequenter,
Colloquiis placidis ut fessum animaret amicum,
Et quali complexum recreet per verba parentem.
Res probat ista sequens quæ gesta priora renarrat.
Concilium allectum fuerat synodale Nemauso,
Quo sacer antistes mediator adesse recusat:
Ergo ratem scandens celerem parat ire per amnem,
Gentibus in mediis habitans eremita remotus:
Ipse in puppe sedens, cunctos sua prora sequestrat;
Angelus ecce tamen domini venit aliger alto.
Ipsâ nempe die qua se conventus abegit,
Quicquid pontifices celebrabant ordine narrans,
Pro vice Martini peragens synodalia præsens,
Atque sui curâ longinqua per æthera tranat:
Quem pendente viâ nec in aëra penna fatigat,
Sed natat ala celer donec nova nuncia portet
Quæ mandat dominus, nihil absconsurus amico.
Rettulit ut priùs hæc facer & post cuncta probavit,
Nec frangunt prædicta fidem, neque prodita fallunt.
Accidit hinc demum foribus sedente Severo
Compare cum Gallo doctis & amore ministris,
Murmure multivago completur cella beati.
Ostia clausa tenens diei geminante sub horâ,
Audivere loqui, sed quid, nescire fatentur.
Senserunt strepitum, neque verba loquacia nôrunt:
Pars fuit hæc meriti vel sic sensisse superna,
Agnita si non sunt, satis est audita mereri.
Pòst facer egrediens cellam majore Severo
Sulpitio poscente diu quæ gesta fuissent,
Vix motus precibus, tandem rem ex ordine pandit.
Indicat hic Aguem, Teclam, Mariámque locutam,
Sanctarum exponens vultus habitúmque beatus.
Quæ facies, oculi, gena, pes, manus, arca, figura,
Lumine tam puro vidit sæpe ora sororum:
Quis color atque decus, quæ forma, & gratia quanta,
Et sermone pari placidam dixisse salutem,
Hic petit ad fratres, illæ petiere furores.
Sed redit iste gradu, illæ nam rediere volatu.
Culmen Apostolicum, celsas & honore columnas,
Sæpe Petrum meruit Paulúmque videre licenter,
Dæmonicas etiam tolerans sæpissime pugnas,
Nomine quemque suo increpitans cogebat abire,
Maximè Mercurium infestum referebat adesse:
Brutum namque Jovem & hebetem memorabat haberi,
O finceri oculi, nullâ caligine pressi!
Mens radiata sopho, retinens sinè nube serenum,
Inspicis aëriam carnali lumine Theclam,
Atque vides Aguem redimitâ fronte coronâ,
Cernis & egregiam preciosâ luce Mariam.
Vidisti templum domini diademate fultum,
Vidisti thalamum sponsi super omnia pulcri,
Compositum gemmis, auróque ostróque decorum,
Qualis iaspis erat pedibus lateríque topazus,
Qui digitis anuli viridi fulgore venusti:
Quales armillæ dextræ ardescente hyacintho,
Quanto zona die lapidum radiabat honore,
Cycladis aut qualis catacliftis effora rasis,
Quæ palla ex humeris mixto chrysopraso beryllis,
Quódve monile decens collo rutilabat in illo.
Forsan erat niveis Amethystina vitta capillis,
Sculptilis impressis & inauribus alba sigillis,
Luminis ac varios spargens diadema virores.
Quæ frons, ora, oculi, facies, gena, pes, manus, ulna,
Indè repercussis florebant gramina gemmis?
Dic, bone pastor, ovi quæ fabula vestra cucurrit?
Quod, rogo, quando Petrum & Paulum tam sæpe videbas,
Prima ministerii radiantia vasa superni,
Aurea pulcra nimis gemmata, venusta, coruscа,
Illa putas quanto rutilabant ora sereno?
Dogmata quæ Christi totum sparsere per orbem,
Quæ dixere priùs: tu es Christus filius almi,
Altithronsque Dei dominantis & omnipotentis,
Ac super hac petrâ fundata Ecclesia regnat,
Quam nec flabra movent, neque vertit turbo procellæ,
Nec trahit undivagam pluviatilis imber arenam,
Hæc quia viva tenet petra fundamenta salutis;
Contra quam portæ inferni nunquam arma valebunt.
Quid facer ille simul Paulus, tuba gentibus ampla?
Per mare, per terras Christi præconia fundens,
Europam atque Asiam, Libyam sale, dogmate, complens,
Et quà sol radiis tendit, stylus ille cucurrit,
Arctos, meridies, hinc plenus vesper & ortus,
Transit & oceanum, vel quà facit insula portum,
Quásque Britannus habet terras atque ultima Thyle.
Buccina concrepuit regiones una per omnes;
Dogmate tantorum Christi data munera pangit
Hebræus, Græcus, Romanus, Barbarus, Indus,
Israëlita canit, simul Atticus, atque Quiritis,
Principibus geminis fidei sub principe Româ,
Carnis Apostolicæ quo sunt duo celsa sepulcra.
Prima tenet terris, & utrique priora supernis,
Dogmatis ore pares, & sedis honore curules,
Ambo triumphantes spargunt nova dona per orbem:
Unâ nempe die quos passio sancta beavit,
Et sacra sic geminus signavit tempora consul,
Quis splendor paribus rutilabat ab ore coruscus
Lucifer, ut radiis premeretur vultibus illis,
Quippe nec ipsa micat tantum rota fulgida solis.
O dulces oculi, facies cernendo beatas,
Vidistis Syon speciosas ordine portas,
Vidistis Syon ternas quater ordine portas,
Quas amat omnipotens ultra omnia culmina Iacob,
Gemmarum vario redimitas lumine valvas,
Sculptas bracteolis, inscriptas arte smaragdis,
Chrysolithis rutilas, niveas stillantibus albis.
Quicquid amor potuit, quo totum gratia fudit,
Omnicolora decens & omnibus una topazus.
Per quas huic populi genus illud nobile regni,
Intrant sideream meritorum gressibus urbem,
Et sinè fine manent conscripti in secula cives.
Inter quos proceres & culmina celsa potentum
Patriciis mixtus generosis, Consulibúsque,
Proximus & regi residet Martine senator,
Cui dedit arma fides, & cui fiducia rex est,
Miles amore clicns, & factus honore cohæres.
Qui potes, oro, mei veniam deposce reatûs,
Et vitiata tibi quod lingua remurmurat audi,
Ut de fonte pio fluat indulgentia læso,
Ac te orante sacer redeat medicata cicatrix.

INCIPIT LIBER IV.

PROLOGUS.

POST mare fluctivagum repetens ad littora portum
Floribus albicomis, dum lilia pollice carpo,
Ungue recido rosas, & per violaria curro
Roris amœniferi varios situs inter odores.
Obripit indè sopor, fessus quoque colla reclino,
Fultáque gramineo jacuerunt membra grabato.
Sed redit ecce dies, & jam lucescit, eundum est,
Dum matutino nos ore salutat Hirundo,
Ac se nocte brevi celerata crepuscula rumpunt:
Quo torpore natent quamvis mea lumina, surgam,
Evigilánsque oculis detergam pollice somnum,
Et quod iter repeti Gallus vocat, ibo sodales,
Fluctibus in trifidis ignarus nauta libellis.
Ac velut ambiguas inter Symplegadis undas
Ionii, Ægei, Malesque sequace procellâ,
Me tamen in bibulis ne mergeret auctor arenis,
Summa gubernavit Martini vita patroni,
Quam nitor scabris indignus scalpere verbis,
Rusticus arte rudis tentans formare monile,
Quod nec lima polit, neque malleus addit acumen,
Non incudo terit, fornaxque examinat igne,
Nec mordax gemino forceps trutinavit obunco.
Sed magis incomptum profert mea lingua metallum,
Res tamen illa juvat sinè qualibet ullius arte;
Quod per se pulcram præfert sua gratia gemmam.
Attamen officii quæ restant debita solvam,
Et cui magna nimis modò debeo, parva rependo.
Carnotus interea genitam pater anxius ægram
Ex utero mutam profert sacro ore medendam,
Sex geminos graviter hebetem sinè voce per annos.

Nec

Nec differt Martinus opem pietatis amicam.
Sternitur ergo solo tacitus prece sidera pulsans,
Corpore fusus humi, volitans super æthera sensu.
Sensit ut effectum fidei meruisse precatu,
Sanctificaturum ferri sibi poscit olivum,
Infudítque ori benedictum fruge liquorem,
Atque tenens digito linguam miserando puellæ,
Ipse patris nomen geniale requirit alumnæ.
Mox resoluta movet faucis lyra tinnula plectrum,
Atque insueta canit cameræi concha palati,
Dente relisa cavo producens verba fritillo,
Respondítque patris nomen pia filia dulce.
Ventre prius genita, hìc visa est quasi voce renata,
Reddit adulta vetus lactantes ore susurros,
Incipiens tenero proscindere verba rotatu,
Motu pigra rudi decurrens lingua gradatim,
Implicito sonitu raucâ novitate cicuta,
Donec plena suo cecinit symphonia flatu.
Tunc genitor genua amplectens veneranda beati,
Vociferans & voce data sua gaudia plorans
Lætitiæ voto reboat præconia Christo.
Judicis indè feri conjunx ægra Avitiani,
Dirigit ad sanctum morbi sperando medelam.
Vas olei vitreum lance æquâ dimidiatum,
Unde salutifero depelleret unguine morbum.
Mox super ampullam fecit crucis ipse sigillum,
Surgit ad ora liquor, spumánsque exæstuat unguen,
Ubertate novâ vitreâ sub cortice obortum,
Et vase in sicco generosus nascitur humor,
Currit in ascensum qui vergere novit ad imum,
Fluxibus & liquidis olei petit alveus altum.
Sed quem non genuit radix oleaginа succum,
Nec Syra bacca dedit merito virtutis adultum,
Crescit & ad summum paulo quâ clauditur ore.
Nec contentus agit liquor, ut vas expleat illud:
Nam cumulata olei mox defluit unda superne,
Nec sese urna capit, tanta est benedictio dextræ,
Exundánsque omnes pueri madefecit amictus,
Et digiti de fonte rigans manavit olivum,
Ac postquam irriguæ fluviali more cucurrit
Vas plenum fidei merito matrona recepit.
Nec minùs indè subit rerum admiratio facti,
Idem vas vitreum benedictum nobile reddens,
Cùm puer incautus posuisset in ore fenestræ,
Utpote carbaseo venerans velamine tectum,
Lintea dum retrahit fluitantia nescius alter,
Lapsa pavimento ampulla stat marmore tenso.
Sed nec saxa vitrum perdunt, nec vasa liquorem,
Integra servatur volitans quasi pensile pluma,
Aut subvecta levis geminis descenderet alis,
Nullâque rima patet, nec facta in vase cicatrix.
Sic liquor interior facit exteriora tueri,
Et quem tutari decuit sua tegmina texit.
Ne vitra depereant, olei custodia servat,
Inclusúsque humor proprium defendit amictum,
Ac fragmen fragile statuit benedictio fortè.
Cujus discipuli pariter dum comminus irent,
Et canis horrificus latratu insisteret amplo,
Unus amore pio Martini in nomine dixit:
Præcipio taceas, neque nos clamore fatiget.
Mox præcisa canis rabidi vox ore pependit,
Clamorémque vagum medià de fauce resorbet,
Et fragor ille ferox avido sub guttere obhæsit,
Stans rictu stupido frenatâ voce molossus,
Cùm furor urgeret, quia se nec hiare liceret.
Sic redit incluso tremulâ finè voce susurro,
Profuit & nomen sancti quo defuit ore.
Ergo iter inceptum lento pede pergere tendam,
Dum licet ire viam, dum me vocat aura salubris,
Et trahit hora dies vestigia tarda moventem,
Moribus ut tumidus comes Avitianus agebat,
Terribili officio Turonas suffultus adivit.
Agmina conveniunt, & longa catena reorum
Accrescente comâ, quorum caro tota fluebat,
Et consumpta artum laxabant brachia ferrum,
Confectam macie vix declarante figuram,
Pœnarum genus omne jubet plus more parari.
Defientem videas populum spaciare per urbem,
Indixítque nefas processu ad triste tribunal,
Unde truces oculi spectarent membra cremari.
Comperit ut sanctus feralia jussa satagi,
Tempore sub noctis sæva ad prætoria tendit,
Et pietatis iter solus parat ire viator.
Pervenit ut senior gressu miseranter anhelo,
Sternitur antè fores per limina dirâ benignus,
Quà recubat judex torpente sopore sepultus.
Angelus interea penetrat mox aliger aulam,
Intonat & comiti dormitanti ore minaci:
Te sopor hìc retinet, Martinus stat foris, inquit,
Tu requie frueris, & sustinet ille labores,
Molliter ipse thoro, jacet ille in marmore duro.
Excutitur trepidus mox ex somno Avitianus,
Martinum exclamans, foribus recubare sacratum,
Imperat & famulis referent ut claustra beato,
Ne servum Christi venerandum injuria vexet.
Hinc famuli illudunt domino crepitante cachinno,
Dicentes stupidi se somnia vana videre,
Præ foribus nullum redidere vel esse virorum.
Rursus præcipiti premitur somno Avitianus,
Angelus indè virum violentior excitat urgens,
Concutit & graviter ne cederet ipse sopori.
Territus hinc judex, ultrà neque credulus ulli,
Postpositis famulis, celer ad sua limina pergit,
Atque ibi Martinum reperit ceu senserat olim.
Tunc ferus alloquitur sanctum his vocibus ultro:
Quid Martine mihi facis hoc venerande sacerdos?
Non mecum æquali fateor certamine pugnas,
Absolvendo reos venis, & me verbere torquens.
An me pro cunctis pœnas absolvere mavis,
Eligis aut facinus mea per tormenta pacisci?
Sub tortore novo mutantur tempora cædis,
Pœna diurna reos cruciat, me nocte fatigas.
Serve Dei, parvit quàm sit tibi celsa potestas,
Quando flagellatur graviter te judice judex.
Hinc tamen ipse probas mecum sit qualiter actum,
Cùm per me venio, nec amicum, nec rogo servum:
Non patitur differre moras quem pœna coercet.
Nil opus est verbis: tacito te nosco quod optas:
Cede precor, discede loco, concede quod oro,
Ne tua me graviter citò puniat ultio vindex.
Hæc ait, & propero pede discedente patrono,
Avitianus inops animi vocat officiales,
Et referare jubet tormenta, ergastula, claustra.
Cúmque relaxâsset, procul ipse recedit ab urbe,
Et gravis ira fugit, sibi fit timor ipse timori,
Ordine perverso, & pacem fuga judicis auget,
Ac finè cæde lupum salvo grege pastor abegit.
Quíque monasterio quotiens properaret ad urbem,
Sive pedem cellæ foris adveniendo tulisset,
Agmina larvarum trepidabant ore rotatu,
Et cùm nescirent populi adventare patronum,
Desigurabatur gemitu quoque dæmoniorum.
Adproperante sacro pendentia membra videres
In sublime procul sublata per aëra duci.
Ast alios pedibus superactis rursus in altum,
Et caput inferiùs veluti de nube ruentes,
Nec tamen his vestes fluerunt verecunda tegentes,
Crimina vel merita edentes sub judice missa,
Et sua præcipites examine facta fatentes.
Ille Jovem stolidum, hic se fatetur Anubim,
Vasa ministerii se dæmonis esse nefandi:
Sed tortore pio feritas cruciata fugatur.
Quinetiam Senonum pago quid gesserit edam.
Cùm compacta gelu premeret sata grando quotannis,
Cultorúmque seges defraudaretur inanis,
Nec messoris opus flavescens spica rogaret,
Agricolæque manum tritura vetaret ademptа:
Incola maturis totiens deceptus aristis,
Cùm jejuna suo torperent jugera sulco,
Ac lapidata cibum populis seges ægra negaret,
Mittitur ad sanctum legatio fida precatu,
Ut removeret humo furibunda procella flagellum,
Celsa viri quæ mox oratio sola peregit.
Nam statim atque preces fudit bonus ore sacerdos,
Tempestate graves siccârunt nubila nimbos,
Et viduæ segetes se fertilitate maritant:
Quæque quater quinos per quos super extitit annos
Intemerata sacri viguerunt dona patroni.
Vir tamen ipse Dei, ut sublatus ad astra recessit,
Oblitæ incubuit rediviva procella rapinæ,
Præsule subducto vastat fera clades agellum,
Ac malè captivas imber populatur aristas,
Defensórque obit, & mox prædam grando requirit,
Martini absoestu repetunt elementa flagellum.
Vir quoque justus item cum occurreret Avitiano,
Aspicit instantem huic sævi dæmonis umbram,
Horrificam faciem, truculentam corpore pestem,
Quam procul intendens sanctus flatu oris abegit.

Judex

Judex dum in ſeipſum putat exſuffiâſſe beatum:
Cur bone paſtor, ait, tua nos injuria vexat,
Indignóſque facit deſpectio ſtatilis auræ?
Quem pater egregius reſponſo affatur amico:
Hæc tibi non facimus probroſi ſorte reatûs,
Sed malè quæ incubuit cervici, flavimus umbræ.
Mox tamen illa fugit ſubſellia larva ſatelles,
Et cervice ſedens invaſa ſedilia liquit.
Libertate novâ ſurgunt colla Avitiani:
Exoneratus enim judex revocatur honori,
Mitior, atque fuit gravis implacabilis olim.
Mirum aliud vico quod contigit Ambacienſe,
Idola turrito fuerant educta metallo,
Eximiè ſaxis moles onerata politis,
In ſublime thronum procedens æde ſuperbâ,
Falſa ſuperſtitio, deceptio vera precantum
Grande opus ad facinus faciens nihil eſſe colentes.
Quod cùm ſanctus ovans mandâſſet rite tuendum
Humanis opibus, neque hoc avelleret ullus,
Tunc ſacer antiſtes aſſueta per arma recurrens,
Pervigil intiſtens nocturnis excubat horis,
Alloquiis domini taciturna ſilentia rumpens.
Sed cùm manè recens auroram ſpargeret orbi,
Tenderet & croceum per nubila Phœbus amictum,
Ecce repens oritur variante fragore procella
Stridula ſidereo volitatu, & multa tumultu,
Auxiliis fremebunda tuis Martine ſatagens,
Et tua caſtra movens armata ferocibus auſtris:
Quæ fanum ut tetigit rapidæ vertiginis ictu,
Impulit ac fabricam furibundo impacta rotatu,
Idola comminuit, molémque in pulvere ſolvit,
Altáque turrigero ceciderunt mœnia faſtu.
O ſacer antiſtes, dulce & memorabile nomen,
Quis ſe non ſubdat tibi, pro quo & nubila pugnant?
Hæc quoque mira loquar parili virtute peracta:
Stabat celſa, rigens, informis, forma columnæ,
Immanis habitu, tractu inſuperabilis amplo,
Quæ ſuperimpoſitum ſimulacrum hoſtile gerebat:
Quam pius ut voluit, valuit neque ſolvere molem,
Rurſus ad orandi victricia ſigna cucurrit,
Belliger eliciens ad ſe arma potentia cælis,
Stratus humo recubans, precibus ſuper aſtra relatus.
Quo exorante diu multóque in pulvere fuſo,
Cælitus eſt oculis deſcendere viſa columna,
Molliter aërio diſſulcans nubila lapſu,
Quæ molem oppoſitam ut vibrato perculit ictu,
Fragmine diſſiluit compago ſoluta columnæ,
Lapſáque diſperſo pereunt ſimulacra metallo,
Et mentita novo feriuntur numina telo,
Falſa quidem veram ſumentia numinis iram.
Quæ ſubverſa ſuis genuerunt lucra ruinis,
Ac reſoluta feris creverunt templa favillis.
Pandere quinetiam decet illud honore beati:
Pallida cùm mulier ſtillante rubore cruoris,
Cujus ſe irriguo ſiccârunt viſcera fluxu,
Naufraga membra trahens ſecum vaga ſanguinis unda
Tempeſtate ſuæ pluviæ defeſſa laborans:
Ipſa ſibi generans ſecreti turbinis imbres,
Fluctibus & propriis jam ſubmerſura ruebat,
Nec ſuper ullus erat portus ſibi norma ſalutis:
Cui ſemel ut tacta eſt benedicti fimbria fili,
Nobilis ac ſummi palpantur ſtamina panni,
Exilit indè ſalus, digitos priùs unguine complens,
Tranſit in arcanum fiducia tanta medelæ:
Potinus irrigui ſiccatur origo fluenti,
Prona etiam patulos damnavit fiſtula curſus,
Et reſtricta fluens redit inſonti unda cruoris,
Aſſidui fluxûs fugiens cava vena meatus.
Veſte ſacrâ medici ſolidantur glutine rivi,
Et virtute viri ſenſerunt frena liquores,
Incolumſſque redit de furto femina felix,
Atque ſalutis opem medico ignorante reſumpſit.
O Martine ſacer neſcis, & munera donas.
Indè procul greſſum celerans antiſtes abibat,
Obvius ecce venit ſerpens adnando per amnem,
Pectoris impulſu ſulcans vaga remige cauda,
Squamea terga movens, ſpiris vaga cærula findens.
Quem ſacer inſpiciens ait hæc: in nomine Chriſti
Impero dira tibi, pete curſum beſtia retro.
Quæ procul in fluvium tinuamina lenta reflexit,
Atque retorſit iter mox ſarcina tanta veneni:
Indè perit bibulas ripæ interioris habenas,
Gurgite lapſa natans, totáſque renavigat undas,
Obſequiis famulans, & vipera perdidit iras,

Imperiis juſti nec iniqua venena repugnant.
Fortè dies aderant paſchalia feſta gerentes,
In quibus antiſtes partem quoque piſcis edebat,
Addebátque bonus tum fercula reptile guſtu.
Sollicitat monachos ſi copia piſcis adeſſet:
Reſpondit cui cura foret commiſſa, miniſter,
Se toto piſcante die captura negâſſe,
Nil valuiſſe hamum, ſetis ab arundine jactum,
Nec potuiſſe aliquam vel retia ducere prædam.
Cui conſtanter ait placido moderamine paſtor:
Perge modò ad fluvium, tibi nec captura negatur.
Artificem ſpes certa movet, petit impiger amnem,
Implentur pariter monachorum examine ripæ,
Ut ſacra Martini ſperarent dicta prophetæ,
Quem ſcirent non caſſa loqui neque verba refelli.
Projicit ut fluvio caſſem de puppe magiſter,
Molliter ac vitreo Ligeri trahit humida lina,
Mox ingentem eſocem modico ſub rete coërcet,
Et trahitur cognatus aquis ad littora piſcis,
Non rete artificis ſed Martini ore ligatus,
Uſibus & ſancti ſe præda natatilis offert,
Tali morte magis vitæ pro munere currens.
Nobile quinetiam ex præfecto Arborius effert
Signum, quod vidit ſe teſte fidelis in urbe,
Immaculata Deo cùm dona imponeret aræ,
Et pater attonitus ceremonia diva ſacraret,
Munera vel Chriſti benediceret ore ſacerdos,
Impoſita altari rata corporis atque cruoris,
Emicuit ſubitò manus alma decore ſuperbo,
Nobilium vario lapidum ſplendore coruſcans,
Undique viſa rotæ ſpargens radiatile lumen,
Brachia purpureis vibrantia fulgura gemmis,
Lumen & ad ſolis radians lux fulva metallis,
Credula quo potiùs fierent miracula rerum.
Vir ſimul ipſe potens ſe tunc Arborius inquit
Gemmarum gravium crepitantem audiſſe fragorem.
Sic geminante fide juſti pia dextera fulſit,
Inque loco manicæ micuit tranſlata ſmaragdus.
O Martine decens lapidum velamine compte,
Cur nova palla tibi, cui vix textura coruſcans
Trama topazus erat rutilans, & ſtamen jaſpis,
Et tunicæ inſignes currunt pro vellere gemmæ?
Quæ manus artificis cataclyſtica fila rotavit?
Quis fuit hic opifex, ubi lana hyacinthina currit?
Quis potuit rigidas torquere ad licia gemmas?
Hæc venerando magis poterunt quam fando referri.
Quid ſecreta petis, nec in abdita luminis intras?
Eſt homo quod ſtupeas, ubi nectit gratia telas.
Hiſtoriæ nobis oritur hìc longior ordo,
Sed breviore viâ data per compendia curram.
Maximus imperii moderans quaſi rector habenas
Præcipit Itachium tum armorum jure tueri,
Ne quis eum peteret damnandum lege forenſi,
Accuſatorem veterati Priſciliani,
Mittit ad Hiſpanos armatâ ſorte tribunos,
Reliquias hereſis qui quærant & bona tollant,
Inventóſque pares capitali crimine damnent;
Sic tamen, ut cunctos occaſio ſæva feriret.
Pluribus ergo malis bonitas impulſa beati
Leucadio pariter pro præſide prompta precatur,
Occurrit Treviros, aliis quoque mota querelis.
Pontifices adeunt prædicti principis aures,
Ne Martinus eat, ſynodi niſi pace receptâ,
Sed ſacer aſſeruit Chriſti ſe in pace manere.
Quo priùs abſtinuit ſanctus ſic cœtibus illis,
Pontifices iterum occurrunt ad Cæſaris aulam:
Cogat ut innocuum ſe participare nocivis,
Provocat alloquio quem molliter induperator,
Ut ſociaretur reliquis communio juſti:
His Theonaſtum etenim ſolum diſceſſe querelis,
Cui non complacuit communio noxia fratrum.
Hinc quia non valuit flecti vehementia ſancti,
Abripit ex oculis ſe principis alta poteſtas.
Mox percuſſores gladio minitante relaxat,
Qui ſemel offenſos jaculo figente trucident.
Comperit ut ſanctus reſeratæ fraudis amictum,
Pollicitus regi ſe participare miniſtris,
Et pietate calens deponit amore rigorem,
Mens rea cujus abeſt, par ſit communio culpæ;
Hinc ſe proripiens propere Martinus abegit.
Æſtuat interea gradiens gravis, anxius, angens,
Quo vel ad horæ ſpacium conſenſit iniquis.
Indè iter emenſum per vaſta ſilentia ducens,
Progreſſis ſociis, ibi ſe Andethanna propinquat.

Ecce

Ecce viro insigni sacer obvius angelus adstat,
Præsenti alloquio confessus publicè vultus,
Atque revelatâ facie, sic comminus infit.
Quàm meritò, Martine, loco compungeris isto,
Nec properas exhinc aliter nisi jussa faceßis,
Inter utrumque nefas mercatus acerba doloris!
Nunc age constantes, repara virtutis honorem,
Et tibi te revoca trepidum ne noxia frangant,
Gloria ne pereat, neu prospera lubrica perdant.
Utere more tuo, te deinde redisce magister,
Fortis athletæ animos casus non obruit unus.
Acriùs insequitur hostem manus ictu dolore,
Plagáque fixa solet mentes armare viriles,
Atque pudore recens crescit diro nicere virtus,
Ac datur armigero victoria vulnere crebro.
Fraterno alloquio sic Angelus explicat ore,
Et vice germani monitis animavit amantem,
Tanta est cura Dei Martinum avellere lapsu,
Ulteriùs synodo neque se promiscuit infons,
Virtutisque suæ damnis nova lucra paravit.
Res probat ipsa tamen sacro venerabilis actu:
Namque ad Pseudoforum celtæ dum accederet æger,
Quem malè vexabat nimiùm fera dæmonis ira,
Ingenióque gravi torquebat iniquior umbra,
Antè monasterii quàm limina tangeret almi,
Martini faciem refugit ferus hospitis hostis,
Et benedicta viri terror fuit ora videri,
Non sufferre valens res obscurissima lumen,
Nec vaga constantem, fugit infida cordo fidelem,
Sæva bonum, furiosa pium, truculenta benignum,
Sic quoque nigranti retineter jussa lucis.
En medicina sacri satis unica, cujus opimum
Hospitium vidisse, fuit meruisse salutem.
Sanctus in æde latet, foris exit origo medelæ,
Et cura antè datur medici quàm forma videtur.
Nec satis est mirum dederit quid corpore præsens,
Nomine sub cujus spargantur dona per orbem:
Navita cùm quidam Tyrrenum curreret æquor,
Est iter ad Romam, quod velificante volata
Turbinis impatiens oritur violentia venti:
Exiliunt fluctus, firmant cava vela rudentes,
Nutat pinus iners, rapiuntur signa cerucchis,
Lenis & antennæ coeuntia cornua frendent,
Artis inops, stupidus resilit de puppe magister.
Stant undæ, armatura cadit, fragor æquoris urget,
Prora bibit, dum nauta vomit, perit ars, jacet usus,
Spes fugit, ira premit, rapitur lux, mórsque minatur,
Casibus in dubiis certi vergente salute.
Dum trepidant omnes, Ægyptius hæc ait unus,
Qui necdum Christi cognitus sensserat exsors,
Martini Deus eripe nos: mox dira procella
Corruit, & pelagi tumor altus ad ima resedit.
Sternitur unda rati, liquidi stetit area campi,
Atque immota loci jacuerunt murmura ponti,
Gurgitis optati trahe curritur æquor amicum,
Littoris ora legunt fabris data vela secundis,
Atque petens portum, vada, complet nauta celeuma.
Sic bene pro meritis famulo dat Christus honores,
Cujus eunte fide terræ, mare, sidera supplet.
Pangere gesta libet reliquo veneranda relatu,
Indoles à patribus generosa Lycontius olim
Clarus honore, fide locuples, ab origine currens.
Cúmque domum propriam lues exitialis adisset,
Cunctáque tabifluus penetrâsset acumine morbus,
Quo miserabilium famulorum sive clientum
Una strages erat, divisa per ulcera languens,
Dicere quo posses prostrata cadavera telis:
Rex extrema etenim nil nobilitatis honorat,
Præsidii spes sola manet Martinus in orbe;
Mittitur ad sanctum veneranter epistola cursu,
Auxilium rogitans, hoc corde, hoc flagitat ore:
Ni cito subveniat, rapit omnia pestis acerba,
Per spacium ferale trahens in tartara cunctos,
Et grassata diu quid agant contagia perdunt.
Qui potes affer opem pendenti in morte catervis,
Desperata salus solatia fida requirit.
Quæ pius ut sensit divino illata flagello,
Sed nec posse timet facili exorare precatu,
Attamen excipiens votum miserantis amici,
Septem nempe dies, eadem sub sidere noctes
Pervigil incubuit, jejunia nulla relaxans,
Continuata trahens per tempora mille precatus:
Nec priùs abstitit nisi supplicis illa Lycontî
Vota recepta dare, domuíque medela rediret,
Et rediviva salus fugitivum expelleret ulcus.
Qui tamen ut didicit sancti obtinuisse laborem,
Advolat, & grates devoto corde rependit,
Ereptáque domo sua gaudia munere pensat,
Pro merito fidei donum vice centurionis,
Israëli dominus quem præstitit ore potenti,
Et priùs hausit opem genitæ quàm intraret in ædem.
Denique sancto offert argenti pondera magna,
Ter tricena decem superaddita merce patroni,
Addit & has voces recreato pectore supplex:
Quid tibi, celse pater, vitæ pro munere solvam,
Cùm precio non possit emi hæc lux, neque vendi,
Unius aut animæ mercari vitæ valebit?
Cùm verò illa meæ domui lues una noceret,
Nec superesset opis reliquum quod redderet ullum,
Præsidio ecce tuo mihi nempe tot agmina vivunt,
Sexus & ætatis numerosa caterva meorum
Cùm stupeam solidæ revocata cadavera vitæ,
Et quibus obsequerer morientibus, ecce ministrant.
Nam statim ut tua vox penetralia ad alta volavit,
Et visa est meritis curvare cacumina cæli,
Quo vicina tibi fierent oracula Christi,
Expositæque preces ante ora fuere tonantis,
Ac recitata fuit pia vox dominantis in aurem,
Mox benitas indulsit opem præsente medelâ,
Corpora deseruit membratim tabes acerba.
Qui potuere mori, subitæ rediere saluti,
Et vigenerunt spe, pede, viscere, lumine, voce,
Ac languor moritur viventi in carne sepultus.
Unde, pater, modicum pro vivis fœnore tributum,
Fœnore vel minimo tolerans dum debita solvo.
Sed neque suscepit, neque repulit ille quod offert,
Antè monasterii sed quàm bene limen adiret,
Captivis tribui redimendis pondera jussit.
Sic uno ex casu fert dona gemella beatus:
His libertatem dedit, illis unde salutem,
Ut modò captivi donis laxantia pœnis
Ac concordi animo cecinerunt gaudia plausu.
Hoc item est mirum, niteant si verba relatu,
Occurrit cellæ cùm quidam è fratribus algens,
Carbone ingesto ardebat fornacula fœci.
Considet ergo celer rapiens quasi lucra vaporis,
Inguine nudato, pede jacto, poplite passo,
Vir sacer inclusus de cellâ protinus inquit:
Quis foris incessat nudus habitacula nostra
Corpore detecto, puro genu & inguine nudo?
Quid fuit hoc, docti vos dicite, quæso, sophistæ.
Martini ante oculos paries quasi linteus lucet,
Aut quasi filo agiles contexit aranea telas,
Retia vel nexis per rara foramina filis.
Unde hîc tam tenuis structura patescit hiulca?
An se saxa levant, aut reddunt scissa fenestram:
Seu duri lapides lento se glutine solvunt?
An casa materia vitreo se margine tendit,
Aut speculare dedit quo sanctus lumine transit?
An levior paries revoluto cessit in arcu,
Et stetit incolumis rapido suspensus in ictu?
Nobilis aut acies oculorum & marmora transit,
Clarior ac visus per cuncta obstacula pergit?
Pœniger an clausi volitavit ad ora ministri,
Ac per opertum aperit, & in invia nuncius intrat?
An quia lumen erat totum foris, intus habebat,
Carne sedente loco, velox an spiritus ibat?
Pandite doctiloqui, comprendite clausa diserti,
Qui numeris gnomis, ratione potestis & ore.
Hîc fugit ars oculos, nisi Christum nulla videtis.
Quanta Dei virtus, Martini est gratia quanta!
Hac ope mirificus homo complet, quod homo nefas,
Explicat ac fidei merito quod obstat origo.
Quod superest etiam memoretur honore patroni,
Consummanda suo properat quia pagina textu.
Fortè sacer residens per dura sedilia ligni,
Prospicit hinc latvas pendenti rupe gemellas,
Tegmine pullatas, tristi terrore sonoras,
Fraude laborantes, jaculantes spicula fellis,
Nequitiæ artifices rebus gravia arma sinistris,
Voce venenatâ verba hæc anguina rotabant.
Quid valet ira tumens, eia te Brictio monstres.
Hoc iterum repetunt, donec malè Brictio motus
Irruptis foribus sancto convicia vergit,
Jurgia multa movens turbatâ mente latelles,
Se meriti melioris ovans quàm sanctus haberet.
Sic gestu rabidus neque se agnoscebat amarus,
Vitæ gesta suæ temerarius arbiter infans,

Inole-

Intolerabilium per inania bombica jactans,
Vento motus iners simulans foliatilis umbræ,
Excussâ cervice rigens, levitate rebellis,
Exagitans animum pede jacto, pectore tenso,
Irrationalis, tumido glisceute cothurno,
Nec se mente capax, sensu spaciante vacillans,
Inque sacerdotem truculenter acerba redundans.
Sed quid in abjectum Martinum hæc turbida volvit?
Quid humili, placido, tam dira, superba minatur?
Cur animæ nimiùm dulci tot amara ministrat?
Non decet hæc audire pium neque ferre benignum,
Durus erat graviter qui melli absynthia miscet,
Ille tamen pietate calens nihil intulit hosti.
Excipit iratum placatus amanter amarum,
Oblectans rabidum, & per mollia famina mulcens,
Et nescit non esse pater sinè felle vel hosti,
Qui tamen exorante viro larvisque fugatis
Dum redit ad mentem furiosus Brictio pridem,
Pontifici occurrit voto prece, corpore supplex,
Sed bonitate pii celer indulgentia fluxit,
Non apud hunc opus esse diu lacrymando rogari,
Aut prece multiplici veniam sperare nocenti,
Qui magis expetiit culpas donare reatûs.
Credidit, & damnum quicquid non præstitit ultro,
Hæc sua lucra putat dimittere debita noxæ,
Obvius occurrens quærenti munera pacis,
Irasci nulli cupiens, ignoscere cunctis,
Fœdera sola ligans celer, & delicta relaxans,
Effugiens nequando sibi daret ultio damnum,
Rem pietatis agens: satis est clementia vindex,
Quæ pia dona metens fieri non indiget ultrix,
Omnibus aucta bonis, cui dos & gloria pax est.
Vir tamen ipse sacer pietatis ab agmine miles
Fœdera semper amans, & pacis in arma triumphans,
Supplicis ad vocem miserantia viscera laxat,
Inque sinu veniæ trepidum mulcendo reduxit,
Atque reum solitâ patriâ pietate recepit.
Hæc tua dulcis erant holocausta, saccaria, templa,
Hæ tibi divitiæ, thesauri, regna, talenta,
Flos, odor, esca, sapor, mera cinnama, balsama, thura:
Hæc sacer omnis erat, hæc tota, hæc unica cura,
Christum corde pio, Christum meditarier actu,
Reddere nolle vicem miseris, & parcere culpæ,
Criminis indultor, veniæ memor, ara reorum,
Spes miserabilium, fuga larvarum, arma sequentum,
Præda catervarum, errantum via, cura medentum,
Omnibus una salus, amor omnibus, unus amator.
Quis tibi digna loqui valeat, quem mundus honorat?
Quid, pie vir, satis est, cui laudis debitor orbs est?
Quæque referre volens neque totus id explicat axis?
Jugiter amplexu Christum corde, ore retentans,
Nec sinè te patiens dominum discedere quoquam,
Tecum semper habens victum pietate tonantem,
Astrictus precibus, nequo se solvebat amator,
Cujus amica fides tantum sibi contulit arcis,
Ut solem radiis & lunam cursibus æques,
Qui splendore nitens pulcher quasi lucifer axis,
Ac fulgore Dei vir fulgidus ipse coruscas.
Tegmine vir niveus, miro diademate fulvûs,
Supplicis usque memor, famuli exauditor opime,
Fortunati inopis, trepidi sibi forte reatûs,
Morbida quem rabidè circùm sua crimina latrant,
Et fera delicti penetraliter ulcera mordent.
Intercede precor veniam, vir adepte coronam,
Eripe pastor ovem, ne clauda vel extera restet:
Porrige celse manum, rege gressum, dirige sensum,
Excessúsque graves leviori examine penses,
Ac potiùs pietas opulens miserando precetur,
Mitis & exortes placident fomenta medelæ,
Inter & ipse Deum atque reum mediator adesto,
Defixis genibus, tensis ad sydera palmis,
Vocibus inclutis, animis penetrantibus auras,
Obtineas meritis, judex cùm venerit orbis,
Tu quoque jussus eris dextro residere sedili,
Arbiter in populos tribuum, pavor antè tribunal.
Qualiter effugiam flammâ stridente caminum?
Tunc precor ut fragilem sacro velamine celes,
Et tua me trepidum defendat ab igne lucerna:
Nam scio posse reum quemvis tibi cedere Christum,
Quem sociat proprio mansura in sæcula regno:
Sis precor in domino famuli memor alme per ipsum
Cujus erit tibimet lumen sinè fine videndum.
Da veniam dulcis, pie, blande, benigne patrone
Condere dum volui, quia læsi carmine flores.

Sed tua laus nullo breviabitur ampla relatu,
Quam Deus in terris paritérque tetendit & astris,
Pone libelle modum, tepido verecunde relatu,
Multiplices faciens cassuto stamine rugas:
Nec bene fila ligans nodo subit aspera texta,
Hispida cameli rigido quasi vellere texta,
Serica dum decuit Martini pallia duci,
Aut prætexta micans auro sub tortile necti,
Vel toga permixtis hyacinthina curreret albis,
Pingere seu variam rosa, lilia, gemma coronam,
Marcida lingua tacet, veniam tibi posce libelle.
Contentus tantùm Turonum pete mœnia supplex
Quà Martinus habet veneranda sepulcra sacerdos,
Cujus honor tumuli facit hìc sua rura tueri,
Qui pietatis opem tribuat, nam largus ubique
Scit nihil esse meum, sua sed sibi dona recurrunt.
Sic tamen urgebis ut adhuc temerarius intres,
Indè Parisiacam placidè properabis ad arcem,
Quam modò Germanus regit & Dionysius olim.
Si pede progrederis, venerato sepulcra Remedi,
Atque pii fratris complectere templa Medardi:
Si tibi barbaricos conceditur ire per amnes,
Ut placidè Rhenum transcendere possis & Histrum,
Pergis ad Augustam, quà Virdo & Licca fluentant,
Illic ossa sacræ venerabere martyris Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Baiosarius obstat,
Quà vicina sedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens rapido quà gurgite volvitur Oenus.
Indè Valentini benedicti templa require,
Norica rura petens ubi Birrus verritur undis,
Per Dravum itur iter, quà se castella supinant,
Hìc montana sedens in colle superbit Aguntus,
Hinc pete raptè vias, ubi Julia tenditur Alpes
Altiùs assurgens, & mons in nubila pergens
Indè foro Juli de nomine principis exi,
Per rupes Osope tuas quà labitur undis,
Et super instat aquis Reuniatelia montis.
Hinc Venetum saltus campestria perge per arva,
Sub montana quidem castella per ardua tendens,
Aut Aquileiensem si fortasse accesseris urbem,
Cantianos domini nimiùm venereris amicos,
Ac Fortunati benedictam martyris urnam.
Pontificémque pium Paulum cupienter adora
Qui me primævis converti optabat ab annis.
Si petis illud iter quà se Concordia cingit,
Augustinus adest preciosus, Basiliúsque;
Quà mea Tarvissus residet, si molliter intras,
Illustrem socium Felicem quæso require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim,
Per cenetam gradiens & amicos Duplavenenses,
Quà natale solum est mihi sanguine, sede parentum,
Prolis origo patrum, frater, soror, ordo nepotum
Quos colo corde, fide, breviter, peto, redde salutem.
Si Patavina tibi pateat via, pergis ad urbem;
Hìc sacra Justinæ rogo lambe sepulcra beatæ,
Cujus habet paries Martini gesta figuris.
Quóve salutis opus celso depende Joanni,
Atque suis gentis sociis per carmina nostris:
Hìc tibi Brinta fluens iter est Retenone secundo,
Ingrediens Athesin Padus excipit; indè phaselo,
Mobilis unde tibi rapitur ratis amne citato.
Indè Ravennatum placitam pete dulciùs urbem,
Pulpita sanctorum per religiosa recurrens
Martyris egregii tumulum Vitalis adora,
Mitis & Urticini parili tub sorte beati:
Rursus Apollinaris precioli limina lambe,
Fusus humi supplex, & templa per omnia curre,
Expete Martini loculum, quo jure facelli
Jam desperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, saltem rogo verba repende:
Est ibi Basilicæ culmen Pauli atque Joannis.
Hìc paries retinet sancti sub imagine formam,
Amplectanda ipso dulci pictura colore:
Sub pedibus justi paries habet antè fenestram,
Lychnus adest, cujus vitreâ natat ignis in urnâ:
Huc ego dum propero valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce fenestræ,
Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte recessit,
Et præsens medicus blando fugat unguine morbos,
Non oblita mihi mea lumina munere sancti,
Nam redit antè oculos oculorum cura fidelis,
Et memor illud ero dum luce & corpore consto.
Promptiùs affecto, precor, indè require sodales,

Si ſociis loqueris, veniam pietate mereris,
Porrigo materiam quibus hanc ego ut ore rotundo
Martini geſtis florentia carmina pangant,
Et claro ingenio texant ſpargenda per ortum.
Vir radians, meritis licèt ille nec indiget iſtis,
Gratia cujus ovans ac fama iter occupat orbis
Arva capax pelagus intrans ſuper aſtra coruſcans,
Diſtribuens miras populis pro ſtipe medelas,
Qui domino famulando ſuo capit omnia dona,
Et quo Chriſtus habet nomen, Martinus honorem.

POEMATUM

Liber Primus incipit feliciter.

I. *Ad Vitalem Epiſcopum Ravennenſem.*

ANTISTES Domini, meritis in ſecula vivens,
Gaudia qui Chriſti de grege paſtor habes:
Cùm te Vitalem voluit vocitare vetuſtas,
Noverat æternum te meruiſſe diem.
Dignus apoſtolicâ præfulgens mente Sacerdos,
Qui ſacri Andreæ tam pia templa locas.
Quàm bene pro meritis Domini conſedit in aulâ,
Per quem digna Deo eſt ædificata domus!
Sumpſiſti à Domino culmen, cui culmina condis:
Qui tibi digna dedit, reddis honore vicem.
Emicat aula potens ſolido perfecta metallo,
Quò ſinè nocte manet continuata dies,
Invitat locus ipſe Deum ſub luce perenni,
Greſſibus ut placidis intret amando Lares.
Qui loca das populis, Dominum quo ſemper adorent,
Ut capiant veniam, tu facis eſſe viam.
Gratia, mens, animus, bonitas, dilectio plebis,
Et gradus, & pietas, te dedit eſſe patrem.
Proſperitas ſe veſtra probat, quæ gaudia ſupplens,
Intulit egregios ad tua vota viros.
Dux nitet hinc armis, præfectus legibus illinc,
Venerunt, per quos creſcere feſta ſolent.
Ne tibi deſit honor, populum Deus auxit opimum,
Qui vidit ſenſum hoc voluiſſe tuum.
Myſterium fides complevit vota petentis,
Felix cui Dominus quæ cupis ipſa vehit.
Plurima divino celebres ſolemnia dono,
Adque Dei laudes templa colenda loces.

II. *De templo quod ædificavit Vitalis Epiſcopus Ravennæ.*

QUISQUIS ad hæc ſancti concurris limina templi,
Si venias ſupplex, hic prece ſumis opem:
Quam ſacer antiſtes Vitalis condidit arcem,
Culmine quæ celſo eſt tempore ducta brevi.
Fundavit, ſtruxit, dotavit, deinde dicavit,
Et meruit templi ſolvere vota ſui.
Quo veneranda pii requieſcunt viſcera Petri,
Qui meruit ſolus clave ligare polos.
Paulus apoſtolicâ ſimul hac retinetur in aulâ,
Seductor quondam, qui modò doctor ovat.
Hanc Sacer Andreas propriam ſibi vendicat arcem,
Et cum fratre pio participata regit.
Hæc ſua templa replet Laurentius igne ſereno,
Cui pia flamma dedit luce perenne diem.
Vitali domus iſta placet, qui vivus arenis,
Defoſſus meruit perdere mortis iter.
Sunt loca Martini, qui texit veſte Tonantem,
Ne magis algeret, ſe ſpoliare dedit.
Ecce Vigili arx eſt quem ruſtica turba peremit,
Unde mori voluit, mors magis ipſa fugit.
Incolit hæc pariter Maturius atque Siſennius;
Quos genus, atque fides, & tenet una ſalus.
Sanctus Alexander felixque Cecilia pollent,
Quos meritis omnes una corona manet.
Hæc bonus Antiſtes, Vitale urgente, Joannes
Condidit egregio viſcera ſancta loco.
O nimiùm felix æternum in lumen iture,
Cujus vita ſuo perficit iſta Deo!

III. *De Baſilicâ Sancto Stephano Levitæ, à Palladio ædificatâ.*

GLORIA celſa pios Domini circundat amicos,
Quorum diffuſo vivit in orbe decus.
Pertulit hic martyr pro Chriſto orientis in axe,
Ecce ſub occaſu templa beatus habet.
Fundatus virtute Dei de morte triumphans,
Excepit lapides cui petra Chriſtus erat.
Gens Judæa ferox Stephanum quem perdere credit,
Etſi carne, tamen neſcit honore mori.
Ille tenet palmam meritis, tu crimine pœnam:
Poſſidet ille polos, tu magis ima petis.
Hæc ſacra Palladius Levitæ templa locavit,
Unde ſibi fiat non peritura domus.

IV. *De Baſilicâ, Sancti Martini nomine, Deo à Fauſto Presbytero extructâ.*

EMICAT aula decens venerando in culmine ducta,
Nomine Martini eſt ſanctificata Deo.
Cui vitæ merito fiducia tanta coruſcat,
Ut populis tribuat quod pia vota rogant.
Extulit hanc Fauſtus devoto corde Sacerdos,
Reddidit & Domino proſpera dona ſuo.

V. *In Baſilicam Sancti Martini, ubi pauperem veſtivit, rogante Gregorio Epiſcopo.*

QUI celerare paras iter, huc deflecte viator,
Hic locus orantem cautiùs ire docet.
Exul enim terris, cœli incola, ſæpe ſoleat,
Clauſus Martinus hinc aperire polos.
Æde ſub hac habitans eremi ſecreta tenebat,
Per medios populos anachoreta potens.
Hic, ſe nudato, tunicâ veſtivit egenum,
Dum tegit algentem, plus calet ipſe fide.
Tum vili tunicâ veſtitur & ipſe Sacerdos,
Proceſſitque inopi tegmine ſumnus honor.
Qui tamen altaris ſacri dum myſteria tractat,
Signando calicem ſigna beata dedit.
Namque viri ſacro de vertice flamma reſulſit,
Ignis & innocui ſurgit ad aſtra globus:
Ac brevibus manicis, fieret ne injuria dextræ,
Texerunt gemmæ qua caro nuda fuit.
Brachia nobilium lapidum fulgore coruſcant,
Inque loco tunicæ pulcra ſmaragdus erat.
Quàm bene mercatur, qui dum veſtivit egenum,
Tegmine pro tunicæ brachia gemma tegit!
Tu quoque qui celſis habitas Martine precator,
Pro Fortunato fer pia verba Deo.
Imperiis parere tuis pie, care Gregori,
Quantùm poſſe valet, plus mihi velle placet.

VI. *Item de Baſilicâ S. Martini, quam Leontius in colle ædificavit, Placidina verò exornavit.*

QUI cupit æternâ ſociari in ſede beatis,
Hos ſibi participes per pia vota facit.
Nec patitur differre diu quod oportet agendo,
Cùm bona quæ dederit, hæc ſua lucra putet.
Condidit ergo arvis delubra Leontius alma,
Talibus officiis intret ut ipſe polos.
Martini meritis & nomine tuta coruſcant,
Quem certum eſt terris ſigna dediſſe poli.
Qui lepræ macula medicata per oſcula purgans,
Pacis ab amplexu morbida bella tulit.
Hæc tamen ingenio ſunt ædificata perito,
Quo nil egregiæ gloria laudis eget.
Additur ad ſpecimen locus ipſe quod eminet arvis,
Elatóque jugo colle tumente patet.
Altiùs educto ſub ſe tenet omnia dorſo,
Et quacunque patet, delicioſa videt.
A longè adveniens oculo vicinus habetur,
Jungitur aſpectu diſſociante loco.
Quò feſſus rapitur viſu invitante viator,
Si pede defuerit, lumine tractus adit.
Quæ Placidina ſacris ornavit culmina velis,
Certantéſque ſimul, hic facit, illa colit.

VII. *In honorem Baſilicæ S. Martini, quam Baſilius & Baudegundis, mente unâ renovaverant & auxerant.*

DISCITE mortales terris nihil eſſe quod obſtet,
Cùm ſacra templa Dei ſtamine fixa manent:
Pulcra per anguſtos ut ſurgeret aula meatus,
Et ſi mons vetuit, præbuit unda locum.
Ut famularetur domui vaga lympha ſuperna,
Curſibus antiquas ars nova ſubdit aquas.
Cum Baudegunde quo mente Baſilius unâ
Hoc renovans priſcum reddit & auget opus.
Sic Martine tuus honor amplus ubique meretur,
Ut loca nulla negent, quod tibi feſta ſonant.
Talibus officiis pacatus opime Sacerdos,
Quorum vota vides, redde benigne vicem,

De

VIII. *De Baſilicâ Sancti Vincentii ultra Garonnam.*

TEMPORE vita brevis meritis fit longior almis,
Angustósque dies tendit honore fides.
Post finem sinè fine manet mens dedita Christo,
Linquens turbam hominum stat sociata Deo.
Hac ope suffultus Vincentius extat in ævum,
Gloria martyrii cujus opima viret.
Vertice succiso rapuit qui ex morte triumphum,
Et nova de terris proles ad astra volat.
Credidit unde necem, sancto dedit hostis honorem,
Percussórque magis morte perenne jacet.
Vicerat ille miser, hunc si jugulare nequisset,
Nam abstulit unde caput, contulit indè polum.
Hujus amore novo pia vota Leontius explens,
Quò sacra membra jacent stannea tecta dedit.
Et licèt eniteat meritis venerabile templum,
Attamen ornatum præbuit iste suum.
Præmia succedant operanti longa salutis,
Hujus ut obsequiis culmina sancta micent.

IX. *De Baſilicâ S. Vincentii Vernemetis, quam condidit Papa Leontius: & de miraculis editis in ejus dedicatione.*

CULTORIS Domini toto sonus exiit orbe,
Nec locus est ubi se gloria celsa neget.
Sed cujus meritum scimus percurrere mundum,
Hujus ubique viri surgere templa decet.
Ecce beata nitent Vincenti culmina summi,
Munere martyrii qui colit astra poli.
Promptus amore pio quæ Papa Leontius olim
Condidit eximio consolidata loco.
Nomine Vernemetis voluit vocitare vetustas,
Quod quasi fanum ingens Gallica lingua refert.
Auspicii præmissa fides erat antè futura,
Ut modò celsa domus staret honore Dei.
Hìc etiam Sanctus Domini suffultus amore,
Virtutis famosæ signa tremenda dedit.
Nam cùm templa Dei præsul de more dicavit,
Martyris adventu Dæmonis ira fugit.
Redditur incolumis quidam de peste malignâ,
Cui, vidisse pii templa, medela fuit.
Emicat aula potens divino plena sereno,
Ut meritò placeat hìc habitare Deo.
Nunc specie suadente loci ac virtutis honore,
Evocat hìc populos, hinc decus, indè salus.
Qui plebem accendit venerandæ conditor arcis,
Talibus officiis præmia justa metet.

X. *De Baſilicâ Sancti Nazarii martyris, quam dejectam ab imo ſolo fundavit Leontius.*

CULMINA conspicui radiant veneranda Nazarî
Cujus membra solum, spiritus astra tenet.
Semine terrigeno terrenis visibus ejsors
Immortale bonum pulvere natus homo.
Nil carnale volens, sed Christi præmia poscens,
Sanguine de proprio victima digna Deo.
Hæc tibi templa Sacer devota Leontius offert,
Majorémque suam hinc cupit esse domum.
Hìc priùs angusto fabricata est machina gyro,
Quo neque tunc poterat plebs veneranda capi:
Dejectámque solo rursus fundavit ab imo,
Et dedit hæc quæ nunc ædificata placent.

XI. *De Baſilicâ Sancti Dionyſii martyris fundata à Leontio, cùm altera (populum non capiente loco, & longiùs) ab Emelio Præſule extructa, ad ejus heredem veniſſet.*

QUI cupis egregii structorem noscere templi,
Tam piâ non patiar vota latere tibi.
Longiùs hinc olim sacra cùm delubra fuissent,
Et plebs ob spatium sæpe timeret iter;
Exiguam dederat hìc præsul Emelius arcem,
Christicolam populum nec capiente loco.
Quo vitæ claudente diem dehinc prole gradúque,
Venit ad hæredem hoc opus hìcque locus.
Fundavítque piam hanc Papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino splendida dona suo.
Quam venerandus habet propriam Dionysius ædem,
Nomine sub cujus sanctificata nitet.
Qui fervente fide Christi solidatus amore,
Vertice suppositò colla secanda dedit.
Membrorum contemptor erat cupiendo coronam,
Vile putans quidquid ferret amore Dei.
Ut moritura caro donam immortale pararet,
Vulnera dilexit, sed caritura necc.
Hostili occurrens gladio se misit Olympo,
Unde mori voluit vota salutis habet.
Nec congesta priùs subtraxit fana Sacerdos,
Hæc nisi perficeret quæ modò culta placent:
Assiduè in prisco celebrans ceremonia templo,
Donec rite sequens consolidâsset opus.

XII. *De Baſilicâ Sancti Bibiani Epiſcopi, olim ab Eusebio præſule fundatâ, poſtea vero à Leontio (Emerii, ejus anteceſſoris mandato) extructâ, & de thecâ argenteâ, quæ S. Bibiani Reliquias exornavit Placidina.*

DIGNA Sacerdotis Bibiani templa coruscant,
Quo, si justa petis, dat pia vota fides,
Quæ præsul fundavit ovans Eusebius olim,
Ne tamen expleret, raptus ab orbe fuit.
Cui mox Emerius succesſit in arce Sacerdos,
Sed cœptum ut strueret, ferre recusat onus.
Qui precibus commisit opus tibi Papa Leonti,
Cujus ad hoc votum jugiter instat amor.
Ultro tale decus tibi se servavit agendum,
Nec nisi tu fueras qui loca sacra dares.
O meritum justi mansurum in luce perenni,
Per quem se cupiunt templa verenda coli!
Sacra sepulcra tegunt Bibiani argentea tecta,
Unanimis tecum quæ Placidina dedit.
Quo super infusum rutilans intermicat aurum,
Et spargunt radios pura metalla suos.
Ingenio perfecta novo tabulata coruscant,
Artificémque putes hìc animâsse feras.
Sed cui vos animo donaria tanta dediſtis,
Hìc agat ut vobis stet diuturna salus.
Nec dubitent qui magna ferunt, sibi magna rependi,
Dum quoque pro parvis reddat opima Deus.

XIII. *De Sancti Eutropitis, primi urbis Santonicæ antiſtitis, Baſilicâ, quam ſenio collapſam Leontius ex divinâ revelatione renovavit, ornavítque imagineis à ligno iconibus & picturis.*

QUANTUS amor Domini maneat tibi, Papa Leonti,
Quem sibi jam Sancti templa novare monent.
Eutropitis enim venerandi antistitis aula
Corruerat senio dilacerata suo.
Nudatásque trabes paries vacuatus habebat,
Pondere non tecti, sed male pressus aquis.
Nocte sopore levi cuidam veniente ministro,
Instauratorem te docet esse suum.
Pro mercede tui meruit magìs ille moneri:
O felix de quo fit pia cura Deo!
Non meliore viâ vivit renovata vetustas,
Et lassæ fabricæ flos redivivus adit.
Ætas accessit: verùm hæc juvenescit honore:
Unde senex fieret, junior indè redit.
Hic sculptæ cameræ decus interrasile pendet,
Quos pictura solet, ligna dedere jocos.
Sumpsit imagineas paries simulando figuras:
Quas neque tecta priùs, hæc modò picta nitent.
Urbis Santonicæ primus fuit iste Sacerdos:
Et tibi qui reparas jura priora dedit.
Cùm sua templa tenet Sanctus habitando quietè,
Instauratori reddit amore vicem.

XIV. *De calice Leontii Epiſcopi.*

SUMMUS in arce Dei pia dona Leontius offert,
Votis juncta sacris & Placidina simul.
Felices quorum labor est altaribus aptus,
Tempore qui parvo non peritura ferunt.

XV. *Item in laudem Leontii Epiſcopi Burdigalenſis 13. & Placidinæ, ejus olim conjugis, ſacerdotii verò tempore ſororis.*

INTER quos genuit radians Aquitanicus axis,
Egregiis meritis culmina prima tenes.
Civibus ex Gallis supereminet alta potestas:
Tu potior reliquis, & tibi nemo prior.
Præcedis multos, nulli minor atque secundus,
Nec superest aliquid quod dare possit honor.
Qui cùm se primo vestivit flore juventus,
Parvus erus annis, & gravitate senex.
Versus ad Hispanas acies cum rege sereno,
Militiæ crevit palma secunda tuæ.

Cujus

Cujus primitiæ tanto placuere relatu,
Ut meritis eſſet debitus iſte gradus.
Nec poterant ſubitò tibi culmina celſa parari,
Hæc niſi digna tuum promeruiſſet opus.
Nobilitate potens præcellis, Papa Leonti:
Clarus ab antiquis ſi numerentur avi.
Nam genus & proavi, vel quidquid in ordine dicam,
Per proceres celſos currit origo vetus.
Tempora diffugiunt, & ſtat tamen aula parentum,
Nec patitur lapſum, te reparante, domus.
Nobilitas longos non inclinavit in annos:
Cui magis aſcenſum proles opima dedit.
Inclyta progenies ornavit luce priores,
Hæredis radio ſplendet origo patrum.
De radice ſuâ veſtita eſt flore vetuſtas,
Quam meritò veſtræ laudis obumbrat honor.
Quamvis non aliquis potior modò poſſit haberi,
Tu tibi præcedis amplificando patres.
Emicat altus apex generoſo ſtemmate fulgens,
Cujus apud reges unica palma patet.
Eccleſiæ nunc jura regis, venerande ſacerdos,
Altera nobilitas additur indè tibi.
Pontificalis apex quamvis ſit celſus in urbe,
Poſtquam ad te venit, crevit adeptus honor.
Aula Dei & paſtor vicibus ſibi præmia reddunt,
Illi tu ornatum, ſpem dedit illa tibi.
Munere divino pariter floretis utrique:
Tu mercede places, illa decore nitet.
Tertius à decimo huic urbi Antiſtes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.
Templa vetuſta Dei revocâſti in culmine priſco,
Póſtque ſuum lapſum nunc meliora placent.
Flore juventutis ſenio fugiente coruſcant,
Et tibi læta favent, quo renovante virent.
Ut tu plus ageres, incendia tecta cremârunt,
Et nunc laude tuâ pulcriùs illa micant.
Nullâque flammicremæ ſenſerunt damna ruinæ,
Quæ modò poſt ignes lumine plena nitent.
Credo quòd ex ſeſe voluiſſent ipſa cremari,
Ut labor ille tuus hæc meliora daret.
Poſt cineres conſumpta ſuos tenuéſque favillas,
Sic ſolet & phœnix ſe renovare ſenex.
Inſtaurata etiam ſacri eſt baptiſmatis aula,
Quo maculas veteres fons lavat unus aquis.
Ecce beata ſacræ fundâſti templa Mariæ,
Nox ubi victa fugit ſemper habendo diem:
Lumine plena micans imitata eſt aula Mariam,
Illa utero lucem clauſit, & iſta diem.
Nec ſolùm hìc, ſed ubique micant tua templa, ſacerdos,
Inter quæ plaudens Santonus illa manet.
Qui loca das populis ubi Chriſtum jugiter orent,
Unde ſalus veniat, tu facis eſſe viam.
Eccleſiæque domus creſcente cacumine pollet,
Et probat eſſe tuum quod modò culta placet.
Feciſti ut libeat cunctos huc currere cives,
Et domus una vocet, quicquid in urbe manet.
Ornâſti patriam cui dona perennia præſtas,
Tu quoque dicendus Burdigalenſe decus.
Quantùm inter reliquas caput hæc ſuperextulit urbes,
Tantùm Pontifices vincis honore gradûs.
Inferiora velut ſunt flumina cuncta Garonnæ,
Non aliter vobis ſubjacet omnis apex.
Rhenus ab Alpe means neque tantis ſpumat habenis,
Fortior Hadrianas, nec Padus intrat aquas.
Danubius par eſt, quia longiùs egerit undas:
Hæc ego tranſcendi, judico nota mihi.
Muneribúſque piis dotâſti altaria Chriſti,
Cùm tua vaſa ferunt viſcera ſancta Dei.
Nunc cruor & corpus Domini libamina ſummi,
Rite miniſterium te tribuente venit.
O felix, cujus ditat pia templa facultas,
Cui res iſta magìs non peritura manet!
Non ærugo teret mordaci dente talentum,
Nec contra hæc fures arma doloſa movent.
Et data res vivit, facit & bene vivere dantem,
Cùm moritur tertis, ducitur indè polis.
Hæc poſſeſſor habet quicquid tranſmiſerit antè,
Sola tenet ſecum quæ priùs ire facit.
Hæc tibi templa dabunt, & vaſa ſacrata, ſacerdos;
Et quicquid reliquum nec numerare queo.
Eccleſiæ columen per tempora longa gubernes,
Et mercede piâ fructus ubique mices.
Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre:
Quæ tibi tunc conjux, eſt modò chara ſoror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet auguſtum germen, Avite, tuum.
Imperii faſtus toto qui rexit in orbe,
Cujus adhuc pollens jura Senatus habet.
Humani generis ſi culmina prima requiras,
Semine Cæſareo nil ſupereſſe poteſt.
Sed genus ipſa ſuum ſenſûs moderamine vicit,
Cujus ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, ſerena, decens, ſolers, pia, mitis, opima:
Quæ bona cuncta gerit quicquid honore placet.
Moribus, ingenio, meritorum luce coruſcans,
Ornavit ſexum mens pretioſa ſuum.
Plurima quid referam, quantis ſit prædita rebus?
Quæ potuit votis nupta placere tuis?
Augeat hæc vobis vitam cui templa dediſtis,
Culminibúſque ſuis culmina veſtra tegat.

XVI. *Hymnus in honorem Leontii Epiſcopi.*

AGNOSCAT omne ſeculum
Antiſtitem Leontium:
Burdegalenſe præmium,
Dono ſuperno redditum.
Bilinguis ore callido
Crimen fovebat invidum,
Ferens acerbum nuncium,
Hunc jam ſepulcro conditum.
Celare ſe non pertulit,
Qui triſte funus edidit,
Etſi nocere deſiit,
Inſana vota prodidit.
Deceptus arte noxiâ,
Caſſata deflet crimina:
Dum quæ putabat triſtia,
Converſa ſunt in gaudia.
Exempla ſæva protulit,
Calcanda cuncto tempore;
Ut jam ſibi conſcriberet,
Decreta vivo antiſtite.
Fucata res hæc contigit,
Vitanda caſto pectore;
Superſtite ut præſumeret,
Poſt fata quod vix debuit.
Gravat ſacerdos ordinem,
Qui Epiſcopatum ſic petit:
Præcepta qui complectitur,
Fugit honoris ambitum.
Hoc ſi cui ſit debitum,
Coactus aſcendat gradum:
Non ſe petente callidè,
Sed dante Chriſti munere.
Ineptus eſt qui ſanctæ ſe
Præferre vult Eccleſiæ;
Nam rem ſacratam ſumere,
Electio divina ſit.
Catus ſacerdos ordinem
Hilarius non ambiit,
Martinus illud effugit,
Gregorius vix ſuſtulit.
Leges refutant ambitum,
Invaſor omnis pellitur,
Quod reſpuunt prætoria,
Vitat nefas Eccleſia.
Maligna erant certamina,
De ſede non tamen ſuâ:
Quæ nec pati deſiderat,
Non inferat mens improba.
Nec longiore tempore
Verſantur in hoc murmure,
Dum cogitant ſuccedere,
Redit ſacerdos qui fuit.
Orante plebe, protinus,
Dum nemo credit, redditur.
Quæ confluunt poſt triſtia,
Majora ſunt hæc gaudia.
Planſu favebat civitas,
Cui redit felicitas:
Orbata quem defleverat,
Patrem recepit anxia.
Quem vix putabat redditum,
Præventa voto proſpero:
Res mira quando cernitur,
Solet ſtupere viſio.

Re-

Digitized by Google

Recolligit rector gregem,
Errore captum semitæ:
Pastoris arce cognitâ,
Gavisa sunt ovilia.
Sumpsit gradum quo tempore,
Regressus est eo die:
Quis non superno munere,
Hoc contigisse prædicet?
Tantum nec antè præmium
Plebi fuit, cùm factus est:
Lætata quantum tunc fuit,
Quando recepit præsulem.
Venite cives, plaudite,
Et vota votis addite,
Quo facta sunt miracula,
Servent eum cælestia.
Christus sereno lumine
Circumvolet quem reddidit:
Ut trina crescat gratia,
Mercede, vitâ, gloriâ.
Hymnum canendo concrepet,
Quisquis Deo non invidet:
Laus ejus est qui præsulem
De mortis ore retrahit.
Zelante fido pectore,
Tam vera dici non pudet:
Hæc parva nobilissimo
Papæ damus Leontio.

XVII. *Ad Placidam, matrem ejusdem.*

MUNERA parva nimis, pia suscipe quæso libenter,
Quæ magis ipsa decens munus in orbe micas.
Fluctibus è mediis hæc ut daret insula vobis,
Oceanus tumidas murmure præstat aquas.
Quæ loca dum volui properans agnoscere ponti,
A Borea veniens reppulit unda furens.
Prosperitas ut vestra tamen se plena probaret,
Obtulit in terris quod peteretur aquis.

XVIII. *De Bissono, villâ Burdegalensi.*

EST locus, æstifero quamvis sit tempore fervor,
Quo viret assiduo flore refectus ager.
Respirant croceis depicta coloribus arva,
Fragrat odoriferis blandior herba comis.
Incola Bissonum vocat hunc de nomine prisco:
Millia septem urbi hinc Burdegalensis abest.
Qua possessor amans prætoria grata locavit,
Partibus atque tribus porticus æqua subit.
Straverat ipsa solo, senio rapiente, vetustas;
Perdiderat vultum forma decora suum.
Hæc meliore viâ revocat labor ille Leonti,
Quo præsente domos nulla ruina premit.
Nunc quoque prosperiùs velut aula sepulta resurgit,
Et favet auctori vivificata suo.
Reddidit interea prisco nova balnea cultu,
Quo recreant fessos blanda lavacra viros.
Hìc referunt nutrîsse lupos deserta tenentes:
Intulit hìc homines, expulit indè feras.

XIX. *De Vereginis, villâ Burdegalensi.*

INTER opima ferax quà volvitur unda Garonnæ,
Vereginis ripis vernat amœnus ager.
Hìc brevis ascensus leni subit aggere clivum,
Carpit & obliquum colle viator iter.
Altior à planis arvis, minor eminet altis,
Nécve humilis nimiùm, nécve superbit apex.
Colle sedet medio domus ædificata decenter,
Cujus utrumque latus hinc jacet, indè tumet.
Machina celsa casu triplici suspenditur arcu,
Quo pelagi pictas currere credis aquas.
Exilit unda latens vivo generata metallo,
Dulcis & irriguo fonte perennis aquæ.
Quo super accumbens celebrat convivia pastor,
Inclusóque lacu pisce natante bibit.
Nunc renovanda venit Papæ mercede Leonti,
Quam dominus cultam temporà longa cupit.

XX. *De Pramiaco, villâ Burdegalensi.*

QUAMVIS instet iter, retrahárque volumine curæ,
Ad te pauca ferens carmina flecto viam.
Captus amore tui nunquam memoranda tacebo,
Te neque prætereo prætereundo locum.
Cui cùm digna loquar, si syllaba quarta recedat,
Præmiacum pollens præmia nomen habes.
Deliciis obsessus ager, viridantibus arvis,
Et naturalis gratia ruris inest.
Condita quò domus est, planus tumor exit in altum,
Nec satis elato vertice regnat apex.
Quà super incumbens locus est devexus in amnem,
Florea gemmato gramine prata virent.
Leniter appulsus quoties inflbilat Eurus,
Flexa supinatis fluctuat herba comis.
Hinc aliâ de parte seges flavescit aristis,
Pinguis & altricem palmes opacat humum.
Piscibus innumeris non deficit unda Garonnæ,
Et si desit agris, fruges abundat aquis.
Sed te quærebant hæc munera tanta, Leonti,
Solus defueras, qui bona plena dares.
Nam quòd pulcra domus, quòd grata lavacra nitescunt,
Consolidatorem te cecinere suum.
Attamen acquirant ut adhuc fabricanda decorem,
Temporibus longis hæc tua dona regas.

XXI. *De Ægicio flumine.*

LAUS tibi fortè minor fuerat, generosa Garonna,
Si non exiguas alter haberet aquas.
Lubricat hìc quoniam tenuato Ægicius haustu,
Profert divitias paupere fonte tuas.
Denique dissimilem si comparet ullus utrumque,
Hic ubi fit rivus, tu, puto, Nilus eris.
Te famulans intrat, hunc sed tua regna retinenant,
Gallicus Euphrates tu fluis, iste latet.
Nam quantum oceanum tumidis tu cursibus auges,
Tantum te lymphis excitat iste suis.
Torrida præsertim cùm terris incubat æstas,
Ac sitiente solo tristis anhelat ager.
Cùm Titan radiis ferventibus exarat arva,
Et calor ignifero vomere findit humum,
Languidus arentes fugiens vix explicat undas,
Et cum pisce suo palpitat ipse simul.
Flumine subducto vacuatas lambit arenas,
Sedibus in propriis exul oberrat aquis.
In limo migrante lacu consumitur amnis,
Terráque fit sterilis, quò fluit unda rapax.
Deficiunt usto solatia cuncta rigore,
Nomine cum proprio tristis & æger eget.
Fortè viator iter gradiens non invenit haustus:
Unde alios recreet qui sitit ipse sibi?
Se cupit infundi fluvius, si porrigis undas,
Si tamen est fluvius quem madefactat homo.
Gurgitis impressas labens rota signat habenas,
Atque refudantes orbita sistit aquas.
Si venias equitando diem sub tempore cancri,
Vix tamen insidens ungula mergit equi.
Vidimus exiguum de limo surgere piscem,
Qui renitente luto naufragus errat humo.
Nec fluvius, nec campus adest, nec terra, nec unda,
Piscibus inhabilem nullus arare potest.
Sola palude natans querulos dat rana susurros;
Piscibus exclusis advena regnat aquis.
At si fortè fluat tenuis de nubibus imber,
Vix pluit in terris, jam tumet iste minax.
Ingentes animos parvâ de nube resumit,
Fit subitò pelagus, qui fuit antè lacus.
Turbidus incedens undis eget ipse lavari,
Semper inæqualis, cui nihil aut satis est.
Non ripis contentus agit compendia cursûs,
Quod de monte bibit, per sata plena vomit.
Vertice torrenti rapitur quasi more tyranni,
Indignatus iter munera vastat agri.
Discurrit seges in fluvium, stat piscis in arvo:
Ordine perverso messe natante jacet.
Quæ fuerant ovibus, donantur pascua ranis,
Prata tenent pisces, & trahit unda pecus.
Obtinet expulsus stabulum sylvestre Silurus,
Plus capitur terris quàm modò piscis aquis.
Sarcula quos foderent agros, malè retia miscent,
Figitur hìc hamus, quò stetit antè palus.
Sors una est, pisci ficcent, aut flumina crescant:
Nunc residet limo, nunc jacet exul agro.
Sed cur triste diu loquimur de gurgite parvo?
Uritur & verbis, nec recreatur aquis.

Sufficit

Sufficiat flagrare sibi, cur addo vapores,
Atque bis æstivum crescere tempus ago?
Unica sed tandem damus hæc solatia laudis,
Quòd tribuit pisces evacuatus aquis.

LIBER SECUNDUS.

I. *De Nativitate Christi.*

AGNOSCAT omne seculum
Venisse vitæ præmium,
Post hostis asperi jugum
Apparuit redemptio.
Isaias quæ concinit,
Completa sunt in virgine.
Annunciavit angelus,
Sanctus replevit spiritus.
Maria ventre concipit
Verbi fidelis semina,
Quem totus orbis non capit
Portant puellæ viscera.
Radix Iessæ floruit,
Et virga fructus edidit,
Fœcunda partum protulit,
Et virgo mater permanet.
Præsepe poni pertulit
Qui lucis autor extitit,
Cum patre cœlos condidit,
Sub matre pannos induit.
Legem dedit qui seculo,
Cujus decem præcepta sunt,
Dignando factus est homo
Sub legis esse vinculo.
Adam vetus quod polluit,
Adam novus hoc abluit.
Tumens quod ille dejicit,
Humillimus hic erigit.
Jam nata lux est & salus,
Fugata nox & victa mors:
Venite gentes, credite,
Deum Maria protulit.

II. *De Passione Christi.*

VEXILLA regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
Confixa clavis viscera,
Tendens manus vestigia,
Redemptionis gratiâ
Hic immolatur hostia.
Qui vulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ,
Ut nos lavaret crimine,
Manavit unda sanguine.
Impleta sunt quæ concinit
David, fideli carmine,
Dicendo nationibus,
Regnabit à ligno deus.
Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpurâ,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Precium pependit seculi,
Statera facta est corporis,
Prædam tulitque tartari.
Aroma fundis cortice,
Vincis saporem nectaris,
Jucunda fructu fertili
Plaudis triumpho nobili.
Salve ara, salve victima,
De passionis gloriâ,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam reddidit.

III. *De cruce Domini.*

PANGE lingua gloriosi prælium certaminis,
Et super crucis trophæo dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.
De parentis protoplasti fraude factâ condolens,
Quando pomi noxialis morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret indè hostis unde læserat.
Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris natus, orbis conditor,
Atque ventre virginali carne factus prodiit.
Vagit infans inter arcta conditus præsepia,
Membra pannis involuta virgo mater alligat,
Et pedes, manúsque, crura, strictis cingit fascia.
Lustra sex qui jam peracta tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc, passioni deditus,
Agnus in crucis levatur immolandus stipite.
Hìc acetum, fel, arundo, sputa, clavi, lancea,
Mite corpus perforatur, sanguis, unda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus quo lavantur flumine.
Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis,
Nulla talem sylva profert fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulce signum, dulce pondus sustinet.
Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas,
Ut superni membra regis miti tendas stipite.
Sola digna tu fuisti ferre precium seculi,
Atque portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore.

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lavat.
Mitis amore pio pro nobis victima factus:
Traxit ab ore lupi qua sacer agnus oves.
Transfixis palmis ubi mundum à clade redemit,
Atque suo clausit funere mortis iter.
Hìc manus illa fuit clavis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.
Fertilitate potens ô dulce & nobile lignum,
Quando tuis ramis tam nova poma geris.
Cujus odore novo defuncta cadavera surgunt,
Et redeunt vitæ qui caruere die.
Nullum uret æstus sub frondibus arboris hujus:
Luna nec in noctem, Sol neque meridie.
Tu plantata micas, secus est ubi cursus aquarum,
Spargis & ornatus flore recente comas.
Appensa est vitis inter tua brachia, de qua
Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.

IV. *Item versus in honorem Sanctæ Crucis vel Oratorii domûs Ecclesiæ apud Turones.*

VIRTUS celsa Crucis totum ritè occupat orbem,
Hæc quando mundi perdita cuncta refert.
Quòdque ferus serpens infecit felle veneni,
Christi sanguis in hac dulce liquore lavat.
Quæque lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In cruce restituit Virginis agnus oves.
Tensus in his ramis cum plantis brachia pendens,
Ecclesiam stabilit pendulus ipse Cruce.
Hoc pius in ligno reparans deperdita pridem,
Quod vetiti ligni poma tulere boni.
Addita quinetiam virtutum flamma coruscat,
Dona quòd obsequiis crux parat ipsa suis.
Denique sanctæ cruci hæc templa Gregorius offert,
Dum pallas coperit, signa gerendo crucis.
Dona repentè dedit divina potentia Christus,
Mox fuit & voti causa secuta pii.
Pallia nam meruit, sunt quæ cruce textile pulchra,
Obsequiisque suis crux habet alma cruces.
Serica qua nivcis sunt agnava blattea telis,
Et textis crucibus magnificatur opus.
Sic citò Pontifici dedit hæc devota voluntas,
Atque dicata cruci conscia vela placent.
Unde salutifero signo tibi clare sacerdos,
Hoc cui complacuit, reddere magna valet.

V. *De Sancto Saturnino martyre.*

JANUA celsa poli terrâ pulsante patescit,
Et recipit natos, quos generavit humus.
Admiranda hæc est occasio facta salutis,
Ut de morte suâ præmia lucis emant.
Saturninus enim capiens se nectere Christo,
Carnali in habitu noluit esse diu.
Vincula corporei dissolvere carceris optans,
Plenius ut Domino se sociaret homo.

Tempore

Digitized by Google

Tempore maturo cùm jam ſpes eſſet adulta,
Sumpſerunt pretium vota beata ſuum.
Dúmque ſacerdotio frueretur in urbe Toloſâ,
Et populis Chriſtum panderet eſſe Deum:
Oſtendens verbis, addens miracula factis,
Ut quod ſermo daret conſequeretur opus.
Gentiles animas rapiens de fauce Tyranni,
Subdebat regi, qui dedit arma ſibi.
Sed vitiata malis, & pleba infecta venenis,
Curari effugiens, ægra jacere volens,
Comprendit malè ſana virum, ad capitolia duxit;
Atque ſuo medico vulnera plura dedit.
Pro pietate dolum, pro melle venena rependens,
Contra tutorem noxia bella movet.
Subligat indomiti Sanctum ad veſtigia tauri:
Et ſtimulat, fieret ne fuga tarda feri.
Peſſima mens hominum diri nova beſtia monſtri,
Nec tauri indomiti ſufficit ira tibi.
Naturæ rabidæ feritatem adjungere nôſti:
Quod per ſe neſcit, te ſtimulante furit.
Turba cruenta, nocens, hujus te vulnere perdis,
Et ſi non illi, parcere diſce tibi.
Hinc ferus impatiens mox curva per avia raptus
Paſſim membra pii fodit in urbe viri.
Tum mulier collegit ovans & condidit artus,
Una ſed famula participante ſibi.
Hæc fuit inſignis rapiendæ cauſa coronæ,
Gloria martyrii ſic celebranda nitet.
Ante ſepulcra pii dantur modò dona ſalutis,
Et corpus lacerum corpora multa fovet.
Dic ubi mors inimica jaces, ubi victa recumbis,
Quando vides Sancti funere vota dari?
Quæ malè credebas obitu finire ſalutem,
Dat vitam multis, & tenet ipſe ſuam.
Nunc captiva cubas quæ te regnare parabas,
Invadendo peris, téque furendo necas.
Te tua pœna premit, tua te fera vincula torquent,
Quos dare vis gemitus, ipſa ferendo gemis.
Martyr ovans cælos retinet, tu livida, triſtis
Mors, inimica tibi Tartara nigra colis.
Florigerâ nunc ſede manet ſinè fine beatus,
Inter odoratos thure calente choros.
Non aliquas metuit placato judice cauſas,
Præmia ſed miles victor habenda petit.
Digna triumphantem, quæ reſtat palma, ſequetur,
Pro te Chriſte mori, eſt gloria, vita, quies.

VI. *De Launebode duce, & Bertrude ejus conjuge; qui ædificaverant templum Sancti Saturnini.*

LAudibus humanis reliquorum corda reſultent,
At mihi de juſtis commemorare licet.
Nam pietatis opus victores texere libris,
Admonet ingenium res ratione duplex.
Una quòd eſt habilis de magnis magna fateri,
Nam bona qui reticet, criminis auctor erit.
Altera cauſa monet, quoniam ſuccenſus amore,
Et meliora cupit qui ſua facta legit.
Saturninus enim martyr venerabilis orbi,
Nec latet egrégii palma beata viri.
Qui cùm Romanâ properâſſet ab urbe Toloſam,
Et pia Chriſticolis ſemina ferret agris:
Tunc veſana cohors Domini comprendit amicum,
Inſtituítque pii membra terenda trahi.
Implicitus tauri pede poſteriore pependit,
Tractus in obliquum dilaceratus obit.
Hac ope de terris animam tranſmiſit Olympo:
O felix, cujus funere mors moritur.
Sed locus ille quidem quo Sanctus vincula ſumpſit,
Nullius templi fultus honore fuit:
Launebodes enim poſt ſæcula longa Ducatum
Dum gerit, inſtruxit culmina ſancta loci.
Quod nullus veniens Romanâ gente fabrivit,
Hoc vir barbaricâ prole peregit opus.
Conjuge cum propriâ Beretrude clara decore,
Pectore quæ blando clarior ipſa nitet.
Cui genus egregium fulget de ſtirpe potentum,
Addidit ornatum vir venerando Deum.
Quæ manibus propriis alimonia digna miniſtrat,
Pauperibus tribuens ſe ſatiare cupit.
Indefeſſa inopes Chriſti per templa requirit:
Jugiter excurrens ad pietatis opus.
Nudos veſte tegit, ſitienti pocula profert,
Se magis æterno fœmina fonte repletæ

Proficit hoc etiam, quicquid gerit illa marito:
Anxia pro cujus vota ſalute facit.
Dux meritis in gente ſuâ qui pollet opimis,
Celſus ubique micans nobilitatis ope.
Sed quamvis altum teneat de ſtirpe cacumen,
Moribus ipſe ſuos amplificavit avos.
Ergo pari voto maneant in ſæcula junctí,
Et micet ambobus conſolidatus amor.

VII. *Ad Clerum Pariſiacum.*

CÆtus honorifici decus & gradus ordinis ampli,
Quos colo corde, fide, religione, patres;
Jamdudum obliti defueto carmine plectri,
Cogitis antiquam me renovare lyram.
En ſtupidis digitis ſtimulâſtis tangere chordas,
Cùm mihi non ſolitù currat in arte manus.
Scabrida nunc reſonat mea lingua rubigine verba;
Exit & incompto raucus ab ore fragor.
Vix dabit in veteri ferrugine cotis acumen,
Aut fumo infecto ſplendet in ære color.
Sed quia dulcedo pulſans quaſi malleus inflat,
Et velut incudi cura reliſa terit.
Pectoris atque mei ſuccenditis igne caminum,
Unde miniſtratur cordis in arce vapor.
Obſequor hinc, quia me veluti fornace recocto,
Artis ad officium veſter adegit amor.

VIII. *Item in laudem Pariſiaci cleri.*

CElſa Pariſiaci cleri reverentia pollens,
Eccleſiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Davidico divina poëmata pangens,
Curſibus aſſiduis dulce revolvis opus.
Indè Sacerdotes, leviticus hinc micat ordo:
Illos canities, hos ſtola pulcra tegit.
Illis pallor ineſt, rubor his in vultibus errat,
Et candent rutilis lilia mixta roſis.
Illi jam ſenio, ſed & hi bene veſtibus albent,
Vt placeat ſummo picta corona Deo,
In medio Germanus adeſt antiſtes honore,
Qui regit hinc juvenes, ſubregit indè ſenes.
Levitæ præeunt, ſequitur gravis ordo ducatum,
Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ipſe tamen ſenſim incedit velut alter Aaron,
Non de veſte nitens, ſed pietate placens.
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byſſus,
Exornant humeros, ſed micat alma fides.
Iſte ſatis melior veteri quàm lege Sacerdos,
Hic quia vera colit quod prius umbra fuit.
Magna futura putans, præſentia cuncta refellens,
Antea carne carens, quàm caro fine ruens.
Sollicitus quenquam ne devoret ira luporum,
Colligit ad caulas paſtor opimus oves.
Aſſiduis meritis ad paſcua ſalſa vocatus,
Grex vocem agnoſcens currit amore ſequax.
Miles ad arma celer ſignum mox tinnit in aures,
Erigit excuſſo membra ſopore thoro.
Advolat ante alios myſteria ſacra requirens,
Undique quiſque ſuo templa petenda loco.
Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnis,
Certatímque monent quis prior ire valet.
Pervigiles noctes ad prima crepuſcula jungens,
Conſtruit Angelicos turba verenda choros.
Greſſibus exertis in opus venerabile conſtans,
Vim factura polo cantibus arma movet.
Stamina pſalterii lyrico modulamine texens,
Verſibus orditum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis:
Indè ſenex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibúſque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iſte trahit modulos, rapit alacer ille,
Sexûs & ætatis ſic variatur opus.
Triticeas fruges fervens terit area Chriſti,
Horrea quandoquidem conſtruitura Dei.
Voce creatoris reminiſcens eſſe beatos,
Quos Dominus vigilans, dum redit ipſe, videt.
In quorum meritis, animo, virtute, fidéque,
Tegmine corporeo lumina quanta latent?
Pontificis monitis clerus, plebs, ptallit & infans
Unde labore brevi fruge replendus erit.
Sub duce Germano felix exercitus hic eſt,
Moyſes tende manus, at tua caſtra juves.

De

IX. *De Situ Parisiacensis Ecclesiæ.*

SI Salomoniaci memoretur machina templi,
Arte licèt par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcunque illìc veteris velamine legis
Claula fuere priùs, hìc reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,
Clariùs hic Christi sanguine tinctâ nitet.
Illam aurum, lapides, ornârunt ligna cedrina,
Huic venerabilior de cruce fulget honor.
Constitit illa vetus ruituro structa talento:
Hæc pretio Mundi stat solidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia major inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris,
Artificisque manu claudit in arce diem.
Cursibus Auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque suis radiis hic sinè Sole micat.
Hæc pius egregio Rex Childebertus amore,
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu divini cultûs adhærens,
Ecclesiæ juges amplificavit opes.
Melchisedech noster meritò Rex atque Sacerdos,
Complevit laicus religionis opus.
Publica jura regens, & celsa palatia servans,
Unica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illìc meritorum vivit honore,
Hic quoque gestorum laude perennis erit.

X. *De Ecclesiâ Moguntiæ civitatis.*

ARdua sacrati baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adæ Christus in amne lavat.
Hic pastore Deo puris grex mergitur undis,
Ne maculata diu vellera gestet ovis.
Traxit origo necem de semine, sed pater orbis
Purgavit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen antistes Sidonius extulit arcem,
Qui Domini cultum templa novando fovet.
Struxit Berthoaræ voto complente Sacerdos,
Quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor pietate coruscans,
Templorum cultrix prodiga pauperibus.
Seminat unde metat fruges spargendo recondens:
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna patri te Theodeberte reformans,
Rexisti patriam qui pietate patris.
Et comitante fide revocâsti ex hoste triumphos,
Sed capti pretio mox rediere tuo.
Ecclesiæ fultor, laus Regum, pastor egentum,
Cura Sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cujus dulce jugum nullus gemuisse fatetur,
Vivis adhuc meritis Rex in amore tuis.

XI. *De Basilicâ Sancti Georgii martyris, quam ædificavit Sidonius Archiepiscopus Moguntinus.*

MArtyris egregiis pollens micat aula Georgi,
Cujus in hunc mundum spargitur altus honor,
Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis,
Confessus Christum duxit ad astra caput.
Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,
Ecce sub Occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces & reddere vota viator,
Obtinet hic meritis quod petit alma fides.
Condidit antistes Sidonius ista decenter,
Proficiant animæ quæ nova templa suæ.

XII. *De Oratorio à Trasaico constructo.*

LUcida perspicui nituerant limina templi,
Quo capit haud dubiam spem veneranda fides.
Hæc est aula Petri, cælos qui clave catenat,
Subsitit & pelagus quo gradiente lapis.
Sedibus his habitat Paulus tuba Gentibus una:
Et qui prædo priùs, hic modò præco manet.
Martini domus est Christum qui vestit egentem,
Regem tyro tegens, atque homo jure Deum.
Ecce Sacerdotis sacri micat aula Remigi
Qui tenebras mundi liquit & astra tenet.
Cultor opime Dei templum Trasaice locâsti,
Has cui persolvis, reddit amator opes.

XIII. *De Sanctis Agaunensibus.*

TUrbine sub mundi cùm persequerentur iniqui,
Christicolásque daret sæva procella neci;
Frigore depulso succendens corda peregit,
Rupibus in gelidis fervida bella fides.
Quo pie Maurici doctor legionis opimæ,
Traxisti fortes subdere colla viros.
Queis positis gladiis sunt arma è dogmate Pauli,
Nomine pro Christi dulcius esse mori.
Pectore belligero poterant qui vincere ferro,
Invitant jugulis vulnera chara suis.
Hortantes se cæde suâ sic ire sub astra,
Alter in alterius cæde natavit heros.
Adjuvit rapidas Rhodani fons sanguinis undas,
Tinxit & Alpinas ira cruenta nives.
Tali fine polos felix exercitus intrans,
Junctus Apostolicis plaudit honore choris.
Cingitur Angelico virtus trabeata senatu,
Mors fuit unde priùs, lux fovet indè viros.
Ecce triumphantum ductor fortissime tecum,
Quatuor hìc procerum pignora sancta jacent.
Sub luteo tumulo latitat cæleste talentum,
Divitiásque Dei vilis arena tegit.
Qui faciunt sacrum paradisi crescere censum,
Hæredes Domini luce perenne dati.
Sydereo chorus iste throno cum carne locandus,
Cùm veniet judex, arbiter orbis erit.
Sic pia turba simul festinans cernere Christum,
Ut cælos peteret, de nece fecit iter.
Fortunatus enim per fulgida dona Tonantis,
Ne tenebris crucier, quæso feratis opem.

XIV. *De Sancto Hilario Pictavorum Episcopo.*

SI Hilarium quæris qui sit cognoscere, lector;
Allobroges referunt Pictaviis genitum.
Cùm populum regeret divinâ mente Sacerdos,
Servabat legis fœdera sollicitus.
Improbus ut vidit plebes quòd scinderet error,
Gæcorum virus protulit in medium.
Vipereo promunt semper qui ex corde venena,
Filius ut dicant est creatura Dei.
Queis magìs auxilium præstat sapientia mundi,
De ingenito genitum quæ negat esse Deum.
Quam malè complexus cupiens calcare prophetas,
Arius infelix cùm retinet, crepuit.
Egregius Doctor veterum monimenta sequutus,
Quem Stephanus vidit, comprobat esse Deum.
Victus amore Dei, contempto principe mundi,
Intemeratâ fide pertulit exilium.
In Patre quisque potens Deus est cognoscere natum,
Divinis tantùm vocibus insinuat.
Perpetuum lumen Christum Dominúmque Deúmque
Bissenis populos edocet esse libris.
Lux sincera animi semper mihi dulcis Hilari,
Quamvis absentem quem mea causa videt.
Cujus honestus amor tantum mea corda replevit,
Ut sinè te nunquam mente vacante loquar.

XV. *De Sancto Medardo Episcopo.*

INter Christicolas quos actio vexit in astra,
Pars tibi pro meritis magna, Medarde, patet.
Qui sic vixisti terrenis hospes in oris
Ut cælos patriam redderes esse tuam.
Exilium tibi mundus erat, cænosa caventi,
Et modò te gaudet cive manente polus.
Exutus tenebris, vestitus tegmine lucis,
Post obitum frueris liberiore die.
De tellure satus factus possessor Olympi,
Et matrem linquens cùm patre læta tenes.
Humani victor vitii super astra triumphas,
Atque cremans carnem das animæ requiem.
Te inter mundanos vepres gradiente, fatemur
Calcatis spinis promeruisse rosas.
Flore refertus ager suaves tibi fundit odores,
Balsama, thura replent, quæ paradisus habet.
Cauta per angustum figens vestigia callem:
Sic dedit arcta tibi semita lucis iter.
Lata voluptatum via quæ submergit Averno,
Dulcia carnis alens mortis amara parat.
Hoc nunquam sacros flexisti tramite gressus;
Nec potuere tuos prava tenere pedes.
Durum iter ad laudes, gravior via ducit in altum,
Quo labor est potior, gloria major erit.
Quæ priùs incipiam sacri miracula facti,
Cùm quicquid facias, omnis prima micent.
Dum fugit ad superos humano in corpore vita,
Ex oculis fugiens lux tibi cordi erat.

Digitized by

Si cæcus venit, rapuit palpando salutem,
In mediis tenebris fulsit aperta dies.
Qui voluit furti causas penetrare latenteis,
Te religante sedet, te referante fugit.
Fur sinè perfecto voto deceptus inani,
Omnia restituens, crimina fraudis habet.
Nam semel ut molles carpserunt palmitis uvas,
Non valuere gradus indè referre foras.
Nec potuit raptor pedibus subducere prædam,
Raptori abduxit sed sua præda pedes.
Ecce suis laqueis cœpit miser esse ligatus:
Venerat ut caperet, captus at ipse fuit.
Nec tetigit mustum, sed iniquâ mente rotatur,
Antea quàm biberet, ebria turba jacet.
Incepit servare magis quàm ferre racemos:
Et datos est cultos, qui cupit esse rapax:
Donec, Sancte tuis verbis jussisses abire,
Ut fructum impleret, doctus ab hoste redit.
Quæ manet hæc animi pietas, Sanctissime præsul,
Lædentem auxilio qui facis ire tuo?
Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille
Qui jumentorum colla tenere solet.
Absconditque sinu, fœno præcludit hiatum,
Et tenet ipse manu, ne manifestet opus.
Te veniente Sacer, causas patefecit apertas,
Tinnitu incipiens jam quasi furta loqui.
Nil valet abscondi, nil claudi, nilve teneri,
Facundo strepitu prodidit omne malum.
Pandebat propriam veluti sub judice causam,
Nil de fure timens liberiore sono.
Judicat, accusat, convincit, damnat, acerbat,
Te præsente tamen non licet esse reum.
Absolvis furem solitæ pietatis amore,
Addens & monitis, cautus ut intret iter.
Præcipiens querulam secum portare rapinam,
Ne vacuâ tristis spe remearet inops.
Hinc tamen, ut potero, cùm raptus ab orbe fuisses,
Quæ dederis populis signa verenda loquar.
Cùm pia composito veherentur membra feretro,
Subtractam meruit cæcus habere diem.
Anxius ille sacrâ lumen suscepit ab umbrâ,
Et tua mors illi lucis origo fuit.
Dúmque sepulcra darent, oculi rediere sepulti,
Et sopor ille tuus hunc vigilare facit.
Cùm fugis à mundo, datur illi lumine mundus,
Te linquente dies, hunc fugiunt tenebræ.
Antiqui vultus lucem stupuere modernam,
Et veteri fabricæ prima fenestra venit.
Compedibus validis alter manicisque ligatus:
Ut tetigit templum, ferrea vincla cadunt.
Tam grave fragmentum dolor est vel cernere pœnam,
Pondera tot miseros sustinuisse pedes.
Si connexa forent, elephantem solvere possent,
Nec poterat rigidos ipse movere gradus.
Non minus est illi, cui subvertente procellâ,
Littoribus Libycis anchora fracta jacet.
Pœna quidem gravior cecidit crescente triumpho,
Vincere rem sævam gloria major erat.
Non habuit tot vincla pati miser ille ligatus,
Sed tua quo virtus plus mereretur opus.
Cùm solidarentur, non sic strepuere catenæ,
Ceu tinniverunt, cùm crepuere feræ.
Quæ fuit illa priùs nimiis malè vincta catenis,
Jam tibi qui solvis libera dextra favet.
Ligneа vincla gerens alter confugit ad aulam,
Quæ simili merito scissa repentè cadunt.
Nec mora: vix tetigit sacrati limina templi,
Fit tonitrus cœlis arma ferendo tibi.
Grandia divisi ceciderunt pondera ligni,
Et qui gessit onus, corruit ipse simul.
Expavit subitò de libertate receptâ,
Atque magis timuit, quando solutus erat.
Quæ ratio fuerit, cecidit cur pronus in arvis,
Gaudia magna quidem sæpe timere solent.
Dum stupet unde salus lacteris est reddita plantis,
Admirante animo membra soluta fluunt.
Indè vetus mulier pariter nascente periclo,
Vulnere naturæ mortua membra tulit.
Inclusos digitos morbo numerante tenebat:
Nec poterat ducto pollice fila dare.
Secum nata quidem, sed non sua dextra pependit,
Corpore juncta suo res aliena fuit.
Tempore sed tardo cùm jam spes fracta jaceret,
Antè tuum tumulum vivificata manus.
Sic inopinatum commendat gratia votum:
Desperata salus dulcior esse solet.
Mobilis ergo venit digitis torpentibus humor,
Et dispensatus fluxit in nugue vigor.
Arida nervorum sese junctura tetendit,
Agnovitque suum vena soluta locum.
Apta ministeriis incœpit palma moveri,
Servitium discens libera dextra fuit.
Nec tantùm profugos pietas tua reddidit artus,
Reddidit & victum pensa trahente manu.
Eripuisti aliam simili de peste puellam,
Membráque restituens plus animæ tribuis.
Desponsata viro mortali lege jacebat,
Nunc thalamis Christi virgo dicata micat.
Sponsa quidem radiat cum virginitate modestâ,
Spe meliore fruens nupta tenenda polis.
Nec fructus uteri sterilis deperdit honesti,
Flore pudicitiæ mater habenda placet.
Adquirit cunctos, natum quæ non habet unum,
Progeniémque sibi gignit amore Dei.
Indè pari morbo defienda infantia parva,
In lucem veniens membra necata trahit.
Mors & origo simul miserâ processit ab alvo,
Extinctam generans mater anhela manum.
Commendata tuo rediit medicata sepulcro
Quod de matre perit, de tumulo recipit.
Dum jacet alter inops visu caligine clauso
Cæcus, nec misero lumine lumen erat.
Longáque nox oculos quarto jam mense premebat,
In lucem obscurus, vivus imago necis.
Vocibus hunc medicis monuisti tempore somni,
Tenderet ut velox ad tua templa gradum:
Mox veniente die, sed non sibi forfice pressâ,
Enituit Christi vertice tonsus ovis.
Detrahit hic crines, nitidos ut haberet ocellos,
Et mercante comâ munera lucis emat.
Qui titubante gradu tractus pervenit ad aulam
Per biduum recubans antè sepulcra fuit.
Tertia lux rediens nocturnas solverat umbras,
Et cæco occurrit sic revocata dies.
Undique finitæ cecidere à fronte tenebræ,
Sanguinis unda rigat, luminis atra lavat.
Sicca lucerna novo flagrante refulsit olivo,
Obtinuitque suum lux peregrina locum.
Quid referam mutis qui verbo verba dedisti,
Quod gravat ejiciens, quod juvat omne locans.
Cuncta nec è numero tua me præconia vincunt,
Et si non potui, velle fuisse, vide.
En tua templa colit nimio Sigebertus amore,
Insistens operi promptus amore tui.
Culmina custodi qui templum in culmina duxit,
Protege pro meritis qui tibi tecta dedit.
Hæc pia pauca ferens ego Fortunatus amore,
Auxilium posco; da mihi vota precor.

LIBER TERTIUS.

I. *Versus in laudem Euphronii Episcopi compositi.*

QUAMVIS pigra mihi jaceat sinè fomite lingua,
Nec valeam digitis reddere digna viris:
Attamen, alme pater, Christi venerande Sacerdos,
Euphroni cupio solvere parva tibi.
Debeo multa quidem, sed suscipe pauca libenter,
Sit veniale precor, quod tuus edit amor.
Ecclesiæ lampas sub te radiante coruscat,
Lumine Pontificis fulget ubique fides.
Gratia præcellens sincero in pectore vernat,
Quo nullus dolus est Israëlita vir es.
Immaculata tibi feliciter actio currit,
Ut penetres cœlos hæc via pandit itet.
Dulcia colloquii sinè fuco dicta refundis,
Non sic mella mihi, quàm tua verba placent.
Quicquid habet sensus, hoc lingua serena relaxat,
Pectore sub vestro fraus loca nulla tenet.
Qui sinè felle manes in simplicitate columbæ,
Nec serpens in te dira venena fovet.
Advena si veniet, patriam tu reddis amatam,
Et per te proprias hic habet exul opes.
Si quis iniqua gemit, tristis hinc nemo recedit,
Sed lacrymas removens lætificare facis.

Martinus meritis hæc vos in sede locavit,
Dignus eras hæres, qui sua jussa colis.
Ille tenet cælum largo dans omnia voto,
Junctus eris Christo hunc imitando virum.
Non perit hìc vestrum qui grex ad ovile recurrit,
Candida nec spinis vellera perdit ovis.
Non lupus ore rapit prædam pastore vigente,
Sed fugit exclusus non lacerando greges.
Hæc tibi lux maneat longos, venerande, per annos,
Atque futura dies lucidiora ferat.

II. *Ad Felicem Episcopum Ecclesiæ Nannetica.*

SI veniant linguæ pariter Græca atque Latina,
Pro meritis nequeunt solvere cuncta tuis.
Laudibus obsessus, votis venerandus haberis,
Felix qui sensûs luce perennis eris.

III. *Item ad eundem Felicem, ex suo nomine.*

FIda salus patriæ, Felix spe, nomine, corde,
Ordo sacerdotum quo radiante micat.
Restituis terris, quod publica jura petebant,
Temporibus nostris gaudia prisca ferens.
Vox procerum, lumen generis, defensio plebis,
Naufragium prohibes hìc, ubi portus ades.
Auctor Apostolicus, qui jura Britannica vincens,
Tutus in adversis spe crucis arma fugas.
Vive decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor Pontificum, noster & orbis amor.

IV. *Item ad Felicem Episcopum: De dedicatione Ecclesiæ suæ.*

CUM Salomon coleret generosi encænia templi,
Israëliticos fecit adesse viros.
Levitas, proceres, pueros, juvenésque senésque,
Undique certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli, tauri jugulantur ad aras,
Et populi in votis gaudia cædis erant.
Nunc vero affurgit ritu placitura beato,
Tempore decurso justior ara Deo.
Prospera quæ populis Felix modò festa ministrans,
Exuperat rebus gesta priora novis.
Convocat egregios sacra ad solemnia patres,
Quo stat vera salus, & fugit umbra vetus.
Docti clave Petri cælos aperire potenti,
Ac monitis Pauli noscere clausa poli.
Ne lupus intret oves, ne morbus vulneret agnos,
Hinc sunt custodes, indè medela gregis.
Quorum vox refluens populo de fonte salutis,
Ut bibat aure fidem, porrigit ore salem.
Inter quos medios Martini sede Sacerdos,
Euphronius fulget metropolita sacer.
Plaudens in sanctâ fratrum coëunte coronâ,
Et sua membra videns fortior extat apex.
Lætius indè caput, quia sunt sua viscera secum,
Ecclesiæ juncto corpore crescit honor.
Domitianus, item Victorius, ambo columnæ,
Spes in utrisque manens pro regionis ope.
Domnulus hìc fulget meritis, Maracharius indè,
Jure sacerdotii cultor uterque Dei.
Inspectata diu data nunc memoranda per ævum,
Votis plena pìis fulget in orbe dies:
In qua promeruit sua gaudia cernere pastor,
Officióque sacro reddere vota Deo.
Tempore qui longo adventu pendebat in isto,
Despiciens aliud, hoc erat omnis amor.
Omnia tuta timens suspecto in tramite vitæ,
Ne priùs iret iter, quam daret ista Deo.
Sæpius occultans suspiria lassa trahebat,
Cederet ut Dominus hoc properare decus.
Anxius incerto curarum fasce laborans,
Dum votum expectat, pondera tempus erant.
Sed jam festus adest, solvatur sarcina curæ,
Lætitiæ cumulus triste repellat onus.
Prospera dans populis & gaudia larga per urbem,
Felix felici cum grege pastor age.
Hinc te Pontifices circundant, indè ministri.
Cingit te totum hinc honor, indè favor.
Clericus ecce choris, resonat plebs indè choraulis.
Quisque tuum votum, qua valet, arte canit.
Tarda fuere tibi, quia fit mora semper amanti,
Res sublimis enim tarda, sed ampla venit.
Nunc Domini laudes inter tua classica canta,
Et Deitatis opem machina trina sonet.
Adde medullata in templis holocausta sacerdos,
Quo diuturna mices hostia pura Deo.

V. *In honorem Apostolorum Petri & Pauli, quorum reliquiæ continentur in Nannetica Ecclesiâ.*

SIderei montis speciosa cacumina Sion,
A Libano gemini flore comante cedri.
Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Hunc per corda hominum referantur, & astra per illum,
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo:
Pandit iter cæli hìc dogmate, clavibus alter;
Est via cui Paulus, janua fida Petrus.
Hìc petra firma manens, ille architectus habetur:
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
Uno fonte pares medicata fluenta rigantes,
Restinguunt avidam dulce liquore sitim.
Fortia bella gerens quisquis cupit astra tenere,
Rex dedit hos proceres militis esse duces.
Gallia plaude libens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus visitat Allobroges.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres urbs caput orbis habet.
Hi radiant oculi pretioso in corpore Christi,
Lumine qui proprio cætera membra regunt.
Munere Felicis cæli cape Gallia fruges,
Pontificisque tui vota beata cole.
Cujus castus amor dedit hanc in honore superno
Ecclesiæ nuptæ dote perenne domum.
Vertice sublimi patet aulæ forma triformis,
Nomine Apostolico sanctificata Deo.
Quantum inter Sanctos meritum supereminet illis,
Celsius hæc tantum culmina culmen habent.
In medium turritus apex super ardua tendit,
Quadratúmque levans crista rotundat opus.
Altiùs ut stupeas arce ascendente per arcus,
Instar montis agens ædis acumen habet.
Illìc expositos fucis animantibus artus,
Vivere picturas arte refiante putes.
Sol vagus ut dederit per stagnea tecta colorem,
Lactea lux resilit, cùm rubor indè ferit.
Ire redire vides radio crispante figuras,
Atque lacunar agit, quod maris unda solet.
Fulgorem astrorum meditantur tecta metallo,
Et splendore suo culmina sydus habent.
Luna coronato quotiens radiaverit ortu,
Alterum ab æde sacrâ surgit ad astra jubar.
Si nocte inspiciat hanc prætereundo viator,
Et terram stellas credet habere suas.
Tota rapit radios patulis oculata fenestris,
Et quod miretis hic foris, intus habes.
Tempore quo redeunt tenebræ, mihi dicere fas sit,
Mundus habet noctem, detinet aula diem.
Dextera pars templi meritis præfulget Hilarî,
Compare Martino consociante gradu.
Gallia sic proprios diffundit ubique patronos,
Quos hìc terra tegit, lumina mundus habet.
Altera Ferreoli pars est qui vulnere ferri,
Munere martyrii gemma superba nitet.
Obtulit hæc Felix, ut sit magìs ipse Sacerdos,
Christe tuum templum, qui tibi templa dedit.

VI. *In laudem Felicis Episcopi.*

LUxit festiva dies, me gaudia cogunt,
Ut quod plebs poterat, solus amore loquar.
Ultima sit quamvis regio Armoricus in orbe,
Felicis merito cernitur esse prior.
Miserunt similes Oriens & Gallia sortes:
Illa micat radiis Solis, & ista tuis.
Nam splendore novo sua munera quisque ministrat,
Tu fers Oceano lumen, & ille Rubro.
Denique si sensus claro pro lampade fulget,
Ingenium vestrum luminis instar habet.
Maxima progenies titulis ornata vetustis,
Cujus & à proavis gloria celsa tonat.
Nam quicumque potens Aquitanica rura subegit,
Extitit ille tuo sanguine, luce, parens.
Germinis antiqui venerabile culmen in orbe,
Laudibus in cujus militat omne decus.
Flos generis, tutor patriæ, correctio plebis,
Eloquii flumen, fons salis, unda loquax:

Semina

Semina doctrinæ, jus-cauſæ. terminus iræ,
Cujus in ingenium hæc nova Roma venit.
Illic quod poterat perplures illa docere,
Te contenta ſuo Gallia cive placet.
Ornamenta geris gemino fulgentia dono,
Et te concelebrant hinc opus, indè genus.
Sed qui terrenâ de nobilitate nitebas,
Eccleſiam nunc ſpe nobiliore regis.
Cujus ad ornatum bene cultor jugiter inſtans,
Ut jam multa Deo ſplendida dona dares.
Nupſiſti Eccleſiæ, felicia vota jugâſti,
Hanc qui matronam te potiente reples.
Cujus in amplexu ducis ſinè crimine vitam,
Altera nec mulier corde recepta fuit.
Hanc oculis, animo retines & corde pudico,
Unde tibi nuptæ, caſtior indè manet.
Illa tibi prolem peperit, ſed corpore virgo,
Et populum gremio fudit amata tuo.
Ecce tuos natos divinâ ex conjuge ſumptos,
Et modò te gaudent, quos patris umbra tegit.
Próque ſalute gregis paſtor per compita curris,
Excluſóque lupo tuta tenetur ovis.
Inſidiatores removes vigil arte Britannos,
Nullius arma valent, quod tua lingua facit.
Tu quoque jejunis cibus es, tu panis egenti,
Quæ ſibi quiſque cupit, hîc ſua vota videt.
Divitias proprias in pauperis ore recondis,
Largus mendici ventre reponis opes.
Tempore quo veniet Chriſtus, tunc omnia vobis,
Judicis in facie ſæculus iſte refert.
Sic tibi fixa ſalus numeroſos ampla per annos,
Perpetuo felix nomine, mente, fide.

VII. *Hymnus de Reſurrectione Domini, ad Felicem Epiſcopum.*

SALVE feſta dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediſſe ſuo.
Tempora florigero rutilant diſtincta ſereno,
Et majore poli lumine porta patet.
Altiùs ignivomum ſolem cæli orbita ducit,
Qui vagus Oceanas exit & intrat aquas.
Armatus radiis elementa liquentia luſtrans,
Adhuc nocte brevi tendit in orbe diem.
Splendida ſincerum producunt æthera vultum,
Lætitiámque ſuam ſydera clara probant.
Terra favens vario fundit munuſcula fœtu;
Cùm bene vernales reddidit annus opes.
Mollia purpureum pingunt violaria campum,
Prata virent herbis, & micat herba comis.
Paulatim ſubeunt ſtillantia lumina florum,
Arridéntque oculis gramina tincta ſuis.
Semine depoſito lætans ſeges exilit arvis,
Spondens agricolæ vincere poſſe famem.
Caudice deſecto lacrymat ſua gaudia palmes,
Unde merum tribuat, dat modò vitis aquam.
Cortice de matris tenerâ languine ſurgens,
Præparat ad partum turgida gemma ſinum.
Tempore ſub hyemis foliorum crine revulſo,
Jam reparat viridans frondea tecta nemus.
Myrta, ſalix, abies, corylus, ſiler, ulmus, acernus,
Plaudit quæque ſuis arbor amœna comis.
Conſtructura favos apis hinc alvearia linquens,
Floribus increpitans poplite mella rapit.
Ad cantum revocatur avis, quæ carmine clauſo,
Pigrior hyberno frigore muta fuit.
Hinc Philomela ſuis attemperat organa cannis,
Fitque repercuſſo dulcior aura melo.
Ecce renaſcentis teſtatur gratior mundi,
Omnia cum Domino vota rediſſe ſuo.
Namque triumphanti poſt triſtia Tartara Chriſto,
Undique fronde nemus, gramina flore favent.
Legibus inferni oppreſſis ſuper aſtra meantem,
Laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum.
Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat,
Dántque creatori cuncta creata precem.
Nobilitas anni, menſium decus, alma dierum,
Horarum ſplendor, ſcrupula cuncta fovens.
Hinc tibi ſylva comis plaudit, hinc campus ariſtis,
Hinc grates tacito palmite vitis agit.
Sic tibi nunc avium reſonat virgulta ſuſurro,
Has inter minimus paſſer amore cano.

Chriſte ſalus rerum, bone conditor atque redemptor,
Unica progenies ex Deitate patris.
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
Verbum ſubſiſtens, & penetrare potens.
Æqualis, concors, ſocius cum patre cœvus,
Quo ſumplit mundus principe principium.
Æthera ſuſpendis, ſola conteris, æquora fundis,
Quæque locis habitant, quo moderante vigent.
Qui genus humanum cernens merſum eſſe profundo,
Ut hominem eriperes, es quoque factus homo.
Nec voluiſti etenim tantùm te corpore naſci,
Sed caro quæ naſci pertulit, atque mori.
Funeris exequias pateris vitæ auctor & orbis,
Intras mortis iter dando ſalutis opem.
Triſtia ceſſerunt infernæ vincula legis,
Expaviſque Chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Chriſti fulgore fugatæ,
Et terris noctis pallia craſſa cadunt.
Pollicitam ſed redde fidem precor alma poteſtas,
Tertia lux rediit, ſurge ſepulte meus.
Non decet ut humili tumulo tua membra tegantur,
Neu pretium mundi vilia ſaxa premant.
Indignum eſt cujus claudantur cuncta pugillo,
Ut tegat incluſum rupe vetante lapis.
Lintea tolle precor, ſudaria linque ſepulcro,
Tu ſatis es nobis, & ſinè te nihil eſt.
Solve catenatas inferni carceris umbras,
Et revoca ſurſum quicquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, videant ut ſæcula lumen,
Redde diem qui nos te moriente fugit.
Sed planè impleſti remeans pie victor ad orbem,
Tartara preſſa jacent, nec ſua jura tenent.
Inferus inſaturabiliter cava guttura pandens,
Qui rapuit ſemper ſit tua præda, Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et ſequitur liber quo ſuus auctor adit.
Evomit abſorptam trepidam fera bellua prædam,
Et de fauce lupi ſubtrahit agnus oves.
Hinc tumulum repetens poſt tartara carne reſumptâ,
Belliger ad cælos ampla trophæa refers.
Quos habuit pœnale Chaos, jam reddidit in te,
Et quos mors peteret, hos nova vita tenet.
Rex ſacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cùm puras animas ſancta lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niveo gaudia paſtor habet.
Additur hæc Felix contora mercede ſacerdos,
Qui dare vult Domino dupla talenta ſuo.
Ad meliora trahens gentili errore vagantes,
Beſtia ne raperet, munit ovile Dei.
Quos priùs Eva nocens infecerat, hos modò reddit,
Eccleſiæ paſtos ubere, lacte, ſinu.
Mitibus alloquiis aggreſtia corda colendo,
Munere Felicis de vepre nata ſeges.
Aſpera gens ſaxo, vivens quaſi more ferino,
Te medicante, Sacer, bellua reddit ovem.
Centeno reditum tecum manſura per ævum,
Meſſis abundantis horrea fruge reples.
Immaculata tuis plebs hæc vectetur in ulnis,
Atque Deo purum pignus ad aſtra feras.
Una corona tibi de te tribuatur ab alto,
Altera de populo vernet adepta tuo.

VIII. *Ad Felicem Epiſcopum, cùm alibi deterqueret fluvium.*

CEdant antiqui quicquid meminere Poëtæ,
Vincuntur rebus facta vetuſta novis.
Includi fluvios ſi tunc ſpectâſſet Homerus,
Indè ſuum potiùs dulce repleſſet opus.
Cuncti Felicem legerent modò, nullus Achillem,
Nomine ſub cujus creſceret artis honor.
Qui probus ingenio mutans meliore rotatu,
Currere priſca facis flumina lege novâ,
Aggere compoſito removens in gurgite lapſum,
Quò natura negat, cogis abire viam.
Erigis hìc vallem, ſubdens ad concava montem,
Et vice converſâ hæc tumet, ille jacet.
Alter in alterius migravit imagine formam,
Mons in valle ſedet, vallis ad alta ſubit.
Quò fuit unda fugax, crevit pigro obice terra,
Et quò prora priùs, huc modò plauſtra ueant.

Collibus adverſis flexas ſuper invehis undas,
Et fluvium docilem monte vetante trahis.
Quà rapidus flueret, veniens celer amnis adhæſit,
Et ſubitò, nato colle, retorſit iter.
Quæ priùs in præceps, veluti ſinè fruge, rigabant,
Ad victum plebis nunc famulantur aquæ.
Altera de fluvio metitur ſeges orta virorum,
Cùm per te populo parturit unda cibum.
Qualiter incertos hominum ſcis flectere motus,
Qui rapidos fontes ad tua fræna regis.
Stet ſinè labe tibi, Felix, pia vita per ævum,
Cujus ad imperium tranſtulit unda locum.

IX. *Ad Nicetium Trevirenſem Epiſcopum.*

SPlendor apex fidei venerabile mente Niceti,
Totius orbis amor, Pontificúmque caput.
Summus Apoſtolico præcellens paſtor ovili,
Auxiſti meritis quicquid honoris habes.
Divino inſiſtens operi terrena relinquis,
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, ſed non brevis illa beatis:
Cùm bona non pereant, jure perennis eris.
Dum tibi reſtrictus maneas & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare crede Deo.
Captivus quicunque redit ſua lumina cernens,
Ille lares patrios, tu capis indè polos.
Hìc habet exul opem, jejunans invenit eſcas:
Qui venit eſuriens, hìc ſatiatus abit.
Triſtibus imponis curas purganda querelas,
Et ſanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lacrymas deſiccas gaudia præſtans,
Qui priùs ingemuit, vota ſalutis habet.
Te paſcente greges nunquam lupus abripit agnos,
Sunt bene ſecuri, quos tua caula tegit.
Templa vetuſta Dei revocâſti in culmine priſco,
Et floret ſenior te reparante domus.
Hìc populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas paſtor, ne lacerentur oves.

X. *Ad ipſum Nicetium: De caſtro ſuper Muſellâ fluvio ſito.*

MOns in præcipiti ſuſpenſâ mole tùmeſcit,
Et levat excelſum ſaxea ripa caput.
Rupibus expoſitis intonſâ cacumina tollit,
Totus & elato vertice regnat apex.
Proficiunt colli, quæ vallibus arva recedunt,
Undique terra minor vergit & iſte ſubit.
Quem Muſella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit,
Concertántque ſuo paſcere piſce locum.
Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges,
Hæc tibi parturiunt Mediolane dapes.
Quantum creſcit aquis, piſces viciniùs offert,
Exhibet hinc epulas, indè rapina venit.
Cernit frugiferos congaudens incola ſulcos,
Vota ferens ſegeti fertilitate gravi.
Agricolæ paſcunt oculos de meſſe futurâ,
Antè metit viſu, quàm ferat annus opem.
Ridet amœnus ager tectus vitidantibus herbis,
Oblectant animos mollia prata vagos.
Hæc vir Apoſtolicus Nicetius arva peragrans,
Condidit optatum paſtor dvite gregi.
Turribus incinxit terdenis undique collem,
Præbuit hìc fabricam quò nemus antè fuit.
Vertice de ſummo demittunt brachia murum,
Dum Muſella ſuis terminus extet aquis.
Aula tamen nituit conſtructa cacumine rupis,
Et monte impoſito mons erit ipſa domus.
Complacuit latum muro concludere campum,
Et prope caſtellum hæc caſa ſola manet.
Ardua marmoreis ſuſpenditur aula columnis,
Quà ſuper æſtivas cernit in amne rates.
Ordinibus ternis extenſâque machina crevit,
Ut poſtquam aſcendas, jugera tecta potes.
Turris ab adverſo quæ conſtitit obvia clivo,
Sanctorum locus eſt, arma tenenda viris.
Illìc eſt etiam gemino baliſta volatu,
Quæ poſt ſe mortem linquit, & ipſa fugit.
Ducitur in rigidis ſinuoſa canalibus unda,
Ex qua fert populo hìc mola rapta cibum.
Blandifluas ſtupidis induxit collibus uvas,
Vinea culta viret, quò fuit antè frutex.
Inſita pomorum paſſim plantaria ſurgunt,
Et paſcunt vario floris odore locum.
Hæc tibi proficiunt quicquid laudamus in illis,
Qui bona tot tribuis, paſtor opime, gregi.

XI. *Ad Villicum Epiſcopum Metenſem.*

GUrgite cæruleo pelagus Muſella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leniter unda comas.
Hinc dextrâ de parte fluit qui Salia fertur,
Flumine ſed fluctus pauperiore trahit.
Hinc ubi perſpicuis Muſellam curſibus intrat,
Alterius vires implet, & ipſe perit.
Hoc Mettis fundata loco ſpecioſa, coruſcans,
Piſcibus obſeſſum gaudet utrumque latus.
Delicioſus ager ridet vernantibus arvis:
Hinc ſata culta vides, ceruis & indè roſas.
Proſpicis umbroſo veſtitos palmite colles,
Certatur variâ fertilitate locus.
Urbs munita nimis quam cingit murus & amnis,
Pontificis merito ſtas valitura magis.
Villicus æthereis qui ſic bene militat armis,
Stratus humi genibus te levat ille ſuis.
Unde humilis terris te projicis alme Sacerdos,
Orando hinc patriæ ducis ad aſtra caput.
Fletibus aſſiduis adquiris gaudia plebi,
Paſtoris lacrymis lætificantur oves.
Ictibus invalidis quamvis minitetur iniquus,
Tu quibus es murus vulnera nulla timent.
Et licèt incluſo lupus inſidietur ovili,
Te cuſtode gregis nil ibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu ſinè nube ſereno,
Cunctorúmque animos gratia blanda fovet.
Si poſcat novus hoſpes opem, tu porrigis eſcas,
Invenit & proprios ad tua tecta lares.
Dum ſatias querulum, magis obliviſcitur illas
Quas habet in patriis finibus exul opes.
Qui ſua damna refert, gemitus ſubducis ab ore,
Gaudia reſtituens triſtia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu paſcis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore Deus.
Horrea præmittis meliùs tua condita ſervans;
Quas ſic diffundis dat Paradiſus opes.
Culmina templorum renovâſti Villice cultor:
Cum veniet Dominus, ſtat labor ecce tuus.
Commiſſum video non ſuffodiſſe talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longiùs extenſos peragas tam digna per annos,
Et maneat ſemper nomen, opime, tuum.

XII. *Item ad eundem: De convivio.*

PAſtor opime gregis, cunctis tua pabula profunt,
Qui ſatias animas, quàm bene membra foves!
Sic avidos reddis convivas nectare lactis,
Ut ſcutella levet, quod cochleare ſolet.

XIII. *Ad ipſum Epiſcopum: De eâdem re.*

CUrrit ovis repetens à te ſua paſcua, paſtor,
Qui cibus eſſe ſoles, da mihi panis opem.

XIV. *De pictâ avi in muſâ.*

VItibus intextis ales ſub palmite vernat,
Et leviter pictas carpit ab ore dapes.
Multiplices epulas meruit conviva tenere,
Aſpicit hinc uvas, indè falerna bibit.

XV. *De copiâ piſcium ſuper muſam.*

REtia veſtra, pater, oneroſo piſce redundant,
Apparet Petri vos meruiſſe vices.

XVI. *Ad Carentinum Epiſcopum Coloniæ.*

CArentine decus fidei, Deitatis amice,
Nomine de proprio care perennis amor.
Pontificem poſcens Agrippina Colonia præfert,
Frugiferis agris digne colone Dei.
Si videas aliquos quacunque ex gente creatos,
Quamvis ignotos mox facis eſſe tuos.
Quos ſemel affectu aſtringis pietate paternâ,
Ulteriùs nunquam diſſociare potes.
Nec ſubitò veniens, veluti fugitiva recedit,
Sed conceſſa citò gratia fixa manet.
Verba Dei complens ſicut te diligis ipſum,
A te ita diligitur proximus omnis homo.
Vocis Apoſtolicæ ſectator dignus haberis,
Quæ caros animos præpoſuit fidei:

Tran-

Tranquillus, placidus, miris, sinè nube serenus,
Cui rabies mundi nil dominare potest.
Pectora cunctorum reficis dulcedine verbi,
Lætificas vultu tristia corda tuo.
Pauperibus cibus es, dásque esurientibus escam,
Ritè pater populi dando salutis opem.
Aurea templa novas pretioso fulta decore,
Tu nites, unde Dei fulget honore domus.
Majoris numeri quo templa capacia constent,
Alter in excelso pendulus ordo datur.
Sollicitat pia cura gregis te, pastor opime,
Nil lupus à stabulis quo vigilante rapit.
Tempora longævo teneas felicia tractu,
Et per te Domini multiplicentur oves.

XVII. *Ad Igidium Remorum Episcopum.*

ACTIBUS egregiis venerabile culmen, Igidi,
Ex cujus meritis crevit honore gradus.
Subtrahor ingenio, compellor amore parato,
Laudibus in vestris prodere pauca favens,
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam quicquid ubique sonat.
Sed quamvis nequeam digno sermone fateri,
Da veniam, voto me voluisse loqui.
Exiit in mundum gestorum fama tuorum,
Et meritis propriis sydus in orbe micas.
Clarior effulges, quàm Lucifer ore sereno:
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cauto subducit ovili,
Te pastore sacro pervigilante gregem.
Facundo eloquio cælestia dogmata fundis,
Ecclesiæ crevit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis,
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satias epulis, pascis & ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur,
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Ut gaudet corpus, cui mitior esca paratur,
Sic animæ gaudent, si tua lingua sonet.
Hæresis ira cadit, forti te milite Christi:
Adquiris Regi, qui dedit arma tibi.
Qui purgas agros spinis sermone colente,
Et mundata Deo surgit ubique seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam te refovente suam.
Quæ doluit tollis gemitus in gaudia vertens,
Exilium removes, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum:
Invenit hic semper, quæ bona quisque cupit.
Consultum tribuis generaliter omnibus unum,
Qui populi pater es, tot pia ritè geris.
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente, superfit,
Atque futura micet lucidiore die.

XVIII. *Ad Sanctum Hilarium.*

LUX sincera animi semper mihi dulcis Hilari,
Quamvis absentem quem mea cura videt.
Cujus honestus amor tantum mea corda replevit,
Ut sinè te nunquam mente vacante loquar.
Versibus exiguis mandamus vota salutis,
Quæ dedit affectus, sint tibi cara precor.

XIX. *Ad Bertegrammum Episcopum: Quod eum levâsset in currum.*

CUrriculi genus est, memorat quod Gallia rhedam,
Molliter incedens orbita sulcat humum.
Exiliens duplici bijugo volat axe citato,
Atque movet rapidas juncta quadriga rotas.
Hùc ego dum famulans comitatu jungor eodem,
Et mea membra cito dum veherentur equo;
Pontificisque sacri Bertegranni actus honore,
Comprendente manu raptus in axe levor.
Qualiter implumes fœtus pia mater hirundo,
Confovet, & placidè pennula tensa tegit.
Sic bonitate potens, affectu dives opimo,
In proprium pastor molle sedile locat.
Nec solum amplectens pia mens, sed diligit omnes,
Unde magis populis unicus extat amor.

XX. *Ad eundem Episcopum: De ejus Opusculis.*

ARdua suscepi missis epigrammata chartis,
Atque cothurnato verba rotata sopho.
Percurrens tumido spumantia carmina versu,
Credidi in undoso me dare vela freto.
Plana procellosos ructavit pagina fluctus,
Et velut Oceanus fonte refudit aquas.
Vix modò tam nitido pomposa poemata cultu,
Audit Trajano Roma verenda foro.
Quòd si tale decus recitâsses aure Senatûs,
Stravissent plantis aurea fila tuis.
Per loca, per populos, per compita cuncta videres,
Currere versiculos plebe favente tuos.
Sed tamen in vestro quædam sermone notavi,
Carmine de veteri furta novella loqui.
Ex quibus in paucis superaddita syllaba fregit,
Et pede læsa suo mutica claudа gemit.
Nunc, venerande pater, prece, voto, voce saluto,
Commendans animum supplice corde meum.
Sit tua vita diu, cujus modulante camœnâ
Cogimur optatis reddere verba jocis.

XXI. *Ad Agricolam Episcopum Cavillonensem.*

PRæsul honoris apex generis fideique cacumen,
Cultor agri pollens, pastor opime gregis.
Cùm mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati Vomere culta sui.
Nam pater affectu dulci memorabilis orbi,
Me vobiscum uno fovit amore duos:
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister,
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata novalia sevit:
Quod pater effudit, hoc mihi semen ale.

XXII. *Ad Felicem Episcopum Bituricensium, scriptum in turre ejus.*

QUAM bene juncta decent sacrati ut corporis agni,
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant Chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Christe tibi Felicis munera tic sint,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.
Et cujus tu corda vides, pietate coæques,
Par viduæ merito, quam dedit æra duo.

XXIII. *In C. P. Ad Avitum Episcopum Arvernensem.*

OFficiis intente piis, pater orbis Avite,
Gloria Pontificum noster & altus amor.
Per quem plebs, regio, peregrinus, & hospes aluntur,
In quo cuncta capit, quæ tibi quisque cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni,
Ne minimam pascens immemor esses ovem.
Quis trahis ore greges æterna ad pabula Christi,
Qualiter hìc vivant, est quoque cura tibi.
Semper & absentes præsens tua protegit ala,
Quò pede non curris, munere totus ades.
Muneribus vestris Agnes simul aut Radegundes,
Multiplici orantes sornite vocis agunt.
Ad cælos penetranda feras pater alte talenta,
Quæ centena suo tempore culta metas.
Per Dominum regémque bonum precor aulice præsul,
Ut Fortunati sis memor alme tui.

XXIV. *Ad ipsum Avitum Arvernensem Episcopum.*

PArvimus jussis, facer ac venerande Sacerdos,
Et pater, imperiis dulcis Avite tuis.
Garrulitate levi potiùs stridente cicutâ,
Quàm placeat liquido nostra camœna melo.
Sed tamen ut veniam tribuas pietatis amator,
Intende obsequium, nec trutinato sophum.
Munera pro magno modicus hæc parvula solvo.
Pensetur votis, est cui lingua rudis.

XXV. *Item ad eundem Episcopum.*

VIrtutum quid celsa fides mereatur honoris,
Summe Sacerdotum dulcis Avite probas.
Qui nectens animos cunctorum in amore beato,
Post te care pater pectore capta trahis.
Sed tamen inter eos, tua quos dulcedo replevit,
Promptus in affectu portio major agor.
Lumen dulce meum, patriæ vigor, altor egentum,
Spes peregrinorum, ductor honórque patrum.
Si mea vox jugi resonaret acumine carmen,
Laude minor loquerer, major amore pater.
Maxima sed nostri datur hæc occasio voti,
Vel memorare tuum nomen, opime, sacrum.

Commen-

Commendantur item veſtræ pietatis amori,
Agnes voce humili cum Radegunde pari.
Larga ſalutiferos vigeat tibi vita per annos,
Nam tua quæ fuerit, ſit mea, care, ſalus.

XXVI. *De Domno Agerico Veridunenſi Epiſcopo.*

URBS Veridina brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis ampliſicata places.
Major in anguſto præfulget gratia gyro,
Agerice tuus quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudiſti ſemina laudum,
Quæ matura operis fertilitate metis.
Tempore præſenti victum largiris egenis,
Unde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reſeras penetralia paſtor,
Nec ſolùm dapibus, paſcis & ore greges.
Templa vetuſta novas preciuſiùs, & nova condis,
Cultior eſt Domini te famulante domus.
Egregios fontes ſacri baptiſmatis explet,
Tam pia divino fonte repletus agis.
Candida ſincero radiat hæc aula ſereno,
Et ſi Sol fugiet, hìc manet arte dies.
Ad nova templa avidæ concurrunt undique plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te ſolamen inops meruit, te nudus amictum,
Et ſolus cunctis potus & eſca manes.
Felix qui meritis æternæ lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.

XXVII. *Item ad Agericum Veridunenſem Epiſcopum.*

PHœbus ut elatum ſuſpendit in æthera currum,
Purus & igniferum ſpargit ubique jubar;
Effuſis radiis totum ſibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet.
Sic præſul ſplendore animi cum ſole coruſcas,
Ille ſuis radiis fulget, & ipſe tuis.
Agerice ſacer vivis ſermone colente,
Eccleſiæ ſegetes fertilitate placent.
Terrenis ſterilis rebus, facunde ſupernis,
Humana ſpernens; dives iture polis.
Illecebris mundi mundus laſciva repellens,
Nil cui ſubripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cùm tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis ſic purus haberis,
Ut tua corda, pater, ſint pia templa Dei.
Eligit in tali Chriſtus ſe vaſe recondi,
Quam ſibi purgavit, poſſidet ipſe domum.
Non dolus in labiis, nec ſunt fera nubila mentis,
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen ſalienti fonte refundis,
Et ſenſus ſteriles voce rigante foves.
Ardua cælorum pandis myſteria terris,
Per quem plus Dominum ſcit, timet, orat, amat.
Dogmate divino præſul facunde triumphas,
Dans paſtor monitus, ne premat error oves.
Delitiis reficis quas cælum, arva, unda miniſtrat,
Et ſatiat populos hinc cibus, indè fides.
Sumit pauper opem, triſtis ſpem, nudus amictum,
Omnia quicquid habes, omnibus eſſe facis.
Hìc tibi longa ſalus maneat, lux indè futura,
Atque diu paſtor pro grege vota feras.

XXVIII. *Ad venerabilem virum Amphionem presbyterum.*

VIR pietate calens, blandâ dulcedine vernans,
Cujus in aſpectu mens pretioſa micat.
Quem priùs ut merui cognoſcere lumine vultûs,
Conſpexi ſenſûs lumen ineſſe tibi.
Amphion mihi care pater venerande Sacerdos,
Atque meo ſemper corde tenendus amor.
Qui quemcunque novum videas, facis eſſe propinquum,
Si genus ignores, ſit tibi mente parens.
Provocat alloquium cunctos jucunda voluptas,
Cogis & unanimes jugiter eſſe tuos.
Ingenio vivax, ſenſûs moderamine firmus,
Pondere conſilii fixus ubique manens.
Qui bene cauta regis maturæ frena ſenectæ,
Cui quem præſtat honor, ſcis moderare gradum.
Promptus ad omne decus largâ bonitate redundas,
Cui ſe conjungit quiſquis in orbe venit.
Profluis humanè, frugem venientibus offers,
Et tua ſit populis omnibus una domus.
Verbis quippe ſuis quem Papa *Leontius* effert,
Judicio tanti credimus iſta viri.

XXIX. *Ad Paternum Abbatem: De codice emendato.*

PArvimus tandem juſſis, venerande Sacerdos,
Nominis officium jure Paterne geris.
Qui propriis meritis ornans altaria Chriſti,
Tam prece quàm voto das placitura Deo.
Supplico, cede tamen ſi quid me fortè fefellit,
Nam ſolet iſte meas error habere manus.
Obtineat ſupplex modò pagina miſſa ſalutis:
Hæc quoque cùm relegis, me memorare velis.

XXX. *Ad Ruccenem Diaconum, poſtea Presbyterum.*

ALtaris Domini pollens bone Rucco miniſter,
Hinc tibi feſtinus mando ſalutis opus.
Nos maris Oceani tumidum circumfluit æquor,
Te quoque Pariſius, chare ſodalis, habet.
Sequana te retinet, nos unda Britannica elugit,
Diviſos terris alligat unus amor.
Non furor hic pelagi vultum mihi ſubtrahit illum,
Nec Boreas aufert, dulcis amice, tuum.
Pectore ſub noſtro tam ſæpe recurris amator,
Tempore ſub hyemis quàm ſolet unda maris.
Ut quatitur pelagus, quotiens proflaverit Eurus,
Stat neque ſic animus te ſinè chare meus.
Blanda ſerenato tempeſtas pectore fervet,
Atque ad te variâ mobilitate trahit.
Sed memor eſto mei, votúmque repende petenti,
Ut pariter paribus det ſua dona Deus.
Humanam mentem Chriſti quo gratia ditet,
Ac Domino noſtro ſenſus & ora vacent.

XXXI. *Ad Archidiaconum de Meldis.*

SI mihi vel veſtros licuiſſet cernere vultus,
Munere pro tanto plurima verba darem.
Direxit nobis muſtum tua chara voluntas,
Et dulces animos dulcia dona probant.
Quem non vidiſti, promptus ſatiare parâti,
Quid facias illi, qui tibi notus adeſt?
Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli
De grege Pontificis, magne miniſter, habes.

XXXII. *Ad Johannem Diaconum.*

PIgnus amicitiæ ſemper memorabile noſtræ,
Verſibus exiguis chare Johannes habe.
Ut cùm me rapiunt loca nunc incognita forſan,
Non animo videar, dulcis, abeſſe tuo.
Anthemium patrem per te, venerande, ſaluto,
Cujus in affectu conſolidatus agor.
Hilarium partim nobis in amore tenacem,
Inſero carminibus quem mea corda colunt.
Perpetuo maneas meritis felicibus ævo,
Hæc quoque cùm relegis, me memorare velis.

XXXIII. *Ad Anthemium Diaconum.*

SUſcipe verſiculos, Anthemi, pignus amantis,
Quos tibi ſincero fundit amore tuus.
Cùm tua blanditus retineret lumina ſomnus,
Laſſâque feciſſet membra jacere thoro.
Dum dubito, pecco, nolens vexare quietum,
Sic mea culpa tui cauſa ſoporis erit.
Diſcedo tacitus veluti ſur indice nullo,
Nec dixi amplexans, frater amate, vale.
Non licuit mandata animo committere caro,
Nec tenuit verbis hora vel una tuis.
Teſtificor Dominum, mihi fortiter eſſe moleſtum,
Quòd ſic abſcedo, nec tua dicta fero.
Sed qui plura volens poteram tunc dicere præſens,
Nunc faciat paucis pagina miſſa loqui.
Hæc tamen ante Deum rogo te mihi munera præſtes,
Omnibus ut ſemper charus ubique mices.
Nemo mihi veſtem, denaria nemo miniſtret,
Quod duleedo monet, hoc mihi nemo neget.

XXXIV. *Ad Sindulfum Diaconum.*

FRater amore Dei digno memorabilis actu,
Pectore fixe meo, Frater amore Dei.
Carpe libenter iter quod ducit ad ætheris aulam,
Altiùs ut ſurgas, carpe libenter iter.
Fer patienter onus, neque te pia ſarcina laſſet,
Unde manet requies, fer patienter onus:
Subdere colla decet, quia ſunt juga dulcia Chriſti,
Quò mereamur opem, ſubdere colla decet.
Qui ſua rura colit, ſolet horrea plena tenere,
Nec jejunus erit, qui ſua rura colit.

Per

Per mare nauta volat, quò multa pecunia creſcat,
Mercibus ut placeat, per mare nauta volat.
Non timet ille necem rabie turbante procellæ:
Ut lucretur opes, non timet ille necem.
Miles ad arma venit quærens per vulnera palmam,
Ut redeat victor, miles ad arma venit.
Prælia ſume libens mihi tu quoque care ſodalis,
Unde triumphus erit, prælia ſume libens.
Quiſquis amore venit, neſcit ſe ferre laborem,
Nemo labore jacet, quiſquis amore venit.
Carmina parva ferens tibi debita reddo ſalutis,
Des meliora precor, carmina parva ferens.

LIBER QUARTUS.

I. *Epitaphium Evemerii Epiſcopi Nannetica civitatis.*

QUAMVIS cuncta avido rapiantur ab orbe volatu,
Attamen extendit vita beata diem.
Nec damnum de fine capit, cui gloria vivit,
Æternúmque locum miſſus ad aſtra tenet.
Hoc igitur tumulo requieſcit Evemerus almo,
Per quem Pontificum ſurgit opimus honor.
Stemmata deducit fulgens ab origine culmen,
Et meritis priſcos creſcere fecit avos.
Emicuit populis geminum memorabile donum,
Indè gradu judex, hinc pietate pater.
Dulcis in eloquio, placidus moderamine ſtero,
In cujus ſenſu perdidit ira locum.
Alterius motus patienti pectore vicit,
Ut levitas lætit, hoc gravitate tulit.
Si quis ab externis properavit ſedibus hoſpes,
Mox apud hunc proprios ſenſit habere lares.
Hìc habitare volens patriis rudis exul ab oris,
Oblitus veterum hujus amore patrem.
Gaudens arriſit, probat is ſe cernere ſlentem,
Alterius lacrymas mox facit eſſe ſuas.
Partitus cum ventre vices pietate magiſtri,
Unde tulit luctus, mox ibi vota dedit.
Pauperibus dives cenſum transfudit egenis,
Antè bonus tribuit, quàm peteretur, opem.
Semina jactavit centeno pinguia fructu,
Cui modò de reditu meſſis aduſta placet.
Unica cura fuit cunctos ut viſeret ægros,
Ipſe quibus medicus virtè & ipſe cibus.
Extulit Eccleſiæ culmen, quod reddidit amplum,
Venit ad hæredem, qui cumularet opus.
Felix ille abiit, Felicem in ſede reliquit,
Hæredis meritis vivit in orbe pater.

II. *Epitaphium Gregorii Epiſcopi civitatis Lingonicæ.*

POſtquam ſyderius diſrupit Tartara princeps,
Sub pedibus juſti mors inimica jacet.
Hoc veneranda ſacri teſtatur vita Gregorii,
Qui modò poſt tumulos intrat honore polos.
Nobilis antiquâ decurrens prole parentum,
Nobilior geſtis nunc ſuper aſtra manet.
Arbiter antè ferox, exhinc pius ipſe Sacerdos,
Quos domuit judex, fovit amore patris.
Triginta & geminos piè rexit ovile per annos,
Et grege de Chriſti gaudia paſtor habet.
Si queras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica ſalus.

III. *Epitaphium Tetrici Epiſcopi Lingonica civitatis.*

PAlma Sacerdotii venerando Tetrice cultu,
Te patriæ ſedes, nos peregrina tenet.
Te cuſtode pio nunquam lupus abſtulit agnum,
Nec de fure timens paſcua carpſit ovis.
Sex qui luſtra gerens & per tres inſuper annos,
Rexiſti placido paſtor amore gregem.
Nam ut condirentur divino corda ſapore,
Fudiſti dulcem jugiter ore ſalem.
Summus amor Regum, populi decus, arma parentum,
Eccleſiæ cultor, nobilitatis honor:
Eſca inopum, tutor viduarum, cura miſerum,
Omnibus officiis omnia paſtor eras.
Sed cui præbebat variè tua cura medelam,
Funere rectoris plebs modò triſte gemit.
Hoc tamen, alme pater, ſperamus; dignus in aſtris
Qualis honore nites, hìc pietate probas.

IV. *Epitaphium Galli Epiſcopi Arvernicæ civitatis.*

HOſtis iniquus Adam Paradiſo fraude repellis,
Ecce Deus famulis præſtat adire polos.
Invide, ſic tua mors homini meliora paravit,
Tu expellis terris, hic dat & aſtra ſuis.
Teſtis & Antiſtes Gallus probat iſta beatus,
Nobilis in terris, dives eundo polis.
Qui Chriſti auxilio fultus, nec adultus in annis,
Se majora petens odit amare lares.
Effugit amplexus patrios, matrémque reliquit,
Qui monachum regeret quæritur Abba parens.
Illic tyro rudis generoſo capit ab ævo,
Militiæ Domini belliger arma pati.
Quintiano demum Sancto erudiente magiſtro,
Pulcrior eſt auro corde probatus homo.
Indè Palatinam Regis tranſlatus in aulam,
Theodorice tuo vixit amore pio.
Mox ubi deſitiens terras petit aſtra magiſter,
Ceſſit diſcipulo cura tuendo gregem.
Pontificatus enim moderans ita rexit habenas,
Paſtor ut officiis eſſet, amore pater.
Manſuetus, patiens, bonus, æquus, amator, amandus,
Non erat offenſæ, ſed locus hic veniæ.
Si qua ſupervenit, facta eſt injuria virtus,
Unde furor poterat, indè triumphus erat.
Plebem voce fovens quaſi natos ubere nutrix,
Dulcia condito cum ſale mella rigans.
Hoc opus exercens præſcivit dona futuri,
Se paſtore nihil poſſe perire gregi.
Sic pater Eccleſiam regit in quinquennia quinque,
Bis terdena tamen luſtra ſuperſtes agens.
Hinc meliore vitâ Sanctum ad cæleſtia vectum,
Non premit urna rogi, ſed tenet aula Dei.

V. *Epitaphium Rurициorum Epiſcoporum Limovicinæ civitatis.*

INvida mors rapido quamvis miniteris hiatu,
Non tamen in Sanctos jura tenere vales.
Nam poſtquam remeans domuit fera Tartara Chriſtus,
Juſtorum meritis ſub pede victa jacet.
Hìc ſacra Pontificum tecto radiantia mundo
Membra ſepulcra tegunt, ſpiritus aſtra colit.
Ruricii gemini flores quibus Aniciorum,
Vincta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu, ſpe, nomine, ſanguine nati,
Exultant pariter hinc avus, indè nepos.
Tempore quiſquè ſuo fundans pia templa Patroni,
Iſte Auguſtini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius, hic ſerius, ille ſerenus,
Certantes pariter quis cui major erit.
Plurima pauperibus tribuentes divite cenſu,
Miſere ad cælos, quas ſequerentur opes.
Quos ſpargente mane, redimentes crimina mundi,
Inter apoſtolicos credimus eſſe choros.
Felices qui ſic de nobilitate fugaci
Meruêre in cælis jura Senatûs habent.

VI. *Epitaphium Exotii Epiſcopi Lemovicinæ civitatis.*

QUamvis Pontificem premeret tremebunda ſenectus,
Attamen hæc voluit plebs ſupereſſe patrem.
Aut ſi naturæ mutari debita poſſent,
Pro paſtore ſuo grex properâſſet iter.
Sed quia non licuit, populum ſpes conſulat iſta,
Hunc quod pro meritis vexit ad aſtra fides.
Immaculata Deo conſervans membra pudore,
Exotius meruit jam ſinè fine diem:
Pectore ſub cujus regnans patientia viſtrix,
Fluctibus in tantis anchora ſenſus erat.
Ille gerens animum placidâ dulcedine paſtum,
Neſcit in offenſis jure referre vices.
Templorum cultor, recreans moderamine cives,
Vulneribus patriæ fida medela fuit.
Qui tria luſtra gerens in Pontificatûs honore,
Pergit ad antiquos plebe gemente patres.
Nunc decet hunc igitur vacuis deflere querelis,
Poſt tenebras mundi quem tenet aula poli.

VII. *Epitaphium Calacterici Carnotenſis civitatis Epiſcopi.*

LAcrymant oculi, quatiuntur viſcera fletu,
Nec tremuli digiti ſcribere dura valent.
Dummodo qui volui vivo, dabo verba ſepulco,
Carmine vel dulci cogor amara loqui.

Digne

Digne tuis meritis Calæterice Sacerdos,
Tardè note mihi, quàm citò chare fugis!
Tu patriam repetis, tu nôsque sub urbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos tenebrosa dies.
Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt,
Dulcior & melli lingua sepulta jacet.
Forma venusta, decens, animus finè fine benignus,
Vox suavis legem præmeditata Dei.
Spes cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, promptus ad omne bonum.
Organa psalterii cecinit modulamine dulci,
Et tetigit tardi plectra beata Dei.
Cautere eloquii bene purgans vulnera morbi,
Quo pascente fuit fida medela gregi.
Sex qui lustra gerens octo bonus insuper annos,
Ereptus terræ justus ad astra redis.
Ad Paradisiacas epulas te cive reducto,
Unde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito quanta est tibi gloria laudum,
Nec debes fieri talis amice Dei.
Hæc qui, Sancte pater, pro magnis parva susurro,
Pro Fortunato quæso precare tuo.

VIII. *Epitaphium Chronopii Episcopi Petrocorii.*

SI terrena sacer tibi quondam cura fuisset,
Carmine plus lacrymas quàm modò verba darem.
Sed quia tu mundus, nec sunt tibi crimina mundi,
Nos gaudere mones, qui finè morte manes.
Antistes pietate calens venerande Chronopi,
Membra sepulcra tegunt, spiritus astra tenet.
Ordo Sacerdotum cui fluxit utroque parente,
Venit ad hæredem pontificalis apex.
Hunc tibi jure gradum successio sancta paravit,
Ut quasi jam merito debitus esset honor.
Nobilis antiquo veniens de germine patrum,
Sed magis in Christo nobilior merito.
Sic vultu semper placidus, ceu mente serenus,
Pectore sincero frons sinè nube fuit.
Cujus ab eloquio nectar per verba fluebat,
Vinceret ut dulces ore rigante favos.
Nudorum tu vestis eras, algentis amictus,
Qui ad tua tecta fugit, tectus & ipse redit.
Divitias omnes inopum sub ventre locâsti,
Unde tibi semper viva talenta manent.
Esuriens epulum, sitiens te sumere potum,
Cernere te meruit tristis & exul opem.
Implêsti propriis viduatam civibus urbem,
Viderúntque suos te redimente lares.
Quam lupus à stabulis tulerat frendente rapinâ,
Te pastore gregi reddita plaudit ovis.
Templa exusta celer revocâsti in culmine prisco,
Hinc tua sed cælis stat sinè labe domus.
Ipse bis octono vixisti in corpore lustro,
Nunc tibi pro meritis est sinè fine dies.

IX. *Epitaphium Leontii Episcopi anterioris Burdegalensis civitatis.*

ULtima sors avido graviter properavit hiatu,
Pastorem rapiens, qui fuit arma gregis.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quo stetit eximium pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confusâ voce requirit,
Hinc puer, hinc juvenis deflet, & indè senex.
Defensoris opem hic omnis perdidit ætas,
Et quantum coluit, nunc lacrymando docet.
Nemo valet siccis oculis memorare sepultum,
Qui tamen in populo vivit amore pio.
Egregius nulli de nobilitate secundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
Hic pietate novâ cunctis minor esse volebat,
Sed magis his meritis & sibi major erat.
Quo præsente viro meruit discordia pacem,
Expulsâ rabie corda ligabat amor.
Ecclesiæ totum concessit in ordine censum,
Et tribuit Christo, quod fuit antè suum.
Ad quem pauper opem, pretium captivus habebat,
Hoc proprium reputans quod capiebat egens.
Cujus de terris migravit ad astra facultas,
Et plus iste Deo, quàm sibi vixit homo.
Cordis in amplexu retinens, & pectore plebem,
Diceret ut populum se generâsse patrem.
Namque suos cives placidâ sic voce monebat,
Testareris ut hunc ad sua membra loqui.
Ingenio vigilans, dives quoque dogmate Christi,
Et meruit studio multiplicare gradum.
Largior in donis absens tibi junxit amantes,
Et quo non fuerat munere notus erat.
Principibus charus, hujusque amor unicus urbis,
Festinans animis omnibus esse parens.
Lustra decem pollens, septem quoque vixit in annos,
Mox urgente die raptus ab orbe fuit.
Sed quis cuncta canat, cùm tot bona solus habebat?
Nunc uno in tumulo plurima vota jacent.
Hæc tibi parva nimis, cùm tu merearis opima,
Carmina Theudosius præbet amore tuus.

X. *Epitaphium Leontii Episcopi sequentis Burdegalensis civitatis.*

OMne bonum velox fugitivâque gaudia mundi,
Prosperitas hominum quàm citò rapta volat!
Mallem cui potiùs nunc carmina ferre salutis,
Perverso voto flere sepulcra vocor.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quem sua Pontificem fama sub astra levat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ forte Senatus habet.
Et quamvis celso flueret de sanguine patrum,
Hic propriis meritis crescere fecit avos.
Regum summus amor, patriæ caput, arma parentum,
Tutor amicorum, plebis & urbis honor,
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Susceptor peregrum distribuendo cibum.
Longiùs extremo si quis properâsset ab orbe,
Advena mox vidit, hunc ait esse patrem.
Ingenio vivax, animo probus, ore serenus,
Et mihi qualis erat! pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum qualem modo Gallia nullum,
Nunc humili tumulo culmina celsa jacent.
Placabat Reges, recreans moderamine cives,
Gaudia tot populis heu tulit una dies.
Lustra decem felix & quatuor insuper annos
Vixit, & à nostro lumine raptus obit.
Funeris officium magni solamen amoris,
Dulcis adhuc cineri dat Placidina tibi.

XI. *Epitaphium Victoriani Abbatis Monasterii Agaunensis.*

QUisquis ab occasu properas huc, quisquis ab ortu,
Manus in hoc tumulo, quod venereris habes.
Respice ditatum cælesti dote talentum,
Cujus semper habet pectoris arca Deum.
Religionis apex, vitæ decus, arma salutis,
Eximiis meritis Victorianus adest.
Dignum opus exercens, qui fructificante labore,
Cunctis, non soli vixit in orbe sibi.
Plurima per patriam monachorum examina fundens,
Floribus æternis mellificavit apes.
Lingua potens, pietas præsens, oratio jugis,
Sic fuit ut jam tum totus ad astra foret.
Plura salutiferis tribuens oracula rebus,
Sæpe dedit signis vita beata fidem.
Bissenis rexit patrio moderamine lustris,
Rite Deo placitas pastor opimus oves.
Calle sequens recto sacra per vestigia Christum,
Nunc fruitur vultu, quem capiebat amor.

XII. *Epitaphium Hilarii Presbyteri.*

OMnes una manet sors irreparabilis horæ,
Cùm venit extremus lege trahente dies.
Sic furit ira necis, neque nos fugit orbita mortis,
Pulvere facta caro non nisi pulvis erit.
Hæc tamen insignes animas spes non vaga pascit,
Quod qui digna gerit, de nece nulla timet.
Hoc jacet in tumulo venerandus Hilarius actu,
Copore qui terras, & tenet astra fide.
Vir bonus egregiâ de nobilitate refulgens,
Inter honoratos germinis altus apex.
Connubio junctus simili, sed conjuge raptâ,
Sanus in amore Dei, non fuit alter amor.
Utilis in propriis, doctus moderamine legis,
Cujus judicium pondere libra fuit.
Justitiam tribuens populis examine recto,
Vendita res pretio, non fuit ulla suo.
Funeris officio lacrymans Evantia charo,
Contulit hæc genero membra sepulta suo.

XIII. *Epita-*

XIII. *Epitaphium Servilionis Presbyteri.*

QUamvis longa dies, brevis hìc atque hoſpita lux eſt,
Sola tamen neſcit vita beata mori.
Hoc igitur tumulo Servilio clauſus habetur;
Nobilis & merito nobiliore potens.
Ipſe Palatinam rexit moderatiùs aulam,
Commiſſæque domûs creſcere fecit opes.
Presbyter indè ſacer manſit venerabilis orbi,
Servitióque Dei libera vita fuit.
Orphanus hìc patrem, viduæ ſolatia deſient,
Unde magìs cælis gaudia vera tenet.
Pontificem genitum videt hinc de munere Chriſti,
Raptus ab orbe quidem lætus ad aſtra redit.

XIV. *Epitaphium Præſidii Abbatis.*

VIta brevis hominum, ſed non brevis illa piorum,
Dum migrante die proſperiora tenent.
Qui meruere magis de carcere carnis euntes,
Poſt tenebras mundi luce perenne frui.
Ex quibus hìc recubans meritis Præſidius almis,
Carne tenet tumulum, flaminis igne polum.
Pectore de proprio Chriſti reſponſa rigando,
Multorum extinxit fonte fluente ſitim.
Invitans inſtanter oves ad paſcua Regis,
Diſtribuit dulcem fratribus ore ſalem.
Nam quotiens monachus peccati eſt vulnere fixus,
Miſſus ad artificem certa medela fuit.
Ibat ad Abbatem famulans ſanctúmque magiſtrum,
Diſcipulus humilis qui fuit antè tumens.
Talibus officiis intentus amore Tonantis,
Angelicos inter fulget honore choros.

XV. *Epitaphium Bobolemi Diaconi.*

INnumeris hominum ſubjecta eſt vita periclis,
Cælibus & variis ſors inimica premit.
Nam recubando thoro Bobolenus honore Diacni,
Dum fruitur ſomno mors rapit atra virum.
Hoſtis in inſidiis ſecuro cæde ſecuris,
Percutiens cerebrum fecit obire dolo.
Dic tibi quid prodeſt ſcelus hoc peragendo nefande?
Ille Deo vivit, tu morituſque peris.
Martyris ille decus meruit, tu damna latronis,
Hinc ſibi palma placet, ſed tibi pœna manet.

XVI. *Epitaphium Theodechildis Reginæ.*

QUamvis ætatis ſenio jam flecteret annos,
Multorúmque tamen ſpes citò rapta fuit.
Si precibus poſſent naturæ debita flecti,
Plebs ageret lacrymis hanc ſupereſſe ſibi.
Gaudia quanta inopum tumulo ſunt clauſa ſub uno,
Votáque quot populis abſtulit una dies.
Inclyta nobilitas genitali luce coruſcans,
Hìc properante die Theodechildis jacet.
Cui frater, genitor, conjunx, avus, atque priores,
Culmine ſucciduo regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, viduæ nudæque jacentes,
Matrem, eſcam, tegmen hìc ſepeliſſe dolent.
Unica res placuit tumulo mercedis opimæ,
Antea cuncta dedit quàm peteretur, opem.
Occultans ſua dona ſuis, ne fortè vetarent,
Sed quæ clauſa dedit, judice teſte docet.
Templorum Domini cultrix, pia munera præbens,
Hoc proprium reputans, quicquid habebat inops.
Una mori ſors eſt & terræ reddere terram,
Felix cui meritis ſtat ſinè fine dies.
Actibus his inſtans, terrenâ in luce redacta,
Ter quino luſtro vixit in orbe decus.

XVII. *Epitaphium Vilitrudæ.*

OMne bonum velox, fugitiváque gaudia mundi,
Monſtrantur terris, & citò lapſa ruunt.
Ut dolor acquirat vires cùm perdat amantem,
Antè placere facit, duriùs indè premit.
Heu lacrymæ rerum, heu ſors inimica virorum,
Cur placitura facis, quæ dolitura rapis?
Vilitrudis decens Dagulphi chara jugalis,
Conjugis amplexu diſſociata jacet.
Corpore juncta thoro, plus pectore nexa marito,
Lucis in occaſu vincula rupit amor.
Tempora cui poterant adhuc in flore manere,
Principium vitæ finis acerbus habet.
Sanguine nobilium generata Pariſius urbe,
Romana ſtudio, barbara prole fuit.
Ingenium mite torvâ de gente trahebat,
Vincere naturam gloria major erat.
Nunquam mœſta manens, vultu nova gaudia portans,
Nubilâ fronte fugans, corde ſerena fuit.
Fudit ab ore jubar ſpecies redimita decore,
Protulit & radios forma venuſta ſuos.

XVIII. *Ad cives Turonicos: de adventu Gregorii Epiſcopi dignissimi.*

PLaudite felices populi, nova vota tenentes,
Præſulis adventu reddite vota Deo.
Hoc puer exertus celebret, hoc curva ſenectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, urbis amator,
Munere paſtoris lætificentur oves.
Sollicitis oculis quem proſpera vota petebant,
Veniſſe aſpiciant, gaudia feſta colant.
Jura ſacerdotii merito reverenter adeptus,
Nomine Gregorius, paſtor in urbe gregis.
Martino proprium mittit Julianus alumnum,
Et fratri præbet quod ſibi dulce fuit.
Quem patris Ægidii Domino manus alma ſacravit,
Ut populum recreet quem Radegundis amet.
Huic Sigebertus ovans favet & Brunichildis honori,
Judicio Regis nobile culmen adeſt.
Quo paſcente greges per paſcua ſancta regantur,
Et Paradiſiaco germine dona metant.
Immaculata pii qui ſerves ovilia Chriſti,
Ne pateant rapidis dilaceranda lupis.
Pervigili curâ ſtabulum ſinè labe gubernet,
Commiſſúmque gregem nulla rapina gravet.
Muniat incluſos pretioſi velleris agnos,
Atque ſoporantes protegat ipſe vigil.
Florea divino pingueſcat vinea cultu,
Et matura ſuo ſit ſpecioſa botro.
Fructibus æternis ut compleat horrea cæli,
Unde animæ vivo fonte fluenta bibant.
Ne ſitis excruciet digiti quo Lazarus udo,
Leniat ut flammam, ferre petatur opem.
Sed magìs in gremio Abrahæ vernante locandas,
Paſtor oves placido ducat ad aſtra ſinu.
Ut bene commiſſo ſeſe duplicante talento,
Introeant Domini gaudia vera ſui.
Lætus agat ſub clave Petri, per dogmata Pauli,
Inter ſydereos luce micante choros.
Fortis Athanaſius, quà clarus Hilarius aſtant,
Dives Martinus, ſuavis & Ambroſius.
Gregorius radiat, ſacer Auguſtinus inundat,
Baſilius rutilat, Cæſariúſque micat.
Quorum geſta ſequens & dicta fideliter implens,
Perpetuæ vitæ participatus ovet:
Atque coronatus dignâ mercede laborum,
Obtineat miles Regis in arce locum.

XIX. *In Natalitio Gregorii Epiſcopi; cùm Antiphonam dicere rogaretur, in Miſſâ dictum.*

MArtini meritis per tempora longa Gregori,
Turonicum foveas paſtor in urbe gregem.
Conciliis ſacris ſis norma, & vita priorum,
Exemplóque tuo creſcat adeptus honor.
Lumen Apoſtolicum populis tua lingua miniſtret,
Et cæli donum te radiante micet.

XX. *Quomodo Judæi crediderunt in Chriſtum.*

IN venerabilibus famulis operator opime,
Condecet ut ſemper laus tua Chriſte ſonet.
Inſpirans animum, votum effectúmque miniſtrans,
Et ſinè quo nullum prævalet eſſe bonum:
Lumine perſpicuo fœcundans pectora vatum,
Ut populis generent viſcera ſancta fidem.
Supra Candelabrum poſiti quorum ore coruſco,
Dogmatis igne micans luceat alma domus.
Et velut eſt oculus capitis qui dirigit artus,
Sic pia paſtoris cura gubernet oves.
Pectora Pontificum ditans virtute ſupernâ,
Tu Deus Omnipotens, ſumme, perennis apex.
Spiritus alme ſacri labiis infuſus Aviti,
Per famulum loqueris creſcat ut ordo gregi.
Qui non contentus numero quem accepit ab illo,
Villicus ad Dominum dupla talenta refert.
Plebs Arverna etenim ſubito diſciſſa tumultu,
Urbe manens una, non erat una fide.

Christicolis Judæus odor residebat amarus,
Obstinabátque pils impia turba sacris.
Extollens cervix Domini juga ferre recusans,
Sic tumidis animis turget inane cutis.
Quos in amore Dei monitabat sæpe Sacerdos,
Ut de conversis iret ad astra seges.
Sed caliginosi recubans velamitis umbra,
Pectora tetra premens cernere clara vetat.
Venerat ergo dies, Dominus qua est redditus astris,
Ac homo sydereum pendulus ivit iter.
Plebs armante fide Judaica templa revellit,
Et campus patuit quo Synagoga fuit.
Tempore quo Christi repedavit ad alta potestas,
Ille quòd ascendit, res inimica ruit.
Hic tamen Antistes Moysei lege rebelles,
Alloquitur blandè, quos dabat ira truces.
Quid facis ô Judæa cohors, nec docta vetustas?
Quo veterem renoves, credere dispe senex.
Lactea canities sapiat majora juventâ,
Sensum pone gravem, quo puerile fuit.
Non pudeat meliora sequi vel tarda vetustas,
Corpore deficiens crescat honore senex.
Est Deus, alta fides, unus tria, trinus & unus,
Personis propriis stat tribus unus apex.
Nam pater & genitus, quoque Sanctus spiritus idem:
Sic tribus est unum jus, opus, ordo, thronus.
Legifer hoc reboat, Patriarcha hoc credit Abraham,
Hinc pater est nobis, est quia nostra fides.
Tres videt æquales, unum veneratus adorat,
Unum voce rogat, tres quoque pelve lavat.
Sic patruo similis Loth suscipit hospes euntes,
Quos cibat in Sodomis, hi rapuere Segor.
Cùm à Domino Dominus pluit ignem triste Gomorræ,
Filius & pater est à Domino Dominus.
Qui tuus, ipse meus, stat conditor atque creator,
Hujus plasma sumus, qui est trinitate Deus.
Unius estis oves, heu cur non uniter itis?
Sit rogo grex unus, pastor ut unus adest.
Rennuis? an recolis quod canna Davidica pangit,
Quódque prophetali virgine fœtus agit?
In cruce transfixus palmis pedibúsque pependit,
Sed corrupta caro non fuit ex tumulo.
Post triduum remeans; sanat nos vulnere longo,
Quòd redlit cælis, testis & ista dies.
Crede meis ac crede tuis, convicta senectus,
Si fugis ac trepidas, negligis ista legens.
Protrahimus verbum brevitatis tempore longum,
Aut admitte preces, aut rogo cede loco.
Vis hìc nulla premit, quovis te collige liber,
Aut meus esto sequax, aut tuus esto fugax.
Redde colone locum, tua duc contagia tecum,
Aut ea sit sedes, si tenet una fides.
Hæc pia verba viris miti dedit ore Sacerdos,
Ut, sibi quo libeat, semita cordis eat.
Ast Judæa manus stimulante furore rebellis,
Colligitur, rapitur, conditur indè domo.
Christicolæ ut cernunt tunc agmina Manzara jungi,
Protinus insiliunt quà latet ille dolus.
Si fremerent gladiis, sentirent justa cadentes,
Vincere quò possint aut daret arma fides.
Legati occurrunt vati mandata ferentes:
Nos Judæa manus jam tua caula sumus.
Ne pereant, adquire Deo, qui vivere possunt,
Si mora sit, morimur, & tua lucra cadunt.
Tende celer gressum, properes nisi præpete cursu,
Funera natorum sunt tibi flenda pater.
Fletibus his victus rapitur miserando Sacerdos,
Ut ferat afflictis rite salutis opem.
Perveniunt quo clausa loco fera turba latebat,
Quæ occurrens lacrymis, ingemit ore preces.
Mens est tarda boni Judaica jura tenenti,
Lucem serò videt prætereunte die.
Sic oculis cordis velum est ab origine tensum,
Cæcus ut ignoret, quo via recta meat.
Sed tandem sequimur, pastor, quo sæpe monebas,
Qui sale tam dulci currere cogis oves.
Credentes jam crede tuos nec fallere credas,
Nos lavacrum petimus, sit tibi præstò lacus.
Sensimus aspectu quod aiebas rite precando,
Quod hominem per te nos Deus ipse monet.
Hinc trahit ad lucem quos texerat umbra negantes,
Militiæque novæ nox aperibat iter.
Agmina conveniunt quondam diversa sub unum,
Partibus & geminis fit Deus unus amor.
Hinc oleari ovium perfunditur unguine vellus,
Aspersúque sacro fit gregis alter odor.
Ecce dies aderat qua Spiritus almus ab alto
Missus, Apostolicis fluxit in ora viris.
Res sacra rurícolas, urbanos excitat omnes;
Certatímque aditus ad pia festa terunt.
Abluitur Judæus odor baptismate divo,
Et nova progenies reddita surgit aquis.
Vincens ambrosios suavi spiramine rores,
Vertice perfuso chrismatis efflat odor.
Ingenti numero celebratur Pascha novellum,
Ac de stirpe lupi progenerántur oves.
Excepit populus populum, plebs altera plebem,
Germine qui non est, fit sibi fonte parens.
Undique rapta manu lux cerea provocat astra,
Credas ut stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor,
Ducitur, & vario lumine picta dies.
Nec festiva minùs quàm tunc fuit illa coruscans;
Diversis linguis quæ dedit una loqui.
Quis rogo Pontificis fuit illic sensus Aviti,
Quàm validus fervor, cùm daret ista Deo!
Inter candelabros radiabat & ipse Sacerdos,
Diffuso interiùs Spiritus igne micans.
Tum sibi qualis erat tam vera holocausta ferendo,
Cùm libat vivo hostia viva Deo!
Si Patriarcha placet, quoniam natum obtulit unum,
Qui tantos offert quàm placiturus erit!
Moyses non valuit fidei quos subdere nostræ,
Qui Christo adquirit, quod sibi munus erit?
Fudit aromaticum Domini libamen ad aram,
Incensúmque novum misit ad astra Deo.
Obtinuit votum, quia vere junxit olivæ,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.
Hæc inculta tibi reputa, pater alme Gregori,
Qui Fortunato non valitura jubes.
Adde quòd exiguum me portitor impulit instans,
Et datur in spatiis vix geminata dies.
Novimus affectu potiùs quòd diligis illum,
Hunc quem corde vides, semper & ore tenes.
Hoc tibi nec satis est, hujus quòd es ipse relator,
Compellis reliquos plaudere voce sibi.
Non fuit in vacuum, quòd te provexit alumnum,
Sic cui mente fidem, reddis amore vicem.
Annuat Omnipotens longo memoraliter ævo,
Ut tu lætus illi, lætus sit & ille tibi.
Me quoque vos humilem pariter memoretis utrique,
Et pro spe veniæ voce feratis opem.

XXI. *Ad Felicem Episcopum Nannetensem.*

SEntio summe pater, lumen venerabile cunctis,
Orbis dulce caput, mihi nomen amabile Felix:
Amplectens quem corde gero pietatis in ulnis,
Pondus suave meum, nec onus gravat istud amantem.
Cur humilem me, summe, vocas loca visere blanda,
Quæ te, chare, tenent? Tecum modularer in illis,
Quà tua rura lavat vitreâ Liger algidus undâ,
Cariaci speciosus ager deverus in amnem?
Hinc ubi flumen aquis recreat, hinc pampinus umbris,
Et crepitans Boreas tot prata comata flagellat:
Uber nempe solum piscoso littore pulcrum,
Sed Fortunatum facies tua reddit amœnum.

XXII. *Ad Gregorium Episcopum Turonensem post iter.*

CUlmen honoratum, decus almum, lumen opimum,
Pastor Apostolicæ sedis amore placens.
Amplectende mihi semper sacer ore Gregori,
Nec divulse animo vir venerande meo:
Gaudeo quòd rediit Turonis Antistes honore,
Lætificórque mihi te remeâsse patrem.
Plaudimus instanter communia vota tenete,
Civibus & patriæ te revocâsse diem.
Præsentem famulum mecum commendo Sacerdoti,
Optantes longè vos moderare gregem.

XXIII. *Item ad eundem Gregorium.*

OFficiis generosè piis pater alme Gregori,
Mente salutiferâ qui petis astra palám.
Et quicunque tuis monitis animatur inermis,
Militiæ sacræ victor habebit opem.
Commendans humilem famulum me, solvo salutem,
Semper amore pio vir benedicte Deo.
Pagina si brevis est, non est brevis ardor amantis,
Nam plus corda colunt, quàm mea verba canunt.

XXIV. *Ad*

XXIV. *Ad ipſum Epiſcopum: de libro præſito.*

CArmina diva legens, propriòque è pectore condens,
Participans aliis ſit tibi palma parens.
Hæc quoque quæ pridem tribuiſti paſtor oviti,
Grates perſolvens debita laudo libens.
Vos tamen hîc maneant donaria celſa Tonantis,
Qui ſacras inopi das bene largus opes.
Quem cùm perconare queam pro munere tanto,
Tunc magis ore meo gratia veſtra ſonet.
Præſentem famulum pro munere, ſumme Sacerdos,
Commendo ſupplex, dulcis amore pater.
Cui ſua concedens juſtæ moderamina libræ,
Creſcat honore Dei palma futura tui.

XXV. *Item ad eundem Epiſcopum: pro invitatione.*

INvitans pietate patris Sacer ire Gregori,
Qua Domini Turonis paſcis amore greges.
Quo ſacer Antiſtes meritis Martinus opimis,
Quas prius obtinuit, hos tibi ceſſit oves.
Nunc quoque per caulas & flores paſcua Chriſti,
Rite gubernantes ducitis ambo greges.
Sed mihi vim faciens veſter modò frater honore,
Ad vos ne propeream, nempe retorſit iter.
Sæpe rogans voto, mandato & miſſile verbo,
Et conjuratus ſum ſive pollicitus.
Vir bonitate placens & paſtor pacis amator,
Fœderis ob ſtudium ſit veniale precor.
Vos quoque ſed genitæ proprio venerando ſalutent,
Aſt ego commender, quæſo, bone pater.

XXVI. *Ad ipſum de Commendatione mulieris.*

SUmme pater patriæ, ſpecimen pietatis opimum,
Dulce caput Turonis, religionis apex;
Jugiter alta ſequens clementi corde Gregori,
Unde animæ decus eſt hac ratione petens.
Quam commendâſti venientem, celſe Sacerdos,
Hanc redeuntem ad te ſuſcipe more patris.
Sis quoque longævus cunctorum chare recurſus,
Et mihi vel reliquis ſit tua vita ſeges.

XXVII. *Ad eundem: de itinere ſuo.*

JUgiter opto libens, ſacer ample<lende Gregori,
Cernere vos oculis, quærere litterulis.
Dulce videre mihi, ſi deſit copia cerni,
Spes erit oranti vel dare verba patri.
Nuper ab aſpecta diſcedens concite veſtro,
Per glaciem vitreas me loquor iſſe vias.
Sed crucis auxilio Martino operante patrono,
Perveni ad matres ſalvus, opime pater.
Quæ vos multiplici venerantur honore ſalutant,
Aſt ego pro redita vota ſalutis ago.

XXVIII. *Ad ipſum Epiſcopum ſalutatoria.*

SUmme Sacerdotum, bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo, lumen amore meo;
Officiis venerande ſacris pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meæ.
Florens in ſtudiis, & ſacrâ in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te pater ergo precans terram, freta, ſydera teſtor,
Ut velis ore ſacro me meminiſſe tuum.

XXIX. *Item ad eum: pro pomis & graphiolis.*

OFficiis generoſe piis facer arte Gregori,
Abſenti præſens munere, ſumme pater.
Qui mihi tranſmittis propriâ cum prole parentes,
Inſita cum fructu ſurcula, poma ſimul.
Det Deus Omnipotens meritorum fruge repletus,
Mala legas avidè quæ Paradiſus habet.

XXX. *Ad eundem: de commendatione puellæ.*

CUM graderer feſtinus iter, pater alme Gregori,
Qua præceſſoris ſunt pia ſigna tui;
Quò fertur convulſa jacens radicitus arbor,
Martini ante preces exiluiſſe comis.
Quæ fidei merito nunc ſtat ſpargendo medelas,
Corpora multa medens, cortice nuda manens.
Fletibus affuit hîc genitor genitrixque puella,
Voce implendo aures & lacrymando genas.
Figo pedem, ſuſpendo aurem, mihi panditur ore,
Vix per ſingultus vendita nata ſuos.
Quæro adhuc, queſtus perſibet, nullo indice furto,
Furto ex objecto hanc pater ire jubet.
Se voluiſſe dare, & jurantes ordine teſtes,
Nomine quemque tenens, nec potuiſſet egens.
Non aderat judex, erat accuſator adurgens,
Hîc ego quid facerem, poſſe vetante ſacro?
Si pius hîc, dixi, præſens Martinus adeſſet,
Non permiſiſſet perdere paſtor ovem.
Sed tamen invalui, recolens te ſumme Sacerdos,
Spem præceſſoris qui pietate refers.
Diſcute, diſtringe, ac ſi ſit ſecus, eripe dulcis,
Et pater adde gregi, hanc quoque redde patri.
Me ſimul officio famulum tibi chare ſubactum,
Protege perfugio, paſtor opime, pio.

XXXI. *Item ad ipſum; de commendatione peregrini.*

VIR bone pro meritis adipiſcens culmen honoris,
Nobile præſidium, pontificale caput:
Quem gradus & genium fructu pietatis opimo
Digniùs attollunt amplificante Deo.
Ut tibi ſit famulans memoratus amore benigno,
Fortunati humilis te pater orat apex.
Hic peregrinus item lætetur, ſumme Sacerdos,
Paſtorem & patriam te meruiſſe ſuam.

XXXII. *Ad eundem Epiſcopum: Salutatorium.*

PAſtor honoris apex, venerabilis ore Sacerdos,
Et decus alme patrum, & religionis amor.
Gloria Pontificum meritis pia palma Gregori,
Aſſurgente gradu nobile, jure, caput.
Fortunatus opem tribui quam poſcit Olympi,
Per te chare pater, quo mereatur age.

XXXIII. *Item ad ipſum: Salutatorium.*

VIſitat à vobis dignanter epiſtola currens,
Me, facer Antiſtes, vir pietate pater.
Hanc avidus captans oculis animóque recurro,
Soſpite te gaudens quòd referebat apex.
Longiùs hinc veſtro ſub nomine, Papa Gregori,
Pagina me recreet miſſa ſalutis ope.

XXXIV. *Dominis Sanctis atque Apoſtolicis in Chriſto patribus Eccleſiæ Pontificibus, Fortunatus: pro commendatione peregrini.*

GLoria Pontificum, veneratio Chriſticolarum,
Norma Sacerdotum, culmen & orbis honor:
Qui loca perſpicitis propriæ mercedis amore,
Succurrendo viris, veſter ut extet apex.
Ecce venit præſens Italus peregrinus & hoſpes,
Cernens paſtores, ne precor erret ovis.
Qualiter ad patriam properet, ſolatia poſcit,
Inveniat manus vos vagus, exul, inops.
Me Fortunatum proprium pietate parentum,
Conciliate polo quæſo precando Deum.

XXXV. *Ad Aredium Abbatem: Salutatorium.*

OPto benigne pater verbo tibi ferre ſalutem,
Si minùs hinc oculo cernere te valeo.
Eſt etenim veſtri tantus mihi cultus honoris,
Ut pro me occurrat hinc tibi miſſus apex.
Quæſo, beate, tamen per pabula dulcia Chriſti,
Me quoque commemores cùm dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi paſtor Aredi,
Si Fortunati ſis memor alme tui.
Pro me etiam ſanctam genitricem, chare, ſaluta,
Cùm redit iſte puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, pater ample, ſalutant,
Agnes amore pio cum Radegunde ſimul.

XXXVI. *De ordinatione Sigeberti Regis.*

VEre novo tellus fuerit dum exuta pruinis,
Se picturato gramine veſtit ager.
Longiùs extendunt frondoſa cacumina montes,
Et renovat virides arbor opaca comas.
Promittens gravidas ramis genitalibus uvas,
Palmite gemmato vitis amœna tumet.
Præmittens flores gracili blandita ſuſurro,
Delicioſa favis mella recondit apes.
Progeniem reparans caſto fœcunda cubili,
Artifices natos gignere cauta cupit.
Nexibus apta ſuis pro poſteritatis amore,
Ad fœtus properans garrula currit avis.

Semine quisque suo senio juvenescit in ipso,
Omnia dum redeunt, gaudia mundus habet.
Sic modò cuncta favent dum prosperitate superna,
Regia Cæsareo proficit aula jugo.
Ordine multiplici felicem in sæcula Regem,
Undique cinxerunt lumina tanta ducum.
Culmina tot procerum concurrunt culmen ad unum,
Mars habet ecce duces, pax habet ecce decus.
Cunctorum adventu festiva palatia fervent,
Conjugio regis gens sua vota videt.
Vos quorum irrigui fontis meat unda, favete,
Judicio vestro crescere parva solent.

LIBER QUINTUS.

I. *De Nuptiis præfati Regis, Brunichildisque Reginæ.*

FOElicem Sol pande diem, radiisque serenis
Sparge comas, thalamos sincero lumine complens.
Sigebertus ovans ad gaudia nostra creatus
Vota facit, qui nunc alieno liber amore
Vincula chara subit, cujus moderante juventâ,
Connubium mens casta petit, lasciva refundens,
Ad juga confugit, cui nil sua subripit ætas.
Corde pudicus agens, rector tot gentibus unus,
Et sibi fræna dedit, sed quod natura requirit,
Lege maritali amplexu est contentus in uno,
Quo non peccat amor, sed casta cubilia servans
Instaurat de prole lares ubi luserit hæres.
Torsit amoriferas arcu stridente sagittas
Fortè Cupido volans terris genus omne perurit,
Nec pelagus defendit aquas, mox vilia corda
Subdit vulgus iners. tandem dehinc sensus opimus
Regis anhelantem placidis bibit ossibus ignem,
Molliter incumbens & inhæsit flamma medullis.
Regalis fervebat aper, nec nocte soporâ
Cordis erat requies oculis animóque recurrens
Ad vultus quos pinxit amor, mentémque fatigans,
Sæpe per amplexum falsâ sub imagine lusit.
Mox ubi conspexit cœlo superante Cupido
Virgineâ mitem torreri lampade Regem,
Lætus ait Veneri: Mater, jam bella peregi,
Pectore flagranti mihi vincitur alter Achilles,
Sigebertus amatis Brunechildis carpitur igne,
Quæ placet apta thoro maturis nubilis annis
Virginitas in flore tumens, complexa marito,
Primitiis placitura suis, nec damna pudoris
Sustinet; unde magis pollens Regina vocatur,
Hoc quoque virgo cupit, Quamvis verecundia sexûs
Obstet, amata viri dextrâ leviore repellit,
Ignoscítque sibi culpas quas intulit ignis.
Sed modò læta veni; quoniam te vota requirunt.
Mox Venus ambrosio violas admiscet amomo,
Demetit ungue rosas, gremióque recondit avaro,
Et pariter levibus fregerunt nubila pennis,
Et venere simul thalamos ornare superbos.
Hinc Venus egregiam præponere cœpit alumnam,
Indè Cupido virum, nubentibus ambo faventes,
Et litem fecere piam. Sic deinde Cupido
Matri pauca refert: Tibi quem promisimus hic est,
Sigebertus, amor populi, lux nata parentum,
Qui genus à proavis longo tenet ordine Regum,
Et Reges genitarus erit, spes gentis opimæ,
Quo crevit natale decus, generosa propago.
Hac melior de stirpe redit, famámque priorum
Posteritas excelsa fovet: hic nomen avorum
Extendit bellante manu, cui de patre virtus,
Quam Nabis ecce probat, Thoringia victa fatetur,
Perficiens unum geminâ de mente triumphum.
Nec Dictheuberto pietas venialia pendit.
Iste duos reddit, pro ambobus sufficit unus,
Cardinis occidui dominans in flore juventæ,
Jam gravitate senum, teneróque supervenit annis,
Legem naturæ meruit præcedere factis.
Quamvis parva tamen nullum minor impedit ætas.
Qui sensum maturè gerit, generosior hic est,
Quisquis in angusto fuerit moderatior ævo.
Sic fovet hic populos ipsis intrantibus annis,
Ut pater & Rex sit; nullum graviter regit, omni
Nulla dies sinè fruge venit, nisi congrua præstet,
Perdere plura putat, si non concesserit ampla,
Gaudia diffundit radianti lumine vultus,
Nubila nulla gravant populum sub Rege sereno,
Pectore maturo culpas indulget acerbas.
Unde alii peccant, ignoscendo iste triumphat,
Doctus enim, quoniam prima est in principe virtus,
Esse pium: quia semper habet qui parcere novit.
Corrigit in se priùs quod poscit ut alter emendet.
Qui sibi censura est, reliquos bene lege coercet,
In quo digna manent quicquid de Rege requiras.
Solus amat cunctos, & amatur ab omnibus unus.
Incipit indè Venus laudes memorare puellæ:
O virgo miranda mihi placitura jugali,
Clarior ætherià Brunichildis lampade fulgens,
Lumina gemmarum superâsti lumine vultûs,
Altera natâ Venus regno ditata decoris,
Nullaque Nereïdum de gurgite talis Hibero,
Oceani sub fonte natat non ulla Napæa
Pulcrior ipsa suas subdunt tibi flumina Nymphas.
Lactea cui facies incocta rubore coruscat.
Lilia mixta rosis, aurum si intermicet ostro,
Decertata tuis nunquam se vultibus æquant.
Sapphirus albo, adamas, crystalla, smaragdus, iaspis,
Cedant cuncta, novam genuit Hispania gemmam.
Digna fuit specie, potuit quoque flectere Regem.
Per hyemes validas, nivis Alpem, perque Pyrenem,
Perque truces populos vecta est duce Rege sereno.
Tu Regis Regina thoris super ardua montis
Planum carpis iter: nihil obstat amantibus unquam,
Quos jungi divina volunt. Quis crederet autem
Hispanam tibimet dominam, Germania, nasci,
Quæ duo regna jugo pretiosa annexuit uno?
Non labor humanus potuit tam mira parare,
Nam res difficilis divinis utitur armis.
Longa retro series Regi hoc vix contulit ulli,
Difficili nisu superantur ardua rerum.
Nobilitas excelsa nitet, genus Athanagildi,
Longiùs extremo regnum qui porrigit orbi,
Dives opum quas mundus habet, populúmque gubernat
Hispanum sub jure suo pietate canenda.
Cur tamen egregii genitoris regna renarrem,
Quando tuis meritis video creviisse parentes?
Quantum virgo micans turbas superare videris
Fœmineas, tantum tu Sigeberte maritos.
Ite diu juncti membris & corde jugati,
Ambo pares genio, meritis & moribus ambo,
Sexum quisque suum pretiosis actibus ornans,
Amplexu cujus sint colla revincta sub uno,
Et multos placidis peragatis lusibus annos.
Hoc velit alterutrum quicquid dilexerit alter,
Æqua salus ambobus eat, duo pectora servet,
Unus amor vivo solidamine junctos alescat.
Auspiciis vestris cunctorum gaudia surgant,
Pacem mundus amet, victrix concordia regnet.
Sic iterum natis celebretis vota parentes,
Et de natorum teneatis prole nepotes.

II. *Item in laudem Sigeberti Regis atque Reginæ Brunichildis.*

VIctor ab occasu, quem laus extendit in ortum,
Et facit egregiam principis esse caput.
Quis tibi digna ferat, nam me vel dicere pauca?
Non trahit ingenium, sed tuus urget amor.
Si nunc Virgilius, si forsitan esset Homerus,
Nomine de vestro jam legeretur opus.
Sigeberte potens, generosis clare triumphis,
Hinc nova te virtus, prædicat indè genus.
Cujus rapta semel sumpsit victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta volat.
Saxona Thoringo resonet sua damna movente,
Unius ad laudem tot cecidisse viros.
Quòd tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
Hinc modò te Reges unde sequantur habent.
Prosperitate novâ pacem tua bella dederunt,
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen ut placeas, cùm sit victoria jactans,
Tu magis unde subis, mitior indè manes.
Est tibi summus honor, sed mens præcessit honorem,
Moribus & vestris debitus extet apex.
Justitiæ cultor pietatis amore coruscas.
Quod te plus habeat, certat utrumque bonum.
Lingua, decus, virtus, bonitas, mens, gratia pollens,
Ornarent cunctos singula vestra viros.
Cunctorum causas intrà tua pectora condis,
Pro populi requie te pia cura tenet.

Omnibus

Omnibus una ſalus qualis datus ordine ſacro,
Tempore præſenti gaudia priſca refers.
Catholico cultu decorata eſt optima conjux,
Eccleſiæ crevit te faciente domus.
Reginam meritis Brunichildem Chriſtus amore
Tunc ſibi conjunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota colis meliùs quia munere Chriſti,
Pectora juncta priùs, plus modò lege placent.
Rex pie Reginæ tanto de lumine gaude,
Adquiſita bis eſt quæ tibi nupta ſemel.
Pulcra, modeſta, decens, ſollers, pia, grata, benigna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamvis tantum meruiſſet ſola decorem,
Antè tamen homini, nunc placet ecce Deo.
Sæcula longa micans charâ cum conjuge ducas,
Quam tibi divinus conſociavit amor.

III. *In laudem Chariberti Regis.*

INclyta magnarum proceſſit gloria rerum,
Et de Rege pio ſparſit ubique decus.
Quem gravitate, animo, ſenſu, moderamine legum,
Prædicat occiduus Sol oriénſque virum.
Qui quadripertiti mundi ſub partibus amplis,
Fructificante fide ſemina laudis habet.
Hinc cui barbaries, illinc Romania plaudit,
Diverſis linguis laus ſonat una viri.
Dilige regnantem celsâ Pariſius arce,
Et cole tutorem qui tibi præbet opem:
Hunc modò læta favens avidis amplectere palmis,
Qui jure eſt dominus, ſed pietate pater.
De Childeberto verteres compeſce dolores,
Rex placidus rediit qui tua vota fovet.
Ille fuit mitis, ſapiens, bonus, omnibus æquus,
Non cecidit patruus, dum ſtat in urbe nepos.
Dignus erat hæres ejus ſibi ſumere regnum,
Qui non eſt illo laude loquente minor.
Charibertus adeſt, qui publica jura gubernans,
Tempore præſenti gaudia priſca refert.
Iò tantum patruo ſe prodidit eſſe ſequacem,
Ut modò ſit tutor conjugis iſte nepos.
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen,
Ejus natarum eſt frater & ipſe pater.
Quæ bene defenſæ placito moderamine Regis,
In conſobrino ſpem genitoris habent.
Maxima progenies generosâ luce coruſcans,
Cujus ab excelſis gloria currit avis.
Nam quoſcunque velim veterum memorare parentum,
Stirpis honorificæ regius ordo fluit.
Cujus celſa fides eduxit ad aſtra cacumen,
Atque ſuper gentes intulit illa pedes.
Hoſtes calcavit tumidos, erexit amicos:
Fovit ſubjectos, terruit atque feros.
Cur tamen hic repetam præconia celſa priorum,
Cùm potiùs tua laus ornet honore genus?
Illi auxere armis patriam; ſed ſanguine fuſo,
Tu plus adquiris, qui ſinè clade regis.
Quos priùs infeſtis laſſârunt bella periclis,
Hos modò ſecuros pacis amore foves.
Omnia læta canunt fœlicia tempora Regis,
Cujus in auſpiciis floret opima quies.
Per quem tranquilla terrarum fuges abundat,
Devotis populis eſt tua vita ſeges.
Cùm te naſcentem meruerunt ſæcula Regem,
Lumine majori fulſit in orbe dies.
Poſteritate novâ tandem ſua gaudia cernens,
Creſcere ſe dixit prolis honore pater.
Qui quamvis eſſet ſublimi vertice rector,
Altiùs erexit te veniente caput.
Lætus in hæredis gremio ſua vota reclinans,
Floruit indè magis ſpe meliore ſenex.
Ante alios fratres regali germine natus,
Ordine qui ſenior, ſic pietate prior.
Prædicat hinc bonitas, illinc ſapientia plaudit,
Inter utrumque decus te ſibi quiſque rapit.
De patruo pietas, & de patre fulget acumen,
Unius in vultu vivit uterque parens.
Quas habuere ambo laudes, tu colligis omnes,
Et reparas ſolus lege favente duos.
Semita juſtitiæ, gravitatis norma refulges,
Et ſpeculum vitæ dat pretioſa fides.
Tranquillis animis moderatio fixa tenetur,
Qui portum in proprio pectore ſemper habes.
Tempeſtas nullo penetrat tua corda tumultu,
Ne ſenſu titubes, anchora mentis adeſt.
Conſtantes animos non ventilat aula ſuſurrans,
Nec leviter facili mobilitate trahit.
Hinc bene diſpoſito comitatur gloria curſu,
Quòd ſe maturè mens moderata regit.
Conſilium vigilans altâ radice retractas,
Et res clauſa aliis, eſt manifeſta tibi.
Publica jura movens proceres tecum regis omnes,
Spes eſt conſilii te monitore ſequi.
Hinc quoties felix legatio denique pergit,
Ingreditur cautè quam tua lingua regit.
Quòd tam mirifico floret patientia cultu,
Magna quies vitæ ſunt tibi divitiæ.
Juſtitiæ rector, venerandi juris amator,
Judicium ſapiens de Salomone trahis.
Tu melior fidei merito: nam principis ampli
Trajani ingenium de pietate refers.
Quid repetam maturum animum, qui tempore noſtro
Antiqui Fabii de gravitate places.
Si veniant aliquæ variato murmure cauſæ,
Pondera mox legum Regis ab ore fluunt.
Quamvis confuſas referant certamina voces,
Nodoſæ litis ſolvere fila potes.
Obtinet adveniens fructum, cui juſta petuntur,
Quem ſua cauſa fovet, præmia victor habet.
Cujus clara fides validâ radice tenetur,
Antea mons migrat, quam tua verba cadant.
Spes ſtat promiſſi nullo mutabilis actu,
Cui ſit pacta ſemel, perpetuata manet.
Illa domus proprio ſub pondere tuta tenetur,
Quæ fundamento ſtat bene fixa ſuo.
Cùm ſis progenitus clarâ de gente Sicamber,
Floret in eloquio lingua latina tuo.
Qualis es in propriâ docto ſermone loquelâ,
Qui nos Romanos vincis in eloquio!
Splendet in ore dies deterſâ fronte ſerenus,
Sinceros animos nubila nulla premunt.
Blanda ſerenatum circundat gratia vultum,
Lætitiam populus Regis ab ore capit.
Muneribus largis replet tua gratia cunctos,
Ut mea dicta probes, plebs mihi teſtis adeſt.
O bonitas immenſa Dei, quæ divite cenſu,
Quod famulis tribuit, hoc putat eſſe ſuum!
Erigis abjectos, erectos lege tueris,
Omnibus in totum factus es omne bonum.
Protegat omnipotens pietatis munere Regem,
Et dominum ſervet quem dedit eſſe patrem.
Cives te cupiant, tu gaudia civibus addas,
Plebs placeat famulans, Rex pietate regat.

IV. *De Theudechilde Reginâ egregiâ.*

INclyta progenies regali ſtirpe coruſcans,
Cui celſum à proavis nomen origo dedit.
Currit in orbe volans generis nova gloria veſtri,
Et ſimul hinc frater perſonat, indè pater.
Sed quamvis niteat generoſa propago parentum,
Moribus ex veſtris multiplicatus honor.
Cernimus in vobis quicquid laudatur in illis,
Ornâſti antiquum, Theodechilde, genus.
Mens veneranda, decens, ſollers, pia, cara, benigna,
Cùm ſis prole potens, gratia major adeſt.
Evitans odii cauſas micat ampla poteſtas,
Quæ terrore minor plus in amore venis.
Mitis ab ore ſonus, ſuaviſſima dicta reſultant,
Verbáque colloquii ſunt quaſi mella favi.
Fœmineum ſexum quantum præcedis honore,
Tantum alias ſuperas & pietatis ope.
Si novus adveniat, recipis ſic mente benignâ,
Ac ſi ſervitiis jam placuiſſet avis.
Pauperibus feſſis tua dextera ſeminat eſcas,
Ut ſegetes fructu fertiliore metas.
Unde foves inopes ſemper ſatiata manebis,
Et quem ſumit egens, ſit tuus ille cibus.
Pervenit ad Chriſtum quicquid largiris egeno,
Etſi nemo videt, non peritura manent.
Cùm venit extremus finis concludere mundum,
Omnia dum pereunt, tu meliora petis.
Eccleſiæ ſacra te diſpenſante novantur,
Ipſa domum Chriſti condis, & ille tuam.
Tu fabricas illi terris, dabit ille ſupernis,
Commutas melius, ſic habitura polos.
Stat ſinè fraude tuum quod mittis ad aſtra talentum,
Quas bene diſpergis, has tibi condis opes.
Quæ Domino vivis, ſummos non perdis honores,
Regna tenes terris, regna tenenda polis.

Sit

Sit modò longa ſalus pro munere plebis in urbe,
Felix quæ meritis luce perennis eris.

V. *De Berthilde ſacrâ virgine.*

MENS devota Deo Berthildis corde coruſcans,
Pectore ſub cujus Chriſtus amore manet.
Deſpiciens mortale malum, vitalia ſervans,
Unde fugis terras, hinc petis aſtra magis.
Immaculata nitens neſcis contagia mundi,
Sordibus humanis libera membra geris.
Digna pudicitiæ debentur præmia ſacræ,
Virgo dicata Deo hinc rapienda polo.
Ille tenet cœlos cui tu complexa videris,
Quo tuus eſt ſponſus, hìc eris ipſa ſimul.
Non cupis auro humeros nec collum pingere gemmis,
Sed meliùs caſto pectore pura micas.
Mutâſti veſtem, mutâſti gentis honorem,
Cùm thalamis Domini ſponſa juganda venis.
Quàm meliore viâ meruiſti vota tenere,
Quando creatori forma creata places!
Pauperibus largas das eſurientibus eſcas,
Neſcit habere famem qui tua tecta petit.
Qui ſinè veſte jacet, tegmen pietate miniſtras,
Unde calet nudus frigora nulla timens.
Te redimente piâ captivi vincula laxant:
Quæ ſolvis vinctos libera ſemper eris.
Diſtribuis cenſum, nulli ſua vota negando,
Divitiáſque tuas omnibus eſſe facis.
Colligis in cœlis quicquid diſpergis in arvis.
Semina nunc fundes, pòſt meliora metes.
Quicquid habet mundus fugitivo tramite tranſit,
Tempore tu modico ſemper habenda facis.
Hìc tibi longævis ſit vita ſuperſtes in annis:
Rurſus in æternum ſit tibi vera ſalus.

VI. *De Goiſuintâ & ejus filiâ Geleſuintâ.*

CAſibus incertis rerum fortuna rotatur,
Nec figit ſtabilem pendula vita pedem.
Semper in ambiguo ſæclum rota lubrica volvit,
Et fragili glacie lapſibus itur iter.
Nulli certa dies, nulli ſua certior hora,
Sic ſumus in ſtatu débiliore vitro.
Dum greſſu ancipiti trahit ignorantia fallens,
Hoc latet ars fovea, quò putat eſſe viam.
Neſcia mens hominum quid ſit necis atque ſalutis!
Lucifer an vita eſt, mors ſibi veſper erit.
His premimur tenebris ignari ſorte futuri,
Et vaga tam fragile hæc tempora tempus habent.
Toletus geminas miſit tibi, Gallia, turres,
Primâ ſtante quidem fracta ſecunda jacet.
Alta ſuper colles ſpecioſa cacumine pulcro,
Flatibus infeſtis culmine lapſa ruit.
Sedibus in patriæ ſua fundamenta relinquens,
Cardine mota ſuo non ſtetit una diu.
De proprio migrata ſolo nova merſit arena,
Exul & his terris heu peregrina jacet.
Quis valet ordiri tanti præſagia luctûs,
Stamine quo cœpit texere flenda dolor?
Cùm primùm algentes jungi peteretur ad arctos,
Regia regali Geleſuinta thoro,
Fixa Cupidineis caperet ut frigora flammis,
Viveret & gelidâ ſub regione calens.
Hoc ubi virgo metu auditúque exterrita ſenſit,
Currit ad amplexus Goïſuïnta tuos.
Tum matris collecta ſinu malè ſana reclinans,
Ne divellatur ſe tenet unque manus.
Brachia conſtringens nectit ſinè fine catenam,
Et matrem amplexu per ſua membra ligat.
Illis viſceribus retineri filia poſcens,
Ex quibus antè ſibi lucis origo fuit.
Committens ſecura ejus ſe faſce levari,
Cujus clauſa uteri pignore tuta fuit.
Tum gemitu fit mœſta domus, ſtrepit aula tumultu,
Reginæ fletu plorat & omnis honor.
In populi facie lacrymarum flumina ſordent,
Infans qui affectum neſcit, & ipſe gemit.
Inſtant legati, Germanica regna requiri,
Narrantes longæ tempora tarda viæ.
Sed matris moti gemitu ſua viſcera ſolvunt,
Et qui compellunt, diſſimulare volunt.
Dum natæ amplexu genitrix nudata tenetur,
Prætereunt duplex, tertia, quarta, dies.
Inſtant legati notâ regione reverti,
Quos his alloquitur Goïſuinta gemens.
Si feritate truces premerer captiva Geloni,
Forſan ad has lacrymas & pius hoſtis erat.
Si nec corde pius, cupidus mihi crederet hoſtis,
Ut natam ad precium barbara præda daret.
Si neque ſic animum velit inclinare cruentum,
Matri præſtaret quo ſimul iret iter.
Nunc mora nulla datur, precio neque flectimur ullo,
Qui nihil indulget ſæviùs hoſte nocet.
Poſt uteri gemitus, poſt multa pericula partûs,
Póſtque laboris onus, quod grave fœta tuli;
Quæ genui nata matrem me non licet eſſe,
Ipſáque naturæ lex mihi tota perit.
Affectu jejuna meo lacrymoſa repellor,
Nec pietas aditum, nec dat origo locum.
Quid rapitis? differte dies, dum diſcam dolores,
Solaméque mali ſit mora ſola mei.
Quando iterum videam, quando hæc mihi lumina claudet,
Quando iterum natæ per pia colla cadam?
Unde precor teneræ greſſum ſpectabo puellæ,
Oblectéque animum matris & ipſe jocus?
Poſt cauſas, quas regna gerunt, ubi mœſta reclinem?
Quis colat affectu, lambat & ore caput?
Extenſis palmis quis currat ad oſcula, vel quæ
Cervici inſiliunt pendula membra meæ?
Quem teneam gremio blando ſub faſce laborans,
Aut leviore manu verberer ipſa joco?
Nec te ferre ſinu, quamquam ſis adulta, gravarer,
Quæ mihi dulce nimis & leve pondus eras.
Cur nova rura petas illic ubi non ero mater?
An regio forſan non capit una duas?
Quæ genuere ergo lacerentur viſcera luctu,
Gaudia cui pereunt tempora fletûs erunt.
Plorans perdam oculos, duces mea lumina tecum,
Si tota ire vetor, pars mea te ſequitur.
Tum proceres, famuli, domus, urbs, Rex ipſe remugit,
Quáque petiſſet iter vox gravis una gemit.
Proceſſere foras tandem ſed turba moroſa,
Solvere dum properat, ſe properando ligat.
Hinc tenet affectus, rapit indè tumultus euntes,
Sic per utraſque vices flebile ſervet opus.
Alter abire monet, rogat alter amore redire,
Sic variante fide hìc trahit, ille tenet.
Dividitur populus per regna novella vetuſtus,
Stat pater, it genitus, ſtat ſocer, ſequе gener.
Aſtans qui trepidam patriam migrare putaret,
Et quaſi captivum crederet ire ſolum.
Procedunt portis ferrato in ponte retenti,
Protulit hoc fletu Geleſuinta caput.
Sic gremio Tolete tuo nutribar, ut ægra
Excludar portis triſtis alumna tuis?
Quóque magis crucies prodens mea vulnera luctu,
Stas felix regio, cur ego præda trahor?
Antea clauſa fui, modò te conſidero totum,
Nunc mihi nota priùs quando recedo feror.
Hinc te dinumero currens per culmina viſu
En ego de numero non ero ſola tuo.
Crudeles portæ quæ me laxâſtis euntem,
Clavibus oppoſitis nec vetuiſtis iter!
Antea vos geminas adamas, petra una ligâſſet
Quàm daret huc ullam janus panſa viam.
Urbs pia plus fueras, ſi murus tota fuiſſes,
Me ire ut ne fineres, cingeret alta ſilex.
Pergo ignota locis trepidans, quidnam antea diſcam,
Mores, gentem, animos, oppida, rura, nemus.
Quem precor inveniam peregrinis advena terris,
Quò mihi nemo venis civis, amice, parens?
Dic, ſi blanda poteſt nutrix aliena placere,
Quæ lavet ora manu, vel caput ornet acu,
Nulla puella choro neque collectanea ludat,
Hic mea blanditiæ, hìc mea cura jaces.
Si me non aliter vel nuda ſepulcra tenerent,
Vivere non licet hìc, hìc mihi dulce mori.
Non fruor amplexu, neque viſu plena recedo,
Quæ me dimittis, dura Tolete, vale.
Sic accenſi animi lacrymarum flumina rumpunt,
Fixus & irriguas parturit ignis aquas.
Hinc iter arripiunt genitrix, nata, agmina flentum,
Nec piget obſequiis mater anhela ſequi.
Deducit dulcem per arma viatica natam,
Implentur valles fletibus, alta tremunt.
Frangitur & denſus vacuis ululatibus æther,
Ipſa repercuſſo murmure ſylva gemit.
Dat cauſas ſpatii genitrix ut longiùs ires,
Sed fuit optanti tempus itérque brevе.

Pervenit

Pervenit quò mater sit sese indè reverti,
Sed quod velle prius, postea nolle fuit.
Rursus adire cupit, via quâ fert invia matrem,
Quam proceres retinent, ne teneretur iter.
Hærebant in se amplexæ pariterque reflexæ:
Incipit hìc gemitum Goisuinta dolens.
Civibus ampla tuis, angusta Hispania matri,
Et regio soli tam citò clausa mihi:
Quæ licèt à Zephyro calidum percurris in Eurum,
Et de Tyrrheno tendis ad Oceanum;
Sufficiens populis quamvis regionibus amplis,
Quo est mea nata absens, terra mihi brevis es.
Nec minùs hìc sinè te errans & peregrina videbor,
Inque loco proprio civis & exul ero.
Quæso quid inspiciant oculi, quæ nota requirant,
Quæ mea nunc tecum lumina ducis amor?
Tu dolor unus eris quisquis mihi inferit infans,
Amplexu alterius tu mihi pondus eris.
Currat, stet, sedeat, fleat, inter & exeat alter,
Sola meis oculis dulcis imago redis.
Te fugiente errans aliena per oscula curram,
Et super ora gemens ubera sicca premam.
De facie infantum plorantia lumina lambam,
Et teneras lacrymas insatiata bibam.
Tali potu utinam vel parte refrigerer ullâ,
Aut plorata avidè mitiget unda sitim.
Quicquid erit, crucior, nulla hic medicamina prosunt,
Vulnere distillo, Gelesuinta, tuo.
Qua rogo nata manu cara hæc coma pexa nitebat,
Quis sinè me placidas lambiat ore genas?
Quis gremio foveat, genibus vehat, ambiat ulnâ?
Sed tibi præter me non ibi mater erit.
Quod superest, timibundus amor hoc mandat euntì,
Sis precor ô felix, sed cave, vade, vale.
Mitte avidæ matri vel per vaga flabra salutem,
Si venit ipsa, mihi nunciet aura boni.
Filia tunc validis genitricis onusta querelis,
Tristis, inops animi, nec valitura loqui;
Clausâ vocè diu, vix fauce solubile fandi,
Pauca refert cordis vulnere lingua gravis,
Majestas si cœlsa Dei mihi tempora vellet
Nunc dare plus vitæ, non daret ista viæ.
Ultima sed quoniam mihi tabe irrevocabilis instat,
Si jam nemo vetat, eò trahit ira sequar.
Hæc extrema tamen loquar & memoranda dolori,
Hinc tua non tua sum, Goisuinta vale.
Oscula sic rumpunt, & fixa ori ora repellunt,
Dum se non possunt, ægra lambit amor.
Hinc pilente petens loca Gallica Gelesuinta,
Stabat fixa oculis tristis eunte rotâ.
E contrà genitrix post natam lumina tendens,
Uno stante loco pergit & ipsa simul.
Tota tremens agiles raperet ne mula quadrigas,
Aut equus impatiens verteret axe rotas.
Sollicitis oculis circumvolitabat amantem,
Illuc mente sequens quà via flexit iter,
Sæpe loquebatur quasi secum nata sederet,
Absentémque manu visa tenere suâ.
Prendere se credens in ventos brachia jactat,
Nec natam recipit, sed vaga flabra ferit.
Inter tot comites unam spectabat euntem,
Sola videbatur quà suus ibat amor.
Pius genitrix suspensa animo, quàm filia curru,
Hæc titubans votis ibat, & illa rotis,
Donec longè oculis spatióque evanuit amplo,
Nec visum attingit dum tegit umbra diem.
Ipsa putat dubios natæ se cernere vultus,
Et cùm forma fugit, dulcis imago redit.
O nomen pietate calens, ô cura fidelis!
Quamvis absenti quid nisi mater eras?
Fletibus ora rigans, lamentis sydera pulsans,
Singula commemorans dulcia, dura, pia.
Mobilis, impatiens, metuens, fiens anxia mater,
Quid sequeris, lacrymis augurat alter amor.
Illa tamen pergit quà trita viam orbita sulcat,
Quisque suis vacuos fletibus implet agros.
Indè Pyrenæas per nubes transilit Alpes,
Quáque pruinosis Julius alget aquis.
Quà nive candentes fugiunt ad sydera montes,
Atque super pluvias exit acutus apex.
Excipit hinc Narbo, quà littora plana remordens
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.
Post aliquas urbes Pictavas artigit arces,
Regali pompâ prætereundo viam.
Inclytus ille quibus verè amplus, Hilarius oris
Et fatus & situs ac ore tonante loquax.
Thrax, Italus, Scytha, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus,
Hujus in eloquio spem habit, arma capit.
Sol radio, hic verbo generalia lumina fodit,
Montibus ille diem, mentibus iste fidem.
Hanc ego nempè urbem conspexi prætereuntem,
Molliter argenti turre rotante vehi.
Materno voluit pia quam Radegundis amore
Cernere ferventem si daret ullus opem.
Sæpe tamen missis legatis dulcis adhæsit,
Et placidè coluit quod modò triste dolet.
Turonicas terras Martini ad sydera noti
Indè petit, lento continuante gradu.
Vigennæ volucer transmittitur alveus alno,
Turba comes rapidis alacris exit aquis.
Excipit indè repens vitreâ Liger algidus undâ,
Quo neque vel piscem lævis arena tegit.
Pervenit quà se piscoso Sequana fluctu
In mare fert, juncto Rhotomagense simu.
Jungitur ergo thoro regali culmine virgo,
Et magno meruit plebis amore coli.
Hos quoque muneribus permulcens, vocibus illos,
Et licèt ignotos sic facit esse suos.
Utque fidelis ei sit gens armata per arma,
Jurat, jure suo se quoque lege ligat.
Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens advena mater erat.
Quóque magìs regno possit supersesse perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet.
O dolor insignis qui differt tempore fletus,
Lugubrésque vices plura loquendo tacet!
Improba fors hominum, quæ improviso abdita lapsu,
Tot bona tam subitò sorte volante fugas!
Nam breve tempus habens consortia nexa jugalis,
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti casu volucri præventa sub ictu,
Deficit, & verso lumine lumen obit.
Infelix nutrix audito funere alumnæ,
Exanimum ad corpus vix animata volat.
Ipsa inter famulas incumbens prima fidelis,
Hæc tandem potuit clausa dolore loqui.
Sic placidæ matri promisi pessima nutrix,
Te longè incolumem Gelesuinta fore.
Sic extincta meum mea cernunt lumina lumen,
Pallida sic facies, quâ rubor antè fuit.
Dic aliquid miseranti, miseræ mihi redde loquelas,
Quid referam ad matrem si remeare licet?
Hoc propter tantos peregrina secuta labores,
Pro vice tale mihi munus alumna refers?
Optabas pariter nobis vitam atque sepulcra,
Quæ tecum vixi, me sinè passa mori,
Ordo utinam vitæ juvenisque senisque fuisset,
Te stante incolumi, me prius ire neci.
Vix paucos profert, vocem rapit alter ab ore,
Nec valet una loqui quod videt ora gemi.
Interea vehitur tristi lacrymata feretro,
Solvit & obsequias obsequialis amor.
Ducitur, ornatur, deponitur, undique fletur,
Conditur & tumulo sic peregrina suo.
Nascitur & subitò rerum mirabile signum,
Dum pendens lychnus lucet ad obsequium.
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arsit,
Nec vitrum saxis, nec perit ignis aquis.
Fama recens resides Germanæ perculit aures,
Affectúque pio sic movet ora soror.
Hanc rogo Germanæ, mandâsti cara salutem,
Scripta tuis digitis hoc mihi carta refert.
Sollicitis oculis expectabam unde venires,
Quale precata fui, non agis illud iter.
Optavi Gallis te ut huc Hispania ferret,
Non te hìc cara soror, non ibi mater habet.
Extremo obsequio non hunc Brunichildis adivi,
Si tibi nil vivæ mortis honore dafem.
Cur peregrina tuos non clausi dulcis ocellos,
Auribus aut avidis ultima verba bibi?
Officium tristi nihil impendi ipsa sorori,
Membra, manus, faciem nec manus ista tegit.
Non licuit fundi lacrymas, nec ab ore resorbi,
Frigida nec tepido viscera fonte lavo.
Nutritas pariter, junctas regionibus iisdem,
Cur ad mortis iter dividis alte dolor?
Sicque relicta soror casu lacerator ademptæ,
Hæc vocat, illa jacet, necrepetita redit.

Germanæ

Germanæ validos audit Germania fletus,
Quàque recurrit iter quæſtibus aſtra ferit.
Nomine ſæpe vocans te Geleſuinta ſororem,
Hoc fontes, ſylvæ, flumina, rura ſonant.
Geleſuinta taces, reſponde ut muta ſorori,
Reſpondent lapides, mons, nemus, unda, polus.
Anxia ſollicitans ipſas interrogat auras,
Sed de Germanæ cuncta ſalute ſilent.
Nuncius hic ſubitò fluvios tranſcendit & Alpes,
Mœrorſſque gravis tam citò penna volat.
Optandum fuerat, poſtquam loca cuncta repléſſet,
Tardiùs ad matrem hic dolor iret iter.
Sed quod fama refert, qui plus amat, & priùs audit,
Ac dubium credit dante timore fidem.
Mox igitur matris jaculans dolor attigit aures,
Anxia ſucciſo poplite lapſa ruit.
Auditâ de morte una mors altera pulſat,
Et penè incolumi corpore funus erat.
Pallida ſuffuſo tum Geleſuinta rubore,
Molliter hæc, animâ vix redeunte, refert.
Siccine me tenero natæ ſolabar amore,
Ut mea nunc graviùs viſcera vulnus alit?
Si noſtrum jam lumen obit, ſi nata receſſit,
Has ad quid lacrymas invida me vocitas?
Errâſti mors dura nimis, cùm tollere matrem
Funere debueras, ſors tibi nata fuit.
O utinam merſis creviſſent flumina ripis,
Naufraga ſeu fuſis terra natâſſet aquis.
Alta Pyrenæi tetigiſſent ſydera montes,
Vitrea vel glacies conſolidâſſet iter.
Quando relaxavit te Geleſuinta ſub arcto,
Ut nec rheda rotis, non equus iſſet aquis.
Hoc ergo illud erat quod mens præſaga timebat,
Non poſſe amplexu vellere nata meo.
Paruimus votis alienis juſſa ſequentes,
Promiſſa exiſti non reditura mihi.
Hoc erat altus amor placidâ dulcedine natæ,
Quòd teneris labiis ubera preſſa dedi.
Cur hinc lactis opem produxit vena mamillæ,
Cur alimenta dedi, nec habitura fui?
Sæpe ſoporantem furtiva per oſcula ſuxi,
Ut leve dormires viſcera ſuppoſui.
Optâſſe extremum de te quid profuit illud,
Luderet ut gremiis parvula neptis avis?
Nec felix vota, aut infelix funera vidi,
Perdidit heu nimius hoc labor, illud amor.
Partitis lacrymis ſoror hinc, indè anxia mater,
Vocibus hæc Rhenum, pulſat & illa Tagum.
Condolet hinc Batavus, gemit illinc Bæticus axis,
Perſtrepit hoc Vachalis, illud Hiberus aquis.
Tot lacrymas ſtillâſſe ſat eſt, ſed ab imbre vaporis,
Non relevanda ſitim gutta miniſtrat opem.
Affectus ſi fortè poteſt miteſcere, dicam,
Non ea fienda jacet quæ loca læta tenet.
Dicite ſi quid ei nocuit, quam tempore lapſo
Mortis iter rapuit, vita perennis alit.
Quæ modò cum Stephano cæleſti conſule pergit,
Fulget Apoſtolico principe clara Petro.
Matre ſimul Domini plaudens radiante Mariâ,
Rege ſub æterno militat illa Deo.
Conciliata placet, precioſo funere fulget,
Depoſitâ veteri nunc ſtola pulcra tegit.
Atque utinam nobis illos accedere vultus
Cedat amore Deus per mare, per gladios.
Vitæ ſigna tenet vitreo cum vaſe cadente,
Non aqua reſtinxit, nec petra fregit humi.
Tu quoque mater habes conſultum voce Tonantis,
De natâ & genero, nepte, nepote, viro.
Credite Chriſticolæ vivam, quia credidit illa:
Non hanc flere decet quam Paradiſus habet.

VII. *De horto Ultrogothonis Reginæ.*

HIC ver purpureum viridantia gramina gignit,
Et Paradiſiacas ſpargit odore roſas.
Hìc tener æſtivas defendit pampinus umbras,
Præbet & uviferis frondea tecta comis.
Pinxerúntque locum variato germine flores,
Pomáque veſtivit candor & indè rubor.
Mitior hìc æſtas, ubi molli blanda ſuſurro,
Aura levis ſemper pendula mala quatit.
Hæc magno inſeruit Rex Childebertus amore,
Cariùs iſta placent quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta ſaporem,
Forſan & hìc tacitos miſcuit ille favos.
Regis honore novis duplicata eſt gratia pomis,
Nare ſuavis odor, dulcis amore ſapor.
Qualiter ille hominum potuit prodeſſe ſaluti,
Cujus & in pomis tactus odore placet.
Felix perpetuâ generetur ab arbore fructus,
Ut de Rege pio ſit memor omnis homo.
Hinc iter ejus erat, cùm limina ſancta petebat,
Quæ modò pro meritis incolit ille magis.
Antea nam vicibus loca ſancta terebat amatus,
Nunc tamen aſſiduè templa beata tenet.
Poſſideas felix hæc Ultrogotho per ævum,
Cum geminis natis tertia mater ovans.

VIII. *De villâ Cantoblando.*

VEnimus ad Cantum felici tramite blandum,
Aregium læto quo reperiſſe patrem.
Quod petit inſtigans avido gula noſtra barathro,
Excipiunt oculos aurea poma meos.
Undique concurrunt variato mala colore,
Credas ut pictas me meruiſſe dapes.
Vix digitis tetigi, fauce hauſi, dente rotavi,
Migravítque alio præda citata loco.
Nam ſopor antè placet quàm traxit naris odorem,
Sic vincente gulâ, naris honore caret.

IX. *De coco qui ſibi navem tulit.*

CUR mihi tam validas innectis cura querelas,
Heu mea vel tandem deſere corda dolor.
Quid revocas caſus? jam me mea ſarcina laſſat,
Quod jactare puto, cur duplicatur onus?
Triſtiùs erro nimis, patriis vagus exul ab oris,
Quàm ſit Apolloniis naufragus hoſpes aquis.
Venimus ut Mettin, cocus illic regius inſtar,
Abſenti nautas abſtulit atque ratem.
De flammis ardente manu qui diripit eſcas,
Ille rati neſcit parcere tutus aquis.
Corde niger, fumo ſparſus, fuligine cinctus,
Et cujus facies cacabus alter erat.
Cui ſua ſordentem pinxerunt ar[illegible]neſchlorem,
Frixuræ cucumæ, ſcafa, patel[illegible] ſalſæ.
Indignus verſu, potiùs carbone [illegible]ppear,
Et piceum referat turpis im[illegible]nmoim.
Res indigna nimis, gravis e[illegible]s darefacti,
Plus juſcella coci quàm me [illegible]ti mealent.
Nec tantum codex quantum [illegible]em effious effert,
Ut mea nec mihi ſit participata ratis.
Sed tamen auxilium ſolito porrexit amore,
Qui Domini paſcens villicus auget oves.
Præſtitit, & gracili pavidus cum lintre cucurrit,
Imbre, Euro, fluvio, ſed madefactus ego.
Jactavi reliquos, ſequerentur ut indè pedeſtres,
Nam ſi nemo foris nemo nec intus erat.
Mergere mox habuit cunctos rapiente periclo,
Naufragii teſtis nemo ſuperſtes erat.
Sic vicinus eram poſtquam jactavimus omnes,
Ictibus ut crebris lamberet unda pedes.
Obſequium, dixi, remove, modò nolo lavari,
Sed tamen inſtabat lympha rigare pedes.
Nauriacum veniens refero mea triſtia Regi,
Riſit, & ore pio juſſit adeſſe ratem.
Quærunt, nec poterant aliquam reperire carinam,
Donec cuncta cohors regia fluxit aquis.
Reſtitit, hic ſolus præſtans ſolatia Gogo,
Quod tribuit cunctis, non negat ille ſuis.
Dulciùs alloquitur comitem qui Pappulus extat,
Ut quamcunque mihi redderet ipſe ratem.
Omnia perluſtrans vidit ſub littore lintrem,
Nec tamen hìc poterat ſarcina noſtra capi.
Nauriacum interea fecit me ſtare parumper,
Ordinat & ſumptus quos locus ipſe dedit.
Quamvis parva ferat, ſatìs eſt mihi ſola voluntas,
Eſt nec parva quidem quam dat amator opem.
Addidit atque comes mihi pocula gratus amicus,
In quantum poterat rure parare merum.
Sic mihi jocundam direxti Pappule proram,
Felix vive, vale, dulcis amice comes.

X. *Ad Dynamium Maſſilienſem.*

EXpecto te, noſter amor, venerande Dynami,
Quamvis abſentem quem mea cura videt.
Quæ loca te teneant venientia flabra requiro,
Si fugias oculos, non fugis hinc animos.
Maſſiliæ tibi regna placent, Germania nobis,
Vultus ab aſpectu, pectore junctus ades.

Quo

Quo finè te tua pars huc uſque oblita remanſit,
Nec revocas animo membra relicta tuo.
Si ſopor oppreſſit, tibi me vel ſomnia narrent,
Nam ſolet unanimes ipſa videre quies.
Si vigilas, fateor, veniam tibi culpa negabit,
Nil unde excuſes deſidioſus habes.
Altera ſigniferi revolutis menſibus anni,
Solis anhelantes orbita laſſat equos.
Cùm mea diſcedens rapuiſti lumina tecum,
Et modò nil finè te cerno patente die.
Vel mihi verba dares de fonte refuſa loquaci,
Ut faceret tecum pagina miſſa loqui.
Sed tamen ut tandem venias huc, cariùs hortor,
Te revoces oculis lumen, amice, meis.

XI. *Item ad ipſum Dynamium.*

TEmpora præcipiti quos invidiſtis amori,
Officium voti quod vetuiſtis agi.
Per Lyricos modulos, & fila loquacia plectris,
Qua cytharis Erato dulce relidit ebur.
Ecce vaporiferum ſitiens canis exerit aſtrum,
Et per hiulcatos fervor anhelat agros.
Hinc metuens ſaniem, ne quo jacularer ab igne,
Sanguine laxato brachia nexa gero.
Labitur inde cruor è nodo manus indè tenetur,
Et dextram innocuam vena ſoluta ligat.
Ut finè temperie validi ſitis urat amoris,
Cauſa meis votis obſtitit iſta gravis.
Neſcio quam proſit ratio perfuncta medelæ,
Me tamen indè vocat quo retinere facit.
Scribere ſi digitis fineret, ſatis illa fuiſſet,
Nunc mihi cura tui prima, ſecunda mei.
Ex ſtudio ſtudiis retrahor, ſilet unda camenæ,
Carne fluit ſanies, ne riget ora latex.
Muſicus ignis abeſt, algent in fonte ſorores,
Nam ſanguis laticés hic gelat, unde rigat.
Si qua calens animo recitanda poëmata pangam,
Scis ipſe hoc ſtudiò quam gravet arte labor.
Nam cruor ablatus magis otia lenta requirit,
Quóque frigus penetrat, nec vapor uſtus adeſt.
Secretúmque petit, ne flabilis aura flagellet,
Quo recreans animum ſtat viror, halat odor.
Aſt ego poſthabeo affectu mea ſeria veſtro,
Cura tui faciem, non mea terga tenet.
Poſt ſudorem habui modò non dare membra quieti,
Ordine poſtpoſito tempora rumpit amor.
Dico parum, propriam tibi dum volo ferre ſalutem,
Sed mea proſpicio, cùm tua vota colo.
Nunc cape parva cate & pollens in lance Dynami,
Clare decore tuo, care favore meo.
Partibus Italiæ advecto mihi Rhenus & Iſter,
Quem cecinere priùs quàm daret ipſe locus.
Inſignem ſpecie, celſum lare, lege ſagacem,
Omnibus æqualem ipe, ſale, pace, fide.
Incidit unde mihi, fateor, te ſorte videndi,
Arctoi gelidâ ſub regione calor.
Plúſque libens vultus efferveo totus in illos,
Ad patriæ reditus quàm peregrina cohors.
Viſibus atque tuis iſſem velociùs ac ſi
Ad patris amplexus de Telamone ſatus.
Vix quoque tam cupidus vario ſinuamine ſulcat,
Ruſticus arte ſolum, navita claſſe fretum.
Ex illo, celebrandè cliens, ſtat pars mea tecum,
Et venis huc animæ pars mediata meæ.
Antea corde mihi notus, quàm lumine viſus,
Quem mente aſtringo, ſi neque tango manu.
Brachia qui necdum circùm tua colla cateno,
Quod digiti nequeunt, alligat illud amor.
Longiùs indè ablens ibi, ſed pertingo quod opto,
Quo pede non venio, pectore totus eo.
Non licèt obſtet Arar, Rhodanúſque, natamus amore,
Nec vetat ire animum, qui vetat ire gradum.
Legi etiam miſſos alieno nomine verſus,
Quo quaſi per ſpeculum reddit imago virum.
Fonte camenali quadrato pergis & orbi,
Ad loca quæ neſcis, duceris oris aquis.
Hinc quoque non aliquò nobis abolende recedis,
Quò fixus ſcriptis noſceris eſſe tuis.
Interiora mei penetrans poſſeſſor agelli,
Felix perpetuò dulcis amice vale.
Spectans oris opem meliùs quàm ſyderis optans,
Currat ut affectus, ſtet tibi longa ſalus,
Sacris Theodori primo lare ſydera plaudo,
Felici egregio quem dedit orbis honor.

Albino eximio, Heſſiæ, claróque Jovino,
Pro Fortunato redde ſalutis opus.
Hæ tibi Eliſii modulatus ſimplice cantu,
Sed tonat archetypo barbitos indè ſopho.

LIBER SEXTUS.

I. *Ad Gogonem Laudatio.*

ORPHEUS orditas ageret dum pollice chordas,
Verbáque percuſſo pectine fila darent.
Mox reſonante lyrâ tetigit dulcedine ſylvas,
Ad cytharæ cantus traxit amore feras.
Undique miſerunt vacuata cubilia damas,
Depoſitâ rabie tigris & ipſe venit,
Sollicitante melo nimio Philomela volatu,
Pignora contemnens feſſa cucurrit avis.
Sed quamvis longo ſpatio laſſaverat alas,
Ad votum veniens ſe recreavit avis.
Sic ſtimulante tuâ captus dulcedine Gogo,
Longa peregrinus regna viator adit.
Undique feſtini veniunt ut promptiùs omnes,
Sic tua lingua trahit, ſicut & ille lyrâ:
Ipſe fatigatus huc poſtquam venerit exul,
Antea quo doluit, te medicante caret.
Eruis afflictis gemitus, poſt gaudia plantas,
Ne tamen areſcant, oris ab imbre foves.
Ædificas ſermone favos, nova mella miniſtras,
Dulcis & eloquii nectare vincis apes.
Ubere fonte rigat labiorum gratia pollens,
Cujus ab arcano vox epulanda fluit.
Pervigili ſenſu dives prudentia regnat,
Fomite condito qui ſalis unda natat.
Qui fulgore animi radios à pectore vibras,
Et micat interior lux imitata diem.
Sed vicibus mundum modò Sol, modò nubila complent,
At tua ſemper habent corda ſerena diem.
Viſceribus promptis templum pietatis haberis,
Muneribúſque ſacris es fabricata domus.
Forma venuſta tibi proprio ſplendore coruſcat,
Ut mentis habitum vultus & ipſe probet.
Omne genus laudum ſpecie concludis in unâ,
Nec plus eſt aliquid quàm tua forma gerit.
Principis arbitrio Sigeberti magnus haberis,
Judicium Regis fallere nemo poteſt.
Elegit ſapiens ſapientem, & amator amantem,
Ac veluti flores docta ſequeſtrat apis.
Illius ex merito didiciſti talis haberi,
Et domini mores, ſerve benigne, refers.
Nuper ab Hiſpanis per multa pericula terris,
Egregio Regi gaudia ſumma vehis.
Diligis hunc tantum, quantum meliora paráſti,
Nemo armis potuit, quod tua lingua dedit.
Hæc bona ſi taceam, te noſtra ſilentia laudant,
Nec voces ſpectes qui mea corda tenes.
Vera favendo cano, neque me fallacia damnat,
Teſte loquor populo, crimine liber ero.
Hæc tibi longinquos laus ardua ſurgat in annos,
Hæc te vita diu ſervet, & illa colat.

II. *Ad Eundem Gogonem: de cenâ.*

NEctar, vina, cibus, veſtis, doctrina, facultas,
Muneribus largis, tu mihi Gogo ſat es.
Tu refluus Cicero, tu noſter Apicius extas,
Hinc ſatias verbis, paſcis & indè cibis.
Sed modò da veniam, bubulâ turgente quieſco,
Nam fit lis uteri, ſi caro mixta fremat.
Hîc ubi bos recubat, fugiet puto pullus & anſer,
Cornibus & pennis non furor æquus erit.
Et modò jam ſomno languentia lumina claudo,
Nam dormire meum carmina læta probant.

III. *Item ad eundem.*

QUas mihi porrexit modò pagina miſſa querelas,
Immunem culpæ me loquor eſſe tuæ.
Cur cauſaremur? tua plus præſentia læſit,
Quo vos peccâſtis crimine, culpor ego.
Non tamen ex tali titulo dulcedo peribit,
Fructus amicitiæ corde colente manet.

IV. *Ad ipſum Gogonem.*

NUbila quæ, rapido proſtante Aquilone, venitis,
Pendula ſydereo quæ movet axe rota:

Dicite

Dicite qua vegetet carus mihi Gogo ſalute,
Quid placidis rebus mente ſerenus agat.
Si prope fluctivagi remoratur littora Rheni,
Ut ſalmonis adeps rete trahatur aquis.
Aut ſuper uviferæ Moſellæ obambulet amnem,
Quo levis ardentem temperet aura diem.
Pampinus & fluvius medios ubi mitigat æſtus,
Vitibus umbra rigens, fluctibus unda recens.
Aut Moſa dulce ſonans quo grus, ganta, anſer, olórque
Triplice merce ferax, alite, piſce, rate.
An tenet herboſis quà frangitur Axona ripis,
Cujus aluntur aquis paſcua, prata, ſeges.
Eſeras, Aracares, Scaldis, Sate, Somena, Sura,
Seu qui Mettis adit de ſale nomen habens.
Aut æſtiva magis nemorum ſaltúſque pererrans,
Cuſpide, rete feras hinc capit, indè necat.
Ardenna, an Voſagus, cervi, capræ, Helicis urſi,
Cæde ſagittiferâ ſylva fragore tonat.
Seu validi bufali ferit inter cornua campum,
Nec mortem differt urſus, onager, aper.
An ſua rura colens exuſta novalia ſulcat,
Et rude cervici taurus aratra gemit.
Sive Palatinâ reſidet modò lætus in aulâ,
Cui ſchola congrediens plaudit amore ſequax.
An cum dulce Lupo pietatis jura retractat,
Conſilióque pari mitia bella creant.
Quo paſcatur inops, viduæ ſolatia præſtent,
Parvus tutorem, ſumat egenus opem.
Quicquid agunt pariter, felicia vota ſecundent,
Et valeant Chriſti Regis amore ſui.
Vos precor, ô venti, qui curritis atque reditis,
Pro Fortunato nuncia ferte ſuo.

V. *De Bodegiſilo Duce Maſſiliæ.*

PEctore ſi ſterili nunc flumina larga rigarem,
Non te ſufficerem Duc Bodegiſile loqui.
Invaſit noſtram ſubitò tua gratia mentem,
Ut modò plus veſter, quàm meus eſſe velim.
Quo primùm placidos merui cognoſcere vultus,
Oris ab unguento membra refecta gero.
Colloquio dulci ſatiâſti pectus amantis,
Nam mihi devoto dant tua verba cibum.
Diſtribuunt epulas alli quæ corpora ſupplent,
Unde animum ſaties, das magis ipſe dapes.
Non ſic inficiunt placidiſſima mella falernum,
Ceu tuus obdulcat corpora noſtra ſapor.
Qualiter oblectas, quos ſemper amare videris,
Horæ qui ſpatio me facis eſſe tuum!
Quæ tibi ſit virtus, ſi poſſim, prodere vellem,
Sed parvo ingenio magna referre vetor.
Exiguus tirubo tantarum pondere laudum,
Sed meliùs gradior quem tua facta regunt.
Maſſiliæ ductor, felicia vota dediſti,
Rectoréque ſuum laude perenne refert.
Hìc tibi conſimili merito Germania plaudit,
Ad laudem cujus certat uterque locus.
De bonitate tuâ lis eſt regionis utræque,
Te petit illa ſibi, hæc retinere cupit.
Juſtitiam pauper nunquam te judice perdit,
Nec potuit precio vertere vera potens.
Non ligat immunem, non ſolvit pœna nocentem,
Nil perſona capit, ſi ſua cauſa neget.
Lumina cordis habes, animi radiante lucernâ,
Et tuus æterna luce coruſcat aper.
Ingenio torrente loquax de fonte ſalubri,
Divitiáſque pias ore fluente rigas.
Si videas aliquem defectum fortè labore,
Nilus ut Ægyptum, ſic tua lingua fovet.
Qui patrias leges intrà tua pectora condens,
Simpliciter cauſæ ſolvere fila potes.
Aſſiduis epulis ſaturas, venerande, catervas,
Et repletus abit qui tua tecta petit.
Si venis in campos, ibi plebs paſcenda recurrit,
Conſequitúrque ſuas te comitando dapes.
Vota teras cunctis per ſæcula longa ſuperſtes,
Et maneas populi ſemper in ore potens.

VI. *De Palatinâ filiâ Galli uxore Ducis.*

LUcifer ut nitidos producit in æthera vultus,
Clarior & læto nunciat ore diem,
Ornat eundo polum, terras quoque lampade luſtrat,
Atque inter ſtellas lucida regna tenet.
Sic perpulcra tuo diffundens lumina vultu,
Femineos vincis pulcrior ore choros.
Et tibi ſic cedit muliebris turba decoræ,
Ut Solis radiis lumine Luna minor.
Clara ſerenatos permutat forma colores,
Lilia nunc reparans, nunc verecunda roſas.
Credite, nam ſi quis vultus conſpexerit illos,
Hìc relegit flores quos dare verna ſolent.
Pingere non poſſunt pretioſam verba figuram,
Nec valet eloquium mira referre meum.
Gratior inceſſu, mitis, reverenda, pudica,
Talis in ingenio qualis in ore nitor.
Blandior alloquio, placidis ſuaviſſima verbis,
Deſpiciámque lyram, ſi tua lingua ſonat.
Pectore perſpicuo ſapientia provida fulget,
Ornatur ſexus te radiante tuus.
Conjuge pervigili nituit magis aula mariti,
Floret & egregiâ diſpoſitrice domus.
Jure quidem magna eſt quæ eſt Galli filia magni,
Sed merito natæ crevit honore pater.
Non aliter poterat niſi munere clarior eſſe,
Quæ meruit celſo digna placere viro.
Eligit è multis qui carus amaret amantem,
Et judex patriæ vendicat ipſe ſibi.
Ambo pares junctî longos maneatis in annos,
Et quæcunque volunt gaudia veſtra, ferant.

VII. *De Lupo Duce egregio.*

ANtiqui proceres, & nomina celſa priorum,
Cedant cuncta Lupi munere victa Ducis.
Scipio quod ſapiens, Cato quod maturus agebat,
Pompeius felix, omnia ſolus habes.
Illis Conſulibus Romana potentia fulſit,
Te Duce ſed nobis hìc modò Roma redit.
Te tribuente aditum cunctis fiducia ſurgit,
Libertatis opem libera lingua dedit.
Mæſtitiam ſi quis confuſo in pectore geſſit,
Poſtquam te vidit, ſpe meliore manet.
Fundatus gravitate animi, quoque corde profundus,
Tranquilli pelagi fundis ab ore ſalem.
Sed facunda plebi magis tua munera proſunt,
Tu condis ſenſus, & ſalis unda cibos.
Conſilii radix, fœcundi vena ſaporis,
Ingenio vivax, ore tonante loquax.
Qui geminis rebus fulges in utroque paratus,
Quicquid corde capis, prodere lingua poteſt.
Pectore ſub cujus firmantur pondera Regis,
Pollet & auxilio publica cura tuo.
Subdis amore novo tua membra laboribus amplis,
Pro requie Regis dulce putatur onus.
O felix animus patriæ qui conſulit actus,
Et vivit cunctis mens generoſa viris!
Legati adveniunt, te reſpondente ligantur,
Et jaculo verbi mox jacuere tui.
Lancea ſermo fuit, quoque vox armata loquentis,
Auſpicium palmæ te Sigebertus habet.
Reſponſum gentis ſenſu profertur ab illo,
Et votum populi vox valet una loqui.
Cujus ab ingenio ſortita eſt cauſa triumphum,
Aſſertoris ope juſtior illa fuit.
Nullus enim poterit proprias ita pendere cauſas,
Ceu tua pro cunctis inclyta lingua tonat.
Nullus ut Ægyptum recreat, dum plenus inundat,
Sic tu colloquii flumine cuncta foves.
Juſtitiâ florente favent te judice leges,
Cauſarúmque æquo pondere libra manes.
Ad te confugiunt, te ſingula celſa requirunt,
Nec petis ut habeas, te petit omnis honor.
In cujus gremio nutritur adepta poteſtas,
Quo rectore datus creſcere novit apex.
Quàm merito retinet conceſſos ſemper honores,
Per quem digna magis culmina culmen habent!
Antiquos animos Romanæ ſtirpis adeptus,
Bella moves animis, jura quiete regis.
Fultus utriſque bonis, hinc armis, legibus illinc,
Quàm benè ſit firmus cui favet omne decus!
Quàm tibi ſis firmus cùm proſperitate ſuperná,
Saxonis & Dani gens citò victa probat.
Bordaa quà fluvius ſinuoſo gurgite currit,
Hìc adverſa acies te Duce cæſa ruit.
Dimidium veſtris juſſis tunc paruit agmen,
Quàm meritò vincit qui tua juſſa facit.
Ferratæ tunicæ ſudâſti pondere victor,
Et ſub pulvereâ nube coruſcus eras.
Támque diu pugnas acie fugiente ſequutus,
Laugona dum vitreis terminus eſſet aquis.

Qui

Digitized by Google

Qui fugiebat iners amnis dedit ille ſepulcrum,
Pro duce felici flumina bella gerunt.
Inter concives meruit te Gallia lumen,
Lampade qui cordis ſplendor ubique micas.
Sunt quos forma potens, ſunt quos ſapientia præfert,
Singula ſunt aliis, ſed bona plura tibi.
Occurrens dominis veneranda palatia complex,
Et tecum ingrediens multiplicatur honor.
Te veniente novo domus emicat alma ſereno,
Et reparant genium regia tecta ſuum.
Nempe oculos recipit, cùm te videt aula redire,
Quem commune ducum lumina lumen habent.
Principis auxilium, patriæ decus, arma parentum,
Conſultum reliquis, omnibus unus amor.
Admiranda etiam quid de dulcedine dicam,
Nectare qui plenus conſtruis ore favos.
Cara ſerenatum comitatur gratia vultum,
Fulget & interiùs perpetuata dies.
Quos ſatias eſcis, reficis ſermone benigno,
Sepoſitis epulis ſunt tua verba dapes.
Quis tibi digna loqui valeat, quàm voce potente
Rex pius ornatum prædicat eſſe ſuum?
Sit tibi ſummus apex illo regnante per ævum,
Vitâque ſit præſens, atque futura colat.

VIII. *Ad eundem Ducem.*

ÆStifer ignitas cùm Julius urit arenas,
Siccâque pulverea margine terra ſitit;
Languidior placidas vix pampinus explicat umbras,
Mollior & glaucas contrahit herba comas.
Summiſſis ſoliis Phœbi regnante vapore,
Vix ſua defendit frigida tecta nemus.
Pabula faſtidiens fugit æſtu bucula ſaltus,
Ipſe nec afflictus gramina ſumit equus.
Longiùs expoſitâ linguâ canis ora flagellat,
Illa laſſa trahens triſtis anhelat ovis.
Fortè viator iter gradiens ferventibus horis,
Uritur accenſis Sole premente comis.
Qui areſcente ſolo modico recreetur ut hauſtu,
Sæpius irriguas anxius optat aquas.
Arboris aut tremulæ viridante cacumine fuſo,
Frondibus oppoſitis temperat ora ſiti.
Proſperitate novâ ſi jam propè lucus opacet,
Et vitrei fontis ſibilet unda recens.
Huc properans placidis homo lætus ſternitur arvis,
Volvit in herboſos & ſua membra thoros.
Vota ſecuta tenens gemino refovetur amœno,
Hinc levat umbra diem, hinc fugat unda ſitim.
Carmina ſi qua tenet cantu modulante, recurrit,
Provocat & placidos blandior aura ſonos.
Si ſibi fortè fuit ſapiens bene notus Homerus,
Aut Maro Trajano lectus in urbe foro:
Vel ſi Davidico didicit ſacra dogmata plectro,
Pſallit honorificum, fance rotante, melum.
Tangitur aut digito lyra, tibia, fiſtula, canna,
Quiſque ſuis mulis carmine mulcet aves.
Sic ego curarum valido defeſſus ab æſtu,
Noſcens te ſalvum fonte refectus agor.
O nomen mihi dulce Lupi, replicanile ſemper,
Quódque mei ſcriptum pagina cordis habet!
Quem ſemel incluſum tabulis dulcedinis intus,
Non abolenda virum pectoris arca tenet.
Theſauros pietatis habens preciosa voluntas,
Producens animo plura talenta ſuo.
Divitias quas mundus habet, mens aurea vincit,
Gemmarúmque decus corde micante refert.
Senſus aromaticus ſuaves defendit odores,
Hoc tribuens animæ quod bene thura ſolent.
Melle ſaporatum refluens à pectore verbum,
Et ſale conditum reddis ab ore ſophum.
Poſt tenebras noctis ſtellarum lumina ſubdens,
Lucifer ut radiis, ſic mihi mente nites.
Ut recreat mundum veniens lux Solis ab ortu,
Illuſtrant animum ſic tua verba meum.
Cùm peregrina meos tenuit Germania viſus,
Tu pater & patriæ conſulturus eras.
Quando merebar ovans placidos intendere vultus,
Mox geminata mihi fulſit in orbe dies.
Conſerui quotiens veſtro ſermone loquelas,
Credidi in Ambroſiis me recubare roſis.
Omnibus una manens, ſed plus tua gratia nobis,
Vinxit in affectu me properante ſuo.
Nunc quoque pro magnis quis digna rependat honoris?
Materiâ vincor, eſt quia lingua minor.

Sicque per aſcenſum culmen ſupereminet altum,
Hinc meus urget amor, hinc tuus obſtat honor.
Sed pro me reliqui laudes tibi reddere certent,
Et qua quiſque valet te prece, voce ſonet.
Romanúſque lyrâ, plaudat tibi barbarus harpâ,
Græcus Achilliacâ, Chrotta Britanna canat.
Illi te fortem referant, hi jure potentem,
Ille armis agilem prædicet, iſte libris.
Et quia rite regis quod plurima bella requirant,
Judicis ille decus, concinat iſte ducis.
Nos tibi verſiculos, dent barbara carmina laudes,
Sic variante tropo laus ſonet una viro.
Hic celebrem memorent, illi te lege ſagacem,
Aſt ego te dulcem ſemper habebo, Lupe.

IX. *Item ad Lupum Ducem.*

OFficiis intente piis memorator amantis,
Prompte per affectum conſulitare tuum:
Charius abſentis nimiùm miſeratus amici,
Quando latente loco ſigna requirit amor.
Unde datur meritis illud, quo protinus eſſet
Spes Fortunati cura benigna Lupi.
Exul ab Italiâ nono (puto) volvor in anno,
Littoris Oceani continuante ſalo.
Tempora tot fugiunt, & adhuc per ſcripta parentum,
Nullus ab excluſis me recreavit apex.
Quod pater ac genitrix, frater, ſoror, ordo nepotum,
Quod poterat regio, ſolvis amore pio.
Pagina blanda tuo ſub nomine miſſa benigno,
Nectarei fontis me renovavit aquis.
Nec ſolùm à vobis me dulcis epiſtola fovit,
Miſſus adhuc in rem portitor indè venit.
Munera quis poterit rogo tot memor ore referre,
Affectum dulcem pandere lingua nequit.
Sed tibi reſtituat Rex cæli cuncta ſupernus,
Quem minimum faciunt qui docet eſſe ſuum.

X. *Ad Magnulfum fratrem Lupi.*

QUàm citò fama volat velocibus excita pennis,
Et loca cuncta ſuis actibus aucta replet!
Nam tibi cùm Rhenus, mihi ſit Liger, ecce propinquus:
Hic Magnulfe decens magnus honore places.
Sic tuba præconis Sigismundi miſſa cucurrit,
Ut tua diffuſo ſint bona nota loco.
Quod tamen in brevibus vix ſignat epiſtola verbis,
Non quia cuncta canit, nec reticere cupit.
Juridico imprimis pollens torrente relatu,
Sic regis, ut revoces facta vetuſta novis.
Cujus in officiis æqui cultoris aratrum
Semine juſtitiæ plebs ſua vota metit.
Nemo caret propriis, alienis nemo recumbit,
Sic facis ut populum non vacet eſſe reum.
Sollicitudo tua reliquis fert dona ſalutis,
Et labor unius ſit populoſa quies.
Æqualis conſors ut ab omnibus alme voceris,
Legibus hinc judex, hinc bonitate parens.
Da paucis veniam, quoniam mihi portitor inſtat,
Nam de fratre Lupi res monet ampla loqui.
Sic tribuat Dominus meritis reparetis ut illum,
Quem pariter tecum cordis amore colo.

XI. *Ad Jovinum Rectorem Provinciæ.*

PRoſaico quotiens direxi ſcripta relatu,
Nullâque de veſtro pocula fonte bibo.
Quem priùs irriguâ recreâras ditior undâ,
Nec modò Caſtaliis redditur hauſtus aquis.
Sic me cura minor veſtri tenuiſſet amoris,
Jam fuerat licitum ſtringere colla manu.
Nunc magis, indè minus capio, quia diligo majus,
Et cùm plus cupiam, vota nugata geram.
Qui tibi transfudit mea pectora pectore tuto,
Cur rogo non pariter lumina lumen habent?
Vel quod amice licet, ſcriptis fero care ſalutem,
Sed mihi qua relevet pagina reddat opem.

XII. *Item ad ipſum Jovinum.*

TEmpora lapſa volant, fugitivis fallimur horis,
Ducit & in ſenium lubrica vita viros.
Fine trahit celeri ſinè fine volubilis axis,
Nec retinet rapidas ad ſua frena rotas.
Cuncta movens ſecum momenta & pondera rerum,
Donec meta avidos ſiſtere cogat equos.
Sic quoque diſſimiles ad finem tendimus omnes,
Nemo pedem retrahit quo ſibi limes erit.

Imperiale caput regnum trahit, atque ſenatum,
Nec ſpectante die, cùm venit hora, rapit.
Quid ſunt arma viris? Cadit Hector & uktor Achilles,
Ajax in clypeo murus Achæus obit.
Quid ſatis eſt cupido gremio quod condit avaro?
Deliciis ſolitis Attalus auctus abeſt.
Qui non verſutus recubet dum fine ſupremo,
De Palamede potens ars in Ulixe perit.
Forma venuſta fluit, cecidit pulcherrimus Aſtur,
Occubat Hippolytus, nec ſuperexstat Adon.
Non agiles fugiunt, quò terminus extat eundum,
Nam cum fratre celer ſorte Quirinus obit.
Quid rogo cantus agit modulis blanditus acutis,
Orpheus & cytharæ vox animata jacet?
Docta receſſuris quid prodeſt lingua Sophiſtis,
Qui voluere loqui curva rotunda poli?
Archita, Pythagoras, Aratus, Caro, Plato, Chryſippus,
Turba Cleantharum ſtulta favilla cubat.
Quſdve poeta poteſt Maro, Lyſa, Menander, Homerus,
Quorum nuda toſo membra ſepulchra tegunt?
Cùm venit extremum, neque muſis carmina proſunt,
Nec juvat eloquio detinuiſſe melos.
Sic dum puncta cadunt, fugiunt præſentia rerum,
Et vitæ tabulam teſſera rapta levat.
Eſt tamen una ſalus, pia, maxima, dulcis & ampla,
Perpetuo Trino poſſe placere Deo.
Hoc valet atque viget, manet, & neque fine peribit,
Hinc quoque poſt tumulum naſcitur almus honor.
Quod ſupereſt habitu meritorum flore beato,
Suavis juſtorum flagrat odor tumulo.
Gratiùs aura fluens, quàm ſpiret aroma Sabæum,
Thuráque devincens balſama ſylva reflat.
Cinnama, caltha, crocus, violæ, roſa, lilia cedunt,
Ut ſimilis nullus nare bibatur odor.
Quid? quòd morte magis virtus generatur in illis,
Dúmque ſepulcra tenent languida membra jacent?
Multorum dubiam ſolidant pia funera vitam,
Et redit è tumulo vivificatus homo.
Nobilis urna tegit precioſa talenta Tonantis,
Ac terris recubat quod ſuper aſtra volat.
Qui ſub amore Dei ſacro moderamine vivens,
Fit peregrinus humi, civis eundo poli.
Denique poſt illos qui fundamenta coruſcant,
Póſtque Petri ac Pauli lumina prima fide.
Quis numerus radiet Sanctorum ſparſus in orbe,
Quanta columnarum gratia fuſa viget!
Per loca, per populos mundo ſua ſydera præſunt,
Quicquid ab Oceanis circulus ambit aquis.
Arctos, meridies, oriens, occaſus honorat,
Lumina muneribus clarificata ſuis.
De reliquo nihil eſt quodcunque videtur in orbe,
Nam tumor hic totus, fumus & umbra fumus.
Cur igitur metu trahitur data vita ſuſurro,
Nec Fortunato pauca Jovine refers?
Tempora lapſa vides, neque longa ſilentia rumpis,
Me quoque ne recrees ad mea damna taces.
Non ita rebar ovans, poſtquam Germania noſtros
Contulerat viſus, ut reſiliret amor.
Credideram potiùs quantum ſe tenderet ætas,
Ut veſtri affectûs ſe duplicaret opus.
Heu magis, ut video, vota in contraria currunt,
Tempore longatur, ſed variatur amor.
An quantum ex oculo, tantum tibi corde recedo,
Et tam longè animo, quàm ſumus ambo loco?
Non ego ſic refero, quoniam tibi pectore nector,
Prædicat hoc aliter mens ubi dulce fovet.
Nam cui cara fides animum ſociavit amicè,
Quod minus eſt oculis, flagrat amore magis.
Et licèt abſentem paries, locus, aula retentet,
Corde ſuo illic eſt, eſt ubi forma placens.
Proſpicit affectu quem vultu non videt ipſo,
Et vox longinquâ de regione ſonat.
Quid gerit, aut ubi ſit, tacito dare verba videtur,
Intrà ſe loquitur pectore clauſus amor.
Si volat aura levis, putat indè venire ſalutes,
Auræ fert fragor hoc quod homo mente gerit.
Hinc tuus ergo cliens ego care, colende, requiro,
Abſentem faciunt quem locu, non animus.
Qui ſemper noſtro memorandus haberis in ore,
Scribimus & hæc dum, non ſinè te loquimur.
Affectu, ſtudio, voto tua brachia cingo,
Atque per amplexum pectora, colla ligo.
Ingrederis mecum paritérque moveris amator,
Et quaſi blanda loquens oſcula libo labris.
Ante oculos habeo, ſed cara refugit imago,
Hinc quoque quem video non retinere queo.
Alternis vicibus modò vadis & indè recurris,
Vix fugis ex oculis, ecce figura redis.
Et cùm terga dabis, facies mihi cernitur inſons,
Si pede converſus, fronte regreſſus ades.
Sæpe etiam videor dare te pia dicta relatu,
Illìc fortè taces, hìc mihi verba refers.
Hoc de te minus eſt, quia prendi non potes abſens,
Nam velut illìc es totus, & hìc meus es.
Qualiter ambo ſimul paucis habitavimus horis,
Non fugit ex oculis, dum manet iſta dies.
Miſimus ô quotiens timidis epigrammata chartis,
Et tua ne recreer, pagina muta filet.
Quis rogo reddet eas taciti quas perdimus horas?
Tempora non revocat lux levis atque fugax.
Dic homo note meus quid agis, quid amice recurris?
Si tua rura colis, cur mea vota neges?
Scribe vacans animo, refer alta poëmata verſu,
Et quaſi ruris agrum me cole voce, melo.
Per thoraca meum ducas precor oris aratrum,
Ut linguæ ſulcus ſint ſata noſtra tuæ.
Pectoris unde ſeges gravidis animetur ariſtis,
Pullulet & noſtro farre novale ferax.
Nam mihi ſi loqueris, bone vir, pietatis opimæ,
Exuperas labiis dulcia mella favi.
Plúſque liquore placet quàm fert oleagina fucco,
Suaviùs & recreat quàm quod aroma reflat.
Cum Aſpaſio pariter caris patre, fratre Leone,
Longâ ſtante die dulcis amice vale.

XIII. *Ad Felicem Jovini ſocerum.*

ARdua Pierio cui conſtant culmina faſtu,
Vix humili valeo tangere clauſtra manu.
Sed quoniam patriæ fuit aula ſodalibus una,
Affectu fidens pulſo benigne fores.

XIV. *In laudem Mumolenſi conſiliarii.*

DUM mihi feſſus iter gradior propè noctis in umbrâ,
Solis in occaſu jam fugiente die.
Cùm ſuper undarum viridantes gramine ripas
Paſcua conſpexi, paſtus & ipſe fui.
Huc oculis captus voto ducente trahebar,
Deflecténtſque viam proſperiora peto.
Mumolenus enim qui celſa palatia Regis
Altis conſiliis creſcere rite facit,
Inter concives meritò qui carior extat,
Quémque ſuper proceres unica palma levat,
Nobilitate potens, animo bonus, ore ſerenus,
Ingenio ſolers, & probitate ſagax:
Cui genus à proavis radianti luce coruſcat,
Moribus ipſe tamen vicit honore patres.
Huc ergo adveniens epulis expletus opimis,
Quem vidiſſe, mihi conſtitit eſſe cibum.
Fercula magna quidem dapibus cumulata benignis,
Ac ſi colle tumens diſcus onuſtus erat.
Undique montis opus medium quaſi vallis habebat,
Quo meliore viâ piſcis agebat iter.
Ille natans oleum pro undis, pro ceſpite diſcum
Incoluit, cui pro gurgite menſa fuit.
Attamen ante aliud data ſunt mihi mitia poma,
Perſica quæ vulgi nomine dicta ſonant.
Laſſavit dando, ſed non ego laſſor edendo,
Vocibus hinc cogens, hinc tribuendo dapes.
Mox quaſi parturiens ſubito me ventre tetendi,
Admirans uterum ſic tumuiſſe meum.
Intus enim varié ventorum more fremebat,
Viſcera conturbans Eurus & Auſter erat.
Non ſic Æoliis turbatur arena procellis,
Nec vaga per pelagus puppis adacta tremit.
Nec ſic inflantur ventorum turbine folles,
Malleolis famulos quos faber uſtus habet.
Alter in alterius ructabat mole ſuſurros,
Et finè te mecum pugna ſuperba fuit.
Sit tibi longa ſalus celsâ cum conjuge rector,
Et de natorum prole voceris avus.
Laudis honore potens felicia tempora cernas,
Et valeas longos concelebrare jocos.

XV. *De Berulpho comite.*

DElicias Berulphe tuas ſpectando libenter,
Me fateor duplicem ſuſtinuiſſe famem.
Sic ego credebam quartâ ſatiarier horâ,
Me nec ad octavam menſa benigna vocat.

Per

Per veſtras epulas dilici jejunia guſtans,
Litania fuit prandia veſtra magis.
Det tibi vota Deus, per quem modò læta notamus,
Hæc quoque dum ſcribo, plus ſatiatus agor.

XVI. *De Condano domeſtico.*

TEmporibus longis regali dives in aulâ
Enituit meritis gloria Conda tuis.
Nam ſemel ut juvenem vigili te pectore vidit,
Elegit ſecum ſemper habere ſenem.
Quis fuit ille animus, vel quæ moderatio ſenſûs,
Cùm fueris tantis Regibus unus amor?
Mens generoſa tibi pretioſo lumine fulget,
Quæ meritis propriis amplificavit avos.
Floret poſteritas per quem ſua creſcit origo,
Et facit antiquos ſurgere laude patres.
Nam ſi præfertur generis qui ſervat honorem,
Quanta magis laus eſt nobilitare genus?
Qui cupit ergo ſuum geſtis attollere nomen,
Ille tuum velox præmeditetur opus.
A parvo incipiens exiſti ſemper in altum,
Pérque gradus omnes culmina celſa tenes.
Theodericus ovans ornavit honore Tribunum,
Surgendi auſpicium jam fuit indè tuum.
Theodebertus enim comiti jam præmia ceſſit,
Auxit & obſequiis cingula digna tuis.
Vidit ut egregios animos meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Inſtituit cupiens ut deinde domeſticus eſſes,
Creviſti ſubitò, crevit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum,
Plaudebat vigili diſpoſitore domus.
Theodebaldi etiam cum parva infantia vixit,
Hujus in auxilium maxima cura fuit.
Actibus eximiis ſic publica jura fovebat,
Ut juvenem Regem redderet eſſe ſenem.
Ipſe gubernabas veluti ſi tutor adeſſes,
Commiſſúmque tibi proficiebat opus.
Clotharii rurſus magnâ dominatus in aulâ,
Quiſque domum ſimili juſſit amore regi.
Mutati Reges, vos non mutâſtis honores,
Succeſſórque tuus tu tibi dignus eras.
Tantus amor populi, ſolertia tanta regendi,
Hoc ut nemo volens ſubripuiſſet onus.
Nunc etiam magno Sigeberti Regis amore,
Sunt data ſervitiis libera dona tuis.
Juſſit & egregios inter reſidere potentes,
Convivam reddens proficiente gradu.
Rex potior reliquis merito meliora paravit,
Et quod majus habet, hoc tua cauſa docet.
Sic tuus ordo fuit ſemper majora mereri,
Vitáque quàm ſenior, tam tibi crevit honor.
Quæ fuerit virtus triſtis Saxonia cantat,
Laus eſt arma truci non timuiſſe ſeni.
Pro patriæ votis & magno Regis amore,
Quo duo natorum funera cara jacent.
Nec graviter doleas cecidiſſe viriliter ambos,
Nam pro laude mori, vivere ſemper erit.
Lætitiam vultûs hilari diffundis ab ore,
Et ſinè nube animi gaudia fida geris.
Munificus cunctis largitis multa benignus,
Et facis aſtrictos per tua dona viros.
Sit tibi longa ſalus placidis felicior annis,
Atque ſuum reparet proles opima patrem.

XVII. *Ad Gunduarium.*

SI prodi verbis affectus poſſet amantis,
Carmina plura tibi pagina noſtra daret.
Sed quod ab ore loqui nequeo, quod pectore geſto,
Sit ſatis ex multis vel modò pauca dari.
Nam ſi reſpicias votum per verba canentis,
Mallem nunc majus qui tibi parva fero.
Aſpicimus ſenſum proprium in dulcedine fuſum,
Quo ſinè nube doli corda ſerena micant.
Puro fonte rigans nectar de fauce redundat,
Cujus verba libens pectore, corde bibo.
Providus, exertus, vigilans, moderatus, honeſtus,
Condimentum animæ mens tua ſemper habet.
Reginæ egregiæ patrimonia celſa gubernans,
Quæ tibi commiſit, ſenſit ubique fidem.
Nemo piæ poterat Reginæ carior eſſe,
Quàm qui pro meritis talis & ipſe foret.
Gunduari longo vigeas placiturus in ævo,
Conjuge cum propriâ luce perenne manens.

XVIII. *Ad Flavum amicum.*

AD carum totiens mea pergit epiſtola Flavum,
Sic monet officiis ſedula cura loqui.
Nunc quoque proſaico, modò mittens carmina verſu,
Blandior affectu debita ſolvit amor.
Quin tibi pauca feret qui vult iter ire viator,
Nemo mihi tacitè prætereundus abit.
Pontus amicitiæ te ut pagina ſæpe requirit,
Et ſi vis deſit, potior aura placet.
Attonitis animis ego per vaga nubila pendo,
Nullâque ſuſpicio ſigna relata manu.
An tibi charta parum peregrinâ merce rotatur?
Non amor extorquet quod neque tempus habet?
Scribere quo poſſis, diſcingat faſcia ſagum,
Cortice dicta legi ſit mihi dulce tui.
An tua Romuleum faſtidit lingua ſuſurrum?
Quæſo vel Hebraicis reddito verba notis.
Doctus Achæmeniis quævis præſcribito ſignis,
Aut magis Argolico pange capora ſopho.
Barbara fraxineis pingatur rhuna tabellis,
Quódque papyrus ait, virgula plana valet.
Pagina vel redeat perſcripta dolatile chartâ,
Quod relegi poterit, fructus amantis erit.

XIX. *Item ad Flavum & Evodium.*

QUàm bene conveniunt genitor quos ſuſtulit unus,
Si ſimul hos unum pectus utroſque tenet!
Viſceribus iſdem genitos Flavum Evodiúmque,
Prorſus amore uno viſcera noſtra tegunt.
Alter in alterius mihi viſu viſus habetur,
Et fratris ſpeciem fratris imago dedit.
Unius ex facie facies mihi nota ſecundi,
Sic ſpeculo ſimilem forma repreſſa refert.
Ergo pari voto paribus dans vota ſalutis,
Ambos inter ego tertius alter ero.
Hoc cupiens ut quos caris amplexibus idem
Tres amor unus habet, nos quoque charta liget.

XX. *Chariſſimo & omni gratiâ prædicando Sigiſmundo Regi, Fortunatus ſalutem.*

FIxus amore tuo votis inhiantibus aſtans,
Quæ tibi, care, ſalus ſæpe requiro viros.
Quiſque viator adeſt properans Aquilonis ab axe,
Quamvis feſtinum ſollicitando moror.
Seu privata virum, ſeu publica cura citabit,
Hunc niſi percunctèr, nullus abibit iter.
Quàm vegetus membris, quæ te loca rite coërcent,
Ordine diſpoſito cuncta requirit amor.
Si gravis arma tenens Italas terit hoſtis arenas,
Francos aut quis habet, pagina pandar, ager.
Quid geris ore refer, tamen ut queo longiùs opto,
Vivat pars animæ dimidiata meæ.

XXI. *Item ad Sigiſmundum & Alagiſtum.*

NOmina amicorum mihi dulcis epiſtola pandit,
Hinc Sigimunde nitens, hinc Alagiſle decens.
Proſperitas felix ventorum flamina fundit,
Quando mihi caros nunciat aura viros.
Teſtor utrumque caput, tantum mea vota juvantur,
Quantum ſit florens læta ſub imbre ſeges.
Ne ſitiam rapidis æſtivo tempore flammis,
Nectarei fontis ſum recreatus aquis.
Poſt Italas terras mittis mihi Rhene parentes,
Adventu fratrum non peregrinus ero.
Tempore belligero pacis nova gaudia ſurgunt,
Hi quia venerunt quos meus optat amor.
Qui feſtiva die mihi duplicâſtis honorem,
Sic veſter creſcat munere Regis honor.

XXII. *Ad Boſonem quendam principem.*

SIC tegat omnipotens radiantia culmina Regis,
Atque ejus cauſas arma ſuperna regant.
Sic dominum ac ſervos divina potentia ſervet,
Et patriæ maneat hoc dominante ſalus.
Sic placido Regi ſummus, pius auctor ab alto,
Qui dedit antè Petro, porrigat ipſe manum.
Sic te longævi comitetur gratia Regis,
Et florente illo gaudia fixa meras.
Hoc rogo quàm citiùs veniat quicunque jubetur,
Ne gravet ultra animos hìc mora tarda meos.
Nam qui feſtinat, ſtatuit quod certa voluntas,
Si votum acceleret, dulcius eſſe ſolet.

Illud

Illud enim nimiùm per verba precantia poſco,
Commender Domino te memorante meo.
Actibus excellens maneas per ſæcula felix,
Et memor ipſe mei dulcis amice Vale.

XXIII. *Ad Paternum ſibi amicum.*

NOminis auſpicio fulgent tua facta, Paterne,
Munere qui proprio te facis eſſe patrem.
Servitii noſtri non immemor omnia præſtans,
Et tibi devotis das pia vota libens.
Ut bona diſtribuas, modò qui tam promptus haberis,
Unde magis præſtes, amplificentur opes.

XXIV. *De Jocunditate vitæ.*

QUI legis in pulcro circundata verba metallo,
Si venias purus, hoc imitaris opus.
Nam velut argentum calidâ formace probatur:
Sic ſe purgato pectore prodit homo.
Qui venis ad charos conviva fidelis amicos,
Quod minus eſt epulis, plus in amore capis.
Non hæc per pelagus peregrinus detulit hoſpes,
Sume libens patrii quod genuere lares.
Quamvis docta loquax te ſeria cura fatiget,
Huc veniens feſtos miſce Poëta jocos.
Sic tamen ut propriam rationem ſervet honeſtas,
Nam ſolet incautus ſermo movere manus.
Vita brevis hominum, fugiunt præſentia rerum,
Tu cole quæ potiùs non moritura manent.
Erige juſtitiam, pacem cole, dilige Chriſtum,
Expete delicias quas ſinè fine geras.
Pelle palatinas poſt multa negotia rixas,
Vivere jocundè menſa benigna monet.
Cauſæ, iræ, ſtrepitus repleant fora, jurgia, leges,
Hic placeat requies quam dat amica dies.
Te rogo pacificos animos ad prandia defer,
Hoſtem quære alibi, ſi tibi pugna placet.
Deliciis mediis lites agitare recuſes,
Arma tibi campus, menſa miniſtret olus.
Si tibi magnanimas ridigâ virtute videris,
Securè ad calices fortia bella refers.
Huc noſtræ qui venit opes cognoſcere menſæ,
Commendet poſitos gratia ſola cibos.

XXV. *Ad Galactorium Comitem.*

SÆpius optâram fieri me remige nautam,
Curſibus undifragis ut ratis iret aquis,
Flatibus aut rapidis per dorſa Garonnia ferret,
Burdegalenſe petens ut celer actus iter.
Velâque fluctivagum traherent Aquilone ſecundo,
Me quoque littoreo redderet aura ſinu.
Quà pius Antiſtes ſacra Gundegiſelus offert,
Culmine pro populi quà micat ara Dei.
Tu quoque qui reſides meritis comes ample ſerenis,
Chare Galactori ſedula cura mihi:
Cui rite excellens Rex Gundirannus honores,
Majus adhuc debet qui tibi magna dedit.
Cùm tamen hoc vellet, timor obſtitit extimus ille,
Qui cumulo rapidæ mons fremit albus aquæ.
Dulcedo invitat civilis & unda repugnat,
Sic vocat atque vetat, hinc amor indè pavor.
Planè hoc quod ſupereſt ſolvat vel epiſtola currens,
Littera quod faceret reddat amore vicem.
Maxime nunc igitur te dulcis amice ſaluto,
Sperans à Domino te ſupereſſe diu.
Cúmque domo, ſociis, Antiſtite, conjuge, natis,
Vive comes cui ſunt jura regenda Ducis.
Pontifici ſummo commender opime precatu,
Sic tua pars meritis ſit data dextra polis.
Si ſupereſt aliquid quod fortè tributa redundent,
Qui modò mitto apices, te rogo mitte pices.

LIBER SEPTIMUS.

I. *De Parſimoniâ Radegundis Reginæ.*

AONIAS avido qui lambitis ore camœnas,
Caſtaliúſque quibus ſumitur arte liquor:
Quos bene farre ſuo Demoſthenis horrea ditant,
Largus & irriguis implet Honerus aquis.
Fercula ſive quibus fert dives uterque miniſter,
Tullius ore cibum, pocula fonte Maro.
Vos quoque qui nunquam morituras carpitis eſcas,
Quos Paradiſiaco germine Chriſtus alit:
Facundo tonitru penetrati qui retinentur,
Nunc monitis Pauli, poſtea clave Petri.
Fortunatus ego hinc humili prece, voce ſaluto:
Italiâ genitum Gallica rura tenent.
Pictavis reſidens quà Sanctus Hilarius olim
Natus in urbe fuit, notus in orbe pater,
Eloquii currente rotâ penetravit ad Indos,
Ingenióque potens ultima Thule colit.
Perfundens cunctas vice Solis lumine terras,
Cujus dona Sacæ, Perſa, Britannus habet.
Chriſticola Scythicas laxavit honore pruinas,
Dogmate ferventi frigida corda calent.
Martinum cupiens voto Radegundis adhæſit,
Quam genuit cælo terra Thoringa ſacro.
Germine regali pia neptis Herminefredi,
Cui de fratre patris Hamalafredus adeſt.
Mens ornata bonis fugitivos ſprevit honores,
Noſcens in ſolo firma manere Deo.
Regia lanificio commutans pallia cultu,
Vilior ancillæ veſtis amata tegit.
Splendida ferraco quondam ſubvecta ſuperbo,
Nunc terit obſequio planta modeſta lutum.
Quæ priùs inſertis onerata eſt dextra ſmaragdis,
Servit inops famulis ſedulitate ſuis.
Aulæ celſa regens quondam modò juſſa miniſtrat,
Quæ dominando priùs, nunc famulando placet.
Paupertate potens & ſolo libera voto,
Clarius objecto ſtat radiata loco.
Aurea fulcra tenens tantum ſibi vilis honore,
Effugit extructum pulvere fuſa thorum.
Si contemnatur, tunc nobilis eſſe fatetur:
Et putat eſſe minor, ſi datur ullus honor.
Parca cibo Euſtochium ſuperans, abſtemia Paulam,
Vulnera quo curet Dux Fabiola monet.
Melaniam ſtudio reparans pietate Bleſillam,
Marcellam votis æquipa rare valens.
Obſequio Martham renovat, lacrymiſque Mariam,
Pervigil Eugeniam dat patiendo Teclam.
Senſibus iſta gerit quicquid laudatur in illis,
Signa recognoſco quæ priùs acta lego.
Omnia deſpiciens & adhuc in corpore conſtans,
Spiritus hic vivit, ſed caro functa jacet.
Terram habitans cælos intrat bene libera ſenſu,
Atque homines inter jam ſuper aſtra petit.
Cujus ſunt epulæ quicquid pia regula pandit,
Quicquid Gregorius Baſiliúſque docent.
Acer Athanaſius, quod lenis Hilarius edunt,
Quos cauſæ ſocios lux tenet una duos.
Quod tonat Ambroſius, Hieronymus atque coruſcat,
Sive Auguſtinus fonte fluente rigat.
Sedulius dulcis, quod Oroſius edit acutus,
Regula Cæſarii linea nata ſibi eſt.
His alitur jejuna cibis, palpata nec unquam
Fit caro, ſit niſi jam ſpiritus antè ſatur.
Cætera nunc taceam meliùs, quia teſte Tonante
Judicióque Dei glorificata manent.
Qui ſua quiſque poteſt Sanctorum carmina vatum,
Mittat in exiguis munera larga libris.
Se putet indè Deo ædificare manentia templa,
Quiſquis ei votis ſcripta beata ferat.
Hæc quoque qui legitis rogo reddite verba ſalutis,
Nam mihi charta levis, pondus amoris erit.

II. *De itinere ſuo: dum cum Domno Germano ire deberet, & à Domnâ Radegunde detineretur.*

EMicat ecce dies, nobis iter inſtat agendum,
Debita perſolvens, emicat ecce dies.
Me vocat indè pater radians Germanus in orbe,
Hinc retinet mater, me vocat indè pater.
Dulcis uterque mihi voto amplectente cohælit,
Plenus amore Dei, dulcis uterque mihi.
Charior hæc animo ſacer ille & honore beato,
Charior ille gradu, charior hæc animo.
Mens tenet una duos æquali calce viantes,
Ad pia tendentes, mens tenet una duos.
Proficit alterutrum quicquid bene geſſerit alter,
Unius omne bonum, proficit alterutrum.
Sunt quia corde pares, juſſus non ire recuſo,
Obſequar ambobus, ſunt quia corde pares.
Nec tamen hinc abeo quamvis nova tecta videbo,
Corpore diſcedo, nec tamen hinc abeo.
Hìc ego totus ero, nec corde ac mente revellor,
Sic quoque dum redeo, hìc ego totus ero.

Porrigat

Porrigat arma mihi cæleſtia mater eunti,
Ut ſibi plus habeat, porrigat arma mihi.

III. *De Senatu curiæ cæleſtis, & virtute virginitatis.*

CUlmina multa polos radianti lumine complent,
Lætantúrque piis agmina ſancta choris.
Carmine Davidico plaudentia brachia texunt,
Creditur & ſacro tripudiare gradu.
Cætibus angelicis hominum ſociata propago,
Reddit honorificum laudis amore ſonum.
Vocibus alternis divina poëmata pſallunt,
Atque creatori myſtica verba canunt.
Lucida ſydereo cæli ſtrepit aura tumultu,
Laudibus & Domini concutit aſtra fragor.
Hinc Patriarcharum reſonant modulamina vocum,
Inter quos Abrahæ eſt maxima palma fide.
A quo acceperunt, reddunt dehinc verba Prophetæ,
Moyſes ante alios Dux, mare teſte, viros.
Indè ſimul fratres & celſa caterva piorum,
Lumen Apoſtolicum præmeditante Petro.
Qui valet ex meritis cineres animare ſepultos,
Et revocare diem, voce jubente, poteſt.
Hinc mercede pari ſequitur pius ordo Senatum,
In quibus eſt Stephanus victor honore prior.
Quos ſaxis gladiiſque, fame, ſite, frigore, flammis,
Ereptos terris jungit in aſtra fides.
Cæſibus heu variis quos ſic tulit ira furentis,
Et ſi mors diſpar, lux tamen una tenet.
Indè Dei genitrix pia virgo Maria coruſcat,
Virgineóque agni de grege ducit oves.
Iſta puellari medio circundata cætu,
Luce pudicitiæ ſplendida caſtra trahit.
Per Paradiſiacas epulas ſua vota canentes,
Iſta dedit violas, carpit & illa roſas.
Pratorum gemmas ac lilia pollice rumpunt.
Et quod odoratum eſt flore comante metunt.
Chriſtina, Euphemia, hìc pariter quoque plaudit Agathe,
Et Juſtina ſimul conſociante Teclâ.
Hic Paulina, Agnes, Baſiliſſa, Eugenia regnant,
Et quaſcunque ſacer vexit ad aſtra pudor.
Felices quarum Chriſti contingit amore
Vivere perpetuo nomina fixa libro.
Has inter comites conjuncta Cæraria fulget,
Temporibus noſtris Arelatenſe decus.
Cæſarii monitis luci ſociata perenni,
Si non martyrii, virginitatis ope.
Quos Liliola refert æquatis moribus ambos,
Et claram hæredem proxima palma manet.
Et quæcunque ſuos vigilans meditabitur actus,
His erit egregio participanda gradu.
Conciplente fide Chriſti Radegundis amore,
Cæſarii lambit regula quicquid habet.
Cujus Pontificis refluentia pectore mella
Colligit, & rivos inſatiata bibit.
Quos dum fonte trahit, tantum ſitis addita creſcit,
Et de rore Dei plus madefacta calet.
Nec ſibi, ſed cunctis generaliter unica vivens,
Felix anguſtam pandit ad aſtra viam.
Sed tibi præ reliquis mater pia carior inſtans,
Eligit excelſo conſociare choro.
Res probat ipſa tamen, quoniam quæ filia conſtas,
Te matrem votis optat habere ſuam.
Quámque ſuis genibus caram nutrivit alumnam,
Præcit ecce ſuo conſtituenda loco.
Et quæ te ſemper baculi moderamine rexit,
Prompta ſub imperio vult magis eſſe tuo.
Proficit illa ſibi, cùm tu præponeris illi,
Illa ſubit voto te potiente gradu.
Ecce diem feſtum tandem pietate Tonantis,
Quem precibus genitrix ſæpe rogabat, habet.
Cujus reſpirant tacito præcordia pulſu,
Anguſtóſque animos gaudia larga replent.
Expectata nimis oculos ad tempora tendens,
Semine lætitiæ dona ſuperna metit.
Optat adhuc ſupplex unum quod reſtat honoris,
Ut placeas Chriſto conſocianda polo.
Qualiter hæc capias labor eſſe videtur agentis,
Sed labor iſte brevis fruge replendus erit.
Servitio Domini ſubdenda eſt ad juga cervix,
Nec grave ſed leve ſit quicquid amore feras.
Non aliunde petas, in matre exempla require,
Aſpicis ante oculos quod mediteris opus.
Cùm qua feſtinas ſimul eſſe in luce perenni,
Condecet hìc ſimili currere lege viam.

Sit tibi dulce decus veneranda Ceſaria præſens,
Præſule Cæſario non caritura tuo.
Illos corde ſequens, mandatáque corpore complens,
Ut teneas flores, has imiteris apes.
Reſpice qui voluit naſci ſe ventre puellæ,
Et Domini ſummi qua caro carne venit.
Spiritus intactam venerabilis attigit alvum,
Virgineam cupiens inhabitare domum.
Hanc Deus ingrediens hominis quæ neſciit uſum,
Sola ſuo nato conſcia virgo viro,
Concipiente fide nullo ſe ſemine luſit,
Et quo factus homo eſt, non fuit alter homo.
Virginitas felix quæ partu eſt digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.
Tempia Creatoris ſunt membra pudica puellæ,
Atque habitat proprius tale cubile Deus.
Quantum ſponſa poteſt de virginitate placere,
Ipſa cui genitrix non niſi virgo placet.
Sara, Rebecca, Rachel, Heſter, Judith, Anna, Noëmi,
Quamvis præcipuæ culmen ad aſtra levent.
Nulla tamen meruit mundi generare parentem,
Quæ Dominum peperit clauſa Maria manet.
Intemerata Deum ſuſpendit ad ubera natum,
Et panem cæli munere lactis alit.
Hoc ergo in ſponſæ nunc viſcere diligit ipſe,
Quod prius in matrem legit honore ſacer.
Pectora liberiùs penetrat ſibi cognita ſoli,
Et quo nemo fuit lætior intrat iter.
Hæc ſua membra putans quæ nulla injuria fuſcat,
Quæ neque ſunt alio participata viro.
Mitis in affectu pectus complectitur illud,
Promptus amore colens quo alter amator abeſt.
Cùm ſua regna Deus pariter velit omnibus eſſe,
Hoc commune tamen Chriſtus habere fugit.
Per Paradiſiacas epulas cupit eſſe cohæres,
Virgineam ſolus vult habitare domum.
Caſtra pudicitiæ meliùs Rex ipſe tuetur,
Si ſibi non violet turba dicata fidem.
Ipſe voluntatem ſi viderit eſſe fidelem,
Próque ſuis famulis hìc Deus arma tenet.
Loricâ, clypeo, galeâ præmunit amantem,
Et ſtabilit ſolidum montis in arce gradum.
Baliſtam jaculans pro te mox exit in hoſtem,
Perdat ut adverſos qui tibi bella movent.
Currit ad amplexus poſt prælia geſta triumphans,
Infigens labiis oſcula caſta ſacris.
Blanditur, refovet, veneratur, honorat, obumbrat,
Et locat in thalamo membra pudica ſuo.
Syderei proceres ad regia vota frequentes,
Certatim veniunt agglomerando chorum.
Quo præter Cherubin, Seraphin, relíquóſque beatos,
Aligeros comites quos tegit umbra Dei,
Bis duodena ſenum concurſat gloria vatum,
Attonito ſenſu plaudere voce, manu.
His venit Helias, Illis in curribus Enoch,
Et nati dono virgo Maria prior.
Juriſconſulti Pauli comitante volatu,
Princeps Romanâ currit ab arce Petrus.
Conveniunt ad feſta ſimul ſua dona ferentes,
Hi quorum cineres urbs caput orbis habet.
Culmen Apoſtolicum radianti luce coruſcum,
Nobilis Andream mittit Achaïa ſuum.
Præcipuum meritis Epheſus veneranda Joannem,
Dirigis & Jacobos terra beata ſacros.
Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edeſſa pium.
Indè triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Nadaber alta virum.
Hunc Simeon ac Judam lumen Perſida gemellum,
Læta relaxato mittit ad aſtra ſinu.
Et ſinè rore ferax Ægyptus torrida Marcum,
Lucæ Evangeliſtæ participante tubâ.
Africa Cyprianum, dat Siſcia clara Quirinum,
Vincentí Hiſpanâ ſurgit ab arce decus.
Egregium Albanum fœcunda Britannia profert,
Maſſiliâ Victor martyr ab urbe venit.
Porrigit ipſa decens Arelas pia dona Geneſi,
Aſtris Cæſario concomitante ſuo.
Ipſe Pariſiacâ properat Dionyſius urbe,
Auguſtiduno Symphoriane venis.
Privatum Gabalus Julianum Arvernus abundas,
Ferreolum pariter pulcra Vienna gerit.
Hinc ſimul Hilarium, Martinum Gallia mittit,
Te quoque Laurenti, Roma, beate tulit.

Felicem

Felicem meritis Ucetia læta refundit,
Et Fortunatum fert Aquileia suum.
Vitalem ac reliquos quos chara Ravenna sepultat,
Gervasium, Ambrosium, Mediolane meum.
Justinam Patavum, Euphemiam huc Chalcedon offert,
Eulalia Emeritâ tollit ab urbe caput.
Caeciliam Sicula profert, Seleucia Teclam,
Et legio Felix Agaünensis adest.
Europæ atque Asiæ quis lumina tanta recurrat,
Vel tua quis possit pignora Roma loqui?
Undique collectos diversis partibus orbis,
Agminibus junctis regia pompa trahit.
Intrant sydereo vernantes lumine portas,
Excipit hos proceres urbs patefacta poli.
Incedit sensim tunc prætextata potestas,
Ordine patricio sic potitura loco.
Nobilitas cæli dives cruce, sanguine Christi,
Festinat festos concelebrare thoros.
Paupertas terræ censu cæleste redundans,
Consolibus tantis regia vota colit.
Undique distinctæ numerosa sedilia complent,
Attonitique silent Rege loquente patres.
Majestas arcana Dei tum pondere fixo
Alloquitur proceres quos sua dextra regit.
Hæc mihi pollicitum servavit virgo pudorem,
Nec voluit placidam dilacerare fidem.
Sollicitis animis sponsi vestigia sectans,
Et mea vota petens inviolata venit.
Per tribulos gradiens Spinæ cavescit acumen,
Sentibus in mediis nescia ferre vepres.
Vipera, seps, jaculus, basiliscus, Hemorroïs, aspis,
Faucibus horrificis sibila torsit iners.
Indè sagitta volans, hinc terruit arcus euntem,
Docta sed insidiis cautiùs ire suis.
Inter tot hostes nulli se subdidit insons,
Vulnera suscepit, sed tolerando fugit.
Per tela & gladios tenuit mora nulla sequentem,
Sed tam dura nimis non nisi ferret amor.
Ad me aures, oculos, animos suspensa tetendit,
Cùm terris jacult, jam super astra fuit.
Singultus, gemitus, curas, suspiria, fletus,
Sæpius audivi non abolenda mihi.
Abscondens aliis nulli confessa dolores,
Intellecta mihi murmura clausa dedit.
Vidit fortè meum quotiens in imagine vultum,
Oscula dans labiis lumine fudit aquas.
Pervigil incubuit, si fortè alicunde venirem,
Marmore jam tepido frigida membra premens.
Hæc gelefacta meum servavit in ossibus ignem,
Visceribus rigidis pectus amore colens.
Corpore despecto recubabat in aggere nudo,
Séque oblita jacens immemor ipsa fuit.
Fletibus assiduis exhausto humore genarum,
Siccatis oculis terra natabat aquis.
Et quia me vivens carnali lumine quondam
Cernere non potuit, misit amata precem.
Nam mihi sollicito nocturnis sæpius horis,
Scripta suis oculis pagina lecta fuit.
Plena quidem variis tremulo sermone querelis,
Quòd sinè me solâ mœsta jaceret humo.
Cujus ab ore fluens nativo gutta liquore,
Hæc dedit in tremulis signa relata notis.
Strata solo recubo lacrymans, neque cerno quod opto,
Tristis in amplexu pectore saxa premo.
Sponso absente manens tam dura cubilia servo,
Nec mea, quem cupiunt, membra tenere queunt.
Dic ubi sis, quem expecto gemens, qua te urbe requiram,
Quáve sequar, nullis semita nota locis.
Ipsa venire velim properans, si posset in astris,
Pendule sydeream planta tenere viam.
Nunc sinè te fuscis graviter nox occupat alis,
Ipsáque sole micans est mihi cæca dies.
Lilia, narcissus, violæ, rosa, nardus, amomum,
Oblectant animos germina nulla meos.
Ut te conspiciam per singula nubila pendo,
Et vaga per nebulas lumina ducit amor.
Ecce procellosos suspecta interrogo ventos,
Quid mihi de Domino nunciet aura meo.
Próque tuis pedibus cupio cæmenta lavare,
Et tua templa mihi tergere crine libet.
Quicquid erit, tolerem; sunt omnia dulcia dura,
Donec te videam, hæc mihi pœna placet.
Tu tamen esto memor quoniam tua vota requiro,
Est mihi cura tui, sit tibi cura mei.

Hæc referens avidis jactabat brachia palmis,
Si posset plantas fortè tenere meas.
Dum decepta sibi sinè me sua dextra rediret,
Lumenis instillans ora lavabat aquis.
Cùm recubaret humo, neque victa sopore quievit,
Consulturus ei sæpe simul jacui.
Condolui, pariter lacrymarum flumina tersi,
Oscula dans rutilis mellificata favis.
Nunc igitur regnet, placitóque fruatur amore,
Quæ mihi jam pridem pectore juncta fuit.
Assensu fremit aula poli, residente Senatu,
Nomen perpetuo scribitur indè libro.
Traditur æternos mansura in sæcula census,
Virginis in thalamum fundit Olympus opes.
Inseritur capiti radians diadema beryllis,
Ordinibus variis alba smaragdus inest.
Alligat & nitidos amethystina vitta capillos,
Margaritato flexilis arte sinu.
Sardonyche impressum per colla monile coruscat,
Sardia purpureâ luce metalla micat.
Dextræ armillâ datur chalcedone jaspide mixta,
Aut hyacintheo sudat honore manus.
Bractea gemmatam cycladem fila catenant,
Syderiis donis arte tigilla tument.
Pulcra topaziacis oneratur zona lapillis,
Chrysolitha auratam fibula claudit acum.
Veste superpositâ biscocto purpura bysso,
Qualem nupta Dei ferre puella potest.
His cumulata bonis thalamo Regina sedebit,
Atque poli sobolem sub pede virgo premet.
Cui tamen hoc opus est cum virginitatis honore,
Ut placeat sponso mens moderata suo.
Inconcussa gravem teneat patientia vultum,
Viribus ira suis ne labefacta ruat.
Nec faciles animos ventosa procella fatiget,
Fluctibus in mediis anchora cordis agat.
Virtutum speciale decus, patientia fulget,
Quà gradiaris iter Jon tibi signa dabit.
Quídve loquar humilem quem gratia celsa decorat,
Et quantum ima petit, surgit ad alta magis.
Quòd diversa nimis divisa est causa duobus,
Qui jacet ille subit, qui tumet ipse cadit.
Hæc exempla quidem Joseph, Pharaóque dederunt,
Tollitur ille lacu, mergitur iste freto.
Est etiam laudis stipendia poscere tantum,
Ne premat ipse suum pestis avara sinum.
Contentus minimis, si non majora requirat,
Pauper in angusto regnat habendo Deum.
Sapphira vel mulier geminos largita minutos,
Illa tenendo perit, hæc sua dando manet.
O nimiùm felix quem non modò mollia frangunt,
Judice qui sese membra labore terit.
Spernit opum laqueos, unguenta, toreumata, luxus,
Ut custos animæ sit rigor ipse suæ.
Hoc etiam recolens quid possit parcior usus,
Sobrietas Judith vincere sola facit.
Quídve animum dulcem memorem quem gratia pascit,
Cùm intrà se populos viscera chara ferat.
Pacificus gaudens unus complectitur omnes,
Stringit in affectu pectora cuncta suo.
O nimiùm felix florens bonitate voluntas,
Qua sinè nil populo, nec placet ara Deo.
Hoc opus, ut quotiens aliquo meus fertur amaro,
Firmet in adversis spes imitata fidem.
Aspera non frangunt, tumidos nec prospera rodunt,
Sic mediocra tenens cautius itur iter.
Hæc bona sumit homo, tribuit si gratia Christi,
Inspirante illo vel moderante gradum.
His ornata bonis radiantia lumina fundis,
Has retinens gemmas tu quoque gemma micas.
Virginitas felix nullis æquanda loquelis,
Nec si centenus supplent ora sonus.
Quod priùs est sinè sorde niter, venerabilis orbi,
Naturæ proprium non vitiando bonum.
Corporis illæsum servans pretiosa talentum,
Perpetuas retinens nescia furis opes.
Non premit incluso torpentia viscera fœtu,
Aut grave facta jacet pignore mœsta suo.
Inter anhelantes animæ seu corporis æstus,
In dubio pendens flamine fessa salus.
Quando suis jaculis uteri læsura tumescit,
Atque voluptatis morbida crescit Hydrus.
Ultra hominis habitum tantum cutis effera turget,
Ut pudeat matrem hoc quod amore gerit.

Se

Se fugit, & propriis verecunda parentibus aufert,
Donec depoſitum ſarcina ſolvat onus.
Quis gemitum partûs verbis æquare valebit,
Aut cui tot lacrymas carmine flere vacet?
Cùm ſua ſecretum compago relaxat onuſtum,
Atque dolore gravi viſcera faſcis agit.
Victa puerperio membrorum porta fatiſcit,
Exit & ad lucem fors ſinè luce puer.
Si vivat genitus, genitrix ſe oblita requirit,
Triſtis & ad natum lumina feſſa trahit.
Reſpicit expoſitum nec jam ſua mater alumnum,
Quæ vix dum peperit, hæc modò funus habet.
Nec mater meruit demum, nec virgo vocari.
Hæc duo damna dolens ſe malè nupta gemit.
Omnis non validi eſt ſpes prorſus rapta doloris,
Nec fletu nati ſe fovet illa ſui.
Non charas lacrymas infantis ab ore reſorbet,
Aut teneras voces lacte fluente rapit.
Triſtis decrepito damnat ſua viſcera luctu,
Quo jacuit natus, heu dolet illa ſinum.
Quod ſi vita manet pueri, nec ſemper habenda,
Incipiat teneros ut dare voce ſonos.
Imperfecta rudis collidens murmura lingua,
Cum matrem dulci voce ſuſurrus alit.
Contingátque nefas, rapiatur pectore matris,
Ætas ad damnum crevit adulta ſuum.
Triſte flagellatis genitrix orbata capillis,
Defuncti in labiis ubera ſicca premit.
Infundens lacrymas lamenta reſuſcitat ardens,
Et gelidum corpus fonte tepente lavat.
Dilacerat faciem, crinem aufert, pectora tundit,
Heu dolor armatus ſic ſua membra ferit!
Si videt alterius natum, ſua pignora deflet,
Æqualémque ſuum triſtis obiſſe gemit.
Alter ſi ploret, currat, ſtet, gaudeat infans,
Ante oculos nati ludit imago ſui.
Quem ſemel effudit, per cuncta momenta requirit,
Nec miſeræ matris pendet ab ore puer.
Quid ſi aliud gravius? moriatur ut ipſe jugalis,
Quæ nova nupta fuit, jam viduata jacet.
De thalamo ad tumulum, modò candida, tam citò nigra,
Antè quibus caluit, frigida membra tenet.
Conſtruit exequias, perverſáque vota celebrans
Exornat tumulum heu ſpoliando thorum.
Sæpe maritale repetit miſerando ſepulcrum,
Contemptáque domo, funus amara colit.
Incumbit tumulo ſolatia caſſa requirens,
Cujus membra priùs, nunc ſuper oſſa premit.
Fletibus irriguis perituro carmine luget,
Funeris obſequio lumina perdit amor.
Quot mala plebeiæ veniant quis pandere poſſit,
Vix bene Reginæ quæ viduata manet.
Non verò conjugium, ſed prætero virginis alvum,
Quod dat Apoſtolicâ Paulus ab ore tubâ.
Inclyta virginitas cælos quæ dote mereris,
Cum thalamis Chriſti conſocianda places.
Funera nulla gemis, finè limite gaudia ſumis,
Vivit amor ſemper, nec tibi Chriſtus obit.
Illìc regna tenes, hìc vincis & integra fulges,
Omni tuta loco ſanctificata Deo.
Hæc tibi, chara Deo, meritis venerabilis Agnes,
Offero; quo placeas tu faciendo colas,
Judicis ut juſſu munus tribuatur utriſque,
Quando corona tibi, dehinc mihi, vel venia.
Opto per hos ſanctus animas tu Chriſte gubernes,
Arbore & antennâ velificante crucis.
Vt poſt emerſos mundani gurgitis æſtus,
In portu vitæ nos tua dextra locet.

IV. *Verſus in laudem Virginum.*

INter Apoſtolicas acies ſacróſque Prophetas,
Proxima Martyribus præmia virgo tenet.
Splendida ſydereo circundata lumine pergens,
Jungitur Angelicis caſta puella choris.
Fruge pudicitiæ cæli dotanda talento,
Æterni Regis ducitur in thalamos.
Pulcra corona caput triplici diademate cingit,
Et gemmæ exornant pectora, colla, comam.
Induitur teneris ſuperaddita purpura membris,
Et candore nivis fulgida palla tegit.
Floribus æternis oculos rota, lilia paſcunt,
Et Paradiſiacus naribus intrat odor.
Unde magìs dulcis hortamur ut iſta requiras,
Quæ dedit Eugeniæ Chriſtus & alma Teclæ.

Virgo Dei, fructus cæli, victoria mundi,
Ut ſemper regnes, has pete Regis opes.
Sunt ibi chryſolithis fabricata palatia gemmis,
Atque ſmaragdineo janua poſte viret.
Limina ſardonychæ variato lumine florent,
Et hyacynthæus circuit ordo domum.
Aurea tecta micant, plebs aurea fulget in aulâ,
Et cum Rege pio turba coruſca nitet.
Ille puellarum locus eſt, quæ lucis amore
Hìc ſervant Domino corpore, mente, fidem.
Deſpice quod terræ eſt, & clara ſedebis in aſtris,
Chriſti ut ſponſa placens regna ſuperna colas.
Præſens vita nimis fugitivo tempore tranſit,
Virginis integritas glorificanda manet.
Paupertas te parva regat cum divite Chriſto,
Ut venias noſtro dulcis alumna ſinu.
Quod patris auxilium Domino obtentura preceris,
Atque tibi felix regna beata petas.
Ut pariter Sanctæ merearis junctа Mariæ,
Gaudia perpetuo concelebrare choro.
Has quæcunque piis manibus ſuſceperis aras,
Non nuptura homini, ſed fis amata Dei.

V. *Ad Beatam Radegundem.*

REgali de ſtirpe potens Radegundis in orbe,
Altera cui cælis regna tenenda manent:
Deſpiciens mundum meruiſti adquirere Chriſtum,
Et dum clauſa lates, hinc ſuper aſtra vides.
Gaudia terreni conculcans noxia regni,
Ut placeas Regi læta favente polo.
Nunc anguſta tenes, quo cælos largior intres;
Effundens lacrymas gaudia vera metes.
Dum corpus cruciant, animam jejunia paſcunt,
Salve, quam Dominus ſervat amore ſuo.

VI. *Ad ipſam: de violis & roſis.*

TEmpora ſi ſolito mihi candida lilia ferrent,
Aut ſpecioſa foret ſuave rubore roſa:
Hæc ego rure legens aut ceſpite pauperis horti,
Miſiſſem magnis munera parva libens.
Sed quia prima mihi deſunt, vel ſolvo ſecunda,
Profert qui violas, fert & amore roſas.
Inter odoriferas tamen has quas miſimus herbas,
Purpureæ violæ nobile germen habent.
Reſpirant pariter regali more nitentes,
Et ſaturat foliis hinc odor, indè decor.
Hoc quod utrumque gerit pariter habeatis utrumque,
Et ſit mercis odor flore perenne decus.

VII. *De Floribus: Ad eandem.*

FRigoris hyberni glacie conſtringitur orbis,
Totáque lux agri flore carente perit.
Tempore vernali Dominus quo Tartara vicit,
Surgit perfectis lætior herba comis.
Indè viri poſtes & pulpita floribus ornant,
Hinc mulier roſeo complet odore ſinum.
At vos non vobis, ſed Chriſto fertis odores,
Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texiſtis variis altaria feſta coronis,
Pingitur ut filis floribus ara novis.
Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat, lacteus indè nivet.
Stat praſino venetus, pugnant & flore colores,
Inque loco pacis herbida bella putes.
Hæc candore placet, rutilo micat illa decore,
Suaviùs hæc redolet, pulcriùs illa rubet.
Sic ſpecie variâ florum ſibi germina certant,
Ut color hic gemmas, thura revincat odor.
Vos quoque quæ ſtruitis hæc Agnes cum Radegunde,
Floribus æternis veſter anhelet odor.

VIII. *Item ad ipſam tranſmiſſio florum.*

O Regina potens, cui aurum & purpura vile eſt,
Floribus ex parvis te veneratur amans.
Et ſi non res eſt color, eſt tamen ipſe per herbas,
Purpura per violas, aurea forma crocus.
Dives amore Dei vitâſti præmia mundi,
Illas contemnens, has retinebis opes.
Suſcipe miſſa tibi variorum munera florum,
Ad quos te potiùs vita beata vocat.
Quæ modò te crucias, recreanda in luce futurâ,
Aſpicis hinc qualis te retinebit ager.

Per ramos fragiles quos nunc præbemus olentes,
Perpende hinc quantus te refovebit odor.
Hæc cui debentur, precor, ut cùm veneris illuc,
Méque tuis meritis dextera blanda trahat.
Quamvìs te ſpectet Paradiſi gloria florum,
Iſtæ vos cupiunt jam revidere fores.
Et licèt egregio videantur odore placere,
Plus ornant propriis te redeunte comas.

IX. *Ad eundem, cùm ſe recluderet.*

MEns fœcunda Deo Radegundis, vita ſororum,
Quæ ut foveas animam membra domanda premis.
Annua vota colens hodie claudenda recurris,
Errabunt animi te repetendo mei.
Lumina quàm citiùs noſtris abſcondis ocellis!
Nam finè te nimiùm nocte premente gravor.
Omnibus excluſis uno retineberis antro,
Nam magìs includis quos facis eſſe foris.
Et licèt hìc lateas brevibus fugitiva diebus,
Longior hìc menſis quàm celer annus erit.
Tempora ſubducis cœu non videaris amanti,
Cùm vos dum cerno, hoc mihi credo parum.
Sed tamen ex voto tecum veniemus in unum,
Et ſequor hùc animo, quò vetat ire locus.
Hoc precor, incolumem referant te gaudia Paſchæ,
Et nobis pariter lux geminata redit.

X. *Ad eundem poſt reditum.*

UNde mihi rediit radianti lumine vultus?
Quæ nimis abſentem te tenuere moræ?
Abſtuleras tecum, revocas mea gaudia tecum,
Paſchalémque facis bis celebrare diem.
Quamvìs incipiant modò ſurgere ſemina ſulcis,
Hìc egomet hodie te revidendo meto.
Colligo jam fruges, placidos compono maniplos,
Quod ſolet Auguſtus menſis, Aprilis agit.
Et licèt imprimis modò gemma & pampinus exit,
Jam meus autumnus venit & uva ſimul.
Malus & alta pyrus gratos modò fundit honores,
Sed cum flore novo jam mihi poma ferunt.
Quamvìs nudus ager nullis oneretur ariſtis,
Omnia plena tamen te redeunte nitent.

XI. *Ad Gregorium: pro infirmitate ſuâ.*

VEnit ad ægrotum mèdici vox alma Gregori,
Urbe ex Turonicâ dum cubo, rure, thoro.
Concite Presbytero recitante Leone ſereno,
Item ut Martini ſunt ubi feſta pii.
Tum fateor morbi grave debilitate laborans,
Febre calens ſummâ, jam rigor intus eram.
Hinc fragilis nimiùm forti languore redacto,
Viſcera laſſa levans, halitus æger erat.
Ibat anhelanti vapor aridus ora perurens,
Ibat ab arcanis flatibus aura coquens.
Fervor eram totus, triſtis rogus igne caminus,
Febris & in fibris ſtabat aperta parens.
Donec Chriſtus opem ſudore undante refudit,
Fervidus & gelidas ignis abegit aquas.
Reddita ſicque ſalus eſt, te pater alme ſaluto,
Auxilium exili fis rogo paſtor ovi.

XII. *Item ad eundem Epiſcopum.*

REpſit tale nefas intrà pia ſepta ſynaxis,
Inconſulte dolor rumpere verba vetas.
Quale nec antè oculos, patulas neque pollùit aures,
Nec facerent vitio qui ſua ſana colunt.
Tu tamen, alme pater, pietatis amore labora,
Ut ſacer Antiſtes, culmina cujus habes.
Unde repræſentes Martinum in tempore ſacrum,
Curſibus atque fide dando ſalutis opem.

XIII. *Ad eundem.*

ANtiſtes Domini, bone paſtor, & auctor honoris,
Rite decus generis, quo eſt generoſa fides,
Juſtinæ famulæ pietate memento beatæ,
Per te & commendes ſtirpe vel arce pater.
Hinc referens grates aviæ, quia reddita tandem,
Ad vultus neptis dulcis imago venit.
Iſta diu noſtris votis dans gaudia, rector,
Inter aviam & neptem tu mediator agas.

XIV. *Item ad ipſum, Salutatorium.*

ALme beate pater, lumen generale Gregori,
Jure ſacerdotum culminis arce caput.
Reddo Deo grates de vobis proſpera noſcens,
Veſtris nunc ſcriptis lætificatus agens.
Me quoque commendans humili prece, voce ſaluto,
Jugiter officio quem mea corda colunt.

XV. *Ad ipſum Epiſcopum laus ejus generis.*

SUmme pater patriæ celſum & generale cacumen,
Forte decus, generis Turonicenſis apex,
Lumen ab Arvernis veniens feliciter arvis,
Qui illuſtrans populos ſpargeris ore pharus,
Alpibus ex illis properans mens altior ipſis,
Vir per plana ſedens qui pia caſtra regis.
Neu noceant hoſtes qui ſunt in ovile fideli,
Unicus in campis publica turris ades.
Vir date dulce caput regioni chare Gregori,
Martini retinet quem ſacra ſella patrem.
Me Fortunatum humilem commendo patrono,
Sic tua vita diu hoc ſit in orbe Deo.

XVI. *Ad eundem, Commendatio ſui.*

SI qua mihi veniet quotiens occaſio dulcis,
Opto, facer, calamo ſolvere vota meo.
Summe pater patriæ, toto venerabilis orbe,
Undique chare mihi, fulgide, chare Deo.
Commendans humilem tibi me ſacer arce Gregori,
Pro famulo proprio quæſo precare Deum.

XVII. *Item ad ipſum, Salutatorium.*

SI ceſſent homines velociter ire per auſtros,
Ad te chare pater carmina miſſa velim.
Nunc tamen eſt quoniam gerulus mihi, porrigo verbum,
Sed minùs eloquio quàm quod amore colo.
Dulcis opime decus noſtrum pie Papa Gregori,
Verſiculis brevibus ſolvo ſalutis opus.
Sed memor ipſe mei commenda quæſo Tonanti,
Sic te conſocium reddat honore throno.

XVIII. *Ad eundem Epiſcopum, Laudatio.*

GUrgitis in morem ſi lingua fluenta rigaret,
Turbine torrentis vel raperetur aquis,
Ad tua præcipuè præconia ſumma Gregori,
Dum non explerem flumina, gutta forem.
Munificum patrem æquaret nec muſa Maronis,
Fers bone quanta mihi quis valet ore loqui?
Hac brevitate facer famulum commendo ſubeſſum
Me Fortunatum, ſit veniale precor.

XIX. *Ad ipſum, pro villâ præſtitâ.*

TRamite munifico celebravit pagina curſum,
Carmine dulciſluo quam tuus edit amor.
In qua ſorte loci facta eſt collatio doni,
Qua Vigenna procax littore frangit aquas.
Lapſibus & tumidis dum fertur nauta carinis,
Jugera culta videt quando celeuma canit.
Grates chare gero pietatis fruge repleto,
Qui facis unde decens multiplicetur apex.
His ſinè nam mea ſunt à te quæcunque tenentur,
Grex abit omnis agris, quem bone paſtor habes.

XX. *Grates pro ipſo ægro, ad eundem.*

MUnifici reparans Martini geſta Gregori,
Texit ut ille habitu, nos alis ipſe cibo.
Diſcipulus placidum ſapiens imitando magiſtrum,
Ille ubi dux reſidet, miles habebis opem.
Ut chlamydem ille priùs, ſic tu partiris agellum:
Ille tegendo potens, tûque fovendo decus.
Iſte inopem antiquum relevans, tu chare novellum,
Fit dives merito paupere quiſque ſuo.
Quando repoſcetur veſtris redit uſibus arvum,
Et domino proprio reſtituemus agrum.
Unde amplas refero grates, dulciſſime rector,
Et repeto pangens hæc tua, paſtor, ovis.
Nec tantum reddo, quantum tibi debeo præſul,
Pro Fortunato ſed rogo flecte Deum.

XXI. *Ad ipſum, pro pellibus tranſmiſſis.*

EGregio compacta ſitu, phalerata rotatu,
Atque Sophocleo pagina fulta ſopho.
Me arentem veſtro madefecit opima rigatu,
Fecit & eloquio, quod loquor, eſſe tuo.
Dulcis, chare, decens, facunde, benigne Gregori,
Atque pater patriæ, hinc ſacer, indè care,
Muneribus, meritis, animis & moribus æquis,
Omnibus officiis unde colaris habes.
Me Fortunatum tibi celſo ſterno puſillum,
Commendo & voto ſupplico rite ipſum.

Cui

Cui das unde ſibi talaria miſſa ligentur,
Pellibus & niveis ſint ſola tecta pedis.
Pro quibus à Domino detur ſtola candida vobis,
Qui datis hoc minimis, unde feratis opem.

LIBER OCTAVUS.

I. *Ad Chilpericum Regem, quando Synodus Brinnaco habita eſt.*

ORdo ſacerdotum venerandáque culmina Chriſti,
Quos dedit alma fides relligione patres:
Parvulus opto loqui Regis præconia celſi,
Sublevet exigui carmina veſter amor.
Inclyte Rex armis & Regibus edite celſis,
Primus ab antiquis culmina prima regens,
Rector habens naſcendo decus, moderando ſed auges,
De radice patris flos generate potens.
Æquali ſerie vos nobilitando viciſſim,
Tu genus ornâſti, te genus ornat avi.
Excepiſti etenim fulgorem ab origine gentis,
Sed per te proavis ſplendor honore redit.
Te naſcente patri lux altera naſcitur orbi,
Nominis & radios ſpargis ubique novos.
Quæ profert oriens, Libyes, occaſus & arctos,
Quo pede non graderis, notus honore venis.
Quidquid habet mundus peragrâſti nomine princeps,
Curris & illud iter quod rota Solis agit.
Cognite jam Ponto & rubro pelagóque ſub Indo,
Tranſit & Oceanum fulgida fama tui.
Nomen ut hoc reſonet, non impedit aura nec unda,
Sic tibi cuncta ſimul terra vel aſtra favent.
Rex bonitate placens, decus altum, & nobile germen,
In quo tot procerum culmina culmen habent.
Auxilium patriæ, ſpes & tutamen in armis,
Fida tuis virtus, inclytus atque vigor.
Chilperice potens, ſi interpres barbarus extet,
Adjutor fortis hoc quoque nomen habes.
Non fuit in vanum ſic te vocitare parentes,
Præſagum hoc totum laudis & omen erat.
Jam tunc judicium præbebant tempora nato,
Dicta priora tamen dona ſequuta probant.
In te dulce caput patris omnis cura pependit,
Inter tot fratres ſic amor unus eras.
Agnoſcebat enim te jam meliora mereri,
Unde magis coluit, prætulit indè pater.
Præpoſuit genitor, cùm plus dilexit alumnum,
Judicium Regis frangere nemo poteſt.
Auſpiciis magnis crevisti, maxime princeps,
Hinc in amore manens plebis, & indè patris.
Sed meritis tantis ſubitò ſors invida rerum,
Perturbare parans regna quieta tibi.
Concutiens animos populorum & fœdera fratrum,
Lædere dum voluit, proſperitate favet.
Denique jam capiti valido pendente periclo,
Quando ferire habuit, reppulit hora necem.
Cùm retinereris mortis circundatus armis,
Eripuit gladio ſors, operante Deo.
Ductus ad extremum remeas de funere vitæ,
Ultima quæ fuerat ſit tibi prima dies.
Noxia dum cuperent hoſtes tibi bella parare,
Pro te pugnavit mortis in arma fides.
Proſpera judicium ſinè te tua cauſa peregit,
Et rediit proprio celſa cathedra ſuo.
Rex bone, ne doleas; nam te fortuna querelis,
Unde fatigavit, hinc meliora dedit.
Aſpera tot tolerando diu modò læta ſequuntur,
Et per mœrores gaudia nata metis.
Multimodas per opes ſeminans tua regna reſumis,
Namque labore gravi creſcere magna ſolent.
Aſpera non nocuit, ſed ſors te dura probavit,
Unde gravabaris, celſior indè redis.
Altior aſſiduis creſcis, non frangeris armis,
Et belli artificem te labor ipſe facit.
Fortior efficeris per multa pericula princeps,
Ac per ſudores dona quietis habes.
Nil dolet amiſſum, te Rege ſuperſtite, mundus,
Cui ſe ſervârunt debita regna gradu.
Conſuluit domui, patriæ, populóque creator,
Quem gentes metuunt te ſupereſſe virum.
Ne ruat armatus per Gallica rura rebellis,
Nomine victoris hic es & ampla regis.
Quem Geta, Waſco tremunt, Danus, Scytha, Saxo, Britannus;
Cum patre quos pridem te domitâſſe patet.
Terror & extremis Friſonibus atque Suevis,
Qui neque bella parant, ſed tua fræna rogant.
Omnibus his datus es timor illo judice campo,
Et terrore novo factus es altus amor.
In te, rector, habet regio circundata murum,
Ac levat excelſum terrea porta caput.
Tu patriæ radias adamantina turris ab Auſtro,
Et ſcuto ſtabili publica vota tegis.
Neu gravet hæc aliquis, pia propugnacula tendis,
Ac regionis opes limite forte foves.
Quid de juſtitiæ referam moderamine princeps?
Quo malè nemo redit, ſi bene juſta petit.
Cujus in ore probo menſuræ libra tenetur,
Rectáque cauſarum linea currit iter.
Nec mora ſit, vero falſus nihil explicat error,
Judiciſſque tuis fraus fugit, ordo redit.
Quid quoſcunque etiam regni ditione gubernas,
Doctior ingenio vincis & ore loquax?
Diſcernens varias ſed nullo interprete voces,
Et generum linguas unica lingua refert.
Erigit exiguos tua munificentia cunctos,
Et quod das famulo, credis id eſſe tuum.
Qualiter hinc itidem tua ſe præconia tendunt,
Laudis & hoc cumulo concutit aſtra fragor.
Cui ſimul arma favent, & littera conſtat amore,
Hinc virtute potens, doctus, & indè placens.
Inter utrumque ſagax armis & jure probaris,
Belliger hinc radias, legifer indè micas.
De virtute pater, reparatur avunculus ore,
Doctrinæ ſtudio vincis & omne genus.
Regibus æqualis de carmine major haberis,
Dogmate vel qualis non fuit antè parens.
Te arma ferunt generi ſimilem, ſed littera præfert,
Sic veterum Regum par ſimul atque prior.
Admirande mihi nimiùm Rex, cujus opimè
Prælia robur agit, carmina lima polit.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis,
Artis diverſæ ſic ſimul itur iter.
Diſcere ſi poſſit rector tua ſingula quiſquis,
Ornarent plures quæ bona ſolus agis.
Sed tamen hæc maneant & creſcant proſperà vobis,
Et liceat ſolio multiplicante frui:
Conjuge cum propriâ quæ regnum moribus ornat,
Principis & culmen participata regit.
Provida conſiliis, ſolers, cauta, utilis aulæ,
Ingenio pollens, munere larga placens.
Omnibus excellens meritis Fredegundis opima,
Atque ſerena ſuo fulget ab ore dies.
Regia magnanimis curarum pondera portans,
Te bonitate colens, utilitate juvans.
Qua pariter tecum moderante palatia creſcunt,
Cujus & auxilio floret honore domus.
Quærens unde viro duplicentur vota ſalutis,
Et tibi mercedem de Radegunde facit.
Quæ meritis propriis effulges gloria Regis,
Et Regina ſuo facta corona viro.
Tempore ſub longo hæc te fructu prolis honoret,
Surgat & indè nepos ut renoveris avus.
Ergo Creatori referatur gratia dignè,
Et cole Rex Regem qui tibi præbet opem.
Hoc ſervet cumulétque bonum, nam rector ab alto
Omnia ſolus habet, qui tibi multa dedit.
Da veniam, victor, tua me præconia vincunt,
Hoc quoque quod ſuperor, fit tibi major honor.
Parvulus opto tamen ſic proſpera vota ſecundent,
Ut veniant terris hæc pia dona polis.
Aëra temperie faveant tibi, tempora pace,
Frugibus arva micent, fœdera regna ligent.
Et domitos omnes tuearis amore fideles,
Sis quoque Catholicis relligionis apex.
Summus honor Regis per quem donantur honores,
Cui longæva dies conſtet & alma fides.
Regibus aurum alii, aut gemmarum munera ſolvant,
De Fortunato paupere verba cape.

II. *Item ad Chilpericum Regem at Fredegundem Reginam.*

ASpera conditio & ſors irrevocabilis horæ,
Quam generi humano triſtis origo dedit.
Cùm ſuadens coluber projecit ab ore venenum,
Morſu ſerpentis mors fuit Eva nocens.

Sumpſit ab ipſo ex tunc Adam patre terra dolorem,
Et de matre gemens mundus amara capit.
Prævaricando duo probro damnantur acerbo,
Ille labore dolet, hæc generando gemit.
Mors venit indè vorax tranſiuiſſa nepotibus ipſis,
Hæredéſque ſuos tollit prigo nocens.
Ecce hoc triſte nefas nobis genuere parentes,
Cœperat unde priùs ; hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miſerando vulnere cæſus,
Ac fraterna ſibi ſarcula membra fodunt.
Poſt quoque Seth obiit ſub Abel vice redditus idem,
Et quamvis rediit, non ſinè fine fuit.
Quid Noë memorem laudatum voce Tonantis?
Quem levis arca tulit, nunc gravis urna premit.
Quid Patriarcham Abraham, Iſaac, Jacob quoque dignos?
Cùm de lege necis nemo ſolutus adeſt.
Melchiſedech etiam Domini ſacer ore ſacerdos,
Job quoque ſeu geniti ſic abiere ſui.
Legifer ipſe jacet Moyſes Aarónque ſacerdos,
Alloquiſſque Dei dignus amicus obit.
Succeſſórque ſuus populi dux inclytus Jeſus,
Quos legitis libris, occubuere patres.
Quid Gideon, Samſon, vel quiſquis in ordine judex?
Mortem ſub Domino judice nemo fugit.
Iſraëlita potens David Rex atque Poëta,
Eſt ſitus in tumulo cum Salomone ſuo.
Iſaïas, Daniel, Samuel, Jonáſque beatus,
Vivens ſub pelago, ſtat modò preſſus humo.
Princeps clave Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamvis celſæ animæ, corpora terra tegit.
Semine ab humáno cùm nullus major habetur,
Vir Baptiſta potens ipſe Joannes obit.
Enoch Heliáſque hoc adhuc ſpectat uterque:
Qui ſatus ex homine eſt & moriturus erit.
Ipſe Creator ovans ſurgens citò Chriſtus ab umbris,
Hic quia natus homo eſt, carne ſepultus humo.
Quis rogo non moritur, mortem guſtante ſalute,
Dum pro me volult hic mea vita mori?
Dic mihi quid poterunt Auguſti aut culmina Regum,
Membra Creatoris cùm jacuere petris?
Brachia non retrahunt fortes, neque purpura Reges,
Vir quicunque venit pulvere, pulvis erit.
Naſcimur æquales morimúrque æqualiter omnes,
Una ex Adam eſt mors, Chriſtus & una ſalus,
Diverſa eſt merces, funus tamen omnibus unum:
Infantes, juvenes, hic abiere ſenes.
Ergo quid hìc facimus, nunc te rogo celſa poteſtas,
Cùm nihil auxilii poſſumus eſſe rei.
Ploramus, gemimus, ſed nec prodeſſe valemus,
Luctus adeſt oculis, eſt neque fructus opis.
Viſcera torquentur, lacerantur corda tumultu,
Sunt chari extincti, flendo caduntque oculi.
Ecce vocatur amor, neque jam revocatur amator,
Nos neque jam repetit, quem petra merſa tegit.
Quamvis clamantem refugit mors ſurda, nec audit,
Nec ſinit affectum dura redire pium,
Sed nolo atque volo, migrabo cum omnibus illuc,
Ibimus hinc omnes, nemo nec indè redit.
Donec in adventu Domini caro mortua vivat,
Surgat ut ex proprio pulvere rurſus homo.
Cœperit ut tegere arentes cutis uda favillas,
Et vivi cineres de tumulis ſalient.
Ibimus ergo omnes, aliâ regione locandi,
Ibimus ad patriam quos peregrina tenent.
Ne cruciere igitur pie Rex, fortiſſime princeps,
Quòd geniti pergunt, quò petit omnis homo.
Quale placet figulo vas fictile, tale paratur,
Quando placet figulo vaſa ſoluta ruunt.
Quod jubet Omnipotens non poſſumus eſſe rebelles,
Cujus ad intuitum ſidera, terra tremunt.
Ipſe creat hominem, quid dicere poſſumus? idem
Qui dedit & recipit, crimina nulla gerit.
Illius ecce ſumus figmentum, & ſpiritus indè eſt,
Cùm jubet hinc imus qui ſumus ejus opus.
Si libeat, montes, freta, ſydera, mutat in horâ,
Cui ſua facta favent, quid homo fumus agit?
Rex precor ergo potens age quod tibi maximè profit,
Quod prodeſt animæ cum Deitatis ope.
Eſto virile decus, patienter vince dolores,
Quod non vitatur, vel toleretur onus.
Quod trahimus naſcendo ſinè hoc non tranſigit ullus,
Quod nemo immutat vel ratione ferat,
Conſuleas dominæ Reginæ & amantis amatæ,
Quæ bona cuncta capit te ſociante ſibi.
Materno affectu placare jubeto dolentem,
Nec ſimul ipſe fleas, nec lacrymare ſinas.
Te regnante viro triſtem illam non decet eſſe,
Sed magis ex veſtro gaudeat alta throno.
Deprecor hoc etiam vitam amplam conjugis optans,
Conſuleas genitæ, conſuleas patriæ.
Talis erit populus, qualem te viderit omnis,
Déque tuâ facie plebs ſua vota metit.
Denique Job natos ſeptem uno triſte ſub ictu,
Amittens, laudes rettulit ore Deo.
David pſalmographus genitum cùm amiſit amatum,
Mox tumulo poſuit, prandia feſta dedit.
Fœmina bis felix pia mater Machabæorum,
Natos ſeptem uno funere læta tulit;
Prompta addens, Domino ſemper tibi gloria, rector,
Cùm vis ſumme pater pignora quiſquis habet.
Unde Deo potiùs referatur gratia noſtro,
Germine de veſtro qui facit ire polo;
Effigit & gemmas de mundi ſtercore pulcras,
De medióque luto ducit ad aſtra poſi.
Meſſis veſtra Deo placuit quam in horrea condit,
Cùm ſpicis teneris dulcia grana metit.
Non paleas generas, frumenta ſed integra gignis,
Nec perdenda locis, ſed recreanda polis.
Præſertim qui ſic ſancto baptiſmate puri,
Hinc meruere rapi, fonte lavante novi.
Stantes ante Deum velut aurea vaſa decoris,
Aut quaſi candelabris pulcra lucerna nitens.
Immaculatæ animæ radiantes ſemper honore,
Vivorum retinent in regione locum.
Inque domo Domini plantati lumine vernant,
Candida ceu rubeis lilia mixta roſis.
Juſſerit & Dominus cùm membra redire ſepulta,
Veſtibit genitos tunc ſtola pulcra tuos.
Aut candens palma rutilo contexta ſub auro,
Et variis gemmis frons diadema gerit.
Utentes niveam per candida pectora pallam,
Purpureámque togam fulgida zona ligat.
Tunc pater & genitrix mediis gaudebitis illis,
Cùm inter ſydereos cernitis eſſe viros.
Eſt tamen Omnipotens Abrahæ qui ſemen adauxit,
Vobis atque dabit Job quod amore dedit.
Reſtituens numerum natorum germine digno,
Progeniémque refert nobilitante fide.
Qui ſolium in David Salomonis contulit ortum,
Pro vice germani cùm redit ipſe patri.
Ille tibi poterit de conjuge reddere natum,
Cui pater alludat, ubere mater alat.
Qui medius veſtri reptans per colla parentum,
Regibus & patriæ gaudia longa paret.

III. *Ad Eoſdem.*

POſt tempeſtates & turbida nubila cæli,
Quo ſolet infeſto terra rigere gelu;
Poſt validas hyemes ac triſtia frigora brumæ,
Flamine ſeu rapidi rura gravante Noti,
Succedunt iterum vernalia tempora mundo,
Gratáque poſt glaciem provocat aura diem.
Rurſus odoriferis renovantur floribus arva,
Frondibus arboreis & viret omne nemus.
Dulce ſoporatis curvantur robora pomis,
Et redeunte ſibi gramine ridet ager.
Sic quoque jam Domini poſt triſtia damna dolentes,
Vos meliore animo lætificate precor.
Ecce dies placidi revocant Paſchalia Chriſti,
Orbs quoque totus item per nova vota fremit.
Gaudia plus faveant per celſa palatia Regum,
Et per vos famuli feſta beata colant.
Omnipotens nobis veſtram addat in orbe ſalutem,
Atque diu patriam culmina veſtra regant.

IV. *Epitaphium Clodoberti Regis.*

FLere monent populum crudelia funera Regum,
Cùm caput orbis humo mœſta ſepulcra tegunt.
Hoc igitur tumulo recubans Clodobertus habetur,
Qui tria luſtra gerens raptus ab orbe fuit.
De proavo venient Clodoveo celſa propágo,
Clotharíſque nepos, Chilpericíque genus.
Quem de Reginâ ſumpſit Fredegunde venuſtâ,
Auxerat & naſcens Francia vota puer.
Quem patris & patriæ dum ſpes adoleſceret ampla,
Accelerante die ſors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent querùli contagia mundi,
Non fleat ullus amor, quem modò cingit honor.

Nam

Nam puer innocuus, vivens sinè crimine, ipsius,
Perpetui regni se faver arce feci.

V. *Epitaphium Dagoberti Regis.*

DUlce caput populi Dagoberte, perennis amœne,
Auxilium patriæ, spes puerilis obis.
Germine regali nascens generosus & infans,
Ostensus terris, mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens Clodovæi gente potenti,
Egregio proavi germine, honore pari.
Legibus antiquis respondens nobilis infans,
Chilpericique patris vel Fredegunde genus.
Te veneranda tamen mox ablúit unda lavacri,
Hinc licèt arreptum lux cœnet alta throno.
Vivis honore ergo, & cùm judex venerit orbis,
Surrecturus uris fulgidus ore micans.

VI. *Ad Gregorium pro metris Sapphicis.*

POllente eloquio pervenit Epistola cursim,
Sed voluit voto tarda venire meo.
Nec tamen offendit quamvis remorata requirit,
Quem tenet astrictum mente ligante virum.
Cùm cupiam talem, qualis fuit ille Názanzo,
Gregorium ut reparès dogmate, sede parens.
Quæque injunxisti, pater ecce poëmata misi,
Et mihi proficient, si tibi chare placent.
Hoc mandas etiam quo Sapphica metra remittam,
Da veniam, modici dum seges urget agri.
Dum meto, da spatium, tibi mox parere parabo,
Si saturer fructu, fors meliora cano.
Pondere si valeo, cum metro mitto libellum,
Quæ cape tu voto quo tibi dicat amor.

VII. *Ad eundem Episcopum Gregorium metrum, quod pollicitus est Sapphicum.*

COrde jocundo, calamo venusto,
Litteras mittis cupiente vote,
Blanda conscribens famina salutis,
Chare Gregori.
Exigens nuper nova me movere
Metra, quæ Sappho cecinit decenter,
Dic Dioneos memorans amores,
Docta puella.
Pindarus Graius, meus indè Flaccus
Sapphico metro modulante plectro,
Molliter pangens cytharista blando
Carmine lusit.
Cur mihi injungis lyricas melodas?
Voce qui raucâ modò vix susurro,
Eloqui cordis mea dextra nescit,
Pollice dulci.
Qui vel hæc olim mihi si fuissent,
Nota prudentum docili camenâ,
Per tot oblitus fueram benignam
Tempora Musam.
Cùm labor doctis sit, ut ista pangant,
Dogma nec quisquam sapienter intrat,
Et satis constet resonare paucis
Metra Poëtis.
Non leve est nautæ rate transfretare,
Vincere aut vastum pelagus natatu,
Vix procelloso repetunt sub Austro
Carbasa portum.
Arduum nobis iter, & profundum,
Quò jubes pergi tamen ibo votis,
Si minùs possum pedibus viare,
Ducor amore.
Præstitit, pastor, tua jam voluntas,
Codicem sursum tumido cothurno,
Quémque paupertas mea vix valebat
Tangere sensu.
Regiis verbis humilis repugnat,
Divites versus inopi recusans,
Et mihi Mopso referre nolens,
Docta Sophistis.
Disputans multum variante melo,
Quæque sunt rythmis vel amica metris,
Sapphici quantum Tomi arva adornent,
Dulcis epodus.
Multus auctorum numerus habetur,
Plura dicentum modulo canoro,
Quæ volens isto memorare metro,
Nomina fingo.
Maximè qui nunc resolutus arte,
Postque bis denos loquor istud annos,
Clara quod scripsit cythara terendo
Lesbia virgo.
Scire qui vult hæc, Libycas arenas,
Antè per ictus numerare tendat,
Cuncta quàm metri ratione cautè
Carmina cingat.
Nam moras feci remoratus ipse,
Pluribus causis modò hinc & indè,
Nec vacans legi placidâ quiete
Dulce Sophisma.
Scito nam pastor, nec adhuc cucurri,
Ordinem totum relegens libelli,
Sed satis crede, satis est amanti
Sola voluntas.
Ergo laxatus celeri volatu,
Ad patrem sacrum comitante voto,
Et si nunc nostrum renovas amorem,
Perge libelle.
Fortè non possum piger ire gressu,
Quò vocat blandus mens ille vultus,
Invicem nostram rogo te libelle,
Redde salutem.
Sit memor filî pater ore dulci,
Hunc precans qui nos, mare, & astra fecit,
Ac piis votis bene se colentem
Pectore servet.
Fœminæ caræ sibi mente nexa,
Quem colunt Agnes, Radegundes idem,
Sicut exposcunt vice filiolum,
Solve salutem.
Adde Justinam pariter precantem,
Nempe commendans famulam propinquam,
Et refer quantum sibi charta proficit
Neptis honorem.
Hæc tibi promptus prece, voce, mente,
Solvo vix implens ego pauper arte,
Sed tamen largo roseus amore,
Care Gregori.

VIII. *Ad Bandulfum Episcopum.*

SUmme Sacerdotum bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo, lumen amore meo.
Officiis venerande sacris, pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meo,
Florens in studiis, & sacrâ in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te pater ergo precans terram, freta, sydera testor,
Ut velis ore sacro me memorâsse tuum.

IX. *Ad Sidonium Episcopum Moguntiacensem.*

REddita ne doleas felix Moguntia casus,
Antistes rediit qui tibi ferret opem.
Ne mœrore gravi lacrymans orbata jaceres,
Hunc gaude pulsâ te meruisse fame.
Porrigit ecce manum genitor Sidonius urbi,
Quo renovante locum prisca ruina petit.
Jura sacerdotii placido moderamine servans,
Per cujus studium crevit & ipse gradus.
Parturis assiduè gravidos per sæcula fructus,
Quamvis Apostolico junctus amore regis.
Suscipit hæredem cælesti germine natum,
Tali nupta viro quando marita placet.
Te vigili custode lupus non diripit agnus,
Te pascente gregem non ovis alta perit.
Cautiùs in toto per mille pascua ducis,
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus ut populi, placidè jejunia servans,
Et satias alios, subtrahis unde tibi.
Nudos veste tegis, captivi vincula solvis,
Depositò reddens libera colla jugo.
Exulibus domus es, es esurientibus esca,
Felix cui Christus debitor indè manet.
Te doctrina probum, providentia sacra modestum
Fecit, & eloquio vincere mella tuo:
Templa vetusta novans speciosò culta decore,
Inseris hinc populis plus in amore Deum.
Ut plebem foveas Rheni tibi convenit amnis,
Quid referat terris, qui bona præbet aquis?
Hæc quoq; fama micat, tu influxus omne quod extat,
Vivis in æternum laude fluente tibi.
Hac vivas longos meritorum fruge per annos,
Et crescente die de grege vota feras.

X. *Ad*

X. *Ad Ragnemundum Epiſcopum.*

SUmme pater patriæ, dulci mihi famine fulges,
Interiora mei cordis amore tenens.
Quicquid amicitiæ veteris collegimus ambo,
Creſcit in affectum ſemper, opime, meum.
Nam mihi nulla meos oblivio tollit amores,
Antè ſit extremum quàm mihi deſit amor.
Unde, beate pater, properans dependo ſalutem,
Optans longinquo te ſupereſſe gradu.
Hinc etiam ingentes reddo tibi pectore grates,
Munere pro niveo marmore cum Pario.
Quæ quotiens epulæ diſco tribuuntur in illo,
In doni ſpecie te pietate vident.
Nam pro gemmarum ſerie tibi reddat honorem,
Cui data proficiunt, crux veneranda throno.

XI. *Ad Droctovenm Abbatem.*

VIR venerande, ſacer meritis, & honore colende,
Droctovee mihi ſemper amore pater,
Qui de diſcipulis Germani rite beati,
Norma magiſterii factus es ipſe ſui.
Cujus Pontificis ſacra per veſtigia currens,
Deſpicis hunc mundum, ſed cupis ire polo.
Perge libenter iter cæli manſurus in orbe,
Et pro me famulo quæſo precare Deum.

XII. *Ad Faramundum familiarem Regis.*

DUlcis amice mihi, memorabile nomen amantis,
Promptus in officiis vir Faramunde bonis.
Si non ipſe adii, te pagina miſſa ſalutet,
Solvat & obſequium quod minus ipſe gero.
Commendéſque libens dominis me Regibus oro,
Et referas grates pro pietatis ope.
Impenſo affectu me pagina veſtra requirat,
Hoc remeante tamen redde, benigne, vicem.

XIII. *Ad Lupum & Valdonem Diaconos.*

CUrde parentali jugi pietate colendi,
Hinc Lupe blande mihi, Valdo vel indè ſacer:
Ut bonitate pares ſimul eſtis honore miniſtri,
Sic mihi conſimiles ſemper amore pari.
Quod valeo, facio, abſens vel dependo ſalutem,
Si non poſſum oculis, vos peto litterulis.
Pontifici ſummo nos commendare precamur,
Regibus & domnis ferte ſalutis opes.
Droctoveo dulci clero & concivibus oro,
Quod præſens facerem, vos adhibete vicem.
Mummulus egregius veneretur, Cæſaridſque,
Et Conſtantino me memorate meo.

XIV. *In Sancti Laurentii laudem ac reſtaurationem Baſilicæ.*

LAurenti meritò flammis vitalibus uſte,
Qui fervente fide victor ab igne redis,
Vir dilecte Deo, terreno in corpore quondam,
Tunc quoque ſydereus jam tibi ſenſus erat.
Qui potuiſti oculos tactu revocare ſepultos,
Rurſus & in vacuâ fronte referre diem.
Luminis extinctas iterum accendiſſe lucernas,
Credimus hæc ſigno te faciente crucis.
Addita nunc etiam populis miracula præſtas,
Ut fidei tribuas indubitanter opem.
Dum tua templa novant breviori robore plebes,
Crevérúntque trabes, crevit & alma fides.
Stipite contracto tua ſe mercede tetendit,
Quantum parva priùs, poſtea cæſa fuit.
Creſcere plus meruit ſuccíſa ſecuribus arbor,
Et didicit ficcâ longior eſſe comâ.
Unde reciſa fuit, populis fert indè ſalutem,
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.
Tu Levita ſacer, pœnâ purgate fideli,
Unde priùs flammas, hinc modò lumen habes.
His ita temporibus venerandi Antiſtitis acta,
Sed tamen æterno ſunt memoranda die.

XV. *De domo ligneâ.*

CEde parum paries lapidum conſtructe metallo,
Artificis meritò præfero ligna tibi.
Æthera mole ſuâ tabulata palatia pulſant,
Quò neque prima patet conſolidante manu.
Quicquid ſaxa, ſablum, calcíſque argilla tuentur,
Singula ſylva ſavens ædificavit opus.
Altior, & mitis, quadratíque porticus ambit,
Et ſculpturatâ luſit in arte faber.

XVI. *Ad Chrodinum Ducem Italiæ.*

INclyte Dux meritis totum vulgate per orbem,
Quem nimis egregium ſplendida fama refert.
Non ego præteream præconia celſa, Chrodine,
Ne videar ſolus magna tacere bonis.
Italia terra tibi pariter Germania plaudunt,
Laus tua cunctorum ſemper in ore ſonat.
Clarus ab antiquis digno generoſior ortu,
Regibus & patriæ qui placiturus eras.
Tutorémque alii nutritorémque fatentur,
Et ſit certamen de pietate tuâ.
Ut habeant alii, nulli tua dona recuſas,
Tu tibi plus auges, quas bene fundis opes.
Cui poſſis præſtare, libens exquiris & optas,
Ut ſis apud cunctos, hoc facis eſſe tuos.
Es generale bonum, nullis gravis, omnibus æquus,
Juſtitiæ ſocium nulla rapina tenet.
Mitis in alloquio, placidus, gratúſque, modeſtus,
Omnia cui data ſunt, ut decus omne geras.
Gentibus aſtrictus, Romanis carus haberis,
Felix qui populis ſemper in ore manes.

LIBER NONUS.

I. *De Oratorio Artannenſi.*

QUISQUIS ad hæc properas venerandi limina templi,
Dona precaturus quæ dat amore Deus.
Hæc in honore ſacri Gabrielis culta coruſcant,
Qui pia juſſa Dei rite miniſter agit.
Zachariæ veniens qui nuntia detulit aſtris,
Eliſabeth datus eſt quando Propheta potens.
Quíque redemptorem cælo Regem omnipotentem,
Pòſt ait ut terris ventre Maria daret.
Quæ ſacer antiſtes nova tecta Gregorius effert,
Ut ſibi cæleſtes reſtituantur opes.

II. *Ad Eccleſiam Turonicam, quæ per Gregorium Epiſcopum renovata eſt.*

EMicat altithroni cultu venerabile templum,
Egregium meritis, nobilis arcis apex.
Quo propriâ tunicâ dum operit Martinus egentem,
Geſtorum ſerie fulgida ſigna dedit.
Nam idem Antiſtes ſacra dum myſteria tractat,
Lumina gemmarum eſt viſus habere manu.
Ac de veſte fuit quantum ſua dextera nuda,
Tantum membra ſibi gemma coruſca tegit.
Sanctus item Domini almum dum benediceret altar,
De capite eſt viſus flammeus ire globus.
Quæ modò templa ſacer renovata Gregorius offert,
Et rediit priſcus cultus honórque ſuus.
Fulgida præcipui nituerunt culmina templi,
Pòſtque uſus veteres præmicat aula rudis.
In ſenium vergens meliùs revireſcere diſcens,
Diruta poſt caſus, firmiùs acta ſitu.
Martini auxiliis operando Gregorius idem,
Reddidit iſte novus quo fuit ille vetus.

III. *Item de eâdem re.*

CLara ſupercilio Domini delubra niteſcunt,
Alma licèt meritò, ſunt quoque cella jugo.
Invida ſubruerat quam funditus ipſa vetuſtas,
Ut paries liquidis fortè ſolutus aquis.
Quam paſtor ſtuduit renovare Gregorius ædem,
Nec cedidiſſe dolet, quæ magis aucta favet.

IV. *Ubi Martinus pauperem parte Chlamydis veſtivit.*

AMbianis tremulum cernens Martinus egenum,
Dimidiæ chlamydis mox ope membra tegit.
Sed coram Angelicis turmis ſe hanc nocte ſilenti
Pauperis in ſpecie Chriſtus habere refert.
O ſacer Antiſtes meritis referende ſub aſtris,
Unde tegis nudum, hinc tua palla Deum.

V. *Ubi leproſum oſculo purgavit.*

INter opima Deus figulus quæ vaſcula fecit,
Martinus meritis vas in honore nitet.

Leproſ

Leprosi maculas pretiosa per oscula purgans,
Cui quod ab ore dedit, pax, medicina fuit.
Ulcera morbosi curans sic fauce beatus,
Quod Jordanis agit, tracta saliva facit.

VI. *Ubi catechumenum à morte suscitavit.*

QUàm generosa fides Martini in sæcula civis,
Qui quocunque fuit, mors ibi perdit iter.
Denique dum extincto catechumenus ore jaceret,
Se supèr extendens effugat arma necis.
Sic viduæ genito laqueato deinde reducto,
Est vir ubi iste Dei, non licet ire mori.

VII. *Ubi pinum succidere fecit.*

FAnaticam pinum Sanctus succidere cogens,
Justum ibi suppositi rustica turba premi.
Cæsa securi arbor cùm jam daret alta ruinam,
Ad crucis imperium est ire coacta retro.
Quis vigor hic fidei? validæ dum pondera pini,
Quò natura negat, crux facit ire viam.

VIII. *Ubi puerum à serpente percussum curavit.*

SErpentis morsu tumidum suprema regentem,
Hic digitum ut posuit, pestis iniqua fluit.
Collecto morbo huc & ab ulcere pollice tracto,
Dúmque venena cadunt, erigit ille caput.
Unguentúmque novum digitis traxisse venenum,
Et tactu artificis sic superâsse necet.

IX. *Ubi falsæ religionis solvit errorem.*

CUM latro extinctus falso coleretur honore,
Voce hac Martini cogitur umbra loqui.
Publicè se referens scelerum pro mole peremptum,
Se quoque nec justum, sed magis esse reum.
O vox sancta loqui defuncta cadavera cogens,
Cui post fata jacens dat sua verba cinis!

X. *Ubi viperam à littore retroire colgit.*

PErgeret in fluvium dum vipera lapsa natatu,
Et prope littorei tangeret ora soli,
Martini imperio liquidas revocatur ad undas,
Transactúmque viæ laffa recurrit iter.
Quantus amor Domini tali sub corde calebat,
Quando venena potens ipsa retorquet aquis!

XI. *Ubi epistolâ Sancti Martini à febre curantur multi.*

MArtini meritis aliis quoque febre crematis,
Sudores refluos pagina sicca dabat.
Unde salutifero medicamine charta fovebat,
Atque graves ignes littera tingit aquis.
Pestis abest cunctis hujus sermone rigatis,
Febre ubi succensis fons suus ibat apex.

XII. *De Restauratione templi à Gregorio Episcopo factâ.*

ALme Deus rerum, pie, summe, Gregorius arcis,
Tu cui das sedem, dat tibi templa sacer.
Nam veteri fuerant hæc funditus eruta lapsu,
Tecta labore novo quæ modò culta ciunnt.
Jure potestatis cui tu bone conditor orbis,
Hæc danti in terris culmina redde polis.
Victa vetustatis per tempora culminis arcta
Diruit, ut melior surgeret aula solo.
Quo sacra Martinus Domini mysteria tractans,
A capite igniferum misit in altra globum.
Ne tamen ipsa ruens miserando fine jaceret,
Pontificem meruit, qui sibi ferret opem.
Quæ rediviva micans instante labore Gregorî,
Decidua in senio floret honore novo.
Fundamenta igitur reparans hæc prisca Sacerdos,
Extulit egregiùs quàm nituere priùs.
Nunc placet aula decens patulis oculata fenestris,
Quo noctis tenebris clauditur arce dies.
Lucidiùs fabricam picturæ pompa perornat,
Ductáque quæ sucis vivere membra putes.

XIII. *De Leproso curato.*

PAnnonia æstivum misit tibi, Gallia, fructum,
Gigneus cælestem terra maligna dapem,
Martinum illustrem meritis, qui munere divo
Culmen in æthereâ sede senator habet.
Qui lepræ maculas medicata per oscula purgat,
Curat & infectum pura saliva virum.
Ad fluvium Domini cui non fuit ille labore,
Quod Jordanis habet, Sanctus ab ore dedit.
Qui facer ipse mihi, te pastor agente Gregori,
Fortunato adimat tot maculosa reo.

XIV. *De divisione Chlamydis.*

DUM chlamydem Martinus inops divisit egeno,
Christus eâ memoret se bene veste tegi.
Dives paupertas, Dominum qua texit amictu,
Cui Deus occurrit, qui dedit astra faber.

XV. *De tunicâ pauperi datâ.*

NOscere qui mavis Martini gesta beati,
Hic poteris breviter discere mira viri.
Denique cùm tunicam facer ipse dedisset agenti,
Ac sibi pars tunicæ reddita parva foret,
Quod non texerunt manicæ per brachia curtæ,
Visa tegi gemmis est manus illa viri.
O nimiùm felix cui contigit in vice lanæ,
Nobilium lapidum lumine membra tegi!
Ut cùm adhuc cinere aspersus foret atque favillis,
Artifice Angelico gemmeus iret homo.

XVI. *De mortuis resuscitatis.*

QUID Deus in famulis operetur opimus amator,
Martini gestis magna probare potes.
Ducere qui meruit de morte cadavera vitæ,
Rettulit atque diem, reppulit unde necem.

XVII. *De succisione pinûs.*

DUM caderet Martinum arbor pressura beatum,
Mox facit ipse crucem, pinus abacta redit.
Quis non virtuti divinæ commodet aurem,
Dum trabe conversâ dant quoque ligna fugam?

XVIII. *De ruinâ Idolorum.*

IDola cùm cuperet Martinus sternere fulta,
Conterit hæc cælis magna columna ruens.
Auxilium ad justi dignando militat æther:
Quanta fides cujus currit ad arma polus!

XIX. *De falso Martyre.*

FOrtè colebatur dum quis pro martyre latro,
Martini adventu se probat esse reum.
Virtutis merito fidei radiante coruſco,
Nec tacet extincti, nec latet umbra rei.

XX. *Ad Childebertum Regem & Brunechildem Reginam: de natali Sancti Martini.*

PRæcelsis dominis famulus nunc corde pusillus,
Prospera sint vobis ceu cupio ex animo.
Ecce supervenit venerandi in sæcula civis,
Martini meritis luce perenne dies.
Qui modò de Gallis totum mirè occupat orbem,
Et virtus pergit quò pede nemo valet.
Qui velut alta pharus lumen pertendit ad Indos,
Quem Hispanus, Morus, Persa, Britannus amat.
Hunc oriens, occasus habet, hunc Africa, & Arctos,
Martini decus est quæ loca mundus habet.
Quíque per Oceani discurrit marginis undas,
Omnibus ut præstet circuit orbis iter.
Per cinerem ascendens, per dura cilicia cælos,
Stat modò gemmatus pauper in orbe priùs.
Quo Patriarcharum decus est, radiántque Prophetæ,
Quo est sacra turba senum bis duodena patrum.
Inter Apostolicum numerum rutilante Senatu,
Quo sedet ipse throno Rex sibi Christus amor.
Quo excellit cum clave Petrus, cum dogmate Paulus,
Fulget & in reliquis palma, corona, fides.
Quo loca Martyribus vernanti lumine florent,
Atque libro vitæ est scriptus honore cruor.
Quo Confessores gemmata palatia complent,
Æternúmque tenent aurea tecta diem.
Stat quoque post lacrymas ubi nunc Radegundis opima,
Forsan & Eugenia hanc tenet illa manum.
Hos inter Martinus habet diademata pulcher,
Atque sacris lumbis fulgida zona viret.
Cantat & egregios Christi de morte triumphos,
Atque resurgenti plaudit amore Deo.
Hunc quoque Martinum colitis, quem regna patronum,
Vos hunc in terris, vos memor ille polis.
Vos intrà Angelicas turmas canat ille sub astris,
Cui vos ante homines fertis honore diem.

Nomina

Nomina veſtra legat Patriarchis atque Prophetis,
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.
Reddat Apoſtolicos proceres reliquoſque patronos,
Quem vos hìc colitis, vel pia feſta datis.
Pergat & ad Chriſtum pro vobis ille precator,
Cui vos in templis vota precando datis.
Ante poli referat ſua hæc ſolemnia Regem,
Dentur ut hinc vobis regna ſalutis opes.
Deputet & Dominus veſtrum hunc eſſe patronum,
Ut modò qui colitur, vos colat hujus opus.
Qui dedit hìc habitans miracula plurima terris,
Diſtribuat vobis hic quoque mira potens.
Cujus gemmata eſt tunc dextera viſa beati,
Vos ſimul & veſtros protegat illa manus.
Qui tunc promeruit revocare cadavera vitæ,
Hic quoque pro veſtrâ dona ſalute ferat.
Qui percuſſo homini abſtraxit de carne venenum,
Noxia de vobis ipſe venena vetet.
Qui ſerpentis iter fecit revocare retrorſum,
Ipſe graves caſus hinc agat ire retro.
Qui virtute domum ſalvam dedit eſſe fruenti,
Hæc domus incolumis floreat hujus ope.
Cujus opima chlamys tremebundum texit egenum,
Ejus Apoſtolici vos tegat ala viri.
Qui viduæ matri revocavit ad ubera natum,
Ipſe tibi hæc tribuat pignora mater, ava.
Ut Childebertus maneat cum prole novellâ,
Rex ſua regna tenens & nova regna trahens.
De genitâ ut videas genitrix ut dulciùs optas,
Déque nuru carâ quod tua vota rogant.
Unde hìc felices habeant ſua feſta fideles,
Et Domini famuli fitis honoris apex.
Quem tibi plus libeat Brunichildis habere patronum,
Quando domum Dominus ſervat in orbe pius.
Sic quoque te erudiat, regat, & ſic tramite ducat
Actibus ipſa pìis ut ſibi juncta mices.

XXI. *Ad eoſdem.*

SI præſtaretur præconia pandere Regum,
Non mihi ſufficeret nocte diéque loqui.
Qualiter hic populus dominorum pendet amore,
Et veſtris oculis lumina fixa tenet.
Vos quibus & ſpeculum, & lux, & dulcedo manetis,
Charum ornamentum, his ſimul eſtis honos.
Præcipuum donum placidum & placabile regnum,
Eſt veſtro in ſtatu culmen in orbe pium.
Hiſque parentela & patria & tutela coruſcat,
Hìc decus atque gradus, hìc pietatis opus.
Hìc tranquilla dies, hìc ſpes jocunda fideli,
Póſtque Deum in vobis dona ſalutis habent.
Hìc ego cum populo mea vota & gaudia jungo,
Quæ pius amplificans creſcere Chriſtus agat.
Præſtet cura Dei vos longa in ſede tueri,
Cœlelli ac dono regna tenere diu.
Adquiratis adhuc nova, vel poſſeſſa regatis,
Ac piè participes has foveatis opes.
Ut tibi quæ floret de nato & germine meſſem,
Maturam videas mater honore micans.
Ex genito ſic ut geniſſque nepotibus amplis,
Altera progenies inclyta detur avæ.
De Childeberti dulcedine, flore, ſalute,
Fructum habeas genitrix, plebs ſua vota videns.
De natâ atque nuru cumulet tibi dona Creator,
Cúmque pio merito ſtes placitura Deo.
Hìc merear rediens vobis dare verba ſalutis,
Congaudens dominis parvulus ipſe piis.
Proſpera ſint Regum, populorum gaudia creſcant,
Exultet regio, ſtet honor ille diu.

XXII. *De Navigio ſuo.*

REgibus occurrens ubi Mettica mœnia pollent,
Viſus & à dominis ipſe retentor equo.
Muſellam hinc jubeor percurrere navita remo,
Accelerans tremulis pergere lapſus aquis.
Aſcendénſque ratem gracili trabe nauta cucurri,
Nec compulſa Notis prota volabat aquis.
Interea locus eſt per ſaxa latentia ripis,
Littore conſtricto plus levat unda caput.
Hinc proram implicitam rapuit celer impetus æſtus,
Nam propè jam tumidas ventre bibebat aquas.
Ereptum libuit patulos me cernere campos,
Et fugiens pelagus, ruris amœna peto.
Gurgite ſuſcipior ſubter quoque fluminis Ornæ,
Quò duplicata fluens unda ſecundat iter.
Indè per excluſas cautâ rate pergimus undas,
Ne veluti piſcem me quoque naſſa levet.
Inter villarum fumantia culmina ripis,
Pervenio quà ſe volvere Sura valet.
Indè per extantes colles & concava vallis,
Ad Suram pronis labitur amnis aquis.
Perducor Trevirum quà mœnia celſa pateſcunt,
Urbs quoque nobilium nobilis æquè caput.
Ducimur hinc fluvio quò culmina priſca ſenatûs,
Quò patet indiciis ipſa ruina potens.
Undique proſpicimus minitantes vertice montes,
Nubila quò penetrans ſurgit acuta ſilex.
Quà celſos ſcopulos prærupta cacumina tendunt,
Hiſpidus & tumulis creſcit ad aſtra lapis.
Nec vacat hìc rigidis ſinè fructibus eſſe lapillis,
Denique parturiunt, ſaxáque vina fluunt.
Palmite veſtitos hìc reſpicis undique colles,
Et vaga pampineas ventilat aura comas.
Cautibus inſertæ denſantur in ordine vites,
Atque ſupercilium regula picta petit.
Culta nitent inter horrentia ſaxa colonis,
In pallore petræ vitis amœna rubet.
Aſpera mellitos pariunt ibi ſaxa racemos,
Et core in ſterili fertilis uva placet.
Quo vineta jugo calvo ſub monte comantur,
Et tegit umbroſus ficca metalla viror.
Indè coloratas decerpit vinitor uvas,
Rupibus appenſus pendet & ipſe legens.
Delicias oculis habui dapibúſque cibatus,
Hæc jocunda tenens navita regna ſequens.
Hinc quoque ducor aquis quà ſe rate Contrua complet,
Quò fuit antiquum nobilitate caput.
Tum venio quà ſe duo flumina conflua jungunt,
Hinc Rhenus ſpumans, indè Muſella ferax.
Omne per illud iter ſervibant piſcibus undæ,
Regibus & dominis copia fervet aquis.
Ne tamen ulla mihi dulcedo deeſſet eunti,
Paſcebar muſis aure bibente melos.
Vocibus excuſſis pulſabant organa montes,
Reddebántque ſuos pendula ſaxa tropos.
Laxabat placidos mox ærea tela ſuſurros,
Reſpondit cannis rurſus ab alpe frutex.
Nunc tremulo fremitu, modò plano muſica cantu,
Talis rupe ſonat, qualis ab ære meat.
Carmina diviſas jungunt dulcedine ripas,
Collibus & fluviis vox erat una tropis.
Quo recreet populum, hoc exquirit gratia regum,
Invenit & ſemper quo ſua cura jubet.
Antonnacenſis caſtelli promptus ad arces,
Indè per accedens ſarcina pergo ratis.
Sint licèt hìc ſpatiis vincta in collibus amplis,
Altera pars plani fertilis extat agri.
Plus tamen illa loci ſpecioſi copia pollet,
Alter quòd populis fructus habetur aquis.
Denique dum præſunt Reges in ſedibus aulæ,
Ac menſæ officio prandia feſta colunt,
Retibus inſpiciunt quo ſalmo faſce levatur,
Et numerat piſces cùm ſit in arce ſedens.
Rex favet, immenſâ reſilit dum piſcis ab undâ,
Atque animos reficit quod ſua præda venit.
Illuc fauſta videns, huc læta palatia reddens,
Paſcens antè oculis, poſt fovet ipſe cibis.
Præſentatur item Rheni ſimul advena civis,
Turbáque quo reſidens gratificatur edens.
Iſta diu dominis ſpectacula plurima præſtent,
Et populis dulces detis habere dies.
Vultibus ex placidis tribuatis gaudia cunctis,
Veſter & ex veſtris lætificetur apex.

XXIII. *De oratorio Artannenſi.*

MAgna beatorum retinet hæc terra talenta:
Divinis opibus dives habetur humus.
Pars dextra Angelico Gabrielis honore coruſcat,
Gaudia qui mundo detulit ore ſacro.
Quando æternalem concepit virgo ſalutem,
Dona Redemptoris nuncius ille ferens.
Lævâ eſt parte lapis tumuli, quem corpore Chriſtus
Preſſit morte brevi victor eundo patri.
Hic quoque relliquiis micat ille Gregorius almis,
Qui probus igne redit, nec pice merſus obit.
Sunt etiam Coſmas, Damianus, & ipſe ſalubres
Non ferro artifices, ſed medicante fide.
Aſt Julianus item gladio jugulatus amico,
Plebs quem Arverna colens arma ſalutis habet.

Marti-

Martinúſque ſacer, retinet quem Gallicus orbis,
Cujus Chriſtum operit dimidiata chlamys.
Se tunicâ ſpolians nudum qui veſtit egenum,
Unde datæ ſibi ſunt alba, topazus, onyx.
Quæ meruere aliqui hoc in corpore cernere Sancti,
Gemmarúmque ſonus quod patefecit opus.
Additur hic meritis cum nomine victor opimis,
Munere martyrii qui tenet alta poli.
Hic veteris virtute viri nova palma Niceti,
Urbem Lugdunum qui fovet ore ſinu.
Horum paſtor opem corde, ore Gregorius orat,
Vivat ut altithrono vir ſinè fine Deo.

XXIV. *In mensâ villæ ſancti Martini ante deſcriptores.*

CUm videam cytharæ cantare loquacia ligna,
Dulcibus & chordis admodulare lyram;
Quo placido cantu reſonare videntur & æra,
Mulceat atque aures fiſtula blanda tropis.
Quamvis hic ſtupidus habear conviva receptus,
Et mea valt aliquid fiſtula muta loqui.
Ecce dies in quo ſurrexit Chriſtus ab imo,
Legis Avernalis rumpere vincla potens.
Quando & victorum lacrymantia munera ſolvit,
Et revomunt multos Tartara fracta viros.
Additur hìc aliud, quòd Martini aula beati
Emicat, hæc ubi nunc prandia feſta fluunt.
Qui valuit geſtis aures pulſare Tonantis,
Obtinet & meritis quod petit alma fides.
Qui piè reſtituit defuncta cadavera vitæ,
Atque Dei promptè præbet amicus opem.
Cui ſucceſſor ovans modò rite Gregorius extans,
Ille quod adquirit, hic regit ore, fide.
Qui rogat hìc præſens, alibi licèt inſidet abſens,
Exhibet atque cibos paſtor in orbe bonus.
Hunc igitur celebrate diem ſolemniter omnes,
Quos Deus omnipotens hìc dedit eſſe pares.
Quos ſibi Martinus collegit amore benignus,
Et facit ecce eſcas hìc epulare ſuas.
Ergo ſub incolumi Childeberto ac Brunichilde,
Quos tribuit celſos regna fovere Deus.
Vos quoque miſerunt populum moderare fidelem,
Et relevare inopes, ſi quis & extat egens.
Ac bona de dominis noſcendo & agendo benigna,
Sint quoque lætitiæ pabula veſtra fide.
Quos invitavit Martini menſa beati,
Sumite gaudentes quod dat amore dies.
Quæ bonus Antiſtes naſcendo Gregorius expers,
Plaudat, & hæc populis gaudia veſtra canat.
Omnia tranquillâ diſponens tempora pace,
Cum Rege & populos ut tegat arce Deus.

XXV. *Pro puellâ à judicibus captâ: Ad Gregorium Epiſcopum.*

EXemplo Domini mihi vel venerabilis orbi,
Qui minimas non vis perdere paſtor oves.
Sollicitis animis curam per paſcua tendens,
Ne deſint caulis circuls ore greges.
Hic igitur gerulus genitam flens impiè dempeam,
Captivam ſobolem tempore pacis habens.
Martinſque pii ſucceſſor honore Gregori,
Qui pater es populi, hanc rogo redde patri.
Jugiter ille ſacris meritis illuminat orbes;
Orbato hanc patri redde vivendo diem.

XXVI. *Pro eâdem re, ad Romulphum.*

SI rapidis oculis te ſemper amice viderem,
Sic quoque vix avidum me ſatiaret amor.
Qui ſi præſentis non poſſem cernere vultum,
Te mihi vel ſcriptis care ſaluto libens.
Hunc etiam famulum commendo benignè verenter,
Et ſi juſta petit, hunc tua lingua juvet.
Qui tortus graviter genitam ſibi luget abactam,
Per vos ut redeat filia capta rogat.
Paupere ut audito dum eſtis medicina dolenti,
Veſtris nempe choris ſit pia cura Deus.

XXVII. *Item pro ipsâ re ad Gallienum.*

OFficiis exerce tuis moderamina ſolers,
Sollicitus ſtudiis, utilitate comes.
More mihi ſolito dulcis tibi debita ſolvo,
Qui colo devinctus, reddo ſalutis opus.
Sit commendatus homo quem malè torſit iniquus,
Perdidit & genitam heu miſer iſte ſuam.
Huic da juſtitiam de vulnere corporis emptam,
Et piè captivam fac reincare ſuam.
Inter utramque necem cui lex & filia deſit,
Unus in ambabus rebus adeſto ſalus.

XXVIII. *Pro eâdem re, ad Florentinum.*

DUM pergit hinc quiſque viam, mea pagina currat,
Prodat ut eloquio quod ſibi debet amor.
Nunc quoque care mihi, bone ſemper, amice fidelis,
Pectore devotus reddo ſalutis opus.
Commendo hunc etiam famulum durè antè redactum,
Tortus qui legem nec meruiſſe gemit.
Illa doleus gravius quàm vulnera corpore fixa,
Quòd ſibi ſubducta eſt filia, parva, rudis.
Audiat hanc vocem pietas miſerando benignè,
Quæ ſibi cùm tribuis, hinc tibi magna dabis.

XXIX. *Ad Epiſcopos, pro commendatione peregrini.*

POntifices ſummi, fidei via, ſemita vitæ,
Quos dedit omnipotens luminis eſſe duces,
Cuſtodéſque gregi cæleſtis contulit agnus,
Vos bene paſtores, ut foveantur oves.
Ecce viator adeſt peragens iter inſcius illud,
Finibus Italicis heu peregrina gemens.
Exulis auxilium, erranti via, norma ſalutis,
Ad reditum patriæ ſitis honore patres.
Semina præſentis mercedis ut ampla metatis,
Et redeat vobis centuplicata ſeges.
Fortunatus enim humilis commendor opimis,
Ac per vos Domino culmina ſancta precor.

XXX. *De Platone Epiſcopo.*

PRovida diſponunt Reges ſolatia plebi,
Pontificem dantes quem probat alma fides.
Ut colat Hilarium quem dat Martinus alumnum,
Et confeſſoris protegat ala potens.
Hic regat hìc populum ſucceſſor honore beato,
Et clerum Eccleſiæ qui moderetur ope.
Floreat arce decens Rex Childebertus in orbe,
Cum genitis, populo, matre, ſorore, jugo.
Gaudia læta parit præſentia Sancte Gregori,
Et geminas urbes adjuvet una fides.
Qui modò diſcipulo Platono Antiſtite ſummo,
Solemnem Eccleſiæ hic dedit eſſe diem.

XXXI. *De Armentariâ matre Gregorii Epiſcopi.*

FElix bis meritis ſibi Machabæa vel orbi,
Nobilitas generis nobilior genitis.
Quæ ſeptem palmas cælo tranſmiſit ab alvo,
Martyriſque decus protulit ille uterus.
Tu quoque prole potens rectè Armentaria felix,
Nec minor ex partu quàm prior illa ſinu.
Illa vetus numero major, tu maxima cælo,
Quod poterant plures, unicus hoc tuus eſt.
Fœtu clara tuo, geniti circundata fructu,
Eſt tibi Gregorius palma corona novus.
Me Fortunatum humilem commendo verenter,
Ac mihi cæleſtem quæſo preceris opem.

XXXII. *Pro Comitatu Sigoaldi.*

FInibus Italiæ cumprimum ad regna venirem,
Te mihi conſtituit Rex Sigebertus opem.
Tutior ut graderer tecum comitando viator,
Atque pararetur hinc equus, indè cibus.
Implêſti officium, cuſtos revocaris amico,
Et mihi vel tandem jam mea cura redit.
Die meus unde venis poſt tempora plurima dulcis,
Magnus honore tuo, major amore meo.
Promptus in affectu Sigoalde benigne clientum,
Et Fortunato nomen, amice, pium.
Rex Childebertus creſcens te creſcere cogat,
Qui modò dat comitis, det tibi dona ducis.
De domino tali videant ſua vota fideles,
Curſibus & fiat proſpera vita tua.

XXXIII. *Ad Sigoaldum Comitem, quando pauperes pro Rege pavit.*

ACtibus egregiis præconia fulgida pollens,
Laus tua Chriſte ſonet; dum bona quiſque geris,
Unde genus hominum placeat, tu ſumme, miniſtra,
Nam niſi tu dederis, proſpera nullus agit.

Divitibus largus, fortè hinc non parcus egenis,
Se ut redimat dives, quando fovetur egens.
Dulciter iſta tui pia ſunt commercia regni,
Dum eſcam ſumit egens, divitis auget opes.
Pauper ventre ſatur ſatiat mercede potentem,
Parva capit terris, præparat ampla polis.
Divitiùs plus præſtat egens, quàm dives egenti,
Dat moritura cibi ſumit opima Dei.
Dans terræ nummum, miſſurus ad aſtra talentum,
Et modicis granis ſurgat ut alta ſeges.
Dent, jaciant, ſpargant, commendent ſemina Chriſto,
Hìc dare nec dubitent quæ reditura manent.
Da, ſic Chriſtus erit tibi theſaurarius indè,
Præſtat inops quidquid reddere Chriſtus habet.
Hac animatus ope expoſcens meliora Tonantis,
Nec dubitante fide quòd Deus iſta dabit.
Pro Childeberti Regis florente ſalute,
Surgat ut in ſolio qui fuit altus avo.
Fiat ut hic juvenis validis robuſtior annis,
Ceu viguit proavus, ſic ſit in orbe nepos.
Ergo ſuus famulus Sigoaldus amore fidelis,
Pauperibus tribuit, Regis ut extet apex.
Hinc ad Martini venerandi limina pergens,
Auxilium Domini dum rogat ipſe ſui.
Et dum illuc moderans Rex progeniéſque laborat,
Quod precibus Sanctus hunc jubet, illud agit.
Denique procedens ſolemnia ſacra tenere,
Pauperibus Chriſti præbuit eſſe dapem.
Diſpenſata placent alimenta per agmina Chriſti,
Paſcitur & populus, quem fovet arce Deus.
Plurima cæcorum refovetur turba virorum,
Eſt quibus ut tua pax, lux, Deus atque via.
Hinc alitur claudus, quem dirigit ordine Chriſtus,
Quiſque ſui Domini pendulus implet opus.
Quis referat tantos memorare ſub ordine morbos,
Occurrens pariter quos ſua cura fovet?
Unde catervatim coeuntia millia paſcens,
Erogat ut habeat, Rex quoque cuncta regat.
Te Fortunatus comes hinc Sigoalde ſalutans,
Regis ad auxilium des meliora precor.

XXXIV. *De prandio Defenſoris.*

PAſchale hìc hodie donum memorabile floret,
Defenſor paſcit, quos comes ipſe fovet.
Deliciæ Domini quæ tempora vota miniſtrant,
Undique conveniunt flumine, fruge, polo.
Childeberti etiam dominatio longa refulgens,
Te Sigoalde diu ſublevet arce, gradu.
Sit regio felix, felicis Regis amore,
Atque boni comitis creſcat honore fides.

XXXV. *Ad Galactorium Comitem.*

VEniſti tandem quò debebaris amice,
Antè Comes merito, quàm datus eſſet honor.
Burdegalenſis eras & cùm Defenſor amore,
Dignus habebaris hæc duo digna regens.
Judicio Regis valuiſti creſcere judex,
Famáque quod meruit, regia lingua dedit.
Debet & ipſe potens ut adhuc bene creſcere poſſis,
Præſtet ut arma ducis qui tibi reſtat apex.
Ut patriæ fines ſapiens tuearis & urbes,
Adquiras ut ei qui dat opima tibi.
Cantaber ut timeat, Vaſco vagus arma paveſcat,
Atque Pyrenææ deſerat Alpis opem.
Aut quaſi grande loquor, facit hoc ſacer unicus auctor,
A Domino erigitur parvus & altus homo.
De tyrone duces venit, & de milite princeps:
Ut reliquos taceam, Juſtinianus erat.
Hoc & in Eccleſiâ Chriſto tribuente refertur,
De exorciſtâ aliquo pontificalis honor.
Egregius merito Martinus teſtis habetur,
Qui fuit antè ſacer, quàm ſacra jura daret.
Hoc agit Omnipotens totum qui condidit orbem,
Magnáque ſola putes quæ facit ipſe potens.
Latior ergo precor maneas in culmine, rector,
Sperans majora vir ratione ſagax.
Rege ſub hoc florens æternáque regna requirens,
Immortale piis actibus auge decus.
Juſtitia ac pietas tecum comitata coruſcent,
Illa tuum pectus protegat, illa latus.
Alta fides etiam, dilectiò fida niteſcat,
Et Fortunato ſis comes amplus amor.

LIBER DECIMUS.

I. *Ad Dominam Radegundem, quando ſe reclauſit.*

QUO ſinè me mea lux oculis errantibus abdit,
Nec patitur viſu ſe referare meo?
Omnia conſpicio ſimul æthera, flumina, terram,
Cùm te non video, ſunt mihi cuncta parum.
Quamvis ſit cælum nebulâ fugiente ſerenum,
Te celante mihi ſtat ſinè ſole dies.
Sed precor horarum ducat rota concita curſus,
Et brevitate velint ſe celerare dies.
Conſultum nobis ſanctiſque ſororibus hoc ſit,
Ut vultu releves quos in amore tenes.

II. *Ad eandem, de natalitio Abbatiſſæ.*

MAter opima, decens, voto lætare beato,
Gaude, natalem filia dulcis habet.
Hanc tibi non uterus natam, ſed gratia fecit,
Non caro, ſed Chriſtus hanc in amore dedit.
Quæ ſit in æterno tecum, tibi contulit auctor,
Perpetuam prolem dat ſinè fine pater.
Felix poſteritas quæ nullo deficit ævo,
Quæ cum matre ſimul non moritura manet.
Sit modò feſta dies ſancto Radegundis honore,
Agnen hanc vobis agnus in ore dedit.
Gaudia diſtenſos pariter celebretis in annos,
Et per vos populus vota ſuperna colat.
Virgineóſque choros moderamina ſancta docentes,
Perpetuæ vitæ diſtribuatis opes.
Sic longinqua ſalus teneat vos corpore junctas,
Rurſus in æterno lumine jungat amor.

III. *Ad eandem, ut vinum bibas.*

SI pietas & ſanctus amor dat vota petenti,
Exaudi famulos munere larga tuos.
Fortunatus agens, Agnes quoque verſibus orant,
Ut laſſata nimis vina benigna bibas.
Sic tibi det Dominus quæcunque popoſceris ipſum,
Et tibi ſicut amas vivat uterque rogans.
Suppliciter petimus ſi non offendimus ambo,
Ut releves natos mater opima duos.
Non gula vos, ſed cauſa trahat, modò ſumere vina,
Talis enim potus viſcera laſſa juvat.
Sic quoque Timotheum Paulus tuba gentibus una,
Ne ſtomachum infirmet, ſumere vina jubet.

IV. *Ad Abbatiſſam, de natali ſuo.*

DUlce decus noſtrum, Chriſti ſanctiſſima virgo,
Agnes quæ meritis immaculata manes.
Hìc tibi complacuit hodiernum ducere tempus,
Ut mihi inexpletam diſtribuiſſes opem.
Nec dare nunc dominæ moderamina dulcia linguæ,
Cui dum verba refers, paſcitur ore tuo.
Abſtinuiſſe cibis etiam vos ipſe probavi,
Et quaſi pro vobis eſt mihi facta fames.
Audio, ſomnus iners radiantes preſſit ocellos,
Ah! nimias noctes anticipare volens.
Cui non ſufficiant hæc tempora longa quietis,
Cùm propè nox teneat quod duplicata dies.
Nubila cuncta tegunt, nec luna nec aſtra videntur,
Si ſis læta animo, me nebulæ fugiunt.
Gaudia vera colat, quæ nos hæc ſcribere juſſit,
Et tecum faveat ducta ſub arce poli.

V. *Item ad eandem.*

MAter honore mihi, ſoror autem dulcis amore,
Quam pietate, fide, pectore, corde colo.
Cæleſti affectu, non crimine corporis ullo,
Non caro, ſed hæc quod ſpiritus optat, amo.
Teſtis adeſt Chriſtus Petro Paulóque miniſtris,
Cúmque piis ſociis Sancta Maria videt,
Te mihi non aliis oculis animóque fuiſſe,
Quàm ſoror ex utero tu Titiana fores.
Ac ſi uno partu mater Radegundis utroſque,
Viſceribus caſtis progenuiſſet, eram.
Et tanquam pariter nos ubera cara beatæ
Paviſſent uno lacte fluente duos.
Heu mea damna gemo, tenui ne fortè ſuſurro
Impediant ſenſum mollia verba meum.
Sed tamen eſt animus ſimili me vivere voto,
Si vos me dulci vultis amore coli.

VI. *Item*

ized by Google

VI. *Item ad eandem.*

QUÆ carę matri, quæ dulcia verba ſorori,
Solus in abſenti cordis amore loquar?
Quas locus excludit, mens anxia voce requiret,
Et timul ut videat, per pia vota rogat.
Te peto cara ſoror, mater pietate benigna,
Quod minus impendi, tu famulare velis.
Illa decens tecum longo mihi vivat in ævo,
Et tribus in Chriſto ſit precor una ſalus.
Nos neque nunc præſens, nec vita futura ſequeſtret,
Sed tegat una ſalus, & ferat una dies.
Hìc tamen, ut cupio, vos tempora longa reſervent,
Ut ſoror & mater ſit mihi certa quies.

VII. *Item ad eandem.*

ACceſſit votis ſors jocundiſſima noſtris,
Dum meruere meæ ſumere dona preces.
Proficit almarum mihimet cibus ille ſororum,
Has ſatias epulis, me pietate foves.
Qua probitate micans partes componis utraſque,
Me recreas animo, has ſaturando cibo.
Paſcunt membra dapes, animam dilectio nutrit,
Quæ, cui plus opus es, dulcior eſca venis.
Audiat omnipotens & te pia vota petentem,
Ut tibi perpetuos fundat in ore cibos.
Sæcula longa ſimul cum matre ſuperſtite vernes,
Et veſtro fræno ſtet chorus ille Deo.

VIII. *Ad eandem, pro eulogiis tranſmiſſis.*

SOllicitâ pietate jubes cognoſcere ſemper,
Qualiter hìc epulis te tribuente fover.
Hæc quoque prima fuit hodiernæ copia cœnæ,
Quod mihi perfuſum melle dediſtis olus.
Nec ſemel aut iterum, ſed tèrque quatèrque cucurrit,
Cujus me poterat paſcere ſolus odor.
Portitor ad tantos miſſus non ſufficit unus,
Laſsârunt toties qui rediere pedes.
Præterea venit miſſus cum collibus altis,
Undique carnali monte ſuperbus apex.
Delitiis cunctis quas terra vel unda miniſtrant,
Compoſitis epulis hortulus intus erat.
Hæc ego nunc avidus ſuperavi cuncta guloſus,
Et mons & hortus ventre tenetur iners.
Singula nec refero, quia me tui munera vincunt,
Ad cælos victrix & ſuper aſtra voles.

IX. *Item, de eâdem re.*

MUltiplices epulæ concurrunt undique fuſæ,
Quid priùs excipiam, me bonus error habet.
Carnea dona tumens gravata argentea perfert,
Quo nimiùm pingui jure natabat olus.
Marmoreus defert diſcus quod gignitur hortis,
Quo mihi mellitus fluxit in ore ſapor.
Intumuit pullis vitreo ſcutella rotatu,
Subductis pennis quam grave pondus habet.
Plurima depictis concurrunt poma caniſtris,
Quorum blandiſluus me ſaturavit odor.
Olla nigella nimis dat candida pocula lactis,
Atque ſuperba venit quæ placitura fuit.
Hæc dominæ matri famulans, hæc munera natæ,
Junctus amore pio tertius ipſe loquar.

X. *Item ad eandem, de floribus.*

REſpice delicias, felix conviva, beatas,
Quas priùs ornat odor quàm probet ipſe ſapor.
Molliter arridet rutilantum copia florum,
Vix tot campus habet quot modò menſa roſas.
Albent purpureis ubi lactea lilia blattis,
Certatimque novo fragrat odore locus.
Inſultant epulæ ſtillanti germine fultæ,
Quod mantile ſolet, cur roſa pulcra tegit?
Complacuit meliùs linè textile tegmine menſa,
Munere quam vario ſuavis obumbrat odor.
Enituit paries viridi pendente chorymbo,
Quæ loca calcis habet, huc roſa preſſa rubet.
Ubertas rerum tanta eſt, ut flore ſereno
Mollia ſub tectis prata virere putes.
Si fugitiva placent quæ tam citò lapſa recedunt,
Invitent epulæ nos, Paradiſe, tuæ.
Dædalicis manibus ſtruxit textura ſororis,
Tantum digna fuit mater habere decus.

XI. *De Eulogiis.*

MUnera direxi, ſed non mea, crede fatenti,
Ad te quæ veniunt, ſunt tua dona magis.
Melle ſuperfuſas cunctorum porrigis eſcas,
Cujus ab ore pio dulcia mella fluunt.
Copia quanta mihi maneat de munere veſtro,
Credite dum ſpargit jam gula victa cibos.
Sed mihi da veniam venerando corde benigna,
Quod præſumpſit amor, ſit veniale mihi.
Nunc Chriſtum pro me chorus ille verendus adoret,
Nec peccatorem me mea culpa gravet.

XII. *Pro Caſtaneis.*

ISTA meis manibus ſiſcella eſt vimine texta,
Credite mî carę mater & alma ſoror.
Et quæ rura ferunt hìc ruſtica dona miniſtro,
Caſtaneas molles, quas dedit arbor agris.

XIII. *Pro Lacte.*

ASpexi digitos per lactea munera fixos,
Et ſtat picta manus hìc ubi crama rapis.
Dic rogo quis teneros ſic ſculpere compulit utres,
Dædalus an vobis doctor in arte fuit?
O venerandus amor, cujus fugiente rapinâ,
Subtractâ ſpecie venit imago mihi.
Spes fuit, hæc quoniam tenui ſe tegmine rupit,
Nam neque ìic habuit pars mihi parva dari.
Hæc facias longos Domino tribuente per annos,
In hac luce ſimul matre manente diu.

XIV. *Item pro Lacte.*

QUID tam dulce darent mihimet matérque ſorórque,
Quàm modò quod tribuunt congruè lactis opem?
Sicut Apoſtolico præcepit dogmate Paulus,
Cùm infirmis animis lac jubet ipſe dari.
Sollicita, ſoror & genitrix, de nomine noſtro,
De vobis ſemper ſit pia cura Deo.

XV. *Pro prandio.*

NEſcivi, fateor, mihi prandia laſſa paratî,
Sic animo merear poſſe placere tuo.
Nec poterant aliqui vultu me avellere veſtro,
Si non artificis fraus latuiſſet inops.
Quis mihi det reliquas epulas, ubi voce fideli
Delicias animæ te loquor eſſe meæ?
A vobis abſens colui jejunia prandens,
Nec ſinè te poteram me ſaturare cibo.
Pro ſummis epulis avido tua lingua fuiſſet,
Repleſſent animum dulcia verba meum.
Ordine ſed verſo medicus fera vulnera gignit,
Et fallax artem decipiendo probat.
Quem nunquam ſaturat quicquid mare, terra miniſtrat,
Credebas ſolo me ſaturare cibo.
Sed modò da veniam, quæſo, pietate paratâ,
Alterius facinus ne mihi conſtet onus.

XVI. *Pro munere ſuo.*

COmpoſui propriis manibus hoc munus amoris,
Sed tibi vel dominæ ſit rogo dulce meæ.
Quamvis exiguo videantur inepta paratu,
Creſcant affectu quæ modò parva fero.
Si benè perpendas apud omnes ſemper amantes,
Muneribus parvis gratia major ineſt.

XVII. *Pro prunellis.*

TRanſmiſſas epulas quæ pruna nigella vocantur,
Ne, rogo, deſpicias quæ mihi ſylva dedit.
Si modò velle tuum eſt ſylveſtria ſumere poma,
Unde placere queam, dat meliora Deus.
Hoc quoque non mètuas quod ramo umbrante pependit,
Non tellus fungos, ſed dedit arbor opes.
Non ego crudelis qui matri incongrua præſtem,
Ne dubites puros ſumere fauce cibos.

XVIII. *De deliciis & Lacte.*

INter multiplices epulas jejunia mittis,
Atque meos animos plura videndo cremas.
Reſpiciunt oculi, medicus quod non jubet uti,
Et manus illa vetat quod gula noſtra rogat.
Et tamen ante aliud cùm lactis opima miniſtras,
Muneribus vincis regia dona tuis.

Nunc

Digitized by Google

Nunc cum matre pià gaudens ſoror eſto, precamur,
Nam nos lætitiæ menſa benigna tenet.

XIX. *Pro ovis & pruais.*

HINC me delicîis, illinc me paſcitis herbis,
Hinc ova occurrunt, hinc mihi pruna datur.
Candida dona ſimul præbentur, & indè nigella,
Ventri utinam pax ſit, ſic variante cibo.
Me geminis ovis juſſiſtis ſerò cibari,
Vobis vera loquor, quattuor ipſe bibi.
Atque utinam merear cunctis parere diebus,
Sic animo, ceu nunc hoc gula juſſa facit.

XX. *De abſentiâ ſuâ.*

SI me non nimiùm pluviatilis aura vetaret,
Dum neſciretis vox repetiſſet amans.
Nec volo nunc abſens unâ detenter ut horâ,
Cùm mea tunc lux eſt, quando videtur amans.

XXI. *De Convivio.*

PER pietatis opus, per, qui pius imperat aſtris,
Per quod mater amat, frater & ipſe cupit;
Ut dum nos eſcam capimus quocunque ciberis,
Quod ſi tu facias, bis ſatiabor ego.

XXII. *De eâdem re.*

DEliciis variis tumido me ventre tetendi,
Omnia ſumendo, lac, olus, ova, butyr.
Nunc inſtructa novis epulis mihi fercula dantur,
Et permixta ſimul dulciùs eſca placet.
Nam cum lacte mihi poſuerunt indè butyrum,
Unde priùs fuerat, huc revocatur adeps.

XXIII. *De verſibus in convivio factis.*

INter delicias varias mixtúmque ſaporem,
Dum dormitarem, dúmque cibarer ego,
Os aperibam, claudebam tunc rurſus ocellos,
Et manducabam omnia clauſa videns.
Confuſos animos habui, mihi credite cari,
Nec valui facie libera verba dare.
Non digitis poteram, calamo neque pingere verſus,
Fecerat incertas ebria muſa manus.
Nam mihi vel reliquis ſic vina bibentibus apta,
Ipſa videbatur menſa natare mero.
Nunc tamen ut potui matri paritérque ſorori,
Alloquio dulci carmina parva dedi.
Et ſi me ſomnus multis impugnat habenis,
Hæc dubitante manu ſcribere cogit amor.

XXIV. *Pro eâdem re.*

BLanda magiſtra ſuum verbis recreavit & eſcis,
Et ſatiat vario deliciante joco.

XXV. *De munere ſuo.*

SI non complevi cupiens quod amator haberem,
Hæc rogo ſuppliciter ſuſcipe dona libens.
Nec parvum ſpernas, nec tu mea vota requiras,
Munere in anguſto cernitur amplus amor.

XXVI. *De itinere ſuo.*

CAſibus innumeris hominum momenta rotantur,
Inſtabilíque gradu pendula vita meat.
Ipſa futurarum titubans mens anxia rerum,
Ventura ignorat quid ſibi lux pariat.
Nam me digreſſum à vobis Eom undus amator,
Illâ ſuſcepit qua bonitate ſolet.
Hinc citus excurrens Cariacæ devehor aulæ,
Tincillacenſi perferor indè loco.
Hinc ſacer Antiſtes rapuit me Domitianus,
Ad Sancti Albani gaudia feſta trahens.
Indè relaxatus, per plura pericula feſſum
Puppe ſub exiguâ fluctus & imber agit.
Quo gravis incumbens Aquilo ſubverterat amnem,
Et malè curvatos extulit unda ſinus.
Nec ſua commotos capiebant littora fluctus,
Invadunt terras æquora fuſa novas.
Paſcua, rura, nemus, ſegetes, viburna, ſalictum,
Viribus iratis una rapina tenet.
Tunc mihi commiſſo per conſraga murmura Ponti,
Flatibus horrificis laxa fremebat hyems.
Surgebátque cadens per aquoſa cacumina puppis,
Aſcendens liquidas monte vacante vias.
Quo rate ſuſpensâ modò nubila nauta tenebat,
Gurgite ſubducto rurſus ad arva redit.
Fluctibus infeſtis pelagi ſpumante procellâ,
Aſſiduè rapidas prora bibebat aquas.
Æquora lambebant inimicâ pace carinam,
Triſtiùs amplexu nos nocitura ſuo.
Sed mora nulla vetat varias memorare querelas,
Pòſt referenda ſimul murmura corde tego.
Hoc mihi præcipuè divina potentia præſtet,
Ut citò felices vos revidere queam.

XXVII. *De glacie.*

PAſſim ſtricta riget glacies concreta pruinis,
Nec levat afflictas flexilis herba comas.
Terra jacet cruſtata gelu ſub cortice duro,
Mollis & arboreas nix tegit alta comas.
Profiua cruſtatum ſtruxerunt flumina murum,
Et denſata gravem veſtiit unda cutem.
Mole ſuâ frænantur aquæ, ſe lympha ligavit,
Obice ſub proprio vix ſibi præbet iter.
Aſperiùs tumuit glacies Aquilone fremente,
Cui dabit illa viam quæ ſibi pugnat aqua?
Fluminibus medîis nata eſt cryſtallina ripa,
Nec capimus ſubtèr, nec ſupèr itur iter.



INDEX.

Digitized by Google

INDEX POETICUS UNIVERSALIS,

CONTINENS

Comparationes, deſcriptiones, imagines, hiſtorias & veras & fabuloſas, &c. quæ in veteribus poetis occurrunt.

A.

ABacuc propheta, *Prudent.* p 1590. v 59.
Abel & Cain ſacrificantes, *Cl. M. Victor*, p 1572. *Prudent.* p 1629. v 1.
Abies & Dumus, *Feſt. Avi.* p 1340. fab. 19.
Abraham, *Cl. M. Victor*. p 1575. v 275. *Prudentius*, p 1581. Præf.
Aceſtes, *Virg.* p 383. v 195. p 400. v 36, &c. 402. v 387. p 403. v 519.
Achæmenides, *Virg.* p 395. v 614. *Ovid.* p 668. v 161.
Achelous, *Ovid.* p 641. v 548. p 643. v 5. *Sen.* p 867. v 496.
Acheron, vid. Tartara. *Sil.* p 988. v 126.
Achilles, *Catull.* p 353. v 338. *Hor.* 491. v 120. *Ovid.* 538. p 654. v 265. *Stat.* p 1100. v 151.
Acis, *Ovid.* p 665. v 750.
Acontius, *Ovid.* p 558.
Actæon, *Ovid.* p 616. v 140. *Sil.* p 989. v 365.
Actius Apollo, *Propert.* p 530. El. 6.
Adam primùm cognovit Evam poſt amiſſam paradiſum, *Cl. M. Victor*, p 1572. v 152.
Admetus, *Stat.* p 1066. v 371.
Adonis, *Virg.* p 368. Ec. X. v 18. *Ovid.* p 651. v 532.
Adverſæ res, *Pub. Syr.* p 1520. vid. Fortuna.
Adulario, *Lucan.* 891. v 33. *Mart.* 1193. Ep. 8. p 1197. Ep. 2, 3, 4. p 1202. Ep. 5, 6, 7, 8. p 1204. Ep. 34.
Adulator. vid. Paraſitus, *Juv.* p 1145. v 86. *Cæcil.* p 1484. v 21.
Adulterii crimen quantum, *Hor.* p 454. Ode 6.
Adulterina proles, *Mart.* 1199. Ep. 39.
Æacus, *Ovid.* p 635. v 474.
Ædes nitida Chriſtianorum, *Sid. Apoll.* p 1415. Ep. 10.
Ægæon, *Virg.* p 428. v 565.
Ægeus, *Catull.* p 352. v 213. *Ovid.* p 635. v 402.
Ægis Palladis, *Virg.* p 418. v 435.
Ægiſthus, *Sen.* in Agamem.
Ægyptus, *Lucan.* p 927. v 445.
Ægypti plagæ decem, *Ale. Avitus*, p 1685.
Ægyptii Dii, *Ovid.* p 569. El. 13. *Lucan.* 929. v 831. *Juv.* p 1165. v 1. *Prudent.* p 1645. v 385.
Ægyptiacus luxus, *Lucan.* p 937. v 136, &c.
Ægyptius ſacerdos apud J. Cæſarem philoſophatur, *Lucan.* p 937. v 195, &c.
Ælia, vetula, *Mart.* 1172. Ep. 20.
Æmulus, *Mart.* p 1237. Ep. 95.
Æneas, *Virg.* p 432. v 282. *Ovid.* p 542. p 665. v 625.
Æneas deſcendit ad inferos, *Virg.* p 407. v 260.
Æneas indiges, *Ovid.* p 670. v 608.
Æneæ arma Vulcania, *Virg.* p 419. v 620.
Æneæ ſimulacrum Turno objicitur, *Virg.* p 428. v 636.
Æolus, *Virg.* p 382. v 52. *Ovid.* p 668. v 223. *Val. Flac.* p 1111. v 587.
Æquanimitas, *Hor.* p 449. ode 3. p 452. ode 1. *Senec.* p 1567. ex gr. Cleanthis.
Æquitas, *Pub. Syr.* p 1521. v 108.
Aer, *Lucr.* p 326. *Ovid.* p 605. v 52. *Manil.* p 761. v 152.
Æacos, *Ovid.* p 657. v 762.
Æſculapius, *Virg.* p 415. v 773. *Ovid.* 613 v 629. p 676. v 630.
Æſon, *Ovid.* 634. v 162.
Æſopus & Ruſticus, *Phæd.* 793.
Æſopus & Petulans, *ibid.*
Æſopus ludens, p 794.
Æſopus ad Garrulum, p 795.
Æſopus Interpres Teſtamenti, *ibid.*
Ætates animalium, *Auſon.* p 1314. Edyl. 18.
Ætas Aurea, *Virg.* p 365. Ec. IV. p 375. v 538. *Ovid.* p 574. El. 8. p 605. v 90. *Sen.* p 816. v 524. p 879. v 400. *Juv.* p 1161. v 38. *Bott.* p 1451. Met. 5.
Ætas argentea, *Ovid.* p 606. v 113.
Ætas ænea, *Ovid.* 606. v 125.
Ætas ferrea, *Catull.* p 354. v 397. *Ovid.* p 574. El. 8. p 606. v 127. *Sen.* p 816. v 550.
Ætates quatuor, *Sen.* p 879. Act. 2. *Juv.* p 1149. v 1, &c.
Ætas Heroica, *Catull.* p 353. v 384.
Ætas nona peſſima, *Juv.* p 1161. v 28, 60.
Ætas ultima, *Virg.* p 365. Ec. IV. v 4.
Æterna, *Lucr.* p 326.
Æther, *Lucr.* p 327.
Æthiopes, *Sil.* p 951. v 265.
Ætna, *Lucr.* p 337. v 639. *Virg.* p 371. v 472. p 395. v 571. p 418. v 419. *Claud.* p 1394. v 158. *Corn. Sever.* p [1583]
Afri, *Virg.* p 377. v 344.
Agamemnon, *Ovid.* 594. v 467. *Sen.* in Troade.
Agatha Martyr, *P. Damaſus*, 1579.
Aglauros, *Ovid.* p 614. v 749.
Agnes Martyr. *P. Damaſus*, p 1579. *Prudent.* p 1621.
Agnus à Capellâ nutritus, *Phæd.* p 794.
Agonalia, *Ovid.* p 679. v 317. *Auſon.* p 1316.
Agricolæ, fortunati, *Virg.* p 374. v 458. *Hor.* p 463. ode 2.
Agriculturæ Inſtrumenta, *Virg.* p 369. v 160.
Agriculturæ antiquitas, *Virg.* p 369. v 125.
Agrippina, *Sen.* 881. Act. 3.
Ajax & Ulyſſes de armis Achillis diſceptant, *Ovid.* p 661. v 1.
Ajacis mors, *Ovid.* p 663. v 391.
Alcmene, *Plaut.* I. *Ovid.* p 645. v 276. *Sen.* in Herc. Oetæo.
Alecto, *Virg.* p 412. v 324. p 413. v 445. *Claud.* p 1346. v 26.
Alexander Magnus, Memphi ſepultus, *Lucan.* p 936. v 20. & p 938. v 272.
Alfii deteſtatio, *Hor.* p 463. ode 3.
Aloides, *Virg.* p 408. v 582. *Stat.* p 1089. v 850. *Claud.* p 1382. v 68.
Alpes, *Sil.* p 952. v 480. *Rutil.* p 1414. v 36.
Alpheus, *Virg.* p 395. v 694. *Ovid.* 628 v 599.
Alta periculoſa, *Sen.* p 820. v 1125. p 836. Chorus. p 868. v 631. *Juv.* p 1157. Sat. 10. *Claud.* 1346. v 22. *Laber.* p 1519. v 108.
Amalthea, *Ovid.* p 699. v 115
Amantes infelices, *Auſon.* p 1305. Edyl. 6.
Amantur ſimul duæ, *Ovid.* 569. El. 10.
Amata, regis Latini uxor, *Virg.* p 412. v 343. p 436. v 54.
Amata relinquere durum, *Ovid.* p 567. El. 4.
Amazones, *Virg.* p 434. v 660. *Feſt. Av.* p 1330. v 855.
Ambitio, *Claud.* p 1377. v 114.
Ambitioſi, *Virg.* p 375. v 503.
Amica, vid. *Puella.*
Amicæ convitia ex amore, *Prop.* p 523. El. 8.
Amicitia, *Pub. Syr.* p 1520.
Amicitia celat mendas, *Hor.* p 469. Sat. 3. v 29, &c.
Amicitia fida, *Hor.* p 452. ode 17. p 463. ode 1. *Ovid.* p 710. El. 4. p 717. El. 4, 5, 6. p 722. El. 5. 732. Epiſt. 6. p 736. Ep. 3.
Amicitia vulgi. *Ovid.* p 735. Ep. 3. de eâ Socrates, *Phæd.* p 793. *Juv.* p. 1157. v 73.
Amici verbo tenus character, *Plaut.* p 73. Sc. 2. p 75 Sc. 1. *Ter.* p 233. Sc. 1. *Mart.* p 1179. Ep. 30, 43. p 1220. Ep. 14. *Petron. Arb.* p [1568] v 67.
Amicus fidus quanti pretii, *Plaut.* p 84. Sc. 2.
Amicus perfidus. *Catull.* 346. XXVIII. *Hor.* p 470. Sat 4. v 81. *Ovid.* p 711. El. 7, & 8.
Amicus mentæ. *Mart.* p 1214. Ep. 15.
Amicus pauperi rarus, *Mart.* p 1193. Ep. 19.
Amicis data non pereunt, *Hor.* p 461. ode 7. v 19. *Mart.* 1195. Epig. 42.
Amiſſa bona intelligimus, *Plaut.* p 38. Sc. 2. v 40. *Hor.* p 457. ode 24. v 30. *Propert.* p 521. El. 1.
Ammon, vid. Jupiter.
Amor, *Pub. Syrus*, p 1520. v 1.
Amor inter inæquales, *Ovid.* p 570. El. 17.
Amor, turpis abit, caſtus manet, *Sen.* 878. v 189.
Amor non fugiendus, *Propert.* p 520. El. 30. 527. El. 21.
Amor omnibus communis, *Nemeſ.* p 1273. v 26.
Amoris gaudia, *Propert.* p 516. El. 14, 15. *Ovid.* p 569. El. 10.
Amores Senum, *Tibull.* p 496. Eleg. 2. v 93.
Amor, ſervitium, *Tibull.* p 501. El. 4.
Amor venalis, *Tibull.* p 498. El. 8. v 29. & El. 9. v 17. *Propert.* p 516. El. 16. p 525. El. 13. *Ovid.* p 564. El. 10. p 574. El. 8.

INDEX.

Amor fui fultus & improbus, *Hor.* p 469. Sat. 3. v 24. *Perf.* p 887. Sat. 4.
Amor cæcus, *Hor.* p 468. Sat. 2. p 469. Sat. 3. v 39. *Tibull.* p 507. Eleg. 14.
Amoris furor, *Virg.* p 397. v 300. p 398. v 365, &c. p 399. v 590. *Sen.* paſſim.
Amoris potentia, *Virg.* p 386. v 665. *Hor.* p 446. ode 19. p 449. ode 4. p 459. ode 1. *Tibull.* p 497. Eleg. 5. p 503. El. 4. v 65. *Propert.* p 511. El. 14. v 17. p 512. El. 19. p 514. El. 5. p 515. El. 8. p 517. El. 20. *Ovid.* p 539. v 11. p 544. v 25. p 564. El. 9. *Sen.* p 814. v 275. *Boet.* p 1451. Met. 8. v 15.
Amoris damna, *Plaut.* p 214. Sc. 1. p 215. Sc. 2. p 216. Sc. 1. p 219. Sc. 7. p 223. Act. 5. *Ter.* p 239. Sc. 1. p 252. Sc. 2. p 254. *Lucr.* p 323. *Virg.* p 365. v 100. p 396. v 86. *Hor.* p 444. ode 8. p 465. ode 11. & poſt, ode 14. p 468. Sat. 2. *Perſ.* p 888. v 165.
Amoris artes, *Plaut.* p 204. Sc. 1. *Tibull.* p 497. El. 6. *Ovid.* p 562. El. 4. p 564. El. 8. v 69. p 572. El. 2. & de Arte, p 577. &c. *Mart.* p 1174. Ep. 58. *Claud.* p 1389. v 523.
Amoris laudes, *Plaut.* p 58. Sc. 3. p 139. Sc. 4. *Hor.* p 451. ode 12. *Ovid.* p 570. El. 16. p 571. El. 19. cruciatus, *Plaut.* p 68. Sc. 1. *Ter.* p 229. Sc. 5. p 238. Sc. 1. p 243. Sc. 2. p 251. Sc. 1. *Lucr.* p 323. *Catull.* p 356. LXXIV. p 357. LXXXIII. *Virg.* p 367. Ec. 8. v 43, &c. [ut cruciat bruta, *Virg.* p 376. v 210. *Ovid.* p 584. v 481.] p 396. v 5. p 397. v 296. *Hor.* p 445. ode 13. p 455. ode 10. *Propert.* p 508. El. 1. p 514. El. 6. p 517. El. 17. *Nemeſ.* p 1272. v 41. p 1273. Ecl. 4. v 50.
Amoris vitia, *Plaut.* p 132. v 18. p 208. v 42. *Plaut.* p 208. *Hor.* p 477. v 160.
Amoris remedia, *Ovid.* p 575. El. 11. p 591. *Sen.* p 814. v 131.
Amorum Domus, *Claud.* p 1358. v 50, &c.
Amphiaraus, *Stat.* p 1066. v 371. p 1074. v 1.
Amphion, *Hor.* p 493. v 394. *Sen.* p 863. v 566. *Stat.* p 1087. v 466.
Amphitryon, *Plaut.* I. & *Sen.* in Hercul. Furen.
Amphora, *Hor.* p 457. ode 21.
Amycus, *Val. Flac.* p 1122. v 148.
Amygdalus, *Pall. Rutil.* p 1268. v 149.
Anas, *Mart.* p 1239. Ep. 52.
Anaxagoras, *Lucr.* p 299.
Anaxarete, *Ovid.* p 671. v 699.
Anchiſæ domûs ſitus, *Virg.* p 388. v 300.
Anchiſæ Mors, *Virg.* p 395. v 710.
Anchiſæ ludi funebres, *Virg.* p 400. v 113.
Anchiſes in Elyſio, *Virg.* p 409. v 679. cum Æneâ de animâ Philoſophatur, *Virg.* p 409. v 713. monſtrat futuros Romanorum Heroas, p 410. v 760.
Andreas Apoſtolus, *P. Damaſus*, p 1579.
Androgeos, *Virg.* p 405. v 20.
Andromeda, *Ovid.* p 623. v 670. *Manil.* p 784. v 544.
Anima, [Ennii opinio de eâ, *Lucr.* p 295.] *Virg.* p 409. v 713. *Sen.* p 831. v 375.
Animæ & Animi natura, *Lucr.* p 295, 309. *Virg.* p. 380. v 225. *Claud.* p 1355. v 235. *Pruden.* p 1627. p 1634.
Animæ revolutio in hanc vitam, *Virg.* p 409. v 750. *Ovid.* p 673. v 160. *Claud.* p 1351. v 485. p 1393. v 62.
Animæ in Cælo, *Manil.* p 764. v 756.
Animus ſuâ ſorte contentus, *Hor.* p 452. ode 18, & ode 1. p 459. ode 29. v 41. vid contentus.
Animum domare, eſt imperare, *Hor.* p 449. ode 2. *Boet.* p 1449. Met. 4. 1450. Met. 7. 1452. Met. 5.
Anius, *Virg.* p 392. v 80. *Ovid.* p 665. v 632.
Anna, ſoror Didonis, *Virg.* p 396. v 9. p 400. v 672. *Ovid.* p 690. v 523. *Sil. It.* p 972. v 55.
Annus, *Ovid.* p 677. v 27. p 688. v 121. *Auſon.* p 1315.
Anni vices, *Hor.* p 461. ode 7. *Ovid.* p 610. v 25. p 673. v 200.
Annibal, *Sil. It.* p 941. v 39, &c. p 943. v. 240. in patriam revocatur, p 1011. v 157. ejus virtus bellica, p 1013. v 410. p 1014. v 517. *Juv.* p 1158. v. 147.
Annibalis, de Romanâ fortitudine dictum. *Hor.* p 460. ode 4. v 50. ſomnium, *Sil.* p 951. v 170. iter in Italiam, *Sil.* p 952. v 443.
Anno, *Sil. It.* p 947. v 277. p 987. v 556.
Annulus, *Ovid.* p 570. El. 15.
Anſer & Ruſticus, *Feſt. Av.* p 1341. fab. 33.
Antæus, *Lucan.* p 908. v 613. *Stat.* p 1069. v. 893.
Antinous, *Pruden.* p 1637.
Antiqui mortales, *Lucr.* p 330. v 923. *Virg.* p 417. v 315. *Hor.* p 470. Sat. 3. v 99. *Ovid.* p 575. El. 10. p 606. v 95. p 683. v 290. p 694. v 395. *Sen.* p 816. v 524. *Stat.* p 1056. v 275. *Boet.* p 1451. Met. 5.
Antiquorum Sapientia, *Hor.* p 493. v 396.
Antonius, M. vid. Pothinus.
Anubis, *Virg.* p 420. v 698. *Propert.* p 524. El. 11. v 41. *Juv.* p 1152. v 533.
Anus annoſa, *Mart.* p 1222. Ep. 39. p 1223. Ep. 67.
Anus clamoſa, *Mart.* p 1214. Ep. 30.
Anus qualis ducenda, *Mart.* p 1220. Ep. 8.
Anus libidinoſa, *Hor.* p 456. ode 15. p 462. ode 13. p 464. ode 8. p 465. ode 12. *Mart.* p 1186. Ep. 93. p 1187. Ep. 4. p 1206. Ep. 75.
Anus ad Amphoram, *Phad.* p 792. Ebrioſa, *Auſon.* p 1282. Ep. 20.
Apenninus, *Ruti.* p 1414. v. 33.
Apes & Fuci, Veſpâ Judice, *Phad.* p 794.
Apes pavere Jovem infantem, *Virg.* p 379. v 150.
Apes Cyclopibus comparantur, *Virg.* p 379. v 170.
Apum mens, *Virg.* p 380. v 220. induſtria, *Virg.* p 384. v 430. reparatio, *Virg.* p 380. v 315. *Ovid.* p 674. v 365.
Apollo, *Hor.* p 446. ode 21. p 460. ode 6. p 467. *Sen.* p 838. chorus. *Pruden.* p 1612. v 188.
Aqua, *Manil.* p 761. v 155.
Aquila, *Virg.* p 435. v 751. *Hor.* p 460. ode 4. *Claud.* p 1363. v 467. p 1364. Prolog. ut probat pullos, *Lucan.* p 935. v 905.
Aquila, Felis, & Aper, *Phad.* p 791.
Aquila, Cornix, & Teſtudo, ibid.
Aquila & Teſtudo, *Feſt. Avien.* p 1338. Fab. 2.
Arachne, *Ovid.* p 628. v 5.
Arandi tempus, *Virg.* p 369. v 43.
Arbores in Deorum tutelâ, *Phad.* p 794.
Arbores, *Virg.* p 372. v 9. quæ ſponte naſcuntur, v 47.
Arborum Inſitio, *Virg.* p 372. v 73.
Arcades, *Stat.* p 1056, v 275 340.
Arcas, *Ovid.* p 613. v 497. *Stat.* p 1055. v 229.
Archimedis Sphæra, *Claud.* p 1406.
Archytas, *Hor.* p 447. ode 28.
Arctos, *Virg.* p 370. v 245.
Ardea, *Ovid.* p 670. v 580.
Ardelio, *Phad.* p 791. Fab. 5. *Mart.* p 1178. Ep. 7. p 1191. Ep. 79.
Arethuſa, *Virg.* p 368. Ec. X. p 380. v 351. p 395. v 696. *Ovid.* p 627. v 496. p 628. v 573.
Argentum. vid. pecunia.
Argo navis, *Catull.* p 351. LXII. v 1. *Virg.* p 365. Ec. IV. v 34. *Propert.* p 513. El. 20. v 17. *Ovid.* p 569. El. 11. *Sen.* p 808. v 349. *Lucan.* p 901. v 193. *Claud.* p 1382. v 1. *Ennius*, p 1466. Medea v 1.
Argos, *Sen.* p 841. v 808.
Argus, *Ovid.* p 609. v 625. *Sen.* p 826. v 715. *Val. Flac.* p 1123. v 366.
Argus, miles, *Lucan.* p 904. v. 727.
Ariadne, *Catull.* p 351. LXII. v 54. *Ovid.* p 545. p 690. v 460.
Ariani, vid. in Homuncionitis, *Pruden.* p 1625.
Arietini reſponſum, *Plaut.* p 1471. Fretum. *Ennius*, p 1489. v 156.
Arion, *Ovid.* p 682. v 83.
Ariſtarchus, *Hor.* p 493. v 450.
Ariſtæus, paſtor, *Virg.* p 380. v 317. *Ovid.* p 679. v 363.
Ariſtippus, *Hor.* p 486. Ep. 17. v 17.
Arithmetica, *Mart. Capell.* p. 1446.
Arma non ſervant modum, *Sen.* p 845. v 403.
Armorum inventio, *Lucr.* p 332. v 1280, *Hor.* p 470. Sat. 3. v 99.
Arria & Pætus, *Mart.* p 1171. Ep. 14.
Artium Antiquitas, *Virg.* p 369. v 133.
Arviragus, *Juv.* p 1147. v 127.
Aſcanii ſub ſpecie Cupido, *Virg.* p 386. v 658.
Aſdrubalis character, *Sil. It.* p. 942. v 144.
Aſinus & Leo venantes, *Phad.* p 789.
Aſinus egregiè cordatus, ibid.
Aſinus irridens aprum, *Phad.* p 790.
Aſinus & Galli, *Phad.* p 795.
Aſinus pelle Leonis indutus, *Feſt. Av.* p 1338. fab. 5.
Aſcalaphus, *Ovid.* p 627. v 539.
Aſopus fl. *Stat.* p 1071. v 315. p 1074. v 730.
Aſtra, *Lucr.* p 326, 327. qui Dii regunt ea, *Manil.* p 768. v 434. quomodo ea regunt homines, ibid. & p 772. & 782. de Aſtris, vid. Arati phænomena.
Aſtra duodecim, *Virg.* p 370. v 232. *Manil.* p 761. v 256. eorum influentiæ, *Manil.* p 776. v 124, &c. Conjunctiones, p 777. maligna, p 778. v 444. dominantur variis terris, p 779.
Aſtræa, *Ovid.* p 606. v 150. *Sen.* p 879. v 398.
Aſtronomia, *Mart. Cap.* p 1447.
Aſtyanactis cædes, *Sen.* p 835. v 1070.
Atalanta, *Ovid.* p 651. v 565.
Athletæ, Tydeus & Agylleus, *Stat.* p 1069. v 834, &c.
Atlas, *Virg.* p 397. v 247. p 398. v 481. p 416. v 136. *Ovid.* p 623. v 630. *Sil. It.* p 942. v 201.
Atticus, *Mart.* p 1204. Ep. 32.
Attys, *Catull.* p. 351. *Ovid.* p 649. v 104.
Avaritia, *Pub. Syr.* p 1522. v 196.
Avaritia, quid ſuadeat, *Virg.* p 392. v 56. *Hor.* p 457. ode 24. *Ovid.* p 679. v 212. *Juv.* p 1161. v 71, &c. inexplebilis, *Juv.* p 1163. v 139. omnium ſcelerum cauſa, p 1164. v 173. *Claud.* p 1377. v 111.
Avaritia & Luxuria diſtrahunt hominem, *Perſ.* p 888. v 132. *Pruden.* p 1584.
Avarus pumici comparatur, *Plaut.* p 30. Sc. 4. v 18, &c.
Avari dementia, *Hor.* p 468. Sat. 1. p 476. v 146. *Perſ.* p 888. Sat. 6. Sordes, *Juv.* p 1163. v 124. *Mart.* p 1176, Ep. 100, 104. p 1190. Ep. 51.
Auditus, *Lucr.* p 319.
Averna, *Lucr.* p 338. v 738. *Virg.* p 394. v 442. p 406. v 242. *Sil.* p 988. v 121.
Augurium, *Plaut.* p 19. Sc. 1. v 12. p 33. Sc. 3. bonum, *Virg.* p 384. v 393. vanum, *Ennius*, p 1467. Telamone, v 21. *Pacuv.* p 1480. Chryſe, v 74.
Augurius, martyr, *Pruden.* p 1609.
Aurora, *Ovid.* p 637. p 664. v 576.
Aurum quid faciat, *Hor.* p 456. ode 16. vid. pecunia. *Lucan.* p 905. v 96.
Aurum & Argentum unde, *Lucr.* p 331. v 1241. *Lucan.* p 916. v 402.
Aurum & Laqueus, *Auſon.* p 1283. Ep. 22, 23.
Aurora, *Lucr.* p 328. *Virg.* p 399. v 585. p 411. v 25.
Auroræ domus, *Sid. Apoll.* p 1422. v 407.
Autumnus, *Petron. Arb.* p [1572.] v 121.
Axis Mundi, *Manil.* p 761. v 275.

B

Babylon, *Feſt. Av.* p 1332. v 1196.
Bacchus, *Virg.* p 372. v 2. p 410. v 805. *Hor.* p 452. ode 19. p 457. ode 25. *Propert.* p 526. El. 17. *Ovid.* p 619. p 653. v 67. p 690, v 461. p 691. v 714. *Sen.* p 817. v 751. p 824. v 405. *Sil. It.* p 950. v 101. p 968. v 162. *Stat.* p 1046.

INDEX.

p 1046. v 72. ejus ad Jovem oratio, *Stat.* p 1070. v 155. [cum Argonautis, *Val. Flac.* p 1126. v 75] *Nemesian.* p 1272. Ecl. 3. *Auson.* p 1283. Ep. 29, 30. *Fest. Av.* p 1332. v 1126. p 1333. v. 1360. *Prudent.* p 1636.

Baiæ, *Sil.* p 988. v 114.

Balneum, *Stat.* p 1021. *Mart.* p 1199. Ep. 42.

Bardi, *Lucan.* p 894. v 449.

Basia, *Mart.* p 1185. Ep. 65. p 1199. Ep. 34. p 1226. Ep. 8. p 1207. Ep. 95. p 1231. Ep. 98. p 1235. Ep. 59. p 1237. Ep. 94.

Battus, *Ovid.* p 614. v 688.

Baucis, *Ovid.* p 642.

Beatus, *Hor.* p 482. Ep. 6. p 485. Ep. 16. v 19. *Juv.* p 1161. v 21. extra fortunæ aleam positus, *Boet.* p 1449. Met. 4.

Belides, vid. Danaides.

Bellatori nefas tractare sacra, *Virg.* p 391. v 718.

Bellum, quomodo denunciatur, *Plaut.* 648. Romanis utile, *Sulpitia* Sat. p 1167. v 50.

Bellandi ratio antiqua, *Lucr.* p 332. v 1280.

Belli civilis calamitates, *Virg.* p 363. v 63. *Hor.* p 445. ode 14. p 464. ode 7. p 466. ode 16. *Lucan.* p 891. v 8. p 895. v 20. p 905. v 180. *Ennius*, p 1461. Lib. 8. v 7.

Belli portæ, *Virg.* p 414. v 607.

Belli causæ, *Lucan.* p 892. v 160.

Bellerophon, *Hor.* p 455. ode 7. v 15.

Bellicosæ gentes, *Sil.* p 951. v 326, 341. p 975. v 573. *Stat.* p 1055. v 228.

Bellona, *Virg.* p 420. v 703. ejus comites, *Val. Fl.* p 1114. v 204.

Bellus homo, *Mart.* p 1185. Ep. 63.

Belus, *Virg.* p 386. v 621, 729. *Fest. Av.* p 1332. v 1199.

Beneficentia, *Pub. Syr.* p 1521. v 80. ibid. de Beneficiis.

Berecynthia, vide Cybele.

Berenice, *Catull.* 354. LXIV.

Beroe, *Virg.* p 403. v 620.

Bestæ, *Mart.* p. 1238. Ep. 13.

Boarium forum, *Propert.* p 532. El. 10. v 19.

Bona Dea, *Juv.* p 1144. v. 86.

Bona vera & falsa, *Juv.* p 1157. Sat. 10.

Boni, rari, *Juv.* p 1161. v 26, 64.

Bonus vir, *Hor.* p 485. Ep. 16. v 40, &c. *Stat.* p 1024. v 64. *Juv.* p 1145. v 21, &c. *Juv.* p 1155. v 80. *Mart.* p 1173. Ep. 40. p 1187. Ep. 5. *Auson.* p 1304. Edyl. 2. p 1313. Edyl. 16.

Bonum nimis, *Ennius*, p 1468. Hecubæ, v 19.

Boreas, *Ovid.* p 605. v 65. p 632. v 682.

Boreas & Phœbus, *Fest. Av.* p 1338. fab. 4.

Bos optimæ formæ, *Virg.* p 375. v 51.

Bosporos, unde dictus, *Val. Fl.* p 1124. v 419.

Briareus, *Stat.* p 1049. v 596.

Briseis, *Ovid.* p 538.

Britanni, *Catull.* p 344. XI. p 346. XXVII. v 4. & 20. p 347. XLIII. v 22. *Virg.* p 363. v 67. p 375. v 25. *Hor.* p 446. ode 21. *Hor.* p 448. ode 35. v 30. p 454. ode 4. v 34. ib. ode 5. v 3. p 462. ode 14. v 48. p 464. ode 7. v 7. *Tibull.* p 505. v 149. *Propert.* p 513. El. 1. v. 76. p 517. El. 18. v 23. p 529. El. 3. v 9. *Ovid.* p 676. v 752. *Sen.* p 877. v 28, & 42. *Lucan.* p 899. v 572. p 900. v 78. *Juv.* p 1145. v 161. p 1165. v 111, 124. *Mart.* p 1216. Ep. 3. p 1227. Ep. 21. *Nemes.* p 1270. v 124.

Brutus, *Ovid.* p 686. v 717.

Brutus, Marcus, *Lucan.* p 897. v 234. p 922. v 586.

Busiris, *Virg.* p 375. v 5.

Byblis, *Ovid.* p 646. v 452.

C

CAcus, *Virg.* p 417. v 194. *Propert.* p 532. El. 10. *Ovid.* p 681. v 550.

Cadmus, *Ovid.* p 615. p 623. v. 590.

Cæcus & Claudus, *Auson.* p 1287. Ep. 132.

Cæmens. *Ovid.* p 658. v 172.

Cæsar ad Atrienses, *Phad.* p 791.

Cæsar, Augustus, *Virg.* p 369. v 25. p 371. v 500. p 382. v 566. p 410. v 792.

Cæsar, Julius, *Catull.* p 348. LV. *Virg.* p 384. v 286. *Ovid.* p 676. v 746. *Lucan.* p 892. v 143. compilat ærarium, *Lucan.* p 901. v 155. periculosè navigat, *Lucan.* p 912. v 560. à Pothino periclitatur, *Lucan.* p 939.

Cæsares 12. *Auson.* p 1299. *Sid. Apoll.* p 1427. v 103, &c.

Cæstus, *Virg.* p 402. v 379. *Val. Fl.* p 1123.

Cajeta, *Virg.* p 410. v 2. *Ovid.* p 669. v 443.

Cain, *Cl. M. Victor.* p 1572.

Calais, *Ovid.* p 633. v 716. *Val. Flac.* p 1114.

Calchas, *Virg.* p 387. v 100, &c. *Ovid.* p 657. v 19. *Sen.* in Troade.

Calisto, *Ovid.* p 612. v. 409. p 683. v 156.

Calumniator, *Hor.* p 470. Sat. 4. v 81.

Calvus, *Mart.* p 1195. Ep. 49.

Calvus & Musca, *Phad.* p 798. Calvi duo, p. 799.

Calvus Eques, *Fest. Av.* p 1339. fab. 10.

Calypso, *Ovid.* p 582. v 125.

Camarina, *Virg.* p 395. v 701. *Sil.* p 998. v 199.

Camelus & Jupiter, *Fest. Av.* p 1339. fab. 8.

Camerina, id. quod Camarina.

Camilla, *Virg.* p 415. v 803. p 433. v 498, &c. p 434. v 649. occiditur, p 435. v 803.

Camillus, *Claud.* p 1362. v 274.

Canace, *Ovid.* p 546.

Caneri, *Fest. Av.* Fab. 3. p 1338.

Canes venatici, *Gratius*, p 755. v 151. *Nemesian.* p 1270. v 103. *Claud.* p 1381. v 295, &c.

Canes legati ad Jovem, *Phad.* p 796.

Canidia Venefica, *Hor.* p 464. ode 5. p 466. ode 17. p 467. p 472. Sat. 8.

Canis natans, *Phad.* p 788.

Canis parturiens, *Phad.* p 789.

Canes famelici, p 790.

Canis fidelis, ib.

Canis & Crocodilus, ib.

Canis, Thessurus, & Vulturius, ibid.

Canis & Lupus, p 793.

Canis & Rusticus, *Fest. Av.* p 1339. fab. 7.

Canis & Leo, *Fest. Av.* p 1342. fab. 37.

Cannæ, illic pugna, *Sil.* p 978. v 343.

Cantabri, *Sil.* p 951. v 326.

Cantoris character, *Hor.* p 469. Sat. 3.

Capellæ & Hirci, *Phad.* p 796.

Caper, cur Baccho immolatur, *Virg.* p 374. v 380.

Capilli tincti, *Mart.* p 1184. Ep. 43. p 1200. Ep. 57.

Capilli sicticii, *Mart.* p 1197. Ep. 12. p 1233. Ep. 23.

Capræ quomodo curandæ, *Virg.* p 377. v 300. & Capellæ, Calphurn. p 1277. Ecl. 5.

Capua, dissoluti Civitas, *Sil.* p 984. v 29, &c. p 895. v 273.

Carmina secessum quærunt, *Hor.* p 478. Sat. 6. p 489. v 65. *Ovid.* p 708. v 40. *Auson.* p 1319. Epist. 10.

Carmina quid possunt, *Virg.* p 367. v 69. *Hor.* p 461. ode 8. p 488. v 132. vid. Musæ. *Tibull.* p 498. El. 8. v. 17. *Ovid.* p 566. El. 15. p 677. v 871. vid. venesicium. *Sil.* p 986. v 445. *Val. Fl.* 1122. v 88. *Petron. Arb.* p [1573] v 111.

Carna, *Ovid*, p 703. v 101.

Carthaginenses, quales, *Sil.* p 951. v 232.

Carthago, *Virg.* p 382. v 12. [cur dicta Byrsa, p 384. v 367] *Sil. It.* p 948. v 406.

Cassandra, *Virg.* p 388. v 246. p 389. v 404. *Sen.* in Agamem.

Cassianus, martyr. *Prudent.* p 1611.

Casta placent Superis, *Tibull.* p 500. El. 1. v 13. p 574. El. 7. v 53.

Castanea, *Pall. Rutil.* p 1268. v 161.

Castæ quæ, *Ovid.* p 572. El. 4. vid. pudicitia.

Castor & Pollux, *Hor.* p 445. ode 12. v 25.

Catella, *Mart.* p 1177. Ep. 110.

Cathus, *Hor.* p 477. Sat. 4.

Cato, *Catull.* p 348. LIV. *Hor.* p 445. ode 12. v 35. *Hor.* p 449. ode 1. v. 24. p 457. ode 21. v 11. *Lucan.* p 892. v 128. p 897. v 238. ejus character, p 897. v. 380. p 930. v 19. p 932. v 371. & v 505. bonus dux, *Lucan.* p 933. v 587. *Mart.* 1171. Epig. 1.

Cannus, *Ovid.* p 646. v 452.

Celæno, vid. Harpyiæ.

Celtæ, *Sil.* p 952. v 340.

Cenotaphium. *Virg.* p 393. v 304.

Centauri, *Lucr.* p 329. v 876. *Virg.* p 374. v. 456. *Ovid.* p 658. v 219.

Cephalus, *Ovid.* p 590. v 695. p 637.

Cerasus, *Pall. Rutil.* p 1268. v 143.

Cerberus, *Lucr.* p 315. v 1024. *Virg.* p 408. v 417. *Sen.* p 848. v 785. *Stat.* p 1037. v 250.

Cerdo, vid. Sutor.

Ceres, *Virg.* p 369. v 147. *Ovid.* p 575. El. 10. p 626. v 341. p 694. v. 401. *Claud.* p 1394. v 235.

Cerva longæva. *Sil.* p 993. v. 115.

Cervus cornibus impeditus, *Phad.* p 789.

Cervus & Boves, *Phad.* p 792.

Cethegus, Marcus, *Ennius*, p 1462. Lib. 9. v 2.

Cëyx, *Ovid.* p 655. v 410. *Sen.* p 840. v 680.

Chalybes, *Val. Flac.* p 1125. v 610.

Chaos, *Ovid.* p 605.

Charitas, quanti pretii, *Prudent.* p 1593. v 210.

Charon, *Virg.* p 407. v 299. *Sen.* p 822. v 166. p 848. v 765. *Stat.* p 1037. v 251.

Chartis ineptis quomodo utendum, *Catull.* p 346. XXXIV. *Hor.* p 489. v 270. *Mart.* p 1182. Ep. 2. p 1192. Ep. 87.

Charybdis, *Virg.* p 394. v 420. *Ovid.* p 665. v 730.

Chelodonius, Martyr, *Prudent.* p 1598.

Chimæra, *Lucr.* p 329. v 900.

Chiron, *Catull.* p 353. v 279. *Virg.* p 378. v 550. *Hor.* p 465. ode 13. v 16. *Ovid.* p 700. v 379. *Val. Flac.* p 1110. v 407. ejus antrum, *Stat.* p 1100. v 106.

Chœrilus, *Hor.* p 488. v 233. p 492. v 357.

Christi laudes, *Claud.* p 1408. virtutes, tentationes, *Sid. Apoll.* p 1435. v 41. laudes, *Prudent.* p 1594. Hymn. omni horâ. p 1596. Hymn. 8vo. Cal. *Jan.* p 1597. Hymn. Epiph.

Christiana religio non fuit olim causa calamitatum, *Prudent.* p 1646.

Christus deus, *Prudent.* p 1606. v 39, 58, &c. p 1615. v 597, & 675.

Cicada & Noctua, *Phad.* p 794.

Cicero, *Catull.* p 348. XLVII. *Sil. It.* p 974. v 407. *Juv.* p 1157. v. 114. *Corn. Severus*, p. 1529.

Cincinnatus, *Sid. Apoll.* p 1429. v. 382.

Cinyras, *Ovid.* p 650. v 299.

Circe, *Virg.* p 367. Ec. VIII. v 70. p 411. v 11. *Hor.* p. 466. ode 17. v 15. p 481. Epist. 2. v 23. *Ovid.* p 592, v 263. p 667. v. 10, &c.

Circuli Mundi, *Manil.* p 763. v 564.

Citò dandum, *Mart.* p 1198. Ep. 30. p 1204. Ep. 43. *Auson.* p 1285. Ep. 82, 83.

Civitas bene munita, *Plaut.* p 176. Sc. 4.

Claudius Cæsar, *Seneca Philos.* de eo, p [1567]

Claudia gens, à Clauso, *Virg.* p 415. v 708. *Ovid.* p 694. v 305.

Clementia, *Pub. Syr.* p 1523. v 231.

Clementia decet Principem, *Claud.* p 1355. v 277. p 1365. v 220, &c. p 1376. v 6.

Clementiæ ara, *Stat.* 1097. v 482. *Claudian.* p 1376. v 6.

Cleopatra, *Virg.* p 419. v 688, &c. *Hor.* p 448. ode 37. *Propert.* p 524. El. 11. v 40. *Lucan.* p 936. v 56, &c.

Clericus poeta, *Sid. Apoll.* p 1419. Ep. 16. v 55.

Clitumnus, *Claud.* p 1389. v 506.

Cloelia, *Sil.* p 983. v 493.

Clytæmnestra, *Sen.* in Agamem.

Clytie, *Ovid.* p 621. v 256.

Cocytus, *Sil.* p 988. v 117.

Codrus, *Hor.* p 456. ode 19.

Cœlibatus laudatur, *Plaut.* p 123.

Cœlum, *Manil.* p 763. v 543. p 785. v. 736. *Pacuv.* p 1480. v. 69.

Cœnipeta, *Mart.* p 1237. Ep. 83.

Color, quid, *Lucr.* p 306.

Comæ, *Virg.* p 426. v 273. *Manil.* p 765.

Col.

INDEX.

Col. 1. *Sil. It.* p 944. v 461. p 975. v 638. *Val. Fl.* 1134. v 608. *Claud.* 1377. v 243.
Communia quæ, *Pruden.* p 1645. v 300.
Comœdia, *Hor.* p 488. v 169. p 491. v 89.
Concordia, *Pruden.* p 1585. v 670. *Pub. Syr.* p 1520.
Conjugii boni laudes, *Hor.* p 445. ode 13. v 17.
Conſcientia bona ubique læta, *Hor.* p 484. Ep. 11. v 25. p 481. v 60.
Conſcientia mala quàm miſera, *Plaut.* 98. Sc. 1. v 13. *Lucan.* p 924. v 784. *Juv.* p 1161. v 1. p 1162. v 195. *Claud.* p 1349. v 130.
Conſolatio de morte, *Hor.* p 450. ode 9.
Conſuetudo, *Pub. Syr.* 1522. v 152.
Contentus ſorte, *Hor.* p 452. ode 18. & ode 1. p 459. ode 29. v 41. p 472. Sat. 6. v 100. p 478. Sat. 6. p 483. Ep. 7. p 485. Ep. 14. v 44.
Non contentus ſorte, *Hor.* p 457. ode 24. p. 467. Sat. 1.
Conviva ſit hilaris, *Juv.* 1160. v 188.
Convivæ difficiles, *Hor.* p 489. v 61.
Convivium, *Virg.* p 386. v 700, &c. p 416. v 175. *Hor.* p 480. Sat. 8. *Stat.* p 1044. v 515. *Mart.* 1222. Ep. 48. *T. Varro*, p 1539. initio.
Convivium ſordidum, *Mart.* p 1173 Ep. 44. p 1179. Ep. 37. p 1197. Ep. 11. Vanum, p 1191. Ep. 78. amicum, 1197. Ep. 78.
Coquus, *Hor.* p 474. Sat. 2. p 477. Sat. 4. *Mart.* p 1246. Ep. 220.
Cornelia, mater Gracchorum, *Juv.* 1150. v 166.
Cornix & Urna, *Foſſ. Av.* p 1341. fab. 27.
Cornu Copiæ, *Ovid.* p 644. v 88.
Cornutus Tutor Perſii, *Perſ.* p 887. Sat. 5.
Corona Civica, *Claud.* p 1380. v 72.
Coronis, *Ovid.* p 613. v 542.
Corpus, quid, *Lucr.* p 196, 297.
Corpus humanum quotidie variatur, *Ovid.* p 673. v 199.
Corvus, *Ovid.* p 613. v 535. p 683. v 243.
Creatio, *Virg.* 366. Ec. VI. v 31. *Ovid.* p 605. p 698. v 11. *Manil.* p 760. v 122. *Sil.* p 986. v 456. *Cyprian.* p 1537. *Hilarius*, p 1559. *Cl. M. Victor*, 1568. *Pruden.* p 1641.
Creta, *Virg.* p 392. v 104.
Creuſa, *Virg.* p 391. v 738.
Criſpinus, *Hor.* p 470. Sat. 4. v 14. *Juv.* p 1143. v 27. p 1147. Sat. 4.
Criticus bonus, *Hor.* 493. v 438.
Crucis Chriſti potentia, *Pruden.* p 1638.
Cumæ, *Sil.* p 988.
Cupiditas, *Pub. Syr.* p 1522. v 189.
Cupido, vid. Amor. *Tibull.* p 500. Eleg. 1. v 67. *Propert.* p 515. El. 12. *Sen.* p 814. v 194. p 867. v 541. *Auſon.* p 1305. Edyl. 6.
Cupidinis Triumphus, *Ovid.* p 562. El. 2.
Curius, *Juv.* p 1159. v 78.
Curſus Pedeſtris, *Virg.* p 402. v 291. *Sil.* 1009. v 457.
Cyane, *Ovid.* 627. v 409.
Cybele, *Lucr.* p 305. *Catull.* p 351. *Virg.* p 392. v 111. p 410 v. 785. p 426. v 252. *Ovid.* p 693. v 181. *Sil.* p 1010. v 8. *Stat.* p 1059. v 782. *Pruden.* p 1636.
Cyclopes, *Virg.* p 395. v 618. p 418. v 418. *Val. Flac.* p 1122. v 104.
Cycni fabula, *Virg.* p 426. v 189. *Ovid.* p 612. v 367.
Cydippe, *Ovid.* p 559.
Cygnus, *Ovid.* 658. v 73.
Cyllarus. *Virg.* p 375. v 90. *Ovid.* p 659. v 393. *Stat.* p 1065. v 328.
Cynicus, *Hor.* 486. Ep. 17. v 19, &c.
Cypariſſus, *Ovid.* p 649. v 121.
Cyprianus Ep. & Martyr, *Pruden.* p 1620.
Cyrene, *Sil.* p 990. v 369.
Cyrus, *Sid. Apoll.* p 1430. v 27.

D

Dædalus, *Virg.* p 405. v 14. *Hor.* p 444. ode 3. *Ovid.* p 581. v 21. 639. v 160. *Sil.* p 988. v 90.
Dæmones fugiunt ad Galli cantum, *Pruden.* p 1587. Hym. I. v 37.
Damarum prælia, *Mart.* 1191. Ep. 74.
Damocles, *Hor.* p 452. ode 1. *Perſ.* p 886. Sat. 3. v 40.
Danæ, *Hor.* p 456. ode 16. *Ovid.* p 623. v 618.
Danaides, *Lucr.* p 315. 1021. *Hor.* p 455. ode 11. v 25. vid. Tartara.
Daphne, *Ovid.* p 608. v 452.
Deianira, *Ovid.* p 544. *Sen.* in Herc. Oetæo.
Deidamia, *Stat.* 1105. v 230.
Delos, *Petron. Arb.* p [1572] v 180.
Demens, *Hor.* p 475. Sat. 3. p 489. v 128. 492. v 297. p 493. v 453. vid. Inſania.
Demetrius & Menander, *Phæd.* p 798.
Democritus, *Lucr.* p 311. v 372. p 315. v 1052. *Hor.* p 488. v 194. p 492. v 297. *Juv.* p 1157. v 34. excæcat ſe, *Laber.* p 1518. in Rectore.
Demophoon, *Ovid.* p 537. p 603.
Demoſthenes, *Juv.* p 1157. v 114.
Dentes arte facti, *Mart.* p 1195. Ep. 43. p 1233. Ep. 23.
Dentium dolor quomodo mitigandus, *S. Samon.* p. [1593] XV.
Deorum Concilium, *Virg.* paſſim. Ovid. 606. v 167. *Stat.* p 1042. v 198. *Claud.* p 1397. v 9. *Sid. Apoll.* p 1427. v 26.
Deorum conſilia culpare ſtultum, *Plaut.* p 124. v 140.
Deorum vita ſecura, *Hor.* p 471. Sat. 5. v 101.
Deorum ethnicorum ſcelera, *Pruden.* p 1613.
Deprecatio, *Claud.* 1401. Epiſt. 1.
Dercylos, celebris venator, *Gratius*, 755. v 103.
Deſidia, noxia, *Ovid.* p 592. v 139. vid. otium. *Perſius*, p 886. Sat. 3.
Deucalion, *Virg.* p 369. v 62: vid. Diluvium. & Pyrrha.
Deus, *Lucan.* p 933. v 580. *Auſon.* p 1289. in Orat. p 1304. Edyl. 1 *Pruden.* p 1622.
Deus, Omnipotens, *Hor.* p 445. ode 12. v 13. p 454. ode 4. v 43. *Boet.* p 1452. Met. 9.
Deus vindex, *Plaut.* 40. v 63, *&c.*
Deus, ubique, *Virg.* 364. Ec. III. v 60. p 380. v 221.
Deus fecit & gubernat mundum, *Manil.* p 763. v 485. &c. p 766. v 60.
Dialectica, *Mart. Capell.* p. 1445.
Diana, *Hor.* 446. ode 21. p 457. ode 22. p 460. p 467. *Ovid.* p 616. v 163. *Sen.* p 838. Choro.
Dido, *Virg.* Æn. 4. paſſim. *Ovid.* p 542. p 690. v 545. *Sil. It.* p 941. v 23. p 972. v 50. *Auſonius* refutat Virgilium, 1287. Ep. 118.
Didonis & Æneæ connubia, *Virg* p. 397. v 165.
Dido apud inferos, *Virg.* p 408. v 450.
Dies Hebdomadis, *Auſon.* p 1315.
Dies, felices & infelices, *Virg.* 370. v 276. *Ovid.* p 678. v 60. p 704. v 220.
Dies faſti & nefaſti, *Ovid.* p 678. v 45.
Dii ethnici, *Pruden.* 1636, &c. quid momenti afferebant rebus Romanis, *id.* p 1643.
Dii, æterni, *Lucan.* p. 927. v 458.
Dii majores, *Ennius*, p 1459. v 138.
Diluvium Deucalionis & Pyrrhæ, *Hor.* p 443. ode 2. *Ovid.* p 607. v 263. Noæ, *Cl. M. Victor*, p 1573. *Alc. Avitus*, p 1681.
Diogenes Cynicus, *Juv.* p 1164. v 309. *Auſon.* p 1284. Ep. 53, 54. p 1298. Epit. 31.
Dionyſius Syracuſius, *Hor.* 452. ode 1.
Dipſas ſerpens, *Lucan.* p 934. v 738.
Diræ, *Virg.* p 441. v. 845.
Diſciplina, vid. Educatio.
Diſcordia, *Virg.* p 420. v 702. *Pruden.* 1585. v 670.
Diſſimulatio, *Pub. Syr.* 1522. v 134.
Divitiæ veræ, *Lucr.* p 331. v 1116. *Hor.* p 484. Ep. 12.
Divitiæ, quid poſſint, *Lucr.* p 331. v 1112. multis nocuerunt, *Juv.* p 1157. Sat. 10. vid. pecunia. periculoſæ, *Juv.* p 1164. v. 304.
Divitium gratitudo & ira. *Plaut.* p 163. &c. 6. impudentia, *Juv.* p 1160. v 176.
Divites ut captentur, *Hor.* p 478. Sat. 5.
Divina natura Immortalis *Lucr.* 294. 305. 325.
Dodecatemoria, *Manil.* 769. v. 694.
Dodona, *Virg.* p 369. v 149. *Stat.* 1050. v 106.
Dolor, *Pub. Syr.* p 1523. v 252. *d*
Doris, *Virg.* p 368. Ec. X. v 5.
Dos. vid. Uxor.
Dos, quid faciat, *Plaut.* p 174. v 59. *Juv.* p. 1150. v 141.
Drances, *Virg.* p 432. v 336.
Druidæ, *Lucan.* p 894. v 450.
Druſus, *Hor.* p 460. ode 4. p 462. ode 14. v. 10.
Dryope, *Ovid.* p 645.

E

Ebrietatis mala, *Hor.* p 446. ode 18. p 447. ode 27. p 481. Ep. 5. v 16. *Stat.* p 1046. v 85.
Ebrii deſcriptio, *Plaut.* p 155. Sc. 1, & 2. *Ter.* p 244. Sc. 5. *Lucr.* p 312.
Echinus, *Mart.* p 1240. Ep. 86.
Echo, *Ovid.* 617. v 358. *Auſon.* p 1282. Ep. 11.
Eclipſes Solis & Lunæ, *Lucr.* p 328.
Educatio, quid faciat, *Hor.* 460. ode 4. v 33. *Juv.* p 1163. v 45. quomodo pueros inſtitui oportet, *Auſon.* p 1305. Edyl. 4.
Effluvia, *Lucr.* p 316. v. 109.
Elegeia, *Ovid.* p 571. El. 1. v 7.
Elementa quatuor, *Ovid.* p 605. p 673. v 240.
Elementa non perſtant, *Ovid.* p 673. v 237.
Elephas, *Petron. Arb.* p [1573] v 84.
Elyſium, *Virg.* p 409. v 638. *Tibull.* p 496. Eleg. 3. v 58. *Sil.* p 995. v 552.
Empedocles, *Lucret.* p 298. *Hor.* p 493. v 465. *T. Varro*, 1534. v 164.
Enceladus, *Virg.* p 395. v 578. *Hor.* p 454. ode 4. v 57. *Stat.* p 1090. v. 8. *Claud.* p 1394. v 153.
Endromis, *Mart.* p 1188. Ep. 19.
Ennius, *Lucr.* p 295. *Hor.* p 487. Ep. 19. v 7. *Perſ.* p 888. v 10. *Sil.* p 990. v 393.
Ennii Epitaphium. p 1465.
Entellus, *Virg.* p 402. v 387.
Epicedia, *Stat.* p 1038, 1040.
Epicurus, *Lucr.* p 294. 309. 324. 333. v 5. p 315. v 1055. *Manil.* p 763. v 486.
Epidaurus, *Virg.* 375. v 44.
Epirus, *Virg.* p 369. v 59. p 376. v 121.
Epithalamia, *Catull.* p 349. 350, 351. *Stat.* 1017. *Auſon.* p 1311. Edyl. 13. *Claud.* 1358. p 1391. *Sid. Apoll.* p 1432, 1434.
Equeſtris curſus, *Sil.* p 1008. v 315, &c. *Sid. Apoll.* 1440. v 324.
Equæ vento gravidæ, *Virg.* p 376. v 275. *Sil.* p 952. v 380.
Equus animoſus, *Ennius*, 1460. Lib. 5. v 7.
Equus, optimus, *Virg.* p 375. v 75. pulcher. *Virg.* p 403. v 565. *Nemeſ.* p 1270. v. 240.
Equus bello alendus, *Virg.* p 376. v 179.
Equus Trojanus, *Virg.* p 386. v 15, &c.
Equus & Cervus, *Hor.* p 484. Ep. 10.
Equus & Aper, *Phæd.* p 795.
Erichthonius, *Virg.* p 375. v 113.
Eridanus, *Virg.* p 409. *Lucan.* 898. v 409.
Erifichthon, *Ovid.* p 642, &c.
Errores hominum de Bonis, *Juv.* p. 1157. Sat. 10.
Eryx, *Virg.* p 402. v 392, &c.
Evander, *Virg.* p 417. v 360. & pluribus antè & pòſt verſibus. *Ovid.* p 680. v 471.
Eventa, *Lucr.* p. 297.
Eulalia, Martyr, *Pruden.* p 1603.
Eulogius, Martyr, *Pruden.* p 1609.
Eumenides. vid. Furiæ & Tartara.
Eunuchus, *Claud.* in Eutrop. p 1366.
Eunuchus ad improbum, *Phæd.* p 794.
Euphrates, *Lucan.* 901. v 257.
Europes fabula, *Hor.* p 458. ode 27. *Ovid.* p 615. p 629. v 104. p 701. v 605.
Eurus, *Ovid.* p 605. v 61.
Eurydice, vid. Orpheus.
Eurytus, *Ovid.* 658. v 220.
Exempla quomodo imitanda, *Hor.* 487. Ep. 19. *Claud.* p 1356. v 400. quantum valent, *Juv.* 1163. v 1. *Claud.* p 1355. v 300.
Exilium, *Ovid.* p 709. El. 3.

INDEX.

F

FAbii, *Ovid.* p 683. v 196.
Fabius M. *Sil. It.* p 945. v 3. ‖ 948. v 382. p 967. v 1. Collegam à prælio dehortatur, p 968. v 220. poſt cladem Cann. verba, p 983. v 595. ejus character, *Ennius*, p 1461. Lib. 8. v 4.
Fabricius, *Claud.* p 1362. v 272.
Faciei medicamina, *Ovid.* p 598.
Facilis & feſtivi hominis character, *Ter.* p 270. ad finem fabulæ.
Falernus, *Sil.* p 968. v 166.
Fama, *Virg.* p 397. v 174. *Pub. Syr.* ‖ 1523. v 258.
Famæ Sedes, *Ovid.* p 657.
Famæ conſulendum, *Hor.* p 485. Ep. 16. v 36.
Famis deſcriptio, *Ovid.* p 643. v 791. *Lucan.* p 915. v 109.
Fatum, *Manil.* p 766. v 112, &c. p 771. v 45. ‖ 775. v 23. p 780. v 871, &c. *Sen.* p 827. v 980. p 883. v 923. *Val. Flac.* p 1111. v 531. *Sid. Apoll.* p 1427. v 123. *Prudent.* ‖ 1643. v 86.
Faunus, *Hor.* p 456. ode 18. *Ovid.* p 683. v 306.
Febres quomodo curandæ, *S. Samon.* p [1598] XLIX, &c.
Februa, *Ovid.* p 682. v 19.
Felix. vid. beatus, vita læta, &c.
Felix, Martyr, *P. Damaſus*, ‖ 1580.
Feræ domantur, *Mart.* p 1176. Ep. 105.
Feriæ Romanæ, *Auſon.* p 1316.
Fictio, *Pub. Syr.* p 1522. v 134.
Ficus, *Pall. Ruſtil.* p 1268. v 119.
Fides, *Pub. Syr.* p 1521. v. 108.
Fides, Dea, *Sil. It.* p 948. v 480.
Fides, rara, *Sen.* p 868. v 602.
Fides chriſtiana, *Prudent.* p 1581. v 21.
Finis proponendus, *Perſ.* p 887. Sat. 3. v 60.
Flora, *Ovid.* p 699. v 195.
Flumina, unde, *Lucr.* p 326. *Virg.* ‖ 380. v 366. Moſellæ deſcriptio, *Auſon.* ‖ 1307. Edyl. 10.
Fœmina, *Pub. Syr.* ‖ 1520. vid. mulier.
Fœminæ illecebræ, *Ovid.* p 586. lib. III. de arte.
Fœminæ crudelitatis execratio, *Propert.* p 528. El. 25
Fœminæ vindicta placet, *Juv.* p 1161. v 192.
Fœminæ celebres, *Propert*, p 524. El. 11. vid. Dido, Camilla, Hasbite, &c.
Fœminæ, cauſa belli, *Ovid.* ‖ 569. El. 12. v 17.
Fœminæ ludos viriles exercent, *Propert.* p 525. El. 14. *Juv.* p 1150. v 245. *Mart.* ‖ 1169. Ep. 6.
Fœminæ Romanæ monilia, &c. bello miniſtrant, *Sil.* p 989. v 310.
Fœmina literarum ſtudio dedita, *Juv.* p 1151. v 435. *Mart.* p 1181. Ep. 90. v 9.
Fœminarum effræna libido, *Propert.* p 526. El. 19. *Juv.* p 1149. v 53, 115.
Fœneratoris, Trapezitæ, Daniſtæ, mores. *Plaut.* p 52. Act. 3. p 98. Sc. 1. *Hor.* p 463. ode 2. v 67. *Mart.* p 1179. Ep. 44.
Fœtum in utero perdere nefas, *Ovid.* p 570. El. 14.
Fons amœnus, *Horat.* p 456. ode 13. Aponus fons medicinalis, *Claud.* p 1404.
Fons Ammonis, *Lucr.* p 338. v 848.
Fontes, unde, *Lucr.* p 326. *Lucan.* p 938. v 255, &c.
Fontes, frigidi æſtate, calidi hyeme, *Lucr.* ‖ 338. v 840.
Fontes dulces in mari, *Lucr.* p 338. v 890.
Forma muliebris, *Tibull.* p 506. El. 2. *Propert.* p 509. El 2. ‖ 513. El. 1. p 513. El. 2. & 3. p 527. El. 24. *Ovid.* p 567. El. 4. p 582. v 113.
Formica, *Hor.* ‖ 468. Sat. 1. v 34.
Formica & Muſca, *Phad.* ‖ 797.
Formica & Cicada, *Feſt. Av.* p 1342. fab. 34.
Formido, *Lucr.* p 311. v 291.
Fortitudo, *Pub. Syr.* p 1522. v 206.
Fortuna. *Juv.* p 1159. v 365. *Lucan.* p 1481. v 160. *Pub. Syr.* p 1520.
Fortuna iniqua, *Sen.* p 846. chorus.
Fortunæ Imperium. *Plaut.* ‖ 40. v 54. p 150. Sc. 3. *Hor.* p 448. ode 35. p 459. ode 29. v 49. *Ovid.* p 718. El. 7. v 41. p 719. El. 11. v 67. *Manil.* p 772. vid. Fatum. *Sen.* p 819. v 975. p 827. v 980. p 836. Chorus. *Juv.* p 1154. v 197. vid. Providentia.
Frater & Soror, *Phad.* p 793.
Fructuoſus, martyr, *Pruden.* p 1609.
Frugalitas laudatur, *Auſon.* p 1288. Ep. 145.
Fulgor, *Lucr.* p 334. v 159.
Fulmen, *Lucr.* ‖ 304. v 382. p 331. v 1218. p 335. v 245. *Virg.* p 418. v 426. *Ovid.* p 689. v 311.
Funambulus, *Petron. Arb.* p [1573] v 31.
Funus, *Virg.* p 392. v 62. [Miſeni, *Virg.* p 406. v 176.] p 431. v 140, &c. apud varias gentes, *Sil.* p 995. v 470, &c.
Funus paſſeris, *Catull.* p 343. v 111. Pſittaci, *Ovid.* p 568. El. 6. *Stat.* p 1024.
Fur Aram compilans, *Phad.* p 796.
Furiæ, *Lucr.* p 315. v 1024. *Virg.* p 409. v 605. earum domus, *Val. Fl.* p 1119. v 398.
Furor, *Virg.* ‖ 384. v 294. *Sen.* p 808. v 380. *Sen.* p 848. Act. 4. & Act. 5.
Futura Diis permittenda, *Hor.* p 444. ode 9. v 9. p 445. ode 11. p 451. ode 16. p 458. ode 29. v 30.

G

GAdes, unde, *Feſt. Av.* p 1335. v 268.
Gæruli, *Sil.* p 951. v 287.
Galanthis, *Ovid.* p 645. v 316.
Galatea, *Virg.* p 366. Ec. VII. v 37. p 368. Ec. IX. v 39. *Ovid.* p 665. v 738.
Gallæcia, *Sil.* p 952. v 345.
Gallina altilis, *Mart.* p 1239. Ep. 62.
Gallus, *Virg.* p 366. Ec. VI. v 64. & Ec. X.
Ganges, *Virg.* p 420. v 31.
Ganymedes, *Virg* p 401. v 252. *Hor.* p 460. ode 4. v 4. *Ovid.* p 649. v 155. *Stat.* p 1044. v 548.
Garamantes, *Sil.* p 951. v 313.
Gargara, *Virg.* p 369. v 103.
Garrulus, *Hor.* p 473. *Sat.* 9.
Generoſus verè, *Hor.* p 471. Sat. 6. v 1.
Geneſis, vid. Creatio. *Cl. M. Victoris*, Com. in geneſin, p 1568.
Genethliacon, vid. Natalis.
Genituræ calculandæ ratio. *Manil.* p 772. v 169.
Genius loci, *Virg.* p 400. v 95.
Geometria, *Mart. Capell.* p 1446.
Geryon, *Sil. It.* p 943. v 277. p 993. v 200.
Getæ, *Hor.* p 457. ode 24. v 11. *Ovid.* p 718. El. 9, 10. ‖ 721. El. 1. v 67. p 727. El. 7. p 744. p 745. Epiſt. 7.
Gigantes, *Virg.* p 370. v 277. *Ovid.* p 606. v 151. *Manil.* p 762. v 411. *Lucan.* p 908. v 593. vid. Enceladus, Tityus, Amycus, &c. *Claud.* p 1382. v 63, &c. p 1400. *Sid. Apoll.* ‖ 1426. Carm. 6.
Gladiatorium munus, *Sil.* ‖ 1009. v 527.
Glaucus, *Ovid.* p 666. v 906. p 667. v 9.
Glires, *Mart.* p 1239. Ep. 59.
Gloria, *Pub. Syr.* ‖ 1523. v 258.
Gnatho, vid. parafitus.
Gorgon, vid. Meduſa.
Graculus, *Hor.* p. 482. Ep. 3. v 19. *Phad.* p 788.
Grammatica, *Mart. Capell.* p 1445.
Gubernator & Nautæ, *Phad.* p 796.
Guloſus, *Hor.* p 485. Ep. 15. v 26. *Juv.* p 1143. v 140. *Mart.* p 1203. Ep. 20. p. 1213. Ep. 11.

H

HÆredipeta, *Hor.* p 478. Sat. 5.
Halcyone, *Ovid.* p 655. v 416.
Halieuticon, *Ovid.* p 597.
Harpalyce, *Virg.* p 384. v 317.
Harpyiæ, *Virg.* p 392. v 212. p 407. v 289. *Val. Flac.* p 1124. v 428. *Ruſtil.* p 1414. v 608.
Hasbite, *Sil. It.* p 946. v 58.
Hecuba, *Ovid.* p 663. v 405. *Sen.* in Troade.
Helena [à Venere ſervata, *Virg.* p 390. v 570, &c.] *Ovid.* p 551, & 554. *Sen.* in Troade.
Helle, *Val. Flac.* p 1127. v 189.
Hemiterius Martyr, *Pruden.* p 1598.
Heraclitus, *Lucr.* p 298. *Juv.* p 1157. v 30.
Hercules, *Ovid.* p 544. primus tranſiit Alpes, *Sil.* p 953. v 496. Laomedontis filiam à belluâ marinâ eripit, *Val. Flac.* p 1116. de eo *Pruden.* p 1636.
Herculès natus, *Plaut.* p 18.
Herculi decima pars data, *Plaut.* p 87. Sc. 4. v 15.
Herculis laudes, *Claud.* p 1408.
Herculis labores, *Lucr.* p 324. *Virg.* p 417. v 287. *Sen.* p 841. v 825. p 843. v 25, &c. p 864. v 5. *Sil. It.* p 150. v 32. *Auſon.* p 1314. Edyl. 19. *Claud.* p 1395. Præf. *Pal. Minerv.* p [1589] v 70.
Hercules occidit Cacum, *Virg.* ‖ 417. v 195. *Propert.* p 532. El. 10. *Ovid.* p 681. v 550.
Herculis mors, *Ovid.* ‖ 644. v 155. *Sen.* p 874. Act. 5. ejulatio morientis, *Accius*, p 1495. v 700.
Herilus, *Virg.* p 419. v 563.
Hermaphroditus, *Ovid.* p 622. v 383. *Auſon.* p 1286. Ep. 100, 101.
Hermione, *Ovid.* ‖ 543.
Hermogenes fur, *Mart.* p 1234. Ep. 29.
Hermus, *Virg.* p 372. v 137.
Hero, *Ovid.* p 557.
Heroum Sedes apud Inferos, *Virg.* p 408. v 477. apud Superos, *Manil.* p 764. v 756.
Herſilia, *Ovid.* ‖ 672. v 830. *Sid. Apoll.* p 1429. v 440.
Heſiodus, *Manil.* p 765. v 12.
Heſperidum hortus, *Lucan.* p 932. v 358.
Hieroglyphica, *Lucan.* p 901. v 222.
Hippo, *Sil.* p 951. v 259.
Hippodame, *Ovid.* ‖ 658. v 210.
Hippolyte, *Hor.* p 455. ode 7. v 18. *Stat.* p 1098. v 534.
Hippolytus, *Virg.* p 415. v 765. *Ovid.* p 539. p 688. v 265. p 707. v 744.
Hippolyti mors. *Sen.* p 819. Act 4.
Hippolytus, martyr, *Pruden.* p 1618.
Hippomenes, *Ovid.* p 651. v 575. *Sid. Apoll.* p 1424. v 169.
Hiſpani, *Sil. It.* p 942. v 220.
Hiſpania *Sil. It.* p 943. v. 229.
Hiſpaniæ varii loci, *Mart.* p 1173. Ep. 50.
Hiſtrio, *Mart.* p 1214. Ep. 29.
Hœdi, *Manil.* p 781. v 108.
Homerus, *Hor.* ‖ 461. ode 9. v 5. ‖ 481. Epiſt. 2. p 487. Ep. 19. v 6. p 491. v 74. p 492. v 359. *Tibull.* p 505. v 180. *Manil.* p 765. v 1.
Homo & Canis, *Phad.* p 791.
Homo & Colubra, p 797.
Homo & Aſinus, p 798.
Homo, *Ovid.* p 605. v 77. *Manil.* p 780. v 896. *Juv.* p 1165. v 142.
Homo homini Lupus, *Plaut.* p 22. v 88. *Juv.* p 1165. v 159.
Homo novarum ædium ſimilis, *Plaut.* p 94. Sc. 2.
Hominis ſolliciti pictura, *Plaut.* p 118. v 45. Col. 2. p 137. Sc. 4.
Homo, naturâ Brutis infirmior, *Lucr.* ‖ 325.
Homines primi, *Lucr.* p 330. v 923. *Virg.* p 417. v 315. vid. Antiqui mortales.
Homines quales ſub quibus ſideribus nati, *Manil.* p 776, &c.
Homuncionitæ refutantur, *Pruden.* p 1625.
Horatii ingenium, *Hor.* p 459. ode 2. v 27. p 470. Sat. 4. v 17, & 73. p 487. Ep. 20. *Ovid.* p 734. El. 10. v 49.
Horoſcopus, *Manil.* p 772, &c. v 190, 200, 205. &c.
Horrida facies rerum, *Sen.* p 821. v 20. p 822. v 145.
Hortus, *Virg.* p 379. v 125. *Columell.* ‖ 800. *Mart.* p 1190. Ep. 64.
Hoſpes triduum commorans, odioſus. *Plaut.* p 124. v 145.
Humanarum rerum inanitas, *Sen.* p 875. v 1760.
—— Inſtabilitas. vid. Inconſtantia.

INDEX.

Humana conditio. vid. creatio, præſertim *Pruden.* ‖ 1641, &c.
Humanitas, *Hor.* p 469. Sat. 3. p 492. v 351. *Ovid.* p 585. v 645, &c.
Humilis conditio tuta, *Juv.* p 1157. Sat. 10. vid. paupertas, vita privata, &c.
Humilis in altum evectus, *Claud.* p 1367. v 181.
Humilitas, *Pruden.* p 1582. v 178.
Hyacinthus, *Ovid.* p 649. v 162. *Pruden.* p 1612. v 188.
Hyæna, *Ovid.* p 674. v 410.
Hyas, *Ovid.* p 699. v 170.
Hydrops quomodo curandus, *S. Samon.* p [1595] XXVIII.
Hylas, *Virg.* p 366. Ec. VI. v 43. *Propert.* p 513. El. 20. v 32. *Val. Flac.* p 1120. v 486, &c.
Hyperborei, *Virg.* p 377. v 381.
Hypermneſtra, *Horat.* ‖ 455. ode 11. v 33. *Ovid.* p 549.
Hypocrita, *Hor.* p 485. Ep. 16. v 59. *Perſius,* ‖ 886. Sat. 2. *Juv.* p 1144. v 8.
Hypſipyle, *Ovid.* p 541. *Stat.* p 1059. v 39, &c.
Hyrieus, *Ovid.* p 701. v 499.
Hyſtrix, *Claud.* p 1403.

I

JActantia, ut minuit bonum, *Mart.* p 1174. Ep. 65. p 1195. Ep. 52.
Jaculandi Ludus, *Sil.* p 1010. v 557.
Ianthe, *Ovid.* p 647. v 714.
Janua Mœchæ, *Catull.* ‖ 354. LXV. *Hor.* p 455. ode 10. *Propert.* p 512. El. 16. *Ovid.* p 563. El. 6.
Janus, *Ovid.* p 678. v 64. p 682. v 48.
Jani Templum. *Virg.* p 414. v 607. *Mart.* p 1221. Ep. 28.
Japetus, *Sil.* p 988. v 149.
Iarbas, *Virg.* p 397. v 196. *Ovid.* p 690. v 552. *Sil. It.* p 946. v 58.
Jaſon, *Ovid.* p 547. p 633. v 5. *Sen.* in Medea.
Icarus, *Ovid.* p 639. v 196. vid. Dædalus.
Jejunii utilitas, *Pruden.* p 1592.
Ignavi, *Virg.* p 435. v 732.
Ignis, *Manil.* p 361. v 149.
Ignis, non eſt origo rerum, *Lucr.* ‖ 298.
Ignis, unde, *Lucr.* p 331. v 1090.
Ilia, mulier, *Virg.* p 383. v 274. *Ovid.* p 687. v 11. *Ennius* p 1458. v 63.
Imaginatio, *Lucr.* ‖ 320, 321.
Imilce, uxor Annibalis, *Sil. It.* p 950. v 97.
Immodici, *Hor.* p 468. Sat. 2.
Impietas, *Ovid.* p 575. El. 9. v 35. p 599. v 130. p 644. v 203. *Lucan.* p 917. v 425. Flaminii, *Sil.* p 960. v 117. Capanei, *Stat.* p 1053. v 602. Avari, *Juv.* p 1161. v 71, &c. *Mart.* p 1188. Ep. 21.
Impunitas peccandi illecebra, *Juv.* p 1262. v 100.
Inachus, *Ovid.* p 608. v 583.
Inconſtans & mutabilis vir, *Hor.* p 469. Sat. 3. v 4. p 479. Sat. 7. p 483. Ep. 8. v 12. *Mart.* ‖ 1235. Ep. 47.
Inconſtantia fœminea, *Catull.* p 356. LXVIII, LXX. *Propert.* p 512. El. 18. *Calpburn.* p 1275. Ecl. 3. v 10.
Inconſtantia humanarum rerum, *Sen.* p 856. v 597. p 877. v 35. *Lucan.* p 894. v 510. *Claud.* p 1351. v 440.
India, *Virg.* p 369. v 57. ‖ 372. v 116. *Feſt. Avien.* p 1333. v 1305.
Indorum funera, *Lucan.* p 901. v 240.
Ineptiæ, *Perſ.* p 886. Sat. 3. v 60.
Inertia, *Pub. Syr.* p 1521. v 78. vid. otium.
Infantum animarum locus, *Virg.* p 408. v 427.
Inferorum ſedis deſcriptio, *Virg.* p 407. v 273. *Hor.* p 451. ode 13. v 21. *Sen.* p 846. v 550. p 847. v 660. *Sil.* p 995. v 520. *Stat.* p 1050. v 110, &c. *Juv.* p 1145. v 149. *Claud.* p 1297. v 282.
Inferos quinam adierunt, *Stat.* p 1074. v 51.
Infinitum, *Lucr.* p 300.
Ingenium parvi penditur, *Ovid.* p 574. El. 8.
Ingenium malis debilitatur, *Boet.* p 1449. Met. 2.
Ingrati hominis mores, *Plaut.* p 39. v 36. *Auſon.* ‖ 1288. Ep. 140.
—— crimen, *Plaut.* p 84. Sc. 2. v 10. *Pub. Syr.* p 1521. v 105.
Innupta comparatur viduæ viri, *Catull.* p 350. v 49.
Inſania Turbæ hominum, *Hor.* p 475. Sat. 3. *Perſ.* p 886. Sat. 3.
Inſtitutio, vid. Educatio.
Inſulæ fortunatæ, *Hor.* p 466. ode 16.
Integritas, optimum tutamen, *Hor.* ‖ 446. ode 22. p 453. ode 3.
Interamnis, *Feſt. Av.* p 1332. v 1181.
Invidia *Plaut.* p 222. v 30. *Virg.* p 375. v 37. *Hor.* p 482. Epiſt. 2. v 57. p. 487. Ep. 1. v 12. *Ovid.* p 566. El. 15. ‖ 593. v 315. p 614. v 760. *Stat.* p 1045. v 18. *Mart.* ‖ 1177. Ep. 116.
Invidia virtutum comes, *Phad.* p 792.
Invidus & Avarus, *Feſt. Av.* ‖ 1340. fab. 22.
Io, *Virg.* ‖ 376. v 153. *Ovid.* p 608. v 584. p 647. v 686. *Val. Flac.* p 1123. v 350.
Joannes Baptiſta, *Juvenc.* p 1542. v 311. *Paulin.* p 1649.
Jocaſta in Oedipo Senecæ, & in Thebaide, *Stat.* p 1072. v 475.
Iole, *Ovid.* p 645. v 278.
Jonas propheta, *Pruden.* p 1592. v 101.
Iphigenia, *Lucr.* p 294. v 85. *Hor.* p 476. v 199. *Ovid.* p 657. v 31.
Iphis, *Ovid.* p 647. v 667.
Iphis Cyprius, *Ovid.* p 671. v 699.
Ira, *Lucr.* ‖ 311. v 290. *Hor.* ‖ 446. ode 16. v 9. p 482. Epiſt. 2. v 59. *Stat.* p 1079. v 63. p 1088. v 704. *Claud.* p 1407. *Pruden.* p 1582, v 113. *Pub. Syr.* p 1523. v 218.
Iris, *Virg.* p 400. v 694.
Ironica, *Juv.* p 1154. v 32.
Iſis, *Juv.* p 1162. v 93.
Iſraelis exodus ex Ægypto, *Pruden.* p 1590. v 45. *Alc. Avitus,* p 1685.
Iſter, *Virg.* p 377. v 350.
Italia, *Virg.* p 372. v 138. [olim Heſperia, p 385. v 530. & p 392. v 163.] ejus ante Æneam ſtatus, p 411. v 37.] *Propert.* p 527. El. 22.
Italiæ populi antiqui, *Sil. It.* p 974. v 357.
Ityx, *Ovid.* p 632. v 636.
Judæi, *Hor.* ‖ 473. Sat. 9. v 70. *Ovid.* p 577. v 76. *Lucan.* p 899. v 593. *Juv.* p 1145. v 14. p 1150. v 157. ‖ 1152. v 546. p 1163. v 96. *Rutil.* p 1412. v 383, &c. *Petron. Arb.* p [1572.] v 158.
Judæi refutantur, *Pruden.* p 1624.
Judex, *Sen.* p 807. v 200.
Juno, *Virg.* p 382. v 46. [nuptiarum præſes, p 396. v 59. p 397. v 166.] *Ovid.* p 616. v 262. ‖ 702. v 30. *Sen.* p 843. v 1. *Pruden.* p 1636.
Junonia Sacra, *Ovid.* p 576. El. 13.
Jupiter, *Ovid.* p 606. v 178. p 689. v 437. *Ennius,* p 1465. col. 2. v 12. *Pruden.* p 1636.
Jupiter, unde natus, *Plaut.* p 4. v 28. *Ovid.* p 575. El. 10. Novit res humanas, *Plaut.* p 180. Prol.
Jupiter Ammon, *Lucan.* p 932. v 514. ejus Templum, *Sil.* p 950. v 10. p 954. v 667.
Jupiter Feretrius, *Propert.* p 533. El. 11.
Jupiter Elicius, *Ovid.* p 689. v 328.
Jupiter Piſtor, *Ovid.* ‖ 704. v 350.
Juvenalis, *Mart.* p 1233. Ep. 18.
Juvenci & Leo, *Feſt. Av.* p 1340. fab. 18.
Juventis, *Hor.* p 491. v 161. *Sen.* p 830. v 251.
Ixion, vid. Tartara.

L

LAborandum in omnibus, *Manil.* p 777. v 395.
Labyrinthus, *Virg.* p 403. v 588. p 405. v 27. *Ovid.* p 639. v 160.
Lac, unde augeatur, *Virg.* ‖ 377. v 394.
Lachrymæ humanitatem veſtantur, *Juv.* p 1165. v 133.
Laſtea via, *Ovid.* p 606. v 169. *Manil.* p 764. v 700.
Laſtuca, *Mart.* p 1238. Ep. 14.
Lanicium, unde augeatur, *Virg.* ‖ 377. v 384.
Lanificium vetus, *Lucr.* ‖ 332. v 1353.
Laodamia, *Ovid.* ‖ 548.
Laomedon, *Ovid.* p 654. v 200.
Lapithæ, *Virg.* p 375. v 115. *Hor.* ‖ 446. ode 18. *Ovid.* p 659. v 250. *Stat.* p 1061. v 262.
Laqueus & aurum, *Auſon.* p 1283. Ep. 22, 23.
Lares, *Ovid.* ‖ 685. v 616.
Latinus, Rex, *Virg.* p 411. v 45. p 436. v 18.
Latini reges, *Ovid.* p 692. v 40.
Latium, pars Italiæ cur ſic vocata, *Virg.* p 417. v 322.
Latona, *Ovid.* p 629, 630, &c.
Laudator nimius, *Mart.* p 1237. Ep. 81.
Lavinia, *Virg.* p 433. v 479. p 436. v 64.
Laurentius Martyr, *Pruden.* p 1600, &c.
Laurentum, à lauro, *Virg.* p 411. v 63.
Laurus, *Ovid.* p 608. v 550.
Lauſus, *Virg.* p 414. v 649. occiditur, ‖ 429. v 791.
Leander, *Virg.* p 376. v 258. *Ovid.* ‖ 555. *Mart.* ‖ 1170. Ep. 25. p 1245. Ep. 181.
Lemures, *Ovid.* p 701. v 483.
Lenæ avaræ. *Plaut.* p 18. Sc. 3. multibibæ, *Plaut.* p 49. v 76. & ibid. Sc. 2. p 66. v 20. p 67. Sc. 2.
Lenoniæ januæ Portitorum ſimillimæ, *Plaut.* p 19. v 88.
Lenonis quanta infamia, *Plaut.* p 53. Sc. 2. v 9, &c. avaritia, p 144. Sc. 2. mores, p 174. Sc. 3. *Ter.* p 262. Sc. 1. p 277. Sc. 2. *Juv.* p 1143. v 55.
Leo cum ſociis, *Phad.* p 788.
Leo ſenio confectus, *Phad.* p 790. *Stat.* p 1094. v 741.
Leo ſapiens, ‖ 791.
Leo regnans p 796. manſuetus, *Stat.* p 1025.
Leo & Capella, *Feſt. Av.* p 1341. fab. 26.
Leones mulcentur, *Sil.* p 1008. v 235. *Mart.* p 1171. Ep. 7, & 15. p 1172. Ep. 23. p 1173. Ep. 49. & poſt, Ep. 52, 61. p 1176. Ep. 105. *Boet.* p 1451. Met. 2.
Lethargia quomodo curanda, *S. Samon.* p [1598] LVII.
Lethargicus, *Hor.* p 476. v 145.
Lethe, *Virg.* p 409. v 714.
Leucothoe, *Ovid.* p 621. v 208.
Levitas humani ingenii, *Plaut.* p 12. v 57.
Levitas muliebris, vid. Inconſtantia.
Liber, vid. Bacchus.
Liberalis in amicum, *Plaut.* p 205. *Hor.* ‖ 449. ode 2.
Liberos, quomodo patres olim tractabant, *Plaut.* p 17 v 49.
Libertas, *Hor.* ‖ 484. Ep. 10. v 40. *Sen.* p 865. v 104. *Perſ.* p 888. v 73. *Mart.* p 1180. Ep. 53, 68.
Libido, *Pruden.* ‖ 1581. v 42.
Libræ ratio, *Auſon.* p 1314. Ecl. 1.
Libya, *Lucan.* p 932. v 370. & v 411. cur peſtibus obnoxia, *Lucan.* p 933. v 620. *Sil. It.* p 942. v 194.
Linus, *Virg.* p 365. Ec. IV. v 56. p 366. Ec. VI. v 67.
Literarum vilitas, *Juv.* p 1154. v. 186.
Litura librorum emendatrix, *Mart.* p 1187. Ep. 10.
Liviæ Auguſtæ character, *Pruden.* p 1637.
Livius, *Mart.* p 1245. Ep. 190.
Loquendi norma, *Hor.* ‖ 491. v 72.
Lotis, *Ovid.* p 645. v 347. ‖ 680. v 416.
Lucanus, *Mart.* p 1203. Ep. 21, 22, 23.
Lucilius, *Hor.* p 470. Sat. 4. p 442. Sat. 10. *Juv.* p 1144. v 165.
Lucretia, *Ovid.* p 686. v 741.
Lucrinus Lacus, *Sil.* p 988. v 136.
Luculli chlamydes, *Hor.* p 483. Ep. 6. v 40.
Lucus, *Sen.* p 825. v 530. *Lucan.* p 902. v 400. *Sil.* p 964. v 146. in quo Gigantum ſtrages facta, *Claud.* p 1399. v 332.

Ludimo-

INDEX.

Ludimagiſter à diſcipulo ſpretus, *Plaut.* p 82. Sc. 3. p 84. Sc. 1. Puer magiſtro immoriger à patre laudatur, *Plaut.* p 85. v. 39.
Luna, *Lucr.* p 327, 328. *Virg.* p 371. v 427. *Manil.* p 761. v 221. movet mare, *Manil.* p 766. v 90. *Sil.* p 950. v 59. mutat animalium corpora, ibid.
Lupercalia, *Ovid.* p 683. v 267.
Lupus, *Virg.* p 420. v 59.
Lupus & Agnus, *Phad.* p 788.
Lupus & Grus, *Phad.* ibid.
Lupus & Vulpes, Judice Simio, *Phad.* p 789.
Lupus & Hœdus, *Feſt. Av.* p 1342. fab. 42.
Luſtratio agrorum, *Tibull.* p 500. El. 1.
Luxuria, *Juv.* p 1147. Sat. 4. p 1159. Sat. 11. *Prudent.* p 1583. v 310. *Petron. Arb.* p [1567] v 46.
Lycaon, *Ovid.* p 606. v 221.
Lynceus, *Ovid.* p 549. *Sen.* p 807. v 232. *Val. Flac.* p 1110. v 462.

M

Macareus, *Ovid.* p 546.
Machabæi, *M. Victorin.* p 1561.
Maconas, *Virg.* & *Hor.* paſſim, *Juv.* p 1143. v 66. *Ped. Albinov.* p [1589.]
Mœotis, *Virg.* p 377. v 349.
Mœvius, *Virg.* p 365. v 90. *Hor.* p 465. ode 10.
Magi, *Juvenc.* p 1541. v 226.
Magi cur talia dona Chriſto offerebant, *Claud.* p 1408. Angelus alloquitur eos, &c. *Prudent.* p 1597. v 65.
Magiſtratus, *Lucr.* p 331. v 1142.
Magnes, *Lucr.* p 339. v 906, 1044. *Claud.* p 1404.
Magia, vid. veneficium, *Sil. It.* p 942. v 97.
Mago, *Sil.* p 982. v 375. p 987. v 486.
Magus, quali concubitu procreandus, *Catull.* p 357. LXXXVII.
Majeſtas, p 698. v 15.
Majores, vid. Parentes.
Malum Citrium, *Pall. Rutil.* p 1268. v 109.
Malum Cydonium, *Pall. Ruti.* p 1267. v 99.
Malum Perſicum, *Pall. Rutil.* p 1267. v 95.
Malum Punicum, *Pall. Rutil.* p 1267. v 73.
Manes, *Propert.* p 531. El. 7. *Ovid.* p 565. v 533. *Lucan.* p 919. v 785.
Mantua, unde dicta, *Virg.* p 426. v 200.
Manto, *Stat.* in Oedipo.
Marcellus, *Virg.* p 410. v 856, 884. *Hor.* p 445. ode 12. v 45. *Sil.* p 984. v 99. p 988. v 166. &c.
Marcia, Catonis & Hortenſii uxor, *Lucan.* p 897. v 326.
Marcionitæ refutantur, *Tertull.* p 1525, &c. *Prudent.* p 1619.
Mare, *Lucr.* p 327. v 482. p 337. v 607.
Maris æſtuantis deſcriptio, *Virg.* p 376. v 237.
Marini eſſûs cauſa Luna, *Manil.* p 766, v 90. *Sil. It.* p 950. v 59.
Margarita in Sterquilinio, *Phad.* p 794.
Maritus impotens, *Mart.* p 1217. Ep. 67.
Marius, *Lucan.* p 806. v 80.
Mars, *Lucr.* p 294. *Ovid.* p 687. v 1.
Mars, ejus Templum, & comites, *Stat.* p 1069. v 40, &c. increpat Palladem, p 1084. v 835. de eo, *Prudent.* p 1636.
Martis & Veneris fabula, *Virg.* p 380. v 345. *Ovid.* p 585. v 561. p 620. *Stat.* p 1047. v 270. *Val. Fl.* p 1113. v 100.
Martis & Veneris filia Harmonia, *Stat.* p 1047. v 267.
Martialis, ut rari ſe exercebat, *Mart.* p 1192. Ep. 90.
Martini Confeſſoris Sepulchrum & Templum, *Sid. Apoll.* p 1416. Ep. 18.
Martyres Cæſarauguſtani, *Prudent.* p 1604.
Maſſagetæ, *Feſt. Av.* p 1331. v 917.
Maſſiliæ obſidio, *Lucan.* p 902. v 360.
Maſſylus Rex mulcet leones, *Sil.* p 1008. v 235.
Mater plorat filium occiſum, *Virg.* p 423. v 473. *Ovid.* p 547. v 107.
Materia omnium rerum mater, *Lucr.* p 295.
Materia, æterna, *Lucr.* p 297.
Materia non eſt diviſibilis in infinitum, *Lucr.* p 297, 298.
Matralia, *Ovid.* p 705. v 475.
Matrona, vid. Uxor.
Matuta, *Ovid.* p. 705. v 479.
Medea, *Ovid.* p 542. v 85. p 547. p 633. v 11. *Sen.* paſſim. *Val. Fl.* p 1133. v 575. p 1139.
Media, *Virg.* p 372. v 126, 134.
Medicina pro variis morbis & coloribus, vid. in *Sereni. Sammonico*, p [1592] &c. & p [1600.]
Mediocritas optima, *Hor.* p 450. ode 10. p 451. ode 16. p 452. ode 18. ib. ode 1. p 456. ode 16. p 468. Sat. 2. p 474. Sat. 2. *Ovid.* p 717. El. 4. *Sen.* p 827. v 882. p 868. v 675. *Claud.* p 1347. v 215.
Mediocriter bonus, *Mart.* p 1234. Ep. 36.
Medorum diſciplina, *Perſ.* p 886. Sat. 3. v. 53.
Meduſa, *Ovid.* p 624. v 780. *Lucan.* p 933. v 626. *Sil.* p 951. v 316. *Val. Fl.* p 1132. v 396.
Megæra, *Stat.* p 1090. v 60. *Claud.* p 1347. v 74.
Melampus, *Virg.* p 378. v 550.
Meleagros, *Ovid.* p 640.
Melicerta, *Ovid.* p 622. v 521.
Melpomene, *Hor.* p 459. ode 30, & 33.
Memnon, *Ovid.* p 565. El. 13. v 2. p 664. v 600.
Memoria lubrica, *Mart.* p 1193. Ep. 21.
Mendacium, *Pub. Syr.* p 1522. v 134.
Mens, quid, *Lucr.* p 309.
Menſes, *Ovid.* p 677. v 39. *Auſon.* p 1315.
Mercator Ruſticus non facile credit argentum ignoto, *Plaut.* p 22. v 87.
Mercurius, officium ejus, *Plaut.* p 4. v 12. *Virg.* p 397. v 237. *Hor.* p 445. ode 10. *Ovid.* p 702. v 663. *Stat.* p 1043. v 292. *Claudian.* p 1393. v 90. *Prudent.* p 1636.
Meretricem oportet videri mundam, *Plaut.* p 201. Sc. 5.
Meretricum Sordes, *Plaut.* p 18. Sc. 2. v 14. & Avaritia, *Plaut.* p 18. Sc. 3. v. 15, &c. p 106. v 11. p 216. Sc. 1. *Ter.* p 284. Sc. 1.
Meretricum quæſtus aucupii ſimillimus, *Plaut.* p 19. v 63.
Meretrix frugi. *Ter.* p 252. Sc. 2. vilis pretii, *Mart.* p 1224. Ep. 75.
Meretrix comparatur opſoni, *Plaut.* p 22. Sc. 1. v 36. mari, p 220.
Meretrix ingenioſa, *Plaut.* p 176, 177.
Meſpilus, *Pall. Rutil.* p 1268. v 105.
Meſſalina, *Juv.* p 1149. v 116. p 1159. v 330.
Meſſis lætæ ſignum, *Virg.* p 370. v 187.
Metallorum inventio, *Lucr.* p 332. v 1240.
Metellus, *Sil.* p 982. v 421. p 989. v 305.
Metempſychoſis, vid. anima.
Meteora, *Manil.* p 764. v 804.
Metus, *Lucr.* p 311. *Pub. Syr.* p 1523.
Mezentius, *Virg.* p 414. v 648. p 415. v 7. [ejus crudelitas, *Virg.* p 418. v 483.] p 429. v 773. occiditur, p. 430. v. 895. *Ovid.* p 697. v 881.
Midas, *Ovid.* p 653. v 92.
Miles & Lituus, *Feſt. Av.* p 1342. fab. 39.
Miles bonus, *Claud.* de laud. Stilic. p 1374.
Militia, vid. Bellum. dura, & moſſis, *Sil.* p 987. v 15. *Claud.* p 1352. v 39.
Militaris vitæ privilegia, *Juv.* p 1166. Sat. 16.
Milites optantur à fœminis, *Stat.* p 1083. v 709.
Militum vani mores, *Plaut.* p 52. v 69, &c. p 76. Sc. 4. *Juv.* p 1143. v 58.
Militis glorioſi character, *Plaut.* p 117. Act. 1. *Ter.* p 241. Sc. 1. p 245. Sc. 7. p 248. Sc. 8. 10.
Milvius & Columba, *Phad.* p 791.
Minerva, *Virg.* p 369. v 18.
Minimum, datur in corpore, *Lucr.* p 298.
Minos, *Virg.* p 408. v 432. *Propert.* p 527. El. 19. v 37. vid. Tartara.
Minotaurus, *Catull.* p 352. v 79. p 405. v 26.
Minucius, Fabio adverſante pugnat, *Sil.* p 971. v 580.
Miſenus, *Virg.* p 406. v 162.
Miſeria, *Sen.* p. 835. v 1024.
Miſeriæ levamen ſocietas, *Sen.* p 835. v 1010. p 840. v 664.
Miſericordia noxia, *Plaut.* p 205. v 58.
Mithras, *Stat.* p 1045. v 720.
Mucha, *Juv.* p 1149. v 115. *Mart.* p. 1208 Ep. 102.
Moderatio, *Sen.* p 814. v 205. p 830. v 259. *Mart.* p 1198. Ep. 29.
Moneta veterum Rom. *Ovid.* p 679. v 222.
Mons parturiens, *Phad.* p 797.
Monſtra, *Lucr.* p 329. v 835.
Mores cujuſque profeſſionis, *Propert.* p 513. El. 1. v 43. *Perſ.* p 888. v 52.
Mores cujuſque Ætatis, *Hor.* p 491. v 156.
Mores amici & humani, *Hor.* p 486. Ep. 18. p 469. Sat. 3.
Mores Ruſtici, *Hor.* p 483. Ep 7. v 15.
Mores formandi in pueritiâ, *Perſ.* p 886. Sat 3. v. 23.
Moroſus, *Plaut.* p 216. Sc. 2. *Mart.* p 1194 Ep. 28.
Morpheus, *Ovid.* p 656. v 635. vid. Somnus.
Mors, *Pub. Syr.* p 1521.
Mors, *Lucr.* p 312, 313, 314. cur non nimis fugienda, p 315. omnibus communis, *Hor.* p 447. ode 28. p 449. ode 3. *Propert.* p 526. El. 18. v 15. contemnenda, *Sen.* p 840. v 590. inevitabilis, *Sen.* p 844. v 188. p 848. v 865. omnes vincit. *Juv.* p 1158. v 172. cogitatio de morte frenat voluptates, *Mart.* p 1180. Ep. 59. omnes æquat. *Boet.* p 1451. Met. 7.
Mortis ſolatia, *Hor.* p 452. ode 20.
Mortem miſeri contemnunt, *Mart.* p 1229. Ep. 56.
Morum, *Pall. Rutil.* p 1268. v 127.
Moſella fl. *Auſon.* p 1307. Edyl. 10.
Moſes, *Juv.* p 1163. v 102.
Motus, *Lucr.* p 302, 303, 321.
Mucius Scævola, *Mart.* p 1172. Ep. 22. *Sid. Apoll.* p 1423. v 77.
Muli & Latrones, *Phad.* p 792.
Mulier parturiens, *Phad.* p 789.
Mulier, vid. Uxor, *Sen.* p 882. v 867. vid. Fœmina.
Mulierum loquacitas, *Plaut.* p 28, Sc. 1. v 5. p 190. v 70.
Mulier eſt ſibi optimum ornamentum, *Plaut.* p 95. Sc. 3. p 158. Sc. 2.
Mulieris vitium maximum, *Plaut.* p 168. v 33.
Mulier ſpectatæ probitatis & ſapientiæ, *Plaut.* p 195.
Mulierum inconſtantia, *Catull.* p 356. LXVIII. LXX. *Virg.* p 399. v 569 *Hor* p 444. ode 5. p 466. ode 15. v 23. *Propert.* p 518. El. 24. p 519. El. 25. v 21. *Ovid.* p 576. El. 12. *Petron.* p [1574] v 197.
Mulierum perfidia, *Hor.* p 450 ode 8 p 466. ode 15. *Propert.* p 515. El. 9. p 519. El. 28. v 8. *Ovid.* p 567. El. 5. p 570. El. 16. v 45. p 572. El. 3. p 575. El. 11. v 21.
Mulierum pudicitia quantula, *Propert.* p 520. El. 32. *Ovid.* p. 540. v 130.
Mundus, *Lucr.* p 325, 326. *Virg.* p 366. Ec. VI. v 34.
Mundi Cardines, *Manil.* p 770. col. 2. *Lucan.* p 891. v 15.
Mundi finis, *Lucr.* p 326. *Lucan.* p 891. v 72.
Mundi novitas, *Lucr.* p. 326, 329.
Mundi anima, *Virg.* p 409. v 725.
Mundus tempore verno conditus, *Virg.* p 374. v 336.
Mus & Bos, *Feſt. Av.* p 1341. fab. 31.
Mus, urbanus & ruſticus, *Hor.* p 479. Sat. 6.
Muſca & Mula, *Phad.* p 793.
Muſæ, *Auſon.* p 1314. Edyl. 20. *Mart. Cap.* p 1443. *Petron. Arb.* p [1573] v 65.
Muſæ vetant mori, *Hor.* p 459. ode 30. p 461. ode 8 & 9. *Mart.* p 1208. Ep 3. amantur à viris fortibus, *Claud.* p. 1379. Præf. *Ped. Albinovan.* p [1589] v 37.
Muſicus, *Virg.* p 409. v 667.
Muſica, *Mart. Capell.* p 1447.
Muſicæ origo, *Lucr.* p 332. v 1378.
Muſtela & Homo, *Phad.* p 790.
Muſtela & mures, p 795.
Mutatio rerum, *Manil* p 766. v 95. p 778. v 416. p 780. v 821. *Pub. Syr* p 1521.
Myrmidones, *Ovid.* p 637. v 654.
Myronis Bucula, *Auſon.* p 1284. Ep. 58.
Myrrha, *Ovid.* p 650. v 310.
Myſia, *Virg.* p 369. v 102.

INDEX.

N

NÆvii epitaphium, p 1478.
Narciſſus, *Ovid.* p 617. v 346.
Natalis, *Tibull.* ‖ 500. El. 2. *Ovid.* p 726. El. 5. *Stat.* p 1025.
Natura, quid poſtulet, *Lucr.* p 300. v 11. *Hor.* p 456. ode 16. p 468. Sat. 1. v 45, &c. ‖ 474. Sat. 2. *Lucan.* p 906. v 375. *Petron. Arb.* p [1572.] v 148.
Natura, quid faciat, *Lucr.* p 308. *Ovid.* ‖ 673. v 218. *Boet.* p 1451. Met. 2.
Navale certamen, *Virg.* p 400. v 114. *Lucan.* p 903. v 605. *Sil.* p 999. v 320, &c.
Navigatio, *Sen.* p 808. v 301. *Stat.* ‖ 1028. v 61. ejus pericula, *Juv.* p 1161. v 57. *Claud.* p 1393. Præf.
Navis & Mulieris comparatio. *Plaut.* p 158. Sc. 2.
Naves Saxonum, *Sid. Apoll.* p 1429. v 370.
Nauta, *Hor.* ‖ 443. ode 3. p 471. Sat. 5. v 11. *Sen.* p 808. v 301. *Stat.* p 1028. v 61.
Neapolis, vid. Parthenope.
Neptunus, *Virg.* ‖ 368. Geo. I. v 12. p 376. v 122. p 383. v 125, &c. [ibid. comparatur gravi Oratori, v 148.] *Stat.* p 1065. v 302.
Nero, *Sen.* p 880. *Lucan.* p 891. v 33. *Boet.* p 1451. Met. 6. p 1452. Met. 4.
Nerva, *Mart.* ‖ 1232. Ep. 6.
Neſſus, *Ovid.* p. 644. v 101. *Sen.* p 867. v 490.
Neſtor, *Ovid.* p 658. v 169. *Juv.* p 1158. v 246.
Nilus, *Lucr.* p 337. v 712. *Catull.* ‖ 344. XI. *Virg.* p 410. v 801. p 420. v 31. *Hor.* p 462. Ode 14. v 45. *Tibull.* p 498. El. 7. v 23. *Ovid.* p 550. v 107. p 607. v 423. *Lucan.* p 927. v 445. plurima de eo, ‖ 938. *Feſt. Avien.* p 1327. v 334. *Claud.* p 1403.
Nimbus & Teſta, *Feſt. Avien.* p 1342. fab. 41.
Niniviræ pœnitentiam agentes, *Prudent.* ‖ 1593. v 141.
Niobe, *Ovid.* ‖ 629. v 156. *Stat.* ‖ 1083. v 682. *Juv.* p 1150. v 176. *Auſon.* p 1298. Epit. 27, &c.
Niſus, rex Megarenſium, *Ovid.* p 638. v 8.
Niſus & Euryalus, *Virg.* p 402. v 294, &c. p 421. v 176, &c.
Nobilitas vera, virtus, *Hor.* p 471. Sat. 6. *Ovid.* p 662. v 140. *Sen.* p 845. v 337. *Juv.* p 1154. v 20.
Nobilitatis oſtentatio vana, *Perſ.* p 886. Sat. 3. v 28. *Juv.* ‖ 1154. Sat. 8. & tota Satyra. *Auſon.* p 1283. Ep. 26. *Boet.* p 1452. Met. 6.
Noe, *Cl. M. Victor.* p 1572. v 289. *Alc. Avitus*, p 1682. v 168.
Nola, *Sil.* p 988. v 161.
Noverca, *Virg.* p 364. Ec. III. v 32. p 372. v 128. p 376. v 282.
Nox, *Lucr.* p 328. *Virg.* p 399. v 522.
Nubes, *Sil.* p 951. v 269.
Numa, *Ovid.* p 672. v 4. p 688. v 151, &c. p 689.
Numidæ, *Sil. It.* p 942. v 215.
Nummus, vid. Pecunia.
Nuptiæ decimæ ejuſdem mulieris, *Mart.* p 1197. Ep. 7.
Nutrix & Lupus, *Feſt. Av.* p 1338. fab. 1.
Nux, *Ovid.* p 601. *Pall. Rutil.* p 1168. v 163.

O

OBſequium quid, *Ter.* p 227. v 35.
Occaſio depicta, *Phad.* ‖ 799. *Auſon.* p 1282. Ep. 12.
Occaſio arripienda, *Hor.* p 461. ode 7. p 465. ode 13. p 481. Ep. 1. v 20. *Tibull.* p 497. Eleg. 4. *Ovid.* p 585. v 669.
Octavia, *Sen.* Trag. ult.
Oculus, *Lucr.* p 311.
Oculi fictitii olim nulli, *Mart.* p 1233. Ep. 23.
Ocyroe, *Ovid.* p 613. v 635.
Odor, *Lucr.* p 320.
Oedipus, *Sen.* in Thebaide. *Stat.* p 1041. v 46.
Oedipus excæcatur, *Sen.* p 827. v 915.
Oenone, *Ovid.* p 540.
Oeſtrum, *Virg.* p 376. v 148.
Oeta, *Catull.* p 350. v 7. *Virg.* p 367. Ec. VIII. v 30.
Ofellus, *Hor.* p 474. Sat. 2.
Officioſus, *Hor.* p 478. Sat. 5. p 489. v 264. *Phad.* p 791. Fab. 5. *Mart.* p 1207. Ep. 95. p 1231. Ep. 98. p 1235. Ep. 59.
Oliva, *Pall. Rutil.* p 1167. v 51.
Olla ærea & lutea, *Feſt. Av.* p 1339. fab. 11.
Olympus, mons, *Virg.* p 370. v 282.
Omen, bonum, *Virg.* p 384. v 444. p 390. v 681. malum, *Virg.* p 398. v 460, &c. *Hor.* p 458. ode 27. *Sen.* p 823. v 308. *Sil.* p 954. v 105. p 959. v 60. p 1008. v 265. *Stat.* p 1072. v. 404.
Oracula ceſſant, *Juv.* p 1152. v 554.
Oratio, *Pacuv.* p 1481. v 188.
Orbilius, *Hor.* p 487. Ep. 1. v 71. Bibaculus. p 1525. v 16. *Domit. Marſus*, p 1527.
Orcus, vid. Inferorum Sedes.
Oreſtes, *Virg.* p 398. v 471. *Hor.* p 476. v 133. *Ovid.* p. 543. p 740. v 69. *Manil.* ‖ 769. v 602.
Orgia, *Catull.* ‖ 353. v 259. *Virg.* p 413. v 385. *Val. Flac.* p 1114. v 282.
Orion, *Virg.* p 385. v 535. p 394. v 517. p 396. v 52. p 415. v 719. *Hor.* p 458. ode 27. v 18. fabula, *Ovid.* p 731. v. 500.
Orpheus, *Hor.* p 445. ode 12. v 8. p 493. v 391. *Sil.* p 986. v 462. *Val. Flac.* p. 1122. v 85. p 1123. v 348. *Claud.* p 1395. Præf. *Mart. Cap.* p 1447.
Orphei & Eurydices fabula, *Virg.* p 381. v. 454. p 409. v 645. *Ovid.* p 648. v 5. *Sen.* p 846. v 570. ‖ 870. in chœro.
Orpheus diſcerptus, *Ovid.* p 652. v 1.
Oſiris, *Tibull.* p 498. El. 7. v 27. *Stat.* p 1045. v 718. *Juv.* p 1152. v 540. ‖ 1154. v 29.
Oſſa, mons, *Virg.* p 370. v. 281.
Otia omnibus neceſſaria, *Ovid.* p 731. Ep. 4. v 11.
Otium corrumpit, *Catull.* p 348. XLIX. *Ovid.* p 732. Epiſt. 5. v 5. *Ennius*, p 1466. Iphigen. v 15.
Oves quomodo curandæ, *Virg.* p 377. v 295. *Ovid.* p 696. v 735. & agnæ, *Calphurn.* p 1277. Ecl. 5.
Ovis & Cervus, *Phad.* p 789.
Ovis, Canis & Lupus, *ibid.*
Ovidius, p 571. El. 18. de cauſis Exilii, ‖ 712. Lib. 2. Epitaphium, p 717. El. 3. v 73. de ingenio ſuo, p 724. El. 10. Geticè ſcripſit carmina, p 748. Epiſt. 13. v 20. humaniter exceptus à Getis, p 748. Epiſt. 14.
Ovidii Patria ferax, *Ovid.* p 570. El. 16. p 576. El. 15.

P

PAcuvii Epitaphium, p 1483. v 434.
Pædagogus, *Mart.* p 1223. Ep. 62.
Pædagogus bonus, *Perſ.* p 887. Sat. 5. parvi æſtimatur, *Juv.* ‖ 1154. v 186. clamoſus, *Mart.* p 1217. Ep. 69.
Palæmon, *Ovid.* ‖ 623. v 541.
Palamedes, *Virg.* p 387. v 82.
Palilia, *Propert.* p 530. v 73. *Ovid.* p. 696. v 721.
Palinurus, *Virg.* p 405. v 833. p 407. v 337.
Palladium, *Virg* p 387. v 166. *Ovid.* p 705. v 421. *Lucan.* p 895. v 598.
Pallas, *Virg.* p 364. II. v 61. ‖ 387. v 163. *Ovid.* p 692. v 809. *Claud.* p 1395. v 21.
Palladi offertur peplum, *Virg.* p 385. v 480. *Stat.* p 1084. v 56.
Pallas, fil. Evandri, *Virg.* p 419. v 575, &c. occiditur, *Virg.* p 428. v 489. funus, p 430. v 27, &c. v 140, &c.
Pan, *Virg.* p 364. Ec II. v 31. p 365. E. IV. v 58. p 368. Ec. X. v 26. p 369. v 17. p 377. v 392. *Ovid.* p 653. v 153.
Panthera & Paſtores, *Phad.* p 792.
Paphus, *Virg.* p 384. v 415. *Ovid.* 650. v 297.
Paraſiti mores, *Plaut.* p 38. Sc. 1. Sc. 2. ‖ 41. Sc. 1. p 44, 45. Sc. 1, 2. p 46. Sc. 3. 4. p 51. Sc. 3. p 105. Sc. 1. p 117. Act. I. p 171. Sc. 2, & 3. p 174. Sc. 1. p 196. Sc. 3. p 198. Sc. 2. p 199. Sc. 2. *Ter.* p 239. Sc. 2. ‖ 241. Sc. 1, 2. p 245. Sc. 7. p 248. Sc. 8, 10. *Hor.* p 478. Sat. 5. p 493. v 426. [Paraſiti miſera vita. *Juv.* p 1148. Sat. 5.] *Mart.* p 1178. Ep. 14. 27.
Pardus & Vulpes, *Feſt. Av.* p 1342. fab. 40.
Parentibus ſimilis proles, *Hor.* p 460. ode 4. v 25.
Parentum mores ſequuntur liberi, *Juv.* ‖ 1163 v 1.
Parentum peccata luunt Poſteri, *Virg.* p 371. v 502. *Hor.* p 464. ode 7. v 17.
Pares cum paribus tutiſſimè agunt. *Plaut.* p 29. v 50, &c. 81. ‖ 32. v 2. *Hor.* p 462. ode 11. v 25. ‖ 486. Ep. 18. v. 86. *Feſt. Av.* p 1339. fab. 11.
Paris, *Hor.* ‖ 445. ode 15. *Ovid.* p 551. ‖ 604. p 657. v 4.
Parnaſſus, *Lucan.* p 910. v 71.
Parrhaſis, *Ovid.* p 612. v 409.
Parricidæ ſupplicium, *Juv.* ‖ 1155. v 213.
Parthenope, *Virg.* p 382. v 564. *Sil.* p 988. v 34.
Parthenopæus, *Stat.* p 1055. v 248, &c.
Parthi, *Virg.* p 375. v 31. *Lucan.* p 916. v 368. [eorum conjugia, paulò pòſt.] *Feſt. Av.* ‖ 1332. v 1235.
Paſiphae, *Virg.* ‖ 366. Ec. VI. v 46. p 405. v 25. *Mart.* p 1169. Ep. 5.
Paſſer & Lepus, *Phad.* p 789.
Patavium, *Virg.* p 383. v 247.
Patientia laudatur. *Plaut.* p 20. v 57. *Virg.* p 383. v 198, &c. p 404. v 710. p 406. v 95. *Hor.* p 447. ode 24. v 20. *Prudent.* p 1582. v 109. *Pub. Syr.* p 1523. v 231.
Patres iniqui, *Ter.* p 251. Sc. 2. p 261. Sc. 1, 2.
Pater indulgens *Ter.* p 268. Sc. 5. p 269. Sc. 7.
Pater probus, *Hor.* p 470. Sat. 4. v 105. p 472. Sat. 6. v 71.
Patris de filio occiſo prudens dictum, *Ennius*, p 1467. in Telam. v 14.
Patripaſſiani hæretici refutantur, *Prudent.* p 1622.
Patroni quos Clientes cupiunt. *Plaut.* p 110. Sc. 2. ingratos habent, *Plaut.* p 179. v 57.
Patronus bonus, *Hor.* p 471. Sat. 6.
Paulini pectus Chriſto dicatum, non patet Apollini. *Paulin.* p 1651. Ep. 1, & 3. ejus votum pium & prudens, p 1654.
Paulus, Æmilius, *Sil.* p 976. v 15. prælio Cannenſi cadit, p 981. v 235, &c.
Paulus Apoſtolus, *P. Damaſus*, p 1579. *Prudent.* de ejus paſſione, p 1620. p 1635.
Pavo ad Junonem, *Phad.* p 794.
Pauper amans, *Claud.* ‖ 1407.
Paupertas quid cogit, *Plaut.* ‖ 23. v 81, &c. *Hor.* ‖ 478. Sat. 5. p 489. v 26. quam miſera. *Plaut.* p 182. Act. 2. *Ovid* p 595. v 747. p 679. v 218. ridicula, *Plaut.* p 196. v 23. *Catull.* p 345. XXI. *Juv.* p 1146. v 153. p 1159. v 2. *Mart.* p 1228. Ep. 32. obeſt ingenio, *Juv.* p 1146. v 164. p 1153. v 60. & v 145. *Mart.* p 1176. Ep. 108.
Paupertas infamis, *Plaut.* ‖ 174. Sc. 1.
Paupertas tuta, *Juv.* p 1157. v 18. vid. vita privata.
Pacis bona, *Tibull.* p 500. Eleg. 10. v 47. *Ovid.* p 681. v 709. *Sen.* p 855. v 577. *Calphurn.* p 1274. Ecl. 1.
Pax Romanis inutilis, *Sulpitia Sat.* ‖ 1167. v. 57.
Peccata imparia, *Hor.* p 470. Sat. 3. v 96.
Pecunia quid poſſit, *Plaut.* p 198. Sc. 1. p 199. v 16. *Hor.* p 483. Ep. 6. v 37. *Propert.* p 523. El. 7. *Juv.* p 1143. v 110. p 1146. v 143. p 1148. v 136. in judiciis, *Petron. Arb.* p [1567] v 23.
Pecunia quanti ſit, *Juv.* p 1162. v 130, &c.
Pecuniæ uſus, *Hor.* ‖ 468. Sat. 1. v 73. *Juv.* p 1164. v 316.
Pedeſtris Curſus. vid. Curſus.
Pegaſus, *Ovid.* p 626. v 262.
Pejerant avari, *Juv.* p 1161. v 71, &c.
Peleus, *Catull.* p 351. LXII. v 19. *Ovid.* p 654. v 238.
Pelion, *Virg.* p 370. v 281.
Pelops, *Virg.* p 375. v 7. *Ovid.* p 631. v 404.
Penelope, *Propert.* ‖ 515. El. 9. *Ovid.* p 537. *Auſon.* p 1287. Ep. 135.

Penthe-

INDEX.

Pentheſilea, *Virg.* p 385. v 490.
Pentheus, *Virg.* p 398. v 469. *Hor.* p 485. *Ovid.* p 618. v 514.
Peræ duæ nobis à Jove impoſitæ, *Phad.* p 796.
Perdix, *Ovid.* p 639. v 236. *Mart.* p 1239. Ep. 65.
Perfidiæ poena, *Hor.* p 453. ode 3. v 19. *Ovid.* p 543. v 57.
Pericula faciunt religioſum, *Hor.* p 448. ode 34. p 454. ode 5.
Perillus, *Ovid.* p 719. El. 11. v 40. *Claud.* p 1367. v 165.
Perimele, *Ovid.* p 641. v 590.
Perſæ, *Feſt. Avien.* p 1333. v 1260.
Perſeus, *Ovid.* p 623. v 610. *Manil.* p 784. v 567. *Lucan.* p 933. v 667. *Sil.* p 951. v 315.
Perſius, *Mart.* p 1188. Ep. 29.
Perſonæ Dramaticæ *Hor.* p 491. v 105. ib. 156.
Pertinacia, quid, *Accius*, p 1493. v 465. ubi de pervicaciâ.
Peſtis deſcriptio, *Lucr.* p 340. v 1123. *Virg.* p 378. v 474. *Ovid.* p 636. v 523. *Manil.* p 765. v 881. *Lucan.* p 914. v 86. *Sil. It.* p 969. v 353.
Petrus, de ejus lapſu, *Prudent.* p 1587. Hym. I. v 50. ejus paſſio, p 1620. de eo p 1640.
Phædra, *Ovid.* p 539. *Sen.* in Hippolyto.
Phædrus, *Mart.* p 1183. Ep. 20.
Phaethon, *Lucr.* p 326. v 398. *Ovid.* p 610. *Manil.* p 764. v 734.
Phaetontiades, *Virg.* p 366. Ec. VI. v 62. *Ovid.* p 612. v 335.
Phalaris, *Ovid.* p 719. El. 11. v 51.
Phantaſmatici, qui Chriſti verum corpus negant, refutantur, *Prudent.* p 1618.
Phaon, *Ovid.* p 550.
Pharſalica pugna, *Lucan.* p 922. v 470.
Philemon & Baucis, *Ovid.* p 642.
Philomela, *Virg.* p 366. Ec. VI. v 79. *Ovid.* p 631. v 451.
Philoſophi Græci, *Sid. Apoll.* p 1434. v 50.
Phineus, *Ovid.* p 624. *Val. Flac.* p 1124. v 425, &c. Argonautis Colchos navigantibus, viam docet, p 1125.
Phœnix, *Ovid.* p 674. v 393. *Mart.* p 1192. Ep. 7. *Claud.* p 1402. Eidyl. 1. & p [1599.]
Phrixus, *Val. Flac.* p 1127. v 187.
Phrygum mollities, *Virg.* p 423. v 614.
Phyllis, *Ovid.* p 537.
Picus in avem verſus, *Virg.* p 412. v 189. *Ovid.* p 669. v 320.
Pierides, *Ovid.* p 626. v 300. p 628. v 665.
Pietas utilis, *Hor.* p 454. ode 6. p 457. ode 23. vera, *Perſ.* p 886. Sat. 2. v 71. pietas Corvini, *Sil.* p 959. v 80.
Pinarius, *Virg.* p 417. v 270.
Pindarus, *Hor.* p 459. ode 2.
Piratica navis, *Claud.* p 1387. v 132.
Pirithous, *Hor.* p 454. ode 4. v 81. *Ovid.* p 658. v 218.
Piſcator & Piſcis, *Feſt. Av.* p 1340. fab. 20.
Piſces veniunt ad manum, *Mart.* p 1188. Ep. 30. p 1221. Ep. 30.
Piſcis fluviatilis & marinus, *Feſt. Av.* p 1342. fab. 38.
Piſtacia, *Rutil.* p 1268. v 157.
Plagiarius, *Mart.* p 1173. Ep. 53, 54. p 1174. Ep. 67, 73. p 1178. Ep. 20.
Plinius Secundus, *Mart.* p 1220. Ep. 19.
Pluto, *Claud.* p 1393. v 32, 80. p 1394. v 276.
Podagra locuples, *Juv.* p 1162. v 96.
Podagra quomodo mitiganda, *S. Sammon.* p [1597.] XLIII.
Poemata, *Hor.* p 491. v 99.
Poena ſcelerum lenta, ſed certa, *Hor.* p 453. od. 2. v 31. *Juv.* p 1162. v 249.
Poeni ſacrificabant homines, *Ennius*, p 1461. Lib. 7. v 2.
Pœnitentia, *Sen.* p 838. v 243. rara, *Juv.* p 1162. v 240.
Poeta odioſus, *Mart.* p 1184. Ep. 44, 45, 50.
Poetæ, vid. Scriptores.
Poetæ character, *Hor.* p 470. Sat. 4. v 34. p 473. Sat. 10. p 474. Sat. 1. p 487. Ep. 19. p 488. v 119, &c. p 492. v 296. ib. v 372. p 493. v 407. *Juv.* p 1153. v 56.
Poetas comicos inter ſe comparat Volc. Sedigitus, p 1530.
Poetæ pauperes, *Juv.* p 1153. Sat. 7. *Mart.* p 1175. Ep. 77. p 1193. Ep. 16. p 1238 Ep. 2.
Poetæ celebres Romani, *Ovid.* p 566. El. 15. p 714, 715. *Mart.* p 1245. unde tanti extiterè, *Mart.* p 1211. Ep. 56.
Poetæ inepti, Perſius, Sat. I. p 885. *Mart.* p 1203. Ep. 25.
Polemon, *Hor.* p 477. v 254.
Poli mundi, *Virg.* p 370. v 242. *Manil.* p 761. v 295.
Pollio, *Virg.* p 364. v 84. & Ec. IV. *Hor.* p 449. ode 1.
Pollux, *Virg.* p 406. v 121. *Val. Flac.* p 1122. v 190. Amycum cæſtibus interficit, p 1123. v 310.
Polydorus, *Virg.* p 391. v 45. *Ovid.* p 663. v 432.
Polyphemus, *Virg.* p 395. v 641. *Ovid.* p 665. v 765. *Sil.* p 1004. v 419.
Polyxena, *Ovid.* p 664. v 448. *Sen.* p 835. v 1138.
Pomona, *Ovid.* p 670. v 623.
Pompeius, *Lucan.* p 892. v 126. & v 129. ejus bella, p 899. v 576. p 923. v 680. p 924. v 5. ejus uxor, p 924. v 42. & p 928. v 577. Pompeii mors, ibid. uxor, p 930. v 51. Catonis de Pompeio verba, p 931. v 190. & *Mart.* p 1196. Ep. 74. Pompeius, Sextus, *Lucan.* p 915. v 420.
Pomum, *Pall. Rutil.* p 1267. v 77.
Pontus, *Virg.* p 367. v 95. *Ovid.* p 728. El. 10. p 731. Epiſt. 3. p 739. Ep. 1. p 743. Epiſt. 8. p 744. p 745. Epiſt 7. p 747. *Val. Flac.* p 1126. v 712.
Porcia Bruti uxor, *Mart.* p 1173. Ep 43.
Porſena, *Sil.* p 983. v 484. *Mart.* p 1172. Ep. 22.
Portûs deſcriptio, *Virg.* p 383. v 159.
Poſſeſſio rerum incerta, *Hor.* p 490. v 172.
Pothinus, *Lucan.* p 927. v. 483. cum M. Antonio comparatur, *Mart.* p 1185. Ep. 66. p 1196. Ep. 69. J. Cæſari inſidiatur, *Lucan.* p 938. v 335.
Potitius, *Virg.* p 417. v 269.
Pothiades, *Virg.* p 376. v 268.
Prælii inſignis deſcriptio, *Stat.* p 1077. v 400.
Præſagia, vid. Prodigia & omnia,
Præſides, *Virg.* p 366. Ec. VI. v. 48.
Preces. quàm ſæpe noxia petimus, *Juv.* p 1157. Sat. 10. orandum, p 1159. v 356. orat Auſonius, p 1289.
Preſter, *Lucr.* p 336. v 423.
Priamus, *Virg.* p 389. v 506. *Juv.* p 1158. v 258.
Priapus, *Virg.* p 366. Ec. VII. v 33. p 379. v 111. *Hor.* p 472. Sat. 8. *Tibull.* p 496. El. 4. *Ovid.* p 680. v 415. p 704. v 320. *Mart.* p 1201. Ep. 37. *Prudent.* p 1636.
Primordia rerum non communibilia, *Lucr.* p 298.
Princeps & Tibicen, *Phad.* p 799.
Princeps bonus. *Hor.* p 460. ode 5. p 462. ode 15. *Sen.* p 880. v 473. *Calphurn.* p 1276. Ecl. 4. *Claud.* p 1355. p 1377. v 100, &c. p 1380. v 113.
Probus quis, *Plaut.* p 205. v 39.
Procne, *Virg.* p 378. v 15. *Ovid.* p 631. v 440.
Procraſtinatio, *Perſ.* p 888. v 66. *Mart.* p 1171. Ep. 16. p 1196. Ep. 58.
Procris, *Ovid.* p 590. v 686. p 637. v 707.
Prodigia ante J. Cæſaris mortem, *Ovid.* p 676. v 782. ante bellum Civile, *Lucan.* p 894. v 525. aliàs, *Claud.* p 1366. v 1. p 1370. v 40.
Prometheus, *Catull.* p 353. v 294. *Virg.* p 366. Ec. VI. v 42. *Hor.* p 446. ode 16. p 467. ode 17. v 67. *Ovid.* p 605. v 82. *Claud.* p 1355. v 229. *Accius*, p 1494. v 570, 620.
Propertius, *Ovid.* p 725. El. 1. v 17.
Properides, *Ovid.* p 649. v 221.
Proſerpina, *Virg.* p 369. v 39. p 400. v 698. *Ovid.* p 626. v 391. p 695. v 425. *Colum.* p 802. v 270. *Claud.* p 1393. v 122. p 1395. v 36. *Prudent.* p 1638.
Proteſilaus, *Ovid.* p 548.
Proteus, *Virg.* p 381. v 388. *Ovid.* p 581. v 761. p 642. v 731.
Providentia Divina, *Hor.* p 453. ode 4. v 9. res optimè adminiſtrat, *Juv.* p 1159. v 347. videtur iniqua, *Boet.* p 1450. *Met.* 5. v 30.
Prudentia, *Hor.* p 454. ode 4. v 66. *Juv.* p 1159. v 365. *Pub. Syr.* p 1522. v 158.
Prudentius de ſe, p 1587. Præf.
Punum, *Pall. Rutil.* p 1268. v 113.
Pyramus, *Stat.* p 1034. v 572.
Pythagoras, *Ovid.* p 672. v 60. *Sid. Apoll.* p 1434. v 51. Pythagorica brevitas, *Auſon.* p 1324. v 39.
Pythia, *Ovid.* p 608. v 447.
Python, *Ovid.* p 608. v 438. *Stat.* p 1044. v 563.

Q

Quantum cenſûs ſufficit, *Juv.* p 1164. v 316.
Quercus & Arundo, *Feſt. Av.* p 1340. fab. 16.
Quies, *Virg.* p 399. v 522 *Ovid.* p 540. v 89. vid. Somnus.
Quinctilianus, *Mart.* p 1181. Ep. 90.
Quinquatrus, *Ovid.* p 706. v 651.
Quirinus, *Ovid.* p 684. v 475.
Quirinus, martyr, *Prudent.* p 1610.

R

Rana rupta, *Phad.* p 790.
Rana & Vulpes, *Feſt. Av.* p 1339. fab. 6.
Ranæ regem poſtulantes, *Phad.* p 788.
Ranæ ad Solem, *ibid.*
Ranæ metuentes Taurorum prælia, *Phad.* p 790.
Rapa, *Mart.* p 1238. Ep. 16.
Raritas, *Lucr.* p 339. v 936.
Reges jure Divino, *Hor.* p 452. ode 1. v 5.
Regnum, grave, *Sen.* p 821. v 6. p 836. v 57. p 863. v 654.
Regulus, *Hor.* p 454. ode 5. *Sil.* p 964. v 128. p 965. v 342.
Religio, unde, *Lucr.* p 331. v 1160. vid. Pietas. *Stat.* p 1054. v 661. *Prudent.* p 1637. *Petron. Arb.* p [1572.] v 69.
Religionis diverſitas odium parit, *Juv.* p 1163. v 103. p 1165. v 36.
Repentè Calvus, *Phad.* p 791.
Reſurrectio corporis, *Prudent.* p 1595. v 20. p 1628.
Rex bonus, *Sen.* p 807. v 224. p 826. v 703. p 854. in choro, vid. princeps bonus.
Rhadamanthus, *Virg.* p 408. v 566.
Rhetorica, *Mart. Capell.* p 1445.

INDEX.

Rhodope, *Virg.* p 377. v 851.
Rivalis in amore non ferendus, *Propert.* p 511. El. 34. nec id Regno, *Lucan.* p 892. v 92. & v 110, & v 125.
Rhea, *Juv.* p 1146. v 289.
Roma, *Virg.* p 375. v 534. [a Romulo dicta, p 383. v 277.] *Propert.* p 527. El. 22. p 528. El. 1. *Ovid.* p 688. v 180. *Lucan.* p 892. v. 95. ab exteris corrupta, *Juv.* p 1145. v 60. de eâ *Prudent.* p 1637.
Romana virtus, *Sen.* p 879. v 291. *Claud.* p 1362. v 270. p 1380. v 130, &c. *Rutil. Numat. Itin.* p 1411.
Romanus miles, *Virg.* p 377. v 346. *Hor.* p 460. ode 4. v 50.
Romanus, martyr, *Prudent.* p 1611.
Romanæ horæ quibus negotiis impensæ, *Mart.* p 1187. Ep. 8.
Romanæ reipub. varia forma, *Prudent.* p 1643. v 40.
Romani sacrificantes, *Virg.* p 394. v 405. *Lucan.* p 895. v 595, &c.
Romani Reges & Heroes, *Virg.* 410.
Romanum imperium Christo venienti idoneum, *Prudent.* p 1644. v 110, 139.
Romanorum veterum temperantia, *Juv.* p 1159. v 60. p 1163. v 160, &c. *Claud.* p 1347. v 201. *Rutil.* p 1413. v 555. *Prud.* p 1642. v 22.
Romulus, *Virg.* p 383. v 276. *Ovid.* p 672. v 810. p 684. v 385. p 687, &c. *Ennius*, p 1459. lib. 2 v 1.
Rubicon, *Lucan.* p 892. v 185 & 213.
Rufi Rhetoris Status, *Auson.* p 1284. Ep. 45, &c.
Rupilius, *Hor.* p 472. Sat. 7.
Rusticæ vitæ laudes, *Virg.* p 374. v 458. *Hor.* p 463. ode 2. p 479. Sat. 6. v 80. p 484. Ep. 10. p 485. Ep. 16. *Tibull.* p 495. Eleg. 1. p 500. El. 3. *Propert.* p 517. El. 19. *Sen.* p 816. v 482. *Mart.* p 1174. Ep. 58.
Rusticus & Sus, *Fest. Av.* p 1341. fab. 30.
Rusticus, Thesaurus, & Fortuna, *Fest. Av.* p 1339. fab. 11.
Rusticus & Avis, *Fest. Av.* p 1340. fab. 21.
Rusticus & Juvencus, *Fest. Av.* p 1341. fab. 28.
Rusticus & Hercules, *Fest. Av.* p 1341. fab. 32.
Rusticorum duritiæ, *Virg.* p 423. v 603.

S

Sabbatum, *Hor.* p 473. Sat. 9. v 69. *Ovid.* p 577. v 76. p 579. v 416. p 592. v 220. *Juv.* p 1163. v 185. *Rutil.* p 1412. v 391.
Sabæi, *Virg.* p 369. v 57. p 372. v 117.
Sabelliani hæretici refutantur, *Prudent.* p 1623.
Sabidius, *Mart.* p 1172. Ep. 33.
Sabinarum raptus, *Ovid.* p 577. v 101. p 688. v 195.
Sabinæ, *Ovid.* p 464. El. 8. v 39. p 596. v 11.
Sabini, *Virg.* p 375. v 532.
Sabinus Vitiator, *Virg.* p 412. v 178.
Sacerdos summus quomodo apud ethnicos consecratus, *Prudent.* p 1617. v 1611.
Sacra varia variis Diis, *Virg. Ec.* VII. p 367. v 61. p 392. v 119. p 407. v 251. *Ovid.* p 624. v 752. p 679. v 349. *Sen.* p 806. v 60.
Sacrificia humana, *Ennius*, p 1461. Lib. 7. v 2.
Sagacitas, vid. Prudentia.
Sagittandi modus, *Virg.* p 403. v 485.
Saguntum, *Lucan.* p 902. v 350. *Sil. It.* p 943. v 332. illic calamitates, p 949. v 600. &c.
Salii, *Virg.* p 417. v 285. *Ovid.* p 688. v 260.
Salluftius, *Mart.* p 1145. Ep. 191.
Salmacis, *Ovid.* p 621. v 285.
Salmoneus, *Virg.* p 409. v 585. *Manil.* p 781. v 91.
Sanctis defunctis supplicat, *Prudentius*, p 1603. v 573. & plerunque ad finem hymnorum in eorum laudes.
Sapientes septem, *Auson.* p 1302, &c. *Sid. Apoll.* p 1434. v 42. p 1438. v 101.
Sapientia, *Hor.* p 481. Ep. 1. v 41. p 490. v 142. *Juv.* p 1162. v 20. p 1162. v 189.
Sapor, *Lucr.* p 320.
Sappho, *Hor.* p 451. ode 13. v 25. *Ovid.* p 550.
Sarmatia, *Ovid.* p 747. Epist. 10. vid. Sauromatæ.
Sationis, & Insitionis origo, *Lucr.* p 332. v 1360.
Saturnalia Kal. Decemb. *Stat.* p 1021. unde ludi Saturn. *Accius*, p 1488. v 87.
Saturnalitius ritus, *Stat.* p 1035.
Saturnia Regna, *Virg.* p 365. Ec. IV. v 6. *Ovid.* p 574. El. 8.
Saturnus, *Virg.* p 375. v 93. p 411. v 49. [in Italiam venit, *Virg.* p 417. v 319.] *Ovid.* p 679. v 234. p 693. v 197. *Prudent.* p 1636.
Satyra, *Hor.* p 492. v 221. *Juv.* p 1143. v 85.
Satyrus, prop. mont. *Ovid.* 631. v 383. p 706. v 703.
Satyrus & Victor, *Fest. Av.* p 1341. fab. 29.
Sauromatæ, *Ovid.* p 719. El. 10. p 721. v 94 p 727. El. 7. *Fest. Av.* p 1330. v 854.
Scientia utilis, *Juv.* p 1159. v 25.
Scipio, *Sil.* p 955. v 117. patrem servat, p 957. v 456. descendit ad Inferos, p 994. v 385. apparent ei virtus & voluptas. p 1001. v 22. ejus virtus bellica, p 1013. v 407. p 1014. v 656. literarum amor, *Claud.* p 1379. v 1. Præf. Epitaphium, *Ennius*, p 1465. Epigr. 2, 3.
Scortatio apud Ethnicos licita, *Plaut.* p 48. v 33. p 91. Sc. 10.
Scribendi rectè fons, *Hor.* p 492. v 309.
Scribendi cacoethes, *Hor.* p 488. v 109.
Scriptores vulgus ætate æstimat, *Hor.* p. 487. Ep. 1. *Mart.* p 1193. Ep. 10.
Scriptores Græci & Romani, *Sid. Apoll.* p 1439.
Scriptorum variorum patriæ. *Mart.* p 1174. Ep. 62.
Scurra & Rusticus, *Phæd.* p 799.
Scylla, *Virg.* p 366. Ec. VI. v 74. p 394. v 420. *Ovid.* p 638. v 91. p 665. v 730. p 666. v 900. p 667. v 59.
Scythæ, *Hor.* p 457. ode 24. v 9.
Scythia, *Virg.* p 377. v 349. *Ovid.* p 643. v 790. *Sen.* p 846. v 533.
Secreta difficilè tegunturi, *Petron. Arb.* p [1572] v 98.
Seculare Carmen, *Catull.* p 346. XXXII. *Hor.* p 460. ode 6. p. 467.
Seculi Plautini mores, p 204. Sc. 2.
Sejanus, *Juv.* p 1157. v 66.
Semele. *Ovid.* p 617. v 274.
Seneca Philosophus, *Sen.* p 879, &c.
Senectus tarda, *Plaut.* p 112. Sc. 2. *Ter.* p 240. Sc. 3. *Virg.* p 418. v 508. avara, *Ter.* p 270. 47. olim venerabilis, *Juv.* p. 1161. v 54. misera, *Catil.* p 1484. v 28.
Senes apud Lenones Rivales filiis luis fiunt, *Plaut.* p 91. Sc. 2.
Senex, *Hor.* p 491. v 169. *Juv.* p 1158. v 190.
Senex Veronensis, qui fabulam nunquam egressus est, *Claud.* p 1405.
Senibus studia propria, *Propert.* p 522. El. 5.
Sensus & sensilia, *Lucr.* p 307, 319.
Sensus fallantur, *Petron. Arbiter.* p [1572] v 113.
Sepultura, vid. funus.
Seres, pop. *Virg.* p 372. v 121 *Fest. Av.* p 1331. v 934.
Serpens à Reguli exercitu occisus, *Sil.* p 964. v 151.
Serpentes Africi, *Lucan.* p 934.
Serpentium & viperarum morsus sanantur, *S. Samon.* p [1597] XLVII.
Servus, divitis, quam miser, *Plaut.* p 5. v 12. quomodo Hero obsequatur, *Plaut.* p 13. Sc. 3. v 4.
Servi boni character, *Plaut.* p 33. Sc. 1. v 1, &c. p 101. Sc. 1. p 102. v 75. p 114. Sc. 6. p 121. v 66. p 122. v 80. p 154. Sc. 7. p 170. Act. 1.
Servi ducebant uxores, *Plaut.* p 56. v 71.
Servus malus lippi oculi simillimus, *Plaut.* p 50. v 72.
Servi mali character, *Plaut.* p 188. Sc. 2. p 194. Sc. 2. *Claud.* p 1384. v 366. *T. Varro*, p 1533. v 96.
Servus de moribus philosophatur, *Plaut.* p 211. Sc. 3. *Hor.* p 479. Sat. 3.
Servus sonniculosus, *Auson.* p 1296. Epitaph.
Servitium, vid. Libertas, *Lucan.* p 900. v 110. *Claud.* p 1355. v 257.
Severitas, *Pub. Syr.* p 1523. v 229. ejus utilitas ut quis vir magnus existat.
Sextus mutatio, *Auson.* p 1284. Ep. 69.
Sibylla, *Virg.* p 394. v 443. Æn. VI. passim. *Ovid.* p 687. v 104. *Lucan.* p 910. v 120, &c. *Sil.* p 994. v 406.
Siciliæ, *Claud.* p 1394. v 140.
Siciliæ populi, *Sil.* p 998. v 195.
Signa, vid. Astra, & *Auson.* p 1315.
Silenus, *Virg.* p 366. Ec. VI. *Ovid.* p 580. v 543. p 655. v 90. p 680. v 559. p 704. v 314. *Sen.* p 824. v 429.
Siliqua, *Pall. Rutil.* p 1268. v 117.
Silius Italicus, *Mart.* p 1188. Ep. 14. p 1206. Ep. 63. p 1229. Ep. 48, 49.
Simia & Jupiter, *Fest. Av.* p 1339. fab. 14.
Simia & Gnati, *Fest. Av.* p 1342. fab. 35.
Simii caput, *Phæd.* p 793.
Simius, *Claud.* p 1368. v 303.
Simonidis naufragium, *Phæd.* p 797.
Simonidas a Diis servatus, ibid.
Simulacra, *Lucr.* p 316. v 34.
Sinon, *Virg.* p 387. v 79, &c.
Sinopé, *Val. Fl.* p 1126. v 116.
Sirenes, *Virg.* p 405. v 864. *Hor.* p 481. Ep. 2. v 23. *Claud.* p 1408.
Sirius, *Virg.* p 381. v 425. p 392. v 141. p 426. v 273. *Val. Flac.* p 1128. v 376.
Sisyphus, *Lucr.* p 315. v 1008. *Hor.* p 467. ode 17. v 68. vid. Tartara.
Sitis, *Lucan.* p 906. v 325. p 932. v 398. & v 500.
Sobrietas, *Prudent.* p 1583. v 310.
Societatis impiæ periculum, *Hor.* p 453. ode 2. v 26.
Socratis figura, *Mart.* p 1229. Ep. 99.
Socrus oderunt nurus. *Ter.* p 285. Sc. 1. malè mulctant generos, *Juv.* p 1150. v 230.
Sodalis ne fis nimius, *Mart.* p 1234. Ep. 34.
Sol, *Lucr.* p 326. 327, 328. *Virg.* p 377. v 438. variis nominibus appellatur. & colitur ut numen, *Mart. Capel.* p 1444. pascitur oceano, *Lucan.* p 938. v 258.
Solis Regia, *Ovid.* p 610. v 1.
Solarium, quàm antiquum, *Plaut.* p 1470. Bis comp.
Soli natura, *Virg.* p 373. v 177.
Somnia, *Lucr.* p 320, 321, 322. *Virg.* p 407. v 283. *Tibull.* p 503. El. 4. *Ovid.* p 658. v 614. *Stat.* p 1085. v 111. *Auson.* p 1289. ad fin. *Claud.* p 1386. v 1, &c.
Somnus de prandio non bonus, *Plaut.* p 100. v 8.
Somnus, *Lucr.* p 321, 322. *Ovid.* p 658. v 592. *Sen.* p 850. v 1066. *Stat.* p 1040. p 1043. v 340.
Somni geminæ portæ, *Virg.* p 410. v 894. *Hor.* p 458. ode 27. v 41.
Somni antrum & Satellites, *Stat.* p 1085. v 90.
Sorbum, *Pall. Rutil.* p 1268. v 137.
Sordidus, vid. Avarus.
Spartacus. *Claud.* p 1382. v 155.
Speculum. *Lucr.* p 317. v 270, &c.
Spes, *Tibull.* p 502. El. 6. v 21.
Statius, *Juv.* p 1153. v 83.
Stellæ, *Lucr.* p 326, 327.
Stilico, *Claud.* passim. *Rutil.* p 1414. v 41, 55.
Stoicus sapiens, *Hor.* p 470. Sat. 3. v 124.
Stomachus quomodo curandus, *S. Samon.* p [1594] XIX.
Strophades, *Virg.* p 392. v 210.
Stultitia & insania hominum, *Hor.* p 475. Sat. 3. *Pub. Syr.* p 1522. v 175.
Stylus Poeticus, *Hor* p 489. v 256.
Styx, *Virg.* p 403. v 439. vid. Tartara, *Sil.* p 988. v 120.
Suffenus, bellus homo, malus Poeta, *Catull.* p 345. XX.
Suicidarum animarum locus, *Virg.* p 408. v 434.
Suicidium damnat, *Mart.* p 1171. Ep. 9.
Superbia. *Claud.* p 1377. v 160. *Prudent.* p 1582. v 178. *Pub. Syr.* p 1522. v 128.
Superstitio unde, *Prudent.* p 1637. *Petron. Arb.* p [1572] v 69. vid. Religio.

Suspicio,

INDEX.

Aſpicio, *Phæ. Syr.* p 1521. v 150.
Aſpiciones fidei conjugalis fugiendæ. *Ovid.* p 567. El. 2. v 49. p 590. v 885. *Phæd.* p 793.
Autor, *Mart.* p 1217. Ep. 74.
Autor Medicus, *Phæd.* p 789.
Suum cuique pulcrum, *Ovid.* p 540. v 73.
Sycophantæ character, *Plaut.* p 209. Sc. 2.
Sydera, vid. aſtra.
Sylla, *Lucan.* p 896. v 139.
Sylvanus, *Virg.* p 368. Ec. X. v 24. p 369. v 20.
Syphax. vid. Maſſylus Rex. perfidus, *Sil.* p 1011. v 67. captus à Romanis, v 141.
Syrinx, *Ovid.* p 609. v 691.

T

TAcitus, *Luer.* p 304.
Tænara, *Stat.* p 1045. v 32.
Tanais, *Lucan.* p 901. v 173.
Tantalus, *Luer.* p 315. v 994. *Hor.* p 467. ode 17. v 66. p 468. Sat. 1. v 68. *Ovid.* p 567. El. 2. v 43. *Sen.* p 852. v 1.
Tarpeiæ Hiſtoria, *Propert.* p 519. El. 4.
Tarquinius Superbus, *Ovid.* p 686. v 685. p 706. v 600. ejus Somnium, *Accius*, p 1490. v 850.
Tartara, *Luer.* p 315. p 1025. *Virg.* p 468. v 548, & 577. *Tibull.* p 496. Eleg. 3. v 67. *Ovid.* p 622. v 435. *Sen.* p 847. v 710. *Sil.* p 995. v 563. *Stat.* p 1057. v 523. p 1074. v 20. *Claud.* p 1351. v 466.
Taurorum Prælia de vaccis, *Virg.* p 376. v 220. p 440. v 715. *Lucan.* p 899. v 601. *Stat.* p 1069. v 865. *Val. Fl.* p 1116. v 546.
Tauros & Vitulus, *Phæd.* p 799.
Taurus, Leo, & Hircus, *Feſt. Av.* p 1339. fab. 13.
Telephus, *Petron.* p [1573] v 125.
Tellus, *Ovid.* p 611. v 272. ad eam oratio, *Stat.* 1076. v 303.
Tellus, quare Deûm mater dicta, *Lucr.* p 305. Et omnium rerum parens, *Lucr.* p. 329. v 818.
Temeritas, *Pub. Syr.* p 1522. v 175.
Tempeſtas, *Virg.* p 382. v 81, &c. p 392. v 196. *Ovid.* p 708. El. 2. p 712. El. 10. *Sen.* p 839. v 470. *Sil.* p 991. v 605. p 1012. v 245. *Val. Flac.* p 1111. v 615. *Juv.* p 1160. Sat. 12. *Perſ.* p 1480. v 131.
Tempeſtatum ſignâ, *Virg.* p 371. v 356.
Templa Dei ſunt Chriſtiani, *Sid. Apol.* p 1416. Ep. 17. v 24.
Templis nitidis Deus placatur, *Hor.* p 454. ode 6.
Tempus, quid, *Lucr.* p 297.
Tempus redimendum, *Hor.* p 481. Epiſt. 1.
Tempore omnia fiunt, *Ovid.* p 723. El. 6.
Temporis Spelunca, *Claud.* p 1379. v 424.
Tereus, *Virg.* p 366. Ec. VI. v 78. *Ovid.* p 631. v 455.
Terminus, *Ovid.* p 685. v 641.
Ternarius numerus, *Auſon.* p 1310. Edyl. XI.
Terra, *Lucr.* p 309, 327. *Manil.* p 761. v 159.
Terræ motus, *Lucr.* p 336. v 534. *Sil.* p 962. v 615.
Terrarum variarum varii proventus, *Sid. Apol.* p 1423. v 41.
Teucer, *Hor.* p 444. ode 7.
Thais, *Mart.* p 1208. Ep. 93.
Thamyris, *Stat.* p 1055. v 183.
Themis, *Ovid.* p 607. v 379. p 623. v. 642.
Theocritus, *Manil.* p 765. v 39.
Theſeus, *Catull.* p 351. LXII. v 53. *Virg.* p 406. v 122. p 409. v 618. *Ovid.* p 545. p 635. p 658 v 227. *Sen.* in Hippolyt. & in Hercul. Furen.
Theſſalia, *Lucan.* p 916. v 381.
Thetis, *Catull.* p 351. LXII. v 19. *Ovid.* p 654. v 221.
Thiodamas, *Stat.* 1085. v 168.
Thisbe, *Ovid.* p 620.
Thraſo, vid. Militis, &c.
Thraſybulus Lacedæmonius, *Auſon.* p 1283. Ep. 24.
Thyeſtes, *Sen.* in Agam. & p 852.
Tibiæ inventio, *Ovid.* p 706. v 703.
Tiberinus Deus, *Virg.* p 416. v 31. *Ovid.* p 670. v 614.
Tibullus, *Hor.* p 446. ode 33. *Ovid.* p 575. El. 9. & paſſim.
Tigellius, *Hor.* p 469. Sat. 3. v 4.
Tigris, fl. *Lucan.* p 901. v 158.
Tigris & Venator, *Feſt. Av.* p 1340. fab 17.
Timor & Cupido ſervum faciunt, *Boet.* p 1449. Met. 4. mentem obnubilant, *Id.* p 1450. Met. 5.
Tireſias, *Hor.* p 378. Sat. 5. *Ovid.* p 615. v 323. *Sen.* in Oedipo. *Stat.* p 1046. v 95. p 1057. v 560. p 1088. v 589.
Tiſiphone, *Ovid.* p 622. v 473. *Sil. It.* p 948. v 530. *Stat.* p 1041. v 90. p 1050. v 58.
Titanes, *Virg.* p 408. v 580.
Tithonus, *Virg.* p 399. v 585.
Tityos, *Lucr.* p 315. v 997. *Virg.* v 405. v 595. vid. Tartara, *Claud.* p 1367. v 338.
Tomis *Ovid.* p 718. El. 9. p 743. Epiſt. 8.
Tonitrua in Ovidium benevoli, p 747. v 97. p 748. Ep. 14.
Tonitru, *Lucr.* p 334. v 95.
Tonſor, *Mart.* p 1229 Ep. 58. p 1231. Ep. 84.
Tonſor tardus, *Mart.* p 1207. Ep. 84.
Torpedo, *Claud.* p 1403.
Tragico-comœdia, quid ſit, *Plaut.* p 5. v 59.
Tragœdia. *Ovid.* p 571. El. 1. v 11.
Trajanus, *Mart.* p 1214. Ep. 72. p 1226. Ep. 5. p 1232. Ep 8.
Traſimenus, *Sil.* p 959. v 8. pugnâ illic, p 960. v 165.
Trebia, pugnatur illic, *Sil.* p 958. v 628.
Trinitas SS. *Prudent.* p 1581. v 3. p 1591. v 5. p 1622.
Triptolemus, *Ovid.* p 628. v 646. p. 718. El. 8.
Troja, vid. Ulyſſes, Ajax, Hector, Paris, & alia Græca & Trojana Heroum nomina. & *Ovid.* p 654. v 199. qualis fuit tempore J. Cæſaris, *Lucan.* p. 935. v 965.
Trojanæ naves incendunt, *Virg.* p 404. v 660. naves vertuntur in nymphas Nereidas, *Virg.* p 410. v 120. p 426. v 220.
Trojani Heroes, *Auſon.* p 1297, &c.
Trojanus ludus. *Virg.* p 403. v 555.
Trojæ ad excidium alluſio. *Plaut.* p 90. Sc. 9.
Troilus, *Virg.* p 385. v 474.
Tropeum, *Virg* p 430. v 5.
Tumuli devii, *Propert.* p 526. El. 16. v 25.
Turnus, *Virg.* p 415. v 783. p 420. v 28. Dranci reſpondet. *Virg.* p 432. v 377.
Tuſſis medela, *S. Samon.* p [1594] XVIII.
Tybris, *Virg.* p 391. v 782. v 411. v 30.
Tydeus, *Stat.* p 1068. v 828, 845.
Tyrannus, *Sen.* p 880, 881. *Juv.* p 1157. v 113. vitandus, *Accius*, p 1489. v 195.

V

VAcuum, ſeu Inane, *Lucr.* p 296, 297.
Vanus, *Mart.* p 1208. Ep. 100.
Varietas delectat, *Petron. Arb.* p [1572] v 82. 131.
Varro, Terentius, *Sil.* p 976. v 15.
Varus, *Virg.* p 366. Ec. 6. v 7. p 367. Ec. IX. v 26.
Vates, vid. Calchas, Helenus, Tireſias, Thiodamas, Sibylla.
Vellus aureum, vid. Jaſon.
Venator & Canis, *Phæd.* p 799.
Venator & Leo, *Feſt. Av.* p 1341. fab. 24.
Veneficæ, vid. Canidia. *Ovid.* p 563. El. 8. & Medea. *Lucan.* p 917. v 575.
Veneficium, *Sen.* p 810. v 670. *Lucan.* p 976. v 440.
Ventus, *Lucr.* p 296.
Venti, vid. Æolus.
Ventris morbi curantur, *S. Samon.* p [1595] XXIX, &c.
Venus, *Lucr.* p 294. *Hor.* p 447. ode 30. *Ovid.* p 692. v 1. *Sen.* p 816. v 468. impudens, *Claud.* p 1399. v 273 *Prudent.* p 1636. ſorda, *Petron. Arb.* p [1572] v 166.
Venus Praxitelis, *Auſon.* p 1284. Ep. 57.
Venus armata, *Auſon* p 1283. Ep. 42, 43.
Venus adfert Æneæ arma Vulcania, *Virg.* p 419. v 608.
Ver, *Hor.* p 444. ode 4. p 467. ode 7. p 462. ode 12.
Vertumnus, *Propert.* p 519. El. 2. *Ovid.* p 671. v 642.
Veſta. *Ovid.* p 704. v 249.
Veſuvius, *Sil.* p 988. v 152. *Mart.* p 1189. Ep. 44.
Vetula, vid. Anus.
Viatores & Latro, *Phæd.* p 788.
Viatores & Urſa, *Feſt. Av.* p 1339. fab. 9.
Viciſſitudo. vid. Mutatio.
Villæ, *Stat.* p 1019. p 1023. *Mart.* p 1184. Ep. 58. *Auſon.* p 1304. Edyl. 3.
Vinalia. *Ovid.* p 697. v 863.
Vincenſius martyr, *Prudent.* p 1606.
Vindicta, num bona. *Juv.* p 1162. v 180. *Perſ.* p 1481. v 167.
Vini incommoda, *Propert.* p 521. El. 33. v 25.
Vini laus, *Hor.* p 436. ode 18. p 437. ode 21. p 487. Ep. 19. p 493. v 435. *Tibull.* p 495. Eleg. 2. *Mart.* p 1216. Ep. 6.
Vinum bonum cum malo miſcetur, *Mart.* p 1172. Ep. 19.
Vipera & Lima, *Phæd.* p 796.
Vir, *Horat.* p 491. v 166. Vir magnus, *Ennii*, p 1461. v 65.
Virbius, *Virg.* p 415. v 761. *Ovid.* p 707. v 756.
Virgilius, *Virg.* p 382. v 383. *Hor.* p 443. ode 3. p 447. ode 24. p 462. ode 12. p 471. Sat. 5. v 40. *Propert.* p 521. El. 34. v 65.
Virgines non ſine dote nuptæ, *Plaut.* p 208. Sc. 3. *Nev.* p 1477. Tabell.
Virginis Religioſæ character. vid. in *Eulalia*, p 1603. & *Alc. Avitus*, p 1689. Lib. 6.
Virgo comparatur flori, *Catull.* p 350. v 58. *Auſon.* 1313. Edyl. 14.
Virgo an vidua melior uxor? *Nev.* p 1475. Gymn.
Virtus, quid, *Hor.* p 481. Epiſt. 1. v 41. &c. p 486. Ep. 18. v 9. *Sil.* p 1001. v 22. *Stat.* p. 1088. v 632. *Claud.* p 1364. v 1.
Virtus, omnibus rebus anteit. *Plaut* p 10. v 18. latere non debet. *Claud.* p 1354. v 222.
Virtutis præmia, *Hor.* p 453. ode 2. v 18. *Sen.* p 876. v 1971, & 1983. felicitas, *Juv.* p 1158. v 141. p 1159. v 364.
Vita, *Pub. Syr.* p 1521.
Vita, *Lucr.* p 325. *Mart.* p 1201. Ep. 70. non minimis curanda, *Luer.* p 315. irrevocabilis, *Hor.* p 461. ode 7. *Ovid.* p 600. v 369. *Manil.* p 775. v. 1.
Vitæ ratio electa difficilis, *Auſon.* p 1315. Edyl. 15.
Vita brevis & arumnoſa, *Virg.* p 375. v 66. *Hor.* p 444. ode 4. p 450. ode 11. p 451. ode 13. ibid. ode 14, & 16. *Ovid.* p 616. v 135. p 718. El. 7. *Sen.* p 821. v 125 p 844. v 176. p 1545. v 3. Interpr. Cicer. *Ped. Albinov.* p [1590] v 113.
Vita læta & beata, *Hor.* p 448. ode 31. p 450. ode 6. p 465. ode 13. unde ſit, *Juv.* p 1159. v 364. *Mart.* p 1174. Ep. 56 p 1181. Ep. 90. p 1193. Ep. 20. p 1221. Ep. 23. p 1222. Ep. 47. *Petron.* p [1574] v 201.
Vita privata, *Hor.* p 451. ode 16. p 458. ode 29. v 14. vid. mediocritas. p 472. Sat. 6. v 95. *Hor.* p 479. Sat. 6. v 60. p 485. Ep. 17. v 10. *Sen.* p 820. v 1120. p 844. v 196. p 855. v 456. p 879. v 380. *Lucan.* p 906. v 393. *Juv.* p 1146. v. 194. *Claud.* p 1405.
Vita publicis negotiis implicita, *Hor.* p 478. Sat. 6.
Vita quomodo corrigenda, *Hor.* p 481. Epiſt. 1, & 2.
Vitæ longæ mala, *Juv.* p 1158. v 240.
Vitis, *Pall. Rutil.* p 1267. v 45.
Vitium ſub virtutis ſpecie, *Juv.* p 1163. v 109, &c.
Vitulus & Bos, *Feſt. Av.* p 1342. fab. 36.
Ulyſſes, *Virg.* p 387 v 90, &c. *Hor.* p 481. Epiſt. 2. v 18. *Tibull.* p 505. v 49. *Ovid.* p 537. p 582. v 223, 602. p 710. El. 4. *Sen.* in Troade.
Ulyſſis contra Ajacem oratio, *Ovid.* p 662. v 123.
Umbra Corporis, *Lucr.* p 318. v 365, &c.
Univerſum, ſive omne, quid, *Lucret.* p 300.
Voluntas, *Lucr.* p 321.
Voluntas peccandi eſt peccatum. *Juv.* p 1162. v 209.
Voluptas, *Sil.* p 1001. v 22. *Juv.* p 1160. v 208.
Voluptas, non ſine ratione, *Plaut.* p 10. v 1, &c. p 50. v 33.
Vox, *Lucr.* p 319.

INDEX.

Urbe in magnâ viventibus incommoda, *Juv.* p 1146. v 165, 190, 225, 236. *Mart.* p 1235. Ep. 57.
Urbes nobiles, *Auson.* p 1300.
Vulcanus, *Virg.* p 418. v 372. uxorius, *Stat.* p 1051. v 275.
Vulgus mobile, *Claud.* p 1355. v 302.
Vulpes fatura & Mustela, *Hor.* p 483. Ep. 7. v 29.
Vulpes ad personam tragicam, *Phæd.* p 788.
Vulpes & Corvus, *Phæd.* p 789.
Vulpes & Ciconia, *Phæd.* p 790.
Vulpes & Aquila, ibid.
Vulpes & Uva, *Phæd.* p 795.
Vulpes & Hircus, p 796.
Vulteius Mænas, *Hor.* p 483. Ep. 7.
Uxor optimè dotata, *Plaut.* p 12. v 210. p 29. v 62. *Hor.* p 457. ode 24. v 21.
Uxor pauper diviti præferenda, *Plaut.* p 28. v 45. p 32. Sc. 5. v 2, &c. p 73. Sc. 1. *Mart.* p 1208. Ep. 12.
Uxoris iratæ jurgia, *Plaut.* p 12. Sc. 2. p 25. Sc. 3. p 57. Sc. 1, 2, 3. p 110. Sc. 1, 2. p 111. Sc. 1. p 112. Sc. 2. p 139. Sc. 4. p 140. Sc. 8. *Ter.* p 259. Sc. 3. *Sen.* p 809. v 58c.
Uxor viro non bona, *Plaut.* p 123. v 95.
Uxor infida, vid. Helena, Clytæmnestra, &c. *Stat.* p 1055. v 190. *Juv.* p 1149. v 28, &c.
Uxor fida, *Plaut.* p 194. Act. 1 *Ovid.* p 710, El. 5. p 718. El. 7. *Stat.* p 1030. Syl. 5. p 1036. v 55. *Mart.* p 1171. Ep. 14. p 1173. Ep. 43. p 1191. Ep. 75. p 1223. Ep. 63.
Uxorem pater filio dabat, *Ter.* p 235. Sc. 3. p 274. Sc. 5.
Uxor diligens, & bona mater familiâs, *Virg.* p 370. v 294. p 418. v 408. *Val. Flac.* p 1114. v 136. *Auson.* p 1290. *Paræn.* 2.
Uxor omnibus dotibus prædita, non optanda, *Juv.* p 1150. v 165. nec uxor docta, ibid.
Uxor optima, *Sid. Apoll.* p 1415. Ep. 8.
Uxor nimiùm gravis, *Mart.* p 1232. Ep. 104.
Uxor non sine dote, *Nævius*, p 1477. Tabell.
Uxor fœda cum multo auro, *Petron. Arb.* p [1573.] v 94.
Uxorius, *Juv.* p 1150. v 205, &c.

X

Xerxes, *Juv.* p 1158. v 175. *Ennius*, p 1462. Lib. 13. v 4. *Petron.* p [1574] v 137, &c.

Z

Zacynthus, *Sil. It.* p 943. v 275, &c.
Zelotypia. vid. Suspiciones.
Zetes, vid. Calais.
Zodiacus, *Virg.* p 370. v 238.
Zoilus, *Mart.* p 1235. Ep. 54.
Zonæ, *Virg.* p 370. v 233. *Tibull.* p 505. v 152. *Ovid.* p 605. v 45.

ERRATA, quæ partim typographis, partim curatoribus hujus editionis minùs perspicientibus, irrepserunt, sic corriguntur. Perpauca verò sensum impediunt.

PLAUT.

P 13. Sc. 2. v 5. post *regas* sit nota interrogandi.
P 14. v 37. col. 1. Indifices.
P 19. Sc. 1. v 1. melius'st.
P 20. v 71. conspexeris.
P 32. col. 2. v 58. post *hæc fuit*, inseratur, *atque.*
P 36. col. 1. v 29. subreptum.
P 50. col. 2. v 19. pro PH. lege PA.
P 54. col. 1, v 15. atque.
P 71. col. 2. v 103. pro PA lege LA.
P 92. col. 2. v 48. post *ego* dele?
P 100. col. 1. v 51. post *scridi* sit periodus.
P 104. vox finalis, ACTUS, debet esse PROLOGUS.
P 121. v 61. edepol.
P 127. v 59. sic lege. PA. Lepidè factum est.
P 144. v 103. auxilium.
P 148. v 122. post *illico* ponè comma.
P 150. v 35. quando.
ibid. v 41. post *advenit* dele comma.
ibid. v 50. ante *Quid* inseri PS.
P 152. v 38. post *fovia* dele comma.
P 154. v 81. lege *datur*, uno verbo.
P 167. v 39. pro *nunc ea*, lege *ea.*
P 168. v 65. pro *date* lege *dato.*
P 171. v ult. lege, *si fallunt.*
P 177. v 103. pro *minis* lege *nimis.*
P 183. v 33. hercle.
P 187. Sc. 5. v 41. pro *ne* lege *no.*
P 191. Sc. 7. DÆMONES.
P 199. Sc. 2. v 14. pro *eum* lege *tuo.*
P 205. v 42. pro USE, lege SE.
P 206. v 49. uxorem.
ibid. v 56. dierectè.
P 221. Act. 4. Sc. 2. v 11. dele primum AS. & infer AS. ante integrum v 13.

TEREN.

P 280. col. 2. v 11. defatiget.
ibid. v 26. omnes.
P 286. col. 2. v 14. in *priusquam* excidit i.

LUCRET.

P 318. v ult. rotas.

CATULL.

P 352. sit numerus LXII.

VIRG.

P 365. Ecl. 3. v 98. præcepit.
P 372. v 153. tanto.
P 374. v 383. atque.
P 376. v 377. multralia.
P 379. v 84. aut hos.
P 384. v 295. super arma.
P 388. v 290. rust.
P 412. v 302. ignes.
P 420. v 28. post *Turnus* dele punctum.
P 432. v 243. Diomedem.
ibid. v 260. Capharea.
P 483. v 735. tela.
ibid. v 823. post *favor* ponè comma.

HOR.

P 463. ode 2. v 37. malarum.
P 468. Sat. 2. v 22. inducit.
P 471. Sat. 5. v 102. facit.
P 472. Sat. 6. v 36. parte.
P 474. Sat. 10. v 91. discipulorum.
P 486. Ep. 18. v 35. polcat.
ibid. v 48. pulmenta.

PROPERT.

P 514. El. 3. v 27. Menelae.

OVID.

P 542. v 85. illa.
ibid. v 96. nocte.
P 648. v 30. post *ingens* sit comma.
P 651. v 546. natura.
ibid. v 554. insolitus.
P 656. v 661. opis.
P 671. v 719. &,
P 676. v 751. Exiuit.
P 681. v 660. post *mensâ* sit comma.
P 708. El. 1. v 71. augusta.
P 713. v 202. pax.
P 731. Epist. 3. v 24. auxiliatur.
P 742. v 66. puret.
P 747. Ep. 10. v 6. retitur.
P 748. Ep. 12. v 19. carmina.
P 749. Ep. 16. v 29. innixa.

SEN.

P 806. v 3. Tiphys. p 808. v 518. Tiphys.
P 818. v 798. licet.
P 819. v 962. perennes.
P 824. v 442. Pentheos.
P 833. v 707. miserx.
P 840. v 607. Styga.
P 849. v 982. Erimnys.
P 853. v 213. eadem.
ibid. v 246. finc.
P 872. v 1377. catenis.
P 876. v 1909. post *vestra* ponè comma.

PERS.

P 886. Sat. 3. v 30. in cute.
P 889. v penult. fistam.

LUCAN.

P 896. v 55. pharetras.
ibid. v 114. fixuse.
P 912. v 160. ratem.
P 915. v 182. &.
P 916. v 344. paludibus.
P 924. v 782. ultrix.
P 925. v 204. Magnum.
P 930. v 201. conjux.
P 931. v 222. ierumne.
ibid. v 303. figuram.
P 934. v 761. Jussit.

SIL. ITAL.

P 944. v 459. lymphato.
P 955. v 119. post *astris* fac punctum.
P 972. v 101. post *curis* ponè comma.
P 978. v 423. post *talis* sit comma.
P 982. v 433. mucronem.
P 1010. v 639. Libyam.
P 1012. v 308. nobile nomen.

STAT.

P 1017. v 86. Lysippe.
P 1031. titulo Sylvæ IIdæ. EUCHARISTICON.
P 1036. v 25. annuat.
ibid. v 23. licet.
P 1051. v 271. Harmonies.
P 1056. v 275. veteres.
P 1061. v 248. erexit.
P 1063. v 702. Lycurgus.
P 1069. v 920. post *aurâ* dele comma: Et superior versus claudatur puncto.
P 1080. v 198. rotat.
P 1084. v 240. devicti.
P 1095. v 158. conjugialis.

VAL. FLAC.

P 1113. v 54. Iccalium.
P 1122. v 66. juga.
P 1123. v 277. cunctantem.
P 1125. v 693. latera utroque.
P 1129. v 468. aut.
P 1138. v 610. fulus. v 611. fomentat.

JUVENAL.

P 1146. v 210. xrumnæ.
ibid. v 253. cursu.
P 1148. v 92. pro *quod missi*, lege, *quem missi.*
P 1153. v 329. exitus.
P 1158. v 224. pro *quis*, lege *quid.*

MART.

P 1170. Ep. 28. v 3. quota.
ibid. Ep. 33. v 2. non.
P 1174. Ep. 56. v 13. me non amat.
P 1176. Ep 58. v 3. diserta.
P 1197. Ep. 79. v 2. inhæreret.
P 1198. Ep. 15. v 4. fasta est.
P 1201. Ep. 85. v 8. post *medâ* sit punctum. v 9. post *lusus*, comma.
P 1202. Ep 93. titulo, *In Thaidâ.*
P 1203. Ep. 24. post *infandum* dele comma.
ibid. Ep. 16. ut tua.
ibid. Ep. 24. v 2. perfida.
P 1204. Ep. 42. v 2. post *carminibus* sit punctum.
P 1208. Ep. 58. titulo, *Cæsarem.*
P 1210. Ep. 44. TITULLI.
P 1215. Ep. 40. v 5. geminâ.
P 1218. Ep. 82. v 3. nottiæ.
P 1220. Ep. 11. v 1. Pitanaeumque, ut & v 6.
P 1228. Ep. 29. titulo, *Sybillam.*
P 1241. Ep. 127. titulo, *cereal.*
P 1242. Ep. 45. v 1. paganica.
P 1244. Ep. 127. v 2. gaude — flet.

CALPHUR.

P 1275. Ecl. 2. v 13. Fumidique.
ibid. Ecl. 3. v 1. Lycida. v 7. lala.
P 1276. Ecl. 3. v 52. accitone.

AUSON.

P 1281. præf. 2. v 3. adscripsi.
P 1285. Ep. 28. v 1. discipulus.
P 1284. Ep. 62. v 1. post *ne*, sit comma.
ibid. Ep. 66. titulo, *hexula.*
P 1285. Ep. 82. v 1. Gratia namque.
P 1286. Ep. 93. v 7. exstu.
P 1297. Ep. 1. v 4. Clytemnæstra nocet.

FEST. AVIEN.

P 1332. v 1179. tantos.

CLAUDIAN.

P 1355. v 287. contentus.
ibid. v 302. mutarer.
ibid. v 359. post *Spienda* sit comma.
P 1369. v 493. quæsam.
P 1372. v 297. conspicuus.
P 1373. v 496. pravus.
P 1376. v 18. ocyus iram.
P 1377. v 114. post *perennem* dele punctum.
P 1391. v 287. tremebunda.
P 1402. Ep. ad Olyb. v 21. fecundos.

RUTIL.

P 1412. v 371. Falcria.

SID. APOLL.

P 1432. v 214. Homero.
P 1435. v 5. veni.
P 1438. v 40. porricibus.
P 1441. v 462. genii.

MART. CAPELL.

P 1443. v 53. xtas.
ibid. in Polymnia, post *conversia* dele punctum: & post *Comicam* in Melp. sit comma.

ENNIUS.

P 1458. v 50. reprare.
P 1462. lib. 10. v 2. Philippo.
P 1468. in Hecubâ, v 14. eveniat.

PACUV.

P 1481. v 219. clamore.

LUCIL.

P 1504. v ult. Var. cum puncto.

COR. SEV.

P 1520. v 6. crinem.

T. VARRO.

P [1531.] v 8. angit.
P [1561.] l. 1. ALPHIO.

PETRON.

P [1574.] v 137. sic distingue
——— eundem
Orbis;
P [1590.] v 17. callosâ.

PRUDEN.

P 1601. v 288. oléique.
P 1603. v 18. post toro ponè colon.

SEDUL.

P 1660. v 9. Stare.

Digitized by Google

OMISSA.

M. TERENT. VARRONIS *VITA*,

Ex JO. ALBERT. FABRIC. Biblioth. Lat.

M. Terentius Varro Romæ natus est anno U.C. 638. Vir undecunque doctissimus, Ciceronis & aliorum virorum clarissimorum familiaris, qui postquam tribunatu & aliis muneribus functus fuisset, & in bello civili Pompeianas partes strenuè conatus esset tueri, maturè tamen Cæsari victori se permisit, & ab eo in gratiam receptus, Bibliothecisque Græcis & Latinis comparandis ac digerendis præfectus in literato otio delituit, totúmque se tradidit scribendis libris. Septuagenario major ab Antonio unà cum Ciceronе anno U.C. 710. proscriptus evasit quidem, attamen direptis bibliothecis suis gravem jacturam passus est etiam scriptorum suorum, atque in his ἀνατομικῶν, quem Cn. Pompeio scripserat. Annum 78um ingressus memorat se septuaginta hebdomades librorum scripsisse. Diem obiit supremum propè nonagenarius, anno U.C. 727. post Christum 27.

Poëtica ejus Fragmenta lege priùs p. [1531.]

CN. CORNELII GALLI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO desumpta.

CN. Cornelius Gallus poëta eximius habitus est in Elegiâ & Poëmatis describendis. Eodem propè anno creditur natus, quo M. Terentius Varro doctissimus Romanorum periit, ut ab Hieronymo relatum est in Annalibus. Quidam tradunt fuisse illum patriâ Forojulienſem, & eruditum bonis artibus, diúque cum Cæcilio Epirotâ versatum in summâ familiaritate. Fortunâ tenui fuit, penéque infimâ, sed studio & favore Octavii Augusti ad præfecturæ gradum ascendit: factúsque in dies nobilior, ut mox dicemus. Scripsit Elegiarum libros, in quibus commendatur magnopere illius ingenium, & elegantia. Fabius tamen Quintilianus duriorem hunc fuisse dicit. Servius grammaticus sic de Gallo scribit: Is, inquit, Euphorionem Poëtam in Latinum sermonem transtulit, & amorum suorum de Cytheride libros quatuor composuit. In amicis Octavii Cæsaris primò receptus est, ac deinde cùm in suspicionem venisset, quòd in eum conjurâsset, occisus est. Fuit in primis Publio Virgilio amicus: adeò ut quartus liber Georgici operis à medio usque ad finem ejus laudes contineret: quas postea jubente Cæsare Aug. in Aristæi fabulam commutavit. Idem Gallus amavit Cytheridem meretricem, libertam Volumnii, quæ eo spreto Antonium euntem ad Gallos est secuta. Diomedes (cùm de Elegiâ loquitur) eundem Gallum Tibullo & Propertio adjungit. Cytheridem verò, quam propè ad insaniam dilexit, mutato nomine Lycorim vocavit: hinc illud vulgatum,

Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois:
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Notatum est à pluribus, ipsum Gallum ab Augusto principe factum Ægypti præfectum, diúque summis officiis atque honoribus evectum, atque honestatum. Ammianus refert, à Gallo in præfecturâ exhaustam fuisse Thebarum civitatem: & cùm furti, ac populatæ provinciæ in jus vocaretur, veritum indignationem nobilium, ferro incubuisse. Tranquillus videtur hâc in re nonnihil dissentire, qui scribit ob ingratum & malevolum animum ab Octavio Aug. domo & provinciis suis Corn. Gallo interdictum. Illacrymatum præterea Augustum vicem suam doluisse quòd amicis non liceret, quatenus vellet, irasci. Nec desunt, qui tradant, tertio & quadragesimo anno poëtam Gallum propriâ manu se interemisse. Leguntur ætate nostrâ elegiarum libri sub nomine Cor. Galli, quâ in re facile est imponere imperitis hominibus. Qui autem paulò diligentiùs antiquitatem observârunt, nil minus censebunt, quàm ut hæc referenda sint ad poëtam Gallum.

VIR Clarissimus Jo. Albert. Fabricius in Biblioth. Lat. 1712. pag. 253. affert Galli Fragmentum ex Vibio Sequestre in Lib. de Fluminib. p. 333.

—— Hypanis Scythiæ, qui, ut ait Gallus,
Ut tellurem dividit amne duas.
Asiam enim ab Europâ separat.

MAXIMIANI ELEGIARUM LIBER,

Qui falso sub nomine Cn. Cornelii Galli editus est.

Ex GYRALDO.

Miratus sum quorundam impudentiam, ne dicam amentiam, qui tralatitios quosdam & mentitos versus sub Galli Poëtæ nomine ediderunt, cùm in iis neque phrasis nec tempus Gallo conveniant. Maximiani verò nugatoris cujusdam & nebulonis potiùs eorum versus plurimi sunt. Et si hoc avetis nôsse, & vetustioribus adhuc quibusdam exemplaribus est videre, in quibus Maximiani ipsius nomen legitur, ——

Jo. Alb. Fabric. in Biblioth. Lat. —— Cornelium Maximianum Gallum Etruscum intellige, qui sub Anastasio Imperatore floruit.

ELEGIA I.

ÆMula cur cessas finem properare Senectus?
Cur & in hôc tristo corpore tarda sedes?
Solve precor miseram tali de carcere vitam.
Mors est jam requies, vivere pœna mihi.
Non sum qui fueram: periit pars maxima nostrî:
Hoc quoque, quod superest, languor & horror habet.
Lux gravis in luctu, rebus mœstissima lætis.
Quódque omni est pejus funere, velle mori.
Dum juvenile decus, dum mens, sensúsque manebat,
Orator toto clarus in orbe fui.
Sæpe poëtarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.
Sæpe peroratâ percepi lite coronam,
Et data sunt linguæ præmia digna meæ.
Quæ cum defectis jam sunt immortua membris:
Heu, senibus vitæ portio quanta manet!
Nec minor his aderat sublimis gratia formæ:
Quæ, vel si desint cætera multa, placet.
Quinetiam virtus fulvo pretiosior auro,
Per quam præclarum plùs micat ingenium.
Si

Si libuit celeres arcu tentare ſagittas,
Occubuit telis præda petita meis.
Si placuit canibus denſos circumdare ſaltus,
Proſtravi multas non ſinè laude feras.
Dulce fuit madidam ſi fors verſare palæſtram,
Implicui validis lubrica membra toris.
Nunc agili curſu cunctos anteire ſolebam:
Nunc tragicos cantus exſuperare meo.
Augebat meritum dulcis miſtura bonorum:
Ut ſemper varium plùs micat artis opus.
Nam quæcunque ſolent per ſe perpenſa placere,
Alterno potiùs vincta decore placent.
Has inter virtutis opes, tolerantia rerum
Spernebat cunctas inſuperata minas.
Vertice nudato ventos pluviáſque ferebam:
Non mihi ſolſtitium, nec grave frigus erat.
Innabam gelidas Tiberini fluminis undas:
Nec metui dubio credere membra freto.
Quamvis exiguo poteram requieſcere ſomno,
Et quamvis modico membra fovere cibo:
At ſi me ſubitò vinoſus repperit hoſpes,
Aut fecit lætus ſumere vina dies,
Ceſſit & ipſe pater Bacchus, ſtupuſtque bibentem,
Et qui cuncta ſolet vincere, victus abit.
Haud facile eſt animum tantis inflectere rebus,
Ut res oppoſitas mens ferat una duas.
Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum
Socratem palmam promeruiſſe ferunt.
Hinc etiam rigidum memorant valuiſſe Catonem:
Non res in vitium, ſed malè facta cadunt.
Intrepidus quæcunque forent, ad utrunque ferebar:
Cedebant animo triſtia cuncta meo.
Pauperiem modico contentus ſemper amavi,
Et rerum dominus nil cupiendo fui.
Tu me ſola tibi ſubdis miſeranda Senectus,
Cui cedit quidquid vincere cuncta poteſt.
In te corruimus: tua ſunt quæcunque fatiſcunt:
Ultima quæque tuo conficis ipſa malo.
Ergo his ornatum meritis Etruria noſtris
Optabat natis me ſociare ſuis:
Sed mihi dulce magis reſoluto vivere collo,
Nulláque conjugii vincula grata pati.
Ibam per mediam vernali corpore Romam,
Spectandus cunctis undique virginibus.
Quæque peti poterat, fuerat vel fortè petita,
Erubuit vultus viſa puella meos.
Et nunc ſubridens latebras fugitiva petebat,
Non tamen effugiens, tota latere volens:
Sed magis ex aliquâ cupiebat parte videri:
Lætior hôc multo, quòd malè tecta foret.
Sic conctis formoſus ego, gratúſque videbar
Omnibus, & ſponſus ſic genialis eram.
Sed tantùm ſponſus: nam me natura pudicum
Fecerat, & caſto pectore durus eram.
Nam dum præcipuæ cupio me jungere formæ,
Permanſi viduo frigidus uſque toro.
Omnis fœda mihi, atque omnis mihi ruſtica viſa eſt,
Nulláque conjugio digna puella meo.
Horrebam tenues, horrebam corpore pingues:
Nec mihi grata brevis, nec mihi longa fuit.
Cum mediâ tantùm dilexi ludere formâ,
Major enim mediis gratia rebus ineſt.
Corporis has noſtri mollis laſcivia partes
Incolit: has ſedes mater amoris habet.
Quærebam gracilem, ſed non quæ macra fuiſſet:
Carnis ad officium carnea membra placent.
Sic quod in amplexu delectat ſtringere corpus,
Ne lædant preſſum quælibet oſſa latus.
Candida contemſi, niſi quæ ſuffuſa rubore
Vernarent propriis ora ſerena roſis.
Hunc Venus ante alios ſibi vindicat ipſa colorem,
Diligit & florem Cypris ubique ſuum.
Aurea cæſaries, demiſſáque, lactea cervix,
Vultibus ingenuis viſa ſedere magis.
Nigra ſupercilia, & frons libera, lumina nigra,
Urebant animum ſæpe notata meum.
Flammea dilexi, modicúmque tumentia labra,
Quæ mihi gultanti baſia plena darent.
In tereticollo viſum pretioſius aurum,
Gemmáque judicio plus radiare meo.
Singula turpe ſeni quondam quæſita referre:
Et quod tunc decuit, jam modò crimen habet.
Diverſos diverſa juvant: non omnibus annis
Omnia conveniunt: res priùs apta, nocet.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus:
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.
Hunc tacitum, triſtémque decet. ſit clarior ille
Lætitiâ, & linguæ garrulitate ſuæ.
Cuncta trahit ſecum, vertítque volubile tempus,
Nec patitur certâ currere quemque viâ.
Nunc quia longa mihi gravis eſt, & inutilis ætas,
Vivere cùm nequeam, ſit mihi poſſe mori.
O quàm dura premit miſeros conditio vitæ:
Nec mors humano ſubjacet arbitrio!
Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit:
At cùm triſtis erit, præcipitata venit.
Me verò, heu, tantis defunctum partibus olim,
Tartareas vivum conſtat inire vias.
Jam minor auditus, guſtus minor, ipſa minora
Lumina, vix tactu noſcere certa queo.
Nullus dulcis odor, nulla eſt jam grata voluptas.
Senſibus expertem quis ſupereſſe putet?
Et Lethæa meam ſubeunt oblivia mentem,
Nec confuſa ſui jam meminiſſe poteſt.
Ad nullum conſurgit opus, cum corpore languet:
Atque intenta ſuis obſtupet ipſa malis.
Carmina nulla cano: cantandi ſumma voluptas,
Heu, fugit, & vocis gratia vera perit.
Non fora ſollicito, nec blanda poëmata fingo,
Litibus, heu, rapidis commoda dura ſequor.
Ipſíque me ſpecies quondam dilecta reliquit:
Et videor formæ mortuus eſſe meæ.
Pro niveo rutilóque priùs nunc inficit ora
Pallor, & exſanguis funereúſque color.
Aret ficca cutis, rigidi ſtant undique nervi,
Et lacerant uncæ tabida membra manus.
Quondam ridentes oculi: nunc fonte perenni
Deplangunt pœnas nocte diéque ſuas.
Et quos grata priùs ciliorum ſerta tegebant,
Deſuper incumbens hiſpida ſylva premit.
Ac velut incluſi cæco conduntur in antro:
Neſcio quid torvum, vel furiale vident.
Jam pavor eſt vidiſſe ſenem: nec credere poſſis
Hunc hominem, humanâ qui ratione caret.
Si libros repeto, duplex ſe littera findit,
Largior occurrit pagina nota mihi.
Claram per nebulas videor mihi cernere lucem:
Nubila ſunt oculis ipſa ſerena meis.
Eripitur ſinè nocte dies, caligine cæcâ
Septum Tartareo quis neget eſſe loco?
Talia quis demens homini perſuaſerit auctor,
Ut cupiat voto turpior eſſe ſuo?
Jam ſubeunt morbi, ſubeunt diſcrimina mille:
Jam dulces epulæ, deliciæque nocent.
Cogimur à gratis animum ſuſpendere rebus,
Atque ut vivamus, vivere deſinimus.
Et jam me dudum cui nulla adverſa nocebant,
Ipſa, quibus regimur, nunc alimenta gravant.
Eſſe liber ſaturum, ſaturum mox eſſe pigebit,
Præſtat ut abſtineam, aſt abſtinuiſſe nocet.
Quæ modò profuerat, contraria redditur eſca:
Faſtidita jacet, quæ modò dulcis erat.
Non Veneris ſunt grata mihi, nec munera Bacchi,
Nec quicquid vitæ fallere damna ſolet.
Sola jacens natura manet, quæ ſponte per horas
Solvitur, & vitio carpitur ipſa ſuo.
Nec toties experta mihi medicamina proſunt,
Non ægris quidquid ferre ſolebat opem.
Sed cum materiâ pereunt quæcunque parantur,
Fit magis & damnis triſtior urna meis.
Non ſecus inſtantem cupiens fulcire ruinam,
Diverſis contrà nititur objectibus,
Donec longa dies, omni compage ſolutâ,
Ipſum cum rebus ſubruat auxilium.
Quid, quòd nulla levant animum ſpectacula rerum,
Nec mala tot vitæ diſſimulare licet?
Turpe ſeni vultus nitidi, veſtéſque decoræ,
Atque etiam eſt ipſum vivere turpe ſenem.
Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus,
O miſeri quorum gaudia crimen habent!
Quid mihi divitiæ? quarum ſi demſeris uſum,
Quamvis largus opum, ſemper egenus ero.
Imò etiam pœna eſt partis ſuccumbere rebus,
Quas cùm poſſideas, eſt violare nefas.
Non aliter ſitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & appoſitis abſtinet ora cibis.
Efficior cuſtos rerum magis ipſe mearum,
Conſervans aliis, quæ periere mihi.

Sicut

Sicut in suricomis pendentia plurimus hortis
Pervigil observat non sua poma draco.
Hinc me sollicitum torquent super omnia curæ:
Hinc requies animo non datur ulla meo.
Quærere quæ nequeo, semper retinere laboro,
Et retinens semper nil tenuisse puto.
Stat dubius, tremulúsque senex, sempérque malorum
Credulus, & stultus, quæ facit ipse, timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos:
Hoc tantum rectum, quod sapit ipse, putat.
Se solum doctum, se judicat esse peritum,
Et quòd sit sapiens, desipit indè magis.
Multa licèt nobis referens, eadémque revolvens
Horret, & alloquium conspuit ipse suum.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.
O solâ fortes garrulitate senes!
Omnia nequicquam clamosis vocibus implet.
Nil satis est, horret, quæ placuere modó.
Arridet de se ridentibus, ac sibi plaudens
Incipit opprobrio lætior esse suo.
Hæ sunt primitiæ mortis: his partibus ætas
Defuit, & pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus eundis,
Non species eadem, quæ fuit antè, manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis:
Quæque brevis fuerat, jam modò longa mihi est.
Contrahimur, miróque modo decrescimus ipsi:
Diminui nostri corporis ossa putes.
Nec cælum spectare licet: sed prona senectus
Terram, à quâ genita est, & reditura videt.
Fitque tripes, prorsus quadrupes, ut parvulus infans,
Et per sordentem, flebile, serpit humum.
Ortus cuncta suos repetunt, matrémque requirunt:
Et redit ad nihilum, quod fuit antè nihil.
Hinc est quòd baculo incumbens ruitura senectus,
Assiduo pigram verbere pulsat humum.
Et numerosa movens certo vestigia passu,
Talia rugato creditur ore loqui.
Suscipe me genitrix, nati miserere laborum,
Membra velis gremio fessa fovere tuo.
Horrent me pueri, nequeo, velut antè, videri.
Horrendos partus cur finis esse tuos?
Nil mihi cum superis, explevi munera vitæ,
Redde, precor, patrio mortua membra solo.
Quid miseros variis prodest suspendere pœnis?
Non est materni pectoris illa pati.
His dictis, trunco titubantes sustinet artus,
Neglecti repetens stramina dura tori.
Quo postquam jacuit, misero quid funera differt?
Heu, tantùm attriti corporis ossa vides.
Cúmque magis jaceam semper, vivámque jacendo:
Quis sub vitali me putet esse loco?
Jam pœna est totum quod vivimus. urimur æstu,
Officiunt nebulæ, frigus & aura nocet.
Ros lædit, modicóque etiam corrumpimur imbre:
Veris & autumni lædit amœna dies.
Hinc miserum scabies, hinc tussis anhela fatigat,
Continuos gemitus ægra senectus habet.
Hos superesse rear, quibus & spirabilis aër,
Et lux, quâ regimur, redditur ipsa gravis?
Ipsa etiam cunctis requies gratissima somnus
Abvolat, & serâ vix mihi nocte redit.
Vel si lassatos unquam dignabitur artus,
Turbidus in quantis horret imaginibus?
Mollia fulcra tori duris sunt cotibus æqua:
Parva licèt, magnum pallia pondus habent,
Cogor per mediam turbatus surgere noctem,
Multáque, ne patiar deteriora, pati.
Vincimur infirmi defectu corporis: & quâ
Noluero, infelix, hâc ego parte trahor.
Omnia naturæ solvuntur viscera nostræ,
Et tam præclarum quod malè mutat opus.
His veniens onerata malis inopina senectus,
Cedere ponderibus se docet ipsa suis.
Ergo quis has cupiat per longum ducere pœnas?
Paullatímque animâ deficiente mori?
Morte mori melius, quàm vitam ducere mortis,
Et sensus membris sic sepelire suis.
Non queror, heu, longi quòd totum solvitis anni,
Improba naturæ dicere jura nefas.
Deficiunt validi longævo tempore tauri:
Et quondam pulcher, qui modò turpis, equus.
Fracta diu rabidi compescitur ira leonis:
Lentáque per senium Caspia tigris erit.
Ipsa etiam veniens consumet sæva vetustas:
Et nullum est, quod non tempore cedat, opus.
Sed mihi venturos melius prævertere casus,
Atque infelices anticipare dies.
Pœna minor, certam subitò perferre ruinam,
Quod timeas, gravius sustinuisse diu.
At quos fert alios quis possit dicere casus?
Hoc quoque difficile est commemorâsse seni.
Jurgia, contemtus, violentáque damna sequuntur:
Nec quisquam ex tantis præbet amicus opem.
Ipsi me pueri, atque ipsæ sinè lite puellæ,
Turpe putant dominum jam vocitare suum.
Irrident gressus, irrident denique vultum,
Et tremulum, quondam quod timuere, caput.
Cúmque nihil videam, tamen hoc spectare licebit,
Ut gravior misero pœna sit ista mihi.
Felix qui meruit tranquillam ducere vitam,
Et lætos flebili claudere fine dies.
Dura satis miseris memoratio prisca bonorum:
Et gravius summo culmine missa ruunt.

ELEGIA II.

EN dilecta mihi nimiùm formosa Lycoris,
Cum quâ mens eadem, res fuit una mihi.
Post multos quibus indivisi viximus annos,
Respuit amplexus, heu, stupefacta meos.
Jámque alios juvenes, aliósque requirit amores:
Me vocat imbellem, decrepitúmque senem.
Nec meminisse volet transactæ dulcia vitæ,
Nec quòd me potiùs reddidit ipsa senem.
Imò etiam causas ingrata ac perfida fingit,
Ut spretus vitio judicer esse meo.
Hæc me præteriens cùm dudum fortè videret,
Exput, obductis vestibus ora tegens.
Hunc ego dilexi? méque hic complexus amavit?
Huic ego sæpe, nefas, oscula blanda dedi?
Nauseat, & priscum vomitu ceu fundat amorem,
Imponit capiti plurima dira meo.
Heu, quid longa dies nunc affert? ut sibi quisquam
Quondam dilectum prodere turpe putet?
Nónne fuit melius tali me tempore fungi,
Quo nulli merito despiciendus eram:
Quàm postquam periit quidquid fuit antè decoris,
Extinctum meritis vivere criminibus?
Jam nihil est totum quod viximus: omnia secum
Tempus præteriens, horáque summa trahit.
At mea jam nivei circumdant tempora cani,
Et jam cæruleus inficit ora color.
Præstat adhuc, nimiúmque sibi speciosa videtur,
Atque annos mecum despicit illa suos.
Et fateor, primæ retinet monumenta figuræ,
Atque inter cineres condita flamma manet.
Ut video, pulcris etiam vos parcitis anni,
Nec veteris formæ gratia tota perit.
Relliquiis veterum juvenes pascuntur amorum,
Sed si quid nunc est, quod fuit antè, placet.
Ante oculos statuunt primævi temporis actus,
Atque in præteritum luxuriantur opus.
Et quia nos totus membrorum deserit usus,
Nullos amplexus quos remoretur habet.
Sed miseris solus superest post omnia luctus.
Quot bona tunc habui, tot modò damna fleo.
Ergo velut pecudum præsentia sola manebunt?
Nil te transactis, quod memoretur, erit?
Cùm fugiant & bruta novos animalia campos,
Et repetant celeres pascua nota greges,
Sub quâ decubuit requiescens diligat umbram
Taurus, & amissum quærat ovile pecus,
Dulciùs in solitis cantet philomela rubetis,
Sitque suum rapidis dulce cubile feris;
Tu tantùm bene nota tibi atque experta relinquis
Hospitia, & potiùs non manifesta petis?
Nónne placet meliùs certis confidere rebus?
Eventus varios res nova semper habet.
Sum grandævus ego, nec tu minùs alba capillis:
Par ætas animos conciliare solet.
Si modò non possum, quondam potuisse memento:
Sit satis ut placeam, me placuisse prius.
Permanet invalidis reverentia prisca colonis:
Quod fuit invetulo milite, miles amat.
Rusticus expertum defiet cessisse juvencum:
Cum quo consenuit miles honorat equum.
Nec me adeò primis spoliavit floribus ætas:
En facio versus, & mea dicta cano.

Sit gravitas, sitque ipsa tibi veneranda senectus:
Sit quod te nôsti vivere velle diu.
Quis suam in alterius condemnet crimine vitam?
Et quo prætendit claudere certet iter?
Dicere si fratrem, seu dedignaris amicum,
Dic patrem, affectum nomen utrunque tenes.
Vincat honor luxum, pietas succedat amori:
Plùs ratio, quamvis cæca, valere solet.
His lacrymis longos, quantum fas, flevimus annos:
Est grave, quod doleat, commemorare diu.

ELEGIA III.

NUnc operæ pretium est quædam memorare juventæ,
Atque senectutis pauca referre meæ:
Quo lector mentem rerum vertigine fractam
Erigat, & mæstum noscere curet opus.
Captus amore tuo demens, Aquilina, ferebar,
Pallidus, & tristis, captus amore tuo.
Nondum, quid sit amor, vel quid Venus ignea, nôram:
Torquebar potiùs rusticitate meâ.
Nec minùs illa meâ percussa à cuspide, flagrans
Errabat, totâ non capienda domo.
Carmina pulsa procul, nimiùm dilecta, jacebant:
Solus amor cordi, curáque semper erat.
Nec reperire viam, quâ cæcum pasceret ignem,
Docta, nec alternis reddere verba notis.
Tantùm in conspectu studio perstabat inani,
Anxia vel solo lumine corda fovens.
Pædagogus adit me: illam tristissima mater
Servabat, tanti pœna secunda mali.
Prensabántque oculos, nutúsque per omnia nostros,
Quisque solet mentis ducere signa color.
Dum licuit, votum tacitè compressimus ambo,
Et variâ dulces teximus arte dolos.
At postquam teneram rupit verecundia frontem,
Nec valuit penitus flamma recepta tegi,
Mox captare dolos & tempora cœpimus ambo,
Atque superciliis luminibúsque loqui:
Fallere sollicitos, suspensos ponere gressus,
Et totâ nullo currere nocte sono.
Nec longum, genitrix furtivum sensit amorem,
Et medicare parans vulnera vulneribus,
Increpitat, cædítque: ignes in pectore crescunt,
Ut solet adjecto crescere flamma rogo.
Concipiunt geminum flagrantia corda timorem,
Et sic perniscto sævit amore dolor.
Tunc me viscéribus perterrita quærit anhelis,
Emtum suppliciis quem putat esse suis.
Nec memorare pudet, turpésque revolvere versus,
Imò etiam gaudens imputat illa mihi.
Pro te susceptos juvat, inquit, ferre labores:
Tu pretium tanti dulce cruoris eris.
Sit modò certa fides, atque inconcussa voluptas:
Quæ nihil imminuit passio, nulla fuit.
His egomet stimulis angebar semper, & ardens
Languebam: nec spes ulla salutis erat.
Prodere non ausus carpebar vulnere cæco:
Sed stupor & macies vocis habebat opus.
Hîc mihi, magnarum scrutator maxime rerum,
Solus Bobeti fers miseratus opem.
Nam cùm me curis intentum sæpe videres,
Nec posses causam noscere tristitiæ:
Tandem perspiciens tali me peste teneri,
Mitibus alloquiis pandere clausa jubes.
Dic, ait, unde novo correptus carperis igne?
Dic precor, & dicti sume doloris opem.
Non intellecti nulla est curatio morbi,
Ut magìs inclusis ignibus antè fremunt.
Dum pudor est tam fœda loqui, vitiúmque fateri,
Agnovit taciti conscia signa mali.
Mox ait; occultæ satìs est res prodita causæ:
Pone metum, veniam vis tibi tanta dabit.
Prostratus pedibus verecunda silentia rupi,
Cum lacrymis referens ordine cuncta suo.
Fare, ait, ut placidæ potiaris munere formæ
Responde: pietas talia velle fugit.
Solvitur in risum, exclamans, pro mira voluptas!
Castus amor Veneris dicito quando fuit?
Parcere dilectæ juvenis desiste puellæ,
Impius huic fueris, si pius esse voles.
Unguibus & morsu teneri pascuntur amores:
Vulnera non refugit, res magìs apta plagæ.
Interea donis permulcet corda parentum,
Et pretio faciles in mea vota trahit.
Auri cæcus amor nativum vincit amorem:
Cœperunt gnatæ crimen amare suæ.
Dant vitiis furtísque locum: dant jungere dextras,
Et totum ludo concelebrare diem.
Permissum fit vile nefas: fit languidus ardor.
Vicerunt morbum languida corda suum.
Illa nihil quæsita videns procedere, causam
Odit, & illæso corpore tristis abit.
Projeci vanas sanato pectore curas,
Et subitò didici quàm miser antè fui.
Salve sancta, inquam, sempérque intacta maneto
Virginitas, per me plena pudoris eris.
Quæ postquam perlata viro sunt omnia tuto,
Méque videt fluctus exsuperâsse meos:
Macte, inquit, juvenis proprii dominator amoris,
En de contemtu sume tropæa tuo.
Arma tibi Veneris, cedántque Cupidinis arcus:
Cedat & armipotens ipsa Minerva tibi,
Si tibi peccandi studium permissa potestas
Abstulit, atque ipsum talia velle fugit.
Ingrati, tristes pariter discessimus ambo:
Diffidii ratio vita pudica fuit.

ELEGIA IV.

RESTAT adhuc alios, turpésque revolvere casus,
Atque aliquo molli pascere corda joco.
Conveniunt etenim deliræ ignava senectæ,
Aptáque sunt operi carmina vana meo.
Sic vicibus variis, alternis volvimur annis,
Et mutata magìs tempora grata mihi.
Virgo fuit, species dederat cui candida nomen,
Candida, diversis sat bene comta comis.
Huic ego per totum vidi splendentia corpus
Cymbala multiplices edere pulsa sonos.
Nunc niveis digitis, nunc pulsans pectine chordas,
Arguto quidquid murmure dulce loqui.
Hanc ego saltantem subitò correptus amavi,
Et cœpi tacitus vulnera grata pati.
Sic me diversis tractum de partibus, una
Carpebat variis pulcra puella modis.
Singula visa semel, semper memorare libebat,
Hærebátque animo nocte diéque meo.
Sæpe velut visæ lætabar imagine formæ,
Et procùl absentis voce manúque frui.
Sæpe velut præsens fuerit, mecum ipse loquebar:
Cantabam dulces, quos solet illa, modos.
O quoties demens, quoties finè mente putabar,
Nec puto fallebar, non bene sanus eram.
Atque aliquis, cui cæca foret bene nota voluptas,
Cantat cantantem, Maximianus amat.
Certè difficile est abscondere pectoris æstus,
Panditur & clauso sæpius ore furor.
Nam subitò inficiens vultum pallórque, rubórque,
Interdum certæ vocis habebat opus.
Nec minùs ipsa meas prodebant somnia curas:
Somnia secreti non bene fida mei.
Nam cùm sopitos premerent oblivia sensus,
Confessa est facinus conscia lingua suum.
Candida, clamabam, propera, cur Candida cessas?
Nox abit, & fortis lux inimica venit.
Proximus ut genitor mecum comitatus amatæ
Virginis, in gelidâ fortè jacebat humo:
Illius ad nomen turbatos excitat artus:
Exsilit, & natam credit adesse suam.
Omnia collustrans, toto me corde solutum
Prospicit afflantem, nec meminisse mei.
Vana putas? an vera sopor ludibria jactat?
Et te verus, ait, pectoris ardor habet?
Credo equidem assueras animo remeare figuras,
Et fallax studium ludit imago suum.
Stat tamen attonitus, perplexáque murmura captat,
Et tacitis precibus dicere plura rogat.
Sic ego, qui cunctis sanctæ gravitatis habebar,
Proditus indicio sum miser ipse meo.
Et nunc infelix tota est finè crimine vita,
Et peccare senem non potuisse pudet.
Deferimur vitiis, fugit indignata voluptas:
Et quod non possum, non potuisse juvat.
Hoc etiam meminisse licet, quod serior ætas
Intulit, & gemitus quos mihi læta dedit.
Has sed quis possit naturæ adstringere partes?
Gnarus, & ut sapiens noxia sæpe velit?
Interdum rapimur vitiis, trahimúrque volentes,
Et, quæ non capiunt, pectora bruta volunt.

ELEGIA V.

Missus ad Eoas legati munere functus,
Tranquillum cunctis nectere pacis opus,
Dum studeo geminæ componere fœdera pacis,
Inveni cordis bella nefanda mei.
Hic me suscipiens Etruscæ gentis alumnum,
Involvit patriis Graia puella dolis.
Nam cùm se nostro captam simularet amore,
Me potiùs vero fecit amore capi.
Pervigil ad nostras adstabat manè fenestras
Nescio quid Græco murmure dulce canens.
Nunc aderant lacrymæ, gemitus, suspiria, pallórque,
Et quidquid nullum fingere posse putes.
Sed velut afflicto nimiùm miseratus amore,
Efficior potiùs tunc miserandus ego.
Hæc erat egregiâ formâ, vultûsque sereni,
Grata micans oculis, nec minùs arte placens:
Docta loqui digitis, & carmina fingere docta,
Et responsuram sollicitare lyram.
Illam Seireniis stupefactus cantibus æquans,
Efficior demens alter Ulysses ego.
Et quia non poteram tantas evadere moles,
Nescius in scopulos, & vada cæca feror.
Quid referam gressus certâ se lege moventes?
Suspensósque novis paffibus ire pedes?
Grande erat inflexos gradibus numerare capillos,
Grande erat in niveo pulcra colore coma.
Urebant oculos duræ stantésque papillæ,
Et quas adstringens clauderet una manus.
Ah quantùm mentem stomachi fultura movebat,
Atque sub exhausto pectore pingue femur!
Urebar teneros adstringere fortiter artus,
Visa per amplexus ossa sonare meos.
Grandia clamabam nimiùm me brachia lædunt,
Non tolerant pondus subdita membra tuum.
Dirigui, quantúsque fuit calor ossa reliquit,
Et nata est veniæ causa pudenda meæ.
Non sic lac tenerum permista coagula reddunt,
Nec liquidi mellis spuma liquoris erit.
Succubui fateor, Graiæ tum nescius artis:
Succubui Tuscâ simplicitate senex.
Quâ defensa suo superata est Hectore Troja,
Unum non poterat fraus superare senem?
Muneris invicti curam, studiúmque reliqui,
Deditus imperiis sæve Cupido tuis.
Nec memorare pudet tali me vulnere victum,
Subditus his flammis Jupiter ipse fuit.
Sic mihi prima quidem nox affuit, & sua solvit
Munera grandævo vix subeunda viro.
Proxima destituit vires, vacuúsque recessit
Ardor, & in Venerem segnis, ut antè, fui.
Illa, velut proprium repetens infesta tributum,
Instat, & increpitans, debita reddis? ait.
Sed nihil hic clamor, nil sermo mitis agebat:
Quod natura negat, reddere nemo potest.
Erubui, stupuíque: omnes verecundia motus
Abstulit, & blandum terror ademit opus.
Contrectare manu cœpit frigentia membra,
Méque etiam digitis sollicitare suis.
Nil mihi torpenti, nil tactis profuit illis:
Restitit in medio frigus, ut antè, foco.
Quæ te crudelis rapuit mihi femina? dixit,
Cujus ab amplexu fessus ad arma redis?
Jurabam curis animum mordacibus uri,
Nec posse ad luxum tristia corda trahi.
Illa dolum credens, non falles, inquit, amorem,
Plurima cæcus amor lumina semper habet.
Quin potiùs placido noli unquam parcere ludo:
Projice tristitias, & renovere jocis.
Obtundunt siquidem curarum pondera sensus:
Intermissa minus sarcina pondus habet.
Tunc egomet toto nudatus corpore lecto,
Effusis lacrymis talia verba dedi.
Cogimur, heu, segnes crimen vitiúmque fateri,
Ne meus extinctus fortè putetur amor.
Me miserum, cujus non est culpanda voluptas,
Judicor infelix debilitatis ope.
En longo confecta situ tibi tradimus arma:
Arma ministeriis quippe dicata tuis.
Fac quodcunque potes, nos cedimus: hôc tamen ipse
Grandior est hostis, quo minùs ardet amor.
Protinus Argivas admovit turpiter artes,
Méque cupit flammis vivificare suis.
Ast ubi dilecti persensit funera membri,
Nec velut expositum surgere vidit opus,
Erigitur, viduóque toro laniata recumbens,
Vocibus his luctus & sua damna fovet.
Mentula festorum cultrix operosa dierum
Quondam divitiæ deliciæque meæ,
Quo te dejectam lacrymarum gurgite plangam?
Quæ de tot meritis carmina digna feram?
Tu mihi flagranti succurrere sæpe solebas,
Atque æstus animi ludificare mei.
Tu mihi per totam custos gratissima noctem,
Consors lætitiæ tristitiæque meæ.
Conscia secreti semper fidissima nostri,
Adstans in nostris pervigil obsequiis.
Quò tibi fervor abit, per quem feritura placebas?
Quò tibi cristatum vulniferúmque caput?
Nempe jaces nullo, ut quondam, suffusa rubore:
Pallida demisso vertice nempe jaces.
Nil tibi blanditiæ, nil dulcia carmina prosunt,
Non quidquid mentem sollicitare solet.
Sic velut expositò meritam te funere plango,
Occidit assiduo quod caret officio.
Hæc ego cum lacrymis deductâ voce canentem
Irridens, dictis talibus increpui.
Dum desles nostri languorem femina membri,
Ostendis morbo te graviore premi.
Vade, inquam, felix, semper felicibus apta,
Utere, cognatis utere deliciis.
Illa furens, credo quòd nescis perfide, dixit:
Non fleo privatum, sed generale chaos.
Hæc genus humanum, pecudum, volucrúmque, ferarúm-
Et quidquid toto spirat in orbe, creat. [que,
Hâc sinè diversi nulla est concordia sexûs,
Hâc sinè conjugii gratia summa perit.
Hæc geminas tanto constringit fœdere mentes,
Unius ut faciat corporis esse duos.
Pulcra licèt, pretium, si desit, femina perdit,
Hæc si defuerit, vir quoque turpis erit.
Hæc si gemma micans rutilam non conterat aurum,
Æternùm fallax, mortiferúmque genus.
Tecum pura fides, secretáque certa loquuntur,
O verè pretium, fructiferúmque bonum.
Cedunt cuncta tibi, quódque est sublimius, altro
Cedunt imperiis maxima quæque tuis.
Nec subtracta gemunt, sed se tibi subdere gaudent:
Vulnera sunt iræ prosperiora tuæ.
Ipsa etiam totum moderans sapientia mundum,
Porrigit invitas ad tua jura manus.
Sternitur icta tuo votivo vulnere virgo,
Et percussa novo læta cruore jacet.
Flet tantùm, ridétque suum laniata dolorem,
Et percussori plaudit amica suo.
Non tibi semper iners, non mollis convenit actus,
Mistáque sunt ludis fortia facta tuis.
Nam nunc ingenio, modò nunc viribus usa,
Nunc his, quæ juveni sunt inimica, malis.
Nam tibi pervigiles impendunt sæpe dolores,
Imbres, insidiæ, jurgia, damna, pudor.
Tu mihi sæpe feri commendas corda tyranni,
Sanguineus per te Mars quoque mitis erit.
Tu post extinctos, debellatósque Gigantes,
Excutis irato tela trisulca Jovi.
Tu cogis rapidas affectus discere tigres:
Per te blandus amans redditur ipse leo.
Mira tibi virtus, mira est patientia, victos
Diligis, & vinci, vincere sæpe volens.
Cùm superata jaces, vires animósque resumis,
Atque iterum vinci, vincere rursus amans.
Ira brevis, longa est pietas, recidiva voluptas,
Et cùm posse perit, mens tamen una manet.
Conticuit tandem longo satiata dolore,
Ac velut expletis desinit exsequiis.

ELEGIA VI.

Claude precor miseras ætas verbosa querelas,
Nunquid adhuc vitiûm vis referare tuum?
Sit satis indignum leviter tetigisse pudorem,
Contrectata diu crimina crimen habent.
Omnibus est eadem lethi via: non tamen unus
Est vitæ cunctis, exitúsque modus.
Hâc pueri, atque senes pariter, juvenésque feruntur,
Hâc par divitibus pauper egenus erit.
Ergo quod adstrictum, quódque est vitabile nulli,
Festino gressu vincere præstat iter.
Infelix ceu jam defleto funere surgo,
Hâc medesunctum vivere parte puto.

y Google

PETRONII ARBITRI

Ætas ex Jo. Albert. Fabric. Biblioth. Lat.

T. PETRONIUS ARBITER Maſſilienſis equeſtri genere natus, vir conſularis & inter familiares Neronis Imp. Sed artibus æmuli Tigellini inviſus ei redditus, juſſúſque ab eo mori, inciſis venis, laſcivam animam efflavit A. Chriſti 67.

Poëtica ejus Fragmenta lege priùs p. [1567]

ALPHII AVITI *VITA*,

Ex PETRO CRINITO.

ALPHIUS AVITUS poëta illuſtris eſt habitus; vixit iiſdem penè temporibus, quibus Cæſ. Conſtantii præſtiterunt; quæ res abunde colligitur ex Mauro Terentiano, qui poëtam Septimium atque Alphium Avitum inter recentiores connumerat. Sunt qui putent illum fuiſſe Carthaginenſem, in quo deſideramus Authores. Ingenio eleganti fuit & componendis carminibus accommodato. Inter cætera, quæ dicitur ſcripſiſſe, libros fecit, qui inſcripti ſunt Excellentium. In his perpetuò uſus eſt dimetris Iambicis magnâ quidem venuſtate ac pari elegantiâ, ut Grammatici Veteres teſtantur. Quod etiam ſatìs colligitur his verſiculis: qui adhuc ſuperſunt ex Libro ſecundo Excellentium.

Tum literator creditos &c.

Maurus Terentianus perſæpe citat Alphii poëtæ carmina: déque eo ſic ſcribit in libro de Variis metris.

Phaſelus ille, quem vides;
Plerumque nec carmen modò
Sed & volumen explicat:
Ut pridem Avitus Alphius
Conſcripſit Excellentium.

Priſcianus quoque de eodem meminit pluribus locis.

Ex Ger. Joh. Voſſio de Poet. Lat.

ALPHIUS AVITUS, quantum poſſum videre, Auguſti & Tiberii temporibus vixit. Sic ſanè ſtatuendum, ſi ſit Alfius ille Flavus, Ceſſii auditor, qui æqualis fuit M. Senecæ: ut liquet ex Controverſ. XV. Atque ejuſdem ſunt iſta lib. I. Controv. I. *Hanc partem memini apud Ceſtium declamari ab Alfio Flavo; ad quem audiendum me fama perduxerat: qui cùm prætextatus eſſet, tantæ opinionis fuit, ut P. Romano puer eloquentiâ notus eſſet. Semper de illius ingenio Ceſtius & prædicavit & timuit. Aiebat tam immaturè magnum ingenium non eſſe vitale: ſed tanto concurſu hominum audiebatur, ut rarò poſt illum auderet Ceſtius dicere. Ipſe omnia mala faciebat ingenio ſuo: naturalis tamen illa vis eminebat: quæ poſt multos annos tametſi deſidiâ obruta & carminibus enervata, vigorem tamen ſuum tenuit.* Ubi videmus, ut ad poëſin animum appulerit. Quare ſatìs veriſimile videtur, dictum eſſe Flavum Alfium Avitum. Scripſit duos libros virorum Excellentium. Unde Priſcianus lib. VIII. hos verſiculos citat de Ludi Literarii magiſtro filios principum Faliſcorum adducente ad M. Furium Camillum, ſed ab eo vincto & pueris tradito, ut verberibus in urbem redigerent:

Tum literator creditos &c.

Sanè hos eſſe ejuſdem Flavii Alphii verſus etiam cenſet Henricus Valeſius notis in excerpta Dionis Cocceiani. Quemadmodum & ad hanc hiſtoriam refert illa ejuſdem Alfii Aviti:

Seu tute mavis obſides &c.

Ita enim legere jubet: ubi in vulgatis pro *obſides* eſt *hoſpites.*

Fragmenta Alphii Aviti lege priùs p. [1543]

L. APULEII *VITA*,

Ex Jo. Albert. Fabric. Biblioth. Lat.

L. APULEIUS ex Madaurâ Africæ Civitate ſemi-Numida & ſemi-Gætulus, Carthagine in pueritiâ diſciplinam adeptus, orator JCtus & Philoſophus Platonicus nobilis doctúſque utràque linguâ Græcâ & Latinâ, temporibus Antonini Pii ac fratrum M. Antonini Philoſophi & Veri, uti ex Apologiâ Apuleii conſtat, quâ affirmat ſe diſſerere præſente Lolliano Avito, qui ſub Divis fratribus Bithyniæ præſes floruit.

Carmina ex Apuleii operibus excerpta.

Tranſlata ex Orpheo.

Primus cunctorum eſt & Jupiter ultimus idem,
Jupiter & caput & medium eſt. Sunt ex Jove cuncta.
Jupiter eſt terræ baſis & ſtellantis olympi.
Jupiter & mas eſt, éſtque idem nympha perennis.
Spiritus eſt cunctis, validúſque eſt Jupiter ignis.
Jupiter eſt pelagi radix; eſt Lunáque Sólque;
Cunctorum Rex eſt, princépſque & originis author.
Namque ſinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.

Ex Epigr. Græc.

Aſtra vides. utinam fiam, mî ſydus, Olympus,
Ut multis ſic te luminibus videam.
Lucifer antè meus rutilans mortalibus Aſter:
Heſperus à fato Manibus ecce nites.

Dixerit hic tantùm quum nil niſi pulcher Alexis
Extitit, & vertunt quilibet in te oculos.
Cur, anime, os canibus monſtras, angíſque dolore
Poſtmodo? non Phædro ſic priùs occidimus?

Civibus ingenti in patriâ laudate jaces nunc,
Qui inſanum me animi reddis amore, Dion.

AT ego tibi ſermone iſto Mileſio
Varias fabellas conſeram, atque aures tuas
Lepido ſuſurro benevolas permulceam;
Modò ſi papyrum Ægyptiam tu argutiâ
Nilotici calami inſcriptam non ſpreveris
Inſpicere. Figuras formáſque hominum imagines
In alias converſas, & in ſe mutuo
Rurſum nexu refectas, ut mireris, hìc
Exordior. Quis ille, paucis accipe.
Hymettos Attica, atque Iſthmos Ephyreia &
Spartiaca Tænaros glebæ felicis æternùm libris libris felicioribus conditæ.
Mea vetus eſt proſapia.
Ibi linguam Atthidem primis pueritiæ
Stipendiis merui. Latinâ in urbe mox
Advena ſtudiorum Quiritium.
Labore ſermonem indigenam ærumnabili
Nullo præeunte magiſtro aggreſſus excolui,
Et ecce profamur veniam, ſi quippiam
Exotici ac forenſis ſermonis rudis
Offendero locutor. ——
—— ipſa jam quidem
Hæc vocis immutatio, deſultoriæ
Stylo reſpondet, quem arceſſimu', ſcientiæ.
Nunc fabulam Græcanicam
Incipiam; intende, Lector, & lætaberis.

Mox.

Montis in excelſi ſcopulo deſiſte puellam
  Ornatam mundo funerei thalami.
Nec ſperes generum mortali ſtirpe creatum,
  Sed ſævum atque ferum vipereúmque malum:
Qui pennis volitans ſuper æthera, cuncta fatigat,
  Flammâque & ferro ſingula debilitat.
Quem tremit ipſe Jovis, quo Numina terrificantur,
  Fluminâque horreſcunt & Stygiæ tenebræ.

Et Critias mea delicia & ſol alme Charine,
  Par in amore meo vita tibi remanet.
Ne metuas ne me ignis & ignis torreat, ut vult:
  Haſce duas flammas, dum potiar, patiar.
Hoc modò ſim vobis, unus ſibi quiſque quod ipſe;
  Hoc mihi vos eritis, quod duo ſunt oculi.
Florea ſerta, meum mel, & hæc tibi carmina dono;
  Carmina dono tibi, ſerta tuo Genio:
Carmina, utì Critiæ lux hæc optata canatur,
  Quæ bis ſepteno vere tibi remeat:

Serta autem, ut læto tibi tempore tempora vernent;
  Ætatis florem floribus ut decores.
Tu mihi da contrà pro verno flore tuum ver,
  Ut noſtra exuperes munera muneribus.
Pro implexis ſertis complexum corpore redde,
  Próque roſis oris ſavia purpurei.
Quòd ſi animum inſpires, dona jam carmina: noſtra
  Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Calpurniane, ſalve properis verſibus.
Miſi, ut petiſti, tibi munditias dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus.
Tenuem, candificum, nobilem pulviſculum,
Complanatorem tumidulæ gingivulæ,
Converritorem pridianæ reliquiæ,
Ne quæ viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris.

Hæc hactenus ſufficiant: quamvìs enim multo plura hujuſmodi Poëmatia aut Fragmenta ex Scaligeri & Pithœi collectaneis accumulari potuiſſent; opus tamen noſtrum, quod jam ultra numerum ſchedarum in ſpecimine promiſſum excrevit, minutas illas omnes, nec magni adeò momenti reliquias inferciri non patitur.

Vale, Lector; & ſi hæc Latinorum Poetarum Editio placuerit, Græcos expecta.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google